2
1610

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
27 N
11

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

S.27.N.11

R. P.

FRANCISCI SVAREZ

GRANATENSIS, E SOCIETATE IESV DOCTORIS THEOLOGI.

ET IN CONIMBRICENSI ACADEMIA
Sacrarum Litterarum primarij Profeſſoris


[redacted] **TOMVS II.** [redacted]

DE VIRTVTE ET STATV Religionis.

QVO QVID CONTINEATVR, INDEX proximus indicabit.

Cum Superiorum permiſſu, & priuilegio Cæſareo.

Liber est Conv. Iesu Mariae de Urbe fratrum Discalceat. Ord. S. Aug. Congr. Ital.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HIC LIBER EST CONTUS IESU MARIAE FF. EREM. EXCAL. S. AUG.

MOGVNTIÆ,
Sumptibus HERMANNI MYLII, Birckm.
Excudebat Balthaſar Lippius.
ANNO cIↄ Iↄ CX.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. Dn.

IOANNI HOEMANS
DOMMELANO
SS. THEOLOGIÆ DOCTORI, AD GRADVS D. VIRGINIS, ET S. STEPHANVM MOGVNTINENSES CANONICO,

Virginum ad S. Agnetem ibidem Patri confeſſario, &c.

HVNC tomum ſecundum lucubrationum P. Suarez de religione tibi, Domine Dommelane, dedico, non, ut plerique ſolent, honorarium aliquod à te quaſi emendicans, ſed in gratam beneficiorum mihi collatorum memoriam. Numquam enim Moguntiam tranſii, tranſii autem ſæpiſſimè, quin ſemper domus tua mihi liberaliſſimè patuerit, &, ut ſpero, impoſterum nunquam claudetur. Hoc vero remunerandi genere vſus ſum, quod id T. R. putarem conuenientiſſimum, quæ ſuſcepta in ſacra Theologia Doctorali laurea in Theologorum ſcriptis (inter quos Suarez, ſi non primum, ſanè nec infimum locum obtinet) reuoluendis plurimum delectatur. Tum etiam, quod hunc tomum, in quo de horis Canonicis multum tractatur, commodiſſime ſub Tuæ Reuerentiæ nomine exiſtimarem Moguntiæ in lucem prodire, quam omnes toti clero verum exemplum ſciunt, & confitentur eſſe, ad religioſiſſime Deo ſeruiendum. Quod ne aſſentandi gratia dictum videatur, potius, quam illud multis demonſtrem, precor Deum, vt R. T. cæleſtia laborum præmia poſt huius vitæ curriculum concedat, & me R. T. precibus commendo. Pridie D. Andreæ 1609. Coloniæ.

Reuerentiæ Tuæ ad omnia

paratiſſimus

Hermannus Mylius.

Digitized by Google

AD ILLVSTRISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM D. D. MARTINVM ALPHONSVM A MELLO EPISCOpum Lamecenſem, &c.

MVLTA ſunt, Illuſtriſſime Præſul, quæ me non ſolum ſponte concitatum mouerent, ſed cogerent repugnantem, vt quas de Religione lucubrationes nunc promulgo, tuo velim patrocinio defendi, tuo nomine illuſtrari. Enim vero quæcunque tibi liberali ſane manu aut natura indidit, aut Deus contulit ornamenta, tanto enitent ſplendore, tanta radiant claritate, vt lucem obſcuris, nitorem abiectis, cunctis deniq; poſſint ſplendorem *Ariſt. 2. Rhetor.* fœnerari. Nobilitatem ſi requiro, quam merito Ariſt. luci voluit comparare, eam ſic video diffuſis, paſſim non dicam Luſitania, ſed Hiſpania radiis collucere, vt merito poſſim ſperare ex tanto generis ſplendore, qui integras familias ſuo, vt ſic dicam, attactu reddere potuit perilluſtres, multum lucis, ac venuſtatis in hoc opus poſſe deriuari. Quod ſi illa, quæ ex tuis Maioribus accepiſti, tantis fulgurant ornamentis, quanto credendum eſt emicare ſplendore, quanta enitere pulchritudine dotes illas, ac decora immortalia, quæ tibi induſtria peperit, ſtudium acquiſiuit, diligentia comparauit? Ea ſane ita per ſe ſunt illuſtria, vt alieno non egeant teſtimonio, cum propria ſic radient venuſtate. Septem illas ſtellas, quas in Chriſti dextera eximia luce micantes ſua in *Apoc. 1.* Apocalypſi Ioannes vidit, præſtantes Eccleſiæ præſules deſignare ſacræ paginæ Interpretes atteſtantur: indicare nempe voluit Chriſtus Dominus eos Chriſtianæ Reipublicæ Pontifices pręponendos, qui & virtutis ſplendore, & ſapientiæ luce, & doctrinæ claritate ſic ſplendeſcant, vt diffuſis qua morum, qua doctrinæ radiis ſtellas exprimant, & ſydera repræſentent, non vago errantia curſu, ſed firmo in Chriſti dextera emicantia ſplendore. Quis te, illuſtriſſime Præſul, vnum ex his ſydus non agnoſcat, & merito non decantet? quem per tot annos ſingulari vitæ exemplo, felici doctrinæ vbertate, & eximiæ ſapientiæ luce ſic nouimus tuæ diœceſi præſidentem, vt tenebricoſas vitiorum latebras vitæ exemplo illuſtraueris, obſcuram ſcelerum caliginem doctrinæ ſplendore expuleris, intricatos humanæ mentis receſſus ſapientiæ luce expedieris, ac paſſim occurrentem miſerorum hominum egeſtatem tanta liberalitate ſubleuaueris, vt non obuia ſolum pauperum agmina paueris, paſcaſque quotidie abundanter: ſed latebras, rimulaſque perquiras, quibus egeni, quaſi in tenebris occultantur, vt eos tuæ beneficentiæ luce ab illa vindices egeſtate, aut ſaltem communi recrees alimento. Itaque cum magnis, ac *Rom. 1.* paruis, cum ſummis, ac infimis debitor ſis iuxta doctrinam Pauli, vtriſque ſic ades, qua vitæ exemplo, qua doctrinæ luce, qua opum facultate, vt nemo ſit, qui ſe vel à luce, vel à calore tuo abſcondat: nemo, inquam. quia non tuis tantum, ſed alienis, imo omnibus ſic eluxiſti, hodieque eluces, vt mirifice in te

quadret

Digitized by Google

quadret illud Gregorij Nazianzeni cum Athanaſium dilaudaret, *Creditur*, in- *Gregor.*
quit, *illi populi Alexandrini præſidentia, quod perinde eſt, ac ſi dicam, totius orbis præ-* *Nazian.*
fectura, quia ita præfuit Eccleſiæ Alexandrinæ, vt vniuerſo orbi prodeſſet. Sic *Orat. 21.*
tu illuſtriſsime Præſul, non Lamecenſi tantum Eccleſiæ ſydus emicas in ma-
nu Dei: ſed toti Luſitaniæ, imo vniuerſo orbi ita ſplendeſcis, vt non ſolum ad
vnam Eccleſiam regendam videaris electus, ſed omnium præfectura dignus
poſſis iudicari: ac proinde non ſydus tantum in manu Dei, ſed lux mundi vi-
dearis, quales Princeps paſtorũ omnes ſuæ Eccleſiæ paſtores eſſe voluit. Quis *Matt. 5.*
ergo dubitet hoc opus, quamuis nullo nitore à me prodeat exornatum, tuo
tamen eximio circumpoſitum ſplendori, ita luce ſi non propria, at aliena ſal-
tem prodìturum illuſtre, vt iam manibus teri, ac omnium oculis mereatur v-
ſurpari? Multò verò minus mihi dubium eſſe poteſt ſuſcepturum te libenter
hoc opus tuo vel patrocinio defendendum, vel claritudine illuſtrandum: cũ
tuæ in me, laboresq́; meos volũtatis pignora habeam perantiqua. Vix pedem
intuleram in Luſitaniam, cum tuam ita ſum expertus beneuolentiam, & tan-
ta liberalitate beneficijs cumulatus, vt cum multa, & maxima eſſent accepta,
plura tamen, ac maiora ſemper iuberent ſperare. Nec vana extitit ſpes, aut in-
anis coniectura: enim verò tuæ in me propenſionis argumenta tam liberali
augmento in dies creſcunt, vt non verbis tantum, ſed factis, non futili oſten-
tatione, ſed ſolidis teſtimonijs ſatis habeam exploratum, ita tibi me eſſe obli-
gatum, ac beneficijs deuinctum, vt licet multum inſudem dum exoluo, nun-
quam debitum poſſim compenſare. Quapropter cum veriſſimum ſit illud *August.*
Auguſtini: *Nimis durus eſt amicus, qui dilectionem ſi nolebat impendere, nolit & repẽ-* *de Cathe-*
dere: ferrei ſanè ingenij, & intractibilis eſſem, ſi tantæ in me beneuolentiæ, *chiz. rud.*
quanta in te ſemper enituit, non aliquid rependerem officij, quo omnibus in-
noteſceret, non male omnino in me tot fuiſſe collata beneficia. Eoque liben-
tius hos tibi offero commentarios meæ in te indices obſeruantiæ, ac tuo no-
mine decorandos, quod non leui ducar coniectura, futurum tibi hoc munus
periucundum: cum enim tanta auiditate, quæ à me nondum in publicum
euulgantur, & exquiras, & ſoleas lectitare: multo ſpero auidius has perleges
commentationes maiori diligentia lucubratas: quæ ſi tuo calculo approban-
tur, nequibunt ſane doctis viris diſplicere. Eas ergo ea accipe voluntate, qua à
me tibi dicantur, & ſic efficies, vt illis ex tua authoritate nouus accedat ſplen-
dor, & me authorem nouis pergas beneficijs demereri, quę etſi rependere ne-
queo propter ſui magnitudinem, at recognoſcere ſoleo, ac ſæpius numen de-
precari, vt longior tibi vita perennet, felici tandem prȩmio coronanda,

Digitized by Google

INDEX TRACTATVVM, ET LIBRORVM, QVI IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

TRACTATVS IV.

DE Oratione, Deuotione, & Horis Canonicis in quatuor libros diuiſus, pag. 1.
Lib. 1. De oratione in communi, pag. 2.
Lib. 2. De oratione mentali, ac deuotione, pag. 73.
Lib. 3. De oratione vocali præſertim priuata, pag. 134.
Lib. 4. De oratione publica, & horis Canonicis, pag. 165.

TRACTATVS V.

DE iuramento, & iuratione in quatuor libros diuiſus.
Lib. 1. De iuramento præſertim aſſertorio, pag. 273.
Lib. 2. De iuramento promiſſorio, eiuſque obligatione, pag. 312.
Lib. 3. De præceptis iuramenti, & vitijs contrarijs, præſertim periurio, pag. 419.
Lib. 4. De adiuratione. 458.

TRACTATVS VI.

DE voto in ſex libros diuiſus, 468.
Lib. 1. De eſſentia, & honeſtate voti, pag. 470.
Lib. 2. De Materia voti, & diuiſionibus eius, pag. 521.
Lib. 3. De perſonis, quæ vouere poſſunt, pag. 554.
Lib. 4. De obligatione voti, pag. 573.
Lib. 5. De peccatis contra voti obligationem, pag. 631.
Lib. 6. De irritatione, commutatione, & diſpenſatione voti, pag. 651.

Ordo, & numerus capitum vniuſcuiuſque libri in eius initio deſignabitur.

Digitized by Google

INDEX QVAESTIONVM. ET ARTICVLORVM D. THOMÆ IN 2.2. QVI IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Explicantur in hoc volumine quæſtiones, & articuli, in quibus D. Tho. de Religionis actibus in hoc opere explicatis, & vitijs illis contrarijs in parte ſecunda ſuæ Secundæ partis diſſeruit. Et ideo pro ſtudentium vtilitate loca, in quibus ſinguli articuli exponuntur, in præſenti indicabimus.

QVAESTIO. 88.
De Deuotione.
Articulus 1.
Vtrum deuotio ſit ſpecialis actus, tract. 4. li. 2. c. 6.
Articulus 2.
Deuotio ſit actus Religionis, ibid. ca. 7.
Articulus 3.
Meditatio ſit deuotionis cauſa, ibid. c. 8.
Articulus 4.
Lætitia ſit deuotionis effectus, eod. ca. 8. à nu. 11.
QVAESTIO 103.
De Oratione.
Articulus 1.
Oratio ſit actus appetitiuę virtutis, tract. 4. li. 1. à prin.
Articulus 2.
Sit conueniens orare Deum, ibid. c. 6.
Articulus 3.
Oratio ſit actus Religionis, ibid. c. 7. & 8.
Articulus 4.
Vtrum ſolus Deus ſit orandus, tract. ibid. ca. 9. & 10.
Articulus 5.
Sit aliquid determinate petendum, ibid. c. 17. n. 1. & 2.
Articulus 6.
Debeamus temporalia petere, ibid. c. 17. & ſeq.
Articulus 7.
Pro alijs orare debeamus, ibid. c. 13. 14. & 15.
Articulus 8.
Debeamus orare pro inimicis, ibid. c. 16.
Articulus 9.
De ſeptẽ petitionib. orationis Dominicæ, ib. li. 3. c. 8.
Articulus 10.
Orare ſit propriũ rationalis creaturæ, ib. li. 1. c. 12. n. 7.
Articulus 11.
Sancti in patria orent pro nobis, ibid. c. 11. & 12.
Articulus 12.
Oratio debeat eſſe vocalis, ibid. lib. 3. c. 1. & 2.
Articulus 13.
Attentio requiratur ad orationem, ibi. li. 3. c. 3. 4. & 5. & lib. 4. c. 14. & c. 26.
Articulus 14.
Oratio debeat eſſe diuturna, ibid. li. 1. c. 16. li. 2. c. 5. & li. 3. c. 7. & li. 4. c. 15. & 27.
Articulus 15.
Oratio ſit efficax ad impetrandũ, ib. li. 1. à c. 23. ad 27.
Articulus 16.
Oratio ſit meritoria, ib. cap. 22.
Articulus 17.
De ſpeciebus rationis, ib. lib. 2. c. 3 à nu. 3 & lib. 3. cap. 2. à nu. 8.
QVAESTIO 88.
De Voto.
Articulus 1.
Quid ſit votum, tract. 6. li. 1. à 1. vſq; ad 14. cap.
Articulus 2.
Quid cadat ſub votum, ibid. li. 2. per totum.
Articulus 3.
De obligatione voti, ibid. lib. 4. & 5. totis.
Articulus 4.
De vtilitate vouendi, ibid. li. 1. c. 18.
Articulus 5.
Votum ſit actus Religionis, ibid. li. 1. c. 15. & 16.
Articulus 6.
Melius ſit operari ex voto, quam ſine voto, ib. l. 1. c. 17
Articulus 7.
An votum ſolennizetur, &c. attingitur tract. 6. li. 1. c. 19. num. 19. Integra vero eius declaratio remittitur in tractatum de Statu Religionis.
Articulus 8.
Subiecti alijs impediantur à vouẽdo, ib. l. 3. c. 5. 6. & 7.
Articulus 9.
Pueri poſsint voto obligari, &c. ibid. li. 3. c. 2. & 3. & li. 6. à 1. ca. vſq; ad 8.
Articulus 10.
Poſsit in voto diſpenſari. ib. li. 6. c. 9.
Articulus 11.
In ſolemni voto continentiæ poſsit fieri diſpenſatio, remittitur in tractatum de Statu Religionis.
Articulus 12.
Ad commutationem, vel diſpenſationem requiratur Prælati authoritas. ibid. lib. 6. à c. 20. vſq; ad 27.
QVAESTIO 89.
De Iuramento.
Articulus 1.
Quid ſit iuramentum, tract. 5. li. 1. cap. 1.
Articulus 2.
Sit licitum iurare, ibid. c. 2.
Articulus 3.
Conueniẽter ponantur tres comites iuramẽti. ib. c. 3.
Articulus 4.
Iurare ſit actus Religionis, ibid. c. 4.
Articulus 5.
Iuramentum ſit appetendum, &c. ib. c. 4. nu. 14.
Articulus 6.
Liceat per creaturas iurare, ibid. c. 5.
Articulus 7.
Iuramentũ habeat vim obligãdi, ib. l. 2. fere per totũ.
Articulus 8.
Maior ſit obligatio iuramenti, quam voti, ib. li. 2. c. 3.
Articulus 9.
Poſsit in iuramento diſpenſari, ibid. li. 2. à c. 38.
Articulus 10.
Iuramentum impediatur per aliquam conditionem perſonæ, vel temporis, tract. 5. li. 1. c. 14. præſertim à nu. 9. & tangitur etiam, tract. 5. li. 1. c. 3. nu. 9.
QVAETSIO 90.
De Adiuratione.
Articulus 1.
Liceat adiurare hominem, tract. 5. li. 4. c. 1. & 2.
Articulus 2.
Liceat dæmones adiurare, ibid. li. 4. c. 2. à n. 6.
Articulus 3.
Liceat irrationalia adiurare, ib. li. 4. c. 2. à nu. 12.
QVAESTIO 91.
De laude Dei.
Articulus 1.
Deus ſit ore laudãdus. tract. 4. l. 3. c. 1. & li. 4. fere toto.
Articulus 2.
In diuinis laudib. ſint cãtus aſſumẽdi. ib. l. 4. c. 7. 8. & 9
QVAESTIO 98.
De Periurio.
Articulus 1.
Falſitas requiratur ad periuriũ, tra. 5. l. 3. c. 2. 5. 9. & 12.
Articulus 2.
Periurium ſit ſemper peccatum, ibid. c. 2.
Articulus 3.
An periurium ſit peccatum mortale. ibid. cap. 3. cum multis ſequentibus, præſertim à cap. 15.
Articulus 4.
Vtrum peccet ille, qui iniungit iuramentum ei, qui periurat, c. 13. & 14.

LICEN-

Digitized by Google

LICENTIÆ.

ORdine ſanctæ, & ſupremæ Inquiſitionis ſenatus, qua potui diligentia perlegi opus iſtud de Virtute, & Statu Religionis, quod poſt multa alia, eaq; præclariſſima: cõpoſuit inſignis admodũ Doctor Franciſcus Suarius ex ſacra Religione Societatis IESV, Pater vtique & literis, & Religione præſtantiſſimus, & ſicut alia eruditiſſimis quibuſque admodum fuerunt probata, ita & præſens haud dubie probabitur: quippe quod virtutem Religionis ſecundum ſe, actus illius tam internos, quam externos, præcepta, & reliqua omnia, quæ ipſam concernunt, mira de more & ſubtilitate, & perſpicuitate contempletur, exponendo interim ad mentem ſanctorum Patrum multa loca ſacræ Scripturæ, quorum expoſitiones tam ſpeculationi, quam rei morali mirabiliter patrocinantur. Tantum abeſt, vt aliquid cõtineat orthodoxæ Fidei, vel ſanctis moribus repugnans. Quare ad communem ſtudentium vtilitatem digniſſimum cenſeo, vt tam eximij laboris fructus in lucem prodeat, & typis mandetur. In Conuentu Diui Franciſci de Enxobregas Olyſippone, die 24. Septembr. Anno Domini. 1607.

Fr. Ludouicus ab Angelis.

VIſta à informaçamo podeſe imprimir eſta obra de Virtute, & Statu Religionis, & depois de impreſſa torne à eſte conſelho pera ſe conferir, & dar licença pera correr, & ſem ella não correrà. Em Lisboa 2. de Octubro de 607.

Marcos Teixeira. *Bartholameu da Fonſeca.*
Ruy Pirez da Veiga.

LICENCAS DO PACO.

QVe ſe poſſa imprimir eſta obra de Virtute, & Statu Religionis, viſta à licença do ſancto Officio, que ſe offrece, & como foy viſta na meſa. Em Lisboa 22. de Mayo de 1609.

Don Franciſco de Bargança. *Fernão de Magalhaẽs.*
Antonio da Cunha

DAmos licença ao Padre Franciſco Suarez da Companhia de IESV pera poder imprimir o ſecundo tomo de Religião, que ſera bem proueitoſo aos que eſtudão, & ſabẽ como ſam os mais liuros que tem impreſſos. Coimbra a 28. de Mayo de 1609.

O Bſipo Conde.

EGo Hieronymus Diaz Societatis IESV in Luſitana Prouincia Prouincialis è facultate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro generali Claudio Aquauiua, facultatem concedo, vt hoc opus de Virtute Religionis, à Patre Franciſco Suario Societatis noſtræ ſacræq; Theologiæ Doctore, & in Conimbricenſi Academia primario Profeſſore compoſitum, & eiuſdem Societatis grauium doctorumq; hominum iudicio approbatum, Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas dedimus. Conimbricæ 1. die Iulij Anni Domini 1608.

Hieronymus Diaz.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS, DE ORATIONE, DEVOTIONE, ET HORIS CANONICIS.

MATERIAM de virtute Religionis in duas præcipuas partes in ſuperioribus diuiſimus. Et in priori comprehendimus generalem doctrinam de Diuino cultu, & præceptis ad illum pertinentibus, vitijſque contrarijs, quam totam in ſuperiori volumine complexi ſumus. In hoc vero reſeruauimus tres ſpeciales actus huius virtutis, Orationem nimirum, Iuramentum, & Votum, quoniam præter rationem cultus, peculiares habent rationes morales, quæ ad cultum ſupponuntur, quarum ſpecialis cognitio neceſſaria eſt, & propriam inueſtigationem, & conſiderationem requirit. Igitur ad inſtitutum accedendo, ab actu orationis tanquam præcipuo, magiſque interno initium ſumimus.

Diſputauit autem Diuus Thomas de hoc actu in 2.2. quæſtion. 83. antequam præmittit tractatum de Deuotione in q. 82. Imo hos duos tantum actus ponit inter actus internos Religionis, ideoque de illis ante alios diſputat. Poſtea vero in quæſtion. 91. inter actus externos Religionis, quibus aliquid Diuinum ab hominibus aſſumitur, ponit laudem, & inuocationem Dei, quoniam per illam Diuinum nomen aſſumimus. Nos vero omnes hos actus, & plures alios, propter magnam eorum connexionem in hoc tractatu declarabimus. Conſiderauimus enim, Deuotionem non tam eſſe cultum, quam ipſum affectum cultus, & ita ſecundum quandam rationem eſſe veluti quoddam generale principium coniunctum cum omni externo actu Religionis. Quatenus vero aliquam ſpecialem rationem, & conſiderationem habere poteſt, eſſe quendam effectum, vel intrinſecam proprietatem orationis, præſertim mentalis, vixque ab ea ſeparari poſſe in ſuo fieri, & eſſe, ideoque nec cognitione ſeparandã eſſe. Deinde animaduertimus, licet oratio dicatur actus interior Religionis, quia præcipue debet in mente verſari, tamen etiam eſſe actum exteriorem, quia etiam ore fieri debet. Imo ſi quis recte conſideret, nullus eſt actus Religionis, ab affectu colendi diſtinctus, qui non poſſit, & ſola mente fieri, & per corpus exhiberi; nam de Adoratione diximus vtroque modo fieri poſſe: & Votum, ac Iuramentum mente, ac ore fieri poſſunt: & conſequenter etiam laus Dei, & inuocatio nominis eius interior, & exterior eſſe poteſt, & inuocatio proprie eſt oratio: laus vero cum oratione eſt coniuncta, ſicut & gratiarum actio, & obſecratio; ideoque de his omnibus in hoc tractatu dicemus.

Diuidenda igitur eſt Oratio in internam, & externam, ſeu mentalem, & vocalem, ſumiturque diuiſio ex Chryſoſtomo homilia 79. ad Populum; Nilo libr. de Oratione cap. 39. & 40. & alijs, quos infra, vtrumque membrum pertractando, referemus. Illa vero duo membra ita diſtinguuntur, vt Oratio mentalis ſola mente conſummetur, ſignumq; externum non requirat; vocalis autem voce quidem conſummatur, neceſſario tamen poſtulat interiorem actum tanquam formam, ſeu vitam ſuam; ſicut enim actus externus ſine interno nec bonus, nec malus, imo nec moralis eſſe poteſt: ita nec Oratio externa ſine interna nomen orationis meretur. Vnde fit, non recte addi illi diuiſioni tertium membrum quaſi ſubdiuidendo orationem vocalem in pure vocalem, & quaſi compoſitam ex mentali, & vocali: qua diuiſione vtitur Nauarr. in Enchiridio de Oratione cap. 1. numer. 28. At vero Oratio, quæ ſolis labijs ſine mente, & ſine vllo genere attentionis interioris

ſit, vm-

ſit, vmbram habet orationis; non veritatem: ideoque membrum illud neceſſarium non eſt, vt bene notauit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Bona Operatione cap. 2. Ex illis autem duobus membris prior eſt mentalis oratio, & veluti in ſe præhabet omnes orationis proprietates, per eam tamen orationi vocali conueniunt, quatenus in ea quodammodo includitur. Vnde fit, vt & in multis conueniant, & in multis etiam differant. Præſertim vero eſt hoc loco vna differentia notanda, quod mentalis oratio, quia non percipitur ab alijs hominibus, priuata ſolum eſſe poteſt: vocalis tamen oratio, quia externa eſt, & ſenſibilis: & priuata, & publica eſſe poteſt. Iuxta has ergo rationes, & partitiones tractatum hunc in quatuor libros diuidemus. Primus erit de Oratione in communi. Secundus de mentali Oratione, ac Deuotione. Tertius de vocali oratione priuata. Quartus de publica, qui de Horis Canonicis inſcribi poteſt.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI DE ORATIONE IN COMMVNI.

CAp.1. Quid nomine orationis intelligendum ſit.
Cap.2. De diuiſione orationis in bonam, vel malam.
Cap.3. Vtrum oratio ſit actus intellectus, vel voluntatis.
Cap.4. Vtrum homo poſſit mente orare abſque vocis conceptu, & quomodo.
Cap.5. Soluuntur nonnullæ difficultates.
Cap.6. An Deus conuenienter oretur, & honeſte.
Cap.7. Vtrum oratio ſit elicitus actus virtutis Religionis.
Cap.8. Vtrum oratio ſit actus ſupernaturalis, & infuſus.
Cap.9. Vtrum ſolus Deus orandus ſit.
Cap.10. Quomodo poſſint orari creaturæ rationales.
Cap.11. Vtrum omnes ſpiritus beati, & iuſti orare poſſint.
Cap.12. Vtrum omnibus viatoribus conueniat orare.
13. Vtrum ſit orandum pro aliquo in particulari.
Cap.14. Vtrum orandum ſit pro defunctis.
Cap.15. Vtrum pro omnibus orandum ſit.
Cap.16. De oratione pro inimicis.
Cap.17. Vtrum liceat in oratione petere bona temporalia.
Cap.18. Vtrum petendo bona temporalia, petatur aliqua gratia.
Cap.19. Vtrum temporalia mala in oratione peti poſſint.
Cap.20. Vtrum ſpiritualia bona abſolute peti poſſint.
Cap.21. Expediuntur aliqua dubia circa petitionem bonorum ſpiritualium.
Cap.22. Vtrum oratio ſit actus meritorius, & ſatisfactorius.
Cap.23. Vtrum oratio impetret, & quidnam.
Cap.24. Vtrum oratio impetratiua ex fide procedere debeat.
Cap.25. Vtrum in oratione impetratoria charitas requiratur.
Cap.26. Vtrum oratio ad impetrandum, perſeuerantiam exigat.
Cap.27. Vtrum orans pro ſe tantum impetret, vel etiam pro alijs.
Cap.28. Vtrum oratio ſit ad ſalutem neceſſaria.
Cap.29. Quale ſit orationis præceptum.
Cap.30. De diſcernendo tempore, quo vrget orationis obligatio.

LIBER

LIBER PRIMVS DE ORATIONE IN COMMVNI.

QVoniam oratio (vt dixi) pręter rationem cultus, ſuam peculiarem naturam habet, ſecundum quam proprias conditiones requirit, tam quoad ſuum eſſe phyſicum, & entitatiuum (vt ſic dicam) quam quoad ſuam honeſtatem, & moralitatem, ideo prius vtrumque eſſe orationis tam phyſicum, quam mõrale à nobis explicandum eſt: poſtea de illius principijs, & cauſis: deinde vero de effectibus dicemus: ac tandem præceptum illius, & neceſsitatem declarabimus. De vitijs autem orationi oppoſitis nihil dicere oportebit, quia præceptum eius affirmatiuum eſt, & per omiſsionem potiſsimum violatur, quæ ſpecialem conſiderationem non requirit vltra præcepti declarationem. Præſertim quia de tali omiſsione vix conſtare poteſt, niſi vbi intercedit Eccleſiaſticum pręceptum, de quo in lib. 4. potiſsimum dicendum eſt. Quod ſi interdum peccatur, etiam committendo contra debitum orandi modum: explicando conditiones ad orationem neceſſarias, omnes illos defectus declarabimus: & ita nihil de vitijs contra orationem ſeparatim conſiderandum relinquetur.

CAPVT I.

Quid nomine orationis intelligendum ſit.

1. *Orationis etymologia ex D. Hier.*

PRincipio circa nomen orationis abſolute ſumptum conſiderandum eſt ex Hieronymo Epiſt. 139. ad Cyprianum, orationis nomen aliter apud Latinos, ſeu Rhetores, aliter in Scripturis ſanctis & vſu Eccleſiaſtico ſumi. *Nam oratio*, ait, *iuxta Grammaticos, omnis ſermo loquentium eſt, cuius etymologiam ſic explicant: oratio eſt oris ratio. In Scripturis autem ſanctis difficile orationem, iuxta hunc ſenſum, legimus, ſed quæ ad preces, & obſecrationes pertinet.* Atque ita oratio dicta eſt à verbo *Orandi*, quod rogare, aut obſecrare ſignificat. Accipitur ergo in præſenti *Oratio*, pro ipſo actu orandi, vel obſecrãdi, & quia hic actus ſpeciali, & præcipua ratione circa Deum fit, ideo oratio ſimpliciter dicta, & prout nunc à nobis ſumitur, habitudinem dicit ad *Deum*. Nam licet ad Sanctos orare poſsimus: tamen vel vſque ad Deum tendere debet oratio, vel non eſt actus Religionis, ſed alterius virtutis, vt infra dicemus.

2. *Triplex orationis acceptio.* *D. Bonau.* *D. Anton.* *Nauar.*

Prius vero quam orationem deſcribamus, oportet præmittere vulgarem diſtinctionem de triplici acceptione huius vocis, ſcilicet communiſsime, communiter, & proprie. Qua vſus eſt D. Bona. in 4. diſt. 15. art. 1. q. 4. & D. Antonin. 4. p. tit. 5. c. 8 §. 1. Nauarr. in Enchirid. de Orat. capit 1. prælud. 5. Oratio communiſsime ſumpta ſignificare dicitur omnem bonam operationem, quæ acceptio ſumpta eſt ex Gloſſa ordinaria in id 1. ad Theſſalon. 5. *Sine intermiſsione orate*, quod ſic exponit, id eſt, *ſemper iuſte viuite: nam iuſtus nunquam deſinit orare, niſi deſinat iuſtus eſſe, ſemper ergo orat, qui ſemper bene agit.* Similia habet in id Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Et ita notauit Richard. in 4. d. 15. art. 4. quæſtione 2. & imitatus eſt Bloſius in can. vit. ſpirit. cap. 24. Et videntur hanc ſignificationem elicere ex ipſis verbis Chriſti, & Pauli, quæ ita etiam intellexiſſe videntur Beda, & Euthymius ibi. Hac etiam ſignificatione abuſus eſt VVicleph, qui teſte VVald. tom. 3. cap. 1. & 2. triplicem diſtinguebat orationem, mentalem, vocalem, & vitalem: & hanc vltimam in bonis operibus ponebat, vt alias duas contemneret, nulliuſque momenti eſſe diceret.

Glof. ord. *Richard.* *Bloſius.* *Beda.* *Euthym.* *VVicleph.* *VVald.*

3. *Tertia acceptio qua oratio dicitur Vitalis, vtpote impropriiſsima, reiicitur.*

Vt ergo ab hæreticis diſſentiamus, melius eſt, ſignificationem hanc non admittere: nam reuera eſt impropriiſsima, & (vt opinor) in Scriptura non habet fundamẽtum. Quia Chriſtus Dominus, & Paulus nõ adeo metaphorice, & improprie, ſed vere, & proprie de oratione loquebantur. Vnde Chriſtus Dominus eius neceſsitatem, & vtilitatem ſtatim declarat exemplo iudicis, qui precibus viduæ eſt flexus, & quaſi deſcripſit illam orationem, dicens, *eſſe clamorem ad Deum*, dum ſubdit: *Audite quid iudex iniquitatis dicit: Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe, die, ac nocte?*

S. Lucæ capit. 18.

4. *Explicatur verbo illud Chriſti Domini: Oportet ſemper orare quatenus tertiæ acceptioni ſuffragatur.* *Gloſ. interlineal.* *Lyra.* *D. Thom.* *D. Bonau.*

Nec vero particulæ illæ, *ſemper*, aut *die, ac nocte*, cogunt nos, vt illam ſignificationem admittamus, quia licet dicatur, ſemper eſſe orandum, ſatis apta eſt illa expoſitio communis oportere *ſemper*, id eſt, omnibus temporibus congruis, vel temporibus ſtatutis, ab oratione non deſiſtere. Quam expoſitionem præter Gloſſam interlinealem, & Lyram probat D. Thom. in Paulum, & Bona. in Lucam, qui etiam addit, illud *ſemper*, recte explicari, id eſt, *frequenter*, aut *frequentiſsime*. Sicut enim Scriptura impoſsibile dicit, aut nunquam fieri, quod eſt difficillimum, vel raro fit: ita ſemper dicit, fieri oportere, quod frequenter faciẽdum eſt. Maxime, quia communi etiam, & vſitato loquendi modo ſemper facere dicimur id, cui magno affectu incumbimus, ita vt quoties poſſumus, & quandocunque vacat, illud faciamus. Sic de homine ſtudioſo dicimus *Semper ſtudet*, de puero intemperato, *Semper comedit*. Ad hunc ergo modum intelligimus, dediſſe Chriſtum Dominum conſilium ſemper orandi. Vel ſi de præcepto illa verba intelligantur, obligat illud *ſemper*, licet non pro ſemper, vt expoſuit Richard. ſupra, & inferius dicturi ſumus. Quæ omnia ipſomet exemplo à Chriſto allegato confirmantur, ſignificat enim, viduam illam frequenter veniſſe ad iudicem illum, & multo tempore in ſua petitione perſeueraſſe, non vero nunquam à petendo ceſſaſſe, aut operando petiuiſſe. Vnde quod ipſe addit, *die, ac nocte*, facilius intelligitur de temporibus opportunis vtriuſque partis diei.

5. *Verus ſenſus illorum verborũ. Et nunquã deficere.*

Denique verbum etiam illud: *Et nunquam deficere*, non cogit nos, vt verbum orandi improprie pro bona operatione accipiamus, & idem eſt de verbo Pauli, *ſine intermiſsione*. Tum quia non minus difficile eſt, nunquam bonam operationem intermittere, neceſſe eſt enim, aliquando ceſſare, ſaltem dormiendo. Quod ſi quis dicat etiam tunc orare iuſtum ſine intermiſsione, quia retinet iuſtitiam, & non peccat, vel quia neceſsitate potius, quam voluntate opus bonum intermittit: dicetur etiam ſine intermiſsione orare, qui affectum orandi habitu retinet, & ſola neceſsitate actum intermittit, ergo etiam iuxta illam intelligentiam immerito exponitur verbum *Orandi*, in illa improprijſsima ſignificatione. Tum maxime, quia planus ſenſus

verborum Chriſti eſt, orationem debere eſſe perſeuerantem, ita vt, qui petit, non ſuperetur d fficultate, aut mora impetrandi, ſed ſit conſtans: hoc eſt enim *non deficere*, id eſt, non deſpondere animo. Idemque eſt apud Paulum *ſine intermiſſione orate*, non quod ab oratione inchoata nunquam ceſſandum ſit: ſed quod inſtandum in illa ſit, & non ſit omittenda propter deſperationem obtinendi. Itaque cenſeo, illam primam acceptionem verbi orandi in illa communiſſima ſignificatione abiiciendam eſſe, quia neque ad explicandam Scripturam deſeruit, neque inuenietur vſitata in antiquis Patribus. Nam quod in Auguſtino citatur in Gloſſa *non deſinere orare, qui non deſinit bene operari*, apud Auguſtinum non inuenio, & ſi inuenirem, non crederem, dictum eſſe, quia bene operari ſit orare, ſed quia illi aliquando æquiualet, & quia propter operationem bonam oratio eſt aliquando interrumpenda.

ad Theſ.

6\. *Orationis definitio.*

Duplex vero alia ſignificatio huius vocis maxime neceſſaria eſt, præſertim ad orationem mentalem explicádam Igitur generali quadam ſignificatione, orationis nomine ſignificari ſolet omnis interior motus animi in Deum, ſiue per eius cogitationem, ſiue per affectum. Sed videtur definiri à Damaſ.lib.3.de Fide c.24.dicente. *Oratio eſt aſcenſio mentis in Deum*. Et eodem modo ait Aug.ſer.230.de Tempore. *Quid autem eſt oratio, niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium*. Et lib.de Spirit.& anima, cap.50. *Oratio eſt conuerſio mentis in Deum per pium, & humilem affectum*. Quæ deſcriptiones propriæ videntur Orationis mentalis generatim dictæ. Atque ita ſumitur frequenter apud ſanctos Patres, quoties ſcribunt de Oratione mentali, & de actibus in ea exercendis, quos infra ſuis locis commemorabimus. Sic etiam interpretatur D. Thom. 2. 2. qu.83.art.17.& ſuper Paul. illud 1. ad Timot. 2. *Obſecro fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. &c.* Cum enim oratio expreſſe à poſtulatione diſtinguatur, videtur generatim ſumi pro aſcenſu, & cogitatione, qua mens accedit ad Deum, quamuis illa verba Pauli multis modis intelligantur, vt in ſequentibus videbimus. Deinde quoties in Scriptura dicitur de Chriſto quod *pernoctabat in Oratione Dei*, vel aliquid ſimile, videtur plane oratio in hac generalitate ſumi, quia veriſimile non eſt, totum illud tempus in ſola petitione, ſed etiam in contemplatione, & conſideratione Diuinarum rerum conſumpſiſſe.

D. Aug. *D. Thom.* *D. Paul. 1. ad Timot. 2.* *S. Luc. 6.*

7\. *Expenditur magis orationis definitio & ſtatuitur Chriſtū Dominū inceſſāter in hac vita oraſſe per ſcientiā beatā, & per ſe infuſam, per alias vero ad tēpus.*

Aduertit autem Clichtoueus in Damaſcenum, cum dicitur oratio *Aſcenſio mentis in Deum*, non intelligi de quocunque actu mentis, qui verſatur circa Deum, abſolute, & per ſe ſpectato. Nam Chriſtus, inquit, ſemper, ac perpetuo cogitabat de Deo, eumque amabat, & tamen non ſemper orabat etiam hoc generali modo, ſed aliquibus temporibus, in quibus ſpecialiter oraſſe, ſeu in oratione pernoctaſſe dicitur. Tum ergo (ait prædictus auctor) aſcenſio mentis in Deum, orationis rationem habere dicitur, quando eleuatio mentis ſpecialiter fit in honorem, cultum, vel laudationem Dei. Et placet quidem mihi declaratio definitionis orationis, quia oratio actus Religionis eſt, de cuius ratione eſt, vt ab illo affectu Diuini cultus procedat. Non placet tamen probatio, quam ex Chriſti oratione deſumit, quia non video, quid hoc referat ad explicandum, quomodo Chriſtus quibuſdam temporibus dicatur oraſſe potius, quam aliis. Nam quod ille ait, *licet Chriſtus nunquam Dei contemplationem, & meditationem intermitteret, non tamen inceſſanter habuiſſe mentem in Deum eleuatam per confeſſionem Diuinæ laudis, venerationemque, & cultum Dei, cum ſæpius aliis ſanctis operibus eius mens fuerit occupata*. Hoc, inquam, non probo, quia ſicut occupatio in aliis ſanctis operibus non diſtrahebat mentem Chriſti, quominus poſſet Diuinæ contemplationi eſſe intenta, non ſolum per beatam ſcientiam, ſed etiam per infuſam, ita non impediebat illam, quominus in laudem, & cum Dei ſpeciali affectu, & intentione, totam illam contemplationem ordinaret. Vnde nihil obſtare exiſtimo, quin vere dicamus Chriſtum ſemper, & inceſſanter oraſſe in hac vita, licet aliquibus ſpecialiter orauerit etiam mentaliter, applicando intellectum non ſolum vt operantem independenter à corpore, ſed etiam vt coniunctum, & indigentem phantaſmatibus ad meditandum, & contemplandum res Diuinas. Vnde ad hunc orandi modum oportebat eum non dormire, ſed vigilare, ideoque interdum in oratione pernoctaſſe dicitur.

Alio tandem modo oratio proprie ſignificare dicitur *petitionem*: quomodo etiam definitur à Damaſceno ſupra, eſſe *petitionem decentium à Deo*. Et hæc ſignificatio eſt frequentiſsima in Scriptura, Matth. 5. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*, id eſt, rogate ſeu petite. Et quoties in Scriptura fit mentio Orationis pro aliqua re, vel pro ſe, vel pro alio in hac ſignificatione ſumitur. Et apud Patres eſt paſsim ſermo de hac oratione, & ſpecialiter Nauarrus ita exponit Cyprianum in ca. *Quando*, de Conſecratione, d. 1. Eſtque hæc ſignificatio communis mentali, & vocali orationi, quia vtroque modo petitio fieri poteſt à Deo, & ita vtraque propria oratio dicitur. Contrahetur vero definitio ad mentalem orationem, ſi dicamus, eſſe Petitionem ſolo interiori actu mentis Deo conuenienter oblatam. Ad vocalem autem contrahetur, ſi dicamus eſſe Petitionem à Deo corde, & ore factam. Ipſa ergo petitio propriſſimo, & ſpeciali modo oratio dicitur. Atque ita cenſent Diuus Thomas hic articulo primo, Bonauent. Richardus, & alij in quarto diſtinctione 15. ac denique omnes, qui de oratione ſcribunt, quos ſtatim latius referemus. Et Auguſtinus Epiſt. 59 qu.5. hanc dicit eſſe magis vſitatam ſignificationem huius vocis, & in ea putat accipi à Paulo in illo loco 1. ad Timot. 2. *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, &c.* Quod etiam ibi intelligit Theodoretus. Idem habet Auguſtinus ſerm. 5. de verbis Domini, vbi iuxta hanc expoſitionem exponit verba Chriſti Domini. *Oportet ſemper orare*. De oratione ergo in hac proprietate ſumpta in hoc lib. tractamus, nam de priori acceptione dicemus in ſequenti, ideoque in præſenti prius definitionem Damaſceni breuiter explicabimus.

8\. *Oratio propriſſime ſumitur pro petitione.* *D. Dam.* *S. Matt. ca. 5.* *Nauar.* *D. Tho.* *D. Auguſt.* *D. Paul. 1 Ad Timot. 2.* *Theodor.* *D. Aug.*

Dicitur ergo oratio eſſe petitio, vt per hanc particulam ſeparetur proprius actus orationis ab aliis actibus rationis, vel intellectus, qui orationes non ſunt. Dicet vero aliquis, eſſe incongruum hunc definiendi modum, tum quia tam obſcurum eſt, quid ſit petitio, quam quid ſit oratio, tum etiam, quia hæc duo cum proportione ſumpta conuertuntur, vel potius ſunt idem. Nam ſicut oratio eſt petitio, ita etiam petitio quælibet eſt quædam oratio, ergo non recte ponitur petitio loco generis in definitione orationis. At in his verbis non eſt exigenda tam exacta ratio definiendi, ſed vox vna per alias clariores, magiſque vſitatas declaranda eſt. Vt autem res ipſa explicetur, aduertendum eſt tam nomen *orationis*, quam *Petitionis* ſignificare actum mentis (abſtrahimus enim nunc ab intellectu, vel voluntate) quo vnus inducit alium ad aliquid agendum, & ideo dicitur eſſe actus ad praxim, non ad ſpeculationem pertinens, quia non ad cognitionem, ſed ad opus ordinatur. In ratione autem practica duplex intelligitur eſſe modus excitandi alium ad agendum, ſcilicet vel ex poteſtate obligationem imponendo, quæ in moralibus eſt, vel impetus quidam impreſſus à mouente efficaciter impellente alium ad opus, & ſic actus vocatur

9\. *Obiectio.* *Soluitur obiectio, & oſtenditur in quo ratio petitionis conſiſtat.*

Digitized by Google

vocatur imperium. Alius modus mouendi alium eſt ſolum inducendo illum, vt mere voluntarie abſque obligatione à mouente impoſita, aliquid faciat, quod mouens deſiderat, neque aliter mouet, quam deſiderium ſuum ſignificando illi, à quo cupit impleri, & hoc eſt petere. Dico autem, *Abſque obligatione impoſita ab ipſo petente*, quia non repugnat, per orationem poſtulare ab aliquo, quæ alias ipſe tenetur facere, quanquam ipſa petitio non indicat obligationem, ſed ſignificet deſiderium, vt alium inducat ad illud implendum. In hoc ergo ratio petitionis conſiſtit, & quia hoc conuenit orationi, ideo merito petitio dicitur.

Orationi, & petitioni cõmune eſt, quod vtraque ſit alicuius ad aliquem de re aliqua.

10. Eſt autem vlterius ſciendum, orationi, & petitioni eſſe commune, vt ſit, *alicuius, ad aliquem, de re aliqua*, quod per ſe ſatis manifeſtum eſt. Nam vtraque eſt actio, & ideo neceſſario eſſe debet ab aliquo. Vtraque etiam ordinatur ad aliquid obtinendum, vel, vt aliquid fiat ab altero, cuius virtus, vel auxilium neceſſarium eſt ad id, quod poſtulatur, ideo enim oratio, ſeu petitio interponitur, vt in materia de Gratia ſæpe docet Auguſt. & infra tractabimus. Si ergo oratio, & petitio in hac generalitate ſumantur, ſine dubio conuertuntur, nec recte poterit vna per aliam definiri tãquam per genus. Vnde D. Thomas dicto art. 1. fatetur, orationem non ſolum ſuperiori, ſed etiam æquali fieri poſſe, quo ſenſu ſine dubio omnis petitio oratio eſt. In hac vero materia oratio ſumitur pro ſpecie quadam perfectiſsimæ petitionis quæ religioſa ſit, & ad cultum Dei pertineat: & ideo per petitionem, tanquam per genus definitur. Nam vt nunc loquimur, non omnis petitio oratio eſt, ideoque aliæ particulæ adduntur, vt declarante excellentiam huius petitionis. Ex quibus vna, & magis indubitata eſt, vt ſit petitio à Deo, hanc enim ſolum in præſenti orationem appellamus. An vero debeat eſſe immediate, & expreſſe, vel ſufficiat implicite, videbimus poſtea. Altera vero particula in cap. ſeq. explicabitur. *D. Thom.*

CAPVT II.

Vtrum Omnis oratio bona ſit, vel in bonam, & malam ſit diſtinguenda?

Eorum ſententia, qui orationem à malo, & bona abſtrahere exiſtimãt. Nauar. D. Thom.

1. QVidam exiſtimant, orationem abſtrahere à bona, & mala, & ideo non eſſe in eius definitione ponendum, quod ſit *petitio decentium*, ſed ſimpliciter, quod ſit petitio alicuius rei à Deo. Ita contendit Nauar. dicto tract. de Oratione cap. 1. n. 18. & 29 ex D. Tho. in 4 d. 15. q 4. ar. 1. q. 1. Nã etiam illa oratio, quæ ad Deum funditur, mala eſſe poteſt idque duobus modis. Primo bona male à Deo petendo, ideſt ſine debita fide perſeuerantia &c. Vel mala etiam à Deo poſtulando, vt auxilium ad explendum peccatum, vel vindictam de inimico, vel conſequutionem praui deſiderij, vt late proſequitur idem Nauar. toto cap. 6. eiuſdem operis, multa in particulari inferens, quæ ad præſentem materiam non ſpectant. Ergo (vt ille concludit) definitio orationis in communi non debuit limitari ad vnum ex dictis membris. Et confirmatur: Nam vel hic definitur tantum bona oratio, vel in communi. Si dicatur hoc ſecundum, per orationem etiam poſſunt peti à Deo ea, quę non decent. Si autem dicatur primum, non ſolum debuit dici in definitione eſſe petitionem decentium, ſed etiam decenter, quia, vt oratio ſit bona, non ſatis eſt, vt per eam petantur honeſta, ſed neceſſe eſt vt bene, honeſteque petantur. Et ex hoc principio colligit idem Nauar. ibi nu. 25. contra Abul. Matth. 6. Dæmones, licet bene orare non poſsint, abſolute orare poſſe, & aliquãdo orare. *Cõfirmatio.*

Vera ſent.

2. Nihilominus omnes Theologi definitionem Damaſceni probant, inter quos D. Tho. in eodem loco. quem Nauar. citat, ita concludit. *Vnde definitio Damaſceni, Oratio eſt petitio decentium à Deo, veriſsime eſſentiam orationis declarat.* In quæſtiunc. autem 2. addit D. Tho. illam particulam, *Decentium*, non eſſe de eſſentia orationis, ſed intelligit de oratione ſecundum communem rationem petitionis etiam à Deo, nam ſub ratione virtutis etiam ibi fatetur, hoc eſſe de ratione orationis. Et ideo merito dixit Cai. 2. 2. q. 83. ar. 4. orationem, qua aliquid malum à Deo petitur, nõ eſſe orationem, ſed execrationem. Eandem definitionem probat Alenſ. 4. p q. 26. m. 1. ar. 1. vbi plures alias deſcriptiones Sanctorum refert, & explicat, quæ magis ſunt laudes quædam orationis, quam definitiones, pertinentque ad primam, & communem acceptionem orationis. Definitio autem Damaſ. magis eſt propria, eandemque ſententiam prius tradiderat Baſil. hom. in Martyr. Iulit. dicens. *Oratio eſt boni cuiuſdam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur.* Vbi illa particula *à piis* redundare videtur, quia vera oratio etiam ab impiis effundi poteſt, niſi per pios intelligamus non tantum iuſtos, ſed etiam quoſcunque fideles, vel omnes pie operantes, quatenus tales ſunt. Quo ſenſu per illam particulam ſignificatur, orationem ipſam debere pie fundi, quod fieri poteſt etiam ab illo qui in ſtatu peccati exiſtit.

Orationem debere eſſe petitionem decentium, atque adeo bonam. D. Thom. Caiet. Alenſ. D. Baſil.

3. Gregorius etiam Nyſſenus in eadem ſentẽtia eſt: Nam libro de Orat. ſtatim in principio orationem *Sacrum, & Diuinum opus* appellat. Et paulo inferius. *Oratio*, ait, *Conuerſatio, ſermocinatio cum Deo eſt, & malorum ſubuerſio, ac peccatorum emendatio.* Et multa ibi habet ſimilia, quibus ſatis oſtendit orationem tantum circa res honeſtas, & decentes verſari poſſe: Vnde inferius exponens prima verba orationis Dominicæ. *Oratio*, inquit, *eſt petitio bonorum, quæ Deo cum ſupplicatione offertur*: Chryſoſtomus etiam homil. 30. in Geneſ. orationem vocat *Colloquium cum Deo*, ex illo Pſalm. 130. *Iucundum ſit ei eloquium meum.* Auguſtinus præterea enarrat. in Pſalm. 85. circa illa verba, *Omnibus inuocantibus te*, inquit, quoſdam inuocantes Deum non ipſum inuocare, eos ſcilicet, qui mala volunt, & poſtulant, qui Deum adiutorem ponunt ſuarum cupiditatum, non deſideriorum exauditorem. Præterea, orationis nomine omnes intelligunt actum Religionis, quo Deus colitur, non colit autem Deum, qui malũ aliquod ab eo poſtulat, ſed potius cõtumelia illum afficit, ergo oratio vere, ac ſimpliciter dicta tantum eſt rerum decentium, & honeſtarum.

Magis authoritate firmatur. Gre. Nyſſen. D. Chryſ. Pſal 130. D. Aug.

4. Diuiſio ergo illa orationis in bonam, & malam, non tam eſt orationis diuiſio, quam generalis petitionis, quæ vox vniuerſalior eſt, vt diximus. Diuidi autem poteſt vel ex parte materiæ, ſeu rei, quæ poſtulatur, vt alia eſt petitio diuitiarum, alia ſalutis, & cætera. Vel ex parte eius, à quo poſtulatur, vt alia eſt petitio à Deo, alia ab homine. Oratio autem proprie dicta eſt vtroque capite petitionem contrahit, vt ſcilicet & ad Deum ſit, & de materia decẽte. Et ex priori parte recte infertur poſterior conuenienter intellecta, nam qui à Deo malum aliquod poſtulat, non petit à Deo vt Deus eſt, ſed Deum apprehendit, ac ſi eſſet homo aliquis, aut dęmon, qui malum culpæ promouere poſſet, & ita reſponſum eſt ad Nauarri fundamentum.

1. Sententia in quo ſenſu vera ſit.

5. Ad confirmationem vero, quam addimus, primo dici poteſt, ſub illa particula, *Decentium*, includi etiam, vt decenter fiat oratio, quia debet eſſe petitio & materiæ, & ei, ad quem funditur, proportionata. Secundo, & fortaſſe melius, dicitur in actu virtutis definiendo nõ eſſe neceſſarium adiungere modum requiſitum ex parte operantis, ſed ſolum ex parte ipſius actus, quia vel illud prius ſupponitur tanquam generale, ſolumque explicatur id, quod eſt proprium, & ſpeciale, vel certe illud prius eſt extrinſecum, & pertinens ad circumſtantias actus,

Ad confirmationem reſpondetur.

hoc autem poſterius eſt intrinſecum ſpectans ad ſubſtantiam eius. Vnde petitio decentium à Deo, quamuis ex parte operantis interdum fiat, modo, tempore, aut loco minus opportuno, nihilominus ſubſtantiam, & naturam orationis retinet, eſtque ſubſtantialiter bona, quamuis accidentalem defectum habeat, at vero petitio rei indecentis, etiam ſubſtantiam orationis non retinet. Quapropter ad illationem Nauar. multo melius dicitur (licet fortaſſe quæſtio de modo loquendi videatur) Dæmones non orare, non ſolum quia decentia non appetunt, ſed etiam, quia licet illa deſiderarent, nec vellent, nec ſperarent à Deo illa recipere: ideoque ratione ſtatus orare non poſſunt.

4. Sed dices: Ergo oratio ſola voce facta ſine attentione vlla eſt ſimpliciter, oratio, cuius oppoſitum in principio diximus. Patet ſequela, quia licet male fiat retinet hanc ſubſtantialem bonitatem, quod eſt petitio decentium à Deo, ſicut eleemoſyna exterior dici poteſt eleemoſyna, licet fiat ex prauo fine. Reſpondetur, negando ſequelam, quia illa prolatio verborum, quæ nullo modo attentionem participat nec formaliter, nec virtute, re vera nõ eſt petitio, vtique moralis, & humana, qualis debet eſſe oratio: ita enim intelligenda eſt illa particula, quæ loco generis poſita eſt, vt latius infra lib. 3. tractando de Oratione vocali videbimus.

CAPVT III.

Vtrum Oratio ſit actus intellectus, vel voluntatis?

1. *Quæſtio quo ſenſu ab auctoribus tractetur.*

PRæſens quæſtio de petitione, quatenus mente fit, tractari debet, nam quid vox illa addat, manifeſtum eſt. Certum præterea apud omnes eſt ad petitionem faciendam, intellectum, & voluntatem ſuis actibus concurrere, & ſine vtriſque fieri non poſſe. Nam in primis neceſſarium eſt, vt intellectus habeat aliquam actualem memoriam, & conſiderationem Dei, quia nemo poteſt petere niſi ab eo, quem per cognitionem aliquo modo habet præſentem. Deinde ex parte voluntatis ſaltem neceſſarium eſt deſideriũ rei poſtulatæ, nemo enim vere, & ex corde petit, niſi quod deſiderat, oratio autem eſt vera, & non ficta petitio. Quocirca ſi ſermo eſſet de oratione in communi ſignificatione primo loco ſuperius poſita, non eſſet locus huic quęſtioni, ſic enim & actus intellectus, & actus voluntatis interdum oratio appellatur, vt meditatio, & contemplatio, & ſimiles actus, qui manifeſte ad intellectum ſpectant, & tamen orationis nomine ſignificari ſolent. Similiter quicunque pius affectus in Deum oratio dici ſolet à Patribus, vt ex Aug. & Hugo. de S. Victor. refert ſupra Alenſ. & tamen conſtat, huiuſmodi affectũ eſſe actum volũtatis. Igitur quæſtio propoſita de propria oratione: quæ eſt petitio, ab auctoribus tractatur, ſuntq́; in ea diuerſæ ſententiæ.

2. *Opinio aſtruens orationem eſſe actum voluntatis.*

Quidam aſſerunt, orationem hoc modo eſſe actum voluntatis. Hanc opinionem tenet Medina Cod. de Pœnit. tract. de Orat. c. 2. Et in hanc partem inclinat VValdenſ. tom. 3. c. 2. n. 10. vbi orationem mentalem dicit eſſe deſiderium, & pium affectum. Idem ſentit Alenſ. 4. p. q. 26. memb. 4. quamuis in priori ſenſu loqui videatur, nam vtrique potentiæ illam attribuit. Eiuſdem ſententiæ videtur eſſe omnes, qui putant, imperium pertinere ad voluntatem, & non ad intellectum, quia vt ſupra dicebamus & d. q. 83 ar. 1. docet D. Tho. ita ſe habet oratio ad ſuperiorem, ſicut imperium ad inferiorem. Sunt autem in illa ſententia de imperio Bonauent. quamuis ſubobſcure in 3. d. 17. art. 1. q. 1. ad 3. Ochã. in 3. q. 12. ar. 4. conc. 3. Almainus tract. 3. Moral. c. 7. Caſtro de Lege pœnali, lib. 1. cap. 1. & 2. alijque.

D. Bonau. Ocham. Almai. Caſtro.

3. Probatur autem primo hæc opinio, quia ille actus eſt in mente oratio, qui per vocalem petitionem explicatur: ſed per hæc verba exteriora: *pete à te vt hoc facias*, nihil aliud explico, quam internum deſideriũ, quo teneor, vt mihi hoc beneficium facias: quod deſiderium eſt actus voluntatis, ergo in tali actu conſiſtit oratio mentalis. Minor probatur, quia, qui petit, nihil aliud procurat, niſi vt alter ſatisfaciat volũtati ſuæ, ergo per petitionem formaliter nihil aliud agit, quam ſuam illi oſtendere voluntatem, vt per hoc eum inclinet ad illam explendam. Et ideo dici ſolet petitio eſſe ſignificatio deſiderij, quod ſupra etiam explicauimus. Cui conſonat illud Pſalmi noni: *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*, & Gloſſa primæ ad Theſſal. 5. dicens: *Oratio eſt deſiderium bonum*, non quidem abſolutum deſiderium habendi ab alio, ſed habendi à Deo, reſpectu cuius tale deſiderium eſt quædam petitio. Vnde etiam Aug. Enarrat. in Pſal. 37. circa illa verba: *Ante te eſt omne deſiderium meum. Ipſum* (inquit) *deſiderium tuum oratio tua eſt, & continuum deſiderium continua oratio.* *Probatur. Pſal. 9. Gloſſa. D. Aug.*

4. *Probatur 2.* Secundo probatur, quia nullus actus inuenitur in intellectu, qui poſsit eſſe oratio mentalis ad Deũ. Nam in intellectu tantum eſt aut cognitio, aut locutio, oratio autem non eſt cognitio, vt omnes fatentur, & ſupra declaratum eſt. Neque etiam reſpectu Dei poteſt eſſe locutio, quæ fit in intellectu, quia inter ſpirituales naturas locutio nihil aliud eſt, quam volitio per quam loquens vult actum ſuum ab alio intelligi, & videri, ergo interius loqui ad Deum nihil aliud eſt, quam velle vt Deus noſtrum deſiderium videat, & talis locutio erit petitio, ſi per talem actum ſimul quis velit, vt Deus tale deſiderium expleat, ergo quamuis demus, orationem eſſe locutionem, non ideo eſſe poteſt in intellectu.

5. *Probatur 3. & vltimo. Scotus.* Tertio. Si oratio eſſet in intellectu, maxime quia conſiſtit in quadam ordinatione vnius ad aliud, & ordinare eſt munus intellectus, at hoc poſterius non eſt in vniuerſum verũ, vt recte notauit Scot. in 2. d. 6. q. 1. & d. 38. q. 1. & Quodli. 17 Nã ſicut intellectus ordinat iudicando, ita volũtas volẽdo, quãdo enim vult hoc propter illud, re vera ordinat hoc vt medium, ad illud vt finem, & quando vnus Angelus vult conceptum ſuum intelligi ab alio, ordinat ſuum conceptum ad alium, ita enim communiter loquuntur Theologi. Et expreſſe Diuus Thom. 1. p. q. 107. ar. 1. cum diſtinxiſſet tres modos, quibus intelligibile eſt in intelligente, ſcilicet in habitu, & in actu atque vt relatum ad aliud, ſubdit. *De ſecundo gradu transfertur in tertium per voluntatem, nam per voluntatem conceptus mentis ordinatur ad alterum.* Ordinatio autem, quam includit interna petitio ad Deum, ſolum eſt aut manifeſtatiua deſiderij, aut reduci etiam poteſt ad ordinationem medij ad finem, quatenus qui orat, hoc aſſumit vt medium ad conſequendum, quod deſiderat, ergo hęc ordinatio recte tribuitur voluntati. *D. Thom.*

6. *2. Opinio ſtatuit orationem, ſeu petitionem mentalem alicuius rei à Deo eſſe actionem intellectus. D. Tho. Caiet. Richard. Gabriel. Nauar.*

Secunda ſententia eſt petitionem mentalem alicuius rei à Deo eſſe actum intellectus. Ita tenet D. Thomas quæſtione 83. articulo ſecundo. Quem ſequuntur Caietanus. Et omnes Thomiſtæ, Richardus in 4. diſt. 15. articulo 4. quæſtione 1. & Gab. lection. 61. in Canon. Nauarrus ſupra capit. 1. num. 8. & 13. Fundamentum eſt, quia oratio mentalis eſt locutio mentis, ſicut oratio vocalis eſt locutio oris, ſed locutio mentis pertinet ad intellectum, & non ad voluntatem: nam manifeſte ſignificat actum rationis. Secundo, quia ſi aliquis actus voluntatis eſſet oratio, maxime deſiderium obtinendi aliquid ab alio, at conſtat, deſiderium non eſſe orationem, quia non eſt petitio, multa enim deſideramus ab aliis fieri, quæ ſæpe non audemus ab eis pętere, ergo. Tertio, quia iuxta ſententiam D. Tho. 1. 2. q. 17. frequentius receptam imperium eſt actus intellectus, eadem autem eſt ratio de oratione, ergo.

In hac,

7\. *Ad orationẽ vtraque potẽtia requiritur? Et qui illorum actus eam neceſſario præcedant.*

In hac, & ſimilibus quæſtionibus ſæpe admonere ſoleo, cauendum eſſe, ne tota diſputatio ad nominis ſignificationem, & impoſitionem reuocetur. Nam ipſius rei intelligentia in hoc poſita eſt, vt ſciamus in petitione interna, quos actus poſſint intellectus, & voluntas efficere: ita vt nequa neceſſarios auferamus, neque ſuperfluos contingamus. His autem intellectis, de impoſitione vocis erit quæſtio, quis illorum actuum nomine petitionis ſignificetur. Nam vt in principio dicebam, certum eſt, cum homo interius petit à Deo, per intellectum, & voluntatem aliquid operari, vel præſuppoſitiue, vel concomitanter, vel formaliter. Nam in primis neceſſe eſt, vt homo cognoſcat indigentiam illius rei, quam petiturus eſt, & quod illam habere cupiat. Rurſus oportet, vt iudicet, Deum eſſe auctorẽ eius, & poſſe illam conferre, ideoque ab ipſo eſſe deſiderandam, & petendam. Ita igitur conſtat (hæc enim nota ſunt) in hoc negotio intellectum, & voluntatem interuenire. Atque tamen certum eſt, his ſolis actibus nõ fieri petitionem, aut orationem. Sunt quidem illi radix ſeu cauſa petitionis: ſicut enim appetitus eſt principium inquirendi, & obtinendi rẽ, ita etiam eſt principium petendi eandem, quia vnus modus acquirendi illam eſt per petitionem. Appetitus autem ſupponit iudicium ſibi proportionatũ. Vnde ſicut ante appetitum abſolutum alicuius rei ſupponitur iudicium de illius conuenientia: ita ante deſiderium habendi talem rem à Deo, neceſſarium eſt iudiciũ de conuenientia talis rei, vt ab illo obtinendæ, in qua conuenientia includitur, quod Deus ſit auctor eius, & ſimilia. Sicut autem conſtat, hoc eſſe neceſſarium ad petendum, ita etiam conſtat in hoc iudicio præciſe non eſſe factam, imo neque intrinſece inchoatam orationem, quia aliud eſt iudicare aliquid eſſe agendum, aliud agere, aut velle, ergo ſimiliter in præſenti. Imo inter homines ſæpe contingit aliquem, qui abſolute rem quãdam deſiderat, ſi intelligat à tali perſona eſſe obtinendã, vel neceſſarium eſſe illam ab ea petere, hoc ipſo deſiſtere à proſecutione, & appetitu efficaci talis rei, quia potius vult tali re carere, quã ſe aliquo modo ſubdere tali perſonæ, aut tali medio illam procurare.

8\. *Quæ iudicia ex parte intellectus requirantur.*

Vnde fit, vt ad orationem non ſolum ſit neceſſarium iudicium de poteſtate alterius ad rem præſtandam, ſed etiam quod ſit conueniens, eam ab illo procurare, & petere, quia in hoc totum debet ferri voluntas, cum oratio voluntaria ſit, non poteſt autem ferri niſi in id, quod iudicatur conueniens. Ex quo vlterius infero, neceſſarium eſſe iudicium non ſolum de poteſtate, ſed etiam de voluntate alterius ad præbendum, quod petendum eſt: de voluntate, inquam, ſaltem probabiliter futura ſub ea conditione, *ſi fiat petitio*. Quia non poteſt ratio, vt conueniens repræſentari, aut iudicari, niſi iudicium hoc aliquo modo interueniat, quis enim peteret, niſi obtinere ſperaret? aut quomodo ſperabit ſine tali iudicio? Ratio vero eſt, quia petitio, vt petitio, habet rationem vtilis. Vnde non poteſt iudicari cõueniens, niſi vt vtilis iudicetur: non poteſt autem iudicari vtilis, niſi adſit dictum iudicium de voluntate alterius, nullam enim vtilitatem affert, quod ille poſſit, niſi velit, aut voliturus ſit facere. Magnas ergo habet partes intellectus in hoc negotio, quanquam manifeſtum ſit in his omnibus, quæ explicuimus, nondum eſſe actum orationis: quia oratio voluntaria futura eſt, & totum hoc iudicium antecedit voluntatem orandi.

9\. *Quæ volitiones ex parte voluntatis requirantur ad orationẽ.*

Poſt prædictum ergo iudicium, duo actus intelligi poſſunt ſubſequi in voluntate omnino neceſſarij ad orationem. Primus eſt deſiderium obtinendi à Deo, vel à tali perſona, quia ſine hoc deſiderio non poteſt eſſe vera petitio, vt ſupra diximus. Secundus eſt, voluntas petendi talem rem à tali perſona. Quod patet ex dicto principio, quod petitio eſt voluntaria, quia eſt humana actio, ergo neceſſe eſt, vt ex voluntate procedat, ergo ad hoc neceſſarius eſt prædictus voluntatis actus. De hoc autem actu duo declaranda ſuperſunt, primum, quo modo hic actus, diſtinguatur a priori deſiderio: ſecundum, quodnam ſit obiectum talis actus, in quo tota huius quæſtionis difficultas conſiſtit: nam intellecto hoc obiecto, declaratũ erit quid ſit oratio.

Obiectio. Ratio autem dubitandi eſt, quia etiam deſiderium obtinendi, rem ab alio eſt voluntarium, & tamen non eſt neceſſarius prior eſt actus, quo quis velit deſiderare, ſed ipſum deſiderium, libere exercendo, voluntarie deſiderat, nam talis actus à voluntate elicitus intrinſece, & per ſe ipſum volũtarius eſt, ergo ſimiliter ſi petitio eſt actus voluntatis, non erit neceſſarius alius actus eiuſdem voluntatis, quæ habeat petitionem pro obiecto, niſi forte per reflexionem: quæ ſimpliciter neceſſaria non eſt. Deinde ſi deſiderium ſit efficax, & per ſe ipſum poſſit alteri repræſentari, illud ipſum videtur ſufficiens ad voluntariam orationem abſque alio actu voluntatis, vel intellectus. Nam voluntas iam non habet, quid amplius appetat, quod ad hoc negotium ſpectat, neque etiam intellectus habet, quid amplius iudicet, aut cognoſcat: ſolum enim poteſt dici de nouo cognoſcere voluntatem ſuam habere tale deſiderium: hæc vero cognitio iam non ſpectat ad orationẽ, imo nec ad intellectum practicum, ſed ad cõtemplationem cuiuſdam veritatis, ſeu intuitionem aut experimentum cuiuſdam noui affectus. Neque etiam erit neceſſaria in eo caſu noua locutio intellectus, quia ſupponimus deſiderium per ſe ipſum alteri manifeſtari, & proponi, ſicut fit Deo.

10\. *Soluitur obiectio & oſtenditur petitionem eſſe diſtinctam à deſiderio.*

Vt ergo rem hanc declaremus, incipiamus à petitione prout fit inter homines, in qua voluntas petendi ſine dubio diſtincta eſt à deſiderio recipiendi rem ab alio, cum poſſit ſtare hoc deſiderium ſine illa voluntate. Dicetur fortaſſe, hoc eſſe verum de inefficaci deſiderio, ſeu conditionato actu, quo aliquis cupit, non tamen abſolute vult rem ab alio obtinere. Nam ſi habeat abſolutum deſiderium, fieri non poteſt, quin petat, & conſequenter talẽ deſiderium abſolutum videtur eſſe voluntas petendi. Sed contra hoc eſt, quia etiam poſito illo deſiderio abſoluto, ille actus ad ſummum ſe habet tanquam intentio efficax cuiuſdam finis, ad quem petitio comparatur vt medium, ergo voluntas petendi diſtinguitur ab illo deſiderio, ſaltem vt electio ab intentione. Cuius ſignum etiam eſt, quia ſi, ſtante illo deſiderio abſoluto obtinendi rem à Petro, non repræſentetur vt medium neceſſarium, vt ego petam, ſed ſatis ſit, vt alia via altiori notum fiat Petro deſiderium meum, vel quod alius intercedat aut rogando, aut imperando, tunc voluntas petendi non ſequitur neceſſario ex tali deſiderio, ſed generatim voluntas adhibendi hoc, vel illud mediũ, ergo manifeſtum eſt, voluntatem petendi eſſe diſtinctam à tali deſiderio.

11\. Vnde etiam fit, & petitionem, eſſe actum diſtinctum à deſiderio, & reſpectu hominis, id eſt, quando ad hominem funditur, non eſſe actum voluntatis. Primũ patet, quia ex deſiderio efficaci alicuius rei ſequitur voluntas petendi illam, ergo aliquid aliud præter ipſum deſideriũ volitũ eſt per talẽ actũ. Secũdũ patet, quia volũtas petẽdi nõ eſt actus reflexus, quia nõ imperat aliũ affectũ neq; enim explicari poteſt quis ille ſit, ergo eſt act⁹ direct⁹: ergo habet pro obiecto actũ alterius potẽtię à voluntate. Quod autẽ ſit tale obiectũ facile inter homines explicatur. Quia petitio inter homines exterior eſt, & vocalis, vnde hęc eſt volita per talẽ actũ: tamen quia locutio exterior, & humana actus eſt immediate procedens à ratione, & intellectu dictante verba, qui-

bus locutio fit, quia voces immediatè exprimunt conceptum mentis, vt Ariſt. docet, ideo voluntas *Ariſtot.* illa rectè dicitur eſſe de actu rationis, quamuis non merè interno, ſed prodeunte in externum. In hoc ergo ſenſu ſatis conſtat, petitionem vnius hominis ad alium eſſe actum rationis, quia eſt manifeſtatio talis deſiderij per locutionem rationis.

11\. *Concluditur orationem eſſe actum rationis.* Ex his ergo ad orationem cũ Deo aſcendendo, ſi ſermo eſſet de oratione vocali eadem proportione facile conſtaret eſſe actum rationis, & in quo conſiſtat. Vlterius autem animaduertere, & experiri vnuſquiſq; poteſt, quãuis nihil ore exprimatur, poſſe interius mentaliter fieri eandẽ locutionem, & petitionẽ à Deo, quæ voce vel ſcripto exprimitur, quia exterior prolatio vocis eſt quid poſterius, & effectus locutionis interioris: Vnde poteſt illud prius eſſe ſine poſteriori, & cauſa de ſe ſufficiẽs ſine actuali effectione, quia ille effectus exterius loquẽdi non *1. Reg. 1.* eſt merè naturalis, ſed liber. Tale eſt illud 1. Reg. 1. *Porro Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Quamquam enim illa oratio non fuerit pure mentalis, ſed exterior, licet ſummiſſa voce, tamen inde optime colligitur, eandem orationem ſola locutione cordis fieri potuiſſe, ſine vlla voce oris: nam ſicut eſt liberum interius loquenti, remiſsius, vel altius exterius loqui, ita etiam penitus nõ loqui exterius, maxime cum talis locutio reſpectu Dei ad intrinſecum finem orationis neceſſaria non ſit. Nam vt re- *D. Amb.* ctè dixit Amb. lib. 6. de Sacram. c. 4. *Orationem tuam ante ille audit, quam tuo ore fundatur.* Et de hoc orãdi *Pſal. 26.* modo videtur Dauid dixiſſe Pſal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea.*

12\. *Mentalis oratio per cõceptus medios, quomodo fiat.* Si quis autem rectè conſideret: hęc, locutio interior, quã nos experimur, non aliter fit, nec humano modo aliter fieri poſſe videtur, quam per conceptus mentales ipſarum vocum, quos Dialectici nõ vltimatos vocant, nemo enim aliter loquitur interius, quam exprimendo mentalia verba in eo idiomate, quod nouit, vt vnuſquiſque in ſe experietur. Ratio autem eſt, quia hæc locutio non eſt cognitio, nec iudicium mentis de aliqua re, ſed expreſsio rei iam conceptæ, quæ conſiſtit in ſigno aliquo quo talis res, vel conceptus eius exprimitur. Illud autem ſignum non eſt naturale, aut moraliter repræſentans, alioqui eſſet noua cognitio, nam ille modus actualiter repræſentandi in mente non eſt niſi per cognitionem. eſt ergo ſignum repræſentans ad placitum media impoſitione illius vocis. Fit ergo talis locutio per conceptus ipſarum vocum, imo eſt eadem cum illa locutione interiori, à qua proximè procedit exterior, quando fit, ſed tunc dicitur fieri mentaliter, quando in ſignum ſenſibile non prodit. Loquendo ergo de hoc modo petitionis, & orationis mentalis ad Deum, facile intelligimus eſſe actũ intellectus, eſſeque proximum obiectum voluntatis petendi, & orandi, ac denique eſſe omnino diſtinctam à deſiderio: nam eſt quædam repræſentatio, & inſinuatio deſiderij, quam homo ad Deum facit, effundens in conſpectu Domini animã ſuam, vt Scriptura loquitur, quod non eſt inutile, neque vanum, vt in ſequentibus declarabimus tractando de oratione vocali.

CAPVT IV.

Poſſitne homo in hac vita mente petere ſine conceptibus vocum, & quomodo?

1\. *In quibus præſens difficultas locũ habeant.* Adhuc vero ſupereſt explicandum (quod nihil difficilius eſt) An ſecluſa dicta locutione intellectuali per conceptus ſenſibilium verborũ ſignificãtium ad placitum, poſsit homo in hac vita interius orare, & petere aliquid à Deo, & ſi poteſt, quis nam ille actus in intellectu, vel in voluntate ſit? Quæ difficultas habet etiam locum in Angelis petentibus aliquid à Deo, atque etiam in beatis hominibus, nec non in vno Angelo petente aliquid ab alio, & in anima ſeparata rogante Angelum: Suppono enim, non vti conceptibus verborum ſenſibilium, quæ in nudis ſpiritibus accidentaria, & extranea ſunt. Tota vero hæc difficultas eſt ſimilis illi, quæ tractari ſolet de locutione ſpirituum inter ſe, ſemper enim vt verum ſupponimus, hunc proprium actum orationis, qui eſt petitio, non poſſe eſſe, niſi locutionem, nam aliquid addit deſiderio, nihil autem aliud addere poteſt prẹter locutionem, vt videtur ſatis probatum, quid autem ſit hæc locutio pure ſpiritualis ad Deum, difficile explicatur. *Alenſ.* In quo Alenſ. 4. p. q. 26. ar. §. 2. q. 2. reſpondet, ſpiritus loqui Deo, formando in ſe verbum mentis, quo ſuum deſiderium exprimunt. Sed hoc non ſatisfacit, quia hoc verbum nihil aliud eſt niſi cogitatio, vel cognitio, quam ſpiritus habet ſui deſiderij, vt ipſemet Alenſ. fatetur, per hanc autem cognitionem vt ſic loquitur ſpiritus ſibi non Deo, niſi hoc verbum ſuum ad Deum ordinet: hoc ergo eſt, quod inquirimus, quid addat hæc ordinatio ſupra ipſum verbum mentis, & nihil in intellectu reperimus, nam ordinatio illa ad alium per voluntatem plane fieri videtur.

Dico ergo Orationem pure mentalem hominis ad Deum, ſi non fiat mediis conceptibus vocum, non poſſe tribui intellectui, ſed voluntati. Probatur, quia in hoc modo loquendi ad Deum imitatur homo modo loquendi Angelorum ad Deum, ſed locutio Angelorum ad Deum, non eſt aliquid in intellectu, ſed ſolum in voluntate, ergo etiam oratio pure ſpiritualis hominis ad Deum voluntati tribuẽda eſt non intellectui. Minorem videtur expreſſe affirmare D. Tho. 1. p. q. 107. ar. 3. vbi explicãs, quomodo Angeli loquantur ad Deum: ait. *Solum loqui ordinando per voluntatem conceptionem ſuam ad Deum, non vt illi aliquid communicent, ſed vt ab eo aliquid accipiant.* Tota ergo locutio Angeli ad Deum conſiſtit in hac ordinatione ſub tali intentione: conſtat autem & intentionem eſſe actum voluntatis, & ordinationem illam per actum voluntatis fieri: ergo. 2. *Oratio pure mentalis, ſi fiat ſine conceptibus vocum, voluntati debet attribui.* *D. Tho.*

Secundo videtur hæc ſententia D. Greg. lib. 2. Moral c. 4. alias 5. Ibi enim ait, locutionem Angeli ad Deum per modum laudis eſſe *admirationem*, quam ſtatim dicit eſſe *motum cordis*, quem conſtat eſſe actum appetitus, ſeu volũtatis. Verba eius ſunt: *Excitatus cum reuerentia motus cordis magnus eſt ad aures incircumſcripti ſpiritus clamor vocis*: Et infra, clamorem ſanctarum animarum ad Deum pro petitione vindictæ dicit nihil eſſe aliud, quam deſiderium reſurrectionis, & iudicij. *Nam animarum* (inquit) *verba, ipſa ſunt deſideria.* 3. *D. Greg.*

Tertio declaratur ratione, quia in locutione duo poſſumus conſiderare. Vnum eſt id, quod in ipſo loquente fit, vt alteri loquatur, vt nos formamus in nobis conceptus ad loquendum alteri. Alterum eſt, quod à loquente egreditur per modum ſigni, quo alteri ſignificat, quod loqui vult, vt in nobis ſunt verba, quæ per organa corporis in aere formantur, & vſque ad audientem perueniunt, mediis ſpeciebus. Vnde in nobis locutio quoad illud prius actus immanens eſt, quoad vero poſterius eſt actio tranſiens. Inter Angelos autem vel non interuenit actio tranſiens extra loquentem, vt multi volunt, vel quicquid ſit de ſpiritibus creatis inter ſe loquentibus, ſaltem reſpectu Dei non eſt hoc neceſſarium, quia neque in ipſo aliquid fieri poteſt per locutionem creaturæ, vt per ſe notum eſt, nec Deus indiget ſignis intermediis: tum quia cognitio per illa eſt imperfecta: tum etiam quia locutio ad Deum non fit propter manifeſtationem, vel communicationem, ſed propter aliquam vtilitatem loquentis, vt rectè D. Tho. dixit d. q. 83. ar. 3. In quo multum differt locutio Dei ad creaturam, vel creaturæ ad Deum. Nam locutio Dei eſt actus tranſiens, & recipitur 4. *Ratione probatur aſſertio.* *D. Thom.* *Quo differat locutio*

Digitized by Google

Dei ad creaturam in locutione creatura ad Deũ. D. Greg.

cipitur in ipſa creatura, cui Deus loquitur, & inde motio aliqua in illa ſit ſpeciali actione Dei, vt expreſſe docet Greg. ſuprà: nec poteſt aliter intelligi, locutio autem creaturæ ad Deum neceſſario debet manere in ipſo loquente, in Deo enim eſſe non poteſt, nec in alia re, nã quodlibet tertium, ſeu intermedium eſt impertinens. At vero actus immanens in perſona loquente, qui ſit locutio merè ſpiritualis, non poteſt eſſe niſi actus voluntatis, cum non ſit conceptus vocum ſenſibilium, vt iam dictum eſt, ergo.

5. *Inter ſpiritꝰ duplex locutio eſſe poteſt, altera narratiua, ſeu aſſertiua: altera verò motiua ſeu impulſiua. Prior locutio præſenti non ſeruit inſtituto.*

Quod vt amplius declarem, aduerto: inter ipſos ſpiritus eſſe poſſe duplicem locutionem, vnam voco aſſertiuã, ſeu narratiuam, qua refertur, hoc factum eſſe vel futurum eſſe; aliam voco motiuam, ſeu impulſiuam per imperium, vel petitionem. De priori non eſt nunc ſermo, probabile verò eſt, inter Angelos non fieri, niſi quatenus loquens manifeſtat loquenti conceptum, quem in ſe habet illius rei, quam refert ita eſſe, vel non eſſe. Et tunc ille cõceptus ſic manifeſtatus poteſt dici locutio rei ſic conceptæ, quamuis re vera potius manifeſtatio, ſeu ordinatio talis conceptus ad alium ſit locutio, quæ ordinatio voluntatis eſt vt dixi. Quantum ad id, quod ponit in ipſo loquente, quidquid ſit, an aliquid efficiat in audiente inter ſpiritus creatos: quod reſpectu Dei locum non habet. At verò poſterior locutio per petitionem, & maxime ad Deum, tota eſt voluntatis. Quia & ordinatio per voluntatem ſit, & id quod per eam immediatè ordinatur ſeu manifeſtatur, eſt actus voluntatis. Quia is, qui à Deo poſtulat, immediatè indicat, vel proponit per talem locutionem deſiderium ſuum. Quamuis enim petat rem deſideratam, non tamen directe, & immediatè de illa loquitur, ſed quatenus per eam complendum eſt deſiderium, cuius illa eſt obiectum.

Poſterior locutio ad voluntatem ſpectat.

6 *Quomodo hac locutio in voluntate conſummetur, declaratur.*

Ad manifeſtandum autem hoc deſiderium non videtur intelligibile, quis actus intellectus adiungi, vel ſuperaddi poſſit præter voluntatẽ quaſi reflexiuã, perquã aliquis ordinat ſuum deſiderium ad alium, vt alter illud vidẽs illud etiã compleat, præbens id, quod deſideratur. Nam in loquente non ſolum deſiderium ſupponit, ſed etiam cognitio deſiderij obtinendi à Deo aliquid, qui enim deſiderat, cognoſcit ſe deſiderare. Per hanc autem cognitionem non loquitur quis Deo, ſed ſibi, nam vt recte dixit D. Thom. 1. p. q. 106. art. 1. quando aliquis actu conſiderat aliquid, loquitur ſibi, ideo enim talis conceptus actualis verbum mentis dicitur, quãdiu autem in eo conceptu ſiſtitur, & non ordinatur ad alterum nondum eſt locutio ad alium, ergo qui deſiderat aliquid obtinere à Deo, quamuis hoc deſiderium cognoſcat per hũc actum intellectus, nõdum loquitur Deo, ſed ſibi, nondum ergo orat. Quando autem vlterius vult, hoc ſuum deſideriũ coniunctum cum recognitione ſuæ indigentiæ, & dependentiæ à Deo, in Diuino conſpectu repræſentare, vt inde moueatur Deus ad prębẽdum id quod ipſe deſiderat, iam ordinat ſuum deſideriũ, ſuumque conceptum ad Deum, ergo per hanc voluntatem loquitur illi inſinuando, & manifeſtando ſuũ deſiderium: prout poteſt ergo in hac voluntate cõſummatur propriè, ac formaliter hæc ſpiritualis locutio & petitio.

D. Thom.

7. *Eadem res amplius explicatur.*

Maximè, quia poſt hanc voluntatem nullus alius actus in intellectu fingi poteſt, qui habeat rationem locutionis, vel petitionis: nam poſt illam voluntatem ſolum poteſt ſequi in intellectu ſic orantis cognitio quaſi reflexa, qua cognoſcit ſe id velle. At verò hæc cognitio non ſpectat formaliter ad locutionem cum Deo, tum quia neque ordinatur ad Deum, neque ipſa ordinat aliquid in Deum, ſed eſt locutio hominis ſecum, quatenus format nouum quendam conceptum actus ſui. Tum etiam quia talis cognitio ſupponit factam Deo manifeſtationem, vel inſinuationem proprij actus, quantum ab homine fieri poteſt, ergo ſupponit locutionem iam factam. Sicut quando vnus homo loquitur alteri, etiamſi cognoſcat ſe loqui, illa cognitio non ſpectat per ſe ad locutionem, ſed per accidẽs ſe habet, quia iam ſupponit illam vt obiectum: neque erit minùs perfecta locutio, etiamſi non fiat illa cognitio quaſi reflexiua ſupra ipſammet locutionem. Idemq́ forte eſt etiam reſpectu Dei; nam ratio, & petitio mentalis optimè conſiſtere poteſt, etiamſi homo nõ aduertat ſe petere, imò tunc fortaſſe erit attentior petitio, quando homo ita eſt intentus circa voluntatem effundendi animam ſuam in conſpectu Dei, vt non valeat actualem, & formalem reflexionem facere ad cognoſcendum id, quod agit. Nullus ergo ſupereſt actus intellectus, in quo talis locutio, ſeu petitio à Deo conſtitui poſſit.

Atque hic ſanè diſcurſus mihi partem hanc vehementer probabilem reddit, & quod ad rem quidem ſpectat, fateor in hoc negotio non interuenire alios actus voluntatis, vel intellectus præter explicatos, & in illa voluntate præſentandi Deo deſiderium cum quadam recognitione, & ſubiectione ad ipſum, conſummari hunc modum orationis. An verò ſola hæc voluntas vltima, vel etiam recognitio, quam explicuimus ex parte intellectus dicenda ſit ipſa locutio, vel petitio, videtur quæſtio parui momenti, ſi tamen in rigore loquamur, videtur cõſiſtere in illa voluntate. Cum autem communiter dicitur, orationem eſſe actum intellectus etiã quoad petitionem, interpretari poſſumus id intelligendum eſſe de oratione, prout in hac vita regulariter ab homine fit. Veriſimile enim eſt, hominem in hac vita rarò, aut nunquã petere etiã interiùs niſi vtẽdo ſignis mẽtalibus, & intellectualibus quæ ſignis vocalibus correſpondent, & ſunt cõceptus eorũ. Nihilominus tamẽ nec impoſſibile, nec miraculoſum, nec valde extra ordinariũ cenſeo, vt aliquis in hac vita ita Diuina gratia ſubleuetur, vt mentaliter petendo ab hoc etiam genere ſignorum ſenſibilium mente conceptorum actualiter abſtrahat. Quia illi conceptus vocum nec propter Deũ neceſſarij ſunt, vt per ſe conſtat, nec propter hominem, nam poteſt de rebus tantum cogitare & de Deo, & dependentiã ſui, & rerum, quas deſiderat, à Deo cognoſcere, & per volũtatem ſuam totam illam ſuam diſpoſitionem, & deſiderium Deo præſentare. Poteſt ergo totum hoc fieri non vtendo interius conceptibus vocum, qui autem id facit, profecto iam orat: tunc autẽ non petit niſi illa voluntate, qua ſuum deſiderium Deo præſentat, vt ab ipſo impleatur. 8

Queſtionis initio poſitæ reſolutio.

CAPVT V.

Nonnullis difficultatibus occurritur.

VT hæc reſolutio partim confirmetur amplius, partim explicetur, & amplietur, nonnullas occurrentes difficultates proponam. Prima eſt, quia Diuina laus eſt actus orationi ſimilis, & quædam orationis pars latè ſumptæ: at illa fieri poteſt pura mente, non ſolum per conceptus mentales verborum ſenſibilium, ſed etiam per actus mere ſpirituales, ſicut de oratione diximus. Sic enim etiam Angeli laudant Deum, & ſimiliter Beati, qui non indigent noſtris ſignis ad placitum etiam mente conceptis & nihilominus laus Dei in Angelo V. G. eſt actus intellectus, & non voluntatis, vt videtur per ſe notum: quia laudare rem, nõ eſt affici, ſed ſupponit affectum, & rei æſtimationem, ſi vera laus ſit, ergo idem dicendum eſt de oratione. 9

1. Difficultas ex Diuina laude ſumpta.

Secundò fieri poteſt ſimilis obiectio de gratiarum actione, quæ etiam eſt quædam pars orationis iuxta Paulum 1. ad Timoth. 2. & poteſt ſola mente 10

2. Difficultas de gratiarũ actiõe. D. Paul.

& abſ-

& abſque ſignis ſenſibilibus, vel cõceptibus eorum fieri, ſicut ſit ab Angelis, & aliis Beatis. Vt autem ab eis ſit, non eſt actus voluntatis, ſed intellectus, quia de beneficiis acceptis mẽte gratias agere nihil aliud eſſe videtur, quam ea vt accepta recognoſcere, ergo idem dicendum eſt de actu petitionis.

3. *3 Difficultas de obſecratione.* Tertiò naſcitur alia difficultas ex alia parte orationis, quæ dicitur *obſecratio*, ad quam iuxta probabilem expoſitionem ſpectat, rationes, & titulos Deo proponere, propter quos concedat, quod petitur, quod manifeſtè eſt opus rationis, ergo eiuſdem opus eſt ipſa petitio: quia eiuſdem facultatis eſſe videtur aliquid petere, & rationes petendi, & obtinendi allegare.

4. *4. Difficultas de mẽtali cõfeſſione.* Quartò eſt ſimilis difficultas de mentali confeſſione peccatorum coram Deo facta, iuxta illud: *Cõfitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* Hæc enim confeſſio eſſe poteſt pars orationis, non minùs, quàm confeſſio laudis, & tamen non conſiſtit formaliter in actu voluntatis, ſed intellectus recogitantis, ac recognoſcentis coram Deo proprias iniquitates: ſic enim Dauid aiebat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ:* eſt ergo oratio etiam quoad hanc partem actus intellectus, ergo quoad omnem aliam.

5. *Vlt. Difficultas de locutione Angelorum inter ſe.* Vltima difficultas oritur ex locutione Angelorum inter ſe, illa enim eſt merè ſpiritualis, & tamen non ſit per ſolam voluntatem, ſed per actum intellectus, quia per talem locutionem conceptus Angeli ſit intelligibilis alteri, quod nõ poteſt fieri per ſolam voluntatem, niſi aliqua mutatio ex parte intellectus accedat. *D. Paul.* Propter quod linguæ Angelorum (de quibus loquitur Paulus 1 ad Corint. 13.) dicuntur eſſe intellectus eorum, vt ſignificant præcipuè *Theophil. Theod.* Theophilact. & Theodor. in eum locum: & Theodor. addit, eandem eſſe facultatem, per quam Angeli laudant Deum, & qua inter ſe loquuntur: conſtat autem laudare per intellectum: ergo per intellectũ etiam ad Deũ loquuntur, ergo etiam per intellectum petunt: nã petere loqui eſt: ergo in vniuerſũ petitio purè mentalis eſt actus intellectus.

Quid probetur difficultatibus propoſitis. Hæ difficultates, præſertim quatuor priores oſtendunt in oratione mentali ſecũdum omnia, quæ includit, neceſſario interuenire actus intellectus ſimul cũ actibus voluntatis, non tamen probant proprium actum petitionis, vel cuiuſcũque alterius locutionis ſpiritualis ad Deum formaliter conſiſtere in actu intellectus ſecundũ ſe, & non potius in actu voluntatis ordinantis ad Deum cogitationem, ſeu recognitionem intellectus

Laus Dei mentalis quomodo fiat.

7. *1. Difficultas enodatur.* Circa primam ergo difficultatem de laude Dei dicimus, laudem alicuius per ſe, ac formaliter non poſtulare, vt ſit locutio ad eum, qui laudatur: interdum enim laudamus vnum hominem alteri: v. g. Petrum Ioan. & tunc non loquimur cum Petro quẽ laudamus, ſed de Petro loquimur Ioanni. Imò aliquando etiam nobis, cum tantum loquentes aliquem laudamus, vt vſu ipſo ſatis conſtat: aliquãdo verò etiam laudamus hominem loquendo ad ipſum, vt per ſe notum eſt. *Laus tripliciter fieri poteſt.* Sic igitur Angeli poſſunt laudare Deum, vel inter ſe loquentes, vel vnuſquiſque tantum ſecum, vel denique loquendo ad Deũ ipſum. Et omnibus quidẽ his modis laus vera ſupponit recognitionem illius perfectionis Dei, ob quã laudatur: alioqui ficta, & ementita eſſet laudatio. In primo autem modo laus addit locutionem vnius Angeli ad alium, de qua pauca dicemus circa vltimam difficultatem. Secundo autem modo laus nihil addit præter ipſam recognitionem, quia conſiſtit in locutione ad ſe ipſum, quæ locutio abſque vlla controuerſia intellectu ſit, & in cognitione rei, de qua eſt locutio, per ſe conſiſtit, loquendo de perfecta locutione mentali, quæ ſit conceptibus rerum & non verborum. Atque hoc tantum probat prima difficultas propoſita. Quoad hanc verò partem non rectè ſit argumentum ad petitionem, quia petitio præſertim purè mentalis, ſemper eſt locutio ad alterum, & non ad ſe ipſum, vt per ſe conſtat.

8 *Laus tertio modo ſũpta, in voluntate conſummatur.* Tertio igitur modo laus Dei ad eundem directa per modum locutionis præter recognitionem perfectionis Diuinę, quę in intellectu eſt non addit nouum actum intellectus (quis enim fingi, aut excogitari poteſt?) ſed addit ſolum in voluntate ordinationem illius æſtimationis Dei quæ eſt in intellectu, ad ipſum Deum, quatenus Angelus vult eam Deo repræſentare, & offerre per modum cultus: ergò talis laus in voluntate cõſummatur: & quoad hoc rectè æquiparatur laudatio petitioni. Atque hoc, quod in Angelis explicuimus, locum habet in quocumque ſpiritu ſeparato, atque etiam in hominibus in hac vita degentibus, ſi intra ſe pura mente, & abſque verbis ſenſibilibus, vel cõceptibus eorum Deũ laudẽt, nam eadem ratio in his omnibus procedit.

Gratiarum actio mentalis quomodo fiat.

9. *Secunda difficultas expeditur.* Eodem ferè modo de gratiarum actione (quod in ſecunda difficultate tangitur) philoſophandũ eſt. Solum occurrit obſeruandum, aliud eſſe habere gratias, aliud agere: *Quid ſit habere gratias & illas agere.* Primum enim exerceri poteſt in animo, nulla manifeſtatione facta alteri, neque ipſi benefactori, recognoſcendo tantum in animo beneficium acceptum. Secundum autem ſit manifeſtando illam recognitionem beneficij, quã in animo habemus. Illud ergo primum ſine dubio exerceri poteſt erga Deum in oratione mentali latè ſumpta. Et illud officium planè ſit per illum actum, quo aliquis intra ſe recognoſcit beneficium illud, & obligationem ſuam, quæ inde naſcitur, qui actus intellectus eſt: & hoc ſolum probat difficultas ſecunda, quæ de hoc actu procedit. Ex quo naſci quidem poteſt in voluntate deſiderium exhibendi Deo gratum animum, quod vel non ſpectat ad propriam gratiarum actionem, ſed generatim ad *Quid ſit referre gratiam.* gratitudinem per obſequia, vel alia officia per quę potiùs dicimur referre gratiam, quàm habere, vel certè ſi ſpectat illud deſiderium ad propriam gratiarũ actionem, iam explicatam, ſolùm eſt quaſi imperãdo illam. Nam qui vult eſſe gratus Deo, & non habet, quid referat ipſi pro beneficio accepto, ſaltem oſtendit illi, & quantum in ſe eſt: manifeſtat ei, quomodo acceptum beneficium recognoſcat. In qua manifeſtatione talis gratiarum actio conſiſtit. *Gratiarum actio ſolum reſpicit benefactorem.* Ideoque gratiarum actio ad benefactorem refertur, in cuius obſequium ſit: vnde ſi alicui tertio beneficiũ narretur, eſſe poterit quædam laus benefactoris, nõ propria gratiarum actio. Hoc ergo modo poteſt vnuſquiſque gratias agere Deo, ordinando ad ipſum per modum locutionis æſtimationem, & recognitionem proprij beneficij: & ſic præter actum intellectus iam explicatum, nihil addit niſi voluntatem repræſentandi Deo recognitionem beneficij & offerendi illam in cultum quendam, & aliqualem recompenſationem beneficij, quæ propriè gratiarum actio dicitur. *Hæc in voluntate cõſiſtit.* Et ita quoad hoc in voluntate formaliter conſiſtit, ſeu conſummatur gratiarum actio, & in hoc tantùm poteſt cum petitione, ſeu oratione comparari.

Mentalis obſecratio quomodo fiat.

10. *Expeditur tertia difficultas.* Ad eundem ferè modum expedienda eſt tertia difficultas. In obſecratione enim duo intelligi poſſunt: vnum eſt recogitatio earum rationum, quæ Deum mouere poſſunt ad concedendum id, quod

Digitized by Google

quod per orationẽ poſtulatur: quæ proinde augere etiam poſſunt fiduciam impetrandi id, quod poſtulatur. *Duo poſſunt in obſecratione conſiderari.* Alterum eſt allegatio, ſeu propoſitio taliũ rationũ coram Deo, prout fieri intelligitur in oratione, & obſecratione, quæ ad Deum fit. Et in hoc poſteriori actu conſummatur ratio obſecrationis, vt nunc illam ſumimus: nam obſecratio manifeſtè eſt ad alterum nimirum ad eundem, ad quem eſt petitio. *Primo modo ad intellectum ſpectat.* Quod ergo ad primum officium ſpectat, manifeſtum eſt, illud eſſe munus intellectus, quod includit inquiſitionem, ac meditationem earum rationum, quę Deum mouere poſſunt, & iudicium, ac credulitatem earum iuxta materiæ capacitatem, vt poſtea ſuo loco declarabo. Poſterius autem officium non conſiſtit in cognitione aliqua, ſed in locutione earum rationum, quas is, qui orat, ſeu meditatur, aſſecutus eſt. *Secundo modo in voluntate conſiſtit.* Siquis enim huiuſmodi rationes conſideret ſolùm, vt ſe ipſum excitet ad fiduciam, & deſiderium, vel petitionem, nondum obſecrat, vt inter homines conſiderare licet. Nam ſi quis ſecum plures rationes cogitet, ob quas poteſt aliquid à Rege poſtulare, & impetrare, poſteà verò ſimpliciter petitionem faciat, nullam rationem allegando, & proponendo Regi, quæ illum poſſit inducere, & quodammodo obligare, nondum obſecrat, ſed tantùm petit. Si verò petitioni adiungat titulos, & rationes, quæ Regem poſſint obligare pręſertim ex parte illius, tunc dicitur obſecrare, ergo ſicut petitio, ita etiam obſecratio locutione perficitur. Hæc autem locutio in ordine ad Deum (ſicut in alijs dictum eſt) non poteſt eſſe niſi voluntas repræſentãdi Deo huiuſmodi titulos, & rationes exaudiendi orationem, non vt ipſe denuò illas cognoſcat, ſed vt noſtram fiduciam, & credulitatem, ſeu exiſtimationem, quam de ipſo habemus, in cultum eius exerceamus. Atque in hac locutione debent obſecratio, & petitio conferri, vt rectè fiat cõparatio.

Interna confeſsio qualis ſit.

11\. *4. Difficultas explicatur eodem modo, quo tertia.* IDem cum proportione dicendũ eſt de confeſſione interna peccatorum, de qua difficultas quarta proponebatur: nam etiam in illa duo diſtingui poſſunt. Vnum eſt interna confeſſio peccati proprij: alterum eſt quod talis confeſſio fiat Deo. Et primum quidem planè pertinet ad intellectum, conſiſtitque in interna recognitione peccati. Sed illa per ſe ſumpta niſi ad alterum ordinetur, non eſt confeſſio alteri facta, ſed ipſi tantum homini peccata ſua recognoſcenti. Vt ergo ſit confeſſio ad Deum, oportet vt ad ipſum referatur, & ordinetur per modum locutionis, quod nõ fit, niſi per voluntatem: in hoc ponenda eſt æquiparatio, ſicut in alijs explicatum eſt.

Breuis digreſsio de oratione Angelorum.

12\. *Vltima difficultas reſoluitur.* AD vltimam difficultatem (omiſſis multis, quæ dici poſſent da locutione Angelorum, ſeu ſpirituum creatorum inter ſe, ne à propoſito digrediamur) duo breuiter dicimus. Primùm eſt non eſſe æquiparandam locutionem creaturæ ad Deum cum locutione vnius creaturæ ad aliam: nam locutio ad creaturam fit, vt ei notificetur, quod illi erat ignotum, ſeu vt fiat proximè intelligibile id, quod antea non ita erat proximè applicatum, vt actu intelligeretur. Quod manifeſtum eſt in locutione hominum inter ſe: finis enim præcipuus, ac neceſſarius illius fuit manifeſtatio propriorum conceptuum, & cõſequenter rerum etiam conceptarum, *Locutio ad ſignandum hominem ignotum manifeſtat.* quæ alteri erant ignotæ. Et licet homines aliquando inter ſe loquantur de rebus aliàs ſibi notis, illud eſt, vel quia vnus ignorat rem, quam alteri narrat, eſſe illi notam, vel vt maiorem talis rei cognitionẽ per talem locutionem mutuò aſſequantur, vel vt ad actualem illius conſiderationem ſe ſe inuicem moueãt, vel quia in tali locutione delectentur: ſemper autem modus ipſe loquendi talis eſt, quod per illum poſſet addiſci res, licet antea ignoraretur. Et ad eundem modum ſentiunt Theologi de locutione Angelorum inter ſe: fieri ſcilicet, ad manifeſtãdos proprios conceptus, & interiores actus liberos, qui alijs naturaliter ignoti ſunt. At verò locutio ad Deum non fit per nouam rei manifeſtationem, aut notitiam, quæ illi poſſit acquiri, vt per ſe notum eſt, *Locutio ad Deum finem habet.* ſed propter alios fines morales, quos D. Tho. 1. part. q. 107. art. 3. vno verbo comprehendit dicens, *Angelum loqui ad Deum, vt ab eo aliquid accipiat.* *D. Thom.* Quapropter per locutionem ad Deum non fit obiectum denuò intelligibile aliquo modo ipſi Deo, & ideò licèt daremus, ex hac parte locutionem Angeli ad Angelum eſſe opus intellectus, nõ inde fit idem dicendum eſſe de locutione Angeli ad Deum.

Deinde addo, cum varij ſint modi explicandi locutionem ſpiritualem inter creaturas, omnes in duas veluti claſſes diuidi. 13. *Varietas declarandi locutionẽ ſpiritualẽ inter creatas, ad duplex caput reuocatur.* Vna continet eorum ſententias, qui negant loquentem communicare vel imprimere aliquid ei, ad quem loquitur. Altera continet opiniones eorum qui exiſtimant non poſſe huiuſmodi locutionem fieri ſine actione reali circa illum, cui fit locutio. Procedendo igitur iuxta prius fundamentum, certè magis conſequenter loquuntur, qui opinantur, locutionem Angeli ex parte loquentis non fieri per actum intellectus, ſed voluntatis, atque adeo eſſe actum illum, quo vnus Angelus vult, ſecretum ſuum eſſe manifeſtum alteri. *Iuxta primum caput reſpondetur difficultati.* Nam inde abſque alia actione tranſeunte, vel immanente ipſius loquentis ſequitur in altero notitia rei à loquente manifeſtatæ, quæ eſt auditio illius. Et ideo licet ex parte audientis locutio illa quaſi paſſiua pertineat ad intellectũ, tamen ex parte loquentis pertinet ad voluntatem. Atque ita opinantur Capreol. in 2. diſtinct. 11. q. 2. & Caiet. d. q. 107. art. 1. & alij Thomiſtæ, qui etiam putant eſſe ſententiam D. Thom. *Capreol. Caiet.* Et illi etiam fauent Alenſ. Albert. Bonauentura, & alij. *Alenſ. Albert.* Iuxta hanc ergo ſententiam à fortiori ſequitur, locutionem Angeli ad Deum per voluntatem loquentis fieri. At verò iuxta aliud principium, quod locutio inter Angelos non fit ſine actione aliqua loquentis ad audientem, præter voluntatem loquendi, ſeu manifeſtandi ſecretum, neceſſe eſt ponere aliquam actionem. Hæc autem reſpectu loquentis eſt actio tranſiens, quia in alio nempè in audiente recipitur. *Iuxta ſecundum caput ſoluitur difficultas.* Ideoque (quicquid ſit de actione vnius Angeli in alium) certiſſimum eſt, non poſſe Angelum loqui hoc modo ad Deum, quia nil in illum poteſt imprimere. Ergo nihil ſupereſt, quod poſsit eſſe locutio, vel petitio Angeli ad Deum, niſi voluntas ordinandi ſuum cõceptum, vel affectum ad Deum, non vt illi denuò innoteſcat, ſed vt illi ſe creatura ſubmittat, & eo, quo poteſt, modo deſiderium ſuum illi præſentet: idem ergo cum proportione dicendum eſt de locutione noſtra pure mentali.

CAPVT VI.

Sitne conueniens, & per ſe honeſta oratio ad Deum?

1\. AGimus de oratione propriè dicta pro petitione, vt iam monui, poteſtque eadem quæſtio de oratione vocali tractari, ſed nunc non conſideramus difficultatem, quæ naſci poteſt ex eo, quòd petitio Deo offertur per ſenſibilia ſigna, ſed ſolùm illam, quæ oritur ex præciſa ratione petitionis. Difficultas autem eſt, quia petere aliquid à Deo, aut impium, aut inutile videri poteſt. *In quo ſit difficultas.*

Proba-

Digitized by Google

Probatur, quia vel Deus decreuit aliquid facere, vel non, ſi decreuit, & nos contrarium deſideramus, ac petimus, impie facimus, tum quia ab illo petimus, vt voluntatem ſuam mutet, tum etiam quia voluntatem noſtram voluntati eius præferri volumus; ſi autem Deus iam decreuit facere, quod nos petimus, inutile eſt id petere, quia infallibiliter fiet licet non petamus, cum voluntas Dei non poſſit non impleri. Deinde eſto, non ſit intrinſece mala huiuſmodi petitio, ſaltem non videtur per ſe honeſtã, ſed ad ſummum indifferẽs. Probatur, quia petitio ſolum habet rationem vtilis, eſt enim veluti medium quoddam, quod vtile creditur ad obtinẽdum id, quod petitur. ergo de ſe nnn habet intrinſecam honeſtatem, ſed talis erit, qualis fuerit res illa, ad quam obtinendam ordinatur.

2\. *Varij errores circa orationem proponuntur. Primus eã ad ſalutem ſufficere dicit. Theodor. Caſtro.*

Circa orationem varij fuerunt errores inter ſe extreme contrarij. Quidam enim dixerunt, orationem adeo eſſe conuenientem, vt ipſa ſola ad ſalutem ſufficiat, etiam ſi Sacramenta, & alia ſalutis media prætermittantur. Ita refert de Meſſalianis Theodoretus li. 4. de Fabulis hæreticorum, & lib. 4. Hiſto. cap. 10. latius Caſtro verbo *Oratio*, hæreſi 1. Qui recte aſſerit, non oportere nos contra hanc hæreſim hoc loco diſputare, quia licet Scriptura doceat, orationem eſſe neceſſariam, vt infra videbimus, nunquam docet, illam ſolam ſufficere, ſed potius expreſſe tradit. aliqua Sacramenta eſſe neceſſaria ad ſalutem, vt in proprijs locis viſum eſt: proponit etiam opera miſericordiæ, & alia præcepta vt neceſſaria ad ſalutem, vt ſatis colligitur ex Matthæi 25. & alibi latius tractandum eſt. (*Matth. 25. Chryſoſt.*) Vnde eleganter Chryſoſtomus lib. 1. de Orando Deum, poſtquam multa de præſtantia, & vtilitate orationis dixerat, ſibi obijcit. *Verum aliquis forſitan ex eorum numero, qui ſocordiæ, ſegnitiaque dediti nolunt attente, & diligenter orare, perſuaſurus ſit in hoc Deum illa verba dixiſſe. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei.* Et reſpondet: *Atqui ego ſi crederem, ſolam precationem ad ſalutem noſtram ſufficere, non immerito ſermonem hunc nobis obijceret aliquis: nunc cum profitear deprecationem caput eſſe bonorum omnium, baſim, ac radicem vitæ frugiferæ, non eſt, quod quiſquam verbis illis abutatur.*

3\. *Alius error. D. Tho. Affirmat per orationem mutari Diuinam diſpoſitionem.*

Alio modo nimium tribuerunt quidam hæretici orationi dicentes, habere vim immutandi Diuinam diſpoſitionem, & prouidentiam. Refert D. Tho. 2. 2. q. 87. art. 1. & 3. contra Gentes. cap. 96. Et mouebantur fortaſſe ratione dubitandi in principio propoſita. Sed hic error non ſolum contra fidem eſt, ſed etiam contra rationem naturalem, quia euidens eſt Deum eſſe immutabilem. Item euidens eſt, Deum ab æterno ſciuiſſe quicquid in tempore ſcit, ergo ſi nunc ſcit orationem noſtram & propter eam inducitur ad aliquid volendum, etiam ab æterno illã orationem præſciuit, ergo etiam ab æterno voluit, quod in tempore propter illam vult, ergo non poteſt propter orationem mutari Diuinæ prouidentiæ diſpoſitio, nam hæc per Diuinam ſcientiam, & voluntatem ſubſiſtit. (*Impugnatur hic error.*) Nec vero cogitari poteſt, Deum in ipſa æternitate prius ante præſcientiam orationis aliquid decreuiſſe, & deinde præuiſa oratione decretum mutaſſe, & aliud diſpoſuiſſe, quam decreuerat: nam cum in æternitate ipſa non ſit ſucceſsio, repugnat omnino, in illa eſſe talem mutationem. Neque oportet hic tractare loca Scripturæ, in quibus dicitur interdum Deus dolere, aut pœnitentiam agere de eo, quod decreuit, nam conſtat has eſſe metaphoricas locutiones ſignificantes mutationes, quas Deus facit in rebus iuxta exigentiam illarum, ſine mutatione ſui, vt latius in prima parte tractatur.

4\. *Aliorum error exiſtimantium, orationem eſſe inutilem ex varijs capitibus.*

Alij ergo hæretici dixerunt orationem eſſe inutilem, ex varijs tamen principijs. Quidam, quia putabant, omnia ex neceſſitate euenire, & hunc fatalem ordinem etiam ab ipſo Deo mutari non poſſe. Alij vero quamuis non negauerint cauſas contingentes, & liberas, dixerunt tamen, Deum non habere prouidentiam, nec curare has res inferiores. Sed horum errorum fundamenta in prima parte tractantur, & impugnantur, & quatenus ſunt contra rationem naturalem in Metaphyſica ſunt à nobis impugnata. (*An oratio eſſet inutilis, rebus neceſſario euenientibus.*) Hic vero tractari poſſet, An poſito etiam illo fundamento erroneo, recte intulerint. Nam certe quod ad priores attinet, etiamſi omnia ex neceſſitate euenirent, non videtur ſequi orationem fore inutilem? Nam illa neceſsitas oriretur ex ineuitabili ordine cauſarum, inter quas cauſas vna poſſet eſſe oratio, & ita ſolum ſequeretur, ſi effectus eſſet neceſſario euenturus, mediante oratione, etiam hominem neceſſario eſſe oraturum, & Deum ex neceſsitate etiam eſſe conceſſurum, quod petitur. Et ita non ſequitur, orationem fore inutilem, quandoquidem, illa poſitá, poneretur effectus, & ſine illa non poneretur, ſed ad ſummum ſequitur, etiam orationem ipſam ex neceſsitate euenire ac proinde, neque eſſe moralem actum, nec habere alias vtilitates meriti, vel ſatisfactionis, quæ libertatem, & moralitatem ſupponunt.

5\. *D. Tho. vtilitatem orationis auferri dicit, poſita neceſſitate. Caſtro. VVald.*

Nihilominus Diuus Thom. 2. 2. q. 83. art. 2. aperte ait, ex illo errore (quocumque modo aſſeratur) tolli vtilitatem orationis, & loquitur plane de vtilitate impetrationis, ſeu vt effectus poſtulatus eueniat, & hoc ſequuntur communiter interpretes, vno, vel alio excepto, quod etiam tenet Caſtro verbo, *Oratio*, hæreſ. 3. & ſignificat VValdenſis tom. 3. cap. 1. indicans etiam VViclephum ex eodem errore hunc intuliſſe. (*Iudicium auctoris.*) Mihi tamen dicendum videtur, illationem non eſſe ita neceſſariam per locum intrinſecum, vt ſi quis mordicus eam negare velit, euidenti ratione cogi poſſit, aut conuinci. Hoc probat ratio facta, quia poſſet quis dicere, orationem eſſe vnam ex cauſis ſecũdis neceſſariis ad effectum. Conuinci tamen poſſet, hoc voluntarie & ſine fundamento dici, quia iam ſupponitur in illo errore, Deum agere ex neceſsitate naturæ, ergo ſi aliquem effectum neceſſario facturus eſt, non minori neceſſitate volet illum ſine oratione, quam cũ illa. Nam oratio non eſt cauſa per ſe influens in effectum, ſed mouens moraliter Deum, vt ipſe faciat, quæ igitur vis poteſt eſſe in oratione ad inferẽdam Deo talem neceſsitatem, ſi ipſe alias de ſe non eſt determinatus ad volendum ex neceſsitate talem effectũ, quod ſi ita eſt determinatus abſque oratione, ex neceſsitate facit. Tantum ergo hoc modo video poſſe inferri vnum errorem ex alio, & quamuis illatio fortaſſe non ſit omnino neceſſaria, tamen veriſimilimum eſt, qui in priorem errorem lapſi ſunt, in poſteriorem incidiſſe, quia non crediderunt, neceſsitatem in Deo poſſe ab extrinſeco prouenire, ſed tantum ex ſua intrinſeca natura. (*Error ponentium neceſſitatem in cauſis ſecundis ex immutabili prouidentia primæ cauſæ, non tollit vtilitatem orationis.*) Qui vero non poſuerunt, Deum agere neceſſario ſimpliciter, ſed ſolum immutabili prouidentia, & inde intulerunt reſpectu omnium cauſarum ſecundarum, omnia ex neceſsitate euenire, non cogebantur, vtilitatem orationis negare, quia potuiſſet Deus diſponere, vt per talia media res fierent. Et ita fertur ſenſiſſe Lutherus, atque etiam Caluinus, qui non negarunt eſſe orandum Deum, etiamſi libertatem cauſarum ſecundarum per Diuinam prouidentiam tolli putauerint.

6\. *Deo rebus non prouidente, nec earum curam habente, oratio eſſet inutilis.*

Facilior eſt illatio ex alio errore negante prouidentiam. Quanquam dicere etiam poſſet aliquis, quod licet Deus nõ prouideat his inferioribus; nihilominus & videt, quid in eis agatur, etſi velit, poteſt ea impedire, vel immutare. Quibus ſtantibus, poſſet eſſe vtilis oratio, vt Deus, qui alias nõ prouidet, ſaltem oratus prouideat. Sed qui hoc diceret, iam non negaret Diuinam prouidentiam omnino,

ſed

Digitized by Google

ſed ſolùm ex parte, vel malè eam explicaret. Vnde qui negarunt prouidentiam, multò magis negarunt, habere Deum vel cauſalitatem proximam in his inferioribus, vel ſcientiam omnium particularium, quæ hic aguntur: & ita neceſſario ſequitur ex illo errore, orationem eſſe inutilem. Quod autem ad rem præſentem ſpectat, parum refert, quod vnus error bene ſequatur ex alio, necne. Nam ſi iſti hæretici vnum errorem benè intulerunt ex alio, euerſo fundamento, quod in alijs locis fit, alter error euertitur, ſi autem per ſe directè circa vtrumque errarunt, probãdo veritatem Catholicam impugnabuntur ſufficienter quantum ad præſens attinet.

7.

Vnde prouenerit Pelagij error circa orationis vtilitatem.

Ex alio principio fertur Pelagius erraſſe circa vtilitatem orationis, credidit enim homines non indigere auxilio Diuino ad bene operandum, neque ad ſalutem, vel remiſsionem peccatorum conſequendam, vnde inferebat, non oportere orare Deũ ad hæc, vel ſimilia beneficia petẽda, quibus accommodari poteſt illud Eccleſiaſt. 16. *Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui Gigantes, qui deſtructi ſunt, confidentes ſuæ virtuti.* Hunc errorem tribuit Pelagio Auguſtinus libr. hæreſum in 88. & Epiſt. 106. Et aliqui tribuunt Origeni, & diſcipulis eius ex verbis Epiphanij Epiſto. ad Ioannem Hieroſolymitanum, quæ eſt ſexageſima inter Epiſtolas Hieronymi, vbi ſic inquit. *Audent in periculo animæ ſuæ aſſerere quodcunque eis in buccam venerit, & magis iubere Deo, & non ab eo orare vel dicere veritatem.* Sed ibi non dicit Epiphanius, erraſſe Origeniſtas circa doctrinam de oratione, ſed peccaſſe, non vtendo illa ad intelligendam veritatem, ac proprio ſenſu, & iudicio eloquia Dei interpretantes, hoc enim exiſtimo eſſe, quod ait, *Audent iubere Deo, &c.* Difficilior verò hic eſt illatio, quam Pelagius faciebat, vt refertur, tum quia multa bona ſunt petenda à Deo, quæ per ſe propriè nec ad gratiam pertinent, nec pendent ex gratia, vt ſunt temporalia, & corporalia bona, tùm etiam quia Pelagius fatebatur, gratiam prodeſſe ſaltem ad facilius benè operandum, vel vincendas tentationes, ergo ſentiebat gratiam eſſe ſaltem vtilem nobis, ergo non eſt, cur negaret, orationem fore vtilem, ſi poteſt gratiam impetrare. Quare non mihi ſatis conſtat, An Pelagius omninò reijceret orationem tanquam inutilem, vel ſolùm errauerit, eius neceſſitatem negando, de qua re dicemus in capitulo ſeptimo. De Semipelagianis autem conſtat, plus nimium tribuiſſe orationi etiam merè naturali, vt ex Concilio Arauſicano, & ex Epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum, & ex ipſo Auguſtino, libris de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono perſeuer. & alijs locis cõſtat, de quo plura dicemus cap ſequenti.

Eccle. 16.
Aug.
Origeniſtis idem error aſcribitur.
Epiphan.
Non ita eos ſenſiſſe creditur.
Infertur non rectè ex errore Pelagij fore inutilem orationem.
Semipelagiani iuſto plus orationi tribuebãt.

Tandem alij contempſerunt orationem non ex alijs extrinſecis erroribus, ſed quia putabant, Deum non moueri verbis noſtris, aut petitionibus, ſed ſolum intueri opera noſtra, & iuxta illa retributionẽ dare. Hunc ſenſum videntur habere verba VViclephi, quæ refert VValdenſis ſupra, *Deus eſt auctor realis, qui non requirit vocem vel cogitationem, ſed omnino vitam ſuæ iuſtitiæ complacentem.* Vnde triplicem diſtinguebat orationem, mentalem, vocalem, & vitalem, id eſt, quæ in bona vita & bonis operibus conſiſtit, & hanc poſtremam dicebat ſufficere, & alijs prętermiſſis, & hunc errorem ſuſpicatur VValdenſis dicto lib. 1. cap. 13. hauſiſſe VViclephum ex fonte Philoſophorum, qui vt refert Hieronym. in illa verba Matth. 6. *Scit enim Pater cœleſtis, quia his omnibus indigetis,* dixerunt, ſi nouit Deus, antequam oremus, quibus indigeamus fruſtra ſcienti loquimur.

8

Error tollentium orationem, quia putabant Deum non moueri precibus.
VViclep.
VVald.

Dicendum verò eſt, orationem ad Deum: ſi in debita materia, & circumſtantijs fiat: eſſe actum per ſe honeſtum, rationi conſentaneum & homini valde vtilem. Aſſertio eſt de fide tam frequenter expreſſa in Scripturis, vt ſuperuacaneũ ſit, illam probare. Nam in actu exercito, vt ſic dicam, vtrumque teſtamentum plenum eſt frequentia orationum, & omnes Pſalmi altiſſimam orationem continent, & Chriſtus Dominus frequentiſsimè oraſſe legitur, & vitam ſuam non ſolum in cœna, & in horto ſed etiam in Cruce orando conſummaſſe, & de Apoſtolis, & tota Eccleſia fideli ab eius initio idem refertur in Actibus Apoſtolorum. Prẹter exemplum verò habemus & doctrinam, & præceptum Chriſti Matth 6. docuit nos orare, & capit. 7. adiecit conſilium: *Petite, & accipietis,* & capit. 26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem,* & Lucæ 18. *Oportet ſemper orare,* & ſimilia inueniuntur paſsim. In quibus conſiderandum eſt, indefinitè loqui de oratione, poſſeque optimè de vocali intelligi, tamen inde euidenter colligitur, petitionem ſola mente factam etiamſi in ſenſibilem vocem non prodeat, & honeſtam, & vtilem eſſe, tùm quia & vox neceſſaria non eſt, vt Deus orationem percipiat, vt per ſe conſtat, tum etiam quia tota efficacia orationis vocalis ex interiori affectu, & intentione pendet, ideoque ſumma vtilitas, & formalis honeſtas eſt in interiori affectu, & interna locutione ad Deũ. Vnde eſt illud Pſalm. 26 *Tibi dixit cor meum,* & illud Pſam. 38. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit,* & ſtatim, *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam.* & Pſalm. 76. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus, cogitaui dies antiquos, &c.* & alia plura afferemus infr. à libr. ſequen. Propter quę non ſolum eſt de fide certum orationem, vt comprehendit vocalem, ſed etiam orationem in mente conſummatam, eſſe ſanctam, & vtilem. Quin potiùs Ambroſius libr. 6. de Sacramentis capit. 4. vtile docet eſſe interdum ſola mente abſque voce orare, quod etiam alij Patres frequenter docent, vt videbimus infrà tractando de Oratione mentali communiter ſumpta. Patrum etiam teſtimonia afferemus infrà cap. ſequenti. Ratione oſtendetur facilè, reſpondendo ad rationes dubitandi in principio poſitas.

9.

Concluditur orationẽ debite factam eſſe actum per ſe honeſtũ rationi congruum & valde vtilem.
Matt 6. & 7. & 26.
Luc. 18.
Pſalm. 26.
Pſalm. 38.
Pſal. 76.

Ad primam reſpondetur, nõ eſſe inutile, vel impium aliquid à Deo petere, quia nec petimus vt aliquid ex tempore velit, quod ab æterno non voluit, neque vt mutet decretum, quod ab æterno habuit: vtrumque enim procederet ex falſa de Deo exiſtimatione. ſed petimus vt media oratione noſtra id faciat, quod ab æterno decreuit, quia non obſtante illo decreto, ſæpè non faceret ſine oratione noſtra, quia hoc ipsũ ipſe decreuit. Hoc totũ colligitur ex Scripturis, in quibus legimus, Deum multa facere interuentu orationis, & propter illam, vt Ezechiæ oranti adiecit quindecim annos vitæ, Iſaiæ 38. cui dixit Deus: *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.* Similiter Niniuitis orantibus pepercit. Ionæ 3. & 3. Regum 17. *Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuerſa eſt anima pueri intra eum.* Et ideo Chriſtus monebat. *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, &c.* Matth. 7. Quod non diceret, niſi oratio eſſet aliquo modo cauſa, & ratio obtinendi, quod petitur. Vnde Iacobi 5. ipſi orationi aſcribitur effectus, *Multum* (inquit) *valet deprecatio iuſti aſsidua.* Et ibidem. *Oratio fidei ſaluabit infirmum, &c.* Interdum etiam expreſſe dicitur in Scriptura, non eſſe futurum effectum, ſi non interueniat oratio, vt Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio.* Et Iacobi 4. *Non habetis propterea quod non poſtulatis, petitis, & non accipitis eo quod malè petatis.* Igitur, non obſtante æterna diſpoſitione Diuinæ prouidentiæ, poteſt eſſe oratio vna ex cauſis neceſſarijs ad affectum; ſicut non obſtante Diuina præordinatione, ſunt neceſſariæ aliæ cauſæ ſecundæ, vel phyſicæ,

10.

Reſpõdetur obiectionibus initio poſitis.
Iſaia. 38.
Iona. 3.
3. Reg. 17.
Matth. 7.
Iacob. 5.
Matt. 17.
Iacob. 4.

ficæ, vel etiam morales, vt meritoria, vel diſpoſitiua, &c.

11\. Hic verò ſtatim occurrit ſpeculatiua quæſtio, qualis ſit præordinatio Diuina æterna circa effectũ. qui per orationem obtinetur, An ſcilicet, ſit ex præuiſa oratione, vel potiùs oratio habeat originem ex præfinitione effectus, & ſolum ſit ratio executionis eius? Sed hæc quæſtio non eſt hoc loco à nobis tractanda, nam in libro de Prædeſtinatione, & de Auxilijs gratiæ ſatis tractata eſt.

Neceſſitas orationis declaratur, nõ obſtante Diuina præordinatione.

Vnde breuiter dicimus, licet non repugnet, aliquos effectus communes, & inferioris ordinis ante præuiſam orationem ſolùm eſſe antecedenti, & ſimplici affectu intentos, & propter orationem præuiſam efficaciter præordinari: nihilominus in præcipuis gratiæ effectibus ſentiendum eſſe, quod licet per orationes obtineantur, efficaciter præordinati ſint ante præuiſam orationem, & conſequenter quod ipſa oratio neceſſaria ſit ad executionem ex Diuina diſpoſitione poſteriori ſecundum rationem, ſicut Incarnatio prædefinita eſt ante præuiſas orationes Patrũ, & nihilominus, mediantibus illis, eſt executioni mandata. Et eodem modo docent Theologi prædeſtinationem iuuari precibus Sanctorum.

D. Auguſt. Sic etiam intelligo, quod Auguſt. dicit ſerm 1. de ſancto Stephano, quòd *ſi Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* *Proſper.* Atque hæc videtur eſſe clara ſententia Proſperi lib. 2. de vocatione Gentium, capit. vlt. dicentis: *Quamuis quod ſtatuit Deus, nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrij deuotio relaxatur. cum implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum.* *Tob. 6.* Quod confirmat teſtimonijs Angeli Tobiæ 6. qui priùs dixit Tobiæ, & Saræ, *Surgite, & deprecamini Deum, vt detur vobis miſericordia, & ſanitas,* & pro ratione reddit *tibi enim deſtinata eſt ante ſecula, & tu ſanabis eam.*

12\. *Obiectio.* Quæri verò vlterius poteſt, ſi Deus ex ſe, & antè orationem præuiſam, habet propoſitum dandi abſolutum, & efficax, cur poſtulet orationem, etiam vt neceſſariam ad effectum, cum voluntas eius ſufficiens ſit? *Reſponſio.* Reſpondeo, primum id facere Deum ob generalem rationem, qua vult operari per cauſas ſecũdas, quantum commodè poteſt, & in operibus moralibus, ſeu gratiæ vult cooperationem hominis, vbi locum habere poteſt: nam vbi non poteſt ipſe ſolus operatur. *Aug.* Et ideò rectè dixit Auguſtinus de bono perſeuer. cap. 17. *Deum alia danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque in finem perſeuerantiam.* *Proſper.* Et Proſper loco citato ſignificat, Deum hoc ordinaſſe propter commodum noſtrum, nimirum vt non ſolùm ſecundum propoſitum Dei, ſed etiam ſecundum merita noſtra coronemur.

13\. *Obijcitur vlteriùs. Auguſt.* Inſtabis, quia hęc cooperatio & meritum ex parte hominis ſatis exercetur per deſiderium iuſtitiæ, aut beatitudinis, vt alias dicit Auguſtin. Epiſtol. 121. quod autem hoc deſiderium à nobis per orationẽ manifeſtetur Deo ſcienti illud videri ſuperfluum, & non pertinere ad cooperationem creaturæ, neq; ad aliam vtilitatem noſtram. *Reſpõdetur obiectio.* Reſpondetur, pertinere in primis ad gloriam, & cultum Dei, vt homo recognoſcat Deum tanquam auctorem gratiæ, & omnis boni, quod facit quando illi proponit deſiderium ſuum, virtute, & liberalitate illius implendum, & ideo dixit Leo Papa ſerm. 1. de Ieiunio decimi menſis, quod *in orationibus permanet fides recta.* Deinde petendo orationes noſtras Deus nobis occaſionem præbuit accedendi ad illum, & colloquendi cum illo, quę eſt & maxima vtilitas, & ſumma dignitas animarum, vt eleganter dixit Chryſoſtomus libr. 1. de Orando Deum, vnde ſic concludit, *Vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum recondit in animis noſtris.* Et infrà. *Quid maius aut Diuinius obtingere poſſit, quam deprecatio, cum hanc animis ægrotãtibus pharmacum quoddam eſſe liqueat. Verè cœleſtis eſt armatura deprecatio. qua Deo funditur; ſolaque firmam cuſtodiam præbet his, qui ſe Deo tradiderunt.* *Chryſ.*

Atque hinc facilis eſt reſpõſio ad ſecundam rationem dubitandi. 14. *2. Rationi dubitandi ſit ſatis.* Duo enim in oratione conſiderari poſſunt ex parte obiecti eius. Vnum eſt materia, circa quam verſatur. Alterum eſt motiuum, ſeu formalis ratio, ſub qua verſari debet, vt ſit vera oratio. Primũ eſt res, quæ poſtulatur, quæ verè dicitur materia orationis, quæ quidem ſecundum ſe ſpectata indifferens eſſe poteſt: tamen vt ſic, non eſt propriè materia orationis, prout nunc de illa agimus, ſicut in cap. 2. diximus Debet ergo eſſe talis materia, quam à Deo petere, decens ſit, & ideo ex hoc capite non eſt indifferens oratio, ſed per ſe honeſta. Aliunde verò quamuis re vera homo vtatur oratione tanquam medio ad obtinendum, quod deſiderat, & ſub ea ratione videatur oratio habere rationem boni vtilis, tamen quatenus hoc totum reſpectu Religioſæ orationis materiale eſt, & in eo præcipuè intẽditur Diuinus cultus, habet oratio per ſe propriam honeſtatem, vt in ſequenti capit. magis declarabimus.

CAPVT VII.

An oratio ſit proprius, & elicitus actus virtutis Religionis.

DVo in præcedenti capit. de oratione diximus, nimirum eſſe, & honeſtam, & vtilem, nunc explicare aggredimur, quem gradum in vtraque bonitate habeat. 1. *Status controuerſiæ declaratur.* Et in primis de honeſtate dubium videtur, quia multiplex honeſtas in oratione exercetur. *Oratio videtur eſſe actum elicitum fidei.* Prima eſt fidei, vt paulò antea ex Leone dicebamus, nam qui petit à Deo, profitetur, ſe credere, Deum poſſe dare, quod poſtulatur, eſſeque primum auctorem omnis boni, immò etiam credit eſſe veracem, & fidelem in implendo, quod promiſit. *D. Leo.* Sed hoc, quod ad fidem attinet, difficile non eſt, probat enim benè, fidem eſſe fundamentum, & radicem orationis, ſicut generaliter eſt *fundamentum rerum ſperandarum,* vt dicitur ad Hebræos 11. & in vniuerſum totius iuſtitiæ, & virtutum omnium, vt dicitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. capit. 8. *Hebr. 11. Concil. Trident. Tom. 10.* Et ſpecialiter de oratione dixit Paulus ad Roman. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* quia primum aditum ad Deum aperit fides, & conditiones ferè omnes neceſſariæ ad debitum orandi modum in fide radicantur, vt ex inferius dicendis conſtabit. Non tamen hinc ſit honeſtatem orationis confundi cum honeſtate fidei, ſicut nec ſpes, nec Religio quoad alios actus confunduntur cum fide, quamuis in ea fundentur.

Maior difficultas eſt de virtute illa, ad quam pertinet amare, vel deſiderare bonum illud, quod poſtulatur, 2. *Oratio pertinere videtur elicitiuè ad illam virtutem, ex cuius affectu ipſa oratio procedit.* vt verbi gratia, ſi quis petat remiſſionem peccatorum ex affectu charitatis, vel petat veram contritionem ex affectu pœnitentiæ, ſeu deſiderio ſatisfaciendi Deo, prout poteſt, vel petat perſeuerantiam ex affectu, & intentione obtinendi æternam retributionem, quæ pertinet ad ſpem, & ſic de alijs. Nam in ſingulis ex his affectibus videtur oratio pertinere elicitiuè, & propriè ad illam virtutem, ad quam pertinet talis affectus ad rem poſtulatam, erit ergo oratio actus elicitus nunc charitatis, nunc ſpei, nunc pœnitentiæ, vel alterius

ſimilis

Probatur.

ſimilis virtutis. Probatur, quia eiuſdem virtutis eſt intendere finem, & applicare medium vtile, vel neceſſarium ad illum finem, ſed oratio ſemper ſumitur, vt medium ad obtinendum id, quod deſideratur, ergo ſicut deſiderare rem poſtulatam non eſt vnius virtutis, ſed diuerſarum, vt declaratum eſt, ita oratio non eſt actus vnius virtutis, ſed poteſt eſſe diuerſarum, pro diuerſitate deſideriorum iuxta materias, & motiua eorum. Confirmatur, ac declaratur, nam ex eodem motiuo aliquis petit aliquid, ex quo illud deſiderat, vt in petitione inter homines manifeſtum eſt eſtque eadem ratio in petitione ad Deum, quia idem eſt motiuum tendendi ad finem, & ad medium vt ſic, ſed deſiderium, per orationem explicatum, nunc eſt ex motiuo charitatis, nunc pœnitentiæ, &c. ergo etiam oratio proximè eſt ex eodem motiuo cum partitione accommoda, ergo elicitur ab eadem virtute.

Cõfirmatur

3. *Cõcluditur orationem eſſe actum proprium Religionis. D. Thom. Caiet. Medin.*

In hoc puncto communis reſolutio eſt, orationem eſſe actum proprium Religionis. Ita docet D. Thom. 2.2. quæſt. 83. in principio, & in art. 3. & ibi Caiet. & q. 81. art. 4. Vbi dicit orationem eſſe actum elicitum à Religione. Et hoc ſequuntur omnes Theologi in 4. d. 15. & Medina in Codice de oratione quæſt. 2. quanquam ille diſtinctione quadam vtatur, vt ſtatim dicam. Confirmaturque aſſertio ex communi ſenſu, & traditione omnium hominum conſtat, nam omnes exiſtimant, magnam partem Religionis ad Deum in oratione poſitam eſſe: neque fuit vnquam vlla hominum congregatio, Deũ colens, quæ non propriam ſupplicandi Deo rationem haberet. Omnes ergo credunt orationem eſſe Religionis actum. Vt autem rationem huius ſententiæ reddamus, diſtinguenda ſunt duo. Primum eſt affectus orandi. Secundum eſt petitio ipſa prout à nobis intelligitur fieri per locutionem mentalem, aut vocalem. Difficultas ergo eſt circa ipſum affectum orandi, nam cuius virtutis actus elicitus ille fuerit, eiuſdem erit ipſa petitio, quia petitio non elicitur à virtute, niſi mediante affectu, nec petitio intellectus habet rationem moralis actus, niſi quatenus eſt ex voluntate, & affectu orandi, à quo tanquam à forma habet & eſſe morale, & moralem honeſtatem.

Ad probationem præmittitur diſtinctio affectus orandi, & petitionis.

4. *Affectus orandi procedere debet ex motiuo colẽdi Deũ.*

Igitur in affectu orandi conſiderandum eſt, ex quo motiuo fieri debeat, vt rectè, & conuenienter fiat in ordine ad Deum. Sic ergo dicimus, affectum orandi eſſe debere ex motiuo colendi Deum & offerendi illi mentem noſtram, mediante oratione ad colendum ipſum, recognoſcendo, & quaſi proteſtando petitione ipſa noſtram ſubiectionem ad Deum, & noſtram indigentiam, ac dependentiam ab ipſo, & è conuerſo potentiam eius, bonitatem, ac prouidentiam erga nos. Hic ergo affectus ſub hoc motiuo manifeſtè eſt actus elicitus à Religione, cuius proprium munus eſt, cultum Deo reddere, vt ſupra dictum eſt. Quod autem hoc motiuum poſſibile ſit, etiam eſt per ſe euidens, quia petitio ſic oblata Deo, ex intrinſeca ratione ſua eſt nota ſubiectionis orantis ad Deum tanquam ad excellentem. Quod denique huiuſmodi eſſe debeat proprium motiuum orandi Deum, declaratur, quia non oramus Deum, vt vel ei manifeſtemus aliquid, quod anteà non nouerat, neque vt nouam aliquam voluntatem habeat propter noſtram orationem, quã ab æterno non habuerit, ergo quod maximè intendere poſſumus, & debemus, eſt ipſum colere, & venerari. Dices, nihil aliud nos intendere, niſi conſequi, quod poſtulamus. Sed contra, quia vt per orationem intendamus conſequi, quod poſtulamus, oportet, vt in oratione ipſa apprehẽdamus aliquid, ratione cuius exigitur à nobis vt medium ad obtinendum poſtulata: hoc autem nihil aliud eſt, niſi quod oratio ſicut cultus, & ſubiectio ad Deum, & ita per illam diſponimur ad impetrandum à Deo,

Illud motiuum eſſe poſſibile, & tale eſſe debere probatur.

Obiectio. Solutio.

quod cupimus. Atque ita intelligendam exiſtimo differentiam inter humanam, & ſpiritualem orationem, quam Gulielmus Pariſienſis in ſua Rethorica Diuina, capit. 2. tradit & ſequitur Gabriel lect. 31. in Can. quòd humana petitio tendit ad diſponendum, vt ſic dicam, vel immutandum eum, ad quem ſit, petitio autem ad Deum tendit ad diſponendum ipſum petentem, nam cum ſe exhibet cultorem Dei, ſe diſponit ad recipiendum, quod poſtulat.

Diſcrimen orationis humanæ, & ſpiritualis. Guil. Pariſienſis. Gabriel.

5. *Cultus Deo exhibitus in oratione nõ diſtinguitur ab illa.*

Vnde intelligitur, decipi eos, qui putant cultum illũ, quẽ orando Deo exhibemus, eſſe quid diſtinctum à petitione ipſa, & per modum obiecti ad illam comparari, eſſeque æſtimationem de Diuina potentia, & maieſtate, quæ ex oratione ad Deum in ipſo orante, vel in alijs excitatur vel actu, vel quantum eſt ex natura talis actûs. Hoc enim putant neceſſarium, vt oratio non ſit actus virtutis Theologicæ, ſed moralis, quæ non Deum ipſum immediatè, ſed cultum Dei attingit, & intendit. Hoc autem ideo ab aliquibus excogitatum eſt, quia non ſatis diſtinxerunt illa duo, quæ paulò antea diſtinximus, videlicet, affectum orandi, & orationem ipſam, quæ tamen diſtincta eſſe, euidens eſt, præſertim conſtituendo orationem in intellectu. De affectu ergo rectè dicitur oportere, vt pro obiecto habeat cultum Dei, de petitione autem ipſa non rectè id dicitur, nam ipſa petitio eſt cultus, quem affectus ille intendit, & hoc ſatis eſt, vt ille affectus non ſit actus virtutis Theologicæ, vt ſupra de tota virtute Religionis oſtenſum eſt. Deinde æſtimatio illa de Deo, quæ inde reſultare poteſt in alijs extra ipſum operantem in primis per ſe non habet locum in oratione mentali, ſed tantùm in vocali, deinde eſt effectus valdè extrinſecus, qui non pertinet per ſe ad Religionem, ſed potiùs ad charitatem Dei, vel proximi. Aeſtimatio autem de Deo, quæ in ipſo orante conſideratur, potiùs ad orationem ſupponenda eſt: imò ipſa oratio eſt proteſtatio quædam, & nota illius æſtimationis de Deo in conſpectu ipſius Dei, & ideo eſt formalis cultus ipſius Dei.

Dei cultus obiectum eſt affectus orandi.

6. *Obiectio. Pſal. 40.*

Quod ſi quis vlterius conſideret, ex oratione poſſe hanc æſtimationem augeri. præſertim ſi quis petita impetrauit: iuxta illud Pſalm. 40. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et ita poſſe orantem hoc ipſum per orationem ſuam intendere. Reſpondemus primò, poſſe quidem hoc intendi, nõ tamen eſſe hunc proprium & intrinſecum cultum orationis, ſed ille, quem ipſa petitio intrinſecè continet. Vnde licet orans talis conditionis ſit, vt in ipſo non habeat locum illud augmentum, vt eſt Chriſtus in quantum homo, vel ſunt etiam beati: nihilominus eius petitio intrinſecè, & per ſe eſt cultus Dei. Addimus ſecundò, quando quis per orationem illum finem intendit, non eſſe æſtimationem illam obiectum petitionis, quia neque illa poſtulatur, neque intendere extrinſecum effectum pertinet ad intellectum, cuius actus ſupponitur eſſe petitio. Eſt ergo illa Dei gloria, ſeu æſtimatio obiectum alterius actus voluntatis, quo talis Diuina gloria intenditur, mediante petitione, ſed hoc ſatis non eſſet, vt petitio ipſa eſſet actus proprius, & immediatus Religionis, ſeu proprium & intrinſecum obiectum affectus Religioſi, niſi ipſa petitio in ſe, & intrinſecè eſſet cultus Dei.

Reſponſio.

Eidem obiectioni aliter ſatisfit.

7. *Oratio eſt actus immediatè elicitus à Religione quo ad affectum petendi, quo ad petitionẽ verò eſt proximè imperatus. D. Thom.*

Eſt ergo oratio quoad affectum orandi, ſeu petendi actus propriè, & immediatè elicitus à Religione, quoad petitionem verò ipſam eſt actus proximè imperatus, quatenus locutio intellectualis eſt, licet in eſſe morali, & virtutis poſſit etiam dici elicitus loquendo cum multis. Vnde petitio mentalis, licet dicatur actus internus Religionis comparatione externorum actuum, qui ſenſibus obijciuntur, quomodo loquitur de illa D. Tho. q. 82. & 83. in principijs. nihilominus comparatione volun-

tatis, in qua eſt Religio, eſt quaſi actus externus, id eſt alterius potentiæ, loquimur enim de ordinaria petitione, quæ per locutionem intellectus fit. Nam prout in voluntate ipſa conſiderari poteſt, vel non eſt diſtincta ab affectu orandi, vel ſi diſtinguantur tanquam actus directus, & reflexus: vterque erit internus actus voluntatis, quamuis reſpectu virtutis Religionis ipſe affectus orandi ſit immediatior actus, quam petitio.

8. *Reſpõdetur difficultati poſitæ in principio. Medina.*

Ad difficultatem ergo in principio poſitam Medina loco proximè citato indicat eſſe diſtinctione vtendum. *Nam refert, inquit, vnde huiuſmodi oratio procedat, ad cognoſcendum, ad quam virtutem oratio pertineat.* Si enim ſolùm procedat ex amore proximi, vel proprio ad amicitiam, ſeu charitatem pertinet. ſi ex animo recognoſcendi Dei potentiam, & miſericordiam ad latriam pertinet. Non cenſeo tamen, diſtinctionem hanc eſſe abſolutè admittendam, quia aliàs non magis poſſet oratio adſcribi Religioni tanquam proprius, & elicitus actus eius, potius, quam charitati, vel pœnitentiæ, vel alteri ſimili virtuti, quia in oratione motiua omnium harum virtutum inueniri poſſunt. Dico ergo orationem ad Deum conuenienti modo factam ſemper eſſe actum elicitum à Religione, ſeu aptum elici quantum eſt ex ſpecie ſua. Quod ſanè nec Medina negare videtur, nam ſtatim ſubiungit, quod quando ad Deum tanquam ab eo dependentes oramus, ipſum colimus, quia per hoc illius potentiam, & noſtram indigentiam profitemur. At quoties conuenienter ad Deum oramus tanquam ab eo dependentes & illius potentiam, & noſtram indigentiam recognoſcentes oramus, ergo latriam erga ipſum exercemus, ergo eſt ille actus ex proximo affectu ad Religionem pertinente.

9. *Conſecutio rei poſtulatæ per orationem eſt finis extrinſecus Religionis.*

Neque obſtat, quod ad efficiendam huiuſmodi orationem, ex affectu obtinendi rem poſtulatam moueamur, nam tunc conſecutio rei poſtulatæ, quam ſperamus, nos mouet per modum finis extrinſeci, ſeu remoti reſpectu Religionis. Vnde ſolùm fit, talem orationem eſſe imperatam ex virtute charitatis, vel pœnitentiæ, vel etiam ex amore alicuius commodi proprij honeſtè, quod non eſt inconueniens, ſed omninò verũ. ſumiturq; ex Diuo Thoma & Caietano quæſtione 83. articul. 1. ad 2. Et patet, quia ſæpè voluntas ex affectu vnius virtutis applicatur ad vſum alterius in ordine ad aliquem effectum, quem prior virtus appetit. Sic enim ex affectu proprio pœnitentiæ qualis eſt intentio reſarciendi Diuinam iniuriam per peccatum commiſſam, mouetur homo ad eliciendam contritionem, quæ eſt proprius actus charitatis, & ſimiliter è contrario ex affectu charitatis poteſt voluntas moueri ad eliciendum actum pœnitentiæ, non eſt enim inconueniens inter virtutes dare hunc circulum ſecundum actus diuerſos. Ita ergo quoties homo appetit aliquod bonum per quamcumque virtutem voluntatis, & per fidem, vel prudentiam iudicat oportere, à Deo petere auxilium ad illud bonum obtinendum, tunc ex illo affectu applicatur Religio ad illud officium exequendum. Et ita ſe habet Religio tanquam interuentrix, & mediatrix inter alias virtutes & Deum vt petitiones, ſeu deſideria omnium præſentet.

Religio eſt mediatrix inter cæteras Virtutes & Deũ ad petitiones illarum ipſi præſentãdas.

10. Vbi (vt hoc magis conſtet) conſiderandum eſt, quod quando vna virtus indiget ope alterius, non ſolùm quoad materialem actum illius (vt ſic dicam) ſed etiam quoad formalem honeſtatem eius, tunc virtus mouens non poteſt eſſe eliciens, ſed tãtum imperans, quia tunc ad talem actum eliciendum neceſſe eſt. vt fiat ex motiuo proprio virtutis motæ, cuius auxilium (vt ſic dicam) ab altera imploratur. Quod apertè explicatur in exemplo dato de virtute pœnitentiæ quæ intendit expellere peccatum, ſed non poteſt ſine adiutorio charitatis, quia licèt etiam ipſa poſſit aliquem dolorem de peccato elicere, ille per ſe non ſatis eſt, ſed oportet fieri ſummo quodammodo dolore, qui fieri non poteſt. niſi ex proprio motiuo charitatis, & ideo neceſſe eſt, vt ex tali intentione pœnitentiæ, ſi efficax eſt, applicetur voluntas ad eliciendam contritionem propriam charitatis. Ad hunc ergo modum dicimus in præſenti, ad impetrandum à Deo efficaciter quod petimus, neceſſarium eſſe petere, nõ quocumque modo, ſed exhibendo Deo cultum, & honorem per ipſam petitionem, quia vt ſuprà oſtenſum eſt, in petitione noſtra reſpectu Dei nihil aliud conſiderari poteſt, ob quod ſit apta ex parte noſtra ad impetrandum à Deo, qui iam cognoſcebat deſiderium noſtrum prius, quam per orationem illud proponeremus. Ergo indigent aliæ virtutes auxilio petitionis, non materiali quodammodo, vt ſic dicam, ſed formali quatenus cultus Dei eſt, & ideo non eliciunt petitionem, ſed Religionem mouent, vt illam eliciat.

Media cultus exhibitione rem deſideratam à Deo accipimus.

11. *Ratio difficultatis initio poſita, & eius confirmatio exponuntur.*

Cum ergo in propoſita difficultate dicitur, eiuſdem virtutis eſſe intendere finem, & applicare media, diſtinguendum eſt illud verbum *applicare*, nam ſi intelligatur, eliciendo actum, qui aſſumitur vt medium, non eſt in vniuerſum verum, ſed ſolùm quando ille actus non habet ex intrinſeco motiuo propriam honeſtatẽ ad aliam virtutẽ pertinentem, vt declaratum eſt. Si autem intelligatur ſaltem imperando, ſic verum eſt, & nihil ex eo infertur contra dicta. Cum verò in confirmatione iterum ſumitur, ex eodem motiuo aliquid peti, ex quo deſideratur: reſpondetur id eſſe verum de motiuo per modum finis extrinſeci, non autem de motiuo intrinſeco, & obiectiuo. Sic itaque quando mouemur ad orandum ex affectu ſalutis, fatemur, ſalutem eſſe motiuum orandi, ſed remotũ, & per modum finis, nam proximè intendimus per petitionẽ ipſam Diuinum cultum, & honorem. Quod etiam ſuo modo in petitione, ſeu interceſſione humana contingere poteſt, quamuis non ſit tam intrinſecè neceſſarium, tum quia vnus homo non ita videt cor petentis, ſicut Deus, tum etiam quia petitio ad hominem poteſt habere alias rationes impetrandi præter cultum, & honorem eius, qui rogatur.

12. *Obiectio.*

Dices. Ergò quoties homo orat ad Deum abſque formali intentione cultus, nec exercet actum Religionis, nec conuenienter orat, ita vt exaudiri mereatur. Conſequens eſt valdè durum, & incredibile, quia illa petitio etiamſi fiat abſque intentione cultus, non eſt mala, quia eſſe poteſt ex fine bono, & in ſe non habet intrinſecam deformitatem, ergo eſt actus bonus, ergo pertinet ad aliquã virtutem: ergo poterit petitio ad Deum ſeu oratio elici ab alia virtute præter Religionem. Reſponderi ſolet, negando primam illationem, quia ſi homo orat ad Deum, eo ipſo habet voluntatem orandi, & petendi à Deo rem decentem, vt ſupponimus, & hoc ſatis eſt, vt ille actus ſit Religionis, etiamſi talis perſona nihil actu cogitet tunc de cultu Dei in actu ſignato, & formali, vt ſic dicam, quia ſatis eſt, quod in actu exercito velit verum cultum, de quo cogitat, prudenter iudicando Deum eſſe orandum. Sed hæc reſponſio, maiori indiget explicatione, nam vt interior actus voluntatis ſubſtantialiter conſtituatur in ſpecie alicuius virtutis, neceſſe eſt, vt formaliter tendat in obiectum illius virtutis, quatenus talem honeſtatem habet, vt ex 1. 2. ſuppono. Et ratio eſt, quia aliàs, ille actus non eſt voluntarius, vt rectus & honeſtus, ſed ſolùm materialiter, quod ad virtutem non ſufficit, quia voluntas illius obiecti materialis poteſt eſſe mala. In præſenti ergo, vt affectus orandi, ſeu voluntas, à qua procedit oratio, intrinſecè, ac ſubſtantialiter ſit actus virtutis Religionis, neceſſe eſt, vt formaliter ſit ex motiuo Diuini cultus,

Reſpõdetur.

Data reſpõſio inſufficiens iudicatur.

Digitized by Google

cultus, aliàs non poteſt ex illo motiuo ſpeciem ſumere. At verò ſi is, qui petit nihil cogitat de cultu, non poteſt formaliter velle petitionem ſub ratione cultus, ergo non poteſt actum Religionis elicere.

13. Duo ergo mihi dicenda occurrunt. Vnum eſt, vix fieri poſſe, vt aliquis ex vera fide Deum oret, & non ſufficienter cogitet de cultu Dei, quem orando intendat. Quia non eſt neceſſe, vt cogitet de honore, vel cultu ſub his conceptibus generalibus, imò neque quod diſtinctè ſciat, petitionem eſſe cultum, aut notam, vel ſignum honoris, vel aliquid ſimile, nam ſimplices, licèt hæc ignorent, optimè orant. Satis ergo eſt, vt, qui orat, cognoſcat ſe indigere ope Dei, & quod orando velit ſe Deo ſummittere tanquam ſuperiori, & petenti, quod ſine dubio facit, quiſquis ex vera fide orat, etiamſi ex magno affectu ad rem poſtulatam, vel ex ingenti timore mali contrarij oret: imò quantò hic affectus magis mouet, tantò ſolent homines etiam ſimplices maiori ſummiſsione, & reuerentia ſummitti Deo ad orandum. Hæc ergo apprehenſio ex parte intellectus, & affectio ex parte voluntatis ſufficit, vt illa oratio ſit verus actus Religionis.

Aliter obiectio diſſoluitur, duplici notatione præmiſſa.

Quid ſufficiat ad orationem vt actum Religionis ſit.

14. Dico verò vlterius, quod ſi contingat, aliquem ex nimio affectu ad ſuum commodum, vel alio ſimili, nullo modo cogitare, dum petit, de ſummiſſione, & reuerentia erga Deum, nec de re cognoſcenda potentia eius, vel dependentia ab ipſo, aut aliquid æquiualens, ſed ſolum de obtinendo bono, quod cupit, vel fugiendo malo, quod timet petitionem eius materialiter quidem eſſe cultum Dei, tamen vt eſt ab ipſo, non eſſe verum actum Religionis, quia non procedit ex affectu, qui ſit actus à Religione elicitus. Hoc probat ratio facta, poteſtque facilè ſuaderi exemplis aliarum virtutum moraliũ, quotieſcumque enim exterior actus vel obſeruantiæ, vel miſericordiæ, vel ſimilis ſit ſine interiori intentione, & motiuo talis virtutis non eſt actus eius niſi materialiter tantùm. Cum autem quæritur, An illa oratio tunc ſit bona, vel mala, reſpondeò. Aut ille, qui ſic orat, per ſolam naturalem inaduertentiam non intendit diuinum cultum, vel per voluntariam, & culpabilem negligentiam. Quando hoc poſteriori modo ſit, actus eſt malus: quia voluntariè ſit ſine debito modo, & circumſtantia. Quando verò ſit priori modo actus excuſatur à malitia ex illo capite, quia quoad illam circũſtantiam non eſt actus humanus, nec deliberatus, quatenus verò ſecundum ſuam ſubſtantiam ex aliquo actu libero procedit, & propter aliquem finem ſit, erit bonus, vel malus iuxta conditionem actus, & finis à quibus procedit.

An oratio ex ſolo affectu ad propriam vtilitatem ſit actus Religionis.

An talis oratio bona dicenda ſit, aut mala?

CAPVT VIII.

Vtrum oratio ſit actus ſupernaturalis, pertinensq́, ad virtutem per ſe infuſam.

1. RAtio dubitandi eſt, quia vel in ratione conſideratur locutio illa, quæ in intellectu ſit, vel affectus orandi, qui eſt in voluntate, neuter autem ex his actibus videtur in ſe ſupernaturalis, nec pertinens ad virtutem per ſe infuſam, ergo. De actu intellectus patet, tum quia illa locutio ſolùm ſit per conceptus ipſarum vocum, vt ſuprà declaratum eſt: illi autem ſunt conceptus acquiſiti merè naturales, tum etiam quia ſi actus ille, vt intellectualis eſt, eſſet in ſuo eſſe ſupernaturalis, deberet in intellectu habere aliquam virtutem, vel habitum per ſe infuſum ad eleuandum intellectum ad exercendum talem actum: nulla autem talis virtus in intellectu excogitari poteſt. De actu autem voluntatis probatur, quia non eſt magis ſupernaturalis, quàm ſit actus intellectus, ad quem mouet, ſi ergo hic actus intellectus ſupernaturalis non eſt, nec voluntatis erit.

Ratio dubitandi.

In hoc puncto ſtatuendum in primis eſt, ad orandum, ſicut oportet, eſſe neceſſarium ſupernaturale auxilium gratiæ. Videri poteſt, aſſertionem hanc non eſſe ſub his terminis definitam, quia Cõcilium Tridentinum ſolum definiuit ſimilem ſententiam de actibus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ. Nihilominus cenſeo eſſe de fide, & in Scriptura, & definitionibus Conciliorum ſatis expreſſe contineri. Nemo enim negare poteſt quin orare, ſicut oportet, ſit res magni momenti, imò capit. ſequenti oſtendemus eſſe neceſſariam ad ſalutem, at Chriſtus dixit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ioan. 15. ergo ibi maximè orationem comprehendit. Præterea Paulus ad Romanos 8. expreſſè dixit. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram, nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt poſtulare nos docet & facit. *Qui autem ſcrutatur corda*, id eſt Deus, ad quem oramus, *ſcit*, id eſt, approbat, vt Diuus Thomas exponit, *quid deſideret ſpiritus*, id eſt, quod deſiderare nos facit, *quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis*, id eſt, quia facit ſanctos, ſeu fideles poſtulare iuxta Diuinum beneplacitum, quod eſt orare, ſicut oportet, ergo ad ſic orandum neceſſaria eſt Spiritus ſancti gratia. Præterea illa generalis ſententia Pauli, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis* 2. ad Corinth. 3. maximè comprehendit piam orationem, vt per ſe notum eſt. Demum Concilium Arauſica. 2. dãnat dicentes, *Miſericordiã non conferri petentibus, quærẽtibus, pulſantibus, &* definit *per infuſionem Spiritus ſancti in nobis fieri, vt hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus.* Vbi tacite exponit verba Chriſti Domini dicentis. *Petite. & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Lucæ 10. ita eſſe intelligenda, vt non ſolùm gratia Dei ſit petita donare, ſed etiam auxilium ad petendum dare. Quæ etiam eſt doctrina Auguſtini in omnibus libris contra Pelagium, cuius loca referre hic neceſſarium non eſt. Solùm annotabo elegantem locum in ſermon. 171. de tempore, vbi explicando parabolam Chriſti Domini Lucæ 11. de illo, ad quem venit hoſpes noctu, & cum non haberet, quid apponeret ante illum, ibit ad amicum, &c. Declarat, hoſpitem illum eſſe Diuinam gratiam, quæ occaſione inuenta, etiam hominem in tenebris ambulantem ad orandum excitat. *Quis eſt* (inquit) *iſte hoſpes, qui in nocte venit, & hoſpitem imparatum inuenit, imò ideo nocte venit hoſpes in perpetua, & deficiente paupertate, in nocte venit hoſpes, gratia in ſumma ignorantia, in magna egentia, immittit triſtitiam, quando dicit nocturnus petitor, in tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me.* Et infrà, *ideo hoſpes ſuperuenit improuiſus ſubito, cum quiſpiam tædio afficitur preſſuratum. Superuenit illi orando deſiderium flendi arripiens votum, illa hora hoſpes venit gratia, vt compungat conſcientiam, ne in ſua moriatur egentia, ſed eat, & petat ad diuitem, &c.* Et concludit rem totam notanda ſententia. *Quicquid boni cogitauerit homo ſubito corde percuſſus, ſciat quia hoſpes illi venit de cœlo.* Quo ſignificat orationis initium, vt bona ſit, & vtilis, ab Spiritu ſancto ſemper eſſe, & illum eſſe hoſpitem, qui ad hominem venit, quoties deſiderio, vel cogitatione orandi pulſatur, ille enim hoſpes eſt, qui dicit Apocalyp. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, &c.* His conſonat Chryſoſtomus homil. 38. in Geneſ. dicens, quòd *Gratia preces noſtras ſemper præuenit.* Vnde libr. 2. de Orando Deum *illud*, inquit, *auſculta ſupra vires hominis eſt miſcere cum Deo colloquium, niſi adſit vis, & actus Sancti Spiritus, ſed oportet illo*

2. 1. Concluſio.

Conci. Trid.

Ioan. 15.

Rom. 8.

1 Corin. 3.

Concil. Arauſ. 2.

Luc. 10.

Auguſt.

Digitized by Google

bus locutio fit, quia voces immediatè exprimunt conceptum mentis, vt Ariſt. docet, ideo voluntas illa rectè dicitur eſſe de actu rationis, quamuis non merè interno, ſed prodeunte in externum. In hoc ergo ſenſu ſatis conſtat, petitionem vnius hominis ad alium eſſe actum rationis, quia eſt manifeſtatio talis deſiderij per locutionem rationis. *Ariſtot.*

11. *Concluditur orationem eſſe actum rationis.* Ex his ergo ad orationem cũ Deo aſcendendo, ſi ſermo eſſet de oratione vocali eadem proportione facile conſtaret eſſe actum rationis, & in quo conſiſtat. Vlterius autem animaduertere, & experiri vnuſquiſq; poteſt, quãuis nihil ore exprimatur, poſſe interius mentaliter fieri eandẽ locutionem, & petitionẽ à Deo, quæ voce vel ſcripto exprimitur, quia exterior prolatio vocis eſt quid poſterius, & effectus locutionis interioris: Vnde poteſt illud prius eſſe ſine poſteriori, & cauſa de ſe ſufficiẽs ſine actuali effectione, quia ille effectus exterius loquẽdi non eſt merè naturalis, ſed liber. Tale eſt illud 1. Reg. 1. *Porro Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* *1. Reg. 1.* Quamquam enim illa oratio non fuerit pure mentalis, ſed exterior, licet ſummiſſa voce, tamen inde optime colligitur, eandem orationem ſola locutione cordis fieri potuiſſe, ſine vlla voce oris: nam ſicut eſt liberum interius loquenti, remiſſius, vel altius exterius loqui, ita etiam penitus nõ loqui exterius, maxime cum talis locutio reſpectu Dei ad intrinſecum finem orationis neceſſaria non ſit. Nam vt rectè dixit Amb. lib. 6. de Sacram. c. 4. *Orationem tuam ante ille audit, quam tuo ore fundatur.* *D. Amb.* Et de hoc orãdi modo videtur Dauid dixiſſe Pſal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea.* *Pſal. 26.*

13. *Mentalis oratio per cõceptus medios, quomodo fiat.* Si quis autem rectè conſideret: hæc locutio interior, quã nos experimur, non aliter fit, nec humano modo aliter fieri poſſe videtur, quam per conceptus mentales ipſarum vocum, quos Dialectici nõ vltimatos vocant, nemo enim aliter loquitur interius, quam exprimendo mentalia verba in eo idiomate, quod nouit, vt vnuſquiſque in ſe experietur. Ratio autem eſt, quia hæc locutio non eſt cognitio, nec iudicium mentis de aliqua re, ſed expreſſio rei iam conceptæ, quæ conſiſtit in ſigno aliquo quo talis res, vel conceptus eius exprimitur. Illud autem ſignum non eſt naturale, aut moraliter repræſentans, alioqui eſſet noua cognitio, nam ille modus actualiter repræſentandi in mente non eſt niſi per cognitionem, eſt ergo ſignum repræſentans ad placitum media impoſitione illius vocis. Fit ergo talis locutio per conceptus ipſarum vocum, imo eſt eadem cum illa locutione interiori, à qua proximè procedit exterior, quando fit, ſed tunc dicitur fieri mentaliter, quando in ſignum ſenſibile non prodit. Loquendo ergo de hoc modo petitionis, & orationis mentalis ad Deum, facile intelligimus eſſe actũ intellectus, eſſeque proximum obiectum voluntatis petendi, & orandi, ac denique eſſe omnino diſtinctam à deſiderio: nam eſt quædam repræſentatio, & inſinuatio deſiderij, quam homo ad Deum facit, effundens in conſpectu Domini animã ſuam, vt Scriptura loquitur, quod non eſt inutile, neque vanum, vt in ſequentibus declarabimus tractando de oratione vocali.

CAPVT IV.

Poſſitne homo in hac vita mente petere ſine conceptibus vocum, & quomodo?

1. *In quibus præſens difficultas locũ habeant.* AD huc vero ſupereſt explicandum (quod nihil difficilius eſt) An ſecluſa dicta locutione intellectuali per conceptus ſenſibilium verborũ ſignificãtium ad placitum, poſſit homo in hac vita interius orare, & petere aliquid à Deo, & ſi poteſt, quis nam ille actus in intellectu, vel in voluntate ſit? Quæ difficultas habet etiam locum in Angelis petentibus aliquid à Deo, atque etiam in beatis hominibus, nec non in vno Angelo petente aliquid ab alio, & in anima ſeparata rogante Angelum: Suppono enim, non vti conceptibus verborum ſenſibilium, quæ in nudis ſpiritibus accidentaria, & extranea ſunt. Tota vero hæc difficultas eſt ſimilis illi, quæ tractari ſolet de locutione ſpirituum inter ſe, ſemper enim vt verum ſupponimus, hunc proprium actum orationis, qui eſt petitio, non poſſe eſſe, niſi locutionem, nam aliquid addit deſiderio, nihil autem aliud addere poteſt præter locutionem, vt videtur ſatis probatum, quid autem ſit hæc locutio pure ſpiritualis ad Deum, difficile explicatur. *Alenſ.* In quo Alenſ. 4. p. q. 26. ar. §. 2. q. 2. reſpondet, ſpiritus loqui Deo, formando in ſe verbum mentis, quo ſuum deſiderium exprimunt. Sed hoc non ſatisfacit, quia hoc verbum nihil aliud eſt niſi cogitatio, vel cognitio, quam ſpiritus habet ſui deſiderij, vt ipſemet Alenſ. fatetur, per hanc autem cognitionem vt ſic loquitur ſpiritus ſibi non Deo, niſi hoc verbum ſuum ad Deum ordinet: hoc ergo eſt, quod inquirimus, quid addat hæc ordinatio ſupra ipſum verbum mentis, & nihil in intellectu reperimus, nam ordinatio illa ad alium per voluntatem plane fieri videtur.

Dico ergo Orationem pure mentalem hominis ad Deum, ſi non fiat mediis conceptibus vocum, non poſſe tribui intellectui, ſed voluntati. 2. *Oratio pure mentalis, ſi fiat ſine conceptibus vocum, voluntati debet attribui.* Probatur, quia in hoc modo loquendi ad Deum imitatur homo modo loquendi Angelorum ad Deum, ſed locutio Angelorum ad Deum, non eſt aliquid in intellectu, ſed ſolum in voluntate, ergo etiam oratio pure ſpiritualis hominis ad Deum voluntati tribuẽda eſt non intellectui. Minorem videtur expreſſe affirmare D. Tho. 1. p. q. 107. ar. 3. *D. Tho.* vbi explicãs, quomodo Angeli loquantur ad Deum: ait. *Solum loqui ordinando per voluntatem conceptionem ſuam ad Deum, non vt illi aliquid communicent, ſed vt ab eo aliquid accipiant.* Tota ergo locutio Angeli ad Deum conſiſtit in hac ordinatione ſub tali intentione: conſtat autem & intentionem eſſe actum voluntatis, & ordinationem illam per actum voluntatis fieri: ergo.

Secundo videtur hæc ſententia D. Greg. lib. 2. 3.
Moral c. 4. alias 5. Ibi enim ait, locutionem Angeli ad Deum per modum laudis eſſe *admirationem*, quam ſtatim dicit eſſe *motum cordis*, quem conſtat eſſe actum appetitus, ſeu volũtatis. *D. Greg.* Verba eius ſunt: *Excitatus cum reuerentia motus cordis magnus eſt ad aures incircumſcripti ſpiritus clamor vocis*: Et infra, clamorem ſanctarum animarum ad Deum pro petitione vindictæ dicit nihil eſſe aliud, quam deſiderium reſurrectionis, & iudicij. *Nam animarum* (inquit) *verba, ipſa ſunt deſideria.*

Tertio declaratur ratione, quia in locutione duo 4. *Ratione probatur aſſertio.*
poſſumus conſiderare. Vnum eſt id, quod in ipſo loquente fit, vt alteri loquatur, vt nos formamus in nobis conceptus ad loquendum alteri. Alterum eſt, quod à loquente egreditur per modum ſigni, quo alteri ſignificat, quod loqui vult, vt in nobis ſunt verba, quæ per organa corporis in aere formantur, & vſque ad audientem perueniunt, mediis ſpeciebus. Vnde in nobis locutio quoad illud prius actus immanens eſt, quoad vero poſterius eſt actio tranſiens. Inter Angelos autem vel non interuenit actio tranſiens extra loquentem, vt multi volunt, vel quicquid ſit de ſpiritibus creatis inter ſe loquentibus, ſaltem reſpectu Dei non eſt hoc neceſſarium, quia neque in ipſo aliquid fieri poteſt per locutionem creaturæ, vt per ſe notum eſt, nec Deus indiget ſignis intermediis: tum quia cognitio per illa eſt imperfecta: tum etiam quia locutio ad Deum non fit propter manifeſtationem, vel communicationem, ſed propter aliquam vtilitatem loquentis, vt rectè D. Tho. dixit d. q. 83. ar. 3. In quo multum differt locutio Dei ad creaturam, vel creaturæ ad Deum. *D. Thom. Quo differat locutio.* Nam locutio Dei eſt actus tranſiens, & recipitur

Digitized by Google

Dei ad creaturam in locutione creatura ad Deũ *D. Greg.*

cipitur in ipſa creatura, cui Deus loquitur, & inde motio aliqua in illa ſit ſpeciali actione Dei, vt expreſſe docet Greg. ſuprà: nec poteſt aliter intelligi, locutio autem creaturæ ad Deum neceſſario debet manere in ipſo loquente, in Deo enim eſſe non poteſt, nec in alia re, nã quodlibet tertium, ſeu intermedium eſt impertinens. At vero actus immanens in perſona loquente, qui ſit locutio merè ſpiritualis, non poteſt eſſe niſi actus voluntatis, cum non ſit conceptus vocum ſenſibilium, vt iam dictum eſt, ergo.

5\. *Inter ſpirit⁹ duplex locutio eſſe poteſt, altera narratiua, ſeu aſſertiua: altera verò motiua ſeu impulſiua. Prior locutio præſenti non ſeruit inſtituto.* Quod vt amplius declarem, aduerto: inter ipſos ſpiritus eſſe poſſe duplicem locutionem, vnam voco aſſertiuã, ſeu narratiuam, qua refertur, hoc factum eſſe vel futurum eſſe: aliam voco motiuam, ſeu impulſiuam per imperium, vel petitionem. De priori non eſt nunc ſermo, probabile verò eſt, inter Angelos non fieri, niſi quatenus loquens manifeſtat loquenti conceptum, quem in ſe habet illius rei, quam refert ita eſſe, vel non eſſe. Et tunc ille cõceptus ſic manifeſtatus poteſt dici locutio rei ſic conceptæ, quamuis re vera potius manifeſtatio, ſeu ordinatio talis conceptus ad alium ſit locutio, quæ ordinatio voluntatis eſt vt dixi. Quantum ad id, quod ponit in ipſo loquente, quidquid ſit, an aliquid efficiat in audiente inter ſpiritus creatos: quod *Poſterior locutio ad voluntatem ſpectat.* reſpectu Dei locum non habet. At verò poſterior locutio per petitionem, & maxime ad Deum, tota eſt voluntatis. Quia & ordinatio per voluntatem ſit, & id quod per eam immediatè ordinatur ſeu manifeſtatur, eſt actus voluntatis. Quia is, qui à Deo poſtulat, immediatè indicat, vel proponit per talem locutionem deſiderium ſuum. Quamuis enim petat rem deſideratam, non tamen directe, & immediatè de illa loquitur, ſed quatenus per eam complendum eſt deſiderium, cuius illa eſt obiectum.

6\. *Quomodo hæc locutio in voluntate conſummetur, declaratur.* Ad manifeſtandum autem hoc deſiderium non videtur intelligibile, quis actus intellectus adiungi, vel ſuperaddi poſſit præter voluntatẽ quaſi reflexiuã, perquã aliquis ordinat ſuum deſiderium ad alium, vt alter illud vidẽs illud etiã compleat, præbens id, quod deſideratur. Nam in loquente non ſolum deſiderium ſupponit, ſed etiam cognitio deſiderij obtinendi à Deo aliquid, qui enim deſiderat, cognoſcit ſe deſiderare. Per hanc autem cognitionem non loquitur quis Deo, ſed ſibi, nam vt re- *D. Thom.* cte dixit D. Thom. 1. p. q. 106. art. 1. quando aliquis actu conſiderat aliquid, loquitur ſibi, ideo enim talis conceptus actualis verbum mentis dicitur, quãdiu autem in eo conceptu ſiſtitur, & non ordinatur ad alterum nondum eſt locutio ad alium, ergo qui deſiderat aliquid obtinere à Deo, quamuis hoc deſiderium cognoſcat per hũc actum intellectus, nõdum loquitur Deo, ſed ſibi, nondum ergo orat. Quando autem vlterius vult, hoc ſuum deſideriũ coniunctum cum recognitione ſuæ indigentiæ, & dependentiæ à Deo, in Diuino conſpectu repræſentare, vt inde moueatur Deus ad præbẽdum id quod ipſe deſiderat, iam ordinat ſuum deſideriũ, ſuumque conceptum ad Deum, ergo per hanc voluntatem loquitur illi inſinuando, & manifeſtando ſuũ deſiderium: prout poteſt ergo in hac voluntate cõſummatur propriè, ac formaliter hæc ſpiritualis locutio & petitio.

7\. *Eadem res amplius explicatur.* Maximè, quia poſt hanc voluntatem nullus alius actus in intellectu fingi poteſt, qui habeat rationem locutionis, vel petitionis: nam poſt illam voluntatem ſolum poteſt ſequi in intellectu ſic orantis cognitio quaſi reflexa, qua cognoſcit ſe id velle. At verò hæc cognitio non ſpectat formaliter ad locutionem cum Deo, tum quia neque ordinatur ad Deum, neque ipſa ordinat aliquid in Deum, ſed eſt locutio hominis ſecum, quatenus format nouum quendam conceptum actus ſui. Tum etiam quia talis cognitio ſupponit factam Deo manifeſtationem, vel inſinuationem proprij actus, quantum ab homine fieri poteſt, ergo ſupponit locutionem iam factam. Sicut quando vnus homo loquitur alteri, etiamſi cognoſcat ſe loqui, illa cognitio non ſpectat per ſe ad locutionem, ſed per accidẽs ſe habet, quia iam ſupponit illam vt obiectum: neque erit minùs perfecta locutio, etiamſi non fiat illa cognitio quaſi reflexiua ſupra ipſammet locutionem. Idemq; forte eſt etiam reſpectu Dei; nam ratio, & petitio mentalis optimè conſiſtere poteſt, etiamſi homo nõ aduertat ſe petere, imò tunc fortaſſe erit attentior petitio, quando homo ita eſt intentus circa voluntatem effundendi animam ſuam in conſpectu Dei, vt non valeat actualem, & formalem reflexionem facere ad cognoſcendum id, quod agit. Nullus ergo ſupereſt actus intellectus, in quo talis locutio, ſeu petitio à Deo conſtitui poſſit.

Atque hic ſanè diſcurſus mihi partem hanc vehementer probabilem reddit, & quod ad rem quidem ſpectat, fateor in hoc negotio non interuenire alios actus voluntatis, vel intellectus præter explicatos, & in illa voluntate præſentandi Deo deſiderium cum quadam recognitione, & ſubiectione ad ipſum, conſummari hunc modum orationis. An verò ſola hæc voluntas vltima, vel etiam recognitio, quam explicuimus ex parte intellectus dicenda ſit ipſa locutio, vel petitio, videtur quæſtio parui momenti, ſi tamen in rigore loquamur, videtur cõſiſtere in illa voluntate. Cum autem communiter dicitur, orationem eſſe actum intellectus etiã quoad petitionem, interpretari poſſumus id intelligendum eſſe de oratione, prout in hac vita regulariter ab homine ſit. Veriſimile enim eſt, hominem in hac vita rarò, aut nunquã petere etiã interiùs niſi vtẽdo ſignis mẽtalibus, & intellectualibus quæ ſignis vocalibus correſpondent, & ſunt cõceptus eorũ. Nihilominus tamẽ nec impoſſibile, nec miraculoſum, nec valde extra ordinariũ cenſeo, vt aliquis in hac vita ita Diuina gratia ſubleuetur, vt mentaliter petendo ab hoc etiam genere ſignorum ſenſibilium mente conceptorum actualiter abſtrahat. Quia illi conceptus vocum nec propter Deũ neceſſarij ſunt, vt per ſe conſtat, nec propter hominem, nam poteſt de rebus tantum cogitare & de Deo, & dependentiã ſui, & rerum, quas deſiderat, à Deo cognoſcere, & per volũtatem ſuam totam illam ſuam diſpoſitionem, & deſiderium Deo præſentare. Poteſt ergo totum hoc fieri non vtendo interius conceptibus vocum, qui autem id facit, profecto iam orat: tunc autẽ non petit niſi illa voluntate, qua ſuum deſiderium Deo præſentat, vt ab ipſo impleatur. 8 *Quæſtionis initio poſitæ reſolutio.*

CAPVT V.

Nonnullis difficultatibus occurritur.

VT hæc reſolutio partim confirmetur amplius, partim explicetur, & amplietur, nonnullas occurrentes difficultates proponam. Prima eſt, quia Diuina laus eſt actus orationi ſimilis, & quædam orationis pars latè ſumptæ: at illa fieri poteſt pura mente, non ſolum per conceptus mentales verborum ſenſibilium, ſed etiam per actus mere ſpirituales, ſicut de oratione diximus. Sic enim etiam Angeli laudant Deum, & ſimiliter Beati, qui non indigent noſtris ſignis ad placitum etiam mente conceptis & nihilominus laus Dei in Angelo V. G. eſt actus intellectus, & non voluntatis, vt videtur per ſe notum: quia laudare rem, nõ eſt affici, ſed ſupponit affectum, & rei æſtimationem, ſi vera laus ſit, ergo idem dicendum eſt de oratione. 1 *1. Difficultas ex Diuina laude ſumpta.*

Secundò fieri poteſt ſimilis obiectio de gratiarum actione, quæ etiam eſt quædam pars orationis iuxta Paulum 1. ad Timoth. 2. & poteſt ſola mente 2 *2. Difficultas de gratiarũ actiõe. D. Paul.*

& abſ-

& abſque ſignis ſenſibilibus, vel cõceptibus eorum fieri, ſicut fit ab Angelis, & aliis Beatis. Vt autem ab eis fit, non eſt actus voluntatis, ſed intellectus, quia de beneficiis acceptis mẽte gratias agere nihil aliud eſſe videtur, quam ea vt accepta recognoſcere, ergo idem dicendum eſt de actu petitionis.

3. *3. Difficultas de obſecratione.* Tertiò naſcitur alia difficultas ex alia parte orationis, quæ dicitur *obſecratio*, ad quam iuxta probabilem expoſitionem ſpectat, rationes, & titulos Deo proponere, propter quos concedat, quod petitur, quod manifeſtè eſt opus rationis, ergo eiuſdem opus eſt ipſa petitio: quia eiuſdem facultatis eſſe videtur aliquid petere, & rationes petendi, & obtinendi allegare.

4. *4. Difficultas de mẽtali cõfeſſione.* Quartò eſt ſimilis difficultas de mentali confeſſione peccatorum coram Deo facta, iuxta illud: *Cõfitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* Hæc enim confeſſio eſſe poteſt pars orationis, non minùs, quàm confeſſio laudis, & tamen non conſiſtit formaliter in actu voluntatis, ſed intellectus recogitantis, ac recognoſcentis coram Deo proprias iniquitates: ſic enim Dauid aiebat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: eſt ergo oratio etiam quoad hanc partem actus intellectus, ergo quoad omnem aliam.

5. *Vlt. Difficultas de locutione Angelorum inter ſe.* Vltima difficultas oritur ex locutione Angelorum inter ſe, illa enim eſt merè ſpiritualis, & tamen non fit per ſolam voluntatem, ſed per actum intellectus, quia per talem locutionem conceptus Angeli fit intelligibilis alteri, quod nõ poteſt fieri per ſolam voluntatem, niſi aliqua mutatio ex parte intellectus accedat. *D. Paul.* Propter quod linguæ Angelorum (de quibus loquitur Paulus 1 ad Corint. 13.) dicuntur eſſe intellectus eorum, vt ſignificant præcipuè *Theophil. Theod.* Theophilact. & Theodor. in eum locum: & Theodor. addit, eandem eſſe facultatem, per quam Angeli laudant Deum, & qua inter ſe loquuntur: conſtat autem laudare per intellectum: ergo per intellectũ etiam ad Deũ loquuntur, ergo etiam per intellectum petunt: nã petere loqui eſt: ergo in vniuerſũ petitio purè mentalis eſt actus intellectus.

Quid probetur difficultatibus propoſitis. Hæ difficultates, præſertim quatuor priores oſtendunt in oratione mentali ſecũdum omnia, quæ includit, neceſſario interuenire actus intellectus ſimul cũ actibus voluntatis, non tamen probant proprium actum petitionis, vel cuiuſcũque alterius locutionis ſpiritualis ad Deum formaliter conſiſtere in actu intellectus ſecundũ ſe, & non potius in actu voluntatis ordinantis ad Deum cogitationem, ſeu recognitionem intellectus

Laus Dei mentalis quomodo fiat.

7. *1. Difficultas enodatur.* Circa primam ergo difficultatem de laude Dei dicimus, laudem alicuius per ſe, ac formaliter non poſtulare, vt ſit locutio ad eum, qui laudatur: interdum enim laudamus vnum hominem alteri: v. g. Petrum Ioan. & tunc non loquimur cum Petro, quẽ laudamus, ſed de Petro loquimur Ioanni. Imò aliquando etiam nobis, cum tantum loquentes aliquem laudamus, vt vſu ipſo ſatis conſtat: aliquãdo verò etiam laudamus hominem loquendo ad ipſum, vt per ſe notum eſt. *Laus tripliciter fieri poteſt.* Sic igitur Angeli poſſunt laudare Deum, vel inter ſe loquentes, vel vnuſquiſque tantum ſecum, vel denique loquendo ad Deũ ipſum. Et omnibus quidẽ his modis laus vera ſupponit recognitionem illius perfectionis Dei, ob quã laudatur: alioqui ficta, & ementita eſſet laudatio. In primo autem modo laus addit locutionem vnius Angeli ad alium, de qua pauca dicemus circa vltimam difficultatem. Secundo autem modo laus nihil addit præter ipſam recognitionem, quia conſiſtit in locutione ad ſe ipſum, quæ locutio abſque vlla controuerſia intellectu fit, & in cognitione rei, de qua eſt locutio, per ſe conſiſtit, loquendo de perfecta locutione mentali, quæ fit conceptibus rerum & non verborum. Atque hoc tantum probat prima difficultas propoſita. Quoad hanc verò partem non rectè fit argumentum ad petitionem, quia petitio præſertim purè mentalis, ſemper eſt locutio ad alterum, & non ad ſe ipſum, vt per ſe conſtat.

8 *Laus tertio modo ſũpta, in voluntate conſummatur.* Tertio igitur modo laus Dei ad eundem directa per modum locutionis præter recognitionem perfectionis Diuinę, quę in intellectu eſt non addit nouum actum intellectus (quis enim fingi, aut excogitari poteſt?) ſed addit ſolum in voluntate ordinationem illius æſtimationis Dei quæ eſt in intellectu, ad ipſum Deum, quatenus Angelus vult eam Deo repræſentare, & offerre per modum cultus: ergo talis laus in voluntate cõſummatur: & quoad hoc rectè æquiparatur laudatio petitioni. Atque hoc, quod in Angelis explicuimus, locum habet in quocumque ſpiritu ſeparato, atque etiam in hominibus in hac vita degentibus, ſi intra ſe pura mente, & abſque verbis ſenſibilibus, vel cõceptibus eorum Deũ laudẽt, nam eadem ratio in his omnibus procedit.

Gratiarum actio mentalis quomodo fiat.

9. *Secunda difficultas expeditur.* Eodem ferè modo de gratiarum actione (quod in ſecunda difficultate tangitur) philoſophandũ eſt. Solum occurrit obſeruandum, aliud eſſe habere gratias, aliud agere: *Quid ſit habere gratias & illas agere.* Primum enim exerceri poteſt in animo, nulla manifeſtatione facta alteri, neque ipſi benefactori, recognoſcendo tantum in animo beneficium acceptum. Secundum autem fit manifeſtando illam recognitionem beneficij, quã in animo habemus. Illud ergo primum ſine dubio exerceri poteſt erga Deum in oratione mentali latè ſumpta. Et illud officium planè fit per illum actum, quo aliquis intra ſe recognoſcit beneficium illud, & obligationem ſuam, quæ inde naſcitur, qui actus intellectus eſt: & hoc ſolum probat difficultas ſecunda, quæ de hoc actu procedit. Ex quo naſci quidem poteſt in voluntate deſiderium exhibendi Deo gratum animum, quod vel non ſpectat ad propriam gratiarum actionem, ſed generatim ad gratitudinem per obſequia, vel alia officia per quę potiùs dicimur referre gratiam, quàm habere, *Quid ſit referre gratiam.* vel certè ſi ſpectat illud deſiderium ad propriam gratiarũ actionem, iam explicatam, ſolùm eſt quaſi imperãdo illam. Nam qui vult eſſe gratus Deo, & non habet, quid referat ipſi pro beneficio accepto, ſaltem oſtendit illi, & quantum in ſe eſt: manifeſtat ei, quomodo acceptum beneficium recognoſcat. In qua manifeſtatione talis gratiarum actio conſiſtit. *Gratiarum actio ſolum reſpicit benefactorem.* Ideoque gratiarum actio ad benefactorem refertur, in cuius obſequium fit: vnde ſi alicui tertio beneficiũ narretur, eſſe poterit quædam laus benefactoris, nõ propria gratiarum actio. Hoc ergo modo poteſt vnuſquiſque gratias agere Deo, ordinando ad ipſum per modum locutionis æſtimationem, & recognitionem proprij beneficij: & ſic præter actum intellectus iam explicatum, nihil addit niſi voluntatem repræſentandi Deo recognitionem beneficij, & offerendi illam in cultum quendam, & aliqualem recompenſationem beneficij, quæ propriè gratiarum actio dicitur. *Hæc in voluntate cõſiſtit.* Et ita quoad hoc in voluntate formaliter conſiſtit, ſeu conſummatur gratiarum actio, & in hoc tantùm poteſt cum petitione, ſeu oratione comparari.

Mentalis obſecratio quomodo fiat.

10. *Expeditur tertia difficultas.* Ad eundem ferè modum expedienda eſt tertia difficultas. In obſecratione enim duo intelligi poſſunt: vnum eſt recogitatio earum rationum, quæ Deum mouere poſſunt ad concedendum id,

quod

Digitized by Google

quod per orationē poſtulatur: quæ proinde augere etiam poſſunt fiduciam impetrandi id, quod poſtulatur. Alterum eſt allegatio, ſeu propoſitio taliū rationū coram Deo, prout fieri intelligitur in oratione, & obſecratione, quæ ad Deum fit. Et in hoc poſteriori actu conſummatur ratio obſecrationis, vt nunc illam ſumimus: nam obſecratio manifeſtè eſt ad alterum nimirum ad eundem, ad quem eſt petitio. Quod ergo ad primum officium ſpectat, manifeſtum eſt, illud eſſe munus intellectus, quod includit inquiſitionem, ac meditationem earum rationum, quę Deum mouere poſſunt, & iudicium, ac credulitatem earum iuxta materiæ capacitatem, vt poſtea ſuo loco declarabo. Poſterius autem officium non conſiſtit in cognitione aliqua, ſed in locutione earum rationum, quas is, qui orat, ſeu meditatur, aſſecutus eſt. Siquis enim huiuſmodi rationes conſideret ſolùm, vt ſe ipſum excitet ad fiduciam, & deſiderium, vel petitionem, nondum obſecrat, vt inter homines conſiderare licet. Nam ſi quis ſecum plures rationes cogitet, ob quas poteſt aliquid à Rege poſtulare, & impetrare, poſteà verò ſimpliciter petitionem faciat, nullam rationem allegando, & proponendo Regi, quæ illum poſſit inducere, & quodammodo obligare, nondum obſecrat, ſed tantùm petit. Si verò petitioni adiungat titulos, & rationes, quæ Regem poſſint obligare pręſertim ex parte illius, tunc dicitur obſecrare, ergo ſicut petitio, ita etiam obſecratio locutione perficitur. Hæc autem locutio in ordine ad Deum (ſicut in alijs dictum eſt) non poteſt eſſe niſi voluntas repræſentādi Deo huiuſmodi titulos, & rationes exaudiendi orationem, non vt ipſe denuò illas cognoſcat, ſed vt noſtram fiduciam, & credulitatem, ſeu exiſtimationem, quam de ipſo habemus, in cultum eius exerceamus. Atque in hac locutione debent obſecratio, & petitio conferri, vt rectè fiat cōparatio.

Duo poſſunt in obſecratione conſiderari.

Primo modo ad intellectum ſpectat.

Secundo modo in voluntate conſiſtit.

Interna confeſſio qualis ſit.

11. *4. Difficultas explicatur eodem modo, quo tertia.*

IDem cum proportione dicendū eſt de confeſſione interna peccatorum, de qua difficultas quarta proponebatur: nam etiam in illa duo diſtingui poſſunt. Vnum eſt interna confeſſio peccati proprij: alterum eſt quod talis confeſſio fiat Deo. Et primum quidem planè pertinet ad intellectum, conſiſtitque in interna recognitione peccati. Sed illa per ſe ſumpta niſi ad alterum ordinetur, non eſt confeſſio alteri facta, ſed ipſi tantum homini peccata ſua recognoſcenti. Vt ergo ſit confeſſio ad Deum, oportet vt ad ipſum referatur, & ordinetur per modum locutionis, quod nō fit, niſi per voluntatem: in hoc ponenda eſt æquiparatio, ſicut in alijs explicatum eſt.

Breuis digreſſio de oratione Angelorum.

12. *Vltima difficultas reſoluitur.*

AD vltimam difficultatem (omiſſis multis, quæ dici poſſent de locutione Angelorum, ſeu ſpirituum creatorum inter ſe, ne à propoſito digrediamur) duo breuiter dicimus. Primùm eſt non eſſe æquiparandam locutionem creaturæ ad Deum cum locutione vnius creaturæ ad aliam: nam locutio ad creaturam fit, vt ei notificetur, quod illi erat ignotum, ſeu vt fiat proximè intelligibile id, quod anteà non ita erat proximè applicatum, vt actu intelligeretur. Quod manifeſtum eſt in locutione hominum inter ſe: finis enim præcipuus, ac neceſſarius illius fuit manifeſtatio propriorum conceptuum, & cōſequenter rerum etiam conceptarum, quæ alteri erant ignotæ. Et licet homines aliquando inter ſe loquantur de rebus aliàs ſibi notis, illud eſt, vel quia vnus ignorat rem, quam alteri narrat, eſſe illi notam, vel vt maiorem talis rei cognitionē per talem locutionem mutuò aſſequantur, vel vt ad actualem illius conſiderationem ſe ſe inuicem moueāt, vel quia in tali locutione delectentur: ſemper autem modus ipſe loquendi talis eſt, quod per illum poſſet addiſci res, licet antea ignoraretur. Et ad eundem modum ſentiunt Theologi de locutione Angelorum inter ſe: fieri ſcilicet, ad manifeſtādos proprios conceptus, & interiores actus liberos, qui alijs naturaliter ignoti ſunt. At verò locutio ad Deum non fit per nouam rei manifeſtationem, aut notitiam, quæ illi poſſit acquiri, vt per ſe notum eſt, ſed propter alios fines morales, quos D. Tho. 1. part. q. 107. art. 3. vno verbo comprehendit dicens, *Angelum loqui ad Deum, vt ab eo aliquid accipiat.* Quapropter per locutionem ad Deum non fit obiectum denuò intelligibile aliquo modo ipſi Deo, & ideò licèt daremus, ex hac parte locutionem Angeli ad Angelum eſſe opus intellectus, nō inde fit idem dicendum eſſe de locutione Angeli ad Deum.

Locutio aliquando hominem ignotum manifeſtat.

Locutio ad Deum ſecus habet.

D. Thom.

Deindeaddo, cum varij ſint modi explicandi locutionem ſpiritualem inter creaturas, omnes in duas veluti claſſes diuidi. Vna continet eorum ſententias, qui negant loquentem communicare vel imprimere aliquid ei, ad quem loquitur. Altera continet opiniones eorum qui exiſtimant non poſſe huiuſmodi locutionem fieri ſine actione reali circa illum, cui fit locutio. Procedendo igitur iuxta prius fundamentum, certè magis conſequenter loquuntur, qui opinantur, locutionem Angeli ex parte loquentis non fieri per actum intellectus, ſed voluntatis, atque adeo eſſe actum illum, quo vnus Angelus vult, ſecretum ſuum eſſe manifeſtum alteri. Nam inde abſque alia actione tranſeunte, vel immanente ipſius loquentis ſequitur in altero notitia rei à loquente manifeſtatæ, quæ eſt auditio illius. Et ideo licet ex parte audientis locutio illa quaſi paſſiua pertineat ad intellectū, tamen ex parte loquentis pertinet ad voluntatem. Atque ita opinantur Capreol. in 2 diſtinct. 11. q. 2. & Caiet. d. q. 107. art. 1. & alij Thomiſtæ, qui etiam putant eſſe ſententiam D. Thom. Et illi etiam fauent Alenſ. Albert. Bonauentura, & alij. Iuxta hanc ergo ſententiam à fortiori ſequitur, locutionem Angeli ad Deum per voluntatem loquentis fieri. At verò iuxta aliud principium, quod locutio inter Angelos non fit ſine actione aliqua loquentis ad audientem, præter voluntatem loquendi, ſeu manifeſtandi ſecretum, neceſſe eſt ponere aliquam actionem. Hæc autem reſpectu loquentis eſt actio tranſiens, quia in alio nempè in audiente recipitur. Ideoque (quicquid ſit de actione vnius Angeli in alium) certiſſimum eſt, non poſſe Angelum loqui hoc modo ad Deum, quia nil in illum poteſt imprimere. Ergo nihil ſupereſt, quod poſſit eſſe locutio, vel petitio Angeli ad Deum, niſi voluntas ordinandi ſuum cōceptum, vel affectum ad Deum, non vt illi denuò innoteſcat, ſed vt illi ſe creatura ſubmittat, & eo, quo poteſt, modo deſiderium ſuum illi præſentet: idem ergo cum proportione dicendum eſt de locutione noſtra pure mentali.

13. *Varietas declarandi locutionē ſpiritualem inter creaturas ad duplex caput reuocatur.*

Iuxta primum caput reſpondetur difficultati.

Capreol. Caiet.

Alenſ. Albert.

Iuxta ſecundum caput ſoluitur difficultas.

CAPVT VI.

Sitne conueniens, & per ſe honeſta oratio ad Deum?

AGimus de oratione propriè dicta pro petitione, vt iam monui, poteſtque eadem quæſtio de oratione vocali tractari, ſed nunc non conſideramus difficultatem, quæ naſci poteſt ex eo, quòd petitio Deo offertur per ſenſibilia ſigna; ſed ſolùm illam, quæ oritur ex præciſa ratione petitionis. Difficultas autem eſt, quia petere aliquid à Deo, aut impium, aut inutile videri poteſt. 1.

In quo ſit difficultas.

Proba-

Digitized by Google

Probatur, quia vel Deus decreuit aliquid facere, vel non, ſi decreuit, & nos contrarium deſideramus, ac petimus, impie facimus, tum quia ab illo petimus, vt voluntatem ſuam mutet, tum etiam quia voluntatem noſtram voluntati eius præferri volumus; ſi autem Deus iam decreuit facere, quod nos petimus, inutile eſt id petere, quia infallibiliter fiet, licet non petamus, cum voluntas Dei non poſſit non impleri. Deinde eſto, non ſit intrinſece mala huiuſmodi petitio, ſaltem non videtur per ſe honeſta, ſed ad ſummum indifferẽs. Probatur, quia petitio ſolum habet rationem vtilis, eſt enim veluti medium quoddam, quod vtile creditur ad obtinẽdum id, quod petitur. ergo de ſe non habet intrinſecam honeſtatem, ſed talis erit, qualis fuerit res illa, ad quam obtinendam ordinatur.

2\. *Varij errores circa orationem proponuntur. Primus ea ad ſalutem ſufficere dicit. Theodor. Caſtro.* Circa orationem varij fuerunt errores inter ſe extreme contrarij. Quidam enim dixerunt, orationem adeo eſſe conuenientem, vt ipſa ſola ad ſalutem ſufficiat, etiam ſi Sacramenta, & alia ſalutis media prætermittantur. Ita refert de Meſſalianis Theodoretus li. 4. de Fabulis hæreticorum, & lib. 4. Hiſto. cap. 10. latius Caſtro verbo *Oratio*, hæreſi 1. Qui recte aſſerit, non oportere nos contra hanc hæreſim hoc loco diſputare, quia licet Scriptura doceat, orationem eſſe neceſſariam, vt infra videbimus, nunquam docet, illam ſolam ſufficere, ſed potius expreſſe tradit. aliqua Sacramenta eſſe neceſſaria ad ſalutem, vt in proprijs locis viſum eſt: proponit etiam opera miſericordiæ, & alia præcepta vt neceſſaria ad ſalutem, vt ſatis colligitur ex Matthæi 25. & alibi latius tractandum eſt. *Matth. 25. Chryſoſt.* Vnde eleganter Chryſoſtomus lib. 1. de Orando Deum, poſtquam multa de præſtantia, & vtilitate orationis dixerat, ſibi obiicit. *Verum aliquis forſitan ex eorum numero, qui ſocordiæ, ſegnitiæque dediti nolunt attente, & diligenter orare, perſuaſurus ſit in hoc Deum illa verba dixiſſe. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei.* Et reſpondet: *Atqui ego ſi crederem, ſolam precationem ad ſalutem noſtram ſufficere, non immerito ſermonem hunc nobis obiiceret aliquis: nunc cum profitear deprecationem caput eſſe bonorum omnium, baſim. ac radicem vitæ frugiferæ, non eſt, quod quiſquam verbis illis ſcrutatur.*

3 *Alter error. D. Tho. Affirmat per orationem mutari Diuinam diſpoſitionem.* Alio modo nimium tribuerunt quidam hæretici orationi dicentes, habere vim immutandi Diuinam diſpoſitionem, & prouidentiam. Refert D. Tho. 2. 2. q. 87. art. 1. & 3. contra Gentes. cap. 96. Et mouebantur fortaſſe ratione dubitandi in principio propoſita. Sed hic error non ſolum contra fidem eſt, ſed etiam contra rationem naturalem, quia euidens eſt Deum eſſe immutabilem. Item euidens eſt, Deum ab æterno ſciuiſſe quicquid in tempore ſcit, ergo ſi nunc ſcit orationem noſtram & propter eam inducitur ad aliquid volendum, etiam ab æterno illã orationem præſciuit, ergo etiam ab æterno voluit, quod in tempore propter illam vult. ergo non poteſt propter orationem mutari Diuinæ prouidentiæ diſpoſitio, nam hæc per Diuinam ſcientiam, & voluntatem ſubſiſtit. *Impugnatur hic error.* Nec vero cogitari poteſt, Deum in ipſa æternitate prius ante præſcientiam orationis aliquid decreuiſſe, & deinde præuiſa oratione, decretum mutaſſe, & aliud diſpoſuiſſe, quam decreuerat: nam cum in æternitate ipſa non ſit ſucceſsio, repugnat omnino, in illa eſſe talem mutationem. Neque oportet hic tractare loca Scripturæ, in quibus dicitur interdum Deus dolere, aut pœnitentiam agere de eo, quod decreuit, nam conſtat has eſſe metaphoricas locutiones ſignificantes mutationes, quas Deus facit in rebus iuxta exigentiam illarum, ſine mutatione ſui, vt latius in prima parte tractatum.

4\. *Aliorum error exiſtimantium, orationem eſſe inutilem ex varijs capitibus.* Alij ergo hæretici dixerunt orationem eſſe inutilem, ex varijs tamen principijs. Quidam, quia putabant, omnia ex neceſsitate euenire. & hunc fatalem ordinem etiam ab ipſo Deo mutari non poſſe. Alij vero quamuis non negauerint cauſas contingentes, & liberas, dixerunt tamen, Deum non habere prouidentiam, nec curare has res inferiores. Sed horum errorum fundamenta in prima parte tractantur. & impugnantur, & quatenus ſunt contra rationem naturalem in Metaphyſica ſunt à nobis impugnata. *An oratio eſſet inutilis, rebus neceſſario euenientibus?* Hic vero tractari poſſet, An poſito etiam illo fundamento erroneo, recte intulerint. Nam certe quod ad priores attinet, etiamſi omnia ex neceſsitate euenirent, non videtur ſequi orationem fore inutilem? Nam illa neceſsitas oriretur ex ineuitabili ordine cauſarum, inter quas cauſas vna poſſet eſſe oratio, & ita ſolum ſequeretur, ſi effectus eſſet neceſſario euenturus, mediante oratione, etiam hominem neceſſario eſſe oraturum, & Deum ex neceſsitate etiam eſſe conceſſurum, quod petitur. Et ita non ſequitur, orationem fore inutilem, quandoquidem, illa poſitã, poneretur effectus, & ſine illa non poneretur, ſed ad ſummum ſequitur, etiam orationem ipſam ex neceſsitate euenire ac proinde, neque eſſe moralem actum, nec habere alias vtilitates meriti, vel ſatisfactionis, quæ libertatem, & moralitatem ſupponunt.

5\. *D. Tho vtilitatem orationis auferri dicit, poſita neceſsitate. Caſtro. VVald.* Nihilominus Diuus Thom. 2. 2 q. 83 art. 2. aperte ait, ex illo errore (quocumque modo aſſeratur) tolli vtilitatem orationis, & loquitur plane de vtilitate impetrationis, ſeu vt effectus poſtulatus eueniat, & hoc ſequuntur communiter interpretes, vno, vel alio excepto, quod etiam tenet Caſtro verbo, *Oratio*, hæreſ. 3. & ſignificat VValdenſis tom 3. cap. 1. indicans etiam VViclephum ex eodem errore hunc intuliſſe. *Iudicium auctoris.* Mihi tamen dicendum videtur, illationem non eſſe ita neceſſariam per locum intrinſecum, vt ſi quis mordicus eam negare velit, euidenti ratione cogi poſsit, aut conuinci. Hoc probat ratio facta, quia poſſet quis dicere, orationem eſſe vnam ex cauſis ſecũdis neceſſarijs ad effectum. Conuinci tamen poſſet, hoc voluntarie & ſine fundamento dici, quia iam ſupponitur in illo errore, Deum agere ex neceſsitate naturæ, ergo ſi aliquem effectum neceſſario facturus eſt, non minori neceſſitate volet illum ſine oratione, quam cũ illa. Nam oratio non eſt cauſa per ſe influens in effectum, ſed mouens moraliter Deum, vt ipſe faciat, quæ igitur vis poteſt eſſe in oratione ad inferẽdam Deo talem neceſsitatem. ſi ipſe alias de ſe non eſt determinatus ad volendum ex neceſsitate talem effectũ, quod ſi ita eſt determinatus abſque oratione, ex neceſsitate facit. Tantum ergo hoc modo video poſſe inferri vnum errorem ex alio, & quamuis illatio fortaſſe non ſit omnino neceſſaria, tamen veriſimilimum eſt, qui in priorem errorem lapſi ſunt, in poſteriorem incidiſſe, quia non crediderunt, neceſsitatem in Deo poſſe ab extrinſeco prouenire, ſed tantum ex ſua intrinſeca natura. *Error ponẽtium neceſsitatem in cauſis ſecundis ex immutabili prouidentia primæ cauſæ, non tollit vtilitatem orationis.* Qui vero non poſuerunt, Deum agere neceſſario ſimpliciter, ſed ſolum immutabili prouidentia, & inde intulerunt reſpectu omnium cauſarum ſecundarum, omnia ex neceſsitate euenire, non cogebantur, vtilitatem orationis negare, quia potuiſſet Deus diſponere, vt per talia media res fierent. Et ita fertur ſenſiſſe Lutherus, atque etiam Caluinus, qui non negarunt eſſe orandum Deum, etiamſi libertatem cauſarum ſecundarum per Diuinam prouidentiam tolli putauerint.

6 *Deo rebus non prouidente, nec earum curam habente, oratio eſſet inutilis.* Facilior eſt illatio ex alio errore negante prouidentiam. Quanquam dicere etiam poſſet aliquis, quod licet Deus nõ prouideat his inferioribus; nihilominus & videt, quid in eis agatur, etſi velit, poteſt ea impedire, vel immutare. Quibus ſtantibus, poſſet eſſe vtilis oratio, vt Deus, qui alias nõ prouidet, ſaltem oratus prouideat. Sed qui hoc diceret, iam non negaret Diuinam prouidentiam omnino, ſed

Digitized by Google

ſed ſolùm ex parte, vel malè eam explicaret. Vnde qui negarunt prouidentiam, multò magis negarunt habere Deum vel cauſalitatem proximam in his inferioribus, vel ſcientiam omnium particularium, quæ hic aguntur: & ita neceſſario ſequitur ex illo errore, orationem eſſe inutilem. Quod autem ad rem præſentem ſpectat, parum refert, quod vnus error bene ſequatur ex alio, necne. Nam ſi iſti hæretici vnum errorem benè intulerunt ex alio, euerſo fundamento, quod in alijs locis fit, alter error euertitur, ſi autem per ſe directè circa vtrumque errarunt, probãdo veritatem Catholicam impugnabuntur ſufficienter quantum ad præſens attinet.

Vnde prouenerit Pelagij error circa orationis vtilitatem.

Eccle. 16.

7. Ex alio principio fertur Pelagius erraſſe circa vtilitatem orationis, credidit enim homines non indigere auxilio Diuino ad bene operandum, neque ad ſalutem, vel remiſsionem peccatorum conſequendam, vnde inferebat, non oportere orare Deũ ad hæc, vel ſimilia beneficia petẽda, quibus accommodari poteſt illud Eccleſiaſt. 16. *Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui Gigantes, qui deſtructi ſunt, confidentes ſua virtuti.* Hunc errorem tribuit Pelagio Auguſtinus libr. hæreſum in 88. & Epiſt 106. Et aliqui tribuunt Origeni, & diſcipulis eius ex verbis Epiphanij Epiſto. ad Ioannem Hieroſolymitanum, quæ eſt ſexageſima inter Epiſtolas Hieronymi, vbi ſic inquit. *Audent in periculo animæ ſuæ aſſerere quodcunque eis in buccam venerit, & magis iubere Deo, & non ab eo orare vel dicere veritatem.* Sed ibi non dicit Epiphanius, erraſſe Origeniſtas circa doctrinam de oratione, ſed peccaſſe, non vtendo illa ad intelligendam veritatem, ac proprio ſenſu, & iudicio eloquia Dei interpretantes, hoc enim exiſtimo eſſe, quod ait, *Audent iubere Deo, &c.* Difficilior verò hic eſt illatio, quam Pelagius faciebat, vt refertur, tum quia multa bona ſunt petenda à Deo, quæ per ſe propriè nec ad gratiam pertinent, nec pendent ex gratia, vt ſunt temporalia, & corporalia bona, tùm etiam quia Pelagius fatebatur, gratiam prodeſſe ſaltem ad facilius benè operandum, vel vincendas tentationes, ergo ſentiebat gratiam eſſe ſaltem vtilem nobis, ergo non eſt, cur negaret, orationem fore vtilem, ſi poteſt gratiam impetrare. Quare non mihi ſatis conſtat, An Pelagius omninò reijceret orationem tanquam inutilem, vel ſolùm errauerit, eius neceſſitatem negando, de qua re dicemus in capitulo ſeptimo. De Semipelagianis autem conſtat, plus nimium tribuiſſe orationi etiam merè naturali, vt ex Concilio Arauſicano, & ex Epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum, & ex ipſo Auguſtino, libris de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono perſeuer. & alijs locis cõſtat, de quo plura dicemus cap ſequenti.

Aug.

Origeniſtis idem error aſcribitur.

Epiphan.

Non ita eos ſenſiſſe creditur.

Infertur ne rectè ex errore Pelagij fore inutilem orationem.

Semipelagiani nimis plus orationi tribuebãt

Error tollentium orationem, quia putabant Deum non moueri precibus.

VViclep.

VVald.

8. Tandem alij contempſerunt orationem non ex alijs extrinſecis erroribus, ſed quia putabant, Deum non moueri verbis noſtris, aut petitionibus, ſed ſolum intueri opera noſtra, & iuxta illa retributionẽ dare. Hunc ſenſum videntur habere verba VViclephi, quæ refert VValdenſis ſupra; *Deus eſt auctor realis, qui non requirit vocem vel cogitationem, ſed omnino vitam ſuæ iuſtitiæ complacentem.* Vnde triplicem diſtinguebat orationem, mentalem, vocalem, & vitalem, id eſt, quæ in bona vita & bonis operibus conſiſtit, & hanc poſtremam dicebat ſufficere, & alijs prętermiſſis, & hunc errorem ſuſpicatur VValdenſis dicto lib. 1. cap. 13. hauſiſſe VViclephum ex fonte Philoſophorum, qui vt refert Hieronym. in illa verba Matth. 6. *Scit enim Pater cæleſtis, quia his omnibus indigetis*, dixerunt, ſi nouit Deus, antequam oremus, quibus indigeamus fruſtra ſcienti loquimur.

Concluditur orationẽ debite factam eſſe actum per ſe honeſtũ rationi congruum & valde vtilem.

9. Dicendum verò eſt, orationem ad Deum: ſi in debita materia, & circumſtantijs fiat: eſſe actum per ſe honeſtum, rationi conſentaneum & homini valde vtilem. Aſſertio eſt de fide tam frequenter expreſſa in Scripturis, vt ſuperuacaneũ ſit, illam probare. Nam in actu exercito, vt ſic dicam, vtrumque teſtamentum plenum eſt frequentia orationum, & omnes Pſalmi altiſſimam orationem continent, & Chriſtus Dominus frequentiſsimè oraſſe legitur, & vitam ſuam non ſolum in cœna, & in horto ſed etiam in Cruce orando conſummaſſe, & de Apoſtolis, & tota Eccleſia fideli ab eius initio idem refertur in Actibus Apoſtolorum. Pręter exemplum verò habemus & doctrinam, & præceptum Chriſti Matth. 6. docuit nos orare, & capit. 7. adiecit conſilium: *Petite, & accipietis*, & capit. 26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*, & Lucæ 18. *Oportet ſemper orare*, & ſimilia inueniuntur paſsim. In quibus conſiderandum eſt, indefinitè loqui de oratione, poſſeque optimè de vocali intelligi, tamen inde euidenter colligitur, petitionem ſola mente factam etiamſi in ſenſibilem vocem non prodeat, & honeſtam, & vtilem eſſe, tùm quia & vox neceſſaria non eſt, vt Deus orationem percipiat, vt per ſe conſtat, tum etiam quia tota efficacia orationis vocalis ex interiori affectu, & intentione pendet, ideoque ſumma vtilitas, & formalis honeſtas eſt in interiori affectu, & interna locutione ad Deũ. Vnde eſt illud Pſalm. 26 *Tibi dixit cor meum*, & illud Pſam. 38. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*, & ſtatim, *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam* & Pſalm. 76. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus, cogitaui dies antiquos, &c*, & alia plura afferemus infr. à libr. ſequen. Propter quę non ſolum eſt de fide certum orationem, vt comprehendit vocalem, ſed etiam orationem in mente conſummatam, eſſe ſanctam, & vtilem. Quin potiùs Ambroſius libr. 6. de Sacramentis capit. 4. vtile docet eſſe interdum ſola mente abſque voce orare, quod etiam alij Patres frequenter docent, vt videbimus infrà tractando de Oratione mentali communiter ſumpta. Patrum etiam teſtimonia afferemus infrà cap. ſequenti. Ratione oſtendetur facilè, reſpondendo ad rationes dubitandi in principio poſitas.

Matt. 6. & 7. & 26.

Luc. 18.

Pſalm. 26.

Pſalm. 38.

Pſal. 76.

Reſpõdetur obiectionibus initio poſitis.

10. Ad primam reſpondetur, nõ eſſe inutile, vel impium aliquid à Deo petere, quia nec petimus vt aliquid ex tempore velit, quod ab æterno non voluit, neque vt mutet decretum, quod ab æterno habuit: vtrumque enim procederet ex falſa de Deo exiſtimatione ſed petimus vt media oratione noſtra id faciat, quod ab æterno decreuit, quia non obſtante illo decreto, ſæpè non faceret ſine oratione noſtra, quia hoc ipsũ ipſe decreuit. Hoc totũ colligitur ex Scripturis, in quibus legimus, Deum multa facere interuentu orationis, & propter illam, vt Ezechiæ oranti adiecit quindecim annos vitæ, Iſaiæ 38. cui dixit Deus: *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.* Similiter Niniuitis orantibus pepercit. Ionæ 3. & 3. Regum 17. *Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuerſa eſt anima pueri intra eum.* Et ideo Chriſtus monebat. *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, &c.* Matth. 7. Quod non diceret, niſi oratio eſſet aliquo modo cauſa, & ratio obtinendi, quod petitur. Vnde Iacobi 5. ipſi orationi aſcribitur effectus, *Multum* (inquit) *valet deprecatio iuſti aſsidua.* Et ibidem. *Oratio fidei ſaluabit infirmum, &c.* Interdum etiam expreſſe dicitur in Scriptura, non eſſe futurum effectum, ſi non interueniat oratio, vt Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio.* Et Iacobi 4. *Non habetis propterea quod non poſtulatis, petitis, & non accipitis eo quod malè petatis.* Igitur, non obſtante æterna diſpoſitione Diuinæ prouidentiæ, poteſt eſſe oratio vna ex cauſis neceſſarijs ad affectum, ſicut non obſtante Diuina præordinatione, ſunt neceſſariæ aliæ cauſæ ſecundæ, vel phy-

Iſaie. 38.

Ionæ. 3.

3. Reg. 17.

Matth. 7.

Iacob. 5.

Matt. 17.

Iacob. 4.

ficæ, vel etiam morales, vt meritoria, vel diſpoſitiua, &c.

11\. Hic verò ſtatim occurrit ſpeculatiua quæſtio, qualis ſit præordinatio Diuina æterna circa effectũ, qui per orationem obtinetur, An ſcilicet, ſit ex præuiſa oratione, vel potiùs oratio habeat originem ex præfinitione effectus, & ſolum ſit ratio executionis eius? Sed hæc quæſtio non eſt hoc loco à nobis tractanda, nam in libro de Prædeſtinatione, & de Auxilijs gratiæ ſatis tractata eſt. Vnde breuiter dicimus, licet non repugnet, aliquos effectus communes, & inferioris ordinis ante præuiſam orationem ſolùm eſſe antecedenti, & ſimplici affectu intentos, & propter orationem præuiſam efficaciter præordinari: nihilominus in præcipuis gratiæ effectibus ſentiendum eſſe, quod licet per orationes obtineantur, efficaciter præordinati ſint ante præuiſam orationem, & conſequenter quod ipſa oratio neceſſaria ſit ad executionem ex Diuina diſpoſitione poſteriori ſecundum rationem, ſicut Incarnatio prædefinita eſt ante præuiſas orationes Patrũ, & nihilominus, mediantibus illis, eſt executioni mandata. Et eodem modo docent Theologi prædeſtinationem iuuari precibus Sanctorum. Sic etiam intelligo, quod Auguſt. dicit ſerm. 1. de ſancto Stephano, quòd *ſi Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Atque hæc videtur eſſe clara ſententia Proſperi lib. 2. de vocatione Gentium, capit. vlt. dicentis: *Quamuis quod ſtatuit Deus, nulla poßit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrij deuotio relaxatur. cum implenda voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum.* Quod confirmat teſtimonijs Angeli Tobiæ 6. qui priùs dixit Tobiæ, & Saræ, *Surgite, & deprecamini Deum, vt detur vobis miſericordia, & ſanitas,* & pro ratione reddit *tibi enim deſtinata eſt ante ſecula, & tu ſanabis eam.*

Neceßitas orationis declaratur, nõ obſtante Diuina præordinatione. — *Auguſt.* — *Proſper.* — *Tob. 6.*

12\. Quæri verò vlterius poteſt, ſi Deus ex ſe, & ante orationem præuiſam, habet propoſitum dandi abſolutum, & efficax, cur poſtulet orationem, etiam vt neceſſariam ad effectum, cum voluntas eius ſufficiens ſit? Reſpondeo, primum id facere Deum ob generalem rationem, qua vult operari per cauſas ſecũdas, quantum commodè poteſt, & in operibus moralibus, ſeu gratiæ vult cooperationem hominis, vbi locum habere poteſt: nam vbi non poteſt ipſe ſolus operatur. Et ideò rectè dixit Auguſtinus de bono perſeuer. cap. 17. *Deum alia danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque in finem perſeuerantiam.* Et Proſper loco citato ſignificat, Deum hoc ordinaſſe propter commodum noſtrum, nimirum vt non ſolùm ſecundum propoſitum Dei, ſed etiam ſecundum merita noſtra coronemur.

Obiectio. — *Reſponſio.* — *Aug.* — *Proſper.*

13\. Inſtabis, quia hęc cooperatio & meritum ex parte hominis ſatis exercetur per deſiderium iuſtitiæ, aut beatitudinis, vt alias dicit Auguſtin. Epiſtol. 121. quod autem hoc deſiderium à nobis per orationẽ manifeſtetur Deo ſcienti illud videri ſuperfluum, & non pertinere ad cooperationem creaturæ, neq; ad aliam vtilitatem noſtram. Reſpondetur, pertinere in primis ad gloriam, & cultum Dei, vt homo recognoſcat Deum tanquam auctorem gratiæ, & omnis boni, quod facit quando illi proponit deſiderium ſuum, virtute, & liberalitate illius implendum, & ideo dixit Leo Papa ſerm. 1. de ieiunio decimi menſis, quod *in orationibus permanet fides recta.* Deinde petendo orationes noſtras Deus nobis occaſionem præbuit accedendi ad illum, & colloquendi cum illo, quę eſt & maxima vtilitas, & ſumma dignitas animarum, vt eleganter dixit Chryſoſtomus libr. 1. de Orando Deum, vnde ſic concludit, *Vitam piam, ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum recondit in animis noſtris.* Et infrà. *Quid maius aut Diuinius obtingere poßit, quam deprecatio, cum hanc animis ægrotãtibus pharmacum quoddam eſſe liqueat. Verè cœleſtis eſt armatura deprecatio, quæ Deo funditur; ſolaque firmam cuſtodiam præbet his, qui ſe Deo tradiderunt.*

Obijcitur vlterius. Auguſt. — *Reſpõdetur obiectio.* — *Chryſ.*

Atquè hinc facilis eſt reſpõſio ad ſecundam rationem dubitandi. Duo enim in oratione conſiderari poſſunt ex parte obiecti eius. Vnum eſt materia, circa quam verſatur. Alterum eſt motiuum, ſeu formalis ratio, ſub qua verſari debet, vt ſit vera oratio. Primũ eſt res, quæ poſtulatur, quæ verè dicitur materia orationis, quæ quidem ſecundum ſe ſpectata indifferens eſſe poteſt: tamen vt ſic, non eſt propriè materia orationis, prout nunc de illa agimus, ſicut in cap. 2. diximus. Debet ergo eſſe talis materia, quam à Deo petere, decens ſit, & ideo ex hoc capite non eſt indifferens oratio, ſed per ſe honeſta. Aliunde verò quamuis re vera homo vtatur oratione tanquam medio ad obtinendum, quod deſiderat, & ſub ea ratione videatur oratio habere rationem boni vtilis, tamen quatenus hoc totum reſpectu Religioſæ orationis materiale eſt, & in eo præcipuè intẽditur Diuinus cultus, habet oratio per ſe propriam honeſtatem, vt in ſequenti capit. magis declarabimus. 14.

2. Rationi dubitandi ſit ſatis.

CAPVT VII.

An oratio ſit proprius, & elicitus actus virtutis Religionis.

DVo in præcedenti capit. de oratione diximus, nimirum eſſe, & honeſtam, & vtilem, nunc explicare aggredimur, quem gradum in vtraque bonitate habeat. Et in primis de honeſtate dubium videtur, quia multiplex honeſtas in oratione exercetur. Prima eſt fidei, vt paulò antea ex Leone dicebamus, nam qui petit à Deo, profitetur, ſe credere, Deum poſſe dare, quod poſtulatur, eſſeque primum auctorem omnis boni, immò etiam credit eſſe veracem, & fidelem in implendo, quod promiſit. Sed hoc, quod ad fidem attinet, difficile non eſt, probat enim benè, fidem eſſe fundamentum, & radicem orationis, ſicut generaliter eſt *fundamentum rerum ſperandarum,* vt dicitur ad Hebræos 11. & in vniuerſum totius iuſtitiæ, & virtutum omnium, vt dicitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. capit. 8. Et ſpecialiter de oratione dixit Paulus ad Roman. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* quia primum aditum ad Deum aperit fides, & conditiones ferè omnes neceſſariæ ad debitum orandi modum in fide radicantur, vt ex inferius dicendis conſtabit. Non tamen hinc ſit honeſtatem orationis confundi cum honeſtate fidei, ſicut nec ſpes, nec Religio quoad alios actus confunduntur cum fide, quamuis in ea fundentur. 1.

Status controuerſiæ declaratur. Oratio videtur eſſe actus elicitus fidei. D. Leo. — *Hebr. 11. Concil. Trident. Tom. 10.*

Maior difficultas eſt de virtute illa, ad quam pertinet amare, vel deſiderare bonum illud, quod poſtulatur, vt verbi gratia, ſi quis petat remiſſionem peccatorum ex affectu charitatis, vel petat veram contritionem ex affectu pœnitentiæ, ſeu deſiderio ſatisfaciendi Deo, prout poteſt, vel petat perſeuerantiam ex affectu, & intentione obtinendi æternam retributionem, quæ pertinet ad ſpem, & ſic de alijs. Nam in ſingulis ex his affectibus videtur oratio pertinere elicitiuè, & propriè ad illam virtutem, ad quam pertinet talis affectus ad rem poſtulatam, erit ergo oratio actus elicitus nunc charitatis, nunc ſpei, nunc pœnitentiæ, vel alterius 2.

Oratio pertinere videtur elicitiue ad illam virtutem, ex cuius affectu ipſa oratio procedit.

ſimilis

Digitized by Google

Probatur. ſimilis virtutis. Probatur, quia eiuſdem virtutis eſt intendere finem, & applicare medium vtile, vel neceſſarium ad illum finem, ſed oratio ſemper ſumitur, vt medium ad obtinendum id, quod deſideratur, ergo ſicut deſiderare rem poſtulatam non eſt vnius virtutis, ſed diuerſarum, vt declaratum eſt, ita oratio non eſt actus vnius virtutis, ſed poteſt eſſe diuerſarum, pro diuerſitate deſideriorum iuxta *Cõfirmatur* materias, & motiua eorum. Confirmatur, ac declaratur, nam ex eodem motiuo aliquis petit aliquid, ex quo illud deſiderat, vt in petitione inter homines manifeſtum eſt eſtque eadem ratio in petitione ad Deum, quia idem eſt motiuum tendendi ad finem, & ad medium vt ſic, ſed deſiderium, per orationem explicatum, nunc eſt ex motiuo charitatis, nunc pœnitentiæ, &c. ergo etiam oratio proximè eſt ex eodem motiuo cum partitione accommoda, ergo elicitur ab eadem virtute.

3. *Cõcluditur orationem eſſe actum proprium Religionis. D. Thom. Caiet. Medin.*

In hoc puncto communis reſolutio eſt, orationem eſſe actum proprium Religionis. Ita docet D. Thom. 2.2. quæſt. 33. in principio, & in art. 3. & ibi Caiet. & q. 81. art. 4. Vbi dicit orationem eſſe actum elicitum à Religione. Et hoc ſequuntur omnes Theologi in 4. d. 15. & Medina in Codice de oratione quæſt. 2. quanquam ille diſtinctione quadam vtatur, vt ſtatim dicam. Confirmaturque aſſertio ex communi ſenſu, & traditione omnium hominum conſtat, nam omnes exiſtimant, magnam partem Religionis ad Deum in oratione poſitam eſſe: neque fuit vnquam vlla hominum congregatio, Deũ colens, quæ non propriam ſupplicandi Deo rationem haberet. Omnes ergo credunt orationem eſſe Religionis actum. Vt autem rationem huius ſententiæ reddamus, diſtinguenda ſunt duo. Primum eſt affectus orandi. Secundum eſt petitio ipſa prout à nobis intelligitur fieri per locutionem mentalem, aut vocalem. Difficultas ergo eſt circa ipſum affectum orandi, nam cuius virtutis actus elicitus ille fuerit, eiuſdem erit ipſa petitio, quia petitio non elicitur à virtute, niſi mediante affectu, nec petitio intellectus habet rationem moralis actus, niſi quatenus eſt ex voluntate, & affectu orandi, à quo tanquam à forma habet & eſſe morale, & moralem honeſtatem.

Ad probationem præmittitur diſtinctio affectus orandi, & petitionis.

4. *Affectus orandi procedere debet ex motiuo colẽdi Deũ.*

Igitur in affectu orandi conſiderandum eſt, ex quo motiuo fieri debeat, vt rectè, & conuenienter fiat in ordine ad Deum. Sic ergo dicimus, affectum orandi eſſe debere ex motiuo colendi Deum & offerendi illi mentem noſtram, mediante oratione ad colendum ipſum, recognoſcendo, & quaſi proteſtando petitione ipſa noſtram ſubiectionem ad Deum, & noſtram indigentiam, ac dependentiam ab ipſo, & è conuerſo potentiam eius, bonitatem, ac prouidentiam erga nos. Hic ergo affectus ſub hoc motiuo manifeſtè eſt actus elicitus à Religione, cuius proprium munus eſt, cultum Deo reddere, *Illud motiuum eſſe poſſibile, & tale eſſe debere probatur.* vt ſuprà dictum eſt. Quod autem hoc motiuum poſſibile ſit, etiam eſt per ſe euidens, quia petitio ſic oblata Deo, ex intrinſeca ratione ſua eſt nota ſubiectionis orantis ad Deum tanquam ad excellentem. Quod denique huiuſmodi eſſe debeat proprium motiuum orandi Deum, declaratur, quia non oramus Deum, vt vel ei manifeſtemus aliquid, quod anteà non nouerat, neque vt nouam aliquam voluntatem habeat propter noſtram orationem, quã ab æterno non habuerit, ergo quod maximè intendere poſſumus, & debemus, eſt ipſum colere, & venerari. Dices, nihil aliud nos intendere, niſi conſequi, quod poſtulamus. Sed contra, quia vt per orationem intendamus conſequi, quod poſtulamus, oportet, vt in oratione ipſa apprehẽdamus aliquid, ratione cuius exigitur à nobis vt medium ad obtinendum poſtulata: hoc autem nihil aliud eſt, niſi quod oratio ſicut cultus, & ſubiectio ad Deum, & ita per illam diſponimur ad impetrandum à Deo,

Obiectio. Solutio.

quod cupimus. Atque ita intelligendam exiſtimo differentiam inter humanam, & ſpiritualem orationem, quam Gulielmus Pariſienſis in ſua Rethorica Diuina, capit. 2. tradit & ſequitur Gabriel lect. 31. in Can. quòd humana petitio tendit ad diſponẽdum, vt ſic dicam, vel immutandum eum, ad quem fit, petitio autem ad Deum tendit ad diſponendum ipſum petentem, nam cum ſe exhibet cultorem Dei, ſe diſponit ad recipiendum, quod poſtulat.

Diſcrimen orationis humanæ, & ſpiritualis. Guil. Pariſienſis. Gabriel.

5. *Cultus Dei exhibitus in oratione nõ diſtinguitur ab illa.*

Vnde intelligitur, decipi eos, qui putant cultum illũ, quẽ orando Deo exhibemus, eſſe quid diſtinctum à petitione ipſa, & per modum obiecti ad illam comparari, eſſeque æſtimationem de Diuina potentia, & maieſtate, quæ ex oratione ad Deum in ipſo orante, vel in alijs excitatur vel actu, vel quantum eſt ex natura talis actus. Hoc enim putant neceſſarium, vt oratio non ſit actus virtutis Theologicæ, ſed moralis, quæ non Deum ipſum immediatè, ſed cultum Dei attingit, & intendit. Hoc autem ideo ab aliquibus excogitatum eſt, quia non ſatis diſtinxerunt illa duo, quæ paulò antea diſtinximus, videlicet, affectum orandi, & orationem ipſam, quæ tamen diſtincta eſſe, euidens eſt, præſertim conſtituendo orationem in intellectu. De affectu ergo rectè dicitur oportere, vt pro obiecto habeat cultum Dei, de petitione autem ipſa non rectè id dicitur, nam ipſa petitio eſt cultus, quem affectus ille intendit, & hoc ſatis eſt, vt ille affectus non ſit actus virtutis Theologicæ, vt ſupra de tota virtute Religionis oſtenſum eſt. Deinde æſtimatio illa de Deo, quæ inde reſultare poteſt in alijs extra ipſum operantem in primis per ſe non habet locum in oratione mentali, ſed tantùm in vocali, deinde eſt effectus valdè extrinſecus, qui non pertinet per ſe ad Religionem, ſed potiùs ad charitatem Dei, vel proximi. Aeſtimatio autem de Deo, quæ in ipſo orante conſideratur, potiùs ad orationem ſupponenda eſt: imò ipſa oratio eſt proteſtatio quædam, & nota illius æſtimationis de Deo in conſpectu ipſius Dei, & ideo eſt formalis cultus ipſius Dei.

Dei cultus obiectum eſt affectus orandi.

6. *Obiectio. Pſal. 40.*

Quod ſi quis vlterius conſideret, ex oratione poſſe hanc æſtimationem augeri. præſertim ſi quis petita impetrauit: iuxta illud Pſalm. 40. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et ita poſſe orantem hoc ipſum per orationem ſuam intendere. Reſpondemus primò, poſſe quidem hoc intendi, nõ tamen eſſe hunc proprium & intrinſecum cultum orationis, ſed ille, quem ipſa petitio intrinſecè continet. Vnde licet orans talis conditionis ſit, vt in ipſo non habeat locum illud augmentum, vt eſt Chriſtus in quantum homo, vel ſunt etiam beati: nihilominus eius petitio intrinſecè, & per ſe eſt cultus Dei. Addimus ſecundò, quando quis per orationem illum finem intendit, non eſſe æſtimationem illam obiectum petitionis, quia neque illa poſtulatur, neque intendere extrinſecum effectum pertinet ad intellectum, cuius actus ſupponitur eſſe petitio. Eſt ergo illa Dei gloria, ſeu æſtimatio obiectum alterius actus voluntatis, quo talis Diuina gloria intenditur, mediante petitione, ſed hoc ſatis non eſſet, vt petitio ipſa eſſet actus proprius, & immediatus Religionis, ſeu proprium & intrinſecum obiectum affectus Religioſi, niſi ipſa petitio in ſe, & intrinſecè eſſet cultus Dei.

Reſponſio.

Eadem obiectioni aliter ſatisfit.

7. *Oratio eſt actus immediatè elicitus à Religione quo ad affectum petendi, quo ad petitionẽ verò eſt proxime imperatus. D. Thom.*

Eſt ergo oratio quoad affectum orandi, ſeu petendi actus propriè, & immediatè elicitus à Religione, quoad petitionem verò ipſam eſt actus proxime imperatus, quatenus locutio intellectualis eſt, licet in eſſe morali, & virtutis poſſit etiam dici elicitus loquendo cum multis. Vnde petitio mentalis, licet dicatur actus internus Religionis comparatione externorum actuum, qui ſenſibus obijciuntur, quomodo loquitur de illa D. Tho. q. 82. & 83. in principijs, nihilominus comparatione volun-

Digitized by Google

tatis, in qua eſt Religio, eſt quaſi actus externus, id eſt alterius potentiæ, loquimur enim de ordinaria petitione, quæ per locutionem intellectus fit. Nam prout in voluntate ipſa conſiderari poteſt, vel non eſt diſtincta ab affectu orandi, vel ſi diſtinguantur tanquam actus directus, & reflexus: vterque erit internus actus voluntatis, quamuis reſpectu virtutis Religionis ipſe affectus orandi ſit immediatior actus, quam petitio.

Reſpōdetur difficultati poſitæ in principio. Medina.

8. Ad difficultatem ergo in principio poſitam Medina loco proximè citato indicat eſſe diſtinctione vtendum. *Nam refert*, inquit, *vnde huiuſmodi oratio procedat, ad cognoſcendum, ad quam virtutem oratio pertineat.* Si enim ſolùm procedat ex amore proximi, vel proprio ad amicitiam, ſeu charitatem pertinet, ſi ex animo recognoſcendi Dei potentiam, & miſericordiam ad latriam pertinet. Non cenſeo tamen, diſtinctionem hanc eſſe abſolutè admittendam, quia aliàs non magis poſſet oratio adſcribi Religioni tanquam proprius, & elicitus actus eius, potius, quam charitati, vel pœnitentiæ, vel alteri ſimili virtuti, quia in oratione motiua omnium harum virtutum inueniri poſſunt. Dico ergo orationem ad Deum conuenienti modo factam ſemper eſſe actum elicitum à Religione, ſeu aptum elici quantum eſt ex ſpecie ſua. Quod ſanè nec Medina negare videtur, nam ſtatim ſubiungit, quod quando ad Deum tanquam ab eo dependentes oramus, ipſum colimus, quia per hoc illius potentiam, & noſtram indigentiam profitemur. At quoties conuenienter ad Deum oramus, tanquam ab eo dependentes & illius potentiam, & noſtram indigentiam recognoſcentes oramus, ergo latriam erga ipſum exercemus, ergo eſt ille actus ex proximo affectu ad Religionem pertinente.

Conſecutio rei poſtulatæ per orationem eſt finis extrinſecus Religionis.

9. Neque obſtat, quod ad efficiendam huiuſmodi orationem, ex affectu obtinendi rem poſtulatam moueamur, nam tunc conſecutio rei poſtulatæ, quam ſperamus, nos mouet per modum finis extrinſeci, ſeu remoti reſpectu Religionis. Vnde ſolùm fit, talem orationem eſſe imperatam ex virtute charitatis, vel pœnitentiæ, vel etiam ex amore alicuius commodi proprij honeſtè, quod non eſt inconueniens, ſed omninò verū. ſumiturq; ex Diuo Thoma & Caietano quæſtione 83. articul. 1. ad 2. Et patet, quia ſæpè voluntas ex affectu vnius virtutis applicatur ad vſum alterius in ordine ad aliquem effectum, quem prior virtus appetit. Sic enim ex affectu proprio pœnitentiæ qualis eſt intentio reſarciendi Diuinam iniuriam per peccatum commiſſam, mouetur homo ad eliciendam contritionem, quæ eſt proprius actus charitatis, & ſimiliter è contrario ex affectu charitatis poteſt voluntas moueri ad eliciendum actum pœnitentiæ, non eſt enim inconueniens inter virtutes dare hunc circulum ſecundum actus diuerſos. Ita ergo quoties homo appetit aliquod bonum per quamcumque virtutem voluntatis. & per fidem, vel prudentiam indicat oportere, à Deo petere auxilium ad illud bonum obtinendum, tunc ex illo affectu applicatur Religio ad illud officium exequendum. Et ita ſe habet Religio tanquam interuentrix, & mediatrix inter alias virtutes & Deum vt petitiones, ſeu deſideria omnium præſentet.

Religio eſt mediatrix inter cæteras virtutes & Deū ad petitiones illarum ipſi præſentādas.

10. Vbi (vt hoc magis conſtet) conſiderandum eſt, quod quando vna virtus indiget ope alterius, non ſolùm quoad materialem actum illius (vt ſic dicam) ſed etiam quoad formalem honeſtatem eius, tunc virtus mouens non poteſt eſſe eliciens, ſed tātum imperans, quia tunc ad talem actum eliciendum neceſſe eſt vt fiat ex motiuo proprio virtutis motæ, cuius auxilium (vt ſic dicam) ab altera imploratur. Quod apertè explicatur in exemplo dato de virtute pœnitentiæ quæ intendit expellere peccatum, ſed non poteſt ſine adiutorio charitatis, quia licèt etiam ipſa poſſit aliquem dolorem de peccato elicere, ille per ſe non ſatis eſt, ſed oportet fieri ſummo quodammodo dolore, qui fieri non poteſt. niſi ex proprio motiuo charitatis, & ideo neceſſe eſt, vt ex tali intentione pœnitentiæ, ſi efficax eſt, applicetur volūtas ad eliciendam contritionem propriam charitatis. Ad hunc ergo modum dicimus in præſenti, ad impetrandum à Deo efficaciter quod petimus, neceſſarium eſſe petere, nō quocumque modo, ſed exhibendo Deo cultum, & honorem per ipſam petitionem, quia vt ſuprà oſtenſum eſt, in petitione noſtra reſpectu Dei nihil aliud conſiderari poteſt, ob quod ſit apta ex parte noſtra ad impetrandum à Deo, qui iam cognoſcebat deſiderium noſtrum prius, quam per orationem illud proponeremus. Ergo indigent aliæ virtutes auxilio petitionis, non materiali quodammodo, vt ſic dicam, ſed formali quatenus cultus Dei eſt, & ideo non eliciunt petitionem, ſed Religionem mouent, vt illam eliciat.

Media cultus exhibitione rem deſideratam à Deo accipimus.

Ratio difficultatis initio poſita, & eius confirmatio expediuntur.

11. Cum ergo in propoſita difficultate dicitur, eiuſdem virtutis eſſe intendere finem, & applicare media, diſtinguendum eſt illud verbum *applicare*, nam ſi intelligatur, eliciendo actum, qui aſſumitur vt medium, non eſt in vniuerſum verum, ſed ſolùm quando ille actus non habet ex intrinſeco motiuo propriam honeſtatē ad aliam virtutē pertinentem, vt declaratum eſt. Si autem intelligatur ſaltem imperando, ſic verum eſt, & nihil ex eo infertur contra dicta. Cum verò in confirmatione iterum ſumitur, ex eodem motiuo aliquid peti, ex quo deſideratur: reſpondetur id eſſe verum de motiuo per modum finis extrinſeci, non autem de motiuo intrinſeco, & obiectiuo. Sic itaque quando mouemur ad orandum ex affectu ſalutis, fatemur, ſalutem eſſe motiuum orandi, ſed remotū, & per modum finis, nam proximè intendimus per petitionē ipſam Diuinum cultum, & honorem. Quod etiam ſuo modo in petitione, ſeu interceſſione humana contingere poteſt, quamuis non ſit tam intrinſecè neceſſarium, tum quia vnus homo non ita videt cor petentis, ſicut Deus, tum etiam quia petitio ad hominem poteſt habere alias rationes impetrandi præter cultum, & honorem eius, qui rogatur.

Obiectio.

12. Dices. Ergò quoties homo orat ad Deum abſque formali intentione cultus, nec exercet actum Religionis, nec conuenienter orat, ita vt exaudiri mereatur. Conſequens eſt valdè durum, & incredibile, quia illa petitio etiamſi fiat abſque intentione cultus, non eſt mala, quia eſſe poteſt ex fine bono, & in ſe non habet intrinſecam deformitatem, ergo eſt actus bonus, ergo pertinet ad aliquā virtutem: ergo poterit petitio ad Deum. ſeu oratio elici ab alia virtute præter Religionem. Reſpondere ſolet, negando primam illationem, quia ſi homo orat ad Deum, eo ipſo habet voluntatem orandi, & petendi à Deo rem decentem, vt ſupponimus, & hoc ſatis eſt, vt ille actus ſit Religionis, etiamſi talis perſona nihil actu cogitet tunc de cultu Dei in actu ſignato, & formali, vt ſic dicam, quia ſatis eſt, quod in actu exercito velit verum cultum, de quo cogitat, prudenter iudicando Deum eſſe orandum. Sed hæc reſponſio, maiori indiget explicatione, nam vt interior actus voluntatis ſubſtantialiter conſtituatur in ſpecie alicuius virtutis, neceſſe eſt, vt formaliter tendat in obiectum illius virtutis, quatenus talem honeſtatem habet, vt ex 1. 2. ſuppono. Et ratio eſt, quia aliàs, ille actus non eſt voluntarius, vt rectus & honeſtus, ſed ſolùm materialiter, quod ad virtutem non ſufficit, quia voluntas illius obiecti materialis poteſt eſſe mala. In præſenti ergo, vt affectus orandi, ſeu voluntas, à qua procedit oratio, intrinſecè, ac ſubſtantialiter ſit actus virtutis Religionis, neceſſe eſt, vt formaliter ſit ex motiuo Diuini cultus,

Reſpōdetur.

Data reſpōſio inſufficiens iudicatur.

Digitized by Google

cultus, aliàs non poteſt ex illo motiuo ſpeciem ſumere. At verò ſi is, qui petit nihil cogitat de cultu, non poteſt formaliter velle petitionem ſub ratione cultus, ergo non poteſt actum Religionis elicere.

Aliter obiectio diſſoluitur, duplici notatione præmiſſa.

13. Duo ergo mihi dicenda occurrunt. Vnum eſt, vix fieri poſſe, vt aliquis ex vera fide Deum oret, & non ſufficienter cogitet de cultu Dei, quem orando intendat. Quia non eſt neceſſe, vt cogitet de honore, vel cultu ſub his conceptibus generalibus, imò neque quod diſtinctè ſciat, petitionem eſſe cultum, aut notam, vel ſignum honoris, vel aliquid ſimile, nam ſimplices, licèt hæc ignorent, optimè orant. Satis ergo eſt, vt, qui orat, cognoſcat ſe indigere ope Dei, & quod orando velit ſe Deo ſummittere tanquam ſuperiori, & petenti, quod ſine dubio facit, quiſquis ex vera fide orat, etiamſi ex magno affectu ad rem poſtulatam, vel ex ingenti timore mali contrarij oret: imò quantò hic affectus magis mouet, tantò ſolent homines etiam ſimplices maiori ſummiſsione, & reuerentia ſummitti Deo ad orandum. Hæc ergo apprehenſio ex parte intellectus, & affectio ex parte voluntatis ſufficit, vt illa oratio ſit verus actus Religionis.

Quid ſufficiat ad orationem vt actus Religionis ſit.

14. Dico verò vlterius, quod ſi contingat, aliquem ex nimio affectu ad ſuum commodum, vel alio ſimili, nullo modo cogitare, dum petit, de ſummiſſione, & reuerentia erga Deum, nec de re cognoſcenda potentia eius, vel dependentia ab ipſo, aut aliquid æquiualens, ſed ſolum de obtinendo bono, quod cupit, vel fugiendo malo, quod timet petitionem eius materialiter quidem eſſe cultum Dei, tamen vt eſt ab ipſo, non eſſe verum actum Religionis, quia non procedit ex affectu, qui ſit actus à Religione elicitus. Hoc probat ratio facta, poteſtque facilè ſuaderi exemplis aliarum virtutum moraliũ, quotieſcumque enim exterior actus vel obſeruantiæ, vel miſericordiæ, vel ſimilis fit ſine interiori intentione, & motiuo talis virtutis non eſt actus eius niſi materialiter tantùm. Cum autem quæritur, An illa oratio tunc ſit bona, vel mala, reſpondeó. Aut ille, qui ſic orat, per ſolam naturalem inaduertentiam non intendit diuinum cultum, vel per voluntariam, & culpabilem negligentiam. Quando hoc poſteriori modo fit, actus eſt malus: quia voluntariè fit ſine debito modo, & circumſtantia. Quando verò fit priori modo actus excuſatur à malitia ex illo capite, quia quoad illam circũſtantiam non eſt actus humanus, nec deliberatus, quatenus verò ſecundum ſuam ſubſtantiam ex aliquo actu libero procedit, & propter aliquem finem fit, erit bonus, vel malus iuxta conditionem actus, & finis à quibus procedit.

An oratio ex ſolo affectu ad propriam vtilitatem ſit actus Religionis.

An talis oratio bona dicenda ſit, aut mala?

CAPVT VIII.

Vtrum oratio ſit actus ſupernaturalis, pertinensq́; ad virtutem per ſe infuſam.

1. Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi eſt, quia vel in ratione conſideratur locutio illa, quæ in intellectu fit, vel affectus orandi, qui eſt in voluntate, neuter autem ex his actibus videtur in ſe ſupernaturalis, nec pertinens ad virtutem per ſe infuſam, ergo. De actu intellectus patet, tum quia illa locutio ſolùm fit per conceptus ipſarum vocum, vt ſuprà declaratum eſt: illi autem ſunt conceptus acquiſiti merè naturales, tum etiam quia ſi actus ille, vt intellectualis eſt, eſſet in ſuo eſſe ſupernaturalis, deberet in intellectu habere aliquam virtutem, vel habitum per ſe infuſum ad eleuandum intellectum ad exercendum talem actum: nulla autem talis virtus in intellectu excogitari poteſt. De actu autem voluntatis probatur, quia non eſt magis ſupernaturalis, quàm ſit actus intellectus, ad quem mouet, ſi ergo hic actus intellectus ſupernaturalis non eſt, nec voluntatis erit.

2. 1. Concluſio. *Conci. Trid.*

In hoc puncto ſtatuendum in primis eſt, ad orandum, ſicut oportet, eſſe neceſſarium ſupernaturale auxilium gratiæ. Videri poteſt, aſſertionem hanc non eſſe ſub his terminis definitam, quia Cõcilium Tridentinum ſolum definiuit ſimilem ſententiam de actibus Fidei, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ. Nihilominus cenſeo eſſe de fide, & in Scriptura, & definitionibus Conciliorum ſatis expreſſe contineri. Nemo enim negare poteſt quin orare, ſicut oportet, ſit res magni momenti, imò capit. ſequenti oſtendemus eſſe neceſſariam ad ſalutem, at Chriſtus dixit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Ioan. 15. ergo ibi maximè orationem comprehendit. Præterea Paulus ad Romanos 8. expreſsè dixit. *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram, nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id eſt poſtulare nos docet: & facit. *Qui autem ſcrutatur corda*, id eſt Deus, ad quem oramus, *ſcit*, id eſt, approbat, vt Diuus Thomas exponit, *quid deſideret ſpiritus*, id eſt, quod deſiderare nos facit, *quia ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis*, id eſt, quia facit ſanctos, ſeu fideles poſtulare iuxta Diuinum beneplacitum, quod eſt orare, ſicut oportet, ergo ad ſic orandum neceſſaria eſt Spiritus ſancti gratia. Præterea illa generalis ſententia Pauli, *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis* 2. ad Corinth. 3. maximè comprehendit piam orationem, vt per ſe notum eſt. Demum Concilium Arauſica. 2. dãnat dicentes. *Miſericordiã non conferri petentibus, quærẽtibus, pulſantibus, & definit per infuſionem Spiritusſancti in nobis fieri, vt hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus.* Vbi tacite exponit verba Chriſti Domini dicentis. *Petite. & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Lucæ 10. ita eſſe intelligenda, vt non ſolùm gratia Dei ſit petita donare, ſed etiam auxilium ad petendum dare. Quæ etiam eſt doctrina Auguſtini in omnibus libris contra Pelagium, cuius loca referre hic neceſſarium non eſt. Solùm annotabo elegantem locum in ſermon. 171. de tempore, vbi explicando parabolam Chriſti Domini Lucæ 11. de illo, ad quem venit hoſpes noctu, & cum non haberet, quid apponeret ante illum, ibit ad amicum, &c. Declarat, hoſpitem illum eſſe Diuinam gratiam, quæ occaſione inuenta, etiam hominem in tenebris ambulantem ad orandum excitat. *Quis eſt* (inquit) *iſte hoſpes, qui in nocte venit, & hoſpitem imparatum inuenit, imò ideo nocte venit hoſpes in perpetua, & deficiente paupertate, in nocte venit hoſpes, gratia in ſumma ignorantia, in magna egentia, immittit triſtitiam, quando dicit nocturnus petitor, in tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me.* Et infrà, *ideo hoſpes ſuperuenit improuiſus ſubito, cum quiſpiam tædio afficitur preſſurarum.* Superuenit *illi orando deſiderium flendi arripiens votum, illa hora hoſpes venit gratia, vt compungat conſcientiam, ne in ſua moriatur egentia, ſed eat, & petat ad diuitem, &c.* Et concludit rem totam notanda ſententia. *Quicquid boni cogitauerit homo ſubito corde percuſſus, ſciat quia hoſpes illi venit de cælo.* Qua ſignificat orationis initium, vt bona ſit, & vtilis, ab Spiritu ſancto ſemper eſſe, & illum eſſe hoſpitem, qui ad hominem venit, quoties deſiderio, vel cogitatione orandi pulſatur, ille enim hoſpes eſt, qui dicit Apocalyp. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, &c.* His conſonat Chryſoſtomus homil. 38. in Geneſ. dicens, quòd *Gratia preces noſtras ſemper præuenit.* Vnde libr. 2. de Orando Deum illud, inquit, *auſculta ſupra vires hominis eſt miſcere cum Deo colloquium, niſi adſit vis, & actus Sancti Spiritus, ſed oportet illo*

Ioan. 15. Rom 6. *2 Corin. 3.* *Concil. Arauſ. 2.* *Luc. 10.* *Auguſt.*

tet illo præſente, ſanctuq; conantibus auxiliante ita domum ingredi, & flectere genua, poſtremo orare, ac deprecari.

3. *Orationem eſſe actum ſupernaturalem, colligitur ex neceſſitate gratiæ ad ipsã.*

Ex hoc certo principio colligimus, orationem, ſi fiat, prout oportet, eſſe actũ ſupernaturalem: ideò enim ad illum neceſſaria eſt gratia, quia ſupernaturalis eſt, neque aliunde melius colligimus, actus Fidei, Spei, & Charitatis ſupernaturales eſſe, niſi quia ſine præueniente Spiritusſancti inſpiratione, & eius adiutorio fieri non poſſunt, ſicut oportet, ſed ſimiliter oratio, qualis oportet ſine iiſdem principijs fieri non poteſt, eſt ergo ſupernaturalis actus. Atque hanc rationem videtur tangere Chryſoſtomus loco proximè allegato, dum poſt citata verba ſubiungit. *Poſtquam enim maius eſt hominis viribus ſermonem miſcere cum Deo opus eſt, vt gratia ſpiritus veniens in nos confirmet, addatque fiduciam, ac doceat nos honoris magnitudinem.* Vt autem modum, & rationem huius ſupernaturalitatis explicemus, diſtinguamus illa duo, quæ in ratione dubitandi proponuntur. ſcilicet, affectum orandi, & petitionem. quatenus locutio intellectus eſt. Et incipiendo ab hoc ſecundo declaro ſupernaturalitatem illius actus ex verbis Pauli 1. Corinth. 12. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto,*

Ratio dubitandi poſita in principio declaratur.

1. Cor. 12.

Si enim conſideremus materialem illam locutionem, actio quidem proferendi terminos illos in ſua entitate ſupernaturalis non eſt. Immo etiam ſi quis confiteatur Dominum Ieſum fide quadam humana: illud non profert in Spiritu ſancto, vt in hæreticis manifeſtum eſt. Nam licet illa qualiſcumque humana fides Spiritusſancti reuelationem ſupponat, ille tamen, qui ſic loquitur, non innititur illi reuelationi ſed ſuæ opinioni: & ideo tunc in Spiritusſancto non loquitur: tunc ergo aliquis dicit Dominum Ieſum in Spiritusſancto, quando id confitetur ex vera fide Diuina, & in Spiritusſancti teſtimonio fundata quod facere nõ poteſt niſi eiuſdẽ Spiritus S. inſpiratiõe, & adiutorio. Ita ergo locutio, quã in intellectu noſtro formamus ad petẽdũ à Deo, ſi materialiter ſpectetur, quantũ ad conceptus, per quos loquimur, quid naturale eſt, & acquiſitum, ſicut etiam verba quibus voce petimus, naturalia ſunt. Conſiderando autem locutionem illam, quatenus in firma, & infallibili fide fundari debet, & niti etiam in ſpe certa ex promiſſione Diuina, ſic plane eſt actus ſupernaturalis, quia continet ſupernaturalis fidei profeſſionem, & participat ſuo modo firmitatem Spei. & niſi has conditiones habeat, non eſt, qualis oportet. Atque hac ratione dixit Hilarius in Pſalm. 118 Octon. 3 & 4 *Orationis clamorem in fidei ſpiritu poſitum.*

Quando locutio intellectus ad petendũ à Deo ſit actus ſupernaturalis.

Hilarius.

4. *Quamobrẽ ad ſupernaturalitatem Orationis prout eſt in intellectu, non ſit neceſſarius habitus infuſus.*

Atque hinc obiter intelligitur (quod etiam in ratione dubitandi poſtulatur) cur non ſit neceſſarium ponere in intellectu ſpecialem habitum infuſum, à quo immediatè eliciatur oratio, prout in intellectu eſt. Ratio autem eſt, quia ad locutionem ſecundum ſe ſpectatam non eſt neceſſarius ſpecialis habitus præter ſpecies illarum rerum, de quibus loquimur, & illarum nominum, quibus eas ſignificare ſolemus: nam per conceptus eorum interius loquimur, vt ſupra dixi. Ad alia autem iudicia, vel cognitiones quæ antecedunt, vel conſequuntur ad affectum orandi, vel ad dictam locutionem ſufficiunt virtutes, & dona, quæ ad ſanctè operandum in alijs materijs deſeruiunt, vt Fides, per quam primò, & præcipue intellectus eleuatur in Deum & conſiderat illum præſentem per immenſitatem, & confitetur omnipotentem, bonum, ac fidelem, &c. Ad iudicandum autem practicè, hunc Deum eſſe colendum per orationem, vel eſſe conueniens, aut expedire aliquid ab eo petere, ordinariè ſufficit prudẽtia infuſa: interdum, ſi homo ſit magis perplexus, ignorando quid orare oporteat, neceſſarium erit donum concilij, illudque ſufficiet: nam mediante illo Spiritusſanctus poſtulat pro nobis peculiari, & extraordinario modo. Quia verò in oratione mentali latius ſumpta alij actus intellectus interueniunt (quos meditationis voce nunc comprehendimus, in ſequenti enim libro fuſiùs explicandi ſunt) omnes illi vel ſunt immediatè à Fide, vel per proprium diſcurſum ex principijs Fidei colliguntur, interueniente aliqua alia cognitione naturali experimentali aut quaſi Theologica. & ideo ordinariè vltra fidem non ſunt neceſſarij alij habitus ad huiuſmodi actus præter illos, qui ipſo vſu acquiruntur. Quando autem contingit, exercere hos actus modo magis ſupernaturali, ſufficienter fiunt per dona ſcientiæ, ſapientiæ, & intellectus. per quæ (vt ego opinor) Spiritusſanctus mouet ſpirituales viros, quando vel per eleuatam contemplationem, aut per ſupernaturales meditationes Diuina myſteria conſiderant. Ita ergo ſatis conſtat, qualis, & quanta ſit ſupernaturalitas orationis, prout in intellectu exiſtit.

Hinc ad voluntatem deueniendo facile intelligitur quomodo affectus orandi ſupernaturalis ſit, & infuſus. Quod poſſumus explicare ex definitione illa Concilij Arauſicani, Canon. 5. ex qua habetur affectum, ſeu voluntatem credendi eſſe actum ſupernaturalem. Nam inde cum proportione argumentamur. Ideo voluntas credendi ſuper naturalis eſt, quia credere, ſicut oportet, ſupernaturale eſt, neque enim poteſt voluntas ſuis naturalibus viribus mouere intellectum efficaciter, vt ſupra ſe eleuetur, & ſupernaturalem actum eliciat. Ita ergo affectus orandi, ſicut oportet, ſupernaturalis eſt, quia intellectum mouet efficaciter ad ſupernaturalem actum. Deinde voluntas ad talem affectum proximè mouetur à prudentia infuſa, quæ iudicat de oratione fundenda ex regulis Diuinis, non ex humanis, & ideo ad ſupernaturalem affectum mouet. Propter quæ cenſeo, actum illum eſſe in ſubſtantia ſua ſupernaturalem, & Religionem, ad quam pertinet, eſſe virtutem per ſe infuſam, vt ſuprà contra Durandum dixi. Quod ſi in voluntate conſideremus affectum illum vel deſiderium rei poſtulatæ ex quo naſcitur affectus, & deſiderium petendi etiam illud prius deſiderium ſolet eſſe actus ſupernaturalis, vel ipſius Religionis, vt eſt deuotio, ſeu generalis affectus ad cultum Dei, vel poteſt eſſe actus charitatis, vel pœnitentiæ, vt ſuprà declaraui. 5.

Supernaturalitas affectus orandi declaratur.

Concil. Arauſic.

Dices: Fieri poteſt interdum, vt affectus orandi oriatur ex alio affectu merè naturali, & acquiſito, ad quem non ſit gratia neceſſaria, vel ex deſiderio ſalutis, vel euadendi imminens periculum mortis, vel alio ſimili: negari enim non poteſt, quin hi affectus ſint naturales, & abſque gratia haberi poſſint, ergo etiam affectus orandi, qui inde naſcitur, erit naturalis. Patet conſequentia, quia ſicut voluntas non poteſt per naturalem affectum mouere intellectum ad ſupernaturalem actum, ita non poteſt per affectum naturalem ſe ipſam excitare ad ſupernaturalem affectum, alioquin haberet ſupernaturalis affectio initium à naturali, quod dici non poteſt. 6. *Obiectio.*

Reſponderi poteſt (iuxta opinionem dicentem, gratiam eſſe neceſſariam ad ſingula opera moraliter bona, etiamſi ſint ordinis naturalis) duobus modis haberi poſſe deſiderium ſalutis corporalis, vel aliud ſimile, vel cum omnibus circumſtantijs ad honeſtatem actus, vel ſine illis. Si fiat priori modo, iam actus ille eſt ex gratia, & ideo mirum non eſt, vt mouere poſſit ad affectum orandi, ſicut oportet, qui gratiam requirat. Si autem fiat poſteriori modo, etiam petitio ad quam mouet non habebit circumſtãtias omnes neceſſarias ad ſanctam, 7. *Diſſolutio.*

& ho-

& honeſtam petitionem, & ideo nihil refert, quod haberi poſſit ſine gratia. Hæc vero reſponſio procedit ex falſo fundamento, de quo latius alibi tractaui, quia nihil impedit, quominus affectus ad procurandam vitam patris ægroti honeſtus intra limites naturæ haberi poſsit cum omnibus circumſtantiis neceſſariis, & ad breue tempus, in quo grauia impedimenta non occurrunt, abſque ſpeciali auxilio gratiæ. Et deinde illa reſponſio non ſatisfacit, quia ſine dubio æquiuoce vtitur nomine gratiæ. Nam gratia illa, quæ dicitur neceſſaria ad honeſtum deſiderium ſalutis ſolum eſt naturalis cogitatio data tempore congruo, & opportuno, qua non obſtante, ille affectus ſalutis in ſe mere naturalis eſt, & acquiſitus, affectus autem orandi, ſicut oportet, eſt actus ordinis ſupernaturalis, & ad illum eſt neceſſaria vera gratia inſpirationis, & illuminationis ſupernaturalis, vt probatum eſt, ergo non poteſt illud naturale deſiderium ſalutis, quantumcunque honeſtum hunc orandi affectum excitare, cum ſit longe altioris ordinis.

Reſponſio data refellitur.

8. *Germana ſolutio obiectionis.*

Dico ergo non eſſe inconueniens, quod ex bono affectu naturæ, accedente, & quaſi interſerente ſe Spiritus ſancti gratia ſubleuetur homo ad affectum ſupernaturalem orandi. Ita ſumitur ex Diuo Thoma 2.2. quæſtione 83 articulo 16. dicente: *Orationem peccatoru ex bono natura deſiderio Deus audit, ſi neceſſaria ad ſalutem pie, & perſeueranter petat*, talem enim orationem certum eſt ſine auxilio gratiæ fieri non poſſe, & tamen addit Diuus Thomas poſſe oriri ex deſiderio naturæ. Quando autem hoc deſiderium eſt omnino naturale, non poteſt quidem per ſe mouere ad orationem ſupernaturalem, poteſt tamen excitare aliquo modo fidem per modum obiecti, vel occaſionis, & mediante fide cum adiutorio Spiritus ſancti generare affectum ſupernaturalem orandi Deum per fidem propoſitum tanquam auctorem omnis boni, qui naturæ legibus non coarctatur. Neque eſt inconueniens, vt naturalis affectus hoc modo præbeat occaſionem orationi ſupernaturali, quia illud deſiderium non ſe habet vt meritum, vel diſpoſitio ad gratiam, ſed ſolum vt obiectum, quo Spiritus ſanctus vtitur vt inſtrumento ad excitandam animam.

D.Thom.

9. *An gratia ſanctificans ad orãdum ſit neceſſaria? Vide Cordubam lib.1. q.50 puncto 4.*

Quæret vero aliquis, An ad orandum, ſicut oportet, neceſſaria ſit gratia ſanctificans? Reſpondeo duo poſſe in oratione conſiderari. Primum, quod ſit honeſta, pertinenſque ad ordinem ſupernaturalem: ſecundum, quod ſit efficax ad impetrandum. Ad primum certum eſt, non eſſe neceſſariam gratiam ſanctificãtem, quia peccatores fideles poſſunt & mente, & voce orare, etiamſi in peccato maneãt, neque propterea nouam culpam committunt, vt eſt certiſsimum ex communi vſu, & ſenſu Eccleſiæ. Et quia ipſa oratio eſt vnum ex potiſsimis mediis ad impetrandum à Deo auxiliũ ad conſequendam gratiam media pœnitentia debita. Dices, videri contra reuerentiam Deo debitam audere cum Deo loqui in tali ſtatu, & inimicitia eius, & ab eo beneficia poſtulare. Reſpondetur: Supponimus abeſſe contemptum, & peccatorem cum timore, & reuerentia poſtulare, & tunc dicimus circumſtantiam perſonæ quoad dignitatem gratiæ non eſſe ſimpliciter neceſſariam, vt actus illi honeſte fiant, quia qui ſic orat, non fundatur in dignitate ſua, ſed in Dei bonitate, qui etiam peccatores ad ſe vocat & ad colloquendum ſecum admittit. Ad hanc ergo honeſtatem conſideranda eſt actualis motio Spiritus ſancti, quæ ſufficit, vt actus ſit etiam ſupernaturalis, etiamſi habitus gratiæ non intercedat, & ideo Chryſoſt. in præfatione ad Pſal. 4. & in homilia de Profectu Euangel. j to. 3. peccatores exhortatur ad orandum, *etiamſi plurimis malis pleniſſimi ſint*. Imo etiam impetrationem eis promittit. Vnde quod ad ſecundum attinet, non eſt dubium, quin talis oratio ſæpe exaudiatur, an vero, eius impetratio ſit infallibilis, dicemus inferius de impetratione tractantes.

Obiectio.

Solutio.

Chryſ.

Tandem, quæri poteſt, An homo ſolo lumine naturæ ductus poſsit aliquomodo orare Deum ex libera tantum voluntate abſque alio auxilio gratiæ? Ad quod breuiter reſpondeo, duo poſſe in oratione ſpectari. Vnum eſt cognitio, & exiſtimatio, quam de Deo ſupponit: alterum eſt ipſa formalis oratio, ſeu petitio. Quoad primum certe difficile eſt, per ſolum naturale lumen, nulla reuelatione, nec proxima, nec remota interueniente, ea cognoſcere de Deo, quæ neceſſaria ſunt ad petendum ab eo. oportet enim cognoſcere Deum habere non ſolũ ſcientiam eorum, quæ hic aguntur, & ea attendere, curare, ac prouidere, ſed etiam poſſe præter curſum naturæ operari ad donandum ea, quæ ab ipſo petuntur: quia niſi talis exiſtimatio de Deo habeatur, non poteſt apprehendi vt vtilis oratio, ad aliquid ab ipſo obtinendum. Hæc autem cognitio per ſolum naturæ diſcurſum ſatis difficilis eſt, & ideo vix credo, eſſe poſsibilem talem modum naturalis orationis. At vero ſi ex parte intellectus ſupponatur talis exiſtimatio de Deo, etiamſi tantum per humanam opinionem, & traditionem concepta ſit, iuxta illam etiam poterit proportionata petitio, ſeu oratio fieri per naturales vires liberi arbitrij, quia talis actus eſt imperfectus, etiamſi poſsit non eſſe malus. Ad hunc modum eſt aliquis motus orationis in hæreticis, & in Iudæis, & in Paganis non idololatris, vt vſu ipſo conſtat. Quia non eſt neceſſe, vt illa oratio ſit intrinſece mala, quia licet illi infideles in aliis errent circa Deum, in illa exiſtimatione Dei, quam ad orandum ſupponunt, per ſe non errant, vnde nihil falſum per talem orationem profitentur, neque alteri, quam vero Deo illum cultum tribuunt. Vnde ſi alioqui decentia petant, & debito modo (quod non repugnat) non eſt, vnde actus ille habeat malitiam. Non eſt autem ſupernaturalis, quia nec fundatur in fide nec in certa ſpe promiſsionis Diuinæ. Et ideo dici poteſt actus ille ex ſuo genere acquiſitus, cui non repugnat, interdum honeſte fieri ſine ſpeciali auxilio gratiæ. Et fortaſſe huiuſmodi orationem vocauit Concilium Arauſicanum. 2. Canon. 3 & 6 *Inuocationem humanam*: talem enim videntur poſuiſſe Semipelagiani, eique initium ſalutis, & fidei attribuiſſe. Qui in hoc grauiter errarunt, non quia dicerent, talem actum eſſe poſsibilem (in hoc enim nunquam reprehenduntur, vel in illo, vel in alio Concilio, vel ab Auguſtin. aut aliis Patribus) ſed quia talem orationem putabant eſſe poſſe cauſam gratiæ, aut qualem eſſe oportet eam orationem, quæ ad æternam vitam aliquid conferat, de qua re alibi latius dictum eſt.

10. *Dubij cuiuſdam explicatio.*

Quomodo orent hæretici, Iudæi, & Pagani non idololatræ.

Concil. Arauſic.

CAPVT IX.

Quomodo ſolus Deus à nobis orandus ſit.

HActenus dictum eſt de orationis honeſtate, conuenientia, ac neceſsitate. Oportet nunc exponere omnes circumſtantias in ea ſeruandas, vt ſancte, & honeſte fiat. Quod præſtabimus diſcurrendo fere per omnes circumſtantias humanorum actuum, quatenus peculiari modo in oratione ſpectari poſſunt. Et imprimis oratio, quatenus petitio eſt, habitudinem dicit ad tres, vel quatuor res, vel perſonas, aut terminos. Oportet enim interuenire eum, qui petit, ab aliquo petere, & aliquid & alicui petere. Inter quæ is, à quo fit petitio, videtur eſſe quaſi formale obiectum orationis, & ideo de illo primo loco tractamus cum D. Thom. d. quæſt. 83. articul. 4. Satis autem conſtat ex hactenus dictis, orationem ad Deum eſſe fundendam, nam hoc

1. *Oratio dicit habitudinẽ ad quatuor res.*

D.Thom.

oſtendunt omnia, quæ hactenus de oratione dicta ſunt, quia oratio eſt actus Religionis, & verum, ac debitum Dei cultum continet, ergo ad Deum maxime fundenda eſt.

Solus Deus orãdus eſt ſecundũ aliquã rationẽ. D. Thom. Ratione declaratur.

2\. Atque hinc vlterius in titulo propoſito tanquam certum ſupponimus, orationem ſub aliqua ratione, & conſideratione ad ſolum Deum eſſe fundendam. Ita docet D. Tho. in d. art. 4. & conſtabit auctoritate Scripturæ, & Patrum ex dicendis cap. ſequenti. Ratione declaratur, quia oratio ſub aliqua ratione pertinet ad cultum latriæ, ſed cultus latriæ ſoli Deo tribuendus eſt ſecundum fidem, ergo etiam oratio ea ratione, qua continet talem cultum ad ſolum Deum dirigi poteſt. Item ſupra oſtẽdimus, Religionis virtutem per ſe, & abſolute circa ſolum Deum verſari, ſed oratio eſt proprius actus Religionis, & continet cultum valde abſolutum, id eſt, fundatum in propria excellentia perſonæ, ad quam per ſe primo refertur, nam reſpicit illam vt intelligentem, & vt bonam, ac excellentem. & vt potentem ad præſtandum id, quod ab ea poſtulatur, & deſideratur, ergo oratio ſic facta ex Religione ad ſolum Deum conuenienter dirigi poteſt.

D. Thom. ratio ad idem probãdum.

3\. D. Tho. autem in d. art. 4. proprietatem, vel, vt ſic dicam, ſingularitatem huius orationis ratione quadam declarat, quæ difficultatem ingerit: ait enim, ſi oratio fiat ad aliquem tanquam per ipſum implenda, non poſſe fieri, niſi ad Deum, quia omnis oratio noſtra ordinari debet ad gratiam, vel gloriam conſequẽdam: ſolus autem Deus per ſe poteſt gratiam, & gloriam præſtare In qua ratione imprimis dubitari poteſt, quomodo verum ſit, omnem orationem noſtram debere ad gratiam, & gloriam conſequendam ordinari. Nam vel eſt ſenſus, hoc eſſe neceſſarium ad honeſtatem orationis, & hoc eſt falſum, vt infra oſtendemus, quia licet à Deo petere bona temporalia propter naturæ commoditatem rationi conſentaneam, etiam ſi nihil de gratia, vel gloria cogitetur. Vel ſi tantum requiratur ad melius eſſe, non deſeruit ad concluſionem inferẽdam, vt conſtat. Deinde, quæ eſt neceſsitas recurrendi ad hoc, quod Deus ſolus ſit auctor gratiæ & gloriæ, vt ſolus ipſe orandus ſit, tanquam is, qui per ſe poteſt facere, quod poſtulatur? quia non ſolum gratiam, vel gloriam, verum nec minimum aliquod bonum poteſt aliquis præter Deum per ſe ipſum conferre, ergo ſi oratio fiat ad aliquem vt per ſe auctorem boni poſtulati, de quocũq; bono fiat, ad Deum tantum fieri poteſt, etiamſi tale bonum neque ſit gratia, neq; gloria, neq; ad eam referatur.

Videtur eneruari poſſe.

Vnde probatur adæquate, peculiariter ſolum Deum orandum eſſe.

4\. Dico igitur, propriam, & adæquatam rationem petendi à Deo modo illi proprio & incommunicabili creaturæ eſſe, quia oratio ad Deum fieri debet tanquam ad principalem auctorem boni poſtulati, qui per ſe ipſum illud conferre poteſt. In illa autem particula, *Per ſe ipſum*, includitur primo, quod propria virtute poſsit conferre bonum, quod poſtulatur. Secundo, vt in eo bono conferendo, ſi velit, à nullo pendeat. Tertio, quod à nemine impediri poſsit. Quarto, vt ipſe ſua virtute, & voluntate poſſit, vel auferre impedimenta, vel diſponere omnia aliunde neceſſaria, vt talis effectus fiat. Itaque in ſumma eſt petere ab aliquo vt à primo Auctore illius boni, quod petitur, & inſuperabili, vt ſic dicam, in eo conferendo, ſi velit. Oratio ergo procedens ex hac exiſtimatione, & fide in ſolum Deum cadere poteſt. Et ſub ea ratione fieri debet, vt cultum latriæ contineat, vnde niſi ita fiat ad Deum, non recte fit, & ſi ad alium fieret, non eſſet vera oratio quam ſupra diximus debere eſſe actum honeſtum, ſed eſſet execranda petitio, & actus idololatriæ. Nam per eam tribuerentur creaturæ propria attributa Dei.

Ex eodem capite probatur ſolum Deum orandũ eſſe etiã ad naturæ bonum obtinendum.

5\. Hæc ergo eſt generalis ratio, ob quam, & ſub qua ſolus Deus orandus eſt, & habet locum in poſtulatione cuiuſcunque boni, ſiue pertineat ad ordinem gratiæ, & gloriæ, ſiue ad ordinem naturę, & ſiue hoc referatur ad illud, ſiue non, dummodo in ſe tale ſit, vt decenter à Deo poſtulari poſsit. Quod ideo addo, quia bonum ex integra cauſa, & malum ex quocunque defectu. Vnde ſi quis poſtularet à Deo tanquam à primo Auctore, & ſub ratione explicata auxilium peculiare ad occidendum inimicum, vel vindictam de illo ſumendam, quamuis non erraret profitẽdo Deum vt primum Auctorem omnis realis effectus, nihilominus neq; illum coleret, neque Religionis actum faceret, quia rem indecentem, & alienam à Dei bonitate ab ipſo poſtularet, oportet autem per orationem non ſolum profiteri Deum omnipotentem, ſed etiam ſumma bonitate, & ſapientia operantem. Supponenda ergo eſt capacitas materiæ, ſeu decentia reſpectu Dei, & circa illam oratio propria ſolius Dei eſt, quod ab illo petatur vt à primo Auctore. Atq; ita intelligitur facile, quomodo oratio non ſolum ſit actus latriæ infuſæ, quando petuntur dona gratiæ, ſed etiam quando petuntur bona naturæ, quia recognoſcere Deum, vt primum Auctorem eorum: modo declarato, & profiteri illud cum firmitate, & certitudine, opus eſt gratiæ, non naturæ.

Ratio D. Thomæ ſupra poſita nõ videtur adæquata.

6\. Cur ergo D. Thomas hanc rationem reduxit ad illud principium, quod ſolus Deus eſt Auctor gratiæ, & gloriæ. Nam hoc principium magis reſtrictum, & limitatum eſt: Nam Deus non tantum illo modo à nobis explicato eſt proprius, & ſingularis auctor gratiæ, & gloriæ, ſed etiam quia ſolus ipſe poteſt eam dare propria virtute, etiam in ratione cauſæ proximæ principalis. Ex quo optime infertur, gratiam, & gloriam peculiari quidem titulo à ſolo Deo eſſe petendam, tamen inde non ſequitur, illam eſſe adæquatam rationem, ſecundum quam ſingulariter eſt orandus Deus: alias reliqua omnia bona, quæ non ſunt gratia, & gloria, neque ad eum finem referuntur à petente, æque poſſent poſtulari à creatura, ac à Deo ipſo, quod conſtat dici non poſſe. Imo etiamſi orans deſideraret bona temporalia propter gratiam, & gloriam, poſſet illa petere ab alio qui poſſet ea dare, etiamſi non poſſet dare gratiam, & gloriam. Vt ſi quis deſideret ſtudium propter beneficium obtinendum, nihilominus bene petit auxilium ad ſtudendum, ab aliquo, qui poteſt illud dare, quamuis beneficium dare non poſsit. Sic ergo ſi ratio adæquata, ob quam ſolus Deus peculiari modo orandus eſt, eſſet, quia ſolus poteſt dare gratiam, & gloriam, ſolum haberet locum in illa oratione, per quam petitur gratia & gloria, non vero in petitione inferiorum bonorum, etiamſi ex intentione, & deſiderio petentis propter gratiam, & gloriam petantur.

Quomodo explicetur à Caiet.

7\. In explicanda illa ratione laborat Caietanus, & in ſumma dicit, orationem non ordinatam ad conſecutionem gratiæ, & gloriæ, etiamſi mala non ſit, non eſſe ſimpliciter orationem, quia non eſt actus Religionis, neque ad ipſius ordinem pertinet: ſentitque omnem orationem factam in peccato mortali eſſe huiuſmodi, quia non ordinatur ad finem vltimum charitatis. Vnde etiam conſequenter ſentit omnem orationem factam ex fide, & Religione ordinari ad gratiam, & gloriam conſequendam. Vnde concludit Diuum Thomam locutum eſſe de hac oratione, quæ ex fide, & Religione procedit. Sed non video neceſsitatem, ob quam in has anguſtias redigamur, & in rigore, nec veritatem video in illis propoſitionibus. Nam imprimis exiſtimo, fidelem peccatorem poſſe elicere actum orationis ad Deum, qui actus ſecundum ſpeciem ſuam pertineat ad Religionem infuſam, quamuis in illo ſtatu non eliciatur ab habitu, ſed ab auxilio: Nam, vt ſuppono, idem actus ſecundum ſpeciem elici poteſt ab illo, qui non habet habitum, etiam in ſuper-

Non admittitur eius expoſitio.

natura-

naturalibus actibus. Et in præſenti patet, quia poteſt peccator fidelis ex fide petere à Deo, & gratiam, & remiſsionem peccati, media pœnitentia, poteſtque id petere, ſicut oportet, vt per ſe conſtat, & ſupra etiam dictum eſt. Vnde vlterius infero, poſſe peccatorem fidelem petere aliquid à Deo oratione vera & ſupernaturali, etiamſi ex intentione ſua non ordinet bonum, quod petit, ad gratiam, & gloriam. Probatur, quia oratio proxime, ac formaliter non habet, quod ſit ſupernaturalis ex eo, quod res poſtulata propter ſupernaturalem finem ab orante poſtuletur, nam hic finis extrinſecus eſt, & actus non habet ſpeciem ſuam ex fine extrinſeco, ſed ex obiecto formali, & intrinſeco.

Vnde penſanda ſit ſupernaturalitas orationum.

Eſt ergo illa oratio ſupernaturalis, quatenus fit ex fide, & quatenus regulis ſupernaturalibus conformatur, & ideo nititur in Deo, vt in auctore ſupernaturali aliquo modo, ſiue collaturus ſit bonum illud propter ſupernaturalem finem gloriæ, ſiue propter aliam cauſam. Vnde talis petitio boni naturalis ordinis propter conuenientiam cum natura, non addita relatione ad gloriam ex parte petentis, nec formali, nec virtuali, non ſolum in peccatore fideli, ſed etiam in homine iuſto eſſe poteſt modo ſupernaturali, atque adeo ex Religione infuſa, quia ſola gratia habitualis ex ſe non præbet illam relationem.

8. *Obiectio. Dilutio.*

Dices. Ipſa oratio eo ipſo, quod ſupernaturalis eſt, & à virtute infuſa, ex ſe, & ex natura ſua tendit in ſupernaturalem finem gloriæ Reſpondeo, nos nunc non agere de ipſa oratione, ſed de bono poſtulato per orationem, quando naturale eſt, licet ſupernaturali modo petatur, & ideo etiam tunc bonum illud ex ſe non tendit in finem ſupernaturalem, niſi ab orante referatur: non refertur autem ex eo tantum, quod ſupernaturaliter petitur, niſi petatur vt medium ad finem ſupernaturalem. Nam cæcus, qui petebat viſum, certe petebat miraculoſo, atque adeo ſupernaturali modo ſibi reſtitui viſum, & tamen nondum eo perueniebat, vt corporalem viſum propter gloriam deſideraret.

Addo denique, etiam in ordine orationis naturalis, & acquiſitæ, quam Caietanus ponit, fatendum eſſe dari proprium, & peculiarem modum orandi Deum incommunicabilem creaturis, ſic enim nunc Iudæus, vel Paganus, qui verum Deum agnoſcit, ſolum ipſum orat tanquam primum auctorem, & principium rerum, & contra rationem naturalem ageret, ſi eo modo ab alio, quam à Deo peteret. Et Gentes colentes idola non ſolum committunt idololatriæ peccatum adorãdo falſum Deum, ſed etiam petendo, & orando ipſum, etiam ſi non petant, niſi temporalia bona, & mere naturaliter. Igitur diſtinctio illa triplicis orationis ordinatæ ad gloriam, non ordinatæ, & inordinatæ contrarie, quam Caietanus hac occaſione affert, & doctrina, quam in ea fundat, nec neceſſaria, nec ſolida videtur, nec ſufficiens ad explicandam, ac defendẽdam rationem D. Thomæ.

10. *Auctoris iudicium circa rationem D. Thomæ.*

Duo ergo circa illam rationem, & obiectionem factam mihi dicenda occurrunt. Vnum eſt, rationem illam fore facilem, & ſatis conuenientem, ſi nomine gratiæ non intelligeremus ſolam gratiam ſupernaturalem, ſed in vniuerſum omne beneficium non debitum homini, & dandum illi per ſuperiorem aliquam prouidentiam, quæ, ſi neceſſe ſit, excedat communem curſum naturæ, & cauſarum ſecundarum. Nam reuera omnis oratio, quæ ad Deum fit modo illi proprio ac ſingulari, poſtulat à Deo, quantum eſt ex ſe, aliquod ſimile beneficium, nam ſi Deus nihil poſſet conferre, niſi per cauſas naturales, & ſecundum communem curſum earum, inutilis eſſet petitio à Deo, vt ex ſupra dictis conſtat, ergo qui à Deo petit, ſub illa exiſtimatione, & ea intentione petit, ac proinde ſemper poſtulat aliquomodo gratiam, & talem, qualem nullus alius præter Deum concedere poteſt, quia nullus alius eſt auctor totius naturæ, neque habet in manu ſua curſum eius, niſi ipſe: Nam licet Dæmones poſsint aliquomodo impedire inferiores cauſas, vel applicare illas per motum localem, tamen neque in hoc poſſunt libere quantum volunt, ſed quantum permittuntur: nec etiamſi permittantur, ſemper valent efficere quod cupiunt, maxime in his quæ pendent ab arbitrio humano. Deus autem ſimpliciter poteſt conferre beneficium, quod ab eo poſtulatur, & ideo oratio ad Deum ſemper eſt petitio alicuius gratiæ, quam ſolus ipſe conferre poteſt. Certe improbare non poſſunt doctrinam hanc, & rationem, quæ ſic declarata coincidit cum ea, quam à principio dedimus: Tamen neque etiam poſſum aſſerere D. Thom. in hoc ſenſu vſum fuiſſe nomine gratiæ, quia aliud conſtat ex loco Pſalmi, quem allegat, & ex diſcurſu articuli.

11. *D. Thom.*

Vnde poſſumus ſecundo dicere D. Thom. non fuiſſe ſolicitum de reddenda adæquata ratione, ob quam Deus ſpeciali quodam, & ſingulari modo orandus eſt, quacunque ratione, vel fine aliquid decens ab eo petatur, ſed conſideraſſe conuenientiorem orandi modum, quem ſeruare debent omnes, qui recta fide, ac Religione orant. Atque ita ſpecialem tantum rationem reddidiſſe, propter quam ſecundum illam orandi rationem ſolus Deus orari poteſt. *Caiet.* Quod ſane etiam Caiet. in re ipſa concedit, ait enim, Diuum Thomam ſolum fuiſſe locutum de oratione, qua formaliter, vel virtute petitur gloria, aut aliquod medium ad gloriam, quatenus medium ad illam eſt. Et nihilominus non dicit, omnem aliam orationem fuiſſe malam, aut non poſſe fieri ex fide, & motiuo cultus Diuini, quod ſatis eſt, vt illa ad ſolum Deum fundi poſsit, ergo neceſſe eſt, vt concedat illam rationem, quæ ſumitur ex eo, quod ſolus Deus eſt auctor gratiæ, & gloriæ, non eſſe adæquatam. Poteſt autem inde per proportionem extendi ratio: nam ſicut gratia, & gloria non poteſt peti ab aliquo tanquam à principali auctore, quia Deus hoc ſibi vendicat tanquam proprium, ita quodlibet bonum à ſolo Deo poſtulari poteſt, quatenus ſingulari, & proprio quodam modo eſt auctor omnis boni. Addere ſubinde poſſumus Diuum Thomam non ſine cauſa ita fuiſſe de oratione loquutum: nam oratio Chriſtiana, vt ſit efficax, debet niti in promiſsione Diuina, quæ non eſt de bonis inferioribus, niſi vt ordinãtur ad gratiam, & gloriam, & ideo qui aliter petit, quantum eſt ex ſe efficaciter non petit, ac ſubinde è conuerſo, qui habet animum petendi, nixus in promiſsione Diuina, etiamſi de gloria non cogitet, propter illam petere videtur. Et in hoc ſenſu, & reſpectu talis orationis, ratio eſt ſufficiens, & optima, quia ſimul docet veritatem, & conuenientem orandi modum.

12. *Difficultas quædam orta ex ratione.*

Alia occurrit difficultas circa rationem datam: nam ex ea ſequitur, non poſſe nos aliquid poſtulare ab vna perſona Diuina, quod ab omnibus non poſtulemus: conſequens eſt falſum, ergo. Sequela patet, quia ratio ex parte Dei, ob quam ad illum ſingulariter oramus, ſiue ſit omnipotens eius voluntas, & bonitas, ſiue ſit eius promiſsio, vna eſt communis omnibus perſonis, ergo & oratio neceſſario eſſe debet omnibus communis, iuxta illud principium, *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa*: ob quam etiam adoratio eſt indiuiſa. Minor probatur ex vſu Eccleſiæ: nam ordinarie orat ad ſolum Patrem, cuius ſignum eſt, quia in fine Collectarum ſubdere ſolet: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum qui tecum, &c.* Quod ita etiam declaratur in Conc. Carthagin. 3. c. 23. Itẽ in litaniis *Concil. Carthag.*

ſigillatum

Digitized by Google

ſigillatim ad ſingulas perſonas dicit. *Pater de cælis Deus miſerere nobis, Fili, &c.*

13\.

Vide Abulenſem in c. 6. Matth. q. 88.

Difficultati poſita reſpondetur: & orationẽ ſim dirigi poſſe ad vnam perſonã Diuinam ſine reſpec. ad aliam oſtenditur.

Dicendum vero eſt, nunquam eſſe ita orandum ad vnam perſonam, vt excludantur reliquæ. Hoc probat ratio facta, quia nihil poteſt dare vna perſona ſine aliis, eſſetque ſtultum, & erroneum hoc petere, aut ſperare. Nihilominus dicimus ſecundo, licitum eſſe, loqui ſpecialiter in oratione cum vna perſona, non dirigendo locutionem ad alias ex propria, & formali intentione orantis. Hoc probat vſus Eccleſiæ. Et ratio eſt, quia illæ perſonæ vere ſunt diſtinctæ, & quatenus à nobis confuſæ, & abſtracte cognoſcuntur, poſſumus cogitare de vna, non cogitando actu de aliis. Rurſus vnaquæque per ſe ſpectata eſt verus Deus, ergo poſſumus ab vnaquaque ſigillatim petere tanquam à vero Deo, & hoc facit Eccleſia in litania, & fortaſſe id facit ad profitendam hanc fidem de diſtinctione perſonarum, & quod ſingulæ ſint verus Deus: vt autẽ profiteatur, omnes eſſe eundem Deum: ſubiungit. *Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis.* Eodem ergo modo poſſumus nos, & ore, & mente orare.

14\.

Oratio potentiis per quandam appropriationem poteſt dirigi ad vnam perſonam Diuinam, & non ad aliam. Quamobrẽ dirigat Eccleſia ſuas orationes ad Patrem?

Sæpe etiam hæc oratio accommodatur vni, vel alteri perſonæ ſecundum quandam appropriationem. Nam ſicut ſolemus attributa eſſentialia appropriare perſonis, non vt alias perſonas excludamus ab identitate in illis attributis, ſed vt proprietatem aliquam talis perſonæ indicemus, ita etiam oramus ad ſingulas per quãdam appropriationem, vt aliquid peculiare in illis recognoſcamus. Sic Eccleſiæ orationes regulariter diriguntur ad perſonam Patris tanquam ad primum principium, & fontem Diuinitatis. Quia ſicut omnipotentia ob hanc cauſam appropriatur Patri, ita ob eandem rationem ad illum dirigit Eccleſia orationes ſuas, quam rationem affert Diuus Thom. in 4. d. 15. qu. 4. artic. 5. qu. 3. ad 1. Alia reddi poteſt, quia ſolus Pater proprie dicitur miſiſſe Filium ſuum, licet tam Filius, quam Spiritus ſanctus Incarnationem etiam operati fuerint: vnde quia Eccleſia conſueuit petere propter Chriſtum, ideo ad Patrem, qui illum miſit, orationes dirigit, vt commodius addat terminationem illam: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Dum autem ad Patrem orat, non excludit alias perſonas, ſed potius virtute includit, vt notauit Tertullianus in libr. de Oratione, & ad hoc ſignificandum addere ſolet in fine orationum verba illa. *Qui tecum viuit, & regnat, in vnitate Spiritus ſancti Deus.*

Tertul.

Quando ſolus filius cõſueuerit orari ab Eccleſia?

Nonnullæ item orationes Eccleſiæ diriguntur ſpecialiter ad perſonam Filij, fortaſſe, quia ſolus Filius incarnatus eſt, & ideo maxime hoc conſueuit facere Eccleſia in his orationibus, quæ continent aliquem reſpectum, vel ad habitudinem ad perſonam incarnatam, vt videre licet in orationibus de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & in vigilia ſancti Ioannis Baptiſtæ, & in feſto ſanctæ Annæ, & ſancti Ioſeph, & ſimilibus. Inter Collectas autem Eccleſiæ non inuenimus orationem ſpecialiter directam ad perſonam Spiritus ſancti, cuius rationem D. Thom. ſupra ad 2. reddit, quia Spiritus ſanctus procedit vt donum cuius magis proprium eſt dari, quam dare, & ideo magis conſueuit Eccleſia petere, vt ſibi donetur Spiritus ſanctus à Patre & Filio, quam ab ipſomet Spiritu ſancto. Vel fortaſſe id factum eſt quia Spiritus ſanctus neque eſt principium Deitatis, ſicut Pater, neque factus eſt homo, ſicut Filius. Quamuis autem in Collectis hoc ſeruet Eccleſia, aliis modis dirigit orationes ſuas ad perſonam Spiritus ſancti, vt in litania, in hymnis. *Nunc ſancte nobis Spiritus, & Veni creator ſpiritus,* & in proſa, & aliis ſimilibus.

Cur Eccleſia non dirigat ſpecialiter ad Spiritum ſanctum aliquam orationem ex Collectis?

Eccleſia peculiariter et tam orat Spiritum ſanctum in litaniis, & hymnis.

5\.

Deum orare non perſo-

Vltimo dicendum eſt, poſſe nos orare ad Deum non orando determinate ad aliquam perſonam. Hoc conſtat, quia poſſumus imprimis orare ad Deũ vt ſic, nihil expreſſe de perſonis cogitando. Imo & ad Deitatem in abſtracto ſolet Eccleſia orare, vt in hymno Martyrum, *Te ſumma Deitas, vnaque poſcimus,* & in quodam hymno Dominicæ, *Præſtet hoc nobis Deitas beata.* Aliquando vero inuocari poteſt tota Trinitas vt ſic. Quod eſt frequens in hymnis Eccleſiæ, & apud ſanctos Patres. Obiiciunt autem quidam hæretici: nam hoc eſt contra formam orandi nobis à Chriſto datam, *Pater noſter qui es in cælis,* Matth. 6. & Ioan. 16. *Siquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sed licet daremus, in his locis nomen Patris perſonaliter ſumi, nulla eſſet illatio, quia vt diximus, non excluduntur aliæ perſonæ, & ideo licet Chriſtus ſpecialiter nominauerit Patrem, quia ab illo habet Deitatem, vt D. Thom. ſupra dixit, non excludit alios orandi modos. Deinde dicitur, probabile eſſe, (vt latius lib. 3 dicemus) in oratione Dominica nomen Patris dirigi ad totam Trinitatem, quæ nos creauit, & per gratiam filios adoptauit: & fortaſſe eodem modo ſumitur, in alio loco Ioan. 16. præſertim quia c. 14. dixit idem Chriſtus. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Quo ſignificat, quando Pater oratur, etiam ipſum orari, ſicut quod Pater concedit, ipſe etiam facit. Aliud vero dubium hinc oriebatur quomodo Chriſtus vt homo à nobis orandus ſit. Sed hoc commodius in fine capitis ſequentis dicetur.

nam abſque directione orationis ad aliquam perſonam.

Oratio etiã ſundari poteſt ad Deitatẽ in abſtracto.

Similiter orari poteſt tota Trinitas vt ſic.

Obiectio. Matth. 6. Ioan. 16. Diluitur. D. Thom.

Ioan. 16. Ioan. 14.

CAPVT X.

Quomodo rationales creaturæ poſſint à nobis orari?

1\.

Nõnulli hæretici negarunt eſſe licitum, orare Sanctos beatos.

SVb hoc titulo multa continentur, ſed præcipua difficultas eſt de Sanctis beatis ſiue Angelis, ſiue hominibus, qua expedita, reliqua facile reſolui poſſunt. Multi ergo hæretici negarunt, licitum eſſe, orare Sanctos in cœlo exiſtentes. Primus auctor huius hæreſis creditur fuiſſe quidam Euſtathius, vt ſentit Caſtro contra Hæreſ. verb. Sancti, quia de illo dicitur in Concilio Grangrenſi, loca ſanctorum Martyrum, vel Baſilicas contempſiſſe, quod magis pertinet ad cultum, quam ad orationem. Et ideo alij putant primum inuentorem huius erroris fuiſſe Vigilantium ex Hieronymo in Epiſt. 53. ad Riparium, & poſtea idem ſecuti ſunt hæretici Apoſtolici vt conſtat ex Bernard. ſermon. 66. in Cantica. Idem ſecuti ſunt Cathari, pauperes de Lugduno, & VValden. quos ſecutus eſt VVicleph. de quo VValdenſis tom. 3. capit. 108. & ſequentibus, ac tandem Lutherus, & poſteriores hæretici eundem errorem profeſſi ſunt, vt refert, & late impugnat Bellarm. libr. 1. de Cultu Sanctorum cap. 15. & ſequentibus.

Caſtro. Concil. Grangrenſ.

VVald.

Cardin. Bellarm.

2\.

Hæreticorũ fundamẽta.

Multa referuntur huius erroris fundamenta, ſed tria, vel quatuor ſunt præcipua. Primum, quia oratio continet Religioſum cultum, ſed non licet hunc cultum Sanctis tribuere, ergo neque illos orare. Adde, orationem continere cultum latriæ, nam eſt actus proprius Religionis, vt ſupra dictum eſt, & ideo Chriſtus ſolum Deum nos docuit orare, tum verbo Matth. 6. *Pater noſter, qui es in cælis, &c.* tum exemplo orando ad Patrem, Ioannis 12 & 17. Matth. 26. Secundo quia iniuriam facimus Chriſto, ſi præter illum alium mediatorem inter nos, & Patrem interponamus, ſed hoc facimus orando Sanctos, ergo Maior probatur, quia Chriſtus eſt *vnicus mediator Dei, & hominum* 1. ad Timoth. 2. Eſt ergo hæc ſingularis excellentia Chriſti, de qua etiam dicitur 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.* Minor autem probatur, quia vel Sancti ſunt orandi, vt ipſi faciant, & hoc eſt contra honorem Dei, vel vt intercedant, & ſic conſtituuntur mediatores, quod eſt contra honorem Chriſti. Tertio, quia nemo prudenter orat eum qui non audit, vel non cognoſcit orationes, Sancti

Matth. 6. Ioan. 12. & 17. Matth. 26.

1. ad Timot. 2. 1. Ioan. 2.

autem

autem non cognoſcunt, quę hic nos agimus, & conſequenter audire non poſſunt voces noſtras, quia corpora non habent, & longe diſtante nec cogitationes noſtras, quia hoc eſt proprium Dei. Quarto quia promptior eſt Deus ad dandum, quod nos petere poſſumus à Sanctis, vel per Sanctos, quam Sancti ipſi parati ſint, vel ad dandum, quod poſſunt, vel ad petendum pro nobis, quod per ſe dare non poſſunt, ergo & ſuperfluum eſt, ac inutile orare ad Sanctos, & eſt contra fiduciam, quam de Deo ipſo habere debemus, maxime cum ipſe promiſerit dare quidquid ab eo petierimus & de oratione per Sanctos facta nullam ſpecialem promiſsionem fecerit.

3\. *Homines ſanctos iam beatos, pariter, & angelos certo modo vtiliter, & ſancte orari poſſe docet fides Catholica.*

Vera autem ſententia, & de fide certa eſt, Sanctos tam homines, quam Angelos iam beatos vtiliter, & ſancte à nobis orari, ſi talis oratio debita intentione, ac modo fiat, vt ab Eccleſia & eius membris recta fide vtentibus fit. Hæc veritas his temporibus latiſsime probata eſt à Catholicis Scriptoribus contra nouos hæreticos, & ex his, quæ de Cultu Sanctorum alibi diximus, fere oſtendi poteſt, & ideo breuiter illam confirmabimus, pręſertim cum vſus Eccleſiæ, quæ columna eſt, & fundamentum veritatis ad certam fidem illius faciendam ſufficiat. Propter quod dixit Auguſt. Epiſt. 118. ad Ianuarium, inſolentiſsimum eſſe contra vniuerſalem Eccleſiæ praxim diſputare. Habet nihilominus hæc veritas fundamentum in Scriptura, nam ex illa intelligimus, ſanctos Angelos orare pro nobis, & offerre orationes noſtras Deo, Tobiæ 12. Apocal. 8. Vnde non immerito colligimus, idem eſſe officium Sanctorum hominum, ex quo æquales Angelis, quoad ſtatum beatitudinis facti ſunt, Matt. 22. Lucæ 20. Apoc. 21. Vnde quia tempore legis veteris homines iuſti non admittebantur ad beatitudinem vſque ad Chriſti mortem, ideo in veteri Teſtamento non legimus, fuiſſe conſuetudinem orandi Sanctos mortuos illo tempore, quãuis legamus, quoſdam fideles fuiſſe ſolitos petere orationes aliorum viuentium, quæ etiam commendantur in nouo Teſtamento, vt infra dicemus. Ex quo & magna ex parte eneruantur argutiæ hæreticorum, & ſumitur optimum argumentum, poſtquam certum habemus, iuſtos homines mortuos aſſumi ad beatitudinem, ſtatim ac perfecte purgati ſunt, etiam illos poſſe à nobis licite, & vtiliter orari.

Auguſt. — *Probatur è Scriptura.* — *Tob 12. Apoc 8. Matth. 22. Luc. 20 Apoc. 21.* — *Cur in veteri lege orati non fuerint ad homines iuſti?*

4\. *Probatur ex definitionibus Eccleſiæ.*

Secundo habetur hæc veritas ex definitionibus Eccleſiæ: nam in dicto Concilio Gangrenſi, cap. 20. approbantur conuentus, & oblationes, quę fiunt ad memorias Martyrum, in quibus vel expreſſe vel virtute continentur orationes ad Martyres. Et in Concilio Nicæno ſecundo, actu ſexto fit inuocatio ad ſanctiſsimam Virginem, & alios Sanctos, quod etiam in aliis Conciliis frequens eſt, & in multis Conciliis approbantur litaniæ, quæ expreſſam, & ſpecificam continent inuocationem Sanctorum, de quarum litaniarum vſu dicemus infra lib. 3. Pręterea Concilium Conſtantienſe contrarium errorem damnauit in VViclepho. Ac tandem Concil. Trid. ſeſſ. 25. decernit, retinendum eſſe *Apoſtolicæ Eccleſiæ vſum à primæuis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum*, *Sanctorumque* Patrum *conſenſionem, & ſacrorum Conciliorum decreta de Sanctorum interceſsione, & inuocatione.* Hanc autem Sanctorum conſenſionem latiſsime oſtendit ſolida eruditione Bellar. ſupra, & ideo in hoc non immoramur. Videri tamen poteſt etiam Sot. in 4. d. 45. q. 3. & Echius in Enchiridio, c. 15. Caniſius in Catechiſmo, & alij moderni.

Concil. Nicen. 2. — *Concil. Conſtant.* — *Conc. Trid.* — *Bellarm. Sot. Echius. Caniſius.*

5\. *Ratione probatur.*

Ratio potiſsima ſumenda eſt ex reſponſione ad argumenta hæreticorum: poteſtque in hunc modum formari. Quia oratio ad Sanctos ex ſuo genere eſt actus bonus, & honeſtus, & non eſt iniurioſus Deo aut Chriſto: nobiſque poteſt multis modis eſſe vtilis. Primo quia exercere actum virtutis, per ſe bonum eſt, ac vtile. Secundo quia hoc modo, mediante oratione, habemus colloquium cum Sanctis. Tertio quia hinc prouocamur ad amorem, & imitationem Sanctorum. Quarto quia hoc modo noſtra oratio ad Deum fit efficacior ad impetrandum, quia Sancti potentiores ſunt apud Deum, & magis familiares illi, ergo oratio ad Sanctos ex ſe honeſtiſsima eſt, eiuſque vſus maxime probandus. Conſequentia euidens eſt, quam nec hæretici negant. Antecedens autem probabitur diſcurrendo per argumenta hæreticorum.

6\. *Reſpõdetur fundamentis hæreticorum.*

Primum erat de cultu orationis, ad quod imprimis dicimus, Sanctos etiam eſſe à nobis Religioſe colendos, non quidem pari cultu cum Deo ipſo, quia illos latria non colimus, ſed honore inferiori ipſis proportionato, quia licet à Virtute Religionis non eliciatur, nihilominus cultus Religioſus non immerito dicitur, vel quia ad cultum Dei refertur, vel quia per actus ſpirituales, & Religioſos tribuitur cum debita intentione & ęſtimatione. Igitur quamuis oratio contineat cultum Religioſum, non inde fit, orationem non poſſe ad Sanctos dirigi. Cum vero additur, orationem continere cultum latriæ, ſi intelligatur in particulari de oratione Dei, verum eſt, tamen ex puris particularibus nihil infertur. Si autem vniuerſaliter intelligatur, falſum eſt. Vel certe ſi ſit ſenſus, vnum tantum eſſe orandi modum, falſum etiam eſt, quia etiam inter homines aliter petimus à Rege vt faciat, quod deſideramus: aliter à priuato Regis, vt impetret, quod optamus. Et prior petitio dici poteſt continere regium honorem, poſterior vero inferiorem. Sic igitur ad Deum oramus vt ad principalem auctorem gratiæ, & gloriæ, & omnium beneficiorum, quæ ad illam conferunt, & vt ad cauſam primam, & aliquo modo propriam omnis boni per honeſtam orationem poſtulati, vt ſuperiori capite oſtenſum eſt. At vero ad Sanctos non hoc modo oramus, ſed vt interceſſores apud Deum ſint, & pro nobis impetrent. Hanc differentiam obſeruauit, & docere nos voluit Eccleſia in litaniis: nam ad perſonas Diuinas, & Trinitatem orat. *Miſerere nobis.* Ad Virginem autem, & reliquos Sanctos dicit. *Ora pro nobis.* Et ſimiliter cum in Miſſa, vel oratione publica aliquid per Sanctos petit, à Deo directe petit per merita, & interceſsionem Sanctorum. Imo interdum à Deo ipſo petit, vt Sanctus aliquis pro nobis intercedat, vt in Collecta Sancti Lucæ dicitur. *Interueniat pro nobis, quæſumus* Domine, *Sanctus tuus Lucas Euangeliſta, &c.* Igitur oratio ad Sanctos hac intentione facta, vt ab Eccleſia fit, & à nobis fieri debet, non continet cultum latriæ: quod eſt euidens; quia per hanc orationem non ſubiicimur Sancto; tanquam auctori noſtro, aut primo principio alicuius rei, neque aliquid ei tribuimus, quod eius dignitatem, vel potentiam excedat, quia ſolum poſtulamus ab illo auxilium impetrationis, quod eſt valde conſentaneum ipſis, & ſtatui eorum. Nam ſi nos poſſumus impetrare: quid mirum, quod idem ipſi efficacius poſsint? Solent ad hanc differentiam orationum accommodari verba illa Pſal. 120. *Leuaui oculos meos in montes* (id eſt Sanctos) *vnde veniet auxilium mihi*, id eſt, per eorum interceſsionem: nam *auxilium meum à Domino qui fecit cœlum, & terram.* Ita fere Auguſt. ibi, & tractatu 1. in Ioannem, & lib. de Paſtoribus cap. 8. *Pſal. 120.* *Auguſt.*

7\. Dices, interdum Eccleſiam orare Sanctos, vt ipſi faciant, vt ad Virginem orat. *Tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Et Apoſtolos precatur. *Nos à peccatis omnibus: ſoluite iuſſu quæſumus.* Vbi ponderanda eſt illa particula, *iuſſu*, nam maiorem potentiam, & efficaciam ſignificat, quam impetrationem. Imo ibidem additur. *Quorum præcepto ſubditur ſalus, & languor omnium, ſanate ægros moribus: nos reddentes virtutibus.* Reſpondemus imprimis, *Diluitio.*

imprimis, cultum non tam ex verbis, & externis ſignis, quam ex intentione diſcernendum eſſe, ſæpe enim interceſſorem rogamus eiſdem verbis, quibus auctorem beneficij, vt quod miſereatur noſtri, quod hoc bonum nobis concedat. & ſimilia, ſemper tamen intelligimus, vt id faciat pro nobis intercedendo. Hic ergo eſt ſenſus Eccleſiæ, & ideo ſemper huiuſmodi orationes concludit vel petendo à Virgine, vt oret pro nobis, vel omnia principaliter Deo tribuendo. Deinde addo, interdum poſſe Sanctum cooperari Deo ad aliquod beneficium nobis præſtandum, non ſolum orando, ſed etiam miniſterium aliquod ſibi à Deo collatum exhibendo. Et tunc licitum eſſe petere à Sancto, vt ipſe nobis conferat illud beneficium, non ſolum orando, ſed etiam cooperãdo, prout poteſt, vel quantum ei à Deo commiſſum eſt. Sic poteſt vnuſquiſque orare ad ſuum Angelum cuſtodem, vt ſe protegat, illuminet, & iuuet, ſaltem plantãdo, & rigando, quia hoc munus commiſſum eſt Angelis à Deo Pſal. 90. Matt. 18. *Pſal. 90. Matth. 18.* Sic etiam à Sancto aliquo, ſi credamus habere à Deo virtutem miraculorum, vel ſanitatem poſtulare poſſumus, vt id faciat ſecundum gratiam ſibi à Deo conceſſam. *Aug.* Quod ſignificare videtur Auguſtin. 22. libr. de Ciuitate capit. 10. Vbi de miraculis, quæ ad memoriam Sanctorum fiunt, ait. *Faciunt autem iſta Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis.* Vbi duplicem cauſalitatem tribuit Sanctis orationem, & cooperationem: vtramque ergo poſſumus ab eis poſtulare. Et ad hunc modum poſſunt exponi verba adducta ex hymno Apoſtolorum, quamuis in illis præcipue commemorari videatur poteſtas data Apoſtolis hic viuentibus ad remittenda peccata, & ad ſoluendum, & ligandum, & ad ſanandos ægrotos, vel alia ſigna facienda, nam hoc ad honorem aliquem ipſorum pertinet, quo eos prouocamus ad ſimilia beneficia nobis obtinenda.

8. *Oratio ad Sanctos eſt actus elicitus non virtute Religionis, ſed Duliæ.* Atque ex his colligere poſſumus orationem hanc, quam ad Sanctos fundimus non eſſe actum à virtute Religionis elicitum per ſe loquendo, ſed à virtute Duliæ, quam eſſe diſtinctam à Religione, ſupra oſtenſum eſt. Probatur, quia hæc oratio non fundatur proxime in excellentia increata, nec in poteſtate ſuprema, ſed in excellentia creatæ ſanctitatis, & virtute impetrandi, vel ad ſummum in poteſtate aliqua miniſteriali. Dixi autem *per ſe loquendo*, quia ex natura talium obiectorũ iſte eſt modus connaturalis operandi, & ſecundum hunc modum dubitari non poteſt, quin actus ille orandi non ſit Religionis, ſed Duliæ. *Dubium quoddam.* Quæri autem poteſt, An aliquo alio modo extrinſeco quidem, non tamen cõtra rectam rationem, poſſit quis interdum orare ad Sanctos ex virtute Religionis? Videtur enim poſſe quia quoad hoc eadem eſt ratio de deuotione, & de oratione, ſed deuotio ad Sanctos eſſe poteſt ex virtute Religionis, ergo & oratio. Maior certa eſt ex D. Thom. 2. 2 qu. 82. in principio. *D. Tho.* Minorem autem ſumo ex eodem Sancto eadem quæſt. art. 2. ad 3. Quærit enim ibi, An deuotio ſit actus Religionis? & obiicit in tertio argumento, quod dicimur eſſe deuoti ad quibus Sanctis viris, & reſpondet. *Quod deuotio, quæ habetur ad Sanctos Dei mortuos, vel viuos, non terminatur ad ipſos, ſed tranſit in Deum in quantum, ſcilicet, in miniſtris Dei Deum veneramur.* Quibus verbis videtur voluiſſe explicare, quomodo illa deuotio ſit actus Religionis, nam ſi hoc non ſentiret, facilius diceret, illam deuotionem ad Sanctos eſſe alterius rationis, ſicut dicit de deuotione humana ſeruorum ad Dominos. In contrarium vero eſt, quia nunquam poſſumus orare Sanctos niſi vt miniſtros, vel interceſſores. ergo nunquam poteſt illa oratio immediate elici à virtute Religionis.

9. *Dubium illud re ſoluitur.* Reſpondetur imprimis, quod ad deuotionem attinet, (vt illud obiter expediamus) etiam deuotionem ad Sanctos quaſi intrinſecam, & connaturalem non eſſe actum elicitum à Religione, ſed à Dulia. Quod non credo negaſſe D. Thom. citato loco, *D. Thom.* ſed id ſuppoſuiſſe, vel incluſiſſe ſub deuotione inferiori, quę ad inferiorem cultum, vel famulatum ordinatur. Talis enim eſt deuotio, qualis eſt cultus, vt ibidem D. Thom. ſentit. & eſt clarum, quia deuotio nihil aliud eſt, quam affectus ad cultum, ſed cultus proprius Sanctorum non pertinet ad Religionem, ſed ad Duliam, vt ex materia de Adoratione ſuppono, ergo & deuotio. Diximus, autem in eadem materia de Adoratione in 1. tom. 3. par. poſſe nos, ſi velimus colere Sanctos non immediate, & formaliter ob eorum intrinſecam ſanctitatem, ſed immediate ob excellentiam Dei qui in illis ſingulari modo eſt tanquam in miniſtris, & templis ſuis. *Quomodo oratio ad Sanctos ex virtute Religionis fieri poſſit.* Hic enim modus colendi Sanctos per ſe non eſt malus: imo cedit ſpeciali modo in cultum Dei, quamuis regulariter illo modo non vtamur propter vitandum periculum, & quia alter modus cultus eſt magis proprius rationalis perſonæ. Ille tamen cultus ſi ita attribuatur, immediate per virtutem Religionis tribuitur, quia immediata ratio talis cultus eſt ipſa Diuinà excellentia. Ad hunc ergo cultum videtur pertinere deuotio, quam Diuus Thomas in illa ſolutione explicare voluit: *D. Thom.* & iuxta eundem modum non eſt improbabile, poſſe interdum orari Sanctum ex immediata Religione ad Deum. Nam poſſumus hic diſtinguere intentionem petendi, & intentionem colendi: nam qui orat Sanctum, neceſſario habere debet voluntatem petendi immediate ab illo, vt ipſe impetret à Deo, tamen non videtur neceſſarium, vt velit per illam orationem immediate, ac principaliter colere ipſum Sanctum propter eius creatam ſanctitatem, ſed in ipſo colere Deum principaliter, ita vt tota ratio orandi Sanctum ſit, vt per talem orationem, & per eam, quæ poſtulatur à Sancto Deus ipſe magis colatur, & veneretur. Sed licet iſte modus ſpeculatiue non videatur impoſsibilis, tamen nec eſt facilis, neque ad vſum applicandus, vel conſulendus. *Illa oratio ad Sanctos non eſt conſulenda.* Nam licet oratio fundi poſsit ad Sanctum principaliter propter honorem Dei (hoc enim & facile, & optimum eſt) tamen in ea ratione conuenientiſsime operatur Religio imperando Duliæ, vt eliciat orationem ad Sanctum, quia ipſa Religio principaliter ordinat ad honorem Dei. Et fortaſſe in hoc ſenſu locutus etiam eſt Diuus Thomas de deuotione in citato loco, *D. Thom.* cum ait. deuotionem ad Sãctum tranſire ad Deum, ſcilicet per imperium Religionis.

10. *Satisfit 2. fundamento hæreticorum.* Secunda obiectio attingit materiam de Chriſto mediatore, quam in primo tomo de Incarnatione late tractaui, & ideo breuiter hic obiectionem expediam. Duo ergo ſunt modi ad quæſtionem præſentem pertinentes, quibus Chriſtus Dominus dici poteſt mediator inter nos, & Deum, ſcilicet vel per modum aduocati, & orantis, vel per modum merentis nobis, aut ſatisfacientis pro nobis. *Chriſtus Dominus dupliciter dici poteſt mediator inter Deũ, & homines.* Quamuis enim hi duo poſteriores modi ſint aliquo modo diuerſi, tamen in hoc conueniunt, quod neuter illorum exercetur in ſtatu beatitudinis, ſed vtrumque illud officium compleuit Chriſtus pro nobis, dum fuit viator: nunc autem retinet ſuum theſaurum meritorum, & ſatisfactionum, quod Patri præſentare ſemper poteſt, & ita etiam quoad hanc partem mediatoris munus exercere. Alius autem modus intercedendi, ſeu mediandi per modum petentis, & impetrantis de ſe non limitatur ad ſtatum viæ, ſed in beatitudine etiam exerceri poteſt, vt nunc ſupponimus. Duobus ergo modis poſſumus nos intueri Chriſtum vt mediatorẽ noſtrum, vel vti (vt ſic dicam) mediatione eius in orationibus noſtris. Primo intuendo ad eius merita, & ſatisfactiones, vel etiam ad orationes, quas pro nobis in via perfecit, hæc omnia Deo offerendo, præſentando, & allegando, vt propter illa noſtras orationes

tiones exaudiat: quem modum exercet Eccleſia, quoties in fine ſuarum orationum addit, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Alter modus recurrendi ad Chriſtum vt ad mediatorem, eſt petendo ab illo, vt pro nobis intercedat, ſicut Martha ad illum dicebat: *Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.*

11\. Cum ergo hæretici obiiciunt per orationes ad Sanctos factas fieri iniuriam Chriſto vt mediatori, inquiro, ſub qua illarum rationum derogetur per illas proprio muneri, & dignitati Chriſti Domini? Nam ſi de primo loquantur, non habet locum in formali, & propria quæſtione, quam nunc tractamus. Nam licet illa ſit propriiſsima ratio, ſub qua Chriſtus dicitur vnicus mediator noſter (quia dedit ſemetipſum in redemptionem pro nobis, vt in eodem loco 1. ad Timoth. 2. ſubiungitur) hoc nihil obſtat orationibus Sanctorum. Quia cum Sanctos oramus, non facimus illos mediatores, aut redemptores noſtros illo modo, ſed ſolum interpellatores, vt fructus meritorum Chriſti nobis applicetur. Vnde hoc ipſum à Sanctis petere poſſumus, & debemus, ſcilicet, vt ſuis orationibus præſentent pro nobis Deo Chriſti merita. Et quamuis hoc non exprimamus in noſtra oratione, in fide, qua ad Sanctos oramus, includitur, nam certo credimus, ipſosmet Sanctos in cœlo nihil petere à Deo niſi in Chriſto, & propter Chriſtum, iuxta verbum eius: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, & iterum: *in illa die in nomine meo petetis.*

1. Tim. 2.

Cū ſanctos oramus, ab eis petimus, vt Chriſti Domini merita Deo pro nobis præſentent.

Ioan. 16.

12\. Atque hæc quidem reſponſio, quantum ad orationem attinet, eſt ſufficientiſsima. Replicare autem poſſunt hæretici, quia nos non ſolum oramus ſanctos, ſed etiam oramus Deum, vt propter merita Sanctorum hoc, vel illud nobis concedat, nimirum gratiam, vel remiſsionem peccatorum, vt ex communi vſu Eccleſiæ manifeſtum eſt: ergo facimus Sanctos non tantum oratores pro nobis, ſed etiam mediatores per ſua merita, & ſatisfactiones. Et ideo addendum eſt, etiam hunc modum orandi propter Sanctos eſſe iuſtum, & ſanctum, prout ab Eccleſia fit recta fide abſque præiudicio propriæ prærogatiuæ Chriſti Domini. Quod patet ex vſu Scripturæ etiam ante aduentum Chriſti Domini. Nam Exodi 32. orauit Moyſes: *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum.* Et 2. Paralip. 6. Salomon ita concludit orationem ſuam: *Domine Deus ne auerteris faciem Chriſti tui, memento miſericordiarum Dauid ſerui tui.* Et in Prophetis inuenitur etiam hic modus orandi, vt Daniel. 3. *Propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* Non ignorabant autem iſti Sancti Chriſtum eſſe vnicum mediatorem, nec putabant, ipſi fieri iniuriam, aliorum Sanctorum merita Deo repræſentando. Nam licet Chriſtus ſit vniuerſale principium totius meriti, cui inniti debent omnia alia merita, & ſatisfactiones hominum, nihilominus voluit Deus, vt alij etiam iuſti poſſent mereri, non ſolum vnuſquiſque ſibi, ſed etiam aliis ſaltem de congruo, vt ex materia de Merito ſuppono, & vt poſſent iuſti ſatisfactiones ſuas ſibi inuicem communicare ſaltem quoad remiſsionem pœnæ temporalis, vt in 4 tom. 3. part. oſtenſum eſt. Si ergo Sancti potuerunt nobis mereri, & ſatisfactiones ſuas nobis communicare, quid mirum, quod poſſimus propter eorum merita à Deo petere, & ſancta eorum opera allegare in orationibus noſtris, vt efficaciores reddantur? Vnde Auguſtinus quæſt. 149. in Exodum notat per illa verba. *Sine me, vt iratus conteram eos, admoneri nos, cum merita noſtra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud Deum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit.* Quod ſane apertius Deus ipſe profeſſus eſt 4. Regum 20. dicens: *Protegam vrbem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* Et videri poteſt Chryſoſtomus homil. 42. in Geneſim, circa cap. 18. vbi propter paucos iuſtos Deus paratus erat multitudini parcere. Quod autem per hoc Chriſto nihil derogetur, patet, tum quia longe excellentior eſt modus mediationis Chriſti, quam aliorum Sanctorum, nam ipſe ſolus mediat ſoluendo, & ſatisfaciendo pro omnibus de toto rigore iuſtitiæ, & pro omnibus pœnis temporalibus, & æternis, & pro vniuerſis culpis: tum etiam quia omnium Sanctorum merita fundantur in Chriſti meritis, & ſunt veluti cauſæ particulares, quibus mediantibus merita Chriſti nobis applicantur. Ex hoc ergo capite non irrogamus iniuriam mediatori Chriſto, quando propter merita Sanctorum poſtulamus.

Poſſumus etiam Deū orare propter Sanctorū merita.

Exod. 32.

2. Paral. 6.

Daniel 3.

Auguſt.

4 Reg. 10.

Geneſ. 18.

13\. Si autem conſideremus Chriſtum vt aduocatum, & interceſſorem pro nobis per orationes ſuas, ſic imprimis ponderant aliqui, vbi Chriſtus dicitur *Aduocatus noſter* 1. Ioan. 2. non addi particulam excluſiuam, ſcilicet quod ſolus ipſe ſit aduocatus, & ad Rom. 8 cum dicitur Chriſtus interpellare pro nobis non additur, ſolum ipſum interpellare, & ita ſine iniuria Chriſti poſſe nos credere, Sanctos eſſe interpellatores pro nobis, & vt tales poſſe à nobis orari. Vnde Auguſt. tractatu primo, in 1. Canonicam Ioannis expendens eadem verba, eandem obiectionem facit inquiens: *Sed dicet aliquis, ergo Sancti non petunt pro nobis, ergo Epiſcopi, vel Præpoſiti non petunt pro populo*, & reſpondet: *Sed attendite Scripturas, & videte, quia & Præpoſiti commendant ſe populo, & Apoſtolus dicit plebi, orantes ſimul, & pro nobis, orat Apoſtolus pro plebe, orat & plebs pro Apoſtolo, inuicem pro ſe omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.*

Non ſolum Chriſtū Dominum, ſed etiā ſanctos, vt aduocatos orare poſſumus.

1. Ioan. 2.

14\. Deinde quamuis certum ſit, Chriſtum, dum fuit in via, pro nobis oraſſe: aliqui tamen credunt, iam nunc in cœlo non orare pro nobis, neque hoc munus mediatoris pro nobis nunc magis exercere, quam munus ſatisfactoris, vel merentis, quia in hac vita perfecit negotium redemptionis, & omnia, quæ ad illam pertinent tam quoad ſufficientiam, quam quoad efficaciam, non ſolum in communi, ſed etiam in particulari cum Deo compoſuit, & ideo nihil habet, quod denuo poſtulare poſsit. Quod ſi verum eſt, nulla poteſt ipſi Chriſto fieri iniuria petendo ab aliis Sanctis, vt pro nobis orent, quia ſi ipſe non intercedit, etiamſi Sancti intercedant, non vſurpabunt munus aduocati, ſeu mediatoris, quod Chriſtus nunc in cœlo exercet. Nam illud munus iuxta hanc ſententiam non eſt orare, ſed ſolum apparere vultui Dei pro nobis, vt dicitur ad Hebræos 9. & tacite ſic exponitur, quod cap. 7. dictum fuerat: *Saluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Sancti autem, licet eos pro nobis interceſſores ponamus, non illo modo interpellant, nec ſe oſtendunt illo modo vultui Dei pro nobis.

Nonnulli exiſtimant Chriſtū Dominū in cælo non orare pro nobis.

Hebr. 9.

15\. At verior ſententia eſt, etiam nunc in cœlo exercere Chriſtum mediatoris munus proprie, vere pro nobis orando, ac intercedendo, vt late ex Scriptura, & ſanctis Patribus in tom. 1. de Incarnat. oſtendi. Et aſſeruit etiam Cardinalis Toletus in cap. 16. Ioann. Annot. 35. refertque pro illa Nazianzenum orat. 4. Theologiæ, Ambroſium ad Romanos 8. Auguſtinum tractatu 102. in Ioan. & Cyrillum lib. 11. in Ioannem cap. 9. Eandem ſequutus eſt Maldonatus in idem caput 16. Ioannis, refertque in illius fauorem Auguſtinum, Rupertum, Theodorum, Cyrillum, & Leontium. Et certe hoc ipſum videtur ipſemet Chriſtus promiſiſſe Ioannis 14. dicens: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Nam ibi euidenter loquitur de tempore poſt aſcenſionem ſuam, & verbum *rogandi*, non admittit ſenſum improprium. Neque eſt, cur ad illum confugiamus, cum actus orandi Deum omnino

Contraria opinio Veritati proximior cenſetur.

Cardinal. Tolet.

Nazian.

Ambroſ.

Auguſtin.

Cyrillus.

Maldon.

Auguſt.

Rupertus.

Theodoret.

Cyrillus.

Leontius.

Ioan 14.

proprius, & ex virtute Religionis in quocunque ſtatu deceat Chriſtum vt hominem: ſic enim in verbis illis locutus eſt, nam vt Deus non rogat Patrem, ſed cum illo mittit Spiritum ſanctum.

16. *Cur Eccleſia non oret Chriſtũ Dominum, vt pro nobis intercedat. Ioan 14.*

Verũtamen licet Chriſtus in cœlo pro nobis oret, nihilominus non habet vſus Eccleſiæ orare Chriſtum, vt oret pro nobis, ſed vt miſereatur noſtri, vel benefaciat nobis, quia licet vtrumque in eodem capite 14. Ioan. ipſe promiſerit. *Siquid petieritis in nomine meo: hoc faciam.* Et infra: *Ego rogabo Patrem*, tamen primum conuenit illi, vt Deus eſt, ſecundum, vt eſt homo. Nos autem loquentes cum Chriſto, & colentes illum, ſemper reſpicimus ad dignitatem perſonalem eius, & ideo loquimur cum illo tanquam cum vero Deo, & ideo non loquimur cum eo tanquam cum interceſſore: ſed tãquam cum auctore bonorum omnium. Vnde etiam ex hac parte nullam illi iniuriam facimus orãdo ad Sanctos tanquam ad interceſſores, cum hoc modo non oremus ad ipſum, ſed alijs. *Obiectio.* Dicẽt fortaſſe hæretici, licet non oporteat orare Chriſtum, vt pro nobis oret, tamen cum ipſe aſſumpſerit officium aduocati pro nobis, eo ipſo, quod alios interceſſores ponimus, illi nos facere iniuriam, quia ſignificamus, vel ipſum non ſufficere vel in munere aduocati præſtãdo non eſſe ſatis ſolicitũ pro nobis.

17. *Diluitur.*

At profecto ſi obiectio eſſet alicuius momenti, probaret ſubinde non debere nos fratres noſtros fideles, & iuſtos hic viuentes adhibere apud Deum precatores pro nobis, quia ſufficit interpellatio Chriſti in cœlo, cui fit iniuria, ſi alius interpellator adhibeatur. Conſequens eſt euidenter contra Scripturam, in qua exhortantur fideles, vt alij pro aliis orent 1. ad Tim. 2. *Obſecro fieri orationes poſtulationes, &c. pro omnibus, &c.* Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* *Iacob. 5. Ad Coloſſenſ. 4. Ad Theſſalon. 3. Ad Hebræos 13.* Et Paulus ſæpe poſtulat à fidelibus, vt pro ipſo orent, ad Coloſſen. 4. 2. ad Theſſal. 3. ad Hebræos 13. Vnde nec hæretici hoc negare audent, cum tamen ſequela, ſeu paritas rationis euidens ſit. Cur enim magis facimus iniuriam Chriſto, procurando alios cœleſtes interceſſores, quam terreſtres? Reſpondetur ergo, non orare nos Sanctos, quia minus, quam debeamus, de Chriſti voluntate, & fauore confidamus, ſed imprimis ob maiorem ipſius Chriſti reuerentiam, quia quaſi non audemus per nos ipſos accedere, ſed per alios meliores, quomodo dixit Bernardus in ſermone, *Signum magnum*, *Bernard.* indigere nos mediatore ad Mediatorem. Secundo propter honorem ipſorum Sanctorum, qui cedit in gloriam ipſius Dei, & Chriſti. Tertio propter alias rationes Diuinæ prouidentiæ, quæ vti voluit his omnibus mediis ad maiorem vnionem membrorum Chriſti inter ſe, quæ ſicut inter mortales viuentes procuranda eſt, ita etiam inter mortales, & cœleſtes, vt in reſponſione ad obiectionem quartam iterum dicemus.

18. *Quomodo poſſumus à Chriſto Domino petere, vt pro nobis intercedat.*

Vnde vlterius addo, quamuis regulariter, & publice non oremus Chriſtum, vt pro nobis intercedat ad vitandum ſcandalum, & ne videamur ad illum tanquam ad purum hominem orare: nihilominus non eſſe per ſe, & intrinſece malum hoc modo ad Chriſtum orare, ſi recta fide & intentione fiat, id eſt, non diuidendo perſonas, ſed naturas, vt bene docuit Caietanus 3. p. q. 25 art. 2. Cordub. lib. 1. q. 5. dubitat. 3. puncto 4. Caniſius lib. 5. de Beata Virgine, c. 15. *Caietan. Corduba. Caniſius.* Et nos etiam diximus in primo tomo tertiæ partis. Non quod orare poſſimus conuenienter ad Chriſti humanitatem, quia ſicut humanitas non meretur, ita nec facit, nec poſtulat, quod deſideramus, ſed Chriſtus, quem tamen poſſumus vt hominem conſiderare, non excludendo ſuppoſitum, ſed rationem ſubſiſtendi in humanitate præciſe ſpectãdo, nam vt ſic Chriſtus orat pro nobis, & ideo per ſe nihil habet abſurdi, quod ſub hac ratione oretur à nobis. Quamuis autem hoc verum ſit, nihilominus ſimul etiam poſſumus alios Sanctos orare, vt pro nobis orent. Diuerſo tamen modo: nam ad Chriſtum oramus, vt per ſe intret ad Deum, ad Hebr. 7. id eſt, ſua virtute, ſuiſque meritis innixus: ad Sanctos vero, vt per Chriſtum intrent, id eſt, fundati in meritis eius.

19. *Reſpõdetur ad tertium hæreticorũ fundamẽtũ, p obã ſi ſimul Sãctos cognoſcere noſtras orationes.*

Tertia obiectio hæreticorum poſtulat, vt explicemus, quomodo Sancti Beati cognoſcant orationes noſtras: nam quod illas cognoſcant certiſſimũ eſt, quamuis hæretici oppoſitum ſupponant. Et quamuis id probare non poſſemus, niſi à poſteriori ex traditione & vſu Eccleſiæ id nobis ſufficeret, nã ſine dubio eſſet imprudens, & otioſa actio loquendi, aut petendi ab eo qui non audit, neq; intelligere poteſt, cum ergo Eccleſia errare non poſſit orando ad Sanctos, & in eà oratione ſupponat, ipſos cognoſcere, quid ipſa oret, eius auctoritas ſufficit, vt credamus, Sanctos cognoſcere noſtras orationes, maxime cum id facillimum ſit, & aliũde nihil ſit, quod repugnet. Imo addimus, ex Scripturis poſſe id colligi: nam de Angelis certum eſt, cognoſcere orationes noſtras, non ſolum quãdo ad ipſos oramus, ſed etiam quando oramus ad Deum. Prior pars conſtat ex illis teſtimoniis, quibus ſupra probauimus, iuſtos etiam in antiqua lege ſolitos fuiſſe orare ad ſanctos Angelos. Poſterior vero pars patet ex Tob. 12. *Tob. 12.* vbi Raphael dixit Tobiæ: *Quando orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Deo.* Cognouit ergo illam, alias quomodo eam obtuliſſet? Vnde Apocal. 8. *Apoc. 8.* dicitur: *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Cognoſcunt ergo Angeli orationes Sanctorum, ergo & homines Beati. Probatur conſequentia, tum quia æquiparantur eis in ſtatu beatifico, vt ſupra dictum eſt ex Lucæ 20. & Apocal. 21. *Luc. 20. Apoc. 21. & 5.* Tum etiam quia eiſdem fere verbis dicitur Apocalyp. 5. *Quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores cecidiſſe coram agno habentes citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Illa autem animalia, & illos ſeniores ex hominibus Beatis fuiſſe certiſſimum eſt, nam ad agnum cantabant: *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo.* Ergo etiam beati homines offerunt Deo Viatorum orationes ſibi commendatas: ergo cognoſcunt illas.

20. *Quomodo Sancti cognoſcant noſtras orationes, non eſt huius loci.*

De modo autem, quo Beati cognoſcunt orationes viatorum, eſt diſputatio inter Scholaſticos An videant illas formaliter in Verbo, id eſt per ipſammet viſionem, qua vident Deum, & beati ſunt? An vero tantum cauſaliter, id eſt, per nouas reuelationes, quas recipiunt ratione ipſius viſionis, ſeu ſtatus beatifici? quam quæſtionem diſputare ſolent in materia de Beatitudine, & 1. p. quæſt. 12. Eſtque illorum locorum propria, tum quia generalior eſt, non enim de ſolis orationibus, ſed de omnibus effectibus, vel actibus, qui in hoc mundo fiunt, tractari poteſt: tum etiam quia ad præſentem cauſam parum refert, quod hoc, vel illo modo illas cognoſcant, dummodo certum ſit, eas cognoſcere, eſſeque illis quaſi connaturalem hanc ſcientiam, & quaſi debitam ſtatui Beatorum. Nam beatitudo illa ſatiat Beati appetitum, alias nõ eſſet perfecta beatitudo: merito autem appetunt Beati ſcire, quæ hic aguntur, ſi ad ipſos aliquo modo pertineant: inter quæ maxime locum habent orationes, quæ ad illos fiunt, & actiones eorum viatorum, qui ad curam, & peculiarem amorem horum, vel illorum Beatorum pertinent. Nam quod inter Beatos, & Viatores debeant eſſe hæc charitatis, & beneuolentiæ officia, certiſſimum eſt, cum vnum corpus myſticum componant, cuius caput Chriſtus eſt, vt dicitur ad Epheſ. 4. & ad Coloſſenſ. 1. *Epheſ. 4. Coloſ. 1. Epheſ. 2. Galat. 4. Hebr. 12.* Membra autem ſunt Sancti, vel iam triumphantes in cœlo, vel illuc tendentes in terra, vt ſumitur ex ad Epheſ. 2. & ad Galat. 4. & ad Hebræos 12. Habent ergo hæc membra inter ſe communicationem aliquam,

iuxta

Digitized by Google

Rom 12. 1.Cor.12.

iuxta doctrinam Pauli ad Rom. 12. & 1.ad Corinth. 12. Ergo ratione huius vnionis pertinet ad ſtatum vniuſcuiuſque Beati, vt notitiam accipiat earum rerum, quæ hic geruntur, quatenus ad vnumquemque aliquo modo ſpectant, inter quas vt dixi, præcipue poni debent orationes. Vnde fit ſatis probabile, eas cognoſcere formaliter in ipſo Verbo, vt in hac materia docuit D. Thomas 2.2.q.83.art.4.ad 2. & in 4.diſt.45.q.3.art.1. vbi alij hanc ſententiam ſequuntur: De qua videri poſſunt, quæ diximus 1.p. tract.1.lib.2.c.28.

Probabile eſt, eas cognoſcere formaliter in Verbo. D.Thom.

21\.

Diſſoluitur quartū fundamentum, quoad 1. partem de vtilitate orationis ad Sanctos.

Quarta obiectio parui momenti eſt, quæ duo attingit, vnum de vtilitate huius orationis, aliud de illius efficacia. Nam prior impugnatur ex eo, quod Deus eſt promptiſsimus ad dandum, &c. Quod certe ſi alicuius momenti eſſet, etiam probaret, neque viuos debere à viuentibus petere, vt pro eis intercedant. Quod eſt contra expreſſa teſtimonia Scripturarum ſupra adducta. Sequela autem, ſeu ſimilitudo rationis & per ſe patet, & ſupra etiam ſatis probata eſt. Imo etiam probaretur illo modo, noſtras orationes pro nobis ipſis eſſe ſuperfluas, quia Deus habet maiorem voluntatem conferendi nobis beneficia, quam nos recipiendi. Igitur habet quidem Deus paratiſsimam voluntatem ad dandum, ſed vult dare ordinato modo iuxta diſpoſitionem ſuæ prouidentiæ, vnde quædam vult dare non rogatus: alia rogatus à nobis tantum, alia & à nobis, & ab amicis viuentibus rogatus: alia exoratus etiam à Sanctis cum ipſo regnantibus. Vnde nos non oramus Sanctos, quia de Diuina voluntate diffidamus ſed vt ordinem prouidentiæ ſuæ impleamus: neſcimus enim quomodo diſpoſuerit aliquid nobis dare, & ideo plures interceſſores adhibemus. Simulque Sanctos eius colendo magis per hoc diſponimur ad beneficia, quæ petimus, recipienda. Atque ita per hoc nihil agimus contra fiduciam, quam debemus habere in verbis Chriſti, *Petite, & accipietis* &: *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciet*, quia hæc promiſsio non excludit, quin hæc petitio per nos, vel per alios fieri poſsit, neque etiam excludit, quin facilius exaudiatur petitio per vnum facta, vel oblata, quam per alium. Nam, vt infra dicemus, promiſsio hæc vt infallibilis ſit, multas conditiones requirit, quæ interdum inueniri poſſunt, vel ſuppleri accedĕte Sanctorum interceſſione, & non ſine illa, propter defectum noſtrum.

Sanctos oramus, vt ordo Diuinæ prouidentiæ adimpleatur.

22\.

Idē fundamentū quoad alteram partem de illius orationis efficacia refellitur.

Vnde ad alteram partem, qua impugnatur efficacia huius orationis dicimus, vel ſermonem eſſe de oratione noſtra ad Sanctum, vel de oratione Sancti pro nobis. Quoad priorem, eius efficacia proxime poſita eſt in hoc ſolum, quod obtineamus à Sanctis, vt orent pro nobis, ſeu faciant, quod in ipſis eſt, vt deſiderium noſtrum à Deo impleatur: hoc enim ſolum eſt, quod immediate per hanc orationem poſtulamus. Et quoad hoc confidere ſine dubio poſſumus, & debemus, has orationes, ſi ex parte noſtra conuenienter fiant, & nobis expediant, eſſe efficaces apud Sanctos. Quæ efficacia in eorum charitate, & miſericordia maxime fundatur: nam quo maiore ardent charitate, eo ſunt ad miſerendum promptiores, & quo ſunt de ſua ſalute magis ſecuri: eo ſunt de noſtra magis ſoliciti, vt dixit Cyprianus libr. de Immortalitate. Altera vero pars de efficacia orationum ipſorum Sanctorum pro nobis pertinet magis ad quæſtionem de oratione ipſorum Sanctorum pro nobis, quam hic potius ſupponimus, quam tractamus, & infra diſputanda eſt, ideoque breuiter duo dicimus. Vnum eſt, quæſtionem illam de efficacia orationis vnius pro alio communiorem eſſe, nam etiam in oratione inter Viatores locum habet. Certum eſt autem, talem orationem vnius pro alio vtilem eſſe, ſiue ſit omnino efficax, & infallibilis, ſiue non. Secundum eſt, hanc orationem Sanctorum nō eſſe omnino vnius pro alio: nam cum oramus Sanctos, vt pro nobis orent, eorum orationes noſtras facimus, quia veluti nomine noſtro orant, & deſideria noſtra, ac orationes Deo præſentant. Ideoque tunc tam efficax eſt mihi oratio Sancti pro me facta, quam ſi à me ipſo fieret, quantum videlicet eſt ex parte huius habitudinis inter eum qui orat, & pro quo orat, & aliunde fit efficacior ex dignitate Sancti, & ex eius meritis, & interceſsione.

Cyprian.

23\.

Ex doctrina ſuperiori declaratur, an poſsint homines non beati à nobis orari, & pro nobis intercedant?

Viuentes iuſti orari poſſunt à nobis.

Ex hac reſolutione facile intelligi poteſt, quid dicendum ſit de aliis creaturis rationalibus, non beatis, inter quas quædam ſunt ſanctæ, quædam nō, item, quædam ſunt Viatores nobiſcum hic viuentes, quædam vero iam ſunt extra ſtatum viæ. De viuentibus ergo iuſtis iam obiter diximus, orari poſſe à nobis, ſicut etiam ipſi poſſunt orare pro nobis. quod eſt de fide certum, & conſtat ex Scripturis iam citatis. Neque in hoc eſt vlla difficultas, quia & à viuentibus hoc facile petere poſſumus, & ex parte petentis eſt actus humilitatis, ex parte vero alterius erit charitatis, & Religionis opus pro alio orare. Solum hic poteſt quis ſpeculari, An petitio facta viuenti, vt pro me oret, ſit eiuſdem rationis cum oratione, quæ fit ad Sanctum iam beatum, & ab eadem virtute eliciatur? Sed hoc ſpectat ad generalem quæſtionem de cultu Sanctorum viuentium, & mortuorum, quam alibi tractaui, & reſolutio eſt, ſubſtantialiter eſſe actum eiuſdem virtutis, quamuis in modo, & circumſtantiis vniuſcuiuſque ſtatui petitio accommodanda ſit, & in vniuerſum cultus, ac reuerentia.

Dubij cuiuſdam enodatio.

24\.

Alterius dubij reſolutio.

Dubitari vero vlterius in hoc poteſt, quomodo poſsimus nos ad viuentem orare, cum non ſimus certi de ſanctitate eius: ad mortuos enim non oramus, niſi certi ſimus de eorum ſtatu per eorum Canonizationem. Ad hoc vero facile reſpondetur imprimis ſufficere probabilem fidem de alterius iuſtitia, vnde etiam quoad homines defunctos, vt priuatim nos eorum orationibus commendemus, ſufficit humana fides de eorum ſancta vita, licet ad publicum cultum, & orationem Eccleſiæ auctoritas etiam publica neceſſaria ſit. Deinde addimus, inter viuentes ſufficere generalem rationem præſumendi, vnumquemque iuſtum eſſe, quem non conſtat eſſe malum, vt illius orationes poſtulare poſsimus, quia in hoc nullum eſt periculum erroris, aut ſuperſtitionis: Quin potius improbabile nō eſt, etiamſi mihi conſtet, alium eſſe in peccato, dummodo fidem habeat, poſſe me illius deprecationē poſtulare, quia oratio peccatoris ex fide & auxilio Spiritus ſancti facta poteſt eſſe vtilis, vt infra videbimus. Secus vero eſt de hominibus iam defunctis, quia ſi damnati ſint, iam non ſunt in ſtatu orandi apud Deum, præſertim pro aliis, neque omnino ſunt iam de corpore Eccleſiæ, ideoque nullam poſſumus habere cum ipſis communicationem. Ac propterea ad vitandum periculum communicandi cū homine iam damnato, ſeu orandi ad illum, neceſſaria eſt multum probabilis opinio de illius ſalute, vt conuenienter ad illum orare poſsimus.

An poſſit à nobis poſtulari deprecatio hominis exiſtentis in peccato, & ſi nobis id conferet?

25\.

An poſsimus ad animas purgatorij orationes fundere?

Sent. communis eſt, non eſſe orandū ad eas.

D.Thom. Abulenſ. Syluester. Nauarr. Paludan. Richard.

Solet autem hic eſſe peculiare dubium de animabus purgatorij, an poſsimus licite nos ipſis commendare, & ad illas orare? In quo dubio communis ſententia eſt, non eſſe orandum ad animas purgatorij. Ita docet D. Thomas 2.2.q.8.art.4.ad 3 & idem ſentit art.11.ad 3. Idem tenet Alenſ. 4.par.q.26. memb.3.articul.5.§.1.quæſtiuncula 3 D. Antoninus 4.p.tit.5.cap.3.§.2. Abulenſ. in 6.cap. Matth.qu.87. Syluester verb. *Oratio*, nu.3. Nauarrus in Enchirid. de Oratione cap.1.numer.22. Et in hanc partem inclinant Paludanus, Richardus, & alij Theologi in 4. diſt. 15. Duplex videtur eſſe potiſsima ratio huius ſententiæ. Prima, quia animæ exiſtentes in purgatorio non audiunt, nec cognoſcunt orationes noſtras, cum neque videant Verbum, nec credibile ſit eis

fieri ſpeciales reuelationes, cum earum ſtatui non debeantur, ergo neque poſſumus eum illis loqui. Secundo, quia ipſæ non orant pro aliis, & aliud ſubſidium nobis præſtare non poſſunt, ergo. Maior probatur, quia ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, & ſoluendi, & quaſi in carcere, ideoque non ſunt in ſtatu orandi pro alijs.

26. *Altera opinio aſſerens, animas purgatorij poſſe orare pro nobis. Gabriel.*

Nihilominus Gabriel in Canone Miſſæ lect. 58. ad finem, licet expreſſe non dicat poſſe nos ad animas purgatorij orare: dicit tamen, ipſas orare pro nobis, & præſertim pro benefactoribus ſuis, nam ſupponit cognoſcere ſuffragia, & affectus viuentium erga ipſas. Ex quo aperte ſequitur, poſſe nos earum ſuffragia poſtulare, vel tacite hac intentione illis ſuffragando, vt ipſæ nobis vicem rependant, vel etiam expreſſe earum orationes petendo, quia non poteſt eſſe malum, expreſſe petere, quod licet deſiderare, & interpretatiue poſtulare. Et hanc ſententiam ſequitur Medina Cod. de Oratione, q. 4. & 5. Et poteſt fundari illa generali ratione, quod oratio vnius iuſti pro alio iuſto indigente per ſe honeſta eſt, & officium charitatis. ſed in animabus purgatorij nihil eſt, quod hoc officium pro nobis impediat, neque etiam in nobis eſt aliquid, cur illud poſtulare non poſsimus, ergo. Minor quoad priorem partem probabitur infra capite ſequenti: quoad poſteriorem vero probatur, quia ex hoc, quod nos petamus ab illis animabus ſanctis id, quod pro nobis ipſæ præſtare poſſunt, nihil ſequitur aut contra honorem debitum Deo, aut contra aliquam aliam virtutem, & alioqui id conciliat charitatem, & deuotionem circa animas purgatorij.

Medina.

27. *Reſolutio quæſtionis poſita.*

In hoc breuiter diſtinguendæ ſunt duæ quæſtiones. Vna eſt, an illæ animæ orent pro Viatoribus, & hanc infra expediemus. Alia eſt, an nos poſsimus orare ad ipſas? In qua primo clarum eſt, quod ſi ipſæ non orant pro nobis, nec nos poſſumus orare ad ipſas. Secundo, ſi ipſæ non cognoſcunt noſtras orationes, etiam videtur otioſum, & ſuperuacaneũ orare ad ipſas. Nam quod Medina reſpondet, licet non cognoſcant orationes noſtras, poſſe ipſas generaliter orare pro his, qui ſe illis commendant, & hoc ſatis eſſe, vt nos vtiliter ipſis nos commendemus, quod eſt ad ipſas orare, hoc (inquam) non ſatisfacit: quia ſi petitio noſtra ad illarum notitiam peruenire non debet, inutilis eſt, nec poteſt habere rationem virtutis, quamuis poſsimus benefacere animabus, vt ita comprehendamus ſub benefactoribus earum, pro quibus ipſæ ſpecialiter orant. Hoc autem totum non eſt orare, niſi loquamur ad ipſas, quod ſane rationabiliter facere non poſſumus, ſi credimus, ipſas nos non audire, neque intelligere.

28. Addo tamen tertio, non eſſe certum animas purgatorij non cognoſcere orationes noſtras, & non eſſe incredibile eis manifeſtari per ſuos Angelos cuſtodes, vel per noſtros, vel per vtroſque: quia hoc non excedit ſtatum earum, & eſt actus conſentaneus Angelicæ cuſtodiæ, vel propter bonum viuentium, vel propter ſolatium aliquod accidentale eorum, qui purgantur. Vnde vlterius, ſiquis ad illas oret pie credens audiri ab ipſis, nihil peccabit, quia operatur ex pia credulitate, & affectione, & nulli periculo ſe exponit, quia licet fortaſſe non ita ſit, neque animæ illæ huiuſmodi orationes percipiant, nihilominus oratio eius in ſinum eius conuertetur. Et fortaſſe etiam verum eſt, animas illas, ſaltem cũ beatæ ſiunt, cognoſcere orationes omnes, toto illo tempore ad eas fuſas, & eis mouere ad intercedendum in patria pro oratoribus ſuis. Quapropter, qui in hoc modo orandi fructum, & deuotionem ſenſerit, non videtur ab illo reuocandus, quanquam per ſe loquendo non videatur neceſſarius, quia deuotio ad animas purgatorij magis oſtenditur, ſuffragando illis per opera ſatisfactoria, & orando pro illis, & hoc ſatis eſt, vt ipſæ moueantur ad orandum pro nobis, quando, & quomodo potuerint iuxta Diuinam ordinationem.

CAPVT XI.

Vtrum omnes Spiritus beati, & iuſti orare poſsint.

1. *Perſonæ Diuinæ orare non poſſunt vt tales ſũt.*

SVpponimus, quod certum eſt, Diuinas perſonas, vt tales ſunt, orare non poſſe, quia orare eſt actus inferioris, & requirit diſtinctam voluntatem inter eum, qui orat, & ad quem orat: perſonæ autem Diuinæ neque habent ſuperiorem extra ſe, neque inter ſe vna eſt inferior alia, & vnicam tantum habent voluntatem, & ideo neque vna poteſt orare ad aliam, neque omnes ad quempiam alium. Cum autem in Scriptura dicitur Deus petere, aut rogare aliquid ab homine vt Exod. 32. *Dimitte me, &c.* vel Spiritum ſanctum poſtulare pro nobis ad Rom. 8. vtraque locutio metaphorica eſt, nam in priori oſtenditur quantum valeat oratio iuſti apud ipſum, vt bene explicat Cardinalis Bellar. lib. 1. de bonis operibus cap. 8. In poſteriori autem explicatur & appropriatur Spiritui ſancto ſpiritus orandi, quem in nos infundit, vt libr. 2. de Trinit. latius dixi. Addidi vero, *vt tales ſunt*, ne Chriſtum, vt hominem comprehenderem: nam Verbum per humanitatem orare potuit, & poteſt, vt in ſuperioribus tactum eſt, & de illius oratione prætereà, quæ attigimus c. præced. ex profeſſo tractauimus circa qu. 21. tertiæ partis Diui Thomę, & ideo nihil hic addere neceſſe eſt.

2. *Sancti Angeli pro nobis orant, & noſtras orationes Deo præſentant. Tob. 12.*

Secundo de ſanctis Angelis certum eſt, etiam ipſos orare, non ſolum gratias agendo & laudando Deum, & benedicẽdo ipſum, quæ in Scripturis paſſim leguntur, ſed etiam proprie petendo, & obſecrando, & petitiones noſtras Deo præſentando, vt conſtat ex Tobiæ 12. & ex multis locis Apocal. Item ſuperius oſtendimus ex Scripturis, Angelos ſanctos orari ab hominibus, quod ſupponit, ipſos orare pro nobis, quia non oramus ad illos tanquam ad auctores bonorum, ſed tanquam ad interceſſores, loquẽdo de propria oratione, quæ aliquo modo ad Deum terminanda ſit.

3. *Beatæ animæ deſpicantur intelligi poſſunt orare pro nobis. 1. Modo in generali pro nobis orant. 2. Mach. vlt. Ierem. 15.*

Vnde etiam conſtat, animas ſanctas, & beatas orare ad Deum pro nobis, quod intelligi poteſt, vel in generali, vel in particulari pro tali perſona, & tali negotio, ſeu neceſsitate. De priori modo res eſt clara, quia etiam ante Chriſti aduentum, quando animæ iuſtæ perfecte purgatæ non videbant Deum, ſed erant in Sinu Abrahæ, orabant pro viuẽtibus, vt de Ieremia, & Onia legimus 2. Machabæorum vlt. & de Samuele, & Moyſe colligitur ex Ierem. 15. ergo multo magis nunc Sancti iam Beati pro viatoribus orabunt, quia non ignorant, in quibus periculis verſemur, & maiori, magiſque perpetua charitate nos diligunt. De alio autem modo orandi pro nobis in particulari res eſt etiam certa de fide, quã pręſertim probauit Hieronym. contra Vigilantium. Et ſequitur ex aſſertione præcedentis capitis, nam ſi Sancti orantur à nobis in particulari, certe & ipſi ſimili modo orant pro nobis, nam hoc maxime eſt, quod nos ab eis petimus, quodq; vniuerſa Eccleſia pręcipue intendit, cum ad eos orat. Item quia ſiquid obſtaret, maxime quia vel orationes noſtras, vel neceſsitates in particulari non cognoſcunt, ſed hoc eſt falſum, vt oſtenſum eſt cap. præced. ergo. Maior conſtat, quia nulla alia conditio excogitari poteſt neceſſaria ad orandum, quæ Sanctis beatis deſit. Nam & Deum ſumme reuerentur, & ideo modis omnibus illum libentiſsime colunt, & apud ipſum plurimum valent ad intercedendum, quia ſi viatores ad hoc valent, multo magis Beati. Vnde etiam ipſis non orantibus, eorum merita apud Deum valent, vt propter ipſos Deus nobis benefaciat, & ideo ſolent fideles in hac vita, vt ſupra diximus per Sanctos iam defunctos Deum obſecrare,

2. Modo in particulari etiam orant pro nobis. Hieron.

Geneſ. 25. & 26. 3. *Reg.* 15. *Daniel.* 3.

ſecrare, vt patet etiam Geneſ. 25. & 26. 3. Reg. 15. & Daniel. 3. Denique noſtris orationibus excitantur, & mouentur ad orandum pro nobis in particulari, cum ergo vehementer nos diligant, dubitari non poteſt, quin ita orent pro nobis, ſicut ab eis poſtulamus. Nam affectum beneuolentiæ, & miſericordiæ erga nos habent, vt late Auguſtinus lib. 21. de Ciuitate cap. 18.

Dubium ſcitu dignum.

4. Nonnulla tamen obiter declaranda occurrunt. Primum eſt, An Beati, cum ad Deum pro nobis in particulari orant, prænoſcant euẽtum, ſeu effectum talis orationis, necne? Nam ſi vident, orationem nõ habituram effectum, non poſtulabunt, quia habent volũtatem ſuam maxime conformem Diuinæ voluntati, ergo non poſtulabũt aliquid præter id, quod ſciunt, Diuina voluntate, eſſe diſpoſitum. Si autem præſciunt, effectum eſſe futurum, non eſt, cur illud poſtulent, quia iam ſciunt noſtram orationem eſſe exauditam, aut Deum ex ſe voluiſſe tale beneficium conferre. Si denique neutrum ſciunt, ſcilicet An Deus ſit id conceſſurus, necne, hæc ſuſpenſio & incertitudo videtur ſtatui beatifico repugnare: vel certe ſi hoc non repugnat, etiam non oportebit, vt Beati videant orationes noſtras, quia non magis pertinet ad ſtatum beati Franciſci, verbi gratia, videre orationes ſuorum fratrum ad ſe fuſas, quam videre euentus illarum, & beneficia per eum fratribus ſuis conferenda: eademque ratio eſt de cæteris Sanctis reſpectu quorumcunque orantium, ſeruata proportione.

Expeditur.

5. Reſpondetur, omnibus his modis poſſe contingere, vt Sancti in cœlo orent, quia nullus eorum repugnat orationi, & nullus etiam eorum eſt neceſſario coniunctus cum Sanctorum beatitudine. Et de primis quidem duobus modis habemus certum exemplum in anima Chriſti Domini, illa enim videt in Verbo omnia, quæ in omnibus differentiis temporis futura ſunt, ergo quando orabat definite ſciebat, An Deus facturus eſſet, quod orabat, necne, nihilominus rogauit pro Petro, ne deficeret fides eius, & rogauit Patrem, vt mitteret Spiritum ſanctum, & efficaciter rogauit pro prædeſtinatis, quæ omnia ſciebat, infallibiliter fuiſſe futura. Et aliunde etiam orauit ad Patrem vt à ſe transferret calicem paſsionis, cum certo ſciret, illud non fuiſſe à Patre concedendum. Idem ergo nunc accidere poteſt Sanctis beatis, in cœlo orantibus, & præſertim de ſanctiſsima Virgine id credendum eſt, quia vt pie creditur, videt omnia, quæ Deus in Eccleſia operatur infra Chriſti animam: ergo quando orat, bene iam nouit, quid Deus facturus ſit ob talem orationem. Idem ergo in quocunque alio Beato accidere poteſt reſpectiuè, ſeu iuxta ſtatum ſuum. Ratio vero eſt, quia neutra præſcientia excludit orationem. Nam ſi Beatus videt, orationem futuram eſſe efficacem, tunc libentius, & maiori affectu orat, quia ſimul etiam prænoſcit, Deum diſpoſuiſſe id facere per talem orationem. Si autem Beatus prænouit effectum non eſſe concedendum, nihilominus orare poteſt ſaltem ex affectu ſimplici, & ex amore talis perſonæ. Sicut enim Chriſtus orauit in horto ad oſtendendum affectum ſuæ naturæ, quæ oſtenſio cedebat in honorem, & cultum Dei, & non diſcordabat à voluntate eius, quia ſubiiciebatur illi ſecundum ſuam efficacem voluntatem: ita Beatus poteſt orare Deum ex affectu ſimplici charitatis ad proximum, ſubiiciendo ſuam voluntatem efficacem voluntati Dei. Et ita exercet actum Diuini cultus, & charitatis proximi, & non diſcordat à voluntate Dei.

Dan. 10. *D. Hier.* *D. Greg.* *D. Thom.*

6. De tertio autem membro habemus exemplum in Daniel. 10. iuxta expoſitionem Hieronym. ibi & Greg. 17. Moral. ca. 17. quam ſecutus eſt D. Tho. 1. p. qu. 113. art. 8. ibi enim Gabriel Angelus dicitur: cum Daniel oraſſe pro liberatione Iudæorum, & Princeps regni Perſarum (id eſt, Angelus cuſtos illius regni) dicitur eis reſtitiſſe orando, ſcilicet ne Iudæi dimitterentur. *Quia neſciebat*, ait D. Tho. *quid Deus diſpoſuiſſet, & procurabat commodum regni ſibi commendati, donec de Diuina ordinatione ſibi conſtaret.* ergo interdum Sancti beati orant ignorando, quem effectum ſua ratio ſit habitura, donec illum poſtea per reuelationem cognoſcant. Atque ita tenet Caiet. d. q. 83. art. 4. & 3. p. q. 10. art. 2. vbi ex eodem loco Danielis id confirmat, quod etiam ſentit D. Tho. in 4. d. 45. q. 3. art. 3. ad 3. Ibi tamen cum D. Gregor. ſignificat, illos Sanctos Angelos non contraria petiiſſe, ſed tantum contraria merita ex diuerſis partibus ad Diuinum examen retuliſſe, Dei ſententiam expectantes. Vnde ſentit, Beatum nunquam petere, niſi quando oratio eius implenda eſt. Sed intelligendum hoc puto de petitione abſoluta, & ex volũtate efficaci: nam ex affectu ſimplici, vt dicebam, poſtulare poſſunt, qui petendi modus ſemper habet conditionem incluſam, ratione cuius poteſt nõ impleri ſine repugnantia ad ſtatum beatificum. Aliqui vero putant, omnino eſſe eandem rationem de orationibus noſtris, & de euentibus earum, ac propterea Sanctos ſimul videre in Verbo, & orationes noſtras, & An repræſentatæ Deo habituræ ſint effectum, ne cõtingat eis fruſtra ſuſcipere patrocinium noſtrum. Quæ ratio non cogit, nam licet intercedant pro viatore, quando impetraturi non ſunt, non fruſtra intercedent, quia ſaltem exercebunt actum Religionis, & charitatis, & fortaſſe in ordine ad vniuerſalem prouidentiam Dei, & magis oſtendendam eius iuſtitiam poterit talis oratio habere aliquam vtilitatem. Vnde non videtur eſſe omnino eadem ratio de oratione, & de euentu, quia oratio directe pertinet ad perſonam ipſius Beati, & eius cognitio eſt per ſe neceſſaria ad ſtatum ipſius Beati: cognoſcere autem omnes euentus orationum, & diſpoſitionem Diuinæ prouidentiæ circa illos non ita ſpectat ad ſingulos Beatos. Vnde quoad hanc partem probabilem exiſtimo hanc ſententiam Caietani, quia non video repugnare ſtatui beatifico, quamuis etiam intelligam: non conuinci ex loco Danielis.

Caiet. *D. Thom.* *D. Greg.*

Quid intelligatur, cum dicitur Sanctum beatum Deo præſentare noſtrã orationem?

7. Vlterius inquiri poteſt, quid ſit, Angelum, vel Sanctum aliquem beatum offerre Deo, vel præſentare orationem noſtram? Nam quod hoc faciant non ſolum Angeli, ſed etiam ſanctæ animæ in cœlo, ex Apoc. ſupra oſtenſum eſt. Quid autem illud ſit, exponere neceſſe eſt, quia nõ videtur eſſe idem, quod orare pro nobis, tum quia tanquam diuerſum videtur poni in Scriptura: tum etiam quia inter homines præſentare Principi petitionem alterius, non eſt pro illo petere. Aliunde autem videtur, ſecluſa interceſsione, non habere locum huiuſmodi præſentationem petitionis reſpectu Dei: nam Deus ſtatim per ſe nouit petitionem, vnde non poteſt ei ab alio præſentari. Deinde quia ſecluſa interceſsione, illa præſentatio non eſſet fructuoſa, neque alicuius vtilitatis. Dubium hoc mouet Alenſ. d. qu. 26. memb. 3. art. 4. §. 2. in fine & obſcuriſsime illud reſoluit, tandemq; dicere videtur, hãc oblationem orationis noſtræ factam per Angelum, eſſe congratulationem quandam de acceptatione orationis ex parte Dei. Sed hoc mihi non probatur, tum quia cõgratulatio hæc ſupponit, orationem iam eſſe acceptam Deo, & hoc ipſum eſſe reuelatum Angelo, congratulationem facienti, at vero oblatio orationis non ſupponit acceptationem eius: nam potius ad hoc offertur, ſeu præſentatur Deo, vt exaudiatur, & acceptetur, ergo potius oblatio eſt via, ad acceptationem, quam congratulatio illius. Tum etiam, quia congratulatio proprie non videtur referri ad Deum, ſed ad hominem, cuius oratio acceptata ſupponitur, nam eſt ſignificatio lætitiæ propter beneficium illi collatum. Reſpectu autem Dei ſo-

Alex. Alen. reſolutio.

Non probatur.

lum poteſt eſſe gratiarum actio, eo quod orationem acceptauerit, vt ſupponitur: prius autem eſt orationem offerre, quam gratias agere, eo quod accepta fuerit.

8. *Auctoris diuiſio.* Dico ergo, nihil aliud eſſe, Sanctum aliquem offerre, vel præſentare Deo orationem alicuius viatoris, niſi narrare apud Deum, quid viator ille deſideret, ac poſtulet, quod variis modis intelligi poteſt. Primo, quando viator orat ad Sanctum, vt hoc, vel illud ſibi impetret à Deo, & poſtea Sanctus hoc ipſum præſentat, ſeu narrat Deo. Et tunc ſimul ipſe orat, & præſentat orationem alterius, orationem, inquam, non Deo immediate factam, ſed ſibi. Vnde tunc Sanctus directe orat, & intercedit pro viatore, vt deſiderium eius impleatur. Ad hoc autem obtinẽdum præſentat petitionem ſibi factam, quaſi pro titulo, & ratione obtinendi à Deo id, quod impetrat. Sæpe enim continget Angelum, vel Sanctum aliquem petere à Deo, & impetrare homini multa bona, quæ ipſe non poſtulauerat ab ipſo Angelo, vel Sancto: & tunc Beatus quidem orat pro viatore, & non præſentat vllam orationem viatoris, nec illo titulo poſtulat. Quando vero præceſſit petitio ex parte viatoris oblata alicui Beato, tunc & Beatus ipſe orat, & præſentat orationem viatoris. Alio modo poteſt hoc contingere: quando viator optat quidem petere ab ipſomet Deo, ſed non audet per ſe ipſum accedere, & ideo rogat Sanctum aliquem, vt orationem ſuam præſentet Deo. Tunc enim Sanctus per ſe primo præſentat Deo petitionem, quam viator ab ipſomet Deo immediate, poſtulat, ſed in ſignum deuotionis, & humilitatis vult per digniorem perſonam præſentari. Vnde etiamſi intelligamus tunc non adiungere Sanctum propriam, & immediatam interceſsionem, vt oratio viatoris exaudiatur, per hoc ſolum, quod alterius orationẽ præſentat, illi addit (vt ſic dicam) vim, & pondus ad impetrandum, credibile autem eſt ſemper adiungere interceſsionem ſuam Nihilominus tamen ſatis differunt ratione formali orare Deum pro alio, vel offerre Deo orationes alterius, & hoc poſterius ſemper ſupponit orationem aliquam hominis Sancto oblatam, illud vero prius non ſemper ſupponit orationem hominis: nam orant Sancti pro nobis, etiam non rogati à nobis, vt dictum eſt

9. *An ſancti tam pro ſe ipſis orent?* Tertio dubitari poteſt, An Sancti orent non ſolum pro aliis, ſed etiam pro ſe ipſis? Et ratio dubij eſt: quia oratio fit vt deſiderium nondum expletum impleatur, ſed hoc deſiderium Beatis repugnare videtur, ergo etiam repugnat beatitudini, vt Sancti pro ſe orent per propriam petitionem, de qua nunc agimus, nam per gratiarum actionem, & laudationem pro beneficiis acceptis clarum eſt poſſe orare: Probatur minor, in qua ſola eſt difficultas, quia deſiderium non impletum cruciat, quantum eſt ex ſe, & affligit animum, repugnat ergo beatitudini, quæ eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. In contrarium vero eſt, quia Apocal. 6. *Apoc. 6.* dicitur, *vidiſſe Ioannem ſub altari Dei animas interfectorum propter verbum Dei clamantes ad Deum, vſquequo Domine non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum, &c.?* Ex quo loco colligunt omnes, Sanctorum animas poſtulare à Deo gloriam ſuorum corporum. Vnde D. Tho. dicta q. 83 art. 11. ad 1. docet, *D. Thom.* Sanctorum animas orare pro gloria corporis, & pro ſola illa, quantum ad ipſos ſpectat, quia ſolum (inquit) deeſt illis gloria corporis. Ex quo videtur ſentire, & Angelos non orare pro ſe ipſis, quia non ſunt capaces corporum, & homines beatos nihil poſſe ſibi poſtulare, quod ad ſtatum animæ ſeparatę pertineat. At vero Alen. 4. p. q 26. memb. 3 ar. 4 §. 2. *Alenſ.* dicit, beatos etiam orare pro bono habito, vt continuetur, & tam in Angelis quam in animabus locum habet. Itẽ ait, eos orare pro conſummatione numeri electorum, & pro iuſtitia in reprobis exequenda.

Veruntamen ego exiſtimo primo Sanctos non orare pro his, quę ſpectant ad beatitudinem eſſentialem ſuam. 10. *Sancti non orant pro pertinentibus ad eſſentialem beatitudinem.* Probatur, quia illam iam habent, ergo vt ſic illam poſtulare non poſſunt. Neq; etiam poſſunt petere argumẽtum eius, quia ſciunt, illud repugnare ſecundum ordinem Diuinæ ſapientiæ, & prouidentiæ & ſecundum naturam illius ſtatus, vnde tale augmentum non deſiderãt, & de hoc deſiderio recte dicitur repugnare ſtatui beatitudinis. Et eadem ratione exiſtimo contra Alen. non poſtulare cõſeruationem, ſeu perpetuitatem ſuæ beatitudinis quia neq; talem conſeruationem, ſeu perpetuitatem habent in deſiderio, ſed re ipſa iam illam poſſident & illa fruuntur, illorum enim gloria mẽſuratur æternitate, quæ ſuo modo tota eſt ſimul. Et quãuis ſemper à Deo pendeant & ab eius voluntate, tamen iam certo ſciunt, & ſecuri ſunt hoc decretum eſſe abſolutum in Diuina voluntate, & mandatũ executioni ſine periculo pœnitentiæ. Et eadem ratione non eſt, quod deſiderent, aut petant perpetuam cõſeruationem ſui eſſe, nam hoc totũ includitur in perpetuitate beatitudinis Sicut etiam Chriſtus Dominus nõ orat pro conſeruatione vnionis, & aliorum bonorum ſuæ humanitati conceſſorum, quia non conſiderat illam conſeruationem vt futuram, ſed vt pręſentem, & immutabilem.

11. *Secus eſt de his, quæ ad accidentalẽ gloriam ſpectant.* At vero pro his, quę ad accidentalem gloriã pertinent orare poſſunt Sancti iam beati, quia non totã gloriam accidentalem ſimul habent, ſed in illa mutationem, & augmentum recipiunt. Et ad hanc orationem pertinet clamor Sanctarum animarum pro corporibus ſuis, nam gloria corporis, & in ſe accidentaria eſt reſpectu ſtatus beatifici, & coniunctio cum corpore glorioſo cõferet aliquo modo ad accidentalem perfectionem gloriæ animæ. Hac etiam ratione poſſunt ſine dubio orare Sãcti pro complemento numeri prædeſtinatorũ, nam licet hæc oratio videatur eſſe pro aliis, tamen etiam redundat in ipſos orantes, quatenus ex perfectione illius numeri mirum in modum augebitur accidentalis gloria ſingulorum. Hoc ergo modo etiam Angeli poſſunt orare pro ſe. Nec video, cur nõ poſſint petere reuelationes aliquarum rerum, quas neſciunt, vel quidpiam ſimile. Sic etiam Chriſtus in nocte Cœnæ orauit ad Patrem. *Clarifica filium tuum*, vbi claritatẽ ſui nominis per notitiam credentium poſtulauit, quæ pertinet ad accidentalem gloriam Chriſti, vt homo eſt. & veriſimile eſt, eandem orationem facere nũc, & facturum vſque ad diem iudicij. quia illa clarificatio necdum perfecta eſt, neq; vſq; ad diem iudicij finietur, Ita ergo poſſunt alij Sancti orare pro aliquo dono accidentalis gloriæ. Quod ſi quis obiecerit, quia accidentalis gloria ſequitur ex eſſentiali, ſicut proprietas ex eſſentia: reſpondebimus idem obiici poſſe de gloria corporis, & animæ. Igitur eo ipſo, quod hæc emanatio non eſt tam intrinſeca, & naturalis, quin contingat eſſentialem gloriam eſſe ſine hoc, vel illo dono gloriæ accidentalis, datur locus petitioni boni nondum habiti. Præſertim, quia in donis gloriæ accidẽtalis eſt magna latitudo, & quędam magis neceſſario conſequuntur, quã alia. Circa hæc ergo bona, quæ nondum habentur, poteſt eſſe in Beato ſimplex deſiderium ſine imperfectione ſuo ſtatui repugnante. Quia ſemper habẽt quidquid eis conuenit ſecundum præſentem ſtatum, & in futurum nihil appetunt etiam accidẽtale, niſi iuxta beneplacitum Diuinę voluntatis, & certo ſciunt ſemper habituros, quod ſuo ſtatui conueniat per media Diuinæ diſpoſitioni conſentanea, inter quæ vnum eſt humilis petitio, & oratio ad Deum.

12. *Animæ purgatorij An orent pro ſe?* Sed iam dicendũ ſequitur de animabus purgatorij, nã de animabus damnatis, ſicut & de Dæmonibus nihil dicere neceſſe eſt, quia conſtat, dãnatos nõ eſſe in ſtatu orãdi. Poſſunt quidẽ aliquid petere, vel à Deo, vel ab aliquo Sãcto, ſicut legimus, Dæmonem

petiiſſe

Digitized by Google

petiiſſe à Deo; vt ſibi permitteret tentare Sanctum Iob, Iob. 1. & 2. Et ſimiliter legimus diuitem damnatum petiiſſe aliquid ab Abrahamo iuſto Lucæ 16. tamen illa petitio non meretur nomen orationis, quia neque ad cultum Religioſum pertinet, nec ex pio affectu procedit, quomodo nunc de oratione loquimur, vt in principio diximus. Animas autem purgatorij certum eſt, eſſe capaces huiuſmodi orationis, quia ſunt iuſtæ. & carent multis bonis, quæ ex pio affectu petere poſſunt. Vnde certum exiſtimo orare pro ſe ipſis, vt rectè docuit Alenſ. d. art. 4. §. 4. Quid autem orent, vel ad quid orent pro ſe ipſis, nō eodem modo ab omnibus explicatur.

Iob. 1. & 2. Luc. 16.

Dubio reſpondetur. Alenſ.

13\. Diſtinguit autem ibi Alenſis tres proximos fines, ſeu fructus orationis. Primus (vt ait) eſt ad deguſtādum, ſecundus ad exſoluendum, tertius ad impetrandum. De ſecundo certum eſt non habere locum in animabus purgatorij, quia non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, & ita nō orant, vt pro reatu pœnæ, quo tenentur, ſatisfaciant, quia cognoſcunt, ibi nō commutari pœnam ignis in aliquam propriam actionē ipſius animæ patientis. De primo etiam fructu ait Alenſis, non habere locum in animabus purgatorij, & rationem reddit, quia illæ animæ ita ſunt intentæ punitioni, & afflictioni ex dilatione gloriæ, & ſolutione pœnę vt non intendant contēplationi, & dulcedini. Sed profectò ſi de oratione latè ſumpta loquamur, vt dicit aſcenſum mentis in Deum, & comprehendit perfectam contemplationem, dubitandum non eſt, quin animæ illæ perfectiſsime orent, & ſint in altiſsima contemplatione, & amore Dei, vt in 4. tom. tract. de Purgatorio latiù, dictum eſt. Vbi etiam oſtenſum eſt non repugnare illi ſtatui habere aliquod gaudium Spei, & Charitatis ſimul cum dolore pœnarum. At ſi loquamur de oratione ſtrictè pro petitiōe, vt loquimur, ſic veriſimile eſt, animas illas non poſtulare ſibi aliquam delectationem. vel dulcedinem in illo ſtatu, quia potiùs pati volunt, & quam citiſsime purgari, imo etiam ſi contemplādo, & amandò Deum aliquam delectationem capiant, fortaſſe illam directe non intendunt, ſed naturaliter ſequitur ex amore Dei, cui omnino incumbunt.

Quidnā purgatorij animæ pro ſe orent. Alenſ.

14\. Hic verò proprie agimus de oratione illarum animarum, quātum ad tertium fructum, ſcilicet vim impetrandi, de qua certum eſt habere locum in illis animabus, vt ibidem Alenſ. docet, & concordant alij auctores ſtatim citādi, quia illæ animæ ſunt iuſtæ, & gratæ Deo, ergo ſi aliquid decens petant, dignæ ſunt exaudiri, quia licèt non ſint in ſtatu merēdi, hoc neceſſarium non eſt ad impetrationem orationis. Sed difficultas eſt, quid poſsint ſibi petere, quia nec liberationem à malo, nec cōſequutionem alicuius boni poſtulare poſſe videntur. Primum patet, quia ibi non habent aliud malum, niſi pœnam, & detentionem, à qua ſciunt non eſſe liberandas, niſi per cōdignam ſatis paſſionem, ergo non petunt in hoc remiſsionem aliquam: nec etiam petunt, vt poſt condignam paſsionē pœnæ inde liberentur, quia certò ſciunt illud futurum eſſe infallibiliter ex lege iuſtitiæ. Secundum aūt patet, quia pro illo ſtatu non videntur eſſe capaces alicuius boni quo careant: præſertim cum dixerimus veriſimilē eſſe, non poſtulare conſolationem aliquam vel voluptatem.

Animæ purgatorij poſſunt impetrare. Alenſ.

15\. Nihilominus dicendum eſt vtrumque poſſe ſibi poſtulare. Cur enim non poterunt humiliter à Deo petere, vt quam citiſsime inde liberentur iuxta ordinem ſuæ Diuinæ prouidentiæ, ſiue hoc ſit immediate condonando ſibi aliquam partem pœnæ propter Chriſtum, ſiue (quod facilius eſt) excitando fideles iuſtos, qui pro eis ſatisfaciant, & ſuffragia, vel indulgentias pro eis applicēt. Ita enim refert Greg. in li. Dial. interdum viſas eſſe animas purgatorij petere à viuentibus ſuffragia, ergo etiam poterunt orare Deum, vt aliquo modo eis prouideat, quo citò inde liberentur, Et hinc conſequenter orant pro bono gloriæ obtinendo, nam licet certò ſciant, poſt expiationem pœnæ ſupereſſe ſibi æternum premiū, nihilominus rectè faciunt, deſiderando illud, & deſiderium ſuum Deo explicando. Et præterea ſi fortaſſe ibi indigent aliquo leuamine, vel conſolatione, vel facilius poſsint illam Dei abſentiam ſuſtinere, non video cur non poſsint hoc accidentarium bonum petere, vel ex honeſto affectu naturæ, vel etiam ex amore Dei, vt facilius, & ſuauius poſsint illum exercere, hoc enim totum illi ſtatui non repugnat.

Animæ purgatorij poſtulare poſſunt, vt ab illo ſtatu liberētur & in gloriā ferantur. Greg.

16\. Tandem dubitari poteſt, An illæ animæ orēt pro viuentibus viatoribus: Antiquorum enim Theologorum ferè communis opinio fuit, animas purgatorij non orare pro alijs, quia ſunt quaſi in carcere, & in ſtatu pœnali, & quaſi ſub vindicta Diuini iudicij, ideoque nō ſunt in ſtatu orandi pro aliis. Ita D. Th. d. q. 83. ar. 11. ad 3. Alenſ. d. §. 4. & alij, quos retuli c. præced. Et refert, ac ſequitur Nauar. in Enchirid. de Orat. in præludiis n. 26. & 29. Nihilominus multi recentiores Theologi contrariam ſententiam docuerūt poſt Gabrielem lect. 58. in Can. quem ſequutus eſt Med. ſuprà, & Bellar. li. 2. de purgatorio ca. 15. & Greg. de Valenti. 3. tom. diſp. 6. q. 2. p. 6. Quorum ſententia mihi quidem ſatis pia, & probabilis videtur, intellecta præſertim de oratione in generali, vel ex parte rerum, vel ex parte perſonarum. Non eſt enim hæc ſententia neceſſario connexa cum alia ſupra tractata, quæ habet poſſe nos orare, & petere aliquid ab animabus purgatorij, nam illa ſupponit rē magis incertam, ſcilicet quod illæ animę cognoſcāt noſtras petitiōes, vel actiones. Vnde ſi ſupponamus, illas non cognoſcere, ac proinde non eſſe orandas à nobis conſequenter dicendum eſt, illas non poſſe orare pro nobis in particulari, ſcilicet vt hoc, vel illud deſiderium noſtrum impleatur, vel vt in hac, aut illa neceſsitate nobis ſubueniatur, quia ignorant deſideria, aut neceſsitates noſtras in particulari. Tamen in generali orare poſſunt primo quoad perſonas pro omnibus viatoribus, vel pro Eccleſia militante, vel pro his, qui illam gubernāt, aut ſub alia ſimili generali ratione. Videntur etiam poſſe orare pro particularibus perſonis, cum quibus habuerūt in via ſpecialem cōiunctionē, vel amicitiam, in hoc tamen, (quia ignorant, An illæ perſonæ adhuc ſint in via, vel in quo ſtatu ſint,) oportebit, vt adhibeant conditionem, ſi adhuc in via exiſtant, &c. Certiùs orare poſſunt pro illis viatoribus qui ipſis ſuffragantur, & curam habent orandi, vel aliqua opera faciēdi pro ſua liberatione, illa enim oratio in particulari eſt pro talibus perſonis quas Deus optimè nouit, licet ipſis animabus ignotæ ſint. Ex parte vero materiæ, ſeu rei poſtulatæ oratio erit generalis proportionata cognitioni, nā illæ animæ bene norūt, in quātis periculis verſemur, & quantū indigeamus Diuinis auxilijs, & beneficijs poſtulare ergo poſſunt, vt Deus nobis ſubueniat, vel vt peccata remittat, tentationes auferat, & ſimilia. Hæc ergo oratio per ſe impoſſibilis non eſt.

An purgatorij animæ pro viuentibus orent? Antiquorū opinio negat. D. Thom. Alenſ. Nauar. Opinio recentiorum affirmat. Gabriel. Medin. Bellar. Valentia.

Animæ purgatorij orare poſſunt pro viatoribus in communi.

Earum oratio etiam eſt de beneficijs in communi.

17\. Quod aūt non ſit aliena, neq; indecens illi ſtatui, probatur, quia illę animę ſunt charæ Deo, & quamuis ab illo pro tunc affligantur, non tamen vt ab inimico, ſed vt à iuſto iudice, & parēte optimo; qui eas beatas efficere cupit, & ideo illas purgat, quā pœnā ipſæ maxima voluntate ſuſcipiunt, & patiuntur, vt filij, nō vt ſerui, ergo nō repugnat illi ſtatui, vt à Deo aliquid petāt pro fratribus, & amicis benefactoribus ſuis. Confirmatur, quia nos viatores, quāuis credamus, eſſe magis reos pœnarū, quā ſint animę purgatorij, nihilominus pro aliis rectè oramus, ergo reatus pœnę, qui durat in illis animabus, nō reddit illas indignas, vel improportionatas ad orādū pro aliis. Neque ēt actualis pœna hoc facere pōt, quia potius illa eſt quoddā bonū, & cōtinue diminuit illū reatū, & per ſe nō eſt incompoſſibilis cū affectu, & oratione

Non eſſe indecētem illi ſtatui hunc orandi modum. Probatur.

Cōfirmatur.

Digitized by Google

pro alijs. Aliunde verò hic eſt actus charitatis, vel gratitudinis cur ergo non poterunt illum exercere illæ animæ? Accedit, quod ante aduentũ Chriſti animæ exiſtentes in Limbo orabant Deum pro viuentibus ſaltem illo generali modo, vt colligitur ex 2. Machabæorum vltim. & ex Ieremiæ 15. Affert denique Bellarminus, quod etiam interdum legantur animæ purgatorij feciſſe miracula apud Gregorium libr. 4. Dialogorum, capit. 40. & Petrum Damianum in epiſt. de Miraculis ſui temporis, quod licet accidere potuerit, etiam ipſis animabus tunc nõ orãtibus, ſed Deo ea miracula faciente propter earũ præterita merita, tamen inde probabile ſumitur argumentum, quod Deus, qui ita honorat animas illas, etiam dum illas purgat, faciliùs recipiet, & exaudiet orationes illarum. Eſt ergo hæc ſententia pia, & probabilis, & quamuis ſit incerta, ſufficit, vt poſſint Viatores benefacere animabus purgatorij eo fine, vt orationes earum magis participent. Atque hinc tandem concluditur, animas purgatorij etiam poſſe in particulari orare pro nobis, ſi noſtras neceſſitates, vel orationes cognoſcunt, vt ex dictis ſatis conſtat.

2 Mach. vlt. Ierem. 15. Bellarm. Gregor. Pet. Dam.

CAPVT XII.

Vtrum Viatoribus omnibus conueniat orare?

1. *Senſus quæſtionis declaratur.*

POteſt hæc quæſtio tractari etiam de Viatoribus Angelis, & de hominibus in ſtatu innocentiæ, ſed non eſt dubium, quin illi etiam fuerint capaces orationis, & quod illa vti potuerint, & debuerint iuxta ſui ſtatus exigentiam. Neque de illis aliquid peculiare dicendum occurrit, ſed ſub generali lege iuſtorũ Viatorum comprehendẽdi ſunt. Agimus ergo de Viatoribus hominibus ſecundum præſentem ſtatum, qui in tres ordines diſtribui poſſunt, ſcilicet infidelium, iuſtorum, & fidelium peccatorũ. De infidelibus ſuppono non eſſe capaces orationis de qua loquimur, donec fidem habeant, iuxta illud Pauli ad Roman. 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Illa enim verba oſtendunt, fidem eſſe fundamentum veræ orationis, ſeu inuocationis Dei. Nec diſputandum eſt modo, an Paganus, vel Gentilis, pro ratione cognitionis, quam de Deo habet, verè poſſit orare, quia non eſt dubium, quin poſſit petere, & fortaſſe honeſta intentione, & ſine circumſtantia moraliter mala, quia ſupponimus petere à vero Deo iuxta cognitionem naturalem, ſeu acquiſitam per traditionem humanam, quam de illo habet. Quicquid tamen ſit de illa petitione, & de honeſtate eius, & de viribus naturæ, aut gratiæ, per quas fieri poteſt, in præſenti quaſi nihil reputatur, quia non eſt oratio verè ſupernaturalis, nec fundata in fide, nec per ſe conferre poteſt illo modo ad vitam æternam, nec etiam fundari poteſt in Diuina promiſſione. Omiſſis ergo infidelibus de Viatoribus item iuſtis contraria ratione nihil etiam dicere neceſſe eſt, quia per ſe notum eſt poſſe orare tam pro ſe, quam pro alijs, nam cum oratio Viatoribus maximè commendetur, ac præcipiatur, nulli inueniri poſſunt aptiores ad orandum, quàm iuſti. Neque oportet inter eos aliqua diſtinctione vti, quia ſiue imperfecti ſint, ſiue perfecti, omnes ſunt grati Deo, & ideo apti ad orandum, tam pro ſe, quàm pro alijs, quamuis quidam ſint alijs aptiores, ſcilicet qui puriores ſunt, & Deo propinquiores.

Rom. 10. *Infideles incapaces ſunt orationis.* *Viatores iuſtos orare poſſe tã pro ſe, quam pro alijs, notum eſt.*

2. *An peccatori fideli conueniat orare.*

Solum ergo de peccatoribus fidelibus ſupereſt dubium, an illis conueniat orare. Conſtat enim illis non deeſſe poteſtatem orandi, nam ad orandum ex parte intellectus ſufficit fides, & ex parte voluntatis deſiderium bonum, quod ex auxilio gratiæ ſine ſanctificante gratia haberi poteſt. Tria igitur poſſunt interrogari. Primum, an liceat illis orare in eo ſtatu. Secundum an debeant, ſeu teneantur orare tam pro ſe, quam pro alijs? Tertium, an eorum oratio efficax ſit? De primo iam ſupra diximus, talem orationem per ſe non eſſe illicitam, quia in actu orationis nõ eſt aliqua dignitas ſpecialis, ob quam ſanctitas perſonæ ad illius actus honeſtatem neceſſaria ſit. Et hoc ſupponunt communiter Doctores, quos infrà referemus, dum quærunt, an oratio peccatoris infallibiliter impetret, ſupponunt enim poſſe eſſe bonam, & non diſplicere Deo ex hoc præciſe, quod à peccatore ſit. Idem colligitur ex alio certo principio, quòd, qui alias tenetur ex præcepto orare, etiamſi ſit in ſtatu peccati mortalis, debet recitare, & orare, implebitque præceptum, nullumque nouum peccatum committet, etiãſi non ſe diſponat ad gratiam, antequam recitet. *Tali peccatori eo in ſtatu licet orare.* Quod ſi quis dicat, hoc eſſe verum in miniſtris Eccleſiæ, quia non ſuo nomine, ſed Eccleſiæ orant, quia ſanctitas Eccleſiæ ſupplet eorum defectum. *Obiectioni occurritur.* Reſpondemus primò, nõ ſolùm in oratione publica, ſed etiam in priuata verum eſſe principium illud, nam ſi quis ex voto teneatur recitare roſarium, debet implere obligationem ſuã, licet non ſit in ſtatu gratiæ, idemque eſt ſi ex mandato Superioris obligetur ad priuatam orationem. Secundo reſpondemus, ex oratione publica ſumi euidens argumentum ad priuatam, quia ſi miniſter Eccleſiæ non peccat, recitando horas Canonicas, etiam publicè, & ex officio, ſecluſo ſcandalo, vt infrà videbimus, multo minus peccabit quicumque priuatè orans ex hoc præcisè, quod eſt in peccato mortali. *Alia reſponſio.*

Nihilominus Medina dicto Cod. q. 5. diſtinctionem, ſeu limitationem adhibet, nam duplices (ait) ſunt peccatores, quidam obſtinati, & in propoſito non recedendi à peccato, alij ſunt pœnitentiam agentes de peccatis. Et de prioribus ait, non ſolum non exaudiri, ſed de nouo Deum offendere, quem orantes deludunt. Citatque Chryſoſtomum ſuper Matth. (quamuis non deſignet locum) dicentem: *Qui orat, & peccat, non orat, ſed Deum deludit*, & Auguſtinum in quodam ſermone dicentem: *Qua fronte petis, quod promiſit Deus, ſi non facis, quod iuſſit Deus?* Item adducit illud Pſalm. 49. *Quare tu enarras iuſtitias meas, &c.* & illud Eccleſiaſt. 15. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* De alijs verò peccatoribus pœnitentibus ait, poſſe orare, & exaudiri à Deo &c. Quam doctrinam videtur ſumpſiſſe ex Alenſ. 4 p. q. 26. memb. 3. art. 4. §. 3. ad argumenta, & art. 6. §. 1. ad 1. 3.

Medina occurrit eidem obiectioni, diſtinctione præmiſſa. Chryſoſt. Auguſt. Pſalm. 49. Eccle. 15.

Sed de vtroque membro nimia exaggeratione loquitur. Et imprimis vel non adæquatè diuidit ſtatum peccatoris, vel ſubſiſtere non poſſunt, quæ de vtroque membro dicit, nam ſi per obſtinatos intelligit omnes, qui habent conſcientiam peccati, & nõ habent perfectam pœnitentiam peccatorum, ita, vt gratiam conſequantur, quomodo damnare poteſt omnem orationem talium peccatorum? cum certiſſimum ſit, ea omnia, quæ diximus, habere locum in homine, qui ſcit ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, & pro tũc neque dolet, neque aufert occaſionem proximam, vel ſi dolet; non perfectè, nec cum efficaci propoſito, ſed per imperfectam velleitatem. Si autem in rigore loquitur de obſtinatis, qui habet propoſitum nunquam pœnitendi, ſed moriendi in peccato, quomodo ab eis ſolum diſtinguit eos peccatores, qui ita ſua peccata recognoſcunt, & per pœnitentiam ita ad Deum confugiũt, vt ab eo in ſuam gratiam recipiantur? Et præterea etiam de illis obſtinatis verum non eſt, eorum orationem ſemper fieri in peccatum. Nam imprimis cum ille obſtinatus eſt in via, poteſt ad Deum mentem eleuare per piam cogitationem, & deſiderium, piam, inquam, id eſt, non malam, ſed moraliter bonam, ac religioſam, & ſupernaturalem, ſi talis peccator fidelis ſit: ergo 4.

Medina diſtinctio non recipitur.

Digitized by Google

ergo etiam poteſt petere à Deo complementum illius deſiderij, nullam addendo circũſtantiam malam. Item poſſunt iſti peccatores aliqua bona opera moralia facere, quia non habent voluntatem obſtinatam in omni malo, neq; ſunt ſemper in actuali obſtinatione, ſicut damnati, ergo eadem ratione poſſunt aliquam orationẽ facere abſque praua circumſtantia. Probatur conſequentia, nam ſola illa circumſtantia perſonę, nimirum quòd ſit in tali ſtatu, non facit actum orationis eſſe malum, quia non influit in illum ſecundum talem malitiam, vnde nõ eſt propriè circumſtantia illius, ſed quaſi materialiter ſe habet. Quin potius addo, Viatori quantumuis obſtinato conſulendam eſſe aliquam orationẽ, tum vt ſaltem dum orat, nõ peccet: tum etiam quia fortaſſe Deus ad miſericordiam prouocabitur, vt auferat cor lapideum, & det cor carneum, nunquã enim obſtinatio huius vitæ tanta eſt, quin mutari valeat per Diuinam gratiam ſine miraculo. Non eſt ergo neceſſaria illa limitatio, quãtum ſpectat ad bonitatem, ſeu ſubſtantiam orationis. De impetratione autem poſtea dicemus, vbi etiã examinabimus aliud membrum de peccatoribus pœnitentiam agentibus quibus nimirũ videtur Medina tribuere.

Vide Nauarrum dicto Enchiridio, cap 20 n 12. Peccatori licet obſtinato conſulenda eſt oratio.

8. *Peccatores fideles vt tales ſunt, debent orare eo modo, quo debebãt ante peccatum.*

Atque ex his definitum ferè eſt ſecundum punctum propoſitum, an ſcilicet, iſti peccatores orare debeant? quod intelligitur ſuppoſitione facta, quod ſunt in peccato, & protunc nolunt illum ſtatum relinquere: nam abſolute nunquam oportet in peccato orare, quia melius ſemper eſt orare in gratia, & ſi peccatum præceſſit, pœnitere ad dignius orandũ. Stante verò illa ſuppoſitione dicimus, peccatorem teneri eo debito orandi, quo tenebatur, præciſo ſtatu peccati, quia non liberatur eo onere propter ſuũ prauum ſtatum, maximè, quia vt dixi, & infrà latiùs dicam, in eo ſtatu poteſt per ſe loquendo implere obligationem ſuam ſine nouo peccato. Solùm de obligatione orandi impoſita in Sacramento pœnitentiæ in partem ſatisfactionis, dubitari poteſt, an poſſit impleri in ſtatu peccati mortalis, ſed hæc res ad alium locum pertinet, quia non eſt propria orationis, ſed cuiuſcumque operis impoſiti in ſatisfactionem Sacramentalem. Certum tamen eſt, obligationem orandi ſic impoſitam non tolli propter ſuperuenientem peccatum, probabileq; exiſtimo, qui talem orationem facit in ſtatu peccati mortalis ſatisfacere præcepto Confeſſoris, ita. vt non teneatur illam orationem iterare. An verò ſit fructuoſa, vel tunc, vel poſtea recedente fictione, vel an etiam ſit peccaminoſa, quãdo fit ſine diſpoſitione ad gratiã, in materia de Sacramento pœnitẽtię tractatũ eſt.

An oratio impoſita pœnitenti poſſit impleri in peccato mortali.

9. *An peccator ſpecialiter ad orãdum obligetur ex ſuo tali ſtatu.*

Poſſet autẽ ſpecialiter hic quæri, an ex ſtatu peccati interdum oriatur peculiaris obligatio orandi? ſed in hoc conſulenda, & applicanda ſunt, quę ſupra diximus de præceptis. Nam certum eſt, non dari talem obligationem ex aliquo præcepto poſitiuo Diuino, vel Eccleſiaſtico, quia nullum tale ſcriptũ, vel traditum habemus. Obligatio autem ex Diuino, & naturali præcepto oriri poterit iuxta neceſſitatẽ talis peccatoris. Ordinariè enim poteſt peccator immediate confugere ad Deum per pœnitentiã perfectam, ſi velit, & per ipſum non ſtet, atque ita nunquã obligatur ad orandum in peccato, ſeu priùs, quàm iuſtificetur. Nam ſupponimus eum habere fidẽ (ſine qua orare non põt, ſicut oportet) ergo per illam immediate excitari poteſt, vt cum Diuina gratia inſpirante & adiuuante veram contritionem eliciat immediate, & abſque præuia oratione. Quamquam regulariter, & moraliter loquendo nunquã fit vera contritio, quin ex ea pullulet oratio humilis, petendo veniam peccatorum. At vero ſi peccator difficultatibus, vel tentationibus grauibus impediatur, ne poſſit ſe ſufficienter diſponere ad gratiã, & alioqui tempus præcepti, vel alicuius neceſſariæ occaſionis inſtet, tũc ex ſtatu peccati, & indigẽtia eius oritur ſpecialis obligatio orãdi, & petendi à Deo vires gratiæ ad illum ſtatum relinquendum. Quam verò efficax ſit talis oratio, & in vniuerſum de tertio puncto ſupra propoſito, ſcilicet de impetratione orationis peccatoris dicemus infra agentes de effectibus orationis.

Ex his ergo omnibus, quæ de perſonis orationis capacibus diximus, intelligimus: verum eſſe, quod D. Th. d. q. 83. art. 10. definit, proprium eſſe rationalis creaturæ orare, & videtur ſumere proprium in rigore, prout proprium dicitur, q̃ conuenit omni & ſoli. Ideoque in ea reſolutione accipienda eſt differentia *rationalis* latè, prout cõprehendit intellectualem creaturam, nam oratio nõ requirit diſcurſum, ſed intellectum, & ideo oratio non eſt propria hominis, ſed communis Angelis. Per illam ergo particulam ſolum excluduntur bruta animalia, vt idem D. Th. declarauit. Qui etiam in ſolutione ad tertiũ rectè expoſuit nõnullas locutiões Scripturæ, in quibus videtur brutis attribui oratio, ſeu inuocatio Dei vt Pſ. 146. *Et pullis coruorum inuocãtibus eum*, & Pſ. 103. *Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.* Has inquit locutiones metaphoricè intelligendas eſſe pro naturali inſtinctu, quo bruta indicant appetitum ſuum, qui quoniam expleri nõ poteſt, niſi per prouidentiam auctoris naturæ ideo illũ inuocare dicuntur. Nomẽ item *creatura* latè ſumẽdum eſt, vt dici poteſt de quocũmque ſubſiſtente in natura rationali creata, ſeu compoſito ex illa, quãuis ſuppoſitum ipſum increatum ſit, vt ita comprehendatur Chriſtus quatenus homo eſt, ſolumq; excludantur Diuinę perſonę, vt Deus ſunt, vt in principio cap. 11 diximus. Sic ergo oratio ſoli rationali creaturæ conuenire poteſt. Vt autem conueniat omni, intelligendum eſt, quantum eſt ex capacitate naturæ, nam ratione ſtatus aliquæ ſunt creaturæ, quæ iã orare non poſſunt, vt damnati, & poſt diem iudicij et Sancti beati fortaſſe non orabunt proprie petendo, ſed ſolum laudando, ac benedicendo Deum.

7. *Orare proprium eſt rationalis creaturæ. D. Thom.*

Differentia rationalis in qua latitudine ſumatur.

Pſa. 146. Pſal. 103.

Nomen creatura, quomodo accipiatur.

CAPVT XIII.

An ſit orandum pro aliquo in particulari.

HAEc quæſtio ſępè inculcata eſt in ſuperioribus, & ex parte definita, quia vix poteſt explicari, qs orare valeat, niſi declarando, pro quo poſſit, aut debeat orare. Nihilominus nonnulla ſuperſunt peculiariter in hoc capite explicanda. Supponimus ergo imprimis, vnumquemque, qui capax ſit orationis, poſſe pro ſe ipſo orare, & pro alijs, quatenus per orationẽ iuuari poſſunt, quia ſicut charitas & ad ſe, & ad alios inclinat, & omnibus bonum deſiderat, quantũ illius capaces ſunt, ita etiã inclinat ad orandum pro omnibus. Solet aũt imprimis hic quęri, an liceat pro ſe, vel pro aliquo ſolo, & in particulari interdum orare. Nam VVicleph. (vt VValdenſis refert to. 3. ca. 107) dixit hoc non licere. Fundamentum eius videtur fuiſſe, quia charitas poſtulat, vt non priuemus proximum beneficio de ſe communi, & omnibus vtili, ſed oratio de ſe talis eſt, vt omnibus ſit vtilis, ſi pro omnibus fiat, neque ſit vtilior vni, etiam ſi pro illo ſolo in particulari fiat, quã ſi fiat pro omnibus, ergo. Et confirmatur, quia Chriſtus oratione ſua nõ docuit nos orare pro aliquo in particulari, ſed in cõmuni, vt ex tota oratione *Pater noſter*, conſtat.

1. *Quilibet capax orationis orare poteſt, & pro ſe, & pro alijs.*

VVicleph ſtultus orationẽ in particulari pro aliquo factã. VValden.

Dicendum verò imprimis eſt, licitum eſſe, & expediens, & interdum neceſſarium pro aliqua, vel aliquibus perſonis in particulari orare, licet aliquando ẽt ſit optimum orare pro communitate aliqua, vel particulari ẽt, vel vniuerſali, vt pro tota Eccleſia, pro omnibus hominibus, aut pro omnibus indigentibus. Hæc eſt certa & Catholica doctrina, & ſententia VVicleph virtute damnata eſt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. quatenus inter errores eius po-

2. *Licitum, & aliquãdo neceſſariũ eſt in particulari orare pro hac, vel illa perſona.*

Digitized by Google

ius ponitur, orationes ſpeciales non magis prodeſſe, quàm generales. Et tota concluſio euidentibus Scripturæ teſtimonijs oſtendi poteſt: nam de oratione in particulari habemus Chriſti exemplum, & verbum Lucæ 22. *Ego rogaui pro te Petre,* & capit. 23. *Pater dimitte illis, &c.* item Actorum 12. *Cum Petrus eſſet in vinculis, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Et Paulus ſæpe in ſuis Epiſtolis poſtulat orari pro ſe, vt ad Epheſ. 6. Et ad Coloſſ. 4. 2. ad Theſſal. 3. Item in veteri Teſtamento ſunt frequentia exempla, vt Tobiæ 8. *Tobias, & Sara ſurgentes pariter inſtanter orabant ambo ſimul, vt ſanitas daretur eis,* & ſimilia ſunt quam plurima. Ratio etiam eſt euidens, quia talis oratio de ſe, & per ſe non habet circumſtantiam malam, quia non ſemper teneor orare pro alijs, ergo non pecco aliquando orando pro me ſolo. Et è conuerſo non ſemper teneor orare pro me, ergo poſſum licitè orare pro aliquo alio. Idemque argumentum eſt, quod nulla lex, vel ratio obligat nos, vt quoties oramus, pro communitate tota oremus, vbi enim eſt talis lex? Præterea ſæpe oratio pro vno facta erit prudens, & honeſta, non verò pro omnibus, vt Chriſtus rogauit pro Petro, vt ei daretur ſpeciale donum, quod dari omnibus non expediebat. Item rogauit pro crucifixoribus poſtulãdo eis remiſsionem illius peccati, quam alijs qui peccatum illud non commiſerunt, deprecari non poterat. Aliquando etiam poteſt eſſe neceſſaria etiam ex præcepto talis oratio in particulari, nam ſi quis ſit conſtitutus in graui neceſsitate ſpirituali ſibi propria, tenetur ſibi in particulari auxilium poſtulare, idemque eſſe poterit de alio proximo. Poteſtque confirmari hoc exemplo eleemoſynæ corporalis, quam non ſemper teneor dare omnibus, & interdum teneor dare alicui tantùm in particulari, quia ſolus ille indiget, ita ergo eſt in præſenti, nam oratio pro alijs eſt, quaſi quædam eleemoſyna ſpiritualis.

Probatur ex Diuina Scriptura.
Luc. 22. & 23.
Act. 12.
Epheſ. 6.
Coloſſ. 4.
2. Theſ. 3.

3. *Obiectio.* Reſpõderet VVicleph, per materialem eleemoſynam priuari hominem proprio aliquo bono, & illam diuiſam in multos eſſe minorem in ſingulis: orationem autem non eſſe huiuſmodi, quia non minus prodeſt oranti pro ſe, & alijs, quàm ſi pro ſe ſolo oraret, & oblata pro multis, non minus prodeſt ſingulis, quam ſi pro vno fieret.

Dilutio. Sed contra, nam licet hoc totum verum eſſet, non ſufficeret ad obligationem, neque vt ſit illicitum orare pro aliquo in particulari, quia ſatis eſt quòd non tenear dare omnibus aut deſiderare omnibus, etiam ſi poſsim. Sicut Deus multa bona confert vni, aut aliquibus, quæ poſſet conferre omnibus ſine diminutione, & rectè facit, ſolum quia non ex debito confert talia bona. Deinde falſum eſt, quod aſſumitur: nam imprimis oratio oblata pro multis quoad vim ſatisfaciendi minus fructuoſa eſt ſingulis, ſi ſub ea ratione eis applicetur, quia habet finitum effectum, qui diuiſus inter plures neceſſario eſt minor in ſingulis. Rurſus quoad vim impetrandi alicui in particulari efficacior eſt, per ſe loquendo oratio pro illo facta determinatè, quàm ſolum confuſe, vt in tali generalitate cõtinetur. Tum quia & affectus eſt maior ad talem perſonam, & intentio applicandi illi vim impetrandi eſt magis directa. Tum etiam quia difficilius eſt impetrare multis, quam vni, vt per ſe notum videtur, ſi cætera ſint paria. Tum denique quia interdum talis eſt materia orationis, vt vni, vel alteri rectè, & prudenter poſtuletur, non vero omnibus.

4. *1. Tim. 2.* Aliæ partes aſſertionis ſatis probantur ex loco Pauli 1. ad Timoth. 2. vbi obſecrat, orationes, & poſtulationes fieri pro Regibus, & Principibus ac tandem pro omnibus, quia Deus vult omnes ſaluos fieri, & ad Epheſ. 6. præcipit orare pro omnibus ſanctis, id eſt, fidelibus. *Epheſ. 6.* Et ex vſu Eccleſiæ id ſatis conſtat. Et quamuis VVicleph non videatur hoc negare, tamen rectè contra illum conuincitur, ſi eſt licita oratio, verbi gratia, pro Regibus in communi, etiã eſſe licitam pro hoc Rege, vel hoc Pontifice in particulari, quia etiam Reges in communi ſunt quoddam obiectum particulare reſpectu omnium hominum, vel omnium fidelium. Vnde ſi fundamẽtum VVicleph eſſet alicuius momenti, probaret nunquam eſſe licitum orare: niſi tantum pro hominibus, aut Viatoribus in communi: quia omnia alia obiecta, quantumuis communia videãtur, ſunt particularia reſpectu illius communiſsimi, & ideo etiã eſſet contra charitatem illo modo contrahere orationem. Conſequens autem eſt planè ridiculum, imò vix inuenietur aliquis orans illo modo, niſi rariſsime.

Ad fundamentum ergo VVicleph ex dictis patet reſponſio, nam charitas non ſemper obligat ad faciendum omne id quod poteſt eſſe vtile proximo. Deinde, oratio in particulari, vel in communi facta longè diuerſam vtilitatem habet, ideoque charitas ipſa poſtulat, vt non ſemper eodem modo fiat, ſed nunc vno, nunc alio modo, prout opportunitas poſtulauerit. Ad confirmationem reſpondetur, Chriſtum Dominum in illo loco tradidiſſe generalem quandam orandi formulam omnibus communẽ, ideoque conuenienter per communia etiam verba illam tradidiſſe. Deinde commendare fortaſſe voluit orationem pro communitate, quia illa ex ſuo genere nobilior eſt, & quia ſinguli homines ex ſe ſatis ſolent eſſe propenſi, & ſoliciti eorum, quæ ad ſe, vel ad ſuos in particulari ſpectant. In illa vero oratione virtute continetur id, quod vnuſquiſque poteſt ſibi in particulari petere, vt infra videbimus. Et ipſemet Chriſtus Dominus alijs locis exemplo ſuo docuit modum particulariter orandi. Imo Ioã. 17 expreſſe dixit: *Non pro mundo rogo, ſed pro eis, quos dediſti mihi.* *Ioan. 17.*

[illegible] fundamẽti.

6. *Ex ſuperiori doctrina colligitur omnem, qui orare poteſt, etiam pro ſe orare poſſe.* Hoc ergo iacto fundamento: non eſt in præſenti difficultas de oratiõe vniuſcuiuſque pro ſe ipſo, nã ex hactenus dictis inductione oſtendi poteſt, omnẽ illum, qui orare poteſt, pro ſe etiam orare poſſe: nã oſtendimus, etiam ipſos Beatos, & animas purgatorij pro ſe orare poſſe, ergo à fortiori Viatores, quantũ eſt ex ratione, & obligatione ſtatus: nã ſi propter mentis cæcitatem inepti, & quaſi incapaces rationis ſint, illud eſt per accidens, & non conſideratur. Item Chriſtus Dominus in hac vita orauit pro ſe ipſo, vt ſuprà viſum eſt, & non eſt incredibile, etiam nunc in cœlo orare, vt ſupra etiam tactum eſt. Ratio autem reddi poteſt, quia omnis, qui orat, creatum intellectum, & voluntatem habet, & ex hac parte poteſt etiam ipſe eſſe capax alicuius boni, quod nondũ habeat, & à Deo expectet, vel deſideret, ergo poteſt tale bonũ à Deo poſtulare. Itẽ vnuſquiſque ordinate amat ſe amore charitatis ergo conuenienter procurat bonum ſuum, ergo rectè etiam orat pro ſe ipſo iuxta ſuam indigentiam, vel ſtatum. Semper enim eſt hoc ita accipiendum, vt cum proportione intelligatur, ſeu applicetur conuenientia talis orationis, vel etiam neceſsitas. Legatur Alenſ. 4. p. q. 26. memb. 3. art. 6 §. 1.

CAPVT XIV.

An orandum ſit pro defunctis, ſeu extra viam exiſtentibus.

1. *Status quæſtionis.* LOquimur in hoc capite ſolum de orationibus, quas nos Viatores fundimus, nam de Sanctis, vel iam Beatis, vel in Purgatorio exiſtentibus, quomodo pro alijs orent, ſatis in ſuperioribus dictum eſt. Et licet in alia vita tres poſsimus diſtinguere perſonarum ordines, ſcilicet, Inferni, Purgatorij, & Beatitudinis. De duobus primis nihil hic dicemus, quia in 4. to. 3. p. tractãdo de ſuffragijs, & de purgatorio, ſatis

Digitized by Google

ſatis oſtendimus, illa offerenda eſſe pro animabus purgatorij, quibus poſſunt eſſe vtilia, non verò pro exiſtentibus in inferno, quibus prodeſſe non poſſumus, quia ibi iam non ſunt in ſtatu, in quo ſint capaces. Et ita docuit Innocentius III. in ca. *Cum Martha*, de Celebratione Miſſarum, & Auguſt. in Enchiridio, c. 110. & li. de Cura pro mortuis agenda.

Innocent. 3. Auguſt.

2. *Sitne honeſta oratio Viatorum pro Beatis.*

De Beatis autem hic quæri ſolet, an poſſimus nos Viatores orare pro illis. In quo certum videtur, nos non teneri, nec talem orationem eſſe neceſſariam, quia ipſi non indigent, neque ſunt in neceſſitate, quod ergo quæri poteſt, ſolũ eſt, an talis oratio poſſit eſſe honeſta, & conueniens? aliqui enim abſolutè negãt, quia nihil poſſumus vtiliter petere à Beatis, quia eſſentialem Beatitudinem iam habent: accidentalẽ autem habebũt ſuo tempore ex vi eſſentialis, & ratione ſuorũ meritorũ, atque adeò per ſe ipſos, ergo ad minimum inutilis eſt, & otioſa talis oratio. Imò Aug. ſerm. 17. de Verbis Apoſtoli iniurioſam vocare videtur, dicens: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

Nonnulli negant.

Alenſis dicta q. 26. memb. 3. ar. 6. dub. ult. Auguſt.

3. *Illorum ratio non conuincit.*

Hæc autem ratio non videtur cogere, quia etiam probaret, Beatum non orare pro ſe, cuius contrariũ ſupra oſtendimus. Aſſumptum patet, quia neque eſſentialem Beatitudinem ſibi poſtulare poteſt, neque accidentalem poterit, quia propter eſſentialem debita eſt. Vel certe ſi hoc debitum nõ obſtat, quominus ipſi illam ſibi petant, cur obſtabit, quominus à nobis etiam illis deſiderari, & peti poſſit? Præſertim quia etiam diximus, dari aliquam accidentalẽ gloriam non neceſſario connexam cum eſſentiali, neque omnino debitam, quam ipſi Beati interdum ſibi poſtulant, ergo ſi à nobis eis poſtuletur, non erit oratio iniurioſa Sanctis. Quia neque fit tali exiſtimatione, vt eorum eſſentialis Beatitudo quaſi in dubium reuocetur, quo ſenſu dixit Auguſtinus iniuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre: neque etiam fit talis oratio ex præſumptione plus valendi apud Deum, quam valeant ipſi Beati, ſed ſolum ex affectu charitatis, & quia ſcimus, Deũ gaudere multorum interceſſione. Vel certe quia nos poſſumus mereri, quod Beati non poſſunt, poſſumus autem non ſolum mereri nobis, ſed etiã alijs, cur ergo non poterimus mereri Beatis aliquam accidẽtalem gloriam? quam fortaſſe non reciperent, niſi nos eam ipſis mereremur. Vnde etiam conſtat talem orationem neque inutilem, neque otioſam eſſe, quia eſt actus charitatis, & Religionis, & poteſt habere fructum alicuius gloriæ accidentalis in Sãcto, pro quo oratur per modum meriti de congruo, vel impetrationis.

Auguſt.

4. *Quidam putãt poſſe nos à Deo poſtulare pro Sanctis gloriam accidentalẽ ipſorum. Innoc. 3.*

Alij ergo exiſtimant, poſſe nos orare pro Sanctis, dummodo ea petamus, quæ ſuppoſita eorum Beatitudine, poſſint aliquid gloriæ accidentalis addere, vel aliquod extrinſecum bonum claritatis, ſeu gloriæ, & amoris, ac honoris apud alios homines. Hanc ſententiam refert Innocentius III. in c. *Cum Martha*, §. *Tertio*, de Celebratione Miſſarum, dicens: *Plerique reputant non indignum Sanctorum gloriam vſque ad iudicium augmentari, & ideo Eccleſiam poſſe augmentum glorificationis eorum optare.* Quam ſententiam nõ refutat, imò indicat iuxta illam poſſe probabiliter intelligi aliquas orationes Eccleſiæ, in quibus offerendo ſacrificium poſtulat, *vt proſit Sanctis ad gloriam, ſicut prodeſt nobis ad medelam.* Vnde Chryſoſtomus in ſua Liturgia dicit, offerri ſacrificium Deo pro Apoſtolis, Martyribus, Prophetis, &c. Poteſtque hæc ſententia præter omnia dicta ſuaderi, quia nos poſſumus Deo agere gratias pro gloria Sanctorum, quam iam habent, vt Auguſtinus, & Innocentius ſuprà docent, & cõſtat ex vſu Eccleſiæ, & ex ratione, quia ille affectus & erga Deũ, & erga Sãctos, eſt per ſe bonus, ergo poſſumus illis deſiderare gloriã, quam nondũ habent, & habere poſſunt, vel aliquando habituri ſunt, ergo poſſumus Deo hoc deſideriũ præſentare, & illius complementũ poſtulare, vel vt faciamus aliquo modo debitum, quod non erat, vel pluribus titulis debitum, quod vno tantum, vel altero erat. Certè in hac ſententia non apparet aliquid abſurdi, neque Innocentius illam reprobat, & ita videtur ſentire Card. Bellar. lib. 2. de Purgatorio cap. 18.

Chryſoſt.

Aug. Innoc.

Bellar.

Vnum tantum video obijci poſſe, quia ſequitur, eodem modo poſſe nos orare pro Deo ipſo, quatenus Deus eſt capax alicuius gloriæ extrinſecæ, vel honoris. Hæc enim non ponunt mutationem in ipſo, ſed in alijs, à quibus glorificatur, vel honoratur, & ideo accreſcere poſſunt Deo, & vocantur bona extrinſeca eius, id eſt, per ſolam extrinſecam denominationem illi conuenientia, tamen hoc titulo eſt tantæ æſtimationis Diuina gloria, vt à nobis ex charitate Dei imprimis deſiderari poſſit, & debeat. Poteſt ergo etiam à nobis in oratione poſtulari. Immò hoc videtur eſſe primum, quod in oratione Dominica orare docemur illis verbis. *Sanctificetur nomen tuum*, vt expoſuit Auguſtinus li. 2. de Serm. Domini in monte ca. 10. & Bernardus ſermone 6. Quadrageſimæ. Hinc ergo naſcitur difficultas: nam ſi dicimur poſſe nos orare pro ſanctis, quia poſſumus aliquod augmentum accidentalis gloriæ illis poſtulare, etiam dicemur nos orare pro Deo, quando petimus ab ipſo, vt ſuam gloriam procuret, & augeat. Et confirmatur: nam Chriſtus Dominus verè pro ſe orauit, quando petijt claritatem nominis ſui, quæ tantum erat quædam extrinſeca gloria per notitiã, & fidem aliorũ, vt communiter docent expoſitores Io. 17. Imò aliqui expoſitores ibi exiſtimant, Chriſtum non tantum ſibi, vt homini, ſed etiam vt Deo claritatem illam poſtulaſſe. Nec videtur obſtare, quod oratio fiat ad Deum, quominus pro ipſo etiam fit Deo: nam interdum rogamus hominem, vt ſibi ipſi aliquod bonum faciat, quia licet poſſit facere, non rogatus fortaſſe non faceret.

5. *Ex proxima opinione dubiũ inſurgit*

Aug. Bernard.

Maldo.

6. *Solutio dubij ſuborti.*

Reſpondeo, differentiã quandã cõſiderari poſſe inter extrinſecam gloriam Dei, & Sanctorum, quia Deo ex gloria extrinſeca nihil intrinſecum accreſcit, neque vtilitas aliqua, nec commoditas, aut voluptas, ſed ſola extrinſeca denominatio. At verò Sãctis, et Chriſti humanitati ex gloria, ſeu claritate extrinſeca ſemper naſcitur aliqua intrinſeca perfectio ſaltem actuale gaudium accidẽtale. Vndè fit, vt tota vtilitas, vel cõmoditas illius extrinſecæ gloriæ Dei fit propria illorum hominum, vel Angelorum, qui ipſum glorificant, ac propterea, quando petimus, vt glorificetur Deus, propriè dicimur orare propter Deũ, quia illa petitio tẽdit in ipſum, vt in finem, vel ad ſummum vt in obiectum illius gloriæ, non tamẽ dici poteſt cum proprietate, nos orare pro Deo, quia propriè dicimur orare pro aliquo, quando per orationem, illius commodũ, vel vtilitatem quærimus. Reſpectu verò Sanctorum non habet abſurditatem illa locutio, quia ex illa gloria aliquid commodi in illos redundat. Præſertim quia nõ tantum gloriam extrinſecam, ſed etiam alia gaudia accidentalia per peculiares reuelatiões poſſumus illis poſtulare. Addendum verò eſt, licet in hac locutione ſano modó intellecta, vt explicata eſt, non ſit abſurditas, nihilominus extendendam non eſſe, nec facilè apud vulgus promulgandam, nam nos indigemus ſuffragijs Sanctorum, illi verò non indigent noſtris, vt Innocentius III. dixit.

CAPVT XV.

An pro omnibus hominibus viatoribus orandum ſit.

1. *Varia quæſtionis acceptiones.*

SVpereſt, vt dicamus de viatoribus, de quibus eſt copioſior diſputatio, & magis ad mores. Poſſumus autem, vt ſupra dixi, orare pro proximis, vel in generali, vel in ſpeciali, quia magna eſt inter eos varietas, quidam enim ſunt reprobi: alij prædeſtinati:

quidam

Dub. 1. An poſsimus in generali orare pro omnibus viatoribus.

quidam fideles, alij infideles: quidam iuſti, alij iniuſti: quidam inimici, alij amici, vel indifferentes: quidam extranei, alij coniuncti: quod poteſt contingere ſecundum diuerſos modos, & gradus ex quibus multa oriuntur dubia. Primum ſit, an poſsimus orare vniuerſaliter pro omnibus hominibus? agimus autem de oratione priuata, nam de publica, quæ fit, per miniſtros Eccleſiæ, vt tales ſunt, infra tractandum eſt, habet enim peculiarem rationem, quia & intentioni, & inſtitutioni Eccleſiæ debet eſſe conformis. Ratio igitur dubitandi eſt, quia inter homines viatores multi ſunt reprobi, ſed non eſſet licitũ pro illis in particulari orare, ſi eſſent nobis cogniti, ergo neque etiam eſt licitum orare pro hominibus in communi, includendo illos. Conſequentia clara eſt, quia talis oratio vniuerſalis de ſe ad omniã ſingularia deſcendit. Minor autem probatur, quia non licet petere aliquid contra abſolutum decretũ Diuinæ volũtatis: ſed petere ſalutem æternam reprobo: eſſet petere aliquid contra decretum abſolutũ Diuinæ voluntatis, ergò non licet orando petere reprobo æternam ſalutem. Cui autem æterna ſalus per orationem petenda non eſt, certè neque alia bona in oratione petenda ſunt, cum omnia ſint à Deo poſtulanda in ordine ad æternam ſalutem.

2\. *Ad illius dubij ſolutionẽ inquirit, liceat ne orare pro eo, quẽ conſtat eſſe reprobum. August. D. Thom.*

Ad expediẽdum hoc dubium oportet prius expedire aliud, quod in eo inuoluitur, & ex quo pendet, nimirum, ſi Deus reuelet aliquem in particulari eſſe reprobum, an, & quo modo liceat pro illo orare. poſſumuſque exemplum ponere in Antichriſto, quem certò ſcimus eſſe damnandum, ac proinde eſſe reprobum. Nam quod pro tali perſona non liceat orare, videtur colligi ex Auguſtino li. de Correptione, & gratia cap. 15. & D. Thoma dicta quæſt. 83. art. 7. ad 3. dicentibus, ideo non poſſe nos alicui negare orationis beneficium, quia non poſſumus diſtinguere prædeſtinatos à reprobis, ergo è cõuerſo, ſi propter ſpecialem reuelationem poſſimus diſtinguere hunc à prædeſtinatis, non poterimus orare pro illo. Item ratio facta maximè vrget, quia nõ poſſumus petere, vt Diuinum decretum mutetur, neque vt non impleatur, quodcunque enim horũ deſiderare impium eſſet, ergo & petere.

3\. *Medina proxima dubitationi reſpõdet diſtinguendo 2. modos reprobandi homines.*

Circa hoc Medina dicto Cod. de Oratio. q. 6. ſupponit, Deum duobus modis reprobare homines. Primò ex ſe, quia ſolo ſuo arbitrio & voluntate ſine alia cauſa ex parte hominis vult illum perpetuo dãnare. Secundò non ex ſe, ſed propter culpam hominis præuiſam cũ perſeuerantia in illa vſque ad mortem. Qua diſtinctione ſuppoſita reſpondet, ſi Deus reuelet ſe reprobaſſe aliquem priori modo nõ eſſe licitum orare pro eo, quia eſſet niti contra voluntatem Diuinam, & procedit argumentum à nobis factum. Si autem reuelet reprobaſſe aliquem poſteriori modo, ea reuelatione non obſtante poſſe nos, & debere orare pro reprobo. Quia tunc oratio non eſt contraria Diuinæ voluntati, quia orans non poſtulat, vt reprobus non damnetur, etiamſi in peccato mortali moriatur, hoc enim eſſet cõtra diuinam voluntatem, ſed petit, vt illi detur gratia, ne in peccato moriatur.

4\. *Diſtinctio illa Medinæ reijcitur.*

At verò ſi Medina intelligit re vera dari de facto hos duos modos reprobationis, valde decipitur, quia iuxta ſanam doctrinam Deus neminem reprobat ex ſe, & ex ſua ſola voluntate, quia nullum prædeſtinat ad malum, neque vllum vult eijcere à Regno ex ſupremo dominio, & abſoluta poteſtate, ſed ſolum iuxta exigentiam vindicatiuæ iuſtitiæ. Si autem ponit illud membrum tanquã poſſibile de potentia abſoluta, nõ eſt illud, de quo tractamus. Poſſet autem membrum illud applicari ad reprobationem negatiuam, & ad alios effectus, quos Deus abſolute vult fieri, aut non fieri, interdum abſque aliqua cauſa ex parte hominis, aliquando verò ob cauſam aliquam datã ab homine, ita tamen, vt illa præuiſa Deus immutabiliter decreuerit aliquid facere ob talẽ rationem, ſecluſa dependentia ab omni alia conditione. Quocirca loquendo de vera reprobatione, iuxta ſententiam Medinæ dicendum videtur, orari poſſe pro æterna ſalute reprobi etiam cogniti per reuelationem. Ex quo à fortiori ſequitur, oratione generali orandum eſſe etiam pro reprobis, nõ quia ignoremus, qui ſint, ſed quia, etiamſi ſint reprobi, ſunt capaces huius orationis, qua illis petimus gratiam, quã ſaluentur. Non explicat autẽ Medina, qualis ſit gratia, quam poſſumus reprobis poſtulare, poteſt enim eſſe vel ſufficiens, vel efficax. Si ergo de efficaci loquatur, videtur falſum, quia hoc eſſet directè contrarium Diuinæ voluntati, quam ex ſe habuit circa reprobos, vnde non videtur de hac gratia loqui. Si autem loquatur de gratia tantum ſufficiente, impertinens eſt prior diſtinctio, ſaltem loquendo de reprobatione, prout illam Deus de facto habuit, nam quocumque modo ponatur reprobatio, negari non poteſt, quin Deus det reprobis gratiam, qua ſaluari poſſint, ſi velint, ergo hoc tantum modo poſtulare gratiam reprobo etiã cognito, & quocũque modo reprobato, eſt conſentaneũ Diuinæ volũtati, ac proinde licitũ, & faciẽdũ.

5\. *Alia diſtinctio Auctoris ad ſolutionẽ dubitationis.*

Aliter ergo diſtinguẽdum occurrit tum de modo orandi ex parte noſtra, tum de modo Diuini decreti nobis reuelati. Nam dupliciter poſſumus nos aliquid poſtulare à Deo. Vno modo ex affectu ſimplici, & includente conditionẽ aliquam, vel expreſſam, vt fuit in oratione Chriſti in horto, vel implicitam, vt cum in animo habemus generalem intẽtionem ſubordinandi omnia Diuinæ voluntati. Alio modo poſſumus aliquid petere ex affectu abſoluto, & efficaci, quia iam præſcimus, vel ſupponimus, id eſſe conſentaneum Diuinæ voluntati. Quomodo orauit Chriſtus pro prædeſtinatis, cũ dixit: *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi.* Ex parte autem Dei dupliciter intelligimus ipſum aliquid velle, aut nolle abſoluto, & immutabili decreto. Primò ex totali deliberatione ſine vlla volũtate cõtrarij effectus, neque efficaci, neque ſimplici, ſeu cõditionata; quod genus decreti interdũ habet Deus ex ſe ſolo, ſicut habuit circa prædeſtinatos quando prælegit illos ad gloriam, & circa reprobos habuit ſimile decretum non dandi illis gratiam congruam in ſua præſcientia. Aliquando verò nõ habet Deus tale decretum niſi præuiſa aliqua cauſa ex parte hominis. illa tamen viſa, decretum eſt eiuſdem efficacitatis, & eodem modo abſolutum. Sic enim licet ante præuiſum peccatũ in homine prædeſtinato, nõ decernat Deus vt agat pœnitentiã, nihilominus peccato præuiſo vult eius pœnitentiam. & abſolutè decernit dare auxilium congruũ ad illam. Et in malis etiam pœnæ, quæ Deus tantũ vult, præuiſa culpa interdum cõtingit, vt ſtatim, ac præuidetur culpa, decretum de aliqua pœna ſit omninò abſolutũ, & excludens omnem conditionem, quale fortaſſe fuit in peccato Dauidis decretũ interficiendi filiũ in pœnam eius, nõ obſtante pœnitẽtia, & oratione patris, vnde videtur fuiſſe independens ab omni alia conditione, atque adeò omnino immutabile. Alio modo intelligimus Deũ habere firmum decretum de aliquo effectu, non tamen ex ſe ſolo, ſed prouocatus ex cauſa aliqua in homine præuiſa, & cũ aliquo ſimplici affectu, & quaſi deſiderio contrarij effectus. Et hoc modo credimus voluiſſe Deum damnationem reproborum.

Homo poteſt orare ſimplici, vel abſoluto affectu.

Deus abſoluto decreto dupliciter aliquid vult.

6\. *Non licet oranti ex efficaci affectu æternam alicui ſalutẽ poſtulare, quem cõſtat eſſe reprobũ. D. Thom. Aug.*

Dico ergo primò. Si per reuelationem certò conſtaret, Titium eſſe à Deo reprobatum, non eſſet licitum orare pro illo, petendo æternam ſalutem eius ex abſoluta, & efficaci voluntate orantis, id eſt, abſolutè petendo, vt re ipſa ſalutem conſequatur. Hoc tantum intendunt D. Thom. & Auguſtinus locis citatis, & immeritò Medina quidpiam aliud D. Tho. imponit. Hoc etiam probat ratio in principio facta.

Hoc

Digitized by Google

Auguſt.

Hoc etiam nos Chriſtus ſuo docuit exemplo: nam quia illi conſtabat, decretum Patris de ſua paſsione eſſe omninò abſolutum (quãuis illud non habuerit, niſi poſt præuiſum peccatum hominis) ideo non abſolute orauit, vt tranſiret à ſe Calix ille, ſed ſub conditione, *Si poſsibile eſt*, explicando ſimplicem affectum ſuæ naturæ, & ſubijciendo illum Diuinæ voluntati, *Non mea voluntas, ſed tua fiat*. Denique ſic ſupra diximus Beatos in cœlo, quando illis conſtat de contraria Diuina volũtate, non petere, ex affectu abſoluto.

7. *Secura eſt de oratione ex affectu ſimplici procedente.*

Dico ſecundo. Non obſtante reuelatione de reprobatione alicuius, poſſumus pro illo orare ex affectu ſimplici, deſiderando, quantum eſt ex parte noſtra, ſalutẽ eius & petẽdo, vt Deus det illi auxilia, quibus ſaluetur, ſi velit. Probatur, quia talis petitio eſt conſentanea charitati proximi, & non eſt repugnans voluntati Dei, imo etiam eſt conſentanea illi, ergo eſt optima oratio, & exercenda. Probatur prior pars, quia charitas, quantum eſt de ſe omnes homines amplectitur, & omnium ſalutem exoptat. Vnde ſi aliunde non impediatur, conſentaneum illi eſt talis hominis ſalutem poſtulare. Quod autem nil obſtet, oſtẽditur, probando minorem, quæ ſatis demonſtratur ex illo 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*: inde enim habemus, Deum ex ſe habere affectum ad ſalutem hominum ſine vlla exceptione, ergo oratio noſtra ex hoc affectu procedens eſt conformis Diuinæ voluntati. Itẽ volũtas abſoluta & cõditionata, quãuis ſint de obiectis oppoſitis, inter ſe contrariæ non ſunt, quia conditio excludit contrarietatem, ergo etiam oratio, quæ ſolum eſt ex affectu ſimplici, non eſt contra Diuinã voluntatẽ, etiamſi cognoſcamus illam eſſe abſolutam. Denique non obſtante reuelatione, quod Deus habeat hoc decretum, nihilominus ſcimus, eſſe paratum auxilium reprobo per media conſentanea Diuinæ prouidentiæ, quorum vnum eſt oratio, ergo ſemper habet locum oratio pro tali auxilio, non obſtante quacumque reuelatione. *1. ad Timot. 2.*

8. *Corollariũ.*

Hinc vero colligi videtur, non poſſe aliquem in eo caſu deſiderare reprobo auxilium efficax, ſeu vocationem congruã ex parte Dei, probatur, quia ex tali reuelatione conſtat, Deum ex ſe, & abſolute decreuiſſe, non dare tali reprobo huiuſmodi auxilium: nam ex hac parte reprobatio non habet fundamentum in homine, ſed in ſola Dei voluntate, ſed non licet deſiderare etiam ſimplici affectu, vt fiat oppoſitum eius, quod Deus ſic decreuit, quia eſſet deſiderare, vt non impleatur voluntas Dei, ergo.

Obiectio.

Dices, affectum ſimplicem præſcindere à decreto Dei, & verſari circa obiectum ſecundum ſe, & ideo non eſſe contrarium decreto Dei, quia non tendit ad hoc, vt non obſtante decreto, illud fiat, ſed ſolũ ad conuenientiam illius auxilij ſecundum ſe ſpectati, ſeu ad hoc, vt Deus habuiſſet contrarium decretum, ſi ei placitum fuiſſet. Hoc enim deſiderium conditionatum: vtinam Deus decreuiſſet dare huic homini vocationem congruam: & ei placuiſſet: nõ videtur per ſe habere malitiam, imo fere huic ſimilis videtur fuiſſe affectus ille, quem ſua oratione in horto explicauit Chriſtus Dominus.

Solutio.

Quapropter diſtinctione vtendum videtur de affectu conditionato, quidam enim eſt ita ſimplex, vt ex intentione habentis non ordinetur ad effectum aliquo modo conſequendum, ſed ſolum habetur propter aliquam rationem honeſtam, & propter eandem in oratione Deo proponitur. Et hoc modo non repugnat deſiderare reprobo auxilium efficax, vt ratio facta probat. Alia vero eſt voluntas conditionata, quæ habet vim intentionis, & ordinatur ad effectum re ipſa obtinendum. Et hoc modo non eſſet licitum in illo caſu petere auxilium efficax reprobo, vt prior ratio probat, eſt tamen licitum petere illi auxilium ſufficiens ex deſiderio ſalutis eius, procurando, & intendendo, vt cum effectu detur illi tale auxilium: imo etiam deſiderãdo, vt ex parte ipſius reprobi non fiat inefficax. *Quomodo repugnat deſiderare reprobo auxilium efficax, quo etiam modo id non peccat?*

9. *Idem eſt dicendum de quauis pœna, quã conſtet ex abſoluto Dei decreto prouenire.*

Atque hinc conſtat, doctrinam hanc non ſolum habere locum in reprobatione ſimpliciter, quæ eſt æterna pœna, ſed etiam in quacunque alia pœna, de qua conſtet per reuelationem certam, & indubitatã eſſe à Deo prolatam ſententiam ex abſoluto decreto. Sic enim decernit Deus interdum pœnas aliquas temporales huius vitæ, vt dixi in materia de Pœnitentia, & poteſt eſſe exemplum in morte filij Dauidis ex adulterio nati. Quando ergo per reuelationẽ conſtat, tale eſſe decretũ Dei, fruſtra eſt contra niti. Sicque poteſt intelligi illud Ierem. 7. *Tu noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* &c. 11. *Tu noli orare pro populo hoc, &c.* Ratio vero eſt eadem: fundatur enim in efficacia Diuinæ voluntatis, & materiale eſt, quod circa hanc, vel illam pœnam verſetur. *Ierem. 7. & 11.*

10. *Obiectio.*

His vero occurrebat difficultas vulgaris in materia de Spe, nam ſequitur, quod ſi Deus reuelet alicui reprobationem ſuam, non liceat illi, pro ſua ſalute æterna orare. Conſequens videtur falſum, quia Petrus, etiamſi Chriſtus illi dixiſſet, *Ter me negabis*, tenebatur non negare, & conſequenter velle, & procurare non negare, ac ſubinde petere auxilium ad non negandum, ergo idem eſſet in illo caſu. Itẽ quia alias talis reprobus poſſet omnino deſperare de ſalute ſua, & conſequenter non conari ad illam obtinendam, neque ad bene operandum, & ſimilia.

Solutio.

Ad hoc vero dicendum imprimis eſt, regulariter, & de lege non teneri hominem cui fit talis reuelatio, accipere illam, vt prophetiam, quam vocant ex præſcientia, ſed vt prophetiam comminationis, ſeu periculi, aut in cauſis proximis, quæ reuelatio includit conditionem, & ideo non obſtat, quominus homo conari poſsit, & debeat ad hoc vt talis conditio nõ impleatur. Ideoque talis reuelatio orationem non impediret, imo cognito periculo ſtimulos adderet ad orandum, ſicut de Niniuitis legimus. Exiſtimoque non eſſe conſentaneum Diuinæ prouidentiæ aliter reuelare homini viatori futuram damnationem ſuam, nimirum cogendo, ſeu obligando illum ad credendũ, illam eſſe reuelationẽ ex abſoluta præſcientia quia talis credulitas multũ repugnat ſtatui viæ. Quia vero illa reuelatio non videtur ſimpliciter impoſsibilis de potentia abſoluta, ſi ponamus illam fieri, conſequenter dicendũ eſt, talem hominem non poſſe efficaciter intendere, aut petere ſalutem æternam: poſſe autem, & debere petere auxilium Dei ad non peccandum in quocunque actu particulari, & ſimiliter poſſe, & debere conari ad vtendum illo auxilio cum effectu, quia hoc totum eſt ſimpliciter poſsibile, non obſtante Diuina præſcientia. Poteſt etiam petere auxilium ad minuenda peccata, & ad bene operandum, quod per ſe honeſtum eſt. Vide Gerſonem Alphabet. 45. lit. E. *Gerſon.*

11. *Ex dictis colligitur reſolutio dubij in principio poſiti.*

Tandem ex dictis facile reſpondetur ad primũ dubium de oratione vniuerſali pro reprobis, ſeu pro omnibus hominibus indifferenter, ſiue reprobi ſint, ſiue prædeſtinati, dicendum eſt enim, ſine dubio ita eſſe orandum pro omnibus hominibus, id enim nos docuit Chriſtus exemplo ſuo, quia pro omnibus mortuus eſt. Ex quo id ipſum obſecrat Paul. 1. ad Timot. 2. Et hoc intendunt Aug. & D. Th. cum aiunt, eſſe orandum pro omnibus, quia non conſtat, qui ſint reprobi, qui vero prædeſtinati. Ratio vero eſt, quia charitas obligat ad amandum omnes, & omnes ſunt in graui neceſsitate, indigentque auxilio Dei, cuius ſunt capaces, quamdiu hæc vita durat, & Deus de ſe paratus eſt ad dandum omnibus. Vnde fit, orari poſſe, & interdum debere *1. ad Timoth. 2. Aug. D. Tho.*

pro iuſtis, & iniuſtis, ſiue fidelibus, ſiue infidelibus, & quantumuis excæcatis, obduratis, ſeu obſtinatis, quantum in hac vita eſſe poſſunt. Hoc tamen non obſtat, quominus ex intentione orantis aliter petat pro prædeſtinatis, & aliter pro reprobis, illis efficaciter poſtulando, vt cum effectu conſequantur gloriam, his ſolum conditionate, ſcilicet quantum eſt ex parte Dei, ſeu ſi illi non reſiſtant. Quæ intentio interdum haberi poteſt explicite, non eſt tamen neceſſarium, ſatis enim eſt habitu, ſeu virtute illam habere, habetur autem hoc modo eo ipſo, quod homo petit ex intentione charitatis, vel placendi Deo.

12. *Neminem licet excludere, quando cum effectu ſalutem hominum poſtulamus à Deo. Auguſt. D. Thom.*

Vnde vlterius addendum eſt, non licere ab oratione vniuerſali, qua pro prædeſtinatis oratur, vel abſolute petitur, vt homines cum effectu ſaluentur, non licere inquam aliquem excipere materialiter vt ſic dicam, ſeu talem, aut talem perſonam abſolute excludere, quaſi deſperando de ſalute eius. Hoc etiam intendunt Auguſtinus & Diuus Thomas locis ſupra citatis, loquunturque ſecundum communem rerum ordinem, & ſecluſa extraordinaria reuelatione. Et ita ratio eſt clara: quia nullus eſt iudicandus reprobus, quamdiu hic viuit, ergo ita à nobis iuuandus eſt, quantum eſt ex parte noſtra, ſicut is, qui eſſe poteſt in numero prædeſtinatorum. Vnde licet in hac oratione generali, & ſuo modo efficaci pro prædeſtinatis liceat formaliter excludere reprobos, non tamen materialiter, vt ſic dicam, hunc, vel illum hominem, quia priori modo remittitur, vt ita dicam, exceptio ad iudicium Dei, in poſteriori autem modo vſurpat homo, & præuenit Diuinum iudicium, quod ignorat. Dices, interdum ſunt in aliquo tot ſigna reprobationis, vt magna morali probabilitate iudicetur, illum eſſe reprobum, ergo hoc ſatis erit ad excludendum illum dicto modo, nam ad moralem operationem ſufficit iudicium probabile. Reſpondeo, nulla indicia eſſe ſufficientia ad iudicandum practice, & moraliter poſſe deſperare de ſalute alicuius, quantumuis peccatoris, quamdiu viuit, & compos eſt ſui, & excitationis ad pœnitentiam. Sicut nullus (quantumuis peccator ſit, & magna habeat indicia ſuæ reprobationis) poteſt inde accipere iuſtam licentiam deſperandi, aut non orandi pro ſe, imo inde magis obligatur ad orandum, quia videt ſe in maiori periculo verſari, & credere ſemper debet potentem eſſe gratiam ad ſe liberandum, & ex parte Dei non defuturam, ſi per ipſum non ſteterit. Idem ergo eſt reſpectu proximi, quem debemus ex charitate diligere, ſicut nos ipſos, & cui ſimiliter parata eſt gratia de ſe habens eandem virtutem.

Etſi liceat ab illa reprobos formaliter excludere, non tamen licet materialiter.

Obiectio.

Reſponſio.

13. *Locus Ioan. 1. Can. c. 5. breuiter explicatur.*

Hic vero ſolent difficultatem ingerere verba Ioann. 1. Canon. capite quinto. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis*: nam inde videtur colligi, licitum eſſe aliquem magnum peccatorem ab oratione excludere. Huius occaſione tractare hic ſolent Theologi, An ſit orandum pro eo qui peccauit peccatum ad mortem? vt videre licet in Diuo Thoma dicto articulo ſeptimo, ad tertium, & Alenſis, dicto articulo ſexto, dubio ſeptimo. Sed de hoc teſtimonio diſputaui late in quarti tomi tertia parte, & ideo dico breuiter: ſi per peccatum ad mortem intelligamus finalem impœnitentiam, vt Auguſtinus exponit, eum, qui peccatum ad mortem peccauit, eo ipſo damnatum eſſe, ac ſubinde non eſſe pro illo orandum, quia vt dictum eſt, pro damnatis non eſt orandum. Si autem per peccatum ad mortem intelligamus quodcunque aliud ſpeciale peccatum, durante hac vita, commiſſum, quantumcunque ſit graue, & in Spiritum ſanctum, & licet ſit cum magna pertinacia, & obduratione, ſemper poſſe orari pro huiuſmodi peccatore, quamdiu hic viuit, quia nunquam eſt omninò deſperanda illius correctio. Verba autem Ioannis non oſtendunt impoſſibilitatem, ſed difficultatem in obtinendo effectu talis orationis: poſita autem ſunt ad deterrendos homines ab huiuſmodi peccatis, ſeu à tali ſtatu peccati, non ad prohibendam huiuſmodi orationem. Imo vt exiſtimo, non ſunt ſcripta ad remittendum affectum orandi pro huiuſmodi peccatore, ſed ad exaggerandum, non quamcunque orationem, ſed valde feruentem, vel hominis multum Deo grati eſſe neceſſariam pro huiuſmodi peccatore.

Auguſt.

CAPVT XVI.

De oratione pro inimicis.

PRæterea ſolet hic ſpecialiter tractari an ſit orandum pro inimicis, vt patet in D. Thom. ſupra artic. 8. Alenſ. d. artic. 6. dub. 3. Medin. Nauarr. & fere omnibus Thomiſtis. Sed quia hoc proprie ſpectat ad materiam de Charitate, ideo breuiter ſunt duo diſtinguenda. Vnum eſt, an poſſimus ſancte, & licite orare pro inimicis: aliud, an teneamur? De primo nullum eſt dubium, quin opus illud per ſe ſit optimum, & conſulendum, cum Chriſtus dicat Matth. 5. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*, & ratio eſt, quia illud eſt opus charitatis, nam quod inimicus ſit peccator, non obſtat, quominus ex charitate diligi poſſit, & conſequenter quod poſſit pro illo apud Deum intercedi. De ſecundo eſt nonnulla maior difficultas, reſolutio autem, vt recte Diuus Thomas notauit, ex lege charitatis dependet, ita ergo tenemur pro inimicis orare, ſicut illos diligere. Non tenemur autem illos diligere dilectione efficaci in particulari, niſi in caſu neceſſitatis, ſic ergo nec tenemur pro illis in particulari orare, niſi interueniente graui neceſſitate. Diſputat vero Caietanus in illo articulo, an hæc neceſſitas habeat locum tantum, quando inimicus indiget, vel etiam quando veniam petit, etiamſi in alia neceſſitate non ſit? Sed aduertendum eſt, aliud eſſe loqui in generali de ſignis beneuolentiæ exhibendis inimico, aliud in particulari de hoc opere orationis. Hic de hoc tantum in particulari agimus, & de illo verum eſt, non obligari hominem ad orandum pro inimico in particulari, niſi quando ille indiget, & eſt in neceſſitate conſtitutus: ſicut non teneor illi dare eleemoſynam corporalem, niſi quando indiget. De aliis autem ſignis beneuolentiæ proportionatis ad conciliandam neceſſariam amicitiam verum eſt, exhibenda eſſe ex obligatione, quando inimicus petit veniam, quia tunc eſt articulus neceſſitatis quoad talia ſigna, quia non exhibere illa in tali occaſione, eſſet morale quoddam indicium odij, vnde eſſet præbere ſcandalum proximo ad continuandam inimicitiam, ſed de hoc alias.

1. *D. Thom. Alenſ. Medin. Nauarr.*

Quæſtionis titulus explanatur.

Matth. 5.

D. Thom.

Caiet.

Ex hac reſolutione colligitur, licet non teneamur ordinarie actu orare pro inimico in particulari, teneri nihilominus ad habendam animi præparationem ad orandum in ſpeciali pro illo, ſi indiguerit, ſicut de dilectione inimicorum docet Diuus Thomas 2. 2. q. 25. art. 8. & ſicut in vniuerſum tenemur habere animum præparatum ad ſeruanda præcepta affirmatiua pro illis temporibus, pro quibus obligant. Ad hanc autem præparationem in præſenti videtur ſufficere, vt contrarium propoſitum nunquam habeatur, niſi fortaſſe ad vincendam tentationem, vel reſiſtendum odio, neceſſarium ſit, poſitiuum animum, ſeu propoſitum exercere. Addit vero Diuus Thomas dicta quæſtione 83. articulo 8. neceſſarium eſſe non excludere inimicum à generalibus orationibus, quas pro aliis facimus. Quæ ſententia ab omnibus approbatur. Et ratio eſſe

2. *Animo parato eſſe debemus ad orandum pro inimico in particulari ſi opus fuerit.*

Inimicum nō debet excludi ab oratione generali pro a-

Digitized by Google

Hijs facta. D.Tho.

eſſe videtur, quia tenemur diligere inimicum ſaltem in generali, quæ generalis dilectio in hoc conſiſtit, vt quando proximos generatim diligimus, non excludatur inimicus, ergo eadem ratione obligat charitas ad non excludendum inimicum à communi beneficio orationis, quando pro alijs generatim funditur.

3. *Circa proxime dicta dubitatio*

Sed hoc nonnullam difficultatem habere videtur, præſertim in praxi, quia non agimus de orationibus publicis, id eſt, quæ fiunt nomine totius Eccleſiæ, cuius nos eſſe poſſumus vel miniſtri, vel membra, nam in illis orationibus clarum eſt debere nos conformari intentioni Eccleſiæ, & illos excludere, quos ipſa excludit, verbi gratia, excommunicatos, de quibus alibi dictum eſt, & non excludere, quos ipſa non excludit, quia hoc eſſet diſcordare ab intentione eius, quod non licet, eſſetque manifeſtum indicium odij, vel potius officiū, quod eſt intrinſecè malum. Agimus ergo de orationibus priuatis, in illis autem per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo non videtur intrinſecè malum, excludere inimicum à quacunque oratione, in qua pro alijs oramus. Nam poſſumus orare ſolum pro amicis, ſub amicis intelligendo omnes illos, qui non ſunt inimici, in qua oratione planè excludimus inimicos, in illo autem orandi modo nulla apparet malitia per ſe loquendo, quia nullum eſt præceptum, quod obliget tunc ad faciendam communiſsimam orationem, ſemper autem poteſt fieri ſub aliqua ratione communi, in qua non includatur inimicus. Quod quidem in oratione mentali eſt facile ad arbitrium orantis, idemque fere eſt de oratione vocali, quæ non fit iuxta præſcriptam aliquam formam verborum, ſed iuxta voluntatem etiam orantis, imo etiamſi verba ſint præſcripta, & generalia poterunt facile ex intentione orantis limitari, quæ intentio non videtur intrinſece mala, quia illud eſt voluntarium beneficium, & non debitum communitati, vt ſupponimus, ergo non peccat orans, conferendo illud quibuſdam, & non aliis. Nam poſſet ſic orare pro iuſtis, & non pro iniuſtis, pro prædeſtinatis, & non pro reprobis, pro cognatis amicis, aut benefactoribus, & non pro alijs, ergo & pro omnibus non inimicis, in quo excluduntur inimici. Quæ ergo ſunt orationes communes, à quibus non licet inimicos excludere?

4. *Statuitur ex communi conſenſu, non eſſe inimicū excludendum à cōmuni oratione.*

Nihilominus de illa aſſertione dubitandum non eſt, quia, vt dixi, eſt communiter approbata, & quod magis eſt, communi conſenſu, & praxi Eccleſiæ recepta videtur. Vnde contraria eſſet ſcandaloſa, & occaſionem præberet prauis moribus, foueretque internum odium inimicorum, ad quod natura corrupta valde propenſa eſt. Verus autem ſenſus illius axiomatis non eſt tam clarus, & certus. Primo ergo intelligi poteſt de orationibus communibus Eccleſiæ, quas peculiari modo conſentur facere, non ſolum miniſtri, ſed etiam qui adſunt & cum illis offerunt, & per illos peculiariter orant, dū eis aſsiſtunt. Ab his ergo orationibus communibus non poſſunt iſti excludere inimicos, vt iam dictum eſt. Secundo intelligi poteſt de orationibus communibus, nō omnino voluntarijs, ſed factis ex obligatione communis charitatis, quomodo tenemur interdum orare pro Eccleſia, vel pro patria, aut ciuitate, aut ſimili alia communitate, ab his ergo orationibus communibus non poſſumus excludere inimicos, qui ſunt partes illius communitatis, quia illud debitum ad illos ſuo modo pertinet, ratione cuius habent quoddam ius ad bona communia illius communitatis, inter quæ talis oratio computatur. Tertiò quoties oratur pro aliqua ratione communi, quæ de ſe æquè comprehendit inimicos ac cæteros, tunc non licet excludere inimicos, etiamſi oratio alias mere voluntaria ſit, & abſque obligatione, quia illa eſt quædam irrationabilis acceptio perſonarum, continens virtuale odium. Vnde licet abſolute non tenear orare pro tali communitate, tamen ſuppoſito, quod oro, teneor orare ſine tali iniqua exceptione, vt ſi Religioſus pro Religione ſua, & ſuis fratribus oret, & inde excipiat Petrum, vel Paulum ſibi inimicos grauiter peccat, & ſic in ſimilibus. Quarto, licet in oratione priuata, quæ ſine obligatione fit, voluntarium ſit orare ſub aliqua oratione vniuerſali, quæ non comprehendat inimicum, & in hoc per ſe non appareat intrinſeca malitia, vt obiectiō facta probat, nihilominus cauendus eſt talis orandi modus tanquam periculoſus, indicat enim affectum adeo auerſum ab inimico, vt ad odium accedere videatur. Ideoque ſaltem ratione moralis periculi poteſt fere damnari talis modus orandi, quando ſcilicet limitatio illa ex directa intentione ſolum fit ad excludendum inimicum, nam ſi hoc publice fieret, cenſeretur illud eſſe ſignum quoddam odij, ergo quamuis occulte fiat, cauendum eſt morale periculum odij, quod ibi intercedit, nam qui amat periculum, peribit in illo. Præterquam quod talis oratio vix poteſt eſſe Deo grata, & accepta, quia vel ex nulla, vel ex valde imperfecta charitate procedere poteſt.

CAPVT XVII.

An liceat bona temporalia orando à Deo petere.

HAEc eſt poſtrema habitudo, quam neceſſario includit oratiō, ſcilicet ad rem poſtulatam, de qua tractat Diuus Thomas dicta quæſtione 83. articulo 5. ad 6. & in 5. refert ex Valerio Maximo ſententiam Socratis Philoſophi, qui aſſerebat, *nihil vltra petendum à Dijs immortalibus, quam vt bona tribuerent*. Itaque cenſuit ille philoſophus, nihil eſſe à Deo determinate petendum, & rationem addidit, quia Deus ſcit quid vnicuique ſit vtile, nos autem ſæpe in votis habemus id, quod non impetrare melius eſſet. Quam rationem confirmare videtur Paulus ad Roman. 8. dicens, *Quid oremus ſicut oportet, neſcimus.* Atque hæc etiam ſententiam tribui poteſt VViclepho, nam ſicut negauit, eſſe orandum pro aliquo in particulari, ita conſequenter negare potuit, vel debuit eſſe aliquid in ſpeciali in oratione petendum, quia eadem eſt vtriuſque ratio. Dēnique hæretici dicti illuminati in eadem ſententia fuiſſe feruntur, dicebant enim, nihil eſſe à Deo petendum, niſi vt fiat voluntas eius, nam hoc ſolum eſt deſiderandum, & bonis omnibus præferendum iuxta debitum charitatis. 1.

D.Thom.

Nihil determinate petendum eſſe docuit Socrates.

Roman. 8.

Illius opinionis fuit Vviclephus.

Illuminati hæretici etiā ita ſenſiſſe fertur.

Nihilominus pro certo ſtatuendum eſt, licitum eſſe aliquid determinate à Deo in oratione petere. Quod cenſeo eſſe de fide, ſufficienterque probari ex oratione Dominica: nam poſtremo loco citati hæretici, vnam tantum illius particulā, ſeu petitionem videntur admiſiſſe, ſcilicet *fiat voluntas tua*, cum tamen Chriſtus Dominus ſex alias nos docuerit, quibus multa in particulari petimus. Exemplo etiam idem nos Chriſtus docuit rogans pro fide Petri, & pro remiſsione peccati crucifigentium ipſum. Et ex tota Scriptura, præſertim ex libro Pſalmorum, & ex Epiſtolis Pauli conſtat, hunc fuiſſe vſum Sanctorum, quem etiam Eccleſia in ſuis obſeruat orationibus. Quomodo autem hoc intelligendum ſit, & qua ratione ad diuerſa bonorum genera ſit applicandum, patebit ex ſequentibus. Vnde etiam facile ſoluetur fundamentum oppoſiti erroris. 2.

Contraria opinio tāquā certa ſtatuitur, & fide tenenda.

Eſt ergo aduertendum, duplex eſſe bonorum genus: quædam enim bona ſpiritualia dici poſſunt, alia temporalia. Sub ſpiritualibus hic comprehendimus omnia honeſta bona, quibus nemo poteſt male vti, ſiue ſint gratia, & ſupernaturales virtutes, acca- 3.

Aſſertio poſita declaratur diſtinguendo bona ſpiritualia, & temporalia.

ac earum opera, ſiue ſint virtutes morales acquiſitę cum actibus ſuis. Sub temporalibus autem bonis comprehendimus omnia bona fortunæ, & bona corporis, vt ſunt vita, & ſalus, & bona etiam animi, quibus male vti poſſumus, vt virtutes intellectuales, ſcientia, ars & cæt. De ſpiritualibus bonis dicemus capit. ſequenti, hic ſolum de temporalibus, quæ ſubdiſtingui poſſunt. Nam quædam ſunt per ſe conuenientia naturæ, ac proinde per ſe appetibilia ſecundum rectam rationem propter bonum, & conuenientem ſtatum naturæ, niſi aliquid per accidens obſtet, vt vita, ſalus & ſcientia. Alia vero ſunt bona de ſe indifferentia: quæ propter ſe appetibilia non ſunt, ſed tantum propter vtilitatem ad alia bona per ſe, & honeſte appetibilia, vt ſunt honor, fama, potentia, diuitiæ, & cæt. Vnde inter hæc quædã ſunt vel ſimpliciter, vel moraliter neceſſaria ad cõſequēda, vel cõſeruãda alia bona per ſe naturę cõueniētia vt eſt victus neceſſarius, & veſtitus, & bonũ nomē neceſſariũ ad vitę trãquillitatē: alia ſuperabundantia, vt diuitię, magni honores, &c.

Tēporalium bonorũ ſubdiuiſio.

4\. *Quorundã opinio, bona tēporalia tãtum in ordine ad gloriã obtinendam peti à Deo poſſe docet.*

Quidam ergo abſolute de toto genere bonorum temporalium dicunt, talia bona non eſſe determinate petenda abſolute, ſed ſolum ſub conditione ſi conducant ad Beatitudinem, & futura ſint inſtrumenta virtutum: & ſi aliter petantur, non eſſe licitam orationem. Hoc ſignificare videtur Diuus Thomas in d. articulo 5. vbi relata ſententia Socratis ſubiungit: *Quæ quidem ſententia aliqualiter vera eſt, quantum ad illa, quæ poſſunt malum euentum habere, quibus etiam homo poteſt male; & bene vti*, & in articulo 6 ait, licitum eſſe, deſiderare bona temporalia, non principaliter, ſed vt quædam adminicula, quibus adiuuemur ad tendendum in Beatitudinē, Vnde conſequenter ſignificat ſolum ſub ea ratione & cõditione peti poſſe quia vt ex Aug. præmittit, illud tantũ honeſte petitur, quod honeſte deſideratur. Et ita videtur cõmuniter intelligi D. Th. ab expoſitoribus, & expreſſe affirmat Syluester ver. *Oratio*, q. 5. Medina dicto Cod. de Pœnitent. q. 3. Et fortaſſe ſententia, quam iſti auctores intendunt, vera eſt, ſed oportet eam amplius exponere, tum vt diſtincte intelligatur, quomodo hæc petenda ſint, tum ne inijciamus ſcrupulos, & timorem peccandi, vbi non eſt, neque etiam nimiam licentiam demus petendi, aut deſiderandi temporalia.

D. Tho. *Auguſt.* *Silueſt.* *Medin.*

5\. *Varij modi petendi aliquid à Deo.*

Oportet ergo aduertere, aliud eſſe petere aliquid propter ſe, vel propter aliud, aut petere abſolute, vel ſub conditione: nam petere propter ſe eſt petere tanquam bonum propter ſe amabile, cui opponitur petere propter aliud: hęc igitur duo idē valent, quod petere vt finem, vel vt medium. Vnde ſicut eſt duplex finis, ſcilicet vltimus, & proximus, ita dupliciter poteſt aliquid propter ſe peti, ſcilicet tanquam finis vltimus, vel proximus. Et ſimiliter duobus modis dici poteſt aliquid eſſe propter aliud, ſcilicet, vel ex formali, aut virtuali relatione operantis, vel ex vi operis: ſeu modi operandi eodem igitur duplici modo poteſt aliquid peti propter aliud. Vnde fit, vt aliquis modus petendi aliquid propter ſe repugnet cum omni modo petendi propter aliud, vt quando aliquid petitur tanquam vltimus finis, aliquando vero poſſit idem ſimul peti propter ſe, & propter aliud, vel ex vi operis, vel ex relatione operantis, vt contingit in bono, quod propter ſe petitur ſolum, tanquam finis proximus. At vero petere abſolute, vel ſub conditione quoad vtrumque membrum cadere poteſt tam in bonum propter ſe, quam propter aliud poſtulatum, quia vtrumque poteſt ſub conditione aliqua deſiderari, vel abſolute: Nam licet ego non deſiderem ſalutem, vel honorem, niſi propter Diuinam gloriam, nihilominus poſſum abſolute illa deſiderare, quia & abſolute deſidero finem, & abſolute etiam cupio per hoc medium illum finē cõſequi, atque ideo poſſum etiam abſolute petere, vt Deus & illud bonum mihi tribuat, & ad illum finem conferre faciat, qui videtur eſſe modus valde vſitatus, & vulgaris petendi hæc bona tēporalia, quãdo in aliqua abundantia, vel excellentia deſiderantur.

Dico ergo primo. Petere hæc bona temporalia propter ſe, vltimum finem in eis conſtituendo, peccatum mortale eſt. Hoc per ſe notum eſt: tum quia affectus ad temporale bonum vt ad vltimum finem eſt peccatum mortale contrarium dilectioni Diuinæ ſuper omnia, tum etiam: quia poſtulare à Deo complementum huius deſiderij, ſeu affectus ſpeciale peccatum contra Religionem eſt, quia eſt petere à Deo complementum praui deſiderij. Siquis autem attendat, hæc aſſertio locum habet in omnibus bonis creatis, quia in nullo eorum, cuiuſcumque ordinis ſit, licet vltimum finem conſtituere. 6.

1. Aſſertio. Moraliter peccat, qui à Deo in oratione petit bona tēporalia tanquã vltimum finem.

Dico ſecundo. Quædam ſunt bona humana, ac temporalia (in generali ſignificatione ſupra explicata) quæ licite poſſunt propter ſe peti tanquam fines proximi, dummodo ſecundum rectam rationem deſiderentur ac petantur, ſicut ex ſe amabilia ſunt. Probatur ex illo principio Auguſtini, id licite peti, quod honeſte deſideratur, nam aliqua ex his bonis licite amantur, & deſiderantur propter ſe, id eſt propter conuenientiã, quam habent cum natura rationali, conuenientiam (inquam) recta ratione regulatam, ergo. Minor patet, inductione in cõſeruatione vitæ, corporis integritate, & ſanitate, ſcientia, ſeu cognitione veritatis, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi bona. Nam ratio recta dictat, conſeruãdam eſſe naturam, & procurandam corporis ſanitatem, vel ſcientiam, aut aliquid huiuſmodi, & hæc bona eſſe per ſe appetibilia per ſe loquendo: ergo eodem modo ſunt petibilia vt ſic dicam. Et declaratur amplius, quia in illa petitione nulla eſt circũſtantia mala per ſe, & ex intrinſeca ratione eius, & alioqui materia petitionis bona eſt, vt eſt oſtenſum, ergo. Maior patet, quia ſi aliqua eſſet circumſtantia mala, maxime, quia talia bona non petuntur propter Beatitudinem, at hoc non ita eſt, ergo. Maior ſupponitur, quia etiam ſupponimus, ex alijs circũſtantijs orationem recte fieri, ſcilicet, conuenienti tempore, loco, & modo, & ex recta fide, & cæt. Minor vero probatur, quia vel ille defectus non inuenitur, vel prout inuenitur, non eſt priuatiuus, vt ſic dicam, ſed negatiuus tantum, id eſt, non eſt de circumſtantia neceſſaria ad bene eſſe, ſed tantum ad melius eſſe. Nam vel eſt ſermo de Beatitudine naturali, vel de ſupernaturali: Item vel eſt ſermo de relatione operantis, vel de relatione ſeu tendentia ipſius operis ex ſe. Si ſermo ſit de relatione operantis verum eſt, tale bonum peti poſſe abſque morali malitia ſine tali relatione ad Beatitudinē: quia hæc relatio operantis non eſt intrinſece neceſſaria ad moralem bonitatem, vt patet de opere eleemoſynę facto ex naturali miſericordia, ſine vlla memoria Beatitudinis, nec relatione formali, aut virtuali operantis. At loquēdo de relatione operis talia bona ſatis petũtur propter Beatitudinē eo ipſo, quod propter intrinſecã cõuenientiã honeſtã petũtur, ſic. n. dicitur in gloriã Dei facere, quiſquis honeſtũ qua honeſtũ eſt, operatur, etiã ſi aliã relationē ipſe nõ adiungat. Imo ipſe D. Tho. 1. 2. q. prima docuit, quiſquis amat bonũ, amare illud propter Beatitudinē, ſaltē in cõmuni, multo ergo magis qui verũ aliquod bonũ, & honeſtũ petit, cenſetur petere propter Beatitudinem, quia vel petit partē aliquã, ſaltem minus principalem Beatitudinis naturalis, vel accidens quoddam completæ Beatitudinis ſupernaturalis.

7\. *2. Aſſertio. Aliqua bona temporalia ſi debito modo appetatur, à Deo poſtulare poſſunt tanquam proximi fines. Auguſt.*

Declaratur aſſertio.

D. Thom.

Dico tertio. Huiuſmodi bona, quæ modo explicato propter ſe petuntur abſolute, & ſine vlla conditione, recte petuntur. Hoc ſentiunt Diuus

8\. *3. Aſſertio.*

Bona temporalia, quæ tantum ratione ſui, vt media ſunt, poſſunt abſolute peti à Deo. D. Thom. Alenſ. Probatur. Cōfirmatur.

uus Thomas & Alexand. Alenſis, vt ſtatim videbimus. Et probatur, quia licite deſideratur abſolute, nulla adiectá conditione, ergo etiam licite petuntur abſolute, & ſine conditione. Conſequentia probata iam eſt, & antecedens probatur, quia illa obiecta habent ex ſe bonitatem, & honeſtatem, vnde poſſint ita amari. Et confirmatur, quia qui tantum cogitat de conuenientia ſalutis vel ſcientiæ, & illam propterea deſiderat, ac petit, quia iudicat, ſecundum rectam rationem eſſe amabilia hæc bona, nihil aliud conſiderans de alio fine, vel conditione ille abſolute petit, quandoquidem conditionem non ponit, & tamen non male facit, quia in illo actu nulla eſt circumſtantia mala, vt dictum eſt. Durumque eſſet, ſine maiori fundamento damnare omnia huiuſmodi deſideria, vel petitiones, quæ frequenter in hominibus etiam timoratis, licet non eximie perfectis inueniuntur.

9. *Obiectio.*

Dices, Etſi hæc bona ſint per ſe appetibilia, nihilominus talia ſunt, vt eis male vti poſſimus, ergo temeritas quædam eſt illa abſolute petere, vt ergo prudens ſit petitio, neceſſe eſt, vt actu, vel virtute includat conditionem, ſi talia bona nobis profutura ſunt ad Beatitudinem, ſeu ſalutem animæ, vel ſaltem ſi nocitura non ſunt. Vnde quamuis fortaſſe petens non apponat expreſſe hanc conditionem, ſemper debet intelligi virtute, aut interpretatiue poſita, vt oratio bona ſit. Sed contra primo, quia

Dilutio.

nullum eſt in hac vita bonum, quo homo pro ſua libertate non poſſit male vti aliquo modo. Nam licet virtutibus non poſſimus vti tanquam principiis ad malos actus eliciendos, poſſumus tamen ex illis ſuperbire, & ita illis aliquo modo male vti, idemque eſt de peculiaribus auxiliis, aut fauoribus gratiæ: & nihilominus ex ſententia omnium hæc bona poſſumus abſolute deſiderare, & petere, ergo illa ratio non ſufficit, quominus etiam alia bona per ſe conuenientia naturæ poſſimus abſolute petere. Nam quod fortaſſe facilius male vtamur his bonis corporis, aut intellectualibus, aut moralibus, vel ſupernaturalibus hoc parum refert: quia ſi illud eſt morale periculum, talis abuſus, ſiue ſit maior, ſiue minor, reddet actum malum, ſi autem periculum non eſt morale, non ſufficit, vt actus ſit malus etiam ſi maior, vel minor ſit, nunquam attingendo, vt dixi, morale periculum. Talis autem ad ſummum videtur eſſe differentia inter hæc bona naturalia, & moralia, nam prauus vſus ille valde accidentarius eſt, & in occaſione, quæ interdum ſumitur ex ipſa virtute, & bonis gratiæ, grauior lapſus timeri poteſt, ita vt licet periculum ex ſe minus ſit, magis timeri poſſit propter grauitatem detrimenti: ergo ſi hoc non obſtat, quominus talia bona abſolute peti poſſint, neque in aliis bonis obſtabit.

10. Accedit ſecundo quod qui hæc bona honeſte deſiderat, hoc ipſo quantum eſt ex ſe, illa deſiderat ad bene, & honeſte illis vtendum, vnde non oportet vt ſub conditione illa petat, ſed potius vt ſimul petat talem conditionem in ſe impleri, videlicet, vt talia bona obtineat ad bene, & honeſte illis vtendum, prout ipſa per ſe, & natura ſua poſtulant. Tandem dicimus (ne ſolum de nomine fiat diſputatio) omnes fateri, actum illum, prout à nobis declaratus eſt eſſe licitum, etiamſi ex particulari in ratione operantis, vel præſenti, ac formali, vel præterita, & virtualiter mente, conditio non apponatur, quia nimirum operans nihil vnquam de illa cogitauit. Hunc ergo nos vocamus actum abſolutum. Siquis autem contendat ex natura operis interpretatiue includi illam conditionem, non eſſet fortaſſe contradictio in re: nam certe qui hæc bona honeſte deſiderat, ſemper habet hanc animi præparationem, vt ſi virtutem ſint impeditura, vel ſi futura ſint in occaſionem ruinæ, ea nolit: hęc vero conditio magis eſſe intelligitur in bona diſpoſitione ſubiecti quaſi habituali, quam in ipſomet actu petendi, & ideo illum abſolutum vocamus.

11. Dico quarto. Quando bona indifferentia, vt diuitiæ, & ſimilia, non ſimpliciter, nec cum exceſſu petuntur, ſed cum hac moderatione, ſcilicet quantum ad huius vitæ commoditatem neceſſaria ſunt, tunc eodem modo peti poſſunt, quo ipſa bona corporalia, vel intellectualia, quæ per ſe expetibilia ſunt. Hanc aſſertionem intendit, vt exiſtimo, Diuus Thomas dicto articulo 6. & Alexand. Alenſ. dicta quæſtione 26 articul 3. §. primo Et videtur recte probari ab eiſdem ex illo Prouerb. 30. *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria.* Item eſt illa petitione orationis Dominicæ. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* per quam ſuppono peti panem etiam corporalem, vt Chryſoſtomus, & alij exponunt, licet alia etiam includat, vt libro quarto videbimus. Conſonat etiam illud Geneſ. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſpere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Vbi petitio moderata talium bonorum non ſolum abſoluta eſt, ſed etiam voto confirmata. Præterea hoc ſentit Auguſtin. Epiſt. 121. ad Probam, capit. 6. & ſequentibus. Cum enim dixiſſet. *Si optant ſibi, ac ſuis ſufficientiam rerum neceſſariarum* & cæt. ſubiungit. *Hanc ergo ſufficientiam non indecenter vult, quiſquis vult neque amplius vult.* Et cum adduxiſſet locum Prouerbiorum, ſubiungit. *vides certe, & iſtam ſufficientiam non appeti propter ſe ipſam, ſed propter ſalutem corporis, & congruentem habitum perſonæ hominis, quo habitu non ſit inconueniens eis, cum quibus honeſte, & officioſe viuendum eſt.* Additque ſequentia verba, quæ hanc & pręcedentem concluſionem confirmant. *In his itaque omnibus incolumitas hominis, & amicitia propter ſe ipſam appetuntur, ſufficientia vero rerum neceſſariarum, nō propter ſe ipſam appetuntur, ſed propter duo ſuperiora quæri ſolet, cum decenter quæritur.* Et hoc confirmat vſus Eccleſiæ, Nam in litaniis, & collectis ſæpe poſtulat temporalia bona, vt pluuiam, vel ſerenitatem, nulla adiecta conditione. Ratio ergo aſſertionis ex his verbis facile confici poteſt, quia eo modo, quo petitur aliquid propter ſe, poteſt etiam peti medium neceſſarium ad illud obtinendum. Item illa petitio iam habet finem honeſtum, vnde licet materia ex ſe ſit indifferens, honeſtatur ex fine, & eo ipſo quod cum dicta moderatione petitur, tollitur morale periculum, quod in abundantia harum rerum temporalium eſſe ſolet: ergo ex omni capite honeſta eſt talis oratio. Eſt autem talis oratio abſoluta eo modo, quo dictum eſt de pręcedenti, ſemper tamen habet intrinſece ſubintellectam limitationem illam, vt hęc ipſa quantumuis moderata ſufficientia non deſideretur cum diſcrimine virtutis, ſeu ſi futura ſit occaſio alicuius peccati, quæ limitatio in omni honeſto amore creaturæ includitur, quatenus non amatur ſuper omnia, neque vt vltimus finis, nec ſine fine honeſto.

4. Aſſertio. Bona indifferentia quæ vitæ degendæ neceſſaria ſunt, eodem modo peti poſſunt, ac ipſa bona corporalia, vel intellectualia per ſe optabilia. D. Thom. Alenſ. Prouer. 30. Chryſ. Gen. 28. Auguſt.

12. Dico quinto, Hęc bona indifferentia diuitiarum, honorum, & c. nō ſunt abſolute petenda, quando cū exceſſu aliquo, vel abundantia, aut ſine moderata limitatione petuntur. Hanc aſſertionem intendit, vt opinor, Diuus Thomas in dicto articulo quinto, & ita conciliantur illi duo articuli, quintus & ſextus: nam in ſexto docet, temporalia bona poſſe peti, intelligit autem eum Auguſtino, quando cum moderata, vel neceſſaria ſufficientia petuntur, in quinto vero articulo abſolute docet, hæc bona non eſſe petenda, vtique indefinite, ſeu abundanter, & abſque vlla conditione. Ratio vero eſt, quia in primis, vt hæc bona honeſte petantur, neceſſe eſt, vt non propter ſe, ſed propter honeſtum finem petantur, vix autem poſſunt ita peti, niſi petantur cum modera-

5. Aſſertio. Bona indifferentia abſolute peti non debent, quādo cum exceſſu petuntur. D. Thom. Auguſt.

Digitized by Google

moderatione, & limitatione accommodata honeſto fini, & tunc iam petentur modo explicato in præcedenti aſſertione, nam illa moderatio, & ſufficientia non poteſt eſſe vna in omnibus, ſed pro ratione ſtatus, vel finis conuenientis homini iuxta conditionem ſuam. Eſt autem cõſiderandum, aliud eſſe deſiderare hæc bona, præſuppoſito ſtatu, & fine, quem intendere, vel conſeruare neceſſe eſt, aliud vero eſſe deſiderare abundantiam talium diuitiarum vltra præſentem ſtatum, & finem neceſſarium, intendendo nihilominus bonum vſum talium diuitiarum, vel munerum, aut honorum, & hunc vocamus ſuperabundãtem affectum, qui etiam malus non eſt, ſtante illo fine, & nihilominus dicimus, talem exceſſum temporalium bonorum nõ eſſe abſolute petendũ, ſed adhibita conditione, ſi ad ſalutem animæ, vel Diuinam gloriam profutura ſint. Et ratio eſt, quã inſinuauit D. Thomas, quia talis abundantia tam eſt periculoſa, vt dixerit Chriſtus Dominus, impoſsibile eſſe diuitem ſaluari, & Paulus. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa, & nociua, & inutilia, &c.* prima ad Timoth. 6. Vnde licet homo, quando hæc appetit, & petit, videatur ſibi bonam intentionem habere, periculoſe nihilominus deſiderat, & petit, quia difficillimum poſtea eſt, acquiſitis talibus bonis, illam intentionem exequi [illegible] go nõ ſine aliqua imprudẽtia, ac temeritate abſolute petuntur, debet ergo ſemper adhiberi conditio etiam ex parte ipſius petentis. Præterea videtur hoc neceſſarium ad moderandum affectum, nam quando hæc bona abundanter, & ſine limite quæruntur, ſemper ſolicitant affectum, & de ſe inducunt varia deſideria, & conijciunt hominem in multa pericula, ergo oportet ſaltem conditionem adhibere ad moderandum affectum, & morale periculum vitandum.

Bonorũ aliũ dantia etiam ad bonum vſum, poſtulanda non eſt niſi ſub conditione.

1. Ad Timo. 6.

13. *Medina.* Ex quo infert Medina ſupra, aliquas eſſe virtutes morales, quas homo ſimpliciter deſiderare, aut petere non debet, vt magnificentiam, liberalitatem, & alias, quæ ſine vſu abundantium diuitiarum, vel honorum, aut publicorum munerum comparari non poſſunt. Sed hoc intelligendum eſt de his virtutibus quantum ad exteriorem vſum, ſeu exercitium illarum, nam licet ille vſus ſimpliciter bonus ſit, nihilominus propter periculum non eſt abſolute poſtulandus, nec bona temporalia propter ipſum, ſed adhibita conditione: hoc vero non obſtante, ipſæ virtutes quoad ſubſtantiam earum deſiderari poſſunt, imo & exerceri quoad affectum, & internum animi propoſitum, quia per ſe honeſtæ ſunt.

14. *Vide Ambr. ſerm. 22. in Pſalm. 118. circa illa verba: Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo Domine. Liceatne deſiderare diuitias, & honores?*

Sed quæres, An abſolute petere talia bona cum propoſito bene vtendi illis, in rigore peccatum ſit, & An ſit mortale, vel veniale, vel tantum ſit infirmitas hominis minus perfecti? difficile enim eſt, actum hunc damnare tanquam ſemper, vel intrinſece malum. Hæc interrogatio pendet ex aliis quæſtionibus pertinentibus ad alias materias, An liceat deſiderare diuitias, honores, & dignitates, vt Epiſcopatum, & ſimilia, abſoluto deſiderio cum intentione bene vtendi illis bonis: nam quale eſt illud deſiderium, talis eſt hæc oratio? Si ergo conſideremus obiectum intrinſecum illius deſiderij, non eſt malum, ſed indifferens, finis autem etiam ſupponitur bonus, ergo ex his non poteſt damnari ille actus tanquam intrinſece malus. Solum ergo poteſt dubitari ratione periculi, quia nulla alia circumſtantia intrinſece mala cogitari poteſt, quæ cum tali actu neceſſario coniũcta eſſe videatur, vnde ſupponere poſſumus quod fiat debito tempore, & loco, & conuenienti modo quoad reliquas omnes circumſtantias. Ratione autem ſolius periculi non videtur poſſe in vniuerſum damnari actus ille, tum quia tale periculum non videtur ſemper eſſe proximum, & morale. Tum etiam quia non videtur eſſe æquale hoc periculum in omnibus hominibus: vnde aliqui poſſunt non temere ſperare ſe bene vſuros hac opulentia diuitiarum, ſi eis concedatur. Tũ præterea, quia multæ ſunt actiones, vel negotiationes humanæ vt mercatura, & ſimiles, in quibus in eſt huiuſmodi periculum, & nihilominus non eſt intrinſecè malum, illas exercere, & huic ſe committere periculo. ergo ſimile quid deſiderare, aut petere abſolutè, non eſt per ſe intrinſecè malum ratione periculi.

Dico ergo, hunc orandi modum non excludi à nobis tanquam per ſe, ac intrinſecè malum ſed tanquam periculoſum, ac propterea vitandum. Supponimus enim, quoad habitualẽ diſpoſitionem, & intentionem ſemper retineri animum non ita volendi hęc bona, vt etiamſi nocitura ſint animę ſibi ea donari quis velit, nam hoc iam eſſet in eis ponere vltimum finem, & à fortiori nullo modo ea referre in Deum, ac verum vltimum finem, & ideo illa ſic petere graue eſſet crimẽ. Vnde eo ipſo, quod quis appetit hæc bona cum hac affectus moderatione, vt propter bonum vſum illa velit, & cum intentione, ac ſpe cauendi periculum quod in eis eſt, virtualiter vel ſaltem habitualiter retinet animum nolendi illa ſi animæ nocitura ſint. Tunc ergo dici poteſt talis oratio habere quaſi intrinſecam, & innatam conditionem, vt ſuprà notauimus & nihilominus nunc addimus, quando oratio eſt de huiuſmodi bonis temporalibus (quæ generali nomine ſuperflua dici poſſunt) vt conuenienter fiat, addendam eſſe aliquam expreſſam conditionem ex parte orantis ad moderandum, & continendum eius affectum. Quod ſi quis aliter illa petat, non ſtatim illum damnamus, nec peccare dicimus, credimus tamen non ſine periculo ita orare, & talem orandi modum eſſe non paruum indicium nimij affectus ad talia temporalia bona, qui rarò erit vacuus omni culpa. Quinetiam addimus petitionem talium bonorum ex definito affectu ac deſiderio, quãtumuis addatur conditio, imperfectam eſſe, quia deſiderare hæc bona temporalia non eſt de ſe perfectionis opus, cum Chriſtus Dominus conſuluerit, ea relinquere, & contemnere.

15. *Illa bona deſiderare non licet ratione periculi.*

CAPVT XVIIII.

An orando pro temporalibus bonis petamus à Deo aliquam gratiam, & propter Chriſtum.

Eſt ad explicandum difficile in hac oratione de temporalibus bonis, quidnã à Deo petamus. Ratio difficultatis eſt, quia per orationem non poſſumus poſtulare à Deo dona naturæ, ſed gratiæ, at hæc temporalia bona, licèt ſint dona Dei, non tamẽ ſunt gratiæ, ſed naturæ. Maior colligitur ex Hier. & Aug. & Concilijs, ac Patribus, quatenus ex oratione colligunt veritatem, ac neceſsitatem gratiæ. Vnde quia Pelagius dicebat, bona opera fieri per vires naturæ abſque donis gratiæ, intulerunt Patres, ex errore Pelagij ſequi, non eſſe orandum Deum pro bonis operibus: quæ Collectio non eſſet bona, ſi Deus eſſet orandus non tantum pro donis gratiæ, ſed etiam pro donis naturæ. Hanc doctrinam Patrum ſupponimus ex materia de Gratia, & eſt clara apud Hieronymum Epiſt. ad Cteſiphontem, & lib. 1. contra Pelagianos ferè à principio, & Auguſt. lib. de Perfectione iuſtitiæ circa finem, in vltima reſponſione, & libr. de Natura, & Gratia c. 18. & in Epiſt. 107. & in 90. cui ſubſcribunt alij etiam Epiſcopi Africæ, &

1. *Difficultatis ratio.*

Hier. Aug.

Digitized by Google

Cœleſt.

& in 91. quæ eſt reſponſio Innocentij, & habetur inter Epiſtolas eius, eſtque 25. Idem Cœleſtinus Epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 9. Quod autem temporalia bona non pertineant ad ordinem gratiæ, ſed naturæ, videtur per ſe notum. Vnde explicatur, & augetur in hunc modum difficultas, quia hæc temporalia bona proueniunt ex naturalibus cauſis cum generali concurſu Dei, quando ergo illa petimus, aut miraculum petimus, aut ſolum poſtulamus, quod per communem curſum cauſarū nobis proueniant. Primum dicere nimium eſt, quia ordinariè, & ſine peculiari inſpiratione, & dono fidei non ſunt poſtulanda miracula, eſſetque tentare Deum tam frequenter miraculum petere. Secundum autem nimis parum eſt, quia cauſæ ſecundæ neceſsitate quādam naturali agunt, & Deus præbet illis concurſum ad modum naturæ, nam licet per actum ſimpliciter liberum concurrat, tamen ex lege eſt quaſi naturalis concurſus adeò vt ſit miraculum illum ſuſpendere. Cum autem hæc bona petimus, non ſolum poſtulamus, vt Deus non auferat concurſum ſuum, vel ne miraculosè faciat vt eis priuemur. difficile ergo eſt declarare quid petamus quia inter illa duo non videtur dari medium, quia immutare ordinem naturæ ad conferenda hęc bona, miraculoſum eſt.

Augetur difficultas

1\. *Nonnulli dicunt temporalium bonorum collationē per generalem Dei concurſum & prouidentiam in oratione poſtulari.* *Sot.*

In hac difficultate varij dicendi modi inſinuātur ab Auctoribus. Vnus eſt, per hanc orationem ſolū poſtulari à Deo, vt ea nobis conferat ſuo generali concurſu, & prouidentia. Ita ſentit Sot. lib. 1. de Nat. & grat. ca. 21. ad 2. arg. Gregorij circa finem. *Petimus* (inquit) *à Deo pluuiam, & alia benigna tempora, & temporalia, quæ tamen per cauſas ſecundas ſolo generali adiutorio elargitur nobis.* Et hoc modo ait ibidem, eſſe agendas Deo gratias pro quocūque bono morali etiamſi interdum merè naturale ſit & abſque gratia fiat. Vnde conſequēter ſignificat, eſſe in oratione petendum adiutorium ad bonum opus morale, vel ad opus artis aut ſcientiæ, etiamſi tantum ſit adiutorium naturæ, & non gratiæ. Idem ſentit Vega Opuſc. de iuſtificatione q. 12. vbi ait, hæc temporalia, quamuis petantur, non concedi niſi per communē curſum naturæ, & generalem concurſum Dei, & nihilominus peti debere, quia ſimpliciter ſunt beneficia Dei, & plus ipſe in eis operatur, quàm nos: & quamuis paratus ſit ad dandum ſuum concurſum, tamen ſimpliciter non debet illum ex iuſtitia, poſſetque illum non dare, ideoque meritò vult vt à nobis poſtuletur, & vt petendo recognoſcamus, eſſe hoc Dei beneficium.

Vega.

3\. *Obiectioni occurritur.*

Quod ſi obijciatur hoc modo eneruari rationē Patrum ex oratione ſumptam contra Pelagium. Reſponderi poteſt imprimis, veriſimile eſſe, Pelagium negaſſe non ſolum neceſsitatem gratiæ, ſed etiam neceſsitatem concurſus Diuini ad bona opera libera, ideoque voluiſſe illa omnino eſſe noſtra, & nullo modo beneficia Dei niſi in radice, quatenus dedit naturam, vel voluntatem: ita enim ſignificat Hieronymus dicta Epiſtolà ad Creſiphontem, & interdum Aug. Et ideo ex iſta ratione hoc ſolum contendunt Hieron. & Aug. noſtram voluntatem non ſufficere ad opera bona: nam ſi ſola noſtra voluntas ſufficeret; non eſſet, cur oraretur Deus: vt Auguſtinus ſupra dixit: oratur ergo Deus, quia ipſe eſt principalis auctor cuiuſcunque boni. Quomodo autem ſit auctor huius vel illius boni ex iſta ſola ratione diſcerni non poteſt, ſed alijs principijs, vel teſtimonijs Scripturæ vtendum eſt, quæ Sancti non omittunt.

Hieron. *Aug.*

4\. *Hic dicendi modus non plene rem explicat.*

Nihilominus non acquieſcit animus in hoc modo dicendi. Primò quia negari non poteſt, quin aliquo modo infirmet rationem Patrum, ſitque reſponſio præter intentionē eorum: nam ex oratione immediate concludunt neceſsitatem gratiæ, Eo vel maximè quòd valdè incertum eſt, an Pelagius negauerit generalem concurſum Dei, ſaltemque non legimus Concilia, aut Patres facere in hoc magnam vim contra Pelagium, ſed vt doceant, & oſtendant neceſsitatem adiutorij Diuini ſuperantis naturam: præterea ratio ſuperius facta non parùm me mouet, quia non petimus à Deo ſolum, vt præbeat generalem concurſum, quem negare miraculum eſſet. Sicut enim non ſemper poſtulamus, vt miraculum faciat ad dandum nobis huiuſmodi bona: ita non tantum poſtulamus ne per miraculū nos illis priuet. Item, exemplis hoc facilè oſtēdi poteſt ſi vnuſquiſque per reflexionem ſuam recogitet, qua intentione hæc petat. Quando enim peto à Deo vitæ conſeruationem, non ſolum peto, vt Deus non ſuſpendat proprium ſuum influxum, quo me conſeruat, iam enim ſcio, Deum non eſſe ſuſpēſurum illum ex ſe, nec de hoc quiſquam eſt ſolicitus peto ergo alium modū conſeruationis, & protectionis Dei. Similiter quando petimus, vt in bello inimici Eccleſiæ dexterę Dei potentia conterantur, non ſolum petimus, vt concurrat generali concurſu cum noſtris militibus, vel cum hoſtibus nō concurrat miraculoſo modo: nam illud prius parum eſt, & ſupponitur potius quam petatur, poſterius verò nimis eſt inuſitatum, aliud ergo petimus.

Dicunt ergo alij, bona temporalia non eſſe petenda à Deo, niſi quatenus ad veram gratiam pertinere poſſunt. Quāuis enim hæc bona ſecundum ſe ſpectata naturalia ſint, tamen quatenus poſſunt eſſe inſtrumenta virtutis, & ad ſalutem æternam obtinendam deſeruire ad ordinem gratiæ eleuantur, vnde ſub ea ratione cadere poſſunt ſub meritū iuſtorum. Quia igitur hæc bona humana, ſiue externa, ſiue corporis, ſiue intellectus (quantum ad naturales ſcientias, & artes) non ſunt poſtulanda à Deo, niſi quatenus ad æternam gloriam referuntur, & proſunt, ideo non petuntur, niſi ſub ratione gratiæ. Sed licet hoc ex parte verum ſit, non euacuat totam difficultatem propoſitam nam imprimis, vt hæc bona honeſtè petantur, ſatis eſt, vt propter finē honeſtum pertinentem ad commoditatem naturæ recta ratione regulatam petantur, vt ſupra dictum eſt, ergo tunc non petuntur dona gratię ſed tantum vt naturalia beneficia. Dicet aliquis eo ipſo quod non excluditur ſupernaturalis finis, in ipſa petitione includi, quia ex diuina ordinatione, & prouidētia omnia hæc bona dantur, & præparantur hominibus propter illum finem. Sed hoc non ſatisfacit, quia illa relatio in ſupernaturalem ſalutem tenet ſe ex parte Dei, non vero ex parte hominis petētis talia bona, quia, quantum in ſe eſt non aliter illa petit, quàm ſi tantum deſeruirent ad naturalem fœlicitatem, ergo licet illa, vt ſunt ſub tali relatione ex parte Dei ad ſupernaturalem prouidentiam pertineant, & vt ſic, participent rationem gratiæ per quandam extrinſecam denominationem, tamen vt cadunt ſub talem orationem, non petuntur, vt dona gratiæ ſed ſolum vt beneficia naturalia. Sicut in tractatu de Prædeſtinatione diximus, quod licet bona complexio, aut educatio accommodata ad virtutem poſsit eſſe affectus prædeſtinationis, & vt ſic, habeat rationem gratię, nihilominus naturale opus, vt procedens ab illa complexione non eſt ex illo capite effectus gratiæ, ſed naturæ, quia non eſt ab illa complexione, vt eſt ſub tali relatione ſed tātum ſecundum ſe. Sic ergò in præſenti qui petit illa bona ſecundum ſe ſpectata, & non vt ſunt ſub tali relatione Diuina, ſimpliciter petit bona naturę non dona gratiæ.

5\. *Bona tēporalia eſſe petenda, vt conducunt ad gratiam, docent aliqui*

Hic etiā dicendi modus non omnino ſoluit difficultatem.

Obiectio.

Solutio.

Et præterea ſiue petantur hoc imperfecto modo ſiue alio excellentiori ex virtuali vel etiam ex formali relatione ad finem ſupernaturalem, vel etiam ſub expreſſa conditione, ſi ad illum finē profutura

6\. *Non expeditur etiam difficultas, licet ſub*

Illa relatio non ta'ſibo na, ſtimur. ſint, & non aliter, adhuc manet difficultas poſita, quomodo per hanc orationem petatur aliquid ſupernaturale, vel quod ſine auxilio ſupernaturali haberi non poſsit. Hoc enim Patres videntur requirere in materia orationis, ſeu ex parte rei poſtulatæ. Quod autem ad hoc non ſufficiat relatio in finem ſupernaturalem probatur: quia per hanc orationem non petitur relatio in illum finem, ſed hæc potius ſupponitur, & ſolum poſtulatur effectio talis boni, quę naturalis eſt. Aſſumptum declaratur, quia vel hæc relatio conſideratur ex parte Dei, & ſic omnes credimus, & ſupponimus, ſicut Deus creauit hominis naturam propter illum finem ita etiam pręparaſſe illi hęc ſubſidia naturę, vt ad eundem finem illi deſeruirent. Si vero conſideretur relatio illa ex parte hominis petentis, cum ſupponatur petere illa bona propter talem finem, iam ſupponitur recepiſſe gratiam ad deſiderandum, & petendum illa bona ſic relata, & non aliter, ergo non eſt hoc, quod poſtulatur.

7\.
Propoſita difficultatis enodatio.

Dicendum ergo videtur, in petitione horum bonorum, ſi ex fide, & gratia oriatur talis oratio, vt nunc ſupponimus, non ſolum poſtulari à Deo, vt ea nobis conferat, concurrendo generali modo cum cauſis ſecundis naturalibus, etiam in ordine ad finem ſupernaturalem, ſed etiam vt nobis cum effectu conferat talia bona, ſi nobis profutura ſunt ad ſalutem, vel ſaltem ſi nocitura non ſunt, etiam ſi neceſſarium ſit, Deum illa nobis procurare per ſpecialem aliquam prouidentiam, qualem ipſe nouit magis accommodatam. Hoc videtur mihi ſatis probari ex dictis circa alias ſententias, nam re vera incredibile eſt, quod ſolum petamus generalem concurſum, vt mihi probant omnia quæ adduxi, & ex intentione Eccleſiæ, & communi ſenſu fidelium id ſatis cõſtare videtur. Prętereà hoc modo ſaluatur ratiocinatio Patrum contra Pelagium, quia omnis ſpecialis prouidentia Dei vltra concurſum naturæ debitum, gratia dici poteſt, præſertim in hoc ſtatu, in quo tota hæc prouidentia ad ſupernaturalem ſalutem refertur, de quo plura dicemus cap. ſequenti.

8\.
Obiectioni reſpõdetur.

Nec vero hinc ſequitur per has orationes ſemper à Deo poſtulari miracula (huic enim tantum obiectioni ſupereſt reſpondendum) negamus autem hanc illationem. Primo, quia non ſemper ſpecialis, vel extraordinaria prouidentia continet miraculũ, quia nõ eſt neceſſe, vt per illam fiat aliquid contra debitum naturæ, ſed ſatis eſt, quod fiat aliquid vltra debitum. Et ſimiliter neceſſarium non eſt, vt fiat aliquid contra ordinariam legem, imo nec pręter totam legem ordinariam vniuerſalis prouidentiæ Dei, ſed ſolum, vt fiat aliquid vltra legem debitam huic, vel illi naturæ particulari. Quod ita poteſt breuiter declarari: nam hæc naturalia beneficia, vt ſunt pluuiæ, congrua tempora, victoria in humano bello, aptitudo ad ſcientias, & ſimilia, licet per ſe pendeant ex cauſis naturalibus, vel obiectis, & aliis principiis, tamen concurſus ipſarum cauſarum pendet ex variis motibus, qui ſine miraculo poſſunt à Deo fieri, vel per Angelos, vel ad nutum ſuæ voluntatis. Et hoc modo poteſt ſine miraculo per ſpecialem prouidentiam Dei, vel præparare aptos concurſus cauſarum ſecundarum, tum efficientium, tum materialium, vt talis effectus ſequatur, vel poſſunt auferri impedimẽta, quæ Deus nouit futura, ſi omnes inferiores cauſæ ſuum curſum agere ſine interuentu alicuius prouidẽtiæ ſpecialis ſinerentur. Hoc ergo modo poſtulamus à Deo peculiarem protectionẽ, & curam in præſtando nobis hæc bona, quod non eſt tentare ipſum, vel eius potentiam, ſed eſt ſupernaturalem eius prouidentiam recognoſcere. Eo vel maxime, quod non abſolute petimus extraordinarias illas actiones Diuinæ prouidentiæ: ſed ſolum quatenus ad effectum conſequendum fuerint neceſſariæ. Sæpe enim effectus à nobis deſideratus, ac poſtulatus eueniet per communem curſum cauſarum naturalium: & tũc ſatis exaudit Deus orationem pro tali effectu, ſi eũ huiuſmodi cauſis concurrat, & non permittat per actionem Dæmonum impediri, prout interdum poteſt, quod etiam nos poſtulamus, quando hæc bona petimus. Denique quoniam interdum fieri poteſt, vt ad obtinendum bonum poſtulatum, v.g. ſalutem corporis ægrotantis, neque ordinaria, neque extraordinaria naturalis prouidentia ſufficiat, ſed miraculoſa neceſſaria ſit, nullum eſt inconueniens, quod ad hoc totum extendatur orantis intentio, & petitio, quia hoc non eſt tentare Deum, quia nõ petitur ſimpliciter miraculum, ſed ſub conditione, ſi fuerit neceſſarium, & ſuppetita conuenientia beneficij poſtulati. Et hoc modo credendum eſt oraſſe Ezechiam, quando ſalutem poſtulauit, & obtinuit, & in Scriptura inueniuntur plures orationes ſimiles, & orationes Eccleſiæ pro huiuſmodi bonis temporalibus, præſertim generalibus, ita poſſunt conuenienter intelligi. Sic etiam ſolent fideles petere ſalutem, vel ſimilia bona in locis piis, in quibus ſolet Deus ea miraculoſe operari in Chriſti honorem, vel Virginis, aut alicuius Sancti per eius interceſsionem, & interdum ea impetrant miraculoſo modo iuxta rationem fidei ſuæ, vel prout eis expedit, aut communi Eccleſiæ bono. Ita ergo ſatis conſtat, quomodo hæc bona, licet alias naturalia ſint, per orationem conuenienter petantur.

Quomodo Ezechias orauerit, quã do petiuit ſalutem à Domino.

9\.
Obiectio.

Solum video obiici poſſe, hunc modum petendi hæc bona ſolum habere locum in oratione, quæ procedit ex fide: nam oratio, quam explicuimus, manifeſte procedit ex tali exiſtimatione de Deo, quæ per ſolam fidem haberi poteſt. At poſtulatio horum bonorum videtur poſſe fieri naturali lumine, & per virtutem acquiſitam, vt ſentit Caiet. 2. 2. q. 83. art. 4. Et patet de Paganis, & aliis infidelibus qui ſimilia bona à Deo petunt.

Solutio.

Reſpondeo breuiter, illis infidelibus, vel quibuſcunque ſic petentibus ſufficienter fortaſſe ſatis fieri per reſponſionem Soti, & Vegæ. Addo vero, vix poſſe intelligi in huiuſmodi hominibus veram orationem, & petitionem à Deo talium bonorum, niſi intelligantur habere exiſtimationem aliquam, ſaltem per humanam credulitatem, tum de prouidentia Dei, & quod ſit auctor talium bonorum, tum de poteſtate libera eius, vel ad impedienda illa, ſeu concurſum naturalium cauſarum, per quas fieri debent, vel ad conferenda illa, aut ſine talibus cauſis, aut ſaltem præparando, & procurando cauſas, per quas fiant. Nam ſi iſti infideles cogitent Deum, vel non cooperantem cum cauſis ſecundis, vel ita cooperantem, vt non poſsit ſuum concurſum immutare, nec potentem ad operandum aliquid immediate per ſe ipſum circa ipſas cauſas ſecundas, ſaltem applicando illas ad hoc, vel illud operandum, non apparet: quomodo poſſint talia bona à Deo poſtulare. Qui ergo illa petunt, aliquam cogitationem habent de hac poteſtate, & dominio Dei, ſiue illam conceperint ex humana traditione, ſiue ex coniectura quaſi naturali lumine ducti. Sed nunc vt ſæpe dixi, ſolum de ſupernaturali oratione, quæ ex vera fide procedit, egimus de qua etiam loquebantur Patres ſuperius citati.

10\.
Vtrum hæc temporalia bona per Chriſtum Dominum peti debeant.

Poteſt autem hic vlterius quæri, An hæc temporalia bona poſsint, aut debeant à nobis peti à Deo per obiectum. Supponimus autem, ſpiritualia omnia per Chriſtum peti poſſe, vt infra videbimus. Ex quo recte concluditur, temporalia bona, ſi tantum vt inſtrumenta virtutis, & in ordine ad ſpiritualem ſalutem animæ petãtur, per Chriſtum peti poſſe, quia talia bona ſub ea ratione cõſiderata ſpiritualia cẽſetur, vnde ſub meritum cadere poſſunt, & ità etiam Chriſtus nobis illa meruit. Atque hoc confirmat vſus Eccleſiæ, nam etiã quando ſalutem corpora-

Digitized by Google

corporalem, pluuiam congruentem, victoriam cōtra inimicos, & alia ſimilia bona poſtulat, concludit orationem: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, quia ſemper poſtulat hæc bona cum expreſſa habitudine ad ſpiritualem fructum, vt in oratione pro infirmis ait. *Vt reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actiones*, in oratione pro pluuia, *Vt præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti, ſempiterna fiducialius appetamus*, & ſic de alijs. Difficultas ergo eſt, quando hæc bona petuntur tantum propter cōmoditatem naturæ recta ratione regulata, & ratio dubitandi eſt, quia petere aliquid per Chriſtum, eſt propter meritum eius poſtulare, at Chriſtus non meruit nobis temporalia bona ſub ea ratione ſpectata, quia non venit, vt hæc temporalia commoda nobis mereretur ſed vt ſalutē æternam, & media ad illam conſequendā nobis obtineret, ergo nec nos poſſumus temporalia bona, vt talia ſunt per ipſum poſtulare. Vnde eſt illud Auguſt. tract. 73. & 102. in Ioan. *Non petitur in nomine Saluatoris, quicquid petitur contra rationem ſalutis*. Et eodem modo dicere potuiſſet non peti in nomine Saluatoris, quicquid petitur extra rationem ſalutis, quod apertius dixit Gregorius, petere in nomine Chriſti idem eſſe, quod petere ea, quæ ad ſalutem ſpiritualem pertinent.

Aug.

Greg.

11. *Temporaliū bonorū petitionem ex vera fide profectam fieri poſſe propter Chriſtum Dominum vide Baſiliū in Conſtitutionibus monaſticis c. 2. Auguſt. Greg.*

Nihilominus dicendum cenſeo, quacūque ratione honeſta hæc bona petantur ex vera fide, & Religione, poſſe peti propter Chriſtum. Nam imprimis quicquid ipſe Chriſtus in oratione ſua petere docuit, poteſt propter ipſum poſtulari, ſed ipſe docuit petere etiam ſubſidium temporale dicens: *Panem noſtrū quotidianū da nobis hodie* ergo. Itē eo ipſo quod aliquid petitur ſub vera ratione boni honeſti, vel in ordine ad aliud, etiamſi ab ipſo petente non referatur in altiorem finem ex ſe eſt aptum referri, & poteſt eſſe medium, vel inſtrumentum, aut occaſio ſpiritualis fructus, & ex parte Dei ſemper datur propter hunc finem, ergo iuſta ratione poteſt propter Chriſtum poſtulari. Vnde Aug. & Greg ſupra ſolum dixerunt non poſtulari propter Chriſtum, quod petitur contra rationē ſalutis, nā ſi quod petitur bonum eſt, & non eſt contrariū ſaluti eo ipſo, quantum eſt de ſe, poteſt eſſe aptum ad ſalutem, & poteſt in nomine Saluatoris poſtulari. Accedit, quod talis oratio ex vi motiui includit (vt ſupra dicebamus) virtualem conditionem, vt ſi illud quod petitur ſit nociturum ſaluti nobis non cōcedatur, quia hoc magis expedit nobis vt ſupra dixit Aug. & qui prudenter petit, ſemper intendit obtinere id, quod petit, quatenus ſibi magis expedit, ergo hoc ſatis eſt, vt talis petitio per Chriſtum fiat. Tandem quicquid petimus ex vera fide, petimus fundati in promiſſione eiuſdem Chriſti, ergo totum id poſſumus poſtulare propter Chriſtum.

Et tract. 73. & 21.

12. *Chriſtus Dominus bona honeſta, licet naturalia, & poſtulata ſine reſpectu ad ſalutem, hominibus meruit.*

Vnde exiſtimo, Chriſtum nobis meruiſſe bona honeſta, etiamſi naturalis ordinis videantur. Et quamuis à nobis, quando illa recipimus, vel appetimus, in altiorem finem non referantur, ſemper de ſe conferunt ad illum finem: & à Deo ſub ea ratione ſemper conferuntur. Et hoc etiam confirmat vſus Eccleſiæ, nam ſemper per Chriſtum petit, etiamſi interdum temporalia petat, non facta expreſſa mētione ſpiritualium bonorum, vt in multis Collectis contra perſecutores, vel pro peſte animalium, & alijs videre licet. Et in quadam oratione pro quacūque neceſſitate hac vtitur orandi forma, *Deus refugium noſtrum, & virtus adeſto pijs Eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis, & præſta, vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur per Chriſtum Dominum*. Hæc autem orādi forma locum habet in omni honeſta & Religioſa oratione, nam ſi ex Religione eſt, profecto pia eſt, & ſi eſt ex fide, fideliter in ea petimus, ergo quicquid per eā ſic petimus, poſſumus per Chriſtum petere, vt efficaciter conſequamur. An vero debeamus ſemper ſic petere, infra declarabimus.

CAPVT XIX.

An temporalia mala in oratione peti poſſint.

1. *De ſe malum non eſt, temporalia mala ſibi, aut alteri petere.*

AD hoc breuiter dicendū eſt, non eſſe intrinſecè malum petere huiuſmodi mala, vel ſibi, vel alijs: Hoc conſtat ex vſu Scripturæ, & Sanctorum, vt ſtatim videbimus. Ratio vero eſt, quia huiuſmodi mala, nō ſunt mala ſimpliciter, ſed ſecundū quid, vnde reſpectu boni honeſti, vel mali turpis illi contrarij ſunt indifferentia erūque ſimpliciter bona, ſi honeſta ratione, & propter finem ſimpliciter bonum appetantur, ergo ex tali intentione licite etiam peti poſſunt, ergo petitio talium malorum non eſt per ſe, & intrinſece mala.

2. *Illorū malorum petitio ex duplici cauſa fieri poteſt.*

Vnde ſecundo dicendum eſt, duplici ex cauſa poſſe aliquem hæc mala ſibi poſtulare. Vna eſt, ſi exiſtimet contraria bona fore ſibi nociua ad ſalutem animæ, vt ſi ægritudinem corporis petat, vel dolorem, quo vehemens aliqua tentatio libidinis, vel alia ſimilis auferatur. In quo eſt conſiderandum, ex his bonis temporalibus, quædam ita eſſe in noſtra poteſtate, vt nos ipſi licite poſſimus eis nos priuare propter virtutem, vt ſunt diuitiæ temporales, vel delectationes corporales, ſeu obiecta, aut occaſiones earum etiam non turpes, ſed indifferentes, vt ſunt illæ, quæ ad delicioſum cibum aut veſtitum pertinent. Si ergo priuationes talium bonorum inter temporalia mala, vel potius incommoda numerentur, non ſolum poſſumus hæc mala à Deo petere, ſed etiam nobis ipſis illa inferre, relinquendo diuitias, caſtigando corpus & contemnendo honores. Vnde in his potius poſtulamus à Deo, vt nobis præbeat auxilium ad amanda hæc incommoda & virtutem ad illa nobis inferenda, quam vt ipſe per ſe ea faciat. Quāuis etiam recte poſtulemus, vt auferat à nobis occaſiones habendi talia bona, quia non ſolum recte optamus non habere illa in effectu, ſed etiam non habere in effectu nec ſolum cupimus illa non quærere, verum etiam neque ad illa quæri, aut vel in vita ad illa recipienda compelli, propter periculum, vel detrimentum maioris boni, quod ex eis timemus. Alia vero ſunt temporalia, vel corporalia incommoda, quæ non poſſumus nobis licite nobis inferre, vt eſt ægritudo, mutilatio corporis, mors & propria infamatio in re graui iuxta vniuſcuiuſque ſtatum. Et nihilominus hæc licet nobis deſiderare propter honeſtum finem, & quatenus euenire poſſunt ſine culpa alicuius. Non enim quicquid licet deſiderare, licet facere & è cōuerſo, non quicquid illicite à me fit, illicite à me deſideratur, quia poteſt deſiderari vt ab alio fiat, à quo licite fieri poteſt. Sic Iob mortem deſiderabat, quā inferre ſibi non poterat, & Paulus aiebat *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto* Sic etiam ego non poſſum procurare ægritudinē corporis mei, quia non ſum Dominus eius. Deus autem, qui eſt Dominus, poteſt illam facere, vel procurare: quia ergo ipſe cum poteſtate habet etiam ſcientiam, an ægritudo mihi expediat ad maius bonum, nec nego, adeo & ſub illa ratione poſſum illam mihi deſiderare, & à Deo petere ob eundem finem, in quo virtute includitur illa conditio, ſi mihi expediat: quamuis ab ipſo petente non cogitetur, neque apponatur. Atque hoc modo ſæpe Sancti deſiderant dolores corporum, tormenta, perſecutiones, infamationes, & ſimilia, eaque in oratione petunt. Quomodo intelligunt multi illud Pſalmi 25. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meū*, vbi Auguſtinus, *Adhibe medicinale purgatorium, quaſi ignem delectationibus, & cogitationibus meis* & Hieronymus. *Proba me Domine, in tentationibus, & tenta me, ne aliquid ſit in me delicti remaneat*, vnde

Pſalm. 25. Auguſt. Hieron.

vnde Auguſtinus ſerm. 30. de Sanctis ponderans illud. *Vre renes meos & cor meum: ad comprobandam* (inquit) *deuotionem ſuam, geminum ſibi ignem poſtulat* (ſcilicet renũ & cordis) *vt luctamine habito, oſtendat, in ſe plus poſſe amorem Chriſti, quam pœnam tyranni.* Hic ergo modus orationis licitus eſt, quamuis fortaſſe non ſit omnibus conſulendus, quia nõ omnes ſunt apti, vel idonei ad hoc genus probationis, & interdum eſſe poſſet præſumptio illam appetere, aut poſtulare ſibi. Vnde legimus, Paulum, cum ſtimulo carnis affligeretur, *ter Dominum rogaſſe, vt à ſe diſcederet*, quia tunc ignorabat, quid ſibi magis profecturum eſſet, ergo regulariter hoc potius imitandum eſt, quia non ſumus nos Paulo perfectiores, & in dubio potius de noſtra fragilitate timere debemus. Quanquam quia non in omnibus his malis vel tentationibus, æquale eſt periculum, ideo nec omnibus perſonis nec de omnibus his malis idem poteſt ferri iudicium, ſed prudenter, & ſolicitè probandi ſunt ſpiritus, & deſideria, an ex Deo ſint.

3.
Temporalia mala diuerſo modo nobis … poſtulanda ſunt.

Vltimo dicendum eſt, quãuis interdum poſſimus ſine peccato alijs hæc mala temporalia precari, non tamen eodem modo, nec cum tanta libertate, ſicut nobis ipſis, ideoque in huiuſmodi oratione magna cautela adhibenda eſt. Declaro ſingula, nam inprimis non licet petere hæc mala proximis, vt à nobis, id eſt, ab ipſo perſona orante inferenda, quomodo aliqui ſolent petere à Deo vindictam de inimico, non ſolum deſiderando, & petendo, vt Deus ipſe illam faciat, ſed etiam petendo vires, & auxilium ad illam propria auctoritate exequendum. Nam hoc eſt petere id, quod facere eſt malũ, & peccatum ipſi petenti, & ideo talis oratio non ſolum Deo non placet, ſed etiam fit in peccatum ipſi petenti, iuxta illud Pſalm. 108. *Et oratio eius fiat in peccatum*, quod ita exponit Ambroſ. ſerm. 22. in Pſalmum illum. Deinde non licet petere proximo aliquod malum huiuſmodi in malum eius, ibi ſiſtendo, quia hoc eſſet petere ex odio proximi, quod intrinſecè malum eſt, & ideo talis oratio graue peccatum eſſet, & contrario præcepto de dilectione inimicorum. Imò addit Alenſis 4. p. q. 26. memb. 3. art. 3. § 2. non eſſe licitum petere malum proximo in vindictam iniuriæ aut damni nobis illati. Duplici enim modo hoc fieri poteſt, primo petendo vindictam ipſam propter ſe, quaſi ad faciendum appetitum noſtrum: & hoc nullã habet rationem honeſti boni, imò perinde eſſet, ac velle malũ proximo, ſolum in malum eius, ſcilicet vt tantum vel maius malum à Deo recipiat, quam nobis intulit, & ita etiã hæc oratio cõtraria eſt charitati. Vel poteſt illa vindicta poſtulari ſub ratione iuſtitiæ, & ita videtur habere colorem honeſtum, tamen oportet vlterius inſpicere, de qua iuſtitia ſit ſermo, nam ſi loquamur de iuſtitia vindicatiua Dei, & petamus, vt Deus vindicet illud malum tanquam ſibi iniurioſum, id quidem ſecundum ſe bonum eſt, tamen oportet aduertere, quiſnam ſit cui talem vindictam imprecamur. Nam ſi eſt proximus iam defunctus & damnatus, licitum eſt illi imprecari vindictam æternam, iuxta illud Pſalm. 57. *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam.* Si autem proximus iam eſt defunctus, & nobis non conſtat, illum eſſe damnatum, imprecari illi damnationem deſiderando, vt damnatus ſit, & de illo ſumatur æterna vindicta, manifeſtum odium eſſet, quia illud per ſe non eſt neceſſarium ad iuſtitiam Dei: vnde ſolum poſtulatur in ſummum malum proximi. Vnde ſi proximus ſit viator, nunquam licet illi imprecari vindictam, quæ inuoluat damnationem æternam, etiam ſub titulo Diuinæ iuſtitiæ, quia de nullo viatore deſperandum eſt, & Deus poteſt aliam vindictam ſumere de peccatore, per quam ſuæ iuſtitiæ ſatiſfaciat, & miſericordiam habeat adiunctam, quam vindictam ſumit, mediante pœnitentia, & hanc Deus ipſe quantum

Pſalm. 108.
Ambroſ.
Alenſ.
Pſalm. 57.

ex ſe eſt, magis exoptat. Et ideo ſemper eſt contra proximi charitatem, imprecari illi, quamdiu eſt in via, vindictam æternam, petere autem illi pœnitentiam, & ſatisfactionem pro peccatis intuitu Diuinæ vindictæ, & gloriæ, hoc per ſe bonum eſt, quia non eſt imprecari malum, ſed bonum. Imo ſub hac ratione etiam eſt licitum imprecari proximo afflictiones, & ærumnas huius vitæ, quæ ad contritionem, & ſatisfactionem pro peccatis illi inſeruiant. Si vero loquamur non de Diuina iuſtitia, ſed de humana, hæc in tantum peti poteſt in quantum ad cõmune bonum reipublicæ, vel ad reparandum aliquod damnum illatum expedire poteſt, & tunc iam non ſiſtitur in ſola vindicta, ſed vtilitas aliqua conſideratur, ſub qua licitum eſt aliquod malum huiuſmodi proximo imprecari, etiam permittendo interdum damnationem eius æternam, nunquam tamen illam intendendo.

4.
Quando licitum in oratione mala petere proximo.

Tunc ergo licitum eſt orando petere aliquod malum proximo quando illud petitur propter aliud bonum, quod iuſte, & ſecundum ordinem charitatis præfertur illi malo, nam eo ipſo non agitur contra charitatem, ſed ſecundum illam, nec petitur malum, vt malum, ſed vt bonum, non qualecunque, ſed præferendum tali malo. Sic licite deſideramus mortem hominis pernicioſi reipublicæ, aut publici hoſtis Eccleſiæ, præferendo commune bonum priuato incommodo, vel poſtponendo corporale detrimentum ſpirituali, in huiuſmodi autẽ oratione ſemper inuoluitur conditio, ſi aliter vitari non poteſt illud malum, quod interdum ſupponitur tanquam moraliter certum ex pertinacia, vel obcæcatione talis perſonæ. Item hoc modo etiam licite poteſt deſiderari mors proximi, ſi iuſtus eſt, ne malitia mutet intellectum eius, vel ſi peccator eſt, ne peior fiat. Sed vtraque oratio vel ſupponere debet tales circumſtantias, quæ vehementem occaſionem præbeant timendi talem euentum, vel certe fieri debet in ordine ad præſcientiam Diuinam, id eſt, ſi Deus præſcit ita expedire proximo ad eius ſalutem æternam, vel ſaltem ad minorem damnationem. Tandem non videtur malum precari hæc incommoda temporalia proximo propter maiorem profectum eius ſpiritualem, nã hoc etiam eſt officium charitatis.

5.
Huiuſmodi mala facilius poteſt vnuſquiſque ſibi quam alijs poſtulare.

Sed quoad hanc partẽ aſſero, multo facilius poſſe hominem ſibi, quam proximo optare afflictionem aliquam temporalem, vel Diuinam probationem titulo ſpiritualis profectus, vel perfectionis. Primò quia melius poteſt homo iudicare de ſua diſpoſitione, quam de aliena: deinde quia maiorem habet poteſtatem in res ſuas, poteſtque liberius cedere iuri ſuo, quam proximi. Item quia naturaliter homo eſt melius affectus ad ſe, quam ad alios: & ideo facilius poteſt hæc mala ſibi imprecari ſine periculo proprij odij aut inuidiæ, aut alterius affectionis ſimilis, quæ circa proximum facilè poteſt deliteſcere ſub ſpecie optandi ſpiritualem profectum eius. Ac propterea dixi in hoc genere orationis magnam cautelam adhibendam eſſe, vt non fiat, niſi vel quãdo euidenter conſtat de vtilitate, vel potius neceſſitate maioris boni iuſte intenti, vel non fiat ſine expreſſa conditione, ſi ita expedit ad maius bonum ipſius proximi, ſeu rectificando affectum charitatis erga illum.

6.
Ex dictis hactenus colliguntur multorum locorum Scripturæ declarationes.

Atque ex his obiter elicere poſſumus verũ ſenſum multarum locutionum Scripturæ, in quibus ſancti viri videntur poſtulare vindictam de inimicis, & imprecari eis malum, & interdum damnationem æternam, quæ locutiones paſſim inueniuntur in Pſalmis, Pſalm. 54. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes*, & ſubdit infrà. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui eſt ante ſecula* & Pſalm. 58. *Intende ad viſitandas omnes gentes, non miſerearis omnibus,*

Pſal. 54.
Pſal. 58.

mnibus, qui operantur iniquitatem. Et interdum effectu ipſo Deus talem orationem confirmabat, vt 4. Regum 1. dixit Elias, *ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos*, quod ſemel, & iterum factum eſt. Hæc ergo, & ſimilia loca interpretantur Patres vno ex quatuor modis, quos attigit Diuus Thomas dicta quæſtione 83. articulo octauo ad primum & ſecundum, ex Auguſtino libro primo de Sermone Domini in monte, capit. 42. & ſequentibus, & libr. ſecundo de Quæſtionibus Euangeliorum capit. 45. quos etiam attigit Alenſis ſupra. Primus eſt, quod ſæpe ſub forma precationis prophetiam proferunt, norunt enim illam eſſe voluntatem Dei, & definitam ſententiam, quam pronuntiant. Secundus quòd imprecantur malum, non homini, ſed peccato, & perſeuerantibus in illo petunt vindictam, conformando voluntatem ſuã iuſtitiæ Diuinæ, vel ſub ea conditione, ſi perſeuerẽt, vel quia præſciunt conditionem eſſe implendam. Tertius, quia optant, vt per temporalia mala peccatores corrigantur. Quartus (& fere in idem redit) quia optant per eadem mala deſtrui regnum peccati. Addi præterea poteſt ex Hieronymo Epiſtola 151. ad Algaſiam quæſtione quinta in veteri teſtamento, terruiſſe Deum homines rigore iuſtitiæ, & ideo etiam voluiſſe Prophetas ſuos hoc modo precari cõtra peccatores, & interdũ viſibiliter oſtẽdere vindictã ſuã, vt in facto Eliæ ſupra relato, quẽ imitari voluerunt diſcipuli, quando Chriſto dixerunt Lucæ nono: *Vis, dicimus vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos*, quibus Chriſtus reſpondit. *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis, Filius enim hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare*, indicans, aduenisse iam legem gratię, in qua nolebat regulariter eſſe in vſu illum modum imprecationis, & vindictæ, etiam iuſtæ, & ſpiritu Dei factæ. Denique addi poteſt, ſæpe intelligi illas orationes modo iam dicto, quo ordinariè fieri poſſunt, ſcilicet vel ad emẽdationem ipſorum peccatorum, vel ad commune bonum, & pacem reipublicæ. Quomodo autem hæc ſint accommodanda ad diuerſa Scripturæ loca ex vniuſcuiuſque contextu, ex Patrum expoſitionibus accipiendum eſt.

4. Reg. 1. — D. Thom. — D. Aug. — Alenſ. — Hieron. — Luc. 9.

CAPVT XX.

An Spiritualia bona indiſtinctè, & abſolute à Deo peti poſsint?

1. *Certum eſt, nobis, & alijs ſpiritualia bona petenda eſſe.*

PRincipio ſtatuendum eſt, hæc bona maximè eſſe à Deo petenda, tam nobis, quam alijs. De hoc nulla eſt controuerſia, quia per ſpiritualia bona intelligimus vitam æternam, & omnia bona, & media, quæ ad illam obtinendam conferre poſſunt. Conſtat autem hæc omnia maximè eſſe à Deo petenda: primò quidem ex oratione Dominica, in qua fere omnes petitiones ſunt de his ſpiritualibus bonis, illa autem oratio eſt quaſi exẽplar, & ſumma omnium, quæ à Deo peti poſſunt. Propter quod dixit Auguſtinus Epiſt. 121. cap. 12. *Si rectè, & congruenter oramus, nihil aliud dicere poſſumus, niſi quod in hac oratione Dominica poſitum eſt*. Et ſermon. 182. de Tempore. *Hæc oratio compendioſis verbis ſeptem petitionibus omnes ſpecies orationũ comprehendit.* Idem ſermo. 22. ad Fratres in eremo. Vbi ſeſe offerebat occaſio ſingulas petitiones illius orationis explicandi, nullo enim modo poſſumus melius declarare, quæ ſpiritualia bona à Deo poſtulanda ſint, & quomodo: quia verò illa oratio propriè pertinet ad orationem vocalem, immò inter omnes orationes vocales primatum habet, ideo expoſitionem hanc in librum tertium reſeruabimus, vbi de oratione vocali ſpecialiter dicimus. Nunc ſatis ſit, ſummatim dicere ad huiuſmodi bona pertinere imprimis, vt Deus in nobis glorificetur, deinde vt æternam beatitudinem conſequamur, ac ſubinde, vt, dum hic viuimus, voluntatem Dei impleamus. Et quia hoc ſine Diuinæ gratiæ auxilio præſtari non poteſt, hoc etiam à nobis ſemper, & vbique, ac maximè poſtulandum eſt. Vnde conſequenter etiam petimus remiſsionem peccatorum, vtique cum diſpoſitione neceſſaria ad illam obtinendam. Ac denique ob fragilitatẽ noſtram, victoria contra tentationes, & defenſio ab omnibus malis petenda eſt, hæc enim omnia in illa oratione continentur. Et per vniuerſam Scripturam ſparſæ ſunt huiuſmodi orationes, ac petitiones præſertim *per omne corpus Pſalterij*, vt dixit Innocentius primus epiſt. 25 quæ apud Auguſtinum eſt nonageſima prima. Eccleſia etiam in ſuis orationibus hoc frequentiſsime orat, vt Deus actiones noſtras aſpirando præueniat, & adiuuando proſequatur. Item, vt gratiam mentibus noſtris infundat, vt tandem ad reſurrectionis gloriam perueniamus. Item vt ab omnibus aduerſis, vel contra omnia aduerſa muniamur, vt à pondere peccatorum noſtrorum liberemur, vt noſtras rebelles cõpellat, id eſt, efficaciter moueat voluntates, & ſimilia. Ratio denique eſt, quia hæc bona ſunt maximè per ſe honeſta, & amabilia, & præcipuè à Deo ipſo intenta, & in gloriam ſuam, ac bonum noſtrum deſiderata (vt more noſtro loquamur) ergo oratio pro talibus bonis, & ex obiecto eſt maximè honeſta, & Diuinæ voluntati conformis.

Oratio Dominica omnium oratio nũ ſumma, & exemplar eſt. — *Auguſt.* — *Innoc. 1.*

Hinc dicitur ſecundò hęc bona abſolutè, & ſimpliciter petenda eſſe, nec neceſſarium eſſe aliquam conditionem adiungere. Ita docent Theologi omnes in ſuperioribus citati. Immò hanc ſolum differentiam conſtituere videntur inter bona temporalia, & ſpiritualia, quod in illis petendis conditio apponitur, vel ſubintelligitur: in his vero neutro modo eſt neceſſaria conditio. Et fortaſſe propterea Diuus Thomas in dicta quæſtione 83. de his bonis ſpecialem articulum non fecit, ſicut fecit de temporalibus, ſed in generali quæſtione, qua interrogat, An ſit aliquid determinatè in oratione petendum, concludit, illa bona, quibus male vti non poſſumus, (quia illis aut beatificamur, aut beatitudinẽ meremur) determinate petenda eſſe. Intelligit autem determinatè, id eſt abſolutè, id enim probat, *quia hæc bona Sancti orando abſolute petunt, ſecundum illud Pſalm. 79. Oſtende faciem tuam & ſalui erimus. Et iterum Pſalm. 118. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum.* Ratio etiam indicatur ab eodem Diuo Thoma in ſolutionibus argumentorum, quia nulla conditio neceſſaria eſt ex parte noſtra, nec ex parte rei poſtulatæ, neque ex parte Dei, ergo nullam omnino adhibere oportet, quia non poteſt fingi aliud caput, nec principium ex quo talis conditio neceſſaria ſit. Primum membrum antecedentis patet, quia hæc ſunt maximè bona noſtra, nam in eis noſtra ſalus, & felicitas poſita eſt. Secundum membrum patet, quia cum hæc bona de ſe talia ſint, vt nemo eis male vti poſſit, iniuria quodammodo illis fieret, apponendo conditionem, *ſi nobis expedit* vel aliam ſimilem. Tertium autem membrum probatur, tum quia ſcimus, eſſe conforme Diuinæ voluntati, quòd hæc bona habeamus, tum etiam quia ipſemet Spiritus ſanctus inſpirat nobis abſolutum deſiderium talium bonorum, & hoc modo *adiuuat infirmitatem noſtram*, & talia bona poſtulare nos facit. Tum denique quia hæc bona maxime cedunt in Diuinam gloriam, quam ipſe Deus in ſuis operibus præſertim intendit.

2. *Spiritualia bona abſolute petenda ſunt.* — D. Thom. — *Probatur ratione.*

Occurrit tamen ſtatim nonnulla dubitatio circa primum, & ſecundum membrum, quia licet hæc bona 3. *Obiectio.*

bona ſecundum ſe ſint optima, & non poſsint eſſe
principium alicuius mali, nihilominus nos ex no-
ſtra frag·litate, & libertate interdum ab illis ſumi-
mus occaſionem alicuius grauiſsimi mali, quale eſt
perſumptio, ſuperbia, ingratitudo in Deum, vel
quidpiam ſimile, ergo non obſtante qualitate taliũ
bonorum ratione ſubiecti, & reſpiciendo ad noſtrã
miſeram conditionem, debemus etiam conditio-
nem addere, vel ſubintelligere. Nec ſatisfaciet, qui

Probatur obiectio. 2

dixerit, hanc occaſionẽ mali eſſe omnino per acci-
dens, & extraneam reſpectu talium bonorum: nam
eſto, ita ſit, nihilominus, qui curam habet ſuæ ſalu-
tis, etiam huiuſmodi occaſionem vitare debet. Pa-
rum enim refert ad noſtrum detrimentum, quod
per ſe, vel per accidens fiat, ſi cum effectu, poſita illa
occaſione, futurum eſt, & ſine illa non eſſet, ergo
in poſtulandis his bonis ſemper hanc intentionem
retinere debemus, vt ſi, Deus præſciat, nobis
futura eſſe in occaſionem ruinæ, illa non præ-
beat.

4\. *Bonorũ ſpiritualium, quędã ſunt ita ad ſalutẽ neceſſaria vt ſine illis obtineri non poſſint, alia non item.*

Hæc vero obiectio imprimis locum non habet
in his bonis, quatenus ſimpliciter ad ſalutem neceſ-
ſaria ſunt. Diſtinguere itaque poſſumus inter hæc
bona: quædam enim ſunt ita neceſſaria ad ſalutem,
vt ſine illis comparari non poſsit, vt eſt remiſsio
peccati mortalis, & aliqua prima iuſtificatio in hac
vita cum omnibus auxilijs excitantibus, & adiu-
uantibus, quæ ad illam neceſſaria ſunt. Itemque do-
num perſeuerantiæ in gratia vſque ad mortem: vn-
de in hoc ordine numerari poteſt quodlibet au-
xilium neceſſarium ad vitandum cum effectu pec-
cata mortalia, vel collectiue omnia, vel quodcũ-
que etiam in particulari. Alia dici poſſunt bona ſu-
pererogationis, & excellentiæ cuiuſdam in vitæ
ſanctitate. Quod ergo attinet ad priora bona, eui-

Iuxta poſitã diluitur ob- diſtinctionẽ iectio.

dens eſt, conditionem illam non eſſe neceſſariam,
nec poſsibilẽ, quia defectus talium bonorum qua-
dam neceſsitate infert noſtram ſpiritualem ruinã,
ergo nunquam talia bona poſſunt ſua præſentia ita
redundare in occaſionem ruinæ ex fragilitate reci-
pientis, ſicut abſentia eorumdem bonorum infalli-
biliter infert eandem ruinam & magis deſperatam.
Quia ſine his auxilijs neceſſarijs impoſsibile eſt ſal-
uari, ſiue hæc impoſsibilitas ſit ſimpliciter, vt quan-
do deſunt auxilia neceſſaria quoad ſufficientiam, ſi-
ue ex ſuppoſitione, ſi ſint neceſſaria tantum quoad
efficaciam, de vtriſque enim loquimur, quia etiam
efficacia abſolute, & ſine vlla tali conditione poſtu-
landa ſunt, poſtpoſito omni timore male illis vten-
di, quia hoc periculum comparabile non eſt cum
euidenti damno, quod eſt in carentia talium bo-
norum. Et ſaltem quoad hoc, eſt magna differentia

Bona temporalia, etſi maxime ſint præſenti vitæ neceſſaria, poſtponi debent ſpiritualibus.

inter hæc ſpiritualia bona, & temporalia, nam tem-
poralia, etiam ſi ſint maxime neceſſaria ad præſen-
tem vitam, propter ſpiritualia contemnenda ſunt,
& ideo ſemper in eis habet locum aliqua conditio
ſaltẽ de ſe incluſa in tali materia. Quod ſi interdum
aliqua temporalia bona ſupponantur neceſſaria
ad vitandum ſpirituale malum, iam illa inter ſpiri-
tualia computantur, & ex vi illius ſuppoſitionis ex-
cluditur dicta conditio.

5\. *Obiectio ſoluitur.*

At vero in abundantia (vt ſic dicam) ſeu excel-
lentia ſpiritualium bonorum, videtur maxime ha-
bere locum obiectio facta. Neque videtur magnũ
inconueniens concedere, in petitione talium bo-
norum recte adhiberi cautionem illam, dictamque
conditionem ſubintelligi. Solumque video obijci
poſſe, quia videmur æquiparare petitionem abun-
dantiæ ſpiritualium, & temporalium bonorum.
Reſpondemus tamen, minimè fieri æquiparationẽ,
nam ſpiritualia bona, & abundantiam, augmentũ,
& perfectionem eorum poſſumus propter ſe deſi-
derare, & ſi quid eſt timoris, non naſcitur ex illis, ſed
ex nobis: abundantiam autem temporalium non
poſſumus propter ſe appetere, ſed adhibendus ali-
unde eſt finis honeſtus, & nihilominus timendum
ſemper eſt periculum, quod non ſolum eſt ex parte
noſtra, ſed etiam ex parte ipſorum bonorum, quia
poſſunt eſſe tam inſtrumenta mali, quam boni, &
prior vſus fortaſſe facilior eſt. Vnde etiam fit, vt in
petendis ijs temporalibus bonis apponẽda ſit con-
ditio, etiam ex intentione ipſius orantis, quod in
ſpiritualibus bonis regulariter neceſſarium non eſt.

Bona ſpiritualia dupliciter ſumi poſſunt.

Addo vero vlterius, fieri poſſe diſtinctionem inter
hæc ſpiritualia bona, nam quædam talia ſunt, vt in
eis conſiſtat ſubſtantialis ſanctitas (vt ſic dicam), &
perfectio, vel abundantia eorum ſit ſuo modo eſ-
ſentialis perfectio ſanctitatis, & huiuſmodi ſunt
gratia, & charitas cum virtutibus, & donis quæ il-
lam comitantur. Alia vero ſunt bona ſpiritualia
quaſi accidentalia, quæ deſeruire quidem poſſunt
ad priora bona, ſeu perfectionem eorum, tamen
ſimpliciter non in eis conſiſtit ſanctitas. Imo inter-
dum perfecta ſanctitas poteſt eſſe ſine illis, & ipſa eſ-
ſe poſſunt ſine perfecta ſanctitate, vel interdum et-
iam ſine ſanctitate. In hoc genere numerari poteſt
ſtatus perfectionis, gradus aliquis eximiæ contem-
plationis, vel viſionum, aut reuelationum Dei, &
dulcedines, ac ſuauitates ſpirituales, de quibus re-
cte dixit Bonauentura de Proceſſu Religionis in

D. Bonau.

ſeptimo, capit. 18. & 20 *communes eſſe bonis, & malis*,
& quod *in alijs ſpiritualibus bonis maior vis eſt, & certior
veritas, & fructuoſior profectus, & purior perfectio*. Abũ-
dantia ergo, & perfectio, in prioribus bonis abſo-
lute, & ſine timore vel conditione, etiam ſubintel-
lecta poſtulari poteſt quia talia bona, neque per ſe,
neque per accidens videntur eſſe poſſe occaſio rui-
næ, maxime quia licet habeantur, poſſunt ab ha-
bente ignorari, dum autem latent non poteſt ex eis
ſumi occaſio ruinæ. Denique quia licet daremus,
poſſe hominem aliquando inde in ſuperbiam ef-
ferri per talem orationem virtute poſtulamus, vt
id nobis non eueniat, atque ita non petimus ſub
conditione, ſed potius petimus perfectionem con-
trariam illi conditioni ſeu excludentẽ illam. Quod
patet quia petendo perfectam ſanctitatem, petimus
humilem ſanctitatem (vt ſic dicam), & ſolidam vir-
tutem, quæ cum elatione eſſe nõ poteſt. At vero ab-
undantiam, & excellentiam aliorum bonorum,
quantũuis ſpiritualium, non tam abſolute poſtu-
lare debemus, ſed cum magna cautela, prudentia,
& humilitate, & hoc probat mihi obiectio facta, &
vſus omnium timoratorũ quia non omne, quod
ſecundum ſe bonum eſt, vel melius expedit vicui-
que, ſicut ſupra de tribulationibus vel tentationi-
bus huius vitæ dicebamus.

CAPVT XXI.

Expediuntur nonnulla dubia circa modum abſolute petendi ſpiritualia bona.

1\. *1. Dubitatio*

EX dictis oriuntur circa hęc bona nonnulla du-
bia, ſeu interrogationes, quas breuiter expedi-
re neceſſe eſt. Primum dubium eſt, quia non ſem-
per huiuſmodi oratio eſt conformis Diuinæ vo-
luntati, ergo non ſemper licet. Antecedens patet,
quia per hanc orationem non ſolum petitur auxi-
lium ſufficiens, ſed etiam efficax, vt dictũ eſt: dare
autem auxilium efficax non ſemper eſt ſecundum
Diuinam voluntatem, quia fortaſſe ipſe definito
decreto ſtatuit non dare tale auxilium. Dices, no-
bis non conſtare de tali voluntate Diuina, conſtare
autem, Deum velle noſtram ſalutem, & hoc ſatis
eſſe, vt quantum in nobis eſt, auxilium illud abſolute
peta-

Digitized by Google

petamus. Sed contra, quia licet in particulari nobis notum non ſit, an decreuerit Deus hic, & nunc non dare tali perſonæ auxilium efficax, certo tamen ſcimus, circa multas perſonas, vel actus earum hoc decreuiſſe, ergo vnuſquiſque orans poteſt merito formidare, ne fortaſſe decreuerit Deus non dare id, quod deſideret, ergo hoc ſatis eſt, vt non debeat abſolute poſtulare, ſed ſub conditione, niſi Deus aliter decreuerit, ne ſe exponat periculo diſcordandi à Diuina voluntate abſoluta.

2. 2.Dubitatio Secunda dubitatio, ſeu interrogatio eſt, An liceat abſolute petere ſpiritualia bona etiam pertinentia ad ſubſtantialem ſanctitatem in quacunque excellentia, & abſque vlla limitatione? Quia cum tanta vniuerſalitate videtur non licere, alias eſſet licitum, petere à Deo tam excellentem gratiam, quàm habuerunt Apostololi, imò quàm habuit Beatiſsima Virgo, quod dicere abſurdum eſſet. In contrarium vero eſt, quia ſi conſideretur tota illa perfectio ſecundum ſe, maxime appetibilis eſt honeſtiſsimo deſiderio, & quantum eſt ex parte noſtra, vnicuique eſſet maxime conueniens, ſi ei daretur, ergo ex hoc duplici capite talis oratio ſiue indefinite facta, ſiue determinate de aliquo excellentiſsimo gradu ſanctitatis non eſt inordinata. Nec vero videtur habere poſſe inordinationem ex ſola habitudine ad voluntatem Diuinam, tum quia Deus ex ſe paratus eſt ad dandam nobis quamcunque perfectionem, alias, quod ſimus minus perfectè ſancti, ex Deo eſſet, & non ex nobis, quod dici non poteſt. Tum etiam, quia alias neque ſanctitatem in vllo gradu liceret à Deo abſolute poſtulare, ſed ſolum ſub conditione, ſi hoc eſt conſentaneum efficaci voluntati eius. Patet ſequela, quia ſi non licet petere illam excellentiam ſanctitatis, ideo eſt, quia credimus non eſſe conſentaneum ordinationi Diuinæ voluntatis, nam ex alio capite non appareт, cur ſit malum, ſed fieri poteſt, & fortaſſe ita eſt, Deum ordinaſſe me non conſequi efficaciter ſanctitatem, vel ſaltem vt non in illo gradu, quem ego opto, ergo non licet illam abſolute petere, maxime in aliquo definito gradu, ſed ſolum ſub conditione, ſi id fuerit conſentaneum Diuinæ voluntati.

3. 3. Dubitatio Tertia interrogatio eſt circa illud ipſum, quod ſupponebatur de auxilio ſufficienti, & efficaci, An vtrumque petendum ſit, & quomodo? Nam quod vtrumque ſit abſolute petendum, videtur clarum, quia vtrumque eſt neceſſarium ad ſalutem. illa autem bona ſpiritualia ſunt maxime abſolute petenda, quæ ſimpliciter ſunt neceſſaria ad ſalutem, vt dictum eſt. In contrarium vero eſt quoad auxilium ſufficiens, quod videtur ſuperflua talis oratio, nam ſuperfluum eſt petere id, quod ſcimus, Deum ex ſe ſtatuiſſe omnibus dare, nam illa voluntas certa, & immutabilis eſt, & illa poſita, effectus quaſi naturali lege ſequitur, quæ autem ita fiunt per generalem prouidentiam Diuinam, ſuperflue petuntur. Sicut inutiliter aliquis peteret, vt cras oriatur ſol, vel quid ſimile, tam certum autem eſt, Deum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, & quantum in ſe eſt, iuuare illum, ſicut eſt certum, ſolem ſuo tempore oriri. De efficaci autem vrget difficultas tacta, quod omnino pendet ex Diuina præordinatione, & ideo non videatur licitum poſtulare illud, niſi cū ſubordinatione ad Diuinam voluntatem, atq; adeo ſub conditione.

4. 4.Interrogatio. Quarta interrogatio præcedenti annexa eſt, An ſolum petenda ſint ea bona gratiæ, quæ mere gratuitò, & abſque debito ex aliqua certa lege, vel promiſsione, donantur, vel ſimpliciter omnia, quantumcunque ex priori gratia debita ſint? Vt v.g. quod peccatori detur contritio, ſeu auxilium efficax ad illam, nulla certa lege ſtatutum eſt, & ideo clarum eſt, totum id peti poſſe, imo illam eſſe aptiſſimam orationis materiam. At vero quod peccatori habenti contritionem detur remiſsio peccatorum cum ſanctificante gratia, certa lege ſtatutum eſt, quærimus ergo, An nihilominus hoc petendū ſit, vt contrito remittatur peccatū, vel vt bene merenti detur præmium, vel vt perſeueranti in gratia vſque ad mortem detur gloria, & ſimilia? Quod enim talis oratio non liceat, videtur probari, quia vel eſt otioſa, & ſuperflua, vel inuoluit, ſeu ſupponit exiſtimationem de incertitudine talis effectus, etiam ſuppoſita tali diſpoſitione, vel merito. Item, quia alias liceret orare pro ſalute infantis decedentis cum Baptiſmo, quod conſtat eſſe falſum, quia perinde eſſet, ac orare pro Beatis quoad eſſentiale præmium. Item ſuprà dicebamus per orationem non poſtulari generalem concurſum Dei, quia certa lege datur cum ipſa natura, ergo ſimili ratione nō eſt poſtulandum donum gratiæ, quod certa lege debetur ratione alterius doni, quod datū eſſe ſupponimus. In contrarium autem eſt, quia Dauid Pſa. 50. orabat. *Cor mundum crea in me Deus*, &c. & ad hoc impetrandum rationem, & quaſi titulum allegabat dicens: *Cor contritum, & humiliatum, Deus, non deſpicies*, ergo ratione contritionis poſtulabat cordis renouationem, cum tamen certa, & infallibili lege illa renouatio detur habenti contritionem. Item ſupra dicebamus, Sanctos in Patria petere corpora ſua, cum tamen ratione meritorum, & Beatitudinis certiſsima, & infallibili lege debeantur, & ſuo tempore danda ſint, etiamſi nulla talis oratio fiat. Item in Apocalypſi petunt Martyres vindictam de inimicis, quamuis etiam ſit certa lege ſtatuta, niſi reſipiſcant, ita enim, & non aliter vindicta poſtulatur. Item, ſuppoſito excitante auxilio, infallibili, & certa lege datur adiuuans, quantum eſt ex parte Dei, ſi per hominem non ſtet, & nihilominus illud ſemper petendum eſt.

Pſalm. 50.

Apocal. 6.

5. 5.Interrogatio. Quinto poteſt obijci, vel interrogari, An liceat interdum petere à Deo ſuſpenſionem, ſeu denegationem gratiæ efficacis? Videtur enim ex dictis ſequi hoc licere, ſicut ſupra dicebamus de oratione pro malis pœnæ. Probatur ſequela, quia hic poſſunt concurrere tres illæ conditiones ſupra poſitæ, nam res poſtulata per talem orationem, eſto, non ſit per ſe appetibilis ſicut ipſa gratia: non eſt tamen per ſe, & intrinſecè mala, quia pertinet ad malum pœnæ, non culpæ, vnde Deus ipſe poteſt illam velle. Aliūde vero poteſt illa carentia eſſe vtilis ad alia bona ſpiritualia maiora, nempe ad ipſam Beatitudinem, ergo ſub ea ratione eſt materia apta, vt honeſte deſideretur, ac petatur, nam ſimul eſt, ipſi petenti conueniens, quatenus ad eius ſalutem interdum confert. Denique etiam eſſe ſolet conformis Diuinæ voluntati, nam ſæpe vtitur hoc medio, & abſoluto conſilio voluntatis ſuæ illud decernit in ſalutem ſuorum electorum: ergo illud ipſum à Deo poſtulare, erit conforme voluntati eius. In contrarium vero eſt, quia hinc ſequeretur, licitum eſſe poſtulare à Deo propriam permiſsionem peccati ab ipſomet poſtulante committendi, quod dici non poteſt quia nemo poteſt ſibi amare euidens periculum peccandi: homo autem ſibi relictus, ſub tali permiſſione euidenti periculo huiuſmodi cōmittitur. Sequela probatur, tum quia permiſsio peccati, & denegatio gratiæ congruæ idem fere ſunt, tum etiam quia in ipſa permiſsione poſſunt illa tria conſiderari, ſcilicet non eſſe per ſe malam, eſſe poſſe vtilem & Deum velle illam.

6. 6. Dubitatio Sexta, & grauior dubitatio eſt, an per orationem petendum ſit ſolum illud auxilium gratiæ quod eſt ita

ita neceſſarium, vel ad ſalutem, vel ad id, cuius gratia poſtulatur, an etiam illud auxilium peti poſsit: quod facilitatem maiorem conferat, quamuis ſimpliciter neceſſarium non ſit? Et ratio dubitandi eſt ſupra inſinuata, quia Sancti Patres ex oratione, qua petimus auxilium Dei, quo nos interius dirigit, illuminat, vel adiuuat, colligunt neceſsitatem talis auxilij ad bene operandum, & è conuerſo ex negatione talis neceſsitatis, quam docebat Pelagius, inferunt deſtrui orationem, & fundamentum eius, quia fruſtra, & ficte quis petit ab alio, quod per ſe habere, aut efficere poteſt: poteſt autem homo abſolute, & per ſe efficere omne id, ad quod gratię auxilium non eſt ſimpliciter neceſſarium. In contrarium vero eſt primo, quia ſi conſideremus naturam petitionis ſecundum ſe: non eſt de ratione, vel honeſtate eius, vt ſolum petantur ea, quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt, ſed etiam quæ ſunt vtilia, & conferunt ad facilius, ſeu melius eſſe, vt videtur per ſe, & ex terminis notum, & humanis exemplis oſtendi poteſt, nam licet poſsit quis pedibus iter conficere, honeſte petit mutuo ab amico equum, vt facilius conficiat, & licet ſolus poſsit graue pondus portare, prudenter petit ab alio, vt ſe adiuuet, quo ſuauius id faciat. At nihil eſt peculiare in oratione ad Deum, propter quod hæc generalis conditio petitionis in Diuina locum non habeat. Imo maiori ratione illi videtur attribuenda, tum quia Deus liberalior eſt, & non ſolum neceſſaria, ſed etiam abundantia paratus eſt dare, tum etiam quia in ſpiritualibus actibus honeſtiſsime deſideratur facilitas, & promptitudo, quia ſunt bona maxime honeſta. Poteſtque hoc vſu ipſo confirmari, nam petimus à Deo ſuauitatem in orando, non quia ſine illa orare non poſsimus, ſed vt facilius, & conſtantius ita oremus, & ſic de alijs.

7. *1. Dubit. ſoluitur.* Ad primam, admittimus imprimis, quod in ea videtur ſupponi, auxilium ſufficiens abſolute eſſe petendum, & hoc ſemper eſſe cōforme Diuinæ voluntati, quod iterum occurret in tertia dubitatione. De auxilio autē efficaci ſimpliciter etiam dicendū eſt abſolute eſſe deſiderandum, & petendum, ſicut etiam perſeuerantia in gratia, & æterna Beatitudo abſolute deſideranda & petenda eſt, nulla quoad hoc, habita ratione illi⁹ Diuinæ volūtatis, qua quoſdam elegit, & efficaciter ordinauit ad gloriam per media congrua, quoſdā vero non ita elegit, aut ordinauit, quia nos nō tenemur cōformari huic volūtati Diuinæ, ſed illi, qua voluit, vt nos, quantum in nobis eſt, habeamus curam, & ſolicitudinem ſalutis noſtræ: nam hoc eſt, quod ad nos ſpectat. Reſpondetur ergo in forma, negando aſſumptum, nimirū, hanc orationem non eſſe conformem Diuinæ voluntati, nō ſolum quia nos latet, an Deus decreuerit non dare tale auxiliū, ſed præcipue quia Deus ipſe non vult, vt nos ſumamus talem voluntatē eius, vt regulam noſtrarum actionum, vel petitionum, ſed tantum illam voluntatem, qua vult, nos eſſe ſolicitos de noſtra ſalute. Ratio autē huius reddi poteſt, quia illa voluntas, qua Deus vult noſtram ſalutem, eſt primaria in Deo, illam enim ex ſe habet, altera vero voluntas non dandi auxilium efficax formaliter, & poſitiue non eſt in Deo antecedenter, ſeu ex ſe, ſed ſolum conſequenter, & poſt præuiſum liberum vſum voluntatis noſtræ. Nam quod auxilium ſufficiens non ſit efficax in nobis, non eſt ex Deo, ſed ex nobis, & ideo dici nō poteſt, Deum denegare nobis efficaciam auxilij ex ſe ſolo, & ex voluntate ſua, ſed ex aliqua præſcientia noſtræ voluntatis, & ideo ſimpliciter non tenemur nos conformare huic poſteriori voluntati Dei, ſed priori. Præſertim, quia illa prior eſt præceptiua, & imponit nobis obligationem agēdi quod in nobis eſt, vt gratia Dei ſit efficax in nobis; & ideo licitum ſemper eſt hoc abſolute poſtulare, ſupponendo ſemper, quod ſi per nos non ſteterit, fiet, quod ſatis eſt, vt illa petitio, quantum eſt ex parte noſtra, ſit abſoluta.

8. *Expeditur ſecunda dubitatio.* In ſecūda dubitatione dici poterāt multa de augmento gratiæ, & charitatis. An habeat in hac vita aliquem terminū, vel ex ſe, vel ex Diuina prædeſtinatione? De qua re in materia de Gratia, & in libro ſeeundo de Prædeſtinatione nonnulla diximus. Similis autem eſt interrogatio præſens, An in hoc genere bonorū aliquis terminus noſtris deſiderijs, ac petitionib. præfigendus ſit? In hoc ergo imprimis conſiderandū eſt, in his bonis aliquid eſſe optandū, & petendū, vt finem, & aliquid, vt medium ad finē. Vt finis petitur æterna Beatitudo, quæ eſt vltimus finis omnium noſtrarū actionū, vnde propter eam procuratur, & petitur omnis perfectio huius vitæ, & ideo omnes aliæ gratiæ, vt media petendæ ſunt. *Obiectio.* Dices, Alia dona gratiæ, & virtutes ſunt bona honeſta, & propter ſe amabilia, ergo non tantum amantur vt media, ſed etiam vt fines. *Solutio.* Reſpondetur, amari quidē poſſe, vt finē proximū, nō tamē vt vltimū, ac proinde natura ſua ſemper appeti, vt media ad finem vltimū: nam talia ſunt natura ſua, & ideo ſemper vt talia appetuntur, ſi honeſte appetuntur. *Alteri obiectioni ſa. ſatis* Dices iterū, etiam Beatitudinē ipſam eſſe bonum creatū, ac propterea non poſſe amari vt vltimum finem, & conſequenter petendā eſſe vt mediū. Reſpondetur, ſi ſit ſermo de Beatitudine obiectiua, illā eſſe increatum bonū, & vltimum finē principaliter expetendū, ſi vero ſit ſermo de Beatitudine formali, illa quidē creatum bonū eſt, tamen quia eſt immediata vnio, & poſseſsio boni increati, non eſt propriè mediū, ſed vltimus finis formalis. Beatitudo enim, & vltimus finis idē ſunt, & eodē modo diſtingui poſſunt in formalē, & obiectiuū, qui non ſunt propriè duo fines, ſed vnū integrant, qui eſt veluti adæquatus terminus illius deſiderii, quo Beatitudinē cupimus, & adæquata materia illius orationis, qua illam poſtulamus. Sub Beatitudine autē comprehendimus gratiā conſummatā, & charitatem, quia hęc etiam ſuo modo pertinent ad formalem vnionem conſummatam cum ipſo Deo vltimo fine noſtro.

9. *Mediorum [illegible] ſine limite [illegible] Ariſt. D. Thom.* Vlterius conſiderandum eſt, appetitum mediorum accipere terminū, aut limitationē ex fine: finē autē quantum eſt ex ſe, non habere terminū. Vnde Ariſt. 1. Polit. cap. 6. & ex illo D. Tho. 1. 2. q. 30. art. 4. dixit, concupiſcentiā finis eſſe infinitam, concupiſcentiā autem mediorum limitari ex proportione ad finem. Quod ſi illud primum verū eſt in bonis creatis, ſi per modum finis vltimi amentur, multò magis id verū erit, in bono increato, & perfectiſsima vnione ad illud per modū vltimi finis. Sic ergo dicendū eſt, bona hæc ſpiritualia, quatenus immediate vniunt nos Deo tanquam vltimo fini, abſolute, & ſine termino peti poſſe, quia illa concupiſcentia quanto maior, tanto melior, & de ſe in infinitū poteſt augeri. Reliqua autem bona, quæ tantū ſunt media, eatenus petenda ſunt, quatenus ad alia bona conducunt, & ſunt vel neceſſaria, vel vtilia, & ideo in prioribus non apponitur conditio, in poſterioribus autem interdū ſubintelligenda eſt, vt ſupra diximus. Quod autem vtraq; bona etiam illa quę cōiunguntur, vel nos immediate coniungunt cum fine vltimo, poſsint habere certum terminū, vel limitē ex ordinatione, ſeu prædeſtinatione Diuina, id non obſtat, quominus noſtrum deſiderium, & petitio abſolute poſsit tendere ad illud bonū ſine vllo termino, quantum eſt ex parte noſtra. Quia, vt iam dixi, nō oportet nos regulare actiones noſtras per illā voluntatē Dei, qua ſimpliciter vult aliquid, vel nō vult, ſed per illā, qua vult nos velle, aut procurare ſalutem noſtram, in quo ipſe de ſe nullum nobis præfigit terminum.

Nihil-

Digitized by Google

10. *In petitione tantæ perfectionis in particulari ſeguenda eſt temeraria comparatio.*

Nihilominus tamen, quando homo in hac petitione, vel deſiderio deſcendit ad particularem gradum perfectionis, cauere debet temerarias comparationes, & præſumptuoſas petitiones. Vnde ſi ſermo eſſet tantum de quodam affectu ſimplici, vel voluntate conditionata, quæ interdum exercetur ad excitandum, vel accedendum affectum erga Deum, ſic non eſt per ſe malum cupere tantam puritatem, vel feruorem in amore Diuino, quanta in maximis Sanctis fuit, quia hoc ſolum eſt complacere in excellentia illius ſanctitatis, & in habenda illa, ſi nobis illam conferre Deo placuiſſet. At verò per modum intentionis efficacis velle conſequi excellentiam, verbi gratia, ſanctitatis Virginis, vel illam petere animo, & fiducia obtinendi illam, temerarium eſſet, quia eſt omnino miraculoſum, & extra legem ordinariam prouidentiæ Diuinæ, etiam ſupernaturalis. Vnde quoad ſimiles effectus, non eſt inconueniens concedere, Deum ex ſe non eſſe paratum ad præſtandos illos, neque dediſſe media ſecundum ordinariam legem ad obtinendam tantam gratiæ perfectionem. Non oportet ergo ad hæc particularia deſcendere, multoque minus ad petenda ſingularia priuilegia, aut extraordinaria dona per ſe non neceſſaria ad ſubſtantialem ſanctitatem: poteſt autem peti abſolute tota illa perfectio, quæ ſecundum legem ordinariam comparari poteſt per media præſtituta à Deo, quæ ſine miraculo conferri ſolent. Si autem affectus amplius extendatur, vt interdum honeſtiſsime poteſt, adhibenda videtur conditio, ſi Deo beneplacitum fuerit, niſi ſpecialis inſtinctus Spiritusſancti plus aliquando conferat, neque enim poſsumus illi terminum præſcribere, qui maximè hæc bona diuidit, prout vult.

11. *Tertia dubitationi reſpondetur.*

Ad tertiam dubitationem rectè ibi reſponſum eſt, auxilium ſufficiens, & efficax eſſe abſolute petẽdum. Obiectio autem contra priorem partem facilis eſt: nam licet Deus paratus ſit ad dandum auxilium ſufficiens, tamen hanc ipſam voluntatem vult habere effectum, media oratione noſtra. Quia vero ad ipſammet orationem neceſſarium eſt auxilium, quod per orationem obtineri non poteſt, quia præcedit illam, ideo non ad omne auxiliũ ſufficiens neceſſaria eſt, vel poſsibilis oratio: nã illud, quod eſt ipſius orationis initium, abſq; oratione ab ipſo Deo dandum eſt, & à fortiori etiam illud auxilium, ex quo naſcitur deſiderium, quod eſt orationis motiuum. Et hoc docuerunt Conc. Arauſ. & Auguſt. contra Semipelagianos. Ad obiectionem autem contra alteram partem de auxilio efficaci iam reſponſum eſt, in illo petendo non eſſe habendam rationem voluntatis prædeſtinatiuæ Dei, ſed illius, qua vult nos procurare ſalutem noſtram: nam ſicut illæ voluntates in Deo non ſunt contrariæ, ita nos, dum huic poſteriori conformamur, nõ agimus contra priorem, etiamſi fortaſſe in obiecto cum illa conueniamus. Eo vel maxime quod cum nos deſideramus, aut petimus auxiliũ efficax per ſe ſolũ petimus, vt gratia Dei in nobis habeat effectũ, ita vt nos illam non impediamus, quomodo autem Deus in mente, ac voluntate ſua hoc ab æterno diſponat, ad nos non pertinet, neque modus orationis noſtræ inde pendet.

Concil. Arauſ.

12. *Quarta dubitationis reſponſio. Bona gratiæ iam collata peti non debent, ſed pro eis gratias agi. D. Paul.*

Ad quartam, an petenda ſint bona gratiæ, debita infallibili lege ex priori titulo, breuiter diſtinguendum videtur, aut enim talia bona iam collata ſunt, ſeu ſimul conferuntur cum prioribus bonis, vel ſolum expectantur in futurum. In priori caſu iã non habet locum petitio, ſed potius gratiarũ actio, ſicut enim dixit Paulus, *Quod videt quis, quid ſperat?* ſic nos dicere poſſumus, quod habet quis, quid petit? Petitio ergo propria eſt beneficij nondum recepti. pro accepto vero eſt gratiarum actio, & ideo non legimus Chriſtum petiuiſſe vnquam, vel vnionem, vel gloriam animæ ſuæ, legimus autem, petiuiſſe ſui nominis claritatem, vel accidẽtalem gloriam. Vnde in exemplo illo de contritione, ſi quis certus eſſet (quod ſine reuelatione eſſe non poteſt) ſibi datam eſſe veram contritionem, nõ poſſet certe petere vel primam gratiam habitualem, vel remiſsionem peccatorum, ſaltem quoad mortales culpas, quia in eodem gradu eſſet certus, iam accepiſſe hæc beneficia, quia omnino certum eſt, hæc non ſeparari à vera contritione, ſed ſimul cum illa dari. Poſſet ergo aliquis tunc petere, vel integram remiſsionem quoad pœnas, vel leues culpas, vel etiam reſtitutionem ad priorem familiaritatem, ſeu fauorem Dei, nam hoc beneficium cum ſpecialibus auxilijs, quæ illud comitari ſolent, non ſemper reſtituitur per contritionem etiam valde perfectã. Præſertim quia licet cum contritione gratia conferatur, amitti iterum poteſt, & ideo rectè orari poteſt, vt non amittatur, & quia hoc maxime pendet ex fauore, & protectione Dei, ideò meritò illa reſtitutio poſtulatur. His ergo modis intelligi poteſt illa oratio David, qui ex teſtimonio prophetæ Nathan certus de ſua contritione, & de remiſsione ſui peccati iam erat. Ordinarie verò, qui dolens de peccato ſuo orationem illam imitatur, quaſi ſub diſiunctione poſtulare videtur, vt, ſi fortaſſe veram contritionem non attingit, ſibi conferatur, vel ſi illam habet, ita perficiatur vt omnes illos effectus obtineat. Quãuis enim non omnis, qui orat, hanc mentem ſuam explicare valeat, tamen dum intendit petere perfectam remiſsionem ſuorum peccatorum, totum illud virtute complectitur. Addere tandem poſſumus, potuiſſe David (& fortaſſe hic eſt proprius ſenſus) non obſtante certitudine, quam de ſua contritione habebat, illa verba proferre, non animo poſtulãdi de nouo culpæ remiſsionem, vel cordis innouationem per infuſionem gratiæ, de qua non minus certus erat, ſed animo recognoſcendi indignitatem ſuam, & inſufficientiam ſuæ contritionis, (vt ab ipſo erat,) ad ſatisfaciendum Deo pro culpa ſua, & conſequenter ad confitendum nouum Dei beneficium ſibi collatum per talem remiſsionem, vel gratiam.

Quomodo orauerit David certus de ſua conditione.

13. *Beneficium gratiæ nõdũ collatum peti poteſt, licet conſtet infallibiliter eſſe tribuendum ex vi alterius beneficii.*

At verò quãdiu beneficium gratiæ nondum collatum eſt, quantumuis ſit certum, & infallibile ex ſuppoſitione prioris gratiæ, ſemper peti poteſt. Et imprimis eſt res clara, quando gratia, quæ ſupponitur, vel amiſsibilis eſt, vel impedibilis, vt ita dicam, quia tunc non ſolum petitur ſecunda gratia ſuppoſita prima, ſed ſimul virtute petitur, vt prima gratia conſeruetur vel ne impediri permittatur. Sic quãdiu aliquis eſt in hac vita, quantumuis ſit iuſtus, & ex ſua iuſtitia certus etiam per reuelationem, petere poteſt gloriam, quia virtute petit perſeuerantiam in gratia vſque ad mortem, & qui habet auxilium excitans, rectè petit adiuuans, & concomitãs quoad operationem liberam nondum elicitam, quia virtute petit, vt non permittatur impediri talis operatio. At verò quando prior gratia eſt inamiſsibilis, & immutabilis, & ratione illius infallibiliter dandum eſt aliud beneficium gratiæ, quod nondum eſt datum, ſuo tamen tempore dabitur, etiam ſi non petatur, tunc quidem non eſt neceſſaria petitio talis boni, tamen non repugnat peti eo ipſo, quod nondum habetur. Non tamen petendũ eſt dubitando de illius ſecuritate, aut de illius certitudine formidando, id enim fidei, & rationi contrarium eſſet; ſed peti poteſt, vel vt orans nouo titulo illud mereatur, quomodo Chriſtus in via orando potuit ſibi mereri gloriam corporis, etiamſi certiſsimus de illa eſſet alijs titulis. Vel etiam peti poteſt ad recognoſcendũ illud tanquã Dei beneficium

Beneficium infallibiliter conferendum ex vi alterius inamiſsibiliter collati, & ſi non ſit neceſſarium, non tamen repugnat poſtulari.

Ita corporis gloriam beati in Patria petunt. ficium, quod ſemper eſt ſub dominio Dei quantũuis illud promiſerit, vel dare decreuerit: & hoc modo Sancti in patria gloriam corporis poſtulant. Interdum etiam fit hæc poſtulatio ad conſitendã Diuinam iuſtitiam, & conformandam voluntatẽ ſuã voluntati Diuinæ, quomodo dicuntur Sancti in Patria petere vindictam impiorum.

14. *Quinta interrogatio accommodatur.* Ad quintam interrogationem reſpondeo, nulla ratione talem orationẽ pro denegatione gratiæ efficacis faciendã eſſe. nam eſt propriæ ſaluti contraria, vnde licet reſpectu voluntatis Diuinæ illud obiectum non ſit intrinſece malum, quia Deus nõ tenetur ſuam gratiã alicui dare, reſpectu tamen ipſius hominis eſt intrinſece malum, quia homo tenetur, quantũ in ſe eſt, hanc gratiã procurare, eamq; non abijcere, contra quã obligationem facit, qui petit ſubtractionem talis gratiæ. Et eadẽ ratione non licet petere à Deo permiſſionem proprij peccati, etiã ſub titulo obtinendi illa via maiorẽ aliquem ſpiritualem fructum: quia peccatũ per ſe non eſt mediũ ad huiuſmodi fructum, ſed potius deſtruit omne ſpirituale bonum. Et licet Deus ſua potentia, & ſapientia poſſit illud malũ conuertere in bonũ, & ratione ſuæ vniuerſalis prouidentiæ iuſte, & recte, valeat vti illo medio permiſſionis peccati ex intentione maioris boni: tamen reſpectu particularis voluntatis ipſius hominis non eſt medium rationi cõſentaneũ: quia ipſe homo tenetur, quantũ de ſe eſt, omnino fugere peccatũ, & vitare, quicquid poteſt eſſe cauſa, vel occaſio eius præſertim certa, & infallibilis, ſiue ſit per ſe, ſiue per accidens. Vnde quamuis Deus ſua voluntate vtatur hoc medio, nihilominus non vult, vt ipſe homo vtatur illo, quia non quicquid Deus vult, poteſt homo velle, nec Deus ſemper vult vt illud velit. Et ideo talis petitio nunquã eſſet conformis voluntati Diuinæ, volũtati, inquã, illi quæ eſſe debet regula noſtrarum voluntatũ, illi enim nos conformari tenemur, non vero ſẽper in obiecto volito, imo interdũ talis conformitas rationabilis non eſſet propter diuerſam habitudinem obiecti ad Deum, & ad hominem, vt latius in 12. differitur.

15. *Vlt. dubit. quomodo à nonnullis diluatur.* Ad vltimam difficultatem aliqui auctores contendunt, eo ipſo, quod prudenter, & conuenienter petitur à Deo aliquod bonũ, cõſequenter fatẽdum eſſe, bonum illud eſſe peculiari modo opus Dei, vel per ſolam efficientiam ipſius homini non debitam, ſi bonum tale ſit, vt efficientiã hominis nõ requirat, vel ſi ipſummet bonum ſit etiam opus hominis, neceſſarium eſſe, vt fiat à Deo per aliquod auxilium gratiæ, nullo modo debitum naturæ, ita vt per illud auxilium non ſolum conferatur, vt homo facilius poſſit tale opus efficere, ſed etiam, vt omnino poſſit, quia ſine illo ſimpliciter non poſſet. Vnde conſequenter putãt, neceſſarium eſſe hac mẽte ad Deũ orare, quotieſcunq; ab ipſo petimus auxilium ad aliquod opus bonum, vel aliud ſimile beneficium. Fundamentum eorum eſt, quia hæc eſt mens Pontificum, & Patrum, quoties ex oratione ſumunt argumentum contra Pelagiũ, quia alias argumentum non eſſet efficax contra illum. Pelagius enim non negabat per gratiam conferri facilitatem in operãdo bonum, ſed negabat, dari poteſtatem, quia non putabat, gratiam eſſe neceſſariam ad bene operandum, quem errorem Sancti conuincunt ex forma ipſa orandi, & petendi à Deo tale auxilium, vel tale opus, ergo ſupponunt, per orationem non peti niſi id, quod eſt ſimpliciter neceſſarium, & ſine quo nõ poſſet opus fieri.

16. *Non placet ſolutio poſita* Veruntamen difficile eſt, poſtulare ab omnib. hominibus, vt prius quam ad aliquid faciendũ auxiliũ à Deo petant, ſibi perſuadeant, ſe non poſſe id facere, quod petunt ſine extraordinario, vel ſupernaturali gratiæ auxilio. Alioqui nõ poterit artifex v. g. pictor, petere à Deo auxiliũ ad bene depingendã aliquam imaginẽ, niſi prius ſibi perſuadeat, per potentiam, & artem ſuam cum cõmuni concurſu Dei non poſſe recte illam depingere, niſi Deus addat, & ſibi conferat aliquod extraordinariũ donum naturæ non debitum. Similiter dux habens validum exercitũ maioris virtutis, & roboris, quam ſit contrarius, non poterit à Deo conuenienter poſtulare victoriam orando, niſi prius ſibi perſuadeat, ſe non poſſe cum toto exercitu, & cõmuni concurſu Dei vincere inimicum, niſi Deus addat extraordinariũ fauorem naturæ non debitũ. Hæc autem, & ſimilia quæ facile inferri poſſunt duriſsima videntur, & creditu difficilima, quia in dictis caſibus nullũ habemus principium, quo vel cõuincamus homines, vel obligemus illos ad talem perſuaſionẽ ſeu credulitatem. Et alioqui, vt ſupra argumẽtabar, ex generali ratione petitionis, talis neceſsitas oſtendi non poteſt, petit enim vnus Rex auxilium ab amico Rege ad expugnandum contrariũ inimicum, etiamſi putet, ſe poſſe ſufficere ad ſuperandũ illũ, vt ſecuriorem reddat victoriam. Ergo ad petendum auxilium hæc exiſtimatio ſufficit. Ergo etiam reſpectu Dei poterit interdũ ſufficere, quia nulla peculiaris ratio afferri poteſt, ob quam oratio ad Deũ cum tali exiſtimatione facta ſemper ex illo capite ſit mala, & indigna Deo. Propter quod exiſtimo nõ eſſe Patribus imponendam tam duram ſententiam, neq; hanc fuiſſe mentẽ illorum, quia argumentũ ſumptum ab oratione, in illo ſenſu re vera non eſſet legitimũ, vt docte adnotauit Cardinalis Bellarm. lib. 5. de Gratia, & libero arbitrio, ca. 12. & Vega opuſc. de Iuſtificatione, q. 12. *Cardin. Bellarm. Vega.*

17. *Auctoris ſolutio.* Dico ergo imprimis, aliqua bona peti à Deo cõuenienter, & licite, etiãſi nõ iudicentur ſimpliciter neceſſaria ad effectum, vel opus, propter quod petuntur. Hoc probat mihi euidenter ratio facta, & experientia quotidiana omnium piorum ſtudentiũ, artificũ, vel quorumcunq; inchoantiũ aliquod opus humanũ, ordinariũ & morale. Deinde aſſero, nõ omnia bona, quæ à Deo petuntur, talia eſſe, ſed aliqua eſſe petenda, vt ſimpliciter neceſſaria ad finem intentũ, ſicut petitur vict° ad vitã, & fides ad iuſtitiam. Et ſic etiã interdũ poſtulatur auxiliũ Dei, vt neceſſarium ad op°, propter quod poſtulatur, ita vt in homine nõ ſit poteſtas ſine tali auxilio ad ſic operãdũ. Hoc tãquam certũ ſuppono ex materia de Gratia, quia opera pietatis non poſſunt aliter à nobis fieri, & ideo hac mente, & fide poſtulandũ eſt auxilium Dei ad illa, vel (quod idẽ eſt) poſtulãda ſunt à Deo talia opera, tanquã ſpeciali modo dona eius. Addo vero vlterius, ex ſola natura orationis vt ſic, nõ ſatis diſcerni, An auxiliũ ad opus petatur, vt ſimpliciter neceſſariũ ad poſſe, vel ad facilius poſſe, ſed potius ex conditione, & modo operis diſcernendum eſſe, qua mente ſit petendũ, & orandũ pro illo obtinendo. Hoc mihi etiam probant ratio, & exempla adducta. Neq; exiſtimo, Patres hoc ſenſu argumentatos eſſe contra Pelagium ex vi orationis, vt ex illa ſola concludere voluerint neceſsitatem auxilij, nõ ſolum ad facilius poſſe, ſed etiam ad poſſe. Vnde ad hoc concludendũ cõtra Pelagium potiſsime argumentantur ex verbis Chriſti Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, & ſimilibus Scripturæ teſtimonijs, vt videre licet in Concil. Mileuit. Can. 5. Aug. Epiſt. 16. & alijs ſupra citatis.

Aduerto tamen vlterius quãuis interdũ auxiliũ, quod petitur, nõ iudicetur ſimpliciter neceſſarium cõſiderata natura operis, propter quod petitur, nihilominus contingere poſſe, vt in re ipſa ſit neceſſarium, vt opus fiat, quia licet poſſet fieri cum naturali virtute, & concurſu generali, tamen in indiuiduo poteſt impediri, ne fiat propter varias occaſiones, quæ occurrere poſſunt, & ſæpe contingit, Deum ſcire, quod de facto impedietur: niſi ipſe aliquod adiutorium præbeat vltra communem 18. curſum

curſum naturę. Et tunc dici poteſt illud adiutorium eſſe neceſſarium in præſcientia Dei, vt opus fiat, licet non ſit neceſſariũ, vt poſsit fieri, neque etiam ſit ſemper, & in omni indiuiduo neceſſarium, vt fiat, etiam ſecundum præſcientiam Dei. Concludimus ergo, animum orantis ſemper eſſe petendi à Deo aliquem peculiarem fauorem per protectionem extra generalem concurſum, ſicut ſupra dicebamus de pluuiæ petitione, & ſimilibus: nam de omnibus eſt eadem ratio. Petitur autem hic fauor, tum quia per ſe iuuat, tum etiam quia poteſt eſſe vel in præſcientia Dei, & in indiuiduo, vel ex natura talis operis neceſſarius ad deſideratum effectum re ipſa conſequendum. Plura de hoc puncto, & præſertim de variis modis argumentandi efficaciter contra Pelagium ex oratione, in materia de Gratia tradidimus.

CAPVT XXII.

An oratio ſit actus meritorius, & ſatisfactorius?

1. EXplicuimus omnia illa, quæ ad naturam, honeſtatem, materiam, & cauſas orationis pertinere viſa ſunt, ſimulque circumſtantias, ſeu conditiones explicuimus, quæ in modo orandi obſeruãdæ ſunt, vt oratio conuenienter fiat. De quibus etiam circumſtantiis aliquid in hoc capite addemus, & plura in tribus libris ſequentibus, in quibus magis in particulari de oratione dicemus: morales enim circumſtantiæ melius in particularibus actibus conſiderantur, quam in communi. Solum ergo ſupereſt dicendum de effectu, ſeu fructu orationis. In qua re imprimis conſiderandum eſt aliquem fructum, ſeu cauſandi modum habere orationem, cõmunem aliis actibus virtutum, aliquem vero habere ſibi proprium, quatenus petitio eſt. Communiter cum aliis virtutibus habet mereri, & ſatisfacere, & poſſumus etiam addere bene diſponere animum orantis ad alia dona à Deo recipiẽda. Proprium vero orationis eſt habere vim impetrandi. De prioribus modis cauſandi fere nihil hoc loco, ſpecialiter de oratione dicere neceſſe eſt, quia ſolum oportet generalia principalia meriti, vel ſatisfactionis ad orationem applicare, & ideo illa breuiter expediemus, & poſtea circa id, quod eſt orationis proprium, immorabimur.

Orationi fructus aliquis communis eſt cũ aliis actibus virtutis, aliquis vero proprius, qua petitio eſt.

2. Sit ergo imprimis certum, orationem, quantum eſt ex ſe, eſſe actum meritorium, ſi aliæ conditiones neceſſariæ ad meritum in illa concurrant. Aſſertio eſt certa de fide, quam ſoli illi hæretici negant, qui vel omnino negant merita noſtra erga Deum, vel negant orationem eſſe actum bonum, & Deo placitum. Hic autem ſupponimus cõtraria fidei principia, contra priorem errorem ex materia de Merito: contra poſteriorem ex dictis in principio huius materiæ. Ex illis autem principiis euidenter ſequitur aſſertio: nam vt aliquis actus ex ſe ſit meritorius coram Deo, ſolum requiritur, vt ſit honeſtus ex fide, & gratia aliquo modo procedens, & habens promiſsionem Dei, hæc autem omnia in actu orationis inueniuntur, ergo. Minor quoad duas primas partes probata eſt in ſuperioribus. quoad tertiam vero ſufficienter probatur ex generali promiſsione à Deo facta retribuendi mercedem pro bonis operibus, nam illa non eſt facta pro hoc, vel illo opere, ſed generatim omnibus bene operantibus: qui autem legitime orat, bene operatur, nam ipſa oratio quoddam opus bonum eſt, vt iam diximus. Addimus autem, dum modo aliæ conditiones neceſſariæ ad meritum concurrãt, quia in hoc nullum habet ſpeciale priuilegium oratio: nullibi enim legitur, nec nobis traditum eſt.

1. Aſſertio. Oratio ex ſe actus eſt meritorius, ſi adſint etiam conditiones ad meritum neceſſaria.

3. Vnde intelligenda imprimis eſt aſſertio de oratione viatoris, nam Beati iam non ſunt in ſtatu merendi, & ideo licet orare poſsint, & impetrare, non tamen mereri. Deinde, ſi ſermo ſit de merito de condigno, oportet, vt qui orat, ſit iuſtus, ſeu in ſtatu gratiæ, ſine qua nullum eſt meritum de condigno. Et hoc ſenſu dixit D. Tho. d. q. 83. art. 15. habere orationem, quod ſit meritoria, ex radice charitatis. Quod non ità intelligendum eſt, vt exiſtimetur, totam rationem merendi eſſe charitatem per imperium, vel actum ſuum, vt orationi ſolum conueniat eſſe meritoriam, quaſi per denominationem extrinſecam, hoc enim ſine dubio falſum eſt, vt bene notauit Medina in Codice de Orat. quæſt. 17. Nam oratio ipſa ratione ſui generis, & nobilitatis multum confert ad meritum, imo poteſt eſſe meritoria, etiamſi non imperetur à charitate, ſed à ſpe, vel pœnitentia, vel alia virtute, imo licet à nulla imperetur, ſed à ſola Religione infuſa proficiſcatur, quia natura ſua tẽdit in ſupernaturalem finem, quod ex parte actus ſufficit ad meritum de condigno. Vnde contingere poteſt, vt cæteris paribus, ex parte charitatis actus orandi ſit magis meritorius, quam actus legendi, aut viſitandi infirmum, &c. Et inter ipſas orationes vna poteſt eſſe magis meritoria, quam altera, ſi in propriis conditionibus meliori modo fiat, etiamſi ex parte charitatis ſit æqualitas, nam ipſamet nobilitas actus confert ad meritum de condigno, etiam reſpectu eſſentialis præmij, vt nunc ſuppono. Dicitur ergo eſſe hoc meritum ex radice charitatis, quia fundatur in amicitia hominis iuſti cum Deo, charitas autem amicitia eſt, hoc autem eſt, quaſi remotum fundamentum, & ideo bene radix appellatur, proxima autem ratio huius meriti eſt ipſamet oratio, ſuppoſito ſtatu talis perſonæ cum Diuina promiſsione.

Aſſertio poſita de viatoribus tantum intelligitur.

Quãdo oratio eſt actus meritorius de condigno, qui orat, in gratia debet eſſe.

D. Thom.

Medin.

4. Si autem loquamur de merito de congruo, ſic probabile eſt, non eſſe neceſſariam gratiam ſanctificantem in perſona orante, ſed ſufficere motionem Spiritus ſancti, ſeu auxiliãtem gratiam ex qua oratio mãnat, nã inde habet tantã dignitatem apud Deum, vt non obſtante indignitate peccatoris, congruum ſit, Deum ſic petenti aliquod beneficium conferre ratione illius bonæ operationis, quæ habet adiunctam fidem, & ſubmiſsionem ad Deum. Et in hoc tantum conſiſtit meritum de congruo. Vtrumque autem meritum eſſe quid diſtinctum ab impetratione, argumentum eſt clarum, quia in Beatis inuenitur impetratio ſine vtroque merito, & è conuerſo in viatoribus inueniri poteſt vtrum, & alterum meritum ſine impetratione. Vt ſi quis bona fide orando petat aliquid, quod Deus nouit, illi non expedire, non impetrabit, merebitur autem vno, vel altero modo, iuxta ſtatum perſonæ, quia leges merendi ſemper permanent, etiamſi occaſio impetrandi deſit. Vnde eſt optima differentia, quod impetratio ſolum eſt illius rei, quæ poſtulatur, meritum autem eſt proportionati præmij. Nam qui ſalutem corporis petit, illam tantum impetrare poterit, fieri autem poteſt, vt petendo mereatur vitam æternam. Et ideo fieri poteſt, vt tota impetratio orationis tendat ad alterum, pro quo tantum funditur oratio, & nihilominus meritum eius & præmium in ſinum orantis conuertatur.

Meritum de congruo ad orationem ſufficere probabile eſt, vt ratione illius Deus petitionem compleat.

Meritum de congruo, & de condigno ab impetratione diſtinguitur.

Impetrationis, & meriti diſcrimen.

5. Ad meritum autem de congruo reduci poteſt cauſalitas diſpoſitiua, quæ non immerito tribui poteſt orationi, & poteſt eſſe etiam in homine peccatore. Nam peccator ex pietate faciens eleemoſynam, ſe diſponit, vt à Deo ad pœnitentiam paulatim feratur, ergo multo magis ſe diſponet, qui orat Deum, ſiue petendo remiſsionem peccatorum, ſiue quocunque alio modo ſe illi ſubmittendo, & humiliter deprecando, Tanto vero hæc diſpoſitio

erit maior, quantò fuerit magis proportionata alteri beneficio, vt remiſsione peccatorum, vel humilitati, aut deuotioni, &c. Omitto, habere orationē (vel ratione conſiderationis, quam habet adiunctā, vel ratione bonorum affectuum, à quibus vel proficiſcitur, vel eos habet concomitantes) habere, inquam, peculiarem vim bene diſponendi animam, id eſt, reddendi promptam & facilem ad opera virtutis, & conſolandi ſpiritualiter animam, vt dixit Diuus Thomas dicto art. 15. Nam totum hoc efficit oratio per modum cauſæ phyſicæ potius quam moralis, habent enim illi actus natiuam virtutem excitandi, vel delectandi hominem, & hac ratione reddunt illum promptum, & facilem, & eodem modo dicuntur conſolari hominē, quamdiù durant. Interdum verò Deus maiorem conſolationem, vel iucūditatē infundit quam poſſet cauſari ex prioribus actibus, etiā vt effectus ex aliquo auxilio gratiæ, & tunc ille effectus prouenit ab illis actibus, vel ex merito ſaltem de congruo, vel tanquam ex bona diſpoſitione morali.

D. Tho.

6. *Quæſitum.*

Solùm poteſt hic peculiariter interrogari, an ex peculiari natura ſeu ratione orationis requiratur aliqua ſpecialis conditio, vt meritoria ſit? Quod ſolet interrogari propter attentionem, nam de illa dixit Diuus Thomas dicta q. 83. art. 13. neceſſariam eſſe in oratione, vt illa meritoria ſit. Veruntamen, vt ibidem notauit Diuus Thomas, quæſtio hęc de attentione ſolum in oratione vocali locum habet: nam in mentali clarum non poſſe actum orationis durare ſine attentione: nam cum ſit actus mentis, attentione ſit, vt in libro ſequenti latius dicam, & ideo mirum non eſt, quod ad meritum talis orationis requiratur attentio, quia requiritur ad eſſe eius, & non poteſt eſſe meritoria niſi quando eſt. Hoc autem ſi res attentè conſideretur, non eſt proprium orationis, ſed commune omni actui virtutis, quatenus interius in animo exerceri poteſt, quia nullus fieri aut actu eſſe poteſt ſine attentione, quia non poteſt eſſe ſine actuali voluntate, neque actualis voluntas ſine actuali cognitione, neque actualis cognitio ſine attentione. At orationem vocalem contingit eſſe in ore ſine mentis attentione, & ideo de illa quæri poteſt, an tunc meritoria ſit, vel ad meritum requirat attentionem? Hoc autem habet locum proprium in libr. 3. Et ideo de merito orationis hæc nunc ſufficiunt.

D. Tho.

Reſponſum

9.

2. *Aſſertio. Oratio ex ſe opus ſatisfactoriū eſt, ſi adſint etiā cōditiones ad ſatisfactionem neceſſariæ Opera ſatisfactoria ad tria capita reducuntur Concil. Trid.*

Dico ſecundò. Oratio, quantum eſt ex ſe, opus eſt ſatisfactorium ſi aliæ conditiones ad ſatisfactionem neceſſariæ non deſint. Cōcluſio eſt etiam certa de fide, quæ ex profeſſo tractari ſolet in materia de Pœnitentia, vbi oſtenditur, poſſe nos in hac vita ſatisfacere Deo pro peccatis per noſtra bona opera. Solentque ſatisfactoria opera ad tria principalia capita reduci, inter quæ vnum (fortaſſè potiſsimum) eſt oratio nam alia duo ſunt ieiunium, & eleemoſyna. Quæ numeratio trium generum operum, quibus Deo ſatisfacimus, Theologorum communis eſt, & tacitè approbatur à Concilio Tridentino ſeſſ. 14. Canon. 13. Vbi apertè confirmat hanc veritatem, quod oratio habeat vim ſatisfaciendi. Ex Scriptura verò poteſt hoc confirmari ex Tobiæ 12. vbi dicitur: *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna.* Nam licet ſtatim addatur. *Quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata. &c.* Tamen cum illa tria generatim æquiparentur, quod de vno dicitur de aliis dictum eſſe intelligitur. Deinde frequenter in Scriptura Dauid, Manaſſes, & alij orant, ad conſequendam perfectam remiſsionem peccatorum. Verum eſt, hæc loca per ſe ſumpta non cogere, quia reſpondere aliquis poteſt, orationes illas fieri ad impetrandū, non vero ad ſatisfaciendum, & promiſsiones omnes, quæ orantibus ſiunt in Scriptura, intelligendas eſſe in ordine ad impetrationem. Tamen Eccleſia ſemper intellexit vtrumque ſub eis comprehendi, quia oratio vtriuſque modi cauſandi capax eſt. Semper tamen oportet adiungere vniuerſalia principia de capacitate, quam viatores in hac vita habent, ad ſatisfaciendum de peccatis ſuis per opera ſua.

Vnde argumētari poſſumus ratione, nam quidquid eſt neceſſarium ex parte operis, vt ſatisfactorium ſit, in oratione inuenitur. Probatur, quia & eſt actus bonus, & ex gratia ſit, vt ſæpe dictum eſt, & eſt opus pœnale. (quæ eſt veluti proxima formalis ratio ſatisfaciendi.) Quod patet: quia mentalis oratio ex ſe pœnalis eſt, quia conſiſtit in eleuatione mentis in Deum, hæc autem magnam animi applicationem requirit, quæ ſine pugna, & reſiſtentia corporis, & ſenſuum non ſit. Vnde Eccleſiaſt. 12. ſcriptum eſt: *Frequens meditatio, carnis eſt afflictio.* Vocalis autē oratio peculiarem laborem, & corporis defatigationem adiungit. Hinc ergo conſtat, Promiſsionem Dei acceptandi noſtra opera in ſatisfactionem cōprehendere orationem quia illa promiſsio non eſt de hoc, vel illo opere in particulari, ſed de quocunque apto ad effectum ſatisfaciendi. Quas vero conditiones requirat oratio ad hunc effectum ex parte perſonæ orantis in 4. tom. 3. p. in materia de Satisfactione traditum eſt, nam quod eſt neceſſarium ad ſatisfaciendum per alia opera, eſt etiam neceſſariū ad ſatisfaciendum per orationem, neque in hoc habet aliquid ſpeciale. An vero actualis attentio ſit neceſſaria, vt vocalis oratio ſatisfactoria ſit, in li. 4. dicemus: & ideo de ſatisfactione orationis hæc ſufficiant. 8.

Eccle. 12.

CAPVT XXIII.

An oratio ſit impetratoria, & quid valeat impetrare.

1. *Oratio quæ petitio eſt peculiarem impetrandi modum habet.*

SVpereſt dicendum de tertio effectu orationis, qui eſt impetratio, & de virtute, ſeu conditionibus ad illam neceſſarijs. Principio autem ſtatuendū eſt orationem ex hoc peculiari capite, quod eſt petitio, habere propriam, & peculiarem aptitudinem ad impetrādum: nam petitio natura ſua ad hoc ordinatur, vt animum alterius inducat ad dandum id, quod petitur: non quia emitur, nec quia ſoluitur, nec quia aliquis illud meretur, ſed ſolum, quia petitur, & rogatur. Quatenus conſentaneum eſt bonitati vel liberalitati eius, qui rogatur, moueri ad dandum, ſolum quia rogatur, hoc ergo modo aptitudo ad impetrandum propria eſt orationis inter omnia virtutum opera. Vnde, licet alia virtutum opera poſsint orationem iuuare ad impetrandum, quomodo dicunt interdum Sancti, ieiunium & eleemoſynam eſſe veluti duas alas, quæ orationem in cœlum eleuant, nihilominus in aliis operibus nō poteſt eſſe propria impetratio abſque oratione propter rationem factam, ſed per ſe ſolum bene diſponunt, aut merentur. Et his etiam modis iuuant orationem, vel quia diſponunt hominem, vt attentius oret, vel quia ad hoc ipſum auxilium aliquod per modum meriti obtinent, vel quia perſonam orantem gratiorem Deo reddunt, ac ſubinde aptiorem, vt petitiones eius exaudiantur.

2. *Impetratio per orationem ſuo modo infallibilis eſt ex peculiari Dei promiſſione facta oratibus. D. Tho.*

Deinde certum eſt, habere orationem peculiarē Dei promiſsionem ratione cuius hęc impetratio eſt ſuo modo certa, & infallibilis. Si enim ſpectemus ſolam rationem petitionis, habet quidem oratio ex illa aptitudinem, vt dixi, ad impetrandum, quæ poteſt appellari ſufficientia, non tamen habet talem efficaciam, quæ certum, & infallibilem reddat effectum, quia non eſt cauſa neceſsitatem inducens, vt recte dixit D. Thom. dicta q. 83. art. 1. Vt ergo oratio

Digitized by Google

oratio habeat hanc efficaciam in impetrando, neceſſaria fuit promiſsio. Hæc ergo promiſsio frequenter in Scripturis repetitur, præſertim in Teſtaméto nouo vt Mat. 7. & Lucæ 11. *Petite, & accipietis, & Omnis qui petit, accipit.* Et Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Et in Teſtamento veteri leguntur ſimiles promiſsiones, Pſalm. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et ideo Pſalm 65. aiebat Dauid: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.* Vbi Auguſt. *Securi (inquit) de pollicitatione ipſius nō deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipſius eſt, propterea dixit: Benedictus Deus meus, quia non amouit deprecationem meam, & miſericordiam ſuam a me. Cum videris non à te amotam deprecationem tuam, ſecurus eſto: quia non eſt à te amota miſericordia eius.*

Matt. 7. Luca 11. Ioan. 16. Pſalm. 49. Pſalm. 65.

3. *Promiſsio Dei orantibus facta cōditionata eſt.*

Vnde vlterius certum eſt, hanc promiſsionem Dei non eſſe omnino abſolutam, ſed ſub aliqua, vel aliquibus conditionibus, quibus poſitis, erit infallibilis impetratio, non vero abſque illis. Probatur: quia quod Deus promittit eo modo, quo promittit infallibiliter implet, *fidelis enim eſt, ſe ipſum negare non poteſt.* Vidimus autem, vt notauit Aug. tract. 73. & 81. in Ioannem, non omnia quæ petimus, nobis cōcedi: ergo ſignum manifeſtum eſt, promiſsionē non eſſe abſolutam, nam ſi eſſet ita abſoluta, vt in oratione nullam aliam conditionem poſtularet, præter petitionem, ſemper impleretur, nam hoc pertinet ad veritatem, & infallibilitatem promittentis. Signum eſt ergo, promiſsionem eſſe conditionatam, quia inter illa duo membra nullum eſt medium. Vnde fit ſi oratio non habeat conditiones neceſſarias ex vi promiſsionis, non impetrare, quia promiſsio conditionata non impleta conditione, non inducit obligationem, quia conditionalis (vt aiunt) nihil ponit in eſſe. Dico autem, talem orationem non impetrare ex vi promiſsionis, quia non repugnat impetrare ex benignitate Dei: ſicut poſſet impetrare oratio, quāuis Deus nihil promiſiſſet, ſolum ob congruentiam, quam habet cum Diuina bonitate & liberalitate, quamuis ad hoc ipſum aliquas conditiones requirat, vt videbimus, plures autem vt ex vi promiſsionis impetret, & tūc ſi illas habeat, erit infallibilis impetratio, quia conditionalis, impleta conditione, trāſit in abſolutam. Tota ergo difficultas eſt in explicandis conditionibus, ſub quibus facta eſt talis promiſsio. Diuus Thomas autem 2. 2. q. 83. art 15. ad quatuor conditiones illas reuocat. ſcilicet vt quis neceſſaria petat ad ſalutem, & piè, perſeueranter, ac pro ſe petat: ſed aliquæ ex his conditionibus incertæ ſunt: aliæ vero maiori indigent explicatione, vt plures inuoluunt conditiones, quas explicatius numerare neceſſe eſt.

Aug.

Impetratio per orationem aliquando eſſe poteſt ex Dei benignitate

Cōditiones ad impetrandum neceſſariæ ex vi Diuinæ promiſsionis. D. Tho.

4. *1. Conditio Orationem de re bona, & honeſta eſſe debere.*

Prima ergo conditio eſt vt oratio ſit de re bona, & honeſta, atque adeo vt ipſa oratio bona, & honeſta ſit. Hoc conſtat in primis, ex ſupra poſita & recepta definitione orationis à Damaſceno data *Oratio eſt petitio decentium à Deo.* Propter quod diximus in principio huius libri, petitionem malam Deo oblatam non mereri nomen orationis, quia licet ſoleat interdum ita appellari propter generalem rationē petitionis: iuxta illud Pſalm. 108. *Oratio eius fiat in peccatum,* tamen vt nūc de oratione loquimur prout eſt actus Diuini cultus, & Religionis, nomen orationis non meretur. Vnde certum eſt promiſsionem dictam ad talem petitionem non pertinere. Eſt autem hoc longe certius, quoties quis petit aliquid, quod ſine peccato fieri non poteſt: nam ille rē omninò indignam, & indecentiſsimam à Deo petit, nimirum, vt ipſe auctor peccati fiat. Quapropter licet id quod petitur, de ſe non ſit mortale peccatum, ſed veniale tantum, nihilominus illud petere à Deo, mortale peccatum eſt: quia in hac materia reſpectu Dei non poteſt dari materia leuis, ſed tota eſt grauis. Sicut de periurio aſſertorio dici ſolet, ſemper eſſe mortale, etiamſi mendacium, quod iuratur, ſit de re leui, quia facere Deum teſtem mendacij etiam leuiſsime: iniurioſiſsimum Deo eſt, ita ergo petere ab illo, vt ſit auctor peccati etiam minimi, grauiſsima iniuria illius eſt. Eſt ergo talis oratio non ſolum inefficax, ſed etiam valde nociua, vel (vt alij loquuntur) nō tantum mortua, ſed etiam mortifera.

Pſalm. 108.

Petere à Deo aliquid maliciâ veniale inuoluens, peccatum mortale eſt.

5. *Oratio de re indifferenti cur infallibilem promiſsionem nō habeat.*

Sed quid, ſi aliquis petat à Deo rem indifferentem id eſt, nec turpem, neque honeſtam, nec relatam ad honeſtatem, ſed ſolum ob iucunditatem, vel humanam vtilitatem, quam habet? Reſpōdeo, talem orationem ſine dubio non habere promiſſionem infallibilem: quia ſecundum probabiliorem ſententiam bona non eſt, neque honeſta. Quia ex vi rei poſtulatæ non habet honeſtatem, cum ſupponatur illam eſſe indifferentem, neque etiam ex fine, quia ſupponimus, non referri eandem rem indifferentem in finem honeſtum, ergo ex nullo capite eſt bona indifferens autem in indiuiduo eſſe non poteſt, vt ſuppono ex probabiliori Diui Thomæ ſententia, ergo eſt peccaminoſa, ac proinde indigna vt exaudiatur, nedum vt promiſsionem habeat infallibilis impetrationis. Dices, Quamuis res poſtulata, alias indifferens, neque in bonum, neque in malum finē referatur, ipſa oratio poteſt in bonū finem referri: nam ſit in cultum Dei, imò illū principaliter intuetur, quatenus oratio eſt. Reſpondeo, petitionem de materia indifferente vt ſic, non poſſe pertinere ad Diuinum cultum, quia continet petitionem rei indecentis à Deo. Nam illa petitio proficiſcitur ex deſiderio, & poſtulat à Deo, vt illud impleat: deſiderium autem habendi rem indifferentem propter ſe ipſam, & ſine intuitu honeſtatis, eſt turpe deſiderium, & ideo petere à Deo, vt tale deſiderium impleat, turpe etiam eſt, qua de cauſa non poteſt ad Dei cultum pertinere. Fallitur ergo, qui dicit ſe ita petere propter cultū Dei, non enim petit niſi propter concupiſcentiam ſuam, vt illi ſatisfaciat, vel etiamſi aliquo modo intendat cultum, practicè errat quia vtitur medio, ſeu materia improportionata ad cultum, & ita non verum, ſed fictum, & apparentem cultum intendit. Non audeo tamen dicere talem orationem ſemper eſſe peccatum mortale, quia per illam non petitur directè à Deo aliquid quod ſine peccato fieri non poſsit: nā cum ſit indifferens, quantū eſt ex ſe, poteſt ſine peccato deſiderari, aut fieri, & licet malè faciat, qui ſine bono fine id deſiderat aut petit, tamen per ipſam petitionem non petit ipſam carentiam honeſti finis. Nam longè aliud eſt, habere deſiderium, vel petitionem cum tali circumſtantia carendi honeſto fine: aliud verò eſt petere à Deo talem circumſtantiam quod in hac oratione non ſit, ſed ſolum ponitur talis res ſimpliciter, non addendo bonum finem. Vnde poſſet Deus poſteà illam conferre, & orans poſſet illam conſequi ſine vllo peccato ſuo. Vt ſi quis, dum ludit, petat à Deo felicem ſucceſſum & lucrum, nihil aliud quam lucrum reſpiciendo, licet ipſe in modo petendi peccet, tamen quia ipſe non petit modum, ſed lucrum, & lucrari fieri poteſt ſine peccato; ideo non poſtulat à Deo peccatum: ac ſubinde, licet illa oratio bona non ſit, non eſt tamen ita damnabilis, ſicut prior. Addo denique in hoc puncto licet quis teneat, appetitum boni indifferentis poſſe eſſe indifferentem in indiuiduo, nihilominus petere à Deo complementum illius deſiderij vt ſic, ſemper videri inordinatum, & indecens, ac improportionatum ad verum Dei cultum, ideoque ſemper eſſe peccaminoſum, & contra reuerentiam Deo debitam. Et hoc modo reprehendunt frequenter Sancti orationem de his temporalibus, ſeu indifferentibus bonis propter ſe ipſa.

D. Tho.

Obiectio.

Reſponſio.

Sitne oratio de re indifferente mortale peccatum?

Vide B. Th. 1. Ioan. 5. & Amb. ſerm. 22 in Pſal. 118.

6. Sed quæri vlterius poteſt circa hanc conditio-

Debeatne oratio ad infallibiliter impetrandũ, honeſtatem habere ex omnibus circumſtantiis?

nem, eſto neceſſarium ſit ad infallibilem impetrationem orationis, quod ſit de bono honeſto, An etiam ſit neceſſariũ, vt ipſa ſit honeſta ex omnibus circumſtantiis ſuis, ſunt enim hæc duo ſeparabilia, nam poteſt quis à Deo rem honeſtam petere, & tamen in ipſa petitione habere defectum in aliqua circumſtantia, vt ſi ex fine gloriæ vanæ oret, aut cum indebita attentione. Reſpondeo breuiter, diſtinguendum eſſe, an ille defectus ſit circumſtantia actus orandi, ita vt illum reddat malum moraliter, vel ſolum ſe habeat concomitanter. Quandocunque ſe habeat priori modo: cenſeo petitionem illam non eſſe Religioſam orationem & conſequenter non habere infallibilem impetrationem, ſeu promiſsionem, ac proinde merito comprehendi ſub ſententia Iacobi capit. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*, non enim dixit, eo quod mala petatis. Quacunque ergo ratione male petatur, oratio de ſe inefficax eſt. Secus vero eſt, ſi tantum ſe habeat poſteriori modo, quia peccatum veniale concomitans non impedit ſemper bonitatem, vel meritum alterius actus, ex illo ergo capite neque impetratio orationis impediretur, quæ omnia magis ex ſeq. conſtabunt.

7\. *2. Conditio, rem impetrandam talem eſſe oportere, vt maius bonum animæ non impediat.*

Secunda conditio eſt, vt res: quæ per orationem poſtulatur, non ſit impeditura maius animæ bonum. Hanc conditionem ponit Diuus Thomas dicto art. 15. multo magis reſtrictam: dicit enim debere eſſe rem poſtulatam neceſſariam ad ſalutem, vt oratio habeat hanc infallibilem promiſsionem. Explicando vero hanc neceſsitatem declarat, ſub illa etiam comprehendi vtilitatem, quia hoc reſtringere ad neceſsitatem ſimpliciter, nimium eſſet, & valde alienũ à liberalitate Dei & generalitate verborum Chriſti: *Quicquid petieritis Patrem, &c.* Ioan. 14. 15. & 16. *Ioan 14. 15. & 16.* Si ergo, quod petitur, vtile eſt ad ſalutem, promiſsionem habet, & infallibilem impetrationem habet talis oratio, quantum eſt ex hoc capite. Quod poſſumus ſuadere argumento Auguſtini, *Auguſt.* Quia quod eſt vtile ad ſalutẽ, aliquid eſt, & magni momenti, ac põderis apud Deum, & quantum eſt ex ſe, petitur in nomine Saluatoris, ergo comprehenditur ſub illa promiſsione. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Item 1. Ioan. 5. dicitur. *1. Ioan. 5.* *Quodcumque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.* Circa quem locum aduerto, dupliciter poſſe conſtrui, primo coniungendo determinationem illam, *ſecundum voluntatem eius*, cum verbis præcedentibus. Et ſic conſtat promiſsionem limitari ſolum ad ea, quæ ſunt ſecundum voluntatem Dei, & ita legit D. Thom. *D. Thom.* Alio vero modo poteſt diſiungi illa determinatio à verbis præced. & coniungi ſequentibus, prout ſit in noua editione vulgata, & ita videtur promiſsio magis vniuerſalis. Vtroque autem modo probatur inde, quod intendimus, quia cum Deus maxime velit ſalutem noſtram, quoties petimus aliquid vtile ad ſalutem, petimus ſecundum voluntatem eius, ergo exaudimur. Cum autem dicimus id, quod petitur, debere eſſe vtile ad ſalutem, non intelligimus ſolum de vtilitate, quam poteſt res ex ſe habere, ſed quã de facto habitura eſt: multa enim poſſunt eſſe ſecundũ ſe vtilia, quæ nouit Deus futura eſſe noxia poſtulanti, & hoc ſatis eſt vt miſericorditer non dentur, ac proinde vt oratio ex ea parte non ſit infallibilis, nec ſub promiſſione comprehendatur, vt conſtat ex oratione Pauli 2. ad Corint. 12. *2. ad Cor. 12.* Et ita notarunt Auguſtinus tractatu 32. 73. 81 in Ioannem, & *Auguſt. Chryſ.* Chryſoſtomus homil. 30. in Geneſ. Dicetur autem id, quod petitur, futurum eſſe noxium, non ſolum ſi futurum ſit occaſio alicuius peccati, ſed etiamſi impediturum ſit profectum ſalutis, quia tunc non ſolum vtile non eſt ad ſalutem vt conſtat, ſed etiam eſt aliquo modo nociuum.

8\. Excogitari autem poteſt quoddam medium, videlicet vt bonum poſtulatum, honeſtum quidem ſit, non tamen per ſe conferens ad vitam æternam, neque etiam illam impediens, aut profectum eius.

An petitio rei honeſtæ non conferentis ad ſalutem, nec illam impedientis infallibiliter impetret ex vi promiſſionis?

Dubitari ergo poteſt, an hoc ſatis ſit, vt petitio talis boni habeat certam impetrationem ex promiſsione: nam D. Thom. videtur ſentire, illud ſatis non eſſe, vt oratio habeat hanc ſecundam conditionem: nam vult debere eſſe rem neceſſariam, aut ſaltem vtilem, ſi autem nihil conferat, non videtur poſſe dici vtilis. Item hoc videtur probare argumentum Aug. *D. Thom. Auguſt.* quia ſi res non confert ad ſalutem, non eſt à Saluatore, vt Saluator eſt, ergo nec poteſt peti in nomine eius, ergo non comprehenditur ſub promiſsione eius. Simile argumentum ſumitur ex loco primo Ioan. 5. *1. Ioan. 5.* reſtringendo promiſsionem ad ea, quæ petuntur ſecundum voluntatem Dei, quæ eſt de noſtra ſanctificatione 1. ad Theſſalonen. 4. *1. ad Theſſalon. 4.* Nam id, quod eſt omnino inutile ad ſanctificationem, non poteſt dici eſſe ſecundũ Dei voluntatem. In contrarium vero eſt, quia ſi attente legatur Auguſt. *Auguſt.* in illis tractatibus in Ioannem, quos ſupra citauimus, nunquam dicit, eum non petere in nomine Chriſti, qui non petit neceſſaria, aut vtilia ad ſalutem æternam, ſed eum qui petit huic ſaluti contraria. Deinde bonum honeſtum conſentaneum naturæ recte poteſt per ſe deſiderari eo ipſo, quod non obſit gratię vel profectui eius, ergo etiam recte peti poteſt: cur ergo ſub hac promiſsione nõ comprehendetur? Dicendum ergo cenſeo, ex hoc capite non reddi orationem inefficacem, neque excludi à promiſsione Diuina, ſi alias conditiones habeat. Quia, vt videbimus talis oratio nunquam non eſt aliquo modo ſupernaturalis, quod ad impetrationem ſatis eſſe videtur ex parte eius. Eo vel maxime, quod tale bonũ honeſtum nõ poteſt non prodeſſe aliquid ad ſalutem, ſi de facto homo non eſt illo male vſurus, quia ſaltem impedit omne malum, quod non eſt parum vtile ſaluti, & quantum eſt de ſe, diſponit ad aliquod maius bonum, præſertim ſi cum fide coniũctum ſit. Et ita facile poteſt ad priora motiua reſponderi, non admiſſo medio illud, quia bonum honeſtũ eo ipſo, quod nõ nocet, prodeſt, & continetur ſub bono vtili ad ſalutem.

CAPVT XXIV.

Vtrum oratio ad impetrandum debeat ex fide procedere?

1\. *Tituli explicatio.*

Diuus Tho. d. art. 15. ad 2. docet, orationem debere pie fieri, vt impetret: explicat autem tunc pie fieri, quando per eam complementum alicuius boni, & non alicuius peccati poſtulatur: quo ſenſu conditio hæc in dictis in ſuperiori capite comprehenditur. Alio ergo ſenſu dicitur pie fieri, quod ex influxu fidei, ſeu virtutum Theologicarum ſit: ſic enim more Theologico quoſdam actus vocamus pietatis. Diſtinguunt enim Theologi duplices actus bonos, quoſdam mere acquiſitos, quibus generi cum nomen accommodant, appellantes illos actus moraliter bonos, alios autem vocant actus, ſeu opera pietatis, quæ per ſe conferunt ad ſalutem, & ſine vera gratia fieri non poſſunt. *Boni actus dupplici in ſunt differentia* In hoc ergo ſenſu dici etiam poteſt oportere orationem pie fieri, vt impetratoria ſit ex vi promiſsionis. Sic autem explicata hæc conditio plures includit, ex quarum declaratione, & probatione ipſa conſtabit, vt enim pia ſit oratio, neceſſe eſt, vt ex fide procedat, & ex ſpe. Et dubitari poteſt, an influxus etiam charitatis ſit neceſſarius, de quo poſtea dicemus: nunc de fide, & conſequenter de ſpe, ſeu fiducia tractabimus.

2\. *3. Conditio.*

Dico ergo primo orationem, vt impetret, ex fide eſſe debere: quæ poteſt eſſe tertia conditio oratio-

Oratio debet procedere ex fide, vt impetratoria ſit. Matth. 21. Iacob. 1. Rom. 10. Matth. 7.

orationis,eamque docuit Chriſtus Dominus Matt. 21.dicens: *Omnia,quæcunque petieritis in oratione credentes,accipietis.* Et præmiſerat. *Si habueritis fidem, & non hæſitaueritis,&c.* Et Iacob.1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Et ad Roman.10.ait Paulus: *Quomodo inuocabunt,in quem non crediderunt?* Nam orationis promiſsio per ſe primo ordinatur ad aſſecutionem vitæ æternæ,iuxta illud Matth.7. *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Fides autem eſt principium,& fundamentum ſalutis,& ideo promiſsio non fit orationi, niſi ex fide procedat. Oportet autem exponere, cuius obiecti, vel de qua materia oporteat eſſe talem fidem:

De qua fide intelligatur conditio poſita. Marc. 11. Matth. 21.

nam Chriſtus Marci 11. dixit. *Quidquid orantes petitis credite,quia accipietis & eueniet vobis.* Et addit ibidẽ, & Matth.21.vt hæc credulitas ſit *ſine hæſitatione.* Et Iacobus dixit. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Difficile autem hoc eſt ſi de abſoluta fide intelligatur,quia non tenetur quis,dum orat, ſibi perſuadere obtenturum ſe eſſe, quod poſtulat,quia non eſt hoc ei reuelatum Oportet ergo intelligi de fide includente eam conditionem,quam includit promiſſio: Apoſtolus enim cum petebat à ſe auferri ſtimulum carnis, ex fide profecto orabat, & tamen non erat certus,ſe accepturum,quod petebat, ſed contrarium potius illi reuelatum eſt. Eodem modo hæſitaſſe videtur Dauid, 2. Regum 12. quando orans Deum pro ſalute filij dicebat: *Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi Dominus?* Sicut & Niniuitæ dicebant, *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* Ionæ 3. Quos tamen ex fide oraſſe,effectus monſtrauit. Denique cum hæc fides fundanda ſit in promiſsione, quæ conditionata eſt,& non ſit reuelatum, conditionẽ eſſe impletam, non poteſt fides eſſe abſoluta, quia non fundaretur in Diuina reuelatione.

2. Reg. 12. Ionæ 3.

3\. *Sitne fides promiſsionis in petitione neceſſaria ad infallibiliter impetrandũ?*

Maius dubium eſt,an requiratur fides ipſius promiſsionis? In quo non eſt dubium,quin habenti ſufficientem notitiam promiſsionis, neceſſaria ſit fides eius, quia hoc euidenter colligitur ex citatis teſtimonijs, & eſt per ſe euidens, ſuppoſitis alijs principiis fidei, quia tenetur vnuſquiſque credere, Deum eſſe veracem,& fidelem in verbis ſuis. Vnde cum Deus fuerit adeo liberalis in promittendo, merito ab homine exigit talem fidem. Quod ergo dubitari poteſt,ſolum eſt, An oporteat diſtinctè habere notitiam huius promiſsionis, & ex fide illius petere, vt oratio habeat conditionem requiſitam ad impetrandum infallibiliter,difficile enim eſt, in hoc ſenſu hanc conditionem poſtulare ab omnibus pie orantibus,ſunt enim multi fideles,& idiotæ, & ignorantes, qui nunquam de tali promiſsione quicquam audierunt, vel vim eius,& efficaciam nunquam ſatis intellexerunt propter ruditatem ſuam,& nihilominus magna fide, & pietate orant, credentes,Deum eſſe omnipotẽtem, & miſericordem, & hoc ſatis eſſet ad poſtulandum ab illo cum magna fiducia. Ego quidem ſentio, per ſe teneri omnes Chriſtianos ad ſciendam, & intelligendam hanc Diuinam promiſsionem, vt ex fide explicita illius orare poſsint. Nam hoc plane videtur Chriſtus Dominus voluiſſe in citatis locis, vt magis infra in vltima conditione declarabimus. Nihilominus tamen cenſeo, ſi quis habeat ignorantiam inuincibilem talis promiſsionis, & petat, credendo firmiter,Deum poſſe dare,quod petitur,& eſſe bonum,ac miſericordem ad dandum, ſi & nobis expedit, & ex parte noſtra non eſt impedimentum, illam eſſe ſufficientem fidem, quam videtur etiam poſtulaſſe Chriſtus Matth.9.quando dixit, *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* Qui enim ſic orat, vult certe orare ex perfecta fide,& eo modo quod Deus vult orari,ideoque habet implicitam fidem,& promiſsionis, & effectus eius ſi conditio impleatur. Item qui ſic credit in Deum, credit illi tanquam primæ veritati,ergo implicite credit, illum eſſe fidelẽ, ac proinde impleturum promiſsiones ſuas, quamuis forte ignoret in particulari,an fecerit.

Matth. 9.

Obiectio.

Dices: Quid ergo exigitur ab orante, quando ab eo requiritur,vt non hæſitet, quia ſi ſolum poſtulatur,vt non dubitet de poteſtate Dei, nec de miſericordia,aut fidelitate vel veritate, nihil in hoc petitur præter ipſam ſubſtantiam fidei: nam qui in his dubitat,vere non credit,ſed infidelis eſt,at per illud verbum aliquid aliud vltra fidem poſtulari videtur, ergo oportet, vt non hæſitet, ſe accepturum, quod petit,non ſoluin ſub conditione ſi expediens fuerit, vel alia ſimili: nam hoc in ſubſtantia fidei, & obiecto eius continetur,& dubitare in hoc,eſſet dubitare in fidelitate Dei ergo oportet,vt abſolute nõ hæſitet. Hæc obiectio præbebat occaſionem refutandi hæreticos huius temporis,qui de fide iuſtificante ita ſentiunt, vt cogant homines ad credendum cum abſoluta certitudine effectus dependentes ex libertate,etiam in indiuiduo, & in particulari. Sed hoc alterius negotij eſt & ideo illam diſputationem omittimus. Reſpondetur ergo, verum eſſe per illam negationem *non hæſitandi*, nouam conditionem in oratione requiri, quam ad eius pietatem pertinere, dicere etiam poſſumus. Eſt autem illa conditio non quidem, vt abſoluta certitudine credamus,dandum eſſe,quod petimus, quod in obiectione inferebatur, ſemper enim formidare poſſumus,vel etiam dubitare,non de Deo, ſed de nobis, aut de conuenientia rei, quam poſtulamus. Vnde hæc formido, vel dubitatio, ſi ſit quaſi ſpeculatiue (vt ſic dicam) in ſolo intellectu, non intelligitur nomine hæſitationis,quam habere prohibemur.

Reſponſio.

5\. *4. Conditio. Orationem cum firma ſpe fieri debere, vt impetret quæ ſpes vocari ſolet fiducia. Huic fiduciæ opponitur hæſitatio. Iacob 1.*

Eſt ergo altera conditio orationis, vt fiat cum ſpe firma, & robuſta, quæ fiducia interdum appellatur, magiſque ad voluntatem pertinet, quam ad intellectum: huic autem fiduciæ opponitur hæſitatio: nam qui hæſitat quaſi hæret & non audet progredi,aut operari, & in præſenti materia non audet petere,fiducia vero impellit ad opus,& ſi vehemens ſit facit poſtulare magno affectu, & efficacitate, & hoc eſt, quod dicitur: *Poſtulet in fide nihil hæſitans.* Quod bene explicat ſimilitudo, quam ſubiungit Iacobus,dicens: *Qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris,qui à vento mouetur & circumfertur.* Quia qui hãc fiduciam non habet,neque in deſiderando, neque in petendo habet ſtabilitatem. Hoc etiam optime declarant verba Pauli ad Rom.4. vbi de Abraham dicit: *Contra ſpem in ſpem credidit,* quod declarans (inquit) *Et non infirmatus eſt fide.* Et infra *In repromiſſione Dei nõ hæſitauit diffidentia,ſed cõfortatus eſt fide &c.* Quibus verbis declarat, Abraham habuiſſe fidem, credendo Deo, & debitam fiduciam non hæſitando:& quia firmitas ſpei in fide fundatur,ideo dicit, illum fuiſſe confortatum fide. Hoc ergo poſtulat Chriſtus,& cõfirmat Iacobus in noſtro orandi modo. Vnde Matth.9.ait Chriſtus. *Confide fili.* Et Paulus ad Hebræos 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur,& gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Hanc denique conditionem orationis explicauit Dauid Pſalm. 90. dicens. *Quoniam in me ſperauit liberabo eum.* Et Danielis 3. ait Azarias. *Non eſt confuſio confidentibus in te.* Et ca.13. *Exclamauit omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum,qui ſaluat ſperantes in ſe.*

Roma. 4. Matth. 9. Hebr. 4. Pſal 90. Daniel. 3 & 13.

6\. *Difficultas ad maiorem poſita conditionis declarationem.*

Sed adhuc non quieſcit animus,quia non poteſt eſſe maior ſpes, vel fiducia, quam ſit fidei certitudo, cum ad ſpem ſolum ex fide deriuetur, ergo ſi nunquam oramus cum fide abſolute certa de obtinen-

tinenda re poſtulata nec orare poſſumus cum fiducia magis firma, ergo ſicut illa fides non excludit omnem dubitationem intellectus, ſed ſolum illam, quæ ex infidelitate, vel impotentia Dei oriri poſſet, ita nec fiducia talis eſſe poteſt, quæ excludat omnẽ hæſitationem, ſed illam tantum, quæ ex dubio circa Dei potentiam, vel fidelitatem prouenire poteſt, non autem illam, quæ ex incertitudine aliarum cõditionum concipi poteſt. Quod ſi hoc totum verũ eſt, nulla eſt differentia quoad hoc inter fidem, & fiduciam, ac ſubinde fieri non poteſt, vt aliquis oret ex ſufficienti fide, quin etiam oret cum ſufficienti fiducia, ergo nec poteſt in fide petere, niſi etiam nõ hæſitet in fiducia. Hoc autem eſt contra dicta, & videtur eſſe alienum à verbis Chriſti, & Iacobi. Et explicatur amplius difficultas: nam ſi ſtat, habere ex parte intellectus firmam fidem ſine hæſitatione illi repugnante, quæ eſſe non poteſt niſi dubitatio, & cum hac fide ſtat hæſitatio ex parte fiduciæ vitioſa, & reprehẽſibilis, & impediens orationis efficaciam, interrogo, quid ſit, & in quo conſiſtat illa hæſitatio? Nam vel eſt timor, ne forte Deus non poſſit, aut nolit ex ſe dare, quod petitur, etiamſi nulla conditio orationi deſit. Et hoc non, quia talis timor non poteſt eſſe ſimul cum illa fide ex parte intellectus, nam ex incredulitate naſcitur. Vel eſt timor propriæ infirmitatis, aut alterius defectus propriæ orationis: & hæc hæſitatio reprehendi nõ poteſt, quia omnino tolli non poteſt. Vnde ſi carentia illius neceſſaria eſt, profecto conditio impoſſibilis poſtulatur.

7. *Quid excludat in oratione negatio hæſitandi tam ex parte intellectus, quam voluntatis.*

Propter hæc cenſeo per illam conditionem, ſeu non hæſitationem non excludi quoad intellectum, niſi dubitationem certitudini fidei repugnantem, & quoad voluntatem ſolum excludi illum timorem, vel animi trepidationem, quæ excludat Theologicam ſpem. Ac proinde, ſi ratio fiat ex vera fide, & ſpe, ex hac parte habere conditionem ſufficientem ad impetrandũ infallibiliter ex vi promiſſionis, quantumuis vel ex parte intellectus interueniat aliquod genus formidinis, vel dubitationis indeliberatæ, quæ ad infidelitatem non perueniat, vel ex parte volũtatis intercedat nimius timor, vel puſillanimitas ex conſideratione proprij defectus concepta. Nam hi defectus vel non ſunt culpabiles, vel non grauiter, vnde non excludunt verum actum fidei, & ſpei, nec reddunt culpabilem ipſam orationem, ſed ad ſummum concomitanter ſe habent, quo non obſtante, talis oratio pie ſit, ergo ex hac parte ſufficientes habet conditiones. Sed licet hoc verum ſit, nihilominus negandum non eſt, tam in fide, quam in fiducia poſſe inueniri magis, & minus in excludenda hæſitatione, & quo in hac conditione fuerint perfectiores, eo efficaciores eſſe ad impetrandum. Dicit enim Paulus 1. ad Corint. 3. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam*, id eſt, perfectam fidem, vt omnes exponunt, ſupponit ergo Paulus poſſe aliquem habere veram, & ſubſtantialem fidem, & non habere ita perfectam: alludit autem Paulus ad verba Chriſti Matth. 21. *Si habueritis fidem & non hæſitaueritis, &c.* Et Matth. 17. increpauit Apoſtolos de incredulitate, ei attribuens, quod non potuiſſent lunaticum curare, cum tamen veriſimile non ſit, eos habuiſſe incredulitatem infidelitatis, ergo poteſt fides, vel fiducia habere alium defectum, qui ſubſtantiam fidei, & ſpei non corrumpat, & nihilominus efficaciam orationis multum impediat.

Tam fides quã fiducia magis, aut minus hæſitationis habere poſſunt.

1. Ad Corinth. 3.

Matth. 21.
Matth. 17.

8. *Defectus fidei non repugnans cum eius ſubſtantia ex parte intellectus in exercitio actus conſiſtit, non in ſpecificatione.*

Hunc autem defectum ex parte intellectus pertinere exiſtimo ad practicum potius, quam ad ſpeculatiuum, & ad exercitium actus potius, quam ad ſpecificationem. Quod ita declaro, nam fides, quatenus tantum præbet aſſenſum veritati reuelatæ, & in hoc ſiſtit, ſpeculatiua eſt, quia ſolum veritati cognoſcendæ, ſeu credendæ incumbit: extenditur autem ad praxim, quando veritatem creditam applicat voluntati, vt ſecundum illam moueatur, ſeu operetur. Et ita fieri poteſt, vt aliquis non habeat defectum in aſſenſum fidei, neque in certitudine, qua credit, Deum eſſe fidelem in ſuis promiſſis, & quod ex ea parte non ſit inefficax oratio, & nihilominus deficiat in applicanda practice hac veritate voluntati, vt ſecundum illam cum magna fiducia oret. Rurſus quamuis quis in habitu credat, & nullum habeat actum, vel dubitationem actualem contrariam certitudini fidei, nihilominus deficiat in actuali fide, non quoad ſpecificationem, ſed quoad exercitium eius, quia nimirum non actu conſiderat promiſſionem Dei, & veritatem eius, ex quo defectu contingit, vt hæſitet in petendo, ſolum attendens ad difficultatem, ſeu magnitudinem rei poſtulatæ, vel ad propriam indignitatem. Ex hoc autem duplici defectu intellectus prouenit in voluntate proportionalis defectus in ſpe, & fiducia, nam interdum animus orantis non erigitur ſpe, nõ quia deſperet, ſed quia non actu exercet ſpem: vnde fit, vt animus eius fluctuet, & deficiat in petẽdo, ſicut oportet. Interdum vero licet ſpem exerceat, tamen tepide, & remiſſe, & ideo, vel non perſeueranter petit, vel in ipſamet petitione nimium eſt remiſſus, & etiam plus hæſitat, vel dubitat, quam ſecundum rectam rationem poſſit, aut debeat, quod totum redundat in imperfectionem, & defectum fiduciæ debitæ, quamuis hæſitatio ſit ſub eo colore, quod non ex parte Dei, ſed ex alijs capitibus concipitur, quia debita fiducia in Deum deberet illum defectum ſuperare, ac vincere.

Defectus in ſpe, & fiducia ex parte voluntatis prouenit proportionaliter ex defectu fidei ex parte intellectus.

9. *Fiducia petentis non ſolum ex promiſſione Dei, ſed etiam ex eius bonitate, & alijs attributis augeri poteſt.*

Vnde etiam addere poſſumus, quod licet fiducia niti poſſit in promiſſione Diuina, non tamen in ſola illa, ſed etiam in bonitate, & liberalitate Dei, ac propterea quamuis ſola promiſſio non tollat abſolutam incertitudinem effectus, nihilominus fiduciam petentis multum poſſet confirmari ex fide, & conſideratione bonitatis, charitatis, & aliorum attributorum Dei, ex qua licet non perueniatur ad iudicandum certo, & infallibiliter, Deum effecturum, quod petimus, ſæpe tamen peruenitur ad iudicium ita credibile, ac determinatum, vt excludat omnem actualem hæſitationem, & animum orantis pacatum reddat. Hæc ergo perfectio orationis videtur à nobis poſtulari in Scriptura, præſertim in rebus, quæ ad ſalutem animæ pertinent, quia licet per ſe, ac formaliter non ſit neceſſaria (vt dixi) ad impetrandum tamen interdum eſſe poteſt, vel propter perſeuerantiam orationis, de qua ſtatim dicemus, vel quia ob hanc perfectionem fiduciæ interdum dat Deus bonum, quod alias non daret, quia vel non erat ita neceſſarium, vel non habebat alias conditiones, propter quas ex vi ſolius promiſſionis illud dare teneretur. Et ideo quando Deus vult per aliquem operari miraculum, ſolet ita mouere animum petentis, vt nihil hæſitet, ſed firmiter credat illum impetraturum, quę ſolet dici fides miraculorum: & numeratur inter gratias gratis datas, prouenitque ex quadam peculiari motione, & prę-ueniente gratia, cui homo non poteſt reſiſtere quãtum ad illam particularem firmitatem intellectus, licet quoad actum deſiderandi, & petendi libere operetur. Frequentius vero, licet non tam ſpecialis gratia concedatur, datur maior, vel minor præueniens gratia, ita mouens ad petendum cum fiducia, vt magis etiam, vel minus hæſitationem tollat, vel animum petentis ſecurum reddat, quomodo dixit

Fides miraculorũ quæ dicatur.

Caſsia-

Caſſianus

Caſsianus Collat. 9 capit. 32. ſignum futuræ impetrationis eſſe, quando Spiritus ſanctus monet ad petendum cum magna fiducia, & quaſi ſecuritate impetrandi.

10. *Fiducia orãtis cauere debet præſumptionem.* *Pſalm. 101.* *Eccleſ. 35.*

Eſt autem vlterius circa hanc conditionem cauendum, ne fiducia tranſeat in præſumptionem, & ideo dicunt Sancti, orationem ita debere eſſe cum fiducia, vt tamen ſimul ſit cum humilitate, quia fiducia illa debet tota niti in Deo, non in ſe, vnde dicitur Pſalm. 101. *Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum.* Et Eccleſiaſt. 35. *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrat.*

Obiectio. Dices: Ergo nunquam licet oranti habere fiduciam aliquam in propriis meritis, vel propria diſpoſitione, etiamſi hæc dona ex gratia Dei eſſe, recognoſcat. Conſequens eſt falſum, ergo. Sequela patet, quia ſi oratio niti debet in ſolo Deo, ergo non in merito proprio, quia meritum non eſt ſolius Dei, ſed eſt noſtrum.

11. *Solutio.*

Reſpondeo (omiſſo errore Caluini, & aliorum hæreticorum huius temporis contra quos in materia de Merito agitur) in hoc cauendum eſſe vtrumque extremum, tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Ex parte intellectus cauendum eſt, nequis putet, merita propria nihil valere ad dandã vim orationi, vt impetratoria ſit: hoc enim ſentire erroneum eſt, quia ſuppono ſermonẽ eſſe de vero merito ex gratia facto: conſtat autem ex Scriptura, & ex vſu Eccleſiæ, bona opera multum conferre ad impetrandum. vt de eleemoſyna dicitur Tobiæ 4. Et Iſaiæ. 58. Vbi prius petuntur opera miſericordię: & deinde ſubiungitur, *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet.* Item cordis munditiam orationi magnam vim conferre teſtatur Ioan. 1. Canon. cap. 3. Vnde eſt illud Pſal. 33. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* Et ideo ſolemus coniungere ieiunia, eleemoſynas, & afflictiones corporis, vt efficacior reddatur oratio. Quod duobus modis poteſt fieri, ſcilicet, vel quia multiplicantur tituli, & cauſæ ad obtinendum. quod deſideratur, vel quia perſona redditur apud Deum purior, & ſanctior, & conſequenter aptior ad impetrandum, iuxta ea quæ infrà dicemus.

Tob. 4. *Iſai. 58.* *Ioan. 1. Canon. cap. 3.* *Pſal. 33.*

12. Aliunde verò cauendum etiam eſt, ne quiſpiam principalem fiduciam impetrãdi ponat in ſuis meritis: ita vt credat, ratione meritorum ſibi eſſe debitum, quod petit. Nam licet verum ſit, dari in iuſtis merita de condigno, quibus reſpondet certum aliquod præmium ſuo tempore dandum, tamen in hac vita non poſtulamus illud præmium, prout ſub ea ratione debitum eſt, ſed prout in ipſa gratia gratis datur, id eſt, poſtulamus ipſam gratiam, quæ non ex meritis, ſed ex miſericordia datur, & ſimiliter poſtulamus alia beneficia, quæ ordinariè non meremur de condigno, præſertim quia ſemper poſſumus eſſe incerti de talibus meritis, & multò magis de perſeuerantia in illis.

13. *Qui orat ſi ductaliter ſua merita non debet conſiderare quaſi fundamenta impetrationis* *Luc. 18.* *Conſiderari poterunt illa merita ad examinandam Conſcientiam, vel expellendam pusillanimitatem.*

Vnde fit tertio, vt qui orat, raro, aut nunquam debeat conſiderationem ponere in propriis meritis, vt inde impetrandi fiduciam accipiat, quia in hoc magnum eſt periculum ſuperbiæ, & deceptionis. Quod declarauit Chriſtus Dominus in parabola de Phariſæo, & Publicano Lucæ 18. Dico autem non eſſe conſideranda propria merita ad fundandã in eis impetrationem, nam ad examen propriæ cõſcientiæ (ne forte ex hac parte ponatur à nobis impedimentum) conſiderari, vel potius examinari poſſunt opera noſtra, dum petimus. Vnde hoc modo dixit Ioannes. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* 1. Ioannis 3. Interdum etiam conſiderari poſſunt ad expellendam nimiam puſillanimitatem, recognoſcendo ſemper illa tanquam beneficia Dei, & concipiendo ſpem, non in nobis, ſed in ipſo. quia, qui illa contulit dabit & maiora. Et hoc modo legimus, interdum Sanctos in oratione ſua commemorare præcedentia merita, vt Ezechiam Iſaiæ 38. *Obſecro Domine, memento, quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto.* Et Dauid Pſalm. 118. *In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. &c.* Non ergo repugnat humilitas cum aliqua conſideratione meritorum, ſed excludit imprimis nimiam exiſtimationem de ſuis meritis, & deinde excludit principalem fiduciam in illis, & hoc modo humilitas eſt neceſſaria ad impetrationem orationis.

Hoc modo Sancti Deo ſua merita in oratione proponebant *Pſal. 118.*

CAPVT XXV.

Vtrum neceſſaria ſit charitas ad impetrandum per orationem, & conſequenter, An oratio peccatoris audiatur?

CERTVM exiſtimo, non eſſe neceſſarium actualem, vt ſic dicam, concurſum charitatis, quia nec ad ſubſtantiam orationis ſupernaturalis, & Religioſæ hoc neceſſarium eſt, vt ſupra dixi, nec etiam oſtendi poteſt, vnde ſit neceſſarium ad infallibilem impetrationem. De charitate autem habituali eſt alia ſpecialis conditio, quæ nunc tractanda eſt. Aliqui enim exiſtimant, neceſſarium eſſe ad efficacem impetrationem orationis ſtatum orantis, vt ſcilicet ſit in gratia, & non in peccato mortali, quia licèt peccator poſſit ſine peccato orare, vt ſupra dictum eſt, nihilominus vt oratio hominis infallibiliter ſit efficax, neceſſarium creditur, vt ſit in ſtatu gratiæ. Hæc enim conditio videtur ſæpe in Scriptura poſtulari, vt in loco proxime citato 1. Ioan. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, &c.* Et apertius Pſalm. 65. *Si iniquitatem aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Prouerbiorum 21. *Qui declinat aures ſuas, ne exaudiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Vnde Ioan. 9. dixit ille cæcus, *Scimus quia Deus peccatores non exaudit.* Et licet Auguſtinus interdum ſignificet, illi non eſſe integram fidem dandam, tamen idem videtur dicere Deus per Iſaiam capit. 1. *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.*

1 *Actualis charitas ad orationem non eſt neceſſaria.* *Nonnulli ad orationẽ impetratiuã requirunt habitualem charitatem in orante.* *1. Ioan. 3.* *Pſal. 65.* *Prou. 21.* *Ioan. 9.* *Aug.* *Iſai. 1.*

Veruntamen hæc loca nimium probare videntur, & ideo neceſſario ſunt aliquo modo limitanda. Quia ex illis ſequeretur, orationem peccatoris non ſolum non ſemper, verum etiam nunquam exaudiri, conſequens eſt falſum, ergo. Sequela patet, quia Dauid, Iſaias, & Cæcus ſimpliciter proferunt, Deum non exaudire tales orationes. Minor autem patet, quia conſulimus peccatores, vt orent, & Patres, ac Concilia docent, hoc eſſe vnum ex medijs, vel neceſſarijs, vel vtiliſsimis ad obtinendam à Deo gratiam, ergo talis oratio poteſt eſſe vtilis, & impetratoria. Vnde Publicanus ille Lucæ 18. nec fruſtra, nec ficte orabat dicens, *Propitius eſto mihi peccatori*: fruſtra autem id diceret, ſi Deus peccatores non exaudiret. Ergo certum eſt, ſtatum gratiæ non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad impetrandum, ergo allata teſtimonia neceſſario ſunt limitãda ad aliquam ſpecialẽ orationem peccatoris, ergo extra illam non eſt, cur negemus orationem pecca-

2. *Illorum opinio non probatur.* *Luc. 18.*

Digitized by Google

peccatoris, quæ apta eſt, vt exaudiatur, habere infallibilem promiſsionem, & conſequenter ſtatum gratiæ non eſſe ponendum inter conditiones neceſſarias ad infallibilitatem orationis.

3. *Auguſt.* *Baſil.* *Luc. 11.*

Atque ita plane ſenſiſſe videtur Auguſtinus tract. 44. in Ioannem, & Baſilius in Cõſtitutionibus Monaſticis, capit. primo, vbi, ad hoc expendit parabolam Luc. 11. quæ ita concludit. *Dico vobis, & ſi non dabit illi, eo quod amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi, quotquot habet neceſſarios.* Quibus verbis ſignificatur, Deum non ſolum exaudire orationem propter amicitiam orantis, ſed etiam propter ipſammet orationem, ſi reliquas conditiones habeat. Chryſoſtomus etiam in Imperfecto Matthæi, hom. 18. circa illa verba capitis 7. *Omnis enim, qui petit, accipit*, expreſſe dicit, illam affirmationem, ſeu promiſsionem non ſolum ad iuſtos, ſed etiam ad peccatores pertinere. Quod colligit ex diſtributione: *Omnis qui petit, Siue iuſtus*, inquit, *ſiue peccator.* Quod alijs argumentis ex miſericordia, & perfecta Dei charitate ſumpti probabiliter confirmat. Idem plane ſentit Diuus Thomas dicta quæſtio. 83. articulo 16. nam de oratione peccatoris ſimpliciter ait, fore exaudiendam, ſi habeat quatuor conditiones articulo 15. poſitas. Et hanc ſententiam his terminis Sancti Thomæ declaratam cenſeo veram, quia promiſsiones Chriſti generales ſunt, & non ſunt limitandæ, vbi nec verba cogunt, nec materia, nec ratio Diuinæ iuſtitiæ, & alioqui Diuina miſericordia ſine tali limitatione magis commendatur. Nam & orationis ius in impetrando non fundatur in dignitate perſonæ orantis, ſed in miſericordia Diuina, & verbo eius, ergo indignitas peccatoris non obſtabit impetrationi etiam infallibili, ſi alia neceſſaria concurrant.

Chryſoſt. *Matth. 7.* *D. Thom.*

D. Tho. ſententia, quæ affirmat peccatoris orationẽ audiri, adiunctis neceſſarijs conditionib. vera cenſetur.

4. *Teſtimonia Diuinæ Scripturæ, quib. 3. opinio probatur, explicantur.*

Loca ergo illa Scripturæ, quæ profitentur, Deum non exaudire orationes peccatorum, intelligi poſſunt formaliter de orationibus, quas vt peccatores fundunt, id eſt, quæ peccatum eorum per prauam intentionem, vel aliam malam circumſtantiam participant. Hoc ſenſu videtur plane locutus Cœcus ille, cum dixit, *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*, volebat enim defendere Chriſtum, quod peccator non eſſet, quia Deus non exaudit peccatores, vtique ad facienda miracula in confirmationem ſui mendacij. Licet enim Deus interdum faciat miracula per hominem peccatorem ad confirmandam veram fidem, magis ob bonum ipſius fidei, & Eccleſiæ, quam ob vim talis orationis, è contrario nunquam exaudit orantem praua intentione ad confirmandum mendacium per miraculum, quia ſe ipſum faceret auctorem, vel confirmatorem mendacij. Hoc ergo modo Deus peccatores orantes non exaudit. Item ſi peccator oret petendo, vel prauum aliquod opus, vel temporalia bona praua intentione, cum Deus non exaudiet. Dices: Hoc modo etiam iuſtos Deus non exaudiet. Reſpondeo, ſi is, qui antea iuſtus erat, hoc modo oret, eo ipſo efficitur peccator, & ideo ſub illa lege comprehenditur non vt iuſtus, ſed vt peccator. Dico autem non exaudiri, quia ſi Deus interdum facit, quod ita ab eo petitur, non facit propter orationem, ſed regulariter id facit iuſto iudicio in ſupplicium petentis, iuxta ſententiam Auguſtini tractatu 73. in Ioannem, & ſerm. 55. de Verbis Domini, dicentis, ſæpe Deum iratum concedere, quod male ab eo petitur, præſciens noxium futurum eſſe petenti. Aliquando vero poteſt Deus id facere ex ſuperabundanti miſericordia, vel propter alias rationes prouidentiæ ſuæ, etiam ſi in tali oratione nulla ſit impetrandi ratio.

Occurritur obiectioni. *Auguſt.*

5. *Triplex gradus peccatorum diſtinguitur, & in vnoquoque expenditur certitudo vera ſent.*

Addo tandem, hanc ſententiam non eſſe æque certam in omnibus peccatoribus, poſſumus enim tres gradus in illis diſtinguere. Primus eſt, quando re vera, & coram Deo homo eſt in ſtatu peccati: ipſe tamen bona fide ignorat, quia fortaſſe putat, ſe eſſe contritum, & tantum eſt attritus, vel quia non ſatis aduertit ſuum lapſum, & ideo facile illius oblitus eſt. Et de huiuſmodi peccatore non videtur dubitandum, quin exaudiatur, ſi alias recte oret: nam ſecundum exiſtimationem moralem ille eſt iuſtus, nec videtur veriſimile, plus Deum ab homine poſtulare. Imo exiſtimo, quoties homo repente excitatur ad orandum aliqua occaſione, (ita vt naturaliter non aduertat, nec cogitet de ſtatu ſuo, ſed impetu fidei, & fiducia recurrat ad Deum) ſtatum peccati non impedire, quominus oratio exaudiatur, quia tunc ille facit, quod in ſe eſt, iuxta Diuinum auxilium, quo excitatur, & alias ſanctitas perſonæ non eſt de intrinſeca ratione impetrationis.

1. Gradus eſt quãdo peccator orat, ignorans ſe peccatum habere, in quo vera eſt poſita ſent.

6. *2. Gradus eſt peccatoris orãtis in peccato de quo dolet ſimulq; de imperfecta eius cõtritione, in quo etiam ſententia eſt certa.* *Auguſt.* *Obiectioni reſpondetur.*

Secundus gradus eſſe poteſt, quando peccator aduertit ſtatum ſuum, & de illo dolet, non tamen perfecta contritione, & hoc ipſum videt, & de hoc etiam dolet, & recurrit ad Deum petendo auxiliũ. Et de huiuſmodi peccatore etiam exiſtimo infallibiliter exaudiri, ſaltem quoad ea, quæ ad ſuam ſalutem pertinent, ex miſericordia Dei, & promiſsione, non ex iuſtitia. Et hoc probat exemplum Publicani cum doctrina Auguſtini, & aliorum Patrum. Et ratio etiam iuuat, quia ille homo facit etiam, quod in ſe eſt per auxilium gratiæ, & aliæ rationes ſupra factæ habent hic locum. Dices: Cur ergo in Scriptura additur particula *forte*, cum de huiuſmodi oratione agitur? Reſpondeo, vel quia non ſolum poſtulatur, quod ad ſalutem pertinet, ſed etiam remiſsio alicuius pœnæ temporalis huius vitæ, quæ per ſe non habet infallibilem impetrationem, ſicut orarunt Niniuitæ Ionæ 3. Vel quia incertum eſt, an is, qui orat, habeat diſpoſitionem ſufficientem ad obtinendum, quod poſtulat, ſeu an cooperaturus ſit gratiæ Dei. Quomodo dixit Petrus ad Simonem Magum, Actorum 8. *Pœnitentiam age, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Daniel. capit quarto. *Forſitan ignoſcet delictis tuis*, Quamuis ibi non ſit ſermo de oratione, ſed de eleemoſyna, quæ ad ſummum eſt meritoria de congruo, ſi ex auxiliante gratia fiat ante gratiam ſanctificantem, & ideo non habet infallibiliter effectum gratiæ efficaciter remittentis peccata.

Ionæ 3. *Actor. 8.* *Daniel. 4.*

7. *3 Gradus eſt peccatoris ſuã maliciã conſiderãtis nec de illa dolẽtis cuius oratio non impetrat infallibiliter.*

Tertius gradus eſt, quando peccator, licet ſuum ſtatum cognoſcat, & conſideret, nullo modo de illo dolet, neque illum mutare proponit, ſed voluntarie in eo permanet, & nihilominus à Deo poſtulat beneficia temporalia, vel etiam ſpritualia. Et de oratione talis hominis probabile profecto eſt, non habere infallibilem promiſsionem, imo & raro exaudiri, ſiue id ſit, quia oratio talis hominis raro poteſt habere alias conditiones neceſſarias, ſiue quia indignus eſt exaudiri, qui Diuinam amicitiam quodammodo contemnit. Nihilominus tamen hoc non eſt certum, & ideo ita ſunt huiuſmodi peccatores deterrendi, per timorem, quod Deus ipſorum orationem non exaudiet, vt non omnino in deſperationem adducantur, & ab vſu orationis auertantur. Non ſunt enim iſti tam obſtinati in peccato, vt habeant propoſitum nunquam pœnitendi: (nam ſi qui ſunt huiuſmodi, vix poſſunt conueniẽter orare) regulariter enim & ſi differant pœnitentiam, & ſecundum præſentem iuſtitiam voluntarie in peccato maneant, nihilominus habent animum tandem aliquando pœnitendi, & interim orant, & interdum interceſsiones Sanctorum procurant, & nonnunquam peculiarem, & pium affectum, vel deuo-

Peccatores huiuſmodi ab oratione auertendi non ſunt.

Digitized by Google

Vide Tolet. Ioan. 7. in notat. 21. in principio, & Ioan. 16. annotat. 31.

deuotionem habent, hi ergo animādl potiùs, quàm deſperandi ſunt, nam ſæpe Deus orationes illorum benigne exaudit, & illos interdum miraculosè conuertit, vt ex hiſtorijs Sanctorum conſtat. Vnde non eſt improbabile quod ſi pia intentione, & firma fide ac fiducia perſeuerātur petant neceſſaria ad conuerſionem ſuam, tandem exaudiātur, niſi multum gratiæ Dei reſiſtant, hoc enim ſemper in eorum poteſtate relinquitur.

CAPVT XXVI.

V. Perſeuerantia orationis ſit ad impetrandum neceſſaria?

1\. *Alia orationum conditio quæ in perſeuerantia conſiſtit. Luc. 11. Baſil. Cyrillus. D. Thom. Luc. 18.*

HAEc conditio eſt in Scriptura multum cōmendata, & repetita, & ad explicandum non facilis ad exequendum verò difficilior: illam vero explicuit nobis Chriſtus Dominus duabus illis parabolis, altera de illo, qui petijt tres panes ab amico, &cæt. Lucæ vndecimo: altera de vidua, quæ à iudice vindictam petijt, & per importunam perſeuerantiam impetrauit. Ita ponderauit Baſilius in Conſtitutionibus monaſticis, ca. 2 & in Regulis breuioribus in centeſimā ſexageſima prima, & Cyrillus, quē D Thom. refert in Catena Luc. 11. Atque in hoc ſenſu dixit Chriſtus in cap. 18. Lucæ *Oportet ſemper orare, & non deficere*, ideſt, non deſiſtere à petitione, etiam ſi non ſtatim concedatur, ſed inſtanter petere, atque iterum petere, vt ſumitur ex Auguſtino li. 2. Quæſtionum Euangeliorum, cap. 45 & ſermon. 36. de Verbis Domini. *Auguſt.* Ratio autem huius conditionis ſumi poteſt ex ordine Diuinæ prouidentiæ, nam expedit ſæpe, vt Deus non ſtatim concedat, quæ petuntur, vel quia ille, qui petit, non eſt diſpoſitus ad recipiendum, & paulatim diſponetur, vel tunc non erit illi vtile, quod poſtulat, erit autem poſtea, vel vt res poſtulata in maiori habeatur æſtimatione, & deſiderium eius creſcat, vel denique vt fides exerceatur, nam ſi ſtatim daretur, quicquid poſtulatur, eſſet potius experientia quædam quàm fides. *Auguſt.* Hæc fere complexus eſt Auguſtinus ſermon. 5. de Verbis Domini dicens: *Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu deſiderata dulcius obtinentur cito autem data vileſcunt. Petendo, & quærendo creſcis, vt capias. Seruat tibi Deus, quod non vult cito dare, vt & tu diſcas magna magne deſiderare.* Alia videri apud ipſum poſſunt tractat. 73. 81. & 102. in Ioannem. *Chryſoſt.* Optime Chryſoſtomus homil. 30 in Geneſim ſic inquit, *An non poteſt præſtare Deus prius, quàm petamus? verum propter hoc differt, & expectat, vt occaſionem accipiat qua iuſte nos ſua cura dignos faciat.* Et infrà: *Relinquendum hoc eſt omnium conditori, magis enim ſcit, quid nobis proſit, quam ipſi nos. Ipſe nouit, quomodo, ſalus noſtra paranda. Noſtrum ergo ſit opus, continuis inſiſtere precibus & non ægre ferre, ſi differatur, quod petimus, ſed longanimes eſſe. Neque enim renuens preces noſtras differt, ſed hac arte ſedulos nos efficiens ad ſemetipſum attrahere vult.* Sic etiam Nilus libr. de Oration. capit. 32. *Ne petas à Deo imperioſe, quod ſtatim velis impetrare, vult enim te beneficio afficere in oratione perſeuerantem. Quid enim excellentius, quam cum Deo colloqui, & vſu eius detineri.* Et hæc eſt vis Deo grata de qua loquitur Tertullianus in Apolog. capit. 39. & indicat Hieronymus Epiſtol. 57. ad Damaſum. Tandem hæc eſt inſtantia humilis orationis, quæ potens eſt apud Deum, de qua loquitur Concil. Lugdun. in capit. *Vbi periculum*, de Election. in 6.

2\. *Tres dubitationes proponuntur ad qualitatem & qualitatem perſeuerantiæ in oratione declarandam.*

Sed eſt difficile ad explicādum, quanta, vel qualis debeat eſſe hæc perſeuerantia circa eiuſdem rei petitionem, videtur enim ex dictis ſequi, nunquam eſſe deſiſtendum ab inchoata petitione, quia neque

eſt certum tempus deſignatum, nec certus orationum numerus, cui impetratio infallibiliter promiſſa ſit, et ergo ſemper eidem petitioni inſiſtendum, ex quo ſemel inchoata eſt, nam ſiquis illā omittat, quia non videt effectum eius per multum tempus, eo ipſo in oratione deficiet, & in fiducia debita ad Deum, conſequens autem videtur laborioſum, & difficile. Item hoc modo, & cum hac conditione fere fruſtratur tota efficacia huius promiſſionis, & fiducia in illa, quia non obſtante promiſſione, poteſt Deus differre largitionem pro toto vitę tempore. Denique ſpecialem difficultatem habet hæc conditio circa petitionem perſeuerantiæ in gratia, quæ maximè eſt neceſſaria ad ſalutem. Nam ſi ad efficaciam eius poſtulatur perſeuerantia ipſiuſmet orationis, ponitur vt conditio neceſſaria ad impetrandum ipſummet donum, quod impetrandum eſt, quod videtur eſſe contra vtilitatem, vel neceſsitatem talis orationis, nam ſi perſeueranter perſeuerantiam peto, iam habeo, non ergo quia oraui, ſed vt orem, inutiliter autem petitur, quod iam obtentum eſt.

3\. *1. Difficultas expeditur.*

Reſpondetur ad primum, non poſſe in hoc certam regulam dari de tempore, aut numero actuum, quo perſeuerandum eſt in petitione quamdiu conſtat, non eſſe obtentam, ſed ſolum quaſi negatiue dicere poſſumus, nunquam eſſe deſiſtendum ob diffidentiam aut animi deiectionem, vel quaſi impatientiam. Vnde ſi oratio ſit pro temporalibus bonis interdum ex dilatione temporis, vel ex alijs ſucceſsibus, aut effectibus ſumi poteſt coniectura, non eſſe beneplacitum Deo illa concedere: & tunc deſiſti quidem poteſt à tali petitione cum humili ſummiſsione, & conformitate cum Diuina voluntate, ſemperq; credendo, ita nobis fuiſſe expediens, ſicut in vniuerſum faciendum eſt, quando euidenter conſtat contra noſtrum deſiderium & petitionē rem ſucceſſiſſe. Quando verò petitio eſt de bonis ſpiritualibus non eſt facile deſiſtendum, tum quia talis oratio ſemper per ſe vtilis eſt, tum etiam quia ſæpe impetrat, & habet effectum, quamuis nos lateat. Vt ſi quis petat, v. g. amoueri à ſe talem tentationem, quam nihilominus ſemper patitur, non propterea deſiſtere debet, quia vel fortaſſe propter illam orationem impediuntur aliæ, quæ eſſent magis noxiæ, vel illa etiam ſuo tempore tolletur, quando fuerit expediens, aut ſi durauerit, durabit etiam victoria impetrata per talem orationem.

4\. *Secunda dubitatio expenditur.*

Ad ſecundum reſpōdetur, negando ſequelam, cur enim fiducia in Diuina promiſsione impeditur, minuiturvè per hanc longanimitatem, & humilem expectationem? Nam potius hinc augeri debet fiducia, dum certo ſcimus, Deum non differre petitiones noſtras, niſi in bonum noſtrum, ſicut interdum mutat illarum effectum, concedendo aliud, quàm nos petimus quia ita expedit nobis. Nec refert, quod interdum differatur impetratio per totum vitæ tempus, nam longe maior eſſe debet expectatio in Deum, & multis redditur in fine vitæ, quod in hac vita diſpenſatorie eſt negatū, dixit Bernar. ſer. 3. de Circumciſ. in fine. *Bern.*

5\. *Tertia dubit. ſoluitur. De his conditionibus orationis vide Maldonatum in ca. 7. Mat. verſ. 7.*

Ad tertium primo reſpōdeo, quòd licet effectus perſeuerandi in gratia non compleatur vſque ad terminum vitæ, nihilominus multis forte datur ſpeciale perſeuerantiæ donum multo tempore ante mortem, ſiue illud vocetur confirmatio in gratia, ſiue non, & ideo ſemper petendum eſt donum perſeuerantiæ, quia forte obtinebitur prius, quàm in effectu perſeueratum ſit, & breuis perſeuerantia in petendo poterit interdum obtinere diutinam, & ſuo modo perpetuam perſeuerantiam. Vnde quia ſciri non poteſt, an tale bonum impetratum ſit, nec ne, nec eſt vlla ratio ſufficiens ad exiſtimandum impetrari non poſſe, ideo ſemper poſtulandum eſt. Deinde dicitur, diuerſam eſſe perſeueran- *Aliter dubium reſpondetur.*

tiam

tiam impetrando à perſeuerantia ſimpliciter in ſtatu gratiæ: nam hæc poſterior difficilior eſt, eſtq́ multo maius Dei beneficium: & ideo mirum non eſt, quod ad impetrandam perſeuerātiam in gratia petatur perſeuerantia in orando. Nam hæc datur per auxilium diſtinctum quod interdum Deus dat ſine præuia oratione. Verum eſt tamē. etiam ipſam perſeuerantiam in orādo per orationem obtinendam eſſe, & ſine illa regulariter non dari. Nam licèt initium orandi (vt ſic dicam) ſit ex auxilio non petito, ſed ex gratia mere præueniente datum: nihilominus per vnam orationem poteſt impetrari auxiliū ad aliam, & per ſecundam ad tertiam, & ſic conſequenter. Atque hoc modo poteſt per orationem impetrari ipſamet perſeuerantia in orando: ſemper tamen neceſſe eſt, vt non ſit homo negligens in cooperando, nam ex hoc capite ſæpe talis oratio ineſficax redditur, non ex parte Dei, ſed ex parte hominis ponentis impedimentā.

CAPVT XXVII.

Vtrum orans tantum pro ſe infallibiliter impetret, vel etiam pro alijs.

1. *Vlt. condit. orantem pro ſe, & non pro alijs debere petere. Auguſt. D. Thom.*

VLtima conditio adhiberi ſolet. vt oratio ſit pro ſe ipſo, & non pro alio, nam pro ſe eſt infallibilis impetratio ex promiſsione, concurrentibus alijs ſuprà poſitis, pro alijs vero non habet hanc certitudinem, etiamſi omnes aliæ conditiones concurrāt. Hęc fuit doctrina Auguſtini tract. 73. & 102. in Ioannem, quem Diuus Thomas dicto articulo 15. & 16. ſequitur, & multi Scholaſtici. Ad eamque probandam ponderat Auguſtinus (*Auguſt.*) dixiſſe Chriſtum, *Si quid petieritis Patrē in nomine meo. dabit vobis*, Ioan. 16. (*Ioan. 16.*) Non igitur (infert Auguſtinus) vtcumque promiſſum eſt, ſed pro ipſis petentibus, non pro alijs. At certè probatio hæc non conuincit, primò quia alijs in locis ſit abſoluta promiſsio, vt Ioannis decimo quarto (*Ioan. 14.*): *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam*, Et alibi: *Omnis, qui petit accipit. & qui quærit, inuenit* &c. Secundò quia quod impetramus orando pro alijs, nobis donatur, etiam ſi donum in alio, pro quo oramus, recipiatur Sic Dauid 2. Regum 12. (*2. Reg. 12.*) orauit pro filij vita, dicens intra ſe, *Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans?* & Actor. 27. (*Actor. 27.*) dixit Angelus Paulo, *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum*, &c. orauerat enim Paulus pro eorum incolumitate.

2. *Poſitam conditionem nō eſſe neceſſariam. Toletus. Baſil.*

Propter hoc mihi ſatis pia, & probabilis videtur ſentētia, quæ aſſerit, hanc cōditionē nō eſſe neceſſariā ſed promiſsionem eſſe vniuerſalē, ſiue vnus pro ſe, ſiue pro alijs oret. Quam ſententiam docuit Tolet. Ioan. 16. Annot. 30. & pro ea refert Baſilium in Regulis breuioribus, regula 261. Et præter ea quæ diximus, expendit verba Ioan. 1. Canon. capit. 5. (*1. Ioan. 5.*) *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.* Et infra, *Qui ſcit, fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem.* Nam in hoc loco ſignificat Ioannes, generalem eſſe promiſsionem, non ſolùm pro nobis, ſed etiam cum pro fratribus oramus. Et ex priori ſententia poteſt ſumi argumentum, quia quando oramus pro fratribus, petimus ſecundum voluntatem Dei. quia ipſe hoc nobis maximè in Scriptura commendat, vnde eſt illud Iacobi 5. (*Iacob. 5.*) *Orate pro inuicem, vt ſaluemini, multum enim valet deprecatio iuſti aſsidua.* Ex poſteriori verò ſententia ſumi poteſt argumentum, quia, niſi ex parte alterius ſit incapacitas, qualis eſt in eo, qui obſtinatus eſt in peccato, promittitur effectus orationis, etiamſi pro alio fiat. Eādem ſententiam in re tenet Valentia in 3. to. diſp. 6. q. 2. punct. 4. nam licèt prius ponat illam cōditionem, poſtea ita reſpondet obiectioni, vt re vera dicat, non eſſe neceſſarium. Poſſumusq́ hoc cōfirmare, nam ſatisfactio noſtra pro alijs, præſertim viatoribus infallibilis eſt. cur ergo, non erit impetratio cum in Scriptura expreſsius ſint monitiones, & promiſsiones de illa, quàm de alia, & nulla peculiaris ratio obſtare videatur.

3. *Obiectio. Matth. 10.*

Sed obijciunt aliqui, orationem pro alio non poſſe omnino eſſe efficacem, quia nō ſemper alius, pro quo oramus, idoneus eſt, vt accipiat, vnde Chriſtus Matth. 10. cum Apoſtolis dixiſſet, *In quamcumque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui.* ſubdit, *& ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam, ſi autem non fuerit digna pax veſtra reuertetur ad vos.* At certe ſimili argumento probaretur, orationem vniuſcuiuſque pro ſe ipſo non habere infallibilem promiſsionem, nam non ſemper, qui pro ſe petit idoneus eſt ad recipiendum, quod petit: vnde etiam oratio pro ſe ipſo habet ſubintellectam illam conditionem, niſi ipſe reſtiterit, ſeu poſuerit impedimentum. Quare poſſumus retorquere argumentum (*Retorquetur obiectio.*), nam oratio vnius pro alio debite facta ex parte orationis exauditur, ſi alter non ponat impedimentum, vt plane ſentit Baſilius (*Baſil.*) loco citato, ergo ſeruata proportione, promiſsio generalis eſt tam in oratione pro alijs, quàm pro ſe. Verum quidem eſt, facilius poſſe orantem ſe reddere idoneum cum Diuina gratia ad impetrandum, quod petit, quam reddere alium idoneum, & ex hac parte eſſe magis certam orationem pro ſe, ſed nihilominus hoc non ſpectat ad nouam conditionem, ſed ad illam generalem, ſi is, pro quo oratur, non ponat impedimentum. Priores ergo conditiones ſufficere vidētur, vt oratio habeat certam impetrationem.

4. *Cuiuſdam quæſitio expeditio. Medina.*

Quæri verò poteſt, An concurrentibus omnibus, quæ diximus, impetratio ſit ex iuſtitia? Nam Ioannes Medina in Codice de Oratione quæſtione 17. docet, concurrentibus omnibus conditionibus, impetrationem orationis eſſe ex iuſtitia legis, vt ipſe loquitur, quia eſt velut præmium debitum ex condigno, ratione promiſsionis ſub tali conditione quam implet is, qui orat. Verumtamen hoc communiter non recipitur. Et ideo dico, meritum de iuſtitia non eſſe neceſſarium ad infallibilem impetrationem, nam Beati non ſunt capaces meriti, & tamen ſunt capaces impetrationis, etiam infallibilis. Item peccator nullo titulo iuſtitiæ poteſt obligare Deum cum ipſe poſsit in omni rigore iuſtitiæ damnari, & tamen habet in eo locum infallibilis impetratio, vt ſupra dixi. Propter quod Diuus Thomas dicto articulo 16. ad ſecundum dixit, peccatorem poſſe impetrare, licet non poſsit mereri, quia meritum innititur iuſtitiæ, impetratio autem innititur gratiæ. Item etiam iuſti cum orant, non fundantur in ſua iuſtitia, ſed in Dei miſericordia, vt conſtat ex vſu Sanctorum. Denique in impetratione non attenditur recompenſatio operis: cuius ſignum eſt, quia ſi oratio fiat à iuſto, habet ſuum integrum præmium gloriæ ex merito iuſtitiæ, ſiue exaudiatur, ſiue non quoad impetrationem. Aliud etiam ſignum eſt, quia ibi non attenditur proportio actus orandi ad rem poſtulatam, quæ interdum maior, interdum minor eſſe poteſt. Igitur impetratio illa principaliter eſt ex miſericordia, atque etiam ex ſimplici fidelitate, quæ non ſemper attingit obligationem iuſtitiæ, ſicut de promiſsione humana alibi dictum eſt.

5. Vltimo quæri poteſt, An oratio facta pro multis, æque ſingulis impetret, ac ſi pro ſingulis tantum fieret? Quod dubiū in fine huius materiæ de efficacia orationis propono, ne videar oblitus promiſsionis

factæ

factæ in 4. tomo diſputat. 48. ſection. 8. numer. 24. in fine: quamuis re vera vix aliquid addendum occurrat ijs, quæ de ſimili puncto dixi in 3. tom. diſputat. 79. ſection. 12. in fine. Videri ergo poteſt impetrationem orationis non minui in ſingulis, eo quod pro multis fiat, quia non nititur in bonitate, merito, aut laborare operantis, ſed in bonitate Diuina, quæ infinita eſt, & æque parata ad benefaciendum omnibus, ac ſingulis. Item aliunde videtur oratio pro multis eſſe ex maiori charitate, & ex hac parte eſſe efficacior ad impetrãdum, & cum proportione creſcere creſcẽte multitudine eorũ, pro quibus oratur, ac ſubinde vnicuique cũ proportione tãtũ prodeſſe, quantum ſi ſolum pro illo fieret. Denique ſi orans ſimul peteret pro multis per plures actus terminatos ad ſingulos, ęque impetraret pro vnoquoque, ac ſi pro illo tantùm oraret, quia concomitantia actuum non minuit valorem ſingulorum: ergo idem erit etiam ſi oratio pro multis vnico actu fiat, quia ad impetrandum à Deo, illa diſtinctio actuum materialis videtur. Et ad hoc confirmandum adduci ſolet caput *Non mediocriter*, de Conſecrat. diſtinctione prima. Sed de hoc textu dixi ſufficienter in d. diſp. 79.

6. Sed nihilominus dicendum eſt, orationem in particulari factam pro aliquo de ſe, & ex parte orãtis efficaciorem eſſe, & vtiliorem illi pro quo fit, quam eſſet eidem oratio facta in generali pro aliqua communitate, cuius ille eſſet pars. Hanc aſſertionem poſui in dicta ſection. 8. vbi retuli Scotum, & V Valdenſem, & eandem ſequitur Azor. 1. tom. libr. 9. quæſtione 7. Et de ſuffragijs generatim id docet Couarru. in capit. Alma mater, part. 1. §. 5. numer. 9 & Nauarrus in Enchiridio de Oration. capit. 20. numer. 48. qui referunt plures Canoniſtas pro hac ſententia. Referunt etiam Caietanum tomo 2. Opuſcul. tractat. 3. quæſtione 2. ſed ibi. §. *Et ad ſecundam* potius videtur ſentire contrarium. Referunt etiam Adrianum Quodlib. 8. articulo 3. vbi late hoc diſputat, & varias ponit concluſiones: tandem verò in hoc puncto de impetratione potius ſentit contrariũ. Melius hoc docet Medi. C. de Orat. quæſtione 21. quæ eſt de oratione pro multis fuſa. Fauet denique Diuus Thomas in 4. diſtin. 45. quæſtione 2. articulo 4. quæſtiuncul. 2. in corp. & ad 3. Quamuis clarius loquatur de oratione quoad vim ſatisfaciendi, de qua eſt aſſertio multo certior, quia cum ſatisfactio, quæ reſpondet orationi finita ſit, ſi diuidatur inter multos, neceſſe eſt, vt minuatur in ſingulis. Hæc vero ratio non ita clare probat de impetratione, quæ fundatur magis in fide ex parte orantis, & miſericordia ex parte Dei, quæ non minuuntur, eo quod pro multis fiat oratio, vt Caietanus argumentatur. Sed nihilominus applicatur ratio cum proportione, quia licet impetratio orationis præcipue fundetur in miſericordia, & promiſsione Dei, nihilominus etiam fundatur ſuo modo in ipſa oratione: nam oratio eſt cauſa in ſuo genere effectus impetrati, & Deus reſpicit ipſam orationem vt illum concedat: ergo veriſimilius eſt, obſeruari etiam ad impetrandum valorem moralem ipſius orationis, & proportionem ad rem poſtulatam. Et hac ratione ad impetrandum maiorem effectum excellentior oratio vtilior eſt, ita ergo eadem oratio facta pro communitate non tan tam habet proportionem ad impetrandum pro aliquo in particulari, ac ſi pro illo ſpeciatim fieret. Atque hoc confirmat vſus Eccleſię orantis pro particularibus perſonis, aut neceſsitatibus in ſpeciali, hic enim vſus ſupponit talem orationem efficaciorem eſſe ad talem effectũ, alioqui melius eſſet ſemper in generali orare.

7. Vnde patet reſponſio ad primam rationem dubitandi, negamus enim impetrationem ſolùm fundari in Dei liberalitate, nam vt dixi, licet hæc ſit principalis cauſa, etiam oratio aliquid cooperatur. Ad ſecundum reſpondetur orationem pro multis ex obiecto eſſe nobiliorem, & poſſe eſſe magis meritoriam ipſi oranti, & nihilominus quoad impetrationem poſſe eſſe minus efficacem ad impetrandum pro aliquo illorum, quàm ſi pro illo ſolo fieret, quia particularis oratio efficacius illi applicatur, quod ad impetrationem magis neceſſarium eſt. Item quia licet charitas circa communitatem nobilius operetur, nihilominus magis attingit particularem perſonam, quando circa illam immediatè verſatur, quam cum ſolum illam attingit vt contentam in communitate. Sæpè etiam ordo charitatis poteſt poſtulare, vt pro aliquo in neceſſitate conſtituto in ſpeciali oretur, & non tantùm in generali: & tunc etiam perfectior charitas conferet ad maiorem efficaciam impetrationis. Ad vltimum verò reſpondetur negando conſequentiam, quia quando actus ſunt plures multiplicantur orationes, & ſingulæ immediatè, & in particulari applicantur ad determinatas perſonas, vt in caſu ſupponitur, & latius in dicta ſection. 8. declaratum eſt.

CAPVT XXVIII.

Sitne oratio ad ſalutem neceſſaria?

Explicuimus hactenus vim, & efficaciam orationis, ſupereſt, vt de illius neceſsitate dicamus: ita enim viam parabimus ad præceptum, quod in hũc actum Religionis cadere poteſt, declarandum. Duplex enim neceſsitas in actibus virtutum ſolet à Theologis diſtingui, vnam medij vocant, aliam præcepti, & vtraque in præſenti actu locum habet, neceſsitas autem medij prior eſt, & ideo de illa dicemus. Poteſt autem hæc in duo membra ſubdiſtingui. Nam vna eſt neceſsitas ſimpliciter, alia eſt, quæ vocatur ad melius eſſe, & in rigore eſt tantùm vtilitas, quæ tamen tunc vocatur neceſsitas, quando tanta eſt, vt ſine tali medio vix, & cum magna difficultate poſsit finis obtineri. Si ergo ſermo eſſet de ſola hac poſteriori neceſsitate, per ſe clarum eſſet, orationem eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, tum quia hoc ad minimum clamant omnes Scripturæ, docentes, quod *oportet ſemper orare*, Lucæ 18. & *orationi inſtare*, ad Coloſſ. 4. & ad Roman. 12. Tum etiam, quia neceſsitas auxilij Diuini certiſsima eſt, & vtilitas orationis ad illud impetrandum etiam eſt certa: nec minus certum eſt, poſſe aliquem carere huiuſmodi auxilio ex defectu orationis, iuxta illud Iacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*, ſi enim non accipit, qui nõ benè petit, multò facilius fieri poteſt, vt nõ accipiat, qui non petit. 1. *Neceſſitatis medij ſubdiuiſio.* *Luc 18.* *Ad Col. 4. ad Rom. 12.* *Iacob. 4.*

Difficultas ergo eſt, An hoc ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem? Et ratio dubitandi eſſe poteſt, quia vel hoc eſt medium ex ſe, & ex natura ſua neceſſarium ad talem finem per ſe, & ab intrinſeco, vel ex Diuina lege, & quaſi pacto: ſed neutrum dici poteſt cum fundamento, ergo. Probatur minor quoad primam partem, quia ad ſalutem ſolùm videtur neceſſarium ſimpliciter, quod Deus in opportunis, & neceſſarijs occaſionibus vitandi peccata, vel implendi præcepta, nos præueniat ſufficienti auxilio, offerendo concomitans, cum quo nos liberè cooperari poſsimus. Sed hoc totum poteſt ex natura rei fieri ſine interuentu orationis: immò ad ipſammet orationem ſaltem primam neceſſe eſt ita fieri, quia ad illam eſt neceſſarium auxilium præueniens, quod non poteſt per 2. *In quo ſit quæſtionis difficultas.*

orationem obtineri, quia ante primam orationem non poteſt alia antecedere apta ad impetrandum auxilium. Ergo idem poſſet fieri circa ſingulos actus abſque interuentu orationis, non eſt ergo ab intrinſeco, & quaſi ex natura rei hoc medium orationis neceſſarium. Altera verò pars probatur, quia non conſtat de tali lege, cum tamen non poſſit niſi per reuelationem cognoſci. Antecedens patet, quia licet reuelatum ſit, orationem eſſe vtiliſſimam ad obtinendum aliquid à Deo, quod autem Deus decreuerit non dare neceſſaria auxilia, niſi orantibus, hoc non eſt reuelatum. Vbi enim eſt hæc reuelatio? Nam illę exhortationes Chriſti. *Petite, & accipietis, oportet ſemper orare*, & ſimiles, in rigore non continent abſolutam neceſſitatem. Et præterea declaratur, quia ſi oratio eſſet neceſſaria, maximè, quia Diuinum auxilium neceſſarium non datur niſi petenti, ſed hoc poſtremum non eſt verum, quia Deus multa dona naturalia, & gratuita nobis dat, licet nunquam illa petamus, vt Diuus Baſilius dixit in Conſtitutionibus monaſticis capit. 2. & Clemens Alexand. libro ſeptimo Stromatum. Et experientia conſtat, plura beneficia nos recepiſſe à Deo, quæ nunquam poſtulauimus, & quando oramus ipſum orandi donũ accipimus non poſtulatum, & plerumq; plus accipimus, quam rogamus, vt Hieronymus dixit Epiſt. 41. ad Ruffinum.

3. *Oratio eſt neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem. D. Thom.*

Nihilominus dicendum eſt, orationem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem. Sumitur ex Diuo Thoma 2. 2. quæſtione 83. articulo 3. ad 2. vbi dicit, orationem eſſe in præcepto, loquiturque de præcepto iuris Diuini, quod non videtur poſſe, niſi in hac neceſſitate medij fundari. Et eodem modo poſſunt pro hac ſententia referri Theologi omnes ponentes hoc præceptum, quos capit. ſequenti referam. Pro hac etiam veritate referri poſſunt Auguſtinus, & Hieronymus quatenus impugnantes Pelagium, ſentiunt tam neceſſariam eſſe orationem ad ſalutem, quàm eſt neceſſarium Diuinum auxilium, eſt autem de fide certum, auxilium Dei eſſe neceſſarium ad ſalutem, ergo eodem modo eſt neceſſaria oratio iuxta ſententiam dictorum Patrum. Vnde Hieronymus Epiſtol. ad Cteſiphontem contra Pelagium arguit, quod tollendo neceſſitatem gratiæ, tolleret orationem, id eſt, neceſſitatem orationis, id enim eſt, quod immediatè, & maximè ſequitur. Similia habet libro primo contra Pelagianos. Idem habet Auguſtinus cum alijs Patribus Africanis Epiſtol. 90. Verum eſt, hos Patres non ſolum inferre ex errore Pelagij orationem non fore neceſſariam, ſed etiam non eſſe veram, ſed fictam vel inutilem, de qua illatione nunc non agimus: habet enim maiorem difficultatem, ſed prior eſt facilior, & ſufficit, & illud conſequens etiam reputant abſurdum. Vnde in libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus capit. 56. ſic dicitur nomine Auguſtini. *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo inuitante, venire, nullum inuitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante operari, nullum niſi orantem auxilium promereri*. In qua vltima ſententia euidenter continetur neceſſitas medij, ſimilibus enim verbis ſolet in Scriptura ſignificari. Et iuxta hanc neceſſitatem dixit Auguſtinus libr. de Natura, & Gratia, cap. 43. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis*. Quam ſententiam amplectitur Concil. Tridentin. ſeſſ. 6. capit 11. Et in ea ſignificatur petitionem auxilij Diuini, quo nobis eſt poſſibilis impletio mandatorum, eſſe tam neceſſariam, quàm neceſſarium eſt ſeruare mandata, quia ſine petitione hoc nobis eſſet impoſſibile, & nihilominus nobis imputaretur, quia in poteſtate noſtra eſt orare cum Diuina gratia, quæ ad hoc ſemper parata eſt. Et ideo dixit rectè Chryſoſtomus ſermon. de Moyſe, tomo 1. *Ipſe contra ſe tela miniſtrat, qui hoſtem precum inſtantia non fatigat*. Auguſtinus autem libr. 2. de Bono perſeuerantiæ capit. 16. magis hanc neceſſitatem declarans dicit: *Deum alia danda non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſq; in finem perſeuerantiam*, ergo quàm eſt neceſſarium perſeuerantiæ donum ad ſalutem, tam eſt neceſſaria oratio.

Aug. Hier. — *Aug. Patres Africani.* — *Aug.* — *Concil. Trident.* — *Chryſoſt.*

4. *Probatur ex ſacris litteris.* *Matth. 7. D. Tho.*

Colligitur præterea hæc veritas ex verbis, & doctrina Chriſti, & Apoſtolorum, nam illa verba Matth. 7. *Petite, & accipietis*, Diuus Thomus ſentit continere præceptum, quod nunc ſupponimus eſſe verum, & inde à poſteriori colligimus neceſſitatem medij, quia Chriſtus Dominus non tradidit poſitiua præcepta, præterquam Fidei, & Sacramentorum, ſed explicuit clariùs ea, quæ in iure Diuino naturali, vt ſic dicam, in viſceribus ipſius gratiæ continebantur, ergo oſtendit ideo orationem eſſe præceptam, quia neceſſaria eſt. Et hunc etiam ſenſum habent illa verba Lucæ 18. *Oportet ſemper orare*. Vnde Chryſoſtomus ſuprà, *Dum oportet, dicit neceſſitatem inducit*: & infrà: *Optat*, inquit, *dare, qui præcepit petere*. Similiter accipiendum eſt verbum Chriſti *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*: Matth. 26. ſicut etiam Matth. 6. docuit nos orare, ne in tentationem inducamur. Denique tam frequens, & multiplex exhortatio Chriſti, Pauli, & aliorum Apoſtolorum ad orandum frequenter, & inſtanter, ſine dubio oſtendit non ſolum vtilitatem, ſed etiam neceſſitatem, & valdè vrgentem.

Luc. 18. Chryſoſt. — *Matth. 26. Matth. 6.*

5. *Probatur ex dem concluſio ratione.*

Tandem poſſumus rationem ſumere ex ordine, & conſuetudine Diuinæ prouidentiæ. Operatur enim Deus per cauſas ſecundas, quoad commodè fieri poteſt, & ſeruata proportione, in operatione virtutis vult cooperationem noſtram: cum ergo poſſimus, ſaltem orando cooperari ad noſtram ſalutem, poſtquam per gratiam præuenti ſumus, hanc cooperationem meritò à nobis exigit, & eam voluit eſſe quaſi neceſſariam cauſalitatem ſecundæ cauſæ ad talem effectum. Vnde ſicut in adultis ad conſequendam gloriam eſt neceſſarium meritum, & ad conſequendam gratiam ſanctificantem eſt neceſſaria diſpoſitio, ita ad obtinenda Diuina auxilia opportuna eſt neceſſaria oratio, quantum eſt ex ſe, & ex parte noſtra. Statim verò occurrebat explicandum, quanta ſit hæc neceſſitas, ſeu per quos actus illi ſatisfaciamus, hoc verò explicabitur meliùs in capite ſequenti.

6. *Difficultas in principio poſita diluitur.*

Ad rationem ergo dubitandi reſpondemus, hãc neceſſitatem fundari aliquo modo in ipſa rei natura, conſummari verò ex diſpoſitione, & decreto Diuinæ prouidentiæ. Primum declaratur facilè ratione iam dicta, quia ipſa ratio, & maxime illuminata per fidem, docet conſentaneum eſſe, vt ipſe homo, qui indiget, concurrat prout poteſt, ſaltem petendo, & quærendo ad ſubueniendum ſuæ neceſſitati. Item eadem ratio oſtendit, debitum eſſe Deo hunc cultum, ideoque merito poſtulari vt medium. Denique, vt homo fructibus, & perfectionibus orationis ad Deum magis in virtute proficiat, meritò hæc neceſſitas illi impoſita eſt, his ergo modis in natura talis operis neceſſitas hæc fundata eſt. Abſolutè verò ſine decreto, & diſpoſitione Diuina non potuiſſet introduci tanta neceſſitas, vt ratio facta probat. Per hanc verò Diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem non exiſtimo, ita eſſe hoc medium conſtitutum neceſſarium vt nunquam Deus ſine oratione conferat multa beneficia, etiam ex his, quæ ab ipſo poſtulari poſſent. Nam de beneficijs, quibus nos præue-

præuenit prius, quam illa deſiderare nedum petere poſsimus, id manifeſtum eſt, vt ſunt in ordine naturæ, creatio, & conſeruatio, & ſimilia, & in ordine gratiæ, prima, & antecedentia auxilia, quibus nos præuenit. Sunt verò alia beneficia, quæ nos poſtulare poſſumus, & nihilominus ſæpè dantur à Deo abſque interuentu congruæ orationis ex parte noſtra. Vt in naturalibus, ſeu temporalibus cõſtat, quę Deus dat bonis, & malis, interdum petentibus, interdum etiam non petentibus.

7. In ſupernaturalibus autem videri hoc poteſt difficiliùs, quia videtur eſſe contra neceſsitatem à nobis poſitam. Sed non eſt, primò quia neceſsitas illa intelligenda eſt ex parte noſtra, per quam non priuatur Deus ſua libertate, qua poteſt dare quodcunque donum gratiæ, etiam non petenti. Secundò quia hoc præſertim habet locum in donis ſupererogationis, ſeu ad melius eſſe, nam in his, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem fortaſſe nunquam Deus illa præbet, niſi media oratione, quando homo iam præuentus eſt, & poteſt ſe illo modo iuuare, ſi velit, nam ſi in tali ſit ſtatu, vt non poſsit orare, tunc non erit illi ſimpliciter neceſſaria oratio, quia Deus non exigit impoſsibile, & quia tunc neceſſe eſt, vt Deus incipiat, donec autem ipſe incipiat, neceſsitas orationis locum habere non poteſt, iuxta doctrinam Auguſtini ſupra adductam. *Auguſt.* Quod tamen intelligendum eſt de oratione hominis pro ſe ipſo, nam oratio vnius pro alio poteſt eſſe neceſſaria etiam quoad initium gratiæ per primum auxilium internum collatũ ei, pro quo oratur: quomodo dixit Auguſtinus ſermon. 1. de ſancto Stephano. *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Sed hæc neceſsitas orationis vnius pro alio, non eſt generali, & certa lege ſtatuta, ſed ſi in aliquibus inuenitur, eſt ex peculiari modo prouidentiæ, & prædeſtinationis Dei, quam ex affectibus interdum cognoſcimus.

CAPVT XXIX.

Quale ſit orationis præceptum?

1. *Explicatur quæſtionis titulus.* IN præſenti non agimus de Eccleſiaſtico præcepto, de illo enim dicendum eſt infrà, tractando de oratione vocali, quia in illam cadit, & non poteſt de mentali ferri niſi vt coniuncta vocali. Agimus ergo de præcepto Diuino, quod naturale aliquo modo ſit, nam poſitiuè Diuinum hic etiam locum non habet, vt dicemus, & ideo ſi tale præceptum eſt, cõnexum eſſe debet cum neceſsitate medij. *Medin.* Refert ergo Medina Cod. de Orat. q. de Neceſſitate orandi mentaliter, varias eſſe in hoc puncto Theologorum opiniones, *Variæ opiniones referuntur.* nam quidam negant, dari tale præceptum Diuinum ſpeciale de oratione, alij verò affirmant. Quorum opiniones quidam Baptiſta in Sum. verb. *Oratio*, vt ibidem refert, *Quidam Baptiſta.* in hunc modum in concordiam reduxit, per ſe quidem, & abſolutè non dari tale præceptum orationis, tamen ex ſuppoſitione, quod ſalus non poſsit aliter acquiri, vel peccatum vitari, niſi per orationem, ſic poſſe cadere in pręceptum. Hanc vero ſententiam ipſe Medina abſolutè reprobat; an verò ſenſum aliquem probabilem habeat, ſtatim videbimus.

2. *Oratio ſub Diuinũ præceptũ cadit.* Simpliciter ergo aſſerẽdum eſt, orationem poſitam eſſe ſub præcepto Diuino. Eſt communis Theologorum, D. Thomæ dicto articul. 3. ad 2. Refertur Alexand. Alenſ. 4. par. quæſtion. 26. memb. 3. arti. 1. §. 2. tamen confusè loquitur, & in rigore videtur negare proprium præceptum iure Diuino datum de oratione propriè ſumpta, ſed ſolum largiſsimè prout pia operatio, vel bonum deſiderium dicitur *D. Thom. Alex. Alenſ.* oratio, fatetur tamen ibi ad 2. nullum niſi beneficio orationis promereri ea, quibus ſalus conſeruatur, vnde videtur fateri neceſsitatem medij, cum qua profectò coniuncta eſt neceſsitas alicuius præcepti. Expreſsius hoc docuit Paludanus in 4. diſtin. 15. quæſtion. 5. art. 1. Abulenſ. Matth. 6. quæſtion. 31. Syluester verb. *Oratio*, quæſtion. 8. Nauarrus in Manuali capit. 13. numer. 18 & in Enchirid. de Orat. capit. 3. num. 8. Medina ſuprà. *Palud. Abulenſ. Syluest. Nauar. Medin.* Fundari poteſt hæc aſſertio in Scriptura, & præſertim in verbis Chriſti Domini, prout ea ponderabimus cap. ſequen. Ratio verò eſt, *Ratio probatur.* quia media neceſſaria ad ſalutem ſunt nobis Diuino iure præcepta, ſed oſtenſum eſt, orationem eſſe medium neceſſarium ad ſalutem, ergo de oratione datur præceptum iuris Diuini. Maiorem tradit Diuus Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 5. & quæſt. 3. art. 2. & 3. p. q. 68. artic. 1. *D. Thom.* Et eſt quaſi axioma communiter receptum. Eiuſque ratio eſt, quia per pręcepta ſufficienter ordinatur homo ad vitam æternam, ergo oportet, vt ſaltem de omnibus neceſſarijs ad æternam vitam dentur præcepta. Vnde poteſt inductione hoc confirmari, *Cõfirmatur inductione.* quia videmus de omnibus alijs medijs neceſſarijs ad ſalutem data eſſe præcepta, vt de actu Fidei, Spei, charitatis, Pœnitẽtiæ, & Sacramentorum, vt in tom. 3. & 4. in 3. par. ſuis locis dictum eſt.

3. *Diuinũ orationis præceptum naturale eſt.* Ex hac ratione colligitur, hoc præceptum nõ eſſe Diuinum poſitiuum à Chriſto Domino ſpecialiter datum, ſed eſſe naturale, ac proinde ſemper, & in omni lege obligaſſe. Dicimus autem eſſe naturale, non quia ſequatur ex ratione naturali nude ſumpta, nam cum tractemus de oratione ſupernaturali, & de medio neceſſario ad ſalutem ſupernaturalem conſequendam, clarum eſt, ſolum naturæ lumen non poſſe aliquid dictare de hac neceſsitate, vel obligatione. Agimus ergo de ratione eleuata, & illuminata per fidem infuſam, & cum ratione ſic dictãte de agendis, dicimus habere neceſſariam connexionem præceptum orandi, quia ipſum fidei lumen oſtendit, orationem eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. Quę autem huiuſmodi ſunt, non ſunt propriè præcepta legis gratiæ, ſed in omni lege obligarunt, quia ſicut fuit fides ſemper neceſſaria ad ſalutem, ita etiam ſemper viguerunt illa præcepta, quæ cum ipſa fide habent naturalem, & intrinſecam cõnexionem.

4. *Obiectio.* Dicere verò poteſt aliquis, præceptum orandi non habere neceſſariam connexionem cum fide abſolutè, ſeu quomodocunque ſumpta, ſed cum fide tam expreſſa, & diſtincta ſicut nũc eſt nobis per Chriſtum manifeſtata: ideoque potuiſſe hoc præceptum non eſſe ita connexum cum fide tam limitata, ſeu implicita, quantum fuit in lege naturæ, vel ſcripta. *Reſponſio.* Reſpondeo: Vel in illis ſtatibus fuit neceſſarium auxilium gratiæ ad ſalutem, vel non? Hoc poſterius contra fidem eſt, ergo primum neceſſariò eſt dicendum. Rurſuſque interrogo, an ad obtinendum illud auxilium fuerit neceſſaria oratio? Profectò hoc negare abſurdum eſſet, tum quia ſi nobis neceſſaria eſt oratio ad obtinendum auxilium neceſſarium ad ſalutem, cur non fuit ſemper? Quandoquidem ratio Diuinæ prouidentiæ, & humanæ indigentiæ ſemper interceſsit. Tum etiam quia in veteri Teſtamento vſus, & neceſsitas orationis ſatis prædicatur, *Eccleſ. 16.* & ſpecialiter Eccleſiaſtici 16. reprehenduntur antiqui Gigantes, quia *non exorauerunt pro peccatis ſuis.* In quo ſignificatur, etiam illo tempore fuiſſe neceſſariam orationem. *Geneſ. 4.* Vnde Geneſ. 4 Enos nepos Adæ *Cœpit*, vt ibi dicitur, *inuocare nomen Domini*; vbi expoſitores intelligunt, illum inueniſſe peculiarem aliquem ritum externum colendi Deum, vel inuocandi illum, nam inuocatio, ſeu oratio abſolutè ſumpta etiam in Adamo præceſsit, & ex illo tam antiquo ſigno intelligi poteſt, quam neceſſaria fuerit ſemper iudicata. Si ergo

Digitized by Google

oratio fuit ſemper medium neceſſarium, non eſt veriſimile, antiquorum fidem fuiſſe tam obſcuram, & certam, vt non dederit notitiam huius neceſſitatis per ſe loquendo, & reſpectu humani generis, nam quod in multis indiuiduis, culpa eorum, fuerit illa ignorata, parum refert. Igitur præceptum orationis, quod ex hac neceſſitate naſcitur ex vi luminis fidei ſemper viguit, quicquid ſit, an multi propter ignorantiam, illius obligatione excuſati fuerint. An verò in homine conſiderato in puris naturalibus ſequeretur ex vi ſolius rationis orationis dictamen, & obligatio deprecandi Deum, vt naturæ auctorem, & moderatorem, eo modo, quo talis homo poſſet, diſputari facilè poſſet in vtramque partem, ſed id prætermitto, quia parum eſt vtile, & ex dictis in capit. præcedenti facilè intelligi poteſt, quomodo conſequenter loquendum ſit.

5. *Præceptum orandi obligat mentaliter ſolum. Medin.*

Secundò ſequitur ex dictis hoc præceptum per ſe tantùm obligare ad orationem mentalem, hoc notauit Medina ſuprà in quæſtio. antecedenti, intelligendum autem eſt non quod obliget hoc præceptum ad orandùm ſola mente: nullum enim naturale præceptum ad hoc obligat, vt ſequenti libro dicam: ſed quod per ſolum actum mentis poſſit hoc præceptum impleri. Et in hoc ſenſu docet hoc ipſum Diuus Thomas dicta quæſt. 83. art 12. vbi ait, non eſſe de neceſſitate orationis priuatæ, quod ſit vocalis, & art. 14. ad 3. in illis verbis, *Qualitercumque ea proferamus, vel cogitemus*, idem in 4. diſtinct. 15. quæſt. 4. art. 2. Syluest. qui refert alios dicta quæſt. 8. Vbi refert ſupplementum Gabrielis ſenſiſſe contrarium, ſed ille auctor loquebatur de iure Diuino poſitiuo, de quo infra dicetur, nunc de naturali agimus. Et ita facile illatio probatur Quia oratio mentalis eſt per ſe ſufficiens ad obtinendum à Deo quicquid eſt neceſſarium ad ſalutem, ſed totum fundamentum huius præcepti eſt illa neceſsitas, ergo per ſe ſolum obligat ad orationē mentalem. Maior patet, quia expreſsio orationis per vocem non eſt per ſe neceſſaria ad exprimēdum Deo deſiderium noſtrum neque ad poſtulandum ab illo cum omni ſubiectione, ſed nihil aliud nobis propoſitum eſt tanquam neceſſarium, nam illa verba. *Petite, & accipietis: Oportet ſemper orare:* & ſimilia de oratione mentali ſufficienter intelliguntur, ergo.

D. Thom.

Syluest. Supplemēt. Gabriel.

6. *Ad quam virtutē hoc præceptum ſpectet.*

Quærēdum verò ſupereſt, quale ſit, & ad quam virtutem pertineat hoc præceptum, nam hoc multum refert ad intelligendum, quale peccatum in eius violatione committatur. Ex dictis enim videtur ſequi præceptum hoc tantum poſſe pertinere ad charitatem Dei, vel proximi, vel propriam, quia hoc præceptum in tantum obligat ad orationem, quatenus eſt medium neceſſarium ad aliquem finem, ergo obligatio ad vtendum tali modo, ſolùm poteſt oriri ab illa virtute, ad quam pertinet obligatio quærendi illum finem, nam tota obligatio medij eſt propter finem. Sed obligatio quærendi talem finem, pertinet ad charitatem. Nam ſi oratio ſit neceſſaria ad conſequendum auxilium neceſſarium ad propriam ſalutem comparandam, illa obligatio ex charitate propria naſcitur: ſi verò oratio ſit neceſſaria ad liberandum proximum à periculo, erit obligatio ex charitate proximi: ſi verò ſit oratio neceſſaria ad non offendendum Deum, vel aliquid aliud arduum pro amore eius faciendum, obligatio erit ex charitate Dei. Vel etiam interdū poterit ad alias virtutes pertinere, vt ad confitendam fidem, ſi ad hoc ſit neceſſarium auxilium, & ſic de alijs, ergo ex vi ſolius Religionis non datur peculiare præceptum Diuinum orandi. Atque in hanc ſententiam videtur inclinare Alexand. Alenſ. vbi ſuprà. Eademque videtur profectò fuiſſe opinio illius Baptiſtæ, quam refert Medina.

Quorundā opinio docet præceptum Diuinum orandi non eſſe ex vi ſolius Religionis.

Alex. Alenſ. Baptiſta.

Ille tamen debili argumento vtebatur, ſcilicet quia eſſet naturale præceptum orandi, iam eſſent plura præcepta moralia, quàm decem, ſed hoc friuolum eſt, aliàs eodem argumento probaretur non dari præceptum miſericordiæ, vel alia ſimilia. Quamuis ergo detur tale præceptum, poterit reduci ad illa decem, quia in Decalogo non omnia præcepta moralia formaliter continentur, ſed per reductionem.

7. *Iuxta prædictā opinionē omiſſio orationis idem peccatū eſt cum eo, quod opponitur virtuti, ad quā erat oratio neceſſaria.*

Ex hac verò ſententia ſic explicata ſequitur, omiſſionem orationis nunquam eſſe ſpeciale peccatum diſtinctum ab alijs, ſed eſſe illud ipſum, quod committitur, deficiendo ab illo fine, propter quem eſt neceſſaria oratio. Vt, verbi gratia, vt vrgente tentatione contra caſtitatem ad quam vincendam eſt neceſſaria oratio, negligat quis orare, tunc illa omiſsio orationis idem peccatū eſt cum peccato cōtra caſtitatem, cui aliquis tunc conſenſit, vel ſaltem illius periculo ſe expoſuit. Quia quando obligatio ad aliquem actum ſolum oritur ex obligatione intrinſeci finis, omiſsio illius actus non habet ſpecialem malitiam diſtinctam ab ea, quæ eſt tali fini contraria. Vt in exemplo poſito, ſi ad vincendam illam tentationem iudicaretur neceſſarium ieiunium, qui illud omitteret, non peccaret ſpecialiter contra abſtinentiam, ſed tantùm contra caſtitatem, quia illa neceſsitas, & obligatio ex ſola caſtitate oritur. Declaratur etiam hoc exemplo, quo Paludanus, & alij in hac materia vtuntur, quod ſicut homo in extrema neceſsitate corporali conſtitutus, ſi non poteſt aliter conſeruare vitam, niſi mendicando, tenetur mendicare: ita qui ſpiritualiter indiget, tenetur mendicare à Deo, at verò in illo caſu, qui omitteret mendicare ab homine, non peccaret niſi contra propriam charitatem, qua tenetur corpus ſuum conſeruare, non verò, quia non honoratalium petendo ab ipſo, ergo ſimiliter in præſenti.

8. *D. Th. ſententia p̄ceptū Diuinum orandi ad ſolam Religionem ſpectare docet.*

Nihilominus Diuus Thomas dicta quæſtione 83. articul. 3. ad 2. diſtincta ponit hæc præcepta dicens: *Deſiderare* (vtique bonum illud propter quod eſt neceſſaria oratio) *cadit ſub præcepto charitatis, petere autem ſub præcepto Religionis*, ponit ergo proprium, & peculiare præceptum, quod licet non obliget, niſi occurrente neceſsitate charitatis, vel alterius ſimilis virtutis, nihilominus obligat ex propria vi Religionis. Vnde conſequenter ſit, eum, qui tunc orationem omittit, dupliciter peccare. primò contra charitatem, verbi gratia, quia non efficaciter deſiderat, & intendit bonum proprium. Secundò contra Religionem, quia non præbet Deo cultum orationis, quando debet. Et in hoc ſenſu videtur defendere hanc opinionem Medina ſupra referens Diuum Thom. Vnde in fine ait, poſſe interdum omiſsionem orationis eſſe ſpeciale, & vnicum peccatum ſine concomitantia alterius, vt ſi homini baptizato (inquit) immineret neceſsitas orandi ad conſequendam perennem vitam, & ille tunc omittat orare & nihil aliud, peccat ſolo peccato omiſsionis orationis. Quod profectò ſatis difficile eſt, pendet tamen ex his, quæ de tempore, pro quo obligat hoc præceptum, dicenda ſunt. Idem inſinuat Armilla verb. *Oratio*, numer. 2. cum ait, orationem eſſe neceſſariam, vt reuerentiam Deo exhibeamus, & vt impetremus, &c. Vnde aliqui hac ratione vtuntur: Naturalis ratio dictat, eſſe Deo exhibendum cultum, ſed præcipuus cultus Dei conſiſtit in oratione. ergo præceptum orandi oritur ex vi cultus debiti Deo, ac proinde eſt peculiare præceptum Religionis.

Medin.

Armilla.

9. *Aliquorum ratio ad ſententiā proximā probandā parū vrgere oſtenditur.*

Hæc verò ratio non multum vrget, quia præceptum de Diuino cultu ex ſola rei natura non determinatur ad particularem actum, vel modum cultus, ſed hoc relictum ſit arbitrio hominis quoad priua-

priuatum cultum. Vnde poſſet quis Deum colere, gratias agendo, vel laudando, vel adorando, & per hoc impleret naturale præceptum Diuini cultus, ergo licet nunquam peteret, non violaret naturale præceptum colendi Deum, eſto alias peccaret contra charitatem. Ex illo ergo præcepto non poteſt colligi determinata obligatio ad propriam orationem, de qua nunc tractamus, nam de illa dicit Diuus Thomas, datum eſſe ſpeciale præceptum Religionis, & contineri in illis verbis, *Petite, & accipietis.*

D. Thom.

Quocirca difficile eſt, ex ſolo diſcurſu rationis oſtendere efficaciter, datum eſſe hoc præceptum, niſi in ſenſu declarato in priori ſententia. Vnde Medina ſupra ſentiens difficultatem, adiungit, *quod ſi velis hoc præceptum reducere ad præceptum charitatis, parum refert, dummodo concedas, teneri hominem non ſolum ad deſiderandum, ſed etiam ad petendum ſub reatu noui peccati.*

10\. *Sententia D. Thomæ approbatur.*

Nihilominus ſentio, nõ eſſe recedendum à ſententia Diui Thomæ, quæ magis pia eſt, & ſatis conſentanea rationi. Poteſt autem ita explicari, quia licet Religio non obliget ad petendum, niſi quando vrget alia neceſsitas, nihilominus tunc obligat non ſolùm propter talem neceſsitatem, ſed etiã propter ipſum cultum Dei.

Explicatur.

Ideo enim Deus ordinauit, petitionem eſſe neceſſariam ad obtinendum auxilium, vel remedium in huiuſmodi neceſsitatibus, vt ipſæmet neceſsitates quodammodo cogerent homines ad confugiendum ad Deum, eumque per orationem colendum, ergo veriſimile eſt, præceptum colendi Deum obligare ex intentione Diuina in tali opportunitate, & tali modo. Atque hoc ſignificauit nobis Chriſtus Dominus in his verbis: *Petite, & accipietis*, quæ præceptum continent iuxta communem expoſitionem, & ex vi, & forma verborum præcipiunt hunc proprium actum, & ſpecificum Religionis. Non continent autem præceptum Diuinum merè poſitiuum, ergo continent & declarant præceptum Diuinum naturale.

Declaratur amplius.

Declaratur tandem, quia quando aliquis actus virtutis ex natura ſua, vel inſtitutione Diuina habet honeſtatem neceſſariam ad ſalutem, tunc non ſolùm charitas, vel aliæ virtutes generales, ſed propria etiam virtus, ad quam pertinet talis honeſtas, obligat ad talem actum, ergo ita eſt etiam in præſenti. Antecedens patet inductione: Nam fides quæ eſt medium ad iuſtitiam, cadit in præceptum non ſolum ex charitate propter iuſtitiam obtinendam, ſed intra propriam ſpeciem fidei, idemque eſt de ſpe, & pœnitentia: & de Sacramentis, præſertim neceſſarijs ad ſalutem data ſunt propria præcepta, quorum violatio contra Religionem eſt: idem ergo erit de oratione, cum ſit eadem ratio, ſuppoſita eius neceſsitate. Quomodo autem hoc præceptum violetur per ſpecialem culpam in ſequenti capit. explicabitur.

11\. *Animaduerſio.*

Vnum vero hic addendum occurrit, etiam iuxta priorem modum explicandi hanc obligationem, fatendum eſſe, interdum poſſe pertinere ad ſolam Religionem, vt patet, quando neceſſe eſt pro ipſamet Religione, & Diuino cultu pugnare, & ad hoc ipſum auxilium Diuinum poſtulare, tunc enim ipſamet Religio proximè, & immediatè ad vtrumque obligat, ſcilicet ad deſiderandam, & intendendam Diuinam gloriam, & ad petendum auxilium in eum finem. Nam licet tunc etiam charitas Dei remotè obliget, proxime tamen obligat Religio, quatenus Deo reddit debitum, quia tunc pugnare pro Diuino honore debitum eſt Deo quaſi ex iuſtitia, ſeu Religione.

CAPVT XXX.

Quomodo diſcerni poſſit tempus, pro quo neceſsitas, eiuſque obligatio vrget.

1\. *Ratio difficultatis.*

DIfficile ſatis eſt hoc declarare, quia ſemper loquimur, ſiſtendo in pura lege naturali, prout à nobis declarata eſt. Ratio autem difficultatis eſt, quia hoc præceptum orationis affirmatiuum eſt, præceptum autem affirmatiuum non obligat pro ſemper, vt per ſe conſtat, & hoc præceptum, quatenus naturale eſt, non affert ſecum temporis determinationem: quomodo ergo determinari poterit tempus huius obligationis? Nam ſi ordinaria neceſsitas humana ſufficit, ſemper, & continuo moraliter loquendo, obligabit hoc præceptum: quià ſemper indigemus Diuino auxilio, vel ad bene operandum, vel ad non peccandum, & ad vincendas tentationes, quæ fere nunquam non occurrunt. Si vero maior, vel extraordinaria neceſsitas ſpectanda eſt ad hanc obligationem, difficillimum erit, diſcernere modum, & quantitatem huius neceſsitatis, quod eſt contra rationem Diuini præcepti, quia debet eſſe lucidum, & clarum, alias quomodo poſſet impleri in tanta hominum multitudine, & varietate.

2\. *Nonnulli hæretici, ſemper neceſſario orãdum eſſe, dicebãt. August. 1. ad Theſ. 5. Ad Coloſſ. 4.*

In hac re quidam hæretici errarunt, dicentes, ſemper, & continuo ex neceſsitate eſſe orandum, vt Auguſtinus refert hæreſ. 57. qui ita intelligebant illud Chriſti verbum, *Oportet ſemper orare*, & quod Paulus ait Primæ ad Theſſal. 5. *Sine intermiſsione orate*, & ad Coloſſeñ. 4. *Orationi inſtate.* Hæc vero hæreſis intellecta, vt refertur, & vt ſonat de propria oratione, & rigoroſe de toto tempore ſine vlla interruptione, aut requie, eſt contra omnem rationem, & ſenſum, nam illa continuitas non eſt humana, ſed angelica, neceſſe eſt enim, homines aliquid temporis dormiendo conſumere, & aliquid in humanis actionibus, cum quibus vix poteſt eſſe actualis attẽtio ad propriam orationẽ.

Hæreſis hæc & rationi, & ſenſui cõtraria eſt.

Quod ſi aliquibus per ſpecialem gratiam hoc conceditur, non eſt res pertinens ad præceptum generale, aliàs datum eſſet de re plane impoſsibili ſecundum communem gratiam & potentiam, quod eſt contra ſuauitatem, & prudentiam Diuinæ legis. Imo etiamſi plura ſint tempora, in quibus homines communiter poſſent orationi vacare, nihilominus non eſt datum præceptum proprium orandi toto illo tempore, quod à conuenienti ſomno, & ab aliis actionibus ad vitam neceſſariis vacuum eſt: eſſetque error, etiam in hoc ſenſu illam ſententiam defendere, reducique poſſet ad errorem illorum, qui hoc tempore, negant præcepta à conſiliis diſtingui. Nam licet illa frequentia orationis etiam poſsibilis, & commoda, in conſilio ſit, præſertim ſi de oratione mentali loquamur & de tempore, quando aliquid aliud melius, aut proximis magis neceſſarium agendum non occurrit: non tamen eſt in præcepto. Quod ſatis conſtat ex vſu, & praxi Eccleſiæ, & quia tale præceptum non eſt Diuinum naturale, vt ex dictis capit. præcedenti manifeſtum eſt ergo neque eſt Diuinum poſitiuum, quia in legẽ Euangelica non ſunt data alia præcepta cæremonialia, præterquam Sacramentorum, & Fidei. Igitur tale præceptum nec traditum eſt, vt oſtendit vſus Eccleſiæ, neque etiam eſt Scriptum, vt ſtatim patebit.

1. Ad Corin. 7.

Vnde Paulus primæ ad Corinth. 7. coniugatis dicit, *Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi.* Vbi particula illa, *Ex conſenſu*, demonſtrat, conſilium illud eſſe, non præceptum. Et inferius virginitatem ſuadens, quam dixerat eſſe in conſilio, non in præcepto, inquit, *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu, quæ autem*

nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi. Ac tandem concludit, ſe conſulere, *quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Imo Diuus Thomas dicta quæſtione 83. articulo 14. dicit, etiam hoc conſilium frequenter orandi non eſſe ſine diſcretione ſumendum, ſed vbi poſitiuum præceptum non intercedit, commenſurandum eſſe diſpoſitioni, & vtilitati orantis. *Vnde conueniens eſt* (inquit) *vt oratio tantum duret, quantum eſt vtile ad excitandum interioris deſiderij feruorem, cum vero hanc menſuram excedit, ita quod ſine tadio durare non poſſit: non eſt vltra protendenda.* Quod documentum confirmat ex Auguſtini Epiſtol. 121. capit. 9. & 10. de illo videri poteſt Guilliel. Pariſ. in Rhetoric. Diuin. cap. 44. & de eodem dicemus plura, tractando in particulari de oratione mentali, & vocali.

D. Thom. — *Auguſt.*

3\. *Teſtimonia Scripturæ, quibus nitebantur hæretici, declarantur variis modis. Prima expoſitio eſt orationem accipi pro opere bono. D. Thom.*

De teſtimoniis autem illis male intellectis à citatis hæreticis nonnulla diximus ſupra capit. primo occaſione illius diuiſionis orationis, in qua dicebatur, orationem largiſſime ſumptam ſignificare omne opus bonum, iuxta quam aliqui ad vitandam hanc hęreſim, teſtimonia illa interpretati ſunt. A qua interpretatione non longe abeſt Diuus Thomas dicto articulo 14. in corpore, & ad 4. nam in corpore diſtinguit de oratione quoad cauſam, vel quoad formalem actum, dicitque licet non oporteat eſſe continuam quoad actum ipſum, tamen quoad cauſam poſſe, & debere eſſe continuam. Cauſam autem dicit eſſe deſiderium charitatis, ex quo manare debet oratio, illud autem deſiderium dicit debere eſſe continuum actu, vel virtute, prout manet in omni opere, quod ex charitate facimus. Vnde quia omnia debemus ad gloriam Dei facere prima ad Corinth. 10. ideo ſecundum hoc debet eſſe oratio continua. Et iuxta hæc exponit in ſolutione ad quartum prædicta teſtimonia. Nobis autem non placuit illa acceptio orationis pro quolibet opere bono, quia multum eneruat omnia teſtimonia Scripturæ, quæ ſunt de frequentia, & neceſſitate orationis, fauetque aliquo modo errori VVicleph, qui omnia interpretabatur de oratione vitali. Item in capit. 9. cum Chryſoſtomo, & aliis Theologis colligebamus neceſſitatem propriæ orationis ex verbis Chriſti: *Oportet ſemper orare.* Quomodo ergo nunc poſſumus illa de oratione largiſſime, & impropriiſſime interpretari? Præſertim, quia vt bene notauit Medina dicto Codice quæſtion. de Tempore orandi, Chriſtus ibi volebat perſuadere inſtantiam petendi, quod eſt proprie orare, & ad hoc adducit ibi parabolã de Iudice, hæc autem inſtantia tollitur, ſi interpretemur de opere, vel deſiderio virtuali, aut alio modo improprio. Item Paulus euidenter loquitur de propria oratione, cum dicit ad Coloſſen. 4. *Orationi inſtate.* Vnde adiungit, *Vigilantes in ea, in gratiarum actione, orantes ſimul, & pro nobis, &c.* In eodem ergo ſenſu loquitur 1. ad Theſ. 5. Adde, quod licet interpretemur de operatione, non eſt præceptum ſemper bene operandi abſolute, ſed ſolum quaſi ſub conditione, ſeu quoad pacificationem, id eſt, quod ſi operamur, bene operemur, poſſumus tamen ab operatione ceſſare ſine tranſgreſſione præcepti, ergo etiam in hoc ſenſu non eſt præceptum affirmatiuum continue orandi, vt illi hæretici volebant. Et præterea licet, dum operamur, teneamur honeſte operari, non tamen tenemur ſemper operari ex charitate, ſed ſatis eſt operari ex aliqua honeſtate morali at vero propter hanc ſolam honeſtatem ſatis metaphorice dicitur durare continuo deſiderium charitatis. Eo vel maxime quod multi opinantur, poſſe hominem ſine culpa interdum operari actionem indifferentem, in qua dici non poteſt proprie continuari deſiderium charitatis. Itaq; hæc expoſitio de bono opere, vel de continuatione per intentionem charitatis mihi non placet.

Non placet. — *Chryſoſt.* — *Medin.* — *Ad Coloſſ. 4.* — *1. ad Theſ. 5.*

Vide de hac expoſitione Faſti orat. de Martyre Iulita, & Origenem hom. Sinica in libros Regum, D. Thomam opuſc. 64.

4\. *Altera expoſitio de orationis duratione in ſe vel in ſuo effectu etiam non probatur. D. Thom.*

Et eadem ratione non probo expoſitionem aliam, quam in eadem ſolut. ad quartum affert Diuus Thomas, ſcilicet quod oratio debet durare ſemper vel in ſe, vel in ſuo effectu. Tum quia etiam hoc modo non ſumitur oratio in ſua proprietate, prout neceſſe eſt ſumi in verbis continentibus præceptum. Tum etiam quia non video quomodo ex neceſſitate præcepti teneamur facere, vt oratio continue duret, vel in ſe, vel in ſuo effectu, quia neceſſarium non eſt, vt vel deuotio duret, vel res impetrata per orationem, nec etiam eſt neceſſe, vt duret beneficium alteri collatum, vt pro nobis oret.

5\. *Alterũ interpretatio de duratione morali, non phyſica non plene ſatisfacit. Auguſt. D. Thom.*

Aliter ergo exponit Auguſtinus, & refert etiam Diuus Thomas, oportere ſemper orare, non continuitate phyſica, ſed morali, quia oportet, ſtatutis temporibus orationem non omittere. Quæ expoſitio eſſet quidem facilis, & optima, ſi ſermo eſſet de poſitiuo præcepto, quo tempora etiam orandi ſtatuta ſunt, quomodo proprie dicem⁹ oportere ſemper dicere Canonicum officium, & Diuina officia ſine intermiſſione in Eccleſia dici, quia ſuis temporibus non omittuntur. Item eſſet expoſitio facilis, ſi verba illa tantum continerent conſilium, ſic enim conſilium eſt habere certa tempora deſignata ad orandum, & illa deinceps non intermittere, ſed ſemper in dicto ſenſu orare. At vero intelligendo illa verba de præcepto Diuino, de quo nunc agimus non apparet, quomodo poſſit illa expoſitio applicari, quia præceptum illud non habet certa tempora ſtatuta, & deſignata pro quibus obliget, & ideo illud eſt, quod nunc maxime inquirimus quænam videlicet ſint tempora, pro quibus obligat illud præceptum.

6\. *Quarta declaratio eſt de orationis perſeuerãtia quoad inſtãtiam petitionũ, non deſiſtendo donec obtineatur res poſtulata. Medina. Maldon.*

Aliter exponit Medina ſupra, mentem Chriſti Domini citato loco ſolum fuiſſe, nos docere oportere, etiamſi ſemel, & iterum petendo non obtineamus, non ideo deſiſtere, ſed ſemper orare, id eſt, non deſiſtere, ſeu *deficere*, vt Chriſtus dixit, & rem prorſus omittere, ſed perſeuerare, donec obtineamus. Quam expoſitionem ſequitur etiam Maldonatus, & reuera eſt valde conſentanea intentioni Chriſti, quam in Parabola, quam adduxit, ſatis explicuit, vt etiam dixi in capite primo. Videri autem poteſt, iuxta hanc expoſitionem non colligi ex dictis verbis præceptum Diuinum orandi, quia in eis potius declaratur modus in oratione ſeruandus ad efficaciter impetrandum, quam abſoluta obligatio orandi. Ad hoc autem reſponderi poteſt, ante omnia contineri in illis verbis neceſſitatem orationis, & vltra illam adiungi modum, & inſtantiam orandi. Quod autem Medina addit, verba illa, *Oportet ſemper orare*, non eſſe verba Chriſti, ſed Euangeliſtæ proponentis, & quaſi explicantis intentionem Parabolæ, & incertum eſt, & non obſtat, quominus eandem habeant infallibilem veritatem, conferre tamen poteſt, vt intelligamus in eo ſenſu eſſe dicta, qui ex Parabola colligi poteſt.

Medina.

7\. *Quinta illorũ verborũ expoſitio eſt per exaggerationẽ dictũ eſſe ad neceſſitatẽ orationis indicandam. D. Bonau. Caſtro.*

Aliam expoſitionem indicaui ſupra ex Bonauentura, eamque ſequitur Caſtro verbo *oratio* hæreſ. ſecunda, illum loquendi modum ſolum continere quandam exaggerationem ad indicandam neceſſitatem orationis. Eſt enim hic loquendi modus per exaggerationem vſitatus in Scriptura, quæ ſe accommodat modo loquendi hominum: vt quod eſt valde difficile, dicitur interdum impoſſibile, &cæt. Faciliuſque accommodatur hæc expoſitio ad verba Pauli, nam cum ait, *Sine intermiſſione orate*, perinde eſt, ac ſi diceret, *frequenter orate*, quod clarius explicuit in alio loco, affirmatiua tantum exhortatione vtendo, *Orationi inſtate.* Poſſumus etiam dicere ibi commendari inſtantiam orandi, iuxta illud Ambroſij ſermon. 19. in Pſalm. 118. *Praueni in maturitate, & clamaui. Qui rogat, ſemper roget, & ſi non ſemper precatur, paratum ſemper habeat pre-*

beat precantis affectum. Veruntamen hæc omnia non ſufficiunt, ad explicandam vim præcepti, ſi ex illis locis colligendum eſt, quia etiam illa frequentia orationis, quam ex illis locutionibus vere colligere poſſumus, eſſe valde conuenientem, & opportunam, non cadit ſub præceptum vt dictum eſt. Nullum autem inconueniens cenſeo concedere, Paulum non ſolum explicaſſe præceptum, ſed etiam conſilium frequenter orandi, in illa tamen exaggeratione neceſsitatis orationis ſatis ſignificari præceptum abſolutum orandi, quamuis ex illis teſtimonijs haberi non poſsit, quando obliget.

Ex prædictis teſtimonijs colligi non poteſt determinatũ tempus adorandum.

8\. *Catholici Doctores exiſtimant præceptum orãdi certam temporis differentiam non habere. D. Thom.*

Omiſſo ergo hoc errore, Doctores Catholici fatentur, præceptum hoc, quatenus Diuinum, & naturale eſt, non afferre ſecum certam, & claram temporis determinationem. Ita habet Diuus Thomas in quarto, diſtinctione 15. quæſtione quarta, articulo primo, quæſtiuncula tertia, dicens: *Indeterminate ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipſo, quod tenetur ad bona ſpiritualia procuranda.* Et ita loquuntur alij, vt videre licet in Angel. verb. *Oratio*, numero 20. Ledeſ. in 4. 2. part. quæſtione 26. a. 3. Medina, ſupra, quæſtione 11. Syluestro, Nauarro, & Abulenſi infra referendis. Et patet, quia ſi ſpectemus præceptum ex ſola naturali ratione, non dicit, vt oremus ſemel in die, vel in menſe, vel in anno, aut quidpiam ſimile, & Chriſtus ſolum indefinite dixit, *Petite, & accipietis*, quæ verba maxime indicant præceptum, & alia, quæ indicant neceſsitatem etiam in rigore, non determinant punctum illius. In hoc ergo puncto præſcribendo, quod neceſſarium eſt ad moralem vſum præcepti, laborant, & varij ſunt Doctores. Quidam dixerunt, obligare hoc præceptum in primo inſtanti vſus rationis, quia in eo tenetur homo ſe conuertere ad Deum debito modo ad honeſte, & ſancte vitam inſtituendam, quod facere non poteſt ſine magno auxilio gratiæ, & ideo pro tunc tenetur orare petendo illud. Ita tenet Syluester verbo, *Oratio*, quæſtione octaua, qui nullum aliud affert fundamentum, præter illam opinionem Diui Thomæ 1. 2. quæſtione 89. articulo ſexto.

Aliquorum opinio eſt, præceptum orandi tunc obligare, cũ primum homo incipit vti ratione. Syluest.

9\. *Poſita opinio reijcitur vt falſa & inſufficiens.*

Hæc vero ſententia nobis non probatur, nec ſatisfacit. Primo, quia non conſtat de tali præcepto affirmatiuo, quod pro primo inſtanti vſus rationis obliget ad propriam conuerſionem in Deum, ſed ſolum ad volendum bonum honeſtum quod tunc primo occurrit, de quo alias. Secundo, quia male infert, vt notauit Nauarrus in Enchiridio de Oratione, capit. 3. numer. 17. quod ipſe ſolum probat, quia conuertere ſe in Deum, & orare, diuerſa ſunt, & à diuerſis non fit illatio. Reſponderet tamen Syluester, illa diuerſa eſſe connexa, vt finem proximum, & medium neceſſarium ad illum, & ideo poſſe eſſe validam illationem. Non videtur tamen Sylueſter aduertiſſe repugnantiam, quæ in hoc inuoluitur, nam vt quis oret Deum petendo ab ipſo, neceſſe eſt, vt ſupponatur conuerſus ad illum, dicente Paulo ad Roman. decimo: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* ergo prius neceſſe eſt implere præceptum illud conuerſionis in Deum, quod Diuus Thomas ponit, quam inchoetur oratio, ergo ex illo præcepto, ſeu neceſsitate implendi illud non poteſt colligi obligatio orandi pro illo inſtanti, neque eſt vnde colligatur, ſuppoſita impletione talis præcepti. Et declaratur amplius, quia vel loquimur de homine fideli per Baptiſmum, & educato inter fideles, vel de homine infideli, vel educato inter infideles. Prior, cum peruenit ad vſum rationis, per fidem, & virtutes infuſas cum communi auxilio gratiæ poteſt conuerti in Deum modo ſufficienti ad implendum illud præceptum, ergo ex vi illius non tenetur tunc orare. Præſertim quia, vt orare poſsit, debet prius excitari ad actum fidei, & ad ipſam orationem, at eodem modo poteſt excitari immediate ad intentionem ſeruiendi Deo, vel aliam ſimilem, qua impleat illud præceptum abſque præuia oratione. Si vero loquamur de homine educato inter infideles, qui nihil vnquam de fide audiuit: ille perueniendo ad vſum rationis non poteſt orare, niſi prius ſupernaturaliter aliquomodo illuminetur, ergo ad obtinendam hanc illuminationem non tenetur orare: poſt quam autem illam gratis receperit, per illam cum adiuuante gratia, quæ præſto eſt, poteſt ſe aliquomodo conuertere in Deum vt iuſtificetur abſque alia oratione præmiſſa. Atque ita loquitur Diuus Thomas de illo homine. Ergo etiam data illa obligatione conuerſionis, non recte infertur obligatio orationis pro illo primo inſtanti.

Nauarr.

Syluest.

Roman. 10.

D. Thom.

D. Thom.

10\. *Inſufficientia dictæ ſententiæ oſtenditur.*

Deficit præterea illa ſententia, quia etiamſi daremus, præceptum hoc obligare pro illo inſtanti, non eſſet veriſimile pro illo etiam finiri, alias qui in illo inſtanti oraret, non teneretur amplius in tota vita orare. Quod plane falſum eſt, cum neceſsitas, & fundamentum huius præcepti duret, imo multo magis vrgeat reliquo tempore vitæ, ergo licet admitteretur obligatio pro illo inſtanti, eadem ſupereſſet difficultas, pro quibus temporibus obliget illud præceptum reliquo tempore vitæ, non ergo expedit difficultatem. Auget autem illam coarctando hanc obligationem ad illud primum inſtans, præſertim cum vix ſit humano modo poſſibile tam ſubito aut obligationem illam recognoſcere, aut implere.

11\. *Tẽpore quo Miſſa celebratur, præceptũ orationis etiã obligare, Sylueſ. affirmat. D. Thom.*

Aliud tempus huius obligationis aſsignat ibidem Sylueſter, ſcilicet illud, in quo ex præcepto tenentur audire Miſſam, quia tunc, inquit, tenemur orare, id eſt, orantibus aſsiſtere, vt eis mediantibus oremus, quod ſumpſit ex Diuo Thoma, dicta quæſtiuncula 3. Certum autem imprimis eſt hanc temporis determinationem non eſſe ex natura rei, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ, quod expreſſe declarauit Diuus Thomas & Sylueſter non negauit, nec ignorare potuit. Ideoque non videtur hoc modo expediri difficultas, quam tractamus, conſideramus enim ſolam vim naturalis præcepti. Reſponderi tamen ad hoc poſſet, ita Deum Eccleſiam ſuam (quæ omni tempore fuit) gubernaſſe, & inſtituiſſe, vt in illa ſemper fuerit publicus vſus alicuius ſacrificij, & orationis publicæ, cui certis temporibus omnes fideles tenerentur aſsiſtere, & ita ſemper fuiſſe adiunctam illi præcepto naturali aliquam temporis determinationem, neque ab illa poſſe humano modo ſeparari, vel ſine illa conuenienter impleri. Sed hoc imprimis valde incertum eſt ſaltem de tempore legis naturæ, & præterea cum hypotheſis non ſit impoſsibilis, ſcilicet quod nulla ſit facta talis determinatio, quandoquidem eſt ſimpliciter humana, ac poſitiua, neceſſe eſt, vt ex vi ſolius præcepti naturalis hæc obligatio pro aliquo tempore oriatur. Præterea quamuis vnuſquiſque fidelium ſit membrum Eccleſiæ, & vt ſic teneatur publicas orationes fundere, quæ nomine totius Eccleſiæ fiunt, vel per ſe illas fundendo, quod pertinet ad miniſtros, vel illis aſsiſtendo, & per alios orando, quod pertinet ad populum: nihilominus vnuſquiſque etiam eſt priuata perſona, quæ poteſt ad priuatam orationem obligari, iuxta occurrentes neceſsitates, & tempus huius obligationis non eſt determinatum per illam Eccleſiaſticam determinationem.

Hac temporis determinatione præſenti difficultati non ſatisfacit. Obiectio.

Reſponſio.

12\. *Præceptum orandi, expleto Miſſæ ſacrificio, et tam obligat.*

Atque hinc ſequitur vnum conſideratione dignum in hoc pũcto, nimirum, illam Eccleſiæ determinationem non eſſe talem, vt impleto illo Eccleſiæ præcepto, cenſeri poſsit ſufficienter impletum præceptum diuinum orandi. In quo eſt magna differentia inter hanc determinationem, & alias factas ab Ec-

Digitized by Google

Præceptum orandi, & aliorum præceptorum Eccleſiæ differentia.

ab Eccleſia in aliis præceptis Diuinis: nam præceptum Diuinum ſacrificandi ſufficienter impletur à fideli populo, audiendo Miſſam diebus feſtis iuxta Eccleſiæ determinationem: Similiter præceptum Diuinum communicandi extra mortis articulum ſufficienter impletur per ſe loquendo, communicando ſemel in anno in Paſchate, quia cenſetur Eccleſia ſufficiẽter determinaſſe tempus illius præcepti Diuini: Idemq; cum proportiõe eſt de præcepto annuæ confeſsionis, & ſimilibus. At vero Diuinum præceptum orandi, quatenus omnes, & ſingulas priuatas perſonas obligat, non impletur ſufficienter audiendo Miſſam in diebus feſtis, aſsiſtendo illi ſacrificio cum intentione, & attentione ſufficiente ad Miſſæ præceptum implendum, ergo ſignum eſt, per illud præceptum Eccleſiaſticum non determinari per ſe, ac proprie tempus obligationis alterius præcepti Diuini, prout eſt de priuata, & (vt ſic dicam) perſonali oratione. Aſſumptum videtur communiter receptum, nam extra tempus præcepti audiendi Miſſam, omnes deſignant alia tempora, pro quibus obligat præceptum orandi. quod etiam Syluester admittit. Item licet aliquis propter impotentiam excuſaretur circa Miſſam audiendam, nihilominus tenetur interdum priuatim orare ſaltem mente, & in eo neceſſarium eſſet definire tempus, pro quo obligaretur. Item eſt optima ratio, quia præceptum orandi non videtur omnes eodem modo, & ad idem in particulari obligare, ſed vnumquemque iuxta propriam illius neceſsitatem, & opportunitatem, ergo quoad priuatam orationem non potuit fieri adæquata determinatio eiuſdem temporis, & eiuſdem orationis quoad omnes. Illa ergo determinatio pertinet ad orationem publicam, quæ neceſſario fieri debuit per poteſtatem publicam, ſemper ergo ſupereſt difficultas circa priuatas orationes.

Syluester.

Tertia communis ſententia docet, orandi præceptum obligare quando vrget neceſsitas.

13. Eſt tertia, & communis ſententia, quæ hoc tempus determinandum putat ex neceſsitate Diuini auxilij pro aliquo tempore occurrentis. Fundarique poteſt in illo vulgari principio, quod præcepta affirmatiua, licet obligent ſemper, non tamen pro ſemper, ſed ſolum pro articulo neceſsitatis, quando ipſamet expreſſe aliud tempus non determinant. Duplex autem neceſsitas communiter proponitur. Vna eſt propria ipſiuſmet hominis, vt ſi aliqua tentatione vehementer pulſatur, quam ſine Diuino auxilio vincere non poteſt: Alia eſt neceſsitas proximi, vt ſiquis videat aliquos ad duellum properare, nec poſsit eos aliter impedire, ſaltem tenetur pro eis orare. Ita docet Diuus Thomas dicta quæſtiuncula 3. & colligitur ex Paludano dicta quæſtione 5. Tenet Syluester ſupra, & Nauarrus ſupra numero 14. & 15. Et reuera nihil aliud ſenſit Abulenſis quæſtione 32. in capit. 9. Matthæi. quem immerito Nauarrus reprehendit, eo quod dixerit, teneri nos ad orandum pro proximo in neceſsitate conſtituto, ſi ſperamus, per orationem poſſe illi prodeſſe. Non enim explicuit Abulenſis teneri nos ad orandum pro aliis, quoties prodeſſe illis poſſumus, vel in quacunque communi neceſsitate, ſed indefinite locutus eſt, & plane intelligit iuxta ordinem, & obligationem charitatis.

Duplex neceſsitas orandi, vel pro ſe vel pro alio.
D. Thom.
Palud.
Syluest.
Nauar.
Abulenſ.

Dicta ſententia quoad præceptum charitatis vera cenſetur, quoad præceptũ vero Religionis, ex quo naſcitur orationis obligatio, ſecus eſſe videtur.

14. Hæc quidem doctrina, quatenus obligationem charitatis declarat, vera eſt, quia ex charitate tenemur, & nos, & proximum diligere, præſertim in ſpiritualibus, & conſequenter, & noſtræ, & illorum neceſsitati graui, & ſpirituali ſubuenire eo modo, quo poſſumus: non tamen videtur illa doctrina ſufficere ad explicandum tempus propriæ obligationis huius præcepti. Primo propter rationem ſupra tactam, quod hoc eſt præceptum proprium Religionis per ſe obligans ad orationem propter Diuinum cultum, ergo non tantum obligat quaſi per accidens propter neceſsitatem contingentem, & extrinſecam, habet ergo per ſe proprium tempus ſuæ obligationis, & hoc eſt quod inquirimus. Secundo, quia alias qui nunquam ſentiret illam vehementem, & vrgentem tentationem, nec videret proximum in ſimili neceſsitate, nunquam teneretur orare, poſſent ergo multi totam vitam ſine oratione tranſigere abſque graui peccato, quod profecto incredibile eſt. Præterea quod attinet ad neceſsitatem proximi, non videtur illa ſufficiens cauſa huius obligationis ex vi ſolius charitatis, quia imprimis proximus habet libertatem, vt non conſentiat tentationi, & habet à Deo paratum ſufficiens gratiæ auxilium, vt id facere poſsit. Dices, indigere maiori, & extraordinario auxilio, ſine quo relinquitur in grauiſsimo periculo, & huic neceſsitati nos tenemur ſubuenire per orationem. Sed contra, quia non conſtat nobis, orationem vnius pro alio in tali neceſsitate eſſe medium neceſſarium, neque etiam eſſe efficax, quia oratio vnius pro alio (vt Auguſtinus dicit) non eſt infallibilis, cur ergo imponenda eſt tanta obligatio in re tam obſcura, & incerta, ſi alioqui oratio per ſe, & ratione ſui non eſt in præcepto? Tandem Diuinum gratiæ auxilium non ſolum eſt neceſſarium ad vincendam grauiſsimam, & extraordinariam tentationem, ſed etiam ad vincendas graues, & ordinarias, vel determinate ad ſingulas, vel ſaltem indefinite, & confuſe, vt alicui non conſentiamus, ſeu, quod idem eſt, vt omnibus conſtanter reſiſtamus, ergo ſi oratio eſt in obligatione propter neceſsitatem auxilij, non tantum vrgebit obligatio pro illo tempore grauiſsimæ, & extraordinariæ tentationis, ſed neceſſe eſt, vt obligemur aliis etiam temporibus, nos orationibus præmunire. Quod ſi auxilium illud pro aliis temporibus ſperari poteſt abſque oratione, & ideo non obligat tunc præceptum orationis, idem dici poterit in tempore grauiſsimæ tentationis. Nec facile oſtendi poterit, vnde medium orationis ſit magis neceſſarium in illa particulari neceſsitate, quam in hac generali, quæ ſemper, ac continue nos premit.

Obiectioni occurritur.

August.

Præceptũ orãdi multoties in vita decurſu obligat, etiãſi nulla ſit orãdi neceſsitas ex charitate proueniens.

15. Hæ obiectiones non proponuntur à nobis animo impugnandi communem doctrinam, ſed explicandi illam. Cenſeo igitur, Diuinum præceptum orandi ſæpius, & per ſe obligare in decurſu vitæ, etiamſi non occurrãt extraordinarij caſus particulares, in quibus neceſsitas charitatis ad orandum obliget. Hoc mihi probant argumenta facta, illud præcipuè, quod vita humana tota eſt vnum continuum bellum, & conſequenter vnum continuum periculum, quod ſcimus ſine continuo etiam Dei auxilio, & protectione ſuperari non poſſe. Scimus etiam ordinarium medium à Deo conſtitutum ad dandum hoc continuum auxilium eſſe orationem. Ergo ipſa ratio dictat, non eſſe expectandum extremum periculum ad orandum, eſſetque cõtra propriam ſalutem ad illas anguſtias oratione reſtringere, obligat ergo oratio ſæpius, ac per ſe ratione præſentis ſtatus. Vnde fit vlterius veriſimile, obligare hoc modo, non ſolum obligatione charitatis propriæ, ſed etiam Religionis, quia, vt ſupra dicebamus licet hoc præceptum ex noſtra neceſsitate nobis innoteſcat, quia illam ſupponit, vt materiam talis præcepti, non tamen eſt illa formalis, & adæquata ratio talis præcepti, ſed hæc eſt Diuinus cultus, quem Deus intendit, cum conſtituit hoc medium tanquam neceſſarium ad ſubueniendum humanæ neceſsitati.

Probatur.

Non ſolum ex charitate, ſed etiam ex Religione orãdi neceſsitatẽ oriri, probabile eſt.

16. Neque exiſtimo Auctores, qui particulares caſus aſsignant, hanc generalem doctrinam excludere voluiſſe, ſed quia difficile eſt, certa tempora huius obligationis in particulari deſignari, aliqua inueniſſe quæ certiora viderentur. De aliis vero vel nihil dicunt, vel indefinite loquuntur, ſicut Diuus Thomas dixit, præceptum Religionis obligare ad orandum, quod certe non poteſt pendere ex particulari,

Auctores particularẽ temporis differẽtiam orationis præcepto accõmodantes, aſſertione prædicta nõ cõtradicere.
D. Thom.

Palud. ticulari, & extraordinaria indigentia vel ipſius orantis, vel alterius proximi. Et Paludanus dixit, hãc obligationem oriri ex neceſsitate diligendi Deum ſuper omnia, non immediate ſed mediante obligatione dandi Deo cultum latriæ. De tempore vero huius obligationis ait Paludanus, nihil eſſe certum iure naturali, ſeu Diuino. Quod ſane verum eſt, ſi velimus certum tempus in indiuiduo, vel certam frequentiam deſignare. Nihilominus hic cenſeo habere locum doctrinam, quam de præcepto Diuino pœnitentiæ ſuo loco tradidi, & pro his Diuinis præceptis affirmatiuis, vt Charitatis, & ſimilibus cenſeo eſſe generalem, & neceſſariam, Nimirum obligare hæc præcepta, vt actus eorum non multo tempore differantur, ſed aliquoties in vita fiant, quoties videlicet ad rectam, & honeſtam vitam inſtituendam prudenti arbitrio iudicatum fuerit. In particulari autem iudicare, quando ſit nimia dilatio, vel quæ ſit debita frequentia prudenti arbitrio relictum videtur ex natura rei, ſicut etiam huius, vel illius temporis electio voluntaria eſt. Credo tamen, tam neceſſariam eſſe orationem ad rectitudinem vitæ, vt non ſit permittenda dilatio vnius anni, nec fortaſſe vnius menſis. Quod vſus ipſe fidelium ſatis confirmat, vix enim inuenietur aliquis tam negligens in Diuino cultu, & circa ſuam ſalutem procurandam, qui non aliqua priuata oratione frequentius vtatur. Quapropter in praxi non exiſtimo eſſe neceſſarium nos eſſe nimium ſolicitos de præciſo tempore huius obligationis, quia regulariter omnes præueniunt, vt ita dicam, tempus illud ipſo vſu orationis.

Tempus aliquod in particulari, quo præceptum obliget orandi, aſſignari non poteſt.

Tenemur tamen orare toties, quoties honeſtæ vitæ degendæ conueniens fuerit.

17\. Hac igitur generali obligatione præmiſſa, negandum non eſt, quin in aliquibus occaſionibus poſſit ex peculiari neceſsitate maior quædam, & peculiaris obligatio oriri, ſiue illa tunc pertineat proprie ad Religionem, ſiue ad ſolam charitatem, quod ſpeculatiue diſputari poſſet ſed nunc nõ oportet, nam ſufficiunt dicta. Quod ergo attinet ad orationem pro ſe ipſo exiſtimo, illam generalem obligationem orandi primo, & per ſe ordinari ad ſpirituale bonum ipſius orantis, quod attinet ad materiam orationis, nam de formali motiuo iam dictum eſt, eſſe cultum Dei. Primo ergo, ac præcipue obligatur homo ad orandum pro ſe, maxime in ſpiritualibus, qua oratione præuenitur, ne incidat in tentationem, id eſt, non ſolum vt per tentationem non vincatur, ſed etiam vt in illam incidere, aut ea grauiter vexari non ſinatur. Quod ſi, non obſtante priori oratione, vel ordinaria, vel etiam extraordinaria, Deus permiſerit, hominem actu vexari grauiſsima tentatione, & ea ratione in periculo animæ ſuæ verſari non eſt dubium, quin tunc teneatur homo peculiari obligatione ad orationem recurrere, vt omnes auctores docent, quia tunc maxime obligat charitas propria, atque etiam Dei. Et confidere tunc de ſua libertate, eſſet magna ſuperbia, & præſumptio, confidere autem de ſolo auxilio ordinario ſufficiente, eſſet ſtulta negligentia. Tum quia ſæpe eſt moraliter neceſſarium extraordinarium auxilium. Tum etiam quia hoc ſperandum eſt debito modo, & per media nobis à Deo propoſita, inter quæ ex potiſsimis, & maxime neceſſariis eſt oratio. Imo addit Medina dicto Cod. quæſtione 11. ad vltim. teneri hominem ad orandum, quoties tenetur ſe ad gratiam diſponere, & quoties vult Sacramentum ſuſcipere, vel iter, aut opus periculoſum aggredi. Sed non ſunt huiuſmodi obligationes facile multiplicandæ: Nam ſi ſermo eſſet de oratione generatim, vt dicit aſcenſionem mentis in Deum, clarum eſſet, eum, qui tenetur, ſe ad gratiam diſponere, teneri ad eleuandam mentem in Deum: tamen quia agimus de propria petitione non video, cur non poſsit quis ex bono habitu, & ordinario auxilio ſtatim, ac reuocat in mentem offenſionem aliquam Dei, illam deteſtari, & ſe diſponere etiam amando Deum abſque prætiia petitione. Ibi ergo in rigore non video ſpecialem præcepti obligationem, quãuis vix poſsit tunc homo timoratus non orare. Idẽ dico de ſuſceptione Sacramenti. De aliis vero occaſionibus iudicandum eſt iuxta operis arduitatem ac difficultatẽ.

Aliquando poterit eſſe maior aliqua neceſſitas orandi, ſiue id ſit ex charitate, vel ex Religione.

Generalis orandi neceſſitas primo, & per ſe materialiter loquendo bonum reſpicit orantis, formaliter vero cultum Dei.

Ab oratione deſiſti non debet, ſi tentatio duret, ſed potius, tentatione creſcente, oratio augenda eſt.

Addo inſuper in huiuſmodi occaſionibus, pro quibus hæc oritur obligatio, illam omittere, graue eſſe peccatum non ſolum contra illam virtutem, contra quam vexat tentatio, verbi gratia, contra caſtitatem, ſed etiam ſpeciali modo cõtra charitatem vel, vt probabile eſt, etiam cõtra Religionem. Quia licet ea occaſio Religioni extrinſeca ſit, tamen ea poſita, ſuboritur obligatio Religionis. Sicut enim ſupra dicebam, orationem eſſe medium ad impetranda Dei beneficia non ſolum materialiter, vt petitio eſt, ſed etiam formaliter, vt cultus eſt, ita quando peculiaris occaſio poſtulat orationem, poſtulat illam vt cultum, ad quem pro tunc obligat virtus Religionis. Nam ſicut virtutes ipſæ connexæ ſunt, ita etiam interdum eſſe poſſunt earum præcepta. Sicut in occaſione Martyrij non tantum fides obligat ad confitendam fidem, ſed etiam fortitudo ad ſuſtinendum tormentum, quod tunc eſt neceſſarium occaſione fidei. Hoc autem intelligendum eſt per ſe loquendo, & ex vi præcepti: nam per naturalem obliuionem interdum contingere poteſt, vt aliquis omittens orationem in aliqua ex his occaſionibus, à peculiari culpa excuſetur, quia neque aduertit ſuam obligationem, neque aliquid ei occurrit, quod cogitationem orationis excitet: nam tunc omiſsio orationis voluntaria non eſt, neque libera. 18.

Orationem, dum talis vrget tentatio, miſſam facere graue peccatũ eſt.

Quod vero ſpectat ad orationem pro aliis, dubitari poteſt an præceptum orandi ad hoc obliget. In quo breuiter dicendum eſt, ad orandum pro proximis in communi, & pro Republica, vel pro communitate obligare præceptum Diuinum per ſe, & non ſpectata alia ſpeciali neceſsitate, præter eam, quæ hominibus quaſi connaturalis eſt. Hoc ſuppono ex materia de Charitate, nam ad illam virtutem pertinet hæc obligatio, vel omnino, vel radicaliter. Obligat autem charitas ad diligendum commune bonum interdum plus, quam proprium. 19.

Orare pro aliis tenemur ex præcepto Diuino per ſe ſpectato, & non aliunde.

Hæc autem obligatio ſufficienter impletur per communes orationes, quas vnuſquiſque non pro ſe tantum, ſed etiam pro aliis fundit, à quibus neminem ſecundum charitatis ordinem excludere debet, exceptis orationibus publicis, de quibus infra dicetur. At vero in particulari non obligat ordinarie hoc Diuinum præceptum ad orandum pro aliis, niſi vel ex officio, vel ex alia particulari obligatione ad hoc quis teneatur, vt de Prælatis, vel miniſtris Eccleſiæ poſtea dicemus, vel particularis caſus occurrat in quo proximus grauiter indigeat. Huiuſmodi autem eſt alius caſus huius obligationis, quẽ Auctores proponunt: qui negari non poteſt ſecundum veram rationem pietatis, cum teneamur proximum diligere, ſicut nos ipſos. Neque contra hoc obſtat, quod oratio pro alio non reputetur infallibilis, quia ſatis eſt, vt cum magna probabilitate poſſit ſperari eius vtilitas, & quod fortaſſe in re poteſt tale medium eſſe neceſſarium ad remedium proximi iuxta diſpoſitionem Diuinæ prouidentiæ. Denique in aliis neceſsitatibus obligamur ſubuenire proximis, vt poſſumus, etiamſi non ſit certus & infallibilis fructus talis remedij, quia humana prouidentia non ſemper tantam infallibilitatem, & certitudinem requirit, maxime cum hoc ſubſidium facili negotio proximo præſtari poſsit. Et per hoc reſponſum ſufficienter eſt obiectionibus ſuperius factis. 20.

Præcepto Diuino orandi pro aliis ſatisfit per communes orationes pro omnibus factas.

Præceptum hoc non obligat in particulari pro aliis orare, niſi aliunde teneatur quis id facere.

Finis Libri Primi.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM, QVAE IN HOC SECVNDO LIBRO DE ORATIONE MENTALI CONTINENTVR.

CAp.1. De vtilitate, & neceſſitate mentalis orationis.
Cap.2. De partibus mentalis orationis, & actibus, qui in illa exercentur.
Cap. 3. Corollaria ex ſuperiori doctrina, quibus orationis mentalis partes magis explicantur.
Cap.4. Vtrum oratio mentalis cadat ſub præceptum, vel ſub conſilium.
Cap.5. Quomodo morales circumſtantiæ in vſu orationis mentalis obſeruandæ ſint.
Cap.6. Quid ſit deuotio, quidue hac voce ſignificetur.
Cap.7. Sitne deuotio ſemper actus Religionis, & effectus mentalis orationis.
Cap.8. Quas cauſas, vel effectus habeat deuotio, & mentalis oratio.
Cap.9. Quid contemplatio ſit, & quomodo ad mentalem orationem comparetur.
Cap.10. Qualis ſit proprius actus contemplationis, quantumque in eo durari poſſit.
Cap.11. An contemplatio ſit propria perfectorum: vbi de triplici ſtatu, incipientium, proficientium, & perfectorum.
Cap.12. Vtrum contemplatio poſſit ſine actu mentis inueniri.
Cap.13. Vtrum mentalis oratio poſſit conſiſtere in ſolo actu voluntatis.
Cap.14. Poſſitne ſubſiſtere in hac vita contemplatio ſine operatione ſenſus.
Cap. 15. Vtrum mentis contemplatio interdum impediat operationes ſenſuum externorum.
Cap. 16. Vtrum intuitio Dei per viſionem beatam in mortali homine extaſim efficiat in ſenſibus externis.
Cap. 17. Vtrum ex intellectuali contemplatione huius vitæ ſequi poſſit extaſis in actibus omnium ſenſuum, etiam internorum.
Cap.18. Vtrum in extaſi fiat abſtractio ab omni motione corporis.
Cap.19. Vtrum contemplatio in raptu, vel extaſi, prout eſt in intellectu, ſit operatio humana, & meriti capax.
Cap. 20. Vtrum contemplatio huius vitæ quoad amorem, qui in raptu, vel extaſi habetur, libera ſit, & meritoria.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS DE ORATIONE MENTALI, AC DEVOTIONE.

HOc loco mentalem orationem conſideramus ſecundum eam generalem acceptionem, quam ſuperiori lib. cap. 1. tradidimus. Nam vt ibi ſignificaui, & in diſcurſu huius libri latius dicam, licet hæc oratio plurimum virtutum actus includat, omnes tamen vel ad petitionem ordinantur, vt melius fiat, & inde orationis nomen participant: vel ſub affectum Religionis cadunt, & ad Diuinum cultum referuntur, & vt ſic, peculiarem modum colendi Deum conſtituunt, qui ad officium Religionis pertinet, & nomine mentalis orationis nunc ſignificatur. De hac ergo oratione nunc agimus, & de deuotione, quæ eſt, vel potiſsimus actus eius, vel proprietas quædam pertinens ad magnam perfectionem eius: & conſequenter etiam de meditatione, & contemplatione, aliiſque huius orationis actibus, variiſque circumſtantiis eius: ſimulque cauſas, & effectus huius orationis, & obligationem, ſi qua eſt, ſic orandi declarabimus.

CAPVT I.

De vtilitate, & neceſſitate mentalis orationis.

1. *Oratio mētalis quid ſit*

ORatio mentalis, de qua tractamus vt dixi, omnes actus interiores includit, quibus Deus Religioſe coli poteſt: ſi materialiter, vt ſic dicam, ſumatur, non habet vnam definitionem, quia non habet vnam honeſtatem, nec vſum vnius virtutis, ſed omnium, maxime fidei, ſpei, charitatis, obedientiæ, ac reuerentiæ ad Deum pœnitentiæ, ac humilitatis, & conſequenter etiam aliarum virtutum. Si autem formaliter ſumatur, quatenus oratio eſt, habet pro fine proximo vel Diuinum cultum, vel vnionem cum Deo per deuotionem, quæ ex Religione eſſe poteſt, vel ex charitate, vt infra dicemus. Et hoc ſenſu locutus videtur de oratione Dionyſ. cap. 3. de Diuinis nominibus cum dixit: *Ante omnia oportet nos ab oratione incipere, ſicut Deo nos ipſi tradentes, & vnientes.* Et ita dicitur eſſe *aſcenſio mentis in Deũ,* vt ſupra vidimus.

2. *Oratio mentalis exēplo Chriſti Domini, & Scripturæ teſtimoniis commendatur. Matth. 14.*

Hanc ergo orationem mentalem nobis maxime Chriſtus Dominus exemplo ſuo commendauit. Nam cum dicitur in oratione pernoctaſſe, hoc potiſsimum orationis genus exercuiſſe credendus eſt vt præced. lib. capit. 1. adnotaui. Similiter cum de ipſomet Domino refertur, quod *aſcendit in montem ſolus orare,* Matth. 14. De mentali oratione, vel contemplatione ab omnibus Patribus intelligitur. De hac item oratione intelligo, quod Dauid de ſe profitetur Pſal. 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi,* & illud: *Septies in die laudem dixi tibi.* Nam licet illa frequens, & diuturna oratio nō eſſet à petitionibus vacua, vt notauit Ambroſ. Lucæ 11. tamen non ſolis illis continebatur, ſed etiam Diuinas laudes comprehendebat, & conſequenter etiam Diuinas meditationes, & alios actus, quos oratio mentalis complectitur. Atque de hac oratione loquitur Scriptura, quoties internas meditationes, aut recogitationes Diuinorum beneficiorum, aut ſolitariam vitam, aut diuturnas ad Deum vigilias commendat. Huiuſmodi eſt illud Thren. tertio: *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſuper ſe.* Vbi contemplatiuæ vitæ excellentiam laudari Hieronymus intelligit (ſi illius ſunt commentarij.) De eadem vita dixit Chriſtus Lucæ 10. *Maria optimam partem elegit.* Et ad idem adducit ibi Hieronymus illud Pſalm. 72. *Mihi autem adhærere Deo, bonum eſt,* nam hoc maxime fit per orationem mentalem. Item illud, *Vnam petij à Domino, hanc requiram,* Pſalm. 26. Et clarius ibidem: *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea &c.* De qua facie videri poteſt Gregor. libr. 10. Moral. cap. 16. & ſequentibus.

D. Ambro. — *Thren.* — *D. Hieron.* — *Luc. 10.* — *Pſal. 72.* — *Pſal. 26.* — *D. Greg.*

3. *Orationis cōmoditas ex Patrum ſententiis commendatur. Chryſ.*

Ex Sanctis Patribus in huius officij, ſeu exercitij commendationem infinita poſſunt afferri, quę paſſim inuenientur, & ideo pauca, notatu tamen digna proferemus. Chryſoſtomus duos ſcripſit libros de Orando Deum, innumeris refertos ſententiis, & laudibus orationis quæ maxime in hoc exercitium orationis mentalis conueniunt. *Per quod* ait, *illud aſſequimur, vt mortales, & tēporarij eſſe deſinamus.* Quod mire proſequitur. Item ait. *Per orationem Angelis copulamur, & ſocietatem, quam cum animantibus habemus, procul effugere videmur. Angelorum eſt deprecatio, interim eorum ſuperans dignitatem, ſiquidem maius eſt Angelorum dignitate, colloquium miſcere cum Deo.* Videri etiam poteſt idem Chryſoſt. hom. 30. in Geneſ. & homil. 1. in illud Iſaiæ 6. *Vidi Dominum, &c.* & Caſſianus Collat. 9. Notum eſt Hieronymi exemplum, qui *ad Deum clamando diem crebro cum nocte iungebat,* Vt Euſtochio ipſe commemorat Epiſt. 22. & addit, *Solus deſerta penetrabam, ſicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi mea orationis locus, ibi illud miſerrima carnis ergaſtulum, & vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus, gaudenſque cantabam. Poſt te in odorem vnguentorum tuorum currimus.* Baſil. etiam homil. in Martyrem Iulittam, vſum orationis mentalis commendat, docens, orationem plenius explicare atque exercere vires ſuas in animam orantis libera electione, ac propoſito etiamſi in vocem non prodeat. Qui etiam videre poteſt in Regul. breu. in 201. de ſtudio huic orationi adhibendo. Item Cyprian. in expoſitione orationis Dominicæ prope initium.

Iſaiæ 6. — *Caſſian.* — *Hieron.* — *Cant. 1.* — *D. Baſil.* — *D. Cyprian.*

4. *D. Ambro. Matth. 6. & 4.*

Ambroſ. lib. 6. de Sacramentis, cap. 3. ex profeſſo ſuadet orationem mentalem, de illa exponens verba Chriſti Matth. 6. *Cum oraueris, intra cubiculum tuũ,* id eſt (vt exponit) *cor tuum, & mentem tuam,* & *clauſo oſtio,* id eſt, *ore, ora Patrem tuum, &c.* Quartum incipit interrogando: *Quid prodeſt autem interrogemus, qua ratione ſecreto magis orare debeamus, quam cum vociferatione?* quod non ideo dicit, vt vocalem orationem damnet, ſed vt præſtantiam orationis mentalis cōmendet, vnde ſubiungit: *Qui in ſecreto orat, fidem defert: & confitetur, quod Deus ſcrutator cordis, & renum ſit.* Sic etiam dixit Nilus libr. de oratione capit. 39. & 40. *Senſu orandum* eſſe, quod exponens ſubiungit, *Senſus eſt conſideratio cum reuerentia, & compunctione, & dolore animi, cum ſuſpiriis, ſine voce.* Denique hoc declarauit copioſe Auguſtinus Epiſtol. 121. ad Probam de orando Deum, ca. 5. 6. & 7. Vbi docet, certis

Nilus. — *D. Aug.*

horis mentem reuocandam eſſe ad orãdum Deum, pura mente, & affectu, interdum vero adiungendam eſſe vocem, vt nos ipſos excitemus. Et ſæpe, cum vacat, diu eſſe orandum, aliquando vero crebras, & breuiſsimas habendas eſſe orationes, & *raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat, atque hebetetur intentio.* Et vt alios Patres omittam, quos explicando actus huius orationis proferam, latius tractando de contemplatione. Hic libet adiungere vtilia verba Ioan. Gerſon. libr. de Myſtic. Theol. induſtr. 11. Alphab. 66. litter. O. *Falluntur, qui volunt ſemper, vel legere, vel orare vocaliter, vel deuotionis verba à loquentibus accipere, ſi putant, exinde contemplationis gratiam familiarem ſibi committere. Acceſſuro proſunt hæc, ſed non ſufficiunt. Eſto, namque compungantur interim tales ad lectionem, vel Sermonem: abſtuleris librum, aut verbum: abibit illico comes compunctio: non aliter, quam cum libro, aut verbo reuerſura. Quapropter oportet cum ſilentio præſtolari ſalutare Dei, vt conſueſcat homo orare ſpiritu, orare, & mente, dum etiam vocis ſtrepitus, aut libri deerit intuitus: ipſa meditatio ſilens ſit liber tuus ſit prædicatio. Alioquin videat ne ſemper diſcens, nunquam ad ſapientiam perueniat.* Et poſt aliqua: *Vnde proh dolor, tanta raritas contemplãtium, etiam inter litteratos Eccleſiaſticos ac Religioſos, imo & Theologicos, niſi quia vix ſuſtinet aliquis ſecum ſolus eſſe, ſecum diu meditari.*

Gerſon.

5. *Orationis nobilitas ex familiaritate cum Deo primo colligitur.*

Nobilitas autem huius exercitij dupliciter conſiderari poteſt, ſcilicet vel per ſe ex ipſa nobilitate talis actionis, vel ex eius vtilitate in ordine ad alia: vnde etiam eius neceſsitas conſtabit. Quoad primum modum multis rationibus commendatur hæc oratio. Primo quia eſt diuturnum, & familiare colloquium cum Deo, quod eſt *omnium maximum, quod de precatione dicere poſſumus*, vt ait Chryſoſtomus libro ſecundo de Orando Deum in principio. Vnde in libro primo, ſic inquit: *Quis non obſtupeſcat, & admiretur tantam benignitatem, & beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus, qui nobis tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipſo colloquamur, noſtraque vota apud ipſum deponamus: nam vere cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi.* Vnde etiam ibidem concludit, huius orationis munus Angelicum potius eſſe, quam humanum. Quod repetit homilia in Pſalm. 4. & eſt frequens in Patribus initio relatis.

Chryſoſt.

6. *2. Ex ſumma participatione felicitatis æternæ.*

Secundo quia ex genere ſuo eſt hæc oratio maxima participatio æternæ felicitatis, quæ in hac vita eſſe poteſt. Vt non immerito beatitudo huius vitæ cenſeri poſsit. Quod ſumo ex verbis Chriſti Lucæ 10. *Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum.* Vnde Leo Papa ſermon. 8. de Ieiunio decimi menſis, ſic inquit: *Quamuis ſine anima nihil caro deſideret, & inde accipiat ſenſus, vnde ſumit & motus, eiuſdem tamen eſt animæ quædam ſibi ſubdita negare ſubſtantia, & interiori iudicio ab exterioribus interiora frænare, vt à corporeis cupiditatibus ſæpius libera in aula mentis, Diuinæ poſsit vacare ſapientiæ, vbi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum, in meditationibus ſanctis, & in delitijs lætetur æternis.* Participat ergo anima bene compoſita æternas delitias in hoc ſancto exercitio, ideoque totam aliam corporis exercitationem ad orandi, & contemplandi officium, tanquam ad huius vitæ felicitatem ordinare debet. Atque ita Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 148. præſentem vitam ait debere eſſe præparationem quandam ad æternam, vt ſicut illa conſiſtit in perpetua viſione, & laude Dei ita hæc quoad fieri poſſit, illam imitetur propter quod idem Auguſtinus libro de Moribus Eccleſ. 31. beatiſsimos vocat eos, qui perfectum huius orationis gradum conſequũtur. *Perfruentes, ait, colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatiſſimi, quæ niſi Sanctorum intellectu percipi non poteſt.* Vnde facile conſtat huius aſſertionis ratio, quia noſtra felicitas in actu aliquo conſiſtit, ergo etiam in hac vita in aliquo ſupremo actu ponenda eſt, ſed hæc mentalis oratio nihil aliud eſt, quam vnio quędam cum Deo per optimos actus, qui in hac vita exerceri poſſunt, ergo. Vnde fit etiam, vt hæc oratio ſupremum Dei cultum interiorem contineat, & exercitium optimarum virtutum: ac propterea per ſe ſit maxime laudabilis, & expetenda.

Luc. 10.
D. Leo.
Auguſt.

7. *Prima orationis vtilitas meritũ, & ſatisfactio.*

Quoad alteram partem triplex ratio vtilitatis in hoc opere conſiderari poteſt. Prima, quam habet communem cum alijs virtutibus in ordine ad meritum, vel ſatisfactionem, & de hac nihil in particulari dicere oportet, niſi quod tanto perfectius huic operi conuenit, quanto illud excellentius eſt. Vnde quia totum eſſentiale meritum in actu interiori poſitum eſt, & in hac oratione puriſsimi interiores actus virtutum omnium, & præſertim charitatis, & Religionis exercentur, ideo de ſe aptiſſima eſt ad meritum. Et ſimiliter quia ſatisfactio maxime fieri ſolet per opera ardua, & pœnalia, Ideo etiam hoc opus valde ſatisfactorium eſt, non minus, ſed potius magis, quam oratio vocalis: tum quia, vt ſupra ex Patribus referebam, valde difficile eſt homini ſecum ſolum eſſe, & cum Deo ipſo reuerenter colloqui, quod Angelicum potius, quam humanum eſſe videtur. Tum etiam quia inde fit, vt corpus ipſum multum hoc exercitio maceretur, vel antecedenter (vt ſic dicam) quia neceſſe eſt, vt per temperantiam, & moderationem ad illud diſponatur, vel concomitanter cooperando, prout poteſt, vel conſequenter obediendo deſiderijs firmis, & efficacibus, quæ in hac oratione concipiuntur.

8. *Secunda orationis vtilitas eſt impetratio.*

Secunda vtilitas huius orationis eſt impetratio, quæ communis eſt omni orationi: imo ab hac participatur, quatenus quædam ex partibus eius eſt petitio vt mox dicemus. Quapropter etiam de hac peculiari vtilitate nihil noui hic occurrit, præter dicta præced. libr. capit. 3. & 7. niſi quod ad efficaciam impetrandi dupliciter iuuat hæc oratio. Primo quia efficit, vt ipſa petitio ex parte noſtra ſit cum maiori affectu, ac ſubinde Deo gratior, cæteris paribus, tum quia vt Bernard. dixit in ſerm. 2. Paſchatis: *In meditatione exardeſcit oratio, tunc enim oratio fundit ſuſpiria præ deuotionis ſtillant aromata, tota reſoluitur in lamenta.* Tum etiam quia in diuturna oratione, quæ habet meditationem, & alios actus contemplationi coniunctos, maior eſt inſtantia petitionis, & obſecrationis ad Deum. Alter modus iuuandi eſt per cordis mortificationem, ac puritatem, quæ maxime ad orationis efficaciam iuuat. Nam vt idem dixit Bernardus in ſermone 3. Epiphan. *Duas alas habet oratio noſtra, contemptum mundi, & afflictionem carnis, nec dubium, quin tunc cœlum penetret, & dirigatur, ſicut incenſum in conſpectu Dei.* Illi autem ſunt duo fructus maxime proprij orationis mentalis in ſua amplitudine conſideratæ, vt nunc de illa loquimur.

D. Bern.

9. *Vtilitas orationis eſt generare in anima virtutes omnes.*

Tertia, & magis propria vtilitas huius orationis eſt, quia virtutem quandam habet quaſi effectiuam ad generandum in anima omne virtutis genus, propter quod à Chryſoſtomo dicto libro 1. de Orando Deum, *Baſis, & radix omnis virtutis* appellata eſt. De qua ibidem ſubiungit. *Deprecatio, cultuſque Dei ſignum eſt totius iuſtitiæ: Signum* videlicet tanquam efficax cauſa, quæ inſeparabilem habet hunc effectum. Et libr. 2. in principio illam vocat. *Omnis virtutis caput*, eique attribuit, quod homines transfert ad honorem, nobilitatem, ſapientiam, & conſortium Angelorum. *Nam ſi, inquit, qui cum ſapientibus viris colloqui ſolent, propter aſsiduam conſuetudinem breui ſic tranſmutantur, vt illorum prudentiam*

Chryſoſt.

Digitized by Google

dentiam referant, quid dicere conuenit de his, qui cum Deo colloquia miſcent? Hine etiam Caſſian. Collat. 9. ca. 1. dixit, mentalem orationem eſſe cum omnibus virtutibus connexam: *Quemadmodum enim, ait, ſine illis acquiri, vel conſummari non poteſt hæc de qua loquimur, perpetua orationis, iugiſque tranquillitas, ita ne illæ quidem virtutes, quæ hanc perſtruunt, abſque huius poſſunt aſſiduitate compleri.* Et inferius ſubdit finem, & effectum orationis. *Vniuerſarum virtutum molitione perfici.* Vnde Bonauent. de Proceſſu Religion. lib. 7. ca. 11. *Valde* dicit, *delectari Deum in hac oratione propter multiplicem orantis vtilitatem*, ſcilicet, *vt Deo indeſinenter inhæreat, vt beneficia Dei multiplicius experiatur, vt abundanti deuotione in amorem Dei creſcat, &c.*

Caſſian. *Bonau.*

10. Preterea poteſt hęc vtilitas declarari ex illo principio, quo ſolet Auguſtinus neceſſitatem gratiæ Dei oſtendere, videlicet quod ſancta cogitatio, quæ à Deo eſt, principium eſt omnis boni deſiderij, ac voluntatis, & conſequenter omnis bonæ operationis, vt videre licet libro 2. de Peccat. mer. & remiſ. cap. 17. & libro 2. contra duas Epiſt. Pelag. capite 8. & libro de Prædeſt. Sanct. capit. 2. Mentalis autem oratio nihil aliud eſt, quam ſeminarium quoddam, & fons ſanctarum cogitationum, & diuturna illarum exercitatio, & diligens ruminatio. Hinc ergo habet, vt ſit fons etiam, & principium omnis virtutis. Quapropter VValdenſ. quia VVicleph orationem, quam vitalem appellabat, id eſt, rectam vitæ operationem, ſufficere dicebat, ipſe VValdenſis tom. 3. capit. 2. numero 16. reſpondet. *Audeo dicere, nullum eſſe meritum orationis tuæ vitalis, vbi non præceſſit meritum orationis mentalis.* Quia nimirum neceſſe eſt, vt ſancta cogitatio, ſanctumque deſiderium præcedat, quæ ad orationem mentalem pertinent. Refertque Auguſtinum 1. part. ſerm. 25. dicentem. *Quomodo aures noſtræ ad voces noſtras, ſic aures Dei ad cogitationes noſtras: non poteſt autem fieri, vt habeat mala facta, qui habuerit cogitationes bonas. Facta enim de cogitatione procedunt.* Habentur hæc apud Auguſtinum Enarrat. in Pſalm. 148. & libro 50. homilia in 16. Ex quibus concludit VVald. Quomodo ergo eſt generalior, & per hoc præferibilior, oratio operis, quam oratio animi, *cum oratio animæ, vel cogitationis ſurgat in factum operis, qualiter ex radice arboris diſtenditur humor in frondes, & in fructus.* Cum ergo mentalis oratio nihil aliud eſſe debeat, quam ſancta quædam, & continua cogitatio, vel piarum cogitationum interna ſucceſſio, ac ſuauiſsimus motus, neceſſe eſt, vt ſi recte fiat, magnam ſpiritualem vtilitatem animæ afferat. Quid vero difficultatis in ea eſſe poſſit & quomodo expedienda, vel vincenda ſit, in ſequentibus dicemus.

Aug.

CAPVT II.

De partibus huius mentalis orationis, ſeu actibus, qui in illa exerceri debent.

1. IN ſuperiori capite oſtendimus, quam ſit per ſe amabilis, atque etiam vtilis hæc mentalis oratio: vt autem vtrumque habeat neceſſe eſt, vt ſuis partibus conſtet, nam tunc aliquid eſt perfectum, cum nihil illi deeſt, & tunc medium eſt vtile, quando perfecto, & debito modo exercetur, & applicatur. Cum autem hæc oratio ſubſtantialiter (vt ſic dicam) in mente ſit, conſtat non habere alias partes, niſi actus intellectus, & voluntatis, quibus mens interius in Deum aſcendit, aut eum illo negotiatur. De quibus actibus nunc ſupponimus, vnum illorum eſſe petitionem, de qua in ſuperioribus dictum eſt: nam cum illa ſit propriiſsime oratio mentis, non eſt dubium, quin in hac communiori includatur: hæc vero plures actus complectitur, qui explicandi nunc ſunt, ſimulque illorum ordinem, ſi aliquem habere poſſunt, & conſequenter modum mentaliter orandi, breuiter declarabimus.

Hanc fere quæſtionem ſibi propoſuit Bernardus in Scala Clauſtralium, ſeu libello de modo orandi, quem hic transſcribere, conſummata eſſet reſponſio: tamen pro ratione inſtituti noſtri ea ſumemus, quæ ſufficere videbuntur. Quatuor ergo partes huius exercitij ibi diſtinguit Bernardus. Quę ſunt Lectio, Meditatio Oratio, & Contemplatio de quibus inter alia ſic ait: *Lectio quaſi ſolidum cibum ori apponit, meditatio maſticat, & frangit: oratio ſaporem acquirit: contemplatio eſt ipſa dulcedo, quæ iucundat, & reficit.* Ex quibus verbis intelligere licet, lectionem non tam eſſe partem mentalis orationis, quam præambulam ad illam: eſt enim quaſi applicatio materiæ, ex qua tota oratio originem ducat: vnde inferius ait idem Bernardus. *Lectio quaſi fundamentum primo occurrit, & data materia mittit nos ad meditationem.* Et infra, inquit: *Lectio eſt ſecundum exterius exercitium, meditatio ſecundum interiorem intellectum.* Conſtat ergo, lectionem non eſſe propriam partem mentalis orationis, niſi lectio large ſumatur pro actu ipſo memoriæ, quo Deus, vel aliquid ad eum pertinens recogitatur, aut coram oculis mentis proponitur, de quo ſtatim dicam. 2.

Hic liber Auguſtino tribui ſolebat inter opuſcula eius tom. 9. ſub titulo Scala Paradiſi. Orationis exercitium quadripartitur à D. Bern.

Addidit verò Bernardus circa finem eiuſdem libri tam neceſſariam eſſe lectionem ad meditationem, & conſequenter ad reliquas partes orationis huius, vt *Meditationem ſine lectione erroneã* eſſe dicat, vel quia in periculo errandi eſt, qui non ſatis per lectionem inſtructus ad meditandum accedit: vel quia in incertum tendit, & quaſi temere, & caſu mente vagatur, qui priùs, quam meditari incipiat, ſcopum meditationis, & materiam non ſibi per lectionem proponit. De qua non malè intelligitur illud Eccleſiaſt. 18. *Ante orationẽ præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Quamuis enim alia etiam multa ſub hac præparatione comprehendi poſſint, vt ex ſequentibus conſtabit, tamen primum fundamentum, & quaſi prima materia huius præparationis videtur eſſe lectio. Eſt autem cõſiderandum, hanc lectionem, vel neceſſitatem eius non eſſe eandem in omnibus: nam in primis neceſſarium non eſt, vt ſemper ſit lectio propriiſsimè ſumpta, aliàs qui legere neſciunt, incapaces eſſent huius orationis. Satis ergo eſt, quod circa hæc, aut lectione, aut auditu quis inſtruatur: *Auditus enim quodam modo ad lectionem pertinet*, vt ibidem dicit Bernardus. Deinde, ſi quis iam ſatis inſtructus eſt, quaſi in habitu (vt ſic dicam,) non ſemper neceſſarium eſt, vt propriam lectionem, vel auditionem per ſenſus corporis præmittat, quia iam finis talis lectionis comparatus ſupponitur: ſemper tamen neceſſarium erit, memoriam aliquo modo excitare, eamque ad aliquam certam materiam, circa quam intellectus, & voluntas verſentur, applicare, vt ea vel diſcurſui intellectus, vel voluntatis affectui proponatur. Quod fieri poteſt, vel prius quam homo orationem ſuam inchoet, quando eam facere proponit, ſeu diſponit, vel in ipſomet orationis veſtibulo, quod ſemper neceſſarium eſt, & in rigore ſufficit: vtilius autem eſt, ſi priori modo fiat, imo vt recte ſiat, eſt moraliter neceſſarium. Quanquam in modo huius memoriæ, lectionis, ſeu materiæ magna poſſit eſſe varietas iuxta perſonarum varietatem: non ſolum quia quibuſdam materia timoris, aliis ſpei, vel amoris vtilis eſt, ſed etiam quia rudioribus neceſſaria eſt clarior, & expreſsior inſtructio, quam peritioribus, & maior incipientibus, quam proficientibus, & exercitatis, & minor requiritur in iam prouectis. Imo tanta poteſt eſſe facilitas orandi, vel contemplandi, vt ſola Dei memoria, 3.

Lectionis neceſſitas quãta ſit ad orationem.

Pſal. 76.

moria, & præſentia ſufficiat, iuxta illud Pſal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.*

4. *Quid ſit meditatio, quæ eſt primus orationis actus.*

Primus ergo actus huius orationis proprius, eſt meditatio, quam ſic definit Bern. ſupra: *Meditatio eſt ſtudioſa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis inueſtigans*: ſumptaque videtur ex libr. Auguſtino attributo, de ſpiritu, & anima c. 32. *Meditatio*, inquit, *eſt occultæ veritatis ſtudioſa inueſtigatio.* Ex qua deſcriptione, ſi nihil aliud ei addatur, vel in ea ſubintelligatur, conſtat meditationem non eſſe actum proprium orationis, vel Religionis, ſed in ſua generalitate pertinere ad quamcunque ſcientiam, vel artem, & in rebus Diuinis ſpectare poſſe ad ſapientiam, ſcientiam, vel Theologiam, quia in omnibus intercedit mentis actio ſtudioſa, & inquiſitiua veritatis per propriam rationem, & diſcurſum non ſolum, ſed adiutum lumine Diuino: quod etiam in meditatione orationis intelligendum eſt. *D. Aug.* Vnde Auguſtinus ſupra inquit: *Meditationem Diuina illuminat reuelatio, vt veritatem cognoſcat.* Igitur, vt meditatio ſit pars orationis mentalis, oportet in primis, vt procedit ex affectu orandi, id eſt, colendi Deum per actus mentis: quod dupliciter fieri poteſt. Primo intendendo ipſam meditationem vt cultum quendam Dei: nam hæc meditatio in primis fundari debet in fide, imo per actus fidei frequenter exercetur, & ſi quid eis additur, vel ex eis colligitur, totum eſt ad ſubiiciendum magis ipſum intellectum Deo, qui actus ſunt aptiſsimi, vt in cultum Dei referantur, & aſſumantur, vt in ſuperioribus dixi. Secundo id fieri poteſt, ordinando meditationem, vt ex illa in nobis excitetur maior æſtimatio Diuinæ gloriæ, & maieſtatis, aut feruentior affectus orandi, ac deuotio ad Deum.

5. *Meditatio debet eſſe practica ſaltem ex intentione operantis.*

Deinde neceſſarium eſt, vt talis meditatio ſit practica, ſaltem ex intentione meditantis, ſeu orantis, id eſt, ordinata ad excitandum, vel accendendum affectum: quia hic eſſe debet finis totius orationis mentalis, alioqui non erit actus Religionis, nec charitatis, & conſequenter non erit oratio. Atque hoc totum poteſt comprehendi in illa particula *Studioſa*, ita vt non ſolum intelligamus, debere eſſe meditationem diligentem vel accuratam inquiſitionem, ſed etiam moraliter rectam, practicam, & honeſtam, ac proinde Religioſam, iuxta materiæ capacitatem. De hac meditatione recte intelligitur, quod Dauid aiebat Pſalm. 18. *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.* *Pſal. 18.* Vbi duo expendo. Vnum, quod cum meditatio maxime ſit opus intellectus, vocat illam meditationem cordis, quia & ex affectu exire, & ad illum tendere debet, inquirendo, quid appetendum ſit, & effodiendo, donec theſaurum inueniat: vt ſupra Bernard. ait. Aliud eſt, meditationem hanc debere eſſe in conſpectu Dei, quia tota debet referri ad cultum eius. Vnde inſinuat Dauid id, quod in hac materia omnes myſtici Theologi docent. Primum orationis mentalis aditum debere eſſe, vt homo ſe ſe conſtituat in conſpectu Dei, eius præſentiam fide viua, & perſpicaci attentione, ſummaque reuerentia conſiderando: & in hac præſentia, & conſpectu Dei meditationem inchoando.

6. *Meditatio magis ordinatur ad amandū, eius materia debet eſſe practica moralis, & ſupernaturalis.*

Iam vero quod attinet ad modum huius meditationis nihil certi definiri, vel doceri poteſt, quod ad noſtrum inſtitutum pertineat. Dicimus ergo, ſeruanda eſſe documenta ſpiritualia, quæ de hoc traduntur, potius enim ad quandam artem, quam ad doctrinam Theologicam pertinent. Solum eſt adnotandum, quod licet meditatio dicatur eſſe inueſtigatio veritatis occultæ, nihilominus per ſe non tendit ad cognoſcendas nouas veritates occultas, quia hæc meditatio, vt dixi, non tam ordinatur ad ſciendum, quam ad amandum, & operandum. Tendit ergo (vt ſic dicam) ad cognoſcendum nouo modo veritates alias notas, & perſpicuas, nimirum attentius illas conſiderando, rationes illarum ponderando, nouas inquirendo & (quod caput eſt) illas ad mores, & actiones meditantis applicando. Vnde conſtat, materiam huius meditationis debere eſſe practicam moralem, ac ſupernaturalem, quam Dauid in Pſalm. 18. ſæpe reuocat ad legem *Pſal. 18.* Diuinam, teſtimonia Diuina, iuſtificationes Dei, eloquia Dei, & opera Dei. Tamen ſub lege Diuina includuntur peccata, quibus offenditur Deus, & conſequenter omnia, quæ vel ad illorum ſupplicium timendum, vel ad eorum remiſsionem, veramque iuſtitiam comparādam pertinent. Sub teſtimoniis autem iuſtificationis, eloquiis, & operibus Dei omnia Fidei myſteria comprehenduntur: vnde omnia eſſe poſſunt meditationis materia, quæ vnicuique applicanda eſt iuxta perſonæ capacitatem, & diſpoſitionem, & iuxta finem per meditationem, & orationem intentum, vt infra dicam.

7. *Meditationis duo præcipui effectus prudentia, & deuotio.*

Sub meditatione autem comprehendi intelligo duos proximos, ac præcipuos effectus eius: quorum vnus ad intellectum, alter ad affectum pertinet. Priorem attigit Dauid Pſalm. 48. dicens: *Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Hæc enim meditatio cordis ordinatur (vt dixi) ad illuminandum practice intellectum, & ideo licet vtatur diſcurſibus, & ratiocinationibus, quæ ad ſcientiam, vel ſapientiam aliquo modo pertinent, eius tamen concluſio eſt prudentia. Ibi enim recte concluditur, quid deſiderandum ſit, quid timendum, quid petendum, quomodo homo de ſeipſo ſentire debeat, quomodo de Deo, quomodo de honore, de diuitiis, de fama, de gloria, ac denique de rebus caducis, & æternis. Hic ergo eſt primus meditationis effectus. Alter eſt, quem idem Propheta docuit Pſal. 38. dicens: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* *Pſal. 38.* Quod recte de hoc effectu exponunt D. Thom. & Caieta. 2. 2. quæſtion. 82. articul. 3. *D. Thom. Caiet.* Et in d. lib. de Spir. & anima cap. 50. hic ordo actuum deſcribitur: *Meditatio parit ſcientiam, ſcientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio perficit orationem.* Ex quibus conſtat, ante orationem quatuor actus numerari, ex quibus duo pertinent ad intellectum, ſcilicet *Meditatio*, & *Scientia*, qui differunt, ſicut motus, & terminus, vel ſicut inquiſitio, & cognitio: alij vero duo pertinent ad affectum. Nam *Compunctio* (additur ibi) *quando ex conſideratione ſuorum malorum cor interno dolore tangitur. Deuotio eſt pius & humilis affectus in Deum, humilis ex conſcientia infirmitatis propriæ, pius ex conſideratione Diuinæ clementiæ.* Et his actibus poſtea adiungitur oratio. *D. Bern.* Cum ergo Bernardus ſtatim poſt meditationem, orationem ponat oportet, vt ſub meditatione illos actus comprehendat: vnde officium meditationis Bernardus extendit vſque ad illum ſtatum, *in quo anima habendi deſiderio exæſtuat, ſed per ſe obtinere non poſſe, cognoſcit.*

8. *Quomodo actus meditationis orationē gignat, & cum illa comparetur, qua ſecundus actus orationis.*

Ex hoc ergo deſiderio à meditatione excitato, cum recognitione propriæ imbecillitatis, naſcitur tertius actus, qui ad mentalem orationem neceſſarius eſt, eſtque oratio proprie dicta, ſeu petitio, de quo actu ſatis dictum eſt in ſuperiori libr. neque hic aliquid addendum occurrit, niſi quod huic actui ſolent, maxime in hac oratione mentali, adiungi rationes, quas orans Deo repræſentat, vt ab eo impetret, quod intendit. Per quem actum tranſit oratio in obſecrationem, iuxta expoſitionem D. Th. d. q. ar. 17. de qua ſtatim dicemus. *D. Thom.* Circa hūc ergo actū ſic ſpectatum tria breuiter notanda occurrunt. Primum eſt, totum hoc, q obſecratio ſic ſumpta addit vltra orationē ad meditationem pertinere, nam inquiſitio illarum rationum, quæ Deo allegātur, meditatio quædam eſt: nam eſt inueſtigatio rationis ad cognoſcendā, vel per ſuadendam, vt ſic dicā veritatem illam, quę per tales rationes concluditur. Vnde

illi actus,

Digitized by Google

iſti actus, meditatio, & oratio, non ſunt ita condiſtincti, & ordinati, vt meditatio ſolum præcedat, & oratio ſubſequatur, ſed inter ſe valde miſcentur, & mutuo iuuantur: nam meditatio aliqua, vel ſaltem ſimplex conſideratio obiecti præcedere debet, vt deſiderium excitetur, à quo prodit oratio, quia nihil volitum, quin præcognitum, nec aliquid vere petitur, niſi quod deſideratur. Poſtea vero oratio ipſa, & deſiderium mouent intellectum ad inueſtigandas rationes, & meditandos titulos Deo repræſentandos: & inde rurſus iteratur oratio cum maiori feruore, & fiducia.

9. *Vnde deſumendi ſunt tituli, quos Deo in inuocatione repræſentamus in oratione.* *Auguſt.*

Alterum obſeruandum eſt, hos titulos interdum ſumi ex parte ipſius Dei, interdum ex parte Chriſti, aliquando ex aliis Sanctis, ſæpe ex parte ipſius orantis. Ex parte Dei poteſt in primis allegari promiſsio eius. Secundo bonitas, & miſericordia eius, & beneficentia, quibus nos præuenit. Tertio quod ipſe nos inuitat ad petendum, nec poteſt ficte inuitare, ſed ex animo, vt recte Auguſt. ſerm. 171. de Tempore, & ſerm. 5. & 29. de Verbis Domini. Quarto quod cedet in gloriam eius, & ſimilia. Motiua ex parte Chriſti ſunt maxime propria, quia ipſe eſt mediator inter nos, & Deum, & in ipſo, & propter ipſum omnis gratia, & beneficium, quod ad cœleſtem vitam conferat, obtinendum eſt. Et ideo Eccleſia omnem orationem ſuam hac obſecratione concludit: *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Ad huius imitationem, & in ſuo gradu, allegari poſſunt, & ſolent iuxta Eccleſiæ vſum, merita Sanctorum. propria autem merita ipſius orantis raro alleganda ſunt: nam licet interdum legamus Ezechiam dicentem ad Deum: *Memento quaſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim.* 4. Reg. 20. Illud, quod ſingulare eſt, non debet adduci in exemplum. Ait enim Auguſt. libr. 3. de Mirabil. ſacræ Script. cap. 18. virum illum ita fuiſſe perfectum, vt de ſuo merito apud Deum certus eſſet. Quis autem audeat hanc certitudinem ſibi promittere, vt merita ſua Deo repræſentet, niſi ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti (quo credimus Ezechiam fuiſſe motum) moueatur? Quanquam ſi aliquando animus ſit nimium triſtis, & deiectus, poſsit ad erigendam ſpem, & fiduciam, bonorum operum præteritorum recordari cum magna humilitate, & formidine abſque vlla præſumptione. Ordinarie vero ſecurius eſt, titulos, qui ex cognitione propriæ miſeriæ, & infirmitatis, ac culpæ naſcuntur, allegare, idque non ad excuſandas, vel minuendas culpas noſtras, ſed ad exaggerandam Diuinam gloriam, miſericordiam, & alia attributa, quæ eo magis in nobis elucеſcunt, quo nos infirmiores ſumus.

4. Reg. 20.

10. *Allegantur hi tituli Deo ad exercitium virtutum.*

Tertium conſiderandum eſt, non allegari hos titulos à nobis, vt Deo innoteſcant, vnde nec videntur repræſentari, vt ipſum moueant ſecundum ſe, quandoquidem iam ipſe per ſe illos nouit, & per eos à ſe cognitos moueri poteſt, ſi velit. Allegantur ergo, primo in exercitium fidei noſtræ: Secundo ad ſpem augendam. Tertio ad exercitium aliarum virtutum, illarum maxime, quæ nos poſſunt ad impetrandum reddere aptiores, vt ſunt humilitas, & vilis de nobis opinio, & è contrario magna de Deo exiſtimatio, & feruens in eum deuotio. Quarto quia per hoc ipſum magis Deum reueremur, & colimus, quo enim has rationes magis ponderamus, eo magis Diuina attributa recognoſcimus: quod totum cultus quidam eſt Dei.

11. *Oratio ſub ſe continet gratiarum actionem.* *Paul. ad Philip. 4. 1. ad Timot. 2.* *D. Bern.*

His conſequenter adiungi poteſt, ad hanc partem pertinere gratiarum actionem, cuius mentionem non fecit Bernard cum tamen Paulus ad Philippenſ. 4. & 1. ad Timoth. 2. eam maxime in noſtris orationibus requirat. Sed illam vel ſub oratione concluſit Bernard. quia oratio late ſumpta de gratiarum actione & laude Dei dici etiam ſolet: quamuis enim in rigore hi ſint actus diſtincti, tamen quia oratio eſt quædam locutio ad Deum, ſub hac generalitate, comprehendit mentalis oratio internam laudem Dei, & gratiarum actionem, & in vniuerſum cantica illa, quibus cantamus in cordibus noſtris Deo, vt ait Paulus ad Coloſſen. 3. Vel certe gratiarum actio mentalis, ſub meditatione comprehenditur: quia gratiarum actio mentalis, & interna, non eſt, niſi cognitio quædam beneficiorum in animi grati ſignificationem, vt ſignificat Diuus Thomas lect. 7. in capit. 5. ad Epheſ. At recognitio illa per intellectum fit, & per quandam inquiſitionem rationum, & motiuorum, quæ oſtendant, illa eſſe beneficia Diuina & non merita noſtra, & per quandam diſtinctam recordationem eorum, quę omnia ad meditationem quandam pertinent. Et licet illa gratiarum actio ſequatur voluntatem dirigentem totam illam recogitationem ad grati animi ſignificationem, hoc non eſt extra rationem meditationis practicæ, & Religioſæ, de qua hic loquimur, vt viſum eſt. Atque ad eundem fere modum Diuina laus interna, ac pure mentalis quæ non fit per conceptus verborum, ſed rerum, perficitur meditatione quadam, recognoſcendo Diuinas perfectiones, ac virtutes, & actus earum ad glorificandum illum, vt ſuperiori libro capit. 5. explicatum eſt. Poſſunt etiam iſti actus, ſi cum peculiari perfectione fiant, ſub contemplatione comprehendi, vt inferius videbimus.

D. Paul. ad Col. 3.

D. Thom.

12. *Quid ſit contemplatio, & quos contineat actus, quæ eſt 3. orationis actus.* *D. Bern.*

Supereſt denique vltimus actus à Bernardo poſitus qui eſt contemplatio: ille vero peculiarem conſiderationem poſtulat, tum quia propriam difficultatem habet, An contemplatio ponenda ſit peculiaris pars orationis, ita vt ſit actus aliquis, qui cum aliis ſupra enumeratis miſceatur, nec ſit ab illis diſtinctus? An vero per ſe conſtituat diſtinctum, & peculiarem modum mentalis orationis, & qualis ille ſit, quibuſue modis fiat? Tum etiam quia contemplationi duo Bernardus tribuit, *Eſt enim*, inquit, *mentis in Deum ſuſpenſæ eleuatio, æterna dulcedinis gaudia deguſtans.* In quibus verbis duos actus indicat, ex quibus primus ad intellectum pertinet, ſecundus ad voluntatem, & vterque per ſe, & vt ſimul ad contemplationem conueniunt, ſpeciali conſideratione indigent. Videtur etiam Bernardus ſub hoc actu deuotionem comprehendere ſub nomine ſpiritualis dulcedinis: nam hic etiam actus communiter pertinere cenſetur ad huius orationis perfectionem, & complementum: ideoque inferius ſpecialiter de deuotione, poſtea vero de contemplatione dicemus: prius tamen pauca quædam ad maiorem cognitionem, & praxim orationis mentalis addenda ſit.

Capvt III.

Corollaria ex ſuperiori doctrina, quibus orationis mentalis ſubſtantia, partes, & vnitas magis explicantur.

1. *Mentalis oratio vtriuſque potentiæ, intellectus ſcilicet, & voluntatis actus includit, & qui ad intellectum ſpectent.*

EX dictis ergo facile intelligitur, orationem mentalem, de qua agimus in actibus intellectus, & voluntatis eſſentialiter conſiſtere, & vtroſque amplecti, ideoque non eſſe vtile diſputare, in cuius potentiæ actibus præcipue exiſtat, quia vtrique neceſſarij ſunt: & ad diuerſos quoſdam fines, vel effectus huiuſmet orationis ſunt principaliores actus intellectus, ad alios actus voluntatis, vt poteſt breuiter intelligi, explicando (quod ad rem maxime ſpectat) quas partes in hoc negotio habeat intellectus, & quas voluntas. Quod quidem magna ex parte ex dictis in præcedenti libro, cum his, quæ in ſuperiori cap. diximus, declaratum eſt. Nam ad intellectum pertinet vſus fidei, tanquam omnis orationis fundamen-

Digitized by Google

damentum, quia vt ſupra dixi, ad illam pertinet, Deo nos præſentare, vt ad eum loqui poſsimus, & illum orando colere, ac reuereri: item ad illam pertinet veritates proponere, quæ vel principia meditandi, vel obiecta contemplationis ſint. Meditatio item actus eſt intellectus, vt ex dictis conſtat, qui iuuari debet donis intellectus, ſcientiæ & ſapientiæ, quamdiu vel circa res omnino Diuinas, vel circa veritates vniuerſales negotiatur. Quando autem ad particularia operanda deſcendit (quod fieri frequenter debet) opus eſt dono conſilij, & prudentiæ infuſæ. Contemplatio item vel omnino eſt actus intellectus, vel ſine illo eſſe non poteſt, de quo actu & cuius virtutis intellectualis actus ſit, inferius dicam. Tandem pertinent ad intellectum locutiones omnes, quæ in hoc exercitio poſſunt interuenire, ſiue petendo, ſiue laudando, & gratias agendo, ſiue ſua peccata Deo confitendo, ſiue ſe ipſum excitando, quod præcedenti libro capit. 4. & 5. late dictum eſt.

2. *Qui actus ad voluntatem pertineant?*

Ad voluntatem autem in primis ſpectant affectus, & deſideria earum rerum, quæ in hac oratione ex meditatione rerum cœleſtium excitari poſſunt, qui eſſe poſſunt affectus virtutum omnium, quoniam meditatio circa materias omnium verſatur, & omnium affectus ad Dei laudem, vel cultum, vel ad maiorem vnionem cum ipſo referri poſſunt. Vnde Chryſoſtomus libro 2. de Orando Deum: *Nequaquam*, inquit, *aberrabit a vero ſiquis affirmet, deprecationem eſſe cauſam omnis iuſtitiæ, & virtutis.* Quod intelligo, verum eſſe (vt ſupra dixi) non ſolum quia illam à Deo impetrat, ſed quia omnium virtutum actus in hac oratione frequenter exercentur. Omnium tamen dux & auriga eſt Religio, quæ omnes alias vocat, vel ad perfecte ſubiiciendam, & humiliandam animam Deo, vel ad reuerenter cum illo loquendum, vel vt Deo vniatur, aut ad illam vnionem diſponatur. Atque ita voluntas quoad hoc, quodammodo habet primarias partes in hoc exercitio, quia & ab illa per Religionem inchoandum eſt, medio affectu orandi, & colendi Deum, & ad illam terminari debet per affectum, quo anima vnitur Deo, de quo ſtatim dicetur. Solent præterea ſenſitiuus appetitus cum phantaſia, voluntatem, & intellectum in hoc opere comitari, iuxta illud: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, de illarum vero potentiarum cooperatione inferius dicemus.

D. Chryſ.

3. *Accommodatur doctrina D. Paul. ad orat. mentalem.* *Auguſt.* *D. Ioan. Chryſoſt.*

Secundo ex dictis facile eſt, ad orationem mentalem accommodare quatuor illas orationis partes, quas Paulus enumerat, 1. ad Timot. 2. videlicet obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones. Nam licet probabile ſit, Paulum loqui de orationibus vocalibus publicis Eccleſiæ, iuxta expoſitionem Auguſtini, Chryſoſtomi & aliorum, quam in 3. tom. 3. part. diſp. 83. ſection. 1. tractaui, vbi etiam adnotaui, poſſe partes illas in vocalibus orationibus priuatis inueniri, quod in libr. ſequent. attingam: nihilominus etiam ad orationem mentalem, de qua agimus optime accommodantur, ſiue loquamur de oratione mentali, quæ vocalem quaſi informat, ſiue de illa, quę pura mente fit. De priori declaratur, quia nulla eſt pars orationis vocalis, cui non reſpondeat proportionatus actus, vel affectus mentis: nam ab interiori affectu habet vox vim, & rationem orationis. De poſteriori etiam patet, quia poteſt mens interius cogitare, vel appetere aut loqui, quicquid voce poteſt exprimere, etiamſi actu illud non exprimat. Imo ſæpe plus poteſt interius ſentire, & operari, quam voce valeat explicare, & ideo poteſt animus omnes illas orandi partes interius exercere, etiamſi voce nihil exprimat. Quomodo autem hoc fiat, duobus modis declarari poteſt.

4. Primo iuxta expoſitionem D. Thomę dicta quęſtione 83. articulo 17. vbi per orationem intelligit abſolute eleuationem mentis in Deum, per poſtulationem, orationem propriiſsime ſumptam pro petitione, per obſecrationem, rationum & titulorum allegationem, per gratiarum actionem, quod ipſa verba ſonant. Quæ omnia in mentali oratione fieri poſſe, ac debere, ſatis à nobis explicatum eſt. Solum oportet aduertere, iuxta hanc declarationem orationem habere primum locum inter has partes in oratione mentali: quia primus actus in omni oratione, & in hac maxime neceſſarius, eſt eleuatio mentis in Deum, per quam & anima ſe præſentet Deo, & Deum conſideret ſibi præſentem: non poteſt enim quiſpiam cum aliquo loqui, vel ab aliquo petere quidpiam, niſi illum habeat ſufficienter ſibi præſentem, vnde, ſi loco diſtet, ad illum accedit, vt ab eo petere poſsit propria locutione. Ad Deum non eſt neceſſarius acceſſus localis, quia vbique adeſt, ergo per memoriam, & acceſſum mentis debet anima ad illum accedere, eumque tanquam ſibi coniunctiſsimum & ſe penetrantem, & circumdantem oculis fidei intueri, eique ſic præſenti ſummam reuerentiam exhibere. Nam qui cōuenienter petere vult, reuerentiam prius exhibet, ſicut mater filiorum Zebedæi *acceſsit* ad Chriſtum *adorans, & petens.* Hoc modo orationis ingreſſum nobis deſcripſit D. Dionyſ. capit. 3. de Diuin. nom. Cum enim dixiſſet, ad loquendum de Diuinis rebus accedendum eſſe inuocata prius Trinitate ſubiungit. *Nos enim precibus primum ad eam, vt boni principium deduci debemus*: & infra: *Etenim ipſa quidem omnibus præſens eſt, non tamen ei præſentia ſunt omnia, ſed cum eam, & ſanctis precibus, & tranquilla mente, & apto ad Diuinam coniunctionem animo appellamus, tum demique nos etiam ipſi præſentes ſumus*: Et infra: *Nos igitur ipſos precibus ad altiorem Diuinorum benignorumq; radiorum conſpectum contendamus.*

Expoſitio D. Tho. in locū D. Paul. iuxta quā eleuatio mentis habet 1. in oratione locum.

Matth. ca. 27.

D. Dionyſ.

5. *1. Locum iuxta D. Paul. tenet petitio. Meditationem vero ſi non expreſſit indicauit ſatis.*

Sic igitur mentalis oratio ab hoc acceſſu mentis in Deum inchoanda eſt, & hæc eſt veluti prima pars eius, poſtea aſcendit ad Deum petitio, quæ obſecratione, & gratiarum actione roboratur: quæ alię partes in ſuperioribus declaratæ iam ſunt. Dicet vero aliquis, deeſſe in hac Pauli enumeratione meditationem. Verumtamen ſi Paulus de vocalibus orationibus loquebatur, id non eſt inconueniens: nunc enim ſolum dicimus, omnes illos actus enumeratos à Paulo in oratione vocali, habere locum in mentali, non tamen illos ſolos. Quid enim vetat, mentem pluribus modis operari circa Deum, dum orat, quam vocem? Addo vlterius, non improbanda ratione, ſub oratione, & obſecratione, & gratiarum actione meditationem ſufficienter comprehendi: nam quod in allegandis titulis, & rationibus pro noſtra petitione, & in gratiis agendis officium meditationis neceſſarium ſit, ſupra eſt explicatum. Rurſum ſub illo aſcenſu mentis ad Deum, qui ad petitionem fundendam neceſſarius eſt, non ſola memoria, vel præſentia Dei comprehendi debet, ſed etiam recogitatio noſtræ miſeriæ, & Diuinæ potentiæ, ac benignitatis ad ſubueniendum, vel in generali, vel in particulari, in tali, vel tali materia, pro qualitate petitionis fundendæ. Nam radix, & fons internæ petitionis eſt recogitatio: totum ergo hoc ſub illo aſcenſu mentis ad Deum comprehendi debet. Vnde Dionyſ. ſupra dixit, debere nos primum ad Trinitatem accedere, *vt boni principium*, id eſt, hoc de illa conſiderantes, & conſequenter dependentiam noſtram ab illa: Ex qua cogitatione prouenit, quod infra dicit: *Antequam aliquid agamus, aut dicamus, maxime quod ad Deum pertineat, a precibus nobis ordiendum eſt: non vt vim illam vbique præſentem trahamus, ſed vt Diuinis commemorationibus, inuocationibuſque nos metipſos tradamus ei, & coniungamus.* Hoc autem totum interuentu conſiderationis, ac meditationis fit, vt ex

D. Dionyſ.

dictis conſtat. Ita ergo in illis partibus totum officium orationis mentalis, quatenus ad petitionem ordinatur, continetur: nam de contemplatione alia eſt conſideratio.

6. *Alia expoſitio D. Paul. & quid ſit obſecratio.*

Secundo modo poſſumus exponere actus illos à Paulo poſitos, aduertendo tria poſſe in actu orandi conſiderari, ſcilicet, eum, qui orat: Deum, ad quẽ orat: & materiam, de qua orat, ſeu quam petit, quę generaliter dici poteſt beneficium aliquod Dei, quod vel futurum expectamus, vel iam receptum recognoſcimus. Primus ergo actus orationis ex parte orantis eſſe poteſt recognitio proprię miſerię, ac indigentiæ, omniumque ſuorum defectuum, quos coram Deo cognoſcit, eique repræſentat formaliter, vel virtute illorum remedium efflagitans. Et hic actus ſignificatur nomine *Obſecrationis*, & forſan ideo à Paulo primo loco numeratur, quia regulariter ab illo incipere debet oratio. Nec multum ab hac expoſitione diſtant, qui dicunt, *Obſecrare*, eſſe petere liberationem à malis. maximeque fauet vox græca Δέησις, quæ indigentiam ſignificat, vnde quia repræſentatio propriæ indigentiæ ſolet eſſe vehemens, vel (ſi dicere licet) etiam importuna, ideo non ſine cauſa vox *Obſecrationis*, ad hunc actum accommodatur. Secundus actus eſt recognitio, ac repræſentatio Diuinę Maieſtatis cum magna æſtimatione ac ponderatione omnipotentiæ, Bonitatis, & Miſericordiæ eius, cum quo actu ſemper coniungitur expreſſa, vel tacita petitio beneficiorum Dei, non in particulari, ſed ſolum in genere, vt miſereatur noſtri. Et ad hunc actum rectè accommodatur nomen *Orationis*, quem actum Paulus ſecundo loco ponit: & in hoc ſenſu etiam locum habet, quod Diuus Thomas ait, per orationem ſignificari aſcenſum intellectus ad Deum.

7. *Quid ſit poſtulatio, & gratiarum actio apud eundem Apoſtol.*

Tertium actus orationis eſt deſiderium obtinẽdi à Deo aliquod particulare beneficium cum expreſsione, ſeu petitione illius, & hic actus ſolet communiter appellari nomine orationis, vt ſupra viſum eſt: ad diſtinctionem verò aliorum actuum vocatus eſt à Paulo proprio nomine poſtulationis. Et videtur hic actus proprijſsime exerceri, quando aliquid in particulari petitur, ſiue illud ſit conſecutio alicuius boni, ſiue liberatio alicuius mali, & ſiue quis poſtulet ſibi, ſiue alijs. Quartus denique actus eſt gratiarum actio, qui planè diſtinguitur à præcedenti, quia verſatur circa beneficia iam recepta, coniungitur tamen cum præcedenti, quia gratitudo de recepto beneficio diſponit ad nouum recipiendum, multumque mouet benefactorem ad illud præſtandum. Et hoc ſenſu ait Paulus: *Vt gratiarum actiones fiant pro omnibus*, vel quia dum quiſque gratias agit pro beneficijs ſibi collatis, coniungendo illis petitionem, quam pro alijs fundit, vt illam efficaciorem reddat, meritò dicitur gratias agere pro alio. Vel etiam quia ſi proximi conſiderentur, vt ſunt vnum nobiſcum per charitatem, beneficium illis collatum noſtrum æſtimamus, & pro illo etiam gratias agimus: maximè ſi prius tale bonum illis poſtulauimus, & datum agnoſcimus, & tamquam nobis collatum reputamus. Sic igitur coniungit Paulus gratiarum actionem, quia petitiones noſtræ ſemper debẽt Deo innoteſcere cũ gratiarum actione, vt idem Paulus dixit ad Philippenſ. 4. Vnde ad Coloſſenſ. 4. cum dixiſſet: *Orationi inſtate*, ſubiunxit: *Vigilantes in ea in gratiarum actione.*

D. Paul. ad Phil. & Coloſſ. 4.

8. *Expoſitio D. Hilar. ad locũ D. Pau. 1. ad Tim. 2. in qua 4. admittit orat. actus.*

Atque hanc Pauli interpretationem exiſtimo, ſignificaſſe Hilarium in Pſalmum 140. dicentem: *Quatuor genera orationum Apoſtolus eſſe ſignificat ad Timoth. ſcribens, Exoro primum fieri precationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones. Humilitatis noſtra eſt deprecari* (ecce primum actum à nobis poſitum) *Magnificentiæ* Dei *eſt orari* (iſte eſt ſecundus) *Fidei eſt poſtulare* (hic tertius) *Confeſsionis, & laudis eſt gratulari* (hic eſt quartus.) Aduerto enim, explicare Hilariũ gratiarum actionem per confeſſionem laudis, quia hæc prout in mente exercentur, vel ſunt idem, vel propinquiſsima ſunt, & vix ſeparantur, vt ſuprà dixi. Dum autem vocat hæc quatuor genera orationum, ſignificat, eſſe quatuor actus, qui ſæpe poſſunt in oratione diſiungi, quia vero omnes debent coniungi petitioni, vt perfecta, & efficax ſit, ideo etiam cenſentur quaſi quatuor partes complentes, & conficientes integrum officium orandi. Sic ergo illæ dicuntur orationis partes, quia optimè coniunguntur ad efficacem orationem componendam: nihilominus poteſt in vna oratione aliqua earum partium principalius exerceri & intendi, & nunc vna, & nunc alia indifferenter. Immò interdum poteſt tota mentis, aut vocis oratio, etiamſi prolixa, & diuturna ſit in vno tantum illorum actuum occupari, quia nulla eſt obligatio, ſeu neceſsitas coniungendi ſemper omnes illos, & alioqui poteſt interdum maior fructus, aut ſpiritualis deuotio ſentiri, vel ſperari ex continuatione vnius actus, quàm ex variatione plurium: & ideo tunc quieſcendum eſt potius in vno actu, quàm multiplicitas affectanda.

9. *Varietas orationũ multiplex, accidentalis tamen, vnde proueniat. Gabriel.*

Tertiò, & vltimò ex dictis intelligi poteſt, quid de vnitate, vel diſtinctione, aut varietate orationis mentalis ſentiendum ſit: Gabriel enim hoc attingens lection. 61. in Canonem, litt. k. magna exaggeratione dicit tantam eſſe varietatem ſpecierum orationis, vt niſi ſpeciali Spiritusſancti illuminatione, comprehendi non poſsint. Rationem autem reddit, quia tot ſunt ſpecies orandi, quot ſunt affectus orantium. Vnde illas ſpecies diſtinguit, vel ex varia diſpoſitione orantis: alter enim eſt triſtis, alius alacer alius tentatione oppreſſus, alter ſpirituali conſolatione, & pace gaudet. Vel etiam diſtinguit illas ex materia: nam alter petit veniam peccatorum, alter profectum in virtute, vnus meditatur triſtia, alius iucunda, vel denique alijs ſimilibus modis, quos ex Collatione Iſaac, quæ eſt nona apud Caſsianum capite octauo ibi adducit. Sed hæc, & ſimilia intelligenda ſunt de varietate accidentali, & quaſi materiali orationum, nam formaliter & eſſentialiter tota varietas orationis reducitur ad actus, quos enumerauimus. Et illi varij affectus, vel modi orandi, qui vel in diſtinctis hominibus, vel in eodem homine diuerſis temporibus diuerſimodè affecto inueniuntur, pertinent magis ad indiuiduales modos (vt ſic dicam) orationum, quàm ad ſpecies varias illius, vel illorum actuum, in quibus ipſa conſiſtit. In indiuiduis autem actibus, & in modis eorum, non eſt mirum, eſſe infinitam varietatem, & nobis incomprehenſibilem: præſertim cum Spiritusſanctus ſit principalis motor in his actibus, & affectibus, qui nouit corda mouere, & immutare, & mentes illuminare, quomodo vult. Propter quod fortaſſe dicitur Spiritusſanctus Rom. 8. *orare gemitibus inenarrabilibus*, id eſt, varios, & inenarrabiles modos compunctionis nobis inſpirare. Et eodem modo dicere poſſumus orare deſiderijs, & affectibus, quos ſatis explicare non valemus, & ſuauitatem infundere, quam nemo ſcit, niſi qui accipit.

Caſsianus.

D. Paul. ad Rom. 8.

Capvt IIII.

Vtrum oratio mentalis cadat ſub præceptum, vel tantum ſub conſilium, & conſequenter ad quos pertineat?

1. *Oratio mentalis directe*

PRimum omnium ſupponimus, nullum eſſe poſitiuũ præceptũ Eccleſiaſticum obligans fideles

ad hoc

ab Eccleſia non præcipitur, neque in Miſſæ ſacrificio

ad hoc genus orationis. Agimus enim de mentali oratione pura, & ſeparata ab oratione vocali, ſic autem conſtat, nullum eſſe Eccleſiaſticum præceptum hac de re: nullum enim inuenitur directè hoc præcipiens. Videri autem poteſt hoc præcipi Sacerdotibus in Miſſa, cum in Memento orant, veruntamen in rigore tunc poſſunt vocaliter orare ſubmiſſa voce, ſi velint. Item cum genua flectunt, vel alijs temporibus Miſſæ, quando ad hanc, vel illam partem mouentur, nihil ore proferentes, videntur per conſecutionem quandam obligari ad aliquid interius cogitandum: verumtamen etiam tunc poſſunt voce aliquid orare, vel ſolum actum illum internum habere, qui ad reuerentiam exterioris actus fuerit neceſſarius: & ita nunquã directè præcipitur oratio mentalis etiam in Miſſa, vt notauit Nauar. in Enchirid de Orat. c. 18 num. 104. & ſequentibus. Atque hoc etiam fundari poteſt in communi doctrina, quod lex humana non poteſt præcipere actus merè internos, vt docet Diuus Thomas 2. 2. qu. 104. artic. 1.

Nauar.

D. Thom. 2. 2.

Quomodo mentalis oratio cadat ſub præceptum.

Hoc autem intelligendum eſt ex vi iuriſdictionis, nam ex vi voti, vel promiſſionis poteſt quis ſe obligare ad exercẽdum aliquem interiorem actũ, vt infra ſuo loco videbimus, & eadem ratione poteſt obligari ad aliquam orationem mentalem exercendam. Sicut autem poteſt immediatè hoc promittere Deo & ita ſe obligare, ſic poteſt veluti ſub conditione id promittere, ſi alius iniunxerit, vel conſuluerit, vel ſi Prælatus præceperit. Et hoc modo non repugnat, in ſtatu Religioſo poſſe per regulam, vel Prælatos orationem mentalem imperari. Quantam verò vel qualem obligationem inducat talis regula, vel Superioris voluntas, iuxta vniuſcuiuſque ordinis inſtitutum conſiderandum eſt. Crediderim tamen regulariter non eſſe obligationem ſub reatu culpæ præſertim grauis, ſecluſo contemptu. Si autem imponeretur tale præceptum, in primis obligaret ad vacandum tali tempore huic actioni, ac ſubinde ad non exercendas tũc actiones externas, quæ actionem illam valeant impedire, & ad applicandam mentem ad actus conuenientes tali orationi ſine voluntaria diſtractione, aut ſomno. Si enim hæc inuoluntariè accidant, non erit culpa, nec formalis tranſgreſſio præcepti. Quia verò difficile eſt, in actu pure interno, & tam occulto, vt eſt mentalis, diſcernere voluntariam ab inuoluntaria diſtractione, otioſitate, aut dormitione, & res poteſt eſſe ſcrupuloſa, & periculoſa, ideo non expedit, vel hoc directè vouere, vel ſub rigoroſa obligatione obedientiæ imponi, ſed tantum ſub directione regulæ.

3.

Eorum ſententia, qui quotidianã orationem mentalem cadere ſub præceptum crediderint, in omnibus, maximè Religioſis.

Non defuerunt autem, qui dicerent, dari præceptum Diuinum, ac naturale, obligans omnes homines cuiuſcumque ſtatus ad aliquod exercitium orationis mentalis. Immò aliqui publicè docuiſſe feruntur, non eſſe in ſtatu gratiæ, qui ſaltem per horã in die non vacant orationi mentali, ſaltem quoad meditationem recogitationis circa ſalutem animæ ſuæ vt ipſi loquebantur. Non enim imponunt hoc præceptum propter ſolam petitionem, de cuius neceſſitate iam ſupra diximus, ſed ſpecialiter propter meditationem & recogitationem de agendis, & de vitandis peccatis, vel occaſionibus eorum, & de his, quæ ad Dei timorem & amorem moueant. Videntur autem hanc obligationem colligere ex neceſſitate medij ad ſalutem, & ad non peccandum, nam tenetur homo ex charitate Dei & propria, vti illo medio ad ſuam ſalutem, ſine quo moraliter loquẽdo non poteſt non ſæpe grauiter peccare: ſed recogitatio illa eſt tale medium, iuxta illud Ierem. 12 *Deſolatione deſolabitur terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde*, ergo. Quod autem tanto, vel tanto tempore meditari aut recogitare oporteat, non video, vnde illi affirmauerint. Poteſt vero videri probabilis illa

Ierem. 12.

obligatio ſaltem pro Religioſis: nam ad eorum ſtatum pertinet, ad perfectionem tendere, & hoc exercitium maxime neceſſarium eſt ad perfectionẽ: vnde Caietan. 2. 2. qu. 82. artic. 3. dixit, *non poſſe vocari Religioſum, qui ſaltem ſemel in die ad huiuſmodi* (id eſt, ad meditationem beneficiorum Dei, & propriarum neceſſitatum, ac miſeriarum) *ſe non transfert. Quomodo namque* (inquit) *effectus ſine cauſa, & finis abſque medio, inſularis portus abſque nauigatione haberi nequit, ita, &c.* Atque rigoroſius Bonauent. Opuſc. de Perfectione vitæ capit. 5. *Reuera* (inquit) *Religioſus orationem non frequentans* (loquitur autem de mentali) *non ſolum eſt miſer, & inutilis, quinimo coram Deo fert animam mortuam in viuo corpore.* Et opuſc. de Proceſſu Relig. lib. 7. capit. 11. *Vita Religioſi* (ait) *ſine ſtudio deuotionis internæ, ſicut fauus ſine melle, ſicut murus abſque temperamento, & ſicut cibus abſque condimento:* Et infra: *Omnis Religio arida, & in perfecta eſt, & ad ruinam promptior, quæ ſpiritum Diuinæ ſuauitatis non quærit, & præcipuum conamen ad cordis ſtudium, & internæ puritatis non impendit.*

Caietan.

Bonauent.

4.

1. Aſſertio. Nullum eſt ſpeciale præceptum Diuinum, vel naturale orationis mentalis, eſſe tamen poteſt ad obſeruanda alia præcepta.

Dicendum vero eſt primo, præter præceptum orationis ſupra lib. 1 declaratum, nullum eſſe ſpeciale præceptum Diuinum, vel naturale, quo per ſe obligemur ad ſpiritualem, & internam recogitationem, meditationem, vel orationem, ſed ſolum quantum oportuerit ad alia præcepta obſeruanda, quando in particulari eorum obligatio occurrit, neceſſarium eſſe de illis cogitare. Declaratur incipiendo ab hac vltima parte: nam in variis occaſionibus poteſt eſſe hæc obligatio ratione diuerſorum præceptorum, verbi gratia, occurrat præceptum confeſſionis Sacramentalis, erit etiam obligatio recogitandi peccata cum eorum dolore, &c. Quæ recogitatio mentalis oratio dici poteſt, prout nunc de illa loquimur. Item ſi contritio habenda eſt, neceſſarium eſt, recogitare de propriis peccatis, vel ſaltem de ſtatu culpæ, & rationem ſupremam deteſtandi illam: quo tempore igitur obligat contritionis præceptum, obligabit etiam interna oratio, ad illud implendum neceſſaria. Idem eſt de præcepto diligendi Deum ſuper omnia, & ſimilibus. Tempore etiam grauis tentationis obligari poterit homo ad internam recogitationem, meditationem, ſeu aliquam eleuationem mentis in Deum: eo modo, quo in ſuperioribus diximus, poſſe tunc obligari ad orandum, petendo à Deo auxilium Eſt tamen conſiderandum, nunquam eſſe neceſſarium, vt petitio ſit mere interna, poteſt enim ſemper verbis exprimi. At vltra petitionem dicimus eſſe per ſe neceſſariam conſiderationem aliquam, quæ fidem excitet, vel confirmet, quæ conſideratio mere interna eſt, & ad illam dicimus eſſe poſſe obligationem ratione vrgentis tentationis, tum vt oratio melius fiat, tum etiam, vt homo ſeipſum excitet, & iuuet: oportet enim ita petere, vt etiam cum Diuina gratia iam recepta faciamus quod in nobis eſt.

5.

Probatur aſſertio.

At verò ſecluſis his peculiaribus occaſionibus & obligationibus, nullum inuenitur præceptum Diuini, ſeu naturalis iuris obligans per ſe ad mẽtaliter orandum, meditandum, ſeu recogitandum. Quod ita cenſeo certum, vt cõtrarium ſine temeritate doceri non poſſit, quia eſt contra communem vſum, & ſenſum totius Eccleſiæ. Nam ordinatiè fideles nõ ſolent huiuſmodi orationi vacare & nihilominus non timent peccatum, nec tranſgreſſionem præcepti alicuius in ea omiſſione nec de hac re in confeſſione ſe accuſant, nec à confeſſoribus doctis, & piis interrogantur, aut reprehenduntur ab ipſis; vel à Prælatis, vel Concionatoribus prudentibus ob talem culpam, ergo ſignũ eſt, non eſſe in Eccleſia tale præceptum commune omnibus fidelibus Et idem argumentum fieri poteſt ab auctoritate negatiua, quia ſi eſſet de hac re præceptum naturale ſignificaretur in Scriptura, vel doceretur à Patribus, & Theologis

Digitized by Google

logis: at non ita eſt, nam vbicumque loquuntur de præcepto orationis, tractant de propria oratione, vt eſt petitio ad Deum, ſiue fiat ſola mente, ſiue ſimul voce explicetur. Aliam verò maiorem conſiderationem ſpiritualem, aut meditationem laudat quidem, & conſulunt, non tamen docet, eſſe omnibus præceptam. Nulla etiam ſufficienti ratione poteſt tale præceptum oſtendi: tum quia hæc meditatio diſtincta ab illa, quæ coniungi poteſt cum oratione vocali, & cum auditione Miſſæ, & verbi Dei, vel lectionis, aut ſermocinationis, vel conſultationis de rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, non eſt medium neceſſarium ad ſalutem: & ita ſufficiet, vti his vel alijs medijs, iuxta vnuſcuiuſque ſtatum, & neceſſitatem. Tum etiam quia in rigore præcepti naturalis non tenetur quis adhibere hæc media extraordinaria, antequam moralis occaſio, vel neceſſitas vrgeat in particulari, quando autem hæc occurrit, poteſt quis vti alijs medijs proximè inſinuatis orandi vocaliter, legẽdi, conſulendi virum probum, & doctum, & iuxta exigentiam neceſſitatis poſſunt alia media ſuppetere, vt tollendo occaſionem aliquam, vel corpus caſtigando, & ſimilia. Ergo non poſſumus cum veriſimili fundamento imponere peculiarem obligationem omnibus fidelibus, vt per meditationis vſum, & peculiares conſiderandi conſuetudines præueniãt pericula vitę, ſed ſatis erit in rigore præcepti, ſi fugiant occaſiones, quas poſſunt, & ad vincendum, quas vitare nõ poſſunt, vtantur alijs medijs externis ſuæ capacitati accommodatis, & interna conſideratione ſufficienti ad hæc externa media exhibenda.

6\. *2. Aſſertio. Ex iure Diuini, & naturalis non obligantur fideles ad certum tempus ora. mentalis. Nauar.*

Atque hinc dico ſecundo, ex vi iuris Diuini, ac naturalis non obligari fideles ad aliquod certum tempus pro mentali oratione, vel conſideratione deſignandum, vel expendendum. Hoc dixit Nauar. generaliter de oratione in Enchir. de Orat. capit. 3. numer. 8. eſt tamen maximè verum de oratione mentali pura, vel vt addit aliquid vltra petitionem, ſcilicet actum meditandi, aut ſimiles. Quia licet oratio in genere, ratione petitionis ſit in præcepto Diuino, tamen quod ſit tanto, vel tanto tempore, non eſt ſub tali præcepto, nec per ſolam rationem naturalem poteſt determinari: ergo multò minus id poteſt dici de meditatione, cum hæc etiam abſolutè ſumpta non cadat ſub ſpeciale præceptũ ab alijs diſtinctum. Quapropter dicere, non eſſe in bono ſtatu omnes illos fideles, qui per horã integram, vel per certam partem eius non vacant quotidiè, vel toties in hebdomada mentali orationi, alienum eſt à ſana doctrina, nam perturbat conſcientias fidelium ſine fundamento, & multis præbet occaſionem ruinæ: nam impoſsibile moraliter eſt, quin maior pars fidelium id non omittat, omittent autem ex cõſcientia erronea, ſi veram eſſe doctrinam illam perſuadeantur. Item multi cenſent, doctrinam illam pertinere ad errorem, quem vocant Illuminatorum, nam aperit viam ad ſuperſtitioſos ritus introducendos, & fingenda præcepta pro vniuſcuiuſque arbitrio.

7\. *3. Aſſertio. Eccleſiaſtici ex vi Diuini iuris vel ſui ſtatus nõ tenentur ad mentalẽ orationem, licet obligari poſſint ex voto vel regulis præſertim aliqui Religioſi.*

Vnde dico tertio, etiam perſonas Eccleſiaſticas, vel clericos, vel Religioſos non teneri ex vi ſui ſtatus, & Diuini iuris ad hunc meditandi, recogitandi, aut mentaliter orandi vſum, ſed vnumquemque tantùm ad hoc obligari, vel ex vi voti, ſi illud ſpecialiter emiſerit, vel quantum per ſuam regulam fuerit ei peculariter impoſitum. Hoc tradit ex profeſſo Nauar. in dicto Enchirid. cap. 20. num. 61. vbi etiam reprehendit dictum Caiet. ſupra relatum quaſi tribuens Caietano, quod voluerit omnibus Religioſis imponere hanc præcepti neceſsitatem: ſed non exiſtimo fuiſſe hanc illius mentem, ſed per illam exaggerationem explicaſſe moralem quandam neceſsitatem huius orationis ad Religioſam perfectionem, vt infra dicam. Aſſertio ergo certa eſt, quia Religioſus ſtatus ex natura rei non affert ſecum ſpecialia præcepta præter ea, quæ in votis cõtinentur, formaliter, vel virtute: inter quæ non continetur præceptum orandi mentaliter, niſi alioqui in regula contineatur, & tunc non obligat, niſi iuxta inſtitutionem regulæ. Et licet demus, teneri Religioſos ad tendendum in perfectionem, non tamen tenentur ex præcepto ad omnia media perfectionis, nec ad alia determinatè, præter ea, quæ vnuſquiſque vouit, vel quæ cum illis habent neceſſariam connexionem, vel per ſuos Prælatos imponi poſſunt: nam hęc etiam virtute, & mediatè in votis continentur, vt latius infrà tractando de ſtatu Religioſo dicendum eſt. Ergo loquendo de rigoroſa obligatione præcepti mentaliter orandi, non eſt generaliter imponenda Religioſis, nedum alijs perſonis Eccleſiaſticis. Verba autem Doctorum, quæ videntur hoc exercitium à Religioſis exigere tanquam omnino neceſſarium ad eorum ſtatum, intelligenda ſunt de neceſsitate non præcepti, ſed medij, non ad ſalutem ſimpliciter neceſſarij, ſeu ad vitandum peccatum mortale, ſed neceſſarij ad conſequendum finem intentum per Religioſum ſtatum, qui eſt charitatis perfectio, & feruor, ac ſpiritualis ſuauitas, & promptitudo in omnibus bonis operibus, & præſertim in his, quæ ad Diuinum cultum, & pietatem pertinent.

8\. *4. Aſſertio. Mentalis oratio cõmendatur Religioſis, & præfertur vocali.*

Quapropter addo, & dico quarto, mentalem orationem in aliquo eius gradu, vel modo omnibus hominibus cuiuſcumque gradus, vel conditionis exiſtant, conſulendam eſſe, maximè verò Religioſis, & Eccleſiaſticis, ſeu Deo ſpecialiter dicatis perſonis. Hoc facile omnibus perſuadebitur ex his, quæ de vtilitate, & nobilitate huius orationis in principio huius libri diximus: eſtque ſententia Diui Auguſtini inter eas, quas refert Proſper, 218. vbi ſpecialiter de meditatione loquitur, & ſumitur ex Bernar. libr. 1. de Conſider. capit. 7. & 8. Hinc etiam dixit Caietanus 2. 2. quæſtione 83. articulo 3. orationem hanc (id eſt, meditationem, & conſiderationem internam) præferendam eſſe, cæteris paribus, orationi vocali voluntariæ, id eſt, quæ non eſt in præcepto: quia re vera per ſe loquendo, & ordinariè eſt magis fructuoſa. Dices, Oratio vocalis includit mentalem, & addit externum actum, & voluntatem eius, quæ poſſunt conferre ad meritum, & ſatisfactionem, ergo præferenda eſt. Propter hoc Nauarrus in Enchirid. de Orat. capit. 18. numero 104. cenſet orationem vocalem, attente factam meliorem eſſe pure mentali. Nihilominus reſpondetur, contrarium veriùs eſſe, vt docet Abbas Iſaac apud Caſsian. Collat. 9 capit. 35. & 36. & communiter Patres ſentiunt. Et ipſe Nauarrus ibidem adeo conſulit orationem mentalem, vt dicat, vix poſſe vocalem fieri ſine aliqua culpa, niſi inchoetur ab aliqua mentali, & aliquoties repetatur, præſertim quando is, qui voce orat, ſignificationem verborum non intelligit. Ratio denique eſt, quia ceſſatio ab actione externa liberiorem relinquit mentem ad recogitandum attentius, & intenſiorem affectum eliciendum, ideoque ex hac parte vtilior eſt per ſe loquendo. Eſt etiam ordinariè difficilior, & corpori laborioſior, vt notat Bonauentura in dicto Proceſſu 7. Religionis, & eſt experientia ſatis notum, quia corpus magis reuocatur à ſenſibus in mentali exercitatione, & quodammodo ſupra ſe eleuatur, & ideo illud externum otium cum maiori attentione interna corpus ipſum magis affligit. Præterea conſulitur hæc oratio, quia multum illuminat animas in his, quæ ad Deum, & ſalutem pertinent, & præparat illas ad vincendas tentationes, & pericula peccatorum euitanda: cum ergo hæc vtilitas, & fructus ad omnes fideles pertineat, omnibus conſulenda eſt hæc oratio,

D. Auguſt. D. Proſp. D. Bern. Caiet. Nauar. Caſſian. D. Bonau.

Digitized by Google

oratio, maximè verò his, qui ratione ſtatus maiorẽ perfectionem, & vitæ puritatem profitentur.

9. *Vltima aſſertio. Mentalis oratio licet ſit in conſilio tamen ad omnes pertinet.*
Ex his colligitur, orationem mentalem, quantũ eſt ex ſe, ad omnes fideles, cuiuſcumque ſtatus ſint, pertinere poſſe, id eſt, ab omnibus exerceri poſſe, & omnibus proponi debere tanquã aptiſsimum medium, & moraliter neceſſarium ad vitæ puritatem, quod cum proportione cum quolibet perſonarum ſtatu coniungi poteſt. Itaque licet dicatur eſſe in cõſilio, vt excludatur proprium, & rigoroſum præceptum, non tamen eſt ex his conſiliis, quæ conſtituunt diuerſum ſtatum inter fideles, vel ad determinatum ſtatum pertinent, ſed ex his, quæ omnibus accommodari poſſunt, vt ſunt, opera miſericordiæ frequenter exercere, Sacramenta frequenter recipere, & ſimilia. Ita de hac oratione ſenſit etiam Nauarrus in Enchir. de Orat. capit. 18. numer. 40. & ſequentibus: Quamuis enim indiſtinctè nunc de mentali, nũc de vocali oratione loquatur, tamen de mẽtali intelligit, cum dicit: *Deberemus omnes orare, ſaltem pauxillum in lecto ſtatim à ſomno experrecti*, & iterum: *Deberemus mane ſurgere, & in ſurgendo aliquantiſper orare.* Ratio verò eſt, quia ſicut fides omnibus communis eſt, ita & conſideratio rerum fidei omnibus debet eſſe cõmunis, & quia ſicut fides eſt fundamentum, & quaſi radix iuſtitiæ, ita conſideratio myſteriorum fidei eſt magnum adiumẽtum ad cõſeruandam, & augendam iuſtitiam, quo adiutorio omnes indigent. Item nullus vel propter imperitiã, vel propter occupationem excuſari poteſt, quia omnibus poteſt accommodari, vt dicemus in cap. ſequenti. *Nauar.*

CAPVT V.

Quomodo morales circumſtantiæ in vſu orationis mentalis communiter obſeruandæ ſint?

1. *Orat. mental. circumſtantia.*
HAec quæſtio valde neceſſaria eſt ad praxim huius orationis, & ad explicandam vltimam aſſertionem in fine præcedentis capit. illatam hanc orationem ad omnes homines pertinere. Nam cum non omnes eiuſdem ſint capacitatis, otij vel negotij, nec omnes habeant eandem loci commoditatem, ideo diſcurrendo per has circumſtantias, neceſſarium eſt, exponere, quid ſecundũ ſe neceſſarium ſit, vel expediat, vt hæc oratio rectè fiat, & quomodo vnicuique accommodãda ſingula ſunt iuxta vniuſcuiuſque capacitatem. Sunt autem morales circumſtantiæ, Perſona, Tempus, locus, Finis, Materia ſeu quid, vel circa quid, modus, & quibus auxilijs, per quas breuiter diſcurremus.

2. *1. Aſſertio. Ex parte orãtis nulla peculiaris cõditio eſt neceſſaria.*
Primo ergo ex parte perſonę orantis nulla videtur peculiares conditio, vel qualitas neceſſaria, loquendo de tota latitudine orationis mentalis, omnis enim homo potens vti ratione, & fide capax eſt alicuius gradus orationis, licèt non ſinguli ſint apti ad omnes, vt per ſe conſtat, & probat ratio facta. Applicatio autem ſingularum perſonarum ad hũc, vel illum orationis modum, ad prudentiam ſpectat, & ex dicendis poterit aliqua ex parte intelligi.

3. *Obiectio.*
Solum videri poteſt ad hoc exercitium ineptus, qui eſt in ſtatu peccati mortalis, tum quia hęc oratio eſt quoddam colloquium cum Deo, peccator autẽ indignus eſt tali colloquio, tum maxime quia peccatum mortale impedit, nequis practicè conſideret res pertinentes ad ſalutem. & illi ſtatui repugnantes.
Reſponſio. Reſpondeo, imo peccatores maxime indigere hoc exercitio, & interna conſideratione ſui miſeri ſtatus, & periculi, in quo verſantur, & Diuinæ bonitatis, ac felicitatis æternæ, vt ad deferendum illum ſtatum excitetur. Duobus autem modis poteſt aliquis in peccato eſſe. Primo tantũ habitualiter, quia illud commiſit, & nõ deleuit, nec deteſtatus eſt. Secundò quia eſt in actuali, vel virtuali complacentia illius. Prior ſtatus per ſe non repugnat cum hoc exercitio, quia libro ſuperiori oſtendimus, poſſe peccatorem orare Deum, & colloquia cum eo miſcere, ſi cum debita humilitate, & reuerentia id faciat, ergo multo magis poterit de rebus Diuinis, & æternis meditari, & paulatim ad illa affici. Et licet peccatum ex ſe videatur homines retrahere ab hac conſideratione, quodam modo verò per occaſionem, ad illam prouocat propter maiorem indigentiam, & neceſsitatem talis perſonæ, & ideo talis peccator omnino incitandus eſt, & prouocandus ad hoc exercitium, ita tamen, vt accommodate ad ſtatum ſuum, illo vtatur, vt ſtatim attingemus. Alter vero peccator valde indiſpoſitus eſt ad hoc orandi genus, & quamdiu affectum non reliquerit, vix poteſt fructuoſe, & practicè ad hoc exercitium applicari: ſed nihilominus non eſt omnino capax: quia non ſemper eſt in illo actuali affectu prauo. Et ideo etiam poteſt, & debet interdum ad ſe redire, ac æterna cõſiderare, vel malum in quo verſatur: nam hæc eſt via, qua maximè induci poteſt ad illum affectum mutandum, interueniente Diuina gratia, quæ conſiderationem promouet, quam inſpirat, ſi homo illi, vt debet cooperetur.

Secunda eſt circumſtantia Temporis, quæ ſecũdo loco proponebatur, circa quam obſeruandum eſt, duobus modis poſſe orationem mentalem eſſe in vſu: primum vocare poſſumus durabilẽ, & permanentem, & quaſi ex inſtituto, alterum quaſi per occaſionem, & in tranſitu. Prior modus eſt, quando aliqua hora diei, vel notabilis pars eius ad mentaliter orandum, vel meditandum aſsignatur, ceſſando ab omnibus alijs actionibus externis, & motionibus ſenſibilium obiectorum externorum, ſolis interioribus actibus vacando. Alter modus eſt, quando in ipſiſmet actionibus, & occupationibus externis mens ipſa ad momentum ſubtrahitur, & ad Deum aſcendit, vel ad ſe, ſuaque peccata cõuertitur, vel aliquid ſimile operatur. Omnis enim ſimilis interna motio ad mentalem orationem pertinet, vt nunc de illa loquimur. 4. *Oratio dupliciter fieri ſolet continuè, & diſcretè.*

Et in hoc quidem poſteriori modo non interuenit illa difficultas quæ ex defectu temporis, & multitudine occupationum obijci ſolet: nam cum quacumque actione, & occupatione miſceri poteſt hæc oratio magis, vel minus frequenter pro capacitate perſonæ, & occupationis. Semper tamen poteſt aliquoties fieri, quia nullus eſt tam ineptus, qui non poſsit ad hoc facilè inſtrui, & induci, ſi velit, nec occupatio poteſt eſſe tam vehemens, & continua (moraliter loquendo) quin permittat huiuſmodi mentis receſſus, vel fugas ad aliquid altius amandum, vel conſiderandum breuiſsimè, vel ad petendum auxilium Diuinum, vel ad referendum in Deum id, quod agitur. Vnde Bonauentura dicto li. 7. de Proceſſu Religion. ca. 11. *lectionem* (inquit) *ſæpe interrumpat oratio, ſicut alias actiones, vt ſemper mens ad Deum eleuetur, à quo nobis bonum perfluere, neceſſe eſt.* Et hunc frequentem orandi modum multum commendãt Patres, præſertim Chryſoſt. hom. 79. ad Populum vbi ait Chriſtum, & Paulum docuiſſe frequentes & breues orationes facere: Auguſt. Epiſ. 112. cap. 10. & Caſsian. Collat 9. cap. 35. & libr. 2. de Inſtit. monaſt. cap. 10. & 14. & libr. 3. cap. 2. Atque hic orandi modus valde fructuoſus eſt, non ſolum propter meritum talium actuum, quod eſt magnum, vt notauit Bonauentura lib de Perfection. vitæ cap. 5. ſed etiam, quia hæc frequens Dei memoria continet animum in officio, & ad bene operandum multum iuuat, præter auxilium, quod impetrat, ſi petitionem habeat adiunctam. 5. *Diſcreta oratio nullis occupationibus circumſcribitur.* *Bonau.* *D. Chryſoſt.* *D. Aug.* *Caſsian.*

Erit

Digitized by Google

6. *Hæc oratio multũ iuuatur vſu prolixæ orationum.*

Erit autem hic modus non difficilis hominibus, cuiuſcumque ſtatus, & conditionis ſint, ſi & inſtructionem habeant, & ad illum applicari incipiant, & paulatim vſum acquirant. Et ſanè ſi frequentius populò prędicaretur, & fideles ad illum exercendum, excitarentur, fortaſſe multi ex communi plebe, aliqua ſaltem ex parte illum exercerent, non ſine magno fructu. Regulariter tamen non ita eſt: tum quia deeſt inſtructio, & admonitio, tum etiam quia ordinariè ſupponit animum benè affectum circa ſpiritualia, & illa magis curantem, quàm temporalia: requirit enim internam curam, & ſolicitudinem, quæ memoriã excitet, hæc autem niſi oriatur ex affectu, durabilis nõ eſt. Vnde etiam hic modus frequenter orandi per momentaneos actus, ſupponit alium vſum quietæ, & perſeuerantis orationis, ex qua naſcatur illa iugis memoria, ſicut ex habitu naſcuntur actus, & ex ardenti calore ex præſentia ignis concepto manent reliquiæ, & quaſi veſtigia eius, etiam multo tempore poſt ſeparationem ignis, vt tractat Dionyſ. Carth. de Perfection. charitat. a. 44. Et ita moraliter loquendo neceſſe eſt ad alterum orandi modum recurrere, & pro aliquo deſignato tempore ab alijs actionibus vacuo, conſiderationi, ſeu orationi vacare, vt rectè monuit Bonauentura loco citato, & conſuluit optimè Auguſtinus in libro ſentent. Proſper. qui habetur in fine tertij tomi ſentent. 218. dicens: *Qui otioſus, & quietus non cogitat Deum: quomodo inter actus multos, & laborioſa negotia de illo poterit cogitare? Meditetur ergo, quæ Dei ſunt fidelis, cum vacat, & benè operandi ſubſtantiam quærat, ne in actione deficiat.*

Dionyſ. Carth.

7. *2. Aſſertio. Ad durabilẽ ora. nulla eſt determinatio tẽporis, nec ex præcepto, nec ex conſilio. Matutinum tamen eſt aptum.*

Hoc autem tempus, vt ad tacitam difficultatem reſpondeamus, non habet certam determinationem pro omnibus non ſolùm ex præcepto, vt dixi, verum etiam neć ſub conſilio, quia neque omnes ſunt æquè capaces, nec ſtatus ſunt eiuſdem rationis, neque actiones, vel occupationes. Non tamen poteſt eſſe tam actuoſa vita, quæ non relinquat aliquod tempus diei vacuum, in quo poſſit homo in aula mentis de Deo, & de ſe ipſo, & de actionibus ſuis recogitare, & bona proponere, ac recta ordinare. Hoc autem tempus aptiſsimum eſſe ſolet matutinum cum primum homo de lecto ſurgit, iuxta illud Pſalm. 62. *In matutinis meditabor in te*, & Pſalmo 87. *Et mane oratio mea præueniet te*, vnde Ambr. libr de Cain, & Abel capit 8. Habes (inquit) *alibi, vt ſolis ortum oratione præuenias*, *occurre* (inquit) *ad ſolis ortum*. Indicant verba Sapientis. Sap. 16. *Quod enim ab igne non poterat exterminari, ſtatim ab exiguo radio ſolis calefactum tabeſcebat, vt notum omnibus eſſet, quoniam oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Sic etiam in Pſalmo 118. dicitur: *Præueni in maturitate, & clamaui*: Quod ſtatim explicatur, *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Vbi Ambroſ. ſermon. 19. elegantiſsimè idem proſequitur: & inter alia, *An neſcis* (inquit) *ô homo, quod primitias cordis, ac vocis quotidie Deo debeas?*

Pſal. 87. *D. Ambr.* *Pſal. 118.*

8. *Probatur quoad 2. partem aſſertio.*

Quibus verbis primam rationem huius temporis indicat, quam libro etiam de Inſtit. virginis his verbis expreſsit: *Bona oratio, quæ hominem ſeruat, vt primo à Diuinis inchoemus laudibus*, & ideo fortaſſe Eccleſiaſt. 39. de iuſto dicit, *Cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo, ad Dominum, qui fecit illum.* Prouer. 8. ait Sapientia, *Qui mane vigilant ad me, inuenient me.* Vnde Dauid ait Pſalm. 5. *Mane exaudies vocem meam.* Vbi Chryſoſtomus: *Ab initio* (inquit) *diei dabat Deo primitias. Oportet ad gratias Deo agendas ſolem præuenire, & ante ortum lucis interpellare os.* Denique eſt illud tempus aptiſsimum, quia tunc debet homo omnia ſua in Deum ordinare. Alia moralis ratio eſſe poteſt, quia tunc eſt corpus melius ad hoc exercitium diſpoſitum. Tertia quia poſtquam homo incipit diſtrahi externis actionibus, vix ſolet inuenire tempus ad orationem aptum, niſi vel ipſemet ſtatus perſonæ ſit vitę contemplatiuæ, & ſecum afferat hanc obligationem, vel affectus, & propoſitum ſit adeo efficax: vt occurrentes difficultates vincat. Vnde quia hoc paucorum eſt, optimum conſilium eſt: ſtatim ſummo manè præuenire. Et hoc modo vix poterit aliquis excuſari propter multitudinem occupationum externarum, ſi velit ita vitam ſuam moderari, & diſponere, vt ſobriè, temperatè, ac piè viuat. Et vel maximè, quod oratio ipſa, ſi vſus eius, ſuperatis in principio difficultatibus apparentibus, inchoetur, & in eo perſeueretur, ipſa (vt ſic dicam) ſibimet lucratur tempus, dum ſuperfluas, & inutiles occupationes vitare docet, eiſque non ſe nimium implicare, vt late tractat Gregorius libro 23. Moral. capit. 20. alias 12. Reliqua vero, quæ ad huius circumſtantiæ menſuram præfiniendam ſpectant, magis conſilio, & prudentia indigent, quàm doctrina. Non omittam tamen aduertere inter officia orationis mentalis merito cõputari internam cõnſcientiæ examinationem, quæ hominibus huic orationi deditis familiaris eſſe debet, & ad minimum ſemel in die fieri: & ad illam nocturnum tempus eſſe magis opportunum, vt infra tractando de ſtatu Religionis latius dicemus: & interim videri poteſt Cæſarius hom. 31.

9. *3. Aſſertio. Nullus locus ex ſe eſt ineptus ad orationem mentalem.*

Tertia circumſtantia eſt locus aptus, de qua circumſtantia, quod attinet ad materiam moralem, certum eſt, nullum locum, quantumuis ſordidum, & vilem, ſeu infimum, eſſe ex parte ſua ineptum ad mentalem orationem. Itaque licet de oratione vocali ſit aliqua controuerſia, an pendeat aliquomodo, ex qualitate loci, vt honeſtè fiat, de mentali nulla eſt, ſed vbique poteſt ſanctè fieri, quantum eſt ex parte loci. Ita docuit Diuus Thomas in illud 1. Timoth. ſecundo: *Volo vos orare in omni loco*, lectione ſecunda, vbi quoad mentalem orationem hoc vult intelligi ſine vlla limitatione, *licet ad exhibenda* (inquit) *externa orationis ſigna, non omnia loca ſint accommodata, ſed oporteat, vel ſcandali, vel publicæ ædificationis rationem habere.* Sic dixit ibidem Anſelmus, *in omni loco orandum eſſe, quia Deus vbique eſt.* Chryſoſtomus verò homil. 79. ad Populũ. *in foro etiam, & in medio ſtrepitu, & clamore hominum* (ait) *orandum eſſe mentaliter Deum*, & concludit: *Templum ei, ne locum quæras.* Quomodo etiam dixit Bernardus in libr. Medit. *Vbicunque fueris, intra te ipſum ora, ſi longe fueris ab oratorio, ne quæras locum, quoniam ipſe locus es.* Quem retulit Gloſſa in Clement. prima de Reliq. & vener. Sanct. verb. *Orationem*, verſus finem: & Nauarrus dicto Enchirid. capit. quinto numer. ſecundo & 6. Et ratio reddi poteſt, quia oratio mentalis per ſe ſpiritualis eſt: vnde non pendet quoad ſuam honeſtatem à conditione corporalis loci. Item quia vbique optimum eſt, Deum amare, colere, reuereri, & gratias ei agere, vt etiam in præfatione Miſſę dicitur. Atque hoc quidem maximè locum habet in illo modo mentaliter orandi per breues, & frequẽtes aſcenſiones cordis ad Deum, quas iaculatorias orationes vocãt: hæ namque, cum non requirãt permanentem attẽtionem, non ſolum ex natura talium actionum, ſed etiam ex parte noſtra accommodatè fieri poſſunt in omni loco. At verò diuturna, & quieta oratio, licet ex parte ſua non determinet peculiarem loci conditionem, ex parte noſtra requirit ſaltem locum ſolitarium & quietum, vt D. Thom. in loco citato notauit.

Probatur auctoritate. *D. Anſel.* *D. Ioan. Chryſoſt.* *D. Bern.* *Gloſſ.* *Nauar.* *Probatur ratione.* *D. Thom.*

10. *Ad remouenda impedimenta neceſſaria eſſe poteſt ſpecialis loci cõditio.*

Quocirca licet per ſe non poſtuletur ſpecialis cõditio loci, vt honeſto, ac debito modo fiat oratio, nihilominus ad remouenda impedimenta, ex parte hominis neceſſaria eſſe poteſt. Et hoc modo dicebat Chriſtus Dominus Matt. 6. *Cum oraueris, intra in cubiculũ tuũ, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum.* Quod ſine

Digitized by Google

ſine dubio ad litteram intelligitur etiam de loco materiali, vt ibi Theophyl. notat, & Chryſoſtom. hom. 8. in primam ad Timoth. Verumtamen eſt, non id tunc conſuluiſſe Chriſtum propter commoditatem quiete orandi, ſed ad ſignificandum affectum, & rectam intentionem, quam in orando habere debemus, vt ſoli Deo placeamus, & illum colamus, nō vt ab hominibus videamur: nam ad hoc etiam vtile eſt, ſecretè orare, & in cubiculo clauſo. Nam licet ſuis temporibus, & modis etiam publicè Oratio vtilis ſit, & interdum neceſſaria: fieri tamen debet ex eadem intentione placendi ſoli Deo, & tunc perinde ſit, ac ſi in clauſo cubiculo fieret, vt Chryſoſtomus ibi hom. 19. notauit. Nihilominus tamen ſententia Chriſti vera eſt, & locum habet in negotio, de quo tractamus, nam ſi commode poteſt locus aliquis ſecretus, & ſegregatus ad orandum inueniri, eligendus eſt, qui locus nomine cubiculi clauſi ſignificatur. Sic de Petro legimus, aſcendiſſe in ſuperiorem partem domus ad orandum Actorum 10. & ſimile eſt Iob. 3 Iudith. 8. & 9. Et in hoc ſenſu dixit Iſidor. lib. 3. Sentent. capit. 7. *Oratio priuatis locis opportunius funditur maiuſq; obtentum impetrat, dum, Deo tantum teſte, depromitur.* Quod ſi huiuſmodi locus deſit, quilibet ſolitarius locus erit cubiculum clauſum: ſicut Chriſtus orabat in montibus, & horto Marc. 6. Luc. 21. & de Iſaac, & Iacob legitur Geneſ. 24. & 26. At verò vbi omnino hæc commoditas deſit, non propterea omittenda eſt oratio, ſed quilibet locus ſufficit. Maius enim incommodum eſſet orationem omittere, quam loci incōmoditatem ſuſtinere.

D. Chryſoſt.
Act. 10.
Iob. 3.
Iudit. 8. & 9.
Marc. 6.
Luc. 21.
Geneſ. 24.

11. *Allegorica verborum Chriſti interpretatio auctoritate Patrum firmatur & inter loca externa, Eccleſia præfertur.*

Debet ergo tunc mens ſe ſe colligere, vt potuerit, etiam ſi aliquomodo aliorum ſtrepitu, vel rumore impediatur. Et ſic multi Patres exponunt dicta Chriſti verba allegoricè de cubiculo cordis, vbi Deus à nobis orandus eſt mente, clauſo oſtio oris, vel ſenſuum, ac remotis alijs cogitationibus, quantum in nobis fuerit, vt tradunt Chryſoſtom. ſuprà, & Auctor imperfecti homil. 13. Hilar. canon. 5. in Matth. Auguſtin. Conc. 2. in Pſalm. 33. Ambroſ. lib. 6. de Sacramentis, capit. 3. Bonauentura libr. de Perfection. vitæ, capit. 5. & ex Caſſiano idem retulit Gloſſa citata in Clement. prima, de Reliquijs, & vener. Sanct. habetur Collat. 9. cap 34. Notat etiam alia Gloſſa in capit. *Per Simoniam.* diſtinct. 41. Vbi textus Concilij Gangrenſis ait, *Pietatem in priuatis domibus non concludentes*: non tamen damnat orantes in priuatis domibus, ſed eos, qui reprehendebāt orationem publicam, vel in Eccleſia factam: quod erroneum eſt, vt aliàs diximus, & in ſequentibus dicemus. Quapropter ſi publicus locus eligendus eſt, præferenda eſt Eccleſia, quæ locus eſt ſacer, & per ſe ad omnem orationem deſtinatus: nam licet oratio mente fiat, homo, qui orat, corporalis eſt, & ratione loci iuuari poteſt ſpecialius à Deo, vel etiam exaudiri: tamen cōſiderata fragilitate humana, locus ſecretus, & remotior ſolet eſſe commodior. Nunquā ergo impedietur omninò hæc oratio propter loci penuriam, ſed prout occaſio tulerit, prudenti arbitrio eligendus eſt.

D. Chryſ.
Auctor imperfecti.
D. Hilar.
D. Aug.
D. Ambr.
Bonauen.
Caſſian.
Gloſſa.
Concil. Gangrenſ.

12. *Quarta aſſert. In oratione mentali non ſolum generalis finis, ſed etiā particularis proponi debet, ad quē ſcilicet omnes aliæ circumſtantiæ dirigantur.*

Ex his facilè eſt de alijs circumſtantijs dicere: inter quas principalem locum tenet finis: circa quam circumſtantiam aduerto, in hoc mentali exercitio habendam eſſe rationem non tantùm boni, & honeſti finis in generali, prout neceſſarius eſt in omni bona oratione, & operatione, qualis in præſenti eſſe debet, vel cultus, & gloria Dei, vel ſpiritualis profectus operantis, vel alius ſimilis: ſed maximè obſeruandum eſſe, vt aliquis peculiaris fructus ſpiritualis per talem orationem quæratur. Semper enim aliquis ſcopus huiuſmodi præfigendus eſt oranti mentaliter, vt reliquas omnes circumſtantias, vel conditiones orationis tali fini accommodet. Eſt enim præ oculis habendum, mentalem orationem, de qua hic præcipuè tractamus, non aſſumi tantum propter eos effectus, quos communes habet cum oratione vocali, vt ſunt, impetrare, ſatisfacere, mereri, de quibus in præcedenti libro dictum eſt, ſed aſſumi etiam propter ſpirituales vtilitates, quas habet ad virtutes acquirendas, vel exercendas, præſertim ad dilectionem Dei, compunctionem, &c. Hic ergo fructus poteſt eſſe multiplex, & ideo expedit aliquem determinatum ſibi præfigere, & ad illum accommodare alias orationis circumſtantias.

13. *Duo cauenda ſunt circa finē particularem.*

In hoc autem fine ſibi præſtituendo, ſeu intendendo, duo extrema cauenda ſunt, vnum eſt, vt homo non omninò in incertum tendat, & vagam (vt ſic dicam) vel generalem tantum intentionem orādi, vel cogitandi de rebus Diuinis habeat: ſic enim frequenter fiet, vt vel varijs, & peregrinis cogitationibus agitetur, & omninò diſtractus ſit, vel certè vt veluti caſu, & fortuito in hunc, vel illum motum, aut cogitationem incidat, & ex vna in aliam tranſeat cum paruo, vel nullo fructu: oportet ergo, vt peculiarem finem, & fructum ſibi præfigat, vt verbi gratia, compunctionem cordis, vel Chriſti imitationem, vel deſiderium, & efficax propoſitum alicuius certæ virtutis, vel alicuius practicæ veritatis intelligentiam affectiuam, vel aliquid ſimile. Alterum verò extremum eſt, ne quis accedat adeò affectus, & addictus intentioni ſuæ, ac deſiderio, vt reſiſtat alijs inſpirationibus, vel motionibus bonis, quas ſæpe Spiritusſanctus homini nihil minus antea cogitanti offert, ſed ſe facilè mobilem præbeat motioni Diuinæ, probando tamen ſpiritus, an ex Deo ſint. Vnde regulariter, ac ordinariè loquendo inſiſtere quis debet, vt conſiderationem ſuam, & mentalem orationem ad ſcopum priùs præſtitutū dirigat, interdum verò ſi Deus aliò moueat, reſiſtēdum non eſt.

14. *Quinta aſſertio ex determinatione finis, quæ futura ſit materia orat. mental. oſtenditur eademque recenſetur.*

Ex determinatione verò huius circumſtantiæ aliæ omnes præfiniendæ ſunt. Nam hinc colligendum eſt, quænam futura ſit orationis materia, quæ in præſenti appellari poteſt circumſtantia quid, vel circa quid. Eſt enim oratio mentalis quaſi lumen quoddam oſtendens, quid amandum, quidve fugiēdum ſit, indicanſque viam veritatis, practicè inducens ad illam amplectendam, & exercendam, & ideò iuxta terminum intentum, oportet lumen illud applicare ad illam materiam, in qua illæ veritates manifeſtantur, quæ ad illum terminum ducūt. Multiplex enim eſſe poteſt meditationes, ſeu internæ recogitationis materia, nimirum Deus, & eius bonitas, ac beneficia, promiſſiones, cōminationes, Chriſtus, & omnia myſteria vitæ, mortis, ac glorificationis eius, Sanctorum exempla propria peccata, & miſeriæ, aliaque huiuſmodi, ex quibus quædam apta ſunt ad excitandum amorem, alia ad timorem, quædam ad dolorem, alia ad gaudium, & ſic de alijs affectibus, ideoque iuxta peculiarem ſcopum intentum, & iuxta diſpoſitionem orantis, materia eligenda eſt. Ad quod neceſſarium eſt prudēs arbitrium, & conſilium, vt ad finem capitis generaliter dicam.

15. *Sexta aſſertio orat. debet fieri humiliter, fidēter, purè, ac conſtanter.*

Sexta circumſtantia præcipuè ſpectans ad honeſtatem humani actus, eſſe ſolet modus, id eſt, vt debito modo fiat quæ maximè in hoc opere neceſſaria eſt, vt cum fructu, & fine periculo fiat. Ad hanc circumſtantiam pertinet, vt hæc oratio humiliter, fidenter, purè, & inſtanter fiat, vt dixit Bonauent. & in Stimul. Diuin. amor. capit. 4. De quibus conditionibus, & multis alijs, quæ in eis includūtur, multa in ſuperioribus dicta generatim ſunt, quæ ad hanc orationem applicari poſſunt: alia verò, quæ à Theologis myſticis tractantur, in eis videri poſſunt, non enim requirunt propriam diſputationem.

Duo autem moralia dubia breuiter hic interrogari 16.

Dubitatio, an interruptio orat. mentalis ſit peccatum. gari poſſunt. Vnum eſt, an in hac oratione ſit aliqua culpa, voluntariè diſtrahi? Certum eſt enim, in hac oratione neceſſariam eſſe attentionem, nam hæc conditio de intrinſeca ratione orationis eſt, vt libro ſequenti dicemus de oratione vocali; multò ergo magis eſt neceſſaria ad orationem mentalem. At verò inter eas hoc videtur eſſe diſcrimen, quod oratio vocalis poteſt durare quoad materialem actũ externum ſine attentione, at vero mentalis oratio nullo modo durat, ſi attentio interior omnino ceſſet, quia ſubſtantia eius conſiſtit in ſolo interno actu, qui ſine attentione fieri non poteſt, nam ſi durat oratio illa in actu voluntatis, illi intendit animus, & præterea ille ſupponit actum intellectus, qui ſine attentione durare non poteſt: ſi verò duret in ſolo intellectu, debet durare in aliquo eius actu, vt infra oſtendemus, quare non poteſt abſque attentione continuari vllo modo. Ex hac igitur doctrina oritur ratio dubitandi, nam cum aliquis volũtate diſtrahitur, voluntariè omittit, ſeu ceſſat ab hac oratione, at hoc nullum peccatum eſt, ergo diſtrahi voluntariè in hac oratione non eſt peccatum. Probatur minor, quia hæc oratio non eſt in præcepto, vt oſtenſum eſt, ergo poteſt omitti ſine culpa, ergo & interrumpi, ceſſando nunc, & iterum ad illam redeundo pro arbitrio orantis, hoc autem fit tantùm per hanc diſtractionem voluntariam, ergo non eſt in ea peccatum. Declaratur ex conuenientia, & differentia inter orationem vocalem, & mentalem quoad hanc partem: nam cum quis orat vocaliter, in hoc ſolum peccat ex defectu attentionis, quod externum actum orandi ſine debito actu interno exercet, ſi autem ab vtroque actu omninò ceſſet, totaliter interrumpendo orationem etiam vocalem, & in aliis actionibus occupetur, non peccat, quando aliàs ex ſpeciali præcepto non tenetur continuare orationem: at vero quando aliquis voluntariè diſtrahitur in oratione mentali, hoc poſteriori modo ſe gerit, & nullum actum orandi exercet diſtractus, ergo non peccat. Denique vel ille peccat committendo, vel omittendo, non committendo, quia nullum actum malum efficit (ſuppono enim diſtractionem eſſe per cogitationem de ſe non malam) nec omittendo, quia non tenetur orare, ergo.

17. *Reſpõdetur in modo orandi velut tranſeũter, meritorias eſſe interruptiones,* Hæc interrogatio habet propriè locum in illa oratione mentali, quæ pro aliquo certo tempore durabiliter, ac permanenter fit: nam de oratione illa tranſitoria, quæ per actus quaſi momentaneos fieri ſolet, non eſt dubium, quin abſque vlla culpa, imò cum magno merito fiat interruptio, & tranſitus à breui, & iaculatoria oratione ad aliam cogitationẽ, & rurſus à tali cogitatione ad motum alium orationis, quia ille eſt quidam modus diſcretus mentis, prudens, ac rationabilis, & nullam habet deformitatem, vt diſcurſus antea factus probat. De oratione vero altera permanente, eſt vlterius aduertendum, duobus modis poſſe fieri interruptionem illam, & volũtariam diſtractionem. Primò ex perfecta conſideratione, & rationabili cauſa, vt verbi gratia, ſi tempore orationis occurrat occaſio, vel loquendi cum alio, vel dandi aliquod reſponſum, vel attendendi ad aliquid, quod tunc occurrit tanquam neceſſarium, aut valdè conueniens. Et tunc, ſi interruptio fiat cum debita reuerentia ad Deum, poterit fieri ſine culpa, vt diſcurſus etiam factus probat. Addo vero in hoc puncto, regulariter hoc non fieri ſine ſpirituali incommodo, quia ſolet hoc modo magna ex parte impediri fructus orationis. Et ideo qui deſiderat fructuosè orare, cauere debet huiuſmodi occaſiones, etiamſi inculpabiles videantur, quia ſolent offerri ex Dæmonis induſtria ad orationis fructum impediendum.

18. *Reſpõdetur ſecundo in orat. permanente interruptionem plerũque eſſe culpabilẽ.* Alio vero modo fieri poteſt hæc interruptio, & diſtractio ex quadam animi leuitate, vel negligentia, nam ex vna parte habet homo voluntatem cõtinuandi orationem, & ad hunc finem in tali loco, & tali modo, & pro tali, ac tanto tempore aſsiſtit in conſpectu Dei peculiari intentione ſua, quam non retractauit, vel non habuit rationabilẽ cauſam retractandi: nihilominus aliunde eſt negligens in attendendo, vel voluntariè alias cogitationes miſcet, & ab illo exercitio alienas. Et hoc dicimus, non fieri ſine culpa, ſolũ tamẽ veniali, ſecluſo cõtẽptu. Et ſane id nõ fieri ſine culpa, magnũ argumentũ eſt, quod ſtatim pre ſe fert deformitatem, & quod omnes pij, timenteſque Deum, ibi culpam agnoſcunt, & eam timent, & de illa ſe accuſant. Deinde quia id non fit ſine irreuerentia erga Deum, nam licet homini ſit liberum orare, vel non orare, tamen poſtquam in conſpectu Dei ad loquendum cum illo conſtituitur, & ſe gerit in habitu, diſpoſitione, ac modo tanquam continuans ſermonem cum illo, & exiſtens in præſentia eius, ſine dubio eſt aliqua irreuerentia, leuiter ad alia diuerti, & iterum ad ſermonem cum Deo, vel ad conſiderationem reuerti. Deinde ordinariò ſolent tales cogitationes eſſe vel per ſe noxiæ, vel otioſæ, vel ſaltem impediẽtes valde fructum, & feruorem orationis, ergo non fit hoc voluntarie ſine aliqua culpa. Immò videtur ibi concurrere multiplex ratio culpæ, ſcilicet alicuius irreuerentię Diuinæ contra virtutem Religionis, & euiuſdam nocumenti ſpiritualis contra bonum proprium, & otioſitatis, vel alterius malitiæ, quam de ſe ſolet talis cogitatio habere. Præterea, poteſt hoc confirmari, quia oratio vocalis etiam ſi non ſit ſub præcepto, non interrũpitur ſine aliqua culpa, quando id fit ſine rationabili cauſa, & alia actio, aut verba interponuntur propter inſtantiam, & leuitatem animi, & nonnullam irreuerentiam. Eadem autẽ ratio in præſenti locum habet: quamuis enim mentalis oratio per ſe non videatur habere illam vnitatem, nec poſtulare illam continuationem, quam petit oratio aliqua vocalis, nihilominus moraliter conſiderando orationem mentalem cum tali intentione, ac modo inchoatam, & in ipſomet habitu, & geſtu corporis virtute continuatam, habet ſufficientem vnitatem, vt illa diſtractio, & interruptio habeat rationem irreuerentiæ, & culpę, vt recte declarat Cæſarius homil. 33. tomo ſecundo Biblioth. *Cæſar.* & huc ſpectat illud Hieronymi ad Ruſti. Epiſtol. quarta. *D.Hiero.* *Oratio ſine intermiſsione, vigil ſenſus ſit, nec vanis cogitationibus patens.* Vbi obiter notari poteſt expoſitio non contemnenda illius conſilij, vel præcepti, *Sine intermiſsione orate.*

19. *Diſtractio inuoluntaria tria requirit.* Hęc autem intelligenda ſunt de diſtractione voluntaria, nam interdum, ac ſæpe eſt inuoluntaria, & tũc magis eſt paſsio, quam actio, ac ſubinde ad culpam non imputatur. Vt autem omninò inuoluntaria cenſeatur, tria videntur neceſſaria. Primò vt à principio quis accedat ad orationem cum intentione attendendi, & non admittendi peregrinas cogitationes, & quod in ea voluntate virtute perſeueret, & ſaltem illam directe non retractando. Secundò, vt quam primum aduerterit ſe eſſe diſtractũ, & de rebus alijs cogitare, illas relinquat, & ad ſuum redeat inſtitutum; nam ſi aduertendo, perſeuerat in alia cogitatione, iam prius propoſitum mutat, & in hac pugna oportet hominem perſeuerantem eſſe, vt in hoc exercitio poſsit aliquid proficere. Tertiò valde expedit ante orationis tempus, ita præparare animum, vt auferantur occaſiones morales huiuſmodi euagationis animi, ac mentis, quod frequentius pertinet ad conſilium: poterit vero eſſe neceſſarium etiam ad honeſtatem moralem orationis: ſi occaſio ſit adeo proxima, vt homo omnino imparatus ad orandum accedens, moraliter non poſsit attendere, de quo videri poteſt optime Caſsianus Collatio. nona, capit. ſecundo, & Col- *Caſſianus.*

Digitized by Google

lation. decima capit. 11. & Collation. 14. capit. 13. & 14.

20\. *Dubitatio An certus aliquis corporis habitus requiratur.* Altera dubitatio circa eandem circumſtantiam eſſe poteſt de modo ſeruando in exteriori geſtu, vel habitu corporis in huiuſmodi oratione mentali, An ſcilicet, vt honeſte, vel conuenienter fiat aliquid peculiariter obſeruare neceſſarium ſit? Videtur enim non eſſe, quia hæc oratio non exercetur per corpus, ergo dummodo mens attendat, ſuaſque operationes interius exerceat, corporis poſitio, ſeu diſpoſitio nihil refert. Atque ita videtur docuiſſe Chryſoſt. homil. 79. ad Populum dicens: *Non tam voce opus eſt, quam cogitatione, neque tam manuum extenſione, quam animi intentione, neque figura, ſed intellectu.* Et infrà. *Licet genua non flectas neque percutias pectus, nec in cœlum manus extendas, ſi mentem tantum feruentem exhibeas, orationis perfectionem conſummares.* *D. Ioan. Chryſoſt.*

21\. *Reſpõdetur in oratione mentali illũ corporis habitũ requiri qui reuerentiam & humilitatem ſignificat.* Dicendum nihilominus eſt, quamuis mente tantum, & ſecretè orandum ſit, oportere in exteriori habitu, & geſtu corporis eum modum ſeruare, qui reuerentiam, ſubiectionem, & humilitatem animi ſignificare ſolet: & hanc eſſe veluti generalem regulam per ſe obſeruandam, ex cauſa vero prætermitti poſſe, & quaſi diſpenſari, vt ſine peculiari corporis poſitione, aut geſtu oratio interior, etiam diuturna fundatur. Hæc ſententia quoad generalẽ regulam colligitur ex vſu Chriſti, & Sanctorum, quem nobis Scriptura refert: de Chriſto enim legimus oraſſe flexis genibus Luc. 22. Matth. verò capit. 26. & Marcus 14. addunt etiam, proſtratum in terra oraſſe, vnde veriſimile eſt, vel incepiſſe orationem genibus flexis, & poſtea feruore orationis *procidiſſe in faciem ſuam* ſuper terram, vel pro varietate affectuum nunc vno modo, nunc alio vſum fuiſſe. Alij exiſtimant, propter ſolam genuflexionẽ dici potuiſſe procidiſſe in terram: verũ tamẽ quod Matth. addit *procidiſſe in faciem ſuam*, plus ſignificare videtur. De Stephano refertur Actor. 7. poſitis genibus oraſſe pro inimicis, & de Petro capit. nono flexis genibus oraſſe ad reſuſcitandam Tabitham: & de Paulo dicitur cap. 20. *Poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis.* Atque hunc vſum antiquiorem fuiſſe conſtat ex Dani. 6. & 3. Reg. 8. & Eccleſiæ perpetua traditione retentum fuiſſe conſtat ex multis, quæ Durant. colligit. lib. de Ritib. Eccleſiaſt. cap. 24. numer. 20. & ſequentibus, & Caniſ. in Catechiſ. titul. de Oration. quæſtione 7. Quamuis autem in prædictis locis non declaretur apertè ſermonem eſſe de oratione mentali, tamen eſt ſermo de oratione abſolutè, & in multis locis veriſimile eſt: fuiſſe mentalem, ſaltem magna ex parte, vt cum Chriſtus *prolixius orabat.* Quod autem de genuflexione dictum eſt, intelligendum eſt etiam de alijs geſtibus, vel ſignis corporeis, humilitatem, vel ſummiſsionem animi indicantibus, vt ſunt eleuatio, vel extenſio manuum, nudatio capitis, & ſimilia. De quibus Tertullianus in Apologet. capit. 30. *Illuc ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocui, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus*, &cæt. Et Hieronymus ad Ruſti. Epiſtol. quarta. *Corpus pariter, & animus tendatur ad Dominum.* *Luc. 22. Matt. 26. Marc. 14.* *Act. 7. & 9. & 20.* *Dan. 6. 3. Reg. 8. Durant. Caniſius.*

22\. Neque refert, quod oratio mente tantum fiat. Primo quidem quia homo ipſe eſt, qui orat, & quãuis non oret per corpus, orat in corpore, & poteſt ſimul per corpus adorare, quando mente orat: eſt autem optima diſpoſitio ad orationem adoratio præuia. Vnde dicitur de matre filiorum Zebedæi, quod *acceſſit adorans, & petens aliquid ab eo*, iuxta quod recte Hieronymus ad Epheſ. 3. ait: *Hæc ſpiritualiter exponentes, non ſtatim iuxta litteram orandi conſuetudinem tollimus, qua genu poſito, Deum ſuppliciter adoramus: & fixo in terram poplite, magis quã ab eo poſcimus, impetramus.* Secundò, quia licet homo *Hieron.* mente oret: excitatur multum his ſignis externis, nam ſicut corpus compoſitum, & humiliatum eſt, ita etiam componitur, & humiliatur animus. Sic fere Auguſtinus libro de Cura pro mortuis agenda cap. quinto: *Orantes* (inquit) *de membris ſui corporis faciunt quod ſupplicantibus congruit cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt, quamuis eorum voluntas, & inuiſibilis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat his indicijs, vt humanus ei pandatur animus, ſed his magis ſe ipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius, atque feruentius. Et neſcio quomodo, cum hi motus corporis fieri, niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inuiſibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hos cordis affectus, qui, vt fierent iſta, præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.* *Auguſt.*

Cum autem variæ, & multiplices eſſe poſſint corporis ad orandum aptæ compoſitiones, vt ſtando, genua flectendo, proſternẽdo in terra totũ corpus, & ſimiles, nõ poteſt regula generalis tradi, quænam præferenda ſit. Exiſtimo tamen ad breues orationes, quamcumque poſitionem aſſumi poſſe, & interdum eſſe vtiles, quæ profundiorem humilitatem indicant, vel corpus magis exercent, vel laborioſiores ſunt dummodo ſecrete, vel ſine aliorum nota, vel ſcandalo fiant. Ad orationes verò diuturnas & longas vel ſtationem, vel genuflexionem adhibendam eſſe. Et quamuis aliqui Patres valde cõtemplatiui ſtationem præferant, quia eleuationi, & ſuſpenſioni animi congruere videtur, vt videre licet in Bonauentura libr. de Myſt. Theol. cap 3. part. 3. & Carthuſ. libr. primo de contempla. a. 34. tamen ordinarie conſulenda videtur genuflexio, vt late proſequitur Cæſari. hom. 34. in tom. 2. Biblio. Tum quia illa videtur maximè vſitata à Sanctis Patribus, vt dixi, tum quia maioris reuerentiæ, & ſummiſsionis, ac propriæ imbecillitatis ſignum præ ſe fert, vnde magis etiam mouet, & componit interiorem affectum: tum denique quia videtur facilior ad durandum in oratione cum quiete, & ſine mutabilitate corporis & videtur æque apta ad quamcumque animi ſuſpenſionem, & eleuationem. Per hoc tamẽ nõ negamus, quin pro diuerſitate affectionum, vel diſpoſitionum poſſit vni perſonæ talis modus magis congruere, quàm alius, & vnumquemque poſſe eligere modum illum, quo videbitur magis ad quietem internam, & deuotionem iuuari. In hoc enim non interuenit rigoroſa præcepti obligatio quoad particulares poſitiones, ſed ſolum quoad generalem rationem accedendi ad Deum cum debita reuerentia. Præterea, hæc intelliguntur in oratione priuata, & ſecreta, nam ſi oratio fiat in loco publico, vbi orans ab alijs conſpici poteſt, tunc communis modus orandi quoad fieri poſsit, tenendus eſt, vt omnis admiratio, vel murmurandi occaſio cæteris auferatur. Interdum verò accidit, vt quis velit in loco publico adeo occulte mentaliter orare, vt alijs non appareat orans, quod ſæpe cum magno merito orationis, & humilitatis fieri poteſt. Et tunc melius erit genua non flectere, nec alia ſingulari poſitione corporis vti, ſed communi, & vulgari, vt occaſio tulerit. Et in hoc ſenſu loquitur Chryſ. in principio allegatus: non enim negat, optimum eſſe per ſe loquendo vti in oratione mentali ſignis corporalis cultus, & reuerentiæ, ſed dicit non eſſe illa ita neceſſaria, vt ab illis omnino pendeat oratio, nec eſſe relinquendam orationem, præterea quod non poſſit corpus peculiari modo ad orandum accommodari. Quod in infirmis, vel alio modo impeditis locum habet, & ex Scriptura, & Patribus, & quotidiano vſu ita hoc conſtat, vt probatione non egeat. 23. *Quæ corporis poſitiones aſſumi poſſint ad breues orationes, & ad longiores, quando ſecreto fit oratio.* *Bonauent. Carthuſ. Cæſar.* *In oratione publica modus communis orãdi ſeruandus eſt.* *Chryſoſt.*

Vltima circũſtantia, quæ in humanis actibus cõſiderari ſolet, eſt, quibus auxilijs fiant. De qua multa poſſent 24. *Quibus au...*

xilij tunc in oratio. & per quæ media poſſint obtineri

poſſent in præſenti actione conſiderari, ſed quæ Theologica ſunt, vel dogmatica, ſatis in ſuperioribus tacta ſunt: quæ vero ſunt practica, & ad vſum magis pertinent, vſu etiam ipſo, & praxi addiſcenda relinquimus. Conſtat enim, totum hoc negotium maximè pendere ex Diuinis auxilijs, quia eſt valde ſupernaturale, & in illo ordine valde perfectum & ſpirituale. Illa ergo auxilia præcipuè poſtulanda ſunt, & promerenda per humilitatẽ, puritatem cordis, & per ipſammet frequentem, & vigilantem orationem. Præter hæc verò multum iuuare poſſunt auxilia humana, quæ duplicia diſtingui poſſunt: quædam dici poſſunt intrinſeca ipſi operanti, ideſt, quæ ipſe ſibi cum Diuino auxilio præſtare poteſt, & debet, alia dici poſſunt extrinſeca, ideſt, quæ ab alijs hominibus vnuſquiſque poteſt accipere. Priori modo iuuatur homo ad hanc orationem primo, & per ſe ſuis facultatibus, & potentijs, deinde ipſo corpore, vtendo illo fortiter, & ſtrenuè ad cooperandũ animæ in hoc opere, & ad labores, vel tædium, vel defatigationes ſuſtinendas. Deinde multum iuuatur homo ad hanc orationem exercitio aliarum virtutum, præſertim temperantia in cibo & potu, quę ad opera mentis in primis eſt maximè neceſſaria, deinde moderatione affectuum, innocentia vitę ac ſanctis operibus, quæ per manuum eleuationem ſolet in oratione ſignificari, vt dixit *Chryſoſt.* Chryſoſt. in d. Pſalm. 140. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*; & in hom. 79. ad Pop. Poſteriori autem modo iuuari debet homo magiſterio alterius hominis, eſt enim ordinarius modus Diuinæ prouidentiæ vt homines hominibus humilientur, & per Magiſtros, vel Superiores illuminentur, & dirigantur, vt ab Angelis reſponſum eſſe cuidam Sancto Abbati refert Ioannes Moſcus in Prato ſpiritua. cap. 199. Qui modus in hoc mentali exercitio maximè obſeruandus eſt, præcipue quidem his, *Ioannes Moſcus.* qui incipiunt, non tamen ſolis illis, ſed etiam proficientibus, & perfectis, nec tantùm indoctis, ſed etiam doctis, & ſapientibus: nam illi etiam facile poſſunt decipi, & in ſuperbiam efferri, niſi alijs credát, & ab alijs iuuentur. De qua re videri poteſt Auguſtinus in Prolog. ad libr. de Doctrina Chriſtiana, & Caſsian. Collat. 2. cap. 15. & Bernard. ſermon. primo in Conuerſ. S. Pauli.

Aug. cit. Caſſian. Bernar.

CAPVT VI.

Quid ſit Deuotio, quidue hac voce ſignificetur.

1. *Deuotionis Etymologia, & ſignificatio multiplex ex D. Thom.*

DEuotionem, vt ſupra animaduerti, ponit Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 82. vt actum Religionis ab oratione diſtinctum: tamen non raro accipitur pro ſtudio, & attentione, vel perfectione orationis, vt videbimus: & ideo ſimul cum mẽtali oratione cõmodius explicabitur, nam in illa maximè exercetur, & in illa pręcipitur, aut ſentitur, qualiter in hac vita ſentiri poteſt. Quia verò illa vox, vt Caietanus dicta quæſtione 82. articul. 2. notauit, multis modis accipi ſolet dicitur enim ſeruus eſſe deuotus Domino ſuo, & diſcipulus Magiſtro &c. hic quaſi per Antonomaſiam accipitur in ordine ad Deum, cuius rationem in principio capitis ſequẽtis commodius reddemus. Nihilque curamus, an illa vox in tota ſua latitudine æquiuoca ſit, vel analoga aut vniuoca; parum enim id refert, nam qualiſcumque fuerit, potuit ad hunc vſum accommodari. Deriuatur autem illa vox à verbo Deuoueo, & ideo Deuotio in Eccleſiaſtico, & Theologico vſu (quicquid ſit de rigore linguæ latinæ) ſumpta eſt pro peculiari quadam propenſione animi ad Deum, & res Diuinas, quod ex ipſo vſu habetur, & ex dicendis notum fiet.

2. Hinc ſupponimus vt certum, Deuotionem ad voluntatem per ſe primo pertinere, vt docet Diuus Thomas dicta quæſtione 82. articulo primo, & habetur nomine Auguſtini libr. de Spirit. & anim. cap. 5. *Deuotio* (inquit) *eſt pius, & humilis affectus in Deũ, humilis ex conſcientia infirmitatis propriæ, pius ex conſideratione Diuinæ clementiæ.* Conſtat autem affectum ad voluntatem pertinere. Vnde ibidem ſubiungitur: *Affectus eſt ſpontanea quædam, ac dulcis ipſius animi in Deum inclinatio.* Etidem ſentiunt Bernardus, Ambroſ. & Bonauent. locis ſtatim citandis. Ratio verò eſt, quia Deuotio eſt voluntaria quædam promptitudo, & propenſio ad Dei cultum, & famulatum: ſed hæc pertinet ad voluntatem, nam per voluntatem inclinamur in Dei obſequium, & quaſi nos illi deuouemus, ergo. Dices, Sicut votum dicitur à vouendo, ita deuotio à deuouendo, ſed vouere eſt actus intellectus, non voluntatis: ergo & deuotio. Reſpondeo, ſi argumentum eſſet validum, deuouere idem eſſet, quod votum facere, ac proinde Deuotio & votum eſſent idem, quod cõſtat eſſe falſum: quia non omnes qui ſunt deuoti, vota emittũt. Licet ergo voces videantur habere analogiá quádam in Etymologia, non tamẽ ſunt ſimilia in ſignificando: nam votum ſignificat promiſsionem, de qua probabile eſt, pertinere ad intellectum, certum autem eſt propoſitum, quod ſupponit, pertinere ad voluntatem. Deuotio autem ſignificat affectum, & propenſionem voluntatis, quæ fortaſſe conſiſtit in quodam peculiari propoſito, vt mox dicemus.

Deuotio ad Voluntatem per ſe primo pertinet. D. Thom. D. Aug. D. Bern. D. Amb. D. Bonau.

3. *Obiectio.* Contra hoc vero poteſt obijci, quia Deuotio nihil aliud eſſe videtur, quam orationis attentio, at vero attentio ad intellectum pertinet vt per ſe conſtat, ergo & Deuotio. Maior colligitur ex capit. *Dolentes*, de Celebr. Miſſar. vbi præcipitur Clericis recitare horas *ſtudioſe pariter, & deuotè*, id eſt, attẽtè, vt omnes exponunt, quia nulla alia Deuotio eſt de neceſsitate illius præcepti. Vnde in dicto libr. de Spirit. & anim. capit. 50. Deuotio dicitur eſſe perfectio orationis. *Deuotio* (inquit) *perficit orationem*. Imò infra ſubiungitur: quod *oratio eſt mentis deuotio*, id eſt conuerſio in Deum per pium, & humilem affectum: nam quia in mentali oratione attentio non videtur eſſe quid diſtinctum ab oratione ipſa, vt ſupra dixi, ideo deuotio, & perficere orationem dicitur, & eſſe oratio ipſa. Et ſane ſiquis cõſideret multa, quæ de deuotione ſcribit Bonauent. in ſecundo tomo opuſ. in vltim. quod eſt de ſex alis Seraphim capit. octauo, plane intelliget, idem eſſe deuotionem cum mentali oratione, de qua nunc diſſerimus.

Cap. Dolentes. Bonauen.

4. *Solutio.* Sed vt dixi, licet vſus huius vocis ſit varius, & multiplex, ideoque interdum vel pro oratione tota vel pro attentione, aut meditatione accipiatur: tamen propriè ſignificat promptum aliquem affectum vel in vniuerſum ad omnia, quæ ad Diuinum cultum ſpectant, vel ſpecialiter ad orationem præſertim mentalem ſecundum totam latitudinem ſuam. Vnde in dicto cap. *Dolentes*, licet directè pręcipiatur attentio in recitatione Diuini officij, tamen quia illa attentio debet eſſe voluntaria, & hæc maximè exhibetur, quando homo ex magno affectu illam procurat qui affectus, deuotio eſt: ideo per illam vocem præceptum illud declaratur. Imò in rigore loquendo magis neceſſaria eſt in illo præcepto implendo voluntas attentè orandi, quam attẽtio ipſa, quæ in intellectu eſt, illa autem voluntas quædam deuotio eſt, & qui cum hac voluntate orat, dici poteſt deuotè orare, ideoque ex illa locutione colligi non poteſt deuotionem ad intellectum pertinere. Et eadem ratione intelligi poteſt, deuotionem perficere orationem, quia ſi voluntas eſt bene affecta, ex illa naſcitur perfecta oratio. Probabile præterea eſt, Autorẽ illius libri de Spirit. & anima

Cap. Dolentes.

ſenſiſſe, orationem pertinere ad voluntatem, & deuotionem nihil aliud eſſe, quam feruentem quandam orationem. Vel poteſt cauſaliter exponi, orationem eſſe mentis deuotionem, quia ex affectu deuotionis conuertitur mens in Deum per orationem, itaque deuotio proprie ſumpta voluntatis perfectio eſt.

5. *Ad explicationem deuotionis tria in voluntate diſtinguuntur.* Vt autem vlterius explicemus, quidnam deuotio ſit in ipſa voluntate, duo, vel tria in voluntate ipſa diſtinguere poſſumus, ſcilicet velle, prompte velle, cum guſtu, & ſuauitate velle, hæc enim non ſemper coniuncta ſunt, ſed priora ſeparantur à poſterioribus, licèt non è cõtrario. Nam qui vult cum guſtu, & ſuauitate, & vult vt ſupponitur, & promptè etiam vult, nam ea, quæ ſuauiter, ac delectabiliter fiunt, facilè, & promptè fiunt. At è contrario qui promptè vult, etiam ſi iam velit, nõ ſtatim guſtum, & ſuauitatem ſentit in volendo quia poteſt illa prõptitudo aliunde, quam ex ſuauitate prouenire, vt ex habitu, aut ex cupiditate aliqua, vel alio extrinſeco affectu, fortis enim prompte ſuffert, & caſtus tentationi reſiſtit, etiamſi fortaſſe ſuauitatem, & guſtũ non ſentiant. Multo autem frequentius contingit, velle ſine promptitudine, vel ſuauitate, vt conſtat experientia. Deuotio ergo tria illa videtur complecti, iuxta communem illius vocis apprehenſionem, quando enim quis orat, vel opera Religionis exercet ſua voluntate, non tamen promptè, nec cum guſtu, & ſuauitate, ſed potius cum difficultate, ac repugnãtia, non putatur eſſe deuotus, ſi autem voluntas ſit prompta, deſit tamen guſtus, & ſuauitas, aliqua deuotio eſſe cenſetur, ſed non perfecta: quando verò omnia illa concurrunt tunc cenſetur ſimpliciter eſſe deuotio. Videndum ergo eſt, quidnam horum deuotio ſit, vel quomodo illa omnia ad deuotionẽ requirantur.

6. *Caiet. cõſtituit deuotionẽ in qualitate actus voluntatis.* Caietanus ergo dicta quæſtione 83. articulo primo diſtinguens illa duo in affectu colendi Deum, voluntatem, & promptitudinem, dicit velle actum eſſe voluntatis, promptitudinem autem non eſſe actum voluntatis, ſed qualitatem, ſeu modum actus voluntatis. Additque deuotionem non eſſe ipſum velle, ſed promptitudinem eius, atque ita formaliter deuotionem non eſſe actum voluntatis, ſed modum & qualitatem eius. Quia verò promptitudo videtur eſſe conditio omnium ſtudioſorum actuum, qui ex habitu ſiunt, deuotio autem eſt propria Religionis, vt Diuus Thomas ibi docet, *D. Thom.* ideo ſubiungit Caietanus quod ſicut ſimitas eſt curuitas, non tamen dicit illam abſolute, ſed connotando talem materiam, ſcilicet naſum, ita deuotio dicit promptitudinem non abſolute, ſed vt eſt in affectu colendi Deum, quem affectum connotat. Atque ita exponit Diuum Thomam dicentem, deuotionem eſſe actum Religionis, ſcilicet ratione connotati. Mouetur hac ratione, quia deuotio eſt actus Religionis, ſed Religio eſt qualitas potentiæ voluntatis, ergo deuotio eſt qualitas actus volũtatis, ſeu Religionis. Probat conſequentiam inductione aliarum virtutum: nam ſemper effectus, ſeu actus proprius virtutis eſt modus actus potentiæ, non ipſemet actus, vt prudentiæ actus eſt rectè præcipere, temperantiæ moderatè comedere, & omnium virtutum bene, vel prompte, aut rectè operari.

7. *Caietani ſententia non placet.* Ego verò in primis non intelligo, modos illos actuum immanentium, quos his vocibus ſignificamus, *promptitudo facilitas*, vel quid ſimile, hos (inquam) modos eſſe qualitates diſtinctas ab ipſis actibus elicitis ab habitibus, nec eſſe modos intrinſecos talium actuum ab ipſis ex natura rei diſtinctos. Quia illi actus, qui ex habitu ſiunt, ſunt qualitates quædam cum ſuis actionibus, & non ſunt capaces aliarum qualitatum, nec etiam habent alium modum præter inhærentiam, & intenſionem, & extenſionem, vel habitudinem ad ſua obiecta, quos modos omnes poteſt habere actus, qui ab habitu non elicitur. Solum ergo habet actus productus ab habitu peculiarem habitudinem, quam in productione ſua habet ad proximum principium, quia non reſpicit nudam potentiam, ſed affectam habitu, ratione cuius actus dicitur promptè fieri, quia fit à principio potentiori & robuſtiori ad agẽdum, & quando actus eſt ſupernaturalis, & fit ab habitu infuſo, dicitur etiam connaturaliter fieri, quia fit à principio intrinſeco proportionato. Vltra hæc verò ſuperuacaneum eſt, fingere alium modum intrinſecum, vel qualitatem in tali actu: nec à Caietano explicatur, nec mente percipitur quid, vel ad quid ſit. Et ideo in Metaph. diſputat. 44. latè oſtendi habitum per ſe loquendo non dare promptitudinem vel facilitatem in operando, niſi augendo virtutem agendi, & influendo ſimul cum potentia in ipſammet entitatem, & ſubſtantiam actus. Dico autem *per ſe loquendo*, quia interdum prouenit facilitas ex remotione impedimentorum, quæ vſu ipſo tolluntur, vel ex ipſius corporis diſpoſitione. Sed hæc extrinſeca ſunt, & per accidens, ad intrinſecam promptitudinem, quam habitus præbet, de qua Caietanus loquitur. Loquor item de promptitudine, vel facilitate, non de ſuauitate, prout dicere poteſt quandam delectationem, ſic enim delectatio actus quidam eſt, non afficiens propriè alium actum, ſed voluntatem, vel appetitum, ratione cuius dicitur alius actus delectabiliter fieri ſolum per quandã denominationẽ ratione concomitantiæ, vel conſecutionis vnius ex alio, vel quia vnus actus obiectum eſt alterius, vt cõtemplatio delectationis.

8. *Deuotio in actu voluntatis cõſiſtit.* Quocirca loquendo in particulari de deuotione, mihi certum videtur, non conſiſtere in tali modo, vel qualitate actus, ſed in aliquo voluntatis actu. Loquor enim de deuotione actuali in actu ſecundo, quia de actibus Religionis agimus, ſicut Diuus Thomas illam conſiderauit. *D. Thom.* Non enim repugnat, conſiderare deuotionem in actu primo: ſic enim denominatur homo deuotus, ſi eſt deditus Diuino obſequio, & illud ſolet cum delectatione operari, & in eo eſt ſtrenuus, & diligens, etiamſi actu non operetur, ſed dormiat. Illa autem deuotio in actu primo non eſt aliud, quam promptitudo habitualis ad Diuinum cultum, quæ promptitudo non eſt modus habitus, nec qualitas eius, ſed eſt ipſemet habitus Religionis, vel alterius virtutis ſimilis valde perfectus, vel conſuetudine firmatus, qui adhærendo potentiæ, reddit illam facilem in actu primo. Actualis autem deuotio conſiſtit in actu, nimirum (vt Diuus Thomas dixit) in actuali affectu ad Diuinum cultum, vel quid ſimile. *D. Thom.* Et patet ex ipſo nomine deducto à verbo deuoueo, nam homo non ſe deuouet Diuino cultui per modum aliquem actus, ſed per ipſum actum, & affectum. Vnde (quod notandum eſt) non eſt de ratione actualis deuotionis quod ſit actus ab habitu elicitus: nam actus ille, qui dicitur deuotio, non habet, quod ſit deuotio, ex particulari reſpectu ad habitum, ſed ex ſua ſpecie, eſſentia, & obiecto, vt conſtat ex Diuo Thoma dicta quæſtione 82. articulo primo, & ſecundo, vbi probat, deuotionem eſſe actum ſpecialem ex materia, & formali effectu eius, & cum eadem proportione probat eſſe actum Religionis. Dicitur autem actus Religionis non tantùm ille, qui de facto elicitur ab habitu, ſed qui natura ſua, & ratione ſui obiecti talis eſt, vt ad Religionem pertineat. Vnde ſi quis in prima ſua conuerſione ſimul dum conteritur de peccatis, ſe deuoueat Deo per deliberatum affectum colendi illum in omnibus, actum veræ deuotionis exercet, etiamſi in tali habitu non operetur. Sicut quando

Digitized by Google

D.Paul. quando Paulus vocatus à Deo, reſpondit: *Domine, quid me vis facere?* iam veram deuotionem in Chriſtum elicuit, licet non ex habitu, ſed ex auxiliante gratia vocationis illum affectum conceperit. Peccator etiam poteſt interdum actum deuotionis in oratione exercere, etiamſi nec iuſtus ſit, nec per illũ actum ſtatim iuſtificetur, & conſequenter illum nõ eliciat ex habitu, ſed ex auxilio.

9\. *Deuotio ſubſtantialiter non cõſiſtit in prõptitudine, quæ oritur ex habitu.*

Ex his ergo concludo, deuotionem non conſiſtere ſubſtantialiter in prõptitudine illa, proueniẽte ab habitu, nam licet hæc conferat ad quandam perfectionem talis operationis, quia deuotio ex habitu regulariter erit conſtantior, ac feruentior, cæteris paribus: tamen non eſt illa ſubſtantia deuotionis, tum quia ſine illa poteſt eſſe deuotio, vt oſtenſum eſt, tum etiam quia illa promptitudo non eſt, niſi relatio, vel denominatio à tali principio, vt declaratũ eſt. Neque contra hoc vrget ratio Caietani, negatur enim conſequentia illa: Religio eſt qualitas potentiæ voluntatis, ergo deuotio eſt qualitas actus voluntatis. Immò quia Religio eſt qualitas voluntatis, ideo à voluntate Religione affecta (quando ita eſſe contingit) elicitur volitio colẽdi Deum, quæ etiam eſt qualitas voluntatis, & ſimul eſt effectus virtutis Religionis indiuiſibiliter, & impartibiliter (vt ſic dicam) elicitus à potentia, & habitu. Nec illa partitio intelligibilis eſt, ſcilicet, quod potentia faciat actum, Religio verò modum diſtinctum ab actu, tum quia intelligibilis non eſt ille modus, qui ſit aliquid per ſe factibile, vt ſic dicam: tum etiam quia ipſa ſubſtantia actus debet promptè fieri, non poſſet autem ita fieri niſi habitus iuuaret potentiam ad ipſam ſubſtantiam actus faciendam. Hoc ergo eſt munus virtutis Religionis circa actum deuotionis, quando ab ea elicitur. Idemque eſt in alijs virtutibus cum proportione: nam prudentia, verbi gratia, non aliter dat rectè præcipere, quam inclinando ad iudicium practicum, & practicè verum ſecundum honeſtatem moralem: & temperantia dat modum temperatè comedendi, inclinando ad medium in tali materia, & eliciendo actum circa illud, & iuſtitia dicitur operari iuſtè, quia inclinat ad ſeruandum ius, & ſic de alijs. Cum autem dici ſolet, eum, qui ſine habitu facit iuſtitiam, operari iuſtum, ſed non iuſtè, ibi *iuſtè* non ſignificat modũ aliquem actus, qui fiat ab habitu, ſed ſignificat modum ipſum operandi ex habitu cum maiori facilitate, & promptitudine, quæ non dicit in actu alium modum, præter dimanationem à potentia habente maiorem vim agendi ratione habitus. At verò hæc ipſa promptitudo non eſt de ratione, & ſubſtantia deuotionis, vt dixi, licet ad illam iuuet, vnde deuotio non ſignificat illam promptitudinem.

10\. *Deuotio actualis eſt actus voluntatis, qui dicitur pius affectus.* D. Thom.

Hinc ergo vlterius concluditur deuotionem actualem eſſe actum aliquem volũtatis, ſcilicet pium affectum, quo ſe homo deuouet aliquomodo Diuino obſequio, deuouet, inquam, non promittendo, ſed volendo, & proponendo. Hæc eſt ſententia Diui Thomæ dicta quæſtione, articulo primo, quam ex ipſa Etymologia vocis demonſtrat, poteſtque in hunc modum declarari. Quia non eſt dubiũ, quin talis voluntatis actus poſſibilis ſit, quia homo volũtate ſua põt ſe tradere, offerre, aut dicare ſeruitio alterius, ergo multo magis Dei: illa ergo oblatio voluntarie facta rectè dicitur deuotiõ, ſed illa oblatio formaliter eſt in voluntate ratione illius actus, ergo illa eſt deuotio, & ab illo actu denominatur perſona deuota, quaſi oblata, & dicata in obſequium Dei per ſuam voluntatem. Et reliqua omnia, quæ ſub talem voluntatem cadunt, vt genuflexio, laus Dei, & alia ſimilia, quatenus imperantur ab illo affectu deuotionis, potius dicuntur actiones deuotæ Deo, id eſt, dicatæ, & oblatæ Deo, quàm deuotiones, licet interdum latè ſumpto vocabulo dicantur deuotiones, vel materialiter, quia ſunt materia, in qua verſatur deuotio, vel per denominationẽ à deuotione. Atque ita dixit Diuus Thomas dicto articul. primo ad 2. quod ſicut motio mouentis tranſit ad mobile, ſic ſuo modo motio deuotionis trãſit ad cæteras actiones, quæ ex imperio illius fiunt.

Quid vero reſpondendum eſt ad difficultatem ſupra inſinuatam, quòd volitio hæc non eſt deuotio, niſi ſit prompta: immò niſi dulcedinem quandam, & ſuauitatem ſecum afferat, non cenſetur verè deuotio: oportet ergo exponere, quo modo hæc duo ad deuotionem neceſſaria ſint, & quas partes in illa habeant. Circa promptitudinem duo dicta D. Thomæ in dicto art. 1. & 2. notanda, & explicanda ſunt; ſunt enim ſubobſcura, eorum tamen explicatio ad rem declarandam deſeruiet. In primo ergo art. ait: *Deuotionem eſſe voluntatem prompte faciendi, quæ ad Dei cultum ſpectant*: quo dicendi modo ſignificat, promptitudinem deuotionis non requiri ex parte actus, ſed ex parte obiecti illius actus, qui eſt deuotio. Iuxta quem modum dicendi facile eſt, ad interrogationem reſpondere, licet quis non habeat facilitatem & prõmptitudinem in eliciendo illo actu, quo vult promptè tradere ſe ad Diuinum cultũ: nihilominus eſſe deuotionem, quia ex parte obiecti deſiderat, & proponit promptè famulari Deo. 11.

Quomodo ſe habeant cũ deuotione, promptè velle, & ſuauiter velle.

Prima circa promptitudinem expẽditur mens D. Thom.

12\. *Mentem D. Tho. aliam fuiſſe creditur.*

Sed hoc mihi non probatur, neque exiſtimo, D. Thomam hõc intendiſſe. Primo quia promptitudo hæc in exercẽdis actibus Diuini cultus multa requirit, vel ex multis capitibus oriri poteſt; quæ vel non ſunt in poteſtate hominis, vel non cadunt ſub obiectum directum deuotionis. Sæpe enim illa promptitudo prouenit ex dulcedine, & guſtu rerum Diuinarum, vt mox dicemus: illa autem dulcedo ſæpe nõ eſt in poteſtate hominis, ſed à Deo ſit. Requirit etiam promptitudo illa conuenientem corporis diſpoſitionem, ablationem impedimẽtorum, quæ non ſemper ſunt in poteſtate noſtra. Denique licet ad illam promptitudinem iuuet habitus, nihilominus hoc ipſum, quod eſt operari ex habitu, non cadit ſub dictum affectum deuotionis, ſaltem ex neceſſitate, neque regulariter, ſed directè tendit affectus ad colendum Deum, & ſe illius famulatui tradendum. Deuotio autem propria, de qua loquimur, eſt actus humanus, & eſt de re, quæ eſt in poteſtate noſtra, non habet ergo pro obiecto illam prõptitudinem, ſed cultum.

13\. Secundo, quia eſto poſſit haberi affectus voluntatis ad illam promptitudinem & ad cultum cum illa perfectione, quod negari non poteſt, tamen etiam eſt certum, poſſe voluntatem ſimpliciter tendere in ipſum Dei obſequium, præſcindendo ab illo modo: hoc autem ſatis eſt vt ille ſit perfectus actus Religionis, & deuotionis, nam homo per illum re vera ſe totum deuouet Deo. Immo licet ipſum Dei obſequium repræſentetur difficile, & graue, & illa ſuauitas, vel voluptas in illo non ſentiatur, nec repræſentetur, & nihilominus deliberatè, & definitè voluntas in illud feratur, illa eſt optima, & magna deuotio.

14\. *Mens Diui Thomæ declaratur.*

Cum ergo D. Thom. ait, deuotionem eſſe volũtatem promptè faciendi, vel tradendi ſe, intelligendum videtur in actu exercito (vt ſic dicam) non in actu ſignato, nam qui afficitur per deuotionem cultui Diuino, hoc ipſo in exercitio appetit promptitudinem in illo cultu, etiam ſi formaliter non cogitet de tali promptitudine, nec illam expreſſe, & per modum obiecti appetat. Imò non ſolum appetit promptitudinem, ſed etiã illam facit, quoad poteſt, quia ipſamet deuotio eſt ſubſtantialis promptitudo, vt ſtatim declarabo: vnde cum illa affectio, & promptitudo voluntaria ſit eo modo, quo actus elicitus à voluntate eſt intrinſece voluntarius, etiã volendo cultum Dei vult quis promptitudinem ad illũ, quia

Digitized by Google

vult eſſe bene affectus ad illum. Hoc ergo ſatis eſt ad rationem deuotionis, quamuis ſiquis veluti per reflexionem conſideret etiam ipſam promptitudinem, & per ſuam voluntatem, & propoſitum velit comparare illam, quantum poteſt, ſine dubio erit etiam optimæ deuotionis actus, expreſsius, & formalius continens voluntariam ſubiectionem, & ſui traditionem, ad promptum Dei obſequium.

15. *Proponitur alterum D. Thom. dictũ de eadem promptitudine ad deuotionem.* Alia ſententia Diui Thomę eſt in articulo ſecundo eiuſdem quæſtionis 82. vbi dicit: *Ad eandem virtutem pertinere, velle facere aliquid, & habere voluntatem promptam ad illud faciendum.* Et deuotionem ponit in hoc actu, qui eſt habere voluntatem promptam ad exequenda ea, quæ ſunt Diuini cultus: ſentit ergo, deuotionem conſiſtere in hac prõptitudine. Et quod obſcurius eſt, diſtinguit duo illa tanquã duos actus eiuſdem virtutis, ſcilicet velle habere promptam voluntatem, & velle exequi illam, quia *vtriuſq; actus* (inquit) *eſt idem obiectum*, ſentit ergo, eſſe actus diſtinctos, licet eiuſdem virtutis. Difficile autem videtur in ipſa voluntate illos actus diſtinguere, cum tamen D. Tho. apertè loquatur de voluntate, & actibus eius.

16. *Deuotio conſiſtit in actu quodam reddente hominem promptum ad cultum Dei. Diſtinctio duplicis actus in obſequio Diuino, iuxta quam vtrũque D. Tho. dictum exponitur.* Dico igitur, deuotionem ipſam eſſe actum quendam, qui hominem reddit facilem, & promptum ad obſequium & cultum Dei, quod facit ipſa deuotio per ſe ipſam formaliter, vel virtute, quamdiu illa permanet. Hoc intelligitur facile diſtinguendo circa Diuinum obſequium duplicem actum. Vnus eſt generalis ex parte materiæ, licet in ſe, & in ſuo eſſe particularis ſit, & huiuſmodi eſt voluntas illa deliberata, qua quis ſe offert, & tradit omnino in Diuinum obſequium, qui actus vniuerſam materiam Religionis amplectitur, & non deſcendit ad particularia obſequia. Alius verò eſſe poteſt affectus particularis, vel ad orandum voce, vel ad meditandum, vel ad aſsiſtendum ſacrificio, vel ad alia ſimilia opera. Priorem ergo actum intellexit Diuus Thomas dicta quæſtione 82. nomine deuotionis; vnde in artic. 1. dicit. *Eos dici deuotos, qui ſe ipſos quodammodo deuouent Deo, vt ei ſe totaliter ſubdant.* Et de eodem actu intelligit in articul. 2. reddere promptam voluntatem ad Diuinum obſequium. Tum quia actus ille eſt veluti amor quidam ad Diuinum cultum, amor autem dat facilitatem, & promptitudinem in exequẽda actione amata, tum etiam quia illa generalis voluntas eſt efficax intentio Diuini obſequij, ad quam comparantur vt media particularia obſequia, quando eorum occaſiones occurrunt: intentio autem efficax dat promptitudinem in executione mediorum. Et ita rectè diſtinguuntur illa duo, velle facere aliquid, & velle habere promptam voluntatem ad illud faciendum: nam prior actus eſt vel voluntas executiua, ſeu actualis vſus, poſterior eſt veluti intentio, aut ſimplex voluntatis affectus, qui reddit illam promptam, & facilem ad executionem, quando occurrit. Et in hoc affectu ponitur à Diuo Thoma deuotio: vnde cum ait, per hunc actum velle hominem habere promptam voluntatem ad Diuinum obſequium, non intelligit hoc ipſum, ſcilicet habere promptam voluntatem eſſe obiectum proprium illius actus generalis, ſed eſſe quaſi formalem effectum eius: quia vero hic effectus voluntarius eſt: ſicut & actus ipſe eſt voluntarius, ideo per illum actum dicitur homo velle habere promptam voluntatem ad Diuinum obſequium.

17. *Quænam ſit propria deuotionis prõptitudo.* In hoc ergo ſenſu verum eſt, deuotionem conſiſtere in promptitudine ad Diuinum obſequium, nõ vero in promptitudine ad eliciẽdum ipſum actum deuotionis, ſeu voluntatem illam generalem tradendi ſe Diuino obſequio: ſiue enim hæc eliciatur promptè, ſiue ægrè, & difficulter, ſi tamen eliciatur, & conſtanter retineatur, ipſa reddet hominem promptum ad actus particulares Diuini obſequij: voluntas enim quamdiu in neutram partem deliberat vel afficitur, non eſt prompta ad aliquod munus præſtandum, at poſtquam decreuit, & ſe offert ad aliquod munus, ex vi illius actus prompta eſt, ſi actus, vel virtus eius duret, & non mutetur. Vnde in hoc ſenſu fatemur, deuotionem conſiſtere in promptitudine ad Diuinum obſequium, ſed inde non ſequitur, non conſiſtere in actu. nam illa prõptitudo formaliter ſumpta nihil aliud eſt, quam actus ille, quem explicuimus. Nec refert, quod ſtante illo actu, poſsit aliquis ſentire difficultatem in exequendis actibus Diuini obſequij, propter deſuetudinem vel alia impedimenta corporis, vel inferioris appetitus, aut Dæmonis, nam hoc eſt extrinſecum, & per accidens, nos autem conſideramus id, quod actus ille per ſe confert. Vnde diſtinguere poſſumus duplicem promptitudinem, vnam appellamus deliberationis, & eſt illa, quam præbet ille affectus, quem explicuimus: aliam vocare poſſumus habitum, vel diſpoſitionem operantis, ſub qua comprehendimus tam illam, quæ prouenire poteſt ex habitu, & poſitiua inclinatione eius, quam illam, quæ ex ablatione impedimentorum euenire ſolet. Priorem ergo cenſemus ſubſtantialem, & per ſe pertinentem ad deuotionem, & poſitam eſſe in noſtra poteſtate cum gratia Diuina, quia deliberatio propoſiti, & affectus in noſtra poteſtate eſt. Poſteriorem verò reputamus extrinſecam, & accidentalem, & non eſſe per ſe neceſſariam ad veram deuotionẽ, licet ad eius facilitatem, & durationem multum conferat.

18. *Altera deuotionis promptitudo ex animi ad res Diuinas affectu proueniẽs quæ ſolet etiam appellari deuotio.* Supereſt dicendum de alia promptitudine, quæ ex delectatione, ſuauitate ſeu guſtu ſpirituali prouenit. Conſtat enim ex Scriptura, Patribus, ac experientia, ex affectu ad Deum, vel res Diuinas oriri in animo ſuauitatem quandam, vel delectationem, quam etiam ſpiritualem conſolationem myſtici Theologi vocant. Conſtat etiam, hoc genus conſolationis, ſeu gaudij per ſe multum conferre ad promptitudinem operationis, quia ea, quæ delectabiliter, ac ſuauiter facimus, promptius, & facilius præſtamus. Hinc ergo ſolet etiam hæc ſuauitas nomine deuotionis appellari, præſertim quando non ſolum in voluntate, ſed etiam in appetitu, & corpore percipitur, iuxta illud: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* (*Pſal. 83.*) Et illud *Viam mãdatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* (*Pſal. 118.*) Hoc modo videtur deuotionem ſumpſiſſe Bernard. ſermon. 1. de Natiuit. Domini, cum dixit: (*D. Bern.*) *Res cordis eſt gratia deuotionis: quam quærimus*, de qua infrà ait eſſe, *hilaritatem mentis, & dulcedinem ſpiritualis gratiæ, qua bona opera condiuntur.* Et latiùs ſermo. 3. de Circumciſ. dixit. *Iam vero cum in his diu fueris exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumen, diem ſereniſsimum, & ſabbathum mentis, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus vniuerſis viuas abſq; labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei, vt quod prius cum amaritudine, & coactione tui ſpiritus faciebas, de cætero tam cum ſumma dulcedine peragas, & delectatione.* Et infrà. *Qui exercitatos habent ſenſus, deuotionis huius fruuntur iucunditate.* Eodem modo videtur deuotionis voce vti Bonauen tom. 2. Opuſc. de Proceſſu Reli. lib. 7 cap. 16. (*Bonauen.*) Vbi varias ponit radices deuotionis, & tandem dicit. *Cum deuotio ſit piæ affectionis pinguedo, & magis ſe habeat ad affectum, quam ad intellectum, perfecta tamen non eſt deuotio ſine lumine intellectus.*

19. *Duo animaduertuntur circa promptitudinem iſtam, nempe diuerſam eſſe* De hac ergo promptitudine, ſeu ſuauitate duo dicenda ſunt. Primum eſt, eſſe quid diſtinctum ab illo affectu colendi Deum, quem hactenus explicuimus, nam vt conſtat, poteſt ille actus deliberatus eſſe in nobis ſine hoc guſtu, vel ſuauitate, vnde hæc ſuauitas non ſemper eſt in poteſtate noſtra

etiam

ab affectu conſtituendi Deum, & hanc ſubſtantialē deuotionem, illam vero accidentalē dici poſſe.

etiam ex gratia, vt infra dicemus. Ille vero affectus eſt in noſtra poteſtate cum Diuina gratia quæ ad illum ſemper parata eſt. Quia ille affectus eſt per ſe neceſſarius ad virtutem: hęc autem ſuauitas non eſt ita neceſſaria: vnde ille eſt proprie actus noſter: hæc vero magis ſe habet ad modum paſsionis, nam licet ad illam phyſice, ac vitaliter concurramus, tamen vel libera non eſt, vel ſaltem non eſt in ſe libera, nec per ſe primo fit, ſed reſultat ex aliquo actu tanquam proprietas eius, vt ca. 8. dicemus. Secundum, quod dicimus, eſt nomen deuotionis videri æquiuocum, & interdum pro illo affectu ſupra explicato ſumi, interdum pro hac mentis dulcedine. Hoc vero parum refert, quia ſolum ſpectat ad vſum vocis: nos vero, vt ſine ęquiuocatione loquamur priorem vocabimus ſubſtantialem deuotionem, poſteriorem vero accidentalem, nam reuera in priori conſiſtit ſubſtantia virtutis poſterior vero eſt accidens eius, ideoq; Diuus Tho. hanc poſteriorem poſuit, vt effectum deuotionis, & proprio nomine ſpiritualem lętitiam appellauit in dicta q. 82. art. 4. At vero in art. 1. priorem vocauit deuotionem ſimpliciter. Quam mihi videtur recte ſignificaſſe Gregor. lib. 4. in primum Regum ſuo cap. 4. circa illa verba capitis 9. *Sacrificium eſt populi in excelſo*, cum dixit. *Hoſtia mentis eius deuotio eſt, tunc enim carnalia noſtra deſtruimus, cum ardenti deuotione ad cœleſtia ſubleuamur.* Per illum enim actum, quo anima ſe offert ad Dei famulatum, recte dicitur ſe hoſtiam conſecrare, & ſacrificare Deo: illa ergo eſt proprie, & ſimpliciter mentis deuotio. alia vero ſuauitas, potius eſt veluti conſequēs ad ſacrificium, & ideo accidentariam deuotionem eam appellamus.

D. Thom. — *D. Greg.*

Caput VII.

Sitne deuotio ſemper actus Religionis, & quomodo ad alios actus, qui in orationem mentalem interueniunt, comparetur?

1. *Quæſtionis declaratio.*

EX dictis in ſuperiori capite facile conſtat, deuotionem eſſe poſſe actum Religionis, quia verſatur circa propriam materiā Religionis, qui eſt cultus Dei, & poteſt tendere in illum ſub ratione cultus, & in cætera omnia, ſolum quatenus huic cultui deſeruiunt, ergo talis affectus Religionis ſine dubio eſt, nam eiuſdem virtutis eſt affici ad obiectū ſuum ſub generali ratione propoſitum, vel proponere generatim ſic ſtudioſe operari, & in particulari opera talis virtutis exercere. Vnde hoc non eſt proprium Religionis, ſed cum proportione inuenitur in omni virtute, ſicut de iuſtitia Diuus Thomas dicto art. 2. exemplum poſuit, & eſt eadem ratio de temperantia, & quacunque alia virtute, ſicut enim Theologi in materia de Pœnitent. docent vnamquamq; virtutem elicere actum doloris de peccato contra propriam heneſtatem commiſſo, & ſub propria illius ratione, ita docent, propoſitum generale viuendi temperate, vel ſeruandi iuſtitiam ſub tali propria honeſtate ad vnamquamque virtutem pertinere. Sic ergo ad Religionem ſpectat affectus generalis ad Diuinum cultum, qui deuotio dicitur, quia per illum homo ſe Deo deuouet. Duo ergo hic explicanda ſuperſunt: vnum eſt, an deuotio poſsit etiam eſſe actus alterius virtutis extra Religionem: alterum eſt, an intra Religionem ipſam deuotio ſit tantum vnus actus, vel poſsit eſſe multiplex tractando proprie de ſubſtantiali deuotione, omiſſa nunc delectatione, aut ſuauitate?

D. Thom.

2. *Rationes dubitandi circa primam partem quæſtionis.*

Circa primum punctum triplex ratio dubitandi occurrit. Prima ſumitur ex virtute obedientiæ, cuius officium eſt Diuinam voluntatem Dei in omnibus implere, quæ tamen impletur per eiuſdem Dei famulatum, imo potiſsimus famulatus ſerui eſt, implere Domini voluntatem, ergo illa oblatio voluntaria, & promptitudo ad obedientiam maxime ſpectat. Hinc Diuus Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 2. promptitudinem Abrahæ ad obediendum Deo vocāti deuotionem appellat, quam vocat virtutem ordine primam, & fundamentum cæterarum: *Meritoq; (inquit) hanc primum ab eo exegit Deus dicens, exi de terra tua, & de cognatione tua, &c.* Secundo multo magis. & perfectius videtur deuotio ad charitatem ſpectare. nam illa eſt, quæ maxime promptam reddit hominis voluntatem ad omne Dei obſequium, vt enim Paulus ait 1. ad Corinth. 3 *Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c.* vnde etiam ad ipſum Diuinum cultum exhibendum ipſa eſt, quæ promptitudinem, & facilitatem tribuit: ergo deuotio potius eſt actus charitatis, quam Religionis. Vnde Bernardus in ſermone vigeſimo quarto, in Catica, circa id: *Recti diligunt te*, deuotionem dicit eſſe *animam fidei*, quod eſt proprium charitatis, *Si quædam* (inquit) *anima fidei ipſa deuotio eſt, quid erit fides, quæ non operatur ex deuotione, niſi cadauer exanime?* Et Gregorius in illa verba capit. 9. libr. 1. Regum *Sacrificium eſt populi in excelſo*, ſic inquit, *deuotionis affectus, mentis eſt cibus.* Et ſtatim declarat: *hunc mentis cibum eſſe amorem conditoris.* Tertio actus generalis, quo aliquis vult promptus eſſe ad omnia ſtudia virtutis, eſt verus actus deuotionis, nam per illum homo ſe deuouet, & dedicat virtuti, & honeſtati. Et tamen non eſt actus Religionis, quia honeſtatem ipſius Religionis, & aliarum virtutum ſub generali ratione amplectitur, ergo non eſt deuotio proprius Religionis actus.

1. Ratio. — *D. Ambr.* — *2. Ratio* — *D. Paul. 1. ad Cor. 3.* — *D. Bern.* — *D. Gregor.* — *3. Ratio.*

3. *Poſita difficultas enodatur.*

Reſolutio huius puncti videtur pendere ex vſu vocis. Vnde dicendum eſt, interdum deuotionis nomen attribui affectui alterius virtutis, ſpeciali tamen ratione, ac modo appropriari Religioni, ſicque eſſe propriū actum eius. Vt hoc declaretur, aduerto, verbū *Deuoueo*, vnde deuotio dicta eſt, propriiſſime ſignificare actionem ad alterū, ſicut *voueo*, aut *Promitto*: nam ſicut promiſsio fit alicui, ita etiam deuotio dicit actum ad alterum. Vnde fit, vt interdum dici ſoleat reſpectu creaturarum, præſertim cum aliquo addito. Sic falſa, & vitioſa deuotio eſt in Gētili ad idolum, vt dixit D. Thom. dicto art. 1. Aliqua etiam honeſta deuotio eſt ad perſonam creatam, vt ad Beatiſsimam Virginem, vel ad aliquem Sāctum. Et inter homines ſolet aliquando hæc vox vſurpari modo magis ciuili, vel humano. Simpliciter autem, & quaſi per antonomaſiam vſurpata eſt à Theologis deuotionis vox, ita vt dicat reſpectum ad Deum, & ideo aliquando omnis affectus pius, & honeſtus erga Deum ſolet deuotionis nomine ſignificari. Quomodo videtur dixiſſe Aug. vt ſupra retuli li. de Spir. & ani. c. 50 *Deuotio eſt pius & humilis affectus ad Deum, humilis ex conſcientia infirmitatis propriæ, pius ex conſideratione Diuinæ clementiæ.* Et Amb. li. 1. de Abel c. 6. deuotionis humanæ officia tribus contineri dixit, fide, ſtudio virtutis, & operatione, quāuis hoc poſsit intelligi de officiis, quæ per deuotionem imperantur. Affectus ergo, qui tendunt ad Deum, quique in Deo ipſo ſiſtunt, & eius bonum, vel honorem procurant, poſſunt deuotionis nomine ſignificari, quiā vero illi plures eſſe poſſunt, per illos breuiter diſcurrere oportet, vt quid ſit Religionis proprium colligamus.

D. Thom. — *D. Aug.*

4. *Varij affectus deuotionis ad Deū quorum primus eſt Voluntas credendi.*

Primo igitur voluntas credendi deuotio appellari poteſt, quatenus eſt pius, & humilis affectus ad Deum vel reuelantem, vel etiam reuelatum, vnde Paulus dixit eſſe capacitatem intellectus in obſequium Chriſti 2. ad Corinth. 10. Tamen quia hic affectus formaliter non reſpicit obſequium, vel bonum ipſius Dei, vt ſupra dixi, deficit à proprietate deuotionis. Idem dicere poſſumus de affectu ſpei, per quam homo immediate, ac formaliter magis amat Deū ſibi, quā propter ſe. Vnde licet ex vi illius virtutis poſsit quis habere affectum vniuerſalem pie vn-

D. Paul. 2. ad Cor. 10. — *Ille affectus Voluntatis fidei & affectus ſpei, proprie deuotionis rationem non habent,*

Pie viuendi, ac ſeruiendi Deo in omnibus, quatenus hoc neceſſarium eſt ad beatitudinem obtinendam, qui affectus valde ſimilis videtur deuotioni, tamen à perfectione, & proprietate illius deficit, quia non tam eſt ad alterum, quam ad ſe.

Idem eſt de affectu obedientiæ.

5. Rurſus ex eodem capite affectus obedientiæ, vt præciſe, ac formaliter eſt à tali virtute, deficit à ratione deuotionis, quia illa virtus non eſt proprie ad alterum, reſpiciendo ad illius bonum, vel honorẽ, ſed ſolum ad præcepti obligationem, vt ſupra declaratum eſt. Vnde ipſamet obedientia per Religionem Deo ipſi deuouetur, & quaſi imperatur à deuotione, atque ita ſoluitur prima ratio dubitandi, quę concludit generali etiam nomine, voluntatem obediendi dici etiam deuotionem, non tamen in ea proprietate, in qua nunc loquimur. Maxime quia deuotio plura amplectitur, præſcindens (vt ſic dicam) à præcepto, & ad ipſum Dei famulatum reſpiciens; & ad hunc ipſum finem amplectens etiam obſeruationem præcepti. Ambroſius autem citato loco, vel loquitur de deuotione generali, vel certe magis videtur loqui de propoſito, ac deliberatione ſequendi Deum, & relinquendi patriam, & omnia ad colendum ipſum, qui effectus ad Religionem ſpectat, meritoque deuotio dici poteſt. Cui conſonat, quod ex Geneſi, & hiſtoriis colligitur, Abrã ham exiuiſſe de terra ſua, vt vitaret occaſionem idololatriæ, quæ inter cognatos ſuos, & vicinos ex tempore ſerpere, & augeri cœperat, ergo ex affectu ad veri Dei cultum egreſſus eſt. Hic autem eſt affectus deuotionis, ac Religionis.

1. Dubitat. ſoluitur.

Ambroſ.

6. De alio vero actu generalis propoſiti ſtudioſe viuendi, ſi hoc ſtudium virtutis ad cultum, & honorem Dei referatur, fatemur eſſe actum Religionis, quæ ex ſuo motiuo velle, & imperare poteſt actus aliarum virtutum. Si verò propoſitum illud eſt omnino abſolutum, vt ſic dicam, id eſt, ſi ad alteram perſonam non refertur, & ſolum ſiſtit in honeſtate in communi, ſic non niſi impropriiſsime dici poteſt deuotio, vt ex dictis conſtat. An vero ille actus, cum ſit honeſtus, pertineat ad aliquem habitum virtutis, & quis ille ſit, tetigimus ſufficienter in materia de Pœnitentia.

2. Ratio dubitandi ſoluitur.

7. Supereſt dicendum de actu charitatis, de quo ſecunda ratio dubitandi procedebat. Diximus autem in ſuperioribus charitatem ſub proprio motiuo immediate verſari poſſe circa totam materiam Religionis, nam poteſt amare ipſam Diuinam gloriam ex pura amicitia ad Deum, & beneuolentia, ac complacentia ad ipſam perſonam. Ex quo fit, poſſe hominem ex charitate, & ex puro motiuo eius velle obſequium, & famulatum Dei, & quærere gloriam eius in omnibus: qui actus ſine dubio videtur perfectiſsima deuotio, imo eo perfectior, quam ſimilis affectus Religionis, quo & nobilius habet motiuũ, & optimo, ac connaturali modo imperare poteſt ipſum affectum Religionis. Et in hoc fortaſſe ſenſu dixit Bernardus Epiſtol. 11. *Implet charitas legem ſerui, cum infundit deuotionem: porro timori adiuncta deuotio ipſum non annullat, ſed caſtificat.* Et de eodem loqui videtur idem Bern. ſerm. quodam in illud Sapient. 7. *Sapientiam non vincit malitia*, cum ait: *temporis præteriti fructus eſt compunctio, æui futuri flos eſt deuotio.* Nulla enim virtus ita proprie dicitur flos æui futuri, ſicut charitatis. Item ſi ſpectemus ſuauitatem, ſeu delectationem illam, quam ſecum afferre ſolet deuotio, ex nullo actu ita efficaciter ſequitur, ſicut ex affectu charitatis. Quapropter hic etiam poteſt conuenienter dici nomen deuotionis æquiuocum eſſe, & vtrique actui poſſe accommodari, vel certe improbabile non eſt, perfectam deuotionem vtrumque affectum requirere: & affectum Religionis tunc nomen deuotionis mereri, quando affectui charitatis iunctus eſt: ſicut actus pœnitentiæ, tunc meretur nomen contritionis, quando amore informatur, & intellectus contemplatio, tunc meretur nomen ſapientiæ, quando ex amore habet ſaporis ſuauitatem.

D. Bern.

8. Addo vero, nomen deuotionis non ſolum importare reſpectum ad alterum: ſed etiam indicare reſpectum ſubiectionis, & ſummiſsionis, maxime cum ſimpliciter dicitur, & in ordine ad Deum, & ex hac parte magis proprie accommodari hanc vocem affectui Religionis, quam charitatis. Quia Religio formaliter reſpicit excellentiam, & denominationem: charitas autem eſt amicitia, quæ non reſpicit formaliter excellentiam, vel ſubiectionem, ſed ſimpliciter bonitatem, & vnionem ratione illius.

Deuotio in ordine ad Deum reſpectum cũ ſummiſsione dicit.

9. In hoc tamen videtur eſſe quædam maior ſimilitudo inter pœnitentiam, & Religionem, ideoque voluntas illa offerendi ſe totum Deo ad ſatisfaciendum illi pro iniuria illata propius videtur dici poſſe deuotio: vnde Hugo, vt Alenſ. dicta quæſtion. 26. memb. 1. artic. 1. refert, dixit: *Orationem eſſe deuotionem ex compunctione procedentem.* Et Eccleſia in quadam Collecta, fer. 5 hebdomadæ 1. Quadrag. ſic orat. *Deuotionem populi tui, quæſumus Domine, benignus intende, vt, qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente.* Vbi affectum pœnitentium deuotionem appellat. Sed tamen hic affectus pœnitentiæ, & non eſt per ſe, ſed ſolum occaſione peccati, & ad ſatisfaciendum pro illo: deuotio autem per ſe reſpicit ſubiectionem ad Deum, cui homo ſe deuouet propter excellentiam eius, ideoque reſpicit famulatum Dei, non ſatisfactionem. Vnde ſi deuotio interdum attribuitur pœnitentiæ actibus, non formaliter, ſed cauſaliter intelligitur, vt Alenſ. ſupra notauit, quia ex compũctione cordis, & corporis afflictione ſolet deuotio generari, & hoc eſt, quod Eccleſia in illa Collecta orat.

Pœnitentia propius accedit ad deuotionem, quam charitas.

Hugo.

Alenſ.

10. In ſecundo puncto etiam inuenientur variæ locutiones Sanctorum, quibus fere confundunt deuotionem cum oratione mentali, in qua omnes alij actus interni Religionis comprehenduntur: cum externis enim actibus nõ oportet comparationem facere, nam res ſatis nota eſt. Hugo ergo in verbis proxime citatis, *deuotionem*, dicit *eſſe orationem*. Et è conuerſo Auguſtinus in libr. de Spir. & anim. cap. 50. *Oratio* (inquit) *eſt mentis deuotio.* Bonauent. etiam tom. 2. Opuſc. in vlt. Opuſc. capit. vlt. ſub nomine deuotionis multa tractat, quæ orationi mentali, conſiderationi, & cuicunque mentis in Deum eleuationi conueniunt. Ambroſ. etiam lib. de Cain, & Abel, deuotionem vocat omnem affectum ergà cultum Dei, ſiue orandi, ſiue ſacrificandi, ſiue gratias agendi cum perpetua beneficiorum memoria, ſiue etiam cum obedientia futurorum. Et hoc ſenſu ait, *quod continua eſſe debet, ac perpetua deuotio.* Verum tamen hæc, & ſimilia ſolum pertinent ad varium vſum illius vocis, & ideo res breuiter explicanda eſt, vt omnis ambiguitas vocis tollatur.

Circa 2. partem quæſtionis initio poſita Sancti loquuntur Patres.

Hugo.

D. Aug.

D. Bonau.

D. Ambro.

11. In actibus ergo mentalibus pertinentibus ad Religionem, vel mentalem orationem ſeparandi in primis ſunt actus intellectus, nam de illis conſtat à deuotione diſtingui, quia vt diximus, deuotio in voluntate eſt. Vnde ſiue loquamur de meditatione, ſeu conſideratione veritatis in intellectu exiſtẽte, ſiue de petitione propria prout eſt intellectualis locutio, illa non eſt deuotio, quia per illos actus homo non ſe deuouet Deo: quando ergo aliquis ex his actibus deuotio appellatur, intelligitur, vel cauſaliter, vt ſi meditatio dicatur eſſe deuotio, quia illam cauſat, & oratio, ſeu petitio, quia illam impetrat, vel è conuerſo eſt denominatio ab effectu, vt oratio cauſatur ex deuotione: & ſic fortaſſe dixit Auguſtin. orationem eſſe mentis deuotionem, quia eſt aſcenſus ad Deum, ſeu ſubiectio ad Deum, quam cauſat deuotio, vel certe dicitur deuotio oratio,

Actus intellectus à deuotione ſeparantur, aliquando tamen cauſaliter nomine deuotionis afficiuntur, vel etiã quia cauſantur ex illa.

Auguſt.

quia

Digitized by Google

Alenſ. quia illam complet & quaſi impinguat, vt Alenſ. ſupra explicauit. Formaliter autem loquendo propria oratio, prout in intellectu eſt, & deuotio, actus *D. Thom.* ſunt diſtincti, & ita Diuus Thomas de illis tractauit. At vero loquendo de oratione mentali, prout nunc de illa loquimur, includit non ſolum actum intellectus, ſed etiam voluntatis, vt ſupra dixi, & hoc modo includit in ſe deuotionem, vt partem ſui, ſeu vt vnum ex præcipuis actibus Diuini cultus, qui in illa exercentur, quod etiam ſatis per ſe notum eſt.

12. *In Voluntatis actibus affectus varij diſtinguuntur.* Vlterius vero eſt conſiderandum in actibus voluntatis qui in hoc exercitio interueniunt, quoſdam eſſe veluti particulares affectus ad particulares actus Diuini cultus, quendam vero eſſe, quem ſupra explicui, generalem affectum quo homo vult ſe totum tradere Diuino cultui. Priores ſunt plures: & vnus ex præcipuis eſt affectus ipſe orandi vel meditandi, vel contemplandi, vel in vniuerſum familiariter tractandi & colloquendi cum Deo. Hic enim actus maxime excitatur, & accenditur in oratione mentali, & licet ſub aliqua ratione poſſit eſſe elicitus à charitate, vt ſi ex ſolo motiuo amicitiæ appetatur oratio, vel quia charitatem auget, & fouet, vel quia eſt colloquium cum amico, quod ipſa amicitia ex ſe appetit: nihilominus per ſe, & ex obiecto ad Religionem ſpectat, quia ille affectus comparatur ad orationem, ſicut actus internus ad externum eiuſdem virtutis, & quia eſt affectus ad quemdam cultum Dei, quo etiam maxime foueri ſolet ipſe cultus Dei. Alius affectus Religioſus erit propoſitũ ſacrificandi, communicandi, peregrinandi, vel aliquid ſimile faciendi in Diuinum honorem, hi enim omnes actus Religionis ſunt, & in mentali oratione frequenter excitantur. Huc vero etiam ſpectant affectus ad alias virtutes, vt propoſitum ſeruandi caſtitatem, temperantiam, exercendi miſericordiam, humilitatem, & ſimiles, quę vt in Diuinam gloriam referuntur, ad Religionem ſpectant, ſaltem imperatiue, & in mentali oratione exercentur.

13. *Inter affectus numeratos ille proprie deuotio dicitur, quo ſe aliquis Diuino cultui tradit, & generalis vocatur.* Ex his ergo affectibus ille prior, qui generalis eſt, proprie ſolet appellari deuotio, & quidem D. Thomas illum videtur intellexiſſe nomine deuotionis, quãdo illum ponit vt particularem actum Religionis: eſt enim ſine dubio ab aliis diſtinctus. Nam licet dicatur generalis, vel ratione vniuerſaliſſimæ materię, vel propter generalem cauſalitatem, quam inde participat: tamen re ipſa eſt particularis, quia eſt actio particularis noſtræ voluntatis, quæ reſpicit illã materiam communem, vt obiectum proprium, & particulare, vnde in illo differt ab aliis particularibus affectibus circa particulares cultus orandi, meditandi, &c. *D. Thom.* Quanta vero ſit hæc differentia, an ſcilicet ſit ſpecifica, & an ſufficiat diſtinguere habitualem qualitatem, ſeu principium, parum nunc refert ad materiam moralem, quam tractamus. Sed conſulenda ſunt dicta in primo tractatu, & generalia principia de diſtinctione habituum. Eſt autem ille actus quodammodo primus natura ſua in tali virtute, quia licet non ſit neceſſe vt voluntas prius illũ efficiat, quam alios particulares affectus ad hunc, vel illum cultum: tamen ille eſt ordo magis connaturalis, nam ex conſideratione Diuinæ excellentiæ, & debitę ſubiectionis ad ipſum, primus affectus, qui naſcitur, eſt velle ſubiici Deo, & cultum debitum ei perſoluere. Vnde talis actus dici poteſt maxime internus Religionis, quia & ab illa eſt immediate elicitus, & per ſe non eſt ex alio priori actu eiuſdem virtutis, cum ipſe ſit primus, ſed potius ipſe comparatur ad alios affectus particulares Diuini cultus ad modum principij vniuerſalis mouentis, vt tetigit Diuus Thomas dicta q. 82. artic. 1. ad 1. & 2. quia voluntas finis mouet ad ea, quę ſunt ad finem, intentio autem Diuini cultus, vt ſic comparatur ad voluntatem huius, vel illius cultus, tanquam voluntas finis ad voluntatem mediorum, quia licet non ſint proprie media, ſed particularia obiecta contenta ſub vniuerſali, ſeruant tamen proportionem. Vnde etiam fit, vt ille affectus vniuerſalis non prodeat in actus exteriores aliarum potentiarum, niſi mediante alio actu particulari eiuſdem voluntatis, quo vult vel applicare intellectum ad orandum, vel linguam, & membra ad ſacrificãdum, &c. Quia actiones ſunt circa particularia, & ideo voluntas non mouet aliam potentiam, niſi per actus particulares ex parte materiæ.

14. *Cur ille actus generalis abſolute deuotio nominetur?* Denique hac ratione ille actus generalis abſolutam deuotionis appellationem ſibi vendicauit, quia cum generalis ſit, omnia quodammodo complectitur, & per illum videtur homo dicare, & deuouere Deo ſe ipſum, quia non ſolum hanc, vel illam materiam Diuini cultus appetit, ſed ſimpliciter Diuinum famulatum. *Particulares Voluntatis affectus quomodo poſſint ſub deuotione comprehendi.* Alij vero affectus particulares non ſunt deuotio in hac proprietate, ſed habent ſua propria nomina, ſeu ſpecies, ad quas pertinent, vt affectus ad orationem, ſub oratione comprehenditur, & ſic de aliis. Tamen ſecundum quandam ratiõe, vel participationem ita interdũ nominantur. Et ita loquitur Ambr. ſupra, & li. de Abraham c. 5. vbi etiam affectum hoſpitalitatis deuotionem appellat, maxime *D. Ambro.* cum ſit ex fide, & reuerentia in Deum. Ad tollẽdam vero æquiuocationem poſſent aliæ dici deuotiones particulares, quia limitatę ſunt ad certas materias vt dixi. *Quinam inter particulares affectus magis ad deuotionem accedant?* Non omittam tamen aduertere inter hos particulares affectus, aliquos eſſe, qui virtute continent, vel etiam efficiunt totum Dei famulatum, & traditionem ſui ad illum, quibus magis proprie poteſt nomen deuotionis attribui. Inter hos actus potiſſimus eſſe videtur affectus ad Religioſum ſtatum, & voluntas efficax illius, nam per illam re vera ſe totum homo deuouet Diuino famulatui. Deinde numerari poteſt affectus orationis diuturnæ, ac mentalis, præſertim conſiderando orationem, non ſolum vt eſt quidam particularis Dei cultus, ſed vt eſt fons, & origo totius deuotionis, & omnis ſtudioſi affectus in Deo colendo, ſic enim ille affectus orationis quodammodo vniuerſalis eſt, & ideo maxime ſolet deuotio nominari. Sed quidquid ſit de vſu, & applicatione huius vocis, ſemper manet formalis diſtinctio inter ipſos actus: quæ ſatis explicata eſt. Vnum hic ſupereſſe poterat dubiũ, *D. Thom.* quod attigit Diuus Thomas dicta quæſt. 82. artic. 2. ad 3. An deuotio poſſit eſſe erga Sanctos, & ſi eſt, cuius virtutis actus ſit? Sed in hoc, eodem modo loquendum eſt de deuotione, quo ſupra de oratione ad Sanctos locuti ſumus: & in vniuerſum de Dulia, & cultu Sanctorum ſupra, tractat. 1. lib. 3. capit. 5. & 1. tom. 3 part. diſput. 25.

Capvt VIII.

Quas cauſas vel effectus habeat deuotio, & in vniuerſum mentalis oratio?

1. *Duplex deuotio proponitur, altera in actu humano cõſiſtens, & altera in quadam ſuauitate.* Coniungimus cauſas cum effectibus, quia, vt ex diſcurſu conſtabit, ita ſunt coniunctæ, vt non poſſint ſeparari commode, principalius tamen de cauſis differemus. Repetenda vero in primis eſt diſtinctio deuotionis ſupra inſinuata, quod quædam conſiſtit in actu humano proprio, & deliberato, alia ſe habet per modum paſſionis, & cuiuſdam delectationis, ac ſuauitatis. Et quamuis illa prior ſit præcipua, & maxime propria deuotio, tamen ad cognoſcendam originem deuotionis, & totius mentalis orationis, conducet ab hac poſteriori deuotione incipere. Eſt ergo conſiderandum, delectationem illam ſpiritualẽ dupliciter poſſe in nobis inueniri. *Hæc ſecũda deuotio dupliciter in nobis, aut* Primo ante omnem propriã actionem deliberatam mentis noſtrę. Secũdo ex actione aliqua mẽtis deliberata, & voluntarie exercita. Prior modus notus

Digitized by Google

pie viuendi, ac ſeruiendi Deo in omnibus, quatenus hoc neceſſarium eſt ad beatitudinem obtinendam, qui affectus valde ſimilis videtur deuotioni, tamen à perfectione, & proprietate illius deficit, quia non tam eſt ad alterum, quam ad ſe.

5. *Idem eſt de affectu obedientiæ.* Rurſus ex eodem capite affectus obedientiæ, vt præciſe, ac formaliter eſt à tali virtute, deficit à ratione deuotionis, quia illa virtus non eſt proprie ad alterum, reſpiciendo ad illius bonum, vel honorē, ſed ſolum ad præcepti obligationem, vt ſupra declaratum eſt. Vnde ipſamet obedientia per Religionem Deo ipſi deuouetur, & quaſi imperatur à deuotione, atque ita ſoluitur prima ratio dubitandi, *1. Dubitat. ſoluitur.* quę concludit, generali etiam nomine, voluntatem obediendi dici etiam deuotionem, non tamen in ea proprietate, in qua nunc loquimur. Maxime quia deuotio plura amplectitur, præſcindens (vt ſic dicam) à præcepto, & ad ipſum Dei famulatum reſpiciens; & ad hunc ipſum finem amplectens etiam obſeruationem præcepti. *Ambroſ.* Ambroſius autem citato loco, vel loquitur de deuotione generali, vel certe magis videtur loqui de propoſito, ac deliberatione ſequendi Deum, & relinquendi patriam, & omnia ad colendum ipſum, qui effectus ad Religionem ſpectat, meritoque deuotio dici poteſt. Cui conſonat, quod ex Geneſi, & hiſtoriis colligitur, Abraham exiuiſſe de terra ſua, vt vitaret occaſionem idololatriæ, quæ inter cognatos ſuos, & vicinos ex tempore ſerpere, & augeri cœperat, ergo ex affectu ad veri Dei cultum egreſſus eſt. Hic autem eſt affectus deuotionis, ac Religionis.

6. De alio vero actu generalis propoſiti ſtudioſe viuendi, ſi hoc ſtudium virtutis ad cultum, & honorem Dei referatur, fatemur eſſe actum Religionis, quæ ex ſuo motiuo velle, & imperare poteſt actus aliarum virtutum. Si verò propoſitum illud eſt omnino abſolutum, vt ſic dicam, id eſt, ſi ad alteram perſonam non refertur, & ſolum ſiſtit in honeſtate in communi, ſic non niſi impropriiſsime dici poteſt deuotio, vt ex dictis conſtat. An vero ille actus, cum ſit honeſtus, pertineat ad aliquem habitum virtutis, & quis ille ſit, tetigimus ſufficienter in materia de Pœnitentia.

7. *2. Ratio dubitandi ſoluitur.* Supereſt dicendum de actu charitatis, de quo ſecunda ratio dubitandi procedebat. Diximus autem in ſuperioribus charitatem ſub proprio motiuo immediate verſari poſſe circa totam materiam Religionis, nam poteſt amare ipſam Diuinam gloriam ex pura amicitia ad Deum, & beneuolentia, ac complacentia ad ipſam perſonam. Ex quo fit, poſſe hominem ex charitate, & ex puro motiuo eius velle obſequium, & famulatum Dei, & quærere gloriam eius in omnibus: qui actus ſine dubio videtur perfectiſsima deuotio, imo eo perfectior, quam ſimilis affectus Religionis, quo & nobilius habet motiuū, & optimo, ac connaturali modo imperare poteſt ipſum affectum Religionis. Et in hoc fortaſſe ſenſu *D. Bern.* dixit Bernardus Epiſtol. 11. *Implet charitas legem ſerui, cum infundit deuotionem: porro timori adiuncta deuotio ipſum non annullat, ſed caſtificat.* Et de eodem loqui videtur idem Bern. ſerm. quodam in illud Sapient. 7. *Sapientiam non vincit malitia,* cum ait: *temporis præteriti fructus eſt compunctio, aui futuri flos eſt deuotio.* Nulla enim virtus ita proprie dicitur flos æui futuri, ſicut charitatis. Item ſi ſpectemus ſuauitatem, ſeu delectationem illam, quam ſecum afferre ſolet deuotio, ex nullo actu ita efficaciter ſequitur, ſicut ex affectu charitatis. Quapropter hic etiam poteſt conuenienter dici nomen deuotionis æquiuocum eſſe, & vtrique actui poſſe accommodari, vel certe improbabile non eſt, perfectam deuotionem vtrumque affectum requirere: & affectum Religionis tunc nomen deuotionis mereri, quando affectui charitatis iunctus eſt: ſicut actus pœnitentiæ, tunc meretur nomen contritionis, quando amore informatur, & intellectus contemplatiō, tunc meretur nomen ſapientiæ, quando ex amore habet ſaporis ſuauitatem.

Addo vero, nomen deuotionis non ſolum importare reſpectum ad alterum: ſed etiam indicare reſpectum ſubiectionis, & ſummiſsionis, maxime cum ſimpliciter dicitur, & in ordine ad Deum, & ex hac parte magis proprie accommodari hanc vocem affectui Religionis, quam charitatis. Quia Religio formaliter reſpicit excellentiam, & denominationem: charitas autem eſt amicitia, quæ non reſpicit formaliter excellentiam, vel ſubiectionem, ſed ſimpliciter bonitatem, & vnionem ratione illius. 8. *Deuotio in ordine ad Deum: reſpectum cū ſummiſsionē dicit.*

9. *Pœnitentia propius accedit ad deuotionem, quam charitas.* In hoc tamen videtur eſſe quædam maior ſimilitudo inter pœnitentiam, & Religionem, ideoque voluntas illa offerendi ſe totum Deo ad ſatisfaciendum illi pro iniuria illata propius videtur dici poſſe deuotio: vnde Hugo, vt Alenſ. dicta quæſtion. 26. memb. 1. artic. 1. refert, dixit: *Orationem eſſe deuotionem ex compunctione procedentem.* *Hugo. Alenſ.* Et Eccleſia in quadam Collecta, fer. 5 hebdomadæ 1. Quadrag. ſic orat. *Deuotionem populi tui, quæſumus Domine, benignus intende, vt, qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente.* Vbi affectum pœnitentium deuotionem appellat. Sed tamen hic affectus pœnitentiæ, & non eſt per ſe, ſed ſolum occaſione peccati, & ad ſatisfaciendum pro illo: deuotio autem per ſe reſpicit ſubiectionem ad Deum, cui homo ſe deuouet propter excellentiam eius, ideoque reſpicit famulatum Dei, non ſatisfactionem. Vnde ſi deuotio interdum attribuitur pœnitentiæ actibus, non formaliter, ſed cauſaliter intelligitur, vt Alenſ. ſupra notauit, quia ex compūctione cordis, & corporis afflictione ſolet deuotio generari, & hoc eſt, quod Eccleſia in illa Collecta orat.

10. *Circa 2 partem quæſtionis initio poſita varie loquuntur Patres.* In ſecundo puncto etiam inuenientur variæ locutiones Sanctorum, quibus fere confundunt deuotionem cum oratione mentali, in qua omnes alij actus interni Religionis comprehenduntur: cum externis enim actibus nō oportet comparationem facere, nam res ſatis nota eſt. *Hugo.* Hugo ergo in verbis proxime citatis, *deuotionem*, dicit *eſſe orationem.* Et è *D. Aug.* conuerſo Auguſtinus in libr. de Spir. & anim. cap. 50. *Oratio* (inquit) *eſt mentis deuotio.* *D. Bonau.* Bonauent. etiam tom. 2. Opuſc. in vlt. Opuſc. capit. vlt. ſub nomine deuotionis multa tractat, quæ orationi mentali, conſiderationi, & cuicunque mentis in Deum eleuationi conueniunt. *D. Ambro.* Ambroſ. etiam lib. de Cain, & Abel, deuotionem vocat omnem affectum erga cultum Dei, ſiue orandi, ſiue ſacrificandi, ſiue gratias agendi cum perpetua beneficiorum memoria, ſiue etiam cum obedientia futurorum. Et hoc ſenſu ait *quod continua eſſe debet, ac perpetua deuotio.* Verum tamen hæc, & ſimilia ſolum pertinent ad varium vſum illius vocis, & ideo res breuiter explicanda eſt, vt omnis ambiguitas vocis tollatur.

11. *Actus intellectus a deuotione ſeparantur, aliquando tamen cauſaliter nomine deuotionis afficiuntur, vel etiā quia cauſantur ex illa.* In actibus ergo mentalibus pertinentibus ad Religionem, vel mentalem orationem ſeparandi in primis ſunt actus intellectus, nam de illis conſtat à deuotione diſtingui, quia vt diximus, deuotio in voluntate eſt. Vnde ſiue loquamur de meditatione, ſeu conſideratione veritatis in intellectu exiſtē te, ſiue de petitione propria prout eſt intellectualis locutio, illa non eſt deuotio, quia per illos actus homo non ſe deuouet Deo: quando ergo aliquis ex his actibus deuotio appellatur, intelligitur, vel cauſaliter, vt ſi meditatio dicatur eſſe deuotio, quia illam cauſat, & oratio, ſeu petitio, quia illam impetrat, vel è conuerſo eſt denominatio ab effectu, vt oratio cauſatur ex deuotione: & ſic fortaſſe dixit *Auguſt.* Auguſtin. orationem eſſe mentis deuotionem, quia eſt aſcenſus ad Deum, ſeu ſubiectio ad Deum, quam cauſat deuotio, vel certe dicitur deuotio oratio, quia

Digitized by Google

Alenſ.

quia illam complet & quaſi impinguat, vt Alenſ. ſupra explicauit. Formaliter autem loquendo propria oratio, prout in intellectu eſt, & deuotio actus ſunt diſtincti, & ita Diuus Thomas de illis tractauit. At vero loquendo de oratione mentali, prout nunc de illa loquimur, includit non ſolum actum intellectus, ſed etiam voluntatis, vt ſupra dixi, & hoc modo includit in ſe deuotionem, vt partem ſui, ſeu vt vnum ex præcipuis actibus Diuini cultus, qui in illa exercentur, quod etiam ſatis per ſe notum eſt.

D. Thom.

12\. *In voluntatis actibus affectus varij diſtinguuntur.*

Vlterius vero eſt conſiderandum in actibus voluntatis qui in hoc exercitio interueniunt, quoſdam eſſe veluti particulares affectus ad particulares actus Diuini cultus, quendam vero eſſe, quem ſupra explicui, generalem affectum quo homo vult ſe totum tradere Diuino cultui. Priores ſunt plures: & vnus ex præcipuis eſt affectus ipſe orandi vel meditandi, vel contemplandi, vel in vniuerſum familiariter tractandi & colloquendi cum Deo. Hic enim actus maxime excitatur, & accenditur in oratione mentali, & licet ſub aliqua ratione poſsit eſſe elicitus à charitate, vt ſi ex ſolo motiuo amicitiæ appetatur oratio, vel quia charitatem auget, & fouet, vel quia eſt colloquium cum amico, quod ipſa amicitia ex ſe appetit: nihilominus per ſe, & ex obiecto ad Religionem ſpectat, quia ille affectus comparatur ad orationem, ſicut actus internus ad externum eiuſdem virtutis, & quia eſt affectus ad quemdam cultum Dei, quo etiam maxime foueri ſolet ipſe cultus Dei. Alius affectus Religioſus erit propoſitũ ſacrificandi, communicandi, peregrinandi, vel aliquid ſimile faciendi in Diuinum honorem, hi enim omnes actus Religionis ſunt, & in mentali oratione frequenter excitantur. Huc vero etiam ſpectant affectus ad alias virtutes, vt propoſitum ſeruandi caſtitatem, temperantiam, exercendi miſericordiam, humilitatem, & ſimiles, quę vt in Diuinam gloriam referuntur, ad Religionem ſpectant, ſaltem imperatiue, & in mentali oratione exercentur.

13\. *Inter affectus numeratos ille proprie deuotio dicitur, quo ſe aliquis Diuino cultui tradit, & generalis vocatur.*

D. Thom.

Ex his ergo affectibus ille prior, qui generalis eſt, proprie ſolet appellari deuotio, & quidem D. Tho. illum videtur intellexiſſe nomine deuotionis, quãdo illum ponit vt particularem actum Religionis: eſt enim ſine dubio ab aliis diſtinctus. Nam licet dicatur generalis, vel ratione vniuerſaliſsimæ materię, vel propter generalem cauſalitatem, quam inde participat: tamen re ipſa eſt particularis, quia eſt actio particularis noſtræ voluntatis, quæ reſpicit illã materiam communem, vt obiectum proprium, & particulare, vnde in illo differt ab aliis particularibus affectibus circa particulares cultus orandi, meditandi, &c. Quanta vero ſit hæc differentia, an ſcilicet ſit ſpecifica, & an ſufficiat diſtinguere habitualem qualitatem, ſeu principium, parum nunc refert ad materiam moralem, quam tractamus. Sed conſulenda ſunt dicta in primo tractatu, & generalia principia de diſtinctione habituum. Eſt autem ille actus quodammodo primus natura ſua in tali virtute, quia licet non ſit neceſſe vt voluntas prius illũ efficiat, quam alios particulares affectus ad hunc, vel illum cultum: tamen ille eſt ordo magis connaturalis, nam ex conſideratione Diuinæ excellentiæ, & debitę ſubiectionis ad ipſum, primus affectus, qui naſcitur, eſt velle ſubiici Deo, & cultum debitum ei perſoluere. Vnde talis actus dici poteſt maxime internus Religionis, quia & ab illa eſt immediate elicitus, & per ſe non eſt ex alio priori actu eiuſdem virtutis, cum ipſe ſit primus, ſed potius ipſe comparatur ad alios affectus particulares Diuini cultus ad modum principij vniuerſalis mouentis, vt tetigit Diuus Thomas dicta q. 82. artic. 1. ad 1. & 2. quia voluntas finis mouet ad ea, quę ſunt ad finem, intentio autem Diuini cultus, vt ſic comparatur ad voluntatem huius, vel illius cultus, tanquam voluntas finis ad voluntatem mediorum, quia licet non ſint proprie media, ſed particularia obiecta contenta ſub vniuerſali, ſeruant tamen proportionem. Vnde etiam fit, vt ille affectus vniuerſalis non prodeat in actus exteriores aliarum potentiarum, niſi mediante alio actu particulari eiuſdem voluntatis, quo vult vel applicare intellectum ad orandum, vel linguam, & membra ad ſacrificãdum, &c. Quia actiones ſunt circa particularia, & ideo voluntas non mouet aliam potentiam, niſi per actus particulares ex parte materiæ.

14\. *Cur ille actus generalis abſolute deuotio nominetur?*

Denique hac ratione ille actus generalis abſolutam deuotionis appellationem ſibi vendicauit, quia cum generalis ſit, omnia quodammodo complectitur, & per illum videtur homo dicare, & deuouere Deo ſe ipſum, quia non ſolum hanc, vel illam materiam Diuini cultus appetit, ſed ſimpliciter Diuinum famulatum. Alij vero affectus particulares non ſunt deuotio in hac proprietate, ſed habent ſua propria nomina, ſeu ſpecies, ad quas pertinent, vt affectus ad orationem, ſub oratione comprehenditur, & ſic de aliis. Tamen ſecundum quandam rationẽ, vel participationem ita interdũ nominantur. Et ita loquitur Ambr. ſupra, & li. de Abraham c. 5. vbi etiam affectum hoſpitalitatis deuotionem appellat, maxime cum ſit ex fide, & reuerentia in Deum. Ad tollẽdam vero æquiuocationem poſſent aliæ dici deuotiones particulares, quia limitatę ſunt ad certas materias vt dixi. Non omittam tamen aduertere inter hos particulares affectus, aliquos eſſe, qui virtute continent, vel etiam efficiunt totum Dei famulatum, & traditionem ſui ad illum, quibus magis proprie poteſt nomen deuotionis attribui. Inter hos actus potiſsimus eſſe videtur affectus ad Religioſum ſtatum, & voluntas efficax illius, nam per illam reuera ſe totum homo deuoueat Diuino famulatui. Deinde numerari poteſt affectus orationis diuturnæ, ac mentalis, præſertim conſiderando orationem, non ſolum vt eſt quidam particularis Dei cultus, ſed vt eſt fons, & origo totius deuotionis, & omnis ſtudioſi affectus in Deo colendo, ſic enim ille affectus orationis quodammodo vniuerſalis eſt, & ideo maxime ſolet deuotio nominari. Sed quidquid ſit de vſu, & applicatione huius vocis, ſemper manet formalis diſtinctio inter ipſos actus: quæ ſatis explicata eſt. Vnum hic ſupereſſe poterat dubiũ, quod attigit Diuus Thomas dicta quæſt. 82. artic. 2. ad 3. An deuotio poſsit eſſe erga Sanctos, & ſi eſt, cuius virtutis actus ſit? Sed in hoc, eodem modo loquendum eſt de deuotione, quo ſupra de oratione ad Sanctos locuti ſumus: & in vniuerſum de Dulia, & cultu Sanctorum ſupra, tractat. 1. libr. 3. capit. 5. & 1. tom. 3 part. diſput. 25.

Particulares voluntatis affectus quomodo poſsint ſub deuotione comprehendi.

D. Ambro.

Quinam inter particulares affectus magis ad deuotionem accedant?

D. Thom.

Capvt VIII.

Quas cauſas vel effectus habeat deuotio, & in vniuerſum mentalis oratio?

COniungimus cauſas cum effectibus, quia, vt ex diſcurſu conſtabit, ita ſunt coniunctæ, vt non poſsint ſeparari commode, principalius tamen de cauſis diſſeremus. Repetenda vero in primis eſt diſtinctio deuotionis ſupra inſinuata, quod quædam conſiſtit in actu humano proprio, & deliberato, alia ſe habet per modum paſsionis, & cuiuſdam delectationis, ac ſuauitatis. Et quamuis illa prior ſit præcipua, & maxime propria deuotio, tamen ad cognoſcendam originem deuotionis, & totius mentalis orationis, conducet ab hac poſteriori deuotione incipere. Eſt ergo conſiderandum, delectationem illam ſpiritualẽ dupliciter poſſe in nobis inueniri. Primo ante omnem propriã actionem deliberatam mentis noſtrę. Secũdo ex actione aliqua mẽtis deliberata, & voluntarie exercita. Prior modus notus

Duplex deuotio proponitur, altera in actu humano cõſiſtens, & altera in quadam ſuauitate.

Hæc ſecũda deuotio dupliciter in nobis, aut

ante actionē liberam, & cū illa, & quæ ante actionē eſt, potiſsimū initium deuotionis, quā deuotio dicitur.

notus eſt ex doctrina de Gratia, quia ſolet Deus ante omnem deliberationem noſtram, vel vſum noſtræ libertatis, præuenire nos, illuminando mentes, & tangendo corda, inſpirando bonum, vnde ſicut interdum immittit timorem, ita etiam influit ſuauem, & delectabilem affectum, ſaltem imperfectum ad Deum, vel res Diuinas: hoc enim modo mouet, & ſubleuat Spiritus ſanctus mentes ad bene operandum quæcumque ſupernaturalia opera, vt docet Auguſt. lib. 2. de Peccat. merit. cap. 17. & 19. & ſæpe alias. Quando ergo Deus infundit hanc ſuauitatem inuitando hominem ad cultum ſuum, vel ſpecialiter ad mentalem orationem, aut aliquid ſimile, non immerito poteſt ille affectus, licet nondum deliberatus, nec humanus, quatenus ſuauiter inclinat ad cultum Dei appellari deuotio, vel certe gratia deuotionis, quæ ſi ſit efficax, pertrahit hominem ad deliberatam deuotionem: ipſa tamen ſecundum ſe, ac præciſe ſumpta nondum eſt ſubſtantialis deuotio, nec oratio poteſt appellari, quia oratio etiam ſignificat actum deliberatum, ac perfecte humanum. Poteſt vero dici initium, & ſeminarium quoddam totius deuotionis, ac mentalis orationis.

2. *Cauſa deuotionis, quæ actionem liberam præcedit, eſt Spiritus ſanctus per excitantem gratiā.*

Hinc conſtat, propriam cauſam huius deuotionis eſſe Spiritum ſanctum, pertinet enim hic affectus ad gratiam excitantem, ſeu præuenientem, cuius, quatenus talis eſt, ſolus Spiritus ſanctus eſt propria cauſa: habent quidem ibi potentiæ noſtræ concurſum aliquem phyſicum, quia illa deuotio in actibus vitalibus conſiſtit, tamen ad moralem conſiderationem parum refert, nam potentiæ noſtræ ſunt veluti inſtrumenta quædam, artifex autem eſt Spiritus ſanctus. Quia ſicut initium fidei, & ſalutis non habet originem à nobis, ſed à ſolo Deo, ita & hoc deuotionis initium. Item hæc deuotio neceſſario inchoari debet per ſanctam cogitationem, quia non poteſt moueri voluntas niſi præuio intellectu, initium autem ſanctæ cogitationis, ſeu prima ſancta cogitatio non eſt à nobis, ſed à Deo, vt libr. de Prædeſt. Sanctorum, & aliis locis late contra Semipelag. oſtendit Auguſtinus. Rurſus ex illa cogitatione, neceſsitate quadam naturali, inſurgit in voluntate hæc propenſio cum ſuauitate, & deuotione, de qua tractamus, operante ipſo Spiritu ſancto in voluntate noſtra, ipſa ergo eſt vnica cauſa huius deuotionis. Hoc autem intelligendum eſt, conſiderando hanc deuotionem ſecundum id, quod formaliter eſt, vel ex neceſsitate requirit. Nam ſi aliunde ſupponat in homine alias priores gratias, & opera ſic poterit interdum ſancta vita præcedens multum conferre ad obtinendam hanc gratiam deuotionis. Nam licet Deus pro ſuo arbitrio eam neget, vel concedat, & interdū eam det ſine præcedenti merito, vel diſpoſitione, & aliquando eam tollat ſine culpa ad hominis probationem, vel humilitatem, & vt gratiam Dei recognoſcat, vt late Caſsianus Collat. 4. Nihilominus regulariter, vel frequenter datur hominibus bene vtentibus prioribus gratiis, petendo, deſiderando, diligenter Deo ſeruiendo, & proprios affectus moderando. Nam licet hæc deuotio, vt eſt initium ſuorum piorum actuum, & conſummatæ deuotionis, non ſit, nec poſsit eſſe ab homine, quia tamen non inchoat totam ſalutem, & iuſtitiam, vt ſupponimus, poteſt ſupponere priores gratias, & ſancta opera ex illis facta, & ex ea parte poteſt habere fundamentum in diſpoſitione, & merito hominis.

3. *Alterius deuotionis, quæ cum deliberatione noſtra eſt, Spiritus ſanctus etiam eſt principalis cauſa per gratiam operantem, & cooperantem. Ambroſ. Bernard.*

Venio ad deliberatam deuotionem, & ſuauitatem, quæ ex illa naſcitur, & in vniuerſum ad mentalem orationem conſiderandam. De qua tota ſupponimus eſſe opus ſupernaturale, & gratiæ: id enim ex dictis lib. 1. ſatis conſtat. Prima ergo, & principalis cauſa huius operis eſt etiam Spiritus ſanctus per gratiam ſuam operans, & cooperans. Nam vt dixit Ambroſius lib. 6. in capit. 9. Lucæ, circa finem: *Deus quos vult, ex indeuotis deuotos facit*: appellat autem deuotos eos, qui pleno affectu Chriſtum ſequi deliberant. Sic etiam dixit Bernard. ſer. 21. in Cant. quod *Diuina conſolatio deuotos facit*, vocat autem conſolationem ſpiritualem, vt opinor, illam antecedentem deuotionem, quam diximus ſolum Spiritum ſanctum infundere, quam ſtatim vocat etiam, *ſalutare gaudium infuſum*, quo Deus temperat timorem, vel aliam ſimilem affectionem noſtram. Solet enim Deus per excitantem gratiam in nobis efficere bonam voluntatem, cooperante eadem gratia: ſic igitur per illam antecedentem deuotionem pertrahit voluntatem ad deliberatam, & ſubſtantialem deuotionem, cooperante eadem voluntate ſimul cum gratia Dei. Non eſt tamen ſimpliciter neceſſarium ad hanc cauſalitatem, vt ſemper antecedat illa indeliberata delectatio, vel ſuauitas immiſſa à Deo, quia Deus habet alios modos excitandi voluntatem, præſertim per timorem, vel ſpem: ſemper tamen neceſſe eſt vt antecedat ſancta cogitatio cum aliqua inſpiratione in voluntate, quia hæc eſt initium omnis boni actus ſupernaturalis, ergo & deuotionis, & mentalis orationis. Atque ita ratione huius initij, & principalis adiutorij eſt Deus peculiari modo cauſa totius deuotionis perfectæ, & mentalis orationis. Non eſt tamen hoc initium eodem modo neceſſarium in omnibus hominibus, vt ſtatim dicam, neque etiam illud ſolum eſt ſufficiens, niſi homo cooperetur cum gratia adiuuante, quæ illi præſto eſt, & ideo totum hoc requiritur ad integram cauſam huius doni.

4. *Per quos actus intellectus, & voluntatis, & quomodo dicta deuotio generetur. Et primo de actibus intellectus.*

Quia vero in hoc negotio multi actus ſupernaturales interueniunt, non omnibus æque applicatur illa cauſa, neque in omnibus ſtatibus hominum eodem modo: & ideo vtrumque breuiter diſtinguendum, & explicandum eſt. Et in primis cum hoc totum negotium actibus intellectus, & voluntatis perficiatur, clarum eſt, quoties homo exit de potentia in actum, id eſt, ex non orante actu fit actu orans, vel ex non deuoto deuotus, initium ſumendum eſſe ab aliquo actu intellectus, vt dixit Diuus Thomas dicta quæſtione 82. articul. 3. ex illo principio, quod voluntas ſemper oritur ex intelligentia. Primus ergo actus in hoc negotio eſt aliqua cogitatio pia, & ſancta, & tali muneri, & effectui accommodata: & quoniam hæc antecedit liberam applicationem voluntatis, ideo dicimus eſſe ab extrinſeco agente, & ab excitante gratia. Eſt tamen obſeruandum, hanc cogitationem ſæpe pendere multum ex priori diligentia noſtra: quia (vt ſupponimus) nec eſt prima cogitatio totius vitæ, ſed diei, verbi gratia, vel talis temporis in ordine ad opus orandi, & ideo ſupponere poteſt diligētiam aliquam, & induſtriam ad talem excitationem habendam.

Prædicta deuotio maxime iuuatur duplici hominis induſtria, quarū altera Diuina, & alia humana poteſt dici.

Hæc autem diligentia poteſt eſſe duplex, vna ex parte Dei, quam poſſumus Diuinā appellare: aliam ex parte noſtra, quam appellare poſſumus humanam. Ad priorem pertinent præuiæ orationes ad Deum, pro ſimilibus cogitationibus obtinendis, quæ orationes, cum priores gratias ſupponant proportionatæ ſunt. Quod enim ſupra dicebamus de ſuauitate, vel deuotione antecedente, & indeliberata, idem in hac cogitatione locum habet: pendet ergo multum hæc Diuina excitatio ex bono vſu priorum gratiarum, & ex ſancta vita, vel bona hominis diſpoſitione: Vnde fit, vt licet præſens cogitatio ſit initium, & cauſa ſubſequentis orationis vel deuotionis, nihilominus oratio, & deuotio præcedens poſsit eſſe cauſa illius. Committiturque hic quidam circulus, ſed non vitioſus, quia eſt reſpectu diuerſorum, & in diuerſo genere cauſæ: nam præcedens oratio, vel operatio eſt cauſa ſubſequentis excitationis, morali modo per impetrationem, & meritum de congruo, vel bonam moralem diſpoſitionem: ipſa vero cogitatio eſt cauſa ſubſequentis orationis,

Per quæ media poſſit comparari deuotio quoad 1. diligentiam.

orationis, vel deuotionis per modum phyſicæ motionis, eo ſcilicet modo, quo intellectus mouet voluntatem. In quo eſt etiam obſeruandum, interdum eſſe valde vtile, præcedentia bona opera facere ex formali intentione obtinendi poſtea à Deo ſanctam orandi, ac meditandi cogitationem, & voluntatem. Aliquando vero etiamſi hac intentione pia opera non fiant, Deus ex ſe reſpicit ad priorem bonum vſum gratiæ, vt hoc beneficium conferat, ideoque omni modo eſt conueniens cooperari ſedulo Diuinæ gratiæ priori, ad obtinendam ſubſequentem gratiam deuotionis.

5. *Quo pacto & diligentia, & quibus mediis excitetur deuotio humana.*

Ad poſteriorem diligentiam, quam vocamus humanam, pertinent media, quibus ſpirituales viri vti ſolent ad excitandam in ſe memoriam Dei, vel deſiderium orandi, ſeu cogitationem hanc de ineunda oratione, de conuenientia eius, vel quid ſimile. Huiuſmodi media ſunt, in primis, ſi oratio habenda eſt matutino tempore, adhibere curam, vt prima cogitatio ſit de hac re, ad quod prodeſſe multum ſolet, præcedenti nocte hoc præuenire & proponere, ac recogitatione reuoluere, ità vt ſi fieri poſſit, illa ſit vltima diei præcedentis cogitatio, & prima ſequentis. Secundo, ſi alio tempore futura ſit oratio, proponere prius horam, & tempus, vt cum aduenerit ipſum horæ ſignum talem cogitationem excitet. Tertio, multum iuuat conſuetudo ſuis ſtatutis horis orandi ſine intermiſsione: nam tunc ipſe rerum curſus ſolet excitare memoriam: atq; hæc conſuetudo iuuatur maxime frequentibus orationibus, quas iaculatorias vocant. Deniq; iuuat, externa aliqua, & ſenſibilia obiecta ſibimet deſignare, tãquam ſigna excitantia Dei memoriam, nam ipſa Dei memoria *plena deuotio eſt*, vt Ambroſ. dixit in id Pſalm. 118. *Memor fui nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam.* Quia ex hac memoria naſcitur recogitatio, ex recogitatione deſiderium, &c. Hæc ergo induſtria licet humana dicatur, quia conſiſtit in cura, & ſolicitudine hominis, non eſt parui æſtimanda, etiamſi hoc negotium maxime ſupernaturale ſit, quia etiam illa induſtria ex fide & gratia procedit & pertinet ad cooperationem quã ex parte hominis Deus vult, totaq; comprehenditur ſub conſilio ſapientis. *Ante orationem præpara animam tuam*: Eccleſ. 18. — *D. Ambr.* — *Eccleſ. 18.*

6. *Actus voluntatis per quos deuotio generatur.* — *Pſal. 76.*

Poſita ergo hac præuia cogitatione, ſtatim ſubſequitur in voluntate aliquis motus, qui in principio ſolet eſſe indeliberatus per modum deſiderij, vel gaudij, ad quod pertinet illa indeliberata deuotio, de qua in principio locuti ſumus. De qua poteſt non male intelligi illud Pſalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* Sed de hac motione iam ſatis dictum eſt. Oportet ergo vlterius procedere, & habere voluntatem deliberatam, & efficacem circa Deum, vel eius cultum vel orationem ipſam, quia ſine tali voluntate non poteſt homo in hoc negotio vltra progredi, cum humanum, & voluntarium eſſe debeat. Et quidem ſi prima illa de Deo cogitatio ſit tam clara, aut tam vehemens, & cum pleno iudicio vt voluntatem plena libertate rapiat in Deum, iam plena deuotio eſt, vt dixit Ambroſius. Contingere autem id poteſt, vel ex abundantia gratiæ actualis, vel ex optima diſpoſitione ſupernaturali antecedente per magnum lumen ſpirituale, & frequentem vſum feruenter amandi Deum. Regulariter vero non ita fit, ſed per illam voluntatem deliberatam iterum applicatur intellectus ad meditandum de rebus Diuinis, quia (vt ſupra dixi, & docet Diuus Thomas dicto articulo tertio) hæc ſancta meditatio eſt fons totius boni deſiderij, & accendit charitatem, & alios bonos affectus in Deum, & ideo qui vult mente orare, vel deuotioné in Deum concipere, neceſſe eſt, vt à meditatione incipiat ſub meditatione comprehendendo quamcunq; conſiderationem perſonæ oranti proportionatam. — *D. Ambro.* — *D. Thom.*

7. Siquis autem ſuperius dicta conſideret, intelliget, hanc ipſam voluntatem meditandi, conſiderandi, vel orandi iam eſſe quendam particularis deuotionis deliberatæ actum, cuius cauſa ſufficiens eſt illa præuia cogitatio nondum deliberata; vnde quatenus mentalis oratio ab ipſa meditatione incipit, vt ſupra dicebamus, eatenus dici poteſt deuotio cauſa, & origo mentalis orationis, quia ipſa mentalis oratio ex voluntate iam aliquo modo deuota naſcitur. Sicque dixit Gregor. libr. 4. in 1. Reg. capit. 4. *Cum fideles appetunt audire verbum Dei, iam magnam deuotionem habent*: nam illa voluntas ſimilis eſt voluntati meditandi, & conſiderandi. At vero hæc imperfecta deuotio eſt, neque de illa eſt ſermo, cum de deuotione ſimpliciter agimus, eiuſque cauſam inquirimus: Et ideo addidit idem Gregorius *Quam* (deuotionem, ſcilicet) *poſt auditam prædicationem multo maiorem habent*, videlicet fideles. Sic ergo in præſenti intellectus ad meditationem per voluntatem applicatus, vlterius excitat in voluntate perfectiorem deuotionem tam accidentalem, quam ſubſtantialem, quæ illud nomen ſimpliciter meretur. Nam primo quidem excitat illam deuotionem, quæ conſiſtit in actibus deliberatis, vel placendi Deo, vel colendi illum, vel aliis ſimilibus, ſiue vniuerſalibus, ſiue particularibus, ſiue ex motiuo charitatis, ſiue Religionis, ſiue aliarum virtutum iuxta materiæ ad meditandum propoſitæ qualitatem, & diſpoſitionem orantis, & Spiritus ſancti motionem, in hoc enim non poteſt certa aliqua præſcribi regula. Denique vero ex his affectibus naſcitur delectatio illa, & ſuauitas, quæ in mentali oratione ſentitur, eiuſque pinguedo eſſe dicitur: Eamque videtur Diuus Thomas intellexiſſe in dicta quæſtione 83. nomine ſpiritualis lætitiæ, quam dicit eſſe effectum deuotionis, quia ſequitur ex ſubſtantiali deuotione. De priori deuotione recte intelligitur illud Pſalm. 118. *Memor fui nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam.* Nam in hac cuſtodia plena deuotio conſiſtit, hæc autem cuſtodia in propoſito, & voluntate, ex memoria Diuini nominis, & ex recogitatione maieſtatis eius, & reuerentiæ, & amoris illi debiti generatur. De altera vero deuotione optime intelligitur illud Pſalm. eiuſdem: *Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo, Domine, & conſolatus ſum*, Vbi Ambroſ. *Hæc qui nouit retexere, habet, vnde gratiam ſuæ conſolationis acquirat, è contra qui non nouit, non habet, vnde conſoletur.* Vnde ex priori deuotione hæc poſterior quaſi connaturaliter naſcitur, quia ex nobiliſsimis actibus mentis ſequitur delectatio, & ex veritatis contemplatione ſuauitas, & ex amore gaudium.

Voluntas meditandi quidam deuotionis deliberatæ actus eſt, & eius cauſa eſt præuia indeliberata cogitatio. — *D. Greg.* — *D. Thom.* — *Pſal. 118.* — *D. Ambroſ.*

8. *Deuotio accidentalis eſt quaſi paſſio deuotionis ſubſtantialis, & ob id ſic appellatur.* — *Bonauent.*

Vnde conſtat, hanc deuotionem, ſeu guſtum, & delectationem hoc modo habitã eſſe quaſi paſsionem conſequentem ad ſubſtantialem deuotionem, & ideo illam merito accidentalem vocamus. De qua recte intelligi poteſt, quod Bonauentura dixit tom. ſecundo opuſc. de Proceſ. Religion. libro 7. capit. 16. *Non eſſe veram deuotionem, quæ de radice amoris non pullulat.* Proxima ergo ratio deuotionis eſt ipſe affectus deliberatæ deuotionis: Proxima vero cauſa efficiens eſt ipſa voluntas cum Diuina gratia cooperans. Cauſa vero prima, ac radicalis, & principalis, etiam proxima, eſt Deus, vt gratiæ auctor: cauſa vero excitans per modum applicationis, ſeu conditionis neceſſariæ eſt meditatio, vel cõtemplatio: Cauſa item obiectiua, & metaphorice mouens & attrahens, eſt materia ipſa, quæ interius conſideratur per meditationem. Quæ materia latiſsime patet, vt ſupra dixi: ad excitandam vero deuotionem, vt Diuus Thom. dixit, primario iuuant ea, quæ ad Dei cõſiderationem pertinent, vt memoria beneficiorum eius, certitudo prouidentiæ, & ſpecialis protectionis eius circa cultores ſuos, & æſtimatio bonitatis eius, vt dixit Ambroſius libro primo, de Abraham, capit. ſecundo, & libro de Cain, & — *D. Thom.* — *D. Ambr.*

Abel;

Digitized by Google

Abel, capit. 8. ſecundario vero iuuat conſideratio propriæ humilitatis, & debitæ ſubiectionis ad Deū, vt docte, & Religioſe adnotauit Caietanus dicto articulo tertio, eſtque optima ſententia Bernardi in libro ſententiarum, circà medium dicentis. *Quatuor eſſe dicuntur, quæ gratiam noſtræ deuotionis adaugent, memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud ſe, recordatio pœnarum, quæ illum ſolicitet ad bene agendum, conſideratio peregrinationis, quæ illum hortetur, viſibilia debere contemni, deſiderium vitæ perennis, quæ hominem incitans ad profectum, coget eum à terrenis affectibus voluntatis mutatione ſuſpendi.* Adde, interdum ſolere dari hanc ſpiritualem voluptatem ex ſpeciali gratia, altiori, & perfectiori modo, quam poſſet ex noſtra operatione reſultare, quia gratia Dei efficacior eſt. Quod licet interdum fieri poſſit ex pura gratia, ſæpe fit pro merito, vel diſpoſitione ipſius hominis cooperantis cum aliis gratiis prius receptis, iuxta illud Ambroſij libro 10. in capit. 21. Lucæ *Pro deuotione credentiū vnicuique ſpirituale lumen infunditur.* Et videri poteſt Bernardus ſermon. 3. de Circumciſ. circa finem, Caſsian. Collat. 4. cap. 6. Bonauentura tomo ſecundo, tract. octo Collat. in 6.

Caiet. *D. Bern.* *D. Ambr.* *D. Bern.* *Caſſian.* *D. Bonau.*

9. *Subſtantialis deuotio, & oratio ſe mutuo cauſant, diuerſimode tamen tripliciterque inter ſe comparantur.*

Denique ex deuotione ſubſtantiali, & deliberata naſcitur propria oratio, & petitio, & accidentalis deuotio iuuat, vt feruentior, & diuturnior ſit oratio. Atque ita conſtat, quam vere dictum ſit, quod deuotio perficit orationem, & eſt pinguedo illius, & alia, quæ optime in deuotionem conueniunt, quatenus & eſt proxima cauſa orationis, & optima diſpoſitio ad illam. Hic vero locum etiam habet circulus, quem ſupra dicebam, quia etiam oratio poteſt impetrare deuotionem, quia in diuerſis generibus cauſarum, & reſpectu diuerſorum hoc non eſt inconueniens. Dum ergo quis vel ex lectione, ſermone, vel ſcientia, aut experientia de ipſa deuotione magnam æſtimationem concipit, & ad eam aliquo modo afficitur, illam ſubinde à Deo poſtulat, quam etiam impetrabit, ſi conuenienter oret, eique expediat. Ita ergo poteſt oratio eſſe deuotionis cauſa. Imo & oratio poteſt eſſe orationis cauſa, per præſentem impetrando futuram, vel per imperfectam perfectam: quibus etiam modis vna deuotio poteſt eſſe alterius deuotionis origo. Atque ita ſatis conſtat quanta ſit connexio inter hos actus, & quomodo deuotio ad orationem mentalem comparetur, videlicet, vno modo vt pars eius, loquendo de oratione mentali late, vt varios actus mentis noſtræ, & potentiarum eius complectitur, ex eiſque vt ex partibus conſurgit: alio modo vt proprietas eius, qua ipſa oratio iuuatur, & facilior redditur, ſicut in vniuerſum operatio iuuatur delectatione ad illam conſequente. Rurſus comparantur oratio, & deuotio proprie ſumptæ, quatenus ſpeciales actus ſunt, tanquam cauſa, & effectus mutuo, & ad inuicem ſecundum diuerſas rationes, vt ſatis explicatum eſt.

10. *Quæ de affectibus, & actibus hactenus explicata dicta ſūt ad alia extra præſentem materiam applicari poſſunt.*

Nonnulla vero circa ea quæ diximus aduertenda ſuperſunt: vnum eſt, multa ex his, quæ dicta ſunt, applicari poſſe ad omnem rectam affectionem, & operationem: nam omnis pia affectio ex ſancta cogitatione procedit, ſemperque neceſſaria eſt aliqua conſideratio ad bene appetendum, vel operādum: & ſimiliter delectatio aliqua honeſta ad omnem virtutis operationem conſequitur: Tamen quia ſingulari quadam ratione hæc inueniuntur in actibus internis, & in diuturna, & quaſi ſtabili, ac permanenti conſideratione, ponderatione, & affectione rerum Diuinarum: ideo in hoc exercitio principaliter conſideratur vis, ac pondus conſiderationis, ſeu meditationis, & affectionis, ac ſuauitatis: quæ ex illa proueniunt. Vnde etiam intelligitur, hos actus, quos explicuimus, non eſſe limitatos ad proprios, & ſpecificos actus virtutis Religionis, ſed poſſe etiam per alias virtutes exerceri, ſi meditatio, & conſideratio ad earum materias, & honeſtates applicetur. Maxime vero, ac perfectiſsime poſſe fieri per actus charitatis, quia, vt ſupra dixi, ex charitate naſcitur perfecta deuotio, quę non eſt ſine magna ſuauitate, vt dixit Bernard. libro de Amore Dei, cap. 1. Tamen eo modo, quo deuotio ſpecialiter attribuitur Religioni, cum proportione affert ſecum delectationem, & lætitiam de Diuino honore, & cultu: naſciturque ex conſideratione his affectibus accommodata.

D. Bern.

11. *Triplex caput, unde lætitia deuotionis oritur, & an primum, & ſecundum propriè nomine deuotionis appellentur.*

Deinde obſeruandum eſt, lætitiam hanc, ſeu delectationem deuotionis, interdum eſſe poſſe de ſola cogitatione, interdum de bonis ipſius rei cogitatæ, vt illius ſunt, interdum vero ex efficaci affectu, & deliberatione operandi concepta ex tali cogitatione. Prima delectatio non eſt proprie deuotio, de qua tractamus. Quia vera deuotio debet eſſe affectiua, & operatiua virtutis: illa vero delectatio eſt quaſi ſpeculatiua, quia oritur ex ſola intelligentia alicuius veritatis ad quam comparatur, vt proprietas conſequens illam, & in ea ſiſtit, ideoque minus fructuoſa eſt: Inueniturque ſuo modo in ſcientia quacunque, vel in arte, quatenus per eam veritas aliqua inuenitur, aut conſideratur. Secunda delectatio, quatenus eſt circa Deum, ad ſpiritualem deuotionem ſpectat, quia ex affectu ad Deum naſcitur: nam dum quis conſiderat Dei perfectionem, & bona, quibus Deus fruitur, gaudet de ipſis bonis Dei in ſe, id eſt, eo quod videt in Deo eſſe, vbi, *videre*, eſt tantum conditio requiſita, quod autem Deus talia bona poſsideat, propria ratio eſt huius delectationis. Hic ergo optimus affectus eſt, & magis ad charitatem, quam ad Religionem ſpectat. At vero ſi conſideratio extendatur ad Diuina opera, & beneficia in nos collata, eſſe poterit delectatio de noſtro commodo, & amore potius quam Dei: non tamen propterea eſt inordinata affectio, imo eſſe poterit vtilis ad augendam ſpem, & excitandam illam virtutem, & ſub ea ratione deuotionis, quandam rationem participat.

12. *Tertium caput lætitiæ deuotionis propria deuotio eſt.*

Tertia ergo lætitia, quę ex affectu operatiuo proxime naſcitur, eſt propria magiſque Religioſa deuotio. Quia deuotio à deuouendo dicta, requirit actum, quo ſe homo totum tradit in obſequium Dei, & hunc vocamus affectum efficacem, & operatiuum, qui habet ſuam lætitiam adiunctam, quam deuotionem per modum paſsionis hic nominamus: vnde ſicut duplex ſolet diſtingui Dei amor, ſcilicet affectiuus tantum ſeu obiectiuus, & obedientialis, ita ex priori ſequitur illa lætitia de bonis Dei in ſe: ex poſteriori vero ſequitur ſubſtantialis deuotio cū ſuamet propria lætitia, vnde licet prior affectus fortaſſe in ſe perfectior ſit, hic eſt ſecurior, & vtilior, ille enim magis ad ſtatum patriæ pertinet, hic in via maxime neceſſarius eſt. Nam cum priori, ſi hic poſterior deſit, deceptiones, & illuſiones Dæmonum miſceri poſſunt. Inde enim prouenit, vt multi, qui ſuauitatem, & deuotionem in oratione ſentiunt, in moribus non reformentur, quia in illa obiectiua ſuauitate ſiſtunt, & de operatiua ſoliciti non ſunt.

13. *Obiicitur.*

Dices: Quomodo poteſt ſequi delectatio ex affectu, vel deſiderio Diuini famulatus? Nam delectatio ſequitur ex præſentia boni amati: ibi autem nondum eſt bonum illud famulatus Dei, quod deſideratur. Reſpondeo in primis licet perfecta delectatio ſit in conſecutione rei amatę tamen ipſummet amorem boni nondum obtenti interim delectare: tum quia eſt aliqua vnio ad ipſum bonum: tum quia etiam ipſe amor eſt quoddam bonum, quod iam habetur, & ideo delectat. Sic ergo ipſummet propoſitum deliberatum, quo anima dicat ſe cultui Dei, delectat illam, quia hoc ipſum æſtimat magnum bonum ſuum: maxime ſi iam amat, & ex amore

Reſpōdetur.

Digitized by Google

amore ſe ſubiicit Deo. Et præterea, quia nunquam habet talem affectum ſine ſpe exequendi illum, ipſamet ſpe gaudere incipit. Apprehendit enim anima cultum illum, ac ſi actu exhiberetur, imo ipſo affectu incipit exhibere illum, & ideo iam delectat. *D. Thom.* Addo deinde cum Diuo Thoma articulo quarto, ex hoc capite, & ex aliis naſci, vt hæc deuotio non ſit pura lætitia, ſed etiam habeat aliquam triſtitiam adiunctam. Nam ſicut ſpes beatitudinis delectat, abſentia vero, & dilatio contriſtat, ita affectus deuotionis ad Deum delectat, contriſtat autem, vel timor deficiendi in illo, vel infirmitas propria ad colendum Deum, ſicut ei debetur. Tamen hæc ſunt quaſi ex accidenti, per ſe autem eſt, vt bonus ille affectus delectet.

14. *Deuotionis effectus.*

Atque hinc tandem obiter explicatum eſt, qui ſint deuotionis, vel mentalis orationis effectus: nam & ſunt inuicem ſibi cauſæ, & ita ſunt etiam inuicem effectus, & omnes effectus, & vtilitates, quæ attribuuntur orationi mentali, & capite primo, huius libri tactæ ſunt, poſſunt deuotioni tribui, quatenus & ipſam orationem nutrit, & per ſe ad omnes conferre poteſt, quatenus affectus quidam vniuerſalis eſt imperans cæteris. *D. Bonau.* Hinc Sanctus Bonauent. in dicto Opuſc. vltim. capit. vltim. tomo ſecundo, deuotioni accommodat omnia, quæ de oratione mentali, & fructibus eius dici ſolent, & in capit. tertio eiuſdem tractat. qui eſt de Sex alis Seraphim deuotionem eſſe definit, *fulcimentum Religionis, & pinguedinem omnis exercitij virtutis*, Et Ambroſ. libro 5. de Abraham capit. 5. generaliter dixit, *Habet vberes fructus celerata deuotio.* Nã deuotio illa generalis, maxime ſi habeat adiunctam ſpiritualem lætitiam, promptum, & facilem hominem reddit ad totum Dei famulatum: vnde Pſalmo 118. Dauid aiebat, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*, Denique omnes modi fructificandi ſpiritualiter, in ſuperiori libro circa orationem explicati per modum meriti, impetrationis, & ſatisfactionis, vel etiam congruæ diſpoſitionis, in totam orationem mentalem, & omnes actus ſuos, & præſertim ratione deuotionis, & petitionis conueniunt: habent enim eandem rationem, vt per ſe ſatis conſtat. *Obiectio. D. Thom. Solutio.* Dices, Cur ergo Diuus Thomas dicta quæſtione 82. articulo quarto, ſolam ſpiritualem lætitiam poſuit vt effectum deuotionis? Reſpondeo, Quia ſolum egit de effectu, qui per modum paſſionis, & proprietatis ex affectu deuotionis reſultat: alij enim modi effectuum, ſeu cauſalitatum communes ſunt, & non habent in hoc actu peculiarem rationem.

Capvt IX.

Quid contemplatio ſit, & quomodo ad mentalem orationem comparetur?

1. *D. Bern.*

INter actus, ſeu partes orationis mentalis poſuit Bernardus (vt ſupra vidimus) contemplationem, eſtque quaſi terminus, ad quem in hac vita poteſt mens humana aſcendere, ac peruenire, & ideo ad huius loci, & doctrinæ complementum ſpectat huius actus conſideratio. Neq; eſt nunc in animo tractare de vita actiua, & contemplatiua, earumq; diſtinctione, *D. Thom.* quod præſtitit Diuus Thomas 2. 2. à quæſtion. 179. vſque ad quæſtionem 182. quia de hac re commodius dicemus infra tractando de ſtatu Religioſo: nam illa diſtinctio principaliter in hunc ſtatum ſpectat. Vita enim contemplatiua non dicit tãtum contemplationem ipſam, ſed ſtatum vitæ, qui ad contemplationem præcipue ordinatur: hic autem ſolum de ipſa cõtemplatione, quæ eſt quaſi terminus, & finis eius vitæ, quæ ad illum ordinatur, differimus. Vnde ſupponimus contemplationem eſſe aliquam operationem mentis, ad cuius vſum poteſt aliqua vita, ſeu ſtatus inſtitui, qui plura alia requirit, vt poſtea videbimus. Quod autem cõtemplatio operatio mentis ſit, ex vocis ſignificatione, & ex communi omnium conſenſu ſupponi debet, cõſtabitq; apertiſsime ex dicendis.

2. *Ad quã potentiã pertineat cõtemplatio?*

Poteſt autem in primis de contemplatione quæri, an ſit operatio intellectus, vel voluntatis, vel vtriuſque potentiæ? Nam Patres variis modis illam definiunt, vel de illa loquuntur: *D. Auguſt.* Auguſtinus libro de Spirit. & anim. capit. 32. *Contemplatio* (inquit) *eſt perſpicua veritatis iucunda admiratio*, vbi ſubſtantiam contemplationis videtur ponere in admiratione, quæ tamen habeat adiunctam iucunditatem ex veritatis intuitione, quam ſupponit: *D. Bern.* ſimiliter Bernardus libro quinto, de Conſid. in fin. ait, primam, & maximam contemplationem eſſe admirationem maieſtatis. *D. Dam.* At iuxta Damaſcen. libro ſecundo, de Fide capit. 15. admiratio voluntatis actus eſſe cenſetur, & ad timorem quendam pertinere. *D. Bern.* Alter Bernardus libro de Scala Clauſtr. *Contemplatio* (inquit) *eſt mentis in Deum ſuſpenſæ eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia deguſtans.* Quæ verba ambigua videbantur, quia ad vtramque potentiam accommodari poterant, ea vero ſtatim exponere videtur dicens: *Contemplatio eſt ipſa dulcedo, quæ iucundat, & reficit.* Eſt ergo contemplatio delectatio de Deo, quæ in voluntate eſt, & plane idem eſſe videtur, quod deuotio. *D. Greg.* Gregorius autem Homil. 14. in Ezech. & 6. Moral. capit. 18. ſummam contemplationem ponit in affectu charitatis, *D. Bonau.* in quam ſententiam inclinant Bonauent. & alij infra referendi, capit. 11. & 13. *D. Thom.* At vero Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 180. articulo primo, & tertio diſtincte enumerans omnes actus intellectus, & voluntatis, qui ad contemplationem concurrere poſſunt, ſubſtantiam, & eſſentiam contemplationis ponit in vno actu intellectus, qui eſt veritatis Diuinæ intuitio, ſeu inſpectio intellectualis, reliquos vero actus ait, vel antecedere, vel ſubſequi actum contemplationis, illique aliquo modo deſeruire. *D. Bern.* Cum qua Diui Thomæ ſententia conſonat definitio Bernardi libro ſecundo, de Conſi. capit. ſecundo. *Contemplatio eſt verus, certuſque intuitus animi de quacunque re, ſiue apprehenſio veri non dubia.* *Dionyſ. Carth.* Et hanc opinionem ſequitur Dionyſ. Carthuſ. in librum de Myſtica Theolog. Dionyſij, & eſt communiter recepta, videtur tamen eſſe poſſe quæſtio de nomine, & ideo res ipſa prius explicanda eſt, ſuppoſita propria ſignificatione vocis.

3. *Varia contemplationis ſignificationes iuxta latinitatem, & Theologiã, & ad quam potentiam ſpectet iuxta 1. modũ.*

Poſſumus ergo de Contemplatione loqui, vel late ſecundum totam latitudinem ſignificationis, quam habet latinum verbum *Contemplor*, vel ſtricte ſecundum Theologicum vſum, & præſertim prout eſt opus gratiæ, & ad ſalutem animæ ordinatur. Priori modo dubitari non poteſt, quin contemplatio ſit opus intellectus, nam contemplari idem eſt, quod mente conſiderare, vnde in rigore comprehendit non ſolum intuitionem, & quaſi viſionem veritatis, ſed etiam inquiſitionem, meditationem, ac deniq; quamcunque conſiderationem, quæ ad veritatis cognitionẽ tendat, & in ea ſiſtat. Sic enim diſtinguere ſolent Philoſophi contemplationem à praxi, & pro eodem fere accipiunt contemplationem, quo ſpeculationem. *Philoſop.* Atque hoc modo dixit Philoſoph. ſecundo Met. text. 3. finem contemplationis eſſe veritatem, vtique intellectam, ſeu cognitionem veritatis. *Cicero.* Sic etiam dixit Cicer. libro primo, Academ. quæſtion. *Contemplationem, conſiderationemque naturæ eſſe naturale quoddam animorum pabulum*, & libro quarto, de Finib. ait, *Contemplationem eſſe meditationem, & conſiderationem rerum occultiorum.* Quia vero in veritatis ſpeculatione inquiſitio, aut meditatio eſt quaſi via, cognitio autem, & intuitio veritatis inuentæ eſt quaſi finis, & terminus, ideo contemplatio quaſi per antonomaſiam ſi-

Digitized by Google

ſiam ſignificare videtur ipſam intuitionem veritatis,& attentam illius conſiderationem,non per modum inquiſitionis, ſed tanquam aſpectum veritatis iam inuentæ.

4 *Contemplatione apud Theologos ſtrictius ſumi, ad quod expenduntur voces ad intellectum ſpectantium ſignificata. D. Thom. D. Bern.*

At vero contemplatio Theologica magis reſtrictam ſignificationem habet: Nam in primis differt ab illa generalitate conſiderationis, quia non ſignificat inquiſitionem, aut meditationem, ſed terminum inquiſitionis, qui eſt veritatis qualitas, & inuentæ intuitio quod ſatis conſtat ex communi vſu, & ex doctrina D. Thom. & Bernardi proxime citata,& declarabitur amplius ex diſtinctione vocum ad intellectum pertinentium. Nam D. Thom. ſupra plures voces enumerat ad intellectum ſpectantes *Cogitatio, conſideratio, meditatio, ſpeculatio, auditio, lectio, loquutio, viſio*, ſeu *contemplatio*. Et omnium ſignificata diſtinguit, vt tandem concludat, contemplationem ex parte intellectus proprie conſiſtere in illo mentis intuitu. *Cogitatio* ergo in vna ſignificatione, & (vt ego opinor) magis propria, generaliter ſignificat quamcunque cognitionem, vel actualem intellectus applicationem ad cognoſcendum, vt notauit etiam Auguſtin. 14. de Trinit. cap. 7. ſpecialiter vero Richard. de Sanct. Victor. libr. de Contemplat. cap. 3. & 4. *Cogitationem*, dicit, *eſſe animi reſpectum ad euagationem pronum*. Quod exponens D. Thom. ait, ad cogitationem pertinere multorum inſpectionem, vt tandem vna veritas colligatur. Vnde in negotio contemplationis,ſeu mentalis orationis videtur iuxta intentionem Richardi, cogitatio pertinere ad initium iſtius mentalis exercitij ex parte intellectus, ita vt cogitatio ſit quaſi prima apprehenſio: repræſentatio, aut applicatio intellectus ad materiam, de qua vult aliquis meditari, aut contemplari, quia tunc incipit de tali re cogitare. Et tunc etiam mentis reſpectus ad euagationem pronus quaſi limitatur ad talem materiam, vt ſupra tactum eſt, quia illa euagatio multum impediret mentis orationem, ſeu meditationem. Vnde quamdiu intellectus immoratur in concipienda, vel interius formanda re, de qua conſiderare vult, vel anceps eſt an de hac, vel illa meditari debeat: ſolum cogitare (iuxta hanc loquendi modum) & nondum meditari dicitur. Atque ita huic cogitationi correſpondet *Lectio*, quam ſupra explicuimus ex Bernardo: lectio enim in tantum deſeruit, in quantum hanc cogitationem excitat, idemque eſt de ſermone vocali, & quocunque alio ſigno exteriori, quod mentem ad hanc cogitationem poſſit excitare.

Quid proprie cogitatio ſignificet. D. Auguſt. Richar. de S. Vict. D. Thom.

5 *Quid ſignificet conſideratio. Ariſt. D. Thom. D. Bern.*

Conſideratio ſimilem fere diſtinctionem habet: nam in rigore generalis vox eſt, quamcunque intellectus operationem ſignificans, vt ex Ariſt. tertio, de Anima notat Diuus Th. mas ſupra. Speciali vero ſignificatione definit illam Bernardus libro ſecundo, de Conſiderat. capite ſecundo, dicens: *Conſideratio eſt intenſa ad inueſtigandum cogitatio, vel intentio animi veſtigantis verum*. Quomodo conſideratio idem eſt, quod meditatio, vt Diuus Thomas aduertit, & ideo conſideratio non eſt nouus actus à cæteris diſtinctus. De meditatione vero iam dictum eſt. De *ſpeculatione* Diuus Thomas ait in præſenti idem ſignificare, quod meditationem, *quia non eſt* (inquit) *dicta à ſpecula, ſed à ſpeculo*. Speculari ergo Deum, eſt ex creaturis ipſum inueſtigare, nam effectus ſunt quaſi ſpeculum, in quo cauſa cernitur, & ideo dixit Paulus ſecundæ Corinthiorum tertio. In hac vita nos gloriam Domini ſpeculari. Poſſet autem facile ſpeculatio dici ipſa qualiſcunque intuitio cauſæ, quatenus ad eam inquiſitio iam peruenerit, licet per effectus comparata fuerit, & ita idem erit ſpeculatio quod contemplatio ex effectibus. Igitur ex hac etiam voce numerus intellectualium actuum non creſcit. De lectione item, & auditione nihil dicere neceſſe eſt, nam vt pertinent ad ſenſus corporis, pertinent ad ſolam obiecti, vel materiæ applicationem, non ad ipſos mentis actus, de quibus nunc agimus: ſi autem conſiderentur quantum ad id, quod in intellectu generant, nihil aliud, quam cogitationem, vel conſiderationem proxime efficiunt. Loquutio item mentalis, quæ in præſenti negotio interuenire poteſt, ſolum eſt oratio, ſeu propria petitio de qua etiam iam diximus, & conſtat eſſe à contemplatione diſtinctam, quia petitio non eſt cognitio, contemplatio autem cognitio eſt, vnde dicitur Sapient. ſeptimo. *Inuocaui*, (quod ad orationem ſpectat) *& venit in me Spiritus ſapientiæ*, quod pertinet ad contemplationem, quia oratio intelligentiam impetrat.

Quid ſignificet ſpeculatio. D. Thom. D. Paul. 2. Cor. 3. Lectio, & auditio. Locutio mentalis. Sapient. 7.

6 *Viſione ſpecialiter contemplationē dici poſſe, & Theologicā, hanc contēplationem biſariam differre à Philoſophica.*

Solum ergo relinquitur viſio, quæ ſpeciali modo contemplatio dici poſſit, & ita differt a lectione, ſeu cogitatione, & à meditatione, & oratione, eſtque vltimus actus intellectus, qui in hoc mentali exercitio interuenire poteſt. Oportet vero addere, hanc contemplationem Theologicam, ſeu Religioſam in duobus differre a Philoſophica, ſeu communi contemplatione. Primo quod contemplatio late ſumpta, ſeu Philoſophica in quacunque materia, & veritate poteſt verſari: & ita Philoſophia vocatur contemplatiua ſcientia, & aliæ ſimiles: Theologica vero contemplatio ſolum circa Deum per ſe primo verſatur, & ſecundario circa res Diuinas, vel opera, aut beneficia Dei, vel effectus, quatenus ad ipſius cognitionem conferunt. Ita docuit D. Thom. dicta quæſtione 180. articulo 4. quia contemplatio hæc Theologica eſt finis humanæ vitæ vnde in patria, vbi erit perfecta beatitudo, illa conſiſtet in perfectiſsima contemplatione Dei, per claram nimirum, & apertam viſionem. Hic autem non poteſt ad illam contemplationem deueniri, neque hæc contemplatio viſio appellatur eo ſenſu, vt ſit clara intuitio rei contemplatæ, vt in ſe eſt. ſed ſolum, vt ſignificetur eſſe veluti ſimplex veritatis intelligentia pro huius vitæ capacitate, ſic ergo circa Deum verſari neceſſe eſt contemplationem, in qua finis, & beatitudo huius vitæ ponenda eſt. Quia vero in hac vita Deum immediate, & in ſe contemplari non poſſumus, ideo etiam contemplari opera eius, vt ad ipſum nos ducunt, ſecundario ad contemplationem pertinet. *D. Thom.*

7 *Contemplatio triplex circa res creatas, & qua illarum proprie ſic appelletur.*

Hic vero obiter aduerto tripliciter poſſe nos in hac vita res creatas contemplari, ſeu earum cognitionem, & ſcientiam quærere vno modo in tali cognitione ſiſtendo tam ex parte intellectus, qui nihil aliud cogitat, quam veritatem creatam: quam ex parte voluntatis, quę non refert illam cognitionem in Deum: & hæc ſpeculatio nullo modo meretur nomen contemplationis, de qua nunc tractamus. Secundo modo poſſumus has ſcientias ſpeculari, ſiue meditando, ſiue veritatem ipſam in ſe conſiderando, per intellectum nihil vltra agendo, id eſt, per talem conſiderationem nihil pro tunc de Deo cogitando, ſed tantum per voluntatem referendo illud ſtudium in gloriam Dei, vel vt poſtea maiorem de illo cognitionem conſequamur, vel vt illa ſcientia in eius obſequium poſtea vtamur: & hæc ſpeculatio in parte contemplationis ab aliquibus ponitur ex doctrina Diui Thomæ 2. 2. quæſtio. 179. articulo ſecundo, ad tertium. Dico tamen, aliud eſſe loqui de vita contemplatiua, aliud de contemplatione ipſa, quam nunc vt partem orationis mentalis conſideramus, & illud ſtudium recte dici pertinere ad vitam contemplatiuam, vt infra latius dicam, tractando de Religioſo ſtatu: ad contemplationem vero propriam non pertinere, vt per ſe conſtat. Tertio ergo modo contemplari quis poteſt opera Dei cum habitudine ad Deum ad quem intellectus aſcendit, vel aſcendere conatur ex illis effectibus & hoc modo conſideratio illa eſt vera contemplatio, licet non ſit tam perfecta, ſicut contemplatio Dei in ſe. *D. Thom.*

8 Secundo differet hæc contemplatio Chriſtiana à communi,

Aliud contemplat. Theologica à Philoſophica diſcrimen. D Thom. D Dion. D. Bonau. Gerſon.

communi & Philoſophica quod non eſt mere ſpeculatiua, ſed debet eſſe practica: tum ex veritate cõtemplata: tum ex intentione operantis. Quod ſumo ex D. Th. 2. 2. q. 45 art. 3. Dionyſ. c. 2. de Diuin. nom. & Bonau. Opuſc. de ſeptem itineribus æternitatis in 6. Gerſon. in libr. de Myſtica Theolog. Primumque ita declaro, quia contemplatio hæc, etiamſi ſit de Deo ipſo, cuius maieſtatem, bonitatem, aut alia attributa conſiderat, non ſiſtit in Deo vt intelligibilis eſt, ſed ponderat eum, vt eſt dignus gloria, honore, & cæt. & niſi ad hoc extendatur, non meretur nomen contemplationis, quæ ſit pars mentalis orationis, vel ad hoc exercitium pertineat. Quia finis huius contemplationis debet eſſe vnio cum Deo, & ideo neceſſe eſt, vt non ſolum ſpeculatiue, ſed etiam practice Deum ipſum contẽpletur, quantum ſcilicet, Deus ipſe practice conſiderabilis eſt. Vnde etiam ex intentione operantis contemplatio illa debet eſſe practica, id eſt, ad veram ſanctitatem ordinata. Sic applicare poſſumus verba illa Ambroſij libro primo, de Abraham capite quinto. *Non otioſus ſedet, qui longe aſpicit.* Quod ipſe dixit de Abrahamo, qui ſedebat eo animo, vt à longe videret, an peregrinus veniret, quem hoſpitio reciperet ſic ergo nos dicimus, contemplationem, qua longe aſpicimus Deum, eo tendere debere, vt ei vniamur, & vt cor loco hoſpitij ipſi offeramus. Hanc contemplationem conſulebat Dauid Pſalm. 45. dicens: *vocate, & videte, quoniam ego ſum Deus*, ex quo loco colligit Bernard. libro primo, de Conſid. capit. 7. nihil magis pertinere ad cultum Dei, quam conſiderationem hanc, vel contemplationem, eique vacare eſſe pietatem. Quo plane oſtendit, exercitium hoc debere eſſe practicum, & ad cultum Dei, ſeu pietatem ordinatum.

D. Ambr. Pſal. 45. D. Bern.

9. *Contemplationi coniuncta eſt cum actu Voluntatis. D. Thom.*

Atque hinc colligimus, contemplationem hanc neceſſario habere coniunctum voluntatis actum. Hoc etiam docuit D. Thom. dicta quæſtione 180. articulo primo, & vltim. vbi & antecedentem, & ſubſequentem actum ponit: Antecedentem quidem ponit ipſum affectum contemplandi, quia cõtemplatio actus humanus eſt, ac voluntarius, & ideo neceſſe eſt, vt à voluntatis actu procedat, & quia eſt actus pietatis, ac Diuini cultus, oportet, vt ab affectu erga Deum, vel Diuinum cultum procedat. Ait vero D. Thom. hunc affectum interdum eſſe ipſius contemplationis, interdum vero eſſe amorem rei contemplatæ, nimirum Dei: Prior affectus videri poteſt imperfectus, & inſufficiens ad ſtudioſam contemplationem, de qua tractamus, quia non videtur practicus, ſed mere ſpeculatiuus, qualem etiam habet ad ſpeculationem, qui Metaphyſicę, vel Mathematicis ſtudet, quia ad illam ſpeculationem affectus eſt: nihilominus tamen ſiquis ex conſideratione ipſiuſmet contemplationis, & fructuum eius, ad illam ſit affectus, & ex hoc affectu ad illam applicetur, ſatis practica, & ſtudioſa eſt applicatio. Poteſtque ille affectus interdum eſſe ex Religione ipſa, ſi feratur in contemplationem, ſub ratione cultus Diuini, nam reuera eſt magnus cultus Dei, vt Bernard. dixit. Nam ipſamet Diuinæ maieſtatis actualis conſideratio eſt quædam Dei gloria, ideoque vt cultus eius appeti poteſt. Interdum vero poteſt eſſe illa propenſio ex affectu proprij commodi, non humani, ſed ſupernaturalis, qui ad ſpem reducitur, nam contemplatio magnum ſpirituale commodum ſecum affert, & ideo hoc etiam modo propter proprium commodum honeſtiſsime appeti poteſt contemplatio.

D. Bern.

10. *Contemplationẽ ex affectu charitatis amari debere.*

Maxime vero amari poteſt, & debet ex affectu charitatis ad Deum ipſum, quatenus amicitiæ proprium eſt, vniri amico, & adeſſe illi, atque cum illo colloqui. Quomodo Beati in patria amant viſionem beatam, non tantum vt proprium cõmodum ſuum, ſed maxime ex charitate Dei, tum quia per il-

lam habent præſentem, quem amant, tum etiam quia vident per illam maxime glorificari Deum. Contemplatio autem huius vitæ eſt quædam participatio, & imitatio illius viſionis, vt ſignificauit Aug. lib. 1. de Trinit. c. 8. & 9. ita ergo amanda eſt ex amore ipſius Dei. Vnde tale deſiderium ipſius contemplationis ſupponit perfectum amorem Dei in ſe, & propter ſe, vt per ſe conſtat, ideoque recte dixit D. Thomas *Contemplationem perfectam procedere ex charitate ipſius Dei*, ex quo infert in eodem articulo primo, & latius in ſeptimo, habere contemplationem hanc in voluntate actum conſequentem, quem appellat terminum illius, ſcilicet delectationem magnam, quæ ex contemplatione Dei naſcitur. Quam dicit ſuperare omnem aliam delectationem, quia vt ſpiritualis eſt, ex genere ſuo excedit omnem corpoream delectationem, vt in Prima ſecundæ quæſtione 33. articulo quinto, idem Sanctus oſtendit. Inter ſpirituales vero excedit: tum ratione nobiliſsimæ operationis, ad quam conſequitur, qualis eſt ipſa intellectualis contemplatio. Tum maxime ratione amoris ipſius Dei, ex quo (vt dictum eſt) ipſa contemplatio naſcitur. Dices: Si contemplatio ſupponit amorem, neceſſe eſt, vt contemplationem ſupponat, quia non poteſt eſſe amor niſi ex intelligentia, ergo prima contemplatio non poteſt eſſe ex amore. Reſpondeo, ſi ſit ſermo de amore ipſius contemplationis, ille poteſt eſſe ex fama, vt ſic dicam, & ex abſtractiua cognitione, & æſtimatione contemplationis. Si vero ſit ſermo de amore ipſius Dei poteſt eſſe conceptus ex alia cognitione, quæ ad ſtatum contemplationis, de qua nunc agimus, non attigerit, ſed ex meditatione, vel alia fidei conſideratione habeatur.

D. Auguſt. D Thom. Obiectio. Solutio.

11. *Perfectior eſt amor Dei contẽplationem ſubſequens quã ille, qui eam præcedit. D. Thom. D Greg.*

Vltimo vero addendum eſt, habere contemplationem in voluntate amorem Dei, qui ad illam conſequitur in maiori perfectione, & gradu, quam ad illam ſupponatur. Hoc præmiſit Diuus Thomas in dicto articulo primo, & 7. in corpore: illud vero addit ſtatim in ſolutione ad primum ex Gregorio homil. 14. in Ezech. dicente. *Quod cum quis ipſum, quem amat, viderit, in amorem ipſius amplius igneſcit.* Et hæc (inquit Diuus Thomas) *eſt vltima perfectio contemplatiuæ vitæ, ſcilicet vt non ſolum ipſa veritas videatur, ſed etiam vt ametur.* Et ob hunc amorem exiſtimo dictum eſſe ab Auguſtino Sermone 43 de Tempore: *Vna ſola contemplatio Dei eſt, cui merito omnia iuſtificationum merita, & vniuerſa virtutum ſtudia poſtponuntur.* Nam eſt illa pars, de qua dixit Chriſtus Lucæ 10. *Optimam partem elegit ſibi Maria.* Optimum enim huius vitæ eſt Dei charitas, maxime quando eſt ignita, & feruens vt in contemplatione ex Dei conſideratione eſſe ſolet. Vnde etiam Bernardus libro de Amore Dei, capit. primo, ſic de Contemplatione inquit, *Hæc eſt munditia mea. hæc fiducia, hæc iuſtitia, contemplatio bonitatis tuæ, bone Domine.* Quæ omnia non niſi ratione charitatis dici poſſunt. Tandem hoc confirmari poteſt exemplo vltimæ, & fœliciſsimæ contemplationis, cuius hæc eſt participatio: nam ex illa naſcitur ardentiſsimus in Deum amor: eſt tamen differentia, nam ibi propter claram viſionem amor cum neceſsitate naſcitur, vnde fit, vt amplius non creſcat, quia à principio feruet, quantum poteſt, & cum iam ſit in termino, non accipit maiores vires, vt creſcat. hic vero amor ſemper eſt liber, & eſt in via, ideoq; ſemper creſcere poteſt: & quo ille creſcit, eo etiam vel attentio vel perſpicacia intellectus augetur, & inde rurſus voluntas vehementius excitatur ad amandum, atque hoc modo in hoc fœlici huius vitæ ſtatu magis, ac magis augetur tam charitas, quam cognitio Dei, & in hoc maxime illius perfectio conſiſtit.

D. Auguſt. Luc. 10. D. Bern.

12. *Amor ex cõtemplatione*

His adde, poſſe hæc omnia intelligi de amore charitatis proprio, & de proprio actu deuotionis ad Religionem pertinente, prout ſupra illum ex-

I 2 plicuimus.

…ortum in voluntate ad charitatem, vel deuotionem pertinere poteſt. *D. Bern.* *D. Dam.*

plicuimus. Nam etiam hæc deuotio ex contemplatione ipſa maxime naſcitur, ſiue ſumatur pro ſubſtantiali deuotione, ſiue pro accidentali ſuauitate, quæ ad illam conſequitur. Nam in primis ex contemplatione maieſtatis, & ſublimitatis Dei oriri ſolet admiratio illa, per quam Bernardus primum gradum contemplationis deſcripſit. Eſt autem admiratio reuerentialis quidam timor, vt alias cum Damaſceno explicuimus. Ex hac ergo reuerentia ad Deum ſtatim naſcitur deuotio per affectum ſubmittendi ſe illi, & omnem cultum, ac honorem illi exhibendi, & ideo dixit Bernard. nihil ita pertinere ad cultum Dei, ſicut vacare, & videre quoniam ipſe eſt Deus. Nam contemplatio non minus eſt de maieſtate, & excellentia Dei, quam de bonitate, & ideo non minus excitat Religioſam deuotionem, quam dilectionem, imo etiamſi charitas propinquior, & excellentior ſit, ſemper timore reuerentiali, atque adeo affectu ſubmiſsionis, & cultus eſt quaſi temperanda, vt ſecurius incedat. Maxime quia perfecta huius vitæ contemplatio non tantum amorem affectiuum, ſeu obiectiuum, ſed obedientialem, & operatiuum requirit, iuxta illud: *Qui diligit me, mandata mea ſeruabit.* Ex hoc autem amore ſtatim naſcitur affectus deuotionis ad Deum. Et tunc eſt perfecta ſuauitas, & dulcedo contemplationis, de qua legi poteſt Bernardus dicto libr. 1. de Amore Dei cap. primo, & Greg. Hom. 14. in Ezechielem.

D. Bern. *D. Greg.*

13. *Contemplationem eſſe mentalem orationem perfectiorē, in eaque inueniri voluntatis, & intellectus actus.*

Concluditur ergo ex omnibus dictis, totum munus contemplationis eſſe orationem quandam mentalem in gradu altiori, & in illo exerceri actum intellectus, & voluntatis. Imo ſi quis recte conſideret, ex parte voluntatis nullus nouus actus additur in contemplatione, præter eos, quas ſupra numerauimus, ſed addi tantum videtur quædam maior eorum perfectio accidentalis, vel in intenſione, & feruore deuotionis, & amoris Dei: vel in quadam maiori quiete, & vniformitate animi in talibus actibus exercendis, vt capite ſequenti amplius explicabimus. Ex parte autem intellectus vltra actus ſuperius poſitos, quæ omnes ad meditationem reduximus, addit contemplatio ſimplicem quendam intuitum veritatis æternæ iam inuentæ, & cognitæ, de quo actu pauca ſtatim ſubiiciam. Iam vero tractare, vel controuertere, quid ex his ſit ſubſtantialiter cōtemplari, paruæ vtilitatis eſt, vixque eſſe poteſt, niſi contentio de verbis: non eſt enim dubium quin vis vocis contemplationis rem intellectus ſignificet. Tamen etiam eſt certum, charitatem ibi præeminere, nam in via longe perfectior eſt, & illa eſſe debet finis, & ſcopus totius contemplationis. Ita ſentit Alenſ. 4. part. quæſt. 26. memb. 3. artic. 5 §. 2. dub. vlt. vbi quærit, vtrum in oratione altius eleuetur intellectus, quam voluntas: & reſpondet, in via, & in oratione perfecta altius eleuari voluntatem, quia charitas ſupereminet ſcientiæ, vt dicitur ad Epheſ. 3. Quod etiam ſignificatur ibi à Paulo dicente: *In charitate radicati, & fundati, vt poſsitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum*, vt Bernardus exiſtimat libro quinto, de Conſiderat. capite 13. Nam, *comprehendere* (inquit) *dixit, non cognoſcere, vt non curioſitate contenti ſcientiæ, tota cura fructui inhiemus. Non enim in cognitione eſt fructus, ſed in comprehenſione.* Quid autem ſit comprehendere, ita exponit capite 14. *Sancti igitur comprehendūt. Quæris quomodo? ſi Sanctus es, comprehendiſti, ſi non es, eſto, & tuo experimento ſcies, Sanctum facit affectio ſancta, & hæc gemina, timor Domini ſanctus, & ſanctus amor. His perfecte affecta anima veluti duobus brachiis ſuis comprehendit, amplectitur, ſtringit, tenet, & ait: Tenui eum, nec dimittam.* Vel dicere certe poſſemus, hæc duo brachia eſſe intuitionem ipſam intellectus cum amore voluntatis: vtrumque enim videtur requiri ad veram contemplationem. Nam intuitio ſine affectione, quamuis eſſe poſsit, quia eſt prior, & quia affectus non neceſſario, ſed libere ſequitur, tamen tunc magis meretur nomen ſtudij, vel curioſitatis quam propriæ contemplationis, de qua tractamus. Amor vero ſine cognitione eſſe non poteſt, vti mox videbimus, ſi tamen eſſet, magis mereretur nomen contemplationis ipſe ſolus, quam ſola cognitio. Quid ergo ſit contemplatio, & quomodo ad orationem, deuotionem, & alios actus comparetur, ſatis explicatum eſt.

Alenſ. *Ad Epheſ. 3.* *D. Bern.*

CAPVT X.

Qualis ſit proprius actus Contemplationis, quantumque in eo durari poſsit?

1. *Quæſtionis explicatio.* *D. Dion.* *D. Thom.* *Richar. de S. Vict.* *D. Thom.*

DE cæteris actibus, qui ad contemplationem concurrunt, ſatis in ſuperioribus dictum eſt: nunc ſolum circa illum actum intellectus, quem contemplationem addere diximus, conſiderādum ſupereſt, qualis actus ſit, & à quo habitu infuſo proficiſcatur? Agimus enim de ſupernaturali contemplatione, & de ſolo illo actu, quem Dionyſius capite quarto, de Diuinis nominibus circularem motum appellauit, iuxta expoſitionem Diui Thomæ dicta quæſtione 180. articulo 6. Quem actum Richardus de Sanct. Victor. comparat quieti, quam nonnullæ aues interdum in alta regione aeris retinent, vbi poſtquam aſcenderunt, quaſi ſuſpenſę immobiliter in vno loco manent. Alij enim actus, qui ab eiſdem auctoribus per metaphoras, & comparationes ad motus locales, rectos, vel obliquos explicantur, reuera pertinent magis ad meditationem: nam omnes reducuntur ad diſcurſus, vel naturales, vel ſupernaturales, vt Diuus Thomas aperte declarat, illos autem diſcurſus omnes meditatio complectitur, vt ſupra dictum eſt, ideoque ad contemplationem non pertinent, niſi prout contemplatio pro tota oratione mentali ſumitur. Et de illis nihil noui eſt, quod dicamus. De hoc vero actu proprio contemplationis ſentit Diuus Thomas dicto articulo ſexto, eſſe ſimplicem actum ſine diſcurſu. Sicque exponit Dionyſium dicentem, quod in hoc actu, *neceſſaria eſt vniformis conuolutio intellectualium virtutum ipſius. Vt ſcilicet* (ait D. Tho.) *ceſſante diſcurſu, figatur eius intuitus in contemplatione vnius ſimplicis veritatis.* Et (quod difficilius eſt) addit: *Et in hac operatione animæ non eſt error, ſicut patet, quod circa intellectum primorum principiorum non erratur, quæ ſimplici intuitu cognoſcimus.*

2. *Circa intellectus actū, quem addit contemplatio, tria quæruntur.*

De hoc igitur actu tria occurrunt declaranda: primum, an ſupponat diſcurſum ſemper, & qualis ille diſcurſus ſit: ſecundum, quis nam talis actus in ſe, & in ſua ſubſtantia ſit? Vnde etiam conſtabit: cuiusnam virtutis intellectualis actus ille ſit: ac tandem quomodo poſsit humana mens in illo actu quieſcere, vel quid pro illo tempore mens operetur.

3. *Primū quæſitum in vtramq; partē agitatur.*

Circa primum Diuus Thomas dicta quæſtione, articulo tertio, ſentit, actum illum ſupponere diſcurſum, ait enim, licet contemplatio conſiſtat in illo ſimplici actu, præmittere tamen plures, vt ad illum perueniat, ſcilicet acceptionem principiorum, ex quibus mens procedit ad contemplationem veritatis, & deductionem veritatis contemplandæ ex illis principiis. Ratio item hoc ſuadet, quia humana mens non attingit cognitionem veritatis, niſi per diſcurſum. In contrarium autem eſt, quia huius contemplationis non tantum ſunt capaces homines litterati, & docti ſed etiam ſimplices, qui non ſciunt ita deducere ex principiis. Ratio vero eſt, quia hæc contemplatio videtur maxime conſiſtere in ſimplici iudicio fidei, ſed iudicium fidei non nititur diſcurſu, ſed ſimplici aſſenſione veritatis ſub reuelatione Diuina propoſitæ, ergo. Maior

patet,

Digitized by Google

patet, quia ſicut contemplatio ex parte voluntatis requirit perfectiſsimam operationem, quæ eſt dilectio charitatis, ita ex parte intellectus debet eſſe in operatione perfectiſsima, actus autem fidei eſt perfectiſsimus omnium, quos in hac vita de Deo ipſo habere poſſumus: nam excedit etiam actus donorum Spiritus ſancti, quia virtutes Theologales perfectiores ſunt donis: ergo contemplatio perfecta eſt per ſimplicem intuitum fidei, quem nō niti diſcurſu ex materia de Fide ſuppono.

4. *Primi quæſiti reſolutio.* Reſpondeo, duobus modis poſſe requiri, aut interuenire diſcurſum ante intuitum ſimplicem veritatis, vel per ſe tanquam propriam & per ſe cauſam talis actus, vel ſolum per accidens ad applicandum, & explicandum obiectum, in quo talis veritas inſpicienda eſt. Dico ergo, ad contemplationem ſemper ſupponi diſcurſum aliquem, & regulariter requiri priori modo, poſſe tamen interdum ſufficere poſteriori etiam modo. Primam partem probant priora motiua, & vſus ipſe ſatis confirmat: alteram vero partem probant poſteriora motiua. Et declaratur amplius ſimul vtraq; pars: Nam in primis hæc contemplatio, de qua tractamus ſupponit habitualem fidem veritatum Diuinarum, quia non agimus de contemplatione mere naturali, ſed de ſupernaturali. Per fidem autem non credimus, deducendo concluſionem ex principiis, ita vt aſſenſus innitatur diſcurſui, ſed ſimpliciter credimus, quia Deus dicit. At hanc vero fidem ſupponitur diſcurſus, quo ita proponatur veritas aliqua, tanquam dicta à Deo, vt ſub ea ratione ſufficienter credibilis appareat, quod humano modo ſine diſcurſu fieri non poteſt. Contemplatio igitur huius vitæ, quantumcunque alta ſit non eſt aliud, quam vſus quidam, & exercitium huius fidei, ſed formaliter, vel fundamentaliter, quia (ſeclusis priuilegiis) nulla eſt in hac vita altior cognitio veritatum omnino ſupernaturalium. Interdum ergo poteſt contemplatio ſiſtere in ſimplici cogitatione veritatis reuelatæ

D. Auguſt. cum aſſenſione. quod eſt credere, teſte Auguſt. libr. de Prædeſt. Sanct. cap. 2. Et tunc antecedit diſcurſus proponens illam veritatem ſub reuelatione Diuina, & oſtendens credibilitatem eius, ſiue ille diſcurſus proxime habeatur in ipſometactu contemplationis, ſiue antea præceſſerit, & virtus eius ita permanſerit, vt propoſitis terminis, ſtatim veritas illa apprehendatur, vt credenda, & ſumma reuerentia ſuſcipienda, ideoque intellectus ſtatim illi adhæreat, & quaſi ſuſpenſus circa illam maneat. Sæpius vero contemplatio eſt de aliqua veritate non in ſe reuelata, ſed ſcientifice deducta ex reuelatis & tunc præcedit proprius diſcurſus quaſi ſcientificus, & Theologicus, quo ex reuelatis deducitur talis veritas, in cuius ponderatione, & intuitu intellectus poſtea immoratur.

5. *Secundum quæſitū expeditur.* Ex his ad ſecundum punctum dicitur, illum actum in ſubſtantia ſua eſſe vel actum fidei propriū, & elicitum, vel eſſe actum Theologicum, & quaſi ſcientificum. Priorem partem indicauit Auguſtinus

D. Auguſt. in lib. Meditat. cap. 27. vbi prius de Beatis ait: *Semper inhærent contemplationi Diuinæ, non per ſpeculum, & in ænigmate*: ſentiens noſtram contemplationem fieri hoc poſteriori modo per fidem, vnde ſubdit inferius: *tranſeat ab his animus, & tranſcendat omnē, quod creatum eſt, currat, & aſcendat velociter & pertranſeat, & in eum, qui creauit omnia, quantum poteſt, oculos fi-*

D. Greg. *dei dirigat*. Similiter Gregor. homil. 8. in Ezech. ante medium eadem fere verba Auguſtini vſurpat. Ratio vero eſt, quia perfecta contemplatio huius vitæ eſſe debet cum perfecta adhæſione intellectus ad veritatem contemplatam per firmum aſſenſum fundatum in reuelatione Diuina, quæ in hac vita obſcura eſt, ergo talis contemplatio eſſe debet per aſſenſum fidei. Atque hoc modo faciliimum eſt, quod ait D. Thomas, contemplationis actum eſſe ſimplicem ſine diſcurſu, talis enim eſt aſſenſus fidei, licet ſupponat diſcurſum ad ſufficientem, & proximam obiecti applicationem, vt declaratum eſt. Recte etiam huic contemplationi applicatur, quod Diuus Thomas ſubiungit, in actu contem- *D. Thom.* plationis non inueniri errorem, quia actui fidei non poteſt ſubeſſe falſum. Secundum vero etiam conſtat ex dictis, quia ſæpe contemplatio non eſt de veritate in ſe reuelata, ſed deducta ex reuelatis, ergo tunc actus aſſentiendi non eſt fidei, vt ſuppono ex 1. part. quæſt. 1. & 2. 2. quæſt. 1. nec eſt actus immediate infuſus, ſed medio diſcurſu comparatus, ergo non poteſt eſſe niſi Theologicus.

De hoc vero actu difficilius eſt declarare, quo- 6. modo ſit ſine diſcurſu, & incapax erroris, quia & per ſe pendet à diſcurſu, & eſſe poteſt opinatiuus, & conſequenter falſus. Sicut in naturali contemplatione ſubſtantiarum, verbi gratia, ſeparatarum interdum poteſt miſceri error. Nam profecto Ariſt. *Ariſt.* qui putabat ſe aſſecutum naturalem beatitudinem, contemplando has ſubſtantias, in ea contemplatione ſæpius errauit. Propter hoc cogitare quis poſſet, hunc ſimplicem actum, & intuitum, in quo ponitur contemplatio, non eſſe per modum aſſenſionis, & iudicij, ſed per modum ſimplicis apprehenſionis, & repræſentationis relictæ, vel ex præcedenti proximo diſcurſu, & iudicio, vel ex quodam habitu antea comparato per frequentes diſcurſus, ita vt per hunc actum non iudicetur de veritate, ſed ex quadam illius præſuppoſitione in eius inſpectione per ſimplicem apprehenſionem hæreat intellectus, & ita in tali actu error eſſe non poſsit. Sed hoc ſine dubio falſum eſt, tum quia talis contemplatio non eſſet perceptio veritatis formaliter, & ſicut in illo actu non poſſet eſſe falſitas, ita nec veritas, quia de veritate non iudicat: tum etiam quia nullam fere delectationem afferret menti, niſi includeret cognitionem, & iudicium de veritate ipſa. Eſt ergo intuitus ille contemplationis talis, vt intrinſece, & eſſentialiter includat iudicium, & cognitionem veritatis contemplatæ: ſicut viſio beatifica, quæ eſt ſumma contemplatio eminentiſsime eſt iudicatiua cognitio ſimul, & apprehenſiua.

Dico ergo, hunc actum eſſe ſimplicem, & ſine 7. diſcurſu, quia eſt terminus, & quaſi effectus diſcurſus, quem actum non repugnat eſſe ſimplicem, nam ſuppoſito aſſenſu præmiſſarum cum illatione, aſſenſus concluſionis ſimplex eſt, & in ſe non continet formalem diſcurſum. Item actus ſcientiæ, qui fit ex habitu, ſine actuali diſcurſu, ſimplex eſt, licet virtute poſsit includere diſcurſum, ſi veritas illa proponatur, & repræſentetur, vt manifeſtata per tale medium, quia, hac recordatione apprehenſiua ſuppoſita, ſtatim ſequitur ſimplex iudicium includens habitudinem ad tale medium. Ad hunc ergo modum intelligendus eſt hic intuitus contemplationis. Quod autem in eo non contingat error, inde eſt, quod ſaltem mediate nititur lumine Diuino, medio euidente diſcurſu quoad illationem, vel etiam quoad aliquod principium, ſi naturale ſit. Vnde ſi diſcurſus ſit opinatiuus, non meretur nomen contemplationis, quia non eſt intuitus veritatis niſi aliquo modo reducatur ad ſciētificum diſcurſum, ſaltem practice, vt iam dicam.

Hinc ergo conſtat, hunc actum per ſe pertinere, 8. vel ad fidem immediate, vel ad ſcientiam Theologicam, quam nunc acquiſitam vocamus, quia comparatur medio proprio diſcurſu noſtro, ſiue in ſua entitate ſit ſupernaturalis, & per ſe infuſa, ſiue proprie facta per noſtros actus, & per naturales vires ingenij humani fide adiuti, de quo alias. Et quamuis prior actus facilior ſit & frequentior in perſonis ſimplicibus, non tamen illæ ſunt expertes alterius actus contemplandi, quia licet non ſciant definire, vel diuidere, neque (vt ſic dicam) in actu ſignato, &

formali ſuos diſcurſus explicare, tamen Diuina gratia adiuti, ſæpe profundius, quam docti, veritatem penetrant, & ponderant, *& per intelligentiæ radium, quæ in illa continentur, diſcernunt*, vt attigit Sanct. Bonauentura de Proceſſu Relig. in 7. capit. 16. Et Gerſon. tract. de Myſtica Theologica ſpecul. conſid. 3. tom. 3. Alph. 64. Litt. N. vbi propterea hos idiotas vere contemplatiuos vocat Philoſophos, *quia ex his, quæ interius experiuntur, perfectius Diuina percipiunt, quam multi litterati.*

D. Bonau.
Gerſon.

9\. *Triplex Spiritus ſancti donum contemplationi cooperatur.*

Cooperantur autem, vt exiſtimo, huic contemplationi tria Spiritus ſancti dona, Intellectus, Sapientia & Scientia: intellectus ad concipiendas res fidei altiori modo, quam per ſolum diſcurſum proprium, vel apprehenſionem naturalem homo poſſet: hoc enim eſt proprie munus illius doni, vt nunc ſuppono. Eſtque vtiliſsima hæc conceptio, & apprehenſio, tum ad firmandum intellectum in ea cogitatione, quia quo altius rem apprehendit, eo magis ſuſpenditur, in admirationem raptus. Tum ad firmius aſſentiendum, quia veritas melius concepta ex peculiari motione Spiritus ſancti magis Diuina apparet, magiſque credibilis: tum denique ad percipiendam maiorem voluptatem de tali cogitatione. Et huc ſpectat repræſentatio, vel rerum ſimilium, aut exemplorum, quibus illa veritas melius concipiatur, vel etiam rerum diſsimilium, vt per earum abnegationem aliquo modo percipiatur. Donum ſapientiæ, & ſcientia cooperantur demonſtrando aliquo modo veritatem illam, non directe, neque proprie in ſuo eſſe, vel in veritate ſua, quæ dici poteſt quaſi ſpeculatiua, ſed in ratione credibilis, vel amabilis, aut aliqua huiuſmodi ratione, quæ dici poteſt aliquo modo practica, quia ad voluntatem inuitandam ordinatur. Nam contemplatio hæc (vt dixi) debet etiam ex intentione operantis ad opus referri, & ideo, qui contemplatur, non quieſcit in ſpeculatiua intuitione veritatis, ſed eam ſuæ voluntati applicat, & vel ad eam pie affici ſtudet, vel ad eum, in quo talis veritas cernitur, vel à quo manat, aut aliquid ſimile. Hoc autem excellentiori modo ſupernaturali præſtant dona Scientiæ, & Sapientiæ: illud per inferiores rationes: hoc per ſuperiores, & præſertim per quandam connaturalitatem ad res Diuinas, quam efficit Charitas, ex qua manat ſapor ille, à quo Sapientia nominata eſt.

10\. *Tertium quæſitum explicatur.*
D. Thom.

Ex quibus tandem reſpondendum eſt ad vltimum punctum, quantum, vel quo modo poſſit humana mens in hoc actu, & perfectione contemplationis durare? Circa quod Diuus Thomas dicta qu. 180. artic. 8. dicit, contemplationem eſſe diuturnam non ſolum natura ſua, ſed etiam quoad nos, quia & ſecundum ſe incorruptibilis eſt, & nos in ea corporaliter non laboramus. Veruntamen aliud eſt, loqui de vita contemplatiua cum omnibus actionibus mentis, quas includit, aliud de propriiſsima contemplatione, quæ conſiſtit in illo vniformi, & ſimplici intuitu, quem Dionyſius circularem motum appellauit. Priori modo recte intelligitur, vitam contemplatiuam eſſe diuturnam, quia licet in vna actione eius diu perſiſtere difficile ſit, tamen per quandam iucundam mutationem ab vna huius vitæ actione ad aliam tranſitum faciendo, non eſt admodum difficile, in illo vitæ genere diu perſeuerare. Nimirum, nunc legendo, nunc meditando, nunc orando, vel contemplando, longum tempus conſumere, rurſuſque iterum ad eaſdem actiones reuerti, quia & actiones hæ nobiliſsimæ ſunt, & per ſe iucundæ, & ipſa earum varietas tædium aufert. Et alioqui quia in eis corporaliter non multum laboratur, diutius ſuſtineri poſſunt, vt Diuus Thomas dixit. Recte tamen aduertit Caietan. quod licet in his actionibus non laboremus membris corporis, localiter ea mouendo ad operãdum, vt fit in mechanicis artibus, & laboribus: nihilominus ſatis multum defatigatur corpus continua attentione, & conſumptione ſpirituum. Et ideo non poteſt eſſe tanta duratio in his actionibus, quin ſua indigeat intermiſsione. Imo addit Caietanus quod licet ex hac parte, qua vita contemplatiua minus videtur defatigare membra corporis, aptior videatur ad diuturnitatem: aliunde eſt difficilior duratio in illa, propter altitudinem eius, & corporis grauitatem, quæ ab illa altitudine contemplationis nos retrahit. Et (vt ego exiſtimo) maxime auget difficultatem, quod hoc genus vitæ magnam affectuum moderationem, & vitæ puritatem requirit, quia requirit corpus recte diſpoſitum ad ſpirituales actiones, & animum pacificum, deſideriis vacantem, & variis phantaſmatibus non perturbatum, quod difficile obtinetur, vt ſequenti capite dicemus. Sed licet hoc ſit difficile, nihilominus vſu, & gratia Dei comparari poteſt, ideoque abſolute verum eſt ex genere ſuo vitam hanc poſſe eſſe diuturniorem, ſi homo ſe illi totum dedat, & illi perſeueranter inſiſtat, quamuis nunquam poſſit eſſe tam diuturna, quin actione aliqua ſubleuanda ſit, & iuuanda, vt mox dicemus.

D. Dion.
D. Thom.
Caiet.

At vero loquendo de proprio actu contemplationis, non eſt poſsibile homini in hac vita diu in illa actione durare. Ita docuit idem S. Thomas in eodem articulo 8. ad 2. vbi hac vtitur ratione, quod nulla actio poteſt durare in ſummo, ſummum autem contemplationis eſt, vt attingat ad vniformitatem contemplationis. Idem repetit Diuus Thomas quæſtione 181. articulo 4 ad 3. ex Gregorio in Homil. 5. in Ezech. vbi abſolute ait, *quod mens noſtra ſtare in cogitatione non valet, ſed omne quod de æternitate per ſpeculum, & in ænigmate conſpicit, quaſi furtiue, & per tranſitum videt.* Vbi non ſolum videtur loqui Gregor. de ſumma, ac perfecta contemplatione, ſed ſimpliciter de toto negotio mentalis exercitationis, prout ab exteriori actione diſtinguitur, loquitur enim de vita contemplatiua, & actiua, & de neceſſaria viciſsitudine earum inter ſe. Vnde ſubdit inferius, neceſſarium eſſe à vita contemplatiua ad actionem deſcendere, & ab hac rurſus ad contemplationem ſurgere. *In qua* (inquit) *quia diu ſe tenere ipſa corruptionis infirmitas non poteſt, ad bona rurſus opera rediens, ſuauitatis Dei memoria paſcitur, & foris piis actionibus, intus vero ſanctis deſideriis nutritur.* Eſt autem conſiderandum non negare Gregorium abſolute vitam contemplatiuam eſſe poſſe diuturnam, aut diuturniorem actiua ſed docere, non poſſe eſſe ſemper vniformem, & puram (vt ſic dicam) ſed neceſſario interrumpendam eſſe propter corporis infirmitatem, & grauitatem, ideoque neceſſarium eſſe, bonam actionem intermiſcere, ne inutili otio, & negligentia torpeamus. Hinc vero à fortiori colligitur, non poſſe mentem diu permanere in vniformitate contemplationis, quia in tranſitu, & quaſi furtiue illam deguſtat, vt Gregorius ibidem ait. Qui libro 5. Moral. in illud Iob 4. *Quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius: Venas* (inquit) *ſuperni ſuſurri auris cordis furtiue ſuſcipit, quia ſubtilitatem locutionis intimæ afflata mens, & raptim, & occulte cognoſcit.* Et infra. *Vix ſuſurri venas apprehẽdimus, quia ipſi quoque mira eius opera raptim, tenuiterque penſamus.* Clarius loquens Bernard. de propriiſsima contemplatione lib. de Amore Dei cap. 4. *Hic eſt* (ait) *finis, hæc eſt conſummatio, hæc eſt perfectio, hæc eſt pax, hoc eſt gaudium Domini, hoc eſt gaudium in Spiritu ſancto, hoc eſt ſilentium in cœlo. Quamdiu quippe in hac ſumus vita, hoc fœliciſsimæ pacis ſilentio in cœlo, id eſt, in anima iuſti, quæ ſedes eſt ſapientiæ, aliquando fruitur affectus, ſed hora eſt dimidia, vel quaſi dimidia, intentio vero de reliquiis cogitationis, diem feſtum perpetuum agit tibi.* Vbi per dimidiam, vel quaſi dimidiam horam breuiſsimam huius actionis perſeuerantiam ſignificat.

11\. *In actu proprio contemplationis diuturna duratio eſſe non poteſt in hac vita.*
D. Thom.
D. Greg.
D. Greg.
D. Bern.

Ratio

12\. *Cur non ſit contemplatio eſſe diuturna. D. Dion.*

Ratio huius difficultatis in primis illa eſt, quæ ex Dionyſio in principio myſticæ Theologiæ ſumitur, quia ad hanc contemplationẽ neceſſe eſt, ſenſus relinquere, & omnia, quæ ſub ſenſus cadunt, immò & diſcurſum omnem ſuſpendere, & in ſimplici intuitu mentis circa rem altiſsimam, & ſummè ſpiritualem occupari, quod non fit ſine magna violentia corporis, & ſenſuum omnium & eleuando ſe ſupra ſe, ideoque difficillimum eſt in huiuſmodi actione durare. Accedit quod etiam in contemplatione naturali, & ſpeculatiua eſt difficile poſt inuentam aliquam veritatem per diſcurſum in ſimplici intuitu illius veritatis mentem quieſcere, non ſolum longo tempore, verum etiam per horam, niſi circa veritatem cognitam, & inſpectam aliquid aliud anima negotietur, vel ex illa alias veritates deducendo, aut inquirendo, vel deductionem illam, qua ex principijs alijs ipſa veritas collecta eſt, amplius conſiderando, & de artificio, aut modo eius delectationem capiendo, aut nouis exemplis, aut ſimilitudinibus illam confirmando, ac denique aliquid nouũ operando, ac ſentiendo, quo mens ſine tædio in talis veritatis conſideratione detineatur. Quia ſi inuenta veritate, animus nihil aliud faciat, quàm illam inſpicere ſine nouo diſcurſu, nec mutatione operationis, vix poteſt quietus permanere per breuiſsimum tempus, vt experientia docet. Et ratio eſt, quia per ſimplicem illum intuitum ſtatim percipit veritatem illam, & noua illicò appetit. Ad hunc ergo modum exiſtimo, euenire in ſupernaturali contemplatione. Poſtquam enim intellectus ad ſupremum illum actum contemplationis eleuatur, quo Deum ipſum aliquo modo intuetur, licet imperfectè in hac vita illum attingat, vix poteſt in ſolo illo ſimplici actu diu teneri, niſi circa Deum ſic cognitum, aliquo modo per alios intellectus, vel voluntatis actus feratur. Tum propter rationes dictas, tum etiam quia cum illa cognitio imperfecta ſit, ſemper mens conatur ad meliorem, vel etiam, quia animus non quieſcit, niſi voluntas etiam illo bono fruatur, mediante amore.

13\. Vt ergo illa operatio fiat aliquo modo diuturna, neceſſe eſt, vt in primis illi intentioni adiungatur amor. Exiſtimoque rariſsimum eſſe, vt in vno ſimplici actu amoris continuato ſine aliqua mutatione mens diu quieſcat, quia varietate, & mutatione naturaliter delectatur. nam ſi iniuriata maneat operatio, vix percipitur ab ipſo operante. & ita nec delectat, nec quietat animum: ſemper ergo vel amor ipſe accenditur, aut renouatur, aut per nouos actus exercetur vt per laudem, gratiarum actionem, propoſitum nouæ vitæ. per actum proprium deuotionis, itemque per actum reuerentiæ, & caſti timoris, nec non maximè per actum admirationis de diuina maieſtate, vel de operibus eius, per actum gaudij, vel de Deo in ſe, vel vt nobis communicato, & ſimilibus. Poſſuntque hi actus in voluntate variari, fixo manente eodem intuitu intellectus: ſi circa illud idem obiectum affectus ipſi verſentur, diuerſis modis ac rationibus. Interdum verò, ac ſæpius circa illam veritatem quam mens cõtemplatur ſimul per dona Spiritusſancti negotiatur, ſibimet illam illuſtrando, confirmando, amabilemque reddendo. Ad quod maxime iuuare ſolet experientia ipſorum affectuum, qui in ipſamet contemplatione ſentiuntur. Atque hoc modo exiſtimo, contemplationem ſæpe eſſe diuturnam, per durationem autem in vno ſimplici actu eſſe raram: verum eſt tamen totum hoc negotium ex Diuina gratia maximè pendere, cui nihil impoſsibile eſt, nos autem explicamus id, quod videtur eſſe naturæ conſentaneum, ac proinde ordinarium, quia gratia ſe accommodat naturæ, quod etiã experientia videtur comprobatum, qui autem aliquid altius expertus fuerit, ſecundum illã experientiam loqui poterit, nam in hoc negotio plurimum valet.

Capvt XI.

An contemplatio ſit propria perfectorum? vbi de triplici ſtatu, ſeu via orationis mentalis, purgatiua, illuminatiua, & vnitiua: ſiue incipientium, proficientium & perfectorum.

Explicato proprio contemplationis actu, & quẽ locum in oratione mentali habeat, facile eſt intelligere quas cauſas, vel effectus obtineat, nam in his fere proportionem ſeruat cum actibus deuotionis, ac meditationis. Vt tamen hoc melius intelligatur, declarare oportet, quam diſpoſitionem prærequirat contemplatio in ſubiecto ſuo, quam vero ſecum afferat, vbi ſimul declarabitur, in quibus perſonis eſſe poſsit. Supponimus autem, nos loqui de contemplatione hominum viatorum, nam contemplatio patriæ per viſionem, altiora principia, maioremque animi puritatem requirit. iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ex his autem verbis cum proportione videtur ſequi, contemplationem huius vitæ ſolis viris in vita, & ſanctitate perfectis poſſe conuenire. Quia contemplatio, aut eſt perfecta vnio cum Deo per amorem, vel eſt perfectiſsima Dei intuitio, quæ in hac vita eſſe poteſt, vtraque vero eſt propria perfectorum. Quod etiam frequenter docet Gregor. præſertim lib. 5. Moral cap. 24. & 25. in illa verba Iob. 5. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum*: vbi per ſepulchrum contemplatiuam vitam intelligit, quam tũc quis in abundantia ingreditur, quando *in pace habet tabernaculum ſuum*, vt antea ibidem dicitur, id eſt, quando corporis paſsiones perfectè moderatus fuerit. Vnde homil. 14. in Ezech. latè oſtendit, prius neceſſarium eſſe per actiuam vitam in virtute perfici, quàm aliquis valeat contemplationis dulcedinem deguſtare. Similiter Bernardus ſermon. 3. de Circumciſ. poſtquam de exercitio ſapientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum multa dixerat, ſubiungit. *Iam vero cum in his diutius fueris exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumen diem ſereniſsimum, & ſabbathum mentis, in quo tanquam emeritus miles in laboribus vniuerſis viuas abſque labore, &c.* De eadem re ad eundem modum ſcripſit optimè Gerſon tract. de Contemplatione à capit. 16. Alphab. 74. lit. A.

1. Tituli quæſtionis declaratio. — *D. Greg.* — *D. Bern.* — *Gerſon.*

Quamuis autem hæc doctrina per ſe ſpectata, & moraliter intellecta vera ſit, nihilominus aliqua limitatione, ac declaratione indiget, quia nec contemplatio ita eſt virorum perfectorum propria, vt in eis ſolis omnino inueniatur, nec etiam ita eſt finis vitæ perfectæ, vt non poſsit, & debeat eſſe medium ad perfectionem acquirendam. Vt hoc igitur explicemus, diſtinguere hic oportet tres ſtatus eorum, qui contemplationi, vel generalius mentali orationi vacant, quæ diſtinctio ad complemẽtum doctrinæ de oratione mentali neceſſaria eſt. Quidam ergo eſſe dicuntur in ſtatu incipientium, alij proficiẽtium alij perfectorum. Sic enim diſtinxit D. Thomas 2. 2. q. 24 art. 9. tres charitatis gradus, incipientis, proficientis, & perfectæ. Quos ait, diſtingui non ex intenſionis gradibus, ſed ex varijs ſtudijs, & actionibus hominis habentis charitatem, ordinatis ad perfectionem, & vſum eiuſdẽ charitatis. Nam gradus intenſionis vniformes ſunt, & ſecundũ eos poteſt charitas in plures gradus diuidi pro arbitrio diuidentis, imò in infinitũ diuidi poteſt, ſicut in infinitũ poteſt augeri, vel ſi diuiſio per partes proportionales fiat. Debet ergo diuiſio illa ſumi ſecun-

2. Triplex ſtatus contemplationis, ſeu orationis mẽtalis vacantium. — *D. Thom.*

dum varia ſtudia, quæ ipſa charitas in ſubiecto ſuo requirit, iuxta varias illius diſpoſitiones: vnde etiam contingere poterit, vt charitas ipſa in ſe ſit ſatis intenſa quoad gradus, & nihilominus ſit in ſtatu incipientium, vt patebit.

3. *De inceptione, & duratione illius triplicis ſtatus.*

Incipientium ergo ſtatus incipit quidem cum ipſa iuſtificatione, durat autem quamdiu aliquis non habet paſsiones ita ſaltem moderatas, vt facilè ſuperet tentationes, prout ad peccandum mortaliter inclinant, neque comparauit facilitatem aliquam in exercenda virtute. Denique quamdiu indiget quaſi continua pugna ad conſeruandam & exercẽdam charitatem, vel alias virtutes, ſine quibus ipſa eſſe non poteſt. Priùs enim, quàm homo iuſtificetur, non numeratur in aliquo iſtorum trium gràduum, quamuis ſi iam decreuit efficaciter ad iuſtitiam ſe præparare, & vt ſe conueniènter diſponat, interius ſe colligit, & de Deo, vel rebus Diuinis cogitat, meditando, aut orando, iam cenſetur inchoare ſtatum incipientium, quia qui Deum quærit, iam Deum habet & veriſimile eſt, illum iam eſſe iuſtificatum. Durat autem ille ſtatus etiam poſt iuſtitiam acquiſitam, quamdiu acriter pugnatur cum vitiis, & paſsionibus. Poſtquam autem paſsiones ad aliquam moderationem redactæ ſunt, & iam facilè vitantur mortalia peccata, & ad virtutes augendas per ſe attenditur, ſtatus eſſe dicitur proficientium, qui durat, quamdiu difficile vitantur venialia peccata, & frequenter committuntur, quia & temporalia multum delectant, & mens variis phantaſmatibus, & cor multis deſideriis facilè agitatur, quæ omnia exercitio virtutum paulatim auferuntur, & ita hic ſtatus durat, donec ſtatus perfectorum incipiat, quod ordinariè eſſe ſolet, vel toto vel maiori vitæ tempore. Perfectorum autem ſtatus inchoari cenſetur, quando animus à temporalibus omnibus ita eſt abſtractus, vt pacem habeat, & variis deſideriis nõ agitetur, nec paſsionibus ordinariè moueatur, ſed in Deum ſit totus principaliter intentus, & aut ſemper, aut frequenter attentus. Perfectio enim huius vitæ in duobus præcipue conſiſtit, ſcilicet in iugi, ac frequenti Dei memoria affectuoſa, & diminutione peccatorum, etiam venialium, vt ſumitur ex Diuo Thoma 2.2. quæſtione 184. articul. 1. & ſecundo. *D. Thom.*

4. *Quemlibet illorum triũ ſtatuum aliquid in via cum altero habere commune.*

Ex qua declaratione conſtat, hos tres ſtatus nunquam eſſe in via ita condiſtinctos, quin vnuſquiſq; illorum aliquid de cæteris participet. Quilibet ergo illorum ab eo, quod in ipſo prædominatur, nomen, & rationem accipit. Nam in primis in hac vita nunquam ad eum gradum perfectionis peruenitur, in quo proficere homo non poſsit, & debeat: contrarius enim fuit error Begardorum, & Beguinarum dicentium in hac vita perueniri poſſe ad eum perfectionis ſtatum, in quo neque vltra proficere, nec de lapſu timere, nec paſsiones frenare, neceſſe ſit. Qui error damnatus eſt à Concilio Vienen. ſub Clemẽte V. in Clemen. *Ad noſtrum*, de hæreticis. Quantumcumque ergo aliquis in hac vita perfectus ſit, progredi debet in via Dei, ne regrediatur, iuxta Gregorij ſententiam participat ergo aliquid de proficientium ſtatu. Timere etiam debet, & caſtigare corpus ſuum, ne cum ſibi videtur perfectus, reprobus inueniatur: ſi enim Paulus de ſe ſimilem protulit ſententiam 1. Corint. 9. quis audebit maiorem perfectionem ſibi promittere? Quoad hoc ergo participant etiam perfecti proficientium ſtatum, immò interdum etiam incipientium. Nam vt Gregor. dixit dicta Homil. 14. in Ezechiel. interdum permittit Deus viros perfectos, & maximè contemplatiuos grauiſsimis tentationibus vexari ad elationis ſpiritum corripiendum. Vnde à fortiori fit, vt multò magis proficientes interdum ſentiant moleſtias, & difficultas incipientium. Immò interdum maiores, quia vt Bernard. dixit dicto ſermo. de Circumciſ. aliquando Deus incipientibus communicat aliquid de dulcedine, & ſuauitate perfectorum, vt ad ſpem, & perſeuerantiam animentur, & tunc faciliùs operantur, quam alij diutius exercitati. Regulariter verò, & quantum eſt ex vi ſtatus non ita eſt, ſed ſeruatur diſcrimen ſuprà declaratum.

Error Begardorũ, & Beguinarũ dãnatus à Cõcilio Vienñ. *D. Paul. 1. Cor. 9.* *D. Greg.* *D. Bern.*

Iuxta hos igitur tres gradus charitatis, vel perſonarum, quæ in charitate viuere, & proficere ſtudent, tres etiam gradus, ſeu viæ in mentali oratione diſtingui ſolent, purgatiua, ſcilicet illuminatiua, & vnitatiua, & purgatiua dicitur eſſe propria incipientium, illuminatiua proficientium, & vnitiua perfectorum. Habetque hæc partitio fundamentum in Dionyſ. cap. 3. de Cœleſti hierarch. & c. 3. & 5. de Eccleſiaſt. hierarch. eſtque vulgaris apud Scriptores præſertim myſticos: & eſt in ratione fundata. Quia in primis oratio, conſideratio, ſeu meditatio, ac deuotio omnibus pietatis cultoribus neceſſaria eſt, vt per ſe conſtat, & ex ſupra dictis patet: nam vtilitates orationis mentalis omnibus communes ſunt. Ergo exercitium hoc ſanctum in omnibus locum habet. At non poteſt æqualiter in omnibus inueniri, quia non omnes ſunt æque diſpoſiti, & affecti, ergo iuxta varios ſtatus orantium, ita etiã diuerſi eſſe debent orandi gradus, & modi. Rectè igitur illis tribus ſtatibus hominum tres hæ orandi viæ accommodantur. 5. *Triplex via ſeu gradus in oratione mentali diſtinguitur iuxta tres illos ſtatus. D. Dion.*

Quod facilius patebit, partitionem declarando. Diſtinguuntur enim illæ viæ, primò quidem in fine proximo: nam purgatiua primò, ac per ſe tendit ad diſponendam animam, tum ad iuſtificationem à peccatis commiſsis, & ad ſatisfaciendum pro illis, tum ad præſeruationem à futuris vincendo paſsiones, & prauas conſuetudines, ac ſimiles peccatorum reliquias, vel occaſiones. Illuminatiua per ſe tendit ad profectum virtutum, & maiorem paſsionum moderationem, quæ non ſolum in grauioribus peccatis vitandis, ſed etiam in leuioribus minuendis, & in moralibus virtutibus exercendis facilitatem præbeat. Vnitiua, vt nomen ipſum præ ſe fert, præcipuè occupatur in vnione ad Deum per amorem, & in actuali vſu, & exercitio illius. Et iuxta hos fines diſtinguuntur etiam in interiori exercitio actus mentis, & materia, circa quam verſatur, quia neceſſe eſt, vt media ſint fini accommodata. Vnde purgatiua via præcipuè verſatur in actibus compũctionis, quibus anima ad iuſtificationem diſponitur, & conſequenter in firmando animo circa propoſitum cõſeruandi iuſtitiam. Et quoniam initium iuſtitiæ ordinariè ſolet eſſe timor, ideo meditationes illæ, quæ timorem confuſionem, & dolorem excitant, ſolent eſſe incipientibus, qui in via purgatiua verſantur, accommodatæ. Proficientes autem magis exerceri debent in virtutum moralium vſu, & ideo de illis, & de honeſtate, ac vtilitate earum, & de exemplis Chriſti, & Sanctorum, tum in virtutibus operandis, tum in perferendis malis frequentius cogitare debẽt. Vnde fit, vt circa viam virtutis, & modum creſcendi in illa magis, ac magis eorum mentes illuminentur, & ideo hæc via illuminatiua dicitur, practica ſcilicet illuminatione, quæ ad exercitium virtutum moralium inuitet, & alliciat. Viæ autem vnitiuæ proprium eſt in affectibus amoris erga Deum occupari, & pace ac tranquillitate animi cũ ſpirituali gaudio perfrui: ideoquo ſupponit animum pacatum per purgationem, & mortificationem paſsionum, & illuminatum per diuturnam meditationẽ rerum Diuinarum, & vſum virtutum. Ac propterea in hoc ſtatu iam non eſt neceſſarius multarum meditationum vſus, nec moroſi diſcurſus, ſed ſimplex Dei, & attributorum, vel beneficiorum eius memoria cum aliqua põderatione, maiori, vel minori, iuxta diſpoſitionẽ perſonæ, quantũ ſufficiat ad affectus illos excitandos, in quibus præcipue hæc via, eiuſq; perfectio conſiſtit. 6. *Triplex illa via, ſeu gradus amplius diſtinguitur ex fine, quẽ vnuſquiſq; reſpicit, & quibus medijs eum cõparet.*

Doctri-

7. Triplex ille orantiū gradus aliquis nominibus ab Aleſe declaratur, & variæ Patrum definitiones orationis iuxta illum declarātur.

7\. Doctrinam hanc attigit Diuus Thom. 2.2. quæſt. 24. articulo nono præcipuè ad tertium licet breuiſſime, Alexand. etiam Alenſ quarta part. quæſtione 26. membr. primo, articulo primo explicans varias definitiones orationis à Sanctis datas, inter alias explicationes addit quandam ſumptam ex hoc triplici ſtatu orantium. Vocat autem hos tres ſtatus, ſtatum pœnitentiæ, iuſtitiæ, & perfectionis, quibus addit ſtatum iuſtitiæ conſummatæ, de quo nunc non tractamus, niſi pro huius vitæ capacitate intelligatur: & primo ſtatui accommodat ſententiam Gregorij dicentis, *Veraciter orare eſt amarus in compunctione gemitus, & non compoſita verba reſonare.* libr. 33. Moral. capit. 27. Item de hac oratione intelligit ſententiam Hugonis libro de Virtut. orandi: *Oratio eſt deuotio ex compunctione procedens. Deuotio autem eſt pius & humilis affectus in Deum ex compunctione procedens.* Et rectè aduertit Alenſ. in priori ſententia reſpexiſſe Gregorium ad peccatorum conſiderationem, quæ in hoc ſtatu frequens eſſe debet. *Nam compunctio eſt, quando ex conſideratione malorum ſuorum cor interno dolore tangitur.* Vt etiam Hugo addidit: cuius alia deſcriptio orationis, & deuotionis huic ſtatui accommodata, reſpectum habet ad conſiderationem Diuinæ miſericordiæ, quæ in hoc ſtatu etiam debet eſſe frequens, vt animus conſideratione propriorum malorum territus, & de ſe diffidens, ad Diuinam miſericordiam confugiat, eamque ardentius expetat, eoque magis de illa confidat, quo de ſe magis diffidit. Ad ſtatum vero, & orationem proficientium, quem ipſe Alenſ. iuſtitiæ vocat, accommodat definitionem eiuſdem Hugonis eodem loco. *Oratio eſt conuerſio in Deum per pium, & humilem affectum, fide, & ſpe, & charitate ſubnixa.* Non verò declarat accommodationem: cum tamen verba illa tam generalia videātur, ſicut illa Damaſceni libro 3. cap. 24. *Oratio eſt aſcenſus mentis in Deum.* Magis videtur poſſe huic ſtatui accommodari definitio, quam ibidem ex Auguſtino refert, quod ſit *Inquiſitio rerum inuiſibilium*, nam hoc videtur maxime ad viam illuminatiuam pertinere, quia mentis illuminatio, quantum eſt ex parte noſtra, regulariter fit per inquiſitionem. Quæ inquiſitio (vt paulo inferius ipſemet Alenſ. declarat) non eſt pure ſpeculatiua, ſed practica ordinata ad accendendum affectum in deſiderio virtutis, & oratione circa ea, quæ ad eius profectum pertinent, quod totum propriiſſime conuenit viæ illuminatiuæ. De contemplatione verò, ſiue via vnitiua optimè intelligitur definitio, ſeu encomium orationis, quod ex Ambro. ibidem refert: *Oratio eſt cibus mentis, præclaraque alimonia ſuauitatis, quæ membra non onerat, ſed in ornamenta conuertit,* vel quod Bernardus dixit ad Fratres in Monte Dei, parum poſt medium: *Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio, & ſtatio illuminatæ mentis ad fruendum quamdiu licet.* Quæ vltima verba maximè declarant ſtatum animæ, quæ ad vnionem aſcendit nā illuminata ſupponitur, & in Deo quieſcens ad fruendum illo. Vnde inferius addit Alenſ. hanc definitionem Bernardi reſpicere ſtatum orantis, non ſolum, vt eſt iuſtitiæ, ſed vt eſt iuſtitiæ conſummatæ (ſcilicet prout in hac vita eſſe poteſt) id eſt, quæ ponat in anima affluentiam gratiæ, per quam reddatur ad contemplandum expedita, & ad fruendum idonea.

D. Thom. Alenſ. D. Greg. Hugo. Alenſ. D. Dam. D. Aug. D. Amb. D. Bern. Alenſ.

8. Quamlibet illarum triū viarum communionem cū cæteris habere, ſicut etiam de triplici orantium ſtatu dictum eſt, diſtinctas tamen iuxta id quod in qualibet eminet.

8\. Ex his ergo per ſe ſatis patet, quomodo contemplatio propria dicatur eſſe perfectorum, & cur. Vt autem magis conſtet, quomodo ſit hoc in rigore intelligendum, adnotandum ſupereſt, quod ſicut illi tres gradus hominum non ſunt inter ſe ita condiſtincti, quin vnuſquiſque eorum aliquid de cæteris participet, ita neque hæ tres viæ ita debent inter ſe ſeparari, quia in vnaquaque earum aliquid ad cæteras pertinens exerceri poſsit, & debeat. Cuius ratio vno verbo reddi poteſt, quia perfectio in hac vita numquam tanta eſt, quin & ſit admiſta multis imperfectionibus, & periculis expoſita, & ideo ſæpe indiget adminiculis, & remedijs viæ purgatiuæ: neque etiam imperfectio eſt tanta, quin ſaltem perfectionem charitatis admittat, loquimur enim de hominibus, qui Dei iuſtitiam ex toto corde quærunt: & ideo aliquid de via vnitiua participare poſſunt. Cum autem facilius ſit, medium participare ex extremis, & extrema conuenire cum medio, quā inter ſe, fit, vt facilius poſſint illi, qui proficiunt, aliquid de via vnitiua participare. Diſtinguuntur ergo illæ viæ ſecundum id, quod in vnaquaque præeminet, quodque in ea regulariter exerceri debet.

9. Quæ contēplatio ſit propria perfectorum, & an omnes perfecti ea fruantur.

9\. Sic ergo dicendum eſt, contemplationem, quæ ſpectat ad viam vnitiuam eſſe propriam perfectorum quia talis contemplatio non quaſi per occaſionem, & in tranſitu exercetur, ſed per ſe, & quaſi ex habitu. Talis autem cōtemplatio requirit animum valde moderatum, & compoſitum diuque exercitatum, & illuminatum: hæc autem omnia non inueniuntur, niſi in his, qui gradum perfectionis attigerunt. Addendum verò eſt, non eſſe ita propriam, vt conueniat omnibus: non enim omnibus viris perfectis datur, vt gradu illo contemplationis fruantur: quod interdum contingit ex Diuina diſpoſitione, pertinente ad eius occulta iudicia. Vnde Bernardus ſerm. 3. de Circumciſ. *Multi (ait) tota vita ſua ad hoc tendunt, ſed nunquam pertendunt, quibus tamen, ſi pie, & perſeueranter conati ſunt, ſtatim vt de corpore exeunt, redditur quod in hac vita diſpenſatorie eſt negatum, illuc perducente eos ſola gratia, quo prius tendebant ipſi cum gratia.* Aliquando etiam hoc prouenit ex diſpoſitione ſubiecti, quia non omnes ad cōtemplationem apti ſunt, vel propter mentis tarditatem, vel propter nimiam naturæ inquietudinem, & celerem mutabilitatem, vt Gregorius notauit libro ſexto Moral. cap. 26. & quamuis Diuina gratia ſuperare poſsit quaſi naturalem ſubiecti incapacitatem: ordinarie vero illi ſe accommodat, & ideo in huiuſmodi contemplationis vſu: ratio etiā naturalis complexionis, & capacitatis habenda eſt: quod ſuo modo in toto vſu mentalis orationis verum eſt. Cum proportione tamen, nam contēplatio dicit id, quod eſt ſummum in oratione mentali, ad maximum tamen, & excellens non omnes poſſunt pertingere: mentalis autem oratio latitudinem habet tantamque varietatem, vt ſecundum aliquem modum omnibus poſsit accommodari, quod ad vſum, & prudētiam pertinet, & ideo id non proſequor.

D. Bern. D. Greg.

10. Contemplationis dulcedo in quolibet ſtatu reperiri poteſt.

10\. Denique addendum eſt, non eſſe ita propriā cōtemplationem virorum perfectorum, quin magna ex parte deguſtari poſsit ab imperfectis: imo & ab incipientibus. Quod his verbis tetigit Bernardus ſermon. 3 de Circumciſ. *Ad hanc perfectionem pauci (ni fallor) perueniunt in hac vita: neque enim ſi quis aliquando videtur hanc habere, continuo credat ſibi, neceſſe eſt, maxime ſi nouitius eſt, nec per præfatos aſcendit gradus. Pius enim Dominus noſter Ieſus Chriſtus puſillos corde blandiijs talibus ſolet allicere: ſed nouerint, qui eiuſmodi ſunt gratiam hanc præſtitam ſibi eſſe, non datam.* Datur ergo etiam incipientibus interdum participatio aliqua huius contemplationis ex peculiari quidem gratia, ordinaria quidem, vt exiſtimo, ſi ipſi faciant, quod in ipſis eſt. Nec opinor, eſſe ab illo ſtatu alienum, quod interdum ex inſtituto, & induſtria in actibus vitæ contemplatiuæ exerceantur etiam hi, qui purgantur, nedum etiam illi, qui proficiunt. Primò, quia omnes frequenter exerceri debent in actibus Diuini amoris perfectis quantum potuerint, quia licet Diuinus amor ſit bonorum omnium conſummatio, etiam eſt omnium fons, & origo, ita vt ipſamet conuerſio peccatoris ab amore incipere debeat vt ſit perfecta: amor

D. Bern.

Digitized by Google

autem per ſe pertinet ad viam vnitiuam, quia in eo maximè vnio conſiſtit, vt generatim explicat Diuus Thom. 1. 2. quæſt. 28 articul. 1. & 2. (*D. Thom.*) Quod ſi omnibus conuenit in hoc amore exerceri, vtile etiam erit aſſueſieri paulatim ad perſiſtendum in hoc amore cũ aliqua quiete & tranquillitate animi, quantum vnicuique donatum fuerit deſuper. Præterea, quia ſuauitas deuotionis in omni ſtatu vtiliſsima eſt, hãc autem non generat niſi amor, vel ſubſtantialis deuotio, quæ omnibus procuranda eſt, licet ad viam vnitiuam maximè ſpectet. Denique ex parte intellectus optimum eſt non ſemper eſſe quaſi in continuo motu, ſed paulatim quieſcere, veritatem aliquam ponderando, exaggerando, & admirando: nam hæc ipſa intellectus quies ad mouendum affectum plurimum iuuat: hæc autem ipſa eſt quædam contemplationis inchoatio, & quanto amplius in ea perficitur, tanto magis de contemplatione participatur. Sic ergo aliquid contemplationis omnibus communicatur: *longè tamen aliter* (vt Bernardus ait ſuprà) (*D. Bern.*) *qui exercitatos habent ſenſus, huius felici fruuntur iucunditate.*

Capvt XII.

Vtrum Contemplatio, vel aliqua mentalis oratio poſsit interdum ſine actu intellectus, ac voluntatis inueniri.

1. *Aliquorum opinio quæſtionem propoſitam affirmatiuè reſoluit.*

NOn defuerunt ſpirituales viri in Theologia myſtica multum exercitati, qui dixerint, poſſe interdum contingere, vt anima in mentali oratione, vel contemplatione poſita, ita ſuſpendatur, vt ab omni actuali operatione tam intellectus, quam voluntatis ceſſet, & nihilominus apud Deum actu orare, & altiſsimum quoddam genus contemplationis exercere cenſeatur. Quam vocant orationem ſilentij ſeu ſpiritualem ſomnum in quo mens vigilat, non loquens, ſed quaſi audiens, vel expectans, vt in ea loquatur Dominus.

2. *Ioan. Thaulerus illius eſt opin.*

Huic ſententiæ fauere videtur Ioannes Thaulerus in ſuis Inſtitutionibus c. 12. vbi agens de raptu illo, in quo ſpiritus ſupra omnem ſenſuum, ac intellectus capacitatem à Deo in admirabilem lucem ſuam deducitur, rapiturque, inter alia inquit: *Ibi planè ſpiritus præ lumine abſque luce præ cognitione abſque cognitione, & præ amore abſque dilectione efficitur.* Et infra: *Hic iam internum quoddam, mutumque ſilentium fit, nec vllum hic verbum eloqui licet. Sed nec intus, nec foris quicquam hic operari permittitur, ſed ipſe ſpiritus patitur dulcem quandam, inſenſibilem, & ineffabilem paſsionem, inſuper mirabili miraculo lucidiſsime ſuperſplendentis, abyſſalis Deitatis.* Videturque doctrina hæc hauriri poſſe ex Dionyſio capite primo de Myſtica Theologia, vbi ſic ad Timotheum loquitur: (*D. Dionyſi. huic ſententiæ fauere videtur.*) *Tu autem Timothee chariſsime, pro maxima myſticorum ſpectaculorum exercitatione, quæ vales prætermitte & ſenſus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ ſub ſenſum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non ſunt, & quæ ſunt omnia: itque ad eius (qui omnem eſſentiam, omnemque ſcientiam ſuperat) coniunctionem, & vnitatem pro virili parte clam excita.* Quibus verbis ſignificat, quãuis in contemplatione præcedat actio propria, qua ſe ipſam anima clam excitat, ſeu mouet, vt Deo cõiungatur, tamen cum peruenit ad intimam vnionẽ ab omni propria operatione ceſſare, & pati potius Diuina quam agere, ſicut de Beato Hierotheo alibi dixit idem Dionyſius, quod erat potius Diuina patiens, quàm agens. Atque de eadem re videtur loqui idem Dionyſ. cap. 7. de Diuinis nomin. cum dicit, *ignoratione acquiri intimam coniunctionem cũ Deo, & mentem à rebus omnibus abductam, & ſe ipſam deſerentem cum ſplendidiſsimis radijs coniungi, & ibi inueſtigabili ſapientiæ profundo illuſtrari:* hæc enim illuſtratio non videtur eſſe intellectus, aut voluntatis operatio, ſed paſsio aliqua, quam Deus in anima tunc operatur.

3. *Ratione probatur opin.*

Vnde concluditur ratiõ: nam mens non eleuatur in Deum per ſolam propriam actionem ſuam, ſed etiam, ac multò magis per actionem Dei in ipſam: ſed operatio intellectus, ac voluntatis nõ poteſt eſſe ſine actione propria hominis, quia cum ſit vitalis operatio, non poteſt in ſola receptione conſiſtere, ergo abſque operatione intellectus, vel voluntatis poteſt eſſe aliquis modus vnionis, ſeu eleuationis mentis in Deum. Et confirmatur, quia licet in oratione mentali anima loquatur cum Deo, propter quod Nilus, Chryſoſto. & alij orationem (*Nilus. Chryſoſt.*) definiunt, eſſe *Colloquium mentis cum Deo,* tamen etiam Deus loquitur ad animam, iuxta illud, *Audiam, quid loquatur in me Dominus*, Pſalm. 84. (*Pſalm. 84.*) & illud Samuelis: *Loquere Domine quia audit ſeruus tuus.* 1. Regum 3. (*1. Reg. 3.*) Et ipſa vox *colloquij*, qua vſus eſt Nilus, ſignificat in oratione interuenire mutuam locutionem & hominis ad Deum, & Dei ad hominem: ergo quamuis ceſſet hominis locutio, poteſt non ceſſare oratio per locutionem Dei. Immò quamuis homine tacente, nondum Deus ad illum actu loquatur, intelligi poteſt perſeuerare homo, quaſi ſuſpenſus, & paratus ad audiendum Deum, & ad hunc ipſum finem ſuſpendens omnem operationem, non ſolùm ſenſus, ſed etiam mentis, ſic enim magis diſpoſitus, minuſve impeditus eſſe videtur ad recipiendam, & percipiendam Diuinam locutionem. Neque enim tunc omnino otioſa, aut dormiens eſt talis mens, quia Deum expectat, vt ſecum loquatur: nouit enim ſubtiliſsimam eſſe intimam Dei locutionem, & raptim, & occultè fieri, vt dixit Gregor. li. 5. Moral. cap. 20. (*D. Greg.*) & ideo vt omne impedimentum auferat, propria operatione vacat, & ita dormit, vt cor eius vigilet Cant. 5. (*Cant. 5.*) Ideo enim velut obdormiſcit, vt omnem interiorem ſtrepitum fugiat, & in illo quaſi ſpirituali ſopore venas Diuini ſuſurri percipiat, iuxta illud Iob. 4. (*Iob. 4.*) *Quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius in horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines &c.* Et fortaſſe huiuſmodi fuit ſopor, quem Deus immiſit Adam, quando ex illo Euam formauit, eique altiſsima myſteria reuelauit.

4. *Declaratur ampliùs propoſita ſententia.*

Denique quamuis oratio conſideretur etiam, vt eſt propriè petitio, poteſt intelligi moraliter, ac virtute perſeuerare, etiamſi actualis operatio pro aliquo momento, aut tempore ceſſet. Quod ſenſibili exemplo declarari poteſt. Quando enim pauper accedit ad ianuam diuitis, & ſemel atque iterũ pulſat, & eleemoſynã petit, quamuis poſtea ceſſet, quãdiu ibi reſpõſum, & eleemoſynã expectat eleemoſynã petere merito dicitur: ſic ergo dum quis mẽte orat ad Deum, poſtquã ſemel, & iterũ petijt, ſi ibi perſeuerat tanquã Lazarus mẽdicus, ſtans ad ianuã diuitis, ſemper & cõtinuè orat quãuis non ſemper & continuè vociferetur ad Deum. Nouit enim ex Chriſti doctrina, orationis efficaciam non pendere ex multiloquio, ideoque apud Deum non minus orare dum humiliter ad ianuam eius expectat, quàm dum actu poſtulat: imò quodammodo fidem ſuã, ac fiduciam magis oſtendit. Ergo licet tunc ab omni intellectus, & voluntatis operatione ceſſet, nihilominus in oratione perſeuerat.

5. *Vera ſententia eſt actualem, & propriã orationem mentalem, eſſe non poſſe abſque omni actu intellectus, vel voluntatis.*

Dicendum tamen eſt, actualem, & propriam orationem mentalem non poſſe exiſtere, aut conſeruari in ſuo proprio ac formali eſſe abſque omni intellectus, vel voluntatis actu. Hæc aſſertio videtur adeò clara ex terminis, vt veriſimile non ſit auctores prioris ſententiæ, illi voluiſſe contradicere, ſed alio ſenſu fuiſſe locutos, vt mox exponemus. Atque illam ſupponit D. Thom. d. quæſt. 83. (*D. Thom.*) non ſolum in art. 1. vbi docet, orationem eſſe actum rationis & in art. 10. vbi ex hoc fundamento concludit, orationẽ eſſe

eſſe actum proprium creaturæ rationalis: ſed maximè art. 13. vbi interrogans, vtrum attentio ſit de neceſsitate orationis præmittit, quæſtionem hanc præcipue habere locum circa orationem vocalem, in qua cōtingit, durare exteriorem petitionem, ſeu prolationem vocis ceſſante interiori attentione & intentione, quod in mentali oratione accidere non
D. Dam. poteſt. Idem etiam colligitur ex definitione Damaſceni, quod oratio eſt *aſcenſus mentis in Deum*, nā mens non aſcendit, niſi per aliquem actum ſuum: tum quia aſcenſus motum ſignificat in Deum: motus autem in Deum ſine actu intellectus, vel voluntatis intelligi non poteſt: tum etiam quia anima non aſcendit in Deum per nudam potentiam, aut per ſolum habitum, ergo vt aſcendat indiget actu, ergo ſi nullum actum exercet tam per intellectum, quàm per voluntatem, non aſcendit in Deum, ac proinde non orat.

6. *Patres explicantes orationē per actū mentis erga Deum huius opinio*
nis eſſe. Atque in hunc modum poſſunt pro hac ſententia referri Patres omnes, qui vbique rationem orationis explicant per aliquem actum mētis erga Deū, ſiue nomine contemplationis, aut ſapientiæ, ſiue nomine vnionis, colloquij cogitationis, meditationis, conſiderationis, aut etiam vnionis vtantur. Sed præcipuè ponderanda eſt doctrina Dionyſ. in c.
D. Dion. 3. de Diuinis nominibus vbi ad orandum in primis neceſſarium eſſe ait, *ad Deum bonitatis principem prouehi, eiq; adeſſe, atque è vicino diſcere benigniſſima illi inſita munera.* Explicans autem, quid ſit, *ibi adeſſe*, ſubiungit: *Nam ipſe quidem adeſt omnibus, non autem illi adſunt omnia, vbi vero ipſum caſtiſsimis precibus, animoque purgato, & pernio, atq; ad Diuinam idoneo coniunctionem inuocamus, tunc quoque illi adſumus.* Et infrà concludit: *Itaq; nos ipſos ad celſiorem Diuinorum clariſsimorumq; radiorum contuitum orationibus in primis comparamus.* Quod deinde proſequitur, & varijs exemplis declarat: quibus hoc efficit, vt ad coniunctionem cum Deo, quæ per orationem fit, neceſſaria ſit operatio aliqua, & motus animę in Deum ipſum, ac proinde, omni motu animæ ceſſante, orationem mentis ceſſare.

7. Ratione idem oſtenditur, ſimulque rem totam
Ratione declaratur hæc opinio. explicando, ſenſus, quem prior ſententia habere potuit, aut debuit, aperietur. Nam in primis ad inchoandam mentalem orationem neceſſarius eſt aliquis actus intellectus aut voluntatis erga Deum, ſi enim homo prius non orabat, & nūc iam actu orat, neceſſe eſt aliquam mutationem in eo eſſe factam, nam orare, præſertim mentaliter, non eſt denominatio extrinſeca, ſed interna ab aliqua inhærente mutatione, vel forma. Conſtat autem neceſſarium non eſſe ad actualiter orandum, vt fiat mutatio aliqua in habitibus, vel alijs qualitatibus, quæ habent rationem actus primi, ergo mutatio eſſe debet in aliquo actu ſecundo, qui eſſe debet actus intellectus, vel voluntatis, nam hæ tantum potentiæ per ſe poſſunt Deum attingere, ad quem oratio funditur, vt ſupponimus. Inferiores enim facultates, vel ad Deum propriè non pertingunt, vel ſi ad eum aliquo modo feruntur, tantum eſt, quatenus per motum intellectus, vel voluntatis attrahuntur, iuxta illud. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Neceſſe ergo eſt, vt ſupponatur ſuperioris portionis, ſeu mentis actus, in quo (vt ita dicam) ſubſtantia orationis conſiſtat.

8. Quodſi actualis oratio mentalis non incipit eſſe
Eadē ſententia confirmatur ex diſcrimine orationis mētalis & vocalis. in homine, niſi per proprium motum intellectus, & voluntatis, profecto nec conſeruari actu, & formaliter poteſt ſine omni actu mentis, nam in ſola potētia, vel habitu non conſeruatur, vt patet in homine dormiente, qui non orat, licet immediatè ante ſomnum actu oraret, & eandem diſpoſitionem habitualem retineat, quam antea habebat. Confirmatur, & deelaratur ex differentia quoad hanc partem inter orationem vocalem, & mentalem. Nam vocalis oratio vltra omnem interiorem actum mentis, addit exteriorem petitionem, laudationem, vel aliam ſimilem actionem, ſeu vocis prolationem, & ideo contingere poteſt, ſæpeq; fit, vt oratio vocalis actu perſeueret ſine proprio, & formali actu interno, qui ſit mentis oratio, ſatisq; eſt, vt duret virtus relicta ex tali actu, quem propterea præceſsiſſe neceſſe eſt, ſaltem ad inchoādam vocalem orationem, quāuis ad eam conſeruandam non ſit ſemper formaliter neceſſarius. At verò mentalis oratio, cum in ſola mēte conſummetur, & ibi ſiſtat ſicut non poteſt eſſe niſi per aliquem actum mentis, ita non poteſt conſeruari, niſi in aliquo actu eiuſdem mentis, ſiue intellectus, ſiue voluntatis ſit: quia nullus alius ibi interuenit actus in quo poſsit conſeruari.

Dices, poſſe cōſeruari in aliquo effectu illius pri- 9.
mi actus, in quo mentalis oratio inchoata fuit. Vt *Obiectio.*
verbi gratia, ſiquis ad orandum mētaliter accedat, neceſſe quidē eſt vt ſaltem in principio de ea re cogitet, eamq; voluntarie incipiat, vel in memoriam reuocando Deum, vel aliquid, quod meditandum, aut poſtulandum, aut amandum, vel deſiderādum ſibi proponat: & conſequenter neceſſarium eſt, vt illud munus per aliquem proportionatum actū inchoet, ex quo actu manet anima aliquo modo coniuncta, & vnita Deo. Vnde quamdiu illam voluntatem non mutat, nec voluntariè diſtrahitur, cenſetur in eadem diſpoſitione erga Deum manere, ergo ratione huius effectus poteſt dici oratio durare, etiāſi actus ille intellectus, vel voluntatis aliunde ceſſet. Immò etiamſi talis mutatio ſit voluntaria, ſi illa met ad cultum Dei referatur ob maiorem Dei reuerentiam, nimirum ad venerādum ipſum interno quodam ſilentio, vel quia vult anima potius Deum audire, quàm ad eum loqui, vel aliquid ſimile, cū hac voluntaria ceſſatione poteſt dici durare oratio, tanquam in effectu ſuo quo Deus colitur, & excitatur, ſeu mouetur ad miſericordiam homini præſtādam illuminando illum, vel implendo deſiderium eius, qui eſt orationis finis & effectus.

Poſſumus verò contra reſpōſionem hanc vrge- 10.
re, quia licet aliquo modo declaret, poſſe virtuali- *Reſpōdetur*
ter, & ſecundum quandam moralem conſideratio- *obiectioni.*
nem, perſeuerare orationem, ceſſante omni actu intellectus, vel voluntatis, non tamen formaliter, & propriè, de quo nunc agimus. Nam effectus orationis, qui nec eſt petitio, nec aſcenſus in Deum, nō eſt formalis oratio, ergo licet poſsit dici oratio virtualiter manere in tali effectu, non tamē propriè, & formaliter. Vt ceſſāte motu, qui fuit cauſa caloris, quāuis duret calor, non poteſt dici durare formaliter motus ſed ad ſummū virtualiter, idēq; eſt in omni cauſa tranſeunte, cuius effectus permanet, qui eiuſdem rationis non eſt, ſed longe diuerſæ.

Addo verò vlterius, nec etiam dici poſſe menta-
lem orationem durare moraliter, aut virtualiter, 11.
eeſſante omni actu intellectus, aut voluntatis ratione alicuius effectus relicti ex talibus actibus. Ratio eſt, quia nullus talis affectus verè, & cū fundamento cogitari poteſt. Aut enim ille effectus poſitiuus eſt, aut priuatiuus. Poſitiuus eſſe non pōt, nam aut eſſet aliquid per modū actus primi, ſeu habitus, aut eſſet aliquis actus ſecundus: neutrū verò dici poteſt, ergo. Probatur Minor quoad priorē partem, quia neceſſe non eſt, vt per actus intellectus, vel voluntatis, quibus Deum actu oramus, ſtatim acquiratur, vel infundatur habitus aliquis, vel lumen, aut quid ſimile permanens poſt prædictos actus, præter ſpecies, quibus poſtea recordamur pręteritę orationis, & eorum, quæ in illa geſsimus, vel augmentum aliquod, ſeu intenſio alicuius virtutis, cuius internos actus homo in oratione exercuit, vel interdum fieri etiā poteſt, vt de nouo infūdatur habitus, vt ſi homo in meditatione ſua incipiat habere contritionē, vel amorem Dei ſuper omnia. At huiuſmodi

effectus

Digitized by Google

effectus non ſufficiunt, vt quamdiu illi durant, dicatur homo orare, aut oratio ipſa moraliter, ſeu virtualiter durare, vt per ſe notum eſt. cum illi effectus per totum vitæ tempus durare poſſint. Altera vero pars de actu ſecundo probatur: nam ille actus eſſe debet aut intellectus, vel voluntatis, ergo ſi ratione talis effectus, durat oratio, iam non durat ſine actu intellectus, vel voluntatis, quod nos intendimus. Eſtque certiſſimum, & experientia notum in oratione mentali ex vno actu mentis excitari alium, tã in eadem potentia voluntatis, vel intellectus, quàm ex vna earum in alia, eo modo, quo ſe mouere inuicem poſſunt. Vnde etiam fit, vt hæ potentiæ trãſeant, durante oratione, à quibuſdã actibus ad alios, quoſdam relinquendo & alios inchoando abſque ceſſatione, vel intermiſſione orationis, quia mens nunquam vacat omni actu, ſed ab vno immediatè tranſit in alium.

12. *Obijcitur iterum.*

Dices, fieri poſſe, vt ille effectus tantùm ſit aliquis actus appetitus ſenſitiui: nam, vt ſuprà dicebam, excitatur hic appetitus in oratione mentali, & ſuo modo, vel in Deo delectatur, vel deſiderat honeſta, vel fugit turpia, aut de malis contriſtatur, poteſt ergo hic effectus in eo manere, etiamſi poſt illum excitatum ſuperior mens à ſuis actibus ceſſet. Quod etiam videtur experimento comprobari: nam contingit, *Obiectio roboratur experimento.* mentẽ eius, qui ſuauiter de Deo cogitabat, eumq; amabat, diſtrahi, & de re alia omnino diuerſa cogitare, & nihilominus pro eodem tempore eandẽ ſenſus ſuauitatem, & delectabilem affectum durare, ergo ratione illius effectus dicetur durare oratio abſque actu intellectus, vel voluntatis.

13. *Reſpõdetur.*

Reſpondeo, negando aſſumptum, & illationem. Nam in primis probabilius eſt hunc effectum, ſi ſit actus ſecundus, & vitalis inferioris appetitus circa talia ſuperiora obiecta pendere in fieri, & conſeruari ab actu ſuperioris partis, quia appetitus inferior non eſt per ſe capax talis motus, ſed ſolùm prout à ſuperiori parte mouetur, & ideo ceſſante motione ſuperioris, ceſſat talis motus in portione inferiori. *Ariſt.* Item quia vt Ariſt. dixit, neceſſe eſt, intelligentem phantaſmata ſpeculari, & ideo ſi mens, quæ de Deo cogitabat, ad aliud obiectum diſtrahitur, ſecum etiam fert phantaſiam, vt de alio obiecto proportionato cogitet, vel (quod frequentius contingit) phãtaſia ſecum fert intellectum, nam hæc diſtractio regulariter à ſenſu, vel imaginatione incipit. Quando ergo tanta eſt diſtractio intellectus, vt omninò ceſſet à cogitatione Dei, etiam phantaſia ceſſat à repræſentatione illius obiecti ſenſibilis, quod habebat proportionem cum cogitatione Dei: & ad vtẽdum alia phantaſmate omninò diuerſo transfertur, & conſequenter neceſſe eſt, vt ceſſet omnis actus appetitus ſentientis in illa ſenſibili repræſentatione fundatus.

14. *Obiectionis confirmatio refutatur.*

Neque oppoſitæ experientiæ fides adhibẽda eſt, quia ſi quid pro illo tempore, quo mens diſtrahitur, durare videtur in appetitu ſentiente, vel nõ eſt propria, & vitalis delectatio, vel triſtitia, ſed diſpoſitio quædam, & aptitudo corporis, & humorum eius, ratione cuius facilè reuertitur homo ad priorem affectum, cum primum attendit, vel certè ſi actus ipſe ſenſibilis durat, ſignum eſt, mentem non fuiſſe omnino diſtractam, licet fortaſſe fuerit aliquantum remiſſa propter pugnam, ſeu occurſum aliarum cogitationum. Vnde ſatis conſtat ratione huius effectus ſenſibilis nunquam durare orationem abſque omni actu intellectus, aut voluntatis. Præſertim quia licet (per impoſſibile) duraret ille actus ſenſibilis ſine intellectuali, non poſſet mereri nomen orationis mentalis, quia non eſſet aſcenſus mentis in Deum, ſed tendentia ſolum in quoddam obiectum ſenſibile, vel ſub ratione aliqua ſenſibili, quæ poſſit ſenſum delectare, vel contriſtari. Vnde nullus motus appetitus ſentientis per ſe habere rationem orationis, ſed ſolum vt eſt ſub motione, & denominatione ſuperioris actus mentis.

Supereſt, vt dicamus de effectu priuatiuo, qui dicebatur eſſe ceſſatio ab omni actu intellectus, ſeu voluntatis: nullus enim alius priuatiuus effectus in præſenti fingi poteſt: hæc autem ceſſatio vix cogitari poteſt, quo modo ſit effectus orationis, cum illam deſtruat, aut quid conferre poſſit ad finem, vel fructum orationis, vt ratione illius dicatur oratio virtualiter, moraliterue durare. Vnde vlterius addo, & concludo, ceſſante omni actu intellectus, & voluntatis, non ſolùm non poſſe durare orationem formaliter, & in ſe, verum etiam nec virtualiter aut moraliter, ſeu æquiualenter. Vtorque, quoad hunc effectum priuatiuum, dilemmate in obiectione inſinuato. Quia vel illa ceſſatio ab omni actu intellectus, & voluntatis inuoluntaria eſt, ſiue merè naturalis ſit, ſiue cum aliqua negligentia, vel culpa (nunc enim inuoluntarium vocamus, quidquid directè voluntarium non eſt) vel illa ceſſatio eſt directè volita, & intenta. Quando contingit priori modo omnes fatentur, eo ipſo ceſſare hominem ab actuali oratione mentali, vel abſque culpa, vel cum illa iuxta modum inuoluntarij. Nam ſi diſtractio ſit omninò naturalis, erit quidem ſine culpa: impedit tamen actualem orationis vſum quoad mentem, quia impedit rationis vſum circa obiectum orationi proportionatum, & quia omnino tollit voluntarium: de ratione autem rationis eſt, vt voluntaria ſit. Si autem diſtractio illa ſit indirectè voluntaria ex culpabili negligentia, multò magis deſtruet orationis perſeuerantiam non ſolum phyſicè, ſed etiam moraliter, quia illi maximè opponitur, & ob eam rem culpabilis eſt, nec in ea ceſſatione tunc interuenit aliqua ratio Diuini cultus, vel tẽdentiæ in Deum, aut vis aliqua impetrandi à Deo, immò neque aliqua vera ratio alicuius virtutis. Quomodo ergo fieri poteſt, vt propter huiuſmodi ceſſationem dicatur oratio mentaliter durare? — 15. *Carentia actus non poteſt eſſe virtualis oratio.*

16. Atque hę rationes quodammodo magis vrgent, quoties ceſſatio illa directè fuerit voluntaria, quia velle ceſſare ab omni actu intellectus, vel voluntatis circa Deum, vel res Diuinas, numquam poteſt eſſe verus actus Religionis, nec procedere ex motiuo perfectius orandi, aut vacandi Deo, aut impetrandi aliquid ab ipſo, quia tale otium mentis quod priuet illam omni huiuſmodi actu, non poteſt ad finem orationis, vel interni cultus Diuini deſeruire, ergo ob talem voluntatem, vel voluntariam ceſſationem non poteſt actualis oratio durare, nec phyſicè, nec moraliter, nec verè, nec interpretatiuè. Antecedens videtur quidem per ſe euidens, tum quia in tali otio, aut quiete, vel ſomno, aut ſilentio potẽtiarum nulla vera vtilitas, aut commoditas ſpiritualis excogitari poteſt, neque aliqua vera ratio Diuini cultus, tum etiam quia difficillimum eſt, vel moraliter impoſſibile mentem voluntariè ſuſpendere ab omni actu erga Deum: niſi transferendo illam ad aliam cogitationem, vel actum priori repugnantẽ, hæc autem eſt voluntaria diſtractio, quæ mentalem orationem omnino excludit, vt oſtenſum eſt. Sed hæc omnia magis confirmabuntur, & clariora fient, reſpondendo ab ea, quæ in contrarium afferebantur.

17. *Verba Thauleri exponũtur.*

Primum igitur adducitur pro illa ſentẽtia Thaulerus, qui non ſcholaſtica ſubtilitate, ſed myſtica phraſi loquitur, & ideo in eius verbis non poteſt magnum fieri fundamentum, etiam ſi eius auctoritati deferre velimus. Re tamen vera non ſentit animam ad illum gradum perfectionis, vel cõtemplationis euectam, Dei cognitione, aut amore carere: immò oppoſitum expreſſe affirmat. Nam poſt illa verba: *Præ lumine abſque luce, præ cognitione abſque cognitione, præ amore abſque dilectione*, ſubiungit: *Non*

quod

quod abſque dilectione fit, ſed in ſua cognitione, vbi contemplationis oculum ad ſe ſe reflectit, omnis ei eſſentia, vita, vires, cognitio amorq; ſuus nimis parua videntur ad ſummum Deum comprehendendum. Vnde potius ſentit lumen, & amorem illius gradus contemplationis tantæ eſſe perfectionis, & æſtimationis, vt omnis inferiorum rerum cognitio, & amor quaſi nihil reputetur. Vnde cum inferius ait, *ibi fieri internum ſilentium, vbi iam nihil eloqui licet*, fortaſſe loquitur de propria locutione humana, ſiue fiat per ſenſibiles voces, ſiue per verba mentalia, quæ ſint vocum ſenſibilium conceptus, ita enim (vt ſupra dicebam) frequentius loquimur interius ad Deum vel laudãdo ipſum, vel gratias ei agendo, vel aliquid ab eo petendo. Et de tota hac locutione optimè fieri poteſt, vt ceſſet in altiſsima contemplatione, vbi anima ſimplici quodam actu, & quaſi intuitu Deo præſentatur, eumque ſibi præſentem facit, & per intimum affectum ita illi vnitur, & quaſi in eo abſorbetur, vt nihil aliud eloqui valeat. Atque hac ratione dici poteſt tunc fieri ſilentium internum, & ſpirituale in anima, ſicq; intelligẽdi ſunt myſtici Doctores, aut ſpirituales viri cum de oratione ſilentij, ſeu in ſilentio loquuntur. Sic enim Bernard. libr. de Amore Dei cap. 4. loquens de perfecto illo ſtatu, in quo anima per amorem vnitur Deo, concludit dicens: *Hic eſt finis, hæc eſt conſummatio, hæc eſt perfectio, hoc eſt gaudium Domini, hoc eſt ſilentium in cœlo.*

18\. Quod verò addit Thaulerus, *neque intus, neque foris quicquam ibi operari permitti*: intelligendum neceſſario eſt de operatione diſtincta à ſimplici amore, quem in eo ſtatu non auferri, ſed perfici dixerat. Sunt enim verba iuxta ſubiectam materiam, & neceſſariam conſecutionem intelligenda: imò hoc ipſum ſignificat per illam *dulcem, & ineffabilem paſſionem*, quam in illa contemplatione anima recipit. Nam illa paſsio non eſt abſque operatione vitæ, alioqui nimis eſſet imperfecta, & infructuoſa, nullãq; ſpiritualem delectationem conferret. Eſt ergo vitalis illa paſsio, vnde non eſt ſine intellectus, vel voluntatis efficientia. Denominatur autem potius paſſio, quàm actio, quia principalis motor ibi eſt Spiritusſanctus, qui animam tunc agit per ſpecialiſsimũ auxilium internum, per dona ſua, & non tantum per ordinarium modum operandi virtutibus accommodatum, vt in ſequentibus latius exponemus.

19\. *Verba Dionyſij explicantur.* Ex his facilè eſt, verba Dionyſij, quæ ex cap. 1. myſticæ Theologiæ citantur, intelligere, cum enim Timotheo conſulit, *vt prætermittat ſenſus, & mentis actiones*, in primis non conſulit vt etiam ipſius Dei dilectionem prætermittat cum eum moneat, vt reliquis omnibus relictis, *ad Dei vnionem, & coniunctionem ſe excitet*, quæ vnio, & coniunctio in actu amoris poſita eſt, & interna excitatio ad illam per actum intellectus fit, quatenus ab ipſo homine *clam* fieri poteſt, vt Dionyſ. loquitur, id eſt, interno, & valde ſpirituali modo. Actiones ergo, quas relinquere conſulit, illæ tantum ſunt, quæ circa res alias, & extra Deum quouis modo verſantur. Vel certè etiam intelligit omnem actionem aliquo modo propriã ipſius hominis, & à proprio ſpiritu profectã, & quaſi propria inquiſitione inchoatam: nam cum anima in altiſsima contemplatione ab Spirituſancto mouetur, non debet aliquid propriæ actionis miſcere, ſed Spiritusſancti ductum ſequi, quamuis id non faciat ſine vera efficientia, & cooperatione, vt dixi. Et in hoc ſenſu intelligẽdus eſt Dionyſ. quoties agit de illo gradu perfectionis, in quo anima ſancta potiùs patitur, quam agat: nam in illo ſtatu non caret anima veris actibus intellectus, vel voluntatis, alioqui maxima perfectione careret.

20\. *Dionyſ.* Quocirca ignoratio illa Dei, de qua loquitur Dionyſius capit. 7. de Diuinis nom. & alijs locis non eſt ignorantia priuationis, aut prauæ diſpoſitionis, ſic enim ignoratio Dei ſumma eſt imperfectio. Per ignorationem ergo intelligit quandam Dei cognitionem, per quam potius cognoſcitur, quid Deus non ſit, quam quid ſit, & ideo ignoratio eſſe dicitur. Diſtinguit enim ibi Dionyſ. duplicem modum cognoſcendi Deum: vnus eſt per effectus, qui eſt quaſi per affirmationem attribuendo Deo omnes perfectiones in illis effectibus inuentas, ſemotis imperfectionibus. Alter eſt per negationem, remouendo à Deo omnia creaturarum attributa, prout in eis ſunt, & ſiſtendo in quodam Dei conceptu vniuerſaliſsimo, & valde confuſo cuiuſdam entis, quod nec eſt terra, nec cœlum, neque homo, neque Angelus, ſed eminentius omnibus, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt. Et hunc cognoſcendi modum iudicat Dionyſius pro huius vitæ ſtatu eſſe meliorem, & magis accommodatum Diuinæ excellentiæ, eumq; per ignorationem appellat. Illa ergo ignoratio non excludit poſitiuum actum intellectus, vt ex dictis ſatis conſtat.

Ad rationem reſpondetur, eleuari quidem hominem in Deum per actionem Dei in ipſum, non tamẽ ſine cooperatione ſua, quia illa motio Dei nõ eſt talis, qualis eſſe ſolet circa rem inanimẽ, ſed quæ ad actum vitæ terminari poſsit: nam illa eleuatio in Deum vitalis eſt, actio autem vitalis non fit ſine cooperatione ipſiuſmet viuentis. Vnde ad confirmationem dicimus, verum eſſe, in oratione interdum loqui hominem ad Deum, interdum Deum ad hominem: neutrum autem fieri in homine ſine cooperatione ipſiuſmet hominis. Poteſt autem inter illa duo aſsignari differentia: nam locutio Dei ad hominem incipit à Deo per infuſionem, vel motionẽ, & applicationem aliquarum ſpecierum, & terminatur ad actum, qui in homine recipitur, & prout eſt principaliter à Deo, dicitur locutio Dei, prout vero eſt ab ipſo homine, dicitur auditio. Hanc doctrinam indicauit Bernardus ſermon. 45. in Cant. dicens: *Verbi lingua fauor dignationis eſt, animæ vero deuotionis feruor. Cum huiuſcemodi linguam ſuam verbum mouet volens ad animam loqui, non poteſt anima non ſentire.* Et infra: *Verbo ergo dicere animæ, pulchra es, & appellare amicam, infundere eſt, vnde amet, & ſe præſumat amari.* Locutio ergo Dei ad animam, teſte Bernard. non fit ſine perceptione, & operatione ipſius animæ, licet ſimul ſit operatio Dei: quæ interdum eius locutio vocatur, quando per eam illuminat animam, excitat, vocat, aut aliquid de nouo docet. Locutio autem hominis ad Deum eſt, quando aliquid ab ipſo deſiderat, vel deſiderium ſuum illi exprimit. Quæ quidem locutio etiam Dei eſt, & ab ipſo incipit, vel mouente affectum, vel dirigente intellectum, tamen non vocatur locutio Dei, quia per illam non tam mouet ad intelligendum, quam ad operandum: vocatur autem locutio hominis, quatenus cooperando gratiæ Dei ſuum affectum Deo exprimit. Vnde Bernardus ſuprà *Deuotionem* vocauit *linguam hominis*, fortè non quia ipſa deuotio locutio ſit, ſed quia mouet mentem ad loquendum. Vnde ſubdit: *Cum verbum mouet, latere non poteſt, non ſolum quia vbique eſt præſens, ſed propter hoc magis, quia niſi ipſo ſtimulante deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur.* Poſtea verò explicat hanc animæ locutionem per actus gratiarum actionis, admirationis, & præſertim recognitionis Diuinæ bonitatis, & dignationis. Vnde concludit: *Itaq; locutio verbi, infuſio doni reſponſio animæ, cum gratiarum actione admiratio.* Et ad hoc faciunt, quæ ſupra li. 1. retulimus ex Greg lib. 2. Moral. c. 4. Addi etiam poteſt, locutionẽ Dei ſemper recipi in intellectu hominis, quia homo non audit Deum niſi per intellectum ſuum, locutionem autem hominis ad Deum & intellectu, & affectu fieri poſſe iuxta dicta in libr. 1. & ita neutra locutio fit ſine intellectus, vel voluntatis operatione.

21\. *Ad rationẽ reſpondetur.* *Ad Confir.* *Diſcrimen inter locutionẽ hominis ad Deũ & Dei ad hominẽ.* *Bernard.* *Greg.*

22. *Replica.* Cum autem obijcitur, quia quando homo tacet, & nondum audit Deum loquentem, ſed ſiſtit quaſi expectans ſermonem Dei, tunc nihilominus orare, cum tamen nullum actum intellectus, aut voluntatis exerceat: *Reſponſio.* reſpondetur impoſsibile eſſe, vt eo tẽpore homo careat omni actu intellectus, vel voluntatis circa Deum, vel res Diuinas, niſi vel ad alia ſe transferat, vel dormiat, aut extra ſe ſit. Quæ diſpoſitio de ſe non eſt apta ad audiendum Deum, cũ Deus regulariter non loquatur ad hominem niſi attendentem, & vigilantem. *Gregor. exponitur.* Nec Gregorius vnquam dixit, ad percipiendam ſubtilem Dei loquelam conueniens eſſe ſuſpendere omnem actum intellectus, & voluntatis, ſed dixit oportere mentem colligere ab omni ſtrepitu phantaſmatum, & inferiorum deſideriorum. Verba eius ſunt: *Venas ſuperni ſuſurri auris cordis furtiuè ſuſcepit, quia ſubtilitatem locutionis intimæ afflata mens & raptim, & occultè cognoſcit. Niſi enim ſe ab exterioribus deſiderijs abſcondat, interna non penetrat, occultatur autem vt audiat, & audit vt occultetur, quia & ſubtracta à viſibilibus inuiſibilia conſpicit, & repleta inuiſibilibus viſibilia perfectè contemnit.* Itaque ad audiendum Deum interius vtile, ac ferè neceſſarium eſt, ab exterioribus vacare, non tamen omni actu intellectus, vel voluntatis carere. Fieri autem poteſt, vt homo taceat etiam mente, non actu petendo, nec inquirendo, aut diſcurrendo, tunc autem neceſſe eſt, vt maneat quaſi intuendo, & habendo Deum aliquo modo præſentem: & tunc poteſt homo dici quaſi expectare Diuinam locutionem per illuminationem aliquam, vel inſpirationem.

23. *Vltima obiectioni occurritur.* Atque eodem modo reſpondendum eſt ad vltimam inſtantiam de petitione, ſaltẽ virtuali per quãdam humilem expectationẽ ad ianuas Diuinæ miſericordię abſq; repetita petitione. Quidquid enim ſit, an talis modus orandi ſit vtilis, expediens, aut conſulendus, non videtur tamen dubium, quin ſit poſsibilis, dummodo non ponatur in vacuitate, & carẽtia omnis actus intellectus, vel voluntatis, nam illa non eſſet oratio, ſed otioſitas. Oportet ergo, vt homo cum ſic eſt ſuſpenſus, ſaltem conſideret, & reuereatur Diuinam maieſtatem, vel potentiam eius, & miſericordiam, & propriam indigentiam, & miſeriam coram Deo recognoſcat, quod vix fieri poterit ſine aliquo deſiderio, quod vt diximus, eſt plus, quam virtualis petitio, vt in ſimili dixit Augu- *Auguſt. D.Thom.* ſtinus tract. 49 In Ioannem, & Diuus Thomas d. q. 83, art. 17. Nullus ergo cogitari poteſt modus mentaliter orandi, in quo actus aliquis intellectus, vel voluntatis non interueniat.

CAPVT XIII.

Vtrum mentalis oratio, ſeu contemplatio poſſit conſiſtere in ſolo actu voluntatis, nullo exiſtente actu intellectus.

1. *Senſus quæſtionis.* IN hac quæſtione non agimus de oratione tantùm ſtrictè ſumpta pro actu petitionis, ſed generaliter de contemplatione in aſcenſu, vel in vnione mentis cum Deo, aſcendit enim, & ſuo modo vnitur tam per intellectum, quàm per voluntatem, vt per ſe conſtat. Inquirimus ergo, An interdum contingat, in oratione mẽtali hominem manere vnitum Deo per voluntatem, ceſſante omni actu intellectus? Nã quod interdum hoc contingat in hominibus valde perfectis, & illuminatis, ſenſit D. Bonauent. 2. tom. *Bonauent. opinio.* Opuſc. tract. de Myſtica Theologia, vbi in fine eius hanc quæſtionem proponit: & poſt longam diſputationem concludit, duplicem eſſe viam aſcendendi ad Deum vſque ad vnionem affectiuam cum ipſo: vnam ſcholaſticam vocat, aliam myſticam, nã prior requirit inquiſitionem, & ſtudium hominis, qui ex cognitione rerum inferiorum aſcendit ad cognitionem Dei, & tandem terminatur ad affectu, & in hoc genere meditationis, vel contemplationis fatetur voluntatem ſequi intellectum, & non poſſe affectum ſine præuia cognitione durare. At verò in via myſtica putat affectum præire, & immediate motũ ab Spiritu ſancto vniri Deo per ardorem, & ignitam affectionem. Et interdum ſignificat talem affectum reperiri ſine cogitatione, vel cognitione *præuia*, aut *concomitante*, aliquando verò indicat ex illo affectu ſtatim ſequi cognitionem: *nam illud* (inquit) *quod ſentit affectus, verè intelligit intellectus.* Et infra ex mente Dionyſij ſic ait: *Vnde ſecundum illam virtutem motam ab Spiritu ſancto immediate eſt multo maior de Deo cognitio, quam per omnem intellectum, per rationem inueſtigantem. Vnde primum tangitur ſupremus apex affectus, ſecundum quem mouetur per ardorem in Deum, & ex iſto contactu relinquitur in mente veriſsima cognitio intellectus, nã illud ſolum, quod ſentit de Diuinis, veriſsime apprehendit intellectus, vt dicitur in fine principij myſtica Theologiæ &c.*

Hoc enim modo intelligit Bonauen. Dionyſium lib. de Myſtica Theologia in principio, cum monet 2. Timotheum, *derelinquere ſenſus, & intellectuales operationes, & omnia ſenſibilia, & intelligibilia, & omnia exiſtentia, & non exiſtentia, & ſicut poſsibile eſt, ignote conſurgere ad eius vnitionem, quæ eſt ſuper omnem ſubſtantiam, & cognitionem.* Sic etiam intelligit quę capit. 7. de Diuinis nominibus tradit Dionyſius de ſingulari, ac myſtica ſapientia, quam *ſtultam, irrationabilem, & amentem* vocat, illam enim ſapientiam eſſe putat affectum voluntatis ad Deum ſine præuia, ac duce cogitatione. Atque ad hoc accõmodat illud Pſalm. 33. *Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Refertq; in confirmatione ſuæ ſententiæ Vercellenſem commentatorem Dionyſij, qui ita illum intellexit.

Præterea, adducit Bonauent. rationes ſatis myſti- 3. *Rationes myſticæ Bonauentu.* cas, & à longe petitas: prima eſt, quia anima gradatim aſcendit in Deum prius attingendo, vel participando id, quod eſt quaſi vltimum in Deo, ſed in Deo Spiritus ſanctus, qui eſt amor, eſt vltima perſona: Filius vero, qui per intellectum procedit, eſt prior, ergo è conuerſo anima, quæ aſcendit in Deũ, prius aſcendit per affectum, quam per intellectum. Secunda ratio eſt, quia in ſuprema hierarchia Angelorum primus ordo eſt Seraphinorum, qui affectu excellunt, & ardent, ergo ſignum eſt in myſtica, & ſuprema vnione ad Deum præcedere affectum, & ſubſequi intellectum. Tertia, quia Deus primo, & principaliter mouet in homine id, quod eſt ipſimet Deo affinius, ſeu propinquius, ſed affectus per amorem diſpoſitus eſt ſupremus in rationali ſpiritu, & per conſequens ſpiritui increato propinquior, intellectus vero eſt potentia multò diſtantior à creatore, ergo quãdo Deus vult perfectè ſibi vnire hominem, prius attrahit affectum eius, quàm intellectum. Quarta, quia cum homo multum diſtet à Deo perfectius intelliget Deum, ſi prius appropinquet aliquo modo ad illum, ipſumq; contingat, hoc autem fit per amorem, ergo vt contemplatio perfecta ſit, debet ab amore incipere.

Hæ vero rationes omnes ſupponũt eſſe poſsibile 4. eleuari voluntatem ad verum Dei amorem vitalẽ, & actualem, non excitatam, neque obiectiue motã per intellectum, ſed immediatè ab Spiritu ſancto. Hoc autem ſuppoſitum non probat Bonauent. faterurque in humanis primo oportere intelligere, quam affici, quia ordinatè procedendo prius cognoſcimus, quidquid diligimus, & nihilominus ait in re vera, & experimentali cognitione Diuinorum præcedere affectum amoris, & ex illo relinqui in mente cognitionem. Et, quod mirabilius eſt, ſentit hunc affectum libere fieri, *immò poſſe peruenire ad* *In experimentali co.* *ſtatum,*

gnitione Diuina ū præcedente affectum amoris Bonau. aſſerit.

ſtatum, in quo anima, dimiſſa omni cogitatione, vel meditatione, ſolum per amoris deſiderium ad vnitionem dilecti aſpiret, & conſurgat, quotieſcunque velit de die, vel de nocte intus, vel extra. Vnde ſuppoſita poſſibilitate, certum etiam exiſtimat, hunc modum, & gradum contemplationis eſſe perfectiorem, & puriorem. Et ſimilem doctrinam indicat idem Bonauent. in Itinerario mentis in Deum ca. 7. quamuis eo loco nihil aliud, quàm verba Dionyſij proferat abſque ſpeciali declaratione.

5. *Ioannes Gerſon.*

In eadem ſententia fuit Ioannes Gerſon Alphab. 66. lit. O. in tract. de Theologia myſtica practica, induſtria 11. vbi non ex propria ſententia loquitur, ſed agens de amore imperfecto Dei, qui totam iuſtificationem, atque etiam timorem antecedere ſolet, refert quoſdam dixiſſe, poſſe voluntatem ſine præcedenti, vel cōcomitante cognitione ferri illo amore in bonum, tanquam in obiectum primarium obijciens ſe animæ: & concludit: *Hoc in libro, cuius initium eſt, Viæ Sion lugent, continetur,* & non refert nomen Auctoris, vel libri, neque aliud iudicium de illa ſententia profert. Quam aliqui tribuunt Gregorio in 2. diſti. 24. q. 1. ad 3. rationem contra ſecundam concluſionem, ſed immeritò, nam oppoſitum docet. Neque id eſt vllo modo probabile, loquendo de primo, & imperfecto amore, ſiue ſit de Deo expreſſe, & in particulari, ſiue de bono in communi & tantum implicite de Deo. Quia hic actus imperfectus nō habetur niſi naturali, & ordinario modo: eſt autem certum, & euidens naturaliter, & ordinariè non poſſe voluntatem elicere amorem, niſi præuia cognitione. Et fortaſſe illi Auctores loquebantur de appetitu innato, & non elicito, quem interdum idem Gerſon nomine naturalis amoris appellat, vt videre licet ibi in ſequentibus.

6. *Gerſon.*

At verò idem Gerſon inferiùs lit. T. tract. de Dilucidatione myſticæ Theologiæ, in principio, refert ſententiam Bonauenturæ, & pro ea Hugonem de Palma in tractatu de Triplici via in Deum, & infra conſideratione 4. hanc ponit aſſertionem: *Stat, hominem ferri in Deum per amorem liberum ſupernaturaliter infuſum, vel cōſeruatum, nulla in ipſo cognitione libera cōcomitante, vel præuia reſpectu illius amoris.* Quæ aſſertio facilè defendi poſſet, quia non excludit ſimpliciter cognitionem, ſed cognitionem liberam, & probabilius eſt (vt infrà dicam) amorem poſſe eſſe liberum, etiamſi cognitio neceſſaria ſit: tamen in probationibus apertè ſentit, poſſe Deum per ſe, & immediatè cauſare actum amoris liberum in voluntate, non concurrente intellectu, vt intellectus eſt, ſed deſtructo, ſiue excluſo omni actu intellectus. Et conſiderat. 5. elegit opinionem Bonauent. dicens: *Stat veritas eorum, quæ traduntur de Theologia myſtica, quod conſiſtat in amore ſolum & quod amor ille ſupernaturaliter inſpiretur ijs, qui concupiſcunt ſapientiam.* Et inſinuat probationes, quia hoc ſpectat ad potentiam Dei, & ad ſapientiam, & ad bonitatem, *vt aperientibus os mentis inſpiret ſpiritum amoris, neque neget mundis corde oſculum poſtulatum*, &c. Alijs vero locis contrariam ſententiam indicat, vt videbimus.

Einſdē hac de re authoris aſſertio.

7. *1. Aſſertio.*

Dicendum verò eſt primò. probabilius eſſe implicare contradictionem, appetitum vitalem elicere actum ſuum abſque præuia cognitione proportionata, ac proinde fieri non poſſe, etiam de potentia abſoluta, vt feratur voluntas in Deum per amorem elicitum, nulla exiſtente actuali cognitione in intellectu. Hanc aſſertionem tractaui diſpu. 23. Metaph. ſect. 7. vſque ad num. 6. vbi pro contraria ſententia retuli Paludanum eamq; docet expreſſè Thomas de Argentina in 1. diſtinct. 1. q. 1. art. 4. ait enim, quod in potentia abſoluta, licet non ſecundum ordinem à Deo inſtitutum, voluntas poteſt eſſe in actu fruitionis, intellectu exiſtente ſuſpenſo, quoad actum cognitionis. Quia intellectus, & voluntas

Implicare cōtradictionē appetitum vitalē abſq; præuia cognitione elicere actū probabilius aſſeritur. Argum. Rationes

ſunt potentiæ realiter diſtinctæ, & in his potentijs poteſt Deus conſeruare vnam potētiam in ſua operatione, alia ſuſpenſa in ſua. Item quia vt bonum moueat volūtatem, ſolum oportet, vt ſit cognitum, quia debet mouere effectiuè. Deus autem poteſt per ſe ſupplere omnem efficientiam. Item quia Deus eſt per ſe ipſum intimior voluntati, quam ſit cognitio, ergo poteſt per ſe ſe illā mouere ſine media cognitione. Citatur pro eadem ſententia Ferrar. 3. contra Gent. cap. 89. §. *Ad euidentiam*, cum enim ibi docuiſſet, aliquam cognitionem intellectus neceſſariò debere eſſe primam, & non ex motione voluntatis, ſed ex Deo, medijs obiectis, ſubiungit: *Hæc autem dixerim, non quia alio modo Deus non poſſit intellectum, & voluntatem mouere ad aliam operationem, &c.* Verùm ſi attente legatur hic Auctor, in his verbis non loquitur de modo operandi harum potentiarum quoad ſubordinationem amoris ad cognitionem, ſed ſolum quoad hoc, quod mouentur ad primas operationes naturales quadam neceſſitate, ex inclinatione naturali data à Deo & quoad hoc verū eſt, non eſſe hunc modum ſimpliciter neceſſarium, licet ſit ordinarius. Vnde ſubiungit: *Eſt autem, & alius modus, quo Deus aliquando intellectum, & voluntatem mouet, non ex naturali inclinatione propria naturæ ſecūdum ſe, ſed ex ſola motione, qua applicat intellectum ad intelligendum aliquod obiectum, & voluntatem ad aliquid volendum mouet.* Quod animaduertiſſe videtur propter operationes ſupernaturales, & gratiæ, non propter motionem voluntatis ſine præuia cognitione proportionata.

p. oppoſita ſententia. Ferrar.

8. Igitur aſſertio poſita communior Theologorum eſt quam inſinuant Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, Anſelmus, & Diuus Thomas, quos citato loco Metaphyſices retuli & præterea Henricum Gabrielem, & Carthuſianum. Idem tenet Durand. in 1. diſtinct. 18. quæſt. 1 art. ſecundo. Idem ſupponit Dionyſius Carthuſ. in Opuſc de Contemplat. & in alio de Vita ſolitaria articu. 36. & 37. & in Dionyſium de Myſtic. Theol. articu. 9. Immò & Ioannes Gerſon ſupra Conſider. 11. hanc ponit aſſertionem: *Stare nequit, vt Theologia myſtica ſit in hominis mente ſine qualicumque Dei cognitione,* ſed ibi videtur loqui de cognitione conſequenti: tamen tract. 5. in Magnificat Alphab. 84. lit. N. O. P. apertè dicit non poſſe eſſe amorem elicitum ſine præuia cognitione, & licet non addat expreſſe de potentia abſoluta, tamen rationes eius eo tendunt, ſatiſque perſuadent. Nos autem rationem huius aſſertionis explicuimus citato loco, quæ in ſumma eſt. Quia dependentia voluntatis in operando à ſuo obiecto, non ſolum tanquam à termino, ſed etiam tanquam à principio in ſuo ordine, eſt adeo eſſentialis, vt ſine illa eſſe non poſſit: obiectum autem voluntatis non poteſt voluntatem allicere, neque eſſe principium eius, niſi ſit cognitum. Reſponderi autem poteſt, cognitionem ſolum eſſe neceſſariam, vt conditionē ad modum approximationis, quam Deus poteſt ſupplere. Sed hoc nō ſatisfacit, tum quia eſt conditio ita intima, & vitalis, vt ſine illa intelligi non poſſit quomodo obiectum alliciat potentiam affectiuam tum etiam quia eſt talis conditio, vt conſtituat obiectum dando illi eſſe neceſſarium ad mouendum affectū. Nā ad hoc genus motionis, vel cauſalitatis aliquod eſſe neceſſarium eſt in tali obiecto, non eſt autem neceſſarium, vt in re ipſa exiſtat, ergo ſaltem in eſſe obiectiuo, quod habet, vt apprehenſum, vel cognitum. Et ideo quoad hoc non eſt comparabilis externa approximatio cauſæ agentis cum hac interna applicatione obiecti diligibilis per cognitionem.

Auguſt. Gregor. Bernar. Anſel. D. Thom. Durand. Dionyſ. Carthuſ. Gerſon.

Ratione probatur aſſertio.

9. Alia ratio adduci ſolet, Quia voluntas natiua virtute non poteſt ferri in incognitum, ergo nec Diuina virtute. Antecedens probatur, tum quia Deus ipſe non poteſt amare niſi quod cognoſcit, tum

Digitized by Google

tum etiam quia alias poſſet voluntas ſine pręuia cogitatione velle quamcumque rem, tum bonam, tū etiam turpem, atque ita etiam peccare cum naturali inconſideratione per ignorantiam inuincibilem. Poſſet etiam eſſe actus liber ſine pręuia cognitione, quod inauditum eſt. Et ſequela patet, quia ſi voluntas natiua virtute poſſet ferri in incognitum, vel ferretur neceſſario, vel liberè, ſi neceſſario, ſemper actu ferretur, quia ſemper eſt obiectum ſufficiens, cum cognitio eius neceſſaria non ſit, ſi liberè, ergo abſque actuali vſu rationis poteſt eſſe liber actus, & conſequenter meritum, & demeritum. Imò etiam in pueris poterit eſſe liber amor, cur enim non poterit, ſi non pendet ab actuali vſu rationis? Conſequentiam autem probant aliqui: quia potentia vitalis non poteſt habere actum, niſi procedat à virtute natiua illius, quia totum, quod eſt in tali actu, non poteſt eſſe à ſolo Deo, ſed aliquid pendet eſſentialiter à potentia vitali tanquam à propria cauſa, quod totum multò maiori ratione locum habet in volitione, & amore.

10. Hæc vero ratio quoad hanc vltimam probationem, nobis non videtur firma: alioqui non poſſet voluntas, vel intellectus per gratiam, & virtutem Dei eleuari ad eliciendum actum, ad quem non habet natiuam virtutem, neque totalem, neq; partialem, quod conſtat eſſe falſum in viſione Dei: idemque cenſeo de volũtate reſpectu actus charitatis infuſæ, quod alijs locis latè diſputaui, & oſtendi. Et præterea, vt cõſequẽti ratione loquamur, & cũ proportione, interrogo, quid intelligamus per virtutẽ natiuam? Si enim intelligamus virtutem illam, quæ per ſola principia naturalia, & concurſu naturæ debito poteſt ſuum actum elicere, ſic rectè dicitur, voluntatem non habere virtutem natiuam ad amandum Deum amore charitatis. Si autem per virtutem natiuam intelligatur omnis actiuitas, quæ cum potentia ipſa concreatur, & non diſtinguitur ab entitate eius, & ideo dicatur voluntas habere virtutẽ natiuam ad dilectionem charitatis, etiãſi non poſsit illa virtute vti ſine adiutorio gratiæ: eadem ratione dicam voluntatem habere virtutem natiuam ad amandum Deum non cogitatum: quamuis non poſſit illa virtute vti, niſi eleuata per gratiam, & ſupplente Deo concurſum obiecti cogniti. Sicut dici poteſt oculus meus habere virtutem innatam ad intuendam totam lucem ſolis, ſi à Deo confortetur, quamuis non poſsit elicere talem actum ſine adiutorio Dei ſibi non debito. Et ſimiliter poteſt eleuari viſus ad videndum obiectum diſtantiſsimũ, etiam exiſtens in centro terræ, quamuis ſine ſupernaturali adiutorio illud intueri non poſsit. Quod exemplum, qua probabilitate negari poſsit, non video, nec quæ differentia aſsignari poſsit ex vi illius tantum principij de natiua virtute. Nam ſiquis dicat, viſum habere naturalem virtutem ad videndum illud obiectum, quod diſtat, & ideo eleuari poſſe ad videndum illud non obſtante diſtantia, eadem ratione dicam, voluntatem habere virtutem natiuam ad amandum Deum, qui nunc nõ cogitatur, & hoc ſatis eſſe, vt eleuetur ad amandum illum etiam dum non cogitatur.

11. *Vnde oratio repugnãtia in voluntate tendendi in obiectum incognitum.*

Illud ergo principium de natiua virtute vel falſum eſt, vel ſi aliquem verum ſenſum habet, falſo applicatur voluntati, ideóq; neceſſarium eſt, repugnãtiam ſumere ex intrinſeco modo, quo obiectũ voluntatis mouet illam, vt in alia ratione explicatum eſt. Et hinc eſt, quod viſus facile poteſt eleuari ad videndum obiectum diſtans, & latens, ſcilicet quia illud obiectum mouet viſum per externam efficientiam ſpecierum viſibilium, quam Deus & per ſe ſupplere poteſt & confortare obiectum ad illam non obſtante diſtantia: obiectum autem voluntatis mouet illam vitali, & intrinſeco modo, qui ſine cognitione nec eſſe, nec intelligi poteſt. Addo, quod licet obiectum voluntatis accipiatur, vt terminus actualis amoris, non poteſt mens noſtra cõcipere, quod homo actu amet Deum, quin Deum habeat mente conceptum. Quia ille amor terminari debet ad Deum, vt per ſe conſtat: non eſt autem intelligibile affectũ vitalem actu terminari ad obiectum niſi mente conceptum. Et ſi homo ſupra ſuos actus aliquam reflexionem faciat, cognoſcet planè, ſe non poſſe habere amorem terminatum ad Deum niſi à ſe conceptum. Immò vix poteſt homo actu amare aliquem, quin cognoſcat ſe amare, & quem amet, quod eſt manifeſtum ſignum, amorem elicitum non poſſe terminari, niſi ad obiectum ab amante conceptum, ſicut non poteſt ſenſibiliter delectare, niſi quod aliquo ſenſu externo, vel interno perceptum eſt.

12. *Impugnatur Gerſon.*

Immeritò ergo dixit Ioannes Gerſon ad potentiam Dei pertinere, poſſe dare fruitionem nulla præuia cognitione, non enim ſpectat ad Diuinam potentiam poſſe dare id, quod in ſe repugnat, aut rẽ conſeruare ſine eſſentialibus principijs, vel ſine aliqua dependenria eſſentiali. Vnde etiam falſo ſupponit, poſſe Deum immittere, vel conſeruare actum vitalem dantem ſuum effectum formalem potentiæ vitali ſine actuali influxu eiuſdem vitalis potentiæ, hoc enim etiam eſt contra intrinſecam rationẽ vitæ, & vitalis actus, vt ex ſcientia de Anima, & ex 1. 2. ſuppono. Euidentius tamen falſum eſt, quod ſignificat, poſſe actũ amoris eſſe liberũ, & à ſolo Deo immiſſum, cum libertas non poſsit exerceri per ſolam potentiam paſsiuam, ſed per actiuam, vt ex Cõcil. Triden. oſtendimus in li. 1. de Auxilijs. Neq; magis intelligi valet, quod actus amoris ſit liber abſq; vlla cognitione, vt tandẽ inferius idẽ Gerſon ſentire videtur conſid. 8. vbi dicit, *amorem elicitũ, & meritoriũ non poſſe eſſe ſine præuia cognitione*. Quamquam ibi non videtur loqui de potentia abſoluta, ſed *naturaliter*, hãc enim vocem ſemper addidit. Simpliciter tamen videtur impoſsibile exercere actũ liberum ſine præuio iudicio. Quia ſicut potẽtiale dominium voluntatis radicatur in intellectu, nam ab illo originem habet: ita actualis vſus illius dominij actualẽ vim rationis prærequirit, vt in eo fundetur. Imò neq; intelligi poteſt, quomodo abſque cognitione actus voluntarius ſit, cum voluntariũ definiatur eſſe quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione, quod ſi actus volũtarius non eſt profecto nec liber eſſe poteſt. Imò nec poteſt eſſe à voluntate elicitus, quia de intrinſeca ratione actus à voluntate eliciti eſt, vt per ſe ipſum intimè voluntarius ſit, vt in 1. 2. quæſt. 6. oſtenditur.

Non poſſe actum amoris eſſe liberũ à ſolo Deo immiſſum.

Concil. Trident.

Gerſon.

Voluntarij definitio.

13. *Diluuntur rationes oppoſitæ.*

Nec rationes Thomæ de Argentina alicuius momenti ſunt, nam ex eo, quod voluntas ſit potentia realiter diſtincta ab intellectu, non ſequitur, poſſe reduci in ſuum actum ſecundum, nulla pręuia operatione intellectus. Quia licet ſit diſtincta poteſt ab illa habere eſſentialem dependentiam, quæ ad aliquod genus cauſę reducatur, ſiue efficientis (vt quidam volunt) ſiue finalis (quod eſt probabilius) Niſi efficientia ſolum intelligatur eſſe in conſtituendo obiecto amabili in ſtatu apto ad excitandã voluntatem: hoc enim verè ſit effectiuè ab intellectu, & nihilominus voluntas ab illo habet eſſentialẽ dependentiã, nam eſt quippiam vitale, & actuale. Sicut etiam actus ipſe intelligẽdi eſt realiter diſtinctus à potentia intellectiua, & nihilominus non poteſt illam intelligentem reddere, niſi ab illa producatur, quia ab illa habet eſſentialem depẽdentiã. Atque ita ſoluitur etiam ſecunda ratio Argentinæ, nã quod obiectum voluntatis debeat eſſe cognitum, non tã eſt propter efficientiam, quam propter metaphoricam motionem finis, quæ intrinſeca eſt, & vitalis: & ideo non poteſt, niſi per cognitionem fieri. Præterquam quod nõ omnis efficiẽtia poteſt ſuppleri per extrinſecam cauſam, nã aliqua pẽdet eſſentialiter à principio

cipio intrinſeco, & inuoluit cauſalitatem formalē. Vnde ad tertiam rationem dicitur, quod licet ſecūdum eſſentiam, præſentiam, & potentiam Deus ſit intimior voluntati, tamen in ratione obiecti diligibilis, & proximè apti ad eliciendam voluntatem, vel potius actu trahentis illam, quantum eſt de ſe, non eſt Deus ſufficienter propoſitus, ſeu præſens voluntati donec actu cognoſcatur, nec poteſt hic modus præſentiæ per aliam cauſam ſuppleri, cum nec per ſolam extrinſecam efficiētiam ſuppleri poſſit, vt oſtenſum eſt.

13. *2. Aſſertio. Non pertinere ad maiorem perfectionem contemplationis carere actuali cognitione. Dionyſ. Carth.*

Dico ſecundo, eſto, non implicaret cōtradictionem habere actualem Dei amorem ſine actuali cognitione: ad maiorem animę, vel amoris perfectionem pertinere non poſſet, ideoq; immerito dicitur, talem modum perfectionis pertinere ad ſupremū gradum contemplationis, & myſticæ Theologiæ. Ita ſenſit Dionyſ. Carthag. ſupra. Et probatur prior pars: Primo inductione, quia in Beatis eſt perfectiſſimus amor charitatis, & tamen ad eius perfectionē non ſpectat, vt ſit ſolus, & abſq; actu intellectus: imò eſſentialiter pendet à viſione, quia intelligi non poſſet cum tota illa perfectione, quam habet circa Deū non viſum. Vnde etiam Seraphin licet ab excellentia amoris nomen accipiant, nihilominus neceſſarium eſt, vt quantum excellunt amore, tantum etiā viſione ſuperent, quamuis à nobis denominentur ab amore, quia in nobis viatoribus amor cognitionem antecellit, vt ſignificauit D. Thom. 1. p. q. 108. art. 6. ad 3.

In Viatoribus amor cognitionem antecellit.

D. Thom.

14. *Cōfirmatio argumenti.*

Quod ſiquis reſpondeat, id prouenire in patriā ex ſumma perfectione ipſius viſionis, quæ non impedit, ſed iuuat perfectionem amoris. Contra hoc eſt, quia in Chriſto Domino fuit amor perfectiſſimus viatoris etiam extra viſionem beatam, & tamē non pertinuit ad perfectionem eius, vt haberet illū abſque præuia proportionata cognitione, qualis in eo fuit actus ſcientiæ infuſæ. Neque dici poteſt, aut veriſimile eſt, Chriſti animam per amorem liberū diſtinctum à beatifico aliquando fuiſſe vnitam Deo non cognito per aliam cognitionem extra viſionē, tam facile enim vtebatur ſcientia infuſa, ſicut amore, neque vna perfectio aliam impediebat. Quod ſi hoc etiam perfectioni ſcientiæ infuſæ tribuatur, quia ita erat pura, vt non impediret voluntatis affectum, ſed iuuaret: ſumamus vlterius argumentum ex perfectiſſima dilectione charitatis, quam Beatiſſima Virgo in via habuit. Nullus enim Sanctorum illi attribuit, quod interdum amauerit Deum ſine illius cogitatione intellectuali, neque vllus in hoc poſuit perfectionem contemplationis eius, ſiue habuerit ſcientiam infuſam in hac vita, ſiue per ſolam fidem, & Spiritusſancti dona perfectiſſimè Deum contemplata fuerit. Idemq; argumentum ex Angelis, viatoribus ſumi poteſt.

15. Et certe idem credendum eſt de Ioanne Baptiſta, Apoſtolis, & alijs illuminatiſſimis Sanctis qui ſummum gradum contemplationis, & myſticæ Theologiæ in hac vita conſecuti ſunt. De quibus nullo probabili fundamento dici poteſt, quod ad perfecte amandum ſuſpenderent omnem actum intelligendi, vel quod Deus, vt eos ſibi perfecte vniret per actualē amorem, priuabat eos omni actuali ſui cognitione. Quin potius quoties Scriptura ſignificat, aliquibus perſonis datum eſſe in via ſingulare donum contemplationis, vt Moyſi, Elię, Paulo, Ioanni Euangeliſtæ, & ſimilibus per Diuinas illuminationes, reuelationes, aut viſiones, vel ſimilia, quæ ad intellectum pertinent, id declarat. Vt planè conſtet, immeritò dixiſſe Gerſonem, fere totam Scripturam deduci poſſe ad illum ſenſum, nimirum, quod Theologia myſtica conſiſtit in amore ſolum; nam licet Scriptura ſæpe amorem coniungat, maxime in libro Canticorum, & frequenter in libro Pſa. nunquam tamen dicit eſſe amorem ſolū, & præſertim ita ſolitarium, vt in Deum incognitū, ſeu incogitatum feratur, imò hoc alienū eſt à modo loquendi Scripturæ in eiſdem libris Pſalmorum, & Canticorum.

16. *Ratio à priori. Cogitatio de Deo proportionata non impedit nec minuit amorem.*

Ratio denique à priori eſt, quia cogitatio de Deo, ſi ſit proportionata amori, non poteſt impedire, vel minuere perfectionem eius. Aut enim minueret cognitio perfectionem amoris ſolum; quia ſunt plures actus eiuſdem animæ, nam principium finitum, ſi plura ſimul operetur, minuitur in ſingulis quoad actiuitatem, ita vt minus perfecte quodlibet eorum faciat, quam ſi vnum ſolum efficeret, vel illud impedimentum eſſet peculiare in illis operationibus, quia tales ſunt. Primum dici nō poteſt, quia quando operationes ſunt ſubordinatæ, & vna naſcitur ex alia, vna nō impedit perfectionem alterius, vt amor nō impedit deſiderium, nec aſſenſus principij aſſenſum concluſionis ſi apprehenſa iam ſit, & ratio eſt, quia cauſa nō impedit effectum. Item quia inter illos actus talis eſt coniunctio, & vnio, vt virtus animæ circa illos non diſtrahatur. Et hinc facile oſtenditur aliud membrum, quod nimirum intellectualis cogitatio, ſi alioqui ex parte obiecti, & modi accommodata ſit, non impediat actum amoris, nec minuat aliquam perfectionem eius. Nam primum per ſe euidens eſt, quia illa cogitatio ex ſe potius excitat amorem, immò hic eſt ad minimū connaturalis amandi modus, & ex natura rei, ac ſecundum potentiam ordinariam neceſſarius, ergo talis cogitatio non impedit amorem. Quod autem nec perfectionem eius minuat, ex eodem principio cōcludi poteſt, quia cauſa per ſe non impedit perfectionem ſui effectus. Fuiſſetq; inordinatus ordo naturæ, ſi idem actus, quem poſtulat vt neceſſarium ad amorem ſecundum legem ſibi connaturalem, impediret perfectionem eius.

17. Deinde interrogo, quam perfectionem Diuini amoris impediat, aut minuat eiuſdem Dei cogitatio? nunquid libertatis perfectionem? At potius eſt cauſa illius. Loquimur in via, nam in patria ex viſione ſequitur neceſsitas amoris, tolliturque illius actus libertas, ſed ibi neceſsitas illa maior perfectio eſt, quam eſſet libertas: at in via, vbi eſt tempus merēdi, vſus libertatis ad perfectionem ſaltem moralem pertinet: ille autē vſus libertatis ex iudicio rationis pendet: imò vt ſupra dicebam; ſi per impoſſibile eſſet amor ſine actu intellectus nō poſſet intelligi liber. Vnde potius retorquetur argumentum, quia ſi Deus infunderet amorem ſine cognitione, ille non eſſet liber, ac proinde nec meritorius: non ergo poteſt talis amor ad perfectionem ſanctitatis huius vitæ pertinere. Nec etiam cogitatio Dei ex ſe minuit perfectionem intenſiuam amoris, nam potius ex ſe attrahit, & accendit ratione obiecti, & voluntas cum ſit libera, & habeat, vt ſupponimus paratam Dei gratiam, & omnem præuiam motionem neceſſariam, poteſt toto ſuo conatu in amorē prodire, ex quo conatu intenſio actus dependet.

18. *Obiectio.*

Dicitur fortaſſe, cogitationem Dei in hac vita minuere perfectionem obiectiuam amoris, nam amor intrat, vbi cognitio foris ſtat, quia (iuxta vulgarem doctrinam D. Thomæ) intellectus fertur in rem, prout illam in ſe habet, voluntas autem fertur in rem, prout eſt in ſe. Hinc ergo fieri videtur, vt voluntas quando amando Deum, ſequitur cognitionem, non excedat in motiuo, & ratione amandi obiectum illud, prout cognitum eſt ab intellectu, vnde quia in hac vita Deus imperfectè cognoſcitur, ſemper cogitatur ſub ratione aliqua determinata, & particulari: amor ergo, qui huius vitæ cogitationē ſequitur, ſemper terminatur ad Deum ſub ratione benefactoris, iuſti, vel miſericordis, vel ſummè boni. At ſi voluntas eleuetur ad amandum Deum abſque cogitatione præuia, perfectius ferri poterit in ipſum Deum ſecundum ſe, & quodammodo ſecun-

dum totam rationem diligibilitatis eius, quia licet ex parte ſubiecti non poſsit ille actus eſſe adæquatus obiecto, quia non poteſt eſſe infinitus, nihilominus ex parte obiecti amat Deum propter omnem rationem, qua diligibilis eſt, ſimplicisſima quadam tendentia in ipſum, & vnione cum ipſo. Ad eum modum quo Beati diligunt Deum clàre viſum, tendẽdo in ipſum, prout in ſe eſt, & ſecundum totam rationem amabilis, quam in ſe habet.

19. *Solutio.* Reſpondeo, hanc etiam imperfectionẽ ſine fundamento eſſe excogitatam in omni amore Dei, qui ſequitur in hac vita ex cogitatione eius, & è contrario perfectionem illam, quæ fingitur in nudo amore Dei abſque cogitatione, intelligi nullo modo poſſe. Declaro priorẽ partem, quia ſi verum eſt illud axioma, *Amor intrat, vbi cognitio foris ſtat*, etiamſi amor Dei ſequatur cognitionem huius vitæ, ſemper fertur in Deum prout in ſe eſt, quia præſcindit ab imperfectionibus, quas habet in homine cognitio Dei in hac vita: neque enim in cognitionem fertur, ſed immediatè in Deum ipſum, nec cognitio eſt ratio amandi, ſed perfectio ipſa, quæ in Deo eſt. Et ideo Diuus Thomas in hoc præfert amorem cognitioni, quod cognitio fertur in rem, prout eſt in intelligẽte, amor verò in rem, prout eſt in ſe, vt conſtat ex 2. 2. quæſt. 23. art. 6. ad 1. & 1. p. q. 82. art. 3. & quæſt. 108. art. 6. ad 3. *D. Thom.* Non eſt tamen ita intelligendum illud axioma, vt credatur, plus poſſe amari à voluntate, quàm ſit cognitum ab intellectu, vel poſſe ſub aliqua ratione amari, quæ prorſus ignota, & incognita fuerit: ſed ſenſus eſt, voluntatem dum tendit in rem propoſitam, non curare, qualiter res ſit in intellectu, ſed in ipſam ſecundũ ſe ferri, intellectum autẽ formare cognitionem iuxta modum, quo rem intelligibilem in ſe habet.

20. Vnde verum eſt, quoties intellectus proponit voluntati Deum tantùm ſub ratione alicuius particularis attributi, vt ſapientisſimi, iuſtiſsimi, aut alio ſimili, voluntatem tantùm ferri in Deum ſub ea ratione propoſitum, & ex hac parte talem actum amoris eſſe contractum, & minus perfectum. Nihilominus tamen neceſſarium non eſt; vt ſemper ita proponatur per cognitionem huius vitæ: poteſt nãque obijci, quatenus in ſe infinitè amabilis eſt ſub quadam eminentisſima, & ſimplicisſima ratione, quæ omnes poſsibiles, & cogitabiles particulares rationes amandi comprehendit. Hoc enim modo contemplatur homo Deum in hac vita, quãdo ſimplicisſimo actu cogitat eum vt ſupremum quoddã ens infinitè excedens omne aliud poſsibile, & infinitè bonum, non tantum bonitate morali, quæ poteſt eſſe particulare attributum, ſed ſimpliciter in quadam bonitate, quæ in ſimplici ratione ſua omnem bonitatem, omnem perfectionem, omnem pulchritudinem, omnem beneficentiam, ſeu communicabilitatem, omnemque amabilitatem comprehendit. Ergo in Deum ſic propoſitum tendit voluntas perfectè amans illum, & omittens modum imperfectum quo ab intellectu concipitur, tẽdit in ipſum, prout in ſe ſic bonus eſt. Præſertim, quia ipſemet intellectus intelligit longe excellentiori modo eſſe in Deo totam illam perfectionem, quam ab ipſo concipi aut cogitari poſsit. Quo ſenſu dixit D. Tho. 2. 2. quæſt. 27. art. 3 ad 2. licet Dei cognitio acquiratur per alia, nihilominus poſtquam cognoſcitur, ã non per alia cognoſci, ſed per ſe ipſum: & in arti. 4. ait, terminum cognitionis eſſe initium amoris, quia intellectus ex creaturis apprehendit Deum, amor verò ſtatim fertur in Deum ipſum. *D. Thom.*

21. Ex quo diſcurſu planè conſtat, nullam perfectionem cogitari poſſe in amore huius vitæ, eo quod verſetur, vel potius verſari fingatur, circa Deum nõ actu cogitatum, vel cognitum: quæ non ſaluetur optimè media cognitione: nam amor ille, qui abſque cognitione fingitur, non fertur in Deum viſum, neque alio modo præſentatum homini. Solum ergo poteſt illi attribui, quod feratur in Deum vt in ſe eſt, licet non, vt in ſe cognoſcatur, & quod feratur propter abſolutam, & illimitatam perfectionem, quam in ſe habet, & non propter attributum aliquod particulare, & quaſi præciſum per apprehẽſionem hominis. At vero totam hanc perfectionem poteſt habere amor Dei in hac vita etiamſi cognitionem ſequatur, quia poteſt præcedere cogitatio de Deo proportionata illi perfectioni amoris, vt declaratum eſt, ergo. Aliunde vero intelligi non poteſt, quomodo amor feratur in Deum, vel in quodlibet obiectum ſub hac, vel illa ratione particulari vel generali, niſi intercedat cognitio, quæ illas rationes diſcernat, & vnam, vel alteram voluntati offerat: vnde ſi voluntas ferretur in obiectum incognitum, non magis dici poſſet ferri in illud, quia honeſtum eſt, quam vt eſt delectabile: neque magis vt eſt in ſe bonum propter ſe amabile, quam quia eſt bonum, vel conueniens amanti, imò neque eſſet vlla ratio, ob quam diceretur ferri in tale obiectum ſub ratione boni. Nam ratio ſub qua obiecti voluntatis & actuum eius eſt motiuum eiuſdem voluntatis ad amandum: at verò tunc nulla ratio boni haberet rationem motiui, quia vt diximus, obiectum incognitum non poteſt eſſe motiuum voluntatis. Carentia ergo omnis cognitionis actualis non poteſt augere obiectiuam perfectionem amoris, ſed potius illam deſtruit.

Dico tertiò: amorem Dei ſine præuia cognitione non poſſe in hac vita experimento cognoſci, ideoq; nullum eſſe medium quo talis amor probabiliter ſuadeatur. Hæc poſterior pars ab ipſiſmet auctoribus contrariæ ſententiæ admittitur, fatentur enim illũ amandi modum eſſe inexpertum, & incognitum: & Scholaſticos in hoc videntur parui pendere, quod illum negent, quia illum experti non ſunt. Probatur etiam eadem pars à ſufficienti enumeratione, quia nulla reuelatione conſtat, dari talem amorem, nec ex communi doctrina Eccleſię, neq; auctoritate alicuius antiqui Doctoris, vt reſpondẽdo ad argumẽta videbimus, nec etiã poteſt ratione oſtendi, vt ex his, quæ in prioribus aſſertionibus adduximus, euidenter conſtat. Vnde etiam Doctores contrarię ſententiæ ſolùm vtuntur quibuſdã coniecturis ſumptis ex medijs valde extrinſecis, & communibus, quæ nihil ſuadent vt videbimus: ergo ſecluſo experimento nulla perſuaſio relinquitur. 22. 3. *Aſſertio.* *Amorẽ Dei non poſſe in vita experimento cognoſci ſine præuia cognitione.*

Probatur ergo prior pars, quia ſi dum amatur Deus, nulla adeſt actualis cognitio, ergo nulla tunc eſt experientia, quia experientia dicit cognitionem. Rurſus ex tali amore nulla poteſt relinqui memoria, quia memoria ſupponit cognitionẽ eius, quod in memoria relinquitur, nam memoria eſt recordatio rei cognitæ: & ideo licet aliquid coram oculis noſtris fiat, ſi ad illud non attendimus, quando fit, non poſſumus poſtea illius recordari. At ſi non manet memoria illius amoris, neque experimentum generari poteſt, quod ex memorijs gignitur, nec de illo amore loqui aliquis poteſt ex his, quæ paſſus eſt, cum neceſſario ignoret, an tale aliquid paſſus ſit. 23.

Vidit hoc Ioannes Gerſon dicto Alphab. 66. Cõſiderat. ſexta ſub lit. X. & ideo dicit, cum illo amore quantumuis myſtico ſimul eſſe poſſe cognitionem eiuſdem amoris, & conſequenter aliquam cognitionem Dei, quia cognoſcit anima & experitur ſe amare non rem quamcumque, ſed Deum. Vult tamen illam cognitionem eſſe directam ipſius amoris (imò *intuitiuam*, alibi vocat) ad Deum autem tãtum oblique terminari. Vnde etiam addit, illã cognitionem non præcedere amorem, ſed ex illo ſequi tanquã ex obiecto præſente, & per ſe ipſum mouẽte intellectum. Imò Bonau. ſupra ſentit, talem cognitionem neceſſario ſequi ex illo amore. 24. *Ioannes Gerſon.*

Siquis

25. Siquis autem recte conſideret hi Auctores, dum ita philoſophantur, deſtruunt omne apparens fundamentum ſuæ ſententiæ, & id, quod aſſerunt ad illam tuendam, nullo experimento probare poſſunt. Nam in primis iam fatentur, non eſſe contra perfectionem myſticæ Theologiæ, quod, dum voluntas actu amat Deum cum quantacunque perfectione poſsibili in hac vita, intellectus actu cognoſcat aliquid, & aliquo modo pertingat vſque ad Deum: cur ergo non poterit eſſe cum tota illa perfectione amoris directa contemplatio, & cogitatio ipſius Dei? Quin potius hæc cogitatio de ipſomet Deo melius coniungitur cum ipſius amore, quam cogitatio, vel cognitio ipſius amoris, nam hæc eſt cogitatio rei creatæ, quæ per ſe non conducit ad talem amorem. Imo contingit, vt cum anima fertur in Deum per amorem, ſi occupatur circa ſe ipſam, & circa ſuos actus quaſi reflectendo ſupra illos, & cogitando quid agat, diſtrahatur, & tepeſcat in amore Dei. At vero altera cogitatio, quæ directe tendit in Deum, non diſtrahit voluntatem ab amore ipſius Dei, ſed potius quantum eſt de ſe, illam ſecum rapit, & coniungit Deo. Deinde ſi experientia ipſa (vt poſsit eſſe experientia) oſtendit cognitionem aliquam Dei ſimul eſſe cum amore myſticæ Theologiæ, qui etiam experientia oſtendere poteſt illam cognitionem non tendere directe in Deum, ſed oblique, & per amorem? Quis enim affirmare audebit ſe experiri illam cognitionem non eſſe ante amorem, ſaltem ordine naturæ, & cauſalitatis, ſed potius reſultare ex amore? Profecto non eſt talis huiuſmodi ordo, vel habitudo, vt ſub experientiam cadere poſsit, ſed ratione inueſtigandum hoc eſt, cum per fidem non ſit reuelatum. Et quādo hoc poſſet cadere ſub experientiam, profecto ſumma attentio, & ſubtiliſsima reflexio neceſſaria erat ad percipiēdum illum ordinem: at hoc repugnat cum illa eleuatione & ſuſpenſione mentis in Deum, quæ in hoc gradu myſticæ Theologiæ exaggeratur. Merito ergo dicimus, non poſſe veriſimiliter vllam experientiam adduci in fauorem talis modi amandi Deum ſine vlla præuia cogitatione actuali ipſiuſmet Dei.

Incerta aliquorum experientia.

26. *Obiectio.* Dices: viros ſanctos, & illuminatiſsimos, de quorum fide dubitari non poteſt, huiuſmodi experientiam affirmare, vt Bonauent. Gerſon. & Hugo. de Palma, quem ipſe refert, & Henric. de Balbis, quem

Reſponſio. etiam referunt. Reſpondeo primo, fortaſſe nullum eorum loqui de ſe ipſo, ſed primus, qui hoc aſſeruit, forte ita intellexit Dionyſium, & credidit illum per experientiam fuiſſe locutum, poſteriores vero Doctores ſimiliter putarunt non ſolum Dionyſium, ſed etiam Bonauenturam, vel (quicunque fuit prior huius ſententiæ auctor) eam experimento didiciſſe. Deinde, cum certum ſit eos non fuiſſe locutos contra mentem, fieri nihilominus potuit, vt putarent ſe experiri, quod reuera non experiebantur. Quid enim mirum, quod in tam ſpirituali, & abdita experientia potuerit interuenire deceptio? Et fortaſſe (quod valde ſuſpicor) non tam in re ipſa, quam in modo explicādi illam decepti ſunt. Quod reſpondendo ad eorum fundamenta commodius explicabo.

27. *Explicatio verborum Dionyſij.* Ad Dionyſium, quem Bonauentura adducit, reſpondeo, non loqui in illo ſenſu. Cum enim in ca. 1. de Myſtica Theologia monet Timotheum derelinquere ſenſus, & intellectuales operationes, & ſenſibilia, & intelligibilia omnia, &c. Non monet, vt nihil omnino cogitet, aut intellectu contempletur: nam hoc eſſet contrarium fini ab ipſo intēto, quem his verbis proponit: *Tu, Timothee chariſsime, intentiſsima contuendis ſpectaculis myſticis exercitatione, ſenſus linque, &c.* Itaque vt poſsit intentiſsime contueri (vtique Deum eo modo, quo in hac vita poteſt conſpici, ſcilicet per ſpectacula myſtica) monet eum linquere ſenſibilia, & intellectuales operationes. Non ergo ſub his operationibus comprehendit illam Dei intuitionem, ſed negotiationem intellectus ad cognoſcendum Deum ex his, quæ infra illum ſunt: hæc enim, vt puto, intelligit per ſenſibilia, & intelligibilia omnia, &c. Atque ita concludit: *Vt illi iungaris, qui ſuper omnem ſubſtantiam, omnemque ſcientiam eſt, ignote pro viribus teipſum intendens.* Vult ergo vt auferatur omnis animi ſolicitudo ad concipiendum Deum, vel prout in ſe eſt, vel ſecundum aliquem conceptum proprium poſitiuum eius, & quod mens quieſcat in cogitatione cuiuſdam eminentiæ ineffabilis, quæ per negationes potius, quam per affirmationes concipienda eſt; & hoc appellat *ignote* coniungi Deo, vt ſupra declaraui.

Non enim intelligit *ignote* id eſt, ſine vlla cogitatione: nam intuitus mentis non eſt ſine cogitatione, ſed intelligit modum illum concipiendi Deum negando potius, quam affirmando aliquid de illo, & cōnfuſe, & ſub ratione entis, quod non eſt aliquid eorum, quæ videntur, vel intelligūtur, ſed eminentius omnibus illis, illum apprehendendo. Et hoc ſolet Dionyſius vocare cognoſcere Deum in caligine, & in tenebris, vnde ſtatim ibidem vocat: *Superſubſtantialem Diuinæ caliginis radium*, & ſtatim reprehendit eos, *qui putant poſſe ſcientia ſua illum aſſequi, qui poſuit tenebras latibulum ſuum.* Adiungitque, licet perfectiones poſsint affirmari de Deo, etiam eſſe prędicandas de illo negationes quę non aduerſantur affirmationibus, ſed oſtendunt Deum ſuper omnia eſſe. Et in eodem ſenſu dicit inferius: *Illis veraciter lucere Deum, qui impura omnia, & pura tranſiliunt, omnemque omnium ſanctarum ſummitatum aſcenſum tranſcendunt, cunctaq; Diuina lumina & ſonos, ſermoneſque cæleſtes deſerentes, caliginem ſubeunt, vbi veraciter ille eſt ſupra omnia.* Profecto ſi huiuſmodi hominibus veraciter lucet Deus non carent omni cognitione illius: vnde ingredi caliginem non eſt priuari cognitione, nec illa caligo excludit lucem, ſed hæc lucet quaſi in caliginoſo loco. 28.

Hanc etiam cognitionem (vt capit. præcedenti dixi) ſolet vocare Dionyſius ignorationem. Sicque intelligitur, quod in fine eiuſdem primi capitis ſubiungit: *Tum vero ipſa quoque viſibilia, atque intellectualia cōtemplatur loquens, ingreditur ignorationis myſticam profecto caliginem, in qua omnia ſcientiæ, & cognitionis præſidia terminans, totus in eo fit: penitus autem ignoto ſcientiæ omnis, & cognitionis vacatione, præſtantiori modo coniunctus.* Vbi dum ſcientiam, & cognitionem excludit, de ſcientia propriè loquitur, & de cognitione prout dicit conceptionē propriam rei, prout in ſe eſt aliquo modo: non tamen excludit omnem actum intellectus, nam ille ingreſſus, & coniunctio mentis in Deum, de qua loquitur, non eſt per amorem tantùm, ſed per cognitionem. Imò de hac præcipuè loquebatur, vnde his verbis totum caput concludit: *Et eo quoq; ipſo, quod nihil cognoſcit, ſupra ſenſum, mentemq; cognoſcens.* Et apertius ſtatim c. 2. *Ad hanc* (inquit) *nos per lucidam, limpidiſsimamque caliginē admitti oramus, & per viſus, ſcientiæq; priuationem videre, ac ſcire eum, qui aſpectum omnem ſcientiamque tranſcendit.* Eſt enim mirabilis hæc Dionyſij Theologia, videtur enim ſimul contraria, & contradictoria proferre, nec mirum, quia paulò antea dixerat (vt retuli) negationes non eſſe affirmationibus cōtrarias, quia termini in diuerſo ſenſu accipiuntur. Vnde ſubiungit: *Et hoc ipſum non videre, & non ſcire, eſt veraciter videre, ac ſcire, & eum, qui ſubſtātia ſuperior eſt ſuperſubſtantialiter ex omniū, quæ ſunt, ablatione celebrare.* Quod in toto illo capite manifeſtè proſequitur: & Vercellenſis in ſua paraphraſi ita *Vercellen.*

29. *Quam cognitionem appellet Dion. ignorationē.*

interpretatur, nec magis poteſt pro contraria ſententia citari, quàm ipſe Dionyſius, quem expoſitores, quos videre potui, Linconienſis, Ambroſius Orator, & Marſilius Ficinus non aliter intelligunt,

Digitized by Google

30\. De verbis autem, quæ ex capit. 7. de Diuinis nominibus afferuntur, ſatis dictum eſt quæſt. præcedenti, non enim vocat Dionyſius ſapientiam ſtultam, irrationabilem, vel amentem, quia ſit amor, & non cognitio, nam licet ſapientia ab amore habeat dulcedinem, & ſaporem, vnde ſapientia dicta eſt, ſubſtantiam tamen ſuam in intellectu habet. Videtur autem Dionyſius alluſiſſe illo modo loquendi ad verba Pauli: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*, 1. Corinth. 1. Vbi etiam fidei prædicationem vocat *Stultiam prædicationis*, id eſt, quam mundus ſtultitiam putat, iuxta illud: *Iudæis quidem ſcandalum: Gentibus autem ſtultitiam.* Sic ergo potuit etiam Dionyſius vocare ſapientiam ſtultam, irrationabilem, & amentem, vtique exiſtimatione illorum hominum, qui neſciunt, quo modo in hac vita ſit cognoſcendus Deus. Vel certe, ſicut dixit, hoc ipſum non videre eſſe maximum videre, ita vocat ſapientiam ſtultam, irrationabilem, & amentem, non priuatiue, ſed negatiue, & non negatione excellentiſsimæ perfectionis, ſed negatione inferioris perfectionis: vnde recte D. Thom. ibi lect. 2. *Diuina ſapientia* (inquit) *laudatur excellenter ſicut irrationabilis, in quantum excedit rationem, & ſicut amens, in quantum excedit mentem, & ſicut ſtulta, in quantum excedit habitum mentis, ſcilicet ſapientiam humanam.*

1. Cor. 1.

31\. Adde in his verbis loqui Dionyſium de ſapientia increata: Poſſunt tamen accommodari etiam dono ſapientiæ Spiritus ſancti, & fidei Diuinæ, habentque eandem interpretationem. Iuxta quam intelligitur illa regula, quam ibidem tradit Dionyſius, dum ait: *Solenne Theologis eſt, paſſione reciproca in Deo, quæ ſunt priuationis, aſſerere.* Iuxta quam idemmet Dionyſius capit. 1. eiuſdem libri, & capit. 3. & 5. de Myſtica Theologia dicit, *Deum omnia eſſe, quæ ſunt, & nihil eſſe eorum, quæ ſunt.* Qua regula vtitur etiam Damaſcenus 1. de fide, cap. 4. & Boet. libr. de Trinit. dum negat Deum eſſe ſubſtantiam, & Baſilius lib. 5. contra Eunomium, dum negat eſſe in Deo generationem, nimirum, quia generatio Dei eſt ſupra omnem nobis notam generationem. Indicat etiam Auguſt. libr. 5. de Trinit. capit. 10. in fine, dum ſentit vix poſſe aliquid proprie de Deo dici ore humano. Ad hunc ergo modum ſapientia huius vitæ, qua Deus hoc modo cognoſcitur, poteſt dici non ſapientia, quia eſt ſupra omnem ſapientiam humanam, vel è contrario poteſt dici non ſapientia reſpectu illius ſapientiæ, qua Deus ſe ipſum agnoſcit, vel etiam qua à Beatis videtur, ſicut creaturæ comparatione Dei dicuntur non entia more Platonico, referente Auguſtin. 8. de Ciuitate capit. 11.

Dionyſij regula. *Damaſc.* *Boetius.* *Baſilius.* *Auguſt.* *Auguſt.*

32\. Ad rationes Bonauenturæ facilis eſt reſponſio. Ad primam reſpondetur, negando maiorem vniuerſaliter intellectam, nimirum, ea quæ ſunt poſteriora in Deo prius à nobis participari, alioqui etiam Spiritus ſanctus prius amari deberet, quam Filius, vel Pater, & prius deberet cognoſci Filius, quam Pater, & prius cognoſcendus eſſet Deus, vt Trinus, quam vt vnus, & amans, quam intelligens, & ſimilia, quæ plane abſurda ſunt. Quod ſi maior illa non intelligitur vniuerſaliter, nihil ex ea concludi poteſt, & reuera ita eſt, & præſertim quando comparatio ſit inter modos attingendi Deum, qui habent inter ſe neceſſariam ſubordinationem, & dependentiam, vt ſunt cognitio, & amor, ad quam habitudinem immutandam, impertinens omnino eſt ordo originis inter Diuinas perſonas.

Enodantur rationes oppoſitæ ſententiæ. *Ad primam.*

33\. Ad ſecundam rationem, in qua ex eo, quòd ordo Seraphinorum eſt primus, infertur Deum prius attingi amore, quam cognitione, negatur conſequentia. Alioqui probaret etiam ab ipſis Seraphinis, & aliis Beatis prius amari Deum, quam videri, quod eſſet dictu abſurdiſsimum, & contra omnes Theologos. Item alias etiam Deus ipſe prius ſe amaret quam comprehenderet: eſſet enim eadem ratio, & ita proceſsio Spiritus ſancti eſſet prior, quam proceſsio Filij. Ad ſummum ergo poteſt ex illa appellatione Seraphinorum inferri, vel coniectari, perfectiorem eſſe amorem in patria ipſa viſione, quod ſub quæſtione verſatur. Et neque hoc etiam recte infertur, ſed ſolum vel nomen illud eſſe poſitum more hominibus accommodato ex illa proprietate, quæ in nobis viatoribus perfectior eſt, vel certe quia excellentia amoris ſupponit excellentiam viſionis, ideo inde fuiſſe Seraphin nominata. Quamuis non ab amore, ſed ab ardore dicta ſint, tanquam ignita, in igne autem non ſolum calor, ſed etiam lux perfectiſsima eſt.

Ad ſecundã.

Ad tertiam rationem dicimus in primis maiorem, ſcilicet Deum in homine prius mouere id, quod eſt ſibi propinquius, incertam eſſe, & vniuerſaliter loquendo non eſſe neceſſariam. Item quando eſt ſubordinatio, & dependentia inter motiones, parum refert propinquitas ad Deum, vt vnam potentiam moueat abſque præuia motione alterius potentiæ à qua pendet, etiamſi remotior ſit. Id vero, quod in minori ſubſumitur, ſcilicet intellectum eſſe potentiam remotiorem à Deo, quam voluntatem, & gratis dicitur, & in rigore falſum eſt. Nam ſicut intellectus prius ratione conuenit Deo, quam voluntas, & eſt quodam modo magis eſſentialis, ita intellectus prius natura eſt in anima, & eſt propinquior eſſentiæ, & per illum magis aſsimilatur Deo, participatque imaginem eius, ac tandem in patria illi intimius coniungitur. 34.

Ad tertiam.

Ad rationem quartam primum dicimus, poſſe in contrarium retorqueri hoc modo. Cum homo multum diſtet à Deo: perfectius illum amabit, ſi prius per aliam viam illum attingat, eique coniungatur, hoc autem faciet, ſi prius de ipſo cogitet per intellectum, ergo vt in contemplatione amor perfectus ſit, debet præire intellectus. Deinde rem ipſam explicando fatemur, amorem poſſe multum iuuare ad perfectionem cognitionis Dei, & quoad hoc etiam confitemur, amorem quodammodo habere primarias partes in Theologia myſtica, poſſeque multum impediri amoris ardorem, ſi perfectio cognitionis extra ipſum quæratur. Nihilominus tamen neceſſarium eſt, vt accommodata cogitatio Dei præcedat, in qua amor fundetur. Quæ omnia poſſunt breuiter declarari ex hactenus dictis. Quia contemplatio perfecta ex parte intellectus præcipue conſiſtit in ſimplici intuitu, & ponderatione alicuius veritatis Diuinæ cum amore, & admiratione illius, & aliis affectibus ad voluntatem pertinentibus. Vnde qui ad hunc ſtatum contemplationis peruenit, non eſt ſolicitus ad inquirendam maiori Dei cognitione, ſed de perficienda vnione ad ipſum, quæ principaliter eſt per charitatem, & voluntatem, quæ propterea in hoc negotio, & in ſtatu viæ primarias habet partes. Tamen ex hoc ipſo affectu cum delectatione, & ſpirituali dulcedine, quæ illum comitatur, ſequitur in intellectu intimior quædam, & ſuo modo clarior cognitio illiuſmet veritatis, quam intellectus contemplatur, quæ ex ipſis affectibus, quos anima in ſe experitur, neceſsitate quadam ſequitur abſque mentis diſtractione, vel ſolicitudine, & ita perficitur contemplatio per amorem, quod præcipue videntur voluiſſe Bonauent. & alij: non fuit tamen illis neceſſarium dicere, aut exiſtimare, amorem illum ſine præuia cogitatione Dei ſubſiſtere. Ad alios Auctores ſatis iam reſponſum eſt. 35.

Ad quartã. *In quo conſiſtat contẽplatio.*

Caput XIV.

Poſſitne ſubſiſtere in hac vita perfecta contemplatio ſine operatione ſenſus?

Explicuimus proprias mentis operationes, in quibus vere, ac ſubſtantialiter contemplatio conſiſtit: 1.

conſiſtit: ſupereſt, vt de operatione ſenſuum dicamus, quatenus ſaltem poteſt talis operatio in vſu mentalis orationis inueniri, iuxta illud: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quoniam vero in parte inferiori duplex eſt operatio cū proportione reſpondens intellectuali, ſcilicet cognitionis, & appetitus, ideò de vtraque dicendum eſt, prius vero de cognitione agemus; quæ eſt etiam prior. Eſt autem in præſenti notanda differentia inter ſenſum, & appetitum: quod ſenſus in generali diſtinguitur in ſenſum interiorem, & exteriorem: appetitus vero non ita diſtinguitur, ſed ſequitur tantum ſenſum interiorem: Cuius ratio eſt, quia ſenſus quoad cognitionem poteſt immutari ab obiectis ſenſibilibus, vel immediate, & hic ſenſus dicitur externus, vel tantum mediante priori ſenſu ab ipſo ſenſibili proxime immutato, & hic eſt ſenſus internus. At vero appetitus nō mouetur immediate ab obiecto, ſed tantum media cognitione, cognitio autem ſenſus exterioris non ſufficit ad immutandum appetitum ſine iudicio, & cooperatione interioris ſenſus & ideo in appetitu non habet locum illa diſtinctio, quamuis in actibus eius aliquo modo reperiatur, de quo alias.

Duplex operatio in parte inferiori ſenſuum reperitur.

Differentia inter ſenſū & appetitū.

2. Hinc ergo fit, vt quæſtio propoſita intelligi poſſit vel de operatione vtriuſque ſenſus, tam interioris, quam exterioris, vel de operatione alterius tantùm ſenſus, ſcilicet exterioris, nam è conuerſo de operatione ſolius ſenſus interni non poteſt eſſe quæſtio. Quia euidens eſt, non poſſe ſenſus externos operari ſine cooperatione ſenſus interioris, ſcilicet ſenſus communis, ſeu phantaſiæ, vt conſtat ex ſcientia de Anima, & explicatur, quia licet obiectum viſibile ſit præſens viſui, & oculi ſint aperti, nullumque externum impedimentum interueniat, ſi interior attentio phantaſiæ alio ſit animo diſtracta, nihil videtur per ſenſum: indiget ergo ſenſus externus ad ſuum actum influxu, vel cooperatione ſenſus interni. Quapropter ſi contemplatio ſit talis, vt non abſtrahat hominem ab vſu ſenſuum externorum, conſtat illam etiam non abſtrahere ab vſu interioris ſenſus. At vero è contrario ſenſus internus poteſt operari ſine interno, & ideo de illo genere abſtractionis poteſt eſſe in præſenti ſpecialis quæſtio. Quæ adhuc duplicem ſenſum habere poteſt, vnus eſt, An poſſit intellectus operari in contemplatione, nullo cooperante ſenſu ex vi talis cōtemplationis. Alter, an contemplatio intellectus ita poſſit ſuſpendere omnem ſenſum, vt non ſolum illum non moueat, verum nec aliquid aliud ſinat illum operari, nec ab obiectis exterius excitari, vel quid ſimile? Priorem ſenſum tractabimus in hoc capite, poſteriorem in ſequentibus.

Senſus varij quæſtionis.

3. Quod ergo attinet ad priorem quæſtionem intellectam de omni operatione ſenſus interni, & externi, dicendum eſt primo, naturaliter fieri nō poſſe, vt homo in hac vita rapiatur ad veram Dei contemplationē per intellectum, nihil omnino cooperando per ſenſum, neque internum, neque externum. Ita docet Diuus Thomas 2. 2. q. 174. art. 2. ad 4. & ibi Caiet. eſtque communis ſententia: ſumiturque ex illo Dionyſij c. 1. de Cœleſt. Hierar. *Impoſſibile eſt, lucere nobis Diuinum radium niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum.* Idem habet aperte Greg. Nazian. Orat. ſecunda de Theol. vbi ſic ait: *Quemadmodum nulla ratione fieri poteſt, vt quiſpiam, qualibet greſſum vrgeat, vmbram ſuam prætereat (quantum enim eam aſſequeris, tantum etiam illa ſemper anteuertit) aut oculus rebus in aſpectum cadentibus citra intermediam lucem, & aerem coniungatur, aut natatilia animantia extra vndas labantur, ita etiam impoſſibile eſt iis, qui corporibus incluſi ſunt, ſine corporearum, ac ſenſibilium rerum adminiculo rebus iis, quæ animo, ac ratione intelliguntur, omnino coniungi: ſemper enim obiter ſenſibile aliquid incidit, quantumuis maxime noſtra mens à rerum aſpectabilium contagione ſeparata, atque in ſeipſam collecta, cum rebus cognatis, oculorumque aciem fugientibus commercium habere conetur.* Fundamentum eſt illud Ariſtotelis 3. de Anim. *Neceſſe eſt, intelligentem phantaſmata ſpeculari.* Ex quo habetur illud philoſophicum principium, intellectum hominis coniunctum naturaliter operari non poſſe, quin ſimul phantaſia cooperetur: vnde fit, vt ſi phantaſia ſit læſa, intellectus non poſſit ordinate ratiocinari, & diſcurrere. Eſt ergo naturalis dependentia inter intellectum coniunctum, & phantaſiam, ergo naturaliter non poteſt homo naturaliter eleuari ad contemplationem naturalem intellectualem ſine cooperatione phantaſiæ. *Naturaliter* autem dicimus hoc fieri non poſſe, non ſolum quia ſine gratiæ auxilio fieri non poteſt, nam in hoc ſenſu nulla vera contemplatio Dei, etiamſi ſit cum conuerſione ad phantaſmata, poteſt naturaliter fieri, cum conſiſtat in operationibus ſupernaturalibus, quæ ſine gratia fieri non poſſunt. Intelligimus ergo etiam cum ordinario auxilio gratiæ non poſſe naturaliter fieri, id eſt, ſecundum modum naturæ conſentaneum. Gratia enim licet eleuet naturam ad operationes ſupernaturales, tamen ſecundum legem ordinariam ſeruat modum operandi conſentaneum naturæ, quoad fieri poteſt, & ita nō eleuat intellectū ad operationem ſupernaturalem, niſi mouendo etiam phantaſiam, vt illi ſubminiſtret, prout poteſt.

1. Aſſertio.

D. Thom. Caiet. Dionyſ. Greg. Naz.

Fundamentum aſſertionis.

4. Secundo: nihilominus fatentur omnes Theologi, non implicare contradictionem eleuari mentem hominis in hac vita ad hoc genus contemplationis, in quo intelligibile contempletur ſine vllius ſenſus cooperatione. Ratio à priori eſt, quia hęc neceſſitas cooperationis phantaſiæ, dum intellectus noſter operatur, non eſt tam eſſentialis, vel intrinſeca, vt repugnet, impediri Diuina virtute, & confortari intellectum hominis ad operandum ſine vllius ſenſus interni, vel externi cooperatione, ergo. Antecedens patet, quia illa cooperatio phantaſię eſt realiter diſtincta ab operatione intellectus, & non eſt cauſa per ſe illius, ſed ad ſummum ſolet eſſe occaſio, vel excitatio quædam ex parte obiecti, & ſæpe eſt potius quaſi effectus: nam poſtquam intellectus iam eſt informatus ſpecie abſtracta à phantaſmatibus, & illa vtitur, ſecum rapit imaginationem ad cooperandum, neque alius modus dependentiæ ibi excogitari poteſt: in illis autem nulla apparet intrinſeca depēdentia, ſed eſt ſympathia quædam naturalis potentiarum, quam Deus poteſt facile impedire.

2. Aſſertio.

Ratio à priori.

5. Quod etiam inductione patet, nam intellectus hominis coniunctus eleuatur interdum ad claram Dei viſionem, in qua certum eſt cooperari ſine conuerſione ad phātaſmata. Imo ſignificat Diuus Thomas 2. 2. q. 175. artic. 4. impoſſibile eſſe animum videntis Deum in corpore mortali pro tunc aliquid per ſenſus externos, vel internos cognoſcere: de quo infra dicemus: nunc enim nobis ſatis eſt, in illo genere eleuationis operari intellectum ſine cooperatione alicuius ſenſus. Et huiuſmodi putat D. Thomas fuiſſe raptum Pauli, & Moyſis, & alij attribuunt etiam Sancto Benedicto, de quo alias. Secundo contingit hæc eleuatio per contemplationem procedentem à ſcientia infuſa per ſe, qualis fuit in anima Chriſti: & licet non conſtet certo fuiſſe communicatam alteri homini per modum habitus, pie tamen credi poteſt, aliquam illius participationem fuiſſe infuſam Beatæ Virgini, vel Ioanni Baptiſtæ, vt alibi diximus. Et multis aliis credibile eſt communicari, ſaltem per modum actus, vt ſentit Diuus Thomas quæſt. 13. de Veritate artic. 2. ad 9. vbi ait, hanc eleuationem extra viſionem Dei claram interdum fieri *per aliquas intelligibiles immiſſiones, quod eſt* (inquit) *proprium Angelorum.* In quo verbo indicat, illas eſſe immiſſiones per ſe infuſas.

D. Thom. opinio.

Alius modus abſtractionis a ſenſibus in contemplatione.

D. Thom.

Subdit.

Digitized by Google

Subditque huiuſmodi fuiſſe ſoporem Adæ, quando formata eſt Eua de coſta eius, nam iuxta Gloſſam Geneſ. 2. *Gloſſa.* *Ille ſopor fuit ecſtaſis menti Adæ immiſſa, vt mens eius particeps Angelicæ curiæ, & intrans in ſanctuarium Dei nouiſſima intelligeret.* At vero aliis Prophetis hic modus intellectualiter cognoſcendi, & videndi Diuina, interdum communicatus ſit, non conſtat, ſatis vero nunc eſt, quod non repugnet. Imo tertio etiam modo poteſt hoc contingere ſine infuſione ſcientiæ per ſe infuſæ per ſolam eleuationem intellectus ad vtendum ſpeciebus à ſenſibus acceptis ſine actuali cooperatione phantaſiæ: nam hoc etiam non repugnare probat ratio ſupra facta, licet de vſu, & de tali Diuina operatione non cõſtet.

5. *3. Aſſertio.* Tertio, addendum eſt, hunc modum eleuationis, & contemplationis non poſſe ducere originem propriam, & quaſi phyſicam ex operatione ipſiuſmet hominis cooperantis etiam Diuinę gratię. Probatur, quia ille modus operandi eſt omnino ſupra naturam, non ſolum quoad gradum operationis, ſed etiam quoad modum operandi, non ergo poteſt inchoari ab homine. Et declaratur in hunc modum. Quia licet nulla operatio ſupernaturalis poſſit ſimpliciter inchoari ab homine, quia oportet, vt initium ſit ex Deo, tamen poſtquam homo eſt excitatus per Diuinam gratiam ad contemplationem fidei, poteſt ſuo modo homo ſe ſe applicare ad illum actum, & eum in ſuo genere inchoare cum Diuino adiutorio. Non poteſt autem etiã hoc modo conari ad operandum, & contemplandum Diuina cum abſtractione ab omnibus ſenſibus, etiam internis, quia quo magis attendit per intellectum, eo magis etiam per phantaſiam cooperatur, vt facilior ſit intellectus applicatio, & apprehenſio: ergo nunquam per hunc modum operandi poteſt homo peruenire ad hoc genus contemplationis. Dixi autem hoc eſſe intelligendum de propria, & phyſica origine, quia moraliter, & per modum meriti poteſt homo interdum ita cooperari Diuinæ gratiæ modo ſibi connaturali, vt mereatur eleuari à Deo ad hanc altiorem contemplationem, ſicut eleuatur interdum ad alia miraculoſa opera facienda. *Aduertentia quædam in contemplatione.* Sed in hoc etiam obſeruare in primis oportet, hoc genus eleuationis, vel intelligentiæ, non ſolum petendum non eſſe, nec deſiderandum, verum neq; vllo modo procurandum aut intendendum per propria opera: quia eſſet genus quoddam vanitatis, & ſuperbiæ, & de ſe valde expoſitum illuſionibus, & deceptionibus. Deinde arbitror hoc genus gratiæ rariſſime cõcedi, niſi ob ſingulare aliquod priuilegium, aut magnam vtilitatem publicam, quia Deus ſuaui modo omnia diſponit, & non facit hæc miracula ſine magna cauſa. Quapropter non eſt, quod hoc genus contemplationis numeretur inter modos orãdi mentaliter, qui vſu venire ſolent, & ad praxim, vel profectum noſtrum conferre poſſunt.

6. *4. Aſſertio.* Quarto, principaliter dicendum eſt, ſi in cõtemplatione tantum fiat abſtractio à ſenſibus externis, durante cooperatione phantaſiæ, illam ſine miraculo contingere poſſe cum Diuina gratia in altiſſima contemplatione. Declaratur, nam, vt dicebam, hæc abſtractio duplex excogitari poteſt, vnam actualem voco, aliam etiam aptitudinalem. Prior eſt, quando mens interius contemplatur, cooperante phantaſia, exteriores autem ſenſus nihil actu ſentiunt: poſterior eſt, quando attendente intellectu, & ſecum rapiente phantaſiam ad ſuam contemplationem, exteriores ſenſus non ſolum nihil actu ſentiunt, verum etiam ita ligati ſunt, vt nihil ſentire, aut percipere valeant, etiamſi à quolibet obiecto ſenſibili vehementer immutentur, vel intentionaliter, vel materialiter. De hac poſteriori abſtractione dicemus in ſequenti capite, nunc de priori tantum, aſſertionem intelligimus.

7. Sic autem intellecta concluſio facile probatur, quia eſt non ſolum poſſibilis illa abſtractio à ſenſibus, ſed etiam eſt ordinaria, & maxime conſona Diuinæ contemplationi, imo ad illam quodammodo neceſſaria. *Probatio Aſſertionis.* Declaratur, quia in primis actus ſenſuum externorum per ſe neceſſarij non ſunt ad actualem mentis operationem, quamuis enim oporteat, vt illi actus externorum ſenſuum præcedant, quoniam per eos ſumuntur phãtaſmata. imo, & materia meditationis, ſeu contemplationis per eos applicari ſolet: tamen cum actu mens interius colligitur non indiget actuali cooperatione ſenſuum externorũ, vt vſu ipſo conſtat etiam in meditatione ſpeculatiua cuiuſcunque ſcientiæ, vel practica conſideratione artis, aut prudentiæ. Et ratio eſt, quia ſenſus externi pendent ab actuali immutatione obiectorum externorum, mens vero quoad ſuas internas actiones non pendet ab illa actuali immutatione. Et ideo Ariſtoteles non dixit, intellectum cum intelligit, conuerti ad ſenſus, vel ſenſibilia externa, ſed ad phantaſmata, non eſt ergo in noſtris actibus mentalibus tanta dependentia à ſenſibus externis, neque experientia ipſa aliud nos docet. *Alia confirmatio.* Deinde operationes, externorum ſenſuum, non ſolum per ſe neceſſariæ non ſunt actualiter ad mentis conſiderationem, verum potius carentia earum liberiorem relinquet animam ad mentis operationem, & è conuerſo interna mentis cõſideratio abſtrahit animam ab his actionibus externis: vtrumque conſtat experientia, & conſilio ſapientum, ac ratione: quia vis animæ noſtræ limitata eſt, & facile per ſenſus diſtrahitur, & quaſi diſſipatur, vt ergo ad vnam mentis conſiderationem colligatur, optimum eſt claudere ſenſuum feneſtras, & interius tantum meditari. Et ſimiliter è contrario cum interius anima nimium ad aliquid attenta eſt, ſolet ita exteriores ſenſus relinquere, vt præſentia non videat, neque audiat. Quod ex Ariſt. refert Gerſon tract. de Monte contemplat. cap. 31. *Gerſon.* vbi alia exempla de hoc refert Alphab. 74. litt. Q. Hinc Dionyſ. in Myſt. Theol. *D. Dion.* monet, ſenſus relinquere, & ſenſibilia omnia, vt contempletur Deus. Idemque monet Greg. lib. 5. Moral. cap. 22. *Gregor.* & paſſim alij Sancti, qui de hac materia ſcribunt. Hoc enim (vt dixi) non eſt proprium perfectæ contemplationis, ſed puræ orationi mentali commune eſt.

Caput XV.

Vtrum mentis contemplatio interdum impediat vi & efficacia ſua operationes ſenſuum externorum?

1. *Quid ſit Ecſtaſis.* Conſequenter dicendum ſupereſt de alio modo derelinquendi ſenſus externos, non ſolum non actualiter, ſed etiam aptitudinaliter, quia nimirum actus externi non ſolum non operantur, ſed etiam ita ſunt impediti, vt nec operari poſſint, nec per externa obiecta, quantumuis vehementia excitari. Et hic, vt exiſtimo, eſt proprius mentis exceſſus, ſeu eleuatio, quæ Ecſtaſis nominatur, & frequenter accidit in perfecta contemplatione, vt mox oſtendemus. Et de hac intelligi poteſt, quod Dionyſius ait *D. Dion.* cap. 4 de Diuinis nominibus: *Quod amor Ecſtaſim facit*, quia Diuinus amor abſtrahit, & ſeparat animam à ſenſibilibus. Poteſt autem id tripliciter intelligi. *De triplici ecſtaſis genere.* Primo de ſeparatione per ſolam intentionem, & hoc modo ecſtaſis non excludit actualem cognitionem, & vſum ſenſibilium rerum, ſed eleuat intentionem, vt ſcilicet, dum quis exterioribus rebus, & ſenſibus vtitur, tota ſua intentione Diuinis rebus inſpiciendis, & diligendis vacet, id eſt, vt his ſenſibilibus ſolum propter Deum vtatur. Atque ita expoſuit Diuus Thomas qu. 3. de Verit. artic. 2. ad 9. *D. Thom.* *Eſſe (inquit) in ecſtaſi eſt quilibet Diuinorum cõtemplator, & amator.*

Digitized by Google

& amatur. Vnde addo, in hac ecſtaſi eſſe ſpiritualem virum, non ſolum cum meditatur, vel mentaliter orat, ſed etiam cum exterius operatur, & ſtudet, nam per intentionem omnia in Deum refert. Hæc vero interpretatio valde lata, & quodammodo metaphorica eſt.

9\. Alio ergo modo poteſt id intelligi de abſtractione per actualem ſeparationem ab vſu externorum ſenſuum, de qua in præcedenti puncto locuti ſumus. Illam enim ecſtaſim ſine dubio etiam facit Diuinus amor, quia quærit modum, quo liberius, & quietius Deo fruatur, ad quod multum iuuat ſuſpenſio actualis externorum ſenſuum. Vnde Greg. lib. 5. Moral. cap. 22. *Ad contemplanda* (inquit) *interna nemo perducitur, niſi ab his, quæ exterius implicant, ſtudioſe ſubtrahatur*. Et capit. 20. *Occultatur* (inquit) *vt audiat, & audit, vt occultetur, quia & ſubtracta à viſibilibus inuiſibilia conſpicit, & repleta inuiſibilibus viſibilia perfecte contemnit*. Hanc etiam ecſtaſim videtur deſcribere Bonauent. tomo ſecundo tractat. de Septem gradibus contemplat. cum ait: *Ecſtaſis eſt, deſerto exteriori homine, ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſa quædam eleuatio ad ſuperintellectualem Diuini amoris fontem*. Et ſtatim refert verba Dionyſij: poſſetque facile illa deſcriptio applicari ad tertium modum eleuationis mentis, quam iuxta communem vſum nomen ecſtaſis ſignificat.

D. Greg.

Bonauentura de ecſtaſi deſcriptio.

10\. Tertio ergo dicitur Diuinus amor facere ecſtaſim, quādo eſt ardens, & ita rapit animam in Deum, vt ſenſus externos quodammodo relinquat, ita vt nihil percipere valeant, dum illa mentis eleuatio durat: hoc autem facit non quilibet amor, ſed valde perfectus, & ecſtaticus, vt attigit Bonauent. Opuſc. de Septem itinerib. æter. diſt. 4. articulo 4. cum Bernard. libr. de Præcept. & diſpenſ. Eſt ergo dubium huius loci proprium, An huiuſmodi ecſtaſis eueniat in contemplatione naturaliter ex vi propria operationum, in quibus contemplatio conſiſtit? In quo non directe quæritur. An poſsit fieri tanta ſuſpenſio ſenſuum ſine auxilio gratiæ? nam ſi operationes ipſæ contemplationis non poſſunt ſine gratia fieri, nec ſuſpenſio ſenſuum fiet ſine gratia. Formalis ergo ſenſus dubij eſt, An ex vi talis operationis ſequatur naturaliter talis abſtractio à ſenſibus? ſimul tamen tractabimus, An ex contemplatione naturali, viribus naturæ facta, imo & peccaminoſa, poſsit ſequi talis ſuſpenſio ſenſuum connaturaliter?

Formalis ſenſus dubij.

11\. Igitur quod non ſequatur naturaliter ecſtaſis ex contemplatione, quantumcunque perfecta, ſuaderi poteſt. Primo, quia ſi ſequeretur naturaliter: maxime ſequeretur ex viſione beatifica communicata animæ informanti corpus mortale, ſed ex illa non ſequitur, ergo ex nulla contemplatione ſequitur. Maior patet, quia illa eſt ſumma contemplatio, & maxime videtur rapere totas vires animæ in Deum. Minor autem probatur, quia Chriſtus Dominus habuit illam viſionem toto tempore vitæ mortalis ſine vlla abſtractione à ſenſibus. Item animę Beatorum vnitę corporibus non habebunt ſuſpenſionem à ſenſuum actionibus ratione viſionis. Eſt autem in eis eadem ratio, quātum ad hoc, quod omnes vires animæ rapiuntur in illa viſione, & vix ad illam ſufficiunt. Secundo argumentor, Quia ſi vis contemplationis poſſet naturaliter ita ſuſpendere ſenſus externos, eadem ratione aucta intenſione, & attentione contemplationis poſſet ſuſpendere eodem modo ſenſus internos, non ſolum vt non operentur, verum etiam vt nec operari poſsint, quod tamen eſt falſum, vt ex dict. 2 conſtat. Sequela patet, quia ſi poteſt contemplatio ita ligare ſenſus externos, ideo eſt, quia veluti abſorbet vires animæ, vt non poſsit ſimul extra ſentire: ergo eadem ratione, creſcente intellectuali attentione, & affectione, poteſt ita abſorbere vires animæ, vt nec interius ſentire, ſeu phantaſiari valeat. Adde, eodem modo poſſe inferri, vi contemplationis intenſæ poſſe ita ſuſpendi vires animæ vegetatiuæ, vt nihil operentur, ac proinde vt efficiant hominem immortalem, ſi perpetuo in illo contemplationis actu perſeueret. Poterit autem facile perpetuo durare, quia ſi corpus nihil operatur, non eſt, vnde fatigetur. Tandem hinc etiam ſequitur, ſecluſo ordine gratię, poſſe hominem per vires naturales ſui ingenij in ecſtaſim rapi per altiſsimam ſpeculationem.

10\. Nihilominus probabilius videtur, ſuppoſita gratia perfectæ contemplationis ex illa naturaliter, ſeu connaturaliter ſequi poſſe ecſtaſim ſaltem quoad dictam ſuſpenſionem ſenſuum externorum. Itaque licet hæc ipſa ſuſpenſio, & ecſtaſis inter dona gratiæ computanda ſit, quia reuera ſequitur ex efficacia gratię, tamen connaturaliter ſequitur ex priori gratia: ita vt non ſint duæ gratiæ ita diſtinctę, vt non ſint connexæ inter ſe, ſed vna ab alia naturaliter profluat. Ita ſentit D. Tho. 2. 2. q. 175. art. 2. vbi hanc vim ecſtaſim faciendi maxime videtur attribuere vehementiæ affectus: addit vero in ſolutione ad ſecundum, vehementiam affectuum cauſare ecſtaſim, quatenus cauſat exceſſum cognitionis, quo mens ad intelligibilia vehementer rapitur alienata à ſenſibus. Vbi hoc etiam Caietanus adnotauit. Idem late Abulenſ. Geneſ. 13. quæſt. 400. & Paradox. 3. quæſt. 46. Molin. 1. part. quæſt. 12. articulo 11. & alij, quos ſtatim referam. Ratio vnica eſt illa, quia virtus animæ eſt finita, & abſorpta vehemēter in ſuperioribus, ac internis actionibus, non poteſt ſimul ad inferiores, & externas deſcendere. Quæ ratio ſoluendo difficultates explicanda magis eſt, & confirmanda. Fauet etiam experientia, quæ eſt tam frequens, vt indicet eſſe connaturalem effectum, & nō miraculoſum, quia non ſunt multiplicanda miracula ſine neceſsitate.

Suppoſita gratia contēplationis perfecta naturaliter poſſe ſequi ecſtaſim in ſenſibus ſaltē externis.

D. Thom.

Caiet. Abulenſ. Molin.

11\. Addo tandem, propter obiectionem quandam ſupra factam, & ad maiorem huius rei confirmationem, hoc genus ecſtaſis ſequi poſſe ex vi naturalis contemplationis, etiamſi fiat per ſolam ſpeculationem ſine affectu. Hoc ſentit Caietanus, & fauet ibi Diuus Thomas dicta quęſtione 175. articulo primo, & ſecundo, tradit Marſil. Ficin. libr. 13 de immort. anim. capit. 14. & videtur colligi ex hiſtoria de Reſtituto, de quo refert Auguſt. 14. de Ciuit. capit. 24. quod ad nutum ſuum rapiebatur quamuis enim (vt Auguſt. ſignificat) non omnino priuabatur ſenſatione externa, tamen vix aliquid ſentiebat. Item de Triſmagiſtro, & Socrate, & Platone ferunt in contemplatione rerum Diuinarum ſolitos fuiſſe illo modo ſuſpendi. Et alia refert Gerſon in Opuſc. de Monte contemplat. capit. 31. Alph. 74. litt. Q. Hęc autem nec Diuinæ gratiæ ſupernaturali cum fundamento attribuere poſſumus, nec facile ſunt Dæmonis operationi aſſcribenda, quia licet non ſit dubium, quin poſsit Dæmon hoc modo ſenſus ligare, vel obſtruendo vias ſpirituum animalium, vel omnes illos ſpiritus in phantaſia retinendo: tamen vbi non apparent ſigna, vel effectus operationis Dæmonis, nō oportet illi talem effectum ſemper aſſcribere. Ratio vero eſt, quia ſi anima totam ſuam vim, & attentionem colligat ad interiores actus, tunc tota virtus naturalis eius ita occupabitur, vt ſenſibus externis non attendat, nec ſpiritus ad ſentiendum neceſſarios illis miniſtret. Confirmatur ex differentia, quæ ſupra poſtulabatur inter intellectum reſpectu phantaſiæ, & phantaſiam reſpectu ſenſuum externorum: nam phantaſia in ſua actuali operatione nō ita pendet ab actuali operatione ſenſus exterioris, ſicut intellectus pendet à phantaſia, vt docet D. Th. 1. p. q. 84. ar. 7. ad 2. cuius ratio eſt, quia phantaſia non tantum eſt capax cognitionis intuitiuæ, ſed etiam abſtractiuę, & ideo operari poteſt, quādo exteriores ſenſus non poſſunt operari, & ita non pēdet ab illis.

Confirmatio.

Hinc

Digitized by Google

Hinc vero è contrario fit, vt quoties intellectus naturaliter operatur, ſecum conſequenter ferat phantaſiam propter colligationem vtriuſque potentiæ in eadem anima, & quia ex parte phantaſiæ non eſt impedimentum, cum poſsit abſtractiuè operari, & alioqui iuuat intellectum coniunctum, vt facilius poſsit ſuos conceptus inſtar phantaſmatum formare. Ex hac ergo doctrina ſequitur, vt intellectus nimium attendens ad ſuam ſpeculationem ſecum rapiat phantaſiam cũ proportionata attentione: phãtaſia vero non ſic ferat ſecum ſenſus externos, ſed potius illos deſerat: ergo poteſt illa attentio naturalis eſſe tãta, vt fiat ecſtaſis perfecta ab omnibus ſenſibus externis. Verumtamen hæ rationes ſolum probant conſecutionem illam eſſe naturalem ex hypotheſi, quod anima applicet totam ſuam vim ad internam conſiderationem. An vero poſsit ipſa ſola ſua virtute naturali ita vehementer applicare attentionem ſuam internam, non conſtat. De hoc vero dicam inferius.

Caput XVI.

Vtrum ſaltem intuitiua contemplatio Dei per viſionem beatam mortali homini conceſſam natura ſua efficiat ecſtaſim in ſenſibus externis?

1. *1. Opinio.* HAEc dubitatio petitur in prima ratione dubitandi in ſuperiori cap. propoſita, quæ peculiarem habet difficultatem, & ideo in hoc cap. expedienda eſt. Eſt ergo prima ſententia affirmans, per viſionem beatam abſtrahi omnino animam ab vſu ſenſuum in mortali corpore. *D. Tho.* Ita D. Thom. 1. p. q. 12. art. 11. & 3. contra Gentes c. 47. & 2. 2 q. 175. art. 4. & *Abulen.* ſequitur Abulenſ. lib. 2. Paralip c. 1. q. 18. vbi ait, ideo raptum fuiſſe Paulum, quia non poterat videre Deum, & ſenſibus vti, & D. Thom. ad id declarandum duplici vtitur principio. Vnum eſt in omni operatione, in qua intellectus humanus abſtrahitur à phantaſmatibus, neceſſario etiam abſtrahi à ſenſibus, quia intellectus humanus non conuertitur ad ſenſibilia, niſi quatenus cognoſcit per ſpecies ſumptas ex phantaſmatibus. Vnde quia in Dei viſione maxime eleuatur intellectus ad cognoſcendum abſque ſpecie ſumpta ex phantaſmatibus: ideo neceſſe eſt, vt in illa viſione abſtrahatur à ſenſibus.

2. Siquis autem recte conſideret, ex hoc diſcurſu ſolum poteſt inferri abſtractio quædam, quam vocare poſſumus negatiuam, non autem poſitiuam, id eſt, concluditur optime intellectum coniunctum, ſi eleuetur ad videndum Deum, non indigere ad illam viſionem vſu alicuius phantaſmatis, nec cooperatione alicuius ſenſus interni, vel externi: & hanc voco abſtractionem à ſenſibus negatiuam, quia eleuatur anima ad operandum intellectualiter, nullo ſenſu operante, & ſine dependentia ab illis. Quod veriſsimum eſt, non ſolum in ſcientia beata, ſed etiam in ſcientia infuſa, vt de anima Chriſti Domini alias diximus. Non probatur autem illo diſcurſu, quod ex vi talis eleuationis maneat homo ligatus ſenſibus, ita vt nihil per illos ſentire valeat, dum intellectus viſioni Dei intentus eſt: quam ego voco poſitiuam abſtractionem, ſeu ſuſpenſionem, quæ longe diuerſa eſt & plus requirit. Nam licet illa viſio non indigeat ſenſibus, poteſt illos permittere ſuos actus operari, nec ex eo, quod eis non indigeat, ſequitur per locum intrinſecum quod eos liget, vt in vſu etiam ſcientiæ infuſæ videre licet.

3. *D. Thom.* Fortaſſe ob hanc cauſam addit D. Thom. aliud principium, ſcilicet, intellectum hominis eleuatum ad viſionem Diuinæ eſſentiæ, ita applicari ad actum illum tota intentione animæ, vt totaliter feratur in Deum, nihilque aliud intelligere ex phantaſmatibus poſsit, inde enim fit, vt non poſsit etiam tunc vti ſenſibus. Quæ doctrina videtur eſſe conſentanea Auguſt. varijs locis docenti, Paulum licet viderit Deum in corpore mortali dici potuiſſe, tunc in illo non vixiſſe, quia ita erat anima in corpore, vt non poſſet actualiter viuere vtendo ſenſibus. *Aug.* Ita habet Epiſt. 112. c. 12. & lib. 12. Geneſ. ad lit. c. 27. & 28. 35. & 36. Ratio vero eſt, quia virtus finita, ſi tota ad vnum actum applicetur, nihil aliud poteſt ſimul efficere, ſed virtus animæ eleuatæ ad viſionem Dei tota occupatur, & quaſi abſorbetur in illo actu, vixque ad illum ſufficit, ergo non poteſt ad alios actus ſenſuum externorum, vel internorum applicari: non poteſt autem ſentire ſine actuali applicatione ſuæ virtutis, & attentione, ergo.

Sed hic diſcurſus magnas patitur difficultates. 4. *Incõmoda quæ ſequuntur contra 1. ſententiam.* Nam in primis ſequitur, Chriſtum in mortali vita non potuiſſe vti ſenſibus, ſine ſpeciali miraculo. Idemque ſequitur de hominibus beatis animo, & corpore, quia licet in illis corporibus fiat redundantia ex viſione beata (vt Diuus Thomas reſpondet) tamen hæc eſt redundantia gloriæ, non naturæ: & ita fit, Beatos non poſſe per corpora exercere operationes ſenſuum, vt naturales ſunt, ſed ſolum per virtutem gloriæ, quod videtur inconueniens. Et præterea, cum illa redundantia in corpus impedita fuerit in Chriſto pro ſtatu vitæ mortalis, fit, vt in illo operationes ſenſuum eſſe non potuerint, nec per gloriam, nec per naturam, ſed alio ſpeciali miraculo, quod maius videtur incommodum. Præterea ſequitur, neque Angelos, neque videntes Deũ poſſe naturaliter habere actus naturales ſcientiæ, aut cognitionis intellectualis. Nam ratio facta, ſi efficax eſt, probat, ita abſorberi mentem beatam illa viſione, vt ad illam applicet totam intentionem, & actiuitatem ſuam, ergo nullam inferiorem actionem præſtare poteſt ſine ſenſus, ſiue intellectus: nam ratio eadem eſt, imò fortius probat de actibus intellectus, quę à virtute intelligendi propinquius proficiſcuntur.

5. *Explicatio opinionis D. Thom.* In hoc puncto aliqui cenſent, D. Thomam non fuiſſe locutum de abſtractione à ſenſibus poſitiua, vt ita dicam, ſed negatiua tantum, id eſt, mentem hominis non poſſe eleuari ad videndum Deum, quin in ipſa viſione abſtrahatur ab vſu ſenſuum, id eſt, quin ipſa viſio non fiat per vſum ſenſuum, nec illius ope indigeat: nõ verò affirmare D. Thomam, viſionem illam neceſſario abſtrahere animam ab vſu actuali ſenſuum circa omnia alia obiecta. *Refellitur explicatio.* Sed hæc expoſitio locum non habet, tum quia D. Tho. 1. p. d. art. 11. tacite excipit Chriſtum Dominũ, dum reſtringit ſermonem ad purum hominem, tum etiam quia excipit animam videntem Deum in corpore glorioſo, tum denique quia in ſolutione ad ſecundum fatetur per miraculum poſſe aliud fieri. At ſi loqueretur formaliter de vſu ſenſuum, ſeu de ſola abſtractione negatiua, ſic neceſſaria eſſet talis abſtractio, etiam de potentia abſoluta, quia vt videatur Deus per ſenſus corporis nullo modo fieri poteſt, nec per miraculum, nec in corpore glorioſo fieri poteſt, nec in Chriſto factum fuit. Adde, D. Thomam expreſſe dicere, neceſſarium eſſe, vt anima videntis Deũ ſeparetur à corpore, vel per mortem, vel per raptum à ſenſibus, & ab omni eorum operatione.

6. *Alia expoſitio.* Alij ergo exponunt, loqui D. Thomam ſecundum legem ordinariam, non de potentia abſoluta, quæ expoſitio non repugnat verbis Diui Thomæ. Sed oportet conſiderare aliud eſſe dicere, quod iuxta ordinariam legem non datur illa viſio intellectui coniuncto corpori mortali, aliud verò quod ſi detur ex diſpenſatione, neceſſarium ſit etiam ex lege ordinaria, ſeu connaturali hominem illum abſtrahi à ſenſibus, non ſolum quia operatio ſenſus nihil cõducere poteſt ad illam viſionem, nec per eam

exci-

Digitized by Google

excitari (quod eſt clarum) ſed etiam quia ex natura rei ſimul eſſe nō poteſt cum illa viſione. Priori modo certiſsima eſt illa lex ordinaria, & ſatis expreſſa in Scriptura, *Non videbit me homo, & viuet: Quem nemo hominum videt, ſed nec videre poteſt*. At Diuus Thomas loquitur aperte in poſteriori ſenſu, imo ex hac poſteriori lege, ſeu neceſsitate conatur reddere rationem prioris. Contra hunc vero ſenſum videntur procedere rationes factæ, & oſtendere, licet infundere talem viſionem homini mortali ſit præter ordinariam legē, nihilominus facta ſemel illa gratia, ex illa non ſequi ex natura rei abſtractionem à ſenſibus, ſed manere animam ſic videntem Deum æque expeditam ad omnes actiones ſuas naturales tam intellectus, quam ſenſuum, & inferiorum potentiarum, ac ſi nihil omnino operaretur.

6. *Diuina eſſentia viſio nē nō ſeparare animā à corpore, nec à ſenſibus abſtrahere. Molina. Ratio germana.*

Atque hanc partem indicauit Ludouicus Molina prima part. quæſtione 12. articulo 11. vbi ait, viſionem Diuinæ eſſentiæ ſuapte natura: neque indigere ſeparatione animæ à corpore, neque alienatione à ſenſibus, quin potius (ait) eſſet miraculum, quod quis in carne Diuinam eſſentiam videret, & vti non poſſet ſenſibus. Ratio eius eſt, quia lumen gloriæ eſt principium operandi ſuperioris ordinis, & eleuat intellectum hominis ad operandum omnino ſpiritualiter, & independenter à phantaſmatibus, quia viſio Diuinæ eſſentiæ, nec poteſt ducere originem à phantaſmatibus, nec phantaſia poteſt cooperari illi viſioni: ergo viſio beatifica per ſe non impedit vſum ſenſuum internorum, ac proinde neque externorum, ſed tam libera manet anima ad vtendum ſuo corpore videndo Deum, ac ſi non videret.

7. *Euaſio.*

Ad hanc vero rationem dici poteſt, animam videntis Deum non abſtrahi à ſenſibus propter dependentiam viſionis à phantaſmatibus, ſed propter dependentiam illius viſionis ab ipſomet intellectu, & ab attentione ipſiuſmet animę. Nam cum potentiæ ſenſitiuæ in eadem anima cum intellectu radicentur, nimia intentio ad opus intellectus impedit attentionem ad opera ſenſuum, quia etiam illi indigent actuali animæ attentione ad ſuas operationes, & ideo ſi anima ſit in tali ſtatu, vt illam attentionem adhibere non poſsit, neceſſe eſt, vt ecſtaſim in ſenſibus patiatur. Hunc autem ſtatum videtur ſecum afferre viſio beatifica propter excellentiam ſuam, & ſummam attentionem, quam requirit. Hæc autem fuit ratio D. Thomæ, quæ procedit, ſiue actio intellectus pendeat à phantaſmatibus, ſiue non: & ideo non ſoluitur per rationem in contrarium factam. Maximeque vrget, ſi verum eſt, intellectum concurrere ad illam viſionem per virtutem, & actiuitatem ſibi connaturalem, nam certe tota vis naturalis non ſolum intellectus, ſed etiam animæ exhauriri videtur in illa tam excellenti viſione. Nec video quid facile reſponderi poſſet, illa ſententia ſuppoſita.

8. *Intellectum in viſione beata nō operatur virtute naturali, ſed obedientiali.*

Ego autem veriſsimum cenſeo, intellectum in viſione beata non operari virtute naturali, nam licet influat per entitatem ſuam, non tamen vt habētem virtutem naturalem intelligendi, ſed obedientialem ita proportionatam, vt ad altiorem modum intelligendi eleuari poſsit. Ex hoc ergo principio roboratur valde ratio ſupra facta, quia illa viſio nec pendet à phantaſmatibus, nec naturalem actiuitatē animæ, aut intellectus abſorbet, ſeu exhaurit, imo neque illam occupat, aut diſtrahit vllo modo, ergo licet ſit in anima coniuncta corpori, nō impedit operationem ſenſuum, & conſequenter ecſtaſim non cauſat. Et hoc valde confirmatur ex incommodis ſupra illatis, quæ omnia vitantur ex illo principio quod viſio illa non ſolum à phantaſmate, verum nec ab vlla cognitione naturali intellectus, nec à virtute naturali eius, vt talis eſt, pendet: & ideo in quocunque ſtatu liberum relinquit intellectum, & expeditum ad operationes ſibi connaturales.

9. Quocirca recte mihi videntur ſentire, qui dicūt, licet miraculum ſit, animam videre Deum, & ab illa gloria non redundare gloriam in corpus, tamē illo miraculo ſuppoſito, nullam ſequi naturaliter ſuſpēſionem, vel ecſtaſim ſenſuum ex illa viſione, ſed tā naturaliter operari poſſe, ac ſi non videret Deum. *Auctoris iudicium.* Quod tenet Molina ſupra, & idem ſentit Gabriel Vazquez in eodem art. in fin. impugnando Alenſem. *Molina. Vazquez.* Et confirmat hoc ſufficiēter exemplum Chriſti Domini, in quo non fuit duplex miraculum, vnū habendi gloriam animæ ſine gloria corporis, aliud habendi gloriam ſine ecſtaſi, & raptu à ſenſibus, ſed fuit ſolum primum, quo ſuppoſito, fuiſſet potius miraculum nouum non ſentire per corpus mortale, ac de ſe expeditum ad ſentiendum. Quod autem in Chriſto permanenter intelligitur, cum proportione intelligendum eſt de quocunque viatore, ſi ei viſio beata communicetur in tranſitu, ſeu ad breue tempus: nam pro illo tempore procedit in eo eadem ratio. Nec video, quid ad hoc referat eſſe ſimul viatorem, & comprehenſorem permanenter, aut in tranſitu: maxime cum hæc differentia non oriatur ex intrinſeca natura viſionis, aut luminis gloriæ, ſed ex libera Dei voluntate.

Capvt XVII.

Vtrum ex intellectuali contemplatione huius vitæ ſequi poſſit Ecſtaſis in actibus omnium ſenſuum etiam internorum?

1. *Senſus quæſtionis.*

Dubium hoc petitur in ſecundo argumēto c. 15. propoſito. In quo ſolum loquimur de cōtemplatione, quæ fieri poteſt, & ſolet in corpore mortali ordinario, ſeu connaturali modo, ita vt licet actus ipſe contemplationis in ſe ſupernaturalis ſit, nihilominus modus operandi ſit accommodatus naturæ quoad compoſitionem diſcurſus, vel ſimiles conditiones. Dicunt ergo aliqui poſſe hanc ecſtaſim dicto modo fieri in omnibus ſenſibus etiam internis. Ita tenet Abulenſ. Gen. 13. quæſtione 400. & ſequentibus, & Paradox. 3. capit. 46. Fauet D. Thom. 2. 2. quæſtione 175. artic. 3. ad primum, vbi ait mentem humanam tripliciter eleuari ad contemplanda Diuina: primo per ſpecies imaginarias, vt fuit in Petro Act. 10. Secundo per intelligibiles effectus, vt in Dauid, cum dixit Pſalm. 111. *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax*. Tertio per claram viſionem. Significat ergo in primo modo fieri Ecſtaſim à ſenſibus externis tantum, in ſecundo vero, etiam ab internis, quia per pura intelligibilia ſit. Et quæſt. 13. de Verit. art. 3. ad 10. ait, tantam eſſe poſſe in actu ſpeculationis vehementiam, vt omnino à ſenſibili operatione abſtrahatur. *Opinio aliquorum. Abulenſ. D. Thom.*

2. *Confirmatur opinio.*

Poteſt hæc ſententia confirmari ex illo 1. Corint. 14. *Orabo ſpiritu, orabo & mente*. Vbi duplicem orationem Paulus diſtinguit, vnam ſpiritualem, alteram mentalem, quæ non poſſunt ita diſtingui, vt vna ſit per intellectum, & non altera, quia repugnat eſſe veram orationem ſine operatione intellectus. Diſtinguuntur ergo, quia vna ſit per intellectum cooperante imaginatione ſine ſenſu externo, quæ ſpiritualis appellatur, quia abſtrahit ab externo vſu corporis: alia pure mentalis, quæ ſolo intellectu cum ſuſpenſione omnis ſenſus etiam interni ſit: & ita videtur exponere locum illum Auguſtini 12. Geneſ. ad lit. capit. 24. & 25. *Auguſt.* Ratio denique eſt ſupra facta, quia intentio ad vnum actum impedit alias, ergo tanta eſſe poteſt mentis intentio, vt omnes ſenſus etiā internos impediat. Item, ſicut ſe habet ſenſus internus ad externos, ita intellectus ad phantaſiam, ſed attentio interioris ſenſus poteſt eſſe tanta, vt omnino ſuſpendat actus externorum ſenſuum, ergo etiam intellectus ſua nimia attentione poteſt omnino impedire phantaſiam, qua ſuſpenſa, cæteros omnes ſenſus ſuſpendi neceſſe eſt.

Digitized by Google

3. *Reſolutio.* Dicendum nihilominus eſt, naturaliter fieri non poſſe tantam abſtractionem à ſenſibus ex vi contemplationis intellectualis, vt maneant omnes ſenſus quaſi deſtituti ab influxu animæ, ita vt ea ratione nihil operari poſsint. Hæc aſſertio eſt D. Tho. 2. 2. q. 174. & ibi Caieta. & aliorum. Sumiturque ex Auguſtino lib. 2. ad Simpl. q. 1. vbi definiens Ecſtaſim, dicit eſſe *alienationem à ſenſibus corporis, vt ſpiritus hominis Diuino ſpiritu aſſumptus, capiendis atque intuendis imaginibus vacet.* Vbi per ſenſus corporis hos externos intelligit: ponit enim exemplum in Petri Ecſtaſi Act. 10. quam conſtat non fuiſſe ſine cooperatione phantaſiæ. Ponit etiam exemplum in Daniele, & licet locum non deſignet, videtur alludere ad reuelationem, & interpretationem ſomniorum Nabuchodonoſor, Daniel. 2. & 4. in quibus non carebat Daniel ſenſibili repræſentatione phantaſiæ. Vnde idem Auguſt. libr. 1. quæſt. in Geneſ. quæſt. 80. dicit, in Ecſtaſi ſolere fieri magnas reuelationes, & huiuſmodi fuiſſe putat ſoporem Adæ Geneſ. 2. & talem etiam fuiſſe putat ſtuporem Iſaac, de quo Geneſ 27. dicitur, quod audiens verba Eſau, poſtquam à Iacobo deceptus fuerat: *Expauit ſtupore vehementi.* ibi enim lectio Græca *Ecſtaſim* legit. At denique libro 8. Geneſ. ad lit. cap. 2. aperte docet, in exceſſu mentis, qui in Ecſtaſi fit, non relinqui imaginariam viſionem, ſed ad ſummum externam ſenſationem. Et eodem ſenſu lib. 12. cap. 25. ait, Ecſtaſim eſſe raptum à ſenſibus corporis, & tales eſſe putat reuelationes Ioannis in Apocalypſi, & Iſaiæ viſiones, Iſai. capit. 6. De quibus manifeſtum eſt, non fuiſſe ſine ſenſibus, ſaltem internis. Idem ſumitur ex libr. de Cura pro mortuis agenda cap. 12.

D. Thom. Caiet. Auguſt.

Auguſt. probat in Ecſtaſi ſolere fieri multas reuelationes.

4. *Probatur, & explicatur concluſio.* Ratione ita hoc poteſt explicari, quia vel contemplatio intellectualis eſt per lumen, ſpecies & actus per ſe infuſa, & eleuationem intellectus ad operandum per illa ſecundum modum, & proportionem illorum, vel eſt per actus, qui licet in ſe ſint ſupernaturales, fiunt tamen per ſpecies acquiſitas, & modo illis, & intellectui mortali corpori coniuncto, accommodato. Si contemplatio fiat priori modo, illa in primis valde ſupernaturalis eſt, & adeo extraordinaria, vt extra Chriſtum Dominum, qui ſcientiam infuſam in habitu ſemper, & in actu habuit, de nullo alio certo conſtat, illam habuiſſe, quãuis de Beatiſsima Virgine probabilius ſit habuiſſe aliquam illius participationem, etiam permanentem, & per modum habitus, & de Ioanne Baptiſta ſit credibile aliquando participaſſe illum modum operandi, & de Paulo in raptu eſt idem veriſimile. De cæteris vero Prophetis, vel Apoſtolis, aut aliis Sanctis, quantumuis contemplatiuis nihil cum ſolido fundamento affirmari poteſt, licet non repugnauerit, aliquando id factum eſſe ex gratia ſuperante ordinariam legem.

5. Deinde poſita tali contemplatione, licet per illam abſtrahatur mens à ſenſibus negatiue (ſicut ſupra dicebam de viſione beata) id eſt, quod ex vi talis contemplationis homo non vtitur ſenſibus, nec illis indiget, non tamen abſtrahitur poſitiue, quod nunc agimus, id eſt, non ita abſorbetur vis animæ per illam contemplationem, vt ſenſibus vti non poſsit, non ſolum internis, verum etiam externis. Hoc probatur à fortiori ex dictis de viſione beata, nam ſi illa non ità exhaurit naturales vires animæ, multo minus id faciet hæc contemplatio. Probatur hæc conſequentia, quia in ordine, & modo ſupernaturalitatis conuenit cum viſione beata, & in illo ordine eſt longe inferior. Et prior ratio ſufficit, vt non cauſet talem Ecſtaſim, poſterior autem iuuat, vt facilius id fiat Declaro vtrumq;, quia hæc contẽplatio conuenit cum viſione beata in hoc, quod ipſa in ſua entitate eſt omnino ſupernaturalis, & pendens à lumine & ſpeciebus per ſe infuſis, & quod fit modo pure ſpirituali, atque adeo independenter ab omni ſenſu, omnique eius miniſterio, vel cooperatione, ac denique quod intellectus humanus non concurrit ad illam virtute naturali, vt talis eſt, ſed ſolum vt eleuatur virtute Diuina, quia non poteſt aliter intellectus coniunctus vti ſpeciebus per ſe infuſis. Ex his autem principiis, & modo operandi oritur, vt viſio beata non abſorbeat omnino vim animæ ad operandum per inferiores potentias, vt ſupra declaraui: ergo idem dicendum eſt de hoc genere contemplationis, in quo illa omnia reperiuntur, & aliunde minorem intentionem, ſeu actiuitatem ſupernaturalem ex parte animæ requirit, quam viſio beata, vt per ſe conſtat.

Cõfirmatur concluſio, & declaratur in quo conueniat hæc contẽplatio cum viſione beata.

6. *Nec viſionem beatam, nec contẽplationem ex ſcientia infuſa impedire vſum ſenſuum.* Addo vero, etiam has duas contemplationes ſimulſumptas, ſcilicet per viſionem beatam, & ſcientiam infuſam, non efficere illam tam grandem ſuſpenſionem virtutis ſentiendi, quia cum omnia in illis ſint ſupernaturalia non impediunt actiuitatem naturalem. Nam principia diuerſarum rationum bene poſſunt ſimul operari: principia autem harum actionum ſunt diuerſorum ordinum, & anima licet ſit eadem, & in omnibus operetur, tamen ſubit vicem principiorum diuerſi ordinis, quatenus per virtutem naturalem, vel per potentiam obedientialem operatur. Et ita in Chriſto Domino fuit vtraque contemplatio ſimul, & illis non obſtãtibus ſine nouo miraculo fuit etiam operatio tam ſenſuum omnium, quam intellectus naturalis.

7. At vero ſi contemplatio fiat alio modo magis proportionato naturæ, & cum aliqua cooperatione ſpecierum acquiſitarum, & naturalis virtutis intelligendi, ſaltem quoad apprehenſionem obiectorum, de quibus ferendum eſt iudicium, tunc certius eſt, non poſſe fieri ex vitalis contemplationis totalem abſtractionem à ſenſibus, etiam internis, quantumcunq; creſcat, & intendatur ipſius intellectus attentio. Hoc aperte ſequitur ex prima ſupra poſita reſolutione, quia quoties intellectus coniunctus operatur per ſpecies acquiſitas, naturali neceſſitate fit conuerſio ad phantaſmata, ergo nunquam poteſt in vi illius operationis, quantumuis intenſæ, & attentæ ſuſpendi operatio ſaltem phantaſiæ. Reſpondent aliqui, licet illud prius ſit verum ordinarie, & in plurimum ſecundum communem curſum naturæ, non eſſe tamen ita neceſſarium, quin aliquando poſsit deficere per nimium quendam exceſſum naturæ in aliqua operatione. Sed hoc inprimis dicitur ſine fundamẽto, quia vt videbimus, neq; experiẽtia, neq; ex aliquo ſigno nobis noto poteſt probabiliter colligi talis exceptio. Deniq; ratio potius oſtendit contrariũ, quia ſi intellectus operatur per ſpecies acquiſitas, & modo illis connaturali, ſaltem quantum ad apprehenſionem neceſſe eſt, vt apprehendat, vel materialia, vel res ſpirituales cum aliqua habitudine, vel proportione ad res materiales quia cum illæ ſpecies à phantaſmatibus acceptæ ſint non poſſunt aliter repræſentare. Ergo ex natura rei talis contemplatio intellectus potius excitabit operationem phantaſiæ, quam illam impediet.

Reſponſio aliquorum.

8. *Solutio argumenti.* Et ita ceſſat hic ratio illa de nimia attentione intellectus, & quod virtus finita applicata ad vnum totaliter, non poteſt in alia: hoc enim procedit, quando operationes ſunt ita diſtinctæ, vt ſe ſe impediant, aut attentio ad vnam diſtrahat vim attendendi circa aliam. At in præſenti non eſt ita, quia talis attentio intellectus potius excitat, & applicat phantaſiam, & talis operatio phantaſiæ iuuat, & facilitat apprehenſionem intellectus: nam cum fiat ad modum phantaſmatum: eo facilius fit, quo phantaſia in actu ſecundo, & vitali modo offert intellectui res in phantaſmatibus quaſi in actu primo repræſentatas, ergo ceſſat omnis ratio illius ſuſpenſionis. Quocirca ex vi ſolius actus contemplationis intellectualis nũquam exiſtimo ſequi illum modũ Ecſtaſis in ſenſibus internis ſimul cum externis,

Ex vi contẽplationis, intellectualis nunquam ſequi Ecſtaſim in ſenſibus internis ſimul cum externis.

Digitized by Google

externis, ſiue contemplatio ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis.

9\. Vnde ſi Deus interdum illo modo ſuſpendit operationem phantaſię, id facit ex ſpeciali diſpoſitione prouidentiæ ſuæ, vel auferendo omnia obiectiua motiua phantaſiæ, vel non concurrendo cum illa: non tamen id facit, quia naturaliter ſequatur illud phantaſię impedimentum ex vi ſolius actus cōtemplationis, vel reuelationis intellectualis. Imo opinor, nulla experientia poſſe ſatis conſtare, quod anima in tali contemplatione abſtrahatur ab omni actu phantaſiæ, quia ex ſignis externis, quæ ſolent eſſe in homine, quando actu eſt in tali Eeſtaſi, ad ſummum oſtenditur ſuſpēſio externorum ſenſuū, vt infra dicam; interius autē ſolus ipſemet, qui contemplatur, poteſt tunc experiri quid ſentiat. Non poteſt autem poſtea per experientiam certus eſſe, quod nullam operationem phantaſię habuerit, tum quia poteſt eſſe operatio adeo ſimplex, vt poſtea nulla illius memoria relinquatur, vt contingit in aliquibus ſomniis: tum etiam quia ſi operatio intellectus non ſit de re ſpirituali, prout eſt in ſe, vix diſcerni poteſt per experientiam à conſortio operationis phantaſiæ. Quapropter nulla ratione poteſt cum fundamento affirmari ex vi contemplationis huius vitæ ſequi aliquando talem Ecſtaſim, quæ operationem etiam phantaſiæ omnino impediat.

10\. *Sequi poſſe Ecſtaſim in ſenſibus ſolum externis, non tantū actualē, ſed etiam aptitudinalē.*

Secus vero eſt de Ecſtaſi quoad ſolam ſuſpenſionem ſenſuum externorum: nam hæc interdum poteſt ſequi ex vi contemplationis intellectualis, non ſolum quoad actualem ſenſationē, ſed etiam quoad aptitudinalem, quia præ nimia attentione interiori anima omnino deſtituit ſenſus exteriores: hoc autem non contingit in cōtemplatione illa, per quam anima eleuatur diuinitus ad operandum ſine phantaſmatibus, nam de hac potius oſtenſum eſt, quod licet ſenſus non requirat, nullo tamen modo impedit poſitiue illorum operationes. Fit ergo per illam contemplationem, quæ eſt cum dependentia à phantaſmatibus, nam ſi illa ſit nimis attenta, totas vires animæ per intellectum, & phantaſiam applicat, nihilq; influit, neque ſpiritus animales mittit ad ſenſus externos, & ita priuantur operatione, & aptitudine proxima ad operandum. Et hoc maxime contingit in contemplatione ſupernaturali, quæ feruentem amorem Diuinum habet adiunctum, vt probant adducta in c. 15.

11\. *Reſponſio ad motiua oppoſita.*

Ad motiua vero alterius opinionis reſpondetur, Diuum Thomam in primis in citato loco ex 2. 2. nihil dicere, quod ad præſentem materiam pertineat: nam per prophetiam intellectualem non intelligit illam, quæ fit ſine conuerſione ad phantaſmata, ſed illam quæ fit ſine exteriori repræſentatione ſenſibili diuinitus facta, quod longe diuerſum eſt. Alter vero locus ex quæſt. 13. de Verit. de operatione ſenſus exterioris intelligendus eſt: locus autem Pauli 1. ad Corinth. 14. dicentis. *Orabo ſpiritu, orabo & mente*, longe diuerſum habet ſenſum, loquitur enim ibi euidenter Paulus de oratione vocali, & illam dicit, melius fieri ſpiritu, & mente, quā ſpiritu tantum. Vocat autem ſpiritum affectum orandi, quem habet ille, qui vocaliter orat in ea lingua, quam non intelligit, & ideo dicitur orare ſpiritu non autem mente: qui autem intelligit, quod orando profert, ſpiritu, & mente orare dicitur. Auguſtinus vero licet aliter videatur exponere locum Pauli, non tamen in ſenſu nobis contrario: per ſpiritum enim ibi ſpiritualem viſionem, id eſt, imaginariam (vt aperte exponit) intelligit: per mentem autem intellectualem cognitionem: vnde potius infertur, intellectu ſimul, & phantaſia orandum eſſe. Quod vero in eodem c. 24. ait, *ſpiritalem viſionem indigere actuali, vt diiudicetur, intellectualem autem non indigere ſpiritali*, intelligendum eſt cum illo addito, *vt diiudicetur*, id eſt, non indigere illa tanquam re-

Locus Pauli ad Corinth. explicatur.

gula, quamuis indigeat illa vt miniſtra, quam habeat ſemper concomitantem, licet ſibi ſubiectam, vt ſtatim ſubdit. Ad rationem autem iam reſponſum eſt, attentionem intellectus non impedire operationem phantaſiæ propter naturalem concomitantiam, & quia potius illa iuuatur: & ideo non eſt eadem proportio, ſeu ratio de ſenſibus externis, vt iam declaratum eſt.

CAPVT XVIII.

Vtrum in Ecſtaſi fiat abſtractio ab omni motione appetitus ſentientis, & virtutis mouentis, ac nutrientis?

SVpereſt vltimo loco dicendum de operatione appetitus ſentientis, an neceſſario in contemplatione excitetur, vel interdum ſuſpendatur, aut omnino impediatur, & conſequenter etiam dicemus de virtute motiua, & nutrice, ac vegetante. Et in primis quod ſenſitiuus appetitus ſuas poſsit habere partes in contemplatione, etiamſi ſpiritualis, & Diuina ſit: res eſt manifeſta, & ipſa experientia ſatis nota: & ita communiter intelligitur illud Pſal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Ratio vero eſt: nam in contemplatione ſuperior appetitus excitatur per gaudium, amorem, & alios ſimiles actus: ſuperior autem appetitus naturaliter mouet inferiorē, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 175. ar. 2. ad 2. Sicut enim comparatur intellectus ad phātaſiam, ita voluntas ad appetitum ſenſitiuum, radicantur enim in eadem anima, habentque inter ſe ſubordinationem, ſibique inuicem deſeruiunt. Et ideo ſicut contemplationi humanæ, quæ modo naturali fit, cooperatur phantaſia, ita ſpiritualem, ſeu rationalem affectū, qui in ea excitatur, comitatur ſuo modo appetitus ſenſitiuus per ſe loquendo, & ſecluſis impedimentis. 1.

Pſal. 38.
Ratio.
D. Thom.
Superior appetitus naturaliter mouet inferiorem.

Vnde vlterius dicendum eſt ex parte contemplationis quantumuis perfectæ, & intenſiſsimę, nūquam impediri appetitum ſenſitiuum, quominus cooperetur voluntati, ſi in tali contemplatione ipſa operetur. Probatur, & explicatur, quia vel contemplatio eſt modo Angelico, vel Diuino per ſolam mentis operationem ſine cooperatione phantaſiæ, vt eſt per viſionem beatam, aut per ſcientiam per ſe infuſam, aut Prophetiam illius ordinis. Et tunc quidem donec in phantaſiam fiat aliqua redundantia illius contemplationis, appetitus ſenſitiuus non excitabitur, non quia ſpecialiter impediatur, ſed quia non habet obiectum ſibi ita propoſitum, vt moueri poſsit. Et tunc non fit Ecſtaſis poſitiua, vt ſupra dicebam, ſed negatiua, quia nimirum talis operatio mentis nō habet commercium cum appetitu, licet illum non impediat, quominus actionem ſuam habere poſsit, ſi aliunde habeat obiecta propoſita, & ad illa applicetur, vel ab eis excitetur. Vel contemplatio eſt iuxta modum intelligendi accommodatum animæ coniunctæ corpori paſsibili, & tunc ſicut ex vi contemplationis perfectæ non impeditur operatio proportionata phantaſiæ, etiamſi contingat externos ſenſus impediri, ita ex illo capite non impeditur appetitus ſenſitiuus, quominus voluntati operanti cooperetur, habendo affectum motui voluntatis proportionatum, vel voluptatis, vel timoris, &c. Quia illa pluralitas operationum vtriuſque appetitus non impedit intenſionem motus voluntatis, ſed potius iuuat, vt in ſimili dixit D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 1. ad 3. quia eſt naturalis connexio inter illos affectus, & vnus excitat alium, & ab illo fouetur. Vnde etiam de anima videntis Deum dixit idem Diuus Thomas eadem qu. 4. artic. 5. ad 4. quod ſtatim appetit communicare corpori participationem fruitionis Dei iuxta modū ſibi poſsibilem. Sic ergo

2. Nūquā impediri appetitum ſenſitiuum à cooperatione voluntatis ex parte cōtemplationis.
D. Thom.

Digitized by Google

Reſolutio.

3\. Dicendum nihilominus eſt, naturaliter fieri non poſſe tantam abſtractionem à ſenſibus ex vi contemplationis intellectualis, vt maneant omnes ſenſus quaſi deſtituti ab influxu animæ, ita vt ea ratione nihil operari poſsint. Hæc aſſertio eſt D. Tho. 2. 2. q. 174. & ibi Caieta. & aliorum. Sumiturque ex Auguſtino lib. 2. ad Simpl. q. 1. vbi definiens Ecſtaſim, dicit eſſe *alienationem à ſenſibus corporis, vt ſpiritus hominis Diuino ſpiritu aſſumptus, capiendis, atque intuendis imaginibus vacet.* Vbi per ſenſus corporis hos externos intelligit: ponit enim exemplum in Petri Ecſtaſi Act. 10. quam conſtat non fuiſſe ſine cooperatione phantaſiæ. Ponit etiam exemplum in Daniele, & licet locum non deſignet, videtur alludere ad reuelationem, & interpretationem ſomniorum Nabuchodonoſor, Daniel. 2. & 4. in quibus non carebat Daniel ſenſibili repræſentatione phantaſiæ. Vnde idem Auguſt. libr. 1. quæſt. in Geneſ. quæſt. 80. dicit, in Ecſtaſi ſolere fieri magnas reuelationes, & huiuſmodi fuiſſe putat ſoporem Adæ Geneſ. 2. & talem etiam fuiſſe putat ſtuporem Iſaac, de quo Geneſ 27. dicitur, quod audiens verba Eſau, poſtquam à Iacobo deceptus fuerat: *Expauit ſtupore vehementi* ibi enim lectio Græca *Ecſtaſim* legit. At denique libro 8. Geneſ. ad lit. cap. 2. aperte docet, in exceſſu mentis, qui in Ecſtaſi fit, non relinqui imaginariam viſionem, ſed ad ſummum externam ſenſationem. Et eodem ſenſu lib. 12. cap. 25. ait, Ecſtaſim eſſe raptum à ſenſibus corporis, & tales eſſe putat reuelationes Ioannis in Apocalypſi, & Iſaiæ viſiones, Iſai. capit. 6. De quibus manifeſtum eſt, non fuiſſe ſine ſenſibus, ſaltem internis. Idem ſumitur ex libr. de Cura pro mortuis agenda cap 12.

D. Thom. Caiet. Auguſt.

Auguſt. probat in Ecſtaſi ſolere fieri multas reuelationes.

4\. *Probatur, & explicatur concluſio.*

Ratione ita hoc poteſt explicari, quia vel contemplatio intellectualis eſt per lumen, ſpecies & actus per ſe infuſa, & eleuationem intellectus ad operandum per illa ſecundum modum, & proportionem illorum, vel eſt per actus, qui licet in ſe ſint ſupernaturales, fiunt tamen per ſpecies acquiſitas, & modo illis, & intellectui mortali corpori coniūcto, accommodatis. Si contemplatio fiat priori modo, illa in primis valde ſupernaturalis eſt, & adeo extraordinaria, vt extra Chriſtum Dominum, qui ſcientiam infuſam in habitu ſemper, & in actu habuit, de nullo alio certo conſtat, illam habuiſſe, quāuis de Beatiſsima Virgine probabilius ſit habuiſſe aliquam illius participationem, etiam permanentem, & per modum habitus, & de Ioanne Baptiſta ſit credibile aliquando participaſſe illum modum operandi, & de Paulo in raptu eſt idem veriſimile. De cæteris vero Prophetis, vel Apoſtolis, aut aliis Sanctis, quantumuis contemplatiuis nihil cum ſolido fundamento affirmari poteſt, licet non repugnauerit, aliquando id factum eſſe ex gratia ſuperánte ordinariam legem.

5\. Deinde poſita tali contemplatione, licet per illam abſtrahatur mens à ſenſibus negatiue (ſicut ſupra dicebam de viſione beata) id eſt, quod ex vi talis contemplationis homo non vtitur ſenſibus, nec illis indiget, non tamen abſtrahitur poſitiue, quod nunc agimus, id eſt, non ita abſorbetur vis animæ per illam contemplationem, vt ſenſibus vti non poſsit, non ſolum internis, verum etiam externis. Hoc probatur à fortiori ex dictis de viſione beata, nam ſi illa non ita exhaurit naturales vires animæ, multo minus id faciet hæc contemplatio. Probatur hæc conſequentia, quia in ordine, & modo ſupernaturalitatis conuenit cum viſione beata, & in illo ordine eſt longe inferior. Et prior ratio ſufficit, vt non cauſet talem Ecſtaſim, poſterior autem iuuat, vt facilius id fiat Declaro vtrumque, quia hæc contēplatio conuenit cum viſione beata in hoc, quod ipſa in ſua entitate eſt omnino ſupernaturalis, & pendens à lumine & ſpeciebus per ſe infuſis, & quod fit modo pure ſpirituali, atque adeo independenter ab omni ſenſu, omnique eius miniſterio, vel cooperatione, ac denique quod intellectus humanus non concurrit ad illam virtute naturali, vt talis eſt, ſed ſolum vt eleuatur virtute Diuina, quia non poteſt aliter intellectus coniunctus vti ſpeciebus per ſe infuſis. Ex his autem principiis, & modo operandi oritur, vt viſio beata non abſorbeat omnino vim animæ ad operandum per inferiores potentias, vt ſupra declaraui: ergo idem dicendum eſt de hoc genere contemplationis, in quo illa omnia reperiuntur, & aliunde minorem intentionem, ſeu actiuitatem ſupernaturalem ex parte animæ requirit, quam viſio beata, vt per ſe conſtat.

Cōfirmatur concluſio, & declaratur in quo conueniat hæc contēplatio cum viſione beata.

Addo vero, etiam has duas contemplationes ſimul ſumptas, ſcilicet per viſionem beatam, & ſcientiam infuſam non efficere illam tam grandem ſuſpenſionem virtutis ſentiendi, quia cum omnia in illis ſint ſupernaturalia non impediunt actiuitatem naturalem. Nam principia diuerſarum rationum bene poſſunt ſimul operari: principia autem harum actionum ſunt diuerſorum ordinum, & anima licet ſit eadem, & in omnibus operetur, tamen ſubit vicem principiorum diuerſi ordinis, quatenus per virtutem naturalem, vel per potentiam obedientialem operatur. Et ita in Chriſto Domino fuit vtraque contemplatio ſimul, & illis non obſtātibus ſine nouo miraculo fuit etiam operatio tam ſenſuum omnium, quam intellectus naturalis. 6.

Nec viſionē beatam, nec contēplationem ortam ex ſcientia infuſa impedire vſum ſenſuum.

At vero ſi contemplatio fiat alio modo magis proportionato naturæ & cum aliqua cooperatione ſpecierum acquiſitarum, & naturalis virtutis intelligendi, ſaltem quoad apprehenſionem obiectorum, de quibus ferendum eſt iudicium, tunc certius eſt, non poſſe fieri ex vi talis contemplationis totalem abſtractionem à ſenſibus, etiam internis, quantumcunque creſcat, & intendatur ipſius intellectus attentio. Hoc aperte ſequitur ex prima ſupra poſita reſolutione, quia quoties intellectus coniunctus operatur per ſpecies acquiſitas, naturali neceſſitate fit conuerſio ad phantaſmata, ergo nunquam poteſt in vi illius operationis, quantumuis intenſæ, & attentæ ſuſpendi operatio ſaltem phantaſiæ. Reſpondent aliqui, licet illud prius ſit verum ordinarie, & in plurimum ſecundum communem curſum naturæ, non eſſe tamen ita neceſſarium, quin aliquando poſsit deficere per nimium quendam exceſſum naturæ in aliqua operatione. Sed hoc inprimis dicitur ſine fundamēto, quia vt videbimus, neque experiētia, neque ex aliquo ſigno nobis noto poteſt probabiliter colligi talis exceptio. Denique ratio potius oſtendit contrariū, quia ſi intellectus operatur per ſpecies acquiſitas, & modo illis connaturali, ſaltem quantum ad apprehenſionem neceſſe eſt, vt apprehendat, vel materialia, vel res ſpirituales cum aliqua habitudine, vel proportione ad res materiales quia cum illæ ſpecies à phantaſmatibus acceptæ ſint non poſſunt aliter repræſentare. Ergo ex natura rei talis contemplatio intellectus potius excitabit operationem phantaſiæ, quam illam impediet. 7.

Reſponſio aliquorum.

Et ita ceſſat hic ratio illa de nimia attentione intellectus, & quod virtus finita applicata ad vnum totaliter, non poteſt in alia: hoc enim procedit, quando operationes ſunt ita diſtinctæ, vt ſe ſe impediant, aut attentio ad vnam diſtrahat vim attendendi circa aliam. At in præſenti non eſt ita, quia talis attentio intellectus potius excitat, & applicat phantaſiam, & talis operatio phantaſiæ iuuat, & facilitat apprehenſionem intellectus: nam cum fiat ad modum phantaſmatum: eo facilius fit, quo phantaſia in actu ſecundo, & vitali modo offert intellectui res in phantaſmatibus quaſi in actu primo repræſentatas, ergo ceſſat omnis ratio neceſſariæ illius ſuſpenſionis. Quocirca ex vi ſolius actus contemplationis intellectualis nūquam exiſtimo ſequi illum modū Ecſtaſis in ſenſibus internis ſimul cum externis, 8.

Solutio argumenti.

Ex vi contēplationis intellectualis nunquam ſequi Ecſtaſim in ſenſibus internis ſimul cum externis.

Digitized by Google

externis, ſiue contemplatio ſit naturalis, ſiue ſupernaturalis.

9. Vnde ſi Deus interdum illo modo ſuſpendit operationem phantaſię, id facit ex ſpeciali diſpoſitione prouidentiæ ſuæ, vel auferendo omnia obiectiua motiua phantaſiæ, vel non concurrendo cum illa: non tamen id facit, quia naturaliter ſequatur illud phantaſię impedimentum ex vi ſolius actus cõtemplationis, vel reuelationis intellectualis. Imo opinor, nulla experientia poſſe ſatis conſtare, quod anima in tali contemplatione abſtrahatur ab omni actu phantaſiæ, quia ex ſignis externis, quæ ſolent eſſe in homine, quando actu eſt in tali Eeſtaſi, ad ſummum oſtenditur ſuſpẽſio externorum ſenſuũ, vt infra dicam: interius autẽ ſolus ipſemet, qui contemplatur, poteſt tunc experiri quid ſentiat. Non poteſt autem poſtea per experientiam certus eſſe, quod nullam operationem phantaſię habuerit, tum quia poteſt eſſe operatio adeo ſimplex, vt poſtea nulla illius memoria relinquatur, vt contingit in aliquibus ſomniis: tum etiam quia ſi operatio intellectus non ſit de re ſpirituali, prout eſt in ſe, vix diſcerni poteſt per experientiam à conſortio operationis phantaſiæ. Quapropter nulla ratione poteſt cum fundamento affirmari ex vi contemplationis huius vitæ ſequi aliquando talem Ecſtaſim, quæ operationem etiam phantaſiæ omnino impediat.

10. *Sequi poſſe Ecſtaſim in ſenſibus ſolum externis, non tantũ actuali, ſed etiam aptitudinali.*

Secus vero eſt de Ecſtaſi quoad ſolam ſuſpenſionem ſenſuum externorum: nam hæc interdum poteſt ſequi ex vi contemplationis intellectualis, non ſolum quoad actualem ſenſationẽ, ſed etiam quoad aptitudinalem, quia præ nimia attentione interiori anima omnino deſtituit ſenſus exteriores: hoc autem non contingit in cõtemplatione illa, per quam anima eleuatur diuinitus ad operandum ſine phantaſmatibus, nam de hac potius oſtenſum eſt, quod licet ſenſus non requirat, nullo tamen modo impedit poſitiue illorum operationes. Fit ergo per illam contemplationem, quæ eſt cum dependentia à phantaſmatibus, nam ſi illa ſit nimis attenta, totas vires animæ per intellectum, & phantaſiam applicat, nihilq; influit, neque ſpiritus animales mittit ad ſenſus externos, & ita priuantur operatione, & aptitudine proxima ad operandum. Et hoc maxime contingit in contemplatione ſupernaturali, quæ feruentem amorem Diuinum habet adiunctum, vt probant adducta in c. 15.

11. *Reſponſio ad motiua oppoſita.*

Ad motiua vero alterius opinionis reſpondetur, Diuum Thomam in primis in citato loco ex 2. 2. nihil dicere, quod ad præſentem materiam pertineat: nam per prophetiam intellectualem non intelligit illam, quæ fit ſine conuerſione ad phantaſmata, ſed illam quæ fit ſine exteriori repræſentatione ſenſibili diuinitus facta, quod longe diuerſum eſt. Alter vero locus ex quæſt. 13. de Verit. de operatione ſenſus exterioris intelligendus eſt: locus autem Pauli 1. ad Corinth. 14. dicentis. *Orabo ſpiritu, orabo & mente*, longe diuerſum habet ſenſum, loquitur enim ibi euidenter Paulus de oratione vocali, & illam dicit, melius fieri ſpiritu, & mente, quã ſpiritu tantum. Vocat autem ſpiritum affectum orandi, quem habet ille, qui vocaliter orat in ea lingua, quam non intelligit, & ideo dicitur orare ſpiritu non autem mente: qui autem intelligit, quod orando profert, ſpiritu, & mente orare dicitur. Auguſtinus vero licet aliter videatur exponere locum Pauli, non tamen in ſenſu nobis contrario: per ſpiritum enim ibi ſpiritualem viſionem, id eſt, imaginariam (vt aperte exponit) intelligit: per mentem autem intellectualem cognitionem: vnde potius infertur, intellectu ſimul, & phantaſia orandum eſſe. Quod vero in eodem c. 24. ait, *ſpiritualem viſionem indigere actuali, vt diiudicetur, intellectualem autem non indigere ſpirituali*, intelligendum eſt cum illo addito, *vt diiudicetur*, id eſt, non indigere illa tanquam re-

Locus Pauli ad Corinth. explicatur.

gula, quamuis indigeat illa vt miniſtra, quam habeat ſemper concomitantem, licet ſibi ſubiectam, vt ſtatim ſubdit. Ad rationem autem iam reſponſum eſt, attentionem intellectus non impedire operationem phantaſiæ propter naturalem concomitantiam, & quia potius illa iuuatur: & ideo non eſt eadem proportio, ſeu ratio de ſenſibus externis, vt iam declaratum eſt.

CAPVT XVIII.

Vtrum in Ecſtaſi fiat abſtractio ab omni motione appetitus ſentientis, & virtutis mouentis, ac nutrientis?

SVpereſt vltimo loco dicendum de operatione appetitus ſentientis, an neceſſario in contemplatione excitetur, vel interdum ſuſpendatur, aut omnino impediatur, & conſequenter etiam dicemus de virtute motiua, & nutrice, ac vegetante. Et in primis quod ſenſitiuus appetitus ſuas poſſit habere partes in contemplatione, etiamſi ſpiritualis, & Diuina ſit: res eſt manifeſta, & ipſa experientia ſatis nota: & ita communiter intelligitur illud Pſal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Ratio vero eſt: nam in contemplatione ſuperior appetitus excitatur per gaudium, amorem, & alios ſimiles actus: ſuperior autem appetitus naturaliter mouet inferiorẽ, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 175. ar. 2. ad 2. Sicut enim comparatur intellectus ad phãtaſiam, ita voluntas ad appetitum ſenſitiuum, radicantur enim in eadem anima, habentque inter ſe ſubordinationem, ſibique inuicem deſeruiunt. Et ideo ſicut contemplationi humanæ, quæ modo naturali fit, cooperatur phantaſia, ita ſpiritualem, ſeu rationalem affectũ, qui in ea excitatur, comitatur ſuo modo appetitus ſenſitiuus per ſe loquendo, & ſecluſis impedimentis. 1.

Pſal. 83. Ratio. D. Thom. Superior appetitus naturaliter mouet inferiorem.

Vnde vlterius dicendum eſt ex parte contemplationis quantumuis perfectæ, & intenſiſſimę, nũquam impediri appetitum ſenſitiuum, quominus cooperetur voluntati, ſi in tali contemplatione ipſa operetur. Probatur, & explicatur, quia vel contemplatio eſt modo Angelico, vel Diuino per ſolam mentis operationem ſine cooperatione phantaſiæ, vt eſt per viſionem beatam, aut per ſcientiam per ſe infuſam, aut Prophetiam illius ordinis. Et tunc quidem donec in phantaſiam fiat aliqua redundantia illius contemplationis, appetitus ſenſitiuus non excitabitur, non quia ſpecialiter impediatur, ſed quia non habet obiectum ſibi ita propoſitum, vt moueri poſſit. Et tunc non fit Ecſtaſis poſitiua, vt ſupra dicebam, ſed negatiua, quia nimirum talis operatio mentis nõ habet commercium cum appetitu, licet illum non impediat, quominus actionem ſuam habere poſſit, ſi aliunde habeat obiecta propoſita, & ad illa applicetur, vel ab eis excitetur. Vel contemplatio eſt iuxta modum intelligendi accommodatum animæ coniunctæ corpori paſſibili, & tunc ſicut ex vi contemplationis perfectæ non impeditur operatio proportionata phantaſiæ, etiamſi contingat externos ſenſus impediri, ita ex illo capite non impeditur appetitus ſenſitiuus, quominus voluntati operanti cooperetur, habendo affectum motui voluntatis proportionatum, vel voluptatis, vel timoris, &c. Quia illa pluralitas operationum vtriuſque appetitus non impedit intenſionem motus voluntatis, ſed potius iuuat, vt in ſimili dixit D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 1. ad 3. quia eſt naturalis connexio inter illos affectus, & vnus excitatur ab alio, & ab illo fouetur. Vnde etiam de anima videntis Deum dixit idem Diuus Thomas eadem qu. 4. artic. 5. ad 4. quod ſtatim appetit communicare corpori participationem fruitionis Dei iuxta modũ ſibi poſsibilem. Sic ergo 2.

Nũquã impediri appetitum ſenſitiuum à cooperatione Voluntatis ex parte cõtemplationis. D. Thom.

Digitized by Google

anima contemplans Deum, & ſuo modo fruens illo per voluntatem ex ſe non impedit, imo trahit ſecum appetitum, vt illud bonum participet.

3. *Explicatur D. Thom.* Quocirca quod D. Thom. ait 2. 2. q. 175. ar. 2. ad 2. per contemplationem, & amorem Dei cauſari Ecſtaſim ſecundum appetitum, non ideo dictum eſt, quia contemplatio impediat motum omnem appetitus ſenſitiui, ſed quia impedit, ne appetitus feratur in ea obiecta inferiora, in quæ naturaliter inclinatur, ſed vt eleuetur aliquomodo ad Diuina, quæ ipſum appetitum ſuperant, & ideo quando ad illa fertur, dicitur Ecſtaſim pati, non quia operari ſinat, ſed quia quodámodo extra ſe ſupra ſe fertur. Sicut Paulus aiebat: *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* *Dionyſ.* De quo dixit Dionyſ. cap. 4. de Diuinis nominib. id protuliſſe virtute Diuini amoris Ecſtaſim facientis: illa enim Ecſtaſis non tollit operationem, ſed transfert illam ad nobiliora obiecta: ideoque ſuo modo in omni oratione mentali locum habet quãtum eſt ex parte ſua, ſi ex parte corporis, vel aliunde non ſit impedimentum.

4. Vnde obiter intelligitur, deuotionẽ illam, quæ in appetitu ſentiente ſentitur, non eſſe viris ſpiritualibus contemnendã, nec eſſe imperfectorum propriam, quia & ex perfectiſſima, & altiſſima contemplatione ſequi poteſt, & de ſe iuuat, & diſponit hominem, vt facilius & conſtantius contemplatione fruatur. Quamuis ſi illa ſenſibilis delectatio deſit, non propterea putandum eſt orationem, vel contemplationem eſſe imperfectam, ſæpe enim ex diſpoſitione corporis impeditur, & interdum ex diſpoſitione Diuina propter varias rationes, quę facile excogitari poſſunt. Neque vero putandum eſt tunc omnino deeſſe cooperationem appetitus ſenſitiui, non enim ita eſt, quia licet appetitus non delectetur, ex imperio, vel efficacia amoris, aut alterius affectus voluntatis, operatur conſentiendo voluntati, & operando, quod iubet, vel condolendo illi, vel alio ſimili modo eius affectum imitando.

5. *Contemplationem ex ſe non impedire omnem corporis motionem.* Denique hinc etiam intelligitur, contemplationem, quantumuis perfectam non impediri omnẽ corporis motionem per ſe loquendo. Patet quia nõ tollit operationem phantaſiæ, & appetitus, quæ ſit principium illius motus, ergo ſi alioqui organa corporis diſpoſita ſint, & aliquis motus eorũ poſſit eſſe conſentaneus contemplationi mentis, ita vt illam non impediat, ſed potius iuuare poſſit, nihil obſtabit eſſe talem corporis motionem cum altiſſima mentis contemplatione. Exemplum optimum eſt in motu linguæ: quamuis enim mentalis oratio, vel contemplatio per ſe nõ requirat vſum vocis, interdum tamen poteſt contingere, vt ex efficacia affectus, ſeu contemplationis homo prorumpat, in aliquam vocem aut admirationis, aut laudis, aut humilis petitionis, quæ non ſolum non impediunt cõtemplationem, & orationem mentalem perfectam, ſed interdum ad illam iuuãt. Nam licet ab illa prodeant, ac ſubinde illam ſupponant, nihilominus per eaſdem voces amplius excitatur mens, vt ardentius, & conſtantius tendat. Siue hoc fieri contingat per verba aliqua præſcripta, mente retenta, vt proferendo verbum alicuius Pſalmi, vel ſimilia: ſiue fiat formando verbum ad nutum orantis, & iuxta affectum, quem tunc ſentit. & vterq; modus ſolet eſſe vſitatus, & valde vtilis. *Auguſt. Bonauent. D. Thom.* De quo videri poteſt Auguſtinus Epiſt. 121. capit. 9. S. Bonauent. Opuſc. de Proceſſu Religionis in 7. capit. 3. & Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 83. art. 12.

6. Vltimo dicendum eſt de operationibus partis vegetatiuæ, quod etiam in argumento quodam ſupra relicto cap. 15. petebatur. *Abulenſ.* De his igitur operibus Abulenſ. ſupra affirmat, omnino impediri in Ecſtaſi perfecta, ex eodem fundamento, quod ſcilicet tales operationes ſunt vitales, & pendent ex actuali influxu animæ, ergo poteſt eſſe tanta attentio animæ ad ſuperiores actiones, vt ab his etiam infimis omnino ſuſpendatur. *Fundamentum opinionis.* Confirmatur aliquibus experientiis: vna, & quotidiana eſt, quia ex nimio ſtudio, vel oratione, & attentione mentis videmus impediri nutritionem, & digeſtionem, ſaltem, vt debilius ac remiſſius fiat, ergo poteſt ita creſcere attentio mentis, vt omnino illa opera impediat. Altera eſt, quia ſolet homo in Ecſtaſi multis diebus eſſe ſine cibo, & potu, interdum etiam videtur eſſe abſque motu cordis, ceſſante pulſu, imo vix in eo deprehenditur calor vitalis, ſed quaſi mortuus apparet, ergo, &c.

7. *D. Thom.* Nihilominus D. Thom. 2. 2. quæſtione 175. articulo 2. cenſet, in raptu non ſuſpendi opera vegetatiuæ partis, idem habet quæſtione 13. de Ver. artic. 4. vbi rationem reddit, vel quia operationes vegetatiuæ partis longius diſtant ab operatione intellectus, & phantaſiæ, quam opera ſenſuum externorum, vel quia actio vegetatiua magis naturalis eſt, quæ ratio magis philoſophica videtur. *Opera Vegetatiuæ animæ, quæ proxime per qualitates materiales exercentur, impedire nõ poſſe per contemplationẽ.* Dico ergo, opera vegetatiuæ animæ exerceri proxime per qualitates omnino materiales, & agentes neceſſario alteratione materiali, & quoad hanc partem impediri non poſſe per contemplationem, quia illa actio non pendet ex attentione ipſiuſmet animæ, ſed ex ſolis qualitatibus. At vero quatenus illa actio iuuatur per actiones ſpirituum, & per vitales operationes animæ attrahendi expellendi, diſtribuendi, &c. ſic multum poſſe impediri per actus mentis, ſiue contemplationis, ſiue ſtudij, aut mentalis orationis: & hoc ſolum ratio, & experientiæ adductæ probant. Quod vero quidam dicũt, talem eſſe poſſe vim contemplationis, vt animam realiter à corpore ſeparet, naturaliter contingere non poteſt, niſi per diſcurſum temporis materialiter ita alteretur corpus, vt diſpoſitionem neceſſariam ad vnionem cum anima amittat: ſupernaturaliter autem fieri à Deo poteſt, non tamen ex vi contemplationis ſolius, niſi corpus etiam immutetur, vel Deus aliquid ſupernaturale adiungat. Quod autem quidam dicunt virtute Dæmonis fieri, vt in huiuſmodi raptu anima realiter ſeparetur à corpore, & poſtea iterum vniatur, commentitium eſt, & contrarium veritati fidei, quæ docet, ſolum Deum poſſe animam à corpore ſemel ſeparatam iterum illi vnire.

CAPVT XIX.

Vtrum contemplatio in raptu, vel Ecſtaſi, prout eſt in intellectu ſit operatio humana, & meriti capax?

1. *Difficultas quæſtionis.* TOta difficultas præſentis quæſtionis eſt circa libertatem illius operationis, nam in cæteris certum eſt, operationem illam eſſe ab homine elicitam: nam eſt vera operatio vitalis intellectus, & voluntatis. Certum item eſt, contemplationem, de qua agimus eſſe actum ſupernaturalem, vt ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt. De ſola ergo conditione libertatis quæſtio ſupereſt, quæ ad operationem proprio, & ſpeciali modo humanam neceſſaria eſt, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. q. 1. art. 1. & ad meritum etiam requiritur, vt in eadem 1. 2. qu. 114. oſtenditur, & in 3. p. q. 18. & 19. attigimus. *D. Thom.* Concurrunt autem in hac contemplatione actus & voluntatis, & intellectus, vt ſupponimus, & vterque poteſt interdum fieri ſine libertate, vt in motibus primis, & tunc neuter dicitur proprie actus humanus: vterq; vero tunc perfecte ſit ſaltem pro ſtatu viæ, quando libere ſit, & tunc ſunt propriiſſime actus humani. Sunt autem liberi diuerſo modo, actus quidem voluntatis intrinſece, & elicitiue, intellectus vero imperatiue, & per denominationẽ ab actu voluntatis: de

vtroque

vtroq; ergo dubitari poteſt: de intellectu dicemus in hoc capite, & de voluntate in ſequenti.

2. Principio igitur actus intellectus, qui in raptu interuenit, non videtur eſſe humanus, quia non eſt ex imperio voluntatis, ſed ex alia cauſa ſuperiori, quæ intellectum vehementer mouet, & neceſſitat ad illum actum. Nec loquimur nunc de ſupremo illo raptu, qui per viſionem beatam eſſe poteſt, in quo res eſt clara, quia illa viſio nec poteſt eſſe ex applicatione voluntatis, nec ſemel habita eſt in poteſtate voluntatis illam remouere. Sed loquimur de abſtractiua contemplatione ſupernaturali tam vehementi, vt abſorbeat ſenſus omnes externos, eoſque pro tunc ineptos ad actualiter ſentiendum reddat, non minus, quàm in ſumno, vt Auguſt. dixit lib. de Cur. pro mort. agend. cap. 12. Quod ergo contemplatio hæc quoad hunc actum intellectus non ſit actus humanus, videtur ſumi ex Diuo Thoma 2. 2. quæſtione 175. articulo primo, nam requirit ad raptum, quod non ſit ex propria intentione, vnde illum dicit prouenire à cauſis extrinſecis, vt à cauſa corporali, Dæmone, aut virtute Dei: & hæc tertia cauſa ſola habet locum in contemplatione, de qua tractamus. Et licet Caietanus ibi notet etiam poſſe eſſe Ecſtaſim à cauſa intrinſeca, ex articulo ſecundo eiuſdem quæſtionis, tamē illud videtur ad ſummum intelligi quantum ad affectum, de quo ſolo expreſſe loquitur Diuus Thom. in illo articulo ſecūdo, & de illo poſtea videbimus. Idem aperte docet Diuus Thomas quæſtione 13. de Veri.. articulo primo, vbi in corpore, Diuinæ virtuti tribuit hunc motum. Vnde infert in ſolut. ad 5. talem motum non eſſe meritorium: *Opus* (inquit) *hominis ex hoc quod habet bonitatem meriti, exigit, quod ſit ſecundum rationem, & voluntatem, ſed bonum, quod ei confertur in raptu non eſt huiuſmodi, vnde non oportet, quod procedat ex voluntate humana, ſed ſola virtute Diuina.*

Auguſt.

D. Thom.

Caiet.

3. Secundo probatur experientiis, quibus conſtat pati ſpirituales viros huiuſmodi ecſtaſim inuitos, ſæpe enim Deum precantur vehementer, ne huiuſmodi raptum pati ſinat, præſertim coram aliis, & non obtinent, ſed inuiti ſupra ſe eleuantur, vt refert Mart. Delrio libr. 2. Inquiſit. Magic. quæſt. 25. non eſt ergo voluntaria actio illa: ergo nec libera, vel humana eſſe poteſt. Tertio, non videtur eſſe tanta vis voluntatis noſtræ, vt animam, & intellectum tam vehementer applicet ad attendendum, vt nihil aliud agere tunc, aut ſentire poſſit. Nam ſi hoc eſſet in naturali poteſtate voluntatis humanæ, vnuſquiſque noſtrum id facere poſſet, ſi vellet, at conſtat nos id non poſſe, etiamſi maxime velimus, ergo ſignum eſt tunc homines non ſe applicare ad illum actum, ſed ab alio agi.

Probatur experientia.

Mart. Delrio.

4. Circa hanc eleuationem intellectus duo quæri poſſunt. Vnum eſt, an in tali eleuatione ſit perfectus vſus rationis cum omni perfectione intellectualis iudicij: aliud eſt, an ipſamet attentio, & actualis applicatio intellectus ſit libera, poſſitque ex imperio voluntatis prouenire? Vt autem diſtincte loquamur, diſtinguamus duplicem contemplationē, vnam, quæ ſit eleuando intellectum ad cognitionem independentem à phantaſmatibus, aliam, quæ ſit, ſeruato modo naturali cognoſcendi, cum conuerſione ad phantaſmata. Dico ergo primo, quando intellectus eleuatur ad cognoſcendum, & intelligendū independēter à ſenſibus externis, & internis, contemplatio ſit cum perfecto vſu rationis, ſeu cum integra cognitione intellectuali; ſiue ſit cum diſcurſu, ſiue abſque illo, modo Angelico. Probatur, primo, quia illa eſt altiſſima cognitio intellectualis magis participans de perfectione intelligentiæ Angelicæ, quam omnis naturalis vſus rationis hominis vigilantis. Secundo, quia ſicut illa cognitio non pendet à ſenſibus in ſuo eſſe, & fieri, ita nec in ſua perfectione: Tertio quia in illa intelligentia ceſſat aperte illa ratio de dependentia iudicij à ſenſibus: illa enim maxime habet locum in ea cognitione, quæ ducit originem à ſenſibus, & in eis habet principia ſua: at hæc cognitio non habet originem à ſenſibus, ſed eſt mere intellectualis. Vnde ad perfectionem huius cognitionis intellectualis impertinens eſt, quod homo vigilet, aut dormiat, ſed æque operetur cum perfecto vſu rationis.

Duplex cōtemplatio.

1. Aſſertio.

Contemplationem fieri cū perfecto vſu rationis quando intellectus in operatione abſtrahit ab omni ſenſu.

5. Exemplum clariſſimū huius rei eſt anima Chriſti Domini operantis per ſcientiam infuſam, eiuſq; ſingularis, & excellens participatio fuit in Beatiſſima Virgine (vt pie credimus) vel quando in ſomno merebatur, vt alibi diximus, vel in primo inſtanti conceptionis, quando per proprium actum ſanctificata fuit: quia tunc non vſa eſt ſenſibus, nec phantaſmatibus ad cognoſcendum Deum, quem extūc amare incepit, ſupernaturali quidem ac Diuino, libero tamen, & humano modo, vt ſuis locis à nobis oſtenſum eſt. Item credimus Ioannem Baptiſtam (& de Ieremia idem credibile eſt) illius perfectionis aliquo modo participem fuiſſe, quatenus in vtero fuit ſanctificatus, licet non ita conſtet, an illa cognitio fuerit per ſe infuſa, & independens à ſenſibus, vel in illo fuerint ſenſus Diuina virtute confortati ad cooperandum intellectui: vtroque enim modo facile fieri potuit virtute Diuina, vt per ſe notum eſt. Denique addit Diuus Thomas quæſtione 13. de Verit. articulo 2. ad 9. talem fuiſſe contemplationem Adæ in ſopore à Deo illi immiſſo, quando voluit ex coſta eius Euam formare, quem ſoporem fuiſſe cum perfecta cognitione, & intelligentia myſteriorum Dei, in 3. part. quæſtion. 1. articulo 3. in comment. latius dixi, cum D. Thom. ibi ad 5. & 22. qu. 2. art. 7. & Hieron. ad Epheſ. 5. Auguſt. 9. Geneſ. ad lit. ca. 19. Tertull. libr. de Anim. cap. 1. & aliis, quos ibi retuli. Imo ſentit D. Thom. in illo loco de Verit. cum Auguſt. libr. 12. Geneſ. ad lit. hunc modum contemplationis puræ intellectualis interdum communicari aliis Sanctis cum perfecta intelligentia, & iudicio circa ea, quæ reuelantur.

Chriſtū Dominū, & Virginem per ſcientiam infuſam & in inſtanti cōceptionis, & in ſomno mereri.

Idem cum probabilitate iudicandum de Ioanne Baptiſta, & Ieremia.

D. Thom.

Geneſ. 2. Hieron. Auguſt. Tertull.

6. Dico ſecundo poſſe eſſe perfectum actum intelligendi, licet non ſit liber, vt patet in viſione beata. Et extra illam poteſt Deus infundere talem actum intellectualis contemplationis independenter à voluntatē recipientis, vt per ſe notum eſt. Poteſt vero etiam ſolum actum primum infundere relinquendo vſum liberum quoad actum ſecundum, vt ſimiliter eſt clarum in vſu ſcientiæ infuſæ animæ Chriſti. Ideoq; ad hoc diſcernendum, eſt aduertendum, cognitionem hanc poſſe à Deo infundi vel per modum habitus permanentis, vel ſolum in tranſitu, & per modum actus. Priori modo data eſt Chriſto, & fortaſſe ſoli (licet de Beatiſſima Virgine pie credi poſſit aliquid participaſſe) cuicunq; tamen detur, certum eſt infuſionem ipſius habitus, ſeu ſpecierū per ſe infuſarum ſine libertate fieri, quia cum formaliter non conſiſtat in agendo, ſed in recipiendo, non requirit formalem libertatem. Nec etiam ſolēt tales habitus infundi præuia diſpoſitione libera, vt ab illius denominatione libera vocari poſſit talis infuſio; ſed vel connaturaliter dantur, vt Chriſti animæ, & Beatis, vel mere gratis ad modum cuiuſdam præuenientis gratiæ. At vero in actuali vſu talis habitus libertas eſſe poteſt, ſiue ſenſus operentur, ſiue dormiant, aut quocunq; alio modo ligati ſint, quia anima tunc in ea operatione non pendet ab illis, & alioqui intelligit cum perfecto iudicio, & habet illam intelligentiam per modum habitus, & ideo illa vtitur quando vult, quia hæc eſt proprietas habitus, & nihil tunc eſt, quod neceſſitet ad exercitium talis actus. Quod in Chriſto Domino manifeſtum eſt, eademq; eſt ratio de reliquis. Quoad ſpecificationē vero poterit talis actus eſſe neceſſarius, ſi ſit actus ſcientiæ, vt fuit in Chriſto, ſi autem ſit actus fidei, erit etiam liber hoc modo, vt iā declaro.

2. Aſſertio. Poſſe eſſe perfectum actum intelligendi ſine libertate.

Aduertendum.

7\. *Alius modus infundendi contemplationē per modum actus in raptu, vel tranſitu.*

Alio ergo modo poteſt hęc contemplatio infundi per modum actus in raptu quodam, vel tranſitu: & tunc duo ſunt diſtinguenda: vnum eſt actualis receptio eorum, quæ homini intellectualiter repræſentantur, quæ non eſt receptio ſolum ipſius actus primi, ſicut eſt in habituali infuſione, ſed eſt actualis apprehenſio vitalis, & intellectualis: aliud eſt iudicium de rebus apprehenſis, & repræſentatis. Primum horum certum eſt tantum eſſe ex operatione Diuina ſine vſu libero recipientis: Patet, tum quia ante illam operationem Dei nullum ſupponitur internum principium, quo poſsit homo ſe ad illam apprehenſionem applicare, tum etiam quia ante apprehenſionem non poteſt ſupponi iudicium, nec ſine præuio iudicio poteſt eſſe vſus libertatis. Atque hoc modo dixit Bonau. de Proceſſu Relig. in 7. c. 18. viſionem non eſſe per ſe meritoriam. Et de eadem apprehenſione intelligo, quod dixit Carthuſ. Opuſ. de laud. vitæ ſolit. art. 36. aliquando ita eleuari ad ecſtaſim, vel raptum intellectum hominis, vt ipſe non poſsit reniti, vtpote libertate arbitrij ad horam quaſi ſuſpenſa atq; ſopita. Hoc enim facile fieri poteſt quoad attentionem intellectus ad percipiendum ea, quæ interius reuelantur, atque apprehenduntur.

Bonau.

Carth.

8\. Quod vero ſpectat ad iudicium, diſtinguendum eſt, nam poteſt hæc cognitio eſſe euidens, & ſcientifica, vt ſi reuelatio illa pertineat ad ſcientiam infuſam, vel ad prophetiam euidētem aliquomodo, vel poteſt eſſe obſcura reuelatio, & manens intra propriam rationem fidei: quantumuis enim fiat reuelatio per ſpecies per ſe infuſas, & ſine dependentia à ſenſibus, poteſt eſſe obſcura, qualis fuit in Angelis in primo inſtanti creationis, & talis eſſe potuit in Adamo in ſopore illo Geneſ. 2. ſi verum eſt, illam fuiſſe pure intellectualem reuelationem, & independentem à phantaſmatibus, vt paulo ante ex D. Tho. retuli. Nam quod obſcura fuerit, videtur per ſe credibilius, quia non tranſcēdit veram fidem, iuxta ſententiam multorum Patrum, quos retuli citato loco. Quando ergo reuelatio eſt euidens, iudicium non eſt liberum, nec quoad ſpecificationē, quia euidentia infert neceſsitatem cōtrariam, nec etiam quoad exercitium, quia (vt ex priori puncto ſupponitur) intellectus ex neceſsitate eſt applicatus motione Diuina ad attendendum & actualiter apprehendendū tale obiectum, ſeu talem veritatem. Intellectus autem actu attendens, & apprehendens veritatem ſub lumine euidenter oſtendente illam, non poteſt ſuſpendere aſſenſum illius, quia eſt potentia naturaliter agens, nec in hoc ſubditur voluntati, quando aliūde ex neceſsitate mouetur ad attendendū, ergo.

Geneſ. 2.

Iudiciū non eſſe liberum quando reuelatio eſt euidens.

9\. *E contra iudiciū eſſe liberum ſi reuelatio eſt obſcura.*

At vero quando reuelatio eſt obſcura iudicium eſt liberum, quia eſt per aſſenſum fidei, nam & eſt obſcurus, & auctoritate Dei reuelantis nititur, non enim poteſt habere aliud motiuum, eſt ergo fides, at fides libera eſt vt conſtat ex 2. 2. quæſt. 2. articul. 9. Nec in illo caſu eſt vlla cauſa neceſsitāns intellectum, quia nec medium, aut lumen obſcurum infert neceſsitatem, vt eſt per ſe clarum, nec Deus ſolus, vt motor extrinſecus tunc infert illam: quia, licet poſsit, eſt præter exigentiam talis actus, & luminis, ac potentiæ, & præter omnem rationem conuenientis prouidentiæ. Et ideo ſine cauſa, vel fundamento probabili id aſſereretur. Eſt ergo illud iudicium ex motione voluntatis, ergo eſt liberum, quia ipſa voluntas tunc non neceſsitatur ad ſuum actum, quo intellectum determinat. Quod ſimili dilēmate conuinci poteſt: aut enim neceſsitaretur ab obiecto, & hoc non, quia eſt obſcurum, & ideo in illo non oſtenditur omnis ratio boni: aut à Deo, & hoc non, quia eſt extra rationem prouidentiæ debitæ, & conſentaneæ potentiæ liberę, vt ſequenti c. dicetur. Et hæc de priori, & puriori contemplatione.

10\. De contemplatione ergo, quæ eſt cum cōuerſione ad phantaſmata, dicēdum in primis eſt in illa etiam eſſe poſſe perfectum rationis vſum, non ſolum quoad apprehēſionem, & actualem repræſentationem rerum, quæ cogitantur, ſed etiam quoad plenum iudicium de veritate contemplata, ſiue ſpeculatiua ſit, ſiue practica. Hanc aſſertionem cēſeo certam: poteſt autem intelligi dupliciter primo de poſſibili ex gratia extraordinaria, & quaſi miraculoſa: alio modo de poſsibili naturaliter, ſeu modo connaturali, ſuppoſita priori gratia, & virtute homini data ad intendendum Diuinis cum tam vehementi attentione mentis. Et vtroq; modo cenſeo veram aſſertionem. Prior modus habet locum in ſomno corporali: nam poteſt tunc Deus eleuare intellectū, & phantaſiam vſque ad perfectam intelligentiam cum iudicio rationis. Poteſtq; hoc probari exēplo Adæ, cum in ſopore à Deo reuelationem accepit: nam tunc dormiſſe corporaliter ſignificat D. Tho. 1. p. q. 97. ar. 2. argum. 2. & Magiſt. ac reliqui Scholaſtici in 2. d. 18. & Patres communiter ita loquuntur, & ſignificat Scriptura Gen. 2. ver. 20. & 21. vt latius expendit Epiphan. hæreſ. 48. vbi de Ecſtaſi ſomni locum illum interpretatur, & in ea dicit habuiſſe Adamum perfectam intelligentiam, idemque ſentit Hier. in Quæſtionibus Hebraicis in Gen. Quod vero ſupra ex D. Tho. referebamus, tunc fuiſſe eleuatum Adamum ad intelligendum ſine conuerſione ad phantaſmata, incertum eſt, & minime neceſſarium, quia illa reuelatio non exceſsit cognitionem fidei, vt oſtendi in 1. to. 3 p. ar. 3. in Coment. circa ſolut. ad 5. & fuit de obiecto aliquo modo ſenſibili, nimirum de myſterio Incarnationis futuro, & repræſentato per coniunctionem viri cum fœmina, & potuit facile fieri modo homini accommodato, ſcilicet cum cooperatione phantaſiæ, non obſtante ſomno corporali, vt ex ſequenti exemplo magis patebit.

Aſſertio. Poſſe eſſe perfectū vſum rationis in contēplatione, quæ fit cū conuerſione ad phātaſmata.

D. Thom.

Magiſt.

11\. Aliud exemplum eſt ex 3. Reg. 3. & 2. Paralip. 1. vbi Deus dicitur apparuiſſe Salomoni per ſomniū nocte, & dixiſſe illi, *Poſtula, quod vis, vt dem tibi*: Salomonem autem petiiſſe ſapientiam, & placuiſſe petitionem Domino, & ideo illi promiſiſſe perfectam ſapientiam cum aliis quam plurimis bonis. Ex qua narratione & ex longo ſermone Salomonis ad Deū conſtat, ipſum habuiſſe perfectiſsimum diſcurſum, & iudicium cum conſideratione Diuinæ maieſtatis, & beneficiorum eius, & propriæ infirmitatis, ac neceſsitatis in illo regio ſtatu in quo erat conſtitutus. Et ex hoc perfecto diſcurſu, ac iudicio petitionem illam Deo propoſuiſſe, & ideo illi placuiſſe, ergo nōn obſtante ſomno corporis eleuata fuit mens eius, vt perfectam rerum apprehenſionem & iudicium habere poſſet.

3. Reg. 13.

2. Paral. 1.

12\. Verumtamen multi graues auctores, ne admittant in vero ſomno corporali eſſe poſſe vſum rationis cum perfecto iudicio, & libertate, varie locū illum exponunt. Et in primis Diuus Thomas 12. quæſtione 113. articulo tertio, ad ſecundum ait, non habuiſſe tūc Salomonem actum aliquem liberum, quo ſapientiam meruerit, vel ad illam ſe diſpoſuerit: ſed tunc declaratum ei fuiſſe, quod à Deo ſapiētiam acciperet propter bonum deſiderium eius quod antea habuerat. Veruntamen & Diuus Thomas ipſe in illa explicatione non perſeuerat, & impugnare illā poſſumus. Primo quia diuinat. quod enim Salomō prius habuerit tale deſiderium, aut quod à Deo antea ſapientiam poſtulaſſet, in Scriptura non legitur, nec in illis verbis ſignificatur, ergo ſine fundamento aſſeritur. Secūdo, quia repugnat narrationi, quæ in prædicto loco fit. Expreſſe enim dicitur ibi, dialogū illum inter Deū, & Salomonem accidiſſe in illo ſomno, & nō præceſsiſſe antea. *Apparuit* (inquit) *Dominus Salomoni per ſomnium nocte dicens: Poſtula, quod vis*: &c. tunc ergo loquutus eſt Salomoni Deus, & tamen ſtatim ſubiungitur: *Et dixit Salomon, &c. Tu feciſti cum ſeruo tuo miſericordiam, &c.* vſque

Vana expoſitio.

D. Thom.

ad illud

ad illud: *Placuit ergo ſermo coram Domino* &c. & tandem poſtquam Deus promiſsionem ſuam abſoluit, ſubiungitur, *& euigilauit Salomon* &c. non videtur ergo poſſe dubitari, quin totus ille dialogus, quocumque tandem modo intelligatur, tempore illius ſomni peractus ſit. Vnde etiam conſtat, in illomet tempore infuſam fuiſſe ſapientiam Salomoni. Nam cum Deus dixit Salomoni: *Pete quod vis*, certe nondum Salomon petitionem illam fecerat, propter quam ei data eſt ſapientia. Quod ergo ibi de preterito dicitur: *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens* &c. non ideo ita narratur, quia ante ſomnum illum Deus iam illi dediſſet hæc dona, ſed quia iam tunc illa dederat, ſtatim ac Salomon optionem fecit, & petitionem fudit, vt patet ex illis verbis, *Quia poſtulaſti verbum hoc*.

13. *Reſponſio ex D. Tho.* Reſponderi vero poteſt ex eodem D. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 5. ad 1. & q. 28. de Verit. art. 3. ad 7. verum quidem eſſe ſapientiam fuiſſe infuſam Salomoni dormienti, & propter diſpoſitionem, quam in illo ſomno habuit, nihilominus illam diſpoſitionem nõ fuiſſe per motum liberũ, nec eum iudicio rationis. ꝙ tunc haberet, ſed fuiſſe in ſe, ac formaliter inde liberatum motum, habuiſſe tamen rationem diſpoſitionis, & alicuius meriti, quia proceſsit ex virtute relicta à bono deſiderio libero habito in vigilia, ſicut pollutio in ſomnis eſt culpabilis ratione actus præcedentis. Quæ reſponſio non diſplicet Bonauen. & Richa. & Alenſ. infra citandis, eamq́ ſignificat Aug. *Auguſt.* licet non ſatis explicet libr. 12. Gen. ad lit. c. 15 in fin. *Non probatur explicatio.* Verum neq́ hoc modo defenditur rectè illa explicatio. Primò quia etiam id totum, quod de præcedenti diſpoſitione, ac merito dicitur, ſine teſtimonio Scripturæ dicitur. Secundò quia eiuſdem verbis Scripturæ ſatis ſignificatur, illos actus Salomonis, qui ibi narrantur, fuiſſe liberos, vt ſtatim ponderabimus. Tertiò quia motus nõ liberi, qui in dormientibus accidũt naturaliter, re vera nõ ſunt meritorij, vel demeritorij ratione actuum præcedentium: neq́ homo eſt dignus maiori pœna propter externam pollutionem quam dormiẽs patitur, quã fuerit ratione culpæ, quæ præceſsit in vigilia: vnde licet poſt illam culpam poſtea ex accedenti impediretur ſomnus, vel pollutio in illo, eiuſdem pœnæ reatus maneret.

14. *Reſponſio Abulenſ.* Alter igitur reſpondet Abul. 3. Reg. 3. qu. 4. 12. & 13. & li. 2. Paral. c. 1. q. 19. & 20. nec Deum vere eſſe locutum Salomoni, nec Salomonem aliquid elegiſſe aut poſtulaſſe, aut meruiſſe, ſed hæc omnia tantum in ſomnio accidiſſe, id eſt, ſomniaſſe Salomonem, quod Deus ſibi loqueretur, & quod ipſe reſponderet, petendo, & eligendo ſapientiam, & quod hoc Deo placuiſſet, ab ſubinde ſomniaſſe ſe habuiſſe iudicium rationis & electionem, nõ tamen habuiſſe. Quod ſi inquiras, Ad quid Deus immiſit ſomnium illud Salomoni, ſi re vera nõ ita erat, quod ipſe ſomniabat? Reſpondet idem Autor id feciſſe Deum, tũ vt Salomon cognoſceret, quale donum à Deo accepiſſet, tum etiam vt Deus ſignificaret nobis ſe eſſe bonorum omnium auctorem, ſibiq́ eſſe placitam electionem, & petitionem bonam, & ſe non ſolum talia optata implere, ſed etiam ſuperare. Atque hãc *Bened. Perer.* ſententiam probat Bened. Perer. lib. 2. de Obſeruat. ſomni q. 9. & 10. & li. 1. in Dan. q. 7. quibus locis pro conſtanti ſupponit, non poſſe in ſomnis eſſe verum liberi arbitrij vſum, etiã ſi ex parte Intellectus poſsit eſſe expedita vis ratiocinandi, & diſcurrendi, nam hæc non ſufficit ad libertatem plenam voluntatis, ſed neceſſaria eſt ſolutio omnium ſenſuum, & potentiarum, ita vt ſit ipſe homo, qui tunc agit, nec aliunde agatur, ſitq́ dominus ſui, quod in ſomno (inquit) nequaquam euenit.

15. *Non probatur explicatio.* Hęc vero interpretatio mihi nõ placet: quia proprietatẽm verborũ Scripturæ non tenet, ſed ad ſenſum valde improprium illa detorquet ſine neceſsitate, vel fundamento. Aſſumptum patet, nam Scriptura non dicit Salomonem ſomniaſſe, Deum ſibi loqui, & ſe loqui ad Deum, ſed dicit Deum fuiſſe locutum Salomoni per ſomnium nocte, & Salomonẽ dixiſſe ad Deum, & placuiſſe Deo ſermonem Salomonis &c. At hoc longe diuerſum eſt in rigore, & proprietate ſermonis, alias cum Mat. 1. & 2. dicitur Angelus locutus, in ſomnis Ioſeph, non oporteret dicere vere Angelum fuiſſe locutum, ſed Ioſeph illud ſomniaſſe, & ita de alijs Scripturæ locis: quod valde abſurdum eſſet, vt conſtat. Pręterea cõſequẽter dicendum eſſet, verba illa: *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens* &c. non ſignificare, ita factum eſſe, ſed ſolum Salomonem hoc ſomniaſſe: nam eſt eadem ratio omnium illorum verborum: illud autẽ abſurdiſsimum eſt: aliàs non conſtaret ex illa narratione Salomonem habuiſſe ſapiẽtiam infuſam, nec promiſsionem, quę ibi narratur: nec denique ex illa hiſtoria haberemus certitudinem q aliquid eorum, quæ ibi narrantur, re vera factum ſit, præter hoc ſolum, quod Salomõ illa omnia ſomniauit. Vnde poſſet quis dicere, cum poſtea ſubiungitur. *Euigilauit Salomon, & intellexit, quod eſſet ſomnium*, intellexiſſe Salomonem ſe fuiſſe omnia illa ſomniatum, & nihil eorum re ipſa geſtũ eſſe, præter ſomnium, quia in cæteris non eſt maior ratio de vno, quam de alio. At hoc dici nullo modo poteſt, nam eſt contra ſenſum omnium Patrum, & totius Eccleſiæ, & contra veritatem Scripturæ: nam illa eſt hiſtorica narratio non ſolum quantũ ad hoc, quod Salomon ſomniauerit, ſed etiam quod in illo ſomno talia dona receperit, & conſequenter quoad cætera. Et certe in libro ſecundo Paralip. primo ita *Lib 2.* omnia narrantur, vt nulla fiat mentio ſomnij, ſed *Paralip. 1.* abſolutè facta eſſe dicantur, eſtq́ narratio hiſtorica, ac ſubinde omnino propria, cui proprietati nõ repugnat, quod de ſomno additur in alio loco, ergo proprietas verborum omnino tenẽda eſt. Ad illud verò quod de libertate arbitrij dicebatur, mox reſpondebimus, nam contrarium illo exemplo nos intendimus demonſtrare.

Alij ergo ex eodem fundamento reſpondent ad *16.* locum illum, ſomnum illum Salomonis non fuiſ- *Alia reſponſio.* ſe corporalem, ſed ſpiritualem, ſeu propheticum, qualis habetur in Ecſtaſi, & interdum in Prophetis, cum propheticam reuelationem recipiunt. Hoc reſponſum habet etiam D. Thom. in 12. vbi ſupra, & d. *D. Thom.* q. & art. de Verit ad 6. Duobus autẽ, vel tribus modis poteſt intelligi. Primò quod Salomon non dor- *Quibus modis poteſt explicari ſomnium Salomonis.* miret corporaliter, quãdo Deus ad loquendum eũ illo acceſsit. Et hoc neque neceſſarium eſt, neq́ cõmuniter receptum, neq; conſonat verbis Scripturę, vt ex ſequenti puncto à fortiori conſtabit. Secundò intelligi poteſt, dormiſſe quidem cum Deus illi cœpit loqui Deum autem locutione ſua excitaſſe illũ, & tunc potuiſſe libere attendere, & operari, ſicut de Samuele legimus 1 Reg. 3. verum contra hoc vehementer vrgent verba illa, quæ poſt totam narrationem ſubiunguntur: *Igitur euigilauit Salomon, & intellexit* &c. euigilare enim propriè non dicitur quis, niſi cum à corporali ſomno excitatur, præceſsit ergo totus ille ſermo inter Deum, & Salomonem durante ſomno corporali Salomonis, qui poſtea illo finito, vigilare cœpit. Deinde quamuis *ſomnium* ſæpe ſignificet reuelationem Diuinam, vt patet Nume. 21. & ſæpe in Scriptura, nihilominus connotat ex parte ſubiecti, quod fiat homini dormienti, nã inde tranſlata eſt vox, ſomnium enim proprie ſignificat repræſentationem, ſeu cogitationem, quæ tempore ſomni corporalis in nobis excitatur, & inde tranſlata eſt vox ad ſignificandam locutionem, vel reuelationẽ aliquam Dei, connotat vero quod in homine dormiente fiat alias nõ eſſet, cur ſomnium vocaretur. Cum ergo ibi dicatur Deũ locutũ eſſe Salomoni per ſomnium nocte, oportet intelligere durante

L 4 corpo-

Digitized by Google

corporali ſomno locutum fuiſſe Deum, nnn excitando dormientem, ſed in quiete ſomni illius mentem illuminando. Atque ita poteſt tertio modo intelligi, ſomnium illud fuiſſe propheticum, & ſpirituale, id eſt, per Diuinam locutionem internam, & mentalem, nõ excludendo corporalem dormitionem, ſed illa durante factum, & hic ſenſus verus eſt, eumq; ſupponunt Aug. loco citato, & Patres, & Doctores ſtatim citandi, ex illo tamen non excluditur, ſed confirmatur potius noſtra ſententia, vt conſtat.

Vera explicatio.

17. Patet igitur Salomonem eo tempore, quo corporaliter dormiebat, percepiſſe locutionem Dei, non auribus corporis, vt benè probat Abulenſis ſuprà, nemine contradicente. & ſimiliter ipſum Salomonem corde, non ore corporis oraſſe ad Deum. Quod autem illa petitio Salomonis fuerit tũc ex libera electione profecta teſtantur expreſſe Dionyſ. Carthuſ. & Hugo Card. 3. Reg. 3. & indicant Gloſſ. interlin. & Ordi. & Lyran. Et ex Scholaſticis Alex. Alenſ. 4. p. quæſt. 101. m. 3. art. 3 § 2. ad 1. alias q. 28. m. 5. art. 3. §. 3. Vbi in ſecunda reſponſione ait, viguiſſe tunc in Salomone rationem ſuperiorem præter ordinarium naturæ curſum. Idem Bonauentu. 2. d. 25. 2. parte diſtinctionis quæſtione vltim. ad argum. Et Richard. quolib. 1. quæſt. 17. ad vltimum probabile cenſet, habuiſſe tunc Salomonem liberum arbitrium per gratiam: idem ſignificarunt Gloſſa interlinealis ad verba illa: *Poſtula, quod vis*, addit enim: *Dei gratia liberum hominis exquirit arbitrium*: & re vera hoc ſignificant in rigore illa Dei verba, quæ non referuntur proprie ad tempus præteritum, ſed ad illud ipſum in quo Deus cum Salomone loquebatur. Præterea frequenter Patres docent Salomonem vere oraſſe tunc, & per orationem impetraſſe, quod non fit ſine libertate: Ambroſ. Apolog. 2 pro Dauid cap. 4. de Salomone ait, *Sapientiam poſtulauit, vt quam non habebat, acciperet*, & infra: *neque enim habere ſe credidit, quod popoſcit*: vbi aperte loquitur de illo tanquam de eo qui ratione, & libertate tunc vtebatur, & quod tunc meruerit, ſignificat infra dicens: *offendit in tantum, vt etiam quod meruerat, amiſerit*. & in Pſalm. 118. Octon. 18. in fine dicit: *oraſſe tunc, & promeruiſſe.* Quin potius Octon. 2. verſ. 2. ait de eodem Salomone, *Ex toto corde exquirens Deum ſapientiam poſtulauit, & quia non opes ſibi regias ſed Diuinæ munus gratiæ depopoſcit, accipere meruit ſapientiæ diſciplinam.* Tertull. etiam libr. 4. contra Marci. c. 15. aperte ſentit, habuiſſe tunc Salomonem liberam electionem dicens: *Quia permiſſa ſibi optione maluit ea poſtulare, quæ ſciebat Deo grata, ſapientiam meruit etiam diuitias conſequi.* Ad eum modum loquitur Eucher. quæſt. 2. in 3. li. Regum dicens, Salomonẽ deprecatum eſſe Deum &c. Denique narratio Scripturæ ſincerè, & in proprietate intellecta hoc aperte ſignificat, & nulla eſt neceſsitas fugiendi planum ſenſum, ergo retinendus eſt, maximè in hiſtorica narratione.

Dionyſ. Carthuſ. Hugo. Card. Gloſſ. Interlin. & Ordin. Lyr. Alex. Alenſ. Bonauen. Richard. Ambroſ. Tertull. Eucher.

18. *Obiectio.* Adhuc verò dicere quis poteſt, tũc eleuatam eſſe mentem Salomonis ad intelligendum ſine conuerſione ad phantaſmata, fuiſſeq; releuationẽ illam mere intellectualem, ac per ſe infuſam, & ita ex illo loco non probari, quod intendimus. *Reſponſio.* Reſpõdemus, licet hoc non ſit impoſsibile, non eſſe tamen admodum credibile: primò quia illa tam perfecta mentis eleuatio valde extraordinaria eſt, & tunc ad intentum effectum non erat neceſſaria: ſecũdo quia nullum eſt verbum in illo loco Scripturæ, ex quo tam perfecta cognitio poſsit colligi: imò cum illa dicatur apparitio Dei per ſomnium ſignificatur eſſe per phantaſmata: nam teſte Hieron. Dan. 1. viſiones, & ſomnia dici ſolent, *quibus per ſymbola quadã, & ænigmata futura monſtrãtur.* Tertiò cõſiderato toto ſermone Salomonis, qui fuit de rebus ſenſibilibus, quę ante oculos verſabantur, non eſt veriſimile factam fuiſſe tunc abſtractionem ab omni phantaſmate.

Hieron.

Ratione denique oſtẽditur, hoc non repugnare: probãdo ſimul aſſertionem, quia per Diuinam gratiam facillimè fieri poteſt, vt mens hominis dormientis habeat perfectum mẽtis iudicium, vel eleuando, vel confortando potentias internas, vel certe clarificando phantaſiam, & vapores omnes, qui illam in ſomno impediunt, depellendo, conſeruatis ſenſibus externis, in eadem diſpoſitione, quam in naturali ſomno habent. Ad hunc enim modum ſæpe fiunt propheticæ reuelationes, vt exponit latè D. Thom. 2. 2. quæſt. 173. artic. 2. & 3. & fieri poſſunt non tantum quoad apprehẽſionem, ſed etiam quoad iudicium, quamuis enim hoc poſterius magis ſupernaturale, & extraordinarium ſit, non ita repugnat, vt ratio aliqua implicationis, vel cõtradictionis excogitari poſsit. 19. *Ratio. D. Thom.*

Probatur ergo aſſertio intellecta de ſomno prophetico (quem ſenſum hic magis intendimus) quia ille ſomnus idem eſt, quod ecſtaſis, & in eo exteriores omnes ſenſus etiam ligati ſunt. Quod ergo in illo poſsit eſſe perfectum iudicium rationis abſq; nouo miraculo, plane teſtatur D. Th. in locis ſuprà citatis, nam quod negat de ſomno corporali, fatetur de prophetico: & in illo ſomno putat potuiſſe Salomonem habere perfectam rationem, & libertatẽ. Ideq; probari poteſt ex ſopore Adę: nam licet fuerit ſimul ſomnus, & ecſtaſis à fortiori ſumetur argumentum, nam ſi vtrumq; ſimul non impedit libertatem, nec ſola Ecſtaſis impediet. Illum enim Adami ſuporem Ecſtaſim fuiſſe certum eſt, vt ſupra notat Abulẽſis ex communi Patrum ſententia, quos in 1. tom. 3. p. retulimus. Eſt item veriſimilius, cognitionem, & intelligentiam, quam tunc habuit, fuiſſe cũ conuerſione ad phantaſmata, & modo naturali quoad ſpecies, quibus vtebatur, quia non oportet multiplicare miracula, vel extraordinarias gratias ſine cauſa, hic autem nulla eſt, & omnia, quæ ſancti docent de reuelatione Incarnationis ibi facta Adæ, de fide illius de tanto myſterio, nihil aliud probant: cum tamen certum ſit tunc habuiſſe Adam perfectum vſum rationis, ſine quo veram fidem tunc concipere non potuiſſet. Vnde Rupert. ibi, *Sopor* (inquit) *quem Deus Adamo immiſit, nõ claudere vigilias rationis debuit, ſed obſeratis quinq; ſenſibus corporis, ſenſum mentis liberũ reliquit, vt ſcire poſſet, quid erga ſe faceret omnium artifex ſapientia.* Idem dicendum exiſtimo de omni vera reuelatione à Deo facta in raptu prophetico cum intelligentia, & aſſenſu eorum, quæ videntur. Nam ibi interuenit vera cognitio, & vera fides: & poſtea homo recordatur, ſe non ſolum apprehendiſſe illa obiecta, ſed illis aſſenſum præbuiſſe, nec poſtea deliberat, an credenda ſint, & vt vera retinẽda, ſed vt reuelata, vera, & iam credita repræſentantur, interceſsit ergo ibi verum, ac ſufficiens rationis iudicium. Atque hac ratione damnatur error Montani, & Priſcillæ dicentium, Prophetas non intellexiſſe, quæ prophetabant, ſed perturbata mente ea enunciaſſe, atque accepiſſe. 20. *Abulenſ. Rup. Error Montani, & Priſcillæ.*

21. *Differentia inter hunc ſomnum, & mere corporalem. Abul. Bernar.* Ratio verò facile reddi poteſt ex differentia inter hunc ſomnum, & mere corporalem, quem notat Abulenſis Geneſ. 13. q. 356. & 400. ſumiturque ex Bernardo Sermone 52. in Cantica, cuius verba infra referemus: nam in corporali ſomno incipit impedimentum à ſenſibus, & procedit vſque ad intellectum, vbi terminatur: in hoc vero abſtractio, & eleuatio animæ incipit ab intelligentia, & ex eius vehementia tandem impediuntur exteriores ſenſus, ne aliquid percipere valeant. Vnde fit, vt in corporeo ſomno naturaliter impediãtur functiones mẽtis, & interioris ſenſus, ligatis ſenſibus externis, quia hoc impedimentum naſcitur ex vaporum abundãtia aſcendentiũ ad cerebrum, & impedientium ordinatum vſum phantaſmatum: vnde prouenit, vt intellectus etiam in ſuis actibus impediatur: quod ordinatum eſt à natura ad ſubueniendum inferiori

Digitized by Google

ſectiori corporis nutritioni, vt anima ſolutior, & fortior ſit ad actionem partis nutrientis. At vero in ecſtaſi eleuatio incipit ab intellectu, qui vehementius intendit ſuperiorum rerum cognitioni, & intelligentiæ, & inde anima abſtrahitur ab operationibus ſenſuum externorum, & ab omnibus actibus ſenſuum internorum, qui ad perfectam illam mentis intelligentiam non actu deſeruiunt, & cooperantur. Hinc ergo fit, vt in hoc ſecundo ſomno mens non impediatur, imò ſit expeditior, & facilior ad perfectã mentis intelligentiam, perfectũq; iudicium earum rerum quas contemplatur.

In ſomno corporali naturaliter non poſſe eſſe ſanum vſum rationis.

22. Et ideo aſſero, in ſomno corporali non eſſe naturale, habere iudiciũ rationis expeditum, ſed oportere, vt miraculoſo modo fiat. Quia neceſſe eſt, vel confortare intellectum ad perfecte intelligendum, non obſtante impedimento ſenſus interioris, quod naturale non eſt vel oportet purificare ſenſum internum, quantum neceſſe eſt ad vſum intelligentię, conſeruato ſomno corporali quoad reliqua, quod etiam eſt pręternaturale. At verò in ſomno prophetico, ſi attentio animæ per ſuperiorem portionem mentis vehemens ſit, naturale eſt, vt impediat inferiores functiones eiuſdem animæ, ac ſubinde poteſt eſſe tanta, vt abſtrahatur anima ab omnibus exterioribus actionibus ſenſuum, ſine vllo naturali impedimento quoad perfectum mentis iudicium, quia tunc mens ſolutior eſt, & non impedit ſuum actum, nec perfectionem eius propter nimiam attẽtionem, ſed potius illum magis perficit. Et confirmatur, quia licet cognitio intellectus oriatur ex ſenſibus externis quoad ſpecies intelligibiles, tamen poſtquam mens iam habet ſpecies acceptas à ſenſibus, non pendet in ſuo actuali iudicio perfecto ab operatione externi ſenſus, ſed ſufficit illi cooperatio phantaſiæ, vt experientia etiam conſtat. nam qui perfectam ſpeciem coloris, vel caloris accepit, poſtea ceſſans omnino ab operationibus illorum ſenſuum, ſecum meditatur, recogitat & iudicat de rebus, quas per tales ſpecies poteſt cognoſcere: ergo etiamſi abſtractio à ſenſibus externis non ſolum ſit actualis, ſed etiam aptitudinalis (vt ſupra explicatũ eſt) non impeditur perfectum rationis iudicium, quando illa abſtractio ex ipſius mentis maiori intẽtione naſcitur.

2. Aſſertio. Contemplationem ex parte intellectus in ecſtaſi nõ eſſe liberã, proxime. Explicatio.

23. Secundò aſſero, hanc contemplationẽ, prout in intellectu peruenit vſque ad ecſtaſim, non eſſe actũ liberum proximè, & directè licet remotè ex actu libero ſæpe ducat originem. Hanc aſſertionem probant rationes dubitandi in principio poſitæ. Explicatur autem in hunc modum: Nam in primis non repugnat actum intellectus cum perfecta cognitione, & iudicio antecedere omnem motionem voluntatis, eſſeque ex illuſtratione tantum, & motione Diuina, quia actus intellectus non eſt intrinſecè voluntarius, nec formaliter liber, ſed ſolum hoc habet ex imperio voluntatis, quando ab illo procedit, quia tamen ſecundum ſe, & natura ſua prior eſt, poteſt aliter fieri ex motione cauſæ extrinſecæ, neque id erit contra naturalem modum operandi talis potentiæ: nam vterque modus operandi ſecũdum diuerſos actus antecedentes, vel conſequentes voluntatem, eſt illi connaturalis, ſicut etiã phantaſiæ naturale eſt interdum moueri ab appetitu, interdum ab obiecto, vel cauſa extrinſeca. Immò loquendo de toto ordine actuũ intellectus, & voluntatis, naturalis ordo eſt, vt præcedat actus intellectus, qui nec liber nec voluntarius ſit, ſed ab extrinſeco, poteſt ergo ille actus intellectus, qui antecedit amorem & omnem motionem voluntatis, eſſe ex tam perfecto influxu Diuino, vt ſit cum perfecta cognitione, & iudicio de obiecto propoſito, eiuſq; bonitate, & honeſtate.

Actum intellectus præcedunt actus voluntatis.

24. Dico ergo, quando intellectus rapitur ad hunc contemplationis actum, ita vt totam attẽtionem animæ abſorbeat, illamq; abſtrahat ab omni operatione ſenſuum externorum, tunc veriſimilius eſſe, talem actum fieri per influxum Diuinum inferentem neceſſitatem intellectui ad operandum, & attendendum tali modo, quia non videtur voluntas poſſe ſuo affectu, & motione tam vehementer applicare intellectum ad operandum, vt experientia ſatis oſtendere videtur, ergo quando tam vehemẽter applicatur, eſt ex motione alicuius cauſæ extrinſecæ quæ in præſenti nõ eſt, niſi Deus: tum quia tractamus de ſancta, & Diuina contemplatione: tum etiam quia abſtractio illa incipit ab intellectu, non à ſenſu etiam interno, attentio enim ſuperioris rationis ſecum rapit internum ſenſum, vt ſibi cooperetur, quantum neceſſe eſt, & impedit omnem aliam cogitationem, & externorum ſenſuum operationes, ſolus autẽ Deus poteſt hoc modo immediate mouere intellectum.

Addidi vero, hoc eſſe intelligendum de motione directa & proxima, nã remote poteſt illa contemplatio mentis eſſe aliquo modo libera, & voluntaria. Voco autem motionem directam, & proximã, quæ fit per hunc actum, volo cum tanta attentione mentis de Deo conſiderare, vt nihil aliud cogitare vel ſentire valeam, quod perinde eſt, ac ſi diceretur, volo in ecſtaſim rapi. Hanc ergo motionem iudico non ſolum vanam, & præſumptuoſam, ſed etiã naturaliter impoſſibilem, quia non ita ſubijcitur attẽtio animæ applicationi voluntatis, vt poſſit efficacitate ſua directa totam illam colligere ad vnum actũ vnius facultatis, & à cęteris facultatibus ita illã abſtrahere, vt moueri non poſſit, etiam ſi obiecta proponantur ſufficienter ad mouendam illam, ſicut in raptu, ſeu ecſtaſi fit. Imò illamet directa motio, & deſiderium illius vehementis applicationis intellectus, poteſt mentem diſtrahere, & impedire, ne tam attente de Deo cogitet ſed de ſuamet attentione, & conatu ſolicita ſit. Remotè verò dico poſſe hic interuenire voluntatẽ, eiuſq; libertatem, quia in principio poteſt homo voluntarie, ac libere ſe applicare ad cogitandum de Deo, & poſtea paulatim Dei beneficio ſpeciali rapi ad vehementem illam attentionem. 25.

Remote poſſe cõtemplationem mentium in ecſtaſi eſſe liberã.

Deinde fieri interdum poteſt, vt per naturalem ſympathiam harum potẽtiarum, cui etiã gratia Diuina ſeſe accommodat, hoc fiat, quaſi ab intrinſeco cooperante libera voluntate Diuinæ gratiæ. Nam ſuppoſita voluntaria applicatione ad exercitium actualis contemplationis homo per intellectum libere aſcendit in Deum de illo cogitando, deinde illum ſic cogitatum liberè amat. Rurſus ex hoc amore per naturalem ſympathiã prouenit, vt intellectus magis applicetur, non quia homo directè velit magis attẽdere per intellectũ, ſed quia ipſum obiectũ, iam amatũ magis trahit intellectũ, & quia voluntas naturaliter ſecum trahit intellectũ quaſi in actu exercito etiamſi (vt ſic dicã) non in actu ſignato id velit. Vlterius verò maior attẽtio intellectus amplius accendit amorem voluntarium etiam, & liberum: atque ita mutuo ſeſe excitando per hos actus poteſt anima peruenire ad tantam attentionem quæ faciat Ecſtaſim. Sicque videtur dixiſſe D. Tho. 2. 2. q. 175. ar. 2. ex vehementia amoris contingere abſtractionem à ſenſibus in raptu. Illam ergo voco Ecſtaſim voluntariam, & liberam non ſolum in prima radicè voluntariæ applicationis ad exercitium contemplationis, ſed etiam in affectu amoris voluntario, ac libero. Exiſtimo tamen nunquam perueniri ad tam perfectam mẽtis attentionẽ in his actibus ſupernaturalibus ſine multis gratijs, & illuſtrationibus pręuenientibus, quibus poſitis, neceſſitate quadã intellectus tam vehemẽter rapitur, neq; fortaſſe ſine illis poſſet tam intenſe applicari, ẽt cũ ordinario gratiæ cõcurſu, quia re vera hic modus operãdi valde eleuatus eſt, & ſupra vires hominis in corpore mortali. 26.

D. Thom.

Sed

27. *Obiectio.* Sed obijci poteſt, quia Montani error, ad quem acceſſit Tertullianus, reprehenditur à Patribus, eo quod dixerit, Prophetas in ſuis reuelationibus ita rapi Diuinitus, vt non ſint ſui compotes, neque habeant in ſua poteſtate illius cognitionis vſum: Videntur autem nonnihil ad hunc errorem accedere, qui dicunt, in Diuina contemplatione ita rapi intellectum, vt non ſit in poteſtate hominis cognitionem amouere. *Solutio.* Reſpondetur, longe diuerſum fuiſſe Montani ſenſum, vt conſtat ex *Epiphan.* Epiph. hæreſ. 48. & ex *Hieron.* Hieronym. in Prologo commentar. in Abacuc. Montanus enim aſſerebat, Prophetam non intelligere, quod videt, vel loquitur, ſed loqui vt inſanum, & amentem, in quo errore fuit etiam Tertullian. vt conſtat ex Hierony. de Scriptoribus Eccleſiaſt. Et *Niceph.* Niceph. lib. 4. Hiſtoriæ cap. 22. & 34. qui referunt ſcripſiſſe ſex libros de Ecſtaſi contra Eccleſiam: Ecſtaſim autem intelligebat eſſe operationem ſpiritus, quæ in amentiam, & inſaniam rapit, vt ex varijs locis eiuſdem Tertull. oſtendit *Pamelius.* Pamelius in Annotat. ad lib. de Ecſtaſi. At vero hæc eſt manifeſta inſania, vt Hieronym. ſupra rectè conuincit ex Paulo 1. ad Corint. 14. & ex modo loquendi & ſcribendi Prophetarum, qui etiam videri poteſt in Prologo Nahum, & Epiphan. ſupra, & Diuus *D. Thom.* Thomas 22. quæſtion. 173. articulo 3. & 4. vbi latius de hac re.

28. Ecſtaſis autem, de qua locuti ſumus, eſt cum perfecta cognitione, & iudicio rationis, vt declaratum eſt, & ideo non fit cum inſania, vel amentia, etiamſi cum neceſſitate fiat, ſeu recipiatur. Quod etiam Prophetis contingere poteſt: nam quod ait Paulus 1. ad Corinth. 14. ſpiritus Prophetarum Prophetis *1. Ad Corinth. 14.* ſubiectos eſſe rectè à D. Thom. dicto art. 3. & 4. exponitur, intelligendum eſſe, quantum ad propheticam enunciationem: *Nam in ipſa* (inquit) *prophetica reuelatione potius ipſi ſubijciuntur ſpiritui prophetiæ.* Et ita poſſunt illam ex neceſſitate recipere, quamuis cum perfecta intelligentia, & cum libertate tacendi, vel loquendi, & interdum etiam cum libertate quoad aſſenſum, quando reuelatio eſt obſcura, vt ſupra explicatum eſt.

29. *An Ecſtaſis contingat per voluntariã applicationem ad ſpeculationem.* Tandem vero inquiri hic poteſt, an huiuſmodi ecſtaſis interdum contingat per naturalem vim, & voluntariam applicationem ad ſpeculationem, & attẽtionem intellectualem circa obiectum aliquod naturale: aliqui enim exiſtimant, huiuſmodi attentionem eſſe poſſe tam intenſam in intellectu, vt externos ſenſus otiari cogat, illamque poſſe fieri naturaliter, & ad nutum hominis ſe libere applicantis ad ſic conſiderandum: *Opinio aliquorum.* quod videntur probare exempla adducta in cap. 17. & quia hic effectus non ſuperat vires naturæ, cur ergo non fieri poterit per voluntariam applicationem ipſius animæ? Et hoc *Marſil. Ficin.* ſentit Marſil. Ficin. libr. 3. de Immort. anim. cap. 14. alij oppoſitum ſentiunt putantque Ecſtaſim per totalem abſtractionem à ſenſibus non fieri, niſi vel operatione Diuina, aut præſtigio Dæmonis. Quod *Martin. Delrio.* ſentit Martin. Delrio lib. 2. Inquiſit. Magic. quæſtio. 25. & ratio eſſe poteſt, *Ratio.* quia tanta animæ attentio, & eleuatiõ non videtur eſſe in poteſtate noſtra, vt omnes experimur. Vnde qui aliud experiuntur, videntur certè ab aliqua ſuperiori cauſa moueri. *Obiectio.* Sed dicet aliquis: Quomodo poteſt Dæmon applicare mentem ad intelligendum cum tanta attentione, cum non poſſit in ipſam mentem immediatè agere, imò nec in phãtaſiam, niſi applicãdo obiecta, ſeu phantaſmata. Deus enim, cum poſſit potentiam ipſam, etiam ſpiritualem immediatè applicare ad opus, facile poteſt hunc effectum efficere: Dæmon autem non poteſt illo modo facultatem ipſam internam applicare ad opus. Reſpondebunt: Quando ecſtaſis fit virtute Dæmonis, non fieri per nimiã applicationem intellectus principaliter, ſed maxime per obſtructionem viarum, quæ impedit, ne ſpiritus animales à cerebro ad ſenſus deſcendant, nec ſpecies obiectorum externorum ad ſenſum communem perueniant, & ita magis erit illa ecſtaſis per modum ſomni, quàm per proprium raptum.

Sed mihi incertum eſt, quantum extendatur virtus naturæ, & voluntatis, vel appetitus applicantis intellectum, aut phantaſiam ad attendendum, nam 30. ſtando in vi rationis non video repugnantiam, cur hæc tanta applicatio non poſſit naturaliter fieri ad attentionem contentam intra naturæ ordinem, vt V. G. ad ſpeculanda mathematica attẽtiſsimè &c. Aliunde vero conſulendo experientiam, non video hoc eſſe in poteſtate mea, nec eorum cum quibus conuerſatus ſum, etiamſi his ſpeculationibus ſint ſatis aſſueti. Vnde etiam in hoc genere attentionis veriſimilius credo, non eſſe in poteſtate voluntatis noſtræ directè, & (vt ita dicam) in actu ſignato applicare animam, vt tam vehementer interius attendat, quod ſe abſtrahat omnino ab externis ſenſibus, nam hic modus motionis videtur tam violentus, vt non ſit in poteſtate directa voluntatis. Nihilominus credo illud genus naturalis raptus multum poſſe dependere ex diſpoſitione phantaſiæ, & ex conſuetudine ac delectatione, quam vſitata ſpeculatio ſecum affert. Et ideo fortaſſe interdum poteſt eſſe talis diſpoſitio phantaſiæ tantaque conſuetudo cum delectatione adiuncta, vt, eo ipſo quod voluntarie applicatur ad conſiderandum, vel meditandum, ab ipſis obiectis vehementer feratur, & procedat vſque ad ecſtaſim. Quocirca ſi interdum hoc naturaliter fit, magis credo incipere à phantaſia, & à magna applicatione eius, concurrente humore aliquo tenaci, & forti, vt ſolet eſſe melancholia, quàm à ſuperiori applicatione intellectus. *Solutio.* Vnde ſiquando fit virtute Dæmonis, licet poſſit fieri modo ſupra dicto, etiam videtur, poſſe Dæmonem id facere accommodando humorem accommodatum phantaſię, vt à tali, vel tali obiecto, aut phantaſmate fortiter applicetur. Item poſſet remouere omnia, quæ poſſunt mentem diſtrahere, & ſimilia. Itaque hoc genus abſtractionis à ſenſibus, vix fit ſine interuentu alicuius cauſæ extrinſecæ, & actus ipſe intellectualis attentionis tam vehementis vix vnquam eſt liber, ſed quãdo ad illum gradum peruenit, ſemper intercedit cauſa aliqua neceſsitãs ſaltem ex parte phantaſię, vt explicatum eſt. In cõtemplatione verò ſancta, & ſupernaturali, de qua nos loquimur, Deus ipſe eſt, qui motionem illam intellectui præbet, applicando illum, vt omnino ſic attendat.

Ad rationes dubitandi in principio poſitas nihil 31. *Soluuntur rationes.* reſpondere neceſſe eſt, nam facile admittimus, ex parte intellectus poſſe eſſe aliquam neceſsitatem in illo actu, quia hæc non eſt omnino præter naturalem modum operandi talis potentiæ, qualis autem ſit illa neceſsitas, vel quomodo & vnde ſequatur, & qua moderatione intelligenda ſit, ſatis ex dictis eſt declaratum.

Caput XX.

An contemplatio huius vitæ quoad amorem, qui in raptu, vel ecſtaſi habetur, libera ſit, & meritoria.

Cum de merito quærimus, ſupponimus conditiones alias ad illud neceſſarias, & de ſola libertate inquirimus, propter peculiarem difficultatem 1. *Senſus quæſtionis.* circa illam in eo caſu occurrentem. Hæc autem difficultas locum non habet in contemplatione, vel reuelatione pure intellectuali, in qua anima eleuatur ad cognoſcendum ſine dependentia à phãtaſmatibus, nam cum illa cognitio non pendeat à ſenſi-

Digitized by Google

ſenſibus, poteſt ratio eſſe expedita ad iudicandum perfecte, quomodocunq; ſenſus ſint diſpoſiti, ſiue operentur, ſiue non. Ergo in tali contemplatione, & ex vi eius non impeditur vſus libertatis in voluntate, ſiue ad amandum ſiue ad alios actus exercendos proportionatos intelligentiæ, quam tunc

Cōfirmatio. recipit. Confirmatur primo, quia (vt ſupra dicebā) ſi in tali contemplatione fiat à Deo aliqua obſcura reuelatio, aſſenſus credendi illi poteſt eſſe liber, vnde voluntas credendi antecedēs ad illum aſſenſum libera eſt, ergo eadem ratione amor conſequens illam fidem, vel ſpes, aut ſubmiſſionis affectus, & quicumque alius ſimilis poterit eſſe liber. Cōfirmatur ſecundo exemplo Chriſti Domini, qui per ſcientiā infuſam liberrimè operabatur, ergo idem eſt in quocumque vſu, vel participatione ſimilis cognitionis. Atque hoc exemplum conuincit, poſſe hos actus liberos eſſe tempore ſomni corporalis, ſi eadē contemplatio in intellectu perſeueret: per Dei influxū, vel gratiam actualem, vel etiam habitualē. Ita enim Chriſtus etiam dormiens vtendo ſcientia infuſa poterat libere operari. Ratio vero eſt: quia vſus perfectus talis ſcientiæ, vel cognitionis intellectualis non impeditur per ſomnum, quia non pendet ex ſenſibus, nec ex illis iudicat, ſed per altius lumen, & altiora principia. Eſt enim modus ille cognoſcendi magis Angelicus, quam humanus, & ideo per illum tam expeditè & libere operatur anima corpori vnita, ac ſi eſſet ſeparata.

2. Obiectio. Dices hæc omnia ſolum probare, tune voluntatē ab intrinſeco nō neceſſitari ad ſuos actus ex vi talis cognitionis, fieri tamen poſſe vt in altiſſima contemplatione à Deo neceſſitetur per aliquam efficacem, & extrinſecam motionem.

Solutio. Reſpondemus, non eſſe dubium, quin poſſit Deus hoc facere, nunc autem non de potentia eius diſputamus, ſed de vi, & efficacia talis contemplationis intellectualis ad determinandam voluntatem ex neceſſitate. Dicimus deinde, modum illum neceſſitandi non eſſe conſentaneum naturis rerum, ideoque niſi ex reuelatione conſtiterit, affirmari non debere, neque poſſe. Quia ordinaria prouidentia Deus non impedit connaturalem operandi modum. Item illa neceſſitas ab extrinſeco non pertinet ad perfectionem & impedit meritum, non ergo fingenda eſt, propter excellentiam contemplationis. Eſt tamen rarus hic contemplandi modus, & ordinariè nemini conceditur, & per ſe, ac proprie non cauſat Ecſtaſim, vt dixi, & ideo hæc de illo ſufficiant.

3. In contemplatione in qua liberū eſt iudicium actus voluntatis etiam eſt liber. Præterea manifeſtum eſt, in omni contemplatione, in qua iudicium intellectus liberum eſt, vel quoad ſpecificationem, vel ſaltem quoad exercitium, etiam voluntatem quoad ſuos actus liberam eſſe, quia non poteſt intellectus libere operari, niſi à voluntate libertatem participet. Sicut ſupra dicebamus, quando contemplatio eſt per reuelationem obſcuram, aſſenſum eſſe fidei, ac ſubinde liberum, ergo multo magis amor, qui ex tali cognitione ſequi poteſt, liber erit. Et ex dicendis hoc à fortiori conſtabit.

Difficultas quæſtionis, An ſtante neceſſitate in intellectu poſſit dari libertas in voluntate. Difficultas ergo eſt, quando intellectus ex neceſſitate rapitur ad attendendum eum tanta intentione, vt Ecſtaſim cauſet in ſenſibus externis: loquimur autem de ordine connaturali, ſuppoſito tali actu intellectus, & ſecluſo nouo miraculo: nam hoc interueniente clarum eſt, poſſe Deum & neceſſitatem inferre voluntati, ſi velit, & illam impedire, etiamſi ex tali diſpoſitione intellectus, & ſenſuum naturaliter euentura eſſet, quia poteſt nouam illuſtrationem, aut reflexionem in intellectu efficere, vel alio modo potentias confortare, vt dominium voluntatis integrum perſeueret, quia in his omnibus nulla eſt implicatio contradictionis. Secluſa autem hac ſpeciali operatione Dei, difficultas eſt, an ſtante illa neceſſitate in intellectu, poſſit eſſe libertas in actu voluntatis?

Ratio autem difficultatis eſt, quia libertas volūtatis radicatur in intellectu, naſciturque ex indifferentia iudicij, ſed in illo raptu intellectus non habet indifferentiam in iudicio, ſed omnino ad illud determinatur ex neceſſitate, ergo. Et augetur difficultas, quia in illo ſtatu non poteſt eſſe plenum iudicium neceſſarium ad libertatem voluntatis: quod patet, quia plenum iudicium hominis in hoc ſtatu requirit externorum ſenſuum vſum, & ideo docet ſæpe Diuus Thomas, externis ſenſibus ligatis, non eſſe mentem aptam ad iudicandum: etiamſi eſſe poſſit ad apprehendendum, vt notauit Caietanus 1.p.q.12.art.11.ex D.Tho.2.2.q.172 artic.1.ad 1.& ſecundum, & latius qu.12. de Verit.art.3.ad 1.2.& 3. vbi ait, vltimam reſolutionem humani iudicij quodammodo fieri ad ſenſus externos, & ideo illis ligatis, non poſſe plenum, ac perfectum, vel liberum iudicium eſſe. Idem latius infra eadem q.12.artic.9. Vnde in 4.d.9.q.1.art.4.quæſt.1.eandem doctrinā confirmat in ſolut. ad 2. & inde infert in ſolut. ad 3. in ſomno non poſſe eſſe liberam electionem, quia ſenſus ſunt ligati. Idem ſentit Bonauent. 2.d.25.2.p. diſtinct.q.vlt. & Alex.4.p.q.8.m.8.ar.3 §.1.in quæſtione collaterali ad argumenta, vbi ait Salomonē, cū dormiret, nō potuiſſe vti libero arbitrio. Ex quibus omnibus concluditur ratio, nam ita ſunt legati ſenſus in Ecſtaſi, ſicut in ſomno corporali, ſed in ſomno corporali quantumuis viſiones, vel reuelationes fiant, nunquam eſt iudicium ſufficiens ad arbitrij libertatem: ergo nec in Ecſtaſi. Probatur conſequētia, quia ſi in ſomno deeſt illa libertas, eſt, quia mēs humana vtitur ſenſibus, quaſi primis principijs ſuæ cognitionis, & ideo ad iudicandum exacte recurrit ad ſenſus tanquam ad principia, & per reſolutionem ad illa iudicat, & ideo ligatis ſenſibus, deeſt aptitudo ad iudicium: at tota hæc ratio eodem modo in Ecſtaſi procedit.

4. *Ratio.* *D.Thom.* *Caiet.* *Bonauent.* *Alex.*

5. *Aſſeritur actum amoris in Ecſtaſi eſſe liberum.* Nihilominus dicendum eſt, actū amoris, & charitatis, qui in tali contemplatione, & Ecſtaſi exercetur liberum eſſe, vel quoad exercitium, vel etiam quoad ſpecificationem, iuxta rationem conſiderationis, & iudicij intellectualis. Hæc aſſertio probari poteſt exemplis adductis de Salomone, nam tunc habuiſſe liberam optionem, ſatis ex ſuperioribus conſtat. Idem de Adamo, qui in ſopore ſuo actum fidei exercuit, vt Sancti docent, cum tamen ſine libertate non fiat. Petrus etiam Act.10.in Ecſtaſi erat, quando vidit linteum deſcendentem de cœlo, & Dominum ſibi dicentem, *Macta, & manduca*, vt verba Scripturæ ſatis indicant, & Theophi. optimè declarat, & tamen idem Petrus libertatem habebat, cum dicebat: *Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum*. Vnde Chryſoſt. ibi Hom.22. & Theophil. docent Petrum ex affectu ad legis obſeruantiam, quam tunc ſeruādam putabat, id protuliſſe: immò Ambr.li.2.de Spiritu ſancto ait, Petrum, cum dixit, *Abſit Domine*, confeſſum eſſe Diuinitatem Spiritus ſancti, & per hoc ſecundum miraculum meruiſſe, vtebatur ergo tunc perfecta ratione, & libero arbitrio. Ratione probatur aſſertio, primo, quia nihil eſt in huiuſmodi Ecſtaſi, quod neceſſitet voluntatem quoad exercitium. Aut enim id facit Deus per extrinſecam gratiam, ſeu motionē tanquam cauſa efficiens efficaciter mouens, aut id facit Deus, vt obiectum cognitum, & ex neceſſitate conſideratum tanquam ſumme amabile per actum illum intellectus, quo ita rapitur, & abſtrahitur anima: neutrum dici poteſt, nec alia cauſa neceſſitans poteſt excogitari, ergo cum alias voluntas de ſe ſit libera, vti tunc poterit ſuo dominio in ſuum actum.

Actor.10. *Chryſoſt.* *Theophil.* *Ambroſ.* *Ratio aſſertionis.*

6. Minor quoad primam partē probatur: nam Diuina gratia non deſtruit naturam, ſed perficit: vnde

licet

Digitized by Google

licet in altiſsima contemplatione moueat, & excitet affectum ad ſui amorem per inſpirationes Diuinas, quas gratias excitantes appellamus, quæ ſunt actus neceſſarij quatenus per illos Spiritus ſanctus cor tãgit, tamen nunquam excludit liberum conſenſum in amore perfecto, & obedientiali. Quia libertas in hoc amore pertinet ad perfectionem viæ, & eſt neceſſaria, vt actus ſit meritorius: non eſt autem veriſimile, Deum priuare hominem iuſtum, cum eum eleuat ad eximiam contemplationem, hac perfectione, & hoc fructu, qui in hac vita maxime expetendus eſt. Deinde talis motio Dei neceſsitans voluntatem, non eſt debita homini ſic contemplanti, nec neceſſaria ad veram contemplationem, ergo non poſſumus aſſerere, Deum illam præſtare, niſi ex ſpeciali reuelatione. Nulla eſt autem talis reuelatio, immò eſt contra ordinariam, & generalem regulam dilectionis Diuinæ, quę viatori infũditur, ergo nullo modo aſſerendum id eſt.

7. *Cõfirmatur altera pars argumenti, & inculcatur duplex modus neceſſitandi voluntatẽ.* Quoad alteram vero partem de obiecto cognito probatur, quia duobus modis poteſt Deus cognitus neceſsitate quadam allicere voluntatem ad ſe. vnus modus eſt propter excellentiam cognitionis quomodo amor eſt neceſſarius ex viſione beata, quæ perfectio hic non habet locum, vt conſtat. Alius modus eſt ex imperfectione cognitionis, ſeu aduertentiæ rationis excitantis voluntatem, prius quam locum habeat plene aduertendi, & deliberãdi: quomodo fortaſſe mouetur voluntas in impulſibus excitantis gratiæ, ſiue id fiat ex vi obiecti, ſiue accedente etiam ſpeciali motione Dei ex parte potentiæ. Et hic etiam modus non habet in præſenti locum, nam oſtenſum eſt in hac contemplatione eſſe perfectam mentis conſiderationem, & iudiciũ plenum non minus, quam ſit in contemplatione, quæ ſine tali Ecſtaſi habetur. Immò illam excedit, vel in maiori intenſione, & conatu potentiæ, vel in abundantiori lumine, quod non minuit, ſed auget potius perfectionem iudicij ad libertatem actus voluntatis neceſſariam. Ergo neq; ex hoc capite patitur neceſsitatem voluntas in hac contemplatione quoad perfectum actum amandi.

8. *Subterfugium.* Dices, Non ex imperfectione, ſed ex perfectione cognitionis oriri neceſsitatem in voluntate: quia licèt illa contemplatio non attingat perfectionem viſionis beatæ, tamen eo ipſo, quod tam perfecta eſt, vt intellectum neceſsitet, & abſtrahat à ſenſibus, rapit etiam ſecum voluntatem. Sed hoc non rectè dicitur: *Commune axioma Theologorũ extra viſionẽ beatam non neceſsitari voluntatem ad exercitiũ ex parte obiecti.* quia commune axioma Theologorum eſt, extra viſionem beatam non neceſsitari voluntatem quoad exercitium ex vi obiecti abſtractiue cogniti, quantumuis perfecte: quia nunquam oſtendit bonitatem obiecti, prout in ſe eſt, nec proponit actualem dilectionem, vt bonum ſimpliciter neceſſarium, in quo nulla ratio ceſſandi à tali actũ repræſentari poſsit. Quod vero ille actus in intellectu ſit neceſſarius (eſto ita ſit) non infert neceſsitatem in actu voluntatis, quia ſunt potentiæ natura ſua habentes diuerſum operandi modum, & ideo neceſsitas in actu intellectus non tollit per ſe loquẽdo libertatem in actu voluntatis. Nec impetus intellectus (vt ſic dicam) ſecum rapit ex neceſsitate voluntatem, quia illa ſemper eſt domina ſui actus, quando alias obiectum cum ſufficiente attentione, & animaduerſione proponitur. Vt Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis primam cognitionem ſine libertate recepit, & nihilominus ex illa in eodẽ inſtanti libere per voluntatem motus eſt.

9. *Abſtractio ſenſuum non impedit libertatem.* Denique abſtractio à ſenſibus parum refert ad tollendam libertatem, quia illa non perturbat mẽtem, nec cognitionem, ſed ex perfectione illius procedit per quandam quietem, & placidum otiũ ſenſuum, quod animam etiam pacatiſsimam reddit ad amandum libere Deum. Quin potius (vt ſupra cum D. Thom. dicebamus) ſæpe illa vehemens ſuſpenſio mẽtis ex amore reſultat, ille autem amor, vt antecedit tam vehementem applicationem intellectus, liber eſt, quia in illo priori nondum intelligitur ecſtaſis conſummata, ergo etiam poſt totam applicationem intellectus manet amor liber, quia applicatio intellectus non intulit nouam vim voluntati, qua tolleret libertatem eius, nec oſtendit in obiecto nouam rationem neceſsitatem, nec ſenſuũ otium quicquam ad hoc confert, quia libertas non pendet ex ſenſibus, ſed ex cognitione intellectus, & intrinſeca facultate ipſius potentiæ appetentis, manet ergo ille actus amoris ſemper liber quoad exercitium.

Addo etiam poſſe voluntatem in eo ſtatu, & articulo retinere libertatem quoad ſpecificationem. 10. *Statuitur poſſe in contẽplatione manere libertatem quoad ſpecificationem in voluntate.* Hanc enim, & Salomon, & Petrus in ſuis exceſsibus oſtenderunt: quoties enim eſt libera electio inter multa & poteſtas amplectendi vnum, & refutandi aliud, & è conuerſo, interuenit libertas quoad ſpecificationem: ita vero ſe habuerunt Salomon, & Petrus: nam Salomon placuit Deo, eo quod ſapientiam potius, quam vindictam de inimicis, vel diuitias poſtulauit, vt Scriptura loquitur, habuit ergo poteſtatem petendi diuitias, & illas præferendi, vel poſtponendi ſapientiæ, hæc autem eſt libertas quoad ſpecificationem. Similiter Petrus inuitatus ad comedendum, ſe continuit, & rationem agnouit, & propoſuit, qua mouebatur ad id non faciendum, ex qua conſideratione oriri ſolet libertas quoad ſpecificationem. Eandem agnoſcit in Prophetis Hieronymus, quando à Deo reuelationem accipiunt, *D. Hiero.* vt contra Montanum diſputat in Procœmio Abacuc ex illo 1. Corin. 14. *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt.* *1. Cor. 14.* De quo etiam videri poteſt D. Tho. 2. 2. qu. 173. art. 3. ad 4. *D. Thom.*

11. Ratio denique eſt, quia licet in ecſtaſi fortaſſe intellectus rapiatur ex neceſsitate ad aliquid conſiderandum, maximè quãdo recipit Diuinam aliquam impreſsionem, & reuelationem, ſicut contigit Petro in illo exceſſu mentis, & Salomoni, qui ex neceſsitate motus eſt, vt audiret Deum ſibi loquentem: nihilominus non ita abſorbetur mens in vna conſideratione obiecti, quia poſsit libere conſiderare aliquam rationem incommodi, vel incommodi in eo, quod proponitur, & ideo poteſt in illo raptu inueniri indifferentia iudicij ſufficiens ad libertatẽ quoad ſpecificationem. Siue hæc libertas tantum ſit intra latitudinem obiectorum & actuum honeſtorum, ſiue etiam inter bonum, & malum, vtroque enim modo accidere poteſt, iuxta Diuinæ gratiæ abundantiam, vel iuſtam permiſsionem: vnde accidere poteſt, vt in hac ipſa contemplatione aliquis vel in ſuperbiam efferatur, vel alio modo decipiatur.

12. *Satisfit argumentis.* At argumenta in principio poſita in primis generatim dicitur, contemplationem etiam intentiſsimam ordinarie non eſſe tam neceſſariam, etiam quoad actum intellectus, quin ſit in poteſtate voluntatis ceſſare, & ſuſpendere illam, iuxta id Canticor. 8. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* *Cant. 8.* Ita exponente Bernard. ſermon. 52. in Cantica. *Bernar.* Deinde nego in illo actu, licet in ſe neceſſario, deeſſe indifferentiam in iudicio quæ ad libertatem actus voluntatis ſufficiat, *Iudicium in contemplatione adhuc retinere aliquam differentiam.* quia licet illa contemplatio aliquo modo neceſſaria ſit quoad aliquam attentionem intellectus, nihilominus & habet indifferentiam ex parte obiecti, quatenus non iudicat illud eſſe neceſſario diligendum, & præterea ſecum admittit libertatem conſiderandi in illo plures rationes, vt declaratum eſt. Vnde Bernardus in dicto ſermone 52. in Cantica expreſſe dicit, in illa contemplatione, & & ecſtaſi fieri poſſe liberos diſcurſus. Ad aliam verò difficultatem ex ligamento ſenſuum reſpondetur, illam doctrinam procedere, quando ſenſus ligan-

Digitized by Google

ligantur per corporalem ſomnum, & vapores corporeos, & intelligendam eſſe ſecundum naturæ ordinem: nam per gratiam extraordinariam aliud fieri poteſt, vt explicaui. Et ratio illius impedimenti non eſt ſola carentia ſenſationum externarum, ſed eſt ineptitudo phantaſiæ ad ordinatum vſum ſpecierum. Et ideo non procedit illa doctrina de abſtractione à ſenſibus, quæ non eſt per obſtruſionem (vt ſic dicam) ſed per animæ ſuſpenſionem, & eleuationem: hæc enim non impedit perfectum vſum rationis, & libertatis, vt declaratum eſt. Vnde recte Bernardus ſupra: *Non eſt (inquit) is ſponſæ ſomnus dormitio corporis, vel placida, quæ ſenſus carnis ſuauiter ſopit ad tempus* &cæt. & infra: *magis autem iſtius modi vitalis, vigilque ſopor ſenſum interiorem illuminat*: & infra: *Re vera enim dormitio eſt, quæ tamen ſenſum non ſopiat, ſed abducat.* **Bernard.**

* * *

Finis libri ſecundi.

INDEX CAPITVM, QVAE IN HOC TERTIO LIBRO DE ORATIONE VOCALI CONTINENTVR.

Cap. 1. Sit ne Oratio vocalis actus honeſtus, ac Religioſus.
Cap. 2. Quotuplex ſit oratio vocalis.
Cap. 3. Sit ne de ratione orationis vocalis intentio orandi.
Cap. 4. An attentio ſit de ratione orationis vocalis.
Cap. 5. Sit ne attentio neceſſaria ad effectus orationis vocalis.
Cap. 6. Vtrum oratio priuata ſit neceſſaria ex præcepto.
Cap. 7. De circumſtantijs ad orationem neceſſarijs.
Cap. 8. De oratione Dominica.
Cap. 9. De ſalutatione Angelica.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS DE ORATIONE VOCALI IN COMMVNI, ET PRÆSERTIM DE PRIVATA.

Præſentis libri inſtitutum.

VOcalis oratio vltra mentalem addit ſenſibilem ſignificationem eius deſiderij, aut petitionis, quæ in mente verſatur, voce facta: & ratione huius ſignificationis ad externos actus virtutis pertinet: poteſtque habere proprias conditiones, proprietates, effectus, aut obligationes, quas in hoc, & ſequenti libro explicare neceſſe eſt. Suppoſitis autem his, quæ diximus de oratione in communi nihil nobis dicendum ſupereſt de vocali oratione quoad phyſicam entitatem eius, nam hoc ſatis per ſe conſtat ex his, quæ Philoſophi de voce, & ſignis ſenſibilibus tractant. Quomodo autem vocalis oratio à mentali procedat in cap. 3. & 4. declarabimus. Igitur in hoc libro præcipue agendum eſt de his, quæ ad moralem doctrinam vocalis orationis pertinent, nimirum de honeſtate, de vtilitate & effectibus eius, & quot modis fieri poſsit, ac debeat.

CAPVT I.

Vtrum vocalis oratio ſit honeſtus, ac Religioſus actus?

1. *Hæreticorũ error dãnantium vſum orationis vocalis. VValden. Prateolus.*

NOnnulli ex Hæreticis abſolutè damnarunt vſum vocaliter orandi, quem errorem videtur interdum attribuere VViclepho VValdenſis tom. 3. tit. 1. capit. 1. & ſequenti. Tamen ille videtur potius damnaſſe cantus Eccleſiaſticos, & modum orandi alta voce, quam ſimpliciter per vocem, & ideo contra illum agemus libro ſequenti. Prateolus autem in Elencho Hęreſum refert ex Lindano, & alijs, Hæreticos huius temporis dictos Trinitarios inter alia dixiſſe, eo quod Deus ſpiritus ſit, in ſolo ſpiritu eſſe à nobis orandum, id eſt, mentaliter, & non vocaliter inuocandum eſſe. Itaque ſolum videntur fundari in verbis illis Chriſti Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus & qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* Ratione etiam poſſumus hunc errorem confirmare: quia vox ſenſibilis ſolum inſtituta eſt ad loquẽdum cum his, qui audire illam poſſunt, & per illam percipere interiores actus hominis loquẽtis, & non aliter: At Deus nec ſenſibiliter audit, nec indiget tali ſigno ad videndas hominis cogitationes. ergo ſuperſtitioſum, & vanum eſt ad Deum dirigere vocales orationes. Vnde ſicut Elias deridebat Prophetas Baal 3. Reg. 18. dicens: *Clamate voce maiori, Deus enim veſter forſitan cum alio loquitur aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur.* Ita Hæretici reprehendunt eos: qui voce orant ad Deum, quia per hoc ſignificant, Deum aliter audire non poſſe.

Probatur. D. Ioan. 4. Ratio.

3. Reg. 18.

2. *Error ſolum Dominicã admittens orationem.*

Hunc errorem limitarunt alij Hęretici ex factione VValdenſium, dicti Inſabbatati: Dixerunt enim (vt Prateolus refert) nullam orationem præter Dominicam, admittendam eſſe. Itaque fatebantur, orationem illam voce poſſe proferri: videbãt enim Chriſtum Dominum de modo exterius, & vocaliter orandi fuiſſe locutum, quando illam docuit: negabant autẽ, alias orationes eſſe licitas, vel quia crediderunt, hominem non poſſe ſua voluntate introducere modum loquendi cum Deo, quem ipſe nõ probauit: vel quia exiſtimarunt Chriſtum Dominum præſcribendo illum orandi modum, omnem alium tacite prohibuiſſe: vel quia putabant, ſeruandum eſſe purum Euangelium in ſenſu erroneo, quẽ noui Hæretici ſequuntur, nimirum, vt in his quę ad ritum colendi Deum pertinent, non liceat nobis aliud, vel aliter facere, quàm ſcriptum in Euangelio ſit.

Fundamẽta

3. *1. Aſſertio. Ex natura rei, & ex omni iure Diuino licita eſt, ſi bene fiat.*

Dicendum verò eſt primo, ex natura rei, & ex omni iure tam Diuino, quàm humano licitum, & ſanctum eſſe, vocales orationes ad Deum fundere, ſi debita fide, ac intentione fiant. Aſſertio eſt de fide, quam ſatis probat communis vſus, & traditio Eccleſię, quam latius oſtendemus libro ſequenti. Nam ſi licitum eſt, orare voce alta, & cantu, ſimpliciter eſt licita oratio vocalis, ſiue alte, ſiue ſummiſſe fiat. Vnde interdum legimus in Scriptura orationem alta voce factam, interdum ſummiſſa. Priori modo aiebat Dauid, *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum*, Pſalm. 141. vel *Voce mea ad Deum, & intendit mihi*, Pſalm. 76. & Pſalm. 140. *Intende voci meæ, cum clamauero ad te.* Et Pſalm. 5. *Intende voci orationis meæ.* At in 1. libr. Regum capit. 1. legimus, Annam, *dum funderet preces coram Deo, locutam fuiſſe in corde ſuo*, & additur: *Tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Vnde conſtat, non ſolum animo, ſed etiam corpore oraſſe, quamuis voce adeo ſummiſſa, vt non audiretur. Vt ita conſtet, omnes modos orandi corporali lingua, & ore in Scriptura eſſe approbatos. Nam quod illa oratio Annæ Deo placuerit, tractat optime Chryſoſtom. Hom. 79. ad Popul. & ex effectu eius ſatis conſtat. Denique ex Euangelio conſtat Chriſtum Dominum exemplo ſuo orationem vocalem approbaſſe Ioann. 11. & Matth. 6. illam docuiſſe.

Probatur ex Script. Pſalm. 141. Pſal. 76. Pſalm. 140. 1. Reg. c. 1.

D. Chryſoſt.

Ioan. 11. Matth 6.

4. *Quas ob cauſas voce oremus.*

Ad explicandam autem huius veritatis rationem, addidi in aſſertione illa verba. *Si debita fide, ac intentione fiat.* Non enim oramus voce ſenſibili, vt fingunt hæretici ad excitãdum Deum, vel quia putemus Deum indigere noſtris ſignis ſenſibilibus ad noſtras cogitationes, vel deſideria cognoſcenda, quis enim niſi infidelis, vel ignorantiſsimus poteſt tam humiliter ſentire de Deo? Primò igitur oramus voce, vt nos ipſos ad deuotionem excitemus, 1. vt ait Auguſt. Epiſto. 121. cap. 9. Secundo ex eodem 2. Auguſt. ibidem. *vt per certa interualla horarum, nos ipſos admoneamus. & quantum in hoc deſiderio profecerimus, nobis ipſis innoteſcamus.* Et infra: *Admonentes nos ipſos in id, quod deſiderabamus intendere, ne quod tepeſcere cęperat, omnino frigeſcat.* Atque ita exponens illud Pauli ad Coloſſenſ. 4. *Petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*, ait, non ſic accipiendum eſſe, *tanquam Deo innoteſcant, qui eas, & antequam eſſent, vtique nouerat, ſed nobis innoteſcant apud Deum, per tolerantiam, non per iactantiam.* Tertio quia corpore, & 3. ſpiritu conſtamus, oramus non ſolum ſpiritu, ſed etiam corpore, vt vtroque Deum colamus, iuxta illud Oſeæ 14. *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum*: Vbi Hieronymus: *Reddituros ſe eſſe dicunt labiorum vitulos, & Dei*

D. Augu.

D. Paul. ad Coloſſ. 4.

Oſeæ 14.

D. Hiero.

& Dei laudes perpeti voce canturos Conſonatque illud

Pſalm.50.

Pſalm. 50. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Et illud Eccleſiaſt. 39 *Confitemini illi in voce labiorum veſtrorum*, & ad Hebr. 13. *Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.*

Eccleſ.39. D.Paul.ad Heb.13.

5\. *2. Aſſertio. Non ſolum verbis Dominicæ orationis, ſed alijs etiam licet orare vocaliter. Probatur ex Script. Matth.26. D.Paul. 1.ad Cor.14.*

Secundo dicendum eſt, non ſolum verbis Dominicæ orationis, ſed etiam alijs ad pium animi affectum, deſiderium, vel ſenſum explicandum aptis, licitum eſſe, ac conueniens, vocaliter orare Deum. Aſſertio eſt de fide, quæ ſatis conſtat communi cõſenſu, & traditione totius Eccleſiæ, & vſu omnium fidelium piorum. Et de Chriſto ipſo legimus Matt. 26. *Quod hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Vbi conſtat, Chriſtum orationem aliquam, (quæcumq; tandem illa fuerit) in laudem Dei dixiſſe, vt Patres adnotarunt. Immò Paulus primæ ad Corinth. 14. ad omnes fideles, qui in Eccleſia conueniunt, ſic inquit, *Cum cõuenitis, vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet &c. omnia ad ædificationem fiant.* Itaque dummodo ad ædificationem ſit modus orandi, vnicuique licitum eſt, pro ſua deuotione orare, neque eſt omnibus vnica Dominicæ orationis orãdi forma præſcripta. Et inferius ſubdit idem Apoſtolus loquens de illo, qui neſcit, ita loqui, vt ab alijs intelligatur: *Si non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur, & Deo.* Non præcipit, vt ſolam Dominicam orationem proferat, ſed liberum vnicuique relinquit loqui Deo iuxta deuotionem ſuam, quando ſibi tantum, & Deo loquitur, dummodo digne Deo loquatur, hoc enim ſemper, & ex natura rei neceſſarium eſt.

Probatur ratione.

Ratio denique eſt, quia Chriſtus Dominus docens Apoſtolos orare, *Pater noſter*, &c. dedit quidem perfectum orandi modum, & quaſi eximium quoddam exemplar vocalis orationis, breuemque, & accommodatam omnibus orandi formam, non tamen cæteras orationes vocales prohibuit, nullo enim verbo, aut facto hanc prohibitionem ſignificauit, nec Sancti Patres illam intellexerunt. Vnde cum de oratione Dominica loquuntur, ad ſummum aſſerunt Dominicam orationem præcellere inter omnes orationes vocales, & illas excellere auctoritate, breuitate, perfectione, & efficacitate, vt conſtat ex Cypriano, & Tertulliano illius orationis expoſitoribus, & alijs Patribus, quos referunt Bellarm lib. de Bonis oper. in particulari. capit. 4. & Durant. de Ritib. Eccleſiæ, libr. 2. capit. 46.

Cyprian. Tertull. Bellarm. Durant.

Auguſt.

Significat quidem Auguſtin. non licere orare quippiam, quod in oratione Dominica non contineatur. Ait enim Epiſtol. 121. capit. 12. *Qualibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis, vel præcedendo format, vt clareat, vel conſequendo attendit, vt creſcat, nihil aliud dicimus, quam iſta oratione Dominica poſitum eſt, ſi recte, & congruenter oramus, quiſquis autem id dicit, quod ad iſtam Euangelicam precationem pertinere non poſſit, etiam ſi non illicite orat, carnaliter orat, quod neſcio, quomodo non dicatur illicite quandoquidem ſpiritu renatos non niſi ſpiritualiter docet orare.* At verò quod non liceat alia forma verborum vti ad orandum, dici nullo modo poteſt. Atque ita concludit idem Auguſtin. ſupra. *Vnde liberum eſt alijs, atque alijs verbis eadem tamen in orando dicere, ſed non debet eſſe liberum alia dicere.* Quod pertinet ad materiam orationis, de qua infra dicemus, ſimulq; illas petitiones Dominicæ orationis exponemus.

6\. *Obiectio.*

Dices: Eſto, non ſit ſimpliciter malum & prohibitum vti alia oratione vocali, ſaltem eſſe melius, & congruentius illa non vti, quia melius eſt verba Chriſti proferre, quam propria, & quia ſemper eligendum eſt, quod eſt perfectius.

Solutio.

Reſpondetur, negando conſequentiam. Debent quidem Chriſtiani illam orationem dicere, & intelligere, & fortaſſe ex præcepto tenentur, vt infra videbimus: conſilium etiam eſt, vt quotidie eam recitent. Imò Clemens Papa libr. 7. Conſtit. cap. 25. Chriſtianis omnibus

S. Cle. Papa.

conſulit, vt ter in die Dominicam orationem proferant. Semper tamen illam orationem proferre, & nulla alia vti conſilium non eſt, immò ſuperſtitioſum eſſet ſi tanquam neceſſarium obſeruaretur. Vnde eleganter Tertull. de Orat. cap. 9. *Præmiſſa legitima, & ordinaria oratione* (id eſt, Dominica) *quaſi fundamento, accidentium vu eſſ deſideriorum ius eſt ſuperſtruendi extrinſecus petitiones.*

Tertull.

Solutio magis illuſtratur.

Ratio in primis eſſe poteſt, quia (quæ eſt humana conditio) eadem ſemper verba proferre, tædium afferret, & attentionem, ac deuotionem non excitaret, varietas autẽ delectat, & recreat animum. *Ex hoc ergo* (vt ait Iſidorus libr. 1. de Diuin. Off. cap. 9.) *orta eſt conſuetudo Eccleſiæ vti precibus inſtar earum, quas docuit Chriſtus.*

S. Iſidor.

Deinde, quamuis oratio illa generalia capita petendi contineat, nihilominus ſæpe expedit hoc, vel illud in ſpecie petere, & pro hac, vel illa perſona orare, & interdum immediate ad Deum, interdum verò per Virginem, & per alios Sanctos, ex quibus capitibus varietas orationum orta eſt: eam ergo vitare ſuperſtitioſum eſſet. Alias etiam orandi formas ab Eccleſia receptas non probare, aut tanquam malas, & ineptas reſpuere, hæreticum eſſet. Exiſtimare autem nunquam expedire eis vti, eo quod ſemper melius ſit, orationem Dominicam recitare plus eſſet, quam temerarium, cum ſit contra ſenſum, & vſum totius Eccleſiæ. Nec ſemper, & in omnibus circumſtantijs eſt melius, vel vtilius omne id, quod de ſe eſt perfectius. Nam orare ex ſe eſt perfectius, quam legere, & non tamen quolibet tempore, & loco eſt melius. Si ergo licet Chriſti oratio, & verba ſecundum ſe perfectiora ſint, non propterea in omni loco, & tempore vtendum eſt illis, neque id ſemper eſt melius, quamuis cæteris paribus, & ſeruata opportunitate, illa oratio cæteris præferenda ſit.

7\. *3. Aſſert. nõ eſt neceſſe certa forma vti Br oratio vocalis ſit honeſta. Probatur ex Scriptura.*

Addo vltimo non eſſe neceſſarium certa, & præſcripta forma vti, vt oratio vocalis ſancta, & honeſta ſit. Hoc etiam eſt certum, & colligi poteſt ex Scriptura, nam in teſtamento veteri referuntur variæ formæ, & modi orandi ſanctarum perſonarum, vt Danielis, Ezechielis, Manaſſes, Suſannæ, & aliorum qui non orabant ſecundum aliquam præſcriptam formam, ſed prout vnicuique Spiritus ſanctus dictabat. Dauid etiam in Pſalmis innumeros orandi modos habet, & non ſolum res diuerſas, ſed etiam eandem pluribus verborum formulis poſtulare ſolebat. Vt maximè videre licet in Pſalm. 118. vbi Diuinæ legis obſeruationem fere ſingulis verſibus poſtulat vtens ſemper diuerſa forma verborum: *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas*, & iterum, *Iuſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas vſquequaque*, & rurſus, *Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas*, &c.

Pſalm. 118.

De Chriſto etiam Domino ex Euangelio conſtat, non ſeruaſſe in orãdo certam verborum formam, aliter enim orauit Ioan. 11. Lazarum reſuſcitaturus, aliter verò in horto ad Patrem tranſiturus, immo ibi ter orans non eadem verba ſemper dixiſſe refertur. De Apoſtolis etiam legimus Actor. primo, oraſſe pro electione Matthiæ non ex præſcripta forma, ſed prout tempori, loco, & materiæ expediebat.

Ioan. 11. Mar. 14. Actor. 1.

Ratio autem eſt, quia ex natura rei licitum vnicuique eſt voce orare iuxta ſuæ mentis affectum, ſenſum, vel capacitatem, & nullo iure poſitiuo Diuino, vel humano eſt hoc prohibitum, neque eſt præceptum vti ſemper aliqua orandi forma ex his, quæ vel in Scripturis continentur, vel ab Eccleſia inſtitutæ ſunt: ergo non eſt neceſſarium ad honeſtatem orationis vocalis, vt certa forma verborum fiat. Quomodo autem, & de qua oratione intelligenda ſit hæc aſſertio, ex ſequenti capit. conſtabit.

8\. *Hæreticorũ.*

Fundamenta Hæreticorum facilem habent reſponſionẽ. Nam Chriſtus nõ dixit, Deum eſſe orandum

dum

Digitized by Google

ſun lamentũ diruitur. dum in ſpiritu, & veritate, quia mente & non corpore orandus ſit, ſed quia ad verum Deum dirigenda eſt oratio, quod eſt ipſũ colere in veritate, & quia ex puro corde, & deſiderio placendi illi orandum eſt, quod eſt illum in ſpiritu adorare, vt ibi Patres exponunt. Mitto, Chriſtum ibi fuiſſe loquutum de adoratione viſibili, & legitima per verum ſacrificium, vt expoſui 3 par. diſpu. 74. ſect. 1. Tamen hinc etiam retorquetur argumẽtum, nam ſi ſacrificium dicitur fieri in ſpiritu, & veritate, etiam ſi actu corporali fiat, dummodo ex vera fide, & Religione fiat, eadem ratione vocalis oratio erit in ſpiritu, & veritate, ſi ex vera fide, & gratia, & cũ debita deuotione, & attentione fiat. Vnde Paul. aiebat. 1. Cor. 14. *Pſallã ſpiritu pſallam & mente*, Quamuis pſallere voce fiat.

9. *Ratio eorũdem diſſoluitur.*
Ad rationem autem Hæreticorum reſponſum iam eſt, nos non edere vocem orando, quia putemus, Deum latere mentes noſtras, neque quia Deus ſenſibiliter audiat, ſed vel vt nos audiamus, & ita excitemur, vel vt alij audiant, & ædificentur, vel etiam vt illi nobiſcum, & nos cum illis oremus, vel vt nomine omnium oremus, vt ſequen. c. dicetur: vel deniq; vt ore, & lingua Deum colamus.

10. *Alij hæretici conuincuntur.*
Alij Hæretici nõ indigent reſponſione, quia nullum afferunt fundamentum, vel ſupponunt alium errorem ab Eccleſia damnatum, nimirum in colẽdo Deum non licere alijs ritibus, aut verbis vti, niſi quæ in Scriptura Sacra continentur. Satis enim eſt, vt non ſint prohibita, ſi alioqui ex natura rei honeſta ſunt.

CAPVT II.

Quotuplex ſit oratio vocalis, & quas partes habeat?

1. *1. Modus diuidendi orationem vocalem in publicam, & priuatam.*
PRimum omnium diuidi ſolet oratio in publicam, & priuatam: poteſt autem oratio publica dici vulgari ſignificatione, prout publicum diſtinguitur contra occultum, & ſecretum. & ſic dicetur publica oratio quaſi accidentaliter omnis illa, quæ in loco publico fit, ita vt ab alijs videatur, vel videri poſſit. Quomodo publicè orauit Daniel, quando feneſtris apertis in cænaculo ſuo contra Ieruſalem tribus tẽporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo ſuo, Daniel. 6. vbi ſubiungitur. *Viri ergo illi curioſius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem, & obſecrantem Deum ſuum.* *Dan. 6.* Sic etiam populus Chriſtianus ter in die publicè orat, audito ſigno ad Virginem ſalutandam. Hic verò non denominamus orationem publicam in hac ſignificatione, quia eſt valde extrinſeca denominatio, & accidentalis, nullaq; proprietas orationis ex illa naſcitur præter generalem conditionem actus honeſti, nimirum vt ſeruentur illæ circumſtantiæ, quas in actione ſacra, & publica prudentia requirit, quas infra ſuis locis attingemus.

2. *2. Modus diuidendi eãdem orationẽm in publicam, & priuatam. D. Thom. Gloſſa in Clem. 1. D. Paul. ad Hebr. 5.*
Alio ergo modo dicitur oratio publica quaſi per ſe, illa, quæ fit nomine publico, & non tantum priuato, id eſt, quæ fit à ſacerdote nomine Eccleſiæ, ſeu quæ fit ab Eccleſia per miniſtros ſuos, vt tales ſunt. Ita D. Thom. dicta q. 83. art. 12. Gloſſ. magna in Clem. 1. de Reliq. & ven. Sanct. & hoc genus orationis ſignificauit Paul. ad Heb. 5. cum dixit: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* Quod enim de oblationibus, & ſacrificijs dicit, in orationibus etiam locum habet, nam omnium eſt eadem ratio. Vnde in li. de Eccl. dogm. c. 3. dicitur. *Obſecrationum ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus quæ ab Apoſtolis tradita in omni mundo, atq; in omni Catholica Eccleſia vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi* &c. Priuata ergo oratio ab hac publica diſtinguitur, priuata enim eſt omnis illa quam vnuſquiſque ſua auctoritate (vt ſic dicam) & vt priuata perſona offert. Vnde prior oratio publica eſt, etiamſi intra cubiculum clauſo oſtio ſolitarie, & ſummiſſa voce fiat. Hæc vero poſterior priuata eſt, etiamſi in templo, vel in plateis fiat, iuxta illud Pauli primæ ad Corinth. ſecundo. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus ſimiliter, & mulieres* &c. *D. Paul. ad Corin. 1.* nec ſatis diſtinguuntur hæc duo membra ex verborum forma quæ in orando ſeruatur. Nam licet quis recitet horas Canonicas ab Eccleſia inſtitutas, ſi id faciat tantum vt priuata perſona, erit oratio priuata, & non publica. Diſtinctio ergo ex miniſterio, & intentione perſonæ ſumenda eſt: nam vt oratio ſit publica, neceſſe eſt, vt fiat à perſona, quę ſit Eccleſiæ miniſter deputatus ad orandum nomine ſuo, & quod ipſe hac intentione oret, vt expleat munus ſuum, & conſequenter neceſſe eſt, vt oret modo præſcripto ab Eccleſia ad orandum Deum nomine ipſius: omnis autem alia oratio, quæ has conditiones non habet, priuata eſt.

3. *Alia orationis vocalis diuiſio iuxta D. Bonauentur. Auguſt.*
Secundo diuidi poteſt oratio ex Bonauent. de Proceſſu Relig. lib. 7. cap. 3. in eam, quæ fit iuxta aliquam certam formam verborum antea pręſcriptã, vel quæ fit verbis prolatis pro arbitrio, & affectu orantis, vt enim Aug. dixit Epiſto. 121 verba orationis interdum ſequuntur ex præcedenti affectu orationis, *qui ea format, vt clareat.* Interdum præcedunt, vt orans attendat, & affectus creſcat. Quando ergo oratio vocalis ſequitur ex affectu ad clarificandũ ſeu exprimendum illum, tunc non ſolet fieri iuxta pręſcriptam aliquam verborum formam, niſi fortaſſe contingat memoria retineri, & eſſe affectui orantis accommodatam, quod accidẽtarium eſt, per ſe verò, ac regulariter, tunc verba formantur iuxta affectum, & capacitatem orantis. Et de hoc modo orãdi rectè intelligitur illud Pſalmi 15. *Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea.* *Pſalm. 15.* Nam interna deuotio, interdum tanta eſt, vt non poſſit interius contineri, quin in exteriora verba prorumpat, ſicut ſpirituale gaudium ſenſibilem affectum excitat, iuxta illud: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: Pſalm. 83. *Pſalm. 83.* Quando vero vocalis oratio præcedit affectum, & deuotionem internam, tunc neceſſe eſt, vt ſecundum aliquam formam verborum oranti propoſitam fiat, quia non fit, nec formatur iuxta affectum orantis, cum ille non ſupponatur, ergo neceſſe eſt, vt præcedat, & per memoriam, vel ſcripturam præponatur ipſi oranti, alioqui temere, & caſu fieret oratio.

4. *Ad omnem orationem præcedere generalem affectum orandi, licet particularis ſubſequatur.*
Dices: quomodo fieri poteſt, vt affectus orantis non præcedat verba orationis: nam vocum prolatio, ſi non procedat ex affectu orandi, non meretur nomen orationis, quia re vera oratio non eſt, vt infra oſtẽdemus, ergo nec diſtinctio Auguſtini habet locum, nec verum eſt verba orationis interdũ præcedere affectum orantis. Reſpondeo aliud eſſe loqui de affectu orandi confuſe, & generatim, aliud de affectu particulari, quem aliquis orando exprimit ex deſiderio obtinendi illam rem particularẽ, quã voce proponit. Prior affectus generalis neceſſario pręcedit ante verborum prolationem in quacumque huiuſmodi oratione vocali, vt ratio facta conuincit, & Auguſtin. non negat, ſed aperte potius ſupponit, vt iam explicabo. Poſterior autem affectus per ſe loquendo, non ſupponitur ad recitationem vocalem, ſed potius ex illa naſcitur, & iuxta illam generatur. Vt V.G. qui recitat *Pater noſter* &c. non prius cogitat de ſanctificatione nominis Dei, vel illam deſiderat, vt experimento cõſtat, poſtquã autem profert illa verba: *Sanctificetur nomen tuum*, &c. ſi conuenienter recitat, & attendit, ac intelligit prodit in illud deſiderium. Et ideo notanter dixit Augu. quod affectus orantis *conſequenter attendit, vt creſcat.* *D. Aug.* Quia non de nouo generatur, cũ ſupponatur aliquis

aliquis affectus ſaltem confuſus, creſcit tamen, quia iuxta verborum exigentiam, attendendo ad illa paulatim creſcit, vel extenſiuè, vel etiam intenſiue, quia res magis propoſitæ, & attentius, ac diſtinctius conſideratæ magis mouent.

Notāda differentia inter duos modos orandi. Differentia igitur inter illos duos modos orandi eſt, quod prior quando vox omnino procedit iuxta affectum, & arbitrium orantis, ſupponit omnino particularem affectum, quem vox ipſa declarat, quia ab illo formatur, & quaſi determinatur. In poſteriori autem modo, in quo certa verborum forma recitatur, per ſe nō ſupponitur ille affectus, quem verba exprimũt, vt declaratum eſt.

Alia differentia. Vnde eſt alia differentia, quia quando vocalis oratio prorumpit priori modo ex affectu, non eſt neceſſe, vt præcedat ſpecialis intentio vocaliter orandi, ſed interior affectus quaſi naturali impetu mouet linguam, quia affectus animi ex quadam connaturali concomitantia redundant in corpus, ideoque ad ſic orandum communiter ſufficit prima intentio cogitandi de Deo, & orandi mente: nam ex illa tandem peruenitur ad illum affectum mouendi linguam ad exprimendum deſiderium, vel admirationem, aut alium mentis conceptum. At verò quando oratio vocalis iam formata recitanda eſt, præcedit ſemper intentio vocaliter orandi, ſiue actu ſit ſiue proxime anteceſſerit, ita vt ſaltem virtute maneat.

5. *Hæc partitio, licet conueniat cum priori, non tamen coincidit.* Eſt denique in hac partitione conſiderandũ, aliquo modo conuenire cum priori, non tamen cum illa coincidere. Nam oratio vocalis, quæ fit ex affectu orantis abſque præſcripta forma verborũ, ſemper eſt priuata & non publica: omnis enim publica oratio (in ſenſu ſupra explicato) fieri debet iuxta præſcriptam aliquam verborum formam. Quod conſtat ex vſu Eccleſiæ, ideo enim in ſacrificio, & in alijs officijs Diuinis certæ orationes, verſus, aut pſalmi ſunt inſtituti, aut deſignati, quia tũc miniſtri Eccleſiæ publicas orationes fundunt. Ratio autem eſt, quia tunc miniſter non loquitur nomine ſuo, ſed Eccleſiæ, & ideo ab illa debuit accipere & verba orationis & orandi formam.

Obiectio. Dices: Fieri poteſt, vt vnus petat nomine alterius tanquam famulus ab eo miſſus: & nihilominus verba petitionis formet modo ſuo: nam hoc etiam poteſt habere ab alio commiſſum, vt inter homines contingit. Reſpondeo, Eſto hoc fiat inter homines, ab Eccleſia non permitti, vt oratio, quæ ſuo nomine ad Deum fundēda eſt, aliter fiat, quam modo ab ipſa præſcripto, quia pertinet ad maiorem Dei reuerentiam, & ad maiorem Eccleſiæ ſecuritatem, & fidelium deuotionem, ne aliquid indecorum talibus orationibus miſceatur.

6. *Quare oratio publica ſemper debeat eſſe vocalis. Caiet.* Vnde obiter colligi poteſt quædam ratio, ob quā oratio publica ſemper debet eſſe vocalis, vt notauit Caiet. 22 q 83. ar. 12. & conſentiunt omnes (propter quod illa diuiſio data non eſt de oratione mentali) nam Eccleſia, quæ de interioribus non iudicat, non poteſt præſcribere certos conceptus, vel affectus internos, quibus interior oratio fiat, præſcribit autem certam verborum formam, qua in voce orandum eſt nomine ſuo. Deinde colligitur breuiter alia differentia inter duo membra huius ſecundę diuiſionis: nam oratio illa, quæ fit abſq; pręſcripta formā verborum, moraliter loquendo, non cadit ſub præceptum, quia Eccleſia nō præcipit orare niſi deſignando quid, & quomodo ſit orandum, vt ex vſu conſtat, & patebit ex infra dicendis, nec ex natura rei inuenitur tale præceptum: quoad vocalem orationem, vt infra oſtendam: recitare autem aliquid iuxta inſtitutam formam ſub præceptum Eccleſiaſticum cadit, vt infra videbimus.

7. *Non omnis oratio quæ fit ex præſcripta forma, eſt publica.* At verò è contrario non omnis oratio, quæ fit ex definita forma verborum publica eſt, ſicut nec talis oratio ſemper cadit ſub pręceptum. Prior pars conſtat, tum quia ipſamet verborum formula ad orandum confecta poteſt nō eſſe publice ab Eccleſia approbata, ſed priuata induſtria compoſita, tum etiam quia (vt ſupra dicebamus) etiamſi priuata perſona ex propria deuotione Canonicum officium recitet, illa non eſt oratio publica, ſed priuata. Item oratio Dominica de ſe maximam auctoritatem habet, & ideo in ſuis publicis orationibus ab Eccleſia vſitata eſt, vel in Miſſæ ſacrificio, vt in 3. tom. tertiæ partis dictum eſt, vel in alijs Diuinis officijs, quorum pars eſſe ſolet, vt infra videbimus, & nihilominus priuatim etiam recitatur. Adde, aliqua eſſe Diuina officia ad priuatas orationes fidelium auctoritate publica Eccleſiæ compoſita, vel approbata expreſſe, vel tacite, quorum recitatio publica oratio non eſt, etiāſi fiat iuxta præſcriptam verborum formam. Ex quibus altera pars probata manet: cōſtat enim prædictas orationes plerumq; fieri ex voluntaria deuotione, non ex præcepto. An verò è conuerſo oratio publica ſemper ſupponat præceptum, infra videbimus, vbi etiam explicabimus, an ſufficiat orationem fieri ex obligatione, & iuxta ritum publicè probatum, vt publica oratio dicenda ſit.

Tertia diuiſio, ſeu potius partium orationis enumeratio eſt illa, quam D. Thom. tract. 22. q. 83. ar. 17. deſumpta ex verbis Pauli 1. ad Timot. 2. *Obſecro fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* De qua enumeratione ſuperiori li. nonnulla diximus, eam ad orationem mētalem applicando. 8 *Enumeratio partium orationis ex D. Paul. 1. ad Tim. 2.* Non eſt tamen dubium, quin Paulus de vocali præcipuè loquatur, & licet probabile ſit, eum loqui de orationibus publicis, præſertim de illis, quę inter offerendum Miſſę ſacrificium fiunt, vt in 3 tom. tertię partis diſp. 83 ſect. 1. tractaui, nihilominus etiam in priuatis orationibus locũ habet, vt dicemus. Supponimus autem, illas quatuor voces quatuor dicta membra ſignificare, quod ipſa vocum multiplicatio perſuadet. Neque enim veriſimile eſt, Paulum ſolum multiplicaſſe ſynonyma, eo vel maximè, quod gratiarum actio clare diſtinguitur à reliquis, ergo etiam in cæteris aliquam diſtinctionem obſeruandam eſſe veriſimilius eſt. Et ita fere omnes Patres diuerſitatem aliquam inter illa tria membra declarare conati ſunt, vno, vel alio excepto, vt Chryſ. Hom. 6. in 1. ad Timot. vt notaui in 3 to. loco allegato. *D. Chryſoſt.* Vbi etiam Patres allegaui, qui partes illas vt diſtinctas in ſolenni ritu orandi Eccleſiæ declarant. Ex quibus argumentum ſumitur ad orationes priuatas: quod ſcilicet poſſit ex illis quatuor partibus integrari, imò tunc fore cōpletas, & perfectas, quādo illas omnes habuerint. Quia licitum eſt fidelibus, dum priuatè orant, ritũ, & formam Eccleſiæ imitari in his, quæ priuatim, & ſine Eccleſiaſtica ſolennitate fieri poſſunt. Immò ſi quis recte conſideret, illa quatuor membra, licet ab Eccleſia fuerint accōmodata ad hoc vel illud officiũ ſuũ non tamen ſunt ab illa inuenta, ſed ex ſe, ſeu ex ipſa rei natura, ſunt diſtincta. Vnde & in pſalmis, & antiquis orationibus Sanctorum, quæ in Scriptura referuntur, omnes illæ partes frequenter inueniũtur, in quocumq; legitimo ſenſu intelligantur. Et ratio eſt, quia internas cogitationes, & effectus poſſumus etiam voce exprimere cum Deo loquentes ergo ſicut in mente, ita & in voce partes illæ diſcerni poſſunt.

9. *1 Modus explicādi prædictam enumeratione. D. Thom.* Atque hinc fit, vt hæc enumeratio eiſdem modis in vocali oratione explicanda ſit, quibus in mentali eam declarauimus. Duos autem explicandi modos ſupra poſuimus: vnus eſt D. Thom. in quo facile eſt intelligere quid ſint, & quomodo in oratione vocali diſtinguātur poſtulationes, & obſecrationes, & gratiarum actiones. Poſtulamus enim, cum verba orationis proferimus, dicendo, *Cōcede, praeſta, da,* vel aliquid ſimile. Obſecramus, cum rationem aliquam Deo proponimus, quæ illum ad dādum moueat, vt cum dicimus: *Per Chriſtum Dominum noſtrũ,*

Digitized by Google

per temetipſum fac hoc Deus &c. Verba etiam, quibus gratias agimus, ſatis per ſe nota ſunt ſolum de oratione, quæ dicitur eſſe *elevatio mētis in Deum*, &c. dubitari poteſt, quomodo in voce locum habeat. Dicendum vero eſt, hunc actum exprimi per voces illas, quibus Deum inuocamus, vnde D. Tho. ait, illa verba, quę Eccleſia ſolet præmittere in orationibus ſuis. *Omnipotens ſempiterne Deus*, partem illam continere, quæ ſpeciali modo, dicitur oratio, idemq; dicendum eſt de illis verbis in pſalmis vſitatis: *Deus, Deus meus*, cum ſimilibus. Atque ita hæc interpretatio & facilis, & probabilis eſt.

10. *2. Modus.*

Alio tamen modo partitionem illam explicare poſſumus iuxta illos actus, quos in oratione mētali recenſuimus, qui ſunt interna humiliatio. & cōfeſſio, recognitio Diuinæ maieſtatis, petitio, & gratiarū actio, hos enim actus omnes voce exprimimus: cuius optimum exemplar in Miſſarum precibus inuenitur, quod priuatim orando imitari poſſumus. Incipimus enim culpas noſtras recognoſcendo, & corā Deo confitendo. Deinde magnificamus Dei maieſtatem, eiuſq; gloriam canimus: poſtea petitiones fundimus, ac tandem gratiarum actione orationē concludimus, vt Auguſtinus dixit. Has ergo partes in quacumque priuata oratione vocali exprimere poſſumus, quamuis id ſemper neceſſarium non ſit, vt ſupra de mentali dixi. Interdum etiam licet omnes exerceantur, nihilominus tota oratio ad finem vnius partis ordinari poteſt, ſicut etiam Eccleſia interdum totum Miſſæ officium ordinat ad gratiarum actionem, interdum ad peccatorum expiationem, aliquando ad alicuius beneficij Diuini impetrationem, nonnunquam ſolum ad magnificandum Deum in ſe, vel in aliquo Sancto ſuo: ac deniq; ſæpe vel omnes fines hos, vel plures illorum intendit: omnes igitur hos orandi modos in priuatis orationibus imitari poſſumus.

11. *Obiectio.*

Solum poteſt obijci, quia non videtur illa partitio adæquata, & ſufficiens quia in oratione multi alij actus inueniuntur, vnus eſt Diuina laus, quàm à gratiarum actione diſtinxit Ambr. lib. 6. de Sacram. c. 5. Alius eſt votum ſeu promiſsio hanc ponit Caſſianus Collat. 9. c. 11. Vbi in verbis Pauli citatis per orationes vota intelligit: nā ipſummet vouere vult eſſe quoddam orare. Tertius eſt accuſatio eorum, qui nos perſequuntur, præſertim Dæmonum, qui nos ad peccata ſolicitant, hunc enim ponit Theod. 1. ad Timoth. 2. Quartus eſt allegatio cauſarum, vel titulorum conducentium ad obtinendum aliquid à Deo, & quæ illum mouere poſſunt ad concedendum, quod petitur. Hunc enim ponit D. Thom. dicto art. 17. Et eſt vſitatiſsimus in Scriptura, & in Eccleſia, maxime cum ſuas orationes ita concludit, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Quintus eſſe poteſt enarratio, & commemoratio operū Dei, prout in multis Pſalmis Dauid cernere licet, quos Eccleſia in pluribus orationibus affert, quāuis nullam poſtulationem, ſed quaſi hiſtoricam narrationē continere videantur. Sextus addi poteſt ſimplex præſentia, ſeu memoria Dei, à qua neceſſario videtur inchoanda oratio, eamq; D. Tho. nomine orationis videtur intelligere. Et ideo immutat aliquo modo ordinem Pauli, & orationē primo loco collocat, quia eſt aſcenſus mentis in Deum. Quod non videtur intelligendum in ſola generali vocis ſignificatione: alias illa vna vox reliquos omnes actus comprehenderet. intelligere ergo videtur illū primum actum, qui à quatuor à nobis enumeratis videtur diſtinctus, & ante primum à nobis poſitū pręſupponi, quia de oratione orationis eſt, vt apud Deū fiat & hoc videtur docuiſſe Chriſtus, quando nos docuit orationē inchoare dicēdo: *Pater noſter, qui es in cœlis*, &c. Nam hoc verbo aſcenſionem mentis ad Deum expreſsit.

Ambroſ. *Caſſianus.* *Theodo.* *D. Thom.* *D. Thom.*

12. Reſponderi pōt vno verbo, Paulū nō aſſumpſiſſe prouinciā faciendi integrā diuiſionē, aut enumerādi oēs actus orationis, ſed ſolū voluiſſe exhortari ad orandum fideles, non tantum pro ſe, ſed etiam pro omnibus hominibus, & ſolū hac occaſione propoſuiſſe illos actus, quos vel oportet facere ad huiuſmodi orationē efficacius faciendā, vel qui ab Eccleſia frequentius fieri ſolēt. Ad hūc ergo finē ſatis fuit, illos quatuor cōmemorare, vt ex dictis ſatis cōſtat: nam ea, quæ vel generalia ſunt, vel in his virtualiter cōtinentur, nō fuit neceſſariū, ſpecialiter recenſere. Vnde addere poſſumus, alios actus, qui enumerati ſunt, vel in dictis cōtineri: vel ad illos facile reuocari, laus enim Dei duobus modis fieri pōt; vt Ambr. loco citato ſignificat, ſcilicet, vel ad magnificandū Deum propter magnā perfectionem ſuā, vel ad gratificandū beneficiū ab eo receptum. Hoc poſteriori modo eſt quædam gratiarū actio: priori aūt modo pertinet ad ſecundū actum à nobis propoſitū, vt facile conſtat ex dictis. Ambr. aūt ponit illum primo loco, & immutat ordinē Pauli, quia nomine orationis illū intelligit. Verūtamē negari nō pōt quin orationis optimum principiū ſit propria ſubmiſsio coram Deo cum recognitione propriæ indigentiæ, & miſeriæ & ſtatim conuenienter ſequi illam magnificationem Dei per laudē eius, eamq; optime ſignificari nomine orationis. Sub qua nos ſupplicationē cōprehendimus, per quā, vt Amb. ait incipimus rogare Deū, vt nos dignetur audire, quāuis ipſe illam diſtinguat, & per obſecrationem ſignificari putet.

Solutio. *Ambr.* *Laus Dei duplex ſit.* *Summiſſio optimum orationis principium.*

De ſecundo aūt actu, ſcilicet de voto, ſeu promiſſione, reſpondemus propriè, & ſtricte nō pertinere ad orationē, ſed eſſe actū diuerſæ rationis, vt poſtea videbimus: poteſt tamē cum oratione coniungi, vt cum Deo promittimus aliquid, vt ab eo aliquid impetremus & tunc reducitur ad poſtulationē, in quo ſenſu etiam Amb. li. de Cain. & Abel, votū dixit eſſe poſtulationē, ſeu eſſe cum illa. Et ſumpſit ex Philone li. de Sacrif. Abel. & Cain: votū vero proprie dictum alium actū ſignificat, & poteſt quidem fieri ex animo grato ob acceptum beneficiū, & ſic pertinet ad gratiarū actionem: item, fieri poteſt in ſatisfactionem pro peccato, & ſic reducitur ad obſecrationē, per ſe vero fit in reuerentiam Dei propter maieſtatem eius, vt infrà ſuò loco dicetur De tertio vero actu, ſcilicet de accuſatione, non video, quid neceſſe ſit hūc actū numerare. Nam vt recte notauit Bellar. li. 1. de Bonis ope. c. 2. nec verbum Gręcum cogit ad ſignificationem, neq; etiā accuſatio pertinet ad officium orationis, niſi quatenus ad repræſentandā indigentiā noſtram cū petitione auxilij Diuini contra inimicos. & ſic coſtat nō eſſe actū diſtinctū ab enumeratis à nobis. De quarto actu, qui vltra ſimplicē petitionē addit repræſentationē cauſarū, & titulorum dantium vim orationi, reſpondemus totum hoc concludi ſub poſtulatione. Verum eſt, D. Tho. hoc munus attribuiſſe obſecrationi, quam in hoc diſtinguit à poſtulatione, eſtq; expoſitio ſatis cōſentanea proprietati latini verbi *obſecro* Iuxta quam expoſitionem ante obſecrationem præcedit non ſolū oratio, ſed etiam poſtulatio. Nos vero propter vim vocis Græcæ, & ad retinēdū ordinē Pauli, obſecrationem aliter expoſuimus. Ideoq; neceſſe eſt, vt ſub poſtulatione includamus omnem particularē petitionem, ſiue ſimpliciter fiat, ſiue cum quacumque inſtātia & propoſitione rationum, quæ Deum mouere poſſunt, nam re vera totum hoc nomine poſtulationis ſignificare ſolemus. Immò ordinarie ita hic actus coniungitur petitioni, vt vix poſsit ab ea diſtingui, vt videre licet in orationibus Eccleſiæ, & in modo orandi Sanctorū Patrum, qui in Scriptura referuntur, vt de Moyſe Exod. 32. & 33. Daniel. 9. & ſæpe alias.

13. *Votum non pertinet ad orationē, cū ea tamē poteſt coniungi.* *Bellarm.* *Accuſatio nō pertinet ad orationē.* *D. Thom.* *Repræſentatio cauſarū clauditur ſub poſtulatione.* *Dan. 9.*

14. *Narratio operum Dei duplex eſſe ſolet.*

Quintus actus, qui eſt narratio operū Dei, duplex eſſe ſolet, vnus eſt narratio beneficiorū, & mirabiliū eius. Alius eſt narratio ſuppliciorū propter peccata.

Prior

Prior pertinet ad gratiarum actionem: nam eſt quędam recognitio beneficiorum, cui ſemper coniungitur Diuina laus propter eadem beneficia. Supplicia vero in memoriam reuocantur ad excitandum in audientibus Diuinum timorem, & conſequenter animi dolorem de propriis peccatis, quæ ſtatim repræſentantur: atque ita hæc pars orationis ad primum actum à nobis poſitum reducitur. Eſt enim aduertēdum, quod illi quatuor actus non diſtinguuntur in oratione propter præciſam, & ſpecificam rationem orationis, ſed propter generalem, vt ex dictis conſtat, ideoq; etiam meditatio Diuinorum beneficiorum, & ſuppliciorum ad illum vocari poteſt, accommodādo illam ad ſingulos actus, iuxta materiam vnicuique proportionatam. Ex hac autem meditatione naſcitur interdū vocalis narratio eorundem operum Dei. Quod ſi ad illam antecedat, ſitq; velut diſpoſitio, & pręparatio ad illam, habet potius rationem lectionis ſacræ, quā orationis, & hanc lectionem ſolet Eccleſia ſuis publicis orationibus coniūgere, vel ad excitandos animos fidelium ad orandum deuotius, vel confitendam fidem, vel renouandam fidei memoriam, aut ad aliquam fidelium inſtructionem.

Narratio operū Dei vocalis ſi antecedat orationē, habet rationē lectionis ſacræ.

5. *Præſentia Dei non eſt actus diſtinctus à quatuor dictis.*

De ſexto actu, qui eſt memoria, vel pręſentia Dei, ſeu illius expreſſio, reſpondetur non poſſe intelligi, aut voce exprimi aſcenſum mentis in Deum, niſi ſecundum determinatum aliquē modum, & ideo nō eſſe actū diſtinctum à quatuor dictis, ſed in omnibus & ſingulis contineri. Nam licet per primum actū dicatur homo conſiderare, & recognoſcere propriam indigentiam, & miſeriam, non tamen in ea ſiſtit, ſed repræſentat illam Deo, vt ſui miſereatur, vel coram eo ſe humiliet, ſiue hoc mente concipiat ſiue verbis etiam proferat. Nec multum curandum eſt, an phyſice, vel metaphyſice ibi interueniant varij actus mentis, nunc enim moraliter loquimur, & ita eſt reputandus vnus actus. Si autem memoria de Deo, & præſentia eius, directe terminatur ad ipſum ſolum, neceſſario eſſe debet cum aliqua conſideratione maieſtatis, aut excellentiæ eius, & ita ſpectat ad ſecundum actum à nobis poſitum, qui interdum, ac ſæpe ante alios poteſt exerceri, & fortaſſe eſt illud magis connaturale homini, tamē vtilius eſſe ſolet à ſui cognitione, & humiliatione incipere, vt dictū eſt.

Capvt. III.

Vtrum de ratione oratione vocalis ſit intentio orandi?

1. *In quo conſiſtat oratio vocalis quoad exteriorem actum.* *Nauarr.*

Ex dictis in ſuperioribus capitibus ſufficienter explicata manet oratio vocalis quoad exteriorem actū, in quo veluti conſummatur: nam illa cōſiſtit in prolatione verborum, quibus petitio ſignificatur, ſiue ſignificatio ſit expreſſa per verbum petendi, aut rogandi, ſiue ſit implicita, ſeu operta, vt Nauarrus loquitur, per verba indicantia neceſſitatem, & deſiderium remedij obtinendi ab eo, cui proponuntur, vt fuerunt illa ſororū Lazari Ioan. 11. *Ecce quem amas, infirmatur*: vt notauit D. Thom. 2. 2. qu. 83. artic. 17. & indicauit Auguſt. tract. 49. in Ioannem: & ex illo exemplo obiter conſtat, poſſe orationem ſcripto fieri, illam vero ſub oratione vocali, comprehendi, quia fit ſigno ſenſibili ad placitum ſignificante: quod ſignum, etiamſi ſit ſcriptum, ſolet verbum appellari, & ita quod ad orationem ſpectat, eandem rationem formalem habet, ſolumq; materialiter differt. Communiter tamen Oratio vocalis ad Deum proprie voce, & ore fit, & hæc eſt, quæ ſolet cadere ſub præceptum, & communem vſum, & ideo de illa tantum in hac materia loquimur: atque idem eſt cum proportione, ſi Oratio vocalis non ſumatur ſtricte pro ſola petitione, ſed pro laude Dei, & gratiarum actione, nam ſemper ex parte exterioris actus conſiſtit in prolatione verborum, vel ſignorum, quibus hæc ſignificantur, neque aliud ad ſubſtantiam eius poſtulatur ex ea parte.

In Enchir. de orat. c. 1. prælud. 6. *Ioan 12.* *D. Thom.* *D. Auguſt.*

Oratio poteſt Scripto fieri.

2. *Quid requirat oratio ex parte actus interioris.*

Hic ergo inquirimus, quid neceſſarium ſit ad talem Orationem ex parte actus interioris? Poteſt autem quæri de actu voluntatis, & de actu intellectus, prior vocatur intentio, ſeu propoſitum orandi: alter appellatur attentio, quæ nihil aliud eſt, quam mentis conſideratio, & aduertentia ad orationem, quæ exterius profertur, vel ad obiectum eius, ſeu materiam circa quam verſatur: & hæc duo breuiter à nobis explicanda ſunt: primum in hoc capite, alterum vero in ſequenti.

3. *Intentio eſt neceſſaria ad orationē.*

Circa primum dicendum eſt, ad orationem vocalem neceſſariam eſſe mentis intentionem, id eſt, propoſitum orandi, ſeu petendi à Deo aliquid. Itaque non ſatis eſt verba petitionis exterius proferre, niſi ex libero propoſito procedant: nam dormiens, amens, aut infans, ſimilia verba proferentes, non orant, vt bene argumentatur Gabr. lect. 62. in Cant. & per ſe notum eſt. Et ratio eſt, quia oratio dicit actum moralem, & humanum aptum ad merendum, & ad excitādum moraliter eum, ad quem dirigitur, ſine voluntate autem non eſt moralis actus. Deinde non ſatis eſt, velle proferre, aut legere talia verba, niſi hoc fiat cum affectu petendi, aut orandi, vt bene ſignificauit Palud. in 4. d. 15. q. 5. n. 24. & n. 26. & Maior diſt. 12. qu. 7. concluſ. 1. & Nauarr. in Enchir. cap. 13. nu. 14 & ſequentibus. Et ratio eſt eadem, ſeruata proportione, quia oratio debet eſſe moralis actus, & humanus, ergo vt oratio, debet eſſe intenta: item quia oratio eſt locutio cum Deo, nō loquitur autem cum Deo, qui profert verba ſermonis de Deo niſi ad ipſum dirigat ſermonem per intentionem ſuam, ſicut etiam inter homines non loquitur vnus cum alio, nec vnus Angelus cum alio, niſi per voluntatem ordinando ad alterum cogitationem ſuam, vel eius ſignum. Tandem, oratio ex ſuo genere eſt actus Religionis, Religio autem eſt virtus voluntatis, ergo vt prolatio exterior ſit vera, debet procedere ex intentione ex ſuo genere pertinente ad Religionem, quæ ſaltem eſſe debet intentio orandi, ſeu petendi aliquid à Deo. Poteſtque declarari à ſimili de actione Sacramenti, ad quam vt valida ſit in ratione actionis Sacramentalis, neceſſaria eſt intentio non tantum exercendi exteriorem actionem, ſed etiam conficiendi Sacramentum: ita ergo in præſenti dicimus non ſufficere voluntatem proferendi verba, quaſi materialiter legendo, aut referendo, ſed formaliter orando, quia ſicut Sacramentum eſt quid morale, quod humano modo fieri debet, ita & oratio. Et ideo ſiquis ſtudij, vel recreationis cauſa legat Pſalmos vel Sanctorum homilias, aut totum Diuinum officium, non implet munus orandi, nec ſatisfacit præcepto.

Gabr. *Probatur ratione.* *Palud.* *Maior.* *Nauarr.*

Qui recreationis gratia vel ſtudij legit officium non implet præceptum.

4. *Intentio orandi ex ſuo genere debet eſſe honeſta.*

Atque hinc colligitur ad veram orationem neceſſariam eſſe intentionem ex ſuo genere bonam, & honeſtam: hoc conſtat, quia ſupra diximus, non eſſe veram orationem, niſi ex ſuo genere honeſta ſit, ſed ad orationem neceſſaria eſt intentio ipſiuſmet orationis, vt oratio eſt, ergo neceſſaria eſt intentio ex ſuo genere bona, id eſt, ex vi ſui obiecti. Declaratur etiam in particulari, quia ſi oratio ſumatur ſtricte pro petitione, debet eſſe de re decenti, & conſentanea Diuinæ bonitati, vt ſupra oſtēſum eſt, talis autem petitio ex obiecto honeſta eſt: nam deſiderium obtinendi à Deo aliquid decens, & honeſtum, ex ſuo genere bonum eſt. Dices: Interdum poteſt eſſe oratio ex deſiderio diuitiarū, aut honoris, quod non eſt bonum ex obiecto, ſed indifferēs. Reſpōdeo, vt tale bonum temporale per verā orationem petatur à Deo, neceſſariū eſſe, vt habeat ſaltē virtute ſubintellectam conditionē *ſi expedit*, vel aliquid ſimile, atq; hoc modo petitionē illā ex obiecto honeſtā eſſe. Et ſimili modo, ſi oratio vocalis exten-

Obiectio.

Bona temporalia quo modo, honeſte peti poſſint.

Digitized by Google

datur ad laudem, & gratiarum actionem, & alios actus, qui ei coniungi ſolent, vt ſunt lectio ſacra, enarratio beneficiorum Dei, aut mirabilium operum eius, vel propoſitio rationum, & titulorum, in quibus oratio nititur, vel confeſſio propriorum peccatorum, & infirmitatum, conſtat omnes hos actus eſſe ex obiecto bonos, ac ſubinde intentionem orandi vocaliter, ſiue vniuerſaliter, & per modum vnius omnes illos actus comprehēdit in ordine ad cultum Dei, ſiue ad vnum principaliter dirigatur & ad cæteros ratione illius, ſemper intentionem eſſe ex obiecto bonam, quia oportet, vt hæc intentio ſit accommodata obiecto, id eſt, vt ſit voluntas proferendi voces, quibus vere, & digne laudetur Deus, vel condigne illi gratiæ agantur: Vnde ſiquis vellet laudare Deum, ei attribuendo, quæ ipſum non decent, aut gratias agendo pro auxilio dato ad turpe facinus patrandum non eſt ille actus orandi, neque illa eſt intentio ad orationem ſufficiēs: & idem cum proportione eſt de cæteris actibus.

Agens gratias Deo pro auxilio ad turpe facinus nō orat.

5. Sed quæres, an neceſſarium ſit hanc intentionem eſſe bonam ſimpliciter: nam ex dictis in libro 2. videri poteſt hoc eſſe neceſſarium, quia ſi intentio non eſt bona, oratio non erit bona, ſi autem oratio non eſt bona, neque oratio eſt, quia non eſt Dei cultus, & ideo loco citato reiecimus diſtinctionem orationis in bonam, & malam. Nihilominus dicendum eſt, intentionem bonam ſimpliciter non eſſe de ſubſtantia orationis vocalis. Itaque ſiquis habeat intentionem orandi, & ex illa proferat verba de ſe ſufficientia ad orandum, & conſentanea laudi, vel reuerentiæ Diuinæ, licet hoc faciat ex intentione laudis humanæ, vel alicuius commodi temporalis in illud principaliter intuendo, vere orat, quamuis non bene oret. Hæc eſt communis ſententia: & ratio eſt, quia non omnes circumſtantiæ orationis ſunt de ſubſtantia eius. Confirmatur à ſimili ex aliis actibus humanis imperatis à voluntate, vt eſt eleemoſyna, ieiunium, &cæt. nam etiam oratio, præſertim vocalis eſt actus imperatus, & exterior reſpectu voluntatis, qui poteſt retinere ſubſtantialem bonitatem, quæ eſt ex obiecto ſine accidentali, quæ eſt ex circumſtantiis, vt conſtat ex 1. 2. Denique confirmatur, quia talis oratio eſt ſufficiens ad implendum præceptum Eccleſiaſticum recitandi horas, vt omnes fatentur, & infra videbimus, ergo ſignum eſt talem orationem eſſe veram orationem, quia ad implendum præceptum neceſſe eſt facere actum præceptum ſaltem quoad ſubſtantiam eius. Neque hoc repugnat dictis in ſuperioribus, quia non diximus, nullam orationem male factam eſſe orationem, ſed ſolum illam, quæ eſt mala ex parte rei poſtulatæ, quia illa etiam ſubſtantialiter mala eſt, vnde in ipſomet actu exteriori non continet petitionē, quę mereatur nomē orationis apud Deum, cum ex obiecto ſuo ſit potius iniuria Dei.

Intentio bona ſimpliciter non eſt de ſubſtantia orationis vocalis.

Probatur ratione.

An oratio mala ex parte rei petita ſit vera oratio?

6. Vltimo dicendum eſt in hoc puncto, intētionem ad orationem requiſitam non ſemper eſſe expreſſam, vel formalem, ſed implicitam, & virtualem ſufficere. Hoc attigit Nauar. d. c. 13. n. 15. cum Mat. in 4. d. 12. qu. 7. Ratio generalis eſt, quia ſimilis intentio ſufficit ad actum moralem, vt late tractaui in 3. to. d. 13. ſect. 3. vbi etiam explicui, quando, & quomodo ſit intentio virtualis, & quomodo ab habituali, & actuali diſtinguatur. Nauar. autē ſupra explicat virtualem intentionem per illam conditionalem, quia ſi interrogaretur quare accipit Breuiarium, reſponderet, ſe id facere ad recitandum. Veruntamen hoc modo magis explicatur habitualis, quam virtualis intentio. Et præterea huiuſmodi conditionalis propoſitio niſi fundetur in aliquo actu abſoluto, incerta eſt hominibus, nec ſufficit ad proprietatem moralem actus. Igitur implicita intentio illa eſt, quæ non terminatur expreſſe: & formaliter ad actum moralem ſub expreſſa ratione orationis, vel cultus Diuini, ſed ſub aliqua ratione magis generali, quæ ex habitu, vel cōſuetudine determinatur ad actum moralem. Talis eſt intentio in exemplo adducto à Nauar. Idem eſt, ſiquis habeat voluntatem ſatisfaciendi ſuæ obligationi, vel implendi munus ſuum. Virtualis autem intentio eſt, quæ fundatur in actu præterito, quando quis operatur ex virtute relicta aliquo modo, vt in citato loco ſatis explicaui.

Adorationem ſufficit intentio virtualis, & implicita.
Nauarr.
Mat.

Quæ ſit virtualis intentio, & implicita.

Capvt IV.

Vtrum de ratione, & honeſtate orationis vocalis ſit attentio?

Quatuor in hac quæſtione tractari poſſunt: primum, an aliqua attentio ſit de ſubſtantia vocalis orationis, & quænam illa ſit: ſecundum, an neceſſaria ſit attentio, vt oratio bene fiat, & ſine vllo peccato: Tertium, an ſit neceſſaria ad effectus orationis: quartum, an ſit neceſſaria ad implendum præceptum orandi vocaliter? In hoc ergo capite duo prima exponemus, tertium vero in ſequenti, vbi etiam conſtabit, quid dicendum ſit de quarto perſiſtendo ſolum in præcepto naturali. De Eccleſiaſtico autem præcepto in lib. 4. dicturi ſumus. 1.

Quatuor puncta tractanda.

Supponenda vero eſt diſtinctio triplicis attentionis, quam attigit Diuus Thomas 2. 2 quæſtion. 83. articulo 3. & Bonauent. Opuſc. de Proceſſu Religion. libro 7. cap. 3. vbi etiam eis nomina imponit, vnam enim attētionem vocat ſuperficialem, aliam litteralem, aliam ſpiritualem: prima eſt attentio ad materialia verba, vt recte, & integre dicantur, ſecunda eſt ad ſenſum litteralem verborum, vel petitionis, vel pſalmi aut lectionis, quæ recitatur, & in his deſcriptionibus conueniunt omnes: in tertia vero attentione explicanda eſt nōnulla varietas. Nam D. Bonauent. tertiam attentionem eſſe dicit ad ſenſum ſpiritualem verborum, vt ſiquis recitans pſalmum: *Cœli enarrant gloriam Dei, & cæt.* de prædicatione Apoſtolorum cogitet. D. Thom. vero tertiam attentionem eſſe dicit ad Deum & ad rem, pro qua oratur, intelligit autem, etiamſi per verba, quæ profert, id non ſignificetur in vllo ſenſu. Et ita intelligit Nauarrus dicto capit. 13. numer. quarto, adiuncto numero 30. Atque ita poteſt hoc tertium membrum in tria diſtingui: nam reuera D. Thom. duas attentiones ſub illo membro comprehendit, & omnes illæ attentiones diſtinctæ ſunt, & honeſtæ, vnaque ab alio ſeparari poteſt. Vna ergo poteſt vocari myſtica, altera ſpiritualis ad Deum, ſeu contemplatiua: tertia indigentiæ propriæ, ſeu poſtulationis, vel vna dici poteſt ſpiritualis in ſenſu explicato à Bonauent. & altera Diuina, ſeu eleuata, tertia magis humana, & proprij commodi. 2.

Tres modi attentionis.
D. Thom.
Bonau.
1. Attentio.
2. Attentio.
3. Attentio.
D. Thom.
Nauarr.

Primo ergo certum eſt, aliquam attētionem formalem, vel virtualem eſſe neceſſariam ad orationē vocalem, non ſolum vt ſit bona ſed etiam vt oratio ſit, & ſic dici poteſt attentio eſſe de ſubſtantia orationis. Hæc eſt ſententia communis, in 4. diſtinct. 15. Diui Thomæ, & Caietani dicta quæſtion. 83. artic. 13. de qua late Nauar. in dicto Enchir. capit. 13. & ſequent. b. Peltanus libr. 3. de Tribus bonorum operum generibus, cap. 6 & Summiſtæ verb. *Oratio*, & verb. *Hora Canonica*. Corduba in quæſt. Theolog. lib. 4. quæſt. 13. circa fidem, vbi alios refert & Medina C. d. de Orat. capit. 14. Et in primis neceſſariam eſſe attentionem, vt oratio honeſte fiat, communis eſt ſententia Doctorum, non ſolum de oratione, quæ eſt in præcepto ſed etiam de oratione, quæ omnino voluntaria eſt. Quia licet aliquis non teneatur orare tamen ſi orare vult tenetur debito modo orare. Medina tamen ſupra tribuit Gabrieli, quod oppoſitum ſentiat de oratione vocali voluntaria: ille vero lect. 62. in Can. lit. D. recte de vtraque oratione loquitur: & licet infra lit. i. negat eſſe peccatū 3.

Attentio eſt de ſubſtantia orationis.
D. Thom.
Caiet.
Nauarr.
Peltan.
Summiſtæ.
Corduba.
Medina.
Medina.
Gabr.

mente

Digitized by Google

An attentio requiratur in oratione voluntaria. mente euagari in oratione voluntaria, tamen iuxta antecedentia poſſet exponi de mortali, veritas enim eſt eſſe aliquod peccatum. Ratio vero eſt, quia vt recte dixit Bonauent. libr. de Perfection. vit. capit. 5. *Valde indecens eſt, vt quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde*, & adiungit: *talis oratio nunquam exauditur à Deo*, de quo vltimo verbo infra videbimus. Videtur enim loqui Bonauentur. de oratione vocali, quæ non omnino fit ſine attentione ad verba, ſed cum illa coniungit orans cogitationem, ſeu meditationem de aliis rebus à Deo, & à fine orationis alienis, vnde adducit illud Pſalm. 118. *Clamaui in toto corde meo*, & Gloſſam ibi dicentem, *Diuiſum cor non impetrat, quod petit. diuidit autem cor, qui dimidium habet in cœlo, & dimidium in terra.* Et hoc confirmat Cyprian. libr. de Orat. dicens: *Segnitia eſt, alienari, & capi ineptis, & profanis cogitationibus, dum Dominum deprecaris, & cæt.* & infra ſubdit: *hoc eſt cum oras Dominum, maieſtatem eius offendere*, & alios infra referemus. Si ergo illud indecens eſt, & non fit ſine culpa, multo maior culpa eſt aperire os ad cœlum & totum cor habere in terra, dignum profecto illa reprehenſione Diuina Iſaiæ 29. *Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longe eſt à me.* Quamuis enim illa verba in alio ſenſu dicta ſint, tamen vt Hieronymus notat: *ſimul inde diſcere poſſumus quomodo aliquis appropinquet Deo*, & infra, *Appropinquamus Deo corpore, non mente. ſicut & de Moyſe legimus, Appropinquauit Moyſes ſolus ad Deum, cæteri autem non appropinquabant: orabat enim Deum in ſpiritu, & accedebat ad Deum ſenſu, & ſpiritu*: Alludens ad verba Chriſti Ioann. quarto. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.*

[Margin: *Bonau.* — *Pſal. 118.* — *Gloſ.* — *Cyprian.* — *Iſai. 29.* — *Hieron.* — *Ioan. 4.*]

4. *Confirmatur amplius.* Ex quo loco poteſt dicta veritas confirmari: nam vocalis oratio quædam adoratio eſt late ſumpta, id eſt, quidam cultus Dei externus, ergo debet fieri in ſpiritu, & veritate, ergo requirit attentionem mentis, alias fiet ſolo corpore, & non in ſpiritu, quamuis enim adoratio in ſpiritu non excludat actionem corporis, iuxta ſanam doctrinam, requirit tamen principaliter ſpiritus influxum: vt ſit vera adoratio: ſic ergo oratio requirit etiam attentionem, & ideo ait Paulus primæ ad Corinth. 14. *Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu pſallam & mente*: & loquitur aperte de oratione, & pſalmo vocali, vt ex contextu conſtat, & omnes exponunt. Ac propterea recte monet Auguſtin. Enarr. ad Pſalm. 39. *Dicant labia, quod habet cor.* Confirmatur tandem, quia etiam inter homines non parua irreuerentia eſt loqui cum Principe, vel ſuperiore, ad ipſum non attendendo, neque ad verba, quæ ipſi dicuntur, maxime quando ex modo, & ſignis alter poteſt cognoſcere incogitantiam loquentis. Deus autem intuetur cor, & videt indebitum modum loquendi ad ipſum, ergo talis oratio non fit ſine culpa.

[Margin: *1. Cor. 14.* — *Auguſt.*]

5. *Non eſt oratio vocalis locutio, ſine attentione.* Atque ex his concludi etiam poteſt, vocalem locutionem ad Deum ſine vlla mentis attentione non eſſe orationem: nam oratio in genere ſumpta eſt aſcenſus mentis ad Deum, & hoc eſſentialiter includit, etiam vt eſt petitio facta ad Deum, vt patet ex omnibus dictis in libro primo à principio: ſed qui profert verba ſine vlla attentione, nullo modo aſcendit ad Deum corde, ergo reuera non orat. Item, qui habet genua flexa, & nullo modo ad Deum attendit, nullo modo adorat Deum, quia licet habeat externam corporis poſitionem aptam ad ſignificandum cultum, tamen actu non ſignificat, quia in mente nullus eſt cultus, ergo ſimiliter, qui profert verba ſine vlla attentione, nõ orat quia reuera mẽtem orantem non indicat, vel falſo indicat. Tertio ſumi poteſt argumentum à poſteriori, nam is qui orat ſine vlla attentione, non implet Eccleſiaſticum præceptum orandi, ergo ſignum eſt, illam vocalem prolationem tunc non eſſe orationem, etiam externam: nam ſi eſſet externa oratio, illa ſufficeret ad implendum præceptum humanum: ſed de hoc argumento plura in libro ſequenti.

6. *Attentio formalis non neceſſaria.* Dixit autem, *attentio formalis, vel virtualis*, quia non ſemper eſt neceſſaria formalis, & ad minimum virtualis neceſſaria eſt. Prior pars conſtat, quia formalis attentio requirit actualem aduertentiam, & cognitionem circa orationem vel Deum aliquo ex tribus modis ſupra poſitis. Fieri autem poteſt vt homo inuoluntarie ita diſtrahatur, dum vocalem orationem profert, vt nullam talem cogitationem habeat: ſine voluntate autem non peccat, vt conſtat, ergo ad vitandum peccatum non eſt neceſſaria attentio: deinde, non obſtante illa diſtractione, vocalis illa oratio vera oratio eſt, cuius ſignum eſt, quia illa ſufficit ad implendum præceptum ſine obligatione iterandi verbum, vt infra videbimus, ergo talis attentio actualis nec de ſubſtantia orationis vocalis eſt. Imo addit Diuus Thomas dicto articulo 13. ad 3. euagationem mentis, quæ fit præter propoſitum, fructum orationis non tollere, quod ſtatim videbimus, ergo multo minus poteſt ſubſtantiam, vel veritatem orationis tollere. *D. Thom.*

7. *Virtualis attentio an neceſſaria.* Altera vero pars de virtualis attentionis neceſſitate probatur è conuerſo, quia ſiquis voluntarie diſtrahitur, ſeu animaduertens ſe proferre verba ſine actuali attentione mentis, non curat, & negligit, atque ita proſequitur ſermonem ſuum, tam ille non orat, neque implet præceptum orandi, vt dictum eſt. Ergo ad orãdum valide, & ſine peccato neceſſe eſt, accedere ad orationem cum voluntate, & propoſito attendendi, & in illo propoſito, ſaltem virtualiter perſeuerare non retractando illud, neque formaliter, neque interpretatiue per voluntariam negligentiam. Quamdiu autem homo ita perſeuerat orando, dicitur eſſe attentus virtualiter, quia licet velle attendere non ſit attendere in re, vt vere dixit Caietanus in dicto articulo 13. eſt tamen attendere in propoſito, & in voto (vt ſic dicam) & quantum eſt ex parte hominis eſt moralis cauſa efficax attentionis, & ideo quamdiu illa voluntas durat, cenſetur attentio durare virtualiter, ſeu moraliter, ergo virtualis attentio neceſſaria eſt ad orationem, ſufficereque poteſt ad vitandam omnem culpam, & implendum præceptum. Contra hanc vero partem de neceſſitate huius attentionis ad veritatem orationis, plane ſentiunt illi Auctores, qui dicunt per orationem vocalem voluntarie non attentam impleri præceptum orationis, neceſſario enim ſupponere debent illam eſſe veram orationem: ſed illorum opinio falſa eſt, vt libro ſequent. explicabimus. Et ita etiam agnoſcit Nauarrus de Oration. capit. 13. numer. 19. & 20 quamuis ipſe alias concedat, illam eſſe veram orationem, vt in principio huius materiæ notaui. In hoc tamen non conſequenter loquitur, vt ex dictis facile conſtat, & in libro ſequenti latius dicemus.

[Margin: *Caiet.* — *Oratio voluntarie non attenta non implet præceptum.* — *Nauarr.*]

8. *Quæ attentio ſufficiat ad orationem.* Dico ſecundo: Vt vocalis oratio ſit vera oratio, ſufficit quæcunque attentio ex tribus ſupra poſitis, ad vitandam autem omnem culpam non ſemper quælibet ſufficit. Prior pars communis eſt, quia omnes dicunt minimam attentionem ſufficere, ergo à fortiori ſufficient meliores, ergo quælibet ſufficit. Ratio autem eſt, quia cum quæcunque illarum attentionum actus eſt humanus, & verum ſignum cultus Diuini, ac petitionis internæ Deo oblatæ, ergo per ſe, & ex vi orationis non amplius poſtulatur: Non caret nihilominus hæc pars aliqua difficultate, eam tamen expediemus melius declarando alteram partem.

9. *Quando ſit ſatis infima attentio.* Circa aliam ergo partẽ conſiderandũ eſt, duobus modis ſe poſſe hominẽ gerere in huiuſmodi attentionibus: primo vt habẽs infimã, careat cæteris omnino inuoluntarie, vel quia eſt incapax maioris intelligentiæ,

gentiæ, vel contemplationis, vel quia attendendo ad verba circa alia habet naturalem inaduertentiã. Alio modo poteſt orans aduertere ad ſola verba, & voluntariè carere meliori attentione, vel quia vult ſimul cogitare de aliis rebus ad orationem nõ pertinentibus, quod à multis fieri poteſt ſola illa ſuperficiali attentione ad orationem vocalem retenta: vel quia ſimul vult occupari in aliis actionibus externis, quæ impediunt perfectiorem attẽtionem, licet ſuperficialem non excludant. *Primus orãdi modus.* Prior orandi modus ſine dubio ſufficit ad inculpabiliter orandum, quia homo facit, quod in ſe eſt, & adhibet attentionem neceſſariam ad veritatem orationis, & carentia maioris perfectionis non eſt voluntaria, vt ſupponimus, ergo talis oratio culpabilis non eſt ratione carentiæ alicuius attentionis, de hac enim culpa tantum agimus.

10 *Secundus.* De poſteriori autem oratione nonnullum eſt dubium: nam aliqui cenſent minimam attentionem ita eſſe ſufficientem ad bene orandum vt haberi debeat ſine præciſione voluntaria melioris. *Caiet.* Ita ſignificat Caietanus dicto art. 13. dum ait, quamcunque attentionem numeratarum ſine præciſione melioris ſufficere ad implendum præceptum orationis, iudicat ergo attentionem infimam cum præciſione melioris non ſufficere. *Nauarr.* Nauarr. etiam dicto ca. 13. n. 23. ſentit, eſſe peccatum ſaltem veniale, retinere infimam attentionem, voluntaria excludendo, vel impediendo meliorem quod in n. 33. magis declarat, & reſtringit dicens neceſſarium eſſe ei, qui primùm, vel ſecundum attentionis modum elegit, vt illum non eligat, animo perſiſtendi in eo, & non tranſeundi ad tertium: *Nam ſi proponit* (inquit) *non procurare tertium, neq; meretur, neq; ſatisfacit, vt ſingulariter determinauit Caietanus.* Cum autem ait, non ſatisfacere, intelligit quoad obſeruationem præcepti, de hoc enim ibi principaliter tractat. *Nauarri falſa ſentẽtia.* Quoad hoc vero vltimum mihi videtur ſententia nimis rigida, & in rigore falſa, vt infra ſuo loco oſtendam, & ex his, quæ hic dicemus, facile intelligi poterit.

11. Contraria ergo ſententia, nimirum, quod in eo modo orandi nullum ſit peccatum per ſe loquendo, & ex vi naturalis legis, ob ſolum defectum voluntarium melioris attentionis, probatur: *Orans voluntariè cũ infima attentione an peccet?* quia homo non tenetur orare meliori modo, quo poteſt, ergo nec tenetur non impedire perfectionem attentionis, ergo adhibendo attentionem ſufficientem minimam, licet præſcindat, vel excludat alias, non peccabit. Dico *per ſe*, quia ſi voluntaria cogitatio de aliis rebus ſit otioſa, vel noxia, interueniet ibi peccatum propter propriam deformitatem talis actus, non propter carentiam attentionis. *Probatur pars negatiua.* Sic igitur probatur antecedens., primum rationibus factis: quia ſi oratio ſit voluntaria, multo magis perfectio eius voluntaria erit, ſi vero ſit in præcepto, ſub illo non cadit modus perfectior, ſed tantum ſubſtantialis. Item nullum præceptum obligat ad attendendum cum maximo conatu, vel intenſione, ergo nec obligat ad attendendum ad perfectiſſimum obiectum. *Nauarr.* Vnde etiam Nauarrus de Orat. capite 14. numero quinto fatetur, gradum orationis non eſſe neceſſarium ad honeſtatem orationis.

12. *Omiſſio indirecte voluntaria ſine culpa datur.* Hinc vero facile probari videtur prima conſequentia, quia ſi non teneor meliorem attentionem adhibere, ergo nec teneor illam nõ impedire. quia nulla eſt maior ratio obligationis, & quia ſi omiſſio poteſt eſſe directe voluntaria ſine culpa, multo magis poterit eſſe indirecte voluntaria, ponendo impedimentum, dummodo impedimentum de ſe alias turpe non ſit: & confirmatur: quia ſi homo teneretur non impedire perfectiorem attentionem, nõ poſſet quis ſine peccato orare dum ſe induit, vel aliam ſimilem actionem exercet, quia licet talis actio ſecum admittat inferiorem attentionem, tamẽ ſine dubio impedit perfectiorem, & maxime ſpiritualem, & eleuatam, ſi homo ad orandum ſine peccato debet habere mentem de ſe expeditam, & liberam ad omnes gradus attentionis, non licebit orare tales actiones exercendo: conſequens eſt falſum, & contra vſum omnium piorum, & Caietanus & Nauarrus etiam fatentur. *Caiet. Nauarr.*

13. Dico igitur, attentionem quamcunque ex omnibus ſupra poſitis ſufficere per ſe vt oratio honeſta ſit: nam carentia melioris attentionis ex hoc præciſe quod voluntaria ſit, non eſt circumſtantia poſitiue contraria honeſtati orationis, vt efficaciter probant poſteriores rationes adductæ. Oportet ergo conſiderare, qualis ſit illa volũtas, per quam illa carentia melioris attentionis voluntaria eſt, nam ſi illa ſit rationabilis, & ex aliquo honeſto titulo nihil obſtabit, quominus oratio etiam honeſta ſit, vt probat etiam exemplum adductum, & alia multa poſſunt facile addi, vt ſiquis nolit ad altiorem attentionem aſſurgere, ne caput defatiget, vel quid ſimile. At vero ſi voluntas impediens meliorem attentionem ſit alias de actu turpi, vel otioſo, videtur profecto voluntas illa non ſolum in ſe mala, ſed etiam eſſe praua circumſtantia orationis, ita vt non ſolum ſe habeant tanquam duo actus, bonus, & malus, concomitanter ſe habentes, ſed etiam quod vnus deformet alium, quia non ſit ſine irreuerentia Dei oratio cum voluntaria diſtractione turpi, vel irrationabili. *Diſtractio voluntaria in oratione.* Et ita exponi poſſunt Auctores primæ opinionis: & hoc etiam probant quæ in principio adduximus ex Bonauentur. & Gloſſa, *Bonau.* quod qui orat corde diuiſo, non bene orat, recte enim dicitur habere cor diuiſum, qui orando cogitat terrena cum offenſione Dei, cum quo alias actu loquitur. Vnde eſt mihi veriſimile ſiquis dum vocaliter orat, in delectatione, & cogitatione turpi moroſe delectetur, peccando mortaliter contra caſtitatem, etiam peccare per circumſtantiam contrariam Religioni, vel venialiter aggrauantem, quod eſt certum, vel etiam mortaliter, quod licet ſit incertum, timendum eſt, quia videtur grauis Dei irreuerentia.

14. Tandem, dubitari poteſt circa hãc aſſertionem, an per aliud extremum attentio interior ſpiritualis, & ad Deum, poſſit eſſe tanta, & tam excellens, vt omnino impediat veritatem, vel honeſtatem orationis vocalis? *An attentio interior aliquando vocalem orationem impediat?* In quo oportet ſupponere, ſi ſuſpenſio mentis tanta ſit, vt etiam vſum vocis impediat, vt contingere poteſt in mentis ſuſpenſione, vel raptu, tunc orationem vocalem omnino ceſſare: quia hæc non eſt ſine vſu vocis. Vnde ſiquis habens obligationem recitãdi vocaliter, in initio, vel medio orationis ita ſuſpenderetur mente, vt lingua etiam taceret, perfecte non impleret præceptum orandi, ſed teneretur poſtea recitare, vel ſi non ſupereſſet tempus, & illud ab orante præuideretur, deberet impedire tantam animi ſuſpenſionem, quantũ ſatis eſſet, ne ab oratione vocali tunc neceſſaria impediretur, nec poſſet aliter excuſari à culpa, niſi tãto impetu Spiritus ſancti raperetur, vt non eſſet in poteſtate illius eam animi ſuſpenſionem impedire, nam tunc ceſſatio ab oratione vocali non eſſet voluntaria. Quando autem voluntas relinquitur ita libera, vt poſſit illam actionem externam exercere debet præceptum orationis propriæ deuotioni præferre, vt per ſe conſtat.

15. Difficultas vero eſt, quando vox non ceſſat, tamen intellectus ita attendit ad Deũ. vel ad aliquem ſpiritualem ſenſum verborum, vt ad ipſam verbalem prolationem non attendat vllo modo. Videtur enim tunc non ſolum nõ bene vocaliter orare, verum etiam nec orare voce, ſed tantum mente, quia illa actio exterior iam tunc non eſt humana. Sicut qui, dum recitat, ſi corporali ſomno capiatur licet continuet verba dormiens non orat, tam alienus enim videtur eſſe ab illa actione vnus, ſicut alter, quod ad mentem attinet. Item, eſto, illa ſit oratio vocalis,

Digitized by Google

vocalis, non tamen videtur bene fieri, quia homo non poteſt regere linguam in tali oratione, nec iudicare, an integre dicat, vel ordinate, vnde ſi recte dicit, caſu, & fortuito dicit, ille autem modus operandi in actione virtutis, & præſertim ſi honeſta ſit, non videtur rationi conſentaneus. Et confirmatur ex Bernardo ſermon. 47. ſuper Cantica dicente: *Nihil aliud, dum pſallitis, præter id, quod pſallitis, cogitetis. Nec ſolas dico vitandas eſſe cogitationes vanas, & otioſas, vitanda ſunt, & illa, (illa duntaxat hora, & loco) quas officiales fratres pro communi neceſſitate, quaſi neceſſario frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profecto recipere ſemper conſuluerim, quæ forte paulo antea in codicibus legeratis, qualia nunc, me viua voce diſſerente, ex hoc auditorio Spiritus ſancti recentia reportatis. Salubria ſunt, ſed minime illa ſalubriter inter pſallendum reuoluitis: Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud, quam debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris.* Et fere idem habet Hugo de Sanct. Victor. in libr. Annotat. ad Pſal. cap. 17. vnde Gerſon 3. p. tract. de Orat. Alphab. 78. litt. G, & H. docet, in Oratione vocali non licere admittere pias meditationes, non pertinentes ad verba quæ proferuntur, neque in eis fundatas: quod ſequitur etiam Gab. lect. 62. in Can lit. M. Sentiunt ergo non licere voluntarie admittere talem meditationem, vel contemplationem, quæ omnem verborum cogitationem impediat: & idem aſſerit Medina tract. de Orat. q. 14. in fine.

Bernar. *Hugo.* *Gerſon.* *Gabr.* *Medina.*

16. Hæc ſententia eſt ſatis apparens. Tamen D. Thomas, & alij infra citandi aliter loqui videntur. Vt autem eorum ſententia explicetur aduertendum eſt, duobus modis poſſe contingere hominem ſic orantem non habere attentionem ad verba: primo, vt non voluntarie applicet animum ad contemplationem Dei, ſed vel ex habitu, vel ex inſtinctu Spiritus ſancti, vel ex virtute, & excitatione ipſius pſalmodiæ eleuetur, non aduertens, ſe diſtrahi à cogitatione verborum. Et tunc clarum eſt, hoc non obſtare, quominus oratio vocalis vere, & recte fiat, quia manet virtualis attentio ad verba, cũ actuali attentione ad Deum quia (vt ſupponitur) prior intentio attendendi ad verba, nunquã fuit voluntarie interrupta, ſed quaſi naturaliter ex vi alterius cogitationis honeſtæ. Et in hoc nullus dubitat, nam ſi diſtractio naturalis, media etiam cogitatione non bona, nõ tollit attentionem virtualem, multo minus eam tollet pia cogitatio, vel meditatio naturalis, faciens eundem effectum.

Explicatur vera ſententia D. Thom.

17. Alter igitur modus difficilior eſt, quando aliquis voluntarie applicat intellectum, volẽdo directe, ſeu in cauſa nihil actualiter attendere ad verba. & tunc etiam eſt multorum opinio, permanere poſſe vocalem orationem veram, quia licet homo tunc nõ attendat ad verba, nihilominus võlũtarie illa profert ad orandum, vel laudandum Deum. quia ſupponimus, voluntarie ſe applicuiſſe ad hunc actum ex vi cuius voluntatis non interruptæ continuatur ille actus cum ſufficienti aduertẽtia humana. Quia licet homo non habeat attentionem quaſi reflexam ad verba, ſemper tamen profert illa humano modo, & vigilãdo circa illa aliquo modo. Cuius etiam ſignũ eſt, quia ſi tũc cum ſocio recitet, audit verba eius, & ſeruato debito ordine, & modo ſuo tempore loquitur, & tacet, cum debet audire: eſt ergo illa locutio ſufficienter humana. Rurſus, eſt etiam cũ aſcenſione mentis ad Deum, vt ſupponitur, ergo eſt vera oratio: quia non eſt de ratione orationis, vt cogitet orans de ipſa locutione ſed ſatis eſt, ſi cogitet de Deo, cum quo loquitur. Item non eſt neceſſariũ cogitare de re ſignificata per verba, vt ſtatim dicam, ergo nec de verbis ipſis, ergo licet homo voluntarie eleuetur ſupra hanc cogitationem quaſi materialem verborum, nihilominus poterit vere orare vocaliter.

Exponitur alter modus nõ attendendi ad verba.

18. Neque contra hoc procedit prima obiectio, quia non poteſt ſic omnes comparare cum dormiente, & proferente verba inter dormiendum, quia dormiens non exercet actũ liberum, & humanum, nec eſt ita diſpoſitus, vt ſit in poteſtate eius ſuſpendere, vel cõtinuare actum. Et ita per ſomnum interrumpitur prior voluntas, non vero per illam contemplationem, quatenus eſt voluntas humana orandi, quamuis interrumpatur voluntas attendẽdi ſuperficialiter ad verba, quia hoc non eſt neceſſarium ad Orationem vocalem, vt dixi. De alia vero obiectione dicam ſtatim. Et iuxta hanc declarationẽ ſentire videntur D. Thom. d. art. 13. & Caiet. ibi, Sot. lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. & ſæpe Nauar. in dicto cap. 13. n. 30. 49. &c. Et hi Doctores conſequenter aſſerunt, quãcunque ex dictis attentionibus ſufficere ad probitatem orationis, & ad implendum præceptum, ſi fuerit tempus illius. Ratio autem eſt, quia illa eſt vera oratio, vt diximus, & non habet malam circumſtantiam, nec caret circumſtãtia debita, quia ſolum caret attentione ſuperficiali quæ debita non eſt, ergo eſt honeſta, & conſequenter per ſe ſufficiens ad implendum præceptum.

Obiectio ſupra facta nõ habet hic vim. *D. Thom.* *Caiet.* *Soto.* *Nauarr.*

Vt vero hac in re iudicium proferamus, diſtinguere oportet de Oratione vocali, quæ fit ad arbitrium orantis, & quæ fit iuxta præſcriptam verborum formam. In priori neceſſarium profecto eſt, vt homo quando aliqua verba profert ad Deum, aliquo modo attendat, vt decentia verba, & digna Deo proferat, ſi humano modo, & cum deliberatione loquatur. Contingit enim interdum ex vehemẽtia affectus prodire in exteriorem motum indeliberatum, idemque accidere poteſt circa externum verbum, & tunc neque ad laudem, neque ad culpam imputabitur, quicquid proferatur. At ſi humano modo quis loquatur, neceſſe eſt, vt ſeruet cõſilium Sapientis Eccleſiaſt. 5. *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo, Deus enim in cælo, & tu ſupra terram, idcirco ſint pauci ſermones tui.* Quando vero oratio fit iuxta aliquam præſcriptam formam verborum, dupliciter poteſt fieri: primo legendo per librum, & tũc, & fere nullum eſt periculum errandi, & vix fieri poteſt recitatio cum tanta attentione ad Deum, vel ad aliquem ſpiritualem ſenſum, vt non formentur in mente conceptus non vltimati verborum, quæ leguntur, qui conceptus non formantur ſine aliqua attẽtione ad ipſa verba, licet eſſe poſſit tam ſimplex, & tenuis, vt ab ipſomet homine non aduertatur, ſufficit tamen ad veram, & honeſtam orationem. 19.

Sententia Auctoris. *Eccleſ. 5.*

Alius modus recitandi eſt memoriter, & tunc eſt maius periculum errandi: tamen ſi oratio ſit voluntaria non erit ibi periculum peccandi, quia error, vel mutilatio in tali oratione peccatum non eſt, ergo & ipſa oratio ratione periculi non erit peccaminoſa. Quando autem oratio vocalis eſt in præcepto, fateor moraliter loquẽdo neceſſariam eſſe aliquam maiorem aduertentiam, vt verba ipſa integre, & ſine errore dicantur. Nunquam tamen neceſſarium eſt, vt aduertẽtia ſit quaſi reflexiua, ſed ſimplex ſufficit: & hæc vix deeſſe poteſt cum mens attendat ad actualem verborum recordationem. Securius autem hoc fit, quando cum ſocio oratur, item quando vſus, & facilitas memoriæ tanta eſt, vt moraliter non contingat errare. Eo vel maxime quod illa ſuperior attentio, & tam perfecta, quanta in caſu ſupponitur, non cõtingit, niſi in mente multum aſſueta contemplationi: *cui* (vt recte dixit Gerſon ſupra) *facile eſt etiamſi ſit in cælo ſurſum, ſubito reuerti ad ea, quæ profert, & attendere an recte illa dicat*, & ſtatim iterum ad ſuam contemplationem redire: eritq́ optimum, & fortaſſe neceſſarium conſilium ita facere. 20.

Modus recitandi memoriter. *Gerſon.*

Et iuxta hanc reſolutionem poſſunt dictæ opiniones in cõcordiam redigi, vt tandem videtur fateri Nauarr. capit. 20. de Orat. numer. 28. nam iuxta priorem neceſſaria eſt attentio ad verba, quæ iuxta conditio- 21.

Opiniones conciliãtur.

Digitized by Google

conditionem, & conſuetudinem perſonæ orantis, & modum orãdi ſufficiens ſit moraliter, vel vt non inepte cum Deo loquatur, vel ſi oratio eſt præcepta, vt certus moraliter ſit in ea non errare, & hoc probat ſecunda eius obiectio. Nam quod aliqui dicunt, tunc ſolum hoc eſſe neceſſarium, quando quis errare ſolet, ſi autem expertus ſit, non ſolere errare, iam non eſſe illam curam neceſſariam: non ſatis intelligo: quia non video quomodo poſsit quis experiri ſe non errare, nec tranſilire verſus, quando non attendit ad verba, ſi enim non attendit, quomodo experientiam accipit? Qua ergo hanc experientiam aſſequitur aliquo modo, licet ſimplici, & tenui aduertit ad verba: & ita intelligo poſteriorem opinionem, quod ſcilicet non ſit neceſſaria attentio: quaſi reflexiua, nec ſolicita de verbis, ſed ſolum quaſi aliud agendo, cura verborum, quæ dicenda, vel audienda ſunt, habeatur.

11. *D. Bern.* Neque contra hunc poſteriorem ſenſum obſtat ſententia Bernardi, loquitur enim præcipue de cogitationibus bonis, non tamen pertinentibus ad orationem, nam illæ admittendæ non ſunt tempore orationis, & ſi omnino impedirent attentionem ad orationem vocalem alias præceptam, iam tunc non eſſent bonæ, quia impedirent orationem alias debitam. Huiuſmodi eſt cura, & ſolicitudo de aliquo negotio etiam pio poſtea efficiendo, non vt Deo commendetur, (ſic enim iam eſſet orationis materia) ſed vt de humanis medijs circa illud præuideatur, vel aliquid ſimile. Item ſiquis circa materiam Theologicam, etiam circa Deum ipſum ſpeculatiue diſcurrat, puram ſcientiam inquirendo, nam hoc ad orationem non ſpectat, vt per ſe patet. Secus vero eſt, quando meditatio eſt practica, & in ordine ad excitandum affectum erga Deum: nam hoc eſt munus, & finis orationis, ideoq; de ſe ſufficit ad veritatem, & honeſtatem orationis, etiamſi non videatur proxime fundata in verbis, quæ voce proferuntur. *In vocali oratione quæ meditatio vtilis.* Regulariter tamen loquendo, in hominibus nõ multum aſſuetis altiori contemplationi melius conſilium eſſe exiſtimo, meditari aliquid pertinens ad ſenſum verborum ſaltem myſticum, vel quod aliquo modo verba ipſa concernat, vt ita vterq; actus interior, & exterior per modum vnius melius fiat.

CAPVT V.

Vtrum ad effectus orationis vocalis ſit neceſſaria attentio?

1. *An attentio neceſſaria ad orationis effectum.* Breuiter dicendum eſt, attentionem eſſe neceſſariam ad orationis vocalis effectus, non tamen eãdem ad omnes. Prior pars manifeſta eſt ex dictis: nam ſi attentio eſt neceſſaria ad eſſe (vt ita dicam) ipſius orationis, multo magis erit ad effectus eius, quia quod non eſt, non poteſt habere effectum. Vt autem altera pars declaretur, ſuppono, orationem habere dictos tres modos cauſandi, qui ſunt impetratio, meritum, & ſatisfactio: quibus D. Tho. in dicto art. 13. addit quartum, quem vocat ſpiritualem refectionem mentis. *D. Thom.* quamuis enim hunc dicat eſſe tertium, & ſolum dicat eſſe tres effectus, ideo eſt, quia meritum, & ſatisfactionem ſub primo comprehendit, & illum meritum vocat. *Nauarr.* Nauar. item, & alij addunt quintũ effectum, qui eſt ſatisfacere præcepto. Sed nos illum non numeramus, tum quia ille non conuenit orationi vocali, vt ſic, prout illã nunc conſideramus, tum etiam quia ille reuera nõ eſt peculiaris effectus, ſed eſt veluti relatio quædam, quæ reſultat poſito fundamento, & termino, nam ſi vera oratio fiat, & alioqui ſupponatur datum eſſe de illa præceptum, eo ipſo manet impletum, ſi oratio habeat conditiones, quas præceptum requirit, & ita totum hoc pendebit ex conditione, & cognitione præcepti, de quo aliquid in ſequenti capite, plura in libro ſequenti dicturi ſumus.

Ad vltimum ergo effectum ſpiritualis refectionis mẽtis ait D. Thomas, neceſſariam eſſe actualem attentionem, quod eſt per ſe tam notum, vt nulla indigeat probatione. 2. *Quamuis attentio non ſufficit ad refectionem mentis.* Imo addere poſſumus ad hunc effectum non ſufficere ſuperficialem attentionem ad verba, ſed neceſſariam eſſe aliquam perfectiorem, quia mentis refectio eſt deuotio, vel aliqua pia affectio, aut ſancta cogitatio practica quæ intellectum illuminet in ordine ad opus: ad hos autẽ effectus ſatis non eſt ſuperficialis attentio, vt conſtat, & hoc probat teſtimonium Pauli: quod D. Th. adducit, *ſi orem lingua, mẽs mea ſine fructu eſt.* 1. ad Corinth. 14. *D. Thom. 1. Cor. 14.* id eſt, ſi orem ſola lingua, ad illam tantum attendendo: quin potius nec ſola litteralis attentio ſemper ſufficiet, niſi ipſamet ſententia litteralis ſit affectiua, vel illuminatiua: nam ſi ſit hiſtorica, neceſſaria erit meditatio aliqua, vel applicatio practica, vt ſpiritualiter mens reficiatur. Atque ita conſulenda eſt, & procuranda ſpiritualis aliqua attentio, vt effectus iſte obtineatur.

Statim vero occurrit obiectio, quia hinc ſequitur, vel non eſſe bonum, vel ſaltem non eſſe conueniens vocaliter orare in peregrina lingua, quam orans non intelligit: quæ eſt obiectio Hæreticorum arguentium Eccleſiam, eo quod publica officia celebret in lingua latina, & non in vulgari. 3. *Obiectio.* Sequela patet ex illa ſententia Pauli, *ſi orem lingua, mens mea ſine fructu eſt*, quod ipſe ducit inconueniens, & ideo ſubdit: *orabo ſpiritu, orabo & mente*, id eſt, orabo non tantum affectu proferendi verba illa in cultum Dei, ſed etiam mente intelligendo, & contemplando, quid orem. *1. Cor. 14.* Hanc difficultatem quantum ad ſacra officia publica pertinet, tractaui in tom. 3. tertiæ partis diſp. 83. ſect. 1. Et doctrina ibi data eandem rationem habet in alijs Diuinis officiis, de quibus in ſequenti lib. dicturi ſumus, & ideo pro illis nunc ſufficit reſpondere, conuenientem modum illa celebrandi non eſſe attendendum ex particulari fructu, & cõditione huius, vel illius perſonæ, ſed ex publico & communi bono, & vſu magis conuenienti ad Religionem, & cultum Dei, ad hunc autem finem magis expedire, vt oratio publica fiat in lingua Latina, ſeu doctrinali, quam in vulgari propter rationes ibi adductas, quas ſatis vſus, & traditio Eccleſiæ confirmat. *Oratio in lingua peregrina quã conueniens.*

4. *Oratio in lingua vulgari quibus vtilior.* De priuata autem Oratione non improbabiliter dici poteſt, vtilius eſſe perſonis idiotis vocaliter orare in ſua lingua vulgari, iuxta formam aliquam ab Eccleſia approbatam, quam in Latina, vel alia ſibi ignota: nam per ſe loquẽdo hoc videtur eſſe fructuoſius ad finem orationis, vt probat ratio facta. Et alioqui nullum apparet in hoc inconueniens, cum hoc non ſit contra aliquam vtilitatem publicam, ergo credi poteſt hoc eſſe vtilius regulariter loquẽdo. Et ideo Eccleſia conſueuit formas aliquas orandi in lingua vulgari fidelibus proponere, vt iuxta illas vtiliter, & ſine errore orare poſsint. Quia vero hæc oratio priuata poteſt fieri coram aliis, (atq; adeo publice in hoc ſenſu,) vt ſupra notatum eſt, ideo tunc oportet, vt oratio fiat ſecundum aliquam formam orandi ab Eccleſia propoſitam, vel probatam, quæ ſemper præferenda eſt in omni oratione, quantumuis priuata, vt in ſequenti cap. dicemus. Si autem oratio ſit non tantum priuata, ſed etiam ſecreta, tunc orare vnuſquiſque poteſt in ſua lingua ſub quacunque verborum forma, dummodo errorem non contineat, & prudenter, ac decenter compoſita ſit, & ideo ſemper neceſſarium eſt, vt talis forma orandi à ſapientibus, & piis viris compoſita, vel approbata ſit.

Addo tamen vlterius non eſſe malum priuate orare in lingua Latina, qui illam non intelligit: nam intelligere ſenſum verborum non eſt de ſubſtantia orationis, neque etiam eſt circumſtantia neceſſaria ad honeſtatem eius: ſatis eſt enim, quod is, qui 5. *Intelligere verba, an de ſubſtantia orationis?*

orat

orat, intelligat, vel credat in illis verbis cõtineri laudes, & petitiones ad Deum, ſicut qui Pontifici præſentat petitionem ſcriptam in lingua, quam non intelligit, & petit vere, & recte facit. Sæpe etiam idiotæ exercent actiones externas, quas credunt pertinere ad cultum Dei, licet in particulari earum ſignificationem non intelligant. Et ideo qui ſic orat, poteſt, ſi velit, & ſciat orare, non carere hoc fructu orationis, qui eſt refectio mentis, quia poteſt attendere ad Deum, vel vt dignum ſupremo cultu, vel vt miſericordem, vel vt benefactorem, &c.

6. *Duplex ſignificatio verborum.* Vnde poteſt in verbis diſtingui duplex ſignificatio: vna ſpecifica, alia generalis, & quaſi naturalis: quamuis ergo idiota primam non intelligat, & ideo cogitare non poſſit de propria ſentẽtia verborum: nihilominus ſemper poteſt poſteriorẽ aliquo modo percipere: nimirum, illam eſſe locutionem ad Deum tanquam ad benefactorem, & ſupremũ Dominum, omni laude dignum: & hoc ſatis eſt, vt dicere poſſit illa verba, *plus medullis oris, quam labiis cordis*, vt dixit Bernard. ſerm. 13. in Cantica. *Bern.* Eo vel maxime, quod nullus eſt tam idiota, qui vnius, vel alterius vocis non percipiat ſignificationẽ, vt quando nominatur Deus, vel omnipotens, vel ſit mentio miſericordiæ, aut remiſsionis peccatorum, vel Chriſti Domini, aut Beatæ Virginis, vel ſimile quid, vnde poſſit mens refectionem ſuam accipere. Et ipſa conſuetudo ſic orãdi ſolet in hoc præbere maiorem aliquam facilitatem, & aliqualem intelligentiam, poſſuntque qui ſic orant interrogando, vel attente audiendo in hoc proficere, quantum ſatis ſit ad ſpiritualem fructum, etiam ſi linguam latinã non addiſcant.

7. *Impetratio à qua pendeat attentione. D. Tho.* De alio fructu, qui eſt impetratio, D. Thomas, quem omnes ſequuntur, affirmat, non pendere ex actuali attentione, ſed virtualem ad illum ſufficere, & videtur certa ſententia. Ratio autem pendet ex inſtitutione Diuina: non eſt enim veriſimile, exegiſſe Deum ab homine conditionem aliquam moraliter impoſſibilem, vt aliquid per orationem impetrare poſſit, attendere autem actualiter, & ſine diſtractione eſt moraliter impoſſibile, vt in plurimũ loquendo de hominibus, iuxta illud Pſalm. 36. *Cor meum dereliquit me*, *Pſal. 36.* ergo ad impetrandum non requirit Deus à nobis actualem attentionem, ſed virtualis ſufficit: item, qui ſic orat, vere, & honeſte orat, & ex fide, & cum aliis conditionibus ſupra enumeratis, ſub quibus facta eſt Diuina promiſsio, & actualis attentio nullibi poſita eſt tanquam conditio neceſſaria ad illam promiſsionem, ergo neque ad impetrationem neceſſaria eſt, dummodo prima intentio, & attentio virtute perſeueret: neque in hoc video contradictionem, aut vllam difficultatem.

8. *Meritum, & ſatisfactio à qua attentio ne pendeant.* Idem docet D. Thomas de Merito, & à fortiori idem ſequitur de ſatisfactione, quod expreſsius diſtinguit, & docet Nauar. dicto cap. 13. n. 3. & 18. & alii Moderni circa illum articulum D. Tho. Ratio autẽ eſt, quia ille actus orationis vocalis eſt bonus moraliter, & pœnalis, ergo ſi ſit in perſona grata, erit meritorius, & ſatisfactorius, ſupponimus enim illum actum eſſe aliquo modo ab auxilio gratię, quia proceſsit ex voluntate orandi gratuita, & in virtute illius continuatur.

9. *Difficultas nodatur.* Circa hanc vero ſententiam eſt difficultas quoad meritum, an intelligenda ſit de nouo merito eſſentiali gratiæ, & gloriæ. Eſt enim notanda differẽtia inter ſatisfactionem pro pœna, & meritum gloriæ: quod ſatisfactio per ſe creſcit ex ipſo opere pœnali, vt in 4. tom. 3. p. d 37. ſect. 5. diximus, meritum autem formaliter, ac proprie totum eſt in interiori actu, & non creſcit ex ſolo exteriori, quia exterior actus, licet addat pœnalitatem. quæ in ſatisfactione conſideratur, non addit bonitatem moralem quæ conſideratur ad meritum. iuxta doctrinã D. Thomæ 1. 2. q. 20. *D. Tho.* Hinc ergo facile conſtat, orationem vocalem, quæ actus externus eſt, quãdiu durat per modum actus moralis ex vi præcedentis intentionis bonæ, & cum virtuali attentione ſemper eſſe ſatisfactorium, ita vt continue ſatisfactionem augeat, & maiorem remiſsionem pœnæ obtineat. De merito autem gratiæ, & gloriæ non videtur eadem eſſe ratio, quia vocalis oratio, vt eſt exterior actus, nõ addit bonitatem moralem interiori actui, ergo ſi actus interior ceſſauit, licet exterior oratio duret in virtute præcedentis actus interioris, non augebit meritum, ſeu quod idem eſt, non conferet ad nouũ præmium vltra illud, quod homo meruit, ſic orando, quamdiu durauit actus interior. Atque ita plane fatendum eſt.

10. *Mens aliquorum autorũ explicatur.* Quando ergo Auctores dicunt, orationem vocalem eſſe meritoriam cum ſola virtuali attentione, vel non loquuntur de nouo merito, ſeu augmẽto meriti, vel ſolum de merito per denominationẽ extrinſecam, nam actus exterior meritorius appellatur, quatenus ab actu meritorio procedit, & moraliter eſt vnus cum illo, ideoq; quãdiu durat exterior actus ex virtute actus meritorij procedens, dicitur durare meritum. Vnde ſi loquamur de oratione vocali, quæ nouum meritum addat, neceſſarium eſt, quod duret actualis attentio ad talem actũ neceſſaria. Qualis autem actus voluntatis ad meritum neceſſarius ſit, non eſt hoc loco tractandum, ſed ex principiis materiæ de Merito petendum eſt. Sed obiicit Medin. dicto tract. de Orat. q. 14. etiam *Medina obiectio.* contra priorem ſenſum, quia vt actus denominetur meritorius priori modo, non ſatis eſt, quod actus de ſe ſit bonus, & procedat ex propoſito volũtatis meritorio, quod præfuit, & virtute manet, quia poſſet ſic operans interius moraliter peccare. Vt v. g. ſi quis dum vocaliter orat, diſtrahatur ad cogitãdum de inimico, & illum deliberate odio habeat, poteſt eſſe diſtractio naturalis, & odium liberum, tunc ergo oratio illa non erit, meritoria. Sed hoc *1. Solutio.* tantum pertinet ad quæſtionem de nomine, nam ſi malus actus ſuperueniens non ſit circumſtantia orationis, vel alterius ſimilis actus, non communicabit illi deformitatem ſuam, ſed tantum concomitanter ſe habebunt, & ita non videtur inconueniẽs, quod vnus actus externus denominetur bonus, & de ſe meritorius ab alio præcedente, quando perſona per alium actum demeretur apud Deum: vel *2. Solutio.* etiam dici poteſt illum actum externum eſſe meritorium, quantum eſt ex parte ſua, & præcedentis actus, in cuius virtute ſit, oportere tamen, vt durent aliæ conditiones neceſſarię ad meritum. Vnde quia vna conditio maxime neceſſaria ad meritum eſt dignitas perſonæ, & hæc amittitur per nouum peccatum, ideo ceſſat ratio, vel denominatio meriti.

11. *Peccatũ veniale in oratione quid faciat.* Atque hinc à fortiori ſequitur, quacunque ratione contingat, hominem ſic orantem vocaliter, de nouo peccare circa ipſammet orationem, ita vt ipſa oratio incipiat eſſe peccatum, etiam veniale tantum omnino ceſſare meritum, & re, & denominatione. Imo etiam ſequitur, ceſſare ſatisfactionem, & impetrationẽ, quia non poteſt homo ſatisfacere Deo, vel ab illo aliquid impetrare per actum malum, vel male factum, & cum aliqua ipſius Dei offenſione. Poteſt autem hoc contingere, vel mutando intentionem, continuando ex praua intentione orationẽ bono animo inchoatam, vel voluntarie admittendo cogitationes ab orãdi munere omnino alienas: nam licet non omnino tollant attentionem orationis, diuidunt cor, & impediunt, ne oratio pure, & cũ debita reuerentia fiat, quod ſatis eſt, vt talis oratio peccaminoſa ſit, & non ſit impetratoria, vt ex Bonauent. & quadam Gloſſa ſupra retulimus. *Bonau. Gloſſ.*

CAPVT VI.

Vtrum Oratio vocalis priuata, ſit neceſſaria ex præcepto?

1. *Duplex præceptum circa orationem.* DVplex præceptum circa orationem, ſicut circa alios actus virtutis, excogitari poteſt? vnum abſolutum, ſeu quoad exercitium actus? alterū cōditionatum, ſeu quoad ſpecificationem actus. De hoc poſteriori genere præcepti aliquid dictum eſt cap. 4. & aliquid addemus cap. ſequenti, nūc verò agimus de neceſsitate exercendi aliquando orationem vocalem, vel indiffinitè, vel pro aliquo determinato tempore. Et quia præcepta non dantur de actibus in cōmuni, ſed in particulari, vocalis autem oratio duplex eſt, vt ſupra diximus, priuata, & communis, ſeu publica: ideò non poteſt hæc quæſtio in genere tractari, ſed in particulari de ſingulis: de præcepto ergo ad publicas orationes pertinēte dicemus in ſequenti libro: ideoque nunc ſolum agimus de oratione priuata. Poſſumus præterea loqui vel de præcepto naturali, vel de poſitiuo Diuino, aut Eccleſiaſtico.

2. *An ſit præceptum naturale, orandi priuate.* Circa naturale præceptum ratio dubitandi eſſe poteſt, quia ex lege naturæ tenemur colere Deum, non ſolum animo, ſed etiā corpore, ergo ſimul tenemur orare Deum lingua corporis, quia talis oratio ad cultum Dei externū pertinet. Secundò, quia ex lege naturæ tenemur pietatem, & Religionem, non tātum occulte, ſed etiam publicè corā alijs exercere, ergo ex eodem iure naturę tenemur ita orare, vt licet oratio ſit priuata, fiat publicè reſpectu aliorum, quod non habet, niſi oratio vocalis ſit. Tertio, quia oratio vocalis habet ſuas peculiares vtilitates, ob quas poteſt iudicari neceſſarium mediū ad hominum ſalutem, moraliter loquendo, quod ſatis eſt, vt cadat ſub præceptum naturale, quia in legibus ferendis conſideratur id, quod regulariter, & moraliter neceſſarium eſt. Antecedens patet: quia vocalis oratio regulariter hominibus eſt neceſſaria ad excitādas mentes fideliū ad deuotionē, & ad cōciliandā etiam attentionē, pauci enim ſunt, qui abſque obiecto, vel voce ſenſibili actu mouēte, & quaſi ducēte intellectum, ad Deum attendere valeant.

3. *Pars negatiua defenditur. Medi. Nauar. Summiſta.* Nihilominus dicendum eſt, ex vi iuris naturalis orationem vocalem non eſſe ſub præcepto. Ita docent omnes in hac materia, Med. Nauar. & Sūmiſtę ver. *Oratio*, & ſumitur ex Scholaſticis in 4. d. 15. Ratio verò eſt: nam præceptum orādi naturale, de quo ſupra lib. 1. tractatū eſt, ſufficienter impletur per orationem mentalem, & nulla occurrit noua ratio, quæ per ſe cogat, vel oſtendat obligationem expli- *Ratione probatur aſſertio.* candi voce mentalem petitionē: quod patebit ſtatim reſpondendo ad rationes factas. Item quia oratio per ſe primo præcipitur propter impetrationem (hic enim eſt veluti proprius finis, & effectus, alii namque magis communes ſunt, & per alia media comparari poſſunt, ideoque non inducunt per ſe obligationē ad mediū orandi) at vero ad impetrādum à Deo non eſt neceſſaria vox, cum neceſſaria non ſit, vt Deus intelligat petitionem animo factā, nam petitio audita, ſeu intellecta, ſufficiens eſt, vt exaudiatur, & impetret. Neque etiam dici poteſt, quod oratio vocalis ſit neceſſaria ad impetrandū ex aliqua ordinatione Diuina: tum quia loquimur ex ſola rei natura, ad quam non pertinet talis ordinatio, vt per ſe notum eſt: tum etiam, quia gratis cōfingitur talis ordinatio, cum ex libera voluntate Dei pendeat, quæ nullo medio quoad hanc partem nobis manifeſtata ſit.

4. *Soluuntur argumenta.* Ad primam ergo rationem dubitādi reſpondetur, negando conſequētiam: nam cultus Dei externus poteſt multis modis fieri, quorum determinatio non pertinet ad ius naturale, ſed vel ad poſitiuū, vel illo deficiente, ad prudens colētis arbitrium, & ideo cultus per orationem vocalem non eſt ſimpliciter neceſſarius ex natura rei. Ad ſecundam reſpondetur, ſolum probare externam profeſsionē fidei, ſeu Religionis Dei cadere ſub præceptum naturale debito tempore, & loco. Non tamē inde inferri poteſt naturalis obligatio ad orationem vocalem, quia illa profeſsio poteſt aliis ſignis, & modis fieri. Quod ſi fingatur caſus, in quo vel ad honorē Dei, vel ad confeſsionem Religionis neceſſariū ſit vocaliter orare, obligatio illa erit quaſi per accidēs ex principiis, & circumſtātiis extrinſecis, nō ex natura orationis. Ad tertiam reſpondetur, ex illis vtilitatibus orationis vocalis non poſſe colligi naturale præceptum, tum quia illæ non ſunt de rebus ſimpliciter neceſſariis ad ſalutem, tum etiam quia poſſunt per alia media cōparari, vt per lectionem, cōcionē, inſpectionem imaginis, vel ſimilia. Probant autem illæ rationes, orationem vocalem eſſe valde conſentaneam humanę conditioni, valdeq́ vtilē, ac ſubinde non poſſe fieri moraliter, vt omnino omittatur ſine magna hominis negligentia circa bonum animæ ſuæ. *Homo ex affectu interno prorumpit in verba.* Quod maximè verum eſt loquendo de oratione vocali, quæ non fit iuxta pręſcriptā formā verborum, ſed iuxta internum affectum, & dictamen operantis: nam vix poteſt homo præſertim ſimplex, & non aſſuetus internis contemplationibus, habere internum affectum, deſiderium, aut petitionem, quin ſtatim in verba prorumpat ſaltem tacitus, & mouēdo labia, vt de Anna legitur. 1. Reg. 1. *1. Reg. 1.*

5. *Non eſt præceptum Diuinum poſitiuū orandi vocaliter.* Circa ſecundum punctum de Diuino præcepto poſitiuo dicendum ſecundo eſt, nullum ſtare tale præceptum, quia nec in Scriptura habetur, neq; ex traditione conſtat. Item quia in lege gratiæ nō ſunt præcepta moralia Diuina præter ea, quæ ſunt iuris Diuini, & naturalis, niſi præcepta fidei, & Sacramētorum, quæ altiora ſunt: vnde ex vi iuris Diuini poſitiui ſoli illi actus externi Religionis pręcepti ſunt, qui ad ſacrificium offerendum, vel ad Sacramenta conficienda neceſſarij ſunt. Deniq; ſi aliquod eſſet tale præceptum, maxime fuiſſet à Chriſto traditum Matth. 6. quando docuit nos orare, dicens: *Sic ergo vos orabitis. Pater noſter, &c.* *Matth. 6. Conc. Tol.* Nam Concil. Tolet. 4. Can. 10 de illa oratione loquens ait: *Quam ſaluator noſter docuit, & præcepit*: ſed ex illo loco non poteſt colligi hoc præceptum Diuinum, præſertim quoad ſingulos fideles: tum quia ibi ſolum tradidit Chriſtus formam, non verò dedit præceptum obligans ad exercitium eius (vt ſic dicam) Tum etiam quia illa oratio continet materiam orationis mentalis, & vocalis, & vtroque modo dici poteſt & ſi ſola mente dicatur, ſatisfit præcepto Diuino de oratione priuata, qualecumque illud ſit, vt late oſtendit Med. d. tract. q. 10. *Medi.* Neque ex Conc. Tol. aliud colligitur.

6. *An ſit præceptū Eccleſiæ?* Hinc verò naſcitur dubium de tertio puncto, an ſaltem ex præcepto Eccleſiæ teneantur omnes fideles ad aliquam priuatam orationem vocalem, ſaltem ad Dominicam orationem interdum recitandam? Aliqui enim indicant hoc cadere in obligatione ſaltem ſub culpa veniali. Ita Palud. in 4. d. 15. queſtion. 1. n. 7. ſequitur Nauar. dicto Enchir. de Orat. c. 3. num. 20. & cap. 20. num. 10. qui allegat pro hac ſententia c. *Vos autem*, de Conſe. diſt. 4. & Concil. Toletan. 4. cap. 9. alias 10. & Concil. Remenſ. c. 2. Idem tenet Durant. lib. 2. de Ritib. cap. 46. qui addit Clement. lib. 6. Conſt. capit. 25. & Auguſt. Serm. 215. de Tempore dicentem: *Symbolum, vel orationem Dominicam & ipſi tenete, & filiis veſtris oſtendite, nam neſcio, qua fronte ſe Chriſtianum dicat, qui paucos verſus in ſymbolo, vel in oratione Dominica parare diſſimulat.* Et in Serm. ſeq. *Ille (inquit) bonus Chriſtianus eſt, qui ſymbolum, & orationem Dominicam memoriter tenet, & filios, vel filias, vt ipſi teneant, fideliter docet*, *Palud. Nauar. Conc. Tol. Conc. Rem. Durant. Auguſt.*

Nihil-

Digitized by Google

7. *Pars negatiua eligitur. Medi.*

Nihilominus Medina dicto tract. de Orat. quæſt. 10. ait, licet ſit ſalutare, Dominicam orationem ſecundum ſeriem, qua tradita eſt, ſcire, & ſecundum eandem formam orare, non tamen eſſe id impoſitum ſub præcepto Diuino, & ſub mortali obligante. Quamuis autem in aſſertione cum his limitationibus loquatur, tamen in reſponſionibus ad argumenta ſatis declarat, ſentire, nullum eſſe de hac re præceptum etiam Eccleſiaſticum, vel ſub veniali. *Ratio aſſertionis.* Ratio eius eſt, quia non tenentur fideles memoria tenere orationem Dominicam, ſatis eſt enim ſcire ſubſtantiam eius, & quid à Deo petendum ſit, quãuis neq; ordinem petitionum, neq; verba memoria teneant. *Aug.* Citat. Aug. Epiſt. 89. ad Hilar. quæſt. 1. vbi affirmat orationem Dominicam eſſe neceſſariam, non ait autem memoria eſſe tenendam ex præcepto. Verumtamen neq; id negat. Sed poteſt ſuaderi: quia non videtur eſſe maior obligatio ſciendi orationem Dominicam, quam ſymbolum, hæc enim duo æquiparat Aug. in Enchir. capit. 7. ſed non tenentur omnes fideles formaliter ſcire ſymbolum, ſed ſatis eſt, vt veritates eius memoria teneant, & intelligant, quantũ neceſſe eſt ad illas explicite credendas, ergo eodem modo ſentiendum eſt de oratione Dominica.

8. *An memoriter tenenda dominica oratio?*

Quocirca nullũ circa hoc reperio peculiare præceptum Eccleſiaſticum. Duo tamen hic ſunt diſtinguenda, vnum eſt, memoria tenere illam orationẽ, alterum eſt, interdum voce recitare illam. De primo facilius poſſet admitti obligatio: tamen cõmuniter Doctores dicunt, hanc ſufficienter impleri ſciendo ſubſtantiã, ſeu materiam illius orationis. Ita *Sylueſt. Angel.* affirmat Syl. ver. *ſcientia* §. 2. vbi prius aſtruit obligationem, ſtatim vero ſubdit, *videtur tamen ſufficere, ſi quis ſciat, quod debemus à Deo petere omnia bona corporis, & animæ, licet neſciat Pater noſter.* Idem habet Angel. eodem ver. & alii cõmuniter. Neq; inuenitur ius poſitiuum, quod in hoc imponat maiorem obligationem: nam Concil. Tolet. ſolum concludit: *Concil. Tol.* *Quiſquis Sacerdotum, vel ſubiacentium Clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in priuato præterierit propter ſuperbiam, iudicatus ordinis ſui mulctetur.* *Explicantur Concilia.* Loquitur ergo de Clericis dicentibus Diuinum officium, non de priuatis orationibus fidelium, nemo enim dicet teneri omnes fideles ex præcepto ad recitandam quotidie Dominicam orationem. Concilium autem Remenſ. aperte dicit, hanc orationem verbis dicendam eſſe, quia non licet alicui Chriſtiano illam ignorare: tamen præterquam quod prouinciale eſt, quod non potuit ferre generale præceptum, certe nullum poſitiuum ibi tuliſſe videtur, ſed explicaſſe obligationem, quam moraliter loquendo, Chriſtiani habere poſſunt, eo ipſo, quod Chriſtiani ſunt, quæ non tam naſcitur ex poſitiuo præcepto Eccleſiæ, quàm ex ipſo iure naturæ, ſuppoſito tali ſtatu. Cum enim fideles ad orãdum teneantur, vt ſupra oſtendimus, conſequenter neceſſe eſt, vt ſciant, & intelligant, quid poſſint, ac debeant orare, & cum oratio à principio vſus rationis poſſit eſſe neceſſaria, oportet etiam, vt à pueritia *Parentes, & paſtores tenentur Domin. Orat. docere.* diſcant, quid orare debeant. Non poſſunt autem omnes breuius, aut magis accommodate id diſcere, quam per Dominicam orationem, & ideo moraliter loquendo & parentes, vel paſtores tenentur hęc docere filios vel oues ſuas ratione ſui officii, & ipſi fideles tenentur aliquo modo hanc orationem diſcere, ſaltem quantum neceſſe eſt ad conuenienter orandum, quamuis in rigore præcepti non teneantur verba, & ſeriem illius orationis memoria retinere. Nec plus docet Aug. in citatis locis.

9. *Non eſt præceptũ Eccleſiaſticum recitandi Dominicam orationem.*

Vnde conſtat, quid dicendum ſit de vocali recitatione talis Orationis: dicendum enim eſt, nullum eſſe proprium de hac re Eccleſiaſticum pręceptum: quia nullibi ſcriptum habetur, vt patet ex allatis teſtimoniis, & ſignum optimum eſt, quia præceptum Eccleſiaſticum affirmatiuum non ſolet imponi ſine certa temporis determinatione: nullum autem eſt ab Eccleſia determinatum tempus, pro quo ſit neceſſarium fidelibus omnibus priuatim dicere *Pater noſter*, ſub reatu culpæ, ſi illud omittant, ergo. *Clemens.* Vnde Clemens in citato loco monet quidem fideles, vt ter in die hanc precem fundant, nullus autem dicit hoc cadere ſub præceptum, tantum ergo illa eſt optima monitio, & conſilium. *Neq; eſt conſuetudine introductum hoc præceptum.* Quare nec dici poteſt, hoc præceptum eſſe conſuetudine introductum: tum quia vt conſuetudo inducat obligationem, neceſſaria eſt aliqua vniformitas, vt materia obligationis ſit certa: hic autem nulla eſt vniformitas: vnus enim orat hoc tempore, alius alio, vnus rarius, alius frequentius: vnde conſtare non poteſt, quando obliget talis conſuetudo: tũ maxime, quia in particulari, & in indiuiduo nullus dicit illam orationem vt obligatus, niſi qui tenentur eã dicere ex præcepto Eccleſiæ, vt miniſtri eius, vel ſi dicat ex voto, vel ſpeciali præcepto ſui confeſſoris, vel Superioris, ergo reliqua conſuetudo eſt ex ſola deuotione voluntaria, ac propterea non potuit inducere præceptum.

10. *Non eſt præceptum ſalutationis Angelicæ recitandæ. Nauar.*

Vnde à fortiori conſtat, quid de oratione ad Virginem per ſalutationem Angelicam, vel per Antiphonam *Salue Regina*, dicendum ſit. Nauar. enim ſupra ſaltem de *Aue Maria*, idem ſentit, ſed nullum ſpeciale adducit fundamentum, neque oportet imponere obligationes nõ ſatis fundatas. Eſt ergo cõſulendum omnibus, vt has orationes diſcant, & ſępius recitent, non vero eſt peccati ſcrupulus iniiciendus per ſolam huiuſmodi omiſſionẽ. *Mala vitæ indiciũ has orationes non recitare.* Si quis autem ſit adeo negligens animæ ſuæ, vt hęc rudimenta Chriſtianæ vitæ ignoret, vel nunquam recitet, magnum indicium eſt, ipſum non recte viuere, etiamſi omiſſio illa ſpeciale peccatum non ſit. Secus vero eſſet, ſi quis aliis orationibus aſſuefactus, has nõ diceret, nam in illo talis omiſſio nec eſſet peccatum, nec ſignum pernicioſæ negligentiæ, vel obliuionis ſalutis ſuæ.

11. *An ſit obligatio ſalutandi Virginem quando datur ſignum publicum?*

Solum poſſet quis dubitare de conſuetudine ſalutandi Virginem, quando publicum ſignum datur in principio noctis, an tunc dicere cadat ſub obligationẽ peccati, ſaltẽ venialis, videtur enim hæc conſuetudo tã generalis eſſe, vt hanc ſaltẽ obligationẽ inducat? Sed in primis nõ credo, tũc eſſe obligationem orandi vocaliter, nã priuata eſt oratio, & poteſt quis ſatisfacere orando mente. Itẽ etiam ſi quis oret voce, non cogitur ad certam formam orandi, V. G. per *Aue Maria*, vel *Salue Regina* &c. ſed poteſt dicto aliquo hymno, vel pro ſua vnuſquiſq; deuotione orare. Deinde abſolutè, & per ſe non credo, eſſe obligationem orandi tunc ad Virginem: nam illa cõſuetudo generaliter recepta eſt ſub ratione deuotionis, non obligationis. *Vix omittitur hæc ſalutatio ſine culpa.* Dico autem *per ſe*, quia ex accidenti, & ex concomitantia vix poteſt omitti ſine aliqua culpa, niſi ex rationabili cauſa. Nam ſi quis publicè illam omittat, aliquod ſcandalum præbet, & alios perturbat, periculumq; eſt, ne videatur illã contemnere. Si autem omittat priuatè & ſine cauſa, non fiet ſine aliqua otioſitate, vel ex nimio affectu ad aliquam commoditatẽ humanã, vel quid ſimile.

12. *An in feſtis diebus teneamur vocaliter orare? Palud.*

Specialiter vero hic quæri ſolet, an diebus feſtis teneantur fideles ad orandum vocaliter? Nã quidã affirmant obligari ad hoc tempore Miſſæ: imo Palud. dicta diſt. 15. q. 5. n. 7. ſentit, eſſe obligationem hanc pro vtriſque veſperis, & Completorio, aſſiſtendo his publicis officiis, *propter conſuetudinem*, inquit, *ideo vacatur ab operibus mundi, vt inſiſtatur operibus Dei.* *Nulla eſt obligatio aſſiſtendi officio Diuino.* Verumtamen quod attinet ad alia officia extra Miſſam, nullum eſt præceptum Eccleſiaſticũ obligans omnes fideles ad dicendum, vel ad aſſiſtendum alicui parti huius officii, quia nullibi in-

Digitized by Google

uenitur tale præceptum, vt conſtabit infra tractando de Horis Canonicis in lib. ſeq. & ex parte dictũ eſt ſupra, tract. 2. lib. 2. explicando tertium præceptum Decalogi. Vbi autem fuerit conſuetudo audiendi Veſperas, ſeruanda eſt, prout introducta fuerit. Credit autem Nauar. nunquam obligare ad mortale in Manuali c. 21. & in Enchir. de Orat. c. 3. n. 18. & ego exiſtimo raro obligare ad veniale, quia ſemper fit ſub apprehenſione, & cõceptu ſolius deuotionis. Et maxime hoc habet locũ in primis veſperis, quia tempus illud nondum feriatum eſt: nihilominus tamen quia conſuetudo alio modo introduci poteſt, ideo dico cõſulẽdam eſſe cõſuetudinem.

Conſuetudo alicubi introducta audiendi veſperas an obliget.

Diebus feſtis non eſt obligatio recitandi in Miſſa.

At vero licet certum ſit, datum eſſe de audienda Miſſa pręceptum Eccleſiaſticum, nihilominus in rigore non obligantur fideles ad recitandum aliquid vocaliter eo tempore priuatim, & per ſe ipſos, ſed ſolum per Sacerdotem aſsiſtendo illi. Imo per ſe loquendo melius facient attendendo, & mente orando, ergo ex hoc capite nullũ eſt propriũ pręceptum vocalis orationis priuatæ, ſed ad ſummũ dici poſſet eſſe in pręcepto cooperari aliquo modo orationibus publicis Eccleſiæ, quæ tempore Miſſæ funduntur. Atque hoc ſignificauit D. Tho. in 4. d. 15. q. 4. ar. 1. q. 3. dicens: *Omnibus, etiam qui Eccleſiæ miniſteriis non funguntur, videtur ab Eccleſia determinatũ tempus orandi ſtatutum eſſe cum ex Canonum ſtatuto teneãtur diebus feſtis Diuinis officiis intereſſe, vt miniſtris pro populo orantibus ſuam intentionem conforment.*

D. Tho.

14.
An aliunde orandi vocaliter ſit obligatio? Nauar.

Tandem inquiri hic poteſt, an ex aliqua lege vel ex alio capite oriatur interdum obligatio vocaliter orandi priuata oratione? Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia Nauarrus in dicto cap. 3. de Orat. num. 8. dicit, iuxta varias leges, & ordinationes vel ſummorum Pontificum, vel inferiorum Eccleſiæ Prælatorum, vel etiam præfectorum ſecularium multa & diuerſa tempora inueniri, in quibus, etiam laici obligantur ad orandum, etiam ſi iure communi nõ teneantur. Vnde euenit, inquit, quod ſæpe, aut per leges Regum, aut per ſtatuta ſingularium ciuitatum confraternitatum, aut aliorũ collegiorum in multis proceſsionibus, Miſsis & aliis Diuinis officiis obligantur aliquot laici in quibus non tenentur Clerici, & Monachi. Præterea ex conſuetudine omnium fidelium videtur eſſe obligatio orandi in principio aliquarum actionum, iuxta illud Hieronymi Epiſt. 22. ad Euſtochiũ: *Nec cibi ſumantur niſi oratione præmiſſa, nec recedatur á menſa, niſi referantur creatori gratiæ, egredientes de hoſpitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam ſeſſio, nec prius corpuſculum requieſcat, quam anima paſcatur.* Similia legimus in Athanaſio lib. de Virgin. & in aliis Patribus frequenter.

Ratio dubitandi.

Hieron.

15.
Pars negatiua approbatur. Occurritur rationi dubitandi.

Dicendum vero eſt, hæc omnia eſſe conſilia, quę vnuſquiſque Chriſtianus bonis moribus mediocriter inſtitutus ſeruare debet, nullam tamen propriã obligationem ratione præcepti, vel conſuetudinis in eis interuenire. Nam leges illæ, vel ſtatuta, de quibus Nauar. loquitur per ſe non obligant ad orãdum, ſed ad ſummum ad aſsiſtendum illi actioni publicæ, vt eſt proceſsio, vel aliquid ſimile: nam ſi aliquæ orationes ibi recitantur, per clericos fieri ſolent, à laicis vero ſolum aſsiſtentia poſtulatur: imo loquendo de Legibus Ciuilibus non videntur poſſe amplius obligare. Quod ſi in congregatione aliqua, vel confraternitate, aliqui ex ſpeciali ſtatuto ad aliquas orationes vocales, vel publicas, vel priuatas tenentur, regulariter non ſolet eſſe obligatio in conſcientia, ſed eſt per modum cuiuſdam directionis ad melius eſſe, vel ad ſummum ſub aliqua pœna. Quod ſi aliquãdo fuerit obligatio in conſcientia, erit in vi alicuius pacti, ſeu promiſsionis, vel quaſi voti. Reliqua vero, quæ monet Hieronymus, conſtat eſſe conſilia, neque in his eſſe certam aliquã conſuetudinẽ, quæ obligationem inducere potuerit, nec aliquam legem ſcriptam de his inueniri.

16.
Teneantur ne clerici vocaliter orare ante prandium? Nauar.

Præterea de Clericis dixit Nauarrus, teneri ſaltẽ ſub veniali ad præmittendam orationem hora prãdij: & fundatur in c. *Non liceat*. d. 44. Sed in primis ibi non eſt verbum præceptiuum, ſolum enim dicitur, *non oportere clericos, niſi hymno dicto comedere panem, & poſt cibos gratias Deo referre.* Sicut ibidem dicitur, non oportere Clericos, vel Religioſos prandere ante tertiam, & tamen non propterea eſt peccatum veniale, id facere: maxime quia illud caput non eſt Martini Papæ, vt eſt in Gratiano, ſed habetur inter Canones Martini Brachar. Epiſcopi, eſtque ſexageſimus quintus. Et licet illi Canones ex Græcis & Latinis Conciliis ſumpti eſſe referantur, non tamen conſtat de hoc in particulari, vnde ſumptus ſit, nec quam obligationem inducere potuerit: cenſeo igitur eſſe hoc optimum conſilium, à multis & grauiſsimis Patribus traditum, & ab ipſo Chriſto, vt erudite attingit Ioan. Lorinus ad c. 10. Act. verſ. 9. in fine: non tamen exiſtimo de hoc eſſe ius poſitiuum ſpecialiter conſtitutum, pręſertim de oratione vocali: nam quicquid de hac precatione recta ratio dictat, poſſet non ſolum ſine culpa, ſed etiam ſine imperfectione per mentalem orationem ſufficienter obſeruari. Igitur de hac oratione vocali per ſe non datur obligatio.

Lorinus.

17.
Tria capita à quibus poteſt oriri obligatio vocaliter orandi.

Poteſt nihilominus imponi variis modis: primo per peculiare præceptum Superioris, nec dubito, quin poſsit Eccleſia facere de hoc actu aliquam vniuerſalem legem, ſi iudicet expedire. Secundo poteſt imponi per confeſſorem in ſatisfactionẽ, vt cõſtat ex materia de Pœnitentia. Oportet tamen, vt ſufficienter cõſtet, confeſſorem voluiſſe illam orationẽ fieri voce, alioquin etiam oratio mentalis poteſt eſſe pars illius Sacramenti, regulariter tamẽ videntur confeſſores imponere orationes vocales. Tertio poteſt quis ſibi imponere hanc obligationem per votum, ſeu promiſsionem, aut pactum iuſtum, vt per ſe conſtat: & ad hos tres modos obligationis reducuntur omnes, qui hac in materia excogitari poſſunt.

Oratio mentalis poteſt eſſe pars Sacramenti pœnitentiæ.

CAPVT VII.

De circumſtantiis ſeruandis in oratione vocali, vt recte, & conuenienter fiat.

1.
Variæ circumſtantiæ proponuntur.

HIc etiam ſolum agimus de oratione priuata: nam de Canonica, & per ſe publica in libro ſequenti dicturi ſumus. Poſſumus autẽ diſtinguere in hoc actu duplices circũſtãtias, internas, & externas. Internę iã explicatę ſunt, ad duas enim reducũtur: prima eſt intentio bona, quæ pertinet ad circumſtãtiam propter quid, quæ interdum eſſe poteſt propria circumſtantia, id eſt, accidentalis conditio, vt ſi finis ſit extrinſecus, & remotus, vt ſatisfaciendi pro peccatis, vel ſubleuandi miſeriam proximi. Hic autem finis non eſt ſimpliciter neceſſarius, quia ſufficit intentio intrinſecæ honeſtatis, ſeu Diuini cultus. Si tamen illa circumſtantia addatur, neceſſe eſt, vt ſit de fine honeſto, alias oratio non recte fieret. Altera circũſtantia interior eſt attentio, quę in aliquo gradu non eſt circũſtantia propria, ſed de ſubſtantia orationis, vt diximus, tamen quatenus eſſe poteſt varia, & melior, aut perfecta, ſic vocari poteſt circumſtantia, de qua præter dicta in ſuperioribus, nihil occurrit addendum.

1. Circũſtãtia interna.

2.
Circumſtantia externa.

Tractamus ergo de circumſtantiis externis, ex quibus multæ etiam in ſuperioribus expoſitæ ſunt: nam omnia, quæ deſiderari poſſunt de circumſtantiis perſonæ orantis, vel perſonæ, ad quam oratur, vel pro qua oratur: item de materia, ſeu re, quę poſtulari

ſtulari poteſt per orationem, & de circumſtantiis ex parte illius ſeruandis, item de auxiliis neceſſariis ad orandum, & de effectibus, vel fructibus, qui ex oratione reſultare poſſunt, dictum eſt in libro primo, & omnia ibi dicta communia ſunt orationi vocali: ſolum ergo ſuperſunt tres circumſtantiæ, ſcilicet tempus, locus, & modus.

3. *Circũſtantia temporis.*

Et de circumſtantia temporis multa ſunt etiam tacta in præcedenti capite, vbi oſtendimus nullum certũ tempus eſſe lege præſcriptum ad orandum: quod verum eſt, non ſolum quoad exercitium actus, ſed etiam quoad ſpecificationem, vt ſic dicam, quia neque abſolute eſt determinatum tempus, pro quo pręcipiatur exercitium orationis vocalis, neq; ſub conditione, ita vt ſi exercenda ſit oratio, ſit in tali, vel tali tempore. Hoc eſt certiſsimum, quia licet propter fragilitatem humanam nõ poſsit homo orare omni tempore collectiue (vt ſic dicam) tamẽ nullum eſt tempus, in quo non poſsit licite, & ſancte orare, in die, in nocte, & in quacunque hora diei, vel noctis. Et ideo legimus in Scriptura orationes factas in omni temporum varietate: imo Dauid dixit: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Pſalm. 33. & Chriſtus [illegible] 18. *Oportet ſemper orare.* Quod aliis modis ſupra [illegible] 1. libr. explicatum eſt. Hic autem non incommode addi poteſt, quodlibet tempus eſſe opportunum ad orandum: & ratio eſt clara: quia oratio vocalis per ſe bona eſt, & nulla conditio temporis cogitari poteſt, quæ ad illam per ſe ſit neceſſaria. Dico autem *per ſe.* quia præciſe conſideranda eſt ratio, & conditio tẽporis, ita vt in ſenſu diuiſo loquamur reſpectu aliarum actionum. Clarum eſt enim, multas eſſe externas actiones, cum quibus non poteſt ſimul fieri vocalis oratio, & ideo ſi alia actio pro alio tẽpore præcepta ſit, inde oriri poteſt circumſtantia temporis incommoda ad orandum, non ratione ipſius temporis ſed ratione alterius pręcepti imperantis aliam actionem. Vnde ſi illo eodem tempore aliquis modus orationis vocalis per breues morulas fieri poteſt, non intermiſſa actione præcepta, tempus illud pro quacunq; ſui parte diuiſim ſpectata non erit circumſtantia incongrua ad illum orandi modum.

Pſal. 33.
Lucæ 18.

Omni tẽpore poteſt oratio fieri.

4. *Oratio an debeat eſſe diuturna? D. Tho. Aug.*

Solum poteſt quæri circa hanc circumſtantiam, an vocalis oratio debeat eſſe diuturna? Quod D. Tho. quæſiuit in communi de Oratione dicta q. 83. art. 4. & reſpondet tantũ debere durare, quantum eſt vtile ad excitandum deſiderii feruorem, ita q; ſi abſque tædio durare non poſsit, non ſit vlterius protendenda, ex Auguſt. Epiſt. 121. c. 10. Quæ regula quomodo ſit applicanda ad orationem mentalẽ: ſupra dictum eſt. Applicata vero ad vocalem intelligenda in primis eſt de oratione voluntaria, nam in neceſſaria, menſura temporis eſt præceptum. Quia vero præceptum per ſe non petit durationem temporis, ſed tantam, vel talem actionem, quæ breuiori, vel longiori tempore fieri poteſt iuxta velocitatem orantis, ideo quoad hanc latitudinem poterit etiam ibi locum habere dicta regula, quia illa temporis latitudo voluntaria eſt, quę excedit minimum tempus ſufficiens, vt conuenienter fiat talis oratio.

5. *Ne aliquis tædio facile ſuperetur.*

Deinde in illa regula cauendum eſt, ne quis tædio orandi ſe facile ſuperari ſinat. Nam ſæpe poteſt tædium ex tentatione, vel ex accidia, aut mala conſuetudine oriri, & ideo ſæpe neceſſe eſt fortiter perſeuerare & contraria conſuetudine tædium vincere. Oportet ergo per prudentiam diſcernere, an merito poſsit talis, & tam diuturna oratio vocalis nimia exiſtimari in homine ſic affecto, ideoque intermittenda ſit ad vitandum tædium animæ, vel corporis defatigationem. In quo etiam aduerto duobus modis poſſe orationem vocalem relinqui, vno modo tantum vt vocalis eſt, non vero vt oratio eſt, vt quando homo ceſſat loqui lingua, vt mẽte attentius, & deuotius oret: & tunc facilius poteſt omitti oratio vocalis ad vitandum tædium animæ: imo in oratione mentali regulariter videtur conſultius, quoties videtur probabilis ſpes attentius orandi ſola mente, quam ſimul voce, quia vocẽ adhibemus, vt iuuet ſpiritum, non vt impediat. Si vero ſit oratio vocalis omnino dimittenda, tum aſsignata regula prudentiæ obſeruanda eſt, nulla enim alia certa aſsignari poteſt. Et ideo recte monuit Caietanus dicta quæſt. 83. artic. 12. neminem imponere ſibi debere tantum onus orationum vocalium, vt ab interna meditatione impediatur. Et ſimiliter cauendum eſt, ne tot multiplicentur vocales orationes, vt ſeſe quodammodo impediant, quia conſideratis aliis occupationibus non poſſunt, niſi nimia velocitate expleri. Oportet ergo prius prudenti menſura certum numerum orationum ſibi proponere, & poſtea non facile illum omittere, niſi vbi de iuſta cauſa, vel de ſpe maioris fructus conſtiterit.

1 Modus intermittendi orationem vocalem.

2. Modus.

Caiet.

Orationes vocales ne ſint in nimia multitudine.

6. *Matth. 6.*

Et iuxta hæc poſſet intelligi quod Chriſtus ait Matth. 6. *In oratione nolite multum loqui*, non enim prohibet diuturnas etiam orationes vocales, vt ſupra in ſimili diximus agendo de mentali, & litteralem ſenſum tradidimus. Nam illa prohibitio in vtraque oratione habet locum in eo ſenſu, quo à Chriſto facta eſt, non eſt autem facta abſolute, ſed cum illo addito: *Sicut Ethnici faciunt*: Orantes enim ad Deos ſuos multiplicant verba, quia exiſtimant ſibi eſſe neceſſaria, vt intelligantur, & vt perſuadeãt. Vnde ſubiungit Chriſtus: *Putant enim, vt in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſsimilari eis, ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis.* Hic ergo addere nunc poſſumus, prohiberi illud multiloquium, quod internam deuotionem impediat, & aliunde præceptum non eſt, quia cum ſenſibile eloquium cum Deo, non ſit propter Deum, ſed propter nos, multiloquium erit, ſi ſpiritum obruat: & hoc ſignificauit Auguſt. ſupra, quem etiam D. Thom. ad 1. refert dicens: *Abſit ab oratione multa locutio, ſed non abſit multa precatio, ſi feruens perſeueret intentio* &c.

Aug.
D. Tho.

7. *An ad orandũ ſit neceſſarius certus locus?*

Secundo, dicendum eſt de circumſtantia loci, de qua interrogari poteſt, an ad orandum recte ſit neceſſarius certus locus. Cum enim templa, Eccleſiæ, vel aliqua certa loca ſoleant ad officium orandi determinari, videtur id fieri ex neceſsitate orationis, nam cum ſit actio, valde ſacra videtur nõ poſſe cõuenienter fieri, niſi in loco ſacro, vel ſaltem ad illud munus ſpecialiter deputato. Reſpondeo, duobus modis poſſe hanc determinationem cogitari, ſcilicet poſitiue, & negatiue: Poſitiue appello, quod locus habere debeat certam aliquam conditionem, vt quod ſit benedictus, quod ſeparatus, vel deſtinatus ad ſolum illud opus, vel ornatus, vel quid ſimile. Negatiue autem appello, quod ſaltem habere non debeat vilem aliquam conditionem, vt quod non ſit locus immundus, vel obſcœnus. Item loqui de hoc poſſumus, vel ex ſola rei natura, vel ex iure aliquo humano.

8. *Oratio vocalis priuata non poſtulat certum locum.*

Dico ergo in primis, priuatam orationem vocalem per ſe non poſtulare certam loci conditionem, ſed in quouis loco fieri poſſe. Hæc eſt certa, & communis ſententia: & probatur primo ex Paulo 1. ad Timot. 2. dicente: *Volo, viros orare in omni loco.* ſicut Dauid dixit Pſalm. 102. *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino*: & hoc etiam ſignificauit Chriſtus Matt. 6. dicens: *Cum oraueris, intra in cubiculum tuum.* nam cubiculum nec locum ſacrum, nec ſpecialiter ad orandum deputatum ſignificat, ſed ordinarium habitandi locum, per quem ſignificare voluit Chriſtus, vbicumque opportune fieri poſsit, ibi eſſe aptum orandi locum. Idem ſumitur ex illo Ioan. 4. *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant*

1. Ad Timot. 2.
Pſal. 102.
Matth. 6.

 eum, *Ioan. 4.*

eũ in ſpiritu,& veritate oportet adorare. Quibus verbis non excludit, quin ad maiorem decentiam, & cõmoditatem poſsint certa loca ad Diuinum cultum, præſertim publicum deſtinari, (vt hæretici calumniantur, quod tractauimus in tertio to. diſp. 81. ſect. 1.) ſed docere intendit, nullum locũ ita eſſe ad hoc definitum, quin vbique poſsit orari Deus. Et ratio in eiſdem verbis inſinuatur, quia Deus vbique eſt, & vbiq; audit, ac videt, ergo etiam vbique orari poteſt, quia nulla eſt ratio, cur ſpecialis conditio poſtuletur. Item, oratio mentalis non requirit certam loci conditionem, vt ſupra oſtenſum eſt, ergo nec vocalis priuata, quia ſolum addit externam ſignificationem interni deſiderii, & immediate dirigitur in Deum, ſine vllo ſpeciali reſpectu ad locum. Tandem ſpecialis loci conditio iure naturæ non eſt requiſita, quia nulla ratione hoc oſtendi poteſt, neque iure poſitiuo, quia nullum ſcriptum inuenitur, neq; conſuetudine introductum, ergo.

Ratio aſſertionis.

9. *In loco vili non eſt malum orare vocaliter.*

Dico ſecundo: Non eſt malum orare vocaliter in quouis loco, quatũuis vili, & immundo, dummodo in eo conueniens attentio, & reuerentia ad Deũ haberi poſsit. Atque ita nulla conditio etiam negatiua per ſe requiritur ex parte loci ad honeſtatem orationis, præter hanc, quod non ſit ineptus ad attentionem habendam, quod non poteſt ex ſe habere, quatenus locus eſt, ſed quatenus in eo aliæ actiones, vel rumores fiunt impedientes attentionem. Et ita explicata concluſio videtur per ſe clara. Nauarrus autem de Orat. cap. 5. docuit ex nonnullorum ſententia, orationem debere fieri in loco honeſto non in obſcœno, & inhoneſto, quia ibi non decenter fit, refertque Ambroſium, quia explicando locum Pauli: *Volo vos orare in omni loco, &c.* addit: *ſic tamen in omni loco orandum præcipit, vt competens locus intelligatur, non vtique in opportuno, aut ſordido loco (quippe cum prohibeat Dominus vulgo orare) ſed hoc monet ne in ſola Eccleſia putarent orandum.* Similia refert ex Auguſt. Vvaldenſ. tom. 3. de Sacramental. cap. 243. n. 2. ſed neuter locum deſignat. D. Thom. autem in eundem locum Pauli, etiam dixit orationem mentalem vbique poſſe fieri, ſed ſigna orationis exterius non debere fieri omni in loco.

Nauar. *Amb.* *Auguſt.* *Vvalden.* *D. Tho.*

10. *Nauar.* *Locus prauas cogitationes ingerens orationi ineptus.*

Tamen idem Nauarrus ſtatim num. 8. hoc limitat dicens, prius dictum ſuum non habere locum in orationibus voluntariis, imo nec in obligatoriis, quãdo neceſsitas, vel ſufficiens ratio cogit ad recitandum in ſordido loco. Denique addit non tam eſſe intelligendum de loco contaminato corporis ſordibus, quam de eo, qui occaſionem præbet ſordidis cogitationibus ſeſe contaminare. Et ita tandem ſententiam à nobis poſitam defendit, adducẽs plures coniecturas, & Caſsianum Collat. 12. c. 10. Nobis vero ſufficit ratio facta, quia nullo iure poſitiuo prohibitum eſt, neque ex natura rei eſt contra rectam rationem, ſiue homo ſit in loco ſordido ex neceſsitate, ſiue voluntarie, dummodo exiſtendo ibi non actu peccet, nam tunc non poterit ſimul recte orare, non ratione conditionis loci, ſed propter actualem culpam. Hac ergo occaſione ſecluſa, non poteſt eſſe malum per ſe loquendo proferre verba laudis, vel petitionis ad Deum, quia hic actus nihil pendet ex qualitate loci, & melius eſt illum exercere, quam otioſum eſſe, & quia etiam ibi factus poteſt excitare animum ad deuotionem, ſi ergo ibi interior oratio licita eſt, cur non hæc exterior?

Caſsian.

11. *Explicatur limitatio poſita.*

Addidimus tamen limitationem de loco, in quo datur impedimentum attentioni: nam cum attentio ſit neceſſaria ad honeſte orandum, etiam eſt neceſſarium tollere impedimenta attentionis, ergo in loco, in quo fuerint talia impedimenta, orandum non eſt. Et hac ratione dixit Ambroſ. non eſſe vulgo orandum, id eſt, in foro, & vbi eſt hominum, & ſecularium negotiorum concurſus. Et hoc ipſum intelligendum eſt, quando neceſsitas non vrget ad orandum in tali loco. Vt autem hic caſus proprie occurrat, duplex neceſsitas interuenire debet: vna eſt neceſsitas exiſtendi tunc in tali loco, ſiue ſit violenta, ſiue naturalis, ſiue moralis. Alia eſt neceſsitas obligationis tunc orandi ex præcepto. Tunc enim licet impedimenta attentionis interueniant, non eſt omnino orãdi officium omittendum, tum quia ex duobus malis minus eſt eligendum: minus autem malum eſt ſic orare, quam præceptum non ſeruare: tum etiam quia illa diſtractio tunc non eſt voluntaria, & ideo non excludit attentionem virtualem, quam habere aliquis cenſebitur, proponendo attẽdere in tali loco, quãtum potuerit. Eo vel maxime, quod vix poteſt attentio adeo impediri, quin ſaltẽ ad verba pro aliquibus temporibus adhibeatur, licet frequenter interrumpatur. Conſtat autem totũ hoc eſſe extrinſecum, & accidentarium ad circumſtantiam loci.

Quando teneamur orare in loco impediente attentionem.

Vnde tertio dicendum eſt, circumſtantiam loci ſacri per ſe conferre ad vocalem orationem, ex accidenti autem poſſe contingere, vt alius locus commodior ſit. Prior pars eſt certa cõtra hæreticos, qui templa & loca ſacra ad orandum contemnunt, vt late [illegible]t, & impugnat Vualdẽſ. tom. 3. de Sacram. cap. 143. & nos id attigimus 3. tom. diſp. 81. ſect. 1. Breuiterq; explicatur: nã duobus modis poteſt eſſe locus ſacer ad orandum: primo proprie, quia ſpeciali benedictione, vel conſecratione Deo dicatus eſt: ſecundo per extrinſecam tantum deputationẽ, quia ſpecialiter dicatus eſt ad munus orandi, & ſimiles actiones ſacras. Prior locus iuuare poteſt etiã ex opere operato (vt ſic dicam) quia intercedit Diuina promiſsio, vel ſpecialis Eccleſiæ interceſsio, vt orationes ibi factæ facilius exaudiantur. Poſterior autem locus iuuare poteſt, quaſi ex opere operantis (vt ſic dicam) quia nimirum, cum apprehenditur tanquam locus, in quo peculiariter colitur Deus, maiorem reuerentiam, & deuotionem conciliat.

12. *Locũ ſacrum conferre ad orationem.* *Vualden.* *Explicatur concluſio.*

Altera vero pars etiam eſt clara, quia ſi locus ſacer ſit publicus, poteſt accidere, vt in eo ſit occaſio, aut diſtractionis, aut inanis gloriæ, ideoque vtilius ſit iuxta Chriſti conſilium, ingredi cubiculum ad orandum: & ſic etiam dixit Iſidor. lib. 3. Sent. c. 7. *Oratio priuatis locis opportunius funditur, maiuſque obtentum impetrat, dum Deo tantum teſte depromitur.* Specialiter etiam iuuare poteſt priuatus locus ad liberius exhibenda exteriora ſigna, quę attentionem excitare ſolent, vel ad loquendum altius, vel ſummiſsius, iuxta vniuſcuiuſque deuotionem: in hoc enim ſenſu dixit D. Tho. 1. ad Timot. 2. lect. 2. *exteriora ſigna orationis non debere fieri in omni loco, quia homo non debet ſingularis apparere in exterioribus, quia propter hoc haberi poſſet inanis gloria.* Hæc vero intelliguntur de oratione voluntaria, & priuata: nam in publica ſeruanda eſt Eccleſię inſtitutio, de qua infra.

13. *Locũ non ſacrum aliquando commodiorem eſſe probatur.* *Iſidor.* *D. Tho.*

Hic vero ſpecialiter inquiri poteſt de cæremonia orandi verſus orientem, quæ ad hanc circumſtãtiam pertinere videtur quam neceſſaria ſit. Nã Patres ſignificant ſeruandam eſſe ex Apſtolica traditione, variaſque illius rationes aſsignant, vnde indicant à Chriſtianis omnibus ſeruandam eſſe. Et D. Tho. 2. 2. q. 84. art. 3. ad 3. dicit, pertinere hoc ad decentiam adorationis: eadem autem eſt ratio de oratione: tres vero rationes ibi adducit. Prima eſt, quia per Orientem maieſtas Domini nobis indicatur, quam etiam tradit Iuſtinus Martyr q. 118. & Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 5. Secunda eſt, quia paradiſus in Oriente poſitꝰ erat Gẽ. 2. Gre. Nyſ. lib. de 2. Orat. circa illa verba Chriſti: *Dimitte nobis debita noſtra, nos* (inquit) *ad Orientem conuertimus:* & infra: *recordamur quemadmodum ex lucidis & orientalibus locis eiecti ſumus* Idem fere Baſil. lib. de Spiritu ſancto c. 27. Tertia ratio D. Thom. eſt, eo quod Chriſtus

14. *Verſus oriente orare an oporteat?* *D. Tho.* *1. Ratio.* *Iuſtin. Martyr.* *Aug.* *2. Ratio.* *Gene.* *Greg. Nyſ.* *Baſil.* *3. Ratio.*

Digitized by Google

Tertul. Athanaſ.

Chriſtus in Scriptura Oriens, & ſol iuſtitiæ appellatur: quam etiam indicauit Tertul. contra Valentinianos cap. 3. vt ibi adnotauit Pamelius: & Athan. libro Variar. quæſt. q. 14. vbi alias etiam congerit.

4 Ratio. Damaſc.

Quartam rationem addit Damaſcenus lib. 4. de Fide, c. 13. quia Chriſtus Dominus in Oriente crucifixus eſt, facie ad Occidentem conuerſa: vnde cum ad Orientem oramus, quaſi in Chriſti faciem intuemur. Non probat autem Damaſ. Dominum in cruce ad Occidentẽ aſpexiſſe, ſed hoc videtur ſupponere, vel ex hac, vel ex ſpeciali traditione. Nã id etiam affirmant Hieronymus Marci 15. & Beda Luc. 23. Et Sedulius, quem ipſe refert: & Caſsiod. in Pſ. 67. Non diſplicet etiam ratio, quam ſignificauit Pamelius in Scholiis ad Apo. Tertul. cap. 16. n. 247. Eccleſiam introduxiſſe conſuetudinem orandi ad Orientem, vt Chriſtiani diſcernerentur à Iudæis, qui ad Occidentem orare ſolebant: nam tabernaculum templi erat verſus Occidentem diſpoſitum: cuius rationem reddit D. Tho. 1.2. q. 102. art. 4. ad 5.

Hieron. Marci 15. Beda. Sedulius. Caſsiod. Chriſtus facie ad Orientem verſa crucifixus. 5. Ratio. Pamel. D. Tho.

15 Hæc omnia recte probant, licite & ſancte facere eos, qui hanc cæremoniam ſeruant eo ſpiritu, quo introducta eſt. Et hac ratione Epiphan. lib. 1. cõtra hereſ. in 19. damnat hæreticum quendam appellatum Elxai, qui inter alia prohibebat ad Orientem adorare, Iudaiſmum volens introducere. Nihilominus tamen verum eſt, hanc circumſtantiam non eſſe de neceſsitate orationis, vt bene notauit Hoſius lib. 4. de Traditionibus, circa medium § *examinat aliam* &c. & Durant. lib. 1. de Ritib. cap. 3. Quod maxime verum eſt in priuatis orationibus: non tenemur enim, cum priuatim oramus, de ſitu ad Orientem ſolicitos eſſe: quia nullũ eſt de hoc præceptum, nec conſuetudo fuit in hoc ſenſu introducta. Sed ſolum de orationibus publicis, quæ in templis fieri debent, quia iuxta hanc traditionem conſuetudine introductum eſt, vt templa Chriſtianorum Orientem reſpiciant. Imo hoc ipſum non exiſtimo eſſe adeo neceſſarium, vt ſi non ſeruetur ſimplici fide, ſit graue delictum: vnde Hoſius ſupra inquit: *Hac in re ſiquid erratum eſt imprudentia, veniale peccatum eſt, ac diſsimulatur non raro.* Vnde ſi ex cauſa legitima fiat, nulla erit culpa, ſi tamen id fieret in contemptum traditionis, graue peccatum eſſet, vt merito idem Auctor ſubiungit, imo vix fieri poſſet ſine ſpiritu erroris damnantis, vel omnes traditiones vel hanc in particulari, cum pia, & ſancta ſit.

Orientem verſus orare licitum ſed nõ nec ſſarium. Epiph. Elxai, hæreticus. Hoſius. Durant.

16. Tertia circumſtantia eſt modus exterior orandi, qui modus conſiderari poteſt, vel in ipſa voce, vel in geſtu, vel habitu corporis. De vtroque autẽ modo breuiter dicendum eſt, nihil in particulari præceptum, aut diffinitum eſſe quoad priuatas orationes, de quibus nunc agimus præter illud generale, quod in omni actione honeſta ſeruandum eſt, vt decenti modo fiat. Hoc conſtat, quia nihil aliud ex iure ſolo naturæ colligi poteſt, & ex humano nihil inuenitur in particulari præſcriptum. Modus autẽ decentiæ in particulari pendet ex arbitrio prudentiæ: triplicem vero reſpectum conſiderare neceſſe eſt. Primus eſt ad Deum, eiuſque maieſtatem, & excellentiam, & ex hac parte conferũt verba, & ſigna ſummiſsionis, & humilitatis, vt ſunt genuflexio, & ſimilia. Secundus reſpectus eſt ad nos ipſos orantes, & ex hac parte adhibenda ſunt ſigna, & verba, quæ animum componant, & excitent ad deuotionem, & compunctionem, &c. vt ſunt leuare manus, pectus tundere, & ſimilia: tertius reſpectus eſt ad circumſtantes, ſi adſunt, nam talis ſeruandus eſt modus, vt alios non perturbet, nec ſcandalizet, ita vt omnis hypocriſis, & gloriæ ambitio etiam in externa ſpecie vitetur.

Modus exterior orandi qualis. Triplex reſpectus in hoc ſeruandus.

17. Atque hinc colligitur, ex defectu huius circumſtantiæ non peccari grauiter, niſi altero è duobus modis. Vnus eſt, ſi exteriora ſigna reuerentiæ ex contemptu omittantur, quod vix facere poteſt, niſi aliquis hæreticus, aut atheus, aut ita obſtinatus in malo, vt Deum ipſum contemnat. Atque ita orare ad Deum cooperto capite, v. g. de ſe non eſt peccatum, vt cõſtat, ſi tamen fieret ex cõtemptu eſſet grauiſsimum peccatum, quia eſſet grauis iniuria Dei. Secundo poſſet eſſe culpa grauis ratione ſcandali, vt ſiquis publice orando abſque ſignis externis reuerentiæ malã fidei ſuæ ſuſpicionem præberet, vel alios ad peccãdum grauiter prouocaret. Extra hos autem caſus non apparet culpa grauis, venialis autẽ ſæpius cõmitti poteſt, vel omittendo conſuetũ modum in oratione, quæ in publico fit, ſine rationabili cauſa, vel ex nimio amore corporalis commoditatis, maxime quando ad deuotionem, & attentionẽ moraliter iuuat, quod ſæpe experientia ipſa conſtare poteſt.

In exteriori modo orandi quando fiat graue peccatum.

CAPVT VIII.

Dominicæ orationis breuis explicatio.

Matth. 6.

1. QVamuis multi Patres, & grauiſsimi Scriptores antiqui, & moderni hanc orationem locuplenter explicauerint, vixque poſsimus eorum eruditioni quippiam vel minimum adiungere: nihilominus ad huius operis complementum, neceſſariũ viſum eſt, non omnino hanc expoſitionem omittere, tum quia ad ſcholaſticam doctrinam hoc etiam pertinet: tum etiam quia grauiſsimam materiam, & ad alias Theologiæ partes neceſſariam continet, q etiam D. Tho. obſeruauit 2.2. q. 83. art. 9. cuius breuitatem imitari conabimur. *D. Tho.*

2. Primo igitur ſupponendum eſt inter omnes formas orandi haſtenus hominibus datas, Dominicã orationem tenere primum locum dignitatis, & excellentiæ: tum propter Auctoris eminentiam, tum etiã quia ſumma breuitate, & mirabili diſpoſitione, ac ordine omnes partes orationis, & vniuerſam orandi materiam complectitur, vt notarunt Patres omnes, qui vel illã, vel Euangelia expoſuere, quos in ſequentibus indicabimus, conſtabitque ex breui eiuſdem orationis expoſitione. Duas enim principales partes continet, præambulum illis verbis cõtentum: *Pater noſter, qui es in cælis:* & petitiones in reliquis omnibus verbis: de quibus petitionibus controuerſum eſt, an ſint quinque, ſex, vel ſeptem: quid autem definiendum ſit poſt annotationes circa ſingulas melius concludemus.

Dominica oratio primũ locum tenet, inter orationes. Oratio Dominica duas partes habet.

3. Præambulum continet primam partem Orationis ex illis, quas numerauit Paulus 1. ad Timot. 2. Et *orationes* appellauit: nam dicendo *Pater noſter*, docemur, primum omnium eleuandam eſſe mentem in Deum, quam eleuationem ibi ſignificari voluit D. Thom. nomine orationis, vt ſupra vidimus: & ideo fortaſſe primo loco poſita eſt à Paulo ad Epheſ. 6. & ad Philippenſ. 4. Vnde Gregor. Nyſſenus lib. de Orat. hæc verba exponens, dicit: *Aſcenſum largitur ad ipſum cælum, & infra. Ita per Orationem homines ad Deum adducit: hæc eſt enim verborum vis, quibus non voces quaſdam, quæ per ſyllabas pronuncientur, per ſermonem diſcimus, ſed rationem aſcendendi ad Deum, per ſublime inſtitutum vitæ confectam, & expeditam.* Quocirca illud nomen *Pater* probabiliter poſſet dirigi ad primã perſonam, prout de illa ſolet per proprietatẽ dici, longe tamen probabilius eſt accipi, vt eſt nomẽ commune toti Trinitati, vt ſentiunt Cyprianus in Expoſitione Orationis Dominicæ, Tertul. lib. de Orat. cap. 2. Gregor. Nyſſen. in Expoſitione eiuſdem Orationis, Venantius in ſimili expoſitione tom. 2. Bibliothec. Amb. 5. de Sacram. cap. 4. & Auguſt. ſerm. 116. de Tempore: omnes enim hi Patres notant eum, qui Patrem inuocat Deum, ſe recognoſcere filium non per naturam, ſed per gratiam: vn-

Præambulũ quid contineat. 1. Tim. 2. D. Tho. Epheſ. 6. Philip. 4. D. Greg. Nyſſe. Nomen, Pater, in Orat. Dominica cui refertur. D. Cypri. Tertul. Greg. Nyſ. Venant. Amb. Aug.

Digitized by Google

gratiam: vnde Auguſtinus ſic incipiendo ait: *Bonitatem, & gratiam profitemur*: & Cyprian. *Scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quaſi filii Dei agere debemus.* Et ſimilia multa habent reliqui: conſtat autem hoc modo appellationem Patris communem eſſe toti Trinitati: vnde Ambr. *Dic ergo tu per gratiam Pater noſter, vt filius eſſe merearis* Conſiderandum autem eſt, quod licet etiam ante Chriſti aduentum omnes iuſti adoptarentur in filios Dei: & ita etiam poſſent orare *Pater noſter*, nihilominus proprium fuit Legis gratiæ hanc generalem formam habere omnibus maioribus, & minoribus propoſitam: & ad Chriſtũ ſpecialiter pertinuit illã tribuere: nam, vt Auguſtinus ait: *Per ipſum hæc fiducia præſtita eſt, quotquot enim receperunt eũ, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri.*

Magis propriè in lege gratiæ vocatur Deus Pater.

4. *Cur, Pater noſter, & nõ Pater mi, dicamus.* Matth 26. Ioan. 20. *Amb.* *D. Cypri.*

Atque hinc etiam conſtat, cur dictum eſt, *Pater noſter*, & non *Pater mi*: hunc enim poſteriorem modum ſibi reſeruauit Chriſtus tanquam ſibi propriũ, Matth. 26. *Pater mi, ſi poſſibile eſt.* Alter enim Chriſtus eſt filius, quam nos: ille ſpecialiter, nos cõmuniter: quod docere voluit ipſe Dominus, cum Ioan. dixit, 20. *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*, vnde Amb ſupra: *Noli tibi ſpecialiter vendicare, ſolius Chriſti ſpecialis eſt Pater, nobis omnibus in communi eſt.* Addit præterea Cyprianus, vnitatis magiſtrum non dixiſſe Pater meus, ſed Pater noſter, vt indicaret, orationem debere eſſe ex communi charitate profectam: dum enim omnes dicimus, *Pater noſter*: omnes nos fratres eſſe fatemur, ſicut ipſemet Chriſtus alibi docuit, dicens: *Omnes vos fratres eſtis, & Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter qui in cælis eſt.* Matth. 23. Docemur etiam illo verbo, vnumquemque debere orare non pro ſe tantum, ſed etiam pro aliis, & pro vniuerſa Eccleſia: & ideo in omnibus etiam petitionibus, quibus nobis aliquid petimus, idem pluralis numerus in idem pronomen referendus eſt, quod notarunt Cyprian. Auguſt. & Ambroſ. locis citatis Chryſoſt. & alii Græci.

Matth. 23. Non pro nos ſolum ſed pro aliis debemus orare. Cypri. Aug. Amb. Chryſoſt.

5. *Qui filii ſint hic comprehenſi.*

Quæri vero poteſt, quinam filii ſint ſub illa particula *noſter* comprehenſi? Reſpondent aliqui, ſolum eſſe fideles credentes in Chriſtum, quia illi ſolum poſſunt hanc orationem dicere, & quia illi ſunt ſpeciali modo filij: ita indicat Auguſt. ſed credo cõprehendi omnes viatores, nam pro omnibus orandum eſt, vt dicitur 1. ad Timot. 2. & petitiones huius orationis ad omnes ſe extendunt, vt videbimus. Et Deus omnium ſaluator eſt, licet maxime fideliũ. Et ita etiam *vnus Deus Pater eſt omnium*, vt dicitur ad Epheſ. 4. & vt talis poteſt ab omnibus inuocari, ſi per eos non ſtat. Et hoc ſufficit, vt ſub illa voce cõprehendantur, alioqui nec fideles peccatores comprehendi deberent, quia illi etiam non ſunt propriiſſime filii adoptiui, licet maiorem inchoationẽ quandam habeant, quam infideles.

Auguſt. 1. Tim. 2. Ephe. 4.

6. *Quare Deus in cælis eſſe dicatur.*

Additur autem, *Qui es in cælis*, non quia Deus nõ ſit etiam in terra, & vbique, ſed quia in cœlo maieſtatem ſuam ſingulari modo oſtendit, vel in creatione, conſeruatione, & gubernatione ipſorum cœlorũ, quæ inter corpora nobiliſsima ſunt, vel quia in illo loco ſanctos homines, & Angelos beatificat: & ita locũ illum quaſi curiam regiã deſignauit, ibique thronum regni ſui collocauit, vt latius in 1. p. tractatur. Poſuit autem Dominus particulam illam in principio orationis ſuæ, primo ad ſubleuandam mentẽ ad conſiderationẽ Diuinæ maieſtatis, vt non ſolũ tanquam ad Patrẽ, ſe tanquã ad regem, & Dominum cæli, & terræ cum amore, & timore accedamus Secundo fecit mentionem exiſtentis Dei in cęlo, *vt à terris abducat orantem*, vt ait Chryſ. Hom. 20. in Matth. id eſt, vt doceat nos, quæ ſurſum ſunt, quærere, non quæ ſupra terrã. Ita fere Caſſian. Collat. 9. c. 28. & Auctor imperfecti Hom. 14. Item vt ſciamus proprium orationis munus eſſe, vt per eam noſtra conuerſatio in cælis ſit ex Auguſt. Serm. 182. de Tempore. Et fortaſſe hinc manauit antiqua conſuetudo Chriſtianorum orantium ſuſpiciendo in cœlum manibus expanſis, & capite nudo, vt Auctor eſt Tertul. in Apol. cap. 30. Addo tandem nonnullos Patres metaphorice exponere nomen *Cæli*, pro anima iuſti, in qua Deus tanquam in cœlo habitat. Ita Aug. lib. 2. de Ser. Domini in Monte c. 9. Amb. 5. de Sacram. cap. 4. Cyrillus Ieroſol. Catheche. 5. Myſtagogica. Quæ expoſitio ita admittenda eſt, vt litteralis non excludatur, ſed potius ſupponatur. Eſt vtilis, vt orans diſcat Deum intra ſe quærere, & tanquam in proprio loco, & templo illum venerari.

1. Ratio. 2. Ratio. Chryſoſt. Caſſian. Imperf. Auctor. 3. Ratio. Aug. Tertul. Aug. Ambr. Cyril. Ieroſol.

7. *Præambulũ Dominicæ Orat. eleuat mentem ad Deum.*

Ex quibus ſatis declaratũ eſt, quam perfecte præambulum hoc eleuet totam mentem in Deũ, quod eſt primum orationis officium, in illis enim verbis continetur acceſſus ad Deum per fidem tanquam ad Patrem, & principium totius noſtri eſſe, non tãtum per naturam, ſed etiam per gratiam & tanquã ad finem vltimum, & obiectum beatitudinis, quam in cælis ſperamus. Exitatur etiam charitas, *quia filiis nihil debet eſſe charius, quam Pater*, atque ita docemur accedere ad Deum cum filiali amore, ac reuerentia. Denique roboratur etiam fiducia, quæ ad orandum maxime neceſſaria eſt. Ita fere Aug. dicto ſerm. 182. de Tempore, vbi etiam quandam impetrandi fiduciam ex illis verbis generari dicit: *Quid enim* (ait) *iam non det filiis petentibus Pater, qui iam hoc ipſum dedit, vt eſſent filii?* Cui conſonat Chriſti argumentatio Matth. 7. *Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Hoc ipſum proſequitur Auguſt. lib. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 4. vbi etiam addit, per hoc præambulum captare orantem Diuinam beneuolentiam, quod in omni petitione maxime neceſſarium eſt. Vnde ſi quis attente conſideret, etiam virtute continent illa verba laudem Dei, & gratiarum actionem, recognoſcẽdo ſummum beneficium eius, & obſecrationem, proponendo illi titulum filiationis, & Paternitatis ad obtinenda, quæ petenda ſunt.

D. Aug. Matth. 7. D. Aug.

8. *Petitiones contentæ in Dominica. orat.*

Secundo loco ponuntur petitiones, & optimo ordine (vt etiam Auguſt. citatis locis notat) prius petuntur, quæ ad honorem Dei pertinent, deinde quæ ad nos, iuxta illud Matth. 6. *Quærite primum Regnum Dei.* Prima ergo petitio eſt. *Sanctificetur nomen tuum* In quibus verbis duo inquiri poſſunt, primo, quid per nomen intelligatur, ſecundo, quæ ſanctificatio eius poſtuletur? Et nomen quidẽ quod ad rem præſentem attinet, duobus modis præcipue ſolet in Scriptura ſumi, primo pro fama, ſeu exiſtimatione, quæ de aliquo habetur, ſic à multis exponitur illud Pſal. 47. *Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ*, id eſt, ſecundum cognitionẽ, quã de te habent, ſic eſt laus tua, clarius. Prouerb. 22. *Melius eſt nomen bonum*, id eſt, fama bona, *quam multæ diuitiæ: & curam habe de bono nomine.* Eccleſi. 41. Aliter nomen vniuſcuiuſque dicitur, quod ad ſignificandam eius perſonam impoſitum eſt. Vtroque autem modo poteſt in præſenti ſumi. Et priori quidem modo nomẽ Dei ſanctificari nihil aliud eſt, quã Diuinam maieſtatẽ, & ſanctitatem ab hominibus cognoſci, & pro illius dignitate æſtimari, & laudari. Et ita ſentit Greg. Nyſſen. dicens idem eſſe petere, vt nomen Dei ſanctificetur, quod petere, vt glorificetur in nobis. Et Auguſt. dicto lib. 2. cap. 5. *Petimus, vt nomen Dei ſanctum habeatur ab hominibus, & ita illis innoteſcat Deus, vt non exiſtiment aliquid ſanctius, quod magis offendere timeant.* & eodem ſenſu dicunt alii Patres, illa verba eſſe optantium, vt Deus ſanctificetur in nobis, ſeu vt cognoſcatur, & veneretur ab hominibus. Et ideo D. Thomas ſupra

9. Aug. Matth. 6. 1. Petitio. Pſal. 47. Prou. 22. Eccleſi. 41. D. Greg. Nyſ. Aug. D. Tho.

Digitized by Google

ſupra dixit, hanc primam petitionem pertinere ad amorẽ Dei propter ſe, quia gloriã eius poſtulamus.

9. Si autem nomen accipiatur pro ipſomet nomine Dei, idem fere redit ſenſus, petimus enim, vt nomẽ Dei cum debito honore tractetur, nam illi peculiaris reuerentia debetur. quia *nomen Dei magnum eſt ad timendum, ſanctum ad venerandum, dulce ad meditandum, copioſum ad miſerendum, efficax ad impetrandum, virtuoſum ad ſaluandum, occultum ad ſciendum,* vt ex Scriptura recte docet D. Tho. Iſai. 56. Hæc autem præcipue dicuntur de nomine ratione rei ſignificatæ, vnde cum petimus ſanctificari nomen Dei, præcipue petimus, vt Deus ipſe in nobis honoretur, honoratur autem per cognitionem, amorem & laudem, & ita idem ſenſus retinetur. Addidit vero Cyprianus, hic peculiariter poſtulari perſeuerãtiæ donum, quem imitatur Amb. 5. de Sacram. cap. 5. Fortaſſe quia cum Patrem oramus, ſanctificati eſſe debemus, tanquam filii, & ideo petimus, vt eius ſanctitas in nobis perſeueret, qua ſemper ipſe magis ſanctificetur in nobis. Quam ſententiam multum commendat Aug. lib. de Bono perſeuer. c. 2. & Ser. 135. de Tempore, magis propter veritatem doctrinæ, quam propter interpretationem propriam huius petitionis.

D. Tho. Iſai. 56. D. Cypri. D. Amb.

10. *2. Petitio.*

Secunda petitio eſt: *Adueniat regnum tuum.* In qua duo etiam interpretatione indigent, ſcilicet de quo regno Dei ſit ſermo, & quomodo illud aduenire petamus, cum Deus vbique regnet, & non poſſit non regnare. Quoad primum certum eſt, non eſſe ſermonem de regno Dei, prout conſiſtit in ſupremo Dominio, quod Deus in omnes creaturas habet, nã hoc inſeparabile eſt à Diuina maieſtate, ex quo mũdum creauit & conſeruat. Vnde omnes Patres cõueniunt, eſſe ſermonem de regno Dei, quo peculiariter regnat in iuſtis: cuius regni acquiſitio, vt ſic dicam, pendet ex hominum libertate, & per Dei auxilium perficienda eſt, & ideo à Deo poſtulatur, vt adueniat regnum eius. Hoc autem regnum incipit in hac vita per gratiam, nam ſicut peccatum regnare dicitur in iniuſtis ad Rom. 6. ita Deus regnat per gratiam in iuſtis, iuxta illud Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt.* Et ita de regno Dei in Eccleſia militante intellexerunt hãc petitionem Ambr. & Cyrillus Ioroſol. citatis locis, Hieronymus Matth. 6. Caſſiã. Collat. 9. c. 18. & Germa. in Expoſit. Orationis Domin. tom. 1. Biblioth.

Quod regnũ hic à Deo petatur. Rom. 6. Luca 17. 1. Sententia. D. Amb. D. Cyril. Ieroſol. D. Hier.

11. *Caſsian. Germa. 2. Sententia. D. Cypr. Tertul.*

Alij vero potius volunt hoc intelligi de regno æternæ beatitudinis, vt Cyprian. Tertul. & Chryſoſt. ſupra, fortaſsis quia per gratiam viæ non regnat in nobis pacifice Deus (vt ita dicam) ſed ſemper eſt in pugna, & periculo regnum eius in vnoquoque noſtrum. Vnde aliqui addunt, non vtcunque poſtulari regnũ Dei in beatitudine, ſed completum, & conſummatum, quale erit in fine mundi, quando Deus erit omnia in omnibus 1. ad Corint. 15. Quod ſignificauit Theophil. Matt. 6. dicens, *Poſtulari ſecundum aduentũ Chriſti, reſurrectionem, & iudicium.* Et Ruper. lib. de Glor. & honor. filij hominis dicens *quid oramus, adueniat regnum tuum? videlicet vt regi regni eius omnia ſint ſubiecta, totumque compleatur quod Pſalmiſtæ dixit, omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Sed nullum eſt inconueniens, quod hæc omnia poſtulari in hac petitione intelligantur, vt ſignificauit Petr. Laodicen. in Expoſitione eiuſdem orationis tom. 1. Bibliot. Poſtulamus enim, vt regnũ Dei ſtatim inchoetur, perſeueret, & creſcat, donec conſummetur.

Theophil. Rupert. Sententia Auctoris. Petrus Laodic.

12. *Obiectio.*

Dices: Ergo per hoc non aliquid Deo petimus, ſed nobis, cum tamen Chriſtus non noſtrum, ſed Dei regnum poſtulare nos doceat? Nam vt in principio diximus, tres primæ petitiones ad Deum ipſũ pertinent. Reſpondeo, concedendo per hanc petitionem magnum quidem bonum ipſimet oranti, & pro quibus oratur, poſtulari. Imo iuxta ea quæ in 1. li. diximus, inſeparabile hoc eſt ab omni oratione quia non tam Deo, quam nobis ab ipſo Deo poſtulamus: & è conuerſo licet nobis petamus, poſſumus propter Deum, vel (vt ſic dicam) pro Deo ipſo principaliter petere, id eſt, intuendo principaliter ad gloriam, & honorem eius. Vtrumque ergo in hac petitione ſeruatur: nam ſine dubio aliquid nobis petimus, ſiue illud ſit gratia, ſiue gloria, ſiue ſit Spiritus ſanctus, ... vt poſſimus ſpiritu, & veritate adorare Patrem. Hoc enim eſt regnum eius, adorari (ſcilicet) & coli ab hominibus propter ſe ipſum, ſicut expoſuit Nilus lib. de Orat. c. 55. & Greg. Nyſſen. in Orat. de filij & Spiritus ſanct. Diuinitate, cuius fragmentum refertur tom. 3. Biblio. vbi ait loco illorum verborum, *Adueniat regnum tuum,* habere in Luca *Adueniat Spiritusſanctus in nos, & nos expurget.* Quę tamen Lectio nunc in Luca non habetur. Vocat autem ibi Spiritum ſanctum regnum Dei, quod intelligendum arbitror, quatenus in nobis cauſat gratiam, per quam in nobis regnat. Petimus ergo nobis magnum quoddam bonum, intuendo tamen præcipue ad ipſum Deum, vt reddatur Deo, quod Dei eſt, ita adueniat regnum eius. Vnde dixit Aug. lib. 2. de Serm. Domini in Monte, his verbis peti, vt gloria Dei manifeſtetur hominibus, vtique in gloriam eius, & vt ipſe regnet in nobis.

Satisfit. Nilus. Gre. Nyſſ. Aug.

Tertia petitio eſt: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.* Multiplex voluntas Dei à Theologis diſtinguitur: vna eſt voluntas beneplaciti abſoluta, & efficax: alia eſt voluntas, quæ vocatur ſigni, id eſt, quæ per ſigna illa manifeſtatur, quæ ſunt præceptum, conſilium, prohibitio, & ſiquæ ſunt alia. Dicunt ergo aliqui hæc verba non poſſe intelligi de voluntate efficaci, & abſoluta, nam hæc talis eſt, vt ei reſiſti non poſſit. Eſther. 13. & ideo nõ eſt, quod petamus, vt illa voluntas fiat, ſemper enim fit, & tam infallibiliter in terra, ſicut in cœlo. Dicũt ergo, illa verba intelligenda eſſe de voluntate ſigni: nam hoc ſignificauit Chriſt. addens, *Sicut in cœlo, & in terra:* nam hæc voluntas ſigni eſt, quæ non ita impletur in terra, ſicut in cœlo, & ideo poſtulare debemus vt à nobis impleatur. Dico tamen neque omnem efficacem voluntatem ab hac petitione eſſe excludendam, neque omnem voluntatem ſigni eſſe includendam. Primum probatur, quia voluntas illa qua Deus decreuit Chriſtum mori pro nobis, efficax, & beneplaciti fuit, & tamen de illa intelligitur, quod Chriſtus ipſe orauit: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Ergo ſimile quippiam nos poſtulare poſſumus, cum dicimus. *Fiat voluntas tua* Item volũtas, qua Deus elegit prædeſtinatos, abſoluta, & beneplaciti fuit: & tamen recte poſtulamus à Deo, vt impleatur: nã id recte deſideramus. Secundum patet, quia permiſsio numerari ſolet inter volũtatẽ ſigni, & tamẽ nõ petimus, nec petere, aut deſiderare poſſumus, vt quicquid Deus permittit, à nobis fiat.

13. *3. Petitio. Quæ voluntas Dei fieri petatur. Eſther. Reſolutio.*

14. *Petitio intelligenda de voluntate cõplacentia.*

Dicendũ ergo cenſeo, hanc voluntatẽ intelligẽdã eſſe de voluntate Diuinæ cõplacẽtię. qua Deus aliquid fieri intẽdit, vel cupit ſiue illa ſit omnino abſoluta, quę per Antonomaſiã beneplaciti vocatur & decretũ efficax, ſiue ſit cõditionata ex parte obiecti, quæ ſolet dici ſimplex cõplacentia, & volũtas antecedẽs ſecundũ peculiarẽ rationẽ. Quod ergo hic ſit ſermo de volũtate beneplaciti abſtracte ſumpta, patet primo ratione: quia id petimus his verbis, quod optandũ maxime à nobis eſt, vt fiat quicquid placet Deo, quomodocunq; placeat. ſi ex ſe, & ex ſola ſua bonitate placet, hoc enim eſt proprium beneplaciti Dei, ergo hoc poſtulamus. Secundo item patet ex verbis ſubiunctis. *Sicut in cœlo, & in terra.* Nam in cœlo Beati appetunt, vt huiuſmodi voluntas Dei impleatur, ſed in hoc petimus aſsimilari Angelis, & Beatis, vt communiter Patres exponunt

Ratione probatur.

exponunt locis iam citatis, & ſtatim referendis. Eſt ergo hic ſenſus litteralis, licet allegorice exponatur etiam de concordia inter carnem, & ſpiritum. Tertio, cum Chriſtus Ioan. 4. dixit, *Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me*, non de ſola voluntate abſoluta, aut efficaci locutus eſt, ſed de quacũque voluntate beneplaciti, in omnibus enim deſiderabat fieri, quæ magis Deo placent, ſiue per decretũ abſolutũ, ſiue per aliud genus voluntatis placeant, ergo hoc modo docuit nos petere, vt Dei voluntas impleatur. Quarto, hoc modo cõplectimur varias Patrum expoſitiones, nã Aug. ſæpe exponit de voluntate præcipiente, ita vt petamus obſeruationẽ præceptorum Dei, vt Ser. 135. de Tempore, & li. 2. de Ser. Domini in Monte c. 6. & Epiſt. 121. c. 11. Caſsian. autem Collat. 9. c. 20. exponit de voluntate antecedente, qua Dominus vult omnes homines ſaluos fieri: Tertul. de conformitate cum Diuina voluntate in omnibus, quæ nobis eueniunt, Amb. de voluntate, qua Deus cupit pacem eſſe in hominibus in terra, ſicut eſt in cœlis, & alia ſimilia tradũtur à Patribus, quæ non ſunt repugnantia, ſed comprehenduntur in beneplacito Dei.

Ioan. 4. *Aug.* *Caſsian.* *Tertul.* *Ambroſ.*

15. *Occurritur obiectioni.* *Chryſoſt.* *Euth.*

Vt autem occurramus obiectioni inſinuatæ in priori ſententia, addendum eſt, nos non poſtulare tantum vt faciamus voluntatem Dei, ſed ſimpliciter vt fiat, quod notarunt Chryſoſtomus Homil. 14. Imperfecti, & Euthymius Matthæi 6. Duo ergo poſtulamus, vnum eſt, vt fiat voluntas Dei à nobis, & hoc pertinet ad voluntatem ſigni, non omnem, ſed illam, quæ in aliqua complacentia Dei fundatur, vt quæ per præceptum, vel conſilium manifeſtatur. Non tamen excludit voluntatem beneplaciti abſolutam, quia licet hæc non ſit neceſſaria ad præceptum, vel conſilium, optimè tamen cũ illis eſſe poteſt, & licet ſit efficax, nihilominus per nos implenda eſt, & ſæpe medium ad hoc prędeſtinatum eſt oratio. Secundo, etiam petimus, vt voluntas Dei fiat in nobis, & non ſolum à nobis, ſed quouis modo, nam ad hoc totum cõprehendendũ indefinite poſitum eſt *Fiat*, vt Chryſ. notauit Hom. 20. in Matt. Petimus item, vt fiat voluntas in nobis, vel in mundo, etiamſi non per nos exequenda ſit, neque à nobis pendeat, quia poſtulamus conformitatem cum Diuina voluntate in omnibus diſpoſitionibus ſuis, quæ ipſi placent, quæ conformitas locum habet nõ tantũ reſpectu voluntatis ſigni, ſed maxime reſpectu voluntatis beneplaciti quantumcumque efficacis, & in hac conformitate cupimus maxime Beatis aſsimilari.

Chryſoſt.

16. *Difficultas circa tres petitiones.*

Vna tantum ſupereſt difficultas circa has tres petitiones: quia iuxta expoſitiones datas non videntur differre, niſi tantum in vocibus: nam Deus non aliter ſanctificatur à nobis, niſi dum eius facimus voluntatem, & regnum eius in nullo alio conſiſtit quam in hoc, quod fiat voluntas eius, nam in reliquis, vt diximus, neceſſario, & per ſe habet vniuerſarum rerum dominium, & imperium, ergo idẽ eſt petere, vt ſanctificetur Deus, quod petere, vt voluntas eius fiat. & è conuerſo idem eſt fieri voluntatem Dei, & ſanctificari nomen eius. Reſpondeo, fortaſſe non ita hæc diſtingui, quin virtute vnumquodq; cætera includat, & omnia inter ſe cõnexionem habeant, vt obiectio ſuadet. Nihilominus tamen vt petitiones ſint diuerſæ, ſatis eſt quod ſecundum rationes ſpecificas, & in eis expreſſas diſtinctionem habeant. Cum autem hæ petitiones ſint de bonis extrinſecis Dei (vt ſic dicam) proprie diſtingui debent ex donis diuerſis, quibus Deus à nobis attingitur, & quibus honoratur in nobis, & à nobis. Sic igitur poſſunt hæ tres petitiones tribus virtutibus accõmodari. Diximus enim Deum ſanctificari in nobis, dum de illo habemus condignam exiſtimationẽ, hæc eſt enim fama, & gloria nominis eius quam fides nobis conciliat, & proxime, ac formaliter confert, eſt ergo illa petitio fidei. Deinde regnũ Dei ſimpliciter, & per Antonomaſiã eſt regnũ beatitudinis, in quod per ſpẽ principaliter reſpicimus, & quodãmodo illo frui in hac vita incipimus, iuxta illud: *Spe gaudentes*, recte igitur ſecunda petitio ſpei accommodatur. Tertia vero ad charitatem maxime pertinet, nam amor Dei perfectus debet eſſe obedientialis, & ex toto corde, ſeu quod idẽ eſt ex tota voluntate, quæ nihil aliud velit, niſi q; Deus vult.

Solutio.

1. Petitio ad fidem ſpectat. *2. Ad ſpem.* *3. ad Charitatem.*

17. *Alia ſolutio eiuſdem difficultatis.*

Vel certe poſſumus in prima petitione includere dilectionem Dei, qua ſanctificamur, & fidem, ac ſpẽ ſupponit, quia hoc modo Deus perfecte ſanctificatur in nobis, & tunc alię duæ virtutes, quibus maxime Deo coniungimur poſt Theologales virtutes, aliis duabus petitionibus correſpõdent. Vna dici poteſt iuſtitia ad Deum, ſiue illa ſit Religio, ſiue Pœnitentia, ſeu quæuis alia, quæ ius Diuinum ſeruat illæſum, quod maxime pertinet ad regnum Dei in nobis, petimus ergo hanc iuſtitiã, ſcilicet, vt nõ peccatũ, ſed Deus regnet in vnoquoq; noſtrum. Altera virtus eſt, Obedientia ad Deũ, quam in tertia petitione manifeſte poſtulamus. Quæ omnia ſumi poſſunt ex Patribus citatis, qui etiam aliis modis ad varias virtutes, vel dona Spiritusſancti has petitiones accommodant, vt infra referemus.

18. *4. Petitio.* *Cypri.* *Euchariſtiæ Sacramentũ petimus.*

Quarta petitio eſt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Duo breuiter explicanda ſunt, quid petatur, & modus petendi. De primo duplex eſt expoſitio, vt his verbis notauit Cyprianus. *Poteſt ſpiritualiter, & ſimpliciter intelligi, & vterque intellectus vtilitati Diuinæ proficit ad ſalutem.* Spiritalem intellectum vocat, ſi per Panem intelligamus Chriſtum in Euchariſtia, qui panis eſt verus, & qui de cœlo deſcendit: appellat autem hunc ſenſum ſpiritualem non quia metaphoricus ſit, & non litteralis, ſed quia hoc modo continet petitionem bonorum ſpiritualium & non tantum corporalium. Fundari autem poteſt hic ſenſus, primo in illa particula *noſtrum*: nã panis Euchariſtiæ proprius eſt Eccleſiæ, & fidelium, quorum hęc eſt oratio, materialis enim panis communior eſt. Secundo in nomine Græco, ἐπιούσιον. quod ad litteram *ſuperſubſtantialem* ſignificat, vt Hieronymus vertit. Fauetque multum huic lectioni, quod in vltima editione Sixti V. & Clem. VIII. illa ſola retenta eſt. Proprie autem Euchariſticus panis ſuperſubſtantialis dicitur, quia eſt Diuinus, & Diuinitatem ſimul cum humanitate in ſe continet. Tertio in hoc ſenſu eſt petitio maxime conſentanea doctrinæ Chriſti docentis nos ſpiritualia procurare, nam cætera adiicientur nobis. Dum autem præcipuum Sacramentorum petimus, reliqua, quę ad illius honorem, & conuenientem vſum ordinãtur, poſtulamus. Atque ita cum in tribus primis petitionibus contineantur virtutes omnes, quibus interius ſanctificamur, & conſequenter omnia auxilia, quibus ad illas obtinendas excitamur, & adiuuamur, in hac vero quarta petimus dona Sacramẽtorum, & bonum illorum vſum, & conſequenter omnia externa ſubſidia, quibus perfecta vnio cum Chriſto nobis comparatur.

Hier. *Sixti V.* *Clemen. 8.*

19. *Cur petimus Euchariſtiæ panem, quẽ iã habemus*

Dices, Cur ergo, petimus hunc panem, qui, iam nobis datus eſt, vel cur addimus *hodie*, cum quotidie cõmunicare neceſſarium nõ ſit, vel cum nõ ſolum pro præſenti die, ſed etiam in craſtinũ & in perpetuum talis panis deſiderandus ſit? Ad priorem partem reſpondeo cum Tertul. poſtulare nos hunc panem, quem iam Chriſtus ex ſe nobis dedit, ne culpa noſtra illius fructu careamus. Petimus itaque & affectum accedẽdi ad hunc panem, vel ſi oratio deſiderium ſupponit, petimus perſeuerantiam in illo, & conuenientem executionem, ac effectũ eius. Ad alteram partem reſpõdetur in primis, non poſtulari tantum, quod ſimpliciter neceſſarium, ſed etiam quod

Satisfit Tertul.

Digitized by Google

quod eſt maxime vtile. Vnde Chriſtus licet nō poſuerit neceſsitatem quotidie communicandi, tamē quantum eſt ex ſe, cupit omnes quotidie communicare, & ideo oratione ſua nos inducit, vt quotidie parati ſimus, & ſingulis diebus panē hunc petamus. Eo vel maxime quod pro quocunq; die ſumi poteſt hic panis, & ab aliquibus in Eccleſia quotidie ſumitur, etiam ſi non ab omnibus ſumendus ſit. Quod autem addimus *hodie*, non eſt, quia pro futuro etiā tempore peti non poſsit ſed quia ſingulis diebus affectus illius, & peculiaris diſpoſitio ad illum recipiendū procuranda eſt. Atque ita explicatus hic ſenſ eſt valde cōmunis apud Patres, vt ſtatim adnotabo.

10. *Panem materialem hic etiam petimus.* Alter verò ſenſus eſt, vt petitio hæc intelligatur de pane materiali ſeu temporali, quem Patres etiam admittunt. Præſertim Chryſoſt. & Auctor operis imperfecti, quorum ſententia ita à nobis acceptanda eſt, vt prior ſenſus non excludatur, ſicut etiā è conuerſo prior expoſitio non debet hanc poſteriorem excludere, vt rectè D. Tho. in d. art. notauit: & exiſtimo eſſe communem ſententiam Patrum: nam multi de vtroq; modo expreſſe declarant, vt Cypr. Tertul. Greg. Nyſ. German. Venant. Petrus Laudic. Alij verò licet vnum, vel alterū ſenſum ponāt, vt Chry. & Hier. in Matt. & Amb. & Cyril. & Caſſian. locis ſupra citatis, non excludunt tamen alium ſenſum, quamuis de illo taceant: vnde D. Aug. licet lib. 2. de Serm. Domini in Mōte, c. 7. alter ſentire videatur, nihilominus in Epiſtola 121. cap. 11. vtramque expoſitionem admittere videtur. Nec repugnat in eiſdem verbis vtrumque ſenſum contineri, tum quia in eadē ſententia Scripturæ poſſunt eſſe multi ſenſus litterales, tū etiā quia nomen *Panis*, ſuo modo commune eſt Sacramentali, & materiali pani. Iuxta hunc autem poſteriorem ſenſum nomen *Panis*, comprehenduntur omnia neceſſaria ad hanc vitam tranſigendam, vt eſt communis phraſis Scripturæ: imo etiam ſpiritualia ſubſidia ſub illa voce comprehendi poſſunt, vt dictum eſt, & ſtatim amplius explicabitur. Indicatur autem in illo modo petendi quanta moderatione ſint hæc temporalia deſideranda & petenda. Et ideo additur *noſtrum* id eſt, qui ad nos pertinet, quem iure, ac honeſte deſiderare poſſumus, & qui ad noſtrā indigentiā ſubleuandam creatus eſt. Additur etiam *hodie*, vt admoneamur non debere nos eſſe ſolicitos de craſtino, vt infra eodem cap. Matt. docemur. Et ita conſtat, nō repugnare petitionem hanc aliis Chriſti cōſiliis, etiamſi de pane materiali intelligatur.

Chryſoſt. Auctor Imperf. D. Tho. D. Cypri. Tertul. D. Greg. Nyſſe. German. Venant. Petrus Laudic. Chryſoſt. Hier. D. Amb. Cyril. Caſsian. D. Aug.

Temporalia qua moderatione deſideranda.

Matth. 6.

11 *Difficultas proponitur.* Solum videbitur difficile accommodare huic ſenſui particulam illam *ſuperſubſtantialem*, nam ſignificare videtur quandam excellentiam panis, quę nō videtur materiali pani poſſe attribui. Vnde (propter hanc fortaſſe cauſam) antiquus interpres vulgatus vertit, *Quotidianum* quæ lectio per multos an nos recepta eſt, & vſitata ab Eccleſia, & vſque hodie retenta in publicis Officiis, & in Luca, ita etiam nunc habetur in vulgata: cum tamen Græcè vtrobique ſit eadem vox. Vterque autem panis tam ſpiritualis, quam materialis merito quotidianus dici poteſt, quia quotidie illo indigemus, vt notat Auguſtin. Serm. 182. de Tempore. Quomodo autem vox Græca poſsit etiam ad hāc ſignificationem trahi, explicat late Maldonat. Matt. 6. Addo verò etiā vocem, *ſuperſubſtantialem*, poſſe ad materialem panem accommodari, vel in ſenſu mere materiali, vt ita dicam, vel in ſenſu magis ſpirituali, quam litterali. Priori modo ſenſus eſt, Da nobis panem valde ſubſtantialem, id eſt, ſubſtantiæ, & vitæ noſtræ maximè accommodatum, & proficuum, Quam expoſitionem indicauit Baſil. in Regulis breuioribus in 252. & non diſſentiunt Nyſſen. & Chryſoſto. ſupra. Poſteriori autem modo ſenſus erit: Da nobis panem, qui non tantum ad vitam ſuſtentandam, ſeu ad ſubſtantiam noſtram alendam, ſed etiam ſupra ſubſtantiam ſit, quod tunc habet, quando non ſolum corpori, ſed etiam animæ deſeruit, quia non ſolum eſt cibus ad ſuſtentandam hanc vitam, ſed etiam ad merendam æternā, & hoc eſt eſſe ſuperſubſtantialem. Quam expoſitionem ſumo ex Diuo Thoma dicto artic. 11. quatenus dicit, his verbis poſtulari panem tanquam inſtrumētaliter coadiuuans nos ad merendum, eſtque valde accommodata, vt his etiam verbis doceamur, qua intentione, & modo petenda ſint temporalia.

Aug. Maldon. *1. Solutio difficultatis.* *Baſil. Nyſſen. Chryſoſt.* *1. Solutio.* *D. Thom.*

22. *Dominica Orat. petitiones in duas partes diuiduntur.* Quinta, Sexta, & ſeptima petitio ſunt de malis remouendis, & impediendis à nobis. Poteſt enim hęc oratio quātum ad petitiones ſuas, in duas partes diuidi alio modo, quam ſupra illam diuiſimus: nam petere poſſumus & conſecutionem boni, & ablationem mali: primum per quatuor priores petitiones fit: ſecundum per has tres poſteriores. Et quoniam duplex eſt malum, culpæ, ſcilicet & pœnę, de priori prius fit petitio: imo de illo remouendo videtur eſſe duplicata petitio: de altero vero vna, & poſtrema. Malum enim culpæ conſiderari poteſt, vel vt commiſſum, aut contractum, vel vt in futurum cōmitti poteſt. Per primam ergo ex his petitionibus, & quintam in ordine poſtulamus auferri à nobis mala culpæ, quæ cōmiſimus, hic enim eſt ſenſus illorum verborum: *Dimitte nobis debita noſtra*, vt omnes Sancti exponunt, & Chriſtus ipſe ſtatim declarauit, dicens: *ſi enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter delicta veſtra*. & Lucæ capite 11. expreſſe dixit, *Dimitte nobis peccata noſtra*. Cur autem peccata debita vocentur, ſatis per ſe clarum eſt, quia hominem reum pœnæ faciunt, & debitorem ſatisfactionis. Et ita ſæpe Chriſtus Dominus remiſsionem peccati declarat per remiſsionem debiti Matthæi 18. *Omne debitum remiſi tibi, quoniam rogaſti me*.

Lucæ 11. *Matth. 18.*

23. *Variæ quæſtiones.* Quoniam vero in peccato duo ſunt, culpa ſcilicet, & pœna, quæri poteſt, an vtriuſque vel alterius remiſsio poſtuletur? Item, cum peccatū ſit duplex, mortale, & veniale: quæri poteſt, an intelligenda ſit hæc petitio de ſolis venialibus, vel de vtriſque? Prętereà interrogari poteſt, quomodo petatur remiſſio, an vt proxime, & immediate conferatur, liberaliter ob ſolam petitionem, an vero media alia ſatisfactione, vel diſpoſitione, quæ per hanc orationem impetretur? Tandem dubitari poteſt, an hæc oratio poſsit vere, & ex animo ab omnibus hominibus dici? & ratio dubii eſt, quia ſi ſint viri ſancti, & admodum iuſti, poſſunt non habere debita, quorum remiſsionem poſtulent, ſi vero ſint nimium peccatores, id eſt, in peccatis obdurati, iniuſte facient petendo remiſsionem peccatorum, quia rem iniuſtam, & Deo indignam poſtulabunt. Quod maxime locum habet in his, qui inimicos odio habent, & iniurias remittere nolunt, propter verba, quæ Chriſtus ſubiungit: *Sicut nos dimittimus debitoribus noſtris*, quibus in virtute monet, ne quis audeat ſibi remiſsionem peccatorum poſtulare, niſi prius ipſe ſuis inimicis remittat. Quæ dubitationes ampliſsimā doctrinā poſtulabāt, ſed quia ad materias de Charitate, de Gratia, & Pœnitentia ſpectant, breuiter, quātū hic locus poſtulat, omnia expediemus.

24. *Culpa & pœna remiſsionem ſimul peti.* Ad primam reſpondeo, principaliter poſtulari remiſsionē culpæ, ſi dimiſſa non ſit, ſimul tamē poſtulari remiſsionē quoad reatū, ſi forte manet remiſſa culpa. Prior pars conſtat, tum quia quod maximè deſiderari ab homine debet, eſt remiſsio culpæ ergo hoc etiam debet maximè poſtulari, tum etiā quia principale debitū, imò prima radix totius debiti eſt culpa, & illa ſola eſt propriū peccatū. petimus autem maximè remiſsionē peccati, tū denicq; quia non remittitur pœna, niſi remiſſa culpa, ergo non poteſt peti remiſsio pœnæ, niſi vel ſupponatur culpa re-

Digitized by Google

pa remiſſa, vel eius remiſsio petatur, vix autem poteſt aliquis prudenter ſupponere, eſſe ſibi remiſſam culpam, ſed potius formidare ſemper debet, ergo oportet, vt petendo remiſsionem debiti, maximè petat remiſsionem culpæ. Altera verò pars de remiſsione pœnæ ex priori optimè infertur. Primo, quia cum ſimpliciter petimus remiſsionē debitorum, perfectiſsimam, & totalē petimus, hanc enim abſoluta, & indefinita verba ſignificant, ſicut patet, quoties quis petit abſolutè remiſsionem debiti. Item, quia talis remiſsio à Deo ſperanda eſt, ſi per nos non ſteterit. quia ita decet eius liberalitatem, & quia eius opera perfecta ſunt: at verò remiſsio peccati vndique perfecta includit remiſsionem totius pœnæ debitæ propter culpam, ſeu ablationem totius reatus, qui interdum ſolet hac ratione peccatū appellari, quia eſt debitum ex peccato contracto. Si ergo culpa nondum ſit remiſſa, petendo integrā remiſsionem eius, remiſsionem etiam totius pœnæ poſtulamus: ſi verò culpa iam remiſſa eſt, & reatum alicuius pœnæ reliquit, etiam hoc debitum donari rogamus, quoniam ſimpliciter remiſsionem poſtulamus debitorum, & quia hoc pertinet quaſi ad cōſummatam remiſsionem peccati. Quoniam ergo nos in hac vita latet, in quo ſtatu ſint debita, & peccata noſtra in Diuino tribunali, totum hoc ſub hac petitione complecti debemus, vt Deus eam remiſsionem tribuat, qua indigemus.

25. *Peccata mortalia, & venialia nobis remitti petimus.*
Concil. Mileuit. Concil. Arau. Cypri. Tertul. Nyſ. Aug.

Circa ſecundam dubitationem Patres interdum indicant, petitionem hanc intelligi de peccatis venialibus, quia ex hac petitione colligūt dari peccata etiam in iuſtis, ac ſubinde illa eſſe venialia, vt ſumitur ex Concil. Mileuitan. & Arauſ. & ex Auguſtino in Enchirid. capit. 71. Cypriano, Tertulliano Gregorio Nyſſeno, & alijs. Nihilominus dicendum eſt, de vtriſque peccatis hanc petitionem eſſe intelligendam, vt aperte docent Gregorius Nyſſenus, & alij, & ſumitur ex Auguſtino, & facile probatur, primo ex abſoluta voce, *peccata*, aut *debita*, nam mortalibus ſimpliciter magis conuenit, quàm venialibus: ſecundo, quia ſi peccatum mortale remiſſum eſt quoad culpam, & manet quoad reatum pœnę, illius remiſsio poſtulanda eſt, vt oſtendimus. Si vero nondum eſt remiſſa culpa mortalis, indigemus Diuina gratia ad veniam eius obtinendam, ergo hanc etiam poſtulare debemus. Tertiò, quia hæc oratio frequens eſt in Scriptura, & quod interdum impetret, oſtendunt illa verba Chriſti: *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Matthæi 18. Vbi id notat Chryſoſtomus, qui etiam Matthæi ſexto in Imperfection. ex hac petitione colligit, poſſe obtineri à Deo remiſsionem peccatorum contra Nouatum. Quādo ergo Patres ex hac petitione colligunt eſſe aliqua peccata venialia, non inde id colligunt, quod tantum remiſsio venialium in ea petatur, ſed ex eo, quod hæc petitio tam iuſtis, quàm peccatoribus conuenit, & ab vtriſque quotidie recitanda eſt, ergo ſignum eſt eſſe in iuſtis quotidiana peccata (vt ſic dicam) quæ iuſtitiam non tollunt, & ideo venialia dicuntur, de quibus dictum eſt, *Septies in die cadit iuſtus*, Prouerb. 24. *Et non eſt iuſtus, qui non peccet.* Eccleſiaſt. 7. & 3. Reg. 8.

Matth. 18. Chryſoſt.
Solutio obiectionis.
Prou. 24. Eccleſi. 7. 3 Reg. 8.

26. *Quomodo gratia etiam hic petatur.*

Ad tertiam interrogationem breuiter reſpondeo, quatenus per hæc verba poſtulatur remiſsio culpæ mortalis, ſenſum eſſe, quod petatur gratia, qua homo ſe diſponat ad talem remiſsionem obtinēdam: nam petere, vel ſperare à Deo remiſsionem culpæ ſine congruenti diſpoſitione, præſumptuoſum eſſet. Hoc autem modo conuenienter petitur talis remiſsio, tum quia poſita diſpoſitione, infallibiliter ſequitur remiſsio, tum etiam quia ipſamet elargitio auxilii ad habendam talem diſpoſitionem, eſt quædam inchoata remiſsio peccati mortalis, nam homo ratione peccati erat indignus tali auxilio. Præterea de remiſsione pœnæ debitæ propter culpam iam remiſſam dici etiam poteſt, poſtulari auxilium ad ſatis faciendum pro illa, & ita obtinendam remiſsionem eius. Deinde, ſi is, qui orat, iuſtus ſit, ex vi talis orationis conſequitur remiſsionem alicuius pœnæ, quia ipſamet oratio opus ſanctificatorium eſt, & probabile eſt, illam orationem qua directe poſtulatur hæc remiſsio, cæteris paribus magis ſatisfacere, quia eſt ad illum effectum magis proportionata propter affectum, ex quo naſcitur. Probabile item eſt petitionem factam propriis verbis Chriſti ad maiorem quandam ſatisfactionem acceptari. An verò illa petitio extendi poſsit ad impetrandam ſimpliciter remiſsionem totius pœnæ debiti ex mera liberalitate Dei, vltra condignam ſatisfactionem per ipſam orationem, vel aliud opus, controuerti poteſt? Sed hoc in materia de Satisfactione tractatum eſt. Vbi negatiua pars probata eſt.

27. *Dubitatio proponitur, & ſoluitur.*

Dubitari etiam poteſt, an ex peculiari inſtitutione Chriſti habeat hæc petitio his verbis facta priuilegium remittendi quaſi ex opere operato totā pœnam, vel aliquam eius partem? Breuiter tamen reſpondendum eſt, neminem poſſe hoc cum fundamento affirmare: aliud eſt enim, quod verba illa propter circumſtantiam moralem cuiuſdam relationis ad Chriſtum reddāt petitionem digniorem, ac ſubinde aptiorē ad ſatisfaciendum, quod paulo ante ſub probabilitate affirmauimus, quia hoc ſequitur ex natura rei, moraliter ſpectata. Aliud vero eſt, quod vltra hunc totū valorem operis fiat aliqua remiſsio, quaſi ex opere operato, quia hoc pendet ex priuilegio, & voluntaria cōceſsione Chriſti Domini, quæ non poteſt nobis innoteſcere, niſi per reuelationem, quæ de hoc facta non eſt.

28. *An hæc oratio faciat remiſsionem peccati venialis?*
D. Aug.

De veniali autem culpa, ſi coniuncta ſit cū mortali, eadem ratio, quæ de mortali erit, quia non poteſt ſine hac remitti: ſi vero ſit in homine iuſto, dubitari poteſt, an hæc oratio non ſolum poſtulet remiſsionem culpæ venialis, ſed etiā faciat. Nam hic effectus ſolet huic orationi tribui ex Auguſtino, & aliis Patribus. Sed hoc diſputaui in 4. tom. diſp. 12. ſect. 2. Vnde breuiter dico, non habere hanc orationem peculiarem efficaciam quaſi ex opere operato, quia, vt dixi, neq; de tali inſtitutione Chriſti conſtat neq; etiam Eccleſia contulit hanc vim, quia nullibi etiam hoc cautum eſt, vt ibidem oſtendi. Imo pro remiſsione culpæ fortaſſe excedit ille modus Eccleſiaſticam poteſtatem, vt in materia de Indulgentiis tractaui. Ipſa verò petitio, vt petitio eſt, non aliter impetrat remiſsionē culpæ etiam venialis, niſi media diſpoſitione apta ad illū effectū. Conſiderari autē poteſt affectus, ex quo talis oratio fit, nam ſi ille ſit aliquo modo contrarius culpæ veniali, vt eſt affectus carendi illa, illemet erit apta diſpoſitio ad obtinendam remiſsionem talis culpæ: & ita intelligi poteſt, quod Auguſtinus ait, hanc orationem quotidie dici in remedium peccatorum venialium, nam ſi ex conuenienti affectu fiat, eſt apta diſpoſitio ad remiſsionem talium culparum, & per ipſam impetramus remiſsionem pœnæ. Et fortaſſe ideo dixit Auguſtinus libro Quinquaginta Homiliar. in decimo, cum hæc verba huius orationis dicimus, tundi ſimul pectora, quia cum hac petitione dolor aliquis de peccatis coniungendus eſt, quem tunſio pectoris indicat.

D. Aug.

29. *Hæc oratio debet ab omnibus iuſtis viatorib. fieri.*
Concil. Mileuit. Concil. Africa. D. Cypr. D. Greg. Nyſ.

Ad quartam interrogationem, quod ad iuſtos attinet, dicimus ab omnibus viatoribus dici poſſe, & debere verè, & ex animo, & per reſpectum ad propriam perſonam: ita enim docuit Concilium Mileuitan. Canon. ſeptimo, & octauo, & Africanum Canon. 83. & fundamentum ſumitur, quia omnes ſumus peccatores, & egemus gratia Dei, vt notarunt Cyprianus & Gregor. Nyſſen. & Auguſt. de

Sancta Virg.cap.48 & ſępe alibi:& ſumitur ex teſtimoniis Scripturæ ſupra adductis, & aliis, quæ tradi ſolent latius in materia de Gratia. Neque hinc licet inferre, nunquam contingere, iuſtum pro aliquo inſtanti, vel breui tempore huius vitæ eſſe liberum ab omni culpa, & reatu pœnæ: nam hoc falſum eſt: poteſt enim quis iuſtificari cum tanto dolore, vt omnis culpæ, & totius pœnæ remiſsionem ſimul obtineat. Et præſertim quia poteſt ſimul indulgentiam plenariam lucrari: & facilius hoc poteſt accidere in homine iuſto, qui diu per magna merita magis, ac magis iuſtificatus eſt, hic enim per vnam confeſsionem magno dolore factam, vel per ſacrificium magno feruore oblatum poteſt ſæpe plene expiari ab omni reatu pœnæ. Quid ergo ſi ſtatim oret, *Dimitte nobis debita noſtra?* Reſpondeo etiam ſeipſum includere inter peccatores, pro quibus orat, quia vere peccatorem ſe agnoſcit, & hæc eſt mens Conciliorum. Nec vero tunc fruſtra ſic orat, tum quia ſemper formidare poteſt, an plene iuſtificatus fuerit Eccleſ.5.& 9.& 2.ad Corin. 4. tum etiam quia non pro ſe tantum, ſed pro omnibus peccatoribus orat, qui tali remiſsione indigere poſſunt: tum denique quia præter reatum pœnæ certa lege taxatum pro peccato, qui etiam certa lege remittitur per condignam ſatisfactionem, poſſunt relinqui ex peccato aliquæ pœnalitates, non ſolum corporales, ſeu temporales huius vitæ, vt fuit in Dauid, mors filij, vel populi peſtis, 2. Reg.12.& 24. ſed etiam ſpirituales, vt eſt denegatio ſpiritualis conſolationis, vel fauoris, vel vberioris auxilij, quæ pœnalitates non ſemper remittuntur, etiamſi peccatum ſit plane remiſſum, quoad culpam, & pœnam purgatorij: & ideo ſemper poteſt peti peccatorum remiſsio, vt Deus omnino illorum obliuiſcatur, & ne illorum occaſione bonum aliquod, vel auxilium nobis deneget.

Occurritur obiectioni. — *Eccleſ.5.9.* *1.Cor.4.* — *2.Reg.12.& 24.*

30\. *Debet etiam fieri à peccatore.*

Ad alteram partem illius interrogationis, quę ad peccatores ſpectat, Reſpondetur, ita poſſe peccatorem hæc verba proferre, ſicut poteſt ad Deum orare, de quo in 1.libr. dictum eſt. Itaque ſi obſtinatus in peccato, vel in eo voluntarie permanens poſtulet ſibi remitti peccatum, non obſtante illa diſpoſitione, & perſeuerando in illa, præſumptuoſe orat, & contra Chriſti intentionem, & ideo grauiter peccat, ſi autem homo obduratus ea verba proferat animo petendi à Deo diſpoſitionem, & vt emolliat cor ſuum, bene orat, & fieri poteſt, vt interdum exaudiatur, vt dicto loco oſtendi. Nam qui ſic orat, iam habet à Deo aliquod deſiderium ſe diſponendi ad remiſsionem peccati, & ideo non male, vel infructuoſe petit, vt Deus illum promoueat. Et hæc eadem reſpōſio locum habet etiamſi peccatum illud, in quo homo perſeuerat, ſit odium inimicorum, vel non remittere iniurias, quando quis tenetur, nam eadem ratio intercedit. Neque mentitur, qui ſic orat eo quod dicat: *Sicut nos dimittimus debitoribus noſtris*, quia non dicit, ſicut ego dimitto, ſed ſicut nos dimittimus, quod debet referri ad Eccleſiam, vt explicuit S. Thom.2.2.q.83.art.16.ad 3. vel, ſi referantur ad priuatam perſonam orantem, non in eo ſenſu accipienda ſunt, vt orans affirmet ſe iam remiſiſſe iniurias, ſed vt dicant debitum remittendi, & conditionem neceſſariam, vt à Deo peccatorum remiſsionem obtineat: & ideo licet nondum ſit ex parte eius poſita hæc conditio, proponi nihilominus poteſt abſque mendacio, quia ſaltem debet optare illam, & obtinere ſimul auxilium ad habendam voluntatem remittendi iniurias, qua ſe diſponat ad ſuorum peccatorum veniam obtinendam. Non quod hæc voluntas, ſeu remiſsio ſufficiat, vt quidam hæretici dixerunt, ſed quia ſine illa non poteſt haberi vera pœnitentia de peccatis, vt recte notauit Auguſt.21.de Ciuit.cap.22.& 17. Vnde immerito quidam alij dicebant, eum, qui non remittit iniurias, debere hæc verba dimittere, quando hanc orationem profert, vt ſumitur ex Caſsian. Collat. 9. capit. 22. hoc enim ſuperſtitioſum erat, vt ipſe bene notat, nam ſi homo habeat ſaltem deſiderium obtinendi gratiam ad remittendas iniurias, non male, vel ſine fructu illa verba profert, ſi vero neque illud deſiderium habet, male petit ſibi remitti peccata.

An proximi ofor hanc orationem dicens mentiatur? — *D.Thom.* — *D.Auguſt.* — *Caſſian.*

31\. Hic vero occurrebat inquirendum, quomodo teneamur nos dimittere debita, vt hanc conditionem impleamus: ſed hoc in materia de Charitate tractandum eſt. Hic ſolum eſt conſulendum oranti, vt ſi efficaciter impetrare vult, non ſolum faciat in hoc negotio, quod ex rigoroſo præcepto tenetur, ſed etiam quod fuerit ex conſilio: nam quo liberalior fuerit in remittendis propriis iniuriis, eo Deum liberaliorem erga ſe experietur. Quamuis enim actio, vel miſericordia noſtra nō ſit regula Diuinæ miſericordiæ, ſed conditio, vt recte adnotauit, & explicauit Maldonat. Matth. 6. & conditio in rigore neceſſaria, tantum ſit illa remiſsio, quæ eſt in præcepto, nihilominus cum impetratio non ſit neceſſaria, etiam poſita hac cōditione, ſed aliis modis impediri poſsit, optimum conſilium eſt, perfectiſsime implere hanc conditionem, quoad fieri poſsit, vt maiori fiducia orare poſsimus.

Quo modo iniuria dimittenda. — *Maldon. Matth.6.*

32\. Sexta petitio eſt, *Et ne nos inducas in tentationem.* In quibus verbis certum eſt, ſermonem eſſe de tentatione, quæ ad peccandum inducit, non de tentatione, qua Deus bonos probat, ſicut tentauit Abraham, Geneſ.22. Nam illa tentatio quæ eſt à Deo, bona eſt, & ideo petere non debemus, ne in nobis fiat: vnde potius orabat Dauid: *Proba me Domine, & tenta me* Pſalm. 25. Altera vero tentatio, quæ ad malum inducit, merito formidatur, de illa ergo intelligenda eſt hæc petitio, vt Patres exponunt. Et ſingulariter Hieronymus Dialog. 3. contra Pelag. Auguſtin. Epiſt.94. qui merito refutant Pelag. ille enim dicebat per tentationem hic ſolum intelligi fortuitas occaſiones malorum, quas nos præuenire, aut vitare non poſſumus: nam proprias occaſiones inducentes ad peccandum, dicebat poſſe vinci à nobis noſtro arbitrio, & ideo non eſſe neceſſariam orationē. Sed conſtat aperte, Chriſtum loqui de tentatione peccati: tum ex proprietate vocis, tum ex contextu, tum etiam ex conſonātia aliorum verborum Chriſti Matth.26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Dices: Hoc modo Deus intentator malorum eſt? Iacob.1. Quomodo à Deo petimus, ne nos inducat in tentationem, vel vt alia littera habet, *& ne nos inferas?* Reſpondetur, quia nec dæmon nos ad malum inducere valet, nec nos, illi conſentire, niſi Deo permittente, poſſumus, ideo à Deo petimus, ne hoc in nobis, vel à nobis fieri permittat, hunc enim ſenſum habent illa verba, iuxta vſitatum loquendi modum Scripturæ, quem in lib. 2. de Auxiliis c.3.4. & 5. late declarauimus.

6. Petitio de quibus tentationibus intelligēda ſit. — *Geneſ.22.* — *Pſal.25.* — *Hieron.* *Auguſt.* — *Matth.26.* — *Obiectio.* *Iacob.1.* — *Satisfit.*

33\. Dubium autem eſt, quid his verbis petamus, an ſolum ne nos permittat conſentire tentationi, vel etiam ne nos permittat tentari? Nam D. Thom. dicta qu. 83. art. 9. expreſſe dixit, *Per quod non petimus, vt non tentemur, ſed vt à tentatione non vincamur, quod eſt, in tentationem induci.* Eſtque expoſitio ſatis communis inter Patres, vt patet ex Cyrillo, Hilario Auguſtino, Ambroſio, & Caſsiano, locis ſupra citatis. Et ratio eſſe poteſt, quia tentari non eſt malum, imo poteſt eſſe vtile, ſi gratia protegit, ne tentatione cadamus, iuxta illud Iacob.1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem.* Vnde Chryſoſtom. Homil. 20. in Matth. *Docet* (inquit) *non quidem nos recuſare certamina, ſed in ea audacius non inſilire.* Atque ita Patres colligunt ex hac petitione neceſsitatem gratiæ ad vincendas tentationes, vt patet ex Cypriano ſupra, & ex Auguſtino frequenter contra Pelagium. Nihilominus alij putant, vtrumque peti, quod ſentiunt, Tertull. Gregor. Nyſſen. Chryſoſtom. Et in hanc partem inclinant

An ſolū hic petamus ne vincamur tentatione? — *D.Thom.* *Cyrillus.* *D.Hilar.* *D. Aug.* *D.Ambr.* *Caſſian.* *Iacob 1.* *Chryſoſt.* — *D. Cyprian.* *D. Auguſt.* *Tertull.* *D.Greg.* *Nyſſen.* *Chryſoſt.* *Moderni.*

Digitized by Google

nclinant magis moderni expoſitores, quia licet tentare non ſit malum, eſt tamen periculoſum, & ideo à nobis cauendum, quantum in nobis eſt propter noſtram infirmitatẽ, & ideo merito cupimus, & petimus etiam non tentari. Credendum eſt autem Chriſtum voluiſſe, vt per hæc verba petamus, quicquid ſanctè petere poſſimus, ſi per illa verba poteſt proprie ſignificari, at totum hoc proprie ſignificatur per illa verba, quia non ſolum dicimur induci in tentationem, cum vincimur, ſed etiam cum pugnare cogimur. Confirmatur hoc ex verbis Chriſti Matth. 26. *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma.* Quibus conſonat Cyprianus ſupra dicens, per hanc petitionem admoneri nos infirmitatis, & imbecillitatis noſtræ: ergo hanc cognoſcentes infirmitatem, non ſolum petere debemus, vt non vincamur, ſed etiam vt non tentemur.

Ratio concluſionis pro parte negatiua.

Matth. 26. D. Cyprian.

34\. Ego vero, licet diſſenſio magis ſit in verbis, quã in re, in priorem ſententiam inclino, primo quia nunquam tentari, vel eſt impoſſibile, vel præter legem ordinariam Dei: nam ſi ſit ſermo de interna tentatione, & humana, hæc non poteſt auferri niſi auferatur fomes, quod eſt præter legem ordinariam: ſimiliter nunquam tentari à Dæmone, quaſi miraculoſum eſſet, ergo non id petimus per illa verba, ergo cum abſolutus ſit ſermo de tentatione, non poteſt commode intelligi de carentia tentationis. Secundo, ſicut tentari periculoſum eſt, ita poteſt eſſe fructuoſum iuxta illud. *Virtus in infirmitate perficitur*: Ergo neutrum ſimpliciter eſt petendum, ſcilicet, tentari, aut nõ tentari, ergo hic nõ eſt ſenſus huius petitionis: tertio quia alias non parum eneruaretur hoc teſtimonium contra Pelagianos: nam ſi petimus non tentari, iam petimus id, quod non eſt in noſtra poteſtate, quod Pelagiani contendebant: & ita dicere poſſunt, hoc modo ſatisfactum iri huic orationi, quia licet per nos poſſimus (vt aiebant) vincere tentationem, nihilominus propter periculum bonum eſt non tentari, & id peti, cum hoc non pendeat ex noſtro libero arbitrio. Cum ergo Patres hoc teſtimonium vrgent contra Pelagium docent nos petere, ne tentationi ſuccumbamus. Et per hoc aiunt maxime nos admoneri infirmitatis noſtrę, quia licet ſimus liberi, vincimur tentatione, niſi gratia adiuuemur.

Auctoris ſententia. 1. Ratio. 2. Ratio. 3. Ratio.

35\. Dico ergo poſtulare, ne in noxiam tentationem incidamus: nam vt dixi, hæ poſteriores petitiones ſunt de malo cauendo, talis autem tentatio graue malum eſt, quæ vero non eſt noxia potius habet rationem boni. Dicitur autem tentatio noxia, quæ nos eſt ſuperatura, de tali autem verum eſt poſtulare nos, tum ne illa vincamur, tum etiam ne illam patiamur: tamen ſiquis conſideret, hæc duo reſpectu eiuſdem tentationis in idem recidunt, nam qui tali tentatione impugnatur, vincitur, alioqui noxia non eſt, ſupponebatur autem futura noxia in præſcientia Dei: ergo quia credimus, ipſum optime noſſe, quæ tentatio futura ſit noxia, ideo petimus, vt nos in illam non inducat. Et ita optime declaratur proprietas huius verbi, tunc enim maxime tribui ſolet Deo id, quod permittit ac ſi faceret quando ex certa pręſcientia, & non obſtante malo pręuiſo, illud permittit.

Petimus ne in tentationem incidamus.

36\. Atque ex dictis conſtat, omnes has petitiones explicatas diſtinctas eſſe, ac ſubinde nullam eſſe poſſe quæſtionem de numero ſenario petitionum. De ſeptima vero, quæ his verbis proponitur, *ſed libera nos à malo*, poteſt eſſe nõnulla dubitatio. Primo quia Lucas illam omiſit: ſecundo quia per malum ibi non videtur intelligi, niſi peccatum, nam malum pœnæ non eſt ſimpliciter malum, neque carentia eius tam abſolute poſtulanda eſt. liberatio autem à peccato ſufficienter per duas poſteriores poſtulata eſt, tertio facit, quia non dicitur, *& libera*: ſed dictum eſt, *ſed libera*, per quam particulam aduerſatiuam indicatur, hæc verba non continere diuerſam petitionem, ſed explicationem præcedentis. Nihilominus communis ſenſus Doctorum eſt, has petitiones ſeptem eſſe, & conſequenter hanc vltimam eſſe diſtinctam à pręcedenti. Hęc fuit ſententia Auguſt. in Enchir. cap. 115. & lib. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 9. 10. & 11. Quam ſecuti ſunt Beda, Anſelm. Rupert. S. Thom. & cæteri Theologi, & S. Bonau. in lib. 7. de Proceſ. Relig. c. 4. & in lib. de Myſtica Theologia c. 2. p. 2. & in Opuſc. circa orationem Dominicam tom. 2. & Hugo Victor. lib. 2. Allegor. in Matth. 6.

An 7. petitio ſit ab aliis diſtincta? Rationes dubitandi.

D. Auguſt. Beda. Anſelm. Rupert. D. Thom. Theolog. Bonau. Hugo.

37\. Hac ergo ſententia tanquam veriori ſuppoſita, variæ ſunt expoſitiones, quod ſit illud malum, à quo liberari poſtulamus. Primo Tertullianus Dæmonem intelligit, quod etiam indicant Chryſoſt. Euthym. & alii in Matth. Ambroſ. & Caſſian. ſupra, eſtque probabile, quanquam hoc modo parum erit diuerſa hæc petitio à præcedenti, nam liberari à Dæmone, & à tentatione eius vix differunt. Secundo Auguſt. ſupra, per malum intelligit peccatum, ſignificatque Chryſoſt. Hom. 14. Imperfecti. Sic autem ad diſtinguendas petitiones oportet dicere, in ſexta peti, ne tentari permittamur, in hac vero, vt ſi tentari permittimur, à malo illius, id eſt, à conſenſu illius liberemur. Hoc autem modo parua eſt diſtinctio. Tertio Bonauent. in primo loco ſupra citato exponit de malo damnationis æternæ. Ad hoc ſatis videbatur poſtulatum & petendo vt peccata commiſſa remittantur, & vt in noua non incidamus. Quarto D. Thomas in dicto art. 9. dicit, hoc malum eſſe pœnalitatem præſentem, quæ impedit ſufficiẽtiam huius vitæ, & fauet Cyprianus, qui vniuerſe intelligit liberationem ab omni malo, id enim videtur intelligendum de pœnalitatibus huius vitæ, vt hæc petitio ſit diuerſa à præcedenti. Petimus autem liberari ab his malis, non ſolum quatenus ad peccatum inducunt, ſed etiam vt maius bonum, maioremque cum Deo coniunctionem impediunt. Atque ita dixit Bonauenr. in Expoſitione huius orationis, in quinta petitione poſtulari liberationem à malis præteritis, in ſexta à futuris, in hac vero ab omnibus præſentibus malis, quę nos vexant. Quod videtur ſumpſiſſe ex verbis Eccleſiæ, quæ dicit Sacerdos in Miſſa poſt expletam hanc orationem: *Libera nos quæſumus, Domine, ab omnibus malis, præſentibus præteritis, & futuris, &c.*

A quo malo liberari poſtulemus. 1. Sententia. Tertull. Chryſoſt. Euthy. Ambroſ. Caſſian. 2. ſentẽtia. D. Auguſt. Chryſoſt. 3. Sententia. D. Bonau. 4. Sentẽtia. D. Thom. Cyprian. D. Bonau.

38\. Vnde probabilius eſt per hęc verba etiam poſtulari liberationem ab omnibus temporalibus incommodis, peſte, fame, bello, & ſimilibus, oportuit enim vt Chriſtus etiam nos doceret à Deo eſſe ſperandam, & petendam liberationem ab omnibus his malis, quia ipſe ſolus poteſt nos liberare, & rogatus facit quando expedit nobis, hæc enim conditio per ſe eſt incluſa in petitione, & ideo explicari non oportuit. Atque ita non eſt inconueniens, imo per ſe maxime decens, vt ſicut in hac oratione prius petimus à Deo bona ſpiritualia, & poſtea liberationem ab ſpiritualibus malis: ita etiam poſtquam petiuimus neceſſaria bona huius vitæ, petamus ſimiliter liberationem à contrariis malis. Neq; etiam obſtat, q. Lucas hanc petitionẽ prætermiſerit: nam etiam omiſit tertiã, licet ſit diſtincta à duabus primis.

A vitæ huius malis liberari petimus?

39\. Quamuis ergo hæ petitiones explicite factæ diſtinctæ ſint, virtute quadam in aliis continentur, & ideo ſine incommodo aliquæ omitti potuerunt, vt notauit Auguſt. in Enchir. capit. 115. ex narratione autem Matthæi certum eſt, omnes fuiſſe à Chriſto expreſſe traditas. Fieri vero potuit, vt bis fuerit à Chriſto Domino hæc doctrina tradita, ſemel iuxta narrationem Matthæi, & iterum iuxta Lucæ, neque enim oportuit eadem ſemper æque expreſſe, & æque tradi, quod placuit Ruperto, eſtque probabile. quamuis autẽ ponamus ſemel tantum eã tradidiſſe, credendum eſt eam ſimul, ſeu in eadẽ concione, & quaſi

Obiectioni ſatisfit. Auguſt. Rupert.

Digitized by Google

Euangeliſtæ Verba non mutant, ſed diuerſis conſentaneis verbis recitant.

& quaſi vno contextu docuiſſe, alioqui fuiſſet hæc forma non immediate, & integrè à Chriſto compoſita, ſed ab Euangeliſta Matthæo ex variis concionibus concinnata, quod dici non poteſt. Neque propterea Lucas reprehendi poteſt, eo quod aliquas particulas omiſerit, quia neque illas excluſit, ſeu additas fuiſſe negauit, nec tenebatur omnia integre referre. Et fortaſſe non ſine myſterio, & fructu id fecit, vel vt doceremur recogitare, & intelligere, quid ſingulæ petitiones virtute contineant, & quam connexionem inter ſe habeant, vt Auguſtinus indicauit: vel vt diſceremus, hanc orationem magis nobis eſſe datam propter docendas res, quas petere debemus, quam propter verba, vt Beda in Matthæum ſignificauit. *(Auguſt.) (Beda.)*

40. Particula Amen, quid ſignificet.

Tandem addit Matthæus, Chriſtum Dominum concluſiſſe hanc orationem illa particula *Amen*. De qua nonnulla tetigi in 3.to.p.diſp.83.ſect.1.vbi dixi, licet alias ſignificationes habeat, tamen cum in fine orationis additur, ſignificare conſenſionem, & affectum ad orationem factam, quam ſignificationem interpretantur Patres, quos ibi retuli per hoc verbũ *fiat*. In hoc ergo ſenſu in præſenti ſumitur. Hine vero cogitare poteſt aliquis, hanc orationem per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis dicendam eſſe à pluribus, ab vno in perſona aliorum, qui in fine aſſentiunt, dicendo Amen: hic eſt Eccleſiaſticus vſus illius particulæ, vt ſumitur ex Paulo 1. ad Corinth. 14. Vnde etiam cogitari poteſt, orationem illam non dici à fidelibus in perſona propria, ſed in perſona Eccleſiæ: quod etiam videtur dicere D. Thom. 2.2. quæſt. 83. artic. 16. ad 3. neutrum tamen verum eſt in illo ſenſu intellecta illa particula, neque ex ea colligitur. Duobus ergo modis intelligi poteſt, quod oratio illa dicatur in perſona Eccleſiæ, obiectiue, ſcilicet, vel ſubiectiue (vt ita breuitatis cauſa dicam) obiectiue appello, quia fieri debet prò tota Eccleſia: & hoc eſt verum, & hoc modo vocatur à Cypriano hæc oratio non priuata, ſed publica: & hoc ſolum intendit D. Thom. vt artic. 7. ad 1. clare explicuerat. Hoc tamen non obſtat, quominus hæc oratio ab vnoquoque fideli in propria perſona dicatur, quia ſinguli debemus pro omnibus orare. *(1. Cor. 14.) (D. Thom.) (1. Modus explicandi an hæc oratio dicatur in perſona Eccleſiæ.) (Cyprian.) (D. Thom.)*

41. 2. Modus.

Altero ergo modo intelligi poteſt, vt hæc oratio proferatur in perſona Eccleſiæ, quaſi repræſentatiue, & miniſterialiter, quod voco ſubiectiue. Et hoc quidem poteſt eſſe verum quando Eccleſia ita inſtituit, vt in Miſſa, & in Canonico officio. Non eſt tamen verum, ſi intelligatur id eſſe neceſſarium, aut eſſe ex inſtitutione Chriſti: hoc enim nullo fundamento nititur. Quando enim Chriſtus dixit, *ſic ergo vos orabitis*, ad ſingulos locutus eſt, & ordinarium modum orandi priuate, & in propria perſona docuit. Vnde hæc oratio facta ab exiſtente in peccato mortali non magis habet ab Eccleſia vim aliquam, vel auctoritatem impetrandi, quam aliæ priuatæ orationes eiuſdem peccatoris. Neque aliud colligitur ex particula, *Amen*: non enim addita eſt, vt alter reſpondeat, ſed vt ipſemet orans ſe ipſum excitet, & quaſi reflexione quadam affectum, ac deſiderium ſuum omnibus petitionibus factis adiungat. *(Soluitur obiectio.)*

CAPVT IX.

De aliis formulis orandi ab Eccleſia vſitatis.

1. An oratio priuata poſſit fieri vocaliter quacũque forma. Officium, & litania B. Virginis.

QVamuis in oratione omnino priuata vnuſquiſque poſſit vti abſque culpa, quacunque pia forma orandi, etiamſi auctoritate publica confecta non ſit, dummodo vel per propriam ſcientiam vel auctoritatem ſufficientem, & probabilem conſtet in tali forma orandi nihil vel ſanæ doctrinæ repugnans, vel à Religione alienum contineri. Nihilominus ſecurius, & vtilius eſt, vti aliqua forma ab Eccleſia approbata, qualis eſt illa quæ habetur in officio Beatæ Mariæ Virginis à Pio V. approbato. In quo non ſolum officium Virginis, ſed etiam multa alia officia, & orationes variæ continentur. Et idem eſt de quibuſcunque precibus auctoritate Pontificia approbatis extra illud officium, vt eſt litania Virginis Lauretanæ, quam Clemens VIII. approbauit, etiam prohibendo vſum aliarum, ſcilicet, publicum in Eccleſia, nam priuatas orationes non prohibuit. *(Pius V.) (Clem. 8.)*

2. Ratio aſſertionis.

Ratio autem clara eſt, quia per ſe malum non eſt, vti determinata forma verborum, vt probat exemplum orationis Dominicæ: & eſt per ſe euidens, quia in hoc nulla apparet deformitas, & poteſt habere multas vtilitates, quales ſunt ſcire quid petendum ſit, vitare multiloquium, excitare deuotionẽ, & ſimilia, quæ ex Patribus rectè attigit Alex. Alenſ. 4. p. qu. 26. memb. 3. art. 2. §. 2. Aliunde vero non eſt prohibitum vti alia forma verborum diſtincta ab illa, quam Chriſtus tradidit, vt ſupra cap. 1. huius libri oſtenſum eſt, ergo priuatim vti licebit forma orandi per priuatam ſcientiam ſatis cognita, & examinata, publice vero forma approbata per Eccleſiam. Imo ſi vſus non ſit adeo publicus, vt ſit vniuerſalis pro tota Eccleſia, ſufficiet approbatio Epiſcopi, vel alterius legitimi Superioris: quia hoc non inuenitur per Canones prohibitum. Hic autem vſus tam eſt antiquus, vt referat Euſeb. libro 4. de Vita Conſtantini cap. 19. Conſtantinum omnes milites ſuos induxiſſe ſimul ad orandum die Dominica, eiſq; formulam precandi dediſſe, quam c. 20. his verbis refert: *Te ſolum Deum agnoſcimus, te Regem profitemur, te adiutorem innocamus, per te victorias conſecuti ſumus, per te hoſtes ſuperauimus, abs te & præſentem felicitatem conſecutos fatemur, & futuram adepturos ſperamus, tui omnes ſupplices ſumus, abs te petimus, vt Conſtantinum Imperatorem noſtrum vna cum piis eius liberis quam diutiſſime nobis ſaluum, & victorem conſerues.* Ad hunc ergo multum licitum per ſe eſt, vti forma verborum ſufficienter examinata, & probata iuxta exigentiam loci, & perſonarum. Quando vero vſus eſt pro tota Eccleſia, vniuerſalis etiam approbatio neceſſaria eſt. Hæc vero interdum eſſe poteſt per vniuerſalem traditionem, & conſenſum, interdum vero per Pontificiam auctoritatem, quæ in priori etiam modo non deeſt, quia vel expreſſe, vel tacite conſuetudinem approbat. Et tunc (quod in huiuſmodi forma generali maxime neceſſarium eſt) non poteſt in huiuſmodi orationibus contingere pernicioſus error in fide, vel in moribus. Item de ſe poſſunt magis excitare deuotionem, & fiduciam ob Eccleſiæ auctoritatem. Neque in hoc occurrit difficultas alicuius momenti. *(Alenſ.) (Quas orationes Epiſcopi, & Superiores poſſint approbare.) (Conſtantini oratio.)*

3. Tres formulæ orandi, qui maxime in vſu ſunt.

Solum ad huius materiæ complementum libet pauca notare de tribus formulis orandi, quæ maxime ſunt in vſu Chriſtianorum omnium in ſuis priuatis orationibus præter orationem Dominicam, quę ſunt ſalutatio Angelica, ad quam ſpectat recitatio Roſarij, Antiphona eiuſdem Virginis, quæ incipit *Salue Regina*. Tertio loco in rudimentis fidei ſolet poni Symbolum Apoſtolorum, ſed illud non continet formam orandi, ſed confitendi fidem, & ideo in materia de Fide potius tractandum eſt. Tertio ergo loco nos ponimus Litanias Virginis, ac Sanctorum. De his ergo pauca dicimus propter hæreticorum importunitatem. Cętera vero officia, vel orationes, aut ritus precandi, quæ habentur in dicto officio Pij V. ſumpta fere ſunt ex officio Canonico Eccleſiæ, & eandem cum illo proportionem ſeruant in Pſalmis, Hymnis, Canticis, lectionibus, Antiphonis, verſibus, & orationibus: & ideo nihil hic dicere oportet: nam quæ libro ſequenti dixerimus de officio Canonico, cæteris ſimilibus precationibus erunt communia.

De ſalutatione Angelica.

4. *Salutatio Angelica duabus partibus cõſtat.* Duabus partibus hæc oratio conſtat, ſcilicet, ſalutatione, ac laudatione Beatiſsimæ Virginis, & petitione ad eandem proxime facta quę in Deum tandem refundatur, in quo genere compoſitionis hæc oratio Dominicam imitatur, quod ad illius laudem, & commẽdationem ſpectat. Prior pars tota ex Scriptura ſumpta eſt, nam illa verba: *Aue gratia plena: Dominus tecum*: Angeli ſunt Virginem ſalutantis apud Lucam, nomen autem *Maria*, licet in iſta ſalutatione ab Angelo non ſit prolatum, conſtat ex Scriptura eſſe ſumptum, meritoque ab Eccleſia fuiſſe illo loco interpoſitum. Tum quia non loquimur ad Mariam ita nobis præſentem, ſicut aderat Angelo ſecum loquenti, tum etiam, vt ipſo *Mariæ* nomine ad reuerentiam, & deuotionem excitemur, q Angelo neceſſarium non erat. Quamuis etiam ille fortaſſe in ſalutatione nomen omiſit, vt nouum, & inuſitatum, ac admirabile nomen gratiæ Virgini imponeret, & vt proprium nomen in tempus magis opportunum reſeruaret. Nam paulo poſt *Cur Angelus in ſalutatione Mariæ nomen omiſit.* adiunxit, *Ne timeas Maria*. Verba autem illa: *Benedicta tu in mulieribus*, & ab Angelo, & ab Eliſabeth dicta fuerunt non ſine myſterio, vt illa conſenſione verborum Spiritus ſanctus vtriuſque ſalutationis auctor oſtenderetur, vt Ambroſius, Beda, & alij Lucæ 1. adnotarunt. *Ambr. Beda. Luc. 1.* Denique illa verba, quibus hæc prior pars abſoluitur: *Et benedictus fructus ventris tui, Ieſus*. Ab Eliſabeth audita ſunt, excepto *Ieſus* nomine, quod ipſa proferre non poterat, quia nondum erat impoſitum, merito tamen Eccleſia illud expreſsit, tum quia nullum potuit eſſe nobis vtilius, tum etiam quia Mariæ auribus nullum ſuauius inſonat, ideoque nullum poterat eſſe aptius ad captandam Virginis beneuolentiam, quod in omni oratione ſolet obſeruari.

5. *In prima orationis huius parte omnia ſunt ab Spiritu ſancto dicta.* Ex his ergo ſatis conſtat, nihil eſſe in hac parte huius orationis, quod non ſit ab Spiritu ſancto dictatum & infallibilem veritatem contineat, atque ita ex hac parte nihil poſſunt hæretici calumniari, quod in hac oratione reprehendant. De ſenſu autem ſingulorum verborum non poſſumus hic ex profeſſo tractare, nonnulla vero attigimus in 2. to. 3. p. tractando de Annunc. Angelica, & de plenitudine gratiæ Virginis, & latius tractantur ab Expoſitoribus Lucę & pręter antiquos videri poſſunt Salmeron, Tolet. Maldonal. & Barradas. *Salmeron. Tolet. Maldon. Barradas.*

6. *An conuenienter Angeli verba vſurpentur.* Hic ſolum poteſt à nobis interrogari, an illa verba, quæ illis locis, tempor. bus fuerunt accommodata, & decentiſsima ad ſalutandam Virginem, conuenienter ab Eccleſia, & à nob. s ad eundem finem vſurpentur? Neque enim hæretici obiectionem hanc pretermiſerunt, quia nos non ſumus Angeli, & nefas eſt velle ſalutare Virginem, quia illi fecerunt, hæc enim, & ſimilia refert Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 26. in fin. quibus ſufficientiſsime reſpondet. *Caniſi.* Poſſumus autem nos obijcere, quia verbum *Aue* eſt deprecantis, & optantis pacem, vel ſalutem, vnde vertitur *Salue*, aut *Pax tibi*, quod ſalutationis genus optime dirigitur ad viatorem, non tamen ita conuenienter ad beatum, quia ſumma pace, & ſalute fruitur. *Obiectio.* Deinde ita D. Thom. 3 p. qu. 30. art. 3. Angelum ſic ſalutaſſe Virginem, vt mentem eius redderet attentam, hoc autem nobis neceſſarium non eſt, quia ſcimus non indigere excitatione noſtra. Denique cætera verba præſertim illa *Dominus tecum*, fuerunt optantis, & deprecantis aduentum Verbi in vterum Virginis, quod nos conuenienti modo facere non poſſumus.

7. *Satisfit obiectioni.* Dicendum eſt, conuenientiſsime ab Eccleſia illa verba vſurpari ad Virginem ſalutandam. Quem morem antiquiſsimum in Eccleſia eſſe ex his, quæ in antiquis Patribus leguntur, manifeſtum eſt. Nam in Liturgia Iacobi, ſacerdos prius ſecrete ſalutat *Iacob.* Virginem his verbis. *Aue Maria gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus: benedictus fructus ventris tui, quia ſaluatorem peperiſti animarum noſtrarum.* Deinde vero exclamat. *Præcipue ſanctiſsima, immaculata ſuper omnes benedicta. &c dignum eſt vt te veram dicamus Deiparam*, & infra: *Tibi plena gratia, vniuerſa creatura gratulatur, gloria tibi, &c.* Vnde Heſich. *Heſich.* Ieroſolim. Homil. 2. de Virgine: *Iure procul dubio (ait) omnis grati animi lingua ſalutat Virginem, & Deiparam, ac pro viribus Gabrielem principem Angelorum imitatur dicens, Aue gratia plena: Dominus tecum.* Et reſpondendo ad obiecta hoc facile declarabitur.

Nam in primis verbum *Aue*, etiam proprie verti potuiſſet: *Gaude*, verbum autem gaudij valde accommodatum eſt ad ſalutandam Virginem cum Chriſto beatam & ita interdum illa voce vtitur Eccleſia in aliis Antiphonis, & orationibus ad Virginem. 8. *Verbũ Aue.* Hinc Baſilius Seleuciæ Epiſcopus in Orat. de Annunciatione Angelica: *Gabriel, inquit, à gaudio, & gratia ſalutationem auſpicatur.* *Baſilius.* Deinde etiam verbo *Patris*, & *ſalutis* poſſumus in ea re Virginem, non optando illi, quod non habet ſed complacendo in eo, quod habet, & quaſi deſiderando vt ſemper habeat, ſicut deſiderant Angeli beati in Deum conſpicere Præterea licet ſalutando Virginem non excitemus illam illo modo, quo excitauit Angelus medijs ſenſibus corporis, excitamus tamen nos ipſos ad reuerentiam, amorem, & fiduciam, reuocando in memoriam plenitudinem gratiæ eius, & ſingularem fauorem, quo Deus illam proſequutur, & ſingularem eius electionem inter omnes mulieres, ac deniq. (quod Eliſabeth addidit) commemorando, ſeu illi repræſentando benedictum fructum ventris eius. Et præterea his eiſdem verbis noſtrum affectum oſtendimus, & Virgini proponimus eius beneuolentiam captando, quantũ in nobis eſt: ſunt ergo omnia verba illa ad Eccleſiæ vſum aptiſsima, quamuis fortaſſe non omnino eadem ratione, neque ad eundem effectum ab Angelo dicta fuerint, non eſt enim hoc neceſſarium, ſatisque eſt, quod poſsint eandem ſignificationem retinere, ſicut de verbo *Aue* iam conſtat. Dictio autem *Dominus tecum*, non fuit optantis ſed affirmantis de preſenti, quia non eſt ſenſus, Dominus tecum, id eſt, erit tecum, ſeu in te excellenti modo habitat ſpiritualiter, nondum enim de corporali habitatione per verbi conceptionem Angelus loquebatur, iuxta probabiliorem expoſitionem: de cæteris autem verbis res clara eſt.

9. *B. Virgo in cælo orat pro nobis.* Altera pars huius Orationis continet petitionem ad Virginem, ſupponit autem tota hæc oratio duo principia: vnum eſt, Beatam Virginem in cœlo orare pro nobis quod certum de fide eſt, & præter illa, quæ in communi de Sanctis orandis in 2. libr. diximus, tractatum ſpecialiter à nobis eſt de B. Virgine in 2. to. diſ. 23. ſect. 2. & 3. *B. Virgo cognoſcit quæ nos oramus.* Secundum principium eſt, cognoſcere B. Virginem, quę nos hic oramus, & petimus, quod etiam de Sanctis diximus in 2. lib. & in communi de Beatis in 1. p. & in peculiari de Virgine in 3. to. diſp. 21. ſect. 3. His autem conſequens eſt, vt oratio debito modo ad Virginem facta in ſingularem eius venerationem, & cultum cedat: quem & Deo, & ipſi gratum eſſe in eodem 2. to. diſp. 22. oſtẽdimus. Ex his autem veritatibus fidei manifeſtum eſt, hanc poſteriorem partem huius orationis ſanctiſsimam, & puriſsimam eſſe, nam in ea in Virgine ſanctitatem, & dignitatem matris Dei, in nobis autem peccata, & indigentiam recognoſcimus. Poſtulamus autem interceſsionem pro nobis, dum hic viuimus, maxime vero pro mortis articulo, vbi & Diuinum auxilium, & piſsimum matris ſubſidium maxime nobis neceſſarium erit.

De Roſario breuis digreſſio. 10. *De Roſario & Corona Virginis.*

Ex his orationibus Dominica, & Angelica cõpoſita eſt illa celebris in Eccleſia orandi formula, quæ Roſarium,

Digitized by Google

Roſarium, vel corona appellatur : quanquam hæc duo licet in materia, & forma ſimilia ſint, non ſunt omnino idem. Nam conueniunt quidem, quod vtraque formula cõſtat ex dictis orationibus, & quod inter denarias orationes Angelicas ſemel Dominica interponitur. Differunt tamen in numero, nam integrum Roſarium centum quinquaginta ſalutationibus Virginis conſtat, interpoſitis pro quindecim denariis, quindecim orationibus Dominicis: corona vero conſtat, ſeptuaginta tribus *Aue*, & ſeptem *Pater*, quæ à piis hominibus inuenta creditur in memoriam, & honorem totidem annorum, quos in hac vita Virginem vixiſſe probabile eſt. Et ideo vocata eſt corona hæc oratio, quia perfectum circulum vitæ Virginis repræſentat. At illa in rigore non intelligitur nomine *Roſarij*, ac ſubinde ad illam non pertinent gratiæ, & fauores in commendationem Roſarij conceſsi à Pontificibus, ideoque licet ſit pia deuotio, non eſt tamen tam authentica.

Corona vnde nomen habeat.

11\. Roſarium autem vocatum eſt Pſalterium Dominæ noſtræ, fortaſſe quia in numero ſalutationum imitatur numerum Pſalmorum, & ita nominatur in quadam Bulla Sixti IV. & creditur fuiſſe nomen impoſitum à B. Dominico. Nomen autem *Roſarij*, magis receptum eſt & illo vtuntur Clemens VII. & Paulus III. & creditur eſſe antiquius : vnde autem ſumptum ſit, explicat fuſius Nauarrus in dicto Enchir. in Miſcellan. 1. 2 3. & 19. vbi de nomine *Roſarij*, plura pie aduertit, & proſequitur, in quibus illa maxime notanda ſunt, quæ ad intelligendas Pontificias Bullas, in quibus gratiæ, vel indulgentiæ pro recitantibus Roſarium conceditur, vel etiam ad indicandum de obligatione, quæ naſcitur vel ex voto recitandi Roſarium, vel ex pœnitentia impoſita nomine Roſarij, vel ex cauſa ſimili, vtilia fuerint. Eſt enim aduertendum hoc Roſarium conſuetudine diuiſum eſſe in tres partes, quarum ſingulæ quinquaginta ſalutationibus, & quinque Dominicis orationibus conſtant, & vnaquæque etiam ſolet Roſariũ appellari, licet ſæpe vocetur tertia pars Roſarij ſicut è conuerſo Pſalterium ipſum interdum abſolute vocatur Roſarium, ſæpe vero additur integrum Roſarium. Quando ergo expreſſe nominatur integrum, vel totum Roſarium, clarum eſt non ſatisfieri per tertiam partem, ſicut etiam quando nominatur Pſalterium Virginis, quia hoc nomen nullo modo accommodatur tertiæ parti Roſarij vt ex vſu, & ex ratione ſupra declarata conſtat. Similiter quando è conuerſo exprimitur tertia pars Roſarij, ſublata eſt ambiguitas. Dubium vero naſcitur, quãdo Roſarium abſolute nominatur : & rationes dubitandi ſunt faciles ex dictis. Mihi tamẽ placet quod Nauarr. ſentit, interpretandum eſſe de tertia parte Roſarij, tum quia hanc ſignificationem obtinuit vſus, fortaſſe quia pauci ſunt, qui Pſalterium integrũ quotidie dicant, tum etiam quia hoc modo amplificantur fauores & reſtringuntur onera, nam ſi Roſarium in pœnitẽtiam imponitur, explicamus cum minori grauamine, ſi vero indulgentiæ, vel gratia conceditur dicenti Roſarium, ſic etiam ampliatur, & vtrumque eſt Iuris regulis conſentaneum. Et hoc confirmant aliæ coniecturæ, & teſtimonia, quæ Nauar. in dicto Miſcel. 19. adducit.

Roſariũ cur dicatur pſalteriũ Virg.
Bulla. Sixti 4. Clemen. 7. Paulus 3. Nauarr.
Quando imponitur Roſariũ ad veritatem quid intelligatur.
Nauar.

12\. De hac ergo forma orandi, quod pia, & ſancta ſit, & ad omnes effectus orationis aptiſsima, ac denique ſine macula, nullus Catholicus dubitare poteſt. Nam in primis partes, ex quibus conſtat, Deo gratiſsimæ ſunt, vt ex ſuperioribus conſtat, & late proſequitur Nauar. dicto Enchir. ca. 19. n. 100. vſque ad 188. Deinde eſt compoſitio prudens, & apta ad excitandam deuotionem : nulliuſque ſuperſtitionis, ac deformitatis argui poteſt, quia non preſcribitur ille numerus tanquam per ſe habẽs aliquam virtutem, nec putatur ita neceſſarius, vt ſit per ſe malum aliquid addere, vel detrahere ſed proponitur, vt quędam accommodata menſura ad orandum, & cum quadam varietate, quæ leuet faſtidium. Præter imitationem Pſalterij, & alias myſticas rationes, quę ibi conſiderari poſſunt. Accedit, quod hęc deuotio antiquitate, & vniuerſali acceptatione roborata eſt. Nam quoad antiquitatem, tanta eſt, vt eius initium ignoretur : licet enim multi credant incœpiſſe à B. Dominico, per Diuinam reuelationem (quod eſt pium, & probabile, & non parum antiquum) tamen alij dicunt, tempore Leonis 4. iam fuiſſe in vſu. Alij ex Beda referunt, iam ſuo tempore conſuetudinem hanc fuiſſe antiquam. Alij denique etiam vſque ad tempora Apoſtolorum referunt, quod magis incertum eſt. Illud profecto certius, orationẽ hanc multis prodigiis, miraculis, & reuelationibus fuiſſe cõprobatam, vt in Hiſtoriis Domin. c. & in variis libris de Roſario Petrus Alanus de Rupe, Albertus, & alij referunt, ac denique auctoritate multorum Pontificum approbata eſt, confirmando confraternitatem Roſarij, & varias indulgentias concedendo, vt late refert Nauar. per varia Miſcellan. Nunc ſufficit nobis commemorare, quod Pius V. in Bulla quadam dixit, inuentum hoc ab Spiritu ſancto fuiſſe.

Roſarium eſt pia forma orandi.
Nauar.
Viſleg. in ex altat ſanctæ crucis. 14. Septemb.
Petrus Alanus. Albert.
Nauar. Pius V.

13 De modo autem recitandi videri poteſt Caniſius libr. de Deipara capit. tertio verſus finem, & in toto illo capite ſalutationem Angelicam defendit, & in libro quinto capit. 26. nonnulla notat de Roſario, plura Nauarrus. Nobis vero circa hanc orationem in ſpecie preter ea, quæ generalia ſunt, nihil fere nouum occurrit addendum : duobus enim modis recitari poteſt, ſcilicet, vel voluntaria deuotione, vel ex aliqua obligatione voti pœnitentię, vel ad lucrandam indulgentiam. Quando ſine obligatione recitatur, nulla hic interuenit ſpecialis obligatio in modo recitandi Roſarium, præter eam, quæ generaliter de oratione vocali explicata eſt, quia in nullo iure, vel ratione fundari poteſt. Quando vero ex obligatione imponitur recitatio Roſarij per ſe ſolum additur obligatio actus quoad exercitiũ, vt ſic dicam: & ideo etiam tunc nullus ſpecialis modus eſt neceſſarius, niſi in ipſo præcepto vel reſcripto exprimatur, vel à vouente ſpecialiter intendatur, vt verbi gratia, licet quis voueat recitare Roſarium, non tenetur flexis genibus, vel in Eccleſia recitare, niſi huiuſmodi circumſtantias ſub voto expreſſe comprehenderit, idem de pœnitentia iniuncta, & ſimilibus. Cætera de hoc modo videri poſſunt in Nauarro Miſcel. 23. 24. & ſequentibus.

Caniſius.
Nauar.
Variis ob cauſas recitari Roſarium.
Nauar.

14 Sed quæret aliquis, an in his caſibus poſſit cum ſocio recitari alternatim dicendo *Aue*, & in fine denarij ſimul orationem Dominicam? Hic enim modus in voluntaria recitatione ſeruari poteſt, habere enim poteſt laudabilem, & congruẽtem rationem, vt pie notat Nauarrus Miſcel. 32. affirmans ſæpiſsime ſolitum fuiſſe hoc modo recitare Roſarium, quod & alij viri Religioſi faciunt. An vero hic modus ſufficiat ad implendam obligationem, quæ per votum, pœnitentiam, & cæt. de dicendo Roſario ſimpliciter impoſita eſt, aliqui dubitant. Idem autem Nauarrus indubitãter affirmat in dicto Miſcel. 32. & capite 10. eiuſdem Enchirid. numero 19. & ſequentibus, & eandem ſententiam ſecutus eſt Azor tomo primo ſuarum inſtitut. libro primo, capite ſeptimo, dubio 10. & mihi etiam probatur hæc ſententia, quia ille modus recitandi eſt conſentaneus vſui Eccleſiæ in ſuis canticis, & orationibus communibus : & eſt ſatis aptus ad orandum attentius, & cum maiori interna deuotione, & ſine tædio. Item quia vbi duo coniunguntur in Chriſto ad orandum, quaſi vnum efficiunt, & ſibi communicãt partes ſuas, & ita vnuſquiſque cenſetur moraliter totum dicere, quod ambo alternatim dicunt. Denique Clemens Roman. libro quarto Conſtitut. capit. 34. monet fideles, vt ſaltem duo, aut tres orent, *Quia Dominus* (inquit) *dixit, vbi fuerint duo, vel*

An Roſariũ ex obligatione poſſit cum alio alternatim recitari
Nauarrus.
Azor.
Clemens Roman.

tres congregati In nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Vix autem intelligi poteſt, quomodo duo, vel tres ad orandum poſsint conuenire, niſi alternatim aliquid proferendo. Hic ergo modus etiam in dicendo Roſarium teneri poteſt, ita vt vnuſquiſque ex ſociis totum Roſarium dicere cenſeatur, ac ſubinde obligationi ſuæ ſatisfacere.

15. *An ſatiſfaciat qui Roſarium recitat per parteſ.*

Dubitat etiam Nauarr. ſupra, an qui tenetur dicere Roſarium ſemel in die, teneatur continue dicere, vel ſatisfaciat, dicendo per partes in diſtinctis horis diei? & reſpondet ſatisfacere, dicendo poſteriori modo: quod mihi etiam placet: quia continuatio (vt ſic dicam) non eſt de ratione Roſarij: & qui totum numerum illarum orationum dicit ordine præſcripto, integre recitat, quod tenetur. Dices, Roſarium ſignificare orationem vnã, vt ipſum nomen præ ſe fert, recitatum autem per partes diuiſas non componere orationem vnam. Reſpondeo, negando Minorem, quia in his rebus moralibus vnitas non attẽditur ex rigoroſa continuatione partium, nam tres nocturni licet diuidantur (vt olim fieri ſolebat) vnam horam matutinam componunt, imo Matutinum, & laudes ſeparatim dicta communius cenſentur vna hora, quin & ſeptem horæ Canonicæ, quæ ſeparatis horis dici debent, vnum officium componunt, quod eſt vnius præcepti materia. Sic ergo quinque denarij quinque diuerſis horis recitati ſub hac intentione dicendi Roſarium, componunt moraliter vnam orationem. Vnde, vlterius addo, ſiquis teneatur dicere Roſarium integrum ſemel, aut bis in hebdomada, ſatisfacere dicendo tertiam, vel ſextam partem ſingulis diebus propter eandem rationem. Itaque dummodo cum debita reuerentia fiat, non apparet in hoc vlla difficultas, neque ex vi conſuetudinis, aut conſtitutionis conſtat ita eſſe coniungendas illas orationes, vt nulla temporis mora interponatur.

Obiectioni occurritur.

16. *Recitare Roſarium myſteria meditando an ſit neceſſariũ Nauar.*

Præterea, inquiri poteſt, an expediat recitare Roſarium, meditando myſteria vitæ mortis & reſurrectionis Domini? De quo multa dicit Nauarr. 20. Miſcel. & ſequentibus. Breuiter autem dico, hunc modum attentionis, vel deuotionis non eſſe neceſſarium ad implendam obligationem, ſiquis eam habeat dicendi Roſarium, niſi ex peculiari voto quiſpiam ad id ſe obligarit. Nam quod tale votum fieri poſsit, & ſit validum, dubium non eſt, ſecluſo autem tali voto, modus ille non eſt de ſubſtantia Roſarij, quatenus eſt Oratio Vocalis legitime, & ſancte facta: non eſt ergo neceſſarius. Secundo, certum eſt, illum modum eſſe pium, & vtilem, non tamen eſſe omnium optimum, neq; omnibus recitãtibus Roſarium accommodatum, aut imponendũ. Primum patet, quia recitari poteſt cum altiori contemplatione, & ſimpliciori vnione ad Deum. Secũdum vero, quia multi ſunt ruſtici, & incapaces illius modi, alij vero vtilius circa rem vnam, quam circa multiplicia myſteria meditabuntur. Tertio exiſtimo, frequentius non expedire ſimul cum oratione vocali ſingulorum denariorum meditationem ſingulorum myſteriorum adiungere, quia regulariter non fiet ſine aliqua confuſione, aut diſtractione. Et ideo vtilius erit, dum Angelica, aut Dominica orationes dicuntur, attendere vel ad Deum ipſum, vel ad Virginis excellentiam, vel ad ea, quæ per voces ſignificantur. Poſtea vero finitis ſingulis denariis, paulum ſiſtere in meditatione alicuius myſterij ordine vſitato. Sic enim facilius colligetur mẽs ad id, quod intendit, & maior deuotio excitabitur, quę eſt præcipuus orationis fructus.

17. *An poſsit pluribus titulis ſatisfieri recitato ſemel Roſario in die.*

Tandem quærit Nauar. in Miſcel. 27. an qui tenetur pluribus titulis, voti præcepti Superioris, & Cõfeſſoris, vel ad indulgentiam lucrandam eodem die dicere Roſarium: ſatisfaciat omnibus obligationibus, ſemel dicendo, ſicut ſatisfacit vna Miſſa multis obligationibus ſimul occurrentibus, & vno ieiunio ſimiliter? Reſpondet autem Nauarr. ſimpliciter negando. probationes vero, quas adducit, non ſunt admodum probabiles, nec ſolutiones rationum in contrarium, nam ad illud de ieiunio reſpõdet, ideo id eſſe, quia eſt obligatio talis diei, & vno die non poteſt bis iuuare. Quæ reſpontio non poteſt dari ad aliud exemplum Miſſæ, quod ipſe omittit. Cenſeo ergo diſtinctione vtẽdum eſſe. Et in primis aſſero, ad lucrandam indulgentiam recitanti Roſarium conceſſam, nihil obſtare, quod illa recitatio ſub alia obligatione poſita ſit, ſiue ex voto, ſiue ex confeſsione, ſiue ex alia obedientia (quamuis oppoſitum indicet Nauarr.) Probatur, quia ſupponimus in forma indulgentiæ non eſſe expreſſum, vt Roſarium recitandum non ſit alias ſub aliqua obligatione (nam tunc nulla eſſet quæſtio) ſed ſimpliciter concedi recitanti Roſarium. Tunc ergo licet ex obligatione recitetur, forma indulgentiæ impletur, ergo tantum valet, quantum ſonat. Item opus illud eo quod ex obligatione fiat, non eſt minus bonum, imo cæteris paribus, eſt melius, cur ergo erit peioris conditionis, qui illud recitat? Deniq; ſi de præſumpta intentione tractetur, non eſt veriſimile intentionem concedentis indulgentiam fuiſſe excludere illos, qui obligationem recitandi habent, nulla enim rationabilis cauſa talis præſumptionis aſsignari poteſt. Vt ſi Põtifex concedit, v. g. vnum annum indulgentiæ recitandi Pſalmum *Miſerere*. cur creditur excludere ab hac gratia eum, qui ex voto recitat Pſalmum illum? Et ſimiliter veriſimile non eſt, eũ, qui vouit Roſarium, voluiſſe obligare ſe ad recitãdum illud cum animo non lucrandi indulgentiam per tale Roſarium. Neq; hic habet locum ratio, quã maxime vrget Nauar. quod per vnam actionem nõ ſatisfit duplici obligationi, quia opus ad indulgentiam requiſitum non eſt proprie ſub obligatione, ſed eſt veluti conditio requiſita ad effectum indulgentiæ, quæ conditio ſufficienter impletur per opus alias præceptum, niſi expreſſe excludatur.

Nauar.

Reſolutio quæſtionis.

Addo vlterius, non repugnare in vniuerſum, quin vno opere duplici præcepto ſatisfiat, vt probat exemplum de Miſſa, vnde etiam in pręſenti non repugnabit in recitatione Roſarij. Pendet tamen ex intentione præcipientium, vel vouentium, quæ conſideranda eſt: Nam confeſſor poteſt in pœnitentiam iniungere opus ex præcepto, vel ex voto debitum: vnde ſi id declaret, non erit dubium, quin vna recitatione vtrique obligationi ſatisfiat. Quando vero id non declarat, coniectura opus eſt, nam fortaſſe non intendit imponere onus dicendi Roſarium bis in die, ſi alioqui pœnitens habet votum dicendi illud, & idem præſumi poteſt de ſimili præcepto impoſito à Prælato. Et ſimile eſt de voto: nam poteſt quis ſe obligare voto ad opus alias præceptũ. Quod ſiquis fecit votum recitandi prius, quam haberet aliunde obligationem dicendi illud, veriſimile eſt, non habuiſſe intentionem dicendi bis Roſarium in die, ſi noua obligatio ſuperueniat: oportet ergo prudenti arbitrio vti, quia totum pendet ex intentione, & in caſu dubio pars tutior eligenda eſt, quia dubiis non ſunt augenda onera, ſed melior eſt conditio libertatem ſuam poſsidentis. Ratio vero generalis eſt, quia idem opus eſt capax plurium honeſtatum, & poteſt eſſe ſufficiens ad obediendum multis, & ad impetrandum pro multis, maxime ſi ſpecifica intentio ad ſingulos referatur. Non ſufficit tamen vnica recitatio Roſarij ad ſatisfaciendum æqualiter pro multis, & pro ſingulis, ideoque ſiquis ſit obligatus ad applicandam alicui totam ſatisfactionem vnius Roſarij, non poterit ſimul ſimilem obligationem pro alio implere, ſi illam habeat, ſed oportebit iterum Roſarium recitare, per quod ſatisfactum eſt fundamentis Nauarri.

18. *Cõfirmatur concluſio.*

Non ſufficit ad ſatisfaciẽdum æqualiter pro multis vnũ Roſarium.

De

De Salue Regina.

19. *Caniſius. Bellarm. Tria continentur in Salue Regina.*

Contra hanc orationem maximè inſurgunt hæretici, eorum tamen calumnijs ita occurrunt Caniſ.lib.5. de Deipara,cap.13.& Illuſtriſsimus Bellarm.lib 1.de Bonis Oper.ca.15. vt nihil noui nobis addere ſit neceſſe. Tria verò in hac oratione poſſunt conſiderari. Primum eſt ſalutatio, quæ in principio ſtatim continetur, de qua eadem eſt ratio, quæ de illa, quam per Angelicam ſalutationem facimus: nam verba *Salue*, & *Aue*, fere æquipollentia ſunt: & ideo quæ ibi de hoc puncto diximus, hic applicanda ſunt.

20. *Laudes Virginis in hac Orat. facta an conueniant ei.*

Secundo continet hæc oratio quædam encomia Virginis,& quoſdam modos inuocandi, vel nominandi illam, contra quæ obijci ſolet, quia videtur illi tribui id, quod eſt proprium Dei, vel certe quod non poteſt Virgini cum fundamento tribui. Huiuſmodi eſt illud : *Mater miſericordiæ*, ſolus enim Deus eſt *Pater miſericordiarum*. 2 ad Corinth.1.& illud: *Spes noſtra* cum tamen Dauid Pſal. 90. ad Deũ dicat. *Tu es Domine ſpes mea*,& Ieremias cap.17.dicat. *Maledictus homo, qui confidit in homine*: Item illa abſtracta, *Vita noſtra dulcedo noſtra*: Videntur maximè propria Dei. Sed in his non ſonus verborũ, ſed ſenſus, & mens attendenda ſunt. Sæpe enim contingit, idem nomen, quando metaphoram continet, vt *Lux, Paſtor*,& ſimilia Deo & hominibus tribui, non tamen ad eandem dignitatem ſignificandum Præterea Chriſtus Matthæi 5.dixit: *Eſtote perfecti,ſicut & Pater veſter perfectus eſt*,& Ioan.17.dixit ad Patrem de Diſcipulis: *Vt ſint vnum ſicut & nos*,& infra: *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te*: & infra : *Vt ſint vnum , ſicut & nos vnum ſumus*. Quæ omnia non propter æqualitatem dicta ſunt , ſed propter imitationem, & ad explicandam perfectionem aliquam in illa: & ſimili modo Angelus vocauit Virginem plenam gratia , quamuis plenitudo gratiæ propria ſit Chriſti.

2.Cor. 1. Pſalm.90. Ierem.17. Matth.5.

21. *Reſoluitur dubium.*

Ad hunc ergo modum Eccleſia loquitur cum Virgine ad eius ſingularem excellentiam, & miſericordiam recognoſcendam. Vocat ergo Reginã cœli per ſingularem excellentiam, quia non ſolum vt cæteri Beati in cœlis regnat, ſed quia ſpeciali titulo maternitatis Dei Domina eſt rerum,& Regina Beatorum, vt loquuntur Athan.in Sermon.de Sanctiſsim. Deipara,& Damaſc.lib. 4. Fidei capit. 15. & Auguſtin. Sermon. 35.de Sanctis. Vocatur etiam, *Mater miſericordiæ* , tum quia in miſericordia erga genus humanum inter omnes creaturas infinite quodammodo excellit , tum etiam quia mater eſt Chriſti , per quem omnem miſericordiam accepimus. Et ſimili ratione dici merito poteſt, *Vita, & dulcedo noſtra*, Sicut etiam ab Athanaſ. ſupra *Mater vitæ* appellatur, quia eſt mater Dei, qui eſt auctor vitæ, & Deus totius conſolationis. Item, quia per Chriſti Aduentum,& Redemptionem vita gratiæ, & amicitia cum Deo (ex qua omnis ſpiritualis dulcedo naſcitur) per Chriſtum nobis data eſt, ideo etiam mater eius vita , & dulcedo noſtra appellatur ad denotandum ſingulari modo fuiſſe Chriſto cooperatam ad hæc beneficia nobis præſtanda. vnde etiam *Mater viuentium* à Patribus ſupra citatis dicitur: & ab Epiphan. libr. tertio hæreſ. 78. *Vere* inquit, *Vita mundo à Maria genita eſt, vt viuentem gigneret, & fieret Maria Mater viuentium, per ænigma igitur Maria Mater viuentium appellata eſt.* Hinc etiam ſpecialiter *Mater hominum* dicitur, vt ait Rupert. lib.13.in Ioan. & pari titulo vocatur *Chriſtianorũ Domina* in 7.Synodo, Actor. 4. Denique appellatur *Spes noſtra*, non quia putemus, ita eſſe ſperãdum in illa ſicut in Deo, ſed vt eius ſingularem poteſtatẽ erga Deũ proteſtemur. Deus ergo eſt ſpes noſtra tanquam auctor bonorum omnium : Virgo autem tanquam mediatrix, quę apud Deum habet ſingularem dignitatem, quia ſicut apud Deum eſt potentior, ita & præ omnibus Sanctis eſt pro nobis ſolicitior, vt Auguſtinus dixit: propter quod Bernard. totam rationem ſpei ſuæ illam aliquando appellauit,& Ephrem in Serm. de Laudibus Virginis eam vocat, *Spem deſperãtium. & omnium ſalutem.* Et ad hunc modum intelligenda ſunt cætera encomia , & laudationes Virginis, quæ in hac Antiphona continentur.

Athanaſ. Damaſc. Auguſt. Epiphan. Rupert. Synod.7. Auguſt. Bernard. Ephr.

22. *Altera pars orationis petitionem continens.*

Vltima pars huius orationis petitionem continet, quæ fere per verba generalia fit, vt ſunt illa. *Ad te clamamus exules filij Euæ, ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle: eia ergo aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte.* In quibus omnibus nihil eſt difficultatis , nam quod loquamur ad Virginem tanquam præſentem recta fides facit, & non oculos corporis , ſed cordis eius cum miſericordię affectu ad nos conuerſos deſideramus, in cæteris autem verbis indigentiam noſtrã, & miſerum huius vitæ ſtatum, ac periculum recognoſcimus, & affectum noſtrum excitamus, & accendimus. Quod autem aduocatam illam vocamus, nullam iniuriam Chriſto facimus, quia cognoſcimus ipſam eſſe mediatricem ad mediatorem iſtum, ſicut Bernard. dixit: & ſicut in ſuperioribus dicebamus, Sanctos omnes eſſe pro nobis aduocatos, licet longe diſsimili modo, quam Chriſtus ſit: ita cum proportione dicendum eſt de Virgine ſolum verbum illud: *Et Ieſum filium tuum poſt hoc exilium oſtende* calumniantur hæretici: ſed non eſt inuſitatus loquendi modus , vt ab aliquo petamus interceſsionem petendo ab ipſo rem , quam ab alio obtenturus eſt, ac ſi ipſemet illam eſſet daturus, non quia credamus ipſum eſſe principalem auctorem eius, ſed vt oſtendamus fiduciam in ipſum, & magnam æſtimationem, quã de interceſsione eius habemus. In hoc ergo ſenſu loquimur in illis verbis, & in Hymno, cum dicimus: *Tu nos ab hoſte protege,& hora mortis ſuſcipe*, & in illo verſiculo, *Da mihi virtutem contra hoſtes tuos*. Et in eodem ſenſu dixit Gregorius Nazian. in Chriſto patiente, *Quæ vincis omnes cælitum ordines, Regina Domina generis humani bonum, Amica ſemper eſto tu mortalibus, Maximaque quouis in loco mihi ſalus.* Neque mirum eſt Nazianz. ita loqui cum Virgine, cum in Orat. de Sancto Cypriano ita ad ipſum precetur. *Nos de cœlo benignus aſpicias , ſermoneſque noſtros,& vitam gubernes, ſacrumque hunc gregem paſcas.* Sic etiam Bernar. Sermon. 1. de Aſſumpt. *Aſcendens*, inquit, *Virgo beata dabit ipſa quoque dona hominibus* Serm.autem 4. declarat hæc dare impetrãdo illa multaq; ſimilia legi poſſunt in Athan. Ephr. & Damaſc. locis citatis: & videri etiam poſſunt quæ de hac materia in 2.tom.3.par.adduximus,& videri poteſt Nauarrus dicto Enchir.c.18.num.21. & ca.19. num.179.& 183.

Bernar. Quid calumniantur hæretici. Occurritur calumniæ. Nazian. Bernar. Athan. Ephrem. Damaſc. Nauar.

De Litanijs.

23. *Litaniarũ ſanctum vſum.*

Tandem ex dictis facile eſt intelligere, ſanctum, & religioſum eſſe vſum litaniarum, quem habet Eccleſia, ſiue de litanijs Sanctorum, ſiue de litania Virginis loquamur. Quamuis enim non videãtur æquè antiquæ, ſimilem rationem honeſtatis habent: & liceat ab hæreticis contemnantur, nihil habent, quod obijciant, præter ea, quæ afferre ſolent contra inuocationem Sãctorum, quibus ſatis in ſuperioribus reſponſum eſt.

24. *Antiquitas Litaniarũ. Concil. Arauſic. Concil. Gerand.*

Forma igitur hæc interpellandi Sanctos, quam litaniam vocamus, antiquiſsima eſt, nam in Concil. 1. Arau.c.29. ſic dicitur: *Rogationes*, id eſt, litanias, *ante aſcenſionem Domini placuit celebrare*. cap. *Rogationes*, de Conſ.d.& in Concil. Gerand. capit 3. ſic dicitur, *Item ſecunda litania facienda eſt Kalendis Nouemb.* Vbi particula illa, *Secunda*, refert primam litaniam, de

Digitized by Google

Concil. Brachar. *Concil. Tolet.* *Gratian.* *Concil. Lugdun.* *Concil. Magun.*

qua fit mentio in capit. ſecundo eiuſdem Concilij iuxta Loaiſæ collectionem. Et in Conc. Brachar. 2. ca. 9. poſt natale Domini præcipiuntur celebrari litaniæ per triduum &c. & in Concil. Tolet. 5. capit. 1. ſtatutum legitur, *Vt à die iduum Decembrium litaniæ triduo vbique annua ſucceſsione peragantur.* Quæ conſtitutio firmata fuit in Concil. Tolet. 6. capit. 2. Quę omnia Concilia ante mille annos præceſſerunt. Rogationum etiam ante Aſcenſionem fit mentio in capit. 1. de Conſecr. diſt. 2. quod ex Concil. Lugdunen. Gratianus refert. Concil. autem Magunt. 1. ſub Carolo Magno cap. 22. *Litania dicitur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo miſericordiā eius*, media, ſcilicet, inuocatione Sanctorum, & cap. 33. *Obſeruanda* dicitur *Litania maior, ſicut à Patribus eſt inſtituta.*

Quæ litaniæ maiores, & quæ minores. Concil. Aurel.

25. Vbi inſinuatur diſtinctio communis litaniarum in maiores, & minores. Quæ non diſtinguūtur, quia pluribus, aut paucioribus orationibus cōſtēt, eaſdē enim preces continent, ſed maiores appellantur illæ, quæ tribus diebus ante Aſcenſionem dicuntur iuxta Concil Aurelian. ſupra citatum, quod nunc obſeruat Eccleſia, minores vero appellantur, quæ die Sancti Marci dicuntur. Apud Gregor. autem libr. 2 Epiſtol. in principio fit mentio Litaniæ maioris his verbis: *Solennitas annuæ deuotionis nos admonet, vt litaniā quæ maior, ab omnibus appellatur ſolicitis, ac deuotis debeamus mentibus celebrare.* Et libr. 7. Indictione 2. Epiſto. 76. indicat, varias fuiſſe litanias ſolennes: nam Caſtori præcipit vt requirat, quot fuerint, & admonet, vt non ſub nomine Maiorum eas requirat. Indicans omnes quidem fuiſſe ſolennes, ſed eas maiores fuiſſe appellatas, quæ maiori cum pompa fiebant cum præſentia Epiſcopi vel Archiepiſcopi ſuum pallium deferentium.

D. Gre. non fuit auctor litaniarum. *August.* *Earum mos in Orientali Eccleſia per antiquum.*

26. Ex his ergo ſatis conſtat, amorem hunc antiquiſſimum in Eccleſia fuiſſe, vnde non recte aliqui exiſtimarunt, Gregorium fuiſſe illarum auctorem: nam licet frequenter, & varijs in locis eas indixerit, præſertim in publicis neceſsitatibus, & calamitatibus, vt præter citata loca videre licet in libr. 9. Indictione 4. Epiſtol. 45. ad Epiſcopos Siciliæ, & libr. 11. cap. 2. non tamen ipſe adinuenit, vt ex antiquioribus Concilijs conſtat. Immò Auguſtin. Sermon. 173. de Temp. illarum mentionem fecit, qui eſt in Vigilia Aſcenſionis Domini, quamuis nomen litaniarum, aut rogationum non explicet. Nec ſolum in Occidentali Eccleſia, ſed etiam in Orientali hic mos antiquiſsimus eſt, vt cōſtat ex Baſil. Epi. 63. ad Neocęſarianā Eccleſiā. Cum. n. illa Eccleſia Baſilium reprehenderet eo quod communes preces in ſua Eccleſia admitteret, quæ tempore Gregorij Magni (vt ipſe appellat) non erant, ipſe reſpondet: *Verum neque litaniæ, quas vos in vſu habetis illius tempore fuerunt, quod non reprehendendi cauſa dixerim* &c. *optaui enim vos* &c. Et quod tempore Arcadij Imperatoris vſus litaniarum in Oriente fuerit, conſtat ex Codice Theodoſ. tit. de Hæret l. 30. ex Socrate lib. 6 Hiſtor. cap. 8. & Sozomeno libr. 8. cap. 8. item de tempore Theodoſij Nicephor. libr. 14. Hiſtor. capit. 3.

Cod. Socra. Sozom. Niceph.

Litaniarū publicus Eccleſiæ vſus. *Durant.* *Concil. Laodic.* *Gregor.*

27. Tandem ex dictis conſtat, hanc formam orandi non ſolum priuatam eſſe, ſed etiam publicam totius Eccleſiæ. Ita enim olim indictas fuiſſe, ex his, quæ adduximus, conſtat. Fiebantque interdum ſolum intra Eccleſiam in publico conuentu, ſæpius verò per vias publicas in proceſsionibus, ſeu ſupplicationibus incedendo. De quibus multa ex antiquitate refert Durant. libr. 2. de Ritib. capit. 10. & quamuis in illis proceſsionibus Pſalmi etiam alternis canerentur, vt ſumitur ex Concil. Laodic. ca. 17. & alijs: tamen ſæpe etiam litanię dicebātur, præſertim in diebus rogationibus deſignatis, vt ex Gregor. & alijs, quæ adduximus, conſtat. Hæc autem omnia in Eccleſia Catholica retineri, & obſeruari conſpicimus: non ſunt ergo noua, ſed infallibili traditione approbata. Et quò hæc forma orandi toti Eccleſiæ vniuerſalior eſt, eo vſus eius etiam in priuatis orationibus grauior eſt, & ſecurior.

Omnia quæ in litanijs cōtinentur pia ſunt et vera. *Litania Virgin. Lauretana.*

28. Quod ſi attente conſiderentur omnia, quæ in litanijs continentur, euidentiſsimum etiam eſt ſumma veritate, & pietate eſſe compoſita: nam in eis ante omnia exoratur Deus, & Sanctiſsima Trinitas tanquam Auctor, & Pater miſericordiarū: deinde interceſsio Virginis tanquam præcipua ſingulari modo poſtulatur: poſtea à Sanctis omnibus, vel nominatim, vel in generali, vt pro nobis orent, petimus. Deinceps variæ petitiones ad Deum explicātur, quibus vel liberationem à malis, vel neceſſaria bona pro omnibus ſupplicamus: ac tādem pijs quibuſdam orationibus tota hæc forma orandi concluditur, eſt ergo ſancta, & omnino retinenda. Idemque iudicium eſt de litania Virginis Lauretanæ, quæ licet tam antiqua non ſit, tamen & vſu Eccleſiæ, & auctoritate Pontificum eſt iam ſufficienter confirmata. Et ex re ipſa conſtat, pium, & religioſum cultum continere: nam tota eſt quædam deprecatio ad Deum per Virginem, ſolumque habet hoc peculiare, quod varijs nominibus, vel proprijs, vel metaphoricis Virginem appellat. Omnia vero continent veram, & ſanam doctrinam, veraſque Virginis laudes, ſicut de encomijs Antiphonæ *Salue Regina*, ſupra declarauimus: illa autem varietas prudenter inuenta eſt, vt ſine tædio, & cum maiori deuotione poſsit per aliquam morā deprecatio fieri. Et hæc ſufficiant de Oratione vocali generatim ſumpta.

Finis libri tertij.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM, LIBRI QVARTI DE HORIS CANONICIS ET ORATIONE PVBLICA AC LAVDE DEI, PER PSALMODIAM.

Cap. 1. De antiquitate chori, & honeſtate officij Diuini per cantum.
Cap. 2. De materia proxima, ex qua Diuinum officium componitur.
Cap. 3. De diuiſione officij Diuini in communi.
Cap. 4. De diuiſione officij nocturni in partes ſuas.
Cap. 5. De diuiſione officij diurni.
Cap. 6. De numero horarum canonicarum.
Cap. 7. De cantu Eccleſiaſtico in communi.
Cap. 8. De cantu organico Eccleſiaſtico.
Cap. 9. De perſonis aptis ad canendum in choro.
Cap. 10. Quæ perſonæ recitare teneantur.
Cap. 11. Quodnam officium Diuinum recitandum ſit.
Cap. 12. De alternis verſibus in choro canendis.
Cap. 13. De omittendo, vel mutilando officium Diuinum in choro
Cap. 14. De attentione, & circumſtantijs ſeruandis in choro.
Cap. 15. De tempore ſingulis horis in choro inſtituto.
Cap. 16. De obligatione recitandi ex vi ordinationis.
Cap. 17. De obligatione recitandi ex vi religioſæ profeſſionis.
Cap. 18. De obligatione recitandi ex vi beneficij.
Cap. 19. De iure obligatio recitandi ex vi ſolius tituli.
Cap. 20. De iure obligatio recitandi ſine fructibus.
Cap. 21. An tenue beneficium obliget ad recitandum.
Cap. 22. An redditus ſine beneficio obligent ad recitandum.
Cap. 23. Quod officium clerici priuatim recitare debeant.
Cap. 24. De mutatione in priuata recitatione horarum.
Cap. 25. De integritate priuatæ recitationis.
Cap. 26. De attentione in priuata recitatione.
Cap. 27. In quo loco, & tempore poſſit officium Diuinum dici.
Cap. 28. De cauſis excuſantibus ab officio Diuino.
Cap. 29. An beneficiatus non recitans per ſex primos menſes, aliquid teneatur reſtituere.
Cap. 30. Quid teneatur reſtituere, qui etiam poſt ſex menſes non recitat.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QVARTVS DE ORATIONE PVBLICA ECCLESIÆ, HORIS CANONICIS ET LAVDE DEI, PER CANTVM, ET PSALMODIAM.

DIximus de oratione vocali in communi, & vt priuate fit, ſupereſt dicẽdum de oratione per ſe publica, id eſt, quæ in perſona totius Eccleſiæ funditur: nam ex hoc induit peculiarem obligationem ex inſtituto Eccleſiæ, multaſque proprietates habet, quæ ſpecialem conſiderationem requirunt, quam in hoc libro proſequemur. Sicut autem hæc oratio per ſe publica eſt, ita per ſe poſtulat, vt in Eccleſia fiat in loco publico, & in populi concurſu, ac ſubinde tali modo, vt ab omnibus aſtantibus audiri poſsit. Et ideo hic orandi modus ad Eccleſiaſticum chorum, aut cãtum, vel pſalmodiam ſpectat. Per accidens autem ſeparatim, ſeu occultè fit, vel ratione loci, quia in priuato cubiculo, vel ratione modi, quia ſummiſſa voce dicitur. Prius ergo dicemus de his, qui in choro, poſtea de his, qui extra chorum, Canonicum officium ex obligatione recitant: de illis vero qui ex deuotione abſq; obligatione recitant, nihil dicere oportebit, quia illa oratio omnino priuata eſt, & ita nullam habet peculiarẽ conſiderationem, præter ea, quę in ſuperiori libro tractata ſunt.

Libri partitio, & diſpoſitio.

CAPVT I.

Quam ſit antiqua in Eccleſia, & per ſe honeſta oratio, quæ chorus Eccleſiaſticus appellatur.

1. DVobus modis ſolita eſt fieri hæc oratio in Eccleſia. Primo in Miſſa, quaſi coniungendo hãc actionem cum ipſo ſacrificio ad illius maiorem reuerentiam, & ornatum: ſecundo extra ſacrificium tantum ipſius orationis gratia, ad poſtulandum aliquid à Deo, ipſiue gratias agendum, aut laudandum ipſum. De priori modo dixi in 3. tomo 3. p. diſpu. 85. ſect. 1. vbi in hunc locum remiſi ea, quę pertinent ad alias orationes publicas extra Miſſam, quod implẽdum nunc eſt. Suppono autem ſanctũ eſſe huiuſmodi orationes ad Deum fundere extra Miſſæ ſacrificium, quia oratio per ſe eſt actio bona, & honeſta, & non habet neceſſariam connexionem cum ſacrificio, poteſtq; ſæpius in die, vel nocte fieri, etiam quando non eſt tempus ſacrificij. Et ita conſtat in antiquo templo, & lege fuiſſe conſuetudinem orãdi varijs horis, in quibus non offerebantur ſacrificia, colligitur ex illo Act. 3. *Ad horam orationis nonã*, & infra latius dicemus. Et Chriſtus Dominus licet in offerendo ſacrificio ſuo tam cruento, quam incruẽto multiplicem orationem miſcuerit, & internam, ac mentalem, & publicam, ac vocalem, etiam *cum clamore valido*: tamen ante illud ſacrificium ſæpius orauit, & nocte Cœnæ, illa iam finita, hymnum cum Diſcipulis dixit, quod erat orationis genus, & poſtea in horto orauit, vbi ſæpius cum diſcipulis ad orandum, & non ad ſacrificandum, conuenire ſolebat vt Ioannes ca. 18. refert. Conſuetudo ergo orandi ſæpius extra ſacrificium per ſe honeſta, antiqua, & laudabilis eſt.

1. Suppoſitio Honeſtũ eſt & ſanctũ orationes ſundere etiã extra Miſſam.

Actor. 3.

S. Ioan. 18.

Secundo ſuppono orationem in communi factam, à tota aliqua cõmunitate, vel populo ſanctã, & Deo gratiſsimam eſſe, ideoque merito ab Eccleſia ſeruatam, & more receptam fuiſſe. Omitto hæreticos, qui circa hanc orationem errarunt, quia nullus abſolutè videtur illam negaſſe, ſed quoad aliquas ſpeciales circũſtantias, de quibus in ſequentibus capitibus dicendum eſt. Hæc ergo veritas facile perſuadetur, quia ſi vnius perſonæ ſingularis oratio multum valet apud Deum, ſi multi eodem ſpiritu, & actu orationis conueniant, ſine dubio gratior erit, & potentior eorum oratio: & ideo de antiquis Chriſtianis legimus, quod ſtatim poſt Chriſti aſcenſum: *Erant perſeuerantes vnanimiter in oratione*, vel in Cænaculo ante Spiritus ſancti aduentũ, Act. 1. vel in templo poſt aduentum Spiritus ſancti, & inchoatam prædicationem Apoſtolorum, & conuerſionem Chriſtianorum, Act. 2. vnde Chryſo. Hom. 79. ad Populum: *Quid hac* (inquit) *oratione Eccleſiæ potentius? Quæ columnam, & Eccleſiæ turrim adiuuit*: & infra: *Magna vis eſt orationis in Eccleſia concorditer à populo oblata*: & infra: *Et domi quidem orari poteſt, ſic autem vt in Eccleſia, non poteſt, vbi tanta Patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Nõ ita à Domino per te ſolus orans audieris, vt cum fratribus. Hic enim maius aliquid eſt, puta, vnanimitas, & conſonantia, charitatiſq; vinculum & ſacerdotum orationes.* Eſt ergo oratio communitatis optima, & cæteris paribus efficacior, quia ex maiori charitate procedit. Et quia circumſtantia perſonæ petentis multum ad orationem confert, communitas autem habet peculiarẽ quandam dignitatem, ratione cuius commune bonũ Diuinius cenſetur. Et quia vbi multi cõcurrunt, vnus ab alio iuuatur, & imperfectionem vnius alius ſupplet, & ita oratio euadit, vel omnibus numeris abſoluta, vel certe perfectior. Denique quia talis oratio habet à Chriſto ſpecialem promiſsionem, vt ſtatim dicam. 2.

2. Suppoſitio facta a tota aliqua communitate eſt Deo gratiſſima.

Act. 1.
Act. 2.
D. Ioan. Chryſoſt.

Duobus autem modis intelligi poteſt, orationẽ fieri à communitate: primo, quia multi ſimul ad orandum conueniunt, vnuſquiſque autem per ſe orat, quaſi priuatim, nec habet cum oratione alterius aliam cõiunctionem pręter concomitantiam temporis, aut loci vel materiæ. Et talis oratio habet à Chriſto peculiarem promiſsionem, Matth. 18. *Iterũ dicò vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re: quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis eſt.* Et ſubdit rationem: *Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ.* In quo promittit ſuum peculiare auxilium his, qui hoc ſpiritu ad orandum conueniunt. Oportet autẽ, vt ille concurſus ſit ex intentione orantium, ad orãdum conuenientium communi conſenſu. Nam ſi omnino caſu contingat, multos ſimul orare, erunt orationes plurium, non tamen erit oratio vnius cõmunitatis. Hic autem modus communis poteſt etiã in oratione mentali inueniri, ſicut patet in communitate religioſa, cuius perſonæ omnes eadem hora ad ſic orandum conueniunt ex communi ritu, & conſenſu. Ideoque ad hunc modum communis orationis per ſe neceſſarium non eſt; vt omnes, qui ſic 3.

1. Modus quo à communitate fieri poteſt oratio.

S. Matt. 18.

orant

orant in eodem loco communi proximè conueniant, ſed eſſe poſſunt in eadem domo, & diuerſis cellis, imo etiam in diuerſis domibus, & populis eſſe poſſunt, & per modum vnius corporis myſtici eadem hora ad orandum vel mentaliter, vel vocaliter conuenire. Quæ quidem oratio etiam eſt optima, & cæteris paribus, erit etiam potentior, & efficacior, quam oratio ſingulorum, præſertim ſi ad idem poſtulandum, ſimul ab omnibus offeratur: taliſque videtur fuiſſe oratio fidelium, quando vnanimiter in templo orabant, Act. 2 quia in illo templo non poterant eo modo communiter orare, quo poſtea orabant in templis Chriſtianorum, cuius inchoatio quædã in 4 c. Act. conſpicitur, vt mox dicemus De hoc igitur modo communis orationis nihil hic addere neceſſe eſt, præter dicta in lib. præcedenti, quia re vera talis oratio per ſe priuata eſt, & per accidens communis: neque habet illam perfectam vnitatem myſticam, quam oratio communitatis habere poteſt, quia multi ſic orantes non fundunt omnes, & ſinguli vnum, & eundem orationis actum, & ita per ſe loquendo non poſſunt per modũ vnius concurrere ad eandem petitionem.

Actor. 2.

Actor. 4.

1. Modus, quo à communitate oratio poteſt fieri.

4. Alio ergo modo fieri poteſt oratio à communitate quia vna oratio funditur in perſona omnium, ita vt omnes orẽt vt membra illius communitatis, & oratio ab omnibus fundatur, ſingulis partialiter aliquo modo concurrentibus: etiamſi non omnes æquè loquantur, vel eundem modum actionis exerceant, ſed quidam loquantur: alij adſint, & conſentiant aut alio modo cooperẽtur. Et hæc eſt propriſſima vnius communitatis oratio talemque videtur deſcribere Tertull. in Apolog. cap. 39. dicens. *Corpus ſumus de conſcientia Religionis, & diſciplinæ vnitate, & ſpei fœdere, conuenimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes: hæc vis Deo grata eſt*: Quibus verbis eleganter explicat, hanc communem orationem quaſi vno ore, & vno ſpiritu à tota communitate offerri. Exemplum optimum eſt Act. 4. vbi redeuntibus Apoſtolis à concilio phariſæorum ad cœtum fidelium, & narrantibus illis, quomodo eos dimiſiſſent, quidq; illis comminati fuiſſent, ſubditur. *Qui cum audiſſent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum & dixerunt, Domine tu es, qui feciſti cœlum, & terram* &c. vbi non ſolum corda, ſed etiam vocem ad Deum eleuaſſe ſignificantur, vt notat Lyra, & indicat Chryſoſtom. & proprietas verbi poſtulat, nam ſolus internus affectus non dicitur proprie vocis eleuatio. Præſertim quia verba omnia quę ibi referũtur, fuerunt tunc ab Eccleſia ibi coacta, vna voce prolata. Igitur non tantum communi voluntatum conſenſu, ſed etiam quaſi vno ore idem omnino precati ſunt, quod non ſine miraculo accidiſſe pie Carthuſianus, & alij conſiderant. Vnde illa oratio tantam habuit vim apud Deum, vt eius efficacia ſtatim viſibili ſigni commotionis totius domus, & feruoris Prædicatorum Euangelij, manifeſtata fuerit.

Tertull.

Actor. 4.

Lyra.

S. Chryſoſt.

Vnica Aſſertio. Chorus Eccleſiaſt. eſt ſanctus, & à Diuino ſpiritu introductus. Probatur ex ſacra ſcriptura teſtimonijs.

D. Paul. 1. ad Cor. 14.

5. Dico ergo, Chorum Eccleſiaſticum, in quo publicæ, & communes orationes à Chriſtiano populo ſeu illius nomine fiunt ſanctum eſſe & Spiritus ſancti inſtinctu in Eccleſia introductum, vt antiquiſſima, & vniuerſalis traditio oſtendit. Hęc doctrina de fide certa eſt, quę ſatis probatur ex Eccleſiæ vniuerſali conſenſu, quæ in re tam graui errare non poteſt: antiquitas etiam huius traditionis oſtenditur, nam in Actibus Apoſtol. habemus huius conſuetudinis initia, vt iam notatum eſt. Inſinuatur etiam à Paulo 1. ad Corint. 14. vbi ex profeſſo tractat de Eccleſiaſticis conuentibus qui tunc fieri ſolebant, & ſignificat non tantũ ad ſacrificium offerendum, & ad doctrinã, vel concionem habendam, ſed etiam ad cõmunes orationes, & laudes Dei ſolitos eſſe frequentari. Et ſolere vnum loco omnium gratias agere, & alios annuere, ac reſpondere *Amen*, vnde inter alia ait: *Si bene dixeris ſpiritu*, id eſt, ita vt ab aliis nõ intelligaris, *qui ſupplet* (id eſt, tenet) *locũ idiotæ, quomodo dicet, Amẽ, nam tu quidem bene gratias agis ſed alter non ædificatur.* De quibus verbis videri poſſunt, quæ in 3. tom. 3. p. diximus diſp. 83. ſect. 1. & infra: *Cum conuenitis, vnuſquiſque veſtrum Pſalmum habet*, &c. Et cõcludit: *Omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant.* Quę vltima verba notanda ſunt, nam ex eis habetur ad Eccleſiaſticam inſtitutionem pertinere, hæc omnia ordinare: vnde recte colligitur, *inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe conſuetudinẽ Eccleſiæ in huiuſmodi rebus improbare*, vt pie dixit Aug. Epiſt. 118.

D. Aug.

6. Poteſt etiam hoc colligi ex Paulo ad Epheſ. 5. dicente: *Implemini Spiritu ſancto loquentes vobiſmetipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & Patri.* Vbi nomen vocat ſpirituales canticos, quia ſpiritu tantum proferantur, ſed quia ſpiritualẽ materiã continent, & ſignificant: nec dicit. *Pſallentes in cordibus*, vt vocem excludat, ſed vt declaret illud eſſe præcipuum, & per ſe neceſſarium, etiam dum voce oratur, vnde quod ait: *loquentes vobiſmetipſis.* Haimo ibi interpretatur, id eſt, *inuicem*, ſeu *alternatim*, dum vnus loquitur, & alius reſpondet. Sic etiam intelligi poteſt illud ad Coloſſenſ. 3. *Verbum Dei habitet in vobis abundanter in omni ſapientia docentes, & commonentes voſmetipſos Pſalmis hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.* Quæ omnia poſſunt quidem intelligi de oratione priuata & de mentali, & ita exponũtur frequẽter, non tamen excluditur oratio vocalis, vt D. Thomas ibi notat: & videtur Paulus etiam loqui de oratione publica totius Eccleſię: nam etiam hoc modo admonet vt verbum Dei abũdet in Chriſtiano populo, non ſolũ in doctrina, ſed etiam in Pſalmodia, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, quibus inuicem excitemur ad deuotionem &c.

Paul. ad Epheſ. 5.

Haimo

D. Paul ad Coloſſ. 3.

7. Secundo principaliter conſtat hæc traditio ex Patribus Clement. libro 8. per totum, præcipue cap. 34. *Precationes facite mane &c.* vbi horas Canonicas numerat, vt infra videbimus: quod autem illa eſſet oratio publica, & communis, patet ex his, quæ ſubiungit: *Quod ſi ad Eccleſiam prodire non licuerit propter infideles, cõgregabis Epiſcope in domo aliqua, ne ingrediatur pius in Eccleſiã impiorũ*: & infra: *Quod ſi neq; in domo, neq; in Eccleſia congregari poterũt, pſallat ſibi vnuſquiſque, canat, oret, ſaltem duo ſimul, aut tres.* Et infra ait, non debere fideles orare cum hæretico, imo nec cum catechumeno, quia nondũ eſt Eccleſiæ membrum: ſupponit ergo illam orationem eſſe cõmunem vnius corporis Eccleſiæ per membra ſua, & miniſtros ſuos. Iuſtin. Martyr. Apolog. 2. pro Chriſtianis in fine poſtquã vſum baptiſmi ſolennis tradiderat, ſubdit: *Nos autem poſtea quam ita abluimus, expiauimuſque eum, qui credidit, & aſſenſus eſt, eum ad eos, qui fratres dicuntur, ducimus in eum locum, quo conuenerunt comprecandi cauſa contentis animis, & pro ſe, & pro eo, qui illuſtratus eſt, & pro omnibus alijs, qui vbique ſunt.* Et infra inter alia inquit. *Tum ſurgimus omnes, ac comprecamur, concluſiſque noſtris precibus, panis, vt dixi, vinumque & aqua offeruntur* &c. vbi conſiderãdum eſt verbum *comprecandi*, bis repetitum, nam recte declarat coniunctionem omnium ad vnam orationem fundendam.

Patrum authoritate cõfirmatur.

Iuſtin. Mart.

8. Hoc etiam declarauit Tertull. in Apol. cap. 39. in verbis ſupra citatis: *corpus ſumus de conſcientia Religionis &c. conuenimus in cœtum, vt ad Deum quaſi manufacta, &c* id eſt, vt quaſi vno ore, & vno impetu vim faciamus, & ſimilia ſumi poſſunt ex eodem li. 2. ad vxorem c. 4. & 5. vbi indicat fuiſſe conſuetudinem Chriſtiani populi conuenire in Eccleſia etiam noctu ad communes orationes, quas nocturnas cõuocationes, ſeu vigilias appellat, & ſpecialiter meminit ſolennis pernoctationis in vigilia paſchæ, cuius

Tertull.

etiam

Digitized by Google

Pamelius. Du ant. Concil. Aquiſgr. D Iſidor. Plin.

etiam eſt frequens mentio in Patribus, quos ibi refert Pamelius, & plura Durant de Ritib. Eccle. libr. 3. c. 4. & videri poteſt Concilium Aquiſgran. ca. 130. & Iſidor. lib. 1. de Diu. off. cap. 22. deinde ad eaſdem publicas, & communes orationes pertinet, quod idem Tertullianus refert in cap. 2. Apologet ex Plinio ſecundo in quadam epi. ad Traian. vbi de Chriſtianis ait, *Præter obſtinationem non ſacrificandi nihil aliud de ſacris eorum comperiſſe, quam cætus antelucanos ad canendum Chriſto, & Deo, & ad confœderandum diſciplinam.* Habetur hæc epiſtola apud Plin. libr. 10. epiſto. 97. & ex vtroque retulit Euſebius lib. 3 hiſtor. ca. 27. alias 32. & de eadem conſuetudine videri poteſt Arnob. libr. 1. Adverſ. Gent. Epiphan. contra hæreſ. lib. 3. in fine, vbi inter alia inquit: *Matutini etiam hymni in ipſa ſancta Eccleſia perpetuo fiunt, & orationes matutinæ, lucernalesq; ſimul Pſalmi, atque orationes:* & infra: *Preces aſſidue imperat cum omni ſedulitate, & prolixitate, & geniculatione in ordinatis diebus, noctu, atq; interdiu ad Deum fundere.*

Euſebius. Arnob. S. Epiphan.

9\. *S. Baſil.*

Inſigne verò teſtimonium eſt apud Baſil. Epiſto. 93. Apolog. ad Clerum Neocæſar. ex qua ſequentia verba referre iudico oportunum: *Quid iam obtinuerunt ritus, omnibus Eccleſiis Dei concordes ſunt, & conſoni. De nocte ſiquidem populus conſurgens, antelucano tempore domũ orationis petit. & in labore, tribulatione, ac lacrymis indeſinentibus facta ad Deum confeſſione, tandẽ ab oratione ſurgentes, ad pſalmodiam inſtituuntur, & nunc quidem in duas partes diuiſi, alternis præcinentes pſallunt. &c.* & infra: *Illuceſcente iam die pariter omnes velut vno ore, & corde confeſſionis pſalmum Domino offerunt.* Et infra vocat has *vigilias ac preces communesq; Pſalmodias,* quas dicit fuiſſe apud omnes orientales Eccleſias *in magno precio.* Fauent ad hoc confirmandum verba Hieronymi Epiſt. 84. ad Sabinian. circa medium: *Tota Eccleſia nocturnis vigiliis Chriſtum Dominum perſonabat, & in diuerſarum gentium linguis vnus in laudibus Dei ſpiritus concinebat.* Ad eandem conſuetudinem alludit Auguſtinus Sermon. 251. de Tempore dicens: *Veniant ergo cuicumque poſſibile ſit, ad veſpertinam atque nocturnam celebrationem, & oret ibi in conuentu Eccleſiæ pro peccatis ſuis Deum.* Idem li. 50. Hom in 26. & lib. 9. Confeſſ. c. 7. cuius verba infra c. 4. referam, vbi alia Patrum adiũgam teſtimonia: nam omnia, quæ de antiquitate horarum canonicarum, & cantus Eccleſiaſtici dicenda ſunt, hanc varietatem confirmant.

Hieron. Augu.

10\. *Propoſita aſſertio rationibus ſtabilitur.*

Tertio poteſt hęc veritas rationibus oſtendi. Prima eſt, quia Eccleſia eſt vnum corpus myſticum, in quo omnes vnum ſumus in Chriſto, ideoque debet per modum vnius Deum colere & venerari, atque hac ratione in nomine totius Eccleſiæ vnum offertur ſacrificium, & vbicumque offertur, à tota Eccleſia offertur, vt alibi oſtendimus. Sic ergo tota debet per modum vnius deprecari, vt hoc etiam nobiliſſimo modo communi nomine Deum colat. Secundo talis oratio, cæteris paribus, eſt magis acceptabilis Deo, & Chriſto, quia ab eius Sponſa offertur, quæ non eſſe poteſt non ſancta, & ſibi grata, etiam ſi in ea multi mali ſint, & indigni. Tertio hic modus orationis multum fouet totius Eccleſię charitatem, cum omnes diſcunt communi ſpiritu pro omnibus eſſe orandum, præterquam quod hæ orationes publicæ, & communes ad deuotionem, & compunctionem ſingulos mouent, vt in ſequentibus latius dicemus. Atque hæ rationes concludunt, non ſolum in vnaquaque Eccleſia particulari, vel in ſingulis plebibus, & communitatibus fieri orationes communes nomine totius populi, ſed etiam à tota vniuerſali Eccleſia fieri aliquas orationes communes, quæ re vera totius Eccleſiæ nomine Deo funduntur. Quia licet particulares Eccleſiæ ſuo modo ſint plures, & vnaquæque earum ſuam habeat peculiarem vnitatem, & ita ſpecialiori modo poſſit communiter Deum precari, nihilominus omnes ſunt partes vnius Eccleſiæ, quæ ſimpliciter vna eſt, & Deo charior quacumque Eccleſia particulari, eius enim ſanctitas, & maior, & certior, ac infallibilior eſt, ideoque tota etiam ſimul orare debet, & pro omnibus ſuis filijs intercedere. Ad illam etiam maxime pertinet pro totius conſeruatione, & augmento ſolicitam eſſe, & ita non ſolum pro ſuis membris, ſed etiam pro infidelibus interdum orat, vt ad Deum conuertantur.

11\. *Reſpõdetur obiectioni qua fieri poſſet, & oſtenditur, quo modo vnius oratio fiat nomine totius Eccleſiæ.*

Dices: Quo modo poteſt vniuerſa Eccleſia in vnum conuenire ad vnam orationem communem proferendam? Reſpondetur primo, hac ratione inſtitutos eſſe eiuſdem Eccleſiæ miniſtros, & ſacerdotes, qui nomine totius Eccleſiæ orent, quibus Eccleſia commiſit vices ſuas, vt nomine totius corporis orationes fundant. Et hoc eſt optimum ſignũ huius communis orationis: quocirca licet ſacerdotium, à Chriſto Domino in Eccleſia ſit inſtitutum, ac ſubinde ex eiuſdem Chriſti ordinatione habeat ſacerdos euangelicus, vt poſſit in eius perſona offerre, & orare, & impetrare nomine illius: vltra hoc etiam habet ex inſtitutione & commiſſione Eccleſiæ, vt ſuo nomine pro ſe, & ſuis filijs, ac membris oret, vt in dicto 3. tomo diſpu. 77. ſect. 2. tractatũ eſt. Et hac ratione potuit Eccleſia excommunicatos omnino excludere à participatione ſuarum communium orationum, tam efficaciter, vt licet miniſter tentet pro eis orare nomine Eccleſiæ mẽtiatur, nihilque faciat, nullumue fructum excommunicato conferat, vt in 5. tomo diſp. 9. ſect. 4. & diſpu. 11. ſect. 2. & diſp. 12. ſect. 2. tetigi, ſignum ergo eſt, Eccleſiam totam per modum vnius ad Deum orare per miniſtrum ſuum tanquam per legatum, vel nunciũ à ſe conſtitutum. Poteſt enim Reſpublica hoc modo loqui, & ſcribere ad alterum Principem per legatum à ſe miſſum, vt autem talis miniſter auctoritatem ad ſic orandum ab Eccleſia accipiat, non eſt neceſſe, vt per ſuffragia ſingulorum illam recipiat, ſed ſatis eſt, quod auctoritate publica, & ſuprema totius Eccleſia illam habeat: nam Eccleſia eſt corpus monarchicum, cuius monarchia non eſt ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto inſtituta, qui ſuo vicario commiſit totam poteſtatem, & autoritatem, quę vniuerſo corpori expediebat. Et ita ſolus Pontifex poteſtatẽ habet conſtituendi hoc miniſterium deprecandi nomine totius Eccleſiæ, & committendi illud ſacerdotibus, & miniſtris à ſe deputatis, & ita fit vt orationes per hos miniſtros oblatæ nomine totius Eccleſiæ fiant.

12\. *Sequitur ex poſita doctrina quod Eccleſia certã deprecationum formã potuerit inſtituere, quæ dicitur officiũ Diuinũ.*

Hinc vlterius factum eſt (quod eſt aliud huius communis orationis ſignum) vt eiuſdem Eccleſiæ autoritate inſtitutę ſint peculiares deprecationes, quæ nomine illius offerantur. Sicut enim Princeps Legatum mittens ad alium Principem, ſolet certá, ac præſcriptam formam petitionis, vel pacti, aut legationis illi tradere, ſaltem quoad ſubſtantiam eius, licet interdum aliqua accidentalia illi committat: & ſicut ſorores Lazari, cum ad Chriſtum miſerunt nuntium, conceptis verbis petitionem dederunt: *ecce quem amas, infirmatur:* Ita Eccleſia vniuerſalis, quia per ſuos publicos miniſtros ſuo, & communi nomine orare intendit, ideo certam orandi formã illis præbuit vt omnia purius. & ſincerius fiant, vt in principio libri præcedentis dixi. Hæc ergo inſtitutio aperte indicat communitatem orationis Eccleſiaſticæ, quam docemus, & ſimiliter oſtendit, orationes communes Eccleſiæ illas proprijſſime eſſe, quæ in recitandis horis Canonicis per miniſtros Eccleſiæ funduntur, vt notauit D. Thom. Quodlibet 7. art. 18. Hæ autem preces, ſic ab Eccleſia inſtitutæ, horæ Canonicæ appellantur, de quo nomine in cap. 3. dicemus: appellantur etiam quaſi per antonomaſiam *Officium Diuinum* in capit. *Dolentes*, de Celebr. Miſſ. & in Concil. Aquiſgran. primo, tempore Ludouici cap. 131. eſt enim præcipuum officiũ Chri-

D. Thom. Concil. Aquiſgr.

Digitized by Google

Chriſtianorum, & maxime Eccleſiaſticorum orare Deum, quod merito Diuinum nominatur, quia totum pro cultu Dei eſt inſtitutum. Dicitur etiam *Eccleſiaſticum officium* in Clem. 1. de Celebr. Miſſ. quia per Eccleſiam approbatum eſt, & traditum, vt in perſona Eccleſiæ recitari poſſit, vt conſtat ex capit. *In die*. de Conſe. d. 5. quod eſt Gregor. cum Concil. Gen. idemque habetur in duobus præcedentibus capitulis ex Concil. Agathen. cap. 30. & Gerundan. cap. 10. & in Concil. Tolet. 4. cap. 2. ſic ſtatuitur: *Vnus ordo orandi, atque pſallendi à nobis per omnem Hiſpaniam, atque Galliam conſeruetur &c.* Et ſimiliter in Concil. Mileui cap. 12 prohibentur dici in Eccleſia orationes, quæ per Concilium approbatę non fuerint: idem in Concil. Bracharen. 1. cap 19. ca. *Placuit*. d. 12.

Concil. Agathen. Conc. Tolet.

Concil. Mileuit. Concil. Brachar.

13. Obiectio contra traditã doctrinam.

Dices, ex his Decretis potius inferri poſſe, non eſſe has orationes communes totius vniuerſalis Eccleſiæ, ſed vnamquamque Eccleſiam, vel congregationem proprio vtentem officio pro ſe communiter orare. Nam licet obiectiue vnaquæque oret pro omnibus, & priuatæ etiam orationes poſſint, & debeant eſſe communes, vt Cyprianus docet in initio expoſitionis orationis Dominicæ: nihilominus videtur vnaquæque Eccleſia ſuo nomine ſpecialiter orare per miniſtros ſuos, cum proprium officiũ vnaquęque ſibi deſignet, & approbet, quo ſui miniſtri vti debeant, vt ex Decretis citatis conſtat.

D. Cyprian.

Reſpõdetur obiectioni, ac ſtatuitur officiũ Eccleſiaſticũ ſubſtantialiter eſſe vnum in tota Eccleſia.

Reſpondeo in primis, totum Eccleſiaſticum officium, quo Eccleſia Catholica vtitur ſubſtantialiter eſſe vnum, id eſt, ex eadem materia proxima, vt ſic dicam, & eiſdem partibus principalibus conſtans, vt ex dicendis patebit, idque ſatis eſſe, vt tota hæc Eccleſiæ deprecatio vna ſit: & in perſona totius Eccleſiæ vniuerſalis fundatur, licet in aliquibus accidentalibus, & minutioribus ritibus ſit aliqua varietas, quæ vnitatem non minuit in corpore myſtico, ſed ornat potius. Deinde dico, hanc ipſam varietatem ita eſſe permiſſam in Eccleſia, maxime in hoc officio Diuino, vt eiuſdem Eccleſiæ auctoritate, & ſuprema poteſtate tacite, vel expreſſe ſit approbanda. Per ſe enim pertinet ad Apoſtolicam ſedem hos ritus præſcribere, ſi vniuerſales ſint pro tota Eccleſia, vel approbare particulares, & proprios aliquarum nationum ſeu Eccleſiarum, interdum vero tacitam approbationem indicat conſuetudo, vel traditio particularis alicuius Eccleſiæ tolerata à Pontificibus illam non ignorantibus. Nunc autem de hac re habemus expreſſam Eccleſiæ declarationem, & quaſi inſtitutionem à Pio V. in Bulla breuiarij tradita, & à Clement. VIII. recognita & confirmata, vt infra ſuo loco videbimus. Eſt ergo hoc officium vere commune, & Eccleſiaſticum ac de ſe vniuerſale, vnde etiam Canonicum dicitur, quia iuxta regulam ab Eccleſia approbatam celebratur.

Capvt II.

Vtrum materia proxima, ex qua Diuinum officium componitur conueniens ſit?

1. Quæ, & quotuplex ſit materia orationis Vocalis.

Materiam orationis vocalis nunc appellamus verba ipſa, quæ ad precandum aſſumimus: nam licet res poſtulata, vel ſignificata per verba eſſe debeat materia, circa quam mens orantis præcipuè verſetur: tamen oratio ipſa, quatenus vocalis eſt, ex vocibus ipſis, quatenus tales res, vel affectus ſignificant, componitur. Vnde certum eſt ad ſubſtantiam, & honeſtatem orationis maxime pertinere, vt hæc materia ſit ad Diuinum cultum, & ad finẽ orationis accommodata, vt ex dictis in ſuperiori libro conſtat, & ideo hoc maxime oſtendendum eſt de materia, ex qua Diuinum officium componitur vt à calumnijs hæreticorum illud defendamus, & aliquam eius intelligentiam Catholicis proponamus. Sũt autem proxima materia huius officij partes illæ quaſi heterogeneæ, vt ſic dicam, ex quibus rite ordinatis tale officium componitur, & in Breuiario Romano hę ſpecialiter numerantur: Pſalmi, Cantica, Hymni, lectiones, Reſponſoria, Verſiculi, Benedictiones, Abſolutiones, Capitula, Inuitatorium, Antiphonæ, Collectæ, ſeu orationes Eccleſiaſticæ, oratio Dominica, & Angelica; Antiphonæ peculiares pro Virgine, quæ ſunt quaſi ſalutationes eius, cum aliqua oratione ad Deum adiuncta, ac denique ſymbolum fidei: ex his enim omnibus recte ordinatis, totum officium Diuinum, & Eccleſiaſticum componitur.

2. Refertur illorum error qui materiã orationis vocalis multiplicãt, quã ſi oporteret omnem debere eſſe Canonicum.

Poteſt ergo in primis referri error reprehendẽs hanc materiam ea ex parte, qua ab hominibus confecta eſt. Qui error adeo antiquus eſt, vt referat Euſeb. libr. 7. hiſtor. cap. 24. alias 26. Paulum Samoſatenum Pſalmos, qui ad Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriam decantari in Eccleſia ſolent, tanquam nouos, & à viris recentioris memoriæ editos, exploſiſſe. Vbi ſine dubio non loquitur de Pſalmis Dauidicis, ſed de Eccleſiaſticis hymnis; nam Pſalmi Dauidici, nec ab hominibus ſpiritu humano compoſiti, reputari potuerunt. Videtur ergo ille Paulus reieciſſe hymnos alios ab Eccleſiaſticis viris compoſitos, non tamen illos abſtulit, quia ab hominibus erant compoſiti, ſed ſolum ex malitia, & ambitione: abſtulit enim hymnos, qui in Chriſti laudem erant compoſiti, vt in ſuam laudem inanes cantilenas in Eccleſiam introduceret, vt Euſeb. refert. Alij verò, quorum tacitis nominibus in Concil. Tolet. 4. capit. 11. mentio ſit, hymnos reijciebant eo quod de ſcripturis Canonicis non eſſent, nec Apoſtolica traditione haberentur. Itaque volebant illi materiam totam huius orationis eſſe debere Canonicam, id eſt, in ſacra Scriptura contentam, vel Apoſtolica traditione ita approbatam, vt infallibilem contineat auctoritatem. Non inuenio autem proprium huius erroris auctorem, qui ex hac parte hoc ſacrum officium reprehenderit. Nam licet Vualdenſ. lib. 3. de Sacr. c. 20. & ſequent. & Illuſtriſſ. Bellarm. tom. 3. lib. 1. de Bonis oper. cap. 12. Peltan. libr. 3. de Tribus bon. oper. c. 8. & alij referant Vuicleph, Lutherum, & alios nouos hæreticos reprehendiſſe, & abrogaſſe ritum Eccleſiaſticum deprecandi, non tamen referunt ob defectum in materia eius inuẽtum illud calumniatos fuiſſe, ſed alijs titulis, quibus poſtea reſpondebimus.

Conc. Tolet.

Vualdenſ. Card. Bellarm. Peltanus.

3. 1. Ratio propoſitæ ſententiæ.

Videtur autem ſententia illa habere quandam ſpeciem pietatis, quia officium, quod auctoritate totius Eccleſiæ publicè canitur, conſtare debet veritate infallibili, quia valde incongruum eſt, vt vniuerſa Eccleſia approbet ad laudandum, & colendũ Deum falſitatem aliquam: ergo nulla pars in tali officio admitti debet in quo poſſit miſceri falſitas, nam ſi talia ſunt verba, vt falſa eſſe poſſint, ſæpe etiam erunt falſa, ergo vt Diuinum officium infallibilem veritatem contineat, oportet, vt ſolum ex ſcriptura Canonica conſtet, vel traditione Apoſtolica, quæ Scripturæ æquiualet in infallibilitate. Cõfirmatur: nam experientia compertum eſt in lectionibus hiſtoricis, multa referri non ſolum incerta, ſed interdum falſa, cuius ſignum eſt, quia quod in vno tempore approbabatur, reprobatur in altero. Similiter in homilijs, quæ ex Sanctis Patribus leguntur, ſæpe continentur expoſitiones Scripturæ incertæ, vel etiam minus veræ: ſæpe etiam nonnullæ ſententiæ quæ alias frequentius non probantur, nec recipiuntur, illud autem videtur contra decentiam Diuini officij, ergo ad hoc euitandum ſolum ex Diuina Scriptura lectiones eſſent ſumendæ, prout ſtatutum videtur in Concil. Laod. cap.

Concil. Laodic.

Concil. Brachar. cap. 59. eademque ratio eſt de cęteris partibus, vt videtur etiam ordinatum in Concil. Brachar. 1. capit. 30.

4. Aliunde poſſumus contra hanc materiam argumentari, quia multa continet, quæ ad munus orandi non pertinent, ergo incongrue ad materiam Diuini officij aſſumuntur: cum totum officium tantum ad orandum Deum ordinetur. Antecedens declaratur, quia iuxta doctrinam Pauli 1. Timot. 2. *D. Paul. 1. ad Tim. 2.* Oratio præſertim publica, ſolum ex illis partibus conſtare debet, quæ vel ad orationem, & eleuationem mentis in Deum, vel ad obſecrationem, & inſtantiam, ſeu rationem deprecandi, vel ad poſtulationem, & petitionem ipſam, vel ad gratiarum actionem, quæ laudem Dei comprehēdit, pertineāt. At multa in hoc officio continentur, quæ ad nullam ex his partibus pertinent. In primis hiſtoriæ, præſertim humanæ de vitis Sanctorū, deinde multæ lectiones Scripturæ, & Sāctorum, quæ ad inſtructionem, & doctrinam ſunt optimæ: ad orationem autem non deſeruiunt, ineptè ergo pro materia orationis, & deprecationis aſſumuntur. Opus enim orationis longe diuerſum eſt ab opere legendi, vel addiſcendi, aut refricandi memoriam, hic autem vnum cum alio confunditur, & ex vtroque vnum coagmentari videtur.

5. *3 Ratio ex Chriſti Domini cōſilio Mat. 6. deſumpta.* Tertio contra hanc materiam obijci poteſt Chriſti mandatum Matth. 6. *In oratione nolite multum loqui*: nam in hoc officio nimia videtur eſſe loquacitas, non ſolum quia ſatis graue eſt (vnde etiam ex parte materiæ in quantitate videtur excedere) ſed etiam quia in eo multæ fiunt repetitiones. Quæ videntur etiam eſſe contra conſilium Sapientis Ecclesiaſt. 7. *Roboratur Eccleſi. 7.* *Noli verboſus eſſe in multitudine presbyterorum, & ne iteres verbum in oratione tua.* Accedit, quod hæc materia nimis varia eſt, & multiplex, quod etiam videtur eſſe incongruum, quia vocalis oratio ad hoc potiſsimum ordinari debet, vt mentis attentionem, & deuotionem promoueat: hæc autem tāta varietas diſtrahit potius mentem. *Denique varietas orationis inguſatur.* Nec ſatis eſt reſpondere, totam illam varietatem eſſe intra latitudinem piarum cogitationum orationi deſeruientium: nam licet inde poſsit à malitia excuſari, non tamen ab incongruitate, & impedimento deuotionis: quia, vt deuotio augeatur, imo vt ſit efficax, & fructuoſa, oportet, vt in eodem affectu perduret, & augeatur, atque confirmetur: ad hoc autem neceſſe eſt, vt verba ipſa orationis eundem affectum excitent, & cogitationes offerant, quæ ad illum eundem pertineant, quod non fit per tam variā, & multiplicem materiam.

6. *Vnica aſſertio Omnes partes materia orat. vocalis ſunt aptiſſima, & ſancte, & prudenter ad cōponendum aſſumpta.* Dicendum nihilominus eſt, omnes illas partes materiæ, ex quibus Diuinum officium conſtat, aptiſsimas eſſe, & ſancte, ac prudēter fuiſſe ad hoc Diuinum officium componendum aſſumptas. Hanc aſſertionē ſimpliciter acceptam, & quoad illas partes in genere (vt ita dicam) ſumptam tanquam de fide tenendam cenſeo: & quoad minutiſsimas etiam partes cenſeo eſſe tam certam, vt ſine graui temeritate negari non poſsit. Et in primis ad hoc probandum ſufficit vniuerſalis Eccleſię auctoritas, quę cōſuetudine & traditione illas omnes partes probauit; nam vt ſupra ex Auguſtino dicebam. *Contra vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem diſputare inſolentiſsima inſania eſt.*

7. *Probatur 1. ex teſtimonijs D. Paul. 14. D. Paul. 1. ad Cor. c. 4.* Deinde, partes illæ habent magnum fundamentum in Paulo 1. Corint. vbi latè loquitur de orationibus publicè in Eccleſia fundendis, & de laudibus Dei, & gratiarum actionibus, illas diſtinguens à doctrina, & prophetia, ſeu concione, & interpretatione Scripturarum: vnde poſtea concludit: *Quid ergo eſt fratres? Cum conuenitis, vnuſquiſq; veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim (id eſt, reuelationem) habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant.* Et in fine iterum concludit. *Itaq; fratres æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere.* (vtique ad laudandum Deum) *omnia autē honeſte, & ſecundum ordinem fiant.* Approbat ergo vſum Eccleſiæ, qui iam tunc erat publice colendi Deum in Eccleſiæ conuentu per varios Pſalmos, & deuotas orationes, dummodo omnia ad ædificationem, & honeſtè fierent. Hoc etiam optimè fundatur in locis ſupra tractatis ad Ephe. 5. & ad Coloſ. 3. vbi admonet fideles, vt Deū glorificent in hymnis, & Pſalmis, & cāticis ſpiritualibus. *Ad Epheſ. c. 5. Ad Coloſſ. c. 3.* Deinde illud etiam 1. ad Tim. 2. *1. ad Tim. 2.* *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones*, induci poteſt, iuxta quādam piam expoſitionem, quam indicauit Vualdenſ. ſupra c. 20. exponens verbum illud, *fieri*, *Vualdenſ.* vt non ſolum ſignificet idem, quod proferri in oratione, ſeu fundi, aut precari: ſed ſignificet componi, & in certam formam redigi. Iuxta quem ſenſum monet Paulus, vt fiant in Eccleſia variæ orationes, vel precationum formulæ, quarum aliæ orationes dicantur, vt ſunt Collectæ, aliæ poſtulationes, vt litanię, alię obſecrationes, vt ſunt etiam in litanijs poſteriores precationes, *Per paſsionem tuā, &c.* aliæ gratiarum actiones, vt hymnus, *Te Deum laudamus*, & ſimilia Cantica. Quam interpretationem ſumit ex Concilio Tolet. 4. c. 11. cuius ſententiam infra referemus. *Conc. Tolet.*

8. *Probatur 3. inductione.* Tertio poteſt hæc veritas oſtendi diſcurrēdo per ſingulas partes, & vniuſcuiuſque antiquitatē & probitatem indicando, quod breuiter faciemus quantum ſatis ſit ad ſcholaſticum inſtitutum, & ad huius operis complementum, quia multi alij diligentiſsimè in ea re laborarunt. Potiſsimè verò Bellar. d. li. 1. c. 14. & 15. & Durant. lib. 3. de Ritib. à c. 13. vſque ad 20. & ex antiquioribus Iſidor. l. 1. de Eccleſiaſt. offic. Amalar. Fortun. li. 4. de eiſdem, Alcui. li. de eiſdem offic. & Raban. lib. 2. de Inſt. Clericor. præcipue verò dicemus de quatuor primis partibus, cæteras verò percurremus. *Card. Bellarm. Durant. D. Iſidor. Amalar. Fortun. Alcui. Raban.*

9. *De Pſalmodia, qua eſt 1. orationis vocalis pars.* Prima ergo pars Diuini officij eſt Pſalmodia, quæ in ſe ſummæ auctoritatis eſt, cum ſit ſcriptura Canonica veteris teſtamenti. Nec enim alij Pſalmi in officijs Eccleſiaſticis permittendi ſunt, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, & expreſſe eſt declaratum in Concil. Laodicen. cap. 59. *Quod non oporteat* (inquit) *plebeios pſalmos in Eccleſia cantare*: & in Concil. Brachar. 1. cap. 30. omnino prohibentur recitari in Eccleſia Pſalmi non Canonici. *Concil. Laodic. Concil. Brachar.* Quod intelligendum eſt tantum de proprijs pſalmis, non de aliis canticis, vel hymnis, vt mox dicemus. Hic autem vſus recitandi pſalmos Dauidicos in Eccleſia antiquiſsimus eſt, *D. Dion.* vt ex eiſdem Cōcilijs probatur, & ex Dion. capit. 3. de Cœleſti Hierar. vbi initium celebrandi Miſſam hinc ſumi dicit, quod ſacerdos: *Conuerſus ad Diuinam aram, pſalmos canere incipit, cantumq; cum eo omnes Eccleſiaſtici ordines.* Et infra ſic inquit: *Sacra pſalmorum modulatio, quæ omnibus fere Pontificijs myſterijs eſſentiæ inſtar, & neceſſario adhibetur, ab eo quod ſanctitate omnibus præſtat, abeſſe non debuit.* Vbi expēdo verbum illud: *Eſſentiæ inſtar*: nam re vera quaſi baſis, & ſubſtantia huius Diuini officij ſunt pſalmi, reliqua vero adduntur, quaſi ad ornatum, & complementum: vnde eleganter Chryſoſtom. Homil. 6. de Pœnit. admiratur: *D. Ioan. Chryſoſt.* *Cuius rei gratia præ cæteris veteris teſtamenti, nouique ſcripturis, librum Dauid, ſic adamarunt omnes Chriſtiani, atque hunc ſolum ore valuerunt verſari.* & infra: *Omnes enim hunc odoriferi vnguēti loco circumferimus ore, in Eccleſiis pernoctantibus primus, & nouiſsimus, & medius eſt Dauid. Diluculo quæruntur hymnorum modulationes. & primus, & medius, & nouiſsimus eſt Dauid, ſi pauſa in funeralibus & primus, & medius, & nouiſsimus eſt Dauid, &c.* quæ elegantiſsimè proſequitur. Et tādem rationem reddit, quia in pſalmis omnes perfectiſsimæ orationis affectus inueniuntur, & omnis generis petitiones omnibus ſtatibus accommodatæ, peccatoribus, iuſtis, inci-

incipientibus, proficientibus & perfectis, laudationes, & gratiarum actiones Dei mirabiles, affectus compunctionis, & amoris ardentiſsimi, & ſupremæ contemplationis, & vnionis cum Deo: & præſertim frequens recognitio humanæ fragilitatis, & neceſſitatis Diuini auxilij, eiuſque poſtulatio. Hine dixit Baſil. in Procem. ad homil. in pſalmos, vnum pſalmorum librum omnia in ſe complecti: *Hiſtoricam continet narrationem, leges ſancit vitæ ſanctius inſtituendæ, bonæ omnis doctrinæ vberrimum quoddam eſt, & commune promptuarium*: & infra: *idque cum peramœna quadam deductione, ac moderata iucũditate animorum, quæ & menti honeſtas inferat cogitationes*. Et infra hinc colligit, & egregie deſcribit pſalmi, ſeu pſalmodiæ vtilitatem, eamque dicit eſſe: *Vocem Eccleſiæ, quæ feſtos illuſtriores reddit, ac perfundit gaudio*. Pluraq; infra de cantu agentes afferemus.

Baſil.

10\. Quoniam verò pſalmorum vſus antiquior eſt, quam lex gratiæ, vt propriam eius perfectionem participaret, & ita fieret pſalmus (vt ita dicam) conſummatus, non ſine ſpeciali Dei prouidẽtia factum eſt, vt ex inſtitutione Eccleſiæ in fine vniuſcuiuſque Pſalmi adderetur Trinitatis confeſsio, & grorificatio per illa verba: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Quæ quidem verba antiquiſsima ſunt, nam illorum facit mentionem Athanaſius libro de Virginit. vbi Virginem inſtituit, vt ſurgens à menſa gratias agat, trinis vicibus dicens: *Miſerator, & miſericors Dominus eſcam dedit timentibus ſe, Gloria Patri, & Filio, & Spirituiſancto*. Et has videtur intelligere nomine glorificationũ, cum ibidẽ ait, *Serua iſta, & fac glorificationes in menſa, eritq; tibi cibus, & potus ſanctificatus*: & ita loquitur etiam Caſsianus libr. 2. de Inſtitut. capit. 8. & de eiſdem videtur loqui Baſilius libro de Spiritu ſancto, capit. 7. cum ait, *In glorificationibus dici gloriam Patri cum Filio, in gratiarum actionibus gloriam Patri per Filium*. Et capi. 24. & 25. oſtendit eodem modo eſſe Spiritum ſanctum conglorificandum cum Patre, & Filio. Ac denique capit. 27. ſignificat, hunc morem canendi gloriam Trinitati, eſſe ex Apoſtolica traditione. Quod optime confirmatur ex Liturgia Iacobi, vbi Sacerdos ad altare ingrediens primam orationem inchoat dicens: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, trino, & vno*. Vnde non videtur probandum, quod Nicephor. libr. 18. hiſtor. capit. 51. dixit, Flauianum Antiochenum, iubente Chryſoſtomo, glorificationem illam Trinitatis introduxiſſe, nam ſine dubio antiquior eſt, niſi forte dicat vſum adhibendi illam in fine Pſalmorum à Flauiano incepiſſe, quod ipſe etiam indicat libro nono capit. 24 cum Sozomen. libr. 3. hiſtor. capit. 19. Quod eſt probabile, nam Caſsian. lib. 12. de Inſt. c. 8 refert, ſibi viſum fuiſſe nouum, cũ in Aegypto vidit, in clauſula Pſalm. omnes aſtantes conclamare, *Gloria Patri, &c. Quod nunquam* (inquit) *per omnem orientem audiuimus, ſed omnium ſilentio ab eo, qui cantat finito Pſalmo, & orationem ſuccedere: hac vero glorificatione Trinitatis tantummodo ſolere Antiphonam terminari*.

Quare pſalmo gloria Patri, &c finiatur & quã antiquus hic mos in Eccleſia.
Athanaſ.
Caſsian.
Baſil.
Niceph.
Sozom.
Caſsian.

11\. Quamuis igitur glorificatio illa fuerit antiquior, tamen occaſione Arrianiſmi videtur aucta, & ita potuit Antiochiæ incipere vſus addendi illam in fine pſalmorum. Præſertim quia (vt ex Baſil. & Niceph. ſupra, & Theod. lib. 2. hiſtor. c. 24. intelligitur) Arriani procurarunt illam corrumpere, non æqualiter glorificando perſonas per ſimplicem copulationem, ſed interponendo particulas *Per Filium*, vel *in Filio*, aut *In Spiritu ſancto*, vt aliquam inæqualitatẽ indicarunt: & ideo Catholici Epiſcopi introduxerunt morem frequentius acclamãdi, Gloria Patri, & Filio, &c. Hinc etiam Hieronym. in Epiſto. ad Damaſum, quæ inter geſta Damaſi refertur in 1. to. Concilior. Pontificem precatur. *Vt in fine pſalmi cuiuslibet ſiue matutinis, ſiue veſpertinis coniungi præcipiat, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen, vt fides* (ait) *trecentorum decem & octo Epiſcoporum Nicæni Concilij in veſtri ore pari conſortio declaretur*. Et licet illa Epiſtol. ab aliquibus incerta habeatur, tamen ab alijs frequentius creditur eſſe Hieronym. & eſt ſatis veriſimile: nam morem illum in Romana Eccleſia Damaſum introduxiſſe, in Pontificali, & in eius vita legitur apud Platinam, & ita more poſtea ſeruatum eſt, vt conſtat ex epiſtola Vigilij Papæ ad Eutherum, capit. 2. qui fuit fere ducentis annis poſt Damaſum: & poſt centum alios annos eiuſdem conſuetudinis in noſtra Hiſpania meminit Concilium Tolet. 4. capit. 13. & 14. Præcipit tamen illud Concilium, vt dicatur *Gloria, & honor Patri, &c.* tamen conſuetudo Romana præualuit: ibi etiam omittuntur illa verba: *ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper*: ſolumque dicitur. *Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spirituiſancto in ſecula ſeculorum Amen*: tamen, vt ſupra retuli, Hieronymus omnia illa verba poſtulauit à Damaſo dici in fine pſalmorum, & ita inſtitutum ab ipſo eſt, & obſeruandum diſerte præcipitur in Concil. Vaſen. 2. cap. 5. *Quia non ſolum in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & per totam Africam, vel Italiam propter Hæreticorum aſtutiam, qua Dei Filium non ſemper cum Patre fuiſſe, ſed à tempore cœpiſſe blaſphemant, poſt Gloria Patri, &c. Sicut erat in principio dicitur. Ita & nos in vniuerſis Eccleſiis noſtris faciendum decreuimus*. Denique additur in illo Concilio Tolet. illam glorificationem Trinit. non ſolum in fine Pſalmorum, ſed etiam in reſponſorijs eſſe dicendam, quod etiam nunc obſeruari videmus, & introitu Miſſæ, qui loco pſalmorum ſucceſsit, vt alibi notaui, & in principio horarum, & ſæpe alias Eccleſia illa glorificatione vtitur.

Theodor.
Hieron.
Dam. Pa.
Platina.
Vigilius Pap.
Conc. Tolet.
Hieron.
Concil. Vaſen.

Atque ex hac ipſa glorificatione prædictum Tolet. Concil. ſumit argumentum ad improbandum eorum errorẽ, qui Eccleſiaſticos hymnos, eo quod eſſent ab Eccleſia compoſiti, deſpiciebant, inferens tanquam abſurdum, inde ſequi hanc glorificationẽ eſſe tollendam. Nihil ergo refert, quod verba illa in Scriptura formaliter non reperiantur, cum res ipſa, & veritas, quam Eccleſia per illa verba cõfiteri vult, in Scriptura reperiatur. Quod enim Iſaias cap. 6. vidit Seraphin cantantes, *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius*, hoc ipſum canit Eccleſia dicens, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*. Quod autem hæc fidei confeſſio, & glorificatio ſæpius, ac ſæpius repetatur, & in fine Pſalmorum, vel in alijs locis, & quod quibuſdã temporibus dicatur ad oſtenſionem lætitiæ, alijs omittatur ad oſtenſionem triſtitiæ, licet humana inſtitutio ſit, ſancta eſt, & prudens, neque poteſt pati calumniam, niſi apud illos hæreticos qui verã perſonarum Trinitatem, & æqualitatem, ac æternitatẽ non agnoſcunt. 12.

De Eccleſiaſticis hymnis, & quam ſancti ſint autoritatis, & antiquitatis.
Iſaias c. 6.

Hoc igitur ipſum de hymnis Eccleſiaſticis dicendum eſt, nam licet non ſint compoſiti ab Scriptoribus Canonicis, vt fatemur, ſemper tamen habent auctorem aliquem grauem, vt Ambroſium, vel Hilarium, quorum mentionem facit dictum Concil. Tolet. & de Hilario id refert Hieronym. de Script. Eccleſi. de Ambroſio Auguſtinus 1. Retract. cap. 11. & idemmet Ambroſ. Orat. in Auxent. de non tradendis baſilicis, vbi etiam commemorat, in hymnis à ſe editis ſemper in fine additam eſſe glorificationem, & confeſsionem Trinitatis: quod in cæteris hymnis ſeruatum videmus. Rurſus addit Concil. Turonic. ante mille annos celebratum Canon. 24. aliorum etiam auctorũ hymnos probari in Eccleſia poſſe, & decantari: *Quoniam quæ fide conſtiterint* (inquit) *dicendi rationi non obſtant*. Atque ita Eccleſia admiſit hymnos à glorioſo Thoma compoſitos, & ab alijs: & à principio Eccleſiæ fuit in illa huiuſmodi hymnorum vſus, vt ſumitur ex Paulo ad 13.

D. Ambr.
D. Hilar.
Conc. Tolet.
D. Hieron.
D. Auguſt.
Concil. Turoni.

D. Paul. ad Epheſ. & Coloſſ. 3. Philo.

Epheſ. 5. & ad Coloſſen. 3. vbi hymnos vt diſtinctos à Pſalmis numerat, per pſalmos, Dauidicos fortaſſe intelligens, per hymnos, ſacras laudes ab alijs carmine compoſitas. Vnde Philo lib. de Vita contemplat. non longe à principio, de antiquis Chriſtianis contemplatiuam vitam profitentibus, ait: *Non ſolum contemplantur, ſed etiam cantica, & hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum, & carminum genere &c.* quæ refert etiam Euſeb. lib. 2. hiſtor. cap. 16. alias 17. Et Dion. cap. 3 de Diuinis nominibus circa finem ait, Apoſtolos, & cum eis Hierotheum in die funeris Beatiſsimæ Virginis ad præſentiam corporis eius pro viribus laudes Diuinæ potentiæ decantaſſe. Quod referens Niceph lib. 2. c. 22. ait, hymnos in Dei laudem protuliſſe, & cap. 4. mentionem fecit idem Dionyſius hymnorum ab Hierotheo compoſitorum. Et plura ex antiquitate infra, cap. 5. afferemus.

Euſebius. D. Dion. Nicepho.

14\. *De Eccleſiaſticis Canticis, & cõparatione illorum cũ pſalmis, & hymnis. Benedict.*

Idem conſtat dicendum eſſe de Canticis, quamquã hęc maiori ex parte ex Scriptura ſumpta ſunt, & ita eadem eſt ratio de illis, & de Pſalmis. Solum Canticum, *Te Deum laudamus*, ab Ambroſio, & Auguſtino compoſitum creditur, referente Dacio. li. 1. Chronici cap. 10. quod ſtatim ab Eccleſia in officio recipi cœpit: nam D. Benedict. in regul. capit. 11. in fine Matutinorum poſt lectiones Canticum illud dici iubet. Vnde eadẽ ratio de illo eſt, quæ de hymnis. Immò in Breuiario Romano non Canticum, ſed hymnus appellatur. Hæc enim tria, Pſalmus, hymnus, & Canticum, vix apparet, in quo diſtinguantur, quia omnia ſignificare videntur orationẽ carmine aliquo compoſitam ad canendas Dei laudes, & ita interdum videntur pro eodem ſumi, pręſertim Canticum, & hymnus, vt videre licet apud Auguſtinum 9. Confeſsion. capite ſexto, & ſeptimo, & Pſalmo 72. vbi ait, *Hymnum eſſe laudem Dei cum Cantico.* Paulus etiam primæ Corinth. 14. cum ait, *Vnuſquiſque veſtrum doctrinam habet, pſalmum habet*, pſalmum indifferenter videtur accipere pro omni metro, quod in laudem Dei cantari poteſt, vt Diuus Thomas, & alij ſignificant. De differentia item illorum trium, Pſalmi, hymni, & Cantici multa ſcribuntur à Hieronymo, & expoſitoribus ad Epheſ. 5. Hilar. Euth. & alijs in principio Pſalmorum, Iſidor. lib 6. de Originib. cap. 19 & alijs ſcribentibus de Ritibus, & officijs Eccleſiaſticis, nihil tamen ex eis colligere poſſum omnino firmum, & quod vel in impoſitione certa, vel in propria ipſarum rerum differentia fundatum ſit.

D. Auguſt. D. Paul. 1. ad Cor. 14. D. Thom. Hieron. D. Hilar. Euthy. D. Iſidor.

15\. *Quid hoc tẽpore pſalmum, quid Canticum, hymnuſque ſignificet.*

Ideoque ad explicandam partem, ſeu materiam Eccleſiaſtici officij, quod ad nos pertinet, in hoc iudicio ſiſtendum, quod *Pſalmi* dicuntur illi tantum, qui in Scriptura continentur, & ſub libro Pſalmorũ Dauidis, ſiue ipſe ſolus illum compoſuerit, ſiue nõ, parum enim refert ad rem præſentem. Inter quos Pſalmos quidam ſunt hiſtorici: alij Diuinam laudem continent: alij gratiarum actiones, alij ſunt quaſi morales continentes multam doctrinam, & exhortationem ad opera virtutum. Vnde non poſſunt coarctari ad aliquem particularem finem ex dictis, nec per illum diſtingui à Cãticis, vel hymnis, niſi fortaſſe tanquam vniuerſale à particulari. *Canticum*, vero licèt interdum ſignificet ipſam actionem canendi, tamen hic ſumitur pro materia ipſa ſeu carmine, quod ad canendum laudes datur. Et iuxta vſum Romani officij etiam eſt ex ſcriptura Canonica, nam Canticum, *Te Deum laudamus*, (vt notaui) potius vocatur hymnus: & licet Pſalmi ſint etiam Cantica, quia ſunt carmina, quæ compoſita fuere, vt certis inſtrumentis muſicis decantarẽtur, vt eruditè tractat Alphonſus Mendoza in Quodlib. quæſtion. 3. poſitiua, numer. 7. & ſequentibus: nihilominus nomen cantici accommodatum eſt ad ſignificandum alia particularia cantica, ad beneficia Dei prædicanda, & laudanda in ſpecialibus occaſionibus decantata, vel probata. Qualia ſunt illa decem, quæ in Scriptura continentur: ſeptem in veteri Teſtamento, & tria in nouo, quæ omnia in hoc officio ſacro inſeruntur: tria noua quotidie in laudibus, veſperis, & Completorio, alia verò per hebdomadam in laudibus. *Hymnus* vero dicitur carmẽ etiam continens laudem Dei cum Cantico, vt ex Auguſtino diximus, & eſt commune, vnde Pſalmi Dauidis præſertim laudatorij, hymni dici poſſunt, ſicut vocantur 2 Paralip. 7. vbi prius dicitur: *Stabant Leuitæ in organis carminum* Domini, *quæ fecit David ad laudandum* Dominum, & ſtatim ſubiungitur: *Hymnos* David *canentes per manus ſuas.* & 1. Eſdr. 3. *Statuerunt Leuitæ, vt laudarent Deum per manus David, & concinebant in hymnis, & confeſsione* Domino. At in Eccleſia videtur accommodata hęc vox ad ſignificandum Eccleſiaſticum carmen, non canonicum, ſed in Eccleſia compoſitum, & ab ea receptũ ad laudandum Deum in publico Eccleſiaſtico officio.

Mendoza. Auguſt. 2. Paral. c. 7. 1. Eſdr. c. 3.

16\. *De lectionũ autoritate, & antiquitate. D. Greg. Concil. Carthag. Concil. Laodicen.*

Quarto loco lectiones ſacras poſuimus, quæ potiſsimum in Matutinis leguntur, ordine, & modo in Breuiario poſito, qui mos antiquiſsimus eſt, vt conſtat ex Greg. Papa 7. in cap. *In nomine*, de Conſ. d. 5. qui allegat vetuſtiorem conſuetudinem, cuius meminit Gelaſ. in can. *Sancta Romana*, d. 15. vbi tradit, has lectiones partim ex ſacra Scriptura, partim ex homilijs Sanctorum deſumi, atque etiam ex geſtis Sanctorum (vt indicat) & clarius ſtatuit Conciliũ Carthaginen. 3. cap. 47. in Conc. autem Laodicen. his antiquiori cap. 17. diſerte dicitur, expedire, vt Pſalmi non dicantur continue, ſed aliqua lectio ſacra interponatur? Quod etiam in veteri lege fuiſſe vſitatum non obſcure colligitur ex illo Actor. 13. *Voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur indicantes impleuerunt.* Et capit. 15. dicitur, *vbi per omne Sabbathum legitur*, ſcilicet, Moyſes in Synagogis Iudæorum. Quid ergo mirum, quod lectio ſacra fuerit in Eccleſia Chriſti ſemper vſitata, non ſolum in Miſſa, vt alibi docuimus, ſed etiam in Diuino officio, vt ſemper fuit in Eccleſia obſeruatum. Quoad numerum verò, vel modum varietas fuit: nam in dicto Concil. Laodicen. additur poſt vnumquẽque Pſalmum lectionem aliquam eſſe interponendam: vſus vero obtinuit vt in ferijs omnes Pſalmi prius dicantur poſtea lectiones: in diebus vero feſtis poſt tres Pſalmos, tres ſubiunguntur lectiones, ſed hoc non pertinet ad materiam, ſed ad formam, & ritum orandi, qui cum pendeat multum ex humano arbitrio, magnam varietatem in Eccleſia habuit, vt adnotarunt Socr. lib. 5. hiſt. c. 21. Niceph. lib. 12. cap. 34.

Act. 13. & 15. Socrat. Nicepho.

17\. *His partibus aliæ adiunguntur, vt oratio Dominica, Angelica & Symbolum.*

His partibus adiunguntur aliæ vel per modum præparationis, vel ad maiorem cõcentum, & ornatum, vel ad magis excitãdos animos ad deuotionẽ, conuenientem finem orationi imponendum. Inchoari ergo ſolent horæ Canonicæ per orationem Dominicam, & Angelicam, & interdũ additur ſymbolum, quæ ſecretè dicuntur, quaſi ad colligendos animos miniſtrorum, & aſtantium per priuatam aliquam orationem, quæ optimè fit per orationem Dominicam, conuenientiſsimè verò additur Angelica propter ſpecialem Virginis cultum & interceſſionem. Symbolum vero ſpecialiter adiungitur in Matutino, & Prima, vt initium orãdi in nocte, & die à confeſsione fidei ſumatur: & videri poſſunt, quæ de ſymbolo diximus tractando de Miſſa 3. tom. 3. p. diſp. 83 ſect 1. Deinde Diuinũ adiutoriũ in principio omnium horatũ poſtulatur cũ glorificatione Trinitatis, quo nec ſanctius, nec vtilius initiũ excogitari põt, vt latè, & optimè tractat Caſsian. Collat. 10. c. 10. videri etiã poteſt Bened. in regu. c. 9. & Abulenſ. in c. 10. Numerorum ad finem, vbi circa illa verba: *Cumq; eleuaretur arca, dicebat Moyſes, ſurge Domine, & diſsipentur inimici tui* &c. ait: *ex illis verbis inoleuit*

Caſsian. Benedict.

in Eccleſia

in Eccleſia conſuetudo, quæ iam pro lege ſuſcepta eſt, ſcilicet, vt in principijs Canonicarum horarum dicatur: Deus in adiutorium meum intende, in quo petimus, vt Deus ſurgat ad adiuuandum nos, ſicut Moyſes petebat in principio cuiuslibet profectionis caſtrorum, vt Deus ſurgeret ad diſsipandum hoſtem. Quod amplius ipſe non probat, at vero illa analogia ad initium cuiuſcumque actionis accommodari poteſt, verba autem ipſa potius ſumpta ſunt ex Pſalmo 69. in principio. Præter hęc vero in principio Matutinorum illa petitio pręmittatur: *Domine labia mea aperies*, & in principio Completorij illa: *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter.* Cuius rationem inueſtigat Turrecrem. ad caput 9. Reg. S. Benedicti, ſed forte illa prior additur, quia in Matutino incipiunt horæ Canonicæ illius diei, & ideo ſpecialiter poſtulatur, vt digne aperiantur labia in laudem Dei. Completorium vero eſt hora vltima, qua præparamur ad noctem quietam, & ideo ſpecialiter conuerſio cordis in eius initio poſtulatur.

Turrec.

18. Adduntur etiam in principijs Pſalmorum *Antiphonæ*: eſt autem Antiphona (vt ait Iſidor. libr. 6. Origin. capit. 19.) iuxta proprietatem Græcæ linguæ, *vox reciproca alternatim canentium*: quo modo totus Pſalmus, quatenus alternatim per verſus reciprocè à duobus choris canitur, dici poteſt Antiphona, de quo more canendi Pſalmos, capit. quarto dicemus. Iam vero Antiphona dicitur breuis ſententia, quæ Pſalmo præcinendo præmittitur, quæ ordinariè continet aut verſum aliquem eiuſdem Pſalmi, aut ſententiam aliquam vtilem in laudem Dei, aut Virginis, aut ſpiritualem affectum bonum, vel quid ſimile: vnde ex parte materiæ reprehendi non poteſt. Inuenta verò eſt ad ornatum, & *vt ſecundum illius modulationem, ſeu ſymphoniam, cantus totius pſalmi ſumatur, & ita totus chorus in illa vniatur*, vt notat Amalar. libr. 4. de Offic. Eccleſiaſt. ca 7. Quam verò ſit antiquus hic vſus Antiphonæ in hoc ſenſu, nec ipſe Amalarius dicit, nec ab alijs adnotatur. Inuenio tamen illius mentionem ante mille centum annos in Concilio Agathenſ. capit. 30. ſub Antiphonis verò comprehendi poteſt inuitatorium, quod ſpecialiter in principio Matutini præmitti ſolet.

Antiphona quid ſit, & quam antiquum illius vſus in Eccleſia.
D. Iſidor.
Amalar.
Concil. Agathen.

19. Poſt Pſalmos ſequitur Capitulum in laudibus, & alijs minoribus horis, quod eſt lectio breuis, de qua eadem ratio eſt, quæ de alijs lectionibus, & in hac minor eſt difficultas, quia ſemper ex Scriptura ſumitur. Et his capitulis videtur fieri mentio in dicto Concilio Agathen. Canon. 30. & habetur in capite *Conuenit*. de Conſe. diſtinct. quinta, vbi prius dicitur: *Studendum eſt, ſicut vbique fit, vt poſt Antiphonas, Collectiones per ordinem ab Epiſcopis, vel presbyteris dicantur.* Ita enim legendum eſt, vt in originali habetur, & non *Collationes*, vt legit Gratianus: per *Collectiones* autem Gloſſa ibi, capitula intelligit quæ ſunt quaſi breues lectiones: Turrecremat. verò & alij intelligunt orationes, quæ collectæ dici ſolent. Poſtea verò ibidem additur. *In concluſione Matutinarū, veſpertinarum, & Miſſarum poſt hymnos capitella:* (ita enim in Concilio legitur.) *de pſalmis dicantur*: Gratianus verò legit *Capitula*. Vbi videtur de his capitulis loqui, quamuis nunc non dicantur poſt hymnos ſemper, nam in Laudibus, veſperis, & Completorio dicuntur ante hymnos, nec ſumuntur ex Pſalmis ordinarie, nec in Miſsis dicuntur. Vnde Rodulphan. Tungren. libro de Canon. obſeruan. propoſitio. 13. per capitula intelligit verſiculos paruos, qui ex Pſalmis ſumuntur, quos dicit in Ambroſiano, & multis libris antiquis capitula appellari. Iam verò capitula proprie dicuntur lectiones illæ breues, quarum, ſub nomine lectionum, & capitulorum, facit mentionem S. Benedictus in ſua regula. cap. 13. & 17.

Capitulum quid ſit, & quæ eius antiquitas & vtilitas.
Concil. Agathenſ.
Gratian.
Turrec.
Rodulph. Tungren.

20. Poſt lectiones ſolent ſequi Reſponſoria, varij etiam verſiculi in diuerſis locis interponuntur, de quibus multa fit mentio apud citatos Patres, & alios Scriptores Eccleſiaſticorum officiorum: nobis pro præſenti inſtituto ſatis eſt, omnes illos continere laudes Dei, vel orationes ſanctas, & pias, & frequentius ſolere ex Scriptura deſumi, licet interdū ſint per Eccleſiam compoſiti, ſeu probati: vnde nō eſt dubium, quin ſint conuenientiſsimi ad ornandam Eccleſiaſticam Pſalmodiam. Tandem in fine vniuſcuiuſque horæ dicitur oratio, quæ Collecta vocari ſolet, quia dum ab vno ſacerdote nomine omnium aſtantium dicitur, omnium orationes in ea colliguntur, vt ex Concilio Agathenſ. indicatur in capit. *Conuenit* de conſe. d. 5. & ſumitur ex Caſſiano libr. 2 cap. 8. & latius declarat Hugo libr. 2. de Officijs Eccleſiaſt. capit. 16. Alia de his orationibus diximus tractando de Miſſa in 3. tom. diſpu. 83. ſect. 1. vbi etiam diximus de confeſsione, quæ in aliquibus partibus Diuinorum officiorum interponi ſolet, ſcilicet in Prima, & Completorio, vt in fine noctis, ac principio diei, & in fine diei, ac principio noctis remiſsionem peccatorum procuremus. Denique poſt Collectam in fine vniuſcuiuſque horæ recitari ſolet oratio Dominica, quod de matutinis, & veſpertinis horis ſtatutum fuit in Concil. Gerundenſ. cap. 10. habetur cap. *id ſemper*, de Conſecr. diſt. 5. & ad aliquas horas additur aliqua Beatæ Virginis antiphona, vt Salue Regina, de qua in fine præcedētis lib. dixi, vel aliæ æquiualentes, de quibus eadem eſt ratio, neque de illis aliquid addendum occurrit, ſed videri poſſunt dicta de inuocatione Virginis 2. tom. 3. p. diſp. 23.

S. Bened.
Concil. Agathen.
Caſſian.
Hugo.

21. Ad primam ergo dubitandi rationem reſpondetur, nec neceſſarium nec moribus humanis ſatis accommodatum fuiſſe, vt Diuinum officium ex ſolis ſcripturis Canonicis quoad omnes partes, & ſingula verba componeretur. Quia homines delectantur varietate quadam, & oportuit orandi onus fieri ſuaue, ac delectabile: interdum etiam exempla recentiora, magiſque nobis propinqua, & quodāmodo magis noſtra plus nos mouent. Oportet etiam ipſi Scripturæ aliquam interpretationem adiungere, vt melius percipiatur, quam vel Sanctorū lectiones tradunt, vel alia Eccleſiæ verba ſæpe indidicant. Item in orationibus priuatis, non ſemper neceſſe eſt loqui Scripturæ verbis, ſed interdum proprijs, & prudenter excogitatis ab ipſo orante, ergo in orationibus publicis non eſt neceſſarium Eccleſiam vti ſolis Scripturarum verbis, ſed poteſt Eccleſia vti alijs ab ipſa inuentis, ſeu à ſuis doctoribus deſumptis, & publica auctoritate approbatis. Neque in hoc eſt periculum alicuius noxiæ falſitatis. Varia enim ſunt locutionum, ſeu propoſitionum genera, quę in Eccleſiaſtico officio extra Pſalmos, & lectiones Canonicas referuntur. Quædam ſunt proprie orationes, poſtulationes, & obſecrationes. Et in his neceſſaria ſunt verba propria ipſius Eccleſiæ accommodata rebus, quas poſtulat, & explicantia modum, affectum, & rationem poſtulandi, & medium, aut interceſsionem, quam interponit. In his autem non poteſt eſſe periculum falſitatis. Quia illæ propriè ac formaliter non affirmant aliquid, vel negant, vt verò indicant deſiderium, veræ ſunt quia vniuerſali Eccleſiæ non deſunt talia deſideria. Et alioqui Eccleſia non poteſt errare in dirigenda oratione ad verum Deum per verum mediatorem, qui eſt Chriſtus, nec in modo poſtulandi interceſſionem Sanctorum, vt ſupra libr. 3 viſum eſt, neque in rebus, quas poſtulat, quia ſemper vera fide, & ſpiritu Dei orat. Quod autem hoc fiat his, vel illis verbis, parum refert, dummodo apta, & accōmodata ſint, quod facile fieri poteſt modo humano cū prudentia, & ſapientia, quæ in Eccleſia non deeſt: aliæ item ſunt locutiones continentes gratiarum actiones, & laudes Dei, quæ ſupponunt quidem

Reſpōdetur ad 1 rationē pro ſententia quæ materiā orat. vocal. omni ex parte canonicam eſſe volebat.

fidem veram, & ab illa procedunt, non tamen proprie, ac formaliter ſignificant verum, vel falſum, quia etiam non affirmant, vel negant, nec proferuntur per indicatiuum modum, ſed per optatiuũ, vel quaſi imperatiuum, in quo non eſt falſitas formalis, nec interpretatiua erit, ſi ex animo fiat oratio vt ab Eccleſia ſemper fit. Quapropter etiam ex hac parte poſſunt orationes componi ab Eccleſia per homines ſine periculo erroris, aut deceptionis.

22. *Oſtenditur vtilitas aliarum partiũ Diuini officij, quamuis a Canonicis libris non deſumãtur.*

Præterea ſunt aliæ partes huius Diuini officij cõtinentes doctrinam fidei, aut morum, quæ interdũ ſumuntur ex libris non Canonicis, ſemper tamen ſunt ex libris & Patribus ab Eccleſia receptis & magno cum delectu deſumptis, ita vt in illis nullũ periculum noxię doctrinæ poſsit eſſe. Quod autem non ſingula verba, vel ſententiæ illorum ſint infallibilia, & Canonica, non obſtat quia non proponuntur, vt omnia ita credantur, ſed vt illuminent, & inſtruant Eccleſiam, & populum more humano. Quod enim Paulus ait primę Corinth. 14. *Vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet* &c. nõ intelligit de ſola lectione Pſalmorum, vel lectionum Scripturę, ſed etiam de Catholica illorum expoſitione & doctrina, vel interpretatione: nam omnia hæc eſſe poſſunt ad ædificationem, vt ſtatim expoſuii. Tandem alia leguntur in hoc officio, quæ ſunt hiſtorica, non tantum canonico, ſed etiam humano continentia vitas Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, Doctorum, aliorumque ſanctorum. Quæ ſimiliter non proponuntur vt infallibilia in omnibus, & ſingulis, etiam minimis, ſed vt pia, & humano modo credibilia, & moraliter certa, quæ prodeſſe poſſunt inflammando corda fidelium ad charitatem, & excitando ad bonorum operum ſtudium, & nihil nocere poſſunt. Vnde in his, quæ pertinent ad ſubſtantialem cultum, ac venerationem alicuius Sancti ſemper habent infallibilem veritatem ex approbatione, & Canonizatione Eccleſiæ: & ſimiliter in his, quæ ſpectãt ad imitationem, ſemper proponunt exempla honeſtiſsimarum virtutum: in circumſtantijs verò accidentalibus poteſt fortaſſe interdum eſſe incertitudo, aut varietas, ſed id neque ad pietatem, neque ad ſanctitatem huius Diuini officij quicquam obſtat, vt per ſe notum eſt: alias nec eſſe deberent in Eccleſia ſacræ conciones, aut lectiones, nec exempla Sanctorum eſſent narranda fidelibus, neque proponenda ad imitandum, quia non ſemper habent auctoritatem Canonicam, & infallibilem, quod non ſolum erroneum, ſed contra omnem ſenſum humanum eſt.

D. Paul. 1. ad Cor. 14.

23. *Conc. Laodicenſe, quatenus recta ſententia fuerit ſ[illegible], explicatur. Baron. Paul Samoſat.*

Quod ergo in Cõcilio Laodicenſ. ſtatutum fuit, vt in Eccleſia non legerentur libri, præter Canonicos, fortaſſe in ea Prouincia fuit tũc expediens, propter hæreticorum, præſertim Arrianorum turbationem. Et Cardinalis Baron. in Appendice ad 4. to. ſuſpicatur id factum eſſe occaſione abuſus, quẽ Paulus Samoſatenus circa illa tempora inducere tentauerat, vt ſupra meminimus. Certum eſt tamen illum Canonem à Prouinciali Concilio editum nũquam fuiſſe ab vniuerſali Eccleſia receptum, ſed contrarium fuiſſe, & ante & poſt illa tempora obſeruatum. Nam Hierony. de Scriptur. Eccleſiaſt. in Clemente, & Polycarpo, refert, eorum epiſtolas ſolitas eſſe legi in Eccleſijs Aſiæ. & ex Auguſt. li. 22. de Ciuit. c. 8. conſtat, ſuo tempore ſolitas eſſe legi in publico Aſiæ conuentu hiſtorias, & miracula Sanctorũ, vel in ipſo Diuino officio, vel extra illud, hoc enim parum refert. Idque ſtatutum fuerat in Concilio Carthaginen 3. c. XLVII. & ibi etiam ſignatim dicitur, vt nihil præter ſcripturas Canonicas in Eccleſia legatur: *Sub nomine ſacrarũ ſcripturarum*, quarum ibi catalogus ſubiungitur. Et fortaſſe hæc etiã limitatio ſubintelligi poſſet in Canone Laodicenæ Synodi, vbi etiam catalogus Canonicorum librorũ ſupponitur, vt ita vnus Canõ per alium explicetur. Magis vero placet ſententia Cardinalis Baronij: iuxta quam etiam interpretor Canonem Cõcilij Brachar. 1. dum enim allegat *Præcepta Canonum*, ad Cõcil. Laodicen (quod paulo antea præceſſerat) videtur alludere: in nullo enim alio Eccleſiaſtico Canone legitur talis prohibitio vel fortaſſe etiam tãtum loquitur de Pſalmis, hi enim nunquam fuerunt in vſu Eccleſiæ, ex libro Dauid non verò prohibet, quin Hymni, & alij verſus aliunde compoſiti, & ab Eccleſia probati in eadem poſsint decantari.

D. Hier. *D. Aug.* *Concil. Carthag.* *Concil. Brachar.*

24. *Reſpõdetur 2. obiectioni, & oſtẽditur vtilitas permiſcendi cũ oratione lectionem.*

In ſecunda obiectione petitur, cur in hoc officio Eccleſiaſtico orationi, & deprecationi ſacra lectio miſceatur, & nunc ab oratione ad lectionem, & rurſus ad orationem à lectione tranſitus fiat? Ad quod breuiter reſpondemus, non ſine magnis rationibus ita fuiſſe ab Eccleſia conſtitutum, & vbique ac ſemper generali traditione obſeruatum, vt conſtat ex Caſsian. lib. 2 de Inſtit. Renun. cap. 6. & Benedict. in ſua regul. Iſidor. libr. 1. de Diuin. offic. capit. 10. & alijs. Ratio autem eſt, quia vt ſupra libro ſecundo cum Bernardo diximus, lectio ad meditationem valde neceſſaria eſt: Eccleſia autem non intendit ſolum ad orationem vocalem fideles prouocare, ſed etiam ad internam meditationem, & conſiderationem eos inſtruere: Vnde Caſsianus ait, Patres addidiſſe lectionem, *Pro ſtudentibus habere cõtinuam meditationem ſacrarum Scripturarum*: Iſidorus verò ſic inquit: *Eſt autem lectio non parua audientium ædificatio, vnde oportet, vt quando pſallitur, pſallatur à cunctis, cum oratur, oretur ab omnibus, quando lectio legitur, facto ſilentio æque audiatur à cunctis* Et infra: *Obtentu orationis ne perdideris lectionem, quia non ſemper eam quilibet paratam poteſt habere, cum orandi poteſtas in promptu ſit.* Vbi egregiam rationem indicat huius Eccleſiaſticæ prouidentiæ: nam quia lectio ſacra omnibus poteſt eſſe valde vtilis, voluit etiam omnibus in publico officio proponi, vt multi ea frui poſſent, qui alias forte illam paratam non haberent: & vt maiori attentione, & reuerentia ſuſciperetur, eam ſapienter impoſuit orationi: itemque vt ipſa oratio per lectionem pingueſceret, vt idem Iſidorus adiungit dicens: *Ne putes paruam naſci vtilitatem ex lectionis auditu, ſiquidem oratio fit ipſa pinguior, dum mens recenti lectione ſaginata per Diuinarum rerum, quas nuper audiuit, imagines currit*: Accedit etiam, quod hac varietate delectatur orantium, & audientium animus, & diuturnæ pſalmodiæ labor leuatur, ac faſtidium, vel tædium impeditur: neque vnquam Paulus prohibuit cum Oratione coniungere, aut interponere lectiones, ſed potius oppoſitum indicat primę Corinth. decimoquarto, cum Pſalmum, doctrinam & alia coniungit. Quia non oportet hoc officium eſſe ſimplex, aut homogeneum, vt ſic dicam, ſed artificioſius cum varietate compoſitum eſt ad fructum animarum, ac ſubinde ad meliorem cultum Dei.

Caſsian. Benedict. D. Iſidor. Bernard. *S. Iſidor.* *D. Paul. 1. ad Cor. 14.*

25. *Reſpõdetur ad 3. rat. deſumptam ex verbis Chriſti Domini. Chryſoſt.*

Hinc facile eſt ad tertiam obiectionem reſpondere: in qua in primis notatur longitudo, & onus huius officij, & aſſeruntur verba Chriſti, in oratione, *nolite multum loqui.* Quorum verborum ſenſus, vt ibi notauit Chryſoſtomus Homil. 19. non eſt, vt oratio nõ ſit diuturna, ſed vt loquacitas in illa non ſit nimia, nec vitioſa: eſt autem vitioſa, & nimia, quando eſt de inutilibus rebus, vel cum inutili prolixitate. At verò totus ſermo huius ſacri officij eſt vtiliſsimus, & de rebus ad Diuinum honorem, & ſalutem animæ maxime pertinentibus. Neque eſt cur graue, aut nimis longum reputetur. Nã in primis eſt principaliter inſtitutum pro his hominibus, qui Diuino cultui dicati ſunt, quos decet magnam diei, & noctis partem in Diuinis laudibus conſumere, & deinde ſi priuatim dicendum eſt, vix diei vigeſimam partem occupat, ſi autem

in Ec-

Digitized by Google

in Eccleſia publice recitatur, aut canitur, cum Eccleſia habeat miniſtros ad illud munus peculiariter deputatos, licet magis diuturnum ſit, pro illis non poteſt reputari graue onus, nec etiam pro aliis fidelibus: cum eos Eccleſia non cogat ad totum illud officium audiendum, ſed inuitet volentes, eiſque abundantes epulas apponat, vt vnuſquiſque quod ſibi bene placitum fuerit, ſumat.

16. *Confirmatio ex 7. Eccleſiaſt. infirmatur.*

Notantur deinde repetitiones, quę in hoc officio fiunt, & adducitur dictum ſapientis: *Ne iteres verbum*, ſapiens autem non prohibet eadem verba ſæpe in oratione repetere, vel ex abundantia deuotionis, vel ad eam excitandam, & confirmandam, ſed vel prohibet repetitionem verborum ex quadam infidelitate, quaſi neceſſarium ſit verba repetere, vt ea Deus poſsit audire, vel ne temere, & ſine fructu fiat repetitio, ſicut Eccleſia. 5. dicitur. *Ne temere quid loquaris, nec cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo, &c.* Repetitiones ergo illę, quę in hoc officio fiunt ad excitandum ſpiritum, & deuotionem ordinantur, ſuntque ſumma prudentia, & arte compoſitæ, etiam ad ſubleuandos, & recreandos animos orantium, & ad meliorem concentum: Item propter myſticam ſignificationem: nam hæ repetitiones maxime fiunt in Reſponſoriis, quæ opera bona ſignificant, quæ ſæpius iterandæ ſunt: vt ſumitur ex Amalar. in Antiphonario cap. 4. & Turrecr. tract. 66. ad regul. Sancti Benedicti, & aliis, in quibus multa alia de his verſibus, & Antiphonis, quæ repetuntur, videri poſſunt.

Eccleſ. 5.

Amalar.
Turrecr.

27. *Varietas orationis propugnatur.*

Tandem notatur varietas partiũ, ex quibus hoc officium componitur: hæc autem obiectio ſolum eo tendit, vt ſub colore ſpiritualis contemplationis vocalis oratio contemnatur. Reſpõdetur ergo, varietatem illam ſapientiſsime fuiſſe inuentam. Primo vt diuturnitas orationis tolerabilior fiat. Deinde quia hæc oratio publica eſt, & omnibus proponitur, & quidam delectantur, ac mouentur hoc genere precationis, laudis, aut lectionis, & alij alio. Denique quia ex hac varietate multiplices etiam excitantur affectus, quod regulariter neceſſarium eſt ad colligendas mentes orantium, vel audiẽtium. Pauci enim ſunt, qui in eodem affectu, aut in eadem ſimplicis veritatis intuitione, vel ad breue tempus immorari poſsint. Quod ſi aliqui fuerint adeo ſpirituales, & contemplatiui, vt in Deum ipſum rapiantur, & in eius contemplatione firmentur, parum, vel nihil ex illa varietate verborum impedientur, poſſunt enim ad verba ipſa tenaciſsime attendere, & in ſua interna contemplatione perſiſtere: vel certe vt ſignificauit Bernard. Serm. 49. in Cant. licet aliquantulum tunc impediantur, propter maius commune bonum, vel obedientiam ferendum eſt, nam bonus affectus nõ carebit ſua mercede coram Deo, & priuatis orationibus, ac meditationibus poterit compenſari.

Bernard.

Capvt III.

Vtrum Eccleſiaſticum officium in nocturnum, & diurnum conuenienter diuiſum ſit?

1. *Vnde hora Canonica ſit appellatur.*

Explicata materia, & minutioribus partibus huius Diuini officij, oportet explicare partes alias principaliores, quarum ſingulæ ex illis prioribus partibus componuntur, & horæ Canonicæ vocantur, quarum vnaquæque per ſe ſpectata eſt veluti quædam integra oratio, ſeu officium integrum pro aliqua certa hora deſignatum, ex omnibus vero cõponitur vnum integrum officium Diuinum ſecundum regulam Eccleſiaſticam recitandum. Atque hinc partes illæ horæ Canonicæ dictæ ſunt. Putarũt vero aliqui, dictas eſſe horas Canonicas ab orando, vt Abbas in cap. 1. de Celebrat. Miſſar. in principio, & Zabarel. in Clemen. 1. de Celebr. Miſſar. Ioann. Lignan tract. de Horis Canon. & alij: certum tamen eſt, Canonicas preces horarum nomẽ ab hora, prout pars temporis eſt, deſumpſiſſe, vt Nauarr. & alij notarunt. Quod vel ex ipſa ſcriptione conſtat, nam cum aſpiratione horæ dicuntur. Ex traditione item eſt res euidens, vt videbimus. Quamuis autem hora temporis varias habeat ſignificationes, vt ex Latinis conſtat: tamen ad rem præſentem duæ tantum conferre poſſunt, vna eſt, qua hora dicitur quodlibet tempus opportunum, vel deſignatum alicui operi faciendo: iuxta illud Ioannis 5. *Venit hora, & nunc eſt*, & capit. 7. *Nondum venit hora eius*: & ita dici poſſunt horæ Canonicæ, quia certa habent, & deſignata tempora, in quibus dici debeant. Proprius tamen, & magis ad rem præſentem, & ad communem vſum, hora ſignificat certam diei, vel noctis partem aliquotam, nimirum vigeſimam quartam diei naturalis, iuxta communiorem vſum ad hæc vſque tempora retentum, vel duodecimam partem diei, aut noctis artificialis, iuxta quendam antiquum vſum. Ab hora ergo in aliqua ex his acceptionibus ſumpta Canonicæ preces horæ appellatæ ſunt, quia partes illæ principaliores, huius Diuini officij, per certas diei horas diſtributæ ſunt, vt videbimus. Canonicæ autem dicuntur eadem ratione (qua Diuinum officium) quia ſecundum certam regulam dicendæ ſunt.

Abbas.

Zabarel.
Ioan. Lignan.

D. Ioan. c. 5. & 7.

2. *De diuiſione horarũ, ac etiã diei in naturalẽ, & artificialem.*

Vt autem illa diuiſio horarum melius intelligatur, aduertendum eſt, diem interdum ſumi pro naturali die, interdum pro artificiali. Naturalis dies dicitur, qui integra ſolis circulatione perficitur, complectiturque noctem cum die artificiali: iuxta illud Geneſ. 1. *& factum eſt veſpera, & mane dies vnus*, & declarat Beda libr. de Diuiſionibus temporum, capit. de Die, & libr. & Ratione Computi, capite 2. & 3. & libro de Temporum ratione, capit. ſecundo, & tertio, Iſidor. libro quinto, Origen. capit. 30. vbi naturalem diem vocat legitimum, artificialem autem abuſiue. Idem lib. de Natur. rerum ca. 1. Qui etiam indicat, in nocte non habere locum illam partitionem, quia nox ſolum dicitur à ſolis abſentia, & ita in nulla acceptione complectitur partem temporis lucidam, dies autem dicitur à ſolis præſentia, & ideo à meliori parte totus dies naturalis dies denominatur, etiamſi ex parte lucida, & tenebroſa componatur. Vterque igitur dies poteſt per horas diuidi, tum quia dies artificialis eſt quaſi dimidia pars diei naturalis, licet non ſemper æqualis: ideoque ſicut naturalis dies in viginti quatuor partes diuiditur, ita artificialis in duodecim, & in totidem diuiditur nox, quæ illi correſpondet: vtraque ergo ex his partibus hora appellatur, ſed diuerſo modo, nam hora diei naturalis vocatur hora æquinoctialis, quia eſt tanta, quanta eſſe ſolet hora, quæ eſt pars duodecima tam noctis, quam diei artificialis in æquinoctio. Poſſent etiam dici horæ æquales, quia ſemper ſunt eiuſdem magnitudinis, ſeu durationis. Poſſent item dici horæ naturales per reſpectum ad diem naturalem, quam componunt. Vnde è conuerſo aliæ dici poſſent horæ artificiales: communiter autem dicuntur horæ inæquales, quia licet eiuſdem diei artificialis horæ inter ſe comparatæ ſemper ſint æquales, tamen in diuerſis temporibus anni ſunt inæquales, nam horæ diei æſtiualis maiores ſunt, quam horę diei hyemalis, & è conuerſo in noctibus: Conſequenterque horæ diei artificialis per totum annum ſunt inæquales horis noctium, interdum maiores, interdum minores, præterquam in æquinoctio, quando ſunt æquales.

Geneſ. 1.
Beda.
S. Iſidor.
Origen.

3. *Naturales hora, & artificiales ex Sacra Scriptura comprobantur.*

Vtraque autem ſignificatio in Scriptura reperitur, expreſsius tamen hæc poſterior: nam de priori intelligi poſſunt illa loca, in quibus hora ſimpliciter ponitur, vt menſura alicuius actionis, nã quia menſura debet eſſe certa, & inuariabilis, optime ſimilia

Digitized by Google

Iob 11 & 12. Luc. 22. Matth. 26.

loca de hora ęquinoctiali intelliguntur, vt illud Iob 11. *Et ſuſtinuit quaſi dimidiam fere horam*, & capit. 12. *Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deũ*: Item illud Lucæ 22. *Facto ſpatio quaſi horæ vnius*, & illud Matth. 26. *Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Hæc tamen loca non ita cogunt, quin poſsint exponi de horis artificialibus, ſeu inæqualibus, quæ tunc occurebant, quando illa, quæ narrantur, acciderunt. Parum autem refert, quia illa horę acceptio ſicut naturaliſsima eſt, (vt ſic dicam) ita communiſſima, & prorſus indubitata eſt. Altera vero, quę magis pendet ex arte, & vſu euidentius conuincitur ex Scriptura: nam Chriſtus Dominus Ioann. 11. dixit. *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* quod non poteſt, niſi de die artificiali, & horis inæqualibus intelligi, vt omnes notant, & eodem modo ſumitur Ioannis 1. cum dicitur: *Hora autem erat quaſi decima*, & capit. 5. *Heri hora ſeptima reliquit eum febris*, & ex Matth. 20. idem conuincitur, vt ſtatim dicam.

Ioan. 11. Ioan. 1. Matth. 20.

4. *Tertia diei diuiſio qua nox atque dies in quatuor æquales partes vtraque diſtinguitur.*

Tertio ſupponendum eſt, vltra iſtas partitiones diei addi ſolere tertiam, quoniam nox olim diuidi ſolebat in quatuor partes æquales inter ſe, inæquales vero in ſe, id eſt, maiores, vel minores iuxta noctium longitudinem, vel breuitatem. Quæ quatuor partes non inueniuntur appellatæ nomine horarũ, ita vt tota nox quatuor horis conſtare dicatur: ſed appellantur vigiliæ noctis, prima, ſecunda, tertia, & quarta, quarum quælibet tribus horis conſtabat, & de his vigiliis loquitur Lucas cap. 2. cum ait: *Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum*: Et Chriſtus Lucæ 12. *Si venerit in ſecunda vigilia, etſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi*. Et Matth. 14. de Chriſto dicitur: *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſuper mare*: & de eiſdem vigiliis fit mentio Exod. 14. Iud. 7. & Reg. 11. & videri poteſt Hieronymus epiſt. 139. ad Cyprian. & Auguſt. Serm. 14. de verbis Domini. Hæc ergo noctis diuiſio certa eſt, & ſumpta creditur ex diſciplina, & ordine militari. Cum eadem ergo proportione credunt multi artificialem diem diuiſum eſſe in quatuor partes, quæ quatuor ſtationes dicebantur. Ita tenet Cenſorin. li. de Natali die, capit. 10. & 11. & plures moderni tractantes de hora Crucifixionis, & Paſsionis Domini: tribuique ſolet Iſidoro lib. 1. de Offic. Eccleſ. ca. 19. Ille vero ſolum in fine capitis loquitur de diuiſione noctis in quatuor vigilias. Alij autem Patres infra referendi expreſsius illam diuiſionem poſuerunt, loquuntur tamen dę vſu Eccleſiæ, & Religioſo, non de militari. Et ideo nonnulli moderni negant, fuiſſe in vſu inter Gentiles, vel Iudæos, illam diuiſionem diei in quatuor partes, etiam pro ordine militari, quia nec de illa eſt mentio in antiquis Auctoribus, nec in die erat illa neceſsitas, quæ eſt in noctibus. Sed certe etiam in die ſolent militares cuſtodiæ per certa tempora diſtingui, & commutari, & ideo non eſt improbabile, eandem fuiſſe partitionem diei, & noctis, licet non eiſdem nominibus appellaretur.

Luc. 2. Luc. 12. Matt. 14. Exod. 14. Iudic. 7. 1. Reg. 11. D. Hieron. D. Aug. Cenſorin. S. Iſidor.

5. *Hæc diei diuiſio apud Iudæos ſolemnis fuit.*

Quicquid vero ſit de ordine militari, & de conſuetudine Gentilium, negare non poſſumus, quin inter Iudæos fuerit conſuetudo diuidendi diem in illas partes, ſaltem in ordine ad orationem, vel occaſione quatuor temporum diei, quæ ad peculiarem orationem erant deſignata. Hoc aliqui colligunt ex Matth. 20. vbi dicitur Paterfamilias exiiſſe, *Primo mane, hora tertia, ſexta, & nona*: veruntamen ille locus non poteſt commode ita exponi, quia additur etiam hora vndecima, quæ non poteſt eſſe, niſi propria hora diei. Vnde ſicut horæ diei artificialis dicuntur duodecim, & vna dicitur decima, alia vndecima in propria menſura, ita etiam illa hora, quæ eſt tertia in ordine, præciſe ſumpta dicitur tertia hora diei, vt Actor. 2. & ſic de cæteris: nihilominus tamen negare non poſſumus, quin aliquando extendantur hæ voces ad ſignificandas quatuor diei partes ſibi aliquo modo proxime, & immediate ſuccedentes, ac ſubinde excedentes vnius horæ artificialis ſpacium, & totum diem aliquo modo complectentes. Ad hoc enim cogunt nos Euangeliſtæ, Ioannes, & Marcus loquentes de hora crucifixionis Domini: nam Ioannes vocat illam ſextam, Marcus vero tertiam, quod non poteſt alia ratione conciliari, niſi quia illæ horæ contiguæ erant, & finis vnius erat initium alterius, & ideo idem tempus potuit ab vtraque denominari, præcipue cum particula diminutiua *quaſi*, vt latius tractaui in 2. tom. diſput. 40. ſect. 6. Siue ergo illæ partes diei nomine horarum, vel ſtationum ſignificatæ aliquando fuerint, ſiue non, tamen ſub nomine tertiæ, ſextæ, & nonę, non eſt dubium, quin ſignificentur ſępe tres partes diei: quæ primam aliquam ſupponunt, & ita illa partitio inſinuatur in Scriptura, licet eius non tam expreſſa mentio fiat.

Matth. 20. Act. c. 2. S. Ioan. S. Marc.

6. *Prima diei hora apud Iudæos orationi peculiariter fuit deſignata, ac inde tertia, Sexta, & Nona, quæ habebant initiũ a fine horæ diei, 1. Paralip. c. 23. Pſal. 87. Pſal. 5. Dan. c. 6. D. Hilar. Act. c. 3. & c. 10.*

Maxima ergo coniectura, & quantum arbitror, veriſsima eſt, apud Iudæos primam diei horam fuiſſe ad orationem peculiariter deſtinatam, vt colligitur ex 1. Paralipom. cap. 23. vbi præcipitur, vt Leuitæ ſtent mane in templo ad confitendum Domino. Vnde Dauid Pſalm. 87. aiebat: *Et mane oratio mea præueniet te*, & Pſalm. 5. *Mane exaudies vocem meam, & mane aſtabo tibi, &c.* Et ſimilia ſunt multa in Scripturis. Poſt illam vero primam horam erant etiam tertia, ſexta, & nona, quæ celebriores erant ratione orationis, ad quam videntur fuiſſe peculiari lege, vel conſuetudine deſignatæ. Hæc enim ſunt illa tria tempora diei, in quibus Daniel iuxta conſuetudinem ſuam adoraſſe, & oraſſe dicitur, contempto edicto Regis, Daniel. 6. vt Hieronymus exponit, & alij Patres infra referendi. Et in Actibus, capit. 3. expreſſe dicitur. *Petrus, & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis Nonam*, & capit. 10. de Petro dicitur, *Aſcendiſſe ad ſuperiora, vt oraret circa horam ſextam*. De tertia vero non inuenio tam expreſſum locum pro hora orationis, nam quod ab aliquibus citatur ex Actor. 2. *Cum ſit hora diei tertia*, de propria hora temporis melius intelligitur, tum quia expreſſe additur, *cum ſit hora diei*, tum quia id conducit, vt ratio Petri maiorem habeat efficaciam: tamen in loco Marci 15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, aperte conſtat non ſignificare ſimplicem diei horam, ſed peculiari alio vſu, & ſignificatione, quæ non poteſt habere aliud fundamentum, niſi quod etiam eſſet hora ad orationem deſignata, & ex proportione ad Sextam, & Nonam idem fit ſatis veriſimile. Adnotaui autem in dicto loco 2. tom. & cenſeo omnino verum, tempora illa ad has orationes deſignata non habuiſſe initium in principio illius horæ diei, à qua nomina ſumunt, ſed à fine. Vt verbi gratia, tertiam pro oratione incepiſſe currere finita tertia hora diei, & ſextam finita Sexta, & ſimiliter Nonam, quod ſentiunt multi, vt ibi retuli, & licet à Marcello Francol. contemnatur, eſt fere neceſſarium ad commodam concordiam Euangeliſtarum, vt ibi late deduxi. Et per ſe eſt valde credibile: ſi aduertamus, non eſſe conſuetum, horam numerare, niſi poſtquam finita eſt, vt prima hora diei naturalis apud nos cenſetur, quando ſonat ſignum eius tranſacta hora poſt medium noctis. Et Romæ dicitur hora prima noctis, poſtquam ſol per horam integram abeſt. Vnde quando actio aliqua, vel lectio, vel oratio hora tertia, vel quarta fieri dicitur, ſemper inchoatur finita tali hora ſecundum curſum diei naturalis: ſic ergo tertia orationis hora incipiebat, finita hora tertia diei artificialis, idemque eſt cum proportione de Sexta, & Nona. Et hinc fortaſſe ortum eſt, vt oratio, quæ mane fiebat, non inueniatur appellata *Prima*, nec quod fieret hora prima, quia fieri poterat, vel debebat ſtatim in ortu ſolis ante trãſactam, ſeu auditam primam diei horam: quod

Act. c. 2. Marc. c. 15. Marcel. Francol.

Digitized by Google

quod enim factū eſſe oportet, quando ſignum primæ horæ auditur, non dicitur proprie fieri in hora prima, ſed ante illam.

7. *Aduertendum.*

Denique in hoc puncto conſiderandum eſt, quāuis oratio vniuſcuiuſque horæ ex his non neceſſario duraret per tres horas diei artificialis (hoc enim neque eum fundamēto affirmari poteſt, neque per ſe videtur veriſimile, alias toto die ſine intermiſſione eſſet continuanda oratio) nihilominus totum illud tempus, in quo oratio legitime fieri poterat humano, & morali modo, appellatum eſſe tempus orationis. Vnde quia inter vnam, & alteram illarum orationum non interponebatur alia, tempus totum ab vna ad aliam, denominabatur ab oratione, ſeu dicebatur tēpus illius orationis, quæ in illo, vel qualibet parte eius, aliquantulum poſtponendo, vel etiam anticipando, fieri poterat. Hic enim eſt moralis modus operandi, & ita nunc contingit, & veriſimile eſt, ſemper contigiſſe. Ita ergo habent fundamētum in Scriptura partitiones diei, tam per naturales, vel artificiales horas, quam per horas, ſeu tempora orandi per diem, præter vigilias noctis.

8. *Vnica aſſertio. Officiū Diuinū conuenientiſſime fuit ab Eccleſia diſtributum in nocturnū & diurnū. Probatur ex Iure cap. Dolentes. Clem. 1. Cap. Placuit. Cap. Siquis Epiſcop. Probatur ex Scrip. Paralip. c. 9. Pſal. 118. Pſal. 54. Pſal. 118. Pſal. 33.*

His ſuppoſitis dico, ab Eccleſia conuenientiſſime fuiſſe Diuinum officium diſtributum in partem nocturnam, & diurnam. Hæc aſſertio habetur ex Iure in cap. Dolentes, de Celebrat. Miſſar. ibi, *Præcipientes, &c. vt Diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, &c. celebrent.* Similis partitio habetur in Clem. 1. eodem titul. Aliis vero locis *Matutinum, & veſpertinum officium* vocatur, vt in cap. Placuit, d. 12. & cap. vlt. d. 92. & in cap. *Siquis Epiſcopus in Concilio.* 11. quæſt. 3. Sed in eodem ſenſu intelligenda eſt diuiſio, vt infra dicam: eſt ergo hæc Eccleſiaſtica inſtitutio. Quod autem ſit conuenientiſſime facta, probatur primo ex Scriptura. Primi, Paralipom. 9. dicitur, conſtitutos fuiſſe Leuitas ad canendum in domo Domini, *Vt die, ac nocte iugiter ſuo miniſterio deſeruirent*: & Pſalmo 118. verſ. 55. ait Dauid: *Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam,* & verſ. 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi.* De diurna vero oratione ſunt infinita eiuſdem Prophetæ teſtimonia. Pſalm. 54. *Veſpere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* & Pſalm. 118. verſ. 148. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, &c.* & hoc ſenſu ait Pſalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, &c.* Chriſtus etiam vſum frequentem orationis nocturnæ docuit verbo, & monſtrauit exemplo, Matth. 14. Marci 6. Lucæ 6. *Et erat pernoctans in oratione Dei*, & in hoc ſenſu monuit Diſcipulos vigilare, & orare ſemper, Lucæ 12. & 22. De orationibus item diurnis à Chriſto vſitatus conſtat paſſim ex Euangelio: in Actibus etiam Apoſtolorum orationum primorum Chriſtianorum tam noctis, quam diei ſæpe mentio fit: capit. 16. Paulus, *& Silas media nocte ſurgentes laudabant Deum.* Et hæc exempla imitatam fuiſſe Eccleſiam, ipſa profitetur dicens in hymno quodam. *Mentes, manuſque tollimus, Propheta ſicut noctibus, nobis gerendum præcipit, Paulusque geſtis cenſuit.*

Matt. 14. Marc. 6. Luc. 6. & 12. & 22. Act. 16.

9. *Probatur ex conſuetudine Eccleſiæ. Tertull. D. Baſil. D. Cyprian. D. Hilar. D. Ambr. D. Hieron. D. Chryſ. D. Auguſt. Caſſian. S. Bened.*

Præterea hanc fuiſſe perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem in orationibus publicis tam nocturnis, quam diurnis manifeſtum eſt ex Tertullian. in Apolog. ex libr. de Virginit. circa finem. Baſil. in Regul. longioribus in 37. & Epiſt. 1 ad Gregor. Nazianzen. Cyprian. in Orat. Domini: Hilar. Pſalm. 118. ver. 62. & ibidem Ambroſ. & libro 7. in Lucam, Hieronym. Epiſt. 7. *Aſſueſcat exemplo ad orationem, & pſalmos nocte conſurgere, mane hymnos canere, &c.* Similia in Epiſt. 8. 22. & 28. Chryſoſtom. Homil. 26. in Act. & 41. & 42. ad Popul. Auguſt. Serm. 56. de Tempore, & in Pſalm. 32. & Caſſian. libro 2. de Inſtitut. renunc. de nocturnis precibus, in tertio vero de Diurnis diſſerit. Idem videre licet in regula S. Benedicti, & in aliis antiquis Patribus, quorum verba, & loca omitto, quia diligentiſſime multi ea referunt: & videri poſſunt Cardinalis Bellarm. libr. 1. de Bonis oper. capit. 13. Baron. tom. 1. Annal. Anno Chriſti 34. num. 251. & ſequentibus, & anno 51. num. 63. & ſequent. ſæpeque in illo opere, & in Martyrolog. circa vigiliam Epiphan. nonnulla de antiquitate vigiliarum congerit. De quibus egregie etiam Durand. libr. 3. de Ritib. cap. 5. & 6. & de cæteris temporibus in capit. ſequent. & Marcell. Francol. libr. de Hor. Canon. cap. 2. 12. 13. & ſequentib. & Ferdin. Mendoca, lib. 3. in Concil. Elibir. c. 4.

Bellar. Baronius. Durand. Marcell. Francol.

10. *Probatur ratione.*

Tandem ſuperuacaneum videtur adiungere rationes, quia oratio per ſe laudabilis actus eſt, & maxime neceſſarius vniuerſæ Eccleſiæ, tum ad impetrandum auxilium pro continuis, & vniuerſalibus neceſſitatibus ingruentibus, tum ad gratias agendas pro continuis Dei beneficiis, tum propter ipſius Dei cultum, & alios innumeros fructus orationis, ergo merito deſignātur tempora tam noctis, quam diei, vt hoc ſanctum opus nomine totius Eccleſiæ ab illius miniſtris exerceatur. Et diurnæ quidem preces neceſſariæ fuerunt pro totius populi Chriſtiani peculiari vtilitate, & quaſi vſu, vt Diuinis officiis adeſſe poſſent omnes, qui vellent. Nocturnæ autem preces olim etiam pro toto populo videntur fuiſſe inſtitutæ, quantum ex hiſtoriis, & Patribus colligimus. Et aliqui pij viri contendunt fore conueniens, illum morem retinere, & conſeruare. Non tamen ſine prudenti ratione, & cauſa regulariter iam in Eccleſia id non ſeruatur, ſed ſolum in vigilia Natalis diei, & aliqua ex parte in nocte Paſchæ, & aliquibus feriis hebdomadæ ſanctæ propter maiora incommoda vitanda. Nihilominus tamen ſemper conſeruantur in Eccleſia preces nocturnæ, vel in aliquibus Eccleſiis ſecularibus, quia pertinet ad maiorem Dei laudem, vt hoc graue miniſterium nunquam in corpore Eccleſiæ deſit, & ſi in modo, & circumſtantiis aliqua variatio contingat.

Caput IV.

De diuiſione nocturni officij in partes ſuas.

1. *1 Aſſertio conuenientiſſime nocturnum officium diſtribuitur ab Eccleſia in Matutinū, & Laudes. Cap. Dolentes. Clem. 1. Ioan. Andr. Hoſtienſ. Abbas. Archid.*

Dicendum in primis eſt, Eccleſiam conuenientiſſime diſtribuiſſe nocturnam orationem publicam in varias partes, vel tempora. Hoc facile conſtat declarando diſtributionem, eiuſque antiquitatem, & rationem: nam ad hanc orationem nocturnam pertinet Matutinum cum laudibus, vt colligitur ex dicto ca. *Dolentes*, & Clem. 1. de Celebrat. Miſſar. nonnulli vero Canoniſtæ volunt comprehendi, etiam in hoc officio nocturno Completorium, & Primam, vt Ioannes Andr. Hoſtienſ. Abb. & alij in cap. 1. de Celebr. Miſſar & Archidiac. in c. Presbyter, d. 91. Sed licet quæſtio ſit de nomine, non habent fundamentum in Iure, vt conſtat ex eodem cap. 1. de Celebr. Miſſarum. Quia Prima. & Completorium conſueuerunt in die dici, vt infra oſtendemus. & ex hymnis illarum horarum intelligi poteſt, nam in Prima dicitur: *Iam lucis orto ſidere*: in Completorio vero: *Te lucis ante terminum.* Solum ergo Matutinum, & laudes ſub nocturno officio cōprehēdimus. Quin imo ſi rigoroſius loquamur, ſolent interdum laudes diurno officio attribui, vt ex dicto c. 1. de Celebr. Miſſar. colligi poteſt, & cap. ſeq. ponderabimus. Aliquando vero è conuerſo ſub Matutinali officio comprehenduntur omnes horæ antemeridianæ, id eſt, à Matutino vſque ad Nonam. Vt quando Matutinum officium à veſpertino diſtinguitur, nam tunc ſub veſpertino officio Nona, Veſperæ, & Completorium includūtur, iuxta Gloſ. in c. vlt. d. 92. quæ ita intelligēda eſt, vt ibi Hugo notauit. Sed hoc parum refert, quia ſolum ſpectat ad vſum vocum, nunc de re loquimur, & de proprio officio Nocturno, prout eſt in vſu Eccleſiæ.

Cap. 1. De Cel. Miſ. Gloſ. cap. vlt. Hugo de S. Victor.

Hæc

Digitized by Google

2. *Probatur dicta partitio ex inſtitutione Eccleſiæ iuxta quã Matutinum ſæpe partitur.*

Hæc ergo partitio Nocturni officij ex inſtitutione Eccleſiæ conſtat: Matutinum enim ſtricte ſumptum à laudibus adeo diſtinguitur, vt tempore etiam ſeparari ſoleat, & propria oratione concludi, vt infra dicetur, vnde diuerſa etiam initia, & hymnos diſtinctos habent: Matutinum autem interdum vno Nocturno duodecim Pſalmorum, cum tribus lectionibus, totidemque reſponſoriis concluditur, interdum tribus nocturnis conſtat, & ſinguli tribus Pſalmis, & lectionibus totidem componuntur præterquam in Dominicis diebus, in quibus duodecim Pſalmi in primo nocturno dicuntur. Cuius diuerſitatis variæ rationes myſticæ traduntur ab his, qui de Diuinis officiis ſcribunt: moralis vero, & litteralis ratio eſſe videtur, quia pro diuerſitate ſolennitatum oportuit aliquam variationem fieri, & illa eſt ſatis apte, & prudenter inſtituta. Et credibile eſt in ternario numero habitum fuiſſe reſpectum ad Trinitatis myſterium, ex Cypriano ſerm. 6. vel ad tres primas vigilias noctis, vt dicemus: duodenarium autem numerum obſeruatum eſſe, vel propter eius vniuerſalitatem, vt illo ſignificetur omnibus modis laudandum eſſe Deum, vel propter duodecim horas noctis, vt per tale officium totius noctis tempori ſatisfieri videatur, eo quod homines propter debilitatem non poſſint totam noctem in Diuinis laudibus conſumere. Lege Iſidor. libro 1. de Diuin. offic. cap. 19. Hugon. lib. 2. cap. 9. Amalar. Alcuin. & alios.

S. Iſidor. Hugo. Victor. Amalar.

3. *Qui crediderint pro diuerſitate nocturnorũ diuerſas quoque noctis vigilias deputari.*

Dubium tamen eſt, an hæ partes nocturni officij in ſui initio ita fuerint diſtinctæ, vt tempore etiam diſiungerentur: multi enim affirmant quando tres dicebantur nocturni, primum fuiſſe ſolitum dici in prima noctis vigilia, ſecundum in ſecunda, tertium in tertia, laudes vero in quarta iam prope auroram. In feriis vero quando vnus nocturnus tantum dicitur, non habebat locum hæc partitio, vnde certum eſt, totum continue fuiſſe dictum in principio tertiæ vigiliæ, id eſt, media hora noctis: laudes vero eodem modo diſiunctæ dici poterant. Poteſtque hæc ſententia ſumi ex his auctoribus qui aiunt, tres nocturnos correſpondere tribus primis vigiliis noctis: & laudes, quartæ: non enim putandum eſt continue per totas vigilias nocturnos duraſſe, nam id humana conditio non tuliſſet, ergo oportet dicere, diſcrete fuiſſe dictos ſingulos in aliqua parte vniuſcuiuſque vigiliæ. Afferunt autem illam rationem vigiliarum Iſidor. lib. 1. de Diuin. offic. ca. 10. Hugo de Sanct. Victor. lib. 2. de eiſdem offic. ca. 9. Amalar. lib. de Ordin. Antiphonar. D. Tho. lect. 6. in 1. Corint. 14. Vvald. de Sacram. ca. 24. & 28.

S. Iſidor. Hug. Vict. Amalar. D. Thom. Vvald.

4. *Probatur ex D. Hieron. & Ambroſ.*

Poteſtque hæc ſententia ex Hieronymo colligi Epiſt. 22. ad Euſtochium ibi: *Bis, & ter nocte ſurgendum eſt*: nam videtur hoc dicere propter diuerſa tempora nocturnorum: vnde quando vnus tantum dicebatur, bis ſurgendum erat, ſemel in media nocte ad matutinum, & iterum in quarta vigilia ad laudes: quando autem erant tres nocturni dicendi, oportebat tertio ſurgere ante mediam noctem, nam prius nocturnus ante cubitum dici poterat, fauet etiam Ambroſ. lib. 7. in Lucam, capit. 11. vbi ait: *Non ſolum media nocte Dominus, ſed omnibus prope ſingulis docet vigilandum eſſe momentis*, & infra circa illud: *Quis veſtrum habet amicum, &c.* Præterea additur coniectura ex libro ſecundo Eſdræ cap. 9. vbi dicitur populus Iſrael adoraſſe Deum quater in die, & quater in nocte, vt referunt, & accommodãt Doctores ſtatim citandi ex Beda ibi, & Amalar. lib. de Eccleſiaſt. offic. cap. 7. Denique ex ipſo numero nocturnorum videtur veriſimile, fuiſſe dici ſolitos temporibus diuerſis, & cum aliqua temporis interpoſitione. Quod tenent Gnilielm. Durand. libr. 5. Rational. Diuin. offic. ca. 3. Marcell. Francol. lib. de Hor. Canon. c. 1. n. 14. Nauar. dicto Enchirid de Orat ca. 3 n. 18. Durand. lib. 3. de Ritib. cap. 5. Sot. libr. 10. q. 5. de Iuſtit. art. 1. c. 5. & alij antiquiores, quos ipſi referunt.

Luc. 11.

Probatur ex Sacr. Script. Eſd. c. 9.

Beda. Amalar.

Marcel. Francol. Nauarr. Durand. Soto.

5. *Propoſitam ſententiam impugnat Azor, cuius argumenta diſſoluuntur.*

Nihilominus hanc ſententiam in dubium reuocat Azor libr. 10. ſuarum Inſtit. c. 2. dicitq; in primis, non affirmari ab antiquis doctoribus, & Patribus, quos Moderniores referunt. Nam verba Hieronymi non multum cogunt, quia poſt illa verba: *Bis, aut ter nocte ſurgendum eſt*, addit, *reuoluenda, quæ de Scripturis memoriter retinentur*, vtique: ad meditandum in illis: ad hoc ergo ſignificat eſſe ſurgendum bis, aut ter: loquitur ergo ibi de meditatione priuata, non de oratione publica horarum Canonicarum: Ambroſ. etiam ſolum generaliter ibi ſuadet frequentiam orationis, & proponit neceſſitatem ſemper vigilandi, *quia Dominus in veſpertina* (id eſt, prima) *& in ſecunda, & in tertia vigilia venire ſolet*: De conſuetudine autem, vel modo dicendi nocturnos nihil ibi tradit. Et eodem modo loquitur de his vigiliis tractans eadem verba Chriſti Lucæ 11. Iſidor. dicto lib. 1. Diuin. offic. cap. 21. in cap. vero 19. non ſatis aperte loquitur: ſignificat enim tres nocturnos inſtitutos eſſe, vt loco trium vigiliarum Deo conſecrentur, non tamen dicit in tribus vigiliis ſeparatim, & diſcrete dici ſolitos. Sicut paulo antea dicebamus, duodecim pſalmos in vno nocturno dici pro duodecim horis noctis, non quia per ſingulas horas, ſed quia pro ſingulis horis, id eſt, ad ſatisfaciendum pro illis, tot pſalmi dicantur. Ita ergo dici poſſunt tres nocturni pro tribus vigiliis noctis, etiamſi diuiſim in illis non dicantur. Et hunc ſenſum euidentius expreſſit Hugo de S. Vict. dicto ca. 9. ita enim ait, tres nocturnos dici pro tribus vigiliis noctis, ſicut in ſingulis nocturnis tres pſalmi dicuntur pro ſingulis horis noctis. *Vnde* (inquit) *& trium nocturnorum ſingulum tres habet pſalmos, quibus nos totidem horis noctis Dei ſeruitio præſentamus.* Et infra dicit, per tres nocturnos etiam repræſentari tẽpus ante legem, in lege, & poſt legem, quod verum eſt etiamſi continue dicantur. Et in fine capitis ſentit, illud totum fuiſſe vnum officium integrum, diſtinctum à laudibus, quod propria oratione concludebatur, vnde potius ſentit continue dictum fuiſſe: Amalar. etiam magis myſtice, quam hiſtorice loquitur, & l. 4. de Diuin. offic. capit. 9. potius ſignificat, totum matutinum officium ſolitum fuiſſe inchoari poſt mediam noctem: ex quo (vt ſtatim dicam) magnum argumentum ſumitur, fuiſſe potius conſuetudinem dicendi omnes pſalmos, ſeu nocturnos ſine intermiſſione. Et in cap. 7. totum matutinum ponit tanquam vnum nocturnum officiũ, & longe aliter accommodat locum Eſdræ, de quo ſtatim dicetur, quia ſine fundamento adducitur.

D. Hieron.

D. Ambroſ.

D. Iſidor.

Hug. Vict.

Amalar.

Eſd. c. 9.

6. *Probatur 1. Matutinũ conſtans tribus nocturnis dici ab Eccleſia per modum vnius officij.*

Ex his ergo poteſt hæc ſententia ſuaderi primo: quia totum Matutinum, vt condiſtinctum à laudibus, & conſtans ex tribus nocturnis dicebatur per modum vnius officij, & ſua oratione concludebatur, ergo veriſimilius eſt, ſemper fuiſſe dictum continue, & non per partes. Secundo, quia in feriali officio, in quo vnus tantum nocturnus oblongior dicitur, non eſt dubium, quin cõtinuo tempore diceretur in vna vigilia noctis, ſecunda, vel tertia, ergo idem, credendum eſt de officio trium nocturnorum quod loco illius dicitur in diebus feſtis, quia ſolum videtur eſſe differentia in numero pſalmorum, lectionũ, & reſponſoriorũ, propter maiorem ſolennitatem, non vero in horarum, aut temporum diuerſitate. Tertio, officium illud inchoatur in media nocte, vt colligitur ex Hier. Amb. & aliis Patribus adductis: & ex capit. 1. de Celebr. Miſſar. vbi poſt numeratas alias horas à laudibus vſque ad completorium, ſubditur, *Nam de nocturnis vigiliis idem ipſe Propheta ait: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, &c.* Sentit ergo vigilias illas ſolitas eſſe inchoari poſt mediam noctem, & per modum vnius officij ſolitas eſſe dici. Nam profecto poſt mediam

Probat. 2.

Probat. 3. D. Hier. D. Ambr. Concil. Agath. Cap. 1. de Celebrat.

Digitized by Google

diam noctem aliter dici non poterant, cum duæ vi-
giliæ noctis iam eſſent tranſactæ. Et hoc aperte ſup-
S. Bened. ponit S. Benedictus in ſua regul. cap. 9. nam matu-
tinum præcipit inchoari tempore hyemis hora o-
ctaua noctis: in æſtate vero tempore commodo, ita
vt paulo ante auroram poſsit finiri, & aperte ſuppo-
nit totum continue eſſe dicendum, vſque ad laudes
excluſiue. Et cap. 11. licet præcipiat in diebus Domi-
nicis paulo maturius inchoari, nocturnos vero cõ-
tinenter eſſe dicendos ſignificat.

7. Quarto, quia alias fuiſſet onus intolerabile, toties
ſomnum interrumpere, & ipſum officium nõ poſ-
ſet cum debita deuotione, & attentione celebrari.
Soto. Tacite vero reſpondet Sot. ſupra, quod in primiti-
ua Eccleſia clerus in tres partes diuidebatur, ita vt
vnaquæque vnum nocturnum per ſingulas vigilias
diceret, & in cæteris quieſceret, vt in quarta om-
nes ad laudes conuenirent. Sed hoc ab ipſo nullo
Durant. teſtimonio aſſeritur, ideoque merito à Durant.
Marcello, & aliis non probatur, quia ſinguli de Cle-
ro integrum officium recitare obligantur: & hic
fuit ſemper mos Eccleſiæ; ergo non eſt veriſimile
fuiſſe diſtributos nocturnos per diſtinctas perſo-
nas, ſeu partes Cleri. Adde, difficile fieri potuiſſe, vt
in principio Eccleſiæ tanta eſſet multitudo cleri in
ſingulis Eccleſiis, vel populis, vt poſſet eo modo in
tres partes diuidi ad ſingulos nocturnos recitan-
dos. Vnde alij potius reſpondent, tantum fuiſſe
tunc feruorem miniſtrorum Eccleſiæ, vt pondus
Vuald. illud ſine faſtidio ſuſtinerent. Imo Vvaldenſ. addit,
quod antiqua Eccleſia totas noctes in laudibus ex-
pendebat, diuidendo noctem in quatuor diſtinctas
vigilias cum interciſis ſpatiis trium horarum, ſi-
gnificans non tantum omnes miniſtros Eccleſiæ,
qui ex officio ad illud opus tenentur, ſed etiam po-
pulum ſolitum fuiſſe ad omnes nocturnos conue-
Amalar. nire. Et Amalar. in libr. de Ord. in Antiphon. cap. 4.
In militia (inquit) *ſeculari viciſsim dormiunt milites, &*
viciſsim vigilant, in militia vero Chriſtianorum dictum
Marc. 13. *eſt in Euangelio Marci: quod autem vobis dico, omnibus*
dico, vigilate. Ipſe vero ſtatim ſubdit, has vigilias ſi-
gnificari per tres nocturnos, & per eos admoneri
Chriſtianum populum, vt ſemper vigilet, & ſit pa-
ratus, vt ſi venerit Dominus, & pulſauerit, confe-
ſtim aperiat ei. Quod non oportet materialiter de
corporali ſomno, & vigilia illi oppoſita, ſed de ſpiri-
tuali intelligi.

8. Mihi ſane non ſatis exploratum eſt, qualis fuerit
1. Aſſertio. antiquior, & frequentior Eccleſiæ conſuetudo. Ta-
Quæ aſtruit men non eſt, cur negemus aliquando, vel alicubi ita
aliquando factum eſſe, vt tres nocturni in tribus vigiliis noctis,
tres noctur- interiectis etiam aliquibus horis, dicerentur. Id e-
nos tribus nim affirmat D. Thomas, nec patitur ſupra dictum
diſtinctis vi- expoſitionem, nam expreſſe dicit. *Antiquitus dice-*
giliis dici *bantur nocturna diuiſim ſecundum tres vigilias noctis.* V-
ſolitos. bi dicendo, *diuiſim,* declarat non tantum ſignifica-
D. Thom. tione, ſed re ipſa, & executione fuiſſe diuiſa, præſer-
tim, quia ſubiungit, *Nunc autem dicuntur ſemel.* Vti-
que tempore continuo, nam ſignificatione, vel cõ-
penſatione (vt ſic dicam) etiam nunc dicuntur pro
Vuald. tribus vigiliis noctis, Vvaldenſ. etiam clariſsime,
loquitur & citat quendam Valerianum lib. 1. de Of-
fic. c. de Matutin. dicentem: *Tunc & vigilias tribus ho-*
ris diſpertimus nocturnis, vt non ſolum verbo, ſed & facto
tres vigilias prædicemus. Neque coniecturæ in contra-
rium adductæ probant hanc conſuetudinem fuiſſe
impoſsibilem, aut incongruam, quia illa partitio li-
cet non ſemper fieret in feriali officio, fieri poterat
in diebus feſtis ad maiorem quandam ſolennita-
tem, & deuotionem, & ſic tolerabilius eſſe poterat
vigiliarum põdus. Et ita ordinarie ſurgebatur me-
dia nocte ad confitendum Domino, in feſtis autem
non tantum media nocte, ſed etiam in prioribus
vigiliis. Quid autem cenſendum tunc eſſet de vni-
tate officij, dicam ſeq. cap. Quantum vero temporis
illa conſuetudo durauerit, & quibus in locis fuerit,
& præſertim an Romana Eccleſia eam aliquando
amplexa fuerit, non conſtat. Quoad hoc vero vlti-
mum, probabile ſatis eſt, in Romana Eccleſia non
fuiſſe hanc conſuetudinem, vt ex ſequenti puncto
conſtabit.

Simile dubium tractari poteſt de laudibus, an ſe- 9.
paratim, & tempore diſcreto à nocturnis olim dice- *3. Aſſertio.*
rentur? In quo certius eſt, antiquum morem fuiſſe, *Laudes ſe-*
vt nocturni ſeparatim dicerẽtur nocte intempeſta, *cundũ anti-*
poſtea vero in gallicantu prope auroram diceren- *quam inſti-*
tur laudes tempore diſtincto, ac ſeparato. Hoc tan- *tutionem,*
quam certius affirmant, qui nocturnos etiam diui- *non ſolum*
dunt. Nam Hugo Victor. lib. 2. de Offic. Eccleſiaſt. *diſtinctis tẽ-*
cap. 1. & 9. in fine, agens de officio nocturnorum, ſic *poribus à no*
inquit: *Hoc officium ſecundum vſum Monachorum ora-* *cturnis, ſed*
tione, ſicut cætera terminatur, in quo primariam ſeruare *etiam, vt di-*
videntur inſtitutionem: noſtra autem conſuetudo huma- *ſtincta offi-*
na neceſsitati parcens, & labori, officio prædicto laudes ma- *cia dicebã-*
tutinas continuat, & oratione vna, duo claudit officia. *tur.*
Hug. Vict.
Ecce, ſecundam primariam inſtitutionem non tan-
tum diſtinctis temporibus, ſed etiam tanquam duo
officia hæc dicta fuiſſe. Idem habet in Speculo Ec-
cleſiæ, cap. 3. Radulph. in lib. de Canon. obſer. pro-
poſ. 14. Amal. libr. de Ordine Antiphonarij cap. 7. & *Radulph.*
libr. 4. de eiſdem officiis capit. 7. volens diſtinguere *Amalar.*
quatuor officia nocturna inter ea numerat *veſperã,*
& *completorium*, & alia duo eſſe dicit *nocturnum*, &
laudes, quas ibi vocat *matutinum*, & ſub eodem no-
mine de eiſdem agit in ca. 10. cuius ſententiam non
probamus quoad illam quaternariam partitionem,
quæ in loco Eſdræ (quem ipſe ita accommodat) non
habet fundamentum, vt infra cap. 6. oſtendam, &
licet aliquod haberet, non oporteret veſperas nocti
tribuere, ſed potius tres nocturni cũ laudibus poſ-
ſent illum quaternarium numerum explere.

Quod vero ad preſens punctum ſpectat ſatis in- 10.
dicat Beda, & clarius tradit Amalar. laudes ſepara- *Beda.*
tim à nocturno, vel nocturnis dictas fuiſſe in pri- *Amalar.*
mæua inſtitutione: aperte colligitur ex Regula Be-
nedicti c. 2. laudes dicendas eſſe prope auroram ſe- *S. Bened.*
paratim à nocturnis, quos ibi matutinum appellat.
Deniq; idem habetur ex c. 16. eiuſdem regulæ, quod
refertur in capit. 1. de Celebrat. Miſſar. vbi prius ſe- *Cap. 1. de*
ptem horæ diei numerantur, & inter eas ponitur *Cel. Miſ.*
Matutinum, & poſtea additur nocturnum officiũ,
vnde neceſſe eſt Matutinũ laudes intelligere, quod
tanto tempore à nocturnis diſcernebatur, vt quaſi
diurnum reſpectu alterius cenſeretur. Erat ergo
antiqua conſuetudo dicendi laudes prope auro-
ram tempore diſiuncto à nocturno, vel nocturnis.
Ratio autem huius inſtitutionis eſſe potuit huma-
na quidem, vt facilius poſſet labor vigiliarum ſuſti-
neri, & aliqua requies daretur inter nocturnos, &
laudes, moralis vero, vt in fine vigiliarum noctis
laudes canantur Deo, & pro beneficiis ſuſceptis gra-
tiæ agantur: ſpiritualis eſſe poteſt, quia illa hora re-
ſurrexit Dominus. Vnde per nocturnos, vel nati-
uitatem Chriſti, quæ media nocte contigit, vel ea,
quæ in nocte paſsionis Chriſtus pro nobis paſſus
eſt, vel quietem eius in ſepulchro commemora-
mus: per laudes vero pro illius reſurrectione gra-
tias agimus, vt ſignificat Cyprian. li. de Orat. Domi- *Cyprian.*
ni ad finem. Quod enim Chriſtus circa auroram
reſurrexerit in 2. tom. 3. p. oſtenſum eſt. Et hinc lau-
des inter diurnas horas, multi computant, quia in
aurora dicebantur, vt ſumitur ex Hug. de S. Victor. *Hug. Vict.*
lib. 2. de Diuin. offic. cap. 1. & Caſsian. lib. 3. de Inſtit. *Caſsian.*
capit. 3. Iam vero vſus obtinuit, vt laudes continue
dicantur, finitis nocturnis: quod etiam non eſſe
nouum, ſed antiquum conſtat ex his, quæ ex Hug.
Vict. retuli, imo in Eccleſia Romana ſemper credi-
tur hæc conſuetudo obſeruata, vt laudes proxime
poſt Matutinum continue dicantur, vt refert Amal. *Amalar.*
libro de Ordin. Antiphon. in Prologo, & capit. 4.
in fine.

Digitized by Google

in fine. Atque ex his ſatis declarata, & probata relinquitur aſſertio poſita.

Capvt V.

De partitione officij diurni.

1. *Vnica aſſertio. Diurnũ officium conuenientiſſime in varias partes ab Eccleſia eſt diſtributum. Probatur ex Iuribus. Cap. 1. de Cel. Miſſ. Pſal. 18. Pſal. 118.*

STatuendum in primis eſt, diurnum officium conuenientiſſime ab Eccleſia in varias partes, ſeu horas diſtributum eſſe. Hæc aſſertio ex dictis fete ſatis probata eſt: maiorem tamen aliquam declarationem, & confirmationem breuiter adhibebimus. Habetur ergo aſſertio in multis Iuribus: nã in capit. 1. de Celebrat. Miſſar. numerantur ſeptem partes huius diurni officij. *Propheta* (inquit) *dicente, ſepties in die laudem dixi tibi, hic ſeptenarius numerus à nobis impletur, Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, & Completorij tempore*: & infra: *Nam de nocturnis vigiliis idem ipſe Propheta ait. Media nocte ſurgebam, &c.* Ergo priora verba Dauid videtur ibi exponi, non de die naturali, ſed de artificiali latius ſumpto, vt comprehendit crepuſcula, ſeu auroram, & per Matutinum laudes intelligi, quæ inter horas diurnas computant. Eademque partitio eiſdem fere verbis habetur in capit. *Presbyter*, d. 91. & eſt deſumpta ex Regula Sancti Benedicti, capit. 16. In horum autem textuum expoſitione multum laborant Canoniſtæ, ſed illorum ſententiam attingemus capit. ſequenti, nunc prædictum ſenſum, vt facilem, & planum ſupponamus: omitto autem Matutinum, ſeu laudes, de quibus iam diximus in præcedenti capit. quia ſecundum præſentem vſum, & communiorem modum loquendi ſub nocturno officio comprehenduntur, & illud, vt conſtans ex nocturnis, & laudibus, proprie Matutinum dicitur, vt conſtat ex vſu Breuiarij, & ex cap. *Dolentes*, & Celebrat. Miſſar. & Clem. 1. eodem: omiſſis ergo laudibus, ſex reliquæ partes ad diurnum officium pertinent, quicquid aliqui Canoniſtæ dicant, veſperam, & cõpletorium, vel etiam primam ſub nocturno officio computantes, ſine vllo fundamento, vt ſupra attigi, & ex ſequentibus apertius conſtabit.

S. Bened. Cap. Dolentes. Clem. 1.

2. *Sex ſunt diurni officij partes, & ex illis Tertia Sexta, & nona celebriora ſunt apud Patres & ſcripturã. Act. 3. & 10. S. Marc. 15. Daniel. 6. S Clemen. S. Baſil. Hieron. Benedict. S. Iſidor. Athanaſ. Cyprian.*

Ex illis ergo ſex partibus tres videntur eſſe celebriores, & notiores apud antiquos Patres, ſcilicet. Tertia, ſexta, & nona. Nam in primis hæ horæ ſub his nominibus peculiariter notatæ ſunt in Scriptura tanquam horæ orationis, vt ſupra notauimus, ex Actor. 3. & 10. & Marci 15. & Daniel. 6. Deinde vbicumque antiqui Patres diurnas horas indicant, has in primis nominant, vt videre licet in Clemente, Baſil. Hieronym. Benedicto, Iſidoro, & aliis. Tertio hæ horæ ſunt à Deo quaſi ſanctificatæ, & conſecratæ peculiaribus myſteriis: nam hora tertia Chriſtus ad crucem damnatus eſt, & ideo in ea ſpecialiter precandum eſt, vt dixit Clemens libr. 8. Conſt. cap. 34. & eadem hora Spiritus ſanctus deſcendit, & ideo ait Ruper. lib. 10. de Diuin. offic. cap. 18. illuſtriorem eſſe cæteris: ſexta hora Chriſtus Dominus crucifixus eſt, & ideo peculiari oratione conſecrari debuit, vt Athan. libr. de Virginit. & Cyprian. libr. de Orat. Domini notarũt. Denique vt idem Patres, & multi alij ſcriptum reliquerunt, hora etiam nona peculiari oratione conſecrata fuit, quia per totam illam Dominus in cruce pependit, & illa expleta, expirauit.

3. *De hora Veſperarũ eiuſque myſtica inſtitutione. Pſal. 54. Pſal. 140. S. Ioan. Chryſoſt. S. Hieron.*

Præter has, veſpertina hora eſt etiam ſatis nominata pro munere orandi, & in Scriptura, & in Patrum antiquitate. Nam huc ſpectat illud Dauidis, Pſal. 54. *Veſpere, & mane & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meã*: & Pſal. 140. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Vbi Chryſ. notat, ob hũc verſiculum pſalmum illũ ſolitum fuiſſe dici ſemper in officio veſpertino: cuius meminit etiam ipſe Chryſ. Ho. 59. ad Populum, & aliis locis. item Hieron. Epiſt. 27. & aliis locis ſupra citatis: Iſidor. item, & alij, ac denique Conc. Laodic. c. 18. ante mille ducentos annos preces in veſpera, ſicut in nona recitari præcipit. Habet autem hæc hora fere eaſdem rationes myſticas ſuæ inſtitutionis, quas habent reliquę: nobis illa ſufficit, quod illa hora Chriſtus Dominus de cruce depoſitus creditur: addunt alij etiam per illam orationem in memoriam reuocari myſteria cœnę Domini quę in illa hora inchoata eſt. Proprie autẽ, & moraliter loquendo, hæ quatuor horæ Diuinæ videntur inſtitutæ ad conſecrandum totum diem publicis Dei laudibus, & orationibus. Vt, ſicut Matutinum officium in tres nocturnos, & laudes diſtributum pro tota nocte, ſeu pro quatuor vigiliis noctis inſtitutum eſt: ita quatuor iſtæ horæ Diuinæ pro quatuor ſtationibus, ſeu principalibus partibus diei artificialis conſecratæ cenſeantur.

S. Iſidor. Concil. Laodic.

4. *De Prima, & completorio.*

De prima vero, & Completorio, earumque antiquitate non eſt tam certa notitia. Et ratio ambiguitatis fuiſſe videtur, quia licet in ſcriptura, & Patribus frequens habeatur mentio orationis faciendæ ad auroram, ſeu mane, vel circa ortum ſolis, & ſimiliter de oratione facienda ad ſolis occaſum: nihilominus quia laudes ad auroram etiam dicuntur, & ſimiliter veſperæ, iuxta nomen ſuum, occidente ſole dicuntur, ideo dificile eſt diſcernere in antiquis Patribus, an loquantur de prima, & Completorio, vt de horis à laudibus, & veſperis diſtinctis, nec ne: nam poſſunt facile eiſdem vocibus ſignificari. Sicut patet ex verbis Dauid. Pſalm. 54. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, &c.* Vbi vnica voce declarat veſpertinam, & matutinam orationẽ, quæ per laudes, & veſperas ſufficienter poſſet expleri. Et ita ponens Dauid extremas partes diei cum medio, totum diem comprehendit, iuxta illud Pſal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*: quod per ſingulas orationes illorum temporum ſufficiẽter expletur: & ita poteſt intelligi illud Pſal. 129. *A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino*: & illud Pſa. 33. *In matutinis meditabor in te.* Hinc Radulph. de Canon. obſer. propo. 14. dixit, has horas non fuiſſe à principio diſtinctas, ſed poſtea fuiſſe additas, Marcell. etiam li. de Hor. Canon. c. 14 credit, Patres antiquiores Caſſiano loquentes de oratione matutina, vel ſummo mane facienda, non loqui de hora diſtincta à laudibus, propter locum Caſſiani ſtatim referendum. At verò Durant. li. 3. de Ritib. c. 7. exiſtimat, non minus antiquam eſſe primæ inſtitutionem, & à temporibus Apoſtolorum quam tertiæ, atque aliarum.

Pſal. 54. Pſal. 33. Pſal. 129. Pſal. 33. Radulph. Marcell. D. Iſidor. Durant.

5. *Caſſianum ſentetia, Primam in ſuo monaſterio habuiſſe originem atque adeo à laudibus diſtinguit.*

Videamus ergo in primis, quod Caſſianus referat, & poſtea videbimus, quomodo cum aliis antiquioribus Patribus conuenire poſſit. Caſſianus igitur lib. 3. de Inſtit. renun. capit. 4. in principio ſic inquit: *Sciendum tamen, hanc matutinam, quæ nunc obſeruatur, occiduæ maxime regionibus, Canonicam functionem noſtro tempore, noſtroque monaſterio primitus inſtitutam.* Loquitur autem (vt ſtatim declarat) de quodam monaſterio Bethlehemitico, in quo ipſe religioſum ſtatum ſuſceperat. per matutinam autem orationem, primam à laudibus diſtinctam intelligit, vt omnes fatentur, & ex contextu conſtat. Nam in fine capitis tertij dixerant de Matutina, in qua dicitur pſalmus, *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo*, qui in laudibus dicitur, in quarto autem capite refert, fuiſſe conſuetudinem conſummandi illam matutinam paulo poſt nocturnos, & ceſſandi ab horis vſque ad tertiam, vnde fiebat, vt clerici, vel monachi toto illo tempore ſomno torperent, & ideo decretum eſſe, vt ad ortum ſolis alia matutina hora diceretur, quæ non poteſt eſſe, niſi prima. Vnde etiam addit fuiſſe compoſitum ex tribus Pſalmis, & orationibus inſtar tertiæ, & aliarum, & per illam fuiſſe completum, quod Dauid, ait, *Septies in die laudem dixi tibi*, quaſi

Digitized by Google

quaſi antea numerus ſeptem horarum cõpletus nõ eſſet. Eſt ergo clarum teſtimonium Caſsiani, cui *S. Iſidor.* ſimpliciter fidem adhibet Iſidor. lib. 2. de Diuin. *Concil.* offic. c. 23. & Iſidori ſententiam refert ac recipit *Aquiſgr.* Concil. Aquiſgran. 1. cap. 129. De Caſsiano enim dubitare non poſſumus, quin ex animo, & formaliter, vt ſic dicam, veritatem retulerit. Clarum etiam videtur non potuiſſe decipi in eo, quod affirmat in ſuo monaſterio Betlehemitico morem illum ſuo tempore fuiſſe introductum, quia de hoc potuit eſſe teſtis ocularis, & vt talis videtur id referre: idem videtur de eo, quod ſtatim ſubiungit morem illum de Oriente in Occidentem fuiſſe propagatum: nam potuit ipſe in Monaſterio, quod in Gallia inſtruxit, morem illum inducere, & inde fortaſſe ad alia propagari. Et idem potuit in Oriente contingere: idem tamẽ refert in multis antiquiſſimis monaſteriis Orientis non fuiſſe morem illum receptum, quia vetuſtiorem modum, ſeu regulam obſeruare volebant. Potuit autem decipi Caſsian. exiſtimans morem illum ante inſtitutionem illius monaſterii nullibi obſeruatum fuiſſe. Et hoc oportet examinare, & conijcere ex verbis antiquorum Patrum, & aliis coniecturis.

6. *Antiquitas & diſtinctio Primæ autoritate formatur Græcorum Patrum Athanaſ.*

Primo ergo de Eccleſia Græca, ſeu moribus Orientis ex Patribus Græcis ſumenda ſunt teſtimonia. Ex quibus Athan. lib. de Virginit. ſic ait: *Oriens ſol videat librum in manibus*, & poſtea ſubiungit, *vt Tertia, Sexta, & nona oretur.* Videtur ergo in illis verbis loqui de libro Pſalterii ad dicendam primam. Hoc vero non cogit, nam in proxime præcedentibus verbis dixerat: *Meditare in Sacris Scripturis, habes pſalterium, pſalmos diſce.* & ſubiungit: *Oriens ſol videat librum in manibus*: vtique ad diſcendum pſalmos, vel meditandum, non ad primam recitandum. Magis videntur vrgere verba, quę in fine habet: *Matutino tempore pſalmum dicito: Deus, Deus meus ad te de luce vigilo*: vbi aperte de laudibus loquitur: & tamen ſubiungit: *Vbi diluculum fuerit, recitabis hunc pſalmum. Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* vbi aliam orationem in ortu diei faciendam ponit diſtinctam à laudibus, quæ non poteſt eſſe niſi prima. Nec refert quod pſalmus ille nunc etiam dicatur in laudibus, non potuit eſſe tunc alia inſtitutio: quod vero illa oratio, & hora recitandi fuerit diſtincta, clare videtur ex contextu conſtare. Fateor tamen ibi nõ loqui de publica inſtitutione, vel oratione, ſed dare conſilia, etiam priuate ſeruanda: magna vero inde coniectura fit, fuiſſe tunc illam conſuetudinem in publica oratione. Hoc item confirmat Baſil. in dicto cap. 37. Regul. fuſior. vbi loquens de precibus, quæ in conuentibus certis temporibus præſcriptæ erant, & ſolenniter, atque quotidie obſeruabantur, primo loco ponit *Matutinum*, per quod primam horam, quæ poſt totam noctem finita dicitur, plane videtur intelligere: tum ex ratione, quam ſubdit: *Vt primi animi, ac mentis noſtræ motus conſecrentur* Deo, *neque vllius rei cura ante aditum admos demus, quam nos in cogitatione de* Deo *oblectauerimus, ſicut ſcriptum eſt, memor fui* Dei, *& delectatus ſum. Neque corpus prius ad functionem muneris alicuius moueamus, quam illud fecerimus, quod dictum eſt: orabo ad te* Domine, *mane exaudies vocem meam, mane aſtabo tibi.* *Pſal. 5.* Hæc enim omnia propriiſsime de prima hora diei dicuntur, de laudibus vero non ita, tum quia poſt laudes non inchoabant ſtatim actiones diei, ſed redibant ad quietem, & ſomnum. Tum etiam quia poſtea numerat cæteras diei horas, vſque ad completorium, vt infra videbimus, & poſtea tractat de tempore dimidiæ noctis, ad orationem neceſſario. Et tandem ſubiungit. *Poſt anteuertendum diluculum eſt, & ad orationem ſurgendum*, vbi de laudibus clare loquitur, quæ ante ortum diei dicebantur. Ergo Matutinum illud, quod primo loco poſuit, erat hora diſtincta à laudibus, quam nunc primam appellamus, ergo iam tempore Baſilii erat illa inſtitutio in conuentibus Baſilii: ſiue ab ipſo inuenta fuerit, vt indicat, ſiue ex antiquitate vſurpata.

Venio ad Patres Latinos, ex quibus referri ſolet Hieronymus Epiſt. 7. ad Lætum dicens: *Aſſueſcat exemplo ad orationem nocte conſurgere, mane hymnos canere, tertia, ſexta, & hora nona.* Vbi Victori. *Mane,* primam interpretatur: & eſt veriſimile, non tamen diſſentit à narratione Caſsiani. Nam Hieronymus vix per quindecim annos Caſsianum anteceſsit, ille enim anno Domini 420. hic vero anno 435. obiiſſe leguntur: & vterque in Betleem religioſam vitam egit, Caſsianus iuuenis, vt ipſe teſtatur, Hieronymus autem ſenior, ergo potuit optime Hieronymus de prima hora loqui, etiam ſi in illo Betlehemitico monaſterio fuiſſet primitus inſtituta. 7. *Probatur idem ex Latinis Patribus. Hieron. Victor. Caſsian.* Additur præterea Ambroſ. lib. 5. Exame. cap. 14. & Serm. 43. dicens: *Quis ſenſum hominis gerens non erubeſcat ſine pſalmorum celebritate diem claudere, & adoriri?* *D. Amb.* Ita referunt hunc locum citati Auctores: tamen in Ambroſio non inuenio particulam illam, *& adoriri*, quæ ad rem præſentem faciebat. Et licet illam admittamus (quia videtur ab illo ſubintellecta in exemplo, quo vtitur,) adhuc poſſet reſponderi, per orationem, quæ in laudibus fit, illi ſatisfieri. Præterquam quod ibi non agit de horis Canonicis, ſed in vniuerſum de quacunque oratione in principio, & fine diei facienda. Maxime mouere poteſt locus Clem. 1. in lib. Conſtit. cap. 34. in quo Marcellus ſupra vult etiam primam cum laudibus confundere, ſed vim facit textui: ſic *Marcell. Clemen.* enim habet: *Precationes facite mane, tertia, Sexta, & Nona, & Veſpere, atque ad galli cantum.* Vbi per *mane* primam intelligo, non laudes: primo quoniam in oratione ſubiuncta ita explicatur: *Mane gratias agentes, quod illuminauerit nos Deus, nocte ſublata, & reddito die.* Quæ ratio propriiſsime ad primam accommodatur, ad laudes non item, quia & ante perfectam diem ordinarie abſoluebantur, & poſt illas ad quietem, & ſomnum reddebatur vſque ad ortum fere ſolem. Secundo, quia per orationem ad galli cantum laudes intelligere videtur: non pro ratione ſubdit, *quod ea hora nunciet aduentum diei ad facienda opera lucis*: quod proprie dicitur de illa poſtrema parte noctis, quæ diei eſt vicina, in qua laudes dici conſueuerunt, vel prope illam: vnde etiam iuxta communem partitionem noctis tertia vigilia ſolet gallicinium nuncupari, vt patet ex Iſidoro, *D. Iſidor.* Etymolog. capit. 31. & Hugo Vict. 2. de Offic. *Hugo.* Eccleſ. capit. 9. & ita poſſunt ſub illa oratione *Vict.* etiam Matutinum, ſeu nocturnus, aut nocturni comprehendi, quia vſque ad illam horam durabant, & paulo poſt laudes dicebantur: atque ita optime intelligitur mane in primo loco poſitum, eſſe orationem illam, quam nunc primam appellamus.

8. *Probabile eſt Primam ab Apoſtolis traxiſſe originem, atque adeo Caſsiano antiquiorem eſſe.*

Eſt ergo mihi valde probabile, primam eſſe antiquiorem, quam fuerit inſtitutio illa monaſterii Betlehemitici à Caſsiano commemorata. Et præſertim in Eccleſia Romana credo fuiſſe à tẽporibus Apoſtolorũ obſeruatam. Tũ propter auctoritatem Clementis: tum etiam quia in Eccleſia Romana ſemper fuit mos dicendi Matutinum cum laudibus continue & per modum vnius horæ, vt ſupra vidimus, & in ſequenti capite iterum dicemus. Non eſt autem veriſimile, caruiſſe vnquam Eccleſiam Romanam vel propria oratione pro principio, ſeu ortu diei, vel integro numero ſeptem horarum Canonicarum myſteriis pleno, & in Scripturis commendato. Quamuis autem hoc non ſit certum, ad huius horæ commendationem, ſufficit vniuerſalis conſuetudo, plus quam mille annorum. Vnde ſub

Benedict. Cap. 1. de Celebr. Miſſar. Ca. presbyter. Auguſt. Hieron. Concil. Cabilon.

nomine primæ illa hora commendatur in Regula Benedicti cap. 16. quæ in Iure Canonizata eſt in cap. 1. de Celebr. Miſſar. & cap. *Presbyter*, d. 91. ſub nomine etiam Auguſtini habetur in Regul. 2. Monachorum illi attributa: item in Regula Monachorum attributa Hieronymo cap. 33. & in Concil. Cabilon. 2. cap. 59. vt Iſidor. & alios recentiores omittam. Rationes item tam myſticæ, quam morales huius horæ Canonicæ ſatis multæ tactæ ſunt referendo teſtimonia Sanctorum Patrum: eſtque res ſatis nota, inſtitutionem fuiſſe ſanctam, & vtiliſsimam Eccleſiæ, & ideo neceſſe non eſt in ea commendanda immorari. Solum aduerto, Iſidorum ſupra pro ratione inſtitutionis huius horæ afferre, quod fuerit ad repræſentandã Chriſti Domini reſurrectionem. Id vero intelligendum eſt de reſurrectione, prout cœpit Eccleſiæ in Magdalena, diſcipulis manifeſtari, *orto iam ſole*: nam reſurrectio in ſe prius facta eſt, vt alibi tractauimus, vnde per laudes proprie commemoratur.

Iſidor.

De Inſtitutione, & antiquitate completorij.

9\. Similis difficultas ſupereſt de hora cõpletorij quia eius proprium nomen non videtur admodum antiquum, & res ipſa ſub alijs nominibus difficile diſcernitur ab hora veſperarum. Vnde in loco Clementis proximè citato nulla fit mentio completorij, vt patet ex verbis allegatis: neque in Caſſiano dicto lib. 3. c. 3. & 4. vbi de his horis tractat: nihilominus reſolutio eadem eſſe debet: nam etiam hæc hora eſt valde antiqua, & in Eccleſia Romana credendum eſt, nunquam defuiſſe, & per ſe ſpectata habet conuenientiſsimam inſtitutionem. Quam in primis ſignificauit Ambroſius dicto li. 5. Exam. capit. 12. argumentum ſumens ex auium cantu in noctis initio, & colligens *non eſſe concludendum diem ſine pſalmorum cantu*: Cyprianus etiam libr. de Orat. prius numerat illas orationis horas, & poſtea inquit. *Recedente item ſole, ac diſcedente, neceſſario rurſus orandum eſt*, vbi in primo verbo veſperas, in ſecundo completorium videtur intelligere: nam poſtea ponit nocturnas preces: Ambroſius etiam in lib. 3. de Virginibus inter alia tempora orandi ponit *horam incenſi*, pro veſperis & *cum pergimus cubitum* pro completorio. Pro qua hora cum alijs hymnos etiã compoſuit. Præterea, iſtam horam indicauit Baſil. dicta regula 37. vbi ſic prius ait: *Completo vero iam die gratiarum actio ſuccedat, &c.* vbi ſine dubio de veſperis agit, quæ completo die, eo tamen durante in vltima parte, vel hora eius dicebantur: ſubiungit vero ſtatim: *Iis autem primis ſe iam noctis intendentibus tenebris, ſequatur petitio vt quies, quã ſumus capturi, inoffenſa, & ab omni perturbatione, ac vitio libera ſit, qua hora etiam neceſſario recitari nonageſimus pſalmus debet*: quem nunc etiam in completorio dicimus: indicat ergo hanc horam, licet ſubobſcure: nam alio in loco illam prætermittit. Serm. 1. de Inſtit. monachorum: & ibidem aliqua tribuit veſpertinis horis, quæ nunc in completorio dicuntur, vt confeſsionẽ peccatorum, & petitionem veniæ pro commiſsis culpis allegando pſal. 4. potuit ergo in hoc eſſe varietas. Simile argumentum poteſt ſumi ex Caſſiano: nam dicit per adiectionem primæ fuiſſe completum numerum ſeptem horarum, quod non ita eſſet, ſi deeſſet completorium. Sed hoc argumentũ non omnino cogit; quia fortaſſe nocturnos & laudes pro duabus horis computabat, iuxta ea, quę dicemus cap. ſequen.

Caſſian. Ambroſ. Cyprian. Ambr. Baſil. Caſſian.

10\. Sed quicquid ſit de particulari vſu huius, vel illius prouinciæ, aut Eccleſiæ loquendo abſolute de vſu Eccleſię non dubito, quin fuerit antiquior Caſſiano, & Baſilio, quia nõ videtur veriſimile, id quod Baſilius ordinauit fuiſſe nouum inuentum eius, ſed traditionem fuiſſe ſecutum. De Eccleſia autem Romana ſumo idem argumentum, quia nõ conſtat de initio, & Benedictus in ſua Regula expreſſam mentionem facit completorij. Et Iſidorus c. 21. de eadẽ hora loquitur, vt de re iam cõſtante, & antiqua. Ratio moralis eſt optima, vt per orationem præparemur ad noctẽ ſancte, & honeſte trãſigendã. Et ideo hæ duæ horæ, prima, & veſperæ, ſibi cum proportione reſpondẽt: aliæ enim ſunt propriiſsimè diurnæ, vel nocturnæ orationes, quę tempus diei, & noctis inter ſe diuidunt, & Deo conſecrant: hæ vero ſunt quaſi pro terminis, vel initiis diei, ac noctis. Et ideo ſicut per primam conſecrantur Deo actiones diei, ita per cõpletorium actiones noctis. Et ſicut in prima poſtulatur venia pro delictis in nocte cõmiſſis, ita in completorio pro perpetratis in die: & ideo in vtraque hora confeſsio dicitur, & in vtraque innocentia pro ſequenti die: vel nocte proponitur, & gratia ad illam poſtulandam poſtulatur. Vide Radul. lib. de Canonum obſeruat. propoſit. 14. *Radul.*

Benedict. Iſidor.

Capvt VI.

Quis numerus horarum Canonicarum ex dictis partitionibus reſultet, & quam antiqua hæc inſtitutio ſit.

Dvo ſunt in priori puncto certa. Primum eſt, horas Canonicas non eſſe pauciores, quam ſeptem, vt patebit facile ex earum numeratione: nam Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſperas inter ſe diſtinctas eſſe, notiſsimum eſt ex dictis: ſimiliter Matutinum, vt conſtat ex Nocturnis, & laudibus eſſe horam diſtinctam ab his manifeſte patet ex tempore, & modo, quo dicitur: denique primam diſtingui à laudibus, & completorium à Veſperis, in præcedenti capite oſtenſum eſt. quod autem diſtinguantur à cæteris horis, eſt per ſe manifeſtum, ergo ad minimum numerantur ſeptem horæ Canonicę. Idque magis ex dicendis conſtabit explicando vnde ſumenda ſit propria vnitas, & diſtinctio horæ Canonicæ. 1.

1. Aſſert. horæ Canonicæ nõ ſunt pauciores quam ſept.

Secundo certum eſt, horas Canonicas non eſſe plures, quam octo. In hoc conueniunt omnes Auctores ſtatim referendi. Et probatur, quia vltra horas numeratas non ſunt aliæ: illæ autem non poſſunt excedere numerum octonarium, ergo: maior conſtat ex omnibus Patribus, & Doctoribus de hac materia ſcribentibus, & ex vſu Eccleſiæ, & ex Breuiario Romano. Non poſſumus enim nos libere fingere horas Canonicas, præter eas: quæ traditæ ſunt: nobis autem tantum illæ numeratæ traditæ ſunt. Licet enim in Breuiario alia officia, vel preces, aut pſalmodiæ contineantur, tamen non ſunt horę Canonicæ, ſed interdum ſunt aliquid quaſi annexum prædictis horis, earumque numerum nõ augent. Huiuſmodi ſunt officium Beatiſsimæ Virginis, officium mortuorum, pſalmi graduales, pſalmi pœnitentiales cum litaniis, & ſi quid piam aliud huiuſmodi inuenitur. Hæc namque officia per ſe non ſpectant ad horas Canonicas, vnde infra oſtendemus poſſe horas Canonicas dici integre ſine his omnibus, & horæ Canonicæ antiquiores ſunt his officiis: nam horæ Canonicæ antiquiſsimę ſunt, vt vidimus, & paulo infra diſtinctius declarabimus: officium autem Virginis creditur inſtitutum ab Vrbano ſecundo in Concilio Claramontano, ante quingẽtos, & paucos annos, vt referũt Antoni. 2. p. hiſto. tit. 16. capit. 1. §. 23. Radulphus in libr. de Can. obſeruat. capit. 24. & Guillelm. Durant. in Rationali libr. 6. capit. 2. & eaſdem habet horas, quas officium Canonicum: & ideo non multiplicant illas, ſed eiſdem annectuntur, & cum eis dicuntur, vbi ex obligatione recitantur, vt infra videbimus. Idem eſt de officio defunctorum, quod veſperas habet, & Matutinum, de quibus eadem eſt ratio. Eſt autem hoc officium ſatis antiquum, & Eccleſię traditione, & inſtitutione ſatis probatum, vide Radul- 2.

2. Aſſert. horæ Canonicæ non ſunt plures quam octo.

Probatur auctoritate.

Anton. Radul. Guillel. Durant.

phum

Digitized by Google

phum loco proxime citato. Et de pſalmis pœnitẽtialibus cum gradualibus in propoſit. 21.conſtat enim eſſe laudabiles preces,& ab Eccleſia approbatas, & interdum ex obligatione dicendas, vt infra videbimus,non tamen eſſe horas Canonicas, ſed cum illis coniungi ad augmentum ſolennitatis,vel deuotionis, ſeu orationis. Minor vero, ſeu altera propoſitio,videlicet, quod dictę horæ non poſsint excedere octonarium numerum conſtat,quia tantum poſſunt Matutinum, & laudes in duas horas diſtingui, quæ cum aliis numerum octonarium ad ſummum efficiant.Hic vero occurrebat obiectio, cur tres nocturni, quando ſeparatim dicebantur, non poſſunt tres horæ Canonicę iudicari,quo poſito creſcet numerus horarum vſq; ad denarium, huius vero dubij reſolutio ex ſequẽtibus cõſtabit.

3. Itaque tota dubitatio eſt,an horæ Canonicę ſint ſeptem tantum, vel octo: & tota ratio dubitandi eſt, an matutinum, id eſt, nocturnus,ſeu nocturni (ita enim illa voce in hoc dubio vtimur, eſt enim ambigua, vt ex dictis conſtare poteſt,& paulo poſt dicemus)ſint hora diſtincta à laudibus, & vtraque ſit per ſe integra hora, nam quod vtraque ſit diſtincta à cæteris,clarum eſt. Prima ergo opinio affirmat,has eſſe horas integras,& inter ſe diſtinctas, & conſequenter horas Canonicas octo eſſe ſecundum primęuam,& antiquam inſtitutionem.Ita tenet Archidiac. in capit. *Presbyter*,91.d.& ibi Turrecrem.q.1.& Nauarr.in Enchir.de orat. capit. 3.nu. 27.nec diſſentit Anton.3.p.tit.13.capit. 4.in principio licet in 2. p.tit.9.capit.12.§.1.ſub diſtinctione,& obſcure loquatur.Pro hac ſententia inducunt Nauarr. & alij locum Eſdræ ſupra tactum, quod populus orabat quater in die,&quater in nocte:quod ſumpſerunt ex Beda ſtatim citando. Veruntamen ex hoc loco nihil colligi poteſt.Primo quia inScriptura non habetur particula illa *in nocte*: & ita inde nõ colligitur oratio aliqua nocturna, nedum quaternaria:verba enim ſunt: *Et conſurrexerunt ad ſtandum, & legerunt in volumine legis Domini Dei ſui, & quater confitebantur Domino, & adorabant Dominum Deũ ſuum*. In quibus verbis nulla fit mẽtio de quadripartita oratione, vel lectione in noctibus facta. Sed apertus ſenſus eſſe videtur, quod quater ſtabant in templo ad legendum (vtique per diem) & quater etiam confitebantur Domino, eiſdem,ſcilicet,temporibus ſucceſsiue, ſeu reſpectiue, quia finita lectione ſtatim adorabant,&laudabantDominum.Solum apud Bedam libr.3.expoſit.allegor.in Eſdram cap.28. inuenio additam illam particulam *In nocte*, & loco verbi *adorabant*, verbum *orabant*: & ita ipſe etiam vtitur illa accommodatione, licet nõ explicet,quæ ſint quatuor horæ noctis; ſed non eſt hoc admittendum, cum in ſacro textu non habeatur. Secundo, admiſſa illa lectione,difficile eſt accommodare illum numerum nocturnarum orationum ad horas Canonicas: dicere enim quis poterit illum quaternarium numerum compleri per tres nocturnos,&laudes,& conſequenter ſi inde colligitur pluralitas horarum,illas eſſe quatuor, & ita eſſe decem horas Canonicas, vel ſi nocturni ſunt vna hora,ſequitur vel primam, & completorium eſſe nocturnas horas, vel (vt alij volunt) veſperam, & completorium: nihil autem horũ cum probabilitate dicitur.

1. Opinio afferens Matutinũ eſſe horam integrã,& à Laudibus diſtinctã atq; adeo octo eſſe horas.
Archid. Turrecr. Nauarr. Anton. 2.Eſdr.9.
Probatio eluditur 1.
Refutatur 2.

4. Maiori cum veriſimilitudine fundatur hæc ſententia in capit. *Presbyter*. d. 91. & capit.1. de Celebr. Miſſ. adiunctis verbis Pſalmi 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, aperte enim exponuntur ibi hæc verba de die artificiali, & impleri dicũtur eadem verba in Eccleſia per ſeptem horas diurnas, quæ ibi numerantur à Matutino(id eſt, laudibus)vſque ad completorium: & poſtea ſubiungitur: *Nam de nocturnis vigiliis, ab eodem propheta dictum ibidem eſt, media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*: quaſi dicat per nocturnos pſalmos hoc poſterius impleri. Ergo præter ſeptem diurnas horas ponitur oratio nocturna tanquam hora diſtincta, ac ſubinde numerantur octo horæ.Et inde fortaſſe factum eſt,vt fere omnes antiqui, & graues ſcriptores Eccleſiaſticorum officiorum ſeptem numerent horasCanonicas, & præter eas addant vel nocturnale officium, vt loquitur Amalar.libr.4.capit.2.& libr.de Ordin.Antiph.cap.7.vel nocturnas vigilias,vt Raban.lib. 2.de Inſtit.clericor.capit.3.& ſequentib.& Rupert. lib. 1. de Diuin.offic.& apertius Radulph. de Canonum obſeruatione, propoſit. 14.octo horas vocat.Et eodem modo loquitur Hugo Victor. in Specul.Eccleſ.capit.3.& libr.de Eccleſ.offic.capit. 1. & 9. Ratione tandem confirmatur, quia nocturni, & laudes habent propria initia horarum, qualia eſſe ſolent in horis diſtinctis, & hymnos diſtinctos, & laudes habent ſuam propriam lectionem,ſeu capitulum, & alia omnia, quæ ad integritatem horæ in quacunque alia reperitur. Eſt etiam ſufficiens diuiſio nocturnorum à laudibus, maxime ſecundum antiquam conſuetudinem, quando non ſolum tempore ſeparabantur, ſed etiam nocturni propria oratione concludebantur:ſicut nũc etiam in nocte Natalis Domini fieri videmus,ergo & inter ſe habent ſufficientem diſtinctionem, & vnaquęque habet per ſe,quicquid ad rationem integræ horæ neceſſarium eſt. Nec videtur referre, quod iam nunc in conſuetudinem abierit, vt laudes immediate poſt nocturnos dicãtur, nulla oratione,vel proprio fine,ſeu termino Matutinũ claudendo: id enim accidentarium eſt, ſemperque retineri poteſt antiqua inſtitutio, quotieſcunque voluerimus illa vti,ſemper ergo illæ horæ ſecundum ſe diſtinctæ ſunt, licet per accidentalem vſum per modum vnius dicantur.

Probatur eadem ſententia ex Tribus. cap. De Presbyt. Cap. 1. De Celebrat. Miſſa. Pſal. 118. Ibidem.
Amalar. Raban. Rupert. Radul. Hugo. Vict.
Probatur ratione.

5. Et ex hac ratione ſoluuntur præcipuæ obiectiones, quæ contra hanc ſententiam fieri ſolent: vna eſt ex loco illo pſalmi, *Septies in die &c.*& ex omnibus myſteriis, & rationibus,quæ in ſeptenario numero conſiderantur,de quibus ſtatim dicetur,quę omnia euertuntur augendo numerum. Alia obiectio eſt, quia ſi laudes ſunt hora diſtincta à nocturnis, eadem ratione nocturni etiam inter ſe erunt horæ diſtinctæ,quia temporibus diuerſis ex ſua inſtitutione dicebantur, & ita erit denarius horarum numerus. Ad primum vero ex dictis reſpondetur, verba illa intelligi de die lucis, ſeu artificiali, & ita ſeptenarium numerum ad orationem diurnam in tota ſua amplitudine ſumptam applicandum eſſe, & in illa oratione habere locum omnia myſteria, quæ in ſeptenario numero conſiderantur, & ita ex hac parte nihil diminui.Ex alia vero augeri,ſeu addi poſſe myſteria quæ in octonario orationum totius diei naturalis facile conſiderari poſſunt. Nam etiã octonarius numerus perfectus eſt,& vt Ambr. alias notat; *Pro octaua multi inſcribuntur pſalmi, & mãdatum accipis octo illis partem dare*. Et per octauum numerum æterna requies ſignificari ſolet.Ad alteram vero obiectionẽ negatur ſequela, quia primus nocturnus non habet proprium finem vnius horę, ſed quaſi ſuſpenſus manet:ſecundus vero neq; initium,neque finem horæ diſtinctę habet,tertius autem initio proprio caret; & propriam clauſulam, ac terminum habere poteſt: & ideo eandem horã conficiunt,vno principio,& vno termino clauſam. Adde non ſatis eſſe certum, iuxta primam inſtitutionem nocturnos inſtitutos eſſe, vt ſeparatim diſtinctis temporibus dicerentur. Eo vel maxime, quod ſępe nocturnum illud officium vno nocturno concluditur,qui continue dicitur,quando ergo propter maiorem ſolennitatem tres dicantur, per modum vnius horæ dicũtur, etiamſi diuerſis temporibus dicantur ad augmẽtum ſolennitatis. Nam ſola temporis interruptio in his rebus moralibus

Solutio argum quæ contra hanc opinionem fieri poſſunt. 1. 2.
Reſpõſ. ad 1.
Ambr.
Reſpõſ. ad 2.

non ſufficit ad tollendam vnitatem, quando alias eundem quaſi fluxum, & ſucceſsionem habet licet diſcretam, ſic enim vocatur vnus motus diſcretus Angeli: & fluuius diceretur vnus, ſi ab eodẽ fonte, eadem via flueret, etiamſi non continue, ſed certis quibuſdam horis eodẽ tenore manaret, atq; flueret. Secus vero eſt de laudibus, quæ proprium initium, compoſitionem, & terminum habent.

Oppoſita ſent. quæ Canonicas horas ſeptẽ eſſe ſtatuit certa & communior eſt Probatur auctoritate. Gloſſa. Cap. Presbyter. Clem. 1. Innoc. Hoſtienſ. Panor. Ioan. And. Syluẽſt. Angel. Tabien. Concil. Cabilon. 2. Cap. Dolentes & Clem. 1. de Reliq. &c. Fundamentalis ratio.

6. Nihilominus communior ſententia eſt, tantum eſſe numerandas ſeptem horas Canonicas, quę adeo eſt vulgo, & communi modo loquendi totius Eccleſiæ recepta, vt priorem omnino audiendam non eſſe cenſuerit Sot. lib. 10. de Iuſt. qu. 5. art. 4. tenentq; Gloſſa, & Doctores Canoniſtæ communiter in dicto capit. *Presbyter*, d. 91. & capit. 1. de Celebr. Miſſar. & Clemen. 1. eodem, Summiſtæ etiam ver. *Hor.* Syluest. Angel. Tabien. &c. Et fauet Concilium Cabilonen. 2. ſub Carolo Magno capit. 59. vbi ſeptem horæ numerantur tantum. Sex à prima vſque ad completorium incluſiue, & Matutinum, qua voce ſignificatur ibi vna hora conſtans ex nocturnis, & laudibus. Quę ſignificatio eſt in iure magis vſitata, vt conſtat ex capit. *Dolentes* de Celebr. Miſſar. & ex Clem. 1. de Reliq. & venerat. Sanctorum, & nunc eſt receptiſsima in Breuiario Romano, & reliquis, ſecundum illam communiter in eiſdem Breuiariis ſeptem tantum horæ numerantur. Et hoc eſt vnicum huius ſententiæ fundamentum, quia non ſunt plures horæ Canonicæ, quam à Romana Eccleſia ſunt inſtitutæ: ſed hæc ſunt tantum ſeptem, ergo. Maior patet, quia hæ horæ habent ſuum eſſe ab inſtitutione Eccleſię, ergo & numerum. Minor vero conſtat, quia inſtitutio horarum in Breuiario continetur, & in illo tantum eſt ſeptenarius numerus. Confirmatur, quia de his rebus moralibus loqui debemus iuxta communem, & vſitatum morem, ſed tota Eccleſia ita loquitur de ſeptem horis Canonicis, ergo. Tandem addi poſſunt congruentiæ, namq; ſeptem horæ cenſeri poſſunt inſtitutæ, vt ſeptem petitionibus orationis Dominicę reſponderent; vnde omnes congruentiæ, quæ pro illo ſeptenario numero adductæ ſunt, hic accommodari poſſunt. Item accommodatur hic numerus ſeptem diebus creationis mundi, vt per illas horas perfecte gratiæ agantur pro illo beneficio: vel magis correſpondere cenſentur beneficio redemptionis: nam per has horas commemorantur ſeptem præcipua tempora, & myſteria paſsionis, mortis, & reſurrectionis, vel etiam Incarnationis, & Natiuitatis Chriſti Domini, nam media hora noctis prius Incarnatus, & natus eſt, & poſtea ludibria magna paſſus; circa auroram prius continuauit paſsionem ſuam, & poſtea reſurrexit, in ortu ſolis forte prius flagellatus eſt, & poſtea reſurrectionem ſuã manifeſtare cœpit. Hora tertia condemnatus ad crucem eſt, ſexta crucifixus, nona obiit, veſpera prius myſteria cœnæ perfecit, & poſtea die ſequenti depoſitus eſt de cruce, & hora cõpletorij forte prius comprehenſus eſt, & poſtea quieuit in ſepulchro, de quibus multa videri poſſunt in citatis auctoribus, quæ in ſummam redigit Gloſſa in c. 1. Celebr. Miſſar. ſiquis autem recte cõſideret; tam facile poſſunt hæc myſteria accommodari ad octonarium numerum, ſicut ad ſeptenarium. Addendum vero eſt, omnes nocturnas Chriſti paſsiones poſt comprehenſionem eius, per modum vnius paſsionis continuæ peractas fuiſſe ſine notabili diuiſione, aut myſterio aliquarum actionũ, & ideo per vnam horam nocturnam magis extẽſam repræſentari, ſiue illa ex ſolis nocturnis, & laudibus, ſiue ex ſolis nocturnis conſtare dicatur.

Confirmatio ex Eccleſiæ more, & aliis cõgruentiis.

Gloſ. c. 1. de Celebr.

Media opinio concedit antiquæ conſuetudini

7. Propter vtriuſque opinionis fundamenta alij Doctores diſtinctione vtuntur, dicuntq; olim fuiſſe octo horas Canonicas, quando nocturni propria oratione concludebantur, & laudes poſtea diuerſo tempore dicebantur; quia hoc probant motiua primæ opinionis: & ita tunc fuiſſe ſeptem horas diurnas, & vnam tantum nocturnam: at nunc duas horas nocturnas, ſcilicet, & primam diurnam in vnam nocturnam coaluiſſe, & ſic iam tantum eſſe ſeptem, vnam noctis, & ſex diei, vel vnam noctis, & quatuor diei, & duas duorum crepuſculorum. Ita fere Turrecr. in reg. S. Benedicti, tract. 73. & in dicto c. *Presbyter*, 91. d. & ſequitur Azor. li. 10. c. 1. & fauet Hugo Vict. lib. 2. de Eccleſ. offic. ca. 2. qui ait, nunc nõ dici orationem in fine nocturnorum, quia non ſeparantur à laudibus, ſed coniunctim, & per modum vnius dicuntur. Et cap. 9. poſt relatam antiquam conſuetudinem: ſecundum quam erant octo horæ, ſubdit: *Noſtra autem conſuetudo humana parcens infirmitati, & labori, officio prædicto* (id eſt, nocturnis) *laudes matutinas continuat, & oratione vna, duo claudit officia*: vtrũq; in vnum illa redigens. Hanc fere diſtinctionem ſequitur Marcell. cap. 6. n. 15. licet aliter illam explicet: ait enim, apud Monachos octo eſſe horas Canonicas, & non ſeptem, quia ſeparant omnino nocturnos à laudibus, & propria oratione illam nocturnam horam concludunt. Et alias faciunt quaſi propriam matutinam, inchoantes laudes, quando ſtella matutina oriri ſolet. At iuxta Romanæ Eccleſiæ morem horas Canonicas eſſe ſeptem, contraria ratione. Iuxta quam diſtinctionem oportet, vt hi auctores fateantur in die ſaltem Natiuitatis Domini octo horas Canonicas à Romana Eccleſia decantari, quia tunc nocturni antiquo more à laudibus ſeparantur, & propria concluduntur oratione.

octenas præſenti vero ſeptenas horas.

Turrecr. Azor. Hugo. Victor.

Marcell.

8. Vrget etiam contra diſtinctionem hanc textus ille in c. 1. de Celebr. Miſſar. nam in eo ſeruatur diſtinctio octo horarum Canonicarum; & tamen editus eſt iuxta inſtitutionem Eccleſiæ Romanæ, & iuxta conſuetudinem, quæ nunc ſeruatur, nam tẽpore Gregorij noni auctoris Decretalium, eadem conſuetudo quoad hoc in Eccleſia Romana ſeruabatur. Vnde in illo textu declarando mire laborãt Canoniſtæ, quorum opiniones refert Marcell. & bene confutat, & ideo eas omitto, non enim ſunt probabiles: ipſe autem Marcellus obſcure ſatis nodum ſoluit, ita vt vix intelligatur. In ſumma vero dicere videtur, non ideo poſt ſeptem horas ibi fieri mentionem vigiliarum noctis, quia ſint hora diſtincta à Matutino (quin imo putat, Matutinum ibi non laudes tantum, ſed totam horam compoſitam ex Nocturnis, & laudibus ſignificare) ſed quia nominata fuerat illa hora ab vltima parte illius, & ita ſolum implicite erant vigiliæ noctis comprehenſæ, ideo putat explicatum eſſe nocturnis vigiliis compleri, quod à Dauid dictum fuerat: *Media nocte ſurgebam, &c.* Sed ſiquis conſideret vnde textus ille deſumptus eſt, facile intelliget, conſiderationem illam non eſſe ad ſenſum verborum, neque conſequenter propoſitam, iuxta diſtinctionem ab eodem auctore datam: ſumpta enim ſunt verba illius textus ex regula Monachorum S. Benedict. capit. 16. vt dictum eſt, & omnes fatentur; ibi enim habentur, & non in aliquo Concilio Agathenſi, quod in titulo ponitur, ſed iuxta inſtitutum Monachorum (vt ille auctor fatetur) horæ Canonicæ octo ſunt: & vox hæc *Matutinum*, ſolas laudes ſignificat, & non compoſitam horam ex illis, & nocturnis; (& ſine dubio illa fuit primæua impoſitio illius vocis) ergo in illo etiam textu hoc ſignificant illa verba. Vnde neceſſario fatendum eſt, Pontificem ibi vſurpando regulam Monachorum, iuxta eorum morem fuiſſe loquutum. Non tamen propterea voluiſſe illas preces tanquam horam diſtinctam ponere, iuxta morem Eccleſiæ Romanæ: ſed tantum voluiſſe clare docere, eſſe dicendas, ſiue ſint hora diſtincta, ſiue non.

Obiectio contra propoſitã ſententiã in quantum octonarium horarum antiquatum, & exoletum eſſe aſſerit.

Solutio obiectionis.

Benedict. Concil. Agath.

Hæc vero controuerſia tota videbitur eſſe de 9.

nomine,

Digitized by Google

Conceditur licere diuidere laudes à nocturnis tā in oratione publica, quā priuata, niſi res nouitas officiat.

nomine, niſi moralem aliquam vtilitatem, & doctrinam afferat. Item, vt firma poſſet eſſe doctrina oporteret prius explicare, quid requiratur ad vnitatem vnius horæ Canonicæ, & pluralitatem, ſeu diſtinctionem earum inter ſe, quod nullus ex dictis auctoribus declarat, & ita nullum conſtās fundamentum aſſerunt: moralis ergo quęſtio hic ſolū eſſe poſſe videtur, an Matutinum, vt conſtans ex ſolis nocturnis, & laudibus ita diſtinguatur à Laudibus, vt poſsit licite ab illis ſeparari, & per ſe dici, ac concludi tanquam hora diſtincta. Et quoad hoc cenſeo veram primam opinionem ſimpliciter, & ſine diſtinctione temporum; & rituum monachalium, aut clericalium: quamuis non negauerim in modo publice dicendi officium in choro, ſeruandam eſſe conſuetudinem vniuſcuiuſque Eccleſiæ. Itaque ſecundum primæuam inſtitutionem licitum fuiſſe, hoc modo ſeparare illa officia, certum eſt: exiſtimoque non tantum Monachis, ſed etiam Clericis in ſuis Eccleſiis licuiſſe, quia non conſtat, de contrario præcepto, vel conſuetudine vniuerſali, & alioqui res per ſe bona erat, & habebat conuenientem inſtitutionem. Confirmatur ex Amalar. ſupra referente, cum Romæ eſſet, interrogaſſe de conſuetudine Eccleſiæ Romanæ in hoc ritu, & ibi intellexiſſe, ſine interruptione fuiſſe ſolitas dici laudes poſt nocturnos. Ex hac enim narratione colligo, illam conſuetudinem neque notam fuiſſe, neque vbique obſeruatam. Diuidere ergo Matutinum à laudibus, generatim loquendo ſemper licuit ex vi primæuæ inſtitutionis. Quod autem etiam nunc liceat, conſtat ex communi conſuetudine, præſertim extra chorum, vt notauit Nauarrus ſupra dicto capite 13. numero 64. nullus enim doctus, & timoratus de hac diuiſione, ac ſeparatione laudum à nocturnis ſcrupulum format. Imo addit Nauarrus ſi anticipatio, vel diuiſio facienda eſt, melius eſſe in principio noctis dicere nocturnos, & relinquere laudes pro Matutina hora, quam laudes ſimul cum nocturnis anteponere. Item cum hæc ſit primæua inſtitutio, reductio ad illam, per ſe loquendo bona eſt, cum nulla ſit aperta prohibitio in contrarium.

Amalar.

Nauar.

10. *Obiectio proponitur & ſoluitur.*

Dices; Hac ratione probaretur etiam eſſe licitum diuidere nocturnos. Reſpōdeo primum non ita conſtare de conſuetudine dicendi ſeparatim nocturnos ſicut laudes. Deinde, non eſt nunc conſuetudo ſeparādi Nocturnos, ſicut eſt de laudibus pro ſolo arbitrio, & voluntate. Denique dico, interdum etiam poſſe licere in Nocturnis interponere aliquod tempus inter vnum, & alium nocturnum, eſt tamen differētia: quod in Nocturnis non videtur id licere, niſi ex aliqua iuſta cauſa, ſaltem ſine culpa veniali: in laudibus vero nulla eſt cauſa neceſſaria, ſed per ſe id licet, quia eſt multum conforme inſtitutioni. Hæc autem maxime procedunt in priuato recitandi modo: nam in choro cōſuetudo ſemel introducta, & approbata, videtur ſeruanda, quia nouitas, aut varietas in his ritibus publicis, non poteſt fieri priuata auctoritate. Alioqui facile ſequentur perturbationes, & ſcandala: plus enim offendet nouitas, & mutatio, quam poſſit prodeſſe obſeruatio antiqui ritus, quantumuis bonus videatur: & ideo in choro nocturnale officium, nec propria oratione finiēdum eſt, nec à laudibus ſeparandum, niſi vbi publica conſuetudine obſeruatur, vel vbi regulæ ipſæ Breuiarij admonent; ſolum autem id fieri iubent in nocte Natalis Domini, & ideo tunc tantum fieri poteſt in choro iuxta commune ius.

11. *Cuiuſq; horæ vnitas ex eo ſumitur quod pro priū princi-*

Hac vero reſolutione ſtante, ſolum de nomine videtur eſſe quæſtio, an hæ horæ dicendę ſint vna, vel duæ, hoc, vel illo modo dictæ. Si vero ad normam philoſophicam vel metaphyſicam hoc definire voluerimus; Probabiliter dicitur ad diſtinctionem, vel vnitatem horarum nō ſatis eſſe, quod tempore continuo, vel potius contiguo, aut per longæ moræ interruptionem dicātur. Nam veſperæ, & completorium, verbi gratia, diſtinctæ horæ ſunt, etiamſi tam in choro, quam extra frequentiſſime dicantur contigue, & ſine intermiſsione. E contrario vero licet contingat, pſalmos vnius horæ interrumpi tempore, non ideo definit eſſe vna hora, vt infra dicam: & de Nocturnis idem ſupra diximus. Igitur ſicut in Dialectica dicitur illa quātitas eſſe vna, & finita, quæ propriis terminis clauditur; ita hic moraliter dicitur illa hora eſſe vna, quæ proprium principium, & finem horæ Canonicæ habet, & inter hos terminos ſuam obtinet cōpoſitionem huic muneri accommodatam: & conſequēter omnem pſalmodiam cum reliquis adiacētibus partibus quæ ſub eodem initio dicitur, donec communi fine terminetur, vnam eſſe horam, etiamſi contingat non habere continuam, ſeu cōtingat non habere continuam, ſeu contiguam ſucceſsionem, ſed diſcretam. Iuxta quam regulam fatendum eſt Matutinum, vt nūc regulariter dicitur eſſe vnā horam: & olim apud Monachos vel alios, duas fuiſſe. Ac ſubinde nunc etiam dici poſſe ad modum duarum, vel reuera fieri duas. Quia nō eſt inconueniens, ea, quæ ſunt vnum, quando habent terminos cōmunes, diuidi, & fieri duo, ſi recipiant proprios terminos, & è conuerſo ex duobus fieri vnum per vnitatem in vno termino, ſeu per continuationē. Quia vero hæc moralia accipiunt denominationem ex frequētioribus, & magis communibus, & publicis, ideo nūc ſimpliciter dicitur Matutinum totum eſſe vna hora, & conſequenter omnes eſſe ſeptem, quia in publicis officiis ſemper & in priuatis frequentius ita dicuntur.

pium, & finem habeat.

12. *Proprius cuiuſque horæ finis eſt oratio.*

Nauar.

Hinc conſequenter infertur, cum talis diuiſio ſit, dicendam eſſe orationem in fine Nocturnorū, & conſequenter, Pater noſter, iuxta regulas Breuiarij. Ita docent communiter Nauar. & alij, & obſeruat Eccleſia Romana in nocte Natiuitatis. Ratio vero eſt quia tunc finitur Matutinum nocturnum, vt hora ſit ſe vna, & à ſequentibus diſtincta, ergo debet proprio termino, & fine claudi, proprius autem finis vniuſcuiuſque horæ eſt collecta, cui de more adiungitur oratio Dominica, ergo. Vnde recte infert Nauarrus ibidē, quando inchoantur laudes ſeparatim, præmittendam eſſe orationem Dominicam, & Angelicam more aliarum horarum, propter eādem rationem cū proportione applicatam, quia inchoātur, vt hora diſtincta, & per ſe vna.

13. *Hymnus Te Deum laud. pars eſt matutini non tamen vltima.*

Aliud vero dubium, quod ibidem tractat Nauarrus. An tunc dicendus ſit hymnus, *Te Deum laudamus*, in fine Nocturnorum, vel initio laudum, nullum dubium habet, quia dicēdus ſemper eſt in fine vltimæ lectionis ante collectam claudentem illam horā, ſicut fit in nocte Natiuitatis. Nec etiam dubitari poteſt, quin hymnus ille, quando dicitur, ſit pars vltimi nocturni: ſicut nonum reſponſoriū, quando dicitur, vel tertium etiam, quando vnus tantū nocturnus dicitur, eſt pars eiuſdem nocturni, vel tertij, vel vnici: nam loco illius reſponſorij in diebus feſtis, & in Dominicis non luctuoſis dicitur Te Deum laudamus, & ita eandem horam cōponit. Neq; obſtat, quod in c. *Conſuluit*, de Celebr. Miſſar. Innoc. 3. ait hymnum Te Deum laudamus, dici, vel omitti. *In laudibus matutinis*, in quo videtur ſupponere eſſe partem laudum: non (inquam) hoc obſtat, quia vtraque vox illa ambigua eſt: Matutinum enim vt ſupra diximus, interdū ſumitur pro ſolis laudibus, interdum pro ſolis nocturnis, interdum pro toto compoſito. Ibi ergo non accipitur in prima acceptione, quæ valde ąntiqua eſt, & nunc iam parum vſitata, & maxime iuxta morem Romanum. Poteſt ergo accipi tertio modo, qui vt etiā ſupra dixi, eſt valde vſitatus in Iure, & ſic clarum eſt, eſſe

eſt, eſſe partem totius Matutini. Poteſt etiam accipi ſecundo modo, & verum facere ſenſum. Nam nomen etiam laudum accipi poteſt, vt propriũ vnius horæ Canonicæ ab aliis omnibus diſtinctæ, & non oportet ibi accipi in hoc ſenſu. Poteſt item accipi vt eſt generale munus horarum Canonicarum, in omnibus enim laudes Dei decantãtur, & hoc modo laudes illæ, quæ in hymno continentur ad Matutinum officium pertinent, ſiue per ſe ſpectatum vt diſtinctum ab hora laudum, ſiue vt vnam horam cum illis componit.

Forma recitandi Diuini officium à Gelaſio. & Gregor. fuit inſtituta.

14. Atq; hinc facile poteſt expediri, quod ſecundo loco propoſitum eſt de antiquitate huius ritus, ſeu inſtitutionis iſtarum horarum. Quidam enim hãc inſtitutionem tribuunt Pelagio primo, alij Pelagio 2. alij Gregorio 1. alij Gelaſio, alij Damaſo. Multa vero poſſunt in hoc inſtituto diſtingui, ſcilicet ipſum officium Eccleſiaſticum abſolute ſumptum ſecundum ſe, & quaſi ſubſtantialiter, vel quoad formam, partitionem, & numerum horarũ, quam nunc habet, vel quoad præceptum, & obligationem dicendi illud, vel deniq; quoad modum dicendi illud cantando, aut aliter. Igitur quantum ad primum ex dictis ſatis conſtat, inſtitutionem antiquiorem eſſe, & à temporibus Apoſtolorum incepiſſe, vt ex Clemen. 1. Cyprian. Baſil. & aliis probatum eſt. Quantum ad ſecundum vero non habuit certum initium, ſed à principio incepit in aliqua forma, quæ nunc nobis non ſatis nota eſt, paulatim vero perfectum eſt vſque ad illam formam, quam nunc habet. Ita docent Vuald. dicto cap. 21. Radul. dicta propoſ. 14. Guilliel. Duran. li. 5. c. 2. Vualafrid. lib. de Reb. Eccleſi. c. 25. Smarag. in cap. 16. regul. S. Bened. & conſtat ex magna varietate, quæ in his horis recitandis in Eccleſia fuit, vt ex dictis intelligi poteſt, & ex Caſsiano libro ſecundo de Inſtit. ca. 4. & ex Niceph. lib. 12. Hiſtor. c. 34. Socrate lib. 5. ca. 21. Vnde etiam de Romano officio Pius V. in Bulla ſua ſic inquit. *Diuini officij formula pie olim, ac ſapienter à ſummis Pontificibus præſertim Gelaſio, ac Gregorio primis conſtituta. A Gregorio autem VII. reformata, ad priſtinam orandi regulam conformata, reuocatur.* De aliis vero duobus punctis, præcepto; ſcilicet, & cantu in ſequentibus capitulis dicendum eſt.

Clem. 1. Cyprian. Baſilius.

Vualden. Radul. Guilliel. Duran. Benedict.

Caſsian. Niceph. Socrat.

Gelaſ. Pap. Gregor.

CAPVT VII.

Vtrum modus dicendi horas Canonicas pſallendo, & cantando conuenienter in Eccleſia inſtitutus ſit?

Qui hæretici Canonicas horas, & maxime modũ illas decantandi damnauerint.

1. COmmemorat D. Auguſtinus libr. 2. Retractationum c. 11. Hilar. quendam Tribunitium laicum maledica reprehẽſione laceraſſe morem canendi hymnos, & pſalmos in Eccleſia aſſerentem fieri non oportere. Contra quem librum quẽdam ſe ſcripſiſſe refert, qui non extat. Nec de Hilario illo abſolute dicit reprehendiſſe cantum in Eccleſiaſtico officio, ſed morem, qui tũc eſſe, apud Carthag. cœperat, vt hymni ad altare dicerentur, ſiue ante oblationem, ſiue cum diſtribueretur populo, quod eſſet oblatum. At vero Vuald. & Vuicleph. & ſimiles hæretici, vel omnino vocalẽ orationem, vt præcedenti libro vidimus, vel ſpecialiter horas Canonicas, & maxime modum illas dicendi canendo reprehendunt. Eo quod vel videamur vociferari ad Deum, quaſi non poſsit ille aliter ſenſa noſtra percipere: vel quod fruſtra in eo munere tempus teratur, cum hoc munus nullius vtilitatis eſſe appareat: vel quod ſit contra Eccleſiaſticam libertatem hoc onus Clericis imponere, vel deniq; quod indecorum ſit Eccleſiaſticas perſonas in Eccleſiis publice canere. Hæc enim fere ſunt capita huius hæreſis, vt intelligi poteſt ex Vualdenſ. lib. 3. de Sacram. ca. 21. & ſequentibus, Caſtro, verb. *Hora Canonica*, & verb. *Oratio*, Durando, Bellarmino, & aliis, qui hunc errorem impugnarunt. Nos autem breuiter cum D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 12. & q. 101. art. 2. tria in hoc modo dicendi hoc officium diſtinguimus, vnum eſt, quod dicatur voce ſenſibili; ſecundum quod alta voce, quæ à plebe percipi poſſit, tertium quod canendo dicatur; & omnia hæc honeſta, & ſancta eſſe dicimus, licet nõ omnia fuerint æque neceſſaria. Vt autem hoc declaremus, ſupponamus, hãc orationem in perſona totius Eccleſiæ, fundi; & hoc ſenſu vocari per ſe publicam, & nihilominus reſpectu aliorum poſſe fieri priuatim, vt cum ſacerdos in ſuo cubiculo orat, & publice, vt quando pro aliorum vſu hoc officium in Eccleſia dicitur.

Caſtro. *Duran. Bellar. D. Thom.*

1. Aſſert De neceſsitate orationis vt ab Eccleſiæ miniſtris dicitur eſt, vt voce ſenſibili proferatur.

2. Dico ergo primo, de neceſsitate huius orationis, vt ab Eccleſiæ miniſtris dicitur, eſt vt voce ſenſibili proferatur, ita vt hoc ſit quaſi de ſubſtantia huius moralis actionis. Hæc aſſertio eſt Diui Thomæ dicto articulo 12. & omnium. Ratio in primis ſumenda eſt ex inſtitutione, quia ita eſt ab Eccleſia præceptum his, qui ex hoc officium perſoluere tenentur: obligantur enim ex vi illius legis non ſolum corde, ſed etiam voce orare, vt conſtat ex capit. 1. & capit. *Pollentes*, de Celebr. Miſſ. & Clem. 1. eodem tit. & infra latius dicetur: hæc autem lex in ipſa rei natura quodammodo fundata eſt, & ideo dicimus in hac oratione eſſe vocem quaſi de ſubſtantia, & eſſentia eius, quatenus per ſe publica, ſeu communis eſt. Quia cum Eccleſia ſit corpus myſticum ſenſibile, ac viſibile, non poteſt conuenienter orare per ſuos miniſtros, niſi aliquo ſigno ſenſibili ipſi exprimant orationem Eccleſiæ. Item Eccleſia non iudicat de interioribus actibus animæ, quia illos non cognoſcit, ergo nec communiter orare poteſt, niſi per ſigna, quę huic corpori Eccleſię poſſint eſſe nota; hæc autem ſigna in voce ſenſibili conſiſtunt: nam alia, quæ in ſcriptis, vel factis conſiſtere poſſunt, accommodata non ſunt, vt eſt per ſe notum. Confirmatur, quia talis oratio ſemper pręcepta eſt ab Eccleſiaſtica lege, Eccleſia autẽ non percipit actum mere internũ per ſe, ac nude ſumptum. Vnde non placet, quod Nauar. c. 20. n. 14. in Enchir. de Orat. ait, Diſputando ſuſtineri poſſe (licet ipſe non conſuleret) ea, quæ iubentur dici ſecrete in Miſſa, vel horis Canonicis, poſſe dici mentaliter, ſatisfaciendo præcepto. Hoc enim practice probabile nõ eſt, propter rationem factam, & quia nullo auctore, vel fundamẽto nititur, nec oportet præbere occaſionem introducendi nouos ritus.

D. Thom. Probatur. Cap. 1. Cap Pollentes de Celebr. Clem. 1.

Cõfirmatur.

Nauar.

2. Aſſert Priuata clerici oratio canonica ſatis eſt ſi dicatur ſubmiſſa voce.

3. Dico ſecundo: Quando Clericus priuatim orat, quia non tenetur pro vſu aliorum fidelium in Eccleſia publice recitare, tunc nõ eſt neceſſe alta voce orare per ſe loquendo, ſed ſatis eſt ſubmiſſa voce officium dicere. Ita Diuus Thomas, & omnes, & eſt per ſe notum, quia tunc nec ex natura rei, nec ex præcepto Eccleſiæ oritur obligatio altius orandi. Et in hoc modo orãdi verum eſſe poteſt, quod aiunt Cyprian. in expoſit. Orat. Domin. & Chryſoſtom. Homil. 13. Imperfect. in Matth. Annam ita ſubmiſſe orantem, *Vt vox penitus non audiretur.* 1. Reg. 1. fuiſſe typum Eccleſiæ modeſte, ac tacite orantis. Quamuis enim recte poſsit ad Eccleſiam referri, quatenus in ſuis membris multiplices priuatas orationes fundit, quia ſic tunc Anna orabat, tamen etiam adaptari poteſt ad Eccleſiam fundentem etiam communem orationem per miniſtros ſuos ſecrete orãtes quoad modum. Quia vt li. 1. c. 1. notaui, Anna non orabat mentaliter tantũ, ſed vocaliter, licet ſubmiſſe, non enim dictum eſt, *Et vox penitus non formabatur, ſed non audiebatur*: cum tamẽ labia mouerentur, potuit ergo eſſe typus Eccleſiæ. Neq; inde poteſt inferri, non poſſe Eccleſiã alio etiam modo orare, ſed ſolũ colligitur, hunc modum eſſe bonum, & conuenientem, quando aliunde ſpecia-

D. Thom. Cyprian. Chryſoſt. 1. Reg. c. 1.

Probatur ex Scriptura.

Digitized by Google

ſpecialis ratio, aut neceſsitas non occurrit: nam & Anna ipſa, quæ tunc ſic orabat, poterat honeſte, & ſanctè in aliis opportunitatibus aliter orare. Et ideo in aſſertione non dixi, non poſſe miniſtros Eccleſiæ, cum ſic orant, alte orare, ſi velint: ſed dixi non eſſe neceſſarium alta voce orare, quia ſubmiſſa ſufficit, liberum autem eſt vnicuique maiorem ſonum adhibere, ſi velit, & circumſtantiæ non occurrant, ratione quarum prudentia dictet, non eſſe hic, & nunc altius orandum, vel ne aliis impedimento ſimus, vel ne ſcandalum aliquod præbeamus, dum videmur deuotionem oſtentare, vel quid ſimile. Et in his caſibus intelligenda ſunt, quę contra clamoroſam orationem ſcribit Chryſoſt. Homil. 13. & 19. in Mat. loquitur enim contra eos, qui non recta fide, vel intentione illam affectant, & imprudenter, & vbique illa vtuntur, ac ſi clamor ille eſſet per ſe neceſſarius ad mouendum Deum, vel ad gloriam captandam, non vero ſimpliciter eam damnat, vt ex contextu ſatis conſtat.

Chryſ.

4. *In priuata oratione nō ſolum licet, ſed innatcātando recitare.*

Extra hos ergo caſus vnuſquiſque recitare poteſt alta voce, quantum ad excitandam deuotionem in ſe ipſo vtile iudicauerit. Neque incidet in reprehenſionem Baalitarum, vt hæretici calumniantur, quia non ſic orat ex falſa de Deo exiſtimatione, ſed quia homo ſenſibilis eſt, & ſenſibilibus ſignis permouetur, vt etiam in ſuperiori libro cap. 1. adnotaui. Quin potius etiam licitum eſt homini ſic oranti cantare, ſi velit, & locum habeat accommodatum, & inde magis ad deuotionem excitatur, quia hoc prohibitum non eſt, nec ex ſe habet talis actio, vnde reprehenſibilis ſit, vt ex quarta aſſertione cum proportione patebit. Item, quia in priuatis orationibus, quas vnuſquiſque ſua deuotione, & auctoritate recitat, licitum eſt cantu vti, ſiquis velit. Quod in antiquis, & deuotis fidelibus vſitatum fuiſſe, indicauit Tertullianus lib. 2. ad vxorem dicens: *Quid maritus illi, & quid illa marito cantabit?* & cap. 9. in fine: *Sonant inter duos pſalmi, & hymni, & mutuo prouocant, quis melius Deo ſuo canat.* Et libr. exhort. ad caſtit. c. 10. *Si pſalmum canit, placet ſibi.* Tota ergo hęc varietas licita eſt, etiam in ſecreta oratione etiamſi alioqui per ſe publica ſit, abſolute vero alta vox neceſſaria non eſt.

Tertull.

Solet autem quæri, quæ vox neceſſaria ſit, vel ſufficiat in huiuſmodi oratione. Duo enim extrema in hoc inuenio vnum eſt oportere tam altam eſſe vocem, vt ab aliis poſſit audiri. Ita ſentit Medi. q. 7. vbi non loquitur in particulari de recitantibus priuatim officium Diuinum, tamen loquitur abſolute de recitantibus ex obligatione, & indicat tam neceſſariam eſſe tantam vocis expreſsionem, quam eſt neceſſaria vox. Et poteſt pro hac ſententia citari D. Thom. dict. art. 12. Caiet. autem ibi declarat voces eſſe de præcepto, conditionem vero eius, vt audiri poſſit, eſſe dedecētia. Poteſt vero opinio Medinæ ſuaderi oratione ſupra facta, quia in hac oratione communi ideo vox eſt neceſſaria, vt ſit ſenſibilis reſpectu Eccleſiæ, non eſt autē ſenſibilis, niſi per auditum, debet ergo eſſe talis, vt ab aliis audiri poſſit. Alia ſententia extreme cōtraria eſt, ſatis eſſe vocem formare, labia mouendo, etiamſi à nemine, neque ab ipſomet proferente audiri poſſit: quia Eccleſia non præcipit quantitatem vocis, ſed tantum vt voce oretur, ergo ſi id fiat, ſufficit, nam quod à nemine ſentiri poſſit accidentarium eſt. Sed media via tenenda eſt: & primo diſtinguendum eſt, an quis recitet ſolus vel cum ſocio: nam ſi oret cum ſocio, tenetur quiſq; tam alte dicere, vt ab alio audiri poſſit, quia vnuſquiſq; tenetur dicēdo, vel audiendo totū officium explere: quamuis in hoc poſſit eſſe aliqua diuerſitas, quādo ſocius non tenetur ad horas canonicas recitandas, ſed voluntarie alium adiuuat: Tunc enim vt is, qui ex obligatione recitat, ſuo muneri ſatisfaciat, neceſſarium eſt, vt poſsit percipere, quæ alter dicit, & tunc licet ſocius abſolute non tenetur recitare, tamen ex ſuppoſitione quod vult alium iuuare ad penſum ſoluendum, debet ita dicere, vt alius percipiat, ipſe vero ſocius non tenetur tunc aliū audire, quia ſimpliciter recitare non tenetur (vt in caſu ſupponitur) & ideo neq; ex illo capite neceſſarium erit, vt alter tam alte recitet. Aliunde vero eſt moraliter neceſſarium, vt poſsit conuenienter officiū peragi, quia niſi ſocius audiat, non poteſt conuenienti tempore, aut modo reſpondere.

5. *1 Set aſſruens orationē vocalē quia eſt ex obligatione, voce aliis audibiū recitari oportere.* *Med. D. Thom. Caiet.*

Alia ſent. contraria, ſatis eſſe formare vocē, licet nō poſſit audiri. Azor. lib. 10. c. 11 q. 5. Media inter vtramque tenenda eſt ſententia.

Secundo addendum eſt, quando quis recitat ſolus, non teneri ex præcepto ad dicendum tam alte, vt ab aſsiſtentibus percipi poſsit. Ita Nauarrus dicto cap. 20. numero 14. & ſentit Caiet. & hoc probatur bene illa ratione, quod vera oratio vocalis eſſe poteſt, etiamſi ad aliorum ſenſum nō poſſit applicari, id enim per accidens eſt, & ideo non obſtat, quominus per illam ſatisfiat pręcepto. Tertio vero addo, moraliter neceſſarium eſſe, vt quis ita loquatur, vt ipſe ſaltem ſe ipſum poſsit audire. Probatur ex Concil. Baſil. ſeſſ. 21. dicente eos, qui priuatim recitant, non debere *in gutture, vel inter dentes dictiones formare.* Item ratione facta, quia eſſe debet vox audibilis: ergo ſaltem ab ipſo orante, nam profecto (etiam phyſice loquendo) vix poteſt formari vox, quæ ab ipſo loquente audiri non poſsit, ſecluſis impedimentis, quæ erunt per accidens: moraliter etiam videtur id neceſſarium, vt poſsit quis humano modo explere illud præceptū, & certus fieri, quod illud ſufficienter executioni mandauerit. Et ideo licet quantitas vocis non præcipiatur, tamen in ipſo præcepto orandi vocaliter intrinſece includitur obligatio ita orandi, vt poſsit quis percipere orationem ſuam per ſe loquendo, & certus reddi, quod eam protulerit.

6. *2. Aſſert. nō tenetur qui ſolus recitat tam alte dicere, vt ab aſſiſtentibus percipi poſſit. Nauar. Caiet. Neceſſe eſt vt qui recitat ſaltem ſe ipſum audiat. Probatur ex Conc. Baſil.*

Dico tertio: Quando officium Canonicum pro vſu fidelium in Eccleſia recitandum eſt, conueniens, ac neceſſarium eſt, alta voce illud proferre. Hoc etiam docent Diuus Thomas, & omnes. Et ratio eſt clara, quia modus actionis debet eſſe accommodatus fini eius, ſed finis huius orationis publicæ eſt, vt fideles illam audiant, & percipiant, & per illam ad deuotionem, petitionem, vel laudem Dei excitentur, ad quem finem neceſſe eſt, vt ab eis percipi poſsit, & conſequenter, vt alta voce recitetur, ergo talis modus eſt non ſolum conueniēs, ſed etiam neceſſarius in huiuſmodi oratione. Atque hoc etiam confirmat vſus Eccleſiæ, vt à fortiori ex dicendis in ſequenti c. conſtabit. Poſſumus autem exemplis Diuinæ Scripturæ id declarare: nam Matth. 15. & 20. legimus Chananæam, & duos cæcos clamaſſe petendo à Chriſto, quia volebant ab illo ſenſibiliter audiri: turbæ etiam, & pueri Hebræorum ab Spiritu ſancto moti clamabant ad Chriſtū, *benedictus, qui venit in nomine Domini.* Mar. 11. Lucæ 19. Quia voluit Spiritus ſanctus, vt ab omnibus audirentur ad confundendam duritiem Iudæorum, & teſtimonium publicum de Chriſto dandum, Chriſtus etiam ipſe in cruce orauit clamore valido, Matth. 27. Heb. 5. Quia orationem illam faciebat, non ſolum vt à Patre audiretur, ſed etiam à nobis, ſicut etiam Ioan. 11. tam alte orauit, quantum neceſſe fuit, vt ab aſtantibus perciperetur, & propter circumſtantes ſic orabat, vt ipſemet dixit. Sic ergo cum Eccleſia hanc orationem ſuam ad fructum audientium fidelium ordinet, merito in ea poſtulat altam vocem, quæ à populo percipi poſsit. Vnde cōſtat, modū hūc orādi publice, & loco, & populo eſſe accōmodādū, neq; poſſe aliā certam regulā aſsignari circa modū ſeu magnitudinē, aut moderationē vocis in hoc munere adhibēdę.

7. *3. Aſſertio. Quando recitādum eſt in Eccleſia pro vſu fidelium, neceſſe eſt officium alta voce proferre. Probatur ex D. Thom. & ratione.* *Confir. ex Scrip. Matt. 15. & 20.* *Mar. 11. Luc. 19.* *Matth. 27. Heb. 5. Ioan. 11.*

Occurrebat autem hic ſtatim difficultas libro ſuperiori tacta, nā ſi alta vox eſt neceſſaria, propter populū, eadem ratione erit neceſſaria lingua vulgaris

8. *Obiectio proponitur & diſſoluitur oſtendi*

Digitized by Google

ut initio c. propoſitas.

ſenſibiliter ſit cum Deo, ſiue alta, ſiue ſubmiſſa voce, non quia ipſe indigeat, ſed quia nobis expedit. De ſecundo vero iam conſtat, non fruſtra fieri, quod tot modis Eccleſiæ poteſt eſſe vtile. De tertio autem quoniam attingit obligationem, & præceptum recitandi horas canonicas dicturi ſumus late in ſequentibus capitulis, nunc vno verbo dicitur, Eccleſiaſtica præcepta non eſſe contra Eccleſiaſticam libertatem, vt in materia de Legibus latius oſtenſum eſt. De quarto etiam pũcto dicimus, quę ſcilicet perſonę huic miniſterio applicãdę ſint: nunc breuiter dicitur, opus hoc adeo eſſe religioſum, & ſacrum, vt Angelis ipſis in ſummo honore eſſe poſsit, nedum in hominibus in quantauis dignitate conſtitutis: quantæ vero perfectionis hoc opus ſit, mox inquiremus.

CAPVT VIII.

Duo dubia circa Eccleſiaſticum cantum expediuntur.

1.
1. Dubium contra Eccleſiaſticum cãticum organi cum. Ioan. 22. Pap.

DVo in ſuperiori puncto explicanda ſuperſunt. Primum eſt, qui modus canendi decens, atque licitus ſit in Eccleſia, & horis canonicis, vbi non inquirimus de materia, ſeu rebus, quæ cantari poſſunt, ac debent: de hoc enim dicemus in capit. 10. ſed de modo cantandi, ſeu modulandi, & ſpecialiter eſt dubium de cantu, quem organicum, ſeu figuratum appellant, an licitum ſit eo vti in his officiis. Et ratio dubitandi eſt, quia in extrauag. vnic. de Vit. & honeſt. Clericorum, inter communes: Ioan. 22. videtur prohibuiſſe vſum huius cãtus organici in his officiis, nam licet hoc nomine non vtatur, tamen ſimpliciter prohibet omnem cantum præter illum, quem Eccleſiaſticum ſimplicem vocat, nam hunc ſeruari decernit, ſolumque per modum exceptionis addit, *Vt interdum præcipue diebus feſtis, ſiue ſolennibus liceat proferre ſupra canticum ſimplicem Eccleſiaſticum, aliquas conſonantias* (quas contra punctum vocant) *Sic tamen vt ipſius cantus integritas illibata permaneat, & nihil ex hoc de bene memorata muſica immutetur* Cum ergo, exceptio firmet regulam in contrarium, videtur ibi omnis alius cantus prohibitus. Atque ita cantum organicum in Miſſa, & Diuinis officiis ibi eſſe prohibitũ affirmat Nauarrus. in dicto Ench. c. 16. num. 33. Vnde in num. 32. affirmat hodie communiter peccare cantores, qui in horis canonicis, & in Miſſa canunt cantum organicum propter varias circumſtantias, quas ibi expẽdit, & propter dictam prohibitionem. Et quia magis canunt ad demulcendas aures, quam ad excitandam deuotionem, quod eſt contra finem huius inſtituti, vt ſupra dictum eſt, & tradit D. Thom. 22. q. 91. art. 2. Imo videtur per ſe malum (vt ibi notat Caietan. art. 1.) intendere cantui in rebus Diuinis, pręcipue propter ſenſibilem delectationem ex ipſo cantu, & non potius propter ſpiritualem deuotionem ex re cantata. Cui conſonat illud Aug. lib. 10. Confeſ. cap. 33. vbi ſe accuſans de aurium voluptatibus, ſubiungit: *Cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moueat: pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Hoc autem incommodum maxime ſequi videtur ex cantu organico, quia frequentius non intelligitur, quod ſic cantatur: atque ita fit, vt delectatio ſumatur ex cantu, non ex re cantata.

Nauar.

D. Thom.
Caietan.

D. Aug.

2.
Soluitur primum dubium, & prima aſſertio ſtatuitur Cantus organicus Eccleſiaſticus, neque per ſe malus eſt neque prohibitus iure Eccleſiaſtico

Nihilominus dicendum eſt, cantum hunc etiam in Miſſa, & Diuinis officiis, nec per ſe malum eſſe, nec ſimpliciter iure Eccleſiaſtico prohibitum. Hęc reſolutio certa eſt, quam Nauarrus non negat, vt videre licet in diſcurſu illius capitis. Sufficienſque argumentum eſt, quod in vniuerſa Eccleſia hic vſus retinetur, & in ipſamet Eccleſia Romana, & Pontificio ſacello hoc modo Diuina officia ſæpe cantantur. Ratio autem prioris partis eſt, quia in hoc cantu per ſe ſpectato nulla eſt intrinſeca deformitas, quæ contra decentiam clericorum, vel contra ſanctitatem talium officiorum eſſe videatur: nam experientia ipſa conſtat, vbi cum debita moderatione, & grauitate fit, maieſtatem Diuinorum officiorum condecorare: & audientium animos ad reuerẽtiam, & deuotionem excitare Quod vero interdum pſalmi, vel hymni hoc modo decantati non tam perfecte, & integre percipiantur, vel non eſt tam frequens quando cantus moderatus, & grauis, vel interdum poteſt ſine culpa tolerari, propter alios ſanctos fines, vt propter maiorem ſolennitatem, quæ in populo excitet admirationem, & maiorem quandam æſtimationem, vel alicuius myſterij, vel alicuius Sancti. Maxime quia etiam pſalmus ſic confuſe perceptus ratione ipſius concentus ſępe magis excitat ſpiritualem deuotionem, ſeu eleuationem mentis in Deum, quam idẽ pſalmus ſimpliciter cantatus, & bene perceptus, quia hæc ſenſibilia ſæpe magis nos mouent. Sicut non raro vox quædam prædicatoris vehemens, aut dulcis magis mouet animum ad terrorem, vel affectum, quam grauis ſententia tepide, aut inſuauiter dicta. Neque etiam obſtat: quod moraliter, ac frequenter peccetur per aliquem exceſſum, vel perturbationem in eiuſmodi cãtu, propter multitudinem vociferantium, & varias huiuſmodi miniſtrorum cõditiones: nam hæc accidentaria ſunt, & regulariter ſunt leuia, vbi Eccleſiaſtica diſciplina ſeruatur, & ideo valde expedit, vt huiuſmodi cantus per clericos ipſos bene inſtitutos, vel perſonas religioſas fiat, vt Concilium Aquiſgr. monet cap. 132. & 133. Videri etiam poteſt Lindanus li. 4. Panopliæ, c. 78. Denique non obſtat, quod interdũ videatur populus magis inuitari, & trahi ad delectationem ſenſus quam ad deuotionem ſpiritus. Quia ex intentione Eccleſiæ hoc non ita eſt, neque ex natura actionis, quia tota illa delectatio ſenſus per ſe eſt apta ad excitandam deuotionem mentis. Intendere autem hoc modo voluptatem ipſius cãtus non eſt malum, quia ipſa de ſe indifferens eſt, & ordinatur ad bonum finem. Ita enim olim Prophetæ per inſtrumenta muſica excitabãtur ad ſpiritum prophetiæ recipiendum media eleuatione mentis in Deum. Vnde peccatum illud, quod Auguſtinus in ſe recognoſcit, vel non erat propria culpa, ſed *pœnale peccatum*, vt ipſe loquitur, id eſt, motus ſurreptionis ex fomite, qui plus iuſto interdũ ſenſibilibus delectatur, vel poterat eſſe veniale peccatum, non ſeruando omnino debitum ordinem in hoc genere delectationis. Per ſe autem nõ ſemper peccatum eſt, plus moueri cãtu ipſo, quam re cantata: nam poteſt eſſe hoc naturale, & nõ pendens ex hominis libertate. Ideoque ſiquis bene vtatur illa naturali cõditione, aut complexione, ordinando illam ad ſpiritualem profectum nõ male facit. Atque ita hic cantus ſemper poteſt de ſe habere bonum, & ſpiritualem vſum, non eſt ergo per ſe malus, etiam ad res Diuinas applicatus.

Nauar.
Probatur 1. pars
Soluuntur oppoſita rationes.

D. Aug.

3.
Probatur ſecunda pars aſſertionis, & oſtẽditur qualis organicus cãtus ſit vitandus

Quod vero nec iure poſitiuo prohibitus ſit, ex eodem vſu Eccleſiæ ſatis conſtat. Quapropter dicendum eſt, vel per illam Extrauagantem nõ fuiſſe ſimpliciter prohibitum, ſed ſolum indecentem modum eius, vel non fuiſſe ius illud in alio ſenſu receptum, aut per conſuetudinem fuiſſe derogatum quoad ea omnia, quæ per ſe mala nõ ſunt. Neque in aliis Decretis talis prohibitio inuenitur. Regula igitur in hac materia ſeruanda eſt, vt cantus indecentes, & modulationes indecoræ in hoc cantu omnino vitentur, cenſentur autem indecentes, nõ ſolum illæ, quæ turpes ſunt, (nam illæ etiam in humanis recreationibus indecẽtes ſunt) ſed etiam illæ, quæ fiũt cũ geſtibus, aut motibus indecẽtibus,

Digitized by Google

vel quæ ratione vſus profani, aut propter peculiarem modum flectēdi vocem, aut melodiam quærendi profanas cogitationes, aut indecentes motus excitare ſolent. Et huiuſmodi fere ſunt omnes circumſtantiæ cantus, quæ in illa Extrauaganti numerantur, & prohibentur: & iuxta hæc intelligenda ſunt multa, quæ Nauarrus citato loco in particulari proſequitur. Neque in hoc poteſt certior regula dari, quam illa Pauli 1. ad Corinth. 14. *Aemulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere, omnia autem honeſte, & ſecundum ordinem fiant*: & iterum: *Omnia ad ædificationem fiant*. Et ſic dixit Innocentius lib. 1. de Myſteriis Miſſæ cap. 2. *Debent cantores conſonis vocibus, & ſuaui modulatione concinere, quatenus animos audientium ad deuotionem Dei valeant excitare.* Videri etiam poteſt Caietan. in Summa verb. *Organorum vſus*, qui bene de hac materia loquitur, & eius ſententiam in cap. 3. magis explicabimus.

Nauar. — *1. Cor. 14.*

4. Alterum dubium eſt, an in hoc cantu liceat vti muſicis inſtrumentis, nam D. Thom. 2. 2. quæſt. 91. artic. 2. ad 4. abſolute negat eſſe vtendum in Cantico Eccleſiaſtico his inſtrumentis, ſumitque argumentum ex Ariſtot. libr. 8. Polit. c. 6. dicente: *Non eſſe recipiendas tibias in diſciplina, neque aliud artificioſum inſtrumentum, vt cithara, & ſiquid aliud tale, ſed quæcunque faciunt auditores bonos, & cæt.* Nam ſi hoc ſentit Philoſophus de morali diſciplina, multo magis de Eccleſiaſtica dicendum idem erit. Obiectioni autem quod in veteri templo erant in vſu hæc inſtrumenta, vt conſtat, Pſalm. 32. & Pſal. 150. & 1. Paralip. 6. Reſpondet Diuus Thomas, illud pertinuiſſe ad imperfectionem, & vmbram illius legis, quia ille populus erat magis durus, & carnalis, ideoque per hæc inſtrumenta ſenſibilia erat permouendus, & inſtruendus, ſicut per alia ſenſibilia ſigna. At ita ſimpliciter ſecutus eſt Palud. in 4. d. 15. quæſt. 5. artic. 2. Confirmarique poteſt teſtimonio Iuſtini ad quæſtionem 107. orthodoxorum, quæ erat, cur cantica in lege gratiæ introducta ſunt, quæ eſt lex perfectionis, cum in veteri lege videantur inducta propter mentis infantiam, & reſpondet: *Canere non omnino pueros decet, ſed canere cum inanimis inſtrumentis, & cum ſaltatione, & crothalis. Itaq; ex tēplis exploſus eſt, & ſublatus vſus inſtrumentorū eius generis, aliorumq;, quæ pueris digna ſunt, relictusque eſt, & retentus cantus omnino*: quæ reſpōſio valde cōformis eſt reſpōſioni D. Thomę.

Secundum dubium cōtra Eccleſiaſtica inſtrumenta. — *D. Thom.* — *Ariſtot.* — *D. Thom.* — *Iuſtin.*

5. Nihilominus dicendum eſt, vſum horum inſtrumentorum grauem, & moderatum, nec per ſe indecentem eſſe pro Eccleſiaſtico officio, nec ab Eccleſia eſſe prohibitum, ſed in eo eandem regulam ſeruandam eſſe, quam de cantu vocis tradidimus. Probatur breuiter ex vſu Eccleſiæ: nam fere in vniuerſo orbe Chriſtiano hæc conſuetudo, vel approbatur, vel toleratur vt honeſta, quamuis alicubi non recipiatur, vt in capella Summi Pontificis, non quia mala ſit, ſed quia fortaſſe non iudicatur tam grauis; aut neceſſaria. Quod ergo per ſe non ſit mala, neceſſario conuincit exemplum veteris legis, neque enim putandum eſt ex diſpenſatione Dei id factum eſſe. Effectus etiam, qui inde ſequebatur, euidenter id perſuadet, quia prouocabat homines ad deuotionem, & Prophetas eleuabat ad ſpiritualem contemplationem: hunc ergo effectum etiam nunc haberē poteſt. Et quamuis lex gratiæ perfectior ſit, tamen in ea ſunt multi imperfecti, & plebs Chriſtiana multum etiam mouetur ad ſpiritualia ſenſibilibus adiumētis. Præterea, organa inſtrumenta muſica ſunt, organorum autē vſus antiquiſſimus eſt in Eccleſia, vt teſtatur Stephan. Dur. li. 1. de Ritibus Eccleſiæ c. 13. ex Iuliano in c. 31. Iob. qui Sanctum Gregorium longo interuallo anteceſſit, & ex Platina, & aliis aſſerentibus organorum vſum iam fuiſſe in Eccleſia tempore Vitaliani Papę. Et quamuis vox organum communiter iam recipiatur pro peculiari inſtrumento muſico ſic vulgariter dicto, tamen vox de ſe generalis eſt, vt conſtat ex Hieronymo epiſt. 28. ad Dardanum, & ex Iſidoro li. 3. Origin. c. 19. 20. & 21. Neque ſatis conſtat, an vſus antiquus organorum in Eccleſia generaliter etiam accipiendus ſit, vel de tali inſtrumento in ſpecie, vtcumque tamen intelligatur ex ſpecie collegimus, inſtrumēta muſica de ſe non eſſe contra Eccleſiaſticam decētiam, vel vtilitatem. Quod vero nec ſint per Eccleſiam prohibita, præter vſum conſtat ex Concil. Trident. ſeſſion. 22. cap. de obſeruandis in celebratione Miſſæ, vbi ſic inquit: *Ab Eccleſiis vero muſicas eas, vbi ſiue organo, ſiue cantu laſciuum, aut impurum aliquid miſcetur, & cæt. prohibet ſancta ſynodus*: ergo muſicas honeſtas, & puras, etiamſi organo fiant, non prohibet. Eodem fere modo loquuntur Concilium Senonenſ. & Colonienſe: nomine autem organi, vel inſtrumentum muſicum ſimpliciter intelligitur, vel certe eadem ratio eſt de his omnibus, in quibus decentia, & grauitas reperiri poteſt, ergo in vno organo ſunt approbata reliqua inſtrumēta muſica, dummodo in eorum vſu nulla ſit indecentia: vel certe ſatis eſt, quod non inueniantur reprobata iure poſitiuo, cum alias per ſe mala non ſint, vt oſtendimus.

2. Aſſertio. Moderatus vſus inſtrumentorum nec indecens eſt, nec prohibitus ab Eccleſia. Probatur 1. pars 1. — *Durant.* — *Iulian.* — *Platina.* — *D Hier.* — *Cōc. Trid.* — *Conc. Senonenſ.* — *Conc. Colonienſ.*

6. Hinc colligunt aliqui, tempore Diui Thomę nō fuiſſe in Eccleſia organorum vſum. Ita Caiet. 2. 2. q. 91. Notab. 2. & Nauar. in dicto Enchir. c. 16. n. 46. Hoc autem ſubſiſtere nō poteſt, cum oſtenſum ſit, organorum vſum multo antiquiorem eſſe: vnde Soto lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 2. in fine ſentit, D. Tho. nō fuiſſe loquutum de organis, ſed de aliis inſtrumentis muſicis, de quibus etiam illum explicat, vt ſolum dicat, quod antiquo populo magis quā nobis congruebat. Et ſane D. Thomas non dixit vſum talium inſtrumentorum eſſe malum, ſed indicauit non eſſe neceſſarium, neque propter perfectos adhiberi, non tamen negat quin propter quādam infirmitatem perfectorum poſſint admitti. Neque contra hoc obſtat dictum Philoſophi, quia maiorem improportionem habet muſica inſtrumentorum cum diſciplina, in qua ſcientia addiſcitur, quam cum oratione, & interna deuotione, quæ ex ſuauitate muſicæ interdum excitatur. Et ideo non obſtat, quod inſtrumenta muſica proxime delectent, ſi delectatio talis eſt, vt bene diſponat animum ad deuotionem. Sicut etiam cantus vocis proxime generat delectationem, vel ſuauitatem aliquam, vnde etiam ille non eſt ita proportionatus ad diſciplinam ſcientiæ, ſicut eſt ad publicam orationem, & Dei cultum.

Quis fuerit vſus organorū tempore D. Tho. & quæ eius in hac re ſententia. — *Soto.* — *Ariſtot.*

7. Vnum vero addendum ſupereſt, ſcilicet, valde conueniens eſſe, quando pars aliqua, aut verſus Diuini officij per organum, vel aliud inſtrumētum muſicum dicitur, vt non fiat ſine aliquo cantu vocis, quo idem verſus ita diſtincte exprimatur, vt ab aſſiſtentibus percipi poſſit. Tum quia hoc modo ſuauitas inſtrumēti nō erit per ſe intenta, ſed vt res ipſa quæ cātatur, ſuauius cōcipiatur, & magis moueat: & ita non tam delectat cantus quā res cantata. Tū etiā, vt integritas orationis vocalis perficiatur: nam per ſolum ſonū inſtrumētorum non videtur ſufficiēter fieri oratio vocalis, qualis eſſe debet oratio chori. Et ideo quādo in ſolo organo ſine vllo cantu dicitur verſus, ſolet chorus ſine cātu recitare verſum illū: quod ſufficit quidē ad integritatē horæ, non tamē videtur ita conueniēs ad ſatisfactionē populi, & publicæ orationis: imo quādo id fit in ſymbolo Nauar. ſup. n. 44. & 45. & clarius 49. indicat eſſe peccatū. Dixi autem, *quando pars aliqua, aut verſus Diuini officij dicitur*, quia interdū inter vnum pſalmū, & aliū, vel dū ſecreta Miſſæ myſteria peragūtur, ſolet tāgi organū, aut illud inſtrumentū ſine

Corollariū ex dictis, nunquam ſcilicet partem aliquā Diuini officij per organum ſine aliquo cantu vocis perſonare debere. — *Nauar.*

Digitized by Google

ſine vlla voce, quod non eſt per ſe malum, quia ex obiecto eſt indifferens, & poteſt habere religioſum finem & medium eſt de ſe proportionatum tali fini, vt ſæpe dictum eſt. Cauendum eſt autem, ne ſonus indecens fiat, vt bene notauit Caiet. ſupra: de quo infra cap. 10 dicemus. Item cauendum eſt, ne illa occaſione nimium diuidantur partes officij, & totum officium plus iuſto prolongetur, nam hoc ſolet tædium generare, & finem orationis impedire. Et iuxta hæc moderanda ſunt multa, quæ de his inſtrumentis dicit Nauar. in loco proxime citato. *Caietan.*

CAPVT IX.

Ad quas perſonas pertineat, horas Canonicas in choro publice canere, ſeu recitare.

1\. *Totius capitis diſpoſitio.* HActenus explicuimus inſtitutionem, & rationem horarum Canonicarum, eas in ſe (vt ita dicam) ſpeculando, & quaſi earum naturam, vel potius artificium, compoſitionem, vnitatem, & diſtinctionem explicando, iam ergo de vſu earum, & de moralibus obligationibus, quæ ad eas pertinere poſſunt, dicendum ſupereſt: & quamuis publica oratio non ſemper fiat cantando, ſed interdum alta voce recitando iuxta plebis, aut communitatis, aut loci capacitatē, vel conſuetudinem: breuitatis gratia nomine cantus, omnem hunc modum comprehendemus, quoniam lata ſignificatione ita ſolet appellari. Dicemus autem prius de perſonis, ad quas hoc ſpectat officium, deinde de circumſtantiis in illo ſeruandis, prout in choro fit, ſeu fieri debet. Duo autem circa perſonas inquiri poſſunt: vnum eſt, quę ſint capaces, iuxta morem Eccleſiæ, & decentiam eius, vt eis hoc miniſterium, ſeu officium committatur. Alterum eſt, quibus ex obligatione, & præcepto impoſitum ſit, & de his ſigillatim dicemus.

2\. *1. Aſſertio. Munus hoc canendi publice horas Canonicas ad peculiares Eccleſiæ miniſtros per ſe pertinet. Probatur ex vſu Eccleſiæ.* Circa propoſitam ergo quæſtionem dicendum eſt primo: munus hoc canendi publice horas Canonicas ad Eccleſiaſticas perſonas, ſeu peculiares Eccleſiæ miniſtros per ſe loquendo pertinere. Hoc conſtat ex vſu Eccleſiæ, quem declarando, facile concluſio conſtabit: ſupponimus ergo ex antiquo vſu, officium hoc cantandi, ſeu recitandi horas Canonicas publice non pertinere ad totam fideliū plebem, & communitatem, ita vt omnes canere, ſeu vociferari debeant in Eccleſia, prout nonnulli noui hæretici in ſuis conuenticulis introduxerunt, vt aliqui referunt: eſt enim illud nouum, & inuſitatū in Eccleſia, quæ ſemper in hoc obſeruauit, quod Apoſtolus monet 1. Cor. 14. *Omnia ad ædificationem fiant:* & iterum: *Omnia autem honeſte, & ſecundum ordinem fiant.* *1. Cor. 14.* Rectus autem ordo poſtulat, vt ſacra officia publica per ſe lectas perſonas, & aliquo modo ſacras, & peculiari cura ad id deputatas fiant. Cantus enim Eccleſiaſticus ſimul eſt, & ad Dei cultum inſtitutus, & ad excitandum populum ad deuotionem cum quadam reuerentia, & admiratione. Et ideo ſtudium ſemper Eccleſiæ fuit ſeruandi grauitatem, & auctoritatem in his Eccleſiaſticis officiis, vt rudis populus, qui his rebus ſenſibilibus maxime mouetur ad colendum Deum, cum maiori reuerentia, & deuotione excitaretur. At vero ſi ab vniuerſa plebe horæ decantarentur, ſtatim munus illud vileſceret, præterquam quod non poſſet ſine magna confuſione, & perturbatione fieri. *Probatur aſſertio ex variis Conciliis.* Hinc ſemper in Eccleſiis Chriſtianorum obſeruatum eſt, vt locus ſeparatus conſtituatur, qui chorus dicitur, in quo clerus. ſeu miniſtri Diuinorum officiorum recipiantur, & ſeparati ſint à populo. De quo fit mentio in Concilio Toletano 4. cap. 18. vbi ordinatur, vt Sacerdos, & Leuita ante altare communicet, clerus in choro, populus extra chorum, & in cap. 1. de Vita, & honeſtat. Clericor. de hoc choro ſermo eſt, cum dicitur: *Pars illa, quæ cancellis ab altari diuiditur, tantū pſallentibus pateat clericis:* quę verba referuntur ex Concil. Magunt. cap. 13. Inueniūtur autem fere illa verba in Concilio Turonico 2. circa tempora Pelagii I. cap. 4. vbi ſic dicitur: *Vt laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur inter clericos tam ad vigilias, quam ad Miſſas ſtare penitus non præſumant, ſed pars illa, quæ à Cancellis verſus altare diuiditur, chorus tantum pſallentium pateat clericorum.* Et concordat cap. *Sacerdotum*, de Conſec. d. 2. & Clemens lib. 2 conſt. c. 57. ordinauit, vt locus clericorum ſeparatus ſit à loco laicorum, quia nimirum ad illos ſemper pertinuit Diuina officia peragere, & horas canonicas decantare, ad populum autem in ſuo loco ſiſtere, & audire. *Concil. Tolet.* *Concil. Magunt. Concil. Turon.* *Cap. Sacerdotum S. Clem.*

Obiici vero poteſt ex Albert. 4. d. 24. artic. 20. Quia officium cantandi in Eccleſia eſt officium orandi, & laudandi Deum, à quo nullus excludendus eſt, vnde ibi ille concludit hoc eſſe officiū communitatis, & totius corporis Eccleſiæ in deuotione Deo ſeruientis, & non officium miniſtrorum, vt miniſtri ſunt, ac ſubinde totum conuentum fideliū poſſe eſſe chorum, & reſpondere præcinentibus in laudē Dei. Poteſtque hoc confirmari ex Baſil. Epiſt. 63. referente, totam plebem fidelium ad nocturnas preces concurrentem, ſolitā fuiſſe ad pſalmodiā inſtrui, & illuceſcente die omnes veluti vno ore ſolitos fuiſſe Deū confiteri. Et Baron. tom. 1. Annal. ann. 60. n. 18. dicit, olim populū promiſcue cum Clericis in Eccleſia cantaſſe, & Sacerdoti oranti conſueuiſſe reſpondere, *Amen*, iuxta illud Hieronymi in Præfatione lib. 2. ad Galatas: *Ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui, Amen reboat.* Quod notauit etiam Gloſ. in d. cap. *De ijs*. d. 12. ver. *Ciuis*. ex hoc eodem verbo illud colligens, ſed vera lectio habet *Pontifices*, & ita nihil poteſt in ea fūdari: expreſſe vero id affirmat Aug. li. de Catechiz. rudib. c. 9. in c. *Sedulo*. d. 38. 13. *Obiicitur ex doctrina Alberti Magni.* *D. Baſil.*

Priuſquam reſpondeamus, dicimus ſecundo: hoc munus cantandi Diuinum officium licet ad totam plebem fidelium non pertineat, nihilominus non eſſe ita proprium clericorum, vt illi ſoli ad illud aſſumantur: poſſunt enim aliqui non ordinati ad hoc miniſterium deputari. Vnde Iſidor. lib. 2. de Diuin. offic. cap. 12. mentionem faciens de pſalmiſtis, quos Eccleſia alere ſolet, & inſtruere ad cantandi miniſterium, in fine ſubiungit, poſſe Presbyterū ſine conſcientia Epiſcopi quinque ad officium cantandi ſibi deligere: dicit autem *ſine conſcientia Epiſcopi*, quia non oportebat eos prius ab Epiſcopo ordinari, ſeu in gradu aliquo Eccleſiaſtico conſtitui. Non intelligo autem, cur ad quinque cantores illum numerum limitauerit: nam in Concil. Carthag. 4. c. 10. cap. *Pſalmiſta*, d. 23. abſolute dicitur: *Pſalmiſta*, id eſt, cantor, *poteſt abſque ſcientia Epiſcopi ſola iuſſione Presbyteri officium cantandi ſuſcipere, dicente ſibi presbytero, vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes.* Conſtat ergo hoc officium, ſeu miniſterium non pertinere per ſe ad ordinem aliquem, quandoquidem per ſolam iuſſionem presbyteri poteſt conferri. Eo vel maxime quod in eodem Concilio priua omnes ordines maiores, & minores numerantur, & poſtea ſubiungitur Pſalmiſtarum munus. 14. *2. Aſſertio. Canere officium Diuinū non eſt ita propriū clericorum, vt aliqui non ordinati non poſſint aſſumi ad cantandum. Probatur ex Iſidoro, & Concil.* *Concil. Carthag.*

Vnde omnes Theologi concludunt, Pſalmiſtam per ſe non eſſe clericum, neque conſtituere propriū ordinem clericorum, vt patet ex Albert. loco citato, & D. Thom. ibi q. 2. art. 1. quæſtione 2. ad 5. & latius Bonauen. art. 2. q. 2. & Turrecrem. in cap. *Pſalmiſta*, 23. d. art. 1. Qui etiam à prima tonſura Pſalmiſtatum diſtinguunt, quia etiā prima tōſura licet proprie ordo non ſit, cū ordinibus in hoc conuenit, quod per ſpecialē ritum, & per ſe à ſolo Epiſcopo confertur: officium autem pſallendi poteſt committi à Presbytero per ſolam electionem, ſeu iuſſionem ſuam, idem in re tenet Guillielm. Durant. 15. *Pſalmiſta per ſe non eſt clericus. Albert. Magn. D. Thom. D. Bona. Turrecr. Guilliel.*

Digitized by Google

Durant.

Durant. in Rationali lib. 2. c. 2. tamen in cap. 3. ait, Pſalmiſtam eſſe illum, qui ordinatus eſt prima tonſura. Sed ibidem declarat, nomen eſſe ęquiuocum, & interdum accipi in illa ſignificatione, ſed licet afferat Iura, in quibus tonſurati clerici appellantur, vt cap. *Cum contingat*, de ætat. & qualit. c. *Cum inter*, de Re iudi. nullum tamen adducit, in quo Pſalmiſtæ vocentur. Fatetur vero, Pſalmiſtam, vt eſt idem, quod cantor, vt in dicto Concil. Tolet. non eſſe nomen ordinis, ſed officii, & hoc eſt, quod ad rem ſpectat. Tandem confirmatur ex cap. 1. de Celebr. Miſſ. vbi monentur rurales presbyteri, vt ſuis horis faciant horas Canonicas publice expleri *per ſe, vel per ſcholares*: at huiuſmodi ſcholares non videntur eſſe clerici, ſed filii fidelium, qui in Eccleſia docentur, & inſtruuntur, iuxta cap. *Vt quiſque*, de vit. & honeſt. clericor. Verum eſt, Innocent. & Hoſtienſ. ibi per ſcholares intelligere clericos in minoribus: quod ſequitur etiam Durant. lib. 3. de Ritib. c. 23. n. 7. ſed licet id ſuſtineri poſsit, nihil eſt, quod cogat, vt dicamus neceſſarium eſſe, omnes huiuſmodi ſcholares eſſe ordinatos, vel tonſuratos, vt poſſint in hoc miniſterio adiuuare.

Cap. Cum contingat. Cap cum inter. Conc. Tol. Cap 1. de Cel. Miſ.

16\. *Ratio Alberti quare in Eccleſia pſallere non ſit officium alicui ordini deputatum.*

Albertus ergo in citato loco rationem reddit, cur cantare, & pſallere in Eccleſia non ſit officium per ſe alicui ordini deputatum, quia hoc officium de ſe commune eſt omnibus Chriſtianis. Vnde quantum eſt ex vi muneris, poſſet eſſe communis toti cœtui fidelium, qui ad horas Canonicas conueniunt, niſi aliunde ad maiorem decentiam, & meliorem ordinem pertineret, vt ad munus recitandi, legendi, vel canendi, pauci aliqui eligantur, & ſeparatim in loco altiori, digniori, & quodammodo ſecretiori collocentur: reliquus autem aſsiſtat tantũ attente audiens, & per alios orans, vel priuatim etiã proprias orationes fundens, ſi velit. Quod ergo Albert. ait, totum cœtum fidelium poſſe eſſe chorum, non de morali poteſtate (vt ſic dicam) & penſatis omnibus circumſtantiis, & conſuetudine Eccleſiæ intelligendum eſt, ſed ſolum de quadam non repugnantia, quantum eſt ex parte actionis, hoc enim ſufficit intentioni eius, nec plus eius ratio probat, nec in alio ſenſu admittenda eſt eius ſententia. Vnde cautius D. Thomas in eodem loco ſupra citato dixit: *Cantor non eſt nomen ordinis ſpecialis, tum quia cantare pertinet ad totum chorum, tum quia non habet ſpecialem relationem ad Euchariſtiæ ſacramentum, tum quia officium quoddam eſt, quod inter ordines largo modo acceptos computatur quandoque*: vbi non dixit cantare pertinere ad totum populum, ſed ad totum chorum, in quo poſſunt aliqui, etiam non ordinati conuenire, ſemper tamen debet conſtare ex aliquibus ad id munus ſpecialiter deputatis, quo ſenſu inter clericos cantor, vel pſalmiſta computatur: Baſil. etiam non dicit totum populum conuenire, & omnes inſtrui, vt cantent, ſed verba eius ſunt: *Populus domum precationis petit, & facta ad Deum confeſsione tandem ab oratione ſurgentes ad pſalmodiam inſtituuntur*. Quod poteſt intelligi, vel de ſolis miniſtris, qui ad pſallendum accedunt, vel de omnibus accommodata partitione, nam omnes quidem inſtituuntur, præparantur, ac ſe diſponunt ad pſalmodiam, hi quidem ad dicendum, ſeu canendum, illi vero ad audiendum, atque eodem modo ait inferius: *Omnes velut ore vno, & corde vno confeſsionis pſalmum Domino offerunt*. Quamuis enim ſoli miniſtri canãt, & alii aſsiſtant, omnes vno corde, & veluti vno ore Deum laudant. Denique licet olim fuerit conſuetudo, vt populus in fine Collectæ reſponderet *Amen*, non ſequitur potuiſſe pſallere in reliqua parte officii, ſed illud fortaſſe permittebatur ad oſtendendam vnionem, & conſenſionem animorum vnica dictione, & hoc ipſum ob vitandam confuſionem in deſuetudinem abiit.

Eadem ratio magis ac melius à D. Thom. expenditur.

D. Baſil.

Atque hinc intelligitur, merito in Eccleſia inſtitutum eſſe, vt non ſolum per clericos, ſed etiam laicos, per Religioſos horæ canonicæ publicè recitẽtur, ſeu canantur, etiam nomine totius Eccleſię: imo non ſolum per viros, ſed etiam per fœminas, vt in monaſteriis Monialium fieri videmus, & idem fiebat olim in monaſteriis monachorum, quamuis clerici non eſſent in initio vitæ monaſticæ, vt infra ſuo loco videbimus. Semper tamen obſeruatum videtur, vt perſonę ad hoc miniſterium deputatæ, ſint Eccleſiaſticę perſonę, ſi enim ſeculares perſonę ſint, aut ſunt clerici ſaltem in minoribus ordinati, aut ſunt familiares Eccleſiæ peculiari aliquo modo ad Diuinum obſequium deſtinati, ſi vero ſint Religioſi eo ipſo inter Eccleſiaſticas perſonas computantur etiamſi fœminæ ſint, vt nunc ſuppono, loquimur autem de his, qui aliquo modo ſtabili, & quaſi ex officio ad hoc miniſterium ſunt deputati. Nã abſolute non eſt ſeculari perſonæ prohibitum in choro canere cum clericis ex illorum permiſſu, & quaſi iuuando illos, nulla enim prohibitio poſitiua Eccleſiæ circa hoc inuenitur, nec ſcripta, nec conſuetudine introducta, nec eſt etiam per ſe malum ita fieri, vt eſt per ſe notum, & ex diſcurſu Alberti ſupra ſatis etiam conſtat. 17.

Vnde tertio, dicere poſſumus munus hoc, & ad ſeculares clericos, & ad Religioſos pertinere, quãuis diuerſo titulo, & ratione. Prior pars ſatis nota eſt ex dictis, & ex vſu Eccleſiæ, & amplius cum ſecunda declarabitur: aduertendo, chorum duplici ratione, ſeu fine proximo ſolitum eſſe introduci in Eccleſia, ſcilicet vel principaliter propter audientes, vel præcipue propter ipſoſmet canentes in choro. Quamuis enim ſemper principalis finis chori ſit laus Dei, & communis Eccleſiæ deprecatio, & ad deuotionem excitatio, iuxta doctrinam D. Thom. 2.2.q. 83. ar. 12. & q. 91. ar. 1. tamen interdum in tali loco, Eccleſia, ſeu cõgregatione introducitur principaliter ad vſum populi, vt habeat Diuina officia publica, quibus intereſſe poſsit, & Deum precari, vel laudare per communes miniſtros eius ſuo modo cooperando ſeu aſſentiendo. Aliquando vero in aliqua congregatione inſtituitur primo, ac principaliter propter vſum talis congregationis, & perſonarum eius, quę ad chorum deputantur, vt in illo religioſo, ac præſtantiſsimo actu occupentur. Priori modo eſt chorus ordinarie inſtitutus in Eccleſiis clericorum ſecularium, in quibus clerici conſtituuntur tãquam miniſtri publici Diuinorum officiorum pro commoditate, & vſu totius populi. Et de hoc intelligo, quod D. Th. Opuſ. 19. cap. 5. dixit: *Orationibus, & pſalmis vacare in Eccleſia Diuinum officium celebrando, eſt quoddam opus publicum ad Eccleſiæ ædificationem ordinatum*. Poſteriori autem modo videtur principaliter inſtitutus chorus in Religionibus, quibus ex proprio inſtituto cõuenit profiteri chorum: nam licet contingere poſsit, vt miniſtri deputati ad cantum pro vſu totius populi religioſi ſint, vel quod religio aliqua aſſumat hoc munus ad inſeruiendum populo, tamen per ſe ſine hoc reſpectu ad populum audientem, ſolet hoc munus inſtitui in religionibus Monachalibus ad ipſorum religioſorum laudabilem occupationem. Nam quia Diuino cultui omnino dedicantur, & non ſemper poſſunt internæ meditationi, vel contemplationi intenti eſſe, nec labore manuum, aut alia exteriori actione ſemper occupantur, inſtitutus eſt eis chorus, in quo ſancte, & vtiliter otientur, & occupentur, etiamſi nullus ſit populus, propter quem canãt, neq; eorum vita, & inſtitutum ad aliorum vſum per ſe ordinetur. Hinc Gerſon li. de Orat. & eius valor. in fin. alias p. 3. Alphab. 78. lit. G. *Sunt*, ait, *rariſsimi valde inter homines tam Religioſos, quam ſeculares, præcipue in adoleſcentia, & iuuentute idonei ad contemplationis ade-*

18\. *3. Aſſertio. Munus hoc canendi Eccleſiaſt. officium ad ſeculares, & religioſos pertinet, diuerſo tamen modo.*

D. Thom.

Pro laicis.

D. Thom.

Pro religioſis

Gerſon.

Digitized by Google

is adeptionem. Propterea Sancti Patres videntes imperfectum noſtrum, & attendentes, quam difficile eſt otio bono vti, voluerũt occupationem bonã dare hominibus ſuis, feceruntq; hoc in orationibus, & Cãticis multis. Similem fere doctrinam habet idem Auctor in lib. de Cantic. in 1. tomo illius circa finem: alias 3. p. Alphab. 79. lit. N. vbi rationẽ illam extendit ad illos cãtus, qui propter populum in Eccleſijs fiunt. *Multæ*, inquit, *ſunt cauſæ multiplicationis pſalmodiarum vocalium in Eccleſiis, vna eſt vitæ laicorum laudabilis occupatio, &c.* Alia ſimilia verba habet in lib. de Myſt. Theolog. quę inferius tractando de choro Religioſorũ afferemus, vbi etiam ex D. Th. & alijs Patribus alia referemus.

Idem.

4. *4 Aſſertio. Non omnes miniſtri Eccleſiæ in cantu debent occupari, ſed qui ſuper fuerint ex aliis miniſterijs grauioribus. D. Thom. Gerſon.*

Quarto dicimus: non omnes clericos, occupandos eſſe in hoc miniſterio cantandi in choro, ſed illos tantum qui in grauioribus Eccleſiæ miniſterijs, ſeu officijs occupati non ſunt. Quæ regula in Religioſis etiã perſonis ſeruanda eſt. Ita monet D. Thomas dicta q. 91. ar. 2. ad 3. & Gerſon loco vltimo proxime citato, & alij multi infra citandi, qui ad hoc referunt ſententiam Gregorij in ca. *In ſancta Romana.* 92. d. & lib. 4. Regiſtri c. 88. vbi Greg. prohibet, ne ſacri altaris miniſtri (id eſt, diaconi) in munere cantãdi occupentur: verba eius ſunt: *Conſuetudo valde reprehenſibilis exorta eſt, vt quidam ad ſacri altaris miniſterium cantores eligantur, & in diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemoſynarum ſtudium vacare congruebat.* & infra: *conſtituo, vt in hac ſede ſacri altaris miniſtri cãtare non debeant, ſolumque Euangelicæ lectionis officium inter Miſſarum ſolennia exſoluant: pſalmos vero, & cæteras lectiones cenſeo per ſubdiaconos, vel ſi neceſſitas exigat per minores clericos exhiberi.* Qui textus accuratius à nobis expendendus eſt, quia ad ea, quę diximus explicanda multum confert. Item quia difficile creditu videtur, Gregorium ſimpliciter prohibuiſſe, ne diaconi cantent in choro: cum etiam presbyteri, & Epiſcopi ipſi munus illud altiſſimum obire poſſint, ſicut credẽdum eſt, Baſilium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, & ipſummet Gregorium ſæpe illud exercuiſſe. Item alias male eſſent inſtitutæ Religiones Canonicorum, vel mendicantium, in quibus & diaconi, & presbyteri ex vi inſtituti eſſe debent choro addicti.

10. *Varia Verborũ S. Gregor. explicationes improbantur.*

Dicunt ergo aliqui Gregorium ſolum prohibuiſſe, ne diaconi modulationi inſeruiant, id eſt, cantui indecoro, & ad aures plebis demulcendas ordinato. At hoc extra mentem Gregorij eſt, quia immoderata, ſeu indecora modulatio in choro Eccleſiaſtico non diaconis tantum, ſed omnibus miniſtris Eccleſiæ prohibita eſt, at Gregor. ibi quam modulationem prohibet diaconis, iubet per inferiores miniſtros fieri, non ergo loquitur de indecora.

11. Aliter igitur reſponderi poteſt, Gregorium ibi non prohibere ſimpliciter diaconis, ne in choro cantent, ſed ne illo tempore, in quo in Miſſa ſolenniter inſeruiunt, cantent in choro, ſed tantũ in Miſſæ Euangelium tunc cantent. Ita limitat Gloſ. proxime ante illud cap. ver. *Exempti*, & in ipſo cap. ver. *In hac ſede*, & Turrec. ibi art. 3. hanc limitationẽ probare videtur, licet non ſatis conſtanter loquatur, vt oſtendam. Verum neq; hæc expoſitio ſatisfacit. Primo, quia Greg. abſolute vult reprobare conſuetudinem, conſuetudo autem non erat, vt diaconi tantum tempore Miſſę ſolennis cantarent in choro, ſed ſimpliciter quod cantui tanquam principali miniſterio deputarentur, & quod in eis eligendis præcipue obſeruaretur aptitudo ad cantandum. Hoc ergo abſolute reprobat, vnde in verbis conſtitutionis illa limitatio: *Inter Miſſarum ſolennia*, non ponitur ad verba prohibitiua, nam illa omnino abſoluta & generalia ſunt: *Conſtituo, vt in hac ſede ſacri altaris miniſtri cantare non debeant*: quis enim dicat, facere hæc verba ſenſum quaſi compoſitum (vt ſic dicam) id eſt, non cantent, dum altari deſeruiunt? vbi enim potuit eſſe vnquam talis conſuetudo, vt qui ſolenniter miniſtrat in altari, ſimul veniat ad cantandum in choro? vel ſi hoc in aliquo pago rariſsime contingit fieri, quid neceſſe erat, propter hoc prohibitionem vniuerſalem facere? Adde etiam eſſe indecorum, & indecens, vt ſubdiaconus, dum ſolenniter in altari miniſtrat, officium cantandi in choro ſimul exerceat, & tamen id, quod ibi prohibetur diacono, ſubdiacono imperatur.

Gloſ. Turrec.

Prohibitio ergo illa abſoluta, & ſine tali limitatione fit: illa vero determinatio additur in altera parte affirmatiua, ſeu conceſſiua, vt cantent diaconi Euangelium in Miſſarum ſolennijs. Deinde Gregorius duplicem rationem inſinuauit, ob quam diaconi illi muneri cantandi addicti eſſe non debent. Vna eſt, vt & prædicãdi officio, & pauperum curæ, ac ſolicitudini vacare poſſint, ad hoc autem neceſſe eſt, vt non tantum liberi ſint à debito cantãdi, dum inſeruiunt altari, hæc enim nulla eſt exemptio, nam per miniſterium altaris ſatis erant pro tunc à choro liberi, & impediti, ne de pauperibus, vel de ſtudio prædicationis curare poſſent, ergo voluit illos eſſe liberos ſimpliciter à cantãdi munere, etiam pro alijs horis. Aliam rationem inſinuat, nimirum diaconos non eſſe ad cantum eligendos. *ne in eis blanda vox, potius quam vita* (adde etiam & doctrina) *quæratur*: at hæc ratio probat ſimpliciter de munere cantandi in Diuinis officijs, quia alias illud inconueniens non euitaretur. 12. *Vera expoſitio Verb. S. Greg. prohibentis cantare diaconos.*

Atque ita intellexit textum illum Gratianus ibi, nam ante illum præmittit hæc verba: *Ab officio cantandi, & pſallendi diaconi inueniuntur exempti, nedum vocis modulationi ſtudent, altaris miniſteria negligant*: & in huius aſſertionis confirmationem textum Greg. ſupponit. Similiter D. Tho. non ſolũ approbat eandem expoſitionem, ſed etiam doctrinã ampliat, dicens: *Nobilior modus eſt prouocãdi homines ad deuotionẽ per doctrinam, & prædicationem, quam per cantũ, & ideo diaconi, & prælati, quibus competit per prædicationem, & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc a maioribus retrahãtur.* Et in huius doctrinæ confirmationem adducit ſtatim verba Gregorij, intelligens plane Greg. in eodẽ ſenſu fuiſſe locutum: ſupponit autem D. Thom. ibi, cum Greg. ait, ad diaconum pertinere prędicationis officium, proprie loqui de officio docẽdi populum non de ſolo cantu, vel lectione Euang. vt quidã expoſuerunt, & non improbat ibi Gloſ. tamẽ ſine dubio prior ſenſus eſt verus, vt idem D. Tho. 3. p. q. 67. ar. 1. ad 1. diſtincte declarauit, & ibi Caiet. & in 6. to. 3 partis Deo dante dicemus: & videri poteſt Bellarmin. lib. 1 de Cleri. c. 13. Eandem doctrinam ex eodem textu Gregor. colligit Gerſon in Cãtichordo in fin. Alphab. 79. lit. N. vbi ſic ait: *Beatus Gregorius de inſtituto iſto Canticorum ita cenſuit, vt indicauerit indignum, ſi dediti verbo Dei, ſtudium ſuum in iſtis, tempusq; darent.* Sic etiam Guilliel. Dur. lib. 2. Rational. cap. 2. Dionyſ. Carthuſ. libr. 3. Summæ fidei artic. 155. Stephan. Duran. lib. 3. de Ritib. capit. 31. in fin. referens Gregor. & Diuum Thomam. 13. *Comprobatur ex ſententia Gratian. & D. Thom.*

D. Thom. Caiet. Bellarm. Gerſon. Guilliel. Duran. Dion. Carth. Stephan. Duran.

24. *Aduertẽtia data explicationis.*

Addendum vero his omnibus eſt, vt difficultati propoſitæ ſatisfaciamus, hanc Gregorij prohibitionem non ita eſſe intelligendam, vt ſimpliciter intelligatur interdictus Diaconis cantus in choro: conſtat enim neque nunc eſſe, neque vnquam fuiſſe in hoc ſenſu latam prohibitionem illam. Quia neque actio hæc talis eſt, vt omnino prohiberi debeat, aut poſſit præſertim Eccleſiaſticis perſonis, neq; ratio, quam Gregor. adducit in eo ſenſu oſtendit neceſſitatem talis prohibitionis, & hoc etiam conuincit obiectio facta: intelligendum ergo eſt, prohibitum fuiſſe à Gregor. ne Diacono imponatur onus cantãdi tanquam ex debito officij ſui, ad quod vel ordinetur, vel principaliter eligatur. Item ne in eo munere ita occupetur, vt à munere docendi, vel

Digitized by Google

certe ab ſtudio ad docendum neceſſario ea de cauſa impediatur. Atq; in hunc ſenſum optime quadrãt rationes, & verba Greg. eumque propterea omnes dicti auctores ſecuti ſunt. Quod vero in eodem textu Gregorius ait: hoc officium committendum eſſe ſubdiaconis, vel in neceſsitate inferioribus Clericis, non ideo eſt, quia ſubdiaconatus, vel alius proprius ordo clericorum ſit per ſe neceſſarius ad officiũ cantandi, ſed quia decet per clericos fieri, quando commode poteſt, & præſertim vt hi, qui habent illius muneris præcipuam curã clerici ſint. Et quoniam ſubdiaconus ſuperior eſt cæteris clericis poſt Diaconum, & ex vi ſui ordinis non habet munus aliquod maioris momenti, quo poſsit ab officio cantandi Diuinum officium impediri, ideo hæc cura illi præcipue committenda dicitur.

21\. Deniq; intelliguntur hæc omnia ex vi ordinis, & ſuppoſito antiquo more, quo Diaconis ordinarie officium prædicationis verbi Dei committebatur, vt diximus, & colligitur etiam ex Epiſtolis Clementis prima, & tertia c. *Audire*, 25. d. ca. *Sicut enim*, iuncta Gloſſa verb. *Per Diaconos*, 11. q. 1. Hęc autem conſuetudo noſtris temporibus fere ceſſauit, nullum enim fere aliud munus exercent, niſi cantandi ſolenniter Euangelium, cum in Miſſa ſacerdoti ſolenniter miniſtrant, ideoq; iam illa prohibitio Gregorij ceſſaſſe videtur, non ſolum quoad Diaconos, vt tales ſunt, ſed etiam quoad presbyteros, qui aliunde non obligantur ad prędicandum, vel ad alia grauiora Eccleſiæ munera, quę cum obligatione chori repugnant. Atq; ita facile ſoluitur obiectio, quæ de Religionibus fiebat, in quibus, & Diaconi, & presbyteri ad chorum ſancte, ac vtiliter deſtinantur. Id enim verum eſt, quia vel tales Religiones ad officium prædicationis, aut alia miniſteria ſpiritualia non ſunt principaliter inſtitutæ, ſed ad vitam pure contemplatiuã, quæ per pſalmodiam multum iuuatur, vel certe quaſi corpus Religionis vtrumq; munus amplectitur, illud in varias, ac diſtinctas perſonas partitur, quaſdam dedicando choro, & alias alijs miniſterijs, ſemper tamen neceſſe eſt, vt qui grauioribus deſtinantur miniſterijs, non ita grauentur onere chori, vt à proprijs muneribus impediantur. Et ita lex, & doctrina Greg. formaliter (vt ſic dicam) ſemper integra manet, quia in ipſa ratione naturali fundata eſt, licet materialiter (vt ſic dicam) in Diaconis ceſſauerit. Quam rem tractando de ſtatu Religioſo tam in genere, quam in ſpecie latius explicaturi ſumus, quatenus ſpecialiter ad illum ſtatum pertinere poteſt.

Antiqua D. Greg. conſuetudo, & lex prohibens cantare Diaconos, & iubens prædicare exoleuit.

Clemen. Cap. Audire. Gloſſa.

Capvt X.

Quæ perſonæ, & quo in loco horas Canonicas publice dicere teneantur.

1\. Svpereſt dicendum de perſonis, quæ ad hunc modum dicendum Diuinum officium obligãtur, & cum eis locum coniungimus, quia hæc, vt videbimus, cõnexa ſunt. Et in primis dubitari poteſt, an hæc oratio publica cadat ſub propriam obligationem præcepti clericorum, vel miniſtrorum Eccleſię. Nam licet Clerici in ſacris teneantur penſum horarum Canonicarum perſoluere, tamen ſinguli ſatisfaciunt illi muneri priuatim eas dicendi, vt infra dicemus, nullus ergo in particulari deſignari poteſt, qui ad hoc munus cantandi ex generali pręcepto teneatur, ergo nec reſpectu ipſius cleri cadit hic modus orandi ſub obligationẽ, quia non poteſt cõmunitas obligari præcepto, niſi quatenus ſingulę perſonæ obligantur: quia obligatio, quæ eſt ex præcepto in perſonam veram, & nõ fictam cadere primario debet, vt inde poſsit in corpus myſticum redundare. Et confirmatur: nam vel hoc præceptum eſt Diuinum, vel Eccleſiaſticum, primum conſtat non eſſe verum, quia nec in Scriptura habetur, nec ex traditione cõſtat, nec certa aliqua ratione id colligi poteſt: ſecũdum ſuadetur non eſſe, quia quoties pręceptum Eccleſiaſticum fertur, datur cum determinatione modi, circumſtãtiarum, & perſonarum: hic autem non ita eſt, ergo. Declaratur minor, quia horæ Canonicæ recitari poſſunt voce alta ſine cantu, vel ſimplici, aut figurato, variiſque modis eius: non conſtat autem ex ordinatione Eccleſiæ, quomodo debeant horæ publice dici. Item non conſtat, an quotidie cantandæ ſint, vel diebus feſtis, vel aliquæ quibuſdã diebus, & in alijs omnes. De tempore etiam, & modo horarum nihil inuenitur definitum. Denique neque certis perſonis onus hoc impoſitum reperitur, ergo ſignum eſt, non eſſe rem obligationis, ſed deuotionis, pendẽtem ex arbitrio Paſtorum Eccleſiæ.

Argumenta, quæ ſuadent nullum dari præceptum recitandi publicè horas Canonicas.

2\. Nihilominus dicendum in primis eſt munus hoc publice dicendi horas Canonicas in Eccleſia eſſe ſub obligatione præcepti impoſiti Eccleſiæ miniſtris, & clericis ad hoc officium deputatis. Concluſio colligitur ex capit. vltimo diſt. 92. vbi presbyter, Diaconus, vel quilibet clericus Eccleſiæ deputatus, ſi intra ciuitatem fuerit, vel in quolibet loco, vbi Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi officium matutinis, aut veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, deponendus dicitur, ſi correctus ab Epiſcopo non emendetur. De quo textu in ſequentibus plura dicemus: nunc ex eo ſolum colligimus obligationem, quæ in Eccleſijs eſt ad hoc munus pſallendi Diuinum officium: nam ſi non eſſet talis obligatio, non tanto rigore cogerentur clerici ad illud munus implendum. Per *Matutinum*, autem, & *Veſpertinum officium*, non intelliguntur tantum duæ horæ, quas nunc ſtricta ſignificatione ſic appellamus, ſed totum Canonicum officium: nam Matutinum comprehendit omnes horas, quę ante prandium dicuntur, ſcilicet, à Matutino, vel laudibus vſque ad ſextam: veſpertinum vero comprehendit cæteras horas, quæ à prandio dicuntur, ac ſi in vulgari diceretur: *A las horas de la mannana, y de la tarde.* Idem præceptum colligitur ex capite primo de Celebr. Miſſ. vbi prius datur facultas clerico ruſticano anticipandi horas ex cauſa, & poſtea additur limitatio his verbis: *Ita tamen vt horis competentibus iuxta poſſibilitatem, aut à ſe aut à ſcholaribus publice compleantur.* Supponit ergo hoc eſſe neceſſarium, & ſub obligatione: & idem colligitur ex capite Dolentes, eodem titul. ibi: *Diſtricte præcipientes, vt Diuinum officium celebrent.* Præcipue enim loquitur de hac publica celebratione. Ratio denique eſt, quia ad hoc principaliter inſtitutum eſt hoc officium, vt in Eccleſia publice dicatur, non pro ſacerdotibus, ſeu clericis tantum, ſed pro vniuerſo populo, vt illi omnes poſsint aſsiſtere, & illo frui, ergo neceſſarium fuit ad commune bonum Eccleſiæ, vt hoc publicum officium ſub lege, & præcepto conſtitueretur. Item ad hoc ſunt inſtituta beneficia magna ex parte, & de hoc officio maxime intelligitur, quod in Iure dici ſolet, beneficium dari propter officium, Capit. *Quia per ambitioſam*, de Reſcript. in ſexto, & Capit. *Cum ſecundum*, extra de Præbend. nam licet interdum impleatur per recitationem priuatam: illud tamen eſt quaſi accidentarium, & in defectum alterius. Denique conſuetudo Eccleſiæ ad hanc obligationem ſufficeret.

1. Aſſertio. Datur præceptum recitandi horas canonicas publice, impoſitum deputatis Eccleſiæ miniſtris, & clericis.

Probatur ex varijs iuribus.

Cap. Vlt. d. 92.

Cap. Dolentes.

Probat ratione.

Cap. Quia per ambitioſam, &c.

3\. Dico ſecundo: Hoc præceptum obligat quoad Eccleſias ſeculares vt quotidie fiat hoc officium in cathedralibus, & collegiatis, in alijs vero Eccleſijs ſolum diebus Dominicis, & feſtis, niſi aliud habeat conſuetudo. Ita docet Turrecr. dicto cap. vlt. d. 92. q. 1. & idem ſentit Sylueſt. verb. *Hora*, q. 10. Angel. n. 25. Armilla n. 21. Tabien. Caiet. & prima pars aperte

2. Aſſertio. Præceptum canendi publice Diuinũ offic. obligat, quoad Eccleſias ſeculares, vt quotidie fiat in cathedralibus, & collegiatis, in

collegitur

aliis vero ſolum Dominicis, & feſtis, niſi conſuetudo impediat.
Turrec.
Syluest.
Angel.
Armilla.
Tabien.
Caietan.
Clem. 1. de Cel. Miſſ.
Innocent.

colligitur ex Clement. 1. de Celebr. Miſſ. ibi: *In cathedralibus, & collegiatis Eccleſiis.* Et ex aliis decretis citatis, & ex vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine: & ratio eſt, quia hæ ſunt principales Eccleſiæ, quæ ad hunc Diuinum cultum publicum ſunt inſtitutæ. Alia vero pars de inferioribus Eccleſijs ab eiſdem auctoribus aſſeritur, ex nullo autem Iure exceptionem, ſeu limitationem, vel probationem adducunt, cum tamen quoad Eccleſias parochiales contrarium videatur colligi ex dicto capit. 1. de Celebr. Miſſar. in citatis verbis: nam ibi ſermo eſt de presbytero parochiali, & rurali, & tamen ab eo exigitur, vt in Eccleſia publice horas perſoluat. Et ita Innocent. ibi indiſtincte id de Eccleſijs intelligit. Et Turrecr. etiam id fatetur: ſed limitat hoc ad dies Dominicas, & feſtiuas. At hæc limitatio non habetur in textu, nec ipſe aliunde illam probat, cum ergo textus indifferenter loquatur, non videtur limitandus. Adde illum loqui de diebus ferialibus, nam permittit huiuſmodi presbytero, *Vt exeat ad opus rurale*, quod non licet in die Dominico, vel feſtiuo, & tamen pro illo eodem die ponit conditionem ſupra dictam. Præterea in Clem. 1. de Celebr. Miſſarum prius iubetur, *vt in Eccleſiis cathedralibus, regularibus, & collegiatis, horis debitis deuote pſallatur*, poſtea vero additur. *In aliis vero conuenienter, & debite celebretur Diuinum officium diurnum pariter, & nocturnum, &c.* ergo licet in prioribus Eccleſijs maiori cum ſolennitate horæ dicendæ ſint, tamen etiam in alijs Eccleſijs publice ſunt celebrandæ. Nam de hac celebratione neceſſe eſt ibi tractari, tum quia præcipitur, vt fit in Eccleſia: oratio autem non fit neceſſario in Eccleſia, niſi quando publice, & propter populum facienda eſt: tum etiam quia hoc modo tantum fit debite, & conuenienter, vt vbi præcipitur.

4.
Probatur 3. pars aſſert. Quia habendam eſſe cõſuetudinis rationẽ aſſerebat, quæ in parochialibus Eccl. ſi ſint nimiũ pingues, plerumque præceptũ tenet.

Nihilominus conſulenda eſt conſuetudo, & inſtitutio ſingularum Eccleſiarum: nam ab his duobus capitibus hoc maxime pendet, ſi ius poſitiuum expreſſum non inueniatur: atque hoc eſt, quod dicti auctores docere voluerunt, à quorum ſententia non recedimus. Vltra Eccleſias ergo cathedrales, & collegiatas duo genera Eccleſiarum ſecularium diſtinguere poſſumus: quaſdam parochiales, alias ſimplices, ſeu capellas vocare poſſumus. In prioribus ſi rigorem Iuris attendamus, reuera eſſent in eis dicendæ omnes horæ Canonicæ aliquo modo publico, ſiue canendo, ſiue alta voce ſufficiente pro capacitate populi, illas dicendo. Hoc enim probant dictum capit. 1. & dicta Clement. 1. de celebrat. Miſſarum. Et ratio reddi poteſt, quia iſtæ Eccleſiæ ex propria ratione ſua ſunt inſtitutæ, vt in eis integre celebrentur Diuina officia pro vſu & commoditate totius populi, in his autem Diuinis officijs poſt Miſſæ ſacrificium primum locum tenent horæ Canonicæ, & ideo beneficia parochialia propter hoc officium etiam dari videntur ex vi primææ inſtitutionis ſuæ. Vnde vbi talis fuerit conſuetudo, vt in talibus Eccleſijs tametſi parochialibus omnes horæ Canonicæ dicantur, omnino ſeruanda eſt: nam ibi maxime Eccleſiaſticum præceptum cenſetur obligare. Solent autem huiuſmodi eſſe pinguiores Eccleſiæ, maxime quando habent plura beneficia ſuo ſeruitio deputata, & quando habent copioſum, vel nobilem populum: nam tunc maior ſolet eſſe neceſſitas, ſeu communis vtilitas, ac decentia.

5.
In Eccleſiis parochialib. ſi ſint nimiũ tenues, non tenet ex conſuetudine plerumque tale præceptum.

At vero in omnibus Eccleſijs parochialibus, vbi paruus eſt populus, & tenuis cenſus, communiter obtinuit conſuetudo, vt officium Canonicum in eis non dicatur publice, præterquam in diebus feſtis, & in eis etiam non ſolet dici totum officium, ſed tantum in Miſſa ante prandium, & veſpere poſt prandium. In his ergo ſeruari poteſt conſuetudo ſine ſcrupulo. Imo addit Caiet. etiam in collegiatis ſeruari poſſe, ſi ſit immemorialis, & redditus tenues ſint: quia derogatum (ait) ibi eſſe cenſetur iuri communi, ex rationabili Prælatorum tolerantia. Vocat autem rationabilem, quia ratio dictat, vt minuatur onus, vbi ſtipendium tenuiſſimum eſt, cum ſemper maneat obligatio alias dicendi officium integrum, & inſeruiendi Eccleſiæ in aliis oneribus. Et merito neceſſarium iudicatur, quod tales circumſtantiæ concurrant, vt conſuetudo rationabilis reputetur, quoniam alias non poſſet contra ius, & præſertim contra integritatem (vt ſic dicam) Diuini cultus præualere.

6.
In capellis, & ſimplicibus Eccleſiis nihil eſt iure communi ſtatutum ſed ſuis ſtatutis approbatis ſtandum eſt.

Denique in alijs Eccleſijs, quas ſimplices vocamus, ſeu in capellis nihil ex viiuris communis ſtatutum eſſe credo, quia de illarum inſtitutione, quoad hoc nihil videtur eſſe iure communi definitum. Et ideo earum ſtatutis, & inſtitutioni approbatis ſtandum eſt. Solent autem huiuſmodi Eccleſiæ, vel capellæ erigi ab aliquibus patronis ſecularibus, vel Eccleſiaſticis cum certo onere, & obligatione, vt in eis dicantur, vel quotidie, vel certis diebus horæ Canonicæ, vel aliquæ, vel omnes. Et tunc quando de inſtitutione conſtat, & eſt ſufficiens, & cum commodis ſtipendijs, omnino ſeruanda eſt, nec facile eſt contra illam admittenda conſuetudo, niſi grauis cauſa intercedat, quia alias non videtur eſſe ſolum contra ius poſitiuum, ſed etiam contra ius naturale, quia eſt contra iuſtum pactum, & iuſtam voluntatem teſtatoris, vel dantis ſtipendia ſub tali cõditione. Et ad hoc confirmandum faciunt, quæ Nauarr. adducit in dicto Enchir. capit. 5. dict. 2. & 5. vt probet, ſeruandas omnino eſſe voluntates teſtatorum, ſeu inſtituentium capellas, vel capellanias, vel alia pia legata, vt Miſſas, preces, vel officia Diuina in talibus locis ſacris tali modo, ac tempore ab Eccleſia approbatis dicantur: nam iuxta hanc veriſſimam regulam de his Eccleſijs cenſendum eſt. An vero ex iuſta cauſa poſſit Epiſcopus hoc mutare, vel Papa etiam ſine cauſa, ad præſentem locum non ſpectat. Quamdiu enim non inuenitur facta mutatio, inſtitutio ſeruanda eſt. Vbi vero mutata inuenta fuerit, per ſolam conſuetudinem ſine expreſſa Prælatorum approbatione, vel diſpenſatione attente conſiderandum eſt, an iuſta cauſa interuenerit, ita vt conſuetudo credi poſſit rationabilis, & quaſi præſcriptionem contrariam induxiſſe, quia, vt dixi, eſt aliquo modo contra naturalem æquitatem, & ideo niſi ex cauſa honeſtetur, & ex diuturnitate temporis cum bona fide præſumpta, non poterit præualere.

7.
3. Aſſertio. In Eccleſiis regularibus datur obligatio dicendi publice horas Canonicas in choro iuxta cuiuſque inſtitutum. Clem. 1. de Cel. Miſſ.

Tertio principaliter dicendum eſt de Eccleſijs regularibus, in eis etiam eſſe obligationem dicendi publice horas Canonicas in choro, iuxta vniuſcuiuſque inſtitutum, & conſuetudinem. Ita docent communiter auctores, & ſumitur ex dicta Clemen. 1. de Celebr. Miſſar. vbi cum Eccleſijs cathedralibus, & collegiatis numerantur regulares, ſupponendo in his eſſe eandem obligationem pſallendi Diuinum officium, quæ eſt in prioribus. Dico autem, iuxta vniuſcuiuſque inſtitutum, vel conſuetudinem, quia religioſi non tenentur dicere officium in choro ratione proprij beneficij, vt conſtat, nec etiam quia aluntur ex eleemoſynis, vel Eccleſiaſticis bonis, quia non aluntur ſub hac conditione, neque ad hunc finem, ſed vt Deo ſeruiant iuxta ſuum inſtitutum. Nec etiam eſt vllum Canonicum ius, quod hoc onus omnibus Religionibus imponat, nam in dicta Clementina potius ſupponitur aliunde illa obligatio, & præcipitur, vt debito modo fiat: obligatio ergo ſupponenda eſt ex peculiari inſtituto, vel conſuetudine. Vnde dubitari non immerito poteſt de gradu obligationis, id eſt, an ſit ſub mortali culpa, vel tantum ex regula, & conſequenter an excedat communem obligationem regulæ: ſic enim non erit rigoroſum præceptum, niſi vbi regula id explicauerit, vel totum aliquod de hoc directe fiat. Sed in hoc quid dicendum ſit de ſingulis perſonis

Digitized by Google

perſonis infra declarabo. Loquendo autem ſimpliciter de toto conuentu, ſeu Eccleſia regulari, in qua eſt conſuetudo regulariter dicendi hoc officium, videtur eſſe ſub obligatione graui, quia ſaltem per conſuetudinem videtur ita receptum, & acceptatum illud onus, & magnum eſſet ſcandalum, ſi omitteretur, quamuis interdum aliqua diſpenſatione vti ex cauſa, non ſit ita ſcandaloſum, nec facile damnandum.

5. *4. Aſſertio. Hæc obligatio præcipue eſt in Prælatis cuiuſque Eccleſiæ, deinde deſcendit ad membra illius communitatis, licet non eodē modo. Probatur 1. pars.*

Quarto dicitur, hanc obligationem principaliter cadere in Prçlatum, vel Rectorem, aut Superiorem vniuſcuiuſque Eccleſiæ reſpectiue, deſcendere vero etiam ad ſingulos, qui ſunt membra talis communitatis, quamuis nō eodem modo ad omnes, ſed cum proportione. Prima pars ex ipſa rei natura cōſtat, & ex ratione dubitādi in principio poſita. Nam quoties obligatio aliqua cadit in aliquod myſticum corpus alicuius communitatis, caput talis corporis ratione ſui muneris maxime tenetur curare, vt obligatio illa impleatur: quia ad Rectorem pertinet mouere inferiores ad operandum, & quia alias non poſſet moraliter tale corpus tali obligationi ſatisfacere. Specialiter vero hæc obligatio explicata, & aucta eſt in dicta Clement. 1. de Celeb. Miſſa. vbi Ordinarijs Rectoribus, & Superioribus dicitur, vt ſolicitam diligentiam adhibeant, vt debitis horis cōuenienter hoc officium pſallatur, vel celebretur: *Si Dei, & Apoſtolicæ ſedis indignationem euitare voluerint*, quæ verba manifeſte indicant præceptum. Duplicem vero obligationem in his ſuperioribus diſtinguere neceſſe eſt: vna eſt ſolicite curādi, vt hoc munus in tali Eccleſia per hanc communitatem cōuenienter fiat: altera obligatio eſſe poteſt aſsiſtēdi perſonaliter, & pſallendi cum alijs tale officium: nos in aſſertione de priori obligatione loquimur: & de hac eſt ſermo in dicta Clement. & ratio etiam facta de hac procedit. De poſteriori autem non videtur Prælatus maiorem habere obligationem aſsiſtendi choro, quam cæteri: quantum attinet ad rigorem præcepti, niſi fortaſſe ratione exempli, & maioris ſcandali vitandi ob circumſtantiam perſonæ: nam aliūde nullum caput apparet ex quo obligatio maior poſsit oriri, an vero ſit eadem, vel facilius excuſari poſsit, ſtatim dicam.

Clem. 1. de Cel. Miſ.

6. *Probatur 2. aſſert. pars.*

Secunda ergo pars, quod nimirum obligatio pſallendi, vel dicendi officium in choro deſcendat ad ſingulos in communi clara eſt, quia eſt etiā moraliter neceſſaria, vt talis obligatio à tota communitate efficaciter impleri poſsit. Ratio autem, & modus obligationis oſtendetur facilius deſcendendo ad varios modos obligationis huius. Aliter enim de illa in ſecularibus clericis, aliter in religioſis, vt ſic, iudicandum cenſeo: quia longe diuerſus eſt titulus obligationis. Clerici ergo non obligantur ratione ſolius ordinis ad hoc pēſum horarum in choro ſoluendum. Non dico ad recitādas horas Canonicas: hoc enim longe diuerſum eſt, de quo infra dicemus, ſed loquor de modo recitandi publice, in choro pſallendo. Et ita eſt communis, & clara ſententia, & conſtat ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ: non enim omnes ſimplices ſacerdotes tenētur choro aſsiſtere, ergo ſignum eſt, non oriri hanc obligationem ex vi ordinis. Probatur etiam ex dicto cap. vlt. d. 92. ibi: *Si quis presbyter, diaconus, aut clericus Eccleſiæ deputatus*: ex illa enim vltima particula colligitur, ſolum presbyteratum, diaconatū, aut clericatum ſine deputatione ad Eccleſiam, hoc eſt, ad exercendum hoc munus in illa, non inducere hanc obligationem. Et ita tenet ibi Turrecremata dub. 1. concl. 4. Syluéſt. & Angel. ſupra, & notat ibi Gloſſa ex ſententia aliquorum. Ipſa vero addit: *Quemlibet clericum teneri ad hoc, licet non teneatur ad hanc, vel illam Eccleſiam*: & citat. ca. *Super eo*, extra. de Regular. Idem ſentit ibi Archidiacon. (referens Hugonem) de ordinatis in ſacris, nō vero de inferioribus, de quibus ſolis intelligit in textu vocem *clericus*, & cum ea ſola dicit eſſe coniungenda illa verba: *Eccleſiæ deputatus*. Itaque ſentiunt, clericos in ſacris abſolute obligari, minores vero ſolum, ſi deputati ſint vnde etiam aiunt hanc obligationem oriri ex triplici titulo: *Ordinationis, intitulationis, & beneficij*.

Turrec. Syluéſt. Angel. Gloſſa. Archid. Hugo.

10. *Presbyter Diaconus ex vi ſuæ ordinationis non tenentur dicere officium in choro.*

At enim, ſi intelligant *Teneri ad hoc*, id eſt, ad recitandas horas Canonicas, verum quidem eſt, quod dicunt, ſed extra rem, & extra textum illum, nihil enim ibi de hac generali obligatione agitur: ſi vero intelligant (vt reuera Gloſſa ſentit) teneri omnes clericos ex vi ordinationis ſuæ officium dicere in choro Eccleſiæ, licet voluntarium illis ſit in hac, vel illa Eccleſia cantare, quando alicui non ſunt addicti, falſum, & ſine fundamento eſt, quod dicitur: nec caput, *Super eo* aliquid pertinens ad hanc materiam tractat: nec ille triplex titulus quoad hanc obligationē inuenitur, ſed ſolus ille, qui in textu illo proponitur, & per illam determinationem. *Eccleſiæ deputatus* declaratur. Quæ determinatio cum omnibus præcedentibus vocibus potius coniungenda eſt nam propriiſsime poteſt, & cum materia ſit oneroſa, eſt potius reſtringenda, quam amplianda. Maxime cum illa obligatio, quæ clericis in ſacris imponitur, nullo firmo, vel rationabili fundamento nitatur. Adde, ex illamet expoſitione ſequi, ſaltem ſubdiaconos non teneri ad chorum, niſi ſint deputati ad certam Eccleſiam, quia cum ſolum presbyteros, & diaconos nominaſſet, ſub cæteris clericis illos comprehendit. At ſi aliqui eſſent obligandi ratione ordinis, maxime ſubdiaconi, iuxta ſentētiam Gregorij in ca. *In ſancta Romana* ſupra tractatam. Ex quo etiam textu optime probari poteſt, non habere presbyterum, vel diaconum talem obligationem ex vi ſuæ ordinationis.

D. Greg.

11. *Quid ſit clericum eſſe deputatum alicuius Eccleſiæ, & quot modis id contingat.*

Sed quçres, quid ſit, clericum eſſe deputatum alicui Eccleſiæ, ita vt inde naſcatur hæc obligatio. Reſpondeo, nihil aliud eſſe niſi habere in tali Eccleſia aliquod beneficium, quod propter tale ſeruitium Eccleſiæ ſpecialiter detur, vel quod annexam habeat obligationem hanc. Priori modo obligantur Canonici, & præbendati Eccleſiarum cathedralium, aut collegiatarum & aliqui beneficiati ad hoc ſpecialiter deputati etiam in inferioribus Eccleſijs. Inter quos ſolet eſſe differētia, nam interdum ſunt addicti ratione proprij beneficij Eccleſiaſtici, interdum ſolum ratione ſtipendij temporalis, & ad nutum auferibilis, & vtrumque ſufficit ad obligationem miniſtrandi, licet in modo poſsit aliqua differentia notari, vt infra declarabimus. Poſteriori autem modo videtur obligari parochus in ſua Eccleſia regulariter loquendo, niſi ex peculiari inſtitutione, aut conſuetudine aliud alicubi obſeruetur. Quamuis quia parochus habet alia miniſteria, vel occupationes poſsit per alios hoc miniſterium implere ex quacunque cauſa rationabili, vtrumque enim colligitur ex ca. 1. de Celebr. Miſſ. cuius verba ſuperius expenſa ſunt.

12. *Dubitatio circa Epiſcopos.*

De Epiſcopo etiam dubitari poteſt, an ex vi ſui muneris, ſeu beneficij teneatur choro intereſſe, ſi commode poteſt, quia ipſe etiam eſt ſuæ Eccleſiæ deputatus, & conſequenter videtur deputatus quoad hæc Eccleſiaſtica officia, quæ ſunt præcipua? Et ita tenent Syluéſt. dicta q. 10. & Angel. numer. 26. ex capit. *Epiſcopus*, 41. d. & cap. *Peruenit* 7. quæſt. 1. ſed nihil probant: nam in priore ſolum dicitur, vt Epiſcopus ſit moderatus in ſupellectili, victu, & veſtitu, *Et vt hoſpitium non longe ab Eccleſia habeat*: in altero vero ſolum dicitur, debere Epiſcopum in Eccleſia ſua reſidere. Sed aliud eſt reſidere in ſua Eccleſia, & prope illam habitare, aliud choro aſsiſtere, vt per ſe notum eſt, à diuerſis autem non ſit illatio, videtur tamen huic ſententiæ fauere Innocent. in capit. 1. de Celebr. Miſſar. quatenus in genere de Prælatis ait, poſſe ex cauſa legitima abeſſe

Syluéſt. Angel. Innocent. Turrecr.

à choro,

à choro, ſupponit ergo per ſe teneri. Et eodem modo loquitur Turrecrem. in dicto capit. vlt. dub. 2.

13. *Epiſcopi non tenentur in choro interesse niſi in feſtis, in quibus conſuetudo id poſtulat. Cap. Vlt. d. 92. Cap. Epiſcopus.* Nihilominus ſimpliciter aſſero, Epiſcopos non teneri per ſe loquendo ad chorum, niſi fortaſſe certis quibuſdam diebus feſtis, vel ſolennibus, in quibus conſuetudo, & publica ædificatio id poſtulat. Hoc ſumo in primis ex eodem capit. vlt. d. 92. vbi numerantur presbyter, & inferiores clerici, & non fit mentio de Epiſcopo, tanquam in altiori ordine conſtituto, & grauioribus occupationibus impedito. Secundo id ſumo ex c. *Epiſcopus*; de Conſecrat. d. 3. vbi ſic dicitur: *Epiſcopus ſi infirmitate non fuerit impeditus, Eccleſiæ, cui proximus fuerit, die Dominico deeſſe non debet.* Ex quo textu ſaltem per argumentum à contrario colligitur, aliis diebus poſſe abeſſe ſine excuſatione infirmitatis, ſub qua intelligitur quælibet alia æquiualens, quicquid Sylu. & Angel. dicât. Incredibile enim eſt, quod propter ſolam cauſam infirmitatis poſſit Epiſcopus diebus Dominicis abeſſe, vt ipſi reſtringunt, poſſunt enim eſſe aliæ cauſæ, & occupationes æque legitimæ, vt per ſe notum videtur, & vſus ipſe ſatis docet. Sub illa ergo intelligitur quælibet legitima cauſa, ergo aliis diebus non eſt neceſſaria ſpecialis cauſa, ſed obligatio ſui muneris ſatis excuſat, vel potius non ſecum compatitur aliam obligationem. Imo ex vi verborum illius textus non videtur ibi declarari rigoroſa obligatio, ſed ex quadam decentia. tum quia verbum *debet*, non habet maiorem vim, vt ex materia de Legibus conſtat: tum etiam quia non loquitur de propria Eccleſia. ſed de Eccleſia viciniori, vnde ſolum videtur attendiſſe ad quandam decentiam, quæ ſine dubio eſt in hoc, vt Epiſcopus ſaltem ad Miſſam ſolennem erat in Eccleſiam ſibi vicinam. Et ita textus ille nihil probat de horis Canonicis, etiam pro Dominicis diebus, quia poteſt de Miſſa ſufficienter intelligi, & onera ſunt reſtringenda.

14. *Probatur 2. ex iure, & ſententia D. Thom.* Deinde id colligo ex dicto capit. *In ſancta* 92. d. Addita doctrina D. Thom. 2. 2. q. 91. artic. 2. ad 3. vbi ait, Prælatos, qui docere populum ex officio tenentur, non debere ad chorum obligari, ne per hoc à maioribus retrahantur: cuius ſententia communiter recepta eſt, vt ſupra dixi, maximeque habet locum in Epiſcopis, quibus & prædicare conuenit ex officio, & multiplex alia Eccleſiarum ſuarum ſolicitudo: nec refert, quod de facto concionentur, nec ne: nam ad intelligêdam obligationem officij propria eius ratio ſecundum ſe ſpectanda eſt. Præterea adiungo, Epiſcopum ad hoc non teneri ratione ſtipendij, ſeu redditûum, quia multa alia habet onera ſui officij, propter quæ ab Eccleſia alatur: maxime cum ad recitandas horas ſimpliciter teneatur, vt infra videbimus: nec etiam tenetur ratione ſpecialis præcepti, nullum enim ex Iure colligitur: neque etiam ex conſuetudine poteſt talis obligatio colligi, quia nulla talis conſuetudo (vt arbitror) reperitur: imo nullum credo eſſe Epiſcopum, qui hanc obligationem agnoſcat: & rarus eſt, qui hoc munus frequenter ſubeat. Et hac ratione præeſſe in choro commiſſum eſt quaſi ex officio Decano, vel primæ dignitati: non eſt ergo Epiſcopis imponenda talis rigoroſa obligatio, maxime cum continua, vel frequenti aſſiſtentia in choro. Satis ergo eſt, ſi dicamus teneri aliquando adeſſe, quantum ad ſui muneris ſatisfactionem iudicauerit expedire, quod eius prudenti arbitrio relinquendum videtur. Optimum autem conſilium videbitur, vt niſi cauſa vrgens impediat, adſit diebus Dominicis, & feſtis, & in diebus ſolennioribus poterit fortaſſe interuenire obligatio ſaltem pro tempore Miſſæ, veſperarum, vel etiam Matutino, conſuetudinis etiam habenda eſt ratio, ac denique cauere debet Prælatus ne videatur hanc curam omnino negligere. De Prælatis item inferioribus ſi Epiſcopale munus, & iuriſdictionem exerceant, idem cum proportione ſentiendum videtur, ſi vero minores ſint, conſideranda erit qualitas beneficij, & inſtitutio eius, vel conſuetudo, & iuxta illam erit iudicandum: & hanc exiſtimo fuiſſe ſententiam Innocentij in loco allegato.

De Religioſis autem, qui chorum profitentur, exiſtimo non teneri ex vi generalis legis, ſeu præcepti obligantis ſub culpa mortali, ad canendum in choro, niſi vbi fuerit ſpeciali conſtitutione hoc præceptum ita expreſſe declaratum, & impoſitum, vel ſi alicubi proprium votum, de hoc fieret, quod in nulla religione credo fieri: neque etiam ſcio in aliqua eſſe conſuetudinem illo modo obligantem: nec enim conſuetudo chori eſt in hoc ſenſu in Religionibus introducta, ſed ſolum vt horæ omnino in choro dicendæ ſint, & omnes adeſſe debeant iuxta regulam, & quod in hoc deficientes, pœnæ ſubiaceant, non vero quod in hoc grauiter peccent, dummodo alias horas recitent, quod infra videbimus, quam neceſſarium ſit. Seclusis autem his capitibus, non eſt, vnde illa rigoroſa obligatio in eis naſcatur. 15. *6. Aſſertio. Religioſi qui chorum profitentur, non tenentur ex vi generalis præcepti obligantis ſub mortali, ad recitandum in choro, niſi vbi fuerit particularis ipſorum conſtitutio.* Dices: ex obligatione chori in toto corpore exiſtente ſufficienter naſcitur hæc obligatio in ſingulis. *Obiectio.* Reſpondeo non ita eſſe abſolute, & immediate (vt ſic dicam) loquendo. *Reſolutio.* Nam ſatis eſt, quod cura prouidendi, vt chorus non deficiat, ſit apud Prælatum, & quod ipſe poſſit cogere ſubditos, vt in choro non deſint nec horas omittant. Quamdiu vero Superior non imponit ſpeciale, ac perſonale præceptum, non eſt talis obligatio in ſingulis ex præcepto: nec Superior debet illam imponere ſine cauſa, quando publicæ obligationi ex vi regulæ ſit ſatis, & non deſunt, qui religioſe, ac voluntarie ſuæ profeſſioni ſatiſfaciant. Si autem tanta eſſet negligentia ſubditorum, vt videretur præceptum neceſſarium, tunc imponendum eſſet. Imo ſi contingeret, ipſum etiam Prælatum eſſe negligentem, & ideo ſolere horas publice amitti ex defectu miniſtrorum: tunc certe præceptum commune ſingulos obligaret, quia iam eſſet publica neceſſitas, in qua omnes obligantur: hic autem caſus, vel nunquam, vel raro accidere poteſt, & ideo moraliter loquendo regula poſita vera eſt, quæ ex auctoribus citatis, & referendis colligitur.

16. *Religioſus facilius excuſatur ab onere canendi in choro, quam clericus maxime beneficiatus.* Atque ex his ſequitur facilius poſſe excuſari religioſum ab hoc onere canendi in choro, ſine culpa leui, quam poſſit clericus ſecularis excuſari à culpa mortali, quando alioqui ratione beneficij ad illud tenetur. Ratio quoad religioſum eſt, quia vnuſquiſque religioſus in particulari ſolum tenetur ad exiſtendum, & canendum in choro ex vi regulæ, quæ ordinarie non obligat ſub reatu culpæ, ſed tantum pœnæ: & ideo licet practice, ac moraliter vix violetur ſine aliqua culpa leui, tamen ſi aliqua moderata cauſa intercedat, poterit omnem culpam excuſare, dummodo recitatio Canonici officij, ſaltem priuata non omittatur: hoc enim ſupponendum eſt ſemper, quoties de omiſſione chori tractamus: agimus enim de illa præciſe, nam de omiſſione abſoluta priuatæ recitationis horarum infra dicendum eſt. *Probatur 1. pars.* Atque ita in religioſis facile admitto quandam Caietani doctrinam in verb. *Hora Canonica.* Quam Armilla, & alij communiter ſequuntur: verba Caietani ſunt, *Vbi contemptus deeſt, & propter meam abſentiam non notabiliter læditur Diuini cultus officij, & Prælati diſſimulant parum de his, quæ Dei ſunt, curantes, non incurro mortale peccatum ex hoc, quod deſum horis Canonicis in Eccleſia mea, quia contra præceptum iuris poſitiui proprie non venio, nec notabile damnum infero Diuino cultui, Grauiter tamen pecco ſi ſine rationabili cauſa me debitis horis ſubtraho, quia grauis eſt ratio Diuini debiti.* *Caietan. Armilla.* Prior enim pars in religioſis verum habet, vbicumque ex aliqua ſpeciali conſtitutione, aut conſuetudine alicuius religionis contrarium non conſtiterit. Poſterior autem pars ne ſit contraria prio-

ria priori, intelligenda eſt de graui peccato in latitudine venialis, & eſt vera quando nulla probabilis cauſa excuſat.

Probatur 1. pars.

17. At vero in clericis, qui in ſuis Eccleſijs ad hoc officium in Eccleſia dicendum tenentur, longe diuerſa ratio eſt, quia hi tenentur per ſe loquendo hoc miniſterium præſtare Eccleſiæ ſuæ ſub reatu culpæ grauis ex ſuo genere, & ideo niſi ex leuitate materiæ, aut ex graui cauſa legitime excuſentur, mortaliter peccant, ſuum debitum non ſoluendo. Antecedens patet, quia tenentur ex lege iuſtitiæ ratione beneficij, & ſtipendij, quod propter hoc officium ab Eccleſia accipiunt, vt ex dictis ſupponimus: lex autem iuſtitiæ ex ſuo genere obligat ſub reatu culpæ mortalis. Atque hoc ſatis oſtenditur ex graui pœna, quæ propter talem tranſgreſsionem ponitur in dicto capit. vlt. d. 92. Qui textus (vt dixi) loquitur de clericis, qui ratione beneficij, vel ſtipendij iuſti ad hoc munus certæ alicui Eccleſiæ deputati ſunt. Nec oportet illum extendere ad religioſos, de quibus reuera non loquitur. Atque ita ſentiunt de clericis beneficiatis Turrecr. ibi quæſt. 2. & ſumitur ex Innocent. in capit. 1. de Celebr. Miſſar. & ex Paludan. 4. d. 15. quæſt. 5. articul. 1. Sylueſt. Angel. & Armilla ſupra, & Graffis capit. 52. numero 4. & 6. Qui ſane nimis confuſe loquuntur, nihil in hoc diſtinguentes, inter clericos beneficiatos, & religioſos, cum tamen ſit magna differentia, quia Religioſi reuera non canunt propter ſtipendium, ſed propter ſuam regulam, vel inſtitutionem. Quamuis autem in clericis beneficiatis obligatio grauis ſit, tranſgreſsio poteſt eſſe leuis ex paruitate materiæ, quia hoc generale eſt in materia iuſtitiæ, & infra explicabitur.

Cap. Vlt. — *Turrec. Innocent. Palud. Syluest. Angel. Armil. Graf.*

Obligatio ratione ſtipendij non eſt tam rigoroſa vt excuſationem moralē non admittat.

18. Præterea, licet hæc obligatio ex iuſtitia ſit, poteſt admittere legitimam cauſam excuſationis, quia obligatio ratione ſtipendij non eſt tam rigoroſa, vt excuſationem moralem non admittat, quod docent omnes, & per ſe notum eſt. Oportet tamen vt cauſa ſit vera, & vt bona fide procedatur. Item quando cauſa eſt diuturna, oportebit, vt Superioris legitima facultas, vel diſpenſatio intercedat. In quo nulla melior regula aſsignari poteſt, quam vt ſeruentur conſtitutiones iuſtæ, vel conſuetudines ſingularum Eccleſiarum, & quæ de diſtributionibus, & reſidentia in choro ſtatuuntur in Concilio Tridentino ſeſsion. 21. capit. 3. & ſeſsion. 22. capit. 3. & ſeſsion. 24. capit. 12. adiuncto capit. vnic. de Clericis non reſidentibus in 6. Et iuxta hanc doctrinam intelligendum eſt, quod dicti auctores dicunt Prælatos poſſe abeſſe à choro ſine graui culpa, ex iuſta cauſa. Nam de Prælatis Religioſorum eadem ratio quoad hoc eſt, quæ de alijs Religioſis: nam illi licet peculiari obligatione teneantur curare, vt horæ in choro non omittantur, tamen ad præſentiam perſonalem non magis illi obligantur ex voto, vel rigoroſo præcepto, quam inferiores. Sed ad ſummum ob circumſtantiam perſonæ, & ob aliorum exemplum intra obligationem regulæ magis tenebuntur, quamuis in eis poſsint etiam frequentius occurrere cauſæ legitimæ ad excuſandum, propter plures, & grauiores occupationes. De Prælatis autem Eccleſiarum ſecularium iam diximus, eos ordinarie ex vi ſui muneris non eſſe obligatos ad chorum, & ita non indigent ſpeciali excuſatione, vt frequenter abeſſe poſsint. Qui vero inferiores Prælati ſunt, & ex ſpeciali inſtitutione, & munere obligantur, & intelliguntur accipere beneficium propter hoc officium, illi indigebunt excuſatione ab eis bona fide probanda. Si tamen hi tales ſint, vt ſuas diſtributiones in choro habeant, eadem lege, qua cæteri tenebuntur quoad hoc, quia Iura indifferenter de omnibus loquuntur, eademque ratio in illis locum habet.

Concil. Trident.

19. Denique, ſi beneficiatus per ſe obligat[illegible] chorum, alias etiam tenetur ex vi ſui officij ad inſeruiendum in ſacriſtia, vel alibi, clarum eſt non peccare recipiendo ſtipendium beneficij integrum, etiamſi pro illo tempore in choro non reſideat, quia non poteſt ad incompoſsibiles actiones obligari. Vnde cum quis ex vi beneficij, vel ſtipendij ad plura miniſteria obligatur, ſemper intelligitur, quatenus illæ actiones inter ſe incompatibiles non ſunt: Ita ſumitur ex Palud. Turrecrem. Innoc. & aliis in locis citatis. Et eſt res per ſe ſatis clara: ſubintelligitur tamen ſemper, vt priuatim recitare debeant horas, quibus in choro non interſunt.

Beneficiatus ad duo officia obligatus incompoſſibilia, non peccat recipiendo integ. ū ſtipendium. — *Palud. Turrecr. Innocent.*

20. Atque ex his colligitur, Canonicos, & alios beneficiatos, qui quotidianas diſtributiones recipiunt propter aſsiſtentiam in choro, non poſſe illas tuta conſcientia recipere, nec receptas retinere, ſi choro non interſint. Ita declaratur in dicto cap. vnic. de Cleric. non reſident. in 6. vbi ſic dicitur: *Qui aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit, rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas, imo ad omnium reſtitutionem, quæ contra huiuſmodi cōſtitutionem receperit, teneatur.* Quæ conſtitutio renouatur in Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. Quod addit, vt qui aſsiſtunt, diſtributiones accipiant, quibus alij abſentes priuantur: *Quauis colluſione, aut remiſſione excluſa*, quę duo verba rigoroſa ſunt, & multum notanda: colluſio enim proprie dicitur eſſe ſimulata concertatio inter duos, vt inter actorem, & reum, quæ vox optime hic accommodata eſt ad reciprocas condonationes, quas faciunt præbendati, quando mutuo, & inuicem ſibi mulctas remittunt. Nam per hanc fictionem, & legi Canonicæ, & cultui Diuino derogant. Vult ergo Concilium, vt non obſtante hac colluſione abſentes non faciant diſtributiones ſuas, etiamſi alij conniueant. Quia vero Concilium ſub diſiunctione ait, quauis colluſione, aut remiſsione, dubitari poteſt, an idem per illa ſignificetur, vel aliquid per poſteriorem dictionem addatur? Quod eſt quærere, vtrum non ſolum quando eſt propria colluſio per mutuam condonationem, ſed etiam quando eſt ſimplex remiſsio, & bona fide ſit alicui perſonæ propter rationabilem cauſam, vel grauem occupationem, nō valeat, nec poſsit ille, cui ſit remiſsio, diſtributionem tuta conſcientia retinere, quando non eſt ex his caſibus, qui in dicto capit. vnic. numerantur his verbis: *Exceptis illis, quos infirmitas, aut iuſta corporalis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſarent.* Nam videtur nimium rigoroſum dicere, quod alij prębendati nō poſsint id, quod ſibi accreſcit, liberaliter cōdonare abſenti, etiam ex rationabili cauſa, & ſine colluſione, vel graui Eccleſiæ detrimento, vt ſupponitur. Nihilominus diſiunctio illa, & diſtinctio vocum, diuerſa in proprietate ſignificantium, cum illo diſtributiuo ſigno, *quauis remiſſione*, videtur valde vrgere, vt dicamus omnem remiſsionem irritam eſſe illis verbis, extra caſus in alio Decreto expreſſos, vt in eodem Conc. ſubiungitur, *Iuxta conſtitutionem Bonifacij VIII. &c.* Vnde hæc pars videtur in rigore verborum vera, *Et in congregatione Romana, his verbis declarata eſt: Non licet Capitulo aliquo prætextu diſtributiones quotidianas donare, relinquere, aut quauis colluſione remittere alicui, qui vel ab Eccleſiæ ſeruitio abſuerit, vel alio quouis modo diſtributiones legitime debeat amittere, nec fas ſit cuipiam eas recipere, & ſi acceperit ſuas, ne faciat, ſed eas reſtituere omnino cogatur illico diſtribuendas fabricæ Eccleſiæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco Epiſcopi arbitratu.* Et in alia declaratione additur, etiam remiſſionem quæ fieri ſolet in die Cœnæ Domini, ad hunc effectum non valere.

Canonici, & beneficiati qui quotidianas diſtributiones recipiunt propter aſſiſtentiam in choro non poſſunt illas tuta conſcientia accipere, nec retinere, niſi interſint. — *Cap. Vnic. Concil. Trident.*

21. Vltimó dicendum eſt, teneri clericos ad dicendum hoc officium in Eccleſijs, & templis ad hoc munus deputatis. Ita ſtatuunt prædicta iura, dum dicunt in Eccleſiis cathedralibus, collegiatis, regularibus,

Vltima aſſertio. In templis, & Eccleſiis recitandæ ſunt Canon. horæ, ob plures rationes.

Turrec. Syluest. Angel. Armilla. Matt. 11. 2. Par. 7.

laribus, & alijs: & notant Turrec. Silueſt. Ang. Armil. & alij. Et ratio eſt, tum quia ad hoc ſunt templa dicata: & hic eſt vnus ex præcipuis finibus eorum, propter quod Chriſtus templum vocauit domum orationis, Matt. 11. tum quia ad decentiam, & ornatum fieri officij ſolenniter, ac publicè nomine totius Eccleſiæ decantandi hoc pertinet: tum quia ad Chriſtiani populi conuenientem vſum hoc neceſſarium eſt: tum quia in illo loco Deus cenſetur peculiariter aſsiſtere, & facilius ab eo impetrari, 2. Paral. 7. Vnde & Angeli ipſi creduntur peculiariter ibi adeſſe, & Deum cum pſallentibus collaudare, eorumque orationes iuuare, iuxta illud Pſal. 67. *Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum, in Eccleſiis benedicite Deo Domino:* myſticè intellectum: vnde Chryſoſtom. hom. 24. in Acta. *Neſcis, ait, quod cum Angelis ſtas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis*, & Homil. 15. ad Hebr. *Plenas*, dicit, *eſſe Eccleſias incorporeis virtutibus.* Tum denique quia locus Eccleſiæ ad deuotionem, & quietem orationis aptior eſt, & dæmonibus eſt formidabilis propter loci ſanctitatem, præſertim ſi corpus Domini adſit, & Sanctorum venerabiles imagines, ac reliquiæ, quæ omnia iuuant, vt dæmon minus perturbare audeat, & Deus maius auxilium ad bene orandum præbeat. Ideoque antiquiſsima ſemper Eccleſiæ conſuetudo fuit, vt hæc officia quotidie in templis dicerentur, niſi neceſsitas aliud facere cogeret, id enim ſemper etiam facere licuit, & nunc licet. Vnde Clemens Rom. lib. 8. Conſt. c. 34. poſt præceptum de horis Canonicis publicè dicendis ſubiungit: *Quod ſi ad Eccleſiam prodire non licuerit, propter infideles, cõgregabis Epiſcope in domo aliqua, ne ingrediatur pius in Eccleſiam impiorum: non enim locus hominẽ ſanctificat, ſed homo locum.*

Pſalm. 67. S. Chryſoſt.

S. Clem.

Caput XI.

Quodnam officium Diuinum, in choro recitandum ſit.

1\. *Præſentis capitis ſtatus aperitur.*

Explicata ſubſtantia, & obligatione horarum Canonicarum, oportet, vt de circumſtantiis, & quaſi accidentibus eorum dicamus, quod faciemus, diſcurrendo per communes circumſtãtias actuum moralium: & quoniam de perſonis, & loco iam diximus, ſimulque declarauimus obligationem abſolutam dicendi has horas, quam poſſumus vocare obligationem quoad exercitium actus, explicando cęteras circumſtantias, declarabimus obligationem, quam ſolemus vocare quoad ſpecificationem actus, id eſt, vt talis oratio rectè, & honeſtè, & prout decet, fiat, quod maxime pendet ex modo, qui in his horis dicendis ſeruari debet. Hic autem modus internus eſſe poteſt, ſeu pendẽs ex actu interiori, qui eſt attentio, vel deuotio, & externus conſiſtens in prolatione ipſa vocis in materia, ſeu oratione, quæ profertur in integritate, in ordine & ſimilibus: & licet modus ille interior in ſe principalior ſit, tamen per exteriorem manifeſtatur, & ad illum applicari debet, & ideo ex huius cognitione pendet, ac propterea de circumſtantiis externis ſermonem præmittimus, & præſertim de his, quæ ad ſubſtantiam huius actus proxime accedunt, vt ſunt, quid cantãdũ ſit, quid ſit ab omnibus, vel à ſingulis canẽdum, deinde verò, quę ad integritatem, ordinem, & tempus ſpectant, de quibus ſigillatim dicemus.

2\. In præſenti ergo capite non eſt quæſtio de materia huius orationis in generali, nam conſtat ex dictis illam eſſe horas Canonicas, conſtantes ex partibus, quas in ſuperioribus declarauimus: ſed eſt quæſtio de talibus horis in ſpecie (vt ſic dicam) & de nõnullis partibus earum. ſub genere enim horarũ Canonicarum ſunt varii ritus orãdi: aliter enim Græci, & aliter Latini orant, & ſuas horas componunt, aliter Clerici, aliter Monachi: aliter in hoc Epiſcopatu, aliter in illo, vel in diuerſis regnis, vel prouincijs. Rurſus in eodem Breuiario pro diuerſis feſtis, vel temporibus ſunt aſsignati varij modi dicendi ſingulas horas. Item ordo horarum, & debita continuatio ſine nimia interpolatione videtur ad ritum huius officij pertinere, & ideo hæc omnia comprehendit quæſtio propoſita.

Primo ergo inquiri poteſt, quam formam Diuini officij teneantur ſingulæ Eccleſiæ in ſuis choris obſeruare, id eſt, an teneãtur, officium dicere iuxta formas Breuiarij, huius, vel illius Epiſcopatus: vel ſecũdum formam Eccleſiæ Romanæ. Cui quæſtioni breuiter ſatisfieri poteſt per conſtitutionem Pij V. in Bulla confirmationis ſui Breuiarij, vbi prius reuocat omnes alios recitandi modos in alijs Breuiarijs contentos, his exceptis, qui *ex inſtitutione à ſede Apoſtolica approbata, vel conſuetudine, quæ, & ipſa inſtitutio ducentos annos antecedat, retenti fuerint.* Deinde præcipit in hunc modum: *Omni itaque alio vſu quibuslibet, vt dictum eſt, interdicto, hoc noſtrum Breuiarium, ac precandi, pſallendique formulam in omnibus vniuerſi orbis Eccleſiis, Monaſterijs, ordinibus, & locis etiam exemptis, in quibus officium ex more, & ritu dicta Romana Eccleſiæ dici debet, aut conſueuit, ſalua prædicta inſtitutione, vel conſuetudine prædictos ducentos annos ſuperante, præcipimus obſeruari.* Et deinde declarat, quocumque alio modo recitetur, nõ ſatisfieri huic obligationi. Poſtea vero Clemens 8. licet nouum Breuiarium imprimi fecerit, formam illam non immutauit, ſed à mendis, quæ irrepſerant expurgauit, paucis additis, vel immutatis. Huic ergo legi ſtandum eſt & ſecundum hanc formam eſt in choro pſallendum, vel iuxta Breuiarium Pij V. quo vti licet, quamdiu libri prius impreſsi non conſumuntur, vel iuxta Breuiarium Clementis, iuxta cuius formam in poſterum ſunt Breuiaria imprimenda, ſicut ipſe ſtatuit. Vnde graue peccatum eſſet, quacumque alia forma vti in Eccleſiis tam ſecularibus, quam regularibus ſub illa exceptione non comprehenſis, quia præceptum eſt ſatis expreſſum, & materia ſatis grauis, pertinenſque ad ſubſtantiam Diuini officij.

3\. *1. Aſſertio Eccleſia. Omnes tenẽtur iuxta formam noui Breuiarij Romani diuinum officiũ recitare, præter in eo exceptos. Bul. Pij V.*

Clem. 8.

Circa limitationem autem in eadem lege additam de his Eccleſiis, quæ Breuiario approbato per conſuetudinem ducentis annis antiquiorem, quod ad vſum chori attinet, certum eſt, non teneri ad recitandum officium in choro iuxta Breuiarium hoc Romanum, quia in ipſa lege excipiuntur: certum ſecundo eſt, poſſe illud acceptare, ſi velint ex conſenſu Epiſcopi, & totius Capituli, quia in ipſa etiam conſtitutione hoc expreſſe conceditur. Cui addo tertio, quod ſi ſemel hoc modo acceptetur, non poterit poſtea ſine Pontificis auctoritate relinqui, quia per illam acceptationem antiqua conſuetudo reuocata eſt, & prius Breuiarium quaſi abolitum, & priuilegio in illa exceptione contento fuit renunciatum, & ideo ad antiquam cõſuetudinem iterum propria auctoritate rediri non poteſt, ſed lex Pij V. iam ibi obligat. Quarto aſſero ſine cõſenſu Epiſcopi, & totius Capituli non poſſe in illis diœceſibus pro vſu chori recedi ab antiquo vſu: ac ſubinde ibi ſeruandum eſſe ius commune, quod habet, omnes inferiores Eccleſias conformari debere Metropolitanæ. cap. penult. & vlti. d. 12. Quæ regula cum proportione ad regulares Eccleſias applicatur, vt vnaquæque ſui ordinis ritum ſequi debeat, quando illa antiquitate gaudet, eamque vult retinere. Quod ſi ex ſimili, & æquè antiqua conſuetudine diœceſis Epiſcopalis proprium habuerit Breuiarium, credo poſſe illud retinere, & non poſſe mutari, niſi cum prædicta conditione, & conſenſu Epiſcopi, & totius Capituli: quia Pius V. expreſſe loquitur de Breuiarijs ab Epiſcopis in ſuis diœceſibus perualgatis,

4\. *Quibus ſui eſt forma ab Eccleſia approbata, & 200. annor. cõſuetudine firmata, excipiuntur: poſſunt tamen Romanam ſuſcipere, & ſuſceptam ſemet nequeunt repudiare.*

& poſtea illa comprehendit in exceptione, & vt relinqui poſsint, non poſtulat Metropolitani conſenſum, ſed Epiſcopi, & vniuerſi Capituli: cum autem dicit *vniuerſum*, non poſtulat, vt omnes de Capitulo, nullo diſcrepante, conſentiant, id enim moraliter expectandum nõ eſt, nec vis verbi hoc poſtulat, ſed ſolum quod conſenſus præſtetur à Capitulo, vt Capitulum eſt, id eſt, per modum vnius corporis myſtici ad hoc congregati, & tunc vniuerſum conſentit, quando maior pars vincit, niſi Iure expreſſo amplius requiratur.

5. *Reſolutio aliquarũ dubitat Lex illa Pij V. de recitando iuxta formã Romanam obligat vbique, eſtque non ſolum præcipiens, ſed irritans.*

Neque in hoc puncto noua difficultas occurrit: ſolum video quæri poſſe, an hæc lex Pij V. nunc obliget vbique: & occaſio dubitandi eſt, quia poteſt alicubi non eſſe recepta, nec moribus introducta, nõ titulo antiquæ conſuetudinis, ſed ex negligentia, vel reſiſtentia Epiſcoporum ſeu Prælatorum: quæ in initio poteſt eſſe iniqua, vſu tamẽ, & duratione præualere: cũ enim hæc lex humana ſit, poterit conſuetudine contraria abrogari, ergo non repugnat alicubi ita accidiſſe: ibi ergo non obligabit hæc lex, retinerique poterit aliud Breuiarium, etiã pro vſu chori, licet nõ excedat ducentorum annorum antiquitatem. Dicendum eſt tamen in primis hactenus non fuiſſe per nouam conſuetudinem contrariam huic legi alicubi derogatum, quia Pontifices nunquã cõſenſerunt tali conſuetudini, vel expreſsè, vel tacitè, quin potius Clem. 8 ſtatuit, vt quod Pius ordinauit, ratum, & inuiolatum conſeruetur. Deinde dico illam legem non tantum eſſe præcipientem, ſed etiam irritantem omnia alia Breuiaria, quæ infra ducentos annos initium habuere, quare nulla cõſuetudine reſtitui poſſunt, ac ſubinde officium illud iã non poteſt eſſe Canonicum, neque aptum, vt per illud obligationi chori ſatisfiat: & ex hac parte exiſtimo omnes poſteriores conſuetudines ita eſſe per hanc legem reprobatas, vt contra eandem legem præualere non poſsint. Vnde fit, ſi in aliqua prouincia ſimilis conſuetudo, vel Breuiarium non ita antiquum, vt poſtulatur in Breui Pij V. cõtra illius diſpoſitionem indebite retineatur, non obligari clericos, vel parochos ad illum recitandi modum, ſiue in choro, ſiue extra illum, ſed potius per ſe loquendo obligare lege Pontificia, vt infra latius dicam.

6. *Hæc lex ita obligat ad recitandum tale officiũ tẽporis, vel diei, & non aliud, vt nequeat Prælatus diſpenſare nec ex cauſa, permanenter, cum ea vero poſſit, quaſi tranſeũter. Cap. De ijs. Cap. vlt. Cap. Conuenit.*

Poteſt verò ſecundo quæri, an hoc præceptum obliget, non ſolum ad dicendum officium iuxta tale Breuiarium generatim, vt ſic dictum, ſed etiam ad dicẽdum in particulari tale officium temporis, vel diei, prout in ipſo Breuiario deſignatur. Veruntamen quæſtio hæc maius habet dubium in recitatione priuata, quàm in publica, & ideò de illa communiter tractatur ab Auctoribus, & à nobis infra diſputabitur. Dico ergo, hoc præceptum per ſe obligare determinatè ad tale officium, prout ad ſingulos dies in Breuiario applicatur: ideoque maximè obligare in publica oratione chori, quia de illa maximè loquuntur Iura, in cap. *De ijs*, & ca. vltim. d. 12. & ca. *Conuenit*, de Conſec. d. 5 & ſecundum illum publicum dicendi modum maximè attendi poteſt, & debet Eccleſiæ conſuetudo, & neceſſaria vniformitas. Item quia illa mutatio nõ fit ſine aliqua nota, vel ſcandalo, quando tam publicè fit. Et propter hoc cenſeo hanc mutationem eſſe rem grauem ex ſuo genere in hac publica oratione, & ideo vix poſſe fieri ſcienter in notabili parte officij ſine graui culpa eius, qui fuerit cauſa illius: ex leuitate autem materiæ, vel ex inaduertẽtia facile excuſari, ſaltem à culpa graui. Addunt etiam frequenter Doctores, poſſe Prælatũ ordinarium in hoc diſpẽſare ex rationabili cauſa, etiamſi diſpenſare non poſsit, quominus officium dicatur. Ita Anton. 4. par. tit. 13. cap. 4. §. 2. Tabien. num. 16. Armilla num. 13. qui refert quendam Magiſtrum Vincentinum: & idem ſentit Nauar. ca. 19. numer. 217. Quod facile admitti poteſt quoad hanc mutationem officij diei in vna, vel alia occaſione graui: tamen in mutatione totius Breuiarij clarum eſt, non poſſe diſpenſar, neque illam facere, aut permittere, niſi iuxta conſtitutionem Pij V. vt ex dictis ſatis patet. Nec etiã poteſt quaſi permanenter diſpenſare, aut legem facere, vt tali, vel tali die aliter dicatur officium, quam in Breuiario Romano ſit præſcriptum, vbi illud ſeruandum eſt: ſed oportebit tunc ad Papam accedere. Et eadem proportione non poteſt Prælatus Religionis vtẽtis proprio officio talem diſpenſationem permanentem facere, & ſic de alijs ſeruata proportione.

D. Ant. Tabien. Armilla. Vincent. Nauar.

7. *In recitatione publica quæ fit in choro; ſeruãdus eſt ordo non ſolum totius inter partes, ſed etiam partium inter ſe idque ex præcepto.*

Tertio loco ſpectat ad præſentem quæſtionem explicare, an hoc receptum obliget ad ſeruandum ordinem in dicendis horis Canonicis in choro, tam inter ipſas horas inter ſe quam inter partes vniuſcuiuſque horæ. Et ratio dubitandi eſſe poteſt, quia cõmuniter Auctores dicunt, ordinem non pertinere ad ſubſtantiam huius præcepti, & ideo non violari grauiter, etiamſi prætermittatur. Dico tamen Auctores frequentius loqui de recitatione priuata, de qua inferius videbimus: at vero de illa, quæ publicè in choro fit, omnino dicendum eſt, in dicendis horis ſeruandum eſſe earum ordinem ex præcepto. Et primum de ſingulis horis quoad partes earum inter ſe patet, tum ab inconuenienti, quoniam alias poſſet arbitrio Prælatorum dici Hymnus in fine, quando dicendus eſt in principio, & è conuerſo, & capitulum, vel pſalmi ordine præpoſtero quæ tamẽ ſine dubio fieri non poſſunt ſine culpa ex ſuo genere graui, niſi vel materiæ leuitas, vel aliqua inaduertentia excuſet: tum etiam à priori, quia in his artificialibus vnitas rei, & quaſi eſſe illius conſurgit ex tali ordine, ita vt poſsit dici de ſubſtantia illius vt tale artefactum eſt, talis autem eſt vnitas vniuſcuiuſque horæ Canonicæ, vnde inuertere ordinem, eſt illam deſtruere, & alium ritum introducere. Denique in publica recitatione de ſe eſt hoc offenſiuũ populi, nullo ergo modo licet. In ordine vero diuerſarum horarum inter ſe non videtur eſſe tam intrinſeca connexio, quia non ita componunt vnã horam, vnde in mutatione illius ordinis non ſtatim apparet tam grauis deformitas. Nihilominus ille ordo etiam eſt per ſe intentus ex vi talis ritus, & inſtitutionis, quia ex omnibus illis horis ita ordinatis vnum integrum officium componitur, quod ſuo modo vnum eſt, & de illo vnum præceptum datur. Vnde non dubito, quin talis ordo etiam comprehendatur ſub tali præcepto, & quod ſit culpabile illum mutare voluntarie, & ſine cauſa cogente. Et in oratione publica habet maiorẽ deformitatem, quia magis videtur inſtitutio contemni, quando publicè omittitur, & per ſe maius ſcandalum inde generatur: item quia quodammodo eluduntur myſteria, quæ per has horas, & earum ordinem ſignificãtur, nam propter orationes publicas maximè inſtitutæ ſunt.

8. *Quot modis interpellatio contingere poſsit in recitatione Diuini officij, & qua ſit laudabilis inter ſingulas horas.*

Tandem inquiri hic poteſt de interpolatione in his horis facta an ſit contra debitum orandi modũ, & quam grauis culpa ſit, quando in choro committitur? Quæ dubitatio non intelligitur de interpolatione diſtinctarum horarum inter ſe: illa enim abſolutè loquendo bona eſt, & conſentanea inſtitutioni. Nam licet ſint partes vnius officij diei, non ſunt partes continuæ, ſed diſcretæ: nam ipſum officium non eſt vnum ad modum quantitatis continuæ, ſed diſcretæ, ſicut eſt oratio. Diſcernuntur autem, ſeu diuiduntur partes illæ per interpolationem, & ideo bonum eſt, vt cum interpolatione dicantur. Verum eſt tamen in hac interpolatione modum, ſeu mediocritatem requiri, ita vt neque nimia ſit, nec nimis parua, hoc autem pendet ex antepoſitione, & poſtpoſitione talium horarum, quantum enim in his peccatum fuerit, tantum in illo peccabitur, quid vero de illis circumſtantijs dicendum ſit, infra tractando de tempore horarum videbimus. Hic ergo ſolum

Digitized by Google

ſolum agitur de interpolatione, quæ fieri poteſt inter partes eiuſdem horæ, vt inter vnum pſalmum, & alium, vel inter pſalmos, & lectiones, aut inter partes eiuſdem pſalmi. Diſtinguere autem oportet interpollationem à pauſa: nam pauſa, quæ nimia non ſit potius eſt commẽdata in choro, quam prohibita, vt conſtat ex Concil. Baſil. ſeſ. 21. §. 2. vbi monet cantum fieri, *cum pauſa decenti, præſertim in medio cuiuslibet verſiculi pſalmorum, debitam faciendo inter ſolenne, ac feriale officium differentiam.* Interpollatio vero eſt, quando ſit nimia, & inuſitata partium diſcretio. Hæc autem duobus modis fieri poteſt, primo omnino ceſſando à choro pro aliqua notabili mora, & ad alias actiones, vel cogitationes omnino extraneas diuertendo: (loquimur autem de ceſſatione, aut interpollatione totius chori: nam in ſingulis non poteſt eſſe ſola interpollatio, ſi chorus officium proſequatur, ſed erit ſimul mutilatio quoad eam partem, ad quam aliquis non concurrit, vt ſtatim explicabo.) Secundo poteſt contingere intermiſsio hæc non ceſſando omnino, ſed cantando aliquid, vel legendo, illo intermedio tempore, quod totum ad Deum, & eleuationem mentis in ipſum aliquo modo referatur, non ſit tamen pars illius horæ, vel officij, quod canitur. De hoc poſteriori modo dicam c. 13.

9. *Interpollatio facta præter inſtitutionem in quacumque hora eſt peccaminoſa de ſe.*

De primo dicendum eſt, interpollationem factã præter inſtitutionem in quacumque hora eſſe peccaminoſam de ſe. Dico, *præter inſtitutionem*, vt excludam interpollationem inter tres nocturnos, vel inter ſe, vel à laudibus: illa enim non eſt abſolutè præter inſtitutionem, & ideo peculiarem difficultatem habet, an nũc liceat, necne: quæ ſupra tractata eſt? De omni verò alia ratio eſt, quia eſt contra vnitatem moralem vniuſcuiuſque horæ, & contra communem conſuetudinem, à qua diſcrepare in publica celebratione ex ſuo genere graue eſt. Denique eſt contra ritum, & inſtitutionem, quæ nõ parum violatur per hanc interpollationem, quando notabilis eſt. An verò hæc culpa grauis, aut leuis ſit, ex circumſtantijs expendendum eſt? Moraliter verò non poteſt accedere ex mera voluntate, ſed ex aliqua neceſsitate, vel probabili ignorantia: & tunc neceſsitas poterit excuſare omnino, & ignorantia magna ex parte, niſi valde craſſa ſit, & ſcandalũ graue ſequatur. Secluſo verò ſcandalo, & poſita bona fide orta ex aliqua occaſione probabili, videtur facile poſſe excuſari grauis culpa in huiuſmodi interpollatione.

10. *Ceſſatio à cantu, ſi ſtetur recitatio nõ eſt interruptio: recitatio tamen ſi deſit moraliter æquiualet omiſſioni partiali alicuius partis, quæ ſi parua fuit, poteſt repeti expleto officio.*

Et hinc conſtat, quid dicendum ſit de interruptionibus, quas ſingulæ perſonæ aſsiſtentes in choro facere poſſunt, potiſsimè enim fieri ſolent per verba nullo modo in officium pertinentia, raro namq; vel nunquam fieri poſſunt in choro hæ interruptiones per alias actiones ab officio extraneas, niſi fortè per rixam, quæ ex verbis ordinariè naſcitur, interdum vero fieri poteſt per ceſſationem à cãtu, vel omnino à recitatione vocali, vel etiam ab attentione, & auditione morali eorum quæ dicuntur. Et quidem de his poſterioribus modis nihil eſt, quod de nouo dicamus, quod pertineat ad ſpecialem defectum interruptionis, nam ceſſatio à cantu, ſi recitatio aliqua eius, quod canitur, non deſit, non eſt propria interruptio horæ, ſed ſolius cantus, & eſt potius omiſsio illius actionis, quoad aliquam partem eius, nam pars illa ſemel omiſſa non poteſt poſtea explicari quoad cantum. Et ita culpæ gradus erit, & pro ratione obligationis cantandi, de qua ſupra dictum eſt. Et iuxta quantitatem partis omiſſæ, quod prudenti arbitrio relinquendum eſt. Si autem non tãtum cantus, ſed etiam recitatio exterior omittatur, neceſſe eſt, vt moraliter æquiualeat partiali omiſsioni alicuiꝰ partis Diuini officij, quæ grauior culpa eſt, quam interruptio, & niſi fiat animo repetendi poſtea omiſſum, facilè erit grauis culpa: & adhuc cum illa intentione non eſt parua culpa intra latitudinem venialis. quia eſt magna inuerſio partium officij, ſimul cum interruptione. Dico autem æquiualere illam taciturnitatem omiſsioni, quia chorus ſemper in officio ſuo procedit, & quod ſemel perditur, non poteſt in eodem tempore recompenſari, erit enim maior confuſio, & perturbatio officij: & ideo omnes Doctores admonent, vt, ſi aliqua particula officij præterijt, ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter, non repetatur, durante officio chori ſed vel nulla ratio eius habeatur, ſi parua fuit, vel reſeruetur repetenda poſt expletum officium. Vnde quia hoc per ſe eſt contra debitum ordinem, ſi voluntariè fiat, & ſine cauſa cogente, non ſit ſine aliqua culpa. Atque hæc tota reſolutio maiori ratione locum habet, quando aliquis non ſolum non canit, neque ore recitat, ſed etiam non attendit voluntarie ad ea, quæ in choro dicuntur, nam tunc grauior eſt omiſsio. vt per ſe notum eſt. Et infra tractando de excuſationibus latius declarabitur.

11. *Interruptio per cõmiſſionem poſitiuã grauior eſt culpa ſex ob cauſas.*

At verò quando interruptio eſt per commiſsionem poſitiuam, loquendo, vel agendo aliquid incompoſsibile cum Diuino officio, tunc multis modis grauior eſt culpa. Primo quia id ſpecialiter prohibitum eſt in cap. *Dolentes*, de Celebra. Miſſ. & in Clement. 1. eodem tit. & ſumitur ex cap. *Nullus*, de Conſec. d. 1. Secundo, quia eſt irreuerentia interrumpere ſermonem cum Deo, humanis colloquiis, tertio aggrauatur maximè hæc culpa ſi colloquia ſint indecentia, & profana, & talia eſſe poſſunt, vt aggrauent mortaliter culpam, vt ſi ſint turpia, &c. Quarto hoc non ſit ſine impedimẽto aliorũ, quantum eſt ex parte loquentium, vel aliquid ſimile operantium, quam inordinationem late exaggerat, & minutiſsime per varia exempla, & circumſtantias explicat Nauar. cap. 15. de Orat. Quinto non ſit hoc in choro ſine aliquo ſcandalo tum clericorum in eodem choro aſtantium, tum laicorum audientium, vel videntium. Sextò denique eſt in tali actione tota inordinatio interruptionis, & partialis omiſsionis, quæ in pura omiſsione explicata eſt: quapropter regulariter nõ excuſatur à graui culpa veniali, poteſt verò etiam eſſe mortalis, ſi aggrauentur circumſtantiæ. Quod quidem in generali certum eſt, quia materia eſt grauis, & ſuo modo Diuina: in particulari vero arbitrio prudenti determinandum eſt. *Nauar.*

Capvt XII.

Vtrum ſatisfaciant Clerici in choro alternis verſibus pſalmos canendo, & quid in hoc ſeruare teneantur.

1. *Antiquitas alterni cantus Eccleſiaſtici, quo à D. Ignatio, & ea ampliꝰ traxit originem.*

PRiuſquam quęſtioni reſpondeamus, ſupponendum eſt, antiqua Eccleſiæ conſuetudine receptum eſſe, vt in horis Canonicis pſalmi alternatim per ſingulos verſus à pſallentibus dicantur, quę alternatio antiphona à Græcis vocatur. Quamuis enim hæc vox *Antiphona*, nunc aliam ſignificationem habeat, vt notauimus cap. 2. tamen ſecundum primęuam impoſitionem ſignificat alternationem illam, eſt enim Antiphona idem, quod vox contra ſonans, quod fieri videtur in viciſſitudine illa canẽdi verſus alternatim. Dicunt ergo multi Antiphonas pſalmorum in hoc ſenſu incepiſſe à tempore Cõſtantij, & Flauianum Antiochenum in ſua Eccleſia illius inuentorem fuiſſe. Ita Theod. li. 2. Hiſt. c. 24. & ſequuntur Sigebertus, & alij. Verumtamen in Græcia antiquiorem fuiſſe morem illum, indicat Diony. ca. 3. de Eccleſ. Hierarch. loquitur tamen de officio Miſſæ ſolennis: & ſolum dicit Pontifices inchoare pſalmodiã, proſequi verò cæteros Eccleſiaſticos *Theodor. Sigebertus. Dionyſ.*

Digitized by Google

ſticos ordines cum eo canentes. Vnde magis recepta ſententia eſt, Ignatium hunc morem introduxiſſe: ferũt enim audiuiſſe Angelos hymnos in laudem Trinitatis alternatim decantantes, & inde motum fuiſſe, vt eum morem Eccleſiæ Antiochenæ traderet, & inde per Orientem propagatum eſſe. Vnde eiuſdem conſuetudinis mentionem fecit Baſilius Flauiano antiquior, Epiſt. 63. ſignificatque vetuſtiorem eſſe ipſomet Baſilio, quia non vt à ſe inuentam, ſed vt ab alijs vſitatam illam commemorat: vnde vero creditur ab Ambr. fuiſſe Mediolani introductam (vt ex Auguſt. colligitur) atque eodem fere tempore Damaſum illam probaſſe, & Romanæ Eccleſię imperaſſe, ideoque illi etiam ſpecialiter attribui in Pontificali. Ita de origine ab Ignatio ſentiunt Radulph. prop. 12. Amalar. libr. 4. capi. 7. Vualfri. de Reb. Eccleſiaſt. capit. 28. ex Nicephor. libr. 13. Hiſtor. cap. 8. Socrat. libr. 6. capit. 8. Addunt Iſidor. libr. 1. de Eccleſ. offic. c. 7. Alcuin. & alij morem hunc originem duxiſſe à Seraphinis, quos Iſai. vidit clamantes *Sanctus, Sanctus, &c.* nam Scriptura dicit, *quod clamabat alter & alterum*, id eſt, vno prius dicente, & altero reſpondente. Tamen Iſidorus aperte docet, hanc fuiſſe inſtitutionem Græcorum, fuiſſe vero adumbratam in illa viſione, ſeu ad imitationem illorum Seraphinorum introductam. Nã re vera licet non interceſſiſſet alia canẽtium Angelorum viſio, illa ſufficeret ad excitandum pium animum ad inueniẽdum hunc ritum laudandi Deũ, qui per ſe ſe adeo eſt honeſtus, & decens, vt commendatione non egeat.

Baſil. *Auguſt.* *Radulph.* *Amalar.* *Vualfrid.* *Niceph.* *Socrat.* *Iſidor.* *Alcuin.* *Iſaias 6.*

2.

1. Aſſertio. Per alternũ Eccleſia cantum quiſq; pſallentium ſatis ſuo muneri ſatisfacit.

Ex hac ergo conſuetudine conſtat, vnumquemque pſallentium, aut recitantium publicè ſuo muneri ſatisfacere, dum quiſque, poſtquam verſum ad ſe pertinentem dixit, alium dicentem attente audit. Quia eadem Eccleſia, quæ præceptum hoc impoſuit, ita illud temperauit, ac merito. Primo quia illa varietas oblectat audientes, & maiorem deuotionem prouocat: ſecundo quia hoc modo labor canendi facilius ſuſtinetur: Quam rationem attigit Caſſian. lib. 3. de Inſtit. ca. 8. ibi: *Ideoque eas tripartitis diſtinguũt officijs, vt labor hac diuerſitate diuiſus, delectatione quadam defectionem corporis releuet.* Dicit autem *tripartitis*, forte quia vltra verſuum alternationem in principio, & fine omnes ſtantes Antiphonam ſimul concinunt, vt ſequentibus verbis declarat. Tertio quia dum lingua paululum ceſſat, ſpiritus magis excitatur, vnde facilius mentalis oratio cum vocali admiſcetur. quod ſignificauit Baſil. ſupra dicens: *Alternis canunt, atque ex eo ſimul eloquiorum Dei exercitationem, & meditationem corroborant.* Quarto in illa mutua reſponſione ſignificatur, & quodammodo exercetur mutua excitatio ad laudandum Deum, & in fine per communem Antiphonam, ſeu ſententiam animorum concordia declaratur, vt in ſuperioribus dictum eſt. Quapropter nõ ſolum per conſuetudinem declaratum, & quaſi ex parte remiſſum eſt hoc præceptum, ſed etiam directe, & ex inſtitutione Eccleſiæ ita eſt conſtitutum, ſiue à principio inſtituti chori ita fuerit ordinatum, ſiue poſtea per Damaſum, vel per alios Pontifices additum fuerit.

Caſſian. *Baſil.*

3.

Qui in choro, verſus ad ſe pertinentes ita omittit, vt habeat propoſitũ illos non recitando, ille nõ recitat Diuinum offi. & manet Eccleſiaſticis pœnis obnoxius.

Hac ergo veritate ſuppoſita, explicandũ eſt, quomodo ſe gerere debeat Clericus ex vi præcepti, q nunc explicamus: tam in proferẽdis verſibus pſalmorum, qui ad chorum ſuum pertinẽt, quam cum alij verſus in alio choro decantantur. Circa priorẽ enim partem queri poteſt, an peccet grauiter ex ſuo genere, qui omnino omittit verſus ad ſe pertinentes, ita vt nec illos cantet, nec omnino voce proferat. Ad quod reſpondeo, dupliciter hoc poſſe fieri: primo cum propoſito iterum recitãdi priuatim officium Canonicum, vel cum propoſito non amplius recitandi, ſed ſatisfaciendi cum ſola chori aſſiſtentia, & audiendo tantum. Si fiat hoc poſteriori modo dicendum eſt, illum non ſatisfacere obligationi recitandi horas Canonicas, & conſequenter incurrere, vel debitum reſtituendi, vel aliam pœnã non recitantibus impoſitam, quãtum ad illum ſpectare poſſunt, de quibus infra videbimus. Probatur, quia hoc præceptum non eſt de audiendis horis, ſed de recitandis, modo aliquo ab Eccleſia recepto, ſeu probato, ille autem non recitat, ſed audit, quia nec dicit verſus ſuos, nec alios, vt ſuppono in caſu: ille vero modus recitandi non eſt ab Eccleſia receptus, nec probatus: neque ex natura rei poteſt dici recitatio, ergo in hoc nulla poteſt eſſe ratio dubitandi. At verò ſi tunc taceat, animo dicẽdi poſtea priuatim officium, eadem ratio erit de illo, atq; de eo, qui non pſallit, licet ſubmiſſe proferat.

Secundo ergo inquiri poteſt, an is, qui ſocios nõ adiuuat canendo verſus ſuos, ſubmiſſe tamen illos recitat, ſatisfaciat ſuo muneri? De quo duo quæri poſſunt, an ſatisfaciat muneri recitandi Canonicũ officium, vel an expleat debitum ſeruitium chori, & ex hac parte mortaliter peccet ex ſuo genere? Prima opinio negat eum mortaliter peccare, quia Iura Canonica ſolum præcipiunt aſſiſtere choro, & ad ſummum recitare in Eccleſia, non canere, at ille aſſiſtit, atque etiam recitat in Eccleſia, ergo. Maior ſumi poteſt ex c. vlt. d. 92. cum ſimilibus. Atque hæc opinio tribui ſolet Caiet. in Summ. ver. *Hora*, §. vlti. ſed id non abſolute dicit, nec retractat ſententiam, quam alibi tenuit. Citatur etiam Tabien. ver. *Hora*, quæſtio. 33. alias vltim. qui loquitur in priori ſenſu tantum. 4.

1. Opinio aſtruens nec omittere ſeruitiũ chori, nec mortaliter peccare eũ qui ſubmiſſe recitat alijs cantantibus in choro. *Caiet.* *Tabien.*

Aliorum ſententia eſt, ex vi iuris communis, clericos, qui ita ſunt addicti alicui Eccleſię, vt inde obligentur ad chorum, non ſatisfacere: dicendo ſubmiſſe, ſed teneri ad canendum cum alijs. Ita Caiet. in Summ. vbi ſupra nam refert ſe alibi id dixiſſe videlicet to. 1. Opuſ. tract. vlt. reſpon. 8. & ibi nõ retractat: licet addiderit aliquid, quod infra commemorabo: ſequitur Armilla num. 22. & Nauarrus in Enchir. c. 10. num. 47. & cap. 11. num. 42. & c. 21. Miſcel. 79. Ratio Caietani, quam multum commendant Nauarrus & Armil. eſt, quia qui ſic recitat verſus ſuos, nõ communicat alteri choro, quia ſibi recitat, & non alijs, ergo non implet præceptum recitandi, quia debet impleri per mutuam communicationem recitantium. Quilibet enim beneficiatus tenetur ad totum officium dicendum c. 1. de Celebr. Miſſar. ergo vel per ſe, vel per communicationem cum alio: cũ autem dicit totum per ſe, tunc poteſt ſibi ſubmiſſe dicere, vt autem totum cum alio dicat, oportet, vt illi communicet orationem ſuam, quod non facit, quando ſibi ſoli dicit; & ideo non ſatisfacit. Confirmatur primo, quia vt ſatisfaciat, neceſſe eſt, vt dicat partem ſuam, non tantum materialiter, vt ſic dicam, ſed vt partem illius communis orationis, at non ſic dicit, qui ſibi dicit. Confirmatur ſecundo, quia alias poſſet quis ſatisfacere præcepto, audiendo in choro, vel ab alio legente, dimidiam partem officij & aliam dimidiam in cubiculo ſuo recitando, quod eſt ridiculum. 5.

Caiet. *Armilla.* *Nauar.* *Caiet.*

Quicquid vero ſit de veritate concluſionis, hæ rationes mihi diſplicent, quia nimis confuſe procedunt, & ſi validæ eſſent, nulla conſuetudo poſſet cõtra eas præualere, quod tam Caiet. quam Nauar. negant, & ſequela patet, quia nulla conſuetudo poteſt præualere contra obligationem recitandi integre totum officium. ſed ſi rationes illæ ſunt validæ, non recitatur integrum officium, ergo. Secundo ſi illæ rationes eſſet validæ, non ſolum ille non ſatisfaceret chori ſeruitio, verum nec ſimpliciter horas Canonicas recitaret, & teneretur reſtituere tanquam non recitans: quod non ſolum nimium rigoroſum videtur, ſed etiam contra communem ſenſum, & conſuetudinem, vt Tabien. notauit. Tertio ſequitur, eum qui priuatim recitat cum ſocio, qui ad dicen- 6.

cendum officium non tenetur, non ſatisfacere officio, nec vere recitare, ſi ſuos verſus ita ſubmiſſe dicat, vt ab alio audiri non poſſit, conſequens eſt falſum, ergo. Sequela patet, quia etiam ille non cōmunicat alteri orationem ſuam. Minor probatur, tum quia viri pij, & timorati ſæpe ita recitant, vel vt minus fatigentur, vel quia ita magis ad deuotionem prouocantur, tum etiam quia ille verè dicit partem ſuam, & alteram audit, & quod alter non audiat, cōtra nullum præceptum eſt, cum ſupponamus, illum non teneri ad recitandum. Quarto, ſi tres ſimul priuatim recitent, & duo efficiant chorum, non oportet, tertium, qui alium chorum refert, audire vtrũque vt ſatisfaciat (quod infra dicemus) ergo ſi vnus illorum altè dicat, & alter ſubmiſſe, omnes ſatisfacient, quia omnes dicunt ſuam partem, & audiunt aliam: & hoc ſatis eſt. Quintò, ratio Metaphyſica Caiet. ſcilicet, quod cum alij cantāt, & ego ſubmiſſe profero, illi communicant mihi partem ſuam, licet ego meam illis non communicem: non probat, nam inde ſolum ſequitur, illos non dicere totum officium mecum ex vi recitationis meæ, quod verum eſt: dicent tamen totum, quia alios audiunt, & cum illis communicant etiam in parte ad illos pertinente. Non verò ſequitur, eum, qui ſibi tantum dicit partem ſuam, non dicere totum, quia re vera dicit illam partem, & in alia communicat cum alijs, vt enim partem quaſi communicatam ab alijs recipiat, non eſt neceſſe, vt ille illis communicet ſuam, neque enim oportet, vt hęc ſit veluti relatio mutua, pręſertim reſpectu ſingulorum: ſatis enim eſt, quod ſit reſpectu communitatis.

7. *Infirmatur confirmatio eiuſdem.*

Vnde ad orationem Caietani in forma reſpondendo diſtinguo maiorem, qui ſubmiſſe dicit, non communicat, &c. diſtinguo, non communicat alteri partem ſuam, concedo, nō communicat ab altero partem eius, nego, vt autem totum officium dicat, ſatis eſt, quod habeat vnam partem à ſe, & alteram communicatam à ſocijs: nec repugnat participare partem aliorum, etiamſi illis non communicet ſuam. Vnde ad primam confirmationē reſpondeo, diſtinguendo etiam illam particulam, *vt partē*: non dicit ſuos verſus vt partem publici, & ſolennis officij, vel non dicit vt partem ſuæ integræ recitationis. In priori ſenſu admitto propoſitionem: inde vero non ſequitur, non ſatisfacere officio recitandi horas: in poſteriori autem ſenſu nego illam, nam re vera illa eſt pars cuiuſdam integræ recitationis ſaltem priuatæ, & vt talis dicitur. Ad ſecundam vero confirmationem nego ſequelam, quia is, qui primā partem officij illo modo audit, nullo modo eam recitat. Neque Eccleſia abſolutè permittit, partem officij dicere, & partem audire, ſed ſolum alternando per verſus pſalmorum. Quod facit, qui ſingulos verſus ad ſe pertinentes dicit, licet ſubmiſſe, & alios audit alternatim, non verò is, qui dimidiam partem pſalmorum audit, & aliam dicit. Sicut etiam in ipſo choro non ſatisfacerent clerici, ſi vnus chorus diceret prius integrum nocturnum continuè, & alius ſecundum, &c.

8. *Qui inter canentes ſubmiſſe recitat in choro, Diuini officij obligationi ſatisfacit, chori vero ſeruitio nequaquam.*

Dico ergo, eum, qui ſic recitat ſine dubio recitare integrum officium Canonicum, in quo non videtur poſſe dubitari, alias eſſet obligandus iterum illud recitare, quod dici non poteſt cum probabilitate; & in hoc eſt differentia magna inter eum, qui ſubmiſſe ſaltem dicit, & eum qui omnino non dicit. Videndum tamen adhuc ſupereſt, an ſatisfaciat ille prior debito ſeruitio chori? Hæc enim ſunt valde diſtincta, omittere horas Canonicas quoad recitationem integram ſimpliciter, vel omittere debitum ſeruitium in choro, poſſuntque habere effectus morales valde diuerſos. Quoad omiſſionem ergo ſeruitij debiti cenſeo eſſe ſimpliciter verā poſteriorem ſententiam, ſed aliter probanda eſt, & primo adduci ſolent Concilium Baſil. ſeſſ. 21. §. 3. & Concilium Aquiſgran. ſecundum ſub Ludou. cap. 131. ſed ex illis nihil probatur: nam in priori de recitatione etiam priuata ſermo eſt, & ſolum dicitur, *Vt non in guttere, nec inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictionem, fiat*: in alio vero loco potius ſub diſiunctione dicitur: *In Eccleſia cum timore, & veneratione ſtantes, aut orent, aut cantent, aut audiant*, Infra vero dicitur, *laudes Deo, in commune perſoluentes pro ſuis, populorumque, quorum oblationibus viuunt, delictis Dominum exorent*: & infra: *in perſoluendis Diuinis laudibus promptiores, ac deuotiores exiſtunt*: & infra. *Qui has horas frequentare, & in his cœleſte neglexerit officium perſoluere, digna inuectione corripiatur.* Sed hæc licet aliquid iuuent, nimis generalia ſunt ad colligendam rigoroſam obligationem in caſu proprio, de quo tractamus. Ex iure igitur communi probari hoc poteſt, primo ex dicto capit. vltim. d. 92. vbi dicitur, *Vt ad quotidianum pſallendi officium in Eccleſiam conueniant Clerici, qui tali Eccleſiæ deputati ſunt.* Cap. Vlt. Ad hæc verba faciunt ſenſum formalem (vt ſic dicam) non materialem, nam *conuenire ad officium pſallendi*, non eſt conuenire in loco, in quo pſallitur, nec eſt conuenire ad audiendam pſalmodiam, ſed eſt conuenire ad pſallendum cum pſallentibus. Et præter verborum proprietatem materia, & antecedentia, & conſequentia poſtulant hunc ſenſum, quia non deputantur Clerici, vt audiant, vel ibi appareant, ſed vt miniſtrent, & inſeruiant, & ita conueniant ad pſallendi officium.

9. *Probatur 2. eadē aſſert. ex Trident.*

Secundo probari poteſt ex Concil. Trident. ſeſſ. 24. capit. 12. vbi loquendo de habentibus in Eccleſiis Cathedralibus, aut collegiatis dignitatem, Canonicatus præbendas, aut portiones, ait: *Omnes Diuina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adſiſtere, & inſeruire, atque in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotéq; laudare.* Quæ verba licet forte non omnino conuincant, multum tamen iuuant, quia videtur loqui Concilium de modo diſtinctè laudandi Deum choro accōmodato, & vel ponit, vel ſupponit obligationem hæc faciendi, non enim præciperet Concilium, hos omnes ad hæc cōpelli, niſi ipſi tenerentur, vnde à fortiori conſtat, inferiores beneficiatos ſimiliter addictos choro eadem obligatione teneri. Tertio eſt ratio à priori, quia his perſonis dantur redditus Eccleſiaſtici ſpecialiter, vt choro inſeruiant, ſed ſi non canunt, non ſeruiunt, nec implent officium ſuum, ergo contra iuſtitiam peccant, atque adeo ex genere ſuo mortaliter. *Probatur 3. ratione.* Dices, non dari ſtipendium cum obligatione canendi, ſed aſſiſtendo choro. Reſpondeo falſum hoc eſſe, & incredibile, præſertim ſi ad primam, & iuridicam (vt ſic dicam) inſtitutionem reſpiciamus. *Inſtantia eluditur.* Quia non conducitur operarius ad vineam, vt ibi aſſiſtat, ſed vt in ea laboret, nec parocho datur beneficium, vt ſit præſens in ſua Eccleſia, ſed vt in ea miniſtret, nec præſentia propter ſe poſtulatur, ſed propter miniſterium: alioquin, quantum ex vi muneris poſſent omnes ibi adeſſe, & tacere, vel obmurmurare. Quomodo ergo Diuinum officium impleretur? Eſt igitur obligatio canendi in illis hominibus, & non eſt maior ratio de vno, quam de alijs, ergo eſt in ſingulis: alioqui vnuſquiſque excuſari poſſet, quod nō teneretur canere ratione ſui muneris: ac ſubinde non eſſet Diuino ſeruitio ſufficienter prouiſum.

10. *Qui in choro nihil canit licet recitet, canentibus alijs, dimidiam diſtri-*

Atque hinc ſequitur, qui non canunt partem ſuā, etiāſi ſubmiſſe recitēt illā non ſolū peccare, ſed etiā nō facere ſuas diſtributiones, quæ aſſiſtētibus choro dantur. Probatur, quia illud peccatum eſt contra iuſtitiam commutatiuam, ergo obligat ad reſtitutionem, ergo ſaltem ad illam partem diſtributionũ, quæ

butionũ partẽ non facit dummodo aſſidat, & attendat, quæ ab alijs dicuntur. Nauar.

quæ debentur ratione miniſterij cantandi. Atque in hoc ſenſu dicit Nauarrus hos præbendatos non implere præceptum recitandi horas ad lucrandum diſtributiones quotidianas, per quod additum videtur limitare rigorem, qui ſequi videbatur ex ratione Caietani ſupra improbata. Et adhuc (conſiderata ſola naturali ratione, & obligatione muneris,) ego limitarem hanc ſententiam quoad hãc partem de diſtributionibus, vt non procedat de integris, ſeu totis diſtributionibus, ſed de aliqua earum parte, quæ (prudenti arbitrio rem æſtimando) videtur eſſe dimidia. Quia ille, qui ita ſe gerit in choro, non in totum deeſt ſuo muneri, nam illa præſentia aliquid eſt, & in Dei cultum, & chori honorem, & auctoritatem redundat, partem etiam cantus implere videtur, audiendo eum attentione, ac deuotione, vt ſuppono. ergo ratione alterius defectus in canendo pro parte ſua ſatis videtur ex natura rei, vt dimidiã partem diſtributionum ſuam non faciat. Quidam autem dicunt ex conſtitutione Pij V. quæ incipit *Ex proximo Lateranenſi Concilio*, in eo caſu omnes diſtributiones amitti. Nam ibi decernit Pontifex, *Vt Canonicus, qui non pſallit in choro, licet præſens adſit, fructus amittat, quos lucrifeciſſet, ſi cantaſſet.* Sed hoc non exiſtimo verum.

Azor. li. 10. c. 11. obiectio ex conſtit. Pij V.

Solutio 1. Primo, quia etiamſi illa verba in illa conſtitutione haberentur, ſolum ſequeretur amitti diſtributiones correſpondentes cantui illius partis, quæ non cantatur. Contendimus autem illi non reſpondere integras diſtributiones, ſed partem earum.

Solutio 2. Secundo quod caput eſt, Pontifex non dicit: *Canonicus, qui non pſallit*, ſed dicit: *Tamen ſi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis, cum alijs præſens adſit, &c.* longe autem diuerſum eſt, (vt dixi) non recitare, vel non pſallere, verba autem in rigore proprio, tenenda ſunt in lege pœnali.

Solut. 3. Tertio eſt euidens neceſsitas, quia de illo non ſic recitante non ſolum dicit Pontifex, vt amittat diſtributiones, ſed vt amittat etiam fructus pro rata, iuxta generalem modum ibi declaratum pro omnibus non recitantibus. Nemo autem vnquam dixit eum, qui non cantat partem ſuam, ſi alias recitet, non facere alios fructus præbendæ ſuos. Imò etiam eſt certum, quod licet omnino in choro non canat, nec recitet & ideo diſtributionem non lucrifaciat, ſi alias horas Canonicas recitet, non incurrere in pœnam conſtitutionis Concilij Lateranen. nec declarationis ibi factæ à Pio V. quoad amiſsionem cæterorum fructuum. Nulla ergo ſpecialis priuatio fructuum, vel diſtributionum ibi ponitur pro caſu, quem tractamus. Et ideo credo veram eſſe limitationem à nobis poſitam circa diſtributionum amiſsionem in his, qui ſubmiſſe recitant.

11\. Immò vlterius addo, hanc partem limitandam eſſe, niſi iuxta ſtatuta, conſuetudinem aut fundationem ſola præſentia ſufficiat ad lucrandas diſtributiones.

5. Aſſertio. Si ſola miniſtrorum præſentia ex fundatione, aut cõſuetudine requiratur tunc, & ſuo muneri ſatisfaciunt & diſtributiones facere poſſunt ſine eo, quod canant in choro.

Hæc limitatio colligitur ex dicta conſtitutione Pij V. vt etiam Nauarrus ſenſit, ibi enim ſupponit Pontifex aliquos excuſari illis titulis ab obligatione canendi, & licet expreſſe non approbet excuſationem, non tamen eam reprobat, ſed dicit quod ea non obſtante, ſi tales intereſſentes nõ recitent horas, non faciant fructus ſuos pro rata: de recitantibus autem, & non canentibus nihil dicit & tacendo videtur titulos illos approbare: vel ſaltem certum eſt, non reprobare, quod ſatis eſt, quia illi per ſe non ſunt iniuſti: & in primis ab vltimo incipiendo, ſi Eccleſia, & præbendo illo modo fundatæ ſint, iam diſtributiones non dantur propter cantum, ſed præciſe propter præſentiam: talis enim eſſe videtur à principio conuentio inter fundatorem, ſeu Eccleſiam, & præbendatos.

Probatur 1. pars.

Quæ poteſt non eſſe irrationabilis, tum quia præbendæ poſſunt eſſe valde tenues, tum quia poſſunt eſſe alij miniſtri, & inferiores Clerici ſpecialiter cum illo canendi onere præbendati, vel ſtipendiati, & alij maiores ſolum ad decorem, & auctoritatem chori prouideri, & vt voluntariè canant, vel aſsiſtendo orent. Talis ergo fundatio non eſt contra ius naturale, nec etiã eſt cõtra ius aliquod poſitiuum, de quo mihi hactenus conſtiterit. Nam cap. vltim. d. 92. nihil contra hoc facit: nam loquitur de Clericis addictis Eccleſiæ, & intelligendum eſt reſpectiuè, & cum diſtributione accommoda, vt ſcilicet vnuſquiſque in Eccleſia implere debeat id, ad quod deputatus eſt.

Cap. vlt. d. 92.

Poſſunt autem eſſe aliqui adſtricti ad canendum, alij ad intereſſendum: neque in alio Canone, vel in illo prohibitum eſt, ne aliqui Clerici poſsint addici choro, & pſalmodiæ tantum, vt ibi adſint, & orent, prout voluerint, vel audiendo, vel canendo, vel recitando vt ex Concilio Aquiſgranen. ſupra notabamus.

Concil. Aquiſgr. 12. Concil. Trident.

Nec etiam Concil. Trident. aduerſatur huic fundationi: nam in d. capit. 12. ſeſsion. 24. loquitur de Eccleſijs cathedralibus, & collegiatis, quæ iuxta cõmune ius fundatæ ſunt, non tamen prohibet, quin poſsint aliæ alio modo fundari. Præſertim quia nec ibi expreſſe obligat Concil. ad cantandum, ſed ad laudandum deuotè, diſtinctè, ac reuerenter, quod videtur ſatis impleri, ſi à toto choro, fiat, & à ſingulis eó modo, qui ex vi ſui muneris, & fundationis vnuſquiſque tenetur. Eo vel maxime quod Concilium de diſtributionibus mentionem faciens, ſolum dicit: *Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant.* Et ſeſſ. 21. capit. 3. dicit, *Vt diſtributiones inter dignitates obtinentes, & cæteros Diuinis officijs intereſſentes diuidantur.* In ſeſsion. autem 22. capit. 3. requirit, *Vt vnuſquiſque perſonaliter competens ibi ſeruitium iuxta formam ab Epiſcopis præſcribendam quolibet die ſtatuto impleant.* Non tamen declarat, quale debeat eſſe hoc ſeruitium, & poteſt multa complecti, nam interdum tenentur miniſtrare in altari, interdum in choro ſatis, veſtibus indui, vel capitulum dicere, vel etiam cum choro cantare, non vero ſunt omnia ſemper neceſſaria ex vi cuiuſcumque fundationis. Vnde quædam declaratio Cardinalium circa 24. ſeſsionem, capit. duodecimo dicit: *Teneri Canonicos per ſe ipſos Miſſas in diebus feſtis canere, prout ex inſtitutis Eccleſiæ ſua, vel conſuetudine tenentur*: & in ſeſsion. 22. capit. 3. alia declaratio habet. *Non poſſe Epiſcopum dignitatibus, Perſonatibus, & officijs ſtatuere certam officij, & ſeruitij formam, præter ſolitam, pro lucrandis diſtributionibus.*

Declaratio Cardinal.

Eſtque notatione dignum, quod cum ad hæc loca Cõcilij multæ declarationes Cardinalium datæ ſint, quas attente legi, nullam inueni, in qua dicatur, vel indicetur, Concilium voluiſſe obligationem imponere Præbendatis omnibus ad ita aſsiſtendum in choro, vt eo cantent, ergo poteſt eſſe legitima illa exceptio de fundatione.

De cónſuetudine Caietanus in Summa tandem fatetur, conſuetudinem bonorum eſſe optimum legum interpretem, & ideo vbi timorati conſueuerunt ſic recitare, ſtandum eſſe conſuetudini. 13.

Probatur 2. pars de conſuetudine. Caiet.

Ratio autem alia, quam ſubiungit, quod maiores in choro non debent cantare, ſed meditari, quæ ab inferioribus cantantur, nobis non probatur, vt infra tractando de excuſationibus dicemus. Nauarrus verò dicit conſuetudinem rationabilem, & præſcriptam poſſe auferre hanc obligationem, quantum ad id, quod eſt iuris humani, non vero quantum ad naturalem obligationem ex pacto iuſto.

Nauar. Azor.

Idem ſequitur Azor. dicto libr. 10. capit. 11. quæſtione 6. qui bene explicat, quomodo talis conſuetudo non ſit contra ius naturæ. Ratio tamen breuiter eſt, quia hæc conſuetudo ſemper debet eſſe talis, vt non minuat notabiliter Diuinũ cultũ alioqui eſſet, irrationabilis, & contra Religionem, & contra iuſtitiam, quia non fieret officium, propter quod beneficium datur. Debet ergo prouideri Eccleſiæ ſufficienter de Cantoribus, ita vt officium pro dignitate

Digitized by Google

gnitate fiat. Atque ita nullibi præualuit illa conſuetudo, niſi vbi cum Canonicis, & dignitatibus portioniſtæ, Capellani, aut alij miniſtri inſtituti, vel conducti ſunt, qui omnino Cantare tenentur, & coguntur, & cantus maiorum nihil, vel parum ad concẽtum, vel ſonum totius officij confert. Et veriſimile creditur ſtipendia, vel portiones, aut fructus, qui his cantoribus dantur ex redditibus, qui ad Canonicos pertinere debuiſſent, determinatos eſſe, atque ita ſicut diuiſum eſt emolumentum, ita & onus. Et hinc conſequenter fit, vt licet illi corpori totius chori, ſeu talis Cleri dentur ſtipendia, vt cum decore, honore, ac deuotione cantet officium, non tamen dari ſingulis de illo choro, vt cantent per ſe ipſos, ſed quibuſdam hoc titulo, alijs vt aſsiſtant, & per alios cantent. Quod pactum non eſt iniuſtum, & vbi non certo conſtat de particulari fundatione, aut inſtitutione expreſſe contraria, & conſuetudo talis reperitur, credendum eſt, vel talem fuiſſe inſtitutionem, vel mutatam eſſe per cõtrariam præſcriptionem. Atque ita completur prima conditio, quam merito poſtulat Nauar. ſcilicet, vt talis conditio rationabilis ſit: verum eſt etiam per eam non mutari id, quod eſt de iure naturali: poteſt tamen mutari materia, quæ fundabat aliquam obligationem naturalem, & conſequenter poteſt ceſſare talis obligatio ſine violatione iuris naturalis, vt in præſcriptione conſtat, & in multis alijs. Quod autem

Nauar.

Nauar. requirit, vt hęc conſuetudo ſit immemorialis, ab alijs non poſtulatur, nec video cur ſit neceſſarium: ſatis ergo erit illa, quæ ad præſcriptionem Eccleſiaſticam ſufficit.

Prædicta cõſuetudo nec cõſtitutioni Pij V. nec Trid. Conci. aduerſatur. Pius V.

14. Laborat autem Azor. in explicando, quomodo hæc conſuetudo non ſit contra conſtitutionem Pij V. & contra Concilium Trident. faceturque eſſe contra illa, ſed potuiſſe illis tanquã humanis iuribus derogare. Sed ego non video in hac conſuetudine aliquid repugnans ſtatuto Pij V. quia (vt dixi) Pius V. non loquitur de non canentibus in choro, ſed de his, qui omnino non recitant, etiam ſi præſentes in choro ſint. Conſuetudo autem, de qua loquimur, talis non eſt, nec illa poteſt eſſe rationabilis. Et quãdo poſſet eſſe talis, quę excuſaret à propria pœna legis, non vero, quæ excuſaret à culpa contra iuſtitiam, & cõſequenter nec à reſtitutione, quæ ex violatione iuſtitiæ naſcitur, vt infra dicemus tractando de his, qui non recitant, etiam priuatim. Neque etiã eſt in illa conſuetudine aliquid contra Concilium Tridentinum: tum quia Concilium non præcipit expreſſe, vt ſinguli Præbendati cantent, ſed ait, omnes cogendos eſſe, vt in choro ad pſallendum inſtituto, adſint, & Deum reuerenter laudent, hoc autem faciunt perſonaliter aſsiſtendo, & per alios cantando, ſeu quaſi componendo corpus illud, quod Deum laudat, & illi conſentiendo, & ſuo modo moraliter cooperando. Neque etiam obſtant

Trident.

illa verba: *Omnes vero Diuina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia*: nam hæc non intelliguntur de cantu in choro, ſed de officio dicendi Miſſam, Euangelium, vel Epiſtolam, vel de alijs ſimilibus perſonalibus obligationibus: nam de choro poſtea loquitur. Et ita exponitur in declarationibus Cardinalium in locis ſupra allegatis.

15. Dices: Ergo poſſent canonici in choro non ſolum cantare per ſubſtitutos, ſed etiam adeſſe per illos. Reſpondetur negando conſequentiam, tum quia præſentia, & aſsiſtentia non poteſt ſuppleri per alium: Concilium autem ſæpe poſtulat pręſentiam, & prohibet abſentiam à choro, non tamen præcipit cantum perſonalem, vt patet ex locis allegatis cum declarationibus etiam citatis. Tum quia licet Canonici tunc dicantur cantare per alios, non tamen proprie dici poſſunt cantare per ſubſtitutos, ſeu vicarios in munere proprio: ſuppoſita enim dicta cõſuetudine, iam non ſunt ipſi obligati ad illud munus, & ita omnes perſonæ illius chori ſua debita munera implent, tanquam membra vnius corporis, etiam ſi non omnia cantent, vel alte loquantur. Vnde etiam conſtat quomodo talis conſuetudo nõ ſit contra dictum capit. vltim. 92. d. nam licet poſsit *Ca. Vl. 92. d.*
dici, illi iuri potuiſſe derogari per conſuetudinem, non eſt neceſſarium, nam ibi tantum dicitur, vt cõueniant ad officium pſallendi in choro omnes clerici tali Eccleſiæ deputati, hoc autem vere faciunt Canonici in eo caſu, ſuppoſita conſuetudine, quia ad officium conueniunt, & ad faciendum id, ad quod iam ſunt deputati ſecũdum conſuetudinem.

Denique, hinc etiam patet tertium membrum limitationis de ſtatuto. Oportet enim vt ſtatutum ſit ſufficienti auctoritate factum, & quod ſit rationabile, ideoque ex parte materiæ, ſeu obiecti, aut modi introducendi morem illum, oportet, vt ſeruet illas circumſtantias, quas in conſuetudine declarauimus. Nam lex, & conſuetudo æquiparantur. Et eadem ratione placet, quod Nauar. ait, oportere, vt tale ſtatutum ſit à Papa confirmatum, quia cum communi iuri, & ordinariæ inſtitutioni Eccleſiarum repugnet, ſi Eccleſia à primæua fundatione non habet illum modum inſtitutionis, nec ſufficienti conſuetudine introducta reperitur, vt per ſtatutum denuo introducatur, autoritas Pontificia neceſſaria eſt. Sicut etiam conſuetudo ipſa præſumitur vel ab ipſa fũdatione duxiſſe originem, aut per tacitã Prælatorum tolerantiam fuiſſe à Pontificibus confirmatam. 16.

Quas conditiones habere debeat tale ſtatutum.

Supereſt, vt dicamus, quomodo clerici, vel Canonici vnius chori ſe gerere debeant, quando verſus in alio choro cantatur. Poteſt enim in primis interrogari an teneantur hi, de quibus agimus, ſubmiſſa voce dicere verſus, quos alij canunt: ita enim nonnulli facere ſolent, vel quia ignoranter ſcrupuloſi ſunt putantes ſe non ſatisfacere, niſi omnia dicant: vel quia ſunt negligentes, & tepidi, & nolunt eſſe attenti: quamdiu durat cantus alterius verſus, & ideo breuiter illum proferunt, vt in reliquo tempore loqui, vel otioſa cogitare poſsint, ſine graui peccato. Et ad vtroſque deterrendos audiui doctum virum aliquando docentem, hos non ſatisfacere obligationi recitandi horas Canonicas illo modo recitando, ſcilicet vnum verſum recitando, & alium cantando, quia neutro modo integrè recitant, & ex modis adeo diuerſis non poteſt componi vna integra recitatio. Et poſſet hic applicari ratio Caietani, quod tunc ille nõ communicat cum alijs in eo verſu, & ita non videtur ſaltem choro ſatisfacere, etiãſi recitet. Sed hæc per exaggerationem, dicta videntur. 17.

Noua alia dubitatio excitatur.

Caiet.

Dicendum ergo eſt primo, non teneri clericos vnius chori, dum alius chorus cantat, quippiam loqui, ſed audire, & quaſi per alios canere. Hoc eſt certiſsimum, quia hæc fuit intentio Eccleſiæ, cum hunc morem introduxit: & quia hic eſt mos omnium prudentum, ac timoratorum: & quia hæc eſt propria antiphona, ſeu alternatus cantus. Addo, minime expedire, dum alij cantant obmurmurando recitare, immò non rectè id fieri, & ſæpè fortaſſe non ſine aliqua culpa veniali, niſi excuſet ignorãtia, & bona intentio. Probatur, quia inprimis hoc eſt magis conforme huic inſtitutioni, nam per ſe ordinatur ad hoc, vt quidam cantent, alij attendãt, vt ſic omnia ordinatè fiant, ergo non expedit hunc ordinem immutare. Item id non fit ſine aliqua perturbatione ſic orantis, & circumſtantium: orantis quidem, quia nec commode poteſt ſecretè recitare, dum alij cantant, nec poteſt attendere ad ea, quæ cantantur, & ſic nihil perfectè facit: circumſtantium verò, quia vel diſtrahuntur verbis, & murmure orantis, vel commouentur aliquo modo contra illum, vel tædio afficiuntur, vel interdum exemplo illius ducuntur, & ſic chori quies, & ſilentium perturbatur. 18.

4. Aſſertio. Non tenentur Clerici vnius chori dũ alius cãtat chorus quidpiã recitare ſed audire, & quaſi per alios canere. Neque id expedire ſed aliquãdo fieri culpabiliter. Probatur vtraque pars.

turbatur. Ergo ex hoc capite poteſt hoc ſæpe eſſe veniale peccatum leuis cuiuſdam ſcandali, & perturbationis. Et ideo antiqui Patres valde commendant quietem, & ſilētium in choro, ne quidam alios perturbent, vel diſtrahant à Diuina contemplatione, vel meditatione. Vnde Caſsi. li. 2. ca. 10. de Antiquis Monachis ſic refert: *Cum celebraturi conueniūt, tantum à cunctis ſilētium præbetur, vt cum in vnum tam innumeroſa fratrum multitudo conueniat, præter illum, qui conſurgens pſalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adeſſe credatur.* Et Ioan. 22. Extrauag. vnica. de Vita, & honeſt. Cler. inter communes: *Docta* (inquit) *Sanctorum Patrum decreuit auctoritas, vt in Diuinæ laudis officijs, quæ debita ſeruitutis obſequio exhibentur, cunctorum mens vigilet, ſermo non eſſet, & modeſta pſallentium grauitas placida modulatione decantet.* Hinc Nauar. de Orat. c. 15. nu. 5. & ſequentibus ſimpliciter dicit eſſe peccatum recitare in choro, dum alij cantant, propter perturbationem, & occaſionē diſtractionis, quæ alij præbetur. Quod ibi latiſsimè proſequitur, innumera in hoc multiplicando genera peccatorum, quæ ſunt cum grano ſalis ſumenda. Ita vt in primis de venialibus tantum intelligantur ex genere ſuo, quia fere omnes illæ ſunt circumſtātiæ leues: deinde vt cum moderatione accipiantur, quando videlicet, recitatio non fit ex aliqua cauſa, vel neceſsitate, & cum prudenti circumſpectione, vt alijs offendiculum, vel occaſio diſtractionis non præbeatur, quod ſæpe ita fieri poteſt, vt omnis culpa, etiam venialis euitetur.

Caſſian. — *Ioan. 22.* — *Nauar.*

19\. *5. Aſſertio. Qui ſubmiſſe recitat verſum in alio choro cantatum, implet præceptum recitādi officiū, & inſeruiēdi choro, per ſe loquendo, & poteſt nō peccare. Probat vtraque pars.*

Vnde addendum eſt, eum, qui ſubmiſſe recitat verſum, qui in alio choro cantatur, ſufficienter implere præceptū recitandi horas, & inſeruiendi choro per ſe loquendo, & ſi bona fide intētione, & modo id faciat, poſſet nihil peccare. Prima pars eſt certiſsima, quia ille totum officium vocaliter, & per ſe orat. Quod autem quoſdam verſus oret cantando, alios recitando, eſt impertinens, quia vterque modus ſufficit ad implendum præceptum, & quod ſit miſtus, nulla lege prohibitum eſt, nec repugnat cōpoſitioni morali, ſeu artificiali: nam etiam in Miſſa, & officio Canonico quædam dicuntur alta voce, alia ſecreto. Secunda pars probatur, quia per illam breuem, ac priuatam prolationem verſus orans nō impeditur, quominus communicet cum canentibus verſus, & per illos canere cēſeatur. Dixi autem, *Per ſe loquendo*, quia oportet, vt ſit attentus, ſicut ſtatim declarabo, per recitationem autem non impeditur attentio ad Deum, vt conſtat, & illa ſatis eſt. Tertia item pars facilis eſt, quia illa actio non eſt per ſe mala, nec impedit attentionem ad orationem communem ſufficientem, & fieri poteſt (vt dixi) cū circumſpectione, vt alijs non ſit oneroſa, nec occaſio ſcandali, nec etiam eſt aliquo iure prohibita, non eſt ergo tam ſeuere damnanda.

20\. *6. Aſſertio. Tenetur vna pars chori cum tacet attēdere ad aliam, quæ cantat, & ad vtrumq; præbendarium, qui ſolum aſſiſtit, idque vt ſatisfaciat ſuo muneri.*

Solum oportet explicare, an teneantur clerici vnius chori dum cantatur verſus in alio choro, attētionem ad orationem ſufficientem ſeruare, ſiue interim omnino ſileant, ſiue aliquid recitent: vel poſſint recitare verſus priuatim, & poſtea voluntarie diſtrahi. Et omiſsis rationibus dubitandi, quæ hinc inde fieri poſſent aſſero teneri ad ſeruandam attentionem toto eo tempore. Suppono enim ad hoc officium implendum neceſſariam eſſe attentionem, vt infra dicemus: eandem ergo aſſero eſſe neceſſariam, dum alius chorus cantat, quæ neceſſaria eſt in canentibus, dum proprius cantat chorus. Et eadem ratione dico, ſiqui ſunt præbendati, qui ex conſuetudine ſatisfaciunt choro per præſentiam, licet nihil cantent, teneri ſaltem ad attendendum, & audiendum more orantium. Dico autem hoc eſſe neceſſarium ad vitandam culpam, & ſatisfaciendum muneri quo ad chorum aſtricti ſunt, an verò ſit neceſſarium ad faciendum fructus ſuos, infra tractando de attentione dicemus, nam eandem habet difficultatem. Ratio ergo huius obligationis eſt, quia ex vi huius præcepti obligantur hæ perſonæ ad recitandum publicè, & in choro totum officium Canonicum integrè aliquo modo, id eſt ſiue totum dicendo, ſiue totum audiendo, ſiue partim dicendo, partim audiendo, prout ex officio vnicuique incūbit, ſed qui non eſt attentus, eo ipſo non concurrit vllo modo ad partem illam, ad quam non attendit, ergo illam omittit, & conſequenter non ſatisfacit integre muneri ſuo. Neque ſatisfacit, eam partem priuatim dicendo, quia tenetur ſatisfacere non tantum orationi priuatæ, ſed etiam publicę totius chori, & totam debet facere ſuam: hoc autem non facit, quando ſoli priuatæ recitationi attentus eſt, & poſtea vagatur. Confirmatur, ac declaratur: nam is, qui non recitat priuatim verſus alterius chori, ſed audit illos, tenetur attendere, quamdiu dicūtur: ergo etiam alter, qui priuatim dicit, debet reliquo tēpore attendere, quia non debet libertatem euagandi acquirere ex priuata recitatione, quæ vel non licet, vel ſaltem non expedit, neque alius debet plus grauari, quia melius ſe gerit: eſtq; hæc occaſio abutendi recitatione priuata ad comparandam illam libertatem. Denique, qui ſolennem Miſſam audit in die feſto, nō poteſt ſine aliqua culpa recitare breuiter ſymbolum, dum cantatur, & poſtea libere vagari, ſed licet ſuam recitationem finiat, tenetur attēdere, dum ſymbolum canitur: & idem de Euangelio, & alijs partibus Miſſæ, idem ergo in præſenti dicendum, nam eſt ſimilis obligatio. Et hactenus de alterna pſalmodia.

Probatur. — *Confirmatur.*

21\. *Vlt. Aſſert. In cæteris partibus Diuini officij pro regula debet eſſe Eccleſiaſt. ritus, & conſuetudo.*

Ex his verò, quę de pſalmis diximus, facile intelligitur, quid de cæteris omnibus partibus Diuini officij dicendum ſit. Nam pro regula habēdum eſt, vt Eccleſiaſticus ritus, & conſuetudo ſeruetur, nam illud & ſufficit ad implendum præceptum, vt per ſe conſtat, & ordinarie, vel eſt neceſſarium, vel magis expediens, quia eſt magis conſentaneum regulis orandi ab Eccleſia præſcriptis. Itaque extra pſalmos quædam dici ſolent ab vnō tantum, vt Lectiones, initia Antiphonarum, vel Pſalmorum, Oratio, ſeu Collecta, Capitula, & ſiquid aliud eſt huiuſmodi. Et in his ſatis eſt, dicentem, ſeu canentem audire, neque oportet, aut expedit illa priuatim legere ſaltem voce, ſicut de pſalmis dictum eſt. Siquis autem velit, vt melius percipiat, attendendo habere præſentem librum, dum lectio cātatur, non eſt malum, ſi abſque aliorum incommodo, vel perturbatione fieri poſsit, quamuis omnem ſingularitatem in choro vitare melius ſit. Aliqua vero cantantur, à duobus, vt aliqui verſiculi, alia à tribus, vel pluribus, vt reſponſoria aliqua, & interdum aliqui pſalmi ad organum, & in his omnibus regula poſita locum habet, quod audiendo ſit ſatis, & quod magis expedit. Quædam autem dicuntur à toto choro ſimul, vt Antiphonę in fine pſalmorum, & reſponſiones ad verſiculos, & ſimilia. Et in his cantare debent omnes, qui ad cantum obligati ſunt, quia illo modo, & non alio integre implent officium ſuum. Si contingat verò aliquid horum omitti ab aliquo, vel caſu præteriri, non eſt ſcrupuloſe agendum, nec oportet, eum eſſe ſolicitum de illa parte repetenda, quia & materia leuis eſt, & ſæpe poteſt ſine culpa omitti per iuſtam occaſionem, etiam valde leuem, & licet fuerit aliqua leuis culpa, non emendatur per illam repetitionem, ſed potius impediuntur ſequentia, quod late admonet Nauarrus dicto cap. 15. Denique aliqua dicūtur ab omnibus ſecreto, vt Pater, & Aue, in principio, & fine & interdum ſymbolum, vel confeſsio, & hæc à nullo omittenda ſunt, vt conſtat.

CAPVT

Digitized by Google

Capvt XIII.

De culpa, quæ omittendo, vel mutilando Diuinum officium in choro, vel aliquid illi addendo committitur.

1\. *1. Aſſertio. Priuare Eccleſiam omnibus horis Canonicis per integrũ diem naturalẽ, eſt peccat. mort.*

SVpponimus, ſermonem eſſe de Eccleſijs, in quibus eſt obligatio ad officium Canonicum in choro dicendum: nam vbi nulla fuerit talis obligatio, conſtat non eſſe locum huic quæſtioni propoſitæ, & vbi fuerit ad vnam, vel aliam horam, vt ad Veſperas, vel quid ſimile, cum proportione poterit reſolutio applicari. Primo ergo dicendum eſt priuare Eccleſiam omnibus horis Canonicis per integrum diem naturalem, peccatum eſſe mortale. Hoc neceſſario ſequitur ex præcepto, & obligatione, quam ſupponimus, quia præceptum eſt graue, & materia vnius diei eſt ſatis grauis, vt à fortiori conſtabit ex dicendis infra de recitatione priuata. An verò hoc peccatum ſit vnum, vel ſeptem pro numero horarum, eodem modo reſoluendum eſt, ſicut dicemus de priuata recitatione. Quod ſiquis interroget, cui tunc ſit imputandum tale peccatum: reſpondeo, primò, ac præcipue illi, cui cura Eccleſię incumbit, nam ad illum ex officio pertinet curare, vt in choro horæ dicantur capit. 1. de Celebrat. Miſſar. Cum eo verò peccant, qui tali omiſsioni cauſam dederunt, vel ad illam cooperantur: illi verò, per quos non ſtat, quia ſoli non poſſunt dicere, nec ſunt in cauſa, vt alij ſuo muneri deſint, non peccant, ſi alioqui priuatim recitent, quatenus obligari poterunt iuxta inferius tractanda.

Cap. de Celeb. miſſar.

2\. *2. Aſſertio. Omittere quamcumque horã Diuini officij in choro, ita vt nõ dicatur graue eſt tranſgreſſio nec poteſt ſine graui neceſſitate in ea Prælatus diſpenſare.*

Dico ſecundo: Omittere quamcumque horam Diuini officij in choro, id eſt, in toto officio publico, ita vt ſimpliciter non dicatur, grauis tranſgreſſio eſt, nec Prælatus particularis poteſt in hoc diſpẽſare, niſi vbi tam grauis neceſsitas vrget, vt prudenter iudicetur præceptum non obligare in tali cauſa. Prior pars colligitur ex ſententia communiori Doctorum, qui cenſent, omiſsionem vnius horæ, etiam in recitatione priuata eſſe materiam grauem peccati mortalis, ergo à fortiori illam relinquere in choro, vbi eſt obligatio dicendi publicè totum officium, grauior materia peccati erit, tum quia etiam ipſa materialis, ſeu corporalis actio eſt grauior, & magis laborioſa, tum maxime, quia reſpectu Dei eſt grauior cultus, & reſpectu Eccleſiæ grauius detrimentum, & ſuo modo contra commune bonum. Et hæc ratio probat, idem dicendum eſſe de parte notabili vniuſcuiuſque horæ. Nam illa, quæ fuerit grauis pars reſpectu omiſsionis priuatæ, erit à fortiori reſpectu omiſsionis eiuſdem partis in choro. Solet autem iudicari pars grauis cuiuslibet horæ tertia pars eius, vt infra videbimus. Ego verò in præſenti cenſeo, minorem poſſe ſufficere in choro, quia vt dixi, totum ipſum officium grauius eſt.

3\. *Vnde ſit penſanda grauitas partis omiſſæ.*

Addo etiam grauitatem partis omiſſæ non eſſe penſandam ex quantitate, vt ita dicã, proportionali, ſeu reſpectiua, id eſt, quod ſit tertia, vel quarta, vel alia ſimilis pars aliquota horæ, ſed ex quantitate, dignitate, vel grauitate ſua abſoluta, quia ſemper magis hinc pendet grauitas culpæ. Sicut in Miſſa grauius eſt omittere verbum vnum in Canone, quam orationem integram extra illum. Et ita exiſtimo in hac mutilatione alicuius horæ quoad publicam recitationem in choro, inprimis conſiderandam eſſe publicam deformitatem (vt ſic dicam) quæ inde naſcitur, vt ſi inchoetur hora ſine illo initio. *Deus in adiutorium meum intende*, vel quid ſimile ſtatim generabit publicam admirationem, & deformitatem: ſi autem tres, vel quatuor verſus pſalmi tranſiliantur, non eſt tam publicus defectus. Similiter *Magnificat* in veſperis omittere grauior erit defectus, quam omittere alium pſalmum etiam maiorem. Itaque primum conſideranda eſt dignitas, vel ſingularis neceſsitas partis omiſſæ: deinde etiam abſoluta quantitas eius conſideranda eſt. Nã certe integer pſalmus videtur ſufficiens quantitas pro publico officio, ſi voluntariè omittatur: nam quando hi defectus ex inaduertentia contingunt, non facile ſunt iudicandi peccata mortalia, niſi ſit nimium negligens, craſſa, & ſupina, neque de hoc poſſum certius aliquid dicere.

4\. *Minoris pars officij omiſſio ſufficit ad peccãdum mort. ſi ſit publicum magis quam priuatum.*

Hæc autem omnia procedunt de omiſsione, vel mutilatione, quæ ſimpliciter ſit in officio chori, vt publicè eſt à toto choro, quod vt tale eſt, non poteſt recompenſari per priuatam recitationem. Contingit autem, vt licet horæ dicantur integre, non dicantur, vel audiantur integre à ſingulis, qui tenentur ex officio, & ratione beneficij, vel ſtipendij canere, vel adeſſe choro, quia vel non adſunt, vel tarde veniunt, vel cito diſcedunt prius quam hora finiatur, vel egrediuntur, & ingrediuntur, dum dicitur, vel ſimilibus modis partem omittunt. De quibus dubium non eſt, quin peccent per ſe loquendo, niſi habeant iuſtam excuſationem, de qua infra. Ratio eſt, quia non implent totum, quod tenentur ex iuſtitia, & Religione, ac Eccleſiæ præcepto. Quãdo verò hoc peccatum mortale ſit, dubitari poteſt. Circa quod conſiderandum eſt, duobus modis poſſe aliquem omittere officium, vel partem eius in choro, primo cum intentione ſupplendi illud, poſtea per recitationem priuatam, ſecundo ſimpliciter omittendo. Quando hoc poſteriori modo ſit, conſtat, illam materiam, quæ fuerit grauis in omiſsione officij in priuata recitatione, à fortiori fore grauem in his, qui ratione beneficij tenentur canere in choro, quia illi præter recitationem omittunt etiam cantum, ad quem peculiariter tenentur, ergo in eis grauior eſt culpa: vnde ſine dubio minor pars officij ab eis omnino omiſſa erit ſufficiens ad peccandum mortaliter: quæ autem ſit illa, ex dicendis infra de omiſsione in priuata recitatione coniectare quis poterit, nam certa regula dari non poteſt.

5\. *Nauar. ſententia nõ peccat mort. qui partem offic. in choro nõ cantat animo illam poſtea recitando.*

Quando vero pars illa omittitur animo ſupplendi illam, difficilius eſt aſsignare materiam, quæ ad peccandum mortaliter ſufficiat. Vnde Nauar. cap. 10. de Orat. numer. 43. generalem regulam tradit: *Omnes, & ſolos illos peccare mortaliter omittendo aliquam partem Diuinorum officiorum, qui id agunt per contemptum, vel cum notabili ſcandalo, aut omittunt partem notabilem per negligentiam abſque propoſito ſupplendi, vt debent*: ergo qui omittit partem notabilem animo ſupplendi, nõ peccat mortaliter: nam ſecludimus contemptum, & ſcandalum, quæ ſunt per accidens. Et ratio reddi poteſt, quia ille non omittit partem illam quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum, qui defectus non videtur tam grauis. Maximè quia Eccleſia, vel chorus non priuatur tũc integritate officij, nec prout dicitur in choro, nec prout dicitur à tali perſona, ſed ſolum priuatur cooperatione, quam poſſet, & deberet adhibere talis perſona in publica recitatione talis partis officij, hoc autem non videtur eſſe graue detrimẽtum, nec ſufficiens materia peccati mortalis. In contrarium verò eſt, quia clericus in hoc caſu tenetur ex iuſtitia canere in choro ratione ſtipendij, vel ſaltem aſsiſtere, & audire totum officium iuxta varias opiniones, vel conſuetudines, aut inſtitutiones ſupra tractatas. Ergo ſi notabilem partem ſui muneris omittit, grauiter peccat. Vnde in Iure, qui huiuſmodi officium omittit in choro, & deponi præcipitur capit. *Clericus*, d. 91. & cap. *Siquis presbyter*, d. 92. neque ibi habetur ratio, an poſtea dicat priuatim officium, nec ne. Et ſimile argumẽtum ſumi

C. Clericus.

Ca. Siquis presbyter.

Cap. Dolentes. Clem. 1.

poteſt ex cap. *Dolentes*, de Celeb. Miſſ. & ex Clem. 1. eodem titulo.

6\. *Vera ſent. talis omiſſio ſuapte natura eſt mortalis, ex accidente venialis erit.*

Quocirca non videtur poſſe dubitari, quin hæc omiſsio, vel mutilatio poſsit eſſe peccatum mortale, niſi ex leuitate materiæ fiat veniale, etiam ſi fit cũ propoſito poſteà ſupplendi defectum recitationis, quia ille defectus concurrendi cum choro, vel ad chorum nunquam ſuppletur nec ſuppleri poteſt per priuatam recitationem. Dices: Poteſt compenſari aſsiſtendo alio die in choro, in quo non tenetur. Reſpondeo: Quando eſt locus huic compenſationi, non eſt illa omiſsio, ſed eſt commutatio, vel potius eſt applicatio priuilegij, vel facultatis non aſſiſtendi in choro tot diebus anni ad hunc diem potius, quam ad alium: hic vero agimus de omiſsione facta in tempore nullo modo feriato, ſeu priuilegiato. Illa enim ſemel admiſſa, recumpenſari non poteſt, quia illa actio tranſijt, & ſuo modo publice fit, & per recitationem priuatam non ſuppletur defectus publicus.

7\. *Abſentia, quæ non eſt ſatis ad mulctationẽ nec ad mortale peccatum ſatis erit, niſi intercedat formale, aut virtuale propoſitum non aſſiſtendi quamdiu per mulctã liceat. Concil. Baſil. Caſſian. Concil. Aquiſgr. Nauar.*

Verumtamen ſi hæc abſentia à choro pro aliqua parte horæ non ſit tanta, vt ſit digna priuatione diſtributionis correſpondentis illi horæ, certum eſt, non ſufficere ad peccatum graue, vt V. G. ſolet eſſe ſtatuto, vel conſuetudine receptum, vt qui chorum ingreditur ante finitum primum pſalmum horæ, non mulctetur, etiam ſi circa finem illius pſalmi ingrediatur: & habetur in Conc. Baſil. ſeſ. 21. §. 2. & aliquid ſimile apud Caſsian. libr. 3. de Inſtitut. capit. 7. & in Concil. Aquiſgranen. ſub Ludouic. cap. 131. Dico ergo, illam abſentiam nõ eſſe peccatum mortale: quod etiam ſentit Nauar. dicto capit. 7. nume. 3. tum quia nõ eſt veriſimile tam facile fuiſſe id permittendum, ſi æſtimaretur peccatum mortale, tum etiam quia per ſe ſtatim apparet, non eſſe illam partem notabilem horæ. Vnde ſi ex legitima cauſa fiat illa mora, facile poterit excuſari omnis culpa: ſi verò ex ſola negligentia, & quadam facilitate leuiter peccandi fiat, quia impune poteſt fieri, erit peccatum veniale. Intelligo tamen hoc conſiderando particulam illam per ſe, ſine coniunctione cum alijs: nam ſiquis haberet formale, vel virtuale propoſitum ſemper omittendi in ſingulis horis partes illas, quas ſine mulcta omittere poteſt, certè non videtur ſecurus in conſcientia, tum quia illud obiectum ſimul ſumptum graue eſt, & cum ſeruitium choro debitum ſit quaſi quoddam totum magna, & grauis pars ab illo ſubtrahitur illo modo: tum etiam quia ille affectus oſtendit quendam ſeruilem animum inſeruiendi choro ſolum timore pœnæ, vel affectu lucri, quandoquidem quoties ſine iactura lucri omitti poteſt, ex deliberato animo omittitur. Oportet ergo bona fide procedere animo integrè ſeruiendi, & tunc licet ſæpe, ac ſæpius illæ particulæ horarum omittantur, ſolum erunt multiplicata venialia.

8\. *Sentent. Nauar. omiſſionem vitra tempus per mulctam vetitum, eſſe mortalem, ea tamen refellitur.*

Hinc verò videtur inferre Nauar. ſi omittatur maior pars horæ, quam ſit illa, quæ ſine mulcta omitti poteſt, iam peccari grauiter, ſic mutilãdo chori ſeruitium. Sed illatio non eſt formalis, quia mulcta non eſt ſignum certum peccati mortalis, tum quia etiam ſi per modum pœnæ conſideretur, non eſt tam grauis pœna, quin poſsit propter negligentiam venialem imponi, tum etiam quia cum diſtributiones ſint veluti proxima ſtipendia præſentiæ, ſeu ſeruitij horarum, eſt in poteſtate deſignantis ſtipendium ſub hac, vel illa conditione non iniqua illud deſignare, etiam ſi peccatum mortale non interueniat. Deinde aſſertio ipſa videtur nimis rigoroſa. Et ad ſummum poſſet habere locum, quando illa maior pars omitteretur ſine propoſito ſupplendi illam per recitationem priuatam: & in hoc etiam ſenſu eſt res incerta, & ſcrupuloſa, vt infra dicam: nam qui ingreditur ad Matutinum finito pſalmo: *Venite exultemus*, ſolet perdere diſtributiones, & tamen difficile creditu eſt, quod peccet mortaliter, qui in priuata recitatione Matutini illam, vel æquiualentem partem omittit. Multo autem certius mihi eſt, non peccare mortaliter, qui tantum in ſeruitio chori illam partem omittit, ſupplendo illam per recitationem priuatam, quia non eſt grauis læſio iuſtitiæ in ſeruitio chori, & debito Religionis ſatisfit per recitationem priuatam, & per eãdem ſatiſfit generali debito iuſtitiæ, quod poteſt conſiderari reſpectu Eccleſiæ ratione ſtipendij cuiuſcumque beneficij. Immò nec propter abſentiam vnius horæ integræ à choro cum ſuo onere amittendi partem diſtributionum, videtur ſtatim peccari mortaliter, ſi alias hora illa priuatim recitetur. Immò aliqui docti exiſtimant, etiam vnius diei abſentiam non eſſe rem grauem, quando regulariter ſeruitium chori diligenter, ac ſtrenue fit, nam Graffis dicto capit. 52. ait ſemel, aut bis deeſſe in choro, non eſſe mortale: idemque ſentit Syluester ſtatim citandus. Quod certe non videtur improbabile.

Graffis. Syluest.

Ego verò nolo eſſe fautor huius licentiæ, neque in hoc iudicium meum interponere, nam difficile profecto eſt in his rebus moralibus in particulari definitum arbitrium proferre, & ideo conſulo, vt hæc licentia non facile, vel frequẽter ſumatur. quia eſt graue periculum peccandi mortaliter. Quæ culpa non excuſatur eo quod diſtributiones amittantur, quia non excuſatur culpa ratione pœnæ, & quia Eccleſia priuatur ſeruitio ſibi debito ratione talis beneficij. Et ideo recte dixit Syluest. ver. *Hora* quæſtione 2. d 4. cum Innocen. Hoſti. & alijs, beneficiatum, qui officium dicit in camera, omiſſa Eccleſia, non ſatisfacere debito ſuo. Et in quæſtion. 10. declarat eſſe hoc peccatum mortale in duplici caſu. Primus eſt, ſi ex conſuetudine fiat, in quo indicat, etiam vnius diei abſentiam non eſſe per ſe, & ſolam peccatum mortale. Secundus, ſi Eccleſia magnam iacturam inde patiatur, nam hinc materia leuis poterit grauis fieri. Ideoque cauendum maxime eſt hoc detrimentum, vt ſi hac occaſione multi abſint à choro, vel ſi præbendati pauci ſint, & vno, vel altero deficiente non poſsit officium pro dignitate cantari, vel ſi ab his abſentijs, & tardo ingreſſu in chorum perturbationes, aut ſcandala oriri ſoleãt, nam ex ijs, & alijs circumſtantijs poteſt multum aggrauari culpa. Vnde in Clement. 1. de Celebr. Miſſar. inter alia, quæ grauiter reprehenduntur, ſunt. *Tarde ad chorum venire vel ab Eccleſia ante finitum officium ſine legitima cauſa diſcedere.* Cauendum denique eſt, ne quis fingat legitimam excuſationem à choro, quam re vera non habet, ſolum vt mulctas euitet. quia tunc contra iuſtitiam diſtributiones accipit, & inde aggrauatur culpa pro materiæ quantitate, cum obligatione reſtituendi illas.

9. Aliorum ſententia, præfertur. Syluest. Innoc. Hoſtienſ. Clem. 1.

Tandem ex dictis colligitur, omnem modum canendi horas in choro cum aliqua mutilatione verſuum, aut verborum, de ſe peccaminoſum eſſe, & licet ordinarie tantum videatur in illo interuenire culpa venialis, interdum poſſe eſſe mortalẽ ſi nimia ſit verborum mutilatio. Hæc aſſertio colligitur ex cap. *Dolentes*, de Celebr. Miſſ. vbi reprehenduntur grauiter Clerici, qui prius confabulationibus, & ſomno dediti, poſtea recitant, *Tranſcurrendo vndique continuata ſyncopa Matutinum.* Et ſubditur in fine. *Hæc & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtricte præcipientes*, &cæt. ſimiliter in Clement. 1. eodem titu. ponuntur illa duo verba, *Tranſcurrendo, ſyncopando*, & poſtea ſubiũgitur prohibitio: ex his ergo euidens eſt prima pars propoſita: nã omnis mutilatio verborũ, aut verſuũ, ſyncopa dici põt, at hæc prohibetur expreſſe in dictis locis, ergo omnis talis mutilatio eſt ꝓhibita, ac ſubinde peccaminoſa. Præterea etiã ſecluſa hac ſpeciali prohibitione ex na-

10. Cõcluditur omnẽ mutilationẽ verſuũ officij eſſe peccaminoſam ex ſe. Ca. Dolentes. Clem. 1.

Digitized by Google

ex natura rei hoc ſequitur: nam qui debet totam aliquam quantitatem, non ſatisfacit dando partem, & quamcunque ſubtrahat, inuito creditore, peccat: ſed Clericus tenetur in choro dicere integrum officium, ergo quæcumque mutilatio talis officij peccaminoſa eſt de ſe, id eſt, ſi ſit voluntaria, & per inaduertentiam, vel aliam iuſtam cauſam non ſufficienter excuſetur. Secunda item pars facile ſuadetur: quia ordinarie talis mutilatio non eſt cõtinua in aliqua notabili parte officij, ſed in vno vel alio verbo, & ita ordinarie eſt materia leuis, & peccatum conſequenter eſt veniale. Nihilominus timenda eſt interdũ grauis culpa, vt in tertia parte aſſeruimus cũ Nauar. c. 10 de Orat. n. 9. & ſequentibus. Nam interdum (inquit) qui cantant, aut recitant, omittunt tãtam partem verſuum pſalmorum, vel deglutiendo, vel corrumpendo, & ſyncopando verba, ſyllabas, vel litteras, vt ex ita omiſsis fieret pars notabilis horę. Tnnc ergo erit peccatũ graue contra integritatẽ officij in parte notabili. Et certe in dicto c. *Dolentes*, & dicta Clem. 1. verba, tam grauia, & acerba ſunt, vt ſatis indicent defectum illum interdum eſſe grauiter culpabilem.

c. Dolẽtes. Clem 1.

11. *Grauior eſt mutilatio facta à toto choro, quam ab vno, vel altero.*

Circa hunc verò defectum conſiderandum eſt, grauiorem culpam eſſe, cum fit à toto choro quam cum fit ab vno, vel altero tantum: nam vt fiat priori modo, neceſſe eſt, vt omnes, vel fere omnes canentes in choro illo modo cantent, & publicum, ac ſcãdaloſum peccatum committant, & irreparabilem mutilationem, quoniam in choro non poteſt conuenienter repeti publicè, quod ſemel cantatum eſt, licet male fuerit pronunciatum. Participat autem illam culpam pręcipue, qui cantum gubernat, & qui choro præeſt, & ſuo etiam in gradu, qui cooperantur, vel non obſiſtunt conuenienti modo canendo, ſi poſſunt, ſi autem non poſſunt, excuſabuntur à priuata culpa quamuis illa publica actio, vt eſt ab illo corpore myſtico, mala ſit. Vnde ſiquis hunc committat defectum, quando ſolus nomine totius chori canit, dicendo lectionem, vel orationem, turpior eſt defectus cum ſit in oratione publica, vt talis eſt: at verò quando canendo cum alijs, aliquis priuatim ex ſua negligẽtia defectum huiuſmodi committit, & quaſi ſolitarius peccat, poterit ordinariè excuſari à culpa mortali, ſi totum chorum nõ perturbat, vel occaſionem præbet introducendi prauam conſuetudinem in toto choro, nam hoc ſcandalum graue eſt, & poteſt multum augere culpam. Tamẽ hic defectus in mutilatione, vel corruptione verborũ officij Diuini ſuppleri poteſt à priuata perſona, iterum recitando pſalmos illos An vero ad id teneatur, dicemus infra, tractando de priuata recitatione.

12. *Alij defectus qui ad mutilationem reducũtur velut nimia celeritas. Concil. Baſil.*

Ad hunc denique defectum reducuntur alij, qui in modo pronũciandi Diuinum officium committi ſolent, qualis eſt nimia celeritas in percurrendo verſus pſalmorum, vel dictiones, nam hæc moraliter non fit ſine ſyncopa, vel corruptione aliqua verborum. Et ideo Concil. Baſil. ſeſſ. 21. §. 2. ait, dicendũ eſſe officium in choro, *Prolatione non præcipiti, ſed diſtincta*, & infra: *non curſim, ac feſtinanter*. Poteſt verò interdum eſſe nimia velocitas, etiam ſi nihil ex verbis omittatur, vel corrumpatur, quando impedit, ne audientes poſsint verba percipere, & ſenſum, nã id eſt contra fructum per cantum intentum. Item ſæpe impedit attentionem non ſolum audientium, ſed etiam orantium. Denique interdum celeritas licet non ſit nimia abſolutè poteſt eſſe nimia reſpectiuè: nam in ſolennioribus feſtis maior pauſa in cantẽdo adhibenda eſt, vt Conſil. Baſil. ſupra monet. In his ergo omnibus facile venialiter peccatur, raro autem mortaliter niſi vel cõtemptus, aut graue ſcãdalum, aut notabilis deformatio verborum in toto cantu fiat.

13. *Quando erit grauis culpa omittere in choro officiũ Beatæ Mariæ.*

Hic verò vlterius exquiri poteſt, an omittere in choro officium paruum Beatæ Mariæ, vel officium defunctorum, vel Pſalmos Graduales, vel Pœnitẽtiales in illis diebus, in quibus ſecundum rubricas Breuiarij dicenda ſunt, ſit mutilatio Diuini officij, vel grauis culpa? Reſpondeo breuiter, proprie non eſſe mutilationem Canonici officij, quod in ſeptem horis Canonicis diei naturalis conſiſtit: illæ autem non ſunt partes, ſed ſunt quaſi appendices, vel adiectiones ad illud officium. Deinde dicendum eſt, hodie non eſſe culpam illa omittere in choro, niſi iuxta modum præſcriptum in Bulla Pij. V. circa ſuum Breuiarium. In qua obligatio dicendi hæc, officio etiam in choro ſimpliciter tollitur, & ſub conſilio relinquitur, vt infra circa recitationem priuatam latius dicemus. Additur vero exceptio pro ſolo officio Beatæ Virginis, & pro illis tantum Eccleſijs, in quibus antea ex conſuetudine dicebatur, nam illam conſuetudinem abrogare noluit Pontifex, ſed in ea vi illam relinquere, quam habebat. Itaque in illis Eccleſijs vbi erat antea talis conſuetudo, quæ vim legis haberet, erit etiam nunc culpa, illud omittere, & ſine dubio erit grauis, ſi totum omittatur, vel pars notabilis cum proportione ad ea, quæ de officio Canonico diximus: in alijs vero Eccleſiis, vbi ex tali conſuetudine non erat obligatio, non erit culpa, illud non dicere. De alijs autem precibus nulla fit exceptio, & ita etiam ſi antea fuiſſet conſuetudo dicendi pſalmos Graduales, vel Pœnitentiales, nunc abrogata eſt, & ablata obligatio, & conſequenter etiam culpa, ſeu fundamentum eius.

Pius V.

Hæc autem gratia, ſeu abrogatio obligationis, illis tantum Eccleſiis conceditur, quæ illo Breuiario Romano vtuntur, non vero illis, quæ antiquum ſuum ritum retinent, iuxta permiſsionem eiuſdem Pij V. nam illis nulla remiſsio fit. Quod patet primo ex verbis Conſtitutionis in illa clauſula, in qua hæc remiſsio fit, quæ ita incipit. *Quod vero in Rubricis huius noſtri officij præſcribitur, quibus diebus officium Beatæ Virginis &c. dici, ac pſalli oporteat, nos &c. peccati periculum ab ea præſcriptione remouẽdum duximus.* Ergo tantum à Rubricis ſui Breuiarij illam vim obligandi aufert, & ſolum quoad vtentes illis reuocat obligationem etiam per antiquas cõſuetudines introductam quoad alias preces, ſeu officia parua, excepto officio Beatæ Virginis, ergo Eccleſiæ, quæ nõ gubernantur per Rubricas huius Breuiarij non poſſunt hac remiſsione vti. Secundo, eſt hoc contentaneũ rationi, quia qui nõ ſuſcipit onus, nec indulgentiam ſentire debet, & Eccleſiæ, quæ antiquum vſum retinere volunt, merito integram ſuam conſuetudinem, & ritum obſeruare coguntur. In illis ergo Eccleſiis, quæ Breuiario Romano nouo non vtuntur, conſulenda eſt conſuetudo, vel formula recitandi, aut ſpecialia ſtatuta: nam ex his pẽdet hęc obligatio, vniuerſalis enim nõ eſt, nec fuit vnquam: & cum proportione ad obligationem, erit iudicium de culpa. Vide Nauar. capit. 10. de Orat. numer. 3. & 4. vbi alios refert, & communiter Summiſtas verbo *Hora*. 14.

Priuilegia Breuiarij Romani ſolum ad eos, qui illud ſuſceperũt, extenduntur.

Nauar.

Tandem inquiri hic poteſt, an per contrarium extremum peccari poſsit, addẽdo in choro, vel cãtu aliquid Diuino officio, quod in illo ſecundũ Eccleſiæ ritum non continetur. Poteſt autem hæc additio variis modis fieri, vel intelligi. Primo addendo aliquid, quod ſit veluti pars ipſius officij, quaſi perpetuo ritu hoc ſtatuendo. Et talis additio directe eſt prohibita in Breui Pij V. vbi ſic dicitur: *Statuentes, Breuiarium ipſum nullo vnquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahẽdum eſſe.* Talis ergo additio ex ſuo genere graue peccatum eſſet, tum contra hoc præceptũ, tum quia eſſet vſurpata iuriſdictio: nemo enim talem ritum introducere, vel mutare valet, niſi Pontifex, & quamuis additio non eſſet in parte aliqua magni momenti, eo ipſo, quod fieret, modo 15.

Peccat qui priuata autoritate aliquid Diuino officio addit in choro, & quot modis id poſſit contingere. 1. Modus.

permanente, & veluti ritu perpetuo eſſet res grauis cenſenda. Alio vero modo poteſt fieri hæc additio, etiam per modum partis alicuius horæ, non ad mutandum ritum ſimpliciter, ſed ſolum in aliqua occaſione ex aliqua deuotione indiſcreta, vt ſi quis vellet in choro fieri commemorationem alicuius Sancti in ſolenni die quando iuxta ritum Breuiarij facienda non eſſet. At ſi proprias Antiphonas, vel hymnos alicuius Sancti cantari faceret qui in Breuiario non cōtinentur, vel aliquid ſimile. Et hoc etiam ſine dubio eſſet malum, & peccatum, niſi ignorantia excuſaret. Secluſo autem ſcandalo, & contemptu excuſari poſſet à mortali, quādo id, quod adiūgitur, ſanctum eſſet, & ex Scriptura, vel Patribus ſumptū, aut illis conforme, & eſſet in re minima: ſi autem materia eſſet alicuius momenti, peccatum eſſet graue. Præſertim ſi talis additio fieret cum omiſſione aliqua, vt ſi omiſsis lectionibus, quas Breuiarium dicere præcipit, aliæ loco illarum proprio arbitrio ſubſtituerentur, nam tunc ex duplici capite peccaretur, quia illa eſſet partialis omiſſio, ſeu mutilatio, & ſimul eſſet monſtroſa additio. Quia id, quod loco alterius additur, non poteſt eſſe pars officij, cū ex auctoritate non fiat nam illa compoſitio pendet ex inſtitutione, & inſtitutio ex poteſtate. Et conſequēter non poteſt ſupplere partem omiſſam, cum non ſit pars, nec ad officium Eccleſiaſticum, quod nomine Eccleſiæ dicendum eſt, pertineat. At verò quando nihil omitteretur, ſed tantum adderetur aliquid, eſſet culpa tantum ex vno capite, & ideo minor tamen etiam poterit eſſe grauis modo prædicto.

2. Modus.

16. 3 Additionis modus quando honeſtus, & quando vitioſus eſſe poteſt.

Tertio autem modo poteſt aliquid addi in Diuino officio, ad illud non pertinens, non formaliter, vt ſic dicam, ſeu per modum partis, ſed concomitanter & quaſi adiacenter ad maiorem ſolennitatē. Et ſic ſolent in aliquibus feſtis & Eccleſijs inter Pſalmum, & Pſalmum, aliquid extra officium cantari ad organum, vel aliud inſtrumentum muſicum, quod interdum eſt aliunde ſumptum ex eodem Breuiario, interdum ex Scriptura, aliquando eſt ab aliquo erudite compoſitum, & nōnunquam eſt in lingua vulgari, quod *Motetum*, vocant. Hunc ergo vſum aliqui abſolutè improbant, vt Palud. 4 d. 15. q. 5. art. 2. vbi ſpecialiter loquitur contra eos, *Qui canunt motetos in feſtis, quia cantus* (ait) *non debet eſſe tragœdicus*. Cap. *Cantantes*, 92. d. *Ne audientes ad laſciuiam potius, quam ad deuotionem excitentur quod eſt contra finem orationis*. Verumtamen hæc ratio habet locum tantū, quando cantus, vel laſciuus eſt, vel omnino profanus cuiuſmodi eſſe ſolent, *Theatrales moduli, & cantica*. de quibus loquitur dictum C. *Cantātes*. Poteſt enim duobus modis talis cāticus eſſe indecēs in Eccleſia, ſcilicet, vel ratione materię, quia eſt res profana, vel ratione ſoni, quia eſt laſciuus, vel valde ſecularis: & in priori modo fere ſemper committitur peccatum mortale, quia eſt magna irreuerentia. In poſteriori autem poteſt eſſe venialis culpa vel ratione minimæ materiæ, vel ex bona intentione, & inaduertentia vt Caiet. dixit 22. quæſtio. 91. At verò ſi ea, quæ cantātur extra officium Eccleſiaſticum ob deuotionem, & ſolennitatem eius pia ſint, & cantus ſit grauis, & prouocans ad deuotionem, nullum peccatum erit illa intermiſcere partibus officij. Et hoc probat conſuetudo multarum Eccleſiarum, quæ per pios, & prudentes, ac doctos Prælatos, & viros gubernantur, & adminiſtrantur. Et ratio eſt, quia hoc nullibi inuenitur prohibitum, nec eſt per ſe malum, nec alienum à conſuetudine Eccleſiæ primitiuæ, quando ſinguli fideles proprios hymnos à ſe compoſitos in Eccleſia cantare ſolebant. Nec interruptio illa, vel mora, quæ tunc ſit inter partes alicuius horæ reprehenſibilis eſt, quia moraliter veluti continuatur in deuotione quæ per cantum illum excitari intenditur: & ita cantus ille poteſt cenſeri veluti diſpoſitio ad ſequentia, & ſolennis, ac congrua determinatio præcedētium, & ornatus totius horæ.

Palud.

C. Cantantes.

Caiet.

Vnde etiam intelligitur, non eſſe per ſe damnabilem vſum intermiſcendi in Diuinis officijs ſonū organorum ſine vllo cantu, ſolum cum ſuauitate muſicæ inſtrumentorum, vt ſit interdum in Miſſa ſolenni, vel in horis Canonicis inter pſalmos. Quia tunc ille ſonus non eſt pars officij, & ſit ad ſolennitatem, & reuerentiam ipſius officij, & ad leuandos animos fidelium, vt faciliusad deuotionem aſſurgant, ſeu diſponantur. Quamuis autem ad illum ſonum nihil voce cantetur, oportet, vt ſonus ipſe grauis ſit, & aptus ad excitandam deuotionem, & non alia phantaſmata & motus indignos illo loco, & officio, vt grauiter, & bene Caiet. docet loco citato: accuratè diſtinguens, quando hoc ſit peccatum mortale, quando veniale: vt in eo videri poteſt. Nam ſi fiat ex intentione excitādi impuram, vel vanam delectationem, eſt peccatum mortale ex ſuo genere, vixq; excuſari poſſet ab illa grauitate, niſi per ignorantiam, aut ex leuitate materiæ, quando non eſt impura, ſed vana, & non intenditur formaliter tanquam cultus Dei, ſed admiſcetur ad delectādos audientes vano illo modo. Si autem fiat bona intentione prouocandi ad deuotionem imprudenter vtēdo illo medio prouocante ad alia indecētia, vel vana, ex vſu, vel accommodatione talis ſoni, tunc ordinarie erit peccatum veniale. Quod limitandum cenſeo, niſi tantus ſit vſus illius ſoni, & accommodatio ad materiam laſciuam, vt moraliter non poſſit ignorari, nec excuſari.

17. Simplex organorum ſonus ſine cantu audiendus approbatur, & qualis debeat eſſe, oſtenditur.

Capvt XIV.

De Attentione, ac deuotione ſeruanda in choro, & circumſtantijs externis, quæ ad illam pertinent.

Diximus in ſuperiori libro attentionem eſſe de ratione orationis vocalis, vnde neceſſario ſit, vt qui ex præcepto recitare vocaliter tenetur, etiam ad attendendum aliquo modo teneatur. Habet autem dubitationem an tanta, & tam grauis ſit obligatio ad attendendum, ſicut ad voce proferendam orationem, quam dubitationem infra de recitatione priuata horarum tractabimus: nunc autem ſupponimus, ſaltem attentionem illam, quæ neceſſaria eſt ad ſubſtantiam, & eſſe (vt ſic dicam) orationis, cadere ſub idem pręceptum recitandi horas Canonicas, & ſub eadem obligatione reatus mortalis. Hic ergo ſpecialiter de attentione in choro adhibenda, explicandum eſt præceptum latum in C. Dolentes, de Celebr. Miſſ. his verbis: *Diſtrictè præcipiētes in virtute obēdientiæ, vt Diuinum officium nocturnū pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit ſtudioſe celebrent pariter, & deuotè*. Propter quæ verba quidam dixerunt, hic tradi duo pręcepta diſtincta vnum de actu exteriori integrè, & ſine defectu recitandi, quod ſignificatur per particulam *ſtudioſè*, aliud de attentione adhibenda quod ſignificatur per particulā, *deuotè*. Ita inſinuat ibi Glo. dicens: *Studioſè, quoad officium oris, deuote quoad officium cordis*, licet illa Gloſſa in antiquis codicibus non habeatur, vt in codice Gregoriano notatur. Nō declaratur aūt in illa Gloſſa, qualia ſint illa præcepta, nec quantū obligēt: & ita in hoc ſunt duæ opiniones. Vna Hoſt. ibi, qui habet eadē verba, quæ Gloſſa. Ipſe autem non putat illa verba continere præceptum, ſed conſilium. Quod colligit ex illis verbis: *Quantum Deus eis dederit*. Eumq; ſequūtur Anton. & alij.

1. Expenditur C. Dolentes iuxta varias opiniones.

Cap. Dolentes.

Gloſſa.

Hoſtienſ.

Anton.

Alij vero dicunt, eſſe duo præcepta, & vtrumque obligare ad mortale, & in hoc magis inclinat Panor. ibi: ſentit n. vtrumq; eſſe in pręcepto ſimpliciter, nā relatis

2. 2. Opinio.

relatis opinionibus concludit, quantitatem reatus eſſe iuxta modum contemptus, vel negligentię, pro hac opinione citat Syluest. Supplementum. Et poſſunt citari auctores, qui tenent eſſe peccatum mortale, dicere horas ſine attentione, ſaltem virtuali, ſed illa opinio non arctatur ad hanc expoſitionem huius textus, vt infra dicam.

3. *Tertia, & media opinio vnum in illis verbis credit contineri præceptum, non tamen de interiori actu.*

Tertia nihilominus expoſitio eſt, vt illa verba contineant rigoroſum præceptum, non tamen de interiori actu: duos enim defectus prius retulerat circa orationem chori: vnus erat, recitare ſyncopando, & transcurrendo: alius, miſcere confabulationes in choro, & ad illas auditum applicare: contra primum ergo præcipit *ſtudioſe* orare, id eſt, integre, & ſine defectu: contra ſecundum autem *deuote*, id eſt, nullum externum impedimentum attentioni contrarium apponendo. Et obligatio ad hæc duo eſt ex genere ſuo ſub mortali, licet ex leuitate materiæ poſſit eſſe leuis. Vnde ibi non præcipitur denuo recitatio ſeptem horarum, antiquius enim erat hoc præceptum, vt ibi notat Gloſſa, ſed præcipitur modus quoad hæc exteriora. Et hunc ſenſum indicat Gloſ. in Clem. 1. de Cel. Miſ. verb. *Fructus labiorum*, Syluest. verb. *Hora*, q. 11. & alij. Quarta opinio eſt, ibi eſſe vnum præceptum præcipiens ſimul non ſolum actum, & modum externum, ſed etiam internum, quam optimè explicat Caiet. in Summa verb. *Hora*, c. 3. & ſequuntur Sot. Nauar. & alij communiter.

Gloſſa.

4. Opinio ibi eſſe præceptum præcipiens actum & modum etiam internum.

4. *1. Aſſertio. In illis verbis cap. Dolentes, habetur rigoroſum, & proprium præceptum.*

Ego in primis exiſtimo in illis verbis ferri rigoroſum præceptum, & omnino proprium, vt patet ex illis verbis: *Diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ.* Hæc enim ſunt potiſsima verba, quibus explicari ſolet, & poteſt proprium & rigoroſum præceptum: verba autem illa, vt ex contextu litteræ conſtat, cadunt in totum id, quod ſubiicitur, *vt Diuinum officium, &c.* per quod non præcipitur Diuinum officium celebrari, ſed *ſtudioſe celebrari pariter, &c.* Ergo totum hoc cadit ſub proprium præceptum. Et confir. quia alias lex illa ſine fructu retuliſſet illa vitia ſolita in recitatione committi, & ſubdidiſſet poſtea illa verba: *Diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ, &c.* ſi per hæc verba tantum præciperet dicere Diuinum officium, & non modum dicendi ſtudioſe, & deuotè, ſaltem quatenus illis vitiis contrarius eſt, vel quod idem eſt, prohibendo illos defectus, quatenus huic modo contrarij ſunt: neque obſtant verba illa, *quantum eis Deus dederit.* Quia non ſunt ad eneruandũ, vel tollendum præceptum, ſed ad limitandam, vel declarandam materiam eius. Declaratur enim per illa verba non præcipi hic deuotionẽ aliquam peculiarem, quam conferre, eſt etiam ſpecialis Dei auxilij, ſed ſolum illam, quam homo poteſt, & debet præſtare, ſe ad orandum voluntarie, applicando eum attentione, & nullum impedimentum debitæ attentioni voluntariæ apponendo.

5. *2. Aſſertio. In illo decreto vnicũ tantum præceptum continetur, licet in eo explicentur duæ conditiones neceſſariæ ad complementum illius.*

Secundo aſſero, in illo Decreto non duo, ſed vnicum tantum præceptum contineri, licet in eo explicentur duæ conditiones neceſſariæ ad complementum huius præcepti, quæ ſunt integritas orationis, & attentio, quarum prior commendatur per particulam *ſtudioſe*, poſterior per particulam *deuote*, vt rectè tertia opinio declarauit, & ſupponunt Soto lib. 10. de Iuſt. quæſt. 5. artic. 5. & 6. Nauar. cap. 13. de Orat. & alij infra referendi. Declaratur autẽ in hunc modum, quia in illo textu duæ inueniuntur clauſulæ continentes præceptum. Vna eſt: *Hæc igitur, & ſimilia ſub pœna ſuſpenſionis penitus inhibemus.* Alia eſt, quæ proxime ſequitur: *Diſtricte præcipientes, &c.* Hæc ergo videri poſſunt præcepta diſtincta, quia vnum eſt negatiuum, & aliud affirmatiuum, quæ magna eſt diſtinctio: & vnum habet pœnam adiunctam ſuſpenſionis ferendæ, non latæ, aliud nullam continet pœnam. Nihilominus tamen, vt opinor, non traduntur ibi illa duo, vt omnino diſtincta præcepta, ſed vt ita inter ſe colligata, vt vnum in alio virtute contineatur, quatenus ad officium Canonicum ſpectant, (nam quod ibi in ſecũda clauſula textus tangitur de Celebratione Miſſarum quater in anno, ad præſens non ſpectat, nec de illo præcepto quoad illam partem loquimur, ſed quoad recitationem officij) & ſic dicimus prohibitionem, & præceptum in vnum coaleſcere. Nam licet affirmatio, & negatio formaliter contraria videantur, tamen affirmatio vnius continet virtute negationem contrarij, qui enim præcipit amare, ſatis prohibet odiſſe. Ita ergo cum præcipitur ſtudioſa, & deuota celebratio Diuini officij virtute prohibentur contraria: qualia ſunt, ſyncopare verba, quia hoc non eſt ſtudioſe dicere, item auditum effundere ad indebitos ſermones, quia hoc modo non deuote celebrantur Diuina. Ergo ex hoc capite non oportet diſtinguere pręcepta. Vbi obiter aduerto per verba illa: *Hæc, & ſimilia inhibemus*, non prohiberi omnia, & ſingula, quæ in priori parte textus narrata fuerant ſecundum ſe ſpectata, ſed ſolum vt opponuntur ſtudioſæ, ac deuotę celebrationi officij: nam in prima clauſula textus narratæ fuerãt prauæ conſuetudines conſumendi magnam partem noctis in comeſſationibus ſuperfluis, & fabulationibus illicitis. Hæc ergo ſi ita fiant, vt eis non obſtantibus, Matutinum ſine ſyncopa, & defectu impleatur, erunt ſecundum ſe mala, non tamen ibi ſpecialiter prohibita, vel punita, quia ſolum ibi hæc commemorantur in ordine ad vitandũ defectum in Diuinorum celebratione. Idem clarius eſt de applicatione auditus ad vana colloquia, quia ſi fiat, quando attentio ad orationem nõ impeditur, quia tunc non oratur, erit ſecundum ſe malum, non tamen ibi prohibitum. Sic ergo tota illa prohibitio in affirmatione includitur, & propter illã fit, & cõmiſſio cõtraria illi prohibitioni ideo mala eſt, quia tollit poſitiuũ actũ, vel conditionẽ eius per affirmationem præceptam. Ac deniq; culpa commiſſa contra vtrumq; præceptum vna eſt, quæ interdum poteſt eſſe ſola omiſsio, interdum habere commiſsionem coniunctam.

6. *Magis explicatur prædictũ caput, & non firmatur ſecunda aſſertio.*

Præterea, in quacunq; illarum clauſularum poſſunt duæ partes ſubdiſtingui, nam per verbũ, *Inhibemus*, prohibetur ſyncopa, & diſtractio voluntaria, per verbum autem, *Diſtricte præcipimus*, mandatur ſtudioſitas, & deuotio in orando. Neutro autem ex his modis ſunt ibi duo pręcepta. Nam ſi illa duo referantur (vt probabile eſt) ad externas conditiones actus orandi: ſic ſolũ prohibent, vel mandãt, diuerſas circumſtantias bonas, vel malas eiuſdẽ actus orandi. Propter declarationẽ autem pluriũ circumſtantiarum nõ variantur, vel multiplicantur præcepta, quãdo ex omnib. illis vnus actus moralis vnius bonitatis ſpecificæ conſurgit. Nã præceptũ reſtituẽdi, & integre reſtituendi nõ ſunt duo, & prohibitio nõ conſumendi partẽ aliquã rei reſtitutioni obnoxiæ, nõ eſt nouũ præceptũ, & ſic de aliis. Ita vero ſe habent illæ circũſtantiæ orationis horarũ Canonicarũ, nam ibi includitur integritas, & attẽtio, & excludũtur contraria, ſeu volũtaria impedimenta. Si autẽ illa duo, quæ in affirmatiuo præcepto maximè continentur ad internũ actũ cordis, & externũ oris referuntur, vt prima, & ſecunda opinio volebant: etiãſi hoc detur (quod tolerari poteſt) nõ erunt duo præcepta, ſed vnũ declarans duas etiã circumſtantias, quas includit, vnã internam, & alterã externã, quarũ prior ad ſubſtantiã orationis: alia ad integritatẽ pertinet. Et ſic etiam procedit ratio nuper facta, quia præceptum iubens fieri actum quoad omnia, quæ ſunt de ſubſtantia, & integritate eius non multiplicatur eo quod circumſtantiam, vel partes talis materiæ declaret. Accedit hic peculiaris ratio: nam actus interior nõ poterat Eccleſiaſtica lege per ſe, & directè præcipi, ſed ſolum vt vnum actũ moraliter

Digitized by Google

componit cum exteriori, vt ex materia de Legibus ſuppono. Ergo etiam ex hoc capite non ſunt ibi duo pręcepta, ſed vnum. Vnde vnum tantum peccatum committitur, ſiue ſola integritas, ſiue ſola attentio neceſſaria, ſiue vtraque ſimul voluntarie omittatur. Sed illud erit magis, vel minus graue iuxta materiæ quantitatem & alias circumſtantias.

7. *Colligitur ex dictis præceptum hoc, vt per illud præcipitur modus internus, magis antiquũ eſſe.*

Hinc colligo, præceptum illud, vt per illud præcipitur modus internus in recitatione horarũ ſeruandus, non fuiſſe ibi denuo latum, ſed fuiſſe tam antiquum, quam eſt antiquum præceptum recitandi ſeptem horas Canonicas, licet Caietan. aliud ſenſiſſe videatur. Probatur vero illatio, quia in præcepto orandi includitur intrinſece ille modus, quia non oratur Deus ore ſine corde, vt dicitur ca. *Cantantes*, d. 92. ergo ille modus, antiquo præcepto orandi horas, iuſſus erat. Sed ex vi capit. *Dolentes*, non obligantur clerici ad nouum modum internæ attentionis præter illum, qui ad ſubſtantiam orationis neceſſarius eſt, ergo. Confirmatur, quia tunc oporteret eſſe duo præcepta, & vnum directe, & præciſe verſari circa illum actum internum denuo præceptum, tamen in vtroque verum eſſe oſtendimus. Neque propterea ſuperfluum eſt illud præceptum, quia explicat magis quid in illo præcepto orationis vocalis contineretur: & fortaſſe addit naturali legi maiorem obligationem, vel aliquid peculiare exterius obſeruandum, quod poſtea videbimus.

8. *3. Aſſertio. Præceptum hoc quatenus internã attentionem præcipit, etiam ad modum recitandi in choro obligat, vnde aliquãdo mortaliter poteſt violari.*

Probatur 1. pars. Cap Dolentes. Clem. 1.

Dico tertio. Præceptum hoc, quatenus internam attentionem præcipit (nam de integritate iam dictum eſt, quod ad chorum pertinet) etiam ad modum recitandi in choro obligat, vnde interdum cum mortali peccato violari poteſt. Prima pars ab omnibus recepta eſt. Nam Ius illud præcipue videtur ſtatutum propter orationem publicam chori, nam in recitationibus priuatis, nec ſunt tam frequentes abuſus illi, qui ibi referuntur, nec ſunt tam ſcandaloſi, aut cogniti. Item id conſtat ex illis verbis: *Chori ſilentium fugientes intendunt exterius collocutionibus laicorum, dumque auditum ad indebitos ſermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad* Diuina. Item verb. *Celebrandi* Diuina, ſimpliciter magis dicitur de recitatione publica in choro Eccleſię, quam de priuata, licet vtrumque modum poſſit comprehendere. Præterea, in Clemen. 1. de Celeb. Miſſ. expreſſius fit mentio de his defectibus in choro, & de pſalmodia, & cantu, & idem præceptum ponitur deuote pſallendi; & celebrand. hæc Diuina officia. Item in capit. *Cantantes*, 92. d. hoc ſenſu dicitur Deo non ore tantum, ſed corde eſſe cantandum, quæ nõ eſt lex, ſed ſententia Hieronymi explicans potius ius Diuinum, ac naturale, quam humanum condens.

Cap. Cantantes. D. Hieron.

9. *Alia aſſertionis partes comprobantur.*

Vt autem alię partes explicentur, ſuppono (quod libro præcedenti dictum eſt) diſtractionem naturalem, id eſt, non liberam, nec voluntariam non reddere orationem peccaminoſam (etiamſi præcepta ſit) nec impedire veritatem orationis, vel impletionem præcepti: tunc ergo peccatur, quando attentio voluntarie omittitur: vnde ex defectu perfecti voluntarij poteſt hoc peccatum eſſe veniale tantum, nam mortale requirit plenam deliberationem. In quo eadem eſt ratio de hoc defectu in choro, & extra chorum, & ideo infra hoc diſtinctius tradetur. Rurſus pręmitto (quod ſupra etiam notaui) duobus modis poſſe beneficiarium reſidentem in choro voluntarie diſtrahi, primo, ſine animo iterum recitandi, vel totam horam, vel partem illam, in qua penitus attentus non eſt: ſecundo, cum propoſito ſupplendi defectum per priuatam recitationem. In priori modo conſtat, culpam mortalem committi, ſi pars omiſſa notabilis fuerit, quia etiam in oratione priuata eſt tale peccatum, ergo magis in publica. Vnde omnia, quæ de hoc puncto infra dicemus de oratione priuata ad hanc tranſgreſſionem in choro factam, accommodata intelligantur. Solum aduerto, non cenſeri diſtractum ab oratione chori, qui alicui miniſterio eiuſdem chori ibidem incumbit: eique conuenienter præſtando attendit, ideoq; ad cantum, vel voces pro tunc non aduertit. Ille enim ſuo modo tali orationi cooperatur & ad Deum pro tunc attendit eo modo, quo debet, & ideo vt membrum illius chori cum toto corpore orat, ſicut audit Miſſam, qui in illa miniſtrat, & licet interdum ad ſacriſtiam eat, vel aliud ſimile faciat, non cenſetur moraliter Miſſam interrumpere. Si vero exiret quis è choro leuandi animi gratia, etiam ex vera neceſſitate & propterea partem omitteret, ſi eſſet notabilis, oporteret illam repetere. Et ita intelligenda cenſeo, quæ de hoc tractat Nauar. c. 10. de Orat. nu. 70. & c. 16. n. 66. *Nauar.*

10. *Poſita diſtractione etiã voluntaria licet totius horæ cum animo tamẽ repetẽdi, an peccet mortaliter, & obligetur reſtituere.*

In alio vero modo admittẽdi diſtractionem voluntariam in choro cum animo repetendi ea, quæ tunc dicuntur, videri poteſt non peccari mortaliter, etiamſi diſtractio ſit per horam integram, vel per partem notabilem horæ alicuius. Et in primis hoc patet in his (ſiqui forte ſunt) qui licet teneantur adeſſe in choro, non tenentur cantare quia illi ſola præſentia ſatisfaciunt illi muneri, & obligationi, ergo licet ſint diſtracti non peccant ſpecialiter contra obligationem, ad quam ex iuſtitia tenentur ratione beneficij, ſed ad ſummum peccabunt venialiter, quia indebito modo ibi aſſiſtunt, ergo ſi habeant propoſitum iterum recitandi, & illud poſtea impleant, omnino excuſabuntur à culpa mortal. Præterea idem videtur, etiamſi cantare teneantur, nam canendo, licet non cantent attente, videntur eidem obligationi iuſtitiæ ſatisfacere, ex quo reliqua conſequuntur. Confirmatur, quia cantores mercenarij, qui Eccleſiaſticum beneficium non habent, ſed purum ſtipendium propter cantum, ſi ſufficienter cantant, etiamſi nullam attentionem habeant non peccant mortaliter, nec reſtituere aliquid tenentur, etiamſi poſtea non recitent, ergo qui ratione beneficij tenentur in choro canere, ſi ex vna parte cantent, & aſſiſtant in choro integre, licet ſine attentione, & ex alia recitare priuatim proponant, & ita faciant, non peccabunt mortaliter, nec tenebuntur reſtituere, quia per poſteriorem orationem ſatiſfaciunt oneri beneficij, vt ſic, & per cantum, vel aſſiſtentiam publicæ functioni, in qua æquiparantur ſtipendiarijs, ſuppoſita recitatione priuata. Atque hæc pars fiet probabilior iuxta opinionem eorum, qui dicunt ob ſolum defectum attentionis non obligari aliquem ad reſtitutionem, etiamſi mortaliter peccet, vt infra videbimus: multo enim apparentius id dicitur de ſola aſſiſtentia, vel cantu chori, quando alias præceptum orandi ſeptem horas impletur alio modo.

11. *Nauar ſent. peccare mortaliter, nec diſtributiones mereri.*

Nihilominus contrariam ſentẽtiam indicat Nauar. cap. 13. de Orat. n. 17. vbi ſic ait: *Secundo ſequitur non mereri, imo peccare, & non lucrari diſtributiones quotidianas coram Deo, ideoque in foro conſcientiæ eſſe obligatos eas reſtituere, qui recitant, vel propoſitum habent recitandi ſuas horas domi, ſeu extra chorum, & ad eum vadunt animo non attendendi ad ea, quæ ibi dicentur, vel cantabuntur, &c.* Quod non aliter probat niſi inferendo illud ex generali aſſertione, quod recitatio ſine illa attentione ſaltem virtuali non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum præcepto. Videtur autem ſupponere, Canonicos, & alios huiuſmodi beneficiarios teneri ex præcepto iuſtitiæ ad canendum, vel recitandum in choro, non ſolum materialiter, vt ſic dicam, ſed etiam vere orando. Et poteſt hoc cõfirmari ex cap. *Dolentes*, & ex Clemen. 1. de Celebr. Miſſar. nam præcipiunt cantare, pſallere, aut recitare deuote, & ſtudioſe, præcipiunt ergo, vt in choro vere, & proprie oretur. Et confirmatur, quoniam alias omnes, qui in choro aſſiſtunt poſſunt non attendere, neque orare ibi ſine peccato mortali, quia non eſt maior ratio de vno, quam de omnibus ſigillatim

Cap. Dolentes. Clem. 1.

Digitized by Google

gillatim ſumptis,& conſequenter neque ſimul,quia non poteſt chorus vt ſic,obligari, niſi obligando omnes,vel ſaltem aliquos in particulari: conſequens autem videtur abſurdum,nam ſic male eſſet prouiſum Eccleſiæ de recitatione chori, ſæpe enim nulla ibi fieret vera oratio ad Deum, ſed ſolum clamoroſa vociferatio, vnde nec poſſet tunc Eccleſia dici orare ad Deum per tales miniſtros, cum ipſi non orent.

12\. *4. Aſſertio Qui voluntarie diſtrahitur in choro, animo tamē poſtea recitandi probabile eſt, non peccare mortaliter, certum non teneri ad reſtituēdas diſtributiones.* Propter hæc eſt valde probabile, non excuſari à culpa mortali beneficiarios, qui choro interſunt ſine propoſito ibi orandi, vel attendendi,ſed tantum cantandi materialiter, vel aſsiſtendi, ne lucrum amittant. Non eſt tamen hoc certum, ſed ſatis dubium, quando habent propoſitum, & vſum priuatim recitandi. Nec Nauarr. in citatis verbis aperte docet oppoſitum,nam poſſet intelligi de eo,qui habet propoſitum recitandi, ſiue in choro, ſiue extra chorum, non attendendo ad ea quæ dicuntur: ita vt in neutra recitatione velit habere attentionem, non enim videtur ibi loqui de eo,qui proponit ſupplere defectus per legitimam recitationem: nam de hoc dixerat in cap.10.num.43.49.58.& 70. omittere partem notabilem etiam cum propoſito ſupplendi, nō eſſe mortale,ergo à fortiori idem dicendum erit de omiſsione ſolius attentionis: & ibidē, & c.13. ſæpe docet, hos defectus in choro commiſſos, ſi ſint in parte notabili, ſupplendos poſtea eſſe per recitationem priuatam,vnde videtur ſequi, quod ſi à principio illud ſupplementum habetur in propoſito,poteſt excuſare præſentem lapſum à culpa mortali: cum alias ſatisfiat exteriori, & quaſi materiali actioni chori. Vnde ſaltem quoad reſtitutionem diſtributionum ego non imponam hoc onus propter hunc ſolum defectum,ei,qui alias recitauerit legitime. Nam Concilium Lateran. cum de reſtitutione loquitur, eam ſolum imponit non recitantibus: & Pius V. tantum dicit, non recitantes debere reſtituere,etiam ſi choro aſsiſtant quoad corporalem præſentiam, & ex conſuetudine illa ſufficere credatur ad lucrandas diſtributiones:non vero dicit,quod alias recitantes teneātur reſtituere, ſi in choro nō orent,vel non attendant. Imo per argumentū à contrario videtur ſignificare oppoſitū. Et hoc tenuit Bartho. Med. in ſua Inſtruct. cap. 14. §. 11. Quod vero attinet ad culpam, fortaſſe illa eſt grauis, maxime propter Cap. *Dolentes*, & Clem. 5. de Celebrat. Miſſar. tunc autem dicendum eſt, peccatum illud eſſe contra præceptum Religionis,non iuſtitiæ, vel ſi eſt contra iuſtitiam,eſſe tantum ratione modi, qui poſtea ſuppletur ſufficienter per priuatam orationem, & ideo non naſci inde obligationem ad reſtituendum ex natura rei, & alias non eſſe iniunctum per ius Eccleſiaſticum in illo caſu, & ideo nullam eſſe.

Nauar. in meliorem ſenſum traducitur.

Conc. Lat.
Pius V.

Barth. Medin.
C. Dolentes.
Clem. 1.

13\. *Quando oratio illa diſtractio mortaliter peccaminoſa.* Maximè vero erit hoc peccatum mortale,ſi in actiones exteriores prodeat impedientes chori attentionem,præſertim in illas, quæ in dicto cap. *Dolentes*, & Clem.1. recenſentur,& prohibentur, nam quoad hæc fortaſſe aliquid ſpecialius, & rigoroſius per illa Iura, quam ex natura rei eſſet prohibitum. Prætterquam quod etiā ex natura rei in illa oratione publica, vix poſſunt fieri actiones illæ externæ impedientes attentionem ſine graui ſcandalo, & impedimento aliorum aſtantium in choro: hinc ergo poteſt ſæpe illud peccatum eſſe graue, vt late Nauarrus in cap. 2. de Oratione num.4. & capit.13. num. 26. 33. & ſequentibus, & cap.15. num. 5. & ſequentibus. At vero quando in exteriori modo aſsiſtendi vel canendi in choro, nulla datur aliis offenſio,neque ponitur impedimentum attentioni,& interior attentio omittitur non ex contemptu, ſed ex quadam negligentia, vel remiſsione animi propter temporis diuturnitatem, cum propoſito iterum legitime recitandi, non facile damnanda eſt illa culpa vt mortalis. Vnde conſtat, clericos alios,non in ſacris,vel cantores,qui beneficium non habent,ſed nudam mercedem, nec teneri ad reſtituendum, nec peccare mortaliter per ſe loquēdo propter ſimilem diſtractionem voluntariam,etiam ſi propoſitum recitandi non habeant,quia non tenentur recitare ex vi alicuius tituli,& muneri ſui ſtipendij ſatisfaciunt, vt ſupponimus. Neque obſtabit illa difficultas (quod poterit accidere, vt nullus verè oret vocaliter in illa oratione publica) quia ſatis eſt, quod totum corpus illud oret,quia principales miniſtri & clerici ſemper illuc conueniunt animo laudandi, & precandi Deum nomine Eccleſiæ, & non poteſt non aliquis eorum attēdere, ſaltem ad ipſam materialem litteram, & licet vnus diſtractus ſit, alius attendet, & è conuerſo: quod ſatis eſt, vt oratio illa, vt fit à choro, ſit vera oratio, etiam ſi ſingulares perſonæ in attentione neceſſaria ad orationem magna ex parte deficiant.

Nauarr.

14\. *4. Aſſertio. Ad quid obligentur recitantes in choro quoad externa ſigna deuotionis.* Tandem ex dictis intelligitur, an obligentur recitantes in choro ad externa ſigna deuotionis in geſtu & habitu corporis. De qua re nihil habemus ex iure Eccleſiaſtico diſpoſitum in particulari affirmatiuè, vt ſic dicam, ſed tantum negatiue, vt vitentur actiones indecentes, ſermones profani, & ſimilia, & ad ſummum poſſunt quædam generalia verba ex Iure ſumi, vt quod in choro ſeruetur *modeſta grauitas*, Extrauag. vnic. de Vit. & honeſt. cler. Quoad externum etiam habitum inuenio in Concil. Baſil. ſeſsion. 21. § 2. declaratum, vt qui ad orandum Deum in choro conueniunt, *habitu honeſto, & vultu decenti* ſe ipſos componere ſtudeant. Et in particulari quoad veſtimenta additur ibidem: *Horas Canonicas dicturi cū tunica talari, ac ſuperpelliciis mundis vltra medias tibias longis, vel cappis, iuxta temporum & regionum diuerſitatem Eccleſiam intrent, &c.* & infra: *Qui cum in choro fuerint grauitatem ſeruent, quam & locus, & officium exigunt.* Quod decretum licet vim legis non habeat, quia illud Concilium non eſt in omnibus legitimum, vel confirmatum: nihilominus grauiſsimum eſt, & per ſe valde conſentaneum rationi. In rigore autem legis illud obſeruandum eſt, quod vel ratio prudens, ac Religioſa dictauerit: ad quod deſeruient ea, quæ de oratione vocali in genere quoad has circumſtantias diximus: vel etiam attendendum eſt, quidnam conſuetudine præſcripta fuerit introductum: maximè quando contraria nouitas ſcandalum ingereret: vel denique quod ſtatutis ſpecialibus, aut mandatis Prælatorum fuerit præceptum, id enim omnino ſeruandum eſt. Reliqua ſunt in conſilio, & interdum erunt veniales defectus ob leue ſcandalum, vel indecentiam: de qua re videri poteſt late Nauarrus capit. 15. de Orat.

Extrau. vnica.
Concil. Baſil.
Nauar.

Capvt XV.

De tempore ſingulis horis Canonicis præſcripto pro publico officio chori.

1\. *Habēt horæ Canonicæ ex ſpeciali obligatione chori, certa tempora ab Eccleſia deſignata.* Haec ſola circumſtantia ſupereſt nobis explicanda circa chorum, nam de loco iam ſuprà diximus, & de cæteris, quæ vel ad materiam, vel ad actionem, vel ad perſonas pertinent. Igitur de tempore ſupponimus, iuxta propriam inſtitutionem has horas Canonicas in diſtinctis diei, vel noctis temporibus dicendas eſſe, quod ſatis conſtat ex his, quæ capit. 3. & 4. de illis diximus, & ex cap. 1. de Celebrat. Miſſar. vbi licet permittantur horæ dici ſummo mane priuatim, de publica recitatione ſtatim ſubditur: *Ita tamen vt horis competentibus publice compleantur*: & in Clem. eod. tit. ratione eiuſdem præcipitur, *vt in Eccleſiis horis debitis deuote pſallatur.* & ſimiliter in Concil. Baſil. ſeſſ. 21. *Horis debitis, ſignis congrua pulſatione præmiſſis, per ſingulas* horas

Clem. 1. Cā. 1. De Celebr.
Clem. 1.
Concil. Baſil.

Digitized by Google

horas laudes Diuinæ reuerenter ab omnibus perſoluantur. Non eſt ergo dubium, quin habeant horæ Canonicę certa tempora ex inſtitutione Eccleſię deſignata, in quibus ſingulæ dicendæ ſunt ex ſpeciali obligatione chori. Tria ergo, vel quatuor videnda ſunt, primum, quæ ſint hæc tempora pro ſingulis horis, vel ex conſuetudine, & quanta ſit obligatio ſeruandi hæc tempora in publica recitatione horarum: ac denique an ex cauſa poſsit hoc tempus mutari, & quæ ſufficiat?

1 Aſſertio. Matutinū ſi ius ipſum attendamus proxime poſt dimidiā noctem inchoandum, & hæc prima fuit inſtitutio. Ca. 1. De Celebr. Pſal. 118. Diony. Athan. Baſil.

2. Circa primum diſcurremus breuiter per ſingulas horas: incipiēdo à Matutino, quia eſt prima hora diei naturalis, vt ſupra diximus. Matutinum ergo ſi ius ipſum attendamus, proxime poſt mediam noctem inchoandum eſt: ita ſumitur ex cap. 1. de Celebr. Miſſar. in fine, vbi dicitur, per hanc horam quoad eam maxime partem, quæ à laudibus diſtinguitur (& ſpeciali modo ſolet Matutinum appellari) expleri illud pſalmi 118. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*: quod proprie Sancti Patres intellexerunt. exercuerunt, & conſuluerunt. Vt videre licet in Dionyſ. Epiſt. 8. ad Demophil. vbi circa finem refert, Carpum fuiſſe ſolitum circa mediam noctem ad pſalmos Dei recitandos vigilare. Quod etiam conſulit Athan. lib. de Virgin. Baſil. regul. 37. ad Greg. & alij ſuprarelati. Solum poteſt difficultatem nonullam inferre, quod ibidem diximus, ſolitos fuiſſe nocturnos matutinales diuerſos per vigilias noctis dici: vnde neceſſe eſt fateri, ſolitum fuiſſe inchoari matutinum ante dimidiam noctem in prima, vel ſaltem in ſecunda vigilia eius. Ad hoc tamen iam ibi reſponſum eſt ordinarie Matutinum fuiſſe inchoatum poſt mediam noctem, per occaſionem vero ſolitum fuiſſe anticipari, vel poſtponi aliquantulum, vel pro temporum, vel pro ſolennitatum varietate. Sic ergo quando tres nocturni diuiſim dicebantur, inchoabatur Matutinum ante dimidiam noctem, vt ex variis Doctoribus ibidem vidimus, vbi etiam probabilius iudicauimus in Romana Eccleſia, vel nullam, vel raram fuiſſe illam conſuetudinem: imo multi cenſent, in quocunque tempore, vel loco Matutinum, & laudes per modum vnius horæ dici cœperunt, ſemper Matutinum fuiſſe inchoatum poſt horam noctis mediam. Non eſt tamen ſcrupuloſe accipienda media nox, ſed prout ſignificat partem illam noctis, quæ poſt dimidiam noctem inchoatur, & includit totum illud tempus noctis, in quo illud officium ad auroram abſolui poteſt, vt ex regula Sancti Benedicti cap. 7. ſumitur, & ibi notauit Turrecrem. tracta. 73. ex quadam doctrina D. Thomæ 3. p. q. 51. ar. 4. ad 2. dicentis, ſolere mediam noctem appellari, non tantum pūctum, quod diuidit noctem in partes æquales, ſed etiam pars tota illa noctis, quæ ab illo puncto ad auroram vergit. Tempus enim pro Matutinis laudibus maxime proprium, fuit ſemper initium auroræ, vt ex ſupra dictis conſtat.

Regul. S. Benedict. Turrecr. D. Thom.

2. Illa inſtitutio quantum pro conſuetudine, ac diuerſitate nationū ſit immutata.

3. Quamuis autem hæc fuerit prima huius temporis inſtitutio, magna ex parte per conſuetudinem immutata eſt. Et vix extra Religioſorum monaſteria, in Eccleſiis ſecularibus, Cathedralibus, vel collegiatis conſeruatur, quanquam non deſint aliquæ Eccleſiæ morem illum Religioſæ obſeruantes, vt Pariſienſis in Gallia, Segouienſis, & Conchenſis in Hiſpania. Ex aliis vero quædam differunt Matutinum vſque ad auroram, quo finito cum laudibus, ſtatim Primam decantant. Et hunc modum ſeruat Romana Eccleſia, etiam in Capella Pontificis. Et fere per totam Italiam obſeruari exiſtimo, & eundem in Gallia conſpexi, & in Hiſpania videtur eſſe frequentior. Aliquæ veræ Eccleſiæ non tantum regulares, ſed etiam ſeculares, vt Salmantina (& aliæ fortaſſe) anticipant, Matutinum inchoant poſt ſolis occaſum fere per horam, & cum illo laudes coniungunt, quia iuxta Romanum vſum per modum vnius horæ totum hoc officium dicunt. Omnes ergo hæ conſuetudines, & ſi quæ ſunt aliæ dicendi hanc horam in prima, ſecunda, tertia, vel quarta parte noctis, honeſtæ ſunt, & vnaquæque Eccleſia poteſt, & debet ſuam conſuetudinem ſeruare. Quæ varietas (vt pij Doctores annotarunt) licet occaſione humanæ imbecillitatis euenerit, non ſine Spiritus ſancti prouidentia in Eccleſia introducta eſt, vt omnibus temporibus noctis in variis locis, & Religionibus ac Eccleſiis publice laudetur Deus. Et hæc de Matutini tempore.

2. Aſſertio. Prima dicē da eſt in 1. hora diei, orto iam ſole in quo tamen ſua eſt latitudo.

Reliquæ horæ iuxta nomina habent etiam tempora determinata. Prima enim in prima hora diei dicenda eſt, illudque eſt legitimum tempus ſuum: & in rigore videtur inchoanda orto iam ſole, iuxta principium hymni eius. *Iam lucis orto ſidere.* Quamuis enim hoc ipſo ortu poſsit eſſe latitudo, tamen proprie non dicitur ortus ſol, donec ſupra noſtrum horizontē aſcendit. Quoniam vero hæc moraliter & accommodate ad humanum vſum accipienda ſunt, credo legitimum tempus eſſe, etiam ſi per totam primam horam poſt ortum ſolem prima dicatur, ſiue inchoetur in fine eius, ſiue in medio, ſiue in principio, ſiue dimidia hora ante ortum ſolis. Ita enim habet conſuetudo variarum Eccleſiarum, vel eiuſdem in diuerſis temporibus: citius enim ſolet inchoari Prima tempore hyemis, quando ſol tarde naſcitur, quam tempore æſtatis, quando noctes ſunt breuiſsimæ. Nec credo in hoc factam eſſe magnam mutationem ab antiquitate. Nam licet Patres ſæpe dicant, mane eſſe hymnos, & pſalmos canendos Deo: tamen ſatis incertum eſt an per *Mane* intelligant crepuſculum Matutinum, quando eſt ſatis lucidum ante ſolis ortum: an verò de tempore poſt ſolis ortum loquantur. Addo denique ſolum vbi Matutinum totum inchoatur paulo ante ortum ſolis, vt eſt frequens conſuetudo, legitimum tempus dicendi Primam eſſe ſtatim finitis laudibus, & tunc recte, & ſine vlla culpa, vel indecentia quaſi continue dici, quamuis ſi conſuetudo habeat paruam moram interponere, nihil habeat incōmodi.

Referūt in Durā lib. 5. de Ratib. c. 8. n. 5. & Marcel. c. 15. & 16. de Hor. Canonic.

3. Aſſertio Tertia, ſexta & Nona dicenda ſūt in temporibus, quæ deſignant, in fine tamē potius quā in principio. Marcel.

De aliis tribus ſequentibus horis conſtat, ſuis nominibus tempus ſuum ſatis deſignare. Tertia ergo in hora tertia diei (quæ in hyeme incipit fere circa horam decimam diei naturalis, & æſtate circa octauam) eſt inchoanda, & ſic cæteræ cum proportione. Quod tempus facile ſupputari poteſt in Prouinciis diuerſis iuxta varias conſuetudines numerandi horas diei naturalis, vel à media in mediam noctē, vel ab initio vnius diei vſque ad initium alterius, vel ab initio vnius noctis vſque ad initium ſequentis. De quo videri poteſt Marcellus, qui diligentiſſime hæc expedit. Solet autem quæri, an hæ tres horæ dicendæ ſint in initio horarum, quas deſignant, vel in fine earum. quidam enim in principio putant, quia Prima ita dicenda eſt. Alij in fine, quia ita ſolent horæ in horologiis deſignari. Ego aduerto has voces, Tertia, Sexta, Nona ad horas temporis relatas poſſe ſignificare, vel integram quartam partem diei artificialis, (quæ inæquales dicuntur) vel poſſe ſignificare tantum vnam horam ex his duodecim diei artificialis, quæ ſine dubio videtur fuiſſe prima illorum vocum ſignificatio. Loquendo ergo in priori ſenſu, conſtat non eſſe has horas dicendas, elapſis illis temporibus, alias Nona dicenda eſſet finito die artificiali, & Tertia in meridie, & Sexta in medio tempore poſtmeridiano, id eſt, hora tertia pomeridiana, quæ manifeſto ſunt abſurda: tamen in hoc ſenſu etiā non eſt neceſſe has horas dici in initiis ſuarum partium diei, vt iam dicam. Loquendo autem in ſecundo, & magis proprio ſenſu, exiſtimo tempora talium horarum intelligi in fine ſingularum, ſeu vnaquaque iam elapſa. Tum quia hic eſt modus numerandi horas vſitatas inter omnes homines, & aptior ad explicandā

horam

horam mortis Chriſti Domini, & ad concordiam Euangeliorum, vt alibi dixi: tum etiam quia omnes fatentur, horam ſextam in meridie dici, in meridie autem finitur hora ſexta artificialis diei: tempus autem tertiæ antecedit cũ proportione per tres ſimiles horas: tempus vero Nonæ per tres ſimiles ſubſequitur. Atq; hoc modo etiã cum Prima ſeruatur proportio, quia etiã illa inchoatur tribus horis ante tertiã, ſi ipſa in principio primæ horę diei, & tertia in fine horæ tertię inchoetur. Et hæc proportio magis attendenda eſt, quã alia de fine vel initio illius horæ temporis, quæ pro vnaquaq; hora orationis ſignata eſt: nã quia prima hora deſignata eſt, vt initiũ diurnæ orationis, maxime in eius initio deſtinata eſt: aliç vero cum proportione deſignatæ videntur pro principiis ſecundæ, tertiæ & quartæ partis diei artificialis, quæ principia à finibus præcedentium horarum nominantur Tertia, Sexta, Nona. Et hæc ſatis ſunt de accurata ratione diſtinguendi has horas, nunc enim longe alia eſt conſuetudo, ordinarie namq; ſolet Sexta cum Tertia coniungi, vel Tertia ante Miſſam maiorem, Sexta immediate poſt illam dici, Nona vero vel dicitur poſt Miſſam maxime in hyeme: vel in æſtate hora prima pomeridiana, præſertim in aliquibus Religionibus. Quç omnia iuxta receptas conſuetudines ſeruari poſſunt, & debent.

6. *4. Aſſertio. Veſpera ad minimum dicebantur poſt expletã horam nonam diei artificialiter.*

Dicendum iam eſt de officio veſpertino, de cuius legitimo tempore iuxta primæuã inſtitutionem nonnullũ maius dubium eſt. Quod in primis oriri poteſt ex ipſo nomine Veſpera, quod valde ambiguum eſt: interdũ enim pro crepuſculo noctis accipi ſolet, interdũ pro aliqua parte vel hora temporis illi proxima, aliquãdo vero totum veſpertinũ tempus, præſertim à ſecunda hora poſt meridiana, vſq; ad initium noctis complecti ſolet, vt ex vſu conſtat, & ex his, quæ notauimus in ſecundo tomo, diſput. 40. ſect. 2. Et ita dubium manet, in qua propria parte totius pomeridiani temporis officium illud dici conſueuerit. Ad minimum autẽ certum eſt, tempus huius officij fuiſſe ſemper poſt expletam horã nonam diei artificialis, quia tunc dicenda erat Nona. Vnde vt fiat proportionalis diſtinctio, ab omnibus ſupponitur, veſpertinũ officium non fuiſſe ſolitum dici ante finitam horã diei artificialis. An vero diceretur in initio duodecimæ, vel illa elapſa, & poſt occaſum ſolis controuerſum eſt?

7. *1. Sentent. Veſperas dici ſolere poſt occaſum ſolis.* *Concil. Tolet.* *Iſidor.*

Multi exiſtimant, poſt occaſum ſolitas fuiſſe dici veſperas, idq; colligi videtur ex his, quæ antiqui Patres de Lucernario ſcribunt, de quo fit mentio in Concilio Toletano 1. c. 9. & apud Iſidorum in regula Monachor. c. 6. vbi poſtquam de Tertia, Sexta, & Nona ſermonẽ fecit, ſubiungit, *In veſpertinis autem officiis primo lucernarium, deinde pſalmi duo, reſponſorius vnus, & laudes, hymnus, atque oratio dicenda eſt.* Et poſtea ponit Completorium ſuo tempore dicendum. Vnde per lucernarium ibi initium veſpertini officij: vel primam eius partem intelligere videtur. *Lucernarium quid.* *Loayſa.* Atq; ita expoſuit Illuſtriſsimus Loayſa Annotat. ad dictum Concilium 1. Tolet. c. 9. id declarans ex regula S. Benedicti, cap. 17. *Regul. S. Bened.* vbi dicitur, veſpertinum officium quatuor pſalmis cum Antiphonis terminari: coniectat ergo duos primos pſalmos lucernarium dici, quia in lucernarum accenſione, & gratiarum actione veſpertini luminis legebantur. In regula vero ſecunda, quæ ſub nomine Auguſtini in fine tomi primi habetur, *Auguſt.* fit mentio Lucernarij, & ſignificatur eſſe hora diſtincta à cæteris: nam prius de cæteris horis à Matutino vſque ad Nonam præſcribitur, vt proprij pſalmi in eis dicantur, & poſtea additur: *Hoc idem in veſperis, & Completorijs ſeruetur,* & ſtatim, *Ad Lucernarium autem pſalmus, reſponſorium vnum, Antiphonæ tres, lectiones tres:* & *infra: Faciant opus vſq; ad horam Lucernarii.* Vnde ex illa regula Auguſtini colligi non poteſt, an Veſperæ ante vel poſt lucernarium dicerentur, tamen ne dicamus fuiſſe horam ſeparatam, quod nouum valde eſſet, videtur potius ad primam partem Veſperarum illud officium reuocandum. Vnde in Concilio Emeritano *Concil. Emeritan.* c. 2. expreſſe dicitur, veſpertinum officium ſolitum fuiſſe dici poſt lumen oblatum: at lumen non ſolet accẽdi ante ſolis occaſum, ergo. Poteſtq; coniectura confirmari: nam reliquæ horæ ita erant diſtributę, vt inter initia earum tres horæ diei artificialis intercederent at nona inchoabatur tribus horis ante ſolis occaſum, in initio illius quartæ partis diei inchoante hora diei decima, vt diximus, ergo veſperum inchoandum erat finita hora duodecima, inchoante iam prima vigilia noctis. Et ita multi Canoniſtæ *Cap. 1. de Cel. Miſ.* cap. 1. de Celebrat. Miſſar. veſperas inter nocturna officia computant. Et eodem modo loquitur Amalar. lib. 4. de Officiis Eccleſ. cap. 7.

8. *2. Sententia. Veſperas dici ſolitas, vltima diei hora ante occaſum ſolis, & probabilior.* *D. Athan.* *D. Hier.* *D. Cypr.* *D. Iſidor.* *Hugo.* *Rupert.* *Caſſian.*

Nihilominus alij cenſent, tempus proprium huius horæ olim fuiſſe horam vltimam diei ante occaſum ſolis, in eius initio, vel illa currente. In quam ſententiam Athan. Hieron. Cyprian. & alij afferuntur, qui tamen ita loquuntur, vt nõ poſsit ex eis colligi, niſi in fine diei dicendum fuiſſet veſpertinum. Quomodo loquitur etiam Iſidor. lib. 1. de Offic. c. 20. Hugo, Rupert. & alij. Caſsian. autem lib. 3. cap. 3. veſpertinum officium opponit Matutino, i. laudibus: vnde etiam eſt incertum, an velit, quod ſicut laudes dicuntur ante ortum ſolis, ita veſperæ ſint dicendæ poſt eius occaſum, vel potius etiã ante occaſum, vtrumq; n. habet aliquã proportionem. Tamẽ indicat in fine, lucernariã horam ſignificari per vndecimam, in qua Pater familias exiit conducere operarios in vineã ſuam. Conſtat autẽ, illũ exiuiſſe in fine vndecimę, inchoãte duodecima, nã operarij vna hora laborarunt, vt in Euãgelio dicitur. Ex quo loco coniectura alterius ſentẽtiæ multũ eneruatur, nã poterant lucernę in Eccleſiis accẽdi in hora duodecima, quia licet ſol nondũ occubuerit, iã ſolet eſſe neceſſariũ lumẽ lucernæ ad legendũ intra Eccleſiã. Vnde facile poteſt hæc poſterior pars ſuſtineri. Sed de anteriori tempore eſt aliquod dubium, quia in regula S. Benedicti, cap. 14. ordinatũ legimus, vt *Regul. S. Benedicti.* veſperæ dicãtur tali tempore, vt abſq; lumine candelæ abſolui poſsit. Verum eſt, ibi eſſe ſermonẽ de veſperis Quadrageſimæ, quando veſperæ dicuntur ante prandiũ. Ibi tamen ſtatuitur, vt Monachi tempore Quadrageſimæ comedant hora veſperarum, & tamen ſubiungitur, vt poſt veſperas poſsit etiam cœnari cum luce ſolis abſque lucernis, ergo iã tunc dicebatur officium veſperarum ante lucernarium tempus. Poſtea vero ſucceſſu temporũ longe maior mutatio facta eſt: nam quæ olim erat tempus ad Nonam deſignatum, nunc fere veſperarũ tempus opportunũ eſt: nam frequentius dici ſolent in hyeme hora ſecunda poſt meridiẽ, in æſtate vero hora tertia. Neq; in hoc eſt vniformis conſuetudo, ſed magna varietas, quam etiã olim fuiſſe ex antiquorum relatione, adnotat Durantus libro 3. de Ritibus, capite 11. *Durant.*

9. *5. Aſſertio. Completorium certũ eſt dici ſolitum poſt ſolis occaſum, num vero nocte inchoata vel ante incertum.* *D. Iſidor.*

Denique de hora Completorij eadem fere ambiguitas eſt. Cum n. conſtet, in principio dici fuiſſe ſolitũ poſt ſolis occaſum, an diceretur ante noctem, vel nocte iam inchoata, vel omnino poſt tenebras eius ad finem primæ horæ noctis, necne, poteſt eſſe varia coniectura. Nam ex Iſidoro d. regula Monachor. c. 6. plane colligitur, tẽpus Completorij fuiſſe omnino nocturnũ: nam poſt finitas veſperas hora lucernaria, refert fuiſſe conſuetũ Diuinis lectionibus, meditationibus, & ſanctis colloquiis, ac quæſtionibus vacare, *Vſq; ad horã* (inquit) *Completorii.* Itẽ apud Monachos inſtitutio eſt, vt Completoriũ poſt cœnã, & omnes diei actiones diceretur, ita vt ſtatim hora ſilentij, & nocturnæ quietis inciperet vt cõſtat ex Baſilio regula 37. ex longioribus, & Benedicto c. 42. regulæ, & Hug. Vict. lib. 2. de Diuinis officiis, *D. Baſil.* vbi ait Completorium dici, quia in eo complentur, *Hu. Vict.*

quæ

Digitized by Google

quæ vſque ad dormitionem complenda ſunt: oportebat ergo eſſe iam noctis initiũ. Aliunde vero ex ipſo hymno Completorij, *Te lucis ante terminum, &c.* colligitur, non fuiſſe omnino extra crepuſculum noctis tempus illud, ſed intra ipſum, & fortaſſe in vltima parte illius: quod etiam eſt valde probabile. Quamuis hæc temporis latitudo tanta non ſit, quin potuerit eſſe arbitraria, vel varia pro regionũ, vel Religionũ, ſeu modorum viuendi varietate, & commoditate. Iam vero in hoc etiã facta eſt mutatio, nam Completoriũ ordinarie proxime poſt veſperas dicitur, & quando ſeparatur, vt maxime fit in quadrageſima, vel etiam in æſtate dici ſolet ante ſolis occaſum, præſertim vbi Matutinum in principio noctis dicitur. Vnde in hoc etiam erit ſeruanda conſuetudo.

10. *Canonicæ horæ vbi ex obligatione dicuntur, debitis horis recitari debent, hæ vero ex recepta conſuetudine prouinciæ æſtimanda.* *Caiet. ſent.*

Tandem, ex his facile erit intelligere, quanta ſit nunc obligatio ſeruãdi perfecte & exacte hæc tempora, vbi in publica chori recitatione H.C. dicũtur, obſeruandũ omnino eſſe, vt ſuis temporibus congruis dicãtur, id n. in Iure ſtatutũ eſt, vt in principio retuli ex cap.1. & Clem.1. de Celebrat. Miſſar. Tempora autẽ debita & congrua in vnaquaq; Regione, ſeu Prouincia iuxta receptam conſuetudinem præſcribenda ſunt, nec poteſt certior aſsignari regula, vt notauit Caietanus verb. *Hora*, cap. 4. qui addit, mutationem aliquam facere in his horis, etiam in publico officio chori non eſſe peccatum mortale, etiamſi magna negligentia interueniat, dummodo communiter ſeruetur conſuetudo. Itaq; aliquando tardius inchoare Matutinum, verbi Gratia, tantum ad indulgendum corpori, & ſomno, vel nimiũ anticipare veſperas, ſolũ recreationis liberioris cauſa, non cenſet Caietanus, eſſe peccatũ mortale, dummodo id in conſuetudinẽ nõ trahatur, nec interueniat contemptus: *Quoniam hæ circumſtantiæ* (ait) *non pertinent ad ſubſtantiam materiæ præcepti.* Quæ ratio ſæpius ab ipſo in his materiis repetita, non ſatisfacit, vt ſæpe etiam indicaui, quia ſi circumſtantia præcipiatur, vt re vera hic præcipitur, multum pertinere poteſt ad ſubſtantiã præcepti, etiam ſi non pertineat ad ſubſtantiam actionis præceptę vt ſacrificare mane, & non veſperi, talis circumſtantia eſt, vt ſit de ſubſtantia illius præcepti, & tanta poteſt eſſe illius circumſtantiæ violatio, vt ſit peccatum mortale, etiamſi ſubſtantia actionis ſacrificãdi integre impleatur. Deinde non eſt dubiũ, quin maior cauſa requiratur ad mutanda hæc tempora horarum in publica recitatione, quam in priuata. Vnde in Capitulo primo de celebratione Miſſarum anticipatio horarum facile conceditur in priuata recitatione, nõ tamen in publica, ergo maior etiam culpa eſt voluntarie, vel negligenter hanc mutationem facere in publico officio, quam in priuato, cæteris paribus: ergo ſi ſit magna mutatio, & in re graui poterit eſſe mortale.

Caiet. ſent. improbatur.

11. *Qui crediderunt peccatum eſſe mortale, ſtatuta horarũ tempora in choro immutare.* *Angel.* *Tabien.* *Nauarr.*

Alij ergo tenent, hanc mutationem in choro facere ſine rationabili cauſa, eſſe peccatum mortale. Ita tenet Syluester verbo *Hora*, quæſt.6. dicens, peccare mortaliter Prælatos, ſi ſine cauſa rationabili hoc faciant, & ſubditos, ſi cauſam dent tali mutationi. Idem fere tenet Angel. num. 22. Tabiena num. 25. Nauarrus capit.3. de Oratione num.63. & num. 22. indicat optimam rationẽ, quia hæc tempora pro publica recitatione horarum definita ſunt in fauorem vtilitatis publicæ, vt populus, ſi velit, poſsit ad illã conuenire, ergo de ſe eſt res grauis, & pertinens ad commune bonũ, nam quod in aliquo loco priuato illa ratio ceſſet, eſt per accidens.

12. *Proxima ſent. vt vera præfertur, & explicatur.*

Hæc ergo ſententia ſimpliciter eligenda eſt, nimirum hanc obligationem eſſe grauem ex ſuo genere: ideoque in eius præciſa transgreſsione poſſe mortale peccatũ committi. In particulari vero non eſt nimiũ reſtringenda, quia ſine dubio tempus hoc horarum ſecundum communẽ praxim, magnam habet latitudinem, vt oſtendit vſus, & omnes citati Doctores fatentur. Sicut ergo ipſarum horarũ propria tempora ad conſuetudinem tandem reuocantur, ita iudiciũ de grauitate antepoſitionis, vel poſtpoſitionis legitimi temporis ex eadem conſuetudine, & communi æſtimatione multum pendebit. Ideoq; vnius horæ temporis præuentio, aut dilationũ cenſebitur grauis mutatio, niſi vel graue ſcãdalum ſequatur, vel totum Eccleſiaſticum officiũ ea de cauſa nimium perturbetur, quod rariſsime continget pro vna, vel alia ſimili negligẽtia, quæ in conſuetudinem non abeat. At vero ſi Matutinũ differretur vſq; ad horam Miſſæ, vel Completorium, diceretur ante prandium, res grauis, & abſurda valde videretur. Imo cum in diebus quadrageſimalibus veſperæ ſint ante prandium dicendæ, iuxta capit. *Solent*, de Conſecrat. diſt. 1. illas poſt prandiũ differre in publico officio, grauis transgreſsio videtur. Et indicat Nauarrus ſup. num. 41. cum Syluestro, & aliis, ſed in hoc (vt dixi) conſuetudo eſt conſulenda.

C. Solent. *Nauar.* *Syluest.*

13. *Prælati ex rationabili cauſa in ſtatutis horarum horis poſſunt diſpenſare.*

Tandem addunt omnes Auctores citati, nõ obſtante hac obligatione poſſe Prelatos ex rationabili cauſa in hac circumſtantia temporis diſpenſari. Vt, ſi eundum ſit ad proceſsionem, quod anticipẽt antemeridianas horas, vel quoties ſimile quid occurrat. Aduertit autem Nauarrus ſupra, num. 71. (id quod iam ſignificauimus) maiorẽ requiri cauſam, vt hæc mutatio publica legitime fiat, quam vt fiat in priuato officio. Quod etiam eſt per ſe manifeſtum, quia maior eſt diſpẽſatio, & ideo maiorem cauſam requirit: hæc tamen prudenti arbitrio Prælatorum neceſſario relinquenda eſt.

CAPVT XVI.

An Clerici omnes ex vi ordinationis ſuæ ad horas Canonicas recitandas teneantur?

IN hoc capite non agimus de clericis beneficiariis, nec de Religioſis, ſed ſimpliciter de clericis in aliquo ordine conſtitutis, quos in duos ordines diſtinguere oportet: quidam ſunt ordinati in ſacris, ſeu in maioribus ordinibus, alij in minoribus tantum. 1.

De clericis ergo in ſacris certum eſt, teneri ex præcepto ad ſeptem horas Canonicas quotidie recitandas, etiamſi beneficium non habeant, neq; ex officio, neque ex peculiari obligatione choro aſsiſtere teneantur. Quamuis enim aliqui olim dixerint clericum etiam in ſacris non deputatum alicui certæ Eccleſiæ, ſed ordinatum ad titulum patrimonij, non teneri ad recitandum officium, vt refert Gloſ.1. in cap. vlt. d.92. Nihilominus oppoſitum eſt certum, vt omnes Auctores ſtatim citandi docẽt, & ſufficienter probatur ex communi vſu, & conſenſu totius Eccleſiæ. Intelligitur autẽ hæc obligatio per ſe, & ſecluſis legitimis impedimentis, ſeu excuſationibus: de quibus infra. Et fortaſſe Auctores, quos illa Gloſſa citat, non negabant hanc obligationem, ſed ſolum peculiare onus recitãdi in choro, de quo ille textus loquitur, vt ſtatim dicam, in illo autem ſenſu non errabant, vt ſupra viſum eſt.

2. *1. Aſſertio. Clerici omnes tenentur ex præcepto ad 7. horas Canon. quotidie recitãdas, licet ad titulum patrimonij ſint ordinati.* *Gloſ. 1. c. vlt.*

3. *1. Sententia quæ aſtruit, teneri clericos ex Iure Diuino ad recitandas horas Canonicas.* *Turrecr.* *Guilliel.* *Laudun.* *Cardinal.* *Zabarel.* *Angel.* *Roſel.* *Pſal. 118.* *Nauar.*

Difficultas vero in primis eſt, quo iure obligentur clerici ad horas Canonicas recitandas. Quidam Canoniſtæ indicant teneri ex iure Diuino, Abbas cap.1. de Celebr. Miſſar. n.3. quatenus ait, Papã non poſſe diſpenſare cum clerico, ne officium recitet, licet poſsit diſpenſare, vt mutet officium, *Quia hoc*, inquit, *eſt de iure humano*, ſupponit ergo obligationẽ ipſam eſſe de iure Diuino. Idẽ tenet Turrecremata in capit. *Eleutherius*, d.91. ad 5. q. vbi refert Guilliel. Laudunum, & Cardinalem Zabarellam: idem Angel. ver. *Hora*, n.6. & Roſel. n.13. qui omnes allegant illud Pſ. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, Et in idem plane inclinat Nauar. de Orat. cap.7. n.2. & fundamentum,

Digitized by Google

mentum eius eſt, quia clericus ſacris initiatus iure naturali obligatur ad referẽdum Deo maiores gratias, quam laicus. Itaq; mens iſtorum Auctorũ potiſsimum fuiſſe videtur, iure Diuino cõnaturali tali ſtatui teneri clericum in ſacris peculiarem aliquem modum orandi plus quam laicum, hunc autem orandi modum determinatum fuiſſe ab Eccleſia ad horas Canonicas: neq; ab hac ſentẽtia abhorret Sot. lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3 adducẽs illud Iſa. 43. *Omnem illum, qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui illum*: nam clericus ex vi ſui ſtatus ad laudes Dei deputatus eſt: & ſumpſit ex D. Thoma quodlib. 6. art. 8. magiſq; id declarat Sot. in ſolutione ad 3.

Soto. Iſai. 43.

D. Thom.

2. Simpliciter tamen loquendo verius eſt, nullum dari tale ius Diuinum immediate obligans clericos ad aliquod officium Diuinum recitandum. Ita tenuerunt Laurentius, & Ioannes de Lignano, vt Panormitanus refert in Clem. de Celebrat. Miſſarum, & Cardinalis in Clem. 1. eodem tit. Syluester verb. *Hora*, q. 4. & 8. Tabiena num. 15. Armilla num. 11. & ſumitur ex Antonino 3. p. tit. 13. cap. 4. Paludano in 4. diſt. 5. q. 5. Maiore diſt. 12. Ratio eſt, quia tale ius neque eſt poſitiuum, vt omnes fatentur: quia neque ſcriptum inuenitur: neque conſtat, eſſe ab Apoſtolis traditum. Neque etiam hoc ius eſt naturale, neque connaturale ipſi ordini: quod patet primo, quia nullo diſcurſu euidenti, neque ratione efficaci poteſt hæc colligi ex ſolo charactere clericali, alias etiam minores ordines inducerent aliquam obligationem, ſupponẽdo illos imprimere characterem, vt eſt verior ſententia. Item ſubdiaconatus non fuit ſemper ordo ſacer, ergo illi ſecundum ſe non eſt connaturalis hæc obligatio. Item, ſi hæc obligatio ſequitur ex vi ſacri ordinis, quo ſacratior eſt ordo, deberet ex illo ſequi maior obligatio ſeu ad maiorem orationem: non autem ita eſt, neque enim diaconatus nouam obligationem recitandi ſecum affert, & ſic de presbyterio, & Epiſcopatu.

2. & vera ſent. Nullũ dari tale ius Diuinum immediate obligans clericos ad offic. Diuin. recitãdum. Probatur auctoritate. Laurent. Ioan. de Lignan. Panorm. Tabien. Armilla. D. Ant. Paludan. Maior. 1. Ratio.

5. Præterea dubitari non poteſt, quin inſtitutio Canonicarum horarum Eccleſiaſtica ſit, ergo præceptum de tali materia datum, Eccleſiaſticum etiam erit. Reſpondebunt, eſſe Eccleſiaſticum quoad determinationem, ſecundum ſe autem, & in genere Diuinum. Sed contra: ergo ſaltem in illa determinatione certum eſt, poſſe Papam diſpenſare, quod etiam Auctores contrariæ ſententiæ nõ negant. Ponamus ergo clericum aliquem diſpenſatum eſſe à Papa ſimpliciter in hac obligatione, quatenus Eccleſiaſtica eſt, & relictum cum ſola obligatione naturali, & inquiramus, ad quid ille teneatur. Certe ſine probabilitate dicitur, teneri ad ſepties in die orãdum: tum quia licet Dauid dixerit, ſe ita feciſſe, non explicuit nobis naturale ius, ſed conſuetudinem ſuam narrauit, alias dicere quis poſſet, etiam Reges illa lege teneri, tum etiam quia probabile eſt, non ſemper in Eccleſia fuiſſe morem, ſeptem horas recitandi, ſed ſucceſſu temporis creuiſſe, & conſummatum fuiſſe per hanc conſtitutionem.

2. Ratio.

6. Secundo dici non poteſt cum fundamento, huiuſmodi clericum iure Diuino teneri ad recitãdum aliquid quotidie, quia nulla certa ratione poteſt tãta determinatio fieri ex ſolo iure naturæ. Nam licet fateamur, hunc clericum ſpecialius ad laudandum Deum obligari ratione ſui ſtatus, tamẽ quod teneatur ex vi iuris Diuini ad recitandum aliquid quotidie ex illa ſpeciali obligatione, nõ video, quali ſpeciali ratione ſuaderi poſsit. Addo, quod licet abſtrahamus à circumſtantia temporis, aut frequẽtiæ, ſolumq; dicamus hunc clericum ex vi iuris Diuini teneri ad dicendum aliquod Diuinum officium, non ſatis intelligitur, quo ſenſu dicatur, nec etiã quomodo ad praxim applicari poſsit, ablata obligatione iuris Eccleſiaſtici. Cur enim non ſatisfaciet ille clericus naturali obligationi, recitãdo aliquoties orationem Dominicam, vel Roſarium, aut aliquid huiuſmodi? Quod ſi dicatur hæc comprehẽdi ſub nomine Diuini officij, interrogabo vlterius, cur nõ ſatisfaciat, quamuis non recitet ſecundum aliquam formulam verborum præſcriptam, ſed tantum iuxta deuotionem ſuam pro Eccleſia, & proximis deprecando? Quod ſi hoc etiã concedatur, & omnis oratio vocalis dicatur comprehendi nomine Diuini officij late ſumpti, prout ex naturali iure poſtulari poteſt, vrgebo rurſus, interrogando cur idẽ non ſatisfaceret, ſi mẽte tantum Deum ſæpius laudaret, & deprecaretur? Nam ſecluſa iniunctione, & quaſi delegatione Eccleſiæ, non tenetur in perſona eiuſdẽ Eccleſiæ orare, ſed ad ſummũ priuata oratione magis Deum colere, & pro Eccleſia intercedere, quod munus per orationẽ mentalẽ ſufficienter expletur. Deniq; ſi hi ſacri ordines conſiderẽtur, prout ex Diuino iure ad aliquos actus externos Diuini cultus per ſe primo ordinantur, nõ videntur per ſe ordinari ad orationẽ quatenus eſt actus diſtinctus à ſacrificio: ſed ſacerdotium per ſe primo ordinatur ad ſacrificiũ, diaconatus, & ſubdiaconatus etiã determinantur ad ſua miniſteria in ordine ad illud ſacrificiũ, & diſtincta à recitatione Diuini officij, hæc ergo obligatio etiã in communi, & ad orationẽ vocalem non videtur ſatis haberi ex iure Diuino.

Eadẽ ratio premitur.

Dico ergo miniſterium hoc recitandi horas Canonicas, habere quandã magnã decentiam reſpectu talium Clericorum ex Diuino iure, propriã tamen obligationem præcepti non ſolum quoad determinationem temporis, aut modi, ſed etiã quoad ſubſtantiam eius ex Eccleſiaſtico pręcepto manare. Priorem partem ſuadent ſufficienter priores Auctores, quorum opinio fortaſſe in hoc ſenſu explicari poteſt: poſteriorem vero partem probant omnia, quæ diximus. Dubitari autem ſolet, an hoc pręceptum in Iure Canonico habeatur expreſſum. Canoniſtæ affirmant, afferuntq; tria Decreta, *c. Presbyter*, d. 91. quod etiam habetur in c. 1. de Celeb. Miſ. & c. *Si quis Presbyter*, d. 92. ſed in primis hoc vltimum caput nihil probat de recitatione priuata ex vi ordinationis, quia non ſolum dicit, *Si quis Presbyter, aut diaconus*, ſed addit, *vel quilibet clericus*: ſub qua voce etiam clericos minores comprehendit, nõ ergo loquitur de Clerico, vt Clericus eſt, ſed *Vt Eccleſia deputatus eſt*, vt ſtatim addit. Vnde non ſolum pręcipit recitare, ſed conuenire ad Eccleſiam ad pſallendi officium, loquitur ergo de obligatione ad chorum, quæ naſcitur ex beneficio, non ex ſola ordinatione. 7.

2. Aſſertio. Ex iure Diuino clericos ſolum decet maxime horas recitare, eccleſiaſtico vero obligãtur ex præcepto, non ſolum ad determinationem temporis & modi, ſed ad ſubſtantiã eius.

In aliis vero duobus Decretis, (quæ in re vnum ſunt) in primis nõ eſt ſermo de diacono, & ſubdiacono, atq; ita de illis non erit expreſſum pręceptum in Iure. Reſpondent Gloſſæ, Panor. & alij nomine Presbyteri comprehendi ibi diaconum, & ſubdiaconum: nam interdũ dicunt accipi in Iure hoc modo: nam in c. 2. de Cohabit. Cleric. & mulier. ſic dicitur: *Si quiſquam ſacerdotũ, id eſt, presbyter, diaconus, & ſubdiaconus, &c.* Verumtamen hæc ipſa interpretatio oſtendit, non eſſe hoc præceptum quoad diaconum & ſubdiaconũ ſatis in Iure expreſſum, quia nullum Ius eſt, quod illam expoſitionem ſequi nos cogat, imo neq; in Iure fundari poteſt, tum quia in dicto c. 2. non ponitur nomen *presbyteri*, ſed *ſacerdotis*, quod de ſe ampliorem ſignificationem habet: dicitur enim ſacerdos quaſi dans ſacra, vel faciens, quod cum aliqua proprietate conuenit diacono, & ſubdiacono, & aliquando ſpecialius commodatur, ſacerdoti, & diacono, excluſo ſubdiacono, vt in ca. *Vnico*, d. 52. & interdum per antonomaſiam tribuitur Epiſcopo cap. *Legimus*, d. 93. nomen autem præsbyteri licet ab ætate ſumptum ſit, vſu Scripturæ & Eccleſiæ impoſitum eſt ad ſignificandum aliquid maius diacono, teſte Hieronym. Epiſt. 85. ad Euagrium, cap. *Legimus*, d. 63. neque in iure Canonico inuenitur (quod ſciam) in alia generali ſignificatione. Adde neceſſarium fuiſſe in dicto cap. 2. de Cohabit. 8.

An ſit de iure Eccleſiaſtico expreſſo Diaconi & ſubdiaconi obligatio ad hor. Can.

Ca. 2. De Cohabitat. clericor.

C. Vnicum. Ca. Legimus.

Hieron. Ca. Legimus.

Ca. 2. De Cohab. cleric.

habit.

habit. Cleric. &c. addi expreſſe illam declarationem, vt lex illa, quæ pœnalis erat, poſſet ita extendi, at vero in d.c. *Preſbyter*, non ſit talis declaratio, & licet lex illa pœnalis non ſit, tamen ſi in ea imponitur hæc obligatio, oneroſa eſt, & ita nõ eſſet extendenda. Eo vel maxime quod ex illo videtur colligi cõtraria reſtrictio, quatenus præcipit preſbytero, vt ieiunus maneat tempore competenti, vtq; vt poſſit, ſi neceſſe ſit, ſacrificium facere.

Ca. Preſbyter.

9. *3. Aſſertio. De Diacono & ſubdiacono nouum eſt præceptum in Iure expreſſum, ſed conſuetudine extenſum.*

Quapropter de diacono & ſubdiacono alij fatentur, non eſſe hoc præceptum in Iure expreſſum, ſed conſuetudine extenſum eſſe, vel ita declaratũ. Tenet Nauarr. de Orat. c.7. n.2. quem ſequitur Azor to.1. lib.1. c.5. eſtque probabilis opinio, nam immemorialis conſuetudo ad hoc præceptum inducendũ ſufficit, quod autẽ ſit talis conſuetudo, dubitari non poteſt. Imo de preſbytero poſſet quiſpiam dubitare, quia illud caput nõ videtur ſatis expreſſe loqui de preſbytero ratione ſolius ordinis, nam loquitur de preſbytero parochiali alicuius Eccleſiæ: ideo enim illi præcipit, vt curet officium Canonicum in Eccleſia compleri per ſe, vel per ſcholares, & vt ieiunus eat ad opus rurale, vt poſtea, ſi opus ſit, aliis obligationibus ſatisfaciat. Deinde non videtur loqui de recitatione priuata, nam apud Gratianum ſic habetur: *Preſbyter mane matutinali officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ canendo primam, tertiam, ſextam, nonam perſoluat*: canere autẽ non eſt priuate recitare: nihilominus probabilius eſt, in illis primis verbis ſermonẽ eſſe de recitatione priuata, quia ibi datur facultas anticipandi horas diurnas tanto tẽpore, vt non videatur veriſimile dari pro publica recitatione, ſed pro priuata: Vnde in cap. 1. de Celebrat. Miſſar. omittitur verbum *canendo*, & additur veſpera inter eas horas, quę ſummo mane anticipari poſſunt, quæ hora in alio textu omittitur, non eſt autem veriſimile, veſperam tam mature dici poſſe in choro: Præſertim quia ſtatim ſubiungit, vt poſtea horis competentibus publice dicatur officium, ergo prius de recitatione priuata ſermo fuerat. Manifeſte ergo ſupponitur in illo textu teneri preſbyterum ad ſoluendum penſum horarũ Canonicarum per ſe priuatim ſoluendũ, etiã anticipando tempus, ſi neceſſitas vrſerit, licet per alios horæ ſint in choro publice dicendæ. Atq; ita etiã conſtat haberi ibi rationẽ huius obligationis ex vi preſbyterij, & non tamẽ ratione officij, ſeu beneficij: verum eſt tamen ibi non condi hoc Ius, ſed potius ſupponi ex traditione & cõſuetudine antiqua. Et hoc modo meminit huius obligationis, & de omnibus Clericis in ſacris conſtitutis, Conc. Baſ. ſeſ. 21. ſub tit. *Qualiter extra chorum horæ Canonicæ dicendæ ſint*, dicens: *Quoſcunq; alibi beneficiatos, ſeu in ſacris cõſtitutos, cũ ad horas Canonicas teneantur, admonet hæc S. Synodus, &c.*

Gratian.

Cap. 1. De Conceſſ. Prob.

Concil. Baſil.

10. *4. Aſſertio. Clerici in minoribus non tenẽtur ad horas Canonicas dicendas. Sotus. Medina. Ledeſm. Nauar. Turrecr. Archid. Paludan.*

Secundo dicendum de Clericis in minoribus conſtitutis, de quibus communis reſolutio eſt, non teneri ad horas Canonicas dicendas. Ita docẽt Sot. li.5. de Iuſt. q.5. art.3. Med. tract. de Orat. q.7. Ledeſ. in 4. p.2. q.16. art.4. dub.6. Nauar. de Orat. c.7. n.12. & 13. Turrec. in prin. d.91. q.3. & Archid. in c. *Si quis preſbyter*, d.92. Palu. in 4. d. 9. q.5. Et ratio à priori eſt, quia iſti nõ tenentur iure Diuino, neq; Eccleſiaſtico ſcripto, neq; cõſuetudine, ergo nullo titulo tenẽtur. Prima pars antecedentis à fortiori probatur ex dictis de Clericis in ſacris: nam illorũ ordinatio magis ſacra eſt, ſi ergo iure naturali non ſequitur ad illam talis obligatio, multo minus ſequetur ex inferioribus ordinibus, & hæc ratio probat de Iure Cano. ſcripto, ſuppoſitis, quæ diximus de diacono, & ſubdia. De conſuetudine vero ſtatim dicemus.

11. *Refutantur Canoniſtæ qui aſſerunt hanc obligationẽ de iure Diuino. Gloſ. C. ſi quis.*

Oportet enim aduertere aliquos Canoniſtas cõſequenter ſentire teneri hos Clericos ex iure Diuino ad officiũ Diuinum recitandũ. Indicat Gloſ. in d c. *Si quis preſbyter*, dicens, *quemlibet Clericum teneri ad hoc*, & Innoc. in cap. 1. de Cel. Miſ. dicens: *Quilibet Clericus etiam in non ſacris conſtitutus omni die debet dicere officia Diuina, vel audire.* Vbi etiam Panor. n. 6. ait ex vi iuris Diuini, imo & humani teneri hos Clericos ad dicendũ officium, quia etiã per ordines minores aſſumitur quis in ſortẽ Domini, & transfert ſe in Deum & Eccleſiam, c. *Clericus*, c. *Cui portio* 12. q. 1. & nihilominus ſubiungit, contrarium habere generalem conſuetudinem: *Quæ* (inquit) *vt credo, non dicentes excuſat*. In quo certe non ſibi conſtat, nam ſi conſuetudo eſt contra ius Diuinũ, quomodo excuſat? Præſertim quia oporteret tale ius naturale eſſe. Præterea hæc conſuetudo neq; contra ius humanũ eſſe poteſt. Aut enim hoc ius eſt ſcriptũ: & hoc non, quia nullibi inuenitur: aut eſt ius introductum conſuetudine, & ita eſt repugnantia, ſi intelligãtur conſuetudines eſſe ſimul. Si autem ſupponatur, conſuetudinẽ aliã aliquãdo fuiſſe, nunc vero eſſe per contrariam conſuetudinem ablatam, id certe parũ ad cauſam refert, & illud de antiquiori conſuetudine ſine fundamento & probatione aſſeritur.

Ca. 1. de Celeb. Miſ. Panorm.

Ca. Clericus. Cap. Cui portio.

12. *Probatur aſſert. & iura ſupra poſita explanantur.*

Opinio ergo illa de iure Diuino vel humano ſcripto improbabilis eſt, quia nullũ prorſus habet fundamentum. Vnde cũ conſtet, conſuetudinẽ nõ obligare hos Clericos, aperte etiã conuincitur eſſe improbabile hoc onus illis imponere. Et fortaſſe Gloſſa illa nõ loquitur de quolibet Clerico in minoribus, ſed ſolũ intendit quemlibet teneri, etſi nõ ſit alicui Eccleſiæ deputatus: intelligere aũt deberet tunc teneri quãdo ſufficienter ordinatus eſt. Innoc. autẽ cum loquatur ſub disiũctione *dicere* vel *audire*, nõ poteſt loqui de hac obligatione, neſcio tamẽ, vbi aliã inuenerit, niſi fortaſſe per verbũ *debet*, nõ obligationẽ, ſed decentiã quandam indicare voluerit. Melius Hoſt. ibi pro regula ſtatuit, hos clericos minores nõ teneri, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeant: & eandẽ tradit Archid. in d. c. *Si quis preſbyter*: illamq; eſſe communiter receptam dixit Panor. ſupra. Deniq; Conc. Baſil. ſupra illam amplexum eſt, quia ſolum beneficiatos aut Clericos in ſacris nominat, loquitur autem de ſecularibus Clericis.

Innocent.

Hoſtien. Archid. Panorm.

Concil. Baſil.

13. *Ca. Dolentes.*

Obiici vero poteſt c. *Dolẽtes*, de Cel. Miſ. ibi, *Non ſolum quidam minores clerici, &c.* Verumtamen particula *Minores*, nõ ſumitur ibi abſolute, vt ſic dicam, ſed comparatiue ad Prælatos. & ita comprehendit etiam Clericos in ſacris. Qui ſenſus patet ex verbis, *Dolentes referimus, quod non ſolum quidam minores Clerici, verum etiam aliqui Eccleſiarum Prælati, &c.* Præceptum ergo, quod in fine illius textus ponitur dicendi officium Diuinum, nõ datur ibi de exercitio actus, vt ſic dicam, ſed de modo ſeu ſpecificatione, id eſt, vt ſtudioſe & deuote dicatur, vt ſupra circa chorum explicatum eſt. & infra applicabitur ad recitationem priuatam. Nulli ergo Clerico imponitur ibi obligatio, qui antea illam non haberet: vnde ſi velimus particulam illam *Minores*, extendere etiam ad illos Clericos, qui in ſacris non ſunt, intelligi debet de illis, qui ratione beneficij poterant eſſe obligati, ſicut etiam intelligitur d. c. *Si quis preſbyter*, dum addit, *vel quilibet Clericus*, nam ſtatim etiã addit limitationem, *Eccleſiæ deputatus*, vt ſupra explicuimus circa recitationem in choro, de qua ibi ſermo eſt.

C. Si quis, &c.

14. *Clerici in minoribus non tenẽtur ex præcepto ad dicendũ quidquam, & oppoſita ſententia reiicitur. Paludan.*

Quæri autẽ circa hos clericos ſolet, eſto non teneantur ad dicẽdas horas Canonic. teneãtur ne aliquid aliud ex præcepto recitare. Quidã dicunt teneri ex vi iuris Diuini, licet quid orandum ſit, prudenti eorum arbitrio relinquant. Fundant autẽ obligationẽ, vel in debito Diuini cultus, cui ſunt ſpecialiter deſtinati, vel in gratitudine ad Eccleſiã, quæ miniſtros ſuos illos conſtituit. Tenent à fortiori Canoniſtæ ſupra citati: & inclinat Paludan. dicens, quia Diuino cultui aſſcribuntur, ad aliquid amplius teneri, quam laicos, & quia gaudent priuilegio clericali, teneri ad recompenſandum aliquo ſeruitio:

idem

Digitized by Google

Syluest. Sotus. Medina.

idem habet Syluest. ſupra. Sed hoc reiiciunt Sot. & Med ſupra, & merito quia obligatio naturalis iuris imponenda non eſt ſine cogente ratione: illa vero nulla eſt, nam communiter miniſtrãdo in ſuis muneribus poterunt ſe oſtendere & cultores Dei ſpeciali modo, & gratos Eccleſiæ, & multis aliis modis poteſt cultus exhiberi, & gratitudo oſtendi, quãdo eius occaſio occurrerit. Deniq; ſi iſti clerici minores beneficium habeant, ratione illius tenentur ad horas Canonicas, vt infra dicemus, ſi vero beneficium non habent, & actu inſeruiũt Eccleſiæ in propriis muneribus, neceſſario habent adiunctum aliquem proprium cultum Dei, & aſsiſtere debent aliquibus Diuinis officiis: ergo non eſt ex natura rei, vnde obligentur ad ſpecialem precationem. Si vero ſint omnino remoti à miniſteriis Eccleſiæ, & tanquam laici ſe gerant, iam non ſunt proxime Diuino cultui dicati, & ideo pro tunc ad nihil ſpeciale obligantur. Vnde tunc fori priuilegio non gaudent iuxta Trid. ſeſſ. 22. cap. 6. de Reform.

Conc. Trid.

15. *Nec tenentur ad offic. B. Virginis, nec ad Pſal. Penitent. vel Grad. nec ſub hac obligatione eos poteſt Episcopus ordinare. Palud. Soto. Medin. Ledeſm. Nauar.*

Alij dicunt hos clericos ex conſuetudine teneri ad dicendum paruum officiũ Virginis, vel ſeptem Pſalmos pœnitentiales, vel quindecim graduales, ſi tantum ſit clericus primæ conſuræ. Ita refert Palud. ſupra, dicit tamen illud non eſſe authenticum, Soto etiam ſimpliciter negat eſſe talem conſuetudinem, vel obligationem, imo negat Epiſcopũ poſſe illam imponere. Non tamen negat Soto (vt aliqui ei imponere videntur) quin poſſit talis conſuetudo introduci: cur enim non poſſet, cum actio ſit honeſta, & nõ nimis grauis, neque illi ſtatui diſſentanea? Atq; ita docent Medin. Ledeſm. & alij. Imo Nauar. dubitat, an alicubi ſit talis conſuetudo, fatetur tamen generaliter, & ordinarie nõ eſſe: fatetur etiam cum Soto, non poſſe Epiſcopũ ſua auctoritate huiuſmodi clericos iã ordinatos obligare ad illas preces recitandas, poſſe tamen eos non ordinare, niſi prius talem obligationem acceptent, ad quam poſtea tenebuntur ratione pacti. Mihi tamen nõ videtur iuſta conditio, neque poſſe Epiſcopum ſua auctoritate adiungere hoc perpetuum onus ſuæ ordinationi, ſed hoc pertinere ad Pontificem: quia eſt nimis grauis conditio. Secus vero eſſet ſi tantum præciperet ter, vel quater hæc recitare, vel aliquid ſimile, quod moderatũ ſit, & ab illa actione non alienum.

16. Vbi autem fuerit cõſuetudine introducta talis obligatio, poterit Epiſcopus ad illius obſeruationem cogere: nam hoc ad illius munus ſpectat.

Capvt XVII.

An Religioſi profeſſi teneantur horas Canonicas recitare, etiam ſi in ſacris ordinati non ſint?

1. *Supponitur ex vi Religioſæ profeſſionis non ſequi ex natura rei obligationem dicendi horas Canonicas.*

Primo ſuppono ex vi Religioſæ profeſsionis in genere non ſequi ex natura rei, vel Diuino iure obligationem dicendi horas Canonicas, etiam ſuppoſita earum inſtitutione in Eccleſia. Hoc certum eſt, quia profeſsio Religioſa per ſe, & ex neceſsitate non ordinatur ad hoc miniſteriũ, ſed ad perfectionem, quæ ſine hoc medio poteſt per alia comparari. Item quia profeſsio tantum obligat ad tria vota iuxta regulam, fieri autem poteſt, vt hoc medium non contineatur in regula. Neque inuenitur aliqua lex Eccleſiaſtica, quæ ad hoc obliget omnes Religioſos, vel omnes Religiones. Imo neq; eſt vniuerſalis conſuetudo, nam quædam ſunt non deputatæ ad chorum, quæ nõ aſſumunt hanc peculiarem obligationem, quia vel ſunt Religiones laicorum tantum ac corporalia opera miſericordiæ deputatæ, vt ſunt aliqui hoſpitalarij, vel ſunt Religiones militares, quæ vt tales ſunt (id eſt, quoad milites) nõ inducunt hanc obligationem, quia nõ profitentur ad chorum, ſed ad militiam, vt bene Nauar, d, cap. 7.

Nauar.

num. 21. vnde ſolẽt per ſuas conſtitutiones ad quaſdam orationes obligari, cuius obligationis modus erit iuxta modum regulæ. Item ſunt Religiones clericorum ad alias ſpirituales actiones, & ſtudia, vel contemplationem extra chorum ordinatæ, quæ illud peculiare onus non aſſumunt, donec Religioſi ſint in ſacris ordinati, de his ergo Religioſis non eſt diſputatio, quia certum eſt eos non teneri, vt à fortiori ex dicendis patebit.

2. *1. Aſſertio. In Religionibus quæ ex vi ſui ſtatus chorum profitentur. Nec nouitij nec Laici obligantur ad officium recitandum.*

Quæſtio ergo eſt de Religionibus, quæ ex vi ſui ſtatus chorum profitentur, & ad illum in communi obligantur, vt in ſuperioribus declaratum eſt. Inquirimus autem, an Religioſus non ordinatus in ſacris, qui in choro non recitauit, teneatur priuate has horas Canonic. dicere. Et de his eſt communis, & recepta ſententia affirmans eos teneri. Ita docent Auctores citati in cap. præcedenti: nõ comprehenduntur Nouitij ſub hac lege, quia re vera Religioſi non ſunt, neque in oneroſis ſub illa voce comprehenduntur. Et quod caput eſt, nulla eſt lex, vel conſuetudo, quæ illos obliget: & ita ſentiunt citati Doctores excepto Paludano, quia gaudent, inquit, priuilegio clericorũ, & aliquibus priuilegiis Religioſorum, & ex eorum redditibus, vel eleemoſynis viuunt. Sed hæc nimis remota ſunt ad inferendam illam obligationem, ſufficit enim ad illos effectus, quod ſint in via ad profeſsionẽ, & quod voluntarie ſubiiciantur ordini, & actionibus Religionis ſub diſciplina Religioſa. Deinde non comprehenduntur ſub ea regula Religioſi talium Religionum, qui laici, ſeu conuerſi dicuntur, etiãſi profeſsionẽ ſolennem faciant, quod omnes fatentur: quia iſti nõ ſunt ad chorum deputati. Paludanus autem, Anton. & alij, quos Sylueſt. ſequitur, q. 2. dicunt, hos teneri ad recitandum aliquid loco horarum Canonicarum, quia aluntur eleemoſynis laicorum, quibus aliquo modo recompẽſare tenentur. Veruntamẽ ſi intelligant teneri ex regula, erit verum iuxta modum, & exigentiã regulæ, vnde ſi regula aliàs nõ obligat ad culpã, neq; in hoc obligabit, niſi ſpecialiter id exprimat, vt per ſe conſtat. Si vero intelligant teneri ex iure communi, vel ex conſuetudine, id nõ admittimus, quia lex nullum inuenitur, nec de conſuetudine conſtat, imo contrarium teſtantur communiter Doctores, Sylueſt. Anton. Soto ſupra, & Nauar. c. 7. vbi nu. 21. idem affirmat de Monialibus conuerſis: nam de Monialibus profeſsis ad chorum, idẽ quod de Monachis ſimiliter profeſsis affirmandum eſt, vt etiam docuit Turrecrem. dicta d. 91. in principio art. 10. & Moderni communiter ſequuntur.

Paludan. Palud. D. Anto. Sylueſt. Sylueſt. D. Ant. Soto. Nauar. Turrecr.

3. *1. Sententia, aſſerens Religioſos profeſſos obligari ad horas dicendas ex Diuino iure naturali pertinente ad Diuinũ cultum proponitur & impugnatur.*

Difficultas ergo ſemper eſt, quo iure, vel ratione obligentur iſti Religioſi profeſsi ad horas dicẽdas. Quidã dicunt obligari ex Diuino iure naturali pertinente ad Diuinum cultũ, & Religionem, quia ſunt ad hunc cultum peculiariter dicati per profeſsionem. Sed hoc fundamentum inſufficiens eſt, quia cultus Dei latiſsime patet, & multis aliis modis poteſt exhiberi. Et potiſsime quia licet Religioſus profiteatur viuere ſecundum regulam, non tamẽ imponit ſibi neceſſariam obligationẽ ad determinatas actiones cultus Diuini, niſi quatenus illas expreſſe vouet, vel per regulam ſtricte præcipiuntur, vel per Prælatum, hæc autem actio recitãdi, neque expreſſe vouetur, neque in regula ſpecialiter præcipitur, vt ſupponimus, nec etiam præceptum Prælati, nunc conſideratur, agimus enim de permanente, & legali obligatione, ergo.

4. *2. Sentent. hanc obligationẽ eſſe ex naturali lege iuſtitiæ, reſpectu Chriſtiani populi, & item impugnatur.*

Alij dicunt, hanc obligationem eſſe ex naturali lege iuſtitiæ, reſpectu Chriſtiani populi. Nã hi Religioſi, qui in ordine ad chorum profeſsionẽ emittunt, ad hoc inſtituuntur ab Eccleſia, & approbãtur, vt ſint miniſtri eius ad orandum ſuo nomine pro ipſa, & propter hanc cauſam aluntur à Chriſtiano populo. Ita fere Nauar. d. cap. 7. § 4. & ex D. Anton. dicto cap. 4. §. 1. & Palud. vbi ſupra. Sed hæc origo huius

Nauar. D. Ant. Paludan.

huius oblationis fere eſt tam incerta, ſicut præcedens, quia Religioſi non aluntur à populo propter hanc, vel illam determinatam actionem vitæ Religioſæ, ſed ſimpliciter, vt in tali ſtatu perfectionis viuant, inde autẽ non obligantur rigoroſe, & ex præcepto ad alias actiones ſuæ profeſſionis in particulari, ergo neque ad iſtam. Item non aluntur quaſi ex pacto iuſtitiæ, & per modum ſtipendij, ſed vel per modum eleemoſynæ, vel abſolutæ donationis, niſi forte quando in ipſa donatione vel fundatione peculiaris conditio, vel actio in pactum deducitur, numquam autem ſolet recitatio horarum Canonicarum hoc modo deduci in pactum. *Impugnatur 2.* Præterea, Eccleſia approbans inſtituta Religionis, per hoc non imponit ei ſpecialem obligationem ad hoc miniſterium potius, quam ad alias actiones Religioſas, ſed tantum approbat vel acceptat voluntariam obligationem, quam ipſi in ſua profeſſione aſſumunt, ſi ergo in illa voluntaria obligatione non includitur hæc de recitãdis horis, profecto nec per inſtitutionem Eccleſiæ imponitur. Denique admiſſo ſuo fundamento, ad ſummũ concluderetur eſſe in corpore Religionis, ſeu in conuentibus ſingulis obligationẽ ad dicendas horas in choro, quam ſupra explicauimus, non vero quod hæc obligatio deſcẽdat ad ſingulos, qui choro non adſunt, maximè quando legitime excuſantur, vel diſpenſantur quoad chorum.

5. *Ex dicto conſurgit obiectio.* Dicet aliquis, ex hac obligatione ad chorum, quę eſt in hoc conuentu, vel corpore Religioſo, deriuari ad ſingulos abſentes obligationem priuatim recitandi, quia illa obligatio communis non poteſt executioni mãdari, niſi per ſingulos, & ideo in his, quia abſunt, quaſi commutatur recitatio chori in priuatam, & veluti ſub hoc onere excuſantur. *Occurritur obiectioni.* Sed contra, nam potius hinc augetur difficultas, quia diximus ſupra, quod licet conuentus teneatur ad chorum, ſinguli non obligantur ex vi præcepti, ſed ex communi obligatione regulæ, aut ordinis Religioſi, niſi in caſu, quod per Prælatum maior obligatio aliquibus imponatur, ergo ex illa obligatione non poteſt obligatio præcepti de recitatione priuata deſcendere ad ſingulos abſentes à choro, nec ad illos, qui in choro ſine vlla attentione recitarunt. Vnde illa commutatio, præterquã quod ſine probatione aſſeritur, & ideo incerta eſt: nihilominus licet admittatur, non inducet obligationem ex pręcepto, ſed ad ſummum ex regula quia ſubrogatum ſapit naturam eius, cuius loco ſubrogatur.

6. *2. Aſſertio. Obligatio Religioſorũ profeſſorum ad recitandum officiũ Diuinũ fundatur in cõſuetudine præſcripta. Caietan. Medina. Sotus. Syluest. Nauar. Durant. Panorm. Paludan. D. Ant. Pet. Ara.* Addendum ergo neceſſario eſt, hanc obligationem fundari in conſuetudine præſcripta, vt docuit Caietan. verb. *Horæ Canonicæ*, Medin. in ſua inſtructione cap. 14. Sot. & alij communiter. Eſtque hoc ſufficiens fundamentum: quia de conſuetudine fere omnes teſtãtur, & materia grauis eſt, & ex modo conſuetudinis conſtat eſſe acceptatam vt neceſſariam ad implendum debitum in illo ſtatu. Ita fere Syluest. verb. *Hora*, q. 2. & ibi alij Summiſtæ, Nauar. d. cap. de Orat. Durant. lib. 3. de Ritib. cap. 22. num. 5. Panor. & alij Canoniſtæ in cap. *Licet*, de Voto, & in c. 1. de Celebrat. Miſſar. & in Clem. 1 eod. tit. & in cap. vlt. d. 92. ac denique Palud. Anton. & alij ſupra citati in obligatione aſſerenda conueniunt, ſaltẽ ex fundamento conſuetudinis, licet in aliis non conſentiant. Solum inuenio Aragonium in 22. q. 83. art. 11. dub. 4. qui indicat, hanc obligationem non eſſe tam rigoroſam, ſicut in clericis in ſacris: vnde ait, non peccare mortaliter Monachum profeſſum ad chorum, ſemel, aut iterum Diuinum officiũ omittendo, & refert Medinam in Cod. de Orat. q. 7. abſolute dicentem, Monachos non teneri. At ille ſolum addit, non teneri ex vi profeſſionis, ſed vel ratione regulæ, ſi hoc præcipiat, vel ratione conſuetudinis, *ſi in Religione talis ſit*: in quo vltimo verbo videtur de conſuetudine dubitare. De qua (quod mirum eſt) expreſsius dubitat Caiet. dicens: *De qua nihil ſcio*, quem ſequitur Armil. n. 4. ſed in re tam graui non videtur tutum, hanc licentiã dare Religioſis, & ianuã aperire, vt excuſationes chori quærant, & ſimul officia omittant contra communẽ conſuetudinem valde pertinentẽ ad munus taliũ Religioſorũ. Et præterea, quia vel conſuetudo talis eſt, vt æquiualeat præcepto recitandi horas Canonicas, vel nõ eſt huiuſmodi: inter hæc n. medium non poteſt reperiri. Si autem primũ affirmetur: ſequitur, peccare mortaliter Monachũ profeſſum, qui ſemel officium totũ omittit, vel notabilem partẽ eius, quia illa eſt materia grauis, vt omnes fatentur reſpectu clerici in ſacris, & infra dicemus. Nec poteſt intelligi, quod reſpectu vnius ſit grauis, & nõ reſpectu alterius: Cum præceptum eiuſdem virtutis, & rationis ſit, & conſuetudine ſit etiam introductũ in clericis in ſacris, ſaltem infra presbyteros. Si autẽ illa Religioſorum conſuetudo nondum præceptũ induxit, profecto non peccabit mortaliter talis Religioſus, etiamſi crebro, & longo tempore officiũ negligenter omittat, quia non agit contra præceptum. At tunc excuſare illum non audet talis Aragonius, *Aragon.* quia iudicio & conſenſu bonorũ & ſapientum virorum non excuſatur, vt recte dicit, ergo oportet, vt fatentur hac conſuetudine eſſe introductũ præceptum obligans Religioſos ad recitãdas horas Canonicas, ergo illud præceptum obligat eos ad recitandas illas quotidie, tum quia per talem conſuetudinem introductum eſt, tum etiã quia eſt introductum ad inſtar præcepti clericorum: tum etiã quia non poteſt moraliter aliud tempus, neque alia frequentia recitandi ex vi illius præcepti determinari, ergo inducit hæc lex æqualẽ obligationem in Monachis profeſsis, & in clericis in ſacris.

7. *Obiectio.* Sed obiicit Aragon, quia ſi Monachus profeſſus ad chorum, transferatur ad ſtatum conuerſorum, ſeu fratrum laicorum, eo ipſo non tenetur recitare horas Canonicas, ergo ſignum eſt, neque antea fuiſſe obligatũ. Probatur conſequentia, quia ſola prælati voluntas eſt ſufficiens ad faciendã illam mutationem, non eſſet autẽ ſufficiens ad tollendam obligationẽ præcepti. *Solutio, Religioſum translatum ad fratres laicos, non teneri recitare offic. Diuinum.* Reſpondetur, negando conſequentiã, quia licet Prælatus nõ poſſet auferre obligationem, manente fundamento eius, tamen ſi poſſet auferre fundamentum: ablato illo, auferet etiam obligationem. Sicut ſi clericus in minoribus habeat beneficiũ, non poteſt Epiſcopus illũ liberare onere recitandi pro ſuo arbitrio, ſi tamen aliquo iuſto titulo poſsit auferre beneficium, illo ablato, conſequenter etiam auferet onus. Tantũ ergo probat illud argumentum, fundamentum huius obligationis in Monacho non eſſe nudam profeſsionẽ, nam hæc eadẽ manet in tali perſona, ſed eſſe profeſsionem cum tali munere, ſeu deputatione ad chorum adiuncta conſuetudine, quæ vtramque conditionem ad obligationem requirit.

8. *Alia conſurgit obiectio.* Dices: Ergo ſi talis Monachus alias deputatus ad chorum, & nondum in ſacris ordinatus à Papa diſpenſetur, vt in ſæculo viuat, iam non tenebitur officium recitare, quia extra chorum factus eſt. Conſequens eſt falſum, quia ille non liberatur aliis oneribus Religionis, quæ extra clauſtra poteſt implere, niſi in eis ſpecialiter diſpenſatus ſit. Reſpondeo, ſimpliciter negando ſequelam, quia licet ille ſit ſeparatus ab actuali vſu chori, ſemper manet in ſtatu Religioſi profeſsi ad chorum: & ideo nõ eſt ſimilis ratio, quia in hoc nõ fuit ablatũ fundamentum obligationis, quæ nõ conſiſtit in vſu, ſed in ſtatu. *Reſoluitur & aſtruitur profeſſum diſpenſatũ, vt in ſæculo viuat, licet non ordinatum, teneri ad recitandum.* Diſtinguunt tamẽ aliqui de diſpẽſatione perpetua, vel tẽporali. Et in temporali fatẽtur procedere rationem factam, nõ vero in perpetua, quia per hanc omnino liberatur à choro, cum liberetur perpetuo ab vſu eius. Sed contrarium credo eſſe ſecurius & probabilius. Quia licet diſpẽſatio manendi perpetuo in ſæculo, conſequẽter liberet ab vſu chori, nõ ideo facit muta-

mutationem in ſtatu Religioſi clerici in Religioſum laicum, cui ſtatui annexa eſt obligatio dicendi officium ex conſuetudine. Vnde ſi ipſa Religio, vel generalis eius diſpenſaret (ſuppoſita poteſtate) cum aliquo Religioſo huiuſmodi, vt nunquam iret ad chorum, nihilominus obligatus maneret ad officiũ dicendum: Quod autem per illã diſpenſationẽ Papæ non fiat mutatio in prædicto ſtatu, poteſt à ſigno colligi ex habitu, & corona: nã ſi ille Religioſus maneat in ſæculo, retento habitu, nõ aſſumet habitum laicorũ, etiam ſi diſtinctus ſit, neq; deponet capitis coronam. Item ſi Pontifex reuocet diſpẽſationem, ille redibit ad Religionẽ in ſtatu choriſtarum, & nõ laicorum, ergo diſpenſatio nõ fecit mutationem in ſtatu: ergo neq; abſtulit obligationem recitandi, niſi hoc in ipſamet diſpenſatione fuerit expreſſum.

9\.
Multo magis obligatur apoſtata, non tamen ad triremes damnatus pro tunc.
Nauar.
Soto.

Et hinc à fortiori ſequitur, huiuſmodi Religioſum, ſi fugitiuus ſit, non liberari ab hoc onere propter fugam, quamdiu extra monaſteriũ viuit, quia non debet commodũ ex ſua iniquitate reportare, & quia ſemper retinet fundamentũ obligationis, & de ſe obligatus eſt ad ſeruandam conſuetudinẽ talium Religioſorum, quam poteſt obſeruare etiam extra clauſtra, vt bene notauit Nauar. d. c. 7. n. 19. & 20. qui addit, idem iudicandũ eſſe de Religioſo per ſententiam eiecto. Et merito (quicquid dicat Sot. dicto art. 3.) quia eadẽ ratio obligationis in eo manet: etiamſi ſit ad triremes damnatus, ſemper enim manet Religioſus talis ſtatus, & ideo licet pro tunc ſit impeditus ab vſu chori, tenetur recitare, ſi commode poteſt.

Capvt XVIII.

Vtrum clerici beneficium habentes teneantur ad horas Canonicas recitandas.

1\.
Beneficium Eccleſiaſticum ſecum affert obligationem recitandi horas Canonicas licet nullus alius titulus intercedat.
C. ſi quis presbyter Martin. Br. Epiſ.
Conc. Tol.

GEneralis regula eſt, beneficium Eccleſiaſticum ſecum afferre hanc obligationẽ, etiam ſi perſona quæ illud habet, religioſa non ſit, neque ordinata in ſacris. Ita docent omnes. Soletque probari primo ex c. *Si quis presbyter*, d. 91. ibi: *vel quilibet clericus Eccleſiæ deputatus.* Illud enim Decretum licet non ſit Martini Papæ, vt à Gratiano inſcribitur, ſed ex collectis à Martino Bracharenſi Epiſcopo, vbi eſt ſexageſimum tertium, creditur ſumptum ex Concil. Tolet. I. c. 5. Verum eſt tamen in illo Concilio non dici: *Si ad quotidianum pſallendi officium matutinis, vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, &c.* Vbi in rigore de ſolo ſacrificio Miſſæ videtur eſſe ſermo: in alio vero decreto extenſum eſt, vel declaratum etiam de ſacrificio laudis, quod per horas Canonicas Deo offertur. A quo autem, vel qua auctoritate illa declaratio, & verborum mutatio facta ſit, mihi non conſtat: vtcumq; tamen ſit, Decretum

Gratian.

illud, prout apud Gratianum habetur, pro lege ab omnibus ſuſcipitur. Adhuc tamen reſponderi poteſt, ibi eſſe ſermonem de obligatione aſsiſtẽdi, vel canendi in choro. Sed ex vna altera illata eſt, nam ſi in choro non impletur, ſaltem priuatim idem officium dicendum eſt. Probat etiam hanc obligationẽ Nauar. ex c. *Quod à te*, & c. *Diuerſis*, de Cler. coniug. vbi clerici coniugati inepti cenſentur ad beneficia Eccleſiaſtica retinenda, quia non poſſunt Deo & ſæculo conuenienter deſeruire: nam hæc ratio ſupponit, eos ratione beneficij eſſe obligatos ad Diuina officia perſoluenda. Sed illa iura apud me non cogunt, tũ quia ex generali obligatione miniſtrãdi, vel ſeruiendi in Eccleſia, non infertur particularis dicendi officiũ Diuinum: tum etiam quia clericus coniugatus nõ eſt moraliter impeditus ad priuatim recitandum officiũ Diuinum. Expreſsius hoc probatur ex Concil. Later. ſub Leon. X. ſeſsion. 9. in Bulla reformationis, ſub titulo, *Reformationes curiæ*, §. *ſtatuimus*. vbi priuat fructibus beneficiorum eos,

Nauar.

Conc. Lat.

qui Diuinum officium nõ dicunt, & non eſt lex pure pœnalis, vt conſtat, ergo ſupponit, illam eſſe grauem culpam: quod etiam ſignificant illa verba: *Eos tanquam iniuſte perceptos*, & illa: *Si in ſimili negligentia contumaciter permanſerint, &c.* Quæ verba plane ſignificant, illam eſſe grauem culpam: ac ſubinde contrarium actum eſſe præceptum. Illamq; conſtitutionem confirmauit, & auxit Pius V. Conſt. ſua 138. in Bull. Rom. vt infra latius videbimus.

Pius V.

2\.
1. Sent. hanc obligationẽ eſſe de iure naturæ, & poſitiuo.
Vlrichus.
Turrecr.
D. Ant.
Nauar.
Durant.
Caietan.

Dubitari autem ſolet, an hæc obligatio ſit nõ ſolum de iure poſitiuo, ſed etiã de iure naturali. Multi enim cenſent eſſe de iure naturæ. Ita Vlrichus, quem refert, & ſequitur Turrecrem. diſtinct. 91. in principio quæſt. 5. & indicat Anton. 3. p. tit. 13. c. 4. 51. & ſequitur Nauar. c. 7. de Orat. num. 3. Durant. lib. 3. de Ritib. cap. 21. qui citat Gloſſam pragmaticæ ſanctionis, §. 1. & Caiet. verb. *Horæ Canonicæ* qui non expreſſe id affirmat, ſed quatenus aſſerit, teneri clericum beneficiatum ad horas dicendas ratione ſtipendij, quod per beneficium datur: obligatio autem, quæ ex ſtipendio naſcitur, naturalis iuſtitiæ eſt. Atque hoc modo poteſt pro hac ſententia referri Tabien. verb. *Hora* q. 1. & 15. Roſel. n. 13. Armil. n. 11. & Soto lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. & alij. Fundamentum ergo huius ſentẽtiæ eſt, quia beneficium datur propter officium, iuxta cap. vlt. de Reſcript. in 6. & cap. *Cum ſecundum*, de Præb. qui autem officiũ non implet, iniuſte accipit emolumentũ beneficij, cap. *Si quis ſacerdotum*, & cap. *Eos etiam*, d. 81. Hoc autem ius naturale eſt, vt mercenarius, qui non ſeruit, ſtipendium non recipiat, ergo etiam è contrario, qui accipit ſtipendium, iure naturæ obligatur ad opus implendum, ergo eodẽ iure naturæ obligatur quilibet clericus habens beneficium Eccleſiaſticum, ad Diuinum officium dicendum.

Tabiena.
Roſel.
Armil.
Soto.

3\.
Impugnatur, quatenus leui nititur fundamento.

Hæc vero ſentẽtia videtur in ſuo diſcurſu committere defectum ſupra notatũ ex genere ſpeciem affirmatiue colligendo: cum enim dicitur beneficium dari propter officiũ: ſub nomine officij comprehenditur quodlibet ſpirituale miniſterium, ſeu ſeruitium Eccleſię, vel fideliũ, ſub quo officio multa alia includuntur præter recitationem horarum Canonicarum, vt miniſtratio Sacramẽtorum, prædicatio verbi Dei: miniſterium altaris: ſpirituale regimen Eccleſiæ, & ſimilia. Ergo poſſunt dari beneficia propter alia officia, præter horas Canonicas, ergo ſaltem in illis non habebit locũ hæc obligatio. Imo, vt ſupra vidimus, aliqui probabiliter cenſent, Canonicos, vel dignitatem habentes aſsiſtentes, & nõ cantantes in choro, ſatisfacere obligationi officij, propterquod accipiunt beneficiũ, & ſtipendium etiam diſtributionum, ergo ex vi naturalis iuſtitiæ non obligarentur in rigore ad dicendum officium, niſi alio ſpeciali præcepto obligatio imponeretur.

4\.
Hæc obligatio cuilibet beneficio Eccleſiaſtico ex Inſtitutione Eccleſiæ annexa eſt, quamuis alias ſit impoſita.

Nihilominus dicendum eſt, hoc officium recitandi horas Canonicas, tale eſſe, taliq; modo ab Eccleſia inſtitutum, & acceptum, vt cuilibet beneficio Eccleſiaſtico, quod per proprium titulum ſpiritualem confertur, annexum ſit, nõ obſtante quacunq; obligatione ad aliud officium ex vi talis beneficij impoſita. Itaq; licet Epiſcopatus detur propter ſpirituale regimen animarum, & propter verbũ Dei, ſimul datur propter officium Canonicum: idem eſt de beneficio parochiali, & de quocumque alio, etiam ſimplici. Hæc autem veritas ſupponitur ab omnibus allegatis auctoribus potius, quã probetur: quia ex ſola rei natura probari non poteſt, vt argumentum factum probat, ſed neceſſaria eſt inſtitutio ac voluntas Eccleſiæ: hæc autem inſtitutio in Iure Canonico & cõmuni non videtur ſufficienter probari, quia nullibi inuenitur ita expreſſe propoſita, & declarata, vt etiam Sot. ſignificauit. Nihilominus ad illam probandam ſufficit communis conſenſus & traditio Eccleſiæ. videtur itẽ mihi, illam declaraſſe Concilium Latera. loco proxime citato nam poſt-

Soto.

Conc. Lat.

huius oblationis fere eſt tam incerta, ſicut præcedens, quia Religioſi non aluntur à populo propter hanc, vel illam determinatam actionem vitæ Religioſæ, ſed ſimpliciter, vt in tali ſtatu perfectionis viuant, inde autẽ non obligantur rigoroſe, & ex præcepto ad alias actiones ſuæ profeſsionis in particulari, ergo neque ad iſtam. Item non aluntur quaſi ex pacto iuſtitiæ, & per modum ſtipendij, ſed vel per modum eleemoſynæ, vel abſolutæ donationis, niſi forte quando in ipſa donatione vel fundatione peculiaris conditio, vel actio in pactum deducitur, numquam autem ſolet recitatio horarum Canonicarum hoc modo deduci in pactum.

Impugnatur 2.

Præterea, Eccleſia approbans inſtituta Religionis; per hoc non imponit ei ſpecialem obligationem ad hoc miniſterium potius, quam ad alias actiones Religioſas, ſed tantum approbat vel acceptat voluntariam obligationem, quam ipſi in ſua profeſsione aſſumunt, ſi ergo in illa voluntaria obligatione non includitur hæc de recitãdis horis profecto nec per inſtitutionem Eccleſiæ imponitur. Denique admiſſo ſuo fundamento, ad ſummũ concluderetur eſſe in corpore Religionis, ſeu in conuentibus ſingulis obligationẽ ad dicendas horas in choro, quam ſupra explicauimus, non vero quod hæc obligatio deſcẽdat ad ſingulos, qui choro non adſunt, maximè quando legitime excuſantur, vel diſpenſantur quoad chorum.

5. *Ex dictis conſurgit obiectio.*

Dicet aliquis, ex hac obligatione ad chorum, quę eſt in hoc conuentu, vel corpore Religioſo, deriuari ad ſingulos abſentes obligationem priuatim recitandi, quia illa obligatio communis non poteſt executioni mãdari, niſi per ſingulos, & ideo in his, quia abſunt, quaſi commutatur recitatio chori in priuatam, & veluti ſub hoc onere excuſantur.

Occurritur obiectioni.

Sed contra, nam potius hinc augetur difficultas, quia diximus ſupra, quod licet conuentus teneatur ad chorum, ſinguli non obligantur ex vi præcepti, ſed ex communi obligatione regulæ, aut ordinis Religioſi, niſi in caſu, quod per Prælatum maior obligatio aliquibus imponatur, ergo ex illa obligatione non poteſt obligatio præcepti de recitatione priuata deſcendere ad ſingulos abſentes à choro, nec ad illos, qui in choro ſine vlla attentione recitarunt. Vnde illa commutatio, præterquã quod ſine probatione aſſeritur, & ideo incerta eſt: nihilominus licet admittatur, non inducet obligationem ex pręcepto, ſed ad ſummum ex regula quia ſubrogatum ſapit naturam eius, cuius loco ſubrogatur.

6. *2. Aſſertio. Obligatio Religioſorũ profeſſorum ad recitandum officiũ Diuinũ fundatur in cõſuetudine præſcripta. Caietan. Medina. Sotus. Syluest. Nauar. Durant. Panorm. Paludan. D. Ant. Pet. Ara.*

Addendum ergo neceſſario eſt, hanc obligationem fundari in conſuetudine præſcripta, vt docuit Caietan. verb. *Horæ Canonicæ*, Medin. in ſua inſtructione cap. 14. Sot. & alij communiter. Eſtque hoc ſufficiens fundamentum: quia de conſuetudine fere omnes teſtãtur, & materia grauis eſt, & ex modo conſuetudinis conſtat eſſe acceptatam vt neceſſariam ad implendum debitum in illo ſtatu. Ita fere Syluest. verb. *Hora*, q. 2. & ibi alij Summiſtæ, Nauar. d. cap. de Orat. Durant. lib. 3. de Ritib. cap. 22. num. 5. Panor. & alij Canoniſtæ in cap. *Licet*, de Voto, & in c. 1. de Celebrat. Miſſar. & in Clem. 1 eod. tit. & in cap. vlt. d. 92. ac denique Palud. Anton. & alij ſupra citati in obligatione aſſerenda conueniunt, ſaltẽ ex fundamento conſuetudinis, licet in aliis non conſentiant. Solum inuenio Aragonium in 22. q. 83. art. 11. dub. 4. qui indicat, hanc obligationem non eſſe tam rigoroſam, ſicut in clericis in ſacris: vnde ait, non peccare mortaliter Monachum profeſſum ad chorum, ſemel, aut iterum Diuinum officiũ omittendo, & refert Medinam in Cod. de Orat. q. 7. abſolute dicentem, Monachos non teneri. At ille ſolum addit, non teneri ex vi profeſsionis, ſed vel ratione regulæ, ſi hoc præcipiat, vel ratione conſuetudinis, *ſi in Religione talis ſit*: in quo vltimo verbo videtur de conſuetudine dubitare. De qua (quod mirum eſt) expreſsius dubitat Caiet. dicens; *De qua nihil ſcio*, quem ſequitur Armil. n. 4. ſed in re tam graui non videtur tutum, hanc licentiã dare Religioſis, & ianuã aperire, vt excuſationes chori quærant, & ſimul officia omittant contra communẽ conſuetudinem valde pertinentẽ ad munus taliũ Religionũ. Et præterea, quia vel conſuetudo talis eſt, vt æquiualeat præcepto recitandi horas Canonicas, vel nõ eſt huiuſmodi: inter hæc n. medium non poteſt reperiri. Si autem primũ affirmetur: ſequitur, peccare mortaliter Monachũ profeſſum, qui ſemel officium totũ omittit, vel notabilem partẽ eius, quia illa eſt materia grauis, vt omnes fatentur reſpectu clerici in ſacris, & infra dicemus. Nec poteſt intelligi, quod reſpectu vnius ſit grauis, & nõ reſpectu alterius: Cum præceptum eiuſdem virtutis, & rationis ſit, & conſuetudine ſit etiam introductũ in clericis in ſacris, ſaltem infra presbyteros. Si autẽ illa Religioſorum conſuetudo nondum præceptũ induxit, profecto non peccabit mortaliter talis Religioſus, etiamſi crebro, & longo tempore officiũ negligenter omittat, quia non agit contra præceptum.

Aragon.

At tunc excuſare illum non audet talis Aragonius, quia iudicio & conſenſu bonorũ & ſapientum virorum non excuſatur, vt recte dicit, ergo oportet, vt fatentur hac conſuetudine eſſe introductũ præceptum obligans Religioſos ad recitãdas horas Canonicas, ergo illud præceptum obligat eos ad recitandas illas quotidie, tum quia per talem conſuetudinem introductum eſt, tum etiã quia eſt introductum ad inſtar præcepti clericorum: tum etiã quia non poteſt moraliter aliud tempus, neque alia frequentia recitandi ex vi illius præcepti determinari, ergo inducit hæc lex æqualẽ obligationem in Monachis profeſsis, & in clericis in ſacris.

7. *Obiectio.*

Sed obiicit Aragon, quia ſi Monachus profeſſus ad chorum, transferatur ad ſtatum conuerſorum, ſeu fratrum laicorum, eo ipſo non tenetur recitare horas Canonicas, ergo ſignum eſt, neque antea fuiſſe obligatũ. Probatur conſequentia, quia ſola prælati voluntas eſt ſufficiens ad faciendã illam mutationem, non eſſet autẽ ſufficiens ad tollendam obligationẽ præcepti.

Solutio, Religioſum tranſlatum ad fratres laicos, non teneri recitare offic. Diuinum.

Reſpondetur, negando conſequentiã, quia licet Prælatus nõ poſſet auferre obligationem, manente fundamento eius, tamen ſi poſſet auferre fundamentum: ablato illo, auferet etiam obligationem. Sicut ſi clericus in minoribus habeat beneficiũ, non poteſt Epiſcopus illũ liberare onere recitandi pro ſuo arbitrio, ſi tamen aliquo iuſto titulo poſsit auferre beneficium, illo ablato, conſequenter etiam auferet onus. Tantũ ergo probat illud argumentum, fundamentum huius obligationis in Monacho non eſſe nudam profeſsionẽ, nam hæc eadẽ manet in tali perſona, ſed eſſe profeſsionem cum tali munere, ſeu deputatione ad chorum adiuncta conſuetudine, quæ vtramque conditionem ad obligationem requirit.

8. *Alia conſurgit obiectio.*

Dices: Ergo ſi talis Monachus alias deputatus ad chorum, & nondum in ſacris ordinatus à Papa diſpenſetur, vt in ſæculo viuat, iam non tenebitur officium recitare, quia extra chorum factus eſt. Conſequens eſt falſum, quia ille non liberatur aliis oneribus Religionis, quæ extra clauſtra poteſt implere, niſi in eis ſpecialiter diſpenſatus ſit.

Reſoluitur & aſtruitur profeſſum diſpenſatũ, vt in ſæculo viuat, licet non ordinatum, teneri ad recitandum.

Reſpondeo, ſimpliciter negando ſequelam, quia licet ille ſit ſeparatus ab actuali vſu chori, ſemper manet in ſtatu Religioſi profeſsi ad chorum: & ideo nõ eſt ſimilis ratio, quia in hoc nõ fuit ablatũ fundamentum obligationis, quæ nõ conſiſtit in vſu, ſed in ſtatu. Diſtinguunt tamẽ aliqui de diſpẽſatione perpetua, vel tẽporali. Et in temporali fatẽtur procedere rationem factam, nõ vero in perpetua, quia per hanc omnino liberatur à choro, cum liberetur perpetuo ab vſu eius. Sed contrarium credo eſſe ſecutius & probabilius. Quia licet diſpẽſatio manendi perpetuò in ſæculo, conſequẽter liberet ab vſu chori, nõ ideo facit muta-

Digitized by Google

mutationem in ſtatu Religioſi clerici in Religioſum laicum, cui ſtatui annexa eſt obligatio dicendi officium ex conſuetudine. Vnde ſi ipſa Religio, vel generalis eius diſpenſaret (ſuppoſita poteſtate) cum aliquo Religioſo huiuſmodi, vt nunquam iret ad chorum, nihilominus obligatus maneret ad officiũ dicendum: Quod autem per illã diſpenſationẽ Papæ non fiat mutatio in prædicto ſtatu, poteſt à ſigno colligi ex habitu, & corona: nã ſi ille Religioſus maneat in ſæculo, retento habitu, nõ aſſumet habitum laicorũ, etiam ſi diſtinctus ſit, neq; deponet capitis coronam. Item ſi Pontifex reuocet diſpẽſationem, ille redibit ad Religionẽ in ſtatu choriſtarum, & nõ laicorum, ergo diſpenſatio nõ fecit mutationem in ſtatu: ergo neq; abſtulit obligationem recitandi, niſi hoc in ipſamet diſpenſatione fuerit expreſſum.

9. *Multo magis obligatur apoſtata, non tamen ad triremes damnatus pro tunc. Nauar. Soto.*

Et hinc à fortiori ſequitur, huiuſmodi Religioſum, ſi fugitiuus ſit, non liberari ab hoc onere propter fugam, quamdiu extra monaſteriũ viuit, quia non debet commodũ ex ſua iniquitate reportare, & quia ſemper retinet fundamentũ obligationis, & de ſe obligatus eſt ad ſeruandam conſuetudinẽ talium Religioſorum, quam poteſt obſeruare etiam extra clauſtra, vt bene notauit Nauar. d. c. 7. n. 19. & 20. qui addit, idem iudicandũ eſſe de Religioſo per ſententiam eiecto. Et merito (quicquid dicat Sot. dicto art. 3.) quia eadẽ ratio obligationis in eo manet: etiamſi ſit ad triremes damnatus, ſemper enim manet Religioſus talis ſtatus, & ideo licet pro tunc ſit impeditus ab vſu chori, tenetur recitare, ſi commode poteſt.

CAPVT XVIII.

Vtrum clerici beneficium habentes teneantur ad horas Canonicas recitandas.

1. *Beneficium Eccleſiaſticum ſecum affert obligationem recitandi horas Canonicas licet nullus alius titulus antecedat. C. ſi quis presbyter Martin. Br. Epiſ. Conc. Tol.*

GEneralis regula eſt, beneficium Eccleſiaſticum ſecum afferre hanc obligationẽ, etiam ſi perſona quæ illud habet, religioſa non ſit, neque ordinata in ſacris. Ita docent omnes. Soletque probari primo ex c. Si *quis presbyter*, d. 92. ibi: *vel quilibet clericus Eccleſiæ deputatus*. Illud enim Decretum licet non ſit Martini Papæ, vt à Gratiano inſcribitur, ſed ex collectis à Martino Bracharenſi Epiſcopo, vbi eſt ſexageſimum tertium, creditur ſumptum ex Concil. Tolet. I. c. 5. Verum eſt tamen in illo Concilio non dici: *Si ad quotidianum pſallendi officium matutinis, vel veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, &c.* Vbi in rigore de ſolo ſacrificio Miſſæ videtur eſſe ſermo: in alio vero decreto extenſum eſt, vel declaratum etiam de ſacrificio laudis, quod per horas Canonicas Deo offertur. A quo autem, vel qua auctoritate illa declaratio, & verborum mutatio facta ſit, mihi non conſtat: vtcumq; tamen ſit, Decretum illud, prout apud Gratianum habetur, pro lege ab omnibus ſuſcipitur. *Gratian.* Adhuc tamen reſponderi poteſt, ibi eſſe ſermonem de obligatione aſsiſtẽdi, vel canendi in choro. Sed ex vna altera illata eſt, nam ſi in choro non impletur, ſaltem priuatim idem officium dicendum eſt. Probat etiam hanc obligationẽ Nauar. ex c. *Quod à te*, & c. *Diuerſis*, de Cler. coniug. vbi clerici coniugati inepti cenſentur ad beneficia Eccleſiaſtica retinenda, quia non poſſunt Deo & ſæculo conuenienter deſeruire: nam hæc ratio ſupponit, eos ratione beneficij eſſe obligatos ad Diuina officia perſoluenda. Sed illa Iura apud me non cogunt, tũ quia ex generali obligatione miniſtrãdi, vel ſeruiendi in Eccleſia, non infertur particularis dicendi officiũ Diuinum: tum etiam quia clericus coniugatus nõ eſt moraliter impeditus ad priuatim recitandum officiũ Diuinum. Expreſsius hoc probatur ex Concil. Later. ſub Leon. X. ſeſsion. 9. in Bulla reformationis, ſub titulo, *Reformationes curiæ*, §. *ſtatuimus*, vbi priuat fructibus beneficiorum eos,

Nauar.

Conc. Lat.

qui Diuinum officium nõ dicunt, & non eſt lex pure pœnalis, vt conſtat, ergo ſupponit, illam eſſe grauem culpam: quod etiam ſignificant illa verba: *Eos tanquam iniuſte perceptos*, & illa; *Si in ſimili negligentia contumaciter permanſerint, &c.* Quæ verba plane ſignificant, illam eſſe grauem culpam: ac ſubinde contrarium actum eſſe præceptum. Illamq; conſtitutionem confirmauit, & auxit Pius V. Conſt. ſua 138. in Bull. Rom. vt infra latius videbimus. *Pius V.*

2. *I. Sent, hanc obligationẽ eſſe de iure natura, & poſitiuo. Vlrichus. Turrecr. D. Ant. Nauar. Durant. Caietan.*

Dubitari autem ſolet, an hæc obligatio ſit nõ ſolum de iure poſitiuo, ſed etiã de iure naturali. Multi enim cenſent eſſe de iure naturæ. Ita Vlrichus, quem refert, & ſequitur Turrecrem. diſtinct. 91. in principio quæſt. 5. & indicat Anton. 3. p. tit. 13. c. 4. 51. & ſequitur Nauar. c. 7. de Orat. num. 3. Durant. lib. 3. de Ritib. cap. 22. qui citat Gloſſam pragmaticæ ſanctionis, §. 1. & Caiet. verb *Horæ Canonicæ* qui non expreſſe id affirmat, ſed quatenus aſſerit, teneri clericum beneficiatum ad horas dicendas ratione ſtipendij, quod per beneficium datur: obligatio autem, quæ ex ſtipendio naſcitur, naturalis iuſtitię eſt. Atque hoc modo poteſt pro hac ſententia referri Tabien. verb. *Hora* q. 1. & 15. Roſel. n. 13. Armil. n. 11. & Soto lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. & alij. Fundamentum ergo huius ſentẽtiæ eſt, quia beneficium datur propter officium, iuxta cap. vlt. de Reſcript. in 6. & cap. *Cum ſecundum*, de Præb. qui autem officiũ non implet, iniuſte accipit emolumentũ beneficij, cap. *Si quis ſacerdotum*, & cap. *Eos etiam*, d. 81. Hoc autem ius naturale eſt, vt mercenarius, qui non ſeruit, ſtipendium non recipiat, ergo etiam è contrario, qui accipit ſtipendium, iure naturæ obligatur ad opus implendum, ergo eodẽ iure naturæ obligatur quilibet clericus habens beneficium Eccleſiaſticum, ad Diuinum officium dicendum.

Tabiena. Roſel. Armil. Soto.

3. *Impugnatur, quatenus leui nititur fundamento.*

Hæc vero ſentẽtia videtur in ſuo diſcurſu committere defectum ſupra notatũ ex genere ſpeciem affirmatiue colligendo: cum enim dicitur beneficium dari propter officiũ: ſub nomine officij comprehenditur quodlibet ſpirituale miniſterium, ſeu ſeruitium Eccleſię, vel fideliũ, ſub quo officio multa alia includuntur præter recitationem horarum Canonicarum, vt miniſtratio Sacramẽtorum, prædicatio verbi Dei: miniſterium altaris: ſpirituale regimen Eccleſiæ, & ſimilia. Ergo poſſunt dari beneficia propter alia officia, præter horas Canonicas, ergo ſaltem in illis non habebit locũ hæc obligatio. Imo, vt ſupra vidimus, aliqui probabiliter cenſent, Canonicos, vel dignitatem habentes aſsiſtentes, & nõ cantantes in choro, ſatisfacere obligationi officij, propterquod accipiunt beneficiũ, & ſtipendium etiam diſtributionum, ergo ex vi naturalis iuſtitiæ non obligarentur in rigore ad dicendum officium, niſi alio ſpeciali præcepto obligatio imponeretur.

4. *Hæc obligatio cuilibet beneficio Eccleſiaſtico ex Inſtitutione Eccleſiæ annexa eſt, quamuis alias ſit impoſita.*

Nihilominus dicendum eſt, hoc officium recitandi horas Canonicas, tale eſſe, taliq; modo ab Eccleſia inſtitutum, & acceptum, vt cuilibet beneficio Eccleſiaſtico, quod per proprium titulum ſpiritualem confertur, annexum ſit, nõ obſtante quacunq; obligatione ad aliud officium ex vi talis beneficij impoſita. Itaq; licet Epiſcopatus detur propter ſpirituale regimen animarum, & propter verbũ Dei, ſimul datur propter officium Canonicum: idem eſt de beneficio parochiali, & de quocumque alio, etiam ſimplici. Hæc autem veritas ſupponitur ab omnibus allegatis auctoribus potius, quã probetur: quia ex ſola rei natura probari non poteſt, vt argumentum factum probat, ſed neceſſaria eſt inſtitutio ac voluntas Eccleſiæ: hæc autem inſtitutio in Iure Canonico & cõmuni non videtur ſufficienter probari, quia nullibi inuenitur ita expreſſe propoſita, & declarata, vt etiam Sot. ſignificauit. Nihilominus ad illam probandam ſufficit communis conſenſus & traditio Eccleſiæ. videtur itẽ mihi, illam declaraſſe Concilium Latera. loco proxime citato nam poſt-

Soto.

Conc. Lat.

quam ſtatuit, vt beneficiati non recitantes priuentur fructibus, vel ſi contumaces ſint poſt legitimam admonitionem, etiam ipſis beneficiis priuentur, rationem ſubdit: *Cum propter officium detur beneficium*, ergo intelligit & declarat propter hoc officium recitanti dari omne beneficium: nam de omnibus plane loquitur, vt ex principio illius ſtatuti conſtat, dum ait: *Ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, &c.*

5. Aſſertio: Suppoſita praedicta inſtitutione obligatio eſt ex naturali iuſtitia, tota tamen reducitur ad Eccleſiaſticum praeceptum: Syluest.

5. Suppoſita ergo hac inſtitutione, rectè infertur, eſſe hanc obligationem ex iuſtitia naturali, vt probant dicti auctores: ſi quis autem rectè conſideret, totũ hoc tandem reducitur ad Eccleſiaſticum præceptum, ideo n. cenſetur dari beneficium propter hoc officium quia Eccleſia voluit, vt hoc eſſet quaſi primum, & fundamentale officium, propter quod beneficium quodlibet datur. Et ita ſenſit Syluest. verb. *Hora*, q. 8. Addit vero, quod ſi Eccleſia nõ determinaſſet hoc officium, vt ratione cuiuslibet beneficij recitaretur, teneretur clericus beneficiatus ad recompenſandũ benefactoribus, quia hoc eſt de iure naturæ: quod etiam multi Canoniſtæ ſupra citati docuere. Veruntamẽ niſi vel ex inſtitutione ipſa beneficij, vel ex conſuetudine, vel ex præcepto, & declaratione Eccleſiæ conſtet de miniſterio, vel actione ſpirituali, aut ordinata ad ſpiritualia, ratione cuius datur beneficiũ, non poſſumus cũ fundamẽto aliquã obligationẽ ex iuſtitia imponere ad actionem determinatã, ratione beneficij, ſed ad ſummũ erit obligatio gratitudinis, cui poſſet beneficiatus ſatisfacere per quodcumq; genus orationis vocalis, aut mentalis, vt ſupra dicebã, vel per communia opera Religionis, vt dicẽdo, vel audiendo Miſſam. Ad obligationem n. iuſtitiæ neceſſe eſt, vt formale, vel virtuale pactum intercedat, quo aliquis ratione ſtipẽdij ad certã actionẽ obligetur: & ideo vt ex beneficio naſcatur obligatio recitandi horas Canonicas, neceſſariũ fuit, vel cõſuetudine, vel lege Eccleſię eſſe declaratũ, hoc eſſe officiũ, propter quod beneficiũ datur. Atq; ita explicati ſunt omnes tituli ex quibus obligatio ad horas Canonicas naſcitur: ſunt n. tantum tres numerati, ſacer ordo, ſolẽnis profeſſio ad chorũ, & beneficiũ Eccleſiaſticum: hos enim titulos, & nullum alium omnes auctores agnoſcũt. Non agimus autẽ de peculiari obligatione, quæ ex voto oriri poteſt, vel interdum ex hominis præcepto: nam illa non pertinet ad ius commune, de quo agimus, ſed ex particulari facto naſcitur.

6. Vnica difficultas contra traditã doctrinam.

6. Circa propoſitã autem regulam multa explicãda ſuperſunt, quæ in ſequentibus capitibus proſequemur: nunc vna tantũ difficultas expedienda eſt. Nã videtur ſequi ex d. regula, ſi vnum beneficium obligat ad recitandũ ſemel totum officiũ, duo beneficia obligare, vt bis dicatur, & plura, vt ſæpius, nam proportio videtur in hoc ſeruanda, attenta ratione iuſtitiæ. Quæ difficultas petit vulgare dubiũ, an qui habet plura beneficia, teneatur pluries in die Canonicum officiũ dicere, vel ſatisfaciat vtrique, aut omnibus, & iuſtitiæ, ac præcepto Eccleſiæ, ſemel recitando. ſunt enim in hoc contrarię opiniones. Nauar. enim in Miſcel. 60. de Orat. in eam partẽ inclinat, quæ affirmat, teneri beneficiatum toties dicere officium, quot beneficia habet; quod etiam ſenſerunt Guiliel. Pariſ. in tract. de Collat. benef. & Carthuſian. Opuſc. cõtra pluralitatem beneficiorũ, art. 1. Nauarrus'q; multa affert argumenta: ſumma vero eorum eſt: quia vnumquodq; beneficiũ per ſe obligat ad recitandã, & per coniunctionem in vna perſona non fiunt vnũ, ergo inducunt duas obligationes, ſed per vnã recitationem nõ ſatisfit vtriq; ad æqualitatem, nec multiplicatio ſolutionũ eſt impoſſibilis, ergo cadit ſub obligationem. Sicut qui habet plures Capellanias, certũ numerum Miſſarum, aut certũ ſeruitium poſtulãtes: tenetur duplicatas Miſſas dicere, vel duplex ſeruitiũ exhibere, quod ſi talia ſint ſeruitia, vt ſint incompatibilia, vel non detur in eis locus repetitioni, vel ſi obligent ad dicendum Miſſam quotidię per ſe & non per alium, tunc non poterit quis tuta conſcientia Capellanias illas ſimul retinere, quia nõ poteſt ad æqualitatem vtriq; ſatisfacere, ergo idem cũ proportione dicendum eſt de pluralitate beneficiorum: vnde ſi quis tantã multitudinem beneficiorum accipiat, vt moraliter non poſſit toties in dies officiũ dicere, contra iuſtitiam & æquitatẽ beneficia illa tenebit. Nec ſatisfaciet, dicendo ſemel per ſe, & toties per alios, quia vt diximus ſupra, & inferius etiam dicemus, hoc eſt onus perſonale, quod per alios ſolui non poteſt.

Nauarri ſent. teneri beneficiatũ toties dicere officiũ, quot habet beneficia. Guiliel. Pariſ. Carthuſ. Nauar.

7. Contraria ſententia quæ obligationes recitandi offic. Diuin. ad multiplicationem beneficiorum non multiplicat, præfertur. D. Thom. Paludan. Maior. Al. Mag. Ferrar. Ioan. de Lignan.

7. Contraria ſententia communis eſt, quam docuit D. Tho. quodlib. 1. art. 13. & ſecuti ſunt Palud. in 4. d. 15. q. 5. Mai. d. 12. q. 6. Turrecr. d. 91. in principio, Albert. de Ferrariis tract. de Horis Canonicis: & Ioan. de Lignano in Clem. 1. de Celeb. Miſſar. eſtque tam vniuerſali & indubitata conſuetudine recepta, vt nõ poſſit in moralẽ dubitationẽ adduci. Ratio autẽ à priori eſt, quia licet Eccleſia præceperit recitare officium habenti beneficium, nullibi præcepit recitare pluries idem officiũ habenti plura beneficia: & conſuetudo ſufficienter interpretatur, non eſſe hanc mentem illius præcepti. Et declaratur à ſimili, quia licet Eccleſia præceperit, vt qui habet ordinem ſacrum, totum officium ſemel in die dicat, nõ ideo præcepit, vt qui habet plures ordines ſacros, pluries dicat officium. Et hoc exemplum facile ſoluit fundamentum alterius ſententiæ: nam licet aliquis titulus ſit ſufficiens ratione obligationis, non ſemper multiplicatio titulorũ multiplicat obligationes, ſed auget eandẽ, vt plurib. titulis debeatur. Vt ſacerdos religioſus habẽs beneficiũ regulare tribus rationibus profeſſionis, ordinis, & beneficij ad recitãdum tenetur, & tamẽ non propterea tenetur ad tria officia, ſed ad vnũ tribus titulis. Itaque hoc ex inſtitutione pendet: inſtitutio autẽ Eccleſiæ non eſt, vt eadem perſona obligetur ad recitandũ ſæpius in eodem die, etiãſi ex pluribus capitibus teneatur. Neque in hoc aliquid peculiare afferri poteſt, quod in Iure Eccleſiaſtico vel naturali fundatũ ſit. De Eccleſiaſtico cõſtat, quia ſcriptũ nõ inuenitur, & conſuetudo eſt in contrarium: de naturali vero patet, quia hæc res nõ eſt naturalis iuris, ſed humani, vel vt ſit naturalis obligatio, ſupponit humanã inſtitutionẽ.

8. Suppoſitis ſtipendiis nulla adhuc datur obligatio ex iure natura, ſiue illa conſideretur, reſpectu fidelium, ſiue inſtitutorum beneficiorum.

Dices: ſuppoſitis ſtipendiis ius naturæ obligare. 8. Sed contra, quia vel ſtipendiũ conſideratur reſpectu fidelium, qui vel ex bonis ſuis cõferunt ad hæc ſtipendia ſoluenda miniſtris Eccleſiæ, vel fuerunt patroni, vel inſtitutores talium beneficiorum: vel conſideratur reſpectu ipſius Eccleſiæ, aut Pontificis ordinantis modum huius obligationis ad officium ratione beneficij. Prior conſideratio non ſufficit ad hanc obligationem in particulari imponendam, quia licet fideles ſoluant decimas ad ſuſtentandum miniſtros Eccleſiæ, & ideo ipſi teneantur ex iuſtitia populo miniſtrare: tamen determinare materiam huius obligationis, & diſtribuere onera miniſtrorum ad Eccleſiam pertinet: Eccleſia autem nunquam voluit, vt propter quoſcunque redditus eadem perſona ſæpius dicat officium in die, etiam ſi propter varios beneficiorũ titulos, illos recipiat. Et quamuis aliqua beneficia patrimonialia ex voluntate inſtituentium interdum habeant peculiaria onera deſignata, nunquam inuenietur de onere Diuini officij aliquid peculiariter in huiuſmodi inſtitutionibus declaratum, neque Eccleſiæ conſuetudo illud fert, ſed ſemper ſupponitur hæc obligatio vt annexa beneficio, ergo nec propter voluntatẽ ſpecialem inſtituentium dici poteſt, ex pluribus beneficiis huiuſmodi oriri obligationem dicẽdi pluries officium. Et fortaſſe ſi aliquis tentaret hoc onus imponere, cenſeretur tam alienum ab vſu Eccleſiæ, vt non admitteretur, neque iuſtũ reputaretur.

9\. *Vna oratione maxime publica pluribus ſatisfit beneficiorũ obligationibus, & quomodo. Hieron.*

Tandem adiungere poſſumus conſiderationem aliam, iuxta opinionem eorum, qui putãt, quod recitatio Diuini officij, etiamſi pro pluribus fiat, non minus valet ſingulis, quam ſi pro vno tantum diceretur, vt ſentit Hieronymus citatus in c. *Non mediocriter*, de Conſec. d. 5. dicens: *Cum pro cunctis animabus pſalmus, vel Miſſa dicitur, nihil minus, quam ſi pro vnoquolibet ipſorum diceretur, accipitur*: quod eſt intelligendum quoad vim impetrandi, quæ in his orationibus publicis, quæ nomine Eccleſiæ fiunt, præcipuè conſideranda eſt. Nam in eis non per ſe attẽditur meritum, vel ſatisfactio particularis perſonę recitantis officium: nam ſi ille ſit in ſtatu peccati mortalis, nihil meretur, vel ſatisfacit, & tamen verè implet præceptum, & munus ſuum, ſoluendo penſum orationis ſuæ. Vereque impetrat, ſeu impetrare poteſt, non tam attenta conditione ſuæ perſonæ, quam ſpectata Eccleſiæ ſanctitate, in cuius nomine orat, & Dei liberalitate, & ſpeciali dilectione ad Eccleſiam ſuam. Quoad hunc ergo effectum probabile eſt, etiam ſi talis oratio fundatur pro multis, non minus impetratiuam eſſe pro ſingulis, quia cum ad hunc effectum non attendatur valor, quem oratio habet à perſona orante, non minuitur in ſingulis, eo quod ad plures extendatur, quia dignitas Eccleſię eſt ſufficiens ad omnes, & non minuitur acceptabilitas (vt ſic dicam) interceſsionis eius apud Deum pro aliquo, eo quod pro pluribus intercedat. Si ergo quãuis aliquis officium Canonicũ ſemel dicat pro pluribus Eccleſijs, aut populis, prout neceſſarium fuerit ad ſoluenda debita plurium beneficiorum, pro omnibus ſufficienter ſatisfaciet. Et quamuis opinio illa incerta ſit quoad æqualem vim, quam tribuit orationi factæ ſpecialiter pro vno, vel factæ pro multis reſpectu ſingulorum, etiam in perſona Eccleſiæ, quia etiam ex hac parte eſt finiti valoris, vt attigi ſupra lib. 1. & in 3. tom. diſp. 79. ſect. 12. circa finem. Nihilominus præſenti inſtituto ſatis eſt, quod illa precatio pro multis, prout fit in perſona Eccleſiæ, eſt apud Deum magnæ efficaciæ pro ſingulis: nam hoc ſatis eſt ad ſatisfaciendum illi obligationi, quia non tenetur is, qui habet beneficium ita orare pro illis, quibus obligatur, vt perfectiſsimo modo, ſeu totaliter, (vt ſic dicam) totam Eccleſiæ auctoritatem ad impetrandum interponat, quia nulla eſt naturalis ratio huius obligationis, neque Eccleſia illam impoſuit, vt oſtenſum eſt.

10\. *Nauarri ſententia impugnatur, & eiuſdem rationes diluũtur, atque adeo difficultas propoſita enodatur.*

Ad rationes Nauarri iam fere reſponſum eſt ex dictis: quia licet in alijs caſibus poſsit quis teneri ad diſtinctas ſolutiones plurium debitorum, vel per plures res, vel per plures actiones, vt dicendo, vel audiendo bis Miſſam, quando vel ex verbis præcepti, vel ex natura talis materiæ id ſatis conſtiterit: nihilominus ſæpe etiam contingit, vt vna actione duplici obligationi ſatisfiat, vt eodem ieiunio, vel eadem Miſſa, vel eadem peregrinatione. Præſens ergo obligatio huius poſterioris generis eſt, vt alijs exemplis magis ſimilibus eſt declaratum. Solum eſt aduertendum, ſermonem eſſe de illo, qui legitime poſsidet duo beneficia, ita vt vtriuſque verum ius habeat, nam ſi vtrumque, vel alterum iniuſte, & indebite poſsideat, clarum eſt non poſſe recitando ſatisfacere pro illo, vel illis, quorum nõ eſt dominus, nec iuſtus poſſeſſor: quod verum eſt, etiamſi ſæpius in die recitet, quia deeſt illi fundamentum, vt poſſit facere fructus ſuos. Dicunt tamen Palud. & Maior, tunc quodam modo indirecte teneri ad plura officia, quia defraudat illis Deum, & Eccleſiam. Sed hæc obligatio immediatè ſolum eſt ad dimittendũ beneficium male poſſeſſum, & reſtituendum fructus, non vero ſpecialiter ad recitandum iterum ratione illius: vnde ſi ex ſuppoſitione, quod male retinet beneficia, obligetur ad recitandum vel vt vitet ſcandalum, vel vt Eccleſiæ in publico officio ſatisfaciat: tunc ſemel tantum recitando ſatisfaciet. *Palud. Maior.*

Qui ex duobus beneficijs alterum iniuſte poſſidet, nõ tenetur bis recitare.

Maiori ergo ratione idem dicendũ eſt de omni clerico, qui legitime vtrumque obtinet, ſiue quia talia ſunt vt iure communi non ſint incompatibilia, & ſine fraude, vel ſurreptione ſunt obtenta, ſiue quia ex legitima diſpẽſatione comparata fuerunt. Nam eo ipſo illi conceſſum eſt, vt ſemel recitando, fructus vtriuſque beneficij obtinere poſsit, dummodo ſi beneficia alia officia, vel ſeruitia poſtulant, illis, iuxta exigentiam eorum, per ſe, vel alios ſatisfaciat; nam hæc obligatio naturalis eſt, & ſuppoſita beneficiorum inſtitutione.

CAPVT XIX.

Vtrum beneficium obliget ad recitandum ex vi ſolius tituli, vel poſſeſsionem autem requirat.

1\. *1. Suppoſitio. Ius ad beneficium non ſufficit ad obligationẽ recitandi.*

QVoniam in beneficio inueniũtur & ius ad fructus, & fructus ipſi, declarãdum neceſſario eſt, an ius ſine fructibus, vel fructus ſine iure ad hanc obligationem ſufficiant. Primum in hoc capite: ſecundum in ſequenti expediemus. Ius autem beneficij acquiritur titulo, & quaſi conſummatur poſſeſſione. loquimur autem de iure in re, nam ius ad rẽ poteſt antecedere titulum per prouiſionem nondũ acceptatam, vel præſentationem, aut nominationẽ. Certum eſt autem hoc ius ad beneficium non ſuffĩcere ad obligationẽ recitandi, quia illud ius non eſt beneficium, neque qui illud habet, poteſt beneficiarius appellari. Atq; ita etiam eſt certum, ante acquiſitum titulum beneficij non oriri obligationem recitandi. In reliquis vero ſunt plura dubia, videlicet, an ſolus titulus ante poſſeſsionẽ obliget ad recitandum: item an ſaltem poſſeſsio ſufficiat ſine fructibus, & ſine ſpe illorum, vel an ſint neceſſarij fructus, & an illi debeãt eſſe ſufficientes, vel ſatis ſint exigui.

2\. *1. Sententia: titulum beneficij ſine actuali poſſeſsione obligare ad recitandum.*

In hac ergo materia variæ ſunt opiniones. Prima eſt, titulum ſolum beneficij ſine actuali poſſeſsione eius, imo etiamſi pro tunc haberi nõ poſsit, ſed violenter impediatur, ſufficere, vt aliquis teneatur ratione beneficij ad recitandum, dummodo habeatur moralis ſpes obtinendi poſſeſsionem. Ita tenet Nau. c. 7. de Orat. num. 28. & 29. vbi ait, prouiſum ad beneficium, priuſquam ſuum conſenſum præbeat, non teneri ad recitandum, quia nondum habet ius in beneficiũ, licet habeat aliquod ius ad illud, quatenus eſt ei debitum, iuxta ca. *Si tibi abſenti*, de Præbend. in 6. At verò ſtatim, ac præbet conſenſum, & ei facta eſt collatio, iam teneri ad recitandum etiam ante acceptam poſſeſsionem, quia iam habet ius in re, & dominium beneficij, & ex eo tempore ei debẽtur fructus: quamuis eos non ſit obtenturus, donec poſſeſsionem accipiat. Semper aũt Nauar. vltra titulum requirit expectationem moralem, non ſolum poſſeſsionis, ſed etiam fructuum reſpondentiũ illi tempori, in quo non habuit poſſeſsionem, ita vt ſi fructus illius temporis non ſperaret, non teneretur in illo recitare, in quo conuenit cum tertia ſententia ſtatim referenda. Ita declarat in dicto loco, & in Manuali c. 25. n. 103. & ſequent.

3\. *2. Sententia. Ad obligationẽ recitandi ex beneficio neceſſariam eſſe poſſeſsionem cum titulo. Paludan. Turrecr.*

Secunda ſententia eſt ad obligationem recitandi ex beneficio neceſſariam quidem eſſe poſſeſsionẽ cum titulo beneficij: hanc tamen ſufficere ſine fructibus, & ſine illa ſpe illorum, etiã pro illo tẽpore, ꝓ quo quis ad recitandum obligatur. Ita ſentire vidẽtur Paludan. in 4. diſt. 15. qu. 5. & Turrecr. diſtin. 91. in principio, quæſt. 14. De priori parte huius ſententiæ ſtatim dicemus. Ratio verò alterius partis eſſe videtur, quia Iura dicunt teneri ad recitandum qui habet beneficium: ſed qui titulum, & poſſeſsionem recepit verè, ac ſimpliciter habet beneficium, quia fructus, vel ſpes eorum non pertinent ad ſubſtantiam beneficij: vnde ille poteſt gaudere honoribus,

Digitized by Google

& priuilegijs clericorum habentium beneficium, & poterit habere ſedem in choro, & ſuffragium in Capitulo, ſi beneficium tale ſit, ergo ille tenetur ad recitandum, quia ius aliam conditionem non requirit, nec limitationem adhibet, & vbi Ius non diſtinguit, nos diſtinguere non debemus.

3 Sentent. Titulum, & beneficiũ non ſufficere ad obligationem recitandi pro eo tempore quo nec recipiuntur fructus, nec expectãtur.

Caiet. Soto. Armilla. Sylueſt.

4. Tertia ſententia eſt, titulum, & beneficium non ſufficere ad obligationem recitandi pro eo tempore, pro quo aliquis non accipit, neque expectat habere aliquos fructus, vel quia per Papam fuerunt alteri applicati, vel quia ex conſuetudine, vel alio titulo non debentur pro primo, vel ſecundo anno poſſeſſiones beneficij, vel quia ſeruire non poteſt, & cogitur ſeruire per alium cum congrua ſuſtentatione, vel per vim, & iniuſtitiam impeditur, ne illos accipiat ſine ſpe recuperandi. Ita Caiet. in Summa verbo *Hora*, Soto li. 10. de Iuſtitia, q. 5. arti. 3. Armilla verbo *Hora*, numer. 1. vbi inclinant etiam Sylueſter, & alij Summiſtæ. Fundamentum eſt, quia moraliter, & humano modo loquendo, ille perinde ſe habet pro eo tempore, ac ſi non haberet beneficium, cum ſtipendio illius non fruatur. Et confirmatur, quia cum dicitur beneficium dari propter officiũ, maximè intelligitur de beneficio quoad fructus, qui ſunt veluti ſtipendium propter officium, ergo cum dicitur beneficium obligare ad recitãdum, intelligi debet de beneficio fructuoſo. Nam qui altari deſeruit, ex illo debet viuere, ſeu participare 1. ad Corinth. 9. ergo qui de illo non participat, non obligatur recitare. Neque ab hac ſententia videtur diſſentire Medina quæſtio. 7. de Orat. nam licet affirmet, teneri ad recitandum eum, qui nullos fructus ex beneficio accipit, quia accipit illud cum pẽſione ſoluẽdi omnes fructus alteri, totum hoc fundat in voluntaria acceptatione cũ illo onere: vnde ſi inuitus id faceret, fortaſſe oppoſitum ſentiret, quia videtur ſequi per argumentum à contrario, quamuis ipſe diſtinctè hoc non declaret.

1. Corin. 9.

Medina.

Tenetur ad recitandum qui volens, ac ſciens beneficium accipit, cuius fructus recipiat alter. cõtra vero ſi per illum nõ ſtat.

Probatur 1. pars.

Ledeſm. Aragon. Cordub. Sylueſt.

Probatur 2. pars.

5. Atque hoc modo tenẽt eandem opinionem Ledeſma in 4. p. 2. q. 16. art. 4. dub. 5. Aragon. 22. quæſti. 83. arti. 12. & Corduba in Summa, quæſt. 186. & poteſt ſumi ex Sylueſtro verbo *Hora*, quæſtion. 2. diſt. 2. Et cum hac limitatione ſuadetur hæc ſententia: primo, quia in illo caſu re vera ille habet beneficiũ, & ius ad fructus: quod autem illos non lucretur, voluntate eius factum eſt, licèt de licentia Pontificis, ergo apud illum manet tota obligatio Diuini officij, quia nec Pontifex illam abſtulit, vt per ſe cõſtat, nec ipſe potuit à beneficio illam ſeparare ſua voluntate. Et confirmatur: nam tenetur cui reſeruatur penſio, non ex vi illius Canonicum officium dicere, vt infra videbimus, ergo neceſſe eſt, vt qui recipit beneficium, hanc etiam obligationem recipiat, non enim debet Eccleſia ſuo ſeruitio priuari. Confirmatur ſecundo: nam ille, qui hoc modo acceptauit beneficium, tenetur ad quodcunq; aliud ſeruitium debitum ex vi beneficij, etiamſi fructus non percipiat, ergo etiam tenebitur ad hoc ſeruitium recitandi horas. At verò ſi contingat, aliquem accipere beneficium illo modo non voluntate ſua, ſed iuſſu Pontificis, hi Auctores ſentiunt, in eo caſu non obligari, quia tunc nec per ſe, nec per alium recipit fructus, nec per illum ſtat, quominus eos recipiat, ſed per Pontificem, qui beneficium illo modo contulit. Et ita declarant hanc ſententiam expreſſe Aragon. & Ledeſma, atque ita in re nõ diſſentiunt à tertia opinione, ſed illam limitant, vt intelligatur, quando fructus inuoluntariè non percipiuntur. Quia limitatio, & per ſe eſt rationi conſentanea, & non eſt aliena à mente Auctorum primæ opinionis. Nam ipſi aſſerunt, tunc aliquem deobligari ab onere Diuini officij propter fructus non perceptos, quando per illum non ſtat, quominus illos recipiat: quoties autem voluntariè illis renunciauit expreſſe, vel tacite: per illum ſtat, quominus eos recipiat, ergo. Item, qui voluntarie ſuſcipit officium oneroſum, renuncians ſtipendio eius, obligatus manet ad ſatisfaciendum, & implendum officium, & multo magis, ſi conſentiat, vt ſtipendium detur alteri, pro quo ipſe vult laborare, ergo à fortiori tenebitur beneficiatus in dicto caſu ad dicendum officium, quia non tantum hoc modo ſe obligat, ſed etiam accipit in ſe ius perpetuum, quod aliquando poterit ſibi prodeſſe ad percipiendos fructus, vt ſi pẽſionarius moriatur.

Aragon. Ledeſm.

6. Præter has opiniones non inuenio, aliquem dixiſſe, ſolum titulum beneficij ſine ſpe poſſeſſionis, vel etiam cum ſpe illius, & ſine ſpe fructuum obligari ad recitandum. Ideoque hoc in primis ſupponimus tanquam fundamentum certum, quia nullo Iure, vel conſuetudine probari poteſt talis obligatio, & ideo cum ab Auctoribus non aſſeratur: nõ eſt facile imponenda. Et hic maxime habet locum illa ratio, quod ille potius nomine, quam re habet beneficium, & ideo non comprehẽditur ſub lege obligante habentes beneficium, quæ cum oneroſa ſit, reſtringenda potius eſt, quam extendenda. Et hoc etiam confirmat fundamentum tertiæ ſententiæ: & ex ſequenti aſſertione à fortiori confirmabitur. Sit ergo certum, vltra titulum requiri ſaltem probabilem, & moralem ſpem poſſeſſionis acquirendæ.

1. Suppoſitio. Vltra titulũ requiritur ſaltem probabilis, & moralis ſpes poſſeſſionis ad obligationem recitandi.

7. Vltra hoc vero dico primo: Beneficium non obligat ad recitandum officium ratione ſolius tituli ante acquiſitam poſſeſſionem, niſi per beneficiatum ſtet habere illam. Hæc aſſertio licet ſit incerta propter auctoritatem, & rationem Nauarri: nihilominus eſt probabilior, illam enim aperte ſupponunt Turrecr. & Paludan. ſupra, & Maior in 4. diſtin. 12. q. 6. ad 9. Docet ex profeſſo Flamminius lib. de Reſignatione beneficiorum, quæſt. 9. nu. 15. cuius ſententiam probabilem iudicat Azor. lib. 10. ca. 4. quæſtio. 7. Adducit autem Flamminius in huius ſententiæ fauorem eundem Nauarrum Conc. c. 17. de Celebratione Miſſarum: ſed immerito, quia ibi loquitur de eo, cui nondum erat collatum beneficium, nec habebat ius, ſeu titulum in re, ſed tantum ad rem, vnde potius ſentit, quod ſi facta eſſet collatio, obligaretur ille ad recitandum, & ita ibi confirmat, quod in alijs locis dixerat. Addit etiam ille Auctor, ita eſſe vſu receptum in Curia Romana de quo mihi non conſtat, ſi tamen id conſtiterit, pro lege ſufficiet, maximè cum nullum ſit Ius in cõtrarium, & hæc res maxime pendeat ex poſitiuo iure, vel conſuetudine. Nam ex ſola rei natura opinio Nauarri non ſufficienter probatur, primo quia in Iure non cenſetur quis perfectè, & quaſi conſummate habere beneficium, donec pacificam eius poſſeſſionem habeat, vel ſaltem per illum ſtet, quominus habeat, argumento capit. *licet Epiſcopus*, de Præbend. in 6. Secundo, quia licet quis habeat dominium (vt ita dicam) radicale, ſeu proprietatis beneficij à die collationis, nondum tamen habet dominium vtile (vt ſic dicam) & ideo non immerito poteſt non obligari ſtatim ad laborandum in vinea, donec vtilitatem ex illa accipiat, vel ad hoc habeat quaſi proximam poteſtatem. Neque ſatis eſt, quod poſtea ſit percepturus fructus illius temporis: tum quia hoc non eſt vniuerſale, vt patet in Canonicatibus, & alijs ſimilibus præbendis: tum maxime quia hæc ipſa ſpes eſt ſemper incerta, quantumuis probabilis ſit: ſæpe enim prouiſio fit, & acceptatur Romæ, & poſtea in Hiſpania Ver. Grat. mille impedimenta inueniuntur, quia vel alius intruſus eſt colorato titulo, vel alius prius impetrauerat. & ſimilia: ergo non debet quis obligari ad perſoluendum officij Canonici debitum, priuſquam perfecte ſit aſſecutus beneficium, & poſſeſſionem eius, tunc enim moraliter poteſt eſſe certus de fructibus, & non aliter.

1. Aſſertio. Beneficium non obligat ad recitandum officiũ ratione ſolius tituli ante acquiſitam poſſeſſionem.

Turrecr. Palud. Maior. Flammin. Azor.

1. Sent. Nauarri improbatur & eius fundamenta ſoluuntur.

8. Videtur ergo hæc opinio ſatis probabilis. Addi-

ta vero

Præcedens aſſertio limitanda eſt, dummodo per illum nõ ſtet poſſeſſionem non accipere.

ta vero eſt: illa reſtrictio, dummodo per aliquem non ſtet, quominus poſſeſſionem beneficij conſequatur: qui vel malitioſe moras prætendat, aut negligenter ſe gerat, non debet fraus, vel negligentia illi prodeſſe, neque Eccleſia priuanda eſt officio ſuo propter culpam beneficiati. At vero ſi moralem diligentiam adhibeat, rationabiliter excuſatur ab onere recitandi, donec poſſeſſionem accipiat. Quod ſi tunc inueniat aliquos fructus correſpondentes priori tempori, ex quo titulum accipit, id accidentarium eſt: nam ſæpe etiam contingere poteſt, vt nulli ſint, & nullum eſt inconueniens, quod pro illo tempore ſtipendium aliquantulum augeatur: nam interdum etiam contingit, vt ſucceſſori reſeruentur omnes fructus, non ſolum à tempore accepti tituli, ſed etiam à tempore vacationis beneficij, quo tempore futurus ſucceſſor recitare non tenebatur. Denique ſi debitum vſum, & inſtitutionem beneficij conſideremus, illud augmentum in cõmodum Eccleſiæ, & vſum pauperum maxima ex parte redũdare debet, & non eſt à ratione alienum, vt inde etiam poſſit iuuari beneficiatus ad maiores aliquas expenſas, quæ in initio ſuſcepti beneficij fieri ſolent.

9. *Qui per litẽ impeditur, ne poſſeſſionẽ accipiat beneficij cuius habet titulum, pro eo tempore ratione ſolius tituli nõ obligatur recitãdo. Nauar. ſententia in contrarium.*

Ex hac vero ſolutione à fortiori infertur, quoties aliquis recepto titulo, & acquiſito iure in beneficium per litem impeditur, ne poſſeſſionem accipiat, non teneri pro eo tempore ad recitandum ratione ſolius tituli. Patet ex illo principio, quod caret poſſeſſione, & per eum non ſtat. Et ita tenent Auctores proxime citati. Contrarium tamen tenet Nauarrus dicto capite 7. de Oratione numer. 28. dicens: habentem iuſtum titulum beneficij, ſi pro illo, eiuſque poſſeſſione litigat, & habita ſententia adepturus ſit fructus illius temporis, obligari ex vi tituli ad recitandum, *ſecundum omnes*, inquit *etiamſi non accepiſſet, neque accipere poſſet poſſeſſionem, quicquid præfati tanquam magis Theologi, quam Canoniſtæ ſenſerint*. Ipſe vero neminem in particulari pro ſua ſententia refert: ad illam tamen videtur acceſſiſſe Ledeſma in 4. p. 1. quæſtion. 16. art. 4. dub. 5. propoſ. 6. quamuis non explicet, an loquatur de illo, qui poſſeſſionem non habet. Præterea, quod me magis mouet, Nauarrus nullum ius, ſeu Decretum adducit, quod Theologum cogat, à Theologis diſſentire. Sed hac tantum ratione vtitur, quod *fructus recepti ſaltem poſt litis cõteſtationẽ actori debentur, ſi veniat, etiamſi contra poſſeſſorem ſupra proprietatem litiget tam in ſpiritualibus, quam in profanis*.

Ledeſm.

10. *Oſtenditur durante lite neminem ratione ſolius tituli teneri ad recitandũ contra ſentent. Nauarri.*

Verumtamen hæc ratio non cogit: nam, eſto, debeantur fructus, ſi vincat, multis tamen modis fieri poteſt, vt non vincat, etiamſi iuſtum titulum habere videatur, cur ergo in iſto dubio obligabitur quis ad recitandum, cum in Iure expreſſe cautum non ſit? Item huiuſmodi lites non tam ſolent eſſe diuturnæ, ac moroſæ, vt ſit valde conſuetum, & fortaſſe optimum conſilium, non obſtante iuſto titulo, compoſitionem facere cum intruſo, & relinquere illi fructus, quos accepit, vel magnam eorum partem, ergo illud debitum eſt valde incertum, & morale eſt, vt non perducatur ad effectum, ergo non eſt ſatis, vt ſtatim, ac ſine mora quis obligetur. Præterea, vel alius litigãs poſſidet beneficium, vel neuter poſſidet: ſi alius poſſidet, ille tenetur pro tunc recitare, quia tenetur ad totam adminiſtrationem beneficij, & quia neceſſe eſt, vt ſaltem habeat titulum coloratum, & actu fruitur beneficio, ratione poſſeſſionis, & actualis miniſterij, & ob illum exteriorem titulum, vt ſic dicam, ſeu ſpeciem veri tituli, ergo non eſt, cur pro eo tempore alter obligetur, quia omnino eſt ab adminiſtratione remotus, & quia non oportet, vt hoc peculiare onus duobus imponatur. Si vero neuter poſſidet, cur ille qui putat ſe habere iuſtum titulum obligandus eſt ad ſtatim recitandum, cum nihilominus res ſit dubia, & per illum non ſtet quominus litiget, vel careat beneficio, & labores multos, & expenſas peti prius debeat, quam beneficium pacifice poſſideat? Et profecto videretur potius obligandus ad recitandum is, qui iniuſtè litigat, & impedit alium, quia ille etiam iniurioſus eſt Eccleſiæ, quam priuat ſuo debito miniſtro, & ideo videtur obligandus, vt ſubeat onera, quibus poſſit aliquo modo Eccleſiæ incommodum recompenſare. Vel certe ſi vterque litigãs putat, ſe habere ius & bona conſcientia litigat, neceſſe eſt, vt cauſa ſit dubia, ideoque difficile videtur aut vtrumque obligare ad recitandum, cum beneficium non poſtulet duplex officium, neque tunc ſit diuiſum inter duos, aut obligare vnum potius, quam alterum, cum moraliter non appareat maior ratio, quando vterque inuincibiliter putat, vt ſupponimus, ſe habere ius. Neuter ergo videtur obligandus: & quod tunc Eccleſia patiatur, & careat illo ſeruitio, vel officio, eſt per accidens, nam tunc eſt beneficium quaſi vacans. Eſt ergo hæc pars ſatis probabilis, ſuppoſita probabilitate prioris fundamenti, quod pacifica poſſeſſio requiratur ad obligationem recitandi titulo beneficij.

Confirmatur 1.

CAPVT XX.

An iuſte poſſidens beneficium, & non recipiens fructus excuſetur, vel obligetur recitare.

1. *1. Aſſertio. Poſt titulũ & pacificã poſſeſſionem beneficij ſtatim quis tenetur recitare, licet ſtatim fructus nõ percipiat dummodo ſperet percipere.*

DIco primo: poſt titulum, & pacificam poſſeſſionem beneficij, ſtatim quis tenetur recitare, quamuis fructus beneficij non ſtatim accipiat, ſi habet moralem ſpem certam obtinendi illos. Ita docent Nauarrus, Turrecremata, Paludanus, Gorduba, Syluester, ac Medina locis citatis, & Toletus libro ſecundo ſuæ Inſtructionis, capite 14. in fine, quamuis ille etiam de non habente poſſeſſionem loqui videtur. Tamen poſt acceptam poſſeſſionem fere omnes Doctores videntur in hoc conuenire, & probari poteſt ex Iure: nã ille tenetur ad recitãdum, qui habet beneficium, ſed ille iam perfecte, & complete habet, quandoquidem & eſt dominus, & poſſideat, ergo tenetur ad recitandum, nam Iura obligant habentem beneficium. Deinde, ad hanc obligationem non eſt neceſſaria anticipata perceptio fructuum: alias niſi quis cum poſſeſſione beneficij inueniat fructus, quos ſtatim accipiat, non obligabitur ſtatim ad recitandum, quod ridiculum eſt: ſufficit ergo expectatio fructuum beneficij iam poſſeſſi. Quod autem hæc expectatio breuior, vel longior futura ſit, non poteſt variare obligationem, cum nullus terminus certi temporis in hoc ſit Iure præſcriptus, nec ratione poſſit deſignari. Satis ergo eſt, quod expectatio ſit moraliter certa, licet executio moras aliquas, vel difficultates habeat. Tandem, ille, qui ſic poſſidet beneficium, habet adminiſtrationem eius, & tenetur ad alia onera beneficij, ergo etiam ad hoc onus recitandi. Immò ſi beneficio inſeruiat, vt poteſt, vix poteſt non habere aliquod emolumentum, vel diſtributionum, vel oblationum, quæ ad altare fiunt, vel aliud ſimile pro qualitate beneficij: hoc autem per ſe ſatis eſt ad obligationem recitandi.

Nauar. Turrecr. Paludan. Cordub. Syluest. Medina. Toletus.

Cõfirmatur.

2. *2. Aſſertio. Qui beneficiũ, & adminiſtrationẽ eius acceptat cum onere ſoluendi alteri omnes fructus in penſ.*

Dico ſecundo: Qui beneficium, & adminiſtrationem eius acceptat, & recipit cum onere ſoluendi alteri omnes fructus in penſionem, licet integre illos ſoluat, non liberatur ab obligatione recitandi horas Canonicas ratione talis beneficij. Hæc aſſertio in ordine ad externã praxim (vt ita dicam) videri põt nõ multum referre, quia ſi beneficiati eſſe ſolent clerici in ſacris: & ita ſi non recitent non excuſabũtur à culpa mortali, & ſemper excuſabuntur ab obligatione reſtituendi cum fructus non percipiãt. Nihi-

ſionem, licet integre ſoluat, adhuc obligatur ad recitandũ ratione illam.

Nihilominus tamen & erit grauior culpa, ſi vtroq; titulo ordinis, & beneficij tenẽtur, & ſæpe poterunt non eſſe clerici in ſacris, præſertim in Canonicatibus, & alijs ſimilibus præbendis, & tunc ex ſola obligatione beneficij pendebit tota ratio culpæ. Probatur ergo aſſertio primo in ordinario modo obtinendi hæc beneficia per voluntarium conſenſum, nam qui ſic recipit beneficium voluntariè, & quaſi ex pacto obligatur ad illius beneficij adminiſtrationem, & cedit iuri ſuo quoad fructus in fauorem alterius, ergo tenetur integrè adminiſtrare beneficium ergo & recitare: nam hæc eſt vna ex potiſsimis partibus illius adminiſtrationis. Patet conſequentia, quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, & quia vnuſquiſque tenetur implere pacta, & promiſſa, & quia neque Papa ſic conferens beneficium, intendit auferre illi hoc onus, neque ipſe poteſt ſua ſe voluntate liberare, cum ſit intrinſecum ipſi beneficio.

3. *Probatur aſſertio. Cõfirmatur eadem aſſertio.*

Et confirmatur primo, quia ſicut fructus beneficij dantur propter officium recitandi, ita etiam dãtur propter officium miniſtrandi Sacramenta, ſi ſit beneficium curatum, vel propter aſsiſtentiam in choro, ſi ſit Canonicatus, & ſic de alijs, ſed non obſtante penſione omnium fructuum, ille tenetur ad cætera munia beneficij, & ad reſidendum, ergo eadem ratione tenebitur ad recitandum. Confirmatur ſecundo, quia penſionarius poſtquam omnino reliquit beneficium, nõ tenetur ad officium Canonicum recitandum, vt infra dicemus, ergo oportet, vt qui accipit beneficium, illam obligationem in ſe recipiat, alioqui & Diuinus cultus notabiliter minueretur, & Eccleſia debito officio, & ſuffragio priuaretur, quod eſt contra iuſtitiam, & Religionem: Confirmatur tertio, quia huiuſmodi beneficiatus tenetur ad aſsiſtendum in choro ſi ſit Canonicus, vel ſi ſeruitium in choro ſit quocumque modo annexum beneficio, ergo iuxta regulam ſupra poſitã tenebitur etiam recitare officium, ſi choro non ſatisfaciat. Tandem quamuis penſio omnium fructuum reſeruetur, nunquam priuatur beneficiatus aliquo emolumento, vel diſtributionum chori, ſi in illo ſit præbendatus, vel oblationum ad altare, ſi ſit parochus, vel alicuius recompenſationis ſui ſeruitij, ſi illud exhibeat, quia hoc iure nunquam priuatur propter penſionem omnium fructuum, quæ ſemper intelligitur, deductis neceſſarijs oneribus, & expenſis Eccleſiæ, ergo hoc ſatis eſt ad obligationem recitandi, ſuppoſito beneficio.

4. *Limitatio Ledeſma & Aragonis minime neceſſaria iudicatur.*

Ex quo infero non eſſe neceſſariam limitationẽ, quam Ledeſma, & Aragon. poſuerunt, à qua Nauarrus non omnino diſſentit, nimirum vt hoc procedat, quãdo acceptatio talis beneficij cum illa fructuum reſeruatione eſt voluntaria, non vero quando eſt à Papa iniuncta ex obedientia. Dico enim etiam tunc teneri beneficiatum ad recitandum, quia nunquam ita obligatur ad fructus alteri tradendos, quin ſaltem quotidianas diſtributiones, vel aliquid in ſuſtentationem recipere poſsit, & debeat, ſi inſeruiat, quod ſatis eſt, vt ad recitãdum obligetur. Nam ſi ſeruire noluerit, & ideo nihil acceperit, iam non ex neceſsitate, ſed ex voluntate caret ſtipendio, ideoque tenetur nihilominus recitare, cum beneficiũ retineat, & poſsideat. Neque admitto caſum, in quo Pontifex præcipiat recipere beneficium cum adminiſtratione, & ſeruitio eius ſine vllo ſubſidio, tẽporali ſeruitio accommodato, & abſque voluntario conſenſu recipientis, nam tale præceptum eſſet contra naturalem æquitatem, niſi ipſe Pontifex aliunde de ſtipendio conuenienti illi prouideret, vel ex proprijs bonis, vel ex alio beneficio ſimplici, aut penſione, aut alio modo ſimili. Et tunc clarum eſt intentionem Põtificis eſſe obligare illum ad totam adminiſtrationem beneficij, ſub qua etiam recitatio horarum comprehenditur.

5. *Ille cui ita reſignatum eſt beneficiũ vt ſolo titulo gaudeat alio reſeruãte fructus, & adminiſtrationem non tenetur ex eo recitare.*

Magis ergo neceſſaria limitatio in hoc caſu adhibetur per illam particulam, quam in aſſertione poſuimus: *Beneficium, & adminiſtrationem eius*: nam ſi aliquis habens beneficium, illud reſignat in alterum ex conſenſu Papæ, reſeruando ſibi omnes fructus cum adminiſtratione beneficij, & alteri nudum titulum, ſeu beneficium tribuendo, tunc re vera obligatio recitãdi manet apud penſionarium, & beneficiatus protunc non obligatur; vt recte docuit Nauarrus in Manuali capit. 25. nume 104. & dicto cap. 7. de Oratione numer. 28. & ſequentibus. Et Corduba ſupra Caſu 186. & Toletus dicto ca. 14. in vltimis verbis. Et ratio eſt iam tacta, quia obligatio manet apud penſionarium, ergo non eſt, cur transferatur in beneficiatum. Item, quia beneficiatus ille non poteſt deſeruire, etiamſi velit ſine conſenſu penſionarij, & conſequenter non poteſt aliquam ſuſtentationem ex beneficio accipere, cur ergo debet tunc ad recitandum obligari? Itaque renunciatio illa videtur eſſe quaſi ius ſuccedendi in obligatione beneficij, & fructibus eius, tamen quia hoc ius non datur, niſi transferendo beneficium ipſum in ſucceſſorem, ideo acquirit quidem ſtatim ius in re quoad beneficium ipſum, ſeu proprietatem eius, non verò ſuſcipit onera beneficij, ſicut nec emolumentum vllum, & ideo pro tunc non obligatur ad recitandum. Alius verò, qui beneficio renunciauit, retenta penſione, & adminiſtratione, non ratione penſionis ſecundum ſe ſpectatæ, vt argumentum ſupra factum probat, ſed ratione adminiſtrationis, ad quam manet obligatus, horas Canonicas dicere tenetur, pars enim illius adminiſtrationis eſt officij Canonici recitatio.

6. *4. Aſſertio. Poſſidens in pace beneficium, cuius fructus 1. & 2. anno non recipit, idq; ex iuſta conſuetudine, tenetur ſeruire, & recitare.*

Dico tertio: Habens, & pacifice poſsidens beneficium, cuius fructum non recipit primo, vel ſecundo anno ex præſcripta, & iuſta conſuetudine, ſicut tenetur beneficio inſeruire, ita etiam tenetur illo tẽpore recitare, in quo fructus non recipit. Hanc aſſertionem docere videtur Nauar. ca. 7. de Orat. nu. 30. quia tamen in ea non omnino perſiſtit, nec proprium ſenſum, & fundamentum declarat, vt intelligatur, ſuppono, varijs modis poſſe hunc caſum cõtingere, quatenus ex varijs cauſis poteſt introduci priuatio fructuum pro illo tempore, quæ videntur ad quatuor reduci. Vna eſt, vt illi fructus Epiſcopo, v.g. vel ſimili Prælato reſeruentur, & ita augeantur redditus eius. Secunda, vt illi fructus inter alios capitulares diſtribuantur, & cedant in augmentum ſtipendij eorum. Tertia, vt ipſimet beneficiato poſt mortem eius reſeruentur, vt vel poſsit teſtari de illis, vel eius funeri, animæ, aut etiam hæredibus inſeruiant. Quarta, vt illi fructus applicentur alicui operi pio, vt Hoſpitali v.g. aut cuipiam ſimili.

7. *Extrauagãs Ioan. 22. fauens abrogata eſt per conſuetudinem.*

Secundo ſciendum eſt per Extrauag. *Suſcepti* Ioan. 22. quæ eſt ſecunda de electione, & per aliam, vnicam, ne ſede vacante, inter communes, prohibitum eſſe, ne in aliquo iſtorum caſuum priuetur beneficiatus pro illo tempore omnibus fructibus beneficij ſed ad ſummum dimidiã partẽ eorũ. Quod ſi illa conſtitutio ſeruaretur, non eſſet neceſſaria cõcluſio poſita, nam eſt euidens, illud fore ſufficiens ad obligationem recitandi. Verumtamen illa non ſeruatur, ſed per contrariam conſuetudinem abrogata eſt, & omnibus illis modis ſolent beneficiati priuari penitus fructibus illius temporis, etiamſi beneficio inſeruiant. Ait autem Nauar. has conſuetudines iterum reprobatas eſſe per Pium V. in quadã Extrauag. *Durum* (ita enim legendum eſt, non *Dudum*, vt per errorem Typographi legitur in noſtro Nauarro) eſtque conſtitutio centeſima ſexta Pij V. in Bullario Romano. *Sed quia aliquot Eccleſiæ* (ait Nauar.) *non receperunt eam* (ſcilicet Pij conſtitutionem) *nec volunt recipere, credo, quod nouus Canonicus excuſaretur a recitando, etiãſi iure deberentur illi dimidiati fructus, quia cum non poſſet eos ſine impẽſa fructibus maiore,*

Nauar.

& lite

& lite moleſtiſſima contra ſuam Eccleſiam exigere, ſatis videtur non poſſe eos recipere. Verumtamen conſtitutio Pij V. non eſt facta ad renouandam Extrauagãtem Ioannis 22. ſed ſolum ad tuendum, & denuo ſtatuendum Decretum Concilij Tridentini ſeſsion. 24. cap. 14. In quo non in vniuerſum reprobantur illæ conſuetudines, ſed illæ tantum, quæ videntur ſpeciem aliquam Simoniæ continere, vt ſunt illæ, *quibus obſeruatur, vt in electione, præſentatione, &c. vel admiſſione ad poſſeſſionem, &c. certæ conditiones, ſeu deductiones & fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationeſue illicitæ, &c. interponãtur.* Quas Concilium vocat, *Simoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habentes,* & ideo quomodo permittendæ non ſint, ibi ſtatuit, & illud ſtatutum tantum confirmauit, & auxit Pius V. vt ex tenore conſtitutionis eius conſtat.

Ioan. 22. — Conc. Trid. — Pius V.

Conſuetudo vt accipiat Epiſcopus fructus alieni beneficij 1. vel 2. annis per Trid. & Pium V. reprobata eſt, ſi tamen alicubi vigeret dummodo diſtributiones Canonicus accipiat, tenetur ſeruire & recitare. Conc. Trid.

7. Ex his ergo deſcendendo ad quatuor modos cõſuetudinũ ſupra numeratos, prima, in qua fructus alieni beneficij Epiſcopus pro aliquo tempore accipit, reprobata eſt per Concilium Tridentinum, & Pium V. tanquam Simonica, vel irrationabilis & ita declaratum ſæpius inuenio à Congregatione Cardinalium. In quibus etiam declaratur, non poſſe tales fructus exigi pro vſu fabricæ, vel ſeruitio ſacriſtiæ, nec pro ſoluendis debitis antiquis Eccleſiæ, etiam factis pro reparatione, & melioratione bonorum. Adde in his caſibus non ſolum eſſe prohibitũ, priuare beneficiatum omnibus fructibus alicuius anni, ſed etiam parte eorum, vt ex Motu Pij V. conſtat. An vero contraria cõſuetudo poſsit honeſtari, tractaui ſupra tract. 3. li. 4. ca. 48. & ſane vix poteſt, maximè quoad omnes fructus. Nihilominus tamen ſi de facto alicubi retinetur illa conſuetudo, & nouus Canonicus priuatur primo anno omnibus fructibus, admittitur tamen ad chorum cum ſuis diſtributionibus: illud ſatis eſt, vt obligetur ad recitandum, etiamſi moraliter non poſsit, nec habeat ſpem obtinendi fructus. Quia beneficium cũ emolumento diſtributionum ſufficit ad obligationem recitandi ex omnium ſententia: nam ille recipiẽdo diſtributiones, tenetur officio Canonico adeſſe in choro, ergo & recitare, ſi per illum ſtet, quominus eas habeat per voluntariam abſentiam. Si verò etiam diſtributionibus iniuſtè priuaretur, & nihilominus cogeretur reſidere, & inſeruire, vt tranſacto anno poſſet incipere fructibus beneficij gaudere, tunc valde probabile videtur per ſe non obligari ad recitandum ex vi beneficij, & ideo in aſſertione tantum locutus ſum de conſuetudine iuſta: & ratio illius ſententiæ eſt, quia tunc per quandam moralem violentiam priuatur omni fructu, & ſubſidio ſui beneficij. Et nihilominus etiam in eo caſu hoc mihi incertum eſt, ſed de hoc generaliter inferius dicam.

Conſuetudo accipiendi cæteros Capitulares fructus 1. vel 2. annis Canonicos intrantis reprobata eſt per Trid. & Pium, aliquis tamen modo poteſt obligari ad recitandum propter contrariam cõſuetudinẽ.

8. In ſecundo caſu, in quo fructus diſtribuuntur inter alios Canonicos, ſeu beneficiatos, cenſeo, eodem modo eſſe reprobatas ſimiles conſuetudines per Concilium Tridentinum, & Pium V. Nam huiuſmodi conſuetudo videtur comprehendi ſub illis, quę ibi dicuntur *Turnorum lucra.* Vnde Pius V. expreſſe etiam prohibet *hanc applicationem fructuum fieri menſe capitulari, ſeu inter alios Canonicos, & perſonas Eccleſiæ ſeu capituli diuidi.* De qua lege, & conſuetudine contraria etiam dixi, in dict. c. 48. vbi autem contraria conſuetudo retinetur, idẽ dicẽdum eſt, quod in primo caſu, nam eſt eadem ratio. Et addi hic poteſt peculiaris conſideratio. Nam licet in præſenti tempore nouus Canonicus ſentiat incommodum carẽtiæ fructuum pro illo anno, tamẽ poſtea ſentit commodum ex fructibus modernorum Canonicorum poſt ipſum intrantium, nam admittetur ad partem eorum, quod commodum non ſentit in priori caſu, quãdo fructus applicantur mẽſi Epiſcopali. Ratione ergo huius commodi obligabitur ad recitandum ſtatim, quia licet differatur ſolutio, non omnino aufertur. Sed in hac etiam cõſideratione diſcretione opus eſt, duobus enim modis poteſt retineri illa cõſuetudo: primo, vt ſemper ſit iniqua, & conſequenter exactio iniuſta, ita vt retineri non poſsint, quę ex vi illius accipiuntur, iuxta Motum Pij V. Et tũc tale commodum expectatum non obligabit ad recitandum, quia re vera nullum eſt, nec retineri poteſt, nec Eccleſia vult illud donare, ergo multo minus vult ratione illius ad recitandum obligare. Quin potius obligat talem Canonicum, ne in futurum aliquid recipiat de fructibus intrantium, & ad reſtituendum, quicquid ſic receperit, quia non poteſt ab alijs denuo veniẽtibus recuperare quod ab antiquioribus per vim ſibi ſublatum eſt. Ergo in eo caſu iudicium ferri debet, ac ſi nullum lucrum expectaretur, ſicut in præcedenti puncto. At vero ſi alicubi eſſet illa conſuetudo ſufficienter præſcripta, vt honeſta (non eſt enim improbabile id accidere, vel tolerari poſſe) tunc optime procederet dicta conſideratio, quia tunc iuſta eſſet expectatio futuri emolumenti, & habere poſſet rationem ſufficientis ſtipendij, ſuppoſito titulo, & poſſeſſione, & alijs honoribus, ſeu commodis Canonicatus, vt ſunt habere ſedem in choro, ſuffragium in Capitulo, & certum gradum, & locum honoris in Eccleſia.

Conſuetudo reſeruandi fructus 1. vel 2. anni beneficij ipſi beneficiato poſt mortem vt poſſit teſtari de illis, non eſt reprobata per Conc. atque adeo tenetur tunc temporis recitare.

9. In tertio caſu cenſeo conſuetudinem nõ eſſe reprobatam per illa Iura, & tali conſuetudine ſuppoſita, euidentem eſſe concluſionem poſitam, quod tunc teneatur Canonicus recitare. Priorem partem probo, quia nec in Concilio Tridentino, neque in motu Pij V. inueniuntur verba, quibus illa conſuetudo, vel ſimile ſtatutum reprobetur, & ideo leges illæ ad illam extendendæ non ſunt. Maximè quia nec ſimilitudo rationis intercedit. Quia in tali conſuetudine nullum eſt veſtigium Simoniæ, aut turpis auaritiæ, cum nec Epiſcopus neque alii Canonici aliquid inde lucrentur. Atque ita inuenio declaratum in dicta Congregatione Romana his verbis: *Neque hoc decreto nec Bulla Pij V. ſuper hac eadem re edita prohibentur ſtatuta Eccleſiarum deſeruiendi per annũ, vel aliquod tempus, nihil percipiendi interim de maſſa groſſa, niſi peracto integro ſeruitio, idque poſt obitum hæredibus deberi, cum ſit potius differre, quam auferre.* Et ex his verbis probatur apertè altera pars. Quia ſi illa eſt dilatio & non ablatio, ergo ex tunc acquiritur ius ad illos fructus beneficij, ergo per ſeruitium officij, in quo ſeruitio maximè comprehenditur horarum recitatio, ergo ſtatim vrget obligatio illas recitandi. Secundo quia illa conſuetudo non debet, nec poteſt priuare diſtributionibus, vt indicatur aperte in illa declaratione, ibi. *Et nihil percipere inde de maſſa groſſa:* nam in hac maſſa non includuntur diſtributiones, & ideo ſupponitur, quod ſtatutum (& idem eſt de conſuetudine) vt ſit iuſtum, non debet comprehendere diſtributiones, quæ ad obligationem recitandi ſufficiunt, vt ſæpe dictum eſt. Verumtamen ſi alicubi contingeret, etiam diſtributiones negari iure, vel iniuria: nihilominus prior ratio de iure acquiſito ad fructus poſtea recipiendos, omnino ſufficit ad obligationem recitandi, vt oſtenſum eſt: præſertim quia illa dilatio non multum refert, & ſæpe cedit in maius commodum temporale, & ſpirituale ipſius beneficiati. Aduerto tandem in illa declaratione aperte ſupponi, Extrauagantem Ioannis 22. quoad hanc partem obligare, ſed vel abrogatam eſſe, vel omnino nõ fuiſſe receptam, alias non poſſet ſtatutum priuatæ Eccleſiæ contra illam præualere, & idem animaduerti poterit ex ſequenti puncto. *Ioan. 22.*

Conſuetudo applicandi fructus beneficij 1. vel ſe-

10. Quartus itẽ modus reprobatus non eſt per Concilium Tridentinum, nec Pium V. ſed potius in Concilio apertè excipitur in illis verbis: *Sancta ſynodus mãdat Epiſcopis, vt quæcunq; huiuſmodi in vſus pios*

non

cundi anni alicui operi pio non eſt reprobata per Trident. atque adeo beneficiatus tenetur tūc temporis recitare, dum modo diſtributiones capiat.

non conuertuntur, &c. Pius autem V. expreſſe illam approbat: moderatur tamen eam his verbis: *Et nihilominus ſtatuimus, vt vbicumque huiuſmodi fructus, & diſtributiones fabricæ, vel ſacriſtiæ, aut alterius pij loci vſibus vltra ſemeſtre tempus reperiuntur conceſſi, horum duntaxat dimidia pars ipſi ſacriſtiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati prædicti integram percipiant.* Vbi ergo fuerit hæc conſtitutio hoc modo ſeruata, clara eſt etiam obligatio: nam quotieſcumque recipiunt dimidiam partem fructuum, ſatis eſt ad obligationem, vt per ſe conſtat. Vnde fit, vt licet ſex primis menſibus nihil accipiāt, nihilominus tunc recitare teneantur, quia ſequentibus ſex menſibus percipient integros fructus dimidij anni, & ita pro toto illo primo anno recipient ſaltem dimidiam partem maſſæ groſſæ illius anni vltra diſtributiones, tunc ergo dubitari non poteſt de obligatione. Poteſt autem contingere, vt non obſtantibus illis verbis Pij V. alicubi præſcriptum ſit, vt pro anno integro, vel longiori tempore omnes fructus applicati ſint aliquod opus pium, ita vt honeſtè, & iuſtè id iam fiat: tunc ergo etiam procedit concluſio poſita, nimirum, vt tali conſuetudine honeſta non obſtante, teneatur nouus Canonicus etiam illo primo anno recitare.

11\. *Probatur tradita doctrina.*

Probatur autem in hunc modum, quia per illam conſuetudinem non eſt factum, vt officium pro illo beneficio debitum minuatur, ſed potius eſt factum, vt illud idem onus, & officium imponeretur beneficio cum illo minori lucro, atque adeo vt futuri fructus poſteriorum annorum acceptentur ex tunc, & expectentur, vt ſufficiens ſtipendium totius temporis, & ſeruitij beneficij à primo die poſſeſsionis eius, ſed ille, qui accipit tale beneficium, voluntariè illud acceptat, ergo ad totum illud onus obligatur. Conſequentia eſt euidens, & Minor ex facto ipſo, vt nota ſupponitur. Maior autem probatur primo, quia hi præbendati tenentur illo tempore ad aſsiſtendum, vel canendum in choro, & ad ſatisfaciendum aliis functionibus ſuæ præbendæ, ergo ſignum eſt non fuiſſe diminutam obligationem officij quoad alia munia, ergo neque quoad recitationem horarum. Patet conſequentia, tum quia nō eſt hoc officium peioris conditionis, cum ſit præcipuum, tum etiam quia qui ratione beneficii, & ex vi ſui muneris tenetur adeſſe, ſeu canere in choro, à fortiori tenetur priuatim recitare horas, quando in choro non explet obligationem ſuam.

Cōfirmatio.

Et confirmatur, quia non eſt veriſimile, cōſuetudinem illam introductam eſſe cum diminutione Diuini cultus: ſic enim neque pia, neque rationabilis æſtimanda eſſet, ergo potius introducta eſt cum diminutione ſtipendii, & cum aliquo onere ipſius beneficij. Neque in hoc eſt aliqua iniuſtitia, nam futuri fructus ſolent eſſe adeo copioſi, vt ad ſatisfaciendum oneri totius illius temporis ſufficiant. Quod autem exigatur officium quaſi anticipatum pro aliquo tempore ante ſolutionem ſtipendii, cum à principio ſit quaſi voluntaria pactio, non continet iniuriam. Eo vel maximè quod nunquam iſti præbendati ita priuatur fructibus pro illo tempore, quin ſaltem diſtributiones quotidianas accipiant, quæ ſola ſufficiunt ad obligationem recitandi, vt infra dicemus. Quod ſiquis per voluntariam, vel neceſſariam abſentiam, illas amittat, accidentarium eſt, nec propterea excuſabitur ab obligatione recitandi. Ita ergo veluti inductione facta conſtat, quoties ratione iuſtæ conſuetudinis priuatur quis omnibus fructibus ſui beneficii pro aliquo tempore, non propterea excuſari ab obligatione recitandi horas Canonicas. Si autem in eo caſu quis priuaretur etiam diſtributionibus horarum, certe videtur conſuetudo iniuſta, & ideo dubitari poteſt, an tunc admitti poſſit excuſatio, de quo ſtatum generaliter dicemus.

Dico quarto, quando quis non recipit fructum ex quo beneficio ſua voluntate, vel culpa, non propterea excuſatur ab onere recitandi. In hac aſſertione non diſſentiunt Auctores citati: & ratio generalis eſt, quia non debet Eccleſia priuari ſuo ſeruitio propter voluntatem, vel iniquitatem miniſtri. 12

5. Aſſertio. Quādo quis non recipit fructum ex ſuo beneficio voluntariè tamen non propterea excuſatur ab onere recitandi.

In particulari vero poteſt declarari, nam tribus fere modis poteſt hoc contingere. Primo quia beneficiatus cedit fructibus, vt pater, nepos, aut amicus, vel creditor illis fruatur, & tūc non poteſt dici non recipere fructus, quia licet per ſe non recipiat, recipit per alium, & ideo clarum eſt teneri ad omnia onera beneficii. Secundo contingere poteſt ex volūtate ipſius beneficiati, quia non poteſt obtinere fructus, niſi reſideat, ſeu ſeruiat, & non vult inſeruire, nec reſidere: tunc enim ſibi imputet, quia per ipſum ſtat, quominus fructus recipiat. Nam ſupra dicebamus cum communi ſententia, quod ſi per beneficiatum, qui iam habet verum titulum, ſtet, quominus poſſeſsionem etiam habeat, nihilominus tenetur ratione tituli recitare, ergo multo magis, qui iam pacificè poſsidet, obligabitur, etiamſi fructus non recipiat, quia per eum ſtat. Et hac ratione excommunicatus ſuſpenſus à beneficio, vel alius ſimilis, qui ſua culpa non facit fructus ſuos ad recitandum tenetur, vt diximus in tom. 5. de Cenſuris. diſp. 12. ſect. 2. num. 13 & ſequen. & diſp. 26. ſect. 2. in principio.

Tertio, poteſt contingere, vt beneficiatus non fruatur fructibus ex incapacitate perſonæ ad inſeruiendum beneficio. Cōtingit enim alicui ex indulgentia, ſeu diſpenſatione dari beneficium in ea ætate, vel carentia literaturæ, aut ſimili defectu, ratione cuius ineptus eſt ad ſeruiendum, in quo caſu cogitur Vicarium ponere, qui ſeruiat, dando illi, ſi neceſſe ſit omnes fructus beneficii, (vt ſi ſit tenue, & omnes ſint neceſſarii ad congruam ſuſtentationem Vicarii.) Tunc ergo dominus beneficii recitare nihilominus tenetur, niſi in hoc etiam ſit ſpecialiter diſpēſatus, vel niſi ad hoc etiam ſit omnino ineptus, quia fortaſſe non peruenit ad vſum rationis, quod neceſſe eſt à diſpenſante non ignorari, vt diſpenſatio valida ſit, & ita tunc etiam toleratur ille defectus ratione diſpenſationis, & cenſetur tota adminiſtratio beneficii, etiam quoad recitationem horarum, commiſſa Vicario beneficii. Secluſa verò diſpenſatione ſpeciali, obligatio recitandi ſemper manet apud beneficiatum. Ratio eſt, quia hæc obligatio recitandi perſonalis eſt, & ideo per ipſum beneficiatum impleri debet, nam intrinſece, & per ſe oritur ex ipſo beneficio. Et impedimentum fructuum in illo caſu non oritur aliunde, quam ex conditione ipſius habentis beneficium, ſed ſibi debet illud imputare: nam voluntarie ſuſcepit beneficium cum illa ineptitudine, idenque non poteſt exonerari intrinſeco debito beneficii, quod per ſe poteſt ſoluere, & debet. 13.

Tribus modis poteſt contingere voluntaria priuatio fructuum.

Eo vel maxime, quod licet tunc non fruatur fructibus beneficii, expectat aliquando frui, quando ablato impedimento, poſsit per ſe ipſum inſeruire, & illa ſpes cum titulo, & honore beneficii eſt ſufficiens recompenſatio oneris recitandi. Immò licet fingamus caſum, in quo etiam illa ſpes deſit, quia impedimentum eſt perpetuum (quamuis non videatur moraliter contingere, vt vel talis diſpenſatio detur, vel quod velit aliquis onerari beneficio, ex quo nunquam fructum ſperat) illo tamen caſu poſito, non credo illum accipere beneficium ſine onere recitandi, propter principalem rationem factam, quod hæc obligatio eſt per ſe annexa beneficio, & ſola voluntas ſic accipientis beneficium non poteſt illam ſeparare. Præterquam quod, qui in tali caſu beneficium acceptat, aliquod commodū inuenit, vel in honore beneficii, vel in priuilegiis eius, vel in aliqua alia eius qualitate, & ideo mirum non eſt, quod 14.

Titulus beneficij, & onus, ſimul cum ſpe fructuum, ſatis obligant ad recitādum.

eſt, quod aliquod etiam onus ſentire debeat, ergo maxime onus recitandi quod eſt quaſi primum, & fundamentum aliorum. Ex quibus à fortiori colligitur nunquam excuſari beneficiatum ab onere recitandi, eo quod per alium ſeruiat in omnibus alijs actionibus, & oneribus beneficij, quantumuis licite id faciat, vel ex diſpenſatione, vel ex conſuetudine præſcripta, vel ex ipſa inſtitutione ſimplicis beneficij. Quia obligatio recitandi perſonalis eſt, vt ex Eccleſiæ conſuetudine, & Iuribus citatis colligitur, ſicut obligatio audiendi Miſſam perſonalis eſt, nec poteſt per alium impleri, & hæc eſt communis ſententia Theologorum locis citatis, & Canoniſtarum in c. 1. de Celebrat. Miſſar. præſertim Ioannis Andreæ, Innocentij, & Panormitani, licet alij contrarium ſenſerint, quorum ſententiam dixit Syluester ſupra quæſt. 2. forte veram eſſe, quando nullam vtilitatem ex beneficio quis accipit, quod Angel. & aliqui Thomiſtæ ſequuntur, ſed etiam in eo caſu oppoſitum oſtẽdimus eſſe verius, quod tenet Turrecrem. capit. *Eleutherius*, diſtinct. 91. q. 6. & alij.

14. 5. *Aſſertio. Clericus ſi vi, & iniuſte priuatur fructibus beneficij, non ideo ſemper excuſatur ab onere recitandi, aliquando maxime. Probatur 2. pars.*

Dico quinto: Licet Clericus habens beneficium per potentiam, coactionem vel iniuſtitiam priuetur fructibus beneficij, non propterea ſemper excuſatur iuſte ab onere recitandi, quamuis in aliquo caſu probabiliter id poſsit ſuſtineri. Hæc aſſertio quoad primam partem difficultatem non habet, quoties is, qui aliquo tempore priuatur fructibus beneficij, quod poſsidet, ſperat aliquando illos recuperare, vt omnes fatentur, vel quia quod differtur, non aufertur, vel quia illa ſpes pretio æſtimabilis eſt, vel certe quia ipſum beneficium pacifice poſſeſſum eſt ſufficiens ratio obligãdi, & ideo non debet priuari ſuo ſeruitio ſaltem in caſu dubio de futuro euentu fructuum, quia in dubio melior eſt conditio ipſius beneficij, ſeu Eccleſiæ, inuenitur autem tale dubium: quoties manet illa ſpes. Difficultas ergo eſt, quando quis priuatur fructibus ſine vlla ſpe illos recuperandi, nam in eo caſu Nauar. Caiet. So. Ledeſ. Corduba, & fere omnes indiſtincte docere videntur, illum non teneri, ad recitandũ ex vi beneficij, quãdo fructus nõ percipit, quorum opinionẽ ſiquis ſequi velit in praxi, tutus erit.

Caiet. Corduba.

15. *Cõfirmatur magis obligatio recitandi. Syluest. Medina.*

Videtur tamen mihi probabile, quod ſi ablatio fructuum non eſt perpetua, ſed pro aliquo tempore, etiamſi ſit violenta, & iniuſta, & ſine ſpe recuperationis, non ſufficiat ad excuſationẽ recitandi, quod videntur ſentire Syluest. & Med. ſup. Probatur primo, quia ſi per furtum, vel rapinam priuetur beneficiatus fructibus, nõ eſt propterea excuſandus ab adminiſtratione beneficij, neq; ab adminiſtrandis Sacramentis, ſi ſit curatus, ergo neq; ab onere recitandi, quod non minus eſt per ſe coniunctum beneficio. Secundo, ponamus per caſum fortuitum, vel ſterilitatem tẽporum, beneficiũ aliquo, vel aliquibus annis nullos reddere fructus, nũquid propterea excuſandus eſt beneficiatus ne recitare teneatur? Non videtur profecto æqua conditio, nam ſi cõtingat, vberiores, vel duplo maiores eſſe fructus vnius anni, nõ propterea maius onus ſuſcipit. Qui ergo beneficium ſemel acceptat, ſicut illud facit ſibi proprium, & ratione illius habet ius ad omnes fructus beneficij, quotquot illi fuerint, ita etiã recipit in ſe onera beneficij tanquam propria & ſimiliter ſuſcipit pericula ſaltẽ ordinaria, & moralia, vt interdum fructus vel minuantur, vel auferãtur: & cum illis periculis obligat ſe ad onera beneficij. Et hoc videtur iuſtiſsimum pactũ, quod tacite interuenit inter beneficiatum, & Eccleſiam, ergo licet pro aliquo tempore iniuſte priuetur, fructibus, non ſtatim poteſt licite officium ſuum deſerere, & conſequenter neq; horas Canon. omittere: eo vel maxime, quod fortaſſe prioribus annis tot redditus accepit, qui poſſent ſufficere pro iuſto ſtipendio plurium annorum, & in futuro tempore alios ſimiles annos expectat, ergo moraliter omnia cõputando ſufficiunt illi fructus pro iuſto ſtipendio totius illius temporis continui, etiam demptis illis, qui pro aliquibus annis per vim auferuntur. Vnde conſiderando ius ad fructus, quod per beneficium datur, videtur ſufficiens ratio obligandi ad continuũ officium, & ſeruitium, etiamſi huiuſmodi infortunia interdum accidant.

16. *Probatur 2. pars ſecundum quam aliquando deobligatur, à recitando.*

At vero ſiquis ita priuetur fructibus, vt illa priuatio ſit quaſi perpetua ſpoliatio beneficij, quia nõ ſperat amplius poſſe aliquod emolumentum ex beneficio capere, tunc videtur probabile, non teneri amplius onere recitãdi ratione talis beneficij, quia tunc perinde ſe habet moraliter ac ſi ſtipendium non haberet: nam quod ad vſum attinet, videtur quaſi ablata facultas percipiendi fructus ex tali beneficio. Et hoc maxime videtur accidere inter hæreticos occupantes bona Eccleſiæ, & redditus beneficiorum. Et propter hos, & ſimiles caſus addidi vltimam partem, ſeu limitationem aſſertionis poſitæ: nam in illis maxime videtur procedere communis ſententia dicens, eum, qui omnino priuatur fructibus, non obligari ad recitandum ratione ſolius beneficij: & ita tandem videtur illam limitare Palud. in 4. diſt. 15. q. 5. n. 13. quem ſequitur Turrecrem. diſtiſt. 91. in principio q. 14. *Palud. Turrecr.*

CAPVT XXI.

V. habens beneficium tenue ad horas Canonicas recitandas teneatur.

1\. *1. Sententia Aſſerens tenuitatem beneficij deobligare à recitando.*

HOc dubium ex dictis naſcitur: nam ex illis videtur ſequi pars negans, quia onus recitandi non ſequitur ex beneficio niſi cum ordine ad fructus, vnde ſi beneficium nullos haberet fructus, talem obligationem inducere nõ poſſet (quanquã illud nec proprie beneficiũ dici poſſet) ſed in moralibus parum quaſi nihil reputatur, ergo tam tenues poſſunt eſſe fructus, vt beneficium non magis obliget, quam ſi nihil redderet. Et cõfirmatur hæc pars: nam iuſtitia poſtulat, vt qui non accipit iuſtũ ſtipendium, non teneatur laborare: ſed fructus tenuiſsimi non ſunt ſtipendium conditionum clerici. Quod declaratur ex illo: *Qui altari deſeruit, ex altari viuere debet*: nam clericus non poteſt viuere tenuiſsimis fructibus, ergo neque ad ſeruiendum, ſeu recitandum obligandus eſt. Atque hanc ſententiam tenuit Soto lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. quam ſequitur Arag. 2. 2. q. 83. art. 12. qui ait, recentiores Theologos communiter ſequi hanc opinionem, idẽ fere Emmanuel Rodriguez in Sum. Cap. 140. n. 3. Qui Auctores addunt, beneficium tenue iu Iure pro nõ beneficio reputari ex cap. *Is cui*, de Præb. in 6. vbi dicitur, eum, qui ex Apoſtolico indulto poteſt vni perſonæ de idoneo beneficio prouidere, non poſſe quidem illud conferre *Habẽti beneficiũ ſufficiens*. Per quod ſignificatur, poſſe illud dare habenti beneficium tenue, vt Gloſſa ibi notat: ſignũ eſt ergo beneficiũ tenue pro nõ beneficio reputari. *Soto. Arag. Eman. Roder. C. Is cui. Gloſſa.*

2\. *Quale exiſtimandum eſt beneficiũ tenue.*

Si autem in hac opinione quæratur, quod dicendum ſit beneficium tenue quoad hũc effectum non obligandi ad recitandum: quidam extendunt ad omne beneficium inſufficiens ad vitam clerici ſuſtentandam. Sed hoc non dixit Soto, nec eſt practice probabile: alias redditus triginta, vel quadraginta aureorum nõ ſufficerent ad hanc obligationem, quod admittere valde perniciosum eſſet. Itẽ non eſt id conſentaneum rationi: nam pẽſum horarum Canonicarum non eſt adeo graue, neque tam magnam diei partem occupat, vt ſit dignum integra ſuſtentatione perſonæ, imo nec pro maiori parte eius. Vnde Soto ad ſummum ſuam opinionem extendit ad quantitatem decem aureorum, Aragon. vero dicit, relinquẽdum eſſe prudenti arbitrio, *Soto. Aragon.*

Digitized by Google

bitrio, videtur tamen requirere, vt obliget, quod adiuuet *Bonæ parti ſuſtentationis clerici*, loquitur. Bona autem pars dici nō poteſt, niſi tertia, vel ad ſummum quarta, quæ hodie exiſtimari non poteſt minor triginta aureorum, etiam reſpectu clerici infimæ conditionis. Et hæc notari poteſt vt prima difficultas huius opinionis, quia ſine lege facit exceptionem à lege, & talem exceptionem, quæ cum ſit interminata, relinquenda eſt prudentis arbitrio, & ita aperitur via ad derogandū grauiter legi, & paulatim extenuandum grauiter obligationem eius.

3.
2. Sent. aſſerens ex beneficio quãuis leui oriri obligationem recitandi.
Gloſ in c. Clericus.
Hoſtienſ.
Ioan Andr.
Panor.
Turrecr.
Couar.
Albert.
Nauar.
Sylueſt.
Roſella.
Tabien.
Armilla.
Anton.
Graſſis.
Medina.
Ledeſma.
Toletus.
Azor.
Palud.

Eſt ergo ſecunda ſententia, quæ ſimpliciter affirmat, ex beneficio quantumuis tenui oriri obligationem recitādi. Hæc eſt communis opinio Canoniſtarum cum Gloſſa in c. *clericus*, 1. d. 91. ſequuntur Hoſtienſ. Ioan. Andr. Panor. & alij in cap. primo, de Celebrat. Miſſarum, & alij in Clement 1. eodem titulo, & in dicto cap. *Clericus*, & Turrecr. in principio d. 91. q. 6. Nauar. in c. 7. de Orat. n. 27. & cap. 11. n. 11. Couar. lib. 3. Variar. cap. 13. n. 8. §. *Duodecimo*, qui alios refert, Albertus de Ferrariis in tractatu de Horis Canonicis quæſtion. 8. n. 10. Hoſt. in Summ. titul. de Conſecr. Eccleſ. §. *A quibus*, verſ. Dic ſecundum Goffredius, Tolet. li. 2. Inſtruction, cap. 14. n. 4. Azor. libr. 10. cap. 3. qu. 3. Valentia 3. to. diſput. 6. q. 2. puncto 10. §. 7. Summiſtę, verbo *Hora*, Syluest. q. 2. Roſella num. 1. Tabiena n. 1. Armilla n. etiam 1. Antonin. 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 1. Graſſis lib. 2. ſuarum Deciſionum cap. 49. num. 28. Item tenet Medina q. 7. de Orat. & Ledeſma 1. part. 4. quæſt. 16. art. 4. dub. 5. prop. 4. dicens, eſſe communem ſententiam Doctorum, & ponens exemplum, ſi ſolum reddat, quatuor, aut quinq; aureos: & idem ſumitur ex Paludano in 4. d. 15. quæſt. 5. Alij vero hoc non attigerunt, vnde inter Theologos, qui ſcripta ſua typis mandarunt, non poteſt dici prior ſententia communis.

4.
Beneficium quātumuis tenue verū reputatur beneficium.
C. Is, cui.
Gloſſa.
Archid.
Cap. Collatio, &c.

Vt fundetur hæc ſententia, ſupponendum eſt, beneficium, quantumuis tenue verum beneficium eſſe, & vt tale abſolute, & ſimpliciter in Iure reputari. Hoc aperte ſupponunt Auctores huius ſententiæ, & colligitur ex eodem capit. *Is, cui*, quod in contrarium citatur, & ex eodem verbo *Beneficium ſufficiens*, ideo enim addit *ſufficiens*, quia ſi abſolute dixiſſet *beneficium*, etiam ſufficiens, & tenue comprehenderet, vt ibi Gloſſa ſignificauit, vbi Archid. idem dicit. Et addit, ei, qui habet inſufficiens beneficium, poſſe conferri aliud ex vi illius indulti, dummodo in collatione faciat mentionem de primo, iuxta caput *Collatio*, de Offic. legati in 6. vbi ſolum dicitur, vt collatio ſecundi beneficij teneat, oportere mentionem facere, *De alio beneficio* ergo ſub hac voce etiam beneficium tenue in Iure comprehenditur. Ratione etiam patet, quia beneficium quantumuis tenue confert verum ſpirituale ius, quod eſt principale in beneficio, ergo licet acceſſorium ſit tenue, eſt ſimpliciter verum beneficium. Vnde ſufficiet ad fruendum omnibus priuilegiis, quæ conceduntur Clerico minorum ordinum habenti Eccleſiaſticum beneficium. Dicet aliquis, Auctores prioris ſententię non negare quoad ſubſtantiam illud eſſe, & reputari verum beneficium, quoad obligandum vero ad penſum orandi horas Canonicas pro beneficio non reputari. At profecto in hoc ſenſu non recte fundatur illa ſententia in hoc principio, quia ſolum eſt repetitio aſſertionis illius ſententiæ: quod enim tale beneficium ad illum effectum non reputetur beneficium: nō habetur in Iure, nec ex dicto capit. *Is, cui*, colligitur, neque etiam habetur ex communi exiſtimatione prudentum: nam omnes Auctores ſecundæ opinionis reputant illud vt beneficium, etiam in ordine ad hunc effectum, qui ergo non reputant, ſolū ſunt Auctores prioris ſentētiæ, dum ergo pro fundamento ſuæ aſſertionis aſſerunt illam æſtimationem, ſeu reputationem, nihil aliud aſſerunt, quam iudicium, & opinionem ſuam. Loqui ergo debemus de illo beneficio quoad eſſe ſimpliciter beneficij, & quoad modum, quo ſub tali voce in Iure comprehenditur, quoties de beneficio ſermo eſt.

Probatur 2. ſententia ratione.
Obiectio ſuboritur.
Reſolutio ipſius.
C. Is cui.

5.
Concluditur eadem ſent. ex cap. vlt. de Reſcript. in 6.
Conc. Later.

Ex hoc ergo fundamento ſubinferimus, quando Ius dicit, *Beneficium dari propter officium*, capit. vltim. de Reſcrip. in 6. non ſolum loqui de beneficio ſufficiente, ſed etiam de tenui, quia indiſtincte loquitur, & vox illa omnia beneficia comprehendit. Sicut etiam quando aliquis in Iure ſuſpenditur ab officio, & beneficio, non minus ſuſpenditur à beneficio tenui quam à pingui, & ſic de aliis. Cum ergo in Concil. Later. ſub Leone 10. & communi ſenſu Eccleſiæ declaratum ſit, officium propter quod datur beneficium, primo, ac per ſe eſſe officium recitandi horas Canonicas, plane concluditur, etiam beneficium tenue dari propter hoc officium, ac ſubinde qui tale beneficium acceptat, ad illud officium obligari.

6.
Reſponſio ad citat. ca. pro 1. ſent.
Reſponſio datæ impugnatur pro ſecunda.
Ca. Clericus victum.
Gloſſa.

Reſponderi poteſt iuxta primam ſententiam, omne beneficium dari propter officium, tamen ſeruata iuſtitiæ æquitate, quæ poſtulat, vt non exigatur graue officium, cui datur leue beneficium, & ideo licet tenue beneficium detur propter officiū, non tamen vt ſtatim, vel vt ex vi illius ſolius beneficij totum officium dicatur, ſed vt Clericus per tale beneficium aliquo modo Eccleſiæ ſeruitio incipiat deputari, & cum primum obtēto alio, competentes fructus habuerit, officium ſuum expleat, interim vero ſatis videri, ſi aliquid ſuo arbitrio ſpecialiter oret, vel ad ſummum aliquam partem horarum dicat. Sed contra hoc inſtatur, quia vbi voluntarium pactum interuenit, non eſt iniuſtitia, quia ſcienti, & volenti nō fit iniuria, ſed in præſenti inter Clericum, & Eccleſiam tacitum pactum interuenit, nam lex ab Eccleſia declarata eſt, ſe nolle dare alicui beneficium, niſi ea conditione, vt ad totum officium Canonicum obligetur, qui autem recipit beneficium, voluntarie acceptat conditionem, ergo obligatus manet, & nulla ei fit iniuria, ſibi enim imputet, ſi tantum onus cum tam parua remuneratione acceptauit. Et in hac ratione, & voluntaria acceptatione magnam vim faciunt Auctores huius ſententiæ. Eamque confirmāt exemplis: nam qui ſciens, & volens acceptat vxorem pauperem, tam obligatus manet ad munera matrimonij, ac ſi diuitem accepiſſet. Et miles, qui declarata conditione acceptauit militiam cum paruo ſtipendio, militare obligatur, ergo ſimiliter in pręſenti. Maxime quia in ipſo iure Canonico videtur ita declarata hæc conditio: nam in cap. *Clericus victum* diſtin. 91. de Clerico paupere dicitur, *Vt artificiolo, vel agricultura victum, & veſtitum ſibi paret abſque officij ſui detrimento.* In quo textu aperte ſupponitur, teneri Clericum ad officium ſuum, etiamſi non poſsit ex beneficio victum, & veſtitum habere, quod beneficium neceſſe eſt eſſe valde tenue. Verum eſt, poſſe textum illum exponi de Clerico, qui ratione ordinationis ſacrę tenetur officium dicere, etiam ſi nullam ſuſtētationem ab Eccleſia habeat: Gloſſa vero, & omnes id intelligunt de officio Eccleſiæ debito ratione beneficij, & textus ipſe generaliter loquitur, & in capit. *Presbyter* eiuſdem diſt. quod eſt primum extra Celebrat. Miſſar. idem indicatur.

7.
Expenditur hæc 2. ſent. neque in eius ea quieſcit animus. Ius 1. non videtur æqua, & iuſta conditio, ſed quædam morali ſcan. ſtio.

Adhuc vero non quieſcit animus in hac doctrina. Primo, quia hic non eſt conſiderandum, quod beneficiarius acceptans beneficium tenue, non patiatur iniuriam, quia ſciens, & volens admittit conditionem, ſed conſiderandum eſt, an res ipſa æqua, & iuſta ſit? quia non eſt credendum, Eccleſiam imponere onera vltra naturalem æquitatem, ſi ergo ſecundum ſe non eſt æqualitas inter illud ſtipendiū, & hoc onus, nō eſt veriſimile, Eccleſiam velle

obligare

obligare ad tale onus, etiamſi alius voluntarie acceptet beneficium. Eo vel maxime quod videretur ibi eſſe quædam moralis coactio reſpectu pauperum Clericorum, vel ſcholaſticorum, qui cum vix poſsint aliter viuere, coguntur ſimilia beneficia acceptare. Et tunc duriſsimum eſſet, inęqualem conditionē eis imponere, vt ſi Rex nollet promittere miniſtris ſuis, vel militibus, niſi viliſsima, & inſufficientia ſtipendia, quia ſcit, non defuturos, qui illa acceptent: vel ſi pater familias cum famulis pauperibus ita paciſcatur, in quo caſu multi ſentiunt, non teneri famulum ad ſeruandum integre pactum, ſed poſſe vel ex ſuis operibus aliquid ſubtrahere in ſuam vtilitatem, vel bonis Domini, vt potuerit ſuſtentari. Nec ſatisfaciet, qui dixerit, non eſſe hanc æqualitatem ita neceſſariam inter ſpirituale miniſterium, & ſtipendium materiale, ſicut inter mercedem, & laborem corporalem: nam licet non intercedat idem modus iuſtitiæ, vel contractus, quia non eſt hæc poſterior propria cōmutatio vnius rei pro alia, ſicut eſt prior: nihilominus ſecundum ſuum modum poſtulat proportionem, ſeu æquitatem, quatenus is, qui ſeruit, ſuſtentatione indiget. Vnde ſi ſacerdoti, vt ſacrificium pro me offerat nimis paruam eleemoſynam tribuam, iniuſte ago, neque ille tenebitur integra obligatione, vt ſic dicam, ſed poterit vno ſacrificio pro pluribus eleemoſynis talibus ſatisfacere, ſic ergo in præſenti ſeruanda eſt æquitas, nec ſufficit voluntaria acceptatio, ſi in re eſt inæqualitas, tum quia non eſt veriſimile, Eccleſiam talem inæqualitatem velle, nec conſenſum in illam exigere, tum etiam quia videtur interuenire quædam moralis coactio, vt declaratum eſt.

8\. *2. Sequitur ex 2 ſent. nō teneri ad idem onus recitādi, qui pingue accepit beneficium, quod poſtea factū eſt tenue.*

Deinde eſt alia difficultas in illa reſponſione, quia ſequitur, eum, qui ſufficiens beneficium acceptauit, quia cum illo habebat congruam ſuſtentationem, ſi poſtea beneficium fiat tenue in perpetuum, non teneri ad idem onus recitandi, quia ille non acceptauit voluntarie beneficium tenue, ergo ratione voluntariæ acceptationis non obligatur, ſi res ipſa ſecundum ſe non eſt ſufficiens ad obligandum. Neque quoad hoc eſt ſimile de Matrimonio cum ſponſa diuite, quæ poſtea fit pauper, quia dos, vel diuitię accidentaria ſunt in Matrimonio, neq; obligatio ad onera ei' ex illis per ſe naſcitur, at vero in præſenti fructus, ſeu ſtipēdium cenſentur pertinere ad intrinſecam rationem huius obligationis. Et ideo non deſunt, qui hoc argumento coacti diſtinguendum putent inter beneficium, quod receptum eſt pingue, & factum tenue diſcurſu temporis, vel quod iam erat tenue, quando receptum eſt. Et de primo fatentur deſinere obligare, poſtquam factum eſt tenue: de ſecundo vero aiunt obligare propter voluntariam acceptationem. Sed hoc certe non dicitur conſequenter: nam ſi primum beneficium factum tenue deſinit obligare, ideo eſt, quia fructus competentes ſunt per ſe, & intrinſece neceſſarij ad hanc obligationem, ergo in quolibet beneficio erunt neceſſarij, ergo etiam ſi à principio tale ſit beneficium, ex ſe non eſt inductiuum obligationis, ergo nec propter acceptationem voluntariam, illam inducet; quia cenſetur acceptari iuxta exigentiam ſuæ conditionis. Vnde alij potius cenſent contrario modo de illis duobus membris, nam qui beneficium pingue accepit, ſe in perpetuum obligauit ad onera talis beneficij, & ſicut eo ipſo acquiſiuit ius ad quodcumque augmētum fructuum, ſine augmento onerum, ita aſſumpſit etiam periculum ſuſtinendi quamcumque diminutionem fructuum, ſine diminutione obligationum, nam hoc poſtulat æquitatis ratio. Et ideo licet beneficium fiat tenue, imo licet nullos fructus reddat (ait Turrecr. dicta quæſt. 6. & 14.) ſemper recitare tenebitur. At vero

Aliorum diſtinctio, & modificatio pro 2. ſententia impugnatur tamen.

Aliter alii opinatur de obligatione tenuis benef.

Turrecr.

quādo beneficium à principio receptum eſt tenue, homo non obligatur ex vi illius, neque ibi habet locum illa conſideratio vel compenſatio ſpei, & periculi, ſed eſt certa ſufficientia redditūum: & ideo ceſſat ibi ratio obligationis. Vnde maxime confirmari videtur opinio Soti, iuxta opinionem valde probabilem Caietani, & aliorum, qui dicunt, quando ex beneficio non percipiuntur fructus, neque aliquando recuperandi ſperantur, non obligari ad recitationem. Tum quia locum habet eadem proportionalis ratio, quando fructus ſunt tam tenues, vt pro nihilo moraliter reputentur, nec poſsint prudenter iudicari iuſtum ſtipēdium: tum etiam, quia iuxta illam opinionem neceſſarium eſt adhibere diſtinctionem aliquam, vel limitationem in lege dicente dari beneficium propter hoc officium: oportet enim intelligi de beneficio cum redditibus, ergo poterit etiam addi, vt intelligatur de beneficio cum redditibus commodis ſeu habentibus moralem proportionem cum tali onere.

Sotus. Caietan.

9\. *Vnica aſſer. 1. Sent. quæ ob tenuitatem beneficii obligationē tollit recitādi ſpeculatiue conſiderata probabilis eſt. 2. regulariter in praxi ſeruāda.*

Quocirca ſi vim rationis expendamus, non poteſt negari, quin prior ſententia recte applicatā ad beneficium vere tenue probabilis valde ſit, ſpeculatiue conſiderata: exiſtimo tamen vix poſſe ad praxim applicari, ſeruata illa ratione æquitatis, & iuſtitiæ, quam illa ſententia conſiderat; & ideo in praxi regulariter eſſe ſeruandam ſententiam communem. Hoc vt declarem, aduerto, duplex eſſe poſſe beneficium, vnum adeo ſimplex, vt ad nullum ſeruitium obliget, præterquam ad recitandum officium Canonicum: aliud, quod habet ſeruitium annexum in aliqua Eccleſia. De priori cenſeo non poſſe moraliter habere tam tenues fructus, quin obliget ad recitandum. Ratio eſt, quia cum nullum aliud ſeruitium poſtulet, & non detur niſi propter aliquod officium, neceſſe eſt, vt ſaltem propter horas detur: at vero ſolum onus horarum non eſt adeo graue, vt per tenues fructus compenſari non poſſit, etiamſi rigoroſam æquitatem inter ſtipendium, & laborem conſiderare velimus. Nam ex recitatione ſolum occupatur clericus per horam temporis, & paulo amplius per totum diem, & non prohibetur, neque impeditur, quin aliquo modo honeſto neceſſaria corpori quærat, ergo etiamſi beneficium tantum octo, vel decem aureos reddat, ſufficient pro illo paruo onere. Eo vel maxime, quod præter hoc ſtipēdium, habet Clericus ratione talis beneficij multa alia commoda honoris, exemptionis, & aliorum priuilegiorum: ergo in omni rigore æquitatis poteſt ita obligari. Vnde cum Iura indiſtincte loquantur, & ratio æquitatis non cogat ad diſtinctionem faciendam in hoc caſu, nullo modo facienda eſt.

Beneficium ſimplex licet tenue obligat ad recitandum.

10\. *Non ſimplex moraliter nunquam poteſt eſſe tenue ſi habet aliquid per modum groſſæ.*

De beneficio autem habente aliud ſeruitium annexum adhuc ſubdiſtinguendum videtur. Aliquādo enim eſt tale, vt licet quis actu nec per ſe, nec per alium, inſeruiat, & ideo amittat certas diſtributiones, nihilominus fructus aliquos ex beneficio accipit per modum groſſæ. Et eiuſdem rationis cenſendum eſt, quando neceſſarium eſt ſeruire ſaltem per alium, qui diſtributionibus fruitur, proprietario autem ſeruatur aliqua pars quaſi groſſæ, licet tenuis. Et in his caſibus non eſt dubium, quin beneficiarius teneatur recitare: tum quia quoad illam partem, quam reportat, illud eſt tāquam beneficium omnino ſimplex, & nullum habens ſeruitium: tum maxime quia per illum beneficiarium ſtat, quominus habeat vberiores fructus. Vnde vix contingere poteſt, vt detur beneficium ſpeciale ſeruitium requirens, vt ſeruiatur in illo, tā paruos reddat fructus & diſtributiones, aut ex oblationibus altaris, aut ex aliis emolumentis, vt poſsit ſimpliciter tenue reputari, ita vt non ſufficiat ſaltem ad tertiam partem ſuſtentationis, ſi autem hāc conferat,

Digitized by Google

conferat, dubitari non poteſt de obligatione recitandi. Et propterea dixi moraliter loquendo non poſſe opinionem Soti ad praxim applicari, quia omnia beneficia, vel ſunt ſimplicia, vel ſeruientia, & in prioribus non ſufficit tenuitas, in poſterioribus vero tanta non inuenitur.

11\. *Beneficia obligantia ad alia Eccleſiæ munia, ſi ad 4. partem ſuſtentationis non ſufficiant, probabile eſt non obligare ad recitandum.*

Poſſunt vero excogitari beneficia obligantia ad alia ſeruitia Eccleſiæ, quæ ſint tam tenuia, vt licet quis integre illis inſeruiat, & accipiat omnes diſtributiones, & quicquid emolumenti ad illa pertinet, adhuc non ſufficiant, ad ſuſtentationem perſonæ, etiam quoad tertiam, vel quartam partem, & ſiqua ſunt huiuſmodi cenſeo valde probabile, & ſecurum non obligare ad recitandum, quia iuſte reputari poſſunt nõ eſſe beneficia data pro illo munere, ſed tantum pro alio ſeruitio, vnde reſpectu recitationis ſe habent tanquam beneficia non habentia vllos redditus: & ideo mirum nõ eſt, quod ſub generali lege non comprehẽdantur. Atque hoc probabilius fiet ex his, quæ dicemus de reſtitutione fructuum in iis, qui non recitant. Nec video, quomodo poſsit in eo caſu imponi obligatio, niſi dicẽdo, in obligatione recitandi propter beneficium nullam haberi conſiderationem fructuum, ſed ſolius tituli, & ad ſummum poſſeſsionis. Et quidem non dubito, quin potuerit Eccleſia, ſeruata omni æquitate, ita hoc inſtituere, & præcipere. Sicut obligationem recitandi coniunxit cum ordine ſacro, etiamſi nullum emolumentum temporale ſecum afferat per ſe loquendo. Ita enim per beneficium peculiari modo quaſi ſacratur perſona, & magis Eccleſiaſtica efficitur, ita vt in priuilegiis, & multis aliis æquiparetur Clerico in ſacris, & ideo iuſte etiam potuiſſet Eccleſię ſimiliter coniungere obligationem recitandi cum beneficio, nulla habita conſideratione fructuum. Verumtamen non creditur ita fuiſſe, iuxta doctrinam magis receptam, & ideo ſi tenues fructus beneficij alteri ſeruitio æquiſsime correſpõdent, merito cenſetur non eſſe tale beneficium ad recitandum datum, & fortaſſe Auctores ſecundæ opinionis hoc non negarent. Extra hunc vero caſum eorum ſententiam ſeruandam eſſe, etiam in praxi cenſemus.

12\. Vnde facile expeditur nouum dubium nobis propoſitum, ſiquis habeat plura beneficia ita tenuia, vt nullum per ſe ſufficiat obligare iuxta opinionem Soti, omnia vero ſimul reddant competentes fructus, an obligetur ad recitandum? Reſpõdeo enim, omnino obligari, quod in omni ſententia cenſeo eſſe indubitatum, nam de poſteriori, & noſtra per ſe patet: de priori probatur. Tum quia ille habet ab Eccleſia ſtipendium ſufficiens titulo beneficij, vel beneficiorum, hæc enim differentia impertinens eſt: nec minuit, ſed potius quodammodo auget obligationem. Tum etiam, quia licet tenue beneficium per ſe non obligat, iuxta illam ſententiam, inchoat ſaltem obligationem, & ad aliquam orationem, vel partem horarum obligat, vt ſupra dicebam, ergo ſi plura beneficia compleãt ſufficiens ſtipendium, integre obligabunt.

CAPVT XXII.

V. Clericus habens redditus ab Eccleſia ſine beneficio, teneatur horas Canonicas recitare.

1\. *Proponitur ſtatus quæſtionis.*

Diximus de beneficio Eccleſiaſtico, prout ſeparari poteſt à fructibus, nunc è conuerſo dicendum eſt de fructibus, quando ſeparantur à beneficio: & ius ad percipiendos illos alicui confertur. In qua re facillime fertur iudicium, quando ſufficienter conſtat ius illud, quod ad fructus datur, non eſſe beneficium: plura vero dubia in hac materia naſcuntur, quia incertum, vel obſcurum eſt, an illud conſtituat veram rationem beneficij.

2\. *1. Aſſertio. Quando fructus beneficij dantur propter actionem externam per modum ſtipendij, non obligant ad officium Diuinum recitare.*

Itaque primo certum eſt, quotieſ fructus beneficij alicui etiam clerico dãtur per modum ſtipendij propter actionem temporalem, illum non obligari ad dicendum officium Diuinum. Ita docent omnes Doctores in hac materia. Palud. dicta q. 5. n. 12. Turrecr. d. 91. in principio q. 5. Syluest. verb. *Hora* q. 2. & reliqui. Exempla ſunt de illo, qui ad docendam Theologiam V. G. conducitur: nam etiamſi integram præbendam Canonicæ accipiat, ſi non ſit Canonicus, non tenetur recitare, quia beneficium non habet, ſecus vero eſt, ſi beneficium ipſum accipiat cum onere legendi, iuxta capit. 1. de Magiſtris: ponunt etiam dicti Auctores exemplum in Matriculariis, id eſt, qui redditus habent in Eccleſia, vt pulſent campanas, vel ſimilia officia faciunt. Item in ſacriſta, qui ſine peculiari beneficio propter illud miniſterium ſuos habet redditus. Ratio horum, & ſimilium eſt, quia lex Eccleſiaſtica ſolum obligat habẽtes beneficium, & quia iſti habent ſua peculiaria officia, vel ſeruitia, pro quibus accipiunt proportionata ſtipendia: item regulariter quaſi per accidens eſt, quod ſint clerici: nam poſſent, actiones illæ per laicos fieri, & interdum fiunt.

Paludan. Turrecr. Syluest. probatur exemplis.

3\. *2. Aſſertio. Qui habent ex fructibus Eccleſiæ portionem titulo laicis communi, non tenentur ad offic. recitandum.*

Hinc ſecundo certum eſt, eos, qui habent ab Eccleſia penſionem, ſeu portionem ex fructibus Eccleſiæ, non vt clerici, ſed aliquo titulo communi laicis, non teneri ad dicendum officium, vt qui per modum ſimplicis eleemoſynæ habent certam portionem in aliquo Monaſterio ad vitæ ſuſtentationem, etiamſi pro tota vita conſignatam habeant: nam illa non eſt beneficium, ſed tẽporale quid: nam etiam pretio emi potuiſſet. Idem eſt de penſione data à Papa alicui laico per modum gratitudinis propter ſeruitia parentum in Eccleſię vtilitatem, vel aliquid ſimile. Ratio eſt, quia licet ille habeat aliquod ius ad redditus Eccleſiæ, illud ius non eſt beneficium, quia non datur propter aliquod miniſterium ſacrum. Et hoc à fortiori probari poteſt ex Motu proprio Pij. V. ſtatim tractãdo.

Pius V.

4\. *Quædã penſiones quæ videntur dari titulo clericali non obligant ad officium Canonicum.*

Poteſt enim eſſe nonnulla difficultas de quibuſdam penſionibus, quæ videntur dari titulo Clericali, vt quando exigunt in perſona Clericalem ſtatum, ſaltem per primam tõſuram: nam iſti videntur habere fructus cum ſpirituali iure, & titulo, ac proinde teneri ad Clericorum officium, quod eſt recitare horas Canonicas. Nihilominus de his etiam ſemper fuit conſtans ſententia, eos non teneri ad dicendum officium Canonicum. Ita tenuit Medina quæſtione 7. de Oration. Nauarrus capit 7. de Oration. num. 25. Soto lib. 10. de Iuſtitia quæſt. 5. articulo 3. Ledeſma in 4. part. prima, quæſtione 16. articulo 4. Gigas quæſtione 30. de penſionibus, qui citat Hieronymum Paulum in libro, *Prouinciale omnium Eccleſiarum*, & alios. Et ſumitur etiam ex Paludano, & aliis ſupra citatis, quamuis generalius loquantur ſub nomine portionum, ſeu præbendarum, quæ tantum ad ſuſtentationem vitæ dantur. Et hanc ſententiam confirmauit plane Pius V. ſtatim citandus, nam imponendo his penſionariis nouum quoddam onus diſtinctum ab horis Canonicis clare ſignificauit, eos non obligari ad penſum horarum.

Medina. Nauar. Soto Ledeſma. Gigas. Hieron. Paul. Paludan. Pius. V.

5\. *Penſionarii ante Pium V. nihil tenebant recitare poſt illum obligantur ad officium B. Mariæ.*

Ex hoc ergo principio inferebant conſequenter citati Auctores, penſionarium non teneri ad aliquid recitandum: quod fuit verum ante tẽpus Pij V. & optime inferebatur, quia Eccleſia tunc nemini impoſuerat pręceptum recitãdi aliquid propter vſum fructuum, vt ſic dicam, aliquorum redditũ Eccleſiaſticorum. Imo extra officium Miſſæ, & ſeptem horarum Canonicarum, nullum præceptum de aliqua certa oratione vocali inueniebatur in Eccleſia datum pro his, qui ad recitandum officium Canonicum non tenebantur: cum ergo ante Pium V. penſionarij non tenerentur ad dicendum officium

Digitized by Google

officium Canonicum, ad nullam omnino orationem vocalem ex vi penſionis tenebantur. Ratio vero erat, quia talis penſio re vera non eſt beneficium: item quia tunc non dabatur propter aliquod officium. Dices: Ergo iniuſte dabatur. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia ex iuſta diſpenſatione Papæ poterat dari, vel in gratitudinem, vt dicebamus, vel in eleemoſynam: vel ad iuuandos iuuenes in ſtudiis literarum, vel in ordine ad militiam Eccleſiæ defenſioni neceſſariam, vel aliis de cauſis. Pius autem V. ſua conſtitutione præcepit penſionariis clericis: quando vt clerici percipiunt, vt officium paruum Beatæ Virginis recitent, & aliter non faciant fructus ſuos, iuxta proportionem infra declarandam cap. vlt. Quod præceptum ſine dubio obligat, nec poteſt aliquis excuſari dicens, conſtitutionem illam non eſſe vſu receptam: nam Pontificia conſtitutio ipſa obligat, vt recipiatur, & hanc vim ſemper habet, quamdiu per contrariam conſuetudinem, ſciente, & conniuente Pontifice, abrogata non eſt, quod de illa conſtitutione dici non poteſt: nam extunc Theologi, & Canoniſtæ docti, & pij ſemper docuerunt, eſſe ſeruandam, ſicut re vera à timoratis ſeruatur. Et qui illam tráſgreſſi ſunt, fructuum compenſationem à Pontifice poſtulare ſolent, quæ non facile: nec ſine competenti ſatisfactione conceditur, vt mihi conſtat, ſaltem de Hiſpania. Quod eſt apertum ſignum, legem illam non eſſe ex tacito conſenſu Pontificis abrogatam.

Obiectio proponitur & diſſoluitur.

6. Additur autem in eadem lege limitatio, vt ſolum eos obliget, qui *vt clerici* penſionem accipiunt. Dicuntur autem accipere vt clerici, quando ſtatus clericalis in eis requiritur, vt ſint talis penſionis capaces: ſi ergo penſio detur ſine hac conditione, non inducit obligationem recitandi officium Virginis, etiamſi detur perſonæ regulari laicæ, vt militi Sancti Ioannis, etiamſi aliquo modo ratione profeſſionis Eccleſiaſtica perſona ſit, & licet illi, vt regulari detur, quia nihilominus non datur vt clerico: hoc enim proprie, & rigoroſe accipiendum eſt. Aduerto tandem circa hoc præceptum, non ita limitari ad preces Virginis, quin ſi penſionarius velit, poſſit Canonicum officiũ recitare, per quod melius ſatisfaciet ſuo muneri, quam ſi preces Virginis diceret, quia intentio Pij V. in illa lege non fuit excludere officium Canonicum, ſed ſolum non imponere tantum onus. Quod ex ipſa materia, & fine præcepti eſt ſatis notum. Quapropter non dubito, quin clericus in ſacris habens penſionem, ſatisfaciat, dicendo horas Canonicas etiamſi preces Virginis non dicat, quia ſi ſacerdos habens proprium beneficium amplius non obligatur, non eſt veriſimile voluiſſe Pium V. penſionario clerico maius onus imponere. Idemque eſt de clerico in minoribus habente ſimul beneficium, & penſionem: vnde dicendum eſt, tuliſſe Pium V. legem illam propter eos clericos, qui alio titulo ad Canonicum officium non obligantur, & illis non interdixiſſe, quin poſſint Canonicum officium dicere. & illo ſatisfacere, ſi velint, ſed ſolum noluiſſe ad hoc illos obligare, ſed tantũ ad Virginis preces.

Limitatio Pij V. ſecundum quam nec clerici, nec Religioſi militares tenentur recitare offic. B. Mariæ.

Dubium incidens de Præſtimoniis.

7. Statim vero hic annectitur dubium de Præſtimoniis, quæ in Hiſpania maxime ſunt in vſu, an in hoc ordine penſionum ſint annumeranda? Aliquorum enim opinio eſt, hæc non eſſe beneficia Eccleſiaſtica, ſed penſiones: ſunt enim portiones quædam à redditibus beneficiorum abſtractæ, & deſignatæ, vt per modum ſubuentionis, vel adiutorij ad ſtudia peragenda iuuenibus conferantur, vt eo modo poſſint commode erudiri, vt poſtea Eccleſię inſeruiant: vnde conſiderato fine talis inſtitutionis non videntur hæc beneficia Eccleſiaſtica, quia non dantur propter aliquod ſacrum miniſterium, quod ſit quaſi finis proximus, & officium propter tale ſtipendium aliquando exercendum, ſed tantum propter ſtudium ordinatum ad ſacrum miniſterium tãquam ad finem remotum, ad quod miniſterium poſtea non obligatur quis ex vi ſolius præſtimonij, niſi quatenus per aliud beneficium proprium ei collatum, vel per ſacram ordinationem fuerit obligatus. Atque ita ſenſit de his præſtimoniis Medina q. 7. de Orat. Et ſequitur Palatius in 4. d. 15. diſp. 9. Gigas etiam qu. 28. de Penſion. n. 5. videtur aperte negare, præſtimoniũ eſſe beneficium: & idem habet Silua tract. de Beneficiis p. 1. q. 3. nu. 10. Sentit etiam Felinus in cap. *Poſtulaſti, &c.* *Ad audientiam.* 2. de Reſcri. & Caccialupus in tract. de Penſion. qu. 30. quatenus negant, præſtimonium eſſe beneficium. Iuxta hanc vero ſententiam dicendum nunc eſſet, habentem præſtimonium teneri ad dicendas preces Virginis, iuxta Motum Pij V. quia præſtimonium, ſi non eſt proprium beneficium, ſaltem erit penſio, & maxime clericalis, vt ſic dicam, quia nemini datur niſi vt clerico, & vt in clericatu proficiat.

Probatur ratione.

Probatur auctoritate. Medina. Palatius. Gigas. Silua. Felinus. Caccialup.

8. Probabilior tamen ſententia eſt, eum qui habet præſtimonium, teneri ad dicendum officium Canonicum. Ita tenet Nauar. cap. 21. de Orat. nu. 9. Soto. lib. 10. de Iuſt. quæſt. 5. art. 3. Et ſine dubio hoc ſenſit Gigas qu. 30. de Penſionib. n. 1. dicens Penſionem intitulatam, ad aliquam partem fructuum alterius beneficij, eſſe Eccleſiaſticum beneficium, & ideo qui illam habet, teneri ad officium recitandum. Præſtimonium enim propriiſſime dici videtur penſio intitulata: nam portio illa, quæ præſtimonium dicitur, erecta eſt, vt conferatur ſpeciali, & ſpirituali titulo. Quæ ſententia probari poteſt ex capit. vltimo. de Conceſsione Præben. in 6. vbi præſtimonium cum aliis beneficiis Eccleſiaſticis annumeratur. Item induci poteſt capit. *Quamuis*, de Præbendis, in ſexto. vbi dicitur literas ſuper obtinendis beneficiis impetratas reſtringi debere, reſtrictio autem per hæc verba explicatur, *Et non in penſione, ſed in beneficiis Eccleſiaſticis tantum volumus prouideri.* Vbi ſolam penſionem à beneficiis Eccleſiaſticis diſtinguit, & ſub illis præſtimonium comprehendit, nam & vi illius reſcripti prouideri quis poteſt, & debet de pręſtimonio. Et confirmatur ex capit. *Conquerente*, de Clericis non reſidentibus, vbi ſimilis portio ſeparata ab alio beneficio cum iure ad illam, & ſine obligatione ad ſeruitium, beneficium Eccleſiaſticum appellatur, quod profecto eſſe non poteſt aliud, niſi præſtimonium. Et ſermonem ibi eſſe de proprio beneficio ſentit ibi Abbas, & Gigas ſupra, illum referens, & quæſtione 28. numer. 20. vbi etiam allegat Doctores in Clement. prima, de Supplenda negligentia prælatorum. Poſſuntque ad hanc ſententiam confirmandam multa ſumi ex Panormitan. ſecundo volum. conſil. 47. vbi probat, præſtimonium eſſe beneficium, quia habet omnes qualitates proprij beneficij: numerat autem quatuor aut quinque proprietates, ſcilicet, quod tantum perſonæ Eccleſiaſticæ, per Eccleſiaſticum Prælatum dari poſſit, pure, & ſine pacto, & in perpetuum, & quod habeat aliquid ſpiritualitatis, cui annectatur, ſeu officium aliquod Diuinum, propter quod detur, quas omnes dicit reperiri, in præſtimonio, quod tamen ipſe non probat, præſertim de vltima, in qua eſt difficultas. Vnde ſi quis recte conſideret, ille ſupponit, quod hic probare intendimus, & ex annexione, ſeu obligatione ad officium Diuinum refert, eſſe beneficium. Auctores autem primæ ſententiæ potius à contrario, quia putant, non eſſe beneficium, inferunt, non obligare ad officium.

Secunda & verior Sent. etiam ante Pium V. Præſtimonium obligare ad recitandum officiũ Canon.

Probatur auctoritate. Nauar. Soto. Gigas. Ratione.

Ca. Conquerente. Abbas. Gigas.

Qualitates beneficij quales ex Panor. & quot eſſe debent.

Digitized by Google

9.
Certum eſt non eſſe certum an Præſtimonium inter penſiones, aut beneficia ſit numerandum ex antiquo iure.
Cap. Vlt. de Conceſ. Præben.
Panorm.

Deniq; hæc res fortaſſe eſſe poterat dubia de iure antiquo, nã ex nullo textu ſufficienter probatur, præſtimonium eſſe proprie beneficium Eccleſiaſticum ſecundum rigoroſam, & ſtrictam appellationem, quamuis interdum ſub ea voce generalius ſumpta comprehendatur, quod ſolum probat dictum capit. vltimum de Conceſ. Præben. in alio autem capit. *Quamuis*, incertum eſt, an præſtimonium ſub penſione, vel ſub beneficio debeat comprehendi, & ita poſſet textus ille in contrarium induci, quia multi putant ſub literis de obtinendo beneficio non comprehendi præſtimoniũ. Imo Panor. in dicto conſil. 47. expreſſe definit, in literis gratiæ conceſsis etiam expreſſe ad beneficium cum cura, vel ſine cura ſub his vocibus non comprehendi præſtimonium. *Præſertim*, inquit, *cum in eis ſit facienda ſtricta interpretatio propter ambitionem comprimendam, iuxta dictum cap. Quamuis.* Cum ergo lex concilij Conſtãtienſis etiam loquatur de habentibus beneficium cum cura, vel ſine cura, & materia illius legis ſit reſtringibilis, non comprehendit præſtimonium. Et omnia, quæ ibi adducit Abbas ad illam reſolutionem confirmandam, hanc partem ſuadent. In alio autem cap. *Conquerente* incertum eſt, an portio, de qua ibi fit mentio, fuerit ſimplex præſtimonium, & Panor. ſentit, fuiſſe potius beneficium ad ſeruitium Eccleſiæ, & adiutorium Parochi inſtitutum. Non conſtat igitur ſatis ex Iure ad quem finem, & quomodo fuerint præſtimonia inſtituta, atque an habeant propriam beneficiorum naturã, quæ eſt dari propter aliquod Diuinum officium? Vnde etiam inter Canoniſtas multi negant, præſtimonia in titulum, ſiue pro titulo beneficij aſsignari, vt refert Rebuffus in Pract. Concellariæ Apoſtolicæ ſub titulo. *Notabilia ſuper vacantibus non reſeruatis §. Beneficij appellatione.* Quamuis alij oppoſitum ſenſerint, quos ibi etiam commemorat, ipſe autem rem ambiguam relinquere videtur. Erat ergo res dubia, & ideo non erat improbabilis opinio Medinæ.

C. Quãuis.
Abbas.
C. Conquerente.
Rebuffus.
Medina.

10.
Vera Sent. Poſt Motum propriũ Pij V. Præſtimonia propter officium dantur, & propria collatione, ac ſpirituali titulo conferuntur, atque adeo obligãt ad offic. Diuin.

Ad tollendam autem hanc dubitationem addidit Pius V. in ſuo Motu proprio hæc verba: *Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino ſeruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi.* Iam ergo dubitare nõ licet, ſiue hoc ſit, quia illa beneficia diſcurſu temporis, & vſu Prælatorũ, & (quod caput eſt) confirmatione Pontificis mutarunt naturam, & cum antea non eſſent propter officium inſtituta, iam propter illud dãtur propria collatione, & ſpirituali titulo. Siue quia hanc eandem rationem à principio habuerunt, quia non repugnat, quod erecta fuerint ad iuuãdos iuuenes in ſtudiis, & quod habuerint annexũ onus recitandi.

11.
Capellania collatiua ſunt vera Eccleſiaſtica benef. atque adeo obligant ad offic. Canon.
Capellaniarum duo genera.

Aliud dubium hic eſſe ſolet de Capellanis, an qui Capellaniam habet recitare teneatur: & ratio dubij eſt, quia videtur recipere fructus per modum cuiuſdam ſtipendij, & mercedis, non vero proprium titulum beneficij. Sed in hoc communis reſolutio eſt, duplices eſſe Capellanias, quaſdam, quas collatiuas vocant: alias non collatiuas, id eſt, quæ à patronis etiam laicis conceduntur ſine collatione Eccleſiaſtici Prælati. Quæ duo genera Capellaniarum ab inſtitutione habent diſtinctionem, interdum etiam laici relinquũt bona ſua cum hoc onere, vt certa quædam penſio quotannis alicui clerico detur, vt tot Miſſas dicat: inde ergo conſurgit Capellania nõ collatiua, quæ in eo ſtatu perſeuerat, quamdiu inſtitutio conſuetudine, aut auctoritate Prælatorum Eccleſiæ non mutatur. Collatiua autem fit, quando auctoritate Epiſcopi erigitur, etiamſi ex bonis laicorum dotata ſit, & ius præſentandi perſonam ſit patrono laico reſeruatũ. Capellania ergo collatiua ſine dubio inducit obligationem recitandi officium Canonicum, quia eſt verum Eccleſiaſticum beneficium, habet enim omnes conditiones ad beneficium requiſitas, vt facile vnicuique patebit, applicando illas, quas ex Panorm. dubio præcedenti retulimus.

12.
Capellaniæ nõ collatiuæ non ſunt Eccleſiaſtica beneficia, atque ideo non obligãt ad offic. Diuin.
Medina.
Nauar.
Ledeſm.
Syluest.
Zabarel.
Tabien.
Armilla.

Capellania autem non callatiua non obligat ad officium Canonicum ob contrariam rationem, quia non eſt beneficium Eccleſiaſticum, vt patebit etiam eaſdem conditiones applicando: ex quibus illa eſt maxime nota, quod non datur per prouiſionem, & autoritatem Prælati Eccleſiaſtici: repugnat enim beneficium Eccleſiaſticum inſtitui, vel conferri à laico ſine interuẽtu ſpiritualis poteſtatis. Ita fere Medina dicta q. 7. Nauar. cap. 20. de Orat. n. 17. Ledeſm. in 4. p. 2. q. 16. ar. 4. dub. 5. Et hoc videntur intendere Summiſtæ, qui declarant, beneficium obligare ad recitãdum, etiamſi ſit de patrimonio inſtitutum, ita vt patrimonium factum ſit beneficium, & non alias, vt ait Sylueſt. ex Zabarel. ver. *Hora* q. 2. §. *Secundum.* Tabien. n. 1. & Armil. n. 1. Qui etiam aduertunt, quod licet is, qui habet Capellaniam collatiuam non poſsit per ſe illi ſatisfacere in Miſsis, vel aliis oneribus perſoluendis, quia eſt puer, vel impeditus, & ideo per alium inſeruiat, non excuſatur obligatione dicẽdi officium per ſe, tum quia (vt ſæpe dixi) hoc eſt onus perſonale, & ſacrificium laudis, & fructus ſuorum labiorum, vt dicitur in Clement. 1. de Celebr. Miſ. tum etiam quia ille alius, per quem dicentur Miſſæ, vel ſimile aliud officium non tenetur ex vi ſtipendij, quod recipit, dicere officium Canonicum, quia reſpectu illius illud non eſt beneficium, ergo onus dicendi officium Canonicum manet apud Capellanum.

13.
An qui recipiant ſeruitium beneficij in commendam teneantur recitare offic. Diuin.

Hinc vero naſcitur aliud dubium de his, qui recipiunt ſeruitium beneficio in Commendam, an teneantur recitare Canonicum officium, videntur enim non teneri, quia non ſunt beneficiati, cum non habeant proprietatem beneficij, ſed tantum ſeruitium: cuius etiam argumentum eſt, quia ſæpe hæc commendatio fit ad tempus, vt patet, in vicariis, qui ad annum, vel ſimile tempus conſtituũtur, & ad nutum admoueri poſſunt. Idemque videtur eſſe de his beneficiis regularib⁹ (Manualia interdũ vocantur) quæ conferuntur Religioſis à ſuis Prælatis, vt ibi inſeruiant, quãdiu ſuis prælatis placuerit, & ad nutum eorum reuocẽtur, nam iſti omnes nõ poſſunt dici habere beneficium Eccleſiaſticum, de cuius ratione eſt, vt ſit perpetuum, & per inſtitutionem Canonicam conferatur cap. 1. de Regulis Iuris in 6. Deniq; idem eſſe videtur de Capellano, quem parochus ſibi adſciſcit, vt in miniſtrando ipſum adiuuet, nam ille etiam non tenebitur officium recitare, quia re vera beneficiatus non eſt, ſed ſtipẽdiarius, & mercenarius cõductus, nõ ad recitandum officiũ, ſed ad miniſtranda Sacramẽta, vel Miſſas dicẽdas, & ſimilia publica onera ſupportãda.

14.
Qui habet beneficium integre commendatum quoad totã adminiſtrationem eius, licet non ſit perpetuum, tenetur dicere offic. Diuin.
Medina.
Ledeſm.
Nauar.

Ad hæc breuiter dicendum eſt primo, eum, qui habet beneficium integre commendatum quoad totam adminiſtrationem eius, teneri ad dicendum officium, etiamſi commiſsio illa, ſeu commendatio Eccleſiæ non ſit erecta in titulum beneficij, neque in perpetuum conferatur. Ita docent Medina, Ledeſma, & Nauar. ſupra num. 16. Et præcedenti etiam capite à nobis dictum eſt de illo, qui renunciat alteri beneficium retenta tota adminiſtratione cum fructibus. Idem enim eſt in præſenti, nam parum refert, quod fructus ſint plures, vel pauciores, quia hæc obligatio non naſcitur veluti per ſe ex fructibus, ſed ex obligatione ſuſcepta ad totam adminiſtrationem. Itaque licet hic non obligetur ratione beneficij, quod ipſe habeat, obligatur: quia ſubrogatus eſt loco habentis beneficium cum tota obligatione beneficij ab ipſo acceptata, pro tunc enim illa obligatio æquiualet titulo beneficij quoad omnia eius onera, nam pactum humanum, quod ibi tacite interuenit, hanc vim habet.

Digitized by Google

habet. Sicut etiam ille tenetur ad Sacramenta miniſtranda, & alia officia beneficij exequenda.

15. *Si alicui commendetur benef. quoad exteriora ſolum ſeruitia Eccleſiæ ille ex eo non tenetur ad offic. Canonicum.*

Dixi autem, *integre commendatum quoad totam adminiſtrationem*, quia ſi ſolum commẽdetur quoad exteriora, & publica ſeruitia Eccleſiæ ex vi huius commendationis, non tenebitur ad dicendum officium Canonicum, vt verbi gratia. ſi beneficiatus proprius abfuturus ab Eccleſia ſua propter negotia, illam commendet amico, aut mercenario clerico ſeculari, aut Religioſo, vt pro ſe toto illo tempore inſeruiat non tenebitur ſubſtitutus ille ex vi oneris, quod in ſe, ſuſcipit, officium dicere, niſi quatenus publice in Eccleſia illud canere neceſſarium fuerit, iuxta eiuſdem Eccleſiæ morem, ſeu qualitatem. Ratio eſt, quia ſolum publicum, & externum miniſterium eſt illi commendatum. Item, quia obligatio recitãdi priuatum officium ſemper manet apud proprietarium, ita vt non poſsit alteri illam delegare, vt ex dictis colligitur. Ergo ſubſtitutus non tenetur illa obligatione, quia non debet multiplicari ſine cauſa, & neceſsitate, vnde niſi ex ſpeciali pacto ſatis expreſſo ſubſtitutus in eo caſu ad hoc obligetur non eſt cenſendus ita obligari, quando autem interuenerit tale pactum, ſubſtitutus quidem obligabitur ex iuſtitia pacti, non tamẽ propterea exonerabitur proprietarius ſua obligatione, nam eſt perſonalis, & ex beneficio, quod ſemper habet. Et huiuſmodi videtur eſſe talis ſubſtitutio, vel commendatio quoties propria voluntate, & auctoritate ipſiuſmet beneficiarij fit ad ſupplendam eius abſentiam, ſecus vero eſt, quãdo tota adminiſtratio beneficij commendatur auctoritate Põtif. vel Prælati, aut quia beneficium eſt vnitum alicui Religioni militari, vel alteri cum onere conſtituendi ibi vicarium, qui portet omnia onera beneficij, quæ vicaria ſi perpetua ſit, beneficiũ Eccleſiaſticum reputatur, & per Prælatum Eccleſiaſticum conferenda eſt. Si vero ad tempus tantum detur, pro eo tempore, qui recipit illam commendam, recitare tenetur propter rationem iam dictã. Et idem eſt de illo, cui auctoritate Papæ commendaretur tota Eccleſiæ adminiſtratio, quamdiu beneficiatus puer ex diſpẽſatione factus recitare non valet, quia tunc totum onus beneficij, etiam quoad recitationem intelligitur vicario commiſſum, ne Eccleſia vllo officio priuetur. In hoc ergo ſenſu locuti ſunt citati auctores, idemq́; eſt, quando vacante Eccleſia parochiali, Epiſcopus ibi vicarium conſtituit, & in ſimilibus caſibus, vbi eadem ratio interuenit.

Probatur doctrina tradita.

16. *Qui habent officia manualia tenentur ad officium recitandum.*

Atq́; hinc conſtat, à fortiori idem dicẽdum eſſe de habentibus beneficia manualia, nam ſine dubio tenentur ad officium recitãdum. Quia ſiue illa ſint proprie beneficia ſiue non, in ſe ſuſcipiunt totam beneficij adminiſtrationem, ad quam (vt ſępe dixi) pertinet etiam Diuini officij recitatio. Eo vel maxime quod hæc beneficia aliquo modo perpetua ſunt, quatenus nõ dantur ad definitum tempus, ſed de ſe durare ſemper poſſunt, licet includant depẽdentiam à Prælato, à quo auferri, ſeu reuocari poſſunt, iuxta Clem. vnic. de Supplenda neglig. Prælator. in quo quandam maiorem proprietatẽ beneficij participant, iuxta ea, quæ Syldueſt. notat verb. *Dignitas*, in principio. Deniq; pro eo tempore neceſſe eſt, onus illud recitandi, quod illi beneficio reſpõdet ad aliquam determinatam perſonã pertineat, quia alias non eſſet ſufficienter tali Eccleſię prouiſum, ſed non cadit in alium, niſi in huiuſmodi adminiſtratorem, ſeu beneficiarium, ergo ille tenetur recitare ratione talis beneficij.

17. *Capellanus ſeu coadiutor conductus à proprio parocho ad eum iuuandum non obligatur ad recitandum ex eo titulo.*

Secus vero eſt de Capellano, ſeu coadiutore cõducto, vel dato proprio parocho, ſeu beneficiario, vt ab ipſo iuuetur in Eccleſiæ adminiſtratione: nam de illo videtur eſſe eadem ratio, quæ de vicario relicto ſolum, vt ſuppleat abſentia parochi in externa Eccleſiæ adminiſtratione. Vnde non obſtante illo adiutorio, quod attinet ad recitationem officij, totum munus integrum manet apud proprietarium, & alter ſolum eſt ſtipendiarius, non vt releuet proprietarium ab onere recitandi, ſed ſolũ ab aliis miniſteriis, ergo talis coadiutor, vel capellanus ex vi ſtipendij ſui non tenetur recitare. Et ita docet Medin. qu. 7. de Orat. Addit vero limitationem, de qua ſtatim dicetur. *Medin.*

18. *Dubium de coadiutoribus.*

Tandem hic occurrit ordinarium dubium de coadiutoribus beneficiorum prout nunc ſunt in vſu, an teneantur recitare officium Canonicum ex vi coadiutorię? Eſt autem de his ſpecialis ratio dubitandi, quia non ſunt tantum quaſi ſtipendiarij ad tempus, ſeu ad vitam proprietarij, ſed etiam ſunt ſucceſſores in beneficio ipſo facto, & ſine noua collatione, vnde videntur iam habere titulum beneficij, & nonnullos reditus, quia ſemper habent aliquam congruam portionem deſignatam, habent etiam ſedem in choro, & vocem in Capitulo, cur ergo non tenebuntur recitare? Confirmatur primo, quia coadiutor huiuſmodi eſt vere Canonicus, ergo habet obligationem recitandi ex vi Canonicatus, cuius iam ſuo modo habet titulum, & poſſeſsionẽ, & ratione illius habet adminiſtrationem, ſaltem ſecundo loco, & in abſentia proprietarij. Conſequentia videtur clara, & antecedẽs patet, quia ille admittitur ad honores, & actus proprios talis beneficij. Confirmatur, quia inſtitutus in Canonicum, ita vt habeat ſedem in choro; & vocem in Capitulo, licet ſit ita inſtitutus ſine præbenda, vt primam vacantem obtineat, tenetur ad horas recitãdas, maxime ſi diſtributiones recipit; ergo à fortiori tenebitur coadiutor. Antecedens docent Palud. 4. d. 5. q. 5. n. 5. Turr. d. 19. in princip. q. 14. Quia ille vere habet beneficium Eccleſiaſticum argumento c. Cum M. de Conſt. ergo idem erit in præſenti. Confirmatur 3. quia coadiutor datus Epiſcopo authoritate Papæ eſt vere Epiſcopus, vt ſentit Gloſſ. per textum in c. *Non autem*, 7. q. 1. verb. *Vt non ſuccederet*. Quam probant Panor. in ca. *Quoniam*. de Officio ordin. n. 4. & Cardin. conſ. 70. ergo ſimiliter coadiutor datus Canonico authoritate Papæ eſt vere Canonicus, ergo obligatur. *Palud. Turrecr.*

19. *Coadiutores non tenentur recitare.* *Medin. Nauar.*

Nihilominus dicendum eſt, hos coadiutores nõ teneri ad officium Canonicum recitandum. Ita tenet Medin. de Orat. ca. 7. non ſine formidine, ita enim concludit: *Hoc videtur tenendum ſoli rationi innitendo, interim quod aliqua determinatio in oppoſitum occurrat*. Idem tenet Nauar. c. 2. de Orat. nu. 18. Probatur primo; quia obligatio recitandi ſemper manet apud proprietarium, ergo non obligat coadiutorem. Probatur conſequentia ex vno beneficio non obligantur duo ad recitandum. Item principalis, & coadiutor non obligantur ad Miſſas, & alia officia duplicata, ſed ſi vnus implet alter non tenetur; ergo ſi onus recitandi manet apud proprietarium non tranſit ad coadiutorem. Secundo eſt propria ratio à priori, quia coadiutoria non eſt beneficium Eccleſiaſticum; ergo non obligat ad recitandum. Probatur conſequentia, quia in dictis conſtitutionibus Concilij, & Pij V. nec ſpecialiter nominatur, nec ſub generali nomine beneficij Eccleſiaſtici comprehenditur. Antecedens autem eſſe omnium, nemine contradicente, docet Nauarrus in capit. *Si quando*, de Reſcript. Prælud. 5. n. 10. Idem ſentit Thomas Campeſi. tract. de Coadiut. Epiſcop. numer. 8. Gambar. de Offic. & Poteſt. legat. libr. 4. numer. 285. & Redoan. tract. de Simon. 2. p. cap. 28. Tradit Abb. in capit. *De Rectoribus*, cum tribus ſequentibus de Cleric. ægrot. miniſ. Et ibi communis, & in capit. *Grandi*. de Supplen. Prælat. in 6. & ex eiuſdem Iuribus hoc ſumitur. Nam licet illa Iura, & eorum interpretes loquantur de coadiutore tantum ad tempus, vel ad vitam

Coadiutoria non eſt beneficium.

Nauar. Campeſi. Gambar. Redoan. Abbas.

Digitized by Google

dato ſine futura ſucceſsione; hoc nihil obſtat, quia futura ſucceſsio non dat ius in re, ſed ad rem, vt ipſum nomen præ ſe fert. Et conſtat, quia Princeps filius Regis, licet futuram ſucceſsionem habeat, nondum eſt rex, nec ſucceſſor Imperatoris eſt imperator, & ſic de aliis. Confirmatur, quia vnum beneficium nõ poteſt ſimul eſſe in duobus, ſed principalis retinet integrum beneficium; ergo coadiutor ex vi ſolius coadiutoriæ nullum beneficium habet, ergo nec ad recitandum obligatur. Denique ita declaratum eſt à S. D. N. Paulo V. ad petitionem huius Eccleſiæ Cathedralis Conimbricenſis in quodam Breui anni. 1606. in quo inter alia declarat, coadiutores Canonicorum non eſſe vere Canonicos, nec pro talibus habendos, viuentibus coadiutis, idem ergo eſt de coadiutoribus in quibuſcunque aliis beneficiis.

20. *Argumentis ſatisfit.* Et ita facile patet reſponſio ad rationes in contrarium. Ad primum enim negamus coadiutorem habere titulum beneficij in re, ſed tantum in ſpe, ſeu ius ad rem. Neque obſtat, quod ſuccedat ſine noua collatione, quia per conceſsionem talis coadiutoris fit collatio quaſi ſub conditione, ſeu pro tali euentu, & ideo illo eueniente, ſeu impleta conditione, ipſo facto perficitur collatio, quæ prius erat quaſi pendens. Neque obſtat, quod coadiutor ex vi coadiutoriæ habeat vocem in capitulo, quia id non eſt ex vi tituli, ſed quia ei conceditur, vt etiam quoad hoc proprietarium iuuet. De ſede autem in choro ordinatum eſt, vt coadiutor non in loco proprietarij, ſed vltimo loco poſt proprios Canonicos ſedeat, quia reuera non eſt Canonicus: & ita ſolum conceditur ille locus ratione actualis miniſterij.

21. *Coadiutor Canonici non eſt Canonicus.* Et ita etiam patet reſponſio ad confirmationem primam, negatur enim aſſumptum, ſcilicet, coadiutorem eſſe vere Canonicum, quia licet vulgo ita nominetur propter ius ad ſuccedendum, vere non habet Canoniam, neque præbendam, neque habet titulum, vel poſſeſsionem Canonicatus, ſed coadiutoriæ tantum, & quoad illam habet ius in re, quoad Canonicatum autem tantum ad rem. Cuius etiam ſignum eſt, quia poſt deceſſum proprietarij nouam poſſeſsionem accipere debet, vt in d. Breui habetur, vnde etiam incipit facere propriam reſidentiam nouorum Canonicorum, niſi ſpeciali indulto antea fuerit illi conceſſa. Vnde ad probationem dicitur, coadiutorem tantum admitti ad actus adminiſtratoris, & quaſi vicarij, ſeu capellani, & ad honores huic miniſterio proportionatos. Ad ſecundam confirmationem negatur ſimilitudo, quia inſtitutus in Canonicum cum iure ad primam præbendam, licet nondum illam ſit conſecutus, eſt vere Canonicus, & habet actu beneficium quoad ſpirituale ius, & licet non habeat præbendam, aliquas diſtributiones recipit: coadiutor vero non habet beneficium. Ad tertiam confirmationem idem dicendum eſt de coadiutore Epiſcopi, quia non eſt prælatus, nec Epiſcopus quoad beneficium, licet forte conſecratus ſit, vt nunc eſſe ſolet. Hoc tamen intelligitur de iure ordinario. Nam de potentia abſoluta forte poſſet Pontifex concedere coadiutorem Epiſcopo, qui vere, & actu ſimul cum alio eſſet Prælatus, & Epiſcopus, quod intendunt Gloſſ. & Panor. ibi citati. Et de facto legimus Auguſtinum ordinatum fuiſſe Epiſcopum ſimul cum Valerio: inde tamen non poteſt ſumi ſolidum argumentum; quia non per diſpenſationem Papę, ſed per ignorantiam factum eſt, vt ipſe Auguſt. poſtea cognouit, & conqueſtus eſt, vt Poſsidi. in Vit. Auguſt. c. 8. refert, & late Baron. tom. 5. Ann. pa. 395. num. 31. & 32.

22. *Dubium.* Quæri vero poteſt, an coadiutor teneatur recitare ſaltem eo tempore, quo onus Eccleſiæ ſuſtinet pro principali. Med. enim ſupra ſimpliciter affirmat, at Nauarr. d. c. 10. n. 18. id negat, niſi datus ſit coadiutor ad dicendum horas nomine alterius, vel omnes, vel aliquas: ſecus vero ſi tantum ſit datus ad cantandum, vel miniſtrandum Sacramenta. Vnde loquendo de coadiutoribus prout nũc ſunt in vſu, dicendum eſt non teneri niſi ad ſatisfaciendum choro, vel ſimili ſeruitio Eccleſiæ, in quo adiuuare obligantur. Ratio eſt, quia proprietarius licet excuſetur à ſeruitio chori, & Eccleſiæ, ſeruiendo per coadiutorem, non tamen ab onere recitandi, quia hoc eſt onus perſonale ſequẽs beneficium, quod ipſe retinet integrum. Neque eſt veriſimile proprietarium retinendo beneficium totum cum fructibus poſſe ſe exonerare etiam ab onere recitandi, id faciendo per alium; neq; hoc habet conſuetudo, nec poteſt præſumi talis intentio Pontificis, niſi vbi fuerit expreſſa cõceſsio, ergo onus hoc non imponitur coadiutori, quia non eſt in duobus, nec quoad illud eſt coadiutor. Itẽ quia in aliis miniſteriis, quæ principalis poteſt per coadiutorẽ implere, eo ipſo, quod adminiſtratio committitur coadiutori, principalis liberatur per miniſterium eius; ergo cum miniſterium recitãdi tale ſit, vt per alium impleri non valeat, ſignum eſt illam obligationem nunquam cadere in huiuſmodi coadiutorem, etiam dum actu adminiſtrat. Nam licet teneatur. v. g. ad chori aſsiſtentiam, ſatisfaciet ſuo muneri aſsiſtendo, vel canendo, licet in genere non recitet, iuxta ſuperius dicta. Hæc autem intelliguntur ex vi ſolius coadiutoriæ prout eſt in vſu communi, & ordinario. Nam ſi Papa velit ad hoc extẽdere coadiutoriam, ſine dubio poſſet ex rationabili cauſa, qualis eſſet impotẽtia proprietarij etiam ad horas dicendas. Sed tunc ille non erit coadiutor, de quo nunc loquimur, ſed eſſet vicarius, cui tota adminiſtratio beneficij commiſſa eſt, de quo iam diximus, teneri tũc non ratione proprij beneficij, ſed ratione pacti, vt dixit Nauar. qui non aliud ſentire viſus eſt.

Tandem quæri poteſt, an iſti coadiutores teneantur ſaltem dicere officium Beatiſsimæ Virginis 23.
tanquam penſionarij, iuxta motum Pij V? Ad hoc vero iuxta principia poſita breuiſsime dicendum eſt. Si coadiutor habeat propriam pẽſionem ſuper beneficium, ſine dubio teneri ad officium Virginis, niſi alias Canonicum recitet, quia recipit talem penſionem, vt clericus; vt per ſe notum eſt, ſuppono enim eſſe coadiutorem in ſpiritualibus. Si vero ſolum recipiat ex fructibus beneficij aliquam ſuſtentationem per modum ſtipendij, nõ tenebitur; quia non comprehenditur ſub Motu Pij V. & alias ſatisfacit ſuæ obligationi, ſuum miniſterium implendo, ſicut de Capellanis dictum eſt.

Capvt XXIII.

Quodnam officium Diuinum teneantur dicere clerici, cum priuatim recitant.

Diximus de perſonis, quæ ad priuatim recitandum Diuinum Officium, quãdo illud in choro publice non dicunt, obligantur; nunc modum explendi hanc obligationem declarare neceſſe eſt, quod proſequemur diſcurrendo per omnes circumſtantias huius actionis incipiendo ab obiecto, ſeu materia eius, ſicut de publica oratione fecimus. Primum ergo omnium occurrit quæſtio illa ſuperius inculcata, vtrum recitare iuxta hoc, vel illud Breuiarium, ſeu iuxta huius, vel illius Eccleſiæ ritum cadat ſub præceptum? In quo ritu poſſumus loqui, vel de ipſa ſubſtantia horarum (vt ſic dicam) in communi, & comparando diuerſa ritualia, ſeu Breuiaria inter ſe, vel poſſumus loqui de eodẽ ritu eiuſdem Breuiarij applicato ad varia tempora, vel ad hos, vel illos dies, & ad hos, vel illos Sanctos, vt quod

1. *An recitare iuxta hoc, vel illud Breuiarium, eius, vel illius Eccleſiæ cadat ſub præceptum?*

quod tali tempore & die de tali Sancto, aut myſterio, aut de feria fiat officiũ. Quod ergo ad ſubſtantiam officij ſpectat, loqui poſſumus, aut de iure cõmuni, aut de ſpeciali iure Pij V. ſupra explicato. Et quidem ſi hoc ius Pij V. fuiſſet omnino vniuerſale, vel vbiq; receptum, ſufficeret dicere illud eſſe obſeruandũ, etiam in priuata recitatione, tamen quia non vbiq; obligat, & vbi non obligat, ius antiquum ſeruandum eſt, ideo de vtroque breuiter dicere eſt neceſſe. Et quoniam ex antiquo iure facile intelligetur particulare, ſeu nouum, illud prius explicabimus.

2\.
1. Aſſertio. Clericus qui horas priuatim dicere tenetur (ſtãdo in iure communi) ad eas obligatur quæ iuxta Breuiarium in ſua diœceſi approbãtur, aliter non ſatisfacit. Probatur ex Iuribus. Ca. Placuit. Concil. Agathen. Cap. Conuenit. D Thom. Caiet.

Dico ergo primo: Vnuſquiſque clericus, qui ad horas Canonicas priuatim dicendas obligatus eſt, tenetur eas dicere, (ſtando in iure communi) iuxta Breuiarium in ſua diœceſi, vel ordine approbatum, & receptum: & alioqui ſuo muneri non ſatisfacit. Hæc aſſertio ſumitur ex capit. *De iis*, & cap. *Placuit*, d. 12. in quibus in eadem diœceſi, Metropoli, Archiepiſcopatu, ſeu Prouincia idem pſallendi ordo ſeruari præcipitur. Verum eſt, ibi eſſe ſermonem de recitatione publica, & in choro. Vnde videtur ſumi argumentum vel à paritate rationis, vel quia recitatio priuata quaſi ſubrogatur loco publicæ in his, qui choro non tenentur aſsiſtere, vel de facto non interſunt, & ideo debet ſecundum eandem regulam dici, vel quia membrum debet corpori conformari. Vnde in Concilio Agathenſ. ca. 30. de hoc officio dicitur; *Conuenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri*, idem cap. *Conuenit*, de Conſecr. d. 5. Et hac fere ratione vtitur D. Thomas Quodlib. 1. artic. 13. vbi concludit, vnumquemque debere conformari eorum conſuetudini, cum quibus viuit. Et ita Caiet. ver. *Horæ*, §. 2. magis ex conſuetudine, quam ex iure hanc obligationem colligit. Tandem, optime videtur hoc cõfirmari ex Clementina 2. de Celebrat. Miſſar. vbi conceditur clericis ſecularibus, & Religioſis commenſalibus Cardinalium, & aliorum Pontificum, vt poſsint illis conformari in officio, & vt non teneantur aliud dicere, vbi Gloſſa verbo *Indulgemus*, recte notat, abſque illo priuilegio id nõ licuiſſe, tenebatur ergo antea vnuſquiſque ſuo ordini, vel diœceſi, vel Metropoli, prout habuerit conſuetudo, conformari. Nec videtur poſſe in hoc certior regula præſcribi, ſtando in antiquo iure. Et ita docuit Cardinal. c. penult. & vltim. d. 12. & ibidem Archid. & Turrecr. Soto lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 4. Nauar. de Orat. c. 19. n. 211. & ſequentib. concordat Tabien. n. 10. & 16. licet lubrice. Alij etiam Auctores in generali regula conueniunt, addunt tamen exceptiones, quas expendere neceſſe eſt.

Clement. 2. Gloſſa. Cardinal. Archid. Turrec. Soto. Nauar. Tabien.

3\.
Caietani & aliorum limitatio, omni clerico ſecul'ari vel regulari iuxta formam Breuiarij Rom. recitare licere. Fundamentum Caiet. Infirmatur.

Quidam ergo dixerunt, ſemper licuiſſe cuicunque clerico, vel Religioſo iuxta formam Breuiarij Romani recitare, & ita prædictæ regulæ eſſe hanc limitationem addendam, ſcilicet, niſi quis malit Romano Breuiario vti in recitatione priuata. Quia Romana Eccleſia eſt mater omnium. Ita Caietan. verb. *Horæ*: qui non fundatur in prædicta ratione, ſed in hoc, quod ſubſtantia præcepti eſt de ſeptem horis, reliqua vero ſunt accidentia, & ita non negat eſſe peccatum veniale graue, ſed negat eſſe mortale. At ſi ratio valet idem dicere debet de mutatione in quodcunque aliud officium approbatum, itaque non peccaret grauiter Monachus Sancti Benedicti omittendo proprium officium, & recitando iuxta regulam Sancti Dominici, vel aliam; quod eſt deſtruere regulam poſitam, iuxta mentem auctorum omnium. Omnes enim cenſent, hanc eſſe obligationem ſub mortali, vt clare ſentit Soto ſupra articulo quarto, & expreſsius Tabiena numer. 16. in fine, & Nauarrus id colligit ex pœna graui, quæ in dictis Iuribus imponitur. Itaque ratio illa admittenda non eſt, quia mutatio in tota forma officij ſatis grauis eſt, & proxime ipſam ſubſtantiam attingit. Altera vero ratio habebit locum, ſi Pontifex Romanus ita approbet officium Romanum, vt pro toto orbe illud proponat, & ſeruandum præcipiat, vel concedat, quod ante Pium V. iure communi factum non legimus. Nam licet in capit. *In die*, de Conſe. d. 1. Gregorius VII. aliquid innuere videatur, tamen reuera non facit ſtatutum generale de toto officio, nec vniuerſale pro tota Eccleſia, ſed de quodam particulari puncto pro Eccleſia tantum Romana. Nec etiam inuenitur conſuetudine receptum, vt vnaquæque Eccleſia priuata poſsit conformari Eccleſiæ Romanæ, & Matricem relinquere: imo oppoſitum colligitur ex dicto capit. *In die*, & capit. penult. & vlt. d. 12. & optime ex capit. *Nouit*, eadem diſtinct. Vbi Gregor. clare dicit, in his rebus non oportere ſequi conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ſed quod in vnaquaque Eccleſia inſtitutum eſt.

Tabien. Nauar. Cap. In die, &c. Cap. In die. Cap. Nouit.

4\.
Aliorum limitatio pro clericis ordinatis ad titulum patrimonii.

Alij excipiendos putant clericos ſeculares ordinatos ad titulum patrimonij, nulliue Eccleſiæ addictos. Nam illi (aiunt) non tenentur ad certum Breuiarium ſequendum, ſed vti poſſunt quo voluerint, dummodo legitima auctoritate approbatum ſit in aliqua Prouincia, diœceſi, aut Religione. Quorum fundamentum fuiſſe videtur, quia illi non tenentur ad inſeruiendum certæ alicui Eccleſiæ in hoc munere recitandi, ſed tantum Eccleſiæ Dei. Ergo ſatis eſt ſi dicant aliquod officium in Eccleſia approbatum. Ita Angel. verb. *Hora*, numero 12. & 14. cum Directorio Iuris, titul. 8. quod citat, idem Sylueſter queſtion. 1. Sed non videtur admittenda exceptio, vt melius Nauarrus & alij tradiderunt. Quia nullo Iure fundatur, nullum enim adducitur: nec etiam fundatur conſuetudine (ex qua maxime hoc negotium pendet) conſuetudo enim habet, vt clericus dicat officium iuxta morem Eccleſiæ, in qua reſidet, ſeu habet beneficiũ nulla diſtinctione facta de ordinato ad titulum beneficij, vel patrimonij. Nulla etiam ratione efficaci fundatur exceptio, quia licet ille clericus non teneatur choro aſsiſtere, tenetur tamen conformari corpori tanquam pars illius cleri. Confirmatur, quia Epiſcopus poſſet illum iuſte cogere ad ſequẽdum ritum Eccleſiæ ſuæ, & punire, ſi non obediret, ergo ſignum eſt, illum teneri, quia Epiſcopus non poteſt in hoc ponere nouam obligationem. Denique rectus ordo Eccleſiæ hoc poſtulat, alias occaſio ſcandali, & abuſus facile oriri poſſent.

Angel. Direct. Iuris. Nauarr.

5\.
1 Sentent. aſtruens debere clericum beneficiatũ in vna & cõmorantem in alia recitare ad modũ illius Eccleſiæ cuius eſt beneficiatus.

Tertio circa dictam regulam inquiri poteſt de illo clerico, qui in vna Eccleſia habet beneficium, in altera vero diœceſi, vbi officium diuerſum eſt, reſidet, & habet firmum domicilium, cui debeat conformari. Quidam dicunt illum ratione beneficij eſſe addictum tali Eccleſię, & ideo teneri, morem illius ſequi in recitando, vbicunque reſideat. Indicat D. Thomas quodlib. 6. articulo 8. vbi ait: licet clericus in ſacris obligetur ad Diuinum officium abſolute, tamen vt clericus beneficiatus in hac Eccleſia, tenetur ad dicendum officium ſecundum modum illius Eccleſiæ. Idem ſumi poteſt ex Quodlib. 1. art. 13.

6\.
2. Sentent. & probabilior debere recitare iuxta morem Eccleſiæ in qua reſidet.

Mihi probabilius videtur recitare debere iuxta morem Eccleſiæ, in qua reſidet. Primo ex illa ratione generali, quod valde expedit imitari honeſtos mores eorum, inter quos viuimus. Deinde, quia ad huiuſmodi vſum, & actionem potentius videtur vinculum domicilij, & reſidentiæ, quam beneficij. Denique quia beneficium non videtur poſſe ad hoc obligare, vel enim obligat ad reſidentiam, vel non: ſi non obligat ad ſeruiẽdum Eccleſiæ, non eſt, cur obliget ad ritum eius in recitando ſequendum, in loco diſtanti, & ſecluſo domicilio. Si autem obligat ad inſeruiendum Eccleſiæ, vlterius peto, an ille abſit legitime, nec

ne, in

Digitized by Google

ne, in priori caſu ceſſat obligatio, quia vel per alium inſeruire poteſt, & tunc iam per alium ſatisfacit quoad ritum: vel ſi legitime diſpenſatus eſt, ceſſat obligatio ſeruitij, & conſequenter etiam ſeruandi ritum. At vero ſi ille Clericus iniuſte abſit à ſua Eccleſia vix eſt caſus admittendus, quia vix poteſt ille habere alibi firmum domicilium. Si tamen illud habere ſupponatur, cum non magis ſatisfaciat ſuæ obligationi inſeruiendi ſuæ Eccleſiæ, recitando vno modo, quam alio, & alioqui ratio præſentiæ, & reſidentiæ in alio loco maiorem moralem neceſsitatem inducat, etiam in hoc caſu videtur probabilius debere ſequi morem loci, in quo reſidet, quia tunc eſt ibi ſubditus, & membrum illius corporis. Fateor tamen, non eſſe tam claram obligationem in toto hoc caſu, quin poſsit facile optio permitti.

7\. *Clerici qui ratione ſtudij in alienis prouincijs cõmorantur iuxta formam illarũ recitare debent: contrarium etiam eſt probabile.*

Et idem dicendum cenſeo in ſimili dubio de clericis vnius Prouinciæ, qui in alia commorantur ratione ſtudij, cuius Eccleſiæ morem in recitando ſequi teneatur. Quidam aiunt, debere imitari ſuam diœceſim, vbi habent firmum domicilium, quia ſimpliciter ſunt illius membra, & ſubditi Prælatis, & legibus talis Epiſcopatus. Ego vero exiſtimo pro tempore, quo in Academia reſident, poſſe dicere officium iuxta morem illius Eccleſiæ, quia protunc habent ibi quaſi domicilium, & in ſpiritualibus vtuntur Sacramentis, & miniſtris illius Eccleſiæ. Et tunc etiam præualet illa ratio, quod oportet conformari honeſtis moribus eorum, inter quos viuimus. Vnde credo, hoc eſſe magis conſulendum; non videtur tamen imponenda rigoroſa obligatio, quia non apparet efficax fundamentum oſtendens præceptum, & contraria opinio probabilis eſt. Quoties ergo Diuus Thomas ait, clericum habentem beneficium in aliqua Eccleſia, debere officium dicere iuxta morem illius Eccleſiæ, intelligendum exiſtimo, ſi cætera ſint paria quoad reſidentiam, vel abſentiam à tali Eccleſia, vel eius diœceſi.

D. Thom.

8\. *Clericus habens duo beneficia in Diœceſibus habentibus diſtinctum recitandi modum poteſt recitare iuxta morẽ illius Eccleſiæ in qua reſidet.*

Vnde etiam hinc reſoluendum eſt dubium de illo, qui habet plura beneficia in diſtinctis Eccleſiis, in quibus modus recitandi diuerſus eſt. Quod ſpecialiter tractat D. Thomas dicto Quodlib. 1. art. 13. & ſupponit, illum vnica recitatione vtrique ſatisfacere, quod ſupra etiam diximus. At ergo, ſi in aliqua illarum reſideat, illam debere ſequi in modo dicendi officium, in qua reſidet. Si vero in neutra, tunc ſi vnum beneficium dignius ſit, illius Eccleſiæ conformari debere, ſi vero vtrumq; ſit ęque dignum, tunc digniorem Eccleſiam eſſe pręferendam: ſi vero etiam Eccleſiæ ſint æquales, tunc liberam eſſe optionem. Et hanc reſolutionem videtur ſequi Sylueſt. Angel. & Tabiena ſupra; Soto vero vno verbo ait, huiuſmodi beneficiarium illam Eccleſiam ſequi debere, cui magis tenetur inſeruire, ſed hoc videtur parum referre, cũ ſupponatur de facto neutri ſeruire, & modus priuatim recitãdi, & in abſentia ad ſeruitium Eccleſiæ diſtantis nihil intereſſe videtur. Alij vero dicunt ordinem à Diuo Thoma poſitum eſſe in conſilio, & meliorem, non vero eſſe neceſſarium. Ego tamen iuxta dicta reſpondendum puto huiuſmodi beneficiatum recitare debere iuxta morem illius Eccleſiæ in qua reſidet, & habet domicilium; nam hic titulus præferendus eſt ſingulis beneficijs per ſe ſpectatis, vt dixi, ergo & vtrique ſimul, quia non efficiunt vnum, neq; intenſiue, vt ſic dicam, augent obligationem beneficiorum. Quocirca ſi contingat, Eccleſiam vnius beneficij conuenire in Breuiario cum Eccleſia domicilij, ſine dubio illa eſt præferenda, ſaltem ad melius eſſe, ſi vero in omnibus ſit diuerſus orãdi modus, res eſt magis arbitraria, & poterit vnuſquiſq; in praxi eligere quãcunq; ex dictis ſentẽtijs.

D. Thom.

9\. Dico ſecundo: Iuxta nouum Ius Pij V. omnes Eccleſiaſtici, qui tenentur ex pręcepto recitare horas Canonicas, tenentur eas dicere iuxta formam à Pio V. ſeu Clemente VIII. reformatam, & approbatam; his demptis, qui pertinent ad illas diœceſes, vel religiones in eadem conſtitutione Pij V. exceptas eo quod habeant antiquiorem recitandi modum ex inſtitutione, vel conſuetudine, quę ducentos annos excedat, approbata. Hoc tam clare habetur in dicta Bulla Pij V. vt nulla alia declaratione, vel probatione indigeat. Solum quæri poteſt circa hanc exceptionem, an clerici, vel Religioſi talium Eccleſiarum, vel ordinum aliud antiquius Breuiarium retinẽtium, poſsint, ſi velint, priuatim recitare iuxta Pij V. Breuiarium. Ad quod iuxta opinionem Caietani ſupra citatã dicendum eſt poſſe, at iuxta noſtram ſententiam negandum eſt; videturq; hoc colligi ex illis verbis eiuſdem Bullæ: *Quibus, vt inueteratum illud ius dicendi, & pſallendi ſuũ officium non adimimus, ſic eiſdem, ſi forte hoc noſtrũ, quod modo peruulgatum eſt, magis placeat, dummodo Epiſcopus, & vniuerſum Capitulum in eo conſentiat, vt id in choro dicere, pſallere poſſint: permittimus.* Non ergo licet vnicuiq; priuata auctoritate vti illo Breuiario Romano, vbi aliud legitime retinetur. Dices hæc verba non multum cogere, propter particulam illam, *in choro*, imo ex ea poſſe argumẽtum à contrario, vel ab ſpeciali ſumi, quia ſolum ad vſum chori requiritur conſenſus Capituli, & Epiſcopi. Ergo ad priuatam recitationem nõ poſtulatur, ſed vnicuiq; intelligitur permiſſa. Reſpondemus, eſto, ex illis verbis immediate non colligatur eſſe neceſſarium conſenſum Epiſcopi, & Capituli in eo caſu ad priuatum vſum, colligi nihilominus mediate, quia illa conſtitutio nullam mutationem facit in illis Eccleſiis, niſi ipſæ voluntarie eam faciant, ergo ibi relinquitur integrum, ius commune, ſed ius commune eſt vt ſinguli in recitando ſequi debeant Matricem, ſeu ordinem ſuum, ergo illud ius ibi durat. Item in illis diœceſibus nõ poſſunt parochi in ſuis Eccleſiis introducere Breuiarium Romanum ſua auctoritate, at illi cum recitant, tenentur ſequi morem Eccleſiæ ſuæ, vt viſum eſt, ergo. Et hoc quidem videtur per ſe verius, nihilominus tamẽ propter opiniones, & quia res non videtur magni momenti, non auderem damnare mortalis peccati eum, qui oppoſitum faceret.

2. Aſſertio. Eccleſiaſtici qui tenentur recitare horas Canonicas id facere debent iuxta formam à Pio V. ſeu Clem. 8. approbatam exceptis ibi exemptis.

10\. *Vbi Prælatorum negligentia effectum eſt, vt alio Breuiario à Romano Pij V vtantur clerici, neque antiquiori 200. annis poſſunt ipſi, ac debẽt, ſi poſſunt contra conſuetud. nem, Romano vti.*

Sed quid ſi alicubi non eſſet receptum Breuiarium Pij V. non quia de ſe ibi etiam non obligaret, ſed ex negligentia Prælatorum, qui licet non vterentur prius Breuiario antiquiori ducentis annis, nouum Romanum introducere, & promulgare neglexerunt? Suppoſitis autem quę de choro diximus, hoc paruam habet dubitationem. Dixi enim, conſuetudinem illam prauam eſſe, & contra hoc præceptum, ſeu Breuiarium non præualere. Vnde conſequenter aſſero, vbi id accidiſſet, poſſe licite omnes clericos priuatim recitare iuxta Romanum Breuiarium, quia non poſſunt obligari ad imitandum ritum iniqua conſuetudine retentum, & Põtificia auctoritate efficaciter abrogatum. Imo aſſero clericos ſingulos ad hoc teneri, ſi commode poſſint, quia per ſe obligantur præcepto Pontificio, quod non pendet ex Epiſcopi, vel Matricis Eccleſiæ acceptatione, nec ex noua promulgatione in partibus ſingulis facta, quia Romæ facta ſufficit, cum lex ipſa expreſſe aliam non requirat, ſed contrarium expreſſe decernat.

11\. *1. Sententia poſſe clericũ ſine graui cauſa. & peccato, voluntarie officium huius diei recitare*

Tertio videndum eſt, an in hoc ipſo Breuiario (idẽq; eſt de quolibet alio, cuius vſus ſit legitimus) pertineat ad rigorem præcepti, ſeruare formam eius vt applicatam ad tale tempus, vel diẽ, id eſt, an ſit in pręcepto in aduentu officium aduentus dicere, in Quadrageſima, de illa? Et ſimiliter in die Sancti Stephani de illo dicere, & nõ de feria, vel è contrario. Et ſic de alijs. Quidam abſolute negant hoc eſſe

Digitized by Google

eſſe in præcepto, ac ſubinde aſſerunt non eſſe peccatum mortale ſcienter, & ſine cogente cauſa hanc mutationem facere ex indiſcreta deuotione, vel ex quadam accidia, ſeu remiſsione animi, vt facilius, aut breuius officium expediant. Ita Syluest. verb. *Hora*, q.12. Maior in 4.d.12.q.6. Caiet. in Sum. verb. *Hora*, §.3. Fundamentum eſt, quia ſubſtantia huius præcepti eſt de recitandis ſeptem horis Canonicis, quod vero ſit hoc modo, vel illo, id eſt, de feria, vel Sancto, &c. pertinet ad accidentalem modum; & ideo in illius mutatione non eſt grauis transgreſsio præcepti, quę ad mortale peccatū ſufficiat. Quam rationem indicauit etiam Anton. 3.p.tit.13.c.4.§.3. & ideo ſolet pro hac ſententia referri, ſed ibi non de hoc agit, & oppoſitum potius ſentit.

Syluest. Maior. Caiet.

D. Anton.

12. *3 Aſſertio. Peccatū eſt de ſe mutare officium diei in recitandis horis Canonicis mortale ex ſuo genere leue ex paruitate, nullū ex graui cauſa, vel diſpēſatione.*

Hęc autem ſententia, & eius ratio nunquam mihi probari potuit. Dico ergo tertio: Malum de ſe ac peccatum eſſe, mutare officium diei in recitandis horis Canonicis, & genere ſuo poſſe eſſe mortale peccatum, poſſet autem eſſe leue ex paruitate materiæ, vel omnino excuſari ex graui cauſa, aut iuſta diſpenſatione. Hanc aſſertionem in ſententia docet Nauar. de Orat. c.19.n.211. vſque ad 219. eandem inſinuat Anton. ſupra §.2. & 5. Cardinal. in Clemēt. 2. de Celeb. Miſſar. notab. 6. vt Nauar. refert: Tabiena etiam verb. *Hora*, q.10. verb. Anton. in dicto §.2. transſcripſit, & q. 16. concludit, non euadere graue peccatum, qui ad libitum ſuum mutat conſuetum officium; Armilla etiam n.13. dicit eſſe peccatum, ſed non declarat eſſe mortale; Angel. n.14. dicit eſſe mortale, licet addat limitationem, niſi in ordinatis ad titulum patrimonij, ſine fundamento, vt ſupra dictum eſt, & bene probat Nauarrus. Prima ergo pars, nimirum, hoc eſſe peccatum, probatur, quia eſt contra pręceptum Eccleſiaſticum. Nam ſiue dicatur hoc eſſe præceptum de ſubſtantia actus, ſiue de circumſtantia, non poteſt negari, quin obligatio præcepti ad hoc extēdatur. Alias etiamſi volūtarie omitteretur, nullum eſſet peccatum, quod alij Doctores affirmare non audent. Præterea, in Decretis ſupra citatis c. *De iis*, & c. vlt. d. 12. abſolute præcipitur conformitas in modo recitandi; & in c. *Conuenit*, de Conſecr. d.5. abſolute dicitur: *Cōuenit, Eccleſiæ ordinem ab omnibus cuſtodiri*, tractat autem de ordine in modo dicendi officium. Et Pius V. præcipit officiū dici iuxta formam ab ipſo præſcriptā: ad formam autē illam pertinet diſtributio officij per tempora, feſtiuitates, ſeu ſolennitates, & dies; tota ergo illa forma de ſe ſub præceptum cadit, ergo qui illam voluntarie mutat, peccatum cōmittit.

13. *Præceptū de mutando ex tenſum pro toto anno, eſt veluti hetero geneum.*

Vnde conſiderandum eſt, hoc præceptum licet vna lex ſit, tamen virtute continere multa, eſſeque veluti cauſam vniuerſalem, quæ ad varios dies applicata non inducit vniformem obligationem, ſed tempori, & diei proportionatam. Nō eſt ergo præceptum hoc quaſi homogeneum, ſed (vt ita dicā) heterogeneum ex diuerſis partibus conſtans. Vel certe ſi præcepta ſingulorum dierū conſiderentur vt numero diſtincta, non ſunt omnino ſimilia, ſed vnumquodq; obligat ad determinatum officium talis diei. Alioqui mere liberum, & volūtarium eſſet dicere vnum potius, quam aliud, ſed ad ſummū eſſet opus conſilij, vel ſupererogationis, & ad melius eſſe, quod profecto à communi ſenſu, & à debita inſtitutione officij abhorret. Vnde quoad hoc parum valet fundamentum contrariæ ſententiæ: tum quia (vt dicebam) ſiue præceptū ſit de hac determinationē tanquam pertinente ad ſubſtantiam, ſiue ad modū actus, ſatis eſt, quod modus ille præcipiatur. Tum maxime, quia licet ſubſtantia præcepti in genere ſit de ſeptem horis in genere, tamen ſubſtantia præcepti in particulari, & in indiuiduo, prout tali tempore, & die applicatur, eſt de ſeptem horis talibus, & quoad talem ſubſtātiam in indiuiduo, id eſt, quod conſtet ex his pſalmis, his lectionibus: ſicut conſtare ex his carnibus, & oſsibus pertinet ad ſubſtantiam indiuiduā Petri. Sic ergo pertinet ad ſubſtantiam huius præcepti, etiam modus officij de tali tempore, die, &c. Et hoc confirmat ſententia illa D. Thom. quodlib. 1. art. 13. *Parum refert quoad Deū dicere Dixit Dominus, vel Laudate pueri, dummodo dicatur id, quod ſtatutum eſt*: quando ergo lege determinatum eſt, quod eſt dicendum, multum refert illud dicere, & non aliud.

Fundamentum 1 ſententiæ corruit.

Ex his facile probatur ſecunda pars, nimirum hoc peccatum eſſe mortale ex ſuo generę. Nam illud peccatum dicitur mortale ex genere, quod intra ſuum genus, & ſpeciem ſine additione circumſtantiæ mutantis ſpeciem, poteſt eſſe mortale, vt ſuppono ex materia de Peccatis: tale autem eſt hoc peccatum. Quod probo primo, quia ſi quis vellet omni tempore dicere Paſchale officium, quia breuius eſt, ſine dubio grauiter peccaret: item qui omnibus feriis diceret officium feriæ tertiæ, quia breuius: item qui ſemper, & quotidie eodē modo recitaret, vt memoriter, & facile diceret: quæ omnia iuxta priorem opinionem poſſunt fieri ſine peccato mortali, quod mihi nunquam perſuaderi potui, etiam vt probabile. Vnde Nauarrus ſupra fatetur, peccare mortaliter eum, qui frequenter has mutationes facit ad libitum. Pręcipue tamen peccare videtur, qui officium mutat, ſolum vt aliquam notabilem partem orationis diminuat. Si enim aliquis dicendo Matutinum die Dominica, & officium illius diei, omitteret in primo nocturno nouē pſalmos, & tres tantum diceret, mortaliter peccaret, ſicut viſum eſt ſupra: quomodo ergo eſt credibile, non peccare mortaliter, qui in Dominica recitat officium feriæ tertiæ, ſolum vt breuius officiū dicat? Præterea, præceptū hoc ex genere ſuo pertinet ad grauiſsimam virtutē, quæ eſt Religio, ergo iſto ex capite continet grauem obligationem, & alioqui de ſe cadere poteſt in materiam grauē, nam ex vi talis præcepti in indiuiduo continetur totū hoc, videlicet vt hi pſalmi, hæ lectiones, & cætera talia dicantur: & licet hæc non omittantur omnino, quando commutantur, tamen fieri poteſt, vt in illa commutatione fiat enormis læſio, ſeu grauis deceptio contra præceptum. Et ex hoc capite puto eſſe expendendam grauitatem culpę, vtiq; ex grauitate materiæ, quæ prudenti arbitrio penſanda eſt.

14. *Probatur 2. pars aſſertionis, id eſt, eſſe mortale peccatum ex ſuo genere.*

Vnde poſſunt etiam alię partes facile declarari; nam ex leuitate materiæ poteſt hoc peccatum eſſe veniale, vt ſi officium ſit æquiualens in quantitate, vel fere; & mutatio non fiat ex contemptu, neque animo eam ſæpe faciendi pro libito; ſed ex aliqua occaſione leui, minuſq; rationabili. Deinde, quoties hæc mutatio fit ex inaduertentia, quamuis non ſit inuincibilis, ſed culpabilis, non videtur culpa grauis, nec tenetur quis iterum Matutinum repetere, vel quid ſimile; quamuis ſi officium omiſſum eſſet notabiliter maius, neceſſarium videatur, aliquam compenſationem facere, ſi poteſt intra eundem diem, vt ſi pro Matutino Dominicę dictum ſit officium Sancti, deberēt addi, ſaltem ex nocturnis Dominicæ nouē pſalmi, ne tanta pars officij omitteretur. In aliis vero caſibus ordinarie iactura eſt leuis, & ideo ſi mutatio iam inuenitur inaduertenter facta, & culpa leuis cenſenda eſt, & non manet obligatio illam emēdandi cum nouo graui onere. Atq; hinc vlterius fit, vt ex iuſta cauſa poſsit interdū hæc mutatio fieri ſine vlla culpa, vt omnes fere Doctores dicunt. Puta, ſi neceſſe ſit iuuare alium, quando charitas, vel prudētia dictat expedire, vel ſi nunc non eſt copia alterius Breuiarij; & poſtea nimium grauabor recitando, vel impediar ab ſtudio neceſſario, vel alio ſimili opere pietatis.

15. *Aliæ aſſertionis partes cōprobantur, quando ex leuitate materia eſt veniale peccatum mutare officium.*

Eſt autem vlterius aduertēdum circa hoc punctum, & præcedens, ſupra citatos Doctores fere vnanimiter aſſerere, non ſolum Papam, ſed etiam

16. *Sum. Pontifex valide.*

Epiſcopos

& licite diſpenſat, cum quocunque vt relicto ſuo officio recitet Romanum, & licet id faciat propter ſolam deuotionem: è contra vero ſine legitima cauſa non erit licita diſpenſatio, licet ſit valida.

Epiſcopos poſſe ex iuſta cauſa in hoc diſpenſare. Et de Pontifice quidem non habet hoc dubium; de Epiſcopo vero, aut alio Prælato habente Epiſcopalem iuriſdictionem, non videtur hoc tam certum; nec eodem modo ad omnes applicandum. De Põtifice ergo aſſero poſſe in primis diſpenſare cum quocunq; clerico, vel Monacho, vt officiũ Romanum recitet, etiamſi alias teneretur iuxta regulam, vel Eccleſiam ſuam recitare. Imo cenſeo hanc licentiam, & valide, & licite dari, vel propter ſolam deuotionem, vel ob decentiam aliquam illius perſonæ, cui conceditur per modum cuiuſdam priuilegij, ſeu exemptionis, vel quia Pontifex habet ſupremam poteſtatem extendẽdi legem ſuã ad perſonas, quas voluerit, vel ſuæ obedientiæ reſeruare, quos voluerit: vnde illa non tam eſt diſpenſatio, quam reductio ad ius commune, & ideo ſine cauſa iuſte fieri poteſt. At vero ſi Papa velit cum aliquo diſpenſare, vt non recitet officium Romanum, ad quod antea tenebatur, oportet, vt ex legitima cauſa id faciat, alias male faciet, licet diſpenſatio futura ſit valida iuxta communem doctrinam de diſpenſatione legum humanarum. Et pari ratione, ſi cum eo, qui tenebatur recitare iuxta regulam Sancti Benedicti, v.g. diſpenſet, vt non ſecundum illam, nec ſecundum Romanum ritum alterius Eccleſiæ, vel Religionis recitet, neceſſaria erit cauſa, vt iuſte id fiat, quia illa etiam eſt pura diſpenſatio in communi iure, quæ non debet fieri ſine cauſa.

17. *Præcedens diſpenſatio ab Epiſcopo facta ſine iuſta cauſa eſt nulla, cum iuſta eſt valida, maxime ad certũ tempus. Nauar.*

At vero Epiſcopus, vel ſimilis Prælatus non poteſt ſine cauſa diſpenſare cum eo, qui tenetur iuxta ritum Pij V. recitare, vt aliter recitet, quia illa obligatio naſcitur ex lege Superioris, in qua non poteſt inferior diſpenſare, ſaltem ſine cauſa, vnde ſi ita diſpenſet, non ſolum iniuſta, ſed etiam inualida eſt diſpenſatio. Nihilominus ex iuſta cauſa probabile eſt, poſſe id facere, vt Nauar. & alij dicunt: quia cõmuniter ſolet hæc poteſtas eſſe conceſſa Epiſcopis in his Eccleſiaſticis legibus. Crediderim tamen, poſſe quidem dari cauſam ad ſic diſpenſandum in vno, vel alio occurrente caſu: tamen ad cõcedendam diſpenſationem permanentem, vt quis poſſit ſemper, & pro arbitrio ſuo id facere, non dari poteſtatem in Epiſcopo, moraliter loquẽdo, quia non poteſt Epiſcopus hoc modo diſpenſare in aliis legibus Eccleſiaſticis, nec ad id poteſt moralis neceſſitas occurrere. Præterea, vbi diſpenſatio daretur ad mutandum officiũ propriæ religionis, vel diœceſis, ad quod aliquis obligatur: tunc ſi Prælatus facultatem faciat ſubdito non recitãdi illud, ſed Romanum, facile poterit iuſtificari diſpenſatio, quia veluti intrinſece ſecum affert honeſtatem quandã, & in recitatione priuata non habet inconueniens magni momenti, nec quoad illam eſt limitata poteſtas Prælatorum per conſtitutionem Pij V. ſemper vero erit aliqua cauſa neceſſaria, nec acceptio perſonarum fiat. Maior vero cauſa neceſſaria erit, ſi detur licẽtia ad faciendas mutationes alias communi iuri, & conſuetudini repugnantes: adeo vt ob hanc rationem videatur nulla, ſi à tali Prælato abſque cauſa concedatur.

Capvt XXIV.

An facere aliquam mutationem in ordine, vel continuatione horarum in priuata recitatione, graue peccatum ſit?

1. *Quid ſit inuerſio ordinis.*

DVo in hoc titulo inſinuãtur: vnum de peruerſione ordinis: aliud de interruptione horarum; quæ breuiter expedientur, quia leuiora ſunt. Inuerſio ergo ordinis inter horas eſt, quando illa, quæ natura ſua, ſeu inſtitutione eſt prior, poſterius dicitur, & è conuerſo. Et ideo ante omnia videndũ eſt, vnde ſumatur initium Diuini officij, & qualis ſit ordo præſcriptus.

1. *Officium Diuinum vt ex ſeptem horis conſtat incipit à Matutino vt vero eſt officiũ Martyris, vel incipit à Veſperis præcedentibus. D. Thom.*

De initio dixerunt aliqui ſumi à veſperis præcedentis diei: quod D. Thomas docuiſſe videtur in Quodlib. 5. artic. vlt. ad 1. Et hoc maxime videtur probari, quia in diebus ſolennioribus officium habet duas veſperas, & ita officium incipit à primis: ergo ſignum eſt officium de ſe inde inchoari. Alij dicũt, inchoari officium à Matutino, quia iuxta inſtitutionem in media nocte inchoandum eſt, dies autem naturalis iuxta Eccleſiæ vſum à media nocte in mediam noctem computatur, vt etiam D. Thomas teſtatur 3. p. q. 80. art. 8. ad 5. & in 4. d. 13. q. 1. art. 2. qu. 4. ad 3. Ergo officium diei incipit à Matutino, cum in prima hora diei inchoatur. At officium Canonicum eſt integrum officium vnius diei naturalis, vt ſupra viſum eſt, ergo tale officiũ à Matutino incipit. Sed hic non poteſt eſſe quæſtio de re; quantum vero ad præſens inſtitutum ſpectat hic poſterior modus loquendi eſt ſimpliciter verus, & melior. Vt tamen clarius res conſtet, diſtinguere poſſumus officium illud, quod eſt materia huius præcepti, obligatq; ſingulis diebus, & officiũ, quod fit in cultum, vel honorem alicuius Sancti. Hoc poſteriori modo dici poteſt officium Eccleſiæ incipere à primis Veſperis, non tamen ſimpliciter officium diei, ſed officium talis Sancti, vel myſterij. Neque etiã ſemper eodem modo, ſed in aliquibus ab initio primarum veſperarum, in aliis à Capitulo earundem veſperarũ, vt in ſimplicibus: ſed hoc parum refert ad præceptum, quia eo non obſtante, veſperæ priores ſemper pertinent ad præceptum, prout obligat eo die, in quo dicuntur, de Matutino autem ſequente eſt quaſi diſtinctum præceptum. Ita vt ſi quis omittat hodie veſperas Sancti Matthiæ, cuius feſtum cras celebratur, & ſequenti die Matutinum omittat, duo peccata mortalia committat, etiamſi cæteras minores horas ſequentis diei recitet, cum tamen ſi omittat Matutinum, & reliquas horas ſequẽtis diei, vnum tantum peccatum mortale committat, vt infra dicemus. Ergo ſignum eſt, Matutinum in ordine ad præceptum componere vnum officium cũ veſperis ſequentibus, non cum antecedentibus, atq; ita totum hoc officium, vt eſt vnum, ex horis ſeptem conſtans, inchoari à Matutino, & abſolui in completorio cum certo ordine horarum intermediarum, qui ſatis notus eſt. Quãdo ergo anticipatur celebritas à Veſperis, nõ componunt vnum officium cum horis ſequentis diei, ſed Eccleſia vult officium integrum cum dimidio (vt ſic dicam) in honorem talis Sancti, vel memoriam talis myſterij celebrare. Sicut interdum extendit ſolennitatem per octo dies, & non ideo ex omnibus fit vnum officium. Et interdum finit officium Sancti in Nona, non tamen officium diei. Hic ergo de officio diei agimus.

3. *Triplex in officio mutatio proponitur, & iuxta primam ſtatuitur non eſſe inchoandum officiũ vnius diei, niſi expleto alterius, idque ſub veniali ſi voluntarie, & ſine cauſa fiat.*

Vnde quod ad primum punctum propoſitum ſpectat, triplex ordo poteſt in hoc officio conſiderari; vnus eſt inter officium vnius diei, & alterius; alius eſt inter horas eiuſdem diei: tertius inter partes eiuſdem horæ quoad primum clarum eſt, rectum ordinem poſtulare, vt non inchoetur officiũ diei ſequentis ante expletum officium diei præcedentis: & conſequenter ſi aliter fiat, voluntarie, & ſine cauſa, nonnullum peccatum committi. Vt ſi quis dicat hac nocte Matutinũ diei craſtinæ prius, quam dicat Veſperam, & Completorium diei præſentis. Ratio eſſe videtur, quia licet ex officio diei præſentis, & ſequentis non componatur vnum officium, & ideo non videantur habere inter ſe ordinem, tamen ex inſtitutione, & intẽtione Eccleſiæ ita eſt ordinata ſeries officiorum diuerſorum dierum, vt prius expleri debeat præcedens, quam ſequens inchoetur, & ita etiã habet conſuetudo. Accedit, quod regulariter non fit talis inuerſio, niſi

nimium

nimium poſtponendo, vel anticipando alteram illarum horarum. Vnde ſi ſpectemus originariam inſtitutionem, non incipiebat legitimum tempus ad inchoandum officium ſequentis diei, donec eſſet integrè abſolutum tempus horarum præcedentis diei: nam tempus inchoandi horas diei, eſt media nox, & tunc finitur tempus aptum ad officium præcedentis diei. Quamuis enim in principio noctis legitimè finiantur, vt ſupra vidimus, reliquum tẽpus noctis vſque ad mediam noctem poteſt in rigore ſufficere, vt in eo compleatur, quod dilatum fuerit. Nunc vero ex vſu anticipatum eſt tempus ad Matutinum ſufficiens, vt ſupra dictum eſt, & ſtatim iterũ dicetur. Videtur autem eodem vſu illa licentia anticipandi Matutinum, ſub ea conditione data, quod officium præcedentis diei prius fuerit conſummatum. Ergo inuerſio illius ordinis non fit ſine aliqua culpa: communiter tamen illa culpa cenſetur venialis, quia non derogat ſubſtantiæ orationis, nec minuit illam, & alioqui non continet deformitatẽ grauem, ſicut ſtatim de alijs dicemus. Quapropter ſi rationabilis cauſa intercedat, poterit excuſari omnis culpa, vt iam dicemus in puncto ſimili.

4.

2. Mutatio in ordine horarum eiuſdem diei per ſe loquendo non fit ſine peccato, ſed non mortale maximè in recitatione priuata.

Altera mutatio eſt in ordine horarum eiuſdem diei, de qua etiam certum eſt per ſe loquendo, non fieri ſine peccato, quia eſt inuerſo ordinis debiti, & fit aliquo modo cõtra inſtitutionem. Nihilominus omnes etiam iudicant, ſecluſo contemptu, illam nõ eſſe materiam grauem, quæ ad mortale peccatum ſufficiat, quia in ſubſtantia impletur præceptum, & defectus eſt in quodam accidente, & eſt priuatus defectus, quo parum offenditur Eccleſia, & ſcandalum non timetur. Vnde addunt ex morali cauſa, prudenti arbitrio ponderanda, poſſe interdum fieri ſine vlla culpa, vt ad iuuãdum infirmum, vel Prælatum, vel vt horæ melius dicantur in alijs circumſtãtijs grauioribus, quãdo alias timetur impedimẽtum, vel incommoditas. Illud denique certum eſt, ſi caſu accidat, vt hora poſterior ante priorẽ dicta ſit, per incogitantiã, vel obliuionem etiam negligentem, non eſſe neceſſarium repetere horam iam dictam, ſed ſatis eſſe ſupplere prætermiſſam tempore habili, id eſt eodem die, quia quoad Deum integra fit oratio, ac æque poteſt Eccleſiæ prodeſſe, & non obligatur quis cum tanto onere ad reſtituendum (vt ſic dicam) ſeu redintegrandum horarum ordinem: & in his conueniunt Summiſtæ, & alij Doctores ſuperius citati, quos omitto, quia res facilis eſt. Qui ſanè loquuntur de recitatione priuata, de publica verò, quæ in choro fit, nihil dicũt, tamẽ in illa grauior eſt materia, vt ſupra dixi.

5.

3 Mutatio inter partes eiuſdẽ horæ non fit ſine peccato veniali graui, & aliquãdo ex cõtemptu poteſt eſſe mortale.

Tertia denique mutatio eſſe poteſt inter partes eiuſdem, vt ſiquis mutet ordinem pſalmorum, vel inter ſe, vel cum lectionibus, Capitulis, aut hymnis, & ſimilia. Et de hac mutatione idem fere eſt iudicium, & ita auctores indifferenter de his omnibus loquuntur. Videtur autem mihi hæc mutatio ſi voluntariè, & cum aduertentia fiat, multo magis irrationabilis. Quia vix poteſt habere apparentem prętextum excuſationis, aut honeſtatis, vnde videtur continere quandam ſpeciem contemptus, pulchritudinem, & artificium horarum corrumpendo: nã illud in ordine partium, & compoſitione earũ inter ſe maximè conſiſtit. Et ideo hęc inuerſio non fit voluntariè, ſine graui peccato veniali, & ſi fiat ex contemptu, erit mortale. Aliquando vero poteſt rationabilis cauſa interuenire, vt ſiquis dicat laudes expletis pſalmis matutinis, quãdo deeſt copia libri ad dicendas lectiones, quia poſtea graues, & iuſtæ occupationes poſſunt impedire laudes, ſi reſeruentur, vel quidpiam ſimile. Frequentius verò hoc accidere poteſt per obliuionem alicuius partis, quæ poſtea ſuppleri poteſt ſine repetitione aliarum, licet ordo non ſeruetur.

6. Occurrit autem inquirendum hoc loco de ordine inter matutinum, & Miſſam, an ſit peccatũ mortale dicere miſſam, nõ dicto matutino? Ita enim affirmarunt quamplures Summiſtæ, & Canoniſtæ, vt retuli 3. tom. de Sacram. diſp. 82 ſect. 1. quibus nunc addo Durant. li. 3. de Ritib. c. 24. Graſſis lib. 2. cap. 4. Azor tom. 1. lib. 10. c. 10. q. 4. & c. 28 q. 17. qui alios allegant. Qui non addunt probationem nouam præter conſuetudinem. Contrariam verò ſententiam, ſcilicet ex obiecto, & ſecluſo contemptu, non eſſe peccatum mortale dicere Miſſam ante matutinum, tenuerunt Syluest. & Soto, quos citato loco retuli, quos non ſolum ſequitur Arag. 2. 2 q. 83. art. 12. dub. 5. ſed etiam priorem ſententiam procul dubio falſam eſſe dicit, & ſine ratione aſſertam. Valent. autem ſuo 3 tom diſp. 6. q 2 punct. 10. § 5. ſolum dicit hanc partem eſſe probabilem. Quam ſimpliciter tradiderunt. Ludo. Lop. 2. p. Inſtruct. c. 79. § *Denique neq; hic*, & c. 105. § *Nunc autem* Carbo. li. 9. de Legib. d. 9. Emanu. Rodri. in Q. regul. tom. 1. q. 43. ar. 3 in fin. & in Sum. p. 1 c. 244. n. 22. Leonar. Leſ. lib. 2. de Iuſt. ca. 37. notat. vlt. Henr. li. 9. de Miſſa c 24. numer. 17. vbi plures Theologos Salmanticenſes allegat. Tolet. etiam lib. 2. c. 1. Inſtruct. prius ſimpliciter negat eſſe hoc peccatum mortale, poſtea verò indicat non eſſe omnino tutam hanc opinionem, quia contraria eſt valde communis. Et quidem dubium non eſt, quin ſit melius practicè ſequi priorem ſententiam: tamen nihilominus poſterior eſt ſimpliciter ſecura, & in rigore vera, quod late probaui in 3. tomo loco citato. Et pręcipue oſtendi conſuetudinem non fuiſſe introductam intuitu talis ordinis, nec quia recitatio Matutini ſit diſpoſitio per ſe requiſita ad Miſſam, ſed quia ex temporibus ab Eccleſia deſignatis ad Matutinum dicatur ante Miſſam: ſicut etiam eſt conſuetudo dicendi Veſperas poſt Miſſam, quæ ex eodem principio orta eſt, & ideo per ſe non obligat ad talem ordinem.

Ordo dicendi matutinum ante ſacrificiũ miſſa, nec cadit ſub preceptũ nec per ſe eſt materia grauis ſecluſo ſcandalo.

Durant. Graſſis. Azor. Syluest. Soto. Aragon. Valent. Ledeſm. Lop. Carbo. Emanuel Rodri. Leonar. Leſ. Henr. Tolet.

7. Obiicitur autem: quia hinc ſumunt Clerici occaſionem differendi Matutinũ. Reſpondeo, vt alias etiam dixi, occaſionem eſſe acceptam non datam, neque propter abuſum paucorum eſſe introducendam grauem obligationem, vbi neque lex, neque materia cogit. Deinde non diximus hoc nullum eſſe peccatum, ſi abſque rationabili cauſa fiat, ſed tantum dicimus non eſſe mortale, ſecluſo contemptu, erit tamen veniale, tum quia non poteſt vel Matutinum, vel Miſſa, vel vtrumque non dici intempeſtiuo tempore, quod (factum ſine cauſa) ſufficit ad venialem culpam: tum etiam propter rubricas Miſſalis. Quia vero aliqui ex illis etiam colligunt, hoc eſſe peccatum mortale, breuiter hoc expendendum eſt. Ponderant enim quod Pius V. in ſuo Breui in principio Miſſalis, directe, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit Miſſam dici iuxta ritum Miſſalis, & vt alias cæremonias addere, vel mutare non præſumant. Et poſtea in principio rituum ſeruandorum in Miſſa, dicitur: *Præuia confeſſione cum opus fuerit, & ſaltem matutino cum laudibus abſoluto, orationi aliquãtulum vacet.* Vnde concludunt, ſub priori generali præcepto hoc particulari præmittendi Matutinum contineri, & ita eſſe peccatum mortale illud violare. Sed collectio eſt parui momenti, tum quia illud generale pręceptum non obligat cum illo rigore ad obſeruandas ſingulas regulas, & ordinationes Miſſalis in particulari, ſed generaliter ad vtendum illo ritu, & non introducẽdum alium: in particulari verò ad ſingula iuxta modum, quo vnaquæq; res præcipitur, ordinatur, aut conſulitur, & iuxta grauitatẽ eius, vt in eodem 3. tom. diſpu. 83. & 84 ſect. vltimis declaraui, in illa autem particulari regula non ponitur verbum indicans præceptum graue, & potius præſuppoſitiuè (vt ſic dicam) quam præceptiue proponitur, qui modus dicendi etiam in rebus conſilij ſeruari ſolet: vnde quod ibi ſimul ponitur de vacãdo aliquantulũ orationi, cõſilium eſt, vel ſimplex

quædam directio. Præterea illa proprie non pertinent ad ritus Miſſæ ibi inſtitutos, & præceptos, ſed præſupponuntur iuxta eam conuenientiam, vel obligationem, quæ ſecundum ſe habent, ibi vero ex vi illorum verborum nulla adiungitur obligatio.

8. Magis mouere poteſt, quod infra ſub titulo de Defectibus in celebratione Miſſæ.c.10.de Defectib. in miniſtro &c. inter illos defectus ponitur: *Si celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.* Vbi etiam præſupponitur, hunc eſſe defectum, & conſequẽter peccatum: nam in primo capite eiuſdem tituli dictum fuerat: *Alij vero ſunt defectus, qui in Miſſæ celebratione occurrentes, & ſi veritatem Sacramenti non impediant, poſſunt tamen cum peccato, aut ſcandalo contingere,* ſed in his vltimis verbis expendo in primis, non dicere *cum peccato mortali,* ſed ſimpliciter, *cum peccato,* quod etiam dicitur de veniali. Secundo licet diceret cum peccato mortali, non dicit ſemper ita fieri, ſed poſſe fieri quod vere dicitur de hoc defectu: nam ſine dubio fieri poteſt cum peccato mortali, aut ratione ſcandali, vel etiam propter contemptum Per ſe autem dicimus eſſe defectum, qui ſi ſine iuſta cauſa fiat culpabilis eſt, quia non fit ſine aliqua negligentia, aut mutatione circumſtantiæ temporis debiti Matutino, vel Miſſæ, nec ſine aliqua irreuerentia circa Diuinum cultũ, non tamen eſt peccatum mortale ſecluſo ſcandalo, & cõtemptu. Quia Matutinum nõ poſtulatur, vt neceſſaria animæ diſpoſitio ad celebrandum, nec inter eas ponitur in Miſſali in dicto titul. cap. 8. de Defect. bus diſpoſitionis animæ (quod notandum eſt, neque ordo inter Miſſam, & Matutinum eſt per ſe, nec mutatio eius eſt res grauis, magis quam dicere omnes minores horas, etiam Completorium ante Matutinum, vel ante Miſſam, & ſimilia. Vnde etiam conſtat, minorem defectum eſſe dictis Nocturnis dicere Miſſam ante laudes, quia minor eſt materia, & mutatio: nihilominus aliqualis eſt defectus, vt in eadem Rubrica ſupponitur, facilius tamen, & ex leuiori cauſa poterit à culpa excuſari. De prima autem facilior eſt excuſatio, quia ibi non ponitur inter defectus, vnde immerito Palud. dicta diſtinct. 13. quæſtione 2. articulo ſecundo, & Anton. 3. part. titul. 13. capi. 6. §. 4. in fine eodem modo de Prima, quo de Matutino loquuntur: reliquo vero Authores nullam in prima obligationem agnoſcunt, magis quam in alijs horis. Vnde ſolum oportet obſeruare, vt ſingula dicantur ſine magna temporum mutatione, vel vt rationabilis cauſa intercedat.

Palud.
Anton.

9. *Interruptio vnius horæ ab alia, etiã vnius nocturni ab alio, ſi ſit moderata non eſt damnanda.*

Quinta mutatio in dicendis horis Canonicis eſſe poteſt interruptio horarum per aliquam temporis moram. Quæ poteſt intelligi, vel inter diuerſas horas, vel in vna, & eadem. De priori nõ agimus quia certum eſt in illa interruptione per ſe nullam eſſe culpam, ſicut ſupra de choro dictum eſt: ſi vero inde oriatur dilatio temporis in altera hora, eſt per accidens, & culpa inde ſecuta nõ excedet grauitatem, quæ eſt in temporis dilatione, de qua poſtea videbimus. Præterea non agimus de interruptione Matutinorum à laudibus, quatenus per modum duarum horarum dici poſſunt: nam in hoc etiam nullam culpam agnoſcimus, vt ſupra tractatum eſt: item eadem ratione non agimus de interpollatione nocturnorum inter ſe, quia ſi non ſit nimia, ſed moderata, & proportionata antiquæ conſuetudini, ſine peccato fieri poteſt, præſertim ſi quælibet rationabilis occaſio, vel commoditas melius recitandi interueniat, de quo etiam ſatis eſt in ſuperioribus dictum. Agimus ergo de interruptione aut inter Pſalmos eiuſdem horæ, vel nocturni, aut inter pſalmos, & lectiones, vel capitulum; & de alijs ſimilibus.

10. *Interruptio inter partes eiuſdẽ horæ ſi ſit notabilis, & moralis, ſeu libera, ac ſine rationabili cauſa eſt peccaminoſa.*

De hac ergo interruptione generalis regula eſt, ſi ſit notabilis, & moralis, & ſine rationabili cauſa fiat, ſine peccato non fieri. Ita docent omnes, & ratio eſt, quia vnitas vniuſcuiuſque horę pertinet ad ſolennem ritum, & formam præſcriptam in his horis recitandis: illa autem vnitas tollitur, vel multum minuitur per hanc interruptionem, ergo. Dixi autem oportere, vt interruptio notabilis ſit, vtique quoad temporis moram, quia ſi ſit breuiſsima, pro nihilo reputatur: quando autem notabilis ſit prudentis arbitrio relinquitur: nam in lõgiori hora, Verbi Gratia in Matutino maior temporis mora neceſſaria erit, vt cenſeatur notabilis interruptio quam in Tertia, & cæt. Itaque cum proportione ad horam, quæ dicitur, & ad partem officij, in qua fit interruptio, penſanda erit moræ quantitas: nam aliquid maius permitti poteſt inter pſalmum, & pſalmum, quam in medio eiuſdem pſalmi, & ſic de alijs. Dixi etiam debere eſſe moralem, quia debet eſſe voluntaria, & libera: nam ſi ex neceſsitate aliqua contingat, non cenſebitur moralis interruptio. Vnde quia iuſta cauſa inducit quandam neceſsitatem moralem, ideo poteſt excuſationem afferre, vt omnes etiam fatentur, ne interruptio moralis cenſeatur. Addunt aliqui, vt interruptio ſit moralis, imò vt ſit interruptio, neceſſariam eſſe intentionem finiendi horas inchoatas poſt talem moram: nam ſi intermittat recitationem inchoatam animo iterum inchoandi illam, non erit interruptio, neque vlla culpa. Sed forte cum hac intentione poterit aliquando eſſe interruptio, vt infra dicam. Et non caret omni culpa hoc modo intermittere inchoatum officium ex leuitate animi, & ſine cauſa Augum. cap. *Illud,* & cap. *Nihil.* 7. quæſtione prima. quia non caret irreuerentia aliqua erga Deũm, leuiter omittere colloquium cum illo inchoatum, etiamſi fiat cum animo iterum colloquendi, non erit tamen talis culpa mortalis, ſi poſteà hora dicatur vel compleatur, vt ſtatim dicam.

11. *Interruptio quæ ſit interpoſita aliqua actione poteſt eſſe mortalis, venialis, & meritoria.*

Vt autem hanc culpam, & quãtitatem, vel excuſationem eius declaremus, duo poſſunt in hac interruptione conſiderari: vnũ eſt ceſſatio ab inchoata recitatione, per quam formaliter (vt ſic dicam) ſit interruptio. Aliud eſt actio, quæ, loco orationis eo tempore fit: nam moraliter loquendo illa ceſſatio non eſt per puram omiſsionem, ſed occaſione alterius actionis, quæ tunc fit. Ex qualitate ergo huius actionis multum pendet, vel quantitas culpæ, vel excuſatio. Interdum enim fit interruptio per alia verba, & colloquia cum homine, & tunc ſi verba ſint profana, & non neceſſaria, nec valde vtilia augent culpam, & ſpecialiter ſunt prohibita in ca. *Nullus,* de Conſecrat. d. 5. & clarius in c. *Dolentes,* de Celebrat. Miſſar. ſiue interruptio fiat loquendo, ſiue intendẽdo ad verba ſimilia, quæ alij loquuntur, & ex natura rei cõſtat, eſſe indecorum interrumpere ſermonem cum Deo propter inutilia verba. Vnde addo, tam turpia, vel indecẽtia verba eſſe poſſe, vt ſit grauis, & mortalis culpa contra Religionem propter irreuerentiam in Deum: eſto non ita hoc ſit contra præceptum recitandi, quin poſsit poſtea eadem hora compleri poſt illam actionem moraliter peccaminoſam, quià ſicut præcepta, & malitiæ diuerſarũ rationum. Aliquando vero poſſunt verba eſſe honeſta, & neceſſaria, & breuia & tũc poterit facile excuſari omnis culpa, vt latè proſequitur Nauar. c. 16. nu. 66. & ſequentibus. Interdum poſſunt eſſe verba deuotionis cum ſocio, & vtilia, vel ad intelligentiam eorum, quæ dicuntur, vel ad maiorem attentionem, & deuotionem in reliqua parte officij excitandam, & tunc ſi prudenter, & moderatè fiat, non ſolum non eſt culpa: verum etiam non eſt interruptio, quia totum hoc deſeruit officio. Et ſimili modo dum quis ſolus recitat, licet verba aliqua iaculatoria ad Deum intermiſceat, vel per aliquam moram in eis detineatur ex pia deuotione, totum hoc ſine culpa fieri poteſt, nec reputatur mora-

Ca. Nullus.
C. Dolentes.
Nauar.

Digitized by Google

moralis interruptio, quia iuuat orationem ipſam, & eſt conſentaneum fini eius, ſemper tamen eſt neceſſaria prudentia, & moderatio. Idem fere dicendum eſt, quando interruptio fit per alias actiones. Nam ſi ſint actiones vanæ, vel impertinentes peccaminoſa eſt interruptio: ſi verò actio ſit honeſta, & intercedat aliqua rationabilis cauſa, vt non differantur, nulla erit culpa. Maximè verò honeſtare poteſt interruptionem, ſi aliquid fiat ad tollendam aliquam occaſionem diſtractionis, vt ſi aliquid interius ſollicitat mentem, & ideo breuiter notetur, ſeu ſcribatur, aut famulo præcipiatur, vel quid ſimile.

Capvt XXV.

Vtrum qui priuatim recitant, teneantur integre horas Canonicas recitare, vel aliquid præter illas, & quomodo hoc non implendo peccent.

1. *Primū punctum, de integritate in orando. Qui obligatur ad offic. Diuinum, tenetur recitare ſeptem horas Canonicas integre. Cap. Dolentes.*

TRia in hoc titulo proponuntur, quæ breuiter in hoc capite explicanda ſunt. Vnum eſt de integritate in orando. Aliud, quid pertineat ad hanc integritatem. Tertium eſt de violatione huius integritatis. Circa primum generatim loquendo, manifeſtum eſt, eum qui hoc præcepto aſtringitur, teneri ad recitādas integrè ſeptem horas Canonicas, ſicut qui tenetur audire Miſſam, tenetur integram audire. Quia æquè datur hoc præceptum de tota illa precatione, ſicut aliud datur de audienda Miſſa. Et de hoc ſunt expreſſa Iura cap. 1. & capit. *Dolentes*, de Celebr. Miſſ. & Clemen. 1. eod. tit. & conſentiunt omnes Doctores. Interrogari vero hic poteſt an vnuſquiſque, qui priuatim recitat, obligetur ſuo ore proferre totum hoc officium, vel ſatisfaciat cum ſocio recitando, & partim dicendo, partim audiendo? Reſpondeo, ſine dubitatione ſatisfacere poſſe vtroque modo, & liberum ei eſſe, prout voluerit, recitare. Hoc conſtat ex praxi Eccleſiæ, & ex communi omniū ſententia. Et prior pars per ſe nota eſt, quia ſi quis ſolus recitat, tunc per ſe omnia dicit, & ita etiam ex parte ſubiecti (vt ſic dicam) & quaſi materialiter integre recitat. Suppono enim quod ex parte obiecti, ſeu materiæ omnia dicat, quæ dicenda ſunt. Secunda verò pars ex recitatione in choro deriuata videtur: cum enim in choro Eccleſia introduxerit vſum alternis recitandi, & priuata oratio quaſi ſubrogata ſit loco publicæ pro his, qui ad publicam non concurrunt, idem modus recitandi cum proportione pro priuata oratione conceſſus eſt. Ad quod probandum ſufficit conſuetudo. Vnde Concilium Baſil. Seſſ. 21. §. 4. ſub titulo: *Quomodo horæ Canonicæ extra chorum dicendæ ſint. Admonet, vt non in gutture, neque inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones, vel colloquia, aut riſus intermiſcendo, ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati, diurnum, nocturnumque officium reuerenter, verbiſque diſtinctis peragant.* (*Conc. Baſil.*)

2. *Recitantes priuatim poſſunt modum recitādi in choro imitari.*

Atque hinc ſequitur, quando priuatim recitatur cum ſocio, poſſe recitantes in hac alternatione officij modum recitandi in choro imitari, imò illum eſſe optimum recitandi modum, quia ſeruata proportione, erit choro ſimilior, niſi forte in aliquo aliud habeat conſuetudo. Itaque recitari poteſt cum ſocio, ſiue ille obligatus ſit ad recitandum, ſiue liber ab illa obligatione, vt cum ſcholari, vel famulo, tum quia etiam in choro id fieri poteſt, vt cōſtat ex cap. 1. de Celebrat. Miſſar. tum quia ita habet conſuetudo, tum etiam quia vt ego ſatisfaciam meæ obligationi, parum refert, quod alter ex obligatione recitet, necne, dūmodo ita pronūciet, vt poſſim ego omnia percipere, & quaſi per illum dicere. Dubitari autem poteſt, an ſocius tūc teneatur ſub mortali ad attendēdū his, quæ recitat? Reſpondeo, non teneri, quia nec ad recitandum alterum tenetur, vt ſuprà dixi, nec ipſe ſe obligat quaſi ex voto ad orandum, ſed ſolum ex natura orationis voluntariæ, nec ab Eccleſia ei imponitur ſpecialis obligatio: nec ex natura rei ſequitur propter cooperationem cum alio, qui obligatur, quia alter per ſe implet totam ſuā obligationem, partim dicendo, partim audiendo attentè quæ alius recitat: ergo ex vi cooperationis ſolum neceſſarium eſt, quod ita legat, vel alius poſſit attente audire.

3. *Plures poſſunt Diuinū officiū recitare, plures tamē quam duos choros facere nequeunt. Clem. Papa.*

Præterea ſequitur, poſſe hoc officium priuatim recitari à tribus, quatuor, vel pluribus, quia eſt eadē ratio. Poteſtque ſumi ex Clemente Papa in libr. 8. Conſtit. cap 34. vbi monet, vt quando non poſſunt in Eccleſiam ad horas dicendas conuenire, *Vnuſquiſque pſallat ſibi, canat, aut oret, ſaltem duo ſimul, aut tres.* Sicut ergo duo poſſunt dicere alternis, ita & tres, vel plures. Oportet tamen aduertere tunc non licere eis in recitandis pſalmis plures, quam duos choros facere, id eſt, ſigillatim iuxta numerum perſonarum verſus dicere, ita vt ſemper vnus tantum dicat, & alij audiant, ita enim fieret, vt ſinguli non dicerent, niſi tertiam, vel quartam verſuum, quod non ſufficit, quia eſt contra vſum Eccleſiæ, debent ergo dicere vnus ex vna parte, & duo ex alia, vel bini, & bini, aut vnus in vno choro, & reliqui in alio, ita vt alternis dicant. Et tunc ſatis erit, quod vnuſquiſque dicto ſuo verſu, percipere poſſit verſum alterius chori, ſiue ab vno tantum, ſiue ab omnibus ſimul audiat, id enim nihil refert. Hoc autem locum habet in pſalmis, nam in lectionibus, capitulis, & orationibus, ſatis eſt, quod vno dicente, alij audiant, nam ita in choro fit, & ratio lectionis hoc magis poſtulat, eſtque melior ordo, nam ſi plures ſimul legerent, confuſionem parerent, & ita habet conſuetudo, & docent Auctores infra referendi.

4. *Quando plures recitant lectiones per ſuas vices dicere poſſunt, nihil tamen inconueniet, ſi omnes ab vno dicantur.*

Solet autem interrogari, an neceſſe ſit, quando duo recitant, alternatim lectionem dicere, vel ſi ſint tres, vel plures vt ſuo ordine dicant: vel poſſit vnus omnes dicere. Reſpondeo, communem vſum eſſe, vt omnes per vices ſuas dicant, quia id videtur magis accommodatum, & vrbanum. Abſolute vero dico non eſſe neceſſarium: ſed poſſe omnes Lectiones ab vno dici. Ratio eſt, quia in choro ſatisfaciunt fere omnes, audiendo omnes lectiones, licet nullam dicant, ergo ad integritatem officii ex hac parte ſatis eſt lectionem audire attente, nam quod ſocii congregati ad recitandum, plures ſint, vel pauciores, accidentarium eſt. Item in ipſo choro poſſet vnus plures, vel omnes lectiones dicere, ſi id magis eſſet gratum omnibus audientibus, nulla eſt enim lex, quæ hæc prohibeat, nec refert aliquid ad integritatem officij, & recitationis omnium qui adſunt, idē ergo fieri poterit in priuata oratione, ſi id commodius ſit.

5. *Cōmunior, ac commodior vſus eſt vt vnus tantum dicat Antiphonā, poſtquam alter pſalmū finiuit, & hic rurſus inchoet antiphonam ſequentis pſalmi.*

De Antiphonis verò interrogari ſolet, licet in principio pſalmi ab vno tantum inchoari debeant, an in fine, vel quoties integrè dicuntur, debeant ab omnibus recitantibus ſimul dici, quia ita fit in choro, & ideo ita eſſe faciendum aliqui Summiſtæ docuerunt. Sed licet poſſit ita fieri, non eſt neceſſariū, quia communior vſus eſt, vt vnus tantum dicat Antiphonam, poſtquam alter pſalmum finiuit, & hic rurſus inchoet Antiphonam pro pſalmo ſequenti, ita vt Antiphonæ ſubeant vicem verſuum, & alternatim, ſeu ſucceſſiue dicantur. Qui modus videtur optimus, & ſatis expeditus, & cum proportione idē ſeruari poteſt in Reſponſorijs, & verſiculis. Et in vniuerſum in hac priuata oratione videtur commodius, vt vterque chorus nunquam coniungatur in dicendo, ſed per mutuas vices, ſeu alternis omnia dicantur: ſic enim diſtinctior, & clarior fit oratio. Vnde hoc habet locum in his, quæ alte recitantur, nam

Digitized by Google

nam ea quæ ſecretè, vt *Pater*, *Aue*, ſymbolum, *Salue*, & ſiquid eſt aliud, à ſingulis dici debent, quia tunc non poteſt vnus audire ab alio, & ideo neceſſe eſt, vt ipſe dicat. Atque hæc doctrina ſumitur ex Syluestr. ver. *Hora*, q. 7 & Nauar. ca. 10 de Orat. q. 17. & vterq; alios refert, qui parum, aut nihil dicunt.

Syluest. Nauar.

6 *Recenſentur alia conditiones ad integritatem officij Diuini pertinentes. C. Dolentes. Clem. 1. de Cel Miſſ. Conc. Baſil. Concil. Aquiſgr. D. Bernar.*

Et ex dictis in hoc puncto conſtat, in priuata recitatione neceſſarium eſſe ſeruare, quæ circa modum recitandi præcipiuntur in d. c. *Dolentes* & Clem. 1. de Celeb. Miſſ. & breuiter attinguntur in Conc. Baſil. ſupra, & in Aquiſgr. ſub Ludo. c. 131. nimirum vt diſtinctè, & intelligibiliter omnia dicantur quando cũ ſocio dicuntur: item, vt non dicantur verba ſyncopando, vel corrumpendo illa, *nõ præſcindentes verba dimidia, non integra tranſilientes*, vt dixit Bern. ſer. 47. in Cantica: ac denique non tanta celeritate dicẽdo, vt attentio impediatur. Ratio omnium eſt: quia præterquam quod hæc omnia ſunt in Iure diſtinctè præcepta, pertinẽt ad integritatem, & debitum modum talis orationis, & ideo in ipſo præcepto virtute continentur. Quantũ vero in hoc peccetur, quando fit aliqua diminutio in verbis, aut verſibus, paulo inferius explicabimus. Regulariter tamen, quãdo nõ fit propria mutilatio, ſed aliqualis corruptio, & mutatio potius in deſinentijs ſyllabarum, quam in omiſſione earum non eſt peccatum mortale, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, quia tota oratio dicitur integra quoad ſubſtãtiam, & modus ille nõ mutat ſignificationem verborum, nec impedit, vt cõmuniter intelligatur, quid per ea ſignificetur, & ideo cum tali defectu impletur præceptum, nec oportet illud repetere, quamuis cauẽdus omnino, & reprehendẽdus ſit, quod bene notauit Azor li. 10. c. 7. quæſt. 11.

Azor.

7 *2. Punctum de his quæ pertinent ad integritatem in orando. 1. Regula vbi Breuiarium Pij obligat extra chorum non eſt obligatio dicendi hæc officia ordinarie niſi quando ab illo præcipiuntur.*

Circa ſecundum punctum propoſitum tractari poſſunt omnia, quæ de officio paruo Beatæ Virginis, officio defunctorum, Pſalmis gradualibus, Septem pſalmis pœnitentialibus, & Litanijs in ſuperioribus quoad chorum tractata ſunt, tamẽ ex ibi dictis facilis eſt hic reſolutio, quæ ad duas regulas reducitur. Vna eſt, vbi Breuiarium Romanum à Pio V. traditum obligat, extra chorum non eſt obligatio dicendi hæc officia ordinarie, id eſt, niſi quando in ipſomet Breuiario ſpecialiter præcipitur. Regula hæc conſtat ex ipſo Breui Pij V. vbi declarat, ſe auferre obligationem ad hæc dicenda ſub diſcrimine peccati, licet exhortetur ad hæc dicenda iuxta Breuiarij regulas & indulgẽtias id faciẽtibus concedat.

8 *Si aliqua Eccleſia voluntarie dicat de more minora officia in choro non tenentur clerici recipientes Breuiar. Rom. ea dicere.*

Hęc autem immunitas ab illa obligatione extenditur ad omnes, qui vti debẽt, vel de facto licite cõformantur Breuiarij Pij V. in ritu recitandi, nã ſicut ſuſcipiunt onus ab ipſo impoſitum, ita etiam gaudẽt leuamine ab eodem conceſſo. Sed quid ſi non obſtante conceſſione Pij V. Eccleſia volũtarie retineat vſum dicendi has preces in choro, numquid clerici aut beneficiarij eius priuatim recitantes tenebuntur illa parua officia dicerę? Reſpondeo, non teneri, quia Pius abſtulit obligationem, & deuotio capituli, vel cleri dicendi illa officia in choro non poteſt ſingulis imponere obligationem quoad priuatam recitationem. Dixi autem *ordinarie*, quia non obſtãte illa conceſſione, obligantur omnes ad dicẽdum officium defunctorum præter horas Canonicas diei in anniuerſario defunctorum, prima die poſt feſtum omnium Sanctorum: item obligantur ad dicendas Litanias cum precibus annexis in die Sancti Marci, & tribus diebus ante aſcenſionem, niſi adſint publicis proceſſionibus.

9 *Quando ad officium defunctorum, & Litanias & quare clerici obligentur.*

Ratio eſt, quia hæc ſpecialiter præcipiũtur in eodem Breuiario, & ideo non intelliguntur compreherſa in illo Breui quoad illam indulgentiam. Nam in primis ibi non fit mentio Litaniarũ, quatenus per ſe, & ſeparatim à pſalmis pœnitentialibus dici præcipiuntur vt ſit in illis quatuor diebus anni, & non in alijs. Et præterea in tribus diebus rogationum ſpecialiter id præcipitur in proprio officio illorum dierum eademque admonitio, quę in Breuiario Pij V. prætermiſſa fuerat, addita eſt in Breuiario Clementis in die S. Marci, quamuis res ipſa ſemper ita intellecta, & obſeruata fuerit. Et ſimiliter in die ſecunda Nouembris ſpecialiter deſignatur officium defunctorum, quare certum etiam eſt, nõ comprehendi in Breui ſub clauſula generali, nam illa intelligitur de rubricis generalibus, quæ habentur in fine Breuiarij, ad quas etiam fit remiſſio in vltima rubrica ex generalibus, quæ habentur in principio Breuiarij.

10 *2. Regula, qui retinent antiquum modum recitandi, ſi prius ex conſuetudine tenebantur ad hæc minora officia, & modo tenentur. D. Thom. Turrecr. Nauar.*

Altera regula eſt, eos, qui non vtuntur Breuiario Pij V. ſed retinent antiquum morem recitandi, ſi prius ex conſuetudine habebant obligationem recitandi hæc officia eodem modo nunc teneri. Suppono enim ante hoc Breuiarium clericos fuiſſe obligatos ad dicenda hæc parua officia, quando alias tenebantur recitare iuxta ritum ſuarum Eccleſiarum, in quibus hæc officia ex cõſuetudine præſcripta, vel ſtatuto approbato dicebantur in choro, quia tenentur clerici in recitando ſequi regulam ſuę Eccleſiæ, vt ſupra viſum eſt. Et de officio defunctorum id explicauit Diuus Thomas quodlib. 6. artic. 8. Turrecr. diſt. 91. in principio à 15. 16. Nauar. cum alijs, quos refert capit. 10. de Oration. numer. 3. & 4. Deinde ſuppono ex ſupra dictis in Eccleſiis, in quibus antea erat talis obligatio ex ritu antiquo, quem modo retinent, & non vtuntur Breuiario Pij eandem obligationem perdurare. Clerici ergo, qui nunc ſequũtur regulas talium Eccleſiarum, eadem obligatione tenebuntur, nec fruentur remiſſione Pij V. ſi Eccleſiæ ſuæ non fruentur illa, nam iuxta communem doctrinam proportionem inter ſe obſeruãt ſecluſo ſpeciali iure, & quaſi priuilegio, quod nec in dictis Eccleſijs, nec in clericis earum locum habet.

11 *Obligatio ad dicendũ officium B. Virginis, nec olim fuit de iure communi, nec modo eſt, ſi recte explicetur.*

Diſputari autem hic ſolet, an obligatio ad dicendum officium Virginis ante Pium V. fuerit de iure communi, vel ſolum iuxta conſuetudinem Eccleſiarum, ſed iam non eſt neceſſaria quæſtio, & re vera, (quidquid Nauar. contendat) vel illud ius commune nunquam fuit latum ab Vrbano 2. vt ipſe dicit, vel certe non fuit receptum, nec de illo ſatis cõſtat, & ita nunquam videtur fuiſſe illa obligatio vniuerſalis. Multo verò minus nunc eſt, ſed tantum modo declarato. Quomodo autem ex peculiari iure Pij V. habentes penſionem obligentur ad paruũ officium Virginis recitandum, iam ſupra explicatũ eſt, quomodo verò in illius omiſſione, vel in debita recitatione peccare poſſint, partim ex ſupra dictis in pręcedenti puncto, partim ex ſequente ſeruata proportione, ſumendum eſt.

12 *3. Punctum. De violatione huius præcepti vel integritatis eius Henr. & Angel. ſent. nõ eſſe peccat. mor. omittere officiũ vnius diei ſine cauſa.*

Circa tertium ergo punctum de violatione huius præcepti, vel integritatis eius fuit opinio cuiuſdam Henrici Anglici, quam refert Ang. ver. *Hora* n. 10. qui dixit, non eſſe peccatum mortale ex negligẽtia omittere integrum vnius diei officium Canonicum, ſed tunc ſolum eſt mortale, quando vel ex cõtemptu, aut tædio rerum Diuinarum, aut ex conſuetudine fit. Quam opinionem ait Angelus humaniorem eſſe, & tacitè videtur eam approbare, licet nihil amplius dicat. Hodie vero eſt hæc ſententia practice improbabilis, & plane eſſet temerarium illam aſſerere, quia eſt contra omnes Doctores ſine fundamẽto. Dicendum ergo in primis eſt, ſuppoſito præcepto, eſſe graue peccatum voluntarie omittere integrum officium Canonicum vnius diei, ſiue cum contemptu, aut tædio, ſiue ex ſola negligentia, dummodo omiſſio humana, ac libera, & voluntaria ſit, & ſine legitima excuſatione. Hæc aſſertio eſt communis Doctorum, vt ſtatim referam.

13 *Impugnatur prædicta ſententia.*

Ratio verò eſt, quia præceptũ hoc ex genere ſuo obligat ſub reatu mortalis culpæ, quia eſt de grauiſſima virtute & reſpicit Diuinum cultum, & totius

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ vtilitatem: materia item integra vnius officij totius diei naturalis eſt ſatis grauis, vt omnium ſapientum iudicio conſtat. Item omittere Miſſam in die feſto, vel vnius diei ieiunium præceptum frangere ex ſuo genere, & ex tali materia peccatũ mortale eſt, iuxta communem Eccleſiæ conſenſum, ergo & omiſsio omniũ horarum eſt peccatum mortale ſuppoſita obligatione talis præcepti. Quæ ratio procedit in illis tribus generibus perſonarum, quæ hac lege obligantur, clericis in ſacris, beneficiatis, & Religioſis profeſsis ad chorum. Neque oportet inter eos aliquam diſtinctionem in hoc facere, vt quidam tentarunt, quorum opinionem ſupra reiecimus. Poterit autem eſſe grauior, vel minus grauis culpa in eo, qui pluribus titulis, vel paucioribus ad hoc penſum ſoluendum obligatus fuerit, ſi cætera paria ſint, quia plures tituli augent obligationem, & conſequenter etiam aggrauant tranſgreſsionem.

14. *Notabilis pars officij vnius diei ſi omittatur de ſe eſt peccatũ mort. iuxta communem ſententiam.*

Secundo conueniunt omnes, omittere notabilem partem officij vnius diei eſſe de ſe peccatum mortale: dico autem de ſe ad excludendas cauſas excuſantes, de quibus infra dicendum eſt: atque ita docent communiter Doctores ex eodẽ fundamento, quod pars notabilis eſt etiam materia grauis iudicio prudentum, item ob hanc cauſam non ſolum eſt peccatum mortale omittere in die feſto totam Miſſam, ſed etiam notabilem partem eius iuxta cap. *Miſſas* 2. de Conſec. d. 1. vt alibi latius tractaui. Item facit, quod officia Diuina nõ ſunt imperfecta relinquenda, ca. *Illud*, c. *Nihil* 7. q. 1. ſi ergo mutilatio grauis ſit, peccatum erit graue. Ita Nauarrus dicto ca. 7. cum Palud. 4. d. 15. q. 5. Turrecr. in ca. *Eleutherius*, d. 91. in 1 & 2. ar. Henric. Quodlib. 11. qu. 30. vbi etiam de toto officio, & de ſingulis horis loquitur, & indiſtincte de clericis in ſacris, beneficiatis, & Religioſis: Syluest. verb. *Hora*, q. 12. præſertim dicto 5. & omnes Summiſtæ, & Soto ſupra. Qui etiam fatentur, ſi pars non ſit notabilis, ſed parua, peccatum eſſe veniale ex materiæ leuitate: nam hoc commune eſt omnibus peccatis, quæ ex materiæ quãtitate augmẽtum, vel diminutionem recipiunt.

Nauar. Palud. Turrecr. Henr. Syluest. Soto.

15. *Varia Doctorum ſententia, quæ nã pars notabilis ſit dicenda, vt ea omiſſa, mort. peccatum cõmittatur. Quæcumq; hora ex communi ſententia eſt notabilis. Nauar. opinio. D. Ant. opinio.*

Dubitant tamen, quæ pars officij iudicanda ſit ita notabilis, vt illius omiſsio ad peccatũ mortale ſufficiat: conueniunt omnes quamcumque ex ſeptem horis, etiam minimam, vt Tertiam, vel Completorium, eſſe partem notabilem, & ſufficientem, vt eius omiſsio ſit læthalis. Ratio eſt, quia iudicio prudentum ita æſtimatur: poteſtque declarari, quia illa eſt notabilis deformitas, ac mutilatio Diuini officij, item quia quælibet hora eſt materia ſufficiens, ſi ſola præciperetur, vt ſub reatu mortalis culpæ imponeretur, ſed nunc ita præcipiuntur ſingulæ horæ, ac ſi vnaquæq; ſola, & per ſe præciperetur. Addit præterea Nauar. dicto cap. 7. numer. 44. in vnaquaque hora dimittere notabilem partem eius eſſe graue peccatum: notabilem autem partem vniuſcuiuſque horæ eſſe tertiam partem eius dixit Anton. ibi ab eodem Nauar. relatus. Ipſe autem ca. 10. de Orat. num. 43. & 44. cenſet eſſe partem notabilem in prima, vel tertia omittere totum initium vſque ad primum pſalmum incluſiuè *quia illa eſt* (inquit) *circiter tertia pars*, vnde non ſolum tertiam partem minimę horæ, ſed etiam minorem partem ſentit eſſe notabilem. Sumit etiam argumentũ ex eo, quod in choro deſignatur illa tanquam pars ſufficiens ad non lucrandam totius horæ diſtributionẽ, ſcilicet ſi quis nõ ingrediatur chorum ante primum pſalmum finitum, iuxta communem conſuetudinem probatã etiam in Conſilio Baſil. ſeſſ. 21. §. 3. ergo ſignum eſt, illam æſtimari partem notabilem. Sed hoc argumentum (vt ſupra attigi) non eſt efficax, quia illud ſtatutum, vel conſuetudo non fundatur neceſſario in mortali culpa, ſed in prudẽti gubernatione chori, quia multi homines magis mouentur timore pœnæ, vel incommodi, quam culpę, nam interdum

Conci. Baſil.

non eſt peccatum mortale abeſſe à choro per integram horam, licèt iuſtè quis diſtributione illius priuetur: eſt etiam valde rigoroſum, damnare homines in perpetuum propter omiſsionem partis tam paruæ minimæ horæ.

16. *Nõ eſt grauitas huius materiæ ſumenda ex quantitate Arithmetica alicuius partis, ſed prudentis arbitrio materia eſt conſideranda.*

Quocirca non videtur grauitas huius materiæ penſanda ex quantitate alicuius partis aliquotæ, id eſt, ex eo quod ſit tertia, vel quarta pars alicuius horæ, ſed ex quantitate, vel magnitudine abſoluta eius partis, quæ omittitur, conſiderata etiam dignitate eius, & deformitate, quam per ſe affert in officio Diuino ſecundum prudentem æſtimationem. Itaque ſi totum Matutinum cum Laudibus eſt vna hora, vnus nocturnus ex tribus erit quarta pars totius illius horæ: & nihilominus mihi videtur materia grauis, & ſufficiens ad peccatum mortale, ſi omittatur: quia fortaſſe eſt maior pars officij totius diei quam ſit Nona, vel Completorium, & quod reſpectu horæ proximæ, cuius eſt pars ſit minor, quam tertia pars, parum videtur referre. Quare ſi è contrario quis omitteret fere dimidiam partem Completorij, non auderem dicere, illum peccare mortaliter: quia re vera reſpectu totius officij diei, illa non videtur notabilis pars: nec in ſe, & abſolute videtur tam grauis materia. Vnde non ſequitur: Tertia pars horæ eſt notabilis reſpectu talis horæ, ergo eſt notabilis ſimpliciter ad peccandum mortaliter: quia eſt collectio à ſecundum quid ad ſimpliciter: & ratio eſt, quia vna hora non eſt adæquata materia huius præcepti, ſed totum officium vnius diei. Non eſt ergo pro regula ſumenda hæc proportio, ſed abſolutè eſt materia conſideranda, & prudenti arbitrio æſtimanda. Et ſaltem videtur neceſſarium, vt nulla hora integra dimittatur, neq; pars alicuius horæ, quæ æquiualeat minimæ horæ, vel dimidiæ parti eius. Si autem hanc non attingat, non videtur eſſe peccatum mortale.

17. *1. Sententia aſſerens ſeptem eſſe peccat. mor. omittere integrum officium vnius diei.*

Præterea, dubitari ſolet hoc loco, an omittere omnes horas vnius diei, ſint ſeptem peccata, vel vnum, quod dubium debet intelligi de peccatis conſummatis, & externis, nam interna poſſunt numero multiplicari, etiam circa vnam, & eandem horam, ſicut poteſt quis ſæpius peccare mortaliter in die feſto dimittendo Miſſam, repetendo internam voluntatem non audiendi, in temporibus diſtinctis cum interruptione morali, vt latius in 4. tom. 3. part. diſp. 22. ſect. 5. num. 4. & ſequentibus diximus. Igitur de omiſsione externa, & conſummata quidã dicunt, eſſe ſeptem peccata, ſi vnius diei ſeptem horæ omittantur, ſicut ſi in ſeptem diebus omitterentur ſingulę horæ, vel in Quadrageſima integra hebdomada ieiuniorum, eſſent ſex peccata. Ita Tabiena verb. *Hora*, quæſt. 18. & ratio eſt, quia putat, tot eſſe præcepta precandi in die, quot ſunt horæ Canonicæ.

Tabien.

18. *2. Et contraria ſentẽtia eſt cõmunis & verior, explicanda tamen. Sylueſtr. Nauar. D. Ant. Turrecr. Fundamẽt.*

Contraria ſententia eſt communis, ſcilicet, hoc tantum eſſe vnum peccatum, vt conſtat ex Sylueſt. quæſtion. 12. Nauar. capit. 7. numer. 6. cum Anton. Turrecr. & alijs, quos referunt. Ratio eorum eſt, quia præceptũm de toto officio vnius diei vnicum eſt, & omnes horæ ſunt partes vnius officij, tãquam vnius actionis moralis integræ, & ideo illius totius vna eſt omiſsio integra, atque ita vnum peccatum. Licet omittere officia duorum dierum, vel partes eorum ſint peccata diſtincta, quia ex horis diuerſorum dierum non componitur vnum officium, nec poteſt vnum cum altero moraliter continuari, cuius ſignum eſt, quia intra eũdem diem poteſt impleri obligatio dicendi quamcumque horam illius diei, non verò in altero die. Atque hic modus dicẽdi melior eſt, & in rigore verus, licet quoad affectus morales non multum referri videatur, ſic, vel aliter loqui. Nam apud Deum, ſi cætera ſint paria, ex parte voluntatis, non minus peccat, nec minorem pœnam meretur iſte, ſiue dicatur ſemel pec-

Digitized by Google

caſſe ſiue ſepties. In ordine etiã ad confeſsionem nõ puto ſatisfacere, qui omiſit ſeptem horas, dicendo, Peccaui grauiter contra hanc obligationem, ſed oportet vt dicat ſeptem horas omiſiſſe, quia notabiliter inde aggrauatur culpa, & iudicium de illa, & ita in ordine ad confeſsionem, ſiue dicãtur eſſe vnum, ſiue ſeptem peccata, eodem modo poſſunt aperiri. Per ordinem autem ad cenſuras poteſt aliqua vtilitas in hoc conſiderari.

19. *Peccatum omiſſionis recitandi conſummatur effectu, quãdo quis deliberate non vult recitare eo die, conſummatur re vſque ad finem diei, quando omiſsio non poteſt iam non eſſe, vel fuiſſe.*

Quod vt explicem, inquiro rurſus, quando peccatum hoc omiſsionis in re ipſa, & in effectu conſummetur: dico in re, & in effectu, quia in affectu conſummatur ſtatim, ac homo deliberat illo die non recitare, vel omnes, vel aliquam horam, quod peccatum, vt dixi, poteſt multiplicari per moralẽ interruptionem, & multiplicationem internorum actuũ, non ſolum circa diuerſas, ſed etiam circa vnam horam. Tamen ipſum peccatum omiſsionis nõ ſtatim conſummatur, cuius aliquale ſignum eſt, quia ſi ſit lata excommunicatio propter talem omiſsionem, non ſtatim incurritur, vt mox dicam. Propterea ergo inquiritur, quando conſummetur omiſsio hæc. Et videtur non conſummari vſque ad finem diei, quando omiſsio illa ita in re poſita eſt, vt non poſsit iam non eſſe, vel fuiſſe. Vnde qui toto mane non recitauit Matutinum animo non dicendi illud eo die, nondum re ipſa omiſit, quia ſi mutet voluntatem, & à prandio dicat, verum eſt dicere re ipſa non omiſiſſe, & ideo non incurret cenſuras, vel alias pœnas contra omittentes impoſitas. Et idem argumentum fieri poteſt de ſingulis horis diei vſq; ad vltimam. In vltima vero quaſi vno continuo tractu conſummatur, omiſsio omnium horarum per modum vnius, ideoque proprie dicitur eſſe vnum peccatum, quod non eſt perfecte conſummatum, donec tempus omnium horarum præteritum ſit, nam ſi circa finem diei retractaret quis voluntatem, & vnam horam diceret, non eſſet peccatum ita conſummatum, nec ſufficeret ad cẽſuram, ſi abſolute propter omiſsionem præcepti recitandi omnes horas lata eſſet, nam debet reſtringi ad conſummatam, & integram culpam, niſi aliud explicetur. Hoc igitur modo recte intelligitur, illud eſſe vnum peccatum mortale externum, & conſummatum. Et ceſſant obiectiones: nam omiſsio vnius diei ſiue integra, ſiue partialis nullo modo continuatur cum omiſsione diei alterius. Vnde ſi lata eſſet excommunicatio contra omnes peccantes mortaliter contra hoc præceptum, qui in vno die horas omnes omitteret, vnam tantum excommunicationẽ incurreret, ſi autem in duobus diebus tantum horas omitteret, duas cenſuras contraheret, quia bis illam incurreret, & duplici titulo.

20. *Omiſſio partium diſcreta in re, eſt vnum peccatum, non plura.*

Vnde infero, non recte ſentire, qui aſſerunt, licet omittere omnes horas diei ſit vnum peccatum: nihilominus omittere aliquas tantum earum quaſi diſcretas, & diſtantes inter ſe eſſe plura peccata, vel plures omiſsiones. Sicut occidere hominem, eſt vnum peccatum, & tamen mutilare illum, abſcindẽdo partes diſtinctas, & actionibus moraliter diſcretis ſunt plura peccata. Sic (aiũt) integra omiſsio horarum eſt vnum peccatum: tamen omittere nunc Primam, & poſtea dicere Tertiam, Sextam, & Nonam, & rurſus omittere Veſperã, duo peccata ſunt, quia ſunt veluti duę mutilationes in partibus diuerſis, & non vnitis, ſed diſcretis, & conſequenter per omiſsiones omnino diſtinctas. Hoc autem non recte conſideratum eſt, quia licet illæ partes diſtinctæ ſint ſecundum ſe, & diſcretæ, id eſt, non immediatè ſibi ſuccedentes ex vi inſtitutionis. Nihilominus omiſsio in re ipſa ſit quaſi continuato tempore, & per modum vnius tranſgreſsionis. Quia nulla hora omittitur ſimpliciter omiſsione externa, eo quod nõ dicatur ſuo tempore, etiam animo nunquam dicẽdi, vel etiam ſi aliæ poſteriores recitentur, quia quãdiu durat naturalis dies, eſt tempus habile ad implendam ſubſtantiam præcepti quoad actum externum, & ſi homo mutet voluntatem, & intra illam diem recitet horam, quam prætermiſerat, non poteſt dici illam omiſiſſe: ergo ſignum eſt per priorẽ tranſgreſsionem non omiſiſſe illam ſimpliciter, ſed in propoſito, nec in re completè, ſed tantum protunc. Vnde in fine diei quaſi continuè, & per modũ vnius conſummatur omiſsio illarum duarum horarum, quæ iam tunc poſſent immediatè dici vna poſt aliã, ſuppoſita recitatione aliarũ horarũ, & ſic impleretur præceptum, & vitaretur vtriuſq; omiſſio. Semper ergo omiſsio horarum vnius diei, vnũ peccatum eſt, ſiue omnes, ſiue plures earum omittantur, & ibi etiam computatur Matutinum etiam ſi incipiat omitti à nocte antecedentis diei cum prauo propoſito, quia ſemper omiſsio in ſequenti, & quaſi proprio die conſummatur.

Caput XXVI.

Vtrum in recitatione priuata neceſſaria ſit attentio ad implendam obligationem tam Eccleſiaſtici præcepti, quam iuſtitiæ, ſeu proprij beneficij?

1. *1. Sententia, Neminem teneri ſub mortali ad attentionẽ in officio Canonico dummodo integre recitet.*

Non agimus de his horis, quando ex priuata deuotione, & non ex obligatione dicuntur, quia tunc non eſt maior obligatio orandi attente in illis, quam in quacumque oratione vocali, quæ quidem non tranſcendit obligationem culpę venialis, vt ſupra viſum eſt. Et quod oratio fiat per hanc formam orandi, ſi ex obligatione nõ ſit, non addit rationem, vel circumſtantiam, quæ ex ſola rei natura ita aggrauet obligationem, vt ad tranſgreſsionem mortalem ſufficiat. Hinc ergo dixerunt aliqui præceptum hoc recitandi horas Canonicas non violari mortaliter eo quod ſine attentione oretur, dummodo totum officium voce ipſa integre proferatur. Fundamentum eſſe poteſt, quia Eccleſia non præcipit actum internum per ſe, & ex vi ſui præcepti, ſed externum, quia ſicut non iudicat de occultis, ita nec illa per ſe poteſt præcipere. Præcipit ergo per ſe tantum actum externum orandi, ad hunc autem ſequitur neceſsitas attentionis interioris, non ex præcepto Eccleſiæ, ſed ex natura rei, ergo non ſequitur cum maiori obligatione, quam ex ipſa rei natura conſequatur. Et ex natura rei obligatio ad attentionem adhibendam in oratione ſolum eſt ſub veniali peccato, ergo qui integre recitat horas Canonicas ſine attentione, implet pręceptum Eccleſiæ quoad ſubſtantiam eius, & ita non peccat mortaliter: peccabit autem venialiter contra naturale præceptum debito modo orandi. *Fundamentum.*

2. *Comprobatur ex iuribus, & Auctoribus eadem ſent. Ca. Dolētes, Hoſtienſ. Io. Andr. Anchar.*

Confirmatur: quia cap. *Dolentes,* in quo videtur hoc pręceptum expreſsius contineri, vel explicatur ſufficienter de externa deuotione, vt multi volunt, vel certe non continet præceptum quoad illa vltima verba, *Studioſe pariter, & deuote,* quia non ſimpliciter pręcipiuntur, ſed cum illa limitatione, *in quantum Deus eis dederit,* vt ibi Hoſtienſ. notat, & ſequitur: & Ioannes Andr. Anchar. & alij non diſſentiunt. Vnde hi videntur ſentire, non eſſe peccatum mortale ſine attentione recitare, etiam ſi ex pura negligentia, & cum aduertentia fiat: & ita ſolent pro hac parte citari, ſed nullus tam expreſſe loquitur, ſicut Hoſtienſ. Quem ſequitur Anto. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7. citans Vmber. & alios: & idem tenet Roſel. ver. *Hora,* n. 3. Piſana n. 3. Ang. (ſi attente legatur) in verb. *Hora,* n. 27. ait enim, ſi quis interius voluntarie diſtrahatur, eſſe tantum veniale, ſi verò exterius ſe occupet in actione contraria attentioni, eſſe peccatũ mortale; contra *D. Ant. Vmbert. Roſel. Piſana. Angel.*

Digitized by Google

contra cap. *Dolentes*, quod ita intelligit, videlicet, *Deuote, quantum Deus dederit*, id eſt, vitando omnia externa impedimenta attentioni contraria. Et hæc expoſitio fuit Durandi 4.d.15.q.12. n.6. cuius verba fere vſurpat Palud.ibi q.5.art.2.conc.4. Et ſequitur Syluester verb.*Hora*, q.11.& in Roſa aurea tract.3.q. 69. caſu 9. & Turrecrem.in cap. *Cantantes*, d.92.art. 3. licet non ſatis conſtanter loquatur. Eandem probabilem putat Med.de Orat.q.16. imo veram, ſuppoſito, quod Eccleſia non poſſit præcipere directe actum interiorem.

Durand. Angel. Paludan. Syluest. Roſa aur. Turrecr. Medina.

3\. *Vera communiusque ſentent. eſt peccatum mort. horas Canonicas ſine vlla attentione recitare. Gabr. Angel.*

Nihilominus eſt communis ſententia, eſſe peccatum mortale, horas Canonicas ſine vlla attentione dicere, id eſt, ſine formali, vel virtuali, quæ in ſuperiori libro à nobis declaratæ ſunt, & nullam fecimus mentionem de habituali, ſicut Gab. Angel. & alij. Tum quia attentio non dicit habitũ, ſed actum, tum quia ſupponimus, eſſe ſermonem de actu humano, alias non poteſt eſſe impletiuus præcepti, vt ſtatim dicetur: actus autẽ humanus non poteſt eſſe ab attentione tantum habituali, vt omnes ſupponunt, & per ſe conſtat. Actualis ergo, vel virtualis attentio ſufficit ex omniũ ſententia ad implendum præceptum hoc, ſi autem vtraque voluntarie deſit per voluntariam diſtractionem, & ex certa ſcientia ſeu aduertentia, quoad notabilem partem horæ, dicit hæc opinio eſſe peccatum mortale contra Eccleſiaſticum præceptum orandi, etiam ſi diſtractio ſit mere interna. Ita tenet Caietanus 2. 2. quæſt. 83. artic. 13. vbi Aragon. & alij, Soto lib. 10. de Iuſt. quæſt. 5. artic. 5. Concluſ. 7. Ledeſma in 4. part. 2. quæſt. 16. artic. 6. dub. 3. Maior in 4. d. 12. quæſt. 7. Nauarr. cap. 13. de Orat. Gabr. lect. 62. in Canon. Gerſon 3. tom. tract. de Orat. in parte illius Alphab. 78. lit. E. & F. in in fine, Tabiena verb. *Hora*, quæſt. 30.

Probatur Auctoribus. Caietan. Aragon. Soto. Ledeſm. Maior. Gabriel. Gerſon. Tabien.

4\. *D. Thomæ locum pro prima ſententia varie explicatur.*

Adduci ſolet pro hac ſententia Diuus Thomas 4. d. 15. quæſt. 4. artic. 2. quæſt. 4. ad 2. ſed ille non clare loquitur: verba eius ſunt, *quando aliquis ex propoſito mentem ad alia diſtrahit in orando, tunc ſine culpa non eſt, & præcipue ſi in alijs ſponte ſe occupat, quæ mentem diſtrahunt, ſicut ſunt exteriora opera. & ſi ad contrarium mens euagetur, etiam erit culpa mortalis*: vbi ſolum ponit culpam mortalem, quando euagatio mentis eſt ad contrarium. Quid autem ſit eſſe *ad contrarium*, D. Thomas non declarat: Paludanus autem, quem alij ſequuntur, intelligit idem eſſe, quod eſſe directe voluntariam, quia illa voluntas eſt contraria voluntati orandi: exponit autem, intelligendum eſſe de oratione, quæ ſit ſub Diuino præcepto, quia præceptum Diuinum cadit in actum interiorem: vnde ſi ipſa oratio cadit ſub præceptum Diuinum, etiam attẽtio ipſa cadit ſub idem præceptum, ideo diſtractio voluntaria, illi contraria, eſt peccatum mortale: non vero quando oratio eſt voluntaria, vt ſupra dictum eſt, neque quando eſt præcepta ſolo præcepto Eccleſiaſtico, vt ipſe putat. Sed certe limitatio hæc de præcepto Diuino aliena eſt à mente D. Thomæ, cum abſolute & ſimpliciter ipſe loquatur, & illa oratio ex præcepto Diuino rariſsime contingat. Aliter ergo, & facilius exponi poſſunt verba illa, *Si ad contrarium mens euagetur*, ex parte obiecti, id eſt, ſi euagetur ad obiectum contrarium Deo, ac Diuino cultui: hoc enim magis proprie illa verba ſignificant: & tunc meritò dicitur, euagatio eſſe peccatum mortale, vel ex ſuo genere, quia obiectũ illud eſt turpe, vel quid ſimile, vel ex iniuria Dei contra Religionem, quia non ſolum diſtrahitur mens, ſed etiam ad cogitationem directe Deo contrariam, & iniurioſam loquendo cum illo euagatur. Quod habet locum non ſolum in oratione præcepta, ſed etiam in voluntaria, & ideo ex illo loco non poteſt conſtare, quid Diuus Thomas ſenſerit in hac quæſtione, in qua de ſimplici carentia attentionis agimus ſine admiſtione grauioris culpæ ex parte rei cogitatæ. Vnde idem Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 83. artic. 13. ad 3. ſolum dixit, orare cum diſtractione ex propoſito eſſe peccatum, non vero declarat, an ſit mortale, vel veniale & tamen loquitur etiam de oratione in hymnis & pſalmis Eccleſiaſticis, quæ ad horas Canonicas pertinet.

Palud.

D. Thom.

5\. *1. Aſſertio. Ad implendum præceptum recitandi horas Canonicas neceſſe eſt accedere cũ propoſito orandi, & in eo ſerm. formaliter vel virtualiter durare.*

Nihilominus poſteriorem ſententiam exiſtimo omnino veram, & mihi moraliter certam: vt autem illam breuiter declarem & confirmem, ſuppono attentionẽ ab intentione diſtingui, & intentionem debere præcedere tanquam fundamentum attentionis, vt in ſuperiori libro cap. 3. late explicaui. Ab illo ergo fundamento inchoandum eſt ad explicandam veritatem, eiuſque radicem. Dico ergo primo: ad implendum præceptum recitãdi horas Canonicas, neceſſe eſt ad illas accedere cũ propoſito orandi, & in eo durare formaliter: vel virtualiter, quamdiu oratur. Hoc tamquam certum ſupponunt omnes, quia oratio præcepta debet eſſe actus humanus, ergo debet procedere ex propoſito & intentione operantis. Oportet verò addere, non eſſe ſatis habere intentionem legendi hos pſalmos, vel homilias, &c. ſed neceſſariam eſſe voluntatem orandi explicitam, ſeu æquiualentem aut implicitam, vt voluntatem laudandi Deum, vel colendi illum hoc genere actionis, vel ſatisfaciendi meo muneri, vt in citato loco declaraui. Et ratio in præſenti eſt, quia per hoc præceptum Eccleſiaſticum nõ præcipitur tantum hæc actio exterior legendi, vel cantandi materialiter ſumpta, quæ de ſe indifferens eſt, vt ſit oratio, vel vt ſit ſtudiũ, aut actio iucũda, & delectabilis cantanti, aut legenti, ſed præcipitur actio illa exterior, vt eſt oratio ad Deum, & cultum eius, vt ſuppono ex ſupra tractatis, & in ſequẽti aſſertione cõfirmabitur, ergo neceſſe eſt, vt ſub hac ratione ſit intenta & volita. Patet conſequentia, quia niſi ex tali intentione procedat, non eſt oratio, vt in citato loco probaui, quia per ſolam illã intentionem determinatur ad eſſe orationis, ſicut actio exterior, qua ſit Sacramentum, per intentionem miniſtri determinatur, vt ſacramentalis ſit. Confirmatur, quia actio præcepta debet eſſe humana, ſub qua ratione præcepta eſt, ſed illa actio exterior eſt præcepta, non vtcumq; ſed vt ſit oratio, ergo vt ſic debet eſſe humana, ergo vt ſic debet eſſe intenta, & voluntaria, alias non erit impletiua præcepti.

Probatur ratione.

6\. *Voluntas implendi præceptum recitãdi ſatis eſt, vel in principio formalis, vel virtualis, id eſt, ex conſuetudine ita recitare.*

Solet vero hic obiter quæri, an ad implendum hoc præceptum ſit etiam neceſſarium, habere intentionem implendi præceptum: ſunt enim hæc duo valde diſtincta: nam poſſum ego habere nunc voluntatem recitandi & orandi horas Canonicas ſine voluntate implendi præceptum, imo cum voluntate non implendi præceptum per hunc actum. In quo certum in primis eſt, ſatis, ſuperque eſſe ſi in principio accedatur ad recitandum cum propoſito implendi præceptum, etiamſi in diſcurſu orationis in mentem non veniat, ſatis enim eſt quod non retractetur, quia manet virtus prioris intẽtionis. Præterea, vt cenſeatur quis accedere ad recitandũ cum propoſito implendi præceptum, ſatis eſt, quod ex conſuetudine quadam velit illam actionem tamquam expletiuam ſui muneris & obligationis, vel quod in actu exercito (vt ſic dicam) velit eam facere, vt ſolet, quia eo ipſo vult illam vt impletiuã præcepti. Ita ſumitur ex Maior. 4. d. 12. q. 7. Nauarr. cap. 13. de Orat. num. 17. & alijs infra referendis. Rurſum ſatis eſt voluntas orandi tales horas, ſaltem quando per contrariam voluntatẽ & intentionem præcepto non reſiſtitur, id eſt, quando ipſemet orans expreſſe, & cum reflexione non dicit, ſe nolle implere præceptum per talem actum. Quia illa voluntas orandi non impedita, in tali perſona, & cum talibus circumſtantiis, virtute eſt voluntas implẽdi præceptum, quia eſt de actu ipſo præcepto, & naſci

Maior. Nauarr.

Digitized by Google

cenſeretur ex generali voluntate, quam vnuſquiſque habet ſatisfaciendi obligationibus ſuis, nã moraliter hoc in primis cenſetur velle quilibet homo prudens in ſuis honeſtis, ac Religioſis actionibus. Quapropter non dubito, quin ignorans, vel nõ aduertens eſſe diem feſtum, voluntarie Miſſam audiens, ſicut ſolet, impleat præceptum, ita vt non teneatur Miſſam iterum audire, quando intelligit, vel recordatur eſſe diem feſtum.

1. Sentent. aſtruens ita expedire in recitando voluntatem implendi præceptum. Vt contraria ſi præcedat inualidam reddat recitationem. Autores pro ea. Medina. Ledeſm. Nauarr. Fundamēt.

7. Difficultas vero nonnulla eſt, quãdo quis ſemel in die dicit horas Canonicas cum expreſſa voluntate non implendi præceptum per illam actionem, ſed cum propoſito eas dicendi iterum, ita præceptum non impleat, vt teneatur in rigore ad ſecundam recitationem. Multi ſentiunt debere iterũ recitare, nec poſſe alio modo præceptum implere, etiamſi poſtea voluntatem mutet, & dicat ſe velle ſatisfacere præcepto per priorem recitationem. Ita tenet Medina Cod. de Orat. q. 16. Ledeſ. 4. 1. p. q. 16. art. 6. dub. 6. Nauar. cap. 13. de Orat. num. 15. 16. 27. & 28. & cap. 16. n. 79. Azor. lib. 10. cap. 12. quæſt. 8. Probatur, quia de facto ille non impleuit præceptum per primam recitationē, ergo nec poſtea per illam eamdem poteſt implere præceptum, quantumuis id velit aut deſideret, ergo neceſſe eſt, vt iterum recitet. Antecedens probatur, tũ quia impletio præcepti, vt talis eſt, debet eſſe voluntaria, & illa non fuit talis, tum etiam quia opus humanum non extenditur vltra operãtis voluntatem, vel (vt Iuriſtæ aiunt) actus agentium non tranſcendunt intentionem eorum, leg. *Non omnis*, ff. ſi certum petatur, leg. *In agris*, ff. de Acquirendo dom. Prima vero conſequentia probatur, quia illa actio cum fuit facta, non habuit omnes conditiones requiſitas ad præceptum implendum per eas, ſed poſtea non poteſt illas induere, niſi iterum fiat, quia circa præteritam actionem iam nõ eſt potentia, nec circa illam poteſt fieri mutatio. Confirmatur exemplis, nam qui ex voto tenetur dicere Roſarium, & ſemel dicit animo non implendi votum, oportet, vt iterum dicat, alias fractor erit voti, quia per illam actionem non impleuit promiſsionem Deo factam, ſed alium cultum liberalem exercuit. Sicut etiam qui debet Petro centum, & liberaliter poſtea donat eidem centum declarans, nolle ſe per illa ſoluere debitum, ſed liberaliter donare, tenetur poſtea integrum debitũ ſoluere, nec poterit per priorem donationem ſatisfacere, quantumuis velit, idemque eſt (ait Medina) ſi ſacerdos, qui pro Miſſa dicenda ſtipendium accepit, velit pro tali perſona gratis Miſſam dicere, retento priori debito, nam tenetur per aliam Miſſam illi ſatisfacere, ergo ſimiliter, &c.

Confirmatio ab exemplis.

Medina.

2. Sent. & verior, licet quis habeat propoſitum non implendi præceptũ, & ſic recitet, contraria voluntate ſufficienter poſtea impleret. Aragon. Vaſquez. Valent. Suar.

8. Nihilominus contrariam ſententiam tenent Aragon. 2. 2. q. 83. art. 13. longe à principio, & generaliter Vaſquez in 1. 2. q. 100. art. 9. dub. 1. Valentia 3. p. diſp. 6. q. 2. punct. 10. in fine, & idem ego tenui in 3. tom. 3. p. diſp. 88. ſect. 3. Fundamentum eſt, quia ille, qui vult hodie recitare, & ex hac voluntate humano modo recitat, etiamſi habeat voluntatem recitandi, non ex obligatione, neque ad implendũ præceptum, ſed ſponte, & cum propoſito iterum recitandi, nihilominus re ipſa facit totum, quod præceptum eſt, & non vouit, neque promittit iterum recitare, ergo non manet in rigore obligatus ad recitandum iterum, ſed ſolum ad conformandam voluntatem ſuam cum præcepto, volendo ſatisfacere illi, priori recitatione. Maior probatur, quia præceptum Eccleſiæ ſolum dicit, vt recitet horas ſemel in die, & totum hoc fecit: minor vt clara ſupponitur: conſequentia vero probatur, quia illa obligatio non imponitur ex vi præcepti Eccleſiaſtici, quia non præcipit bis recitare, & quod præcipit, factum iam eſt: nec imponitur ex vi propoſiti, & voluntatis recitantis, quia nec votum nec promiſsionem fecit. Atque hinc apparet clara differentia inter exempla adducta, & caſum præſentem: nam quando quis tenetur ex voto roſarium dicere, ſua voluntate ſibi impoſuit obligationem, & eandem retinere vult, cum bonum opus facit tali intentione: vnde in virtute nouum votum facit, at in præſenti non poteſt homo ſua voluntate nouum præceptum Eccleſiaſticum ſibi imponere, vnde cum ab illo tantum oriri debeat obligatio, & nõ ex promiſsione, non eſt, vnde relinquatur. Idem in ſolutione debiti eſt, nam ibi in voluntate mea poſitum eſt, vt faciã liberalem donationē, vel ſolutionem: & quando volo liberaliter donare, non extinguo ius quod alter habet ad decem, v. g. quæ ego illi debeo, & ideo manet integrum debitum, quod ego poteram voluntate mea contrahere, vel retinere, vnde illa eſt etiam quędam virtualis promiſsio ſoluendi debitum, non obſtante priori donatione. Idemque eſt in exemplo Miſſæ: nam ibi etiam pendet obligatio ex mea voluntate, quã de nouo quaſi conſtituo, vel conſeruo. At in obligatione proueniente ex Superioris præcepto non ita eſt, quia ego non poſſum eandem obligationem augere, vel de nouo imponere, nec facere, vt non impleatur, ſi fit, quod præceptum eſt.

Exempla, quibus præcedens ſententia firmabatur, infirmãtur.

Declaratur amplius hæc diuerſitas, quæ reperitur in præceptis Eccleſiæ, cum votis, & contractibus ad hoc, vt ſine voluntate illa opere impleantur, hac minime.

9\. Declaratur exemplo, nam ſi quis obligatus ad ieiunium in Vigilia Aſſumptionis, ex deuotione ad Virginem proponat in eadem die ieiunare ex deuotione, & non ad implendum præceptum volens alia die ſatisfacere præcepto Eccleſię, licet forte excuſetur à peccato habẽdo illam voluntatē per ignorantiam, & bonã fidem, quam in illo ſuppono: nihilominus non tenetur alio die ieiunare, quia præceptum de ſe in alio non obligat, nec ille potuit extendere obligationem eius, nec fecit votum, aut promiſsionem. At vero ſi ex voto fuiſſet obligatus ad ieiunandum in veſpera Conceptionis, & eo die haberet animum non ieiunandi ex voto, ſed ex deuotione, & implendi votum alio die, maneret obligatus, quia virtute commutaret obligationem voti in ieiunium alterius diei. Ergo ſignum eſt, eſſe magnam differentiam inter debitũ ex voto, vel quodcumque aliud, quod imponi poteſt per propriam voluntatem & obligationem præcepti, quæ ex voluntate legiſlatoris pendet. Præterea ex alio effectu præcepti poſſumus hoc declarare, nam ſi ponamus, latam eſſe excommunicationem ipſo facto contra clericum non recitantem ſeptem horas in die, non incurreret excommunicationem ille, qui recitaret horas cum voluntate nõ implendi præceptum, ſed recitandi poſtea, etiamſi deinde illas iterum nõ recitaret, ſed vellet eſſe contentus, & ſatisfacere priori recitatione, quia iure re ipſa non commiſit exteriorem tranſgreſsionem, vel omiſsionem, pro qua poſita fuit cenſura. Neque enim ad non incurrendam cenſuram neceſſarium eſt, vt in ipſa obſeruatione præcepti interius non peccetur contra præceptum. Nam ſi alicui ſub cenſura præcipiatur, ne comedat carnes, & ille non ex voluntate, ſed quia illas non habet, eas non comedat, etiam cum propoſito comedẽdi, ſi illas haberet, nihilominus cenſuram non incurrit, quia in effectu non tranſgreditur exterius præceptum, ſed tantum in affectu: ſicut non incurrit irregularitatem, qui lethaliter alium percutit, ſi ille non moritur, etiam per miraculum, & contra voluntatem percutientis, ergo in noſtro caſu non incurretur cenſura, ergo ſignum eſt quoad exteriorem actum impletum eſſe præceptum, ergo non eſt neceſſe illum repetere, ſed voluntatem adiungere.

Confirmatur alio exemplo.

10\. Dices: Ergo præceptum recitandi à principio fuit impletum per primam recitationem non obſtante voluntate non implendi illud, quam ſupponimus habuiſſe recitantem: conſequens eſt falſum, ergo. Minor videtur clara, tum quia alias impleretur præceptum ſine voluntate implendi: quod eſt

Argum. contra approbatam ſent.

contra

Digitized by Google

contra dicta, & contra rationem, quia præceptum debet impleri humano modo, atque adeo voluntariè: tum etiam quia alias non ſolum non teneretur, poſtea iterum recitare, verum etiam, nec voluntatem mutare, quia iam impleuit præceptum. Sequela vero patet, quia præceptum non impletur, niſi per actionem externam, ergo vel impletur ſtatim, ac illa fit, vel numquam poſtea impletur per illam, ac ſubinde erit neceſſaria noua recitatio ad implendum pręceptum, qui ergo hoc poſterius negat, cogitur primum fateri: vel aliter: vt actio externa ſit impletiua præcepti, eſt neceſſarium, vt procedat à voluntate implendi præceptum, vel non. Si non eſt neceſſarium, ergo per illam primam recitationem implebitur, quia nihil aliud illi deeſt, ergo ſtatim impletur, ſi vero illud eſt neceſſarium, ergo non poteſt poſtea ob ſolam mutationem voluntatis per illam priorem recitationem impleri præceptum, quia fieri non poteſt, vt illa met recitatio procedat à voluntate implendi præceptum, quia ſequens voluntas poterit quidem circa illam actionem obiectiue verſari, non tamen poteſt eſſe principium illius, erit ergo neceſſaria noua recitatio, quæ ex voluntate ſeruandi præceptum procedat.

11. *1. Solutio argumenti.* Reſpondetur primo, concedendo ſequelam, quia ille ſtatim, ac recitauit, fecit, quod præcipiebatur, & ita impleuit re ipſa præceptum, quamuis ex ignorantia fore putaret, ſe non implere illud, ſed poſſe ſe ſuſpendere obſeruationē pręcepti, non obſtante actione humana per illud præceptum. Ad rationem autem in contrarium reſpōdent aliqui abſolute, ad obſeruandum præceptum præſertim humanum, non eſſe neceſſariam voluntatem implendi præceptum, ita vt ipſa impletio quaſi formaliter cadat ſub voluntatem, ſed ſolum eſſe neceſſariam voluntatem exequēdi actionem præceptam ſub ea ratione, qua præcepta eſt, id eſt, ſatis eſſe volūtatem orandi, audiendi Miſſam, &c. Licet hæc non ſint volita vt impletiua præceptorum, ſeu ad finem implendi præcepta. Et hoc non repugnat dictis, quoniam aliud eſt velle orare: aliud velle implere præceptum, vt declaratum eſt. Dico autem ſemper velle orare, & nō velle legere horas Canonicas, vt Medina obiicit, hæc duo confundens, cum tamen ſint valde diſtincta: nam voluntas legendi non ſolum non eſt voluntas implendi præceptum, verum neque eſt voluntas faciendi actionem præceptam: & ideo per illā actionem non impletur præceptum. Et hinc ſoluitur alia ratio, quia hoc ſatis eſt, vt per illā actionem humano modo impleatur præceptum: nam ipſa actio, quæ præcipitur, humano modo, & volūtarie fit. licet ipſa impletio præcepti, vt eſt quaſi quædam relatio, vel adæquatio inter actionem, & præceptum non ſit volita, ſed materialiter conſequatur, nec poſsit impediri per voluntatē operantis, etiamſi nolit per illam actionem implere præceptum. Vnde ad alterum inconueniens, ſcilicet, quod iuxta hæc nec voluntatem poſtea mutare tenetur, reſpondebitur conſequenter concedēdo, ad non tranſgrediendum Eccleſiaſticum præceptum non eſſe neceſſariam mutationem voluntatis, nam ſi omnino obliuiſcatur præteriti propoſiti, aut modi, quo recitauit, nihil peccabit, & ſatis implebit præceptum, vnde nihil reſtituere tenebitur. At vero ſi recogitet factum præteritum, ex iure naturali tenetur velle non reſiſtere præcepto, vnde cum poſtea vult non recitare, vt nouam culpam excuſet, oportet, vt ſaltem intelligat, ſe ſatisfeciſſe præcepto, & velit illa ſatisfactione eſſe contentus, quia lex naturalis obligat ad non habendum affectum contrarium præcepto Superioris.

12. *1. Solutio argum.* At licet hæc ſint probabiliter dicta, & fortaſſe in rigore vera poſſumus clarius diſtinguere de obſeruatione præcepti, vel quoad ſubſtantiam actus externi humani, vel quoad modū & quoad affectum ex natura rei debitum tali actioni, ſuppoſito præcepto. Priori modo verum eſt, implere aliquem præceptum eo ipſo, quod recitat horas humano modo, & ex voluntate orandi, quantumuis per voluntatem ſuam nolit tunc illud implere, & hoc probant rationes factæ: & omnia dicta in præcedēti reſponſione. At vero ſtante illa renitentia voluntatis circa impletionem præcepti, non impletur complete quoad affectum iure naturę debitum præcepto, qui ſaltem requirit, vt ſubditus non habeat affectum contrarium obligationi præcepti. Et hæc duo non repugnant, quia hic modus poſterior non cadit directe ſub præceptum humanum, nec eſt materia eius, ſed conſequitur ex naturali lege, & generali obligatione obedientiæ. Vnde ſi poſtea, qui non vult iterum recitare, ſimul perſeueret in voluntate non implendi præceptum, per priorem actionem, peccabit affectu interno contra illud præceptum, non vero exteriori tranſgreſsione eius. Vt ſi is, qui legitima voluntate impleuit mane officium recitandi, poſtea cuperet non recitaſſe, nec impleuiſſe præceptum, peccaret affectu, non vero re ipſa tranſgrediendo. Vel etiam, qui die feſto audiret Miſſam ex timore ſeruili ad vitandam infamiā vel externam pœnam, cum voluntate deliberata non implendi præceptum, ſi impune poſſet, ac ſubinde ſine voluntate propria & abſoluta implendi illud, ſed ſolum faciendi actionem præceptam, quia non poteſt aliter vitare pœnam, nihilominus quoad externam obſeruantiam, nec tenetur aliam Miſſam poſtea audire. In hoc ergo ſenſu verum cenſeo ad implendum præceptum externum humanum de actu externo quoad ſubſtantiam eius, non eſſe neceſſariam propriam voluntatem implendi formaliter, ſed ſatis eſſe actionem præceptam voluntarie agere. Vnde in noſtro caſu impletur præceptum per primam recitationem quoad externam ſubſtantiā eius. Et ideo in rigore non manet obligatio ad iterum recitandum, ſolum ad faciendum, vt illa recitatio etiam, vt impletiua præcepti, non maneat inuoluntaria, quia hoc ex natura rei eſt contra obedientiæ virtutem, & ideo neceſſe eſt illam priorem nolitionem retractare, & conſequenter facere, vt impletio præcepti voluntaria ſit, ſaltem obiectiue, eſto non fuerit, nec iam eſſe poſsit effectiue, quia neuter iſtorum modorum determinate cadit ſub Eccleſiaſticum præceptum. Et licet hæc ſpeculatiua videantur, neceſſaria ſunt ad explicandam propriam vim, & obligationem præcepti humani, & vt non obligemus ad repetitionem, vel recitationē duplicatam, ad quam Eccleſia non obligat.

13. *1. Aſſertio. Ad implendum Eccleſiaſticū præceptum recitandi horas Canonicas, neceſſe eſt cum attentione orare. Ca. Dolentes.* Dico ſecundo: Ad implendum Eccleſiaſticum præceptum recitādi horas Canonicas, neceſſarium eſt cum attentione orare. Hæc concluſio probari poteſt ex c. *Dolentes*, ibi, *ſtudioſe pariter, & deuote*: ſed in hoc textu magnam vim non faciemus, vel quia à multis exponitur, quoad illam partem non continere præceptum, ſed conſilium, ſeu monitionem, & directionem, quod licet non ſit verum, non eſt tamen hoc adeo clarum, vt ſufficeret ad reddendam oppoſitam opinionē practicè improbabilem, ſi aliude nō oſtenderetur, vel etiam quia poteſt exponi de deuotione, quatenus pēdet ex actib. externis, & illis iuuari, aut impediri poteſt, quod eſt probabile, vel denique quia loquitur de recitatione in choro, quæ aliquas circūſtātias poſtulat, quas nō requirit priuata recitatio. Et ideo cū ſimus in materia oneroſa, lex illa quoad illam partē non eſt extendenda. Maxime ſi verū eſt, orationem publicā fieri nomine Eccleſię, nō autem priuatam etiā horarum Canonic. vt quidam volunt. Probanda eſt ergo nō ex ſpeciali iure poſitiuo diſtincto ab ipſo præcepto orandi, ſed ex illo adiuncto naturali, & euidenti

Princi-

Digitized by Google

principio, quod vocalis prolatio non eſt oratio, niſi cum attentione aliqua fiat. Vnde ratio ſic concluditur: Per hoc præceptum obligatur homo ad orandum, cùm ſeptem horas Canon. recitat, ſed ſi nullo modo attendit, non orat, ergo nõ implet præceptũ. Minor patet, quia ſupra probatum eſt, attentionem eſſe de ſubſtantia orationis vocalis, & ſimpliciter neceſſariam ad eſſe illius. Confirmatur, quia ſi quis voto ſe obliget ad orandum horas Canonicas, non ſatisfacit dicendo illas ſine vlla attentione, ſed non minus efficax eſt præceptũ Eccleſię, ergo. Tandem confirmatur ac declaratur, nam ſupponimus, non eſſe ſimpliciter neceſſariam attentionẽ actualem, ſed ſaltem virtualem, quod autem hæc ſaltem neceſſaria ſit, patet, quia neceſſaria eſt intentio virtualis orandi, ſed hæc eſſe non poteſt ſine attẽtione virtuali, ergo. Maior in præcedenti aſſertione probata eſt. Minor probatur, quia tunc ſolum deſinit eſſe virtualis attentio, quando homo ſciens & videns ſe de aliis cogitare, & non attendere, nõ curat, ſed negligit, vel directe vult illo tantum modo dicere: at hoc ipſo iam non vult orare, ſed reuocat priorem intentionem, quia velle ſic loqui, non eſt velle orare, nam cum voluntate ſic loquendi ſtat optime voluntas non orandi, ergo.

14. *Medina effugiũ, quod nullum detur præceptũ de orando, infirmatur.* Medina Cod. de Orat. q. 16. hac ratione conuictus, negat, præceptum Eccleſiæ obligare homines ad orandum, cum præcipit ſeptem horas recitare, ſecundum opinionem negantem, eſſe neceſſariam attentionem ad implendum hoc præceptum. Quia Eccleſia neminem obligat ad interiora, oratio autem in rigore interiorem actum requirit: & ideo ſolum obligat ad dicendas illas horas, quod ſi miniſter nõ apponat deuotionem, Eccleſia apponit, cuius nomine orat, & tamquã eius miniſter. Verumtamen hæc reſponſio multa falſa continet. Primum eſt Eccleſiæ præceptum de recitandis horis non eſſe præceptum de orãdo vere & proprie, ſed eſſe de legẽdis illis pſalmis & lectionibus, ac ſubinde quocumque modo & quacumque intentione legantur, ſatisfieri præcepto, nam hoc euidẽter eſt contra intentionem Eccleſiæ, vt conſtat ex omnibus, quæ de his horis ſupra adduximus, nam potius ex inſtitutione ſua vocantur horæ orandi, ſeu orationis ſolennis, iuxta illud Act. 3. *Ad horam orationis nonam.* *Act. 3.* Vnde etiam hæc recitatio officium Diuinum, vel Eccleſiaſticum, vel officium pſallendi appellatur, vt c. vlt. d. 92. *Cap. vlt. d. 92.* Quis autem dicat meram lectionem, aut cantilenam, quocumque modo, & intentione factam eſſe Diuinum officium, aut Eccleſiaſticum? dicente Hier. *Hieron.* *Audiant ij, quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non voce* (vtique ſola) *ſed corde cantandum.* Preterea, Eccleſia profitetur ſe per ſeptem horas velle explere illud Dauidis, *Pſal. 118.* *Septiès in die laudem dixi tibi.* & illud: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi:* At illa non implentur, niſi per verã orationem, ergo hanc præcipit Eccleſia per illud præceptum. Vnde Sanctus Benedictus in regul. & habetur c. 1. de Celeb. Miſ. & c. 2. 91. *Benedict. Cap. 1. De celeb. c. 2.* *Septenarius* (inquit) *ſacratus numerus à nobis implebitur, ſi Primæ, Tertiæ, &c. tempore noſtræ ſeruitutis officia perſoluemus,* &c. quæ officia eſſe officia orandi per totam regulam latiſſime explicat. Nulla ergo probabilitate cogitari poteſt, per hoc præceptum non præcipi veram & propriam orationem.

15. *Fundamentum oppoſitæ ſent. infirmatur.* Multo autem improbabilius eſt fundamentum, nimirum, quod Eccleſia non poſſit fidelibus præcipere, vt vere ac proprie, & ex corde orent. Eſt enim contra totius Eccleſiæ conſuetudinem, & contra omnem rationem & pietatem: Nam vera oratio eſt ſæpe neceſſaria, vel Eccleſiæ, vel alicui fideli: cur ergo neganda eſt Eccleſiæ poteſtas, vt poſſit ſibi, vel ſuis ſubditis de hoc remedio, vel de hoc Diuino cultu efficaciter prouidere? Deinde ſi hoc non poteſt, certe nec præcipere poterit, vt Miſſam audiant, quia Miſſam audire non fit ſine actu interiori. Nec etiam poterit præcipere vere & ſacramentaliter confiteri, quia etiam ad hoc eſt neceſſarius internus actus. Imo nec vt miniſtrentur Sacramenta, vt talia ſunt: quia etiam hoc non fit, niſi cum interiori attentione miniſtrandi Sacramentum, vt tale eſt, & nec ſufficit intentio lauandi, aut talia verba proferendi, quæ omnia conſtat eſſe dogmata erronea. Vnde non minus falſum eſt aliud fundamentum, nimirum, actum internum nullo modo poſſe cadere ſub Eccleſiæ præceptum, etiam vt ad exteriorem, ſub aliqua honeſta ratione præceptum neceſſarius eſt, nam ex illo ſequuntur omnia incommoda illata, & contra illud in materia de Legibus ex profeſſo diſputatum eſt. Quicquid ergo ſit, an Eccleſia poſſit per ſe, & directè præcipere actum internum, tamen non eſt dubium, quin conſequenter, & vt circumſtantiam, vel formam actus externi poſſit illum præcipere: & hoc modo præcipit orationem vocalem, vt vera oratio eſt, & illam præcipiendo conſequenter ex vi talis præcepti naſcitur obligatio ad attendendum.

15. *Impugnatur ſent. Medinæ, quatenus ait, Eccleſiam orare per miniſtros, qui nõ orant.* Denique repugnantia ſunt illa, quæ Medina ponit, ſcilicet Eccleſiam vere orare ad Deum, quoties miniſtri eius has horas dicunt implẽdo præceptum eius, & nihilominus ipſos implere præceptum, etiam ſi non orent, ſed materialiter legant: nam ſi ipſi non orant, quo modo per eos orat Eccleſia? Nam oratio non dicit habitum, ſed actum, & ideo ſi nullus in Eccleſia actu orat tali tempore, fieri non poteſt, vt in illo eodem tempore *Eccleſia* oret. Ponamus ergo ſolum clericum recitare officium pro tali hora in Eccleſia, ſi ergo ille non orat, nec Eccleſia per illum orat, ſi ergo ita racitet, vt vere dici nõ poſſit Eccleſia per illum orare, ille non implet munus ſuum. Ita vero ſe gerit, quoties ſine attentione vlla verba profert, quod autem tunc alij vere orent, nec ne, accidentarium eſt.

16. *Primus modus, quo vnus pro alio orare poteſt.* Tandem explicatur in hunc modum, nam duobus modis intelligitur, aliquem pro alio orare, id eſt, vice illius, & non tantum obiectiue pro illo. Primo, quia licet ipſe orans in propria perſona oret, tamen ab alio rogatus, vel iuſſus, aut ad officiũ orandi conductus orat: & hoc modo cenſent aliqui orare miniſtros Eccleſiæ, præſertim cum priuatim recitant, etiamſi Diuinum officium & horas Canonicas ex præcepto recitent. *Azor lib. 9. inſt. cap. 14. quæſt. 2.* Quod ſi hoc verũ eſt, plane cum ipſe miniſter nõ orat, quantũuis aliàs legat officium, Eccleſia per illum non orat, ergo neq; ipſe clericus implet munus ſuum, ergo nec præceptum. Vnde ſumitur optima confirmatio pro concluſione: nam ſi ego do alicui eleemoſynam, vt pro me oret recitando Roſarium, ille non ſatisfaciet ſuæ obligationi voce proferendo illa verba ſine animo orandi, vel attendendi. Vnde etiã confirmatur, nam ſi ex conuentione & pacto poſſum ego obligare alium, vt vere ac proprie pro me vocaliter oret, quomodo Eccleſia non poteſt ſuis miniſtris hoc præcipere? *Obiectio.* Dices, quia vnus homo ex pacto poteſt ſua voluntate ſe alteri obligare ad actum interiorẽ exercendum, & Eccleſia non poteſt obligare ad actus internos. *Reſolutio.* Ad hoc vero iam reſponſum eſt, falſum eſſe hoc dogma ita diſtinctè ſumptum: addo verò etiam hic poſſe intelligi pactum & conditionem ex parte Eccleſiæ: confert enim beneficium, vel ſacrum ordinẽ hac lege, vt vere ores Canonicas horas. Eſto enim abſolute non poſſet Eccleſia præcipere illum actum, non video, cur per modum pacti & acceptatæ obligationis illum exigere nequiret: ad eum modum, quo id dici ſolet de caſtitate Clericorum, quamuis non modo omnino ſimili.

17. *Secũdus modus, quo vnus pro alio orare poteſt.* Alio modo intelligi poteſt Clericus orare pro Eccleſia nomine eius, quatenus in perſona Eccleſiæ conſtitutus, & tamquam legatus eius illius nomine ad Deum loquitur: ſicut eſt certum, ſacerdotem in

Miſſa

Miſſa orare: & hoc modo orare clericos in horis Canonicis ſupponit Medina ſupra, & iudicio meo eſt longe probabilior ſententia, quam etiam tenet Gabr. lect. 57. in Can. & Nauar. c. 19. n. 59 & 60. & de publico quidem officio conſtat ex dictis in primo cap. huius libri. Eſt autem eadem ratio de recitatione priuata eiuſdem officij: nam ex eadem obligatione & inſtitutione naſcitur, vnde eadem forma orandi in ea obſeruatur, vt clarius patet in Collecta oratione, in qua nomine totius Eccleſiæ præmittitur, *Oremus*, ad ſignificandum fundi orationem nomine omnium. Hoc ergo ſuppoſito, multo magis neceſſarium eſt, vt miniſteriũ commiſſum, & mandatum miniſtris huius officij Diuini, non ſit tantum materialiter proferre illa verba, ſed vere orare, & loqui cum Deo nomine totius Eccleſiæ. Nam ſi legatus ad Regem miſſus, cum Rege non loquitur, quomodo is, qui eum miſit, per illum loquetur ad Regem? Eſt ergo hoc præceptum de oratione, & non niſi per orationem expletur, ideoq; ſine intentione orandi, ac ſubinde ſine attentione ſaltem virtuali impleri non poteſt.

Medina. Gabriel. Nauar.

18. Atque hinc ſequitur, eum, qui ſic dicit horas ſine vlla attentione, peccare mortaliter ex genere ſuo, quia ſic obligat præceptum, & illud non obſeruat, vt oſtenſum eſt. Ita Caiet. 2. 2. q. 83. art. 13. Palud. dicta q. 5. Anton. dicto cap. 4. § 8. Nauar. cap. 13. n. 46. Maior. 4 d. 12. q. 7. Adr. Quodl. 8. Poteſt autem hoc peccatum eſſe veniale ex leuitate materiæ: eodem modo, quo omiſſio alicuius particulæ officij, nam eadem eſt ratio vtriuſque peccati, nam hoc etiam eſt peccatum omiſſionis, quatenus per illum actum non impletur affirmatiuum præceptum, vnde ſub hac ratione malitiam eiuſdem rationis continet. Hoc autem peccatum recitandi cum voluntaria diſtractione totali, videtur addere malitiam commiſſionis, quæ in oratione ſimili non præcepta reperitur. Verum illa malitia per ſe non eſt mortalis, niſi quatenus adiungitur omiſſioni præcepti, & ideo ex quantitate materiæ omiſſæ expendenda eſt grauitas peccati, ſuppoſita diſtractione voluntaria. Quomodo autem grauitas materiæ arbitrio prudenti iudicanda ſit iuxta dicta in cap. præcedenti expediendum eſt, neque enim noua ratio, aut regula occurrit.

Dicere horas ſine attentione ex genere ſuo eſt mortale, pro leuitate materiæ veniale. Caiet. Paludan. Anton. Nauarr. Maior. Adr.

18. Quæri autem poteſt, an poſſit hoc peccatum excuſari à tanto, id eſt, à mortali, propter defectũ voluntarij, eſto non ſit diſtractio adeo inuoluntaria, vt excuſet etiam à peccato veniali? Sunt enim varia, & extreme contraria iudicia. Quidam aiunt, quoties diſtractio non eſt volũtaria directe, id eſt, quod homo dicat aperte: nolo attẽdere, quantumuis negligenter ſe gerat in attentione adhibenda, & ex ea negligentia magnam officij partem diſtractus, & ſine attentione actuali recitet, implere præceptum, ſaltem vt non peccet mortaliter, licet peccet venialiter. Ratio eſt, quia dum non habet illam directam voluntatem contrariam, non reuocat priorem intentionẽ, & ſic ſemper durat virtualis attentio ſubſtantialis. Sed hæc opinio probabilis non eſt, quia in moralibus, virtualis voluntas æquiualet formali, & ſupina negligentia æquiualet directæ voluntati. Et ideo alij dicunt non dari medium, quia ſi diſtractio eſt mere naturalis, omnino excuſat à culpa, & relinquit attentionem virtualem, cum qua impletur præceptũ. Si vero diſtractio eſt ex negligentia, quæ durat in magna parte officij, eo ipſo negligentia grauis eſt, & non excuſat à mortali culpa. Sed hoc etiam non eſt ſatis perſpectum, quia poteſt eſſe negligentia tam parua, vt ea non obſtante actus non ſit ſufficienter deliberatus ad peccatum mortale, & nihilominus negligentia ſit culpabilis venialiter, quia ipſamet neglígẽtia eſt ex ſurreptione quadam, & non eſt perfecte voluntaria, & tunc peccatum erit veniale, non ex paruitate materiæ, ſupponimus enim illam eſſe magnam, ſed ex indeliberatione, & ſurreptione.

Data materia graui excuſatur quis à mortali propter defectum voluntarij.

Improbatur ſent. aſſeruẽs diſtractione non voluntaria directe, poſſe compleri præceptum.

Dico ergo, poſſe hoc peccatum eſſe veniale, propter defectum perfecti voluntarij cum admixtione alicuius voluntarij indirecti, per negligentiã leuem; & nihilominus aliquando eſſe poſſe mortalem culpam, nõ ſolum propter directam voluntatem, quæ per ſe ſatis patet, ſed etiam per ſupinam, & craſſam negligentiam. Hæc autem contingit, quoties homo aduertit, ſe non attendere ad Diuinam orationem, ſed ad alia vana, vel omnino extranea & non curat, ſed permittit ſe ita vagari, quamdiu vero non ita aduertit, erit naturalis, vel fere naturalis inaduertentia, & ideo vel nulla erit culpa, vel tantum venialis. 19.

Imò addit Caietan. in Sum. non ſatis eſſe, vt quis aduertat, quid cogitet, ſed etiam quod aduertat, ſe diuerti ab oratione: *Oportet enim* (ait) *receſſum humanum à termino fieri per ſe, id eſt ex intentione*, ſaltem virtuali, quæ requirit aduertentiam, ita enim doctrina illa intelligenda eſt, & eſt præ oculis habenda hominibus ſcrupuloſis, ne facile repetitiones horarum faciant, quæ nihil proſunt, quia ſemper habent eaſdem, vel maiores imperfectiones, & habent innumera inconuenientia, quando ex conſcientia ſcrupuloſa fiunt. Iſti ergo ſi bona fide, & cum propoſito attendendi ad recitandum accedant, etiamſi in fine pſalmi aduertant ſe fuiſſe diſtractos, nihil curent, nec repetant, ſed iterum ad attendendum mentem applicent, & proſequantur. Idemque ſeruare debent, etiamſi non recordentur ſe omnia dixiſſe, quia vt Diuus Thomas notauit, hæc obliuio non refert, nec ſemper naſcitur ex diſtractione. Quamdiu ergo eis non conſtiterit euidenter, ſe mutaſſe propoſitum, vel aduertẽdo, & ſciendo circa alia vagatos fuiſſe, credere poſſunt ſuæ obligationi ſatisfeciſſe. Vnde Nauarrus cap. 13. num. 26. & ſequent. Maior. 4. d. 12. quæſt. 7. dicunt, non oportere, vt quis recordetur ſe dixiſſe omnia, ſed ſatis eſſe, vt nullo claro iudicio conſtet aliquid omiſiſſe. 10

Caietani optima aduertentia. D. Thom. Nauarr. Maior.

Sed in hoc cauendum eſt aliud voluntarium in cauſa: quod eſt, quando homo licet non velit eſſe diſtractus, tamen voluntarie ſe occupat in aliis actionibus, quæ attentionem orationis impediunt, ſiue internæ ſint, ſiue externæ, nã tunc in voluntate talis actionis eſt voluntaria carentia attentionis, & poteſt ſufficere ad peccatum mortale, vt ex principiis moralibus conſtat. Maxime ſi verum eſt in cap. *Dolentes*, directe eſſe præceptam deuotionem, quatenus ad externos actus pertinere poteſt, id eſt, vt nihil exterius fiat, quod attentionem mentis tollat. Hinc vero ſtatim naſcitur interrogatio, an ſit peccatum recitare horas, aliquid aliud agendo, vt ſcribendo, pingendo, ſe induendo, &c. & ſi eſt peccatum, quam graue ſit? Aliqui enim ſimpliciter dicũt, eſſe hoc peccatum mortale in oratione præcepta, in quam partem inclinat Ant. 2. p. tit. 9. c. 9. § 3. dicit enim eſſe valde reprehenſibile, & vix ſufficere ad implendum præceptum. 21.

Voluntariũ in cauſa nõ facit inuoluntarium. Cap. Dolentes. Anton.

Dico tamen, conſiderandam in primis eſſe qualitatem actionis, an ſit mentalis, vel magnam attentionem mentis requirens, & tunc dico, eſſe peccatum graue, dicere notabilem officij partem, exercendo illã actionem; vt ſi quis velit, dũ recitat, circa argumẽta philoſophica diſcurrere, aut pingere, vel ſcribere aliquid ordinate. Si vero actio fieri poſſit fere ſine attentione ad illã, vt eſt veſtiri, lauari, vel quid ſimile, ordinariè nõ erit mortale, quia illa non eſt ſufficiens cauſa diſtractionis. Dico autẽ *ordinarie*, quia ſi homo tam expertus ſit, ſe ſolere ſimilibus actionibus omnino impediri, ac diſtrahi, ſiue ob incapacitatẽ ſuam, ſiue ex conſuetudine, tunc poteſt peccatũ eſſe graue: non vero ordinarie: erit tamen etiã ordinarie aliquod peccatũ ſaltem veniale, vel 21.

Quando ſit peccatum recitare horas aliquid agendo.

quia

quia ſaltem impeditur perfecta attentio, vel etiam propter indecentiam loquendi cum Deo, præſertim vt Eccleſiæ miniſtrum & legatum aliam actionem mere humanam, & ad cultum Dei non pertinentem exercere. In hoc tamen prudentia neceſſaria eſt: nam ſi ex aliqua iuſta neceſsitate hoc fiat, & pro modica parte orationis, & cum diligentia & cura attendendi ad ea quæ recitantur: excuſari interdum poterit etiam leuis culpa, vt latè Nauarr. attingendo particulares circumſtantias & modos, declarat dicto cap. 13. de Orat. à num. 47. idem ſentiunt Caiet. Sot. & alij.

Nauarr. Caietan. Soto.

22\. *Per attētionis exceſſum poteſt violari præceptū de recitando horas Canonicas.*

Poteſt vero vlterius circa attētionem interrogari, an poſsit interdum in ea per acceſſum peccari, nam peccatum, quod hactenus explicuimus, eſt per defectum attentionis? Dum autem de exceſſu quærimus, oportet intelligi de exceſſu attentionis ad Diuina: nam ſi ſit ad humana, vel extranea aut praua: conſtat illum exceſſum augere peccatum, ſed totus ille exceſſus eſt defectus in attentione orationis. At vero quando mens ad Diuina intentiſsima eſt, ita vt omnino non aduertat, quid dicat, vel loquatur, tunc dici poteſt exceſſus ſanctæ, ſeu Diuinæ attentionis: & de illa meritò inquiritur, an impediat obſeruationem huius præcepti. Si enim Diuina eſt, quomodo poteſt transgreſsionem præcepti efficere? Si autem homo voluntate ita attēdit, quomodo poteſt præceptum loquendi implere, cum neſciat, quid loquatur, quia ad illud omnino non attendit? Quod dubium petit, vt explicemus, quæ attentio neceſſaria ſit ad huius præcepti obſeruationem, varias enim attētiones ſupra diſtinximus, ſcilicet, ad verba, ad ſenſum verborum litteralem, vel myſticum, ad Deum, vel ſecundū ſe, vel ſecundum aliquod noſtræ fidei myſterium, quodcumq; illud ſit, vel vt auctorem rei poſtulatæ, vel quod perinde eſt, ad rem poſtulatam, vt obtinendam à Deo.

23\. Dicunt ergo aliqui, primam attentionem eſſe quaſi fundamentalem in hac materia, & ſine illa non eſſe ſufficientem quamcumq; aliam attentionem ad hoc præceptum implendum. Et ideo ſi tanta ſit alia attentio, vt illam primam omnino impediat, quantumuis ad Deum eſſe videatur, nimiā eſſe & indiſcretam eo tempore, & cauſam transgreſſionis præcepti. At vero, ſi attētio ad Deum tali modo habeatur, vt nō impediat omnino attentionem ad verba, ſed relinquat eam, quæ ſufficiat vt homo ſcienter, & moraliter proferat integre & ordinate, quæ recitat, tunc non impedire obſeruantiam præcepti, etiāſi ad Deum abſtractiſsima & maxima ſit. Alij vero putant, nullam eſſe habendam rationem attentionis ad verba, ſed quamcumq; aliam ſufficere. Sed cauēda ſunt extrema, quia nec oportet cum reflexione attendere verba, nec omnino illorum obliuiſci, & ita in rigore priorem opinionem cenſeo veram, vt præcedenti lib. c. 4. latius dixi.

23\. *Ad veritatē & ſubſtantiam vocalis orationis minima attentio ſufficit, quidquid alij dicant. Nauarr.*

Denique poteſt è contrario interrogari, an quælibet attentio minima, etiam ſuperficialis (vt vocant) ad verba, ſufficiat ad implendum hoc præceptum. Aliqui enim ſignificant, neceſſariū eſſe, eum, qui imperfectam attentionem habet, ſaltem nō ponere impedimentum perfectiori attentioni, neque illam voluntarie excludere, vt videri poteſt in Nauar. cap. 13. de Orat. num. 34 & 35. iuxta quam opinionem conſequenter dicendum erit, ſi quis attendat ad verba horarum ſufficienter, & ſimul velit de alia re, nullo modo ad orationem pertinente cogitare, quia expertus eſt, iſtam cogitationem non impedire illam imperfectam attentionem: nihilòminus non implere præceptum, quia licet non omnino careat attentione, impedit meliorem, quod etiam eſt cōtra præceptum. Sed hæc nimis ſcrupuloſa ſunt, & non ſatis fundata. Quia, vt dixi lib. præced. cap. 4. ad veritatem, & ad ſubſtantiam orationis minima attentio ſufficit, nam per illa ſaluatur intentio orandi, & vt precatio illa ſit humana, ergo illa etiam ſufficit ad implendū præceptum. Probatur conſequentia quia hoc præceptum ſolum obligat ad attentionem, quatenus obligat ad vocalem orationem talium horarum: præceptum enim Eccleſiæ non obligat, & fortaſſe nec poteſt obligare ad certum modum actus interioris, ſed ſolum ad illum, qui neceſſarius eſt, vt exterior locutio oratio vocalis ſit, ad hoc autem ſufficit quælibet attentio ex dictis, etiamſi voluntarie melior non habeatur, vel etiam impediatur, ergo.

Præterea inquiro, vnde probetur, vel colligatur illa obligatio non abiiciendi meliorē attentionem, cum ex ſola natura orationis vocalis non colligatur? Dices, colligi ex c. *Dolentes*, quatenus præcipit orare deuote, quantum Deus dederit: per quod ſignificatur, non debere homines voluntarie impedire, aut abiicere altiorem attentionem. Sed hoc infirmum fundamentum eſt, tum propter varios ſenſus illius præcepti, quod ſupra tetigi, tum etiam quia ille, qui non vult meliori modo attendere, dicet tunc ſibi non dari à Deo ſpiritum altioris attentionis, & ſe velle condeſcēdere ſuæ infirmitati. Vel dici etiam poteſt, ibi præcipi deuotionem neceſſariam ad orandum, & prohiberi omnia, quæ illam poſſunt impedire: maiorem vero deuotionem inſinuari, & proponi, vt procuretur, quantū Deus dederit. Itaque voluntarie impedire maiorem attentionem, poterit eſſe peccatum veniale, ſi otioſe, & abſque cauſa ſit, numquam vero continet huius præcepti transgreſsionem: vnde quod Nauar. ait, non ſatisfacere, qui orat meditādo paſsionem Domini, ſi intendit ibi vltimate ſiſtere, & non aſcendere ad montem Diuinitatis: ſed in illa meditatione ſiſtere tamquam in vltimato fine ſuæ recitationis, hoc (inquam) non video quomodo verū eſſe poſſit, quia illa attentio eſt honeſtiſsima, & vtiliſsima, & ideo licet intendat quis non vltra progredi, egregie ſatisfacit. Maxime, quia non ſemper oportet ad Diuinitatem ſecundum ſe aſcendere, & qui ſic orat hic, & nunc non intendit vnquam in vita Diuinitatem contemplari, ſed in hac oratione vult eſſe contentus humanitate. Quod ſi Nauar. intelligat, illud fore malum, quando pro vltimo fine aſſumeretur Chriſtus vt homo, & excluderetur vt Deus, hoc neque eſt moraliter poſsibile, nec pertineret proprie ad defectum in attentione orationis, ſed ad defectum Charitatis Dei.

24. Probatur magis prædicta doctrina ex impugnatione contraria. Cap. Dolentes.

Nauarr.

Dico tertio: Quotieſcumque aliquis ex defectu attentionis non implet præceptum hoc recitandi horas Canonicas, tenetur iterū eas recitare in tempore habili, idest, intra eundem diem, & niſi id faciat tenebitur ad reſtituendum perinde, ac ſi nō recitaſſet. In hac aſſertione non conueniunt omnes, nam qui putāt in hoc negotio interuenire duo præcepta Eccleſiæ: vnum dicendi horas voce, aliud attendendi ad illas mente, licet dicant peccare mortaliter, qui non attendit, quia agit contra vnum præceptum Eccleſiæ, non tamen putant peccare contra præceptum dicendi, ſed illud implere. Et ideo negant teneri ad dicendum iterum. Vnde fit vt neque ad attentionem iterandam teneatur, quia deeſt materia talis attentionis. Et conſequenter etiam negāt, teneri ad reſtituendum, etiamſi non repetat horas, quia obligatio reſtituendi ſolum naſcitur ex tranſgreſsione præcepti recitandi exterius, quia ſtipendium datur propter externum ſeruitium, non propter attentionem interiorem. Ita in hoc negotio ratiocinatur Med. Cod. de Orat. q. 15. & 16. quē ſequitur Corduba lib. 4. quæſt. Theolog. q. 13 circa finē. Hæc vero doctrina procedit ex falſo fundamento: tū præceptum Eccleſiæ vnicum tantum eſt orandi vocaliter recitando ſeptem horas Canonicas: nam in hoc includitur obligatio ad attentionem, quæ fortaſſe per ſe, ac ſeparatim ab oratione vocali præcipi

25. 3. Aſſertio. Qui ex defectu attentionis præceptum nō implet, tenetur in die iterū recitare, aliàs reſtituere.

Qui crediderunt duo eſſe præcepta recitationis externa, & attentionis interna. Medina. Corduba.

cipi

Digitized by Google

cipi ab homine non poſſet. Quod autem tale ſit hoc præceptum, & quod in eo, vt ſic includatur attentio, vt pertinens ad ſubſtantiam actus præcepti, ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt.

16. *Firmatur authoribus propoſita aſſertio. Sot. Nauarr.*

Vnde ſine dubio vera eſt aſſertio poſita, quam tenent Sot. lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 5. concl. 6. Nauarr. de Orat. cap. 13. n. 15. & cap. 20. n. 32. & alij moderni frequentius. Et prior quidem pars de obligatione recitandi officium iterum, dum tempus durat, probatur, quia ille per primum actum non impleuit præceptum orandi vocaliter, vt oſtenſum eſt, ergo tenetur iterum recitare. Antecedens probatum eſt in præcedenti aſſertione: quia qui non fecit actum preceptum, etiam quoad ſubſtantiam eius, non impleuit affirmatiuum præceptum, ſed ille non fecit actum præceptum, vt oſtendi, ergo. Minor ſupponitur ex facto, & cætera ſunt euidentia. Confirmatur, quia qui in die feſto adfuit Miſſæ ſine vlla attentione voluntarie, tenetur intra eundem diem audire aliam Miſſam, ſi poteſt, vt eſt apud omnes conſtans, ergo ſimiliter in præſenti, eſt enim eadẽ proportionalis ratio. Vnde ſi quis in eo caſu cum voluntariè diſtrahitur, id faciat cum propoſito iterum recitandi, vel audiendi Miſſam, nondum peccauit mortaliter, quia adhuc illi ſupereſt tempus implendi præceptum, ſi tamen habuiſſet tunc propoſitum non audiendi iterũ Miſſam, peccaſſet quidem tunc mortaliter ratione propoſiti, nondum tamen in rigore eſſet tranſgreſſus exterius præceptum, ſed teneretur illud implere cũ poſſet, vnde ſi poſtea mutaſſet propoſitum, & recitaret, impleret preceptum, vt tenetur, & non maneret obligatus ad reſtituendum, nec incurriſſet cenſuram, ſi lata eſſet.

17. Sed quid, ſi neutrum propoſitum habuit, cum ſe voluntarie diſtraxit? Reſpondeo, manere quidem illum obligatum ad iterum recitandum, dubiũ tamen eſſe indicium de peccato, quod tũc commiſit. Nam ſi recitare cœpit cum propoſito ſatisfaciendi per illum actum ſuæ obligationi, & poſtea non mutando hoc propoſitum voluntarie non attendit, videtur profecto peccare mortaliter, quia in illo propoſito permanet, & conſequenter virtualiter habet propoſitum non iterum recitandi. Item ſi ſolitus eſt non iterum recitare, cum ſic recitat, indiciũ magnum eſt tunc etiam recitaſſe ſine propoſito recitandi. Erit autem euidentius, ſi vel non ſupereſt tempus diei ſufficiens ad recitandum iterum, vel ſcit habiturum ſe occupationem, & impedimenta, ne poſsit iterum recitare.

18. *2. Aſſertionis pars confirmatur quod reſtituere teneatur, qui voluntarie ſine attentione recitat.*

Altera concluſionis pars ſequitur ex præcedenti, quia obligatio reſtituendi naſcitur ex tranſgreſſione huius præcepti. Reſpondent alij, proxime oriri hanc obligationem ex lege pœnali, quæ reſtringenda eſt, lex enim illa non imponit talem pœnam homini male oranti, ſed non recitanti: in dicto autem caſu ille nõ omittit recitationem, licet male illam faciat, & ideo nõ eſt ad illum hæc pœna extendenda. Aliàs quicunque male recitaret, peccando mortaliter, vel ex malo fine vel aliunde reſtituere teneretur, quod dici non poteſt. Sed contra, quia ille non ſolum male orat, ſed re vera ſimpliciter non orat, quia licet legat, vel verba proferat, illa non eſt oratio. Præterea, illa reſtitutio ſuppoſita lege, quaſi taxare ſtipendia horarum imponendo illam obligationem, non tam eſt per modum pœnæ, quam ex naturali lege iuſtitiæ, qua operarius non poteſt retinere mercedem, quam per fraudem accipit, cũ non laboraſſet. Ita enim clericus loquẽs ſine attentione non facit opus, pro quo ſtipendium ei aſsignatum eſt, ergo tenetur reſtituere, quod pro illo apparenti opere accipit iniuſtè. Deniq; pœna illa non imponitur non recitanti materialiter verba, ſed non oranti vel (quod idem eſt) tranſgredienti, & omittenti præceptum orationis: ſic autem peccat ille ſine vlla attentione voluntarie recitans, & ideo non eſt ſimile de aliis malitiis, quæ non tollunt ſubſtantialem actum orandi quia peccatum, quod in eis committitur, non eſt peccatum tranſgreſsionis, & omiſsionis huius præcepti Eccleſiaſtici: vnde non conſtat, quominus ille, qui ſic orat, vere faciat opus, pro quo tale ſtipendium confertur: ſecus vero eſt in defectu attentionis voluntariæ, qui ſubſtantiam operis deſtruit.

Capvt XXVII.

De loco & tempore, in quibus Canonicum officium recitari poteſt, ac debet.

1. *De loco ad recitandum nullum eſt præceptum, ſed eſt ſeruanda decentia, quã naturalis ratio poſtulat. Concil. Baſil. Nauarr.*

Ad has circumſtantias reuoco cæteras omnes externas, quas in modo dicendi priuatim hoc officiũ ſeruare oportet. Et de his vix aliquid dicẽdum ſupereſt, niſi de tempore: nam de loco, nihil fere peculiare hic occurrit, præter ea, quæ de oratione vocali in genere dicta ſunt. Vnde Concilium Baſil. ſeſsion. 21. de modo priuatim dicendi horas tractans, quoad locum ſolum dicit: *Ac tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur, ad quam ſe diſponere, & præparare debent.* De hac ergo circumſtantia nihil eſt ab Eccleſia ſpecialiter præceptum: ſed decentia, quam naturalis ratio poſtulat, ſeruanda eſt: idemque eſt de præparatione præuia, quam attigit Concilium Baſil. ſolum enim illa præparatio, quæ ad attentionem neceſſaria eſt, de præcepto requiritur, reliqua ſunt in conſilio, vt late Nauarrus cap. 14 de Orat. Quod vero quidam dixerunt, neceſſariũ eſſe ex præcepto Eccleſiæ, has horas in Eccleſia recitare, ſaltem his clericis, qui ratione beneficij illas dicere tenentur: non habet locum in hac priuata oratione, ſed ſolum in illa, quæ publice in choro dicitur, quando beneficium tale eſt, vt aſsiſtentiam in choro requirat: de qua obligatione, quomodo, & cum quibus limitationibus intelligenda ſit, in ſuperioribus eſt dictum. Vnde etiam illi, qui ad chorum obligantur, ſi aliqua ratione ab illius præſentia excuſentur, licet priuatim teneantur recitare, non obligantur id facere in Eccleſia, quia nullum eſt ius, quod hoc præceptum imponat: eſt autem (cæteris paribus, & quãdo commodè fieri poteſt) conſultius in Eccleſia recitare, eo modo, quo de aliis orationibus diximus.

2. *Circa alias circumſtantias nullum eſt præceptũ, ſed ſeruandus modus debitus præſertim inſtituto.*

Atque eodem modo iudicandum eſt de aliis circumſtantiis pertinentibus ad ſitum, ſeu habitum corporis, quæ ſunt veluti modi, aut affectiones ipſius loci, vt quod oratio fiat ad Orientem, vel ad aliam partem, quod fiat genibus flexis, vel ſtando, quieſcendo, vel ambulando, domi, aut in campo, vel etiam in itinere: in his enim omnibus nihil eſt iure Eccleſiaſtico præſcriptum, quod ſimpliciter, & ex præcepto ſeruandum ſit, ſed debita reuerentia, ac decentia ſeruanda eſt. Et quando hæc oratio omnino ſecrete, & in cubiculo fit, ſolius Dei, & deuotionis, aut neceſsitatis propriæ rationem habere neceſſe eſt, tamen quando fit coram aliis, ſeruandus eſt modus, qui aliis ſit ad ædificationem, & non ad ſcandalum: item conſiderandum eſt, an in regulis, ſeu ritu recitandi has horas cæremoniæ aliquæ, vel peculiaris modus præſcriptus ſit, vt quod aliquid dicatur flexis genibus, vel ſtando in vno tempore, vel alio: nam talia etiam in recitatione priuata ſeruanda ſunt, ſi commode fieri poteſt: licet ſingula non obligent ſub rigore præcepti ſecluſo contemptu, maxime in hoc priuato recitandi modo. Nauar. tamen cap. 26. de Orat. num. 7. ait, peccare ſaltem venialiter eos, qui ſedent, cum ſtare debent, & è contrario: ſed ille loquitur de oratione publica in choro, & potius ratione leuis ſcandali, quàm ratione cæremoniæ prætermiſſæ, ibi culpã agnoſcit. poteſt tamen in hoc etiam committi nonnulla culpa; ſi abſ-

ſi abſque cauſa fiat. Alia de his circumſtantiis videri poſſunt in Nauar. cap. 4 & 5. de Oratione.

Nauarr.

Supponendũ 1. non recitare horas Canonicas ſtatutis diei horis anticipãdo, vel poſtponendo, nõ eſſe mort.

3\. Circa temporis circumſtantiam paulo amplius immorandum eſt: ſupponendo in primis, in hac recitatione priuata non eſſe obligationem præcepti rigoroſam, & ſub culpa mortali dicẽdi ſingulas horas illis præciſe horis, pro quibus ex inſtitutione ſua deſignatæ ſunt. Nec peccari mortaliter ex ſola antepoſitione, vel poſtpoſitione horarum, etiam mere voluntaria, & ſine cauſa, dummodo ſit intra tempus legitimum. Referri quidem ſolet opinio Vmberti in regula S. Benedicti oppoſitum dicentis, ſed eius opinio communiter reprobata eſt, vt conſtat ex Syluestro verb. *Hora*, q. 9. Angel num 22. & aliis Summiſtis ibi, Turrecrem. cap. *Presbyter*, d. 91. q. 2. Henr. Quodlibet. 11. p. 2. Nauar. cap. 3. de Orat. n. 58. 59. & cap. 10. n. 49. Marcellin. de Horis Can. cap. 25. qui alios refert. Ratio vero eſt, tum quia illa inſtitutio præcipue facta eſt pro oratione publica, quæ in choro fit, & per conſuetudinem ita explicata ſeu relaxata eſt quoad orationem priuatam: tum etiam quia ex cauſa eſt hoc conceſſum, & immutatum in cap. 1. de Celeb. Miſſar. vbi permittitur clerico indigenti exire ad opus rurale, vt ſummo mane dicat omnes horas diurnas.

Vmbert. Syluest. Angel. Turrecr. Nauar. Henr. Marcel. Ca. 1. De Celebr.

Supponendũ 2. obligationem recitandi in vnoquoque die finiri in puncto mediæ noctis.

4\. Vnde vlterius ſupponendum eſt, cum hoc præceptum obliget ad dicendum totum hoc officium quotidie, obligationem vniuſcuiuſque diei, & tempus habile ad illam implendam, finiri in puncto mediæ noctis, quando vnus dies naturalis finitur, & alter inchoatur. Ita docent omnes, vt videre licet in Syluestro verb. *Hora*, q. 9. & aliis Summiſtis ibi, Anton. 2. p. tit. 9. cap. 13. §. vltimo, & 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 4. Nauar. dicto cap. 3. n. 54. & quos allegat. Et ratio eſt, quia obligatio huius præcepti eſt quaſi diſtributa per naturales dies: & ita obligatio, quæ ad vnumquemq; diem pertinet, in termino eiuſdem diei naturalis finitur. Ex quo principio ſequuntur obiter duæ concluſiones certæ.

Syluest. Anton. Nauarr.

1. Aſſertio. Qui totum, vel notabilẽ officij partẽ ſine iuſta cauſa integro die omittit, peccat mortal. non tenetur tamen recitare iterum.

5\. Prima concluſio eſt, eum, qui vſque ad mediam noctem finitam, horas, vel notabilem earum partem non dixit, peccaſſe mortaliter, niſi per naturalem obliuionem, vel aliam legitimam cauſam fuerit excuſatus: iam vero amplius non teneri ad horas illius diei proxime præteriti dicendas, quia iam tempus præcepti elapſum eſt, ſicut qui omiſit audire Miſſam in die Dominico, vel ieiunare in vigilia, non tenetur aliis diebus non præceptis ieiunare, vel Miſſam audire. Quia lex præcipiens aliquid pro tempore determinato, ſi pro illo non ſeruetur, peccatum quidem committitur, & illius eſt pœnitentia agenda, lex autem non obligat amplius. De quo videri poteſt Maior 4. d. 12. q. 6. argum. 8. & Nauar. cap. 10. n. 52. An vero poſtea per modum ſatisfactionis, & pœnitentiæ, teneatur ille, qui horas omiſit, aliquid æquiualens recitare, vel hoc ſit ei à confeſſore imponendum, tractant D. Tho. Quodlib. 3. q. 29. & Turrecr. in cap. *Presbyter* d. 92. q. 4. vbi refert quoſdam id aſſeruiſſe: ſed ſine fundamento. Vera ergo reſolutio eſt, nõ eſſe id neceſſarium ſimpliciter, ſed iuxta qualitatem peccati poſſe imponi pœnitentiam congruam in quocumque genere operis, quia nulla eſt lex, quæ aliã obligationem imponat. An vero in eo, qui ex titulo beneficij teneba tur recitare aliqua ſpecialis obligatio maneat, in cap. vlt. videbimus.

Maior. Nauarr. D. Thom. Turrecr.

2. Aſſertio. Qui ſtatutis diei horis Canonicas horas non dicit, ſemper tenetur recitare, vſque ad mediam noctem.

6\. Altera concluſio eſt, qui diſtulit horas præſentis diei in ſuis propriis temporibus, ſemper teneri vſque ad horam mediam noctis eiuſdem diei id recitare, quod non dixit. Hoc etiam conuenit inter omnes. Et ratio eſt clara, quia toto illo tempore poteſt implere præceptum; ergo tenetur. Dices: Officium Canonicum finitur in Completorio, ſed tempus Completorij eſt in crepuſculo vſque ad initiũ noctis, ergo illo tempore finitur tempus officij illius diei, ergo qui vſque ad illam horam non dixit, non tenetur amplius dicere. Reſpondeo, tempus illud eſſe propriũ, & quaſi omnino legitimum ad Completorium dicendum non eſſe tamen tempus habile adæquatum ſed hoc habere latitudinem vſq; ad dimidiam horam noctis, quia pro toto die præceptum latum, & præfixum eſt, & ideo ratio non ſequitur. Sed contra, Ergo, qui tunc Primam non dixerat, tenebitur eam dicere, & conſequenter tunc dicet: *Iam lucis orto ſidere*, quod eſſe indecens, & incongruum dixit D. Thom. dicto quodlib. 3. q. 29. Vnde Turrecrem. in cap. *Presbyter*, 91. q. 5. & ibidem Cardin. n. 5. dixerunt, qui omiſit Matutinum vſque ad prandium, non teneri illas dicere, ſed iam peccaſſe mortaliter, & idem de aliis horis cum proportione, quando nimia eſt dilatio. Sed eſt moralis error, & nullo modo probabilis, vt optimè proſequitur Nauar. dicto c. 10. n. 50. & conſtat ex Anton. Syluest. & aliis, in citatis locis: & ex ratione facta, quia totum illud eſt tempus habile: Vnde etiam falſum eſt, dilationẽ Matutini vſque ad meridiem, vel noctem eſſe peccatum mortale, quia nondum eſt conſummata omiſſio præcepti quoad ſubſtantiam eius, ſed impleri poteſt, & debet. Nec illud inconueniens: quod poſt occaſum ſolis dicatur, *Iam lucis orto ſidere*, magni momenti eſt, quia ſimilia verba ſemper referuntur ad legitimum tempus, licet in alio dicantur, ſicut etiam priuatim recitando Matutinum ſæpe dicimus. *Nocte ſurgentes, &c.* priuſquam ad lectum eamus, & ſimilia.

D. Thom. Turrecr. Cardinal. Nauarr. Anton. Syluest.

3. Aſſertio. Qui horas poſtponit intra eundem diẽ ex rationabili cauſa nec venialiter peccat. Varia, diſcrepantesq; ſententiæ.

7\. Tertio ſtatuendum eſt, nec venialiter peccare eum, qui intra illud diei tempus, id eſt, ante completam mediam noctem, officium integrum dicit, etiamſi horas poſtponat, quando ex vrgente, & rationabili cauſa id facit. Ita docent iidem doctores, ſequitur enim conſequẽter ex illo principio, quod hæc dilatio non eſt contra ſubſtantiam huius præcepti, nec eſt circumſtãtia adeo grauis, vt reddat actionem intrinſece deformem: poteſt ergo ex iuſta cauſa prætermitti ſine labe peccati. Dubitari autem poteſt, an ſola voluntate hoc facere ſit aliqua culpa, vt V. G. quia nunc commodius lego, vel ad ſtudium ſum nunc magis propenſus, cum tamen aliàs æque bene poſſem nũc proprio, & opportuno tempore talem horam dicere, & poſtea ſtudere, vel quid ſimile? Quibuſdam n. videtur, hoc eſſe omnino liberum, & arbitrarium, & ita fieri poſſe ſine culpa, licet conſultius & melius ſit tempora horarum in eis orandis ſeruare. Poteſtque hoc ſuaderi eiſdem rationibus, quibus probabamus hoc non eſſe peccatum mortale: nam illæ oſtendunt, nullum dari Eccleſiaſticum Ius ſcriptum, quod aliud præcipiat. Nam Clem. 1. de Celebrat. Miſſar. loquitur de recitatione in choro, vt ſupra vidimus, & ab vno modo ad alium non ſumitur efficax argumentum, quia eſt longe diuerſa ratio, vt omnes fatentur, nam ad actiones publicas multo maiori ratione præſcribuntur certa, & determinata tempora, quia oportet eſſe ita ſtatuta, vt populus poſſit ad eas congregare, & quia maior ſolennitas, maiorque repræſentatio myſteriorum in eis fit. Caput autem primum de Celebratione Miſſar. non dicit eſſe cauſam neceſſariam, vt illa mutatio temporis priuatim fiat. Et præterea licet ius antiquum hoc habuerit, vel Doctores ex illo id collegerint, conſuetudine recepta videtur derogatum, nam omnes, qui priuatim recitant, pro ſua commoditate horas dicunt, & poſtponunt ſine vllo ſcrupulo. Alij nihilominus cenſent, non excuſari culpam venialem, ſi abſque vlla cauſa id fiat, tum quia eſt contra Ius, tum quia aliàs multa dicuntur in hymnis horarum, quæ temporibus, in quibus dicentur, nõ conuenient. Tum denique, quia aliàs liceret ſine cauſa dicere Primam à prandio, & Completoriũ ante prandiũ, & ſimilia, quæ rectæ rationi diſſo-

Clemen. 1.

Digitized by Google

Nauarr. Marcell.

diſſonant. Et in hanc partem videtur inclinare Nauarr. cap. 3. de Orat. & Marcel. cap. 25. qui & Sanctorum Patrum regulas, & exempla, ac reuelationes, & rationes varias in huius ſententiæ fauorem adducit.

8. *Explicatur aſſertio & conciliantur prædictæ ſententiæ.*

Exiſtimo has ſententias eſſe ſano modo intelligendas, & ita moderandas, vt non fiant contrariæ, ſed mediam quandam ſimul doceant. Itaque quædam eſt moderata & conſueta propoſitio horarum, quam communiter fere omnes faciunt ſine ſcrupulo, vt eſt V. G. quod prima dicatur poſt duas, vel tres horas ab ortu ſolis ſimul cum tertia, vel ſexta, & ſimiles. Aliæ verò ſunt dilationes inuſitatæ, & extraordinariæ, quæ abſque vrgente cauſa ab hominibus mediocri diligentia tractantibus res Diuinas fieri non ſolent, vt recitare primam prope noctem, & ſimiles. Prior ergo dilatio fieri poteſt ſine peccato etiam veniali abſque alia cauſa præter conſuetudinē, & ratione illius: poſterior vero minime, contraria ratione, quia nō eſt talis conſuetudo. Nec eſſet rationabilis: nam prior dilatio fundata videtur in neceſsitatibus communiter ac moraliter occurrentibus, & licet interdum, ac ſæpius poſsit non occurrere tamen lex generalis non obligat cū tanto rigore, quia non poſſunt hanc curam & ſolicitudinē habere, niſi homines valde perfecti, & in ſuis actionibus commenſurādis, ac diſtribuendis multum conſiderati. At vero poſterior dilatio non habet rationem moralem communem omnibus, etiam regulariter, vel frequenter, ſed ex ſola negligentia ordinarie naſcitur, eſtque periculis expoſita, vel omittendi aliquid, vel ſaltem male orādi nimia celeritate, & ideo non poteſt tanta licentia ſine cauſa eſſe inculpabilis. Et hoc tantum probāt, quæ Nauar. & Marcel. adducunt. Nam Baſil. Benedictus, & alij Patres regulas præſcribebant ſolitariis Monachis, qui & perfectionem profitentur, & facile poſſunt priuatas occupationes interrumpere. Vnde inter eos illa tunc maxime vigebat cōſuetudo, quæ ſeruanda erat. Et inde accidere potuerunt illæ viſiones, & reuelationes, quibus oſtenſum eſt, præmaturas, vel tardas recitationes Deo non placere, vel in Purgatorio puniri. Præterquam quod facile in his interueniunt culpabiles negligentiæ, vel ſolicitudines ſæculares minus decentes Eccleſiaſticas perſonas, quæ non excuſant recitandi tarditatem.

Nauarr. Marcel. Baſilius. Benedict.

9. *Antepoſitio ex cauſa licita eſt intra legitimū tempus totius diei, & ſine cauſa aliqua eſt licita.*

Atque hinc à fortiori conſtat, licitam eſſe antepoſitionem ex cauſa intra tempus legitimum totius diei: ſine cauſa vero aliquam moderatam eſſe licitam, vt dicere Primam per horam ante Solis occaſum, & Matutinum in principio noctis præcedentis diei: aliquam vero eſſe poſſe nimiam, & non carere culpa veniali, ſi abſq; cauſa fiat, vt dicere Completorium ante prandium. An vero aliqua anticipatio ſit contra ſubſtantiam præcepti, mox videbimus. De illis ergo, quæ non ſunt contra ſubſtantiam præcepti, omnia dicta ſunt clara, quia eadē eſt, vel maior ratio in anticipatione, quā in poſtpoſitione. Imo communis ſententia eſt, ſi alterutri fauendum eſt, conſultius eſſe anteponere, quàm poſtponere. Ita Henr. Palud. & alij ſupra citati. Innocen. & omnes Canoniſtæ in cap. 1. de Celeb. Miſſ. Et ratio eſt clara, quia cæteris paribus, præponere minus habet incommodi, ac periculi, & indicat maiorem diligentiam, vnde ſi vtrumq; male fiat, minus mala eſt antepoſitio intra latitudinem venialis, ſi vero ſine peccato vtrumque fieri poſsit, laudabilior eſt maturatio. Dico autem cæteris paribus, quia ſi antepoſitio nimia futura eſt, & inuſitata, eligenda potius eſſet dilatio, vt ſi completorium dicendum eſſet ſummo mane, vel poſt decimam horam noctis, minus malum eſſet ſic poſtponere, ſi alioqui æque bene ac ſecure ſperetur eſſe dicendum. Nam huius conditionis maxima ratio & cōſideratio in his horis dicendis habenda eſt. De veſperis autem ſolet ſpecialiter quæri, an poſſint etiam ante prandium interdū dici ex ordinaria cauſa, etiā ſine culpa veniali? Ad quod breuiter reſpōdeo, facilius poſſe ita anteponi, quam completorium, quia non ita accedit veſpera ad nocturnum officium, ſicut completorium. Vnde in cap. 1. de Celeb. Miſ. etiam veſpera permittitur dici ſummo mane ex cauſa. Nam licet in eodem cap. prout habetur in cap. *presbyter*, d. 91. illa particula, *Et veſperam*, omittitur, ſatis eſt, quod à Greg. IX. vel addita ſit, vel alicubi inuenta, & retenta. Eſtq; ex contextu euidēs, veſperam ibi incluſiue numerari cum aliis horis, vt etiam expoſitores intellexerunt. Addendum denique eſt, hoc intelligi de regulari tempore anni, nam in Quadrageſima regulare tempus veſpertini officij eſt ante prandium, vt ſupra vidimus, & ita eſt optimum conſilium illud ſeruare, etiam in priuata recitatione. Non tamen exiſtimo eſſe culpam aliquam, etiamſi poſtponatur, quod etiam docuit Nauarr. cap. 3. de Orat. n. 14. cum Caiet. Sylueſt. & aliis.

Henr. Palud. Innoc. Cap. 1. de Celebr.

Ca. Presbyter.

Nauarr. Syluest.

10. *Poſtpoſitio vltra mediā noctem nulla eſt licita.*

Tandem eſt hoc loco obſeruanda quædam differentia inter poſtpoſitionem, & antepoſitionē horarum, quia nulla poſtpoſitio licita eſt poſt terminum diei naturalis, qui eſt medium punctū noctis, at verò antepoſitio aliqua maior, eſt licita in ſolis Matutinis cum laudibus. In aliis enim horis minoribus terminus poſsibilis ad illas ſine mortali peccato anticipandas, eſt principiū diei naturalis, quod ſumitur à puncto noctis dimidiæ antecedētis diem artificialem. Itaque ſi ante duodecimam horā primæ noctis diei naturalis prima dicatur, non impletur præceptum, ſed repetenda eſt perinde, ac ſi non eſſet dicta. Idemque à fortiori eſt de poſterioribus horis diurnis & veſpertinis. Et ratio eſt, quia hoc præceptum, ſicut nō obligat poſt diem naturalem, ita nec ante illum (quantum eſt ex vi præcepti) impleri poteſt, quia imponit onus pro tali tempore. Sicut nō implebit quis ieiunium pro feria ſexta impoſitum ieiunando in quinta. Vnde hic non habet locum ratio, qua ſolent in hac materia vti auctores, quia creditor ſemper gaudet anticipata ſolutione, habet enim hoc verum in debito, quod non eſt onus certi temporis, non vero in debito, quod habet ſpecialem reſpectum ad certum tempus.

11. *Antepoſitio ante dimidiam noctē ſolum eſt licita in matutinis & Laudibus.*

Ab hac vero regula excipitur Matutinum officium: nam illud integrū dici poteſt ante dimidiam noctem propriæ diei, ad quam pertinet, vt omnes docent, & conſtat ex communi conſuetudine. Quę eſt tota ratio extenſionis huius præcepti. Cum enim rigor ille dicendi Matutinū in dimidio noctis tempore in tanta multitudine hominum ſeruari moraliter non poſſet, & periculoſum eſſet tam grauem obligationē ſub peccato omnibus imponere: permiſſum eſt, mutationem aliquam in eo tempore facere. Et ne cogerentur omnes poſtponere officium noctis in ſequentem diem, conſuetudine introductum eſt, vt poſsit etiam anteponi. Vel quia præuenire ex ſuo genere melius eſt, vel quia ſi omnes cogerentur poſtponere, multi exponerentur periculo vel omittendi, vel nimium poſtponendi. Vel certe, quia ſolum Matutinum propriiſsime eſt nocturnum officium, & nox incipit ab occaſu ſolis, ideo potius hoc officium, quam reliqua vſque ad initium noctis anticipatum eſt. Accedit, quod veriſimile eſt, à principio inſtitutionis hoc officiū quoad nocturnos interdum fuiſſe inchoatum ante mediam noctem, & ideo potuit facile conſuetudine hoc ampliari. Vnde etiam in publico officio videmus interdum inchoari ab Eccleſia ante ſolis occaſum in triduo paſsionis Domini: quid ergo mirum, quod in priuata recitatione fuerit tempus hoc prorogatum?

11. *Dimidia hora ante occaſum ſolis licet anticipare Matutinum.*

Quæri autem ſolet, quanta poſsit eſſe antepoſitio, quæ ſufficiat ad implēdum præceptum. In quo ad minimum certū eſt, ab occaſu ſolis ſemper eſſe legiti-

legitimum tempus: de hoc enim nullus dubitat, & conſuetudo id ſatis oſtendit. Deinde etiam dimidia hora ante occaſum ſolis id licet ſine vlla formidine, etiam in hyeme, licet aliqui ſcrupuloſi timeant, ſed ſine fundamento, quia conſuetudine ita receptũ eſt, & ſi in æſtate licet, nulla eſt ratio, cur in hyeme non liceat, vt ſtatim dicam. Aliqui vero cenſent, maiorem anticipationẽ non eſſe licitam, inde argumentum ſumentes, quod ſæpe per priuilegia Pontificia conceditur facultas dicendi Matutinum vna hora ante occaſum ſolis: nam hoc eſt ſignum, ſine priuilegio id non licere. Sed hoc argumentum infirmum eſt, tum quia multa in priuilegiis conceduntur, non quia neceſſaria ſunt, ſed quia petuntur, vel propter timorem, ſeu ſcrupulum, vel ob dubitationem ex variis opinionibus ortam remouendam, vel quia quod petitur, ex rigore Iuris non licet, & pendet ex conſuetudine, quæ incerta, vel varia eſſe poteſt, vt re vera contingit in caſu præſenti, & ideo datur priuilegium, quod & iuri communi derogare poteſt, & plus concedere, quam fortaſſe introduxerit conſuetudo.

13. *D. Thom. in hac re ſent. ac varia eius expoſitiones proponuntur.*

Eſt ergo in hoc puncto quædam reſponſio D. Tho. quæ vtinam tam clara eſſet in ſenſu, quam in verbis omnibus eſt nota: ille enim in Quodlib. 5. à 28. inquirit, an liceat dicere Matutinũ diei ſequentis *de ſero* antecedẽtis diei? & reſpondet ex iuſta cauſa, id eſt, propter honeſtam occupationẽ dici poſſe in quo ſupponit, tempus illud eſſet habile, & ita ſufficiens, vt ſi abſque cauſa id fiat, ad ſummum ſit peccatum veniale, non mortale, alias diſcurſus eius nullius eſſet momenti. Deinde verò in ſolutione argumenti explicans, quid temporis comprehendatur per illam particulam *de ſero*, ait eſſe tempus, quod proxime ſequitur *Poſt dictas veſperas, & completorium*, quia *quantum ad Diuinum Officium, & ſolennitatum celebritatem dies incipit à veſperis.* Hæc D. Thomas. in quibus verbis ſtatim occurrit dubium, de quo tempore veſperarum, vel completorij intelligenda ſint. Quidam enim reſtringere illa volunt ad legitimum tempus, in quo ſecundum primam inſtitutionem completorium eſſet dicẽdum. At hoc modo illa potius eſſet temporis reſtrictio, quam ampliatio, quia tempus legitimum completorij eſt poſt occaſum ſolis iam nocte inchoata, vt ſupra vidimus: D. Thom. autem aperte voluit ampliare tempus illud: & ideo requirit rationabilem aliquam cauſam illius anticipationis, vt V. G. quia Magiſter, vel concionator indiget tempore noctis ad ſtudendum, vel aliud ſimile. Alij volunt, verba illa extẽdere ad quodlibet tempus, in quo veſperæ, & completorium poſſunt nunc iuxta communem vſum priuatim recitari abſque culpa, etiam ſine cauſa. Et hæc videtur ampliatio nimia: ſic enim hora ſecunda poſt meridiẽ poſſet dici Matutinum, quod ſine dubio dicendum non eſt, quia neq; conſuetudo hoc habet, neque ipſe Summus Pontifex hanc licentiam concedit, niſi cum magna difficultate, & non ex leui cauſa.

D. Thom.

14. *Verus, ac proprius ſenſus ſent. D. Tho. iuxta quam poteſt dici Matutinũ ab hora quarta poſt meridiem.*

Videtur ergo hoc exponendum de tempore Completorij, quod ordinarie, & iuxta communem fere conſuetudinẽ Eccleſiæ in publicis officiis ſeruari ſolet, quod eſſe ſolet inter tertiam & quartam horam poſt meridiem. Atque ita cenſeo ſine vllo ſcrupulo poſſe dici Matutinũ ab hora quarta poſtmeridiana, tam in æſtate, quam in hyeme: nullam enim in hoc differẽtiam facio, cum diſtantia vſque ad mediam noctem, & antepoſitio eadem ſit: & ratio D. Tho. in vtroque tempore æqualiter procedat: & hæc eſt communis conſuetudo Romana, quã vbiq; ſine ſcrupulo acceptari videmus. Quod ſi alicubi fortaſſe alia vigeat conſuetudo, cõſultum quidem erit ſeruare illam, non eſt tamen facile admittenda, vt obligationem inducens: tum quia re vera tempus illud veſpertinum iam reputatur à tota Eccleſia legitimum ad recitandum Matutinum: tum etiam, quia ſuppoſita conſuetudine extendente, tempus officij ſequentis diei quoad Matutinum vſque ad veſperam antecedentis diei, illa maior, vel minor anticipatio per tempus vnius horæ, non videtur res tanti momenti, vt cenſeri debeat grauis culpa in illa diſconcordare à priuata conſuetudine alicuius loci, & Romanæ ac fere vniuerſali conformari. Vnde ſi aliqua honeſta congruentia accedat, vt eſt neceſsitas ſtudij ad finem honeſtum, nulla enim culpa, eademque ratio eſt de quacumque alia honeſta occupatione. Item ſufficit maior commoditas dicendi Matutinum in luce diei, quam lucernæ, & maior ſecuritas anticipandi illud, quã in poſtponendo, & ſimilia, quæ frequẽter occurrunt. Atq; hæc ſufficiunt de tempore neceſſario, vel congruo ad horas priuatim dicendas. An vero in die feſto dici poſsint eodem tempore, quo auditur Miſſa, & ſimul ſatisfieri vtrique præcepto, dixi in 3. tom. 3. part. diſput. 88. ſect. 3. in fine.

Capvt XXVII.

Quibus de cauſis excuſetur à culpa clericus non recitans officium Canonicum, ad quod tenetur?

DE his excuſationibus tractant ſpecialiter circa hoc præceptum omnes Doctores, & ideo neceſſarium eſt illas attingere, quamuis materia fere communis ſit ad omnia Eccleſiaſtica præcepta, de qua dixi multa in 3. tomo 3. par. diſputat. 88. ſection. vlt. quæ in præſenti applicari poſſunt ſeruata proportione. Eſt enim notanda differentia inter hoc præceptum, & illud de audienda Miſſa, de quo ibi tractaui, quod recitatio horarum, de qua agimus, eſt actio priuata, quæ domi, & ſecreto fieri poteſt, ſine communicatione cum aliis, actio vero audiendi Miſſam iuxta ordinariam legem debet fieri in Eccleſia non interdicta, aut alio modo impedita, & de ſe eſt actio publica, in qua cum ſacerdote, & aliis fidelibus communicatur. Ex qua differentia oritur, vt multa excuſent ab audienda Miſſa, eo tempore, quo occurrit præceptum, quæ non excuſant à recitatione horarum. Sequitur, vt etiam nonnullæ cauſæ excuſationum, quæ vtrique præcepto communes ſunt, non eodem modo, & cum eiſdem circumſtantiis in vtroque expendendæ ſint, & applicandæ. 1.

Notanda differentia inter præcepta audiendi Miſſam, & recitandi horas Can.

Primo ergo in hoc præcepto locum non habet excuſatio ob ſpirituale impedimentũ, quod à cenſuris Eccleſiaſticis prouenire ſolet, præſertim ab excommunicatione, & interdicto, ratione quarum prohibetur quis, ne dum ſic eſt ligatus, Miſſam audire valeat. Non eſt autem ita in præſenti, nam quilibet, etiam ſi excommunicatus ſit, vel interdictus, poteſt ſeptem horas priuatim recitare, atque etiam in loco interdicto, ac propterea ſi alioqui ſit perſona, quæ ad illud recitandum tenebatur, non excuſatur ab obſeruatione præcepti propter cenſuras, quia cum poſsit ſine peccato illud explere, non eſt, cur reportet commodum ex culpa, neque ex cenſura. Item ſi quis teneatur ex voto dicere horas, non excuſabitur propter excommunicationem, ergo nec qui tenetur ex præcepto Eccleſiæ. Et hæc eſt ſententia communis, vt dixi in 5. tomo de Cenſuris, diſput. 12 ſection. 2. num. 17. & diſput. 26. ſect. 2. vbi alia, quę ad hoc punctum pertinent, ſufficienter tractaui. 2.

Supponendũ ſpirituale impedimentum non excuſare à recitando.

Alia excuſatio ex titulo, etiã quodammodo ſpirituali, eſſe ſolet ignorantia, quæ diſtingui poteſt in ignorantiã iuris, & facti. De ignorãtia iuris nihil eſt, q; dicamus, quia in hoc præcepto fere nõ poteſt eſſe probabilis, & ad excuſandũ ſufficiens, præſertim in cleri- 3.

1. Excuſatio ex titulo quaſi ſpirituali eſt ignorantia.

clericis in ſacris, & in habentibus beneficium, quia eſt tam publicum, & notum, vt non poſsit inuincibiliter ignorari, maximè ab his qui tenentur ſui ſtatus obligationem agnoſcere. Aliquando vero poſſet hæc ignorantia eſſe inculpabilis in aliquo Religioſo, vel Religioſa ignorante, præſertim, ſi adhibeat fidem alicui viro, vel confeſſori, quem probum & doctum eſſe exiſtimat. Item poteſt eſſe inuincibilis in puero, qui penſionem aut Eccleſiaſticum beneficium recipit in tenera ætate, quando per ſe non poteſt ſatis aduertere ad huiuſmodi obligationem, nec in cogitationem eius venit, neq; ab illis inſtruitur, qui eum docere tenetur, peccabunt enim illi, ipſe vero omittens excuſabitur. An vero non obſtante excuſatione oriatur obligatio reſtituendi, in cap. ſeq. dicemus.

4\. *Ad ſupradictam excuſationem reducitur naturalis obliuio.*

Ad ignorantiam vero facti reducitur naturalis obliuio, quæ poteſt quidem contingere in die circa vnam vel aliam horam, nam circa totum diei officium non poteſt moraliter talis obliuio inueniri: niſi fingatur aliquis toto die dormiens, aut ebrius, de cuius culpa, iuxta modum cauſæ, & voluntarij, quod in illa præceſſit iudicandum eſt. Naturalis ergo obliuio, ſi re vera talis ſit, omiſsionē à culpa excuſat, ſiue ſit vnius, ſiue pluriū horarum, quia illud dicitur naturaliter oblitum, quod in mentem non venit, & ideo voluntarium non eſt, ac proinde neq; peccatum. Erit autē hæc obliuio naturalis, quando neq; obligatio recitandi, nec recitatio ipſa actu venit in mentē ante lapſum tempus obligationis, neq; per hominē moraliter ſtetit, quominus aliquid occurreret, quod illam memoriam excitaret. Si enim homo aliquoties expertus ſit, ſolere ſe obliuiſci alicuius horæ, quando conſueto tempore illam non recitat, vel quando aliis negotiis vel ſtudiis nimis occupatus eſt, præuenire debet modū aliquem vel ſignum, quo memoria excitetur, & tūc ſi per negligentiam hoc omitteret poſſet illi ad culpam imputari obliuio, poteſt autem hæc ipſa occaſio, ſeu neceſsitas huiuſmodi præuentionis facile propter ſolam inaduertentiam omitti, & ideo regulariter hæc obliuio in hominibus timoratis excuſare ſolet, ſaltem à graui culpa.

5\. *2. Excuſatio ſumitur ex ignorantia recitandi.*

Aliud genus excuſationis ſumunt aliqui ex ignorantia recitandi, vt quando is, qui accipit ordinē ſacrū, aut beneficiū pro aliquo tēpore recitare neſcit, nec ſociū cōmode habere poteſt, à quo iuuetur in ipſa recitatione: hic enim ſuppoſito illo ſtatu, videtur excuſari pro aliquo tempore, dummodo in illo moralem diligentiam faciat ad addiſcendum, alioqui iam eſſet in mora, & ea ratione nō excuſaretur. Atq; ita hunc excuſat Nauar. c. 11. de Orat. n. 21. loquitur autem, vt dixi, ſuppoſito tali ſtatu. Dixerat n. in n. 20. regulariter peccare huiuſmodi homines ſuſcipiēdo ordinem vel beneficium cum tali ignorātia, peccat enim qui officium aut beneficiū ſuſcipit, cum ſit ineptus ad obligationē eius explendam propter inſcitiam, quam ſupplere aut expellere non poteſt, priuſquam in debito munere deficiat.

6\. *Ad recitandū ineptus ſi ordinetur, peccat regulariter loquendo.*

Merito autē dixit Nauar. in hoc poſteriori puncto *regulariter*: quia, ſi quis propter neceſsitatem aliquam, aut occaſionem vrgentē id faceret, bona fide ſperans ab aliquo fore iuuandū, poſſet interdum excuſari à culpa in receptione ordinis aut beneficij, maxime quando immineret periculū, vel carendi beneficio, vel nō recipiendi ordinem per multum tempus, ſi illam occaſionē differret. In priori autem puncto ego nō acquieſco, nā ſi talis clericus ſcit Latine legere, & intelligit ſaltem rubricas, & regulas Breuiarij, non video cur excuſari debeat propter illam inſcitiā à ſubſtantiali, vt ſic dicam, recitatione horarum, nam ſine magno labore poteſt ſtatim eodem die inuenire pſalmos talis ferię, vel talium horarum, & lectiones, capitula & hymnos, ſaltem feriales cum oratione Dominica, vel alicuius Sancti, vel de communi iuxta exigentiam temporis, quod vix poteſt ignorari. Minuſq; incommodi eſt, quod in hoc ordine, vel integritate plures defectus leuiores committantur, quam quod totum officium omittatur, quia illi defectus ſuppoſita illa impotentia non imputantur ad culpam, & alioqui cum priuatim fiant, non afferunt ſcandalum, neq; indecentiam, & ita manet oratio grata Deo, & vtilis Eccleſiæ, cur ergo excuſabimus illum hominē, quominus ſatisfaciat ſuæ obligationi, prout poteſt: nam qui non poteſt ſoluere totum debitū, debet ſoluere, quod poteſt, maxime ſi poteſt reddere id, quod eſt ſubſtantiale in ipſo debito. Secus vero eſſet, ſi quis eſſet tam ignarus, vt neque legere ſciret, tunc enim haberet locum excuſatio Nauar. non poſſet tamen excuſari à graui culpa indigne ſuſcipiendi ordines aut beneficium, quæ virtute, & in cauſa includeret omiſsiones Diuini officij ob eam cauſam futuras. Et ideo talis perſona obligatur ad moralem diligentiam, vt defectum illum ſuppleat, & indignitatem à ſe expellat, alioqui ſemper aggrauabitur culpa, & quoad beneficium non poterit illud tuta conſcientia retinere, quia eſt illo indignus.

Qui recitare neſcit, debet potius inordinate & defectuoſe recitare, quam officium omittere aliàs, ſi nec ita poteſt, beneficium omittat.

7\. *Ad 2. excuſationem reducitur carentia Breuiarij, quæ ſine culpa, vel cum illa poteſt contingere.*

Tandem ad hanc excuſationem reducitur carentia Breuiarij, illa enim protunc eſt ignorantia quædam, quæ impotētiam recitandi inducit, & ideo excuſat, quia nemo tenetur ad impoſsibile. Contingere autem poteſt hæc cauſa excuſationis vel ſine culpa, vel cum illa: ſine culpa, vt ſi in itinere, vel nauigatione Breuiarium amittitur, vel furto auferetur, & tunc clara eſt excuſatio, tam antecedētis culpæ, quam conſequentis. Culpabiliter autem caret quis libro, vel quando ordinatur nō habens illum, nec moralem ſpem habendi illum tempore congruo, vel quando volūtarie proiicit illum in mare, v. g. vel in ignem. Et tunc omiſsio poſtea futura in illa cauſa voluntaria eſt, & quoad veram, & internam malitiam ibi committitur, quatenus moraliter præuiſa eſt. Poſtea vero licet tempore omiſsionis propria noua culpa non committatur, ratione impotentiæ: nihilominus ex illa poterit quis obligari ad reſtitutionem, iuxta dicenda cap. ſeq. Et tunc cenſuram incurreret, ſi lata eſſet, illa enim non incurritur vſq; ad tempus omiſsionis, & ideo vocant aliqui illam omiſsionem peccatum ſaltem externum, ſed eſt quæſtio de nomine, nam in re conſtat non eſſe nouam culpam.

8\. *Qui fit ſubdiaconus, quas horas illo die recitare tenetur?*

Vt autem prior culpa antecedens diſcernatur, aduerto duo: vnum eſt, pro caſu, in quo aliquis recipit ordinem ſubdiaconatus, ille enim non tenetur dicere integrum officium illius diei, ſed ſolum veſpertinas horas, v. g. vel ad ſummum Nonam, ſi circa meridiem ordinem recepit, quia ſolum tenetur ad illas horas, quæ correſpondent tempori, in quo cœpit obligari. Nam licet antecedentes horæ poſſent poſtponi, tamen & illud eſt quaſi priuilegium, quo aliquis vti nō obligatur, & obligatio, quę nunc incipit, non retrotrahitur ad præteritum diei tempus. Nō obligatur autē aliquis ad recitandū horas cum poſtpoſitione earum, niſi quando præceſſit obligatio dicendi illas in propriis temporibus, & tunc illa impleta non eſt. Atq; ita licet non excuſetur quis à tota culpa ita ſuſcipiens ſubdiaconatum, excuſabitur à tanta, & poterit facile excuſari à tota, ſi ſperet per alienum librum poſſe recitare minores horas, quæ in illo die ſuperſunt, & intra totum diem ſequentem librum comparare.

9\. *Voluntaria amiſsio Breuiarij poteſt eſſe directa, vel indirecta, & quando excuſet à peccato.*

Circa alium vero caſum voluntariæ amiſsionis Breuiarij aduertendum eſt, duobus modis poſſe illam carentiam, ſeu impotentiā voluntariam fieri, primo directe, & tunc maxime procedūt, quæ diximus, quia tunc culpa antecedens eſt maxime inexcuſabilis. Alio vero modo poteſt ibi interuenire indirectum voluntarium, vt quando per negligen-

Digitized by Google

tiam culpabilem aliquis iter aggrediẽs domi relinquit Breuiarium. Et in hoc euentu ſi quis bona fide proceſſit, exiſtimo facile poſſe excuſari à graui culpa, reſpectu omiſsionis recitandi, quia ordinariè videtur eſſe illa obliuio naturalis, & vix poteſt aliter contingere, quando bona fide proceditur. Vnde negligentia, quæ ibi interuenit, vel eſt leuis, & adeo humana, vt non ſufficiat ad voluntarium perfectum, vel eſt adeo remota reſpectu effectus non recitandi, vt non ſufficiat ad voluntariũ in cauſa, quia tunc non videtur defectus ſufficienter præuiſus.

10. *Qui eſt ſine Breuiario, tenetur recitare, ſi memoria tenet officium, ſi vero pſalmorum, v.g. recordatur ſolum, non tenetur.*

Interrogabit autem aliquis, an in eo caſu teneatur quis memoria recitare officium, vel notabilem partem, ſi valeat? Soto enim lib. 10. de Iuſt. q. 5. art. 3. poſt ſecundam concluſionem, dubitat de hac obligatione: quia accidentarium, inquit, eſt, quod horæ memoria teneantur. Sed non videtur referre multum, quod ſit accidẽtarium, ſi de facto comparata eſt illa facultas, qua poteſt impleri præceptum, ſicut ſi per miraculum recuperaretur Breuiariũ, accidẽtarium id eſſet, & nihilominus ſtatim eſſet obligatio recitandi: ſic ergo, poſtquam contigit, hunc hominem memoria tenere librum, videtur plane teneri, quia poteſt, & qui debitor eſt, tenetur ſoluere eo modo, quo poteſt, & ſi non poteſt totũ, reddat ſaltem partẽ, nam ad hoc etiã tenetur. Item ſi ille poteſt cum ſocio recitare, vel mutuo habere librum tenebitur etiam cum aliquo labore, & difficultate id facere, vt ſuo muneri ſatisfaciat, ergo ſi memoria ſubminiſtret verba ſufficientia ad recitandũ, tenebitur quis recitare, etiamſi libro careat, quia neq; præceptum obligat ad recitandum per librum, neq; requirit, vt conditionem neceſſariã, poteſtatem dicendi per librum. Quocirca ſi caſus ita ponatur, vt re vera ſit in poteſtate hominis dicere totum officium abſque libro, ſaltem quo ad ſubſtantiam eius, non video, cur non ſit in eo caſu obligandus, vt probãt argumenta facta. Imo licet non poſſet omnes horas dicere, ſi tamen poſſet aliquas, vel aliquam recitare, deberet illã dicere, dummodo integram dicere poſsit, quia vero moraliter hoc non contingit, ideo hæc carentia Breuiarij reputatur impotentia ſimpliciter. Neq; obligatur aliquis ad dicendum pſalmos, aut orationes, aut partes horarum, quia illæ vt ſic, non ſunt horæ canonicæ, neque officium Diuinum, ad quod tantũ recitandum clericus obligatur. Atque hoc modo ſentit Nauar. cap. 11. de Orat. num. 15. quamuis aliter diſtinguere videatur, de quo ſtatim dicam.

11. *3. Excuſatio eſt ex impotentia corporis, Vnde qui loqui nõ poteſt, ita excuſatur, vt nec audire teneatur, nec recitare interius.*

Tertia principalis excuſatio ſolet eſſe ex parte corporis ob aliquam impotentiam eius. Ad hanc autem excuſationem declarãdam, præmitto eum, qui loqui non poteſt, vel excuſationem habet legitimam ad nõ proferendum ore ea, quæ ad recitandum neceſſaria ſunt, eo ipſo excuſari ab onere recitandi per aliũ, ſiue audiendo illũ, ſiue nõ audiendo. Nam inprimis hoc nõ eſt præceptum audiẽdi, ſicut eſt præceptũ de audienda Miſſa: neq; eſt præceptum mentaliter orandi pure, quia hoc nõ cadit ſub præceptum humanũ, vel ſaltem certum eſt, non eſſe de hoc latum. Eſt ergo præceptum recitãdi vocaliter, qui ergo loqui non poteſt, vel non cogitur propter legitimã excuſationem, excuſatur à ſubſtantia præcepti, & conſequenter neq; audire tenetur, neq; interius attendere. Et hæc eſt ſentẽtia communis Palud. in 4. d. 15. q. 5. n. 19. & Canoniſt. in c. 1. & c. *Dolentes*, de Cel. Miſ. & in Clem. 1. eod. tit. & Summiſtarum verb. *Hora*, Sylueſt q. 4. qui refert Innocent. & Panorm. c. *Ex parte*, de Obſeruat. ieiunij. Idem Nauar. d. cap. 11. num. 6, vbi refert quendam Girardum in tract. de Aſsiduitate orãdi, q. 4. contrarium dixiſſe, eius vero ſententiam merito reiicit, quia nullo Iure fundata eſt, igitur ſicut ſupra diximus, eum, qui in Choro deuote, & attente audit, & nihil dicit, non ſatisfacere præcepto recitandi, ita ob rationem ſimilem, qui nihil dicere poteſt, neque audire obligatur.

Probatur auctoritate. Ca 1. Cap. Dolentes, &c. Clem. 1. Syluest. Innocent. Panor. Nauarr. Paludan.

12. *Quotta eſt impeditus, per aliũ non valet ſatiſfacere.*

Præterea dictum eſt ſupra, hoc onus recitandi perſonale eſſe, qui ergo illud per ſe explere non poteſt, neq; alium ſubſtituere tenetur, qui loco ſui dicat. Imo licet illum ſubſtituat, & illi ſtipendiũ conferat, & alter recitet, nihilominus in re ipſa non fit, quod præceptum erat, ſed fit quædam pia actio non præcepta, quæ per ſe nõ ſufficeret ad excuſationem culpæ, ſi aliàs non interueniret ſufficiens excuſatio. Et ideo etiam diximus, eum, qui gratia ſtudij, vel alterius abſentiæ legitimæ per alium inſeruit beneficio, non excuſari ab onere recitandi, quamuis ſubſtitutus recitet etiam ex obligatione ſtipendij, & pacto cum beneficiario, vt recte etiam docuit Nauar. d. c. 11. n. 31. & 33. Ergo eadem ratione, qui per ſe recitare non poteſt, nec per alium recitare tenetur, ſicut etiam qui hodie recitare non poteſt, non tenetur craſtina die recitare, quia illud eſt onus talis temporis, vt ſupra diximus, ergo multo magis onus, quod perſonale eſt, non debet per alium impleri, quando perſona ipſa excuſatur. *Nauarr.*

13. *Qui aſſiſtentiam valet recitare, ſimpliciter non habet impotentiam, & aliquo modo obligatur recitare.*

Dixi autem, hanc regulam eſſe intelligendam de illo, qui non poteſt dicere ea, quæ ſaltem neceſſaria ſunt, vt recitare ſimpliciter dicatur, quia ſi poteſt commode eam partem dicere, quæ ad recitandum ſufficit, non habebit locum excuſatio. Vnde ſequitur, eum, qui non poteſt dicere ſolus, quia nimirum grauatur, aut aliud iuſtum impedimentum habet, ſi poſsit dicere cum ſocio, & illum ad manum habeat, ſine magno onere, & difficultate, non excuſari à recitando. Quia ille non poteſt dici impotens, nam quod poſſumus per iuuamen alterius, ſimpliciter poſſumus, maxime quando auxilium illud facile habere poſſumus. Atque ita ſentit Nauarr. dicto capite 11. num. 11. & ſequentibus.

14. *1. Dubiũ de cæco. Varia ſent. an teneatur dicere Diuinũ officium. 1. Sent. affir. Nauarr. Azor. Graſſit. 2 Sent. neg. Armilla. Toletus. Soto. Vera ſent. ſi memoriter, vel cõmode ſocium poteſt, recitare tenetur.*

Hinc autem inprimis oritur dubium de cæco, an habeat ſufficientem excuſationem non recitandi officium? Multi enim cenſent non excuſari, Nauar. d. c. 11. n. 13. quem ſequitur Graſſis li. 2. Deciſ. c. 53. n. 4. Azor li. 10. c. 13. q. 3. cum hac tamen limitatione, vt dicere poſsit, vel memoria, ſi ex longa conſuetudine officium retinuit ſufficiẽter, vel ſi poteſt commode habere ſocium, & cum illo dicere alternis verſibus pſalmos, & lectiones, & alia audire. Alij nihilominus negant, cæcum teneri ad recitandum. Ita Armilla verb. *Hora*, n. 16. & Tolet. lib. 2. Inſtruct. ca. 14. Soto d. art. 3. qui adhibet limitationem de recitando memoriter, ſi poteſt. Sed de cæco perinde iudicandum cenſeo, ac de illo, qui Breuiarium non habet: in hoc enim conueniunt, quod vterque legere non poteſt: & hæc eſt formalis ratio excuſationis, materiale autem eſt, quod illa impotentia ex diuerſis cauſis naſcatur. Igitur quod diximus de recitando memoriter, quando deeſt copia libri cum eadem proportione in cæco locum habet. Et eadem ratione, ſi cum ſocio poſsit partem ſuam memoria dicere, ſaltem quoad verſus pſalmorum, & ſine difficultate, vel magno ſumptu iuxta perſonæ qualitatem poſsit ſocium habere, non video cur debeat excuſari. In his ergo duobus punctis placet mihi ſententia Nauar. qui merito conſequenter affirmat, ſacerdotem habentem pinguem præbendam, qui cum famulo, vel capellano recitare ſolebat, cum eſſet ſanus, non excuſari à recitando, eo quod cæcus fiat: ſi cum eadem facilitate id facere poſsit, ac antea faciebat.

15. *Cõfirmatur 3 ſent. declaratione Cardin. in Cõ. ſecundum quam præbendatus cæcus tenetur aſsiſtere in choro & ſatiſfaciet audiendo qui potuerit.*

In huius doctrinæ confirmationem inter declarationes Cardinalium ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. hæc verba inuenio: *Cæcus non excuſatur à recitatione ſuarum horarum, ſi beneficium obtineat, licet in aliis ſit priuilegiatus*: ſed fortaſſe hæc verba magis intelliguntur de recitatione in choro, quam de recitatione priuata. Nam præbẽdatus cæcus ſi aliud impedimentum non habet, non eſt, cur excuſetur à reſiden-

reſidentia, ſeu aſsiſtentia in choro, quia ad illam tenetur ex vi ſui beneficij, & illam poteſt facile exhibere, cur ergo excuſabitur? Vnde etiam fit, vt teneatur ibi recitare, prout potuerit, quia beneficium obligat illum ad recitandum, ſatisfaciet autem huiuſmodi cæcus attendendo ad ea, quæ alij dicunt, & dicendo cum ſuo choro, ſi potuerit, quod ſi fortaſſe nõ potuerit, quia vel memoriã non habet, vel alios canentes in ſuo choro non intelligit, neque eos ſequi poteſt, non tenetur iterum poſtea priuatè recitare, ſed proferendo verſus pſalmorum, quos potuerit, ſatisfaciet, quia per illum non ſtat, ſed facit quod in ipſo eſt, neque ſunt tot onera illi imponenda. Vnde obiter aduerto, maiori quadam ratione poſſe obligari cæcum habentem beneficium, per quod eſt choro addictus ad recitandum cum ſocio, quando non vult intereſſe choro, quam obligetur ſimplex ſacerdos, nam beneficiarius ſemper retinet de ſe illam obligationem chori, quam ibi implere poſſet, & deberet per ſe loquendo, & ideo, ſi abſit, merito obligatur vt recitet faciendo, vt ſic dicã, priuatum chorum. Item beneficiũ datur propter hoc officium, ergo ratione ſtipendij obligari poteſt ad quærẽdum adiutorium, quo poſsit officium ſuum implere, quando fructus beneficij ad hoc ſufficiũt, & ſine magno grauamine id facere poteſt. In ſimplici autem clerico, vel Religioſo, nõ ita vrget hæc ratio, quia in illis non eſt propria obligatio iuſtitię, ſed Religionis, vel obedientiæ, & ideo nõ vidẽtur proprijs expenſis obligari ad alẽdum ſocium, cum quo poſsint Diuinum officiũ dicere. Si tamen ſine ſumptibus poſſent illum habere per modum amicabilis ſocietatis, non videntur excuſari.

16. Sed quid ſi cæcus nihil poſsit memoria dicere, nec ſine ſocio, nec cum illo, numquid tenebitur ita dicere cum ſocio alternatim, vt non tantum audiat illum omnia dicentem, ſed etiam cum illo ſimul dicat ſaltem verſus ad ſe pertinentes? Quod enim hic modus ſufficiens ſit in omni rigore ad implendam huius præcepti obligationem per ſe notum eſt, eſt item hic modus facilis, & nõ addit graue onus, præter curam habendi ſocium, qui velut illud onus portare. Sed de hoc pũcto nihil inuenio ab Auctoribus dictum, vnde videntur non agnoſcere talem obligationem. Nam qui abſolute dicunt cęcum excuſari maxime id affirmabunt, quando nullo modo poteſt vti memoria ad recitandum, & fortaſſe nil aliud intendunt. Qui verò ſolum in caſu memoriæ illam obligationem imponunt, quaſi per modum exceptionis, conſequenter videntur firmare regulam in contrarium extra illum caſum. Ego igitur conſulerem quidem recitare illo modo, ſed nihilominus cenſeo obligationem non eſſe imponendam, quia eſt diligentia extraordinaria, & de ſe ſatis oneroſa, ad quam non videtur obligare generale præceptũ. Solum in beneficiato, qui tenetur in choro aſsiſtere officio, & dicere prout poteſt, habere poteſt hoc dubium, quando à choro abeſt. Verumtamen ſi abſentia ſit, vel pro illis menſibus, in quibus non tenetur abeſſe, vel ſit ex legitima excuſatione, tunc non magis ille obligabitur ad poſtea recitandum illo modo, quam alij clerici, quia tunc ex vi beneficij non inducitur peculiaris obligatio. Si autem abſentia ſit, & in tempore obligationis, & ſine legitimo impedimento, non video quomodo poſsit excuſari à culpa graui, ſi neque in choro, neque extra chorum dicat officium ſaltem illo modo, ſi aliter dicere non poteſt. Imò qui illo modo, non poſſet extra chorum dicere, peccaret grauiter omittendo chorum, quia non implet obligationem ſuam abſq; legitimo impedimento, vt ſupponitur.

Cæcus clericus non tenetur propter defectũ memoriæ cũ ſocio dicere ſuos, & audire alienos verſus, ſecus de beneficiato qui culpabiliter abeſt à choro.

17. Simile dubium poteſt tractari de ſurdo, ſed in illo breuius expediri poteſt. Nam ſi, ſimul eſt ſurdus, & cæcus, clarum eſt non teneri ad recitandum, niſi quantum memoria iuuare poteſt, iuxta modum ſupra declaratum, quia ille non poteſt exilio ſocij vti, vt per ſe notum eſt. Si autem ſit tantum ſurdus, & non cœcus, cum poſsit legere, per ſe poteſt ſolus officium dicere, ac ſubinde tenebitur, quia tũc ſurditas nullam affert excuſationis cauſam, ſiue ille ſe ipſum dicentem audiat (quod fortaſſe ita ſemper contingit) ſiue non audiat, quia ſatis eſt, vt poſsit mente attendere, & cognoſcere quid dicat, & an recte dicat. Nam pręceptum per ſe non obligat ad audiendum, ſed ad dicendum. Quod ſi talis perſona aliunde ſit legitime impedita, nec ſola dicere poſſit, nec tenetur dicere cum ſocio in hoc caſu, quia cum ſurdus non poſsit ſocium audire, ineptus omnino eſt ad recitandum cũ illo, tũ quia neceſſario omittit totam illam partem, quam alius profert, & ipſe non audit, & conſequenter non recitat verum Canonicum officium, neque aliquam eius horam, tum etiam, quia non poteſt illi commode reſpõdere, niſi vel per coniecturam, vel diligentem obſeruationem motus labiorum alterius, quæ ſolicitudo nimia eſt, & ad illam præceptum non obligat, nec videtur poſſe moraliter fieri cum debita decentia, & decore. Imo licet clericus nõ ſit omnino ſurdus, ſed ita ſurdaſter, vt nõ poſsit audire ſine magna vociferatione alterius, non eſt obligandus ad recitandum cum ſocio, etiamſi alioqui non poſsit ſolus recitare: quia illud fieri non poteſt ſine magno grauamine ſocij, hæc autem humana præcepta non obligant cum tanto onere præſertim in his, quæ accidẽtaria ſunt, & quæ raro accidunt.

Cæcus ſimul ſurdus ſolũ memoriter tenetur recitare quod ſi ſolum ſit ſurdus.

18. Præterea poteſt, de ſurdo interrogari an excuſetur ab aſsiſtentia, ſeu reſidentia chori, quando ratione præbendæ ad illum tenetur. Si autem conſiderentur quæ in ſuperioribus dicta ſunt, facile reſpondebitur non eſſe hanc ſufficientem excuſationem, quia tale beneficium principaliter obligat ad aſsiſtentiam, & hanc optime poteſt exhibere ſurdus nõ ſolum ſi videat, quod eſt per ſe manifeſtum, ſed etiam ſi ſit cœcus quod autẽ non poſsit percipere ſenſibus quæ dicuntur, & aguntur, per accidens eſt. Item quia, vt ſæpe diximus, qui non poteſt ſoluere totum, quod debet, ſaltem debet exhibere quod poteſt, hoc autem faciet huiuſmodi beneficiarius honorando actionem illam præſentia ſua, & concurrendo ad orationem cum reliquis ſociis eo modo, quo poteſt.

Surdus non excuſatur ab aſſiſtẽtia chori, quamuis cæcus ſi habet beneficium.

19. Tandem pertinet ad hoc caput excuſationis ægritudo corporis, quæ talis ſit, vt hominem impediat, ne abſque graui ſalutis ſuæ detrimento, aut ſine nimio dolore, aut vexatione corporis poſsit pẽſum horarum perſoluere. Hæc excuſatio communis eſt alijs præceptis humanis, vt de Miſſa, & de Ieiunio conſtat, habetque in hoc præcepto eandem rationẽ, & ita in hoc cõueniunt Doctores. Sumiturque ex c. *Clericus victum*, d. 91. ibi. *Abſque corpuſculi ſui inæqualitate*, & ex ca. *Ad audientiam*, de Cleric. non reſident. quia vero nõ omnis corporis imbecillitas, aut integrę valetudinis defectus ſufficiẽs eſt ad hãc excuſationem, ideo in modo ferendi iudicium de quantitate, vel qualitate morbi ſufficientis ad hanc excuſationem ſolet eſſe nonnulla difficultas. Breuiter tamen dicendum eſt, quando ęgritudo, vel ita leuis eſt, vt non impediat alias ordinarias actiones capitis, & linguæ, neque per illas notabiliter augeatur, tunc non excuſare, quia illa non poteſt dici moralis, nec rationabilis impotentia, huiuſmodi eſſe ſolet moderatus dolor ſtomachi, vel alterius partis, & ipſius etiam capitis, & ſimilia. Quando vero ęgritudo eſt grauis, tunc non eſt dubium de excuſatione etiam abſque iudicio Medici, quia de re ipſa ſatis cõſtat, nam iudicium Medici deſiderari poteſt propter certitudinem, vt iam dicam. Quando autẽ res eſt dubia, ait Nauar. in Manuali. c. 25. n. 100 & de Orat. c. 11. num. 3 ex communi ſententia, conſulendum eſſe Medicum, & illius iudicio ſtandũ, nõ quia ipſa

Aegritudo ſi eſt magna excuſat à recitando ſi vero mediocris ſtandũ iudicio Medici.

C. Clericus, &c.

C. Ad audientiam.

Nauar.

Digitized by Google

ipſe poſsit tollere, vel minuere obligationem, nullã enim iuriſdictionem habet, ſed quia ratione officij, & peritiæ in arte hoc iudicium ad illum ſpectat. neque habent homines aliam regulam, qua poſsint in ſimili dubio gubernari. Neque lex humana obligat ad ſummam diligentiam adhibendam, & ideo ſatis eſt, vnum conſulere Medicum, qui bona fide, pius, & probus, ac peritus in ſua arte exiſtimaretur.

Si medicus abſolute iudicet morbũ excuſare à recitãdo perendum ſimpliciter eſt, ſi vero ſit dubius, conſulendus Prælatus maxime inter Religioſos.

20. Addunt verò aliqui conſulendũ etiam eſſe Prælatum, & eius aſſenſum poſtulãdum. Quod indicat Soto li. 10. de Iuſt. q. 5. art 3. verumtamen ſi Medicus non manet dubius, ſed iudicium profert de excuſatione, conſenſus Prælatus non poteſt illam augere, & licet poſſet, non tenetur quis omnem certitudinẽ quærere, vt dixi: neque etiam eſt neceſſarius actus prælati propter iuriſdictionem, quia nulla relaxatio neceſſaria eſt, vbi de cauſa excuſante conſtat. At verò ſi Medicus etiã dubius eſſet, tunc poteſt conferre Prælati conſenſus & ita tunc requiri, & ſufficere affirmant Graffis lib. 2. ca. 53 nume. 2. & Azor lib. 10. capit. 23. in principio. Quod neceſſarium tunc eſt non propter ſolum iudicium, ſeu certitudinem, ſed propter vſum iuriſdictionis, videtur enim poſſe ſaltem in caſu dubij aliquid cõdonare per modum diſpenſationis, ſeu relaxationis. Atque hoc maxime locũ habet in Religioſis, quia & facile poſſunt adire ſuum prælatum, & per priuilegia habere ſolent circa hoc maiorem aliquam poteſtatem: ideoque in ſimili dubio nullo modo debent ſine conſenſu Prælati excuſari, niſi fortaſſe occaſio vrgeat, & impedimentum interueniat ad conſulendum Prælatum, nam tunc poterũt vti remedio ſtatim dicendo. Pro ſecularibus verò verum eſt, habere Epiſcopum ex vi ſui muneris illam poteſtatem, quia moraliter eſt neceſſaria ad conueniens regimẽ, & quidquid eiuſmodi eſt intelligitur eis conceſſum, ſi non eſt prohibitum, hoc autem prohibitum eis non eſt, vt cõſtat, vnde etiam in præceptis ieiuniorum, & Miſſæ, cenſentur habere ſimilem poteſtatem. Difficile autem eſt, obligare omnes clericos in huiuſmodi euentu, vt licentiam petant ab Epiſcopo. Id enim poſſunt facere familiares eius, non vero omnes clerici eiuſdem ciuitatis, nedum totius diœceſis. Dices, Conſulatur tũc parochus, vel quicumque alius paſtor, cui proximè incumbit ſpiritualis cura talium perſonarum. Sed hoc nihil cõferre videtur, quia iſti non habent propriam iuriſdictionem in hoc exteriori foro, nec ſunt Prælati.

Si Prælatus conueniri nõ poſſit, & dubiũ practice deponatur, excuſabitur à recitando ægrotus ſemel, vel iterũ, nã ad lõgum tempus neceſſaria eſt licentia.

21. Dico ergo in hoc dubio, Quando nõ poteſt Prælatus, aut Epiſcopus conueniri, regulariter tutiorem partem ſequendam eſſe, recitando, etiamſi fit, cum aliquo onere, vel periculo diſpendij, quod non poterit eſſe multum graue, quando res tam dubia eſt. Dico autem *regulariter*, quia ſi dubium poſsit practicè deponi, tunc excuſatio poteſt eſſe ſufficienter tuta. Poterit autem ſic deponi, quando vel dubium non eſt æquale, ſed plura ſunt, quæ fauent excuſationi, vel non eſt tam purum dubium, quin admittat probabile iudicium quod illa cauſa ſit ſufficiens ad excuſandum. Atque hoc ſolum habet locum, quãdo licentia ſolum eſt pro vno, vel altero die, nam ſi excuſatio futura fuiſſet diuturna, omnino eſſet indulgentia Prælati poſtulanda, ſi fieri poſſet. Et iuxta hæc ferendum eſt iudicium de caſu, in quo ſimile dubium occurrit, & neque Medicus, neque Prælatus conueniri poteſt, tunc enim prudenti arbitrio vtendum eſt, & ſi bona fide procedatur, deponendus ſcrupulus. Semper tamen in fauorem præcepti inclinandum eſt. Neque hic allegari poteſt axioma illud, quod in dubijs melior eſt conditio poſsidentis, nam hic non eſt dubium de præcepto, ſed de excuſatione & ideo ſicut poſsidet hæc perſona ius tuendi ſalutem ſuã, ita Eccleſia, ſeu Prælatus poſsidet ius exigendi obſeruantiam præcepti ſui, & hoc ius grauius eſt, & magis reſpiciens commune bonum, ideoque cæteris paribus præferendum eſt.

Dubitatur an qui non poteſt dicere totum officium teneatur dicere partem, ſi poſſit.

22. Sed quid ſi cauſa iudicetur ſufficiens ad excuſationem vnius partis officij, & nõ totius. Item ſi impediat pro quadam parte diei, V. G. pro tẽpore meridiano, & nõ ante prandium, vel pro tempore, quo febris quartana, vel tertiana moleſtat, non vero pro alio in quo liberum hominem relinquit. At primũ videri poſſet, qui nõ poteſt dicere totum officium, eo ipſo excuſari à qualibet parte, etiamſi illã poſſet congrue dicere. Primò quia hoc eſt vnum præceptum, & illa recitatio omnium horarum eſt vna actio moralis, quæ ſi non poteſt integre fieri, non præcipitur mutilata & imperfecta, ſicut qui non poteſt ieiunare toto die, non obligatur ieiunare vſq; ad prandium, licet poſſet, & qui non poteſt abſtinere à carnibus, non tenetur abſtinere à cæna, & qui non poteſt audire totãm Miſſam, non obligatur partem audire. Item quia alias non poſſet ferri iudiciũ moraliter certum de hac excuſatione: quis enim, niſi grauiſsime ægrotet, nõ poſsit primam, aut completorium ſine magno incommodo dicere, nunquam ergo, aut raro contingeret integra excuſatio. Item qui conualeſcit ex infirmitate, non deberet ſpectare tempus, in quo poſſet totum officium dicere, ſed inchoare quamprimum poteſt aliquam partem recitare, quod profectò vſitatum non eſt.

1 Sentent. negans. Probatur 1.

2. Sent. affirmans, & probatur.

23. In cõtrarium vero eſt, quia licet totum officium vnius diei ſit integra materia huius præcepti, nihilominus conſtat ex horis diſtinctis, quarum ſingulæ per ſe continent integram quandam orationem, & poſſunt ſeparatim ab alijs dici: in quo eſt magna differẽtia inter hoc præceptum, & præceptum ieiunij, vel Miſſæ, ergo qui aliquas ex horis poteſt dicere, tenebitur illas dicere, etiã ſi non poſsit omnes. Probatur conſequentia, tum quia hoc præceptũ ita obligat ad omnes horas, vt obliget ad ſingulas, tum etiam ex illo principio, quod qui non poteſt ſoluere totũ, quod debet, debet ſoluere, quod poteſt, quando illud eſt ſeparabile à reliquis, & ſine incommodo ſolui poteſt. Vnde ſupra dicebamus cum communi ſententia, eum, qui in meridie ſubdiaconatũ ſuſcipit, obligari ad ſequentes horas illius diei, licet nõ dixerit, neque teneatur dicere præcedentes horas, ergo conuenientiſsimè recitatur pars huius officij ſine toto, ergo ſi præceptum poteſt ex parte impleri faciendum eſt.

Nauar. 2. ſent. amplectitur, peculiaris tamẽ illius diſtinctio improbatur multis exemplis.

24. Propter hæc, & alia argumenta Nauar. c. 11. de Orat. nu. 6. & ſequentibus, abſolute ſequitur hanc poſteriorem partem. Vt autem ſoluat difficultates in contrariam inſinuatas, quadam diſtinctione vtatur. Aut enim is, qui non põt dicere omnes ſeptẽ horas, põt dicere maiorem partẽ earum, & tunc tenetur eã dicere, propter rationes proxime factas. Si vero maiorem partem dicere non poteſt, conſequenter ab omnibus excuſatur, tum quia regulariter maior pars trahit ad ſe minorem, tum etiam quia non occurrit melius prudens arbitrium, cum non debeamus obligare omnes ad dicendum quamcumque partem, quam dicere poſſunt, etiam ſi minima ſit. Et hoc arbitrium ſequitur Azor. ſupra qu. 4. ſed imprimis non eſt adæquata reſponſio. Nam poſſunt eſſe partes moraliter æquales, de quibus dici nõ poteſt, vnam alteram ad ſe trahere, ceſſat ergo ibi ratio illius arbitrij. Vt verbi gratia, Matutinum ſolum cũ laudibus videtur eſſe dimidia pars Diuini officij, & ex omnibus alijs horis moraliter altera pars conſicitur, poteſt autem contingere, vt aliquis non poſsit dicere Matutinum, & alias horas commode dicere poſsit, cur ergo non tenebitur illas dicere? Præterea non ſatisfacit generaliter dicta reſponſio, nam hæc quæſtio non ſolũ locum habet in impedimento infirmitatis, ſed etiam in impedimento occupationis, vel ob defectum Breuiarij, & ſimilia. Qui autẽ tota die, & nocte ita fuit legitimè occupatus, vt nullam horam

Azor.

Digitized by Google

horã diei dicere potuerit, ſi in fine noctis poteſt ſaltem Completorium recitare cur non obligabitur? Vel ſi is, qui Breuiarium non habet, tantum ſcit memoria Primam, & Completorium, cur non tenebitur illas horas dicere, etiamſi minorem partem officij contineant? Item interdum tenetur quis dicere ſolam vnam partem officij, licet ſit minor alia, ad quam non fuit obligatus, vt patet in illo caſu de eo, qui ordinatur circa veſperam, tenetur enim ſaltem Veſperam, & Completorium dicere, licet ad alias horas non obligetur, ergo qui per ſe tenebatur ad omnes, & ſit impotens ad quinque etiam ex maioribus, manet obligatus ad dicendas duas, quamuis illæ ſint minor pars officij.

25. *Nauar. fundamentum vna ex parte currit.*

Denique illa maxima. Quod maior pars trahit ad ſe minorẽ, non videtur hic commode applicari, nam illud principium videtur intelligendum, vel quando partes debent concurrere ad vnum actum, vt in electionibus, nominationibus, &c. in quibus caſibus loquuntur iura quæ Nauarrus adducit, vel intelligi poteſt, quãdo vna pars impedit aliam, nam ſolet maior pars vincere. At verò in præſenti vna pars non impedit aliam, neq; vnam concurrere neceſſe eſt ad recitationem alterius. Deinde neq; exẽpla quæ afferuntur rem declarant: vnum eſt, quod qui tenetur ire Romam, non tenetur ad iter inchoandum, ſi non poteſt illuc peruenire. Sed hoc non eſt ad rem, quia etiam ſiquis poſſet maiorem partẽ itineris, vel fere totam conficere, ſi certus eſſet, non poſſe ingredi Romam, ad nihil tenetur. Et ratio eſt, quia iter non eſt pars illius præcepti, ſed via, quæ ſolum propter terminum pręcipitur. Magis accommodatum exemplum eſſet, ſiquis haberet votum eundi Romam, & ibi viſitandi ſeptem Eccleſias, nã licet certò ſciat, perueniendo Romam fore impediendum, ne viſitet omnes, ſed ad ſummum duas, vel tres, nihilominus tenebitur ire, vt ſaltẽ ex parte impleat votum, licet pars illa minor ſit. Exemplum etiam de Miſſa, iam diximus eſſe diſsimile. Et idem eſt de præcepto ieiunij quoad hoc quod abſtinentia à carnibus eſt quaſi fundamentum illius pręcepti, & ideo ſublato illo, totum aufertur. At verò è contrario retorqueri poteſt argumentum, nam qui poteſt ſæpius comedere in die ieiunij ob neceſsitatem, nõ ideò poteſt carnes comedere, ſed tenetur obſeruare præceptum quoad illam partem.

Improbatur ratione.

Exẽplo eius falſitas conuincitur.

26. *Nauar ſen. in meliorem ſenſum trahitur.*

Aliter igitur diſtinguendum occurrit, aliud eſſe comparare ſingulas horas Canonicas ad partes, ex quibus conſtat, aliud verò comparare omnes ſeptẽ horas ad totum officium vnius diei, quod eſt veluti adęquata materia, vel actus huius præcepti. Si primam comparationem faciamus, rectè dicitur neminem obligari ad dicendam aliquam horam, qui non poſsit ſaltem maiorem eius partẽ dicere, quia vnaquæque hora præcipitur, vt quædam actio perfecta, & ideo ſi nõ poſsit ita fieri, vt nomen illud mereatur, non naſcitur obligatio dicendi illam. Minor autem pars Primæ V. G (& ſic de alijs) non poteſt dici Prima, immò neq; dimidia pars, ſed oportet, vt ſaltem præcipuè, & quaſi ſubſtãtiales eius partes dicãtur, quocirca etiamſi in ſingulis horis poſſet quis dicere aliquas partes minimas, ſi nullam earum poteſt maiori ex parte dicere, nihil profecto dicere tenetur, etiamſi omnes illæ particulæ ſimul ſumptæ bonam aliquam partem totius Diuini Officij conficere videantur. Quia non poſſunt per modum vnius horæ, nec per modum Canonici Officij recitari. Si ergo in hoc ſenſu loquutus eſt Nauarrus, verum eſt eius arbitrium, neq; cõtra hũc ſenſum procedunt obiectiones factæ, vt conſtat.

27. *Statuitur debere ægrotum recitare partẽ integram ſi moraliter poteſt, ſed tamen nõ eſſe nimis Religioſe ob ſeruandum.*

At verò iuxta alteram comparationem non cenſeo eſſe veram generalem regulam negatiuam pro omnibus caſibus, & impedimentis, videlicet, vt qui poteſt dicere tot horas, vt contineant ſaltem maiorem partem totius officij, nullam dicere teneatur. Non eſt enim ſimilis ratio, quia vnaquęque hora (vt dicebam) eſt per ſe quoddam totum, quod per modum Canonici Officij, conuenienter dicitur. Et aliunde exempla, & rationes adductæ videntur mihi oppoſitum conuincere in multis caſibus. In caſu autem infirmitatis de quo tractatur, non cenſeo eſſe hanc excuſationem, vel licentiam tam ſcrupuloſe reſtringendam, vt quicumque in infirmitate dicere poſsit vnam vel alteram horam, ſine graui incommodo, & ad illam dicendam obligetur. Nam hoc eſſet nimis oneroſum, & præter ſuauitatẽ legis humanæ, & præter conſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres: & ideo reſpiciendum cẽſeo ad modum infirmitatis impedientis recitationem, nam ſi peculiariter impedit aliquam horã propter difficultatẽ in ea dicẽda: vt v.g. in Matutino, propter debilitatem viſus, & capitis, & illa difficultas in alijs horis non ſentitur, ſed commodè dici poſſunt, non video legitimam excuſationem, quoad tales horas, ſiue illæ ſint plures, ſiue pauciores. At verò ſi infirmitas impediat indefinitè Diuinum Officium, vt eſt febris grauis, vel aliquid ſimile, tunc non cenſeo eſſe ſcrupuloſe inquirendum, an poſsit infirmus vnã, vel alteram horam dicere, quia excuſatio illa ex ſe indefinita æquiualet vniuerſali, ita enim, vt dixi, cõſuetudo hanc legem interpretatur, & fortaſſe ratio eſt, quia eſt valde difficile in huiuſmodi occaſionibus attingere punctum in iudicãdo, quid poſsit homo dicere, vel non dicere ſine graui incommodo, & ideo ſatis eſſe creditur, quod officium ipſum dici non poſsit ſine notabili incommodo.

28. *Tenetur clericus quartana diuturna, vel leui tertiana laborans recitare, idq; anticipando, vel poſtponendo ſi neceſſe ſit, dũmodo non noceat notabiliter.*

Et hinc conſtat, quando infirmitas talis eſt, vt nõ impediat totum diei tempus, ſed paucas horas, vt ſolet eſſe quartana diuturna, aut leuiſsima tertiana febris, tunc non omnino excuſare, quominus in tẽpore habili dicantur horæ, quę commodè dici poſſunt, vt bene docet Nauar. d. cap. 11. num. 3. & ſequitur Arago. d. art. 12. verſus finem. Statim vero ſuboritur dubitatio ſupra inſinuata, an teneatur quis in eo caſu poſtponere, vel anteponere horas intra eundem diem, quando ægritudo impedit, vel impeditura præuidetur tempore legitimo? Poſſentq; in vtramque partem coniecturæ adduci, præſertim vero mouere poteſt in partem negantem, quia poſſe anteponere, vel poſtponere eſt veluti quoddam priuilegium, quo nemo vti cogitur. Nihilominus veram cenſeo partem affirmantem, quia totum tẽpus diei, eſt tempus ſimpliciter legitimum, & ſufficiens ad ſubſtantiam huius præcepti implendam, & ideo ſi vna pars diei eſt impedita, debet dici in alia, quæcumque illa ſit. Hoc autem intelligendum eſt, dummodo vel antepoſito horarum nocitura non ſit futuræ febris acceſsioni, quæ ſperatur, vel poſtpoſitio, & concurſus omnium horarum in vnum tempus ſit nimis grauis, præſertim poſt præcedentẽ malam corporis diſpoſitionem, nam hæc iam ſunt quaſi noua impedimenta, nos aũt loquimur quando commode, & ſine ſpeciali præiudicio ægritudinis, in illa parte diei poteſt dici Canonicum Officiũ. De antepoſitione autem, vel poſtpoſitione extra legitimum tempus diei naturalis non oportet mouere quæſtionem, cum certum ſit, pręceptum non obligare pro his temporibus. Si enim, qui peccando omiſit hodie dicere officium, non tenetur craſtina die illud dicere, multo minus tenebitur, qui ob legitimam excuſationem illud non dixit. Eademque ratio eſt de antepoſitione, maximè, quod illa etiamſi fiat, non poteſt tollere obligationem ſequentis diei. Vnde ſi caſu accideret, vt in die ſequente ceſſaret impedimentum, ceſſaret etiam excuſatio, non obſtante quacumque anticipata recitatione, ergo ad hunc affectum, vtilis non eſt, nedum neceſſaria.

29. *Nemo tenetur pro officio Canon. in recompen*

Dubitat vlterius Nauar. in d. cap. 11. nu. 19. an qui propter ęgritudinem excuſatur à recitatione horarum, teneatur aliquid aliud loco illarum dicere? Et reſpon-

ſationem dicere aliqua orationem mentalem, ſeu vocalē, nec ſi dicat, ſatisfacit quidquid dicat. Nauar.

reſpondet de iure humano non teneri. de iure autē Diuino naturali teneri ad aliquam recompenſationem faciendam, quamuis nō audeat imponere obligationem ſub peccato mortali. Sed prior pars ſola vera, & certa eſt, quia nullū eſt ius ſpecialiter hoc onus imponens, & ex iure communi lex quæ obligat ad determinatum opus, ſi impleri non poteſt, non inducit obligationem alterius operis, vel recōpenſationis: vt ſiquis excuſatur à ieiunio, non obligatur ad eleemoſynam faciendam, vel aliquid ſimile. In altera vero parte videtur idem ſenſiſſe Palud. in 4. d.12.q.6.§.vltimo, poſt omnia argumenta. Dum de infirmo, qui excuſatur, ait. *Roget tamen Deum mentaliter horarum loco & hoc ſuſſiciet*: ſed hoc totum eſt conſilium, propriū enim præceptum iuris Diuini in hac parte nullum eſt, vt recte dixit Syluester. verb. *Hora*, q.4. Tum quia ſupra viſum eſt, ſecluſo præcepto Eccleſiaſtico, nullam eſſe obligationē iuris Diuini in clericis de peculiari aliqua oratione faciēda: tum maximè, quia etiam ſi eſſet tale præceptum Diuinum, non obligaret pro ſingulis diebus, vel temporibus, eſſet enim affirmatiuum, quod non obligat pro ſemper, ſed pro tempore neceſsitatis, & ideo non oportet, vt obliget tempore infirmitatis. Et eadem doctrina poteſt ad cætera impedimenta applicari. Et ideo non probo, quod dixit Ang. verb. *Hora* n.9. cæcum, vel carentem libro excuſari, *Dummodo suppleat per pſalmos, vel Pater noſter, & huiuſmodi*: nam hoc ſupplementum neceſſarium non eſt, quando non eſt per recitationem alicuius horæ Canonicæ, vel memoriter, vel cum ſocio, modo ſuperius explicato.

Palud.

Syluest.

Ang.

30. *Metus mortis per ſe excuſat, ſi tamen in iniuriam Religionis cedat, nequaquā, & ita tenebitur recitare. Probatur 1. pars. Probatur 2. pars.*

Tandem ad hanc excuſationē reduci poteſt metus mortis: de quo dubitari poteſt, an excuſare poſſit à recitatione horarum? Sed hoc dubium non habet ſingularem doctrinam, aut maiorē difficultatē, quā in alijs præceptis Eccleſiaſticis. Dicēdū ergo eſt, hūc metū per ſe loquēdo excuſare, ex accidenti vero poſſe non excuſare, ſi in fidei, & catholicę Religionis iniuriam cedat. Ratio prioris partis eſt, quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum tāto rigore, item quia ſimilis metus excuſat, vel ieiunium, vel audire Miſſam. Item quia non eſt minor ratio excuſationis in tali metu, quam in graui infirmitate. Ratio verò alterius partis eſt, quia fidei confeſsio in tali articulo eſt in pręcepto Diuino, non obſtante periculo mortis. Item quia bonum Religionis eſt Diuinum, & commune, quod præferendum eſt corporali vitæ.

31. *Metus internus excuſat, externum & ab alio directe immiſſus, ſæpe nō. Probatur 2. pars. Probatur 1. pars.*

Diſtingui ergo poteſt duplex metus, vnus directè, & expreſſe incuſſus ad hunc finem compellēdi clericum ne recitet. Alius non ita immiſſus, ſed quia ab ipſo homine merito concipitur ex infidelitate, vel malitia eorum, inter quos verſatur, vel ex alijs occurrentibus circumſtantijs. Quando metus concipitur hoc poſteriori modo ſēper excuſat (ſuppono enim eſſe & verum, & grauem) quia tunc omiſsio recitandi, neque eſt contra confeſsionem fidei, cum tunc nō poſtuletur, nec vergit in iniuriam Religionis: cum nullo modo cedat in cōtemptum eius, imò de ſe ſit occulta, & alijs ignota. Quando verò metus priori modo, directè ſcilicet incutitur, ad hunc effectum retrahendi miniſtrum Dei à debito cultu eius, maior poteſt eſſe obligatio cauendi ſcandalum, & relinquendi officium proprium, propter metum. Verumtamen quia ibi non exigitur actio poſitiua veræ Religioni contraria, ſed ſolum carentia actionis, quæ per ſe, & intrinſece non habet hanc contrarietatem, ideo non poſſumus dicere eſſe intrinſecè malum cedere tali timori, & propter illum officiū omittere, ſed in particulari ſunt circumſtantiæ prudenter obſeruandæ, & omnino cauendū, ne ſequatur ſcandalum, vel Catholicæ Religionis contemptus.

32. Quarta excuſatio principalis eſt neceſsitas alicuius actionis, quæ nec poſsit ſimul cū recitatione officij coniungi, nec concedat liberum tempus ad illud recitandum. Hanc ponunt Syluest. Nauar. & omnes ſimilemque poſuimus de præcepto Miſſæ d. diſp. 88. ſ.6 §. *Quartum, & Quintum*, & eodem fere modo explicanda hic eſt. Oportet ergo imprimis, vt actio ſit honeſta, nam turpis nō poteſt eſſe neceſſaria. Deinde cum nō omnis actio honeſta neceſſaria ſit, non ſatis eſt, quod actio ſit de ſe bona, & optima, niſi ſit ita neceſſaria vt præcepti neceſsitatem ſuperare prudenter iudicetur. Vnde errant valde qui putant, propter contemplationem etiam altiſsimā poſſe Diuinum Officiū omitti, quia melior eſt obedientia, quam victimæ, & contemplatio illa non eſt opus neceſſarium, opus autem præcepti neceſſarium eſt.

4. Excuſatio à recitando eſt aliqua actio, quæ debet eſſe honeſta, & neceſſaria.

33. Duplex ergo poteſt eſſe neceſsitas actionis impedientis officium, vna eſt iuſtitiæ, & altera charitatis. Prior eſt, ſiquis ex officio teneatur legere, vel concionari, & non poſsit id conuenienter agere, ſi in recitatione occupetur. In quo aduertendum eſt, an officium regulariter, vel frequenter ſecum afferat talem occupationem, & tunc eſt ſignū, illud non eſſe officium accōmodatum clerico, Religioſo, aut beneficiario, & ideo qui voluntarie tale accipit officium, non poteſt excuſari quia non neceſsitate, ſed voluntate impeditur. Debet ergo, vel relinquere beneficium, vel officiū, quo ſic impeditur, vel diſpenſationem obtinere. Quod adeo verum cenſeo, vt licet officium nō ſit alienum à ſacerdote, vel Religioſo, vt eſt docendi, vel cōcionādi, ſi tamen propter incapacitatem perſonæ non poſsit recitare, illi officio ſatisfaciat non poſſe illud acceptare, & propter illud recitationem omittere inconſulto Prælato, qui cum illo poſsit diſpēſare, quia iam illa non eſſet neceſsitas, ſed volūtas (quod ſemper intelligo, ſecluſa ſpeciali, cauſa charitatis, de qua ſtatim.) At vero quando hæc neceſsitas rara eſt, & repentina, & quaſi per occaſionem, tūc habet locum dicta excuſatio, quia tūc eſt vera neceſsitas. Item quia propter ſimilem cauſam poteſt interdum Miſſa omitti. Ac denique, quia præceptum humanum affirmatiuum non obligat cum tanto rigore, quin ſimilem veluti Epijkiam admittat. Quia vero in hoc euentu verſatur homo inter duas obligationes, & actiones: ideo neceſſe eſt prudenti æſtimatione comparationem facere, vt illud eligatur, quod minus habet incommodi. vt in ſequenti puncto magis declarabitur.

Neceſsitas actionis vel eſt iuſtitiæ, vel charitatis, ſi eſt permanens, ſtare nequit cū ordinibus, ſi tranſiens, & ſtat, & diſpenſat.

34. Altera vero neceſsitas poteſt eſſe charitatis, & hęc eſt generalior, fundaturque in illo principio à Bernardo poſito in libro de Præcepto, & diſpenſatione. Quod propter charitatem introductum eſt, nō obligat cum eiuſdem charitatis diſpendio. Exempla ſunt, ſi ad recitandum neceſſarium eſſet omittere concionē cū ſcandalo populi, vel cum infamia Religionis. vel propriæ perſonæ. Item ſi eſſet neceſſarium curare infirmum, neque poſſet ad horam dimitti ſine graui eius incommodo, & ſimilia.

Neceſsitas charitatis excuſat à recitando vel autore Bernardo.

35. Sed quæres an neceſſarium ſit, obligationem illā charitatis tantam eſſe, vt ſit graue peccatum actionē ita neceſſariam omittere, etiam propter dicendum officium? Nam Henr. Quodlib. 5.q.12. quem ſequitur Syluest. verb. *Hora* n.18. indicat hoc eſſe neceſſarium, quia cum præceptum recitandi obliget ſub mortali, non poteſt propter aliam actionem omitti, niſi quando aliud præceptum grauius, & ſub maiori culpa obligat, ita vt tunc occurrat veluti perplexitas, & concurſus duorum præceptorum, in qua perplexitate minus malum eſt eligendum, iuxta regulam Conc. Tol. 8. c. 2. & habetur in ca. 1. diſt. 13 & Greg. ibid. ca. 2 ex lib. 32. Moral. ca. 18. Dico tamen, licet in eo euentu maxime vrgeat hæc neceſsitas, nō eſſe tamen ſemper neceſſariam: nam ſępe ceſſat hęc obligatio non ſolum propter vitandum peccatum, ſed etiam propter vitandum incommodū vel proprium,

Non eſt neceſſe obligationem charitatis eſſe grauiſsimam, vt omittatur officium Diuinum, quidquid dicat. Henr. & Gabr.

Concil. Tol. Greg.

Digitized by Google

prium, vel proximi. Vt ſi ſcholaris velit publicam actionem literariam per integrum diem habere, & recitare non poſsit, non tenetur actionẽ dimittere, etiamſi abſq; peccato poſsit. Idẽ eſt de Doctore, qui in oppoſitione cathedræ publicã habiturus eſt prælectionem, ad quam intra certum horarum numerum ſe parare debet. Item aliquãdo fortaſſe nõ erit graue peccatum non ſubuenire proximo ægrotãti, etiamſi per vnam, vel duas horas graue dolorẽ, vel aliud ſimile incommodum propter eã cauſam patiatur, & nihilominus ex charitate illi ſuccurrere, etiam dimittendo officium, põt non ſolum eſſe licitum, ſed etiam melius. Nam ſi ego debeo diligere proximum ſicut me ipſum, & propter vitandum dolorem in me poſſum dimittere officium, etiamſi abſq; peccato poſſem ſufficere dolorẽ, cur non erit idem circa proximũ? Propria ergo ratio huius excuſationis non eſt perplexitas, vel cõcurſus præceptorum, ſed eſt, quia præceptum humanum non cenſetur obligare cum talibus circũſtantijs, & cum tanto grauamine charitatis. Atque ſic ſentit Maior in 4.d. 12.q.6.ad 5.in fin.

Probatur exemplis.

Probatur exemplis [?] *ratione.*

36. *Henr. Syluestrij limitatio in quo ſenſu recipienda, & reijcienda ſit.*

Addũt præterea Henr.& Syluest. neceſſariũ eſſe, vt homo non potuerit præuenire tẽpus huiuſmodi occupationis recitando, nam ſi potuit, & non fecit, poſtea non excuſatur. Et ideo dicunt alij neceſſariũ eſſe, vt talis occupatio repentina ſit, ita vt præuideri non potuerit. Sed aduertẽdũ eſt, hanc excuſationẽ per ſe ſolũ habere locũ, quãdo totũ diei tẽpus, q̃ neceſsitatibus corporis moraliter, & ſine magno incõmodo ſubtrahi põt, eſt ad occurrẽtẽ actionẽ neceſſariũ. Tũc aũt nec præuẽtio, nec poſtpoſitio intra eũdẽ diẽ locum habet, alia vero maior nõ ſolũ neceſſaria non eſt, verum nec vtilis eſſe põt ad præcepti obſeruationẽ, vel executionem, vt ſæpe dixi. Ac propterea quando occupatio talis eſt parũ refert, q̃ ſit repẽtina, vel præuiſa, nam vtroq; modo excuſabit: ſi habet conditiones ſuperius declaratas, & eius neceſsitas ſit præciſa pro tali die nam ſi põt differri, & diſtribui per partes in plures dies, tunc iã non erit vrgens neceſsitas, quod ſi occupatio non ſit integri diei, ſed magnæ partis eius, tũc habet locum, vel poſtpoſitio horarum, ſi in priori tempore alia neceſsitas vrgeat, vel antepoſitio, & præuentio, quãdo impedimentũ futurum, eſt in poſteriori parte diei, & tunc non eſt dubium, quin hoc cadat ſub obligationẽ, quia præceptum obligat pro toto die, vt ſupra dictũ eſt. Poteſt autem tunc aliquis excuſari, vel quia præuidere non potuit repentinum impedimentum, vel certè quia non aduertit. Addo deniq; quod licet fortaſſe aliquis peccauerit negligenter ſe gerendo, & non præueniendo tempus, nihilominus exiſtente occupatione, pro tunc excuſari, ſi eũ pœniteat prioris negligentiæ, quia iam eſt impotẽs moraliter ad implẽdum præceptũ, ſicut in ſimilibus ſuperius diximus.

37. *5. Et vltima excuſatio eſt diſpenſatio Sum. Pontificis quam aliqui non poſſe concedi ſaltem abſolute in beneficiario affirmant.*

Vltima excuſatio eſt diſpenſatio, de qua nonnulli Iuris periti cenſuerunt non poſſe à Summo Põtifice concedi maximè beneficiario, qui ratione officij tenetur, nam illa obligatio eſt iuſtitię naturalis, in qua Pontifex diſpenſare non poteſt. Addunt vero moderationem, & fatentur poſſe Summum Põtificem auferre obligationem determinatè recitandi horas Canonicas, non tamen per modum puræ diſpenſationis, ſed per modum commutationis in aliquid æquiualens, vel determinãdo illud vel relinquendo prudenti arbitrio, & voluntati diſpenſati. Quia determinatio ad talem modum recitandi eſt ex præcepto Eccleſiæ, & ita poteſt à Pontifice tolli, obligatio autem alicuius orationis ratione ordinis, aut beneficij naturalis eſt. Ita fere Panorm. in c.1. de Celeb. Miſſ. quem ſequitur Turrec. in ca. *Eleutherius* d.91.q.5.& Angelus verb. *Hora* nu.6. Roſella.n.13.& idem ſentit Maior in 4.d.12.q.6.ad 1.

Panor. Turrecr. Angelus. Roſella. Maior.

38. *Verùm tamen.*

Sed hi auctores ſupponunt falſam ſententiam de obligatione iuris Diuini, ſiue ex vi ſolius ordinationis in ſacris, ſiue ex vi alicuius profeſsionis Religioſæ, vt conſtat ſatis ex dictis in c.16.& 17. ſiue ex vi beneficij. Vnde dico, etiam cũ beneficiario poſſe Pontificem ſimpliciter diſpenſare, relinquendo hominem liberum ab omni obligatione, tam dicendi officium Diuinum, quam recitãdi aliquid loco illius. Ita tenuerũt Cardinalis, & Ioan. de Lignano, in Cle. 1. de Celeb. Miſſ. quos refert Turrec. ſupra. & ſequitur Syluest. ver. *Hora* q.8. Tabien.n.15. Armilla.n.11. & Nauar. c.11.n.31. Aragon, 2.2.q.83.art.12. circa fin. Tolet. lib.2.ca.14. Ratio eſt, quia hæc tota obligatio eſt ſimpliciter de iure Eccleſiaſtico, in quo Papa diſpenſare poteſt. Et declaratur, reſpõdendo ſimul ad fundamenta in contrarium, quia licet beneficium detur propter officiũ, non tamen eſt de iure Diuino naturali, vt non detur niſi propter officium recitãdi, vel has horas, vel aliquid æquiualens: poſſet enim Pontifex aliqua beneficia inſtituere propter alia munera ſine hac obligatione ſpeciali, hoc enim nec cum iuſtitiæ æquitate, nec cũ Religione intrinſece repugnat, ergo non obſtante inſtitutione beneficiorum, quæ nunc eſt, poteſt aliquod in tali vel tali perſona eximere à tali onere, & hoc eſt diſpenſare.

Sum. Pontifex ita abſolute poteſt diſpenſare cum beneficiario, vt nihil compenſare teneatur.

Clem. 1. Turrecr. Syluest. Tabien. Armilla. Nauar. Aragon. Toletus.

39. *Obiectio.*

Dices, neceſſarium eſſe, vt propter aliquod Religioſum officium beneficium concedat, alias iniuſta, & inualida eſſet conceſsio, ergo illud officium propter quod datur beneficium, erit opus in quod commutatur recitatio, & ita non erit abſoluta diſpenſatio. Reſpondetur primo fieri poſſe, vt beneficium detur intuitu paupertatis, & ſtudij cum onere recitandi, vt nunc datur præſtimonium, poterit ergo Pontifex concedere beneficium intuitu paupertatis & ſtudij auferendo omne aliud onus, quia hoc non continet intrinſecam iniuſtitiam, & malitiã. Similiter poſſet cum parocho diſpenſare, vt retineat beneficium propter onus miniſtrandi Sacramenta, ſine obligatione recitãdi, maxime ſi per alios publicum officium in Eccleſia dicatur, & ſic poteſt facile de alijs beneficijs cogitari, poteſt ergo hoc onus ſimpliciter auferri nullum aliud ſubſtituendo loco illius, quod eſt propria diſpenſatio.

40. *Cõfirmatur magis diſpẽſationẽ à Papa cõceſſam fore abſolutã, cũ hoc tamen ſtat beneficiũ eſſe non poſſe ſine officio.*

Deinde aſſero, aliud eſſe diſpenſationẽ, bene aut malè concedi, aliud poſſe, vel non poſſe validè cõcedi. Vt ergo diſpenſatio ſit iuſta, regulariter neceſſarium erit, vt beneficium detur propter aliquod officium. Si autem Pontifex ſciens, & videns id faciat, valida erit diſpenſatio etiam abſque iuſta cauſa conceſſa, vt ſi nunc diſpenſaret cum habente obligationem, ne teneatur dicere officium B. Virginis, etiamſi ſine cauſa, valida eſſet diſpenſatio, licet non bene data. Item ſi Papa det beneficium infanti, vel puero quem ſcit eſſe ignorantem, ſupplendo defectum ſine cauſa, licet male fortaſſe faciat valida eſt collatio, & tamen continet virtualem diſpenſationem in officio, ſaltem pro tempore illius impotentiæ. Et ratio eſt, quia diſpẽſatio, ſeu cõceſsio fructuũ Eccleſiaſticorum nõ eſt limitata ad ſolũ huiuſmodi onus, vel officium, ſaltem vt valida ſit. Dixi autẽ *regulariter*, quia etiam aliquando poteſt eſſe iuſta conceſsio propter aliquas intrinſecas cauſas, vel gratitudinis, vel alicuius maioris incommodi Eccleſiæ, reſpiciendo ſemper ad commune bonũ eius.

41. *Epiſcopus non poteſt diſpenſare nec cum clerico nõ beneficiario, propriè loquendo ne recitẽt in occurrẽte neceſſitate poteſt ſi illud eſt diſpenſare.*

Quæri vero poteſt, an inferior Prælatus, vt Epiſcopus poſsit hanc diſpenſationem concedere? De quo breuiter dico primo, cum beneficiario diſpenſare nõ poſſe, vt ex proximè dictis facile colligi poteſt, & confirmabitur amplius ex puncto ſeq. Secũdo ergo aſſero neque cum clerico in ſacris diſpẽſare poſſe proprie loquendo. Ita ſentit Nauar. d.ca.11. nu.24 contra quendam Girardum, quem citat idẽ Turrec. in d.c. *Eleutherius*, & ibi Archid. & à fortiori Panor. & alij ſupra cit. Et ratio eſt, quia Epiſcopus nõ poteſt ordinarie diſpenſare in iure communi, niſi in caſibus ei conceſsis, vel in ipſo communi iure, vel ſaltem per receptam conſuetudinem, hoc

Nauar. Turrecr. Archid. Panor. Fundamẽt.

Digitized by Google

hoc autem ius commune eſt, & in eo nihil ſpeciale conceſſum eſt Epiſcopis. *Dixi autem diſpẽſare proprie loquendo*, quia in caſu dubio occurrente licentiam dare poteſt Epiſcopus, vt ſupra diximus, illud verò potius eſt per modum interpretationis, quam diſpenſationis.

41. *Auctoribus confirmatur ad ipſum. Vmbert. Zabarel. Turrecr. Nauar. Durant. Albertus. de Fer. Fundamẽt. illorũ infirmũ doctrina tamen vera*

Idem cenſent communiter Doctores de Prælatis regularibus reſpectu ſuorum ſubditorum. Ita docuit Vmbertus ſuper Conſtit. ordinis S. Dominici capite primo, quem referunt, & ſequuntur Card. Zabarel. & Turrecr. in ca. *Eleutherius*, diſt. 91. & illos ſequitur Nauar. d. c. 11. n. 25. & Durant. libr. 3. de Rit. c. 23. num. 4. qui etiam refert Albertum de Ferraris in tract. de Horis Canonic. num. 9. omnes autem hi Auctores in hoc fundantur, quod ita tenetur Religioſus profeſſus recitare officium, eo quod fructibus Religionis alitur, ſicut beneficiarius tenetur ad officium ratione beneficij. At hoc fundamentum non eſt verum, vt ſupra oſtenſum eſt, & ideo nõ habet locum in monachis illa ratio. Neque etiam alia de obligatione iuris communis, quia re vera monachi non obligãtur ex rigoroſa lege Canonica, ſed ex conſuetudine. Et ideo eandem conſuetudinem cenſeo eſſe conſulendam in præſenti puncto. Nam ſi conſuetudo eũ tanto rigore eſt introducta, vt Prælatus nunquam ſoleat, neque audeat in ea diſpenſare, clarum eſt non poſſe, quia conſuetudo poteſt dare, & auferre iuriſdictionem, vel ſufficienter indicare illam. Dicti autem auctores videntur ſupponere talem eſſe conſuetudinem Religionum, in quibus talis eſt obligatio. Et eandem ſupponere videntur multa priuilegia conceſſa Prælatis Religionum ad diſpenſandum cum ſubditis in officio Diuino nõ ſimpliciter, ſed cum debilibus, vel quoad alias circumſtantias. Quocirca vnaquæque Religio debet in hoc ſeruare ſuam conſuetudinem, & vti tantum ſuis priuilegijs. Quod ſi aliqua Religio ex vi ſuæ inſtitutionis aliquid circa hoc habet peculiare, illud ſeruare poteſt, ſi per contrariam conſuetudinem derogatum non eſt, vt verbi gratia, in Religione S. Franciſci non conſuetudine tantum, ſed ex præcepto regulæ tenentur iuuenes profeſſi ad chorum, officium recitare. Si ergo Prælati illius Religionis habent ex eadem regula, vel inſtitutione ſuam generalem poteſtatem diſpenſandi in præceptis regulæ, poterunt etiam in hoc diſpenſare, niſi ſpecialiter excipiatur, vel ordine ſcripto, vel ſaltem conſuetudine) quia tunc non diſpenſant in re communi, ſed in proprio. Item cum hæc obligatio Religioſorum non ſit eis ab Eccleſia impoſita, ſed ab eis aſſumpta, & tali profeſſioni annexa, nõ videtur dubium, quin poterit aliqua Religio hanc obligationem aſſumere tantum cum hac conditione, vt proprij Prælati habeant poteſtatem in ea diſpenſandi. De facto verò alia videtur eſſe conſuetudo, & ideo, vt dixi, illa ſeruanda eſt.

CAPVT XXIX.

An beneficiatus non recitans per ſex primos menſes aliquid teneatur reſtituere?

1. *Capitis inſtitutum.*

IN hoc, & ſequenti capite nihil dicam de beneficiarijs, qui licet priuatim recitent, in choro non recitant, nec ſeruiunt, prout tenentur. Nam de his quando, & quomodo diſtributiones chori amittant, ita vt illas retinere non poſſint in ſuperioribus dictum eſt ſufficienter, quãtum hæc materia poſtulat. Longior vero diſputatio de obligatione reſtituendi propter non reſidentiam, in proprium tractatum de beneficijs reijciẽda eſt. Solum ergo hic agimus de recitatione priuata, & omiſſione eius peccaminoſa, quoad pœnam propter illã ipſo Iure impoſitam. Suppono ſecũdo pro clericis in ſacris nullum habẽtibus beneficium, vel pro Religioſis profeſſis, nullam cenſuram eſſe impoſitam ob hãc culpam ipſo iure, neq; aliquam aliam ſpiritualem, vel temporalem pœnam: nullibi enim in Iure Canonico, ſeu Pontificio talis pœna inuenitur ſcripta, neq; etiam inuenitur circa hoc aliqua vniuerſalis conſuetudo, & ita nullus Doctorum talis pœnę mentionem fecit. Quod ſi Religio aliqua, vel particularis Eccleſia circa hoc habet aliquam conſtitutionem pœnalem, ad eos pertinet eam ſcire, qui poſſunt ea ligari, vel eam exequi tenentur. Idem ex eodẽ fundamento dicendum eſt de clericis habentibus beneficia quoad ſpirituales pœnas, & quoad omnes tẽporales, vna excepta, ſcilicet reſtitutione fructuũ de qua dicendum ſupereſt.

Hęc autem reſtitutionis pœna in duobus Iuribus Canonicis fundata eſt. Vnum eſt Concil. Later. ſub Leo. 10. ſeſſ. 9. *Poſt rubricam Reformationis Curiæ* §. *ſtatuimus*. Aliud Pij V. in Conſt. 138. in Bullario Rom. in quorum intelligentia, & declaratione tota reſolutio huius puncti conſiſtit, & ideo neceſſe eſt verba Pij V. præmittere, ipſe enim prius refert, & in ſummam redigit verba Concilij, & poſtea ſuam declarationem addit. Sic ergo habet: 2. *Reſtitutionis pœna fundatur in Cõcil. Later. & Pij V. conſt.* *Verba Cõc. Pij V.* *Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex proximo Lateranenſi Concilio ſalubris ſanctio emanauit, vt quicumque habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, Diuinũ officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus, pro rata omiſſionis officij, & tẽporis, ſuos non faciat, ſed eos tanquam iniuſtè perceptos, in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cuiuſmodi rata prædicta ratio ſit habenda. Nos huic rei euidentius, atq; expreſſius prouidere volentes ſtatuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur, qui vero Matutinum tantum dimidiã, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiã, qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat. Choro addictus non recitans, omnibus horis Canonicis cũ alijs præſens adſit, fructusq;, & diſtributiones forte aliter aſſignatas, ſola præſentia iuxta ſtatuta conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat: is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem.*

Duo ergo tempora ſunt in hac lege diſtinguẽda, vnum eſt primorum ſex menſium, in quibus recitatio omittitur, nam pro illo non videtur in hac lege pœna peculiaris, vel obligatio reſtitutionis imponi, aliud tempus eſt, quãdo omiſſio vltra ſex mẽſes durat, nam ex tunc videtur incurri hæc pœna, & contrahi obligatio reſtituendi. Circa primum tempus dubitari poſſunt nonnulla, primum eſt, an ex vi huius iuris excuſetur quis ab obligatione reſtituendi pro illis ſex primis menſibus? Sunt enim diuerſæ opiniones, prima negat excuſari. Ita tenet Soto libr. 10. de Inſt. quęſt. 1. ar. 6 quod vt defendat, coniectat, imò certo credit, verba illa Concilij Lateranen *poſt ſex menſes*, non eſſe ita legenda, ſed *per ſex menſes*, vt ſenſus ſit per illos ſex menſes teneri ad reſtitutionẽ pro rata poſt aliud vero tempus, ſi contumax poſt monitionem fuerit, ita, vt per alios quindecim dies bis ſaltem officium non dicat, priuandum eſſe beneficio. Hanc verò emendationem non ex alio codice, aut alia lectione probat, ſed ab incommodis. Primo quia alias contextus non habet legitimum ſenſum. Nam ſi Cõcilium excuſat à reſtitutione per primos ſex menſes, quomodo ſtatim ſubdit. Vt ſi poſt illud tempus (vtique ſemeſtre) in ſimili negligẽtia permaneat, priuetur beneficio &c. Nam prius debet concedi aliquod tempus, in quo teneatur reſtituere ſine priuatione beneficij, vt conſtat ex verbis eiuſdem legis: ergo illud tempus, in quo reſtitutio fa-

3. *An in primis ſex mẽſibus accepti beneficij obligetur quis reſtituere, niſi recitet Diuinum officium.*

1. *Sent. affirmat. Soto.*

Digitized by Google

tio facienda eſt ſine periculo pœnæ priuationis beneficij, non eſt niſi primum ſemeſtre tempus. Secūdo quia fuiſſet nimia relaxatio legis, ſi tranſgreſsionem per ſex menſes abſq; vlla pœna relinqueret.

4.
Soti ſent. audacia incuſatur dū mutatione verborum Concilij ſtabilitur.

Sed hæc Soti coniectura merito ab alijs auctoribus, quos referemus improbata eſt, quoad textus mutationem, ſeu emendationem, quia non inuenitur talis mutatio, aut varietas lectionis in aliquo codice, aut impreſsione illius Cōcilij. Vnde nimia videtur audacia, propter apparentes difficultates, vel incommoda textum mutare. Nam hoc potius eſt reprehendere Concilium, quam veram eius lectionem preferre. Nūc verò hoc multo magis indubitatum eſt: quia Pius V. referens Concilij ſtatutū expreſſe dicit, *Poſt ſex menſes*.

Aliquorum reſponſio ad 1 Soti coniecturam.

Ad primā vero Soti coniecturam reſpondent aliqui, tempus illud medium, in quo reſtitutio pro rata facienda eſt ante priuationem beneficij, eſſe quindecim, vel potius terdecim dierum, nam pro illis iam reſtituere cogitur, & ſi per duos alios dies in contumacia perſeueret, beneficio priuandus eſt. Sed nō eſt veriſimile ſolum ad quindecim dies reſpexiſſe Concilium, cum dixit: *Pro rata omiſsionis recitationis officij, & temporis* &c.

Vera reſponſio ad prædictam coniecturam.

quia hęc verba indefinita quodcumq; tempus comprehendunt, & quia ipſa diſpoſitio, & modus legis aliquid amplius requirit. Eſt ergo aduertendum in illa lege pœnam priuationis beneficij non eſſe ipſo iure impoſitam, ſed imponendam, vt verbum ipſum *Priuetur*, & illud *vt beneficio priuari poſsit*: manifeſtè oſtēdit. Et prætereaantequam pœna poſsit imponi, requiritur præuia monitio, & ſubſequens cōtumacia durās, poſt monitionem per quindecim dies modo declarato. Quia ergo illa monitio nō ſtatim fit poſt ſex menſes, cōtingere poteſt vt aliquis per multum tempus non recitet poſt primos ſex menſes nō admonitus, & conſequenter non ſpecialiter cōtumax hominis monitioni: tunc ergo pro toto illo tempore tenebitur reſtituere, & non eſt obnoxius pœnæ priuationis beneficij, donec legitimè moneatur &c. Et hic eſt proprius, & facillimus ſenſus ſine vllo incommodo. Nam ſi contingat ſtatim poſt ſex menſes monitionem fieri, tūc quidem ſolum pro quindecim diebus conceduntur induciæ, vt ſic dicā, vſque ad priuationem beneficij, cum obligatione reſtituendi pro rata pro eiſdem diebus, quod nullum eſt inconueniens, quia illud tempus poteſt eſſe maius, vel minus, iuxta diligētiam admonentis. De altero verò incommodo, quod Soto infert, ex ſequ. puncto conſtabit, nullum eſſe.

5.
1. Sent. aſſerit excuſari illis ſex menſibus beneficiarium ſaltē negatiuè à reſtitutione ſi non recitet.

Ex dictis ergo verbis, *Poſt ſex menſes*, videtur concludi excuſari beneficiatū à reſtitutione ex vi illius legis pro illis ſex menſibus. Et ita tenet Nauar. c. 21. de Orat. nu. 58. ſed, vt hoc verum ſit, intelligendum eſt negatiuè, vt ſic dicam, non poſitiuè id eſt, intelligendum eſt, legem illam non obligare ad reſtitutionem pro illis ſex menſibus, atq; ita non accuſare, (vt ſic dicam) & hanc voco negatiuam excuſationē. Poſitiuè autem non excuſat illa lex, quia nullam licentiam præbet, nec donat fructus illius temporis, ſi alias erant obnoxij reſtitutioni, ſed relinquit illud tempus in eo ſtatu, in quo antea erat.

2 Soti coniectura eneruatur.

Et ita ſoluitur clariſsimè ſecundum inconueniens à Soto illatum, quia nulla relaxatio Iuris pro eo tempore facta eſt, ſed ſolum nō eſt additus nouus rigor pro illo tempore: quod optima ratione fieri potuit, ne grauiſsima lex, & pœna noua ſine aliqua temporis moderatione ferri videretur. Quapropter non video vnde ex hac lege collegerit Naua. ſuprà, pro illis ſex menſibus non eſſe vllam obligationem reſtituendi, quod adeo certum exiſtimauit, vt inde ſumpſerit irrefragabile argumentum (vt loquitur) ad inferendum, ante illam legem nullam fuiſſe obligationem reſtituendi. Nam, re vera, ex illa lege nulla poſitiua excuſatio colligitur. Vnde nullum inde poteſt ſumi argumentum ad aliam quæſtionē, ſed potius ex deciſione illius quæſtionis pendet reſolutio circa obligationē reſtituendi aliquid pro illis ſex menſibus, vt bene animaduertit Durant. li. 3. de Ritib. c. vlt. in fin. *Durant.*

6.
Inquiritur, an, quando ex hoc iure non obligatur benef. ad reſtitutionē, obligetur, ne ex alio iure.
1. Sent. negat. eſt Nauar. & probatur primo.

Ex dictis, ergo ſolum habemus, ius hoc poſitiuū non obligare ad reſtituēdum aliquid pro illis ſex menſibus. Inquirendū ergo ſupereſt, an ex alio iure naſcatur obligatio: in quo dubio Nauar. in d. n. 58. abſolutè negat dari pro illo tempore aliquam obligationem reſtituendi. Fundamentum eius eſt, quia tota, & adæquata cauſa huius obligationis pro tempore ſubſequente poſt ſex menſes eſt illud ius Eccleſiaſticum, ſed illud non obligat pro illis primis ſex menſibus, ergo ſimpliciter non erit in illis talis obligatio. Nam ſi affirmatio eſt cauſa adæquata affirmationis, negatio talis cauſæ, optimè infert abſolutam negationem effectus. Antecedens probat. primo ex vi illius verbi *Statuimus*, in dicto Concilio poſiti, quod eſt, inquit. argumentum & ſignum inductionis iuris noui, iuxta quaſdam Gloſſas cōmuniter receptas. Secundò, quia attento iure communi antiquiori, non tenebatur beneficiarius non recitans ad reſtituēdos fructus ſui beneficij, quia nullum extat ius antiquum ad hoc obligans, neque ex ſolo iure naturæ ſequebatur talis obligatio. Quod probatur, quia obligatio reſtituendi ſolum naſcitur ex peccato contra iuſtitiam commutatiuam, beneficiatus autem omittens officium ex natura rei non peccat contra iuſtitiam commutatiuam, eſto alias (quod omnes fatentur) mortaliter peccet, contra obedientiā Eccleſiæ, vel contra Religionē, ad quā pertinet actus orandi præceptus. Et hanc ſententiā docet idem Nauar. d. c. 7. n. 31. & c. 10. nu. 37. & dicit eſſe communem in ca 1. de Celeb. Miſſ. vbi ex profeſſo id diſputat Panor. n. 8. & pro ea refert Card. referuntur etiam Ioan. Andr. de Lignano, & Anton. de Butrio. Et ſequūtur frequentius Summiſtæ: Sylueſt. ver. *Clericus*, 4. q. 23. n. 16. vbi etiam Roſella nu. 28. & Tabiena *Beneficium*, 3 nu. 11. & Armilla ver. *Beneficium*, n. 69. & ver. *Clericus*. n. 27. qui alios referūt.

Panor. Card. Ioan. Andr. Ioan. Lig. Ant. de Butrio. Syluestr. Tabien. Armilla.

7.
2. Et vera ſent. obligari beneficiatum primis ſex menſibus ad reſtitutionem ſi non ex nouo iure, certe ex natura rei.

Nihilominus contrariam ſententiam, nimirum, ex natura rei ſequi obligationem reſtituendi ex hac officij omiſsione, quando obligatio ex beneficio oritur. Tenuit Soto in d. li. 10. de Iuſt. q. 5. art. 6. Et idē ſentit Barthol. Med. in ſua Summa cap. 12. §. 11. & ex Canoniſtis tenuit Calderinus, quem omnes referunt in c. 1. de Celebr. Miſſ. ſequitur Couar. li. 3. Variar ca 13. n. 10. vbi refert Decium, & Ripam. idē tenuit Adrianus in 4. materia de Reſtit. q. An Eccleſiaſticus vltra victus decentē neceſsitatem, &c. cōcl. 1. & idem ſumitur ex Alex. Alenſ. 3. p. q. 36. m. 5 ar. 2. vbi generaliter loquitur de clerico habente beneficium, cui non deſeruit, quem dicit eſſe raptorem, & furem, & ponit exemplum in eo, qui accipit mercedem, vt laboret in vinea, & poſtea non laborat. Idē Ang. ver. *Hora*, n. 11. qui citat Laudunum. Item Graffis lib. 2. Deciſ. c. 50. qui refert Archid. in ca. *Si Canonici*, §. *Sciturì*, de Offic. Ordin. in 6. Idem tenet Ancharrata. conſil. 228. Geminianus in cap. vltim. de Reſcription. in 6. Iaſon in leg. penult. C. de Teſtam. Bald. in l. 1. Cod. de his qui, vt indigni, & quos etiam refert Azor d. lib. 10. cap. 14. in principio. Sequitur Durantus d. lib. 3. de Ritib. cap. vltim. in fin. Fundamentum huius ſententiæ eſſe debet. Quia beneficiarius omittens recitationem debitam peccat contra iuſtitiam commutatiuam ex qua intrinſece oritur obligatio reſtituendi, vt cōſtat. Antecedens probatur, quia ſtipendiarius ex iuſtitia commutatiua tenetur, id facere, pro quo ſtipendium accipit, vnde ſi omittat, & nihilominus accipiat ſtipendium contra iuſtitiam commutatiuam peccat. At ita ſe habet beneficiarius, recipit enim ſtipendium pro labore, iuxta illud: *Qui altari deſeruiunt, de altari participant*, 1. ad Corinth. 9. nam decimæ dantur pro miniſterio, Deuter. 18. & num. 18. ergo.

Soto. Bar. Med. Calderin. Couar. Decius. Adrian. Alenſis. Ang. Laudun. Graffis. Archid. Anchar. Geminia. Iaſon. Baldus. Azor. Durant. Fundamēt.

Nauar.

8. *Reſponſio Panorm. ad propoſitum fundamentum.*

Ad hãc verò rationem reſpondet primo Panor. negando, officium Diuinum eſſe proprium laborẽ, ſeu propriam cauſam propter quam datur clerico fructus beneficij, nam etiam dantur illi fructus, vt clericus aſſumptus in ſortẽ Domini viuat de patrimonio Chriſti, non mendicet. c. 2. de Præb c. *Diaconum*. 93. d. Et quia licet non ſeruiſſet Eccleſię dicendo officium, ſeruit, inquit, Eccleſię vniuerſali in ordine clericatus. Sed hanc reſponſionem merito improbat Ang. quia licet beneficiũ detur clerico, vt viuat, non tamen ſimpliciter, ſed vt viuat ſecũdum cultũ Dei. Non ergo dantur ei fructus beneficij tãtum, vt pauperi mere gratis, & liberaliter, ſed, vt laborãdo, & inſeruiendo Eccleſiæ, ab illa, vt par eſt, ſuſtentetur. Nec negari poteſt quin axioma illud ſumptum ex c. vlt. de Reſcr. in 6. *Beneficium datur propter officiũ*, intelligatur ſecundum relationem, & correſpondẽtiam, vt ſic dicam, iuſtitiæ commutatiuæ, qualis eſt inter ſtipendium, & opus. Quod bene confirmatur ex c. *Clericus victum*, 91. d. ibi, *Stipẽdio priuatus*: loquitur enim de clerico, qui ſine cauſa non ſeruit. At vero oſtendimus ſuprà, illud axioma, *Beneficium datur propter officium*, proprie, & in rigore intelligi de officio recitandi horas Canonicas. (Ita enim aperte exponitur in d. Conc. Lat.) ergo ratio facta ſuam vim retinet. Propter id vero, quod Panor. ait, clericum accipere beneficium, ne cogatur mendicare, facile poſſet cõcedi, quòd ſi clericus ſit tam pauper, vt niſi ex fructibus beneficij alatur, cogẽdus ſit mendicare, excuſetur à reſtitutione quoad eam partem, quã in ſuã ſuſtentationẽ conſumpſit. Non quia non peccauerit peccato de ſe obligante ad reſtitutionẽ, ſed quia reſtitutio illa donanda eſſet pauperibus, & pars illa iam fuit pauperi conceſſa. At vero ſi clericus nõ ſit pauper, iam hoc titulo nihil poteſt accipere, ſed tantum per modum ſtipendij ſi officium ſuum impleat. Si enim clericus nullum omnino officium in Eccleſia faciat, non video in quo inſeruiat vniuerſæ Eccleſiæ, ſolum ex eo quod clericus eſt.

Clericus.

Conc. Lat. Impugnatur reſpõſio Panor.

9. *Alia reſponſio Sylueſtri ad propoſitũ fundamentum.*

Aliter ergo Syluester reſpondet dicens, officium, propter quod datur beneficium, non eſſe ſolas horas Canonicas, ſed alia etiã Eccleſiaſtica officia, pręſertim miniſterium ſacrificij & Sacramentorum. Imò addit, principalem cauſam, propter quam dantur beneficia, eſſe alia miniſteria Eccleſiaſtica, officium vero recitandi eſſe ſecũdariũ, & ideo etiam ſi omittatur, non obligare ad reſtitutionem, quia relinquitur alia cauſa ſufficiens, propter quam poſsit recipi ſtipendium. Et hoc ſenſu cõcludit beneficiũ non dari propter officiũ recitãdi ſub cõditione, ſed ſub modo: & ideo modo non ſeruato, fructus nihilominus eſſe beneficiati. Sed hæc reſponſio Sylueſt. bene quidem declarat beneficiatum non recitantẽ non teneri ex natura rei, & ſecluſo iure poſitiuo ad reſtituẽdum omnes fructus ſui beneficij, quia recitatio non eſt adæquatum officium, & conſequenter eius omiſsio ad totalẽ (vt ſic dicam) reſtitutionẽ nõ obligat, quod ingenue fatentur Soto, & Med. imò in hoc excedunt, vt infra dicam. Non vero euitat Syluester per illam reſponſionem omnem reſtitutionem, vt oſtendam.

Reſponſio Sylueſt. inſtitutum nõ omnino conuincit.

Soto. Medina.

10. *Beneficiarius tenetur ex natura rei ad aliquam reſtitutionẽ ſi nõ recitet.*

Dico ergo primo, in hoc puncto, beneficiarium non recitantem teneri ex natura rei ad aliquam reſtitutionem faciendam. Hoc apud me cõuincit ratio facta, quod illud peccatum eſt contra iuſtitiam commutatiuã, eſt enim acceptio mercedis ſine redditione laboris. Vnde non obſtat, quod beneficium habeat illa ſeruitia, quia inde ſolum fit pro illis poſſe aliquam partem fructuum retinere, prudenti arbitrio, partitione facta, nõ tamen inde efficitur, quod poſsit oẽs retinere, quia officium recitandi eſt quędam pars adæquati ſeruitij, cui aliqua etiã pars fructuum reſpondet. Quod verò Syluester ait, hoc officium eſſe minus principale, & ſecundariũ. Imprimis licet fortaſſe ſit verũ de officio pſallendi, nõ tamen ſimpliciter de officio recitandi, nã pẽſum hoc tanquã vnum ex pręcipuis in Eccleſia habetur inter ea propter quę beneficia conceduntur. Deinde eſto id concedatur, non refert, ſatis enim eſt, vt hæc ſit quædam pars muneris debiti ex iuſtitia & nõ leuis, ſed ſatis grauis, nam id ſatis eſt vt grauiter lædatur iuſtitia in illis omiſsione, & vt inde naſcatur obligatio reſtituendi partem fructuum proportionatã illi parti officij, ſiue illa pars principalior, ſiue minus principalis ſit. De quo exiſtimo non poſſe generalẽ regulam tradi, nam in quibuſdam beneficijs videtur hoc penſum eſſe munus principale, vt in beneficijs Parochiarum, in aliis videtur pręcipuum eſſe, vt in Canonicatibus, & ſimilibus. In quibuſdã verò eſt totum officium, quia non habent aliud ſeruitium, vt ſunt præſtimonia. Quę cõſideratio neceſſaria eſt, ſecluſo iure poſitiuo, ad definiendum, an reſtitutio ſit facienda integre, vel ex parte, & ſi ex parte, an ex maiori, vel minori? Nam in præſtimonijs, & ſimilibus reſtitutio eſſet integre faciẽda, quia totum opus talis beneficii omittitur. In aliis vero reſtitutio partis ſufficeret, maioris autem, aut minoris iuxta proportionem officii, & ſeruitii, vt dictum eſt, & in his omnibus conſentiunt Soto, & Med. & poſſunt etiã nunc eſſe vtilia pro tempore ſex menſium, de quo nunc tractamus.

Quomodo officium recitãdi eſt minus principale in ſtatu clericali.

11. *Reſtitutio hæc poteſt fieri non ſolum in bonis temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus recitando, v.g. per ſex menſes ſequentes officium bis in die.*

Addo vero ſecundo, non videri neceſſarium ex natura rei, vt hæc reſtitutio fiat in bonis, ſeu fructibus temporalibus beneficii, ſed poſſe fieri in bonis ſpiritualibus, quæ fuerunt omiſſa, atque hoc modo videmur moderari rigorem ſecundę ſententiæ, quæ Panorm. & alios terruit. Declaratur autem in hunc modum, nam ſi beneficiarius per ſex mẽſes omiſit officium Canonicum, videbitur ſatisfacere pro iniuſtitia facta, ſi per alios ſex menſes illud officium ſuppleat. Dices, per hoc non ſatisfacere priori obligationi, tum quia quotidie poſtea vrgetur noua, & diſtincta obligatione, tum etiam, quia iam tempus obligationis pertranſiit, & ita non habet locum talis recompenſatio: propter quod ſuprà dicebamus, qui in vno die omiſit officium, nõ teneri ſupplere in alio, quia non poteſt. Sed hæc non obſtant, nam quod ad primum attinet, ſi ille beneficium dimittat, vel illo priuetur, non procedit illud impedimẽtum. Si vero idem beneficiũ ſemper teneat, poterit quotidie duplicatũ officiũ recitare, ſemel, vt ſatisfaciat quotidianę obligationi, & iterum donec priorem iniuriã reſarciat. Nam licet ab hoc abſolute nõ cogatur, tamẽ ſi vult excuſare reſtitutionẽ ſtipendii, neceſſe eſt, vt id faciat. Vnde facile reſpondetur ad alteram partẽ. Aliud .n. eſt, cõſiderare præceptũ recitãdi tali die, aliud vero eſt cõſiderare, nocumentũ illatũ per omiſſionem recitationis debitę. Quoad primũ quidem verũ eſt, nõ poſſe amplius impleri præceptum prout illo die obligabat, & ideo ex vi ſolius obedientiæ, vel Religionis nõ manet talis obligatio. At vero ſecundũ, id eſt, nocumentũ reparabile eſt, nõ ſolum materialiter, vt ſic dicã, reddẽdo pecuniã, ſed etiam ſpiritualiter cõpenſando omiſsionẽ ſpiritualem, per ſpiritualẽ actionẽ. quod quidẽ ſubſtantialiter, vt ſic dicã, fieri põt, ſatiſq; eſſe videtur. Quod hoc exemplo declaro, nam ſi quis recipit ſtipẽdiũ, vt hac hebdomada determinata tres Miſſas diceret & id omiſit, cõtra pactũ peccauit quidẽ, ſi tamẽ poſtea illas tres Miſſas dicat, iuxta intẽtionẽ dãtis eleemoſynã, nõ tenebitur ſtipendiũ reſtituere. Idẽ cenſeo de illo, qui ex beneficio, vel capellania tenetur tot Miſſas in anno dicere, nã licet in eo peccauerit grauiter, nihilominus ſi in altero anno totidem Miſſas integre, & cum debita intẽtione dicat, non tenebitur reſtituere fructus illo anno perceptos. Ratio aũt eſt, quia licet peccatũ fuerit in dilatione ſolutionis, tãdẽ obſequium debitũ ad æqualitatem ſoluitur, & illa iniuſtitia, quę fuit in circũſtantia tẽporis prætermiſſa, reparabilis nõ eſt. Vnde etiã in modo reſtituẽdi per redditionẽ fructuum,

Obiectio bipartita.

Solutio 1. partis.

Solutio 2. partis.

Cõfirmatur exemplo.

Digitized by Google

fructuum, vel ſtipendij, incommodum illud nō reparatur. Hic autem diſcurſus totus habet locum in præſenti caſu. Quapropter non dubito, quin ſiquie velit hoc modo reſtituere, ſatisfaciat in toto rigore iuris naturalis, & ſecluſo poſitiuo.

12. *Hæc ſpiritualis reſtitutio non ſemper eſt quod fiat eadem ſpecie actionum, ſed poteſt eſſe per alias preces æquiualentes.*

Maius mihi dubium eſt, an eligendo hunc modū ſpiritualis reſtitutionis teneatur quis in præſenti caſu reſtitutionē facere in eadē ſpecie actionis, id eſt, in recitatione horarum, an poſsit ſatisfacere, vel per alias preces æquales prudenti arbitrio, vt v.g. per integrum Roſarium, vel per ſacrificium Miſſę tot diebus repetitum pro illa intentione, vel ſimilia? Nam ſi cōſideremus iuſtitiæ rigorem, videtur neceſſariū reddere idem opus in ſpecie, nam mercenarius cōductus ad fodiendum in vinea, non ſatisfaciet aliud opus ſuo arbitrio faciendo etiam in Domini vtilitatem, & qui debet triticum, non ſatisfacit reddendo oleum, ſi poſsit ſoluere debitum in propria ſpecie.

Probatur tradita doctrina.

Nihilominus contrarium cenſeo dicēdum in præſenti caſu, quia quando creditor mortaliter, & rationabiliter præſumitur acceptare, ſufficit æquiualēs cōpenſatio, licet non ſit omnino ęquiualens in eadē materia. Ita vero pręſumitur in præſenti, quia ſpiritualis fructus ab Eccleſia intētus poteſt eſſe æqualis, vel maior in alio genere ſpiritualis compēſationis, vnde illa quaſi materialis diuerſitas nō videtur impedire condignam ſatisfactionem, & pōt deſeruire, vt facilius & ſuauius fiat.

Cōfirmatur exemplo.

Confirmariq; hoc poteſt à ſimili ex voto vnius operis, quod hac ratione impleri poteſt per aliud æquale.

Obiectio.

Solum poſſet quis hæſitare, quia officium Canonicum dicitur in perſona Eccleſiæ, quæ circumſtantia non ſuppletur per ſingulares orationes, vel operā, præter Miſſæ ſacrificium.

Solutio.

Sed dico, neq; eſſe certum, cum horæ recitantur priuatim, dico in perſona Eccleſiæ, neque illam circumſtantiam eſſe reparabilem poſtquā ſemel officium omiſſum eſt. Nam licet illud officium alio die dicatur, vel repetatur, iam non dicitur iuxta conſtitutionem ab Eccleſia pręſcriptam, & ideo non dicitur in perſona eius. Hoc tamen non impedit, quin illa ſit condigna ſatisfactio, quia ſubſtantia actionie eſt eadem, & ſit meliori modo poſsibili. His ergo modis limitata, & declarata ſecunda ſententia mihi probatur, & credo poſſe ſecuriſsime ad praxim explicari, etiam nunc pro tempore ſex menſium de quo tractamus.

13. *1. Sent. aſſerens illū qui primis ſex menſibus recitauit, & alijs ſequentibus minime, poſſe vti priuilegio legis.*

Duo vero ſuperſunt adnotanda circa eādem legem Conc. Conſt. prout de eodem tempore loquitur. Quæ video à Doctoribus prætermiſſa, & indigent declaratione. Vnum eſt circa illa verba: *Si poſt ſex menſes ab obtento beneficio, &c.* Nam ſtatim occurrit, interrogare, quid ſit dicendū, ſi quis per ſex primos mēſes, vel per maius tempus integre recitauit, & poſtea cœpit omittere, num incipiat ſtatim obligari peculiari onere reſtituēdi per illam legem impoſito, vel ſemper immunis ſit à peculiari pœna illius legis, donec ſex menſibus recitationem, vel continue, vel interpollatis diebus, omittat? Nam ſi ſpectemus tenorem verborū, videntur in rigore reddere priorem ſenſum. Aliūde vero videtur hoc difficile creditu. Cur enim erit melioris conditionis ille, qui ſtatim à principio obtēti beneficij inique ſe geſsit, vt mitius cum illo agat illa lex, quam cum illo, qui in principio bene ſe geſsit, & poſtea per fragilitatē humanam, non maiori culpa, neq; diuturniori tēpore deliquit? Videri ergo poteſt, habentem beneficium non obligari ad reſtitutionem ex vi illius legis per primos ſex menſes, in quibus non recitauit poſt obtētū beneficium, ſiue illi ſint primi à die obtenti beneficij, ſiue in quocumq; temporis diſcurſu.

2. Et vera ſunt aſſerēs priuilegium ſuum primis ſex mēſibus ab obtento beneficio.

Nā illa verba: *Si poſt ſex menſes ab obtento beneficio*, intelligi poſſunt de ſex menſibus, nō ſolum obtentionis, ſed etiam non recitationis. Sed non oportet vim inferre textui, nam verba Concilij, *ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio*, videntur perſpicua, & apud Pium V. clarius dicitur: *ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit*, ergo poſt ſe menſes ſaltē à poſſeſsione beneficij, ſiue in illis quis recitet, ſiue non, incurritur pœna illius legis non recitando. Vnde illi ſex menſes conceſsi ſunt non habita ratione ad initium tranſgreſsionis, vt ſic dicam, ſed ad initium obtentionis beneficij. Quia voluit lex non ita punire nouitium, vt ſic dicā, in illo munere, quia fortaſſe in illo tempore ſolent eſſe plures occaſiones omittendi. Et in hoc ſenſu eſt communiter intellecta illa lex.

Aliud explicandum eſt, an is, qui per ſex menſes non recitauit, maneat liber à pœna illius legis, etiāſi per maius tempus duret non recitando: ſi verò culpa ſit diuturnior eo ipſo totum peccatum à principio, maneat obnoxium illi pœnæ? 14. Nā verba textus videntur ambigua, ſic enim habent: *Si poſt menſes ab obtento beneficio Diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſsionis, recitationis officij: & temporis.* Vbi non declarat an loquatur de toto tempore omiſsionis excedente durationem ſex mēſium, an de ſolo illo tempore, quod vltra ſex menſes additur.

Reſtitutionis obligatio ſolum incipit poſt ſex menſes licet continuatum ſerie beneficiatus neq; in illis recitet, neq; deincepſ.

Probatur.

Sed ſine dubio hoc poſteriori modo eſt illa lex intelligenda. Et ita videntur ſupponere Nauar. & omnes, tùm quia hic ſenſus mitior eſt, tum etiam, quia Concilium noluit de illis primis ſex menſibus quicquam de nouo diſponere, ſiue peccatum vltra differatur, ſiue non.

Cōfirmatur

Et hoc etiam videtur indicaſſe Pius V. quādo declarauit, in omiſsione illorum ſex menſium grauiter peccari, & de reſtitutione nihil dixit.

Capvt XXX.

Quid teneatur reſtituere, qui poſt ſex menſes non recitat.

1.

PRincipio inquirendum eſt, an hæc lex obliget ad reſtitutionem faciendam in conſcientia ante iudicis condemnationem, etiamſi crimen occultiſſimum ſit.

Soto.

Nam Soto li. 10. de Iuſt. q. 5. art. 6. dixit nō obligare, quia credidit, Concilium non fuiſſe receptum, & præceſsit Pium V.

Medina.

At verò Medi. qui cōſtitutionē Pij V. nouit, auſus eſt dicere, decretum illud eſſe pœnale, & non obligare donec iudex præcipiat.

2. *Stāte decreto Conc. in ſua vi reſtitutio facienda eſt ante iudicis ſententiam, atque adeo lex illa obligat in conſcientia.*

Tria ergo breuiter dicenda ſunt: Primum eſt, ſtante decreto Conci. Later. in ſua vi, reſtitutionem hanc eſſe faciendā in conſcientia ante iudicis condemnationem, licet delictū occultiſsimum ſit. Probatur primo ex illis verbis: *beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciāt.* Nam lex potens eſt ad impediendam acquiſitionem dominij, & verba illa ſufficienter ſignificant hunc effectum, ergo faciunt illū. Sed nemo poteſt retinere, quod ſuum non eſt, ſed in cōſcientia tenetur reddere, cui debetur, ergo. Confir. ex illis verbis, *Sed eos tanquam iniuſte perceptos erogare teneatur.* Naſcitur ergo illa obligatio ex iniuſtitia, ergo vrget in cōſcientia ſecluſa coactione.

3. *Poſt conſt. Pij V. res eſt indubitata.*

Secundo dico, ſaltem poſt conſtitutionem Pij V. dubitari nō poſſe de vigore illius legis, quia ipſe ita illam declarat, vt eam de nouo ſtatuat, ſi neceſſe ſit, dicens. *Nos huic rei euidentius, atque expreſsius prauidere volentes, ſtatuimus &c.* Nec dubitari poteſt, quin illa Pontificia conſtitutio ita ſit vſu recepta, vt obliget. Neque Medina hoc vocauit in dubium, neque homines Pij, & docti. Addo, ex illa colligi, etiam antea decretum Concilij habuiſſe robur ſuum, & vim. Tertio aſſero, legem Pij V. in hac parte non ita eſſe pœnalem, aut deſiderare iudicis actionem. Tum quia ipſe non ſtatuit nouam pœnam, ſed declarat, quomodo ſit facienda reſtitutio à Concilio præcepta, relinquens dubium reſtituendi in eo gradu, & modo, quo per Concilium fuerat inductum. Tum etiam quia ipſe vtitur illo modo loquendi talem, vel talem partem fructuum amittat, & prius retulerat illa

Improbabile eſt omnino legem Pij V. tantū eſſe pœnalem.

rat illa verba Concilij *Fructus ſuos non faciat, & tanquam iniuſte perceptos &c.* Et in illis fundat conſtitutionem ſuam.

3. Ex his ergo cócluditur, hodie reſtitutionem eſſe faciendam iuxta tenorem, & modum à Pio V. præſcriptum, & in conſcientia, nulla expectata iudicis ſententia. Ita ſentiunt Nauar. d. c. 7. de Orat. n. 32. & in Manua. c. 21. n. 122. Couar. li. 3. Varia. cap. 13. in fin. Cordu. in Summ. Hiſp. q. 33. Durant. Graffis, & alij ſupra citati.

Nauar. Couar. Cordub. Durant. Graffis.

4. Secundo declarandum eſt, quid ſit reſtituẽdum, an ſimpliciter omnes fructus beneficij, ſeu beneficiorum, vel tantum ea pars, quæ officio recitandi in beneficio correſpondet? Soto hoc poſteriori modo interpretatur decretum Concilij, ſolum, quia alius ſenſus videtur nimium rigoroſus. Ipſe verò interpretationem nõ accõmodat verbis Concilij, poſſet autem accommodare ad illa, *Non faciat fructus ſuos pro rata omiſsionis recitationis officij, & temporis*, nam illud *pro rata* videtur intelligendum reſpectu fructũ beneficij non ſimpliciter, ſed prout recitationi correſpondent, ac debentur. Sed tamen hanc euaſionẽ excuſſit Pius V. Primò, quia declarauit, *ratam* intelligendam eſſe per proportionem ad horas Canonicas, & recitationem earum, vt poſtea exponemus, ſecundo, quia dixit: *Omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus &c. eius diei amittat.*

Soti ſent. aſtruens beneficiatum nõ recitantem ſolũ obligari ad reſtituendam eã partem, quæ officio recitãdo reſpondet.

5. Nihilominus Medina perſtitit in ſententia Soti, quia putat continere euidentem iuſtitiam, & æquitatem, & eum ſecuti ſunt Arago. & Ludouicus Lopez. Ad Pium autem V. duobus modis reſpondent. Primo, vt ſolum loquatur de beneficijs, quę nullum habent ſeruitium præter recitationem officij. Sed hoc improbabile eſt. Tum quia Conc. Lateran. expreſſe dicit, *Quicumque habet beneficium cum cura, vel ſine cura.* Et hoc refert Pius V. & vocat *Salubrem ſanctionem*, quam confirmat, tum etiam quia declarat, extendi ad præſtimonia, & quęcumque alia beneficia etiam nullum ſeruitium habentia. Secundo reſpondent, verba illa: *Omnes beneficij ſeu beneficiorum ſuorum fructus, &c.* reſtringenda eſſe ad illos fructus, qui iuxta proportionem ab ipſis excogitatam recitationi horarum correſpondent.

Medina in eam it ſent. & alıter explicat verba Pij V. Aragon. Ludou. Lopez.

6. Nihilominus dicendum eſt, ex vi illius legis reſtituẽdos eſſe omnes fructus beneficiorum omniũ, quæ habet ille, qui non recitat, cum proportione declarata à Pio V. Ita tenent Nauar. Couar. Durant. Graffis, & alij ſupra citati, & Valent. 3. p. qu. 2. vltim. punct. in fine, & Pet. Nauarra libr. 2. de Reſt. c. 2. art. num. 183. præſertim nume. 196. & ſequentibus, & Azor lib. 10. cap. 14. queſt. 5. Ratio non eſt alia niſi verba Concilij, quæ Pius V. tam expreſſe declarauit, addita diſtributione, vt nemo poſsit propria auctoritate illa limitare: ſic enim ait. *Omnes beneficij ſeu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, quotidie diuiderentur.* Sed aiunt, cum ait *omnes* loqui tantum de omnibus reſpondentibus obligationi recitandi. Sed contra, nam iſti fructus (ſecundum illos auctores) non ſunt omnes fructus beneficij: at Pius loquitur de omnibus fructibus beneficij, imò & beneficiorum. Item, illi nõ ſunt fructus qui correſpondent *illi, vel illis diebus abſolute*, vt Pontifex loquitur. Præterea, iuxta illum ſenſum etiam dicere potuiſſet, pro qualibet hora reſtituẽdos eſſe omnes fructus beneficij, ſubintelligendo non ſimpliciter, ſed reſpondentes illi horæ. Ad hæc, Pontifex præmittit, ſe velle prouidentius, & expreſsius circa declarationem illius *ratæ*, diſponere: at vero ſi admittatur additio, & proportio illorum auctorum, nec euidens nec expreſſa eſt declaratio, ſed tam obſcura, & arbitraria relinquitur, ſicut antea in puncto præcipuo, & maximè dubitabili. Præter hæc habet hic locum ponderatio verbi, *ſtatuimus*, ſupra relata ex Nauar. nam ibi aliquod ius nouum ſtatuitur, illa autem reſtitutio cum illa proportione ex ipſo iure naturæ debebatur, vt Soto concedit, ergo aliquid amplius per hoc ius nouum ſtatuitur. Item, aliàs nulla eſſet differentia inter ſex primos menſes, & reliquum tempus, quod etiam eſt clare contra intẽtionem illius legis. Denique, licet beneficium detur propter plura officia, nihilominus lex potuit punire omiſsionem vnius officij priuatione omnium fructuum, etiam reſpondentium alijs ſeruitijs. quia lex poteſt non ſolum priuare ſtipendio quaſi adæquato officio omiſsio, ſed aliam priuationem addere in pœnam iuſtam. Hoc autem plane fecit illa lex, vt ex verbis citatis conſtat.

Vera ſent. ex vi illius legis qui nõ recitat, debet reſtituere omnes fructus proportione declarata à Pio V. Nauar. Couar. Durant. Graffis. Valent. Pet. Nauar. Azor. 1. Fundamentum. 2. Fundamentum. Vltima confirmatio.

7. Dices, Ergò ſaltem quoad illam partem eſt lex illa omnino poenalis, ergo ad illud, quod poenale eſt, non obligabit ante condemnationem. Reſpondetur negando conſequentiam. Primò quia lex poteſt ſuis verbis per ſe ipſam ita inferre poenam, vt ex illa ſequatur ſtatim obligatio in conſcientia, & hanc vim habent verba illius legis, vt põderauimus. Deinde quia per illam legem virtute factum eſt, vt beneficium Eccleſiaſticum, licet detur propter aliud ſeruitium, nihilominus ſub hac conditione detur, vt recitet, qui illud habet, alias etiam aliud ſeruitiũ, ſeu ſtipendium eius amittat. Et ideo quando non impletur illa conditio, ſtatim oritur obligatio non recitandi vllos fructus beneficii, pro rata omnium illorum.

Obiectio ſubortitur. Diſſoluitur 1. Soluitur 2.

8. Vnde conſtat, hoc non ſolum eſſe verum de fructibus vnius beneficii, ſed etiam plurium, & omniũ, quæ perſona habuerit, quia ita declarauit Pius V. & quia non eſt maior ratio de vno, quã de alio, & quia ſingula, & omnia ſub illa conditione data ſunt. Solum neceſſe eſt vt in ſingulis ſex primi menſes excipiantur cum proportione. Denique intelligitur ex dictis, nunc poſt ſex menſes non habere locum cõpenſationem ſpiritualem, quam dicebamus ſupra ex natura rei potuiſſe ſufficere, quia lex præſcripſit hoc genus poenæ, & reſtitutionis, & homo non poteſt commutare poenam, per legẽ impoſitam. Præſertim cum lex impediuerit trãſlationem dominii, ſine quo nemo habet titulum, quo poſsit iuſte reſtituere tales fructus.

Corollaria ex dictis n. 1.

9. Sed oportet tertio exponere hanc *ratam* an ſit cũ exacta portione, & vſque ad minima diuidenda? Ait enim Soto pro vno, aut duobus diebus non teneri quempiã reſtituere. Medina verò generalius dicit pro omiſsione paucorum dierum nihil eſſe reſtituendum. Et deinde ponit exemplum in octo, vel decem diebus. Imo addit, etiamſi quis per annum integrum omittat, non eſſe neceſſarium reſtituere totum exacte, & integre, ſed poſſe moderatam partẽ retinere. Quæ fundant ſolum in quadam morali accommodatione, quia Dominus temporalis, niſi ſit nimium rigidus, & tenax (quod de Deo ſentiendum non eſt) non priuat famulum ſtipẽdio propter aliquos defectus leues, nec propter omiſsionẽ grauem priuat exacte omnibus fructibus, ergo multo magis ita de Deo ſentiendum eſt.

Opinio aliquorum hãc ratam non oportere fieri cum exacta proportione. Soto. Medina.

10. Sed hæc moralis perſuaſio ad ſummum haberet locum in terminis Iuris naturalis, vt ſupra tractatũ eſt: At vero ſtante lege poſitiua definiente, & taxante hanc poenam vſque ad minima & ita loquimur) non licet nobis vti coniecturis ad legem eneruandam, nam cum Concilium ſtatuit, vt qui poſt ſex menſes ab obtento beneficio per quindecim dies nõ recitauerit ſaltẽ bis, priuetur beneficio: ergo nõ eſt credibile, vt per decẽ, vel octo dies omittẽs officiũ, in illius legis poenã nõ incidat. Itẽ cũ Pius V. taxet, quid reſtituẽdũ ſit pro dimidia parte officii prętermiſſa, quis nũc dicere põt ex omiſsione duorum dierũ nullã oriri obligationẽ? Præterea ſi Medina ſua cõiectura recte duceretur, dicturus cõſequẽter fuiſſet, beneficiariũ nõ peccare mortaliter ex vi trãſgreſsionis cõtra obligationẽ beneficii, nõ recitãdo, per octo, aut decẽ dies, quia benignus princeps, aut Domi-

Vera ſent. licet ex iure natura prædicta doctrina eſſet vera, ſtando tamen in lege poſitiua, rata vſque ad minima eſt diuidenda.

Digitized by Google

Dominus non priuat ſubditum, aut famulum gratia, & amicitia ſua propter leuem negligentiam, ergo vel in eo caſu beneficiarius non peccat mortaliter, vel illa dici nõ poteſt leuis omiſsio, aut offenſio Domini, & ita non procedit coniectura. Tãdem lex illa impedit tranſlationem dominij fructuum correſpondentium illis temporibus, diebus, aut horis, nullo ergo titulo retinêri poſſunt.

11. *Pij Quinti taxa omnino ſeruãda, notanda tamen ep. eius expoſitio illorum verborum ſexta parte. &c.*

Dicendũm ergo eſt cum communi ſententiâ, taxam, & diſtributionẽ à Pio V. declaratam ad amuſſim ſeruãdam eſſe. In ea enim imprimis aſſerit. *Qui vno, vel pluribus diebus omnes horas Canonicas intermiſerit, omnes fructus amittat, qui illi, vel illis diebus corrèſponderent, ſi quotidie diuiderentur:* ſi verò non vno die integrum officium prætermittat, pro dimidia parte officij vult amitti dimidiam partem fructũum illi diei correſpondentium. Dimidiam autem partem horarum declarat eſſe Matutinum, (quod ſimul cũ laudibus intelligo) aliam dimidiam partem ex omnibus alijs horis conficit, & quoniam illa ſunt ſex, illas reputat æquales, & pro vniuſcuiuſque omiſsione, *Sextam partem fructuum eiuſdem diei amitti* declarauit. Quod intelligo de ſexta parte fructuum dimidij diei naturalis, ſeu de fructibus diei artificialis, nam altera pars reſpondet nocti, ſeu officio nocturno. Hunc enim ſenſum iuſta proportio poſtulat, atq; iuxta ſimilem proportionem de laudibus cenſeo, vt ſi ſolæ omittantur tanquã vna de paruis horis reputetur, quia re vera habent æqualitatem moralẽ. Addit denique Pius extenſionem huius pœnæ ad diſtributiones quotidianas cùm eadẽ proportione, etiã pro his, qui choro præſentes ſunt, ſi nec ſibi, nec domi recitent illas horas quibus aſsiſtunt. Ita enim illam extenſionem intelligendam puto. Ac tandem infra, candem pœnam cum eadem partitione extẽdit ad penſiones reſpectu officij parui B. Virginis.

12. *Pro minori omiſſione quam ſit vnius hora non contrahitur obligatio reſtituendi.*

Et dictis ergo colligo, per argumẽtum à contrario, vel potius à definita legis taxatione, pro minori omiſsione quam ſit vnius horæ integræ non cõtrahi aliquam obligationem reſtituendi, ſólum enim taxatum eſt, quid pro ſingularum horarum omiſſione reſtituendum ſit. Cum autem ſit lex rigoroſa, videtur reſtringenda ad terminos ſuos, præſertim cum peculiariter ſit facta ad declarandam reſtitutionem pro rata temporis, & horæ. Verumtamen licet hæc regula pro ſingulis ſex minoribus veriſimilis videatur, pro Matutino admitti non poteſt, nam (vt dicebam) non eſt minor ratio reſtituendi aliquã partem proportionalem fructuum pro laudibus omiſsis, quam pro Prima, vel Veſperis, & tamen, iuxta opinionem magis communem, laudes nõ ſunt aliqua hora integra, ſed pars alicuius horæ. Conſequenter vero idem dicendum videtur de omiſsione vnius nocturni, vel alterius ſimilis, vel proportionalis partis Matutini. Nam procedit eadem ratio. Vnde non videtur illa regula quaſi materialiter ſumenda, ſed formaliter, vt pro ſexta parte medietatis officij, quæ eſt duodecima totius officij integri proportionalis pars fructuum omittatur.

13. *Optima regula reſtitutionis eſt, vt pro omiſſione mortali reſtituatur, pro veniali minime.*

Vel forte generalior regula erit, vt quoties omiſſio eſt mortaliter peccaminoſa oriatur obligatio reſtituendi, non vero quando eſt tãtum venialis. Quæ pars poſterior indubitata eſt, & nõ indiget limitatione, nam licet fructus beneficij ſint copioſi, ita vt ſingulis partibus minimis officij reſpondeat pars fructuum grauis quantitatis, nihilominus inde non oritur obligatio reſtituendi, quia fundamentum illud leue eſt, & ſimpliciter non eſt tranſgreſsio præcepti. At vero è conuerſo quando omiſsio eſt mortaliter peccaminoſa conſiderandum vlterius videtur, an pars fructuum illi omiſsioni correſpondens, conſiderata tenuitate beneficij, tam parua ſit, vt reſpectu furti, verbi gratia, non ſufficiat ad peccatum mortale, nã tunc cenſeo excuſari à reſtitutione, ex leuitate materiæ. Nam licet culpa omiſsionis ratione materiæ ſpiritualis, & Diuinę fuerit grauis, reſpectu pœnę, & reſtitutionis materia illa temporalis, eſt leuis. Sed cauẽdum eſt, ne cum alijs ſimilibus mortaliter, & paulatim coniungatur, nam tunc materia erit grauis, & conſurget obligatio, ſicut in furtis minimis contingit.

Statim verò ſuboritur dubium, an ſi peccatum illud mortale conſiſtat in ſola voluntaria diſtractione, abſq; omiſsione externæ prolationis, quãuis ſine attentione vlla, inde oriatur hæc obligatio reſtituẽdi? Quamuis enim ſupra dixerimus illud eſſe peccatum mortale contra præceptum Eccleſiaſticum, & ita videatur omiſsio præcepti, nihilominus quoad hanc pœnã poteſt eſſe ratio dubitandi. Quia Cõcilium Later. ſolum dixit, *Qui Diuinum officiũ non dixerit*, ille autem, qui ſine attentione dicit, re vera dicit. Nihilominus tamen cenſeo illum etiam incurrere hanc poenam. Ita ſentit Nauar. cap. 13. de Orat. num. 17. & 19 & ſupra idem diximus cum alijs contra Cordubam lib. 4. q. 13. & alios. Quia illa non eſt oratio, nec recitatio, quæ ab Eccleſia percipitur, & ita eſt vera omiſsio præcepti. Et verba Concilij formaliter intelligenda ſunt, nam dicere officium Canonicum iuxta ſenſum Iurium, & Pontificum idem eſt, quod orando illud recitare. Vnde Pius V. poſtquam retulit illa verba Cõcilij, poſtea dixit. *Qui horas Canonicas, vno, vel pluribus diebus intermiſerit*: qui autem ſine vlla attentione dicit, re vera intermittit horas, quia tunc non recitat.

14. *An qui ſine attentione recitat, teneatur reſtituere.*

Nauar.

15. *Beneficiarium exiſtens in peccato, vel etiam publico recitando ſatisfacit præcepto, nec tenetur reſtituere.*

Hinc verò intulerunt aliqui, obligandum eſſe ad reſtituẽdum beneficiarium, qui exiſtens in peccato mortali recitat horas: putant enim illum nõ implere præceptum, quia illa oratio non eſt fructuoſa Eccleſiæ, talis aũt oratio præcipitur miniſtris Eccleſię. Sed hoc probabile non eſt, quia ille, quamuis ſit in peccatò mortali implet Eccleſiaſticum pręceptum, ſub quod non cadit, vt oratio ſit ſatisfactoria, vt eſt opus operãtis: quoad impetrationem vero, ſemper poterit eſſe impetratoria, præſertim in perſona Eccleſiæ, & ipſum opus ſecundum ſe placet Deo, licet particularis perſona diſpliceat. Neq; obſtabit q; peccatum illud beneficiarij publicum ſit, quidquid dixerit Angelus ver. *Clericus* 8. nu. 5. quia ratio facta in vtroq; peccato tam publico, quam occulto procedit. Nec verum eſt, quod Angelus ſupponit, clericũ publicum peccatorem eſſe ſuſpenſum ab officio, & beneficio propria Eccleſiaſtica cenſura, vt bene notauit Sylueſt. ver. *Clericus*, 4. n. 17. q. 24. & nos in li. de Cenſuris diximus.

Angelus.

Syluester.

16. Sed quid, ſi è contrario contingat aliquem beneficiatum exterius non dicere officium abſq; peccato coram Deo, non ob legitimum impedimentũ, ſed propter naturalem obliuionem, vel aliam ignorantiam inuincibilem? Nam videtur obligari tum quia de facto non exhibet ſeruitium propter quod recipit ſtipendium, tum etiam quia (vt dixi) illa non eſt tantum poena propter culpam, ſed eſt etiam cõditio, ſub qua datur tale ſtipendium. Nihilominus cenſeo, hunc eſſe à reſtitutione excuſandũ, non ſolum quoad fructus bona fide cõſumptos, ex quibus non eſt factus ditior, (de quibus dubium nõ eſt) ſed ſimpliciter de omnibus. Ratio eſt, quia lex illa eſt poenalis, & ideo reſtringenda, vt non imponat poenam, niſi ibi interceſſerit culpa. Vnde non oportet intelligi, illam eſſe conditionem quaſi affirmatiuã, *Si dixerit*, ſed negatiuam, *ſi non omiſerit*, ſeu *non intermiſerit* (vt dixit Pius V.) vtraque *culpabiliter*, ſeu *voluntarie*, hoc enim eſt propriè omittere. Accedit, quod Concilium inquit. *Si officium Diuinum non dixerit legitimo impedimento ceſſante.* Naturalis autem obliuio, vel ignorantia inuincibilis legitimum impedimentum cenſeri poteſt. Et infra ait, *Eos tanquã iniuſte perceptos*, ergo ad reſtitutionẽ poſtulat titulũ iniuſtæ acceptionis. Item infra inquit. *Si vltra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit:*

vbi expẽdo illam particulam *Simili*, nam ſupponit. oportere omiſsionem eſſe ex negligentia culpabili. Ergo vbi non interuenit culpa, non incurritur hæc pœna.

18. Vltimò inquiri poteſt, cui ſit reſtitutio facienda. Hoc verò in ipſamet lege, ſatis declaratum eſt, illis verbis. *In fabricas huiuſmodi beneficiorum, vel pauperũ eleemoſynas erogare teneatur.* Quæ verba diſiunctiua ſunt, & ideo videtur libera electio relinqui ipſimet beneficiario, vt quam maluerit partem eligat. Quæri autem poteſt, an poſsint extẽdi ad alios pios vſus, vt ſunt ſacrificia, & capellaniæ, ſuffragia, vel anniuerſaria pro defunctis, & ſimilia. Reſpondeo cum Nauar. in Manua. c. 25. nu. 122 & c. 7. de Orat. nu. 32. quẽ iuniores ſequuntur, in primis excipiendos eſſe duos caſus. Vnus eſt, quando ex lege, ſtatuto approbato, vel cõſuetudine, quod vnus non recitando amittit, alijs Canonicis, vel Clericis eiuſdem Eccleſiæ accreſcit. Vt in diſtributionibus obſeruatur iuxta ca. 1. de Cleric. nõn reſident. in 6. & idem erit in alijs fructibus, ſeu in Groſſa, vt vocãt, vbi de illa idẽ fuerit ſtatutum. Alter caſus eſt, quando ex peculiari ſtatuto fructus male percepti applicati ſunt ad aliquod certum opus pium, tunc enim in illud reſtitutio eſt facienda. Ratio eſt quia nec Concil. nec Pius V. prohibent ſimilia ſtatuta, vel conſuetudines, neque in hac parte habent aliqua verba derogatoria: neque principalis intentio illius conſtitutionis fuit diſponere de his, quibus facienda eſt reſtitutio, vel reſpicere ad illorum vtilitatem: ſed præcipue, vt reſtitutio fiat cum effectu, determinat autem, cui facienda ſit, quando illud alias fuerit indeterminatũ, & ſine præiudicio alterius, cui alia ratione illud accreſcebat.

19. Extra hos verò caſus ſeruanda eſt determinatio Concil. ex mente illorum autorum, quia excipiendo tantum illos duos caſus, regulam in contrarium firmare videntur. Solum aduerto, membrum illud de eleemoſynis pauperum ſatis latam poſſe habere interpretationem. Nam ſi ſacerdos pauper ſit, non erit ab hac reſtitutione alienum illi dare eleemoſynam cum onere dicendi Miſſas aliquas, præcipue ſi in ſatisfactionem offenſæ Deo factæ non recitando, vel pro illis fidelibus, qui fructus beneficiorũ perſoluerunt, dici præcipiantur. Itẽ ſi viuis pauperibus eleemoſynę fieri poſſunt ex talibus bonis, poterunt etiam fieri pauperibus defunctis (dando eleemoſynas, vt ſuffragia, & ſacrificia pro illis fiant. Ad omnia ergo illa opera, quę ſub eleemoſynis pauperum cõprehendi poſſunt, fieri poteſt extenſio, non tamen extra illa.

20. Sed an reſtringendum hoc ſit ad pauperes illarũ Eccleſiarum, vbi ſunt beneficia. Nam in priori parte de fabricis aperte ſit reſtrictio *ad fabricas huiuſmodi beneficiorum*. Circa quæ verba aduerto, multos illa perinde accipere, ac ſi dictum eſſet, *In fabricas Eccleſiarum talium beneficiorum*, in neutro autem textu habetur illa particula *Eccleſiarum* neque oportet illam addere, quia ſine illa eſt latior conceſsio, & nõ eſt à nobis reſtringenda. Poſſet enim ædificari domus pro beneficiario, vel pro fructibus beneficij colligendis, vel etiam poſſent tales fructus expendi in vtilitatem prædiorum ipſiuſmet beneficij, vt eius fructus in perpetuum augerentur. Hæc enim, & ſimilia ſub fabricis beneficiorum comprehenduntur, etiam ſi proprie non ſint fabricæ Eccleſiarum. Omnino autem illa pars reſtricta eſt ad ipſa beneficia, ita vt non poſsint ex talibus fructibus reſtituendis alia templa, vel Eccleſię ædificari, aut reſtaurari, niſi talis fabrica poſsit alia ratione ſub eleemoſynis pauperum comprehendi. Dubitari ergo poteſt, an illa reſtrictio *huiuſmodi beneficiorum* vtrique membro adiuncta intelligatur, ac ſi eſſet repetita, *Ad eleemoſynas pauperum eorundem beneficiorum*, vel ſit ad illud tantum membrum reſtringenda, cui expreſſe adiuncta eſt, vt ita pauperes abſolutè intelligantur, cuiuſcumque Eccleſiæ, vel loci ſint?

Ego hoc poſteriori modo hanc legem intelligo, quia nihil eſt, quod obſtet, & eſt fauorabilior ſenſus, 21. & ſatis conſentaneus charitati Chriſtianæ, quæ ad omnes pauperes, maxime fideles extẽditur, & reddit faciliorem hanc reſtitutionem, & ſuauiorem. Eſt enim ſatis prudens, & fragilitati humanæ accõmodatum conſilium, quod hi clerici hac obligatione reſtituendi onerati largas eleemoſynas faciant, vbi reſident, etiamſi beneficium alibi exiſtat, & vt quaſcũq; fecerint ſiue ordinarias, ſiue extraordinarias intuitu reſtituẽdi eas faciant, ſic. n. reſtitutio facilior & certior erit. Itẽ bene Naua. aduertit, ſi Clericus pauper ſit poſſe ſibimet aliquid in partẽ reſtitutionis applicare, qa ſi ipſe pauper eſt, illa eſt eleemoſyna, quã nõ tam ipſe ſibi, quã Põtifex per eum ipſimet facit. Quia vero difficile eſt, rectum iudicium ferre circa ſe ipſum, ideo rectiſsime faciet, ſi prudẽtis confeſſarij, vel alterius viri docti conſilio vtatur. Et eadem ratione extendi hoc poteſt ad pauperes conſanguineos, in quibus maius eſt periculum, & ideo magis neceſſarium eſt alienum iudicium. Denique eleemoſynæ omnes, quas ex fructibus beneficij fecit toto illo tempore, in quo non recitauit, vbicumque illas fecerit, poterit vt iam reſtitutas cõputare, quia nunquam illos fructus fecit ſuos, & eos tradidit, quibus tradendi erant. Et ita iam non manet obligatus ratione rei acceptę, quia illam apud ſe non retinet, nec ratione acceptionis, quia iam executioni mandauit pœnam, & reſtitutionem per legem impoſitam.

Tandem motum eſt ab aliquibus ſpeciale dubiũ de penſionarijs, an debeant etiam reſtituere fabricæ, 22. vel pauperibus: vel potius debeant, non accipere penſionem à beneficiario ſoluẽte illã vel omnes fructus pẽſionis ei reſtituere, ſi eos iam acceperunt? Videtur enim hoc ſecundum fieri probabile ex eo, quod non penſionarius recitando ſit incapax talium fructuum, beneficiarius autem non tenetur ſoluere penſionem niſi perſonę capaci: vnde ſi penſionarius excommunicatus, nec poteſt exigere fructus penſionis, neq; alter tenetur dare, vt in tom. 3. p. diximus, ergo idem eſt in præſenti. Contrarium nihilominus cenſeo probabilius. Primò quia Pius V. dicit abſolute, Penſionarium non recitãtem *eſſe obnoxium amiſsioni fructuum modo prædicto*. Modus autẽ prædictus erat, vt nõ recitans nõ faciat fructus ſuos, ſed eo ipſo maneant applicati fabricæ, vel pauperibus, ergo eadẽ diſpoſitio procedit in fructibus penſionum. Vnde quidquid ſit de excommunicato, exemplum non eſt ſimile, quia ille eſt omnino incapax, & quaſi pro mortuo reputatur, vt ait Gig. de Penſion. q. 36. n. 5. & de fructibus eius nihil aliud in particulari diſpoſuit lex, hic autem, qui non recitat, nõ eſt ſimpliciter incapax, ſed ſolum lege impeditur, ne tunc acquirat fructus tali modo, & cum tali onere. Accedit, quod poteſt compenſationem à Papa poſtulare, & de facto conceditur, tanquam de reſtitutione, quæ non debetur certæ perſonæ, non enim concederetur in præiudicium tertij, ſignũ ergo eſt, non deberi beneficiario. Vnde etiam ſit, non poſſe illi reddi, neq; apud eum relinqui, neq; ipſum poſſe fructus illos denegare, vt ſibi retineat, quia nullum habet titulum, neq; omiſsio officij penſionarij ei cõtulit nouum ius, ſed in Eccleſias, ſeu pauperes virtute legis Eccleſiaſticæ, fuit ſuo modo translatum.

Finis libri quarti.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATVS QVARTVS,

DE JVRAMENTO ET ADIVRATIONE.

1. *D. Thomæ diuiſio generalis actuum externorum Religionis.*

DIvvs Thomas ſecunda ſecundæ in principio quæſtionis 84. & 89. diuiſionem quandam generalem actuum externorum Religionis inſinuat, nam quoſdam exercemus offerendo aliquid Deo, alios aſſumendo aliquid ſacrum, & Diuinum. Ad prius membrum pertinent omnia, quæ in ſuperiori volumine à nobis tractata ſunt, & ſub eodem collocat D. Tho. votum, per quod aliquid Deo promittimus, & ideo prius de illo agit, quàm de iuramento. Poſterius autem membrum ſubdiuidit in cultum Sacramentorum, & in aſſumptionem nominis Dei, quia vel aſſumptio illa conſiſtit in facto, vel in verbo, ſi in facto pertinet ad vſum Sacramentorum, ſi in verbo, ad vſum Diuini nominis. Sub Sacramentis autem intelligenda ſunt ſacramentalia, vt eſt prima tonſura, aqua benedicta, & ſimilia, quæ religioſe ſumimus. Sed tractatum de his rebus meritò reiicit D. Tho. in tertiam partem, vbi nos etiã de illis diſſeruimus. Aſſumptionem autem Diuini nominis diuidit D. Thom. in tria membra, ſcilicet, iuramentum, adiurationem, & inuocationem ad orandum, vel laudandum Deum. Poſſet verò etiam votum ſub aſſumptione Diuini nominis conſtitui, quia non poſſumus Deo vouere, quin ipſum aliquo modo nominemus. Vnde ſub præcepto illo Exod. 20. *Non aſſumes, nomen Dei tui in vanum*, omnes comprehendunt vota Deo facta, per quæ in vanum Dei nomen aſſumitur, niſi fideliter fiant, & impleantur. Item ſub nomine Dei, etiam verba eius ſacra comprehendi poſſunt: Illa enim etiam aſſumimus ad aliquem vſum, qui non debet eſſe vanus, vel profanus, ſed Religioſus, & ita hoc ſub genere actus Religioſi, multi ex actibus ſupra tractatis comprehenduntur. *Exod. 20.*

2. *Duplex modus aſſumendi nomen Dei honeſtè.*

Verumtamen, vt methodum à nobis inchoatam proſequamur, aduertendum eſt, duobus modis poſſe aſſumi nomen Dei, modo honeſto, ſcilicet, vel ad loquendũ de Deo, vel ad loquendum cum Deo, vix enim cogitari poteſt aliqua ratio nominandi Deum, quæ ad has non reducatur, vel ſi cogitetur, non erit rationi conſentanea, ſed erit aliquis abuſus nominis Dei, qualis erit vſus ſacrorum verborum applicando illa ad profana colloquia, vel ad vanas hominum laudes, & ſimilia, quæ ad genus quoddam ſacrilegij, vel irreligioſitatis ſpectant, vt ſupra in tertio tractatu viſum eſt, & tractando de Horis Canonicis attigimus. Nominare autem Deum ad loquendum de illo, honeſtum, & ſanctum eſt per ſe loquendo, non tamen directè ſpectat ad virtutem Religionis, quia ibi non reſpicitur Deus, neceſſariò vt obiectum, *cui*, ſed tantum vt materia locutionis, niſi iſte ſermo de Deo, ad eiuſdem cultum ſpecialiter referatur, quod tamen neceſſarium non eſt ex vi locutionis de Deo, etiam vt honeſtè fiat. Pertinere ergo poteſt ad fidei confeſsionem, ſi ſolum de Deo loquamur ad proteſtandam fidem. Item ſpectare poteſt ad charitatem, ſi de Deo loquamur, vt vel nos, vel alios ad Dei amorem incitemus: aliquando vero poteſt eſſe actus doctrinæ, quaſi ſpeculatiuæ, vt cum de Deo loquimur ad docendum, vel diſcendum, quod poteſt honeſtè fieri ex ſola ſtudioſitate, & honeſtius ex charitate, ex Religione vero ordinariè non fit, fieri autem poteſt ex operatione operantis, vt per ſe conſtat. Inde verò non conſurgit ſpecialis actus Religionis: ſed ita ſe habet ſicut actus aliarum virtutum, qui ex intentione operantis, poſſunt imperari à Religione. Igitur ſermo de Deo eſſe poteſt materia intentionis Religioſæ, non tamen eſt ſpecialis actus Religionis. Aſſumere autem nomẽ Dei ad loquendum cum illo eſt proprium officium Religionis, quia ibi reſpicitur Deus tamquam obiectum *cui*, ſed tamquam perſona, ad quam actus dirigitur, quod eſt proprium Religionis, nam eſt pars iuſtitiæ, & reſpicit Deum tamquam alterum, ad quem tendit. Item quia quoties cum aliquo loquimur, ratio poſtulat, vt cum debito honore loquamur, & hoc obſeruat Religio reſpectu Dei.

Locutio de Deo de ſe non pertinet ad Religionem.

Aſſumere nomen Dei ad loquendũ cum illo, eſt officium Religionis.

3. *Locutio ad Deum quibus modis fiat.*

Locutio autem ad Deum variis modis fieri poteſt, primo ſolum ad cultum, & honorem, & hoc maximè fit per Diuinam laudem, ſecundo ad grati animi ſignificationem, quod fit per gratiarum actionem, tertio ad impetrãdum aliquid ab ipſo, quod fit per orationem, ſeu petitionem, & per omnem modum obſecrandi, precandi, & ſimiles, quæ

Digitized by Google

omnia nos ſupra ad tractandum de Oratione reduximus propter rationes ibi traditas. Per votum etiam ſatis directè, & expreſsè cum Deo loquimur, ad effectum autem proximum longe diuerſum quam prædictis modis: dico autem proximum, quia licet in ratione cultus omnes conueniant, hæc in voto fundatur in oblatione, & obligatione, quæ per promiſsionem Deo fit. Vltra hos vero inuenitur alius modus loquendi ad Deum, qui licet non ſit tam expreſſus, re tamen vera eſt etiam locutio ad Deum, & hic inuenitur in iuramento, & adiuratione, nam per vtramq; inuocatur, & imprecatur aliquo modo Deus, non poteſt autem inuocari, vel imprecari à nobis, niſi aliquo modo loquamur cum ipſo, vt videtur per ſe notum. Per iuramentum autem inuocatur à nobis, vt teſtis, vel tamquam fideiuſſor, per adiurationem vero, aliquo etiam modo inuocamus Deum, vt nobis aſſiſtat, quaſi fauorem præbens, vt alius, quem adiuramus, faciat, quod rogamus, vel imperamus. Vnde licet votum magis conueniat cum oratione in modo loquendi cum Deo magis expreſſo, & directo, & in hoc etiam, quod ſolet votum orationem adiuuare, nihilominus iuramentum in hoc cum oratione conuenit, quod quandam tacitam petitionem inuoluit, vt explicando rationem iuramenti magis patebit. Hac igitur ratione hunc tractatum non incommode poſt præcedentem de oratione proximè collocauimus, votum in vltimum locum reſeruantes, vt ab illo ad ſtatum Religioſum, tamquam ad effectum eius tranſitum faciamus.

Quomodo Deus nobis aſſiſtat iuramenti.

4. *Modus colligendi omnes actus externos Religionis.*

Atq; hinc etiam obiter poſſumus colligere nouam rationem comprehendendi omnes actus virtutis Religionis externos, id eſt, diſtinctos ab affectu colendi, nam quidam conſiſtunt in actione, alij in receptione, alij in ſermone, ſeu loquutione ad Deum: de primis dictum eſt in tribus primis tractatibus, præſertim in 2. Actus vero qui in receptione conſiſtunt, in tractatum de Sacramentis reiicimus. Poſtremi igitur in hoc volumine explicantur, & iuxta tres modos principales loquendi ad Deum iam explicatos, tribus etiam tractatibus illos comprehendimus. In illo autem modo vltimo quaſi inuocandi Diuinum Numen, vt aſſiſtat præbendo authoritatem alicui actui noſtro, tres modos diſtinguere poſſumus, in vno adducimus Deum in teſtem, quod pertinet ad iuramentum aſſertorium, in alio dici poteſt afferri, vt fideiuſſor, vt in iuramento promiſſorio, in tertio videtur interponi, vt mediator dans virtutem, vel fauorem deſiderio noſtro, vt in adiuratione. Iuxta hanc ergo partitionem, & adiungendo vitia contraria, hunc tractatum in quatuor libros diuidemus, primus erit de Iuramento aſſertorio, ſecundus de Promiſſorio, tertius de Periurio, quartus de Adiuratione.

INDEX CAP. LIBRI I. DE IVRAMENTO ASSERTORIO.

CAp. 1. Quid ſit iuramentum.
Cap. 2. Vtrum iuramentum ſit actus licitus, & honeſtus.
Cap. 3. Vtrum ad iurandum, veritas, iuſtitia, & iudicium requiratur.
Cap. 4. Vtrum iuramentum ſit actus elicitus virtutis Religionis.
Cap. 5. An iuramentum per ſolum Deum, vel etiam per creaturas fieri poſſit.
Cap. 6. Vtrum finis iuramenti ſit confirmatio veritatis.
Cap. 7. De materia iuramenti, & diuiſionibus, quæ ex illa ſumi poſſunt.
Cap. 8. De diuiſione iuramenti in aſſertorium, & promiſſorium.
Cap. 9. Qualis ſit diuiſio iuramenti in aſſertorium, & promiſſorium.
Cap. 10. Materiam iuramenti eſſe veritatem contingentem.
Cap. 11. Vtrum ex parte formæ iurantis verba requirantur.
Cap. 12. De triplici diuiſione iuramenti ex parte formæ.
Cap. 13. De variis iurandi formulis.
Cap. 14. De cauſa efficiente iuramenti, ſeu de perſonis, quæ iurare poſſunt.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMVS, DE IVRAMENTO PRÆSERTIM ASSERTORIO.

Explicatur quid ſit Iuramentum aſſertorium, quid promiſſorium.

IN hoc titulo tacite ſupponimus diuiſionem iuramenti in aſſertorium, & promiſſorium, quam poſtea ex profeſſo exponemus. Nunc breuiter aſſertorium dicitur, quando ſolum fit ad veritatem confirmandam, promiſſorium vero, quando vltra præſentem veritatem adducitur Deus ad confirmandam aliquam promiſsionem, ſeu obligationem in futurum. Non inſtituimus autem ſpecialem diſputationem de Iuramento in genere, vt abſtrahit ab aſſertorio, & promiſſorio, quia, vt videbimus, omne iuramentum promiſſorium, aſſertorium etiam eſt, licet non conuertantur, quia poteſt eſſe iuramentum aſſertorium, & non promiſſorium. Vnde fit, vt neceſſaria non ſit abſtracta, ſeu communis conſideratio. Nam explicando aſſertorium iuramentum, exponetur quidquid habet commune cum promiſſorio, & ſolum ſupererit declarandum id, quod eſt proprium iuramenti promiſſorij, quodque ipſum addit vltra aſſertorium. Circa iuramentum ergo aſſertorium, quod ſimpliciter iuramentum appellabimus, primo videndum eſt, quid ſit, & quos actus mentis, aut corporis requirat, quamque honeſtatem habeat. Deinde cauſas eius, & ſi quas habuerit proprietates, declarabimus.

CAPVT I.

Quid ſit Iuramentum?

Selua. Panor. Felin. Hoſtienſ. Anton. Syluеſt. Angel. D. Thom. Auguſt.

1. SVpponimus iuramentum eſſe, quia hoc tam eſt clarum ex Scriptura, & vſu ipſo, vt nulla indigeat probatione. Ex dicendis autem conſtabit ratio, & modus, quo talis actus poſsibilis ſit: prius vero quam explicemus quid iuramentum ſit, vocis ſignificationem, & quaſi deſcriptionem & etymologiam breuiter proponere neceſſe eſt. Traduntur autem à Theologis & Iuris peritis variæ iuramenti deſcriptiones, quas late refert Selua in tract. de Iuramento, 1. p. in 1. ex Gloſſ. in rubr. ff. de iureiurando, & Gloſſa 22. q. 1. in principio: Panormitan. Felin. & alijs in rubr. extra eodem. Hoſtienſ. in Summa, in principio eiuſdem tituli, Antonin. 2. p. tit. 10. cap. 3. Syluеſt. Angel. & alijs verb. *Iuramentum.* Summa vero omnium eſt, quam attigit D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. vbi dicit, iurare eſſe Deum in teſtem aſſumere ex Aug. Serm. 28. de verbis Apoſtoli cap. 3. dicente, quomodo tu, cum iuras, Deum adhibes teſtem, ſic ipſe, cum iurat, ſe teſtem adhibet, & in cap. 6. Quid eſt enim, inquit, iurare per Deum, niſi teſtis eſt Deus, quod ibi late proſequitur, ſic etiam dixit Philo, iuſiurádum eſt teſtificatio Dei de re controuerſa, refertur ab Antonio Meliſſæ Abbate lib. 2. Sermonum ſerm. 63. apud ipſum vero li. 2. de Plantatione Noe poſt medium ſic legitur. *Iuramentum eſt fidei ſignum firmiſsimum coniunctum cum Dei teſtimonio, cum iurantes in re dubia teſtem* Deum *inuocent*, & in li. de Decalogo. *Iuſiurãdum*, ait, *eſt teſtimonium de rebus dubijs* & lib. de Specialibus legibus. *Iuſiurandum nihil eſt aliud, quam in re ambigua* Dei *teſtificatio.* Denique Gregor. Niſſenus Oratione 4. in Cant. iuramentum eſſe dixit orationem, quæ ex ſe fidem veritati conciliat, quod ſolus Deus facere poteſt, quia ſolus ex ſe veritas eſt. Nam ſi iurare idem eſt, quod Deum in teſtem vocare, iuramentum erit actus ille inuocandi, ſeu adducendi Deum in teſtem, ſeu enunciatio, quæ cum Diuino teſtimonio profertur. Loquor autem in generali de actu enunciandi: vt comprehendam tã affirmationem, quam negationem, & tam ſimplicem aſſertionem, quam promiſsionem: nam ab his omnibus abſtrahit vox iuramenti. vt nunc illam declaramus, & ita comprehenduntur ſub prædicto genere omnes definitiones, quæ ab alijs aſsignantur. Addimus autem, oportere eſſe enunciationem, in qua Deus vt teſtis afferatur, vt compleatur ratio iuramenti, quam particulam recte D. Thom. declarat ex fine iuramenti, qui eſt, confirmare veritatem tanta certitudine, vt ad terminandam quamcumque controuerſiam ſufficiat, ex Paul. ad Heb. 6. Diuinũ autem teſtimonium ſufficit ad veritatem hoc modo confirmandam, nam humanum teſtimonium fallibile eſt, & ideo iuramentum inductũ eſt per quod veritas aliqua Diuino teſtimonio confirmetur.

Philo. Anton. Meliſ. Philonis deſcriptiones de iuramento. Greg. Niſ.

Obiiciunt vero aliqui, quia non omne iuramentum per Deum fit, aliquando enim fit per idolum, quod Deus nõ eſt, aliquando fit per cœlum aut terram, vt ſumitur ex Iacobo c. 5. dicente: *Nolite iurare omnino, neque per cælum, neque per terram*: ſupponit enim id poſſe fieri, licet non ſit faciendum. Propter quod Selua ſupra addendum putauit iuramentum eſſe, cum veritas Dei, aut creaturæ teſtimonio confirmatur. Sed deſtruit rationẽ iuramenti, quia creatura, vt creatum eſt, non poteſt ſufficienter confirmare veritatem, quod per iuramentum intenditur. Deinde infra oſtendemus, repugnare Religioni iuramenti, quod fiat per creaturam, vt creatum eſt. Quando ergo infidelis iurat per idolum, ideo per illud iurat, quia illud Deũ eſſe exiſtimat, & eodem modo Gentiles omnes conſueuerunt iurare per ſuos deos, quia licent eſſent falſi, putabãt eſſe veros: ſicut etiam credebant ſuã religionem eſſe veram, & ſanctam atq; ita dixit Cicero lib. 3. de Officiis, iuramentũ eſſe ſanctam, & Religioſam affirmationem. Sicut ergo diſtinximus in tract. 1. Religionem in verã & falsã, ita hic iuramentũ diſtinguere poſſumus in verũ & putatũ, quod poſſumus falſum appellare, non quia ſit de enunciatione falſa, nam etiã poteſt eſſe de vera, vt conſtat, ſed quia non fundatur in vera Diuinitate, ſed in ea, quæ vera exiſtimatur, cum re ipſa falſa ſit. Quando ergo dicitur, iurare eſſe, Deum in teſtẽ adducere formaliter eſt intelligendum, & cum proportione applicandum, nam teſtimonium iuramenti ſemper inducitur, vt fundatum in authoritate veri Dei, quantum eſt ex intentione iurantis, & hoc appello formaliter, tamen in re ipſa ſi iuramentum procedat ex vera fide, & Religione, fundatur in authoritate veri Dei: ſi vero ex falſa Religione procedat, in re ipſa non habebit authoritatem Dei veri, ſed tantum in intentione, & falſa exiſtimatione iurantis. Quomodo autem iurari poſsit per creaturam, infra dicetur. 2. *Obiectio.* *Iacob. 5.* *Cicero.* *Diuiſio iuramenti in verum, & putatum.*

Hinc colligit D. Thom. in d. art. 1. Etymologiam verbi *Iurandi*, cẽſetur enim à Iure deductũ, quia id, quod Diuino teſtimonio firmatur, quaſi iure ſuo pro vero habendum ſit vel quia id, quod iuramẽto promittitur, ita firmum & ſtabile eſſe debet, ac ſi eſſet iure ſtabilitum. Vnde ſolet etiã iuramentũ iuſiurandũ appellari: hæ namq; duæ voces ſynonymę eſſe videntur in iure, & in vſu Latinorũ auctorum, quamuis poſterior vox firmitatem & ſtabilitatẽ iuramenti 3. *Etymologia iuramenti. D. Thom.*

Digitized by Google

ramenti magis exprimere videatur, vt indicant Iuriſtæ, quos refert *Anton. Corſet.* Anton. Corſet. in tract. de Iuram. q. 3. n. 5. accommodans illud Zachariæ *Luc. 1.* Luc. 1. *Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis*: & in Scriptura frequens eſt vſus illius nominis: ſolet etiam Iuramentum appellari Sacramentum, vt in 3. tom. in principio de Sacramentis adnotauimus, vbi ex iure, & Scriptura vſum illũ comprobauimus. *Panorm.* Propter quod dixit Panorm. in Rub. de Iureiurando, hæc tria eſſe ſynonyma, Iuramentum, Iuſiurandum, & Sacramentum, ſed intelligit in ſubiecta materia: nam conſtat nomen Sacramenti alias habere ſignificationes, & magis proprias, accommodatur autem ad Iuramẽtum ſignificandum, quia etiam iuramentum eſt ſacræ rei ſignum, ſcilicet infallibilis veritatis Diuinũ teſtimonium, & hæc videntur de nomine ſufficere.

4. *Explicatur quid ſit iuramentum.*

Iam circa rem ipſam in iuramẽto duo poſſumus conſiderare: vnum eſt realis actio, per quam iuramentum præſtatur, aliud eſt honeſtas ipſius iuramenti. Primum dici poteſt phyſicum, & quaſi materiale in iuramento, ſecundum morale, & quaſi formale iuramenti, vt ergo perfecte intelligatur, quid ſit iuramentum, vtrumque exponere neceſſe eſt: *Quæ concurrant ad iuramentum.* & de ſecundo quidem dicemus in capitibus ſequentibus, hic breuiter circa ipſum iuramenti actum aduertendum eſt, ad iuramentum concurrere, & intellectum, & voluntatem, & linguam. Concurrit enim intellectus proponendo neceſſitatem, vel vtilitatem iurandi, voluntas autẽ adiungit voluntatem, ſeu intentionem iurandi, ipſum autem iuramentum ſermone conſummatur. Sed in hoc vltimo eſt aduertẽdum, quod licet reſpectu hominum iuramentum conſummetur per ſignum ſenſibile (quod frequentius per vocem exhibetur, poteſt tamen etiam fieri per ſcripturam, vel alia ſigna, vt infra dicetur) nihilominus in ordine ad Deum poteſt in mente iuramentũ conſummari. *Iuramentũ poteſt ſola mente conſummari in ordine ad Deum.* Nam ſicut infra dicemus de voto poſſe interdũ mente conſummari, quia ſoli Deo fit, ita etiam iuramentum in ordine ad Deum poteſt etiã ſola mente fieri. Quod maxime locum habere videtur in iuramento promiſſorio, nam ad ſimplicem aſſertionẽ non videtur poſſe accommodari iuramentũ in ordine ad Deũ, cum ipſe ita ſit certus de omni veritate, & de omni conceptu hominis loquentis ad ipſum, vt non poſſit per iuramentum certior de illis reddi: promiſſio autem interius Deo facta poteſt etiam interius iuramento firmari, non vt inde Deus certior reddatur, ſed vt iurans quantum in ipſo eſt, maiorem firmitatem ſuæ promiſsioni adhibeat, hoc ergo poſſumus vocare mentale iuramentum, quod ſolo intellectu, & voluntate perficitur.

5. *In qua potentia formaliter ſit iuramentũ.*

Quod ſi inquiratur, in qua illarum potentiarum formaliter ſit, ſeu conſummetur, dicẽdum eſt breuiter eſſe in intellectu, nam in locutione mentali conſiſtit, ſicut etiam infra dicemus de mentali voto, nam ſicut in multis aliis, ita in hoc æquiparari poſſunt. Et maiori ratione hoc eſt neceſſarium in iuramento, quia non conſiſtit in ipſa promiſsione, ſed in inuocatione Diuini nominis ad confirmandam illam, inuocatio autem interius non fit, ſaltem modo humano: niſi per intellectualẽ locutionem, vt ſupra tractatu de Oratione fuſe declaratum eſt. Ex quo intelligimus, intellectum ad hoc iuramentum dupliciter concurrere, ſcilicet antecedenter, & conſequenter reſpectu voluntatis. Præcedit enim iudicium, quod expediat aliquid Deo promittere cum iuramento, & ſequitur voluntas promittendi, & iurandi, & poſtea intellectus cum Deo loquens iuramentum exhibet, atq; ita etiam illud iuramentum conſummatur lingua, non corporali, ſed ſpirituali. Quin potius etiam quando iuramentum voce exprimitur, neceſſe eſt, vt poſt voluntatem iurandi intellectus dirigat, & quaſi dictet iurandi formam voce exprimendam. De hac autem voce, ſeu ſigno ſenſibili ſufficiente, & neceſſario ad iuramentum, quod inter homines fit, dicemus inferius tractando de materia, & forma iuramenti.

Solum ergo ſupereſt explicandum, an intentio voluntatis ſit neceſſaria ad eſſe iuramenti: 6. In quo non dubitamus, quin ſit neceſſaria voluntas proferendi verba, per quæ ſufficiẽter ſignificetur, Deum in teſtem adduci, quia alias prolatio talium verborum non eſſet actio humana, & conſequenter non eſſet iuramentum: nam iuramentum proprie ſignificat actionem humanam, nemo enim dicet hominem dormientẽ iurare, etiamſi verba ad iurandum ſufficientia proferat, & idem eſt de amente, & ſimilibus. Vnde etiam conſtat neceſſarium eſſe, vt talis voluntas libera ſit, & cũ pleno iudicio rationis, ſaltem quod ad peccandũ mortaliter ſufficiat, iuxta dicẽda infra in tract. de Voto. Et ratio eſt clara, tum quia debet eſſe actus humanus, vt dixi, & ſine tali iudicio non eſt plene actus humanus, tum etiã quia ad periurium ſimpliciter requiritur talis deliberatio, ergo & ad iuramentum, verum eſt poſſe dari periurium veniale ex ſurreptione, vt infra dicetur: vnde etiam videtur poſſe dari ſimile iuramentum, ſed illud non erit actus virtutis, nec ſufficiens per ſe ad inuocandũ ſimpliciter Deum Religioſo modo, nec ad prudenter iurandũ verum, & ideo abſolute dicimus ad iurandũ requiri ſufficientẽ deliberationem humani actus: neq; in hoc eſt vlla difficultas.

7. *Difficultas.*

Dubium ergo ſolum eſt, an hæc intentio ſit ſeparabilis ab illa volũtate? Et videtur quidem inſeparabilis, nam eo ipſo, quod aliquis vult exterius ſignificare, ſe adducere Deum in teſtẽ, neceſſario inducit diuinum teſtimoniũ ad ſuam enunciationem confirmandam, ergo non requiritur alia intentio iurandi, ſed hęc extrinſece includitur in illa voluntate. Antecedens probatur, primo ab inconueniẽti, quia ſi ratio iuramenti penderet ex alia intentione hominis, iuramenti vſus inutilis, & vanus redderetur, quia ex illo nulla firmitas, vel certitudo aſſertioni iuratæ accreſceret, qui eſt finis iuramenti. Sequela patet, quia tota ratio iuramenti eſſet incerta, & occulta, nam penderet ex intẽtione interiori hominibus ignota. Vnde licet audiamus hominẽ iurantẽ, ſcire non poterimus, an iuret, quia neſcimus, an habeat intentionem iurãdi diſtinctam à voluntate proferendi talia verba. Hoc autem videtur eſſe magnum inconueniens in re morali, ergo non eſt neceſſaria talis intentio. Vnde videtur conſequenter dicendum, ſufficienter afferri Deum in teſtem, eo ipſo, quod verba iuramẽti voluntarie proferuntur cum externa profeſsione, ſeu demonſtratione, quoad confirmandã veritatem, ferantur, nã eo ipſo cenſetur talis enũciatio conſtituta ſub Diuino teſtimonio, & pertinere ad cultũ, & honorẽ Dei, vt cum veritate proferatur, ergo hoc ſufficit ad rationẽ iuramẽti, nõ obſtante quacũq; alia interiori intẽtione.

8. *Reſolutio. Intẽtionem in iuramento eſſe omnino neceſſariam.*

Nihilominus dicendum eſt, intentionem iurandi eſſe omnino neceſſariam ad conſtitutionem (vt ſic dicam) iuramenti, & ad veritatem eius in eſſendo, nam iuramẽtum exterius prolatum ſine intentione iurandi fictum iuramentum eſt non verum, etiam ſi aſſertio, in quam cadit, vera ſit. Ita ſentiunt Doctores omnes, quos infra referemus tractando de iuramento promiſſorio, hac enim ratione dicunt: iuramentum promiſſoriũ falſum ſine intentione iurandi non inducere ſpecialẽ obligationem. Ratio enim eſt, quia illud non habet eſſe iuramenti, & ideo non habet effectus eius. *Cõfirmatur reſolutio exemplis.* Probari autem poteſt primo exemplis, quia votum factum exterius ſine intentione vouendi non eſt votum, nec ſacrametum ſine intentione factum, eſt verũ Sacramentum, ſed fictum, etiam ſi nõ deſit voluntas exercendi exterius omnia neceſſaria ſigna, ergo idem eſt in iuramento, eſt enim ſuo modo Sacramentum, id

eſt, ſa-

Digitized by Google

eſt, ſacrum ſignum, vt diximus. Ratio denique eadem eſt, quæ in cæteris cũ proportione adhiberi ſolet: quia iuramentũ debet eſſe actus humanus, non ſolum quatenus eſt quædam materialis locutio, ſed etiam quatenus iuramentum eſt, non poteſt autem eſſe huiuſmodi, niſi ab intentione iurandi procedat. Et confirmatur apertè, quia ſæpe prolatio eiuſdem verbi in vno eſt iuramentum, & non in alio, ſolum propter diuerſam intentionẽ, vt in ſequentibus multis exemplis videbimus, & optime declarant verba Pauli I. C. in l. 3. ff. de Rebus du. in ambiguo ſermone, non vtcumque dicimus, ſed dumtaxat, quod volumus. Eadem etiam verba proferri poſſunt materialiter, ſeu relatiuè, & formaliter, ſeu ſignificatiue, quod pendet ex intentione dicentis, iuxta cap. *Humanæ artes*, 22. quæſt. 5. ſed verba vno modo ſunt iuramentum, & non alio, ergo hoc pendet ex intentione iurantis. Denique hic habet locum axioma illud, quod actus agentium non excedunt intentionem eorum, ergo qui nõ habet intentionem iurandi, non iurat, etiam ſi verba exterius proferat.

9. *Satisfit rationi oppoſitæ.* Ad rationem ergo in contrarium reſpondetur, voluntatem proferendi verba apta ad iurandum ſeparari poſſe à voluntate iurandi, quamuis è conuerſo voluntas iurandi humano modo, ſeu reſpectu hominis, neceſſario includat voluntatem exhibendi ſignum ſufficiens ad iurandum. Vnde non dicimus ad verum iuramentum conſtituendũ, neceſſarias eſſe duas voluntates: vnam proferendi verba, & aliam iurãdi, ſed dicimus eſſe neceſſariam talem intentionem, ſeu voluntatem, quæ cadat in prolationem verborum ſub motiuo conficiẽdi iuramentum, ſeu quod idem eſt, aſſerendi in Deum teſtem. Poteſt autem haberi voluntas proferendi ea dem verba ſine illo motiuo, ſed ex intẽtione decipiendi alios, & tunc dicimus ſeparari voluntatem proferendi verba ab intentione iurandi, & illam non ſufficere ad iuramentum, nam ille, qui ſic doloſe iurat re vera, non vult ſignificare ſe adducere Deum in teſtem, ſed vult illud ſingere, aut apparenter oſtendere, quod non ſatis eſt ad iurandum. Ad inconueniens autem illatum reſpondemus certitudinem, quæ ex iuramento reſultat, nõ eſſe talem, aut tantam, vt non ſit dolis hominum aut deceptionibus expoſita. Sicut ergo poteſt homo mentiri etiamſi iuret, ita poteſt doloſe & ficte iurare, etiam ſi aliud exterius profiteatur. Neque propterea inutile eſt iuramentum, nam ſatis eſt, quod teneatur homo, qui iurat, abſque dolo & fraude iurare, vt moraliter credatur, ex animo iurare, quãdo iuramentum exhibet. Sicut etiam poteſt homo falſum dicere, quamuis ex animo iuret, & nihilominus, non eſt, inutile iuramentum, quia ſatis eſt, quod homo teneatur peculiari obligatione dicere verũ, quando Deum in teſtem adducit.

10. *Obiectio.* Sed vrgebit aliquis inquirendo, quid peculiariter operetur illa intentio iurandi, vel ad quid ſit neceſſaria. Nam ſi quis intendat, vt Deus peculiari aliquo ſigno oſtendat veritatem, illud eſſet tentare Deum, quia eſt petere miraculum, vel inſolitum opus ſine ſufficienti cauſa, ſi vero intendat ſolum dare authoritatem ſuæ aſſertioni interpoſito Diuino nomine, quia ſolent timere homines aſſumere Diuinum nomen ad falſum confirmandum, at nihil videtur conferre intentio iurandi, quia quomodocumq; aſſumatur Diuinum nomen ad perſuadendam veritatem, idem effectus apud alios ſequitur, nam æquè exiſtimant illud eſſe verũ, & teſtimonio Diuino confirmatũ. Vnde videtur eſſe magna differentia inter intentionẽ vouendi, vel faciendi Sacramentum, & intentionem iurandi, nam in voto ſubſtantia eius, & obligatio pendent ex voluntate hominis, Sacramentum etiam ita eſt à Deo inſtitutum, vt in ſubſtantia ſua, & conſequenter etiam in effectu pendeat in intentione miniſtri, in iuramento autem nihil eſſe videtur in ſubſtantia eius, quod pendeat à voluntate iurãtis, niſi exterior aſſumptio Diuini nominis qua inuocatur Deus vt teſtis. Neq; etiam inuenitur ibi aliquis effectus, quem Deus facturus ſit, qui ex intentione iurantis pendeat; nam vt diximus, iuramentum non debet fieri eo animo, vt Deus exhibeat aliquod extraordinariũ ſignum, quo oſtendat veritatem. Effectus ergo iuramẽti totus videtur poſitus in opinione audientium, videlicet, vt inde moueantur ad credendum verum eſſe, quod dicitur, hic autem effectus æqualiter ſequitur, ſiue proferens talia verba habeat intentionem iurandi, ſiue non, quia ſicut difficile creditur, hominem inuocare Deum ad teſtificandum falſum, ita difficile creditur, audere hominem doloſe aſſumere nomen Dei ad falſum ſuadendum, nam irreligioſitas, & irreuerentia Dei in vtroque inuenitur.

Reſpondeo, ſine intentione iurandi, vt dixi, neque poſſe definiri, an verba ad iurandum proferantur, nec ne, neque diſtingui iuramentum à non iuramento. Hæc autem intentio exterius declaranda eſt, vel ſufficienter exprimenda, vt de iuramento poſsit hominibus cõſtare, hoc autem duobus modis fieri poteſt, ſcilicet, aut vere, aut doloſe, & circa hoc maxime verſatur difficultas tacta, an ſcilicet ſufficiat doloſa intentio, vel ſi nõ ſufficit, quid magis operetur ad rationem, vel effectum iuramenti, intentio vera, quam ficta, quando in prolatione verborum eadem eſt ſpecies, ſeu forma iurandi, etiam apud homines? Ad quod in primis dicendum eſt, eſſe magnam differentiã apud Deum, nam qui habet veram intentionem iurandi, quantum eſt in ſe, Deum inducit ad teſtificandum, quod non facit is, qui apparenter tantum iurare intendit, ſeu ita proferre verba, ac ſi iuraret. Vnde ſit, vt fortaſſe aſſertio falſa ſit, minor iniuria fiat Deo per fictum, quam per verum iuramentum, quia eſt diuerſa malitia, nam iuramentum vera intentione factum erit periurium, cum doloſa autem intẽtione erit mendacium pernicioſum, & ſcandaloſum. Et poſterior poteſt declarari ex pœnis, nam ſi lata eſſet excommunicatio propter periurium, incurret illam, qui verba proferret ex vera intentione iurandi, nõ autem qui ficta, ſicut non incurrit pœnas hæretici, qui ficta intentione adorat idolum. Denique in aliis effectibus, quos iuramentum habere poteſt, inuenitur magna differẽtia, quia iuramentum fictum per ſe non inducit obligationem, ſicut verum, vt infra videbimus. Eſt ergo vnum iuramentum verum, vtrique veritate in eſſendo, aliud tantum apparens, & hæc differentia ex intentione prouenit. 11. *Solutio obiect.* *Differentia inter iuramentum ſine intentione, & iuramentum omnino falſum.* *Iuramentum fictum per ſe, non inducit obligationem.*

Atque ita ſimul cum ratione iuramenti duas eius partitiones explicuimus: vna eſt iuramenti in mentalem, & vocalem, ſed mentale iuramentum ſolum inter Deum, & hominem verſari poteſt, & cum interiori voto coniungitur, quoties fieri contingit, & ideo nihil fere amplius in hac materia de illo conſiderandum eſt, ſed in tractatu de Voto. Hic vero proprie de iuramento vocali tractamus. Altera diuiſio iuramenti eſt in verum, & fictum, quæ proprie eſt ſubdiuiſio iuramenti vocalis, quod hominibus præſtatur, nam apud Deum non poteſt intercedere fictio. Eſt autem diuiſio analoga, nam ſolum verum iuramentum eſt ſimpliciter tale: loquor autem in præſenti de vero iuramento in eſſendo, id eſt, quod habet verum eſſe iuramenti, ſiue cadat in aſſertionem veram, ſiue in falſam, quod poterit dici iuramentum verum, vel falſum in dicendo, & de hoc vero iuramento præcipuo tractamus, obiter tamen attingemus quæ neceſſaria fuerint de imagine eius, ſic enim fictum iuramentum non immerito appellari poteſt. 12.

Capvt

Capvt II.

Vtrum iuramentum ſit actus licitus, & honeſtus?

Hæreſis antiqua de iurando. Prateolus. Caſtro. Ianſen. Auguſt. Hilar. Bernard. Matth. 5.

1\. ANtiqua fuit hæreſis, iuramentum ita eſſe intrinſecè malum, vel Chriſtianis interdictum, vt numquam omnino liceat. Ita ſenſerunt Alban. & Bagnolen.& Cathariſtæ. ſeu Cathari. & alij plures, quos ſub illorum nominibus refert Prateolus, & Caſtro verb. *Iurament. hæreſi* 1. Vualdéſes & Pſeudo apoſt. in eo errore fuiſſe dicit. Hæretici etiam Anabaptiſtæ referuntur idem tenere, & obſeruare, vt videri poteſt apud Ianſenium cap. 40. Concordiæ, vbi etiam refert, ex Auguſt. epiſt. 89. q. vlt. Pelagianos in eodem fuiſſe errore, & clarius cōſtat ex epiſt. 88. quæ eſt Hilarij Siracuſani ad eundem Aug. Eiuſdem erroris meminit Bernard. homil. 69. in Cant. Fundamentum huius erroris ſumptum videtur ex illis verbis Chriſti Matth. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua, ego autem dico vobis, nolite iurare omnino.* Quibus verbis prorſus videtur interdicere iuramentum in lege gratiæ, tum quia, quoad hoc videtur augere antiquum præceptum, tum etiam quia illa particula, *Omnino*, hanc vim habere videtur, tum denique quia paulò inferius ſubiungit: *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt, ergo etiam malum eſt, nam mala arbor non poteſt bonos fructus facere.

Iacob. 5.

2\. Vnde Iacobus cap. 5. ſimiliter prohibet iurare cum tanta exaggeratione, vt videatur hoc aliis pręceptis præferre, dum ait: *ante omnia, fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum*: & deinde repetit illa verba Chriſti, *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*, & ſubiungit hanc rationem, *vt non ſub iudicio decidatis*, id eſt, vt non condemnemini in Diuino iudicio, ſentit ergo quodcumque iuramentum puniri in Diuino iudicio, ergo eſſe prohibitum, & culpabile. Neque ſolum in nouo teſtamento, ſed etiam in veteri videtur prohiberi iuramentum, vt Oſeæ 4. *Neque iuraueritis, viuit Dominus*, & Zach. 5. *Omnis fur iudicabitur, & omnis iurans, ex hoc ſimiliter iudicabitur.* Præterea Patres videntur huic ſententiæ fauere, præſertim Baſil. homil. in Pſal. 14. Chryſoſt. hom. 19. & 78. ad Popul. & 17. in Matth. & ibi Theoph. Matth. 5. Orig. tract. 35. Matth. & Tertul. lib. de Idololatr. c. 11. dicens: *Taceo de periurio, quando nec iurare quidem licet*, & Clem. Rom. lib. 6. Conſt. Apoſt. c. 11. *Magiſter*, ait, *noſter præcepit, vt neque per verum Deum iuraremus, vt ſermo noſter firmior, credibiliorque ipſo iureiurando haberetur.*

Oſeæ 4. Zachar. 5. Baſil. Chryſoſt. Theophil. Origen. Tertul. Clem. Rom.

3\. Ratione etiam declarari poteſt, primo quia impoſsibile eſt homini Deum afferre in teſtem, etiamſi maxime velit, ergo in vanum aſſumitur nomen Dei, quoties ad iurandum ſumitur, ergo eſt per ſe malum. Secundo eſto, poſſet homo Deum afferre in teſtem inordinatum, videtur perſonam Dei adducere ad humana negotia, pacta, aut verba confirmanda, quia inordinatum eſt res ſuperioris ordinis ad inferiores ordinare, ergo multo magis eſt inordinatum, ſacram Dei auctoritatē profanis hominum verbis, ac negotiis miſcere. Tertio, quamuis in aliquo caſu poſsit iuramentum ſine inconuenienti vſurpari, tamen ita eſt periculis expoſitum, vt vix ſine crimine fiat, in lege autem gratiæ propter perfectionem eius prohiberi debuerunt, non ſolum peccata, ſed etiam quæ moraliter, & proxime ad peccatum implicant, quia, *Qui amat periculum, peribit in illo*: ergo.

1. Concluſio.

4\. Nihilominus de fide certum eſt, non omne iuramentum eſſe illicitum vel prohibitum etiā Chriſtianis. Hoc ſatis conſtat ex vſu & traditione Eccleſiæ, & Sanctorum exemplis. Vt autem ratione, & authoritate magis declaretur & confirmetur, dicendū eſt primo per ſe, & natura ſua nō eſſe intrinſece malum iurare, & conſequenter non eſſe naturali lege prohibitum. Probatur primo, quia in Scriptura veteri verbo, & exemplis approbatum eſt iuramentum, non approbaretur autem ſi eſſet per ſe, & intrinſece malum, vt per ſe conſtat. Antecedens probari poteſt ex forma ſecundi præcepti decalogi Exod. 20. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, non enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomē Domini Dei ſui fruſtra*: & eiſdem fere verbis habetur Leuitici 19. & Deuteron. 9. Cum enim non ſimpliciter iurare prohibeamur, ſed fruſtra, aut in vanum, tacite indicatur, ſimpliciter non prohiberi, nec per ſe eſſe malum iuramētum, ſi non fruſtra: nec indebito modo proferatur. Quin potius Deuter. 6. & 20. videtur præcipi iuramentum cum dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis*: vnde in Pſalm. 14. laudatur qui iurat proximo ſuo, & non decepit, & 63. *Laudabuntur*, inquit, *omnes, qui iurant in eo*: tantum ergo abeſt, vt iurare ſit intrinſece malum, vt potius dignum laude cenſeatur. Exempla etiam Sanctorum frequentia ſunt, tam in tempore legis naturæ, quam ſcriptæ, vt de Abraham, Iſaac, & Iacob, Geneſ. 26. & 32. de Moyſe, Deuteron. 3. & 4. & Dauid, ac cæteri Prophetæ frequenter vtuntur illa forma iurandi, *Viuit Dominus.*

Non omne iuramētum eſſe prohibitum de fide eſt. Exod. 20. Deut. 6. Pſalm. 61.

Ratione oſtendi poteſt, quia iurare ex vi obiecti non habet intrinſecam malitiam, neque etiam ex circumſtantiis neceſſario illam participat: ergo non habet vnde ſit per ſe, ac intrinſece malum, ſeu contra naturalem legem. Maior probatur: quia iuramentum eſt quædam inuocatio Diuini nominis, & ex hac parte, ſi ex vera fide procedat, & inuocetur verus Deus, non eſt per ſe iniurioſum Deo, ſed potius continet tacitam fidei confeſsionem, quod Deus ſit prima veritas, & mentiri non poſsit: ergo iuramentum ex obiecto non habet malitiā. Minor autem conſtabit latius capit. ſequenti, vbi oſtendemus, quibus circumſtātiis veſtiri debeat iuramentum, vt licite fiat. ſcilicet veritate, iuſtitia, & neceſſitate: nam quod hæc tria poſsibilia ſint, per ſe notum eſt, ſicut enim homo poteſt loquendo dicere verum, & non falſum, ita poteſt iuramentum adhibere, cum dicit verum, & cauere illud, ſi contingat falſum loqui. Et eadē libertate poteſt, non pro quacumque veritate confirmāda, ſed pro honeſta, ac neceſſaria iuramentum vſurpare. Quod autē hęc tria, ſicut neceſſaria ſunt, ita etiam ſufficiāt, vt nulla malitia contraria legi naturæ iuramento adhæreat, generatim probatur, quia nulla virtus aſsignari poteſt, cui iuramentum ſic factum contrarium ſit, non enim iuſtitiæ, nec veritati, cum hæc in materia talis iuramenti ſupponatur. Neque etiam prudentiæ, cum tale iuramentum ſupponatur neceſſarium, & ideo non poſsit dici vanum, aut otioſum, nec denique contra Religionem, quia potius in quendā cultum Dei cedit, quando propter eius reuerentiam cū huiuſmodi circumſpectione debita vſurpatur, vt magis ex dicendis conſtabit. 5. *Ratio.*

Dico ſecundo, iuramentum in lege gratiæ non eſſe ſimpliciter prohibitum, & ideo nunc etiam licitum eſſe poteſt. Concluſio eſt de fide, & conſequitur ex præcedenti, quantum ad hoc, quod etiam in hoc tempore non ſit iuramentum de ſe, & intrinſece malum. Quod autem non ſit etiam malum, quia prohibitum, probari poteſt primo, quia nullibi inuenitur talis prohibitio à Chriſto facta, vt reſpondēdo ad argumēta facile conſtabit. Quocirca ſicut eſt regula Theologorum in lege noua, non eſſe lata poſitiua præcepta Diuina, pręter leges Sacramentorum, & fidei, ita dicere poſſumus, nullum eſſe in hac lege datum præceptum negatiuum, quo vniuer- 6. *2. Concluſio. Iuramētum in lege gratia non eſt ſimpliciter prohibitum.*

Digitized by Google

vniuerſaliter prohibeatur aliquid, quod de ſe malum non ſit. Cum ergo ſit oſtenſum, iuramentum de ſe non eſſe intrinſece malum, manifeſtum eſt, in hoc tempore non eſſe vniuerſaliter malum ex vi legis gratiæ.

7. Secundo probatur idem Sanctorum exemplis. Vt enim omittam probabile eſſe Chriſtum interdum iuraſſe, quod infra videbimus, de Apoſtolo Paulo manifeſte conſtat ad Rom. 1. dicente. *Teſtis enim mihi eſt Deus*, &c. & ſimilia verba habet ad Phi. nulla enim vt infra videbimus, expreſſior iurandi forma eſſe poſſe videtur, magis vero illam explicat 2. ad Corinth. 1. dicens: *Ego autem teſtem Deum inuoco in animam meam*, &c. Aliam iurandi formam habet 1. ad Timot. 5. & 2. Timot. 4. *Corã Deo, & Chriſto Ieſu*, quamuis illa verba ſi attente ſpectentur magis videantur adiurantis, quam iurantis. Item clarior eſt ad Galat. 1. *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*. illam enim fuiſſe iurandi formam omnes ibi intelligunt, & inferius explicabimus. Vnde Auguſt. Epiſtol. 206. ad Ocean. aperte dicit Paulum ibi ſub Diuina atteſtatione fuiſſe locutum, & in expoſitione epiſtolæ ad Galat. dicit non eſſe audiẽdos, qui has iurationes eſſe non putant, & refertur in cap. 2. 22. quæſtione prima. Idem Auguſtinus ibidem ex verbis illis primæ Corinth. 15. *Quotidie morior per gloriam veſtram, fratres*, colligit quam, *Dicens exemplaria Græca manifeſtiſſimam iurationem eſſe conuincunt*. Et idem habet Sermon. 28. de verbis Apoſtoli, quia Paulus non dicit propter gloriam veſtram, ſed per gloriam veſtram, quod etiã refert tacito Auguſtini nomine Innocentius III. in capit. *Et ſi Chriſtus*, de Iureiurando; & idem habetur. 22. qu. 1. cap. 2. &c. ex qua quæſtione multa ſumi poſſunt ad confirmandam hanc veritatem Auguſtini, & Patrum teſtimoniis. Videri etiam poteſt Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum capit. 23. & Iſidor. lib. 2. ſent. cap. 31. dicens: *Non eſt contra præceptum Dei iurare, ſed dum vſum iurandi facimus periurij crimen incurrimus.*

8. Tertio ſufficienter hoc confirmatur ex conſuetudine Eccleſiæ, nam ſæpe exiguntur iuramenta eiuſdẽ Eccleſiæ authoritate, vel in iudiciis, vt conſtat ex titulis de Iureiurando. & de Teſtibus vel ad abiurandam hæreſim, vt conſtat ex titulo de Hæreticis, & ex Concil. Epheſi. 1. & ex Concil. Conſtantienſi in Bulla Martini V. & ex vſu ſanctæ Inquiſitionis, vel interdum ad purgationem delictorum, vt conſtat ex titulo de Purgatione Canonica: Item petuntur ſæpe iuramenta, vel ad promittendam obedientiam, & confirmandam pacem, vel ob alias ſimiles cauſas, quas late congerit Selua in d. tract. de Iuramento, ſecunda parte in principio. Ergo euidenter ſupponit Eccleſia licitum eſſe iurare in lege gratiæ. Ratio denique hoc confirmat, nã ex Paulo ad Hebræos 6. Neceſſitas iuramenti eſt, vt ſit *omnis controuerſiæ finis, & confirmatio*, hęc autem neceſſitas, etiam durat tempore legis gratiæ, vt late explicatur in Concilio Toletan. 8. capite ſecundo, ergo non debuit iuramentum magis hoc tempore prohiberi, quam in præterito, præſertim cum hoc tempore, & maior ſit de Deo cognitio, & fides expreſſior, ac perfectior Religio, ad quam iuramenti cultus ſpectat.

9. Ad fundamenta contrarij erroris. Circa locum Matth. 5. Hieronymus ibi duas indicat expoſitiones, quarum altera in ſe difficilis eſt, altera difficultatem augere videtur. Prior eſt Chriſtum ibi non prohibere iurare per Deum, ſed per creaturas. *Nam Iudæi* (inquit) *habebant peſſimam conſuetudinem iurandi per angelos, per vrbem Hieruſalem, per templum, & per elementa*, & quoniam is, qui iurat, veneratur eũ per quem iurat, *ideo* (inquit) *Iudæi ſic iurantes creaturas, res, carnales venerabantur honore, & obſequio* Dei, Chriſtus ergo hac ratione prohibuit iurare per cœlum, & terram, & Hieroſolymam, & per caput. Et hanc expoſitionem ſecutum eſt Innocentius III. in dicto capit. & eam probat Theop. Matth. 6. Sed eſt difficilis expoſitio, primo quia, vt obiicit Diuus Thomas articulo ſecundo ad primum Iacobus videtur interpretari Chriſti verba de quocunque iuramento, & ipſa Chriſti verba: *Nolite iurare omnino*, hoc ſignificant, nam quod ſtatim ſubiũgit, *neque per cœlum*, &c. non eſt ad reſtringendum, ſed potius ad augendum priora verba, quaſi dixerit, non tantum maiora iuramenta, ſed etiam hæc, quę minora eſſe videntur, cauenda eſſe. Et patet ex ratione quam adiungit dicens, *Neque per cœlum thronus Dei eſt*, &c. Nam *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Si ergo Chriſtus prohibet iurare per cœlum, quia in illo reſidet Deus, multo magis prohibet iurare per Deum. Vnde argumentor ſecundo, nam vel Chriſtus tantum illic prohibet iurare per creaturas propter ſe ipſas ac ſi eſſent Deus, & hoc neque eſt conſentaneum verbis Chriſti, & rationibus eius, neque eſſet nouum: nam etiam Iudæis hoc erat prohibitum tanquam per ſe malum, Chriſtus autem profiteri videtur ſe nouam facere prohibitionem, cum dicit: *Ego autem dico vobis*. Vel prohibet omnem modum iurandi per creaturas, etiam intuitu Dei, & hinc à fortiori ſequitur, vt dicebam prohibuiſſe omne iuramentum per ipſum Deum, vt recte argumentatur Greg. Nyſſen. ho. 18. in Cant. & aperte ita declarauit ipſe Chriſtus Mat. 23. dicens: *Qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum*: & ideo illo modo augetur potius difficultas, quam ſoluatur. Denique obſtant verba quæ Chriſtus ſubiungit, *ſit ergo ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*, nam per illa declarat vetuiſſe prius cuiuſcunque iuramenti additionem.

10. Secundo ergo reſpondet Hieronymus, iuramentum per Deum fuiſſe permiſſum Iudæis tanquam paruulis: *Quomodo* (inquit) *victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent, ſic & iurare permittebantur in Deum, non quod recte hoc facerent, ſed quod melius eſſet Deo id exhibere, quam dæmonibus, Euangelica autem veritas, non præcipit iuramentum, cum omnis ſermo fidelis pro iureiurando ſit.* Eandem doctrinam & expoſitionem ſequitur Chryſ. Hom. 17. in Matt. eamq; reſumit ibi Theoph. qui aperte videtur profiteri errorẽ quem impugnamus, ſic enim (inquit) *Porro ſi dixeris, quod & lex Moyſis mala erat, quoniam iurare iubet: dic quod tunc non erat malum iurare, poſt Chriſtum autem malum eſt ſicut circumcidi, & in ſumma quidquid eſt Iudaicũ.* Quocirca expoſitio Hieronymi illius teſtimonij difficultatem augere videtur potius, quam ſatisfacere. Et præterea non videtur poſſe ſubſiſtere, quia in lege veteri, non ſolum permittebatur iuramẽtum, ſed etiam laudabatur tanquam honeſtum, non erat autem honeſtum, vel laude dignum iuramentum, propter aliquam poſitiuam legem præcipientem, aut inſtituentem illud, ſicut erat circumciſio, vel ſacrificia legalis, ſed potius quia ipſum erat per ſe, & natura ſua honeſtum, ideo approbatur, & præcipiebantur circumſtantiæ ad illius honeſtatem neceſſariæ, vt conſtat Hieremiæ 4. & in ſequentibus latius explicabimus, ergo non potuit Chriſtus prohibere Chriſtianis id, quod Iudæis permittebatur, niſi prohibendo iuramentum, prout ex natura rei honeſtum erat, quod dici nullo modo poteſt, vt oſtenſum eſt.

11. Alij reſpondent prohibuiſſe ibi Chriſtum iuramento vti in rebus profanis, non vero in ſacris, ita Eraſmus, ſed ſupponere videtur quendam errorẽ infra impugnandum cap. 6. Et præterea non poteſt accommodari, tum quia Chriſtus ſimpliciter dixit. *Nolite iurare omnino*, ergo ſi illa eſt prohibitio in omnẽ cadit materiam, & volũtaria eſt diſtinctio, ſeu limitatio, tum etiam quia docet pure eſſe affirmandum, vel negandum ſubiungens, *Quod amplius eſt*,

Digitized by Google

eſt, à malo eſt, quæ ratio tam in materia ſacra, quam in profana locum habet.

12. *Bernardi expoſitio & aliorum Patrum.* Dici ergo poteſt verba illa Chriſti non continere præceptum, ſed conſilium: ita Bernar. Hom. 65. in Cant. Beda Iacob. 5. & non diſplicet Caſtro, qui refert Chriſtianum Druthmarum dicentem Chriſtum ibi non prohibuiſſe, ſed perfectionem docuiſſe. Hæc vero expoſitio ab aliquibus impugnatur, quia iuramẽtum interdum præcipitur, vt infra videbimus, præcepta autem non ſunt contraria conſiliis. Sed hac ratione non impugnatur mens Bedæ, Bernard. & aliorum, non enim ſentiunt ita eſſe conſilium non iurare, vt in nullo caſu poſsit eſſe neceſſarium, nam etiam non nubere cõſilium eſt, & aliquando poteſt eſſe neceſſarium. Vt ergo ſit conſilium non iurare, ſatis eſt, quod iuramentũ per ſe ſpectatum, & ſolo habito reſpectu ad cultum Dei quem continet conſulendum non ſit, neque vſurpandum, nam inde fit vt regulariter, ac moraraliter loquendo melius ſit non iurare, quam iurare. Ita vt licet plures occaſiones occurrere poſsint in quibus ſine peccato iurari poſsit, nihilominus ordinarie melius, & Religioſius ſit ſimpliciter loqui quam cum iuramento, ita vt ſola neceſsitas iuſtitię, & charitatis hominem ad iurandum inducat, hoc ergo ſatis eſt, vt non iurare dicatur eſſe ſub conſilio, & ita videmus eos, qui perfectionis ſtudiũ profitentur, hoc ſeruare conſilium, à quo non recedũt, quando propter neceſsitatem iurant, quia non tam voluntate, quam neceſsitate coacti id facient.

13. Atque ita accommodant Beda, & alij hãc expoſitionem ad verba Iacobi ponderando verbum illud, *Nolite iurare*, quia maiorem emphaſim habere videtur, quam ſi ſimpliciter dixiſſet, non iuretis, quia non tam actum, quam affectum, & voluntatem iurandi prohibere videtur, non præcipiendo, ſed conſulendo, vt homo quantum eſt ex ſe iurare nolit, nam ita fiet, vt nunquam iuret, niſi neceſsitate præcepti, vel charitatis coactus, & hoc eſt conſilium de quo dicti Patres loquuntur, vt autem explicetur quomodo hic ſenſus ad verba Chriſti accommodetur, eſt attente conſiderãdum in diſcurſu illius cap. Matth. 5. cum Chriſtus ſæpe dicit: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, ego autem dico vobis*, & nõ introducere pro ſtatu legis gratiæ noua præcepta in materiis moralib⁹, de quibus loquitur, vt sũt homicidium, adulterium, iuramentum &c. Neq; etiam voluiſſe immutare quoad hanc partem vera præcepta moralia Iudæis tradita, nam talia præcepta ſecundum ſe ſpectata naturalia ſunt, & perpetua, & (vt diximus) ipſe noua præcepta moralia non attulit. Solum ergo intendit per illa verba, vel aliquas imperfectiones Iudæis permiſſas auferre, vt probabile eſt fuiſſe illam de libello repudij, vel prauas, & erroneas præceptorum expoſitiones detegere, & veram, ac perfectam intelligentiam aperire, vt in præſenti multi exiſtimant.

14. Iuxta horum ergo ſententiam, quam ſine temeritate ſupponere poſſumus, per ſecundum præceptum putabant Iudęi ſolum rigoroſum periurium in quo falſum iuratur fuiſſe, ſibi prohibitũ. Vnde inferebant non peccari iurando, dummodo ſeruetur veritas, & ideo bonum & conſultius eſſe frequentius iurare, & in hoc ſenſu videntur intellexiſſe quod Chriſtus refert: *Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua*, nam quia Leuit. 19. dicitur, *Non periurabis in nomine meo*, ipſi intelligebant ſolum periuriũ eſſe prohibitum. Nec refert quod Hebræa habet. *Non iurabis in vanum*, nam vanum interpretabantur id eſt falſum, & mẽdacium. Hinc ergo putabant ſolum iuramentũ falſum, per Deum eſſe prohibitum, & inde duo inferebant. Vnum eſt iuramentum per Deum, dummodo verum ſit frequentandum eſſe, vt expreſſe refert Abulenſ. Deut. 6. & 10. quia per ſe pertinet ad cultum Dei, & ideo dicebatur in lege, *Per nomen illius iurabis*, Deut. 6. Secundum eſt iurare per creaturas, non eſſe iuramentum, nec ſpecialem malitiam habere, vt colligitur ex Matth. 23.

Leu 19.

Abulenſ.

Igitur Chriſtus Dominus vt has falſas interpretationes reiiciat, vel certe, vt verũ ſenſum præcepti tradat, docet imprimis non eſſe iurandũ omnino, id eſt, ſecundum quãcunque iurandi formam (vt recte expoſuit Maldonatus) ac proinde neque per Deum, neque per cœlum, vel terram &c. Deinde docet ordinarie, & abſque neceſsitate non eſſe iurandum, ſed ſimpliciter loquendũ. *Eſt, eſt, non, non*, quod recte intelligitur per modum conſilij iuxta prædictam expoſitionem. Et ideo in ratione, quam Chriſtus ſubiunxit, non dixit, *quod amplius eſt malum eſt, ſed à malo eſt*, quia iuramentum quando eſt neceſſarium, non eſt malum, tamen neceſsitas eius eſt à malo, ſcilicet vel ab incredulitate audientium, vel à defectu veritatis humanæ in natura corrupta. Quæ expoſitio eſt D. Aug. lib. 1. de Sermone Dom. in mont. cap. 17. Cornel. Pap. Epiſt. 2. ad Rufum, Innoc. in d. cap. *Etſi Chriſtus*, & D. Thom. ſupra, ad 2. intelligitur ergo non de malo culpæ, ſed de malo pœnę, ſeu imperfectionis humanæ, nam inde factum eſt vt iuramentum reputetur neceſſarium, & re vera aliquando ſit. Non tamen inde ſequitur vtile eſſe frequenter iurare vt homini credatur, nam potius, (vt recte dixit Theophylactus) *nulli minus creditur, quam ei, qui frequenter iurat*, & è conuerſo illi facilius fides adhibetur, qui ſemper loquitur verum, & nunquam iurat. Recte ergo exponitur hoc teſtimonium de vera interpretatione naturalis præcepti, cum additione conſilij, ſine noua prohibitione in vi præcepti. 15. *Vera expoſitio loci Ma.* *Maldon.* *Auguſt.*

Neque etiam videtur hæc expoſitio aliena à mente Auguſtini, ſed potius cum illa coincidere, quam ex illo in lib. de Mendacio cap. 15. refert, & ſequitur D. Thom. d. art. 2. ad 1. ſcilicet prohibuiſſe Dominum facilitatem, id eſt, frequentiam iurandi, ne ex facilitate ad conſuetudinem, & à conſuetudine ad periurium decidatur, non vero prohibuiſſe ſimpliciter, & abſolute iuramentum. Non eſt enim hoc intelligendum in eo ſenſu, vt prohibitio ex vi præcepti circa conſuetudinem iurandi maior ſit facta à Chriſto, quam ex vi legis naturæ ſequatur, nam quoad hoc eadem eſt ratio de conſuetudine, quæ de ipſo iuramento, ſcilicet, quod in lege gratię non ſunt data ſpecialia præcepta moralia Diuina, etiam negatiua, præter ea quæ ſunt legis naturalis. Intelligendum ergo eſt imprimis de prohibitione frequentiæ iuramenti, quæ ſequitur ex interpretatione legitima præcepti naturalis: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, quæ eſt, vt non ſolum intelligatur vanum, id eſt, falſum, ſed etiam non neceſſarium, ſeu quod fruſtra ſit, quod ſatis clare explicatum fuerat Exod. 20. nam poſt præceptum ſtatim additur: *Neque enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra.* Vnde in rigore illius præcepti prohibetur illa frequentia iuramenti, quæ eſt ſine neceſsitate, non ſolum propter periculum mali, ſed etiam quia ſic iurare malum eſt. Et hoc etiam ſignificare potuit Chriſtus per illud verbum *non iurare omnino*, id eſt, ſiue verum, ſiue falſum ſit, quando non eſt neceſſarium. Et hanc interpretationem ſignificat Cornelius Papa Epiſ. 2. ad Rufum Epiſcopum, dicens prohiberi incauta iuramenta, & pro eadem refert Caſtro ſupra, & ex illo Arag. ſuper dictum art. 2. D. Tho. Chromatium Papam libello ſuper 5. & 6. c. Matth. ſed in ſerie Pontificum non inueni aliquẽ huius nominis, voluerunt ergo referre Chromatium Acquilieſem, qui per errorem in aliquibus antiquis impreſsionibus inſcribebatur Epiſcopus Romanus, vt refertur in 2. tom. Bibliot. in Concione Chro- 16. *Auguſt.* *D. Thom.* *Exod. 20.* *Cornel. Pap.* *Caſtro.* *Aragon.* *Chromat. Acquil.*

Digitized by Google

ne Chromatij in 5. cap. Matth. ibique ſolum dicit voluiſſe Dominum per illa verba, & vſum iurationis, & conſuetudinẽ humani erroris auferre. Eandem expoſitionem indicat Bonau. in 3.d. 39. art. 2. *Bonau.* q. 1. vbi ponderat non dixiſſe Chriſtum *omnino iurare*, quia noluit ſimpliciter iuramentum prohibere, ſed vt non omnimodo, nec ſine omni cauſa iuretur. Sed licet doctrina ſit vera, tamen ponderatio non eſt magni ponderis, vt bene ibidem notauit Gabr. q. 1. quia iſtæ regulæ Dialecticæ nõ ſunt accommodatæ ad communem, & ordinarium modum loquendi, nedum ad ſermonem Chriſti, & Scripturæ ſacræ. Vnde ſine dubio illa locutio: *Nolite iurare omnino* eadem eſt cum illa, *omnino non iuretis*, & eundem ſenſum reddit in communi ſermone, tamen vt continet præceptum, cadit prohibitio ſuper omne iuramentum incautum, ſeu non neceſſarium.

17. Addimus autem Chriſti verba non tantum præcepti interpretationem cõtinere, ſed etiam admonitionem, & conſilium vitandi frequentiam iurãdi, non ſolum illicitam, ſed etiam licitam ne per illam facile deueniatur ad illicitam, iuxta illud *Eccl. 23.* Eccleſiaſt. 23. *Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa*, & infra, *vir multum iurans replebitur iniquitate*. Atque in hoc ſenſu intelligendi ſunt Patres, quãdo dicunt Chriſtum prohibuiſſe frequentiam iurandi propter periculum, & non tantum propter *Maldon.* malitiam actus, quos refert Maldonat. Matth. 5. Quorum tamen ſententiam non probat, ſed ſine dubio probanda eſt, nam illi non ignorarunt frequentiam iurandi ſine neceſsitate prohiberi, non tãtum propter periculum, ſed etiam quia in ſe mala eſt, ſed vltra ad hoc addiderũt, prohibuiſſe Chriſtum ſaltem cum conſilio frequentiam iurandi etiam licitam propter periculum, ne perueniatur ad *Auguſt.* illicitam. Et hoc ſignificauit ibi D. Thom. dicens ex ſententia Auguſt. Gregor. & Origenis: *Non omnino iurare prohibuit, ſed occaſionem periurij, quod perfectius eſt, docuit.* & idem ſenſit Auguſt. lib. 1. de Ser. Dom. in monte capit. 17. & clarius in Epiſt. 154. ad Publicolam, & refertur in cap. 3. 22. q. 1. quod ſic habet: *In nouo teſtamento dictum eſt ne omnino iuremus, quod mihi non propterea dictum videtur, quia verum iurare peccatum eſt, ſed quia peierare immane peccatum eſt, à quo longe nos eſſe voluit, qui omnino ne iuremus, admonuit:* ſentit ergo admonitionem Chriſti fuiſſe de vitando etiam licito iuramento, niſi fuerit ita neceſſarium, vt ſine peccato vitari non poſsit. Recte autẽ vocauit admonitionem, quia quoad hoc cõſilium fuit, & non præceptum. Et in eodem ſenſu dixit *Antioc. Abb.* Antiochus Abb. hom. 63. dixiſſe Chriſtum omnino, vt ne iuremus, quæ verba inferius per hæc interpretatur, quaſi à Chriſto dicta. *Vos autem, qui fidem, quæ in me eſt, non grauati eſtis amplecti, quibus dedi poteſtatem filios Dei fieri regeneratis, iam ab Spiritu ſancto vos, inquam, adhortor omnino vt ne iuretis: nam verbum adhortor*, conſilium magis indicat, quam præceptum.

18. Et ex his ſufficienter etiam reſponſum eſt ad locum Iacobi. Locus autem Oſeæ 4. non eſt ad rem, nam ibi non prohibet Dominus iurare per Deum viuum ſuis fidelibus, & cultoribus, ſed illis, qui ad colenda idola declinauerunt prohibet, vt non iurent per Deum viuum, nam ſic iurando maius idololatriæ crimen committerent, nam intendebant iurare per Deum illum, quem colebant, & ideo ſic iurando profitebantur Idolum ſuum eſſe Deum *Theod. Lyran.* viuum. Ita fere Theodoret. & Lyranus vel certe nolebat Deus nomen ſuum vſurpari à cultoribus Idolorum, quorum os non poterat non eſſe pollutum falſorum Deorum memoria, & comme*Hieron. Cyrillus.* moratione, vt placuit Hieron. & Cyrillo. In loco autẽ Zachariæ manifeſte eſt ſermo de iurãte in nomine Dei mendaciter, vt paulo inferius declaratur.

Ad teſtimonia autem Patrum, qui interdum videntur docere omne iuramentum eſſe Chriſtianis prohibitum, & in hoc conſtituere differentiam inter legem veterem, & nouam, Caſtro ſupra fatetur Hieronymum, & Theophylactum in hoc erraſſe. 19.
Vnde a fortiori idẽ diceret de Chryſoſtomo, quia Theophylactus tantum ſententiam Chryſoſtomi breuiter complectitur. Vnde facilius diceret de Tertulliano, & Origene, qui grauius in alijs errarunt. Reſpondet ergo authoritati illorum Patrum præferendam eſſe Auguſtini, & aliorum, vel potius totius Eccleſiæ authoritatem. Quæ reſponſio ſatisfacit quidem (ſi neceſſaria eſt) mihi autem veriſimile non eſt dictos Patres locutos fuiſſe in ſenſu contrario doctrinæ fidei, quia credibile non eſt illam ignoraſſe etiã eo tempore, quia exiſtimo ſemper in Eccleſia fuiſſe vſum iuramenti in rebus neceſſarijs, vt ex Paulo, manifeſtum eſt. Item Clemẽs Papa eodem modo loquitur, & non eſt veriſimile loqui in ſenſu erroneo, etiam moraliter. Denique Auguſt. ſuam doctrinam tradidit, non vt nouam, *Patrum explicatio.*
ſed vt indubitatam in Eccleſia. Itaque quando Patres ſimpliciter dicunt eſſe prohibitum, fortaſſe vtuntur verbo *prohibendi*, late vt cõplectitur & præceptum, & conſilium, nam interdum ſolent conſilia ſub lege, vel mandato comprehendi, & in hoc ſenſu ſubſiſtere etiam poteſt differẽtia inter legem veterem, & nouam, nam licet abſtinentia iurandi ſemper, & in omni tempore fuerit melior, quãdiu aliqua neceſſaria occaſio nõ obligat ſub præcepto, nihilominus conſilium de hac re nõ fuit ſcriptum in lege veteri, fuit tamen nobis datum à Chriſto Domino.

Vel etiam dici poteſt prædictos Patres quando 20.
affirmant eſſe prohibitũ, & illicitum Iuramentum *Alia explicatio.*
intelligere de iuramento, quod propter ſe tantum profertur, & putatur non malum, ſolum quia eſt prolatio Dei, & quædam fidei eius proteſtatio. In quo ſenſu ſolet eſſe quoddã prouerbium blaſphemum perditorum hominum, qui vt ſuam conſuetudinem iurandi excuſent, dicunt, *qui bene* (id eſt multum) *iurat, bene credit*, quod referunt, & merito reprehendunt Soto, & alij. In eodem ergo ſenſu damnant Patres vſum iurandi, & ſimpliciter, vt illicitum reprehendunt. Per hoc tamen non excludunt, quin iuramentum vſurpatum vt medium ad ſuum finem, quando oportet, licitum ſit, nunquam enim hoc negant, quamuis non ſemper exceptionem declarent, quia nõ erat neceſſarium. Nam etiam Chriſtus Dominus illam nõ expreſsit, ſed ſimpliciter locutus eſt, quia ex natura ipſius præcepti erat ſatis nota, vt Soto aduertit, & fortaſſe illam Sancti omittunt, quia reprehẽdunt homines aſſuefactos, & propenſos ad iurandum, quos non oportebat docere, quod aliquando iurare debeant, ſed ſimpliciter ꝙ iurare non debeant, nam per ſe clarũ eſt illud intelligi, niſi vbi præceptum obligarit.

Ad primam rationem, in qua aſſumitur, impoſsi- 21.
bile eſſe homini facere vt Deus teſtificetur, quod *Diluuntur*
ipſe dicit, reſpondeo duplicem poſſe eſſe ſenſum *rationes oppoſita.*
illius ſentẽtiæ. Vnus eſt, non eſt in poteſtate hominis facere, vt Deus propria voce, & quaſi lingua, ſeu ſigno peculiari, & ſenſibili ſtatim oſtẽdat, an ſit verum quod dicitur, & in hoc ſenſu verum eſt antecedens, negatur vero conſequentia, quia iuramentum non in hoc ſenſu profertur, vt vel qui illud profert ſe obliget ad impetrandum a Deo tale ſignum, vel qui audiunt illud expectent, vel ſi non exhibeatur, reputent falſum, quod iuratur, talis enim iuratio temeraria eſſet, & tentãs Deum niſi ex peculiari inſtinctu Spiritus ſancti fieret, iuxta ſuperius tractata de tentatione Dei, alius ergo ſenſus illius antecedentis eſſe poteſt, nõ eſſe in poteſtate hominis ita afferre Deum in teſtem, vt eo ipſo teneatur maiori, & Religioſa obligatione ad dicendum

verum, quam abſque iuramento teneretur, & ſic negatur aſſumptum, quia ad peculiarem reuerentiam Deo debitam ſpectat, vt nomen eius in vanũ non aſſumatur, & ideo ex vi aſſumptionis Diuini nominis animo implorandi teſtimonium eius ſequitur hæc obligatio. Et hoc ſufficit ad vtilitatem iuramenti, nam inde oritur vt res ſic confirmata maiorem apud homines authoritatem, & credibilitatem habeat. *D. Thom.* Addit etiam D. Thom. d. q. 89. art. 2. ad 3. certum eſſe teſtimonium Dei nunquam eſſe defuturum, nam licet illud non ſtatim præbeat, ſaltem dabit illud, quando illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: hoc autem ideo nunc confert ad confirmationem, quæ in preſenti fit per iuramentum, quia ſub hac fide, & timore Dei proferri debet.

11. Ad ſecundum dicemus latius in ſequentibus, petuntur enim in illo duæ difficultates pertinentes ad finem iuramenti, de quo infra dicemus. Ad 3. reſpondetur ſolum probare non eſſe facile, nec ſine magna cautela iurandum, ac ſubinde eſſe conſilium nunquam iurare, niſi vbi iuſtitia, obedientia, vel charitas obliget. Quomodo autem in conſuetudine iurandi poſsit eſſe peccatum, dicemus lib. 3.

CAPVT III.

Vtrum ad honeſtatem iuramenti veritas, iuſtitia, & iudicium requirantur?

1. *1. Aſſertio.* CErta & communis aſſertio eſt, iuramentum vt licitum ſit, tres illas conditiones habere debere, quas tres comites iuramenti vocant. Ita docet *D. Thom.* D. Tho. d. q. art. 3. & ibi omnes Expoſitores, & reliqui Theologi in 3. d. 39. cum Magiſtro ibidem, & *Magiſt.* Canoniſtæ in cap. *Animaduertendum*, 22. q. 2. & probatur ex illo Hiere. 4. *Hierem.* *Iurabis, viuet Dominus in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia*, addito commentario Hieronymi dicentis: *Hieron.* *Animaduertendum, quod iuramentum hos habeat comites, veritatem, iudicium, & iuſtitiam*, & idem tradidit Edmund. Cantuarien. in *Edmund. Cant.* Specul. Eccleſiæ cap. 31. tom. 5. Biblioth. & Anaſtaſius Nicen. ex Baſilio lib. qq. Sacræ Script. q. 73. *Anaſt. Nicen. Baſil.* *Si nomen Dei tibi venerandum, in veritate ſolum appellatum, & in neceſſitate, & rebus magnis.* Vt autem has conditiones, & rationes earum explicemus, duo dubitari poſſunt: vnum eſt, an hi comites in omni iuramento requirantur: ſecundum eſt, an ſufficiant?

2. *2. Aſſertio. In omni iuramento, neceſſariam eſſe veritatem.* Dicendum ergo ſecundo eſt in omni iuramento ad honeſtatem eius neceſſariam eſſe veritatem. Hoc eſt de fide certum, & lumine naturali notum. Primum patet, quia hac ratione periurium maxime in Scriptura prohibetur, Leuit. 19. & Zachar. 5. dicitur damnandos eſſe omnes, qui iurant mendaciter, & hinc facile probatur ſecũdum. Primo quia hoc præceptum inter moralia, & naturalia datur Exod. 20. Secundo quia finis iuramenti eſt confirmatio veritatis, vt ſumitur ex Paulo ad Heb. 6. ergo defectus veritatis eſt directe, & maxime contrarius fini iuramenti, & prorſus deſtruit, & eleuat authoritatem eius: ergo omnino etiam deſtruit eius honeſtatem. Tertio per iuramentum Deus in teſtẽ adducitur tanquam prima, & infallibilis veritas; ergo ſolum debet ad veritatem confirmãdam adduci, alioquin iniuria illi fit: atque ita hæc aſſertio nullã habet difficultatem, præſertim in iuramẽto aſſertorio, quanta vero culpa ſit deficere in hac cõditione iuramẽti, & quibus modis cõmitti, aut excuſari poſsit, dicemus in li. 3. tractãdo de Periurio.

3. *Duplex intentio in iuramento.* Circa iuramentum autem promiſſorium iam dictum eſt, duplicem veritatem in eo inueniri, vnam de præſenti, alteram de futuro, & priorem appellari poſſe veritatem dicti, poſteriorem autem facti: quoad priorem ergo veritatẽ hanc, etiã iuramẽtum habet rationem aſſertorij; nam qui promittit in præſenti, affirmat ſe habere animũ, & propoſitũ implendi, quod promittit, vnde in hac parte æqualiter, & eodẽ modo poſtulatur veritas in hoc iuramẽto, quo in aſſertorio, & ob rationes, quia reuera quoad hoc aſſertoriũ eſt. Deerit autẽ talis veritas ſi quis promittat cum iuramento ſine propoſito implendi quod promittit, quia falſam aſſertionem iuramento confirmat. Idemque erit ſi quis ita iuret, ſciens, ſe non habere, neque habiturum poteſtatẽ ad implendum quod promittit, quia cum tali ſciẽtia non ſtat propoſitum ad implendi promiſſum. Quoad poſteriorem veritatem (quia ſic iurãs promittit ſe facturum talem rem: ideo ibi etiam interuenit propoſitio de futuro, hoc faciam, cuius veritas pendet ex facto futuro, & ideo hæc etiam veritas poſtulatur ad honeſtatem talis iuramenti: quia etiam ad illam confirmandam inducitur, & ad hoc Diuina authoritas interponitur, & inde oritur ſpecialis obligatio huius iuramẽti ad factum futurum, de qua obligatione in 2. lib. ex profeſſo dicendum eſt, & de illius tranſgreſsione in 3. & ideo de hoc comite iuramenti hæc in præſenti ſufficiunt.

Dico 3. in omni iuramento ad eius honeſtatem neceſſaria eſt iuſtitia ex parte materiæ, quæ iuramento confirmatur nomine iuſtitiæ in hac conditione, ſeu comite iuramenti intelligi debet, non ſolum particularis iuſtitia; ſed etiã generalis, prout de omni virtute dicitur, ita vt idem ſit materiam iuramẽti debere eſſe iuſtam, quod debere eſſe honeſtam. 4. *3. Aſſertio. In omni iuramento neceſſariam eſſe iuſtitiam ex parte materiæ.* Hæc autem conditio ſic explicata facile probatur de iuramento promiſſorio, quia vt infra videbimus, niſi ſit de re honeſta, nõ obligat, & ideo inique fit, ergo vt iuramentum promiſſorium ſit licitum, neceſſarium eſt vt ſit de re honeſta. Nomine autem rei honeſtæ intelligitur, quidquid honeſte, & ſtudioſe impleri poteſt, de quo hic plura non dicimus, quia poſtulant prolixã diſputationem de iuramento promiſſorio in ſequenti libro tradendam.

De iuramento autem pure aſſertorio dubitari poteſt, an ad rectitudinem, ſeu honeſtatem illius hæc conditio neceſſaria ſit, & ratio dubitandi eſt, 5. *Dubium.* quia licet facere praua turpe ſit, tamen ſcire illa nõ eſt turpe, ergo neque illa narrare, aut teſtificari turpe eſt: ergo neque illa iuramento confirmare de ſe malum eſt, ergo per ſe loquendo ad integram bonitatem iuramenti aſſertorij non eſt neceſſarium vt materia eius ſit honeſta, neque eſt per ſe indecens afferre Deum in teſtem aſſertionis facti turpis: & confirmatur, nam teſtes qui de adulterio, vel homicidio teſtificantur licite iurant, quamuis de re turpi teſtimonium præbeant. Propter hoc Caiet. in *Caietan.* d. art. 3. docet cõditionem hanc relatã ad rem, quæ iuratur non requiri in iuramento aſſertorio, ſed tantum in promiſſorio, ſi autem referatur ad cauſam iurandi ſic requiri etiam in iuramento aſſertorio: quod etiam videtur indicare D. Thomas ibi ad *D. Thom.* ſecundum, cum enim dixiſſet veritatem, & iuſtitiam pertinere ad rem, de qua iuratur, ſubiungit, quamuis poſſet dici quod iuſtitia pertinet ad cauſam per quã iuratur. Et declaratur bene in exemplo adducto, nam qui propter ſeruãdam iuſtitiam iurat circa turpe factum, licite facit: qui vero occultum factũ turpe proximi ſine iuſta cauſa reuelat, iuramento abutitur, & illicite iurat, quia deeſt cauſa iuſta, quamuis factum eiuſdem rationis, vel fortaſſe idem quaſi materialiter ſit.

6. Addere vero poſſumus, etiam in iuramento aſſertorio requiri hanc conditionẽ iuſtitiæ, ſeu honeſtatis ex parte materiæ iuramenti: vnam proximam, & aliam remotã, proximam appello aſſertionem ipſam, nam illa eſt in quam immediate cadit iuramẽtum, remotam voco rem, aut factum de quo

Digitized by Google

quo eſt aſſertio, ſicut in Sacramento pœnitentiæ, peccata dicuntur materia remota Sacramenti: confeſsio autem proxima. Dico ergo ad honeſtatem iuramenti aſſertorij, non eſſe neceſſariam honeſtatem in materia remota, quod bene probat ratio dubitandi propoſita cum exemplo adiuncto. Nihilominus tamen verum eſt conditionem hanc eſſe neceſſariam in iuramento aſſertorio ex parte materiæ proximæ: non enim eſt ſatis, vt aſſertio ſit vera, ſi alias ſit iniuſta, vel inhoneſta, vt licite poſſit iuramento confirmari. Et hoc etiam probat exemplum de illo, qui inique reuelat factum occultum proximi, & ſuam aſſertionem iuraméto confirmat, nam ille non ſolum iniuſtus, ſed etiam irreligioſus eſt, & hoc non propter ſolam turpitudinem materiæ remotæ, quia illa non ſufficeret, vt alia exempla oſtendunt: ergo propter defectum materiæ proximæ. Imo licet materia remota eſſet honeſta, ſi proxima eſſet iniuſta, iuramentum in illam cadens non eſſet licitum. Vt ſiquis cum iuramento reuelaret honeſtum factum proximi occultum, quod ex iuſtitia teneretur ſub ſecreto ſeruare, illicite vteretur iuramento. Addo etiam non ſolum quando aſſertio iniuſta eſt contra propriam iuſtitiam, ſed etiam quando eſt iniqua, alio modo abſque propria iniuſtitia non eſſe materiam honeſti, & liciti iuramenti: vt ſiquis proprium crimen cultum cum iuramento reuelet ſolum, vt ſe iactet, & de illo glorietur, iniuſtitiam propriam nõ committit, & nihilominus ſacrilegus eſt ſic iurando, ergo ſignum eſt etiam in iuramento aſſertorio, requiri honeſtatem in materia proxima, id eſt, in aſſertione eius. Ratio autem eſt, quia eſt contrà reuerentiam Deo debitam afferre illum in teſtem ad confirmandam aſſertionem iniquam, quocunque modo talis ſit, & de quacunque materia ſit: & in hanc partem inclinat Soto. d. quæſtione 1. artic. 3. Nec repugnet D. Thom. ſed quia honeſtas aſſertionis ordinarie, & maxime pendet ex cauſa, ideo dixit iuſtitiam iuraméti ad cauſam iurandi pertinere.

Ad honeſtatem iuramenti aſſertorij non eſſe neceſſariam honeſtatem in materia remota. Soluitur dubium.

Soto.

7.
4 Aſſertio. Ad honeſtatem iuramenti neceſſarium eſſe, vt cum iudicio fiat. D. Thom.

Dico quarto: Ad honeſtatem integram iuraméti neceſſarium eſt, vt cum iudicio fiat, id eſt, cum debita, & prudenti conſideratione. Hoc etiam generatim ſumptum manifeſtum eſt: nam ad omnem actum virtutis vt ſtudioſe fiat, neceſſarium eſt prudentiæ iudicium, eſt enim prudentia auriga moralium virtutum. Bene autem conſiderat D. Thomas d. art. 3. ad 3. ſpecialiter poſtulari conditionem hanc in iuramento propter reuerentiam Dei, & labilitatem linguæ humanę. Interrogari autem poteſt, quid ſub hac conditione includatur: nam ſi abſolute de iudicio prudenti loquamur, ſub illo comprehendentur veritas, & iuſtitia: nam ſicut prudentia dictat de alijs circumſtantijs in iuramento ſeruandis, ita dictat, non eſſe Deum in teſtem vocandum, niſi in rebus veris, & honeſtis. Quapropter vt ſit diſtinctio inter illos comites ſub iudicio comprehendi poterũt reliqua omnia, quæ propter veritatem, & iuſtitiam, ad debitum modum iurandi, ſecundum rectam prudentiam deſiderari poſſunt. Et ita ſignificat Diuus Thomas d. art. 3. ad 2. ſignate vero, ait, ibi includi deuotionem, & fidem, quæ ad debitum iurandi modum neceſſaria ſunt. Per fidem autem non intelligit fidelitatem, quæ maximè in iuramento promiſſorio requiritur, & ad veritatem potius pertinet, ſed intelligit fidem Theologalem, quia oportet vt iurans credat Deum omnia ſcire, vt ex argumento manifeſtum eſt. De hac auté fide merito dici poſſet potius ſupponi ad iudicium, quam in illo comprehendi; quia iudicium prudétiæ comparatur ad fidem, ſicut concluſio ad principia: Per deuotionem autem intelligit reuerentiam Deo debitam ex parte iurantis, & ſine dubio, propter hanc cauſam maxime poſtulari ſolet diſcretio in iurante.

Quid per iudicium in concluſione intelligatur.

Solet autem potiſsime per hanc conditionem poſtulari neceſsitas, vel grauis vtilitas iuramenti: nam ſi hæc accedat ad veritatem, & honeſtatem, videtur per illam compleri legitima, & honeſta cauſa iurandi, ſi autem hæc deſit, erit iuramentum vanum, & quaſi otioſum, eſt autem contra reuerentiam Deo debitam inuocare nomen eius in vanis, & otioſis rebus confirmandis. Quod ſi quis quærat, quanta debeat eſſe hæc neceſsitas, reſpondendum breuiter eſt prudenti arbitrio hoc iudicandum eſſe: & ideo hunc tertium comitem merito iudicium, vel diſcretionem appellari, quia non poteſt certior regula tradi. Ad hoc autem iudiciũ ferendum præcipue conſiderandus eſt finis iuramenti, de quo in particulari poſtea dicemus, poſito autem fine honeſto, & ſufficienti, ſatis erit ad honeſtatem iuramenti, quod aliqua moralis vtilitas ad talem finem, in eo expectari, & operari poſſit, quia tunc iam ceſſat omnis ratio irreuerentiæ, quæ omnia conſtabunt magis ex dicendis de cauſis iuramenti. Quantum autem peccari poſsit in omiſsione huius, vel præcedentis comitis in lib. 3. dicemus. 8.

Quæ requiratur neceſſitas ad iurandum.

Vltimo dicẽdum eſt hos tres comites ſufficienter aſsignatos eſſe pro honeſtate, ſeu rectitudine iuramenti. Hoc probatur ſufficienter authoritate Hieronymi, & cæterorum Theologorum, maxime cum in Scriptura habeat fundamentum. Ratione etiam conſtat ex dictis, nam ſi iuramentum his circumſtãtijs affectum ſit, nõ habet vnde poſsit eſſe illicitum. Loquimur enim per ſe, & intra latitudinem Religionis, & ex vi talis actus, nam per accidens, & ex parte operantis, vel ex generalibus circumſtantijs loci, aut tempors poterit adiungi malitia, & prauæ intentionis, & ſcandali aut ſimiles: ſed hæc quæ ſunt per accidens non cadunt ſub ſcientiam: quamuis poſsint hæc omnia ſub iudicio comprehendi, vt diximus. Quapropter ad hos comites pręſertim iudicij reducuntur conditiones interdum requiſitæ iure humano ad debitum modum iurandi, vt ex partę perſonæ poſtulatur, vt iuramentum, nonniſi à ieiunis præſtetur. cap. *Honeſtum*, 22. qu. 2. & in capit. 1. de Teſtibus, vt notat D. Thom. q. 89. art. 10. vbi non explicat an hoc ſit præceptum necne. Tamen Gloſſæ in citatis textibus dicunt tantum eſſe de honeſtate. Semperque fuit intellectum de iuramento iudiciali, aut ſolemni, atque etiam hoc modo conſuetudine antiquatum eſt, vt dixi Gloſſa in cap. *Decreuit*, 22. q. 5. Item præſcribunt Iura circumſtantiam temporis, vt in d. c. *Decreuit*. prohibetur iuramentum ſolemne ſuper Euangelia, certis anni temporibus, vt diebus Dominicis, à Septuageſima vſque ad Paſcha, &c. Tamen hoc etiam eſt antiquatum, vt notat Gloſſa, ſolum obſeruare neceſſe eſt, vt in iudicio non exigatur iuramentum in diebus feſtis, vt ſupra notauimus tract. 2. li. 2. c. 30. n. 6. Olim etiam non fiebant iuramenta niſi in templo, & ſuper altare, ac circa res ſacras, vt ex Chryſoſt. affirmat Soto d. q. 1. art. 1. ſed Chryſoſt. non affirmat id fuiſſe neceſſarium. Neque in Iure inuenitur obſeruatum, niſi in quibuſdam iuramentis ſolẽnibus, maxime in pijs cauſis, & ad commune bonum pertinentibus. Similiter ex parte perſonarũ requiruntur in Iure aliquæ circumſtantiæ, quas in cap. 9. attingemus. 9.

D. Thom.

Cap. Decreuit.

Soto.

Sed dicat aliquis: Conditio maxime requiſita ad Religionem iuramenti eſt, vt fiat per Deum verum, & non per falſum, hæc autem conditio deeſt in illis comitibus: nam cum tria, vel quatuor ſint in iuramento, ſcilicet, iurans, & occaſio, ſeu cauſa iurandi, res, quæ iuratur, & per quam iuratur ex parte iurantis, recte poſtulatur diſcretio, & ex parte rei iuratæ, veritas, & iuſtitia, ſub qua, & ſub iudicio cauſa etiam iurandi ſufficienter comprehenditur, ex parte autem eius per quem iuratur nulla poſtu- 10.

Obiectio.

Digitized by Google

latur conditio, cũ tamen illa maxime neceſſaria ſit, quia vis, & authoritas iuramenti inde maxime pẽdent.
Solutio. Ad hoc breuiter reſpõderi poteſt, primo hãc cõditionem ex parte eius, per quẽ iuratur ſub iudicio comprehendi, maxime ſi verum eſt fidem de Diuina ſcientia, prouidentia, & veritate, ad iudiciũ pertinere, vt D. Thom. dixit. Nam vera fides eſt, quæ facit, & dirigit voluntatẽ, vt per verum Deum iuret, & non per alium. Secundo vero reſpondeo, conditionem hanc non pertinere ad comites iuramenti, ſed ad illos ſupponi, eſſeque radicem, & fundamentum eorum. Sicut enim dixi fidem ſupponi ad iudicium, & prudentiam, ita nunc aſſero, teſtimonium ipſius Dei non requiri ad iuramentũ, vt comitem eius, ſed tanquam formam (vt ſic dicam) & vitam, & ſubſtantiam eius. Nam iuramentum per falſum Deum, vt infra dicam, re vera non eſt iuramẽtum, ſed per errorem putatur iuramentum, hic autem aſsignamus comites veri iuramenti, ſupponimus ergo verum iuramentum, ac ſubinde vt per Deum verum fiat, non oportuit ergo hunc ponere inter comites iuramẽti. Quin potius ex hoc fundamento, ſcilicet quod Deus eſt ſumma veritas, bonitas, & maieſtas, colligimus neceſſitatem illorum trium comitum, non ergo debuit, neque potuit illis enumerari: eſt igitur illa enumeratio, & conueniens, & ſufficiens.

CAPVT IV.

Vtrum iuramentum ſit actus elicitus virtutis Religionis?

1. RAtio dubitandi eſſe poteſt, quia omnis actus Religionis principaliter intẽditur propter cultum Dei, vt conſtat ex dictis in principio huius materiæ de obiecto, & actibus huius virtutis, ſed iuramentum non fit primo, & per ſe propter cultum Dei, ſed propter confirmandam aliquam humanã veritatem, vel pactum, ſeu fœdus humanum;
Hebr. 6. propter quod dixit Paul. ad Hebr. 6. *Homines per maiorem ſui iurant, & omnis controuerſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum.*
D. Thom. Vnde D. Thom. in d. q. 89. art. 8. ad 1. differentiam in hoc conſtituit inter iuramentum, & votum; nam per votum aliquid in Dei reuerentiam ordinamus; in iuramento vero è conuerſo, reuerentia Diuini nominis ad veritatis confirmationem ordinatur, & in ſolutione ad ſecundum dicit, eum qui iurat non ordinare iuramentum ad venerandum eum per quem iurat. Ex quo videtur plane ſequi, iurare non eſſe officium Religionis, nam officium Religionis eſt ordinare actum ſuum ad venerandum eum, quem colit.

2. Vnde argumentor ſecundo, quia ſi iuramẽtum eſſet actus Religionis, per ſe appetibile, & exercendum eſſet, quia actus Diuini cultus per ſe, id eſt, propter ſolum cultũ fieri honeſte poſſunt, abſque alia neceſſitate, vt patet, tum inductione in omnibus aliis actibus Religionis, tum ratione, quia illa eſt ſufficiens ratio ad honeſtãdum actum. At vero iuramentum non eſt talis actus, vt propter ſe tantum appetendum ſit, vel exercendum, ſed propter aliquam aliam neceſſitatem, vel piam vtilitatem, vt patet ex dictis, in capit. præcedenti, ergo per ſe non eſt actus Religionis. Et confirmatur, nam per ſe bonum eſt, & vtile actus Religionis frequentare, non eſt autem ita vtile frequentare iuramentum, ergo non eſt actus Religionis.

3. Tertio argumentor in hunc modum, quia ſi iuramentum eſſet actus Religionis, maxime eſſet, quia eſt quoddam indicium rectæ fidei de Diuina veritate ſcientia, & prouidentia, ſed hinc magis ſequitur eſſe fidei confeſsionem, quam actum Religionis, ergo inde non fit eſſe actũ Religionis. Imo poteſt argumẽtum in contrarium retorqueri, quia iuramentum non eſt confeſsio fidei, quæ licet ſit quidam fidei effectus, & ſub ea ratione ſit ſignum eius, tamen per ſe non fit ad profitendam fidem, ergo ſimiliter non eſt actus Religionis, quia non fit ad colendum Deum, ſed ad alios humanos fines. Et ita neque Religionis eſſe videtur, ſed ſolius fidei, media voluntate confirmãdi pactum, vel promiſsionẽ, quę voluntas non ad Religionẽ pertinet per ſe loquendo, ſed ad illam virtutẽ, vel habitũ ad quem ſpectat materia pacti, vel promiſsionis, quę poteſt eſſe iuſtitia, vel miſericordia aut alia ſimilis.

Nihilominus vera, & certa ſententia eſt, iuramentum eſſe actum Religionis. Hęc eſt communis 4
Vera ſententia. D. Thom. Caietan. Soto. aſſertio D. Thom. d. quæſt. 89. art. 4. vbi Caiet. Soto & alij, & cæteri Theologi in 3. d. 39. & reliqui omnes. Probatur autem primo ex Scriptura Deut. 6. (Deut. 6.) *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis*: vbi iuramentum ponitur tanquam actus pertinens ad latriam, & ſeruitutẽ Deo debitam. Idem colligitur ex 2. præcepto decalogi de non aſſumendo Diuino nomine in vanum, nam illud ad Religionem pertinere cenſetur, & ideo inter præcepta primæ tabulæ collocatur, quæ ad cultum, & reuerentiam Dei pertinent, & ex ipſa forma, & ratione præcepti Exod. 20. conſtat latum eſſe intuitu Diuinæ reuerentiæ, & ideo Leuit. 19. dicitur: *Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Leu. 19. Fit ergo illa prohibitio intuitu vitandi irreuerentiam Dei, ergo è conuerſo in iuramento ratio habenda eſt Diuini cultus, & reuerẽtiæ. Deniq; Chriſtus Dominus Matth. 5. cum monet vitare iuramẽtum etiam per cœlum, vel terram, rationem reddit ex habitudine ad Deum, plane indicans in iureiurando potiſsimum attendendum eſſe ad cultum, & reuerentiam Dei. Et ideo dixit ibi Hieron. *Qui iurat, vel amat, vel veneratur eum, per quem iurat*, & Hieron. Tertul. Tertul. in Apologetico cap. 32. in fine: *Dæmones* (inquit) *adiurare conſueuimus, vt illos de hominibus exigamus non deierare, vt illis Diuinitatis honorem conferamus.* Vbi deierare idem eſt, quod ſancte iurare, ſentit ergo iuramentum continere honorem Diuinitatis, id eſt, latriam, quæ idem eſt, quod Religio, & ſimiliter lib. de Idololatria, cap. 20. inquit: *Quos per quos deierat, non honorat?*

Præterea ipſi etiam Philoſophi hanc veritatem agnouerunt: Ariſtotel. etiam 1. Metaph. cap. 3. Ius- 5.
Ariſtot. iurandum dixit eſſe honorabiliſsimum, quia ſcilicet continet Dei cultum, & honorem, & in Rhetorica ad Alexand. c. de Iureiurando, ſic deſcribit iuramentum: *Iuſiurandum eſt cum Diuina veneratione dictio probationis expers.* Cicero etiam 3. de offic. dixit iuſiurandum eſſe affirmationem Religioſam. Cicero. Præterea non ſolũ in Canonico iure ca. *Tua nos*, c. *Si vero*, c. *Debitores*, de Iureiurando cũ ſimilibus, ſed etiam in Iure ciuili iuramentum inter officia Religionis ponitur, & ideo iuriſiurãdi Religio appellatur, in lege 1. ff. de Iureiurando, & in lege 2. Cod. de Rebus creditis, & Iureiurando dicitur, *iuriſiurandi contempta Religio ſatis Deum vltorẽ habet*, & in c. *Querelam*, de Iureiur. & l. vlt. cod. eodẽ, iuramentũ vo- C. Querelam.
catur Sacramẽtũ, tanquã res ſacra, & Religioſa, quę appellatio frequens eſt, vt ſup. notauimus, & ibi. *Religionem præſtare, idem eſt quod iurare.* Deniq; à contrario id eſt manifeſtum, quia periurium ſacrilegiũ eſt, ſeu irreligioſitas, vt ex toto iure conſtat, & infra dicetur, ergo è contrario iuramentum eſt quædam Religio. Similiter iurare per falſos deos, perfidiæ præuaricatio eſt cũ idololatria, vt recte dixit Tertul. ſupra; ergo è cõuerſo iurare per verum Deum fidei proteſtatio eſt cum Diuina latria.

Vt autem rationem à priori reddamus, & officium Religionis circa hunc actum explicemus, ad- 6.
Duplex aliquam virtus directio ad actum. uertendum eſt, dupliciter poſſe virtutem aliquam operari, ſeu dirigere actum aliquem externum, ſcilicet vel quoad exercitium actus, vel quoad ſpecificationem, ſeu modum, & rectitudinem eius.

Hoc

Digitized by Google

Hoc licet conſiderare in actione artificioſa, habet enim exercitium à volũtate lucrandi, verbi gratia, vel ab alia ſimili, artificioſam autem directionem ab arte recipit. Et in actibus voluntatis, ſeu virtutibus moralibus poteſt quis moueri ad promittendum alteri ex affectu complacendi illi, ſuppoſito tamen affectu promittendi, fidelitas dirigit, & obligat voluntatem, vt cum intentione implendi promittat, & vt poſt factam promiſsionem illam impleat. Poteſt ergo primum motiuum inducens ad exercitium alicuius actus pertinere ad vnum habitum, ſeu virtutem, & nihilominus modum honeſtum, & quaſi ſpecificationẽ actus ſpectare ad propriam, & peculiarem virtutem, quod in actu etiam orationis ſuo modo reperitur; vt ſupra tractauimus. Hęc igitur duo in iuramẽto diſtinguẽda ſunt: nam aliud eſt motiuum inducens ad iurandũ quoad exercitiũ actus; aliud vero, quod inducit ad tenendum debitum modum in iurãdo, ſuppoſito q iurandum ſit. Primum ergo motiuum per ſe non ſpectat ad Religionem, vt bene probant argumẽta in principio facta, ſecundum maxime pertinet ad Religionem, & ideo verum actum Religionis conſtituit. Probatur, quia vt ſequenti cap. oſtendemus, ex honore Deo debito prouenit, vt ſi iurandum ſit, per Deum verum iuretur, ne id quod eſt proprium eius falſis dijs, aut creaturis tribuatur: & ſimiliter quando nomen Dei ad iurandum aſſumẽdum eſt, ex reuerentia illi debita prouenit tota ratio, & neceſsitas adhibendi tot, vel tales comites in iurãdo: ergo Religio eſt, quæ dat formam moralem (vt ſic dicam) iuramento, nam illa eſt, quæ debitam Deo reuerentiã obſeruat, ergo hoc ſatis eſt, vt iuramentum ſit actus Religionis.

7\. *Sine virtute Religionis nõ poſſe eſſe rectum iuramentum.*

Quin potius hinc etiam ſequitur, vt licet primũ motiuum inducens ad iurandum, frequentius ad Religionem non pertineat, ſed ad firmandã fidem in verbis, vel pactis humanis, nihilominus ſine officio Religionis, vel ſine prudentia directiua Religionis non poſsit volũtas recte determinari ad exercendũ actum iuramenti: ergo hac ratione potuit iuramẽtum dici actus Religionis, etiam quoad exercitium actus. Antecedens patet, quia licet vtilitas aliqua, vel commoditas humana inuitet ad iurandum, nihilominus priuſquam homo definita voluntate ſtatuat iurare, oportet vt deliberet, an illa humana commoditas ſit ſufficiens, vt cum debita Dei reuerentia hic, & nunc iurare poſsit, & ſi aliter iuret, non recte, ſed incaute iurat; ſi autem cum tali deliberatione procedit voluntas iurandi religioſa eſt, quia intuitu Diuinæ reuerentiæ proxime habetur, & ex vi illius iuramenti actum exercet, ergo eſt actus Religionis, etiam quoad exercitium.

8\. Deniq; poteſt hoc amplius declarari diſtinguendo inter intentionem operantis, & operis, ſeu inter actualem honeſtatem operis, vt ab operante procedit, & capacitatem operis, quam ex vi ſui obiecti habet ad talem honeſtatẽ, ſi debito modo fiat, quæ ſolet etiam vocari honeſtas obiectiua. Loquendo ergo ex parte operantis, clarum eſt, poſſe iurari ſine intentione colendi Deum, ex affectu aliquo mere humano, & hoc modo nullum eſt inconueniens, quod poſsit tunc iuramentum fieri, & non eſſe verus actus Religionis, ſicut poteſt quis dare eleemoſynam, & nõ facere actum miſericordiæ, ſi non ex illius intentione, ſed alio extrinſeco motiuo feratur. Hoc vero non obſtat, quin iuramentum ipſum de ſe ſit actus Religionis, quia ex ſe, & obiecto ſub talem habet honeſtatem ad Religionem pertinẽtem, vt propter illam intendi poſſit, & debeat, quãtũ eſt ex vi Religionis, ſimili enim ratione eleemoſyna eſt actus miſericordiæ, quãuis poſsit ab operante non miſericorditer fieri. Sic ergo eſt iuramentũ de ſe actus Religionis, vt autẽ in re ipſa, ſeu in indiuiduo tale ſit, oportet vt aliquo modo ex intentione cultus fiat, vt recte etiam probant obiectiones in principio factæ. Et conſequenter neceſſarium etiam eſt, vt fiat cum tribus comitibus ſupra poſitis, quia alias non erit ex Religione, ſed potius contra Religionem. Atque hoc magis declarabitur reſpondendo ad argumenta.

Argumentorum ſolutio. Ad 1. *Quomodo ſe habeat homo iurando circa obſeruantiam Religionis.*

Ad primum ergo argumentum reſpõdeo, quod licet primum, & quaſi remotum motiuum excitans ad iurandum, non ſit cultus Dei (quod ſolum probat teſtimonium Pauli ibi adductum) nihilominus ſuppoſita aliunde occaſione iurandi, cultus Dei proxime obſeruari debet, & poteſt etiam intendi, quia iuramentum ipſum eſt actus valde proportionatus ad Diuinum cultum, id eſt, ad ſignificandam debitam exiſtimationem, quam de Deo habemus. Et hoc ſatis eſt, vt iuramentũ ſit actus Religionis. Duobus autẽ modis poteſt ſe habere homo, qui iurat, circa obſeruantiam Religionis, etiam quando in iurando à Religione non deficit.) Nam ſi irreligioſe iuret, tale iuramentum, non ſolum non eſt actus Religionis, ſed etiam eſt illi contrarius, (vt dixi.) Primo ergo poteſt iurans reſpicere ad honeſtatem Religionis, quaſi negatiue tãtum, id eſt, prudenter obſeruando, ne inter iurandum aliquid cõtra Religionem committat, non tamen directe intendendo colere Deum per ipſum iuramentum. Secundo poteſt etiam hanc intentionem habere, nam licet ad actum ipſum iurãdi materialiter ſpectatum, neceſſaria non ſit, eſt tamen honeſtiſsima, & maxime accommodata tali actui, poſtquam in intellectu præceſsit iudicium, quod expediat iurare. Quãdo ergo aliquis iurat hoc poſteriori modo, tunc iuramentum tam ex ſe, quam ex parte operantis, actu, & formaliter eſt actus Religionis, quãdo vero ſit iuramentum priori modo, licet de ſe ſit actus Religionis, actu tamen non videtur elici ab illa, & hoc ad ſummum probat prima ratio facti. Nihilominus tamen poteſt in homine ſic operante conſiderari alia voluntas, quæ ibi intercedit, ſcilicet obſeruandi, & cauendi, ne aliquid contra Religionem fiat, & illa ad Religionẽ ſpectat, quia non ſolum eſt officium alicuius virtutis amare, ſeu intendere honeſtatem eius, ſed etiam cauere contrariam malitiam. Et ita iuramentum ſic factum, poterit aliquo modo dici eſſe à Religione, ſaltem vt à cauſa impediente malitiam ſibi contrariam.

Ad loca D. Thom. ibi citata. Circa primum tractari poſſet, quomodo iuramentum prout eſt actus Religionis ordinari poſsit recte ad veritatem humanam cõfirmandam, ſed hoc infra habebit proprium, & commodiorem locum. Nunc ſolum dico hoc non obſtare, quominus iuramentum ſit verus actus Religionis, quia deferẽdo cultum, & honorem Deo poteſt inde reſultare homini aliquis effectus, vel commoditas temporalis, quæ poteſt etiam intendi, nihil enim hoc repugnat. Differentia vero quam D. Thom. conſtituit inter votum, & iuramentum promiſſorium quoad materias eorũ difficultate non caret. Dicit enim rem promiſſam per votum eo ipſo fieri actum Religionis, non ſic autem rem iuramẽto promiſſam. Quod etiam affirmat Caiet. d. q. 89. ar. 8. & ibi Arag. & Soto d. q. 1. art. 8. contrarium autem videbatur dicendum ſi cum proportione fiat comparatio, nam ſi actiones, vtroque modo promiſſæ materialiter ſpectentur, neutra eſt actus Religionis, vt conſtat, ſi autem cõſiderentur, vt ſunt ſic promiſſæ, ſicut actio promiſſa per votum Religioſe impletur, ita etiam actio cũ iuramento promiſſa, ideo enim quãdo homo implet iuramẽtum, non homini, ſed Deo dicitur reddere iuramentum ſuum, vt ſumitur ex Matt. 5. & ex cap. *Debitores, de iureiurando*, ergo ſicut quod voto promittitur, ita etiam quod promittitur iuramento, eo ipſo ſit actus Religionis. 10.

Caiet. Arag. Soto.

Sed licet iuxta hanc conſideratione hoc verum ſit, ni- 11.

Differentia inter votū, & iuramentum rectè traditur à D.Thoma. ſit, nihilominus differentia à D.Thoma intenta vera eſt. Nam materia voti per ipſummet votum ordinatur ad cultum Dei, & ideo quantum eſt ex parte voti, actus promiſſus Dei duplici ratione pertinet ad cultum eius, ſcilicet, & in quantum in ſe cõtinet ſignificationem aliquam Diuini honoris, ad quem per votum ordinatur, & in quantum per illum ſeruatur fidelitas Deo ex voto debita. At vero materia iuramenti promiſſorij, ex vi iuramenti non ordinatur ad cultum Dei, quia non fit ad hoc iuramentum, ſicut fit votum, ſed ſolum ad firmãdam promiſſionem in ſua ſpecie, & natura permanentem. Hoc tamen non obſtat quominus ſicut iurare promiſſionem eſt officium Religionis, ita adimplere promiſſionem iuratam ratione iuramenti, & intuitu eius ſit etiam officium Religionis, quia æque pertinet ad cultum Dei, eiuſdem enim rationis ſunt iurare, & obſeruare iuramentum, vnde etiam tranſgreſsio contraria, Religioni repugnat, vt infra videbimus.

12. Ad aliud vero dictum D. Thomæ, quod iurans non ordinat iuramentum ad venerandum eum, per quem iurat, reſpondeo, intelligendum eſſe de intentione, & ordinatione, quæ ibi ſiſtat, in quo etiam videtur iuramentum differre à voto, per ſe loquendo. Nam votum ita tendit in cultum Dei, vt ibi ſiſtat, iuramentum autem præter cultum Dei, ordinatur ad aliquid aliud neceſſarium præſenti vitæ, vt D.Thom. ait. Non tamen excluditur ex vi iuramenti, quin poſsit à iurante fieri, propter venerationem Dei, vt explicatum eſt. Neque hoc D. Thom. negat, ſed explicat tantum id, quod per ſe requirit iuramentum. Vnde etiam poſſet facile, & breuiter exponi quaſi permiſsiue non ordinarie, id eſt, non neceſſario ordinare iuramentum, &c.

13. *Ad ſecundum.* Ad ſecundum negatur ſequela in eo ſenſu, quo in argumento fit, videlicet, iuramentum propter ſolum Dei cultum appeti poſſe, nulla alia eius neceſsitate ſuppoſita, nam licet cultus Dei ſecundum ſe, & per ſe appetibile ſit, tamen actus, qui aſſumuntur, vt materia cultus, non ſemper ſunt per ſe appetibiles, ſed tantum in aliqua neceſsitate, vel ſuppoſita conuenienti materia eorum. Vt actus contritionis exerceri poteſt in cultum Dei, non tamen eſt per ſe appetibilis, ſed tantum ſuppoſito peccato; ſic ergo iuramentum ordinari poteſt ad cultum Dei, quando occurrit neceſsitas eius, tamen non eſt talis actus, qui abſque neceſsitate fieri debeat, quia hoc ipſum pertinet ad honorem Dei. Ita omnis actus virtutis poſtulat medium, & moderationem ſibi proportionatam, & ſi illa ſeruetur, poterit actus ordinari ad cultum Dei, ſi autem excedatur in modo, iam erit ineptus, vt ordinetur ad cultum, ſic enim cæremoniæ, exteriores prudenter factæ ſunt Religioſæ, & aptæ ad cultum, ſi autem indiſcrete, & modo inepto fiant, non cultum, ſed ſuperſtitionem continent. Sic ergo iuramentum ſuam poſtulat mediocritatem, quæ in tribus comitibus ſupra declaratis continetur, & ideo cum illa poteſt optime ordinari ad cultum Dei, ſine illa verò potius ad Dei contemptum pertinebit. Neque eſt verum, quod omnis actus cultus exterioris ſit per ſe appetibilis propter ſolum cultum; multi enim aſſumuntur, vt vtiles ad alios fines, & ſuppoſita illa vtilitate cenſentur apti ad cultum, vt vocalis oratiô priuata aſſumitur vt vtilis ad interiorem deuotionem excitandam, vel exercendam, & inde maxime habet proportionem ad cultum. Paupertas etiam non propter ſe, ſed vt vtilis ad perfectionem fit materia Religionis, ſic ergo iuramentum tantum vt vtile ad veritatem confirmandam in caſu neceſsitatis, vel piæ vtilitatis habet conuenientiam cum recta ratione, & ideo tunc ſolum eſt apta materia cultus.

14. Ad confirmationem autem in qua poſtulatur, an iuramentum ſit frequentandum, quod tractat D.Thom. in d.q. art.5. facilis eſt reſponſio ex dictis. *D.Thom.* Nam imprimis non ſequitur iuramentum poſſe frequentari propter rationem cultus, vltra menſuram & moderationem dictam, id eſt, ſine neceſsitate vel vtilitate ſimul cum aliis comitibus, quia iam deeſſet proportio ad cultum, vt declaratum eſt. Igitur ad ſummum ſequitur intra illam menſuram poſſe iuramentum frequentari ſine peccato, & conſequenter exhibendo Deo verum cultum: hoc enim recte probatur diſcurſu facto. Nihilominus tamen addo, etiam intra latitudinem huius frequentiæ, non eſſe conſilium frequentare iuramentum, vt ſatis conſtat ex dictis in capit. ſecundo. Neque oppoſitum huius ſequitur ex hoc, quod iuramentum ſit actus Religionis. Quia vt recte dixit D.Thom. dicto art. 5. ad 3. *quanto iuramentum magis eſt venerandum tanto periculoſius aſſumitur, ſi non cum debita moderatione inducatur*: ſicut medicina quo virtuoſior, eo poteſt magis nocere ſi frequentius applicetur, quam neceſſarium ſit, actus ergo iurandi, tam multa requirit ad ſuam integram rectitudinem, & honeſtatem, vt periculum ſit deficiendi in illa, ſi frequentetur in omnibus caſibus etiam licitis, & ideo conſultius eſt abſtinere ordinarie ab illius vſu etiam licito. Et hoc ipſum redũdat in maiorem cultum Dei, quia ipſamet abſtinentia iurandi ſub hac ratione intenta quidam cultus Diuinus eſt, maxime quia non deſunt plures alij actus, quibus ſine periculo, & cum maiori fructu colatur Deus.

Iuramentum non poteſt frequentari vltra neceſſitatem propter ſolam rationem cultus. *D.Thom.*

15. *Ad tertium.* Ad tertium reſpondetur iuramentum quidem de ſe eſſe aptum, & ad confitendam fidem, & ad honorandum Deum, ſi hac, vel illa intentione fiat, nihilominus tamen, vt eſt actus virtutis moralis, ad Religionem per ſe ſpectat, quia, vt diximus, ad illam pertinet obſeruare, vt cum debito honore fiat, quod ad fidem per ſe ſpectatam non ita pertinet. Cuius ſignum eſſe poteſt, quia vt pertinet ad confeſsionem, ſeu teſtimonium fidei, non minus illud præbet, qui incaute, & frequenter iurat, quam qui caute, & prudenter, quia in vtroque vera fides neceſſario ſupponitur; at vero iuramentum, vt eſt actus virtutis moralis longe diuerſum eſt quam in vtroque, ſub ea ergo ratione, qua ſtudioſe fit, vt eſt actus Religionis, & aſſumitur non vt ſpeculatiuum ſignum veræ fidei de Deo, quod pertinet ad confeſsionem fidei, ſed aſſumitur vt ſignum excellentiæ Diuinæ, præſtatiuum eius practice quatenus homo ſe illi ſubiicit, & recognoſcit infallibilem auctoritatem eius ad confirmandam veritatem, reliqua vero, quæ in illo argumento attinguntur ex dictis ſoluta ſunt.

CAPVT V.

An iuramentum per ſolum verum Deum, vel etiam per creaturas fieri poſſit?

1. NOnnulla ſunt in hac quæſtione certa, ſupponendo illam tractari de actu iuramenti licito, & honeſto, nam male iurando, vel potius blaſphemando, clarum eſt poſſe per alios, quam per verum Deum iurari. Primo ergo certum eſt, Religioſum iuramentum per ſolum Deum verum fieri. In hoc ſenſu optime intelligitur illud Deuter. 6. *Et per nomen illius iurabis*: nam in ſenſu excluſiuo poſitum eſt, ſecundum illud, quod immediate præcedit, *illi ſoli ſeruies*: vnde recte poteſt conditionate exponi, Si tibi iurandum eſt, per Deum tuum iurabis. Ad quem ſenſum poſſent etiam facile trahi illa verba Matth. 5. *Reddes Domino iuramenta tua*, id eſt, quando iuraueris ſoli Domino reddes iuramenti cultum. Imo hoc etiam videtur Ariſt. cognouiſſe in Rhetorica ad Alexand. cap. de Iureiurand. alias 17. *Deut.6.* *Matth.5.* *Ariſtot.*

cum

Digitized by Google

eum dixit, iuſiurandum eſſe, *Cum Diuinæ veneratione dictio probationis expers*. Quibus verbis etiam rationes huius veritatis indicat vna etiam ſumitur ex dictis cap. præcedenti. nam iuramentum eſt actus Religionis, & continet cultum latriæ, ſed Religio ſolum verum Deum colit cultu latriæ, ergo iuramentum per ſolum verum Deum fieri poteſt, & debet. Item iuramentum fit ad confirmãdam veritatem infallibili teſtimonio, quantum ab homine fieri poteſt, ſed hæc infallibilis authoritas ſolum in Deo vero reperitur, ergo iuramentum tantum per Deum fieri poteſt. Item veritas maxime pendet ex mente loquentis; nam vt dixit Auguſt. Serm. 28. de Verb. Apoſtoli alias 30. *Reum linguam non facit, niſi mens rea, & intentione diſcernuntur mendacia*, vt idem dicit in Enchirid. capit. 18. & ſequentibus, ſed ſolus Deus mentem, & intentionem hominis certo cognoſcit, ergo ſolus ipſe potuit in teſtem infallibilem inuocari.

Auguſt.

2. Secundo, hinc certum eſt iuramentum per falſos Deos, per Idola, & per creaturas abſolute ſpectatas, vt creaturæ ſunt, non eſſe iuramentum in re ipſa, etiamſi vt tale fiat ex intentione iurantis. Circa hoc non recte videtur ſentire Selua de Iuramento 1. p. q. 1. n. 7. dicens iuramentum tam per creaturas, quam per Deum fieri poſſe, & ita eſſe definiendum. Quod licet poſſit ad quæſtionem de modo loquendi pertinere, eſt tamen contra communem ſenſum Doctorum, & modum loquendi Iurium, vt ex hactenus dictis conſtare poteſt; & ex his quæ congerit Couar. in c. *Quamuis pactum*, in principio, & attigit Bald. in l. 2. ff. de iureiur. Turrec. in cap. *Ecce*, 22. q. 5. Syluest. iuram. 1. q. 4. Anton. 2. p. tit. 10. ca. 4. Sot. Nauarr. & omnes. Probatur ergo aſſertio, quia falſus Deus non eſt Deus, neque idolum, aut creatura eſt Deus, ergo non poſſunt certum teſtimonium reddere veritati, ergo teſtificatio per illa non poteſt eſſe iuramentum. Probatur conſequentia, quia iuramentum verum, & proprium, & vt eſt actus Religionis, eſt teſtificatio veritatis per teſtimoniũ infallibile. Et cõfirmatur, nam ob hanc rationem iuramentum per falſos Deos, & idola eſt blaſphemia, & idololatria, vt ſupra in tractatu 3. oſtenſum eſt; quia per illud attribuitur falſo Deo id, quod eſt proprium veri Dei, ſed hęc attributio falſa eſt, & ab hominibus ficta, ergo & tale iuramentum reuera iuramentum non eſt, ſed fingitur, & putatur. Atque idem eſt de iuramento per quamcunq; creaturam abſolute, vt dixi, & ſecundum ſe ſpectatam, nam ſi illa vt ſic afferatur, vt teſtis infallibilis, eo ipſo colitur vt idolum, & ei attribuitur, quod Diuinum eſt, & hoc eſt quod Exod. 23. prohibetur, *Per nomen externorum Deorum non iurabitis, neque audietur ex ore veſtro.* Dices, Si tale iuramentum prohibetur, ergo eſt iuramẽtum, quia non prohibetur, niſi quod eſt, vel eſſe poteſt. Reſpondetur eſſe quidem materialiter iuramẽtum quoad verborum ſonum, eſſe etiam putatum iuramentum ex conſcientia erronea, ſicut idolum eſt putatus Deus, re tamen vera non habere ſubſiſtentiam iuramenti, quia deeſt illi verum conſtitutiuum iuramenti, vt declaratum eſt, & iterum dicemus lib. ſeq. cap. 4.

Per falſos Deos, idola & creaturas iurantes non efficere iuramentum. Selua. Couarr. Bald. Turrec. Syluest. Anton. Soto. Nauarr. Exod. 23.

3. His ergo ſuppoſitis dubitari poteſt primo, an ſub aliqua alia ratione, vel conſideratione licitum ſit per creaturas iurare ſtando in ſola rei natura, & ſecluſo omni iure prohibente. In quo reſolutio certa, & ab omnibus recepta eſt, poſſe aliquo modo vere, & licite per creaturas iurari. Hoc conſtat ex vſu ſcripturæ, & Eccleſiæ, nam Ioſeph Gen. 42. loquitur, *per ſalutem Pharaonis*, & Paul. 2. ad Corinth. 1. per animam ſuam iuraſſe videtur, dicens: *Teſtem Deum inuoco in animam meam.* & vtrumque locum [illegible] poſuit D. Thomas, & Moyſes Deut. 3. & 4. *Teſtes inuoco cælum, & terram*, & iuramentum Pauli 1. Corin. 15. *Per gloriam veſtram*, etiam videtur,

Dubium 1. Reſolutio. Gen. 42. Paul. 2. ad Cor. 1. Deut. 3. & 4. 1 Cor. 15.

fuiſſe per rem creatam, vt communiter exponitur, licet Baſil. hom. 1. in Pſal. 14. tam hoc iuramentum, quam illud Ioſephi aliter interpretari conetur. Refert etiam Tertul. in Apol. capit. [illegible] ſolitos fuiſſe Chriſtianos iurare per ſalutem Cæſaris. Frequenter etiam fideles iurant per vitam, aut ſalutem ſuam, vel ſuorum, & per Sanctos & per Euangelia ſine periculo erroris, aut idololatriæ, imo in ſolemni forma iurandi profeſſionem fidei a Pio IV. edita ita concluditur *Ego ita ſpondeo, voueo, ac iuro, ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.* Rationem autem, & modum huius iuramenti declarant D. Thom. d. art. 6. & Bonau. in 3. d. 39. art. 2. q. 2. diſtinguendo duplicem iurandi formam, per ſimplicem atteſtationem, vel per execrationem, quas infra latius ſumus tractaturi. ſimplex atteſtatio eſt quando Dei teſtimonium inuocatur, & ideo tale iuramentum propriiſſime fit per Deum ipſum, poteſt autem fieri per creaturas non abſolute ſpectatas, ſed vt relatas ad Deum, ſeu per Deum ipſum, quatenus in illis relucet, & aliquo modo exiſtit. Sicut enim poteſt adiurari Deus, vt exiſtens in cœlo, vel in terra, vel in cruce, vel in Euangeliis, quatenus ſunt verba eius, ita poteſt per Deum, vt in his rebus exiſtentem iurari. Sic enim qui iurat per crucem, per eum iurat, qui pro nobis pependit in cruce, & ſic de aliis, & hoc ſignificat Chriſtus Dominus Matth. 5. dicens. *Neq; per cœlum, quia thronus Dei eſt, neq; per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, &c.* idem enim fuit, ac ſi dixiſſet perinde eſſe iurare per hæc, ac iurare per Deum, qui in eis eſt, & in eodem ſenſu addit, *Neq; per Hieroſolymam, quia Ciuitas eſt magni Regis*, vtiq; eius Dei qui eſt Rex Regum, & in ea ciuitate, & templo eius vbi peculiariter colebatur, & ideo iurare per illam, virtute erat iurare per Deũ, qui in ea regnabat. ſic ergo iurare per creaturas iuramentũ verum eſt, quia reuera non ipſa, ſed Deus eſt, qui vocatur in teſtem, quamuis inuocatio Dei implicite, & mediate fiat, mediãtibus creaturis.

Baſil. Tertull. D. Thom. Bonau. Quid ſit ſimplex atteſtatio Dei. Matth. 5.

4. Alter modus iurãdi eſt per execrationem, id eſt, imprecando ſibi, vel alteri aliquod malum, niſi verum fuerit quod iuratur, vt in illo iuramento, ſic me Deus adiuuet, vel ſaluet, & ſimilia. & tale etiam fuit iuramentum Ioſeph, vel Pauli. Et in hoc etiam modo per Deum iuratur, determinatur autẽ modus atteſtationis eius, vt fiat per ſpeciale ſignum, ſeu iudicium circa creaturam, per quam iuratur. Eſt ergo etiam hoc verum iuramentum, & de illo videtur locutus Chriſtus Dominus, ſupra dicens: *Neque per caput tuum iurabis*: & pro ratione addit: *Quia non poteſt vnum capillum album facere, aut nigrum*, id eſt, quia non habes dominium, nec poteſtatem in caput tuum, ſed poteſtati Diuinæ ſubeſt, & ideo ſic iurare, etiam eſt per Deum iurare. Vnde non ideo prohibuit Chriſtus illas iurandi formas, quia iuramenta non ſint, vt putabant Iudæi, quos in hoc reprehendit, & conſequenter neque illa vetat, quia praua ſint ex parte eius, per quem iurat, [illegible] cũ potius ipſe declaret, quo modo his modis, Deus ipſe inuocetur, igitur potius declarat eſſe vera hæc iuramenta, prohibet autem illa in ſenſu cap. 2. declarato. Et ita nihil ſuper eſt difficultatis in hac reſolutione, quia per talem iurandi modum non defertur Diuinus honor creaturæ, ſed ipſi Deo, neque aſſumitur ibi nomen creaturæ, vt creatura eſt, ſed vt per eam tacite inuocatur nomen Dei, & hęc doctrina communis eſt Theologorum ſuper D. Tho. ſupra, & tomo 3. diſtin. 39. Summi. verb. iuramentum, præſertim Angel. num. 2. & Sylueſter, Nauarrus cap. 12. num. 4. Hoſtienſ. Panormit. & alij in ca. *Et ſi Chriſtus*, de iureiur.

Modus iurãdi per execrationem. Angel. Syluest. Nauarr. Hoſtienſ. Panor.

5. Dubitari autem ſecundo poteſt, an hic modus iurandi ſit malus; ſaltem quia prohibitus vel Diuino iure poſitiuo, vel humano. Nam imprimis aliqui putarũt hoc fuiſſe a Chriſto ſpecialiter prohibitum

Dubium 2.

Matth. 5.

Hieron. *Innocent.* Matth. 5. quod videntur ſenſiſſe Hieronymus ibi, & Innocent. III. in capit. *Et ſi Chriſtus. de iureiur.* dicunt enim prohibuiſſe iuramentum per creaturas, non prohibuit autem tantum iurare per creaturas, vt per idola, vt ex verbis eius explicatum eſt, ergo ſentiunt prohibuiſſe modum iurandi per creaturas, etiam in ſenſu explicato. Exiſtimari etiam poteſt hoc fuiſſe prohibitum Iure Canonico, nam in *Ca. Clericū.* cap. *Clericum*, 22. quæſt. 1. dicitur acerrime eſſe obiurgandum clericum per creaturas iurantem, & ſi in vitio perſtiterit eſſe excommunicandum. Quod non videtur poſſe intelligi de iurante per creaturas more infidelium per idololatriam, nā tale peccatum grauius deteſtandum, & puniēdum eſt præſertim in clericis; & ſimiliter intelligendum videtur quod in capit. *Cap. Si quis.* *Siquis additur*; *ſiquis per creaturam iurauerit acerrime caſtigetur*; *& iuxta id, quod ſynodus iudicauerit, pœniteat.*

6. *Reſolutio.* Nihilominus dicendum eſt modum iurandi per creaturas ex natura rei licitum, nullo iure poſitiuo eſſe prohibitum. Hoc probant, quæ in reſolutione prioris puncti adduximus, oſtendimus enim hunc modum iurandi eſſe in vſu Eccleſiæ, & ipſiuſmet Pauli, ergo ſignum eſt, nec per ſe malum eſſe, nec prohibitum. Item probatur quia nullibi inuenitur talis prohibitio; nam de iure Diuino antiquo, res clara eſt. Neque etiam ſi fuiſſet ad nos iam pertineret, de iure autem Euangelico quod ad nos ſpectat, iam ſupra dictum eſt, in lege gratiæ non eſſe data Diuina præcepta poſitiua circa hæc moralia. Item probatum eſt Chriſtum per illa verba non magis prohibuiſſe, quam ne paſſim, & ſine cauſa fiat, & de vtroque dediſſe conſilium nunquam iurandi, niſi ex præciſa charitatis, vel præcepti obligatione. Neque etiam in iure humano inuenitur talis prohibitio, nam Iure Ciuili approbatur in l. 3. §. *iurari*, & in *Leg. Qui per ſalutem.* l. *Qui per ſalutem*, ff. *de Iureiur.* Item in cap. *Si aliqua*, *C. Si aliqua.* & cap. *Habemus*, ſupponitur licitum eſſe iuramen- *C. Habemus.* tum per Euangelia, per reliquias vel altare, & in ca. *Cap. Qui peierat.* *Qui peierat*, 22. queſt. 5. ſupponitur eſſe licitum iuramentum per crucem conſecratam, vel non conſecratam, & in cap. *Ca. Quoties.* *Quoties*, 1. 1. q. 7. approbatur iuramentum per Deum, per Euangelia, & per ſalutem *Ca. Clericū.* Principum. Igitur cap. *Clericum*, loquitur de iurante per creaturas more Gentilium, vt per Iouem, & ſimiles. Reprehēſum eſt autem forte hoc illo tempore in Concil. Carthagin. 4. cap. 61. non quia talia iuramenta fierent à fidelibus ex falſa æſtimatione Gentilium, ſed quia turpe erat, & ſcandaloſum tale iuramētum in ore Chriſtianorum, & in hoc ſenſu dixiſſe videntur Patres in Can. 94. Trullano *eos, qui Gentilium ſacramenta iurant, Canon. pœnis ſubiicit, & nos iis quoque ſegregationem decernimus.* Et hæc vocat iuramenta Græcorum, & dicit eſſe prohibita *Photius.* Chriſtianis Photius, in Nomocān. tit. 13. cap. 19. ibi d. tom. Biblioth.

7. Vnde hac occaſione animaduerti poteſt, quod licet iurare per creaturas in debito ſenſu non ſit per ſe malum, nihilominus ratione ſcandali poteſt fieri malum, nam hoc generale eſt de quocunque actu, & in hoc inuenitur peculiaris occaſio, nam cum iurare per creaturam; abſolute, & ſecundum ſe ſpectatam idololatria ſit, ſi iuramentum abſolutè fiat per creaturam, & fiat inter eos, qui non ſatis valent diſcernere, quo ſenſu fiat, facile poteſt illis ſcandalum præberi, & ideo in hoc cautionem adhibere neceſſe eſt. Et imprimis diſtingui poteſt inter res ſacras, ſeu ſpecialiter Deo dicatas, & communes, nam per priores clarius fit iuramētum per reſpectum ad Deum, quam per poſteriores, & talia ſunt fere omnia exempla, quæ in Iure Canonico reperiuntur, & hac ratione, vſus plurium clericorum habet, iurare per manus conſecratas, cum tamen laici non iurent per manus ſuas. Et hinc etiam eſt, vt quando fideles iurant per alias creaturas communes, aut id faciunt per modum execrationis, vt per ſalutem, per viam, &c. quia eo ipſo ſatis exprimere cenſentur reſpectum ad Deum; vel ſi iurant ſolum inuocando, ſolent addere expreſſe nomen Dei, ſaltem in obliquo, vt per cœlum Dei, per terram Dei, & ſimilia. Quod notauit Syluest. *Iuramentum*, 1. qu. 4. *Syluest.* ſignificans eſſe neceſſariam illam expreſſam relationem verborum, ſed in interiori foro intentio ſufficiet. Imo obſeruandum eſt inter quos fiat iuramentum: nam ſi fiat inter fideles, minus poteſt timeri ſcandalum, ex hoc cap. quia facile intelligunt ſenſum iurādi, inter infideles autem, maius poteſt eſſe periculum, maxime ſi iuramentum fiat per ſolem, lunam, & ſimilia, quæ à Gentibus pro diis adorata ſunt. Denique in modo etiam, ſeu verbis nominandi creaturas cauendum eſt, ne turpe aliquid, & quod Deum non deceat nominetur, nam ex ea parte poſſet peccari per irreuerentiam erga Deū, imo poſſet etiam ad blaſphemiam pertinere, iuxta ſupra dicta de blaſphemia tract. 3. lib. 1. & infra cap. 7. aliquid attingemus.

Tertio dubitari poteſt, an poſſit aliquod genus 8. iuramenti, per creaturas abſolute fieri, abſque pec- *Dubium 3.* cato, etiamſi tale iuramentum Religioſum proprie non ſit, neque vt tale fiat. In quo diſtinguendum imprimis eſt inter creaturas ratione carentes, vel rationales: nam de prioribus manifeſtum eſt, nullum per eas fieri poſſe tale iuramentum, tum quia, vt Paul. dixit ad Hebr. 6. *Homines per maiorem ſui iurant, omnes autem creaturæ irrationales ſunt homine inferiores*, *Hebr. 6.* tum etiam quia non poteſt eſſe teſtis veritatis, qui illam cognoſcere non poteſt vt ſunt irrationalia. Quapropter qui ſic iurat per tales creaturas, neceſſe eſt, vt ex aliquo errore iuret, putans illas habere aliquid Diuinum, & ſuperius homine, quod ad idololatriam pertinebit, vel impoſſibile eſt, vt intentionem iurandi habeat, niſi plane etiam ignoret, quid ſit iurare. Quis enim poteſt ex animo, & vera intentione adducere in teſtem rem prorſus irrationalem, & ita ſenſit expreſſe Bonau. *Bonau.* ſupra in fine quæſt. 2. Item Nauarr. cap. 12. numer. *Nauarr.* 5. qui etiam addit, nullum eſſe peccatum ſic iurare per creaturam, quia ſolum eſt verbo iurare non re, & quia per hoc non defertur honor creaturæ, ſed ſolum materialiter nominatur ſub verbo iurandi, vel fortaſſe ad euitandum verum iuramentum, imo aliquando fieri poteſt in contemptum Dæmonis, ſicut refert Tertul. in Apologetico cap. 44. So- *Tertull.* cratem ſolitum fuiſſe iurare per canem, & hircum in contemptum falſorum Deorum. Quod verum eſſe cenſeo, per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, ac erronea conſcientia, & maxime loquendo de proprio peccato contra Religionem: nam ordinarie poterit tale verbum eſſe otioſum, vel falſum, vt ſiquis dicat ſe iurare quando reuera non iurat, poſſunt autem hi defectus excuſari, quando de ſenſu loquentis conſtat, & aliqua humana vtilitas non irrationabilis, ad ſic loquendum mouet. Vt omittam frequenter hoc fieri ſine humana aduertentia, quæ ad peccandum ſufficiat.

De rationalibus autem creaturis alia ratio eſt, 9. quia cum ſint intellectuales, poſſunt per ſe virtute *Non poſſe licitè iurari per Damnatos.* propria teſtimonium ferre; & ideo de illis ſubdiſtinguere neceſſe eſt; nam quędā ſunt damnatæ, aliæ beatæ, aliæ ſunt homines viatores. De primis abſolute dicendum eſt, non poſſe licite iurari per Dæmones, aut alios damnatos. Ratio eſt, quia id nō poteſt fieri ſine errore in fide, vel ſaltem ſuperſtitione: nam qui iurat per Dæmonem, vel putat illum omnia noſſe, & mentiri non poſſe, & ſic eſt hęreticus, & idololatra, vel exiſtimat ſaltem eſſe dignum fide, & in hoc etiam grauiſſime errat, cum fides doceat illum eſſe mendacem & patrem mendacij, & circumire vt homines deuoret. Et præterea eſt ſuperſtitioſus, quia vult Dæmonem honorare, &

Digitized by Google

re, & cum illo ſocietatem habere. Et eadem ratio eſt de iurante per quemcunq; hominem damnatum, vt per Mahometũ, & ſimiles. Imo addere hic obiter poſſumus, etiã eſſe illicitum per tales creaturas iurare ſub quocũq; reſpectu etiam ad Deum, quia licet reuera in eis quantum ad eſſe naturæ reluceat veritas Dei, & in pœna earum oſtendatur potentia eius, & iuſtitiã ratione ſtatus, indignæ ſunt, vt in eis vel earum nomine inuocetur Deus in teſtimonium veritatis. Eo vel maxime quod talis inuocatio non poſſet non generare ſcandalum, non tantum accidentaliter, ſed quaſi per ſe. quia iuxta communem ſenſum, & apprehenſionem fidelium talis inuocatio non accipitur in eo ſenſu, ſed tanquam præbens aliquem honorem Dæmonibus, & ideo errorem ingerit, & blaſphemia ſimpliciter iudicatur c. *Monet*, 22. q. 1. & notat Nauarrus ſupra n. 4.

Cap. Monet. Nauar.

10. *Licitum eſſe iurare per Sanctos cum Chriſto regnantes.*

Per Sanctos autem cum Chriſto regnantes clarum eſt iurari poſſe intuitu Dei, qui in eis peculiari modo habitat, & virtutem ſuam, ac veritatẽ oſtendit, iuxta dicta in dubio præcedẽti. Atq; hoc modo accipienda ſunt iuramenta, quæ communiter fiunt à fidelibus per Sanctos Angelos, aut homines, quia ſemper iurant principaliter intuitu infallibilis veritatis Dei, à quo ducit originem Sanctorum ſtatus. Quia vero huiuſmodi creaturæ, quatenus intellectuales ſunt, poſſunt veritatem cognoſcere, & teſtificari, ideo videri poteſt eſſe capaces, vt abſolute propter perfectionem creatam, quam in ſe habent, inuocentur, ſine vllo errore, aut vitio ad teſtificandam veritatẽ. Sed in hoc oportet imprimis aduertere, ſolam perfectionẽ naturalem etiam Angelicã, & vitio carentem ad hoc non ſufficere, quia per ſe non eſt tanta, vt mentiri non poſsit in ſua nuda natura ſpectata, & preterea ignorare poteſt quæ hic aguntur, præſertim internos animi motus, & futura contingẽtia, & interdum etiam præſentia, quia non ſemper Angeli ad omnia attẽdunt, ex vi ſuę naturę: iuramentum autem eſt quædã proteſtatio cognoſcentis, & qui mentiri non poſsit, & ideo etiã Sancti Angeli ſub hac ratione ſpectati nõ ſunt capaces huius honoris, ſeu inuocationis. Et quia ſub eadem conſideratione non habent commercium, vel ſocietatem nobiſcum, ideo nullo modo poſſunt ſub hac ratione à nobis in teſtes hominum vocari. Per gloriam autem participant illas duas perfectiones, quantum ſufficere poſſe videtur ad teſtimoniũ ferendũ, quia & mentiri non poſſunt, & in verbo vident, quæ ad ſuum ſtatum pertinent ex actibus noſtris, vt ſunt illi qui ad eos ordinantur, ad eorũ gloriã aliquomodo pertinent. Sic ergo ſine errore, aut vitio iurari poteſt per Sanctos, tamen eo ipſo totus cultus iuramenti principaliter refertur ad Deum, à quo ipſi tantam lucem, & rectitudinem participãt. Sic ergo tale iuramẽtum eſt etiam principaliter per Deum, & in hoc etiam ſenſu videtur communiter fieri à fidelibus, ſiquis autem velit præſcindere, & conſiderare honorem, qui per tale iuramentũ defertur Sancto ratione participatæ, & creatæ perfectionis, quam in ſe habet, ſic cultus ille nõ pertinebit ad latriam, ſed ad duliam, & conſequenter nec ſub ea præciſa ratione poterit dici ſimpliciter iuramentum: nam vt ait D. Tho. in 3. d. 39. q. 1. ar. 1. ad 4. ſicut veneratio, quę fit ſummę maieſtati habet ſpecialem modum, & nomen latriæ, ita iuramentum eſt propriũ nomen inuocationis Diuini teſtimonij per ſe infallibilis, & perfectam latriam continet. Ideoque licet illa præciſio mente, & intentione fieri poſsit, tamen in re, & in vſu iurandi non debet excludi Deus, tanquam dans præcipuam auctoritatem iuramento, & quia ex eius ordinatione principaliter pendet quodcunque teſtimonium veritatis, etiamſi ab ipſis Angelis immediate ſpectari, aut poſtulari poſſent, ſicut in ſimili diximus ſupra tractando de oratione ad Sanctos.

D. Thom.

Tandem loquendo de hominibus viatoribus, certum eſt poſſe hominem vocari in teſtimonium veritatis humanæ, non tamẽ in teſtimonium infallibile, ſed in teſtimonium probabile, quod falli, & fallere poteſt, & ideo talis inuocatio iuramenti rationem non participat, nec nomen meretur, vt notauit D. Tho. in d. ſolutione 3. Imo ita fieri hoc poteſt, vt non cedat in ſpecialem honorem eius, qui in teſtem vocatur, vt communiter videtur contingere in vulgari modo inducendi, vel trahendi homines ad teſtificandum ſolum propter communem conditionem, & facultatem humanam; quãdo vero aliquis propter ſpecialem dignitatem, vel virtutem inducitur, tanquam teſtis qualificatus (vt aiũt) tunc aliquis peculiaris honor ei defertur, non excedit tamen humanam quãdam obſeruantiam, & ideo ſemper longe diſtat à ratione iuramẽti. Vnde obiter colligitur, multo minus eſſe iuramentum, quando aliquis homo per fidem, aut veritatem ſuã iurat, quia tunc ſe ipſam quaſi teſtem adducit, & ita neq; iurat, quia non adducit Deum in teſtem, neq; vllam etiam humanam certitudinem addit ſuæ aſſertioni, quia non addit nouam authoritatem, ſed eandem magis exprimit, & quaſi exaggerat, ſicut infra dicemus de iuramento Dei per ſe ipſum. 11

Viatores poſſe vocari in teſtimonium veritatis humanæ, licet non infallibilis. D. Thom.

Quarto interrogari poteſt, an iuramentum factum expreſſe per Deum, vel per creaturas ſpecie differat? Et quidem ſi ſermo ſit de iuramento per creaturas ſecundum ſe, & vt creaturæ ſunt, certum eſt differre morali ſpecie. Nã ſi ſit per falſos Deos, vel per creaturas attribuendo illis Diuinitatem, pluſquam ſpecie differt à iuramento: quia non eſt iuramentum, ſed effigies iuramenti, vel exiſtimatum iuramentum, vt dictum eſt, ſi vero fiat teſtificatio per authoritatem creatam eo modo, quo poteſt ſecundum capacitatem, vel virtutem participatam (quam habet rationabiliter) & ſecundũ gradum ſuum, in teſtimonium vocari, ſic etiam manifeſtum eſt tantum differre teſtimonium illud à vero iuramento, quantum diſtat creatum ab increato, & humanum à Diuino. Imo etiamſi iuramentũ fiat per Sanctos, vt Sancti ſunt, ſiſtendo præciſe in eorum authoritate creata, ſic etiam differret ſpecie à iuramento ſimpliciter dicto, ſicut dulia differt à latria, vt ex dictis patet. Verumtamen interrogatio propoſita, maxime ſit de iuramento per creaturas, vel res ſacras, vt in eis Diuina veritas relucet. Nam ſic etiam videntur differre ſpecie, quia licet ſit idem Deus per quem iuratur, tamen ſub alia ratione videtur aſſumi nomen eius, quando in ſe ipſo, vel in creatura ſpectatur, ſicut adoratio Dei in ſe ipſo, vel adoratio imaginis eius, vt imago eius eſt ſpecie differunt in ratione actuum, licet ſint ab eodem habitu. 12.

Dubium 4. Quomodo differat iuramentum per Deum à iuramento per creaturas.

Nihilominus dicendum eſt, illa iuramenta non differre ſpecie, quia idem eſt Deus per quem iuratur, & ſub eadem ratione primæ veritatis inuocatur, & differentia illa quod expreſſe in ſe nominetur, vel implicite mediante creatura, in qua eſt, vel repræſentatur, materialis eſt, & per accidens. Quod adeo verum eſt, vt iuramẽtum per creaturas factũ in ratione cultus, & venerationis, nullo modo pertineat ad creaturam irrationalem, etiam ſecundario, in quo multum differt ab externa Dei adoratione in ſua imagine: & ratio eſt, quia imago eſt aliquo modo capax illius externæ venerationis propter Deum, non eſt autem capax teſtificationis, quę per iuramentum intenditur, & ideo ad rem tãtum intelligẽtem ordinatur, ſicut etiam de oratione, & locutione alibi diximus. Et hanc differentiam videtur indicaſſe D. Thom. in 3. diſt. 39. q. 1. art. 1. ad 4. dicens. *Deo licet per creaturam iurare, non autem creaturæ latriam exhibere. quia teſtificatio Diuina in manifeſtatione conſiſtit. Diuina autem nobis per creaturas manifeſtantur, ſed exhibetur ipſi quantum in ſe ſum-* 13.

Reſolutio dubij. D. Thom.

mus eſt

mus eſt , & ideo non exhibetur ſibi in aliqua creatura. Quod neceſſario intelligendum eſt de latria ſuprema, & abſoluta ; tum quia latria ſecundario,& reſpectiue poteſt imagini Dei tribui:tũ etiam quia iuramentum continet abſolutam,& ſupremam latriam,& ideo explicare volunt D.Thom. quomodo hoc non obſtante poſſit iuramentum per creaturas licite fieri , & rationem ſignificat , quia ipſæ non inuocantur in teſtimonium , ſed ſolum vt per eas manifeſtetur Deus,qui inuocatur.

14. *Dubium vltimum.* *C. Si aliqua.* *Chryſ.* Sed quæri tandem ſolet,an illi modi iurandi differant ſaltem in grauitate accidentali,& quod illorum iuramentum grauius ſit, hæc enim interrogatio attingitur in cap. *Si aliqua*, 22.q.1. ex Chryſoſtomo homil. 44. Imperfecti in Matth. vbi refert aliquos dicentes, ſi aliqua fuerit cauſa, modicum videtur facere , qui iurat per Deum , qui autem iurat per Euangeliũ magis aliquid feciſſe videtur. Quos dicit eſſe ſimiles Phariſæis dicentibus , *Quicunque iurauerit per templum , nihil eſt ; qui autem iurauerit per aurum templi debet*, quibus Chriſtus reſpondit Matth. 23. *Quid maius eſt aurum , aut templum, quod ſanctificat aurum?* Sic ait Chryſoſtomus, *Dicere poſſumus Scripturæ ſanctæ propter Deum ſunt, non Deus propter ſcripturas ; maior eſt enim Deus, qui ſanctificat Euangelium quam Euangelium, quod ſanctificatur à Deo.* Itaque ſentit Chryſoſtomus grauius eſſe iuramentum , in quo nomen ipſiuſmet Dei immediatè ſumitur,quam per creaturas: & quidẽ per ſe loquendo , & ex vi modi , ac cæteris paribus, ita eſſe videtur , quia maior reuerentia debetur nomini Dei quando expreſſe nominatur,& ſimili proportione quando per Sanctos,vel res ſacras iuratur, quo res fuerit ſanctior grauius cenſetur iuramentum,vt D. Tho. ſentit , cum Auguſt.Epiſt.4. Aliquando vero additur iuramento vltra inuocationem Dei, vt fiat per Euangelia,vel aliquid huiuſmodi,pręſertim in externo ſolemni modo iurãdi Eccleſiæ, ad augendam æſtimationem,& attentionem ad rem de qua iuratur , & tunc poteſt creſcere grauitas iuramenti ex modo iurandi per creaturas vt ſenſit D. Thomas 22. qu. 98. art. 3.ad 2.& qu.89.art.10.ad 2. Soto Ibidem , & Gloſſa, Turrecremata,& alij in d.capit. *Si aliqua.*

Marginal notes: *Matth. 23.* *Chryſ.* *Auguſt.* *D. Thom.* *Soto.* *Gloſſa.* *Turrec.* *C. Si aliqua.*

CAPVT VI.

Vtrum finis iuramenti ſit confirmatio veritatis, vel tantum hæc ſit effectus eius?

1. *Caiet.* *Soto.* EXplicata ratione iuramenti dicendum ſupereſt de cauſis eius , & incipimus à finali, quia eſt prima , & quia eius cognitio eſt maxime neceſſaria ad cognoſcendam intrinſecam rationem rei , quæ ad finem ordinatur , & quia finis ſolet coincidere cum effectu ſub diuerſis rationibus , ideo ſimul vtramque rationem explicabimus. Quam rem accurata ſpeculatione tractat Caiet.d.qu.89.art.5.vel fortaſſe etiam nimia , vt Sot.ſentit,d.qu.1.art.5.ſed non eſt omnino prętermittenda,quia & ad intelligendam melius honeſtatem iuramenti , & ad alias materias morales poteſt eſſe vtilis.

2. *Iuramenti effectum eſſe confirmationem veritatis.* *Ad Hebr. 6.* *D. Thom.* *Ariſt.* Primo ergo certum eſt apud omnes,proximum, & quaſi intrinſecum iuramenti effectum eſſe confirmationem veritatis.In hoc conueniunt Caiet.& Sot. imo videtur eſſe quaſi primum principium in hac materia ſumptum ex Paulo ad Hebræos 6. dicente. *Omnis controuerſia eorum* , (id eſt) *hominum, ad confirmationem eſt iuramentum*, id eſt, omnis controuerſia inter homines iuramento finitur , quatenus veritas per iuramentum confirmatur. Vnde D. Thomas artic.4.ad 3.dicit , quod per iuramentum intẽdimus hominem certificare,& art.5.ad 1.quod in iuramento reuerentia Diuini nominis aſſumitur ad iuramenti confirmationem. Et propter hanc cauſam , dixit Ariſt.in Rhetorica ad Alexandrum, *Iuramentum eſſe atteſtationem dicti , probationis expertem*,quia in re incerta,& quæ alias probari ſufficiẽter non poteſt ſummam quandam probationem affert ; hoc ergo modo confert illi certam atteſtationem , quam vocamus veritatis cõfirmationem. Deniq; ex inſtitutione ipſius iuramenti (quantum ex Diuina Scriptura, & ex vtroq; Iure,& ex Philoſophis,& ex ipſo vſu intelligi poteſt)cõſtat, ob hũc effectum , ſeu fructum,& vtilitatem humanam inuentum eſſe iuramentum ; fuit autem inſtitutio efficax,&prudens; ergo iuramentum de ſe hunc habet effectum.

Inquiri autem poteſt ex Caiet. ſupra, in quo genere cauſæ habeat iuramẽtum hunc effectum. Reſpondetque Caiet. ſolum pertinere hunc effectum ad genus cauſæ efficientis , vtique moralis, *ſicut deprecatio* , inquit , *eſt cauſa effectus poſtulati.* Ratio eius eſt , quia inter iuramentum , & veritatem per illud confirmatam , non poteſt inueniri alia connexio cauſæ , & effectus,niſi efficientis,quia non comparantur vt materia , & forma proprie , alias veritas confirmata eſſet materia iuramenti, quod eſſe non poteſt , quia materia eſt propter formam , veritas autem confirmata iuramento , non eſt propter iuramentum. 3. *Reſponſio Caiet.*

Dico tamen iuramentum poſſe ad duo comparari primo ad notitiam veritatis , ſeu fidem,& opinionem illius , quæ in aliis generatur ratione iuramenti , ſecundo ad veritatem ipſam iuratam, quatenus per iuramẽtum confirmatur,& credibilis ſit. Superiori ratione recte dicitur iuramentum comparari ad illum effectum per modũ efficientis cauſæ,quia vt D. Thom.dixit in ar.1.huius materię,iuramentum adhibetur in rebus humanis ad eum modum , quo principia ſolent adhiberi ad cognoſcendam concluſionem. Vnde ſicut cõcluſionem cognoſcimus per principia,ita adhibemus iuramẽtum,vt per Diuinum teſtimonium,tanquã per primum veritatis fontem, aſſertionem iuratã perſuademus : ſed principia generant cognitionem concluſionis per modum efficiẽtis, ergo in eodem genere habet iuramẽtum ſimilem effectum. Et confirmatur,ac declaratur,nam in probationibus,quę per teſtes fiunt in cauſis humanis , teſtes ſuo modo effectiue concurrũt ad fidem humanam , quam in aliis generant , & ſimiliter in opinionibus ſcientiarum: ſicut rationes probabiles: ita etiam teſtimonia grauium Auctorum influxum effectiuum ſaltem moralem habent ad generandum probabilẽ aſſenſum,ita vero ſe habet iuramentum,ergo. 4. *D. Thom.*

At vero comparando iuramẽtum ad veritatem iuratam , optime dicitur comparari ad illã , vt formam ad materiam , non ex qua , ſed circa quam. Hoc videtur eſſe contra Caiet. qui in hoc conſtituit differentiam inter votum, & iuramentum,ſed ego nullam video , vt ſtatim dicam. Probatur ergo aſſertio , quia lumen quatenus manifeſtat colores,& reddit illos viſibiles, recte dicitur comparari ad illos , vt forma ad materiam , quia aliqua connexio cauſæ , & effectus ibi eſt , & non eſt efficientis ; vel extrinſecę cauſę,quia lumen non per influxum effectiuũ , & quaſi extrinſecum illuſtrat colores, ſed per ſe ipſum ſiue ipſis proprie inhærẽdo, ſiue quaſi adhęrendo,habet ergo in hoc rationem cauſę formalis , vt ſentiunt Philoſophi. Ita vero ſe habet teſtimonium Diuinum ad veritatem iuratã ſeruata proportione , ergo ſub hac ratione iuramentum ſe habet vt forma. Quod ſi in ipſomet iuramẽto , velimus diſtinguere inuocationem Diuini teſtimonij ab ipſo teſtimonio , teſtimonium ipſum habet rationem formæ, inuocatio vero eſt quaſi applicatio formæ ad materiam. Et patet ex ratione facta,quia ibi eſt aliqua connexio cauſæ, & effectus,& non eſt efficientis , quia illa credibilitas quæ reſultat in re 5. *Iuramentum comparari ad veritatem iuratam, vt formam ad materiam.*

iurata

iurata non eſt per aliquem influxum, quaſi extrinſecum, ſed immediate confertur ex vi Diuini teſtimonij, per ſe ipſum. Explicari optime poteſt in obiecto fidei infuſæ, quod eſt veritas vt reuelata, & teſtificata à Deo; nam ibi veritas credenda ſe habet vt materia, Diuinum autem teſtimonium ſe habet vt forma, reddens veritate illam formaliter credibilẽ. Ita ergo ſeruata proportione erit in præſenti, quia ad hoc adhibetur iuramẽtũ vt per illud fiat humano modo maxime credibilis veritas, quę iuramento confirmatur. Atque idem conſiderare licet in omni medio per quod aliqua veritas manifeſtatur; nam omne quod manifeſtatur lumen eſt.

6. *Confirmatur aſſertio exemplo voti. Effugium.* Tandem vtor exemplo voti in quo res promiſſa ſe habet vt materia, promiſsio vt forma, ergo idem in iuramento. Dicetur fortaſſe ex mente Caiet. per votum materiam promiſſam ordinari ad Deum, non vero in iuramẽto. Reſpondeo hoc ſolum probare effectus formales eſſe diuerſos, non tamen excludit quin vterque ſuo modo formalis ſit: nam ſicut votum per ſe ipſum quaſi adhærendo illi materiæ conſecrat illam Deo, ita iuramentum per ſe ipſum quaſi adhærendo veritati iuratæ, manifeſtat illam ſeu confirmat. Neq; obſtat ratio Caiet. quod materia ordinatur ad formam, tum quia in materia, circa quam, & quaſi obiectiua, id non eſt neceſſarium, tum etiam, quia, neque in omni materia ſubiectiua inuenitur, ſed ſolum in illa, quæ natura ſua ad hoc ordinatur, non vero in illa, quæ ſolum per potentiam obediẽtialem, ſeu neutram aliquid recipere poteſt vt lignum eſt materia formæ artificialis, & non eſt propter illam, & ſic de alijs. Ita ergo comparatur veritas humana ad iuramentum; habet enim capacitatem quãdam ad obediẽtialem, vt per iuramentum confirmari poſsit, & hoc ſatis eſt, vt tanquam materia ad aliud comparetur.

7. *Cõfirmationem veritatis eſſe proximũ & quaſi intrinſecum finem iuramenti. Soto. D.Thom.* Ex his ergo infero; & dico ſecundo confirmationem veritatis eſſe proximum, & proprium, & quaſi intrinſecum finem iuramenti. Ita docuit Soto in d. art. 5. contra Caiet. eſt que, vt exiſtimo, clara ſententia D. Thomæ, nam in art. 1. expreſſe dicit, iuramentum ad confirmationem ordinari, & ita intelligit locum Pauli ad Hebr. 6. & in diſcurſu articuli probat, quod ſicut in rebus neceſſariis diſcurſus ex principiis fit ad manifeſtandam, vel confirmandam concluſionem, ita iuramentum inducitur ad confirmandam veritatem. Deinde in articulo 4. ad 3. dicit, quod medio iuramento intendimus hominem certificare, quamuis ſimul Deo reuerentiam exhibeamus, & art. 5. ad 1. inquit iuramento reuerẽtiam Diuini nominis aſſum' ad promiſsi confirmationem, nam ille, *Qui iurat vtitur veneratione eius; per quem iurat*, vbi ponderandum eſt illud verbum, *vtitur*: nam proprie ſignificat ordinationem medij ad finem, vt conſtat ex prima ſecundæ q. 16. Vnde addit ibidem D. Thomas, *Qui iurat, non ordinat iuramentum ad venerandum eum, per quem iurat* (vtique primo, & per ſe) *ſed ad aliquid aliud quod eſt neceſſarium præſenti vitæ.* *D.Thom.*

8. *Caiet.* Sed ait Caietanus, iuramentum ordinari ad manifeſtationem, vel confirmationem veritatis. vt ad effectum, non vt ad finẽ, & ita loqui D. Tho. oppoſitum autem oſtendimus ex verbis D. Tho. & præterea hæc ipſa diſtinctio Caietani ratione confutatur, ſimulque probatur noſtra aſſertio. Nam hic effectus iuramenti nõ eſt per accidens, & quaſi fortuito coniunctus cum voluntate operantis, ſicut inuentio theſauri coniungitur cum voluntate fodiendi terram, ſed eſt effectus per ſe intentus ab eo, qui iurat, imo etiam fuit per ſe intẽtus in ipſa inſtitutione iuramenti, ſed effectus ſic intentus coincidit cum fine reſpectu applicationis cauſæ, quæ ad illum ordinatur, ergo ſicut confirmatio veritatis eſt effectus per ſe intentus per iuramentum, ita etiam eſt finis proximus eius. Conſequẽtia cum maiori notæ ſunt. Minor etiam eſt clara in Philoſophia, & breuiter declaratur ex proprietate, & cauſalitate finis. Nam effectus ſic intẽtus licet ſit poſterior in executione, eſt prior in intentione, nam hoc ipſum eſt eſſe per ſe intentum, hoc autem eſt proprium finis. Item ille effectus propter ſe volitus eſt, cauſa autem eius propter ipſum, vt patet in eo, qui mouetur vt calefiat, nam ille calor eſt finis, quia per ſe intenditur, & motus propter ipſum, ita ergo in præſenti, confirmatio veritatis per ſe intenditur, vt veritas ipſa eluceſcat, iuramentum autem propter manifeſtationem veritatis aſſumitur, ergo reſpectu talium actuum manifeſtatio veritatis, ſeu veritas manifeſtata eſt finis iuramenti.

Neque oportet ſcrupuloſe diſtinguere inter manifeſtationem veri, & verum ipſum, vt Caiet. ſine fructu diſtinguit, quia ſi per verum intelligit factũ ipſum, quo iuratur materialiter ſumptum, vt v.g. Petrum hoc feciſſe vel non feciſſe, &c. ſic clarum eſt, illud non eſſe finem iuramenti. Si autem loquamur de illo vero, vt obiectum quoddã eſt cognoſcibile, ſeu credibile, ſic illud eſt finis obiectiuus iuramenti, formalis autem finis eſt manifeſtatio eiuſdem veri, qui non ſunt duo fines, ſed vnius conſecutio, vt ex Metaphyſica conſtat. Vnde etiam confirmatur aſſertio optime ex dictis, nam hæc manifeſtatio veritatis ſe habet, vt effectus formalis iuramenti comparati ad verum, quod iuratur, ſed omnis forma ordinatur ad ſuum effectum formalem, tanquam ad finem proximum, ergo. Tandem poteſt hoc declarari exemplo humano, nam inductio teſtium, vel teſtimoniorum ad confirmãdam aliquam veritatem habet rationem medij ordinati ad talem finem, vt Caiet. etiam fatetur, reſpondet autem non eſſe hoc applicandũ ad Deũ, propter reuerẽtiam, & honorem Deo debitum, ſed ex dicendis conſtabit, hoc nihil obſtare, & alioqui ex vſu ipſo conſtat, ſub eadẽ habitudine medij ordinari iuramentum ad veritatem confirmandam. 9.

10. *Obiectio Caietani.* Sed obiicit Caiet. quia ordinare rem ſuperioris ordinis ad rem ordinis inferioris (id eſt ſacram ad temporalem) tanquam ad finem inordinatum eſt, & contra rectam rationem, ſed vſus iuramenti ad cõfirmandam veritatem humanam eſt bene ordinatus, & rectus, ergo non ordinatur, tanquam ad finem, cum iuramentum ſit res ſacra, & ſuperioris ordinis, humana autem veritas ſit res tẽporalis. Et confirmatur primo; ſacerdos habẽs lucrum temporale ex choro, vel ex recitatione horarum, licet poſsit ordinare recitationem ad temporale lucrũ, tanquam ad effectum, non vero tanquam ad finem, propter inordinationem, quæ eſt in referenda ad temporale lucrum ſpirituali actione, quæ tota debet eſſe in laudem, & honorem Dei, ergo bona & neceſſaria eſt diſtinctio illa & cum eadem proportione, & ob eandem rationem ad iuramentum applicanda eſt. Vnde confirmatur ſecundo, quia non poteſt idem actus habere duos fines proximos, ſed iuramentũ cum ſit actus Religionis, debet habere pro fine proximo Deum ipſum, ſeu cultum, & honorem eius, ergo non poteſt habere ſimul pro fine veritatis manifeſtationẽ; ſolũ ergo habet illam, vt quendam conſequentem effectum.

11. *Solutio.* Ad hæc poſſemus reſpondere cum quadam vulgari diſtinctione de fine primario, & ſecundario, vel de fine, qui habet rationem motiui, vel tantum occaſionis, aut neceſſariæ conditionis, ſic enim dici ſolet in exemplo adducto in prima confirmatione, tẽporale lucrum nõ poſſe eſſe finem primarium, nec primum motiuum recitandi, quia hoc eſſet inordinatum, poſſe tamen eſſe finem ſecundarium, & conditionem etiam neceſſariam. Poſſet igitur quis hanc doctrinam ad præſentem materiã applicare: nam iuramentum actus eſt Religionis, & ſub ea ratione ad Deum, vt ad principalem finem proxi-

proximum ordinari debet, & nihilominus, quia vtile eſt ad confirmandam veritatem, poteſt etiam ſecũdario ad illum finem ordinari. Et ſic facile reſpondetur ad omnes obiectiones. Ad primam nullam eſſe inordinationem, referre res ſuperioris ordinis, ad rem ordinis inferioris, tanquam ad finem ſecundarium quando non repugnat primario, nec de ſe illum excludit. Ad primam autem confirmationem negamus eum, qui recitat ſpe temporalis lucri, vt cum effectu illud obtineat, nullo modo intendere illud vt finem, cũ ab illo apprehenſo moueatur, & non alio genere cauſæ; eſt ergo finis, licet ſit ſecũdarius. Et ſimiliter ad tertiam dicimus, optime poſſe eundem actum habere duos fines proximos, præſertim ſi vnus primarius ſit, & alius ſecundarius.

12. *Idem actus poteſt habere duos fines proximos.*

Sed licet hæc doctrina in genere vera ſit, poteſt in præſenti ſcrupulum inijcere, ſi accipiatur vt neceſſaria. Quia ad iurandum ſine peccato nõ eſt neceſſarium principaliter intẽdere Diuinum cultum Deo preſtandum per iuramentum, nec videtur eſſe hoc ordinaria intentio iurantium, neque eorum, qui iuramẽta exigunt, vel in iudicio, vel extra, ſiue in cõtractibus, ſiue in promiſsionibus. Imo nõ ſolum ex parte operantium, verum etiam neque ex natura rei, neque ex primaria inſtitutione iuramẽti videtur eſſe Diuinus cultus primarius finis iuramenti, ſed cõfirmatio humanæ veritatis, hoc enim videntur conuincere omnia, quæ adduximus, & præterea ex eo colligi poteſt, quod non eſt vtendũ iuramento in cultum Dei, niſi prius ſupponatur, vtilitas eius, imo & neceſsitas quædam moralis confirmandæ veritatis mediante illo, ergo ſignum eſt non ordinari primario ad Diuinum cultum, in quo differt multum ab exemplo adducto de oratione, nam oratio per ſe primo eſt propter cultum Dei, & ideo licet ceſſet ſecundarius finis temporalis lucri, vel alius ſimilis, eſt per ſe expetenda propter cultũ Dei. Et ideo facilius dici poſſet vnico verbo nõ eſſe inordinatum, aut contra rectam rationem ordinare res ſpirituales ad temporales tãquam ad proximum, & immediatum finem, etiam principaliter intentum ab ipſo operante, dummodo in illo non ſiſtatur tanquam in fine vltimo, ſed in Deum virtute, vel formaliter tandẽ referatur, quod ſentit Sot. ſupra, & latius diximus ſupra tract. 3. li. 4. c. 44.

Soto.

13. Ad hoc autem magis explicandum, conſidero iuramentum prius eſſe ſpectandum, prout eſt quędam actio apta ad confirmandam veritatem, præſcindendo ab hoc, quod cedat, vel non cedat in honorem eius, qui in teſtem inuocatur, ſed præciſe intuendo ad vtilitatem, & fructum illius actionis in ordine ad veritatem confirmandam: inde vero ſpectandum eſt iuramentum, vt in ſe continens Diuinum cultum, ſuppoſita priori eius vtilitate, vel neceſsitate. Dico ergo vſum ipſum iuramenti primario fuiſſe introductum ſub priori ratione, & ſic habere rationem medij ad talem finem, tanquam ſibi maxime propriũ, & immediatum. Neq; hoc eſt contra Diuinum honorem, & reuerẽtiam, tũ propter rationem proxime datam, tum etiam quia potius pertinet ad vniuerſalem Dei prouidentiam, & quaſi influentiam vel Phyſicam, vel moralem, vt omnibus modis inuocetur ab hominibus in auxilium, vel ſubſidium. Vnus autem modus eſt, vt ſua authoritate confirmet veritatem, & quaſi ſocietatẽ inter homines. Eo vel maxime, quod nõ poteſt hic finis adæquate ſpectat' reputari inferioris ordinis: nam ſub ſe comprehendit pacem inter homines, confirmationem Religionis, obedientiæ, & reuerentiæ, quæ ſuperioribus debetur iuſtitiæ, & fidelitatis inter æquales, defenſionem innocentiæ, & ſimilia, quæ Concil. Toletanum c. 2. enumerat, & habetur in c. 1. 22. q. 1. & ſumi etiã poſſunt ex c. *Ego N.* *cum alijs, de iureiur. c. Significaſti*, de Elect. & c. vlt. De *purgatione Canonica*, & c. vlt. *de His, quæ vi*, cum ſimilibus. Et licet aliquando in particulari vſurpetur ad aliqua facta, vel dicta inferioris ordinis confirmanda, illa non ſunt per ſe ſpectanda, ſed vt ordinata ad communem pacem, & bonum hominum.

Vſum iuramenti introductũ fuiſſe primario, vt medium ad confirmandam veritatem.

Concil. Tolet. Cap. Ego N. Cap. Significaſti.

C. De purgatione Canon. Cap. De his que vi.

14. Poſito ergo hoc primo vſu, & quaſi prima inſtitutione iuramenti, ſtatim inſurgit quædam intrinſeca ratio Diuini cultus in eo inuẽta, quę facta priori ſuppoſitione per Religionem principaliter obſeruatur, vel quoad ſpecificationem, vt ſupra dicebam, quod maxime neceſſarium eſt, obſeruando nimirum, ne aliquid contra Diuinum honorem in iurando fiat, vel etiam quoad exercitium, poſitiue, & principaliter exercendo talem actum propter Diuinum cultum, quod magis pertinet ad conſilium, quam ad abſolutam neceſsitatem. Vnde fit tandem, vt licet ex parte operantis iuramentum fiat ſine intentione cultus, atque adeo ſine relatione ad Deum, vt ad proximum finem, ſed iurans ſolum moueatur ex fine humano confirmandi pactum, vel aliam veritatem, nullam culpam committat, dummodo materia iuramenti honeſta ſit, & ad debitum finem vltimum ſe extendat, & ab operante non excludatur. Quia ille vſus iuramenti eſt conſentaneus inſtitutioni eius, & alioqui poſitiua obligatio intendendi Diuinum cultum non ſemper vrget, etiamſi actus, qui de facto exercetur ad illum finem aptus ſit, quia nullum eſt naturale præceptum affirmatiuum, quod pro ſemper, vel pro omni ſimili opportunitate talem obligationẽ imponat, nec natura iuramẽti hoc poſtulat, in quo longe diſsimile eſt ab ratione, iuxta ſuperius dicta.

CAPVT VII.

De materia iuramenti, eiuſque diuiſione in ſacrum, & humanum.

1. POſt cauſam finalem de aliis dicendum eſt, & quia explicando cauſas iuramenti ſimul declarabuntur melius partitiones eius, ideo diſcurrendo per ſingulas cauſas totam iuramentorum varietatẽ comprehendemus. Hic ergo inſtituimus ſermonem de materiali cauſa. Iuramentum enim cum ſit quidam actus humanus, non poteſt habere materiam, *ex qua*, præter ipſa verba, vel ſignã, quæ mentem iurantis indicant, illa vero cum potius formaliter ipſum iuramentum externum contineant, ſub forma iuramenti comprehendimus, & ideo de illis dicemus c. ſequenti. Solum ergo poteſt habere iuramentum materiam circa quam, quæ eſt res ipſa, ſeu aſſertio iuramenti, neceſſe eſt enim, vt iuramẽtum cadat in aliquam huiuſmodi materiam, vt per ſe notum eſt. Circa hanc ergo materiam imprimis referri poteſt error Vvicleph, qui dixit non poſſe licite adhiberi ad roborandum humanos contractus, & cõmercia ciuilia, ita refertur in Concil. Cõſtantienſi ſeſſ. 8. n. 43. inter errores Vvicleph. qui error attribuitur etiam Eraſmo Matth. 5. nam in paraphraſi ſimpliciter dicit, iuramentum eſſe illicitum, in annotationibus vero excipit cauſas fidei, & pietatis, ſentiens omnes alias materias temporales eſſe improportionatas iuramento. Iuxta hanc ergo ſententiam ſola aſſertio, vel promiſsio pertinens ad cauſas fidei, Religionis, aut pietatis, eſt materia Religioſi, aut liciti iuramẽti: motiuum huius erroris eſſe potuit, quia videtur contra Religionem iuramenti illud ordinare ad res temporales confirmandas. Vnde Baſil. apud Anaſtaſ. Nicen. in q. ſacræ Script. q. 73. *Ne ad mundi negotia (inquit) attrahas nomen Dei, ſed ſit tibi venerandum ab his ſeparatum.*

Materia circa quam iuramenti.

Error Vvicleph. Concil. Conſtant. Eraſmus eiuſdem Erroris aſſecla.

Anaſt. Nicen.

2. Contra hunc autem errorem dicendum eſt, materiam iuramenti liciti, & Religioſi non limitari ad ſolas cauſas fidei, Religionis, aut pietatis, ſed extendi etiam ad humana negotia, quoties in illis

1. Aſſertio. Materiã iuramẽti liciti etiã extendi ad humana negotia.

tres

tres comites iuramenti ſupra poſiti concurrunt. Hæc aſſertio de fide eſt, quia teſtimonia, & rationes, quibus ſupra probauimus iuramentum, tam ex ſua natura, quam in lege gratię eſſe licitum conuincunt, etiam in humanis negotiis licite adhiberi cum ſuis comitibus; ergo etiam probant cum eadem certitudine materiam iuramenti Religioſi non neceſſario debere eſſe ſacram, ſeu Eccleſiaſticam, ſed poſſe etiam eſſe humanam, aut temporalem. Poteſtque hic applicari diſcurſus ſupra factus, quia materia temporalis non eſt incapax iuramenti liciti ex natura rei, ſeu ex lege naturæ, neque etiam ex lege poſitiua prohibente, ergo nullo modo. Maior conſtat, nam in lege naturæ Abraham iurauit fœdus, & amicitiam cum Abimelech. & poſteris eius Gen. 21. & ſimiliter Iſaac. Geneſ. 26. iurauit pactum ſimile cum Abimelech, & amicis eius, & Iacob ſimiliter iurauit fœdus cum Laban ſocero ſuo, & Moyſes iurauit ſocero ſuo Raguel, quod habitaret cum eo; Exod. 2. & in tẽpore legis Moyſis Dauid, & Ionathas cum iuramento amicitiam, & pactum humanum fecerũt, Reg. 20. & cap. 24. Dauid. iurauit Sauli non deleturum ſemen eius. Nec dubitari poteſt quin talia iuramẽta licita fuerint, tum propter ſanctitatem talium virorum, tum etiam, quia Scriptura illa non comprehendit, ſed potius tacite approbat, tum denique quia nulla mala circumſtantia contra legem naturæ in talibus iuramentis oſtendi poteſt, vt ſtatim patebit.

Cõfirmatur aſſertio exẽplis.

3. Minor vero principalis argumenti probatur, tum ex illo principio, quod Chriſtus in lege Euangelica nõ prohibuit in his rebus moralibus ea, quę ſunt honeſta iure naturæ: tum etiam quia Chriſtus Matth. 5. non magis prohibuit iuramentum in vna materia quam in alia: tum præterea quia aliqua ex iuramentis Pauli ſunt in materia mere humana, vt 2. ad Corinth. 1. & ad Roman. 1. Neque etiam per Ius Eccleſiaſticum prohibetur talis materia iuramenti, quin potius per Canones approbatur in titulis de Iureiurando, & de Teſtibus, & de Pactis, & ſimilibus, & 22. q. 1. vſque ad 8. de quibus latius videbimus in lib. 2. Et contrarius error damnatur cum aliis eiuſdem Vvicleph. in d. Conc. Conſtantienſi. Vltimo poſſumus adiungere teſtimonium Pauli ad Heb. 6. & rationem in illo fundatam, dicit enim: *Homines per maiorẽ ſui iurant, & omnis controuerſiæ eorum finis ad cõfirmationem eſt iuramentum*: quam refert non vt malam conſuetudinem, ſed potius quaſi ipſo iure naturæ inditam, & ab ipſo Deo quaſi exemplo ſuo probatam. Ponderandum autem eſt generale verbũ, *Omnis controuerſiæ*, non enim limitatur ad materiam fidei, vel pietatis: nam diſtributio omnia complectitur, & nomen cõtrouerſiæ magis indicat humana negotia. Hinc ergo colligitur ratio, quia ille finis honeſtus eſt, ergo vſus iuramenti circa quãcunque materiam illi fini proportionatam, honeſtus etiam eſt, ſed controuerſię humanæ ſæpe oriuntur ex temporalibus negotiis, & finiuntur per pacta humana; ergo hęc etiã comprehenduntur ſub materia iuramenti: alioqui maxima ex parte iuramentum ſuo fine fruſtraretur. Quę ratio non ſolum probat hoc iuramentum eſſe licitum, ſed etiam ſæpe poſſe cadere ſub præceptũ, vt videbimus lib. 3. in principio. Atque ita ſolum manet fundamentum cõtrarij erroris. Quomodo autem intelligenda ſit hæc ordinatio iuramenti ad humana negotia, explicabimus in c. S. Baſil. autem clare loquitur, *quãdo propter aliquod negotiũ, neceſſe nobis eſt vti falſo ſermone*: hæc enim ſunt eius verba.

Hebr. 6.

4. Atque ex hac prima aſſertione colligere poſſumus primam diuiſionem iuramenti ex parte materiæ, nam quoddam dici poteſt iuramentum omnino ſacrum, & ſpirituale (vt ſic dicam) aliud humanum, vel tẽporale ex parte materiæ. Sub priori membro continentur iuramenta; quæ fiunt ad confirmanda vota Deo facta, nam habent materiam valde Religioſam, vt conſtat. Item huc ſpectant iuramenta de præſtanda obedientia, & reuerẽtia Eccleſiaſticis Prælatis. Item iuramentũ, quod fit in profeſsione fidei de illa tuenda, ac firmiter retinenda, & eodem ſpectant iuramenta, quę ad purgandam hæreſim dantur ſuſpectis de hæreſi, & abiurationes, quæ hæreticis fieri præcipiuntur, nam abiurare nihil aliud eſt, quam iurare diſſenſum, ſeu negationem erroris, quod ad eãdem fidei cauſam, & pietatem ſpectat. Ad aliud autem membrũ pertinent iuramenta, quæ fieri ſolent in iudiciis temporalibus, tam ciuilibus, quã criminalibus, & quæ fiunt in humanis contractibus, ac promiſsionibus, & in aſſertionibus de rebus humanis. In qua materia poteſt eſſe differentia, ſecundum magis, & minus, nam iuramenta in cauſis Eccleſiaſticis, etiamſi alioqui temporales ſint, magis concernunt pietatem, quam alia, quæ verſantur circa res mere temporales, & profanas. Circa hanc vero diuiſionem ſolum occurrit adnotãdum eſſe omnino materialem reſpectu iuramenti, ſeu loquendo modo Dialecticorum, eſſe accidentis in ſubiecta, quia ſeruata proportione eiuſdem rationis eſt inuocatio Dei ad confirmandam veritatem, ſiue illa veritas ſit in materia Religioſa; ſiue in quacunque alia. Poterit tamen ex illo capite augeri grauitas iuramenti, & obligatio eius, quia quo res ipſa, quæ iuratur eſt grauior, & dignior & (vt ita dicã) magis proportionata Diuinæ authoritati, tanto magis pertinet ad reuerentiã eius, veritatẽ, ſeu fidelitatẽ in tali iuramento ſeruare, ſicut è cõuerſo grauior erit contẽptus Dei, infidelitas iuramenti in vna materia, quam in alia.

1. Diuiſio iuramenti in ſpirituale, & tẽporale.

Quid ſit abiuratio.

Hæc diuiſio eſt accidentis in ſubiecta.

CAPVT VIII.

De iuramento aſſertorio, & promiſſorio.

HAec eſt ſecunda diuiſio iuramẽti ex parte materiæ, in qua ſupponitur, iuramenti materiam non ſolum eſſe poſſe rem præteritam, vel præſentem, ſed etiam futuram: quod ſatis ex vſu conſtat, & ex Scriptura, nam iuramentum Pauli ad Rom. 1. de præſenti veritate fuit: *Memoriam veſtri facio, &c.* Quamuis poſsit etiam ad præterita referri, idem ad Philipp. 5. & 2. ad Corinth. 1. de futuro autẽ fuerunt iuramenta Abrahę, Ioſeph, & alia ſimilia in ſuperioribus relata. Ratio autem eſt, quia in his omnibus virtutibus poteſt eſſe incertitudo pendens aliquo modo ex voluntate, vel cognitione humana, & in omnibus illis poteſt inueniri vtilitas, vel neceſsitas confirmationis, quæ per iuramẽtum fit. Nam de præteritis maxime eſt neceſſarium iuramentum ad ferenda iudicia, de futuris, propter firmanda pacta, & fœdera humana, de præſenti autẽ, propter omnia, vt videbimus: denique humana prouidentia ex præteritis, præſentibus, & futuris pendet, & circa omnia ſæpe neceſſario vtitur cognitione fundata in fide humana, quæ de ſe fallibilis eſt, ergo in tota illa materia habet locum ratio effectus, & neceſsitas iuramenti. 1.

2. Aſſertio.

Rom. 1.

Ex hoc ergo principio oritur dicta diuiſio iuramenti in aſſertorium, & promiſſorium, quæ ita eſt communis, & recepta, vt de illa dubitari non poſſit, adeoq; eſt neceſſaria ad huius materiæ comprehenſionem, vt ex illius intelligentia multum pendeat: & ideo diligenter declarãda eſt cum D. Tho. d. q. 89. ar. 1. vbi ſic inquit: *Diuinum teſtimoniũ quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita, & hoc dicitur iuramentum aſſertorium, quandoque autem inducitur Diuinum iuramentum ad confirmãdum aliquid futurum, & hoc dicitur iuramentum promiſſorium.* Circa quam declarationem (quia ex ea pendet intelligentia diuiſionis) dubitari poteſt primo, quomodo poſsint illa membra diſtingui. Et ratio 2.

D. Thom.

Dubium 1. dubitandi eſt primo, quia iuramentum de futuro, neceſſario includit aſſertionem de præſenti; ergo neceſſario eſt iuramentum aſſertorium: ergo non recte ab illo condiſtinguitur. *Secundum.* Secundo, quia affirmatio, vel negatio de futuro, ita eſt quædam aſſertio, ſicut illa, quæ eſt de præſenti, vel de præterito, nam aſſertio nihil aliud eſſe videtur, quam propoſitio ſignificãs verum, vel falſum, ꝗ tam conuenit propoſitioni de futuro, quam de præſenti, & præterito; ergo iuramẽtum de futuro aſſertorium eſt.

3. *Solutio 1.* Sed prioris dubitationis ſolutio facilis eſt, concedo enim iuramẽtum promiſſorium, non ſolum poſſe ſimul eſſe aſſertorium (vt quidam dicunt) ſed etiam neceſſario includere illud, nam qui iurat ſe promittere aliquid, vel ſe aliquid eſſe facturum, eo ipſo affirmat, & iurat ſe habere propoſitum faciendi id, quod promittit, ac iurat: nam qui affirmat ſe aliquid facturum ſine animo implendi mentitur, quia aſſertio illa neque in ſe, neque in cauſa ſua veritatem habet, vt ſignificauit D. Tho. d.q. 89. ar. 7. ad 1. *D. Thom.* Qui autem iurat ſe aliquid facturum, iurat ſe dicere verum, ergo neceſſario includitur ibi iuramentum aſſertorium de præſenti. Imo licet aliquis iuret quaſi ſpeculatiue aliquid eſſe futurum ab alio homine vel ab alia cauſa, eo ipſo cenſentur iurare de præſenti ſe ita credere, vel exiſtimare: nã hic eſt communis ſenſus talium verborũ, & alioqui cenſetur ille homo ficte, & fallaciter iurare. Concedo ergo iuramẽtum promiſſorium ſemper includere aliquod aſſertorium, nec tamen propterea diuiſio reprobãda eſt: tum quia diſtingui poſſunt illa duo membra tanquam includens, & incluſum, nam aſſertorium dicitur, quod tantum aſſertorium eſt, & non promiſſorium, promiſſorium autem dicitur, quod vltra aſſertionem de præſenti addit promiſſionẽ de futuro aliquo modo, & ideo ab eo, quod addit denominationem ſumit, vel certe dici poteſt hæc iuramenta ſemper diſtingui, quaſi formaliter in ſuis præciſis rationibus, licet in re aliquando cõiungantur. Et ita in promiſſione de futuro duo de præſenti, ſ. virtute affirmantur, vnũ, voluntas promittendi cum propoſito implẽdi aliud de futuro, ſ. impletio promiſſi, iuramentum autem in vtrumq; cadit, vnde ſub priori ratione dici poteſt aſſertorium: ſub poſteriori autem eſt promiſſorium.

4. Secunda difficultas maiori indiget explicatione. Poſſet enim aliquis dicere effectum futurum dupliciter affirmari poſſe, vno modo per nudam aſſertionem, ſine adiuncta promiſſione, alio modo aſſertioni adiungendo promiſſionem, & ita etiam dupliciter poſſe iurari: quia iuramentum in quamcunque aſſertionẽ huiuſmodi cadere poteſt. Quãdo ergo iuratur ſola aſſertio ſine promiſſione, dicetur conſequẽter illud iuramentũ non eſſe promiſſorium, ſed aſſertorium tãtum, propter rationẽ factã, ꝗ tale iuramentum ſiſtit in ſola confirmatione cuiuſdã veritatis. Promiſſoriũ ergo dicetur, quando vltra aſſertionem de futuro habet adiunctam promiſſionem, & illa etiã iuratur. Sed hæc reſponſio imprimis eſt contra D. Tho. qui iuramento aſſertorio ſolum tribuit enũtiationes de præſenti, vel præterito, omne autem iuramentum ad confirmãdum futurum dici eſſe promiſſorium. Item eſt cõtra rationem, quia iuramentum inducens obligationem de futuro promiſſorium eſt, imo per hoc maxime diſtinguitur, quaſi per effectũ à iuramẽto aſſertorio, ſed omne iuramentum inductum ad confirmãdum factum futurum inducit obligationem in futurũ, vt in lib. 3. oſtendemus: ergo omne tale iuramentum promiſſorium eſt, quomodocũque fiat. Dices: Iuramẽtum de re facienda ab alio, vel à cauſa naturali (vt ſiquis iuret, craſtina die futuram pluuiã, vel ſi Petrus iuret Franciſc. occiſurũ Ioannem) eſt de re futura, & tamen nõ eſt promiſſorium; ergo non eſt in vniuerſum verũ iuramentum de re futura promiſſorium eſſe, vel diſtingui ab aſſertorio. Reſpondeo illud iuramentum reſolui in aſſertorium tantum de præſenti, ſcilicet, Iuro me exiſtimare talem rẽ eſſe futuram, vel Iuro dari vehementes coniecturas ad id credendum; nã in alio ſenſu eſſet iuramentum temerarium, & nullũ, niſi cadat in aliquid faciendum ab ipſo iurante. In illo autem ſenſu futurum nõ aſſumitur, vt aſſertio iurata; ſed vt extremum aſſertionis de præſenti iuratæ, & ita eſt tantum aſſertorium de præſenti: & ob eandem cauſam iurans non manet obligatus ex vi talis iuramenti ad aliquid faciendum in futurũ, quod pertinet ad iuramẽtum promiſſorium. Illud ergo futurum, quod per iuramentum promiſſoriũ cõfirmatur, tale eſſe debet, vt ex facto futuro iurãtis pendeat, talis non poterit moraliter loquẽdo iurari per propriam aſſertionem de futuro, ſi autem tale eſt futurum iuramẽtum inductum ad confirmandum, illud ſemper eſt promiſſorium.

5. Secundo ergo dici poteſt, tale iuramentum nunquã poſſe fieri ſine promiſſione, quia eo ipſo quod aliquid iuratur faciendum in futurum, eo ipſo promittitur, vel Deo, vel homini. Ratio reddi poteſt, quia promiſſio nihil aliud eſt, quam obligatio adimplendi id, quod aſſeritur, ſed hæc obligatio ex iuramento naſcitur, ergo eo ipſo quod aſſertio de futuro iuratur, tranſit in promiſſionem. Sed hoc in rigore falſum eſt, vt lib. 2. c. 1. & 2. dicam, vbi etiam Authores referam. Nunc breuiter ratio eſt, quia promiſſio non inuenitur ſine voluntate promittendi, poteſt autem inueniri cum ſola voluntate iurandi, ergo tunc erit aſſertio de futuro iurata ſine promiſſione. Itẽ, non poteſt dari promiſſio niſi alteri fiat, quia promiſſio manifeſte dicit relationem ad alterum, eſt enim actus fidelitatis vel iuſtitiæ ad Deum, vel ad hominem. Poteſt autem dari aſſertio de futuris iurata ſine relatione ad alterum. Vt ibi latius declarabitur. Denique falſum eſt, promiſſionem eſſe obligationem implendi, quod dicitur, ſed interdum hæc obligatio eſt effectus promiſſionis, non tamen ſolius, quia non ſemper obligatio implendi, quod dictum eſt, prouenit ex promiſſione, ſed poteſt etiam prouenire ex ſolo iuramento, & tunc eſt diſtinctæ rationis ab obligatione, quæ ex promiſſione naſcitur, quæ omnia ex dicendis in citato loco libri ſecundi manifeſta fient.

Dicendum ergo eſt, poſſe dari aſſertionem de futuro iuratam abſque promiſſione, licet è cõtrario omnis promiſſio iurata includat etiam aſſertionem de futuro. 6. *Poteſt dari aſſertio de futuro iurata abſque promiſſione, non tamen è contra.* Ratio eſt, quia qui promittit, neceſſario affirmat ſe facturum id quod promittit, nam hoc ipſum eſt materia promiſſionis, & ideo ſi promittit ſine intentione implendi, mendax eſt, qui ergo iurat promiſſionem, neceſſario iurat, aſſertionem, ſcilicet, facturũ ſe eſſe, quod promittit. At vero è cõtrario qui aſſerit ſe aliquid facturum, non neceſſario illud promittit, quod ſatis cõſtat ex vſu: & ratio etiã eſt clara, quia promiſſio addit aliquid, quod ex libertate pendet, & quia eſt veluti quid poſterius, & quaſi compoſitum, ſine quo fieri poteſt id, quod eſt prius, & ſimplicius, quia prius non pendet à poſteriori. *Solutio ad ſecundum.* Sicut autem affirmari poteſt actio futura non promittendo illam, ita etiã poteſt iurari. Hoc ergo ſuppoſito ad difficultatem poſitam reſpondendum eſt, iuramentum faciendi aliquid in futurum eſſe promiſſorium, ſeu ſub illo comprehendi etiam ſi abſque promiſſione fiat, ꝗ ſufficienter probatum eſt ex ſententia D. Th. quam alij ſequũtur, quos citato loco, referam. Ratio autẽ ad rem ipſam pertinens eſt, quia illa diuiſio data eſt ad diſtinguendum iuramentum, inducẽs obligationem in futurũ, à iuramento, ꝗ tantum includit obligationẽ dicendi veritatẽ quando ipſum fit, & hoc poſterius vocatũ eſt iuramentũ aſſertoriũ, quia tantum obligat quãdo aſſeritur (vt ſic dicam) aliud

vero

Digitized by Google

vero relinquens obligationem quocunque modo, vocatum eſt promiſſorium. Ratio autem nominis reddi poteſt, quia tale iuramentum frequentius fit cum promiſsione, nomen autem licet ſumatur ab eo, quod frequentius accidit, imponitur ſæpe ad ſignificandũ generalius, quã poſtulet etymologia, vt eſt vulgare exemplum de nomine lapidis. Vel etiam addi poteſt iuramentum de futuro, ſiue ſit cum ſola aſſertione, ſiue cũ promiſsione eius ſemper ad idem obligare, ſcilicet ad faciendum verum id, quod dictum eſt, & ex eadem virtute, & ratione, ſcilicet, ex Religione ob reuerentiam Diuini nominis, & ideo per analogiam quandam ad obligationem promiſsionis eodem nomine iuramenti promiſſorij ſignificatum eſſe.

CAPVT IX.

Qualis ſit diuiſio iuramenti in aſſertorium, & promiſſorium.

1. Difficultas ſola eſt, an inter iuramentum aſſertorium, & promiſſorium, ſit differentia ſpecifica, & formalis, vel tantum accidentalis, & materialis? Quam quæſt. tract. Caiet. d. q. 89. art. 1. & definit differre tantum accidentaliter, & materialiter, quam ſententiam amplectuntur Sot. Arag. Valen. Couar. in d. c. *Quamuis pactum*, in principio n. 3. & omnes, qui illam attigerunt. Fundamentum eſt, quia in vtroque iuramento adducitur Deus vt teſtis veritatis; ſed iuramentum inde accipit ſpeciem ſuam formalem, quod autem res iurata ſit hæc, vel illa, materiale eſt, & accidentale: ergo. Confirmatur primo, nam iuramentum aſſertorium rei præteritæ, aut præſentis eiuſdem rationis formalis eſt, quamuis veritates ipſæ materiales diſtinguantur: ergo ſimiliter iuramẽtum aſſertionis de futuro ſolum differre materialiter à prædictis iuramentis aſſertorijs. Probatur conſequentia, tum à parte rationis; tum etiã quia tota ratio obligationis in iuramento promiſſorio eſt, vt fiat verum, quod dictum eſt ſub iuramento, ne Deus inductus ſit ad confirmandam falſitatem. Sic enim dixit D. Tho. 2. 2. q. 80. art. 1. ad 3. fidem in promiſsis ſub veritate concludi. Vnde nos alibi diximus cum Caietano, virtutem propriam fidelitatis eſſe eandem cũ virtute veritatis, ſeu veracitatis. Ergo in iuramento promiſſorio inducitur Deus ſub eadẽ ratione formali, ſcilicet, vt teſtis veritatis, ſolumque eſt differentia, quod in iuramento aſſertorio veritas conſummatur per conformitatem dicti ad factum, vel ad rem præteritam, aut præſentem, in iuramento autem promiſſorio veritas quaſi ſpectatur cõſummanda per conformitatem facti poſtea ſubſecuti ad verbum præteritum. hæc autem differentia videtur valde materialis, & accidentaria reſpectu iuramenti. Confirmatur ſecundo, quia non minus videntur differre votum caſtitatis, & paupertatis, quam iuramentum aſſertorium, & promiſſorium, ſed illa vota differunt tãtum accidentaliter, & materialiter, ergo & hæc iuramenta. Vltimo argumẽtantur aliqui, quia obligatio vtriuſq; iuramẽti eiuſdẽ virtutis Religionis eſt, ſed hoc niſi aliud addatur, parum probat, quia etiam obligatio voti, & iuramenti ſunt eiuſdem virtutis Religionis, & tamen ſunt ſpecie diuerſæ. Oportet ergo addere ita eſſe eiuſdem virtutis, vt reſpiciant eam ſub eadẽ ratione, nimirum ad inuocandum ad teſtimonium veritatis cum debito honore. Vnde à contrario poteſt ſumi non leue argumentũ, quia periuriũ contra iuramentum aſſertoriũ, & promiſſorium eiuſdem ſpeciei eſſe videtur: ergo & ipſa iuramenta.

Caiet.
Soto.
Aragon.
Valent.
Couar.
C. Quamuis pactum.

D. Thom.

Relect. 1. & diſp. 2. ſect. 2. num. 24 & 26.

2. Hæc ſententia eſt valde probabilis, & fortaſſe vera: nihilominus tamen contraria videtur poſſe probari non leuibus argumentis, nimirum iuramentum promiſſorium diſtingui ab aſſertorio, ratione formali iuramenti, & Diuini cultus non propter materialem differentiam inter aſſertiones de futuro, vel de præſenti, neque etiam propter materialem differentiam inter promiſsionem, & aſſertionem, ſed propter inuocationem Diuini nominis ſub diuerſa ratione. Fundamentum ergo eſt, quia in iuramento aſſertorio inuocatur Deus tantum, vt teſtis veritatis, in promiſſorio autem, vt tale eſt, inuocatur vt fideiuſſor promiſsionis, ſeu verbi dati, hæ autem rationes formales longe diuerſæ ſunt, & morales obligationes diuerſarum rationũ inducuntur: ergo & iuramenta formaliter diuerſa. Conſequentia videtur clara, & minor etiã videtur nota ex rebus humanis, in quibus longe aliud munus eſt fideiuſſoris, & teſtis, & longe etiam diuerſa vtriuſq; obligatio. Maior autem declaratur quoad ſecundam partem, quia de prima nullus dubitat, in ipſo enim promiſſorio iuramẽto quatenus de præſenti veritatem loquentis requirit, Deus etiam inducitur vt teſtis. At vero reſpectu facti futuri non poteſt induci vt teſtis: nam teſtimonium nõ datur de re nondũ facta. Et quamuis apud Deum futura præſentia ſint, tamen quatenus Diuinum teſtimonium per iuramentum inuocatur, non poſtulatur à Deo (vt ſic dicam) teſtimoniũ de re futura, vt ipſi præſens eſt, ſed vt eſt in verbo promittentis. Sic autem nõ cadit teſtimonium in illud verbũ, niſi quatenus capax eſt veritatis cum dicitur: ergo reſpectu facti futuri, vt confirmandum illo verbo non inuocatur Deus vt teſtis, ſed vt fideiuſſor, ad cuius honorem, & authoritatem pertinet, vt qui iurauit cũ effectu impleat, quod aſſeruit, vel promiſit.

Sent. Caiet. probabilis indicatur.

Confirmatur, ac declaratur primo, nam ſicut in Deo ſunt attributa diuerſarum rationum, veritas in dicendo, & immutabilitas in conſilio, & propoſito voluntatis ſuę, ſic ex parte hominis videtur eſſe inuocationes, & cultus diuerſarum rationum, implorare teſtimonium Dei ad veritatem dicti confirmandam, quod pertinet ad Deum, vt eſt prima veritas in dicendo, & ad reuerentiam, quæ ſub tali ratione illi debetur, vel implorare authoritatem Dei, & quaſi facere illam præſentẽ, vt præbeat participationem quandam, (vt ita rem explicem) ſuæ immobilitati propoſito, & dicto hominis de ſe mutabili, vt propter reuerentiam tanto fideiuſſori debitam conſtans fiat in promiſsis. Vnde cõfirmatur ſecundo, ex variis effectibus moralibus, propter quos poſtea explicandos hanc differentiam tam diligenter inquirimus. Hinc ergo naſcitur primo, vt obligatio iuramenti aſſertorij, vel promiſſorij tantum inter ſe differant, vt prior ſit maior, quàm obligatio voti: poſterior vero ſit minor, vt infra oſtendemus. Non videtur enim hęc differentia poſſe conſiſtere, niſi illa iuramenta inducant obligationes diuerſarum rationum, cum obligatio voti ſpecie ab illis differat, & ſit quaſi media inter illas. Secundo differunt etiam illa iuramenta, quia aſſertorium nunquam poteſt eſſe formaliter de re falſa ſine grauiſsimo crimine: promiſſorium vero poteſt interdum deficere in veritate implenda ſine graui culpa, vt infra etiam videbimus, hæc autem differentia, videtur perfecto indicare formalem differentiam inter ipſa iuramenta.

Imo inde etiam poteſt ſumi nouum iudiciũ, quia periurium rigoroſum, id eſt, contra iuramentum aſſertorium, & fractio iuramẽti promiſſorij videntur eſſe peccata ſpecie diuerſa, quandoquidem vnũ tale eſt ex ſua ſpecie, vt nunquam in indiuiduo poſſit eſſe peccatum veniale, aliud vero ſecundum ſuam ſpeciem ſaluari poteſt in culpa veniali, ergo & iuramenta, quibus opponũtur ſunt ſpecie diuerſa. Præterea poteſt declarari, quia in iuramento aſſertorio Deus inducitur ad cõfirmandam formalem veritatem (vt ita dicam) id eſt, quæ attẽditur magis ex con-

ex conformitate aſſertionis ad mentem dicentis, quam ad rem ipſam, ita vt ſi putet quis ſe dicere falſum, & illud iuramento cōfirmet periurus ſit, etiam ſi contingat in re dicere verum, & è conuerſo licet iuret rem falſam, quam inuincibiliter putat eſſe veram, verum iuraſſe cenſeatur, iuxta doctrinā Aug. ſer. 28. de Verbis Apoſtoli in cap. *Homines*, 22. q. 2. & in Enchiridio cap. 22. & D. Thom. 22. q. 98. & 110. At vero iuramentum promiſſorium inducitur ad cōfirmandam veritatem facti, quam materialem poſſumus appellare, quia per eam non intenditur, vt verba conſonent menti, ſed vt facta conſonent dictis. Ergo ſignum eſt Deum induci ſub diuerſa ratione, quæ ad diuerſitatem ſpecificam iuramentorum ſufficiet. Deniq; poteſt à ſimili declarari, nam etiam per adiurationem aſſumitur nomen Dei ad quandam inuocationem, & nihilominus eſt actio ſpecie diuerſa à iureiurando, quia per illam non inuocatur Deus ad teſtificandum, ſeu ad dandam quandam maiorem authoritatem, & efficaciam petitioni, vel imperio (vt infra explicabimus) ergo ita etiam poteſt diſtingui proportione ſeruata promiſſorium iuramentum ab aſſertorio.

Auguſt. C. Hominis.

5. *Couar. Ioan Stobæus. Sent diſtinguens ſpecifice iuramētum aſſertoriū, & promiſſorium probabilis iudicatur.*

Hæc ergo ſententia probabilis ſit cōiecturis adductis, à qua non longe diſtat Couar. ſupra, & refert Chryſippum apud Ioannem Stobæum Ser. 2. in hoc ſenſu diſtinguentem aliud eſſe verū iurare, & aliud fideliter iurare, videtur etiam mihi hæc ſententia aptior ad reſolutiones morales infra tradendas, earumq; rationes reddendas, ideo in eam ſum valde propenſus. Neq; videtur difficile rationibus contrariæ ſententiæ reſpondere. Ad fundamentum autem negari poteſt aſſumptum: nam in iuramento promiſſorio, Deus nō tam vt teſtis, quā vt fideiuſſor inuocatur. Quod ſi appellatur teſtis, quia eius inuocatio eo tendit, vt veritas de futuro cum effectu impleatur. Reſpōdebitur teſtificationem hanc eſſe diuerſæ rationis, nam in aſſertorio iuramēto eſt teſtificatio veritatis formalis in dictis conſiſtētis, vt ſunt mēti conformia. In promiſſorio autem ſolum confirmatur veritas, in executione, & in factis conſiſtens, quæ re vera magis firmatur, per modū fideiuſſoris, quam teſtificationis. Vnde ad ſecundā confirmationem negatur conſequētia, quia in aſſertione, vel de præſenti, vel de præterito eſt idem modus veritatis: in aſſertione autem, vel promiſsione de futuro eſt (vt ita dicā) duplex modus veritatis, vna eſt, quæ in eodem puncto in quo profertur, habere debet per conformitatē ad mētem iurantis, & quoad hanc eadem eſt ratio, & ideo diximus ſub hac ratione tale iuramētum eſſe aſſertorium. Alia veritas eſt quaſi pendens ex facto futuro, quæ alterius rationis eſt, diuerſo modo confirmatur ex parte Dei, vt explicaui, etiamſi ex parte loquentis, vel promittentis, ad eandem veritatem pertineat, hanc etiam veritatem obſeruare. Ad 2. confirmationem (quidquid ſit de votis de quibus infra ſuo loco) negatur conſequētia. quia multo maior eſt diſsimilitudo in iuramento promiſſorio, & aſſertorio, quam inter duo vota diuerſarum materiarū, vt facile patet ex dictis. Vltima vero cōfirmatio coincidit cum fundamento illius ſententiæ, & ideo non indiget noua reſponſione.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Duplex modus veritatis offenditur in iuramento promiſſorio.

6. Nihilominus negari non poteſt, quin iuramentū promiſſorium quatenus ſemper confirmat aliquā aſſertionem de præſenti, formaliter aſſertorium ſit, omneſq; eius proprietates habeat, ac requirat. Vnde conſequenter neceſſarium videtur fateri, ſub ea ratione eiuſdem eſſe ſpeciei cum iuramento pure aſſertorio, non videtur autem dicendum in vnico iuramēto promiſſorio inueniri formaliter duas rationes iuramēti ſpecie diſtinctas. Et ideo probabilius fortaſſe defendi poteſt cum communi ſententiā vnicam eſſe, & ſimplicem formalem rationem iuramenti promiſſorij, quæ eiuſdem quidē ſpeciei eſt cum pure aſſertorio, ſed addit peculiarem vim, & efficaciam confirmandi aliquid futurum quod pertinet ad quandam differētiam materialem, ſeu quaſi indiuidualem, non ad ſpecificam. Et ita videtur explicare hanc rem D. Tho. d. q. 89. ar. 7 in corpore, & ad 1. & facit cap. *Iuramenti*, cum ſimilibus 22. q. 5. quatenus indifferēter de vtroque iuramento, tanquam de vinculo eiuſdem rationis in veritate confirmanda, loquuntur. Et ex hoc fundamēto poterit ſatisfieri obiectionibus factis, quomodo autem cū illo ſubſiſtant aliæ morales concluſiones, ex diſcurſu materiæ conſtabit, & præſertim lib. 3. cap. 8. hæc omnia magis explicabuntur.

D. Thom. Cap. Iuramenti.

Quæri vero tandem poteſt, cum iuramentum promiſſorium, quoddam ſit omnino proprium, quod habet promiſsionem adiūctam, & aliud minus proprium, in quo ſola aſſertio de futuro iuratur, An illa ſint in formali ratione iuramenti diuerſa, vel quomodo diſtinguantur? Aliqui enim tantā differentiam inter ea conſtituunt, vt prius vocent promiſſorium ſimpliciter, poſterius autem tantum ſecundum quid. Quod ego intelligendum puto, quoad etymologiam nominis, ſeu quantum ad denominationem ex materia ſumptā, non vero quātum ad rationem iuramenti. Dico ergo illam non eſſe formalem differentiā, quia illa iuramēta non differunt in modo inuocādi Deum ad cōfirmationem eius, quod dicitur. Nam etiam quando adiungitur promiſsio, non aliter illa roboratur per iuramentum, quam in quantū confirmatur veritas aſſertionis de futuro, per quandam obligationem, & quaſi aſſecurationem (vt ſic dicā) conformitatis futuri facti ad præſens verbū, inde enim eſt tota ratio maioris certitudinis in tali promiſsione. Atq; ita ſiue interueniat rigoroſa promiſsio, ſiue nō, ſemper tale iuramentum tendit ad eundē finem formalē, & inducit obligationem eiuſdē rationis, ideoq; in ratione formali iuramēti non differūt, licet ex parte materiæ poſsint habere aliquas accidentales differentias, quas infra in ſuis locis attingemus. 7.

CAPVT X.

An materia iuramenti debeat eſſe contingens, & dependens à voluntate iurantis?

AD explicandam amplius iuramenti materiam, dicendum vlterius eſt, illam debere eſſe veritatē aliquam contingentem, & depēdentem aliquo modo, à voluntate iurantis. Hanc aſſertionem tradit D. Thom. d. quæſt. 89. art. 1. & 7. & quoad iuramentum aſſertorium illam declarat, quia in veritatibus neceſſariis, quæ per diſcurſum cognoſci poſſunt, confirmatio veritatis non fit per teſtes, ſed per rationes, & ideo non ſolent, nec debent iuramento confirmari: *Deriſibile enim* (inquit) *videtur ſi quis in diſputatione alicuius ſcientiæ vellet propoſitum per iuramentum probare.* Hinc ergo infert, iuramentum aſſertorium circa materiam contingentem verſari, explicat autem hæc contingentia debere eſſe facta hominum, nam quia hæc non poſſunt per rationem neceſſariam probari, ſolent per teſtes confirmari, & quia teſtimonium humanum infirmum eſt, introductum eſt, Diuinum per iuramentum. 1.

Obiectio.

Sed videtur D. Tho. omiſiſſe multas veritates, quæ licet in ſe habeât principia neceſſaria, quibus probari poſsint, tamen à nobis ignoratur, & ideo ſæpe illas probamus teſtimoniis humanis, & ratione illorum ſæpe confirmamus iuramento contingentes effectus, qui non ſunt facta hominum, vt v. g. Romæ, tale ſignum accidiſſe, vel pluuiam fuiſſe, vel aliquid ſimile. Imo etiam effectus neceſſario futuri, & qui per demonſtrationem cognoſci poſſunt interdum iuramento confirmantur apud eos, qui demonſtrationis nō ſunt capaces

vt Aſtro-

Digitized by Google

vt Aſtrologus poteſt iurare Eclipſim eſſe futuram, vel quid ſimile.

2. Solutio. Reſpondetur, ſub veritatibus ſenſibilibus comprehendi enuntiationes omnes, quarum veritas ſpeculatiue inquiritur, ſeu confirmatur, ſiue perueniri poſſit ad certam earum ſcientiam, ſiue tantum ad probabilem cognitionem, nam in omnibus his deriſibile eſſet, iuramento eas velle confirmare, aut perſuadere; & ratio eſt, quia iuramẽtum aſſertorium immediate non cadit in rem dictam ſecundum ſe, ſed in dictum iurantis, & veritatem eius. Et ideo non refert, quod ad has veritates ſuadendas interdum ſoleamus quaſi inducere teſtes, dum authoritate vtimur, quia illud teſtimonium non inducitur per modum iuramenti, ſed ſolum ad generandam quandam fidem humanam ex authoritate alterius, vnde immediate non eſt de ipſa re, ſed de ſenſu alterius. Vnde licet poſſit quis iurare, Auguſtinum, v.g. aut Thomã hoc docuiſſe, aut ſenſiſſe, non tamen ideo poteſt iurare ita eſſe, & eodem modo, qui iuramento confirmat, naturalem effectum alibi factum fuiſſe, non illud iurat, niſi ratione cognitionis, quam de illo habuit: nam illam immediate exprimit per aſſertionem, quam iurat. Et idem cum proportione eſt de iuramento, quo aliquis confirmat eclipſim, vel pluuiam eſſe futuram, virtute enim iurat ſe habere certam de illa re notitiam. Hoc ergo modo iuramentum aſſertorium ſemper eſt de materia contingente ratione alicuius humanæ actionis à qua pendet veritas aſſertionis, quæ immediate iuratur, ſaltem ratione cognitionis, & notitiæ, quæ in iurante ſupponi debet, quia non poteſt aliquis vere iurare quod non nouit. Vnde ſi aliquis iuraret aſſertionem, cuius veritatem non nouit, licet contingeret ipſam in ſe eſſe veram, & neceſſariam: nihilominus eſſet iuramentum, quantum eſt ex parte iurantis de re falſa, quia eſſet de re ſibi ignota. Atq; ita etiam, tunc eſſet iuramentum de re contingente, quia quantum eſt ex tali modo iurãdi, tam contingens eſt rem ipſam in ſe non eſſe, ſicut eſſe. Ad hunc ergo modum omne iuramentum aſſertorium verſatur circa materiam contingentem per facta hominum, ſeu actiones humanas.

3. Atq; idem maiori ratione inuenitur, aſſertio vera in iuramẽto promiſſorio, quia illud eſt de facto præſtando ab ipſo iurante, quod contingens eſt, vt conſtat: nam ſiquis iuret futurum effectum à cœlo, vel aliis cauſis naturalibus, illud iuramentum non eſt promiſſorium ſed aſſertorium, & habet ſenſum ſupra dictum. Vt ſiquis iuret aliquid eſſe faciẽdum ab alio, vt ſonat etiam, eſt pure aſſertorium, & debet reduci ad prædictum ſenſum, quod ille intelligitur iurare, ſe exiſtimare, aut credere alium id facturum. Vt ſic autem non eſt promiſſorium, quia nemo poteſt promittere, aut ſe obligare ad factum alienum: niſi fortaſſe in quantum à ſua induſtria, & diligentia pendet. Et ideo dixi, *vt ſic*, quia ſiquis iuret factum faciendum ab alio, eo ſenſu, vt ſuam induſtriam, vel diligentiã ad id aſſequendum promittat, iuramentum quidem erit promiſſorium, non tamen vt eſt de facto alieno, ſed vt eſt de proprio: & ita ſemper eſt de re contingente, quatenus pendet à facto, & voluntate ipſius iurantis.

4. Imo addunt cõmuniter Canoniſtæ, quoties quis iurat promittendo alienum factum, ita eſſe interpretandum, vt ſuam operam circa illud cenſeatur promittere. Tum quia non præſumitur peccaſſe, iurando rem incertam, ac dubiam: tum etiam quia iuramentum, ob reuerentiam Deo debitam, hanc prærogatiuam habet, vt ſemper valeat, eo modo, quo valere poteſt: vt late Gutier. de Iuram. part. 2. c. 2. n. 3. ergo cum eſt de facto alieno, valet vt proxime iuretur propria diligentia, vel induſtria iurantis circa factum alienum. Atq; ita ſentit Panor. in c. *Ex litteris*, 2. de Sponſal. n. 6. cum Gloſ. 1. ibi, Anton. & aliis: idem fere habẽt Gloſ. & Doct. in c. *Ex reſcripto*. de iureiur. & plures alij, quos refert, & ſequitur Couar. dicto c. *Quamuis*, 2. p. §. 5. n. 2. Greg. Lop. in l. 11. titul. 1. Part. 1. & alij communiter, qui loquuntur, quando ex verbis conſtat ſufficiẽter de promiſſione: nam ſi iuramentum fiat ſolum per modum aſſertionis, eſſe poterit verum, interpretando, (vt diximus) iurantem ſolum iurare quid de alieno facto futuro ſentiat, vel coniectet.

Gutier. Panor. Gloſ. Anton. Couar. Greg. Lop.

Tandem obiici poteſt, quia interdum poteſt, aliquis ſub iuramento promittere rem impoſſibilẽ. 5. Inſtantia. Reſpondeo, vel ille putat, rem illam eſſe poſſibilem, vel cognoſcit eſſe impoſſibilem. Priori modo iuramẽtum cadit formaliter in rem, vt poſſibilem ex humana voluntate, atq; adeo vt contingentem. Solutio. Poſteriori autem modo impoſſibile videtur, rem talem vere, & ex animo promittere, ſeu iurare promittendo, ſed qui ſic iurat, videtur fingere promiſſionem, & voluntarie iurare falſam quãdam aſſertionem de re futura, cum ſit impoſſibilis fingendo eſſe poſſibilem, ſic ergo omne iuramentum promiſſorium, aut verum aut putatum, aut fictum cadit ſuper materiam contingentem proportionali modo. Et hæc ſufficiunt de materia iuramẽti, nam alia cõditio, quæ hic addi poſſet, ſcilicet talem materiam debere eſſe honeſtam, & iuſtam in ca. 3. declarando comites iuramenti ſufficienter declarata eſt pro iuramento aſſertorio, de iuramento autem promiſſorio in lib. 2. eſt latius declaranda.

CAPVT XI.

Vtrum ex parte formæ iuramenti verba requirantur?

1. FOrma iuramenti dici poteſt vno modo illa res, ſeu perſona per quam iuratur, quia ab illa ſumitur, veluti ratio formalis iuramenti, & hoc modo poſſet diuidi iuramentũ in verum, vel apparens, id eſt, in illud, quod fit per Deum verũ, vel per Deum falſum, ſeu quod fit per Deum, vel per creaturas, vt tales ſunt, poſſet etiam diuidi verum iuramentum in illud, quod fit explicite per Deum, vel quod fit implicite per creaturam cũ ordine ad ipſum, quãuis hæc diuiſio magis pertineat ad alium ſenſum iã explicatũ. Hic ergo non accipitur forma iuramenti in hoc ſenſu: nam de illo ſatis dictum eſt in cap. 5. formam ergo iuramenti hic appellamus, ſignum illud, quo nomen Dei aſſumimus ad iurandum. Eſt autem ſupponenda alia diuiſio ſupra facta iuramẽti in mentale, & ſenſibile, ſeu vocale. Hic igitur non tractamus de mentali, nam illud non eſt aliud ſignum, vel forma præter conceptus mentis, quibus interna locutio fit, & ita nulla indiget ſpeciali declaratione, quæ ad rationem iuramenti explicandam conducat. Agimus ergo de iuramento ſenſibili, quod ad alios homines fieri poteſt, & ſignum illud, per quod fit, vocamus formam eius. Senſus quæſtionis.

2. Supponimus autem verba de ſe eſſe ſufficientia ad huiuſmodi formam conſtituendã, quia ſunt ſigna maxime expreſſa, & maxime connaturalia homini, oportet autẽ vt verba ſint impoſita ad ſignificandum inuocationem Dei ad iuramentũ neceſſariam, nã ſiquis proferat verba in ſenſu, quẽ ipſa non ſignificãt, etiãſi velit non ſignificabit exterius quod intendit. Nã vt recte dixit Iuris cõſultus in leg. 3. ff. de Rebus dubiis, *Qui aliud dicit, quã vult, neq; id dicit, quod vox ſignificat, quia non vult, neq; quod vult, quia id non loquitur*: vnde licet quis intendat iurare per verba, quæ iuramentum non ſignificant, licet apud Deũ iuret, eo modo, quo poſſet per actũ mere internum iurare: vel quãuis dici poſſit ſibi iurare, quia poteſt verbum illud imponere ad ſignificandum ſibi, nihilominus apud alios homines reuera non iurat, nec profert iuramentũ ſimpliciter ſenſibile, Iuris conſultus leg. 3.

Digitized by Google

niſi intentionem ſuam, & verborum vſum alio ſufficienti ſigno manifeſtet. Oportet ergo vt verba, vel ex ſua impoſitione, vel ex vſu, & circumſtantiis habeant ſufficientem ſignificationem, & ita dici poſſunt forma maxime propria humani iuramẽti.

3. *Dubium.* Vlterius vero dubitari ſolet, an ſit de ratione iuramenti, vt per propriam vocem, ac verba humana proferatur. Quam quæſtionẽm diſputant *Couar. Selua.* Couar. in cap. *Quamuis pactum*, in principio, n. 4. & Selua tract. de iuramento part. 1. qu. 2. ex quibus colliguntur tres Iuriſtarum opiniones. Prima abſolute affirmãs verba eſſe de neceſsitate iuramenti, quam tenent *Bart. Iaſ.* Bart. Iaſ. & nonnulli alij in lege *Qui iuraſſe*, ff. de Iurejur. ſecunda opinio abſolute negat eſſe neceſſaria verba, quam tenent *Abb. Couar. Selua.* Abb. & communiter Canoniſtæ in Rubrica de Iureiurando, & ſequitur Couarr. d. nu. 4. Tertia opinio dicit in iis, qui poſſunt loqui eſſe neceſſaria verba, non vero in muto, ſicut in confeſsione Sacramentali dicere ſolemus eum, qui poteſt loqui, debere per propria verba confiteri, & nihilominus mutum poſſe ſignis confiteri. Et hanc opinionem tandem ſequitur Selua, & ſecundum illam limitat, & declarat primam opinionem, quam probauerat, & ſequuntur alij, quos Couar. refert.

4. *Verba non ſunt de neceſſitate iuramenti.* Sed in hoc puncto loqui poſſumus, vel in ordine ad conſcientiam, quod ad nos ſpectat, vel in ordine ad iudicia, aut pacta humana, quod magis diſputant Iuriſtæ, & ideo Theologi nihil fere de hoc puncto dicunt, quia in ordine ad Deum, ſeu conſcientiam, nõ habet difficultatem. Primo ergo dicendum eſt verba non eſſe de neceſsitate iuramẽti. Probatur quia ſufficiunt ęquipollentia ſigna, ſi fiãt cum intentione iurandi. Patet quia verba ratione ſignificationis habent vt per ea exponi poſsit iuramentum mẽte conceptum: ergo eadem vis erit in quocunque æquipollenti ſigno, nam quod illud ſignũ ſit vox, vel aliud, materiale eſt, vnde per ſcripturam indubitanter fieri poteſt, & ita poſſumus ad abſentem iurare, ſicut poſſumus cũ illo paciſci iuxta leg. 2. ff. de Pactis, ergo idem eſt de quocunq; æquipollẽti ſigno, quo mens ſufficiẽter ſignificetur.

5. *Poſſe ſufficere iuramentum ad humanos contractus ſine verbis ſtando in iure natura.* Secundo dicendum eſt, ex natura rei poſſe ſufficere iuramẽtum ad teſtimonium, obligationem, vel alios cõtractus humanos, etiam ſine verbis per æquipollentia ſigna. Probatur primo ex argumento, à muto, qui loqui non poteſt, nam ille poteſt ſe obligare ſub iuramento, & teſtificari vbi neceſſe ſit. Reſpondet Selua in muto ſufficere, quia nõ poteſt amplius in eo vero, qui poteſt loqui requiri verba, quia illa ſunt expreſſoria ſigna, & non ſunt fruſtra data à natura, ſed vt illis vtamur, ſi poſſumus. *Euaſio. Occluditur.* Sed hoc oſtendit congruitatem, non neceſsitatem ex natura rei. Nam ſi in muto alia ſigna ſufficiunt de ſe, ſufficiunt in quocũq; etiamſi alia ſigna faciliora, vt ſunt verba, poſsibilia ſint, quæ poſsibilitas verborum non deſtruit ſufficiẽtiam aliorum ſignorum, ergo non ſufficit ad inducendam ex natura rei neceſsitatem verborum. Maxime quia reſpectu abſentium nõ ſufficiunt verba vocalia, cum tamen poſsimus cum illis contrahere, & iurare. Item cũ præſentibus licet loqui poſsimus, non ſemper expedit; aut decet propter alios reſpectus, cur ergo non ſufficiet vti aliis ſignis. Et confirmatur, quia ob hanc cauſam matrimonium fieri poteſt ſine verbis, & votum, ac profeſsio Religioſa, vt patet in tacita, & infra ſuo loco dicetur.

6. *In iure humano requiri poſſe verba, vt iuramentum obligationem inducat.* Tertio dico, ex iure humano ibi ſolum requiri verba vt iuramentum fidem faciat, vel obligationem inducat, vbi cõſtiterit legem humanam talem formam iurandi poſtulare ad hos effectus. Probatur, quia lex humana poteſtatẽ habet præſcribendi certas formas ſeruandas in contractibus, vel iudiciis, ſine quibus actiones non valeãt. Et hoc modo requirunt Iura Ciuilia propria verba in ſtipulationibus, & ideo neq; inter abſentes, neque cum muto, vel ſurdo fieri poſſunt iuxta legem 1. ff. de Verborum obligationibus. Ergo vbi lex humana poſtulauerit formalia verba ad valorem iuramenti, ibi erunt neceſſaria. An vero leges humanæ hoc diſpoſuerint aliquo caſu, à Iuris peritis magis petẽdum eſt? Ego vero exiſtimo in rigore non inueniri talẽ caſum, alioqui in illo mutus iurare non poſſet, nullus autem talis caſus reperitur; cum mutus etiam in iudicio poſsit eſſe teſtis, & iurare iuxta Gloſſam in cap. *Teſtes*, 3. p. q. 9. quod eſſe receptiſsimum dixit Couar. ſupra. *Cap. Teſtes.* Verum quidem eſt valde conſentaneum rationi eſſe; vt qui poteſt loqui, & ad præſentes iurat, per verba faciat: nam hoc, & magis naturale, & ſecurius eſt; vnde fit vt ſit etiam regulariter obſeruandum, & inde etiam eſt, vt Iura quando loquuntur de iuramento per verba, aut voces illud deſcribant, ſeu declarent, & hoc ſolum probant multa Iura, quę Selua, & Couar. adducunt, tamẽ in nullo eorum requiruntur vt eſſentialia, ideo neceſſe non eſt pluribus verbis reſpondere ad aliarum opinionum fundamenta, ſed videri poteſt Couarr. ſupra.

Vnam vero obiectionem, quam Couar. facit ex ca. *Clericus*, de Iureiurando, omnino prætermittere non poſſumus, quia nonnullam habet difficultatem. 7. *Ca. Clericus. Obiectio.* Nam in caſu illius textus quidam clericus iurauerat, ſeruare ſtatuta edita in ſua Eccleſia, poſtea vero per idem iuramentum promiſit ſeruare fideliter ſtatutum poſtea ſubſecutum. Dubitabatur ergo an ex vi præſtiti iuramenti teneretur ſeruare ſtatutum poſtmodum ſubſecutum? & reſpondens Pontifex, dicit, non teneri ex vi iuramenti, ſed ſolum ex vi promiſsionis. Quæ reſponſio videtur in hoc fundata, quod poſterius ſtatutum non fuit per propria verba iuratum, ergo ſupponitur ibi neceſſaria eſſe verba ad obligationem iuramenti.

8. *Solutio.* Sed hæc obiectio licet in ſe difficultatem habeat quoad intelligentiam illius textus (circa quam ſatis laborant Abbas, & alij expoſitores ibi, & plures alij Doctores, quos Couarru. refert) nihilominus pro quæſtione præſenti non habet difficultatem. Nam potius ibi videtur interueniſſe verba ſufficientia ad iuramentum, quia præceſſerat iuramentum de ſeruandis ſtatutis factis, & poſtea circa nouum ſtatutum facta eſt promiſsio ſub his verbis: *Promitto per idem iuramentum hoc nouum ſtatutum fideliter obſeruare*, vt ex textu colligitur, non ergo defuerũt ibi verba, ſed tunc difficile ad explicandum eſt, quomodo ſtet reſponſio Pontificis, cum per illa verba indicatur ſufficienter iuratum nouum ſtatutum, quandoquidem per illa verba declarauit talis clericus, ſe promittere ſub eodem iuramento, per quę verba videtur in virtute iteraſſe præteritum iuramentum. Nam quando aliquid additur pręcedenti diſpoſitioni, cum relatione ad illam, perinde eſt, ac ſi forma præcedentis diſpoſitionis repeteretur.

9. Sed nihilominus dicendum eſt verba illa potuiſſe habere ambiguum ſenſum: vnus eſt proxime tactus, quod clericus ille, quando ſecundo promiſit, voluerit per illa verba iterum iurare, & promiſsionem confirmare. Alius eſt, quod non iurando de nouo, ſed tantũ promittendo, voluerit promiſsionem manere ſubiectam, priori iuramento ſine ſua voluntate, tentando facere illam extenſionem iuramenti, ſiue per ignorantiã exiſtimando promiſſionem obſeruandi nouum ſtatutum, eo ipſo manere comprehenſam ſub priori iuramento. Pontifex ergo in hoc poſteriori ſenſu verba interpretatur, & ideo reſpondet poſteriorem promiſsionem non fuiſſe iuratam, quia nec nouo iuramento confirmata fuit nec prius iuramentum ad illam extendi potuit. Quod ſi ipſemet promittens aliud exiſtimauit, error eius nõ potuit in re obligationem inducere, ſed ad ſummũ ex conſcientia erronea, quæ

obligatio

Digitized by Google

obligatio ceſſat ablato errore. Neque etiam volũtate ſua potuit extenſionem prioris iuramenti facere: nam licet iurare, vel non iurare, & iurare hãc, vel illam rem ſit in hominis voluntate, tamen facto iuramento circa aliquam materiam quod ex illo ſequatur, vel non ſequatur obligatio, vel quod ſit tanta, vel maior, non pendet ex hominis voluntate, quia eſt effectus naturaliter conſequens ad iuramentum, vt infra videbimus. Et ideo non eſt in poteſtate humanæ voluntatis facere, vt idem iuramentum prius factum circa limitatam materiam poſtea ad nouam extendatur, licet ſit in hominis poteſtate, ſimile iuramentum de nouo facere circa ſimilem nouam materiam. Quia ergo Pontifex in eo caſu interpretatur, non eſſe factum iuramentum de nouo, ideo recte concludit, promiſsionem illam non fuiſſe iuramento confirmatam.

10. *Dubium.* Quod ſi inquiras, cur in caſu ambiguo ita Pontifex verba illa interpretetur, cum ſecurius videretur ibi iuramentum præſumere, & ad illud ſeruandum obligare. *Solutio.* Reſpondetur, Pontificem non iudicare de obligatione iuramenti, niſi iuxta exigentiam externi ſigni, illa autem verba nude ſumpta, & nullis aliis circumſtantiis affecta, non indicabant nouum iuramentum, ſed tantum promiſsionem, vt patet ex ver. *Promittens*, & extenſionem prioris iuramenti, vt patet ex proprietate illius relatiui, *Per idem iuramentum*. Vnde cum ex vi verborum conſtaret ibi non eſſe factum nouum iuramentum, vel ſaltem non conſtaret eſſe factum, & alioqui iuramentum ſit valde oneroſum, & eius obligatio periculoſa, merito Pontifex fauorabiliorem partem elegit, ſaltem in exteriori iudicio, nihilominus tamen non excluſit, quin ſi clerico illi in conſcientia conſtaret, ſe protuliſſe illa verba animo, & intẽtione iurandi de nouo nouam promiſsionem, coram Deo maneret obligatus, quia intentio iurantis poterat verba ad illum ſenſum determinare. Sicut etiam ſi vltra illa verba additæ fuiſſent exterius aliæ circumſtantiæ, quæ ſatis determinarent ſignificationem, poſſet etiam in foro exteriori nouum iuramentum iudicari, quæ omnia ſunt conſentanea *Abbas.* iis, quæ circa illum textum notat ibi Ab. n. 2. & 3. & *Syluest.* Sylueſt. verbo *Iuramentum*, 4. q. 23. & D. Antoninus *D. Anton.* 2. p. titulo 10. cap. 6. §. 6. Couarr. vbi ſupra n. 5. Atq; *Couar.* ita conſtat, illam reſponſionem Pontificis non fundari in hoc, quod ad iuramentum requirantur neceſſario propria verba, ſed in vniuerſaliori principio, ad quod iurandum de nouo requiratur ſignum ſufficiens noui iuramenti expreſsiuum, ſiue illud ſit verbum, ſiue quodcunque aliud.

Capvt XII.

De triplici diuiſione iuramenti ex parte formæ.

1. *Iuramentũ tribus modis fieri poſſe ex parte formæ.* Ex reſolutione præcedentis dubij inferre poſſumus, iuramentum tribus modis fieri poſſe ex parte ſigni, ſeu forma iurandi, ſcilicet, vel propriis, ac ſolis verbis, vel ſolis aliis actionibus, vel nutibus ſignificantibus, vel ſigno quaſi cõpoſito ex verbis, & factis. Primus modus per ſe notus eſt, & maxime vſitatus, præſertim in ſimplicibus, & priuatis iuramentis. Neq; habet vllam difficultatem, quia verba per ſe ſunt ſufficientia ſigna. Tertius etiam modus eſt per ſe manifeſtus, quia ſi ſola verba ſufficere poſſunt, multo magis verba cum aliis ſignis, vel nutibus. Eſt etiam hic modus ſatis vſitatus, præſertim in publicis iuramentis, & aliquando in Iure poſtulatur, & vocatur à Iuriſtis modus cor- *Ca. Quoties. Clem. 1.* poraliter iurandi, vt tangendo Euangelia, ca. *Quoties*, 1. q. 7. & clarius in Clementina 1. §. *Porro*, de Hęreticis, vbi Gloſſ. verbo *Tacta*, late hoc proſequi- *Ca. Vt circa.* tur, & in cap. *Vt circa*, de Elect. in 6. ibi, *Corporali præſtito iuramento*. Et de hac forma iurandi habemus etiam in Scriptura varia exempla, vt de Abraham, & Iacob, qui ad exigendum iuramentum poſtularunt, vt iurans poneret manum ſub femore ſuo, de qua forma, & aliis plura dicemus, paulo inferius, explicando aliam diuiſionem. In hoc autem iurandi modo aduertere oportet, aliquando poſſe factum adiungi verbo ſolum ad quandam maiorem ſolemnitatem, vt quãdo alias ſolum verbum ex ſe erat ſufficiens, interdum vero poſſe addi ad complementum iuramenti, vel quia ex poſitiuo iure poſtulatur, vel certe, quia verbum ſolum per ſe non fuiſſet ſufficiẽs, & adiuncto alio ſigno compleretur ſignificatio, vt in caſu dicti c. *Clericus*, pro- *Ca. Clericus.* xime tractato, verba illa, *Promitto per idem iuramentum*, non cenſentur ſufficientia ad nouum iuramentum præſtandum, ſi autem dicta fuiſſent illa verba tangendo Euangelia, compleretur ſufficiens ſignum iuramenti.

Secundus autem modus iurandi per ſola ſigna 2. conſiſtentia in factis rarior eſt, quia vt diximus, proprium, & quaſi connaturale ſignum ad explicandos conceptus ſunt verba. Nihilominus tamen non eſt impoſsibilis hic iurãdi modus, quia ex impoſitione, vel conſuetudine poteſt per aliquod factum ſufficienter iuramentum ſignificari. Sic D. *D. Anton.* Anton. 2. p. tit. 10. c. 3. in principio refert, apud Italos ſufficere tactum alicuius libri, vt intelligatur præſtitum eſſe iuramentum. Inducat autem in tali modo iurandi ſemper eſſe neceſſarium, vt præcedant aliqua verba, quibus exigatur iuramentum, & pro ſigno iurandi petatur tactus libri, vel apprehenſio manus, aut inclinatio capitis, vel quid ſimile: & tunc res eſt clara, quia tota ſignificatio præcedentium verborum in illo tactu, vel nutu ſufficiẽter continetur. Et certe hic modus iurandi vix aliter exercetur inter eos, qui audire poſſunt, & loqui. At ſi is à quo petitur iuramentum, eſſet ſurdus, vel etiam mutus ſufficeret, vt petitio iuramenti per alia ſigna antecedentia fieret, vel per ſcripturam ſi legere ſciret. Poſſet etiam conſuetudine introduci, vt ſimplicia verba promiſsionis, vel aſſertionis de futuro, vt Ego faciam, dicta cum tali modo, ſeu actione, vt tangendo crucem, aut Euangelia, aut eleuando digitum in cœlum cenſeantur eſſe iurata, vt *Syluest.* ſentiunt Sylueſt. verbo *Iuramentum*, 1. Soto d. qu. 1. *Soto.* art. 1. in fin. Couarr. ſupra p. 1. in principio nu. 4. Et *Couarr.* tunc iuramentum in ſola actione poſitum eſt, nam verbum, quod antecedit, vel comitatur, magis eſt materia iuramenti, quam ſignum, licet parum interſit ſub vno, vel alio membro ritum illum conſtituere.

Triplex ergo iuramentum ſenſibile ex dictis 3. *Triplex eſſe iuramentum ſenſibile.* conſurgit, quæ poteſt eſſe prima diuiſio ad hanc formam pertinens, vnum appellari poteſt verbale tantum, aliud corporale, ſeu reale tantum, aliud ex vtroque mixtum, ſeu compoſitum, hæc enim nomina habent in iure fundamentum, vt videmus, eorum autem rationes ſatis manent explicatæ ex dictis. Diuiſio autem hęc quoad rationem iuramẽti accidentaria eſt: nam licet ſignum, vt ſignum, ſit de ratione iuramenti, ſenſibilis res, quæ ad ſignificandum imponitur, materialiter ſe habet ad rationem iuramenti: & ideo nõ variat ſpeciem eius, poteſt autem cõferre, vel ad maiorem certitudinem, vel ad aliquos effectus iuris, vel ad augendam aliquo modo obligationem, ratione maioris ſolennitatis, de qua nunc dicemus.

Secunda diuiſio iuramenti ex parte formæ.

Secundo ergo diuiditur iuramentum, etiam ex 4. *Diuiſio iuramenti in ſimplex, & ſolemne.* parte formę in ſimplex, & ſolemne, ſimplex negatione conſtituitur, nam illud eſt ſimplex, quod ſolemnitatem ſpecialem non habet, & ideo explicato ſolẽni, illud etiam erit explicatũ, dicitur ergo ſolemne

Digitized by Google

Definitio iuramenti ſolemnis. ſolemne iuramentum illud, quod fit peculiari ritu, aut cæremonia, verbis addita lege, & conſuetudine introducta. Tales fuerunt innumeri ritus apud Gentes, vt videri poteſt in Alexand. ab Alexand. cum Tiraq. lib. 5. Geniali cap. 10. *Alex. ab Alexand. Tiraq.* quibus amiſsis ſolum vnum commemorabo ſeruatum ab antiquis Patriarchis, videlicet, ponendi manum ſub fœmore exigentis iuramentum, ad quandam iuramenti ſolemnitatem Geneſ. 25. & 47. *De cæremonia ſanctorum Patriarcharum in iuramento.* De qua cæremonia dubitari ſolet; cur pertineret ad ſolemnitatem iuramenti, quia nihil ſacrum in ea eſſe videtur, cæremonia autem, quę additur iuramento ſolemni debet ad Religionem eius aliquo modo pertinere. Sed in hoc frequentior ſententia Patrum eſt, illo ſigno indicatum eſſe iuramentum fieri in fide Chriſti, qui tunc continebatur in lumbis Abrahæ, vt loquitur Paul. ad Hebr. 7. Et idem dici poteſt de Iacob. *Hieron.* Et hanc interpretationem refert Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis, vnde iuxta illam non potuit ille modus iurandi poſtulari, niſi ab iis, qui certo ſciebant ſe futuros progenitores Chriſti, & ita non legitur, niſi de Abraham, & Iacob. Alij autem volunt illa cæremonia ſignificatam fuiſſe fidem veri Dei, cum quo populus ille peculiare pactum inierat, cuius ſignum erat circumciſio, quæ circa illam partem fiebat, quod magis placet Abulenſi, & Lyrano: *Abulenſ. Lyran.* & ita poterat eſſe ille ritus communis omnibus Iudæis. Alij denię non putant illam cæremoniam eſſe additam propter ſacram ſignificationem, ſed ad ſignificandam ſubiectionem iurantis reſpectu ad iurantis, in quam expoſitionem inclinant Vatablus, & Lyppomanus, *Vatabl. Lyppom.* neque propterea fuiſſet cęremonia impertinens ad iuramentum, quia in iuramento ſolemni poteſt ritus adhiberi, non ſolum ex parte illius, cui iuratur, ſed etiam ex parte iurantis, vt magis aduertat obligationem ſuam, & debitum peculiare reſpectu illius, cui iurat, ac denique negotij grauitatem, vt aliis exemplis ſtatim declarabimus. Alio etiam modo fiebant olim ſolemnia iuramenta adiungendo illis holocauſta, & ſacrificia, vt notat Nicolaus de Lyra, Gen. 15. *Lyran.* vbi Deus ipſe hunc ritum iurandi videtur ſeruare voluiſſe, & inſinuatur Hierem. 34. *Hierem. 34.* vbi reprehendit Deus eos, qui non obſeruauerunt verba fœderis: *Quibus aſſenſi ſunt* (inquit) *in conſpectu meo in duas partes, & tranſierunt inter diuiſiones eius.*

5. Nunc etiam iuramentum ſolenne variis modis, & ritibus fit, qui in variis Decretis leguntur, vt tangendo crucem, reliquias, & Euangelia, ca. *Tibi Domino*, 63. d. & in Clementina vnica de Iureiurando, & in ca. vlt. de Iuramento calumniæ, & in aliis, quæ videri poſſunt in Abbate, & Rubrica de Iureiurando, & Selua tractat. de Iurament. p. 1. *Cap. Tibi Domino. Clement. Abbas. Selua.* Hęc autem ſolemnitas Canonica, (ita enim interdum in Iure appellatur cap. *Dilecti*, de Maioritate, & obedientia) *Ca. Dilecti.* maxime ſumi ſolet ex tactu, vel præſentia rerum ſacrarum, vel ex ſimilibus circumſtantiis ſacris, vt conſtat ex Iuribus, & exemplis adductis. Aliquando vero conſiſtit in ſolemnitate pertinente ad certiorem notitiam, vel probationem præſtiti iuramenti: & hoc modo ſeruari ſolet ſpecialis forma in poſtulando iuramento; quod iudiciale vocant, & ſolet ab extraiudiciali diſtingui, de quo eſt ſermo in leg. *Generaliter*, §. vltimo, Cod. de Rebus creditis, *Leg. Generaliter.* vbi variæ illius ſolemnitates inſinuantur. Et ſic etiam poſſent diſtingui iuramenta contractuum, vel pacis, aut fœderis, quę ſpeciali ſolemnitate ſæpe fiunt. Verumtamen omnes hæ diuiſiones ſub ſuperiori continentur, nam omnia illa iuramenta continentur ſub ſolemni iuramento, & fere non diſtinguuntur, niſi ex variis materiis, vel ad ſummum ex variis cæremoniis, aut circumſtantiis, quæ accidentales ſunt ad rationem iuramenti.

6. Imo hinc etiam conſtat totam hanc diuiſionem iuramenti in ſolenne, vel ſimplex eſſe per differentias accidentales, & in ratione eſſentiali iuramenti eſſe eiuſdem ſpeciei. *Iuramentũ ſolenne, & ſimplex accidentaliter tantum diſtingui.* Probatur, quia ſubſtantia iuramẽti conſiſtit in Diuino teſtimonio, ſed hęc inuocatio eiuſdem rationis eſt in vtroq;, ſolemnitas autem ſolum adhibetur, vel ad excitãdam magis fidem, & reuerentiam iuramenti, vel ad augendam obligationem ratione maioris aduertentiæ, vel conſiderationis, vel ratione vitandi ſcandali, vel etiam ratione iuſtitiæ, & obedientiæ debitę Superiori, aut iudici exigenti iuramentum. Vel denique vt in exteriori iudicio faciat ſufficientem probationem, quando ita per ius humanum diſpoſitum eſt. Tunc enim licet talis ſolemnitas non requiratur ad obligationem iuramenti in conſcientia, ad illum exteriorem effectum erit neceſſaria, & ideo adhibenda eſt modo in ipſo Iure explicato. Vbi interrogari poterat qualis debet eſſe tactus libri Euangeliorum, quando in Iure poſtulatur, vt in c. *Laudabilem*, de Frigidis, & maleficiatis, & ſic de aliis circumſtantiis, ſed de iis videri poſſunt Gloſſæ ſupra citatę in c. *Vt circa*, de Electione in 6. & in Clement. 1. §. *Porro*, de Hæreticis, Abb. in cap. *Et ſi Chriſtus*, de Iureiurando, & in cap. *Fraternitatis*, de Teſtibus, & alij quos late refert Couarr. ſupra §. 1. numer. 2. & ſequentibus, & latius Sanctius libr. 7. de Matrimon. diſp. 108. n. 14. illa enim omitto, quia ad conſcientiam parum referunt. *Cap. Laudabilem. Ca. Vt circa. Clem. 1. Abbas. Cap. Etſi Chriſtus. Cap. Fraternitas. Couar. Sanctius.*

7. *Aduertendum.* Poteſt denique circa hanc diuiſionem animaduerti iuramenta ſolemnia ordinarie eſſe ex his, quę compoſita appellauimus ex verbo, & facto (vt ſic dicam) vt in exemplis adductis ex Scripturis videre licet. Nam in eis, & verbale iuramentum, & tactus aliquis, vel ſacrificium intercedebat, & ſimile fuiſſe videtur iuramentum fœderis inter Iacob, & Laban, Gen. 31. Nam prius erexerunt tumulum teſtis, & deinde iurarunt immolatis victimis. In formis etiam iuramẽtorum ſolemnium, quæ in ſacris Canonibus inueniuntur, intercedunt verba, & aliquæ ſacræ cæremoniæ, vel externæ ſolemnitates, aliquando vero etiam in verbis ipſis, ſpecialis forma, & ſolemnitas poſtulatur: vt quod fiat per expreſſam inuocationem trium Diuinarum perſonarum, & aliquando etiam ſanctiſsimæ Virginis, vel aliorum Sanctorum. Vnde in rigore poſſet ex ſola circumſtantia ſufficere ad ſolemnitatem iuramenti, tamen (vt dixi) ordinarie adiungitur corporalis ſolemnitas, quia, vel ad publicam notitiã iuramenti, vel ad alios effectus ſupra dictos moraliter neceſſaria cenſetur. Atq; hinc fit, vt etiam in priuatis iuramentis ſoleant homines adhibere aliquam ſimilem ſolemnitatem, vel participationem eius. De priuatis autem iurationibus loquitur Chryſoſtom. Hom. 15. ad Popul. *Chryſoſt.* *Cum*, inquit, *ſuper menſam adiuras ſacram, & vbi Chriſtus poſitus eſt immolatus, ibi fratrem tuum immolas*: & infra: *Saltem librum iſtum reuerere, quem in iuramentum porrigis*: vnde aliquando dicere homines ſolent, ſe ſolemniter iurare per Deum, licet nihil aliud faciant vel dicant, quod per exaggerationem dici videtur ad magis commendandam intentionem iurandi, & fidem iuramenti; communiter tamen omnia priuata iuramenta inter ſimplicia reputantur, quia licet habeant aliquam ſolennitatem, non tamen legalem, & per ſe requiſitam ſed conſuetam, & ita de illis ſemper loquemur.

8. *Tertia diuiſio ex parte formæ in iuramentum execratoriũ, & inuocatorium.* Tertia diuiſio ex parte formæ eſt in iuramentum per conteſtationem, ſeu inuocationem Diuini nominis, vel per execrationẽ, & ita poſſumus prius appellare inuocatorium, & ſecundum execrationem. Prius fit implorando Deum in teſtimonium veritatis, quaſi directe, ſiue explicite in ſe ipſo, ſiue implicite in aliqua creatura cum ordine ad ipſum, & non determinando, neq; petendo modum aliquẽ Diuinæ atteſtationis, vt fit per hæc verba, *Teſtis eſt Deus*,

eſt Deus, viuit Dominus, &c. & ita hic modus iurandi eſt magis ordinarius in Scriptura, & in communi etiam vſu. Iuramentum autem execratorium, fit imprecando à Deo explicite, vel implicite peculiarem modum atteſtandi veritatem, & ordinarie fit, imprecando ſibi aliquod malum à Deo ſpecialiter immittendum, vel permittendum, ſi non eſt verum quod iuratur, & è conuerſo accipitur pro ſigno veritatis, quod tale malum non eueniat.

Vnde dupliciter fieri ſolet hoc iuramentum: vno modo per directam maledictionem, vt *ſtatim moriar, ſi non ita eſt*, vel quid ſimile. Alio modo per interpoſitionem boni alicuius, quaſi obligando illud ad deſtructionem, vel perditionem, ſi verum nõ eſt, quod iuratur, vt cum dicitur, per vitam, vel per ſalutem. Et vterq; modus execrationis inuenitur in Scriptura, nam illa forma iurandi execratoria, erat in veteri lege, *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*. Ruth. 1. & 1. Reg. 14. aut Saul: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha*. Simile habetur c. 25. & ſæpe alibi: verba etiam illa Pauli 2. ad Corin. 1. *Ego teſtem Deum inuoco in animam meam*, execrationem continent, vt exponit Diuus Thomas, licet ſimul inuocationem Diuini teſtimonij contineant. Verba autem Ioſeph Gen. 42. *Per ſalutem Pharaonis*, de vtroque iuramento intelligi poſſunt, vt videre licet apud Diuum Thomam ſupra, & Gratian. §. *Si etiam*, 2.2.q.1. Ita etiam Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. 7. circa illa verba: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Iurare*, inquit, *videtur per execrationem, quod eſt grauiſſimum iuriſiurandi genus, cum homo dicit, ſi illud feci, illud patiar*. Statim vero exponit, Dauidem potius dixiſſe, illa verba prophetando, quam iurando: nihilominus vero ſatis ſignificat Auguſtinus, quod ſi dicta fuiſſent execratorio modo, grauiſſimum iuramentum continerent. In iure etiam Canonico indicatur hæc forma iuramenti execratorij, *ſub periculo animæ* cap. *Fraternitatis*, de frigidis, & maleficiatis: itẽ illa forma, *Sic Deus me adiuuet*, execratoria eſt; nam virtute continet, vt ſi iuramentum non impleuero, Deus non me adiuuet. cap. *Ego N.* eod. Denique hic modus iurandi per execrationem frequentiſſimus eſt, & inter Gentiles videntur tales fuiſſe illæ dicendi formulæ. *Me conueniat Ianus iratus, nolo mihi Iouem propitium*, de quibus apud Tertullianum in Apolog. cap. 28. & multa de moribus Gentilium in execrationibus refert Couarr. ex Tito Liuio, Cicerone, Aulo Gellio, & aliis ſupra, §. 1. nu. 8.

Ruth. 1. 1. Reg. 14. 2 Cor. 1. D. Thom. Gen. 42. Gratian. Auguſt. Cap. Fraternitat. Cap. Ego N. Tertull. Couar.

10. Caiet. Dubium. Circa hanc vero diuiſionem inquirit primo Caiet. d. q. 89. ar. 1. An hæc duo iuramenta ſpecie differant? & ratio dubitandi eſt, quia execratio fit per quandam maledictionem, quæ longe differt à cultu. Reſolutio. Nihilominus reſolutio certa eſt, nõ differre ſpecie in ratione iuramenti: ita docet Caiet. quem omnes ſequuntur, & ratio eſt, quia in vtroq; inuocatur Deus in teſtem ſub eadem ratione formali, quod autem determinetur teſtimonium ad hanc, vel illam declarationem teſtimonij per oſtenſionem talis, vel talis operis, circa hanc, vel illam creaturam, materiale eſt ad rationem teſtimonij. Vnde multo clarius hoc eſt in his iuramentis, quam in iuramento aſſertorio, & in promiſſorio, quia ibi videbatur inueniri aliqua diuerſitas ſecundum rationem formalem, etiam ex parte teſtimonij Diuini, hic autem mere materialis eſt, vt ex dictis conſtat. Ideoq; tam promiſſorium, quam aſſertorium iuramẽtum poteſt his duobus modis fieri, vt conſtat ex vſu, & exemplis adductis. Et ſimiliter tam iuramentum ſimplex, quam ſolemne poteſt per ſimplicem inuocationem, vel cum execratione fieri: quia vterq; modus eſt aptus ad priuatum, & publicum iuramentum. Imo execratio non ſolũ verbo, ſed etiam opere interponi, aut ſignificari poteſt, talis enim fuiſſe videtur olim modus purgandi ſe ab aliquo delicto per ſumptionem Euchariſtiæ, vt ſupra expoſui tract. 3. lib. 1. ca. 3. in fine, ſignum ergo eſt, hos duos modos iurandi accidentarios eſſe ad rationem iuramenti. Imo in eodem iuramento vtrumq; coniunxiſſe videtur Paulus, 2. ad Corinth. 1. in verbis ſupra citatis: nã prius dixit: *Teſtis ſit mihi Deus*, quod ad iuramentum inuocatorium pertinet, cum vero adiunxit, *In animam meam*, non addidit nouum iuramentum, ſed modum Diuinæ teſtificationis determinatum. Paul. 2. ad Cor. 1.

Nec refert quod iuramentum execratorium videatur quandam maledictionem inuoluere, tum quia non includitur ibi formaliter, ſed ſolum materialiter, quatenus effectus ille proponitur, vt futurum indicium veritatis, & Diuinæ teſtificationis, tunc etiam quia illa execratio reuera non profertur, vt maledictio, quia non profertur eo animo, & intentione, vt id eueniat, ſed veluti per quandam exaggerationem veritatis, & vt ſignum Diuini teſtimonij. Nam qui ſic iurat, potius oſtendit animum auerſum ab illo malo, quod imprecatur, vnde ſi verum dicit, in hoc ipſo oſtendit ſe formidare, & fugere tale malum, quod alienum eſt à maledictione: Si vero mentitur, quamuis verbis videatur, ſibi imprecari malum ſub quadam conditione, quæ in re ineſt, nihilominus non oportet fieri ex animo, ſed ex quadam temeraria audacia, quia nimirum ſperat, Deum non facturum tale ſignum, nec daturum teſtimonium, vt generaliter de omni periuro dixit D. Thom. 2.2. quæſt. 3. art. 3. ad 2. Et ideo merito dixit Caiet. ſupra, eum, qui peierat per execrationem, non committere duo peccata, vnum periurij, & aliud maledictionis, quia reuera illa non eſt maledictio. Videtur autem non parum augeri inde malitia, & temeritas iuramenti, præſertim ſi malum imprecatum, ſpirituale ſit, vt æterna damnatio. Quod ſi execratio ſit per ordinem ad alterum, cui ſpecialis honor, & reuerentia debeatur, etiam videtur contra illum peccari, vt ſi quis falſum iurat per vitam Patris, aut Regis: videtur quidem in obſeruantia, vel pietate deficere, quamuis fortaſſe ſpecialis malitia, ex illa circumſtantia ſumpta, non ſit mortalis, ſecluſo odio, & contemptu. 11. D. Thom.

CAPVT XIII.

De variis iurandi formulis.

TAm in iuramento inuocatorio, quam in execratorio ſunt in vſu hominum plures verborum formæ, partim certæ, partim dubiæ, quas explicare neceſſe eſt: ſed quia illæ poſſunt in infinitũ multiplicari, ſolum illas, quæ magis vſitatę ſunt, attingemus. Ante omnia vero interrogari poteſt, An ſit neceſſarium vti hoc verbo, *Iuro*, vt verum fiat iuramentum? Nam aliqui Canoniſtæ id affirmarunt, vt Cardinalis in c. 2. de Sponſalibus. Id autem ſine fundamento dicitur, quia ſufficit iurare in actu exercito (vt ſic dicam) etiamſi non explicetur actus ipſe iurandi in actu ſignato: verbum autem, *Iuro*, ſolum deſeruit ad exprimendum actum iurãdi poſteriori modo: ergo. Maior conſtat ex Iure, nã ſæpe ponuntur formæ iurandi ſine tali verbo, vt in cap. *Ego N*, & cap. *Et ſi Chriſtus*, cum aliis, de Iureiurando. Item Paulus non dixit *Iuro*, ſed *Teſtis mihi eſt Deus*, & olim dicebant Prophetæ *Viuit Dominus*, & Gentiles dicebant *Me hercule*, teſte Tertul. de Idololatria ca. 20. Et ratio eſt, quia inuocatio Dei in teſtem ſufficienter fit per verba, quę illam exprimãt, ſicut ad orandum non oportet vti verbo, *Peto*, ſed exercere petitionem dicendo Deo *Adiuua me*, vel quid ſimile: ſic ergo eſt in præſenti. Eſt res ſatis clara, quam notauit Panor. in ca. *Querelam*, de Iureiurando nu. 2. Syluest. verbo *Iuramentum*, 1. qu. 1. & 6.

1. Quæſtio. Cardinalis. Cap. Ego N. Cap. Et ſi Chriſtus. Tertull. Panor. Syluest.

Soto

Soto. Couar. Soto d. qu. 1. artic.1.& Couarru.ſupra in principio numero 7.

2. Sed quid, ſi aliquis loco verbi *Iuro*, dicat *voueo*, quando materia non eſt capax voti, ſed iuramenti, vt facere ſolent Hiſpani, quando his verbis vtuntur, *Voueo Deum, ita eſſe, vel non eſſe*. Reſpondeo illud eſſe iuramentum, & valde graue: nam licet illi ineptiſsime vtantur verbo vouendi, cum nihil promittant, neque id intendant, neque materia ſit capax, vt recte dixit Couarruuius ſupra. §. Septimo, num.9. verſ. *Septimo patet*: nihilominus in re eſt verum iuramentum, & graue, vt ſenſit Soto d. artic.1. circa finem. Quia intentio proferentis, reuera eſt iurare, & ad hoc inuocat Deum: & quamuis abutatur verbo, tamen iam ex abuſu habet illam ſignificationem, & apud Deum ſufficeret, quod iurans illum ſenſum intenderet: verumtamen etiam apud homines ex conſuetudine, & circumſtantiis conſurgit ſufficiens ſignificatio. Dubitari autem ſolet, An ille modus iurandi blaſphemiam habeat coniunctam: nam id ſignificat Soto, cum ait eſſe illud iuramentum peiore nomine dignum: ſed in rigore non eſt blaſphemia, quamuis indicat maiorem quandam irreuerentiam, & audaciam, & hoc ſentit Couarr. ſupra.

3. Dubium. Poteſt autem è conuerſo interrogari. An ſolum verbum *Iuro* nulla addita determinatione, vt *Iuro me facturum hoc, vel hoc ita eſſe*, ſufficiat vt aſſertio, vel promiſsio iurata cenſenda ſit? Aliqui ita cenſent, quia idem eſt *Iuro*, quod *Iuramentum facio*, ſed iuramentum ſimpliciter dictum, eſt atteſtatio per Diuinum teſtimonium; ergo qui ſub illo verbo aliquid profert, eo ipſo vere iurat. Alij vero non putant ſufficere nudum illud verbum, quia illud de ſe indifferens eſt ad verum, & fictum iuramentum: & quamuis in Dialectico rigore verbum ſit analogum, & ideo ſimpliciter dictum videatur ſtare pro principaliori ſignificato: nihilominus moraliter loquendo, & ex vſu videtur indifferenter ſumi. Vnde ſæpe additur aliquid diſtrahens rigorem verbi, vt cum quis dicit, *Iuro per hanc barbam*, vel *Iuro per me ipſum*, in vulgari, *Iuro ami*, *Iuro por quien ſoy*, vel *Iuro atal*, nihil in particulari exprimẽdo, & in his formis iurandi certum eſt non fieri iuramentum: ergo idem eſt, cum ſolum verbum *Iuro* profertur: imo eo ipſo quod lingua reprimitur, & ibi ſiſtit, indicatur animus loquẽtis, quod noluerit iuramentum perficere.

4. Sed in hoc, quod ad conſcientiam attinet, iudicium ſumendum eſt ex intentione iurantis: nam reuera verbum ipſum capax eſt vtriuſque intentionis ſine fictione, vel ſpeciali culpa, vt probant rationes factæ: tamen per ſe, & ex vi verbi in ſua rigoroſa ſignificatione ſine dubio ſufficit ad iurandum. In vſu tamen conſiderandę ſunt circumſtantię: nam ex modo proferendi verbum intelligi poterit, quo ſenſu dicatur: vel ex antecedenti ſermone, ſi ab aliquo petatur, vt iuret, vel ſi negotium id poſtulet, colligi poteſt, an proferatur ad confirmãdum iuramẽtum: aliunde vero ex conditione perſonę, vel ex modo loquendi conijci poteſt ibi conſtitiſſe, vt à iurando abſtineret. Quod maxime erit certum, quando aliquid additur leniens rigorem verbi, vt in exemplis adductis, & in aliis, quæ ſunt frequentia, vt *Iuro à dieꝫ*, vel *Per cœlum lecti*, vulgo *dela cama*, & ſimilia. (Solutio.)

5. Aliud dubium. Vlterius vero dubitari poteſt, quando ſine illo verbo nomen Dei aſſumitur ad exaggerandam, vel confirmandam veritatem, quis modus de ſe ſufficiat, vt iuramẽtum eſſe intelligatur? ſunt enim veræ formulę, vt *Per Deum*, *Scit Deus*, *Teſtis eſt Deus*, *Teſtem Deum inuoco*, item *Viuit Dominus*, *Coram Deo*; *In præſentia Dei*, & ſimiles. Ex quibus prima eſt indubitata apud omnes etiam hæreticos, teſte Auguſtino Epiſt. 89. in fine, & conſtat ex communi vſu, & (Auguſt.) ſenſu omnium, & ex vi illius particulę *Per*: nam per illam inducitur Deus vt teſtis veritatis, nec in illa locutione poteſt alium ſenſum habere. Vnde potius eſt cauendus exceſſus in hac formula iurandi quoad modum nominandi Deum, nam poteſt iuramentum in blaſphemiam declinare: quod duobus modis poteſt contingere. Vnus eſt, ſi aſſumatur nomen Dei, cum execratione, & talis eſſe cenſetur, quando dicitur, *Per vitam Dei*, vt ſupra tetigi tract. 3. lib.1. c.6. n.11. Alius modus eſt, quando contumelioſe nominatur Deus, vt in c. *Siquis per capillum*, 22. q.1. vt dicto loco etiam tractatum eſt. Cap. Siquis.

6. Solutio. De alijs vero formis fere omnibus, Augu. ſupra dicta Epiſtol. refert, ſenſiſſe Pelagianos, illam non ſufficere ad iurandum, quia non continent illam particulam *Per*, & quia in Paulo inueniuntur illi modi loquendi, de quo putabant, non poſſe credi, quod iurauerit. Sed in hoc ſecundo videntur ſupponere errorem, quod Paulo nõ licuerit iurare. Et deinde illos coarguit Auguſt. quia etiam Paul. vſus eſt particula *Per*, ad iurandum 1. ad Corint.15. *Quotidie morior per gloriam veſtram fratres*. Item quod illa particula non ſit neceſſaria, conuincitur ex illo Hierm. 4. *Et iurabunt, Viuit Dominus*, ibi enim non additur particula *Per*. Et videtur illa forma iurandi conſueta, illo tempore (vt conſtat ex vſu Prophetarum) ad abſtrahendum illum populum à iurando per falſos Deos, & idola, quæ in Scriptura diſtinguũtur à Deo viuente, Daniel. 14. *Quia erant inania ſimulachra, & non Deus viuens*. Vnde non ſolum verbo, ſed etiam exemplo voluit Deus illum iurandi modum populum illum docere Numeror. 14. *Dixit Dominus: Dimiſi iuxta verbum tuum, Viuo ego, &c.* Et iterum: *Dic ergo eis, Viuo ego, dicit Dominus, ſicut locuti eſtis, audiente me, ſic faciam vobis*: Vnde idem iudicium proferendum eſt de illo verbo, prout nũc vſurpatur communiter ad iurandum. Nam licet propoſitio illa, tantum videatur eſſe aſſertio quædam modi indicatiui æquipollens huic, *Deus eſt viuens*: nihilominus ex peculiari impoſitione, & recepta conſuetudine (quæ ad imitationem Scripturæ, & antiqui populi eſt in Eccleſia continuata) vſurpatur ad inuocandum Deum viuentem, vita, ſcilicet perfectiſsima, ac ſubinde omnia ſcientem, & iudicantem. Et ideo de ſe iuramentum eſt, quãdo cum promiſsione, vel aſſertione aliqua coniungitur, niſi alia ſit intentio iurantis, quæ exceptio in cõſcientia generalis eſt, vt dixi. (1.Cor.15. Hierem.4. Dan.14. Num 14.)

7. Verbum autem illud, *Teſtem Deum inuoco*, magis formalem, & expreſſam iurationem continere videtur, quam verbum illud *Per Deum*, & non minorem, quam ſi adderetur verbum *Iuro*, quia continet in exercitio ipſam definitionem iuramenti, vt ex dictis cõſtat: quare de illa forma nulla vel apparens dubitatio eſſe poteſt. Illud autẽ verbum, *Teſtis mihi eſt Deus*, poſſet quidem accipi in vi ſolius cuiuſdã affirmationis, vt de aliis ſtatim dicemus, nihilominus tamẽ de ſe, & prout eſt in communi vſu habet vim iuramenti, teſte Auguſt. ſupra, & ſuper Epiſt. ad Galat. cap.1. in fin. & lib.1. de Sermon. Domini in monte cap. 30. alias 28. quem D.Thom. art. 1. ad 3. ſequitur. Et reuera hanc vim habet apud Paul. ad Rom.1. ad Philip.1. ad Theſſal.2. *Vos teſtes eſtis, & Deus*. Et ratio eſt, quia conſiderato modo, & vſu loquẽdi, & occaſione, in qua tale verbum profertur, non enunciatur quaſi ſpeculatiue, vel per modum confeſsionis eiuſdẽ veritatis, ſed pronuntiatur practice, & inuocatiue, vt aiunt. Idem iudicium putant multi eſſe de hac, *Deus ſcit*, ita docet Sot. d. q.1. art. 1. circa finem, vbi ſentit, Petrum iuraſſe, Ioan. 21. cum Chriſto reſpondit, *Tu ſcis, quia amo te*: quod etiam ſentit Maldonatus ibi Patres referens. At Nauar. ait, ſi dicas, *Deus ſcit*, an verum dicam, non eſſe iuramentum, ſi vero dicas, *Deus ſcit me verum dicere*, eſſe iuramentum: Caiet. autem ſimpliciter ne- (Auguſt. D.Thom. Ad Theſ.2. Soto. Ioan 21. Maldon. Nauar. Caiet.)

Digitized by Google

citer negat. Et re vera locutio ſatis dubia eſt, quia ſæpe videtur proferri ſolum per modum enunciationis, non ad iurandum, ſed ſolum ad oſtendẽdam perfectam conſiderationem, & animaduerſionem loquentis, vt intelligatur, ſe non fuiſſe auſurum ita loqui, niſi vera diceret, cum non ignoret Deum veritatem ſcire. Vel, vt Soto ait: viri timorati ſæpe per illa verba ſubmittunt tantum ſermonem ſuum ſci-
2. Ad Corinth. 11. entiæ Diuinæ, quomodo dixiſſe videtur Paulus 2. Corinth. 2. 11. *Quare? quia non diligo vos? Deus ſcit?* igitur hoc verbum multo magis pendet ex intentione loquentis.

8. Idem iudicium eſt de illa locutione *Coram Deo,* vel, *In conſpectu aut in præſentia Dei,* nam poſſunt verba tantum enunciatiue proferri ad conciliandam reuerentiam, & credulitatem in illa fundatam, vt ſi quis loquens cum alio coram Rege, dicat ſe non dicturum mendacium coram Rege, non propterea cenſeretur adducere Regem in teſtem. Nihilominus frequenter ſolent illa vſurpari, tamquam formulæ iurandi, vt D. Tho. ſupra docet cum Augusti-
Galat. 1. no: qui ita etiam interpretatur illud Pauli ad Galat. 1. *Coram Deo, quia non mentior,* quia dictum videtur ad confirmandam veritatem infallibili authoritate Dei. Solet autem Paul. cum illis verbis adiungere verbum teſtificandi, vt 1. ad Timoth. 5. *Teſtificor co-*
Ad Timo. 5. *ram Deo.* idem 2. ad Timoth. 2. & 4. & tunc videtur
Auguſt. expreſsius eſſe iuramentũ: quod imitatus eſt Aug. Epiſt. 137. dicens: *Simpliciter fateor charitati veſtræ coram Deo, qui teſtis eſt ſupra animam meam:* refertur in
Ca. Quantumlibet. cap. *Quantumlibet* 47. d. Idem vero Auguſt. ſer. 28.
Auguſt. de Verb. Apoſt. cap. 9. de ſe refert, cum tibi immineret neceſsitas iurandi, vſum fuiſſe illis tribus formulis, *Coram Deo,* aut, *Teſtis eſt Deus,* aut, *Scit Chriſtus ſic eſſe in animo meo.* Deniq; valde vſitata eſt forma iurandi. *In veritate Dei,* ſicut Paulus dixit 2. ad
2. Ad Corinth. 11. Corint. 11. *Eſt veritas Chriſti in me.* & ſimile eſt illud ad Roman. 9. *Veritatem dico in Chriſto, non mentior:* vulgari autem modo loquendi dici ſolet, *Deus eſt veritas,* & poſtea ſubiungitur, quod affirmari vel negari intenditur, Hiſpan. *Dios es verdad que es aßi, &c.* Quæ verba etiã ſunt valde ambigua, magisq; pendent ex circumſtantiis, & intentione, vt de aliis dictum eſt: in his autem maxime cauendum eſt, ne addatur particula comparatiue, *Sicut Deus eſt veritas,* quia in rigore talis comparatio cõtinet blaſphemiam, vt dixi d. tract. 2. lib. 1. cap 6. & hæc videntur ſufficere de formis iurandi per Deum expreſſe.

De hac forma, In fide, vel, Per fidem meam.

9. CIrca alias vero formulas, in quibus non Deus ita expreſſe nominatur: dubitari maxime ſolet de hac forma, *In fide mea,* vel, *Per fidem meam,* An in rigore contineat iuramentum? Multi enim Iu-
Felin. ris periti affirmant, vt videre licet apud Felin. in c.
Panorm. *Querelam* de Iureiurando, n. 7. vbi refert Innocen-
Couarr. tium, & alios: idemque ſenſit ibi Panormit. num. vlt. & alios refert Couar. ſupra §. Secũdo. Fundantur in aliquibus Decretis, in quibus ſignificari videtur, eum, qui fidem frangit, eſſe periurũ, vel è conuerſo eum, qui dat fidem, teneri virtute iuramenti, ſeu quod idem eſt Religionis: quando autem aliquis dicit *Per fidem meam,* vel quid ſimile, præſtat fi-
Cap. Ad aures. dem, ergo. Maior patet ex cap. *Ad aures,* De iis, quæ
Ca. Querelam vi, &c. ibi: *Niſi forte iuramento, vel fide interpoſita &c.* & cap. *Querelam,* Ne Prælati vices ſuas, ibi. *Præſtita*
Ca. Peruenit. *fide,* & cap. *Peruenit,* de Fideiuſſoribus, ibi: *Si Religionem fidei, & iuramenti ſui eos violaſſe conſtiterit.* Affer-
Ca. Iuramenti. ri etiam ſolet cap. *Iuramenti,* 22 q. 5. vbi dicitur. *Dominus inter iuramentum, & loquelam noſtram nullam vult eſſe diſtantiam:* & infra concluditur: *Qui verum loquitur, iurat, quia ſcriptum eſt: Teſtis fidelis non mentitur:* quod maxime videtur intelligendum de illo, qui ſub fide ſua affirmat, ſe dicere verum. Alij vtuntur alia ratione, quia qui fidem ſuam iurat, cum ſit Chriſtianus, intelligitur affirmare per fidẽ Chriſti, quia fides ſimpliciter dicta inter Chriſtianos hoc ſignificat, & verba intelligũtur accipi in famoſiori ſignificato: tum etiam, quia licet res eſſet dubia, inclinandum eſſet in fauorem iuramenti, & animæ. Et hoc modo ſentiunt Alciat. & alij, quos re- Alciat.
fert & ſequitur Anton. Padilla in Leg. *Si quis maior,* Padilla.
Cod. de Tranſactionibus, n. 33.

Hæc vero ſententia communiter non recipitur, 10.
ſed diſtingui ſolet, inter fidem ſimpliciter interpoſitam, vel cum aliquo addito. Quando priori modo ſit, recepta ſentẽtia eſt, illud in rigore verborum non eſſe iuramentum. Ita tenet Caiet. d. q. 89. ar. 6. Caiet.
So. d. q. 1 art. 6. Couar. d. §. 2. Nauar. d. c. 12 n. 2. & Soto.
communiter moderni Theologi, & Summiſtæ, & Couar.
Pinel. in leg. 2. Cod. de Reſcind. venditione 3. p. n. Nauarr.
13. & Auendan. lib. de Exequendis mandatis Regũ Pinel. Auend.
c. 27. n. 6. & Ioan. Gutier. in Authentica Sacramenta Gutier.
puberum, C. Si aduerſus venditionem, n. 149. Fundamentum eſt, quia talia verba ſimpliciter prolata intelliguntur de fide humana, & ideo per illa verba non adducitur Deus in teſtem, ſed iurans tantum affert in teſtimonium veritatis ſuam fidelitatem: quod ſolum eſt per ſeipſum iurare. Et ideo talis locutio non addit robur, & authoritatem aſſertioni, ſed ſolum addit maiorem quandam exaggerationem, & declarationem aſſertionis loquentis, ſicut infra in ſimili dicemus de iuramento Dei.

Hoc tamen fundamentum non ſatisfecit Ferdi- 11.
nando Mendozæ in Diſputationibus de Pactis li. 1. Ferdin.
c. 6. q. 3. quia maior propoſitio, ſcilicet verbum, *Per* Mendoz.
fidem, ſimpliciter prolatum intelligi de fide humana, non probatur à dictis Auctoribus. Et ideo ipſe n. 9. diſtinctione vtendum eſſe putat, conſiderando qualitatem, & conditionem perſonæ loquẽtis, nam in perſonis nobilibus putat, non eſſe iuramentum, quia iurare ſolent in fide ſuæ nobilitatis, & ideo, licet interdum omittant illud additum, intelligitur caſu omitti, & in eodẽ ſenſu verba proferre. In publicis autem hominibus putat fidẽ ſimpliciter prolatam intelligendam eſſe Catholicam, & Chriſtianam, tum quia cum non habeant illam qualitatem nobilitatis, cenſentur iurare per fidem, quæ ſit virtus, tum etiam quia ipſi nomine fidei nõ ſolent intelligere fidelitatem, imo ordinarie ignorant talem illius vocis ſignificationẽ, & ideo per Chriſtianam fidem iurare cenſendi ſunt.

Sed hæc diſtinctio admittenda non eſt, quia re 12.
vera non habet fundamentum, & eſt contra communem modum concipiendi: nam ſicut nobiles iurare ſolent in fide nobilitatis ſuæ. (*A fe de hidalgo, De quien ſoy*) ita vulgares homines affirmare ſolẽt. *In fide boni viri, aut verbi ſui,* vel quid ſimile (*A fe de hombre de bien, de hombre de mi palabra, A fe de verdad o De veras.*) Ergo hæ dictiones ſatis indicant, eos nomine fidei ſignificare ſolere fidem moralem, quam alias veritatem, vel fidelitatem vocamus, quamuis fortaſſe neſciant diſtinguere inter horũ verborum ſignificationes, quod etiam multi nobiles ignorant: ergo etiam ſi ignobiles omittant illud additum, intelligentur ſimpliciter iurare, *In fide boni viri.* nam eſt eadem ratio. Neque enim nobiles in alia fide iurant, licet exprimant nobilitatem ſuam: ſed quia ipſa nobilitas poſtulat maiorem quandam excellentiam veritatis in verbo viri nobilis, & ideo cenſent ſuam fidem moralem eſſe maiori fide dignam, ideo exprimunt illam conditionem. Ignobiles vero, quia illam qualitatem non habent debitum boni viri ante oculos ponunt: vtrique ergo in fide morali, ſeu fidelitate affirmare intendunt. Et ſine dubio hoc verbum Hiſpanum, *A fe,* vel, *Por mi fe,* vniuocum eſſe cenſetur in ore nobilium, & igno-

nobilium, & illi fere reſpondet vox Latina, *Profecto.*

Approbatur communis ſententia.

13. Vera eſt ergo ſententia communis, & principium, quo nititur, fundamentum habet tam in communi vſu, & ſenſu loquentium, quam audientium, nullus enim putat ſibi eſſe rem ſub iuramento promiſſam, propter ſolam ſimilem atteſtationẽ, à quocunque fiat: neque communiter homines in hoc diſtinguunt inter nobiles, ſignificatio autẽ verborũ maxime ex cõmuni vſu petenda eſt. Et ad hoc confirmandum induci poteſt c. penul. de Iureiurando, cum iis, quæ in principio circa illud notauimus: nã ex illo textu ſumitur, quando verbum eſt valde ambiguum, præſumendum eſſe in ſalutem animæ, quia iuramentum eſt ſtricti iuris propter periculum, & grauitatem eius, quod maxime habet locum, quando communis vſus fauet benigniori interpretationi. Accedit, quod modus ille atteſtandi non videtur eſſe proprius Chriſtianorum, ſed cõmunis Gentilibus, & Paganis: ergo non eſt intelligendum illud verbum de fide Chriſtiana, ſed de morali fide, quæ omnibus eſt communis. Et ita reſponſum etiam eſt, ad Aleiatum, & alios.

Soto limitatione vtitur in his formis iurãdi.

14. Soto vero in d. q. 1. art. 1. limitatione quadam, ſeu diſtinctione vſus eſt: nam ſi dicatur *In fide*, dicit non eſſe iuramentum, ſi *Per fidem*, dicit videri iuramentum *A fe*, vel, *Per my fe*. Verumtamen ſi fides eodem modo teneatur, vt teneri debet ſimpliciter prolata, iuxta dicta parum refert dicere, *In*, aut, *Per*, quia per neutram particulam adducitur Deus in teſtem, vt ex hypotheſi conſtat. Si autem è contrario fides in alio ſenſu proferatur, qui ex parte illius ad iuramẽtum ſufficiat, iuxta dicenda ſtatim, non ſolum dicendo, *Per*, ſed etiam dicendo, *In fide*, erit iuramentum, quia vt diximus, particula, *Per*, non eſt neceſſaria ad iurandũ & ipſe Sot. dicit, Paul. iuraſſe, dicẽdo, *veritatẽ dico in Chriſto* ad Rom. 9. & 2. ad Corint. 11. *Eſt veritas Chriſti in me*: ergo illæ particulæ ex parte ſua non veriant rationem iuramenti, & ita idem Soto ſupra art. 6. indifferenter, & abſolute ait: *Dicere. Per fidem meam, aut In veritate mea, non eſt iuramentum.* Idem habet in Relect. de iuramento capit. 4. & ex profeſſo Sylueſt. cum Bonauen. Iuramentum 1. q. 5.

Rom. 9. 2. Cor. 11.

Syluest.

14. Alij addunt limitationem, niſi quis interponat fidem ſuam intentione iurandi, quia hæc intentio virtualem in Deum relationem includit, & conſequenter qui hac intentione iurat per ſuam fidem, eo ipſo iurat per illam, vt relatam ad Deum, iuramentum autem per creaturam vt relatam ad Deũ, eſt verum iuramentum, vt ſupra dictum eſt, & habetur in c. *Et ſi Chriſtus*, de Iureiurando. Quod autẽ illa intentio dicat habitudinem ad Deũ patet, quia iuramentum, dicit habitudinem ad Deum, vt dictum eſt: ergo qui interponit fidem ſuam cum intentione iurandi, refert fidem ſuam ad Deum.

Cap. Et ſi Chriſtus.

15. Sed ſi accurate explicetur talis intentio, limitatio ex vna parte non inuenietur vera, & ex alia inuenietur non neceſſaria. Dupliciter enim poteſt haberi illa intentio iurandi (quod in tota hac materia eſt maxime conſiderandum) quando id, per quod iuratur, vel ſignum externum iurandi de ſe non eſt ſufficiens ad iuramentum. Primo enim haberi poteſt illa intentio cum ſola conſcientia erronea, quæ facit, vt duæ intentiones, ſeu voluntates inter ſe repugnantes ſimul coniungantur, V. G. Gentilis intendit iurare, & ſimul vult tantum adducere in teſtem ſuum idolum ex conſcientia erronea, qua putat illum eſſe Deum: talis ergo intentio iurandi non ſufficit, vt ſit iuramentum, quod profertur, ſed ſolum vt putetur, vt ſupra cap. 5. tactum eſt. Secundo modo poteſt haberi hæc intentio iurandi abſque errore, & tunc neceſſe eſt, vt qui hanc intentionem habet, & iurando ſolum nominat creaturam, eo ipſo intendat illam interponere cum aliquo reſpectu ad Deum. Sic ergo qui aliquid confirmat per fidem ſuam cum intentione iurandi, poteſt habere intentionem ex ignorantia, putans ad iurandum ſatis eſſe interponere fidem ſuam per ſe ſpectatam, & ſine vllo reſpectu ad Deum, & inde non minus obligari, quam ſi per Deum iuraret: & tunc illud non eſt iuramentum, ſed putatur, & ita peccari ibi poſſet contra iuramentum ex conſcientia erronea, ablato autem errore non manebit obligatio. Et in hoc ſenſu dico limitationem non continere veritatem, quia re vera tunc non inuocatur Deus in teſtem, ſed putatur teſtimonium datum ab ipſo iurante ſub ſua fide, ad iuramentum ſufficere. Et ita etiam ceſſat ratio in contrarium, quia licet iurare in ſuo vero conceptu includat habitudinem ad Deum, in apprehenſione illius ignorantis illam, non neceſſario includit, & ita neque in intentione eius continetur.

Si autem nullus interueniat error, ſed habens illam intentionem, vere intelligat quid ſit iurare, 16.
tunc vera eſt illa doctrina: quia ſi illa intentio eſt efficax, neceſſe eſt, vt interponat fidem ſuam cum habitudine, quæ ad iurandum per Deum ſufficiat, ſiue ipſe diſtincte illam cognoſcat, vt quod ipſa fidelitas humana eſt quædam participatio Diuinæ veritatis, & bonitatis, ſiue tantum confuſe velit per fidem ſuam iurare, tamquam per quandam creaturam Dei. Dico tamen in hoc ſenſu limitationem non eſſe neceſſariam: tum quia hoc commune eſt omni iuramento per creaturas, tum etiam quia Doctores citati loquũtur de ordinario, & morali modo proferendi verba illa. Non eſt autem in vſu hominum vſurpare hæc verba ad teſtificandum per fidem, ſicut per aliam creaturam relatam ad Deum, ſed ſolum ad confirmandam veritatem, ex merito talis virtutis, prout humana eſt, & quatenus is, qui loquitur, eam ſe habere, & exercere profitetur. Igitur ſimpliciter loquendo illæ formulæ exaggerandi (vt ſic dicam) propriam veritatem, iuramenta non ſunt.

At vero quando non abſolute fides, ſed cum ali- 17.
quo addito interponitur, interdum res clarior, interdum obſcurior eſt. Erit quidem res clara, ſi additum ſit diminuens, & quaſi diſtrahens fidẽ ad meram conditionẽ humanã. Huiuſmodi ſunt omnia illa, *In fide Regia, In fide viri nobilis*. Hiſpane, *A fe de Hijo dalgo, in fide boni viri*, & ſimilia, quia per huiuſmodi particulas clare determinatur fides ad humanam, & ſub reſpectu humano, ſeu pure morali, & ideo tota illa aſſertio, & confirmatio non tranſcendit humanæ fidei teſtificationem, ac proinde non eſt iuramentum, & in hoc omnes conueniunt. Erit autem locutio obſcura & ambigua, ſi additum etiam ambiguum, ſeu obſcurum ſit. Primum exemplum vulgare eſt, ſi addatur *Bona fides*. (Hiſpane, *En buena fe*) tunc enim eſſe iuramentũ cenſent Pinel. Auendãn. & Gutierrez ſupra, & fauet quædam lex huius regni li. 4. Ordinationũ tit. 3. in principio. Verumtamen iuxta communem vſum, & ſenſum ſic loquentium, præſertim inter Hiſpanos verba illa *En buena fe*, non cenſentur continere iuramentũ, & ita etiam ſentiunt Caiet. Sot. Nauar. & alij. Et ratio eſt, quia etiã fides humana bona eſt, ergo per illud additum non determinatur fides ad Diuinã: ergo gratis, & ſine fundamẽto aliud dicitur. Item nihil aliud eſt dicere *In bona fide*, quàm *In ea fide, quæ eſt virtus, & debet ſtudioſe exerceri*: hoc autem totum nõ tranſcendit fidelitatem humanam. Item loco iuramenti dicere ſolent ſimplices Hiſpani, *In veritate bona, En buena verdad*: per quæ verba ſine dubio non iurant, imo ad vitandum iuramentum ita loquuntur, ergo idem eſt de *bona fide*, per ſe, & ordinarie loquendo. At vero, ſi vel ex circumſtantiis, vel ex vſu, & conſuetudine conſtet per talia verba tali modo, vel cum tali ſolemnitate probata ſignificari animum

Pinel. Auend. Gutier. Ordinationes regni.

Digitized by Google

mum ſe obligandi ſub iuramento, tunc inde habebit ſaltem implicitam ſignificationem ſeu determinationem ad fidem Diuinam, ſeu includentem reſpectū ad Deum. Et hoc modo poſſet intelligi lex huius regni ſupra citata: quāuis præſumi poſſit, editam eſſe iuxta opinionē Iuriſtarum dicentiū, fidem præſtitam æquiualere iuramento. Nam quia lex illa in fauorem Regiæ iuriſdictionis prohibet contractus fieri ſub iuramento, ideo nō ſolum certum, ſed etiam dubium iuramentum, vel (vt ita dicam) omnem vmbram iuramenti excludere voluit.

18. Aliud additum eſſe poteſt, ſi expreſſe dicatur, *In fide Chriſti*, vel, *Chriſtiana*, vel, *Dei*, & tunc conueniunt omnes eſſe verum iuramentum. Imo addunt Caiet. & alij, quod licet voce non exprimatur illud additum, ſi intentio & mens iurantis ſit in illo ſenſu accipere vocem illam, id ſatis eſſe, vt ſit iuramentum ex vi verborum, quia intentio poteſt determinare ambiguam ſignificationem, ſaltem in conſcientia, & apud Deū. Ratio vero eſt, quia fides Chriſtiana eſt res valde ſacra: atteſtatio autem per rem ſacram eo ipſo eſt iuramentum, quia illa quaſi per ſe inuoluit habitudinem ad Deum. Sicut ſupra diximus, qui iurat per cœlum, vel terram, addendo determinationem Dei, eo ipſo ſatis exprimere vim iuramenti per Deum, ergo multo magis, qui iurat per fidem Dei vel Chriſti, & idem eſt de fide Chriſtiana. Denique iurare per Euangelia eſt verum iuramentum, vt conſtat ex ſenſu, & vſu fidelium, vt tat So. & Couarr. ergo & iurare per fidem Chriſti, quæ in Euangeliis continetur.

19. Quapropter non videtur poſſe dubitari de illis verbis in prædicta forma. Solent autem proferri in vulgari lingua cum aliqua mutatione, quæ reddit formam magis ambiguam, ſcilicet, *In fide hominis Chriſtiani, à fe de Chriſtiano*. Ibi enim fides non determinatur (vt ſic dicam) intrinſece in ſua differentia, ſeu habitudine, ſed extrinſece ex parte ſubiecti, vnde poteſt recte intelligi de fidelitate, qualem eſſe decet in homine Chriſtiano, & in eo ſenſu non erit iuramentum, vt Sot. notauit: quia ex vi talium verborum non interponitur Diuina authoritas, ſed ſola fidelitas ipſius iurantis, vt maiorem quandam credibilitatem participat ex eo, quod eſt in homine Chriſtiano. Nam ad illum modum commendatur, quando dicitur, *In fide Regia*, vel, *In fide viri nobilis*: ſic etiam dicere ſolet Religioſus, *In fide Religioſi*, & clericus, *In fide Clerici*, & ſic de aliis: in quibus clarum eſt, non addi aliquid (vt ſic dicam) ſpecificans fidem, ſed commendans credulitatem ex circumſtantia perſonę. Sed licet hoc in rigore verū ſit, conſulenda ſemper eſt intentio loquentis: & in vniuerſum eſt optimum conſilium cauere hos loquendi modos, quia & periculoſi ſunt, & dubitationem relinquunt, & apud alios generant ſcandalum, & fortaſſe in foro exteriori reputabuntur iuramenta.

20. *C. Ad aures.* Et iuxta hæc intelligenda ſunt Iura pro prima opinione citata. Et primo ad c. *Ad aures*, reſpondent aliqui ibi eſſe ſermonem de fide Chriſtiana, quod eſt veriſimile, tum quia Ius vti ſolet voce in ſignificatione accommodata materiæ, de qua tractat, quod Iuriſtæ vocant vti termino habili, iuxta Gloſ. in leg. 1. Cod. de Sacroſanctis Eccleſ. Tum etiā quia quoad vſum Iuris Canonici habet locum ratio Alciati, & aliorum, quod nomine fidei ſolet intelligi fides Chriſtiana. Conſiderari etiam poteſt, Pontificem ibi loqui de fide præſtita à clericis, & ideo ſeruari voluiſſe tamquam iuramentum: quia vel præſumpſit fuiſſe datam ſacro, & Religioſo modo, vel certe quia ſeruari voluit ob decentiam talis ſtatus, ſiue in rigore fuerit iuramentum, ſiue non. Addo, quod ſi attente ponderentur verba, non declarat Pontifex fuiſſe iuramentum, ſic enim ait: *Niſi forte iuramento, vel fide interpoſita fuerit confirmatum* vbi potius diſtinguit inter iuramentum, & inter petitionem fidei: ad hoc dici poteſt, per prius verbum ſignificatum eſſe expreſſum iuramētum, per poſterius autem æquiualens. Et ideo prior ſolutio ſufficiens eſt. Et tandem applicari poteſt ad cap. *Querelam*: quamuis in eo non declaretur, neque indicetur illud fuiſſe iuramētum, ſed ſolum pactum, imo hoc videntur declarare illa verba, *Secundum quod inter ſe conuenerunt*, & nonnullum etiam indicium eſt, quod ille non punitur, nec corripitur vt periurus: & eſt ſimilis textui in ca. *Cum tempore*, de Arbitris ibi: *Fide hinc, inde data*. At vero cap. *Peruenit*, cum expreſſe loquatur de Religione fidei, & iuramenti, clarum eſt, non loqui de ſola fidelitate, ſed de Religione, quæ illi per iuramentum additur, & ideo copulatiue dicit, *Religionem fidei & iuramenti*: vt optime notauit Rota, tit. de Pactis, deciſione prima, vbi noſtram ſententiam confirmat. Denique cap. *Iuramenti*, nihil ad rem facit, quia ibi non loquitur Chromat. de atteſtatione, *In fide*, vel *Per fidem*, ſed de ſimplici verbo: & illa inter ſe comparat, non vt faciat æqualia, vt per ſe notum eſt, ſed vt fidelibus commendet veritatem in dictis ſuis, vt eis ſimpliciter loquentibus, perinde credatur, ac ſi iuraſſent. *C. Querelam expenditur.* *Cap. Cum tempore.* *Cap. Peruenit.* *Rota.*

Aliæ formulæ iurandi expenduntur.

21. *Aliæ iurandi formulæ expenduntur.* Et ex hac reſolutione facile eſt ferre iudicium de aliis loquendi formulis, quæ ad conciliandam ſibi fidem adhibent homines, cum iuramenta non ſint, ſed quaſi repetitiones, & exaggerationes eiuſdem veritatis, *vt certe, Profecto, Certiſsime, ſine dubio, verè*, ſeu *In veritate*, aut, *In veritate mea*: ſecus ſi dicatur, *In veritate Chriſti*, aut *Dei*. Si autem dicatur in veritate hominis Chriſtiani, aut Religioſi, habet ambiguitatem ſimilem ſupra tractatam: nam in omnibus idem eſt iudicium de veritate, quod de fide, quia moraliter idem ſunt: & ita ſentiunt Sot. d. art. 1. & Nauar. d. num. 2. neque diſſentit Sylueſt. *Iuram.* 1. vbi refert Panormitanum dicentem, affirmare, *Cum veritate*, eſſe iuramentum, quia Chriſtus eſt veritas, quod habet num. 2. notab. 6. & ſequitur Angel. Iuram. 1. Hoc autem modeſtè ſatis ait Syluest. limitandum eſſe, ſi mens iurantis ſit inuocare veritatem primā, & ſimpliciter dicere potuiſſet ſimplicem, & vſitatam ſignificationem illorum verborum, non eſſe ad inuocandum Chriſtum, ſeu veritatem eius, ſed ſolum ad commendandam veritatem loquentis. *Soto.* *Nauarr.* *Syluest.* *Panor.* *Angel.*

22. *Soto.* Idem iudicium ferre ſolet de ijs formulis, *In conſcientia*, vel, *Per conſcientiam meam*, quod ſentit Sot. d. q. 1. & d. Releſt. de Iuramento, cap. 4. quia ſenſus illorum verborum tantum eſt, verba illa non ficte proferri, ſed iuxta mentem loquentis, vbi eſt conſcientia. Contrarium tamē ſentit Syluest. *Iuramentum*, 1. q. 4. dicit enim perinde eſſe iurare, *Per conſcientiam*, quod *Per animam*, conſtat autem atteſtationem per animam iuramentum eſſe. Verumtamen ſenſus eſt valde æquiuocus, & in ſuo ſenſu vtraque ſententia vera eſt: nam in priori ſenſu conſcientia non ſumitur in ordine ad Deum, ſed ſolum in ordine ad verbum ipſum, quod ex conſcientia loquentis præcedit. Vnde in illo modo loquendi non inducitur conſcientia per modum execrationis, nec per modum alicuius rei ſacræ, per quam iuretur, ſed ſolum ad ſignificandum ſecundum conſcientiam ſuam hominem loqui, ſeu implendo debitum conſcientiæ ſuæ: in quo ſenſu tota illa teſtificatio reſoluitur in ipſum aſſerentem, & non in Deū, & ideo non eſt iuramentum. At vero in alio ſenſu, vel interponitur conſcientia cum quadam execratione virtuali, vt infra explicabimus. vel certe iudicatur, *Syluest.* *An hæc formula, Per conſcientiā meam ſit iuramentum.*

Digitized by Google

catur, vt res quædam ſacra, quatenus teſtimonium conſcientiæ Diuinum quodammodo eſt, eiuſq; veritas participatio eſt Diuinæ veritatis, ſicut anima peculiari modo eſt imago, vel templum Dei. Et hoc quidem ita ſe habet quoad rem ipſam: quoad vſum vero licet etiam videatur res dubia, magis ſolet accipi conſcientia poſteriori modo, & ideo viri timorati refugiunt illos loquendi modos, & fortaſſe in exteriori foro præſumeretur ibi iuramentum, in Diuino autem intentio loquentis eſt ſpectanda. Quid vero faciendum ſit in caſu dubio, in ſequenti libro, generaliter tractabimus.

23. *Regula ad dignoſcendum iuramentum in variis formulis iurandi.* Iuxta hæc etiam interpretandæ ſunt aliæ conſuetæ formulæ iurandi per res creatas abſque execratione, ſed per ſimplicem atteſtationem, quales ſunt, *Per cælum, & terram*, &c. & aliæ ſimiles, de quibus ſupra dictum eſt. Solent etiã iurare clerici per ſuos ordines, vel per habitum Sanct. Petri, & Religioſi per habitum talis, vel talis Sancti, vel per profeſsionem ſuam. in quibus omnibus generalis regula eſt, eſſe iuramenta ex vi verborum, & ex communi vſu, quia omnes illæ ſunt atteſtationes, per res ſacras, quæ per ſe dicunt habitudinem ad Deum, vt ſupra declaraui. Et quando res nõ ſunt ſacræ, ordinarié additur determinatio Dei, vt *Per cælũ Dei*, vel licet non addatur, quando aliunde non diſtrahitur nominis ſignificatio, ex communi vſu intelligitur accipi, ſecundum habitudinem ad Deum, in Euangelio, & in Iure explicatam. Secus vero erit, ſi addatur particula diminuens, vt *Por el cielo de la cama*: nam eo ipſo intelligitur ad hoc addi, vt vitetur iuramentum. Quando vero per inferiorem, & vilem creaturam abſolute, & ſine Deo nominatam atteſtatio fit, res videtur æquiuoca, & determinanda ex ſola intentione iurantis. niſi ex circumſtantiis aliud intelligi poſsit, vt hæc frequens locutio, *Per barbas meas*, exiſtimo in rigore verborum non eſſe iuramentum, quia nullam indicant habitudinem ad Deum, ſed ſolam authoritatem & grauitatem ipſius loquentis. Interdum etiam creatura, per quam confirmatur dictum, talis eſt, vt ſtatim appareat nominari ad vitandum iuramentum, vt dicebamus de cœlo lecti, vel quid ſimile. Et in vniuerſum quoties intentio ſiſtit in creatura vt creatura eſt, in rigore non eſt iuramentum, vt patet ex dictis in cap. 5. Hic vero occurrebat difficultas ex quadam ſententia Auguſtini Serm. 28. alias 30. de verbis Apoſtoli, ſed illa commodius tractabitur lib. ſequenti cap. 4.

24. *Dubium de Homagio.* Vnum denique ſupereſt dubium circa has iurandi formas, an illis annumerari debeat *Homagium*, quod Hiſpani *Pleito menaie* vocant? Fit autem hoc modo, quod nobilis poſitis manibus ſuis, intra manus alterius, qui Homagiũ recipit, fidem ſuam aſtringi Hiſpane in hac forma: *Doy my fe, y palabra, haziendo, como hago pleyto, y omenaie, como Cauallero, y hidalgo ſegun el fuero de Heſpanna de cumplir*, &c. Ratio ergo dubitandi eſt, quia in omnibus illis verbis nullum apparet in rigore continens iurationem. Nam præſtatio fidei non ſufficit, vt oſtenſum eſt, & verba, quæ adduntur, non augent, ſed diminuunt potius fidem ad humanam, & ex humanis tantum qualitatibus ornatam, & denique in omnibus illis verbis nihil Diuinum ſonat. In contrarium vero eſt, quia in ipſiſmet legibus Hiſpaniæ declaratur eſſe periurium violationem Homagij in leg. 26. tit. 11. part. 3. vbi Homagium iuramento in obligatione æquiparatur. Item conſiderato fine illius cæremoniæ videtur plane coincidere cũ fine iuramenti, quod eſt firmare pacta, & humanam fidem: & illa cæremonia non videtur introducta ad minuendam hanc firmitatem, ſed potius ad augendam illam: ergo includit iuramenti firmitatem. Vnde *Gloſ.* Gloſſa in cap. vlt. de Regulis Iuris, Homagium interpretatur *Sacramentum fidelitatis*, & in cap. *Ca. Grauẽ.* *Grauem*, de Exceſsibus Prælatorum, violator Homagij tamquam periurus grauiter punitur.

In hoc ergo dubio diuiſi ſunt Scriptores etiam 25. Hiſpani, nam quidam negant, Homagium eſſe iuramentum, ait Greg. Lopez in d. l. 26. tit. 11. part. 3. & ſequuntur Gutierrez, & Mendoza ſupra. Et ad hoc expendunt verba eiuſdem legis. nam in illis diſtinguitur, per diſiunctionem, Homagium à iuramento. *Varia ſententia. Greg. Lop. Gutier. Mendoza.* Vnde quod poſtea in lege ſubditur. *Sit periurus, & ei non adhibeatur fides in teſtificando*, dicunt eſſe cum partitione accommoda intelligendum: ita vt *periurus*, ad eum, qui iurauit, indignus autem fide ad eum qui Homagium fecit, referatur, nam hæc pœna imponitur frangenti fidem Homagij in eiſdem legibus, quas iidem Authores allegant ſimul cum aliis, in quibus Homagium à iuramento diſtingui videtur. Contrarium nihilominus ſentit Couar. in d. cap. *Quamuis pactum*, §. 1. n. 1. & 2. *Couar.* & idem ſentit Auendan. vbi ſupra, & ſunt ſententia *Auend.* Baldi Conſ. 261. vol. 2. Et certe ratio ſumpta ex fine videtur multum perſuadere iſtam ſententiam, quia Homagium adhibetur in pactis, aut promiſsionibus inter perſonas excellentiores, & in grauioribus materiis, & (vt ita dicam) ad ſummam quandam firmitatem: ergo non eſt veriſimile fieri ſine iuramento, cum illud ſit quaſi primum principium & fundamentum moralis firmitatis in rebus humanis. Et ideo mihi valde veriſimile eſt, Homagium non fieri ſine iuramento, ſiue illud includat formaliter, ſiue concomitanter ad ſui confirmationem, vtrumque enim probabile eſt.

Poteſt enim probabiliter ſuſtineri ipſum nomen *Homagium* iuramentum ſignificare, ſi vera eſt 26. *Etymologia Homagij.* deductio, quam facit Couarr. ſupra ex Græco nomine *Agios*, quod ſanctum vel ſacrum ſignificat per iuramenti Religionem: atque hoc modo perinde erit dicere *Homagium facio, Hago pleyto o menaie*, ac dicere *Iuramentum facio*. Secundo tamen eſt veriſimile, Homagium vt ſic, non dicere Iuramentum, ſed ſolemne quoddam pactum humanum, nam vt dicitur in leg. 4. tit. 25. part. 4. *Qui Homagium facit, tradit ſe alteri quaſi in pignus & ſecuritatem fidelitatis ſuæ*. Vnde qui Homagium præſtitit, quodam modo illius fieri cenſetur, cui illud præſtitit, vt ibi notat Greg. Lopez allegans cap. vlt. de Seruis non ordinandis, *Greg. Lop.* cui poſſet accommodari deductio vocis *Homagium*, ſi Latina eſt: ſic ergo Homagium formaliter eſt quoddam pactum humanum. Quod autem ſine iuramento non fiat, præter Iura Canonica citata, colligitur ex eiſdem legibus Hiſpanis leg. 4. tit. 26. partita 4. ibi *Promittendo, iurando, & Homagium faciendo*: idem colligi poteſt ex l. 5. tit. 15. partita 2. ibi *Faciendo Homagium, &c.* Vbi licet non fiat expreſſa mentio iuramenti, tot circumſtantiis deſcribitur, & ita exaggeratur illius obligatio, vt ſatis indicari videatur. Speculator etiam in tit. de *Speculat.* Feudis, §. *Quoniam*, verſ. *Forma autem iurandi*, commemorans ſimilem conſuetudinem Gallorum. inter alia inquit: *Fidelitatem iurat, & Homagium facit*. Denique in hoc conſideranda eſt conſuetudo, quæ eſt optima interpres huiuſmodi rituum, & legum.

Formæ execrationum.

QVæ hactenus diximus, pertinent ad formulas 27. iuramenti ſimplicis, ſeu inuocatorij, poſſumus autem breuiter commemorare etiam nonnullas iuramenti execratorij. Cuius duas generales formulas ſupra indicauimus: vna eſt, in qua adducimus res, quas diligimus ad iurandum, non expreſſe imprecando illis malũ, ſed potius per quandam comparationem ad bonum quod illis deſideramus. Et ad hunc modum pertinent omnia hæc iuramen-

Iuramenta, *Per vitam, ſalutem corporalem, vel ſpiritualem, vel propriam, vel patris, vel filii*, aut, *Regis*, & ſimilia, quæ ex rigore verborum vera iuramenta ſunt, *D. Thom.* vt cum D. Thoma in art. 6. ſentiunt omnes: ſunt autem execratoria, quia ſimpliciter inuoluunt oppoſitum malum, nam qui iurat per vitam, quantum eſt in ſe, illā exponit Diuino iudicio, vt illa priuetur, ſi falſum iurat. Eundem ſenſum habet illa vulgaris forma, etiam in Canonibus contenta: *Sic Deus me adiuuet*: nam ſenſus eſt, vt ſi mentior, non adiuuet: & idem eſt de ſimilibus rebus, quæ ex charitate à nobis diligendæ ſunt. *Dubium.* Dubitari autem poteſt, ſi quis iuret per vitam ſui equi, vel per conſeruationem rei inanimatæ, aut alio ſimili modo, an il- *Solutio.* lud ſit iuramentum? Reſpondeo, ſi hæc tantū conſiderentur, vt mala quædam talium rerum, ſub ea ratione non continent grauem deordinationem, niſi redundent in graue detrimentum proximi, ſi vero conſiderētur, quatenus proponuntur, vt materia, in qua Deus aliquo peculiari opere, vel iudicio veritatis teſtimonium oſtendat, ſi abſque dubio illa ſunt iuramenta, quia Deus vere inuocatur in teſtem: ad quod parum refert, quod res illa, de cuius commodo, vel incommodo agitur, hoc, vel illo modo æſtimetur, vel diligatur. Raro tamen ſolet vſurpari hic iurandi modus, & ideo ex vſu nihil certi dicere poſſumus, in rigore tamen verborum videntur ad iurādum ſufficere, niſi ex circumſtantiis, & modo conſtet, res illas interponi ad vitādum iuramentum, quia quaſi pro nihilo æſtimantur.

28\. Aliæ formæ huius iuramenti ſiunt per expreſſam mali imprecationem, vel ſibi, vel rebus ſibi charis: inter quas grauiſsimæ ſunt illæ, in quibus mortem æternam, vel iram Diuinam, vel Dæmonis obſeſſionem alicui imprecamur, ſi verum non dicimus, & talia iuramenta grauiſsima ſunt, ſolentq; generare ſcandalum, & ideo cauenda maxime ſunt. Alia vero etiam ſunt, quæ, licet non ſint tam explicita, idem genus iuramenti continent: tale cenſetur il- *Cap. Etſi Chriſtus.* lud, *Per caput meum*, quod inſinuatur Matth. 5. & in cap. *Et ſi Chriſtus*. Item illud. *In periculo animæ meæ*, *Ca. Fraternitatis.* ex cap. *Fraternitatis*, de Frigidis, & maleficiatis, & *Innocent.* notant Innocentius in cap. *Et ſi Chriſtus*. Gemini*Gemin.* anus in cap. 1. de Sepulturis in 6. Solent etiam vulgares homines, quando aliquid ab eis poſtulatur, v.g. panis, aut pecunia, ita reſpondere, *Maledictus panis, vel aſsis, quem apud me habeo*. de quo modo loquendi dubitari poteſt, an contineat iuramentum execratorium, ex vi verborum. Et videtur non continere, quia qui ſic loquitur, non intendit maledicere ſe ipſum, quaſi imprecando ſibi malum, quia verba non ad ſeipſum, ſed ad rem poſtulatā dirigit. Deinde per illum modum loquendi nō videtur imprecari oſtenſionem Diuini iudicij circa panem, ſi fortaſſe illud apud ſe habet, neque hoc verba in rigore ſignificant, ſed tantum exaggerationem quandam in negando aliquid huiuſmodi apud ſe habere. Si tamen mens loquentis eſſet, obiicere illam rem, vt materiam Diuini iudicij, iuramentum erit, vt ſenſit *Nauarr.* Nauarr. d. cap. 12. n. 5. & Syluest. *Iuram.* 2. n. 2. & Co*Syluest.* uarr. ſupra §. 1. n. 5. in fine. Denique in his omnibus *Couar.* conſulenda eſt conſcientia iurantis, nam ſæpe fieri poteſt, vt putet iuramentum eſſe, quod non eſt, & ideo peccet, vel è conuerſo, vt putet non eſſe iuramentum, quod re vera eſt: & ideo excuſetur vel à culpa, vel ab obligatione, iuxta dicenda inferius de iuramento promiſſorio.

Caput XIV.

De perſonis, quæ iurare poſſunt, & primum de Deo, & Angelis.

1. Iurſu quæſtio. Svpereſt dicendum de cauſa efficiente iuramenti, quam explicabimus diſcurrendo per perſonas, quæ iurare poſſunt, ſiue licite, ſiue illicite, ſed ſimpliciter, & abſolute. Supponimus autem vt clarum, nullam rem intellectu carentem iurare poſſe, quia ſupra oſtenſum eſt, iuramentum à voluntate, & intellectu proficiſci. De omnibus autem rebus intellectualibus poteſt moueri quæſtio: & in primis de iuramentis Dei, vt Deus eſt, quæri poteſt, an iurare valeat? Videtur enim non poſſe, tum quia iuramentum eſt actus Religionis, Deus autem non eſt capax actuum Religionis, vt in primo tractatu oſtenſum eſt: tum ſecundo, quia Deus non poteſt facere votum, ergo nec iuramentum, nam hæc æquiparantur. Tertio, quia iuramentum eſt ad confirmandum dictum, Diuinum autem dictum non eſt capax confirmationis, quia per ſe habet ſummā, & infallibilem veritatem. In contrarium autem eſt, quia in Scriptura ſæpe legimus Deum iuraſſe, Pſal. 109. & Geneſ. 22. dicitur iuraſſe per ſemetipſum: idem Hierem. 22. & cap. 44. *Ecce ego iuraui in nomine meo magno*. & cap. 51. *Iurauit Dominus exercituum per animam ſuam*: Amos 4. *Iurauit Dominus in ſancto ſuo*, id eſt, in ſanctitate ſua, Ezech. 18. *Viuo ego, dicit Dominus*. Denique rationem cur iurare ſoleat Deus, reddit Paul. ad Hebr. 6. dicens prius: *Quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per ſemetipſum*: & infra ſubiungens: *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus, immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit iuſiurandum*. Et hæc eſt prima ratio. Secunda vero eſt: *Vt per duas res immobiles, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, fortiſsimum ſolatium habeamus*. 1. Dubium *Hiere. 22. & 44. Amos 4. Ezech. 18. Hebr. 6.*

Dicendum ergo eſt, Deum quidē iurare ſecundum modum, & formam iuramenti, & aliquo modo quoad finem & effectum eius, quoad nos, non tamen quoad ſe, vel quoad rem ipſam. Primā partem probant teſtimonia Scripturæ adducta: ſecundam vero probat declaratio Pauli, in qua duos effectus Diuini iuramenti quoad nos expoſuit. Vnus eſt, quem ibi notauit D. Thom. ſcilicet vt per iuramentum intelligeremus prophetiam eſſe prædeſtinationis, id eſt promiſsionem eſſe ex decreto abſoluto, & non dependentem à conditione aliqua ex parte noſtra. Quod etiam indicauit Baſilius hom. in Pſalm. 14. dicens Deum iurando Dauidi ſignificaſſe, quod immutabili ac firmo decreto gratiam promiſsionis confirmauerit: ſic etiam Iſidor. de Sum. bon. lib. 2. cap. 31. *Iurare Dei eſt* (inquit) *ab illa prouidentia, quæ ſtatuit non conuellere ſtatuta*: & infra, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, id eſt, *Quæ iurauit, non mutabit*. Alter effectus eſt ad augendam noſtram fidem, & ſpem, non quia res in ſe fiat certior, quantum ad Diuinum teſtimonium, ſed quantum ad modum, quo nobis proponitur, vel ſub ratione magis abſoluta, vt dictum eſt, vel ſub forma magis accommodata ad apprehendēdam aſſertionis certitudinem, & promiſsionis firmitatem. Sic Hieron. Iſai. 14. dicit. *Cum iurat Deus, humano loquitur affectu, vt nos nihil timeamus*. & Damaſcenus. *Per iuſiurandum ait, ſignificari conſilii ipſius immutabilem conſtantiam, quippe cum apud nos interpoſito iureiurando pacta confirmentur*. Addi etiam poteſt ex Baſil. homil. de Pœnitentia, quæ eſt 27. interdum iurare Deum propter incredulitatem futurorum hæreticorū, quam præſciebat: *ſicut promiſit* (inquit) *veniam pœnitentibus ſub iuramento illo, Viuo ego, ad confundendos hæreticos, qui fructum pœnitentiæ negant*. Et elegāter expendit, quando iurat Deus, in forma ipſa iurandi commemorare attributum effectui, quem promittit accommodatum: *Qui viuit* (inquit) *viuere vult peccatorem*. Sic etiam dixit Philo in lib. de Sacrificio Abel & Cain: *Scripturam inducere Deum iurantem, vt infirmitatem naturæ noſtræ coargueret, & conuictam conſolaretur*. 2. *De iuramento Dei aſſertio.* *D. Thom.* *Baſil.* *Iſidor.* *Hieron.* *Damaſc.* *Baſil.* *Philo.*

3\. Atque ex his poteſt à contrario probari vltima pars aſſertionis, quam etiam conuincunt rationes dubitandi in principio poſitæ. Atq; ob hanc cauſam dixit

Digitized by Google

Caietan. dixit Caietan.in cap.2.Gen. iurare dici de Deo metaphorice, quia ad ſimilitudinem iurantis, & per formam,ac verba iurandi oſtendit nobis immobilitatem decreti ſui: cui non parum fauet Damaſc. ſupra, dum inter eas voces, quæ corporaliter, & metaphorice dicuntur de Deo, iuſiurandum ponit. Et poteſt ratione confirmari,quia iuramentum in ſua proprietate dici habitudinem ad authoritatem ſuperiorem reſpectu iurantis,vt indicauit Paulus ad Heb. 6. at ſub hac proprietate clarũ eſt, non poſſe Deo conuenire, dici ergo poteſt ablatis imperfectionibus, ea, quæ perfectionis ſunt, in iuramento Deo conuenire, & ideo propter nos forma illius vti, & hoc modo illi tribui in Scriptura.

4. Solum circa formam iurandi dubitari poteſt,an Deus vtatur ſola atteſtatione per ſeipſum,vel etiam execratione? videtur enim contineri interdum execratio in eius iuramento, vt in illa forma: *Iurauit per animam ſuam*, Ierem.51. Nam ſupra diximus, hanc formam eſſe execratiuam,& ſimilis eſt illa Amos 6. *Iurauit Dominus in anima ſua*. Item interdum iurat Deus ſub hac forma. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*. Pſalm.94. *&, Semel iuraui in Sancto meo, ſi Dauid mentiar*. Pſalm.88. hæc enim verba virtute continent execrationem, vt ſenſit Adam ad Hebr. 3. Qui ita exponit, *non ſim Deus, vel non viuam*, aut aliquid huiuſmodi, *ſi hoc non impleuero*. Sæpe enim huiuſmodi execratio exprimitur Religionis cauſa, vel ad indicandam excellentiam affectus, vt exponit Ianſen. cap. 6. Concordiæ circa illa verba Marci 8. *Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum*, vbi ait: per illam præciſionem orationis ſignificari terrorẽ quendam proſequendi illas imprecationes.

Hiere. 51. Amos 6. Pſalm. 94. Pſal. 88. Adam. Ianſen. Marc. 8.

5. *Probabilius eſſe Deum non iurare per Execrationem.* Sed probabilius videtur, non iurare Deum per execrationem, ſed ſolum per atteſtationem, quia nullibi inuenitur in Scriptura expreſſum, & alioqui talis iurandi modus, vel Deo impoſſibilis, vel ſaltem minime ipſum decere videtur, ſi enim execratio ſit circa ipſum Deum, ſic ſub nulla ratione, vel conditione, quantũuis impoſſibili, poteſt Deus ſibi imprecari,vt non ſit,vel quidpiam ſimile: quia talis imprecatio non fit,niſi circa rem aliquo modo capacem illius mali, & ideo res illa, quæ eſt materia,ſeu obiectum execrationis, ſemper eſt inferioris ordinis. Vnde ſimiles execrationes circa Deum in ore hominum, non tam ſunt iuramenta, quam blaſphemiæ: nõ ergo decet Deum iurare execrando ſeipſum. Neque etiam execrando creaturam, tum quia nullo modo vtitur creatura ad iurãdum, ſed per ſeipſum tantum iurat, tum etiam quia non eſſet execratio illa apta ad iurandum,cum tam malum, quam bonum creaturæ ex eius pendeat voluntate.

6. Quando ergo Deus iurat per animam ſuam, nihil aliud eſt, quam iurare per ſeipſum, ſeu per ſubſtantiam ſuam,quæ nomine animæ metaphorice ſignificatur: ſicut Eccleſiaſt. 24. *Sapientia laudauit animam ſuam*,id eſt, *ſe*. & ad Hebr. 10. *Non placebit animæ meæ*,id eſt,*mihi*, vt bene expoſuit Ribera Oſeę 9.n.5. & Amos 6. n. 28. Aliæ vero conditiones ſub conditione ſuſpenſa, & quaſi præciſa, non per execrationem, ſed per ſimplicem negationem, iuxta ſubiectam materiam, explicanda ſunt, vt Pſalm.94. *Quibus iuraui ſi introibunt*, id eſt, *Iuraui quod non introibunt*, vt exponit Paulus ad Hebræos 3. & 4. &, *Semel iuraui ſi Dauid mentiar*. id eſt, *Non mentior*. Vnde quando in ipſo iuramento conditionali ſupponitur vna negatio, quia ſubintelligitur alia, redditur affirmatio iurata. vt Iſaiæ 14. *Iurauit Dominus exercituum dicens, Si non vt putaui, ita erit*, id eſt *omnino ita erit*, atque ita explicuit Ribera Amos 8. num. 20. & in re idem ſentiunt Ianſen. ſupra, & Titelmannus Pſalm. 94. in fine addit, non ſimplicem affirmationem, ſed vehementem, & fortem indicari ex illo modo loquendi, licet non ex vi ſignificationis illius particulæ, *Si*, quod recte dictum videtur.

Eccl. 24. Heb. 10. Ribera. Pſal. 94. Iſa. 14. Ribera. Ianſen. Titelm.

De iuramentis Chriſti.

SEcundo dubitari poteſt de Chriſto Domino, an iurare potuerit, & conſequenter, an iurauerit aliquando? 7. Videtur enim non potuiſſe, quia quod licite facere non potuit, ſimpliciter non potuit, ſed non potuit licite iurare, ergo omnino non potuit. Minor probatur, quia in Chriſto non potuit eſſe neceſſitas iurandi, & abſque neceſſitate iurare non licet. Quod autem numquam iurauerit, probatur: quia ipſe, vel præcepit, vel conſuluit (cum partitione accommoda) non iurare, ſed ſimpliciter loqui, *Eſt, eſt, non, non*: ergo debuit præcedere exemplo. Probatur etiam ex dictis locutionibus Chriſti, nam de illo ſolum legitur, dixiſſe interdum, *Amen, amen*, vel in veritate, neutrum autem ex his verbis iurationem continet. Nam de poſteriori particula, ſcilicet, in veritate, cap. præcedenti oſtendimus, non eſſe particulam iurandi.

Illa vero dictio, *Amen*, triplicem habet vſum, vt 8. notauit Vrbanus IIII. Papa, in expoſitione Pſalmi *Vſus huius vocis, Amen. Vrban. 4.* 50. circa finem, quæ habetur in primo tomo Bibliothecæ. Nam interdum accipitur in vi nominis, & ſignificat Deum in Apocalyp. 3. *Hæc dicit Amen teſtis fidelis*, id eſt, immutabilis, qui ſemper verum loquitur, vt ibi etiam exponit Ribera. ſecundo in vi verbi, Ribera. & ſignificat idem, quod *fiat*, vt Vrbanus exponit, & ita videtur accipi ab Eccleſia in fine, ſeu reſponſione orationum, vt ſentit Micrologus de Eccleſiaſticis obſeruationibus, & Hieronymus Epiſt. 137. ad Microl. Hieron. Marcellam, & poteſt ſumi ex Paulo 1. ad Corinth. 1. Cor. 14. 14. dicẽs, *Si bene dixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem*. Solet ſumi non ſolum, vt verbum optandi, ſed etiam conſentiendi, & confirmandi, teſte Hieronymo ſupra, ſic enim in Miſsis Græcorum facta conſecratione populus reſpondet, *Amen*, vt eſt in Liturgiis Baſilij, & Chryſ. quod interpretari poſſumus, *verum, & ratum ſit*, vt exponit Florus in expoſitione Miſſæ, Florus. in 6. tomo Bibliothecæ, & attigit Toletus in 3. cap. Tolet. Ioan. Annot. 4. Tertio modo accipitur in vi aduerbij, & ſic idem eſt, quod *vere*, vt ait Vrban. aut *certe*, vel *fideliter*, vt ait Hier. ad Galat. 6. & Epiſt. 134. ad Hieron. Suphronium, Iſaiæ autem *Amen, amen* exponit *vere, vere*, conſtat autem ex modo loquendi Chriſti Domini in hac ſignificatione vſum eſſe voce illa, & æquè manifeſtum eſt, ex illa ſignificatione, non contineri iuramentum, ergo cum fundamento dici poteſt, Chriſtum aliquando iuraſſe, & ita ſentit Ianſen. in cap 40. Concordiæ, & Soto lib. de Iuſtitia, q. Ianſen. 1. art. 2. & Syluest. verb. Iuramentum. 1. part. quæſt. Soto. 3 qui ab inconuenienti id confirmat, quia alias Syluest. Chriſtus ſine neceſſitate iuraſſet, quando Luc. 4. Luc. 4. dixit: *In veritate dico vobis*, quia ea, quæ dicebat, erant tam clara, vt nulla confirmatione indigerent, nimirum multas fuiſſe viduas in Iſrael, & ad nullam illarum fuiſſe miſſum Eliam, ſed ad viduam Sarepthæ Sidoniæ.

Nihilominus certum eſt, potuiſſe Chriſtum iurare, & probabile eſt aliquando iuraſſe. 9. Prior pars probatur, quia vt homo erat, non erat incapax iuramenti, etiam in proprietate ſumpti, quia erat minor Patre, & ita iurare poterat per maiorem ſe, vnde ſæpe in confirmatione ſuæ veritatis Patrem allegabat, vt ſtatim expendam. *Chriſtũ potuiſſe iurare, & probabile eſſe de facto iuraſſe.* Deinde licet ex parte ſua non indigeret iuramento, qui ratione vnionis, nec falli, nec fallere poteſt, neque ignorare, præſertim ea, quæ affirmat: nihilominus ex parte audientium poterat cum fructu, & magna auctoritate, & fortaſſe etiam neceſſitate iuramentum adhibere: potuit ergo interdum ſancte iurare. Quod autem

Digitized by Google

Innoc. 3. D.Thom. autem id aliquando fecerit, affirmare videtur Innocent. III. in cap. *Et ſi Chriſtus*, de Iureiurando, & indicat D.Thom. lect. 4. in Ioan. 8. circa illa verba, *Amen amen, dico vobis*, dicens, *Ponit hic Dominus quaſi quoddam iuramētum, quod ideo geminatur, vt ſuam ſententiam magis firmam oſtendat*, & adducit locum ad Hebræos 6 *Interpoſuit iusiurandum, vt per duas res immobiles*, &c. Et hanc opinionem ſequitur Selua tractatu de Iureiurando 1.p.q.3.n.2. Selua.

10. Quoad formam autem, vel locum, quo Chriſtus iurauit, probabilius videtur non ſemper iuraſſe per verba illa: *In veritate dico vobis*. Luc. 4. tum quia particula: *In veritate*, nō eſt ſignum iurandi, tum etiam propter coniecturam Syluest. quia materia illa non erat apta ad iuramentum. Aptior quidem materia videri poteſt Luc. 21. cum dixit. *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes miſit*, vel Ioan. 16. cū dixit: *Veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam*. Et nihilominus in neutro ex his locis poſſumus affirmare, quod iurauerit ex vi verborum, quia non continent atteſtationem, vel inductionem alicuius teſtimonij, ſed ſolam aſſertionem veritatis ipſius locutionis. De illa autem locutione Amen, &c. fateor eſſe ambiguum, tamen probabile eſt cōtinuiſſe iuramentum, præſertim apud Ioannem cum repetitione poſitum, vt ex D.Thom. retuli, & indicat Hieronymus in vltimis verbis Epiſt. ad Gala. dicēs: *Quomodo in veteri teſtamento quadam iurandi conſuetudine Deus ſua verba confirmat, dicens, Viuo ego, ita & Saluator noſter in Euangelio per verbum Amen vera eſſe quæ loquitur, oſtendit*. Et Vrban. III. ſupra ſignificaſſe dicit, per illum modum loquendi eſſe infallibile, quod dicebat. Fortaſſe etiam inter iuramenta numerari poſſent locutiones illæ in quibus Chriſtus Dominus Patrem in teſtimonium veritatis afferebat præſertim Ioan. 8. *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater*, & iterum, *Iudicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me*, & iterum. *Qui me miſit verax eſt, & quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo*, & infra. *A me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor*. Ad hoc vero reſponderi poteſt, illa non eſſe verba iurantis, ſed atteſtantis, alias quoties Prophetæ affirmant Deum aliquid dicere, iurabunt, & Apoſtoli ſimiliter, quando aſſerebant Chriſtum aliquid dicere, ac denique Chriſtus vbicumque dixit, ſuam doctrinam eſſe illius, qui miſit illū, vel eſſe ex Deo, & ſimilia iuraſſet, quæ omnia videntur aliena à communi ſenſu. Luc. 4. Luc. 21. Ioan. 16. Hieron. Ioan. 8.

11. Verumtamen licet illa non ſint formalia iuramenta quoad inuocationem, æquiualenter videntur eādem vim habere, cuius ſignum eſt, quia ſiquis affirmaret, Deum alicui dicere, quod falſum eſſet, inordinationem periurij committeret, quia Deum adduceret in teſtem falſitatis. Vnde dupliciter ille peccaret: primo fingendo ſe habere reuelationem à Deo, quam non habet, ſecundo adducendo Deū in teſtem falſitatis, & in primo quidem nō eſſet periurus, ſed ſuperſtitioſus: in ſecundo autem videtur aperte committere malitiam eiuſdem rationis cum periurio: quamuis poſſet etiam ad hæreſim reuocari: ita hæc omnia ad minimum probant potuiſſe Chriſtum iurare per Patrem, nam ſicut Diuinum, ſeu Patris teſtimonium docendo, afferebat ad ſuam virtutem confirmādam, ita etiam facile potuit eodē teſtimonio vti, per modum iurantis. vnde credi poteſt ita interdum feciſſe, licet non expreſſe reperiatur ſcriptum.

12. Addi denique poteſt, illa verba Chriſti: *In veritate dico, & Amen, amen dico vobis*: intelligi poſſe tanquam iurantis, non per alium, ſed per ſe ipſum: ſicut enim ſupra dicebamus, hominem iurantem per fidem, aut veritatem ſuam, adducere, ſeipſum in teſtem, ita de Chriſto idē dicere poſſumus, cum magno tamē diſcrimine, nam puri hominis teſtimonium non ſufficit ad iuramētum: in Chriſto autem, iurare per ſe ipſum ad iurādum ſufficiebat, vel quia iurando per ſe, iurabat per Deum, ſicut Ioan. 14. ipſe dixit: *Creditis in Deum, & in me credite*, vel etiam quia iurando per ſe, iurabat per rem maxime ſanctam, & per veritatem infallibilem, & hoc maximè indicāt Innocentius, & alij citati. Ioan. 14.

De iuramentis Angelorum.

Tertio dubitari poteſt de Angelis, an iurare poſſint, vel iurent. In quo dubio certum eſt Angelos ſanctos loquentes ad homines poſſe iurare, nam Apocalyp. 10. expreſſe legimus Angelum ſanctum iuraſſe, *Per viuentem in ſæcula ſæculorum*, &c. & ſimile legitur Daniel 12. quod notauit Innocentius III. in cap. *Et ſi Chriſtus*, & Andreas Cæſarieſis in Commentarijs Apocalyp. ca. 28. dicens: *Cum Deus nullum ſe maiorem habeat, per quem iurare poſſit, per ſemetipſum iurare ſolitus eſt, Angeli autem tanquam res creatæ per creatorem iurant, & ea, quæ dicunt, propter noſtram diffidentiam, & incredulitatem, cæleſtis numinis atteſtatione confirmant*. Sic etiam dixit Ribera in eundem locum, iuraſſe Angelum, quia dicturus erat id, quod futuris hominibus vanum videri poterat, & iuraſſe per viuentem æternum, qui omnia futura habet præſentia, quia dicturus erat, tempus nō amplius eſſe futurum. Indicans imitari Angelum id, quod ſupra de Deo dicebamus, adducendo Deum in teſtem ſub ratione illius attributi, quod materiæ de qua iurabat, magis erat accommodatum. Ex his ergo conſtat ſanctos Angelos, & ex conditione ſua eſſe capaces proprij iuramenti, & non deeſſe illis opportunitatem ſanctè iurandi. 13. Angeli poſſunt iurare. Apoc. 10. Innoc. 3. Andr. Cæſarienſ. Ribera.

At vero de Angelis ſanctis inter ſe clarum eſt nō iurare, quia iuramentum non habet locum, niſi vbi per fidem aliquam, vel Diuinam, vel humanam, vel (vt ſic dicam) Angelicam credendum eſt dictis iurantis, nam (vt ſupra diximus) iuramentum nō adhibetur ad neceſſaria, neque ad cōfirmanda ea, quæ videntur. Angeli autem ſancti non aſſentiuntur per fidem, nec Diuinam, quæ in beatis non eſt, neq; etiam per Angelicam, quia ſemper clarè intuentur ea, de quibus ab alijs illuminantur, vel inſtruuntur per quamcumque Angelicam locutionem. Et quamuis fieri poſſet, vt vnus Angelus ſanctus loqueretur alteri, etiam beato, abſtractiue tantum, & ſine oſtenſione rei, de qua loquitur, prout eſt in ſe, nihilominus non eſſet neceſſarius vſus iuramenti inter Angelos ſanctos, quia etiam illa cognitio, vel fides (ſi ita appellanda eſt) eſſet euidens in atteſtante, quia euidens eſt audienti, loquentem non poſſe mentiri ſaltem propter beatificum ſtatum. Inter ſanctos ergo Angelos non poteſt eſſe vtilitas, nedum neceſsitas iuramenti, & ideo inter ſe iurare nō poſſunt, ſaltem ratione ſtatus, quia nihil agere poſſunt otioſum, & inane. 14. Angeli ſancti inter ſe non iurant.

De Angelis etiam malis, ſecundum ſe ſpectatis, vel in propria ſpecie veriſimilius videtur, nūquam vti iuramento, non ex bono motiuo, ſed ne Deum honorare videantur. Et quia reſpectu bonorum nō ignorāt ſibi nihil prodeſſe, reſpectu autem ſuorum ſociorum fortaſſe nō ſunt capaces, vt ſtatim dicam, & licet ſint, non aſſumunt nomen Dei, niſi ad blaſphemandum de illo, reſpectu vero hominum ad decipiendos illos interdum iurare poſſunt, ſi permittantur, ſicut interdum aſſumunt ſpeciem viri Religioſi, & ſimilia. Et hoc maxime habet locum, quando dæmon ſe latere putat, & non agnoſci, nam ſi cognoſcatur rarò, vt exiſtimo, vtetur Diuino iuramento ad perſuadendum homini, tum propter ſuam ſuperbiam, ne videatur confiteri, ſe indigere teſtimonio Dei ad ſuorum dictorum confirmationem, tum etiam, quia ſemper affectat honorari, & credi vt Deus. 15. Angeli mali veriſimilius eſt quod non iurent.

Digitized by Google

16. Dubitari hic tamen poteſt, an Angeli in pura ſua natura ſpectati haberent, vel habere poſſent vſum iuramenti, ſicut homines ſola natura duce iuramẽto vſi ſunt, vt patet de Gentilibus. Hinc enim euidens fit, per lumen naturale potuiſſe ab Angelis cognoſci vtilitatem iuramenti. Nec vero videntur incapaces illius vtilitatis, quia ex vi ſuæ naturæ, & falli, & fallere poſſunt, eſt ergo fallibile eorum teſtimonium ex vi propriæ naturæ, ergo in illa pura natura ſtando, potuiſſent vti iuramento ad ſuas aſſertiones confirmandas. Sed hæc quæſtio pendet ex alia valde ſpeculatiua, quomodo Angeli ex vi ſuę naturæ ſibi inuicem loquantur, præſertim quoad puram aſſertionem de præſenti, vel de pręterito. Nam ſi ita inter ſe loquuntur, vt is, qui loquitur clarè & perſpicuè oſtendat alteri ſuum conceptum, vel voluntatem, quaſi præbens illi facultatem, vt eam intueatur, tunc is, qui audit, non credit loquenti propter auctoritatem eius, ſed quia videt ita eſſe quod dicitur, & ita non habet locum iuramentum, iuxta proximè dicta. Si autem vnus Angelus ita loquitur alteri, vt non intuitiuè rem dictam oſtendat, ſed ſolum abſtractiuè per ſuum dictum, & authoritatem illam notificet, ſic certe poſſet in pura natura Angelica eſſe iuramenti vſus, & vtilitas, vt ratio facta probat. In qua aſſertione, vel promiſsione de futuro (quæ ſine dubio poteſt eſſe in Angelis ex natura rei) non videtur dubium, quin talis aſſertio, vel promiſſio eſſet iuramento confirmabilis, quia de ſe, & natura tua infirma eſt, quia voluntas Angeli mutabilis eſt, qua ratione etiam infra dicemus capacem voti. Verum eſt tamen hæc vincula parum eſſe in Angelica natura neceſſaria, quia & non indiget negotiationibus, vel contractibus, & volũtatem habet magis firmam & conſtantem in ſua deliberatione, quã humana natura, licet non omnino immutabilem.

Quomodo Angeli in pura natura ſpectati poſſent iurare.

Caput XIV.

Poſſintne homines iurare in omni ſtatu?

1. Sermo in præſenti eſt de hominibus viatoribus, quia poſt viam eadem ratio de illis eſt, quæ de Angelis beatis, vel damnatis. Viatores autem homines habuerunt aliquando ſtatum innocentię, & poſtea naturę lapſæ: ſub quo includo, nunc ſtatum puræ naturæ, quia eadem eſſet ratio in illo, quæ fuit in Philoſophis ſola ratione naturali vtentibus. Dicemus ergo prius de ſtatu innocẽtiæ, vt origo, vel occaſio iurandi magis innoteſcat. Dixerunt enim aliqui, vſum iuramenti ortum eſſe ex malo peccati originalis, tanquam ex adæquata cauſa, & radice. Ex quo fundamento neceſſariò ſequitur, non exiſtente peccato originali, non fuiſſe futurum iuramenti vſum, neque perſeuerante ſtatu innocentiæ homines fuiſſe iuraturos. Fundamentum autem illud videtur poſſe ſumi ex verbis illis Chriſti: *Quod amplius eſt, à malo eſt*, addita expoſitione Auguſt. ſupra tradita, quod iuramentum non dicitur eſſe malum, ſed eſſe à malo, ſcilicet, ex incredulitate hominum, & ex conſuetudine mentiẽdi, qui ſunt effectus peccati originalis. Et confirmatur, quia in ſtatu innocentiæ nulla eſſet neceſsitas iuramenti, quia homines propter magnam innocentiam ſemper verum dicerẽt, & ita facile, & ſine periculo ſibi mutuo crederent, non ergo eſſet neceſſarium iuramentũ, ergo neque vſus eius. quia eſſet vanus, & conſequẽter peccatum ſaltem veniale, quod non habebat locum in ſtatu innocentiæ. Atque ita ſentit Soto d. li. 8. q. 1. art. 5. & inſinuat ibidem Aragon.

Soto. Aragon.

2. Nihilominus dico, iuramentum non eſſe ex his, quæ neceſſario ſupponunt peccatum, vel effectus eius in humana natura. Probatur, quia licet humana natura eſſet integra, & innocens, ignoraret negatiue multa, præſertim contingentia, præterita, & futura, & præſentia etiam quoad tẽpus, ſed diſtantia quoad locum, vel occulta quoad internos actus: poſſet ergo in illo ſtatu vnus homo ad alterum loqui de rebus ſibi notis, & alteri ignotis, & alter poſſet illi credere propter teſtimonium eius. Deinde teſtimonium illud etiã in illo ſtatu non eſſet infallibile, quia homo etiam in illo ſtatu non erat impeccabilis, poſſet ergo mentiri, quia non erat magis confirmatus in bono in illa materia, quam in alijs, ſed hæc fallibilitas teſtimonij humani, & moralis neceſsitas credendi illud, eſt de ſe ſufficiens ad capacitatem, & ad vſum iuramenti, ergo hæc capacitas, eſſet in ſtatu innocentiæ, vnde illa fallibilitas, & neceſsitas non pertinent ad effectus peccati originalis, ſed per ſe ſunt coniunctæ, cum conditione humanæ naturæ extra ſtatum beatificum, in quocumque alio ſit, niſi Deus velit alio modo quaſi miraculoſo hominibus prouidere.

Reſolutio dubij.

3. Hinc ergo probabile fit, vſum iuramenti non fuiſſe repugnantem ſtatui innocẽtiæ, neque in hoc eſſe comparandum cum proprio actu pœnitentię, aut vindicatiuæ iuſtitiæ, vt alij auctores volũt, nam pœnitentia, & vindicatio, neceſſario ſupponunt peccatum, & per ſe reſpiciunt illud, vt commiſſum, iuramentum autem non ſupponit peccatum, vel in iurante, vel in eo, cui iuratur. Primum eſt euidens in Deo, & Angelis ſanctis iurantibus. Secundum patet, quia ſicut Deus, iurauit homini lapſo promiſsionem incarnationis, ita potuiſſet illam ſub iuramento promittere Adamo, vel alicui poſterorum eius, etiam ſi in innocentia perſeueraſſent, nam congruitas illius iuramenti non ſumitur tantũ ex infirmitate, & ignorãtia hominis lapſi, ſed etiam ex aptitudine myſterij ad illud commendandum, & ad oſtendendum propoſitum Dei abſolutum, & per modũ cuiuſdam extrinſeci auxilij ad confortandum hominem, in fide, ſeu ad credendum. Propter quas rationes potuiſſet Deus reuelare ſub iuramento decretum ſuum abſolutum de illo myſterio, etiam SS. Angelis in ſua conditione, ergo iuramentum non neceſſario ſupponit peccatum, ex parte eius, qui iuratur, ergo ex hac parte non repugnabat iuramentũ in ſtatu innocentiæ. Neque vero ex conditionibus illius ſtatus ſequitur futurum fuiſſe vanũ, aut peccaminoſum iuramentum. Nam imprimis poſſent ibi eſſe promiſsiones humanæ, & aſſertiones de factis futuris: Faciam hoc, vel illud ergo non eſſet omnino inutile iuramentum ad cõfirmandam promiſsionem, & hominem obligandum, ſicut nõ eſſet inutile vouere aliquid Deo propter obligationem, & conſtantiam in propoſito: deinde etiam in iuramento aſſertorio, non eſt difficile cogitare occaſionem aliquam grauem, ob quam eſſet iuramentum opportunum ad generandam in audiente firmiorẽ fidem, quam ex ſola auctoritate hominis, etiam innocentis poſſet induci.

Vſum iuramenti non fuiſſe repugnantem ſtatui innocentiæ.

4. Itaque non exiſtimo fuiſſe ſtatum illum incapacem iuramenti, & quamuis minor, & rara futura fuiſſet eius neceſsitas, nihilominus exiſtimo potuiſſe in illo ſtatu iuramentum fieri ſine culpa, etiam veniali, hoc enim probat diſcurſus factus. Quod aũt dicitur iuramentum eſſe à malo, non oportet intelligi, ideſt, à peccato originali, neque Auguſtinus hãc adhibuit expoſitionẽ, poſſet ergo intelligi de quocumque malo, quod eſt imperfectio naturæ. Vel melius illud intelligitur de iuramento pro vt nunc eſt in vſu, cum tanta frequẽtia, vel neceſsitate. ſic enim proprium eſt lapſæ naturæ. Ad confirmationem autem iam reſpõſum eſt, nõ fuiſſe quidem tunc abſolutam neceſsitatem, nihilominus tamen non fuiſſe defuturam congruentem vtilitatem, ſaltem pro iuramento promiſſorio, & hoc ſatis eſt, vt poſſet habere locum ſine peccato.

De ho-

Digitized by Google

De hominibus, qui nunc iurare poſſunt.

5\. SEcundo dicẽdum eſt de hominibus in hoc ſtatu, de quibus in primis ſupponimus ex dictis in primo capite, ante vſum rationis, cumque poſſint mortaliter peccare, non eſſe capaces proprii iuramenti. Et ideo pueri, & amantes incapaces ſunt iuramenti, quia licet poſſint interdum proferre verba, quæ ad iurandum ſufficiunt, non tamen ex libera voluntate, & intentione iurandi, quæ ad iuramentum neceſſaria eſt. Poſt rationis autem vſum ex natura rei omnes ſunt capaces iuramẽti, nec in hoc poteſt determinari certa ætas, quia tempus perueniẽdi ad vſum rationis, non eſt idem in omnibus ſed prudenter in ſingulis coniectandum eſt Iure autem humano, ſolet ætas pubertatis præſcribi, vt rata ſint iuramenta, vel vt quis poſſit ad iureiurandum cogi ca. *Pueri*, 22. q. 5. Sed nihilominus ante illã ætatem verè poſſunt iurare pro ſua voluntate, & ideo etiam poſſunt in minori ætate eſſe periuri, vt expreſſe dicitur in c. 1. de Delictis puerorum. Vnde notat Soto d. q. 1. articu. 10. quod licet pueri ante 14. annum non ſint cogendi ad iurãdum in iudicio, ſi tamen iurare velint, non ſunt prohibendi: quia ille eſt fauor non pœna, & alias poteſt ſufficienter conſtare illos eſſe ſufficienter capaces.

C. Pueri. *C. 1. De delictis puerorum.*

6\. Deinde loquendo de adultis poſſumus illos in duos ordines diſtinguere, vnus eſt hominum ignorantium verum Deum, alius cognoſcentium, & colentium illum. De prioribus dubitari poteſt an ſint capaces iuramenti? Et breuiter diſtinguendum eſt, quia tales homines interdũ nullum omnino Deũ, aut ſuperius numen cogitant, vel admittũt, vt vidẽtur eſſe Athei, qui animæ etiam immortalitatem nõ credunt, & fortaſſe inter barbaras nationes aliquæ ſunt huiuſmodi: tales ergo homines non ſunt capaces iuramenti, quia nullum Deum poſſent in teſtem inuocare, imo, nec videntur cogitare aliquid maius homine, omnes autem, qui iurant, per maiorem ſui iurant, vt dixit Paul. ad Hebr. 6. Alij vero ſunt infideles, qui licet verum Deũ ignorent, falſum tamen, vel falſos colunt, vt ſunt & ordinarie fuerunt populi Gentium. Et de his dicendum eſt. verè & in re nõ eſſe capaces iuramenti, intentione autem, & exiſtimatione ſua iuramento vti poſſe. Primum patet ex dictis in c. 5. Quia verum iuramentum, veritate ſcilicet in eſſendo (quod ſolidum iuramentum ad æquiuocationem tollẽdam poſſumus appellare) hoc, inquam, non fit, niſi per verum Deum, ergo nõ poſſunt illum in teſtem inuocare, ergo non ſunt capaces ſolidi iuramenti: ſecundum autem ſatis probatur vſu, & conſuetudine omnium Gentilium. Et ratio eſt clara, quia ſicut iſti cogitant Deum, ita ſua exiſtimatione cultum, & Religionem Dei habent, ita ergo iurare poſſunt cum abſoluta intentione iurandi, quia re vera exiſtimant per verum Deum iurare, & ad volendum ſufficit obiectum putatum. Neque tale iuramẽtum caret aliquo morali effectu, ſaltem ex conſcientia erronea, vt in lib. ſequenti latius explicabimus.

Hebr. 6.

7\. Alium etiam ordinem hominum cognoſcẽtium verum Deum in duos ſubdiſtinguere poſſumus. Nam quidam ſunt infideles, qui fidem infuſam nõ habent, neque Deo, aut in Deum credunt, & nihilominus Athei non ſunt, neque falſos Deos, aut idola credunt, aut colunt. Sed verum Deum mundi creatorem cogitant, & adorant. Huiuſmodi ſunt, Iudæi, & hæretici, atque etiã Pagani, quamuis enim non omnes iſti æque Deum cognoſcant, neque ex eadem origine, neque omnino eodem modo, omnes tamen in hoc conueniunt, quod Deum vero aliquo modo contrectant, ſaltem ex quadam fide, & traditione humana, & aliqui Philoſophi potuerunt per naturalem ſcientiam iſtuc peruenire, vt docet Paul. ad Roman. 1 & 2. hi ergo omnes capaces ſunt iuramenti, non putati tantum, ſeu veri, quia quælibet exiſtimatio de vero Deo ſufficit, vt inuocari poſſit in teſtem, modo naturali, ſicut ſufficit ad colendum illum, aliquo ſaltem imperfecto modo, vt plane ſentit Paul. in d. Epiſt. ad Romanos, Iuramentum autem in tota ſua latitudine ſumptum, non excedit naturalem cognitionem. Cuius ſignum ſufficiens eſt, quia vſus iuramenti ad firmanda pacta & fœdera, quaſi iure gentium per dictamen rationis naturalis ab omnibus gẽtibus introductus eſt, vt ex Scriptura colligitur Geneſ. 26. & 31. & ad Hebr. 6. & ex Iure ciuili, ac denique ex omnibus ſupra dictis, ergo omnes, qui verum Deum agnoſcunt aliquo modo, licet ſupernaturalia de illo ignorent, vel circa nonnulla errent, poſſunt illum per iuramentum in teſtẽ inuocare ex vi rationis naturalis dictantis res incertas, & contingentes ad teſtimonium maius, quã humanum reducẽdas eſſe, vt earum probatio firmior ſit. Erit ergo tale iuramentum ſolidum, & verum, & ita etiam vere habere poterit effectus iuramẽti proportionatos cognitioni & honeſtati naturali.

Athei. *Paul. ad Rom. 1. & 2.*

8\. Solum poſſet quis dubitare de ijs Gentilibus, ſeu Philoſophis, qui licet cognouerint verum Deũ ſub ratione primæ cauſæ, ignorarũt de illo quædam attributa neceſſaria ad teſtimonium Diuinum inuocandum, quales videntur fuiſſe illi, qui putarunt Deum non habere ſcientiam omnium ſingularium rerum, quæ inter nos aguntur, & præſertim futurorum contingentium, & qui putarunt Deum non habere prouidentiam humanarum rerum. Hi ergo omnes videntur fuiſſe incapaces iuramenti ſolidi, quantumuis alias Deum verum agnoſcerent, nam qui iurat per Deum, profitetur ipſum noſſe omnia: quis enim in confirmatione ſui dicti afferat teſtem, quem ignorantem exiſtimat? Reſpondetur primo negando conſequentiam, nam licet iuramentum vere, & re ipſa intellectum, ſecundum omnia quæ virtute includit, illa omnia attributa in Deo requirat, tamen ſæpe qui iurant hoc non intelligunt, & ſolum ducuntur hac generali apprehenſione, quod aſſertio accipit robur a iuramento, vel quod pertinet ad honorem Dei, eius nomine non confirmare mendacium, quamuis rationem ignorent. Ita ergo illi Philoſophi potuerunt errare circa illa Dei attributa, & nihilominus per nomen veri Dei iurare. Nam certe illi qui iurant per falſos Deos, non vidẽtur exiſtimare illos omnia ſcire, vel omnium prouidentiam habere, & nihilominus per illos iurant ex communi illa apprehenſione, & conſuetudine, ita ergo cum proportione accidere potuit cognoſcentibus verum Deum, & circa nonnulla eius attributa errantibus. Quod ſi fortaſſe aliquis eſſet tam perſpicax, vt aduerteret inutilẽ eſſe iurationem per talem Deum, qui nec plenam ſcientiam, nec prouidentiam haberet de illo, facile concedam fuiſſe indiſpoſitum ad iurandum.

9\. Venio tandem ad homines fideles, qui perfectiſſime poſſunt, quantum eſt ex parte Diuinæ cognitionis, verum Deum inuocare, & conſequenter etiam in teſtem adducere. Illi ergo omnes, quantum eſt ex ſe, apti ſunt ad iurandum, neque in hoc poteſt aliqua exceptio, aut dubitatio poni ex natura rei, vel ex Diuino iure. Ex iure autem humano aliquæ conditiones obſeruari, aut poſtulari ſolẽt ex parte perſonæ, quæ iurare debet. vt conuenienter faciat, vel vt eius iuramentum recipiatur, vt notauit Diuus Thomas dicta quæſtione 89. art. 10. Verumtamen obſeruandæ ſunt diſtinctiones. ſupra datæ de iuramento iudiciali, vel extraiudiciali, ſolenni, vel non ſolenni, nam pro iuramentis extraiudiciarijs, & priuatis, ſeu non ſolennibus, nihil peculiare in iure diſpoſitum eſt, præter ea quæ ad iuramenta minorum, & ſubditorum pertinent, (de quibus infra dicemus, tractando

D. Thom.

tractando de irritatione iuramentorũ) de iuramentis autem iudicialibus, vel ſolemnibus diſponitur interdum in Iure, vt aliquæ perſonæ ad ea vel non admittantur, vel non vocentur: vel ipſiſmet perſonis aliquãdo prohibetur, vel conceditur, ne tali, vel tali modo iurent.

10. In quo breuiter eſt obſeruandum præter eos, qui ob defectum ætatis apti non ſunt ad iurãdum, duobus modis quaſi omnino cõtrarijs excludi, vel prohiberi perſonam à iuramento præſtando, ſcilicet, vel in pœnam, vel in priuilegiũ, aut honorem. Priori modo excluduntur infames, capite *Teſtimonium*, de Teſtibus, & maxime periuri, vt infra libro 3. dicemus, & in hac pœna non ſolum videtur attendi ad vendicationem delicti, ſed etiam ad honorem iuramenti propter periculum, & præſumptionem, quod tales perſonę non exhibebunt debitam reuerentiam iuramento, vt notat Diuus Thomas dicto articu. 10. Poſteriori autẽ modo prohibentur preſbyteri iurare in manibus laicorũ, niſi de licentia ſui Prælati, quando nimirum iurant alteri, vt Superiori, vel iudici alicuius cauſę, iuxta cap. 1. de Iuramento calumniæ, & cap. *Ex reſcripto*, & ca. *Peruenit* de Iureiurando, & alijs: de quibus videri poteſt Abb. in cap. 1. eodem, & Syluest. Iuramentum 2. q. 3. vbi alias declarationes huius regulę adducit. Pertinet autem hoc ad immunitatem, & decẽtiam clericalis ſtatus, propter quod etiam dicitur in cap. *Siquis presbyter* 2. q. 5. *Sacerdotes ex leui cauſa iurare non debent*. De Epiſcopis autem dicitur ibidem in cap. 3. *Nos Sacramentum Epiſcopis neſcimus oblatum, neque vnquam fieri debet*: in cap. autem 1. excipitur, *niſi pro fide recta*. Et ſimiliter excipi poſſunt alij caſus, in quibus iuramentum ab Epiſcopis exigitur, vt in abiuratione erroris. cap. *Quoties* 1. quæſt. 7. & ad præſtandam obedientiam Papæ in ca. *Ego*, de Iureiurando. & in ſimilibus, & ob honorem eiuſdem dignitatis ſæpe nõ eodem modo ab Epiſcopis iuramentum poſtulatur, quo ab inferioribus, vt notat Gratian. in §. *Epiſcopus*, poſt ca. *Teſtimonium* 11. q. 6. ex Authentica *Sed iudex*, Cod. de Epiſcopis, & clericis. Et clarius habetur in cap. vltimo de Iuramento calumniæ, vbi dicitur, *Quando Epiſcopus iurat de calumnia, vel pro dicendo teſtimonio, debere iurare propoſitis, ſed non tactis Euangelijs*. Vbi videri poteſt Abb. nu. 6. hæc enim omnia magis pertinent ad forum externum, quam ad internum, & interdum magis ad honorem ipſarum perſonarũ, quam ipſius iuramenti: hæc nobis ſufficiũt. Sequebatur hic dicendum de effectibus: ſed quia iuramẽtum aſſertorium nullum proprie habet effectum, præter confirmationem veritatis, de quo ſupra dictum eſt, tractando de finali cauſa iuramenti, inducere autem alium peculiarem effectum, ſpeciale eſt in promiſſorio: & quia materia eſt longe diuerſa, & prolixa: ideo commodius tractabitur in libro ſequenti.

C. *Teſtimonium.* D. *Thom.* C. *Reſcripto.* C. *Peruenit.* *Abbas.* *Syluest.* Cap. *Siquis presbyter.* C. *Quoties.* Ca. *Ego.* *Gratian.* *Abbas.*

Finis libri primi.

INDEX CAPITVM, LIBRI SECVNDI, DE IVRAMENTO PROMISSORIO, ET DE EIVS OBLIGATIONE.

Cap. 1. An iuramentum promiſſorium ſpecialiter obliget, non ſolum ad promiſſionẽ, ſed aſſertionem de futuro.
Cap. 2. Qualis, & quanta ſit iuramenti promiſſorij obligatio.
Cap. 3. An obligatio iuramenti maior ſit, quam obligatio voti.
Cap. 4. An ex iuramento promiſſorio fiat obligatio alteri, an ſoli Deo.
Cap. 5. An ſolum iuramentum promiſſorium factum per verum Deum, obliget.
Cap. 6. An iuramentum factum per creaturam ſine habitudine ad Deum obliget.
Cap. 7. An ad obligationem iuramenti promiſſorij liber conſenſus, & intentio iurandi requiratur.
Cap. 8. An ſimulatum, doloſumue iuramentum in verbis, obligationem inducat.
Cap. 9. An iuramentum extortum per iniuriam obliget.
Cap. 10. An iuramentum metu extortum obligationem inducat.
Cap. 11. An iuramentum per dolum, vel errorem factum, ſit validum, & obliget.
Cap. 12. An iuramentum de actu virtutis ſemper obligationem inducat.
Cap. 13. Exponuntur varia Iura, & ſatisfit alteri ſententiæ.

Cap. 14.

Digitized by Google

Cap.14. An obliget iuramentum promiſſorium, quod ſine graui culpa impleri nequit.
Cap.15. An iuramentum de opere includente grauem culpam obligationem inducat.
Cap.16. An iuramentum de actu indifferente obliget.
Cap.17. An iuramentum de omiſſione, vel negatione operis obliget.
Cap.18. An iuramentum, in materia prohibita factum obliget.
Cap.19. An iuramentum contra votum, iuramentum, aut promiſſionem, prius factum, obliget.
Cap.20. An iuramentum lege Ciuili prohibitum obligationem inducat.
Cap.21. An iuramentum factum contra bonos mores ciuiles obliget.
Cap.22. Vtrum iuramentum contra ſolos bonos mores Ciuiles ſemper obliget.
Cap.23. Satisfit obiectionibus ſuperiori capite propoſitis.
Cap.24. An iuramentum illicitum, vel de promiſſione prohibita obliget, abſque culpa impleri poteſt.
Cap.25. Quomodo differant iuramentum confirmatorium, & per ſe ſtans ſuper contractus prohibitos.
Cap.26. An iuramentum contra leges bonum publicum, vel priuatum reſpicientes firmet contractum.
Cap.27. Pactum, quod legibus reprobatur in odium creditoris, non confirmari iuramento.
Cap.28. An pacta irrita per leges, confirmentur iuramento.
Cap.29. Quomodo iuramentum confirmare poſſit contractum irritum.
Cap.30. An præcedente iuramento non faciendi pactum prohibitum, tale pactum tamen firmetur ſuperueniente iuramento.
Cap.31. An obligatio iuramenti ſit mere perſonalis tam ex parte iurantis, quam eius, cui ſit.
Cap.32. Quomodo interpretandum ſit iuramentum quoad extenſionem, vel limitationem obligandi.
Cap.33. De obligatione iuramenti in caſu dubio.
Cap.34. An iuramentum promiſſorium conditionem includat, & an abſolutum differat à conditionato.
Cap.35. Quando incipiat, & quamdiu duret obligatio iuramenti promiſſorij.
Cap.36. An iuramentum ſit implendum in propria ſpecie, vel ſufficiat per quid æquiualens.
Cap.37. An in iuramento implendo liceat compenſatione vti.
Cap.38. An iuramentum promiſſorium imitari poſſit.
Cap.39. An obligatio iuramenti per conditionem factam à creditore tollatur.
Cap.40. An in iuramentum ſoli Deo factum cadat diſpenſatio.
Cap.41. An, & quomodo relaxari poſſit à Superiori iuramentum homini factum.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS DE IVRAMENTO PROMISSORIO, EIVSQVE OBLIGATIONE.

QVAE hactenus de Iuramento diximus, communia ſunt iuramento promiſſorio cum aſſertorio, quatenus in iuramento promiſſorio aliqua aſſertio de præſenti includitur & iuratur. Nam qui cum iuramento promittit, iurat ſe non fictè ſed verè, & ex animo promittere, & conſequenter iurat ſe habere propoſitum implẽdi, quod promittit: quoad hoc ergo tale iuramentũ aſſertorium eſt. Vltra hoc vero, addit iuramentum promiſſorium aliquid in futurum, in quo differt à iuramento aſſertorio de præſenti, vel de præterito: (nam aſſertionem de futuro ſub promiſsione nunc cõprehendimus) an vero aliquo modo diſtinguantur in ordine ad iuramentum, paulo poſt explicabimus. Et ideo de iuramento promiſſorio quatenus ab aſſertorio diſtinguitur, in eo, quod ſupra ipſum addit, neceſſaria eſt ſpecialis diſputatio, quã in hoc libro inſtituimus, totaq; reducitur ad explicandam obligationem ſpecialem, quę in tali iuramento naſcitur: nam cętera omnia communia illi ſunt cũ iuramento aſſertorio. Ex hac enim differentia inter hæc duo iuramenta, ſcilicet quod veritas aſſertorij non pendet ex facto futuro, ſicut veritas promiſſorij ſequitur alia quoad obligationẽ, vt notat D. Th. quia aſſertorium proprie non inducit nouam obligationem, ſed ſupponit illam. Et vt recte fiat, per illud obſeruatur, & impletur obligatio, quę illi ex natura rei ineſt, ſcilicet, dicendi veritatem, cũ aliquid affirmatur vel negatur cum iuramẽto, & ſimilis eſt obligatio loquẽdi cũ iuſtitia, & cũ iudicio. Impleta verò hac obligatione, nulla alia ſupereſt ex vi iuramenti aſſertorij & ita de illo nihil ſupereſt dicendum, præter ea, quæ ad vitia illi contraria ſpectant, de quibus in li. ſequenti dicemus. At vero iuramentum promiſſorium licet eãdem obligationem ſupponat, & ritè ac rectè factum, illam expleat: nihilominus inducit nouam obligationem in futurum, vt videbimus. Hæc igitur eſt à nobis in hoc libro explicanda, & conditiones omnes, quæ ad illam requiruntur, de peccatis autem, quæ committuntur, violando illam in ſequenti libro dicemus.

CAPVT I.

Vtrum iuramentum promiſſorium addat ſpecialẽ obligationem, non ſolum rigoroſæ promiſsioni, ſed etiam ſoli aſſertioni de futuro.

1. *De fide eſſe iuramentũ additũ promiſſioni nouam obligationem inducere.*

SVpponimus in hoc titulo, iuramentũ promiſsioni additum ſecum afferre propriam, & peculiarẽ obligationem ad faciendum id, quod promittitur. Quod quidem in genere ſumptũ, eſt certum de fide, & in vniuerſa Eccleſia receptũ eſt, & in Iure Canonico ita ſupponitur. Nam qui iuratam promiſsionem non implet periurus cenſetur c. *Querelam*, c. *Tua nos*, cum alijs, de Iureiur. Et colligi poteſt ex illis verbis Matth. 5. *Reddas autem Domino iuramenta tua*, nam licet illa verba non affirmentur à Chriſto, ſed referantur & aliqui cenſeant, non referri ex Scriptura, ſed ex interpretatione antiquorũ Hebręorũ, quia prius dicit Chriſtus: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis*: nihilominus probabilius videtur referri ex Scriptura. Quia Num. 30 dicitur: *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit, implebit*: vbi non tantum eſt ſermo de voto, q; fit Deo, ſed abſolutè de quacumq; promiſsione iurata, etiã facta proximo, iuxta illud Pſal. 14. *Qui iurat proximo ſuo, & non decipit*: & illud Pſa. 23. *Qui non accipit in vanum animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo*. Et tunc adimplens iuratam promiſsionem, licet proximo ſatisfaciat, nihilominus recte dicitur reddere Domino iuramentum ſuum, quia propter reuerentiam eius maxime adimplet. Vnde in c. *Debitores*, de Iureiur. dicitur, *Si vero de ipſarum* (id eſt vſurarum) *ſolutione iurauerint, cogendi ſunt Domino reddere iuramentum*: per quę verba optimè explicatur obligatio huius iuramenti. In eo enim caſu ſi ſpectaretur iuſtitia exigentis vſuras, non videretur implenda illi promiſsio, tamen propter Religionem iuramenti Domino reddendum dicitur, quod promiſſum eſt.

C. Querelã. C. Tua nos. Matt. 5. Num. 30. Pſal. 14. Pſal. 23. C. Debitores.

Et hinc facile ſumitur ratio huius obligationis, nam ſicut iuramẽtum aſſertorium interponitur ad veritatem confirmãdam auctoritate Diuina, ita iuramentum promiſſorium fit, vt immobilis, & certa habeatur promiſsio. Vnde Paul. ad Heb. 6. ait, Deũ ipſum interdum promiſsionem ſuam iurare per ſeipſum, cum maiorem nõ habeat per quem iuret, vt abundantius oſtendat promiſsionis ſuæ immobilitatem. ergo neceſſe eſt, vt iuramentum ab homine additum promiſsioni ſuæ addat obligationem ſpecialem implendi illã. Tum quia alias non fieret certior, & immutabilior promiſsio ratione iuramenti: tum etiam quia homo per maiorem ſui iurat, vt inde promiſsio eius maiorem authoritatem accipiat: ergo ad debitum honorem Dei per quem iurat ſpectat, vt impleat, quod promittit: ergo ex hoc capite naſcitur ſpecialis obligatio ad Religionem ſpectans, quam violans cenſetur ſacrilegus, vt infra videbimus. De veritate ergo huius dogmatis nullus eſt dubitandi locus. 2.

Difficultas vero eſt, an hæc obligatio talis iuramenti ſupponat ſemper propriam promiſsionem, in quã cadat, eamq; confirmet, vel ad talem obligationem ſufficiat ſimplex aſſertio de futuro contingente, cuius veritas pendeat ex voluntate, & actione iurantis? Sunt enim hęc valde diſtincta, & nõ parum refert ea diſtinguere, & modum obligandi iuramenti circa vtramq; partem explicare: nam hinc pendere videntur multę quęſtiones de materia huius iuramẽti, vt videbimus. Quod ergo illa duo diſtincta ſint, declarari poteſt primò quia ſimplex aſſertio de futuro in genere loquendo, poteſt ſeparari à promiſsione, quamuis è contrario promiſsio, ſi fit ex animo, & nõ ficta, includat aſſertionem de futuro. Prior pars conſtat in aſſertionibus de futuro, vel de rebus neceſſarijs, vel de cõtingentibus naturalibus, vt *Cras pluet*, vel de contingentibus liberis, quæ ab alijs facienda ſunt, poteſt enim quis affirmare, quid alius facturus ſit, ſiue prudenter, ſiue temere ſic loquatur: non tamen poterit promittere futurum factum alterius, quia non habet voluntatem eius in manu ſua: eſt ergo ſeparabilis ſimplex aſſertio de futuro à promiſsione. Idẽ ergo eſt in ordine ad fa-

3. *Difficultas quæſtionis.*

Digitized by Google

ad factum proprium, quod ex propria volũtate pẽdet.pôt enim quis ſimpliciter affirmare, ſe hoc facturum,non promittendo,& poteſt id dicere,addẽdo promiſsionem, nam per affirmationem ſimplicem ſolum ſignificatur propoſitũ faciendi, vt ſentit D.Thom.d.q.89 art.7.ad primum,promiſsio vero addit obligationem fidelitatis, vt latius tractaui in Relect.1.de Voluntate Dei ſect.2.nu.18.& 19. *D.Thom.*

4. Quando ergo intercedit promiſsio,& illi additur iuramentum,certum eſt addi ſpecialem obligationem ad talem promiſsionem implendã: tunc enim maximè procedunt omnia,quę ad probandam hãc obligationem adduximus.Poteſt aũt hoc modo iurari tam promiſsio facta Deo,quæ tunc votũ iuratũ dicitur, quam promiſsio homini facta, & vtriq; additur obligatio Religioſa: nam licet votum ſecũ afferat obligationẽ Religionis, nihil vetat quominus ei addi poſsit alia obligatio eiuſdem virtutis,quę diuerſæ rationis eſt, vt capite ſequenti dicemus. Vnde quando iuramentum cadit in promiſsionem factã homini,obligatio,quæ additur eiuſdem rationis eſt cum illa,quę voto accreſcit,quando iuramento firmatur: quia fundatur in reſpectu ad Deum eiuſdem rationis, & ab illo veluti à formali obiecto ſpeciem ſumit. Varietas autem promiſsionum,& obligationum,quæ ex illis in proprijs generibus oriũtur,materialis eſt reſpectu iuramenti, & ideo nõ variat obligationem eius, ſicut etiã inter ipſas promiſsiones humanas pôt eſſe varietas, & diſtinctio etiam ſpecifica in ordine ad obligationem moralẽ. Vna enim eſſe pôt ſimplex promiſsio, & tantum ex vna parte, alia poteſt eſſe oneroſa, & cũ pacto ex vtraq; parte, & vna de ſe pertinere ad fidelitatẽ, alia ad iuſtitiã, & nihilominus ſi omnes illæ iuramento firmẽtur, obligatio Religioſa eiuſdẽ rationis omnibus ſuperadditur: quamuis in ea poſsint gradus reperiri ſecundũ magis,& minus,ꝓ grauitate materię,vt dicemus.

5. Supereſt,vt de aſſertione de futuro iurata dicam, quam ſimplicẽ appellamus, vt eã à promiſsione diſtinguamus. Et de illa ſupponimus, per ſe ſolã nullã inducere obligationem in futurũ,ſed ſolum poſtulare veritatẽ,quando aſſeritur,quatenus ex præſenti propoſito pẽdet,vt in d. Relectione tractaui,& infra in tractatu de Voto iterum dicam. In hoc enim differt ſimplex aſſertio de futuro à promiſsione etiam ſimplici,q; ſimplex aſſertio ſolum affirmat rem faciẽdam,quatenus eſt in præſenti propoſito, vt expreſſe dicit D.Th.d.q.98.ar.6.ad 1. & ideo per ſe nõ inducit obligationem,vt clare etiam colligitur ex c. *Literaturã*,de Voto. Promiſsio vero inducit ſpecialem obligationem perſeuerandi in illo propoſito, illudque implendi.

D.Thom. *C. Literaturam.*

6. Secundo ſuppono, quãdo huic aſſertioni ſimplici de futuro additur iuramẽtum, induci, vel potius ſupponi obligationem grauem habendi propoſitũ eo tempore, quo iuramentum fit, faciẽdi poſtea id, quod iuratur. Hoc etiam eſt certum, quia quoad illud,eſt iuramentum illud aſſertoriũ de pręſenti, ergo trahit ſecum obligationem habẽdi illud propoſitum, quia alias cadet ſupra mendaciũ de præſenti. Item deficiente illo propoſito talis aſſertio de futuro ſtatim falſa eſt,quia neq; in ſe:neq; in cauſa eſt vera: ergo eſt periurium illam iuramento cõfirmare, ergo ad vitandũ periuriũ eſt obligatio habẽdi illud propoſitum, vt licite talis aſſertio iurari poſsit. His ergo ſuppoſitis inquirimus an iuramentum tali aſſertioni verę additũ,inducat nouã,& ſpecialem obligationẽ perſeuerandi in illo propoſito, & implẽdi illud ex vi Religionis,& reuerentiæ Deo debitæ?

Senſus quæſtionis.

7. Aliqui Authores indicant eo ipſo, quod aſſertio in futurum iuratur,aſſertionem tranſire in promiſſionem,& inducere obligationem. Atq; ita videtur ſentire Caiet.2.2.q.89.art.9.Nota.1.in fine,quatenus ait omnia iuramenta, quæ cum ſunt vota,ſunt Papæ reſeruata,manere etiam reſeruata. Hoc enim verũ

Opinio aliquorum. Caiet.

non eſſet,niſi talia iuramenta tranſirent in vota. Et idem eodem modo ſentit Soto li. 8 q.1.ar 9. clarius Naua.in Manu.c.27.n.275. ver. *Decimo ſexto* dicens, iuramentũ videtur continere duo vincula promiſſionis,& iuramenti. Poſſunt q; pro eadem ſententia referri alij, quos infra tractando de diſpenſatione iuramenti commemorabimus. *Soto. Nauar.*

Nihilominus non videtur poſſe dubitari, quin aſſertio iurata poſsit in rigore ſeparari à promiſsione,vt ſupponit aperte Lud.Lop.in Inſt.p.2.in materia de Claui.c.9.de Commut.vot.5. *Ad punctum,&c.* & diſtincte declarat Val.3.p.d.ſp.6.q.7.punct.2. Sãctius 2.p.de Matri.li.8. diſp.13. Et ratio eſt, quia pura aſſertio de futuro ex ſolo propoſito eſt prior omni promiſsione natura ſua,& poteſt ſimpliciter proferri, vt per ſe conſtat, ergo & iurari ſine interuentu promiſsionis, quia hoc pẽdet ex hominis libertate. 8. *Reſolutio. Lud. Lop. Valent. Sanctius.*

Hoc ſuppoſito videri poteſt tunc iuramentũ nullam talem obligationem inducere, quia illud iuramentum eſt pure aſſertoriũ, ergo non inducit obligationem in futurum,ſed ſolum dicendi veritatem cum fit, proprium enim eſt iuramenti promiſſorij inducere talem obligationem in futurum, ergo. Antecedens ex declaratione facta eſt manifeſtum,quia illud iuramentum cadit ſupra ſolam aſſertionem: iuramentum autem promiſſorium, vt ex ipſa voce patet, dicitur illud,quod ſupra promiſsionem cadit, conſequentia aũt probari poteſt ex Num. 30. *Siquis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento,non faciet irritum verbum ſuum,ſed omne,quod promiſit,implebit.* Vbi ſupponi videtur,iuramentum, vt obliget, debere ſupponere promiſsionem,in quã cadat: & eodem modo loquuntur iura,& Doctores. 9. *Num. 30.*

Secũdo probatur ratione,quia promiſsio eſt materia talis iuramenti,ergo non exiſtente promiſsione,nec iuramentum promiſſorium eſſe poteſt, ſed erit tantum iuramentum aſſertorium, quod ſolum obligat,vt cum profertur verum ſit, ergo ex tali iuramento nulla obligatio in futurum relinquetur. Secũdo,ſiquis iuraret expreſſe hoc modo, iuro me habere propoſitum faciendi cras hoc vel illud, obligatus quidem eſſet ad habendum nunc illud propoſitum,tamen ex vi iuramenti,non tenetur perſeuerare in illo propoſito,quia non hoc iurauit, vnde nec teneretur ex vi eiuſdem iuramenti id exequi q; propoſuit: ſed non plus iurat,qui ſimplicem aſſertionem iurat, ergo non plus obligatur. Probatur minor,quia qui ſimpliciter dicit, ſe facturum hoc ſine promiſsione non aliud dicit,niſi ſe habere propoſitum faciendi, quia non plus requiritur ad veritatẽ ſuæ aſſertionis,vt aperte docet D. Tho.d.art.7.ad 1. ergo etiam qui talem aſſertionem iurat, nõ plus iurat,ergo non plus obligatur illo iuramento,quam ſi expreſſe iuraſſet, ſe habere propoſitum faciẽdi hoc. Tertio argumentor,quia alias ſequitur, iuramentũ aſſertorium de futuro obligare ſemper ad faciendum,quod aſſeritur in omni materia graui, & leui, vtili,vel impertinente,& indifferente,quę intrinſece mala non ſit. Et ſimiliter ſequitur, obligare etiãſi non fiat in vtilitatem,vel honorem alterius,ſed abſolute ex propoſito operantis,hæc autem non vidẽtur communiter admitti, ergo. Quarto poſſumus argumentari, quia alias ſequitur, iuramẽtum de facto alieno futuro obligare iurantem ad procurandum,ſaltem quãtum in ſe eſt, vt fiat ab alio id,quod iurauit eſſe futurũ ab illo,quia eſt eadem ratio,ſcilicet vt ſit verum, quod iurauit: conſequens autem eſt falſum,quia ille non iurauit ſe aliquid facturum, procuraturum,ſed ſolum veritatem cõtingentem, iuxta exiſtimationem,quam tũc de illa habebat,ergo. Et hoc videtur ſentire Soto lib 7.de Iuſt q.2.art. 2.ad 1.vbi ait,iuramentum promiſſorium non obligare, niſi virtute præcedentis promiſsionis, verum eſt ibi loqui argumentando pro quadam ſententia, quam poſtea non defendit. 10. *Ratione firmatur aſſer. D.Thom. Soto.*

 Nihi-

11\. Nihilominus dicendum eſt, iuramētum cadens in aſſertionem de futuro etiam ſi promiſsionē non ſupponat, præter obligationem dicēdi verū de præſenti, quā includit, vel ſupponit, inducere ſpecialem obligationem ad faciendum quod iuratum eſt. Hæc eſt ſatis clara ſentētia D. Th. in d. q. 89. ar. 7. in cor. & ad

D. Thom.

1\. vbi nulla facta mentione promiſsionis dicit, iuramentum de aliquo faciendo, quod eſt in poteſtate iurantis, obligare in futurum ad faciendum illud. Vnde quando dicit iuramentum aſſertorium obligare tātum ad veritatem præſentem aperte reſtringit ſermonem ad iuramētum de re præterita, vel de præſenti: & loquens de iuramento rei futuræ ſolum excipit vel ea, quæ futura ſunt ab alijs cauſis, vel quæ non ſunt in poteſtate iurātis, vel ſimpliciter, vel honeſte ac rationabiliter. Vnde tandem concludit, iuramētum de futuro, ſi habeat alios comites iudicij, & iuſtitiæ, obligare, vt fiat, quod iuratum eſt, vt tertius comes, ſcilicet veritas iuramento non deſit: veritas autem reſpicit aſſertionem, vt talis eſt, ergo etiā ſi nulla fiat promiſsio, ſola aſſertio de futuro ſufficit, vt ratio iuramēti omnino verificāda ſit. Quod magis declarans D. Th. in ſol. ad 1. ait, quod iuramētum adhiberi nō debet, niſi in re, de qua aliquis firmiter certus eſt, ergo quando iurat aſſertionē futuram ſi recte iurat illam affirmat vt firmiter ſibi certam quantum in ipſo eſt, ergo ex vi iuramenti obligatur illam exequi, quātum in ipſo eſt, vt aſſertio iurata firmiter vera permaneat. Et idē videtur eſſe ſenſus aliorum Authorum, vt recte declarat Scot. in 3. d. 39. q. vn. ar. 3. ver. *Hic tamē eſt vnum dubium*: nam

Scot.

licet nomine promiſsionis, ſeu iuramēti promiſſorij frequentius vtantur, ſub illo comprehendunt omnem aſſertionem de futuro iuratā, & vtuntur illa voce, vt diſtinguant tale iuramentū ab aſſertorio de re præſenti, & præterita & de alijs futuris, quæ non ſunt facienda ab ipſo iurante. Præterea Scriptura ita loquitur, vbicumque enim reperitur aſſertio de futuro cum iuramento, intelligitur eſſe iuramenti obligatio, vt Geneſ. 47. dixerat Ioſeph ad patrem ſuum,

Gen. 47.

Ego faciam quod iuſſiſti dixit Iacob, *Iura ergo mihi*, neque aliam promiſsionē poſtulauit: idem ſumitur ex facto Abrahæ cū ſeruo ſuo Gen. 24. & Matt. 5. ſolū

Matth. 5.

dicitur *Reddes Domino iuramēta tua*. Et idē eſt ſenſus Iuriū tā Canonicorum, quā Ciuiliū, vt videbimus.

12\. *Ratio a priori.* Ratio à priori huius veritatis eſt, quam D. Th. ſignificauit, quia aſſertio futuri effectus dependentis ex voluntate iurātis eſt contingens & quantū eſt de ſe habet incertam, imo & indeterminatam veritatē reſpectu cognitionis humanæ ergo vt ſic non pōt licite iurari. Et ideo qui iurat cōtingens, quod ipſe nō poteſt facere verum, vt cras pluet, & Petrus morietur hac die, vel ſimilia quæ ſuppono non cognoſci certo, & in cauſis à iurāte grauiter, & temere peccat: quia neque ſcit eſſe verum quod iurat, vt ſupponitur, nec poteſt facere, vt verum ſit. Ergo qui iurat ſe aliquid facturum, vt licite iuret, neceſſe eſt, vt nō ſolum habeat propoſitum faciendi, quod iurat, ſed etiam vt habeat animum ſe obligandi ad faciendum verum, quod iurat. Probatur cōſequentia, quia tenetur dare illi aſſertioni totam firmitatem veritatis, quam poteſt habere. hæc autem conſiſtit in illo animo & obligatione: ergo qui ſic iurat eo ipſo obligatur ad perſeuerandum in illo propoſito & exequēdum, quod iurat, vt faciat verū quod iurauit. Et confirmari pōt hæc ratio verbis iuris conſulti in lege *Non erit* 5. ff. de

Leg. Non erit.

Iureiur. *Dato iureiurando non aliud quæritur, quam an iuratū ſit remiſſa quæſtione, an debeatur, quaſi ſatis probatum ſit iureiurando.* Cuius ſententiæ clarus ſenſus eſt ipſum iuramentum de re facienda per ſe afferre obligationem licet nullum ſupponat debitū: & cōſequenter licet nullam ſupponat promiſsionē, quæ per ſe ad aliquā obligationem inducendā ſufficiat.

13\. *Inductione cōfirmatur.* Secundo poteſt hæc veritas varijs modis declarari, & quaſi inductione quadā cōfirmari. Primo enim, iuramentum comminatorium, non includit promiſsionem proprie loquēdo, quia quatenus talis eſt, nec fit in cōmodum alterius, nec ab illius voluntate pendet nec fidelitas circa illā verſatur, quæ ſunt propria promiſsionis: & nihilominus cōminatio iurata, per ſe loquendo, obligat ex vi iuramenti, id eſt, ſi materia ſit licita & capax obligationis: & ita docent oēs & dicunt ſub promiſſorio iuramēto includi cōminatorium. Ergo tale iuramentū ſolū obligat ratione aſſertionis de futuro, quæ per illud cōfirmata eſt, vt omnino vera fiat, quia ſecluſa promiſſione, nulla alia ratio obligationis ibi intelligi poteſt. Deinde interdū cōtingit promiſsionē iuratam, eſſe nullā in ratione promiſsionis, vt eſt promiſsio vſuras ſoluendi, vel alia per iniuriā & vim extorta: & nihilominus iuramētū illud obligat ad faciendū, quod dictum eſt, quādo ſine dāno conſcientiæ impleri pōt, vt infra videbimus. Ergo etiā ibi tota ratio obligationis relinquitur faciendi verā aſſertionem de futuro iurata propter Diuinā reuerentiā, vt probat c. *Debitores*, de Iureiur. ibi. *Cogēdi ſunt Deo reddere* *Cap. Debitores.* *iuramentū*. Præterea ſæpe iurat quis abſolute, ſe facturū aliquid, quod ad alterū nō pertinet, vel certe nō illi iuratur, vt v. g. ſi quis ſecū tātum loquēs iuret, ſe daturum aliquid Petro, vel quid ſimile, tenetur ex vi iuramenti illud implere, vt infra videbimus: & ſi pœnitēs iuret confeſſori, ſe reſtituturum, vel nō ingreſſurum talē domum, tenetur ſpeciali obligatione iuramenti ad id ſeruandum. Et tamen in his caſibus non præcedit promiſsio, nā promiſsio fit alteri, & non eſt conſummata donec acceptetur: in primo autem caſu nō ita fit, neque in ſecundo fit proprie ea promiſsio cōfeſſori, ſed ſola aſſertio iuratur: hæc ergo ſufficit ad hanc obligationem. Itē hæc obligatio eſt ſeparabilis ab omni alia obligatione Religionis, iuſtitiæ, & fidelitatis, vt ca. ſequenti oſtendemus, ergo eſt etiam ſeparabilis ab omni promiſsione, & cadere poteſt in ſolam veritatem aſſertionis de futuro. Denique hoc videtur ſupponi à Pontificibus, quando in Bullis concedunt confeſſoribus poteſtatem relaxandi iuramenta, quādo relaxatio non cederet in præiudicium tertij, & loquuntur de iuramentis, quæ nō ſunt vota: ergo ſentiunt poſſe iuramentum obligare ſine promiſsione: nā vbi eſt promiſsio, relaxatio non eſt ſine præiudicio tertij.

Ad ea igitur, quæ in cōtrarium inducebantur ab 14. autoritate, iā reſponſum eſt: nam oſtenſum eſt, potius contrarium colligi ex modo loquendi Scripturæ, & Iurium ac Doctorum: ex illo eodem c. Num. 30. facile colligi poteſt, iuramentum per ſe poni, vt ſufficiens ad inducēdam obligationem, ſiue adhæreat pollicitationi propriæ, ſiue aſſertioni. Addi vero poteſt ad maiorem explicationem huius cōmunis appellationis iuramēti promiſſorij, aſſertionem de re facienda in futurum, eo ipſo quod iuramento firmatur, ſubire vim pollicitationis vel formaliter, vel eminenter (vt ſic dicā) & ita per illa verba, vel æquiualētia ſolere nominari. Declaro aſſumptum, quia promiſsio etiam ſimplex addit vltra puram aſſertionem faciendi aliquid in futurum quandā firmitatem in præſenti propoſito, quæ conſiſtit in obligatione perſeuerādi in illo donec impleatur, quod promiſſum eſt. Quia ergo iuramentum per ſe ſe dat hāc firmitatem veritati de futuro imponendo obligationem altioris rationis faciendi, vt in tali aſſertione veritas non deficiat, ideo talis aſſertio iurata pro pollicitatione habetur, & illo nomine ſignificatur, maximè quādo factū iuratur in alterius vtilitatem, cōmodū, vel honorē, & ipſi acceptū eſſe creditur.

Atque ex his patet reſponſio ad primam rationē: 15. nā Antecedens in rigore ſumptum falſum eſt, quia *Soluuntur argumenta. Ad primum.* promiſsio propriè ſumpta non eſt adæquata materia iuramenti promiſſorii, neque inde tantum hanc denominationem accepit, ſed ex eo, quod aſſertio iurata promiſsioni æquiualet, vel eminenter illam

con-

Digitized by Google

continet: vel certe licet demus nomen inde eſſe ſumptum, quia frequentius ita fit hoc iuramentum, plus tamen ſignificat, quia materia adæquata huius iuramenti eſt factum præſtandum à iurante ex vi iuramenti, ſiue illud expreſſerit per verba aſſertoria tantum de futuro, ſiue per promiſſoria.

16. *Ad ſecundam.* Ad ſecundam rationem, licet aliqui dubitent de Maiori, mihi tamen concedenda videtur, quia longe diuerſum eſt, iurare tantum aſſertionem de præſenti propoſito, vel de facto futuro pręſtando. Nam pœnitens, verbi gratia, facile affirmabit, & iurabit, ſi neceſſe ſit, ſe habere propoſitum non peccandi amplius, non tamen audebit iurare, ſe amplius nō peccaturum. Vnde etiam ad habendam contritionem, dicimus neceſſariū non eſſe, vt quis ſibi perſuadeat, nō amplius peccaturum, ſed ſolum, vt id proponat, aliud eſt ergo affirmare tātum propoſitum præſens de facto futuro, aliud affirmare ipſum euentum futurum, idē ergo diſtingui poteſt in iuramento. Data ergo illa prima propoſitione, ſeu maiori, negatur minor: nā quando aliquis iurat abſolute ſe aliquid facturum, non tantum iurat ſe habere tunc propoſitum id faciendi, ſed ſimul etiam iurat, ſe permanſurū in illo propoſito donec cum effectu illud impleat, & ad hoc totum firmandum, Deum in teſtem, & quaſi fideiuſſorē adducit. De illo etiam, qui ſimpliciter, & ſine iuramento affirmat ſe aliquid facturum, nō recte dicitur illum ſolum affirmare, ſe habere tunc propoſitum faciendi, nam verba illa plus ſignificant, & ille totū id affirmat, quod verba ſignificant. Nec D. Thom. oppoſitum docet, ſed ait, vt ille verum loquatur, ſatis eſſe, quod habeat tunc propoſitum faciendi, nam hoc eſt ſatis, vt probabiliter exiſtimet, ſe id facturum. In quo ſenſu intelligitur eſſe vera illa propoſitio contingens ſimpliciter prolata, & quia per illam ſolam aſſertionem non obligatur quis ad faciendum, vt illa propoſitio de futuro re ipſa verificetur, ideo ad illius veritatem dicitur, ſufficere propoſitum faciendi quod dicitur, nō quia illud ſolum ſignificetur, ſed quia illud ſolū poſtulatur ad definitam veritatem de præſenti, & probabilem de futuro, quæ ſolum in tali humano ſermone poſtulatur. At vero quando additur iuramētum, additur obligatio faciendi verum, & certum factum futurum, quantum in homine eſt, & quoad hoc non eſt ſimilis ratio.

17. In tertio, argumenta multa petūtur de obligatione huius iuramenti, quæ pendet ex materia eius, & in cc. ſequētibus tractanda ſunt, ideo nunc breuiter reſpondeo cōcedendo hanc obligationem habere locum in omni iuramento, cuius executio rectę rationi non repugnat, ſiue tale iuramentum præſtetur alteri, ſiue abſolute fiat à iurante de actionibus ſuis *Ad tertiam.* futuris: nam de omnibus procedit eadem ratio, vt argumentum probat: an vero hęc obligatio ſit ſemper grauis, vel interdum ſit leuis, poſtea dicemus. In his autem, quæ rectæ rationi repugnant, non inducitur hæc obligatio, quia illa incapacia ſunt eius. Nā nec recta ratio, nec Deus author eius obligat ad agendum cōtra rationem rectam, quomodo autem hoc ſit intelligendum, & quomodo peccetur ſic iurando, in ſequentibus dicemus.

18. Ad quartum de iuramento futuræ actionis alterius hominis reſpondetur, dupliciter fieri poſſe tale iuramentum. Primo ſolum affirmando veritatem quaſi ſpeculatiuè cognitam, ſeu coniectatam: Secūdo poteſt talis affirmatio fieri quaſi practice per ordinem ad ipſum affirmantem, ita vt cenſeatur affirmare illud eſſe futurū, non ſolum vt eſt ab alio, ſed etiam vt à ſe poteſt aliquo modo pendere, aut procurari, & in eodem ſenſu poteſt iuramento confirmari. Quādo ergo fit priori modo clarum eſt, ex iuramento non contrahi obligationem, quia non iuratur factum proprium: ſed mere alienū quatenus coniectari poteſt à iurante, vt ſiquis iuraret pluuiam eras eſſe futuram, non intelligitur iurare, ſe facturū aliquam diligentiam, vt eueniat pluuia, ſed iurare ſe habere talem coniecturam, vel opinionē de pluuia futura. Sic ergo poteſt fieri iuramentum de facto alieno, quod nullam inducat obligationem, ſoletq; interdum ita fieri, vel ad erigendam ſpem alicuius, vel ad conſolandum illum, vel ad impediendū aliquod malum, vel ad quippiam ſimile. Vt tamē huiuſmodi iuramentum nō ambiguè, nec temere fiat, debet ſupponi in iurante ſufficiens coniectura de animo, & mente alterius, & per verba ipſa ſufficienter explicari, quod ita iuratur, vt iuro, me credere, aut opinari Petrum hoc facturum, vel quid ſimile, interdum vero poterit ſenſus ex circumſtantijs cōſtare. Exemplū eſt 1. Reg. 20. vbi Ionathas dixit Dauidi: *Abſit, nō morieris, neq; enim faciet Pater meus quidquam grande, vel paruū, niſi prius indicauerit mihi. Hunc ergo celauit a me Pater meus ſermonem tantummodo? nequaquam erit iſtud, & iurauit rurſum Dauidi*: quod iuramentum plane fuit de facto alieno, ſcilicet, Saulis, fuit tamen de illo quatenus coniectabat illud Ionathas, vt ex verbis eius conſtat. Vnde & verum eſſe potuit, & ex vi illius nullam obligationem ſubijt Ionathas ad procurandum, vt ita eueniret. At vero quando iuramentum fit poſteriori modo, tunc verum eſt inducere obligationem, quia re vera eſt de facto proprio, ſicut fuit aliud iuramētum, quod poſtea addit Ionathas in eodem loco. Quoad hāc ergo poſteriorem partem cōcedimus ſimilitudinem argumenti, quoad priorem vero non eſt ſimilitudo, quia quando quis iurat aliquid ſe facturum, nō iurat quid de facto ſuo futuro cōiectetur, ſed iurat factū, quantum ex ſua voluntate pendet, quam per iuramentum intendit in eo propoſito firmare, quod nō habet locum circa alienam voluntatem, vt conſtat.

1. Reg. 20.

Capvt II.

Qualis, & quanta ex ſuo genere ſit iuramenti promiſſorij obligatio.

Primo dicendum eſt, obligationem hanc Religioſam eſſe, id eſt, ad virtutem Religionis pertinentem. Hæc aſſertio certa eſt, & communis apud omnes, ſequiturq; ex dictis ſupra de actu iurandi, q. ad Dei cultum, & Religionem pertineat. Quod eſt verum tam de iuramento promiſſorio, quam de aſſertorio, nam ibi generatim locuti ſumus, & rationes æque de vtroque probant, & ex dictis in proximo præcedēti capite eſt etiam manifeſtum. Ex hoc ergo à principio ſic argumentor, nam talis eſt obligatio, qualis eſt actus vnde naſcitur, ſed hæc obligatio naſcitur ex actu Religionis, quatenus eius veritas, & obſeruantia ad Dei venerationem ſpectat, ergo etiam ipſa obligatio Religioſa eſt, ita vt eius violatio contra Religionem, & cultum Deo debitum eſſe cenſeatur. Atque hoc modo probari poteſt hæc veritas ex omnibus locis Scripturæ, & Canonum, in quibus iuramenta omnia Deo reddi, ac deberi cenſentur, vt Mat. 5. Num. 30. & ſimilibus. Item ex illis in quibus periurium, ſeu iuramenti violatio ſacrilega cenſetur, de quibus infra li. 3. tractando de Periurio. Denique confirmatur à ſimili, quia obligatio voti Religioſa eſt, vt infra videbimus, ergo & iuramenti. Probatur cōſequentia, quia ſicut voti obſeruatio pertinet ad honorem Dei, ita etiam impletio iuramenti. 1. *1. Aſſertio. Obligationē iuramenti eſſe Religioſam.*

Secundo dicendum eſt, an iuramēti promiſſorij obligationem ex ſuo genere graue eſſe. Hoc docet D. Thom. q. 98. art. 3. dum probat periurium etiā contra iuramentum promiſſorium, peccatum eſſe mortale ex ratione ſua, & ita aſſertio communis eſt, & omnino certa. Quia hæc obligatio pertinet ad perfectiſsimam virtutem, & maxime coniunctā cū dilectione Dei, & de ſe extenditur ad actus grauiſſimos, 2. *2. Aſſertio. Grauem eſſe iuramenti obligationē. D. Thom.*

mos,vt ſunt graues promiſsiones Diuinæ, vel humanæ,fœdera,& ſimilia,de quibus ſuperiori lib.ca. 8.dictum eſt. Vnde etiã ſumitur optima ratio, quia finis iuramẽti,& præcipue huius promiſſorij eſt,firmare pacta inter homines, & eorum controuerſijs finem imponere, ex Paulo ad Hebr.6. Sed ad hunc finem comparandum neceſſarium eſt, vt ex tali iuramento grauiſsima obligatio naſcatur ſtandi promiſsis: alias parui momenti eſſet vinculum,& facili negotio ab hominibus rumperetur, ergo. Denique hic locum habet argumentũ à ſimili ex voto, Nam voti obligatio ex genere ſuo grauis eſt,ergo & iuramenti: nam hæc duo ſaltem ex genere æquiparantur. vt notat Abb.in c. *Si vero* de Iureiur. nu.2.& in c. *Sicut* n.2 Quam graue autem peccatum ſit, violare hanc obligationem, & an poſsit aliquando minui vſque ad culpam venialem, dicemus in lib.3.ne ordinem peruertamus.

Abbas.

3. Tertio dicendum eſt,hanc iuramenti promiſſorij obligationem diuerſæ rationis, & ſpeciei eſſe ab obligatione promiſsionis,ac voti.Hęc aſſertio quoad priorem partem intellectam de promiſsione facta homini,eſt clara,quia obligatio promiſsionis eſt fidelitatis humanæ, vel ad ſummum iuſtitiæ, obligatio aũt iuramenti ex Religionis, vnde manifeſtũ eſt eſſe diſtinctas: ſiue in diſtinctis actibus conſiderentur,ſiue in eodem,nam licet ibi cõiungantur,nõ confundũtur. Quod in ſequenti capite amplius declarabitur,nam ex ibi dicendis pendet, & ideo hic plura de promiſsione humana non dicemus. Quoad alterã verò partem de voto,poſſet quis dubitare, quia voti obligatio ad Religionem ſpectat, ſicut iuramenti. Nihilominus tamen pars illa certa eſt, & communis, eamque ſupponit D.Tho. d.q.89.art.8. dum quærit, quæ ſit maior obligatio voti, an iuramenti,idemq; videntur ſupponere omnes,qui eandem quæſtionem tractant, de qua ſtatim dicemus. Sumitur etiam ex his,qui dicũt, votum, & iuramẽtũ in vinculo æquiparari in multis,ſupponunt enim obligationes eſſe diuerſas,& diſsimiles, licet multa habeant communia. Probatur etiam ratione, quia votum, & iuramentum ſunt actus ſpecie diſtincti, ergo producunt obligationes ſpecie diſtinctas. Cõſequentia videtur clara. Antecedens autem notum eſt ex proprijs rationibus talium actuum,quia votũ in promiſsione Deo facta conſiſtit, vt infra videbimus, iuramentum in inuocatione illius ad confirmandam veritatem, quę longe diuerſam rationem habent,tam in ratione cultus, & honoris, quam in ratione,quaſi materiali communicandi, ſeu negotiandi(vt ſic dicam)cum Deo. Vnde obligatio voti directe reſpicit Deum, vt creditorem, cui facta eſt obligatio,obligatio autem iuramẽti reſpicit Deum, vt vocatũ in teſtimonium,& quaſi ſponſorem, ſeu fideiuſſorem: ſunt ergo illæ obligationes valde diſtinctæ,vt recte expoſuit Nauar. c.27. numer.275.§. *Decimo ſexto.*

3. Aſſertio. Iuramenti obligationẽ diuerſam ſpecie eſſe à voto, & promiſsione.

Diſtinctio inter iuramentum, & votum.

Nauar.

4. Quarto hinc ſequitur, has obligationes ſecundũ ſe,& natura ſua eſſe ſeparabiles,& licet interdum ſimul concurrant,ſemper manere vincula formaliter diſtincta. Primum patet inductione, nã vota ad Deum ſępiſsime fiunt ſine adiectione iuramẽti,tam in ſimplicibus,& priuatis votis,quam in ſolennibus, & publicis: nam clerici in ſacris vouent caſtitatem, non vero iurant, & Religioſi profitendo, vouent, tria vota ſine vllo iuramento,& idem contingit frequentius in votis ſimplicibus. vnde qui peccat contra votum non iuratum periurus non eſt,ſed vnum tantum ſacrilegij delictum committit: ſimiliter è conuerſo qui iurat ſponſalia vel alium contractum, nihil vouet, & periurus eſt, ſi non implet, non tamẽ voti violator. Et ratio eſt, quia ita hæc diſtinguuntur, vt nullam inter ſe connexionem habeãt cauſæ, & effectus, vel aliam ſimilem. Poſſunt autem coniungi,quia licet ſint diſtinctæ obligationes, non tamen repugnantes, & ideo ex libera voluntate coniũgi poſſunt,vt fit in votis iuratis: vel in forma profeſsionis fidei Paul. IV. vbi concluditur, *Ego ſic iuro, eſſe promitto, &c.* Tunc autem vtrumque vinculum ſuam retinet rationem, quia cũ per ſe diſtinctæ ſint, confundi non poſſunt. Et ideo ſi votum iuratum violetur, dupliciter peccatur contra Religionem, quia contra duplicem obligationem eius agitur, quod proinde aperire in confeſsione neceſſarium eſt,quia ſicut circumſtantiæ ſpecie diſtinctæ, vt ex dictis conſtat.

Voti, & iuramenti obligationes ſunt inter ſe ſeparabiles.

Hic vero interrogandum occurrit, quomodo dignoſcatur,obligationem iuramenti eſſe ſolam,& ſeparatam à voto, quando alias materia apta eſt ad vtramque obligationem. Quando enim materia non eſt apta ad votum,& iuratur,ſatis clarum eſt,ibi ſeparari iuramentum à voto,vt cum iurantur ſponſalia,contractus, comminationes, & humanæ promiſsiones temporales inter homines factæ. Itẽ quãdo materia eſt capax voti,& Deo puro promittitur ſine vlla iuramenti forma,ibi etiam ſatis clare ſeparatur obligatio voti ab obligatione iuramenti. Interdum autem materia eſt capax voti, & immediate, ac ſimpliciter iuratur, vt cum quis iurat non ludere,vel non conuerſari cum tali fœmina, vel non ingredi talem domum, vbi moralem habet occaſionem peccandi,vel etiam poteſt immediate iurare caſtitatem,& ſimilia,quæ per vota ſolent Deo promitti. In his ergo materijs non eſt facile diſcernere, an ſeparetur obligatio iuramenti à voto, vel an eo ipſo,quod ſic iuratur talis materia, etiam voueatur: aliqui enim authores graues indicant, quoties materia iuramenti Religionis eſt, ac pietatis,iuramentum de illa factum, etiam ſi videatur ad hominem fieri,includere votum factum Deo, & obligationẽ eius. Ita ſentit Soto lib.8.de Iuſt.quæſt.1.artic.9.ad 2. ipſemet vero prudenter addit limitationem, *Niſi aliud conſtet de intentione iurantis*, illam etiam ſententiam indicant alij, quos retuli capite præcedenti, & qui putant idem eſſe iudicium de diſpenſatione iuramenti facti in materia Religionis, & voti, quos infra tractando de diſpenſatione iuramenti referemus. 5.

Dubium.

Soto.

Nihilominus conſequẽter ad ea, quæ capite præcedenti notauimus, dicendum eſt, in quacumque materia etiam Religioſa poſſe ſeparari obligationẽ iuramenti ab obligatione voti, ita vt ſicut hæc poſterior ſine illa inuenitur, ita etiam è contrario poſſit inueniri. Ita ſentiunt Lud. Lopez. Valen.& Sanci.capite præcedenti allegati. Et probatur ex eodem principio, quia non minus diſtinguuntur aſſertio, & promiſsio in tali materia, quam in quacumque alia, ergo non minus poſſunt per liberam hominis voluntatem ſeparari mutuo, ergo poteſt in tali materia fieri aſſertio iurata ſine promiſsione, ergo ex illa naſcetur obligatio iuramẽti ſine obligatione voti. Secundo in materia pia, & apta ad votum poteſt fieri promiſsio humana iurata ſine voto, ergo in eadem poterit fieri aſſertio humana iurata ſine voto. Conſequentia tenet à paritate rationis, & ex dictis in capite præcedenti eſt euidens. Antecedens autem eſt receptum ab omnibus, & bene declarat illud Soto dict. libr. quæſtione prima, articulo nono ad ſecundũ dicens, ambiguam eſſe promiſsionem factam de dotanda virgine, vel alendo paupere, etiam ſi cum iuramento fiat. & ideo intentione promittentis diſcernendam eſſe: nam ſi promittat Deo,erit votum iuratum,ſi homini,& in gratiam eius,erit promiſsio humana iurata. Circa eandem ergo materiam de ſe aptam ad votum, poteſt cadere iuramentum in promiſsionem abſque voto, ergo & in puram aſſertionem. Tertio, eſt ratio à priori, quia poteſt aſſertio de futuro etiam in his materijs proferri ſine ordine ad alterum, & ſine vlla obligatione, quæ ex vi talis aſſertionis inducatur, 6.

Reſolutio dubij.

Lud. Lop. Valent. Sanciu.

Ratio à priori.

ergo

Digitized by Google

ergo ſi illa iuretur, inducetur obligatio iuramenti ſine obligatione voti. Exemplum optimum eſt ſupra inſinuatum, ſi confeſſor faciat pœnitentẽ iurare, ſe impleturum propoſitum reſtituendi, vel non intrandi talem domum, vbi habet occaſionem. Nam ille non vouet, quia id non intendit, nec enim confeſſor exigit votum (vt ſuppono) ſed iuramentum, nec ipſe plus facere vult, quam confeſſor præcipiat. Alia exempla ponunt citati Authores, quæ infra tractando de diſpenſatione iuramenti expendemus.

7. Secundo vero addendum eſt, regulariter hęc iuramenta fieri cum admiſtione voti. Hoc intendũt Soto, & alij authores, & conſtat ex vſu. Et ratio eſt, quia ordinarie iuramentum de futura aliqua actione præſtanda non fit ſine promiſſione, vt ſupra libr. primo viſum eſt: in his autem materijs ad pietatem, & Religionem pertinentibus, promiſſio regulariter fit Deo, quia hæc eſt maxime proportionata talibus operibus, & ita eſt etiã frequentius intenta, promiſſio autem facta Deo, & votum idem ſunt. Quapropter ad diſcernendum an ſit tantum iuramentum, vel etiam votum, intẽtio iurantis potiſſimum penſanda eſt, quia hæc eſt, quæ diſcernit actionem. Quod ſi ipſe non poſſit certò declarare intentionẽ ſuam, circumſtantiæ ſunt penſandæ, & occaſiones iurandi: nam ex illis ſæpe poterit diſcerni, an iurans intenderit tale opus intuitu Diuini honoris, & cultus, vel ſolum voluerit firmare volũtatem ſuam in illo propoſito, quod ex alia occaſione conceperat. Nam quãdo fit illo poſteriori modo, eſt purum iuramentum: quãdo vero fit priori modo, eſt magnũ ſignum promiſſionis, & voti ſimul cum iuramento. Quod ſi res fuerit dubia, ita vt ex particularibus circumſtãtijs, ſeu occaſionibus iudicari non poſſit fuiſſe purum iuramentum, pro voto præſumendum eſt, vt omnes dicunt, non quia in dubio ſemper pręſumatur pro voto, hæc enim regula non eſt certa, vt infra ſuo loco dicetur, ſed quia in tali actu, & materia ille eſt actus maxime proportionatus, & quẽ frequentius faciunt omnes, qui obligare ſe volunt, & ideo niſi aliunde conſtet de contraria intentione, credendum eſt fuiſſe factum ordinario modo, & ipſi materiæ magis proportionato.

Quomodo diſcernendũ votum à iuramento.

Capvt III.

An obligatio iuramenti maior ſit, quam obligatio voti?

1. *D.Thom.* HAnc quęſtionem proponit Diuus Thomas dicta quæſt. 89. art. 8. & reſpondet, magis obligare votum, quam iuramentum. Et illius reſolutionem ſequitur ibi Caietanus, Soto & Aragon, Syluester: *Iuramentum* 4. quæſtion. 5. *Votum* 2. quæſt. 20. & refertur Summ. confeſſo. libr. 1. tit. 8. quæſtion. 23. & tit. 9. quæſtion. 14. & communiter ibi ſentiunt Summiſtæ. Canoniſtæ autem ordinarie dicunt, votum, & iuramentum paria iudicari, Abb. in cap. *Si vero*, de Iureiur. & in cap. *Rurſus*, Qui Cleri. vel vouent. At vero pro contraria ſententia ſolet referri Mai. 4. diſtinct. 38. vbi poſt quæſtionem 4. dub. 2. hoc tractat, & reprobat ſententiam Diui Thomæ, tamen re vera non contradicit illi, nec rem ſatis explicat. Primo enim ſolum dicit maiorem eſſe obligationem iuramenti, quam voti, quando iuramentum votum includit. Hoc autem Diuus Thom. non negat: ſed admittit in eodem articulo ad ſecundum, declarat tamen obligationem voti iurati, eſſe maiorem, quam voti puri extẽſiue, quia per duas res immobiles firmitas habetur, non vero intenſiue. Neque plus probat ratio Maioris, qui ſic argumentatur, *Omnis ratio obligationis in voto, manet in iuramento: & additur aliquid aliud, &c.* Hæc enim propoſitio eſt vera in voto iurato, non vero in quolibet iuramento, vt ex dictis conſtat, & ita ex illa ſolum poteſt concludi, votum

Caiet. Soto. Aragon. Syluest.

Maior.

iuratum extenſiue magis obligare, quam votum nudum. Et ſimiliter alia propoſitio, quam ibi habet Maior, ſcilicet quod ſicut obſeruatio voti pertinet ad fidelitatem ad Deum, ita etiam obſeruatio iuramenti, hæc (inquam) propoſitio non eſt vera in omni iuramento, ſed in voto iurato habet locum, vt votum eſt, non ratione iuramenti. Neque ipſe Maior, videtur plus docere cum concludit, cæteris omnibus paribus, plus obligare iuramentum, quam votum. Vnde reſpondendo ibidem ad argumentũ. *Sed contra* D. Thomæ ſcilicet quia votum fit Deo, & iuramentum ſæpe fit homini, &c. Reſpondet, hoc non concludere, quia comparatio fit cum iuramẽto, quod fit Deo, vt de ingrediendo Religionem, *quemadmodum ſi illud vouerem*. Vnde plane concedit, votum factum Deo ſine iuramento, plus obligare promiſſione iurata facta homini: at hoc eſt, quod D. Thomas intendit, in re ergo non cõtradicit. Deficit autem quia non bene explicat D. Thomam, nec rem ipſam ſatis expedit: falſo etiam ſupponit, omne iuramentum, de re ſacra includere votum, & ideo aliam comparationem hic neceſſariam omittit, de qua ſtatim dicam.

Magis igitur proprie, & directe contra D. Thomam opinatus eſt Med. lib. 5. de Continen. Sacer. c. 22. & 23. qui etiam comparando iuramentum promiſſorium homini cum nudo voto, dicit maiorem eſſe obligationem iuramenti, licet obligatio voti ſanctior ſit. Quod refert Nauar. d. c. 12. n. 32. ipſe autem diſtinctione quadam conatur conciliare opiniones: triaq; membra conſtituit. Primum eſt ſi iuramentum, & votum fiat intuitu honoris Dei, magis obligare iuramentum, quam votum. Secũdum eſt, idem eſſe, ſi vtrumq; fiat in vtilitatẽ proximi. Tertium, ſi votum fiat in honorem Dei, & iuramentum in vtilitatem proximi, magis obligare votum & hoc vltimum putat intẽdere D. Tho. Medinam vero ait recte probare, firmiorem eſſe obligationem iuramẽti, quam voti licet hæc ſanctior ſit, cum per illam promittamus proximo, per hanc Deo. Videtur ergo quoad hoc cedere rationibus Medinæ, & à priori ſentẽtia recedere. Primum vero membrum, quod ponit ambiguum eſt, nam ſi intelligatur de iuramẽto ita facto in honorem Dei, vt votum includat, clarum eſt in ſenſu explicato: ſi vero intelligatur de nudo iuramẽto comparato cum nudo voto, ſic falſum eſt, & contra D. Thomam, vt ſtatim dicam. In ſecundo autem membro in primis non ſatis intelligitur, quomodo votum principalius fiat propter vtilitatem proximi, cum de ratione illius ſit, vt principaliter, & directe fiat Deo, licet fortaſſe ex parte operantis poſſit votum imperari ex affectu ad vtilitatem proximi. Tunc autem etiam eſt falſum, & cõtra D. Thomam, iuramentum magis obligare, vt oſtendam. Tertium autem membrum, licet fortaſſe verum ſit, non confert ad concordiam opinionum, nam illud eſt, quod Medina negat, de Maiore autem iam diximus, in eo non diſcordare. Hęc ergo diſtinctio, & concordia Nauarri omittenda eſt. Opinio autem Medinæ aliquibus doctis modernis placet.

Probatur autem primo, quia iuramentum ita obligat, vt eius fractio repugnet Deo contrarie, & quãtum eſt in ſe aliquid illi imputet, quod naturæ eius repugnat, nempe, aut eſſe teſtem mendacij, aut eſſe infidelem in promiſſis: votum autem ita obligat, vt ſi non impleatur, licet non reddatur Deo debitum, non tamen aliquid illi contrarium ipſi imputetur: ergo maior eſt obligatio iuramenti. Patet conſequentia, quia ſicut maior eſt iniuria, quę fit cum poſitiua cõtumelia, vel læſione honoris alterius, quam ſit omiſſio alicuius honoris debiti, ita maior eſt obligatio, quæ violari non poteſt ſine poſitiua contumelia, & inhonoratione, quam quæ conſiſtit in non reddendo debito. Et hæc ratio eneruat fundamentum D. Thomę, ſic enim colligit, Fractio voti eſt infidelitas

2. *Medina.*

Nauar.

3.

fidelitas ad Deum, quæ irreuerentiam inuoluit, iuramenti vero fractio ſolum eſt irreuerentia quædã ſine infidelitate, ergo deterior eſt voti fractio: ergo, & voti obligatio eſt maior. Negatur enim prior cõſequentia, quia non ſunt cætera paria: nam irreuerentia periurij eſt longè maior, & includit quandam grauem contumeliam in Deum, (quia quantum eſt ex parte iurantis, fit Deus teſtis falſus) quę ſuperat in malitia infidelitatem in promiſsis Deo factis. Itẽ irreuerentia infidelitatis in fractione voti, vnica malitia eſt, nam tota ratio irreuerentiæ eſt infidelitatis, & ſimiliter in periurio irreuerentia falſitatis (vt ſic dicam) vnica eſt, quia irreuerentia periurij tota cõſiſtit in hoc, quod Deus fit mẽdax, vel infidelis, quãtum eſt ex parte iurantis: hoc autem fundamentum irreuerentię grauius multò apparet in periurio, quã in infidelitate ad Deum propter rationem factam. Secundo argumẽtatur, quia votum factum ex metu graui eſt inualidum ad obligãdum, iuramentum autem obligat non obſtante metu: ergo ſignum eſt, facilius impediri obligationem voti, quã iuramenti: ergo ſignum eſt eſſe minus grauem voti obligationem. Simile argumẽtum poteſt fieri, quia facilius videtur diſpenſare in voto, quam in iuramento: ergo minor eſt eius obligatio. Tertio argumentantur alij, quia minor obligatio ſolet per maiorem firmari, ita enim promiſsio humana per iuramentum firmatur, ſed promiſsio etiam Deo facta ſolet per iuramentum cõfirmari, ergo ſignum eſt, maiorem eſſe obligationem iuramenti, quam voti.

4. Mihi diſtinguendum videtur inter iuramentum aſſertorium, & promiſſorium, quæ, vt dixi, in hoc differunt, quod aſſertorium non tam inducit, quam ſupponit obligationem dicendi verum, & nullam aliam in futurum relinquit: iuramentũ autem promiſſorium, vt tale eſt, imponit nouam obligationẽ. Et in hoc conuenit cum voto, quod nouam obligationẽ inducit, & vtrumque, ſcilicet tam votum, quã iuramentum promiſſorium in hoc genere effectus differunt à iuramento aſſertorio, vt ex dictis cõſtat.

5. Dico ergo primo: Obligatio, quam includit, ſeu ſupponit iuramentum aſſertorium, grauior eſt quã obligatio, quam votum inducit. In hac aſſertione ſentio cum poſteriori opinione, & credo non eſſe contra D. Tho. nam de iuramento tantum promiſſorio videtur locutus. Quęrit enim, an maior ſit obligatio iuramenti, quam voti, loquitur ergo de obligatione, quam vtrumque inducit: nam in articulo proximo præcedẽti dixerat, obligationem proprie pertinere ad iuramentũ promiſſorium, nõ ad aſſertorium. Probatur ergo aſſertio ratione fundamentali poſterioris ſententiæ, quia obligatio non attribuẽdi Deo falſum, multo maior videtur, quam obligatio reddendi Domino vota, quia prior eſt obligatio negatiua, vt ex forma præcepti conſtat. *Non aſſumes in vanum nomen Dei tui*, vel non peierabis: obligatq; ad non inferendum Deo grauiſsimam iniuriam, & nocumentum, quantum eſt ex parte iurãtis, priuando illum, quantum eſt ex parte peierantis, prærogatiua primæ veritatis, & faciendo illũ mendacem. Poſterior vero eſt obligatio affirmatiua, vt ex ipſa verborum forma apparet. *Reddes Domino vota tua*, obligatq; ad reddendum Deo quoddam pęculiare debitum, quod cernitur in implenda promiſsione ſub Diuina authoritate facta: ſicut etiam voti obſeruatio, & ad affirmatiuum præceptũ ſpectat, vt infra ſuo loco latius declarabitur, cõſequenter ad non prætermittendam fidelitatem Deo debitam. Ex quo ſtatim apparet, maiorem eſſe priorẽ obligationem, & magis prauam eius tranſgreſsionem. Sicut maior eſt obligatio non furandi pecuniã alienã, quam reddẽdi promiſſam, & grauius delinquitur per iniuriam furandi, quam per infidelitatẽ non dãdi: ſicut etiã reſpectu regis grauius peccatur, directam, & poſitiuam iniuriam illi contrariam cõmittendo, quam non implendo promiſsionem illi factam. Immo etiam grauius peccatur, propria eius bona ſurripiendo, quam tributa non ſoluendo.

1. Aſſertio. Maior eſt obligatio, quæ ſupponit iuramẽtum aſſertorium, quam voti obligatio.

Ratio fundamentalis aſſertionis.

6. Sed dicunt aliqui, eum, qui per Deum mendaciũ iurat, non facere Deum mendacem, neq; id intendere, ſed ſolum quadam interpretatione fingere Deum ignorantem, aut mẽdacem, id eſt ita ſe gerere erga Deum, ac ſi ille mendax eſſet. Vnde D. Tho. 2.2. qu. 13. art. 3. ad 2. dicit, qui peierat non inducere Deum tanquam exiſtimans, illum poſſe teſtificari mendacium, ſed tanquam ſperans, illum non teſtificaturum in tali re per aliquod euidens ſignũ. Q. autem votum frangit, re vera negat debitum Deo, eſtq; illi infidelis, & ideo dicunt hanc eſſe maiorem irreuerentiam. Sed hoc non recte dicitur, quia grauitas periurij ex affectu ſpectanda eſt, & ex practica operatione, non ex ſpeculatiua cognitione: vnde licet ſit verum, periurum non errare in fide, nec ſpeculatiue putare Deum eſſe poſſe teſtem mendacij, tamẽ practice ita ſe gerit erga Deum, ac ſi Deus poſſet falſum teſtificari: & quantum eſt in ſe, ad hoc illum inducit, etiamſi formaliter hoc non intendat, imo ſciat Deum non id facturum. Ille autem practicus contemptus ſufficit ad grauitatem maiorem in periurio, quam ſit in fractione voti. Et patet, quia ſimilis interpretatiua voluntas ſufficit ad infinitam quandam grauitatem cuiuſcumque peccati mortalis, quia practicè quis profitetur ſe conſtituere vltimum finem in creatura, & quantum eſt in ſe, priuat Deum dignitate vltimi finis: ergo ſimilis affectus in præſenti ſufficit ad maiorem grauitatem. Item ille modus iniuriæ ſufficit in periurium in quacumq; re minima ſit peccatum mortale, & tamen debitũ voti non ſufficit, vt violatio eius, ſed non ſolutio, aut infidelitas in parua materia ſit peccatum mortale: ergo magnum ſignum eſt iniuriam periurij eſſe alterius, magiſq; repugnare dignitati Dei. Denique à poſteriori hoc perſuadetur ex communi conſenſu omnium hominum, concipiunt enim falſum iuramentum, vt atrocius delictum, quam fractionẽ voti, & ideo maiorem generat infamiam grauioribuſque afficitur pœnis vnde grauior in ſe cenſetur, ac ſecundum appretiationem, potius vitãdum eſſe iuramentum falſum, quam voti trãſgreſsionem, ſi per impoſsibile alterum eſſet ex neceſsitate committẽdum: ergo ſignum eſt, obligationem vitandi periurium eſſe maiorem.

Reſponſio aliquorum.

D. Thom.

7. Dico ſecũdo: Obligatio voti maior eſſe videtur, quam obligatio iuramenti promiſſorij. Hanc fuiſſe exiſtimo ſententiam D. Thom. & veram eſſe, beneque probari ratione eius. Quia per votum fides directe datur Deo, per iuramentum autem promiſſorium, vt tale eſt, non fit obligatio ipſi Deo, ſed ſolum adducitur Deus, vt teſtis promiſsionis, vel aſſertionis de aliquo actu futuro. Inter hos autem duos reſpectus prior videtur magis pertinere ad honorem Dei, quia magis directe illũ reſpicit, vnde & ad Diuinam authoritatem, & reuerẽtiam magis ſpectat. Sed potiſsimum hoc declaratur, quia illa peculiaris grauitas, quæ inuenitur in iuramento aſſertorio, & agnoſcitur in periurio illi contrario, non ita inuenitur in iuramẽto promiſſorio, & in reliquis excellentius eſt votum, ergo excedit etiã in obligatione. Conſequentia videtur clara, & Minor ex dictis circa rationem D. Th. ſatis probari videtur. Maior autẽ in qua eſt tota difficultas declaratur in primis à poſteriori iuxta opinionem infra libro tertio tractandam, quã probabilem exiſtimamus, ſcilicet frangere iuramẽtum promiſſorium in materia leui non eſſe peccatũ mortale in indiuiduo: & in hoc differre periurium in promiſsione à periurio in aſſertione, nam hoc in quocumque minimo mẽdacio eſt peccatum mortale valde graue

2. Aſſertio. Voti obligatio maior eſſe videtur, quam obligatio iuramenti promiſſorij.

8. Hinc ergo colligimus, longe minorem eſſe obligationem, quam inducit iuramentum promiſſoriũ,

quam

Digitized by Google

quam illam, quæ in aſſertorio ſupponitur: ac proinde poſſe obligationem voti eſſe mediam inter vtramque, minorem ſcilicet, quam in iuramento aſſertorio, & maiorem, quam in promiſſorio. Colligimus deinde ex eodem indicio, per violationem promiſsionis iuratæ non fieri Deum teſtem falſitatis, etiam interpretatiue, & practice, quia ſi hanc Diuinam includeret, non poſſet non eſſe peccatum mortale in quocunque indiuiduo, & in materia etiam minima: ergo non eſt in tranſgreſsione iuramenti promiſſorij formaliter, ac per ſe talis iniuria Diuina. Ergo è conuerſo iuramentũ promiſſorium non obligat quaſi impignorando (vt ſic dicam) Diuinam veritatem, ita vt ſi promiſsio deficiat, videatur Deus factus mendacij teſtis: ſed ſolum obligat tamquam præbendo ſpecialem authoritatem, & firmitatem promiſsioni, quaſi per fideiuſsionem Dei. Et ideo ſi nõ impleatur promiſsio, non fit Deus teſtis falſitatis, ſed irreuerenter tractatur, quandoquidem nulla habita ratione authoritatis eius, verbum promiſſum ſub illius authoritate, & præſentia, non impletur: hæc autem irreuerentia minor eſt, quam infidelitas voti, vt per ſe clarum videtur ex dictis.

9. *Exemplo res declaratur.* Poteſtque humano exemplo declarari, nam ſi quis pactum faceret cum Rege, vel faceret pactum cum alio æquali in præſentia Regis ad dandam authoritatem contractui, tamquam ſuſcepto à Rege ſub protectione ſua: certe per violationem vtriuſque pacti cenſeretur Rex contemni, ſed multo magis per fractionem pacti cum ipſomet initi (loquendo per ſe, & ex genere, vt loquimur) quia magis directe offenditur in eo perſona Regis, ſicut etiam maiores partes habet Rex in primo cõtractu, quam in ſecundo. Sic autem ſe habet Deus in voto, & iuramento promiſſorio, vt facile ex dictis. Vnde in illo etiam exemplo, nõ ſeruans pactum cum alio factum ſub Regia authoritate, non poteſt dici vere, ac proprie, quod induxerit Regem ad falſum teſtificandum: ſed ſolum quod contempſerit authoritatem, & protectionem Regis. Et ratio eſt, quia vt ſupra tetigi lib. 1. cap. 7. propria teſtificatio veritatis, ſolum eſt circa ipſa, quando ipſa proferuntur, & hæc in principio vera formaliter fuerunt, quando prolata ſunt, vt ſupponitur, quia ex animo implendi pactum dicta fuere: & quoad id habet iuramentum illud rationem aſſertorij, vt ibidem explicui. Poſtea vero ſolum manet obligatio ad faciendum, vt facta verbis conforment, & conſequenter ad cauendum, ne ſaltem materialiter falſa reddatur aſſertio de futuro prius prolata, & iurata. Hæc autem obligatio non naſcitur ex teſtificatione Dei proprie dicta, quia hæc cadit in veritatem formalem, non in materialem per ſe loquendo, vt ibidem declaraui: ſed pertinet quaſi ad honorem Dei, & ad reuerentiam illius authoritati debitam. Et ideo talis obligatio licet ex ſuo genere grauis ſit, non eſt tanta, quanta obligatio voti, & longe minor, quam obligatio aſſertorij iuramenti.

10. *Obiectio contra aſſertũ.* Sed occurrit obiectio in lib. 1. cap. 7. facta, quia ſequitur diuerſam eſſe ſpecie obligationem iuramenti aſſertorij, & promiſſorij, quod ſupra ſimpliciter negatum eſt: ſequela patet, quia obligatio voti eſt quaſi media inter illa duo iuramenta, ergo oportet illa eſſe ſpecie diſtincta. Reſp. 1. non eſſe improbabile conſequens. *Reſponſio.* Secundo reſpondetur, negando ſequelam, quia obligatio maior ex genere poteſt eſſe minor in indiuiduo, vt per ſe notum eſt, nam etiam aliqua promiſsio humana in indiuiduo, vtpote de re maximi momenti, poteſt eſſe grauior, quam obligatio voti de re leui, licet hæc ſit maior ex genere. Ergo condiuidendo totã obligationem iuramenti in duo generalia membra inæqualia in grauitate intra eandem ſpeciem, poterit etiam intelligi, obligationem voti comparatam ad obligationem iuramenti, vt inuenitur in promiſſorio, eſſe minorem ex genere, quia in aſſertorio eſt obligatio iuramẽti, quaſi in ſummo: & nihilominus voti obligationem eſſe maiorem ex genere, quam obligationem iuramenti promiſſorij intra illius latitudinem ſiſtendo, quia in illo eſt obligatio iuramenti quaſi in inferiori gradu, ſcilicet materiali, & quaſi indiuiduo.

Ad argumenta ergo facta pro opinione Medinę, ſi inducantur contra ſecundam aſſertionẽ noſtram, facile eſt reſpondere. Ad primum negatur aſſumptum quoad iuramentum promiſſorium, nam per illius violationem non tribuitur Deo teſtimonium falſum, ſaltem formaliter, ſed reuerẽtia eius authoritati debita contemnitur: & ad ſummum fit, vt materialiter fiat falſum, quod Deus vere teſtificatus fuerat, quæ non eſt iniuria ita repugnans veritati Dei. Ad ſecundum reſpondetur, etiam votum factum ex metu ex natura rei validum eſſe, ſed per Eccleſiam interdum eſſe factum irritum, vt poſtea videbimus: quod idem potuiſſet facere in iuramento promiſſorio. Quod ſi forte non fecit, non inde poteſt colligi maior, vel minor obligatio, vt per ſe conſtat: nam potuit Eccleſia moueri ex aliis rationibus, vt quod Deus non vult acceptare coactam promiſsionem, vel quod aliquod maius periculum animæ in talibus votis inueniatur, vel quid ſimile. Sic enim non omnia vota metu facta Eccleſia irritat, licet non minus obligarent de ſe illa, quæ irritat, quam quæ non irritat: imo interdum magis ratione modi, vt ſolenne, quam ſimplex, & cæt. Quod autem facilior ſit diſpenſatio voti, quam iuramenti promiſſorij gratis aſſumitur, (de quo infra) & non facit ad rem, quia poteſt id prouenire ex maiori cauſa, non ex minori obligatione: iuramentum autem aſſertorium in vtroque excedit, quia propter nullum metum licere poteſt, nec diſpenſatio in illud cadit. 11. *Soluuntur rationes pro opinione Medinæ. Ad primũ. Ad ſecundum.*

Ad tertium ſatis reſpondet D. Thom. iuramentum addi voto, non vt addatur maior obligatio, ſed vt multiplicẽtur vincula. Vnde ſentit (& merito) in voto iurato eſſe duas obligationes ſpecie diuerſas, vt ſupra declaraui: & præciſe comparando illas inter ſe, vt circa eandem voti materiam coniunguntur, ſemper obligationem voti eſſe maiorem, quod conſequenter loquendo ita neceſſario dicendum eſt. Vnde quoad hoc partim conuenit votum iuratum cum promiſsione ad hominem iurata, partim differt, conueniunt quidem, quia in vtroque eſt duplex obligatio diuerſæ rationis: vnde vtrumque excedit (ſaltem extenſiue) obligationem puri voti, vel puræ promiſsionis, vel etiam puri iuramenti, vt per ſe conſtat. Differunt autem, quia promiſsio humana iurata, etiamſi duplex habeat vinculum, non adæquatur intenſiue vni obligationi puri voti ex genere ſuo, quia duo inferiora diuerſarum rationum non faciunt vnum intenſiue maius: votum autem iuratum ex parte voti habet intenſiuam æqualitatem, & ideo ſimpliciter dici poteſt magis obligare. An vero ſecundum moralem æſtimationem duplex obligatio humanę promiſsionis iuratæ cenſeri poſsit æqualis obligationi voti, controuerti poteſt? Conſequenter autem dicendum videtur ex genere non æquari, tamen in indiuiduo poſſe interdum proferri, & vtrumque ſatis conſtat ex dictis. 12. *Ad tertium. Dubium. Solutio.*

Ad argumenta vero aliorum Doctorum, qui indiſtincte præferunt obligationem voti obligationi iuramenti, etiam aſſertorij (vt ſignificant) non oportet reſpondere, quia quoad eam partem ſufficienter ſatisfactum illis eſt probando noſtram primam aſſertionem, & in argumentis factis pro opinione contraria præſertim in primo. 13.

Digitized by Google

CAPVT IV.

Vtrum ex iuramento promiſſorio acquiratur obligatio alteri, cui ſit promiſsio, vel ſoli Deo?

1\. DIximus ex iuramento promiſſorio oriri obligationem, obligatio autẽ ex ſe dicit ordinem ad alterum, & ideo explicandum eſt, ad quem dicat reſpectum hæc obligatio: nam ex hoc principio pendere poſſunt multa, quæ de modo implendi, vel exigendi hanc obligationem, vel de illius duratione, & aliis proprietatibus eius in ſequentibus inueſtigabimus. Eſt autem manifeſtum ex dictis obligationem iuramenti promiſſorij directè & principaliter eſſe reſpectu Dei. Probatur primo, quia formaliter, ac per ſe eſt obligatio Religionis: Religio autem per ſe primo reddit debitum Deo, ergo obligatio iuramenti per ſe primo eſt ad Deum. Secundo probatur ex illo Matth. 5. *Reddes autem Domino iuramenta tua*, iuxta probabilem ſenſum ſupra tractatum, quod Deo redduntur iuramenta, quia in eorum obſeruatione Diuino honori conſulitur. Cui conſonat illud Exod. 20. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, & tota ratio redditur ex reuerentia debita nomini Dei. Vnde Leu. 19. additur: *Nec pollues nomen Dei tui.* Tertio ita etiam loquuntur Canonica Iura, cap. *Debitores*, de Iureiurando: *Cogẽdi ſunt Domino reddere iuramentum.* Ex quibus verbis Panormit. ibi colligit, quod Iuramentum principaliter dirigitur in Deum, & ei acquiritur principalis obligatio, licet effectus concernat vtilitatem priuatam. Quarto eſt optima ratio, quia hæc obligatio ad Deum eſt inſeparabilis à iuramento, & omnis alia eſt ſeparabilis ab illo, vt ſtatim declarabitur, ergo ſignum eſt hanc eſſe quaſi primariam, & maxime intrinſecè, ac per ſe conuenientẽ iuramento. Contra hanc aſſertionem videntur ſentire Caietan. d. art. 7. circa ad 3. & Sot. ibid. q. 1. ad 3. ſed immerito, & contra D. Thomam, vt ſtatim oſtendam.

Obligationem iuramenti promiſſorii præcipue eſſe reſpectu Dei. *Matth. 5.* *Exod. 20.* *Leuit. 19.* *Cap. Debitores.* *Panorm.* *Caietan.* *Soto.*

2\. Secundo eſt mihi certum, quando iuramentum non coniungitur cum promiſsione humana, non inducere obligationem ad alterum, niſi ad Deum, loquor autẽ de humana promiſsione, quia ſi coniungatur cum Diuina, licet habeat aliam obligationem coniunctam, illa non eſt niſi ad Deum, quia eſt voti obligatio. Et de illa verum etiam eſt, non induci à iuramento, vt iuramẽtum eſt, ſed à voto, cui adhæret, cuius obligationem nec intenſiue auget, vt diximus cum D. Thoma, ſed extenſiue addendo aliam obligationem. Poteſt autem (vt etiam dixi) iuramentum non habere coniunctum votum, nec etiam promiſsionem humanam, etiamſi effectus eius humanam concernat vtilitatem, quod contingit, quando illa vtilitas, ſeu opus illam inducẽs non promittitur, ſed aſſeritur, & veritas aſſertionis iuratur. Tunc ergo dicimus, iuramentum non inducere obligationem reſpectu hominis, cuius intereſt obſeruatio iuramenti, ſed tantum reſpectu Dei. Probatur, quia obligatio ad hominem, vel eſt iuſtitiæ, aut fidelitatis (aliæ enim obligationes charitatis, gratitudinis, aut ſimiles non poſſunt ad præſentem materiam adaptari, vt per ſe conſtat) ſed neutra illarum tunc inducitur, quia nec intercedit ibi pactum, quo ſolet induci obligatio iuſtitiæ, nec promiſsio, qua poteſt induci obligatio fidelitatis: ergo ſola ſupereſt ibi obligatio Religionis. At hæc obligatio non eſt ad hominem, ſed ad Deũ: ergo. Et hoc ipſum inſinuatur in d. c. *Debitores*: nã ibi promiſſio vel nõ fuerat, vel fuerat inualida, & ideo ſolum per reſpectum ad Deum imponitur neceſsitas implendi iuramentum, vt poſtea explicabimus. Et confirmatur, quia non implens tale iuramentum, ſolum Deum offendit, & non hominem, quia ſolum contra Religionem peccat: ergo. Ex hac vero aſſertione duæ graues quæſtiones oriuntur. Vna eſt, an idem ſit, quoties promiſsio quidem intercedit, ſed talis, vt valida non fuiſſet, ſi abſque iuramento fieret? Alia eſt, an tunc detur actio alteri, in cuius vtilitatem iuramentum redundat: vt poſſit petere quod iuratum eſt? Quæ quæſtiones magis ad Iuriſtas pertinent, ſed nihilominus aliquid de illis in ſequentibus attingemus.

Cap. Debitores.

Dico tertio, ex iuramento promiſſorio propriiſſime dicto, id eſt, quod ſit per humanam, ac veram promiſsionem iuratam, naſcitur obligatio non tantum Deo, ſed etiam homini, cui iuramentum exhibetur, per ſe loquendo, id eſt, niſi aliunde impediatur obligatio, de quibus impedimentis infra eſt dicendum. Aſſertio hæc intelligitur de toto illo actu promittendi cum iuramento, non diſtinguendo nunc, vnde, aut quomodo oriatur hæc obligatio. Et ſic eſt manifeſta, quia illa promiſsio directè ſit homini, non Deo, vt ſupponitur, ergo directè producit obligationem reſpectu hominis. Item promiſsio illa ſecluſo iuramento induceret obligationem reſpectu hominis, vel iuſtitiæ, vel fidelitatis (iuxta varias ſententias, vel iuxta varios modos promiſsionum) iuramentum autem non tollit hanc obligationem, imo potius illam veſtit, ac confirmat: nam hic eſt finis & effectus iuramenti, vt conſtat: ergo à fortiori iurata promiſsio parit obligationem ei, cui ſit promiſsio. 3.

3. Aſſertio. *Cui obligetur homo per iuramentũ propriè promiſſorium.*

Et ex his colligitur, rectè dixiſſe D. Thomam d. art. 7. ad 3. in iuramento promiſſorio duplicem eſſe obligationem, vnam homini, alteram Deo. Quem textum ſatis per ſe clarum ſine cauſa euertunt Caiet. & Sot. ſupra dicẽtes, in illo actu tantum eſſe vnam obligationem ad hominem, ſed illam niti duobus titulis, illoſque duos actus à D. Thoma vocari. Sed hoc in primis reddit impropriam, ne dicam falſam propoſitionem D. Thomæ. Deinde ipſe D. Thomas ita declarat duas illas obligationes, vt dicat, interdum vnam tolli, manente alia, quomodo ergo potuit intelligere non eſſe diſtinctas? Præterea vna eſt obligatio pertinens ad iuſtitiam humanam, alia ad Religionem, ſunt ergo duæ ſpecie diſtinctæ. Vnde qui frangit fidem homini datam, & iuratam, duo peccata, ſeu duas malitias ſpecie diſtinctas committit: ergo duas frangit obligationes. Denique hæc eſt communis ſententia, & neceſſaria ad progreſſum huius materiæ, vt videbimus. 4.

Sed obiiciunt per hoc iuramentum promiſſorium, non ſit promiſsio Deo: ergo nulla eſt ſpecialis obligatio ad Deum. Reſpõdetur, negando conſequentiam, quia non tantum vno modo obligamur Deo. Imo in voto iurato (vt patet ex capite præcedenti) eſt duplex obligatio ad eundẽ Deum: vna fidelitatis, quæ dici poteſt eſſe ad Deum, vt creditorem: alia dici poteſt reuerentiæ, quæ reſpicit Deum, vt fideiuſſorem, ſeu teſtem, & hæc inuenitur in iuramento promiſſorio homini. Sed vrgent, quia ſequitur, non poſſe hominem relaxare obligationem iuramenti, quæ eſt ad Deum, ſed ſolum ſuum debitum. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia iuramenti obligatio includit voluntatem eius, in cuius vtilitatem ſit promiſsio tanquam neceſſariam conditionem, vt in ſequentibus videbimus. 5.

Dico quarto, quamuis iuramentum promiſſorium augeat extenſiue obligationem ſimplicis promiſsionis, addendo illi nouam obligationem, & dici poſsit augere intenſiue, quatenus obligatio, quam iuramentum addit, eſt altior, quam eſſet ex vi promiſsionis humanæ, nihilominus obligatio, quæ reſpectu hominis ex tali actione naſcitur, eiuſdem ſpeciei eſt cum obligatione, quæ ex tali promiſsione naſceretur non affecta iuramento, quãuis in in- 6.

Digitized by Google

in indiuiduo cenſenda ſit grauior in ſua ſpecie propter talem circumſtantiam. Probo ſingula, & prima quidem pars de augmẽto extenſiuo nota eſt ex his, quæ diximus de voto iurato, nam ſi in illo eſt duplex obligatio, licet vtraque reſpiciat Deum: multo magis erit in promiſsione iurata facta homini, cum ad diuerſas perſonas terminentur obligationes, & ſub eiſdem diuerſis rationibus creditoris hominis, vel teſtificantis Dei. Item promiſsio illa per ſe habet ſuam obligationem, quæ non pertinet ad Religionem, & illa non deſtruitur per ſuperueniens iuramentum, quod addit obligationem Religionis: ergo augetur illa obligatio per additionem alterius diſtinctæ ſpeciei, & hoc eſt augeri extenſiue.

6. Addimus vero poſſe hoc augmentum vocari etiam intenſiuum, quia comparando obligationem promiſsionis cum obligatione, quam addit iuramentum, hæc maior eſt, in quo differt votum iuratum à promiſsione humana iurata, & ratio eſt, quia promiſsio voti continetur ſub eadem virtute cum obligatione iuramenti, & intra illam reſpicit Deum magis directe, & altiori modo, quam iuramentum promiſſorium. Promiſsio autem humana pertinet ad inferiorem virtutem, ſcilicet, vel ad iuſtitiam, vel ad fidelitatem, & ideo inferioris ordinis eſt. Quod intelligitur ex genere ſuo, & ita eſt res clara. Addimus præterea in vltima parte aſſertionis, veriſimile eſſe illam obligationem promiſsionis humanæ, ex concomitantia iuramenti, vltra dictum augmentum extenſiuum, augeri etiam in ſe accidentaliter, & quaſi intenſiue intra propriã ſpeciem. Sicut dicere poſſumus furtum factum in Eccleſia, non ſolum eſſe maius per additionem malitiæ ſacrilegij, ſed etiam in ſua ſpecie eſſe grauioris malitiæ, quia talis circumſtantia poteſt ad hoc operari ex generali ratione prauæ circumſtantiæ, vel quia auget contemptum, & voluntatem: ita ergo obligatio, vt eſt à promiſsione, eſt maior, quia vel maiori conſideratione, & voluntate fieri videtur, vel certe, quia per ſolam coniunctionem cum iuramento moraliter in ſe creſcit, ſicut genus coniunctum cum differentia ſpecifica excellentiori, etiam in propriis perfici ſolet. Hoc autem augmentũ nullum habet moralem effectum, (vel in ordine ad ſolutionem, aut reſtitutionem, vel in ordine ad confeſsionem) qui ex tali augmento naſcatur, & ideo non multum refert ad humanum iudicium, in Diuino autem ſuam pœnam habebit.

7. Hac ergo ratione dicimus in tertia parte aſſertionis, promiſsionis humanæ obligationem non ita augeri per ſuperadditum iuramentum, vt in ſe augeatur intenſiue eſſentialiter, ſeu quod idem eſt, vt ab vna ſpecie ad aliam meliorem trãsferatur. Probatur primo ratione generali, quia in actibus moralibus circumſtantia addens nouam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ moralis priori actui non mutat priorem ſpeciem, ſed addit nouam, vt votum de eleemoſyna facienda addit actui debitum Religionis, ſed non immutat, neque auget in alia ſpecie debitum miſericordiæ: vel bonitatem eius, & è conuerſo frangere tale votum, præter malitiam Religionis non habet ſpecialem malitiam contra miſericordiam, ſi omiſſa eleemoſyna non erat alias debita ex præcepto miſericordiæ: vel ſi erat malitia contra illud debitum, manebit in eadẽ ſpecie coniuncta cum altera: idemque inuenitur in omnibus ſimilibus. Ita ergo eſt in præſenti, nam eſt eadem ratio. Vnde hoc etiam fundari poteſt in ſecunda aſſertione poſita. Nam ſi iuramentũ non cadit in propriam promiſsionem, ſed in ſimplicem aſſertionem, non inducit obligationem promiſsionis, ſed ſolius iuramenti, quia non mutat aſſertionem in promiſsionem. Si vero iuramentum cadit in ſimplicem promiſsionem fidelitatis ex intẽtione promittentis, non transfert illam in promiſsionem iuſtitiæ, quia non eſt vnde iuramentum habeat hanc vim: ergo ſimili ratione non auget iuramentum ſpecifice, vel immutat ſpeciem obligationis ad hominem, quæ ineſt promiſsioni, quam confirmat.

Probatur ratione generali.

Ratio vero omnium eſt, vel quia tunc iuramentum comparatur ad promiſsionem, quam confirmat, tamquam forma ad materiam, quæ non corrumpit illam, nec ſubſtantialiter tranſmutat: vel tamquam accidẽs ad ſubiectum, quod perficit. Vel quia, circumſtantia addens ſpeciem accidentalem, ideo non mutat ſpeciem ſubſtantialem actus, quia non deſtruit obiectum eius, ſed illi addit habitudinem ad nouum finem, vel aliquid ſimile. iuramentum autem ſe habet ad actum, cui adiungitur, & ad intrinſecam obligationem eius, ſicut circumſtantia accidentalis nouam addens ſpeciem, quæ non deſtruit obiectum proprium actus ſubtracti: vel denique quia obligatio promiſsionis pendet ex intentione promittentis determinantis ſpeciem obligationis, quia poteſt etiam determinare materiam, & modum promiſsionis, obligatio autem iuramenti non pendet ex intentione iurantis, niſi quatenus illi eſt libera intentio iurandi, poſita autem intentione iurandi: naturaliter ſequitur obligatio, quæ ſemper eſt vna, & eiuſdem rationis. Vnde ſicut non eſt in arbitrio iurantis variare illam obligationẽ, quam iuramentum natura ſua inducit: ita non poteſt iuramentum mutare, vel variare propriam obligationem promiſsionis, vltra intentionem iurantis. Et hæc omnia ſunt conſentanea illi principio, quod iuramentum ſequitur naturam actus, cui adiungitur, de quo infra dicendum eſt. 8.

Neque contra hanc doctrinam inuenio rationem probabilem dubitãdi in his, quæ ad conſcientiam, vel ad ius Diuinum, ſeu naturale pertinere poſſunt: Neque etiam inuenio auctorem contrarium ſentientem in terminis: imo principia, in quibus hæc doctrina fundatur, ab omnibus recipiuntur, vt in ſuperioribus capitibus tactum eſt, & magis in ſequentibus videbimus. Iterum vero inculcantur in hac vltima parte duæ difficultates ſuprà tactæ. Nam ex illa ſequitur, non poſſe iuramentum facere, vt valida ſit promiſsio, quæ aliàs ſine iuramento eſſet inualida, quia aliàs adderet obligationem in alia ſpecie, cum tamen non omnes admittãt illud conſequens. Item ſequitur, promiſsionem iuratam non magis dare actionẽ, quam non iuratam, quia non magis dat ius iuſtitiæ, ſed ſolius Religionis: conſequens autem non videtur communiter receptum. Sed hæ duæ difficultates pendent maxime ex iure poſitiuo, & ita ſupponunt aliqua principia in ſequentibus tractanda, grauemq; continent materiam, & ideo melius, & diſtinctius inferius tractabuntur, quantum ad nos pertinent, nam hæc dubia, præſertim poſterius Iuris peritorum propria ſunt. 9.

Capvt V.

Vtrum ſolum iuramentum promiſſorium factum per verum Deum inducat obligationem?

Diximus de ſubſtantia, & natura obligationis, quæ ex hoc iuramento naſcitur, nunc explicare neceſſe eſt, quæ conditiones neceſſariæ ſint, vt talis obligatio contrahatur. Tria vero in iuramento concurrunt, ex quibus poſſunt hæ conditiones requiri, aut poſtulari, ſcilicet is, per quem iuratur, & is, qui iurat, & materia circa quam iurat, ad quam reduco modos omnes iurandi, qui ex parte illius conſiderari poſſunt, vt iurare abſolute, vel ſub con- 1.

Conditiones requiſitæ ad obligationẽ iuramenti promiſſorij.

Digitized by Google

conditione, propter bonum, vel malum finem, rem turpem vel honeſtam, & ſimilia. Poſſet quarto addi is, cui iuratur, ſeu in cuius vtilitatem iuratur: veruntamen hæc circumſtantia non ſemper neceſſaria eſt ex vi iuramenti, quia poteſt cadere in abſolutam aſſertionem de actu futuro, vt ſupra explicatum eſt, & quando concurrit, quod frequentius accidit, non ſpectat ad iuramentum, niſi ratione materiæ, quæ eſt promiſsio tali perſonæ facta, vel aſſertio in eius vtilitatem, aut honorem redundans, & ideo merito poteſt ſub materia huius iuramenti comprehendi, & ita cum illa explicabitur, præcipue vero illam declarabimus tractando de modis, quibus hæc obligatio auferri poteſt: ibi enim neceſſario dicendũ eſt, quomodo, & quantum pendeat hæc obligatio ab eo, cum ſit promiſsio. In hoc ergo capite dicam de requiſitis ad hunc effectum ex parte eius per quem iuratur: quia & eſt tota radix huius obligationis, & breuiter expediri poteſt.

Iuramentũ promiſſoriũ explicite factum, per verũ Deum obligandi vim habere.

Aduertendum.

2. Primo ergo certum eſt, illud iuramentum promiſſorium maxime habere vim obligãdi, quod per verum Deum explicite præſtatur. Probatur ex dictis in cap. 1. huius libri, vbi probauimus hoc iuramentum inducere obligationem, & omnia, quæ adduximus, ſumuntur ex Diuina auctoritate, & reuerentia illi debita: ergo maxime locum habent, quando verus Deus explicite nominatur. Solum poteſt aduerti (quia in ſuperiori libro cap. 7. varias formas poſuimus aſſumendi explicite nomen Dei ad iurandum) in his, quæ claræ ſunt, & indubitatæ nullam oriri quæſtionem: poſſe autem moueri de his, quæ ambiguæ ſunt, vt promitto coram Deo, in præſentia Dei, & ſimilibus, ſed in hoc dicendum eſt, aut dubium moueri in conſcientia, vel in exteriori foro. In priori foro ſtandum eſt intentioni iurantis, nam ab illa pendet obligatio, vt mox dicemus. Aut ergo ille eſt certus non habuiſſe intentionem iurandi, & tunc etiã dici poteſt eſſe certus non teneri, aut è contrario certus eſt habuiſſe illam intentionem iurandi, & conſequenter erit certus de obligatione in conſcientia, etiam ſi ab illo, cui promiſit, conuinci non poſsit. Aut eſt dubius de ſua intentione, & ſuccedit quæſtio de iuramento dubio, quam infra tractabimus. In exteriori autem foro ex communi vſu verborũ iudicium ſumitur, conſiderarique debent circumſtantiæ, & cæteris paribus pro iuramento præſumitur, de quo infra nonnihil dicemus.

Iuramentũ promiſſoriũ implicite factum per verum Deum, obligare.

Matth. 5.

Innoc. 3.

3. Secundo certum eſt, iuramentum factum per verum Deum implicite nominatum in aliqua creatura inducere obligationem Religionis, & eiuſdem rationis cum iuramento explicito Dei. Aſſertio eſt certa, quia illud eſt verum iuramentum per Deum, eiuſdem ſpeciei cum iuramento explicito: ergo inducit eamdem obligationem, maiorẽ fortaſſe, vel minorẽm in indiuiduo, eiuſdem tamen ſpeciei. Et hoc etiam conuincit locus Matth. 5. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Nõ peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua:* nam vt interpretes ibi, & Theologi docent, ex illo præcepto inferebant Iudæi, non eſſe peccatum iurare per creaturas, etiam peierando: & hunc errorem præcipuè ibi Chriſtus reprobat. Et ita poſſet verificari, quod cum Hieron. dicit Innocent. III. in cap. *Et ſi Chriſtus*, prohibuiſſe Chriſtum ibi iurare per creaturas, vtique ad libitum, & ſine debita reuerentia, ac veritate: non quia hoc non ſit multo magis prohibitum in Iuramentis per Deum factis, ſed quia in hoc non errabant Iudæi, ſed ſolum in iuramentis per creaturas, & ideo ſubiungit ibidem Innocent. *Et quamuis non ſit per creaturam iurandum* (vtique frequenter, vel ſine cauſa) *ſi tamen iuretur per creaturam, ſeruandum eſt quidem, dummodo ſit licitum, quod iuratur, quia teſte veritate, qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum:* quibus verbis noſtram aſſertionem defendit, eamque, & rationem ex verbis Chriſti Domini colligit. Nam iurare falſum per creaturas, periurium eſt ex Chriſti ſententia, & ratione: ergo, & non implere promiſſum ſic iuratum periurium eſt: ergo tale iuramentum obligat ad ſui obſeruationem.

Dubium.

Auguſt.

Cicero.

His ergo certis exiſtentibus dubium ſupereſt, an promiſsio facta ſub iuramento per falſos deos obligationem aliquam relinquat? Et ratio dubitandi eſt, quia diximus ſupra lib. 1. cap. 5. iuramentum per falſos deos non eſſe iuramentum, ſed quod non eſt, non poteſt obligationem inducere, ergo. In contrarium tamen eſt, Aug. epiſt. 154. ad Publicol. & refertur in cap. *Mouet*, 22. q. 1. vbi ſentit, eum, qui per falſos deos iurat ſe fidem ſeruaturum, & illam non ſeruat, bis peccare, quia, & fidem, & iuramentum frangit, ergo ſupponit illud iuramentum obligare. Et confirmatur, quia iurans mendacium aſſertoriũ per falſos Deos, periurus eſt, ergo & frangens ſimile iuramentum promiſſorium periurus eſt, ergo obligatur iuramento. Confirmatur ſecundo ex illo Cicer. lib. 3. de Officiis: *Nullum vinculum ad ſtringendam fidem iureiurãdo maiores eſſe voluerunt:* & tamen ille, & Gentiles omnes loquebantur de Iureiurando per ſuos deos, qui falſi erant. 4.

Bonau.

Anton.

Innocent.

Panorm.

Alex.

Selua.

Abbas.

Propter hæc poſteriora argumenta videtur certum, iuramentum hoc per falſos deos, factum cum intentione iurandi, vt ſupponitur, inducere obligationem. Quod ſupponunt Theologi in 3. d. 39. vbi late Bonauent. artic. 1. q. 3. Anton. 2. p. tit. 10. c. 4. in princip. Innoc. Panormit. & alij in cap. *Et ſi Chriſtus*, de Iureiurand. Alexand. in lege 3. §. *Iurari*, ff. de Iureiur. Selua de Iuramento q. 1. in fine. Sylueſt. cum Raymund. verb. *Iuramentum*, 4. q. 4. Sed in modo explicandi non eſt tanta conſenſio. Canoniſtæ ſignificant, ideo idololatriæ iuramentum obligare, quia illud eſt verum iuramentum, nam ad hoc ſufficit: quod vere procedat ex intentione iurandi, quamuis ex errore illa intentio applicetur ad falſum Deum. Vnde addunt Innoc. ſupra, & Abb. n. 13. etiam Chriſtianum iurantem per falſos deos teneri ad implendum iuramentum. Sed hæc ſententia falſa eſt, vt cõuincit ratio in principio facta, cum aliis ſupra adductis lib. 1. c. 5. Nam vbi non interponitur veritas infallibilis, non poteſt eſſe verum iuramentum, & ex dicendis amplius conſtabit. Vnde cum D. Thomas 2. 2. q. 98. art. 1. ad 1. vocat illud *peruerſum iuramentum*, non exiſtimat eſſe verum iuramentũ, ſed tantum putatum. Alij ergo dicunt, iuramentum illud obligare ratione fœderis, & pacti, ac fidei humanæ, eſto nõ obliget ratione iuramenti: tenet Turrecrem. in d. cap. *Mouet*, art. 1. & ſentit Anton. ſupra. Sed non ſatisfaciunt Auguſtino, qui dicit, bis peccare, ſcilicet, frangendo fidem, & periurando. Dicent fortaſſe, Auguſtinum non dicere, bis peccare peierando, & frangendo fidem, ſed iurando per falſos deos, & poſtea non ſeruando fidem. Sed contra, quia ſi hoc verum eſſet, fruſtra poſtularetur iuramentum ab idololatra, & ita peccaret, qui illud poſtularet, quia ſine fructu offerret alteri occaſionem peccandi. Hoc autem eſt contra Auguſt. ibidem, & contra conſuetudinem omnium fidelium, qui pacta faciunt cum Gentilibus, & eorum iuramentis licite vtuntur, vt etiam ex ſacra Scriptura Geneſ. 26. & 31. Auguſt. ibi colligit. 5.

Auguſt.

Soto.

Solutio ſuperioris dubii.

Couarr.

Melius ergo Soto d. lib. 8. de iuſtitia, q. 2. art. 2. reſpondet, iuramentum per falſos deos, re ipſa, & vi ſua non obligare, ex conſcientia autem erronea iurantis obligare iurantem, & in re idem tenet Couarr. ſupra p. 1. §. 10. n. 10. verb. *Ego ſane*, & ſufficienter probatur prima ratione in principio facta, quia iuramentum illud non eſt iuramentum re vera, ſed natura ſua eſt nullum, & inualidum, ergo nullum per ſe poteſt vinculum inducere. Item illud iuramentum 6.

mentum non pertinet ad veri Dei honorem, ergo eius violatio non eſt contra honorem veri Dei, ergo non habet vnde poſſit per ſe obligare. Item obligatio iuramenti eſt ex virtute Religionis, ille autem actus nihil habet à vera Religione, ergo nec obligationem habet. Poſterior pars ſufficienter probatur omnibus rationibus factis, & vſu talium iuramentorum, non enim fruſtra fiunt. Et omnes leges Ciuiles, & dicta Philoſophorum Gentilium oſtendunt iure Gentium, quantumuis infidelium, receptum ſemper fuiſſe, vt hæc iuramenta obligationem intelligerentur inducere longe maiorem, quam ſola fides humana poſſit imponere. Cum ergo oſtenſum ſit tale iuramentum per ſe non obligare, neceſſe eſt, vt ſaltem ex conſcientia erronea obliget. Ratio vero à priori eſt, quia conſcientia erronea habet vim obligandi ſub ea ratione, ſub qua concipitur, vt eſt notum principium in Theologia, de quo 1.2.q.19. In hoc autem iuramento interuenit conſcientia erronea, qua illud putatur verum, ſeu validum iuramentum pertinens ad honorem Dei putati veri, & ad honeſtatem Religionis putatam veram: ex his ergo principiis ſequitur, vt talis conſcientia dictet tale iuramentum obligare, & conſequenter, quod obliget ex conſcientia erronea. *Ratio à priori.*

7\. Vnde ſequitur primo, ſi infideles conuertantur ad fidem, & intelligant falſitatem ſuorum deorum, conſequenter non obligari iuramento huiuſmodi. Probatur, quia conſcientia erronea depulſa, ceſſat obligatio ex illa ſola proueniens, ſed adueniẽte luce fidei depellitur illa conſcientia erronea, quia deſtructum eſt fundamentum eius, & eo ipſo conſtat homini illud non fuiſſe ſolidum iuramentum, neque ex vera Religione profectum, ergo ceſſat etiam obligatio talis iuramenti. Sed quæres, an pacta, & fœdera, quæ tali iuramento firmabantur, firma, & inconcuſſa maneant? *Quæſitum.* Reſpondeo, ſi erant de rebus licitis, & quæ ſine præiudicio fidei, & Religionis Chriſtianæ ſeruari poſſunt, manere firma quoad obligationem iuſtitiæ, vel fidelitatis humanæ, quę in eis abſque iuramento ineſſe poterat, quia illa obligatio non erat ex conſcientia erronea, ſed ex vera lege naturali. amiſiſſe tamen ſingularem illam firmitatem, quam ex Religione iuramenti participabant, quia illa tota conſiſtebat in obligatione iurantis, quæ ſublata fuit. Poteſtque hoc non male confirmari verbis I. C. in l. *Non erit*, in fine, ff. de Iureiur. *Leg. Non erit.* *Sed ſi quis illicitum iuſiurandum detulerit, ſcilicet improbatæ publicæ Religionis, videamus, an pro eo habeatur, ac ſi iuratum non eſſet? Quod magis exiſtimo dicendum*, ſimilia habet Photius in Nono Canone, tit. 13. c. 19. *Photius.* *Quod per reprobatam* (inquit) *Religionem conceptum eſt iuſiurandum, non ſeruatur.*

8\. Dices: Eſto illi errauerint iurando per falſos Deos, tamen eo ipſo quod habuerant intentionem iurandi per verum Deum, licet de facto errauerint applicando ſuam exiſtimationẽ ad talem Deum in ſe non verum, ſed ab ipſis putatũ, videtur ad honorem veri Dei pertinere, vt poſt veram cognitionem eius ſeruetur promiſſio data ſub nomine eius, ſaltem ex formali intentione. *Obiectio.* Ergo aliqua maior firmitas relinquitur in illo cõtractu ex vi prioris promiſſionis, quæ quidem poteſt intelligi manere non iam ex conſcientia erronea: ſed ex noua conſciẽtia vera, quatenus id cenſetur pertinere ad honorem veri Dei. *Solutio.* Reſpondetur negando aſſumptum, quia licet ratio motiua ad iurandum per talem Deum fuerit Diuinitas in illo exiſtimata, tamen de facto non verus Deus, ſed ille falſus adductus eſt in teſtem, ergo detecto errore, non poteſt pertinere ad honorem veri Dei, vt iuramentum illud non violetur. Vt ſi aliquis regio habitu indutus, & cum effectu Rex exiſtimatus aliquid dicat, ad honorem Regis poterit pertinere, vt falſẽ propter illam exiſtimationem ei credatur: detecto autem errore nullo modo id pertinet ad veri Regis honorem, imo potius contrarium ſpectabit, ſcilicet vt nulla ratio illius habeatur: ſic ergo eſt in præſenti, quantum eſt ex parte talis iuramenti.

Secundo ſequitur ex dicta reſolutione, iuramentum per falſos deos datum à fideli, non obligare illum in vi iuramenti. 9. *Iuramentũ factum per falſos deos à fideli non obligare illum.* Hoc eſt contra Innocent. & Abb. ſuprà. Probatur autẽ à fortiori ex dictis, quia iuramentum per deum falſum ab infideli factum non obligat illum iam conuerſum ad fidem: ergo multo minus obligabit fidelem ſic iurantem. Item tale iuramentum non obligat niſi ex conſciẽtia erronea, ſed in homine fideli nõ ſupponitur hæc conſcientia: ſupponimus enim non amittere fidẽ, ſed ſolum, vt morem gerat alteri infideli, vel vt ſe infidelem fingat, vel alia ſimili cauſa ſic iurare: ergo ex vi talis modi iurandi, non habet conſcientiam vnde poſſit obligari. Quod ſi fortaſſe alio modo erret, exiſtimando illud iuramentum etiamſi per falſos deos ſit factum, habere vim obligandi, tunc obligari poterit ex conſcientia erronea, tamen illa eſt valde extrinſeca, & accidentaria, quia non habet fundamentum in falſa exiſtimatione de Deo, ſicut habet in infideli. Vnde argumentor tertio quia ille Chriſtianus ſic iurans, bene nouit, ſe non adducere in teſtem verum Deum, ſed falſum: ergo non habet intentionem iurandi per verum Deum, ſed tantum per falſum deum: ergo ex vi talis iuramenti non obligatur. Quod ſi forte errabat etiam illud iuramentum ſic factum eſſe obligatorium, detecto errore ceſſabit obligatio, vt in puncto ſequenti iterum dicemus.

Sed obiiciunt dicti Auctores d. cap. *Et ſi Chriſtus*, quatenus in eo dicitur, nõ eſſe iurandum per creaturas, ſi tamen iuretur, iuramentũ eſſe implendum, vbi Gloſſa notat, multa fieri prohiberi, quæ facta tenent. 10. *Obiectio aliquorum.* Reſpondetur ibi loqui Innocentium de iuramento facto per creaturas, vt relatas ad verum Creatorem, vt patet ex ratione, quam ſubdit: *Quia teſte veritate, qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum.* *Solutio.* Vnde cum dicit, eſſe prohibitum iurare per creaturas, ipſemet exponit, non id prohiberi, quia per ſe malum ſit, ſed ex cauſa ad vitandum mali periculum. At iuramentum per falſos deos prohibitum eſt, quia per ſe malum, non ergo de illo loquitur. Intelligit autem iuramentum per creaturas eſſe prohibitũ, quoad frequentiam, vel alio ſano modo, iuxta ſupra tractata. Sed vrgent, quia iuramentum per deos falſos eſt iuramentum per creaturas, & ideo eſt conſequenter per creatorem, qui honoratur in creatura. *Inſtantia.* Reſpondetur, eo ipſo, quod iuramentum eſt per creaturam putatã eſſe Deum abſtrahi & ſeparari ab omni vera relatione ad verum Deum, & ideo tale iuramẽtum nullo modo pertinere ad honorem veri Dei, quia non ipſe inducitur in teſtem in eo ſalſo Deo, vt creatura eius, ſed potius eius Diuinitas falſo tribuitur creaturæ, vt totus honor iuramenti referatur in ipſam, & ideo tale iuramentum non poteſt obligare fidelem cognoſcentem defectum illius, quod magis ex ſequenti dubio patebit.

CAPVT VI.

An iuramentum factum per creaturam ſine habitudine ad Deum verum, vel falſum obliget?

SVpponimus hunc modum iurandi, eſſe poſſibilẽ, quod ex dictis in primo libro manifeſtum eſt, & in ſequentibus declarabitur. Diſtinguo ergo creaturas in intellectuales, & irrationales, ſeu ſenſibiles, & priores ſubdiuido in damnatas, & beatas, omittoque viatores homines, quia inter illos non

non poteſt eſſe hic orandi modus. Poteſt quidem vnus homo adhibere alios homines in teſtimonium pacti, vel promiſsiouis, quam facit: tamen non obligatur illis propriè loquendo, quia non inducit illos, niſi vt teſtes præſentis pollicitationis, aſſertionis, & facti, vnde ſi illud poſtea non impleat, nō facit illis iniuriam. Quod ſi illos induceret, vt fideiuſſores adimpletionis verbi dati, illud nō implendo, peculiarem illis faceret iniuriam, & in hoc ſeruatur ibi quædam proportio ad iuramentum promiſſorium, ſed deficit à ratione iuramenti multis modis. Primo, quia non pertinet obligatio illa inter homines ad Religionem, ſed ad iuſtitiam, vel ad ſummum ad obſeruantiam humanam. Deinde, quia non inducitur homo per modum inuocationis, & reuerentiæ, ſed per modum contractus, vt fideiuſſor, neque alius modus eſt moraliter in vſu inter homines hic viuentes. At vero Sancti mortui, & Angeli poſſunt inuocari ſine vlla obligatione ex parte illorum, ſed ſolum per modum cultus, & reuerentiæ ex parte iurantis. Poſſunt etiam inuocari non per ſolum reſpectum ad creatorem, ſed ſecundum perfectionem propriam, & creatam intellectualem, quam in ſe habent: & eadem ratione poſſunt facto, licet non iure, ſed ſuperſtitioſe inuocari dæmones, non vt dij, nec ex falſa exiſtimatione Diuinitatis illorum, ſed vt quædam creaturæ intellectuales ſunt, quæ poſſunt noſtra cognoſcere, & curare. Et quia homines etiam fideles interdum illos colunt, non Diuino cultu, ſed ſociabili, in quo licet grauiſsimè peccent, non tamen eo ipſo fidem amittunt, vt ſupra de ſuperſtitione dictum eſt.

2.
1. Aſſertio. Qui promittit iurando per dæmonem, vt creaturā quādā intellectualē eſt, vt illā honoret, non manet obligatus.

Iam ergo dico primo, ſi quis promittat iurando per dæmonem, non ſub ratione falſi Dei, ſed ſub ratione cuiuſdam perſonæ intellectualis, quam honorare vult, eique fidem adhiberi, nullam obligationem ex tali iuramento contrahit. Hæc aſſertio certiſsima eſt de fide, quæ de ſtatu eius credere tenemur, nulla fide dignus eſt, nam mendax eſt, & pater mendacij, ergo teſtimonium eius nullum robur dare poteſt humanæ aſſertioni, vel promiſsioni: ergo nec poteſt vllam obligationem inducere. Secundo, omnis cultus dæmonis ſacrilegus eſt, ergo iuramentum per dæmonem non poteſt obligare ſub ratione cultus ipſiuſmet dæmonis: ergo nullo modo. Tertio, omnis ſocietas cum dæmone nobis eſt interdicta, & à fortiori, omnis eius inuocatio, vnde tale iuramentum per dæmonem ſuperſtitioſum eſt, & ſacrilegum: ergo etiam obſeruare illud ſub tali titulo pernicioſum eſt, nedum obligatorium. *Obiectio.* Dices, poſſet quis iurare per dæmonem cum intentione iurandi ſimpliciter, ergo ſaltem ratione illius intentionis obligabitur tali iuramento. *Solutio.* Reſpondetur, ſi quis putaret, illud eſſe verum iuramentum, & obligare ſub vera ratione culpæ, maneret quidem ligatus ex conſcientia erronea, ſicut diximus de iurante per idola, abſolute vero, & in re nulla eſt vis ligandi in tali iuramento. Et in caſu, de quo loquimur, in homine fideli non poteſt cogitari conſcientia erronea, quia neceſſe eſt, ſic iurantem cognoſcere Dæmonem non eſſe Deum, ſed creaturam quandam perfectam in naturalibus, ſed damnatam, & obſtinatam in malo.

3.
2. Aſſertio. Iuramentū per ſanctos Angelos, vel homines nō obligare, ex virtute Religionis, ſed ex virtute Duliæ.

Dico ſecundo, iuramentum per ſanctos Angelos, aut homines cum Chriſto regnātes, ſi ex intentione iurantis in eorum authoritate ſiſtat, id eſt, in teſtimonio creato, quod ab ipſis dari poſſet, non obligat quidem ex rigoroſa virtute Religionis, obligat tamen ſimpliciter ſub mortali ex virtute Duliæ. Probatur prima pars, quia illud iuramentum non continet cultum latriæ, ergo non pertinet ad Religionem: ergo nec obligatio eius. Secunda autem pars contraria ratione oſtenditur, quia illud iuramentum pertinet ad cultum Duliæ: vnde ſicut frangere fidem datam ſub nomine Dei, eſt graue ſacrilegium contra Religionem, ita frangere fidem in nomine, & ſub authoritate alicuius Sancti, eſt grauis irreuerentia contra honorē Duliæ debitam Sancto: ergo tale iuramentum inducit obligationem proportionatam. *Cōfirmatio.* Poteſt hoc confirmari à ſimili de promiſsione facta Sancto præciſe propter ſanctitatem eius, nam obligat ex Dulia, licet non obliget ex rigoroſa Religione, de quo infra in materia de Voto. Item confirmari hoc poteſt ex dictis ſupra de oratione ad Sanctos, quando ab eis petitur, non vt petant, ſed vt faciant in his quæ facere poſſunt. Denique ex ſupra dictis de modo iurandi per creaturas rationales hæc obligatio ſatis colligitur. Verum eſt tamen, hanc conſiderationem eſſe valde Metaphyſicam, & indigere magna præciſione in intentione iurantis, nam moraliter non ita fit: ſed in Sancto præcipue conſideratur Deus, & ita licet fortaſſe addatur ſpecialis cultus Duliæ ad Sanctum, non excluditur cultus latriæ ad Deum. Et ita erit in tali iuramento duplex obligatio ex vi ſacræ inuocationis, diuerſa ſpecie, vna duliæ, & altera latriæ: in quo multum differt iuramentum per Sanctos, vel per alias res ſacras inanimatas: & ita in hac aſſertione nulla eſt difficultas.

4.
Iuramentū promiſſoriū factum abſolute per creaturam non obligat.

Dico tertio: Iuramentum promiſſorium per creaturam abſolute ſpectatam, vt per lapidem, per barbam, & ſimiles, quando conſtat fieri per illas abſolute, vt tales ſunt, ſine reſpectu ad Deum, qui in illis eſt: nullam obligationem ſpecialem inducit, neque in re ipſa, neq; ex conſcientia erronea, ſi abſit animus tribuendi creaturæ Diuinitatem. Hæc aſſertio ſumitur ex Bonau. in 3. d. 39. art. 2. q. 2. in fine. Turrecrem. infra referendus, & ex Nauarro cap. 12. num. 5. & ex dictis libr. 1. de Natura iuramenti, & præſertim cap. 7. quia illud non eſt, nec putatur iuramentum: ergo non inducit obligationem. Item fractio illius quaſi iuramenti non eſt contra Diuinum honorem, ergo ſignum eſt non induxiſſe obligationem iuramenti. Conſequentia eſt euidens. Antecedens patet, quia ille, qui ſic iurat, non adducit Deum in teſtem, cum non inuocet illum, nec in ſe, nec in creatura, vt in caſu ſupponitur. *Bonau. Turrec. Nauar.*

Tractatur ſententia Auguſtini, in cap. Ecce 22. quæſt. 5.

5.
Locus Aug. à Gratiano mendoſe relatus.

Hanc vero aſſertionem per ſe ſatis claram fecit difficilem, & inter authores controuerſam ſententia quædam Auguſtini, quam mendoſe refert Gratian. in cap. *Ecce* 22. quæſt. 5. ex Sermon. 30. de Verbis Apoſtoli. Sed nunc habetur emendata in Sermon. 28. capit. 12. in hunc modum: *Ecce dico charitati veſtræ, & qui per lapidem falſum iurat, periurus eſt. Vnde hoc dico? Quia multi in hoc falluntur, & putant, quia nihil eſt per quod iurant, non ſe crimine teneri periurij. Prorſus periurus es, quia per id, quod ſanctum putas, falſum iuras. Sed ego illum ſanctum non puto, Sanctum putat, cui iuras non enim quando iuras, tibi iuras, ſed proximo iuras. Homini iuras ante lapidem, ſed numquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, ſed punit te Deus fallentem.* Hæc Auguſtinus. ex quibus verbis videtur plane colligi iuxta mentem eius, iurare per lapidem ſine vlla relatione ad Deum ſufficere ad obligationem iuramenti, quandoquidem dicit ſufficere ad periurium.

6.
Couar.

Circa hunc ergo locum Auguſtini in primis dubitari ſolet, quid intelligat per illa verba, *iurare per lapidem*. Couarruuias ſupra §. 1. num. 8. cenſet Auguſtinū loqui de iuramento Gentilico, quo ſolebant Gentes iurare per Iouē lapidē, vt late ibi probat ex ſcriptoribus prophanis: & multa de illo ritu conge-

congerit Tiraquel. cum Alexand. ab Alexan. libr. 5. Geniali. c. 10. Eandemque expoſitionem ſequitur Soto. d. li. 8. quæſt. 2. à 3. qui addit eum, qui iurabat, per lapidem Iouem, non fuiſſe ſolitum iurare, per rem ſanctam, ſed per eum, quem putabat eſſe ſanctum, ſcilicet per Iouem. Sed licet hoc in re verum ſit, non videtur ad mentem Auguſtini, nam ille expreſſe dicit, lapidem reputari ſanctum vel à iurante, vel ab eo, cui iuratur. Quocirca hi Authores nullo indicio oſtendunt, Auguſtinum loqui de illo ritu iurandi, nec videtur veriſimile, quia nõ conſonat ritus, quẽ ipſi referunt cum verbis Auguſtini; nam omnia illa iuramenta Gentilium, quæ ibi commemorant, erant execratoria, vnde non aſſumebant lapidem vt Deum, vel vt rem, per quam iurarent, ſed ſolum ad exprimendam execrationem. Lapidem enim manu habebant, & illo percutiebant ſuem, aut agnum, vel illum proiiciebãt in terram, ita ſibi imprecantes, *Si ſciens fallo, me Iupiter, ſalua vrbe, arceque bonis eiiciat, vbi ego lapidem hunc eiicio*: non vtebantur lapide, vt re ſancta, ſed ſolum, vt accommodato inſtrumento ad ſignificandam execrationem. At vero Auguſt. loquitur de lapide, per quem iuratur tanquam per rem ſanctam, ita exiſtimatam vel à iurante, vel ab eo, cui iuratur, non ergo loquitur de illo ritu. Item non videtur Auguſtin. loqui de iuramento execratorio (ad quod non oportet cogitare creaturam, per quam fit, eſſe ſanctam) ſed de ſimplici iuramento, quod per talis rei atteſtationem fit. Nam ſi de execratione loqueretur, non probaret ex ſanctitate lapidis vera, exiſtimata, iurantem falſum eſſe periurum, ſed ex eo, quod ſibi malum imprecatur, iurando falſum. Quod ex eodem Auguſt. in capite antecedenti colligi poteſt, vt iam dicam.

7. *Expoſitio apparens in litum Auguſtini.* Apparentius dici poſſet, Auguſtinum ibi per lapidem intelligere idolum aliquod, quodcumque illud ſit. Poteſtque veriſimile fieri ex contextu, incipiendo ab vltimis verbis capitis præcedentis, ſic enim habent: *Tantum malum habet iuratio, vt qui lapidem colunt, timeant falſum iurare per lapidem, tu non times Deum præſentem*; & infra, *Claudit ille templum ſuper lapidem, & it ad domum ſuam. Ipſe ſuper Deum ſuũ clauſit, & tamen quando illi dicitur, Iura per Iouem præſentis oculos timet.* Ibi ergo per lapidem euidenter intellexit Auguſtinus Idolum, ſeu falſum Deum, qui in templo claudebatur, & à ſic iurantibus colebatur, & tamen immediate ſubdit, *Et ecce dico charitati veſtræ, & qui per lapidem falſum iurat, periurus eſt*: loquitur ergo de eodem lapide, id eſt, de idolo. Ex hoc autem ſenſu duæ ſententiæ ibi colliguntur de mente Auguſtini. Prior eſt, qui falſum iurat per talem lapidem, exiſtimans eſſe ſanctum, quia ſcilicet credit eſſe Deum, periurum eſſe. Quæ pars non habet difficultatem, id enim dicit, nõ quia putet eſſe iuramentum, vel in re ipſa obligare, ſed quia ex conſcientia erronea obligat iurantem, vt ſupra dictum eſt.

8. Alia ſententia Auguſtini eſt, etiam illum, qui credens lapidem illum non eſſe Deum, neque aliquid ſanctum, iurat tamen ei, qui putat lapidem eſſe quid ſanctum, peccare falſum iurando. Et hęc pars eſt obſcura, quia ille cum tali exiſtimatione iurans per lapidem neque in re ipſa iuramentum præſtabat, cum non iurare per Deum nec expreſſe, nec tacite: neque etiam iurabat ex conſcientia erronea, quia bene ſciebat lapidem nihil eſſe; ergo non erat periurus, vt Auguſtin. dicit. Vnde potius deberet reprehendi, quod cum rectam fidem haberet, externus, & ficte per Idolum iuraret. Et hinc fit ſuſpecta prior interpretatio de lapide pro idolo, quia Auguſt. loquebatur ad fideles ſibi ſubditos, ad quos concionem habebat, vt patet ex principio ſermonis, & ex illis verbis vltimi capitis; *Ecce dico charitati veſtræ*; ergo veriſimile non eſt, illos fuiſſe ſolitos iurare per Iouem, vel idolum, nam ſi ita iurarent, non eſt credibile, non fuiſſe ab Auguſtino commemorandum, & reprehendendum ex illo capite, quod in toto illo ſermone non facit.

Sed ad hoc reſponderi poteſt, quia eo tempore fideles erant permixti infidelibus, fieri potuiſſe, vt in pactis fidelium cum infidelibus iurarẽt coram idolo, & tunc fideles pro nihilo ducerent falſum iurare, quia putabant illud non eſſe periurium, quia lapis idoli, coram quo iurabant, nihil erat, nec ab ipſis ſanctus exiſtimabatur, & ita illi non erant idololatrę, quia non iurabant per illum, ſed coram illo. Vt indicant illa verba Auguſt. *Homini iurans ante lapidem*, quod ſi hoc admittitur, facile expedietur prior difficultas, primo negando Auguſtinum dicere fidelem ſic ficte iurando falſum, eſſe periurum. Dixerat enim prius: *Tantum malum habet iuratio, vt qui lapidem colunt, timeant falſum iurare per lapidem.* De idololatra ergo iurante ſubdit poſtea, *Qui per lapidẽ falſum iurat, periurus eſt.* Et quod de illo loquatur, patet, quia pro ratione ſubdit: *Quia per id quod ſanctum putas falſum iuras.* Ad tale ergo periurium requirit hãc erroneam conſcientiam, vnde poſtea poſita excuſatione fidelis. *Ego illum ſanctum non puto*: Auguſtinus in ſua replica non illum reprehendit, vt periurum, ſed vt decipientem proximum: *Homini* (inquiens) *iuras ante lapidem, non te audit lapis loquentem, ſed punit te Deus, vt fallentem.* Non dixit *periurantem*, vnde veriſimile eſt, fideles ſic iurantes infidelibus, ſcientes iuramenta fidelium inania eſſe, & ſecundum ſe nullius roboris, ficte tantum iuraſſe, & ideo non timuiſſe falſum iurare, & hoc in eis reprehendiſſe Auguſtinum. Quod ſi forte illi ex animo iurabant per verum Deum, putabant autem non obligari, quia coram idolo iurabãt, & quia infideli promittebant: valde errabant: ſed hoc non connumerant Auguſt. Prior ergo ſenſus probabilis mihi videtur, iuxta quẽ ſententia Auguſtini nihil facit contra concluſionem noſtram. 9.

At vero Canoniſtę locum intelligunt de communi lapide ſine cogitatione idoli, vel Dei falſi, ſed vt eſt creatura quædam, neque ſanctitatem, neq; vllam excellentiam habens. Fitque hoc veriſimile ex coniectura facta, quod Aug. ad fideles loquebatur, neq; obſtabit contextus literæ a nobis expenſus. Quia in præcedentibus capitibus reprehenderat conſuetudinem iurandi, & perſuaſerat ſolicitudinem tollendi illam, propoſito Dei timore, & hanc partem concluſit adducto exemplo Gentilium timentium, & reuerentium ſua idola. Poſtea vero in vltimo capite, aliam excuſationem fidelium excludit, vel quia iurabant per lapidem, & nihil ſe agere putabant, vel quia prauum alium vſum & deceptionem ignoranter introducebant. Hoc ergo fundamento poſito, Gloſſa ibi ad exponẽdam mentem Auguſtini fingit caſum, vel vſum quendam. Nam ſuppoſita conſuetudine fidelium iurandi ſuper Euangelia, vel aram conſecratam, fieri poterat, vt alter communem lapidẽ coopertum offerret alteri ad iurandum ſuper eũ, vt ſic alter vere iuraret cogitans ſe iurare per rem ſanctã, ipſe vero ſciẽs eſſe cõmunem lapidem poſſet iurare falſum ſine timore periurij. Et in hoc caſu ait, dicere Auguſt. vtrumq; eſſe periurũ, ſi falſum iuret, alterum propter exiſtimationem, alterum propter deceptionem. Sed in primis caſus ille fingitur ſine fundamento in Auguſtino, in quo nihil de cooperto lapide legitur. Deinde nõ explicatur, quomodo peccet ille, qui iurat per lapidem, quẽ non exiſtimat eſſe ſanctũ, propterea quod alter, cui iurat, id exiſtimet. 10. *Expoſitio Canoniſtarum circa Auguſtinum.*

Alij ergo locum intelligunt de vulgari lapide, & non loqui Auguſtinum de certo aliquo lapide ad iurandum deſtinato, ſed gratia exempli ponere lapidem tanquam rem vilem, quæ videtur de ſe inepta, vt per eam iuretur: propter quod vulgus putat non eſſe periurium per illam iurare. Ipſe autem affirmat contrariũ, ſed duos diſtinguit caſus. Vnus eſt, quando is, qui iurat *ſanctum putat*, id, per quod iurat, nihi- 11.

lominus

lominus falſum iurat. Et ita eſt facilis hęc pars, in qua exponenda laborant Canoniſtæ, quia negatiue legitur apud Gratianum, *ſanctum non putat*, quo modo non poterat habere congruum ſenſum. In originali vero affirmatiue legitur, *ſanctum putat*. Putare autē dicit ſanctum eſſe lapidem, non per errorem putando eſſe Deum, ſed vel exiſtimando eſſe cōſecratum, ſeu Deo dicatum, quidquid enim huiuſmodi eſt, ſanctum in Scriptura appellatur, & in ca. *Nulli liceat*, 12.q.2. vel conſiderando lapidem vt creaturam Dei, & vt veſtigium eius, & ſcabellum pedū eius Matth. 5. ſic enim omnis creatura Dei bona eſt. 1. ad Timoth. 4. vnde & ſancta dici poteſt. Et ita conſtat illud eſſe verum iuramentum, & de re falſa periurium, & conſequenter inducere veram obligationem, non ex conſcientia erronea, ſed ex re ipſa: quia illud eſt verū iuramentū, vt ſuperiori lib. viſum eſt.

Cap Nulli liceat. Matth. 5.

11. Alter caſus eſt, quando is, qui iurat, non cogitat in lapide aliquam ſanctitatem, quia ſcilicet nec vt ſacram neque vt Dei creaturam, veſtigium, aut ſcabellum, illum apprehendit, & ſic per illum iurat, & de hoc etiam ſupponunt Interpretes Auguſtinum dicere eſſe periurum eum, qui ſic falſum iurat, ideoque in eo explicando laborant. Nam Turr. ibi cum Bonauent. in 3. d. 39. art. 2. q. 2. indicat, vocari illum periurum, quia exhibet lapidi honorem Diuinum iurando per illum, & conſequenter etiam periurare ex conſcientia erronea, ſed hoc repugnat hypotheſi, quia ille nō cogitans aliquid ſanctum in lapide, non poteſt velle illi attribuere Diuinum honorem. Item Auguſtinus non de hoc vitio illum reprehēdit. Aliter idem Turr. in fine textus ait, illum eſſe periurum, quia alius, cui exhibet iuramentum putat lapidem eſſe ſanctum, id eſt, ſub aliqua habitudine aſſumi ad verum iuramentum pręſtandum, & *iuramentum* (inquit) *interpretandum eſt ſecundum intentionem illius, qui rectus eſt, & dolum non prætendit*. Sed licet hoc habeat locum in præſumptione externi fori, vel quoad aliquam aliam obligationem iuſtitiæ, non vero quoad vim iuramenti, nec quoad veram tranſgreſſionem eius, vt poſtea videbimus.

Turrecr. Bonauent.

12. Alij dicunt, illum vere iurare, quia habet intentionem iurandi, per quam virtute refert creaturam, ſeu lapidem ad creatorem, licet cogitatione, & exiſtimatione non referat, & ideo vere etiam eſſe periurum. Sed hoc etiam gratis ſupponitur, quia contrarium colligitur ex textu, illi enim, quos redarguit Auguſt. putabant ſe non iurare per lapidem, quem ſanctum non exiſtimabant, ideo enim putabant ſe non peierare, etiamſi falſum dicerent, quomodo igitur iurandi intentionem habebant? Repugnat enim hæc intentio cum illa exiſtimatione, vnde ad habendām illam potius oportuiſſet, vt crederent illud eſſe iuramētum, etiāſi per lapidem ſic conceptū fieret, & tunc conſequenter neceſſario, putarent, iurare illo modo falſum, eſſe periurium: cum periuriū non ſit, niſi iuramentum cadens ſupra mendacium. Præterea, in eo etiā caſu illud non eſſet iuramentū in re ipſa, ſed tantum putatum, vt ſupra lib. 1. cap. 7. tetigi, & conſequenter nec obligaret in re, ſed ex conſcientia erronea, & tantū illa durāte, & ſimili modo eſſet periuriū in fractione eius. Deniq; Auguſtinus nō redarguit iſtos, quia intentionem iurandi habebant, ſed quia proximum fallebant. Videtur ergo probabile, illos non reprehēdi vt reos veri periurij, ſed vt reos iniuſtæ deceptionis, vel ad ſummū vocari reos periurij quoad ſpeciem, & ſcandalum, quia doloſo iuramento vtebantur, q alij accipiebant, vt verū iuramentum, quia putabāt fieri per lapidē vt ſanctum in dicto ſenſu, id eſt, cū relatione ad Deū. Et ita illius iuramenti tranſgreſſio apparebat aliis periurium, & ratione ſcandali contrahere poterat illam malitiam: re tamen vera illud ſic factum non eſt iuramētum, nec obligationem Religionis in re ipſa inducit. Et ita non obſtat textus ille aſſertioni noſtræ.

Vera expoſitio.

CAPVT VII.

Vtrum ad obligationem iuramenti promiſſorij requiratur deliberatus conſenſus, & intentio iurandi, ac ſe obligandi.

Diximus de cōditione requiſita ex parte eius per quem iuratur, dicendum iam eſt de conditione neceſſaria ex parte iurantis, quæ maxime eſt libera voluntas eius, quia ſine illa iuramentum fieri nō poteſt, multo ergo minus poterit obligare. Vt autem hæc conditio diſtinctius declaretur, oportet diſtinguere duo, quæ in hac actione concurrunt, ſcilicet promiſſio, & iuramentū, ex quibus (vt ſupra notatū) duę obligationes diuerſarum rationum conſurgūnt ordinarie, ac per ſe loquendo, ſcilicet obligatio promiſſionis, & iuramenti. Dico autē ordinarie loquendo, quia interdum prior impediri poteſt, vel ſeparari à poſteriori, vt ſupra tactum eſt, & in ſequentibus etiam dicetur. Ad vtramque autem obligationem requiritur voluntas, vt conſtat, quia vtraque actio tam promittendi, quam iurandi humana eſt, & ita vtraque etiam obligatio eſt moralis. In præſenti ergo nō agimus per ſe de deliberatione, vel intētione requiſita ad promittendum, vel ad ſe obligādum illa obligatione, quæ ex promiſſione reſultat. Hæc enim materia per ſe ſpectat ad materiam de Iuſtitia, vel de Veritate, & Fidelitate, & non eſt per ſe connexa cum iuramento, vt ex dictis conſtat. Habet tamen magnā affinitatem cum materia de Voto, propter conuenientiām, quam habent in ratione promiſſionis, & ideo nunc ſupponimus ad hanc promiſſionem, & obligationem eius neceſſariam eſſe liberam voluntatem cum ſufficienti aduertentia, & iudicio rationis, qualis ad actum deliberatam, vel (vt dici ſolet) ad peccandum mortaliter ſufficere poſsit. Quomodo autem hoc intelligendum ſit, in materia de Voto declarabitur. 1.

Duæ obligationes quæ ordinarie in iuramento ſunt.

His ergo ſuppoſitis circa iuramentum promiſſorium, dicendum eſt primo, vt obligationem inducat neceſſarium eſſe vt ab intentione iurādi procedat. Hoc certum eſt apud omnes, D. Thom. d. q. 89. art. 7. ad 4. & ibi Caietan. & Soto. & Couar. ſupra §. 5. n. 2. & Panormit. in cap. *Veniens*, de Iureiur. num. 4. cum Gloſſa ibi, & in cap. *Hoc videtur*, §. *Quæritur*, 22. q. 5. Et Probatur, quia iuramentum ſine intentione factum non eſt iuramentum, vt lib. 1. princ. dictum eſt, ergo neque obligationem poteſt inducere, quia quod non eſt, non operatur. Item verba non habent vim obligandi, niſi ratione conſenſus, vt conſtat in matrimonio, & in omnibus contractibus, & in profeſſione, ac votis. Et ratio eſt, quia interior voluntas eſt quaſi anima verborum, nec verba habent efficaciam, niſi vt ſunt ſigna mentis. Eſt autem hæc aſſertio intelligenda de obligatione per ſe, & ex vi iuramenti: nam ex rationibus extrinſecis poterit oriri obligatio ex iuramēto exteriori, etiamſi animus defuerit. Primo, ratione iuſtitiæ, ſi ob eā cauſam alter, cui fit iuramentum, graue aliquod nocumētum paſſus ſit, vt ſi virgo conceſſit in petitionē eius, qui doloſe promiſit, & iurauit, ſe ducturum illam. Sed in hoc, & ſimilibus caſibus obligatio non naſcitur per ſe ex iuramēto, vt tale eſt, ſed ex iniqua deceptione, quæ eſt iniuſta cauſa illius nocumenti: & iuramentū ibi concurrit vt agens deceptionem ex parte iurantis, & reddens illam magis probabilē, & excuſabilem ex parte alterius, qui damnum eſt paſſus, Vide Syluest. *Iuramentum*, 4. q. 19. & alios Doctores citatos. Secundo poteſt obligatio oriri ratione ſcandali vitādi, quæ ad charitatē per ſe ſpectat, & poteſt pertinere ad Religionē quatenus publica illa ſpecies periurij in irreuerentiā Dei cedit, vel quia inducūtur alij ad ſimilia periuria, vel doloſa iuramenta faciēda. Quam graue autem peccatum ſit, ita iurare in dolo, dicam in libro ſequenti. 2.

Neceſſariam eſſe intentionem iurandi in iuramento promiſſorio vt obliget. D. Thom. Caiet. Soto. Couar. Panorm. Gloſ. Syluest.

Dico ſecūdo, vt iuramētum, promiſſoriū obliget, neceſſa- 3.

Vt iuramentum promiſſorium obliget intentio ſufficienter libera requiritur. *Richard.* *Syluest.* *Angel.* *Nauar.* *Abbas.* *Ioan. And.*

neceſſarium eſt, vt intentio iurandi ſit ſufficienter libera, ſeu deliberata, ea ſaltem deliberatione, & aduertentia, quæ ad peccandum mortaliter ſufficeret. Hæc etiam aſſertio communis eſt Theologis in 3. d. 39. vbi ſpecialiter videri poteſt Richard. art. 3. q. 2. Syluest. *Iuramentum*, 4. q. 9. Angel. *Iuramentum*, 5. num. 8. Nauar. cap. 12. n. 10. Abbas in cap. *Si vero*, & Ioann. Andreas in cap. *Sicut ex literis*, de Iureiur. Et probatur ex dictis li. 1. ca. 1. quia ibi diximus ad verũ, & proprium iuramentum neceſſarium eſſe, vt cũ ſufficienti deliberatione fiat: ergo idẽ a fortiori erit neceſſarium ad iuramentum promiſſorium, ac ſubinde ad obligationem eius. Item ad voti obligationem requiritur ſimilis deliberatio; ergo & ad obligationem iuramenti. Probatur conſequentia, quia etiam obligatio iuramenti eſt moralis, & voluntarie ſumitur. Denique hæc obligatio, quæ ex iuramento promiſſorio naſcitur, obligat ex genere ſuo ſub reatu culpæ mortalis; ergo requirit ſaltem eam deliberationem, quæ ad peccãdum mortaliter neceſſaria eſt. Antecedens ſupponitur ex dictis, & infra etiam li. 3. latius tractabitur. Conſequentia vero probatur, quia non minor libertas neceſſaria eſt, ad ſe obligandum ſub mortali, quam ad tranſgrediendam obligationẽ cum lapſu mortali. Dices, ſaltem ſequi cum proportione, ſi iuramentum promiſſorium factum eſt cum imperfecta deliberatione, quæ ad peccãdum venialiter ſufficeret, obligare etiam ſub veniali ad implẽdum promiſſum. Reſpõdetur negando conſequentiam, quia ex actu indeliberato non poteſt intrinſece oriri obligatio ad actum, qui poſtea pleno iudicio, & deliberatione præſtandus eſt, ſed eſt liberum homini ea, quę per ſurreptionem, & indeliberationẽ protulit, poſtea maturo conſilio retractare: neq; priuandus eſt homo hac libertate propter indeliberatum actum pręcedentem, priuaretur autem illa libertate, ſi ſub veniali culpa obligaretur ad implendum iuramentũ indeliberate emiſſum. Et hac ratione etiam votum indeliberate factum non obligat etiam ſub veniali, quia ſemper eſt integrum homini, deliberare circa ea, quæ indeliberate egit, & ea retractare: ſed de hoc puncto in tract. de Voto agendum eſt, & ideo hæc nunc ſufficiunt.

Obiectio. *Reſponſio.*

4. *Satis eſt vt iuramentum obliget deliberata intentio iurãdi, licet non adſit intentio promittẽdi nec implendi.* *Quadruplex eſſe poteſt intentio.*

Dico tertio, vt iuramentum obliget, ſatis eſt ex parte iurantis voluntaria, ac deliberata intentio iurandi, etiamſi non adſit intentio promittendi, ſe obligandi aut implendi, quod iuratur. Hæc aſſertio nõ eſt tam certa ſicut præcedentes, nam multi videntur ſentire oppoſitum. Vt ergo explicetur, & probetur, quatuor intentiones ex parte obiectorum poſſumus in hoc actu diſtinguere. Prima eſt intentio iurandi, de qua dictum eſt, & in qua omnes conueniũt ſine illa nihil fieri. Secunda eſt intentio promittendi. Tertia eſt intentio ſe obligandi. quamuis enim ab aliquibus hæ duæ cõfundantur neceſſariũ eſt in præſenti illas diſtinguere, vt conſtabit. Quarta eſt intentio implendi, q̃ iuratur: quæ clare eſt diſtincta à cæteris. Dicimus ergo in aſſertione ſi prima intentio in iuramento promiſſorio reperiatur, illam ſufficere ad obligationem, etiãſi omnes alię deſint. Ratio breuiter eſt, quia illa intentio ſufficit vt illud ſit verũ iuramẽtum; ſed iuramentũ ſemel factum, ipſum ex ſe, & natura ſua producit obligationem independẽter à voluntate iurãtis, ſuppoſita materia capaci, (quã nos nunc ſupponimus) ergo. Conſequentia euidens eſt. Maior etiã videtur per ſe nota ex dictis in ſuperiori lib. de natura iuramenti, & actibus ad illud concurrentibus, quia illa eſt voluntaria, & humana inuocatio Dei in teſtimoniũ veritatis, ſeu promiſſionis, ergo eſt verum iuramentum. Minor in ſuperioribus capitibus tacta eſt: melius autem hic confirmabitur, diſcurrendo per alia tria membra.

5. *Opinio aliquorum.*

De ſecunda ergo intentione, ſcilicet promittendi, dixerunt aliqui eſſe neceſſariam, vt iuramẽtum promiſſorium obliget, & ſine illa priorem intentionem non ſufficere. Quod videntur ſentire Theologi, & Summiſtę, quatenus indiſtincte dicunt, non obligari iuramento eum, qui iurat ſine intentione ſe obligandi, licet iuret cũ animo iurandi: nam indiſtincte loquuntur de intẽtione promiſſionis, vel obligationis.

Authoris ſententia.

Mihi tamen exploratum videtur intentionem promittendi nõ eſſe neceſſariam, vt iuramentum obliget. Probatur, quia ſupra oſtenſum eſt iuramentum obligare etiãſi non cadat in promiſſionẽ, ſed in ſimplicem aſſertionem faciendi aliquid, q̃ aliquis ſe facturum affirmat, licet non promittat: ergo licet fingat ſe promittere, & verba promiſſionis proferat ſine intentione promittendi, ſi tamen vere & ex animo iurat, ex vi iuramenti manet obligatus. Patet cõſequentia, quia fictio promiſſionis non tollit materiã, quam confirmare poſſit, nec ab ipſo iuramento tollit vim ad confirmandam illam, ergo non obſtante fictione promiſſionis manebit obligatio ex vi iuramenti. Prior pars antecedentis patet, quia cum ficta promiſſione ſtat vera aſſertio de facto futuro, aſſerit enim aliquis, ſe aliquid facturum, q̃ promittere non vult, vnde licet vtatur verbis promiſſoriis ſine intẽtione promittẽdi, nihilominus affirmat ſe facturum. nam hæc affirmatio intrinſece includitur in verbis promiſſoriis, vt ſupra declaratum eſt. At affirmatio eſt ſufficiens materia iuramenti promiſſorij, vt per illud cõfirmari poſſit, vt ſupra oſtenſum eſt; ergo illa fictio non tollit materiã ſufficientẽ iuramẽti promiſſorij.

Quod autem nec effectum talis iuramenti impedire poſſit, (quæ erat altera pars antecedentis) patet, quia neq; hoc eſt in poteſtate voluntatis humanæ, vt ſtatim dicam. neq; cadit ſub illam intentionem, quia illa tantum eſt de non promittendo, non vero de nõ iurando vt ſupponitur, nec de impediendo effectu iuramenti, quia eſt longe diuerſus ab effectu promiſſionis, vt etiam eſt oſtenſum, & intentio non operatur vltra obiectum ſuum. Ergo iuramẽtum illud cadens ſaltem in ſimplicem aſſertionem confirmat illam: & conſequenter inducit obligationem veram illam efficiendi, hoc enim eſt confirmare illã. Confirmatur, ac declaratur in caſu de iuramẽto ſoluendi vſuras, ſi quis cogatur hoc ſub iuramẽto promittere, nam licet quis ficte promittat ſe ſoluturum, ſi tamen id affirmat, & iurat, tenetur. Probatur, quia iuxta veriorem ſentẽtiam illa promiſſio de ſe eſt nulla, vt infra oſtendam, & nihilominus iuramentum obligat; ergo ſiue fiat cum intentione promittendi, ſiue non, æque obligabit. Probatur conſequentia, quia ibi intentio promittendi eſt impertinens, quandoquidem nõ poteſt facere obligationem validam. Vnde concluditur aliter argumentum, quia ſi intentio promittendi eſſet neceſſaria, vt iuramentũ obligaret, maxime eſſet, vt promiſſio eſſet valida, vt in eã cadat iuramentum; ſed hoc non eſt neceſſarium, vt in dicto exemplo conſtat, ergo neq; eſt neceſſaria talis intentio ad obligationem iuramenti. Neque in hoc video difficultatem alicuius momenti. Et hanc regulã videtur intendere Panormit. in cap. *Cum contingat*, de Iureiur. n. 18. 19. & 20. quem ſequitur Tab. verb. *Iurare*, n. 14. & alij, quos ſtatim commemorabo. 6.

Venio ad tertiam intentionem, ſcilicet ſe obligandi, de qua confuſe, & ſine diſtinctione tractant Authores, magnam tamẽ lucem afferret diſtinctio duplicis obligationis, quæ in promiſſione iurata inuenitur; vna fidelitatis, vel iuſtitiæ, altera Religionis ſeu iuramẽti, quæ adeo diſtinguuntur, vt ſeparabiles etiam ſint in re ipſa, vt ſupra oſtenſum eſt. Vnde a fortiori ſequitur, poſſe etiam intentione ſeparari. Poteſt enim quis habere intentionem non ſe obligandi per votum ad nõ ludendum, vel ad dandam eleemoſynam, & nihilominus abſolute, & ſimpliciter velle iurare non ludere, ſeu eleemoſynam facere; & ſimiliter poteſt nolle ſponſalia facere, nec ſe obligare alteri, & nihilominus iurare ſine dolo, & debita intentione tale matrimonium facere. Quando ergo cum 7.

iuramento ſolum coniungitur intentio non ſe obligandi alteri homini, cui iuratur, neq; conferendi illi aliquod ius, talis intẽtio obeſſe nõ poteſt, quominus iuramentum obliget ſua propria, & ſpecifica obligatione. Probatur ex proxime dictis, nam a fortiori ex illis ſequitur: qui enim non habet intentionem promittendi, vel contrahendi, a fortiori non habet intentionem ſe obligandi: ergo ſi intentio non promittendi non obſtat obligationi iuramenti, nec intentio non obligandi illo modo obſtabit. Siue enim vna illarum intentionum poſsit haberi ſine alia, ſiue non (de quo dicetur infra tractando de Voto) ſufficit, quod intentio non promittendi includit intentionem non ſe obligandi ex iuſtitia, vel fidelitate, vt inde aperte cõcludamus, hãc intentionẽ non ſe obligandi tali modo non obſtare obligationi iuramenti. Vnde à fortiori concluditur, intentionẽ ſe obligãdi homini nõ eſſe neceſſariã ad obligationẽ iuramẽti, quę proprie, & per ſe reſpicit Deũ, vt ſupra declaratũ eſt.

8. *Tribus modis poteſt ſe habere quis circa intentionẽ iurãdi Religioſe, & cũ obligatione.*

Quæſtio ergo ſupereſt de intentione ſe obligandi propria obligatione Religioſa, & iuramẽti, circa quã tribus modis ſe habere poteſt is, qui iurat. Primo vt illã expreſſe habeat, & tunc nulla ſupereſt ratio dubitãdi de obligatione. Secundo, vt neq; illam intentionem habeat formaliter, nec contrariam, neq; de hoc cogitet, ſed pure, ac ſimpliciter habeat intentionem iurandi. Et tunc etiam nõ eſt dubium, quin tale iuramentum obliget, nec oppoſitum poteſt cenſeri probabile etiam ſpeculatiue, nedum practice. Probatur, tum ratione facta, quia ille vere iurat, & iuramentũ de ſe habet hanc efficaciam, & tunc nullum ei ponitur impedimentũ: quia nulla operatur volũtas contraria, cur ergo non obligabit? Tum etiã quia ad obligationem contrahendam non eſt neceſſe cogitare diſtincte, & quaſi in actu ſignato de obligatione, ſed ſatis eſt velle vouere, velle cõtrahere, quia in his virtute includitur voluntas ſe obligandi, ſaltem dũ illi non reſiſtitur; ergo idẽ erit in iuramento. Tertio ergo modo poteſt contingere, vt aliquis iurare velit, & ſimul nolit ipſo iuramento obligari, quãuis enim raro hoc contingere poſsit, quia illę voluntates videntur valde contrariæ, ſimpliciter non repugnat; quia ſaltẽ interueniẽte ignorãtia, cogitare poteſt quis poſſe ſe vnũ ab alio ſeparare, & nolle manere ligatus, nec omnino fingere iuramẽtũ, quia putat minus hoc modo peccare. Nec denique illæ duæ intentiones ſunt formaliter cõtrarię, quia iuramentũ, & eius obligatio diſtinguuntur, ſicut cauſa, & effectus, & ideo poſſunt apprehendi vt ſeparabilia. Poſitis ergo illis duabus intentionibus; difficultas eſt, An iuramentũ obliget, & conſequenter vtrũ ad iuramenti obligationẽ requiratur non ſolũ intentio iurandi, ſed etiã ne intercedat fictio per volũtatem nõ ſe obligandi?

Couar. in p. 1. §. 5. n. 2. affirmat noſtrã ſententiam.

9. In hoc ergo puncto eſt multorum ſententia, eum, qui iurat cum intentione non ſe obligandi non obligari ex vi iuramenti. Ita ſentiunt multi Scholaſtici in 3. diſtin. 39. vbi Diuus Thomas quæſtione 1. articulo 3. quæſtiunc. 3. id ſignificat, ſed in ſenſu longe diuerſo, vt capite ſequenti dicam. Item Bonauent. ibi articulo 3. quæſtione 1. Scot. articulo 3. Gabr. quæſtione 1. articulo. 2. con. 3. Richard. articulo 2. quæſtione 2. & in 4. diſtin. 38. articulo 3. quæſtione 3. Syluest. *Iuramentum*, 4. quæſtione 7. vbi adducit Diuũ Thomam 2. 2. quæſtione 89. articulo 7. ad 4. quæſtione 98. articulo 3. ad 1. & 4. diſtin. 29. Sed de hoc puncto nihil apud Diuum Thomam reperitur. Idem repetit Sylueſter ibi quæſtione 19. Angel. *Iuramentum*, 5. num. 9. 10. & 32. qui referunt alios Canoniſtas. Idem ſentire videtur Medin. Cod. de Confeſsione, quæſtione de Diſpenſatione ſuper confeſſ. reuel. ad 2. Gutierrez de Iuramento p. 1. c. 57. n. 20. Et citatur etiam Nauar. c. 12. n. 28. ſed ibi agit de voto, de quo alia eſt ratio, vt infra dicam; poſſet tamen allegari in eodem c. n. 8. 13. & 14. ſed ibi in alio ſenſu loquitur, vt oſtendam. Citatur etiam pro hac ſententia Gloſ. in c. *Literaturam*, de Voto, quę licet prius de voto loquatur, poſtea generaliter dicit, *Nemo ſe obligat, niſi qui animum habet ſe obligandi.* Idem tenent expreſſe Felin. & Abb. in c. *Si vero*, eod. n. 9. cum Ioan. And. in c. *Verum*, eod. & in c. *Ad audictiam*, Quod metus cauſa. Solet ad confirmandam hanc ſententiam adduci ſententia Greg. in c. *Humanæ aures*, 22. q. 5. dicentis, obligationem verborum attendi ab ipſo Deo ſecundũ intentionẽ iurantis. Sed nõ loquitur de intentione ſe obligãdi, ſed de intentione ſignificãdi per verba, & ita nõ pertinet ad cauſam præſentẽ, ſed ad tractandã in capite ſequẽti, vbi textus ille explicabitur.

D. Thom. *Bonauent.* *Scot.* *Gabriel.* *Richard.* *Syluest.* *Angel.* *Medin.* *Gutierr.* *Nauar.* *Gloſ.* *Felin.* *Abbas.* *Ioan. And.*

Fundamentum huius ſententiæ præcipuum eſt, quia per proprios actus homo non obligatur niſi ſua voluntate: ergo ſi voluntas reſiſtit, & non vult ſe obligare, impoſsibile eſt oriri obligationem. Secundo, qui non vult ſe obligare iuramento, virtute non vult iurare ſerio, & vere, ſed tantum ficte, & apparenter, quia illa duo contradictionem inuoluũt: & ideo nõ poteſt vtramq; ſerio, & abſolute velle. Quod ſi dicas interueniente ignorantia cõnexionis poſſe aliquem vtrumq; velle, eo ipſo magis concludit ratio; nam conſenſus per deceptionem datus non obligat; vt ſi quis vellet matrimonium contrahere animo non ſe obligandi ad reddendum debitum, vel ſi vellet vouere, aut profiteri Religionem animo non ſe obligandi ad obediendum, &c. nihil ageret, quia re vera non vult matrimonium, vel profeſsionem prout in re debet fieri, ſed prout falſo cogitatur; ergo ſimiliter, &c. Tertio, ſi quis intẽderet iurare hoc modo, *Volo iurare dummodo non obliger*, vel per hoc non obligaretur, quia eſt conſenſus cõditionatus contra ſubſtantiam contractus, vel cuius conditio non poteſt ſubſiſtere ſtante actu, ſicut patet in exemplis de matrimonio, vel Religione poſitis. Sed qui habet voluntatem iurandi ſimul cum volũtate non ſe obligandi, virtute adhibet dictam conditionem primæ intentioni, vt conſtat; ergo non obligatur. 10.

Huius opinionis fundamentum.

Nihilominus dicendum eſt, etiam in eo caſu oriri obligationem ex iuramento promiſſorio cum vera intentione iuranti facto. Hæc videtur mihi ſententia D. Thom. dicta quæſt. 89. artic. 7. ad 3. & magis ad 4. Nam in priori abſolute dicit, iuramentum coactũ obligare, nulla diſtinctione adhibita, an iurans habeat intentionem ſe obligandi, necne; cum tamen in illo puncto eſſet valde neceſſaria, ſi aliquid poſſet operari: intentionem autem iurandi ſupponit, quia de illo loquitur, qui vere iurat. In ſolutione autem ad 4. addit, obligari iurantem aliquãdo ſecundum intentionem alterius, cui iurat, quod eſſe non poſſet, ſi iurans non poſſet obligari, niſi ex intentione ſe obligandi, de quo latius capite ſequenti. Clarius docet hanc ſententiam Caiet. eodem arti. 7. & Soto quæſt. 1. art. 7. vterque circa eandem ſolutionem ad 4. Couarr. ſupra part. 1. §. 5. n. 2. Gutierrez lib. 2. Canonic. quæſt. capit. 22. nu. 31. & multi alij Moderni. Sumitur etiam ex Sylueſtro *Iuramentum*, 3. quæſt. 2. & Angelo *Iuramentum*, 4. quatenus in hoc conſtituunt differentiam inter iuramentum, & votum, inclinat etiam Tabien. dicens eſſe ſecurius, verb. *Iurare*, n. 11. 11.

Reſolutio quæ eſt mens D. Thom. *Caietan.* *Soto.* *Couar.* *Gutierr.* *Syluest.* *Angel.* *Tabien.*

Probatur autem primo, quia licet in voluntate hominis ſit iurare, vel non iurare, non eſt tamen in poteſtate hominis ex iuramento præſtito non obligari; ergo qui vult iurare, quantumuis nolit obligari, neceſſario obligatur. Conſequentia eſt euidens, quia qui poteſt adhibere cauſam, & non poteſt effectum eius impedire, ſi vult applicare cauſam, & cum effectu applicat, neceſſario vult effectum, etiamſi maxime nolit, vt qui vult applicare ignem domui, volũtarie quidem ponit cauſam, ſed effectus neceſſario ſequitur independenter à volũtate eius: ita ergo erit in pręſẽti, ſtãte veritate antecedẽtis. Antecedẽs ergo explicatur, & probatur ex doctrina ſupra trad. ta de duplici obligatione iurate promiſsionis, ad hominẽ, & ad Deũ. Inter quas hęc poteſt notari differentia, 12.

Probatur opinio vera.

tia, quod obligatio promiſsionis eſt per ſe, & directe intenta, imo eſt quaſi primum obiectum voluntatis promittẽdi, vt in tractatu de Voto latius dicetur, obligatio autem iuramenti non eſt directe intenta, quia per iuramentum nihil homo offert Deo, ſed potius obligat ipſum Deum (vt ſic dicam) vt ſuæ aſſertionis, vel promiſsionis ſit teſtis, aut quaſi fideiuſſor: & inde (non iam ex voluntate ſua, ſed ex naturali lege) obligatur homo ad verum faciendum teſtimonium Dei: Declaratur optime humano exemplo, nam ſiquis vocauit hominem, vt eſſet fideiuſſor ſuæ promiſsionis, eo ipſo obligatur fideiuſſori, nec per voluntatem contrariam poteſt talis obligatio impediri: ita ergo eſt cum proportione in præſenti.

13. Vnde argumentor ſecundo, quia ſi homo ex animo, & cum vera intentione iurandi, iurat ſe aliquid facturum, eo ipſo adducit Deum in teſtem non ſolum præſentis veritatis, ſed etiam aſſertionis de futuro; ergo eo ipſo, & ex neceſsitate obligatur ad faciendam veram illam aſſertionem de futuro, quantum in ipſo fuerit; ergo non poteſt excuſari ab hoc debito per quamcumque voluntatem non ſe obligandi. Probatur conſequentia, quia talis voluntas eſt contra naturalem legem iuramenti, & contra Diuinum honorem, & contra ſui teſtimonij authoritatem; ergo non poteſt talis voluntas non ſe obligandi habere effectum, quia non poteſt eſſe efficacior ad non obligandum, quam naturalis lex, vel quam diuina Religio ad obligandum. Vnde vt talis voluntas impediret obligationem, deberet impedire, ne fieret iuramentum, nec Deus cum effectu in teſtem adduceretur: at in caſu (vt ſupponitur) non hoc facit voluntas, ſed vult componere iuramentum validum cum non obligatione, quod impoſsibile eſt.

14. *Declaratur amplius aſſumptum.* Tertio declaratur amplius, nam ſiquis velit iurare aſſertionem de præſenti, vel præterito, & non obligari ad dicendum verum, non poteſt, ſed peierabit, ſi falſum iuret, quantumuis nolit ratione iuramenti obligari ad dicendum verum; ergo ſimiliter qui iurat aſſertionem de futuro, non poteſt non obligari ad illam veram faciendam, etiamſi maxime velit. Vnde confirmatur quarto, & declaratur amplius, quia alias ſequitur non eſſe peccatum mortale, quempiam iurare, ſe aliquid facturum animo non faciendi: conſequens eſt falſum; vt Authores vtriuſque ſententiæ fatentur, quia illud eſt periurium aſſertorium, ergo. Probatur ſequela, quia ſi ego poſſum iurare, & non me obligare pro voluntate mea, nõ erit peccatum ſaltem mortale id facere, aut velle, quia in hoc nemini ſit iniuria; ergo nec erit peccatum habere propoſitum non faciendi quod iuratur. Nam ſiquis ſciat ſe non futurum poſtea obligatum, ſcit etiam ſe non peccaturum poſtea id non faciendo; ergo nec antea peccabit habendo propoſitum non faciendi. Dices peccare mortaliter illum, qui iurando aliquid faciendum, vult non ſe obligare; quia facit in hoc iniuriam Deo. Sed contra, quia vel hoc non ſtat cum contraria poſitione, vel inde melius concludimus intentum. Nam ſi eſt iniuria Dei velle non obligari iurando, ergo iuramentum ex ſe, ac ſua vi, & natura obligat; ergo non poteſt voluntas humana obligationem impedire. Item voluntas impediendi obligationem Deo debitam non poteſt eſſe valida, & efficax, ergo non poteſt talis volũtas impedire obligationem iuramenti.

15. *Aduertendum.* Priuſquam reſpondeam ad fundamenta contraria, aduerto ne quis moueatur numero Auctorum, illos indifferenter loqui de iuramento ita doloſo, vt fictum etiam ſit, vnde ſub intentione non ſe obligandi, includunt etiam intentionem non iurandi: nunquam tamen ſatis diſtinguũt illas duas intentiones, nec dicunt, ſtante vera intentione iurandi, poſſe impediri obligationem per voluntatem iurantis nolentis ſe obligare. Moderni autem qui illas clarius diſtinguunt fere omnes noſtram ſententiam ſequuntur, & ſiqui diſſentiunt, ſtatim recedunt ab hypotheſi, dicentes intentionem non ſe obligandi deſtruere intentionem iurandi, & fictam illam reddere; quia iam non manet niſi intentio proferendi exterius verba iuramenti, non vero ſolide ac vere iurandi. Sed immerito retrocedunt ab hypotheſi quæſtionis, & negant illam; tum quia vt ſuper oſtendi, iuramentum eſt ſimpliciter prius obligatione, & non includit illam in ſua intrinſeca ratione, ſed omnino habet illam vt effectum reſultantem: vnde nec voluntas iurandi includit in obiecto ſuo obligationem, ſed ſolum inuocationem Diuini teſtimonij, quæ omnino prior, & diſtincta eſt ab obligatione. Tum etiam quia non ſolum Mataphyſice, ſed etiam moraliter hæc ſunt ſeparabilia, vt patebit reſpondendo ad argumenta, ex quorum ſolutionibus hæc ſententia euidentior fiet.

Ad fundamentum ergo contrariæ ſententiæ negatur antecedens, nam aliqui ſunt actus humani, per quos obligatur homo etiam nolens formaliter obligari, ſi velit exercere actum, ex quo naturaliter ſequitur obligatio, vt ex iniuria naſcitur obligatio ſatisfaciendi, & ex damno voluntarie, & iniuſte illato naſcitur obligatio reſtituendi, etiamſi maxime habuerit homo in principio voluntatem non ſe obligandi. Et ex peccato naſcitur obligatio pœnitendi: & ex actu inducendi alium, vt pro me fide iubeat, naſcitur obligatio ſpeciali reſpectu fideiuſſori, non ſolum ad ſatisfaciendum illi, ſi pro me ſoluat, ſed etiam ad præueniendum faciendo quod in me eſt, ad ſoluendum ſi poſſim, ne ille cogatur ſoluere: nec eſt in poteſtate mea facere, vt ex illa actione non maneam ſic obligatus, etiamſi velim. Et ratio omnium eſt, quia talis obligatio non pendet directe, & proxime à voluntate mea, ſed tantum remote, & in radice in alio actu, ad quem illa neceſſario ſequitur, neque poteſt impediri. 16. *Eis ſatis fundamentis oppoſitæ ſententiæ.*

17. Vnde poſſumus etiam diſtinguere illud antecedens, vt ſit verum in contractibus, quorum ſubſtantia conſiſtit in obligatione; & ideo neceſſe eſt includi in conſenſu ipſo, & voluntate contrahendi, vt dicemus infra tractando de Voto. Secus vero eſt in actibus, quorum ratio, & ſubſtantia non conſiſtit in obligatione, ſed ad illos ſequitur tanquam effectus reſultans; ſicut dicebamus de actione iniurioſa, dãnificatiua, & ſimilibus. Et in oratione ſuo modo inuenitur, nam licet voluntarie orem, ſequitur obligatio orãdi attente; neq; eſt in poteſtate mea euitare hanc obligationem, etiam ſi maxime cupiam, ſi cum affectu orare velim. Idem conſpicitur in iuramento aſſertorio, quia ſi iurare intendo, eo ipſo obligor iurare verum, nec poſſum ſeparare hanc obligationem ab illa intentione, licet cupiam. Talis vero eſt cum proportione obligatio implendi, quod facere iuraui, quia eſt obligatio pertinens ad intrinſecam honeſtatem actus, ad quam requiritur veritas dictorum: ſed quia hæc veritas pendet ex facto futuro, ideo obligatio illa ſemper durat: ideoque non magis poteſt ſeparari per humanam voluntatem, quam obligatio dicendi verum de præſenti ſeparari poſsit à iuramento aſſertorio.

18. *Soluitur ſecundum, & oſtenditur iurare, & obligari eſſe obiecta diſtincta in re.* Ad ſecundum negatur aſſumptum, quia illa duo obiecta iurare ſcilicet, & obligari, ſunt re ipſa diſtincta, & ideo nolitio poſterioris non deſtruit formaliter, & per ſe volitionem prioris. Quin potius ſi vnus ex illis actibus deſtruit efficaciam alterius, potius dicendum eſt, voluntatem iurandi deſtruere voluntatem non ſe obligandi, & facere vt non ſit abſoluta, & efficax voluntas, ſed inefficax deſiderium, & conditionata voluntas nõ ſe obligandi ſi eſſet poſsibile; vel ſi ſit propoſitum efficax, magis reſoluitur in propoſitum non implendi (de quo ſtatim) quam ſit propoſitum non ſe obligandi. Et ratio eſt, quia intentio iurandi eſt prior, & ſupponitur eſſe in eodem inſtanti,

ſtanti, vnde non poteſt euacuari à voluntate poſteriori, ſed potius impediet illam. Et re vera quando homo cognoſcit, & aduertit, eſſe connexionem neceſſariam inter cauſam illam, & hunc effectum, ſimulq́; conſiderat ſe nō poſſe voluntate ſua impedire emanationem talis effectus à tali cauſa, tūc impoſſibile eſt habere ſimul vtramq́; voluntatem abſolutā, & efficacem. Et abſolute loquendo in poteſtate voluntatis eſt alterutram illarum voluntatum habere efficacem, vel inefficacem: & ideo conſcientia eius conſulenda eſt, vt ſi certo ſciat abſolute voluiſſe iurare, ſibi perſuadeat, alteram voluntatem non ſe obligandi non fuiſſe voluntatem, ſed velleitatem, vel non fuiſſe de non ſe obligando, ſed de non implendo. Et in dubio ſemper ita credo eſſe præſumendū, tum in fauorem iuramenti, tum quia per ſe eſt veriſimilius, & naturali legi magis cōſentaneum. Quando autem homo eſſet certus, ſe habuiſſe voluntatem abſolutam non contrahendi obligationem iuramenti, & non ignoraſſe, neq́; conſideraſſe connexionem neceſſariam obligationis cum iuramento; tunc credere poteſt non habuiſſe intentionem iurandi vere, ſed tantum ficte, & externe, & conſequenter ab obligatione excuſari.

18. *Duo caſus dantur in quibus ſimul poſſunt eſſe efficaces voluntates iurandi & non ſe obligandi.*

In duobus autem caſibus poſſunt illę duæ voluntates abſolutæ, & efficaces ſimul eſſe: vnus eſt abſque interuentu ignorantię, vel erroris, quādo homo ſcit non poſſe obligari, etiamſi iuret. Vt ſi aliquis per vim cogatur iurare, ſe nō ingreſſurum Religionem, cum alias licite poſſet: bene poteſt velle iurare ex corde, & animo, inuocando Deum in teſtem, & nihilominus nolle obligari, quia ſcit in ea materia iuramentum non obligare. An vero poſſit ſic licite iurare, poſtea videbimus, nam ad præſens non refert: ſolum hoc adducimus, vt conſtet poſſe conſiſtere veram intentionem iurandi ſine intentione ſe obligandi, imo cum intentione non ſe obligandi, quādo iuramentū ipſum per ſe non obligat in tali materia. Alius caſus eſt, quando interuenit ignorantia, vel inconſideratio, aut error, quia exiſtimat homo poſſe ſe ſua voluntate ſeparare obligationem à vero iuramento: nam interueniente ignorantia poteſt haberi propoſitum abſolutū de re impoſſibili. Tunc autem dico, nihilominus iuramentum obligare. Et ad replicam, quę contra hoc fiebat in ſecundo argumēto, quia ignorātia excuſat obligationem, dico in primis id fore probabile, quādo ignorantia eſt inuincibilis, in præſenti autem non poſſe eſſe talem. Vt qui comburit ſegetem alienam putans ſe nō obligari inde ad reſtitutionem, non ideo nō obligatur, quia illa ignorantia turpiſſima eſt, nec debet admitti tāquam probabilis; idem ergo dico in præſenti. Deinde dico, illud principium habere verū in obligationibus, quæ immediate, & directe pendent à voluntate contrahentis, vel promittentis, non vero in obligationibus, quæ conſequuntur ex priori actione: nam tunc ſi actus, qui eſt cauſa obligationis, abſolute intenditur, ac fit, neceſſitate naturali ſequitur obligatio, ſiue homo illam ignoret, ſiue non, quia non ſequitur ex eo, quod ipſa eſt in ſe voluntaria, ſed præciſe ex vi cauſæ. Sicut eo ipſo, quod homo generat hominem, tenetur illum alere, etiamſi cum illum generauit, fingatur intendiſſe non habere inde talem obligationem. Vnde licet per poſſibile, vel impoſſibile illa cogitatio, vel ignorantia eſſet excuſabilis, nihilominus iuramentum, & lex naturalis per ſe obligaret, licet ratione ignorantiæ poſſet quis excuſari illa durante: illa vero ablata, ſine dubio lex naturalis de reuerentia Deo debita ſtatim obligaret ad faciēdum votum id, quod eius nomine iuratum eſt.

1 *Caſus.*

2 *Caſus.*

19 *Solutio ad 3.*

Ad tertium, nego illam voluntatem eſſe conditionatam, eſt enim abſoluta voluntas iurandi, nam ſi eſſet conditionata, ſuſpenderet conſenſum, & cōſequenter etiam effectum donec poneretur conditio; quia ſicut cōditionalis nihil ponit in ſe eſſe ante impletam conditionem. Ita voluntas conditionata nihil operatur, quamdiu conditio ſuſpenſa eſt: in præſenti autem caſu ſupponimus hominem cū effectu iurare, ergo abſolute, & independēter à futura conditione vult iurare. Vnde ſuppoſito, quod abſolute vult iurare, non eſt in poteſtate eius apponere conditionem ſuſpenſiuam obligationis iuramenti, cum non ſit ſuſpenſiua ipſius iuramenti. Neque eſt ſimile de aliis contractibus, vt dictum eſt.

20. *Opinio aliquorum.*

Supereſt dicendum de vltimo actu, ſeu intentione implendi, vel non implendi iuramentum; nō enim defuerunt qui dixerint, etiam intētionem non implendi, quod iuratur, ſimul conceptam quando iuratur, ſufficere, vt homo non maneat obligatus. Citatur pro hac ſententia Bonauentura 3. diſtin. 39. quæſtione ſecunda, quia dicit Eccleſiam non compellere ad implenda iuramenta coacta, quia præſumit non eſſe facta cum *voluntate implendi iuramentum, ſed euadendi periculum*; vbi videtur ſupponere hanc voluntatem ſufficere, vt iuramentum non obliget. Sed non oportet verba obiter dicta cum tanta proprietate, & rigore accipere, maxime in re tam clara. Sub voluntate ergo non implendi comprehendit voluntatem non ſe obligandi, imo & ficte iurandi, vt patet ex altero membro, quod addit, ſcilicet *Sed euadendi periculum*, quod poſſet quis conſequi ſolum ficte proferendo verba iuramenti ſine intentione iurandi. Quod declarauit in ſimili Syluest. *Iuramentum* 4. quæſtione 26. vbi etiam pro hac ſententia citatur, quia loquens de illo, qui iurauit ſe rediturum in carcerem, dicit non teneri, *ſi iurauit animo euadendi*. Sed immerito allegatur, ſtatim enim addit, *Secus ſi animo ſe obligandi*, & refert ſe ad dicta in §. 7. Igitur iurare animo euadendi apud illum eſt iurare ſine voluntate ſe obligandi, & fortaſſe ibi etiam includit voluntatem non iurandi. Sed aiunt, non poſſe aliquem habere voluntatem abſolutam ſe obligandi, niſi habeat, etiam implendi, quorſum enim vellet ſe obligare, & non facere? At hoc gratis dictum eſt, poteſt enim quis velle iurare ad euitandum malum, vel propter commodum temporale, & conſequenter velle obligari, quia ſcit non poſſe vitare obligationem, ſi iurat; & nihilominus nolle implere, quia ſibi non eſt vtile, vel iocundum. Imo aliquis timoratus poteſt velle iurare, & obligare, & ſperare licite non implere, obtenta iuſta diſpenſatione, quid ergo mirum quod homines, qui facile peccant, velint iurare, & non implere?

Bonauent.

Syluest.

21. *Intentionem non implendi rem iuratam nō poſſe impedire obligationem iuramenti.*

Dico ergo intentionem non implendi rem iuratam non poſſe impedire obligationem iuramenti. Hoc tanquam certum ſupponunt Doctores allegati in præcedenti puncto pro vtraque ſententia, & ideo oppoſita ſententia probabilis non eſt, nec admittenda. De qua re dicemus plura in materia de Voto, vbi oſtendemus etiam in voto non eſſe illam ſententiam probabilem; ergo multo minus in iuramento, cuius obligatio minus pendet à voluntate iurantis, vt in ſuperiori puncto explicatum eſt. Rationesq́; ibi factæ hoc conuincunt à fortiori, quia cum intentione non implendi ſtat verum iuramentum, ex quo naturaliter naſcitur obligatio. Item, ſi quis ſubdatur legi, eiuſque obligationem ſuſcipiat, etiamſi habeat animum non implendi legem, lege obligatur. Item, obligatio eſt prior executione, & re ipſa ſeparantur ſæpiſſime; ergo licet ſeparentur intentione, obligatio, quæ prior eſt, non impedietur propter intentionem non exequendi illam. Denique ex iuramentis metu extortis certum eſt oriri obligationem, vt paulo poſt dicemus, & tamen communiter fiunt ab hominibus non multum timoratis ſine animo implendi. Quod ſi homines crederent, ſufficere illam intentionem ad ſe excuſandum ab obligatione, pauci eſſent qui illam non haberent, vnumque peccatum committerent, ne ſe obligarent. Quin potius, vt ſupra arguebam, & hic fortius vrget, ſi illa intentio

excuſat

Digitized by Google

excuſat ab obligatione, non videtur, cur peccaminoſa ſit, nam intendere non ſoluere, quod non debeo, nõ eſt malum. Dices, in eo caſu eſſe malum, quia iuramentum de præſenti fit falſum per eam intentionem. Sed contra, quia in hoc ſupponitur, ibi fieri verum iuramentum de re futura cum pręſenti propoſito illam non faciendi; ergo tale iuramentum natura ſua obligat, nec poteſt impediri propter iniquã intentionem non faciendi promiſſum. Sicut qui accipit mutuum cum intentione non ſoluendi, vel qui accipit vxorem cum intentione non reddendi debitum, nihilominus obligantur, quia obligatio naſcitur ex ipſo actu, vel ex re ipſa, nec poteſt impediri per iniquam intentionem, ita ergo naſcitur ex iuramento. Nec intentio non implendi deſtruit priorem actum, vt oſtenſum eſt, & in exemplis adductis conſtat: nec poteſt contrarium pręſumi, niſi vbi euidentiſsime conſtaret, non fuiſſe tantum voluntatem non implendi, ſed etiam non faciendi iuramentum.

CAPVT VIII.

Vtrum iuramentum ſimulatum, vel doloſum quoad verborum ſignificationem obligationem inducat?

1. Duobus modis poteſt iuramentum eſſe doloſum.

DVobus modis poteſt iuramentum eſſe doloſum, primo ex ſolo defectu intentionis iurandi, & de hoc dictum ſufficienter eſt in cap. præcedenti: alio modo contingit eſſe iuramentum doloſum quoad verborum vſum, & ſignificationem, quia nimirum intentio iurandi non deeſt, ſed applicatur ad verba non iuxta ſignificationem, in quã intelligũtur ab aliis, quibus iuratur, ſed in alia, quam iurans ſibi proponit, & de hoc in præſenti tractamus. Vlterius vero poteſt hoc iuramẽtum artificioſum (vt ſic dicã) duobus modis fieri. Primo cum dolo formali, & proprio, id eſt includente mendacium, ſeu iniuſtam deceptionem, & tunc proprie dicitur doloſum, aliquando vero fieri poteſt ſine mẽdacio, vel iniuſtitia, cum prudenti ſagacitate, & amphibologia iuſta, & illud vocamus iuramentũ ſimulatum. Similem diſtinctionem refert ex Baſil. Anaſt. Nicen. in li. Quæſtionum ſacræ Scripturæ q. 73. vbi prius dixit: *Mores inſidioſi, & fallaces, & doloſi, Deo ſunt odioſi, & hominibus inimici*: & infra ſubdit: *De iuſtis autem inſidiis: & dolo, qui non male, ſed iuſte, & ſapienter celat, & abſcondit, & artificioſam præ ſe fert ſpeciem*, & infra: *Propter hos* (inquit) *doles non ſunt ſancti appellandi doloſi, vel mendaces, ſed ſapientes quidem ad bonum, ſinceri autem ad malum.* Et hoc modo diſtinguitur dolus malus à bono in l. 1. ff. de Dolo, iam vero dolus ſimpliciter dictus pro malo ſumitur, & ſic dicitur in Regul. 55. ff. de Regul. iur. *Nullus videtur dolo facere, qui iure ſuo vtitur.* De vtroque igitur quæri poſſunt duo, primum, an inducat obligationem, ſecundum, an in tali modo iuramenti ſemper interueniat peccatum, & quale illud ſit, hæc poſterior quæſtio pertinet ad ſequentem librum, hic prior expedienda eſt.

Anaſt. Nicen.

2\. Videtur itaque eſſe communis ſententia, iuramentum ſimulatum, id eſt, cum iuſta, & prudenti amphibologia factum non obligare, iuramentũ autem doloſum cum iniuſtitia obligare. Hęc diſtinctio videtur ſumi ex D. Tho. d. art. 7. ad 4. licet aliis verbis tradatur, dicit enim, quando alia eſt intentio iurantis ab intentione eius, cui iuratur, ſi ſit cum dolo, ſeruandum, nihilominus eſſe iuramentum iuxta intentionem eius, cui iuratur, ſi abſque dolo (id eſt, ex prudenti aſtutia) tunc non eſſe ſeruandum iuramentum, niſi ſecundum intẽtionem iurantis. Et hoc ſequũtur ibi Caietan. & alij, Soto d. q. 1. artic. 7. ad 4. Idem ſentit Abb. in cap. *Veniens*, & ca. *Cum contingat*, de Iureiur. Tabien. verb. *Iurare*, n. 14. & Couarr. d. 1. p. §. 5. n. 2. & 3. Nauar. c. 12. n. 13. Ex his vero duabus partibus vna videtur mihi certa, & euidens, altera valde dubia, & pia indigens interpretatione.

D. Thom.

Caietan. Soto. Abbas. Tabien. Couar. Nauar.

3\. Dico ergo primo, quando iurans accipit verba ſub quibus iurat in ſignificatione diuerſa, & diſtincta à ſenſu eius, cui iurat, & ſuam intentionem iurandi accommodat illi ſenſui, quem ipſe intendit, vtens prudenti amphibologia, & non faciens alteri iniuſtitiam: non obligatur iuramento, niſi ſecundum ſuam intentionem. Et in hoc ſenſu iuramentum ſimulatum non inducit obligationem ad id, quod ſimulatur. Hæc aſſertio eſt Diui Thomæ, & omnium, vt dixi: & ſumitur ex Greg. in cap. *Humanæ aures*, 22. q. 4. dicente: *Humanæ aures verba noſtra talia iudicant, qualia foris ſonant: Diuina vero iudicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur*: & infra loquens de verbis varias ſignificationes habentibus: *Non debet* (inquit) *aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis ſeruire, ſed verba intentioni.* Hęc autem poſteriora verba non inueniuntur in Gregor. 26. Mor. c. 27. ſed ſolum poſt priora ſubiungit: *Apud homines cor ex verbis, apud Deum vero verba penſantur ex corde*: quæ eandem fere vim habent: eiſque ſimilia ſunt illa Hilarij lib. 4. de Trinit. *Intelligentia verborum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus.* ca. *Intelligentia*, de Verbor. ſignific.

1. Aſſertio. Vtens prudenti amphibologia, & non faciens alteri iniuſtitiam non obligatur.

Hilar.

Ca. Intelligentia

4 Ratio clara eſt, quia ille, qui ſic iurat, nõn obligatur poſtea ratione iuſtitiæ, vel fidelitatis, vel iuramẽti, ergo nullo modo. Conſequentia clara eſt, quia non poteſt fingi alius titulus. Antecedẽs vero quoad primam partem patet, quia ille non fecit alteri iniuriam, ſic iurando, vt in caſu ſupponitur, ergo ex vi iuſtitię non obligatur, quia ibi iuſtitia non poteſt obligare niſi per modum alicuius reſtitutionis, nam de alia obligatione pacti ſtatim dicetur. Probatur ergo ſecunda pars, quia nemo tenetur ex fidelitate implere promiſsionem, niſi iuxta intentionem ſuam, quia ſine conſenſu non eſt obligatio in promiſsis, ſed in caſu poſito ille ſolum ad rem ſignificatam per verba in ſenſu à ſe intellecto voluit obligari, ergo ex vi promiſsionis ad nihil aliud manet obligatus. Et hæc ratio probat, etiamſi promiſsio non ſit pura, & ſimplex, ſed veſtita pacto, vel mutua conuentione, quia vt pactum obliget, oportet, vt contrahẽtes conſentiant in eandem rem, & (vt ita dicam) vnã voce in verba, ſed in eo caſu iurans non conſentit in idem cum alio quoad rem ſignificatam per verba, ſed tantum quoad voces, ergo non obligatur ex vi pacti. Tertia pars de Iuramento, eodem modo probatur, quia in primis iuramentum non confirmat promiſſionem, quia nulla eſt, nec pactum ob eandem rationem, nec aſſertionem putatã ab alio, quia etiam illa non aſſeritur à iurante, ergo. Item iuramentum non obligat ſine intentione iurandi, ſed ſic iurans non habet intentionem iurandi, quod alter intelligit, ſed quod ipſe ſignificare vult, ergo.

5\. Dico ſecundo, etiam ſi iurans per dolum, fraudẽ, & iniuſtitiam verba accipiat in alio ſenſu, quã præ ſe ferunt, & quam accipiantur ab eo, cui iuratur, & intentionem ſuam accommodet ad ſignificationem, & ſenſum à ſe intentum, non obligatur ex vi iuramenti directe, & per ſe loquendo ad implenda verba iuxta ſenſum iurantis, ſed tantum ſecundum proprium. Hanc aſſertionem præcipue intendunt authores allegati cap. pręcedenti, quando dicunt, cum, qui iurauit ſine intentione ſe obligandi, non manere obligatum: loquuntur enim maxime, quando non intendit ſe obligare iuxta intentionem alterius, ſed ſuam, quia tunc non intendit etiam iurare iuxta intentionem alterius, ſed ſuam. Et ita docet D. Tho. in 3. d. 39. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. vbi loquitur etiam de iuramento doloſo, & ſimpliciter dicit, ex vi, & ratione iuramenti non obligare, niſi iuxta intentionem iurantis. Et hunc ſenſum videntur mihi maxime intendere Scot. Bonauent. Richard. Gab. Syluest. &

2. Aſſertio. Iurans per dolum non obligatur directe ex vi iuramenti, ſed tenetur implere illud ſecundum ſenſum intentum ab ipſo.

D. Thom.

Scot. Bonauen. Richard. Gab. Syluest.

Ee 4 Angel.

Digitized by Google

Angel. Anton. Angel. ibi citati. Anton. 2. p. tit. 10. c. 6. verſ. *Quintus caſus.*

6. Probatur primo ex d. cap. *Humanæ aures*, quod generatim loquitur. Secundo, quia ſine intentione iurandi non eſt iuramentum, & conſequenter nec obligatio in conſcientia, ſed ille, qui ſic iurat, licet habeat intentionem iurandi id, quod ipſe intendit, non tamen quod intendit alius; ergo non iurat illud; ergo nec ad illud obligatur. Declaratur exemplo: iuro exterius alicui dare centum, mente autem concipiò conditionem, ſi pater probauerit, vel aliam ſimilem, quam conditionem licet verbis non exprimàm, intentione coniungo illam verbis, & nolo iurare rem ſignificatam per alia verba, niſi ſub illa conditione: quamuis is, cui fit promiſſio intelligat promiſſionem ſibi abſolute fieri. In hoc ergo caſu dicimus, iuramentum non obligare abſolute, ſed ſub conditione, quia intentio iurandi non eſt de iuranda promiſſione abſoluta, ſed conditionata, & ita obligatio non excedit intentionem, quia etiam iuramentum non excedit illam. Vnde eſt magna differentia inter præſentem caſum, & aliū præcedēti capite tractatum, de illo, qui re vera habet intentionem iurandi, non vero ſe obligandi, de quo diximus obligari Deo, licet non obligetur homini, hic autem non tantum deeſt intentio ſe obligandi, ſed etiam iurandi id, quod intendit is, cui iuratur, & ideo non oritur obligatio, niſi ſecundum illam intentionem, etiamſi intentio doloſa, iniuſta, & peccaminoſa ſit, quia ſi tollit intentionem iurandi aliud, de facto annullat actum, etiamſi male fiat. Sicut quando omnino deeſt intentio in quocumque verborum ſenſu, non oritur obligatio etiāſi deceptio illa praua ſit, vel iniuſta. Quod à ſimili confirmari poteſt ex cap. *Tua nos*, de Sponſal. ibi: *Quoniam ex altera parte dolus ſolummodo adfuit, & defuit omnino conſenſus.* *Cap. Tua nos.*

7. *Obiectiones contra reſolutionem. Iſidor.* Contra hanc vero reſolutionem obiicitur primò ſententia Iſidori in cap. *Quacumque arte.* 22. q. 5. *Quacumque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit.* Secundo obiicitur, quia dolus, & fraus nemini prodeſſe debent, & maxime apud Deum; ergo ſiquis doloſe iuret cum fraude, & iniuſtitia, non debet inde reportare commodum carendi obligatione. Tertio hoc modo eneruatus fructus, & finis iuramenti. Nam finis iuramenti eſt confirmare veritatem, & firmare pacta inter homines, cum autem homines non intueantur cor, ſi totum hoc pendet ex intentione loquētis, & non ex ſignificatione verborū, fruſtra adhibetur iuramētum, quia tam incerta, & obſcura manet obligatio, ac ſi nō adhiberetur.

8. Propter hæc aliqui limitationem adhibent huic aſſertioni, nimirum, vt locum habeat, quando intentio doloſa iurantis, vel poteſt commode adaptari verbis ſecundum aliquem proprium ſenſum eorum; vel quando de tali intentione iurantis poteſt ex aliis circumſtantiis, vel coniecturis, aut probationibus ſufficienter conſtare, quia tunc maxime locum habet d. c. *Humanæ aures*: non vero habeat locum concluſio, quando intentio iurantis omnino eſt occulta, & verbis, aut ſignis externis nullo modo adaptari poteſt, quia hoc eſt cōtra finem iuramenti.

9. At vero ſi hæc limitatio vera eſſet, non tantum in iuramento iniuſto, & doloſo, ſed etiam in non iniuſto locum haberet, ſi intentio omnino eſſet occulta, & probari exterius non poſſet, conſequens autem eſt contra omnes Doctores allegatos in prima aſſertione. Imo etiam adhibenda erit eadem limitatio, quando omnino deeſt intentio iurandi modo omnino interno, & per ſe occulto, quod etiam eſt contra omnes, vtraq; ſequela patet: quia tūc etiā fruſtrari videtur finis, & effectus iuramenti. Nulla eſt ergo neceſſaria limitatio, quantum ad forum conſcientiæ ſpectat, ſi in eodem foro conſtet, iurantem ſolum voluiſſe iurare iuxta mentem ſuam, & ſenſum.

10. *Explicatur Iſidor.* Neque obſtat ſententia Iſidori, intelligitur enim quoad effectum committendi culpam, non quoad effectum inducendi obligationem. Quando enim quis doloſe iurat cum fraude, & iniuſtitia, grauiter contra Deum peccat, quia Deus accipit illa verba ſecundum debitam ſignificationem, & intentionem eius, cui iuratur, & ideo grauiter offenditur, quod quis ſuo nomine vtatur ad decipiendum alium: non tamen ideo inducitur inde obligatio adimplendi iuramentum, quoad id, quod re vera iuratum non eſt. Et hoc explicuit Iſidorus adiungens: *Dupliciter autem reus fit* (vtique ſic iurans) *quia & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.*

11. *Scot.* Ad ſecundum recte reſpondet Scot. in 3. d. 39. nullum eſſe commodum reportare peccatum mortale, quod nō committeret, ſi debitam intentionem haberet, licet maneret obligatus: minus enim incommodum eſt manere obligatum, quam peccare mortaliter. Idemque argumentum fieri poſſet de illo, qui iurat ſine vlla intentione iurandi; nam ille etiam ſi non manet obligatus, videtur reportare commodum illud. Vſurarius etiam reportat temporale commodum medio ſuo peccato. Reportare ergo tale commodum ex peccato, non iure, ſed facto, res eſt vſitata.

12. Ad tertium ſuperiori libro cap. 2. declaratum eſt, quomodo non ſit contra fructum iuramenti, quod eius propria obligatio pendeat ex intentione iurantis. Argumentum enim illud æque probat de intentione iurandi ſimpliciter, & de intentione iurandi in tali, vel tali ſenſu, eadem enim eſt ratio, vt oſtenſum eſt. Non obſtat ergo, quod intentio ſit neceſſaria, quia ſatis eſt, quod homo teneatur habere rectam, & debitam intentionem, ſi iurat, nam certitudo iuramenti neceſſario pendet ex conſcientia iurantis, non enim iuramentum interponitur expectando à Deo ſpeciale ſignum veritatis, ſed ſolum, quia propter reuerentiam Diuini nominis creditur obſeruanda veritas, tam in re iurata, quam in modo, & intentione iurandi.

13. *Iuramētum doloſum obligat ratione iniuſtitiæ.* Addimus præterea, quod licet iuramentum doloſum in cōſcientia non obliget in vi iuramenti, poteſt obligare ratione iniuſtitiæ, & detrimenti inde ſecuti, quo ſenſu videtur intelligenda communis diſtinctio Doctorū allegatorum. Item ratione ſcandali vitandi, poterit etiam ſic iurans teneri, quia ſi hominibus conſtet de iuramento facto, & non de intentione occulta, & poſtea videant non ſeruari, inhonoratur Deus in conſpectu hominum, quod etiam contra Religionem eſt. Hinc etiam tale iuramentum in foro exteriori cenſebitur obligare, quia homines non iudicant de occultis, ſed de his, quæ patent, neque in hoc creditur iuranti, quando doloſe egit, & inique ex parte ſua, ſecus quando prudenti cautela iuſta occaſione vſus eſt. Et in hoc etiam ſenſu habet locum diſtinctio communis ſupra poſita, & illam maxime videntur intendere Canoniſtæ.

CAPVT IX.

Vtrum iuramentum extortum per iniuriam obliget?

1. TRia ſunt capita, quæ videntur poſſe obligationem iuramenti impedire, ſcilicet, iniuria, vis, ſeu metus, & dolus, quæ inter ſe affinitatem habent, quatenus omnia videntur facere actum, vel inuoluntarium, vel iniquum, & ex hac parte videntur poſſe facere iuramentum inualidū ad obligandum, & ideo de illis ſigillatim dicemus, de iniuria in hoc capite, de aliis in ſequentibus. Solet autem præcipue tractari hæc quæſtio in iuramēto, quod præſtatur vſurario de ſoluendis vſuris, quia non vult aliter mutuare; idem vero eſt de iuramento non reſcindendi

contra-

contractum emptionis, & venditionis, cum res vltra dimidium iusti pretij venditur, & de ſimilibus [illegible] ſi-bus. In quibus non oritur difficultas ex [illegible], vel defectu voluntarij, quia in eis non ſit abſoluta vis, quia mutuans, vel vendēs [illegible] ad alium recipiendum mutuum, vel ad emendum, & conſequenter neque ad iurandum, ſed tantum ſub conditione cog[itur] ad iurandum, ſi velit habere mutuum, aut rem emptam, quam deſiderat, & ita ibi non proprie intercedit metus, ſed potius concupiſcentia, & ideo ex hac parte parua eſt difficultas, ſed tota reducitur ad rationem iniuriæ.

2\. Videtur ergo in his caſibus iuramentum non poſſe obligare, quia in eis promiſſio per iniuriam extorquetur, ergo eſt ipſo iure nulla, ergo & iuramentum, quo confirmatur, eſt nullum. Antecedens per ſe clarum eſt. Conſequentia prima probatur, quia per iniuriam non poteſt acquiri ius cōtra eum, qui patitur iniuriam. Secunda vero conſequētia probatur, quia iuramentum ſequitur, & imitatur naturam actus, cui adiungitur, ergo ſi promiſſio eſt nulla, etiā iuramentum eſt nullum. Secundo augetur difficultas, quia in illo caſu de vſuris ſoluendis implere iuramentum, eſt cooperari peccato alterius, nam mutuator peccat accipiēdo vſuras, ergo mutuatarius ſoluēdo illas cooperatur peccato illius. Imo quodammodo allicit, & inuitat illum ad peccādum. Quia receptio, & ſolutio, ſicut actio, & paſſio comparantur, vnde agens cooperatur paſſioni, & inducit illam, ita ſoluens cooperatur recipienti, eumque ad recipiendum inducit. Tertio illa ſolutio non eſt actus virtutis, nec eſt vtilis illi, cui factum eſt iuramentum, ſed potius nociua, ergo tale iuramentū non poteſt obligare ex incapacitate materię, iuxta ea, quæ in ſequentibus capitibus dicemus. Maior patet, quia illa ſolutio non eſt actus iuſtitiæ, cum non debeatur illa pecunia, nec eſt actus liberalitatis, cum non donetur, nec fidelitatis, cum promiſſio non teneat, nec poteſt dici Religionis ratione ſolius iuramenti, nam hoc eſt petere principium, hoc enim contendimus, quod iuramentum non conſtituat talem actum, vt neceſſarium titulo Religionis, quia hic titulus ſemper ſupponere debet materiam ſecundum ſe honeſtam. Imo iuramētum non proprie conſtituit actum, in quem cadit in ſpecie Religionis, teſte D. Tho. 2.2.q. 89. art. 5. ad 1. Quod vero talis ſolutio ſit etiam inutilis recipiēti pecuniam, patet tum quia peccat recipiendo, tum quia non acquirit illius pecuniæ dominium, vel ſaltem tenetur illam reſtituere. Item ſic ſoluens poteſt ſtatim repetere, ergo ex hac parte eſt etiam otioſus actus ille.

3\. Nihilominus dicendum eſt, omne iuramentum hominis factum, licet ſit per iniuriā extortum, ſi abſque peccato, & turpitudine iurantis impleri poſſit, eſſe validum, & obligationem inducere. Ita eſt definitum in ca. *Debitores*, de Iureiur. vbi de his, qui de ſoluendis vſuris iurauerunt, dicitur: *Cogendi ſunt Domino reddere iuramentum*, & idem ſupponitur in ca. 1. dum dicitur, cogendo eſſe debitores ad huiuſmodi iuramenta relaxanda. vbi autem relaxatio neceſſaria eſt, validum ſupponitur iuramentum. Et idem ſumitur ex cap. *Si vero*, & cap. *Verum*, eod. vbi iuramenta per vim extorta ſeruāda dicuntur, niſi relaxentur per habētem poteſtatem, vis enim illa iniuriam continet, vt conſtat. Ratio autem, quæ in eiſdem Iuribus redditur, eſt, quia talia iuramēta ſeruari poſſunt ſine diſcrimine ſalutis æternæ, & ideo ſeruanda ſunt, niſi de illis, vel ab eo, cui præſtantur, vel à legitimo ſuperiore relaxatio obtineatur. Antecedens ſupponitur, quia in ſoluenda vſura, vel alia ſimili re nullum committitur peccatum, vt ex ſolutionibus argumentorum facile conſtabit. Conſequentia vero probatur, quia iuramentum promiſſorium obligat in vi præcepti, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, quod cum negatiuum ſit, & naturale ſemper, & pro ſemper obligat, ergo non obſtante iniuria etiam obligat in materia capaci, qualis eſt, quoties ſine peccato impleri poteſt.

Declarari poteſt optime hæc ratio, quia licet iuramentum per iniuriam extortum ſit, nihilominus verum eſt iuramentum, ergo ſi illi [illegible] obligationem, ſi materia eſt capax, vt [illegible]. Antecedens patet, [illegible] non obſtante [illegible] ex parte iurantis, nihil deeſt neceſſarium ad [illegible], & veritatem iuramenti. Supponimus [illegible] tentem habere intentionem iurandi. C[illegible] autem probatur, [illegible] obligatio ſequitur [illegible] ex iuramento, ne[illegible] propter [illegible] alterius. Quam [illegible] in ſequenti c[illegible] exponemus. Poteſtque confirmari, quia [illegible] in ſimili caſu ſimpliciter, & ſine iuramento promiſſet ſoluere vſuras, poſſet honeſte ſoluere [illegible], non teneretur, vt paulo inferius oſtendemus, ergo [illegible] dit iuramentum ratione illius tenebitur.

Circa primam ergo rationem di[illegible] aliqui cenſent, promiſſionem factam vſurario, vel latroni, non eſſe ex natura ſua naturalis irritam, & mauent quia licet latro, & vſurarius turpiter agant exigendo illam, ex parte promittentis bona eſt promiſſio, quod ſatis eſt, vt ſit valida, & vt poſtea illam implendo bene faciat, & fidelitatem ſeruet, qui illam fecit. Nam alioqui ſi promiſſio irrita eſſet iure naturæ, non poſſet iuramento confirmari, quia id, quod eſt nullum de ſe, nunquam poteſt conualeſcere. Secus vero eſt quando promiſſio eſt irrita iure tantum Ciuili, quia tunc poteſt iuramentum præualere contra Ius Ciuile, & illam confirmare & ita cenſetur eſſe in præſenti. Alter Panorm. in ca. 1. de Iureiur. nu. 1. & 2. dicit, in eo caſu iuramentum efficere, vt aliqua obligatio oriatur reſpectu creditoris, etiamſi ex ſolo pacto non poſſet oriri. Mouetur, quia alias non poſſet creditor relaxare iuramentum in illo caſu; veritas nihilominus eſt promiſſionem illam eſſe irritam iure naturæ. Quod communiter in hac materia ſupponunt tam Theologi, quam Canoniſtæ, vt patet ex Caiet. 2.2.q. 89. art. 7. circa ad 3. & Soto, Aragon. & alijs ibi. Et ex Panor. Felin. Imol. Henr. & alijs in d. cap. *Debitores*, & ſufficienter probatur illo argumento, quod promiſſio illa fundatur in iniuria: in actione autem iniuriosa non poteſt fundari vera obligatio ex parte eius, qui iniuriam patitur. Item probatur ex communiori ſententia Theologorum, & vera per ſolutionem vſurarum non transferri dominium in accipientem quia ſoluens [illegible] intendit donare ſed ſoluere debitum [illegible] debet, ideo nihil transfert in alterius dominium [illegible] & ita datio illa eſt irrita iure naturæ; ergo [illegible] promiſſio. Deinde verius eſt ex illa promiſſione etiam iurata non conferri ius aliquod debitori, vera[illegible] tio facta probat, ad hoc ponderari poſſunt verba textus in d. c. *Debitores*, *Cogendi ſunt Domino reddere iuramentum*, in illis enim ſatis ſignificatur ex illa promiſſione nullam obligationem hominum reſultare, ſed ex iuramento obligari hominem Deo, & ideo implēdum eſſe, cum ſine interitu ſalutis ſeruari poſſit. Quod bene expendit Couarr. ſupra. 2. par. §. 3. nume. 2.

Vera ergo reſponſio eſt, iuramentum firmare aſſertionem, non promiſſionem, hæc enim duo ſeparari poſſunt, vt ſupra oſtendimus [illegible] quoad [illegible] non ita adhæret iuramentum promiſſioni, vt in ſuo eſſe, & valore pendeat ſemper ex valore promiſſionis, ſed poteſt iuramentum valere ad [illegible] aſſertionem in promittente [illegible] etiam [illegible] miſſio in ratione [illegible] non [illegible]. Ad hoc autem explicandum notanda eſt doctrina Bartoli communiter recepta in l. *Si quis pro eo*, ff. de Fideiuſſor. n. 4. & ſequentibus. Vbi [illegible] iuramentum [illegible] introduci [illegible], quia nullā ſupponit, ſed per ſe ſe illā introducit, & ideo ſolet etiā hoc iuramentū vocari per ſe ſtans. Vel ſim-

Margin notes (left): 2. — D. Thom. — 3. Reſolutio quæſtionis. Iuramentum per iniuriā extortū obligationem inducit, ſi abſque peccato, & turpitudine impleri queat. — Cap. Debitores. — Cap. Si vero. — C. Verum

Margin notes (right): [illegible] aliorum. — Caiet. Sot. Aragon. [illegible] Henric. — Couar. — 6. Solutio primi argumenti. — Bart.

ſimpliciter obligatorium: alium appellat confirmatorium, quia ſupponit obligationem pacti, ſeu promiſsionis, & illam confirmat addendo nouam obligationem altioris rationis, inter quæ duo genera iuramentorum ſunt plures differentiæ, quæ ad effectus morales multum conducunt, vt in ſuperioribus tactum eſt, & infra cap. latius dicetur. Iuramentum ergo promiſſorium de ſoluendi vſuris, vel de pecunia ſoluend[a l]atroni exigenti, & ſimile, non eſt iuramentum confirmatorium in d. ſignificatione, & rigore ſumptum, & hoc probat argumentum factum, quia promiſsio, vel contractus iure naturæ irritus non poteſt producere propriam obligationem; ergo iuramentum illi additum non poteſt eſſe confirmatorium. Nihilominus tamen eſſe poteſt tale iuramentum introductorium obligationis, quia ad hoc ſatis eſt, vt adhæreat cuidam aſſertioni de futuro, quę licite, & ſine vllo morali incommodo poteſt fieri vera ab eo, qui illā iurauit, & talis eſt illa promiſsio, quātumuis nulla iure promiſsionis. Et hoc etiam intendit D. Thomas d. quæſtio. 89. artic. 7. ad 3. diſtinguens duplicem obligationem in iuramento promiſſorio aliam homini, aliam Deo, docens priorem deficere in hoc iuramento inique extorto, manere autem poſteriorem: hic eſt enim clarus ſenſus Diui Thomæ, quem ſine cauſa Caietan. ibi mutat, & corrumpit contra ſimplicem literam, & ita etiam cenſent Canoniſtæ in cap. *Si vero*, de Iureiur. & alij, quos referunt Couarr. ſupra, & Gutierr. de iuramento 1. part. cap. 57. n. 20. Sed obiici contra hoc poteſt, nam ſequitur, non poſſe tunc creditorē remittere debitū, & relaxare iuramentum, quia nulla obligatio ad illum orta eſt: conſequens eſt plane falſum, ergo. Reſpondetur negando ſequelam, quia ipſamet obligatio ad Deum habet incluſam hanc conditionem ſoluendi vſuras, ſi voluerit creditor, vnde ſi ipſe remiſerit, ceſsat obligatio.

D. Thom. *Couar.* *Gutierr.*

7. Circa ſecundum argumentum: Propter illud dixerunt aliqui, iuramentum hoc de vſuris ſoluendis, & ſimilia ſolum obligare, quando vſurarius paratus eſt ad mutuandum ſub vſuris, & ad recipiendas illas, quia tunc non peccat dans, vel promittens illas, nec inducit alium, cū iam ſupponatur paratus, nec cooperatur peccato illius, quia iam ſupponit illud, & illa largitio potius habet rationem promiſsionis, vt alius accipiat, quam actionis. At vero quando vſurarius paratus non erat, tunc putant conuincere argumentum factum, iuramentum non poſſe obligare, quia peccat, qui promittit, & iuramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Ita Bellamera, & nonnulli alij in d. cap. *Debitores*: ſed immerito addunt hanc limitationem illi textui, vt ibi notat Felin. nu. 7. quia textus generaliter loquitur. Nam in prioribus verbis, cum ait, debitores non eſſe cogendos ad ſoluendas vſuras, quas promiſerunt, indifferēter loquitur, ſiue paratis, ſiue non paratis illas promiſerint, ergo cum ſubdit, ſi de ipſarum ſolutione iurauerint, cogēdos eſſe, cum eadem generalitate loquitur: nam eſt vniformis locutio.

Solutio ad ſecundum. *Bellam.* *Felin.*

8. Præterea non minor, imo maior videtur eſſe ratio obligationis in eo, qui alium non paratum induxit ad mutuandum, inuitando fortaſſe illum promiſsione vſurarum, quam in eo, qui à parato petiit, quia ille prior magis voluntarie promiſit, & maius damnum intulit ei, quem induxit. Item, licet promittere, ſeu inducere culpa fuerit, nihilominus ſoluere non erit culpa, quia licet mutuans non fuerit paratus ad mutuandum, & tunc fuerit inductus, poſtea paratus eſt ad recipiendum vſuras, nam ſi non eſſet paratus remitteret illas, & conſequenter mutuatarius eſſe liber ab obligatione iuramenti, offerendo ergo, & tradendo, quod promiſit, iam non inducit alterum ad peccādum, nec cooperatur peccato eius, etiam ſi prius peccauerit inducendo, ergo peccatum præcedens non obſtat, quominus poſtea debeat iuramentum impleri, cum ſine peccato fieri poſsit. Vnde tale iuramentum non poterit dici contra bonos mores, quia ſine vllo actu contrario bonis moribus impleri poteſt à iurante, etiamſi fuerit factum cum peccato. Addo deniq;, non ſemper committi peccatum petendo mutuum ab homine non parato ad fœnerandum, etiamſi inde ſumpturus eſſet occaſionem ad petendam promiſsionem, & iuramentum de ſoluendis illi vſuris, dummodo hoc non illi offeratur directe. Nam hoc vltimum eſt intrinſece malum, quia eſt directe inducere ad peccādum: illud autem prius non eſt inductio ad peccandum, ſed ad ſuccurrendum meę neceſsitati: quę tanta eſſe poteſt, vt non tenear vitare occaſionem paſſiui ſcandali, quam alter ſumpturus ex mea iuſta petitione, cum tanto diſcrimine, & nocumento proprio. Igitur etiam tunc non habet locum dicta limitatio.

9. Ad tertium de inutilitate actus ſoluendi vſuras Caiet. d. art. 7. circa ſolutionem ad 3. §. *Ad euidentiam*, quem Soto, Aragon, & alij ſequuntur, reſpondet, illam promiſsionem eſſe actum virtutis, quia eſt redemptio vexationis propriæ, vel ad ſubueniendum propriæ indigentiæ, vt in caſu vſurarum, vel ad euitandam mortem, quam latro comminatur: ſubuenire enim hoc modo propriæ neceſsitati, actus charitatis eſt. Statim vero occurrit replica, quam ſibi ipſi obiicit Caiet. quia ad redimendam vexationem ad ſummum fuit neceſſaria promiſsio iuramento firmata, nam per illam liberatus eſt promittens ab actuali vexatione, poſtea vero, quando ſoluit vſuras, vel quod latroni promiſit, non vexatur, nam liber iam eſt à periculo, & neceſsitate; ergo ſolutio illa nō honeſtatur per redemptionem vexationis. Reſpondet autem, ſatis eſſe, quod redēptio vexationis fuerit inchoata per promiſsionem iuratam cum ordine ad complementum eius: nam inde habet prædicta ſolutio, vt ſub ratione redemptionis vexationis fiat tanquam complementum eius, quod ſufficit ad honeſtatem eius.

Solutio ad tertium. *Caietan.* *Soto.* *Aragon.*

10. Maxime (inquit) quia propter Dei auctoritatem per iuramentum interpoſitam acceptata eſt illa promiſsio tanquam ſufficiens ad redimendam illam vexationem, non minus, quam ſi haberet ſolutionem coniunctam, & ideo ad Diuinam authoritatem, & reuerentiam ſpectat, vt redemptio impleatur. Sed hoc vltimum eſt, quod ad rem ſpectat, nam primum non eſt per ſe neceſſarium. Aliquādo enim fieri poteſt, vt tale iuramentum fiat ſine redemptione vexationis, & nihilominus obliget. Vt conſtat ex dictis in præcedenti ſolutione, quando aliquis inducit alium non paratum ad mutuandum, & conſequenter inducit directe, vel indirecte ad petendam promiſſionem vſurarum, & maxime ſi abſque graui neceſſitate petit: nam ille non poteſt dici redimere vexationem, imo nec ſubuenire neceſsitati ſuę, ſed potius explere appetitum ſuum: ergo conſideratio illa redemptionis vexationis neceſſaria non eſt, licet quando interuenit, conſerat ad honeſtandam promiſſionem.

11. Reſpondeo igitur, ſufficientem vtilitatem illius ſolutionis eſſe, vt fiat verum, quod ſub Diuino teſtimonio dictum eſt, cum poſsit verum fieri ſine peccato. Quia actus ille ſoluendi non ſolum malus non eſt ex malitia recipientis, vt declaratum eſt, verum etiam non eſt otioſus & inutilis ad humanam ſocietatem, ſed ſuam habet commoditatem. Hæc autem primo, ac præcipue ſpectanda eſt ex parte promittētium, quia illis commodum eſt, quod tanta ſit authoritas iuramenti, vt etiam iniuſtos, & iniquos exactores reddat magis certos de impletione promiſsi quā ſi absq; iuramēto fieret, vt ſi iterum indiguerint promittētes tali remedio, illis fides adhibeatur: ſecundo, quia hoc ipſum, ſcilicet, ſtare promiſsis, & datum verbum implere, eſt per ſe adeo decens,

Digitized by Google

cens, vt etiam in iniuſtis extorſionibus ad perfectionem quandam veritatis pertinere videatur, & ideo homines ſuæ exiſtimationi conſulentes ſolent hæc etiam promiſſa implere, non ſine humana vtilitate ad honorem licitum pertinente, hęc ergo vtilitas ſatis eſt, vt ille actus non ſit otioſus, nec vanus, & conſequenter, vt interueniente iuramento, omnino debeat impleri. Accedit tertio, actum illum de ſe non carere vtilitate ex parte recipientis, vtilitate (inquam) temporali, & humana, quæ ad promiſſionem humanam ſatis eſt. Nam licet in effectu ratione conſcientię non ſit vtilis illa receptio, vel quia ille non acquirit dominium, vel quia tenetur reſtituere: non oportet hæc conſiderari à dãte, ſed ſolum quod pecunia illa vtilis eſt, & quod ipſe, quantum in ſe eſt, rem vtilem confert, quam promiſit.

12. *Obiectio.* Dices, Ergo promiſſio illa quamuis facta fuiſſet ſine iuramento, deberet omnino impleri, ſaltẽ propter illam vtilitatem faciendi verum, quod ſemel dictum eſt, & vt ſimile remedium eſſet vtilius in humana ſocietate, vel ad redimendas vexationes ſimiles, vel ad ſubueniendum iuſtis neceſſitatibus. Circa hoc Caiet. ſupra, quem Aragon. ſequitur, non ex alio capite cenſet, talem promiſſionem ſine iuramento factam eſſe nullam, niſi quia eſt de materia incapaci obligationis, id eſt, de actu, & re inutili accipienti. *Quia de ratione promiſſionis humanæ* (inquit Caietan.) *eſt, vt ſit vtilis recipienti, quia aliàs erit de actu vano, & otioſo, ac proinde non obligabit.* Hanc vero rationem improbat Soto, quia non eſt de ratione obligationis humanæ promiſſionis, vt res promiſſa de facto ſit vtilis accipienti, ſatis enim eſt, quod de ſe ſit vtilis, etiamſi de facto ex abuſu, vel malitia eius vtilitatem non ſit ei allatura. Et certe ſi ratio Caietani valida eſſet, non ſolum probaret promiſſionem illam vſurarum non obligare, ſed etiam impleri non poſſe licite, ſecluſo iuramento, quia eſſet actus inutilis, & otioſus, & ſine cauſa conſtitueret proximum in maioribus periculis. Conſequens autem eſt plane falſum, & contra communem ſenſum omnium hominum, nam potius cenſetur quis facere opus ſupererogationis, & eximiæ veracitatis, talem promiſſionem ſimplicem implendo. Adde, promiſſiones has, quę non ex mera liberalitate, ſed quaſi coactione quadam fiunt, non ſolum reſpicere vtilitatem eorum, quibus fiunt, ſed etiam promittẽtium, & ideo in eis explendis etiam hanc vtilitatem poſſe, & debere conſiderari. Ad obiectionem ergo reſpõdeo, illam ſolum probare talem promiſſionem ſimplicem poſſe honeſte impleri, non tamen hoc eſſe ſub obligatione, quia omnes illæ rationes, quæ ibi conſiderantur inducunt honeſtatem, non neceſſitatem, tum quia cum maiori ex parte reſpiciãt vtilitatem promittentis, poteſt ipſe illi cedere, tum etiam quia non tenetur quis cum tanto onere ſuo facere verum, quod iniuſte coactus dixit, ſeu promiſit, nec alius per iniuriam potuit eum obligare. Secus vero eſt ratione iuramenti, in quo ſolius Dei ratio habetur, qui iniuriam non intulit, neque in vanum inuocandus eſt.

Soto. *Solutio obiectioni.*

13. Sed inſtari poteſt, quia non implere illam promiſſionem iuratam, eſt periurium, ergo ſubeſt ibi mendacium, ergo etiam nõ implere illam promiſſionem non iuratam erit mendacium, quia periurium non facit ſuam materiam eſſe mẽdacium, ſed ſupponit. Et ideo in c. *Iuramenti*, 22. q. 5. dicitur inter iuramentum, & ſimplicem loquelam non debere eſſe diſtantiam, non quidem quoad grauitatem, vel æqualitatem culpæ, aut honeſtatis, ſed quoad hoc, quod ſicut in iuramento non debet admitti falſitas, ita nec in ſimplici loquela, ergo ſi in tali promiſſione iurata eſt falſitas, ſi non fiat, quod dicitur, etiam in ſimplici loquela erit.

Cap. Iuramenti.

14. Reſpondetur, tam in promiſſione ſimplici, quam in iurata requiri veritatem de præſenti, id eſt, vt fiat cum propoſito implendi aliàs in vtraque peccatur, licet non æque. Hoc per ſe conſtat, & ſumitur ex doctrina D. Thom. 2. 2. qu. 110. a. 3. ad 5. Et ratio eſt, quia ille defectus veritatis continet formale mendacium, at vero in executione, vel impletione promiſſionis, per quam fit verum, quod dictum eſt, defectus veritatis non ſemper eſt malus, ſed quando eſt debitus. Et ratio eſt, quia illa eſt magis veritas facti, quam dicti, & ideo non requiritur ratione formalis veritatis, quæ mentem reſpicit, ſed ratione fidelitatis, vt ſumitur ex Diuo Thoma ſupra, & infra lib. 3. latius dicetur. Et ideo defectus in illa veritate peccatum non eſt, niſi quando ſupponitur obligatio, eſtq; tunc infidelitas potius, quam mendacium. In hac ergo veritate facienda non ſemper æquiparantur promiſſio ſimplex, & iurata, quia non ſemper æque obligant. Quod recte notauit Panorm. in d. cap. *Debitores*, n. 3. & late Couarr. ſupra 1. p. §. 2. n. 1. Ad argumentum ergo reſpondetur, negando illationem, nam periurium illud non eſt proprie mendacij, & falſitatis, ſed infidelitatis, & irreuerentiæ. Et ideo quando eſt ſimplex promiſſio iniuſte extorta, nulla eſt infidelitas nõ implere, quia non eſt valida, nec parit obligationem, quando vero additur iuramentum, ex illo reſultat obligatio, & ideo eſt periurium irreuerentiæ, & quaſi infidelitatis erga Deum. Ad c. *Iuramenti*, dicitur, æquiparationem ſolum fieri in neceſſitate cauendi mendacium: & poſſe etiam fieri in neceſſitate ſeruandi obligationem, quando eſt: non vero fieri, vel in quantitate obligationis, ſeu culpæ, nec in æquali virtute inducendi obligationem. Hęc ſumi poſſunt ex Abb. & Felin. in d. c. *Debitores*, Sylu. *Iuramẽtũ*, 4. q. vlt. Couar. ſupra 1. p. §. 2. n. 1.

D. Thom. *Panor.* *Couar.* *Explicatio ad cap. Iuramenti.* *Abbas.* *Felin.* *Syluest.* *Couar.*

15. *Obiectio vltima.* Vltimo inſtari poteſt, nam ſequitur per aliud extremum, iuramentum illud non ſolum obligare ad ſoluendam rem, vel pecuniam promiſſam, ſed etiam ad non repetẽdam illam, ſed in perpetuum largiendum, quantũ eſt ex parte ſoluentis. Conſequẽs eſt falſum, vt ſumitur ex eodem c. *Debitores*, vbi dicitur, poſtquam debitores ſoluerint, creditores cogendos eſſe ad reſtituendum. Non enim ſunt cogendi niſi ad petitionem illorum, qui ius habent ad res illas, poſſunt ergo debitores repetere. Item, eadem ratione poſſunt petere, vt creditores compellantur ad relaxandum iuramentum: ergo abſolute non tenentur ſoluere: imo ſuperflua eſt talis ſolutio, cum poſſit meliori, & faciliori medio licito extingui talis obligatio.

Cap. Debitores.

16. *Solutio.* Reſpondeo ad argumentum negando ſequelam, ſi iuramentum tantum fiat de ſoluendis vſuris, vel dandis tot aureis, quia in hoc non includitur renunciatio iuris, quod quis habet ad repetendas pecunias, quas alter non poteſt iuſte retinere. Neq; ſatis eſt, quod forte latro, vel vſurarius intendat hoc totum, quia alter non tenetur conformari intẽtioni eius, ſed puræ, ac præciſæ ſignificationi rigoroſæ, verborum, ſub quibus iurat, & ſub legitima intentione, qua ab ipſo proferuntur. Et hoc ſatis expreſſe declaratum eſt in cap. *Ad noſtram*, de Iis, quæ vi, ibi, *Non obſtante iuramento prædicto, quo non ad non repetendum, ſed ad reſignandum ſolummodo tenebatur*: vbi Gloſſa, & omnes id notant. Certum ergo eſt, quoties exactio iuramenti turpis eſt ex parte petentis illud, expleri ſufficienter iuramentum per traditionem rei promiſſæ, & ſtatim poſſe recuperari, quacunque via iuſta, & legitima id fieri poſſit.

Cap. Ad noſtram. *Gloſſ.*

17. *D. Thom.* Sed quid ſi iniqua exactio directe extendatur ad iuramentum de non repetendo, & illud etiam fiat? Reſpondet Diuus Thomas d. artic. 7. ad 3. his verbis: *Poteſt autem repetere in iudicio, quod ſoluit, vel Prælato denunciare, non obſtante quod contrarium iurauit, quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum, eſſet enim contra iuſtitiam publicam.* Sed illa verba, *non obſtante*, non ad totam diſiunctionem præcedentem, & ſingulas eius partes referenda ſunt, ſed

tantum

Digitized by Google

tantum ad proximam. Duo enim dixit D. Thomas, vnum eſt, quod poteſt repetere in iudicio, quod intelligendum eſt, quando de hoc nihil in iuramento actum eſt: at vero ſi iuraſſet etiam non repetere in iudicio, ſeruari debet iuramentum. Quod per argumentum à contrario colligitur ex d. cap. *Ad noſtram*, ibi, *Quo non ad repetendum*: ergo ſecus ſi ad hoc ſe iuramento obligaſſet. Item, quia illud etiam iuramentum poteſt impleri ſine ſalutis periculo, vt cõſtat ex cap. *Quemadmodum*, §. *Illud*, eod. de quo textu infra late dicendum eſt. Denique ex ca. *Si vero*, eod. quatenus in eo dicitur, iuramentum, quo quis cogitur renunciare iuri ſuo, obligare, licet relaxari poſſit: & idem colligitur ex capit. *Ad aures*, de iis, quæ vi, vbi id notat Gloſſa verb. *Niſi forte in iuramento*, & Doctores in d. cap. *Ad audientiam*, & Bart. in l. *Siquis pro eo*, ff. de Fideiuſſ. num. 10. Couarr. 2. p. §. 3. num. 2. Gutierr. 1. p. c. 53. n. 8.

Cap. Quemadmodum. Cap. Si vero

Cap. Ad aures. Gloſ. Bart. Couar. Gutierr.

18. Addit vero D. Thomas poſſe nihilominus eum, qui ſic iurauit denunciare Prælato Eccleſiæ tale delictum, & iniuſtitiam contra ſe commiſſam. Quod verum eſt etiam ſine relaxatione prioris iuramenti, quia illud non fuit de non denunciando, ſed de nõ accuſando, quod etiam affirmant Gloſſæ ſupra, & conſtat ex d. §. *Illud*. Denique addit D. Thom. quod licet fuiſſet exhibitum iuramentum de non denunciando, poſſet denunciare, quia tale iuramentum eſſet de re illicita, & ita bonis moribus contrarium. Et in hoc ſenſu ait D. Thom. eſſe *contra iuſtitiam publicam*, in quo verbo explicando laborat ibi Caiet. ſed non habet difficultatem, licet ea, quæ Caiet. illa occaſione docet, vera ſint, & vtilia, quæ nos latius, & generalius tradемus infra explicando d. §. *Illud*, ex quo idem colligitur. Videtur tamen ex eo inferri, hanc denunciationem non poſſe fieri ad recuperandum proprium intereſſe, ſuppoſito priori iuramento, cuius contrarium dicit Caiet. ibi. Sed duplex poteſt eſſe intereſſe, vnum non neceſſarium, vt proximus à peccato exeat, ſed vel ad vindictam, vel ad aliam commoditatem denuntiantis, & hoc intendi non poteſt per denunciationem, ſuppoſito iuramento, niſi prius relaxetur, aliud eſt neceſſarium ad exeundum ab ſtatu peccati, vt eſt reſtitutio rei male retentæ, & hoc intendi poteſt ſecundario, vtpote coniunctum cum emendatione fratris, & de hoc bene loquitur Caiet.

Gloſ.

19. *Inſtantia.* Dices: Ergo ſi hoc iuramentum non denunciandi non obligat, non poterit licite fieri ad redimendam vexationem. Patet ſequela, quia eſt iuramentum de materia turpi, & iniqua etiam ipſi iuranti. Conſequens autem videtur durum, quia redigentur homines in magnas anguſtias, & non poterunt ſæpe aut euadere pericula, aut neceſſitatibus ſuis ſubuenire. Reſpondeo concedendo non eſſe licitum tale iuramentum facere, prout ab iniquo exactore poſtulatur, hoc enim conuincit argumentum factum. Vt tamen rigor hic leniatur, adiungo, licitum eſſe ſimulatis verbis, & diuerſa intentione tale iuramentum facere, nimirum, intendendo non denũciare, vt iudici ad vindictam, ſed vt patri ad medelam, vel iurando non denunciare, ſi licite potuero, aut debuero, ſeu fuero obligatus, iuxta ſuperius dicta de ſimulato iuramento, hic enim iuſtiſſima cauſa ſimulandi interuenit, vt per ſe conſtat.

Solutio.

20. Idemque dicendum cenſeo, ſi exigatur iuramentum de non petenda relaxatione alterius iuramenti. De quo Couar. ſupra p. 2. §. 3. n. 2. cum Felin. in ca. *Conſtitutus*, de Reſcrip. n. 18. dicit, illud iuramentum non petendi relaxationem non eſſe obligatorium. Sicut dixit Richard. in 4. d. 38. art. 9. qu. 3. quem ſequitur Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 9. in fin. & Aſtenſ. in Sum. lib. 1. quæſt. 26. art. 11. votum de non petenda diſpenſatione non eſſe validum, quia eſt in præiudicium Papæ, ſeu Prælati, & quia non eſt de meliori bono, imo nec de bono per ſe vtili animæ. Idem enim videtur cum proportione in præſenti. Couarr. vero addit, ſecurius eſſe petere relaxationem huius iuramenti, & Felin. ſupra n. 14. ait, in petenda relaxatione narrandum eſſe totum, quod iuratum eſt, ſcilicet, an iuratum ſit non petere relaxationem, quod in idem redit. Vnde verum eſt, tale iuramentum non potuiſſe obligare ad non recurrẽdum ad Papam, & petendum ab illo remedium narrando integre iuramentum. Quocirca in idem redit, ſi dicatur, ſemper peti poſſe relaxationem de hoc vltimo iuramento, & illa obtenta poſſe conſequenter peti de aliis. Tamen tanta eſt malitia hominum, vt poſſit cogitari exactio iuramẽti de non petenda relaxatione vllius iuramenti, etiam ipſius, quo talis promiſsio iuratur, tunc enim videtur, iuramentum quaſi ſupra ſe ipſum reflecti, & per ipſummet iurari, nõ petere de ipſomet relaxationẽ. Sed nihilominus probabilius eſt, ſemper relinqui vltimum iuramentum, de quo peti poſſit relaxatio, vel ſi orta fuerit perplexitas, aut dubitatio ſemper eſſe licitum ad Prelatum accedere, & ſtatum negotij, & conſcientiæ aperire: & ipſe ex officio poterit, vel alterum compellere ad remittendum, vel iuramentum relaxare, prout expedire iudicauerit, iuxta cap. 1. de Iureiurand. cap. *Tuas*, de Vſuris.

Couar. Felin. Richard. Anton. Aſtenſ.

CAPVT X.

Vtrum iuramentum metu extortum obligationem inducat?

DVobus modis poteſt metus incuti, primo per vim, vel comminationem iniuſtam: ſecundo ſine iniuria: & vterque poteſt, vel directe immitti ad extorquendam promiſsionem, & iuramentum, vel ad alium finem, & inde reſultare iuramentum. Vt quando latro minatur mortem, niſi cum iuramento promittas, eſt iniuſta, & formalis vis: quando vero inimicus vult te occidere, non vt rapiat aliquid, vel promiſsionem extorqueat, ſed vt vindictam de te ſumat, & tu offers iuratam promiſsionem, vt te liberum dimittat, eſt quidem vis, & metus iniuſtus, nõ tamen formalis ad extorquendum iuramentum, ſed hoc eſt quaſi conſequens & reſultans. Similiter poteſt aliquando eſſe metus formalis, & iuſtus, vt ſi creditor, vel qui à te paſſus eſt iniuriam, minetur tibi iuſtam accuſationem, & vindictam per iudicem, niſi iuſtam ſatisfactionem illi promittas, & iures: tunc enim metus directe immittitur ad extorquendum iuramentum, & ſine vlla iniuria, vt per ſe patet. Materialiter vero, & ſine iniuria id accidit, quando iuſte damnatus es ad mortem, & metu illius offers magnam pecuniæ quantitatem ſub iuramento: tunc enim metus non eſt iniuſtus, neque formalis, vt patet. Vnde hic modus timoris interdum poteſt eſſe ab homine, vt in exẽplo dato, interdum ab aliis cauſis naturalibus, vt ab infirmitate, à tempeſtate maris, quando vero eſt huius poſterioris modi ordinarie inducit ad votũ, ideoque de illo infra in tractatu de Voto dicemus. 1. *Duplex modus incutiendi metum.*

Primo ergo quoties iuramentum oritur ex metu ſine iniuria illato obligatorium eſt, ſiue metus directe ad hoc inferatur, ſiue non. In hoc omnes conueniunt, & à fortiori patebit ex Decretis citandis. Et fere de omnibus actibus ex metu ſine iniuria factis eſt hæc generalis regula Doctorum, quę ſumitur ex l. 3. §. vnico, & l. *Si mulier*, ff. *Quod metus cauſa*. vbi Bart. & alij id notant. Ratio vero generalis reddi poteſt ex parte obligationis, quia non obſtante metu actus iurandi eſt ſimpliciter voluntarius, licet ſit inuoluntarius ſecundum quid, iuxta doctrinam Ariſtot. 3. Ethic. c. 1. & D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 8. ergo talis metus non obſtat, quominus iuramentum obliget, quia ad obligationem ſufficit abſolutus conſenſus, ex natura rei tantum loquendo: iure autem humano 2. *Iuramentum ortum ex metu illato ſine iniuria obligatorium eſt.*

Bart.

Ariſt. D. Thom.

Digitized by Google

humano non eſt irrita talis obligatio, quia nullum inuenitur tale ius, imo potius contrarium, vt videbimus, ergo.

3. Secundo in particulari de iuramento eſt optima ratio, quia metus non poteſt impedire, quominus iuramentum metu præſtitum ſit verum iuramentum, ergo non poteſt obſtare, quin ſuam obligationem inducat. Antecedens manifeſtum eſt, quia ibi concurrunt omnia neceſſaria ad eſſe iuramẽti, nam ſi quid deeſſet; maxime intentio iurandi, illa autem non deeſt, ſupponimus enim illum non ficte, ſed vere iurare. Nam ſi per metum inducatur ad fingẽdum ſe iurare, non vero ad iurandum ex animo, tunc erit alius defectus, qui etiam ſine metu ineſſe poſſet, vnde eſt per accidẽs ad metum, & propriam habet quęſtionem, quę ſupra tractata eſt. Igitur ſupponendum eſt illum, qui metu cogitur nolle peccare fingendo, ſed reuera velle iurare: in illo ergo non deeſt intentio iurandi, quia intentio licet coacta, vera intentio eſt, nam voluntas, & intentio idem ſunt: voluntas autem coacta voluntas eſt capitul. *Monet*; cum Gloſſa 15. q. 1. Eſt igitur illud verum iuramentum, ergo ex illo neceſſario ſequitur obligatio, quia, vt ſupra oſtendi, ex iuramento naturaliter ſequitur obligatio, & ad illam non eſt neceſſarius nouus conſenſus, nouave voluntas ſe obligandi in iurante. Imo licet ille putaret, ſe non obligari ratione metus, & nollet ſe obligare, ſi tamen vellet iurare, neceſſario maneret obligatus ex virtute intrinſeca iuramenti, quod propter reuerentiam Dei ſecum affert talem obligationem. *Cap Monet.*

Et confirmatur, ac declaratur exemplis, nam hac ratione baptiſmus coactus, ſi coactio non excludat intentionem ſuſcipiendi baptiſmum, verus baptiſmus eſt, quia concurrunt omnia ſubſtantialia ad baptiſmum; & inde conſequenter fit, vt ille maneat obligatus ad Chriſtianam Religionem, quia hęc obligatio non pendet iam ex voluntate baptizati, ſed ex vi Diuinæ inſtitutionis ſequitur ad characterem baptiſmalem. Simile eſt de commiſsione peccati, nam licet per metum fiat, nihilominus verum peccatum eſt, quia voluntas peccandi vera voluntas eſt, quantumuis ſit metu extorta, & ex illa neceſſario ſequitur malitia culpæ, & reatus pœnæ ſine dependentia à noua voluntate peccantis. Tertio poteſt vna pars aſſertionis ex alia declarari, nam quãdo metus non incutitur directe ad extorquendum iuramentum, clarum eſt, non impedire obligationem eius; ergo nec impediet, etiamſi ad eum finem directe incutiatur ſine iniuria. Antecedens patet inductione, ſiquis metu mortis naturalis, iuret pium opus ſe facturum: item conſtat votum ſic factum validum eſſe, imo nec matrimonium impedit talis metus, ſignum ergo eſt, relinquere ſatis liberum conſenſum. Conſequentia vero probatur, quia licet metus directe ad hoc inferatur, nihilominus non magis tollit libertatem, vel voluntatem, quam metus aliunde prouemens, intentio enim inferentis metum parum ad hoc refert, & forte Deus hoc intendit in illo metu naturali; ergo ſecluſa iniuria idem eſt de vtroque metu dicendum.

4. Secundo dicendum eſt, etiamſi iuramentum per vim, & metum cum iniuria extortum ſit, ſi ſit de materia capaci, & honeſte impleri poſsit, obligare. Ita D. Thomas d. qu. 89. art. 7. ad 3. & q. 98. art. 3. ad 1. Gabr. in 3. d. 39. quæſt. 1. artic. 2. conc. 8. Durand. q. 2. & alij ibi, Sylueſt. Iuramentum, 4. q. 7. citans plures Canoniſtas, Couarr. in 4. Decret. 2. p. ca. 3. §. 5. num. 2. Nauarr. cap. 12. n. 14. Soto ſupra, & latiſsime Caiet. Qui omnes fere conueniunt in generali loquendo, licet in aliquibus circumſtantiis ſit aliqua diuerſitas, de qua ſtatim. Primo ergo definita eſt aſſertio in cap. *Si vero*, & cap. *Verum*, de Iureiur. Sumitur etiam ex cap. *Abbas*, de his, quæ vi. Vbi facta per metum, ſi fuerint iuramento confirmata per metum, irritanda dicuntur, non irrita, & capit. *Ad audientiam*, eod. expreſſe dicitur, iuramentum per iniurioſum metum extortum obligare. Et ita docent Interpretes in hæc Iura Gloſ. & Doctores in capit. 2. de Iureiur. Ratio eſt, quia metus abſque iniuria non impedit obligationem iuramenti, vt prima aſſertione dictum eſt, nec etiam iniuria ſine metu impedit obligationem, vt ſuperiori capite oſtenſum eſt; ergo nec vtrumque ſimul poteſt obligationem impedire. Probatur conſequentia, quia illæ duæ circumſtantiæ non faciunt vnam cauſam magis efficacem, ſed ſolum multiplicant, ſeu aggregant cauſas inefficaces. Secunda ratio ſit, quia iniuria, & metus, etiamſi ſimul iungantur, non poſſunt efficere, quin illud ſit verum iuramentum; quia ibi concurrunt omnia neceſſaria ad eſſe iuramenti, etiam intentio iurandi, quia etiam voluntas coacta per iniuriam voluntas eſt: quia iniuria nihil confert ad minuendum voluntarium, ergo non obſtante metu iniurioſo, verum eſt iuramentum: ſed ex iuramẽto neceſsitate naturali conſequitur obligatio, ſi materia eſt capax, vt ſupponitur, ergo. Et ita tandem incidimus tertio in rationem iurium, quod illud iuramẽtum poteſt ſeruari ſine incommodo ſalutis æternæ ergo ſeruandum eſt, hæc enim ratio ſupponit illud eſſe verum iuramentum, & ex vero iuramento ſtatim reſultare obligationem.

Iuramẽtum per vim cũ iniuria extortum, ſi ſit de materia honeſta ad impletionem obligat.
D. Thom. Gabriel. Duran. Syueſt. Couar. Nauar. Soto. Caietan. Ca. Si vero. C. Verum. Cap. Abbas. Cap. Ad audientiam.

5. Sed obiici poteſt capit. 2. de Iureiur. vbi de quodam Epiſcopo, qui per vim, & iniuriam bonis ſuis fuerat ſpoliatus, & iurare compulſus, quod non repeteret ſic ablata, dicitur: *Ipſum Epiſcopum nullius iuramenti vinculo ſuper hoc poſſe conſtringi.* Propter quẽ textum aliqui dixerunt (vt ibi Gloſſa notat) iuramentum per contumeliam extortum non obligare. Sed illa opinio repugnat expreſsis Iuribus, & rationi, vt viſum eſt, & ideo tanquam improbabilis antiquata eſt. Pręterea in textu illo fortaſſe nõ dicitur, iuramentum illud non obligare, vel ſi hoc dicitur, non dicitur ratione metus eſſe inualidum, ſed infra ſubditur, *Quem tamen abſoluimus*, per quod verbum ſignificatur, fuiſſe ligatum iuramento. Sẽſus ergo pendet ex intelligẽtia illorum verborum, *Rebus ſuis ſpoliatum*, duobus enim modis exponuntur. *Obiectio. Gloſ.*

6. Primo de rebus Eccleſiæ, quæ ſuæ (id eſt, Epiſcopi) dicuntur, quia ſub Epiſcopi cura, & adminiſtratione erant: & ſic iuramentum dicitur non obligaſſe, non quia per metum, & iniuriam fuerat extortũ, ſed quia erat illicitum, & impleri non poterat ſine diſpẽdio ſalutis. Nam (vt bene notat Panorm.) cum Epiſcopus teneretur ſolicite ſeruare res Eccleſiæ non potuit iurare non repetere, quæ iniuſte fuerant ab Eccleſia ſublata. Et hunc ſenſum ſequitur Gloſſa, quam multi probant, & conſequenter exponunt alterum verbum *abſoluimus*, id eſt, abſolutum declarauimus. Vel certe poſſet intelligi, *abſoluimus*, nõ à vinculo iuramenti, ſed à peccato, quod iurando commiſerat, ſeu à pœna illi debita, *propter nefandiſſimam coactionem*, vt ibi dicitur. Atque hæc expoſitio probabilis eſt, in fundamento autem non plene mihi ſatisfacit, nam verbum illud, *Rebus ſuis*, dure expoitur, id eſt, Eccleſiæ ſuæ curæ commiſsis. *Solutio ad textum. Panorm. Gloſ.*

7. Secundo ergo poſſunt illa verba exponi ſimpliciter, vt ſonant de bonis propriis ipſius Epiſcopi, reliqua vero poſſunt duobus aliis modis intelligi. Primo, vt per illa verba: *Nullius iuramenti vinculo, &c.* non ſignificetur iuramentum non obligaſſe, ſed non ita obligaſſe, quin Epiſcopus ille haberet iuſtam abſolutionis cauſam, cum per nefandiſsimam contumeliam fuerit ad ſic iurandum compulſus. Et ideo ſubiungit Pontifex ſe illum abſoluiſſe, quod optime intelligitur de propria relaxatione iuramenti. Alio item modo poteſt intelligi iuramentum illud non ita obligaſſe illum Epiſcopum, quin poſſet Pontifici denunciare iniuriam, & vim ſibi factam. *Alia expoſitio capitis 2. de Iureiurando.*

factam. Quamuis enim iuraſſet non repetere ſua bona, nihilominus recte fecerat proponendo Pontifici totum factum, vt remedium ex officio adhibere, prout expedire iudicaret. Neque ſuper hoc, id eſt, contra hoc poterat iuramenti vinculis ligari, non ratione metus, ſed quia in illo ſenſu iuramentum contra bonos mores extitiſſet, vt ſupra viſum eſt. Et ideo Pontifex ex officio ſuo illum abſoluit à iuramento quoad id, in quo per illud ligari poterat, id eſt, vt eo non obſtante, res ſibi ablatas libere poſſet repetere. Et ita inde potius probatur iuramentum illud non obſtāte metu obligaſſe ad id, de quo factum fuerat, & in quo licite poterat impleri.

8. *Alia obiectio.* Secundo ſolet hic obiici, quia votum factum per metum non obligat, nec matrimonium factum per metum tenet; ergo nec iuramentum: videtur enim eſſe eadem ratio. In quo argumento diſſoluendo laborant multi in aſsignanda differentia inter votum, & iuramentum, vt videre licet in Soto d. artic. 7. ad 3. Abb. in c. 2. de Iis, quæ vi. n. 11. & aliis. Breuiter autem dico, poſſe comparationem fieri, vel ſtando in ſolo iure Diuino, ac naturali, & ſic nō credo eſſe neceſſarium laborare pro differentia aſsignanda, quia probabilius eſt votum metu extortum iure naturæ validum eſſe, de quo infra in 6. tractatu dicam: vel fieri poſſe comparationem ſtando in iure Eccleſiaſtico, & ſic verū eſt Eccleſiā irritaſſe aliqua vota metu extorta, ſ. ſolēnia Religionis, nō tamē irritaſſe iuramētum aliquod ratione ſolius metus. Ratio autē reddi poteſt, quia in profeſsione Religionis viſum fuit id congruum, tum propter arduitatem, & perpetuitatem ſtatus, tum quia ſemel validum difficillime ſoluitur, quæ rationes non habent locum in iuramento, vt per ſe conſtat.

Soto. *Abb.* *Solutio.*

9. *Gloſ.* Circa aliam etiam partem de matrimonio etiam laborant in aſsignanda differentia Gloſſa in cap. *Notificaſti*, 33. q. 5. & Doctores in d. cap. 2. de Iis, quæ vi, & Soto ſupra. Verumtamen ſi matrimonium metu contractum ſolum eſt irritum iure Eccleſiaſtico, ſatis patet reſponſio ex dictis. Si autem eſt irritum iure naturæ, vt eſt probabile, reddenda eſt differentia, quia matrimonium, & fit directe ad obligandum, & fit inter homines inter quos obligationes per actiones iniurioſas nō oriuntur in his, qui per iniuriam obligari coguntur. In iuramento obligatio, & eſt naturaliter conſequens ad actum iurandi, qui per ſe primo non ad obligandum, ſed ad confirmandam veritatem ordinatur, & vt ſic, obligat non ratione hominis, ſed Dei, cui reuerentia ſeruanda eſt, non obſtante quacumque violentia, & iniuria.

10. *3. Obiectio.* Tertio obiici poteſt, quia ſequitur ex dictis, iuramentum redeūdi ad carcerem obligare etiam cum periculo vitæ, conſequens eſt durum, & difficile creditu, ergo. Sequela patet, quia non poteſt excuſari aliquis ab obſeruatione illius iuramenti ratione periculi, quia illud præuidit, & eo non obſtante iurauit, nec etiam ratione violentiæ, quia hæc non magis tollit voluntarium, quam metus, quia nunquam eſt abſoluta violentia, ſed per quandam mali inflictionem perſeuerantem. Hunc caſum tractant omnes Doctores in hac materia, & ideo non potuit omnino prætermitti. Prima ergo ſententia

1. Sententia. affirmat ſimpliciter, & ſine diſtinctione, quoties aliquis in carcere detētus ſub iuramento redeundi eſt permiſſus exire, teneri ad ſeruandum iuramentum, redeundo, ſiue iure, ſiue per iniuriam detentus fuerit, vel licet credatur occidendus. Ita Caiet. d. q. 89. art. 7. & ibi Soto, & fere alij: & fauet Diuus Thomas ad 3. quatenus abſolute docet, iuramentum coactum obligare etiam cum damno temporali. Tenuit etiam Tolet. lib. 4. c. 22. & ſolent referri Syluest. Angel. Armil. & Nauar. de quibus infra. Fundamentum eſt, quia illud iuramentum eſt de re,

Caietan. *Soto.* *D. Thom.* *Tolet.*

quæ ſine periculo animæ poteſt impleri, & non fuit factum temere, ſed ex pacto quodam fortaſſe neceſſario ad res componendas. ergo debet impleri, alioqui fit contra naturalem obligationem ſeruandi iuramentum. item ſeruare promiſsionem in eo caſu non obſtante periculo, iuxta communem ſenſum omnium cenſetur opus virtutis, tum fidei humanæ, tum fortitudinis, de quo actu etiam Gentiles laudari ſolent, vt videre licet apud Auguſt. lib. *Auguſt.* de Ciuit. cap. 11. ergo iuramentum in illum cadens actum, obligat.

Secunda ſententia diſtinctione vtitur, aut enim ille iuſte detentus erat, iuſteque damnatus creditur ad mortem, vel iniuſte. In priori caſu probatur prior ſententia, quia tunc nulla ſubeſt iuſta cauſa non ſeruandi iuramentum: in poſteriori autem caſu cenſet hæc ſententia non obligare iuramentum. Hanc tenet Maior in 4. d. 15. q. 22. cum Gloſſa in Clement. *Paſtoralis*, §. *Numquid*, verb. *Per violentiam*, de re iudic. ſequitur Panormitan. in ca. *Si vero*, n. 8. & cap. *Sicut*, 3. n. 4. de Iureiur. & Syluest. verb. *Accuſatio*, q. 17. & verb. *Iuramentum* 4. quæſt. 26. Armil. verb. *Accuſatio*, n. 20. verb. *Iurare*, num. 3. vbi videtur addere limitationem, quæ deſtruit ſententiam: ſignificat enim tunc iuramentum non ita obligare, quin liceat diſpenſationem petere, & illa obligare. Abſolute habet eandem opinio. Tabien. verb. *Carcer*. n. 1. & verb. *Accuſatio*, n. 10. Angel. ver. *Carcer*. n. 14. Tamen verb. *Iuramentum*. 5. n. 37. ita id explicat, vt potius teneat priorem ſententiam, ait enim tunc non obligari, ſi non intendit abſolute iurare, aut ſe obligare, ſed cum aliqua amphibologia, quod clarum eſt iuxta ſuperius dicta, nunc autem loquimur quando abſolute iurat. Eandem ſententiam late defendit Couarr. lib. 1. Variar. cap. 2. nu. 7. vbi plures Gloſſas, & Doctores in fauorem eius adducit. Et addit in eo caſu iniuſto non ſolum non obligare iuramentum, verum etiam nec licere illud ſeruare, quia redeundo ad carcerem, ille occideret ſe ipſum, & ita cenſet iuramentum illud in eo caſu non poſſe ſeruari ſine interitu ſalutis æternæ.

11. *2. Sententia.* *Maior.* *Gloſ.* *Panorm.* *Syluest.* *Armil.* *Tabien.* *Angel.* *Couarr.*

Eſt autem in hac poſteriori parte huius ſententiæ varietas quædam notanda, quia fieri poteſt, vt 12. carcer iuſtus ſit, quia ex iuſta cauſa ab habente legitimam poteſtatem, & ſeruato debito ordine facta eſt detentio, & nihilominus ex reuerſione ad illum timeatur iniuſta mors: vel poteſt etiam ipſe carcer eſſe iniuſtus. Nauar. ergo c. 12. num. 18. putat hanc *Nauar.* partem eſſe veram, dummodo carcer iuſtus ſit, licet timeatur mors iniuſta, ſi vero carcer ſit iniuſtus, non obligare iuramentum, nullam tamen rationem differentiæ adducit. E contrario vero Maior dicit in eo caſu redeundum eſſe ad carcerem etiam iniuſtum, niſi timeatur mors iniurioſa, & eodem modo loquitur dicta Gloſſa: Caiet. autem, quem Nauar. non integre refert, aperte ait, quod licet carcer, & mors iniurioſa ſint, tenetur quis redire. Non poteſt autem è contrario contingere, vt carcer ſit iniurioſus, & non mors, quia ſi carcer eſt iniurioſus, & in illo procedendum eſt vſque ad mortem, totum proceſſum vſque ad terminum iniuſtum eſſe neceſſe eſt, & ideò de hoc membro nulla fit mentio. Contingere autem poteſt, vt carcer ſit iniurioſus, ex eo autem non timeatur periculum mortis, ſed alia grauamina, in quo caſu etiam ſignificat Nauar. non obligare iuramentum. Sed contrarium ſentit Panormit. præſertim in d. cap. *Sicut* *Panorm.* 3. nam tunc dicit poſtulari abſolutionem à iuramento, licet carcer eſſe iniuſtus, quia nō erat periculum perſonæ, ſed rerum: vnde totam rationem ponit in periculo perſonæ, quia iuramentum non obligat cum periculo ſalutis, etiam corporis, iuxta Gloſſam. 2. in cap. *Si vero*, de Iureiur. & Gratian. in *Gloſ.* *Gratian.* c. vlt. §. vlt. verſi. *Quiquis ergo*, 22. q. 4.

Mihi

Digitized by Google

13. *Aduertentia ad reſolutionem quaeſtionis.* Mihi pro reſolutione vlterius conſiderandum occurrit, non parum referre an ille, qui iurat redire ad carcerem, pręuiderit periculum mortis, quando iurauit, vel poſtea ſuperuenerit, vel in re ipſa, vel in cognitione, ſeu aduertentia ipſius iurantis, inter hęc enim differentia magna inuenitur quoad voluntatem iurantis. Nam in priori caſu voluntarie iurauit redire non obſtante periculo mortis, quod iam erat, & præuidebatur: in poſteriori autem caſu non habuit talem voluntatem, cum periculum ignoraret. Vnde potius credi poteſt iuraſſe, quia ſine periculo ſe poſſe redire exiſtimabat.

14. *1 Concluſio. Qui præuiſo periculo mortis iurauit rediturum ſe ad carcerem, ſiue ille ſit iuſtus, vel iniuſtus obligatur iuramento.* Dico ergo primo: Qui præuiſo periculo mortis iurauit redire ad carcerem, obligatur iuramento, ſiue carcer ſit iuſtus, ſiue iniuſtus, & ſiue mors ſit iuſta, ſiue iniuſta. Hanc aſſertionem communiter ſequuntur Theologi hoc tempore, & probatur per ſingula membra. Nam in primis ſi carcer ſit iuſtus, & mors, omnes vnanimi conſenſu conueniunt iuramentum obligare, quia eſt de re iuſta, & ſancta, & nullam habet excuſationem. Quia quod res ſit ardua, & difficilis non excuſat, quia potius ſpectat ad fortitudinem quando cauſa iuſta eſt, vt in propoſito eſt, reuerentia Deo debita in ſeruando iuramento. Maxime cum ſit factum pręuiſa tota rei difficultate. Addo etiam, iuramentum illud non poſſe proprie dici per metum extortum, quia nec per vim iniuſtam, nec per metum directè ad illum finem immiſſum extortum eſt. Difficultas vero, quæ in hoc eſſe poteſt, ſtatim ſoluetur. Deinde ſi carcer eſt iuſtus, & timetur mors iniuſta fere eædem rationes locum habent. Nam tale iuramentum impleri poteſt, ſine diſcrimine conſcientiæ, quia ſe exponere periculo iniuſtæ mortis, non eſt intrinſece malum, & factum propter ſeruandum iuramentum eſt opus virtutis. Item iam illud periculum fuit præuiſum, & iuramentum voluntarie factum eſt, de redeundo non obſtante illo periculo: imo periculum illud antea inerat, & ratione iuramenti fuit quaſi ſuſpenſum, vel interruptum, ergo cum poſtea ad illud reditur ratione iuramenti, fit opus Religionis, & virtutis. Nam quod immediate fit bonum eſt, reliquum vero malum, quod timetur eſt tantum permiſſum à redeundo. Vnde tunc non eſt cur excuſet periculum ſalutis corporalis, quia à principio fuit periculum illud præuiſum, & eo non obſtante fuit factum licite iuramentum, quia iam periculum inerat, & ita non creatur occaſione iuramenti, ſed quaſi reſtituitur ad eundem ſtatum, & hoc ipſum iuratum fuerat.

15. Tertio ſi carcer ſit iniuſtus, & periculum mortis non timetur, res etiam videtur clara, quia tunc etiam eadem eſt ratio de illo caſu, quæ de iuramento per metum extorto à latronibus, in quo iuramentum obligat, vt dictum eſt ex d. cap. *Si vero*, Item ibi habet locum regula, quod obſeruatio talis iuramenti non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, nec etiam in diſpendium ſalutis, ſeu vitæ corporalis. Quod autem intercedat grauamen aliquod corporale non ſatis eſt ad excuſationem non implendi iuramentum cum nulla rerum mutatio facta ſit, & ideo dici non poſſit grauamen illud oriri ex obſeruatione iuramenti. Item qui iniuſte detinetur in carcere, & iurat non fugere, tenetur ſeruare, quia poteſt illud facere ſine peccato, ſed moraliter perinde eſt non fugere, etiam facile poſſit, & apertę ſint ianuæ, ac redire; ergo. Denique quando vtrumque eſt iniuſtum, probatur, quia etiam tunc iuramētum eſt de re licita, & poteſt impleri ſine culpa, eratque res in eodem ſtatu, & periculo ante iuramentum, & cum præuiſione illius factum eſt; ergo nulla eſt ratio excuſationis. Nec video, quam potuerit aſſignare Nauarr. ex eo, quod carcer ſit iniuſtus, ſi mors ipſa futura ſit iniuſta: nam iniuſtitia carceris nō magis excuſat, quam mortis. Imo ſi detentio carceris termi[n]anda creditur in morte iniuſta, eo ipſo talis etiam detentio iniurioſa cenſenda eſt: ergo non loquitur conſequenter Nauarr. dicens, redeundum eſſe [...] cum grauamine ſuſtinendi mortem iniuſtam, & non cum grauamine carceris iniuſti. Ratio etiam quam Couarr. obiicit in contrarium, quia ille reuertendo ſe occidit, non obiicitur conſequēter, quia eadem fieri poſſet, quando mors eſſet iuſta, in quo caſu ipſe Couarr. fatetur iuramentum obligare. Dico ergo, redire ad carcerem non eſſe ſe occidere, ſed eſſe non fugere periculum mortis, vel illi ſe exponere, quod non eſt per ſe malum, ſed interdum licet ex rationabili cauſa, vt per ſe notum eſt, hic autem eſt rationabilis cauſa obſeruatio iuramenti. Maxime cum homo non ſe conaciat de nouo in illud periculum, ſed ſe reſtituat in priſtinum in reuerentiam iuramenti, & ad ſeruandam fidem datam.

Dico ſecundo: Quando periculum non fuit cogitatum, ſed homo iurauit, quia nō putauit eſſe tantum periculi in reditu, tunc merito excuſari poteſt ab obſeruatione iuramenti. Probatur, quia tunc non voluit à principio ſe obligare ad ſubeundum illud periculum, & res ſunt notabiliter mutatæ, vel in re ipſa, vel in cogitatione iurantis, quod perinde eſt; ergo merito credi poteſt ſic iurans, non habuiſſe animum iurandi, & ſe obligandi pro tali caſu, ac ſubinde non obligatur. Dices: Iam ille erat in carcere, & ſubiturus fuiſſet idem periculum, ſi non iuraſſet, quia (vt ſupponimus) ſine iuramento non inde exiſſet, & conſequenter potius ſemper credendum eſt, illum fuiſſe iuraturum, etiamſi præuidiſſet periculum, quia alias non daretur illi licentia exeundi; ergo non poteſt ex defectu voluntarij excuſari. Reſpondeo ſatis eſſe, quod ille de facto non iurauit ſe rediturum cum illo periculo, vnde ita eſt interpretanda eius intentio, quidquid ſit de priori ſtatu in ſe ſpectato, vel quid ille fuiſſet facturus, vel iuraturus, ſi præuidiſſet periculum. Et confirmatur, nam etiam in caſu prioris aſſertionis, & omnibus membris eius, ſi quis non abſolute iuraret, ſed concipiens interius conditionem, ſi potuero ſine periculo, vel aliam ſimilem, non obligaretur, imo ſi per iniuſtitiam coactus eſſet, non peccaret ſic iurando, iuxta ſuperius dicta: ergo quando ſimpliciter bona fide iurat, non pręuidens periculum mortis, virtualiter cenſetur iurare ſub illa conditione, ſi potuero ſine periculo, vel rebus ſic ſtantibus, qualiter nunc illas eſſe exiſtimo. Quæ ratio, ſi efficax eſt, procedit etiamſi mors, quæ poſtea timetur, iuſta pœna ſit, nā illam etiam licet fugere, vbi iuramentum non obligat ad non fugiendum, illud autem tunc non obligat ex defectu intentionis, & ideo extenditur tam ad caſum iuſtum, quam ad iniuſtum. Et conſequenter in eo caſu non eſt ſimpliciter neceſſaria relaxatio, quamuis ſi haberi poſſit optimum cōſilium ſit, eam poſtulare ad cautelam. In priori autem caſu exiſtimo eſſe neceſſariam relaxationem, & eam licite poſtulari, & concedi poſſe, interueniente iniuſta violentia ſiue in carcere, ſiue in morte, iuxta infra dicenda de relaxatione iuramenti. Aduertit autem Soto, & merito, cauendum eſſe ſcandalum, præſertim Chriſtianę Religionis, vt ſi iuramentum datum eſſet infidelibus à Chriſtiano captiuo redeundi ad ipſos, non liceret vti relaxatione, quia eſſet in magnum ſcandalum, & iniuriam Religionis. *Aduertendum.*

Aliud dubium hic occurrebat de iuramento cōtrahendi matrimonium, cum aliquo metu mortis extorto, an ſit validum? Sed hoc ad materiam de Matrimonio ſpectat, videatur interim Couarr. 2. p. quarti §. 5. nu. 5. Sanci. libr. 4. de Matrim. diſp. 21. Et nos ſimilem quæſtionem infra tractabimus de voto ſimplici Religionis. Item diſputari hic poteſt, an iuramentum extortum metu confirmet contractum alias iure humano prohibitum, ſed de hoc 17. *Dubium de iuramento contrahendi matrimonij extorto per metum Couar. Sanc.*

tractabimus in capitibus ſequentibus. Quale autem peccatum ſit frangere iuramentum iniuſte extortum in lib. 3. tractando de Periurio videbimus.

CAPVT XI.

Vtrum iuramentum per dolum vel errorem factum validum ſit, & obliget?

1. DE iuramento facto ex dolo, vel ſimulatione ipſius iurantis in ſuperioribus diximus, nunc agimus de dolo, & deceptione facta ab eo, qui iuramentum petit, vel extorquet. In quo dolo duo, ſicut in metu notauimus, diſtinguenda ſunt, iniuria, ſcilicet, quæ per dolum actiuum (vt ſic dicam) ſit homini, decipiendo ipſum: & effectus huius iniuriæ, qui eſt deceptio, ſeu erroneum iudicium cauſatum in homine, qui ad iurandum inducitur. Vt eſt in eo, qui per dolum inducitur ad iurandum ſponſalia, error, quo falſo credit fœminam eſſe diuitem, vel nobilem, qui error per dolum decipientis immiſſus eſt. In præſenti ergo non eſt habenda ratio doli quoad iniuriam, nec de illa ſupereſt iam quæſtio, quia in cap. 7. oſtenſum eſt non inualidari iuramentum propter iniuriam, quæ in illo extorquendo interuenit: in cap. autem 8. oſtendimus, quod licet iniuria adiungatur violentiæ, & timori, nihil refert ad iuramenti obligationem impediendam, ſi metus ipſe per ſe illam non impedit: ſic ergo in præſenti, vt clarum ſupponimus, iniuriam in deceptione interuenientem nihil facere ad inualidandum iuramentum, ſed effectum illius iniuriæ ſpectãdum eſſe. Nam ſi paſſiua deceptio per ſe ſufficit annullare iuramẽtum, inducta per iniuriam ſufficiet, vt per ſe conſtat: & è conuerſo ſi per ſe non ſufficit, nec ratione doli iniurioſi ſufficiet, nam quoad hoc eſt eadem ratio de dolo, quæ de metu, vt facile patebit applicando dicta in capite præcedenti.

2. *Dolus, & error in quo differant.* Vnde intelligitur, eandem eſſe quæſtionem de dolo; quæ de errore, hæc enim duo ſolum differunt, quod dolus dicit actionem, ſeu deceptionem iniurioſam, per quam proximus in errorem inducitur: error autẽ abſtrahit ab iniuria, vel deceptione alterius; poteſt enim ex naturalibus cauſis, vel ex aliis contingentibus caſibus prouenire. Vndecunque autem proueniat, ſi in ſe æqualis ſit eodem modo iuramenti obligationem impediet, vel non impediet. *Difficultas quæſtionis.* Tota vero difficultas eſt, an iuramentum factum per errorem obligationem inducat necne. Et ratio dubitandi eſt, quia ſicut error cauſat inuoluntarium, ſeu non voluntarium, ita etiam metus, ſed hoc non obſtat quominus iuramentum per metum factum obliget, ergo idem erit de errore. Item ratio de metu facta hic applicari poteſt, quia deceptio, vel error non tollit, quin iuramentum factum per errorem ſit verum iuramentum, ſed ex iuramento neceſſario ſequitur obligatio ex intrinſeca eius natura, quam voluntas, vel ignorantia hominis impedire non poteſt: ergo. Maior patet, quia ibi concurrunt omnia neceſſaria ad conſtitutionem iuramenti, quia homo deceptus vere habet intentionem iurandi, & verba iuramenti ſub hac intentione profert. Tertio hoc videtur confirmare, & declarare factum ſupra tractatum de iuramento Iſraelitarum facto Gabaonitis, Ioſue. 9. fuit enim per dolum, & deceptionem factum: & nihilominus obligauit, vt ex ſacra Scriptura colligitur, vt ſupra viſum eſt.

3. In contrarium vero eſt, quia ignorantia cauſat inuoluntarium, ſeu non voluntarium ſimpliciter, & ſine voluntate non fit iuramẽtum. Et declaratur ex differentia inter errorem, & metum, nam metus licet cauſet inuoluntarium ſecundum quid, relinquit abſolutum conſenſum, & voluntarium ſimpliciter, quia neque ex parte intellectus tollit cognitionem neceſſariam ad volendum abſolute, nec ex parte voluntatis cogit illam, ſed potius inclinat ad volendum aliquid, quod ſecluſo metu nollet: error autem omnino aufert voluntatem, & conſenſum, quia ex parte intellectus tollit cognitionem neceſſariam, quia voluntas non poteſt ferri in incognitum. Et ideo errans non conſentit. l. *Cum teſtamentum*, l. *Non idcirco*. C. de Iur. & fact. ignor. l. *Si per errorem*, ff. de Iur. om. iud. ergo aufert id, quod eſt de ſubſtantia iuramenti: ergo & eſſe iuramenti, & obligationem eius. *L. Cum teſtamentum. L. Non idcirco. L. Si per errorem.* Vnde argumentor ſecundo, quia non minus impedit error, quam ſimplex ignorantia, ſeu neſcientia: quia error includit ignorantiam, & addit falſam exiſtimationem, vnde dici ſolet ignorantia prauæ diſpoſitionis: neſcientia vero dicitur ignorantia priuationis. Vnde eſt illud Auguſt. in Enchir. cap. 17. *Sine rerum ignorantia nemo poteſt errare. Quamuis non continuo erret quis, quando aliquid neſcit, nam* (vt ſtatim ſubdit) *errare eſt approbare falſa pro veris, ſeu, aliud pro alio putare*, vt addit capit. 21. *Auguſt.* ſed ſimplex ignorantia, ſeu neſcientia impedit obligationem iuramenti, vt habetur expreſſe in c. *Veniens*. *Ca. Veniens.* ibi, *Nequaquam taliter iuraſſet, ſi mandatum illud ſibi contrarium præſciuiſſet*, de Iureiur. ergo multo magis dolus, & error impedient iuramenti obligationem. Tandem obligatio iuramenti Deum per ſe reſpicit, ſed Deus non verba conſiderat, ſed voluntatem, & intentionem, vt dicitur in capitul. *Humanæ aures*, 22. quæſtione 5. *C. Humanæ aures.* ergo cum deceptus non intendat iurare id, quod verba ſonant, non obligatur apud Deum.

4. Propter hæc argumenta dubitari nõ poteſt, quin aliquis error, vel dolus, obligationem, ſeu valorem iuramenti impediat. Ita ſentiunt Doctores communiter in cap. *Veniens*, de Iureiur. qui ex dicto textu colligunt iuramentum non extendi ad ea, quæ in mentem iurantis non venerunt, quod etiam affirmat Gloſſa in capit. penult. de Iureiur. *Gloſ.* ex illo enim principio recte ſequitur, iuramentum dolo extortum, vel per errorem factum quatenus tale eſt, non obligare; quia non eſt de re, quæ in mentem iurantis venerit. Vnde Nauarr. capit. 12. numer. 23. dicit, *Nauar.* quando non interuenit dolus ex parte iurantis, ſed ex parte petentis, tunc iuramentum non obligare niſi ſecundum intentionem iurantis. Ex quo plane ſequitur, non obligare ad id, quod per errorem cogitatum eſt. Idem clarius docet Syluest. *Iuramentum*, 4. q. 8. & 19. citans Ioan. Andr. Panormit. Archi. & Freder. Senen. *Syluest.* Difficultas vero eſt, an omnis dolus, & in omni materia annullet iuramentum, vel ſi non omnis error ſufficit, quæ diſtinctio, vel regula ſeruanda ſit? Et in primis ſicut Theologi in 4. diſt. 30. tractando de impedimento erroris matrimonij, diſtinguere ſolent errorem in ſubſtantia perſonæ, vel in accidentibus, ſeu conditionibus, quæ non ſpectant ad ſubſtantiam ipſius actus, nec ad rationem formalem, & eſſentialem eius, ſed ad extrinſeca motiua applicantia voluntatem: ita in præſenti diſtinguere poſſumus errorem, quia cadere poteſt in rem ipſam, quæ iuratur quoad ſubſtantiam eius, vel in cauſam, vel conditionem mouentem ad iurandum.

5. *1. Aſſertio. Error, ſeu dolus in ſubſtantia rei inualidat iuramentum. Abb. Couar.* Dico ergo primo, errorem, ſeu dolum in ſubſtantia rei annullare iuramentum. Hoc ad minimum docent dicti authores, & Abb. cum communi in cap. *Cum contingat*, de Iureiuran. Couarr. ſupra 3. p. §. 4. num. 2. Et hoc probat ratio, & defectus voluntarij conſenſus, non ſolum circa promiſſionem ipſam, ſed etiam circa iuramentum, quia reuera deeſt ibi intentio iurandi; ergo, & iuramentum; ergo & obligatio. Antecedens explicatur, quia ad iuramentum non ſufficit intentio iurandi in generali, ſed neceſſaria eſt intentio iurandi hoc in particulari, quia actiones humanæ circa particularia verſantur, ſed interueniente tali

errore

Digitized by Google

errore homo non habet intentionem iurandi rem illam, quæ ſibi proponitur, ſed aliam, quam apprehendit, quæ longe diuerſa eſt, nam (vt ex Auguſt. retuli) qui errat, aliud pro alio putat; ergo non habet intentionem iurandi, quæ ad iuramentum conficiendum ſufficiat, Et poteſt à fortiori declarari à ſimili, nam ſimilis error annullat votum non tantum ſimplex, ſed etiam ſolenne, & profeſsionem Religionis, vt infra ſuo loco videbimus. Item annullat matrimonium, quia licet relinquat voluntatem contrahendi in genere, vel determinatam ad aliam perſonam, tollit voluntatem contrahẽdi cum hac, quæ ſibi proponitur, quæ voluntas eſt neceſſaria ad ſubſtantiam actus; ergo idem eſt in præſenti, vt ſiquis iuret dare tibi hanc rem, quam putat eſſe vitream, & poſtea intelligit eſſe gemmam pretioſam, & ſic de aliis.

Auguſt.

6. *Duplex error in cauſam contractus, & incidẽs. Leg. Eleganter.*

Sed ſupereſt explicandum, de quo errore intelligendum hoc ſit, & vt intelligatur ratio dubitandi, oportet ſupponere vulgarem diſtinctionem de duplici errore, dante cauſam contractui, vel non dante cauſam, ſed incidente in contractu, vt diſtinguunt Iuriſperiti in leg. *Eleganter*. ff. de Dolo, poteſtque cum proportione ad iuramentum applicari. Illa vero duo membra ita diſtingui ſolent, vt tunc error, vel dolus dicatur dare cauſam contractui, quando non interueniente tali errore contractus, ſeu iuramentum non fieret, tunc vero non det cauſam, quando non obſtante ſcientia contraria errori, ſi adeſſet, fieret contractus, etiam cum iuramento. Sic fere tradunt Summiſtæ verb. *Dolus*, Syllueſt. ver. *Culpa*, quæſtione 5. Molin. tractat. 2. de Iuſt. diſput. 352. to. 2. Sed de vero ſenſu huius diſtinctionis dicam in materia de Voto; nam ad præſentem cauſam nihil conferre cenſeo, vt explicabo. Eademque fere eſt diſtinctio ignorantiæ in antecedentem, & concomitantem. Nam antecedens dicitur, quando ſine illa non fieret opus: concomitans vero, quando etiamſi ignorantia non interueniret, opus fieret. Videri ergo poteſt aſſertio intelligenda de ſolo errore antecedente, quia ignorantia concomitans dicitur non excuſare, nec cauſare inuoluntarium.

Sylueſt. Molin.

7. *Vterque error excludit conſenſum, ſeu voluntatem iurandi.*

Nihilominus dico, in præſenti eandem eſſe rationem de vtroque errore, & prædictam differentiam nihil ad rem præſentem facere, quia vtroque modo, error, ſeu dolus excludit conſenſum; ſeu voluntatem iurandi. Et de errore, qui dat cauſam, id clarum eſt, quia cauſat inuoluntarium: de concomitante vero, ſeu incidente patet, quia ſaltem cauſat non voluntarium quatenus tollit actualem conſiderationem obiecti, ſine qua non eſt actualis conſenſus, ſeu intentio voluntaria, vt docet Diuus Thomas, 1. 2. quæſt. 6. art. 8. ergo in præſenti etiam hic error tollet intentionem iurandi, & conſequenter obligationem iuramenti. Confirmatur, & declaratur, nam illa conditionalis propoſitio, *etiamſi non interueniret error, iurarem*, ſi ſumatur, vt mere de futuro, eſt omnino contingens, & incerta, ideoque nec de illa poteſt ferri definitum iudicium, nec quidquam conferre poteſt ad morales effectus. Oportet ergo illam conſiderare ſecundum actualem diſpoſitionem operantis, quatenus, ſcilicet; eſt in actuali propoſito eius formali, vel virtuali. Nam ſolum habituale non videtur ſufficere, tum quia habitualis intentio iurandi non ſufficit ad iurandum, ſicut nec habitualis conſuetudo ſufficit; ſi in actu eſt totalis conſideratio, tum etiam quia in ſolo habitu incertum, ac pure contingens relinquitur, an eſſet quis operaturus ex illo, etiamſi ſciret, quod nunc ignorat, quia habitibus vtimur, cum volumus, & ita etiamſi habitus inſit, fortaſſe interueniente ſcientia homo non vellet aliquid; quod ignorans vult. Vnde coram Deo etiamſi quis habeat habitum non ieiunandi, & inuincibiliter ignoraret hodiè eſſe diem ieiunij, & valde probabile ſit, non fuiſſe ieiunaturum etiamſi ſciret, nihilominus ignorantia illa eſſet occaſio non committendi nouum peccatum, quia ratione illius de facto non habuit voluntatem culpabilem, ita ergo in præſenti, ſi error interuenit, & illa diſpoſitio eſt mere habitualis, nihil operatur ad voluntatem iurandi actualẽ, ſine qua eſſe non poteſt actuale iuramentum.

D. Thom.

Habitualis intentio iurandi non ſufficit, neque ad iurandum, neque ad obligandum.

Quod ſi diſpoſitio illa non eſt tantum habitualis, ſed etiam actualis, oportet, vt ſit per actualem intentionem iurandi rem, quæ talis exiſtimatur, etiamſi in re talis non ſit, ſeu (quod in idem redit) vt intentio iurandi ſit cum reflexione iurandi hoc, etiamſi decipiar: & tunc quidem ſine dubio ſufficiet ad obligationem iuramenti, illud tamen iuramentum non poteſt dici ex errore, quia ipſa voluntas extenditur vltra id, quod per errorem diſtincte proponitur, tendendo ad rem, prout eſt in ſe, quod per voluntatis libertatem fieri poteſt. Sicut in materia de Matrimonio multi dicunt, ſi error ſit perſonæ impedire valorem matrimonij, ſiue ſit antecedens, ſiue concomitãs, niſi voluntas expreſſe extendatur actu ad ducendam hãc perſonam, etiamſi ſit alia; quam eſſe dicatur, vt tradunt Soto, Ledeſma, & alij, quos refert, & ſequitur Sanc. 2. tom. lib. 7. diſp. 18. num. 6. Qui recte aduertunt, non ſufficere hunc actum, etiamſi eſſet hæc perſona, ducerem eam, quia hic actus conditionalis, & ſuſpenſiuus eſt, & in præſenti nihil ponit, ſed requirit hunc actum de præſenti, duco te, etiam ſi alia ſis. Ita ergo in præſenti requiritur abſolutus actus, volo iurare hoc, quod mihi proponitur, etiamſi aliquis error interueniat, ſine hoc tamẽ actus habitualis, vel conditionata diſpoſitio non ſufficiet, vt fiat actu iuramentum de illa re, circa quam ſubſtantialiter erratur: ſi autem iuramentum non fit, nec obligatio naſcitur, vt conſtat. 8.

Soto. Ledeſm. Sanc.

9. *Dubiũ circa eandem materiam.*

Maius dubium eſt, quando error tantum eſt circa cauſam iurandi applicantem voluntatem, non tamen pertinẽtem ad ſubſtantiale, vel formale obiectum eius, vt eſt optimum exemplum in caſu illo Gabaonitarum, & idem erit, ſiquis iuret dare eleemoſynam Petro, qui vere pauper eſt, motus, quia putauit eſſe Luſitanum, quem poſtea deprehendit eſſe peregrinum hominem. Et in hoc caſu aliqui putant iuramentum ſequi naturam promiſsionis, quia hęc eſt generalis regula iuramenti, iuxta legem vltim. Cod. de non numeran. pecun. & ſumitur ex capit. *Quemadmodum*, de Iureiurando, vt cum multis aliis, quos allegant, notant Couarr. ſupra 1. par. §. 4. in princip. & in quarto Decręt. 2. part. §. 5. nu. 3. & Gutierr. 1. part. cap. 37. nu. 2. ergo eadem eſt ſeruanda in caſu præſenti. At vero talis promiſsio per deceptionem facta hanc habet conditionem, vt ſi det cauſam promiſsioni, & facta ſit per dolũ eius, cui ſit promiſsio, ipſo facto irrita ſit, & non obliget, ſi vero accidat ſine dolo, valida ſit promiſsio, irritari tamen poſsit detecto errore: ſi autem error tantum ſit concomitans, promiſsio ita ſit valida, & firma, vt reſcindi non debeat, licet pro iniuria, ſi interceſsit, poſsit agi ad intereſſe. Vt ſuppono ex doctrina de Contractibus, quæ apud Iuriſperitos eſt frequens in leg. *Eleganter*. ff. de Iuſtit. & Iur. & aliis, quos refert Couarr. in Regula *Poſſeſſor*, 2. part. §. 6. Molin. 2. tomo de Iuſt. diſputat. 352. Sanc. libr. 1. de Matrimon. diſput. 64. & 65.

Ca. Quemadmodum. Couar. Gutierr.

Leg. Eleganter. Couar. Molin. Sanc.

10. Ergo eodem modo dicendum eſt de iuramento, nam additum promiſsioni, quæ propter errorem nulla eſt, nullum erit; & additum promiſsioni irritabili obligabit, quamdiu promiſsio irritata nõ fuerit: ſi vero reſcindatur conſequenter ceſſabit iuramentum. Probatur hæc conſequentia ex d. regula, & quia tũc eſt irrita, vel irritatur promiſsio propter incluſam virtute conditionem, ſed eandem includit iuramentum, iuxta d. cap. *Quemadmodum*, vt dice-

dicemus infra, tractando de ceſſatione obligationis iuramenti propter rerum mutationem, ergo eodem modo vel à principio non obligat, vel poſtea reſciſſo contractu deſinit obligare. Nec iuramentũ obligat ad non reſcindendam promiſsionem, quia de hoc non fuit factum, ſed præciſe de promiſsione ſeruanda, prout ipſa exigit.

11. *Regula probabilis iudicatur.*

Hæc regula probabilis eſt, ſed eius fundamentum infirmari poteſt, & contrarium non leuiter ſuaderi. Primo, quia iuramentum ſæpe obligat, etiamſi promiſsio nulla ſit, vt ſupra viſum eſt in caſu de vſuris, & de latrone; ergo ex vi illius generalis regulæ non poteſt inferri, in præſenti, iuramentum non obligare, niſi quando, & pro tempore, quo obligat promiſsio. Secundo declaratur hoc maxime, explicando rationem à priori, quia illa promiſſio ex natura rei valida eſt quantum eſt ex parte cõſenſus ſubſtantialis, quia error non fuit circa ſubſtantialia, vt ſupponitur: ergo ex natura rei etiam eſt validum iuramentum, quia etiam nõ deeſt ſubſtantialis voluntas iurandi. At vero quando promiſsio eſt irrita ipſo facto, vel eſt ratione iuris poſitiui, vt multi volunt, vt patet ex Bart. & Couarr. ſupra, vel eſt ratione iniuriæ, vt eſt valde probabile, & ſentit Molin. ſupra. Hæc autem non poſſunt irritare iuramentum à principio, quia iniuria non impedit valorem iuramenti, vt iam notatum eſt, & multo minus impedit poſitiuum ius, quia illud non irritat immediate iuramentum: ſed promiſsionem, manente autem irrita promiſsione poteſt iuramentum eſſe validum, vt dictum eſt. Si autem iuramentum in ſuo eſſe iuramenti eſt verum, & validum, plane obligat. Vnde à fortiori fit, ſi promiſsio à principio fuit valida, vel non poſſe poſtea reſcindi ratione iuramenti, etiamſi nuda, & abſque iuramento poſſet reſcindi, vel ſi de facto promiſsio irritetur, nihilominus obligationem iuramenti, quatenus fuit de tali re facienda, non ceſſare. Quia ſicut in priori caſu quando promiſsio eſt nulla, iuramentum non intelligitur includere hanc conditionem, *ſi promiſsio obligat, iuro illam implere*, ſed abſolute eſſe de tali re facienda, & ideo obligare, quia impleri poteſt ſine peccato, ita in poſteriori caſu non includit hanc limitationem, *Iuro implere promiſsionem niſi reſcindatur*, vel *donec reſcindatur*, ſed ſimpliciter, & abſolute fit, quia iuramentum non tantum confirmat promiſsionem, vt promiſsio eſt, ſed etiam vt eſt aſſertio de futuro, quæ licite impleri poteſt, ſiue promiſsio obliget, ſiue non. Eo vel maxime quod illa reſciſsio promiſsionis non eſt propter conditionem incluſam, ſed propter legem humanam, quæ hoc remedio ſubuenire voluit defectibus, & deceptionibus hominum, quod remedium non minuit obligationem iuramenti; nec poteſt facere, vt obligatio eius, quæ de ſe eſt abſoluta, conditionata fiat; ergo nec poteſt facere, vt ceſſet, etiamſi ceſſet propria, & humana obligatio promiſsionis.

Probatur, & explicatur concluſio à priori.

12. *2. Aſſertio. Error circa cauſam extrinſecam, vel accidentariam iuramento, nõ illud irritat. Syluest.*

Dico ergo ſecundo: Error circa cauſam extrinſecam mouentem ad iurandum, vel circa qualitatem accidentariam rei iuratæ, non irritat iuramentum, niſi quando moraliter, & ſecundum prudentem coniecturam afficiant ſubſtantialem materiam iuramenti, limitando illam in ordine ad intentionem iurantis. Priorem partem docet Syluest. *Iuramentum*, 3. q. 1. d. 3. & ſentiunt authores ſupra citati, & probant mihi rationes proxime factę. Et declaratur bene exemplo iuramenti præſtiti Gabaonitis Ioſue 9. nam error, vel dolus fuit circa accidentalia, non circa ſubſtantialem materiam, & ideo validum reputatum eſt: idem videtur in exemplo, de iuramento dãdi huic vero pauperi eleemoſynam, quia putabam eſſe conciuem meum, vel quid ſimile, ex quo deceptus ſum. Et confirmatur, nam in talibus caſibus, ſi error eſſet tãtum concomitans, validum, & firmum eſſet iuramentum, ſecundum omnes; ergo etiam ſi error ſit antecedens, & det cauſam, erit æque validum. Probatur conſequentia, quia non magis tunc aufert voluntatem iurandi ſubſtantialem, quam cum eſt concomitans, quia non magis aufert cognitionem obiecti, vt per ſe conſtat: ſolum ergo facit illa conditio antecedentis erroris, vt ille conſenſus in iuramentum ſit inuoluntarius ſecundum quid, quia non iurarem, ſi hoc ſcirem, hoc autem inuoluntarium ſecundum quid non impedit iuramentum abſolute volitum, vt in iuramento ex metu conſtat, ergo.

Altera vero pars ſufficienter probatur ex illo principio Iurium, quod iuramentum non extenditur ad incogitata, quando ſecundum prudentem æſtimationem, & coniecturam talia ſunt, vt veriſimilius credatur, non fuiſſe iurantis intentionem illa comprehendere ſub ſua promiſsione, vel aſſertione iurata, quia tunc deeſt conſenſus ſimpliciter circa illa. Hoc autem principium ſufficienter colligitur ex dicto capit. *Veniens*, de Iureiurando: vbi Gloſſa multis Iuribus illud confirmat, ſumitur etiam ex capit. *Quinta vallis*, & capit. *Quemadmodum*, eod. & ex dicendis infra de interpretatione, & duratione iuramenti magis conſtabit, & ex illo infertur aliud principium ſatis receptum, quando conditio talis eſt, vt ſi in principio non eſſet, & poſtea ſuperueniret, cenſeretur facere mutationem excuſantem ab obligatione iuramenti: illã etiam in principio exiſtentem, & ignoratam ſufficere ad impediendam obligationem iuramenti, quia ſi ſuperueniens cenſetur non fuiſſe intenta, etiã præexiſtẽs, & ignorata, quia quoad iurantis intentionem perinde eſt, propter quod dicitur in lege. *In lege*, Digeſtis de Contrahen. emptione. *Quod non apparet, in contractu non comprehendi*. Et explicatur optime in caſu dicti capit. *Quemadmodum*, nam ſi ſponſalia iurata, diſſoluuntur per ſuperuenientem fornicationem ſponſæ, etiam fornicatio præcedens, & ignorata tempore ſponſaliorum impediet obligationem iuramenti. Idem ergo eſt in ſimilibus caſibus, qui non poſſunt certa regula comprehendi, ſed prudenti arbitrio opus eſt, conſiderata conditione perſonæ, & circumſtantiis, ſicut infra dicemus de mutationibus ſuperuenientibus circa materiam.

Ca. Veniens. Gloſ. Cap. Quinta vallis. Cap. Quemadmodum.

13. *3. Aſſertio. Ignorantia priuatiua, ſi auferat cognitionem rei neceſſaria, ad intentionem iurandi, effectum iuramenti impedit.*

Ex quo tandem intelligitur, an ignorantia, quæ pure eſt per negationem, ſeu priuationem, etiamſi ſit abſque errore, poſsit impedire valorem iuramenti? Dico ergo tertio: Ignorantia licet ſit pure priuatiua, ſi auferat cognitionem rei neceſſariæ ad conſenſum, vel intentionem iurandi, de ſe ſufficit ad impediendum iuramentum: de facto autem ſemper cum tali ignorantia miſcetur aliquis error, ſaltem practicus, quando conditiones ignoratæ inſunt eo tempore, quo fit iuramentum, reſpectu vero ſuperuenientium facilius poteſt eſſe pura ignorantia negatiua. Omnia hæc facile explicantur in caſu illo cap. *Quemadmodum*, Nam fieri poteſt, vt iurans ſponſalia cum aliqua, quam ignorat non eſſe virginem, nihil de hac conditione cogitet, ſed illam quaſi habitualiter ſupponat, & ita proprie non erret eliciendo aſſenſum falſum, habebit ergo ignorantiam negationis, quæ tamen ſufficit auferre conſenſum; quia moraliter ſupponitur non fuiſſe hunc conſenſurum, ſi talem ſciret conditionem, & ita moraliter creditur non intendiſſe iurare, niſi ſub illa conditione. Nihilominus tamen regulariter hoc non contingit ſine poſitiua deceptione etiam ſpeculatiua, quia nemo eſt, qui de huiuſmodi conditionibus non cogitet, & opinetur illas ineſſe, quas ipſe deſiderat, ſeu ſupponit. Multo vero magis neceſſe eſt errari practice, quia neceſſe eſt iudicare, expedire hic, & nunc iurare, quod iudicium eſt practice falſum: ita ergo non operatur hæc ignorantia ſine errore, quem cauſat. At vero quando

Digitized by Google

quando conditio impediens tunc non ineſt, ſed poſtea ſuperuenit, vt eſt fornicatio poſtea commiſſa: tunc non eſt neceſſe inueniri poſitiuum errorem tempore iuramenti, quia non eſt neceſſe iudicare de futuro euentu, ſed de præſenti ſtatu, & ſecundum illum tam iudicium practicum, quam ſpeculatiuum verum eſt: tunc ergo ſufficit ignorantia priuationis de futuro euentu, vt intentio iurandi non extendatur ad illam materiam, ſeu perſonam, prout erit in futuro tempore facta illa mutatione. His ergo modis videtur ſufficienter explicari qualiter dolus, error, vel ignorantia impedire poſsint obligationem iuramenti, & ſatisfactum eſt ſufficienter difficultatibus propoſitis.

13. Dubium. Vna vero ſupereſt explicanda communis metus, & dolo, quam propterea ſupra huc remiſimus, an hæc doctrina generalis ſit ad omnia iuramenta, vel peculiare aliquid habeat in his iuramentis, quibus firmantur contractus alias reprobari Iure ciuili? Et ratio dubitandi oritur ex ca. *Cum contingat*, de Iureiurando, cap. 2. eod. in 6. capit. 2. de Pact. in 6. & Authentica *Sacramenta puberum*, C. Si aduerſ. vendit. In quibus Iuribus ſpecialiter ſermo eſt de iuramentis contra leges Ciuiles factis, quæ impleri poſſunt ſine diſpendio ſalutis æternæ, & ideo valida ſunt, & obligant. Requirunt autem illa iura vt ſint facta ſponte, & ſine dolo, & metu. Vnde colligi videtur, in his Iuramentis maiorem efficaciam habere vim, metum, & dolum ad irritanda iuramenta, quam habeant in aliis: & conſequenter irritare illa etiam ratione iniuſtiæ, vel ratione inuoluntarij ſecundum quid. Atque ita ſentit Gloſ. in d. ca. *Quamuis pactum*, verb. *Non vi*, ſic etiam docet Abb. in cap. *Cum contingat*, de Iureiurando num. 3. quem ibi ſequitur Alciat. cum aliis, & Felin. in cap. 2. de Iureiurando num. 2. Item Syluest. *Iuramentum*, 4. quæſt. 8. citans Decium, Archidiac. & Bartol. docet tale iuramentum dolo, vel metu extortum non eſſe obligatorium. *Ex quo enim* (inquit) *talia iuramenta contra legem ſunt, non ligant, niſi ſint voluntaria omnino.* Addit vero, *Tutius tamen eſt, ſi petatur abſolutio, ſed primum verius.*

Cap. Cum contingat.

Gloſ. Abb. Alciat. Felin. Syluest.

14. Dubij reſolutio. Sed nihilominus aſſero, doctrinam datam de metu, & dolo generalem eſſe etiam ad illa iuramenta, quæ legibus Ciuilibus repugnant, & ſine aliquo peccato ex parte ipſius iurantis impleri poſſunt. Itaque in illis caſibus, in quibus dolus irritat alia iuramenta, irritabit etiam hæc, quia tollet voluntatem iurandi talem rem, & ita ex hac parte eſt eadem ratio, & aliunde repugnantia ad legem potius iuuare poſſet, quam impedire. At vero quoties voluntas ſic iurandi talia pacta, ſeu promiſsiones, ſimpliciter non aufertur, ſed tantum fit ſecundum quid inuoluntaria ratione metus, vel doli, iuramentum obligat non obſtante metu, vel dolo. Probatur primo, quia illud eſt verum iuramentum circa tale factum, ergo ex reuerentia Dei inducit ſuam obligationem naturalem. Antecedens patet, quia ibi concurrunt omnia neceſſaria ad iuramentum quoad eſſe, vel conſtitutionem illius, quia exterius iuratur, & interius eſt abſoluta voluntas iurandi, quæ de ſe eſt efficax, non obſtante velleitate in contrarium, vel imperfectione cognitionis. Conſequentia vero ſæpe probata eſt, quia ex iuramento naturaliter ſequitur obligatio in materia capaci, ita vt nec per legem humanam poſsit impediri, niſi mutãdo materiam, vt infra dicam. Secundo probatur, quia iuramentum à latrone extortum, & ab vſurario per iniuriam obligat, etiamſi ſit ſecundum quid inuoluntarium, ergo multo magis dicta iuramenta obligant, etiamſi metus, vel dolus interueniat. Patet conſequentia, quia in dictis iuramentis intercedit maior iniquitas ex parte eius, cui iuratur, & maior quædam repugnantia cõtra legem naturalem. Tertio quia contraria ſententia nullum in ratione habet fundamentum, & Iura adducta nihil probant in contrarium, vt patebit. Et hanc ſententiam ſequitur Couarr. in 4. 2. part. cap. 3. §. 5. num. 2. & lib. 1. Variarum. cap. 4. num. 7. & dicit eſſe communem Doctorum in capit. *Quamuis pactum*, vbi idem Couarr. 3. part. §. 4. num. 2. idem affirmans de metu, videtur aliter ſentire de dolo, ſed intelligendus eſt, quando dolus aufert conſenſum iuxta ſupra dicta. Atque ita etiam ſentit Molin. 1. tom. de Iuſt. diſp. 149. Indicat Angel. verb. *Iuramentum*, 5. n. 24. & alij.

Couar

Molin. Angel.

In dictis ergo Iuribus non additur illa exceptio, ad excludendam ſimpliciter obligationem talium iuramentorum, ſed ad declarandum, illa iuramenta non habere tantam firmitatem, quando intercedit dolus, & fraus, quantam haberent ſi abſque dolo, & fraude facta eſſent. Quando enim ſponte fiũt, omnino implenda ſunt, vt dicitur in cap. 2. de Pactis, in 6. id eſt, non ſunt relaxanda, per ſe loquendo, & ratione ſolius repugnantiæ, quam habent ad leges Ciuiles. Si autem metus, vel dolus interceſsit, licet obligent, poteſt tamen prius quam impleantur, de illis relaxatio iuſte poſtulari, & cõcedi in odium creditoris per dolum, vel metum extorquentis iuramentum. Et in hoc ſenſu dicitur in d. capit. *Cum contingat*: *Mulieres ipſæ ſeruare debent huiuſmodi iuramenta ſine vi, & dolo ſponte præſtita.* Ita, ſcilicet, vt non ſolum illa violare non liceat, verum etiam nec relaxationem ſine alia cauſa poſtulare. Et ita argumentum in contrarium, quod inde ſumit Syluester ad ſummum probat, interueniente fraude, vel metu, poſſe non ſeruari petendo relaxationem, non vero non obligare, maxime quia argumentum à contrario ſenſu, quando ſequitur abſurditas non valet, nec eſt extendendum. 15.

Cap. Cum contingat.

16. Et idem eſt ſenſus cap. 2. de Iureiurando in 6. & magis explicatur in capit. 2. de Pactis in 6. per particulam *omnino*, recte enim intelligitur, vt interueniente dolo, vel metu, non omnino ſeruari debeat iuramentum: quia poteſt peti relaxatio: non vero bene infertur, omnino poſſe non ſeruari, id eſt, propria authoritate ſine vlla relaxatione, quia hic ſenſus non ſequitur ex vi illationis, & ita non habet fundamentum in textu, & repugnat rationi textus, quia tale iuramentum etiamſi interceſſerit fraus, & vis, poteſt ſeruari ſine ſalutis diſpendio. Ergo ſeruanda eſt regula capit. *Verum*, de Iureiurando, vt ſic iurantibus non ſimpliciter dicatur, iuramentis non obligari, vt tollatur materia peierandi, ſed dicatur, habere iuſtam cauſam petendi relaxationem.

17. Verba autem d. Authenticæ, licet in ſpecie duriora ſint, nam de talibus iuramentis dicitur: *Nullius eſſe momenti iubemus.* Tamen in re ſunt minus efficacia, quia lex Ciuilis non habet authoritatem declarandi, an iuramentum ſit validum necne, nec poteſt irritare illud ratione ſolius metus, vel doli, ſi materia iuramenti licita eſt iuranti. Senſus ergo eſt, nullius eſſe momenti in ordine ad forẽſe iudicium ſeculare, cuius argumentum euidens eſt, quia non ſolum de iuramentis factis à minoribus, ſed etiam de factis à *maioribus*, expreſſe loquitur lex illa, ergo non poteſt intelligi de nullitate obligationis iuramenti in re ipſa, & in conſcientia. Addo præterea, ſi verum eſt per illa Iura conceſſum eſſe talibus iuramentis ſpecialem fauorem, & vim non ſolum introducendi ſuam obligationem, ſed etiam confirmandi pacta, hoc fauore non gaudere talia iuramenta, quando per vim, & metum extorta ſunt, & hoc etiam eſſe intentum in illis Iuribus, & præſertim in d. Authentica, vt eſt communis ſententia de qua teſtatur Couar. ſupra p. 3. §. 4. n. 2. & ex dicendis capitibus ſequentibus amplius conſtabit.

(:)

Digitized by Google

CAPVT XII.

Vtrum iuramentum promiſſorium de actu virtutis ſemper inducat obligationem?

1. *D. Thom.* EXplicuimus conditiones neceſſarias ex parte iurantis ad hunc effectum promiſſorij iuramẽti, ſequitur vt declaremus conditiones, quæ ex parte rei promiſſæ poſſunt eſſe neceſſariæ. Suppono autem materiam iuramenti promiſſorij, vt tale eſt, eſſe aliquid faciendum, vel omittendum in futurum à iurante ex D. Thoma in d. artic. 7. Nam præterita facta, vel quæ actu fiunt, non ſunt materia promiſſionis, ſed aſſertionis. Et ſimiliter quæ per alias cauſas fieri debent, vel ab aliena voluntate pendẽt, non poſſunt ab aliquo ſub iuramento promitti, niſi fortaſſe quatenus aliquo modo fieri poſſunt ab eo, qui iurat vel applicando cauſam, vel inducendo illam, vel alio ſimili modo, vt in ſuperiori lib. cap. 10. declaratum eſt. Atque hinc etiam conſtat, materiam huius iuramenti debere eſſe aliquid poſsibile iuranti, quia nemo obligatur ad impoſsibile. Et ita dicit D. Thomas ſupra iuramentum de re impoſsibili non obligare, quia deeſt illi comes iudicij, vtique in re maxime neceſſaria, ad ſubſtantiam, & fundamentum obligationis. Præterea materia, ſeu actio poſsibilis homini triplex diſtingui poteſt quædam bona, & optima, (vt ſic dicam) qualis eſt actio, quę dici ſolet de meliori bono, & de hac non oportet mouere quæſtionem: nam conſtat circa hanc maxime poſſe obligare iuramẽtum promiſſorium, quid enim amplius deſiderari poteſt ex parte materiæ? Et hoc à fortiori conſtabit ex dicendis infra de Voto. Alia eſt materia non bona, quam ita appellamus, vt tam malam, quam indifferẽtem cõprehendamus, de quibus ſimul dicemus in c. ſequenti, quia fere ſub eadem regula cõprehenduntur. Tertia eſt materia bona quidem, & honeſta, quãuis non ſit ex melioribus, & optimis bonis, de qua hic dicemus.

2. *Iuramẽtum de re honeſtà obligare, niſi impediat maius bonum.* Primo ergo certum eſt iuramentum de re honeſta, ſeu de actu virtutis, ſi non impediat maius bonum de ſe obligare. Dico autem *de ſe*, id eſt, quantum eſt ex parte materiæ, ita vt adſit conſenſus, & ex alio capite, vel mutatione rerum facta, non ſit ablata obligatio, & ſic aſſertio eſt communis omnium, & clara. Primo quia ſi iuramentum poteſt honeſte impleri, & ſine impedimento maioris boni, eo ipſo eſt de optimo bono, quia omne opus virtutis eſt bonum per ſe amabile, & ſi maius non excludit optimum reputari poteſt, quia nihil habet melius, quod ei repugnet. Secundo declaratur in hunc modum, quia vel iuramentum cadit ſuper promiſsionem Deo factam, vel ſuper promiſsionem factam homini, vel ſuper ſimplicem aſſertionem de faciendo opere honeſto, ſiue pertineat ad Deum, ſiue ad proximum, ſiue ad ipſum operantem. In primo caſu manifeſtum eſt, iuramẽtum obligare, quia illa promiſsio eſt validum votum, vt infra videbimus, votum autem validum ſi iuramento firmetur creſcit extenſiue in obligatione, vt ſupra oſtẽſum eſt, ergo tale iuramentum obligat. Similiter in ſecundo caſu promiſsio homini facta eſt valida, & per ſe obligat, vel ex iuſtitia, vel ex fidelitate, ergo addito iuramẽto per illud confirmatur, quia hic eſt effectus iuramenti, & nihil eſt, quod illum impediat. Atque hæc ratio procedit etiam cum proportione in tertio caſu, quia licet in eo non procedat obligatio, intercedit nihilominus aſſertio quædam, quæ honeſte, & prudenter poteſt fieri vera, ſed illa veritas per iuramentum confirmatur, quia etiam hic eſt finis iuramenti, & nihil ibi inuenitur, quod illum impediat, ergo tale iuramentum obligat ad faciendum verum quod dictum eſt. Denique hoc per ſe ſpectat ad Diuinum honorem, & nulla ratio maioris honoris Diuini reperitur in omiſsione rei iuratæ, vt ex hypotheſi manifeſtum eſt, quia ponimus non impedire maius bonum; ergo.

3. *Punctus difficultatis. An iuramẽtum de actu virtutis ſaltem obliget, ſi aliũ meliorem actum impediat?* Difficultas vero eſt, an iuramentum de actu virtutis, qui ſi fiat, alium meliorem actum impediat, obliget ad talem actum faciendum. In quo dubio non tractamus de meliori actu, qui ſit in præcepto: nam ſi tranſgrediendum eſſet præceptum ad iuramentum de alio actu implendum, iam actus ille nõ eſſet bonus, ſaltem ex circumſtantia, quia eſſet cauſa tranſgrediendi præceptum, & ita iuramentum illud non eſſet tũc de actu bono, de quo nunc tractamus. Agimus ergo de melioribus operibus, quæ fieri voluntarie poſſunt, licet non præcipiantur. Et tunc etiam videtur clarum, & certum, quod ſi homo facturus non ſit, ſeu nolit facere ea, quæ ſunt meliora, teneatur ad faciendum bonum illud, quod iurauit, quia tunc nulla eſt ratio excuſationis. Item quia illud iuramentum ſic intellectum habet duos comites iudicij, & iuſtitiæ, quia eſt de re honeſta, vt ſupponitur, & actu non impedit maius bonum, quando quidem faciendum non eſt; ergo obligat tale iuramentum ad obſeruandum tertium comitem, qui eſt veritas, id eſt, ad faciẽdum, vt veritas impleatur.

Obligetne iuramentum ad minus bonum?

4. SOlum ergo ſupereſt dubium, an nõ obſtante iuramento poſsit homo licite dimittere actum promiſſum, ſeu iuratum, vt meliorem efficiat, quia ſimul fieri non poſſunt; occurrunt enim pro vtraque parte graues dubitandi rationes. Quod enim tale iuramentum præciſe tunc obliget, probari poteſt ex ca. *Si vero*, de Iureiur. *Non eſt tutum quemlibet contra iuramentum ſuum venire, niſi tale ſit, quod ſeruatũ vergat in interitum ſalutis æternæ.* *Cap. Si vero.* Ex quibus verbis ſumi videtur affirmatiua, & vniuerſalis regula ſeruandi iuramentum, quoties ſine peccato ſeruari poteſt, ſed in præſenti caſu iuramentum ſeruari poteſt ſine peccato, quia omittere tunc actum meliorem, non eſt peccatum; ergo ſeruandum eſt. Secundo, argumẽtum ſumitur ex cap. *Cum contingat*, eod. ibi, *Seruari debẽt huiuſmodi iuramenta ſine vi, & dolo ſponte præſtitã, cum in alterius præiudicium non redundẽt, neque obſeruata vergant in diſpendium ſalutis æternæ.* *Cap. Cum contingat.* Tertio, ex ca. *Commiſſum*, de Sponſalibus vbi dicit Pontifex, eum, qui cum iuramento promiſit ducere aliquam in vxorem non debere ingredi Religionem, niſi prius iuramentum impleat, matrimonium contrahendo, licet poſt illud contractum, & non conſummatum, poſsit Religionem ingredi. Ex quo reſponſo ſumitur argumentum: nam ingredi Religionem melius eſt, quam matrimonium ducere. Neque poteſt negari, quin actus ille contrahendi matrimonium impediat, ſaltem protunc actum ingrediendi Religionem, qui melior eſt, imo etiam exponat hominem periculo implicandi ſe actibus matrimonij, & dimittendi ſimpliciter Religioſum ſtatum, & nihilominus dicit Pontifex, tutius eſſe iuramentum implere; ergo idem eſt in omni ſimili iuramento.

5. Quarto, argumentari poſſumus ratione: quia iuramentum promiſſorium obligat ratione veritatis, ne contingat Deum eſſe inuocatum in teſtimonium falſitatis; ergo quoties poteſt homo facere verum, quod iurauit, tenetur iuramentum implere, ſed in caſu, quẽ tractamus, poteſt, ergo tenetur. Primum antecedens conſtat ex dictis in præcedentibus: conſequentia vero ſecunda probatur, quia illa obligatio pertinet ad præceptum negatiuum, non peierandi, quod ſemper, & pro ſemper obligat; quatenus negatiuum eſt, & quatenus prohibet rem intrinſece malam, nunquam poteſt ceſſare eius obligatio, quamdiu eius obſeruatio eſt in hominis poteſtate.

Secundum

Digitized by Google

Secundum autem antecedens, ſcilicet, tunc eſſe in hominis poteſtate ſeruare illud præceptum, patet, quia & eſt in poteſtate facti, vt ſupponitur, & eſt in poteſtate iuris, cum ſine peccato impleri poſſit.

6. Vnde intelligi poteſt, non eſſe quoad hoc æquiparationem faciendam inter votum, & iuramentum, ita vt, ſicut votum eſt de meliori bono, ſic etiam eſſe debeat iuramentum. Nam votum directe fit in cultum Dei, & ideo illi eſt offerendum, quod ei magis placet: iuramentum autem, (vt ſupra oſtendimus) non eſt primario ad Dei cultum, ſed ad confirmandam veritatem, & ideo primo, & per ſe ad illud pertinet, vt veritas impleatur, & conſequenter hoc etiam eſt, quod in illo maxime ſpectat ad honorem Dei, ne rei falſæ teſtis fiat. Poteſtque hoc confirmari ex promiſsione humana, illam enim non oportet eſſe de meliori bono, ſed ſatis eſt quod ſit de bono licito, quod ſit commodum proximi; ergo ſimiliter iuramentum promiſſorium non requirit, quod ſit de meliori bono; ergo ſi bene impleri poteſt ſemper ſeruandum eſt, etiam omiſſo quocunque alio meliori bono.

7.
Obiectio.
Ca. Vnicum.

In contrarium vero afferri poteſt cap. vnicum d. 85. vbi Gregor. Papa videtur reprobare iuramentum nunquam accedendi ad Epiſcopatum, quod non apparet in alio fundari, niſi quia tale iuramentum eſt de minori bono: quia non acceptare Epiſcopatum non eſt malum, imo ſimpliciter videtur bonum, & laudabile, ſolum ergo potuit improbari, quia non videtur eſſe de meliori bono. Nam quia Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis, qui illum renuit, videtur à perfectione declinare, imo etiam videtur: *Paſtorem ſummum minus diligere*, vt idem Gregorius dixit lib. 6. Epiſt. 5. ad Cyriacum cap. 169. ſecundo afferri poteſt cap. *Scias frater*, 7. qu. 1. vbi Pelagius Papa dicit, *non mutare fidem, qui non mutat mentem.* intelligit autem non mutare mentem, qui propter neceſsitatem, vel maiorem vtilitatem, atque adeo propter maius bonum propoſitum mutat, quod clarius habetur in capit. *Peruenit*, 2. de Iureiuran. & ſumitur etiam ex cap. *Beatus*, 22. quæſtion. 2. ergo ſimiliter qui iuramentum non implet, vt melius opus bonum faciat, non cenſetur frangere fidem ſuam, ergo iuramentum non obligat cum diſpendio maioris boni.

Gregor.
Ca. Scias frater.
Ca. Peruenit
Ca. Beatus.

8. Tertio, quando id, quod iuratur impedit ſtatum perfectionis, iuramentum non obligat, vt in caſu ſupra poſito de matrimonio, ſi quis iuret non ſolum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare, non obſtante iuramento, poteſt ingredi Religionem. Vel ſi ſponſus poſt matrimonium ratum iuraret ſponſæ perpetuo habitare cum illa, & maritalem vitam facere, poteſt nihilominus ingredi Religionem, antequam matrimonium conſummet, vt eſt conſtans apud omnes: id ergo ſolum eſt, quia iuramentum non obligat ad ſui obſeruationem cum detrimento maioris boni, ergo idem dicendum eſt in omni caſu, in quo talis comparatio occurrerit: quia niſi regula generalis aſsignetur, non poteſt ratio reddi, ob quam in vno caſu potius id liceat, quã in alio. Quarto, obligatio iuramenti promiſſorij principaliter oritur ex reuerentia Deo debita: nam licet prima veluti origo iuramenti fuerit neceſsitas confirmandi veritatem humanam teſtimonio Diuino, tamen ſuppoſita illa neceſsitate, & inſtitutione, prima & principalis ratio obligationis in iuramento eſt reuerentia Deo debita: ſed non pertinet ad reuerentiam Dei, & honorem, vt propter opus minus bonum relinquatur melius; ergo nunquam iuramentum ad hoc obligat, neque ita eſt interpretandum.

Variæ opiniones.

9. *Opinio mul.*

IN hac re multorum ſententia eſt, quæ abſolute docet iuramentum promiſſorium non obligare, quoties maiori bono repugnat, & conſequenter propter melius opus faciendum ſemper poſſe prætermitti. Hæc tribuitur D. Thomæ d. artic. 7. in corpore, & ad 2. & tenet Soto in 4. d. 27. q. 2. art. 5. loquitur tamen ſpecialiter de iuramento contrahendi matrimonium, comparãdo illud ad ingreſſum Religionis. Et id tenet Palud. in 4. d. 28. q. 1. art. 3. n. 19. vbi latius extendit ſermonem: expreſsius vero in 4. d. 38. quæſt. 1. idem ſentit Caiet. in Sum. Verbo *Periurium*, Syluest. verbo. *Iuramentum*, 4. qu. 20. adhibet tamen limitationem, de qua inferius, idem verbo *Sponſalia*, §. 7. ver. *Matrimonium*, 7. q. 5. con. 5. & ver. *Religio*, 2. q. 5. & 9. idem ſentiunt Abbas, & alij Canoniſtæ in cap. *Si vero*, & cap. *Cum contingat*, de Iureiur. Couar. in d. parte 1. §. 6. n. 6. & 7. Alij vero Doctores contrarium ſentiunt, dum pro regula conſtituunt, quotieſcunque ſine peccato poteſt ſeruari iuramẽtum, ſeruandum eſſe: quod ſentit Gloſſa in capitul. *Si aliquid*: 22. qu. 4. & ibi Turrecrem. articul. 1. num. 3. & idem videtur ſenſiſſe Hippolytus, & Oldraldus, quos refert Couarr. ſupra. Nam ex dicta regula aperte ſequitur, in caſu, quem tractamus, eſſe obligationem ſeruandi iuramentum. Fundamenta autem illius regulæ ſunt, quæ poſteriori loco à nobis poſita ſunt, ſicut priora argumenta ſunt fundamenta communis opinionis.

Sententia quod iuramentum impediens maius bonũ non obliget.
Soto.
Palud.
Caietan.
Syluest.
Abb.
Couar.
Qui contrarium opinantur.
Gloſ.
Turrec.
Hippolyt.

10. *Diſtinctio promiſſionũ quæ iuramento vniuntur.* Pro clariori reſolutione commodum erit diſtinguere iuramentum promiſſorium, nam interdum cadit in promiſsionem factam Deo, aliquando vero in promiſsionem factam homini, de qua diuiſione videri poteſt Panor. in c. *Placuit*, 2. de Iureiur. cũ Innoc. Anton. & aliis. Poteſt etiam nonnunquam cadere in ſolam aſſertionem efficiendi futurum actum virtutis, ſine interuentu alicuius promiſsionis, vt ſupra declaratum eſt. Eſt etiam præ oculis habendum, hic ſolum tractari de iuramento cadente in actum virtutis, vt excludamus iuramentum, vel de aliis actibus, vel de omiſsionibus, de quibus poſtea dicemus. Vocamus autem hic actum virtutis omnem illum, qui ex vi ſui obiecti poteſt honeſte fieri ab eo, qui iuramentum præſtat.

Panor.
Anton.

Prima aſſertio de Iuramento confirmante promiſſionem ad Deum.

DIco ergo primo: Si iuramentum ſit de actu virtutis Deo promiſſo, ſequitur conditionem voti, vnde eo modo, quo votum eſſe debet de meliori bono, tale etiam iuramentum eſſe oportet de meliori bono. Quoad hanc aſſertionem eſt clara communis ſententia, & fundari poteſt in regula, quod iuramentum ſequitur naturam contractus, cui adiungitur iuxta cap. *Quemadmodum*, de Iureiur. & leg. vlt. Cod. de Non numerata pecuni. Sic enim iuramentum additum voto ſequitur naturam eius, ſi ergo votum non ſit validum, nec iuramentum erit. Quod in hunc modum declaratur, nam iuramentum, quod fit ad confirmandam promiſsionem alteri factam, non obligat quando promiſsio ab altero non acceptatur, quia ille poteſt remittere, eſt autem eadem, vel maior ratio non contrahendi obligationem, illo non acceptante, quæ eſt de ablatione obligationis iam contractæ per illius remiſsionem. Sed promiſsio facta Deo ab ipſo non acceptatur, niſi ſit de meliori bono, vt nunc ſupponimus, ergo niſi talis fuerit promiſsio, quæ Deo fit, licet iuramento confirmetur, non obligabit iuramentum promiſſorium. Quo autem ſenſu votum eſſe debeat de meliori bono, vt à Deo acceptetur, infra ſuo loco dicemus. 11.

Ca. Quemadmodum.

12. *Quando votum non iuratum non obligat.* Hinc vero colligo, quoties votum non iuratum non obligat, vel ſimpliciter, vel in aliquo caſu, quia impedit maius bonum, ſimiliter non obligare etiã ſi iuratum ſit, Hoc probant aliqui, quia obligatio iuramenti

Digitized by Google

quia impedit maius bonum, nec votum iuratum obligat. Ratio germana.

iuramenti eſt minor, quam voti, ſed hoc & controuerſum eſt, & in rigore non concludit, quia obligatio voti, & iuramenti ſimul maior eſt ſaltem extenſiue, quam ſola obligatio voti. Ratio ergo propria eſt, quia obligatio iuramenti addita promiſſioni, ſeu voto, ſemper pendet ex voluntate eius, cui facta eſt promiſſio; ſed quoties votum non obligat, quia impedit maius bonum, cenſetur Deus non acceptare tale votum, vel ſimpliciter, vel pro tali opportunitate, ergo neque iuramentum tunc obligat. Vel explicatur aliter, quia tale iuramentum includit conditionem ſeruandi votum, quamdiu obligauerit, vel quatenus à Deo acceptatur.

Purum votum obligãs ad determinatum aliquod opus poteſt in melius mutari, quod ſimiliter licebit in voto iurato Obiectio.

13. Secundo poteſt inferri, quoties purum votum, licet obliget determinate ad aliquod opus, licite commutatur in melius, non quia poſſet vtrumque opus fieri, ſed quia operans non vult ita grauari, & ex duobus operibus vult facere melius, quia creditur eſſe Deo gratius, idem licere, etiamſi votum iuratũ ſit. Probatur ex eodem fundamento, quod obligatio talis iuramẽti, pendet ex obligatione voti, & ex acceptatione, vel remiſſione Dei, cui fit votum. Dices, Ergo idem erit dicendum de commutatione inęquali, ſi ſupponamus hanc fieri poſſe propria authoritate in puris votis per ſe ſpectatis, nam ſequitur idem eſſe in votis iuratis, ex eodem fundamento, quod in illo caſu ſatisfit creditori, qui eſt Deus, dando illi æquale; ergo etiã impletur iuramẽtum, quia accommodatur voto, vt dictum eſt. Reſpondeo probabiliter poſſe hoc ſuſtineri. Nihilominus dici poteſt, & fortaſſe melius, non eſſe eandem rationem, quia eo ipſo, quod in actibus ipſis eſt æqualitas, facere illud, quod in ſpecie eſt promiſſum & iuratum, habet maiorem quandam honeſtatem, quam aliud, quod iuratum non fuit: nam ſaltem eſt exceſſus in hoc, quod exequendo actum in propria ſpecie promiſſum, ſaluatur veritas iuramenti, magis proprie, & formaliter, quam per æquiualentem actum. Vnde veriſimilius eſt, Deum in eo caſu non acceptare commutationem, quia non eſt æqualitas in omni honeſtate, ideoque iuramentum tunc obligare, ſed de hoc genere commutationis dicemus infra latius in materia de Voto.

Solutio.

Secunda aſſertio de iuramento confirmante promiſſionem humanam?

14. Dico ſecundo: Iuramentum promiſſorium cadens in promiſſionem factam homini, ſi poteſt honeſte impleri, obligat ad ſui obſeruationem, nec poteſt in melius commutari cum nocumento creditoris, & ipſo inuito, niſi in his, quæ ad ſtatum perfectionis pertinent. Iuxta aſſertionem hanc limitamus, ſeu explicamus priorem ſententiam, quam limitationem poſuit Syluest. d. q. 20. vbi citat Ioan. Andream in Mercurialibus, circa regulam, *In malis promiſſis*, &c. de Regul. Iuris in 6. & Doctores, in d. cap. *Placuit*, & in cap. *Quanto*, de Iureiur. ex quo textu idem colligitur. Et alij Doctores, qui videntur hanc limitationem omittere, fortaſſe illam, vt manifeſtam ſupponunt ex natura humanæ promiſſionis. Probatur ergo primo inductione, quia ſiquis iurauit dare liberaliter decem aureos Petro, non poteſt illos in eleemoſynam dare, etiamſi hoc opus per ſe ſpectatum fortaſſe eſſet melius, & gratius Deo, quam illa liberalis donatio. Similiter ſi iuraui ſeruire alicui, non poſſum licite illud prætermittere, vt ſeruiam hoſpitali, licet hoc, ſecundum ſe melius ſit; & idem eſt in ſimilibus. Ratio vero eſt, primo quia promiſſio facta homini obligat in conſcientia, ita vt ſit contra iuſtitiam, vel fidelitatem, illam non implere, ſiquis poſſit, neque propter ſolum titulum transferendi rem promiſſam in opus magis pium excuſari quis poteſt in conſcientia ab obſeruatione obligationis contractæ, per huiuſmodi promiſſionem; ergo quando iuramentum tali promiſſioni adiungitur, fortius obligat in ſuo ordine. Antecedens certum eſt, quia promiſſio, quæ fit homini, fit directe in commodum illius, vnde non conſideratur, quid in illa ſit melius, vel gratius Deo, & hoc modo obligat, quia hoc eſt neceſſarium ad conuictum humanum, & vt ſeruetur iuſtitia, & veritas inter homines; alioqui infinitas fraudes inuenirẽt homines ad euacuandas promiſſiones ſuas.

Sylueſt.

Item eſt optima ratio, quia per promiſſionem factam homini res promiſſa aliquo modo pertinet ad eum, cui facta eſt promiſſio, nam vel acquiſiuit ius ad illam, vel illi eſt peculiari modo debita, vel ſaltem eſt quaſi dicata commoditati, & voluntati illius, & ideo iam non pertinet ad bonos mores expendere rem illam in alium vſum, non cedente illo, cui fuit promiſſa. Quapropter licet ante promiſſionem fuiſſet fortaſſe melius, rem illam dare pauperibus, quam Petro illam promittere, aut dare; poſt factam promiſſionem iam non eſt id melius, Petro inuito. Atque hæ rationes applicari etiam poſſunt ad propriam obligationem iuramenti, maxime quia iuramentum non additur promiſſioni, ad minuendam, vel eneruandam illam, ſed potius fortiorem reddendam. Ergo ſicut promiſſio obligat abſolute ad ſui obſeruationem, non obſtante ſpecie, vel apparentia melioris operis, ita & Religio iuramenti promiſſorij obligat, quia iuramentum ſortitur naturam contractus, cui adiungitur, ergo iuramentum additum promiſſioni humanæ ſequitur conditionem eius. Obligat ergo abſolute; ſicut ipſa promiſſio. Dixi vero in concluſione: *Cum nocumento creditoris*, quia ſpeciale dubium habet, an ſine illo hoc liceat, quod pendet ex dicendis infra. 15.

Addidi vero in aſſertione limitationem de promiſſione humana, quæ obſtat, vel directè repugnat ex parte obiecti ſtatui perfectionis, quia illa intelligitur ſemper inuoluere conditionem, niſi tranſire quis velit ad ſtatum perfectionis, quia non debet impediri propter implẽdam promiſſionem homini factam iuxta cap. *Ex publico*, de Conuerſ. coniugatorum. Et ideo quando talis promiſſio iuramento firmatur, etiam iuramentum ſortitur naturam eius, eandemque conditionem in ſua obligatione inuoluit. Tale ergo iuramentum non obligat cum detrimento talis boni melioris. Et in hac parte conueniunt maxime Doctores, & de hoc meliori bono potiſſimum loquuntur, quando dicunt, iuramentum promiſſorium non obligare cum detrimento boni altioris ordinis, vt notat Palud. in 4. d. 27. Ratio vero reddi poteſt ab excellentia, & ſingulari fauore ſtatus Religioſi, propter quem etiam matrimonium ratum intelligitur inuoluere conditionem illam, vt ante conſummationem liceat ad ſtatum Religioſum tranſire. Sed etiam proportione ſeruata ſponſalia iurata non obſtant, quominus aliquis licite valeat Religionem ingredi, vt paulo poſt videbimus. An vero hæc exceptio ſit ex natura rei, vel ſpeciali iure Eccleſiæ, ita limitante intentionem, ſeu voluntatem promittentium, ſeu contrahentium, videbimus latius in materia de Voto. Nunc ſolum dicimus, eſſe hoc maxime conſentaneum Diuino iuri, quaſi connaturali talibus rebus, ſuppoſita earum inſtitutione, & conditione; & inde ortum eſſe, vt iuxta communem ſenſum, & exiſtimationem fidelium, talem intentionem cenſeatur habere, quando ea iuramenta promiſſoria emittunt. 16.

Cap. Ex publico.

Palud.

Differentia inter promiſſionem quæ impedit ſtatum perfectionis & alias quæ impediunt.

Ac denique ita explicari poteſt differentia inter hanc promiſſionem, cuius executio abſolute impedit ſtatum perfectionis, & alias particulares promiſſiones temporalium bonorũ, vel actionum, quæ ad ſummum impediunt particulares actiones, vel vſus de ſe perfectiores talium rerum. Nam in prioribus ipſamet perſona inhabilis redditur ad perpetuum ſtatum meliorem, & ideo non eſt veriſimile, iurantem 17.

Digitized by Google

particulares actiones, aliquarum rerum de ſe meliores.

tem voluiſſe obligare ſe cum tanto diſpendio maioris boni ſui ſpiritualis: neq; in eo ſenſu fuiſſet prudens, aut rationabilis promiſsio. In alijs vero particularibus promiſsionibus non eſt ſimilis ratio, quia impedimentū non eſt tanti momenti; imo eſt quodammodo per accidens, quia per ſe loquendo perſona manet habilis non obſtante promiſsione ad meliora opera ex alia ſimili materia præſtanda. Quod ſi talis materia deſit, illud eſt accidentarium, & coram Deo poteſt recompenſari quoad totam honeſtatem virtutis per internum deſiderium, aut voluntatem. Ac denique ad commune bonū maxime expedit, promiſsiones humanas honeſtas, & maxime iuramento cōfirmatas ſimpliciter ſtabiles, & ratas permanere quaſi ordinaria lege; exceptionem autem eſſe certam, aut ſpecialem. Hic vero occurrebat explicandum, An ſub ſtatu perfectionis includatur etiam ſtatus Clericalis, vel etiam ſtatus cœlibatus cum ſimplici voto caſtitatis? Sed hæc habebunt commodiorem locum, tractando de voto caſtitatis.

Aſſertio tertia de iuramento confirmante ſolam aſſertionem de honeſto opere futuro.

18 DIco tertio, Si iuramentum promiſſorium non includat propriam promiſsionem, & obligationem eius, ſed tantum ſimplicem aſſertionem de honeſto opere faciendo, eadem diſtinctione vtendum eſt: nam ſi iuramentum ſit factum intuitu Diuini honoris tantum, non ita præciſe obligat, quominus per melius opus impleri valeat, ſecus vero eſt, ſi ſit factum in commodum alterius hominis. Prior pars non habet difficultatem, ſuppoſitis, quæ diximus in prima aſſertione, quia ſi hoc licet, etiam vbi interuenit promiſsio ad Deum, cur non licebit, quādo tantū ſimplex interuenit aſſertio, quę vt ſupponitur, procedit ex intentione Diuini honoris? Nam illud eſt quaſi formale, & particulare opus, tanquam materiale, & ideo etiam ibi ſubintelligitur incluſa conditio, niſi meliori modo Deus honoretur, nā hoc etiam intelligitur eſſe illi gratius. Et ideo non obſtat obligatio faciendi verum, quod iuratū eſt, quia ſub conditione, ſeu intentione, ſub qua iuratum eſſe intelligitur, vere impletur. Item quia ille, in cuius gratiam tale iuramētum factum eſt, nempe Deus, cenſetur illo modo eſſe contētus: tunc autem iuramentum promiſſorium quoad veritatem ſuam cenſētur impleri, quando illi, in cuius gratiam fuit exhibitum, ſatiſsit.

19. Poſterior pars difficilior videri poteſt, quia per tale iuramentum nullum ius alteri acquiritur, ergo nullam inducit obligationem reſpectu illius, ſed ſolum reſpectu Dei; ergo in obſeruatione talis iuramenti non eſt ſpectanda vtilitas, vel voluntas hominis, ſed ſola honeſtas actionis ſecundum ſe ſpectata, vt cedit in gloriam Dei. ergo poterit tale iuramentum ſufficienter impleri expendendo in maius Dei ſeruitium rem illam, vel pecuniam, quam ſub iuramento aliquis dixerat ſe alteri daturum.

20. Nihilominus probatur aſſertio, primo ex illis Iuribus, quæ docent ſeruanda eſſe iuramenta facta proximo, etiā inique illa petenti, vel extorquēti, vt ſunt iuramenta de ſoluendis vſuris capit. *Debitores*, de Iureiuran. & iuramentum metu extortum cap. *Si vero*, eod. cum ſimilibus. Quia illa iuramenta non obligant ratione promiſsionis, ſed ſolum ratione veritatis proximo iuratæ; ergo multo magis idem dicendum eſt de quacunque aſſertione licite, & voluntarie facta, & iuramento firmata de opere bono faciendo in commodum proximi, etiamſi aſſertio illa non inuoluat promiſsionem.

Ca. Debitorum. Ca. Si vero.

21. Secundo poteſt ſimile argumentum ſumi ex promiſsione interna, quam ſecum homo facit dandi aliquid proximo: nam licet per ſe non obliget, vt probabilior, & communior opinio fert: nihilominus, ſi iuramento firmetur inducit obligationem propter reuerentiam iuramenti, & veritatem eius. Vt ſenſit Soto lib. 7. de Iuſt. quæſtion. 2. articul. 1. ad 1. & ſumitur ex his, quæ tradunt Molina tom. 2. de Iuſt. tract. 2. diſput. 263. ad finem, & Gutierrez. 1. p. de Iuramento confirmatorio cap. 36. numer. 4. & Cōuar. ſupra 2. part. §. 4. numer. 11. & 16. & Grego. Lopez in lege 4. tit. 4. partita 5. Ergo maiori ratione ſi quis coram aliquo ſub iuramento affirmet, ſe aliquid ei daturum, quamuis expreſſe declaret ſe non facere promiſsionem, ſed tantum id affirmare, ex vi iuramenti tenetur illud facere verum, quod ei dixit. Tertio, infra oſtendemus, ſimile iuramentum poſſe relaxari ab eo, cui implendum eſt ex vi iuratę aſſertionis, ſicut etiam poteſt, imo & debet ab vſurario remitti iuramentum de ſoluendis vſuris; ergo ſignum eſt tale iuramentum de ſe obligare, vt circa illam perſonā impleatur, circa quam factum eſt, & naturam illius eſſe, vt ab illius voluntate pendeat.

Soto Molin. Gutierr. Couar. Gregor. Lopez

22 Vltimo propria ratio eſſe videtur, quia licet iuramentum illud non confirmet pactum aliquod, vel promiſsionem propriam: nihilominus fit intuitu proximi, & in commodum eius, & ideo ad veritatem iuramenti ſpectat, vt veritas impleatur ſicut prolata eſt. Neque tunc commode habet locum interpretatio de conditione incluſa, ſcilicet *niſi commutetur in melius*, quia verba, quæ ſibi inuicem ſolent homines præſtare, etiam ſi non ſint in rigore promiſſoria, ſed aſſertoria, non ſolent in hoc ſenſu proferri, ſed in ſenſu abſoluto de faciendo tali opere, vel danda tali re: vel ad ſummum inuoluitur conditio, ſi commode poſsit, vel res non fuerit notabiliter mutata, iuxta inferius dicenda. Longe autem diuerſa conditio eſt, niſi poſtea libeat in aliud melius opus illud commutare, hæc enim eſt contra communem ſenſum, & intentionem hominum: ergo adhibito iuramento non licet vti tali conditione, ſed oportet veritatem, prout dicta eſt facere, & implere. Et eadem ratione non habet hic locum interpretatio, quod Deus erit contentus meliori opere, quia Deus hic non interuenit, vt is, cui iuratur, ſed ſolum, vt per quem iuratur: & ideo per ſe, & ex vi iuramenti neceſſe eſt, vt is, cui iuratur, ſit contentus. Quod ſi ita non fiat, neque etiam Deo ipſi placebit commutatio, quia ad eius reuerentiam magis ſpectat, vt veritas impleatur, prout aſſerta fuit.

23. Sed quid ſi aſſertio iurata de aliquo bono opere præſtando, neque intuitu honoris Dei proprie, & directe facta ſit, neque etiam in gratiam proximi, ſed abſolute, vel in commodum ipſiuſmet iurantis? Videri enim tunc poteſt pro arbitrio, etiam iurantis, poſſe commutari, quia videtur eadem eſſe proportio, vt ſicut iuramentum factum in gratiam Dei, poteſt in id, quod eſt gratius illi, commutari, & quod fit in gratiam proximi etiam mutatur ad voluntatem eius; ita iurans in gratiam ſui poſsit, quaſi ſibi remittere obligationem. Sed hæc licentia nimia eſſe videtur, & ideo illam nō probo, ſequitur enim, talia iuramenta etiam ſi honeſte poſsint impleri, nō ſolum poſſe cōmutari in rem magis honeſtam, ſed etiam in æqualē, vel inferiorem, vel etiam in nullā; ſi iurans velit ſibi ipſi condonare, & iuramentū relaxare, quod eſt dicere, illud iuramentum non obligare. Hoc autem dicendum non eſt, nam ſi iuramentum illud eſt de actu honeſto, quod ſine vllo incommodo impleri poteſt, cur non obligat? Certe id eſt contra omnia Iura, & contra vim iuramēti, quod ad confirmandam veritatem efficax eſt. Item alias illicitum eſſet ſic iurare, nā ad minus eſſet vanum, & inutile, quia ſine fructu adhiberetur tale iuramentū. Conſequens autē contra rationem eſt, quia ſicut

An Aſſertio iurata de bono opere præſtando, quæ nec intuitu Dei, nec alterius ſed abſolute vel in commodum iurantis facta ſit, obliget iurantem?

Digitized by Google

ſicut habere propoſitum efficiendi bonum actum, per ſe bonum eſt, ita vti medio accommodato ad ſtabilitatem illius propoſiti, per ſe etiam bonum eſt: tale autem medium eſt iuramentum; negari ergo non poteſt, quin tale iuramentum obliget.

23. *Reſolutio difficultatis.* Dico ergo illud iuramentum obligare, eius tamen obligationem eſſe inſtar obligationis voti, & ideo ſicut votum poteſt commutari in melius, ita etiam tale iuramentum: non eſt autem intelligendum illud iuramentum includere proprie, & in rigore votum. Nam hoc eſt contra ſuppoſitionem, ſcilicet quod iuretur pura aſſertio ſine promiſsione, quam ſuppoſitionem poſsibilẽ eſſe, ſupra oſtenſum eſt: ſed dicitur eſſe inſtar voti, quia ſicut votum eſt directe in Dei cultum, & honorem, ita etiam hoc iuramentum ad Deum tendit. Vnde reducitur hoc iuramentum ad illud, de quo in prima parte huius aſſertionis dictum eſt, quod nimirum fit intuitu Diuini honoris abſque promiſsione. Sed eſt differentia, quod illud ita fit (vt ſupponitur) ex directa intentione, & expreſſa cogitatione operantis; hoc autem, de quo nunc loquimur, non ita fit, ſed ſolum ex cogitatione, & intentione talis boni honeſti, quod nec ad proximum pertinet, nec ad Deum refertur ab operante. Sed tamen quia honeſtum eſt, natura ſua fertur in Deum; & ideo natura etiam ſua cenſetur includere conditionem, vt ſi per aliud Deo gratius impleatur, iuramentum violari, non cenſeatur.

CAPVT XIII.

Varia Iura exponuntur, & fundamentis vtriuſque ſententiæ poſitis capite præcedenti ſatisfit.

1. *Argumentorum ſolutio.* SVpereſt, vt argumentis pro vtraque parte in principio factis, quatenus aliqua ex parte obſtare poſſunt aſſertionibus poſitis, reſpondeamus. Primum, & ſecundum ſumebantur ex regula Iuris iuramentum eſſe implendum, quoties ſeruatum non vergit in diſpendium ſalutis. Reſpondemus autem hanc regulam etiam in præſenti materia ſeruari, quia iuramentum de actu virtutis ſemper implendum eſt, quoties ſine peccato impleri poteſt. In modo autem implẽdi in propria ſpecie, vel in alio meliori, poteſt eſſe interdum diuerſitas, quæ non eſt contraria impletioni iuramenti, ſed in eius natura, & conditione quam includit, fundatur, & in alia Regula Iuris, *Promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat*, de qua ſtatim dicemus. Quocirca nõ recte loquuntur qui dicunt, non omnem actum ſtudioſum eſſe materiam iuramenti obligatorij, quia ſi ſit impeditiuus perfectioris ſtatus, non eſt materia. Hæc enim ratio nullius momenti eſt, & ita aſſertio eſt ſimpliciter falſa: nam aliud eſt iuramentum de actu honeſto, non ſemper obligare, aliud eſt ſimpliciter non obligare; & licet prius ſit verum, poſterius falſum eſt. Iuramentum enim ſponſalium ſimpliciter obligat, vt conſtat ex capitul. *Commiſſum*, & ex capitul. *Ex literis*, 2. & capitul. *Sicut*, de Sponſalibus, & eſt communis, & indubitata reſolutio, quia eſt iuramentum de re honeſta, & ſine vlla turpitudine, vel diſpendio animæ impleri poteſt: & tamen illud iuramentum non ſemper obligat, vt ſtatim dicemus de illo, qui vult ad meliora vota Religionis tranſire. Sponſalia ergo materia ſunt iuramenti, licet de ſe impediant meliorem ſtatum, quia abſolute cadere poſſunt ſub promiſsionem, & iuramentum, quamuis non ſub ea ratione, qua impediunt perfectionis ſtatum, & idem à fortiori eſt de quolibet actu honeſto, nam iuramentum de illo obligationem inducit, cuius ſignum eſt, quia non poteſt ſimpliciter omitti, licet poſsit in melius commutari. Vnde etiam infero,

Non approbatur opinio aliquorum aſſerentium non omnem actum ſtudioſum eſſe materiam iuramenti obligatorij, quia ſi impediat perfectionis ſtatum non eſt materia.
Cap. Commiſſum.
Cap. Ex literis.
Cap. Sicut.

non eſſe in omnibus æquiparandam materiam voti, & iuramenti, vt Soto, & alij in præſenti indicant; ſed ſine dubio aliqua poteſt eſſe materia iuramenti, quæ non poteſt eſſe materia voti, vt in ſponſalibus ſecundum ſe ſpectatis eſt manifeſtum, & in aliis actibus oſtendetur in capitibus ſequentibus.

Capitulum, Commiſſum, *expenditur.*

IN tertia obiectione proponitur difficilis deciſio textus in d. cap. *Commiſſum*, de Sponſal. vbi quæſitum eſt, An is, qui iurauit aliquam in vxorem ducere, & poſtea volens Religionem ingredi, debeat prius matrimonium contrahere? Et reſpondet Alexan. III. tutius eſſe Religione iuramẽti ſeruata prius contrahere, & poſtea ante copulam Religionem ingredi. Quæ reſponſio multis Doctoribus adeo difficilis viſa eſt, vt ea non obſtante docuerint, poſſe illum, qui ſic iurauit, ingredi Religionem non contracto matrimonio. Ita tenet Palud. in 4. d. 27. q. 1. artic. 3. num. 23. & d. 28. quæſt. 1. artic. 3. num. 18. & ſequent. Item Richardus d. 26. artic. 2. quæſtion. 4. Caiet. in Summa verb. *Periurium promiſſorium*, Soto in 4. d. 27. quæſt. 2. artic. 5. & ex Canoniſtis tenuit hoc Gloſſa in dicto cap. *Commiſſum*, quam ibi communiter ſequuntur Innocent. Hoſtienſ. Abb. & alij, & Summiſtæ, Syluest. *Iuramentum*, 3. q. 5. & verb. *Religio*, 2. quæſt. 5. & 9. Angel. *Iurament.* 4. nu. 3. Tabien. verb. *Sponſ.* num. 9. & ibidem Armil. nu. 12. & Couarr. in Epitome Quarti Decretalium 1. p. c. 5. in princ. nu. 11. Fundamentum huius ſententiæ ſumitur ex ſecunda aſſertione poſita, quia ſponſalia intrinſece inuoluunt conditionem, niſi alter contrahentium ad Religionem tranſire voluerit, iuxta caput *Ex publico*, de Conuerſ. coniugatorum; quod ſi verum eſt in ſponſalibus de præſenti, multo magis de futuro. Ergo iuramentum additum ſponſalibus eandem conditionem includit, iuxta regulam ſuperius poſitam.

Palud. Richard. Caiet. Soto. Gloſ. Innocent. Hoſtienſ. Abb. Syluest. Angel. Tabien. Couar.

Ad cap. autem *Commiſſum*, variis modis reſpondent dicti Authores. Primo Pontificem ſolum dicere, tutius eſſe, id eſt, conſultius, & melius, quamuis non ſit neceſſarium, vel in præcepto. Ita ſentiunt Præpoſitus, & Alexander ibi. Sed aliis hoc non placet, quia melius eſſe exiſtimant, non contrahere matrimonium, ſed ſtatim ingredi Religionem. Et probatur, quia ingredi ſtatim Religionem ex obiecto melius eſt, & per obligationem ex ſponſalibus iuratis contractam non impeditur; quia illa ita cadit in matrimoniũ, vt ſemper intelligatur exceptus ſtatus Religioſus. Deinde nulla apparet probabilis ratio talis conſilij: nã illud matrimonium ratũ, non conſummandum videtur actus otioſus, quia ad nihil vtile eſt. Imo ipſi contrahenti habenti propoſitum Religionis, poteſt eſſe impeditiuum maioris boni, quia poteſt eſſe occaſio mutandi propoſitum: & alteri ſponſo, vel ſponſæ poteſt videri iniurioſum, quia quodam modo eſt illudere fœminam, contrahere cum illa animo ſtatim relinquendi illam. Ac deniq; ad implendam iuramentum parum valere videtur ille contractus, quia iuramentum in principio re vera factum fuit animo contrahendi, & permanendi perpetuo in matrimonio: igitur vel iuramentum obligat ad totum id, quod fuit promiſſum, vel ad nihil. Primum autem dici nõ poteſt, etiamſi expreſſe fuiſſet iuratum perſeuerare, & conſummare matrimonium, ergo dicendum eſt ſecundum: ſi autem iuramentum in eo caſu ad nihil obligat, integrum manet conſilium ingrediendi potius Religionem, quam vxorem ducendi.

2. Variæ interpretationes ad ca. Commiſſum.

Ad caput autem *Commiſſum*, reſpondent hi Authores, Pontificem, cum dicit *tutius*, non loqui de eo, quod vere, & in conſcientia tutius eſt, ſed de eo, quod exterius, & in opinione vulgi poteſt videri ſecurius ad tollendam omnem ſuſpicionem violati iura-

4. Reiicitur reſponſio aliquorũ ad ca. Cõmiſſum.

Digitized by Google

iuramenti. Ita reſpondent Gloſſ. & Abb. Richardus, Soto, & multi alij. Sed mihi non videtur reſponſio admittenda in tam graui deciſione Pontificis. Primo, quia Pontifex conſultus fuerat, quid in eo caſu agendum eſſet in conſcientia; ergo in eodem foro reſpondet; maxime cum ſimpliciter, & ſine limitatione reſpondeat, tutius eſſe, &c. Debet enim reſponſio interrogationi accommodari, vt per ſe conſtat, & ſumitur ex Innocent. 1. in capit. *Deinde* 26. d. ibi *Meminerint hoc, & a Iudæis interrogatum, & Iudæis eſſe reſponſum.* Et confirmatur, quia alias poſſent facile fideles ex illa reſponſione Pontificis, ſumere occaſionem errandi, quia vt verba ſonant, plane ſignificant, id eſſe tutius in conſcientia. Tandem confirmatur, quia, ſi reuera non eſt tutius, neq; propter vulgi opinionem eſſe poteſt, nam tutius erit declarare veritatem, & quod in eo caſu tale iuramentum non obliget. Quid enim ſi expreſſe iuratum eſſet contrahere, ac conſummare matrimonium? Nunquid propter vulgi opinionem conſummandum eſſet? Sicut ergo tunc non eſt tutius iuramentum implere, ſed ignorantiam vulgi tollere, ita in noſtro caſu dicendum eſſet. — *Innocent.*

5. *Probabilis reſponſio ad dictũ caput.* Melior ergo reſponſio eſt Innocentij, quem multi ſequuntur, Pontificem non loqui abſolute, ſed iuxta interrogationem, & circumſtãtias eius. Iurauerat enim quidam, ſe ducturum quandam fœminam intra biennium, poſtea vero deliberabat de ingredienda Religione: vnde probabiliter coniectat Innocent. iſtum, qui iurauerat, non decreuiſſe firmo propoſito, ingredi Religionem ante expletum biennium, ſed ſolum cœpiſſe *ſuſpirare* (hoc enim verbo textus vtitur) pro tranſitu ad meliorem vitam; & conſequenter, voluiſſe differre matrimonium etiam poſt biennium impletum, quamdiu plene de aſſumendo ſtatu Religionis deliberabat. In illo ergo caſu reſpondet Pontifex, tutius eſſe iuramentum obſeruare intra tempus præſcriptum, contrahendo matrimonium ratum, & *poſtea,* (vt ibi dicitur) *ſi elegerit, ad Religionem migrare.* Quæ verba etiam hunc ſenſum indicant, quia ex illis colligitur, illum nondum elegiſſe religioſum ſtatum, nec voluiſſe ſtatim illum aſſumere. Et ratio Pontificij reſponſi in hoc ſenſu eſt clara, quia iuramentum obligabat expleto biennio, & ſola conſultatio, vel deliberatio Religionis non excuſat, ſed actualis ingreſſus, quia deliberatio potuit ante fieri per totum biennium: vel certe, ſi cogitatio illa tarde inſpirata eſt, expleto iuramento poterat deliberatio fieri per bimeſtre tempus à Iure conceſſum poſt matrimonium ratum.

6. Atque hæc expoſitio probabilis eſt, non caret tamen difficultate. Primo, quia multa ſupponit, quæ ex textu non ſufficienter colliguntur. Secundo, quia ſi Pontifex ſupponeret tempus iuramenti fuiſſe lapſum, & illum, qui promiſerat non voluiſſe ſtatim ingredi, ſed incipere deliberare, non debuiſſet reſpondere, tutius eſſe, ſed omnino neceſſarium eſſe: quia res non fuiſſet dubia, neque conſilij, ſed claræ obligationis, nam iuramenti obligatio fuiſſet certa, & ratio dilationis inſufficiens.

7. Propter quæ aliorum ſententia eſt, iuxta illum textum, & veritatem, obligare illud iuramentum ad contrahendum prius matrimonium, licet poſt illud contractum, liberum ſit ante illius conſummationem Religionem ingredi. Tribuitur hæc ſententia Scoto, vbi ſolum dicit, hoc videri conſulendum, loquiturque in fortioribus terminis, ſcilicet quando poſt iuramentum ſponſalium additum eſt votum. Eandem opinionem probabilem cenſet Richard. ſupra, & ſequitur Ledeſm. 2. part. Quarti, vbi dicit, quod in eo caſu propter reuerentiam iuramenti, prius debet ſponſa duci. Nauarr. Comment. 1. de Regularibus in princ. numer. 4. & Maior libr. 1. de Irregularit. cap. 34. num. 6. Indicat Syluest. — *Scot.* *Richard.* *Ledeſma.* *Nauarr.* *Syluest.*

dicens hoc eſſe conſilium (cum Raymundo, & Summa confeſſorum) in verb. *Religio.* 2. quæſtione 5. & 9. & ex antiquis Canoniſtis ſecuti ſunt hanc ſententiam Abb. antiquus, cum Additione, & Collectarius, & Henric. in dicto capit. *Commiſſum.* Fundantur, quia hic videtur eſſe ſincerus ſenſus dicti cap. Deinde quia poteſt conuenienti ratione fundari, quia per ſponſalia iurata ius parti acquiſitum fuit, & obligatio iuramenti ſuborta. & aliunde impleri poterat hæc obligatio ſine præiudicio ſtatus Religioſi, ad quem poteſt ſtatim, poſt matrimonium ratum fieri tranſitus, & morula illa tam parua eſt, vt non poſſit moraliter reputari impedimentum, vel dilatio melioris boni, ergo cum poſſit iuramentum illo modo impleri, ordo ille ſeruandus eſt. Patet conſequentia, primo, quia illud matrimonium non poteſt dici impeditiuum maioris boni; ergo non eſt cur excipiatur ab obligatione iuramenti abſolute facti. Secundo, quia eſto concedamus rem eſſe dubiam ex vtraque parte, nihilominus hæc pars videtur tutior, quia cauetur omne periculum iniuriæ proximi, & tranſgreſsionis iuramenti, & deſiderium Religionis non impeditur. Vnde quidam ex dictis Authoribus putant illum ordinem eſſe in præcepto, quia in dubiis tutior pars eligenda eſt, iuxta cap. *Ad audientiam,* cum ſimilibus de Homicidio. Alij vero dicunt ſaltem eſſe conſilium, ſed contra vtrumque modum dicendi, vrgent rationes ſuperius factæ, quæ videntur oſtendere, nullum in hoc negotio eſſe morale dubium, neque aliquam rationem maioris boni in tali matrimonio, vt ſub conſilio eſſe poſsit. — *Abb. an.* *Collectar.* *Henric.*

Vt ergo, quod ſentiam, dicam, aduerto, eum, qui iurauit ſponſalia, & poſtea Religionem appetit, varijs modis poſſe ſe gerere. Primo cõtrahendo matrimonium, cum propoſito non conſummandi, ſed ſtatim ingrediendi Religionem ignorante ſponſa tale propoſitum. Et de hoc modo dicunt aliqui, non ſolum non eſſe in præcepto, vel conſilio, ſed etiam eſſe peccatum mortale. Ita tenet Sancius 1. tom. de Matrim. diſputa. 43. nume. 12. citans Petrum Ledeſmam, Soto, & plures alios, qui loquuntur, quando præceſsit votum caſtitatis ante iuramentum; de quo caſu eſt alia ratio, quia fortaſſe tale iuramentum fuit nullum, quia cadit in materiam illicitam, vt videbimus in materia de Voto. In præſenti autem caſu ego nõ video rationem vllam peccati mortalis, quia non fit iniuria Religioni iuramenti, quin potius fieri videtur in fauorem eius, neque etiam fit iniuria Sacramento matrimonij, quia non obſtante illo propoſito, matrimonium eſt ratum, & validum, & confert ſuum effectum, tam vt contractus, dando poteſtatem in corpus, quam vt Sacramentum dando gratiam. Neque etiam fit iniuria ſponſæ, per ſe loquendo, quandoquidem Eccleſia concedit hoc ius contrahentibus matrimonium; ergo intentio vtendi tali iure non eſt iniurioſa alteri, imo nec peccaminoſa, ſi ex rationabili cauſa ita fiat. Ille igitur modus licitus eſt, & in hoc conueniunt Authores primæ ſententiæ, & plures ex Authoribus vltimæ opinionis. Ego autem moraliter non conſulerem hunc modum implendi iuramentum, non quia contineat peccatum, ſed quia vix habet moralem vtilitatem, & videtur quędam illuſio ſponſæ, & poteſt aliqualem notam, vel indecentiam illi inurere. — 8. *Quatuor modis poteſt habere, qui iurat ſponſalia, & appetit Religionem.* *Sancius.*

Secundo poteſt, qui iurauit ſponſalia ita ſe gerere, vt ſine conſenſu ſponſæ, & ſine contractu matrimonij ſtatim Religionem ingrediatur, altera nihil ſciente. Et in hoc etiam aſſero, per ſe loquendo nullum eſſe peccatum: quod affirmant fere omnes Authores vtriuſque ſententiæ, paucis exceptis, & probatur ſatis probabiliter argumentis primæ ſententiæ. Vlterius vero ſuadetur. Primo, quia ſi id eſſet peccatum, vel eſſet propter iniuriam, quæ fit — 9. *Secundus.*

ſponſæ, quatenus priuatur iure acquiſito per ſponſalia, vel eſſet ratione iuramenti non impleti. Primum dici non poteſt, alias, quamuis ſponſalia eſſent pura, & non iurata, non liceret ingredi Religionem ante matrimonium contractum, quod probabile nõ eſt; quia ius acquiſitum per ſponſalia ſemper habet hanc exceptionem, ſeu conditionem intrinſece annexam, vt manifeſte probat argumentum ſumptum ab ſponſalibus de præſenti, quæ multo firmiora ſunt, vt per ſe conſtat, & ex capit. *Sicut*, & ex cap. vltim. de ſponſal. Si ergo ſponſalia de præſenti non dant ius, niſi ſub illa conditione, donec conſummentur, multo minus dabunt illud ſponſalia de futuro; ergo ingreſſus in Religionem ante contractum matrimonium non eſt contra ius acquiſitum per ſponſalia, ergo ex illo capite non peccatur. Hinc vero facile probatur, nec ratione iuramenti eſſe peccatum, quia iuramentum ſortitur naturam contractus, cui adiungitur; ergo ſicut obligatio ſponſalium includit illam conditionem, ita etiam iuramentum. Et confirmatur, nam ſi ille tenetur contrahere, vel eſt prohibitus habere propoſitum ingrediendi Religionem; & hoc dici non poteſt, quia eſt contra conſilium Euangelicum. Vel obligatur contrahere, etiamſi habeat propoſitum ſtatim ingrediendi Religionem; & hæc per ſe loquendo non eſt materia præcepti, nam potius videtur otioſum, & inutile, niſi aliqua honeſta cauſa, & ratione veſtiatur; ergo per ſe hoc non eſt peccatum. An vero ſit optimus ordo, ſtatim dicam, & ſimul explicabo, quomodo non obſtat caput *Commiſſum*, & quando ex accidenti poſsit interuenire talis obligatio.

10. *Tertium.* Tertio, poteſt, qui ſic iurauit ſponſalia, & poſtea concepit propoſitum Religionis, ſponſam admonere, vt ſi velit, quod impleatur iuramentum, quoad matrimonium ratum non conſummandum, id faciat, ſin minus liber ſit ad Religioſum ſtatum aſſumendum. Et hic modus licitus eſt, extra omnem controuerſiam, ſupponimus enim non interueniſſe votum caſtitatis, aut Religionis, nam illud inducit ſpecialem difficultatem infra ſuo loco tractandam. Exiſtimo deinde dictum modum eſſe optimum, & per ſe loquendo conſulendum, quia ſi ſponſa nolit tale matrimonium contrahere, tollitur omnis difficultas, & pleniſsime ſatisfit iuramento, etiam ſecundum externam ſpeciem, ſeu apparentem, vel dubiam obligationem, quia altera pars eo ipſo, quod non vult contrahere, relaxat iuramentum. Si autem vult ſic contrahere, tunc etiam contrahendo impletur iuramentum, ſine impedimento morali melioris ſtatus, quia per ſe loquendo tale matrimonium non impedit illum, vt dictum eſt: & plene etiam ſatisfit alteri ſponſæ, quæ non poterit conqueri de aliqua apparenti deceptione, cum de intentione, & propoſito ſponſi admonita fuerit. Et iuxta hunc modum optime intelligitur caput *Commiſſum*, non enim dicit, tutius eſſe prius contrahere inſcia ſponſa de propoſito ſponſi, neque hoc profecto ad præceptum, vel conſilium pertinet; ſubintelligit ergo conditionem, tutius eſſe prius contrahere, ſi altera velit, & conſequenter tutius eſſe illam admonere, &c.

11. *Dubium.* Quæri autem poteſt, An hoc ipſum cadat ſub præceptum, ſcilicet admonere illam, & ſi non obſtante propoſito ſponſi velit ſic contrahere, conſentire illi, quoad matrimonium ratum? *Reſponſio.* Reſpondeo; Ex vi ſolius iuramenti non inuenitur obligatio, vt rationes factæ probant; tamen quia moraliter loquendo poſt talia ſponſalia, multum intereſſe poteſt ad honorem, & famam ſponſæ; quod hoc, vel illo modo relinquatur, ideo ex hac parte poteſt forte eſſe obligatio aliqua admonendi illam, quia tunc ceſſat omne periculum inferendi illi iniuriam. *Nauar.* Et hoc ſignificaſſe videtur Nauarr. Conſ. 3. de Voto, in vltimis verbis, cum enim dixiſſet, ſponſalia de futuro diſſolui per ingreſſum Religionis, ſubdit, *Sed cauendum valde eſt, ne qua infamia contra ſponſam inde naſcatur.* Quia ergo moraliter hoc periculum imminet, dici poteſt, hoc regulariter cadere ſub obligationem, & indirecte ſaltem pertinere ad reuerentiam præſtiti iuramenti, quia obligat, quamdiu alter habet ius: habet autem ius ad tale matrimonium, quamdiu ſibi eſt neceſſarium ad tuitionem famæ ſuæ, maxime cum ſimpliciter non ſit alteri impedimentum melioris boni. Quæ ratio, in d. capit. *Commiſſum*, probabiliter ſuadent, ſaltem eſſe tutius hunc ordinem ſeruare: nihilominus tamen in particulari ſunt expendendę circumſtantię, nam tales eſſe poſſunt, vt ſit euidens obligatio. Si autem conſtaret, nullum omnino eſſe periculum infamiæ, neque aliam moralem neceſsitatem prius contrahendi, tunc ſine peccato poſſet hic ordo omitti, iuxta ſecundam aſſertionem. Imo ſicut in eo caſu debet ſponſus cauere nocumentũ temporale ſponſæ, ita etiam poteſt ſibi conſulere, ſi forte timeat aliquod periculum, vel impedimentum ſui boni propoſiti; & ex hoc capite ſæpe erit non ſolum licitum, ſed etiam melius ſtatim ingredi inſcia ſponſa. Pontifex ergo in d. capite *Commiſſum*, reſpondit ſecundum ea, quæ ſunt per ſe, & moraliter frequentius accidunt, & hæc ſufficiunt de tertia obiectione.

Ad quartum iam reſponſum eſt, in illis caſibus, in quibus iuramentum poteſt in melius commutari, non committi defectum in veritate iuramenti; quia vel illi caſus intelliguntur excepti in ipſo iuramento, vel commutatio eſt iuxta voluntatem creditoris, ſeu eius in cuius gratiam iuramentum factum erat, per quam voluntatem relaxatur etiam, ſeu ceſſat obligatio iuramenti. Et ita, licet iurans poſsit in eo caſu implere iuramentum in ea ſpecie, in qua factum eſt, nihilominus non ita impiendo, non facit contra præceptum non aſſumendi nomen Dei in vanum, quia obligatio iuramenti non comprehendit illum caſum, vt declaratum eſt. Reliqua vero, quæ in illa obiectione adduntur de differentia inter votum, & iuramentum promiſſorium, in bono ſenſu admitti poſſunt: maxime vero cernitur illa differentia in iuramento facto in gratiam hominis. Et hoc etiam ſuadet ratio ibi facta, & explicatum eſt in ſecunda, & tertia aſſertione capitis præcedentis. Comparando autem iuramentum factum de actu virtutis ſecundum ſe, ſeu in Dei honorem eſt aliqua ſimilitudo, & æquiparatio, quamuis diuerſo titulo, & ratione: nam ſi iuramentum cadat ſuper votum, ſequitur naturam eius, ſi vero cadat ſuper puram aſſertionem, intercedit ſimilis quædam interpretatio Diuinæ voluntatis, ratione cuius licet minus bonum pro meliori relinquere. 12.

Exponitur cap. Vnicum 85. d.

IN argumentis pro contraria parte obiectis tangitur in primis difficultas de iuramento non acceptandi Epiſcopatum, quod videtur reprobari in d. cap. vnico 85. d. ſed quia hoc pendet ex materia de Voto, & de Statu Religionis, breuiter dico iuramentum illud generaliter factum, animo etiam reſiſtendi Superiori præcipienti accipere curam paſtoralem, vel non obſtante quacunque vrgente neceſsitate Eccleſiæ, non ſolum non eſſe de meliori bono, ſed etiam peccaminoſum eſſe, & ideò non obligare. Alio vero modo poſſe fieri hoc iuramentum cum debita moderatione, videlicet non acceptandi Epiſcopatum, niſi neceſsitas charitatis, vel obedientiæ præceptum interueniat, & tunc iuramentum obligare. Dicit tamen Gloſ. ibi, tale iuramentum eſſe peccatum veniale, quia temere, & ſine neceſsitate fit. Sed immerito hoc dicit, quia tale iuramen-

13. *Soluuntur argumenta oppoſita ſententia.*

Quomodo poſſit obligare iuramentum de non acceptando Epiſcopatu.

Gloſ.

iuramentum ſimpliciter eſt de meliori bono, quia licet Epiſcopatus de ſe ſtatus ſit perfectionis, nihilominus habet coniunctum honorem, diuitias, & pericula; ratione quorum conſilium eſt illud non acceptare, niſi charitatis, vel obedientiæ inſtante obligatione, iuxta doctrinam Gregor. lib. 35. Moral. capit. 13. Et ideo tale iuramentum de ſe bonum eſt, & non fruſtra fit ad firmandum propoſitum contra humanam ambitionem.

Greg.

14. *Exponitur cap. vnicũ.*

In d. ergo ca. vnico non declaratur, an iuramentum illud obligaret, vel non obligaret, ſed cum de quodam Archidiacono Florentino, qui ad Epiſcopatum fuerat electus, nunciatum eſſet Greg. quod ſuper Euangelia iuraſſet, nunquam accedere ad Epiſcopatum, an verum hoc eſſet Pontifex præcepit inquiri; cur autem hoc præceperit non ibi declaratur. Poteſt autem duobus modis intelligi. Primo vt inquiſitio fieret ad finem repellendi eum ab Epiſcopatu, propter illud iuramentum, tanquam propter graue crimẽ. Et ita videtur ibi intelligere Gloſ. & indicat Abb. in cap. *Si vero*, de Iureiur. n. 4. & Selua in ſuo tract. 3. p. qu. 1. n. 21. vbi alios refert, præſertim Aug. *Iuram.* 5. nu. 3. & Anton. 2. part. tit. 10. cap. 6. §. *Tertius caſus*, verſ. *Quintus modus*. & idem ſentit Syluest. *Iuram.* 4. n. 1. verſ. 5. Vnde conſequenter intelligunt, illum Archidiaconum iuraſſe in primo ſenſu declarato. Sed mihi non placet hic ſenſus. Primo, quia non colligitur ex textu, nec ex verbo *nunquam accedendi*, quia licet verba ſint generalia, de licitis intelligenda ſunt, dum aliud non conſtat, vt ibi notat Gloſſa ex ca. *Ad noſtram*, 3. & cap. *venientes*, de Iureiur. Secundo, quia licet illud iuramentum fuiſſet peccaminoſum, non videretur tanta pœna dignum, vt ibi late notant Gloſſa, & Turrecr. Item Gloſſa in cap. *Diffinitio*, 22. quæſt. 4. Gloſſa in cap. *ſicut*, de Iureiur.

Gloſ. Abbas. Selua. Angel. Anton. Syluest.

Excluditur ſenſus aliquorum in d. cap.

Gloſ.

Turrec.

15. Alius ergo ſenſus eſt, Pontificem præcepiſſe, inquiri de illo iuramento, quia cenſebat illud obligare iurantem ad non acceptandam electionem ad Epiſcopatum, cum nec charitatis neceſſitas, nec præceptum Superioris interueniret, & ideo, ſtante iuramento, nolebat Põtifex illum promouere: non quia non poſſet illi præcipere, acceptare Epiſcopatum, non obſtante iuramento, ſed quia neceſſarium tunc non erat, & ideo potius volebat, eum repellere ratione obligationis iuramenti. Et ita ſenſit Caiet. d. q. 89. art. 7. circa ad ſecundum, & Rom. ſingulari 501. & in hoc ſenſu potius ex illo textu colligitur, iuramentum illud fuiſſe de meliori bono, & ideo voluiſſe Pontificem obſeruari. Vnde non video, quo fundamento dixerit Soto d. lib. 8. quæſt. 7. in 2. argumen. Archidiaconum illud fuiſſe coactum à Gregorio accipere Epiſcopatum, eo quod iudicatus fuit Eccleſiæ neceſſarius, *atque adeo* (inquit) *oportuiſſe iuramentum infringere.* Hoc enim nullum habet fundamentum in textu, neque in Epiſtola originali Gregorij, quæ eſt ſexta libr. 12. quin potius in ea ita concludit: *Tu de ſingulis cum omni ſtudio, ac ſolicitudine, omnia, quæ ſcripſimus, require, atque nobis ſtude ſubtiliter indicare, vt de renunciatione tua redditi certiores, quid poſt hæc fieri debeat, Deo authore diſponamus.* Vnde ergo conſtat, Pontificem coegiſſe Archidiaconum ad acceptandum Epiſcopatum? Et quamuis ita factum fuiſſet, non propterea oporteret infringere iuramentum, quia acceptare illo modo non erat contra iuramentum, & ideo nec proprie diceretur Pontifex tunc diſpenſare iuramentum, ſed vti iure ſuo, quod ſemper intelligitur exceptum, iuxta cap. *Venientes* de Iureiur.

Caiet.

Soto.

Greg.

Cap. Venientes.

16. Secundum argumentum poſteriori loco factum ſumebatur ex regula plurium iurium, *Non frangit fidem, qui in melius commutat.* Hæc autem regula reſpectu Dei, & in his tantum, quæ ad honorem eius ſpectant, ſimpliciter acceptari poteſt, & ita probat primam aſſertionem, & partem tertiæ. Reſpectu vero hominis ſolum habet locum ſine præiudicio tertij, nam, ſæpe talis commutatio erit contra vtilitatem, vel voluntatem eius, in cuius gratiam factum eſt iuramentum, & ideo illo inuito non licet, quia vt dicitur in lege 2. §. *Mutui*, ff. *Si certũ petatur, Aliud pro alio inuito creditore ſolui nõ poteſt.* Et facit etiam, quod ad æquitatem inter homines pertinet alterum non lædere, & ideo Deus non acceptat dona, quæ ſibi cum detrimento proximi offeruntur. Nihilominus tamen in caſu ſupra tractato de Religionis ſtatu, non conſideratur præiudicium tertij, quod ſolet eſſe in non implendo promiſſo, quia in ipſamet promiſſione intelligitur bonum illud exceptum. Et vtrumq; notauit Abb. cum alijs in c. *Peruenit*, 2. de Iureiur. nu. 2. Et per hoc ſufficienter reſponſum eſt ad tertium argumentum, quod erat de ſponſalibus iuratis, quia inde non licet ſumere vniuerſale argumentum ad omnia alia bona minora, in quorum imitatione fieret proximo nocumentum.

Abb.

Vnde facilis etiam eſt reſponſio ad vltimum, in quo quædam æquiuocatio committi videtur. Nam in iuramento promiſſorio duo ſunt, ſcilicet factum ipſum, quod promittitur, & obſeruantia iuramenti, & hoc poſterius per ſe, ac formaliter ſpectat ad reuerentiam Dei, illud autem prius per ſe non ordinatur ad cultum Dei. Quod ergo primario pertinet ad reuerentiam Dei in quolibet iuramento eſt, vt promiſſio, & veritas ſeruetur, & hoc fit iuramentum implendo, etiamſi ſit minus bonum promiſſum proximo, ſeu in gratiam eius, non autem ita obſeruaretur iuramentum ſi inuito proximo aliquid aliud etiam melius fieret in gratiam alterius, vel alio titulo. Quando autem in ipſa promiſſione ſolum ſpectatur Diuinus honor, tunc ideo licitum eſt facere aliquid melius, quia non ſolum in ſe melius eſt, ſed etiam illo modo ſatisfit creditori, & impletur iuramentum. 17.

CAPVT XIV.

Vtrum iuramentum promiſſorium de actu, quod ſine lethali culpa fieri non poteſt, aliquam inducat obligationem?

Diximus de ſtudioſis actibus, dicendum ſupereſt de non ſtudioſis, quorum tria genera diſtinguere poſſumus. Quidam ſunt peccata mortalia, quidam venialia, alij indifferentes ex obiecto. Et de his duo quæri poſſunt, vnum eſt, quale peccatum ſit hoc actus ſub iuramento promittere, & hoc reſeruamus in materiam de Periurio. 3. libr. tractandam. Aliud eſt quem effectum obligandi habeat tale iuramentum, & hoc videbimus ſigillatim de his actibus. 1.

2. *1. Aſſertio. Iuramentum promiſſorium de actu qui ſine peccato mortali fieri non poteſt non inducit obligationem. Ratio aſſertionis.*

Dico ergo: Iuramentum promiſſorium de actu, qui ſine peccato mortali fieri nõ poteſt, nullam obligationem inducit. Eſt concluſio certa, & communis omnium, & probatur ex cap. *Si vero*, & in capit. *Cum contingat*, de Iureiur. vbi dicitur, iuramentum, quod vergit in interitum ſalutis æternæ, non obligare, ſed omne peccatum mortale vergit in interitum ſalutis æternæ: ergo iuramentum de tali actu non poteſt obligationem inducere. Et alia Decreta allegabimus in ſequenti capite. Ratio vero eſt, quia implicat contradictionem, aliquem obligari ad peccandum mortaliter, quia nemo peccat implendi id ad quod obligatur, neque poteſt ſimul idem præcipi, & prohiberi, alioqui homo ad impoſſibile obligaretur. Eſt ergo ille actus incapax obligationis, ergo iuramentum non inducet illam.

3. *Inſtantia.*

Dices: Quamuis de actu peccati mortalis, manente in eo ſtatu, non poſſit dari præceptum, tamen per præceptum fieri poteſt, vt actus alias de ſe malus deſinat eſſe peccatum mortale, & ſic cadat ſub obligationem, vt occidere filium, & innocentem abſque præcepto Dei peccatum mortale eſt, poſito autem

autem præcepto definit eſſe peccatum mortale, & cadit ſub obligationem: ergo ita poteſt in iuramento contingere. Reſpondeo, iuramentum non habere hanc vim, quia de ſe non tollit priora præcepta, nec mutat eorum materiam. Vnde non poteſt comparari cum præcepto Diuino: nam illud interdum mutat materiam, & obiectum actus, & ita facit, vt ceſſet obligatio alterius præcepti, etiam naturalis, vt in exemplo adducto: iuramentum autem non mutat materiam, ſed potius ſequitur conditionem eius, vt ſæpe dictum eſt, & ideo ſi ſit capax obligationis illam addit, ſi vero ſit incapax nullam inducit. Atque hoc eſt manifeſtum, quando actus eſt contra ius naturale, quia eſt intrinſece malus: de actu vero malo, quia prohibito, poteſt hoc habere aliquam dubitationem, quam cap. 18. tractabimus.

Reſponſio.

4. *Alia obiectio.* Sed inſtari poteſt, quia is, qui iurat ſe facturum aliquid, quod eſt peccatum mortale, tenetur, cum iurat habere propoſitum exequendi talem actum, ergo etiam poſtea tenetur illum exequi. Antecedens patet, quia, niſi habeat tale propoſitum, erit periurus contra præſens iuramentum, non vt promiſſorium, ſed vt aſſertorium, quod eſt intrinſece malum, & ſemper vitandum: ergo qui ſic iurat, tenetur tunc non peierare, ergo tenetur habere propoſitum, ſine quo peierabit. Prima vero conſequentia probatur, tum quia ibi deficit ratio facta, nam ille tunc obligatur ad peccandum mortaliter habẽdo illud propoſitum, tum etiam, quia illa obligatio in ipſo actu iuramenti, petitur, propter veritatem iuramenti retinendam: ergo eadem ratione poterit oriri ſimilis obligatio ex illo iuramento, vt promiſſorium eſt, vt caueatur etiam falſitas eius: nam illa etiam graue malum eſt.

5. *Reſpon.* Reſpondetur primo, antecedens, ſimpliciter, & in re ipſa falſum eſſe, quia non obligat præceptum iuramenti ad habendum tale propoſitum, ſed obligat potius ad non proferendum tale iuramentum. Ex ſuppoſitione autem prauæ voluntatis peccandi, ſi inter varios modos peccandi eligendum ſit, obligari poteſt homo ad eligendum minus malum, vt ſiquis ſit in propoſito non ſubueniendi gratis extreme indigenti minus malum erit, vt mutuet ſub vſuris, & ita illi ſubueniat, quam vt occidat illum, ei non ſubueniendo. Ad hunc ergo modum in præſenti, ex ſuppoſitione praui iuramenti, ſi ponamus minus malum eſſe iurare cum propoſito peccandi, quam iurare cum formali periurio aſſertorio, poterit eſſe tunc obligatio ex hypotheſi ad tale propoſitum, quæ non eſt obligatio ad peccandum, ſed ad minus peccandum. Vnde vbi contigerit minorem malitiam eſſe in formali periurio, quam in actu iurato, ceſſabit talis obligatio, vt ſiquis metu coactus iuret ſe negaturum fidem, vel adoraturum Idola, minus malum eſt, vt iuret ſine propoſito implendi, quam cum illo, & ita tunc nec ſimpliciter, nec ex hypotheſi obligatur ille ad habendum tale propoſitum.

6. Iam vero conſequentia ſimpliciter neganda eſt, quia etiam eo modo, quo poteſt ex hypotheſi eſſe obligatio illius propoſiti in illo iuramento vt aſſertorium eſt, non poteſt inueniri in illo, vt promiſſorium eſt, pro eo tempore in quo implendum eſt. Et ratio eſt, quia nunquam eſt minus malum facere talem actum promiſſum, quam non ſeruare iuramentum. Vnde ad primam probationẽ negatur aſſumptum, non enim ceſſat vnquam vis rationis factæ. Quia, vt dixi, illa obligatio, quæ naſcitur ex praua ſuppoſitione voluntaria, non eſt ad peccandum, ſed ad minus peccandum, vel certe non tam eſt obligatio, quam perplexitas, & neceſsitas quædam voluntarie ſumpta. In iuramento autem promiſſorio vt ſic ceſſat vtraque ratio, quia non ſeruare tale iuramentum, nullum malum eſt, & ideo nulla eſt perplexitas & nulla neceſsitas: nec facere tale opus eſſet minus malum, ſed ſolum vnicum malum. Ad ſecundam vero probationem negatur conſequẽtia, quia falſitas iuramenti aſſertorij, vt tale eſt, eſt maxime formalis, & intrinſece mala: falſitas autem iuramenti promiſſorij, vt tale eſt, non ſemper eſt formalis, imo tunc proprie non eſt falſitas, ſed ſola non executio iuramenti in caſu, in quo non obligat, quæ omiſsio non eſt ſemper, & intrinſece mala. Vnde in præſenti caſu, non implere iuramentum per peccatum, proprie non eſt efficere Deum teſtem falſitatis, quia Deus nunquam ſua authoritate obligauit ad illud implendum.

7. *Leuit. 5.* Sed contra dictam aſſertionem obiici poteſt, primo illud Leuit. 5. *Anima, quæ iurauerit, & protulerit labiis ſuis, vt vel male quid faceret, vel bene, & id ipſum iuramento, & ſermone affirmauerit, oblitaq; poſtea intellexerit delictum ſuum agat pœnitẽtiam de peccato ſuo, &c.* In quibus verbis ſignificatur eſſe peccatum obliuiſci iuramenti de aliquo malo faciendo, id eſt, non implere illud. Reſpondent aliqui, ibi non eſſe ſermonem de iuramento faciendi aliquod malum, ſed de iuramento male facto, quamuis de bono ſit: quia ſcilicet, leuiter, & ex impetu paſsionis potius, quam ex ratione factum eſt, ita ſignificat Lyra. Sed hoc non quadrat contextui, quia non dicitur ibi, *Si quis bene, vel male iurauerit*, ſed *qui protulerit labiis ſuis, vt male, vel bene quid faceret.* Loquitur ergo de bono, & malo non ſolum ex parte iurantis, ſed etiam ex parte actionis. Dicunt ergo alij verbum illud *Male facere*, non intelligi de malo culpæ, ſed de malo pœnæ, ita vt iurare malefacere, idem ſit, quod iurare, vel ſe ipſum affligere, vel proximum per modum vindictæ intra latitudinem honeſtæ correctionis. Ita refert ex Hebræis Abulen. ibi quæſt. 4. & tradit Cyrillus libr. 3. in Leuit. & ſequitur Oleaſter ibi, exponens *male facere*, id eſt, affligere ſe, eſtque probabilis expoſitio, videtur tamen & nimium coarctare præceptum, & non ſeruare rigorem verborum. nam illa male facere, ſumitur, vt oppoſitum ad bene facere, ſed bene facere ibi non ſignificat facere aliquid commodũ ſibi, aut aliis, ſed honeſtum opus virtutis facere (vt omnes exponũt) ergo videtur male facere in contrario ſenſu ſumi. *Lyra.* *Abulenſ. Cyrill. Gloſſ.*

8. Quare dici poteſt, peccatum pro quo ibi offerre ſacrificium præcipitur, non eſſe tantum peccatum non implendi iuramentum, ſed abſolute quodcunque peccatum in iuramento commiſſum, ſiue illud fuerit in iurando, ſiue in non implendo quod iuratum eſt, quem ſenſum amplectitur Abulenſis, & eſt conſentaneus Auguſt. qu. 3. in Leuit. & congruit etiam cum textu ibi, *Oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat, &c.* Vbi non explicatur quale ſit illud peccatum, ergo optime declaratur per partitionem accõmodam: nam qui male agere iurauit, licet poſtea obliuiſcatur iuramenti non implendo illud, debet agere pœnitentiam, & offerre propter peccatum, quod iurando commiſit, qui autem bene iurauit, & oblitus eſt, debet agere pœnitentiam, quia non impleuit, & ita ceſſat difficultas. *Auguſt.*

9. *An iuramentum factum à filiis Iſrael de non dandis filiabus in vxores Beniamitis, fuerit licitũ & obligarit.* Secundo obiicitur, quod Iudic. vlt. filij Iſrael iurauerunt non dare filiis Beniamin filias ſuas in vxores, quod iuramentum videtur fuiſſe ex praua intentione extinguendi tribũ Beniamin, & conſequẽter fuiſſe de re illicita, vtpote ſocietati humanæ, & charitati contraria, & nihilominus illud iuramentũ obſeruatum eſt, tanquam inducens obligationem, vt ex textu conſtat. Reſpondetur in primis, non cõſtare illud iuramentum fuiſſe de re intrinſece mala, quia bellum illud, quod gerebant reliquæ tribus contra Beniamin, erat iuſtum, & ex Dei voluntate, vt patet ex capit. 20. ergo in pœnam delicti potuit illud iuramentum fieri abſque peccato. Abulen. autem ibi quæſt. 6. tenet, Iſraelitas grauiter peccaſſe in illo iuramento, *Quia in caſu illo neceſsitatis iniquum* (inquit) *erat non dare illis vxores.* Vnde addit. *Iſraelitas grauiter peccaſſe in hoc iuramento, tenet Abulenſ.*

quæſt.

Digitized by Google

quæſt. 7. Iſraelitas erraſſe per ignorantiam, qua vel putarunt, iuramentum fuiſſe licitum, vel etiam credebant, iuramenta ſemel facta eſſe implenda, etiamſi in deteriorem exitum vergant. Verum tamen dici poteſt, illos ſine magno errore potuiſſe exiſtimare, ſe teneri iuramento, ſi ſupponamus factum eſſe zelo iuſtitiæ, & vindictæ non immoderatæ, atque adeo non animo extinguendi tribum, ſed vt ſocietatem, & amicitiam illis negarent. Sic enim obligari potuerunt, per ſe loquendo tali iuramento. Poſtea vero in caſu extremæ neceſſitatis illius tribus (de quo fortaſſe cogitatum non fuerat, vt Abulen. etiam ait) inuenerunt remedium, quo poſſent illi neceſſitati ſubuenire ſine fractione iuramenti, & ideo ſine magno errore cogitare potuerunt, vel ſe teneri ad ſeruandum iuramentum, vel melius fuiſſe, & ad maiorem reuerentiam Dei pertinuiſſe illud tali modo ſeruare, quid enim iſtorum magis exiſtimarint, ibi non declaratur.

10. *Obiectio ducta à iuramento facto per Iſraelitas de alienigenis vxoribus dimittendis.* Tertio obiicitur, iuramentum factum ab eodem populo Iſrael. 1. Eſdr. 10. duxerant enim Iſraelitæ vxores alienigenas, & ex eis filios procreauerant, & poſtea iurarunt proiicere illas cum filiis ſuis, quod tamen iuramentum videtur fuiſſe contra legem naturalem, quia eſt contra legem de perpetuitate matrimonij, & contra legem de alendis filiis etiam illegitimis. Sed in hoc certum in primis eſſe debet, iuramentum illud fuiſſe de re licita, quia vir ſanctus, & ſacerdos Eſdras declarauit populo, illam fuiſſe Domini voluntatem, vt ex textu conſtat. Vnde ſiue illud fuerit per declarationem præcepti, ſiue per Domini diſpenſationem, & poteſtatem, certum eſt id fuiſſe licitum. Vnde Auguſt. lib. 1. de Adulterinis coniugiis capit. 18. inquit: *Quas duxerant Domino prohibente, Domino iubente dimiſerunt:* *Auguſt.* Non videtur autem mihi illa iuſſio fuiſſe ex ſpeciali diſpenſatione de abſoluta potentia Dei, quia in textu hoc non ſignificatur, ſed potius ipſum populum pœnitentia ductum obtuliſſe Eſdræ illam conditionem, vt reducerentur ad obſeruantiam legis, & Eſdram illam acceptaſſe, & iuramentum exegiſſe. Potuit ergo illud per ſe eſſe licitum, quia non poterant fideles cum alienigenis cohabitare ſine iniuria creatoris, iuxta verbum Domini Deuteron. 7. In illo autem caſu licitum eſt dimittere vxorem infidelem, vt ſumitur ex Paulo 2. ad Corin. 6. & 1. Corint. 7. & declaratur in cap. *Quando*, & cap. *Gaudemus*, de Diuortiis, & ita nihil ibi actum eſt contra perpetuitatem matrimonij, quæ hanc conditionem habet incluſam. Neque etiam actum eſt contra legem de Alendis filiis, quia cum partus ſequatur ventrem, merito matribus cōceſſi ſunt, & fortaſſe quia educati iam erant ritu Gentilico. Non dicitur autem ibi dimiſiſſe filios vacuos, & ideo potuerunt illis prouidere de alimentis, quantum ad implendam naturalem obligationem ſufficeret. *C. Quanto. Ca. Gaudemus.*

11. Alij præterea addunt, illas mulieres alienigenas non fuiſſe veras vxores, ſed concubinas, quorum ſententia fundari in hoc debet, quod præceptum prohibens illa matrimonia Deuteron. 7. non fuit tantum prohibens ſed etiam irritans. Quæ eſt probabilis, ſed incerta, vt ſuo loco tractandum eſt. Tenuit autem illam ſententiam Gratian. 28. quæſt. 8. in princ. & citat Ambroſ. dicentem. *Iuſſit Eſdras dimitti vxores alienigenas, per quas ibant ad Deos alienos, nō eſt enim putandum matrimonium, quod extra Dei decretum eſt, factum, ſed cum cognoſcitur, eſt emendandum.* Quod etiam refert Magiſter in 4. d. 39. ſed vt notatur in Decreto Gregoriano, illa verba non inueniuntur in Ambroſ. ſed in Gloſſa ordinaria. 1. ad Corinth. 7. verb. *Si quis frater*, vbi etiam citatur Ambroſ. ſed non deſignatur locus. Quamuis autem ita de illis vxoribus cenſeamus, vt ſolo nomine, & conſuetudine, non veritate vxores dicantur: nihilominus filij ex eis geniti veri filij erant, & ideo de illis *Gratian.* *Ambroſ. Magiſt.*

neceſſe eſt, retineri reſponſionem datam: niſi dicamus non eſſe ita certum filios fuiſſe eiectos, ſicut de vxoribus, quia non eſt ita expreſſe ſcriptum: quod notauit Gloſſa ordinaria in d. locum Eſdræ circa finem capitis: probabilius autem videtur, & magis conforme textui, quod ſupra diximus. *Gloſ.*

CAPVT XV.

Vtrum iuramentum de opere includente venialem culpam, obliget?

1. *1. Aſſertio. Regula iuris circa iuramenta de re iniqua.* Reſpondeo: Iuramentum de opere, quod ſine culpa veniali impleri non poteſt, obligationem non inducit. Hæc aſſertio eſt communis, & certa, & in Iure Canonico ſæpius expreſſa cap. *Quanto*, de Iureiur. vbi generaliter dicitur, iuramentum illicitum, id eſt, de re illicita nullatenus eſſe obſeruandum, & optima ratio redditur, *Quia iuramentum non, vt eſſet vinculum iniquitatis, fuit inſtitutum.* Vnde eſt regula Iuris. 58. in 6. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum*, vbi in Gloſſa plura Iura citantur, & habentur 22. quæſtione 4. fere per totam, vbi ex conciliis, & Patribus multa referuntur. Ratio vero eſt eadem, quæ præcedentis aſſertionis: ſupponimus enim peccatum veniale non denudari malitia, nec deſinere eſſe peccatum propter adiunctum iuramentum, quia loquimur de actu intrinſece malo, vt eſt, verb. gr. mendacium, vel quod aliquo ex capite ſupponitur eſſe malum. Non minus autem eſt incapax obligationis peccatum veniale, quam mortale, quia etiam peccatum veniale eſt contra rectam rationem & à Deo prohibitum, & ideo impoſsibile eſt, quod ſub præceptum cadat; ergo non poteſt eſſe materia iuramenti promiſſorij inducentis obligationē. Confirmatur, quia præceptū non eſt de re impoſſibili: non ſunt autem cenſenda minus impoſsibilia, quæ iure fieri non poſſunt, quam quæ ſimpliciter, ſeu facto ipſo fieri nequeunt: ſicut ergo iuramentum de re impoſsibili non obligat, ita nec iuramentum de re illicita, quæ ſine peccato ſaltem veniali fieri non poteſt. *Gloſ.*

2. *1. Obiectio.* Contra hanc vero aſſertionem obiici poteſt. Primo regula aliorum Iurium in præcedenti capite inſinuata, quod illa iuramenta non obligant, quæ obſeruata vergunt in interitum ſalutis æternæ, cap. *Si vero*, & cap. *Cum contingat*, de Iureiur. peccatum autem veniale non inducit interitum ſalutis æternæ, quia per temporalem pœnam remittitur, ergo non impedit obligationem iuramenti. Vnde oritur cōfirmatio: nam minus malum eſt peccatum veniale, quam facere iuramentum falſum: ſed ſi non obſeruetur propter vitandum peccatum veniale redditur falſum, ergo implendum potius eſt, quam peierandum: nam tunc ſolum licet iuramentum non implere, quando minus malum hoc eſt, quam obſeruare, vt conſtat ex capit. 1. & 2. 13. d. & in cap. *Iurauit*, & in cap. *Non ſolum* 22. q. 4. *C. Iurauit. Cap. Non ſolum.*

5. *Solutio.* Ad argumentum reſpondetur primo, in illis Iuribus non poni regulam excluſiuam, ſcilicet ſolum illud iuramentum non obligare, quod ducit in interitum ſalutis æternæ, neque vniuerſalem affirmatiuam, omne iuramentum, quod non eſt contra ſalutem æternam, eſſe ſeruandum, ſed ſolum hanc negatiuam, iuramentum, quod vergit in interitum, non eſt ſeruandum. Ita reſpondent ibi aliqui expoſitores, præſertim Abb. notab. 1. & Couarr. referens alios ſupra §. 6. n. 6. & 7. Sed in rigore plus videtur ſignificari in illis textibus per illa verba ſeruandum eſt iuramentum, niſi tale ſit, quod redundet in ſalutis æternæ diſpendium, & ſimilia habentur in cap. *Quamuis*, de Pactis in 6. Et ideo facilius dicitur etiam peccatum veniale vergere in diſpendium, vel interitū ſalutis æternæ, illis enim duabus *Abb. Couarr.* *C. Quamuis.*

vocibus vtuntur indifferenter illa Iura. Nam licet peccatum veniale non priuet per ſe, & immediate vitâ æterna, nihilominus quatenus de ſe diſponit ad mortale, & impedit, quamdiu durat, conſecutionem vitæ æternæ, & reddit hominem aliquo modo indiſpoſitum ad perfectum Dei amorem, merito dici poteſt vergere in diſpendium ſalutis æternæ. Quod alia Iura vocant, iuramentum vergere in peiorem exitum, vt loquuntur Sot. Papa, & Beda in
Beda. cap. *Si aliquid*, 1. & 2. 22. qu. 4. Aliud reſponſum dant aliqui Canoniſtæ, de quo dicam in obiectione ſequenti.

4. Ad confirmationem reſpondetur, illam rationem recte accommodari ad iuramentum promiſſorium, vt aſſertorium eſt: nam licet ſit de peccato veniali, debet potius fieri cum propoſito illud implēdi, quam ſine illo, quia alias committetur periurium formale, & aſſertoriū, quod magis cauendum eſt, quam peccatum, quod committi poteſt habendo tale propoſitum. Et ideo conſiderare multum debent, qui frequenter iurant, comminando leuem iniuriam, vel promittendo leue munuſculum, vel ſimilia: quod ſi hæc iurēt ſine propoſito, mortaliter peccant, cum propoſito vero minus peccant, quantum vero peccent infra libr. 3. videbimus. Non habet autem locum ratio illa in iuramento promiſſorio, vt tale eſt, quia poſtea nō implere illud, nullum peccatum eſt, & ideo nulla eſt ibi comparatio minoris, & maioris mali culpæ, & ita maius malum eſt vnum peccatum veniale, quam non facere verum, quod male iuratum eſt. Quia hoc nulla eſt culpa, neq; eſt periurium formale, ſed materialis omiſsio rei iuratæ, quia ex natura talis actus cēſetur non interponere Deus autoritatem ſuam, vt illud fiat, neque velle, vt tale iuramentum impleatur: quia vero falſitas illa ſaltem obiectiue mala eſt, & de ſe indecens & vitanda, ideo dicitur in dictis Iuribus, tunc permitti propter vitandum maius malum. De quo videri poteſt Magiſ. 3. d. 39. cap. *An ſit periurium*.

5. 2. obiectio. Cap. Cum quidam.

Secundo obiici poteſt ca. *Cum quidam*, §. *Illi vero*, de Iureiur. vbi quidam dicuntur abſoluendi ab obſeruantia cuiuſdam iuramenti illiciti, & contra rationem facti, vbi in verb. *Abſoluendi*, indicatur, iuramentū illud obligationem induxiſſe, cū tamen eſſet de re illicita, ſcilicet, nō loqui patri, vel matri, ſorori, aut fratri, neque eis humanitatis officium exhibere, quę ſunt prǽter pietatem, & charitatem.
Solutio. Reſpondetur, ſine dubio tale iuramentum non obligare, vt aperte docuit Auguſtin. in cap. *Inter cætera*, 22. qu. 4. & conuincitur ratione facta, quia tale iuramentum
Auguſt. eſſet vinculum iniquitatis, vt ibidem ait Auguſtin. Vnde in eodem ca. *Cum quidam*, pœnitentia imponenda dicitur ei, qui ſic iurauit, quia male iurauit, non quia non impleuit, quod iurauit.

6. Nihilominus tamen reſpondent ibi Innocen. Felin. &c. neceſſariam fuiſſe abſolutionem ab illo iuramento, quia non erat ita malum, quin aliquando poſſet ſine peccato obſeruari, nimirum non ſubueniendo parentibus, quando non indigent, & ſimili-
Couar. ter non loquendo quando neceſſarium nō eſt. Sed hanc interpretationem reiicit Couarr. ſupra p. 2. in principio n. 4. quia illud iuramentū ſimpliciter fuit illicitum, & contra rationem, vt in eodem textu dicitur. Quare licet in generali verum ſit, quando materia eſt dubia petendam eſſe diſpenſationem, vt infra libr. 3. dicemus: tamen non exiſtimo hanc regulam bene applicari ad caſum illius textus. Quia materia illius iuramenti erat non loqui cum fratribus, & parentibus, nec ſubuenire illis: hæc autem materia interdum poteſt eſſe peccatum mortale, frequentius vero veniale, & ſi aliquando ceſſat culpa ſaltem eſt materia vel indifferens; vel de ſe minus bona, & ideo manifeſtum eſt, iuramētum illud non obligare, nec propter totam illam materiam eſſe neceſſariā abſolutionem. Et quāuis interdum poſſit eſſe exceſſus, & peccatum in ſuperfluo ſermone cum fratribus, vel parentibus: tamen iuramentum illud nec pertinebat ad hanc materiam, neque illo intuitu factum erat, & ideo nec propter illos caſus abſolutio poſtulatur.

Secundo reſpondent Gloſſa ibi, Abb. & alij, po- 7. Aliquorum euaſio.
ſtulari in illo textu abſolutionem ad cautelam. Sed videtur ſuperflua cautela in re tam clara. Abſolutio enim ad cautelam poſtulatur, vbi vinculum ſaltem eſt dubium, & rationabiliter timetur, hic autem nullum eſt dubium, nec rationabilis timor, ergo neq; ad cautelam neceſſaria erat abſolutio. Reſpondent aliqui peti ibi abſolutionem, non propter dubium, ſed propter talem materiam. Nam quotieſcunque materia iuramenti eſt peccatum mortale, tunc neque obligare, neque eſſe neceſſariam abſolutionem ad cautelam, & in hoc ſenſu loqui cap. *Si vero*, cū aliis citatis in præcedenti obiectione: quando vero materia leuior eſt, & poteſt eſſe veniale peccatum, tunc licet iuramentum non obliget, nihilominus ex Iure Canonicō declarato in illo textu, ante fractionem iuramenti præmittendam eſſe abſolutionem ad cautelam, ne homines ſumant occaſionem facile veniendi contra ſua iuramenta. Sed in primis in conſcientia nullam credo eſſe obligationem petendi talem abſolutionem, nō ſolum in caſu ſimili, vbi materia ex genere ſuo eſt peccatum mortale, licet interdum poſsit eſſe veniale, ſed etiam in materia de ſolo veniali, vt de leui mendacio dicendo, quia tale iuramentum non ſolum impleri non debet, ſed nec poteſt, ad quid ergo eſt neceſſaria abſolutioni, vel quæ obligatio relinquetur in conſcientia, etiamſi non petatur, aut vbi datum eſt præceptum de ea petenda? Nam friuolum eſt, ex illo textu tale præceptum colligere. Et ob eadem motiua exiſtimo, neq; in foro exteriori eſſe neceſſariam illam abſolutionem, quia etiam in foro Eccleſiæ ſatis notum eſt, tale iuramentum inualidum eſſe, etiamſi tantum ſit de peccato veniali.

Tertio reſpondet Couarr. ſupra, Pontificem ibi 8.
non dicere, vt qui ſic iurauit, abſoluatur ab obligatione iuramenti, ſed à peccato, quod ſic iurando cōmiſerat. Sed licet reſponſio contineat veram doctrinam, non bene accommodatur verbis textus, *abſoluendi ſunt ab illius obſeruantia iuramenti*: aliud enim eſt abſolui à peccato, & aliud ab obſeruantia; eſt ergo valde violenta interpretatio illa Couarr. *Abſoluendi ſunt ab obſeruantia iuramēti, id eſt, à peccato, quod commiſerunt iurantes*. Poſſet fortaſſe non incongrue dici, verbum abſoluendi ibi poſitum eſſe pro abſolutione declaratiua nullitatis vinculi, non pro abſolutione vinculi diſſolutiua: non eſt enim hic modus loquendi nouus in Iure, vt manifeſte conſtat ex capit. *Audiuimus*, 24. qu. 1. vbi ſimul hæc duo dicun- Cap. Audiuimus.
tur, *Excommunicatus te excommunicare non potuit*, &, *Te tuoſque abſoluendo mandamus non curare*, &c. Vbi manifeſtum eſt verbum, *abſoluendo*, non ſignificare ſolutionem, ſed declarationem; quod ibi notauit Gloſſa dicens, *id eſt, abſolutos eſſe, oſtendendo, id eſt, non ligatos*, & refert alia ſimilia Iura. Sic ergo recte, & facile exponitur d. capit. *Cum quidam*. Quod ſignificauit Panormitan. in fine illius textus, dicens: *Vel intellige de abſolutione facti, ne taliter iurans notetur de facto de tranſgreſſione iuramenti*: nam abſolutio de facto idem fere eſt, quod ſola declaratio. Si quis autem voluerit communem expoſitionem de abſolutione ad cautelam defendere, non dicat, eſſe neceſſariam petere talem abſolutionem, hoc enim in textu non dicitur, neque eſt veriſimile, vt probaui. Sed dicat, dandam eſſe talē abſolutionem petenti, fortaſſe ad maiorem quietem, & ſatisfactionem eius: ſicut datur interdum priuilegium petenti illud, 9.
etiam vbi non eſſet neceſſarium.

Tertio obiici poteſt Chryſoſt. qui in Hom. 14. ad Tertia obiectio. Chryſ.
Populum per aliquot columnas ita damnat cōſue-

tudinem

Digitized by Google

ſuetudinem iurandi vt ſignificet, ſemper eſſe peccatum, impedire alterum ne iuramentum impleat, etiamſi male iurauerit. Et conſequenter indicat, quoties duo iurant contraria, vtrumque peierare, vt ſi vir iuret flagellare ſeruum, & vxor iuret non eſſe flagellandum; & adducit exemplum ex 1. Regum 14. vbi Saul iurauit occidere Ionathan, & populus iurauit non fuiſſe occidendum. Conſtat autem, ſæpe alterum ex his iuramentis eſſe illicitum; ergo ex ſententia Chryſoſt. etiam illud non ſeruare, vel impedire, ne obſeruetur, habet malitiam periurij.

9. [illegible] & explicatur Chryſoſt. Reſpondetur, intentionem Chryſoſt. ibi non eſſe, docere iuramenta illicita obligare, quia non de hoc tractat, ſed de reprehendenda conſuetudine iurandi: vnde nunquam dicit, ſemper eſſe malum impedire executionem iuramenti, nam bene nouerat non peccaſſe Abigail retrahendo Dauid ab exequendo malo, quod iurauerat. Neque etiam dicit, ſemper, eſſe periurium, iurare contrarium eius, quod alter iurando comminatus fuerat, nam ſine dubio poteſt eſſe opus pietatis, ſi alter temere, vel iniuſte iurauerat. Solum ergo exaggerat incommoda, & pericula, quæ ſunt in facilitate iurandi: nam ex ea ſequuntur multa periuria, quia vel iuramenta non implentur cum debent, vel ſi iuſte impediuntur, male fiunt, & periuria cenſentur, non quia non implentur, ſed potius quia ita fiūt, vt ſecūdum rectam

Magiſter. rationem impleri non debeant. Vt enim notauit Magiſt. ſentent. in 3. d. 39. circa finem, iuramentum illicitum non obſeruatum vocatur periurium, non quia inde reus ſit aliquis, quod non obſeruat, ſed quia iurauit multum, *ex quo (inquit) reus eſt ſicut ille, qui peierat.*

CAPVT XVI.

Vtrum iuramentum de actu indifferente obliget?

6. DIco primo iuramentum non poteſt obligare ad actum indifferentem, vt indifferens eſt. Hæc aſſertio ſumitur ex Diuo Thoma in d. articulo 7. quamuis enim non faciat expreſſam mentionem actuum indifferentium, comprehendit illos iuxta ſuam doctrinam, ſub bonis vel malis, vel impedientibus maius bonum; & ita etiam ſumitur ex aliis Auctoribus allegatis. Probatur autē breuiter, quia in primis actus de ſe indifferens, quotieſcumque propter ſe tantum fit, ſine vlla relatione ad honeſtum finem, eſt peccatum veniale, iuxta probabiliorem ſententiam; ergo iurare actum indifferentem vt ſic, idem eſt, quod iurare quoddam peccatum veniale; ergo tale iuramentum non obligat.

Obiectio. Dices; Contraria ſententia, quod actus indifferens in indiuiduo non ſit peccatum, probabilis eſt, ergo ſaltem ſecundum illam illud iuramentum obliga-

Idem n. 10. bit. Reſpondeo, quidquid ſit de Antecedenti, (quod mihi dubium eſt, ſaltem loquendo de probabilitate practica) negando conſequentiam, quia vt iuramentum non obliget, ſatis eſt, quod ſit probabilius, illum operandi modum eſſe peccaminoſum: nam ſicut iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, ita non eſt vinculum obligans ad ſequendam viam incertam, relicta ſecura, in materia vitandi peccatum.

7. Iuramentum non ſolum non obligat ad actum indifferentem, quia malus eſt, ſed quia bonum non eſt. [illegible] Vnde vlterius addo, iuramentum non ſolum non obligare ad actum indifferentem ſecundum ſe ſpectatum, quia malus eſt, ſed etiam quia bonus non eſt ſic factus in indiuiduo, etiamſi fingamus, illa duo eſſe in indiuiduo ſeparabilia, quod nō credimus, quia eo ipſo talis actus otioſus eſt: quod in actu humano, & morali ſufficit ad aliqualem malitiam, vt in verbis otioſis conſtat. Tamen admiſſa etiam illa ſeparatione, ſaltem ille actus ſic factus, eſt inutilis tam operanti, quam aliis, vt ſupponimus, quia ſi eſſet vtilis, & vt ſic ſpectaretur, iam non ſumeretur vt indifferens; ergo talis actus ad minus eſt impeditiuus maioris boni; ergo vel ex hoc capite tale iuramentum non obligat iuxta ſuperius dicta. Et confirmatur, nam qui iuraret pro aliquo tempore non facere quidpiam honeſtum, non obligaretur tali iuramento, vt omnes fatentur, & infra videbimus, tractando generaliter de omiſſionibus: ergo qui iurat facere actum indifferentem non obligatur. Probatur conſequentia, quia ille in virtute iurat, non facere actum honeſtum, dum circa actum indifferentem occupatur. Imo, loquendo moraliter, & humano modo, vix poteſt aliquis ceſſare ab actu honeſto, & non peccare niſi faciendo actum indifferentem, quia vix poteſt ceſſare ab omni actu libero, ſuppoſita ſufficienti aduertentia: nam ſaltem aliquid libere cogitabit. Vnde ſicut non poteſt aliquis iuramento ſe obligare ad conſumendum tempus inutilibus cogitationibus, etiam indifferentibus, ita neque ad ſe occupandum in opere indifferente, vt tale eſt.

Dices: Qui iurat opus indifferens, non iurat facere illud ſine honeſto fine (nam ſi hoc iuret, iurabit peccatum, vel aliquid repugnans honeſtati, & ſic conuincunt rationes factæ) ſed præciſe iurat facere tale opus de ſe indifferens, quod in indiuiduo poterit honeſte fieri: ergo iuramentum de ſe obligabit ad faciendum tale opus, quandoquidem fieri poteſt ſine peccato, & tunc generalis regula rectæ rationis obligabit ad ponendum finem, quo honeſte fiat. 5 Inſtantia. Reſpondetur primo, ſæpe accidere poſſe, vt actus de ſe indifferens in tali perſona, & tali tempore, & loco, non poſſit cum fine honeſto habere proportionem, vt ſi Scholaſticus, qui neque ad ſalutem, neque ad rationabile corporis leuamen indiget ludo, iuret ludere, non obligabitur, quia & actus ille de ſe eſt indifferens, & in tali perſona non habet proportionem cum honeſto fine, & ſimilia exempla poſſunt multa adhiberi. Quoties ergo talis fuerit actus indifferens non habet locum replica facta. Solutio. Secundo dicitur, quod licet homo poſſit actum indifferentem referre ad honeſtum bonum, ex vi iuramenti non tenetur, quia, non hoc iurauit, vt de Voto latius dicemus. Per coniecturam autem præſumi poteſt, quando actus indifferens cum iuramento promiſſus habet in tali perſona commoditatem, & proportionem ad honeſtum finem, eo ipſo intelligi iuratum in ordine ad talem finem: & ideo iuxta probabilitatem præſumptionis, ſeruandum eſſe iuramentum, quamdiu opus retinuerit vtilitatem illam, ſeu habitudinem ad talem finem. Tunc autem tale iuramentum nō pertinet ad hanc primam aſſertionem, ſed ad ſequentem, quia non eſt iuramentum de opere indifferente, vt tale eſt, ſed vt eſt vtile ad bonum finem.

Dico 2. Si actus indifferens iuretur, vel propter honeſtum finem, vel propter vtilitatem proximi, ad quam eſt accommodatum iuramentum obligat. 4. Probatur quia iuramentum de quocumque opere virtutis inducit obligationem, vt capit. 12. viſum eſt, ſed opus indifferens factum propter honeſtum finem eſt opus virtutis; ergo ſic iuratum cadit ſub obligationem. Neque in hoc eſt vlla difficultas, ſed explicandum eſt eo modo, quo diximus de propriis actibus virtutū. Addimus verò in vltima parte aſſertionis, quando opus eſt vtile proximo, & in eius vtilitatem iuratur, ſatis eſſe quod non ſit malum: nam licet ſit indifferens tale iuramentum obligat, quia in illo non attenditur per ſe primo honeſtas operis, ſed commoditas proximi, quam intendere per ſe bonum eſt, etiamſi intendatur per opus alias indifferens, dummodo malum non ſit: nam per illam relationem fiet opus bonum, vel liberalitatis, vel miſericordiæ, vel iuſtitiæ, vel certe humanæ fidelitatis. Et ita hæc pars virtute cōtinetur in ſecūda, poſita vero eſt ad maiorem claritatem. Vt autem iuramentum intelligatur in iuraméto facto in fauorem proximi

inueniri hanc ſpecialem rationem, quod ex vi qualiſcunq; iuris acquiſiti proximo per promiſſorium iuramentum illi factum ſufficienter honeſtatur opus illi promiſſum, etiamſi alias de ſe indifferens eſſet, & ideo illud etiam ſatis eſt, vt tale iuramentum ſemper includat obligationem. Hæc autem ratio non habet locum in operibus de ſe indifferentibus, vt ire in agrum, vel legere, quando ordinantur ad rationabilem commoditatem ipſius iurantis: nam ipſe iurans proprie non acquirit ius, & licet acquireret, poſſet illi cedere, & ideo dicimus talia opera, & iuramenta ſpectanda eſſe ſicut alia opera virtutis, quæ abſolute propter honeſtatem iurantur. Quod ſi opus indifferens referatur immediate ad honorem Dei, induet rationem voti, & per principia ſupra poſita de voto iurato regulandum eſt, & latius explicabitur infra circa materiam Voti.

CAPVT XVII.

Quandò, & quomodo obliget iuramentum de omiſſione, ſeu negatione alicuius operis.

HAEc quæſtio videri poteſt definita in duobus capitibus præcedentibus, quia in his rebus moralibus priuationes, ſeu omiſſiones actuum ad ipſos actus reducuntur, iuxta regulam traditam à D. Tho. 1. 2. quæſtion. 71. artic. 6. ad 1. & ita quæ dicta ſunt de actibus accommodanda erunt ad omiſſiones actuum, cum proportione, & expedita erit quæſtio. Nihilominus tamen ad explicanda quędam dubia, quę circa has negationes ſpecialiter occurrunt, viſum eſt de illis in particulari dicere.

D. Thom.

1\. Primo ergo certum eſt, ſi fiat iuramentum de cauendo, ſeu non committendo actu peccaminoſo, tale iuramentum obligatorium eſſe. Patet quia tale iuramentum eſt de re honeſta: nam vitare peccatum bonum eſt. Nec refert, quod illa non ſit res poſitiua, ſed tantum carẽtia, tum quia ſecundum moralem ęſtimationem carentia mali eſt magnum bonum: tum etiam quia in obſeruatione talis iuramẽti moraliter includitur poſitiua voluntas non peccãdi, quæ bona eſt. Atque hinc ſequitur quoties iuratur negatio aliqua intuitu vitandi peccatum, vitando actum, qui poteſt eſſe occaſio eius, iuramentum maxime obligare, vt ſiquis iuret non ingredi talem domum, in qua expertus eſt occaſionem, vel non habere familiaritatem cum tali amico, qui ſibi eſt in ſcandalum, & ſic de aliis. Et ratio eſt eadem, quia tunc illa negatio induit eãdem honeſtatem. Solum oportet aduertere differentiam inter prædictas omiſſiones. Nam quando iuramentum immediate eſt de non committendo tali peccato, verbi gratia, furto, fornicatione, & cæt. tunc iuramentum de ſe ſemper obligat, quia materia ſemper habet eãdem honeſtatem. At vero quando omiſſio iurata non cõſiſtit formaliter, & immediate in omiſſione peccati, ſed in omiſſione alterius actus de ſe non mali, quatenus eſt occaſio peccati, tunc obligatio iuramẽti non eſt ita perpetua, ſed tamdiu durat, quamdiu ille actus fuerit occaſio peccandi. Si autem ratio occaſionis auferatur, obligatio iuramenti ceſſabit, vt in exemplis adductis, ſi à tali domo auferatur occaſio, vel ſi talis amicus mutet mores, & ſtudioſus fiat. Ratio ſumi poteſt, vel ex generali principio, quod iuramentum promiſſorium non obligat mutatis rebus, iuxta caput *Quemadmodum*, de Iureiur. vel in principio ſupra poſito, quod medium indifferens ſi fiat inutile, & impertinens ad finem honeſtum, iam non accipit honeſtatem ab illo: vel denique in intentione iurantis, quæ ſolum fuit cauere occaſionem peccãdi, & ideo ſi iam non eſt occaſio, non fuit ſub iuramento comprehenſa.

Iuramẽtum de non committendo peccato obligatorium eſt.

Negatio, quæ iuratur intuitu vitãdi peccatũ, obligationẽ inducit.

2\. Dico ſecundo: Iuramentum de omittendo actu indifferente, ſi fiat intuitu honeſtatis, ad quam illa omiſſio poſſit aliquid cõducere, obligatorium eſt, non vero ſi ſit de omiſſione impertinente ad virtutem. Prior pars certa eſt, & communis, quia talis omiſſio ſub illo reſpectu participat honeſtatem finis ad quem ordinatur, atque ita iuramentum illud eſt de materia honeſta; ergo obligat. Exempla ſunt, ſi quis iuret abſtinere in die aliquo ab opere ſeruili, vt poſſit vacare operibus Religionis, vel ſi quis iuret non exire domo, vt ibi melius occupetur, & ſimilia. Imo hoc titulo multæ negationes huiuſmodi ſunt materiæ votorum, vt eſt votum non nubendi, vel etiam votum paupertatis, vel abſtinentię à cibo impediente vſum alicuius actus ſtudioſi. Sic etiam obligat iuramentum non ludendi, per ſe loquendo, quia licet actus ille ſit indifferens, tamen abſtinentia ab illo eſt de ſe valde vtilis, vel ad lucrandum tempus ad exercitia virtutis, vel ad vitanda pericula, & nocumenta, quæ ex frequentia talis actus ſequi ſolent. Eademq; ratio eſt de quibuſdam aliis actibus, qui licet non ſint per ſe mali, moraliter implicant hominem in vitiis, & peccatis, vel certe multum auertũt ab ſpiritualibus bonis, huiuſmodi ſunt mercatura, & aliæ negotiationes humanæ. Et ideo iuramentum de non exercenda tali actione per ſe, & ex obiecto non eſt vanum, & ideo regulariter obligationem inducit; niſi ex circumſtantia perſonæ, & ſtatu eius contingat, tale iuramentum prudenter iudicari contra bonos mores eius.

Iuramẽtum de actu indifferente omittendo intuitu honeſtatis, obligatorium eſt.

In ſecunda parte aſſertionis videtur eſſe nonnihil difficultatis, procedit enim, quando aliquis iurat non facere opus indifferens, cuius priuatio impertinens eſt ad virtutem, ſicut & opus, neque illam iuuat, neque impedit; vt verbi gratia, in fœmina non laborare manibus, & in homine non ſcribere, vel non legere. Cur ergo iuramentum de tali negatione non obligabit? nam tale iuramẽtum impleri poteſt ſine peccato, vt per ſe conſtat, & ſine impedimento melioris boni: nam illud iuramentum ſolum impedit opus indifferens, cuius priuatio per ſe nihil confert ad honeſtatem, vt ſupponitur: ergo omiſſio talis operis, neque eſt mala, neque impeditiua melioris boni, ergo iuramentum de tali omiſſione põteſt impleri ſine peccato, & ſine impedimento alicuius boni. Cur ergo non implebitur, vt ſaluetur veritas iuramenti? nam (vt Iura dicunt) non obſeruatio iuramenti ſolum permittitur ad vitandum maius malum: hic autem nullum malum vitatur, vt conſtat. Declaratur etiam ex quadam notanda differentia inter opus indifferens, & negationem, ſeu omiſſionem eius: nam opus indifferens, ſi in indiuiduo ſic fiat, eo ipſo malum eſt, vel certe impeditiuum maioris boni, & ideo iuramentum de illo non valet. Omiſſio autem talis operis etiãm per ſe ſpectata non eſt mala, neq; impedit maius bonum; & ideo iuramentum de illa ſine vllo incommodo morali impleri poteſt. Cur ergo non implebitur? Accedit quod talis omiſſio videtur potius commoda ad virtutem, quia ſaltem conſtituit hominem magis expeditum ad bene operandum, ſi velit; ergo ſaltem hoc titulo obligare poterit tale iuramentum. 4.

Difficultas quadã contra ſecundã partem aſſertionis.

Nihilominus vera eſt illa pars aſſertionis formaliter ſumpta, vt propoſita eſt tanquam diſtincta à priori parte: nam ſi vacatio ab opere aliquo prorſus eſt indifferens, & nulla honeſtas, vel rationabilis vtilitas in ea ſpectatur, impertinens eſt, & inutilis: ergò non eſt materia obligationis moralis: ergo nec iuramentum de illa ſic ſpectata obligat. Imo vero ſi opus illud, quamuis in ratione virtutis ſit indifferens, per ſe afferre poteſt aliquam naturæ commoditatẽ, vt eſt laborare manibus, & legere, aut ſcribere; ſic talis omiſſio non ſolum honeſta non eſt, verum etiam vergit in detrimentum naturæ, & ideo tale iuramentum nullum eſt, & non obligat. Si autem talis 5.

Reſolutio difficultatis.

tem talis omiſſio ſpectetur ſub quacumque habitudine ad virtutem, ſic non pertinet ad hanc partem aſſertionis, ſed ad primam. Dupliciter autem poteſt id contingere. Primo, ſi iuramentum ſit de non faciendo opere indifferente in eo ſiſtendo, & hoc per ſe bonum eſt, & ex vi talis obiecti obligabit: non quidem ad non faciendum opus abſolute, ſeu quoad exercitium (vt ſic dicam) ſed ad non faciendum illud inutiliter, & otioſe. Alio modo poteſt in ea priuatione inuolui reſpectus ad honeſtatem, ſi homo intendat non occupari in tali opere, vt non diſtrahatur, vel impediatur ab aliis bonis; & tunc conſtat ex priori parte aſſertionis, & eſſe obligationem, & vnde oriatur. Et ita patet reſponſio ad poſteriorem partem difficultatis.

6. Ad priorem vero reſpondetur, iuramentum promiſſorium non obligare ad faciendam veram priorem propoſitionem de futuro, niſi ſuppoſita materia capaci obligationis, & ſtante illa obligatione procedit regula, quod non eſt prætermittenda veritas, niſi vbi res vergeret in deteriorem exitum, ſeu quod idem eſt, niſi propter vitandum maius malum. At vero quando materia de ſe eſt incapax, obligatio à principio nulla fuit, & ideo neq; poſtea neceſſarium eſt verum efficere, quod fuit aſſertum. Eſt autem dicta materia incapax propter ſuam vanitatem, & inutilitatem. Neq; enim veriſimile eſt, Deũ velle ſua authoritate fauere vanæ, & quaſi ſuperſtitioſæ obſeruantiæ, & ideo à principio fuit error in tali iuramento, quia in vanum nomen Dei inuocatum eſt, poſtea vero nullus eſt defectus formalis (vt ſic dicam) veritatis, quia ſecundum rectã rationem non magis eſt habenda ratio prioris dicti, quam ſi dictum non fuiſſet. Quin potius quamuis per ſe non ſit malum tale opus indifferens omittere, nihilominus abſtinere ab illo, quaſi ex obligatione, & ſub intuitu reuerentiæ Diuinæ, ſuperſtitioſũ eſſet, & culpabile, vt ſtatim amplius explicabitur.

7. *Iuramentũ de non exercendo aliquem actũ bonum ſupererogationis non inducit obligationem.*

Dico tertio: Iuramentum de non faciendo aliquo actu bono ſupererogationis, vt tale eſt, obligationem non inducit. Loquor de actu ſupererogationis, nam ſi actus ſit neceſſarius, ſeu ſub præcepto, omiſſio eius erit culpa, & ideo clarum eſt, ex dictis cap. præcedenti, illam non eſſe materiam capacem obligationis iuramenti: quando vero opus eſt bonum, non tamen præceptum, omiſſio eius non eſt malum, ſed quaſi indifferens, & ideo poteſt habere dubitationem proxime tactam, quia iuramentum de omiſſione talis actus impleri poteſt ſine peccato, & ideo non apparet tam clara incapacitas obligationis. Nihilominus aſſertio poſita communis eſt, tenet D. Tho. d. q. 89. art. 7. ad 2. & ibi Caiet. Soto, & alij, idem D. Tho. Quodlib. 3. q. 5. ar. 14. & Quodlib. 5. art. 27. Abb. cum aliis in ca. *Si vero*, de Iureiur. Archidiac. in cap. *Si aliquid*, 22. q. 4. Couar. ſupra p. 1. §. 6. n. 6. & 7. Exempla magis frequentia, & certiora ſunt, ſi quis iuret, ſe non ingreſſurum Religionem, vel non facere eleemoſynam, aut non audire Miſſam in die non feſtiuo. Ratio autẽ communis eſt, quia talis omiſſio, (eſto mala non ſit) per ſe nullam bonitatem affert, & alioqui directe impedit maius bonum, & ideo eſt incapax obligationis iuſtæ, nedum Religioſæ, qualis eſt obligatio iuramenti.

D. Thom. Caietan. Abb. Archid. Couar.

8. Explicatur, & confirmatur, nam duobus modis poteſt impediri opus honeſtũ, vno modo indirecte, quia non poteſt eſſe ſimul cum alio opere promiſſo ſub iuramento, vt ſiquis iuret dare Petro pecuniam, quam habet, eo ipſo impeditur, ne poſſit ex illa aliam eleemoſynam facere: alio modo poteſt omiſſio operis boni directe, & per ſe intendi, vt fit, quando directe iuratur, ſola talis omiſſio. Prior ergo modus per ſe non habet deformitatem, quando actus directe intentus honeſtus eſt, & ideo iuramẽtum de tali actu per ſe obligat ad opus, de quo directe fit, & conſequenter poterit etiam obligare aliquando ad omiſſionem melioris actus, iuxta regulas poſitas in capitulo 15. At vero quando omiſſio boni actus directe, & per ſe tantum intenta eſt, nullam habet rationem boni, ſed impedimenti maioris boni, & ideo deformitatem quandam habet tale iuramentum, ratione cuius dici poteſt à principio vergere in peiorem exitum, & in perniciem animæ, & ideo non inducere obligationem. Ita notauit Palud. in 4. d. 38. q. 1. n. 29. & ſequitur Syl-ueſt. *Votum* 1. q. 4. in finem.

Et hinc fit, vt in hoc iuramento, quod eſt directe 9.
de omiſſione operis, vel ſtatus ſupererogationis neceſſarium non ſit moraliter diſtinguere, ante tale iuramẽtum fiat intuitu Diuini honoris, vel intuitu proximi, vel per ſe tantum, & abſolute, quia quolibet modo iſtorum modo fiat, non inducit obligationem. De primo modo res eſt clara ex ſuperius dictis, & ex materia de voto magis conſtabit: nam ibi includitur votum iuratum: illa autem non poteſt eſſe materia voti: ergo nec materia iuramenti promiſſorij ad Deum. Et hinc etiam eſt clarum tertium membrum, quia iuramentum abſolute, & per ſe factum reducitur ad votum, vel eius conditionem imitatur, vt ſupra etiam declaratum eſt, & ideo, ſi ſit per ſe impeditiuum melioris boni, non obligat. Secundum autem membrum patet, quia negatio boni operis per ſe, & nude ſpectata non eſt vtilis proximo; ergo parum refert ad obligationem talis iuramenti, quod ſit factum in gratiam proximi, quia nullam inde accipit honeſtatem, eſtque irrationabilis voluntas proximi volẽtis ſibi tale iuramentum impleri.

Dices, Interdum ex omiſſione boni operis reſul- 10. *Inſtan.*
tat commodum proximi; ergo ſi intuitu talis commodi illi fiat tale iuramentum obligabit. Conſequentia patet, quia iam tunc ceſſat ratio facta, & procedunt, quæ ſupra dicta ſunt de iuramento facto in vtilitatem proximi, etiam cum impedimẽto melioris boni, extra ſtatum perfectionis. Antecedẽs vero patet exemplis. Primo, ſi pater iuret filio, vel maritus vxori non facturum eleemoſynas abundãtes, etiam licitas, vt illis bona conſeruentur. Item, ſi quis iuret mihi non ſeruiturum hoſpitali, vt ſit liber
ad mihi inſeruiendũ, &c. Reſpondeo, non parũ eſſe *Solutio.*
dubiam obligationem talium iuramentorum: nam profecto ſi ſiſtant in ſola negatione operis ſtudioſi, & non includãt formaliter, aut virtute obligationẽ ad aliquid directe, & proxime pertinẽs ad commodum proximi, non videntur obligare, quia ſunt contra bonos mores animæ. Si autem directe reſpiciant talem vtilitatem iam non erunt de pura negatione ſtudioſi actus, ſed aliam materiam moralem habebũt. Vt v.g. in priori exemplo, ſi pater iuret nõ facere eleemoſynas, vt liber maneat ad ludendũ, vel donandum amicis, aut aliis modis expendẽdi etiam ſuperflue, profecto eſſet iniquum iuramẽtum, regulariter loquendo: ſi vero eſſet iuramentum generale de moderandis ſumptibus, vel non alienandis ſine magna cauſa, vel neceſſitate, tũc valere poſſet iuramentum, quia virtute eſſet de cõſeruandis bonis in vtilitatem filiorum. Vnde ſi in particulari talis eſſet perſona, vt in aliis ſumptibus eſſet moderata, & prudens, in eleemoſynis autẽ faciendis nimium effuſa, & ideo iuraret, non facere eleemoſynas, niſi neceſſarias, vel moderatas ſecundum ſuum ſtatum; tunc validum eſſe poſſet iuramentum, quia non intelligeretur eſſe directe de negatione actus virtutis, ſed de rationabili conſeruatione bonorum, pro filiorum commodis. Et ita eſt de ſimilibus materiis iudicandum, in quibus prudenti arbitrio opus eſt, quia nõ poteſt certior regula tradi: in dubio autem illud videtur eligẽdum, quod fuerit honeſtum, quia in hoc etiam magis conſulitur Religioni iuramenti.

De iuramento non mutuandi.

11. *1 Sententia negans. Abb. Couar. D. Thom.* Atque hinc expeditur dubium, quod hic tractari ſolet, an iuramentum de non mutuando, vel de non fideiubendo obligationem inducat? Nam partem negantem ſequitur Abb. in cap. *Si vero*, de Iureiur. n. 5. & 6. vbi alios refert, & hoc ſequitur Couarr. d. 1. p. §. 6. nu. 7. vbi in eandem ſententiam refert Diuum Thomam, Gratianum, & alios. Et ſumi poteſt à ſimili ex D. Thoma in Qodlib. 12. art. 21. vbi agit de iuramento non communicandi doctrinam alicuius experimenti, de quo dicit ſimpliciter non obligare. Fundamentum eſt, quia talia opera ſunt miſericordiæ, ſeu charitatis, & ideo vel ſunt in præcepto, vel in conſilio, & ideo tale iuramentum impedit opus vel præcepti, vel conſilij. *2. Sententia affirmans. Maior. Oldra. Hippolyt.* Aliis autem videntur illa iuramenta valida. Quam ſententiam tenet Maior in 4. d. 38. q. 1. vbi de Voto tractat, & pro eadem ſententia citatur Oldra. conſ. 90. Hippolytus in Repetitione rubricæ ff. de Fideiuſſoribus n. 28. Et fundamentum eſſe poteſt, quia mutuare, vel fideiubere, vt ſic non dicit opus virtutis, ſed indifferens, & poteſt eius carentia cedere in vtilitatem iurantis, vel alterius; ergo iuramentum de ſe validum eſt.

12. Neutra vero ſententia eſt abſolute ſequenda, ſed inprimis diſtinguere oportet, an iuramentum hoc per ſe, & abſolute fiat, vel in gratiam alicuius tertij. Priori ergo modo mutuare, & fideiubere ex obiecto ſunt opera miſericordiæ, nam per illa ſubueniri ſolet neceſsitatibus proximorum: & poſſunt aliquando eſſe in præcepto, ſi neceſsitas proximi grauiſsima ſit & poſsit illis modis ei ſubueniri ſine magno diſpendio proprio; tunc ergo clarum eſt iuramentum non obligare. Præterea fieri poteſt, vt licet non occurrat obligatio præcepti, nihilominus ſecluſo iuramento, & conſideratis circumſtantiis, id eſt, neceſsitate proximi, & incommodo temporali, aut periculo eius, (cui ſe exponit mutuãs, aut fideiubens) melius ſit, & opus conſilij mutuare, & fideiubere, & tunc etiam fieri poteſt tale opus non obſtante iuramento, quia non obligat ad abſtinendum ab opere conſilij; quando non eſt factum in vtilitatem proximi. Et licet fortaſſe fuerit factum ad conſulendum propriæ commoditati, & ad vitandas difficultates, vel moleſtias, quæ ex illis actibus naſci ſolent, nihilominus poteſt ipſemet homo cedere ſuæ commoditati, propter præſtandum conſilij opus, & ita non obligabitur iuramento, iuxta doctrinam ſuperius datam.

13. At vero ſi è contrario tales occurrerent circumſtantię, tantumque eſſet periculum incommodi ſui, vel ſuorum, vt omnibus penſatis iudicetur imprudens, vel certe minus prudens, ſeu minus bonum mutuare, vel fideiubere, tunc obligabit tale iuramentum, quia materia illa in indiuiduo capax eſt talis obligationis, & comprehenſa ſub generali negatione. Imo quamuis iuramentum fuerit generaliter factum, de hac materia videtur interpretandum, quia pro ſola illa licitum eſt, & obligare poteſt. Et hoc eſt conſentaneum D. Thomæ in illo Quodlibeto, quatenus ait, quod licet ſimpliciter non teneatur quis ſeruare tale iuramentum, in caſu poteſt teneri. Et hæc quidem procedunt, quando iuramentum promiſſorium fit, vel abſolute, vel ſolum intuitu Dei, ſi vero fiat in gratiã alicuius tertiæ perſonæ, in cuius nocumentum poſſunt redundare mutuatio, vel fideiuſsio, ſi fiant, vt in gratiam alterius creditoris, vel alicuius ſocij in alio contractu, vel vxoris, filiorum, &c. tunc obligabit iuramentum in omni caſu, in quo licite ſeruari potuerit, iuxta principia ſupra poſita.

(:)

Exponitur cap. Quemadmodum, §. Illud, *de Iureiurando.*

14. Secundo, iuxta hanc doctrinam intelligenda videtur deciſio Innocent. III. in cap. *Quemadmodum. §. Illud*, de Iureiurãdo, vbi duas quęſtiones proponit. Prima, ſi vir iuret vxori, quod eam ſuper nullo crimine accuſabit, quam vim habet iuramẽtum? Et reſpondet, eſſe temerarium, & non obligare, quia alias etiamſi vxor fieret infidelis, non poteſt accuſare illam, quod conſtat eſſe abſurdum. Quæ deciſio clara, & certa eſt, quoad hoc, vt iuramentum non obliget in tota illa vniuerſalitate, quam verba illa præſeferũt, & hoc probat exemplum adductũ, & ex illo colligitur, generalis regula, ſcilicet, iuramẽtum illud non obligare in omnibus caſibus, in quibus accuſare vxorem contigerit eſſe præceptum, vel certe eſſe melius, tanquem pertinens ad commune bonum. *Dubium.* Dubitari autem poteſt, an tale iuramentum obliget pro illis caſibus, in quibus ſeruari poteſt ſine culpa, & ſine detrimento communis boni? *Solutio.* Ad quod iuxta dicta, affirmatiue reſpondendum eſt, quia quoad illam partem iuramentum non eſt de omiſſione vitioſa, vel impediente maius bonum, vt conſtat ex altera parte textus ſtatim declaranda; ergo quoad illam partem poteſt obligare iuramentum, quia vt habet regula Iuris, vtile per inutile non vitiatur. Imo licet verba iuramenti abſolute proferantur conditiones honeſtę intelligendæ ſunt, quamuis non apponantur, vt in eodem §. notat Gloſſa; ergo illis ſubintellectis, obligabit iuramentum, præſertim cum ſit factum in gratiam alterius.

15. *An qui iurat vxori pro adulterio nõ accuſaturũ, teneatur id accuſare illam.* Altera quæſtio illius textus eſt, ſi vir iuret vxori, quod non accuſabit illam de adulterio, non obligetur iuramento? Ad quam ſolum reſpondet Pontifex, tutius eſſe vt propter iuſiurandum vir accuſare deſiſtat vxorem ad diuortium celebrandum, quãquam denunciare eam poſsit ad pœnitẽtiam agendam. Quæ deciſio videtur obſtare his, quæ hactenus diximus, quia non accuſare adulteram, per ſe bonum nõ eſt: imo videtur turpitudinẽ inuoluere, iuxta ſententiam Chryſoſt. ſeu Authoris Imperfecti Hom. 32. in Matt. *Patronus turpitudinis eius eſt, qui crimen celat vxoris*: & refertur in cap. 1. 32. q. 1. Et ſimilis ſententia habetur in cap. *Si vir*, de Adulteriis. *Chryſoſt. Cap. Si vir. Tribus modis exponitur iuramentum de non prodendo vxorem.* Circa hoc autem aduertendum eſt, tribus modis poſſe intelligi iuramentum illud. Primo, vt ſit factum poſt adulterium commiſſum, quod non pendet in futurum, quia iam emendata eſt coniunx. Secundo vt ſit factum, poſt adulterium commiſſum, nondum tamen emendatum, ſed durante iniqua conſuetudine, & amicitia. Tertio poteſt intelligi de iuramẽto facto ante adulterium commiſſum, ſiue fiat ante matrimonium contractum, ad facilitandum illud, ſiue poſt contractum matrimonium ob aliam cauſam.

16. *Primus ſenſus.* De primo iuramento facile intelligitur, ex ſe licitum eſſe, & obligare, quia imprimis non eſt contra vllum pręceptum Diuinum vel humanum, quia nullum eſt, quod obliget virum ad vindicandam propriam iniuriam, etiam per publicam iuſtitiam, neque etiam eſt ita neceſſarium ad commune bonum, vt propter illud teneatur quilibet priuatus accuſare ſimile delictum contra ſe commiſſum; ex hoc ergo capite non eſt tale iuramentum contra bonos mores. Aliunde vero illud iuramentum eſt in commoditatem proximi, & ex ſe eſt opus miſericordiæ, quatenus eſt remiſsio iniuriæ, & morale beneficium indigentis, ergo non eſt cur tale iuramentum non obliget. Si ergo textus ille de huiuſmodi iuramento intelligatur, non eſt contra dicta, neq; vllam habet difficultatem. Tamen re vera nõ poteſt ita intelligi, quia dicit Pontifex, denũciandam

Digitized by Google

datam eſſe huiuſmodi adulteram, vt pœnitentiam agat, & corrigatur: ergo ſupponit, illam non eſſe emendatam.

17. *Secundus ſenſus Innocent. Gloſ.* Poteſt ergo intelligi textus ille de iuramento ſecundo modo facto, vt videtur illud intelligere Innocentius ibi, & ſumitur ex Gloſſa verb. *Crimine*, & ita etiam videtur ceſſare difficultas, quia licet peccator non ſit emendatus, non obligatur quis ad accuſandũ illum. Aut enim obligaretur propter bonum proprium, & priuatum, vel propter bonum ſpirituale ipſius delinquentis, aut propter bonum commune. Non primum, quia poteſt quis cedere iuri ſuo, quod inſinuatur in illo textu ibi, *Vir accuſare deſiſtat vxorem ad diuortium celebrandum*: nam quia hoc ſpectat ad priuatum ius ipſius viri, poteſt illi cedere. Vnde etiam indicat Pontifex iuramentum ad hoc obligare: nam probabile eſt hanc vim habere vocem illam *tutius*, iuxta modum loquendi Iurium, quando loquuntur de re pertinente ad forum animæ. Et quoad hanc partem ratio eſſe videtur ſupra tacta, quia hoc videtur pertinere ad opus miſericordiæ, & remiſsionem propriæ iniuriæ. Non etiam ſecundum, quia ſpirituali neceſſitati vxoris in eo caſu ſufficiẽter ſubuenitur per denunciationem Canonicam, vt in vltimis verbis textus aperte ſignificatur, denunciare autem nõ eſt accuſare, & ideo hoc nõ obſtat quominus illud iuramentum obliget. At vero ſi iuramentum eſſet etiã de non denunciando, nõ obligaret, quia eſſet charitati contrariũ, iuxta doctrinã D. Tho. d. ar. 7. ad 3.

D. Thom. 18. *Gloſ.* Circa tertium vero membrum de accuſatione propter bonum commune Gloſſa ibi in verbo *Deſiſtat*, quam quoad hanc partem videntur communiter ſequi ibi Doctores, ſentit tale iuramẽtum non obligare, quia licet quis poſsit renunciare iuri ſuo, non tamen communi bono, quod ex iuramento ſic intellecto maxime læderetur, quia inde ſumerent rei occaſionem peccandi, aut perſeuerandi in peccatis. Et videtur hoc poſſe fundari in textu, quatenus cum reſtrictione dicit, non eſſe accuſandum ad diuortium celebrandum: ergo non prohibet accuſationem criminalem ad vindictam publicam. Quę ſentẽtia eſt probabilis, ſed intelligenda eſt in caſu, in quo accuſatio proprie ſumpta cum omnibus oneribus ſuis, & ordinata præcipue ad vindictam publicam, cadat ſub præceptum, vel ſit adeo neceſſaria ad commune bonum, vt repugnat charitati, vel iuſtitiæ legali illam omittere, tunc enim non obligat iuramentum, quia & eſt contra bonos mores, & contra intentionem iurantis, quia non eſt veriſimile voluiſſe ſe obligare pro illo caſu. Hic autem caſus, & obligatio rara eſt, tum quia rara ſunt huiuſmodi delicta, & occaſiones: tum quia per denunciationem ſatisfieri poteſt ordinarie huic bono cõmuni, vel incipiendo ſtatim à denuntiatione iudiciali, vbi oportuerit, vel ad illam tranſeundo ex correctione fraterna, impleto eius ordine, quando non fuerit ſufficiens. Et ideo merito dixit Pontifex, tutius eſſe ſeruare iuramentum, quoad non accuſandum, quia ordinarie ſufficit aliis remediis vti, etiam ad commune bonum. Vnde Innocent. addidit, quod ſi vxor adultera non poſsit induci per denuntiationem ad pœnitentiam, neque ad diuortium, tunc procedi poteſt ad accuſationem, non obſtante illo iuramento: quia tunc cenſetur accuſatio neceſſaria non ſolum ad punitionem vxoris, ſed etiam ad decentiam, & honeſtatem viri, & ad tollẽdum ſcandalum aliorum. Et ita ſemper reuoluimur ad illam regulam, vt iuramentum obliget ſubintellectis honeſtis conditionibus, ſeu niſi in caſibus, in quibus vergit in peiorem exitum.

19. *3 Senſus. Panor.* Tertio poteſt intelligi textus ille de iuramento facto ante adulterium commiſſum, & ita eſſe intelligendum, probat late Panorm. ibi num. 14. & videtur conſentaneum contextui: nam prior quæſtio generalis manifeſte proponitur de promiſsione nõ accuſandi ſuper vllo crimine, vtique committendo, vt patet ex illis verbis, *Quaſi [illegible] infidelis, &c.* Poſterior autem quæſtio particularis de adulterio eodem modo, & ſenſu proponitur, quaſi deſcendendo ſolum de vniuerſali ad particulare. Hoc autem ſenſu ſuppoſito difficilior ſit reſponſio Pontificis, quia illa promiſsio ante delictum facta turpis eſt, & ideo non eſt obſeruanda, iuxta legem *Si vnus.* §. *Pacta.* ff. de Pactis. Vbi ratio redditur, quia expedit timere pœnam, quam non timet, vel minus timet qui accuſationem non timet: vnde procliuior fiet ad peccandum vxor per talem viri promiſsionem, & ideo turpis cenſetur. Quæ ratio, & turpitudo ceſſat, quando delictum ſupponitur cõmiſſum; ergo eadem ratione iuramentum cadens in promiſsionem factam ante delictum commiſſum non obligabit, quia vt ſupra dictum eſt, iuramentũ ſortitur naturã promiſsionis, cui adiungitur. *Lex Si unus.*

Reſponderi poteſt cum Panormit. ibi concedendo turpem fuiſſe talem promiſsionem, & conſequenter etiam iuramentum fuiſſe inique factum, & nihilominus poſtea obligare ad non accuſandum incommodum proprium, vt Pontifex ſignificat. Et ratio eſt, quia promiſsio antecedit delictum commiſſum, & quodammodo præbet licentiam ad illud, quod eſt contra bonos mores, & commune bonum: executio autem, & obſeruatio iuramẽti ſit poſt delictum iam commiſſum, & ideo iam non dat licentiam ad futurum adulterium propter impunitatẽ eius, ſed potius continet indulgentiam delicti iam cõmiſſi. Sed hæc reſponſio mihi non ſatisfacit, quia licet obſeruatio iuramẽti ſit poſt adulterium commiſſum, tamen ſi ex obligatione obſeruatur, iã obligatio ipſa antecedit delictũ ſub conditione, ſi cõmittatur. Ex hac autem obligatione naſcitur licentia, & impunitas ad peccandum, quia ante adulterium ex vi iuramenti, & obligationis eius certa eſt vxor nõ fore accuſanda, etiamſi adulteriũ committat. Igitur licet remittere adulterium commiſſum, per ſe turpe non ſit, nihilominus remittere illud ex vi antecedentis obligationis turpe eſſe videtur, ac propterea talem obligationem non poſſe per iuramentũ induci, vt ſtatim generaliter declarabimus. Et confirmatur, nam ob hanc rationem in d. §. *Pacta*, non ſolum dicitur, talem promiſsionem eſſe turpem, ſed etiam non obligare, neq; eſſe obſeruandam; ergo idem eſt dicendum de obligatione iuramenti, quia malum illud præbendi impunitatem ad peccandum, efficacius ſequitur ex obligatione iuramẽti, quam ex obligatione promiſsionis. 20

Propter hęc difficilis eſt illa interpretatio Panormit. & ideo probabiliter alij cum Innoc. exiſtimant, Pontificem locutum fuiſſe de iuramento circa adulterium iam commiſſum: quia non eſt magnum inconueniens in illis duabus quæſtionibus, eſſe in hoc aliquam varietatem, præſertim cum adulteriũ commiſſum poſsit eſſe nondum emendatum, ſed pendens in futurũ. Quia tamẽ veriſimile eſt ſermonem ibi eſſe de delicto cõmittendo, duo reſponderi poſſunt ad obiectionẽ factã. Vnum eſt, Pontificẽ ibi non dicere, virum, qui ſic iurauit, obligari ex iuramento ad non accuſandum, ſed ſupponere, poſſe non accuſare, ſi velit, & propterea dicere, tutius eſſe non accuſare ad diuortiũ: quia in eo habetur maior reuerentia iuramento, & ſimul remittitur iniuria priuata, & nõ omittitur remediũ ſufficiens, media denunciatione. Neq; oportet, vt verbũ, *tutius*, ſignificet obligationẽ, quia hoc ſolũ habet locũ, quando res ita eſt dubia, vt ex vtraq; parte ſit animę periculũ morale, & practicum: quod ibi nõ inuenitur, quia probabiliſsimũ eſt, tale iuramentũ, quando antecedit delictum committendum non obligare. 21

Aliud reſponſum eſſe poteſt. Pontificem nõ exiſtimaſſe, iuramentum illud fuiſſe à principio turpe 22

vel

vel temerarium: nam cum in priori quæſtione expreſſe dixerit, illud generale iuramentum eſſe temerarium, in poſteriori nihil tale dixit. Sed potius, propoſitis argumentis, quibus videbatur probari, eſſe turpe, omnibus ſatisfeciſſe videtur, reſpõdẽdo, poſſe denunciare vxorem, etiamſi illam non accuſet; quaſi hoc ſatis ſit, vt non ſit iudicandus patronus turpitudinis eius, cum non celet crimen eius, neque etiam dare illi occaſionem peccandi per impunitatem, quia per denuntiationem cogi poteſt ad pœnitentiam agendam. Itaque propter ſolam obligationem non accuſandi, non cenſuit Pontifex præberi licentiam peccandi, quando ſalua ſemper manet poteſtas denunciandi, eo vel maxime, quia non ſimpliciter accuſationem prohibet, ſed cum illa reſtrictione, *ad diuortium celebrandum*. Vnde integra etiam relinquitur poteſtas ad accuſandum in ordine ad vindictam publicam, propter commune bonum, ſi ad illud neceſſarium ſit, vel magis expediat, quod etiam multum iuuat, vt per tale iuramentum, non poſsit dici dari licentia impune peccandi. Et hic ſenſus videtur probabilior etiã quoad iuramentũ circa adulterium nondum commiſſum: nam proportione ſeruata fere idem dicendum eſt de adulterio iam commiſſo quantum ſpectat ad continuationem eius, quia etiam illa nondum commiſſa eſt.

13. *An iuramẽta de omittendis aliquibus bonis ſeruari poſſint abſque culpa. D. Thom.*

Vltimo, inquiri poteſt, An hæc iuramenta de omittendis, ſeu non faciendis aliquibus bonis, vel melioribus operibus, ſeruari poſsint ſine culpa, etiamſi poſsint abſque culpa non ſeruare? Et ratio dubitandi eſt, quia Diuus Thomas, quem alij imitantur in dicto articulo ſeptimo ad ſecundum dicit, quod licet peccet ſic iurans, poſtea vero poteſt ſi velit, iuramentum ſeruare, quamuis non teneatur. Ratione etiam videtur clare probari, quia ſermo eſt de omiſsione actus non præcepti, ſed ſupererogationis, qui actus ſine peccato omitti poteſt per ſe loquendo; ſed iuramentum ſicut non impoſuit neceſsitatem, ita neque abſtulit hanc libertatem, ergo. In contrarium vero eſt, quia eiuſdem malitiæ eſſe videtur iniquum iuramentum facere, & iniquum iuramentum obſeruare, quia eſt veluti perſeuerare in eadem iniquitate; illam voluntarie continuãdo: item quia illud eſt, virtualiter facere iuramentum vinculum iniquitatis.

14. *Dubij reſolutio.*

Ad hoc breuiter dicendum eſt, duobus modis poſſe intelligi, ſeruari tale iuramentum, ſcilicet materialiter, & formaliter. Materialiter voco, quando qui iurauit, perſiſtit in eo, quod iurauit, & vult, illud non facere, non quia teneatur, nec quaſi coactus iuramento, ſed ſolum quia non tenetur tale opus facere. Formaliter autem voco, perſiſtere in illo propoſito ex vi iuramenti, & quaſi illo coactus. Priori ergo modo locutus eſt Diuus Thomas, & ſic manifeſtum eſt licitum eſſe ei, qui iurauit non ingredi Religionem, non ingredi, quia propter iuramentum non cogitur intrare, & idem eſt de ſimilibus. Poſteriori autem modo ſine dubio eſſet inordinatum, & culpabile, vt probat ratio facta: nam contra reuerentiam iuramenti eſt, illius prætextu, & occaſione opus conſilij omittere. Item obligatio talis iuramenti iniqua eſt, vt loquitur D. Thomas Quodlib. 5. articulo 27. quia per illam obligatur quis ad ponendum obicem gratiæ, & inſpirationi Spiritus ſancti, quod valde inordinatum eſt; ergo operari etiam ex tali obligatione malum eſt, & peccatum. Atque ita quotieſcumque iuramentum non obligat ex capacitate materiæ, iniquum eſt formaliter in ſenſu dicto ſeruare iuramentum, & hoc modo poſſet intelligi illa regula Iurium, tunc iuramentum, non obligare, quando obſeruatum vergeret in animæ detrimentum.

(:)

CAPVT XVIII.

Vtrum iuramentum in materia per legem Diuinam poſitiuam prohibita obligationem inducat?

HAec queſtio locum habet tam in actione, quam in omiſsione à Deo prohibita, & ideo proponitur, quia licet ex dictis conſtet, perſeuerante malitia, non poſſe hæc cadere ſub obligationem iuramenti: nihilominus dubitari poteſt, an interueniente iuramento, ſeparetur malitia à tali materia, & ideo poſsit iuramentum obligare? Nam in hoc ſenſu videtur dixiſſe Gratian. 22. quæſtione 4. §. vltimo, iuramentum contra præceptum Diuinum aliquando non obligare, ſaltem interueniente ignorantia facti circa id, quod iuratur. Quod probat argumento ſumpto ex Ioſue 9. vbi Ioſue iurauit fœdus cum Gabaonitis, & ſe illo iuramento obligari ſenſit, quamuis tale iuramentum contra præceptum Domini eſſet Deuteronom. 7. *Non inibis cum eis fœdus*, & præterea tale iuramentum fuiſſe validum, colligitur ex 2. Reg. 21. vbi dicitur Deus afflixiſſe fame populum ſuum propter Saul, quia occidit Gabaonitas contra fœdus illis iuratum, ergo ſignum eſt, peccaſſe Saul frangente iuratam promiſſionem; ergo obligauit illud iuramentum, etiamſi fuerit contra poſitiuum præceptum Dei. Secundo, quod difficilius eſt, hoc confirmat Gratian. quia qui poſt votum caſtitatis iurat alicui ſe habiturum eam in vxorem, obligatur iuramento; & tamen illud eſt de re prohibita à Deo. Ergo maiorem dicit conſtare authoritate Auguſtini, quam non adducit, nec locum deſignat. Minorem etiam ſupponit, quia illud iuramentum eſt illicitum ratione præcedentis voti. Et licet ſeruare votum ſit de iure naturali, tamen quia illa obligatio introducitur media voluntate humana, videtur de illa iudicare, ſicut de obligatione legis poſitiuæ. Et videtur etiam ſupponere maiorem eſſe obligationem iuramenti, quam voti, & ideo vincere illam. 1.

Gratian. *Deut. 7.* *2. Reg. 21.*

2. *Reprobatur ſententia Gratiani. Iuramẽtum factum contra præceptũ vel prohibitionem iuris Diuini poſitiui non obligat.*

Hæc ſententia Gratiani ſine dubio falſa eſt, & à Gloſſa ibi, & ab omnibus reprobata. Dico ergo Iuramentum factum contra præceptum, vel prohibitionem Iuris Diuini poſitiui non obligare, eſt aſſertio certa, & patet facile exemplis, vt ſiquis iuraret nunquam confiteri, vel nunquam communicare. Quod ſi quis dicat, hæc & ſimilia etiam ſecluſo præcepto non obligare, quia vergunt in perniciem animæ: tamen nudum præceptum ad hoc non ſufficere, contra hanc fugam eſt optimum exemplum, ſi aliquis habens conſcientiam peccati mortalis, de quo non poteſt hodie confiteri, nihilominus iuret, ſe hodie communicaturum, ſine dubio non obligabitur iuramẽto, quia ſic communicare ſine alia neceſsitate, & non præmiſſa confeſsione contra ius Diuinum eſt, & ſimilia exempla poſſunt facile adduci, ſed non eſt neceſſe ea multiplicare in re clara. Ratio autem eſt, quia ſuppoſito tali Diuino iure, talis actio, vel omiſsio eſt ſimpliciter mala, neque eſt in poteſtate hominis ſeparare ab illa malitiam, quia non eſt in poteſtate eius tollere, vel ſuſpendere Diuinum ius; ergo iuramentum de re ſic prohibita eſt iuramentum de peccato; ergo non magis obligat, quam iuramentum de quacumque re intrinſece mala. Deniq; illud iuramentum eſt in præiudicium Diuini iuris, poteſtatis, ac mandati, quomodo ergo poteſt obligare?

Exponitur locus Ioſue 9.

3. *Duplex ratio nullitatis conſid.*

SOlum oportet explicare iuramentum factum à Ioſue, in quo duplex ratio nullitatis conſiderari poteſt, vna eſt ex parte doli, & deceptionis Gabaonita-

tari poteſt iuramento Ioſue.

baonitarum, & probabilis ignorantiæ Ioſue, & Principum populi Dei: aliud caput eſt incapacitas materiæ, quia iuramentum illud fuit de re per Deũ prohibita. Priori ergo titulo videtur non potuiſſe obligare illud iuramentum, quia fuit inuoluntarium: nam ignorantia cauſat inuoluntarium, illa autem fuit ignorantia valde apparens, & probabilis, vt ex circumſtantijs, quæ in Scriptura narrantur, colligitur. Deinde orta fuit ex poſitiua deceptione paciſcẽtium, quæ eſt iniurioſa, & ſufficit reddere pactum nullum, & conſequenter etiam iuramentũ illi adiunctum. Denique fuit ignorantia in conditione perſonarum, cũ quibus fœdus feriebatur, valde eſſentiali, quia neceſſaria ad fœderis honeſtatem, error autem circa talẽ conditionem perſonæ, ſufficit inualidare contractũ. Quibus omnibus accedit, quod licet Ioſue, & Principes propter ignorantiam non peccauerint, ſic iurãdo, nihilominus iuramentum ipſum in ſe fuit de re illicita ergo etiam hac ratione ſeruari non debuit, & hoc eſt aliud caput nullitatis.

4. *Varia ſententia circa idem iuramentum referuntur. 1. Sententia, Gratiani. Abul.*

Circa hoc iuramentum varię ſunt opiniones. Prima affirmat, iuramentum illud fuiſſe validum, & per ſe obligatorium. Hanc defendit Gratian. ſed male, & improbabiliter, vult enim debuiſſe ſeruari quamuis eſſet de re illicita, quia quando factum eſt ex ignorantia facti licitè factum eſt. Sed hoc nihil iuuat, vt recte notauit Abul. Ioſue 9. q. 29. quia licet ignorantia, ſi perſeueraret, potuiſſet facere, vt ex conſcientia erronea obligaret iuramentum, tamen ablata ignorantia, non poterat durare obligatio iuramẽti, quia iam ceſſabat conſcientia erronea, & conſtabat rem iuratam non eſſe licitam, quia præcedens ignorantia non abſtulit in re ipſa obligationem legis Dei, ergo ablata ignorantia lex Diuina obligabat: ergo iam non poterat obligare iuramentum ad agendum cõtra illam.

5. *Alius modus defendendi iuramentum hoc fuiſſe validum. Lyran. Ambroſ. Auguſt.*

Alio ergo modo defendi poteſt, iuramentum illud fuiſſe validum, negando fuiſſe de re illicita, aut contraria legi Dei. Quæ eſt Scholaſticorum opinio, quos infra referam & eam defendit Lyran. in Ioſue, & indicat Ambroſ lib. 3. Officiorum Ioſue cap 10. dicens: *Ieſus pacem, quam dederat, reuocandam non cenſuit, quia firmata erat ſacramenti Religione, ne dum alienam perfidiam arguit, ſuam fidem ſolueret.* Nec ab eadẽ ſententia eſt alienus Auguſtinus quæſtio. 13. in Ioſue, vbi eandem quæſtionem tractat, & eaſdem ponit rationes dubitandi, & nihilominus ait, Deo non diſplicuiſſe obſeruationem illius iuramẽti, tum quia quãuis Gabaonitæ Hebræos fefelliſſent, tamen pro ſuã ſalute & Deum timendo in populo eius id fecerunt: tum etiam quia ad clementiam ſententiæ Ioſue flectebatur. Et in quæſtione 14. addit quod niſi placuiſſet Deo, illa iuratio, ipſe illuminaſſet Ioſue. etiamſi non fuiſſet ab eo interrogatus, ſicut ſtatim in cap. 10. in ſimili caſu legitur. Et ibi ait crediſſe Gabaonitas Deo, & promiſsionibus, ſeu comminationibus eius, & hanc eorum fidem per illud fœdus remuneraſſe.

6. *Lyran. Ioſue 11.*

Quod autem illud iuramentum non fuerit contra legem Dei, colligit Lyran. ex illis verbis Ioſue 11. *Non fuit ciuitas, quæ ſe traderet filiis Iſrael, præter Heuæum, qui dubitabat in Gabaon, omnes enim bellando cepit. Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael, & caderent, & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, ſicut præceperat Deus Moyſi.* In quibus verbis declarari videtur præceptum datum Moyſi, de perdendis illis gentibus, & non ineundo fœdere cum illis, ſcilicet intelligendũ eſſe de illis gentibus perſeuerantibus, in ſua infidelitate, & duritia, in qua tunc erant: & reſiſtentibus populo Dei, non tamen fuiſſe contra illud præceptum, aliquam clementiam concedere ijs, qui conuerſi ad Deum, & moti eius fide, ſubiecti, & humiles fœdus poſtulabant. Et confirmari hoc poteſt, quia etiam erat præceptum Dei: nõ accipere vxorem de filiabus alienigenis, & nihilominus ſi mulier deſerebat patrios mores, & conuertebatur ad fidem, accipi poterat in vxorem.

7. *Obiectio Abulenſis.*

Sed obijcit Abulenſ. quia ſi hoc verum eſſet, non ſolum Ioſue obligaretur illo iuramento, ſed etiam male feciſſet redigendo Gabaonitas in ſeruitutem, quia nullum habebat ius ad eos affligendos illo modo, ſi non erant comprehenſi ſub ſententia Dei, de puniendis, & perdendis illis gentibus. Item argumentatur, quia verba pręcepti erant abſoluta, & vniuerſalia, vt patet Exod. 34. & Deuteronom. 7. ergo non licebat Ioſue illo modo ea limitare, vel exceptionem addere. Præterea quia licet fortaſſe Deus decreuiſſet parcere Gabaonitis, hoc non conſtabat ipſi Ioſue, qui os domini non conſuluerat ad faciendum iuramentum, neque etiam conſuluit poſt intellectã fraudem ad obſeruandum illud. Denique argumentari poſſumus, quia ſi illa exceptio vera eſſet, etiamſi non præceſsiſſet iuramentum, nec deceptio, & Gabaonitæ aperte, & ſincere veniſſent petendo pacem, & ſe ſubmittendo Deo, & populo eius potuiſſent, immo & debuiſſent nõ occidi, quia præceptum Dei ad hoc non obligabat, ſi vera eſt dicta eius interpretatio, & alio iure occidi non poterant. Conſequens autem falſum eſſe colligitur ex eodem Ioſue 9. Nam cum vellet populus contra eos bellum mouere, reſponderunt Principes: *Iurauimus eis in nomine Dei Iſrael, & ideo non poſſumus eos contingere*, ergo ſecluſo iuramento nullam prætenderent excuſationem. *Ioſue 9.*

8. *Solutio obiectionum, & quomodo Ioſue ſe habuit circa hoc iuramentum. Deut. 20.*

Ad hæc imprimis reſpondere poſſumus, Ioſue in toto illo negotio motum fuiſſe peculiari inſpiratione Diuina, & ex illa ſic legem intellexiſſe, non per modum peculiaris diſpenſationis, ſed per modum legitimæ interpretationis, concurrentibus ſimul alijs Principibus. inter quos præcipue comprehendi ſacerdotes, & maxime Summum. manifeſtum eſt. Poteſtq; illa interpretatio confirmari ex verbis Deuteronom. 20. *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem, ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo.* Quæ verba non fuerunt dicta de illis vicinis ciuitatibus, ſed de alijs, quæ procul valde erant, vt ibidem explicatur, ideoque poſſunt in contrarium retorqueri: tamen quia Gabaonitæ præuenerunt Populum Dei, & animo, ac ſubiectione ſe geſſerunt eo modo, quem Deus à diſtantibus ciuitatibus poſtulabat, ideo iudicare potuerunt exempti ab illo rigore ſententiæ latæ contra propinquas ciuitates, & iuxta legem diſtantium ciuitatum fuiſſe tractandos.

9. Et ita ad primam replicam reſpondetur, meritò Gabaonitas fuiſſe redactos in ſeruitutem, quia hoc ipſum continebatur in lege pro his populis, quibus vita concedebatur. Potuitque hæc ſeruitus grauior Gabaonitis imponi, tum quia erant de propinquis ciuitatibus, quæ dignæ erant maiori ſupplicio. Tum etiam quia per deceptionem, & fraudem veniam extorſerant. Tum denique, quia licet iuramentum obligaret ad remittendam pœnam voti, non vero ad non commutandam illam in aliam leuiorem, id ergo facere potuit Ioſue per poteſtatem ſibi à Deo conceſſam ad puniendas gentes illas. Ad ſecundam iam reſponſum eſt, credibile eſſe interpretationem illam non fuiſſe factam ſine inſpiratione Diuina, & potuiſſe etiam Ioſue illam colligere per quandam ęquiparationem ex alia lege Dei. Item ex prohibitione ipſa Diuina. & ratione eius poterat aliquo modo illa interpretatio colligi, ſic enim dicitur Exod. 34. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum dijs ſuis, & adorauerint ſimulachra eorum, vocet te quiſpiam, vt comedas de immolatis.* Deuteronom. autem 7. dicitur: *Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum*: In prædicto autem caſu non poteſt dici, Ioſue miſertum fuiſſe Gabaonitarum, *Exod. 34. Deut. 7.*

rum, tum quia non, vt eis parceret, ſed vt iuramentum impleret mortem remiſit: tum etiam, quia ſatis grauiter eos puniuit. Et præterea, quia cum iam Gabaonitę viderentur conuerſi ad Deum per fidem, teſte Auguſtino, d. quæſt. 14. conſequenter ceſſabat in eis ratio legis: vnde Auguſtinus ſupra in qu. 13. eos reputat tanquam de Populo Dei, dicens, Deum vindicaſſe Gabaonitas de domo Saul: *Tanquam populi ſui homines.* Denique hanc illius legis interpretationem ſequutum fuiſſe Ioſue, & in ea non erraſſe ſentit Diuus Thom. in 3. d. 39. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 1. dicens: *Iuramentum Ioſue non fuiſſe de eo, quod ſecundum ſe eſſet illicitum, ſed de eo, quod factum erat illicitum, quia prohibitum, vnde in hoc ſufficiebat intentionem ſeruare prohibentis, &c.* Et idem tenet Bonauent. ibi dicens, præceptum Dei intelligendum fuiſſe quantum ad eos, qui erant incorrigibiles. Idem Richard. artic. 2. quæſtion. 3 ad 1. & ita eſt reſponſum ad tertiam. Ad vltimam vero probabiliter concedi poteſt, quod licet non interueniſſet iuramentum potuiſſet licite Ioſue commutare pœnam mortis in pœnam ſeruitutis, ſi homines illi voluntariam ſubiectionem, & correctionem oſtenderent, quamuis ad ſe dandum Populum, & rationem illi reddendam facilius viſum fuerit, obligationem iuramenti allegare.

Auguſt.

D. Thom.

Bonauen.

Richard.

10. Suppoſita autem capacitate materiæ illius iuramenti, quia non erat mala, nec prohibita ſecundum veram intelligentiam legis, non debuit prætermitti obſeruantia iuramenti, propter artificium Gabaonitarum. Primo, quia licet per fraudem illam non potuerint obligare Iſraelitas in vi pacti, & promiſſionis humanæ: nihilominus quod poſtulabant, bonũ, & iuſtum erat, & ideo iuramentum de illo præſtitũ, tanquam per ſe ſtans obligare potuit. Secundo, quia illa deceptio non fuit in re ſubſtantiali, ſed tantum in modo accidentali artificioſè inuento ad maiorem ſecuritatem perſonarum, & maiorem facilitatem obtinendi veniam. Declaratur hoc, nam vt dicebam, eo ipſo, quod cum fide, & ſubiectione veniam poſtulabant, iuſtè & ſanctè eis concedi poterat quoad vitam, commutando mortem naturalem in ciuilem, qualis eſt ſeruitus, vt dicit D. Thom. ſupra, & Gloſſa ver. *Decepti*, in § *Sed cum his*, 22. q. 4. Quia ergo illi non falſo oſtendebant hanc ſubiectionem, & fidem, ſed ſolam diſtantiam locorum, ideo dicimus, errorem illum circa perſonas fuiſſe accidẽtalem, & non in conditione ſubſtantiali, vel neceſſaria ad validitatem fœderis iuramento confirmati. Tertiò nõ parum iuuat, quod Gabaonitæ non decipiebãt Principes Hebræorum in re illis iniurioſa, aut nociua, & alioqui illud fingebant propter vitam tuendam, vt not. d. Gloſſ. Sic ergo valde probabile eſt, iuramentum illud obligaſſe, non obſtantibus dictis apparentibus nullitatibus.

D. Thom.

Gloſſ.

Probabile eſſe iuramẽtum Ioſue obligationẽ induxiſſe.

11. Nihilominus Abul. in d. c. 9. Ioſue à quæſtione 17. contendit, iuramentum illud in ſe ſpectatum fuiſſe de re illicita, & conſequenter non obligaſſe poſt intellectam fraudem Gabaonitarum: Iſraelitas vero illud obſeruaſſe propter ignorantiam, quia putarunt iuramentum eſſe validum. Quam ignorantiam credit idem author q. 27. fuiſſe inculpabilem, quia nondum erant ſatis eruditi circa obligationem iuramẽti. Quòd ſi obijciatur, quia ſi hoc ita eſſet, potuiſſent poſtea licite occidi Gabaonitæ, quocumque tempore conſtaret iuramentum non induxiſſe obligationem, quod conſtat eſſe falſum ex 2. Reg. 21. Ad hoc reſpondet in virtute Abulenſ. Deum poſtea confirmaſſe factum illud Iſraelitarum, & declaraſſe, volũtatem ſuam fuiſſe, vt Gabaonitæ non occiderentur. Fatetur autem idem Abulenſ. non habuiſſe Iſraelitas de hoc expreſſam reuelationem, quia ſaltem de illa non conſtat: dicit tamen habuiſſe ſufficientem inſpirationem internam, quam ex varijs coniecturis colligit in q. 32. Sed re vera non plene ſatis facit, tum quia ſi inſpiratio erat de diſpenſatione, quam Deus faciebat in lege ſua, & de nouo præcepto, quod dabat de nõ occidẽdis Gabaonitis, oportebat certius, & expreſſius fieri talem reuelationẽ. Tum etiam quia in dicto loco Reg. pro ratione ſolum redditur. *Quia filij Iſrael iurauerant eis*, ſi autem iuramentum à principio fuiſſet inualidum, nunquam ratione illius duraſſet obligatio, ſed ſolum ratione noui præcepti Diuini, ſicut alias ipſemet Abulenſ. argumentatur. Quapropter prior communis reſponſio ſolidior videtur.

Abulenſis exiſtimat iuramentum à Ioſue factũ ſecundum ſe ſpectatum fuiſſe de re illicita.

Non omittam autem aduertere, quod Innocent. III. in ca. *Venerabilem*, §. *Idem etiam*, hoc exemplo Gabaonitarum probat, non eſſe temerandum iuramẽtum eo prætextu, quod ſit illicitum, donec iudicio ſuperioris, ad quem pertinet, declaretur, an tale iuramentum ſit licitum, vel illicitum, & conſequenter, an ſit ſeruandum, vel non ſit ſeruandum. Quod videtur intelligendum, quando non eſt certum, ſed dubium, an tale iuramentum ſit illicitum, nam ſi res eſſet clara, & certa, non eſſet neceſſaria ſuperioris interpretatio, neceſſe eſt ergo intelligi in caſu dubio, hoc enim etiam poſtulat materia textus, vt Gloſſa aduertit. Sentit ergo Pontifex, in caſu Gabaonitarum filios Iſrael ſaltem dubitaſſe, an iuramẽtum illud eſſet illicitum, necne, & ideo recte feciſſe non temere violando illud. Sed tunc inſurgit difficultas, quomodo inconſulto domino, à quo tũc expectabantur reſpõſa in ſimilibus dubijs, auſi fuerint definite ſtatuere non occidere Gabaonitas: nam in hoc dubitare poterant an legem violarent, quandoquidem dubitabant, an iuramentum eſſet licitum, vel illicitum. Ad quod dicendum eſt, non ita dubitaſſe, quin definite iudicarent factum illud non fuiſſe contra legem recte intellectam, & ſupra poſitam interpretationem legis eſſe adeo conſentaneam intentioni Dei, & verbis legis, ac rationi, vt ſine vllo dubio practico (quidquid ſit de ſpeculatiuo) iudicauerint obſeruantiam iuramenti fuiſſe licitam, & cõſequenter neceſſariam. Aliud Gratiani motiuum ſequentem poſtulat quæſtionem.

12. *Cap. Venerabilem.*

Expenditur Innocentius in caſu Gabaonitarũ.

Capvt XIX.

Vtrum iuramentum factum contra prius votum, iuramentum aut promiſſionem obliget?

1. HOc dubium annexum eſt præcedenti, propter ſecundam probationem Gratiani ibi propoſitam, quæ poteſt eſſe ratio dubitandi in præſenti. Sed nihilominus dico primo. Iuramentum factum contra obligationem ex priori voto cõtractam, nullam obligationem inducit. Concluſio eſt communis & ſatis clara. Et ratio generalis, quia tale iuramẽtum eſt de re intrinſece mala, oſtenſum autem eſt, iuramentum de tali materia non poſſe obligare: ergo. Maior patet, quia licet illa obligatio contracta ſit medio actu voluntatis humanæ, tamen ſuppoſito actu promittendi, vel iurandi, obligatio eſt intrinſeca, & naturalis, & conſequenter fractio illius eſt intrinſece mala. Subſequens autem iuramentum eſt de agendo contra illam obligationem: eſt ergo de re intrinſece mala.

Iuramẽtum factum contra obligationem prioris voti non obligat.

2. Magis autem confirmatur, & declarabitur hæc aſſertio diſtinguendo duos modos, quibus poteſt iuramentum ſubſequens eſſe priori voto contrarium. Primo per ſolam contradictionem ex parte obiecti, vt ſi voui ieiunium, & poſtea iurem non ieiunare, & in tali iuramẽto per ſe nota eſt iniquitas, nã proponere nõ facere, quod voui, iniquum eſt: ergo multo magis id iurare. Quin potius tale iuramentũ non ſolũ, ratione voti, ſed etiã illo ſecluſo ratione talis materię per ſe ſpectatæ erit nullum, iuxta principia ſupra poſita.

Cõfirmatur concluſio, & diſtinguuntur duo modi, quibus iuramẽtum poteſt eſſe prioris voto contrarium.

Nam

Digitized by Google

Nam cum illa materia ſit capax voti, neceſſe eſt vt ſit ex melioribus bonis: ergo negatio illius non poteſt eſſe materia valida iuramenti. Alio modo poteſt eſſe iuramentum contrarium voto per poſitiuam cõtrarietatẽ ex parte materiæ, quę, ſcilicet, eſt de actu contrario: ſed repugnante actui promiſſo per votum, vt in exemplo illo Gratiani de illo, qui iurat ducere aliquam poſt votum caſtitatis. Et tunc certum etiam eſt, iuramentum eſſe iniquum, & non obligare, vt eſt definitum in ca. *Rurſus*. Qui clerici, vel vouentes. Et ratio eſt, quia etiam illud iuramentum virtute eſt de violando voto, quod intrinſece malum eſt. *Ca. Rurſus.*

3. *Obiectio.* Sed obijcitur, quia maior eſt obligatio iuramenti, quam vòti. Reſpondetur primo, negando aſſumptũ in iuramento promiſſorio, vt ſupra oſtenſum eſt. *Solutio.* Secundo conſequentia etiam non eſt bona, eo quod non ſunt cætera paria, quando promiſſio antecedit, & confert ius, vt ſtatim dicemus de promiſsione humana. Accedit tertio, quod in exemplo adducto etiã ſi iuramentũ anteceſsiſſet, præualere fortaſſe poſſet votum poſtea ſubſecutum, de quo infra videbimus in tractatu de Voto, vbi etiam diſputabimus, An qui poſt votum caſtitatis, matrimonium cõtraxit, teneatur potius ingredi Religionem, quam matrimoniũ conſummare?

4. *2. Aſſertio. Quando iuramenta ſunt contraria, ſi primum fuit de re honeſta non poteſt poſterius cõtra illud obligare.* Dico ſecundo: Quando iuramenta ſunt contraria, & vnum præceſsit, & aliud ſubſequitur, tunc, ſi prius iuramentum fuit licitum, & honeſtum, nõ poteſt poſterius iuramentum cõtra illud obligare. Hæc aſſertio habetur clare in c. *Sicut*, de Sponſal. vbi omnes Doctores. Et ratio eſt eadem, quia poſterius iuramentum eſt de re intrinſece mala, ſcilicet: de nõ obſeruando præſtito iuramento, ſiue hoc fiat per hanc formalem negationem, ſiue per actum contrarium, vt in voto declaratum eſt. Et confirmatur, quia vis iuramenti de ſe æqualis eſt: ergo ſi præceſsit iuramẽtũ, & obligationem induxit, non põt per ſe ſubſequẽs iuramentum infirmari. *Cap. Sicut.* Atque ita recte intelligitur c. *Tua nos*. 1. de Iureiur. vbi ex duobus iuramentis poſterius dicitur præualere, quia primum non obligauerat, quia erat iuri contrarium, vt ibi not. Gl. in ver. *Primo præiudicat*: igitur à cõtrario, ſi primum iuramẽtum validum fuiſſet, non potuiſſet ſecundum illi præiudicare: nam illa negatio fuit adæquata cauſa ſuo modo prioris affirmationis: ergo affirmatio cõtraria erit cauſa contrariæ negationis. *Cap. Tua nos. Gloſ.*

5. *Obiectio.* Sed contra hanc partẽ obijci poteſt: nam actus factus cõtra prius iuramẽtũ, licet peccaminoſe fiat, validus eſt, ergo etiam iuramentum factum contra aliud prius validum erit. Conſequentia tenet à paritate rationis, vel à fortiori, quia iuramentum eſt nobilior actus & maiorem habens efficaciam, quam alij. Antecedẽs patet inductione: nam ſi quis promiſit nõ donare & donat, licet male agat valida eſt donatio, ſi nihil aliud ei obſtet, quam iuramentum. Item ſiquis iurauit nõ reuocare procuratorem, & reuocauit, valida eſt reuocatio, vt dixit Gl in c. vlt. de Procuratoribus in 6. ver. *Reuocatus*. *Gloſ.* Item ſiquis iurauit, non vouere inconſulto Petro, & poſtea vouit, validum eſt votum. Item ſiquis iurauit ſponſalia cũ aliqua, & poſtea contrahat cum alia, validum eſt matrimonium, ca. *Sicut*, de Sponſal. *Cap. Sicut.* Imo licet iurauerit, non contrahere matrimonium, & poſtea contrahat factũ tenet. Et ratio eſt, quia iuramentum licet prohibeat actum non irritat illum, ſicut lex prohibens non ſemper irritat: ergo non obſtante iuramento valet actus.

Dubium incidens, an facta contra iuramentum teneant?

6. Hoc dubium petitur in propoſita obiectione, ad quod breuiter reſpondeo, actum cõtra prius iuramentũ factum non irritari ex vi prioris iuramẽti, vt recte probatum eſt. Dico autem ex vi prioris iuramenti, quia interdum contingit iuramentũ adiungi prohibitioni actus aliunde irriti, ratione alicuius legis, quaſi ad confirmandam voluntatem in obſeruatione talis legis, exẽplum eſt in iuramento, de non alienando fundo dotali, & tunc eſt ſpeciale dubium, an iuramentum poſterius factũ ſit contrarium priori, & habeat vim obligandi, de quo dicam infra capi. habet enim ſpecialem difficultatem, propter legem: quæ ſimul cũ iurameto reſiſtit. Hic ergo de ſola virtute iuramenti tractamus, & ſic dicimus quod iuramentum de ſe nõ irritat actum, etiamſi præſtetur de non faciendo tali actu. Hæc eſt ſententia communis Canoni. in c. *Intellecto*, de Iureiur. vbi Panor. n. 8. & in c. *Dilecto*. de Præben. n. 18. & ibi alij. Item Syluest. *Iuramentum* 4. q. 12. Ange. *Iuram*. 5. n. 15. Selua de Iura. 3. p. q. 1. n. 44. & 45. vbi varia exempla & authores allegat. Item Couar. d. c. *Quamuis*. 2. p. §. 2. n. 4. ver. *Cæterum*: & bene Azor. to. 1. li. 11. c. 6. q. 3. vbi alias opiniones refert, quas omitto, quia nec fundamentum, nec probabilitatem habere videtur. *Cap. Intellecto. Panorm. Syluest. Angel. Selua. Couar. Azor.* Ratio ergo eſt, quia valor talis actus ex voluntate operantis pendet, & per legem aliquam non impeditur. Item quia iuramentum licet auferat liberam poteſtatem faciendi, imponendo obligationem, non tamen aufert ſimpliciter poteſtatem faciendi, vel volẽdi, & ideo licet actus cõtra iuramẽtum male fiat, validus eſſe poteſt.

7. *Differentia inter legem & iuramentum.* Imo exiſtimo, non poſſe talem irritationem fieri ex vi iuramenti, etiamſi iurans velit: nã licet iurando intendat, non ſolum ſibi prohibere, ſed etiam irritare actum ſi fiat: nihilominus ſi poſtea voluntatẽ mutet volendo actum validum facere: vt matrimoniũ, donationem, aut quid ſimile, actus erit validus, licet male fiat. In quo eſt notanda differentia inter legem, & iuramentum: nam lex licet ſæpe prohibeat nõ irritando, poteſt tamen vtrumque facere, & facit ſi ſufficienter declarat, iuramentum autem ſolum id non poteſt. Ratio differentiæ eſt, quia irritatio legis prouenit à ſuperiori voluntate, quam non poteſt mutare, vel impedire voluntas ſubditi: iuramentum autẽ prouenit à voluntate ipſius iurantis, quia licet, iurando liget (vt ſic dicam) voluntatem, & poteſtatem ſuam, non tamen priuat ſe poteſtate, & dominio ſuæ voluntatis, & ideo poteſt ſemper efficaciter mutare priorem voluntatem, & ita validum facere effectũ, quamuis in eo faciẽdo peccet. Quod ſi dicas, quamuis iuramentum ſit à volũtate, obligationem eius nõ eſſe à voluntate, ſed à Deo, & à lege naturali. Reſpondetur, hinc potius confirmari intentum, quia nulla eſt lex naturalis, quæ talem actum irritet, licet illum prohibeat. Et ratio eſt, quia licet facere actum cõtrarium iuramento ſit contra obligationem eius, quod actus ille habeat effectum ſuum non eſt contra iuramentum, neque illa eſt materia, in quam per ſe poſſit cadere iuramentum, & ideo quamuis iuramentum prohibeat actum, non irritat illum.

8. Neque hoc repugnat aſſertioni poſitæ, quia licet actus ſit contra iuramentum, nihilominus quod talis actus ſit validus, neque eſt, neque eſſe poteſt contra iuramentum. Secus vero eſt de poſteriori iuramento faciendi actum contrarium priori iuramẽto, quia tũc tale iuramentũ poſterius ſit irritũ ex defectu materiæ, quia per prius iuramentum effecta eſt mala & peccaminoſa, ac ſubinde incapax iuramenti. *Oſtenditur aliud eſſe actum eſſe validum, aliud iuramentũ quo firmatur actus.* Et ideo non refert, quod iuramentũ ſit nobiliſsimus actus: nam potius ob hanc ipſam cauſam non poteſt cadere in materiam prauam, & idcirco quãuis magnum ſit vinculum iuramẽti, habere non poteſt locum circa talem materiam. Conſiderandum autem eſt, aliud eſſe promittere actum contrarium priori iuramento, & hanc ipſam promiſsionem iuramento confirmare: aliud vero eſſe confirmare actũ iam factum contra iuramentum. Primum enim dicit ordinem ad actum futurum iuramẽto contrarium, & ex ex eo capite intrinſece malũ, & ideo tale iuramentũ prauum, & nullius valoris eſt, quia eſſet vinculũ iniquitatis, & firmaret animum in propoſito male ope-

rum, tum quia non, vt eis parceret, ſed vt iuramentum impleret mortem remiſit: tum etiam, quia ſatis grauiter eos puniuit. Et præterea, quia cum iam Gabaonitę viderentur conuerſi ad Deum per fidem, teſte Auguſtino, d. quæſt. 14. conſequenter ceſſabat in eis ratio legis: vnde Auguſtinus ſupra in qu. 13. eos reputat tanquam de Populo Dei, dicens, Deum vindicaſſe Gabaonitas de domo Saul: *Tanquam populi ſui homines.* Denique hanc illius legis interpretationem ſequutum fuiſſe Ioſue, & in ea non erraſſe ſentit Diuus Thom. in 3. d. 39. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 1. dicens: *Iuramentum Ioſue non fuiſſe de eo, quod ſecundum ſe eſſet illicitum, ſed de eo, quod factum erat illicitum, quia prohibitum, vnde in hoc ſufficiebat intentionem ſeruare prohibentis, &c.* Et idem tenet Bonauent. ibi dicens, præceptum Dei intelligendum fuiſſe quantum ad eos, qui erant incorrigibiles. Idem Richard. artic. 2. quæſtion. 3 ad 1. & ita eſt reſponſum ad tertiam. Ad vltimam vero probabiliter concedi poteſt, quod licet non interueniſſet iuramentum potuiſſet licite Ioſue commutare pœnam mortis in pœnam ſeruitutis, ſi homines illi voluntariam ſubiectionem, & correctionem oſtenderent, quamuis ad ſe dandum Populum, & rationem illi reddendam facilius viſum fuerit, obligationem iuramenti allegare.

Auguſt. — *D. Thom.* — *Bonauen.* — *Richard.*

10. Suppoſita autem capacitate materiæ illius iuramenti, quia non erat mala, nec prohibita ſecundum veram intelligentiam legis, non debuit prætermitti obſeruantia iuramenti, propter artificium Gabaonitarum. Primo, quia licet per fraudem illam non potuerint obligare Iſraelitas in vi pacti, & promiſſionis humanæ: nihilominus quod poſtulabant, bonũ, & iuſtum erat, & ideo iuramentum de illo præſtitũ, tanquam per ſe ſtans obligare potuit. Secundo, quia illa deceptio non fuit in re ſubſtantiali, ſed tantum in modo accidentali artificioſè inuento ad maiorem ſecuritatem perſonarum, & maiorem facilitatem obtinendi veniam. Declaratur hoc, nam vt dicebam, eo ipſo, quod cum fide, & ſubiectione veniam poſtulabant, iuſtè & ſancte eis concedi poterat quoad vitam, commutando mortem naturalem in ciuilem, qualis eſt ſeruitus, vt dicit D. Thom. ſupra, & Gloſſa ver. *Decepti*, in § *Sed cum his*, 22. q. 4. Quia ergo illi non falſo oſtendebant hanc ſubiectionem, & fidem, ſed ſolam diſtantiam locorum, ideo dicimus, errorem illum circa perſonas fuiſſe accidẽtalem, & non in conditione ſubſtantiali, vel neceſſaria ad validitatem fœderis iuramento confirmati. Tertiò nõ parum iuuat, quod Gabaonitæ non decipiebãt Principes Hebræorum in re illis iniurioſa, aut nociua, & alioqui illud fingebant propter vitam tuendam, vt not. d. Gloſſ. Sic ergo valde probabile eſt, iuramentum illud obligaſſe, non obſtantibus dictis apparentibus nullitatibus.

D. Thom. — *Gloſſ.*

Probabile eſſe iuramẽtum Ioſue obligationẽ induxiſſe.

11. Nihilominus Abul. in d. c. 9. Ioſue à quæſtione 17. contendit, iuramentum illud in ſe ſpectatum fuiſſe de re illicita, & conſequenter non obligaſſe poſt intellectam fraudem Gabaonitarum: Iſraelitas vero illud obſeruaſſe propter ignorantiam, quia putarunt iuramentum eſſe validum. Quam ignorantiam credit idem author q. 27. fuiſſe inculpabilem, quia nondum erant ſatis eruditi circa obligationem iuramẽti. Quòd ſi obijciatur, quia ſi hoc ita eſſet, potuiſſent poſtea licite occidi Gabaonitæ, quocumque tempore conſtaret iuramentum non induxiſſe obligationem, quod conſtat eſſe falſum ex 2. Reg. 21. Ad hoc reſpondet in virtute Abulenſ. Deum poſtea confirmaſſe factum illud Iſraelitarum, & declaraſſe, volũtãtem ſuam fuiſſe, vt Gabaonitæ non occiderentur. Fatetur autem idem Abulenſ. non habuiſſe Iſraelitas de hoc expreſſam reuelationem, quia ſaltem de illa non conſtat: dicit tamen habuiſſe ſufficientem inſpirationem internam, quam ex varijs coniecturis colligit in q. 32. Sed re vera non plene ſatiſfacit, tum quia ſi inſpiratio erat de diſpenſatione, quam Deus faciebat in lege ſua, & de nouo præcepto, quod dabat de nõ occidẽdis Gabaonitis, oportebat certius, & expreſsius fieri talem reuelationẽ. Tum etiam quia in dicto loco Reg. pro ratione ſolum redditur. *Quia filij Iſrael iurauerant eis*, ſi autem iuramentum à principio fuiſſet inualidum, nunquam ratione illius duraſſet obligatio, ſed ſolum ratione noui præcepti Diuini, ſicut alias ipſemet Abulenſ. argumentatur. Quapropter prior communis reſponſio ſolidior videtur.

Abulenſis exiſtimat iuramentum Ioſue factũ ſecundum ſe ſpectatum fuiſſe de re illicita.

12. Non omittam autem aduertere, quod Innocent. III. in ca. *Venerabilem*, §. *Idem etiam*, hoc exemplo Gabaonitarum probat, non eſſe temerandum iuramẽtum eo prætextu, quod ſit illicitum, donec iudicio ſuperioris, ad quem pertinet, declaretur, an tale iuramentum ſit licitum, vel illicitum, & conſequenter, an ſit ſeruandum, vel non ſit ſeruandum. Quod videtur intelligendum, quando non eſt certum, ſed dubium, an tale iuramentum ſit illicitum, nam ſi res eſſet clara, & certa, non eſſet neceſſaria ſuperioris interpretatio, neceſſe eſt ergo intelligi in caſu dubio, hoc enim etiam poſtulat materia textus, vt Gloſſa aduertit. Sentit ergo Pontifex, in caſu Gabaonitarum filios Iſrael ſaltem dubitaſſe, an iuramẽtum illud eſſet illicitum, necne, & ideo recte feciſſe non temere violando illud. Sed tunc inſurgit difficultas, quomodo inconſulto domino, à quo tũc expectabantur reſpõſa in ſimilibus dubijs, auſi fuerint definite ſtatuere non occidere Gabaonitas: nam in hoc dubitare poterant an legem violarent, quandoquidem dubitabant, an iuramentum eſſet licitum, vel illicitum. Ad quod dicendum eſt, non ita dubitaſſe, quin definite iudicarent factum illud non fuiſſe contra legem recte intellectam, & ſupra poſitam interpretationem legis eſſe adeo conſentaneam intentioni Dei, & verbis legis, ac rationi, vt ſine vllo dubio practico (quidquid ſit de ſpeculatiuo) iudicauerint obſeruantiam iuramenti fuiſſe licitam, & cõſequenter neceſſariam. Aliud Gratiani motiuum ſequentem poſtulat quæſtionem.

Cap. Venerabilem.

Expenditur Innocentius in caſu Gabaonitarũ.

Capvt XIX.

Vtrum iuramentum factum contra prius votum, iuramentum aut promiſſionem obliget?

1. Hoc dubium annexum eſt præcedenti, propter ſecundam probationem Gratiani ibi propoſitam, quæ poteſt eſſe ratio dubitandi in præſenti. Sed nihilominus dico primo. Iuramentum factum contra obligationem ex priori voto cõtractam, nullam obligationem inducit. Concluſio eſt communis, & ſatis clara. Et ratio generalis, quia tale iuramẽtum eſt de re intrinſece mala, oſtenſum autem eſt, iuramentum de tali materia non poſſe obligare: ergo. Maior patet, quia licet illa obligatio contracta ſit medio actu voluntatis humanæ, tamen ſuppoſito actu promittendi, vel iurandi, obligatio eſt intrinſeca, & naturalis, & conſequenter fractio illius eſt intrinſece mala. Subſequens autem iuramentum eſt de agendo contra illam obligationem: eſt ergo de re intrinſece mala.

Iuramẽtum factum contra obligationem prioris voti non obligat.

2. Magis autem confirmatur, & declarabitur hæc aſſertio diſtinguendo duos modos, quibus poteſt iuramentum ſubſequens eſſe priori voto contrarium. Primo per ſolam contradictionem ex parte obiecti, vt ſi voui ieiunium, & poſtea iurem non ieiunare, & in tali iuramẽto per ſe nota eſt iniquitas, nã proponere nõ facere, quod voui, iniquum eſt: ergo multo magis id iurare. Quin potius tale iuramentũ non ſolũ, ratione voti, ſed etiã illo ſecluſo ratione talis materię per ſe ſpectatæ erit nullum, iuxta principia ſupra poſita.

Cõfirmatur concluſio, & diſtinguuntur duo modi, quibus iuramẽtum poteſt eſſe priori voto contrarium.

Nam

Nam cum illa materia ſit capax voti, neceſſe eſt vt ſit ex melioribus bonis: ergo negatio illius non poteſt eſſe materia valida iuramenti. Alio modo poteſt eſſe iuramentum contrarium voto per poſitiuam cõtrarietatẽ ex parte materiæ, quę, ſcilicet, eſt de actu contrario: ſed repugnante actui promiſſo per votum, vt in exemplo illo Gratiani de illo, qui iurat ducere aliquam poſt votum caſtitatis. Et tunc certum etiam eſt, iuramentum eſſe iniquum, & non obligare, vt eſt definitum in ca. *Rurſus*. Qui clerici, vel vouentes. Et

Ca. Rurſus. ratio eſt, quia etiam illud iuramentum virtute eſt de violando voto, quod intrinſece malum eſt.

3. *Obiectio.* Sed obijcitur, quia maior eſt obligatio iuramenti, quam voti. Reſpondetur primo, negando aſſumptũ in iuramento promiſſorio, vt ſupra oſtenſum eſt.

Solutio. Secundo conſequentia etiam non eſt bona, eo quod non ſunt cætera paria, quando promiſſio antecedit, & confert ius, vt ſtatim dicemus de promiſſione humana. Accedit tertio, quod in exemplo adducto etiã ſi iuramentũ anteceſſiſſet, præualere fortaſſe poſſet votum poſtea ſubſecutum, de quo infra videbimus in tractatu de Voto, vbi etiam diſputabimus, An qui poſt votum caſtitatis, matrimonium cõtraxit, teneatur potius ingredi Religionem, quam matrimoniũ conſummare?

4. *2. Aſſertio. Quando iuramenta ſunt contraria, ſi prius fuit de re honeſta non poteſt poſterius cõtra illud obligare.* Dico ſecundo: Quando iuramenta ſunt contraria, & vnum præceſſit, & aliud ſubſequitur, tunc, ſi prius iuramentum fuit licitum, & honeſtum, nõ poteſt poſterius iuramentum cõtra illud obligare. Hæc aſſertio habetur clare in c. *Sicut*, de Sponſal. vbi omnes Doctores. Et ratio eſt eadem, quia poſterius iuramentum eſt de re intrinſece mala, ſcilicet: de nõ obſeruando præſtito iuramento, ſiue hoc fiat per hanc formalem negationem, ſiue per actum contrarium, vt in voto declaratum eſt. Et confirmatur, quia vis

Cap. Sicut. iuramenti de ſe æqualis eſt: ergo ſi præceſſit iuramẽtũ, & obligationem induxit, non põt per ſe ſubſequẽs iuramentum infirmari. Atque ita recte intelligitur c.

Cap. Tua nos. Obiſ. *Tua nos*. 1. de Iureiur. vbi ex duobus iuramentis poſterius dicitur præualere, quia primum non obligauerat, quia erat iuri contrarium, vt ibi not. Gl. in ver. *Primo præiudicat*: igitur à cõtrario, ſi primum iuramẽtum validum fuiſſet, non potuiſſet ſecundum illi præiudicare: nam illa negatio fuit adæquata cauſa ſuo modo prioris affirmationis: ergo affirmatio cõtraria erit cauſa contrariæ negationis.

5. *Obiectio.* Sed contra hanc partẽ obijci poteſt: nam actus factus cõtra prius iuramẽtũ, licet peccaminoſe fiat, validus eſt, ergo etiam iuramentum factum contra aliud prius validum erit. Conſequentia tenet à paritate rationis, vel à fortiori, quia iuramentum eſt nobilior actus & maiorem habens efficaciam, quam alij. Antecedẽs patet inductione: nam ſi quis promiſit nõ donare & donat, licet male agat valida eſt donatio, ſi nihil aliud ei obſtet, quam iuramentum. Item ſiquis iurauit nõ reuocare procuratorem, & reuocauit, valida eſt reuocatio, vt dixit Gl in c. vlt. de Procurato-

Obiſ. ribus in 6. ver. *Reuocatus*. Item ſiquis iurauit, non vouere inconſulto Petro, & poſtea vouit, validum eſt votum. Item ſiquis iurauit ſponſalia cũ aliqua, & poſtea contrahat cum alia, validum eſt matrimonium,

Cap. Sicut. ca. *Sicut*, de Sponſal. Imo licet iurauerit, non contrahere matrimonium, & poſtea contrahat factũ tenet. Et ratio eſt, quia iuramentum licet prohibeat actum non irritat illum, ſicut lex prohibens non ſemper irritat: ergo non obſtante iuramento valet actus.

Dubium incidens, an facta contra iuramentum teneant?

6. HOc dubium petitur in propoſita obiectione, ad quod breuiter reſpondeo, actum cõtra prius iuramentũ factum non irritari ex vi prioris iuramẽti, vt recte probatum eſt. Dico autem ex vi prioris iuramenti, quia interdum contingit iuramentũ adiungi prohibitioni actus aliunde irriti, ratione alicuius legis, quaſi ad confirmandam voluntatem in obſeruatione talis legis. exẽplum eſt in iuramento, de non alienando fundo dotali, & tunc eſt ſpeciale dubium, an iuramentum poſterius factũ ſit contrarium priori, & habeat vim obligandi, de quo dicam infra capi. habet enim ſpecialem difficultatem, propter legem: quæ ſimul cũ iurameto reſiſtit. Hic ergo de ſola virtute iuramenti tractamus, & ſic dicimus quod iuramentum de ſe nõ irritat actum, etiamſi præſtetur de non faciendo tali actu. Hæc eſt ſententia communis Canoni. in c. *Intellecto*, de Iureiur. vbi Panor. n. 8. & in *Cap. Intellecto.*

c. *Dilecto*. de Præben. n. 18. & ibi alij. Item Sylueſt. *Iuramentum* 4. q. 12. Ange. *Iuram*. 5. n. 15. Selua de Iura. 3. p. q. 1. n. 44. & 45. vbi varia exempla & authores allegat. Item Couar. d. c. *Quamuis*. 2. p. §. 2. n. 4. ver. *Cæterum*: & bene Azor. to. 1. li. 11. c. 6. q. 3. vbi alias opiniones refert, quas omitto, quia nec fundamentum, nec probabilitatem habere vidẽtur. Ratio ergo eſt, quia *Panorm. Syluest. Angel. Selua. Couar. Azor.*

valor talis actus ex voluntate operantis pendet, & per legem aliquam non impeditur. Item quia iuramentum licet auferat liberam poteſtatem faciendi, imponendo obligationem, non tamen aufert ſimpliciter poteſtatem faciendi, vel volẽdi, & ideo licet actus cõtra iuramẽtum male fiat, validus eſſe poteſt.

Imo exiſtimo, non poſſe talem irritationem fieri ex vi iuramenti, etiamſi iurans velit: nã licet iurando intendat, non ſolum ſibi prohibere, ſed etiam irritare actum ſi fiat: nihilominus ſi poſtea voluntatẽ mutet volendo actum validum facere: vt matrimoniũ, donationem, aut quid ſimile, actus erit validus, licet male fiat. In quo eſt notanda differentia inter legem, & iuramentum: nam lex licet ſæpe prohibeat nõ irritando, poteſt tamen vtrumq; facere. & facit ſi ſufficienter declarat, iuramentum autem ſolum id non poteſt. Ratio differentiæ eſt, quia irritatio legis prouenit à ſuperiori voluntate, quam non poteſt mutare, vel impedire voluntas ſubditi: iuramentum autẽ prouenit à voluntate ipſius iurantis, quia licet, iurando liget (vt ſic dicam) voluntatem, & poteſtatem ſuam, non tamen priuat ſe poteſtate, & dominio ſuæ voluntatis, & ideo poteſt ſemper efficaciter mutare priorem voluntatem, & ita validum facere effectũ, quamuis in eo faciẽdo peccet. Quod ſi dicas, quamuis iuramentum ſit à volũtate, obligationem eius nõ eſſe à voluntate, ſed à Deo, & à lege naturali. Reſpondetur, hinc potius confirmari intentum, quia nulla eſt lex naturalis, quæ talem actum irritet, licet illum prohibeat. Et ratio eſt, quia licet facere actum cõtrarium iuramento ſit contra obligationem eius, quod actus ille habeat effectum ſuum non eſt contra iuramentum, neque illa eſt materia, in quam per ſe poſſit cadere iuramentum, & ideo quamuis iuramentum prohibeat actum, non irritat illum. 7. *Differentia inter legem & iuramentum.*

Neque hoc repugnat aſſertioni poſitæ, quia licet actus ſit contra iuramentum, nihilominus quod talis actus ſit validus, neque eſt, neque eſſe poteſt contra iuramentum. Secus vero eſt de poſteriori iuramento faciendi actum contrarium priori iuramẽto. quia tũc tale iuramentũ poſterius ſit irritũ ex defectu materiæ, quia per prius iuramentum effecta eſt mala & peccaminoſa, ac ſubinde incapax iuramenti. Et ideo non refert, quod iuramentũ ſit nobiliſſimus actus: nam potius ob hanc ipſam cauſam non poteſt cadere in materiam prauam, & idcirco quãuis magnum ſit vinculum iuramẽti, habere non poteſt locum circa talem materiam. Conſiderandum autem eſt, aliud eſſe promittere actum contrarium priori iuramento, & hanc ipſam promiſſionem iuramento confirmare: aliud vero eſſe confirmare actũ iam factum contra iuramentum. Primum enim dicit ordinem ad actum futurum iuramẽto contrarium, & ex ex eo capite intrinſece malũ, & ideo tale iuramentũ prauum, & nullius valoris eſt, quia eſſet vinculũ iniquitatis, & firmaret animum in propoſito male ope- 8. *Oſtenditur aliud eſſe actum eſſe validum, aliud iuramentũ quo firmatur actus.*

Digitized by Google

randi, & de hoc iuramento procedit aſſertio propoſita.

9. Secundum autem non eſt huiuſmodi: nam licet ſupponat prauum actum, vtpote factum cõtra prius iuramentum, non tamen cadit in illum, vt malus eſt, ſed in effectum eius, qui bonus eſt, vt ſiquis cõtraxit, & conſummauit matrimonium contra iuramentũ, vel votum caſtitatis, vel contra iuramẽtum contrahendi cum alia, licet poſtea iuret perſeuerare in illo matrimonio, rem bonam iurat, quamuis medio peccato fuerit effecta. Et ſimiliter tale iuramentum non reſpicit in futurum aliquid malum, vel priori iuramento contrarium, quia licet facere talem actũ fuerit contra prius iuramentum, nihilominus poſt factũ talem actum cõſeruare illum, & alia, quæ conſequũtur ex illo, non eſt contra prius iuramentum. Vt ſi prius iuraui non donare, & nihilominus poſtea donem valida eſt donatio, vt dixi, & ideo ſi iurem non retractare donationem, neq; impedire vſum, vel vſũ fructuum rei donatę, validum eſt iuramentum, quia non eſt per ſe contrarium priori iuramẽto, licet ſupponat prius iuramentum violatum.

10. *Iuramẽtum factũ contra ſimplicem promiſſionẽ honeſta non eſt validum.* Dico tertio: Iuramentum factum contra priorem ſimplicem promiſſionem nõ confirmatam iuramẽto, obligantem tamen in conſcientia, ſiue ex iuſtitia, ſiue ex humana fidelitate, nõ obligat in conſcientia, nec validum eſt. Ita docet Couarr. in d. 2. p. §. 2. nu. 4. verſi. *Cæterum.* vbi pro illa allegat c. *Veniens*, de Iureiur. & ibi Innoc. & alios Doctores. Tamen Innocent. potius docet contrarium, vt rectius notauit Syluest. Iuramentum 4 q. 12. ipſe vero contra Innocentium tenet noſtram aſſertionem. Et ſumitur ex Bonauent. Richar. Palud. Gabr. Soto. & alijs Theologis in 4. d. 27. & 28. dicentibus, ſponſalia pura non diſſolui per ſubſequentia iurata. Quæ eſt etiam communis ſentẽtia Iuriſtarum in c. *Sicut*, de Sponſ. præſertim Abb. antiqui. Hoſtienſ. & Panorm. qui aduertit Innocentium ſibi contrarium idem ibi tenere. idem Angel. *Iuramentum* 5. n. 15. Et ratio eſt, quia nõ implere promiſſionem ſimplicem eſt peccatum ſiue mortale, ſiue veniale: ergo iurare, illam non implere eſt iurare quoddam peccatum: ergo non poteſt tale iuramentum obligare. Et idem eſt, ſi iuret aliquid contrariũ, & repugnãs priori promiſſioni, vt eſt in caſu de Spõſalibus, quia etiam ibi in virtute iuratur fractio fidei prioris promiſſionis: ergo etiam tunc non obligat iuramentum.

Couar. Innocen. Syluest. Bonauen. Richard. Palud. Gabr. Soto. Abb. Hoſtienſ. Panorm. Angel.

11. *Obiectio.* Sed obijci poteſt ex Innoc. ſupra, quia quando tãtũ præceſſit ſimplex promiſſio, & ſequitur iuramentum de re oppoſita, poteſt vtrinq; ſatisfieri implendo iuramentum, vt ſonat, & ſatisfaciendo promiſſioni per aliquid æquiualens: ergo ita faciẽdum eſt ob reuerentiam iuramenti: nam ſeruandum ſemper eſt, quantum poteſt ſine conſcientiæ diſcrimine. Et confirmatur ex d. c. *Veniens*, nam ibi facta fuerat mentio prioris promiſſionis non declarando, an fuiſſet facta cum iuramento nec ne, & tamen poſtea mandat Põtifex cum reſtrictione, vt ſi mandatum inueniatur contrarium iuramento prius recte facto, declaretur inualidum, ergo indicatur, quod ſola promiſſio præcedens ſine iuramento, non ſufficiat ad irritandum iuramentum ſubſecutum. Et hoc fuit fundamentũ Innoc. & non multum repugnant Glo. vlt. & Abbas antiquus ibi.

C. Veniens. Gloſſ. Abb.

12. Sed in primis ex textu illo nihil colligitur in contrarium. Primo, quia in illo nõ eſt ſermo de iuramẽto, ſed de mandato promiſſioni contrarium & fieri poteſt, vt mandatum ſuperioris, ita impediat implere promiſſum, vt ſine peccato poſſit omitti, quod nõ habet locum in iuramento, propria voluntate facto. Sed hoc non eſt ad rem, tum quia ibi non eſt ſermo de mandato præcedente à ſuperiore ſed facto in virtute prioris iuramenti tum etiam quia mandatũ ſuperioris, etiam poteſt reſiſtere priori iuramento promiſſorio, irritãdo illud ex parte materiæ, vt infra dicetur. Secundo ergo nõ obſtat ille textus, quia, vt ibi not. Panorm. in fine ex Innoc. in d. c. *Sicut*, ibi tãtum narratur factum, & iuxta illud Pontifex reſpondet. Nam licet in illo textu, prout nũc habetur in Decretalibus, nõ explicetur priorem promiſſionem fuiſſe iuratam, tamen iuxta antiquam lectionem expreſſe dicitur, *Iuramento, & promiſſione* vt habetur in 3. Collectione Antonij Auguſt. & notauit Abb. antiquus, & ideo Pontifex mẽtionem fecit iuramenti, atq; ita nõ inſinuauit, ſolam promiſſionem non fuiſſe ſufficiẽtem. Ad rationem autem reſpondetur, negando aſſumptum: nam in rigore conſcientiæ loquendo, tenetur quis implere quod promiſit in ea ſpecie, in qua promiſit, nec põt cogere creditorem, vt acceptet æquiualentem, vel intereſſe: nam ea quæ promittuntur, opere compleri debent, & pacta ſeruanda ſunt c. 1. & 3 de Pactis, neq; alio modo ſeruatur veritas, quæ in promiſſione neceſſaria eſt.

Dubium incidens, an conſentiente creditore obliget iuramentum contra promiſſionem factum?

Hinc vero naſcitur optimum dubium, nam licet promiſſio in rigore nõ impleatur ſoluendo intereſſe inuito creditore, ſi tamen ille contentus eſt, ſufficienter impletur. Quæri ergo poteſt, an eo caſu, in quo prior creditor cõtentus fuerit alia ſolutione, iuramentum factum contra promiſſionem obliget? Videtur enim obligare, quia iam poteſt impleri ſine peccato. Imo ex vi talis iuramenti videtur quis obligari ad procurandũ, vel ſaltem interrogandũ ab eo, cui prius promiſit, an ſit cõtentus iuſto intereſſe, vel re alia æquiualente, vt ſi annuat, ſuum iuramentum impleat, quia tenetur facere quantum in ſe eſt ad iuramentum implendum. Et confirmatur, quia ſi tempore, quo factum eſt iuramentum prior promiſſio iam non obligaret, vel propter remiſſionem cõceſſam, vel propter rerum mutationem, tũc ſine dubio iuramentum obligaret, quia iam eſſet de re licita, & ita ceſſaret ratio inualiditatis iuramẽti: ergo ſimiliter quam primum ceſſat poſtea obligatio promiſſionis, incipiet obligare iuramentum. 13.

Neque obſtat, quod iuramentum à principio factum, fuerit de re illicita, quia iam mutata eſt in licitam. Nam ſi à principio fuiſſet de re licita, & facta eſſet illicita, eo ipſo ceſſaret obligatio iuramenti: ergo, vt ſeruetur proportio, & æqualitas, licet iuramẽtum à principio fuerit de re illicita, quamprimum fiat licita obligabit. Atque huic parti fauet Nauar. d. ca. 12. nu. 89. vbi pro regula ſtatuit, iuramentum generaliter factum, ita vt comprehendat tempus pro quo actus iuratus poteſt eſſe licitus & illicitus, licet factum ſit eo tempore, quo actus eſt illicitus, obligare in eo tempore in quo actus cœperit eſſe licitus. Eidem ſententiæ fauet Couar in 4. 1. p. c. 4. §. 1. n. 10. quatenus dicit, quamuis ſecunda ſponſalia non valeãt durãtibus primis, incipere tamen obligare, ſi prima diſſoluantur, per mortem, aut conſenſum prioris ſponſæ, ſaltẽ in virtute promiſſionis. 14. *Nauar. Couar.*

Nihilominus contrarium ſuaderi poteſt, ſcilicet, tale iuramentũ obligare poſtea non poſſe, quidquid eueniat. Primo ex regula Iuris 18. in 6 *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non ſubſiſtit*: nam in noſtro caſu iuramentũ illud à principio nõ ſubſiſtit, ſed eſt nullũ, quia eſt de re illicita: ergo nunquã amplius vires reſumit. Cõfirmatur, nã hac ratione profeſſio facta ab vno cõiuge, viuẽte altero & inuito, illo mortuo nõ conualeſcit, neq; obligat, iuxta c. *Quidam*, de Cõuerſione cõiugatorũ & c. *Placet*, eod. Vnde Pano. ibi colligit, promiſſionẽ factã tempore inhabili, quæ nulla eſt, non conualeſcere tẽpore aliquo, vt ſiquis habens votũ caſtitatis, promiſit cõiugium alia, licet poſtea diſpenſationem voti obtineat, non obligatur ſponſalibus, 15. *C. Quidam. Cap. Placet. Panor.*

ſalibus, quia nulla à principio fuerunt: ergo ſimiliter in præſenti. Secundo declaratur in hunc modum, quia vel illud iuramentum factum contra priorem promiſſionem, fuit abſolutum, vel ſub conditione, ſi alter cedat iuri ſuo, vel alia ſimili. Hoc poſterius eſt contra hypotheſim, quæ in quæſtione ſupponitur, ſic enim tale iuramentum non eſſet illicitum: ſicut non eſt illicitum iurare matrimonium contrahere cum conſanguinea, ſi Papa diſpenſauerit, quia licet actus matrimonij nunc non liceat, conditio ſuſpendit illum, vel facit, vt nihil iuretur illicitum: ita ergo eſſet in præſenti. Nos autem loquimur de iuramento illicito, ergo ſupponendum eſt, iuramentum eſſe abſolutum de agendo id, quod iuratur, non obſtante priori promiſſione, & rumpendo illam: tale autem iuramentum à principio inualidum eſt, independenter ab omni conditione ergo ſimpliciter, & abſolute non obligat, neque obligabit, quacumq; mutatione rerum facta, quia nec formaliter, nec virtute clauſit à principio talem conditionem, aut intuitu illius factum eſt.

16. *Reſoluitur dubiũ & aſſeritur vt probabilius, non obligare iuramentũ contra priorem promiſſionem, licet credatur re ſua ceſſerit.*

Propter hæc poſteriora argumenta videtur mihi hæc ſententia probabilior ex vi talis iuramenti, & niſi aliud conſtiterit de intentione iurãtis: quod maxime confirmabitur reſpondendo ad priores rationes. Ad primum dicitur, licet verum ſit, poſſe iurantem in eo caſu implere ſecundam promiſſionem ſine peccato, nihilominus non teneri, quia neque id iurauit, neque iuramentum illud à principio ad aliquid obligauit. Ad cõfirmationem autẽ recte ibi negata eſt conſequentia: nam ſi tempore ſecundæ promiſſionis prior obligatio fuiſſet extincta, iuramentũ fuiſſet de re licita, ideoq; obligaret: durãte aũt priori obligatione iuramentũ à principio fuit nullũ, & ideo nunquã poſtea obligat. Et ob eãdem cauſam non valet æquiparatio inter iuramentum à principio licitũ, vel illicitum, quia licitum à principio obligat, dependenter tamen ab honeſtate materiæ, & ideo ſemper includit virtute hanc conditionem, *Niſi materia mutetur. & fiat illicita*, & inde eſt, vt facta in materia tali mutatione ceſſet obligatio iuramenti. At vero quãdo iuramentum à principio fuit illicitum, fuit etiam nullum, ideoque non obligat, etiam ſub illa conditione, *Si materia deſinat eſſet illicita.*

17. *Regula Nauar. non probatur.*

Et ideo non probo regulam traditam à Nauarro loco ibi citato, quando iuramentum à principio fuit illicitũ ex obiecto ſuo, quia tunc nunquam incipit obligare, etiam ſi in materia iurata incipiat eſſe aliqua honeſtas, propter rationem ſupra factam, quod actus nullus nunquam conualeſcit. Quod etiam exemplis ab ipſo Nauarro, inductis oſtendi poteſt. Vnum eſt de illo, qui iurauit non ingredi talem domum, ſine vlla cauſa, vel ratione, quod iuramentum tanquam vanum, & temerarium non obligat. Si autem poſtea contingat in domo illa eſſe occaſionem peccandi, dicit Nauarrus pro tunc obligare iuramentum illud, quia non eſt cur reſtringatur ad tẽpus, in quo temerarium, & vanum eſt. Ego vero exiſtimo ex vi illius iuramenti non obligari eum, qui ſic iurauit ad nõ ingrediendum talem domum, quia iuramentum nunquam fuit factum illo intuitu vitandi talem occaſionem, vt ſuponitur, ſed ſolum temere, & ex quadam leuitate. Idem eſt de illo, qui iurauit non laborare in Sabbatho, non intuitu deuotionis ad Virginem, ſed vel intuitu falſę ſuperſtitionis, vel ſolum ad corporalem requiẽ: nam licet ille poſſit honeſte vacare in honorem Virginis, non tenetur ex vi illius iuramenti, eſt enim eadem ratio de loco, quæ de tempore.

18. Aliud exemplum Nauarri eſt, ſi quis iurauit ſeruare ſtatuta alicuius Eccleſiæ, inter quæ vnum erat cõtra Canones, & ideo illicitum, nam iuramentum à principio non obligauit ad illud ſeruandum: *Si tamẽ* (inquit) *ſtatutum illud poſtea confirmetur à Pontifice, & ita incipiat eſſe licitum, etiam incipiet iuramentum obligare ad illud ſeruandum.* Sed diſtinctione opus eſt, nam iuramentum illud potuit fieri vel tantum de ſeruandis ſtatutis iam factis, vel de factis, & faciendis. Si ſit hoc poſteriori modo verum eſt, quod aſſumitur: ſed exemplum non eſt ad rem, quia iuramentum à principio reſpexit tempus futurum, & factum eſt de ſtatutis veris & validis quocumque tempore. Si autem iuramentum priori modo factum eſt, dico non obligare ad ſtatutum poſtea confirmatum, niſi à principio conſtiterit, iuramẽtum ex certa ſcientia factũ eſſe de illa ſub ea conditione: in quo ſenſu fuiſſe iuramẽtum à principio licitum, etiam vt cadens in illud ſtatutum. Si autem iuramentum abſolute factum fuit de ſeruandis ſtatutis iam conditis, ſine vllo reſpectu ad confirmationem, vel diſpenſationem Pontificis, ſic ſolum obligauit ad ſtatuta valida: nam illud, quod eſt illicitum, non poteſt dici ſtatutum. Quapropter cum poſtea confirmatur, quaſi de nouo ſit, ideoque prius iuramentum ad illud non obligat, iuxta c. penult. de Iureiur.

Denique non obſtat exemplum de ſponſalibus ex Couar. adductum, nam oppoſitum verius cẽſemus, 19.
ſi eadem proportio in exemplo ſeruetur, nimirum quod ſecunda ſponſalia abſolutè facta ſint, & nõ ſub conditione, *Si prior ſponſa ceſſerit iuri ſuo*, vel alia ſimili, vt bene notat, & diſputat Sancius libr. de Sponſal. diſputat. 50. Et ideo addidi in aſſertione, *Niſi aliunde conſtiterit de intentione iurantis*: nam ſi hæc fuit non iurandi abſolute rem illicitam, ſed tantum ſub conditione, qua fieret licita, clarum eſt obligare iuramentum, quia ſic eſt honeſtum, & ex intentione pendet. Idemque eſſet, ſi intentio iurantis extenderetur ad iuramentum implendum quocumque modo poſſit, ſiue licite, ſiue illicite: nam tunc, licet ex parte eſſet illicitum, ex alia parte eſſet licitum, & quoad illam obligaret, impleta honeſtatis conditione. Vnde hoc non ſolum habet locum, quando pura promiſſio præceſſit, ſed etiam ſi fuerit iuramento firmata: nam ſi in poſteriori iuramento addatur conditio, *Si primum iuramentum remiſſum, vel relaxatum fuerit*, ſic poſterius iuramentum licitum eſt, & obligabit impleta conditione, cum tamen abſolute factum nullum ſit. Sic ergo loquimur cum iuramentum eſt contra priorem nudam promiſſionem.

Capvt XX.

Vtrum Iuramentum de actu prohibito lege humana, præſertim ciuili, ſit obligatorium?

Ratio dubitandi eſt, quia multa iuramenta contra leges ciuiles facta approbantur, & defendũtur Iure Canonico, cap. *Cum contingat*, de Iureiur. ca. 2 de Pact. in 6. In contrarium vero eſt, quia iuramentum contra bonos mores non obligat, vt eſt regula Iuris 58. in 6 ſed iuramentum contra leges eſt contra bonos mores, ergo. 1.

Cap. Cum contingat.

Dico primo: Iuramentum factum de actu prohibito per legem humanam abſolute prohibentem, & in conſcientia obligantem, irritum eſt, & nullam obligationem inducit. Hæc aſſertio communis eſt, vt latius videbimus in diſcurſu ſequenti: nunc breuiter probatur, quia iuramentum de actu peccati irritum eſt, vt ſupra eſt probatum: ſed tale iuramẽtum eſt de actu peccati: ergo. Probatur minor, quia non ſolum eſt peccatum actus natura ſua malus, ſed etiam ille, qui eſt malus, quia prohibitus: ſed actus prohibitus per legem dicto modo eſt malus, quia prohibitus, ac ſubinde ſimpliciter malus, & peccatum: ergo iuramentum de tali actu nullum eſt. Et confirmatur, quia iuramentum non poteſt eximere hominem ab obligatione legis iuſtæ poſitiuæ, & quoad hoc eadem 2.

Digitized by Google

C. Quanto. Cap. Cum contingat. Cap. Si aliquid. Cap. Inter cætera.

eſt ratio de lege poſitiua humana, quæ de Diuina: quia vtraque eſt à voluntate ſuperiori, quam nō poteſt irritare, vel impedire voluntas ſubditi. Denique poteſt hoc facile demonſtrari inductione, & ex generali regula Iurium, quod iuramentum de re illicita non obligat, quia non eſt vinculum iniquitatis: & nihil diſtinguūt ſiue res ſit ex ſe illicita, ſiue quia prohibita, caput *Quanto*, & caput *Cum contingat* de Iureiur. & cap. *Si aliquid*, ca. *Inter cætera*, cum alijs 22. quæſtio. 4.

3\. *2. Aſſertio. Iuramentū contra Canonicas leges ſemper eſt inualidum.*

Dico ſecundo: Iuramentum contra leges Canonicas ſemper eſt inualidum. Aſſertio eſt communis, vt paulo inferius videbimus. Nunc breuiter declaratur, nam duplices ſunt leges Canonicæ, quædā declaratiuæ iuris Diuini, naturalis, vel poſitiui, & de his eadem eſt ratio, quæ de ipſo Diuino iure, de quo ſupra dictum eſt. Aliæ ſunt leges Canonicæ conſtitutiuæ noui iuris humani, & Eccleſiaſtici, & de his etiam eſt vniuerſalis aſſertio: eiuſque ratio eſt, quia leges Canonicæ ſemper inducunt in conſcientia obligationem: ergo agere contra illas, eſt agere contra conſcientiam: ergo iuramentum de tali actu non poteſt obligare, & ita in his legibus maxime procedunt dicta in aſſertione præcedenti. Aſſumptum certum eſt, & commune in materia de Legibus. Et ratio eſt, quia lex Canonica per ſe primo dirigitur ad bonum animæ, & ideo in eodem foro animæ obligationem inducit. Addo vero, quod licet aliquæ regulę Eccleſiaſticæ non ſint rigoroſe leges obligātes ſub reatu culpę, vt de regulis multorum Religioſorum conſtat, & de aliquibus alijs eſt probabile: nihilominus etiam in illis procedit concluſio, quia actus talium ſtatutorum, regularū, aut rubricarum, ſaltē ſunt meliores, & in conſilio, & ideo iuramentū talibus regulis contrarium plane nō obligat, ſicut de iuramentis cōtra cōſilium dictū eſt. Hic vero poſſet obiectio fieri de iuramento ſoluendi pœnam ſponſalibus appoſitam. Sed de illo attingemus aliquid capite ſequenti. Poſſet itē obijci, de lege confiſcante bona hæretici, quæ ante ſententiā non obligat in cōſcientia ad tradendū bona: & ita poteſt iuramentum circa illa bona eſſe validum. Sed dico iuramentum tale non eſſe contra legem Canonicam, ſi non excedat diſpoſitionem eius, vel ſi excedat non eſſe validum: de quo alias.

4\. *3. Aſſertio. Iuramētum contra leges ciuiles obligātes in conſcientia, irritum, & iniquum eſt. Bart.*

Dico Tertiò: Iuramentum, quod ſeruari non poteſt, niſi agendo contra leges ciuiles obligantes in cōſcientia, iniquum, & inualidum eſt. Ita docet Bart. in L. *Siquis pro eo*, ff. Fideiuſſ. n. 9 & alij infra referēdi. Et ſequitur clare ex prima aſſertione, neque alia indiget probatione. Supponit autem hæc aſſertio aliud principium in materia de Legibus, ſcilicet leges ciuiles obligare in conſcientia, quando id intendunt, & ſufficienter explicant. Quod quidem principium, licet ab aliquibus negatiuum fuerit à Theologis, & Iuriſperitis communiter recipitur, quia etiam leges Ciuiles manant à lege æterna, & per poteſtatem à Deo datam feruntur: & ideo in cōſcientia obligant, vt ſatis aperte docet Paul. ad Rom. 13. & dicetur latius in tractatu de legibus. Hoc ergo principio ſuppoſito ſequitur hęc aſſertio ex prima, & ex ibi dictis ſufficienter probatur, magiſque declarabitur ex dubitatione ſequenti.

Paul. ad Rom. 13.

5\. *4. Aſſertio. Iuramētum contra leges ciuiles interdū eſt validum, ſi ſine peccato fiat. Obiectio.*

Dico Quarto: Iuramentum contra leges Ciuiles interdum eſt validum, quatenus ſine peccato ſeruari poteſt. Hæc aſſertio etiam eſt certa, & communis, vt videbimus cap. ſequ. vbi Iura etiam afferemus. Probaturque ſufficienter ex ratione dubitandi in principio poſita in qua conſequēter ſupponitur, talia iuramenta ſeruari poſſe ſine peccato, & ideo obligare, vt in aſſertione dicitur, & Iura Canonica ſupponunt. Contra hoc vero inſtat ſtatim ratio in cōtrarium facta, quia talis actus videtur peccaminoſus, vtpote legi contrarius.

6\. Ad hanc ergo obiectionem reſponderi poteſt primo, quod licet actus ipſe contrahendi, vel promittendi, cui iuramentum adiungitur, ſit malus, eo quod ſit prohibitus per legem Ciuilem, nihilominus ſeruare iuramentum, poteſt non eſſe malum, & ideo poteſt ſub iuramenti obligationem cadere: quia non obſtante priori malitia ſemper habet locum in tali iuramento regula, quod cum ſeruari poſsit ſine diſpēdio ſalutis æternæ, ſeruandū eſt. Duobus ergo modis poteſt iuramentum eſſe contra leges Ciuiles obligantes in conſcientia. Primo quia iuramentum verificandum eſt per actum ipſum prohibitum per leges ciuiles: & tunc iuramentum non poteſt obligare iuxta præcedentem concluſionem. Secundo, ſolum quia ipſe actus, cui coniungitur iuramentum, quando ſit, eſt prohibitus per legem, actus vero poſtea neceſſarius ad verificandum iuramentum non eſt cōtrarius legibus. Vt ſi lex prohibeat promiſsionē non reuocandi teſtamentum, vel inſtituendi talem hęredem, non tamen prohibeat actū inſtituendi, vel non reuocandi iuramentum promiſſoriū de tali actu cōtra leges eſt in fieri, non vero erit in obſeruari: & ideo obligare poterit, etiamſi leges illæ in conſcientia obligent. Et ita ſenſit Abb. in d. cap. *Cum contingat*, n. 6. & Iaſon. in d. Authentica *Sacramenta puberum*, numer. 52.

1. Solutio ad obiectionem reijcitur.

Hæc reſponſio in re continet veram doctrinam, vt c. 24. ex profeſſo explicabimus; applicata vero ad leges Ciuiles, non eſt neceſſaria, nec generaliter ſatisfacit: nam iuramenta, quæ obligant repugnante aliquo modo Iure Ciuili, non ſolum impleri poſſunt ſine peccato, verum etiam plerumque, ac frequentius poſſunt ſine peccato fieri. Hoc patet inductione in in caſu cap. *Quamuis pactum*, non enim cenſetur peccare filia cedens cum iuramento bonis paternis ſua dote contenta: & idem eſt de caſu vxoris alienantis cum iuramēto fundum dotale iuxta c. *Cū contingat*: & ſic de alijs, de quibus ita communiter cenſent Doctores. Et à poſteriori patet, quia nō peccat pater, nec turpiter agit acceptās: imo nec petens ſine vi, vel dolo talem renunciationem, vt infra videbimus: ergo nec filia turpiter agit iurando, vel promittendo, ſeu renunciando. Ratio autem non poteſt eſſe alia, niſi quia talis renunciatio, nec eſt de ſe mala, nec etiā cēſetur prohibita per legem ciuilem in cōſcientia. Vnde autem hoc cōſtet, aut quomodo hæ leges diſcernendæ ſint ab alijs, de quibus tertia concluſio loquitur, explicandum ſupereſt. 7.

C. Quamuis pactum. Cap. Cum contingat.

Ad hoc ergo declarādum Authores diſtinctionibus vtūtur. Vna eſt de legibus iuris publici, & priuati, ideſt, quæ immediate ad commune bonū ordināntur, vel ad bonum priuatorum, ſeu ſingulorum. Et in prioribus legibus dicunt procedere tertiam aſſertionem, in poſterioribus aiūt quartā. Sed de hac partitione dicemus melius infrà c. 26. Nunc ſolum dicimus, licet prius membrum admittatur, non tamen poſſe generaliter admitti ſecūdum, quia etiam leges iuris priuati poſſunt obligare in conſcientia, vt per ſe ſatis clarum eſt, & in ſequentibus ſæpe oſtendetur. 8.

Aliter ergo Bart. in Leg. *Siquis pro eo*, cum primum membrum ſimpliciter ponat, circa poſterius diſtinguit duplices leges. Quædam enim (inquit) ſunt, quę verba ſua dirigunt tātum ad contractum, illum irritando, vel infirmando, vel formā illi præbendo, non vero ad perſonas, illis pręcipiendo, vel prohibendo: aliæ vero ſunt, quæ directe loquuntur cum perſonis, prohibendo vel mandando. Ait ergo, has poſteriores leges obligare in conſcientia, etiamſi ſint iuris priuati, & ideo iuramentum contra illas non obligare in cōſcientia, iuxta noſtram tertiam aſſertionem, quia impleri nō poteſt ſine peccato. De prioribus vero dicit, non obligare in conſcientia, ſed ſolum qualificare contractum, vt non valeat vel irritetur, ſi aliter fiat, quam lex præſcribit, etiamſi non peccent, qui illum faciunt. Et iuramentum contra has leges dicit eſſe obligatorium, & de illo intelligi Iura, quæ talia iuramenta defendunt. 9.

Alia Bart. ſolutio.

Verum

Digitized by Google

10\. Verumtamen hanc Bartoli diſtinctionem, & doctrinam late impugnat Panorm. in cap. *Cum contingat*, num. 6. illamque vocat ſingularem opinionem, communiter impugnari à Canoniſtis, & plures referuntur à Couar. d. 2. p. §. 2. n. 7. & in ipſo Scholio ad Bartolum. Sed nō deſunt multi, qui doctrinam Bartoli approbent, & ipſe Panormit. refert pro illa Angelum de Peruſi. in Conſ. *Domina Catharina*, plures refert Alciat. in eod. c. *Cum contingat*, num. 9. & Couar. eod. §. 2. n. 1. refert Chalder. & Anchara. in d. capit. *Cum contingat*, & dicit eſſe communem Legiſtarum. Et quod ad rem attinet, negari non poteſt, quin inter leges ciuiles inueniatur illud duplex genus legum: nam lex, quæ requirit ſeptem teſtes in teſtamento, non obligat in conſcientia teſtatorem, qui non peccat, licet teſtamentum minus ſolemne voluntarie faciat. Lex autem, quæ prohibet iudici aliquid à parte accipere, non ſolum irritat, vel infirmat actum, ſed etiam illum in conſcientia prohibet: & idem fortaſſe eſt de lege prohibente tutori, ne cum pupillo cōtrahat, & ſimilibus. Vnde rationes Panor. contra Bartolum, quatenus contra diſtinctionem in re ipſa tendunt, firmæ eſſe non poſſunt. Omnes autē in hoc conſiſtunt, quod in idem redit: prohibere actum factum à perſona, vel perſonæ ne faciat actum. Sed committit æquiuocationē in verbo *prohibendi*, quia cum dicitur ferri in ſolum actum non intelligitur ferri quoad obligationem exercendi, vel nō exercendi actum, ſed ſignificat efficaciam legis, tollētis robur actui, ſi fiat tali modo, ſiue cum peccato, ſiue abſq; illo fiat: & quoad hoc dicitur non ferri in perſonam, prohibēdo illi actum, licet auferat illi firmitatem, etiam prout ab illa procedit. Denique illa diuiſio in re ipſa neceſſaria eſt, vt poſſit dari iuramentum de actu legi ciuili contrario ſine peccato vllo, tam in fieri iuramenti, quam in obſeruari: quod tamen dari poſſe, etiam Panor. & omnes admittunt.

Panorm. — *Couar.* — *Alciat.*

11\. Diſſenſio ergo ſolum eſſe poteſt de ſigno poſito à Bartolo ad diſcernēdam illam diuerſitatem legum, ex illis duobus modis loquendi legum, quos in ipſis legibus reperiri certiſſimum eſt. Sed non videntur ſemper eam diſtinctionem indicare. Nam interdum lex obligat in conſcientia, etiamſi ex parte materiæ loquatur, vt ſi taxet pretium, vel aliquid ſimile. Et ideo Panormit. Anton. & alij dicunt, potius ex parte materiæ ſumendam eſſe diſtinctionem. Et in propoſito, aiunt, illas leges, quæ priuatæ vtilitati debitoris conſulunt, ideo non obligare illum in conſcientia, quia ſolum ei fauent, & non cogunt eum, vt non renunciet iuri ſuo, cum ſine alicuius præiudicio id facere poſſit. Quæ conſideratio non diſplicet, eandem tamen patitur inſtantiam, nam etiam in materia pertinente ad priuatam alicuius, poteſt lex prohibere illi actum in conſcientia. Vt poſſet ludentibus prohibere in conſcientia, ne pecunia credita ludant, & minori impuberi, ne circa immobilia bona contrahat. Dico ergo, ſignum à Bartolo datum ex modo loquendi legum, non eſſe contemnendum, quia ſenſus legum maxime ex verbis ſumēdus eſt. Item quia cum præceptum imponatur perſonæ, quando lex vult obligare perſonam, ad illam directe loquitur. Vnde cum ſolum circa actum eius diſponit, per ſe non videtur intendere obligare perſonam ad exercendum, vel non exercendum talem actum. Vnde Vaſques. 1. 2. diſ. 171. c. 3. illo ſolo ſigno vtitur ad declarandū, cur non peccet hæreticus, ante ſententiam alienando bona confiſcata: & illud ſignum putat ſufficiens ſine vlla diſputatione, vel allegatione. Non credo tamen eſſe ita per ſe ſufficiens, vt ſolū ſufficiat ſemper, vel ſit infallibile, ſed credo eſſe regulare, vt ſic dicam, & ſufficiens, niſi ex materia, vel aliis circumſtantiis contrarium colligatur. Si autem iuuetur etiam ex conditione materiæ, erit multo magis certum, & ita omnia quodammodo conciliantur, & in ſequentibus capitibus magis explicabuntur.

Vaſques.

Capvt XXI.

Vtrum iuramentum promiſſorium contra ſolos bonos mores Ciuiles obligare poſſit?

1\. Haec quæſtio fere definita eſt ex dictis capite præcedenti, tamen vt ſub propriis terminis definiatur, & intelligantur dicta Auctorum, & aliquid in generali, & in particulari addamus, breuiter tractanda eſt. Diſtinguunt ergo Iuriſtæ duplices mores, naturales, & ciuiles, quos nos vocare poſſumus honeſtos, & politicos. Naturales enim dicūtur, qui ſunt conſentanei naturæ rationali, quos nos honeſtos appellamus: Ciuiles autem dicuntur, qui ad conuenientem ſtatum, & politiam Reipub. pertinent, & licet ad honeſtatem morū neceſſarij non ſint, mali tamen non ſunt, & ideo per Iura ciuilia præſcribuntur, eſto contrarij nō prohibeantur, nec mali moraliter reddantur. Huiuſmodi eſt, v. g. quod teſtamentum vſq; ad mortem reuocari poſſit, neq; obligatio ciuilis in contrarium valeat: expedit enim Reipublicæ, vt ſit legibus ſtatutum, nō eſt tamen id ita prohibitū, quin poſſit aliquis licite id proponere, & promittere, ſeu affirmare, ſe nunquam reuocaturū, &c. Hac diſtinctione vtūtur plures antiqui Auctores, atq; etiā Moderni, vt videre licet in Couar. ſupra p. 2. in princ. n. 1. Gutier. de Iuramento confirmatorio 1. p. c. 40. §. 4. & his vtuntur etiam nonnulli ex modernis Theologis. Couar. autem ſupra. §. *Verum hæc*, illā impugnare conatur. Sed tota eius argumētatio nititur in verborum ſignificatione, de qua non multum contendendum eſt, quando de re conſtat, & verba aliqua ſunt neceſſaria ad illam exprimendam, vt re vera in propoſito ſunt. Quia negari non poteſt, quin in materia legum humanarum illud duplex genus actionum, ſeu morum inueniri poſſit, vt exempla adducta demonſtrant, & plura alia, quæ afferemus. Et ratio eſt, quia vterq; modus dirigendi, ſeu inſtituendi mores, poteſt eſſe conueniens ad Reipublicæ gubernationem. Suppoſita autem diſtinctione in re ipſa, verba ſunt accommodata, ſi recte intelligantur.

Diuiſio Iuriſtarum de moribus in ciuiles, & naturales. — *Couar.* — *Gutier.*

2\. Nam boni mores naturales non dicuntur illi ſoli, quos ratio naturalis per ſe dictat, eſſe neceſſarios ad bonitatem, id eſt, honeſtatem morum, ſed etiā illi, qui mediante lege poſitiua habent huiuſmodi neceſſitatem, quia ſtāte lege, ratio ipſa naturalis dictat, illos eſſe neceſſarios ad honeſtatem morum, quia lex ipſa facit tales mores eſſe ita conuenientes rationali naturæ, vt contrarij illi repugnēt, & ideo merito illi dicūtur boni mores naturales. Quod ſi hi mores quando præcepti ſunt lege Eccleſiaſtica, appellentur boni mores Canonici, (vt aliqui loquuntur, referēte Couar.) recte quidem fit: tamen negari non poteſt, quin lex Ciuilis poſſit etiam aliquid ita præcipere, vt contrarium ſit contra bonos mores animæ, & conſcientiæ, & conſequēter cōtra bonos mores naturales in dicto ſenſu. Qui etiā poterūt dici Ciuiles, quatenus per legē Ciuilē introducti ſunt, quomodo loquitur Couarr. ſupra §. *Vnde illud*, cum Fortunio, de Vltimo fine, illatione 12. Sed quamuis ad vſum vocis hoc pertineat, non tam apte ſignificatur qualitas talium morum, cum dicuntur eſſe Ciuiles, quam cum dicuntur eſſe Canonici, quia lex Canonica per ſe ordinatur ad bonum animæ, & ideo quando mores aliqui dicuntur boni Canonici, intelliguntur pertinere ad bonitatem animæ, ita vt contrarij ſint inhoneſti, & moraliter mali. Ideoque in Iure Canonico non reputatur neceſſaria illa diſtinctio, ſed eo ipſo, quod aliquid eſt contrarium bonis moribus Canonicis, cenſetur eſſe contrarium bonis moribus naturalibus, quia leges Canonicæ, vt tales ſunt, ſemper obligant in conſciētia, ſi ſint propriæ leges. Nam ſi ſint tantum conſilia, ſeu regulæ nō imponentes neceſſitatem, ſic contrarij mores non erunt ſimpliciter con-

Qui dicantur boni mores naturales. — *Couarr.* — *Fortun.*

de Iureiur. vbi ſolum diſtinguitur inter iuramẽtum licitum, vel illicitum, & licitum obligatorium eſſe dicitur, & conſequenter ſolum illicitum nõ eſſe obligatorium. Sed iuramentum contra ſolos bonos mores ciuiles de ſe licitũ eſt, quia neq; eſt contra legem naturalem, neq; etiam contra legem poſitiuam obligantem in conſcientia, vt ſupponitur: nõ habet ergo vnde ſit illicitum, eſt ergo licitum: ergo ſemper eſt obligatorium iuxta prædictum textũ, & conſequenter ſolũ illud iuramentũ, quod eſt contra bonos mores naturales, erit inualidum, quia ſolũ illud eſt illicitum. Atq; ita hanc regulã videntur ſequi multi Doctores in d. c. *Quanto*, & in c. *Cum contingat*, eod. vbi Panor n.7. & Gloſ. in c. *Si aliquid*. 1.22.q.4. & Turrec. in princ. d.q.n.3. & idem ſentit Couar. d.p.2. in princip. & p. etiam 3. in princip. & Molina locis citatis, & tom.2. diſp.271. dub. vlt. §. *Ho. tamen loco*, & Sanc. lib. 1. de Matrim. diſp.32. num.4.

Panorm. Gloſ. Turrec. Couar. Molina. Sanctius.

2. In contrarium vero eſt, quia illa regula affirmatiua, ſcilicet iuramentum, quod obſeruari poteſt ſine peccato, eſt obligatorium, non eſt in vniuerſum vera, ergo neque in præſenti vera erit regula, quod omne iuramentũ ſolis bonis moribus ciuilibus contrarium, ſit obligatorium. Antecedẽs patet quia iuramentum non ingrediendi Religionem poteſt ſine peccato impleri, & nihilominus non obligat, quo argumento conuictus, illam affirmatiuam regulã non eſſe conſtantem, neq; in vniuerſum veram, affirmat Couar. ſupra 1.p. §.6. n.7. cum Panor. in c. *Si vero*, de Iureiur. Notab.1. n.3. vbi etiam Gloſſa idem ſenſit, & Gratian. 22.q.4. in fine, & ſumi poteſt ex D. Thoma q.89. art.7 ad 2. Conſequentia autem probatur, quia ſi omne iuramentum contra ſolos bonos mores ciuiles obligaret, maxime, quia poteſt licite ſeruari, ſed hæc ratio inſufficiens eſt, quia fundatur in regula affirmatiua, quæ vniuerſalis non eſt, & ita, vel ratio fundatur in falſo principio, vel ex puris particularibus procedit.

Couar. Panorm. Gloſ. Gratian. D. Thom.

3. Argumentũ pro hac ſententia. Reſponderi poteſt, quod licet in iuramento promiſſorio abſolute ſumpto illa regula non ſit vniuerſalis, nihilominus in iuramento promiſſorio, quod ſit hominum in fauorẽ eius regula eſt vniuerſaliter vera. Et ratio ſumi poteſt ex ſuperius dictis, nam iuramentum, quod nõ ſit in fauorem proximi, cenſetur fieri Deo, vel in ordine ad ipſum & ideo non obligare, non ſolum quãdo eſt de peccato, ſed etiam quando eſt de re impediẽte melius bonum, vel de re impertinente. At vero quando iuramẽtum promiſſorium ſit in fauorẽ proximi, ſemper obligat, etiamſi impediat maius bonum, & aliàs videatur indifferens, nam ſatis eſt, quod ſit vtile proximo, ſi abſq; peccato ſeruari poteſt, & ideo in hoc genere iuramenti non datur tale iuramentum, quod ſine peccato ſeruari poſſit, & non ſit obligatorium. In præſenti autem omne iuramentum, quod eſt tantum contra bonos mores ciuiles, eſt ex his, quę ſiunt in fauorem proximi, confirmando pacta, vel promiſſiones inter homines: nam de his tantum iuramentis diſponunt Iura ciuilia: ergo in his non procedit obiectio facta.

4. Inſtantia. Sed cõtra hoc inſtatur, quia etiam inter iuramenta contra hos bonos mores ſunt aliqua, quæ licet ſine peccato ſeruari poſſent, impediunt nihilominus maius bonũ commune, ergo hoc ſatis eſt, vt interdum tale iuramentũ non ſit obligatorium. Probatur conſequentia, quia tunc etiam dici poteſt tale iuramentum impeditiuum maioris boni: nam bonum publicum & commune præferendũ eſt priuato, & ideo ſi iuramentum illi præiudicet nõ obligabit, etiamſi factum ſit in fauorem proximi. Exemplum eſt in c. *Si diligenti*, de Foro competenti, de iuramento facto à Clerico parendi iudici ſæculari, & in cap. *Nimis*, de Iureiur. de iuramento fidelitatis præſtito a Clerico principi ſæculari. ſunt enim talia iuramenta contra immunitatem Clericorum, quæ in fauorem publicum ſtatus clericalis conceſſa eſt, & ideo licet in pri-

Cap. Si diligenti. Cap. Nimis.

uatum fauorem contra illam iuretur, nõ valet iuramentum. idem ergo erit in quocunq; alio iuramẽto derogante communi bono propter ſ[illegible].

5. Firmatur eadem ſententia exemplis. Maxime vero confirmari poteſt hæc ratio & fundamentum eius variis exemplis. Primum ſit de iuramento nõ reuocandi teſtamentum, nam hoc contra inſtitutionem eſt Iuris ciuilium, vnde contra bonos mores ciuiles exiſtit, nõ vero contra [illegible], quia ſine peccato ſeruari poſſet, & nihilominus tale iuramentum non eſt obligatorium, vt eſt ſententia Bart. in l. *Si quis pro eo*, ff. de Fideiuſſorib. à multis approbata, vt referunt late Couarruu. Rubr. de Teſtamentis, p.2.n.15. & Ant. Gomez in l.3. Tauri n.95. Et ratio reddi poteſt, quia licet nõ reuocare teſtamentum non ſit malum, nihilominus obligatio ad non reuocandum eſt valde contraria libertati naturali, iuxta l.1. C. de Sacroſan. Eccleſiis, & ita illud iuramentum multum aduerſatur communi bono reipublicæ, & de ſe poteſt m[illegible] ra bona impedire, & aliunde videtur includere turpitudinem ex parte acceptantis, quia vult impedire libertatem proximi, quoad vltimam voluntatem & ideo quamuis ſit factum in fauorem eius, poteſt non obligare. Et confirmatur maxime hoc exemplum, quando in illo iuramento promiſſioni additur pœna ſoluenda, ſi teſtamentum reuocetur: nam etiam illo modo poſſet ſine peccato impleri iuramentum, & tamẽ tunc maxime non obligare, docent idem Iuriſtæ, quibus conſentit Couar. in d.cap. *Quamuis pactum*, 2 p. in princ. n.3. ex l. *Stipulatio hoc modo*, ff. de verbor. obligat. Et ſimile exemplum erit de iuramento ſoluendi pœnam, ſi non impleantur ſponſalia, quia etiam poſſet ſine peccato impleri, & nihilominus non obligare tenent idem Iuriſtæ, quibus conſentit etiam Couar. in Rub. de Teſtamentis, 2 p. n.17. & Ant. Gomez 2. Variar. cap 14. n. 24.

Bart. Couar. An. Gom.

Couarr.

Aliud exemplum eſſe poteſt de iuramento confirmante pactum futuræ ſucceſſionis, nam tale iuramentum etiam eſt contra bonos mores ciuiles, vt conſtat ex l. vlt. Cod. de Pactis, & ſine peccato ſeruari poſſe, vnde conſtat non eſſe contra bonos mores naturales: & nihilominus tale iuramentum non eſt obligatorium, vt communiter etiam ſentiunt Iuriſtæ, apud Couar. in d.c. *Quamuis pactum*, 3 p. in princ. Et ratio eſſe poteſt, quia tale iuramentum de ſe inducit ad optandam mortem alterius, quod valde contrarium eſt bonis moribus, & ob hanc cauſam valde odioſa ſunt in Iure omnia pacta, quæ aliquo modo excitare poſſunt ad expectandam mortẽ alterius, quia aliquid videtur charitati proximi derogare. Deniq; poteſt eſſe aliud exemplum, ſi quis donationem omnium bonorum tam præſentiũ, quam futurorum faciat, & iuramento illam reuocare confirmet: nam illud ſine peccato impleri poteſt, & tamen non eſſe obligatorium, docuit Bart. in l. *Stipulatio hoc modo facta*, ff. de Verb. obligat. & in l. vlt. C. de Pactis, quia priuat hominem poteſtate teſtandi, quod videtur eſſe contra libertatem vltimæ voluntatis, & afferre poteſt magna incommoda, qualia ſunt, non poſſe in fine vitæ vel proprio corpori prouidere, vel ſubuenire animæ, ſoluendo debita, petendo ſuffragia &c. 4.

Bart.

7. Reſoluitur quæſtio, & aſſeritur iuramentum non fieri inualidum, ex eo, quod eſt contra bonos mores ciuiles. Nihilominus veram eſſe cenſeo priorem ſententiam, atq; ita ſimpliciter aſſerendam eſſe, iuramentum non fieri inualidum, ſeu non obligatorium ex eo præciſe, quod eſt contra bonos mores ciuiles, ac ſubinde quodcunque iuramentum contra bonos mores ciuiles inualidum eſt, non eſſe tantum contra illos, ſed etiam contra bonos mores naturales. Iam enim ſupra diximus, Iura ciuilia ſæpe præcipere illa, quæ ita ſunt neceſſaria ad honeſtatem, vt illis contraria turpia ſint, & peccata, ſiue natura ſua talia ſint, ſiue per efficaciam legis talia fiant. Et tunc illi praui mores, quatenus ſunt contra leges ciuiles, & contra bonum etiam politicum Reipublicæ, dici poſſunt

eſſe

Probabilius eſt iuramentum de non reuocando teſtamento validũ eſſe & obligare. Ioan. And. Iul. Clar. An. Gab. Molin.

candi teſtamentum, in quo fortaſſe probabilior ſententia eſt, tale iuramentum validum eſſe, & obligare, vt tenet Ioan. Andr. Couarr. ſupra, & Iulius Clarus 3. lib. §. *Teſtamentum*, quæſt. 94. & oſtendunt eſſe communem, & Ant. Gabriel lib. 2. Receptarum opinionum ſub titulo de Iureiur. concluſ. 1. num. 8. tenet etiam Molin. tom. 1. de Iuſt. tract. 2. diſp. 151. Quod ſi hæc opinio vera eſt, ruit exemplum, & in contrarium verti poteſt, nam ideo tale iuramentum validum eſt, quia neque teſtamentum non reuocare, peccatum eſt, neque etiam ad illud non reuocandum ſe obligare. Illa enim obligatio ex natura rei mala non eſt, quia neque eſt de re mala, nec de re per ſe directe impediente maius bonum animæ, ſed eſt de re, quæ facta in fauorem proximi, poteſt cedere in commodum eius. Neque etiam talis obligatio per ſe eſt contra commune bonum, ſed contra priuatum ipſius teſtatoris, cui ipſe poteſt ſpontaneè cedere. Neque etiam eſt mala moraliter ex prohibitione Iuris ciuilis, quia licet Ius ciuile irritet talem promiſsionem, non tamen prohibet ſub reatu culpæ illam facere eo modo, quo de facto fieri poteſt, neque etiam prohibet eam ſeruare: ergo ſi tali promiſsioni, vel ſimplici aſſertioni non reuocandi teſtamentum addatur iuramentum, obligatio illius contra nullam legem eſt, cur ergo valida non erit? Denique (quod ad noſtrum inſtitutum ſpectat) etiam illi Auctores, qui exiſtimant, tale iuramentum non eſſe validum, quærunt aliquam turpitudinem, & malitiam in hac obligatione non reuocandi teſtamentum. Quia priuatio propriæ libertatis in re tam neceſſaria videtur ipſis irrationabilem quandam prodigalitatem continere, & ita etiam nobiſcum in hoc conueniunt, quod ad inualiditatem illius iuramenti neceſſarium eſſe putant, vt non ſolum ſit contra mores ciuiles, ſed etiam contra veram honeſtatem moralem, atque adeo contra bonos mores naturales. Re tamen vera difficile oſtendere poſſunt hanc malitiam in illa obligatione.

Iuramentum de non recedendo à promiſsione ſub aliqua pœna validum eſt, licet eadem pœnam iura humana irritent.

3. Erat aliud exemplum de iuramento pœnali, ſeu de non recedendo à promiſsione ſub tali pœna, quando ſecundum Iura humana prohibitus eſt talis modus obligationis, vbi enim non datur talis prohibitio, clarum eſt, iuramentum illud poſſe obligare ad ſoluendam pœnam, ſi promiſsio non impleatur, quia tunc ſolutio talis pœnæ contraria non eſt bonis moribus, nec naturalibus, vt per ſe conſtat, nec ciuilibus, quia ſupponitur non eſſe prohibita. Sermo ergo eſſe debet de iuramento ſoluendi pœnam, quam Iura humana irritant. Et duo caſus in particulari deſignantur. Prior eſt de pœna adiecta ſub iuramento, ſi non fuerit ſeruata promiſsio non reuocandi teſtamentum, aut inſtituendi talem hæredem, de quo iuramento Couarr. ſupra fatetur non obligare, quia eſt contra bonos mores, non tamen diſtinguit, an ſit contra bonos mores Ciuiles, vel naturales: neque mirum, quia ipſe diſtinctionem illam non approbauit. Aperte tamen dicit illicitum, & inhoneſtum eſſe, pœnæ adiectione alterum aſtringere ad certi hæredis inſtitutionem, vel ad non reuocandum teſtamentum. eandem enim eſſe rationem in vtroque cenſet, & conſequenter ſentit, legem irritantem talem ſtipulationem, non ſolum obligationem eius impedire, ſed etiam obligare in conſcientia ne fiat. Vnde licet hoc totum concedamus, nihil inde probatur contra aſſertionem poſitam, quia ſic adiectio talis pœnæ, non ſolum eſt contra bonos mores Ciuiles, ſed etiam contra naturales, quia eſt de re peccaminoſa, ſaltem ratione legis prohibentis.

4. Contrariam tamen ſententiam tenet Molina ſupra, qui varias rationes adducit, ſed punctum difficultatis in hoc ſolo conſiſtit, quod adiectio talis pœnæ in illo actu, re vera non eſt mala ex natura rei, vt ſtatim etiam in ſimili dicam, nulla autem lege ſufficienter probatur, ita eſſe prohibitum, vt ſit malum moraliter, & peccatum, illã promittere. Nam quod dicitur in dicta l. *Stipulatio hoc modo*, talem ſtipulationem eſſe contra bonos mores, ſufficienter intelligitur de moribus politicis, & ciuilibus, ſicut ſtipulatio non reuocandi teſtamentum, etiam non adiecta pœna dici poteſt contra bonos mores. Atque ità hæc opinio probabilis eſt, & iuxta illam non procedit exemplum, ſed confirmat ſecundam concluſionem in principio poſitam. *Leg. Stipulatio.*

An iuramentum confirmans ſpõſalia ſub certa pœna, obliget ad ſolutionem talis pœnæ?

5. Alterum exemplum erat de iuramento confirmante ſponſalia, ſub certa pœna ſoluenda ab eo, qui retroceſſerit. Circa quod diſputari ſolet, an iuramentum obliget in eo caſu ad ſoluendam pœnam? Quod diſputat late Sancius lib. 1. de Sponſal. diſput. 32. à num. 20. & refert duas opiniones contrarias, & pro vtraque, quam plures Authores, & vtramque valde probabilem cenſet, licet ipſe adhæreat opinioni, quæ negat tale iuramentum obligare. Vt autem hoc ſuadeat, conatur oſtendere promiſsionem ſoluendi talem pœnam non fieri ſine peccato ſaltem veniali, quod docuit etiam Caietan. in Summa. verb. *Sponſalitia*, ex cap. *Gemma*, de Sponſal. vbi talis ſtipulatio *improbanda* dicitur. Sed ille textus fortaſſe non conuincit, tum quia ibi ſponſalia non fuerant valida, & ideo immerito addita fuerat pœna ad libertatem tollendam, tum etiam quia verbum illud, *improbanda*, idem ſignificare poteſt, quod irritanda, ſeu irrita declaranda, quod interdum habet locum etiam in contractibus, qui ſine peccato facti ſunt, vt in contractibus minorum ſine debita ſolemnitate, vel in venditione fundi dotalis. Et præterea etiamſi id concedatur, adhuc poteſt eſſe dubium, an id ſufficiat ad irritationem iuramenti? De quo dubio dicam paulo inferius in fine capitis, quia in multis ex dictis exemplis locum habet. In præſenti ergo exemplo neutra ex illis ſententijs nobis præiudicat, (quidquid de illis ſentiendum ſit) quia ſecundum vtramque procedit regula à nobis poſita nam ſi iuramentum pœnæ ſoluendæ in ſponſalibus nullum eſt, ideo eſt, quia non eſt tantum contra bonos mores Ciuiles, ſed etiam contra Canonicos: & quia materia illius iuramenti aliquo modo peccaminoſa eſt, neque aliter poteſt ſubſiſtere, etiam ex ſententia Authorum, qui illam defendunt. Vnde alij, qui negant in materia illius iuramenti miſceri peccatum (inter quos eſt Molina ſupra) conſequenter aſſerunt, tale iuramentum eſſe validum, quia non eſt contra bonos mores naturales, ſed tantum Ciuiles, nec Ius Canonicum in aliquid addidit Iuri Ciuili, ſed illud tantum acceptauit. Et fortaſſe vera reſolutio eſt, in ſponſalibus adiectionem pœnæ, aduerſus eum, qui contra fidelitatem, ſeu iuſtitiam pactum violat, non reprobari: quando vero additur etiam pro caſu, in quo iuſte non ſeruantur ſponſalia, & ex legitima cauſa tunc improbari. Nam hic videtur eſſe ſenſus capit. *Gemma*, ſi caſus, & ratio deciſionis ejus attente ſpectetur. Vnde in priori caſu iuramentum de pœna ſoluenda cenſeo eſſe validum: in poſteriori autem caſu probabile eſt eſſe contra bonos mores naturales. *Caietan.* *C. Gemma.*

Exponitur, an iuramentum de ſeruando pactum circa futurã ſucceſsionem ſit validum.

6. Præterea ponebatur exemplum de iuramento ſeruandi pactum circa futuram ſucceſsionem, de quo eadem ratio eſſe videtur, quæ de iuramẽto non reuocandi teſtamentum, vel inſtituendi talem hæredem, & ſimilibus, in quibus hic amplius immorari non poſſumus, ſed videri poſſunt Doctores in dicta l. vltima, Cod. de Pactis, & Tiraquel. in l. *Si vnquam*, in Præfat. à num. 135. Et Couarr. in d. Rubr. de Teſtamentis, 2. part. num. 15. & d. capit. *Quamuis pactum*, 3. part. in princ. numer. 2. qui diſtinctione vtitur: nam ſi huiuſmodi pacta fiant de conſenſu eius, cui ſuccedendum eſt, putat firmari iuramento, quod eſt ſatis conſentaneum deciſioni capit. *Tiraquel. Couarr. Ca. Quamuis pactum.*

Quam-

Quamuis pactum, de Pactis. Et ita quoad hanc partem non procedit exemplum, ſed confirmat primam aſſertionem, nam illud iuramentũ ideo eſt validum, quia non eſt contra bonos mores naturales, etiam ſi ſit cotra ciuiles. At vero ſi talia pacta fiant ſine conſenſu eius, cui ſuccedendum eſt, communis ſententia Iuriſtarum eſt, illa non firmari iuramento, de qua nunc diſputare nolumus. Solum (quod ad rem præſentem ſpectat) dicimus ſententiam illam, vt vera ſit, fundandam eſſe in hoc, quod pactum circa futuram hæreditatem ſine conſenſu eius, cui ſuccedendum eſt, non ſit ſine culpa, ſiue illa ſit contra rationem naturalem puram, ſiue ſit contra legem humanam rigoroſe prohibentem talia pacta, quaſi odioſa ei, de cuius hæreditate tractatur ipſo viuente, & inuito, quod ſignificatur in d. lege vltima, C. de Pactis: & ita iuramentum illud non erit tantum contra bonos mores ciuiles, ſed etiam contra moralem honeſtatem. An vero fundamentum illud ſolidum ſit, non ſpectat ad præſentem tractatum.

7.
An valeat iuramentũ confirmans omnium bonorum donationes.

Vltimum exemplum erat de iuramento confirmante omnium bonorum donationem: in quo ſententia communis Iuriſtarum eſt, non valere huiuſmodi Iuramentum, ſolum ex eo fundamento, quod talis donatio aufert teſtandi libertatem, vt videre licet in Couar. in Rubrica de Teſtamentis, 2. part. nu. 4. Mihi tamen non videtur illud ſolidũ fundamentum, tum quia priuari teſtandi libertate etiam directe, ſi fiat ſponte, & in fauorem tertij, non eſt intrinſece malum contra rationem naturalem, neque inuenitur prohibitum lege poſitiua obligante ſub reatu culpæ: tum etiam quia multo minus id eſt contra bonos mores, quando non indirecte, ſed per conſecutionem quandam amittitur facultas teſtandi. Sic enim Religioſus profitendo fit incapax ad teſtandum, & qui in opera pia expendit omnia bona ſua, ſibi conſequenter adimit facultatem teſtandi: Igitur etiam ſi quis donando omnia præſentia, & futura ſe priuat poteſtate teſtandi, ex hoc ſolo capite non ſtatim actus efficitur malus, ſi alias donatio honeſtam cauſam, & debitas circumſtantias habeat.

8. Igitur ad iudicandum de tali iuramento, qualitas donationis attendenda eſt, quod ad forũ conſcientiæ attinet, nam ſi donatio illa ſit irrationabilis, & actus quidam prodigalitatis, & contra debitam prouidentiam, vel ſui, vel ſuorum, tunc non confirmabitur iuramento, ſaltem quantum ad exceſſum, ſed poterit iuſte ad prudentem mediocritatem reduci ex rationabili interpretatione iuramenti, quia non eſt vinculum iniquitatis. At vero ſi conſiderata cauſa, & modo donationis non habet intrinſecam malitiam contra prudentiam, vel rationem naturalem, iuramentum obligabit: quia leges ciuiles, etiamſi illi donationi non faueant, illi non reſiſtunt prohibendo illam. Quæ etiam eſt ſententia ſatis communis apud Iuriſtas, & fortaſſe contraria poſſet cum dicta limitatione intelligi. De quo videri poteſt Gutierrez de Iuramento confirmatorio 1. p. cap. 11. & Antonius Gomez in Lege 69. Tauri, qui plures alios referunt.

Gutierr. Anton. Gomez.

Caput XXIV.

Vtrum Iuramentum illicite emiſſum, vel de promiſſione prohibita obliget, ſi abſque peccato impleri poteſt?

1.
Dubitandi ratio. Cap. Quanto.

Hoc dubium non parum conferet ad explicanda omnia dicta. & ideo breuiter expediendum eſt. Ratio autem dubitandi eſſe poteſt, quia in d. cap. *Quanto* generaliter dici videtur, iuramentum illicitum non eſſe obligatorium. Deinde ſi promiſſio peccaminoſa ſit, eo ipſo eſt contra bonos mores naturales: ergo non poteſt firmari iuramento, quia non poteſt iuramentum eſſe vinculum iniquitatis. In contrarium vero eſt, quia poteſt iuramentum eſſe illicitum, & promiſſionem cum peccato fieri, & nihilominus actum promiſſum malum non eſſe ſecundum ſe ſpectatum: ergo iuramentum de tali actu, quamuis aliàs fiat cum peccato aliunde orto, poterit obligare ad actum de ſe licitum. Antecedens declaratur in caſu ſupra poſito de promittente, & iurante ſoluere vſuras: nam ſi id faciat ſine vlla neceſsitate, vel rationabili cauſa, & maxime ſi id faciat inuitando, & inducendo non paratum, peccat equidem iurando, & promittendo, poſtea tamẽ ſoluendo non peccat, & ideo tali iuramento obligatur. Et ratione probatur prior conſequentia, nam iuramentum non obligat ad promittendum, ſed ad dandum (ſic enim loquimur) ergo ſi actus dandi eſt licitus, iuramentum poterit impleri ſine peccato, etiamſi promittere, vel iurare fuerit peccatum: ergo hoc non obſtante, erit tale iuramentum obligatorium.

2.
Tribus modis poſſe iuramentũ eſſe illicitũ.

Diſtinguendum videtur de iuramento illicito, & de promiſsione illicita: nam iuramentum tribus modis poteſt eſſe illicitum. Primo ex materia, in quam cadit per ſe, & per quam implendum eſt, & tale eſt, quotieſcumque illa materia eſt incapax obligationis iuramenti. Secundo ex prohibitione, vel ratione extrinſeca tantum: etiamſi aliàs ſit de materia licita. Tertio, quia immediate cadit in promiſſionem illicitam. Quando ergo iuramentum eſt illicitum primo modo obligatorium non eſt, & de illo loquuntur Iura, quando generalem regulam conſtituunt, illicitum iuramentum non obligare. Et de eodem intelligendi ſunt Authores, quãdo frequenter inferunt, *Iuramentum eſt illicitum: ergo eſt nullum.* Hæc enim prauitas iuramenti ſumitur ex materia, & quaſi obiecto. & ideo eſt intrinſeca, & quaſi per ſe conſtituens iuramentum illicitum, & propterea ſermones doctrinales de iuramento illicito, de hoc intelliguntur, & ita procedunt omnia dicta in ſuperioribus capitibus.

Iuramentũ illicitum primo modo obligatorium non eſt.

3.
Illicitum ſecundo modo impleri poteſt, ſi materia ſit capax. Panorm.

At vero iuramentum illicitum tantum ſecundo modo bene poteſt eſſe obligatorium, ſi materia ſit capax. Ita Panormit. in capit. *Cum contingat*, de Iureiuran. numer. 6. in fin. & numero 7. vbi id probat ex cap. *Et ſi Chriſtus*, de Iureiuran. & alijs. Et probatur exemplis: nam ſi ego voui nunquam iurare, niſi præcepto obligatus, vel ſi Superior iuſte mihi præcepit non offerre aliquid ſponte ſub iuramento, peccatum quidem committo iurando me aliquid facturum, & nihilominus ſi factum ſit honeſtum, vt dicere Miſſam pro aliquo, iuramentum obligat. Idem eſt, ſi iuramentum fiat cum ſcandalo actiuo, vt in exemplo de vſurario non parato. Item votum obligat in materia capaci, licet ex cauſa extrinſeca contingat peccare vouendo: ergo ſimiliter, & cæt. Ratio denique eſt, quia licet quis peccet iurando, tamen de facto adducit Deum in teſtem rei licitæ: ergo licet in iurando peccauerit, tenetur, ſi poteſt, facere verum, quod Diuino teſtimonio de facto confirmauit. Tandem declaratur & confirmatur ex iuramento aſſertorio, nam licet quis peccet iurando, vel quia iurat rem, quando non debet, vel quia iurat contra præceptũ ſui Superioris, vel ex odio, & ſcandalo, aut alia ſimili cauſa: nihilominus ſuppoſito, quod iurat, ſemper debet iurare verum, & maxime, quando in ipſamet veritate affirmanda ſpecialis ratio peccati non inuenitur. Et ita in iuramento promiſſorio, de quo tractamus, quamuis aliàs ſit illicitum, tenetur quis ſeruare veritatem de præſenti, ſeu aſſertionis, habendo propoſitum implendi illud: ergo etiam tenetur poſtea ſeruare veritatem de futuro, quando ſine nouo peccato id facere poteſt. Vnde in hoc ſenſu concludit ibi Panor. licet iuramentum promiſ-

Ratio cur obliget iuramentum 2. modo illicite emiſſum.

Panorm.

Digitized by Google

promiſſorium non habeat tres comites, & ideo illicite fiat, nihilominus, ſi abſque peccato ſeruari poteſt, ex obligatione ſeruandum eſſe. Et idem ſequitur Selua 1. par. de iuram. quæſt. 3. addens, quod licet iuramentum promiſſorium careat veritate, obligat, ſi ſit de re licita: vt patet manifeſte in iuramento facto ſine intentione implendi illud, iuxta ſupra dicta. Quid vero dicendum ſit, quando iuramentum eſt illicitum ratione promiſsionis tantum (quod in tertio membro proponebatur) ex dicendis de ipſa promiſsione patebit. *Selua.*

4\. Simili ergo modo diſtinguendum eſt de illicita promiſsione, quam duplici ex capite poteſt eſſe mala. Primo ex parte materiæ, quia praua eſt & incapax honeſtæ obligationis, & ideo talis promiſsio & praua, & nulla eſt. Ergo & tunc clarum eſt, iuramentum additum tali promiſsioni, nec confirmare illam, nec inducere nouam obligationem poſſe: quia tale iuramentum eſt illicitum ex parte materiæ, ſiue per materiam intelligamus promiſsionem, tanquā proximam materiam, ſiue actum promiſſum, tanquam remotam, quia promiſsio ipſa turpis eſt ratione turpitudinis actus promiſsi, vt ſupponitur. *Quibus modis promiſſio illicite fiat.*

5\. Secundo ergo modo poteſt promiſsio eſſe illicita, quia ipſa propter ſeipſam (vt ita dicam) prohibetur, non vero propter materiam, quæ poteſt eſſe honeſta: interdum enim prohibemur promittere etiam res honeſtas, propter vitanda incommoda, & pericula, quæ in obligatione promiſsionis inueniri poſſunt, etiamſi ſit de actu honeſto. Qui modus prohibitionis ex ſola lege naturæ raro inuenitur, niſi forte ex circumſtantiis extrinſecis, vt in promiſſione de ſoluendis vſuris cum ſcandalo facta, & ſimilibus: tamen ex lege poſitiua, vel ex præcepto poteſt facile imponi, vt Prælatus poteſt præcipere Religioſo, & pater filio, vt nihil promittat, vel ſimpliciter, vel in tali modo, ſi expediens iudicauerit, & inter leges Ciuiles de Pactis, vel Stipulationibus non deſunt aliquæ huiuſmodi. Et hæc prohibitio interdum fieri poteſt ſimpliciter, & ſine irritatione promiſsionis, interdum vero irritando illam, iuxta communem diſtinctionem de legibus, quæ in hac materia locum habet, vt per ſe conſtat.

6\. Dico ergo recte contingere poſſe, iuramentum additum tali promiſsione eſſe obligatorium reſpectu actus honeſti promiſsi, etiamſi promiſsio ipſa ex aliis capitibus illicita ſit. Ita ſumitur ex Panorm. & Selua ſupra, etiam ſentit Molina d. tractatu ſecundo diſp. 151. § *Quarto quoniam*. Et probatur, quia illud iuramentum non habet pro obiecto promiſsionem ipſam, ſed rem promiſſam, quæ duo accurate ſunt diſtinguenda, ad iudicandum de valore iuramenti. Proprie enim tunc iuramentum habet pro obiecto promiſsionem, quando quis iurat promittere, quod iuramentum obligat ad promittendum, non ad faciendum, quod promiſſum fuerit, vt ſi iuro vouere caſtitatem intra annum, nondum voui, nec teneor ſeruare caſtitatem ex vi iuramenti, ſed vouere illam intra præſcriptum tempus: poſtquam autem vouero caſtitatem, tenebor illam ſeruare ex vi voti, non ex vi prioris iuramenti. Si autem vouendo caſtitatem, iurem ſeruare votum, tunc tenebor ad caſtitatem ſeruandam non tantum ex vi voti, ſed etiam ex vi iuramenti: & ideo dico, hoc iuramentum non habere pro obiecto ipſum votum, ſed actum promiſſum per votum, quia ſeruare votum non eſt promittere, ſed exequi promiſſum. Igitur quoties promiſsio mala eſt, iuramentum faciendi talem promiſsionem irritum erit, quia eſt de actu malo tanquam de obiecto. Non loquimur autem de hoc iuramento, ſed de iuramento ſeruandi promiſſionem, quod iuramentum habet pro obiecto actum promiſſum, ſeu executionem eius: ergo ſi actus eſt honeſtus, & ſeruari poteſt ſine animæ præiudicio, iuramentum obligabit. Probatur conſequentia ex generali principio Canonum, quod iuramentum obligat, quando ſeruari poteſt ſine turpitudine ex parte iurantis. *Molina.* *Iuramentū confirmans promiſſionē malam, irritum eſt.*

Declaratur preterea, quia malitia talis promiſsionis per accidens, & quaſi extrinſece ſe habet ad iuramentum, ergo non poteſt impedire obligationem eius. Antecedens patet, nam in primis iuramentum non eſt cauſa talis promiſsionis, & conſequenter nec malitiæ illius, ſed potius ſupponit illam, & quaſi adiungitur, vel adhæret illi. Deinde non adhæret illi, vt mala eſt, ſed tantum vt promiſsio eſt talis actus, atque adeo vt ex ſuo genere bona eſt: ergo poteſt confirmare illam ſecundum hanc bonitatem, non obſtante malitia, quæ ad hunc effectum quaſi impertinenter ſe habet. Item quando promiſsio tantum eſt mala, quia prohibita, vel quia aliqua praua circumſtantia affecta ex parte operantis, & non ex parte materiæ promiſſæ, non tamen eſt irrita: tunc ipſamet promiſsio, licet male fiat, facta tenet, & conſequenter ſuam obligationem inducit, vt ex ipſis terminis manifeſtum eſt. Ergo maiori ratione iuramentum confirmans talem promiſsionem validum erit, quia non adiungitur illi quatenus male fit, ſed quatenus valide fit. 5.

At vero quando promiſsio non ſolum eſt prohibita, ſed etiam irrita, tunc magis dubia eſſe poteſt obligatio iuramenti de tali promiſsione ſeruanda: nihilominus tamen ſi irritatio eſt de ſola promiſsione, & non cadit in actum promiſſum prohibendo illum in conſcientia, adhuc iuramentum poterit obligare, non ex vi promiſsionis, ſed ex vi aſſertionis de futuro actu iuramento confirmatæ. Quia illa aſſertio poteſt fieri vera ſine peccato, non obſtante irritatione promiſsionis: ergo reuerentia Diuini teſtimonij obligat, vt illa aſſertio vera fiat, & conſequenter vt promiſsio impleatur. Et hoc probat aperte iuramentum additum promiſsioni de ſoluendis vſuris, nam illa promiſsio eſt irrita, & poteſt eſſe mala, vel ob circumſtātias, vel ob extrinſecam prohibitionem, & nihilominus iuramentum obligat vt ſupra diximus: idem ergo eſt in omni caſu ſimili, nam viget eadem ratio. 6.

Sed obiici poteſt, quia licet actus ſecundum ſe, & ſpontaneè factus non ſit malus, nihilominus facere illum ex vi malæ promiſsionis prius factæ erit malum, quia eſt virtute approbare promiſsionem prius factam. Sicut ſupra dicebamus, quamuis per ſe non ſit malum non ingredi Religionem eſſet tamen malum non ingredi in virtute prioris iuramenti, ergo quotieſcumque promiſsio mala eſt, actum promiſſum ex vi illius facere malum eſt: ergo iuramentum cadens in talem promiſsionem non poteſt ad actum promiſſum obligare, quia obligaret ad illum vt promiſſum, & vt ſic malus eſt. Reſpondetur in primis, in promiſsione, quæ valida eſt, licet male fiat, falſum eſſe aſſumptum, nam ſi promiſsio eſt valida, obligat: ergo facere actum ex vi illius non erit malum, ſed potius erit actus virtutis iuſtitię, aut fidelitatis. Sicut ſeruare votum validū, Religio eſt, licet fortaſſe in ipſo voto emittendo, peccatum aliquod fuerit commiſſum: neque tunc approbatur prior promiſsio, vt mala, ſed vt habuit virtutem obligandi, ſecundū quam rationē bona eſt. At vero quando promiſsio nō tantum eſt mala, ſed etiam irrita, aliter reſpondendum eſt, fatemur enim tunc non poſſe fieri actum in virtute promiſsionis, vt promiſsio eſt: dico tamen poſſe fieri ratione aſſertionis, quam includit promiſsio. Nam cū actus ſit honeſtus (vt ſupponitur) eo ipſo, quod dixi me facturū illum, licet errauerim promittendo, poſſum poſtea illum efficere, nō quia promiſi, ſed quia dixi: nam per ſe honeſtum eſt facere verum quod dixi, ſi alias licite poſſum, licet non tenear. Et hac ratione, ſi tali promiſsioni addatur iuramentum, obligat ſaltem vt confirmans aſſertio- 7. *Obiectio.* *Solutio.*

ſertionem, quæ vera fieri honeſte poteſt. Vnde falſum eſt, quod aſſumebatur iuramentum tunc obligare ad illum actum, vt promiſſum, nam formaliter loquendo non obligat ad illum, niſi vt aſſertum: & ita nunquam fit ille actus, vt debitus ex vi promiſſionis, ſed tantum ex vi iuramenti.

Cur iuramentũ additum promiſſioni illicita non ſemper obliget.

8. Vnde tandem intelligitur, cur in aſſertione non dixerim vniuerſaliter, iuramentum additum tali promiſsioni ſemper obligare, ſed ſolum indefinite poſſe obligare, quia talis poteſt eſſe materia, vt omnis obligatio ſiue promiſsionis, ſiue iuramenti illi repugnet, etiamſi talis actus aliàs ſponte factus non ſit malus, vt v. g. in caſu, in quo ſit verum eſſe aliquod peccatum confirmare ſponſalia per adiectionem pœnæ, non minus erit peccatum, ſi id fiat per iuramentum quaſi per ſe ſtans, & confirmans aſſertionem de futuro, quam ſi fiat per promiſsionem, vel ſimplicem, vel iuratam, quia quocumque modo illa pecunia, vel res deſignata in pœnam ex obligatione ſoluenda ſit, induit verá rationem pœnæ, & induit libertatem matrimonij, in quo poſita erat ratio talis culpæ, & ideo in tali materia non magis poterit obligare iuramentum, quam promiſsio, quia non minus erit malum ſoluere illud, vt debitum ex iuramento, quam vt debitum ex promiſſione.

9. Simili modo dicebamus ſupra quando eſt turpe, & contra bonos mores naturales, promittere non accuſare, vel non denunciare delictum committendum, etiam iuramentum de eadem materia eſſe omnino inualidum, quia licet facto ipſo non denunciare, vel non accuſare poſsit eſſe honeſtum, obligatio ad illud non eſt honeſta, propter licentiam peccandi, quæ per occaſionem alteri datur (quod tantum exempli gratia dicitur) ſi tamen illud verum eſt in obligatione promiſsionis, etiam eſt verum in obligatione iuramenti, vt ſupra etiam declaratum eſt. Quotieſcumque ergo materia fuerit talis, vt nulla obligatio circa illam expediat, vel ſit conſentanea bonis moribus, tunc ſicut promiſsio de illa eſt mala, & non obligat, ita etiam iuramentum, etiamſi alias talis materia ſit actio, vel omiſsio, quæ ſponte, & ſine obligatione facta honeſta ſit. Si quis tamen recte conſideret, ſemper tale iuramentum reuocatur ad illud, quod eſt illicitum ex parte materiæ, quia habet pro materia illũ actum, vt faciendum poſtea ex obligatione, quo modo non bene fit, & quoad hoc habet locum exemplum de iuramento non ingrediendi Religionem. Quando vero materia honeſta eſt, & illi non repugnat obligatio ſimpliciter, ſed tantum obligatio promiſsionis humanæ, tunc obligabit iuramentum, non obſtante defectu promiſsionis.

Quæ materia promiſſionis poſſit confirmari iuramento, quæ vero nõ.

Caput XXV.

Quomodo differant iuramentum confirmatorium, & per ſe ſtans, quando feruntur ſuper contractus prohibitos.

1. Diximus obligare iuramentum cadens in contractum lege prohibitum, quando ſine peccato ſeruari poteſt, vnde oritur grauis, & difficilis quæſtio, an tale iuramentum confirmet contractum, quæ licet ad Iuriſperitos pertinere videatur, & ideo ab ipſis copioſe diſputetur, vt in capite ſequenti attingam: tamen etiam in foro conſcientiæ multa ex illa pendent, & ideo illam etiam tractant Theologi, præſertim Moderni, Molin. tom. 1. de Iuſtitia tract. 2. diſp. 150. & 151. & tom. 2. diſp. 271. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 7. q. & ſeq. Leſſ. de Iuſt. lib. 2. cap. 17. dub. 7. Sanci. lib. 1. de Matrim. diſp. 32. & ob eandem cauſam non potuit à nobis omnino prætermitti. Oportet tamen prius exponere terminos ipſos, quod in hoc capite faciemus declarando differentias inter hæc duo, iuramentum confirmare pactum, vel tantum obligare.

Molina. Azor. Leo. Leſ. Sanctius.

Ad hoc autem explicandum ſuppono ex doctrina D. Thomæ d. quæſt. 89. art. 7. ad 3. in iuramento promiſſorio duplicem poſſe inueniri obligationem, vnam homini, cui fit promiſsio, & ex vi illius, aliam reſpectu Dei, ratione iuramenti. Quando ergo promiſsio eſt per ſe inefficax, & ex iuramento illi addito naſcitur obligatio, dupliciter id intelligi poteſt. Primo, vt iuramentum relinquendo promiſsionem inefficacem ad obligandum ſuam introducat obligationem. Secundo quod iuramentum ſic additum promiſsioni de ſe inefficaci, & illam reddat efficacem ad obligandum, & ſuam etiam obligationem adiungat. Primum ergo modum vocamus ſimpliciter obligatorium, ſeu per ſe inductiuum obligationis, ſecundum vero etiam confirmatorium. 2.

D. Thom. Duplex obligatio reperitur in iuramento promiſſorio.

Vnde conſtat, primam, & quaſi ſubſtantialem differentiam inter hos duos modos eſſe, quod iuramentum per ſe ſtans, vnica tantum obligatione ad Religionem pertinẽte obligat iurantem, vt D. Thomas dixit de iuramento extorto per iniuriam: ſi autem iuramentum eſt confirmatorium, duplex obligatio inuenietur in illo actu, ſcilicet, Religionis, ſeu Iuramenti, & iuſtitiæ, vel fidelitatis humanæ, non minus, quam eſſe ſoleat in iuramentis promiſſorijs, quorum promiſsio ex ſe valida eſt. Quia iuramentum confirmatorium facit, vt promiſsio ipſa quaſi reuiuiſcat, viresq; reſumat obligandi, & ideo per illum actum non ſolum obligatur iurans Deo, ſed etiam homini. Et hanc differentiam conſtituunt omnes Doctores in hac materia, vt patet ex Abbate, & aliis in cap. 1. & cap. *Cum contingat*, de Iureiuran. & bene declarat Anton. Gomez. 2. tom. Variar. cap. 14. num. 21. Couar. in d. cap. *Quamuis pactum*, 2. p. §. 1. per totum, præſertim n. 7. Concl. 4.

1. Differẽtia inter iuramentũ confirmatoriũ, & per ſe ſtans.

Abbas. An. Gom. Couar.

Et ex hac differentia ſequuntur aliæ, ſecunda eſt, quia quando iuramentum eſt tantum per ſe inductiuum obligationis, & promiſsio cui adiungitur ſecundum ſe erat inualida, ſi iuramentum non ſit confirmatorium, ſed tantum per ſe ſtans, illo relaxato extinguitur omnino obligatio, & contractus. Si autem iuramentum ſit confirmatorium, quamuis poſtea relaxetur ab alio, quam à creditore: nihilominus manet obligatio iuſtitiæ, vel fidelitatis, quę ex contractu naſcebatur: ita docent citati Authores. Et prima pars manifeſta eſt, quia ibi tantũ erat vna obligatio, & illa fuit ablata per relaxationem iuramenti, ergo nulla relinquitur. Item promiſsio per ſe erat inualida, & non eſt facta valida per adiectionem iuramenti, ergo ablato iuramento, vt per relaxationem aufertur, manet inualida, ſicut antea de ſe erat, & conſequenter nullam obligationem inducit, ſed ſtatim poteſt contra illam fieri ſine vlla culpa. 3.

Altera vero pars non eſt extra controuerſiam inter Doctores, vt late diſputat Felin. cap. 2. de Iureiurand. vbi ipſe tenet contrarium cum Abbate in cap. *Cum contingat*, de Iureiuran. num. 9 quorum fundamentum eſſe poteſt, quia contractus ille, qui de ſe erat inualidus, quaſi ſuſtentatur, & fulcitur iuramento, & ideo ablato iuramento ſtatim corruit: ſed contrarium communiter cenſetur probabilius, quod cum Angelo de Peruſio tenuit idem Panorm. cap. 1. de Iureiur. num. 12. & ſequitur Gomezius ſupra, & Anton. Gomez in lege 6. tit. 19 partit. 6. Gloſſ. 9. Ratio eſt (illam modo noſtro explicando) quia firmitas illa, quam accepit contractus per adiectionem iuramenti, non pendet in conſeruari à iuramento, & ideo licet ab eo fuerit dependens in fieri, nihilominus ablato iuramento, contractus firmus permanet ſicut effectus durat, ablata cauſa, à qua non pendet in conſeruari. Antecedens probatur ex Regula Iuris 73. in 6. *Factum legitime* 4.

Felin. Abbas. Panormit. Gomez. An. Gom. Gloſſa.

retra-

retractari non debet, licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari.

5\. Sed hoc non conuincit, quia reſponderi poteſt ex fundamento contrariæ ſententiæ, quod contractus ille nõ fuit legitime factus, niſi vt coniunctus, & quaſi informatus iuramento, & ideo retractationem, ſeu relaxationem iuramenti eſſe virtualem diſſolutionem ipſius contractus. Et ita non eſt ſimile, quod adduci ſolet de legitimatione, quæ non rumpitur propter natiuitatem legitimorum, ibi enim optime accommodatur regula, nam ille eſt caſus extrinſecus, & accidentarius, & non pertinet ad propriam, & per ſe cauſam legitimationis.

Aliorum reſponſio. Alij ergo rationem reddunt, quia quamuis contingat, contractum firmari iuramento, non id fit virtute iuramenti, ſed virtute legis ita diſponentis, vt infra videbimus, atque ita iuramentum non eſt cauſa propria illius validitatis contractus ſed illa eſt lex, quæ irritationem abſtulit, & reliquit contrahentium voluntates efficaces, vt poſſent validum contractum efficere. Fuit autem iuramentum veluti conditio neceſſaria, ad quam lex reſpexit, ad auferendam in eo caſu irritationem, & ideo quamuis poſtea iuramentum auferatur, firmus manet contractus, quia ſicut iuramentum non firmauit illum, ita nec relaxatio irritat, & lex, quæ ſemel abſtulit irritationem, non irritat iterum contractum eo, quod auferatur iuramentum, nec per ſolam retroceſsionem vnius partis irritari poteſt, cum iam efficaciter ſe obligauerit non impediente lege. Quæ ratio probabilis eſt, ſed ſupponit fundamentum incertum, de quo in ſequentibus. Si autem illud non admittatur, neceſſario dicendum eſt, iuramentum confirmatorium ſupponere aliquam obligationem naturalem, quæ cum ſit prior de ſe manere poterit ablata poſteriori, qualis eſt obligatio iuramenti. Quod ſi fortaſſe occurrat alia cauſa, vnde illa etiam ceſſet, iam erit aliunde, non ex vi relaxationis iuramenti. Quæ omnia ex ſequentibus magis conſtabunt.

6\. *Quid operetur differentia ſuppoſita in eo caſu.* At vero illa differentia ſuppoſita, quæri poteſt, quid operetur in eo caſu relaxatio iuramenti? Videtur enim inutilis, ſi contractus remanet firmus. Quæ ratio præcipue mouit Felinum ſupra. Reſpondetur in primis, hoc per ſe, & immediate operari, quod per illam aufertur propria obligatio iuramenti ad Religionem pertinens, & conſequenter vt non ſit periurus, ſi quis contractum non ſeruauerit. Secundo tollitur impedimentum iuridice petendi, vt diſſoluatur contractus, ſi cauſæ ſubſunt, ſtante enim iuramento, non poterat quis ſine periurio hoc intentare, relaxato autem iuramento poteſt, vt bene notauit Couarr. dicto §. 1. num. 7. *Couarr.* Et ideo dixi ſupra, hoc intelligendum eſſe de relaxatione facta ab alio, quàm à creditore: nam ſi creditor ipſe relaxet iuramentum etiam contractus diſſoluitur, & ceſſat omnis obligatio. *Si creditor relaxet iuramentum etiam contractus diſſoluitur.* Quia non poteſt creditor relaxare iuramentum quaſi per ſe, & immediate, ſed cedendo iuri ſuo, & quaſi tollendo fundamentum iuramenti, vt infra dicemus. Prælatus autem poteſt per ſe, & immediate relaxare iuramentum intactum (vt ſic dicam) relinquendo fundamentum eius, & ideo eſt longe diuerſa ratio. Poſſet autem interdum Superior auferre ſimul & iuramentum, & omnem obligationem reſcindendo contractum, ſed hoc accidentarium eſt, & hic ſolum dicimus, ex relaxatione iuramenti, vt ſic, per ſe non ſequi ablationem alterius obligationis. Quod pro omni iuramento promiſſorio etiam per ſe firmo, & valido obſeruari poteſt. Quomodo autem talis relaxatio magis in vno iuramento, quam in alio dari poſsit, poſtea videbimus.

7\. *3. Differentia. Iuramentum confirmatorium contractus, confert, & obligationem, & actionem in iudicio.* Tertia differentia aſsignari poteſt, quia quando iuramentum eſt confirmatorium promiſsionis, ſeu contractus, non ſolum confert obligationem, ſed etiam dat actionem in iudicio, quando vero non eſt confirmatorium, licet ſuam inducat obligationem, non tamen dat actionem homini ad petendum tale debitum in iudicio. Hæc differentia ad forũ magis externum, quam conſcientiæ pertinet, & ideo breuiſsime illam explicabo. In primo igitur membro ſupponitur, quando promiſsio humana de ſe valida eſt, etiamſi ſit ſimplex (quæ fortaſſe nude ſumpta nõ daret actionem in iudicio) ita firmari iuramento voluntario plene, id eſt, non metu, vel dolo extorto, vt det etiam actionem in iudicio, vt eſt communis ſententia Iuriſtarum cum Bart. in l. *Si quis pro eo* ff de Fideiuſſorib. n. 3. & ſeqq. *Bart.* & videri poteſt Iaſon in l. *Iaſon.* *Iuris gentium* §. *Sed cum nulla*, ff de Pactis, n. 21. & Couar. ſupra 2. p. § 4 præſertim n. 15. ver. *Quia*, *Couar.* Sarmiento lib. 1. Selectar. c. 3. *Sarmient.* & Mendoza lib. 1. ſuarum Diſ- *Mendoza.* putationum de Pactis, c. 4 q. 1. à n. 16 qui plures etiam Bart. ipſum in contrarium allegat, & contra eos pro hac ſententia latiſsime diſputat.

8\. Ex hoc ergo principio manifeſtum eſt, iuramentum confirmatorium pacti, vel promiſsionis alias inualidæ etiam conferre eandẽ actionem, quia non ſolum inducit ſuam obligationem Religionis, ſed etiam firmat obligationem naturalem, vel Ciuilem reſpectu ipſius hominis, ſed ex hac obligatione ad hominem per obligationem iuramento firmatã naſcitur actio: ergo ex iuramento confirmat[illegible]o eadẽ actio oritur. Deniq; per tale iuramentum non minus firmatur promiſsio, quã ſi per ſe, & nude ſumpta valida eſſet: ergo idem confert actionem, ac ſi accederet promiſsioni de ſe validæ. Et inde probatur aliud membrum, quia iuramentum per ſe ſtans, licet obliget iurantem reſpectu Dei, nõ tamen habet adiunctã obligationẽ reſpectu hominis, & conſequenter non dat aliquod ius ei, cui ſit iuramentum, ergo neque actionem præſtare poteſt, quia omnis actio fundatur in iure creditoris, vt patet ex §. 1. Inſtitut. de Actionibus, vbi definitur actio, quod ſit ius perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur: & videri poteſt Couarr. ſupra 1 p. § 2. num. 3. Habet autem hæc differentia, præſertim quoad hoc poſterius membrum, aliquas difficultates, quæ non ſunt noſtri inſtituti, & ideo illas omitto.

9\. *4. Differentia. Obligatio orta ex iuramento confirmatorio tranſit ad hæredes.* Quarta differentia ſolet etiam aſsignari, quia ſi iuramentum ſit confirmatorium, obligatio eius tranſit ad hęredes, non vero quando eſt tantum per ſe obligans. Prior pars manifeſte ſequitur ex dictis, quia iura, & actiones defuncti tranſeunt ad hæredes, & ita in illa parte nulla eſt difficultas. Secunda vero pars contraria ratione probanda eſt, pendet vero ex illa quæſtione, an iuramentum ita ſit actio perſonalis, vt ſolam perſonam iurantem obligare poſsit, & ideo cum ipſa etiam perſona extinguatur, de qua in cap. ſequenti dicturi ſumus. Supponendo autem pro nunc partem affirmantem, ſcilicet, iuramentum eſſe mere actionem perſonalem, aperte ex illa ſequitur dicta differentia, nam ſi iuramentum per ſe ſtet, & ſolam ſuam obligationem inducat, ſolum iurantem obligare poteſt, non eius ſucceſſores, quia eſt vnica obligatio, & pure perſonalis.

10\. *5. Differentia.* Quinto conſtitui ſolet alia differentia, quia ſi iuramentum non ſit confirmatorium, licet obliget, ſatis eſt ad iuramentum implendum, tradere alteri, quod ei promiſſum eſt, ſtatim vero poteſt repeti, & quacumque via legitima recuperari, abſque violatione iuramenti, & abſque relaxatione præmiſſa, quia per ſolam traditionem fuit impletũ iuramentum, & conſequenter extincta eius obligatio, quæ ſola ibi inueniebatur, vt oſtenſum eſt. Et hæc pars ſumitur ex cap. *Ad audientiam*, de His quæ vi *Ca. Ad audientiam.* vbi Gloſſa, & Doctores, & Couarr. ſupra p. 2. § 3 *Couar.* Gutierrez 1. p. cap. 53. *Gutierr.* At vero quando iuramentum eſt confirmatorium, ita implendum eſt, vt non liceat poſtea contrauenire, nec detur repetitio eius, quod ſolutum eſt. Ratio eſt, quia ex vi talis iuramenti promiſſorij conſurgit obligatio non ſolum ad Deum ſed

Digitized by Google

etiam ad eum, cui fit promiſsio, ergo illi acquiſitum eſt ius, ergo impletio iuramenti eſt iuſta ſolutio ex parte dantis, & iuſta acceptio ex parte recipientis: ergo non eſt locus repetitioni, nec retractationi. Et ita docent Iuriſperiti in Authent. Sacramenta puberum, præſertim Iaſon num. 41. & Canoniſtæ in cap. *Quamuis pactum*, vbi Dominicus Francus, atque etiam Couar. 2. p. § 3.

Iaſon. Do. Franc.

11. Atque in hac poſteriori parte non inuenio rationem dubitandi, ſolum poteſt aduerti, quod licet in tali caſu non detur locus repetendi, quod ſolutum eſt, id non eſt ex vi iuramenti, nam per ſolutionem ſufficienter impletum fuit, & extincta eius obligatio, ſed eſt ratione iuſtitiæ, quia nullus ſupereſt titulus iuſtus ad repetendum. Vnde ſi de facto fieret repetitio iniqua confiſcto titulo, peccaretur contra iuſtitiam, non contra iuramentum, quia non fuit de non repetendo, & ita procedit ratio textus in dicto cap. *Ad audientiam.* Et hinc mihi ſuboritur dubium circa prius membrum, an ſine limitatione in vniuerſum verum ſit, quotieſcumque iuramentum non eſt confirmatorium, ſatisfieri ſoluendo, & ſtatim dari locum repetitioni? Nam licet interdum poſsit tale eſſe iuramentum, vt dicto modo, illi ſatisfiat, & tunc ſit optimum ſignum, tale iuramentum non eſſe confirmatorium propter rationē in ſecundo membro tactam: tamen quod è contrario fiat conuerſio, ſcilicet in omni iuramento non confirmatorio illum modum ſoluendi, & poſtea repetendi habere locum, mihi non eſt certum, quia videtur fieri poſſe, vt aliquod iuramentum confirmatorium non ſit, & nihilominus non relinquatur iuſtus titulus ad repetendum. Sed hoc pendet ex dicendis, & ideo poſtea expedietur.

An ſatisfiat iuramento non confirmatorio ſoluendo debitum, & ſtatim dando locum repetitioni.

12. *6. Differentia.* Sexta differentia ſolet conſtitui, quia in iuramento confirmatorio nō licet petere abſolutionem, ſeu relaxationem, quando vero eſt tantum per ſe inducens obligationem, poteſt peti relaxatio, & concedi, & poſtea ſine peccato non impleri iuramentum. Ratio prioris partis eſt, quia per iuramentū confirmatorium ius eſt parti acquiſitum, & ideo iniuria fieret parti, ſi abſolutio iuramenti peteretur, vel concederetur, quæ ratio ceſſat in iuramento non confirmatorio, quia per illud non acquiritur ius parti, & ita illi non fit iniuria per relaxationem iuramenti. Neque etiam fit irreuerentia Deo, quia eius nomine, & per Vicarium eius, & ex iuſta cauſa fit relaxatio. Huius vero differentiæ exacta declaratio pendet ex dicendis infra de ablatione obligationis huius iuramenti, nunc vero occurrunt duo notanda. Vnum eſt circa primum membrum nam vt ſit vniuerſaliter verum debet intelligi præciſe, & ex vi conditionum, ſeu circumſtantiarum intrinſecarum tali iuramento, nam in eis præciſe ſpectatis non inuenitur iuſta cauſa relaxandi iuramentum cum detrimento tertij. Hoc tamen non impedit quominus aliunde poſsit intercedere iuſta cauſa ad relaxandum tale iuramentum: nam infra oſtendemus, iuramenta etiam omnino firma à principio poſſe poſtea relaxari ex iuſta cauſa, neque tunc fieri iniuriam tertio, quia ſemper intelligitur acquirere illud ius ſubordinatum legitimæ poteſtati Superioris. Aliud notandum ſequitur ex hoc primo, ſcilicet ſecundum membrum eſſe cum proportione intelligendum, nimirum, iuramentum non confirmatorium eſſe relaxabile ex vi cauſæ intrinſecæ, quam in ſe claudit quia ſi intelligeretur per cauſas extrinſecas, nulla eſſet differentia. In hoc autem ſenſu non immerito dubitari poteſt, an illud ſecundum membrum ſit vniuerſaliter verum, eſto frequenter ita contingat, ſed hoc etiam expedietur in ſequentibus.

Aduertendum circa relaxationē iuramenti confirmatorij.

Aliud aduertendum circa relaxationem iuramenti non confirmatorij.

Capvt XXVI.

An iuramentum contra leges reſpicientes bonum publicum, vel priuatum, confirmet contractum?

1. Svppono in primis, promiſsiones, vel pacta Iure ciuili prohibita, interdum eſſe ipſo Iure, & facto nulla: aliquando vero eſſe valida, per iudicem autem irritabilia. Quæſtio ergo præſens præcipue verſatur de prioribus legibus, & pactis: ſuo tamen modo etiam locum habet in poſterioribus. Quia licet talia pacta ſupponantur valida, & vt talia inducant ſuam obligationem, cui accedere poſsit obligatio iuramenti & ſic habeat rationem confirmatorij: nihilominus quia illa pacta infirma ſunt, & irritabilia, dubitari poteſt, an per iuramentum ita confirmentur, vt eorum irritatio nec poſtulari poſsit, nec à iudice fieri? De hoc itaq; puncto in fine dicemus, nunc prius tractandum eſt. In quo ſtatim apparet ratio dubitandi, quia ſi promiſsio, vel contractus ſupponitur eſſe nullus, nulla ſupponitur obligatio, quæ per iuramentum confirmetur: quomodo ergo tale iuramentū eſſe poterit confirmatorium? In contrarium vero eſt, quia multa Iura hoc ſignificant.

Senſus quæſtionis.

2. In hoc puncto explicando Iuriſtæ variis vtuntur diſtinctionibus, quas ſigillatim tractare neceſſe eſt. Prima ergo opinio diſtinguit inter leges, quæ in ſua diſpoſitione reſpiciunt immediate bonum publicum, vel priuatum, & ſuppoſita diſtinctione, dicit duo. Vnum eſt: iuramentum repugnans legibus boni publici non eſſe confirmatorium. Aliud eſt, iuramentum contra leges tantum priuata commoda reſpicientes confirmatorium eſſe. Ad quam opinionem intelligendam primo, declaranda eſt diſtinctio. Nam licet de ratione legis ſit, vt ad bonū commune referatur, nihilominus quædā leges ſunt, quæ habent pro materia proxima commune bonum, vt ſunt illæ, quæ immediate reſpiciunt ipſum ſtatum Reipublicæ & vtilitatem communitatis, vt communitas eſt, vt ſunt illæ, quibus inſtituitur, vel conſeruatur immunitas ſacerdotum, publicorum iudiciorum integritas, ſufficientia, vel abundantia rerum ad bonum commune neceſſariarum, propter quam prohiberi ſolet, ne pecuniæ, frumenta, & aliæ res ſimiles extra regnum ferantur & aliæ leges huiuſmodi. Aliæ vero leges ſunt, quæ reſpiciunt bonū commune mediante priuato, ita vt materia proxima legis ſit bonum vniuſcuiuſq; ciuis, quatenus ex ſingulorum commodis conueniens ſtatus communitatis conſurgit, vt ſunt leges, quibus conſeruantur patrimonia ſingulorum, vel quibus conſulitur imperfectioni minorum, vel mulierum & ſimiles. Et hoc modo diſtinctio hęc optima eſt, & habet fundamentum in l. 1. §. 1. ff de Iuſtitia & Iure, & eam indicat Bart. in d. l. *Si quis pro eo.* & in l. *Ius publicum*, ff de Pactis Panormit. in cap. *Cum contingat*, de Iureiur. n. 5. & 6. & explicat bene Nauar. in cap. *Cum miniſter*, 23. q. 5 n. 28. & ſequentibus & Couarr. ſupra 2. p. § 1. n. 6. Verum eſt tamen, quod licet diſtinctio inter illa duo membra in generali facilis ſit, in particulari ſæpe eſt ſatis dubia, quia non ſatis apparet, an tranſgreſsio legis immediate offendat communitatem, vt communitas eſt, vel priuatam perſonam, vt ſic & ſolum mediate redundet in bonum commune ſed nihilominus ex his capitibus conjectura ſemper facienda eſt, & in dubio in fauorem communis boni videbitur inclinandum.

1. Opinio.

Bart. Panorm. Nauarr. Couar.

3. Hoc ſuppoſito probatur vtraque pars illius ſententiæ. Prior ſcilicet, iuramentum contra leges proſpicientes immediate communi bono non firmare promiſsionem à priuata perſona factam, quia nullus priuatus poteſt renunciare fauori legis proſpicientis immediate communi bono, lege *Ius publicum*, ff. de

Probatur 1. opinio, iuramentum contra leges commune bonum reſpicientes non firmat promiſſionē a priuata perſona. Leg. impoſſibilem.

ff. de Pactis, & cap. *Si diligenti*, de Foro competenti. Ex quo textu ſolet probari hæc pars. Altera vero probatur contraria ratione, quia vnuſquiſque poteſt renunciare Iuri concesſo per legem proxime in fauorem priuatorum, vt habetur in eodem cap. *Si diligenti*, & ſumitur ex Regula Iuris, 61. in 6. *Quod ob gratiam*, &c. & leg. *Quod fauore*, Cod. de Legibus, & l. *Iuris gentium*, §. *Si paciſcor*, ff. de Pactis: ergo iuramentum factum contra huiuſmodi leges obligat, quia per illud renunciat quis iuri ſuo, quod licite facere poteſt. Et hoc modo videntur intelligenda cap. *Cum contingat*, de Iureiur. & cap. *Licet mulieres*, eod. in 6. & cap. *Quamuis*, de Pactis, in 6. & Authentica *Sacramenta puberum*, Cod. *Si aduerſus venditionem*. Atque ita ſententia hæc videtur communiter probari ab Authoribus ſuper hæc iura, & Bart. locis ſupra citatis, Couar. ſupra 2. p. §. 1. per totum, Gutier. de Iuramento, 1. p. cap. 58. num. 13. & ſequentibus.

Le. Quod fauore. L. Iuris gentium. Cap. Cum contingat. Cap. Licet mulieres. Ca. Quamuis. Bart. Couar.

4. Sed hæc diſtinctio in ſenſu, quo traditur ab Authoribus, nõ recte accommodatur ad ſenſum, quem tractamus. Illa enim diuiſio (vt ſupra notaui) dari ſolet ad explicandum, quando iuramentum contra leges [illegible] ſit inualidum, vel poſsit eſſe validum: in quo [illegible] habet illa diuiſio fundamentum in l. *Iuris gentium*, §. *Si paciſcar*, ff. de Pactis vbi ſimilis diuiſio de [illegible] ponitur. Et in illo ſenſu probabile eſt, omne iuramentum contra leges publici iuris eſſe inualidum. [illegible] hoc ad præſentem cauſam non refert. Tum quia nunc non quærimus, quando iuramentum contra bonos mores ciuiles ſit validum, hoc enim in ſuperioribus actum eſt, ſed tractando de iuramento valido, & obligãte, inquirimus, quando confirmet, vel non confirmet contractum: ad hunc autem ſenſum illa diſtinctio nihil deſeruit. Tum etiam quia ſi iuramenta contra leges iuris publici ſunt inualida, non habent id præciſe ex eo, quod ſunt contra Ius ciuile, ſed quia ſunt contra bonos mores, ita vt ſeruari non poſsint ſine peccato, hæc enim eſt vnica, & generalis regula diſcernendi iuramentum validum ab inualido in materia poſsibili, vt ex Iure Canonico conſtat. Sunt ergo talia iuramenta contra bonos mores naturales, & ita non pertinent ad præſentem quæſtionem.

5. Quod vero talia iuramenta ſint inualida, probatum eſt ſupra in particulari caſu cap. *Si diligenti*, quia in Clerico, renunciare priuilegio fori, peccatum eſt, & ſeruare pactum circa hoc factum, peccatum etiam eſt. Et inde ſumitur ratio vniuerſalis, quia paciſci in præiudicium boni communis contra iuſtitiam, ſaltem legalem eſt, & renunciare iuri alieno id eſt, communitatis, ac ſi eſſet proprium, iniurioſum eſt: ergo iuramentum, quod in tali materia verſatur, iniquum eſt. Non ſunt ergo talia iuramenta ex his, quæ obligando non firmant contractum, ſed ſunt ex ijs, quæ non obligant, quia iniuſta ſunt. Poteſt denique confirmari inductione, nam iuramentum deferendi pecuniam, frumentum, vel alias res prohibitas extra regnum, non obligat, quia eſt de re iniqua, nam leges illæ, cum abſolute prohibent, actu in conſcientia obligant, vt ſuppono: idem eſt de iuramento dandi aliquid iudici, contra legem prohibentem, & in ſimilibus. Vnde leges prohibentes aliquid pertinens immediate ad commune bonum, ordinarie directe cum perſonis loquuntur, & obligant in conſcientia, vel ſub mortali, vel ſub veniali, iuxta materiæ quantitatem. Vt eſt recepta ſententia cum D. Thoma. 1. 2. quæſt. 96. art. 4. & Doctoribus communiter in cap. *Nam concupiſcentiam*, de Conſtitut. & in cap. 2. de Maioritate, & obedientia. Atque ita fit, rem prohibitam per talem legem eſſe malam moraliter, & in conſcientia, & ideo iuramentum circa illam eſſe inualidum. & ita explicant hanc partem Couarr. ſupra p. 2. §. 2. num. 7. & Matienzo, in librum 5. Nouæ recopilat. tit. 2. l. 2. Gloſ. 3. num. 11. & 17.

D. Thom. Cap. Nam concupiſcentiam. Couarr. Matienc. Gloſ.

Iuramentum contra legem boni communis, non ſolum non est confirmatiuum, [illegible] [illegible] non [illegible].

Dices, etiam in hoc ſenſu non eſſe hanc regulam vniuerſalem quia contingere poteſt, vt lex immediate prohibeat propter bonum commune pactum aliquod, vel promiſsionem, & nihilominus non prohibeat actum promiſſum, tunc ergo iuramentum promiſſorium contra talem legem [illegible] obligabit ad actum qui non eſt contra talem legem, & ideo ſine peccato fieri poteſt, iuxta dicta in ſuperiori cap. [illegible]. Antecedens ſufficienter probari videtur ex eo, quod ex obiecto non repugnat talem fieri legem, poteſt enim promiſsio eſſe nociua bono communi, & non actus. Deinde poteſt declarari exemplis. Vnum eſt de Pacto legis commiſſoriæ, quod in pignoribus reprobatur lege ciuili propter commune bonum, ſcilicet ad vitandas fraudes, & occaſiones vſurarum leg. 3. ſeu vlt. Cod. de Pactis pignorum, & nihilominus ſi iuramentum addatur, validum eſt, & obligat iuramentum in cap. *Significante*, de Pignoribus, & ad idem facit cap. *Ad noſtram*, 1. de Iureiur. quando ſcilicet, in re contra nihil [illegible] continere pactum. Vt cum Archidiacono tenet Syluest. verb. *Pactum*, q 14. §. 2 & in Roſa aurea tract. 3. caſu 28. Aliud exemplum eſſe poteſt de lege irritante promiſsionem ſoluendi pecuniam lucratam in ludo de pecunia credita, ſeu ſub fide ludentis. hæc n. lex immediatè lata eſt propter commune bonum ad vitandos exceſſus, & prodigalitates ludentium, & ideo talis promiſsio inualida eſt. Et nihilominus poſtea illam adimplere non eſt peccatum, vt videntur ſupponere omnes, qui de illo puncto diſputant, vt videre licet in Gutierrez de Iuramento, 1. p. cap. 53. & Couarr. in Regul. *Peccatum* 2. p. §. 4 num 8. Molina tom. 2. de Iuſtitia, tract. 2. diſp. 515. & alijs, quos refert Sanc. lib. 1. de Sponſ. diſp. 31. Et ideo, ſi à principio promiſsio fiat cum iuramento, illud obligabit, non vi promiſsionis, ſed ſua quia poteſt ſine peccato impleri. Atque ita in his, & ſimilibus exemplis poteſt verificari illa regula, quod iuramentum contra has leges boni publici, licet contingat obligare ad actum, nihilominus non confirmat pactum, vel promiſsionem, quia illa eſt, quæ præiudicat bono communi.

6. Obiectio. Ca. Significante. Cap. Ad noſtram. Syluest. Gutierr. Gomez. Molina. Sanchez.

Nihilominus reſpondeo in primis, non in hoc ſenſu tradi quoad hanc partem regulã illam à communi ſententia ſed in hoc, quod alia iuramenta ſunt illicita, & nullam inducunt obligationem, vt in Authoribus citatis videri poteſt. Et ſane ſi pactum, & obligatio prohibetur immediate propter commune bonum, moraliter fieri non poteſt, vt iuramentum contrarium intentioni talis legis obligationem inducat. Tum quia talis actus etiam ſecundum ſe ſpectatus regulariter præiudicat communi bono. Tum etiam, quia licet ſecundum ſe non eſſet contra bonum commune, nihilominus vt factus ex obligatione repugnaret bono communi, ſicut ſupra dicebamus de pœna adiecta ſponſalibus, vel de obligatione non accuſandi, vel non denunciandi peccatum committendum. Nam ſi lex prohibet pactum, vel promiſsionem, vt nociuam bono communi, ideo eſt, quia ſupponit eſſe contra bonum commune, quod ciues obligentur ad talem actum: ergo etiam iuramẽtum, ſi obligaret ad talẽ actum, eſſet pernicioſum communitati: ergo impoſsibile eſt, quod tale iuramentum obliget, vel quod actus ex tali obligatione factus ſit bonus. Tum denique, quia licet daremus actum illum non eſſe malum, nihilominus negari non poteſt, quin futurum ſit parum conueniens communi bono, quod ſatis eſt, vt tale iuramentum non obliget. Vt licet eſſet vera ſententia, quæ dicit, legem prohibentem ferre extra regnum equos, vel ſimiles res, non obligare in conſcientia,

7. Solutio obiectionis. Quare lex prohibens pactum nocuum bono communi.

ſed tantum ad pœnam: nihilominus iuramentum de ferendis talibus rebus extra regnum non obligaret, & eſſet iniquum, quia eſſet pernicioſum Reipublicæ, & ideo licet talis actus ſecundum ſe non eſſet peccatum, facere illum quaſi ex vinculo iuramenti eſſet malum, vt ſupra in ſimilibus explicatum eſt. Itaque cenſeo iuramentum contrarium legibus immediate conſulentibus communi bono, ſemper eſſe contrarium bonis moribus naturalibus, & oppoſitum repugnare in tali materia, & ita reſponſum eſt ad obiectionem in contrarium.

De iuramento ſeruandi pactum legis commiſſoriæ.

8. *Reſpondetur exemplis in contrarium.* NEque obſtant exempla adducta, nam inprimis de pacto legis commiſſoriæ nego, legem Ciuilem prohibentem illud verſari immediate in materia boni communis, ſed in materia priuatorum propter bonum commune. Quod patet tum ex re ipſa, quia per pactum legis commiſſoriæ, non læditur immediate commune bonum, ſed læditur dominus pignoris, qui fecit tale pactum, tum etiam ex verbis legis, quæ, facta prohibitione, ſubdit: *Si quis igitur tali contractu laborat, hac ſanctione reſpiret, quæ cum præteritis præſentia quoque repellit, & futura prohibet. Creditores enim re amiſſa iubemus recuperare, quod dederunt.* Ex quibus verbis conſtat, legem illam immediate conditam eſſe in leuamen, & ſubſidium debitorum, & in odium creditorum. Et ita videtur communiter exponi illa lex, vt videre licet per Abb. & alios in dicto cap. *Significante*, qui Bart. & alios allegant. *Abbas.* Vnde eſt maxime obſeruandum, vt lex aliqua dicatur eſſe de communi bono non ſatis eſſe, quod intendat, cauere nocumentum priuatorum, quod frequenter eueniret, ſi non prohiberetur, & conſequenter grauiter læderetur commune bonum, talis eſt enim lex de non furando, vel de non petendis vſuris, & nihilominus non inter leges Iuris publici, ſed priuati computantur, vt conſtat ex dicto §. *Huius ſtudij*. Ad hunc ergo modum ſe habet lex illa prohibens pactum legis commiſſoriæ: nam licet neceſſaria ſit, ne multiplicentur nocumenta priuatorum, & inde commune bonum periclitetur, nihilominus non habet pro materia proxima & immediata ipſum commune bonum. Et ita exemplum non facit ad cauſam.

9. Deinde vero dicitur, probabile eſſe, legem illam in præſumptione fundari, & ideo licet in foro exteriori contractus ſit irritus: nihilominus in conſcientia non peccari contra illam, ſi re vera pactum fiat ſine conditione iniuſta ex natura rei, & hoc intendit Sylueſt. citans Hoſtienſem, & Innocentium. Conſtat autem iuramentum additum pacto legis commiſſoriæ ſolum poſſe obligare ad id, quod ſine iniuſtitia fieri poſſit, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis: ſi iuramentum ſit de aliqua iuſta conditione ſeruanda circa mutuum, vel pignus, tunc non poteſt dici contrarium dictæ legi ſecundum veritatem, quidquid ſit ſecundum præſumptionem, & ita mirum non eſt quod obliget. Et ita intellexit textum illum Panormitan. ibi dicens. *Panorm.* Ex illo textu recte colligi, iuramentum fuiſſe obligatorium, non vero quod firmet contractum, idem vero Parnormitan. in cap. *Cum contingat*, num. 5. de Iureiur. quem imitatur Angel. verb. *Iuramentum*, 5. *Angel.* num. 23. ſimpliciter dicit, allegando illum textum, iuramentum de pacto legis commiſſoriæ obligare, quia tantum eſt contra bonos mores ciuiles, quod in ſenſu declarato probabile eſt, quamuis ex dicto cap. *Significante*, non ſatis colligatur.

De iuramento ſoluendi lucrata in ludo pecunia credita.

AD ſecundum exemplum negari etiam debet, 10. legem irritantem promiſsionem factam in ludo de pecunia credita eſſe Iuris publici, ſed priuati, quia licet illa lex ſit vtilis communi bono, non tamen habet pro materia proxima ipſum commune bonum, ſed immediate ordinatur ad conſeruanda patrimonia ſingulorum, & vitandos exceſſus in amiſsione bonorum mediante ludo. Et ita verum eſt, iuramẽtum obligare, quia eſt de re licita. *Lex irritans promiſſionẽ factam in ludo de pecunia credita, non eſſe iuris publici, ſed priuati.* Quamuis enim leges ciuiles, vel iuris communis, vel aliquorum regnorum, præſertim Caſtellæ auferant obligationem ſoluendi, quod perditum eſt, pecunia credita, & ſi ſoluatur, repetitionem concedant, non tamen prohibent ſolutionem, vel non repetitionem, & ideo ſi quis iuramento hæc promittat, ſeruare tenebitur, quia ſine peccato poteſt, vt docuit Medin. C. de Reſtit. q. 22. qui non ſolum id affirmat *Medina.* de promiſsione iurata, ſed etiam de ſimplici. Melius tamen Nauar. id negando de promiſsione non iurata, affirmat, ſi iuramentum accedat, in Manual. *Nauarr.* cap. 19. aliàs 20. num. 17. in fine, & Gutierrez 1. p. de *Gutier.* Iuramento, cap. 53. num. 6. & alij Moderni ſcribentes de Ludo.

11. Igitur prima pars illius ſententiæ Bart. & Abb. intellecta de iuramento omnino non obligante, quando eſt contra leges boni publici vera eſt, & fundari debet in hoc, quod tale iuramentum eſt contra bonos mores naturales. Sed in particulari deſcendendo ad exempla ſæpe poteſt errari, ſicut de facto multa ponit Bart. quæ communiter non probantur, & alia, quæ ſunt dubia, & controuerſa: quia de legibus ipſis dubium eſt, an ſint iuris publici, necne, ſed hic non poſſumus ſingula exempla examinare.

12. Atque ex dictis de hoc primo membro conſtat, quid dicendum ſit de altero, quod erat de legibus, *An iuramentum tollat leges priuatorum, & eum reſpiciunt, ſit confirmatorium.* quæ immediate verſantur circa bona priuatorum, in nullo enim ſenſu poteſt ita eſſe vniuerſaliter verum, vt diuiſionem efficiat adæquatam. Nam ſi ſit ſermo de iuramento obligante, (vt in proprio ſenſu proportionato priori membro eſſe deberet) ſic non poteſt membrum illud vniuerſaliter affirmari, nam aliqua ſunt iuramenta contra huiuſmodi leges Ciuiles, quæ in conſcientia non obligant. Ita enim contingit, quando leges Ciuiles obligant in conſcientia, ad contrarium actum, quod ſæpe fieri poteſt etiam in legibus, quæ immediate verſantur circa bonum priuatorum, vt nunc ſuppono ex tractatu de Legibus, & in hoc propoſito notauit Matienco *Matienç.* dicta Gloſſa tertia num. 18. & 12. Et in ſequentibus notius fiet. Si autem illud ſecundum membrum Intelligatur in ſenſu à nobis intento de iuramento valido, & proprie confirmatorio contractus reprobati per leges Ciuiles iuris priuati, ſic etiam certum eſt, non omnia iuramenta inducentia ſuam obligationem in talibus contractibus confirmare illos. Vt patet de iuramento firmante promiſsionem vſurarum, quæ per ſe reprobata, id eſt, inualida eſt omni iure, & ſtatim alia ſimilia afferemus. Vnde ad ſummum poteſt hoc membrum à priori diſtingui indefinite, ſeu permiſsiue, quia in latitudine harum legum poſſunt aliqua iuramenta eſſe valida, & obligantia: an vero ſint etiam aliqua confirmantia contractum, controuerſum eſt, & id nobis videndum ſupereſt.

CAPVT XXVII.

Pactum, quod legibus reprobatur in odium creditoris, non confirmari iuramento.

MVltorum ſententia eſt, quando leges Ciuiles 1. ſunt iuris priuati, poſſe pacta illis confirmari iura-

iuramento. Quia vero id non poteſt in vniuerſum dici, ideo additur ſecunda diſtinctio ſatis communis. Nam aliquæ ex his legibus reprobant pacta, non ſolum in fauorem debitoris, ſed etiam in odium creditoris, ſed etiam in odium creditoris, vt reprobatur promiſsio vſurarum, vel per metum facta latroni: aliæ vero ſolum fauent debitori, vt lex, quæ reſiſtit venditioni fundi dotalis, vel donationi ſine inſinuatione factæ. Non poteſt autem fieri, vt in vtriuſque partis fauorem talis lex cedat: ſi autem fingeretur, ſub ſecundo membro contineretur. Poteſt autem interdum lex irritare actum in odium vtriuſque partis, ſed id non contingit, niſi in actu reprobato, vt in ſimonia, & ſimilibus, in quibus iuramentum iniquum eſt, & inualidum, vt Couar. d. c. *Quamuis* 2. part. §. 3. nu. 2. Et ideo dicta diuiſio tantum bimembris traditur, & iuxta illam duæ regulæ conſtituuntur.

Couar.

2. Prima regula eſt, Quoties lex reprobat contractum in odium creditoris propter turpitudinem eius non confirmatur iuramento, etiamſi poſsit licite impleri, & quoad id iuramentum inducat ſuam obligationem. Hæc regula veriſsima eſt, & recepta ab omnibus, vt conſtat ex Bartol. cum alijs in d. L. [illegible]. Paulo de Caſtro, & alijs in dict. Authentica, *Sacramenta puberum*, Abb. cum alijs in dict. cap. *Cum contingat*, Felin. in cap. 2. de Iureiur. Couar. cum [illegible] dicto cap. *Quamuis pactum*. 2. part. §. *In principio*. [illegible] gitur de Iuribus in quibus fit mentio huius generis iuramentorum, adiunctis differentijs, quas ſupra annotauimus inter iuramentum per ſe ſtãs, & confirmatorium. Nam qui iurauit ſoluere vſuras, verbi gratia, non ex iuſtitia, nec ex fidelitate humana, ſed ex ſola Religione manet obligatus: ergo ſignum eſt tale iuramentum non confirmare contractum. Item ille, qui promiſit, poteſt priuſquam ſoluat, petere, & obtinere relaxationem iuramenti, iuxta caput *Si vero*, & caput *Verum*, de Iureiurand. & tunc relaxato iuramento ad nihil amplius tenetur, magis quam ſi non iuraſſet. Item poteſt per iudicem petere, vt creditor cogatur relaxare iuramentum, iuxta cap. 1. de Iureiuran. ergo ſignum eſt ſolo illo, & non iuſtitia obligari. Item poſtquam ſemel ſoluit, & iuramentum impleuit poteſt iterum repetere, quando creditor contra iuſtitiam peccauit accipiendo, iuxta caput *Debitores*, de Iureiuran. omnia autem hæc ſunt manifeſta ſigna non confirmati contractus.

C. Si vero. C. Verum.

3. Ratio autem eſt, quia iuramentum hoc tantum obligat propter reuerentiam Dei, ergo tantum obligat ad id, quod neceſſarium eſt ad faciẽdum verum id, quod iuratum eſt: ſed vt iuramentum impleatur, & verum fiat non eſt neceſſarium confirmari contractum: ergo iuramentum illud vi ſua non confirmat contractum. Sed neque etiam confirmat adminiculo alicuius legis humanæ, quia lex non intendit fauere iniuriæ, vel turpitudini creditoris, in cuius commodum cederet talis confirmatio contractus, id enim repugnat iuſtitiæ, & honeſtati legis: maximè cum talis lex non ſit niſi Canonica, nam leges Ciuiles nihil loquuntur in fauorem iuramenti circa actum reprobatum in odium exactoris. Lex ergo Canonica præciſe vult, id fieri ex vi iuramenti, quod neceſſarium eſt ad veritatem eius. Vnde obiter colligo, talem legem quoad hanc partem eſſe declaratiuam Diuini, & naturalis iuris, potiuſquam conſtitutiuam humani: & ita caput *Debitores*, fundari in naturali obligatione ex iuramento orta, quam declarat: idemque ſumitur ex cap. *Si vero*, cum ſimilibus.

4. Aliqui vero limitant hanc regulam, vt locum habeat, quando odium legis contra creditorem fundatur in turpitudine contraria iuri naturali, vel Canonico, non vero ſi ſit contraria tãtum Iuri Ciuili. Tribuitur Couar. ſed immerito, vt oſtendam. Ita vero ſenſit Gutierrez de Iuramen. confirm. 1. p. c. 40. nu. 5. non tamen id probat. Mihi ergo non videtur neceſſaria hæc limitatio, ſi turpitudo Iure Ciuili introducta verſetur circa ipſum met actum, circa quem iuramentum poſtulatur, & ſit contra honeſtatem morum, quamuis introductam per Ius Ciuile. Et probatur, quia tunc etiam tale iuramentum, & actus, quo implendum eſt, illicita ſunt ex parte eius, cui præſtãtur: ergo per tale iuramentum non confirmatur contractus, quia Iura Canonica non intendunt fauere creditori turpiter ſe gerenti circa talem actum. Imo in eiſdem iuribus conſideratur, ſolam rationem iuramenti eſſe habẽdam, & nullum fauorem eſſe præſtãdum creditori turpiter exigenti illud, vt in ſequẽtibus videbimus. Sæpe enim contingit tale iuramentum non ſolum non eſſe confirmatorium, ſed etiam non eſſe validum, vel obligatorium, quia etiam ex parte iurãtis eſt de materia illicita, & inuoluente peccatum, licet ſit de materia prohibita in conſcientia per Ius Ciuile, quando prohibitio ad vtrumque cõtrahentem æque dirigi ſolet: ſi autem caderet in ſolum acceptantem, ſeu creditorem, tunc ſolum in odium eius iuramentum non eſſet confirmatorium. & hoc magis indicauit Couar. in d. c. 2 p. 2 §. 3. num. 2. verſ. *Superest* ponderando ca. *Cum contingat*. de Iureiuran. & in d. ver. *Secundo inſertur*, quatenus cõſtituit generalem regulam, illicitum iuramẽtũ ex parte eius, cui præſtatur, nunquam confirmare contractũ, cui adiungitur poteſt enim iuramentum ita eſſe illicitum ex vi Iuris Ciuilis. Quod ipſemet Couar. ſentire videtur de pacto legis commiſſoriæ, ibi numer. 3. nam ſignificat, ex ſententia multorum, quos refert, tale iuramentum eſſe obligatorium, iuxta caput *Significante*, de Pignoribus: non tamen eſſe confirmatorium, propter turpitudinem creditoris: conſtat autem illam turpitudinẽ eſſe de Iure Ciuili prohibente illum contractum, non enim eſt intrinsecè malus.

Couar.

Dixi autem hoc eſſe intelligendum de turpitudine contraria honeſtati morum, id eſt, vt creditor ſic contrahens contra leges Ciuiles turpiter agat, vere peccando in conſcientia, tunc enim efficaciter procedit dicta ratio, quod Ius Canonicum non fauet contrahentibus illicite etiam contra Ius Ciuile: ſine adminiculo autem Iuris iuramentum per ſe non cõfirmat contractum, vt ratio ſupra facta probat, & ex dicendis magis conſtabit. Secus vero eſt, quando ex parte eius, cui iuramentum præſtatur nulla committitur culpa, etiamſi quoad firmitatem contractus Ius ciuile illi reſiſtat, vt in caſu capit. *Quamuis pactum*, & ſimilibus, tunc enim non poteſt dici committi turpitudo moralis propria ex parte recipientis iuramẽtum. Quod ſiquis illam vocare velit turpitudinem politicam, ſeu purè ciuilem, non contendimus de vocabulo, ſed fatemur illam non comprehendi ſub hac regula, quia propter illam ſolam non dicuntur tales leges eſſe in odium creditorum, ſed propter veram, & moralem turpitudinem, quæ non eſt ſine peccato. Cuius aliud exemplum eſſe poſſet de cõtractu emptionis, & venditionis prohibito tutori cum pupillo per leges Hiſpaniæ: nã profecto, ſi tutor peccat in conſcientia ſic contrahendo, vt eſt valde probabile, iuramentum minoris non cõfirmabit talem contractum, etiamſi per ſe obliget minorem ad ſeruandum illum in his, quæ ſine nouo peccato poteſt, niſi petat relaxationem. Quod credo facere poſſe, quidquid Gutier. ſuprà dicat, ſed vt ſæpe dixi, non poſſumus hic exempla ſingula examinare. Denique amplíatur hæc regula, ſatis eſſe, vt iuramẽtum, & cõtractus cedãt in præiudicium tertij, vt iuramentum non confirmet contractum, etiamſi irritus factus ſit in fauorẽ debitoris. Ita ſumitur ex c. *Cum contingat*, ibi, *Cum in alterius præiudiciũ non redundet*. Et ſimilia verba habẽtur in c. *Quamuis pactũ*, & ex illis ſumitur argumentum à contrario ſenſu, vt Gl. notarunt, quod in 5.

Tutor prohibetur cõtractũ emptionum, & venditionum celebrare cum pupillo.

Iuramẽtum firmans contractũm præiudicium tertij inualidum eſt.

Cap. Cum contingat. c. Quamuis pactum.

præſenti materia eſt efficax, quia illud conſequens non eſt contrarium alijs Iuribus, ſed maxime cōſentaneum. Ratio vero eſt, quia in omni iuramēto ſubintelligetur conditio, *Dummodo non redundet in præiudicium tertij* vt videbimus infra: vnde ex ibi dicendis intelligitur, quale oporteat eſſe hoc præiudicium, vt hæc regula procedat, oportet enim vt ſit præiudiciũ inuoluens iniuriam, aut ſaltem culpam contra aliquem naturalem obligationem. Iuxta quam declarationem conſtat, tale iuramentum non ſolum non eſſe confirmatorium, verum etiam neque obligatorium, quia ſeruari non poteſt ſine culpa. Et ideo fortaſſe extenſio hæc communiter omittitur in præſenti, quia communis eſt omni iuramento promiſſorio, præterquam quod neceſſe eſt, vt ibi etiam interueniat turpitudo ex parte creditoris, quia eſt particeps iniuriæ, quæ alteri fit.

5. Obiectio. C. Debitores. Vna vero ſupereſt obiectio contra hanc regulam ex d. cap. *Debitores*, vbi de his, qui iurauerunt ſoluere vſuras, dicitur, *Cogendi ſunt Domino reddere iuramēta*, ex quibus verbis colligi videtur, creditores habere actionem contra illos, & conſequenter ſequitur, debitores, qui iurarunt, eſſe obligatos creditoribus: nō obligantur autem niſi ratione promiſsionis validæ: ergo ſignum eſt, iuramentum illud cōfirmaſſe promiſsionem. Propter quam difficultatem Gloſſ. ibi, & Doctores, & Adrian. Quodlib. 6. artic. 3. laborant in explicando, An in eo caſu detur actio iniquo creditori propter ſolum iuramētum? Sed quia hoc ad nos directe non pertinet breuiter dicimus, talem creditorem re vera nullam habere actionem, neque illi concedi, ſi de iniquitate contractus, & creditoris cōſtet, vt ſupra probatum eſt de omni iuramento, non confirmante contractum, & ſatis colligi poteſt ex L. *Non dubium*. C. de legibus, & ex L. *Si quis pro eo*. ff. de Fideiuſſoribus. Neque eſt vlla ratio excipiendi promiſsionem vſurarum, cum ille contractus ſit deteſtabilior aliis. Cum ergo in d. c. dicitur, *Cogendi ſunt*, *&c.* vel intelligendum eſt de coactione in conſcientia, non ad petitionem partis, ſed ex officio paſtoris, propter vitandum peccatum ipſius iurantis: & ſic intelligitur cogendum eſſe qui iurauit, niſi velit, & valeat aut relaxationem obtinere, aut vſurarium per competentem iudicem compellere, vt remittat. Vel ſi verba illa intelligantur etiam ad petitionem partis, intelligenda ſunt, quando de iuramento conſtat, & de qualitate contractus expreſſe non conſtat ſed litigandum eſt: tunc enim ſaltem apud Eccleſiaſticum iudicem cogetur ſoluere, qui iurauit etiam ad petitionem alterius, de cuius iniuſtitia nō conſtat, & poſtea licebit repetere coram competente iudice.

Gloſſ. Adrian.

Leg. Non dubium. L. Si quis pro eo.

Explicatio in cap. Debitores.

Capvt XXVIIII.

An pacta irrita per leges confirmentur iuramento, & referuntur tres opiniones?

1. ACcedendo ad aliud membrum diſtinctionis ſuprà poſitum de legibus, quæ reſiſtunt contractibus in fauorem debitoris, eſt prima opinio, quæ ſecundam regulam generaliter affirmantem conſtituit nimirum iuramentum contra leges Ciuiles irritantes contractum in fauorem debitoris abſque odio, vel turpitudine creditoris confirmare contractum, quoties ſine peccato iuramentum ſeruari poteſt. Hæc eſt communis vtriuſque Iuris Interpretum in locis ſuprà citatis & apud Couar. ſupra 2. p. §. 1. n. 7 & 1. p. §. 3 à princ. Fundari autem ſolet hæc ſententia primo, ac præcipuè in illis Iuribus, quæ præcipiunt talia iuramenta ſeruari, nam ſignificāt propter vim, & reuerentiā iuramenti etiam confirmari. Hoc patet maxime ex Authentica *Sacramenta puberum*, vbi de talibus iuramentis dicitur, *Inuiolabiliter cuſtodiantur*: per quæ verba ſignificatur non minus ſeruari debere talia pacta, quam ſi non eſſet per Ius Ciuile reprobata. Idem ſignificatur in cap. 2. de Pactis in 6. vbi dicitur, *Omnino ſeruentur*, nam particula *omnino*, ſignificat perpetuitatem, vt ait Gloſſa in Clemen. 1. de Vita, & honeſtate Clericorum, verb. *Omnino*: vel integrum, & perfectum effectum, vt magis ex illa Clementina colligitur. Significare etiam ſolet præciſam executionem ſine remedio diſpenſationis, vel alio ſimili, vt latè per Tiraquel. in L. *Si vnquam*, verb. *Reuertatur*. num. 78. & 79. & Manenco libr. 5. Nouæ recopilationis tit. 1. in Rubrica nume. 39. Atque ita in d. c. 2. indicat confirmationem contractus, quia ſi iuramentum non confirmaret illum contractum, liceret petere relaxationem illius, & ita non *omnino* eſſet ſeruandum. Magis vero conuincet ille textus, ſi verba illa, *Seruari omnino*, non ad iuramentum, ſed ad pactum referantur, vt contextus poſtulare videtur, & ſenſit ibi Gloſſ. & clarius Couar. 1. ibi 3. p. §. vlt. nu. 8. ver. *Vigeſima quarta*.

Couar. Gloſſ. Tiraquel. Matien. Couar.

2. Cap. Cum contingat. Præterea in cap. *Cum contingat*. de Iureiuran. ſimpliciter dicitur, talia iuramenta ſeruari debere, non tamen additur verbum, quo confirmatio cōtractus indicetur: tamen non eſt veriſimile Ius Canonicum voluiſſe minorem vim tribuere illi iuramento, quā Ius Ciuile: ergo intellexit Pontifex iuramenta illa eſſe ſeruāda in eodē ſenſu, in quo intellexit Imperator in d. Auth. *Sacramētā puberū*, quę multo antiquior eſt. Poteſt etiam ponderari quod Alexand. III. in ca. *Debitores*, poſtquam dixit, iuramentum de ſoluendis vſuris eſſe implendum, ſtatim ſubdit facta ſolutione accipientem eſſe compellendum ad reſtituendum, ac ſubinde eum, qui ſoluit, poſſe repetere. At vero Innocent. in c. *Cum contingat*, nihil tale addidit, ſed ſimpliciter dicit ſeruanda eſſe talia iuramenta: ergo intellexit, omnino, & irreuocabiliter eſſe ſeruanda: ergo intelligit confirmare contractum. Quod non parum confirmat capite ſecundo eod. in 6. vbi præcipitur ſæcularibus iudicibus, vt hoc Ius ſeruent, nō audiendo agentes cōtra huiuſmodi alienationes iuratas. Denique pōderari poteſt in illis textibus, quod addunt exceptionem ſine vi, & metu, vel dolo, quæ exceptio videtur firmare regulam in contrarium. Nam licet iuramentum ſit metu, aut dolo extortū, ſuam inducit obligationem, vt ſupra viſum eſt: ergo ſolum excipitur, quia non confirmat contractum: ergo ſecluſo metu, & dolo, iuramentum eſt confirmatorium iuxta prædicta Iura.

Opinio altera.

3. 2. Opinio. Ant. de But. Fab. Port. Iaſon. Cum. Alc. Igne. Fortun. Marian. Gloſſ. Bart. Ratio præcipua pro hac ſententia.

Nihilominus graues Authores, quos ſuprà Couar. refert, contrarium docuerunt, ſcilicet Antonius de Buttrio, Faber, Portius, Iaſon, Cumanus, & Ioannes Igneus, & optime Fortuni. de Vltim. fin. illat. 19. nu. 287. Marian. Sou. lib. 1. Conſil. in 48. numer. 17. & expreſſe docuit Gloſſa in leg. *Pactum dotale*. C. de Collatio. & Bartolus in Leg. *Qui ſuperſtitis*, ff. de Acquirenda hæreditate. Vnde Alciatus in d. c. *Cum contingat*, dixit, non conſtare, quæ iſtarum opinionum cōmunior ſit, & poſſe hanc poſteriorem iure defendi. Ratio pro hac ſententia, & præcipua difficultas circa præcedentem eſſe poteſt, quia vel iuramentum habet hanc vim confirmandi contractum ex natura ſua, ſeu ex iure Diuino, ac naturali, vel hoc habet ex adminiculo, ſeu peculiari conceſsione iuris poſitiui; neutrum videtur dici poſſe: ergo non habet talem efficaciam, quia nō poteſt intelligi, vel cogitari, quo alio modo illam vim habeat. Probatur minor quoad priorem partem, quia iuramentum non eſt per ſe primo, & directe inſtitutum niſi ad confirmandam veritatem, vt ſupra oſtenſum eſt, conſequenter vero inducit obligationem, & ideo ex vi ſua, & ex iure Diuino ſolam illam obligationem inducit, quæ ad veritatem ſeruandam neceſſaria eſt: ſed ad ſeruandam verita-

Digitized by Google

veritatem non eſt neceſſarium, quod iuramentum confirmet contractum, ſed ſolum quod ſuam obligationem inducat, faciendi verum, quod dictum eſt, vt per ſe notum videtur, & ex iuramento ſoluendi vſuras ſufficienter colligitur: nam illa duo ſunt ſeparabilia, ſcilicet ſeruari veritatem, & firmari contractum: ergo non eſt vnde iuramentum vi ſua vtrumque efficiat, cum nec per ſe, & directe ſit ad vtrumque inſtitutum, nec per conſecutionem, cum illa duo nõ ſint neceſſario connexa inter ſe.

4. *Confirmatur ex Iure Canonico.* Atque hæc ratio videtur ſatis confirmari ex Iuribus Canonicis, quia cum docent talia iuraméta eſſe ſeruanda, rationem reddunt, vt vitētur periuria, & quia ſine peccato ſeruari poſſunt: ergo tantum obligant, quantum neceſſe eſt vt vitentur periuria, & ſatisfiat reuerentiæ debitæ, Diuino nomini, & non amplius. Confirmatur ſecundo, quia iuramētum ex ſe ſolum poteſt obligare ex virtute Religionis, quę eſt ad Deũ, ergo non poteſt inducere obligationem iuſtitiæ, vel fidelitatis ad hominem, ergo non poteſt ex ſe cõfirmare contractum. Patet hæc vltima conſequentia, quia non confirmatur contractus, niſi per huiuſmodi obligationem. Tandem explicatur in hunc modum, quia contractus non fit validus, niſi ſuppoſita habilitate, & efficaci voluntate contrahentium, ſed perſona facta erat inhabilis ad ſic contrahendum iure Ciuili, & eius voluntas ſimiliter erat facta inefficax, vt ex caſu ſupponitur, ergo quantumuis iuret contractum, non poteſt illum reddere validum ſola virtute iuramenti. Probatur conſequentia, quia iuramentum ex ſe non poteſt irritare ius humanum, nec poteſt habilitare perſonam, quæ erat inhabilis, non eſt enim vnde hæc poſſit talis virtus in iuraméto, cum hoc non pertineat ad inſtitutionem eius, alias poſſet etiam præualere contra leges obligãtes in conſcientia quod manifeſtum eſt, dici non poſſe.

5. Venio ad alteram partẽ de adminiculo Iuris poſitiui, & oſtendo, neque ex hoc capite habere iuramentum talem vim, quia vel illud eſſet intelligendũ de adminiculo Iuris Ciuilis, vel Canonici, neutrum autem dici poteſt, ergo. Probatur prima pars minoris, primo quia potius Ius Ciuile expreſſe repugnat tali confirmationi, quod patet ex l. *Non dubium*, C. de Legibus, vbi prius irritantur pacta cõtra leges facta, & poſtea ſubditur, ſacramentum his contractibus additũ non admitti: ſi ergo lex Ciuilis tale iuramentum non admittit profecto quantum in ipſa eſt, non permittit tale pactum iuramento cõfirmari. Eadem videtur eſſe ſententia Vlpiani, in l. *Iuris gentium* §. *Si paciſcar*, ff. de Pactis, ibi, *Quoties pactum a iure communi remotum eſt, ſeruari hoc non oportet, nec legatum, nec iuſiurandum de hoc adactum, ne quis agat, ſeruandum.* Ad idem afferri ſolet lex *Si quis inquilinos*. §. vltim. in fin. ff. de Lega. 1. ſed illa lex agit de Teſtamentis, & varios poteſt habere ſenſus, vt per Gloſſ. ibi. Priora ergo Iura ſufficiunt, ex quibus videtur falſum eſſe, quod quidam dicunt, hæc pacta non irritari Iure Ciuili, niſi dum ſolitarie, & ſine iuramento fiunt, addito vero iuramento in ſua natura relinqui, ac ſubinde ſuam obligationem inducere, & ita confirmari iuramento adminiculo Iuris Ciuilis. Contrarium vero expreſſe probatur in dicta lege *Non dubium*, nam dicendo non admitti tale iuramentum, vult vt habeatur tanquam non adiectum & conſequenter, vt pactum tam ſit irritum, quam ſi iuratum non fuiſſet. Neque hoc excedit poteſtatem Iuris Ciuilis, quia poteſt impedire, ne ex pacto obligatio naſcatur, ſiue à priuatis paciſcentibus iuretur, ſiue non, quia non pendet poteſtas eius ex voluntatibus priuatorum.

Oſtenditur pacta irrita per leges nõ cõfirmari iuramento ex adminiculo iuris poſitiui. *L. Non dubium.* *[illegible]* *Vlpian.* *L. Si quis inquilinos.*

6. *L. Si quis pro eo.* Secundo probatur idem ex leg. *Si quis pro eo*, ff. de Fideiuſſoribus, vbi dicitur, Si homo ingenuus, ſeu non libertus operas ſe præſtiturum iurauit, & fideiuſſorem dedit, fideiuſſorem non obligari. Cuius conſtitutionis ratio eſt, quia illa obligatio hominis non liberti Iure Ciuili reprobata eſt in leg. *Vt iuriſiurandi*, ff. de Operis libertorum. *Leg. Vt iuriſiurandi.* Ergo ſignum eſt, illã promiſſionem non firmari iuramento: nam ſi addito iuramento promiſſio induceret ſuam obligationem, ad illam, poſſet fideiuſſor accedere iuxta l. 1. ff. de Fideiuſſoribus, ergo ſi fideiuſſor nõ manet obligatus, ideo eſt, quia principalis non fuit obligatus ex vi promiſſionis & pacti, etiamſi iurauerit, nam ſola, & præciſa obligatio iuramenti ad fideiuſſionem nõ ſufficit.

Tertio probatur eadem pars, quia nulla lex Ciui- 7.
lis inuenitur, ex qua talis effectus iuramenti, vel talis limitatio legum Ciuilium irritantium hos contractus colligi poſſit. Nam ſi aliqua eſſet talis lex, maxime d. Authen. *Sacramenta puberum*. ſed inde nihil tale colligitur, nam in ea ſolum dicitur: *Sacramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis, inuiolabiliter obſeruentur.* In quibus verbis ſpectãdum eſt ad obiectum talis iuramenti, quod eſt de non retractando contractum, ſolũ ergo reſpectu illius dicitur ſeruandum tale iuramentum, hoc autem longe diuerſum eſt & multo minus, quam confirmare contractum vt ſtatim oſtendam. Vnde nihil auget illa particula, *inuiolabiliter*, quoad confirmationem contractus, ſed ſolum quoad non violãdum vlla ex parte, illam obligationẽ non retractandi contractum. Quod declaratur ex verbis legis antecedentis: *Si minor annis viginti quinque emptori prædii cauiſti, nullam de cætero te eſſe controuerſiam facturũ, idque etiam iureiurando corporaliter præſtito ſeruare confirmaſti, neque perfidiæ, neque periurii me authorem tibi futurum ſperare debuiſti.* Illud ergo, *inuiolabiliter*, poſitum in alia lege nihil aliud ſignificat, niſi quod nulla perfidia, vel irreligioſitas committatur circa promiſſionem factam de non retractando contractum: cum hoc autem optime poſſe ſtare videtur, quod pactum non ſit iuramento confirmatum. Immo ex vi illorum verborum non colligitur, non poſſe peti relaxationem talis iuramenti, nam qui relaxationem petit, nec periurus eſt, nec iuramentum vllo modo violat.

Probatur iã altera pars de Iure Canonico, de quo 8.
certum eſt in eo non inueniri expreſſe declaratam *2. Probatur idem ex iure Canonico.*
huiuſmodi confirmationem pacti per iuramentum: ſi autem Ius Canonicum hoc intendiſſet, ſatis clare id docere debuiſſet, cum repugnat expreſſe Iuri Ciuili, præſertim in d. l. *Non dubium.* Deinde ex ratione Canonum, conſtat ſolum intendere, vt ſeruetur iuramentum, quod fieri poteſt ſine violatione contractus, vt ſupra argumẽtabar. Item ex eodem principio conſtat, vt ſupra etiam dicebam, illa Iura tantũ eſſe declaratoria naturalis Iuris. Nam illud principium, *Iuramentum ſeruandum eſſe, quoties ſine peccato fieri poteſt*, non fundatur in ſolo iure poſitiuo, ſed in iure Diuino declarato per Canonicum: ergo illa Iura Canonica non magis iuuant iuramentum ad confirmandum contractum, quam ipſum Diuinum ius, de quo oſtenſum eſt non iuuare.

Præterea particulam *ſeruari omnino* poſitam in c. 9.
Quamuis pactum, non eſſe referẽdam ad pactum, ſed ad iuramentum, docent Alciat. & Fortun. ſupra, & videtur conſonum textui, tum quia vox *Iuramentum*, proxime præceſſit: tum maxime propter rationem, quam Pontifex ſubiungit, dicens: *Omnino ſeruari debebit, cum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium.* Hæc enim ratio in iuramentum congruit, & de illo ſolet dari in Iure, non de pacto. Sic autẽ intellecta illa verba non probant pacti confirmationem. Nam particula, *omnino*, per ſe ſpectata valde generalis, & ambigua eſt ad introducendum effectũ tã grauem, & ſpecialem, & Iuri Ciuili expreſſe repugnantem. Deinde in toto rigore ex vi illius ſolum pręcipitur, vt tale iuramentum omnino ſeruetur, non vero vt aliquid fiat vltra id, quod ad obſeruationem iuramenti neceſſarium eſt. Denique ad ſummum ex illa particula colligi

colligi poteſt, non eſſe petendam abſolutionem de tali iuramento, ſed opere ſeruandum eſſe quod iuratum eſt, hoc autem ſtare poteſt ſine confirmatione iuramenti, vt notant in d.c. *Cum contingat*, Anton.n. 8. Panorm.num.8.in fine, & Alciat.num. 76. Et hinc etiam non obſtat exceptio de dolo, & metu, quia illa ſit, non tantum, quia talia iuramenta non ſunt confirmatoria, ſed etiam quia non ita præciſe obligant, quin de illis peti poſsit abſolutio ſine alia cauſa, quod in ſpontaneis non licet.

Anton. Panorm. Alc.

10. Vnde à fortiori conſtat non colligi hanc confirmationem ex d.cap. *Cum contingat*, cum in eo nulla particula huiuſmodi addatur. Neque etiam obſtat, quod in illo capite non cōcedatur repetitio poſt ſolutionem, quia ibi non fiebat alia ſolutio prçter alienationem, & iuramentum ſolum erat de non contraueniendo, & ita non poterat permitti repetitio, cum eſſet directe contraria iuramento, ex quo non ſumitur efficax argumentum, quia quamuis non liceat repetitio, poteſt hoc oriri ex vi iuramenti ſine confirmatione contractus, vt etiam Panormit. cum Antonio admittit, & infra explicabitur. Vnde textus ille poteſt in contrarium induci, primo in illis verbis: *Ne tali tamen prætextu viam contingat periurijs aperiri, mulieres ipſæ ſeruare debent huiuſmodi iuramenta*, ex quibus conſtat, non obligari illas mulieres ad ſeruāda pacta quoad omnia, quæ pertinent ad firmitatem eorum, ſed ſolum ad ſeruanda iuramenta, & cauenda periuria. & præterea indicant, illam obligationē tantum eſſe perſonalem, qualis eſt illa, quæ connaturalis eſt iuramento. Vnde tandem inſurgit noua ratio, quia Pontifices non ſolent, vel certe non poſſunt directe irritare Ius Ciuile, niſi in ordine ad ſpirituale bonum animarum, vt ſumitur ex cap. *Nouit*, de Iudicijs, cum ſimilibus, ſed in huiuſmodi iuramentis non eſt neceſſarium ad ſalutem animarum confirmare pacta contra irritationem Iuris Ciuilis, quia manēte integra diſpoſitione Iuris Ciuilis in ſuo ordine poſſunt iuramenta integra etiam ſeruari, ergo non eſt vnde talis repugnantia Iuris Canonici ad Ciuile in hac parte colligatur. Vnde in c. *Licet mulieres*, de Iureiuran. in 6. vbi ſæculares iudices coguntur ſeruare hoc Ius canonicum, non audiendo mulieres agere volentes contra alienationes iuratas, pro ratione redditur: *Nos animarum periculu obuiare volentes*, ſcilicet, quia illa petitio erat iuramento cōtraria, vt ibidem dicitur, neq; alia ratio iuſtitiæ, vel aliquod ius creditoris conſideratur.

Cap. Nouit.

Cap. Licet mulieres.

11. Atque ex his obiter colligitur, ſine fundamento quoſdam diſtinguere in his iuramentis, inter Ius Canonicum, & Ciuile, dicentes hæc iuramenta eſſe inualida Iure Ciuili, valida autē Iure Canonico, quod præualet in vtroque foro, iuxta ca.vlt. de Foro competenti in 6. Quam diſtinctionem ſignificat Gloſſa in d.cap. *Cum contingat*, quam aliqui approbant. Sed videtur ex dictis efficaciter improbari, quia cum dicunt, talia iuramenta eſſe inualida Iure Ciuili, vel intelligunt eſſe inualida, id eſt, non obligantia, & ſic eſt manifeſte falſum. Tum quia Ius Ciuile nunquam habuit poteſtatem impediendi obligationem naturalem iuramenti, quoad ea in quibus licite ſeruari poteſt. Tum etiam, quia non conſtat, id vnquam tētaſſe. Nam potius Imperator in toto titulo C. de Reſcinden. venditione, illam vim iuramenti agnoſcit, ac reueretur, in leg. autem *Non dubium*, ad ſummum dicit, iuramentum non confirmare contractus irritos, nec dare actionem, quod etiam intendunt antiquiora Iura Digeſtorum. Si vero ſenſus tantum ſit, talia iuramenta Iure Ciuili eſſe inualida ad confirmanda talia pacta, illo tanquam vero admiſſo, non probatur ex Iure Canonico, eadem iuramenta facta eſſe valida ad confirmandum eiuſmodi pacta: ergo in nullo ſenſu habet locum diſtinctio, vel ſaltem nō ſufficienter probatur.

Exploditur diſtinctio qua aliqui vſi ſunt in hac materia in Iure Canonico, & Ciuili.

Expenditur lex non dubium.

Tertia opinio.

Propter hæc poteſt eſſe tertia opinio quaſi media, quæ ſupponit, leges Ciuiles duobus modis inualidare contractus. Primo ſolū quoad obligationem, & actionem ciuilem. Secundo tam quoad obligationem naturalem, quam ciuilem. Quando ergo pactum tātum improbatur Iure Ciuili priori modo, tunc iuramentum poteſt eſſe confirmatorium illius, quia ſupponit obligationem naturalem, cui iuramentum ſuam adiungat, & hoc eſt confirmare illud. Nam tunc naturale pactum quaſi veſtitum iuramento ratione illius habet firmitatem, & confert actionem, quam Ius Ciuile illi denegauerat. At vero quando Ius Ciuile ita irritat conſenſum, vt nec naturalem obligationem producat, neq; verum contractum in re ipſa facere ſinat, tunc fatetur hæc opinio talem contractum nō firmari iuramento: etiamſi poſsit tale iuramentum ſuam inducere obligationem tanquam per ſe ſtans. Atque hæc ſententia ſpeculatiue, & in vniuerſali videtur mihi ſatis probabilis. Si quis tamē recte conſideret, ſuccūbit difficultatibus à nobis propoſitis, & in re nō differt à ſecūda ſententia. Nam illa diſtinctio legū improbantiū cōtractus in re non differt à diſtinctione de lege vel irritante ipſo facto, vel faciente, vt contractus ſit irritabilis per iudicem, quia quando lex irritat ipſo facto, tunc impedit obligationem Ciuilem, & naturalem, & de pacto contrario his legibus docet ſecunda ſententia non confirmari iuramento, quod etiam admittit hæc tertia. Quando vero cōtractus tantum eſt irritabilis ex vi legis Ciuilis, tūc ante irritationem verus, & validus eſt, & tunc dicitur inducere obligationem naturalem, quia ex vi tantum iuris naturalis valorem habet, & vim obligandi. Tunc autem non negant Authores ſecundæ ſententiæ, tale pactum poſſe cōfirmari iuramento, quia iam ſupponit pactū obligatorium cui adhæreat, confirmando illud, ita vt irritari non poſsit. 12.

Tertia opinio aſſerit, duobus modis poſſe leges Ciuiles inualidare contractus.

Dices, diſcurſum factum poſſe contra hoc membrum cum proportione applicari, quia etiam hoc pactum habet illam debilitatem (vt ſic dicam) ex Iuris Ciuilis efficacia, quam iuramentum vi ſua non tollit, neque enim hoc eſt neceſſarium ad veritatem eius, neque etiā tollitur per ſpeciale Ius Ciuile, aut Canonicum quia nullum extat, quod hoc declaret, ſed tantum quod iuramentum illud obliget. Reſpondetur, ex differētia data facile intelligi, eſſe valde diſparem rationem. Nam quando contractus in in ſe eſt irritus, perſona eſt inhabilis, & conſenſus inefficax, quando vero contractus in ſe validus eſt, & ſolum per Ius Ciuile improbatur, tunc perſona eſt habilis, & conſenſus efficax, & ideo poteſt iuramentum partim vi ſua, partim adminiculo alterius Iuris Ciuilis, vel potius iuris gentium, confirmare talem contractum conferendo illi perpetuitatem, & actionem. Quia hanc vim habet iuramētum circa quemcumque contractum naturaliter validum, immo & circa promiſsionem ſimplicem ſaltem acceptatam, vt ſupra viſum eſt. Neque propterea neceſſarium eſt dicere per tale iuramentum quaſi abrogari, vel impediri leges Ciuiles improbantes talem cōtractum, ſed dicendum eſt, tunc per vnam viam iuramentum conferre contractui firmitatem, quam leges Ciuiles per aliam viam illi negant. Tales enim leges non auferunt quaſi ſubſtantiam illius contractus, nec faciūt illam incapacem firmitatis iuramenti, ſed tantum negant illi ſuam firmitatem, & ſuum Ius Ciuile, & ita non impediunt, quominus à iuramento aliam accipiāt, vt ſic. Quapropter in hac parte nullum mihi ſupereſt dubium, nec difficultas. 13.

Propter priorem autem partem de pactis omnino nullis, & irritis, dixi, hunc dicendi modum ſpeculatiue, & in vniuerſali eſſe probabilem: nam in applica- 14.

Digitized by Google

plicatione eius ad praxim, & ad caſus particulares magna eſt neceſſaria prudentia & moderatio. Maximè vero in caſibus cap. *Quamuis pactum*, & cap. *Cum contingat*, & Auth. *Sacramēta puberum*, in quibus adeò receptum eſt, in eis confirmari contractus ratione iuramenti, vt in conſulendo, & iudicando nō videatur tutum contrariam opinionem ſequi, vt etiam Couar. ſupra cenſet. Et ideo nonnulli etiam dicere tentarunt contractus minorum, filiarum, & vxorū, de quibus illi textus loquuntur, non eſſe omnino irritos: & nullos per Ius Ciuile, ſed ſolum improbari tanquam reſcindendos ad petitionem eius, cuius fauori conſulitur, non tamen eſſe ita nullos, quin à principio ſuam naturalem obligationem inducant: ideoque iuramentum illis additum cōfirmatorium eſſe. Sed hoc communiter non recipitur à Iuriſperitis, nec poteſt à nobis nunc examinari de ſingulis cōtractibus in particulari, quia eſſet res valde prolixa, & extra noſtrum inſtitutū, cum ad materiam de Iuſtitia, & de contractibus pertineat. Potius ergo in hac parte ſupponendæ ſunt communiores ſententiæ de nullitate illorum contractuum, & videndum, an in illis, vel in quocumque alio irrito per Ius Ciuile poſſit defendi, & ſufficienter fundari, ac explicari quomodo tales contractus confirmentur iuramento?

Capvt XXIX.

Reſolutio ſuperioris quæſtionis, & quomodo iuramentum confirmare poſſit contractum irritum?

1. *Pactum irritum duobus modis firmari poteſt.* Pro deciſione huius controuerſiæ, aduerto, duobus modis poſſe intelligi pactum aliquod alias per legem irritum firmari iuramēto, vno modo directe, ac formaliter, alio modo indirecte, & per quādam conſecutionem: ſeu aliter, vno modo poſſe firmari cōtractum quoad vinculum ſeu valorē ſuum: alio modo ſolum quoad effectum: ita vt ratione iuramenti alia via fiat totum id, quod per contractum ipſum, ſi eſſet validum, fieri poſſet: quamuis re vera contractus ipſe nunquam in ſe validus fiat. Dici ergo poteſt, contractum huiuſmodi non ita confirmari iuramēto vt in ſe validus fiat, ſaltem directe, & formaliter: nihilominus tamen cōfirmari indirecte ſaltem quoad effectum, maximè in ordine ad forum conſcientiæ. Priorem enim partem videntur efficaciter probare fundamenta adducta pro ſecūda ſententia, quę (vt dixi) valde probabilis eſt: nihilominus tamen ſi ſecunda pars conuenienter explicetur, & probetur, videtur ſufficiens ad expedienda dubia, quæ in foro conſcientiæ ex hac controuerſia oriri poſſunt, ſiue Authores primæ opinionis in hoc ſenſu ſuam ſententiam intellexerint, ſiue non.

2. *Cōfirmatio indirecta quot modis fiat.* Duobus autem modis poſſumus explicare hanc indirectam confirmationem contractus. Vnus eſt, vt iuramentum illud nō intelligatur immediate cadere in contractum, ſed in aliam promiſsionem illi coniunctam, & illam cōfirmare, & ex illa confirmatione ſequi omnem moralem effectum, qui ex contractu valido ſecutus fuiſſet. & ideo dici cōtractum confirmari indirecte, & in effectu. Alius modus eſt, ſi contingat iuramentum immediate cadere in promiſsionem ipſam per legem irritam in fauorem tantum promittentis, & abſq; turpitudine rei promiſſæ, vel promiſſorij tunc iuramentum nō facere, vt promiſsio obliget, & ita ſemper eſſe per ſe ſtans, nihilominus tamen tam firmiter obligare, ac ſi caderet in promiſsionem validam, & eoſdem habere effectus, & ideo dici confirmare indirecte contractum. Prior modus videtur ſolidior, & generalior, & ideo prius de illo dicemus. Et poſtea videbimus, an ſecundus interdum ſit neceſſarius, & verus.

3. Ad priorem igitur modum explicandum, diſtinguenda ſunt duo in his contractibus, quę iuramento ſupponuntur. Vnum eſt contractus, vt venditio, alienatio &c. Aliud eſt promiſsio non contraueniendi. Hæc diſtinctio patet ex Authentic. *Sacramenta puberum*, ibi: *Super contractibus non retractandis*, & ex cap. *Cum contingat*, ibi: *Ne vlterius contrauenirent*, ſcilicet, alienationibus, quæ prius commemoratæ fuerant. *Cap. Cum contingat.* Ex his enim verbis, & Iuribus colligitur, tale iuramentum immediatè cadere ſuper promiſsionem non contraueniendi, & non propriè ſuper contractū ipſum: Nam expreſſe dicitur in d. cap. *Cum contingat, Ne vlterius contrauenirent proprio iuramento firmando.* Et eodem ſenſu dicitur in Authentica: *Sponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis*: ſunt ergo iuramenta immediate de non reuocandis contractibus. Ratione item oſtenditur hoc eſſe neceſſarium: quia contractus fit de præſenti: ergo de illo vt ſic, non fit iuramentum promiſſorium, quod in futurum inducat obligationem, ſed ad ſummū fieri poterit aſſertorium, quod ſolum obligabit, ad vere & ex animo contrahendum, quantum eſt ex ſe. Illud autem iuramentum, nec illa intentione ordinarie fieri videtur à contrahentibus, nec per ſe induceret obligationem in futurum, & conſequenter propter illius veritatem non oporteret aliquid addere contractui, vt in futurum ſeruando. Supponitur ergo illud iuramentum eſſe vere promiſſorium: merito ergo dicitur cadere immediate in promiſsionem de futuro, quæ ibi non poteſt eſſe alia, niſi non contraueniendi contractui.

Dices, diſtinctionem hanc non recte accommodari ad cap. *Quamuis pactum*, nam ibi nulla fit mentio talis promiſsionis, ſed pactum ipſum dicitur firmari iuramento, vt patet ibi, *Si tamen iuramento non vi, aut dolo præſtito firmatum fuerit, omnino ſeruari debet, &c.* per quę verba ſignificatur pactum ipſum iuramento firmari. Reſpondeo, etiam ad caſum illius textus optime accommodari diſtinctionem datam, imo eſſe neceſſariam, quia renuncians alicui rei non poteſt aliter renunciationem firmare iuramento, niſi iurando non contrauenire renunciationi factæ, quia nihil amplius facere poteſt ex parte ſua is, qui renunciat: iuramentum autem illud promiſſorium (vt oſtenſum eſt) debet cadere in aliquid futurum diſtinctum à renūciatione præſenti, quod nihil aliud eſſe poteſt, niſi non contrauenire. Quod optime declaratur ex cap. *Ad euidentiam*, de his, quæ vi, vbi qui ſub iuramento promiſit reſignare beneficium, & iuramentum illud impleuit, illa repetere permittitur. *Non obſtante præſtito iuramento, quia non ad repetendum, ſed ad reſignandum tantummodo tenebatur.* Aliud eſt ergo iurare reſignare in futurum: aliud vero eſt iurare non repetere, quod reſignatum eſt, vel actu reſignatur, & hoc eſt reſignationem iuramento firmare, Quod etiam in iure vocatur abiurare talem rem, ſcilicet beneficium, vel Eccleſiā, vt habetur in c. *Abbas*, de ijs quæ vi & ſimiliter in cap. *Ad aures*, eod. dicitur renunciatio confirmari iuramento quando renunciationi additur iuramentum de non repetendo. vt Gloſſa exponit. Igitur in eodem ſenſu loquitur capi. *Quamuis pactum*, & potius inde ſumitur argumentū, quod firmitas hæc pacti ſit quaſi indirecta mediante iuramento non reuocandi: quanta vero ſit hæc firmitas explicandum ſupereſt.

4. *C. Quamuis pactum.* (margin)

Iuramentum promiſſorium debet cadere in aliquid futurum. *Cap. Ad euidentiam.* *Cap. Abbas. cap. ad aures.* *C. Quamuis pactum.* (margin notes)

5. Secundo ergo ſupponendum eſt, quod licet huiuſmodi pacta, de quibus agimus, ſint irrita, & Iure Ciuili reprobata, promiſsio illa non contraueniendi, aut non repetendi non eſt per eaſdem leges reprobata, nec irritata. Ita ſumitur ex Abb. in cap. *Cum contingat*, de Iureiur. n. 6. Iaſ. in Auth. *Sacramēta puberum*, n. 52. & ex alijs ſupra allegatis. Et poteſt etiam ſumi ex L. 1. C. Si aduer. vend. vbi agens Imperator de ſimili promiſsione iuramento firmata inquit: *Neque perfidiæ, neque periurij me authorem tibi futurum ſperare debuiſti.* Vbi pōdero particulam: *Neq; perfidiæ,* quæ *Abb. Iaſon. Legi.*

quæ plane ſupponit non ſolum iuramentum, ſed etiam promiſsionem obligare. Secundo probatur ratione, quia in his legibus, de quibus tractamus, non explicatur talis prohibitio, ſed præciſe inualidantur tales contractus: ergo non ſunt extendendæ ad nouam prohibitionem, vel irritationẽ rei omnino diſtinctæ, cum lex illa quoad hanc partem ſit odioſa, & reſtringenda. Secundo lex huiuſmodi, quatenus fertur in fauorem debitoris, eſt priuilegium illi conceſſum: ſed per conceſsionem priuilegij conceſsi intuitu priuati commodi, non prohibetur quis illi renunciare, niſi exprimatur in ipſa lege: ergo talis lex non prohibet, quin poſsit renunciari, ſed promiſsio non repetendi nihil aliud eſt, quam renunciatio priuilegij: ergo nõ eſt reprobata per talem legem. Tertio argumentor à ſimili ex d.c. *Ad noſtram*: nam qui iurat renunciare, non iurat nõ repetere, ſi renunciat: *Ca. Ad noſtram.* ergo qui prohibet, vel impedit renũciare ſeu præcipit non reũciare: nõ ideo præcipit repetere: ſi renũciet, & cõſequẽter nec prohibet promittere non repetere, neque reuocare quantum eſt ex ſe. Et eadem ratione lex irritans contractum, non irritat promiſsionem non contraueniendi, maxime quando in cõtractu ipſo non interuenit peccatum, ſed tantum renunciatio quædam priuilegij conceſsi. Conſtat igitur promiſsionẽ illam obligationem ſaltem naturalem producere, quia eſt iuſta, & de re licita, & nulla lex illi reſiſtit.

6. *Cap. Cum contingat.* Contra hoc vero obijci poteſt d. cap. *Cum contingat*, ibi: *Et ſi mulierum conſenſus in talibus non videatur obligatorius ſecundum legitimas ſanctiones*. Ergo promiſsio, quæ ex illo conſenſu procedit, non inducit obligationem. Confirmatur maxime in caſu minorum, quia omnes obligationes, & pacta minorũ ſunt nulla ipſo facto, ſi ſine authoritate tutoris fiant: ergo & illa promiſsio. Confirmatur ſecundo, quia ſi talis promiſsio obligaret, etiam ſi non adhiberetur iuramentum, non poſſet talis perſona in conſcientia recedere à contractu, neque rem in iudicio poſtulare, quia ageret contra fidem datam. Conſequens eſt falſum, quia dicta iura videntur ſupponere, neceſſariũ eſſe iuramentum, vt inde obligatio oriatur. Item alias ſola illa obligatio promiſsionis, & renunciatio proprij iuris, & priuilegij ſufficeret ad confirmandum contractum, quod eſt alienum à mẽte Iurium, & Doctorum omnium.

7. *Cap. Cum contingat.* Ad cap. *Cum contingat*, reſpondeo loqui de cõſenſu in contrahendo, v.g. in renunciando, alienando: non in promittendo non contrauenire: nam loquitur, *Iuxta legitimas ſanctiones*, vt dicitur in textu: leges autem dicunt in contractu mulieris. v. g. alienantis fundum dotale, ipſius conſenſum nihil proficere, *Quominus ei detur in rem actio*, vt habetur in Authent. *Siue à me*, C. Ad Velleian. Ad confirmationem nego, omnes promiſsiones minorũ eſſe nullas quoad obligationem naturalem, donec irritentur. Immò nec de obligationibus, & promiſsionibus factis ab impuberis, id eſt verum, donec irritentur, iuxta dicenda infra de Voto: & videri poteſt Couar. in 4. p. 1. §. 1. nu. 4. Sanci. libr. 6. de Matrimon. diſp. 38. q. 2. Ad confirmationem ſecundam cõcedo ſolam promiſsionem non contraueniendi acceptatam ſufficere, vt in conſcientia teneatur quis illam ſeruare. *Quomodo ſint nulla promiſsiones minorum. Couar. Sanct.* Non eſt tamen illa obligatio per ſe tam firma, & immutabilis, ſicut iuramento firmata, nec fortaſſe inducit obligationẽ ciuilem, nec in externo foro admitteretur actio, vel exceptio ratione illius tantum, quia licet non ſit irrita per leges, illarum fini, & effectui derogare videtur: & ideo non eſt eadem ratio de illa nude ſumpta, vel iuramento veſtita.

8. Tertio ex his concluditur, iuramentũ, quod addi ſolet his pactis per leges irritatis in fauorem iurantium, quatenus immediate cadit ſuper hanc promiſsionem non retractandi, cõfirmatorium eſſe per ſe, ac directe illius naturalis obligationis, quam producit dicta promiſsio. Nam illi obligationi morali, & quaſi humanæ fidelitatis, vel iuſtitiæ addit ſuam, quę Diuina quodammodo eſt, quatenus Deum reſpicit, & ita promiſsio illa redditur omnino firma, quia iuramentum illud excludit omnia media, quibus iure, vel facto poſſet reſcindi. Quia vero hæc promiſsio diſtincta eſt à cõtractu irritato per legem, (vt nos oſtendemus) ideo formalis confirmatio promiſsionis non eſt directa, & formalis confirmatio, pacti vt cõſtat: quia à diuerſis nõ fit illatio: & quia contractus habet ſpecialem nullitatem, cui videtur repugnare confirmatio. Igitur explicandum ſupereſt, quomodo hæc confirmatio redundet in ipſum contractum.

Quarto ergo addi poteſt, contractum quidem in ſe nunquam formaliter confirmari tali iuramento, quoad effectus autem, præcipue ad forum conſcientiæ pertinentes, confirmari iuramento. 9. Prior pars probatur ratione proxime facta, & omnibus fundamentis ſecundæ ſententiæ, & explicabitur amplius in ſequentibus. Poſterior ergo pars declaratur, quia per illud iuramentum ita firmatur dicta promiſsio, vt non liceat contrauenire contractui extra, nec intra iudicium, ergo ratione illius manet firmus, ac perpetuus effectus illius contractus, ita vt in conſcientia diſſolui non poſsit: ergo manet confirmatus quoad effectum per illum intentum. Confirmatur, nam hoc modo facile inuenitur, & exponitur radix talis confirmationis: nam immediatam confirmationem promiſsionis facit iuramentum vi ſua, vt explicatum eſt. Vnde quoad illam gaudet iuramentum illud omnibus prærogatiuis, & effectibus iuramenti cõfirmatorij, quos vel natura ſua, vel adminiculo iuris poſitiui ſiue Canonici, ſiue ciuilis habere poteſt, vt patet ex Decretis allegatis, & ex l. 1. & 2. C. Si aduerſ. vend. Ex his autem effectibus naturali etiam neceſsitate ſequitur, vt prior contractus ſolidus quoad effectum maneat, quaſi introducendo alia via illum effectum quem contractus propter reſiſtentiam legum efficere nõ poterat. Patet hoc: quia illa promiſsio iurata excludit omnia remedia cõtra illum effectum, & ad immutandum illum: ergo iuramentum confirmat contractũ in effectu, licet non confirmet in vinculo.

Præterea poteſt hoc magis declarari diſcurrendo per proprios effectus iuramenti confirmatorij, per 10. quos illud à per ſe ſtante diſtinximus, & applicando illos huic iuramento: nam ſi in illo inueniuntur *Effectus iuramenti cõfirmatorij.* directe, aut indirecte, confirmatorium iudicandũ erit. Primo ergo iam declaratum eſt, quomodo in hoc contractu iurato duplex inueniatur obligatio promiſsionis, & iuramenti, quæ erat prima differentia iuramenti confirmatorij à per ſe ſtante. Et inde facile intelligitur, ex vi relaxationis iuramenti non auferri obligationem promiſsionis, quod pertinebat ad ſecundam differentiam. Et melius intelligitur addita ſexta, quæ erat, quod quando iuramentũ eſt confirmatorium, non licet petere relaxationem, ſed oportet implere iuramentum. Quam conditionem in hoc iuramento inueniri concedunt non ſolum omnes Authores primæ ſententiæ, ſed etiam multi ex defenſoribus ſecundæ, quia verba Canonum, & legum multum hoc ſuadent. Et ratio redditur optime ex dictis, quia per illud iuramentum propter promiſsionem validam, cui adiungitur, acquiritur ius alteri parti, & in illa nulla culpa, vel turpitudo interceſsit, propter quam poſsit illo iure priuari, & ideo in tali iuramento vt ſic, nulla interuenit cauſa, ob quam relaxari poſsit, in quo ſenſu dicitur non poſſe relaxari, vt ſupra explicatum eſt. Non caret tamen aliqua difficultate hæc conditio, quã paulo inferius proponam.

Tertius effectus iuramenti confirmatorij erat dare actionem in iudicio, & hic etiam in his iuramentis inuenitur, vt ex d. Authentica *Sacramenta puberum*, colligunt frequentius Iuriſtæ. Et ratione oſtendi poteſt

Digitized by Google

poteſt ex dictis, quia ibi interuenit promiſsio de ſe valida, & iuramento firmata: ſed ſupra oſtenſum eſt, talem promiſsionẽ producere actionem: ergo idem dicendũ eſt de illa promiſsione, cũ nullo iure illa regula reſtringatur. Et ſaltem de actione per modum exceptionis eſt res manifeſta ex ca. *Licet mulieres*, de Iureiur. in 6. nam ſi mulier, quæ vendidit fundũ dotale cum iuramento non reuocandi actionem, tenet cõtra emptorẽ, põt repelli per exceptionem præſtiti iuramẽti, quæ exceptio neceſſario admittẽda eſt à iudice ſæculari, iuxta illũ textũ, habet ergo vim excipiẽdi contra venditorem, vt ſeruet promiſsionẽ nõ reuocandi: ergo quando ad ius proprium tuendum neceſſarium fuerit directe agere ad obſeruationem talis iuramenti, non deeſt in illo cõtractu virtus, ſeu efficacitas ad talem actionem.

Cap. Licet mulieres.

12. Quartus effectus erat, quia quando iuramentum eſt confirmatorium, ius per illud acquiſitum tranſit ad hæredes, & quoad hũc effectum eſt nonnulla maior difficultas, quia iuramentum ſecundum ſe non tranſit ad hæredes, vt c.31. videbimus. Promiſsio aũt non contraueniendi cõtractui ſolum obligauit perſonam paciſcentis, quia ſolũ de ſe promiſit non contrauenire: ergo illa obligatio non cõtraueniendi nõ tranſit ad ſucceſſores: ergo illud iuramentũ non cõfirmauit pactum ſimpliciter, ſed ſolum reſpectu perſonæ iurantis: hæredes autem poterunt ſine violatione iuramenti, aut fidei contrauenire, & rẽ euincere reſcindendo contractum. Atque ita videtur ſentire Bart. in leg. *Qui ſuperſtitis*. ff. de acquir. hæred. dicit enim, quod licet mater renunciauerit ſucceſsioni ſuæ cum iuramento, nõ poteſt impedire, quominus filius ſuus ſuccedat loco ipſius, quia hoc ius ſuccedẽdi in locum matris non habet filius ab ipſa, ſed à lege. Imò addit, quod licet in pacto expreſſe dictum ſit, vt filij ex tali muliere non ſuccedant, de iure non valebit contra filias, non obſtante iuramento.

Bart.

13. *Bart.* Verumtamen Barto. ibi aperte fundatur in hoc quod iuramentum illud non eſt confirmatorium, ꝙ videtur intelligere, etiam reſpectu promiſsionis non retractandi. Iuxta ſententiam autem, quam hic defendimus, dicendum eſt, illam promiſsionem dediſſe alteri, cui factum eſt ius iuſtitiæ, quod non ſolũ valet contra promittentem, ſed etiam contra ſucceſſores eius. Quia qui renũciauit iuri ſuo cum promiſſione iurata non reuocandi, abdicauit à ſe ius illud, & in alium tranſtulit: ergo non poteſt poſtea tranſferre in hæredem ius reuocandi pactum, quia nemo transfert in alium, quod nõ habet. Quin potius trãſferet ad hæredem obligationem iuſtitiæ non reuocandi pactum, quam ipſe contraxit. Et in hoc ſenſu aliqui ponunt inter priuilegia iuramenti ꝙ eſt tranſmiſsibile ad hæredẽ, vt videre licet in Antonio Corſeto tract. de Iuram. q.8. nu. 45. qui bene explicat, (& latius infra tractandum eſt) nõ ideo id dici, quia propter iuramentũ defuncti hæres ſit periurus, ſed quia, circumſcripto periurio, effectus iuramenti tranſit ad hæredes. Quia licet iuramentum quoad vinculum ſpirituale ſit perſonale, quoad robur contractus, ſeu promiſsionis habet effectum realem. Et ita intelligit dictam Auth. *Sacramenta puberum*, citans Bald. in leg. vltim. C. de Pactis, & Paul. de Caſtro dicentem, quod hæres defuncti ſatis dicitur venire contra iuramentum, cum factum defuncti reputetur factum hæredis, iuxta Gloſſ. in l. *Si ſeruus*. ff. de Conditione furtiua, verbo *Intereſt*. Et nos poſſumus hoc cõfirmare ex iuramento Iſraelitarum Gabaonitis præſtito, quod cenſetur quoad effectum tranſiſſe ad Saul: nam ideo punitus fuit 2. Reg. 21. ſic ergo in præſenti obligatio orta ex tali promiſsione iurata trãſit ad hæredes, & ita iuramentum illud etiam quoad hunc effectum confirmatorium eſt.

Iuramentum eſt tranſmiſſibile ad hæredem. Antonius Corſet.

Bald. Paul de Caſtro.

2 Reg. 21.

14. Vltimum ſignum, ſeu effectus iuramenti confirmatorij erat, quia ita impletur per rei traditionem, vt non liceat reuocare. Hoc autem maxime conuenit huic iuramento, quia directe fit de non reuocando cõtractum: ergo ad hoc maxime obligat. Sed in hoc eſt difficultas, an per tale pactum tranſlatum ſit dominium rei venditæ, verbi gratia, fundi dotalis in emptorem. Nam ſi non fuit tranſlatum, etiamſi alter non repetat, non poteſt emptor, tuta cõſcientia, fundum retinere, cum ſit alienum. ſed tenetur propria ſponte offerre, & reſcindere contractum: & alter acceptando non violabit iuramentum, quia non iurauit non acceptare diſſolutionem contractus, ſed ſolum non reuocare, aut non poſtulare. Quod ſi hoc verum eſt, hic effectus ſufficit, vt contractus non cõfirmetur iuramento, etiam quoad effectum, eſto cõfirmetur promiſsio de non reuocando tali cõtractu.

Circa hoc Bart. in d. l. *Qui ſuperſtitis*, nu. 5. expreſſe docet in eo caſu non transferri dominium, *Quia decretalis* (inquit) *non dicit, quod transferatur dominium, ſed quod non poſsit vendicari ab ipſa muliere, quæ iurauit, quia non poteſt contra iuramentum venire: per quod non tollitur, quin poſſit vindicare ab alio, qui non iurauit.* Et ſubiungit hunc eſſe magnum effectum, & valde notandum. Verumtamen aperte loquitur ibi Bart. iuxta ſententiam, quæ negat hos contractus confirmari iuramento. in alijs vero locis, vbi contrariam ſententiam defendit, aliter in hoc etiam videtur ſentire, ſicut & alij Authores, qui eandem ſententiam defendunt, & mihi videtur eſſe magis conſentaneum Iuribus. Quia quando dicunt iurantem non poſſe reuocare contractum, profecto ſupponunt, eum, qui acceptauit iuramentum, tuta conſcientia poſſe permanere in illo contractu, & poſſidere, ac retinere rẽ per illum acquiſitam: ergo & acquirere dominium eius. Item ſupponunt, emptorem non peccare petendo, & acceptando iuramentum illud: ergo ſignum eſt, illum non petere à venditore iuramentum de non recuperanda re ſua, quę ſcilicet etiam poſt contractũ permanſura eſt ſub proprio dominio: nam ſaltem ex parte exigentis irrationabile eſſet tale iuramentum: ergo ideo licite poſtulat tale iuramentum, quia per contractum ſic iuratum res fit accipientis. Denique oſtenſum eſt, obligationem illam non reuocandi alienationem tranſire ad hæredes mulieris, ſeu perſonæ, quæ iurauit: ergo etiam illi non poſſunt rem alienam vendicare. Non eſt autem credibile, alium poſſidere rem non ſuam, & quod nullus poſſit eam iuſte vendicare. Dominium ergo talis rei tranſit in recipientem illam, & acceptantem iuramentũ, ex quo effectu maxime cognoſcitur confirmatio talis contractus quoad effectum. 15. *Bart.*

16. Sed quid ad fundamentum indicatum à Bartolo? Qui ſummatim videtur inſinuare diſcurſum à nobis ſupra factum, ſcilicet quia illud dominium non trãſfertur virtute Canonum, quia hoc non dicunt, & cõſequenter nec virtute legum Ciuilium, neque etiam ex conſenſu contrahentium, quia per Ius Ciuile factus eſt ad hoc inefficax: ergo nulla ibi apparet cauſa ſufficiẽs translationis dominij. Reſpondeo, ibi trãſferri dominium conſecutione quadam ex voluntate contrahentium, accedente virtute iuramenti, & aliquid fortaſſe cooperante poſitiuo iure diſponente, vt talia iuramenta ita inuiolabiliter ſeruentur, vt res tradita repeti amplius nõ poſſit: nam hic effectus ſine translatione dominij conſiſtere non poterat. Quãuis autẽ Iura Ciuilia irritent cõſenſus quoad cõtractum per ſe, & directè perficiendũ, nõ tamen irritant conſenſus quoad promiſsionem nõ reuocandi tale factum, neque etiam voluntatem iurandi illud, vel acceptandi tale iuramentum: & ideo talis conſenſus validus eſt, & efficax. & per illum conſequenter ſit tanslatio dominij. Neque eſt inconueniens, vt quod vna via interdicitur, alia fieri poſſit, & maximè quando alijs Iuribus approbatur.

17. Atque ex his conſtat primò; quid dicendum ſit ad difficultatem ſuprà huc remiſſam de relaxatione talis iuramenti, nam licet verum ſit, non poſſe tale iura-

Digitized by Google

iuramentum relaxari per ſe, & quaſi ex intrinſeco defectu, vel turpitudine creditoris: nihilominus ex aliqua contingente cauſa poteſt interdum relaxari, ſicut alia iuraměta. Tunc ergo inquiri poteſt, an ſublato iuramento debeat reſcindi contractus venditionis, vel alienationis? Nam videtur ex dictis ſequi, poſſe reſcindi ad petitionem creditoris, quia contractus in ſe non fuit cõfirmatus directe, ac formaliter, & indirecta confirmatio per relaxationem iuraměti ſublata eſt: ergo relinquitur contractus in illo ſtatu, in quo per leges Ciuiles conſtituitur: ergo eſt nullus. At ſi hoc dicatur, deſtruitur vera ratio iuramenti cõfirmatorij, vt ex dictis conſtat.

18. Reſpondeo, data illa hypotheſi per poſsibile, vel impoſsibile, priorem contractum non poſſe iure reſcindi quoad effectum, quem ſemel habuit: quia per illum eſt acquiſitum creditori ius, non tantum ad rě, ſed in re, quia dominium fundi venditi translatum eſt in emptorem, & non poteſt illo priuari, quantumuis iuramentum relaxatum ſit. Nam relaxatio iuramenti ad ſummũ valet vt ſine ſacrilegio poſsit quis agere contra id, quod iurauerat, non tamen poteſt operari, vt liceat agere contra ius alterius, nec contra aliquam obligationem iuſtitiæ, ſi fortaſſe ex promiſsione relicta fuit. Et ideo addidi: *per poſsibile, vel impoſsibile*, quia moraliter loquendo iuramentum illud non eſt capax relaxationis: tum quia non habuit vitium aliquod ex parte creditoris, nec fuit per iniuſtitiam, aut vim extortum nec alio ſimili modo (vt ſupponitur:) in ſolis autem his caſibus eſt licita per ſe & quaſi ex cauſa intrinſeca petitio relaxationis iuramenti de non contraueniendo, vt ſuprà dictum eſt, & notat Nauar. in ca. *Accepta*, de Reſtitut. ſpoliat. oppoſit. 6. numer. 8. & 9. *Nauar.* Tum etiam, quia illud iuramentum ſtatim (vt ita dicam) habuit effectum ſuũ, ita confirmando promiſsionem, vt parti acquireretur ius in re ipſa, quo priuari non debet propter relaxationě: & ita inutilis eſſet relaxatio, & conſequenter etiam illicita, & inualida. Solum in aliquo caſu raro, & extraordinario poſſet relaxari iuramentum illud per Pontificem, quando ex grauiſsima cauſa propter commune bonum expediat priuare alterũ etiam re ſua, ſeu iure acquiſito iuxta infra dicenda de relaxatione iuramenti. Sed hoc etiam poteſt contingere in contractu non irritato per leges, ſed per ſe valido, & iurato: & ideo ſimilis relaxatio non obſtat, quominus iuramentum verè confirmatorium fuerit.

19. Dices: Licet illud iuramentum non habuerit turpitudinem ex parte creditoris, habet iuſtam cauſam relaxationis ex ipſa materia & repugnãtia legis. nam eadem ratio, quæ fecit, vt eſſet iuſta irritatio pacti, facta per legem, ſufficit honeſtare etiam relaxationem iuramenti. Item eſt ſufficiens cauſa, quia videtur inconueniens, vt fruſtretur effectus legis, alia via conſequendo, quod ipſa prohibet. Reſpondeo primò, magis eſſe attendendam reuerentiam iuramenti, magiſque expedire, vt tollantur occaſiones peierãdi, & abutendi iuramento, quam vt vitentur incommoda temporalia, propter quæ leges talia pacta irritarunt, vt ſatis indicauit Pontifex in dict. capit. *Cum contingat* & ideo ſola reſiſtentia legis Ciuilis non dat ſufficientem cauſam relaxationi iuramenti. Neque eſt inconueniens, vt authoritate iuramenti, & Iuris Canonici tuentis illud perueniatur ad aliquem effectum, quem nitebatur impedire lex Ciuilis. Adde huiuſmodi legem Ciuilem videri fuiſſe fundatam in præſumptione, quia tales contractus regulariter præſumuntur fieri ex timore aliquo reuerentiali, vel cum aliqua deceptione minorum, vel alio ſimili defectu: iuramentum autem, & obſeruatio eius fundatur in veritate, & ideo ſi re vera iuramentum factum eſt ſine aliquo ſimili vitio, non eſt cur relaxetur, & priuetur ſuo effectu. Ideoq; merito Ius Canonicum tuetur illud iuramentum, donec conſtet extortum

Quanti faciendum ſit iuramentũ.

Cap. Cum contingat.

In quo fundetur iuramentum.

fuiſſe cum aliqua turpitudine ex parte creditoris: ſi autem conſtituerit, relaxari poterit, quia tunc nõ habuit omnes cõditiones requiſitas ad confirmandum contractum, vt ex dictis patet.

Secundò ex dictis colligi poteſt, quomodo intelligendæ ſint leges Ciuiles, quæ dicere videntur non eſſe habendam rationem iuramenti, quando adducitur ad confirmanda pacta contra leges Ciuiles. 20 Niſi enim dicere velimus, illa Iura exceſsiſſe vltra iuriſdictionem, & materiam ſuam (quod nec neceſſariũ videtur nec expediens, vt latè proſequitur Fortunius de vlt. fi. d. illat. 19.) intelligenda neceſſario ſunt, quãdo pacta, quæ iurantur ſunt ita prohibita per leges, vt ſit delictum contra illas leges agere, & conſequenter ſunt leges prohibentes in conſcientia: nam tunc iuramenta ſunt contra bonos mores naturales, & ideo merito improbantur. Hanc autem eſſe mentem illarum legum colligi poteſt ex d. Leg. *Non dubium*, in principio dum ait: *Non dubium eſt in legem committere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, nec pœnas legis euitabit, qui ſe contra Iuris ſententiam ſæua prærogatiua verborum fraudulenter excuſat.* Loquitur ergo de legibus ita prohibentibus, vt obligent & cogant ad non contrahendum, etiam pœnis adiunctis: item loquitur contra eos, qui fraudem volunt contra leges committere. Hic autem egimus de legibus concedentibus potius fauorem, cui contrahens renunciat, & ideo ſine fraude, vel inobedientia contrahit. Sic etiam poteſt exponi dictus §. *Si paciſcar:* nam verba ſunt, *Quoties pactum à iure communi remotum eſt, ſeruari hoc non oportet, nec legatum, nec iuramentum,* quæ Gloſſa ibi ita exponit, remotum à Iure dici, quod eſt contrarium illi, vtique tanquam prohibenti, & non tantum vt irritanti. Immò addit (& maxime ad rem noſtram) intelligendum id eſſe de pacto inito contra ius commune, vel publicum, & conſequenter non ſolum irritum, ſed etiam illicitum, iuxta dicta in capit. 26. De intellectu legis, *Siquis pro eo*, non eſt noſtrum ex profeſſo tractare, ſatis ſit dicere ad ſummum probare, vel contractum ipſum non confirmari in ſe, ac formaliter iuramento, maxime quoad ciuilem obligationem, quæ ex illo poſſet oriri: vel certe non confirmari quoad omnes effectus Iuris Ciuilis, licet confirmetur quoad omnes effectus, qui ad plenam firmitatem iuramenti ſunt neceſſarij. Quomodo autem neceſſarij ſint, iam dictum eſt. Et ita explicantur facile alia iura, & expediuntur omnes difficultates, vt ſatis declaratum eſt

Fortun.

Leg. Non dubium.

§. Si paciſcar.

Gloſſ.

L. Siquis pro eo.

Vltimo dubitari poteſt, quando iuramentum nõ ordinatur ad confirmandum aliquem contractum, 21 qui de præſenti fiat, media promiſsione non retractandi, ſed cadit immediate ſuper aliquam promiſſionem de futuro, quæ per leges Ciuiles irrita facta eſt: vt eſt promiſsio non reuocandi teſtamentum, vel inſtituendi talem hæredem, vel ſoluẽdi pœnam ſi teſtamentum reuocauerit, & ſimiles. Eſt enim de his ſpecialis ratio dubitandi, quia in eis non poteſt diſtingui promiſsio non retractandi à principali promiſsione, quia ipſa promiſsio, faciendi aliquid in futurum intrinſece includit obligationem non veniendi contra illam: vnde neque addi ſolet alia promiſsio, neque ſi adderetur cenſeretur diſtincta à prima, ſicut promiſsio non vouendi contra votum non eſt diſtincta à voto. Quæ difficultas habet locũ, quando promiſsio eſt omnino irrita ipſo facto: nam ſi ſit tantũ irritabilis per iudicem, tunc addi optime poſſet alia promiſsio iurata nõ petendi irritationem, & tunc procederět omnia, quæ diximus. At vero quando promiſsio non eſt omnino irrita, videtur non poſſe confirmari iuramento, etiamſi tale iuramentum obliget, quando ſine peccato impleri poteſt, quia tunc illud iuramentum non ſupponit obligationem, cui adhæreat: & ita ſolum eſt per ſe ſtans, & conſequenter nullũ ius dat alteri, cui facta eſt promiſsio,

miſsio, & ideo peti poteſt eius relaxatio, ac ſubinde non eſt confirmatorium. Et ita tenet Leſſ. vbi ſupra num.56.in fine: & idem dicit, quoties promiſsio irrita eſt ex vi legum.

Leſſ.

22. Contrarium nihilominus tenet Molin. d.diſput. 151.in fine §.*Saluo tamen*, quia putat ex tali iuramento acquiri ius promiſſario, quando ipſe nullam violentiam, aut deceptionem, aut aliam iniuſtitiam facit, & iuramentum licite impleri poteſt, quia opus promiſſum non eſt prohibitum, etiamſi promiſsio iure humano irrita ſit. Quod ſi obiicias, quia promiſsio non pōt parere obligationem illam reſpectu promiſſarii, cum ſit irrita per leges, & non reuiuiſcit propter iuramentū, cum leges ſemper ſuam vim retineant. Reſpondendum eſt ex doctrina eius in diſp. 150. verum eſſe, non reuiuiſcere obligationem promiſsionis, & nihilominus ipſum iuramentum natura ſua, & ex virtute Religionis habere vim dandi ius promiſſario, quando ex parte eius non eſt iniuſtitiæ impedimentum: & ita ipſum iuramentum inducere ſpecialem obligationem reſpectu illius diſtinctā ab illa, quam promiſsio induceret ſi eſſet valida, & hoc modo iuramento confirmari cōtractum in tali promiſsione.

Molin.

23. At verò hic Author non probauit iuramentum inducere ſpecialem obligationem reſpectu promiſſarii, quando promiſsio irrita eſt & illam non inducit, nec declarat qualis illa ſit: & ideo non cenſeo eſſe admittēdam, imò nec poſſe ſatis intelligi. Alias ſequeretur in iuramento promiſſorio vndiq; rato, tres oriri obligationes, vnam ad Deum, & duas ad promiſſarium, alteram ex promiſsione, quam ſupponimus eſſe validam, alteram ex iuramēto habente hāc vim iuxta illam opinionem: conſequens non habet veriſimilitudinē: ergo. Sequela patet, quia iuramentum nō amittit ſuam vim, eo quod promiſsio ſit valida, imò tunc melius exercet omnes vires ſuas: ergo ſi iuramētum per ſe ſuam inducit obligationem reſpectu promiſſarii, quando promiſsio nullam inducit, eandem imponet, licet promiſsio ſuam efficiat. Falſitas autem conſequentis patet, tum quia eſt cōtra D.Thom. & omnes Doctores, qui duas tantum obligationes in promiſsione valida iurata agnoſcunt: tum etiam quia non ſunt multiplicandæ obligationes ſine fundamento, aut neceſsitate. Præterea non poteſt intelligi qualis ſit illa obligatio, quia vel eſt iuſtitiæ & hoc non videtur poſſe dici conſequenter in illa ſententia, quia dicitur hæc obligatio oriri ex primaria obligatione iuramenti, quæ eſt ad Deum, & ex virtute Religionis: at nec Deus, quando adducitur vt teſtis cogit hominem, vt ſe obliget ex iuſtitia, nec virtus Religionis poteſt talem obligationem inducere. Et ſimpliciter probatur, quia noua obligatio iuſtitiæ non inducitur ſine voluntate hominis ſe obligantis: at promittens cum iuramento non intendit aliam obligationē ſibi imponere, niſi quam promiſſio, & veritas iuramenti requirunt: ergo non eſt vnde alia obligatio iuſtitię oriri poſsit. Vel ergo illa obligatio eſt Religionis, & hoc etiam dici non poteſt, tū quia dicitur eſſe talis, vt ad hæredes tranſeat, quod non eſt verum de ſola obligatione Religionis: tum etiam quia dicitur, hæredem nō implendo illam nō eſſe periurum, & eadem ratione dicendum eſt, non eſſe ſacrilegū, quia nullam irreuerentiam facit Deo, vel rebus ſacris. Tum deniq; quia virtus Religionis non reſpicit hominem per ſe, ſed ſolum interdum quaſi materialiter, quatenus circa hominem exercendus eſt actus, quo Deus honoratur, & tunc non inducit ſpecialem obligationem homini. Quæ omnia in ſuperioribus ſatis explicata, & probata ſunt.

Validitas promiſsionis non tollit vim à iuramento.

In promiſsione valida iurata duæ tantum ſunt obligationes.

24. Quapropter in hoc puncto in primis cenſeo, ſi ſupponatur promiſsio, eſſe omnino nullam ex vi iuris Ciuilis, iuramentum non poſſe eſſe confirmatorium, ſed tantum per ſe ſe ſtans, & inducēs ſuam obligationem, quia verum cenſeo, promiſsionem non fieri ratam, & validam contra diſpoſitionem legum Ciuilium ratione ſolius iuramenti: quia nec iuramentum eas reuocare poteſt, nec impedire earū effectum, illis in ſuo valore manentibus, vt ſupra probaui. Poſita autē nullitate promiſsionis, ſola ſupereſt obligatio iuramenti, nec ipſum poteſt duas inducere, vt probaui. Et ita nō poteſt illud iuramentum dici cōfirmatorium directe, quia non validat promiſsionē, nec indirecte: quia non adhæret alteri obligationi ad hominē, vt ſupponitur. Vnde ſit vt ex tali promiſsione iurata nec acquiratur ius promiſſario, nec detur actio, nec tranſmiſsio ad hæredes: nullo ergo modo poteſt tale iuramentum dici cōfirmatorium ſimpliciter.

Iuramentum cadēs ſupra promiſsionē omnino nullam non eſt confirmatorium.

Atque hinc ſumo generalem regulam quoties in contractu non ſupponitur aliqua promiſsio, quæ, non obſtantibus legibus Ciuilibus, aliquam naturalē obligationem inducat, iuramentum illi additum nō eſſe ſimpliciter confirmatorium: quia nō habet obligationem, cui adhæreat, nec quomodo conferat ius ipſi creditori, vel inducat aliam obligationem præter Religionis. Quod ſecus eſt, quando non obſtante nullitate alicuius contractus intercedit aliqua promiſsio valida, cui iuramentum proximè adhæreat, tūc enim illa confirmatur, & mediante illa confirmatur indirecte contractus, ſaltem quoad effectū, modo ſuperius explicato. 25.

Addo vero vlterius raro fortaſſe contingere, has promiſsiones, quarum adimpletio nō eſt prohibita, nec in eis intercedit turpitudo ex parte creditoris, ita eſſe irritas per leges Ciuiles, vt nullam obligationem naturalem producant, ſed ordinarie tantum impediri obligationem, & actionem ex illis negari. Quia Iura Ciuilia ordinarie hoc poſterius magis, quam illud prius procurant, & intendunt. Sed hoc in ſingulis caſibus examinare prolixum, & alienum ab hoc loco eſt, tamen vbi contigerit id verum eſſe, vt naturalis obligatio promiſsionis non impediatur, iuramentum erit confirmatorium modo iam dicto: nō vero vbi illa obligatio omnino defuerit. 26.

In quo tandem animaduerto, quādo ex parte creditoris non interuenit turpitudo, etiamſi promiſsio per ſe ſit omnino irrita, & iuramentū ſit tantum per ſe ſtās, firmiorem obligationem inducere, quam inducat iuramentum promiſſorium cum turpitudine creditoris: atq; in hoc ſenſu illud iuramentum eſſe aliquo modo cōfirmatorium, ſeu participare aliquid illius. Ratio eſt, quia tale iuramētū nō habet intrinſecā cauſā relaxationis ex parte creditoris, ſicut aliud, nec poteſt eius obligatio tolli ſine magna & extraordinaria cauſa: aliud vero ex ſolo intrinſeco defectu relaxari poteſt vt ſupra dictum eſt. Neq; dici poteſt ſufficere vt iuramentū cadat in promiſsionem lege irritam, vt relaxari iuſte poſsit: nam cum illa lex inducta ſit in fauorem debitoris, vt ſupponitur, & ipſe ſponte & ſine iniuria voluerit, quantum in ſe eſt, nō gaudere beneficio legis quoad executionem operis promiſſi, & hanc ſuam ſpontaneam voluntatem iuramento firmauerit, nulla ratio patitur, vt ſine alia cauſa liberetur obligatiōe talis iuramēti. Ex hac ergo parte firmius eſt, & confirmatorium ſecūdum quid appellari poteſt. 27.

CAPVT XXX.

Vtrum præcedente iuramento non faciendi pactum lege prohibitum, nihilominus tale pactum firmetur ſuperueniente iuramento?

DIximus pactum, quod ſine peccato firmari poteſt, non obſtante lege prohibente illud, confirmari iuramento, cōtingit autem interdum, vt is, qui tale pactum facit & iurat, prius iurauerit ſeruare talē legē, ſeu (quod perinde eſt) non facere tale pactū, vt ſi 1.

vxor iuret non alienare ſuum fundum dotale, quærimus ergo, an etiam tunc pactum valeat, & iuraméto firmetur, in qua re variç ſunt opiniones. Prima negat, tale pactum confirmari iuramento, quia illi reſiſtit non tantum lex, ſed etiam prius iuramentum. Ita tenet Gloſſa in cap. *Inter mulieres*, de Iureiur. in 6. quæ conſequenter ait, poſterius iuramentum non ſolum non confirmare pactum, verum etiam nec obligare. Et illam Gloſſam approbant communiter ibi interpretes, Archid. Domini. Franc. Anchar. & Panorm. in c. *Intellecto*, de Iureiur. n. 8. vbi etiam Alex. de Neuo, n. 17. Imol. in c. *Cum contingat*, eod. Bart. in l. *Siquis pro eo*, ff. de Fideiuſſor. n. 9. Sylueſt. *Iuramentum*, 4. qu. 12. Angel. *Iuramentum*, 5. n. 16. Couar. d. c. *Quamuis*, 2. p. §. 2. n. 4 Gutier. de Iuram. 1. p. c. 1. n. 79. Matienzo in l. 3 tit. 10. lib. 5. Nouæ recop. Glo. 13. n. 1. & ex Modernis Theologis Azor to. 1. li. 11. c. 6. q. 3. in fine, & Sanc. lib. 6. de Matrim. diſp. 13. n. 2.

1. Opinio. Gloſſ. Archid. Domin. Franc. Anchar. Panorm. Alexan. de Neuo. Imol. Bart. Sylueſt. Angel. Couar. Gutier. Matien. Azor. Sanc.

2. Rationes huius ſententiæ ſunt. Prima, quia poſterius iuramentum eſt contra legem, & contra prius iuramentum, & ideo licet poſsit contra vtrumque illorum impedimentorum diuiſim præualere, nõ tamen contra vtrumq; ſimul. Secunda, & communior ratio, quia talis contractus erat ex vi Iuris inualidus, ſolaq; voluntate iurantis erat confirmãdus: hoc autem fieri non poteſt, quando contrarium iuramentum preſsit, ergo. Probatur minor, quia in eo caſu poſterior actus venditionis, vel contractus eſt peccatum contrarium priori iuramento, ergo ſubſequens iuramentum nõ poteſt illi robur dare, quia non põt eſſe vinculum iniquitatis. Tertia, & potiſsima ratio eſſe debet, quia poſterius iuramentum nõ poteſt ſeruari ſine animæ diſcrimine: ergo non obligat ergo multò minus poteſt confirmare contractum. Conſequentiæ ſunt euidentes. Et antecedens patet, quia ſeruare poſterius iuramentum eſt contra prius iuramentum, cum illud fuerit de non faciendo, ac ſubinde de non confirmando contractu. Quarto inducitur in fauorem huius ſententiæ c. *Intellecto*, de Iureiur. vbi in ſimili caſu decernitur, non eſſe ſeruandũ iuramentum de non reuocanda alienatione contra prius iuramentũ facta, quia tunc poſterius iuramentum illicitum fuit.

Cap. Intellecto.

3. Nihilominus eſt ſecunda ſententia, quæ affirmat in eo caſu contractum illum firmari iuramento poſteriori, non obſtante priori. Ita tenet Anton. Gom. in l. 53. Tauri n. 58. nullum tamen Doctorem allegat, qui ſimpliciter eam docuerit ſed cum quibuſdam limitationibus, de quibus infrà: neque etiam aliud adducit fundamentum præter illud generale, quod actus cõtra prius iuramentũ factus validus eſt. Quod alij Authores dicunt eſſe verum, quando actus habere poteſt firmitatem & valorem à voluntate contrahẽtis: ſecus vero eſſe quando ratione legis impedientis contractum, non poteſt habere firmitatem à voluntate contrahentis, ſed à iuramento illam eſſet habiturus: tunc enim illam non confert poſterius iuramentum, quia eſt contrarium priori.

2. Opinio. Anton. Gom.

4. Vt ergo hæc poſterior ſententia aliquam habeat probabilitatem, probandum in primis eſt, poſterius iuramentum non eſſe iniquum ex parte materiæ, ſeu non eſſe de re illicita, ſed impleri poſſe ſine peccato, quia non eſt contrarium priori iuramento: ex quo facile inferetur tale iuramentum confirmare cõtractum, non obſtante priori iuramento. Primum ergo ſic probo: quia (vt nuper dixi) duo ſunt diſtinguenda in huiuſmodi contractibus per legem annullitatis, vnum eſt ipſe contractus venditionis, donationis, aut renunciationis, aliud eſt promiſsio non reuocãdi talem contractum. Prius ergo iuramẽtum ſolum fuit de non vendendo fundo dotali, vel non faciendo alio ſimili actu: ſecundum autem iuramentum ſupponit iam talem contractum factum, & addit promiſsionem non tractandi illum. Hinc ergo infero primo, illa iuramenta non eſſe contraria, quia vnum cadit in promiſsionem non alienandi: v. g. aliud in promiſsionem non reuocandi alienationem iam factam, iuxta cap. *Cum contingat*, de Iureiur. ergo non ſunt contraria, quia cõtraria debent verſari circa idem. Et cõfirmatur, ac declaratur, quia vxor, quę contra prius iuramentum alienauit fundum dotale, licet in eo peccauerit contra idem iuramentum, nihilominus licet poſtea non reuocet alienationẽ, non peccat contra iuramentum, quia non iurauit reuocare illam, ſi eam fecerit, ſed ſimpliciter non facere. Sicut qui vouit caſtitatem, & illam violauit, licet poſtea pœnitentiam non agat, in hoc præciſe non agit contra votum, quia hoc non vouit: ſic ergo eſt in præſenti.

Hæc iuramenta non ſunt contraria.

Cap. Cum contingat.

5. Vnde infero ſecundo, poſterius iuramentum nõ eſſe de re illicita. Probatur, quia ſolum eſt de non reuocanda alienatione facta, ſeu de promiſsione non reuocandi: hæc autem non ſunt illicita, quia nõ ſunt contraria priori iuramento, & quia ſecluſo poſteriori iuramento poſſent fieri ſine peccato, vt declaratũ eſt: ſi autem prius iuramentum non reſiſtit, non eſt, vnde talis promiſsio, vel eius obſeruatio ſit illicita. Tertiò conſequenter infero, ſecundum iuramentũ obligare, non obſtante priori, quia poteſt ſeruari ſine peccato. Aſſumptum patet, quia propria materia illius non eſt contraria priori iuramento, immò de ſe fieri poſſet abſque nouo peccato vt oſtenſum eſt: ergo ſi fuerit confirmata iuramento, poterit obſeruari ſine animæ diſcrimine. Conſequentia autẽ prima probatur ex regula iuris, iuramentum illud obligare, q; ſine animæ diſpendio ſeruari poteſt. Quarto tandem hinc concludo, tale iuramentum confirmare priorem contractum non obſtante lege anullãte vel iuramento, quia tota ratio cur iuramentũ ſolet confirmare contractum alias irritum per legem eſt, quia poteſt, & debet obſeruari, & ſi obſeruetur contractus manet firmus, vt explicatum eſt: ſed hæc ratio hic etiam procedit, vt eſt oſtenſum: ergo.

Poſterius iuramentum non eſt de re illicita.

Poſterius iuramentum confirmat priorem contractum.

6. Poteſt præterea hic diſcurſus confirmari diſcurrendo per rationes contrariæ ſententiæ, quæ ex illo valde infirmari videntur. Nam prima ratio falſum videtur aſſumere: quia poſteriori iuramento non reſiſtit iuramentum prius, formaliter loquendo, vt declaratum eſt. Quod ſi dicatur reſiſtere iuraméto, quia reſiſtit facto, id eſt, alienationi, quæ per iuramẽtum firmatur, ſic male infert, quia parum refert, quod pactum ſit contra legem, & contra iuramentum ſimul, ſi nec iuramentum per ſe, nec lex per ſe poteſt obligationem poſterioris iuramenti impedire. Quia illa duo vincula ſimul ſumpta non efficiunt vnam cauſam ſufficientem ad irritandũ ſubſequens iuramentum, quia non reddunt illud illicitum ex parte materiæ. Vt qui iurauit ſponſalia cum vna, & poſtea ducit aliam, & iurauit ab illa non recedere, & verũ matrimonium facit, & obligatur poſteriori iuramento, etiamſi actus matrimonij fuerit contra duas obligationes ſponſalium, ſcilicet, & iuramenti.

7. In ſecunda item ratione vltima illatio videtur inualida. Concedo enim alienationem ipſam fundi dotalis, fuiſſe de ſe nullam ex vi legis, & illicitam ratione periurii, nego tamen inde ſequi, non poſſe cõfirmari iuramẽto, quia nec lex annullans obſtat huic confirmationi, vt ex dictis in ſuperioribus ſupponimus, nec prius iuramentum obſtat, quominus poſterius iuramentum ſeruari poſsit, & debeat, quia poteſt ſine peccato, & ſine contrarietate ſeruari, vt oſtenſum eſt. Vnde non ſequitur, quod poſterius iuramentum ſit vinculum iniquitatis: nam licet confirmet indirectè, & conſequenter alienationem cum periurio factam: non tamen cõfirmat illam, vt ſacrilegium fuit, ſed confirmat effectũ, qui ex prauo actu ſequi poteſt, & ſecundum ſe bonus eſt. Sicut in ſuperioribus diximus de actu facto contra iuramentum, quod non obſtante malitia poteſt habere bonum eſſe-

Poſterius iuramentũ non eſt vinculũ iniquitatis.

effectum, vt quidam actus eſt, & vt ſic poteſt confirmari iuramento. Confirmatur in preſenti: nam illud poſterius iuramentum immediate, & per ſe confirmat tantum promiſsionem non contraueniendi, in quo non eſt vinculum iniquitatis, ergo nec pacti cōfirmatio, quæ inde ſubſequitur, eſt vinculum iniquitatis, ſed ſupponit iniquitatem, & confirmat quemdam eius effectum non malum.

8. Præterea tertia ratio falſum ſumere videtur, vt oſtenſum eſt, quia poſterius iuramentum videtur eſſe de re licita & non contraria priori iuramento. Deinde licet daremus prius iuramentum fuiſſe de non aſſumendo Deum in teſtem ad confirmandam talem actionem, & ideo ſecundum iuramentum eſſe contrarium priori, non videtur ſufficere, vt non confirmet contractum, tum quia licet poſterius iuramentum ſit inique factum, nō obligat ad aliquid iniquū, & ita nunquam eſt vinculum iniquitatis: tum etiam quia licet quis male faciat ſic iurando, nihilominus cum effectu adducit Deum in teſtem, ergo prius iuramentum impedire non poteſt, quin pactum maneat Diuino teſtimonio confirmatum. Vt ſiquis iurauit nō facere teſtamentum clauſum coram tot teſtibus, ne validum ſit: nihilominus ſi poſtea fecit teſtamentum coram ſeptem teſtibus, validum eſt, licet ille fuerit periurus admittendo, vel vocando tot teſtes: ergo ſimiliter, &c. Item ſiquis iurauit nihil promittere cum iuramento, licet periurus ſit poſtea promittendo cum iuramento, nihilominus obligatur promiſsione, ſed ſecundo iuramento: nam licet illud fuerit periurium ex parte obligationis iurantis, nihilominus poſtea non obligat ad aliquod periuriū ſed ad rem licitam. Ergo ſimiliter in preſenti, eſto ſecundum iuramētum fiat cum periurio, propter obligationē non confirmandi contractum: non tamen fit de periurio, id eſt, de re, quam ſeruando committatur periurium. & ideo factum eius tenebit.

9. *Ca. Intellecto.* Denique cap. *Intellecto*, ſine cauſa adducitur ad illā ſententiam confirmandam, quia in caſu illius textus, alienatio, quam fecerat Rex Vngariæ, *erat in præiudicium regni ſui*, vt in textu dicitur, & ideo iuramentum de non reuocanda tali alienatione erat illicitum, vtpote de re illicita: nam tenebatur Rex ille ex iuſtitia alienationem reuocare, ſicut etiam in textu dicitur, vnde quamuis illa obligatio non alienandi non fuiſſet prius firmata iuramento, iuramentum poſtea factum de non reuocanda alienatione eſſet nullius roboris, vtpote de re iniuſta: ibi tamen fit mentio prioris iuramenti ad exaggerandam tranſgreſsionē, non quia illud fuiſſet neceſſarium ad nullitatem poſterioris iuramenti. In præſenti autem alienatio non non erat iniuſta, vt conſtat, & ita non reuocare illam, non eſt iniquum, & conſequenter poſterius iuramētum non eſt ex hac parte inualidum, nec fieri poteſt inualidum ex vi ſolius iuramenti prioris, cum non ſit contrarium ex parte materiæ, vt oſtenſum eſt. Ita ergo probabilior fit ſecunda ſententia.

10. *Prima limitatio ſecundæ ſententiæ. Anton. Gom. Baldus. Alexand. Palac. Rub. Georg. Matien. Dect. Imol. Iaſon. Alc. Gutier. c. Quamuis. Cap. Cum contingat. Couar.* Authores vero eius limitant illam in duobus caſibus, in quibus ſolis volunt procedere primam ſentētiam communem. Prior eſt, quando prius iuramentum factum eſt in fauorem alicuius, cui per illud eſt ius acquiſitum. Ita Anton. Gom. ſupra cum Bald. Alex. Palaci. Rub. Et Georg. Natha. quos allegat. Idem ſequitur Matien. libr. 5. Nou. recopil. tit. 10. l. 3. Gloſſ. 13. nu. 8. addens Decium, Imol. Iaſon. & Alciat. Tenet etiam Gutier. & probatur optime ex ca. *Quamuis*, de Pact. in 6. & cap. *Cum contingat*, de Iureiur. ex quibus habetur, iuramentum factum in præiudicium tertij non firmare contractum. Item ſecundum iuramentum eſt manifeſte de re iniqua, etiam contra iuſtitiā, quia eſt de non reuocando cōtractu, qui non ſolum legi, & iuramento, ſed etiam iuſtitiæ repugnat, quia iuſtitia obligat ad reuocationem iniuriæ factæ. Ergo iuramentum de non reuocando tali contractu de re iniuſta eſt. Vnde recte tulit Couar. ſuprà, hoc non ſolum eſſe verum, quando iuramentum præceſsit, ſed etiam quando præceſsit ſola promiſsio facta tertiæ perſonæ, & ab illa acceptata. quia etiam illa allegat ad reuocandum talem contractum, vtpote factum cum præiudicio promiſſorij: ergo multo magis procedit, quando talis promiſsio iuramēto firmata præceſſerat. Et hoc etiam confirmatur argumēto textus in d. ca. *Intellecto*. *Ca. Intellecto.*

11\. Poteſt autem dubitari, quando non præceſsit promiſsio, ſed iuramentum abſolutum cōceptum quidem intuitu vtilitatis proximi, nō tamen confirmās promiſsionem illi factam. Et tunc conſiderandum cenſeo, An tale iuramentum ſit factum intuitu pietatis, nec ne? Nam ſi ſit priori modo factum, habet vim quandam voti, ſeu eius conditionem imitetur, & ideo cenſeo poſterius iuramentum eſſe de re iniqua, & non obligare. Quia iuramentum hoc modo factum contra prius votum non eſſet validum, vt ſi mulier carens filijs, voueat Deo non alienare fundum dotale, vt poſsit ex illo pauperes relinquere hæredes, licet poſtea alienet, & iuret, non firmabitur cōtractus, nec obligabit tale iuramentum, quia ex vi voti non ſolū peccauit mulier, alienādo. ſed etiam tenetur ſemper reuocare alienationem, & ideo iuramētum non reuocandi illam eſt de re iniqua, & non obligat: ergo idem eſt, quoties iuramētum fit intuitu piæ cauſæ, etiamſi homini nō fiat promiſsio. *Iuramētum factum contra prius votum non eſt validum.* At vero ſi nec ſit promiſsio homini, nec ratio piæ cauſæ interuenit, ſed tātum ratio humana cedens in vtilitatem tertij, idem iudicium eſſe videtur de tali iuramēto, quod de abſolutè facto ſolum intuitu propriæ humanæ cōmoditatis, quia tūc nullum ius acquiſitum eſt tertio, nec alia ratio Religionis ſpecialiter obligat ad reuocandam alienationem ſemel factam, licet cum peccato facta ſit. Imò dicunt dicti Authores, tunc prius iuramentum non ita obligare, quin poſsit iurans cedere iuri ſuo, & quaſi relaxare illud ſibi: quod ego verum non cenſeo, ſi iuramentum ſine peccato ſeruari poterat & ideo non excuſo à periurio contractum poſtea, ſed eo non obſtante, videntur argumenta facta, & ſolutiones datæ probare, poſſe firmari poſteriori iuramento.

Altera limitatio huius poſterioris ſententiæ, ſeu alter caſus, in quo prior communis ſententiæ procedere poſsit, eſt, quando alter contrahentiū, vt emens fundum, vel donatarius, &c. in cuius fauorem factus eſt contractus fuit conſcius prioris iuramenti, & nihilominus contrahit, & exegit, vel acceptauit poſterius iuramentum à contrahente. Ita Anton. Gom. ſuprà cum Bald. Imol. Alexand. Fabro, Iaſone, & eſt communis Iuriſtarum ſententia, vt Couar. & Sanci. ſupra referunt. Et Gutier. ſupra n. 88. dicit eſſe ſequēdam in iudicando, & conſulendo, licet contrariam cenſeat veriorem quoad illā partem, quod etiam interueniente ignorantia alicuius contrahentis poſterius iuramentum non confirmet contractum. Quoad alteram verò partem, quod interueniēte ſcientia ex parte eius, cui fit ſecundum iuramentum, non cōfirmetur contractus, omnes videntur in ea conuenire. 12. *Secunda limitatio. Anton. Gom. Bald. Imol. Alexan. Fab. Iaſon. Couar. Sanci. Gutier.*

13\. Inde vero ſumūt argumentum Couar. & alij, vt concludant ineptam eſſe diſtinctionem: nam vel iuramentum ſecundum eſt de re licita, vel de illicita, ſi primum, confirmabit contractum, ſiue interueniat ſcientia prioris iuramenti ex parte alterius contrahentis, ſiue non: ſi autem iuramentum ſecundum eſt de re illicita, non confirmabit contractum, etiamſi alius bona fide contraxerit, videtur ergo impertinēs diſtinctio. Sed hæc ratio non conuincit, ſi hæc ſententia communis recte declaretur: non enim debet ita intelligi, vt iuramentum ſecundum non obliget, quando ſcientia ex parte alterius interuenit, oppoſitum enim probat ratio facta, ſed debet ita intelligi, vt tunc iuramentum non confirmet contractum, etiamſi non ſit illicitum ex parte rei proxime iuratæ,

Digitized by Google

quæ eſt, non contrauenire contractui, & ideo obliget. Non enim omne iuramentum obligans confirmat contractum, ſed oportet, vt non intercedat turpitudo ex parte illius, cui iuratur, vt ſupra dictum eſt, quia ergo ille, qui ſciens prius iuramentum cõtrahit, turpiter agit in cooperãdo, ideo poſterius iuramentum non confirmat contractum in fauorem eius. Et ideo licet ſeruãdum ſit, quamdiu ſuam retinet vim, nihilominus poteſt de illo peti relaxatio, & poſtea contractus irritari. Atque ita explicata illa ſententia non inducit repugnantiam.

14. *Conciliatur, vtraque ſententia. Anton. Gom. Matien. Gutier. Couar. Sanci.*

Ex his omnibus videtur cõſurgere veluti quædã concordia inter duas ſententias dictas, nimirum, vt prior procedat in his duobus caſibus vltimis: poſterior vero generaliter extra illos. Quæ cõcordia probabilis eſt, eamq; admittunt Anton. Gom. Matien. & alij ab ipſis allegati, & conſentit ex parte Gutier. licet non omnino. At vero Couar. Sanc. & multi alij illam concordiam non admittunt, nec intelligũt priorem ſententiam in illis tantum duobus caſibus, ſed generaliter, quia non fundatur in particularibus rationibus, & circumſtãtijs illorum caſuum, ſed in generali ratione, quod ſecundum iuramentum iniquum eſt, & ſine interitu ſalutis æternę ſeruari nõ poteſt. Quod fundamentũ ab eis non ſatis oſtenditur, & ideo contrariam ſentẽtiam exiſtimo valde probabilem, tum ſpeculatiue tum etiam practice.

15. *Duobus modis poteſt defendi prima ſententia.*

Siquis autem voluerit, priorem ſententiam communem defendere, duobus modis poteſt procedere. Vnus eſt, dicendo iuramẽtum poſterius in eo caſu ſemper eſſe in præiudicium tertij, quia eſt in præiudicium Dei, qui adducitur in teſtem contra prius teſtimonium ſuũ, & ita inducitur, vt ſuo teſtimonio falſum efficiat id, quod antea ſua authoritate confirmauerat, quæ eſt magna iniuria Dei, quæ non ſine cauſa comprehendi poteſt ſub præiudicio tertij, de qua fit mentio in d. c. *Quamuis*, & d. c. *Cum contingat*. Accedit, quod illa ſecunda iuratio eo ipſo, quod inducit Deum ad teſtificandum contra ſuum prius teſtimonium, videtur inefficax ad confirmandam veritatẽ, & conſequenter etiam ad confirmandum contractum. Sicut teſtis, qui deponit contra ſuum prius teſtimonium iuratum, nullam efficaciam habere poteſt ad veritatem comprobandam. Et iuxta hanc rationem ſoluentur nouo modo omnia adducta pro ſecunda ſententia, quia hæc ratio procedit etiamſi ſecundum iuramentum non obliget in futurum ad aliquid iniquum, ſed fundatur in hoc ſolum, quod cadit ſuper pactum quod ſine periurio non fit, quia ipſummet ſecundum iuramentum cum periurio fit: ſicut qui iurauit non iurare: & iurat, iurando eſt periurus. Conſequenter autem loquendo, non oportet dicere, ſecundum iuramentum non obligare, ſed ſatis eſt, dicere non confirmare contractum, quia fuit male præſtitum contra certitudinem iuramenti, & in præiudicium Dei, quæ eſt ſufficiens ratio, vt relaxari poſſit, & cõſequenter vt non ſit omnino firmũ, nec confirmatiuum contractus. Vt ſi is, qui iurauit non iurare, poſtea iurauit, obligatur ſecũdo iuramẽto: videtur tamen illa ſufficiens ratio obtinendi relaxationem iuramenti. Atque hæc via probabilis eſt, tamẽ incerta, & minus ſpeculatiua: nam practice potius videtur rationabilius, vt illi periuro non faueat iniquitas eius, ſed ligetur contractu, quem inique iurauit, quia tunc contractum non cõfirmari iuramẽto, eſſet fauor ipſius iurantis.

16. *2. Modus defendendi primam ſententiam.*

Altera via eſt defendendo, primum iuramentum non faciendi contractum, alias lege prohibitum virtute includere obligationem non ita faciendi illum, quin retractari poſſit, & debeat, & totum hoc firmari illo priori iuramento. Quia illud non eſt ſolũ de non faciendo illo contractu quoad externam actionem annullatam per legem, ſed multo magis de nõ faciẽdo illo valide, & in re: ergo conſequenter etiã eſt de reuocando illo, ſi exterius tentatũ fuerit. Ex hoc aũt principio optime ſequitur ſecundũ, iuramẽtum eſſe de re iniqua, & quæ ſine peccato periurij fieri nõ poteſt, ac ſubinde non confirmare cõtractum, & ſic etiã facile ruunt omnia adducta pro ſecunda ſententia. Qui modus eſt etiam probabilis, ſed fundamentum illud eſt valde incertum, quia nullo ſufficienti fundamento probatur, in priori iuramento illa omnia contineri, & præſertim probari non poteſt, per tale iuramentum induci obligationem ſpecialem retractandi talem contractũ, quotieſcumq; fieri cõtingat, quia in tali iuramento formaliter hoc nõ includitur, nec ex vi illius videtur hæc eſſe intentio ſic iurantis, & ideo niſi de hac ſpecialiter conſtet, oppoſitum credo verius, ideoq; penſatis omnibus, poſterior opinio cum ſuis limitationibus magis probabilis practicè videtur.

Denique non omittam aduertere Couar. & alios fateri, ſi interuenit dolus ex parte alienantis ſub iuramento contra prius iuramẽtum, quod occultauit ad circumueniendum, & decipiendum alium contrahentem, tunc contractum firmari iuramento. Hanc exceptionem addentes ſuæ ſententiæ, quia deceptis, & non decipientibus Iura ſubueniunt. Quod non videtur in eorum ſententia conſequẽter dictum: nam dicunt ſecundum iuramẽtum non poſſe ſeruari ſine interitu ſalutis æternæ, ſed idem eſt iuramentum, etiam ſi præceſſerit dolus: ergo nõ poteſt obligare nec confirmare contractum. Ergo è conuerſo ſi tunc firmat contractum, ſignum eſt, non eſſe tale, vt ſeruari non poſſit ſine diſpendio æternæ ſalutis, & ita in eo caſu confirmat cõtractum, quia ſeruari poteſt, & debet, ergo idem erit quoties licite ſeruari potuerit. 17. *Poſterior opinio cum ſuis limitationibus magis approbatur. Couar.*

Capvt XXXI.

An obligatio iuramenti ſit mere perſonalis tam ex parte iurantis, quam eius, cui iuratur?

HActenus diximus de cõditionibus requiſitis ad obligationem, & effectum iuramenti promiſſorij eiuſque vim & efficaciam explicuimus. Nũc declarandum ſupereſt, quantum extendatur, tum ex parte perſonarum, tum ex parte materiæ, vel durationis, & inde commode tranſitum faciemus ad explicãdos modos, quibus poteſt hæc obligatio auferri. Duæ autẽ perſonæ per ſe concurrunt in iuramento, iurans, & is cui iuramentum præſtatur, quarum prior exhibet obligationem, & illa ligatur, poſterior quaſi acquirit illã, ſeu ius aliquale ratione illius. Circa priorem perſonam, quæri poteſt, an ſola illa obligetur, vel an vnus poſſit obligari iuramẽto facto per alium? Nam quod iurans ipſe obligetur, ſatis oſtenſum eſt. Deinde conſtat, nullam eſſe poſſe quæſtionẽ de perſonis, quę inter ſe nullam relationem, vel moralem vnionem, aut ſucceſſionem habent, quia iuramento vnius non poteſt alium obligare. 1. *Quot perſonæ concurrunt per ſe in iuramẽto?*

Imò licet vnus alteri dederit poteſtatem ad promittendum pro ſe, vel componendam litem, aut ſimilem contractum perficiendum ſuo nomine: ſi nõ dedit etiam ſpecialem commiſſionem iuramenti, & ita firmãdi pactum ſuo nomine, licet procurator iuret, non tenetur alter virtute iuramenti, ſed tantum virtute contractus, quia procurator exceſſit poteſtatem, & quia actus agentium non excedunt intentionem eorum, tunc autem iuramentum non proceſſit ex intentione principalis agentis: non ergo potuit illum obligare. In hoc ergo ſenſu certum eſt, iuramẽtum eſſe actionem perſonalem, & ſimiliter obligationem eius: ita docet D. Th. q. 98. ar. 2. ad 4. & eſt cõmunis, ac certa ſentẽtia. Et patet, tum etiã quia eſt obligatio Religionis, quæ non contrahitur niſi ab eo, qui cultum Deo præbet, ſicut dicimus infra de Voto: oportet ergo vt ſit actus eius, qui per iuramentũ obligatur. 2. *Quomodo iuramentũ ſit actio perſonalis?* *D. Thom.*

Digitized by Google

ligatur. Ex hoc vero principio oriuntur nonnulla dubia.

3. *An præſtari poſſit iuramentum per procuratorem.*

Primum eſt, An poſſit iuramentum præſtari per procuratorem? in quo loqui poſſumus, vel ex natura rei, vel iure poſitiuo. Priori modo certum eſt iuramentum promiſſorium fieri poſſe per procuratorem: & ita factum obligare, non procuratorem, ſed eum cuius nomine factũ eſt. Probatur, quia Iura Canonica ſæpe recipiunt, & approbant hæc iuramenta: ergo ſignum eſt ex natura rei eſſe valida, & obligantia: ſi enim ex ſe non ſufficeret ille modus iurandi ad obligandum, non poſſet fieri validus per ius humanum, quia oportet, vt tale ius ſupponat omnia neceſſaria ex natura rei ad valorem iuramenti. Antecedens autem conſtat in cap *Tibi Domino*, d. 63. vbi Gloſſ late id explicat, item ex cap. *Optatum*, d. 100. Vbi æquiparantur iuramentum per ſcripturam miſſum, & propria ſubſcriptione munitũ, & præſtitum per procuratorem. Et in cap. *Metuentes* 14. q. 4. vbi ſermo eſt de iuramento inter priuatos præſtito per miniſtrum. Idem habetur ex cap. *Vnde*, § *Verum*, de Stat. regul. in 6. & ex c. vlt. de Iur. calum. in 6. vbi de iuramento calumniæ ſermo eſt, & declaratur eſſe neceſſarium ſpeciale mandatum, vt ibi etiam notat Gloſſa. Et ita in hac concluſione omnes Doctores his locis conueniunt, & in capit. *In pertractandis*, de Iuram. calum. & in leg. *Qui bonis*, § *Si alieno*, ff de Damno infecto, & plura adducit Couarr. infra citandus, & facit regula Iuris 68. in 6. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum*, vbi videri poteſt Gloſſa.

Cap. Tibi Domino. Cap. Optatum. Gloſſ. Cap. Metuentes. Cap. Vnde. Gloſ. Cap. In pertractandis. Couar. Gloſſa.

4. *Quilibet contractus poteſt fieri per procuratorẽ.*

Ratio vero eſt, quia contractus quilibet poteſt per procuratorem habentem ſpeciale mandatũ fieri ex natura rei, vt patet etiam in ipſo matrimonio: ergo & iuramentum poterit, quia non magis requiritur conſenſus ad iuramentum, quam ad matrimonium. Item ibi interuenit intentio iurandi ex parte principalis, & quamuis poſtea per aliũ loquatur, ipſe eſt qui loquitur, quia alius non loquitur niſi nomine eius, & parum ad vinculum iuramenti refert, quod inſtrumentum explicandi iurationẽ ſit propria lingua, vel aliena. Et inde eſt, vt tale iuramentum obliget principalem, non procuratorem, quia principalis eſt, qui iurat, & ideo tunc dicitur procurator iurare in animam Domini, non in propriam: vt notant dictæ Gloſſæ. Secus vero eſt, quando œconomus vniuerſitatis iurat de calumnia, quia hic iurat in animam propriam, vt dicitur in d. cap. *In pertractandis*, & ideo ipſe obligatur, quia iurat nomine proprio, & tunc non obligatur principalis ratione talis iuramenti, propria obligatione illius. Denique iuramentum per epiſtolam ſine dubio obligat ſubſcribentem, apud Deum, & homines. & ſimiliter iuramentum per nuntium, qui tantum ſe habet, vt narrans factum alterius: ergo ſimiliter per procuratorem, quia licet videatur loqui formaliter, *Iuro*, &c. loquitur nomine alterius, & tanquam alterum repræſentans. Et ideo hic modus iurandi non excludit, quin iuramentum ſit actio perſonalis, quia perſona principaliter, ac formaliter iurans, eadem eſt, quæ obligatur. Ita fere Caietanus 2. 2. q. 98. art. 2. ad 4.

Cap. In pertractandis. Iuramentũ per epiſtolã aut nuntiũ obligat. Caietan.

5. *Gloſ.*

Sed quid, ſi mittens procuratorem conſenſum ſuum reuocet, priuſquam procurator iuret? Gloſſa in d. cap. *Tibi Domino*, reſpondet, quod ſi reuocatio peruenit ad notitiam procuratoris, priuſquam iuret, non poterit iurare, neq; ſi iuret nomine alterius poterit illum obligare: quod ſatis per ſe clarum eſt, quia reuocatio habet effectum, & ita iam non poteſt procurator nomine alterius aliquid facere. At vero ſi procurator iurauit, priuſquam reuocatio ad eius notitiam peruenerit, ait, principalem obligari iuramento: quia quod facit iudex poſt reuocationem commiſſionis, ſeu mandati, antequam illius notitiam habeat, validum eſt, iuxta cap. *Mandato*, de Procur. Sed hoc non eſt intelligendum de obligatione propria iuramenti, ſed de alia forenſi, ſeu iudiciali, quæ per modum conuentionis, vel præcepti poteſt imponi per Iura præſcribentia formam iudicij.

Cap. Mandato.

6. *Quomodo ſe habeat reuocatio principalis circa iuramentũ procuratoris?*

At vero propria obligatione iuramenti, & apud Deum fieri non poteſt, vt in eo caſu obligetur principalis per iuramentum procuratoris. Probatur, quia tale iuramentũ re vera non manat ab ipſo principali, & licet in exteriori forma illi attribuatur, & nomine illius fieri dicatur, tamẽ in re fit ſine conſenſu eius, & conſequenter ſine intentione iurandi. ergo non poteſt ipſum obligare in vi iuramenti. Confirmatur primo, nam verba iuramenti proprio ore prolata, ſi fiant ſine intentione iurandi, non obligant in vi iuramenti ergo multo minus verba per alium prolata poterunt obligare, deficiente conſenſu, & intentione illius, qui iurare dicitur. Confirmatur ſecundo, exemplo matrimonij per procuratorem facto, quod conſtat eſſe nullum, ſi tempore contractus procuratio fuit reuocata, etiamſi procurator id ignoret, iuxta cap. vlt. de Procurat. in 6. vbi pro ratione redditur, quia deficit conſenſus: ergo idem eſt in præſenti, quia non minus requiritur conſenſus ad iurandum. Vnde tota illa declaratio, quæ in illo cap. vlt. fit de matrimonio per procuratorem contracto, videtur mihi poſſe cum proportione applicari ad iuramentum per procuratorem præſtitum, ſiue aſſertorium ſit, ſiue promiſſorium, vt ſenſit etiam Caietanus loco citato, & clarius Couarr. dicto cap. *Quamuis pactum*, 1. part. § 5. num. 7. in fine. Si autem dominus, qui reuocauerat mandatum, poſtea ratum habeat iuramentum per procuratorem poſt reuocationem factum, ex tunc cenſebitur iuraſſe, quia iam præbuit conſenſum, & ex tunc fecit ſuum, quod apparenter tantum, & externo ſuo nomine factum fuerat, iuxta regulas Iuris 9. & 10. in 6. de Ratihabitione, & mandato.

Cap. Vlt. de Procur. Caiet. Couarr.

7. *Aliquando non admittitur iuramentum per tertiã perſonam de iure humano.*

Denique dicendum eſt de iure humano in aliquibus caſibus non admitti iuramẽtum per tertiam perſonam. Ita notat Couar ſupra num. 8. Et ratio eſſe videtur, quia in aliquibus cauſis ad pleniorem earum examinationem, & partis ſatisfactionem ita expedire viſum eſt. Et ita hoc frequentius poſtulatur in iuramento aſſertorio, & iudiciali. vt colligitur ex capit. 2. de Teſtibus. Et ex cap. *Licet*. 2. eod. vbi id notant Abbas, Felin. & alij, & ex cap. *Si vero*, 2. de Senten. excommun. & capit. 2. de Hæret. vbi Gloſſa verb. *Proprijs*. Quibus autem verbis ſoleat, vel debeat in lege explicari hæc neceſsitas teſtificandi, & iurandi in propria perſona, & non per alium, tractant Iuriſperiti his locis, & Couarruuias ſupra. At vero in iuramento promiſſorio ſolet hæc præſentia exigi propter ſpecialem ſignificationem reuerentiæ, & obedientiæ exhibendam illi, cui iuratur, & hac ratione iuramentum fidelitatis præſtandum eſſe in propria perſona vaſalli, dixit Bald. vt Couarruuias ſupra refert, ſed intelligendum eſt cum duplici limitatione, vna ſi poſſit, & non ſit legitime impeditus, alia ſi dominus ita exigat, nã ſi ille velit per procuratorem iuramentum recipere, ſine dubio poteſt, vt conſtat ex d § *Verum*, de Stat. regul. in 6. Et ita docuit idem Bald. in tit. 3. lib. 2. feudor. Per quos fiat inueſti. § *Nulla*, in princip. & idem ſenſit Gloſſa in lib. 1. tit. 22 de Feud. Quo tempore miles, &c. cap. 1. verb. *Abſentia*.

Couar. Cap. 2. De teſtibus. Cap. Licet. Abbas. Felin. Ca. Si vero. Ca. 2. De hæret. Gloſ. Bald. Couarr. § Verum. Bald. § Nulla. Gloſ.

8. *An communitas aliqua poſſit iuramentum obligatorium præſtare?*

Atque ex his definiri poteſt aliud dubium, ſcilicet, An communitas aliqua poſſit iuramentum præſtare, ita vt iuramentum ſit obligatorium. Et ratio dubitandi eſt, quia communitas nõ eſt perſona vera, ſed ficta, iuramentum autem eſt actus perſonæ veræ, non fictæ, quia eſt actus, qui requirit propriã intentionem, & conſenſum. Contrarium vero, ſcilicet, communitatem etiã poſſe iuramento obligari, conſtat ex vſu, & conſenſu omnium Doctorum, vt videbimus,

Cap. Dilecto.

bimus, & eſt ſatis expreſſum in cap. *Dilecto*, de Præbend. cum ſimilibus. Dupliciter ergo poteſt iuramentum fieri ab vniuerſitate, ſeu communitate, primo ad obligandum ſingulos ſingulariter, & diuiſim operantes, vt ſi iurent ſeruare talem diem feſtum, vel aliquid huiuſmodi: ſecundo ad ſe obligandum collegialiter, vt ſi iurent non reuocare tale ſtatutum, vel ſeruare illud, cum tamen non diſponant de actionibus ſingulorum, ſed de actione totius capituli, vt non recipiendi aliquem in Canonicum, vel fratrem vltra talem numerum, vt eſt exemplum in d. cap. *Dilecto*, de Præben.

9.

Quid requiratur, vt collegium iuret?

Dico ergo, vt collegium iuret, quatenus collegium eſt, & iuramento obligetur ad actum collegij, vt ſic, neceſſarium eſt, vt iuramentum à ſingulis præſtetur, ſatis vero erit, quod maior ſuffragiorum numerus collegij conueniant in iurando, licet alij contradicant, niſi in aliquo ſpeciali caſu ad actum ipſum promiſſum vel iuratum maior concordia requiratur. Primam partẽ probat ratio dubitandi ſupra poſita, quia iuramentum eſt actus perſonalis, qui non poteſt vere, & in conſcientia alicui attribui ſine conſenſu eius, & propria intentione iurandi: ſed hic conſenſus & intentio non poteſt in re ipſa haberi à perſona ficta, vt eſt Collegium, niſi per veras perſonas, atque adeo per conſenſus & intẽtiones ſingulorum: ergo non poteſt Collegium iurare, niſi quatenus ſingulæ perſonæ iurant, vt ſunt partes Collegij. Altera vero pars probatur, quia quod fit à maiori numero, cenſetur fieri à toto Collegio, regulariter loquendo, & ſecluſis ſpecialibus caſibus, in quibus maior concordia requiritur, quod ad iuramentum per ſe neceſſarium non eſt: eſſe tamen poterit neceſſarium ratione materiæ illius, vt in vltima parte dixi. Vt ſi ad eligendum requiritur concordia duarum partium Capituli, vel ſuffragia, quæ medietatem eligentium non attingat, licet illi iurent, ratam habere electionem, nullum eſt iuramentum, quia cadit ſuper materiam indebitam, & iniquam. Item ſi ad aliquid gratioſe donandum, neceſſarius eſt communis conſenſus, nemine diſſentiente, licet Capitulum velit ſub iuramento promittere aliquam donationem facere, ſi in illo iuramento non conſentiunt omnes, non obligabit Capitulum, vt ſic ad donandum, quia ad hunc actum maior conſenſus Capituli neceſſarius eſt ad talem actum. Poterit tamen tale iuramentum obligare ſingulos, qui iurarunt ad non contradicendum poſtea, quia ſaltem hac intentione iuraſſe videntur. At vero ſecluſis his caſibus, ac regulariter loquendo, vbi actus fieri poteſt ad plura ſuffragia, vt iuramento firmetur à Capitulo, idem numerus ſuffragiorum ſufficiet, nam eſt eadem ratio.

10.

Iuramentũ non poteſt obligare totam communitatem, niſi aliquo modo obliget ſingulos.

Sed petes, an tunc obligentur iuramento Capituli ſinguli, qui ſunt de Capitulo, vel quem effectum habeat tale iuramentum? Reſpondeo in primis clarum eſſe, eos, qui iurarunt, obligari tali iuramento, quia iuramentum fuit validum, vt ſupponitur: ergo maxime valuit ad obligandos eos, qui iurarunt, non poteſt enim obligare communitatem, niſi aliquo modo obliget ſingulos. Item licet ſinguli non iurauerint, niſi vt partes Capituli, atque adeo ſub conditione tacita, ſi Capitulum conſentiret, nihilominus eo ipſo, quod illa ſententia præualuit iam Capitulum conſenſit, & iurauit: ergo ſufficienter impleta fuit conditio: ergo obligat iuramentum totum Capitulum: ergo maxime ratione illorum, qui iurarunt.

11.

In Capitulo poſtquã maior numerus iurauit, alij cogẽdi ſunt ad iurandũ.

At vero de aliis, qui noluerunt tali iuramento conſentire, ſatis dubium eſt. An obligentur tali iuramento: In quo videtur mihi dicendum, poſtquam ſententia illa præualuit, vt Capitulum iuret, & ſe obliget ſub iuramento, poſtquam maior numerus iurauit, alios cogendos eſſe ad iurandum: quia tenentur cum toto conformari, & quia alias non poſſet eſſe firmum fœdus cum Capitulo vel vniuerſitate iuratum. Nam quotidie mutantur perſonæ de Capitulo, & ita facile poſſet ceſſare obligatio iuramenti: nullaque eſſet ſtabilitas in illo, quod in rebus moralibus eſt magnum abſurdum: eo igitur ipſo, quod Capitulum obligatur iuramento, debent omnes, & ſinguli de Capitulo iurare perſonaliter. Si vero contingat aliquos non iurare, illi re vera non obligabuntur in virtute iuramenti, licet aliunde ratione pacti, vel promiſsionis, aut legis obligari poſsint, vt ex ſequenti puncto patebit. Et idem à fortiori dicendum eſt, quando actus ab vniuerſitate iuratus à ſingulis obſeruandus eſt: nam vt ſinguli obligentur iuramento, neceſſe eſt, vt ſinguli iurent, vel per ſeipſos, vel per alium, cui facultatem præbeant iurandi nomine ſuo, & eius iuramento omnium nomine facto, conſentiant. Si autem hoc modo non iurent, non obligabuntur in vi iuramenti, quia iurare eſt actio perſonalis: ſed poterunt obligari alio titulo iuſtitiæ, vel obedientiæ, vt dicemus.

Si aliqui de Capitulo nõ iurauerint, non obligabuntur in virtute iuramẽti, licet aliũde obligari poſsint.

Tertio, hinc expeditur aliud dubium, An iuramentum tranſeat ad ſucceſſores? Quod poteſt intelligi vel de ſucceſſoribus iurantis, ita vt ex iuramento patris, vel teſtatoris filius, aut hæres obligetur, vel de ſucceſſoribus eius, cui iuratur: ita vt qui iurauit Regi obedientiam, ſucceſſori eius illam debeat. Quantum ad primum igitur punctum communis ſententia eſt, iuramentum non obligare ſucceſſores iurantis, quia iuramentum eſt vinculum perſonale: quia ſicut nemo iurat, niſi ſua voluntate, ita neque obligatur iuramento alicuius, niſi in illud conſentiat, & conſentiendo ſuum faciat. Ita D. Thomas q. 98. art. 2. ad 4. & ibi Caietan. Soto, & omnes, Gloſſa per textum ibi, & alios, quos refert in cap. 2. §. *Procuratores*, verb. *Iuramentum*, de Iuram. calumniæ in 6. Panorm. & alij in cap. *Veritatis*, de Iureiur. Felin. in cap. *Cum ſit*, de For. compet. num. 9. Ioann. Andr. in cap. vlt. de Sepult. Bart. in l. *Qui ſuperſtitis*, ff. de Acquir. hæredit. Bald. in l. *Liberti, libertæque*, ff. de Operis libert. Anton. 2. p. tit. 10. cap. 6. caſu 10. Gregor. Lopez in l. 5. tit. 15. parti 2. gloſſ. 10. Vbi in hoc ponit differentiam inter iuramentum, & homagium, quatenus actus humanus eſt: idem in l. 4. tit. 25. p. 4. gloſ. 5. Idem tenet Sylueſt. verb. *Iuramentum* 4. q. 2. & 3. & alij Summiſtæ, Couar. ſupra p. 1. §. 5. num. 4. vbi alios refert, & infra in d. tract. de Voto hoc iterum dicemus. Eſt enim eadem ratio de vtroque, quia vtriuſque obligatio ſpiritualis eſt, & Religioſa, & ex proprio conſenſu pendet, ſicut etiam coniugium, ſponſalia, & ſimilia vincula perſonalia. 12.

An iuramentum tranſeat ad ſucceſſores?

D. Thom. Caietan. Soto. Gloſ. Panorm. Felin. Ioan. Andr. Bart. Bald. Anton. Gregor. Lopez. Syluest. Couar.

Vnde omnes colligunt, ſi aliquis iuramento aliquid promiſit, hæredem poſſe obligari, vt hæredem ratione pacti promiſsionis, non vero ratione iuramenti. Quod ſi promiſsio inualida fuit, vel non contulit ius alteri, cui facta eſt, ita vt per ſe ſpectata non tranſiret ad hæredes, licet iuramento firmata fuerit, non tranſibit, quia iuramenti obligatio cum ſuo Authore finitur. Et eadem ratione inferunt omnes, quod paulo antea dicebamus: ſi ciuitas, vel collegium, vel Capitulum aliquid iurauit, ſucceſſores non obligari illo iuramento, niſi denuo ipſi iurent, licet poſsit obligari alio modo, vel in vi conſuetudinis iuſtæ legis, vel alio ſimili modo. Hinc denique oritur, vt hæres ſuccedens in feudo cogatur inter annum inueſtituram petere cum noua fidelitatis profeſsione, vt patet ex l. 1. de prohibita feudi alienatione per Fridericum §. *Præterea*, & in vſibus feudorum notant. 13.

Iuramentũ non imponit obligationẽ ſucceſſoribus iurantis, quia iuramentũ eſt.

L. 1. §. Præterea.

Quod vero ſpectat ad alteram partem de ſucceſſoribus eius, cui iuratum eſt, communis reſolutio eſt, iuramentum tranſire ad ſucceſſores, & videtur expreſſe traditum in cap. *Veritatis*, de Iureiur. & facit optime l. *Si pactum* 9. ff de Probat. quatenus dicit, pactum cum aliquo factum, intelligi factum etiam pro hærede, licet eius expreſſa mentio non fiat,

14.

Iuramentũ tranſit ad ſucceſſores eius, cui iuratum eſt.

Cap. Veritatis.

Leg. Si pactum.

ſi aliun-

ſi aliunde non conſtat aliam fuiſſe contrahentium intentionem. Sic etiam iuramentum fidelitatis præſtitum domino feudi intelligitur etiam factum ſucceſſoribus eius.

15. Dices, Vel in iuramento diſtincte exprimitur, *Tibi, & ſucceſſoribus tuis*, & ſic nulla eſt extenſio, & res erat ſatis extra controuerſiam, quia tale iuramentum non poteſt dici tranſire ab actuali poſſeſſore ad ſucceſſores, ſed vtriſque directe fieri: vel in iuramento ſolum fit mentio præſentis perſonæ, cui iuratur, & ſic videtur eſſe contra naturam iuramenti, quia ſolum obligat ad id, quod exprimitur. Circa hoc Gloſſa cap. *Veritatis*, à multis probata, dixit, neceſſarium eſſe, vt expreſsio ſucceſſorum clare fiat, Sed id veriſimile non eſt, propter rationem factam, quæ enim poterat eſſe ibi dubitatio? Satis ergo eſt, quod iuramentum præſtetur tali perſonæ, non ratione ſui tantum, ſed ratione dignitatis, quod ſignificatur, quando ſub nomine dignitatis, aut dominij præſtatur iuramentum, vt iuro tibi Epiſcopo meo, vel Papæ, vt in cap. *Tibi domino* 63. d. & in vſibus feud. tit. *De noua forma fidelitatis*. Et ita ſentiunt Abb. & communiter Doctores in d. cap. *Veritatis*, Anton. 2. p. tit. 10. c. 6. §. 3. Sylueſt. ſupra, & Couarr. num. 5.

Gloſ. Non eſt neceſſe, quod expreſſio ſucceſſorum clare fiat.

Cap. Tibi domino. Abb. Anton. Sylueſt.

16. Itaque differentia per ſe intenta inter ſucceſſores iurantis, & eius, cui iuratur, eſt, quod iuramentum nullo modo poteſt obligare ſucceſſores iurantis, quia ſunt diſtinctæ perſonæ, & iuramentum natura ſua non poteſt obligare niſi perſonam iurantem. At verò optimè poteſt iuramentum obligare iurantem alteri, & ſucceſſoribus eius, quia tunc plures illæ perſonæ ſunt obiectum iuramenti, & poteſt iurans intendere totum illud obiectum: & ſine dubio ad talem obligationem in conſcientia neceſſaria eſt talis intentio. Exterius autem conſtare poteſt de illa intentione, non tantum ex verbis expreſſis, ſed etiam ex forma iurandi vſitata, & ex modo, ac circumſtantijs. Sicut è contrario, quamuis aliquis iuret fidelitatem Petro, Domino, vel Prælato ſuo, ſi dominium, vel prælationem amittat Petrus, non debet alter illi fidelitatem, iuxta cap. *Venerabilem*, in fine, de Electione, vbi Gloſ. Panormit. & alij id notant. Et ratio eſt, quia vnuſquiſque intelligitur iuraſſe illi, vt Prælato, non vt tali perſonæ: ſic ergo reſpectu ſucceſſorum intelligitur pro illis, etiam iuraſſe ratione dignitatis. Aliquando vero, non obſtante iuramento obligante pro ſucceſſoribus, præcipitur in Iure, vt quoties dominus, vel Prælatus mutatur, fiat noua recognitio fidelitatis, & obedientiæ illi, qui in dignitate, vel dominatu ſuccedit: id tamen non propter neceſsitatem iuramenti, ſed propter maiorem quandam debiti iuramenti recordationem, maioremque domini honorationem iniungitur. Et ita ſolum poteſt tanquam debitum exigi in caſibus Iure expreſsis, vt capit. *Longinquitate*, 12. quæſt. 2. ibi *Profeſsionem ſuam in conſpectu Eccleſiæ renouare*, profeſsionis nouum iuramentum indicat, vt bene notat Couarr. dicto §. 5. num. 5. verſ. *Sexto*.

Aſsignatur differentia inter ſucceſſores iurantis, & perſonæ, cui iuratur.

Gloſ. Panorm.

Cap. Longinquitate.

Couarr.

Capvt XXXII.

Quomodo interpretandum ſit iuramentum quoad extenſionem, vel limitationem obligationis eius?

1. Conſtat ex ſuperius dictis, obligationem iuramenti ex intentione iurantis maxime pendere, vnde quod ad forum conſcientiæ ſpectat, ſi iurans certus ſit de ſua intentione, & explicare poſsit quid iurare voluerit, & pro quo tempore, vel ſub quibus conditionibus, aut circumſtantiis: non eſt neceſſaria præſens quæſtio, ſed intentioni iurantis ſtandum eſt, quantum attinet ad obligationem iuramenti, vt ſupra etiam circa iuramentum ſimulatum declaratum eſt, nam omnia ibi dicta debent hic ſupponi. Et ideo hic non tractabimus, an iuramentum recipiat interpretationem iuxta intentionem iurantis, vel eius, cui iuratur, de hoc enim ſatis ibi dictum eſt: ſed ſolum agemus de modo interpretandi intentionem iurantis, & ſenſum verborum eius ex materia, vel aliis circumſtantiis. Sæpe enim contingit, vt iurans non valeat aliam intentionem explicare præter eam, quæ verbis ipſis accommodata eſt, nam ſimpliciter voluit iurare, prout verba ſonant, quod in foro conſcientiæ regulare eſt in hominibus, qui bona fide, & ſimpliciter iurant, iuxta capit. *Humanæ aures*, 22. quæſt. 5. Vnde etiam in exteriori foro Eccleſiæ in hunc modum iuramenta accipiuntur, quia Eccleſia non iudicat de interiori intentione, niſi quatenus ex verbis, & ſignis exterius manifeſtatur. Hinc ergo fit, vt iudicium de obligatione iuramenti ex intelligentia verborum, quibus exprimitur, pendeat, & ideo maxime neceſſarium eſt noſſe, quomodo talia verba interpretanda ſint. Quæ ſane materia ampliſſima eſt, nam ad illam reuocari poſſunt fere omnes caſus, qui de obligatione iuramenti occurrunt: tamen ad duo principia illa reuocabo, & ex illis nonnulla peculiaria dubia, quæ frequentius occurrunt, & à Doctoribus Scholaſticis tractantur, indicabo, vt ex illis poſsit facile doctrina ad alia applicari.

Quantum pendeat iuramentum ab intentione iurantis?

C. Humanæ aures.

2. Primum igitur huius materiæ fundamentum ſit, iuramentum potiſsime iudicandum eſſe iuxta naturam actus, cui adiungitur. Hoc ſumunt Authores ex leg. vltim. Cod. de Non numer. pecun. vbi Bart. Bald. & alij, & capit. *Quemadmodum*, de Iureiuran. vbi etiam Interpretes, quos cum aliis late allegat Tiraquel. de Iuram. conſti. poſſeſſ. 3. par. limit. 7. numer. 35. Couarr. ſupra 1. part. §. 4. numer. primo, & in Epito quarti Decret. ſecunda part. § 5. numero tertio, Gutierrez part. 1. capit. 37. numero 2 & 3. & alij ſtatim referendi. Ratio vero eſt, quia iuramentum fit iuxta intentionem iurantis, vnde ad id obligat, quod quiſpiam iurare intendit: ſed qui iurat, id intendit iurare, quod promittit, ſeu contrahit, & eo modo, ſeu ſub ea limitatione, vel conditione, ſub qua promittit, ſeu contrahit: ergo iuramentum accommodatur contractui, cui adiungitur, & eius conditionem ſapit, ac ſortitur. Et confirmari hoc poteſt inductione ex dictis Iuribus: nam qui iurat ſponſalia, intelligitur iurare ſecundum conditionem ſponſalium, ita vt ſi ſponſa fornicetur, iuramentum non obliget: & qui iurat ſoluere mutuum, iuxta mutui conditionem, iurat vtique ſi pecunia ſibi numeretur, & ſic de aliis. Et alia plurima exempla in hoc accumulat Marc. Anton. Bauer. tract. de Iuramento in 72. effectu à num. 124. per plures ſequentes.

Iuramentum potiſsimum iudicandum eſt iuxta naturā actum, cui adiungitur.

Leg. Vlt. Bart. Bald. Cap. Quemadmodum. Tiraquel. Couarr. Gutier.

Marc. Anton. Bauer.

3. Atque hinc colligunt Doctores aliud principium, quod in principio huius libri notauimus, ſcilicet iuramentum de ſe non mutare, vel augere naturalem, ſeu humanam obligationem actus, cui adiungitur, ſed ſolum addere illi Religionis obligationem: quia ſupponit actum, cui adiungitur, & illum afficit addendo vinculum altioris rationis, & ideo de ſe non mutat naturam talis actus, ſed illummet induit ſua obligatione. Ita Tiraquel. referens multos in Leg. *Si vnquam*, in Præfat. num. 165.

Iuramentū de ſe habet humanam obligationē actus cui adiungitur.

Tiraquel.

4. Dices, repugnare hoc principium cum his, quæ in Superioribus dicta ſunt, nam ex illis conſtat, iuramentum in multis mutare naturam actus, cui adiungitur; nam facit irreuocabilem actum, qui de ſe reuocari poterat, dat actionem vbi actus de ſe illam non producebat, firmat actum de ſe debilem, vel etiam confirmat irritatum, & ſic de alius multis. Propter

Marc. Anton.

pter hæc, & ſimilia Marc. Anton. ſupra dicit, regulariter intelligendum eſſe dictum principium, recipere tamen plures limitationes, & exceptiones, quas ibi late proſequitur. Alij vero ſub quadam generali limitatione omnes comprehendunt, nimirum exceptis his conditionibus, quæ cum iuramento ipſo repugnant. Citatur Seraphin. de Priuilegio iuramenti in 71. num. 52. Couar. verò cum Baldo, & aliis dicit, iuramentum ſequi naturam primordialem contractus, cui adiungitur, non vero naturam accidentariam. Vocat autem naturam primordialem eam, quæ conuenit actui ex propria, & primaria ſpecie, & quaſi naturali contractus: accidentalem autem illam, quæ in conditionibus per leges, vel aliunde additas, conſiſtit. Hinc Anton. Corſet. tract. de Iuramenę. num. 54. dixit, licet illud principium ſit ita receptum, poſſe nihilominus regulam in contrarium ſtatui, quod iuramentum non debet reſtringi ſecundum naturam actus, ſuper quo interponitur: tum quia facit actum valere eo modo, quo poteſt, quamuis ſine iuramento non valuiſſet. Tũ quia hoc etiam principium ſub his terminis communiter receptum eſt, vt ibi allegat: & ſumi poſſe videtur ex cap. *Debitores*, & cap. *Si vero* de Iureiurando.

Seraphin. Couarr. Bald.

Anton. Corſet.

Cap. Debitores.
Ca. Si vero.

5. *In iuramento duo conſiderantur, & ſenſus eius & obligatio.*

Sed dico, hæc duo principia recte intellecta non eſſe contraria, nec inſtantias adductas repugnare priori principio poſito. Quod ſic declaro, Nam in iuramento duo conſiderari poſſunt, vnũ eſt ſenſus eius, aliud eſt obligatio eius. Prius ergo principium intelligitur quoad ſenſum, quoad obligationem vero non ita generaliter, ſed ſolum quoad conditionem liciti, vel illiciti actus. Secundum autem principium intelligitur quoad obligationem, ſuppoſito vero ſenſu iuramenti. Declaro breuiter omnia, nam aliud eſt quærere, quid iuretur, aliud vero quomodo iuramentum ad id obliget, nam primum ſpectat ad materiam, ſecundum ad effectum iuramẽti. Senſus ergo iuramenti eſt, quod talis res ſub tali, vel tali conditione, limitatione, aut extenſione iurata intelligatur, & ideo clarum eſt, hunc ſenſum maxime ſu[...]ndum eſſe ex natura actus iurati, prout per talia verba, vel ſigna expreſſum eſt: & hoc probant Iura, & exempla in principio adducta, & ratio etiam facta, quia iuramentum eſt quaſi acceſſorium ad aſſertionem iuratam, & ideo ſequitur ſenſum eius. Et iuxta hanc intelligentiam illius principij, non ſolum procedit quoad primordialem naturam actus, quaſi ſolo iure naturæ ſpectati, ſed etiam ſecundum naturam, quam de facto à iure, vel conſuetudine ſortitur, quia etiam cenſetur quis contrahere modo iur[...], vel conſueto, & ita etiam cenſetur iurare. [...] obligatio iuramenti pendet ſuo modo ex materia, quia debet eſſe poſsibilis, & licita, & quoad hoc ſequitur iuramentum naturam actus, quia non obligat ad impoſsibile, vel illicitum.

6. *Iuramentũ non obligat ad impoſſibile, vel illicitum.*

Suppoſita vero capacitate actus per ſe inducit ſuam obligationem quaſi independẽter ab aliis conditionibus actus, ſcilicet, quod de ſe ſit validus, vel obligatorius, &c. & ita procedunt inſtantiæ adductæ. Quæ partim in naturali vi iuramenti, partim in priuilegiis conceſsis iuramento humano iure fundari poſſunt: pertinentque ad roborandum iuramenti obligationem, quæ (vt dictum eſt) ex natura actus, quoad alias conditiones non pendet. Alia vero regula, quod iuramentũ facit valere actum aliàs inualidum eo modo, quo valere poteſt, procedit in primis quãdo id, quod fieri poteſt ratione iuramenti, includitur in actu valido iurato, vt in promiſsione ſoluendi vſuras includitur aſſertio dandi, & deinde oportet, vt licitè fieri poſsit, vt in eodem exemplo conſtat. Et tunc iuramentum ex ſe inducit ſuam obligationem, & in ea non pendet à natura actus inualidi, vt talis eſt, ſed ab illo, qui in eo includitur, cuius ſenſus, & natura ſpectanda eſt, & in hoc ſenſu eſt intelligendum hoc vulgare axioma, de quo videri poteſt Gutierrez 2. parte de Iuramenę. capit. 2. num. 4. in fine, & in num. 5 & 6.

Gutier.

7. *Quam ſtricte interpretandum ſit iuramentũ quoad obligationem ſuam.*

Secundum principium ſeu fundamentum in hac materia eſſe debet, iuramentum quoad obligationem ſuam ſtricte eſſe interpretandum, quantum materia eius, & verba pacti, ſeu promiſsionis permiſerint. Hoc tradit Panormitanus in cap. *Cum clerici*, de Verborum ſignificatione, in fine, & in capit. *Clericus* de Iureiur. per illa Iura, in quibus fit ſtricta interpretatio iuramenti. Idem ſentit ibi Anton. & Archidiacon. in cap. *Nequis* 22. quæſt. 2. Selua 2. part. quæſt. 2. numer. 7. Syluest. *Iuramentum* 3. quæſt. 3. & *Iuramentum* 4 quæſt. 23. Angel. *Iuramentum* 4. quæſt. 1. Et probatur ex generali regula, quod vbi de obligatione agitur, ſtricta eſt facienda interpretatio. Vt de obligatione promiſsionis, & ſtipulationis, dicitur in l. *Quicquid* cum §. vn. ff. de verb. obligat. De iuramento vero id ſignificatur in capit. *Ad audientiam* 3. de Iureiur. & capit. 1. eod. in 6. Fauet etiam capit. penult. de Iureiur. vbi in iuramento de ſeruandis ſtatutis editis fit interpretatio, vt non extendatur ad poſtea condita, quæ ſtricta eſt. Denique iuuare etiam poteſt regula iuris, quod odia, ſeu onera reſtringenda ſunt, nam obligatio iuramenti valde oneroſa eſt, & ideo quo leuior fieri potuerit per benignam interpretationem, quando illa locum habet, lenienda eſt.

Panorm.
Cap. Cum clerici.
Cap. Clericus.
Anton.
Archid.
Selua.
Syluest.
Angel.
L. Quicquid.
Cap. Ad audientiam.

8. *Aliqui ſentiunt ampla interpretanda iuramẽta.*

At vero aliqui contrarium ſentiunt, nempe in iuramentis amplam interpretationem faciendam eſſe, quia fauor Religionis ſemper eſt præferendus. iuramentum autem ad Religionem pertinet ergo interpretatio eſt in fauorem iuramenti facienda, erit autem fauorabilior iuramento quo fuerit magis rigoroſa, ita vt obligatio ad omnia extendatur, quę ſub verbis in ſenſu magis amplo, & non in proprio cadere poſsit. Exemplum ſumi poteſt ex capit. *Veritatis*, de Iureiur. vbi iuramentum fidelitatis factum Prælato extenditur ad ſucceſſores, quæ eſt ampla interpretatio. Item in capit. 2. *Ex parte*, de Cleri. non reſiden. iuramentum reſidendi extenditur ad abſentiam pro tuendo iure præbendæ.

Cap. Veritatis.

9. *Contrariũ ſtabilitur.*

Nihilominus fundamentum poſitum eſt ſolidum, intelligendum autem eſt cum concordia, & proportione ad priorem regulam, ita vt materia ſubiecta non repugnet verborum reſtrictioni, vt bene notauit Panormitanus in cap. *Intellecto*. de Iureiur. numer. 10. Et hoc modo eſt hoc principium rationi conſentaneum, quia cum hæc obligatio ex intentione iurantis pendeat, veriſimilius eſt voluiſſe ſe obligare quam minimum potuit. Neque hoc eſt contra fauorem iuramenti, quia fauor iuramenti ſolum eſt, vt veritas ſeruetur, quæ veritas non in ampliatione, vel reſtrictione verborum conſiſtit, ſed in conformitate quaſi indiuiſibili facti ad dictum, quæ conformitas tanta erit in ſenſu reſtricto, quanta in amplo, ſi verbum impleatur in ſenſu, quo prolatum eſt. Nec pertinet ad reuerentiam iuramenti, quod ad plura obliget, imo quo fuerit benignior interpretatio, eo frequentius obſeruabitur, quod ad illius reuerentiam magis ſpectat. Vnde ſicut non ſpectat ad fauorem iuramenti, quod de pluribus rebus, vel ſæpius fiat: ita neque quod in ampliori ſenſu factum eſſe intelligatur.

Panorm.

In quo conſiſtat iuramenti veritas.

10. *Cap. Veritatis.*

Ad cap. autem *Veritatis*, reſpondetur ibi ex materia ſubiecta, & ex proprietate, ac perpetuitate dignitatis ſignificatæ nomine Prælati illum ſenſum fuiſſe inductum, non per modum extenſionis: ſed per modum adæquati ſignificati. Nec enim dicimus, ſemper reſtrictum ſenſum eſſe pręferendum, ſed cęteris paribus, & ſuppoſitis omnibus circumſtantiis. Addo etiam, in illo textu illam veluti ampliationem pertinuiſſe ad quandam iuramenti reſtrictionem. Nam cum fidelitas iuranda eſſet cuicunque Prælato pro tempore exiſtenti, ne oporteret tot iuramenta multi-

Cæteris paribus ſtrictus ſenſus eſt præferendus.

Digitized by Google

multiplicare, ſeu iurare, recte declaratum eſt, iuramentum ſemel Prælato factum, vt Prælatus eſt, ipſi, & ſucceſſoribus fieri. Ibique alia reſtrictio continetur reſpectu perſonæ Prælati, vt non intelligatur illi fieri iuramentum, niſi pro tempore, quo dignitatem retinuerit, vt ſupra dictum eſt. Cap. autem, *Ex parte*, potius probat contrarium, nam ibi fit ampliatio in verbis, vt fiat reſtrictio in obligatione iuramenti, nam qui iurât reſidere, non ita cenſetur obligatus ad corporalem præſentiam, vt non liceat illi abeſſe ad iura ſuæ dignitatis tuenda, & ita reſtringitur obligatio iuramenti. Vnde cum dicimus, iuramentum eſſe ſtricte interpretandum; non intelligimus quoad materialia verba, ſed quoad ſenſum, in quo iuramenti obligatio magis coarctetur, ſi nihil in contrarium cogat.

11. Ex his principiis colligi poteſt deciſio plurimorum caſuum in particulari, qui à Doctoribus paſſim traduntur, vt videre licet in Sylueſt. toto verb. *Iuramentum* 3. & ferè in 4. & Angelo in 4. & 5. Antonino 2. part. titul. 10. capit. 6. §. 5. & ſequentibus. Selua 2. part. de Iuramento, quæſtion. 2. Huiuſmodi ſunt, verbi gratia, de iuramento ſeruandi ſtatuta communitatis, nam intelligitur de factis, non de futuris, niſi aliud conſtet aliunde: quia eſt reſtrictio prudens, & rationabilis, nam futura ſunt valde incerta. Et fauet Diuus Thomas quæſt. 98. articul. 2. ad 4. loquitur tamen de eo, qui iurat ſeruare ſtatuta edita iuxta capit. *Clericus*, de Iureiuran. Idem tamen ſentiendum eſt, etiamſi non addatur particula *edita*, vt bene Sylueſt. *Iuramentum* 4. quæſt. 23. cum Angelo, Panormitano, & Antonio in dicto capit. *Clericus*. Item reſtringitur illud iuramentum ad ſtatuta non derogata conſuetudine, quia alia iam non ſunt, vt bene Sylueſt. ſupra. Item ad licita, & honeſta cap. 1. de Iureiuran. in 6. Item ſi quis iurauit ſtare iudicio, ſeu arbitrio alicuius, intelligitur, niſi iniuſta præcipiat, vel tam difficilia, vt in voluntate iurantis veriſimiliter cadere non potuerint, ex capit. *Verum*, cum ibi notatis de Iureiurando.

Syleuſt. Anton. Angel. Selua. Iuramentū ſeruandi ſtatuta cōmunitatis intelligitur de factis. D. Thom. Cap. Clericus. Syluest. Angel. Panorm. Anton. Ca. Verum.

12. Idem cum proportione eſt de illo, qui iurauit abſolute facere quidquid alius præceperit, nam cum eadem reſtrictione intelligitur, vt notat Diuus Thomas quæſtione 98. articulo ſecundo ad tertium, vbi Soto libro octauo, quæſtione ſecunda, articulo ſecundo late id declarat, Sylueſt. *Iuramentum* ſecundo, quæſtione 6. Aliud exemplum ſumitur ex capit. *Ad noſtras* 3. de Iureiurando, de Prælato, qui iurauit ſeruare in iudicijs ordinē Iuris, nam intelligi debet, vt ibi dicitur de illo ordine ſeruando in illis cauſis, in quibus ſeruandus eſt ſecundum Ius, quia hic eſt rationabilis ſenſus talium verborum. Vnde colligitur etiam regula, quod iuramentum circa ea, quæ Ius concernunt, intelligendum eſt ſecundum Iurium diſpoſitionem, & ad illam eſt reſtringendum, vt videri poteſt late in Angelo *Iuramentum* 4. num. 1. & 2. Syluest. *Iuramentum* 3. quæſt 3. & ſequentibus. Et per hæc iudicari poteſt de alijs particularibus, quæ nunc perſequi non poſſumus: in ſequentibus vero capitulis aliqua attingemus.

D. Thom. Soto. Syluest. Cap. Ad noſtras. Angel. Sylueſt.

Capvt XXXIII.

De obligatione iuramenti in caſu dubio.

1. Videtur ex dictis principiis ſequi, in caſu dubio non obligare iuramentum, quia in dubio reſtringendum eſt iuramentum, ergo ſimiliter, vbi dubitatur de ipſo iuramento, interpretandum eſt non obligare, nam hæc eſt tunc obligationis reſtrictio. In contrarium vero eſt, quia potius in dubio videtur fauendum Religioni. Verumtamen non poteſt vna regula generalis tradi, quia multiplex poteſt eſſe dubium, & non eſt eadem ratio de omnibus.

Statuitur ſtatus controverſiæ.

2. Primo ergo dubitare poteſt quis, An iuramentū emiſerit, nec ne? Et in hoc caſu cenſent aliqui, teneri dubitantem ad ſeruandum iuramentum, quia in dubiis tutior pars eligenda eſt, ſicut dubitans, an irregularitatem, vel cenſurā incurrerit, tenetur abſtinere, & qui dubitat, an peccauerit mortaliter, tenetur dubium confiteri. Alij ſub diſtinctione reſpondent, ſi poteſt ſeruari iuramentum ſine magno grauamine teneri, non vero cum illo. Ego vero cenſeo ſimpliciter non teneri, quando eſt verum dubium negatiuum, ita vt non poſsit probabile iudicium ferre, quod iuramentum emiſerit: quia tunc non proponitur illi ſufficienter ratio obligationis, vt ſe poſsit agnoſcere obligatum, ſicut, ſi illo modo dubitat de lege vel præcepto Superioris, & facta diligentia non poteſt ferre iudicium, quod tale præceptum ſit latum, non obligatur. Idemque dicam infra de Voto cum Soto, Medina, & alijs: eſt enim eadem ratio. Idemque dico de cenſura, quando dubium eſt totale, etiam de fundamento cenſuræ. De irregularitate vero eſt ſpecialis ratio in caſibus à Iure conceſsis, vt alibi dixi: & non eſt ſimile de confeſsione peccati dubij, quia ibi non obligatur homo ad aliquid, quod dubium excedat, vt dixi in 4. tom. 3. partis, diſputat. 22. ſect. 9.

Qui habet negatiuum dubium vtrum iurauerit, non tenetur. Soto, Medin.

3. Secundo poteſt quis eſſe certus, quod promiſerit, vel aſſeruerit ſe aliquid facturum per verba, quæ poſſunt habere ſenſum ambiguum, ſint ne iuratoria nec ne, & dubius eſſe de intentione, & ſignificatione, in qua illa dixit, ſeu dicere voluit: vt ſi dixit per fidem ſuam & dubitat, de qua fide intellexerit, vel quid ſimile. Et in illo caſu dicunt aliqui, teneri dubitantem ad obſeruandum iuramentum, quia in dubijs animæ tenemur ſequi tutiorem partem capit. *Ad audientiam*, de Homicid. Sed contrarium verum cenſeo cum Caietano 2. 2. quæſt. 89. art. 7. cuius ſententiam valde commendat Couarr. ſupra p. §. 2. num. 2. in fin. & tenuit etiam Alciat. in Rub. de iuramento num. 5. Et probatur ex principio poſito, quod in dubijs mitior interpretatio eſt facienda, quando inducenda eſt tam grauis obligatio, quanta eſt iuramenti. Et confirmatur optime ex cap. penult. de Iureiur. vbi Pontifex in dubio de his verbis, *Promitto per idem iuramentum*, interpretatur, non oriri ex illis obligationem iuramenti de nouo præſtiti, neque antiquam extendi ad præſentem materiam: cum tamen res videretur dubia, nam verba illa poſſent cum proportione vtrumque ſenſum recipere: & tamen Papa in benigniori ſenſu illa interpretatur. Quoties ergo res ita fuerit dubia, & ex circumſtantijs perſonæ, temporis, loci, & ſimilibus contrarium non præſumatur, in dubio ſequenda eſt benignior interpretatio. Neque tunc omittitur pars tutior, quia hæc eſt tutiſsima, & practicè certa, & ſecundum rectam rationem, & interpretationem poteſt dici tutior, quia maius periculum animarum incurreretur, ſi tot vincula in caſibus dubijs eis iniicerentur. De illo autem principio, in dubijs tutius eſſe eligendum, & de ſenſu dicti cap. *Ad audientiam*, dixi late in tom. 4. de Cenſuris, diſput. 4. ſect. 6.

Quid faciendum cū aliquis dubitat de intentione & ſignificatione iuramenti. Cap. Ad audientiam. Caietan. Couarr. Alciat.

4. Tertio poteſt quis eſſe certus, quod verba iurandi protulerit, dubius tamen de intentione, An ſcilicet iurare intenderit, vel ſimulare? Et in hoc caſu cenſeo iuramentum obligare, tunc enim eſt fauendum iuranti in caſu dubio, quando ipſe bona fide procedit: nam ſi non poſſumus dubium in fauorem eius interpretari, niſi dolum, & fraudem illi attribuendo, nullo modo admittēda eſt talis interpretatio. Et ita ſentit Syluest. *Iuramentum* 4. quæſt. 7. citās Abbat. Archid. & Roſel. Ratio reddi poteſt, quia tunc conſtat, iuramentum ſaltem externum eſſe factum: ergo ſi non conſtat ficte fuiſſe factum, præſumendum

Agitur de dubio intentionis. Sylueſt. Abb. Archid. Roſel.

Digitized by Google

dum eſt fuiſſe verè, & ex animo factum, tum quia hoc ſpectat ad reuerentiam Deo debitam: tum quia non eſt præſumendum peccatum, vbi de illo non conſtat. Et in hoc eſt magna differentia inter hunc caſum, & duos præcedentes. Quia quod iuramentum ſit factum, vel non factum, nihil ſpectat ad reuerentiam Dei, nec in alterutra parte præſumitur peccatum: idemque eſt quando verba ſunt ambigua, quia ſine peccato, vel irreuerentia Dei potuerunt dici in ſenſu, quo iuramentum non continent. At vero in hoc tertio caſu fictio nõ fit ſine graui culpa, & irreuerentia Dei, & ideo non poteſt præſumi in caſu dubio, in quo non probatur: maxime quia iuramentum ipſum eſt ſignum de ſe talis intentionis, & veri iuramenti, & ideo ſi oppoſitum non probetur, maius eſt ius ipſius iuramẽti, vt pro illo præſumatur.

5. *Panorm. Cap. Si vero. Angel.*

Panorm. autem in cap. *Si vero*, de Iureiur. in fine, & Angel. verb. *Iuramentum*, 5. n. 10. hoc limitat in iuramẽto metu facto. Nam tunc (aiunt) in dubio præſumitur quis non habuiſſe animum ſe obligandi, (vt ipſi loquuntur) intelligendum autem puto de animo iurandi, nam ſi quis certus ſit de animo iurandi, parum refert, quod dubitet de animo ſe obligandi, quandoquidem ſupra dictum eſt, quod licet nolit ſe obligare, obligatur, ſi vult iurare. Igitur oportet, vt loquantur de dubio circa intentionem iurandi. Allegant cap. *Super hoc*, de Elect. quia ibi dicitur, *iuramentum vix creditur fieri de voluntate propria*. Sed non eſt ſenſus, vix credi, fieri cum vera intentione iurandi, ſed vix credi fieri ſpontanea voluntate, id eſt, ſine magna neceſsitate, vel coactione, quod longe diuerſum eſt, vt per ſe conſtat. Eſt autem euidens ex re ipſa, & ex materia textus, hunc eſſe ſenſum illius. Citant etiam l. *Cum de indebito*, ff. de Probat. quæ iudicio meo nihil ad cauſam facit, quia non de iuramento, ſed de aliis generibus præſumptionum inter actorem, & eum, qui ſe defendit, in exteriori foro tractat. Denique citant cap. *Verum*, de Iureiurando, vbi potius videtur oppoſitum ſupponi, quatenus abſolute dicitur ibi, in talibus iuramentis neceſſariam eſſe abſolutionem.

Qui vult iurare, vult ſe obligare. Cap. Super hoc. L. Cum de indebito. Ca. Verum.

6. *Couarr. Panorm. Imol. Alexand. Felin. Gutier. Iuramentũ metu factũ obligat.*

Atque ita Couar. in 4. 2. p. c. 3. §. 5. n. 3. in fin. reprobat ſententiam Panorm. dicens in ea manifeſtiſſime erraſſe. Vnde contrariam etiam docuerunt Imol. in cap. *Ad audientiam*, de his, quæ vi, nu. 5. Alexand. in d. cap. *Si vero*, n. 42. Felin. ibi. n. 8. Gutier. de Iuram. 1. p. c. 57. n. 20. eſtque vera ſententia. Et ratio eſt, quia licet negari non poſsit, ex metu aliquã coniecturam ſumi, quod iuramentum nõ fuerit ex animo factum, nihilominus illa per ſe ſola inſufficiens eſt, & ideo, ſi non obſtante metu, iuranti non conſtiterit, ſe ficte iuraſſe, licet non conſtet etiam poſitiuè de intentione iurandi, ſed ſolum quod ſimpliciter iurauit, iudicandus eſt vere iuraſſe, & obligari. Quia licet aliquis metu coactus fuerit iurare, non potuit ſine peccato ficte iurare, & ideo non debet ab obligatione iuramenti excuſari, ſupponendo in ſe graue peccatum, de quo non conſtat: ergo præſumi potius debet ex animo iuraſſe, quæ ratio in vtroque foro procedit. Præſertim, quia dum ille non recordatur ſe habuiſſe ſimulatam intentionem, ſeu voluiſſe alium decipere, magnum indicium eſt, intendiſſe iurare, ſicut alius poſtulabat. Poſſet autem ſententia Panorm. locum habere, quando quis haberet dubium, non de peccaminoſa fictione, ſed de prudenti ſimulatione, vel per ambiguitatem verborum, vel per additionem mente conceptam, iuxta probabilem opinionem, tunc enim dubium reducitur ad illud, de quo in puncto præcedenti diximus. Non poterit autem quis cum fundamento tale dubium habere, niſi prius nouerit illos iurandi, ſimulandi, ſeu occultandi modos, vt conſtat.

Panorm. Quomodo poſsit non obligare.

7. *Qui eſt dubius an impleuerit iuramentum, tenetur dubiũ tollere.*

Quarto poteſt quis eſſe certus de promiſſorio iuramento obligante, & dubius, an illud impleuerit? Et tunc extra controuerſiam eſt, illum teneri ad faciendum, quod in ſe eſt, vt tollat dubium, & ſaltem probabilem conſcientiam formet, quod iuramentum impleuerit, ſi autem non poteſt expellere dubium, obligari ad implendum, quod iurauit. Quia tunc non habet locum interpretatio fauorabilis, cum ſenſus, & obligatio iuramenti certa eſſe ſupponatur, ſed aliis principiis vtendum eſt, ſcilicet, quod vbi debitum eſt certum, & ſolutio non probatur, debitor non cogitur ſoluere, & quod in dubiis melior eſt conditio poſsidentis, tunc autem iuramentum eſt quaſi poſsidens ius ſuum.

8. *Quid faciẽdum quãdo dubitatur, vtrum iuramentũ fuerit de re licita.*

Quinto fieri poteſt, vt iuramentum fuerit factum dubitando, an eſſet de re licita, nec ne, vel etiam vt poſt emiſſum iuramentum bona fide, oriatur dubium, an poſsit ſine peccato impleri, & tunc non eſt dubium, quin ſit locus interpretationi? In eo tamen caſu ita eſt interpretatio facienda, vt ſi in aliquo ſenſu poteſt iuramentum eſſe de re licita, in illo factum eſſe credatur, etiam ſi de intentione iurantis non poſsit certo conſtare. Ratio eſt, quia hoc poſtulat reuerentia debita iuramento, ne in vanum, & de re illicita factum ſit, & ita procedit tunc generalis regula ſupra tradita, & communiter recepta: quod iuramentum valet eo modo, quo valere poteſt. Quam ſub his verbis tradunt Iuriſtæ, *Si non valet quod ago vt ago, valeat vt valere poteſt*, dicuntque huic clauſulæ æquiualere iuramentum, vt patet ex Panormit. capit. *Veniens*, de Iureiuran. num. 7. Sic etiam iuramentum, quod in vno ſenſu videri poteſt eſſe de re impoſsibili, factũ cenſeri debet prout poſſibile eſt, quando commode recipit talem interpretationem. Atque eadem ratione iuramentum de facto alieno, quod non eſt in abſoluta poteſtate iurantis, obligat ſaltem ad procurandum cum illo tertio, vt velit, & conſentiat, vt docet Abbas in cap. *Ex reſcripto*, de Iureiuran. cum Gloſſa ibi, vbi Additio ad Abb. varia congerit, & Marc. Ant. Bauerius tractatu de Iuram. num. 6. & plura Anton. Corſet. tractat. de Iuram. num. 38. At vero ſi materia iuramenti adeo dubia eſt: vt in nullo ſenſu certum, vel ſatis probabile ſit, iuramentum poſſe licite impleri, ac proinde obligare, tunc iuramentum non obligat, quia non debet impleri cum periculo faciendi aliquid illicitum.

Panorm. Ca. Veniens. Abb. Cap. reſcripto. Gloſ.

9. *D. Thom.*

Dubitari autem poteſt, an tunc poſsit quis propria authoritate non ſeruare iuramentum, vel ſit neceſſaria authoritas Superioris, & quæ ſufficiat? Ad hoc D. Thomas 22. quæſt. 89. artic. 9. ad 3. ſolum dicit, quando eſt dubium, an iuramentum ſit licitum, vel illicitum, proprium, vel nociuum, vel ſimpliciter, vel in caſu; Epiſcopum poſſe in illo diſpenſare. In quo videtur ſupponere, & iuramentum illud obligare, & neceſſariam eſſe diſpenſationem. Quam ſententiam Soto ibi, & alij, vt indubitatam ſequuntur. Idem ſentit Angel. Iuramentum 6. num. 1. Tabien. num. 20. Syluest. Iuramentum 5. quæſt. 1. dicens in eo caſu, neminem poſſe ſine authoritate Superioris Eccleſiaſtici contrauenire. Eſtque ſententia Innocent. in cap. *Debitores*, de Iureiur. & Hoſtienſ. in cap. *Verum*, de Iureiur. Panor. in cap. *Cum contingat*, eod. num. 15. Et late Felin. cap. 1. de Iureiur. nu. 19. vbi plures alios refert. Videturque hæc ſententia ſufficienter probari ex cap. *Venerabilem*, 34. de Elect. ibi: *Cum ſuper illo iuramento prius Romana Eccleſia conſuli debuiſſet*, & infra. *Nec valet ad plenam excuſationẽ ipſius, ſi iuramentum illud dicatur illicitum, cum nihilominus ſuper eo nos prius conſulere debuiſſet, quam contra ipſum propria authoritate venire.* Quia ſcilicet dubium erat, vt ibi notant Gloſſa, & omnes. Videtur tamen ex illo textu poſſe colligi ad ſolum Papam hoc pertinere, ſed ibi erat ſermo de negotio vniuerſali, & valde arduo, vt Imperij, quæ cauſæ ſunt Pontifici reſeruatæ, iuxta capit. *Maiores*, de Baptiſmo: ordinarie vero non inuenitur talis reſeruatio facta Pontifici, & ideo iure ordinario Epiſcopis conuenit,

Soto. Syluest. Angel. Tabien. Innocen. Panorm. Felin. Gloſ. Ca. Maiores.

arg.

Digitized by Google

Ca. Nuper. arg. c. *Nuper*, de Sen. excom. quia hæc poteſtas ad ordinarium regimen animarum neceſſaria eſt. Sed de hoc puncto, & generaliter de neceſsitate diſpenſationis plura inferius.

CAPVT XXXIIII.

Vtrum omne iuramentum promiſſorium conditionem aliquam includat, vel quid differat abſolutum iuramentum à conditionato?

1 EX principiis ſupra poſitis colligunt Doctores, in omni iuramento, quantumuis abſolute factum videatur includi aliquas conditiones, ſecundum quas attendenda eſt obligatio iuramenti, quia cum illis ſubſiſtit, & non alias. Ita ſumitur ex c. *Quemadmodum*, de Iureiur. ibi, *Quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio.* vbi Gloſſa varias conditiones ponit, quæ in iuramento includi ſolent, licet non exprimantur. Quas ibi proſequuntur Ioan. Andreas, & Panormitan. numer. 8. Hoſtienſ. in Summ. tit. de Iureiuran. §. *Quot ſunt ſpecies.* Sylueſt. *Iuramentum*, 3. quæſt. 1. Inter has vero conditiones, quædam ſunt generales in omni iuramento promiſſorio incluſæ: aliæ vero ſpeciales pro varietate materiæ, conſiderari poſſunt in diuerſis iuramentis. Generales ad tres, vel quatuor reduci ſolent. Prima ſolet hæc aſſignari, *Si Deo placuerit*, ex capit. *Beatus* 21. quæſt. 1. Ita Gloſſa dicta, & Sylueſt. ſed hæc includitur in aliis, præſertim in hac, ſi res fuerit licita, & poſsibilis moraliter: nam ſi talis ſit, eo ipſo cenſenda eſt placere Deo, vt conſtat ex Iuribus ſæpe citatis, in quibus ad obligationem iuramenti ſufficere cenſetur, vt ſine diſpendio animę ſeruari poſsit. Quod ideo aduerto, ne aliquis ſumat occaſionem dicendi, non placere Deo, quod promiſit cum iuramento, ex aliis coniecturis voluntariis, vt quia non ſentit impulſum, aut vocationem ad id faciendum, vel propter impedimenta, & difficultates inſurgentes. Ponunt deinde prædicti Authores hanc conditionem, *Si Papæ placuerit*, ſed vt indicat Panor. non eſt vniuerſalis abſolute ſumpta, quia non omnia iuramenta pendent ex abſoluto beneplacito Papæ, ſed ſolum vbi materia iuramenti ad illum pertinet, pendetque ex arbitrio eius: quod commune eſt vnicuique Superiori, proportione ſeruata, imo etiam cuicumque tertiæ perſonæ habenti ius in talem materiam, vt dicemus.

Ca. Quemadmodum. Gloſſ. Ioã. And. Panorm. Hoſtienſ. Syleuſt. Generales conditiones iuramenti ad 3. vel 4. reuocantur. Ca. Beatus. Gloſ. Syleuſt. Panorm.

2 Tres ergo conditiones generales videntur præcipuæ. Prima, *Si potuero*, quia nemo obligatur ad impoſsibile, ſumitur ex cap. *Quemadmodum*, & capit. *Querelam*, de Iureiur. ibi. *Si non neceſſitate, ſed voluntate*, &c. Secunda, *Si licite potuero*. cap. *Quintauallis*, de Iureiurando, cap. 1. eod. in 6. quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis, & quia quod licite fieri non poteſt, non cenſetur homini poſsibile ſimpliciter; iuxta ſententiam Auguſtini in lib. contra Mendac. capit. 17. & habetur in capit. *Faciat homo*, 22. quæſt. 2. Poſſet autem hic quæri, An ſi id, quod iuratur, ſit impoſsibile, vel illicitum quoad totum, ex parte vero poſsit licite impleri, iuramentum obliget ad partem? De hoc vero dubio dicam latius tractat. de Voto, nunc breuiter dico regulariter affirmandum eſſe, vt ſignificatur in d. cap. *Quemadmodum*, & colligitur ex regula ſecunda tradita in cap. 25. Excipitur autem, quando materia promiſſa per modum vnius totius indiuidui ſeu indiuiſibilis promittitur, quia tunc non intendit iurans obligari ad partem, vt de Voto latius dicemus.

Ca. Quemadmodum. Ca. Querelam. Ca. Quintauallis. Auguſt. Ca. Faciat homo. Ca. Quemadmodum.

3 Tertia conditio eſt, *niſi Prælatus habens authoritatem aliud diſpoſuerit*, vtique ex rationabili cauſa, & iuſte vtendo facultate ſua. Et hoc modo dici ſolet Superioris authoritas ſubintelligi ſemper excepta in iuramentis c. *Venientes*, de Iureiur. ſed ibi de iure Superioris ſermo eſt, de quo ſpecialis ratio, nam illa conditio ſic intellecta ſub ſecunda comprehenditur, vt ſtatim dicam. Hæc ergo intelligitur de authoritate, quam Superior habet ad diſpenſandum ex iuſta cauſa in actibus inferioribus. Et ſic colligitur melius hæc conditio à ſimili de Voto, ex c. *Non eſt*, de Voto, vbi id notant Ioan. And. & Anton. ſed de hac conditione infra latius. Quarta conditio addi poteſt, quod cum iuramentum ſemper fiat alteri, inuoluit ſemper conditionem, *Si ei placuerit*, *vel niſi ipſe remiſerit*, quia omnis obligatio pendet ex voluntate creditoris. Quamuis enim ad obligationem iuramenti non ſit neceſſaria expreſſa acceptatio alterius, vt ſupra dictum eſt, nihilominus requiritur virtualis, ſeu tacita, quæ tunc intelligitur, quando non contradicit, ſeu remittit: & ideo illa conditio in omni iuramento promiſſorio ſubintelligitur.

Ca. Veniẽtes. C. Non eſt. Ioan. And. Anton. Ad obligationem iuramenti requiritur tacita acceptatio alterius.

Quinto additur conditio, *Si res nõ fuerint notabiliter mutatæ*, ſeu quod idem eſt, *ſi in eodem ſtatu permãſerint*: ſumiturque ex cap. *Ne quis*, 22. q. 2. & l. *Cum quis*, ff. de Solut. quibus locis à Doctoribus traditur. Et in prima virtute continetur, vt ſumitur ex Diuo Thoma d. quæſt. 98. artic. 7. in corp. dicit enim, poſſe eſſe iuramentum a principio cum diſcretione factum, & obligare, poſtea vero per nouam mutationem fieri impoſsibilem impletionem eius, & ideo non obligare. Sed hæc non tantum intelligendum eſt de impoſsibili ſimpliciter, ſed etiam de impoſsibili humano modo, id eſt, ita indecente, vel difficili, vt non ſit veriſimile fuiſſe intentum à iurante: & ſic hæc conditio ampliat primam: & habetur ſatis clare in capit. *Quemadmodum*, de Iureiurando, vbi habetur communis caſus de eo, qui iurauit ſponſalia cum virgine, quæ poſtea fornicata eſt, & ideo non obligatur. Idem colligitur ex capit. *Petitio*, & capit. *Breui*, eodem, ibi, *Niſi difficultas exiſtat, propter quam requiſitus non poſsit Eccleſiæ ſubuenire.* Idem ſumitur ex capit. *Venient*, eodem, vbi Innocent. Panormitan. & alii conſtituunt generalem regulam, ſi tanta mutatio rerum facta eſt, vt veriſimile non ſit, iurantem habuiſſe intentionem ſe obligandi ad rem adeo difficilem, aut indecentem, tunc iuramentum eſſe ita interpretandum, vt caſum illum non comprehendat. Quæ regula nititur in primo fundamento poſito in capit. 25. quod iuramentum ſortitur conditiones actus, cui adiungitur, promiſsio autem cui adhæret iuramentum hanc habet ſubintellectam conditionem, vt ſi res notabiliter mutentur, non obliget, ergo & iuramẽtum. Minor ſupponitur ex materia de Iuſtitia & quatenus in hoc conuenit cum promiſsione Deo facta, ex profeſſo tractabitur in materia de Voto. Et ex hoc principio definiuntur facile innumeri caſus particulares, quos Authores in hac materia tractant, vt videri poteſt in Sylueſt. dicto verbo. *Iuramentum* 3. quæſt. 1 & 2. & fere per totum, & Angel. *Iuramentum* 4. & aliis Summiſt. & Marc. Anton. Bauer. d. tract. n. 126 & ſequentibus.

4 C. Ne quis. L. Cũ quis. D. Thom. 5. Conditio reuocatur ad primã. Ca. Quemadmodum. C. Petitio. Ca. Breui. C. Venient. Innocent. Panorm. Syluest. Angel.

Sexto, ſubintelligitur in omni iuramento alia cõditio *Saluo iure ſuperioris*. Quam conditionem in hoc diſtinguimus à quarta de authoritate, ſeu poteſtate Superioris, nam in quarta excipitur authoritas, quã Superior habet ad diſpenſandum in iuramẽto, ſtante eadem materia: hæc vero ſexta intelligitur de iure, & quaſi dominio, quod Superior habet in ſubditum, & in actiones eius, ratione cuius non poteſt ſubditus aliquid promittere, quod deroget iuri ſuperioris, & ideo dicitur ſubintelligi in iuramento conditio, *Saluo iure ſuperioris*. Et ita habetur in cap. *Venientes*. de Iureiurando. Continetur autem virtute hæc conditio in ſecunda, & inde ſumitur ratio eius, nam iurare aliquid contra ius, vel obedientiam debitam Superiori, eſſet iurare aliquid illicitum: ſed in omni iuramento ſubintelligitur conditio, *Dummodo ad illicita non extendatur*, ergo. Et hæc ratio ſupponitur

5 Subditus non poteſt aliquid promittere quod derogет iuri ſuperioris. C. Veniẽtes. 6. Conditio reuocatur ad ſecundam.

Ca. Ex te.

in cap. Ex te, de Iureiurando, vbi quidam iudex recuſabat fidelitatis iuramentum præſtare, quia illud Epiſcopo Piſano exhibuerat, ait autem Pontifex, *Si præſtitum iuramentum ei, quod à te nobis tanquam debitum eſt præſtandum, contrarium reputes, illud illicitum iudicabis*: quia nimirum eſſet contrarium iuri Superioris, ergo vt ſit licitũ, debet neceſſario ita intelligi, vt iuri Superioris non præiudicet.

6. *Explicatur prædicta limitatio in omnib. ſuperioribus.*

Vnde colliges, hanc conditionem non ſolum intelligi de Iure Summi Pontificis, quod ſemper excipitur in iuramentis omnium fidelium infra ipſum, ſed etiam reſpectiue intelligi de iure cuiuſcumque Epiſcopi, vel Prælati, aut Superioris reſpectu inferiorum: nam eſt eadem proportionalis ratio. Imo non ſolum procedit reſpectu Prælatorum Eccleſiaſticorum, ſed etiam reſpectu Principum, & poteſtatum ſæcularium in his quæ licite præcipere, vel prohibere poſſunt, vel per legem, vel per præceptum perſonale. Nam licet quis iuret hoc, vel illud facere, neceſſario ſubintelligitur, niſi Princeps, vel Iudex, qui poteſt id prohibere, de facto prohibeat. Denique non ſolum de iure Superioris, ſed de quocumque iure boni communis, aut tertii ſubintelligenda eſt conditio, quando ius illud vel iuſtitiæ eſt, vel cadit ſub obligationem alicuius virtutis, charitatis, vel miſericordiæ, quia hoc modo non obligat iuramentum cum præiudicio tertii. Ita habetur in capit. *Sicut tuis*, de Iureiurand. & ſumitur ex capit. *Cum contingat*, eodem & capit. 2. eod. in 6. quatenus ad valorem iuramenti poſtulatur, vt in alterius præiudicium non redundet. Et notant omnes ibi, & in d. capit. *Venientes*, & late Sylueſt. adhibens exempla plura. *Iuramentum* 4. quæſt. 14. & 15. Et Anton. Corſet. in dict. tractat. de Iuramento priuil. 27. numer. 47.

Ca. Sicut tuis. Ca. Cum contingat. C. Venientes. Syłueſt. An. Corſ.

7. *Quod faciendum, quando occurrunt iura contraria?*

Sed quid ſi occurrant Iura contraria, vt ſi debitor iurauit creditori non recedere à loco niſi prius ſoluat, & poſtea vocatur à Superiore, quando ſoluere non poteſt? Reſpondeo ex circumſtantiis expendendum eſſe, quod Ius præualeat. Nam ſi iuramentum cenſeatur factum de licentia tacita, vel expreſſa Prælati, tunc non cenſetur obligare præceptum eius, & conſequenter obligare iuramentum: ſecus vero ſi ſubditus propria authoritate iurauit, quia non poteſt præiudicare iuriſdictioni Superioris. Vide Syłueſt. *Iuramentum* 4. q. 7. Angel. *Iuramentum* 5. num. 27.

Syłueſt. Angel.

8. *Adduntur particulares conditiones.*

Septimo, præter has generales conditiones adduntur aliæ particulares, quæ in ſingulis iuramentis conſiderandæ ſunt, iuxta conditiones variarum materiarum, ſuper quibus iuratur, vt ſi iuramentum ſit ſuper contractu reciproco, & mutuo, ſemper vnaquæque pars intelligitur iurare ſub conditione, *Dummodo alter ſtet contractui, & ſuam obligationem adimpleat*, Vt ſi ſit contractus mutui, qui iurat ſoluere, ſubintelligit ſi alter pecuniam numerauerit l. vltim. C. de Non numer. pecun. Si ſit contractus emptionis, & venditionis à venditore intelligitur iurari, dummodo alter pretium deſignatum ſoluat, & è conuerſo cum proportione. Imo etiam ſubintelligitur conditio, dummodo enormis læſio non interueniat, vt colligitur ex his, quæ late diſputat Couarr. ſupra p. 3. § 4. numer. 3. Fundaturque in quinta conditione, quod enormis læſio non præuiſa nec cogitata cenſetur moraliter impedire conſenſum. Idem eſt in quocumque contractu commutandi vnam rem pro alia, nam licet iuretur, vna parte non implente, non obligatur alia, quia ceſſat conditio ſubintellecta. Et in hoc ſenſu intelliguntur verba capit. *Peruenit*, 2. de Iureiur. *Nec tu ei, etiamſi promiſſum tuum iuramento, vel obligatione, interpoſita conditione firmaſſes, aliquatenus teneris, ſi conſtat eum conditioni minime paruiſſe.* Hoc enim ita procedit in tacita, ſeu ſubintellecta conditione, ſicut in expreſſa, vt ibi notat Panorm. quem omnes ſequuntur, & Syłueſt. *Iuramentum*, 4. q. 13. Qui in hoc ſenſu intelligunt Iura dicentia, licere frangere fidem non ſeruanti illam, leg. *Cum proponas*, 2. C. de Pactis, cum ſimilibus, quæ ibi Gloſſa refert. Dices, ergo ſi duo ſibi mutuo iurarunt ſeruare ſecretum, altero non ſeruante, alter non tenebitur iuramento. Reſpondetur oportere modum promiſsionis conſiderare, nam ſi fit per modum contractus reciproci & cum connexione, *Seruabo, ſi ſeruaueris*, ſic altero non ſeruante, alter non tenebitur ex vi iuramenti, aliunde vero poterit obligari. ſi autem promiſsiones per ſe, ac ſeparatim fiunt, tunc peccatum vnius non dat alteri licentiam tranſgrediendi iuramentum, quia non ſub tali conditione, ſed abſolute promiſit, & ſimiliter iurauit. Ratio denique omnium ſumitur ex principio primo ſupra poſito, quod iuramentum ſequitur cõtractum, cui adiungitur, & ideo recipit omnes cõditiones & limitationes, quas claudit ille cõtractus, vt dixit Panorm. d. capit. *Quemadmodum*, quem reliqui ſequuntur.

Couarr. C. Peruenit. Panorm. Syłueſt. L. Cũ proponas. Gloſ. Panorm.

9. Sed quid, ſi iurans expreſſa intentione velit, nullam in ſuo iuramento ſubintelligi conditionem, ſed eſſe vndique abſolutum, vt ſic dicam? Reſpondeo, ſi intendat excludere omnes conditiones etiam priores, ac generales, eſſe temerariam intentionem, & nullius momenti, quia non poteſt ipſe excludere à iuramento ea, quæ ſunt de intrinſeca ratione eius, vt obligare poſſit, qualia ſunt, eſſe de re licita, & Deo placita, & poſſibili: nec etiam poteſt facere quin ab alio habente ſuperius ius pendeat, quia non poteſt alium priuare iure ſuo. Et ita non obſtante illa temeraria voluntate iuramentum obligabit, cum conditionibus neceſſariis ad honeſtatem eius. Si vero ſolum quis intenderet excludere omnes conditiones particulares: maxime concernentes ſuam vtilitatem propriam, tunc abſolute obligaretur iuxta talem intentionem, quia quoad hoc validum, & licitum eſt iuramentum.

10. *An detur abſolutum iuramentum.*

Iam vero ſuboritur difficultas in ſecunda parte tituli quæſtionis propoſita, nam hinc ſequitur nullum eſſe abſolutum iuramentum, ſed omne eſſe cõditionatum, conſequens falſum eſt, ergo. Probatur ſequela quia nihil aliud videtur eſſe conditionatum iuramentum, niſi quod ſub conditione fit: ſed omne iuramentum eſt huiuſmodi, vt diximus, ergo ſemper eſt conditionatũ. Conſequens autẽ eſſe falſum probatur, quia votum diſtinguitur in conditionatum, & abſolutum, & promiſsio humana etiam eſt abſoluta, & conditionata: ergo & iuramentum. Maxime quia dictum eſt, iuramentum imitari materiam contractus, cui adiungitur, ergo ſicut datur abſoluta promiſsio, ita & iuramentum.

11. *Gloſ. Le. Conditiones.*

Hanc difficultatem attigit Gloſſa in d. cap. *Quemadmodum*, verb. *Conditio*. in fine & ſolum reſpondet negando ſequelam, nullamque aliam rationem reddit, præter allegationem, leg. *Conditiones* 98. de Condit. & demonſt. quæ ſic habet: *Conditiones extrinſecus, non ex teſtamento venientes id eſt, quæ tacite ineſſe videntur non faciunt legata conditionata.* Quæ verba videtur d. Gloſſa ad præſens inſtitutum accommodare, & conſequenter ſentire, illud eſſe abſolutum iuramẽtum, quod non habet ſpecialem conditionem quaſi additam ex peculiari intentione operantis. Conditionatum autem eſſe, quando talis conditio additur. Idem fere dicunt Panormit. & Syłueſt. ſupra. Qui addunt, iuramentum non fieri conditionatum, etiamſi conditiones ſubintellectæ exprimantur, ſicut nec aliæ diſpoſitiones fiunt conditionales propter expreſsionem conditionum, quæ neceſſario inſunt: iux. cap. *Significaſti*, de Elect. cum ibi adnotatis, & ſumitur ex l. 3. ff. de Legatis 1. vbi etiam Doctores id notant.

Panorm. Syłueſt. C. Significaſti.

12. Ne tamen quæſtio de nomine videatur, conſide-

Quia datur differentia inter abſolutum & conditionatum iuramentum. randa eſt differentia propria inter abſolutum, & conditionatum iuramentum, nam abſolutum cadit in propoſitionem categoricam, vt ſic dicam, & ſimpliciter abſolutam, vt *Hoc faciam*, *Illud dabo*, & ſimiles: vnde ſi quam includit conditionem, illud eſt, quaſi præſupponendo illam potius, quam exigendo. At vero iuramentum conditionale cadit in propoſitionem hypotheticam conditionalem, quaſi expectando conditionem, vt res promiſſa fiat, vt *Iuro daturum eleemoſynam, ſi nauis ex India venerit.* Vnde eſt moralis differentia, quod in iuramento abſoluto conditio ſubintellecta non ſuſpendit obligationem, ſtatim enim obligat, ſi conditiones ſubintellectæ, quæ ſunt de præſenti, ſubſiſtunt, nec propter futuras ſuſpenditur obligatio, licet poſtea ceſſare poſsit, ſi antequam impleatur, ſuperueniat contraria conditio: iuramentum autem conditionale habet quaſi ſuſpenſam obligationem, donec conditio impleatur. Et ratio etiam oritur ex illo principio, quod iuramentum ſequitur naturam actus, cui adiungitur, hæc autem eſt natura contractus, vel promiſsionis, vt abſolute factus ſtatim perficiatur, & obliget independenter à futuris conditionibus. Quia ex tunc datur abſolutus conſenſus, licet poſsit contractus eſſe nullus, ſi in præſenti aliquæ deſint, quæ cenſentur de ſubſtantia, vel neceſsitate conſenſus: at vero contractus conditionatus nõ inducit ſtatim obligationẽ ſimpliciter, vſque ad euentum conditionis. Vt videre licet in ſponſalibus, nam ſi tantum ſint conditionalia, ex illis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis, iuxta capit. *Vnde*, §. *Vnde*, de Sponſal. in 6. (*Ca. Vnde.*) quia non induxerunt ex tunc propriam obligationem ad matrimonium: quod tamen ſecus eſt, in ſponſalibus abſolutis, licet poſtea propter fornicationem ſuperuenientem diſſoluantur, iuxta d. capit. *Quemadmodum*. (*C. Quemadmodum*) Sicut ergo in contractibus ipſis eſt differentia inter abſolutum, & conditionatum, non obſtantibus ſubintellectis conditionibus, ita etiam in iuramentis, quibus confirmatur.

CAPVT XXXV.

Quando incipiat, & quamdiu duret obligatio iuramenti promiſſorii.

1\. *Promiſſio iuramenti duplex eſſe poteſt.*

DVplex poteſt eſſe promiſsio talis iuramenti, negatiua & affirmatiua, quæ in hoc differunt, quantum eſt ex forma ſua, quod negatiua pro ſemper: affirmatiua vero ſemper, non tamen pro ſemper obliget: ſicut de præceptis dici ſolet, eſt enim eadem proportionalis ratio. & vtraque iurari poteſt vel abſolute, vel ſub conditione, iuxta dicta capite præcedenti. In vtriſque ergo iuramentis conſiderari poteſt, vel initium obligationis, vel continuatio, vel ceſſatio. Et quoad initium ſpectari poteſt tempus, in quo iuramentum incipit obligare, vel pro quo incipit obligare.

2\. *Quando obliget iuramentum abſolutum.*

Primo ergo dicendum eſt, iuramentum abſolutum ſtatim ac fit, incipere obligare. Patet. quia ex iuramento neceſſario ſequitur obligatio, & in abſoluto iuramento nihil eſt, quod illam ſuſpendat, ergo ſtatim oritur. Secus vero eſt de iuramento conditionato, quia nõ incipit obligare ad actum promiſſum, donec impleatur conditio capit. *Peruenit*. 2. de Iureiur. (*Ca. Peruenit.*) & ratio conſtat ex dictis, quia conditio ſuſpendit actum, & conſequenter iuramentum. Dico autem non obligare ex tunc *ad actum promiſſum*, quia obligat ad quandam animi præparationem implendi promiſſum, ſi impleatur conditio, & conſequenter ſi contractus ſit iuratus ſub conditione, obligat iuramentum ad non reſiliendum inuito altero, quia hæc eſt natura contractus, vt ex materia de Iuſtitia, ſuppono; & ita procedit regula poſita, quod iuramentum obligat iuxtà naturam actus, cui adiungitur. Vnde qui iurat aliquid dare ſub cõditione, ſi proponit non dare etiam ſi promiſsio impleatur, iuramentum frangit: & qui iurat ducere Mariam, ſi pater abſens conſenſerit, & poſtea ducit aliam, inuita priori, & non expectato euentu conditionis, iuramentum violat, vt per illationem neceſſariam ſumitur ex Gloſſa in capit. *Super eo*, de Condition. appoſi. verb. *Alieno arbitrio*. (*Gloſ. G. Super eo*) Et hic declaratur ex his, quæ tradit Molin. diſput. 285. de Iuſt. q. 4. (*Molin.*) quia ex tali contractu, vel promiſsione oritur obligatio ſimilis in ſpecie: ergo addito iuramento illa met obligatio iuramento confirmatur: ergo violata iniuſte illa obligatione, violatur iuramentum. Denique illud iuramentum quoad hoc eſt abſolutum, quia iurans ſub conditione, ex tunc abſolute iurat ſtare conditioni: quoad hoc ergo ſtatim incipit obligatio iuramenti. Quoad ipſum vero actum promiſſum, non incipit donec impleatur conditio, quæ illius obligationem ſuſpendit: illa vero impleta ſtatim incipit obligare propter contrariã rationem, & quia impleta conditione conditionalis aſſertio tranſit in abſolutam.

3\. *Pro quo tẽpore obliget.*

Secundo dicendum eſt, iuramentum obligare pro eo tempore ad quod promiſsio, vel aſſertio ex intentione iurantis dirigitur: vbi autem nihil ſpeciale per intentionem determinatur ex vi verborum colligendum eſt, niſi ex materia, vel circumſtantiis limitetur. Prior pars nota eſt, quia tota hæc obligatio pendet ex intentione iurantis. Quamuis enim poſita intentione iurandi neceſſario ſequatur obligatio independenter à noua voluntate iurantis: nihilominus applicatio iuramenti ad aſſertionem pro tali, vel tali tempore, pendet ex iurantis voluntate, quia poteſt aſſerere hoc facturum pro tali tempore, vel poſt tale tempus, & non ante, & ſimilia: ergo cõſequenter iuramenti obligatio, vt ſit pro tali tempore, pendet ex intentione iurantis.

4\. *Promiſſio negatiua ſtatim obligat.*

Altera vero pars generatim conſtat ex principiis ſuperius poſitis, & quia non poteſt aliunde talis determinatio fieri. In particulari vero declaratur, nam ſi promiſsio ſit negatiua ſtatim ac iuratur, incipit pro ſtatim obligare, quia negatio omnia deſtruit, & ideo ſi iuro, me non tibi nociturum, ex tunc pro toto tempore immediate ſequenti obligor: idemque erit de iuramento non ludendi, non ingrediendi talem domum, & ſimilibus: quoties materia negationis talis eſt, vt ſtatim exerceri poſsit, eo quod ſtatim actus contrarius fieri poſſet. Si autem actio negata talis ſit, vt requirat determinata tempora, pro primo tempore idoneo incipiet obligatio, vt ſi iuro non adeſſe taurorum ludo, obligor à prima occaſione, & ſic de ſimilibus. (*Quid dicẽdum de promiſſione affirmatiua?*) At vero in affirmatiuis iuramentis ſi certum tempus in indiuiduo deſignetur, res erit clara, quia pro initio deſignato obligabit: ſi vero indefinite fiat, tunc prudenti arbitrio opus eſt, conſiderata materia, occaſione, & circumſtantiis. Et quoad hanc regulam non oportet diſtinguere inter conditionatum iuramentum, & abſolutum: quia conditionatum non incipit obligare, niſi vt aliquo modo eſt abſolutum, vel tranſit in abſolutum impleta conditione, & tunc eandem rationem participat quoad tempus, in quo incipit obligare.

5\. *Iuramentum promiſſorium implendum eſt priuſquã petat is, cui factũ eſt, niſi aliud cõſtet.*

Vnde facile expeditur dubitatio, An teneatur quis iuramentum promiſſorium implere priuſquam petat is, cui factum eſt? Reſpondetur enim affirmatiue, niſi ex forma iuramenti aliud conſtet. Hoc poſterius conſtat, nam ſi quis iuret ſe pariturum, quoties requiſitus fuerit, clarum eſt non teneri, donec requiratur. Idemque eſt, quoties actus ipſe promiſſus talem rationem inuoluit. vt ſi iuraui mutuare, intelligatur, ſi petieris: vel ſi promiſi reſpondere, intelligitur, interrogatus. At vero ſi iuraui tali die hoc facere, vel donare, non eſt neceſſaria exactio, vel petitio, niſi in ipſo iuramento exprimatur. Patet,

Patet, quia inde naſcitur abſoluta obligatio, ſicut ex voto.

6. *Quomodo requiritur petitio ex parte eius, cui iuratum eſt?*

Quæri vero vlterius poteſt, quãdo ex parte eius, cui iuratur, requiritur petitio. An ſufficiat ſimplex, & pura, vel neceſſariũ ſit in illa exprimere, ſub obligatione præſtiti iuramenti? Reſpondeo, non poſſe in hoc generalem regulam aſsignari, nam pendet ex qualitate materiæ, & vſu: ordinarie tamen videtur in iuramentis de ſpeciali actu præſtando certo, ac definito tempore, eo ipſo, quod actus exigitur, virtute iuramenti poſtulari. At vero in generalibus iuramentis obediendi Prælato, aut Rectori, non cenſetur exigi iuramentum, niſi quando id exprimitur ſub pœna præſtiti iuramenti, vel alia forma ſimili, vt conſtat ex vſu, & infra in ſimili dicemus de Voto obedientiæ. Imo aliqui cenſent, communi vſu non interponi illa verba ad obligandum ſub mortali, ſed ad commemorandam poteſtatem, & ad quendam terrorem, vt nemo contemnat iuſſa Rectoris. Ita Dried. lib. 2. de Libert. Chriſtian. capit. 1. ſequitur Couarr. ſupra 1. part. §. 7. numer. vltim. in fine. Sed (vt dixi) in hoc conſulenda eſt conſuetudo, & communis intelligentia: & maxime eſt qualitas materiæ conſideranda, vt docuit Maior. in 3. diſtin. 39. quæſt. 4. ad argumentum contra quartam concluſionem.

Dried. *Couar.* *Maior.*

7. *Quo tempore, & pro quo duret obligatio iuramenti ſecundum ſe*

Tertio dicẽdum eſt, eandem regulam cum proportione habere locum in deſignando tempore in quo, & pro quo durat iuramenti obligatio ſecundũ ſe ſpectata. Nam eſt eadem ratio, vt facile patebit applicando ad temporis continuationem ea, quæ de initio diximus. Etenim iuramenta negatiua, ſicut pro ſtatim obligant de ſe, ita & pro ſemper, ac perpetuo, iuxta materiæ capacitatem, niſi ex intentione iurantis ad certum tempus limitentur. Affirmatiua vero etiam de ſe obligant ſemper, ac perpetuo, niſi ex intentione limitentur ad certum tempus, de qua intentione in foro conſcientiæ conſtabit per dictum iurantis. Quod ſi ſpecialem intentionem non habuit, ſtandum eſt verbis iuxta materiæ capacitatem, penſatis etiam circumſtantiis. Hæc autem iuramenta non obligant pro ſemper, quia hoc repugnat eius naturæ, vt per ſe conſtat, quia non poteſt homo ſemper & pro ſemper in vna actione perſiſtere. Obligant ergo pro temporibus deſignatis, vel pro temporib⁹ opportunis iuxta materiæ conditionem, vel certe ſæpe erit facienda veriſimilis coniectura ex occaſione, & circumſtantiis ad arbitrium boni viri, vt de Voto etiam dicemus.

8 *Quomodo iuramentum affirmatiuum obligat pro ſemper.*

Aliquando vero videri poteſt, iuramentum habere formam affirmatiui, & obligare pro ſemper, vt cum iuratur amicitia, & pax perpetua, & ſimilia. Sed re vera illa iuramenta in tantum obligant pro ſemper, in quantum negationem includunt, nam affirmatio illa non conſiſtit in aliquo cõtinuo actu, id enim homini repugnat, ſed in perſeueranti ſtatu quaſi habituali, qui conſeruatur per negationem actus contrarii, qui amicitiam violare ſufficiat, & quoad hanc negationem obligat pro ſemper. Eſt præterea in hoc puncto conſiderandum, hanc perpetuitatem, vel continuationem conuenire iuramento, vt abſolutum eſt, quia vt ſic inducit ſuam obligationem modo ſupra explicato: at vero ſi cõſideretur, vt conditioné includit ſiue expreſſam, ſiue ſubintellectã, ſub ea ratione deſinere poteſt eius obligatio, vel ſimpliciter, vel pro tali occaſione ex defectu incluſæ conditionis. Quia ſicut conditionatum iuramentum, vt tale eſt, non obligat, donec impleatur conditio; ita iuramentum abſolutum ſubintellectam conditionem includens, non perſeuerat (vt ſic dicam) in ſua obligatione, ſi conditio, quę ſupponebatur deficiat, eſt enim eadem ratio.

9. *Iuramenti obligatio ceſſare poteſt ex mutatione rerum.*

Dico ergo quarto: Quamuis iuramenti obligatio de ſe perpetua ſit, vel durabilis pro tali, vel tali tempore, ceſſare poteſt ex mutatione rerum auferente ſubintellectam, ac neceſſariam conditionem. Hæc aſſertio concluditur plane ex dictis, & ex principio poſito, capite præcedenti, conditione quinta. Solum poteſt interrogari, an in huiuſmodi euentu ceſſet obligatio iuramenti ipſo facto, vel ſit neceſſaria illius relaxatio? Quidam abſolute docent neceſſariam eſſe relaxationem, quæ opinio tribui poteſt Soto 4. d. 27. q. 1. ar. 3. ad 1. quatenus dicit, ſi iuramentum ſponſalium inter legitimas perſonas interceſſit, quamuis poſtea occurrat cauſa diſſoluendi ſponſalia, non eſſe ſine iuramenti diſpenſatione diſſoluenda. Et idem ſentit Ludou. Lo. 2. p. c. 36. §. *Propterea circa*, loquens in durioribus terminis, quando poſt ſponſalia iurata ſponſa fornicata eſt, vel inuenitur non virgo.

Soto. *Ludou. Lop.*

10. *Per ſolam rerũ mutationem, ipſo facto ceſſare poteſt iuramenti obligatio.* *C. Quemadmodũ.*

Nihilominus dicendum eſt per ſolam rerum mutationem fieri poſſe, vt ipſo facto ceſſet iuramẽti obligatio, nec ſit neceſſaria vlla relaxatio. Hæc eſt communis ſentẽtia Iuriſtarum in c. *Quemadmodum*, de Iureiur. & ex ipſo textu manifeſte colligitur; nam ibi dicitur talia iuramenta poſt mutationem factam non obligare, neque vlla poſtulatur relaxatio. Et ratio textus id conuincit, quia iuramentum includit tacitam conditionem, quam promiſsio, cui adiungitur, inuoluit, ſcilicet niſi res notabiliter mutentur: ſed vbi voluntas eſt conditionata, deficiente, vel ceſſante conditione, non ſubſiſtit obligatio, ergo in eodem euentu iuramenti obligatio ipſo facto ceſſat, nec eſt per ſe neceſſaria relaxatio. Hoc autem intelligendum eſt, quando mutatio eſt tanta, vt certo conſtare poſsit conſenſum promittentis non fuiſſe extenſum ad promittendum pro illo euentu, quando vero dubia res fuérit, tunc iam diximus neceſſariam eſſe Superioris authoritatem. Addit Innoc. in capit. *Cum quidam*, de Iureiur. quando non obſtante ceſſatione obligationis ſeruari poteſt iuramentum ſine peccato, abſolutionem præmittendam éſſe, priuſquam contra illud agatur. Sed hoc, conſilium eſt ad præueniendum ſcandalum, & ſatisfaciendum Eccleſiæ, in rigore tamẽ non eſt neceſſarium, vt ibidem notauit Panorm. & ſequitur Angel. *Iuramentum* 6. num. 1. Syluest. in 5. q. 1. Contingere etiã poteſt, vt mutatio ſuperueniens ſit ſufficiens cauſa concedendi relaxationem, licet per ſe ſola non ſufficiat auferre obligationem, & in hoc caſu poſſet dictum Soti ſuſtineri. Applicata vero illa ſententia ad caſum de Sponſalibus iuratis, in quibus poſtea vel committitur, vel detegitur virginitatis violatio, non eſt vera, & Iuri aperte repugnat: idemque in multis aliis caſibus contingit.

Innocent. *Panorm.* *Angel.* *Syluest.* *Sponſalia iurata quomodo ceſſent.*

CAPVT XXXVI.

An iuramentum promiſſorium homini factum ſit implendum in propria ſpecie, vel poſsit per aliquid æquiualens impleri?

1. *Iuramentum promiſſorium vel fit per modum voti, vel per modum humanæ promiſſionis.*

Dupliciter iuramentum promiſſorium fit, vt in ſuperiorib⁹ viſum eſt, ſcilicet vel per modũ voti, vel per modum humanæ promiſsionis. Dico autem fieri per modum voti, quoties vel cum proprio voto ad Deum fit, iuramento confirmando promiſsionem Deo factam, vel cum fit abſolute iurando aliquod bonum faciendum ſine vlla promiſſione vel ad Deum, vel ad hominem, ſed tantum cum ſimplici aſſertione de futuro opere faciendo, illam iuramento confirmando. Per modum autem promiſsionis humanæ fit, quoties iuramentum eſt confirmatorium pacti inter homines, vel promiſsionis alteri homini factę. Quod ergo ſpectat ad iuramenta, quæ confirmãt vota, vel per modum votorum ſiunt, ſupra dictum eſt cap. 10. ſequi cõditionem voti: & ideo de modo implendi, vel commutandi hęc iuramenta nihil amplius hic dicam, ſed ſufficiunt dicta in d. cap. 10. reliqua vero in tract. de Voto reſeruamus. Propter hoc ergo quæſtionem propoſuimus

mus ſolum de iuramento promiſſorio homini facto. De quo ſupponimus ex dictis in cap. 10. eſſe neceſſario implendum illi, cui factum eſt, nec poſſe in aliud opus pietatis commutari, priuando illum iure ſuo, vel commodo, niſi vbi intelligitur facta exceptio, vt de ſtatu Religionis ibi dictum eſt. Hic ergo ſolum ſupereſt quæſtio de modo implendi tale iuramentum reſpectu illius, cui factum eſt.

2. Videri enim poteſt, poſſe per æquiualens impleri. Primo quia iuramentum ſequitur naturam contractus, cui adiungitur: ſed promiſſio humana ſufficienter impletur per æquiualens ex l. *Si quis ab alio*, ff. de Re iudicat. l. *Stipulationes* 1. ff. de Verb. obligat. l. *Si peculium*, §. 1. ff. de Stat. liber. & tradit Bart. præſertim in d. l. *Stipulationes*, numer. 39. Ergo idem erit etiam ſi talis promiſſio iuramento confirmata ſit. Vel ſaltem videtur ſufficienter impleri iuramentum, ſi detur aliquid melius, nam hoc modo etiam Deo ſatis ſit, & homo non acceptans eſt irrationabiliter inuitus. Secundo compenſatio eſt quædam ſolutio per æquiualens, ſed illa licet; ergo & commutatio. Minor probari poteſt, tum ex c. *Ex parte* 2. de Cleri. non reſiden. tum quia ſi promiſi decem, & tu mihi totidem debes, & illa remitto, promiſſionem impleo, quia illa eſt moralis donatio: & quod non intercedat actualis traditio præſens, materiale quid eſt, maxime quia iam ſupponitur præceſſiſſe.

L. Si quis ab alio. L. Stipulationes. L. Si peculium. Ca. Ex parte.

3. Dico primo: Non ſatis fit iuramentum promiſſorio homini facto in aliqua certa ſpecie, reddendo æquiualens, vel intereſſe: vnde non poteſt aliquis ſua voluntate commutare rem, quam dare iurauit in aliam æqualem, imo nec in meliorem, ſine conſenſu eius, cui dare iurauit. Eſt communis ſententia Panormitan. & Canoniſt. in cap. *Ad audientiam* 1. & in cap. *Peruenit*, & in c. *Quanto* de Iureiur. & in cap. *Cum inter*, de Renunti. Sequitur Sylueſt. *Iuramentum* 4. quæſt. 20. & 21. & in 5. quæſt. 6. Angel. in 5. numer. 33. & 34. Referuntque Ioan. And. in Mercurial. in regula *in malis*, de Regul. Iur. in 6. Tenet etiam Antonius Corſetus tract. de Iurament. numer. 39. & 40. & Marc. Anto. Bauer. in ſimili tract. numer. 13. 57. & alii infra referendi circa compenſationem. Probatur autem primo ex dicto capit. *Ad audientiam*, quod infra expendemus.

Ni ſatisfit iuramento per æquiualens. Panorm. Cap. Ad audientiã. Ca. Peruenit. Ca. Quãto. Cap. Cum inter. Syluest. Angel. Ioh. And. Ant. Cor. Marc. Anton.

4. Secundò probatur ex illo principio, quod iuramentum ſequitur naturam actus, cui adiungitur, ſed promiſſio vel contractus implenda ſunt in ſpecie promiſſa, nec ſufficit dare æquiualens: ergo multo magis quando firmatur iuramento. Minor probatur in §. 1. Inſt. Quibus modis tollatur obligatio, vbi generaliter dicitur, obligationem tolli, *ſoluto eo, quod debetur, vel dando aliud pro alio conſentiente creditore* vbi ſatis ſignificatur, illo non conſentiente, non poſſe fieri commutationem. Quod expreſſius dicitur in L. 2. §. 1. ff. Si cert. petatur, & ſupra oſtenſum eſt, iuramentum contra humanam promiſſionem non obligare, quia promiſſio obligat ad factum promiſſum in ſpecie, nec illi ſatisfit in conſcientia dando intereſſe. Ratio denique eſt, quia nemo poteſt cogi ad commutandam rem ſuam, & conſequenter nec rem ſibi debitam, nec ius, quod ad illam habet. Tertio eſt ſpecialis ratio in iuramento, quia ex vi iuramenti obligamur facere verum, quod iuratum eſt: ſed qui iurauit laborare in vinea alicuius, non facit verum, quod dixit, etiamſi intereſſe ſoluat, vel alium vice ſui mittat. Eo vel maximè, quod in iuramento illo includitur conditio, niſi alter, cui iuratur, remiſerit: ergo ſi commutatio, illo inuito, vel non conſentiente, fiat, fit directè contra conditionem in iuramento poſitam: ergo non licet talis commutatio creditore inuito. Ad rationem autem primam dubitandi initio poſitam, quæ contra hanc concluſionem procedebat, patet reſponſio ex dictis, nam falſum aſſumit in foro conſcientiæ, & Canonico, quidquid ſit de Ciuili.

Probatur concluſio.

5. Dico ſecundo; Ex conſenſu creditoris fieri poteſt commutatio non ſolum in melius, vel æquiualens, ſed etiam in minus. Hæc aſſertio clara eſt, & à fortiori patebit ex dicendis de relaxatione, & patet ex proximè dictis; quod tale iuramentum includit conditionem, ſi creditor voluerit: ergo ſi ſit contentus alia ſolutione, ſatisfit intentioni, & veritati iuramenti. Dico tertio, Etiam poteſt hæc commutatio in æquiualens fieri authoritate Superioris, quando legitima ſubeſt cauſa. Probatur, quia etiam relaxatio, vel diſpenſatio interdum fieri poteſt hoc modo: ergo à fortiori commutatio. Conſequentia clara eſt. De antecedenti verò dicemus inferius, & ibi explicabimus, quis ſit Superior hanc habens poteſtatem.

Ex conſenſu creditoris poteſt fieri commutatio etiam in minus. In æquiualens etiam authoritate Superioris.

6. Circa has concluſiones ſupereſt dubium, An facta commutatione iuramenti maneat promittens obligatus in virtute iuramenti? Vt verbi gratia, iurauit quis ſponſalia, conuenit cum fœmina vt ſit contenta dote, ad quam dandam vir vult manere obligatus, & liber ab obligatione ſponſalium: dubiũ eſt, An ſicut vir antea tenebatur ex iuramento ad ſpõſalia, ita teneatur poſtea ad dotem ſoluendam, vel ſolũ ex obligatione iuſtitiæ orta ex pacto? Nã quod tunc obligatio iuramenti non transferatur ad nouã materiam, videtur aperte probari ex capit. *Clericus*, de Iureiur. vbi dicitur Clericum, qui iurauerat, ſeruare edita ſtatuta, & poſtea promiſit per idem iuramentum ſeruare ſtatutum de nouo conditum, non obligari iuramento ad ſeruandum nouũ ſtatutum, ſed tantũ ex vi promiſſionis: ergo ſimiliter in præſenti. Eſt enim eadem ratio, nimirum, quia iuramentum factum circa vnam materiam non transfertur ad aliam, quia antiquum iuramentum limitatum fuit ad talem materiam, & ab illa habuit quaſi indiuiduationẽ. Vnde ſi obligatio iuramẽti nouæ materiæ applicanda eſt, oportet nouum iuramentũ facere, vt viſum eſt lib. 1. cap. 7. ergo idem eſt in præſenti; nam quod ibi diximus de extenſione iuramenti, eandem rationem habet in translatione ab vna materia in aliam, quam oporteret fieri in commutatione, vt obligatio ad actum, in quem fit commutatio, maneret iuramento firmata, quia non fit nouum iuramentum, vt ſupponitur.

Vtrum teneatur quis ex vi iuramenti ad commutationem factam. Cap. Clericus.

7. Cõfirmatur varijs exemplis, quia ſi iuraſti ſoluere intra certum terminum, & poſtea creditor prorogat terminum per menſem, vel annum, iam non obligaris iuramento, ſed alio titulo promiſſionis, vel pacti: quia prius iuramentũ in remiſſione prioris termini extinctum eſt, vt in dicto cap. *Clericus*, ſenſit Cardin. quem multi ſecuti ſunt, quos Couarruuias refert. Item, ſi iuraſti ſtare ſententiæ proferendæ intra certum terminum, de quo conuentum fuerat: & poſtea ex conſenſu partium terminus prorogetur, & deinde ſententia proferatur, non teneris ex priori iuramento ſtare ſententiæ, vt Abb. Anton. & alij in dicto capit. *Clericus*, adnotarũt: quia prius iuramentum in priori termino finitum fuit, & ad futura non transfertur. Atque hanc ſententiam docet Couarruuias ſupra 1. part. in princip. num. 5. in fine, citans Anton. In cap. *Ab excõmunicato*, de Reſcript. numer. 23.

Confirmatur pars negatiua. Ca. Clericus. Cardin. Couar. Abbas. Anton.

8. Nihilominus dicendum cenſeo, quoties commutatur iuramentum ſiue ex conſenſu partium, ſiue authoritate Superioris, id in quod fit commutatio cadere ſub obligationem iuramenti. Probatur primo, quia alias non eſſet commutatio, ſed extinctio prioris iuramenti, & noua promiſſio, ſeu pactio ſimplex, & nuda conſequẽs eſt falſum: ergo Sequela patet, quia iuxta illam ſententiam omnino tollitur obligatio Religionis, ac iuramenti: illa ergo non commutatur, ſed ad ſummum altera obligatio ciuilis, & humana, quæ ſuberat iuramento, commutatur in aliam eiuſdem ordinis. Falſitas autem conſequentis patet ex vi ipſius verbi commutandi. Vi-

Statuitur pars affirmatiua.

deo reſponderi poſſe, fieri interdum commutationem inter res ſpecie diuerſas, & ita poſſe iuratam promiſsionem commutari pro ſimplici. Sed certe, vt hoc non ſit impoſsibile, regulariter non eſt hæc mens, & intentio ſic contrahentium, nam fœmina, quæ iurata ſponſalia commutari conſentit in dotem, non intendit condonare priorem obligationem, niſi circa aliam materiam ſimilem obligationem æque firmam ſuſcipiat. & ſi de ſua mente interrogaretur, hoc reſponderet: ergo non aliter tenet commutatio. Et idem eſt de Prælato commutante. Idemque eſt de ipſomet debitore, ſi ſuo arbitrio in materia ſibi poſsibili commutationem in melius faciat: duobꝰ enim modis poteſt illam facere. Prior eſt, actu exercendo meliꝰ opus, quo ſatisfacere vult priori iuraméto: & tunc neceſſe eſt, vt per tale opus intendat ſatisfacere priori obligationi Religionis, nam ſi abſque hac intentione opus melius faciat, non liberabitur priori vinculo. Et ita neceſſe eſt, vt obligationem iuramenti applicet ad illam materiam eo modo, quo poteſt, ibi enim non manet obligatio in futurum: & ideo ſolum in præſenti neceſſe eſt, vt opus fiat ſub tali relatione. Alio vero modo fit commutatio quoad ipſam promiſsionem, & de hac tractamus, ſic autem neceſſe eſt, vt intendat ſimilem obligationem iuramenti ſuſcipere in meliori materia, alias nõ eſſet valida commutatio, quia defraudaret Deum, vnde non veriſimile à Deo acceptari. Et idem cum proportione eſt reſpectu humani creditoris.

9. *Probatur ratione.* Vnde argumentor ratione, rem aliter declarando, nam in illo exemplo de commutatione ſponſalium fœmina non intendit cedere iuri, quod habet ad ſponſalia iurata, niſi cum effectu dos ſibi tribuatur: ergo ſi aliter poſtea nec dotem ſoluat, nec ſponſalia impleat, periurus eſt, quia non impleta conditione ſubintellecta, non tenuit remiſsio ſponſæ, & conſequenter obligatio iuramenti violata eſt. Et ſimiliter ſi tempore ipſiꝰ commutationis non habuiſſet ſponſus animum implendi promiſsionem dotis, periurus eſſet, quia remiſsio alteriꝰ eſſet cum iniuria, & fraude, & conſequenter nulla, & ita violaretur etiam iuramentum in iniquo propoſito. Ergo quando bona fide, & debito modo fit commutatio, noua materia iuramenti obligationi ſubijcitur, alias non fit iuxta intentionem cõmutantis. *Cum commutatur votum noua materia cadit ſub voti obligationem.* Tertio probatur à ſimili de voto, nam cum commutatur votũ noua materia cadit ſub voti obligationẽ, vt eſt cõſtans apud omnes, quia non fit commutatio, quin maneat obligatio, & illa non poteſt eſſe niſi Religionis & voti per nouam virtualem promiſsionem quę in acceptatione illiꝰ commutationis interuenit, quę promiſsio Deo fit, & vim voti habet. Ergo eſt idem in iuramento: eſt enim eadem ratio, vt patebit, & eſt eadem intentio creditoris: quia non intendit cedere iuri ſuo, niſi ſub ſimili vinculo, quod alter acceptat.

10. *Reſpondetur.* Vnde ad cap. *Clericus*, & rationem in illo fundatam negamus eſſe ſimilem rationem de extenſione iuramenti, & de commutatione, quia extẽſio vt ſic, non dicit repetitionem iuramenti, ſed applicationẽ eiuſdem iuramenti ad nouam materiam, quæ applicatio impoſsibilis eſt, vt probat ratio facta, cum textu citato. Si autem extenſio late ſumatur pro virtuali, vel formali repetitione ſimilis iuramenti, ſic conſtat extenſionem in iuramento habere locũ: *Commutatio dicit virtualem repetitionẽ iuramenti.* commutatio autem dicit virtualem repetitionẽ iuramenti, ſicut commutatio voti dicit virtualem repetitionem ſeu emiſsionem voti circa nouam materiam.

11. *Commutatio fieri poteſt duobus modis.* Addi etiam poteſt, duobus modis fieri poſſe cõmutationem, tam voti, quam iuramenti. Primo non auferendo omnino prioris Voti, aut iuramenti obligationem, ſed ſolum concededo, vt per aliam rem poſsit debitor illam implere, ſi voluerit: ita tamen, vt ſi alias non fecerit, maneat ſemper obnoxius priori obligationi. Et ſi hoc modo fiat, non omnino dirimitur prior promiſsio, vel contractus, ſed ſolum permittitur non impleri, ſi aliud fiat, manetque in optione debitoris vel nouum onus ſuſcipere, vel ſtare priori iuramento, aut voto. Et tunc proprie materia commutationis non manet ſub obligatione voti, aut iuramenti abſolute, quia non tenetur debitor abſolute illam implere: manet tamen conditionate, quia ſi non fiat nec prior materia exhibeatur, periurium committitur, vel frangitur votum. Et ita in tali commutatione ſemper manet obligatio iuramenti immediate, & directe obligans ad primam materiam, quia per commutationem non fuit ablata obligatio prior ſimpliciter, ſed ex abſoluta facta conditionalis, vel ex præciſa, facta alternatiua: quod ſine repugnantia fieri poteſt per conceſsionem creditoris, vel habentis poteſtatem loco illius. Alio modo fieri poteſt commutatio iuramenti per abſolutam reſciſsionem prioris contractus, & impoſitionem nouæ obligationis, vt fieri videtur, quando ſponſalia iurata in dotem commutantur: & tunc dico, nouam obligationem imponi, & acceptari ſub eadem firmitate, qua erat prior, & fieri virtualiter nouum iuramentum, & ſic vnum iuramentum commutari in aliud, & idem eſt prorſus in voto. Et ita cenſeo eſſe interpretãdum intentionem commutantium, niſi aliud expreſſe declarent: nihil enim repugnat, quin aliquis propter ſimplicem promiſsionem rei melioris, remittat promiſsionem iuratam alterius rei.

Ad alia exempla reſpondeo, in primo falſum aſſumi, nec illam ſententiam Cardin. probandam eſſe, nam quando creditor prorogat terminum debiti iurati, non remittit iuramentum quoad ſubſtantiam debiti: ergo ſi debitum ipſum erat antea debitum ſub iuramento, etiam poſtea manet ſub eadem obligatione. Vnde enim auferri potuit? maxime, quia tunc iuramentum non extenditur quoad materiam, nec mutatur, ſed ſemper adhæret eidem materiæ: nec etiam tunc tollitur, ſed differtur debitum iuramenti quoad ſoluendũ intra alium terminum, pro quo facta eſt prorogatio. Et in hoc, vel eſt ibi quædam virtualis repetitio iuraméti ex virtuali intentione contrahẽtium, quæ moraliter videtur nota, vel certe (& fere in idem redit) prior remiſsio nõ fuit abſoluta, ſed quaſi conditionata, *In hoc ſenſu permitto dilationem ſolutionis, dummodo hanc ipſam obligationem intra talem terminum impleas*, & ideo illud iuramentum in fine ſecundi termini ita obligat, ſicut obligaret in priori, non facta condonatione. 12. *Satisfit alijs exemplis pro parte negatiua adductis.*

Aliter etiam declaratur, nam qui iurauit ſoluere intra certum terminum, & non ſoluit, ac violauit iuramentũ, non manet in poſterum liber, ſed ſemper iuraméti vinculo vrgetur, vt quã primũ ſoluat, ſicut infra de Voto dicemus: ergo licet beneficio creditoris ſuſpenſa ſit illa obligatio vſque ad alium terminum, in fine illius ac deinceps redit eiuſdem iuramenti obligatio. Vnde ad hunc caſum nullo modo applicatur deciſio cap. *Clericus*, nam ibi fiebat extenſio iuramenti, hic autem potius fit coarctatio, nam iuramentum ſoluendi intra decem dies, ſtrictius obligabat, & per prorogationem aliqualis fit remiſsio, non tamen integra, & ideo manet quoad reliqua. Et ita ſentiunt communiter ibi expoſitores, Deci. Felin. & alij, quos ſequitur Couarruuias p. 1. §. 1. numero 6. 13. *Declaratur reſponſio.* *Deci. Felin. Couar.*

In ſecundo exemplo ſentit idem Couarr. facta prorogatione termini compromiſsi ceſſare obligationẽ, refertque alios idem ſentientes. Et rationem differentiæ indicat. Quia obligatio iurata ſoluendi debitum intra certum terminum, non extinguitur elapſo termino, etiamſi non impleatur, vt nunc dicebamus: & ideo prorogato termino, eadem, & ſub 14. *Couar. Satisfit ſecundo exemplo.*

ſub eodem vinculo perſeuerat. At vero obligatio compromiſſi extinguitur elapſo termino, nam ſi tunc non proferatur ſententia, non poteſt amplius ferri, nec partes tenentur ex iuramento illi parere: & ideo quando ſit prorogatio, cenſetur nouum fieri pactum, & conſequenter ad illud non extendi prius iuramentum. Nihilominus tamen etiam in hoc caſu exiſtimo verius eſſe contrarium, imo tunc etiam teneri partes iuramento ad parendum ſententiæ latæ intra terminum prorogatum. Quæ eſt communior ſentẽtia, vt ibidem refert Couar. & latius Anton. Gab. libr. 2. Commun. opin. tit. de Dilation. concl. 2. numer. 11. & ſequentibus, qui & ipſum hoc ſequitur: & Couar. ipſe non conſtanter in contraria ſententia perſiſtit, ſed vel in vtramque partem ancipitem, vel in hanc magis propenſum tandem ſe oſtendit. Ratio eſt, quia cum ſit prorogatio compromiſſi, non fit nouum pactum in ſubſtantia, ſed illud idem differtur pro maiori tẽpore, & ideo totum ipſum, prout antea erat, iuramento veſtitum prorogatur, quia nulla eſt ratio ſeparandi pactum à iuramento, nec eſt impoſſibilitas in vtriuſque continuatione, cum ibi non fiat extenſio iuramenti ad nouam materiam, ſed continuatio eiuſdem circa eandem materiam continuatam. Nec videtur eſſe alia intentio prorogantium, nec præſumi poteſt, niſi euidenter illam declarent: maxime, quia cum iuramentum adhæreret promiſſioni tanquam acceſſorium principali, prorogato acceſſorio, cenſetur acceſſorium illud comitari, niſi ſpeciali intentione ſeparetur.

Couar. Anton. Gab.

CAPVT XXXVII.

An in iuramento implendo liceat compenſatione vti?

1 *Compenſatio, & æquiualens ſolutio in quo differant.*

HAec difficultas petitur in ſecundo argumento ſuperiori capite propoſito: habetq; locũ, quando compenſatio fit ſine conſenſu partis, vel diſpenſatione iuſta Superioris, nam ſi aliquid iſtorum intercedat, nulla eſt difficultas, quin liceat, vt patet ex dictis in ſuperiori puncto. Compenſatio autem in hoc differre videtur à ſolutione per æquiualens, quod in hoc modo ſolutionis, quando fit ſine conſenſu creditoris, non ſupponitur aliqua iuſta, vel apparens cauſa ex parte creditoris, ſed debitor ſola ſua voluntate facit cõmutationem: at vero in compenſatione ſupponitur aliqua ratio ex parte eius cui factũ eſt iuramentum, quia licet ſub ea ratione ſit creditor, ſub alia ſupponitur eſſe debitor, & vt ſic, dare cauſam iuſtam compenſationi.

2 *Opinio Bartoli.*

Propter hoc ergo dicunt aliqui, poſſe iuramentum impleri per æquiualentem compenſationem. Ita tenet Bart. in Leg. *Amplius* ff. Rem ratam haberi. Probat primo, quia compenſatio eſt quædam ſolutio. Leg. *Si peculium* §. 1. ff. de Statu liber. & ideo cui mandatur aliquid ſub tali conditione, cenſetur illam implere compenſando, quamuis alias teneatur illam implere in forma ſpecifica. Leg. *Qui hæredi* Leg. *Mæuius* ff. de Condit. & demonſtr. ergo idem erit in iuramento. Secundo, quia cum mihi debes, & non ſoluis, me impedis, vt licet ſim tibi debitor, non ſoluam, ſed qui iuſte impeditus non ſoluit, etiamſi ſub iuramento teneatur, non eſt periurus, quia iuſte excuſatur à ſolutione, vt in ſimili dicitur in Leg. 3. verſi. *Idem quæritur* ff. de Statu liber. ergo. Tertio poſſumus argumentari, nam is, qui ſub iuramento interrogatur, an mutuo receperit decem, quæ iam ſoluit, ſed probare non poteſt, ſine periurio reſpondet non recepiſſe, quia per quandam compenſationem perinde eſt recepiſſe, & ſoluiſſe, ac non recepiſſe: ergo in iuramento aſſertorio, iuxta capacitatem eius, datur locus compenſationi: ergo etiam admittenda eſt in promiſſorio.

Leg. Si peculium. Leg. Qui hæredi. Leg. Mæuius.

Et hanc Bart. opinionem ſequuntur frequentius Legiſtæ, vt Couarr. refert, & interdum indicat Panor. capite *Cum dilectus*, de Ord. cognit. numer. 23. & in cap. *Cum inter*, de Except. numer. 25. qui his locis ſolum per occaſionem commemorat doctrinam Bart. & rem non expendit, & in priori loco ſentit contrariam eſſe tutiorem. Hanc vero eſſe in conſcientia ſecuram dicit Silueſter, *Iuramentum*. 4. quæſt. 27. & Angel. *Iuramentum*. 4. nu. 4. dicit eſſe opinionem de Iure veriorem. Idem Tabien. verb. *Iurare*, numer. 24. ſequitur Azor. tom. 1. lib. 11. capit. 8. quæſt. 10. & reddit rationem, quia qui promittit alteri decem, videtur ſubintelligere conditionem, *Si tu mihi alia decem ſolueris, quæ debes*. Latius hanc opinionem comprobat Couarr. ſupra 1. p. §. 4. nu. 9. & 10. 3 *Couar. Panorm. Syluest. Angel. Tabien. Azor. Couar.*

Contraria ſententia eſt communis Canoniſtarum in cap. *Ad audientiam* 1. de Iureiur. vbi Innoc. Hoſtien. Ioann. Andr. Anton. Felin. & alij, quibus plures alios addit Couarr. ſupra, & eos ſequitur Tiraquel. referens alios lib. 1. de Retract. §. 3. gloſ. 3. num. 6. Anto. Corſet. tract. de Iuramento, numer. 39. & Marc. Anto. Bauer. eod. nu. 49. licet in fine videatur iudicium ſuſtinere. Conſtantius hanc opinionem defendit plures Doctores allegando Gutierr. p. 3. de Iuramento confirmatorio ca. 6. Probatur primo ex ca. *Ad noſtram*. 1. de Iureiur. vbi qui pecuniam mutuo accepit dato pignore, cum iuramento non recipiendi pignus, donec pecuniam ſolueret, obligatur ex vi iuramenti ad ſoluẽdam pecuniam priuſquam pignus exigat, nulla facta compenſatione, nec in totum, nec in parte fructuum ex pignore præceptorum à mutuatario. Cuius reſponſi non poteſt eſſe alia ratio, niſi quia iuramentum eſt implendum in forma, qua factum eſt abſq; compenſatione: quem textum cenſuerunt expreſſum Canoniſtæ. 4 *Canoniſtarum opinio. Innoc. Hoſt. Ioan. And. Ant. Felin. Tiraquel. Anto. Corſet. Marc. Anton. Bauer. Gutierr. C. Ad noſtram.*

Dicunt vero aliqui, quando iuramentum ita eſt factum, vt in eo ſit ſatis expreſſum, quod fiet integra formalis ſolutio, priuſquam de vlla compenſatione tractetur, tunc non eſſe locum compenſationi, nec de hoc eſſe quæſtionem: ſed priorem opinionem loqui, quando ſimpliciter fit iuramentum de ſoluendo tanto debito: in d. autem capit. iuramentum eſſe factum priori modo, vt colligitur ex illis verbis: *Ipſos iuramenti Religione aſtringens, quod ſuper illis* (vtique pignoribus) *donec ſoluerent ſibi pecuniam nullum ei grauamen inferrent*. Sed ex his verbis non poteſt inferri, in illo iuramento propter ſpecialem formã eius, nõ licuiſſe prius compenſare fructus, quam traderetur alia pecunia, nam hoc non erat grauamen ſuper ipſa pignora, & ſolum iuratum fuerat, *non inferre grauamen ſuper illis*. Nec refert, quod ibi dicitur poſſeſſiones, & reditus data eſſe in pignora, nam vt bene Couarr. probat, & eſt euidens ex contextu, per reditus ibi non intelliguntur fructus, ſed iura, ſeu cenſus, quæ inter immobilia bona computantur, & fructificant, vt ibidem ſupponitur: ergo iuramentum ſolum fuerat de non inferendo grauamina ſuper hæc immobilia bona, donec ſoluta eſſet pecunia mutuo accepta: ergo cenſetur hoc iuramentum ſufficere ad excludendam compenſationem. 5

Alij præſertim Couarr. reſpondent, præcipi, fieri prius ſolutionem ſine vlla compenſatione, quia non erat liquidum aliquid ex fructib. fuiſſe perceptum, & liquidi ad non liquidum non recte fit compenſatio, leg. vlt. C. de compenſat. Sed contra hoc eſt, quia etiamſi non eſſet liquidum, potuiſſet ante ſolutam pecuniam ratio exigi perceptorum fructuum, per quam clare conſtaret de perceptis deductis expenſis, & in illis fieret compenſatio, & de reſiduo tantum fieret ſolutio. Neque in hoc fieret contra peculiarẽ formam illius iuramenti, quia nullũ gra- 6 *Couar.*

Digitized by Google

uamen inferretur ſuper pignoribus, ſed tantum ſuper fructibus: vel certe non poſſet dici grauamen ratio iuſte poſtulata, nam vt recte probat Couarr. verba illa in rigore de iniuſto grauamine intelliguntur. Et nihilominus Pontifex hoc non admittit, ſed mandat prius ſolui debitum integrum realiter, ac formaliter, & poſtea reſtitui, quod vltra ſortem acceptum eſſe conſtitiſſet, ergo.

7. *Cap. Debitores. Cap. Si vero.* Secundo argumentari poſſumus ex cap. *Debitores, & cap. Si vero, de Iureiur.* Nam ſi in iuramento perſoluendo haberet locum compenſatio, ſequeretur, eum, qui vſurario, vel latroni promiſiſſet ſoluere vſuras, vel pecuniam, non teneri poſtea realiter, & cum effectu ſoluere, ſed poſſe compenſationem facere, conſequens eſt contra illa Iura: ergo. Sequela patet, quia, vt dicitur in lib. 3. ff. de Compenſat. ideo compenſatio neceſſaria eſt, quia intereſt noſtra potius non ſoluere, quã ſolutum repetere. Atqui promiſit vſurario aliquid extra ſortem, ſi illud ſoluat, poteſt poſtea repetere, etiamſi id iuramento firmaſſet: ergo poteſt etiam antea compẽſare non ſoluendo, ſed quaſi anticipare retinendo, quod poſtea recuperatus eſt. Dicetur forte, vſurarium nondum eſſe debitorem, donec ei ſoluantur vſuræ, & ideo non eſſe locum compenſationi, ſed prius eſſe ſoluendas iuratas vſuras. Sed contra, nam in primis iam eſt facta iniuria exigendo illarum promiſsionem: ergo licet illam iniuriam compẽſare, non ſoluendo promiſſum realiter. Deinde ſi promiſsio illa ſimpliciter facta fuiſſet ſine iuramento, liceret ex vi iuſtitiæ compenſationem facere, non ſoluendo: ergo poteſt dari anticipata compenſatio iuſta, ergo ſi iuramentum ex ſe non excludit compenſationem, etiam in illo caſu licebit, ea vti.

8. Tertio, poſſumus argumentari ex dictis in præced. cap. quia iuramentum non impletur reddendo æquiualẽs, ſed oportet ſoluere idem, quod promiſſum eſt, ſed ſi fiat compenſatio, non ſoluitur idem, ſed æquiualens, ergo. Minor videtur nota, quia remiſsio debiti, vel collatio nouæ pecuniæ non ſunt idem, imo vix æſtimantur æqualia, moraliter loquendo, & ſecundum communem æſtimationem. Vnde in debitis priuilegiatis (vt ſic dicam) non admittitur compenſatio, vt in depoſito, & ſimilibus, & in debitoribus Regis non ſolet admitti, ſed pri' coguntur ſoluere, quod debent, & poſtea datur locus petendi: ergo ſignum eſt ſolutionem, & compenſationem non eſſe idem, nec omnino æquiualens: ergo ſi iuramentum non impletur ſoluendo æquiualens, multo minus implebitur compenſando.

9. *Medin. 1. Concl.* In hoc puncto, quod ad forum conſcientiæ ſpectat, totum pendet ex intentione iurantis, vt egregie notauit Medin. C. de Reſtit. quæſtion. 3. cauſ. 12. Vnde dicẽdum eſt primo, ſiquis ita iurauerit, vt intenderit vere, & realiter ſoluere nulla facta compenſatione, non poteſt poſtea compenſare. Probatur, quia hoc exigit veritas iuramenti, & licite impleri poteſt: ergo ſeruandum eſt. *Panor.* Dicit tamen Panormit. in d. capit. *Ad noſtram*, in fine, tale iuramentum ex ea parte, quæ eſt de non facienda recompenſatione, poſſe relaxari, quia non habet iuſtam cauſam ex parte exigentis. Sed hoc ad ſummum habet locum, quando is, cui tale præſtatur iuramentum, illud exigit in mutuo præſtando, vel in alia ſimili occaſione, quæ violentam quandam exactionem contineat. At vero ſi fiat ſponte, & mere liberaliter, nullam habet turpitudinem ex parte acceptantis, neque occaſionem relaxationis. Et in hoc caſu maxime procedit opinio Canoniſtarum.

10. *2. Concl.* Dico ſecundo, Qui iurauit dare aliquid cum intentione reſeruandi ſibi poteſtatem compenſandi, vel remittendi ſimile debitum, non tenetur realiter exhibere, quod promiſit, ſed poteſt recompenſare, etiam ſi in verbis nihil expreſſerit præter formalem promiſsionem: imo neque etiam peccauit cum tali intentione promittendo. Probatur prior pars, quia iuramentum non obligat niſi iuxta intentionem, ſub qua fit: ſed in eo caſu promittens non intendit iurare præciſam ſolutionem, ſed extendendo illam ad compenſationem, vel remiſsionem æqualis debiti, ergo non amplius obligatur. Vnde probatur facile ſecunda pars, nam licet in verbis non fiat hæc declaratio, verbum ipſum dandi vel ſoluendi eſt capax huius amplæ ſignificationis, vt probant argumenta prioris ſententiæ, ergo ſi intentio iurantis conformatur illi ſignificationi, iuramentum non plus obligat. Et inde facile patet vltima pars, quod hac intentione iurare nullum ſit peccatum, quia nec continet iniuſtitiam, vt per ſe notum eſt, quia compenſatio ſupponitur iuſta, nec continet mendacium, quia verba ſunt capacia illius ſignificationis. Et maxime quia illa ſignificatio eſt Iuri conformis: quia licet compenſatio dicatur ficta ſolutio, nihilominus ſecundum ius pro ſolutione habetur, vt conſtat ex Leg. 4. §. *Soluiſſe*. ff. de Re iudic. leg. 1. cum multis alijs. ff. de Compenſat. & Cod. eodem, ſed qui iurat promittendo, poteſt ſine peccato vti verbis iuxta ſenſum Iurium: ergo.

11. *3. Concl.* Dico tertio: Qui iurat ſimpliciter promittendo tantum pecuniã, nihil de reali traditione, vel compenſatione cogitans, poteſt tuta conſcientia iuramentum ſoluere, recompenſationem faciendo, quando in eadem ſpecie rei debitæ, ac promiſſæ fieri poteſt, & rationabilis cauſa intercedit, & debitum liquidum eſt. Hanc aſſertionem præcipue videntur intendere Bartol. & qui eum ſequuntur, & in eodem ſenſu videtur dixiſſe Sylueſt. eſſe tutam in cõſcientia illam ſententiam, & in eodem illam approbat Molin. diſput. 560. de Iuſtitia. & idem ſenſit Medin. ſupra. *Molin. Medin.* Probatur, quia verba iuramenti interpretanda ſunt in ſenſu proprio, & commodo iuramenti, ita vt reſtringant potius, quam extendant obligationem iuramenti, iuxta principium ſupra probatum. (Quod maxime locum habet, quando ſignificatio verborum eſt conſentanea Iuri, & non continet aliquam turpitudinem, nec iniuſtitiam, & ex materia, vel circumſtantijs alia intentio, vel ſignificatio non colligitur) ſed in præſenti caſu hæc verba, *Dabo tibi decem*, habent hunc legitimum ſenſum Iuri, & moribus hominum conſentaneum, *Gratioſe conferam decem, vel illorum gratiam faciam*, ſiue per nouam traditionem, ſiue in virtute antiquæ: ergo quocumque modo talis gratia fiat impletur iuramentum. Et ſimiliter ſi eum recipio mutuatam pecuniam, iuro ſoluere, recte nomine ſolutionis intelligitur quælibet ſatisfactio ſufficiens, vt tollatur debitum: vel certe, & in idem fere redit, ibi ſubintelligitur conditio, *Si tempore ſolutionis faciendæ debitor illius extitero, vel niſi alio modo pro illo non ſatiſfecero*. Et patet, quia ibi ſubintelligitur hæc conditio, *Niſi tu remiſeris*, quia per illam remiſsionem tollitur debitum: ergo etiam ſubintelligitur omnis conditio tollens debitum, talis autem eſt iuſta recompenſatio: impleta hac conditione ceſſat obligatio iuramenti, & cõſequenter impletur. *Cap. Ex parte.* Confirmatur ex capit. *Ex parte*, ſecundo de Cleric. non reſid. vbi qui iurauit reſidere, cenſetur implere iuramentum, etiamſi ſit abſens propter ius præbendæ tuendum. Quod videtur niti in quadam iuridica verborum interpretatione, quæ quandã includit compenſationem.

12. *Quæ res ſimpliciter & quæ moraliter conſonant.* Tres vero limitationes in concluſione inſinuaui. Vna eſt, vt hæc compẽſatio locum habeat, quando res ab vno promiſſa, & ab altero debita ſunt eiuſdem rationis, vel ſimpliciter, vel ſecundum moralem æſtimationem. *Simpliciter* voco, vt ſi promiſi pecuniam, & alter debet pecuniam. *Moraliter*

vero.

Digitized by Google

Quænam res inter ſe recipiant functionē, & quæ nō recipiant. Panorm.

vero, ſi promiſi tibi decem aureos, & tu mihi debes triticum, aut oleum eiuſdem valoris, & in vniuerſum poſſunt huiuſmodi cenſeri res illæ, quæ inter ſe recipiunt functionem, id eſt, quia vna poteſt fungi vice alterius, quales eſſe cenſentur, quæ in numero, pondere, & menſura conſiſtunt, vt dixit Panormit. in capit. vltim. de Depoſito numer. 12. In his ergo rebus procedit aſſertio poſita: non vero quando res ſunt diuerſarum rationum, & inter ſe non recipiunt functionem, vt ſi promiſi ſub iuramento equum, & tu pecuniam debes: tunc enim non implebitur iuramentum per compenſationem, per ſe loquendo, & ex vi verborum. Ratio eſt tacta in tertio argumento pro ſecunda ſententia, quia iuramentum debet impleri in propria ſpecie: quando autem res inter ſe non recipiunt functionem, compenſando non impletur iuramentum in propria ſpecie, vt per ſe conſtat: ergo. Item ſi creditor reſpectu promiſsionis equi, non eſſet alias debitor pecuniæ non poſſet cogi ad accipiendam denuo pecuniam loco equi: ergo nec poteſt cogi ad recipiendum per compenſationem pecuniam prius acceptam, quam debebat: nam eſt eadem, vel maior ratio. Secus vero eſt quando res functionem recipiunt, quia tunc impletur iuramentum in propria ſpecie quoad rem ſolutam, quia eſt eiuſdem rationis, vt declaratum eſt. Et licet modus ſoluendi videatur diuerſus à reali ſolutione de præſenti, cenſetur ſufficiens, non propter aliquam commutationem rei promiſſæ in aliam æqualem, ſed quia illa diuerſitas eſt materialis, & moraliter cenſetur eadem ſolutio, & æque comprehenſa ſub verbis iuramenti. Neque limitatio hæc cenſenda eſt extra mentem Authorum prioris opinionis, nam cum compenſationem admittunt, eo ipſo intelligunt, debere fieri inter ea, quæ Iure compenſabilia ſunt: Iure autem non ſunt compenſabiles res diuerſarum rationum, inuito altero creditore, vt Panormit. ſupra tradit. Et cenſeo in conſcientia eſſe verum, per ſe loquendo, propter rationem ſupra factam, quia nemo poteſt cogi alienare, vel carere re, quam in propria ſpecie poſsidet, vel poſsidere poteſt, ac debet. Maxime vero hoc habet locum in iuramento, nam ſi quis iurauit facere aliquid alteri, qui ſibi eſt debitor pecuniæ, non poteſt recompenſare, quia debet implere iuramentum in propria ſpecie: ergo idem eſt in ſimilibus.

13. *Quæ ſit rationabilis cauſa compenſationis.* Altera limitatio à nobis poſita fuit, ſi rationabilis cauſa intercedat, vtique ad faciendam compenſationem inuito creditore: nam intra latitudinem iuſtitiæ hæc conditio neceſſaria eſt ad compenſationem faciendam iuſte, ac ſine culpa, præſertim propria authoritate vt ex materia de Iuſtitia conſtat. Eſt autem huiuſmodi cauſa, quando ſoluendo debitum proprium, timeo iacturam rei mihi debitæ, quia non ſpero alium ſoluturum, vel alia ſimilis; ergo quando promiſsio dandi, vel ſoluendi facta eſt ſub iuramento, etiam ipſum iuramentum obligat ad ſoluendum realiter, quando nulla cauſa rationabilis interuenit ad faciendam compenſationem. Probatur conſequentia ex alio principio, quod iuramentum cenſetur fieri iuxta exigentiam, & naturam actus cui adiungitur: ſed natura debiti, & promiſsionis hæc eſt, vt ſimpliciter, ac pure ſoluatur, vt debetur proprio titulo, & modo, niſi rationabilis cauſa cogat ad faciendam compenſationem, ergo ita intelligendum etiam eſt iuramentum. Atq; hæc limitatio maxime neceſſaria videtur, quando compenſatio fit inter res diuerſæ ſpeciei, etiamſi moraliter compenſabiles ſint, & functionem recipiant: vt ſi iuraui dare tibi triticum, & mihi debes pecuniam, non licet compenſare ſine cauſa te inuito, quia fortaſſe indiges tritico, & paratus es ſoluere pecuniam. Denique hoc pertinet ad reuerentiam iuramenti, vt ad literam (vt ſic dicam) impleatur, cum commode poſsit.

Tertia limitatio eſt, vt debitum, cum quo fit recompenſatio, ſit liquidum, quam omnes Doctores ſupponunt, quia & in Iure eſt expreſſa L. vltim. C. de Compenſat. cum ſimilibus, & quia ratione naturali conſtat eſſe neceſſariam ad iuſtitiæ æquitatem, & conſequenter etiam ad iuramenti veritatem. Vnde etiam conſtat, quando iuramentum eſt de ſoluendo intra certum terminum, & debitum alterius non vrget intra illud tempus, tunc non eſſe locum compenſationi: quia iuramēti ſolutio non poteſt differri vltra præfixum terminum, nec alter cogi poteſt ad anticipandā ſui debiti ſolutionem. Et facit lex Quod in ff. de Compenſat. vbi dicitur. *Quod in diem debetur, non compenſabitur antequam dies veniat, quamquam dari oporteat.* 14.

Alii addunt limitationem, niſi promiſsio ſub iuramento facta ſit homini debenti, & eum de debito conſtaret iuranti nam tunc tacite videtur renunciare recompenſationi, & iurare animo faciendi ſolutionem, & non vtendi compenſatione. Ita Gutier. n. 6. §. *Retenta*, cum aliis, quos refert. Vnde ſentiunt, quando debitum ex parte eius, cui facta eſt promiſſio iurata, ortum eſt poſt factum iuramentum, fieri poſſe compenſationem iuxta Bartoli opinionem: quando vero debitum præceſsit, & eo non obſtante creditor iurat dare centū ſuo debitori, non licere, compenſare: & ita eſſe limitandam aſſertionem noſtram, propter coniecturam factam, quod ille, cū iuret non obſtante debito, cenſetur intendere re ipſa ſoluere, & non compenſare, & hoc totū iurare. Sed ſi attente conſideretur, hęc non eſt limitatio, ſed pręſumptio quædam, probabilis quidem in foro externo, tamen parum referens ad forum conſcientiæ, de quo tractamus, quia in illo veritas intentionis ſpectanda eſt. Vnde ſi re vera intentio ſolum fuit ſimpliciter faciendi alteri hanc gratiam, & non fuit cogitatum de renuncianda compenſatione eadem doctrina procedit, neque habet locum præſumptio. Et ideo Medin. ſupra dixit aſſertionem procedere ſiue alter eſſet debitor iuranti tēpore iuramēti, ſiue poſtea factus ſit debitor Et ſequitur Molin. ſupra. 15. *Gutier.* *Medin.* *Molin.*

Tandem addunt limitationem, vt ſolum hoc liceat, quando debitor non habet alias vnde ſoluat, niſi recompenſando, nam tunc maxime procedit ſecunda ratio Bart. quod tunc debitor virtute iuramēti à ſuo creditore, quatenus alias eſt debitor, cōſtituitur in eo ſtatu, in quo non poteſt in propria ſpecie ſoluere, vel ſimpliciter, vel ſine magno onere, & difficultate, quod ſatis eſt vt iuramento non obligetur. Si autem iurans non obſtante debito alterius, poteſt facile realiter ſoluere, debet ſoluere. Ita Gutier. ſupra numer. 8. citans Matth. de Afflict. & plures alios, & hoc eſſe tutius dicit Gregor. Lop. in l. 20. titul. 14. p. 5. gloſ. 1. Verumtamen limitatio nimia eſt, & extra propoſitum quæſtionis, nam in eo caſu non tam id licet propter compenſationem, quam propter impotentiam. Vnde quamuis ſic iurans non eſſet conſtitutus in illa neceſsitate propter debitum eiuſdem creditoris, ſed propter debitum alterius creditoris, qui non ſoluit, excuſaretur à ſolutione debiti iurati, quamdiu alius tertius non ſolueret, vel aliunde ad pinguiorem fortunam non veniret. Ergo ſi tantum titulo neceſsitatis poſſet hoc fieri, non eſſet ſolutio, ſed excuſatio, & ita ſemper debitum maneret, & veniens ad ſtatum, in quo poſſet facile implere iuramentum, teneretur, etiamſi alter ſuum debitum non redderet. Aſſertio igitur intelligenda eſt per ſe, & ex vi ſenſus iuramenti, vt probatum eſt, non ratione neceſsitatis tantum: & ſecunda ratio Bartoli parum probat. 16. *Gutier.* *Gre. Lop.*

Vltimo pro foro externo addendum eſt, etiam in illo admitti poſſe compenſationem pro ſolutione debiti, ſeu promiſsi iurati, vbi manifeſte conſtiterit, nō fuiſſe per iuramentū excluſam cōpenſationē, neq; hanc fuiſſe intentionē iurantis: vbi autem hoc 17. *In foro etiā externo admitti poteſt compenſatio pro ſolutione debiti iurati.*

non

Digitized by Google

non conſtiterit, ſed potius contraria fuerit præſumptio; aut ſaltem res fuerit dubia, non admitti compenſationem per ſe loquendo. Iuxta hanc aſſertionem interpretor opinionem Canoniſtarum. Et prior pars comprobari poteſt ex d. cap. *Ex parte* 2. de Cleric. nō reſid. Colligi etiam poteſt ex *Ca. Ex parte.* d. capit. *Ad noſtram* 1. in illis verbis: *Licet autem de poſſeßionibus illis, & redditibus, nondum ſortem, deductis ex-* *Ca. Ad noſtram.* *penſis, receperit.* Nam per hæc ſignificatur, ideo illum mutuantem fuiſſe iniuſte excommunicatum, & pignoribus priuatum, quia nondum ſortem, deductis expenſis, receperat, ergo à contrario ſenſu ſi conſtitiſſet ſortem recepiſſe, merito excommunicari potuiſſet niſi pignora redderet, ſorte contentus: ergo ſupponitur in eo caſu admittendam fuiſſe compenſationem. Ratione item probatur, quia hoc eſt conſonum naturali iuſtitiæ, & nullibi prohibetur, nec in re ipſa eſt contra iuramentum, vt oſtenſum eſt: cur ergo non admittetur in extremo foro Eccleſiaſtico,
18. ſi veritas ſufficienter probari poſsit?

Altera vero pars probari etiam poteſt ex d. capit. *Ad noſtram*, in deciſione eius, in caſu enim illius textus cenſuit Pontifex, non fuiſſe admittendam compenſationem, non quia illa ſemper ſit iuramento contraria, id enim non poteſt ex illo textu colligi: ſed quia licet non eſſet certum, iuramentum fuiſſe factum de non facienda compenſatione, poterat tamen eſſe dubium. Et illa verba: *Ipſos iuramenti Religione aſtringens, quod ſuper illis, donec ſoluerent ſibi pecuniam, nullum eis grauamen inferrent*, ambigua ſaltem erant, de quo grauamine, & an de pignoribus tantum ſecundum ſe, vel etiam ratione fructuum eſſent intelligenda: & ideo in dubio tanquam ſecurius iudicatum eſt, vt fieret prius realis ſolutio. Et in hoc ſenſu recte inde probatur aſſertio in Eccleſiaſtico foro. Et ratio eius eſt clara, quia iudicium Eccleſię in his, quæ pertinent ad bonum animæ, & ad Religionem iuramenti ſemper ſequitur in dubiis tutiorem partem. Et in hoc ſenſu eſt valde probabilis prima *Medin.* expoſitio ſupra data, quam ſequitur Medin. ſupra: ipſe vero putat non fuiſſe rem dubiam, ſed certam, quod per iuramentum illud fuerit renunciatum compenſationi. Mihi tamen non videtur certum, ſatisque eſſe, vt fuerit dubium, & quod grauis eſſe poſſet præſumptio, quod in eo ſenſu fuerit iuratum, vt in foro Eccleſiæ non admitteretur compenſatio.

19. Addo etiam iurare ſecundum expoſitionem ſupra datam, ſi recte explicetur, ſcilicet ibi non fuiſſe locum compenſationi integræ, quia non liquido conſtabat de quantitate fructuum percepta ex pignoribus, deductis expenſis: conſtabat autem (vt in textu aperte ſupponitur) non fuiſſe integram ſolutionem ex fructibus factam. Et ideo non conſtabat, quid eſſet addendum ad integram debiti ſolutionem, & ideo merito iuſſum eſt, integrum debitum ſolui, & poſtea compenſationem exactam fieri, & exceſſum reſtitui. Nec oportuit prius fructuum perceptorum rationem exigere à mutuante, quam illi fieret ſolutio, quia hoc grauamen videbatur iuramento contrarium. Et ita ex vtroque ſenſu vnus perfectus conſummatur. Si autem conſtaret de certa aliqua quantitate vltra ſortem recepta, deductis expenſis, & à mutuante conſumpta, vt facile conſtare poſſet ſaltem per confeſsionem mutuantis, non credo fuiſſe contra iuramentum, nec contra ſententiam Papæ in illo textu, illam quantitatem computare in partem ſolutionis, & pecuniam ſuperaddendo, conſummare ſolutionem, nam tunc ſufficienter videretur completa conditio à Pontifice poſita, *Donec ei pecunia perſoluatur*: & ideo poſſent ab illo pignora recuperari. Et nihilominus poſtea poſſet de fructibus perceptis exacta ratio poſtulari, vt ſi quid vltra ſortem supereſſet, reſtitueretur.

20. Ad rationes duarum opinionum, quas retulimus non eſt neceſſe reſponſionem addere. Nam prima *Satis fit rationibus primæ, & ſecundæ opinionis.* ratio Bartoli probat noſtram ſecundam, & tertiam aſſertionem, & non obſtat primæ, quia licet compenſatio ſit quædam ſolutio, nihil obſtat, quominus poſsit quis ſe obligare ad non vtendum illo modo ſolutionis. Secunda vero ratio licet in ſe non ſit ad modum efficax, nihil tamen obſtat, ſed iuuat ad honeſtandum talem ſolutionis modum, quoties rationabilis cauſa interuenit. Tertia item ratio confirmat noſtram tertiam aſſertionem, & aliis non obeſt. Ex motiuis autem alterius ſententiæ ca. *Ad noſtram*, ſatis explicatum eſt.

Ad ſecundam autem ex cap. *Debitores*, reſpondetur, in promiſsione ſoluendi vſuras non eſſe locum 21. compenſationi ex vi iniuſtitiæ, quæ in tali exactione ab vſurario committitur, quia cum ante promiſsionem nullum ſupponatur debitum, nec ex vi promiſsionis contrahatur, donec realis fiat ſolutio, non habet locum compenſatio ante ſolutionem, quia ſi non eſt debitum, non eſt compenſatio. Facere autem compenſationem quaſi antecedenter, aperte eſt contra formam, & intentionem talis iuramenti, quia non obſtante iniuſtitia exigitur, & iuratur ſolutio, ergo excluditur compenſatio cum eadem iniuſtitia. At ſi vſurarius alia via eſſet, vel fieret debitor mutuatarii, fortaſſe poſſet tunc fieri compenſatio cum alio debito, & illo modo impleri promiſsio vſurarum. Quod facile concedit Molina ſupra. Ego vero multum dubito, quia tunc non habet locum compenſatio quoad veram debiti remiſsionem, quia re vera mutuatarius non remittit debitum, quia non valet remiſsio facta vltra ſortem, & ſolum propter mutuum, nam ſemper mutuans tenetur ſoluere, & reſtituere. Nec etiam exterius recompenſat, quia nihil de nouo tradit, ſupponitur enim alias acceptum: ergo ad implendum tale iuramentum neceſſarium videtur ſaltem materialiter donare, nam de hoc præciſe fieri videtur. Ad tertium iam declaratum eſt, quomodo in compenſatione non fiat commutatio in æquiualens, ſed res promiſſa ſoluatur modo comprehenſo ſub iuramento, & intentione iurantis.

Molin.

CAPVT XXXVIII.

Vtrum iuramentum promiſſorium irritari poſsit?

1. HActenus explicuimus obligationem iuramenti promiſſorii, nunc de modis auferendi talem obligationem dicendum eſt. Prius tamen neceſſe eſt nonnullos terminos diſtinguere, & breuiter explicare: nam aliud eſt iuramentum certo non obligare, aliud obligationem eius quaſi ſponte ſua, ſeu ipſo facto ceſſare, aliud obligationem impleri, & ideo iam non durare, aliud vero obligationem eius eſſe dubiam, vel à principio, vel per diſcurſum temporis propter aliquam accidentem mutationem, aliud item eſſe eandem obligationem certam ab vna re in aliam transferri, ſeu commutari, aliud vero obligationem ſemel contractam, & ex ſe durantem tolli, ſine vlla ſolutione eiuſdem, vel æquiualentis rei. Dicitur enim iuramentum non obligare, quando à principio nullum eſt. Quod quando, & quibus modis, & cauſis contingat in ſuperioribus latiſsime explicatum eſt, & pauca inferius addemus. Iuramenti autem obligatio ceſſare dicitur ſponte ſua, quando à principio obligauit, & poſtea per rerum mutationē euacuatur obligatio, & hoc etiam explicatum eſt. Quod autem per ſolutionem rei promiſſæ impleatur veritas iuramēti, & conſequēter extinguatur obligatio, per ſe notū eſt. modus autē ſolutionis in præcedēti capite ſatis explicat9 eſt. Vbi etiā declaratū eſt, quando,

Digitized by Google

quando, & quomodo liceat commutatio: & ſimul explicatum eſt quomodo prior obligatio quaſi indiu dua ceſſet, & alia loco illius inducatur, de cuius obſeruantia, duratione, & ſolutione idem iudicandum eſt, ac ſi de illa materia in principio eſſet iuratum. Pro caſu vero, in quo iuramentum eſt dubium, non tam diſpenſatio, quam interpretatio neceſſaria eſt de qua ſupra dictum eſt ad quem pertineat.

Quot modis iuramẽti obligatio tollatur.

2\. Igitur de ſolo vltimo puncto dicendum ſupereſt, an ſcilicet, & quomodo poſsit tolli obligatio iuramenti, quando nec per ſe ceſſat, nec impletur formaliter, nec virtute, nec per æquiualens? Diſtingui autem ſolent varii modi tollendi hanc obligationem quos nos ad quatuor reducimus, ſcilicet, irritatione, condonatione, diſpenſatione, & relaxatione, ex quibus irritatio, & diſpenſatio communes ſunt voto, & ideo ibi de illis dicendum eſt ex profeſſo. Nunc ſolum ſupponimus, in iuramento irritationem fieri ex parte materiæ propter poteſtatem dominatiuam, vel quaſi dominatiuam: diſpenſationem vero fieri ex parte ipſius obligationis, tollendo illam per poteſtatem iuriſdictionis in ipſam perſonam. Condonatio autem & relaxatio ſpecialiter tribuuntur iuramento: & videtur condonatio eſſe quædam irritatio, proprie vero dicitur, quando obligatio à creditore remittitur, & ita propria irritatio erit, quando ſine conſenſu creditoris ſit ab alio habente poteſtatem. Præterea relaxatio interdum videtur ſumi in ſignificatione generali pro quacumque ablatione vinculi iuramenti, interdum vero cũ diſpenſatione confunditur, poteſt vero ſpeciali modo ſumi pro determinato modo relaxationis, ſeu diſpenſationis. Diſpenſatio enim, & relaxatio ſtricte ſumpta poſſunt ita diſtingui, vt diſpenſatio dicatur, quando ad auferendum vinculum iuramenti ſolum ſpectatur poteſtas in perſonam iurantis cum cauſa ex parte eius: relaxatio vero quando cauſa potiſsime extenditur ex parte eius, cui iuramentum factum eſt. Vnde diſpenſatio proprie locum habet in iuramentis, quæ per modum voti ſoli Deo, ſeu abſolute fiunt, relaxatio autem in iuramentis promiſſoriis homini factis. Quæ diſtinctio iuramentorum eſt in hac materia præ oculis habenda, nam iuramentum quod fit per modum voti, ſoli Deo fit, vel ſolum illum reſpicit in obligatione ſua: iuramentum autem, quod fit homini, pendet ab illo, nam ad illum dicit ſpecialem habitudinem. Ex qua differentia oriuntur multæ in modo tollendi obligationem vtriuſque iuramenti, vt notauit Caietan. dict. artic. 9. & ex diſcurſu ſequentium capitum patebit. In hoc ergo de irritatione, in ſequentibus de aliis dicemus.

Iuramenti diſpenſatio quomodo differat ab eiuſdem relaxatione.

Caiet.

A quo relaxari poſsit vinculum iuramenti.

3\. Reſpondeo itaque vinculum iuramenti per irritationem auferri poſſe ab habente poteſtatem. Aſſertio eſt communis, & clara, quia ſæpe materia iuramenti pertinet ad dominium, vel ius alterius: ergo ſi ipſe ratum non habeat iuramentum, & illi contradicat, eo ipſo ceſſat obligatio iuramenti, imo iuſte impleri non poteſt, & hoc eſt irritari. Conſequentia patet, quia iuramentum obligare non poteſt in præiudicium tertii, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo ſi eius materia eſt ſub iure alterius, nõ poteſt obligare, illo contradicente. Antecedens vero intelligetur facile diſtinguendo duplicia iuramenta, ſicut & vota, vel promiſsiones diſtingui ſolent: quædam iuramenta dici poſſunt realia, alia perſonalia. Realia dicuntur quando verſantur circa diſpoſitionem, vel alienationem, aut donationem rerum externarum: vt cum iuro dare decem aureos, vel triticum, vinum, & ſimilia fortunæ bona. Perſonalia dicuntur, quando ſunt de ſolis actionibus perſonæ, vt ſi iuro ſeruire, adeſſe, vel abeſſe tali loco, ſtudere, vel ſimilia. Contingere ergo poteſt, vt qui facit iuramentum reale, non habeat poteſtatem diſponendi de re promiſſa: quia eſt ſub dominio, vel principali adminiſtratione alterius, & ea ratione poterit irritari iuramentum ab habente poteſtatem in talem rem. Simile cum proportione accidit in actionibus, nam poteſt quis actiones ſuas habere ita ſubiectas, & dependentes à voluntate alterius, vt non poſsit eas licite exercere, vel de illis diſponere contra voluntatem eius: & inde fiet, vt licet ſub iuramento ſuas operas promittat, irritari poſsit iuramentum à domino, vel ſuperiori, à quo in ſuis actionibus pendet.

Quid ſit reale, quid perſonale iuramentum.

Iuramentum irritari poteſt à domino, & à parte ſine ſpeciali cauſa, non ita tamen à ſuperiore

4\. Sequitur primo, ad hanc irritationem non eſſe neceſſariam ſpecialem cauſam, ſed ſufficere ius, vel dominium circa talem materiam, vt aliquis vtens iure ſuo, illam ſubtrahat, & prohibeat, & conſequenter iuramentum irritet. Eſt autem hoc intelligendum cum proportione ad poteſtatem, nam ſi illa ſit mere dominatiua, vt eſt domini in ſeruum, vel ſuo modo patris in filium, nulla cauſa requiritur, ſed ſufficit poteſtas vtendi iure ſuo: ſi vero ſit poteſtas iuriſdictionis, ſeu adminiſtrationis, requiretur cauſa ſufficiens ad prohibendam actionem, vel diſpenſationem rei iuramento promiſſæ, quia hoc neceſſarium eſt, vt prohibitio ſit valida. Præter hanc vero non requiritur aliqua cauſa ex parte iuramenti, prout concernit perſonam iurantem, vel cui iuramentum præſtatur, quia reſpectu illorum fit irritatio, quaſi per abſolutam, & dominatiuam poteſtatem, nulla habita ratione conuentionis illarum. Quæ omnia in materia de Voto latius explicanda ſunt, & ſtatim exemplis declarabuntur.

Summus Pontifex, & Prælati ratione materia multa irritare poſſunt iuramenta.

5\. Secũdo ſequitur, poſſe Pontificem hoc modo irritare multa iuramenta Eccleſiaſticarum perſonarũ, quatenus verſantur circa materias, vel actiones, quæ per ſe ſubſunt iuri Pontificis, eiuſq; liberæ diſpoſitioni. Sic poteſt Pontifex irritare iuramentum Clerici de danda conſanguineo certa quantitate fructuum beneficii, quia diſpenſatio illorum fructuum ſemper eſt ſubordinata Pontifici. Ita etiam poteſt irritare iuramentum Canonicorum de ſeruando ſtatuto, quia poteſt ſtatutum abrogare. Denique hoc modo irritat Papa omnia iuramenta, quæ impedire poſſunt liberam diſpenſationem, vel diſtributionem, quam ipſe habet circa beneficia, aut officia, aut gradus Eccleſiaſticos, vt recte declarat Caiet. d. quæſt. 89. artic. 9. Et hoc modo intelligit regulam capit. *Venientes*, de Iureiur. quod in huiuſmodi iuramento intelligitur ſemper exceptum ius Superioris. Et idem ſentiunt Canoniſtæ ibi, Hoſtien. etiam, & Panorm. in cap. *Quanto*, de Iureiur. & in cap. *Conſtitutus*. de Reſcrip. Angel. *Iuramentum* 6. in princip. Sylueſt. *Iuramentum* 5. quæſt. 2. Couarr. ſupra 1. part. §. 3. num. 5. & omnes. Et hæc regula cum proportione applicanda eſt ad alios Prælatos Eccleſiaſticos reſpectu ſuorum ſubditorum reſpectiue, quoad illas materias, in quibus poſſunt ipſi libere diſponere, aut præcipere, vel prohibere, poterunt enim iure ſuo vti, non obſtante iuramento ſubditi. Vt ſi inferior Clericus iurauit mutuare veſtes, vel alias res Eccleſiæ, poteſt Epiſcopus ſuo nutu tale iuramentum irritare. Maxime vero reperitur hæc poteſtas in Prælatis Religionum reſpectu ſubditorum, de qua re dicturi ſumus late in tractatu de Voto, & ideo hic illam prætermittimus.

Caietan. Ca. Veniẽtes.

Hoſtien. Panorm. Angel. Syluest. Couarr.

Principes, & laica poteſtates quomodo irritare poſſint iuramenta.

6\. Sequitur tertio non eſſe propriam Eccleſiæ poteſtatem hanc, ſed eſſe poſſe etiam in Principibus, & poteſtatibus laicis. Nam licet illi non habeant directam poteſtatem in iuramentum, vel obligationem eius, quæ ad forum Eccleſiaſticum pertinet cap. vlt. de Foro competente in 6. Nihilomin9 ratione materiæ poſſunt irrita facere illa iuramẽta, quæ eorũ iuri, vel dominio, aut poteſtati præiudicãt: ſic Rex poſſet irritare iuramẽtũ factũ à ſuo ſubdito, vel de donãda quãtitate pecuniæ, vel de eundo in aliũ locũ, vel aliquã rẽ.

qua re ſimili. Quia poteſt prohibere illum ne diſcedat à tali loco, vel ne in talem locum eat, vel ne donet, & tunc iuramentum eo ipſo deſinit obligare, quia incipit eſſe de re illicita. Et iſto modo etiam poteſtas Eccleſiaſtica poterit interdum irritare iuramenta laicorum prohibendo actus, circa quos verſantur, & prauam reddendo executionem rei iuratæ, quando materia talis eſt, vt ad Eccleſiaſticam poteſtatem pertineat. Quia vero hæc non poſſunt ab his poteſtatibus pro libito prohiberi, aut præcipi, ſed ex rationabili cauſa, ideo in tali modo irritationis requiritur cauſa iuſta præcipiendi, vel prohibendi, non tamen requiritur maior, vel ſpecialis cauſa propter interpoſitum iuramentum ſubditi. Illud enim non poteſt impedire Principi, aut Prælato liberum vſum ſuæ poteſtatis, & ideo hæc proprie irritatio vocatur.

Eccleſiaſtica poteſtas laicorum iuramenta irritare poteſt.

6\. Quarto ſequitur, etiam parentes poſſe irritare iuramenta realia, & perſonalia filiorum, & viros vxorum, & dominos ſeruorum in his rebus, quæ præiudicant dominio, ſeu poteſtati eorum. Ita Diuus Thomas d. quæſt. 89. art. 9. ad 3. & ibi omnes: & Syluest. *Iuramentum* 6. quæſt. 7. & eſt res clara ex principio poſito, & habetur Numer. 30. Sed de his dicemus ex propoſito tractando de Voto, quia eſt eadem ratio.

Parentes, domini, & mariti irritare poſſũt iuramẽta, quæ illorũ dominio præiudicãt. D. Thom. Syluest.

7\. Solum hic poteſt interrogari, an iuramenta minoris poſsint irritari à tutoribus? Et ratio dubitandi eſt, quia vota poſſunt irritari, & quia etiam minores ſunt ſubiecti adminiſtrationi tutorum. In contrarium autem videtur facere Authentica, *Sacramenta puberum*, & Lex 1. C. Si aduerſus vendit. vbi iuramenta minorum dicuntur eſſe rata, & firma. Reſpondeo in primis, iuramenta pupillorum, quæ votum includunt, vel ſapiunt naturam voti, irritari poſſe à tutoribus eo modo, quo vota, quia eſt eadem ratio, vt ſæpe dictum eſt, & ita hæc remittimus ad materiam de Voto. Deinde aſſero, etiam minorum iuramenta, quæ verſantur circa contractus humanos, vel promiſsiones hominibus factas poſſe à tutoribus irritari, quando contractus ipſi inualidi ſunt non obſtante iuramento. Probatur, quia tunc ratione contractus nullum ius eſt acquiſitum tertio, manet ergo iuramentum in ſola obligatione Religionis, ergo poteſt irritari ſicut alia vota, vel iuramenta, quæ per ſe obligant ſoli Deo.

Quo pacto tutores irritare poſſint iuramẽta minoris.

8\. Vnde vlterius addo, iuramenta puberum, quibus confirmantur contractus, non poſſe irritari à tutoribus. Probatur, quia per citatas leges talia iuramenta ſunt omnino firma, & rata. Item per illos contractus acquiritur ius tertio, quod tutor auferre non poteſt, & conſequenter nec fundamentum eius, quod eſt iuramentum, ita lege ſtatuente. Et ratio à priori eſt, quia poteſtas irritandi iuramentum poteſt à lege Ciuili pendere, quatenus ſubiectio minoris, & dependentia voluntatis eius à tutore poteſt per legem minui, vel augeri. Et ita notauit Leſsius lib. 2. cap. 42. num. 61. & Sancius lib. 6. de Matrimon. diſput. 38. numer. 17. vbi refert Ludouic. Lopez dicentem contrariũ, ſed non video fundamentum, nec quomodo reſpondere poſſit diſpoſitioni legum.

Leſsi. Sanci. Ludouic. Lop.

9\. De iuramentis autem impuberum, quibus ſuos contractus confirmant, diſſentiunt inter ſe dicti Authores. Prior enim putat poſſe talia iuramenta irritari à tutoribus ex cap. *Pueri.* 22. quæſt. 5. Et quia de illis nihil in contrarium diſpoſitum eſt Iure, & ideo ſequuntur generalem regulam, quod non ſunt ſui iuris, ſed ſubſunt tutoribus quoad omnes obligationes ſuas: & ita ſicut vota illorum poſſunt tutores irritare, ita & iuramenta, & hoc etiam abſolute affirmat Ludouic. Lopez libro ſecundo de Contract. capit. 39. At vero Sancius oppoſitum ſentit, ſupponendo vnum principium, ſcilicet cõtractus iſtorum pupillorum factos ſine authoritate tutorum non eſſe omnino irritos quoad obligationem naturalem, ex quo infert, ſi confirmentur iuramento, non poſſe tutores talia iuramenta irritare, quia cum acquiratur ius tertio non habet locum irritatio tutoris. Mihi vero prior ſententia placet, tum quia illud ſuppoſitum de validitate contractus incertum eſt, & contrarium eſt valde probabile, & poſſet tutor vti iure ſuo adhærendo illi opinioni vt probabili. Tum etiam quia licet ille contractus non fit irritus ipſo Iure, irritari poteſt ab ipſo tutore, à cuius voluntate voluntas pupilli pendet, & ita conſequenter poterit etiam irritari iuramentum. Et ita dixit Soto dicta quæſtione prima, articulo nono, quando pater, aut maritus (& idem eſt de tutore) poteſt irritare ſuorum contractum, conſequenter tollere poſſe obligationem iuramenti, quia tollitur eius materia: quãdo autem non poteſt irritare contractum, nec iuramentum poſſe.

Ca. Pueri. Iuramẽta impuberũ, quib. ſuos contractus confirmãt, poſſunt à tutoribus irritari.

Soto.

Sed dubitari poteſt circa aſſertionem poſitam, an per legem, vel poteſtatem humanam fieri poſsit, vt iuramentum irritetur non ſolum ex parte materiæ, ſed etiam ex parte ipſius iurantis. Vt enim latius de Voto dicemus, duobus modis intelligi poteſt irritatio eius. Primo ex parte materiæ ſubtrahendo illam per prohibitionem, vel per inhabilitatem perſonæ, & irritationem actus promiſsi. Secundo immediate irritando ipſum actum voti in ſe ex parte voluntatis ipſius promittentis, reddendo illam inefficacem ad promittendum. Hi ergo duo modi applicari poſſunt ad iuramentum, & de priori nulla eſt difficultas, quin habeat locum in iuramento, & hoc probant omnia hactenus dicta: & hanc vocare poſſumus irritationem quaſi indirectam, quia ſolum eſt per ſubtractionem materiæ. Poteſtque aliis duobus modis fieri, vt infra de Voto dicam, ſcilicet conſequenter, vel antecedenter, id eſt, vel poſt factum iuramentum, & contractam obligationem, tollendo illam per ſubtractionem materiæ, prohibendo nimirum, vel irritando actum promiſſum, de quo modo procedit concluſio poſita: vel ante quam iuramentum fiat, præueniendo, vt non poſsit à principio obligare, quod eadem proportione fieri poteſt per prohibitionem materiæ, vt ex dictis de Iuramentis contra leges humanas ſatis conſtat. 10.

Difficultas ergo eſt, An directe, & in ſe poſsit iuramentum irritari per humanam poteſtatem, vel poſt quam factum eſt, reddendo inefficax ipſum iuramentum ad obligandum, etiamſi materia non fiat incapax, vel etiam antecedenter, faciendo vt à principio iuramentum non obliget, etiamſi materia non prohibeatur, nec fiat incapax? 11.

An iuramentum per humanam poteſtatem directe poſſit irritari.

Reſpondeo valde probabile eſſe, irritationem iuramenti nunquam poſſe fieri ſine mutatione ex parte materiæ, propter dependentiam, quam illa habet ab irritante. Probatur, quia valde probabile eſt, non poſſe fieri, vt iuramentum non ſit iuramentum quoad eſſe iuramenti, per ſolam irritationem conſenſus, ſeu voluntatis ipſius iurantis: quia ſi ille habet intentionem iurandi, & de facto profert verba inuocationis Diuini teſtimonii, ſuper materiam capacem, non poteſt illa intentio ita irritari, quin ſufficiat ad iuramentum, quia nulla alia efficacia requiritur in illa intentione ad rationem iuramenti, niſi quod ab illa procedat efficaciter inuocatio Diuini nominis ad teſtificandum. Et hinc conſequenter ſequitur non poſſe iuramentum illud irritari quoad obligationem, niſi mutando materiam, vel per modum condonationis. Probatur, quia ſtante materia capaci, obligatio iuramenti eſt mere naturalis, & independens ab hominis voluntate, quia ex iure naturæ ſequitur, vt ſupra oſtenſum eſt. Vnde in hoc videtur eſſe differentia inter iuramẽtum, & votum, nam vo- 12.

Iuramentũ non poteſt directe irritari.

Digitized by Google

nam votum conſiſtit in ipſa promiſsione efficaci ad obligandum & ita ſubſtantia voti pendet ex voluntate ſe obligandi quæ voluntas poteſt irritari tam antecedenter, quam conſequenter, vt infra videbimus.
Diſcrimen inter iuramentum, & votum. Iuramentum autem eſt aliquid prius a quo naturaliter ſequitur obligatio. requirit autem materiam capacem, & acceptionem eius, in cuius gratiam fit & ideo ſolum ex his capitibus poteſt irritari, vel relaxari, vt in ſequentibus videbimus. Et hanc differentiam inter votum, & iuramentum notauit Valent. diſput. 6. quæſtione 7. punct. 4. §. 3.
Valent. verb. *Quartum*, licet rationem eius paulo aliter explicare videatur, quæ eſt probabilis, & illam latius examinabimus in tractatu de Voto. Hic vero interrogari poteſt, qualis mutatio materiæ neceſſaria ſit? Sed hoc pendet ex dicendis & ideo breuiter dico, non eſſe ſemper neceſſarium vt prohibeatur actio, vel alia eius obligatio, ſed ſufficere vt aliqua condonatio intercedat, vt in ſequentibus videbimus.

13. *Obiectio. Concil. Trid.* Sed obiici poteſt, quia Concilium Trident. ſeſſion. 25. capit. 16. de Regular. irritat iuramentum Nouitij renuntiantis bonis ſuis ſine licentia Epiſcopi ante duos menſes proximos profeſsioni, quæ irritatio videtur cadere directe in iuramentum ipſum.
Lex Luſitaniæ, & Caſtel. Item in hoc regno Luſitaniæ eſt lex ciuilis irritans iuramenta addita quibuſcumque contractibus ciuilibus ad confirmandos illos libr. 4. Ordin. tit. 73. & ſimilis habetur in regno Caſtellæ, licet cum aliqua maiori moderatione, in noua Recopil. lib. 4. tit. 1. lib. 11. & 12. & in d. Authent. *Sacramenta puberum*, irritantur iuramenta ſaltem extorta per vim, & metum.

14. *Reſpõdetur ad obiectionem.* Reſpondetur ad priorem partem, Concilium irritaſſe illud iuramentum, irritando contractum, & conſenſum eius, in cuius fauorẽ fit renunciatio. Sed hoc non ſatisfacit, quia ſtante nullitate contractus, & acceptationis ſufficientis ad acquirendum ius, & dominium, poteſt iuramentum eſſe validum, & obligare, vt patet in iuramento ſoluendi vſuras. Propter hoc addi poteſt, Concilium, irritando, remiſiſſe, & condonaſſe obligationem iuramenti, per poteſtatem ſuperiorem, vt in ſequenti puncto dicemus. Facilius tamen dicitur, ſuppoſita prohibitione Concilij, illud iuramentum eſſe contra bonos mores, & ideo irritationem illam etiam eſſe ex parte materiæ. Quia illa renunciatio prohibita eſt in fauorem Religioſi ſtatus, vt eius profeſsio liberior ſit, cui libertati impedimentum afferebant ſimiles renunciationes: & ideo illas nunc facere, & illis velle obligari malum eſt, ac propterea merito tale iuramentum irritum fit, vel declaratur.

15. Ad leges horum regnorum reſpondetur, in illis nullum eſſe verbum de irritatione iuramenti, nam talis irritatio etiam ſi directe fieri poſſet, non poſſet fieri per legem Ciuilem, cum ſit extra forum eius. Solum ergo irritantur ibi contractus ciuiles, quando iuramentum eis additur: & tunc licet ex contractibus non naſcatur obligatio ratione illarum legum, iuramentum per ſe obligabit ad id, de quo factum eſt, quodque ſine peccato fieri poteſt. Hoc enim non poteſt impedire lex Ciuilis, ſtante tali conditione, vt illis iuramentis re vera ſtat, non obſtantibus illis legibus: nam ſi iuramentum eſt de nõ contraueniendo illis contractibus quantumuis nullis, licite ſeruari poteſt ſeruandum ergo eſt. Non carent tamen difficultate illæ leges irritantes contractum ſolum propter adiectionem iuramenti, nam videntur ſaltem indirecte eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, licet lex Caſtellæ expreſſe id neget, & in ea dicatur, ita poſt diligentem inquiſitionem iudicatum eſſe. Sed hoc examinare ad rem
Couar. Didac. Perez. Valaſc. præſentem non ſpectat: videri poteſt Couarr. ſupra, & Didac. Perez. lib. Ordin. Caſtellæ tit. 1. L. 6. & Valaſc. tom. 1. Conſil. in 99.

Ad Authenticam, quicquid illi Bart. & alij dicant, reſpondendum eſt iuramentum illud obligare, & validum eſſe, poſſe tamen poſtea relaxari 16. *Bart.*
per Eccleſiaſticam poteſtatem, de quo ſupra dictum eſt. Quod vero ibi dicitur de tali iuramento, *Nullius momenti eſſe iubemus*, intelligendum eſt quoad confirmationem contractus, de quo lex illa tractauerat, non quoad obligationem ſuam inducendam, quæ ex illa lege non pendet. vel quod in idem redit, intelligitur nullius eſſe momenti quoad eandẽ actionem in foro ciuili, ſecus in conſcientia.

CAPVT XXXIX.

Vtrum obligatio iuramenti promiſſorij, condonatione à creditore facta, tollatur?

RESpondeo. Iuramentum promiſſorium homi- 1.
ni factum definit obligare per condonationem *Concluſio.*
à creditore factam. vnde ſic etiam irritari, ſeu relaxari dicitur generali modo. Concluſio eſt certa, & communis, ſupponiturq́; in iuribus ſtatim citandis. Ratio vero eſt clara quia iuramentum promiſſorium intrinſece includit conditionem, ſi alter cui fit promiſsio, fuerit contentus, quia nemini inuito fit beneficiũ, aut ſeruitium; ergo ſi is, cui fit promiſsio illam remiſerit, eo ipſo non obligat iuramentum. Neque propterea efficitur, vt ſit de re falſa, quia cedente creditore non fit falſa propoſitio de futuro, etiamſi non impleatur quia erat quoad hanc partem conditionalis, & conditionalis non impleta conditione, vera manet, etiamſi nihil ponat in eſſe. Addunt aliqui Canoniſtæ, ſufficere ad hanc relaxationem non ſolum expreſſam, ſed etiam tacitam condonationem, vt videre licet per Felin. capit. 1. *Felin.*
de Iureiuran. numer. 6. Quod mihi placet, quia tacitum æquiparatur expreſſo non ſolum in foro externo, ſed etiam in interno, quando ex ſigno tacito ſufficienter oſtenditur conſenſus. Exemplum eſt, ſi filia recepta dote, cum iuramento renunciauit bonis paternis, & poſtea in teſtamento inſtituatur hæres, aut legataria, nam tunc licite acceptat, ſine alia relaxatione iuramenti, quia pater tacite condonauit. Alia exempla in Felino videri poſſunt.

Ex hac aſſertione ſequitur primo, non ſolum eſ- 2.
ſe veram hanc aſſertionem in iuramento promiſſorio, in quo valida promiſsio ſupponitur inducens propriam obligationem fidelitatis, vel iuſtitiæ reſpectu hominis (quæ poteſt ab ipſo remitti,) ſed etiam habere locum in iuramento promiſſorio, in quo vel non fuit facta homini propria promiſsio, ſed ſola aſſertio de futuro (vt poſſe fieri ſupra oſtenſum eſt,) vel licet fuerit facta, non fuit valida, nec induxit propriam obligationem promiſsionis, vt de promiſsione ſoluẽdi vſuras ſupra diximus. Quia etiam vbi iuramentum confirmat tantum aſſertionem, illa aſſertio includit habitudinem ad eum, cui iuramentum exhibetur, & inuoluit conditionem dandi, vel faciendi hoc illi ſi ipſe voluerit, vel ſi non remiſerit. ideo licet ille tunc non tollat directe obligationem, nec remittat illam directe tollit tamen fundamentum eius, & ſic ipſa ceſſat.

Secundo ſequitur, poſſe hanc remiſsionem fieri 3.
ab homine, & mediante illa tolli obligationem iuramenti, etiamſi promiſsio facta ſit Deo per modum voti, vel iuramentum ſolum ſit factum intuitu Dei. Vt verbi gratia, iuraui dare eleemoſynam tali pauperi, nihil illi promittendo, ſed vel Deo vel nulli, ſed ſolum intuitu miſericordiæ id proponendo, aſſerendo, & curando, & nihilominus pauper non vult donum meum, ſed remittit, liber ab obligatione maneo: quia ſemper votum illud, vel aſſertio includit conditionem, ſi ille acceptauerit, nemo enim intendit ita intrudere alteri beneficium vel eleemoſynam, vt illum cogat ad recipiendum;

ergo illo condonante, ceſſat omnis obligatio ſiue voti ſit, ſiue iuramenti.

4. *Sylueſt. Driedo. Soto. D.Thom.*

Contra hoc tamen ſentire videntur Syluester, Driedo, & alij, quos infra referam, & explicabo. Et cum eis ſentit Soto dicto articulo 7. ad 2. & in eo ſenſu interpretatur doctrinam Diui Thomæ in eadem ſolutione; ait enim Diuus Thomas, quando aliquid alicui promittitur pertinens ad vtilitatem ipſius, tunc poſſe illum condonare, & relaxare iuramentum. Quando vero promittitur aliquid alteri pertinens ad honorem Dei, vel vtilitatem aliorum, vt ſi quis promittat Petro ſe ingreſſurum Religionem, vel facturum opus pietatis, tunc Petrũ non poſſe remittere iuramentum: quia non eſt illi principaliter facta promiſsio, ſed Deo, niſi intelligatur facta promiſsio ſub conditione, ſi Petro videbitur, vel placuerit, aut aliquid huiuſmodi. Hinc ergo infert Soto, idem eſſe quoties promiſsio fit intuitu ſolius Dei, vel pietatis, etiamſi vtilitas tota ſit hominis, cui beneficium præſtandum eſt. Sed re vera hoc membrum potius continetur in vltimis verbis D. Thomæ; quam in prioribus membris.

5. *Iuramentũ factum Deo propter hominem non poteſt condonari ab ipſo homine.*

Aduertendum eſt ergo, variis modis intelligi poſſe, iuramentum promiſſorium fieri homini. Vno modo tanquam ei, cuius vtilitas intenditur, & cui directe, & principaliter fit obligatio: & tunc res eſt extra controuerſiam, quod poteſt ab illo remitti. Secundo poteſt fieri iuramentum ipſum in gratiam hominis, non tamen ita; vt illi fiat promiſsio, vel obligatio, ſed Deo & in honorem eius, licet fiat ad complacendum homini: ſæpe enim promiſsio facta alicui, fit propter alterum tanquam propter motiuum, vel quia ſcio illi placere, vel quia ipſe petit. Et in hoc caſu, recte dicit D. Tho. iuramentum factum principaliter in honorem Dei, licet fiat homini ſecundario, id eſt, ob beneuolentiam eius, vel quaſi adhibendo etiam illum vt teſtem promiſsionis factæ Deo, non poſſe condonari à tali homine, & ratio eſt clara, quia non eſt homo, cui fit promiſsio, ſed Deus, homo vero eſt quaſi teſtis, ſeu incentiuum promiſsionis. Quod etiam inter homines accidere poteſt ſeruata proportione, vt ſi quis promittat Petro propter Paulum; vel etiamſi Paulum interponat vt teſtem, & fideiuſſorem fidelitatis ſeruandæ Petro, non poteſt Paulus remiſsionem facere, ſed Petrus.

6.

Tertio modo poteſt promiſsio iurata fieri Deo, vt ei, cui fit promiſsio, & propter eius honorẽ principaliter, & nihilominus actus promiſſus omnino eſſe in beneficium, vt vtilitatem, hominis. Et in hoc caſu dicimus iuramentum, & promiſsionem condonari ab homine, in cuius vtilitatem cedit, quia eius conſenſus, & voluntas includitur in materia illius iuramenti, tanquam conditio, ſine qua impleri non debet, nec moraliter poteſt. Et ideo dixi, comprehendi hunc caſum ſub vltima exceptione D. Thomæ, in qua dicit iuramentum principaliter factum Deo, non poſſe remitti ab homine, niſi intelligatur facta promiſsio ſub conditione exhibenda ab homine. Vt ſi quis promittat, vt iuret Petro dare filiæ eius centum in dotem, & illa nolit ea recipere, liber ab obligatione manet, nec tenebitur dare Petro, quia licet ei promiſerit, non tamen promiſit dare ei, ſed filiæ, & ibi inuoluitur, vt conditio, voluntas filiæ: ita eſt ergo in huiuſmodi iuramentis. Qualis autem debeat eſſe remiſsio, vel reſiſtentia ex parte eius, in cuius vtilitatem factum eſt iuramẽtum, alias factum ex pietate, vt ceſſare cenſeatur, ſtatim in ſimili dubio explicabitur, & fortaſſe Soto ad verum ſenſum trahetur.

Iuramentum factum Deo in vtilitatẽ hominis poteſt condonari ab ipſo homine.

7.

Nam circa hoc quæri poteſt, An liceat ei; qui ſic iurauit petere ab altero, in cuius vtilitatem iurauit, vt remittat? & an ſit neceſſarium, quod ille ita remittat, vt poſitiue reſiſtat donationi, vtique nolendo recipere, quod promiſsũ eſt; vel ſufficiat, quod remittat quaſi negatiue, ſolam obligationem tollendo, & relinquendo alium liberum, vt non det, quamuis ipſe, qui ſic remittit, non inuitus reciperet donum, ſi daretur? Ad priorem partem interrogationis reſpondeo breuiter, licitum eſſe id petere, niſi promittens etiam iurauerit, non petere remiſsionem ab eo, cui promiſit, tunc enim naſcetur obligatio ex alio iuramento; illo autem ſecluſo, non eſt cur id non liceat, quia nec contra iuramentum, nec contra iuſtitiam, vel fidelitatem eſt. Vnde poteſt fieri argumentum, quia in promiſsione pura id licet, imo in debitis iuſtitiæ licet petere remiſsionem: ergo & in iuramento promiſſorio, quia ſequitur conditionem actus promiſsi in his, quæ ſibi non repugnant. Oportebit tamen vt petitio non tranſeat in violentiam iniuſtam, quia tunc fieret contra iuſtitiam, & contra intentionem iuramenti. An vero interdum liceat facere coactionem iuſtam, ſtatim dicemus.

Licitum eſt petere iuramenti condonationem.

In altera vero parte interrogationis nonnulla maior eſt difficultas, quia licet per puram remiſsionem debiti, abſque repugnantia ad receptionem, tollatur obligatio iuſtitiæ, vel fidelitatis orta ex promiſsione; tamen obligatio iuramenti quatenus reſpicit Deum, ſcilicet faciendi verum quod ſub teſtimonio Dei dictum eſt, non videtur auferri. Quia licet creditor remittat obligationem, nihilominus libenter acciperet rem promiſſam: ergo non obſtante tali remiſsione poteſt iurans verum facere, quod iurauit: ergo tenetur. Item tunc ſufficienter impletur conditio incluſa in tali iuramento, nam hæc conditio ſolum eſt, ſi alter ſit contentus, & acceptare velit beneficium, quia ſolam hanc conditionem intrinſece claudit ratio doni, aut gratiæ promiſſæ in vtilitatem alicuius: non enim oportet, vt illam exigat tanquam debitam, ſed ſatis eſt, quod ſit paratus eam acceptare: in eo autem caſu paratus eſt recipere, licet rem non exigat. Vnde hoc eſt probabiliſsimum, & verum in iuramentis de operibus pietatis erga proximos, quæ per modum votorum, & intuitu Dei, vel ſolius miſericordiæ, ac pietatis fiunt: nam tunc non ſatis eſt, vt illi quorum intereſt vtilitas talium operum, dicant ſe remittere obligationem, ſed oportet, vt nolint recipere, quod promiſſum, vel iuratum eſt. Tunc enim maxime vrget ratio facta, præſertim quia cum reſpectu illorum non ſit orta obligatio, non habent obligationem, quam remittant, ipſum autem donum non poſſunt remittere, niſi nolendo illud accipere: & in hoc ſenſu eſt probabilis opinio Soti, & aliorum, vt in puncto ſequenti attingam. Secus vero eſt, quando iuramentum eſt proprie promiſſorium, & ſponte factum, inſtetque acceptatum ab homine, cui principaliter factum eſt, tunc enim ſufficit remiſsio obligationis promiſsionis, quia ſi in principio nõ fuiſſet acceptata, id ſufficeret: ergo per retractationem acceptationis ſeu quod idem eſt, per remiſsionem obligationis idem ſequetur. Item iuramentum illud proprie, & per ſe confirmat promiſsionem, & in virtute eſt de fidelitate illius ſeruanda: eo ergo ipſo, quod ceſſat obligatio fidelitatis, ceſſat etiam obligatio iuramenti. 8.

Quæ creditoris condonatio neceſſaria ſit vt aliquis deobligetur à iuramento promiſſorio.

Secundo expeditur ex dictis aliud dubium, quod ſolet in præſenti interrogari, An duo, qui mutuo ſibi aliquid iurarunt, poſsint ad inuicem ſibi remittere? Variis enim modis poteſt hoc iuramentum præſtari, primo per modum promiſsionis mutuæ in mutuam vtilitatem factæ, & iuramento confirmatæ, & tunc clarum ex dictis eſt, per mutuum cõſenſum poſſe inuicem remitti iuramenti obligationem, quia eadem eſt ratio de obligatione duorum, ſeu reciproca, quæ de vnius, ſeu ex altera parte. Exemplum clarum eſt in ſponſalibus iuratis in mutuum fauorem factis, quæ mutuo conſenſu diſſolui poſſunt, vt eſt cõmunis doctrina Theologorũ in 4. 9.

Qui in ſui fauorem iuramento ſe inuicem obligant, mutuo ſe poſſunt deobligare.

d. 27. &

Sanc. *Syluest.*

d. 27. & Canoniſt. in c. 2. de Sponſal. & aliorum, quos late refert Sanci. libr. 1. de Sponſal. diſp. 52. n. 6. At vero Syluest. *Iuramentum*, 6. q. 9. ait, ſi duo iurarunt, dicere duo pſalteria pro inuicem, non poſſe ſibi mutuo remittere, quia opus promiſſum concernit cultum Dei: vnde videtur limitare dictam aſſertionem ad vtilitatem temporalem ſeu corporis, nō animæ. Sed exiſtimo verum, quia ſi promiſsio eſſet ex altera parte tantum, vt ſi iuraui tibi, dicere pro te pſalterium, habet locum remiſsio, nam ſi condones, non tenebor, quia etiam ibi intelligitur incluſa conditio, ſi conſenſeris, vel ſi volueris. Nec refert, quod illa vtilitas ſit ſpiritualis, quia huic etiam poteſt homo cedere, nec etiam obſtat, quod opus promiſſum ſit cultus Dei, quia non eſt Deo promiſſum, ſed homini, qui cedit, ergo licet mutuo fiant ſimiles promiſsiones inter duos, poterunt inuicem ſibi remittere.

10\. *Qui Diuini ſeruitij intuitu iuramento ſe inuicem obligant, inuicem ſe deobligare nequeunt.*

Secundo poſſunt duo ſibi inuicem iurare de bono opere faciendo, vel cauendo malo, non intuitu conferendi ſibi inuicem aliquam vtilitatem vel fauorem, ſed ſolum intuitu Diuini ſeruitij vel pietatis, aut iuſtitiæ ſeruandæ, & tunc cenſeo non poſſe ſibi inuicem remittere, quia ſi vnus tantum ſic promittat alteri, non habet locum remiſsio, iuxta doctrinam D. Tho. ſupra explicatam, ergo nec ſi duo ita iurent, poſſunt inuicem remittere. Et ita docent Syluest. d. q. 9. & Angel. *Iuramentum*, 6. num. 2. cum Ioan. Andr. Panormit. & aliis in c. 2. de Sponſal. Exempla ſunt, ſi duo mercatores iurent dare tantam lucri partem in eleemoſynam, vel negotiari ſine fraude, vel ſi duo ſcholaſtici inter ſe conueniant, & iurent talibus horis ſtudere, & ſimilia. In his tamen cauendum eſt, ne iuramenta ſint conditionata, faciam, ſi feceris, &c. Tunc enim eſto condonari non poſſint iuramenta, ſi non concernant vtilitatem propriam, tamen neutrum obligabit, donec alter incipiat. Vt ſi duo iurent ſibi inuicem ingredi Religionem, ſi alter ingrediatur, nemo tenetur abſolute ingredi, & quaſi inchoare, donec alter ingrediatur: & idem eſt, ſi duo mercatores promittant inuicem, dabo eleemoſynam ex lucro, ſi tu dederis.

Syluest. *Angel.* *Ioan. And.* *Panorm.*

11\. *Iuramenta negatiua ſtatim obligant.*

Secus autem videtur eſſe in negatiuis, vt ſi promittant inuicem non ſe decipere, ſtatim videntur obligari, ita vt violet iuramentum, qui inceperit, quia cōditio ibi incluſa à principio impletur, quamdiu alter non decipit: ſtatim vero, ac alter deceperit, alter non obligabitur ex vi iuramenti, ſi ſub ea tantum conditione promiſit, ſi alter non deciperet, quia iam ceſſauit conditio, iuxta cap. *Peruenit*, 2. & cap. *Sicut* 3. §. *Iuramentum*, de Iureiur. in quibus dicitur, iuramentum alteri factum non obligare, ſi alter non implet conditionem promiſſam. Neque ad hoc refert, quod res iurata, & promiſſa ſit alias per ſe iuſta, & neceſſaria, quia nihilominus poteſt ceſſare obligatio, quæ per iuramentum additur. Et ita ſentiunt Angel. & Syluest. ſupra, Canoniſtæ communiter in dictis capitibus.

C. Peruenit. *Cap. Sicut.*

Angel. *Syluest.*

12\. *An ad inuicem remitti poſſit iuramentum ex vna parte factum ex pietate.*

Tertio poſſunt duo ſibi inuicem ita iurare, vt vnus præcipue intendat ex pietate, & propter Deum alteri ſubuenire: alius vero ſolum intendat humanum contractum facere, & iurare, vt contingit, quando duo ſponſalia contrahunt, & alter qui eſt diues ſolum promittit ducere pauperem ex pietate, & amore Dei. Et in hoc caſu dicunt multi, non poſſe mutuo remitti iuramentum, nam licet diues poſſit facile remittere pauperi, nihilominus ipſe non liberabitur ab obligatione iuramenti, etiamſi pauper remittat: quia diues non iurauit ſolum contractum humanum vt ſic, ſed opus pietatis, quod vt ſic reſpicit Deum, & non poteſt ab homine remitti. Alij contrarium docent, vt Nauar. cap. 22. nu. 25. & nonnulli alij Moderni, quos refert, & ſequitur San. ſupra num. 8.

Nauar. *Sanc.*

13 Sed mihi videtur diſtinctione ſupra data vtendum eſſe. Nam ſi pauper ita remittat, vt nolit matrimonium perficere, clarum eſt alium non obligari iuramento, tum propter rationem generalem, quia idem eſt in omni opere pietatis, vt dixi: tum propter ſpecialem neceſsitatem conſenſus ad matrimonium. At vero ſi illa ita remittat obligationem, quod vellet nihilominus matrimonium, tunc alter non liberabitur obligatione iuramenti, quia per illud non ſolum humanam promiſsionem, & obligationem, ſed abſolutam promiſsionem, ſeu deliberationem faciendi opus pietatis, quantum eſt ex parte ſua, confirmauit. Et ita ſemper manet integra obligatio iuramenti, etiamſi obligatio iuſtitiæ, vel fidelitatis tollatur: Item conditio incluſa in illo iuramento impletur, ſcilicet ſi illa voluerit, vult enim, (vt ſupponitur) licet condonet, & remittat iuſ ſuum peculiare, & ita non poteſt ius proprium iuramenti remittere. Vt ſi vir abſque ſponſalibus ſponte iuraret ducere Mariam pauperem, etiam illa nihil ſciente, ſolum in obſequium Dei ex pietate, non poſſet illa volendo, & deſiderando matrimonium illius, remittere obligationem, quia ſuppoſita illa voluntate iam non pendet iuramenti obligatio ab alio actu, vel ex actione eiuſdem ſponſæ.

Vera concluſio.

14\. *Solutio quadam obiectio.*

Rationes autem, quæ in contrarium afferuntur, ſolum ſunt, quod iuramentum factum in vtilitatem alicuius, etiamſi fiat Deo principaliter, poteſt tolli per ſubtractionem materiæ, ſubtrahitur autem materia, quando illa remittit ſponſionem ſibi factam. Dico tamen, non tolli materiam per ſolam remiſsionem ſponſionis, ſed nolendo acceptare beneficium iuratum: quia iuramentum non ſub alia conditione obligabat. Et hæc eſt communis opinio in d. c. 2. de Sponſal. vbi Panormit. in fine, citans Innoc. Anton. num. 9. Alexand. nu. 28. Eandem tenet Dried. lib. 2. de Libert. Chriſtian. ca. 1. prop. 3. & Summiſtæ verbo *Sponſalia*, vbi Angel. num. 20. Syluest. quæſt. 10. Roſella num. 8. & idem neceſſario ſentit Soto ſupra. Solum poſſet hic quæri, An non obſtante illo iuramēto poſsit talis vir ingredi Religionem? Sed de hoc dicemus commodius in tractatu de Voto.

Panorm. Innoc. Anton. Dried. Angel. Syluest. Roſella.

15\. *Cogens per iniuſtitiam alium ad iurandum poteſt cogi ad condonandum iuramentum.*

Quarto poteſt hoc loco inquiri, quando aliquis per iniuſtitiam, aut vim, aut dolum alium coegit ad iurandum aliquid in vtilitatem ſuam, An cogi ipſe poſsit ad condonandum, ſeu relaxandum iuramentum? Reſpondetur poſſe ſine dubio cogi, ſicut de vſurario ſtatuitur in c. 1. de Iureiur. Et ratio eſt, quia ille iniuſte facit recipiendo, quod ſic promiſſum eſt, & ex vi iuramenti datur: ergo poteſt compelli, vt ab iniuſtitia ceſſet. Et hinc fit, coactionem hanc maxime fieri poſſe per Eccleſiaſticum iudicem, tum quia iuramenti cauſa per ſe pertinet ad forum Eccleſiæ c. vlt. de Foro comp. in 6. tum etiam, quia illa coactio eo tēdit, vt ille à peccato exeat, & nouum non committat, ad quod poteſt per Eccleſiaſticam cenſuram compelli, vt in illo textu dicitur. Addo vero non ſolum poſſe hoc facere iudicem Eccleſiaſticum ex officio, & in ordine ad bonū animæ ipſius vſurarij, vel raptoris, ſed etiam ad petitionem, & inſtantiam debitoris: quia in hoc non agit contra iuramentum, & petit rem iuſtam, vt notant in dicto capit. de Iureiur. Panor. & alij, & Couarr. 1. Variar. c. 4. n. 5. Quid autem dicendum ſit, ſi iuramentum eſſet factum de non repetendo, vel de non denuntiando, ſupra dictum eſt.

Panor. Couarr.

16\. *Quomodo iudex laicus poſſit cogere aliquem ad relaxandum iuramentum.*

Sed iudex laicus poteſtne etiam compellere laicum exactorem talis iuramenti, vt condonet, & remittat? Videtur enim non poſſe, tum quia relaxatio iuramenti pertinet ad Eccleſiaſticum forum, tum etiam quia ſi poſſet alium cogere ad remittendum, ipſe authoritate ſua poſſet remittere, & relaxare. Circa hoc Felin. in cap. *Cum ſit generale*, de For. comp. dubius eſt. Vera tamen & communis ſententia eſt, iudicem laicum habere ad hoc poteſtatem,

Felin. *Cap. Cum generale.*

Digitized by Google

ſtatem, & licite poſſe ab eo poſtulari, vt cogat talem creditorem ad remittendum, quando ille alias laicus eſt, & materia etiam promiſsionis mere laica, & temporalis. Ita tandem docuit idem Felin. cap. 1. de Iureiur. cum Ludouic. Rom. & Feder. Sen. quos allegat Abb. in cap. 2. eod. num. 3. Couarruuias in dicto cap. *Quamuis*, 2. p. §. 3. numer. 2. Molina diſputat. 149. de Iuſt. Sanc. referens alios lib. 1. d. 32. nu. 18. Ratio eſt, quia iudex laicus poteſt cogere ad iuramenti obſeruantiam, capit. 2. de Iureiur. in 6. ergo & ad remiſsionem iniuſti iuramenti. Reſpondet Felinus priori loco, non eſſe parem rationem, quia in priori caſu non requiritur cauſę cognitio, in poſteriori vero requiritur.

15. Sed contra: nam ſicut ad cogendum ſeruare iuramentum, ſupponendum eſt tanquam certum illud fuiſſe validum, ita hic ſupponitur vt certum iuramentum fuiſſe turpiter exactum, ergo in eo caſu non magis requiritur cauſæ cognitio in vno caſu, quam in alio. Si vero res ſit dubia etiam in primo caſu non poteſt iudex laicus cognoſcere de valore iuramenti, & conſequenter, nec cogere ad obſeruationem eius, donec per Eccleſiaſticum iudicem declaretur, an iuramentum fuerit validum, necne, vt tradit Abb. ſupra, & in cap. *Cum contingat*, eod. numer. 15. & alij, quos refert Sanc. ſupra & capite ſuperiori aliquid attigimus. Idem autem cum proportione eſt de coactione ad remittendum, quod ſub iuramento promiſſum erat, nam ſi ſit res dubia, poterit prius ab Eccleſiaſtico iudice cognoſci, & iudicari, an iuramentum ſit relaxabile, necne? Imo in hoc videri poteſt eſſe maior poteſtas apud iudicem laicum, quia dubium non eſt de valore iuramenti, imo ſupponitur validum, & obligatorium, & ſolum dubitatur de turpitudine exigentis illud, quæ cauſa non videtur Eccleſiaſtica, ſed mere laica, nimirum, an ille vſurarium contractum fecerit necne, vel an fecerit vim iniuſtam, vel quidpiam ſimile? Quidquid ergo ſit de caſu dubio, vbi de turpitudine conſtat, non eſt dubium quin iudex ſecularis poſsit cogere exactorem ad condonationem. Eſtque etiam optima ratio, quia tunc ſolum cogit ad deſiſtendum ab iniuria, de qua poſſet per ſe ipſum cognoſcere. Et ita reſponſum eſt ad rationem in contrarium. An vero poſsit iudex ſecularis aliquo modo relaxare per ſe tale iuramentum, quod ibi attingitur, dicemus cap. 34. Vbi etiam videbimus, an hæc coactio fieri debeat antequam violatum ſit iuramentum, vel etiam poſtea fieri poſsit?

16. Vltimo poteſt hic interrogari, an poſsit aliquando is, qui iurauit, ſibi ipſi condonare, & remittere iuramentum? Multi enim Authores ita ſentiunt: quando iuramentum non fit alteri homini, nec intuitu Dei, ſed abſolute in proprium commodum: nam tunc ipſe iurãs poteſt cedere ſuo iuri, ſeu commoditati, & ita ſibi remittere obligationem iuramenti: ſicut poteſt per tertium remitti, quando in illius fauorem factum eſt. Ita ſumitur ex multis, quos ſupra retuli, & refert plures Sanci. lib. 6. de Matrimon. diſputat. 13. numer. 6. mihi autem probari hoc non poteſt, nam iuramentum promiſſorium abſolute factum in proprium commodum, vel eſt vanum, & de re inutili, vel eſt honeſtum, & obligat.

An is, qui iurat, poſſit ſibi remittere iuramentũ?

In priori caſu ſtatim eſt nullum, & ita non habet locum relaxatio: in poſteriori autem caſu impoſsibile eſt, vt ſola propria voluntate iurantis relaxari poſſit: tum quia futilis eſſet, & nullius momenti talis obligatio: tum etiam, quia tunc obligat iuramentum ad tenendum, ſeu adhibendum comitem veritatis, cum ſupponatur non defuiſſe iudicium, neque iuſtitiam. Neque eſt ſimile de iuramento facto in fauorem tertij, nam includit cõditionem, ſi promiſſarius voluerit. At vero iuramentum abſolute factum in proprium commodum, non includit conditionem, ſi ego voluero: quæ plane repugnat iudicio talis iuramenti, & omnino tollit vtilitatem eius: ſed eſt omnino abſolutum in ordine ad proprium conſenſum, qui iam tunc adhibetur, cum promiſsione iurata, quę virtute includit promiſsionem non mutandi illum. Et ita ſentit Couarruuias in dicto cap. *Quamuis*, part. 2. §. 2. num. 4.

CAPVT XL.

An in iuramentum promiſſorium ſoli Deo, ſeu per modum voti factum cadat diſpenſatio.

1. *Prima concluſio.*

RESpondeo: Iuramentum promiſſorium, quod non fit homini, ſed Deo, vel abſolute propter pietatem, diſpenſari poteſt ex iuſta cauſa ab habente poteſtatem. Hanc concluſionem breuiter hic perſtringam, quia de hac diſpenſatione eadem eſt ratio, quæ de diſpenſatione voti, quam materiam, in eum locum ex profeſſo tractandam reſeruamus. Concluſio ergo eſt D. Thomæ in d. articul. 9. & ibi omnium, & in ea conueniunt Summiſtæ omnes, & Canoniſtæ. *D. Thom.* Ratio vero eſt, quia hæc iuramenta, vel ſunt vota, vel ſunt ad modum votorum, ordinantur enim ad honorem Dei, vel ad bonum animæ; ergo propter eiuſdem Dei honorem, vel maius bonum animæ diſpenſari poſſunt. Addimus vero requiri cauſam iuſtam, quia in omni iuſta diſpenſatione hæc neceſſaria eſt, tamen quia hęc diſpenſatio attingit ius Diuinum, cauſa ſufficiens requiritur, non ſolum vt licita ſit diſpenſatio, ſed etiam vt valeat, ſicut de Voto dicemus, eſt enim eadem ratio, vt contra nonnullos bene docet Sylueſt. *Iuramentum*, 5. q. 2. late Couar. referẽs plures, ſupra 1. p. §. 3. n. 4. in fine, & n. 5. Soto d. artic. 9. ad 3. vbi inquirit, quæ ſit legitima cauſa huius diſpenſationis, ſed de hoc dicemus in tractatu de Voto. *Syluest. Couar.* Quia vt ipſe etiam ait, quæ fuerit cauſa iuſta in diſpenſatione voti, neceſſaria, vel ſufficiens, erit etiam in iuramento, quia fere æqualis ſunt obligationis, ita vt controuerſum ſit, quæ ſit maior. Maxime quia ſufficientia cauſæ ex prudenti arbitrio pendet, nec poteſt fortaſſe certior regula aſsignari.

2. *Quomodo poſſit homo diſpenſare iuramentũ Deo factũ.*

Denique ibi etiam explicabimus latius, quomodo poſsit homo diſpenſare in obligatione iuramẽti, quæ iuris eſt naturalis Diuini, eadem enim difficultas in voto reperitur. Breuiter ergo dicimus, hanc diſpenſationem fieri per ſubtractionem materiæ, quia diſpenſans loco Dei condonat, & remittit debitum, vel mutat illud in aliud, prout ad Dei honorem, & bonum animæ iurantis expedire cenſet. Et ita non diſpenſatur in præcepto naturali ſeruandi iuramentum, ſed fit, vt quod ſub tale iuramentum cadebat, iam non cadat. Et in hoc eſt differentia inter iuramentum aſſertorium, & promiſſorium, nam aſſertorium non pendet in futurum, & ideo circa illud non habet locum modus aliquis diſpenſationis: promiſſorium vero quia pendet in futurum, & materia eius mutabilis eſt, vel melius conſiderabilis, vel remiſsibilis, ideo ex parte eius recipit mutationem, & diſpenſationem, vt recte D. Thomas d. articul. 9. ad 1. *D. Thom.* Vnde addi poteſt, in iuramento promiſſorio ex natura rei incluſam eſſe cõditionem: *Excepta poteſtate Superioris*, vt ſupra dictum eſt. Et præterea addi debet, legem ipſam naturalem, *Reddes Domino iuramenta tua*, intelligi, re ſtante integra.

3. *Quis, an diſpenſare poſſit iuramenta per modũ voti.*

Quis autem habeat poteſtatem diſpenſandi in his iuramentis habentibus modum voti aliqua ex parte dubitationem habet huius loci propriam. Itaque ſupponimus, duobus modis poſſe haberi hanc poteſtatem, ſcilicet vt ordinariam, vel vt delegatam. Priori modo habent illam Epiſcopi, & poteſt conſtitui generalis regula, omnes illos, qui habent poteſtatem

Poteſtatem ordinariam diſpenſandi in votis, habere etiam diſpenſandi in iuramentis, quia habent eãdem rationem, & idem fundamentum, vt ibi videbimus. Poſteriori autem modo habent hanc poteſtatem illi ſoli, quibus de facto conceditur, delegatio enim magis ad factum, gratiam, & quaſi priuilegium pertinet, quàm ad ius ordinarium. Circa hos ergo duos habendi hanc poteſtatem occurrũt duo dubia. Circa habentes ordinariam poteſtatem, quęri poteſt, an iuramenta aliqua ſint reſeruata ſoli Papæ, ita vt Epiſcopi non poſsint in eis diſpenſare? Nam de Pontifice certum eſt, poſſe omnia talia iuramenta diſpenſare, ſicut & omnia vota, neque hic eſt quæſtio, de ſolenni iuramento, ſicut eſt de voto, quia nullum eſt iuramentum ſolenne, niſi quoad conditiones valde accidentarias, vt ſupra viſum eſt. Item eſt certum, Epiſcopos poſſe diſpenſare in omnibus iuramentis non ſibi prohibitis, ſeu non reſeruatis, ſicut de Votis dicitur, quia in his rebus poſſunt omnia, quæ ſibi non prohibentur. Difficultas vero eſt, an eis ſpecialiter interdicatur diſpenſatio aliquorum iuramentorum?

An iuramenta aliqua ſoli Papa ſint reſeruata.

4 *Prima ſententia.*

Prima ſententia ſtatuit regulam, omnia iuramenta, quæ verſantur circa materiam votorum reſeruatorum, vt ſunt caſtitatis, Religionis, & quarundam peregrinationum, eſſe etiam Papæ reſeruata. Quia hæc iuramenta in re ſunt quædam vota, nam vel illa includunt, vel illis æquiparantur, & diſpoſitum in vno æquiparatorum cenſetur diſpoſitum in alio, vt tradit Abb. in c. 2. de Mutuis petitionibus n. 10. vbi Gloſſam, & Iura allegat. Et ita ſentit Caietan. art. 9. & ibidem Soto, & Aragon. q. 88. art. 12. Valent. 3. tom. diſp. 6. q. 7. puncto 4. Azor. 1. tom. lib. 11. c. 10. q. 3. Tolet. libr. 4. cap. 23. n. 1. Secunda vero ſententia negat hanc regulam, quia iuramentum, & votum ſunt vincula diuerſarum rationum, & ita ab vno ad aliud non colligitur efficaciter; per ſe loquendo. Maxime cum obligatio voti maior ſit, quam iuramenti promiſſorij, vt ſupra viſum eſt. Hanc opinionem, vt probabilem tenet Nauarr. Conſ. 1. de Iureiurando num. 4. & 5. citatque Tabien. verb. *Iurare*, n. 21. ſed in antiquis non habetur, dicitur autem eſſe in nouis.

Abb. Caietan. Soto. Aragon. Valent.

2. Sententia.

Nauarr. Tabien.

5 *Reſolutio quæſtionis.*

Vt procedat diſputatio oportet ſeparare vinculum iuramenti à vinculo voti. Ordinarie enim non fit iuramentum de caſtitate ſeruanda, vel intrandi Religionem, niſi faciendo iuramentum promiſſorium Deo, quod includit promiſsionem Deo factã, ac ſubinde votum, & illud iuramento confirmat, vt ſupra notatum eſt, & docent omnes. Quando ergo iuramentum circa huiuſmodi materias formale, ac proprium votum includit, clarum eſt neminẽ poſſe in illo diſpenſare, qui non poſsit diſpẽſare in voto, ac ſubinde tale iuramentum eſſe reſeruatum, ſaltem ratione voti, nam votum illud non minus eſt reſeruatum, quando fit cum iuramento, quam cum fit ſine illo, vt eſt per ſe notum; ergo conſequenter eſt reſeruatum iuramentum. Probatur conſequentia, quia durante obligatione voti, non poteſt auferri obligatio iuramẽti confirmantis illud, tum quia, vt dixi in iuramentum non cadit diſpẽſatio, niſi per ſubtractionem materię, & quamdiu perſeuerat votum, non ſubtrahitur materia, tum etiam quia ſtãte voto ſemper requiritur ad veritatem iuramenti, quod votum ſeruetur, ergo repugnat, iuramenti obligationem tolli, durante obligatione talis voti.

6 *An iuramentum pure aſſertorium in materia reſeruata ſit reſeruatum.*

Difficultas ergo eſt de iuramento pręciſe ſpectato, quando contingit ſeparari à promiſsione, & confirmari ſolam aſſertionem de futuro; hoc enim modo fieri poſſe ad hominis arbitrium, in principio huius libri oſtendimus. Vnde ſicut fieri poteſt tale iuramentum in aliis materiis, ita etiam in materia caſtitatis, Religionis, & ſimilibus: tũc ergo habet locũ quęſtio, an talia iuramenta ſint reſeruata? Nam profecto Caiet. in eo etiam caſu loqui videtur, cum enim dixiſſet conceſſa poteſtate diſpenſandi in votis, cenſeri conceſſam poteſtatem diſpenſandi in iuramentis, ſubdit: *Et ſimiliter videntur reſeruata omnia iuramenta Papæ, quæ ſi eſſent vota, eſſent Papæ reſeruata*; loquitur ergo etiam de iuramentis, quæ non ſunt vota. Et in eodem ſenſu videntur eum ſequuti alij Authores, præſertim Tolet. & Valent. Nullus autem rationem reddit, ex eo, quod reſeruatio iuramentorum in talibus materiis ſit facta in ſe, ac formaliter, & ita ſolum videntur fundari in æquiparatione iuramenti, & voti, quam indicauit Caiet. in illo verbo, *Et ſimiliter*.

Caietan.

Sed obſtat primo, quod illa æquiparatio, etiam argumentando à poteſtate diſpenſandi in votis, ad iuramenta, non eſt efficax, vt in materia de Voto latius dicetur: quia licet obligatio voti ſit maior, tamen ſunt vincula diuerſarum rationum, in quibus à maiori poteſtate ad minorem non valet illatio. Deinde, multo eſt inefficacior æquiparatio quoad denegationem poteſtatis diſpenſandi, quæ in reſeruatione includitur, quia fundatur in hoc principio, cui negatur poteſtas diſpenſandi in maiori vinculo, negatur etiam in minori, quod nulla ratione fundatum eſt. Atque ita illatio illa Caietani, vel æquiparatio ſignificata per illam particulam, *Et ſimiliter*, nulla ratione videtur fundata. Et ideo multi viri docti ſequuntur ſecundam ſententiam intellectam de iuramento præciſe facto circa talem materiam ſine promiſsione, & voto. 7.

8. *Iuramenta etiam pure aſſertoria in caſtitate, & Religione ſoli Papa reſeruantur.*

Ego vero non audeo illi adhærere ſententiæ, nec conſulerem vſum eius in praxi. Moueor primo, quia eſt alienum à conſuetudine Eccleſiæ. nuquam enim viſum eſt (quod ego ſciuerim, vel audiuerim) Epiſcopum aliquem auſum eſſe diſpenſare in iuramento de perpetua caſtitate ſeruãda, vel de ingreſſu Religionis, & ſimilia: reſeruatio autem votorum in his materiis, non tam lege ſcripta habetur, quam traditione, & conſuetudine, vt infra dicetur: ergo ex eadem conſuetudine poſſumus inferre reſeruationem iuramentorum in eiſdem materiis. Dicetur fortaſſe, illam conſuetudinem fundari in hoc, quod ordinarie, & moraliter tale iuramentum non ſit ſine voto. Sed contra, quia licet hæc fortaſſe fuerit occaſio conſuetudinis: tamen ipſa conſuetudo (ſiue per ſe, ſiue illa occaſione introducta) abſoluta eſt pro omnibus talibus iuramentis. Et non immerito, quia leges, & conſuetudines attendunt id, quod moraliter, & vt in plurimum accidit, vt ſimpliciter, & ſine diſtinctione ferantur, quia difficillimum eſt excipere illa, quæ raro eueniunt: & præſertim in præſenti materia non poteſt in exteriori foro diſcerni purum iuramentum à voto iurato. Et ideo reſeruatio ſimpliciter facta videtur de perpetua obligatione ad caſtitatem, vel Religionem Deo factam, ſiue exprimatur per modum iuramenti, ſiue per modum voti; ſemper enim ab Eccleſia votum iudicatur, & vt tale nominatur, ac reſeruatur. Et certe qui in profitenda Religione non verbo vouendi, aut promittendi, ſed iurandi perpetuam caſtitatem, & obedientiam, vteretur, non minus ab Eccleſia iudicaretur Religioſus, quam ſi vouendi verbo vſus eſſet. Veriſimile ergo eſt, quæ circa obligationem ſacram, ac perpetuam in talibus materiis ſub nomine votorum diſpoſita ſunt, comprehendere iuramenta in eiſdem materiis, quocunque modo fiant.

Confirmatur primo, quia finis, & ratio talis reſeruationis in talibus materiis eadẽ eſt, ſcilicet grauitas talium materiarum cum perpetua obligatione Deo facta, maxime in caſtitate, & Religione; quod autem illa obligatio ſit paulò maior per votũ, quam per iuramentum, ad negotij grauitatem parum referre videtur, maxime cum adhuc ſit ſub iudice, quæ illarum obligationum ſit maior. Confirmatur ſecundo, quia hæc iuramenta, præſertim ca- 9.

Digitized by Google

ſtitatis, & Religionis grauiſſima ſunt: ergo merito cenſentur Papæ reſeruata, & non immerito poſſunt reduci ad illud Iuris principiũ, quod grauiores cauſæ Pontifici reſeruantur, cap. *Maiores*, de Baptiſmo.

Cap. Maiores.

10. Vnde infero, quod licet in aliqua Bulla, vel priuilegio concedatur expreſſe facultas relaxandi iuramenta ſine præiudicio tertij, &c. intelliguntur excepta hæc, quæ ſunt de materia reſeruata, & quæcumque alia, quæ iuxta communem vſum fuerint Papæ reſeruata, quæ commemorat So. d. ar. 9. ad 3. Ratio eſt, quia in clauſula generali non comprehenduntur ſpecialia, vt de caſibus reſeruatis alias dixi. Neque oberit, quod in eodem Indulto detur ſimul facultas generalis ad vota, & ad iuramenta, & in votis ponatur exceptio reſeruatorum, & non in iuramentis: quia licet non exprimeretur in votis, eſſet ſubintelligenda, & quod in vno exprimatur, & non in alio, eſt accidentarium, vel certe non repetitur, quia talia iuramenta reputantur vota, ſicut dixi.

In priuilegiis relaxandi iuramenta non comprehenduntur iuramenta de materia reſeruata.

11. Supereſt aliud dubium circa poteſtatem delegatam ad diſpenſandum in iuramentis, An comitetur ſemper poteſtatem delegatam ad diſpenſandum in votis, ita vt cuicumque delegatur poteſtas circa vota, intelligatur conceſſa circa iuramenta, etiamſi non aliter exprimatur? Sed hoc punctum tractabitur melius infra lib. 6. de Voto. & quæ ibi dicemus, accommodari poſſunt ad hanc poteſtatem delegatam, circa iuramenta, nam fere æquiparantur.

CAPVT XXXXI.

An, & quomodo iuramentum promiſſorium homini factum à Superiore relaxari poſſit?

1. SVppono quæſtionem ſolum eſſe de iuramento licito, & obligatorio, nam quod eſt à principio illicitum, & nullum relaxatione non indiget, ſed propria authoritate contra illud iri poteſt, vt D. Thom. d. quæſtion. 89. ar. 7. & 9. docet, & Doctores in hac materia ſupponunt. Præſertim in capitul. *Cum quidam*, §. vlt. de Iureiur. vbi id Gloſ. ſupponit, & ſequuntur Abbas, Innoc. & alij. Item in cap. *Cum contingat*, eod. & ſumitur ex c. *Quanto*, c. *Si vero*, cum ſimilibus eod. c. *Si aliquid*, 22. q. 4. Et ratio eſt, quia quod nullum inducit vinculum, ſolutione nõ indiget. Sed dicunt aliqui, quod licet in re non ſit neceſſaria abſolute diſpenſatio nihilominus propter ſpeciem externã eſt neceſſaria: maxime vbi in obſeruantia iuramenti nõ cernitur peccatum mortale, ſed veniale, vel omiſſio maioris boni. Sed hoc (vt ſupra dixi) verum non eſt, per ſe loquendo; propter dubium autem eſſe poterit, iuxta ſupra dicta, vel propter vitandum ſcandalum, quod eſt per accidens. Igitur omiſſo iuramento illicito & nullo, quæſtio eſt de obligante & licito. Quod duplex diſtingui poteſt, vnum licitum ex vtraque parte, iurantis ſcilicet, & eius, cui iuratur, aliud licitum ex parte iurantis, cum turpitudine ex parte alterius.

D. Thom. Cap. Cum quidam. Abb. Innoc. Cap. Quantum. C. Si vero.

2. Dico ergo: Iuramentum vndique licitum, factum in confirmatione promiſſionis factæ homini, non relaxatur regulariter ſine conſenſu eius: propter commune autem bonum relaxari poteſt. Hæc aſſertio communis eſt, vt videbimus. Probatur, quia per iuramentum promiſſorium acquiritur ius ei, cui fit promiſſio, ſed ille non poteſt priuari iure ſuo ſine cauſa iuſta, quæ ipſum concernere debet, quia vtilitas alterius, vel commoditas non ſufficit alterum iure ſuo priuare: ergo ex hac parte non poteſt diſpenſari in his iuramentis ſine cauſa, quæ ſufficiat ad imponendum alteri iuſtum grauamen, quia ipſamet priuatio talis iuris grauamen eſt. Et confirmatur ex differentia inter iuramentum factum homini, & illud, quod fit per modum voti, nam cum hoc ad Deum ſolum pertineat, poteſt vicarius Dei condonare promiſſionem ex iuſta cauſa pertinente ad bonum animæ ipſius iurantis, vel ad quodlibet aliud, quod credatur magis placere Deo, & ita poteſt per ſubtractionem materiæ relaxari iuramentum. At vero in iuramento homini facto attendendum eſt commodum eius, cui fit, & conditio incluſa in iuramento, quæ reſpicit acceptationem eius, & ideo non poteſt à Prælato condonari, inuito creditore, niſi in eo caſu, in quo poteſt ipſum cogere; ergo requiritur ex parte eius cauſa, quæ ſufficiat ad pœnam, vel iuſtum grauamen.

2. Concluſ.

Dices, hoc ad ſummum procedere in iuramento, quod fit cum promiſſione rigoroſa, & per ſe inducente obligationem, & dante ius alteri, non vero in iuramento pure aſſertorio: quia etiam ſi fiat in fauorem proximi, non fit illi promiſſio, nec naſcitur obligatio reſpectu illius, ſed ſoli Dei, iuxta caput *Debitores*, de Iureiurando. Ergo tale iuramentum poterit libere diſpenſari ex aliis cauſis reſpicientibus ipſum iurantem, ad eum modum, quo diſpenſatur iuramentum abſolute factum per modum voti: nec oportebit in relaxatione habere rationem iuris acquiſiti ei, in cuius gratiam factum eſt iuramentum. Reſpondeo, ſi conſtat, promiſſionem non eſſe factam homini, vel ab illo non eſſe acceptatam, vt ſi facta eſt in abſentia eius, vel illam ignorat, tunc in rigore fieri poſſe relaxationem iuramenti ſine conſenſu creditoris, quia re vera non eſt creditor, ſed materialiter tantum conſideratur eius vtilitas, quæ impedire non poteſt in rigore relaxationem, vt in ſimili dicemus de Voto, de quo eſt eadem ratio. Nihilominus tamen ad prudentiam, & charitatem relaxantis ſpectat, vt ſi iuramentum ſit factum ſine turpitudine eius, in cuius vtilitatem cedit, non facile relaxetur, quia, & vtilitas alterius proximi etiam eſt conſideranda, & ordinarie talis relaxatio odioſa eſt, & poteſt ſcandalum, vel animi amaritudinem generare. Quapropter probabiliſſimum cenſeo, quando hæc poteſtas relaxandi eſt tantum delegata, & conceſſa eſt ſub illa limitatione, *Sine præiudicio tertij*, illam non extendi ad talia iuramenta. Quia ex hac parte eſt odioſa, & ideo reſtringenda quoad poteſtatem, ſeu extendenda quoad limitationem illam, ita vt non ſolum intelligatur de præiudicio rigoroſo contra iuſtitiam, ſed etiam de graui incommodo, quod reputatur præiudicium ſecundum communem æſtimationem. Item quia licet creditor tunc non acquirat proprium ius, nihilominus obligatio Religionis illum ſpecialiter reſpicit, & fortaſſe illi confert aliquam actionem Canonicam, vt tractat Couar. in d. c. *Quamuis*, 2. par. §. 4. n. 15. quod ſatis eſſe videtur, vt Canonice etiam illa relaxatio comprehendatur ſub illa clauſula, ſeu limitatione. Licet autem hoc probabile ſit, non eſt tamen certum, quia in rigore præiudicium non cenſetur eſſe, niſi quãdo alteri eſt ius acquiſitum, & ideo plenam huius tractationem puncti vſque ad materiam de Voto remitto. 3.

Cap. Debitores.

Quomodo relaxari poſſit promiſſorium iuramentum ſine conſenſu creditoris.

Couar. Cap Quamuis.

Addidi vero in illa priori parte aſſertionis, *Regulariter loquendo*, quia interdum nulla exiſtente culpa, vel cauſa ex parte creditoris, poterit ab aliquo Superiore relaxari iuramentum, nimirum in eo caſu, in quo poteſt Superior priuare ſubditum iure ſuo etiam ſine culpa eius. Tunc enim ceſſat ratio facta, qua ceſſante poteſt ſuperior efficaciter ſubtrahere materiam talis iuramenti, & conſequenter irritare illud, vel præcipiendo ipſi creditori, vt cedat, vel efficacıter & immediate, ac per ſe ipſum donando debitori ius creditoris, vel etiam imperando illi, vt nõ donet, vel vt non faciat, quod promiſerat. Hoc autem fieri non poteſt, niſi ob commune bonum, propter quod poteſt priuata perſona priuari iure proprio, & priuato, quæ cauſa communis boni 4.

Digitized by Google

nis boni rariſsima eſt, & ideo exceptio eſt rara, & regula in contrarium moralis eſt. Recte ergo dictum eſt, regulariter non poſſe hoc fieri.

5\. *D. Thom.* Et de hoc genere diſpenſationis, ſiue relaxationis intelligo doctrinam D. Thomæ d. artic. 9. ad 3. cum ait, talem diſpenſationem *maxime à Pontifice fieri poſſe*, circa quæ verba dubius eſt Soto (*Soto.*), quia videtur Diuus Thomas magis reſtringere poteſtatem, diſpenſandi in iuramentis, quam in votis. Sed in his iuramentis hoc non eſt inconueniens, vt notauit Richard. in 4. d. 38. artic. 9. q. 2. ad 1: ex cap. *Venerabilem*, de Election. (*Richard. Cap. Venerabilem*) Et ratio eſt, quia diſponere de iuribus priuatorum propter commune bonum maxime ſpectat ad ſupremum Prælatum. Indicat autem particula *maxime*, non repugnare, poſſe interdum fieri ab Epiſcopo, ſeruata proportione, vt notauit Syluest. *Iuramentum*, 5. q. 3. & Greg. Lop. in l. 5. tit. 5. p. 1. n. 14. vt v. g. ſi promiſiſti cum iuramento non accūſare, licet interdum iuramētum tale valeat, ſi expediat bono cōmuni poterit relaxari, maxime per Pontificem, & interdum etiam per Epiſcopum, iuxta rei, perſonarum qualitatem; argumento capit. *Quemadmodum* §. *Illud*, de Iureiur. (*Cap. Quemadmodum.*) Aliqui etiam putant, ſufficere cauſam ex parte iurantis, quando allegat, ignoranter iuraſſe, vel ſine ſufficienti conſilio. Ita indicant Soto, & Caiet. (*Soto. Caiet.*) ſed non credo hanc cauſam ſufficere, niſi vel redundet in turpitudinem acceptantis iuramētum, vel reddat ſaltem dubium valorem iuramenti, quia alias non poteſt alter priuari ſine culpa iure licite acquiſito.

6\. *2. Concluſio.* Dico ſecundo: Quando iuramentum licitum eſt ex parte iurantis cum turpitudine exigentis, licet obliget iuramentum, relaxari poteſt in pœnam, ſeu odium creditoris. Eſt aſſertio certa, & communis: ſumiturque ex cap. *Abbas*, de Iis, quæ vi, & cap. *Si vero*, cap. *Verum*, de Iureiurando (*Abbas. Ca. Si vero.*): in quibus relaxationes huiuſmodi fieri poſſe dicuntur. Ratio autem generalis eſt, quia in iuramentis extorquendis, vel acceptandis ſæpe committitur iniuſtitia, vel turpitudo contra legem, vel commune bonum ex parte eius, cui fit iuramentum; ergo tunc ille poteſt licite priuari iure ſuo ab habente poteſtatem, & conſequenter poterit relaxari iuramentū. Exempla ſunt: Primo quando exactio eſt iniuſta, vt in vſurario, tunc enim ſine dubio licet petere relaxationem, & valide, ac iuſte conceditur. Secundo in extorquente per vim, metum aut dolum, vt patet ex dictis Iuribus, & ex cap. *Cum contingat*, eod. c. 2. de Pact. (*Cap. Cum contingat.*) Authentica *Sacramentum puberum*, cum ſimilibus.

7\. Tertio, quando in contractu iurato interceſsit grauis læſio iurantis, quia in re paſſus eſt iniuſtitiam, quæ per poteſtatem publicam poteſt reſarciri, & dat ſufficientem cauſam relaxationi. Quarto, ſi ob præiudicium tertij, & communis boni periculum, turpe ſit tale petere iuramentum, vt in filio familias renuncianti Macedoniano ſub iuramento, nam abſolui poterit, quia tale iuramentum non petitur ſine turpitudine. Imo non eſt improbabile, eſſe nullum, ſuppoſita lege Ciuili iuſta, quia licet ſoluere mutuum abſolute non ſit malum; ſoluere ex obligatione, turpe eſt, & contra bonum commune intentum à lege. Quidquid vero ſit de nullitate, non videtur dubium, quin poſsit relaxari in odium creditoris, & ad cauenda pericula parentum, & ne poſſit per fraudem illa lex inutilis fieri, & iuxta hæc de aliis cauſis iudicandum eſt.

8\. Aliquando vero fit talis relaxatio in pœnam alterius delicti, vt iuramentum præſtitum Regi à vaſallis relaxatur propter hæreſim, vel ſchiſma Regis. Hanc vero relaxationem vocat Caiet. (*Caiet.*) indirectam, quia iuramentum ſolum erat factum perſonæ, vt habenti dignitatem, & poteſtatem regiam, & dum illa aufertur, tollitur iuramentum. Qui modus ceſſationis reuera non eſt proprie relaxatio, quando non fit per ſe ad tollendam obligationem iuramenti, ſicut ſi Prælatus deponatur, vel moriatur, ceſſat etiam obligatio iuramenti. Sæpe autem illo modo fit, vel ſimul cum priuatione regni, vt cap. 2. de Re iud. in 6. Poſſet vero etiam fieri ſine illa, vt ſi iuramentum factum fuiſſet obediendi tali perſonæ ſine intuitu alicuius dignitatis, & ita propter vigorem Eccleſiaſticæ diſciplinę, poteſt iuramentum factum excommunicato in odium eius, relaxari, & per hæc iudicandum eſt de aliis.

Atque ex hac declaratione, & ratione colligere licet primo, relaxationem in his iuramentis requirere poteſtatem relaxantis circa materiam, & perſonam iurantem, vel ſaltem in perſonam, cui iuramentum factum eſt. 9. (*In relaxante iuramentum poteſtas aliqua requiritur.*) Probatur incipiendo ab vltima parte quæ locum habet, quando irritatio fit ex parte creditoris. Tūc enim per talem relaxationem priuatur creditor iure aliquo, ipſo inuito, ergo eſt quædam coactio: ergo oportet, vt iuriſdictio relaxantis ad illam extendatur, vt ſit iuſta. Item talis relaxatio reſpectu talis creditoris interdum eſt propriiſsima pœna, quæ neceſſario requirit iuriſdictionem in illum, vt patet in exemplo de hæretico, & de excommunicato: aliquando vero, & frequentius, licet potiſsime fiat in ſubſidium iurantis, qui paſſus eſt iniuriam, aut vim, nihilominus indirecte fit etiam in odium alterius: ergo oportet, vt poteſtas relaxantis in illum aliquo modo extendatur.

Dices ergo ſi ille, cui iuramentum factum eſt, & 10
qui iurauit, non ſint ſubditi eiuſdem Prælati, non poterit vnus Prælatus iuramentum ſui ſubditi relaxare, etiamſi per iniuriam extortum ſit, vt ſi Chriſtianus iurauit ſoluere vſuras infideli non ſubdito Eccleſię etiam in temporalibus, non poterit Eccleſia tale iuramentum relaxare. Reſpondeo ita concedere aliquos. Sed probabilius cenſeo contrarium cum Felin. & aliis, quos refert in cap. 1. de Iureiur. n. 31. quamuis requiratur iuriſdictio in creditorem, ſi ille directe cogendus ſit, non vero ſi relaxatio, vel irritatio facienda ſit ex parte iurantis, nam ſufficit tunc poteſtas in ipſum. (*Superior poteſt relaxare iuramentū ſubditi factum non ſubdito.*) Primo ſi ſolum tollatur vinculum iuramenti, remittendo obligationem vice Dei: nam iuramentum hanc conditionem includit, & in præſenti ſolum obligat intuitu Dei, quando ex parte creditoris interceſsit turpitudo. Secundo fieri poteſt per modum irritationis, prohibendo ſubdito, ne actionem illam faciat, qua iuramentum implendum erat. Quod facere poteſt, etiamſi directe cedat in grauamen non ſubditi, quod iuſtum, quia ille etiam indirecte ſubditur poteſtati alterius propter iniuriam, quam illius ſubdito infert. Vnde etiam poteſt illum efficaciter impedire, ne iniuriam in ſuum ſubditum exequatur, quaſi iure defenſionis eius, ad quam habet ius, quod etiam intelligitur in iuramento exceptum.

Hinc vero etiam fit, poſſe Superiorem eius, cui 11. (*Superior remittere poteſt iuramentum factum ſubdito à non ſubdito.*)
factum eſt iuramentum, relaxare illud, etiamſi iurās non ſit ſubditus eius, quia poteſt ille Superior cogere ſuum ſubditum ad remittendum tale iuramentum; ergo ſi ille renuat, vel propter abſentiam cogi non poſsit, poteſt ipſe Superior authoritate ſua illam remiſsionem efficaciter facere, & tunc eo ipſo alter, licet non ſit ſubditus, liber manebit à iuramento propter mutationem materiæ, & propter non impletam conditionem. Item Superior poteſt cogere ſubditum ad reſtituendum non ſubdito, vel ſi non poſsit perſonam cogere, poteſt ipſe condonare debita, vel ex aliis bonis ſubditi, vt potuerit ſatisfacere non ſubdito; ergo etiam in præſenti poteſt remittere hoc debitum ex iuramento reſultans, & ita ceſſabit iuramenti obligatio. Neque hoc eſt inconueniens, quia hæc relaxatio non ſemper fit per actum iuriſdictionis circa perſonam quæ iurauit, ſed per ſubtractionem materiæ, quæ tolli poteſt per actum iuriſdictionis circa perſonam, cui iuramentum præſtitum eſt.

Digitized by Google

12. *Quibus perſonis conueniat poteſtas relaxandi iuramenta.*

Atque hinc facile deciditur de poteſtate huiuſmodi, quibus perſonis conueniat, nam in primis clarum eſt præcipue conuenire Summo Pontifici, vt per ſe conſtat. Epiſcopis etiam conceſſa cenſetur, ex communi ſententia omnium. Nam licet in Iuribus citatis ſolum fiat mentio Romanorum Pontificum relaxantium talia iuramenta, non denegant aliis poteſtatem, ſed narrant, quod ipſi facere conſueuerũt, vt inde diſcant alij Prælati, quid facere poſsint iuxta menſuram ſuæ iuriſdictionis, & circa ſubditos ſuos. Denique eadem eſt ratio de poteſtate relaxandi hæc iuramenta, quæ de diſpenſandi alia, quæ fiunt inſtar votorum, de quibus in cap. præced. & ita vtraque cenſetur ad ordinariam poteſtatem Epiſcoporum, vel habentium iuriſdictionem Epiſcopalem pertinere. Et hæc eſt communis ſententia Iuriſtarum in cap. 1. de Iureiuran. & in cap. *Debitores*, eod. & cap. 1. de Iis quæ vi, Sylueſt. Angel. & Anton. citatis locis, Couar. 1. Variar. cap. 4. n. 5. Nauar. in Summ. cap. 20. n. 17.

Cap. Debitores. Sylueſt. Angel. Anton. Couar. Nauar.

13. Qui omnes conueniunt, in inferioribus paſtoribus, qui non habent iuriſdictionem Epiſcopalem, non eſſe hanc poteſtatem, vt in tract. de Voto dicemus: Poſſunt autem interdum Confeſſores habere illam poteſtatem delegatam, per bullam, aut priuilegia. Oportebit tamen, vt talia reſcripta expreſſe, ac formaliter extendantur ad iuramenta: nam ſi ſolum vota concedant, ſine dubio non ſufficiet, quidquid aliqui Moderni ſine fundamento dixerint. Imo licet priuilegium extendatur ad vota iurata, vt in noſtra Societate, non ſufficiet, quia talia iuramenta nullo modo ſunt vota, quia non fiunt Deo, ſed homini, nec intuitu pietatis, ſed humani contractus, vel promiſsionis, & ita ſunt pura iuramenta licet minus firma. Sufficiet autem, quod priuilegium concedat relaxationem iuramentorum ſine præiudicio tertij, quia hæc non poſſunt cenſeri cum præiudicio tertij relaxari, cum ei ius non fuerit acquiſitum, & iniuſtitiam faciat exigendo, & non relaxando.

14. *An ciuilis poteſtas relaxare poſſit iuramenta. Prima ſententia. Couar. Hoſtienſ. Abb. C. Quanto. C. Si vero. Cap. Cum quidam. Cap. Venerabilem.*

Dubium vero eſt, An poteſtas ciuilis, ſeu temporalis poſsit etiam iuramenta relaxare? Aliqui ſimpliciter negant, vt Couarr. 1. p. §. 3. numer. 18. & refert Gloſſam in cap. *Quanto*, verb. *Abſolu*, & ibi Hoſtienſ. & Abb. item inducit capit. *Si vero*, capit. *Cum quidam*, §. vltim. & c. 1. de Iureiurando, & cap. *Venerabilem*, de Elect. Ex quibus Iuribus cap. 1. & §. vltim. nihil probant, cap. autem *Si vero*, docet eſſe hanc poteſtatem in Summo Pontifice, non vero excludit alios, & ita etiam loquitur Gloſſa in d. c. *Quanto*, Ex cap. autem *Venerabilem*, plane colligitur, non potuiſſe Regem ſine authoritate Papæ, de iuramento dubio diſpenſationem facere: & in d. cap. *Quanto*, aperte ſupponitur, pro abſolutione iuramenti recurrendum eſſe, ad ſpiritualem poteſtatem, & hoc docet ibi late Panorm. referens alios, & illius verba fere omnes Summiſtæ trãſcribunt, ſequitur etiam Felin. c. 1. de Iureiur. n. 21. Ratio vero eſt, quia iuramentum eſt vinculum ſpirituale, vnde relaxare illud videtur eſſe proprius actus ſpiritualis poteſtatis.

Panorm. Felin.

15. *Secunda ſententia. Couar. Molin.*

Nihilominus alij cenſent, poſſe temporalem Principem, aut gubernatorem iuramenti vinculum relaxare, quando eſt promiſsio ad alterum hominem facta. Ita ſentiunt plures Iuriſtæ, quos Couar. ſupra refert n. 7. & hanc partem ſequitur Molin. d. diſp. 149. Ratio vero eſt, quia priuata perſona, cui factum eſt iuramentum, poteſt relaxare illud, & interdum tenetur, & ad id faciendum cogi poteſt, etiam per Principem ſæcularem, vt oſtenſum eſt; ergo etiam poterit ipſemet Princeps ſæcularis immediate id facere, etiam repugnante priuata perſona, ad quam pertinet ius illud. Probatur hæc vltima conſequentia, tum quia eiuſdem poteſtatis eſt cogere alium vt faciat, & immediate facere, ſi ille reſiſtat, tum etiam quia illa remiſsio quid temporale eſt, cum poſsit ab ipſo priuato fieri; ergo ex hac parte non repugnat poteſtati ſæculari: & alioqui habet poteſtatem ſuperiorem ſupra voluntatem ſubditi, & bona eius temporalia, prout ratio iuſtitiæ exegerit; ergo. Tum denique, quia hæc poteſtas naturalis eſt, & reperitur in Principe infideli reſpectũ ſubditorum; ergo ex natura rei eſt in principibus Chriſtianis, quantum ad temporalem pacem, & iuſtitiam neceſſaria eſt. Et illius vſus non eſt illis ablatum per Eccleſiam, quia nullibi hoc legitur, neque vſus id habet, quinimo cauſæ ortæ circa obligationem iuramẽtorum quoad multa ſunt mixti fori: & quoad hanc partem relaxatio non videtur attingere ſpiritualitatem iuramenti (vt ſic dicam) ſed ſolum id, quod eſt materiale in illo, ergo.

16. *Vera ſententia.*

Ego exiſtimo non eſſe diſſenſionem inter has ſententias recte explicatas. Poſſumus enim loqui de relaxatione iuramenti per modum diſpenſationis, & abſolutionis, quæ directe tendit ad tollendum vinculum propter dubium in illo ortum, an liceat, vel non liceat illud obſeruare: vel propter alias rationes pertinentes ad remiſsionem, quæ fit ex parte Dei, potius quam ex parte hominis creditoris: vel poſſumus loqui de relaxatione iuramenti, quæ eſt per modum condonationis factę ex parte hominis, cui promiſſorium iuramentum factum eſt. Priori modo cenſeo, proprium eſſe ſpiritualis poteſtatis à iuramenti vinculo abſoluere, vel in illo diſpenſare, vel etiam relaxare, ſi ad eandem ſignificationem verbum applicetur. Et hic eſt ſenſus Authorum primæ opinionis, quæ & Iuribus, & ratione illorum ſufficienter conuincitur. Nec eſt vlla ratio probabilis in contrarium, quia omnes procedunt in alio ſenſu. Poſteriori autem modo verum eſt, poſſe poteſtatem ſæcularem intra ſuos limites, & in materia mere tẽporali, & quoad perſonas laicas, relaxare iuramentum, faciendo condonationem debiti eminẽtiori modo, quam fieri poſsit per priuatam perſonam, ad quam illud pertinet. Et hoc probant ſufficienter fundamenta ſecundæ ſententiæ, cui nõ contradicit Couarr. (vt aliqui illi tribuunt) ſed expreſſe id affirmat d. §. 3. nu. 11. §. *Principaliter quarto.* Neq; habet vllam difficultatem, & confirmatur: nã poteſt Ciuilis poteſtas, non obſtante iuramento, verbi gratia, non acceptandi ciuitatis gubernationem, præcipere, & cogere ſubditum, vt illam accipiat, iuxta leg. vltim. ff. ad Municipal. ergo conſequenter poterit tollere obligationem iuramenti, nam debet intelligi factum ſine præiudicio Superioris, etiam temporalis, vt ex ſupra dictis patet. Et eadem ratione poteſt lex Ciuilis ita prohibere, & irritare aliquem humanum contractum, vt etiamſi iuramento firmetur, nullum pariat effectum, aut ius vllum conferat: dummodo in hoc non faciat contra diſpoſitionem Iuris Canonici, tunc enim iam excederet limites ſuæ poteſtatis, & ita ſunt facilia reliqua, quæ de hoc puncto Couar. tractat.

17. *Qua cauſa ſufficiat ad relaxationem iuramenti.*

Circa cauſam vero neceſſariam ad hanc relaxationem interrogari poteſt, an ſufficiat turpitudo ex parte exigentis iuramentum in modo exigendi illud, etiamſi non ſit in re iurata, vt ſi creditor per metum iniuſtum cogat debitorem, ad iurandum, ſe ſoluturum debitum? Videtur enim, poſtquam factum eſt tale iuramentũ non poſſe relaxari, quia nõ poteſt materia ſubiecta ſubtrahi, nam obligatio, quæ per tale iuramentum confirmatur, eſt actio futura, quæ iuratur, honeſtæ ſunt, & iuſtæ, tollique non poſſunt; ergo nec tolli poteſt obligatio iuramenti; quia hæc tolli non poteſt, niſi per ſubtractionem materiæ. Vnde in cap. *Petitio*, de Iureiurando ſignificatur, iuramentum extortum in rebus alias iuſtis obligare, & declarat Gloſſa de Iuramento extorto per metum, nulla facta mentione relaxationis. Nihilominus contrarium docet ibi Panormita-

Cap. Petitio.

Cap. Ad audientiam. Panorm. Innocent. Ioan. Andr. Couar.

mitan. num. 3. & in cap. *Ad audientiam* 3. eod. num. 3. cum Innoc. & Ioan. Andr. ibidem, & ſequitur Couarr. in Regula *Peccatum*, 2. p. §. 3. numer. 7. Ratio eorum eſt, quia iuramentum per metum extorquens, fecit iniuriam, etiamſi res eſſet alias debita, quia debitor non tenebatur addere illud vinculum, quo maioribus periculis exponitur; ergo alter tenetur remittere illud vinculum, licet non teneatur remittere debitum alio iuſto titulo. Ergo poteſt Superior curam habens animæ ſui ſubditi tale vinculum relaxare, etiam creditore inuito, quia iuſta cauſa ſubeſt. Et hæc opinio videtur rationabilior. Nec obſtabit obiectio facta, quia tunc non aufertur iuramẽtum tam per modum propriæ relaxationis ex parte materiæ, quam per modum diſpenſationis in bonum ſubditi, non obſtante iure alterius, quia nullum habet ad vinculum iuramenti, & liberatio ſubditi ab onere ſpirituali iniuſte impoſito, & quodammodo coacto eſt ſufficiens cauſa. Vnde etiam in tali iuramento poteſt intelligi inclusa conditio, niſi aliud Superiori viſum fuerit rationabiliter.

18. *Qualis metus ſufficiat ad relaxandum iuramentum. Cap. Ad audientiam. Cap. Si vero. Cap. Verum. Panorm. Felin.*

Vltra hoc vero inquiri poteſt, an ad hanc relaxationem requiratur metus cadens in conſtantem virum, vel leuior ſufficiat? Ratio dubitandi ſumi poteſt ex cap. *Ad audientiam*. de his quæ vi, vbi ad relaxandum ſimile iuramentum, additur conditio: *Si vobis conſtiterit per talem metum fuiſſe coactum, qui potuerit, & debuerit cadere in conſtantem virum, non obſtante iuramento prædicto*, &c. Magiſque vrgere videntur ca. *Si vero*. ibi: *grauiq; timo metu* &c. *Verum*, de Iureiur. ibi, *innitis pro vita, & rebus ſeruandis*: quæ verba ſemper ſonant metum cadentem in conſtantem virum. Quod notauit Panorm. in cap. *Cum dilectus*, de his quæ vi, num. 10. vbi hanc partem defendere videtur, & ſequitur Felin. in cap. 2. de Iureiuran. licet id limitet ad iuramenta virorum, nam in fœminis minorem metum ſufficere cẽſet. Confirmatur ratione, quia ad reſcindendum contractum metu factum non ſufficit quilibet metus, ſed requiritur cadens in conſtantem virum; ergo & ad relaxãdum iuramentum.

19. *Leuis metus cum iniuria graui ſufficiens cauſa eſt ad relaxandum iuramentum. Cap. Verum. Panorm. Hoſtien. Ioan. Andr. Couar. Gloſ.*

Nihilominus dicendum eſt, ſufficere quemlibet metum cum iniuria graui, etiamſi in ratione coactionis non ſit tam violenta, vt ad metum cadentem in conſtantem virum perueniat. Ita ſentit Panormitan. in d. ca. *Verum*, de Iureiuran. num. 3. cum Hoſtien. ibi, & Ioan. Andr. quos etiam ſequitur Couarr. Ipſi hoc probant, quia licet ſecundum Ius Ciuile actio, quod metus cauſa, non detur, niſi vbi metus eſt cadens in conſtantem virum, nihilominus per officium iudicis ſubuenitur iniuriam paſſo per leuiorem metum, vt tradit bene Gloſſa in capit. penult. de his quæ vi, verb. *Metum mortis*; ergo maiori ratione hic poteſt ſubuenire Superior iniuriam paſſo, relaxando iuramentum. Item eſt optima ratio, quia turpitudo exigentis iuramentum, dat ſufficientem cauſam relaxationis, etiam ſi grauiſſimum metum non inducat. Imo ſola iniuria ſine metu ſufficit ad relaxationem, vt patet in caſu capit. *Debitores*, eod. Quamuis Soto dicta quæſtione 1. articulo 7. ad 3. circa finem, dubitare videatur. Quia in illo capit. *Debitores*, hoc non declaratur, ſicut de iuramento coacto explicatur in aliis Iuribus. Sed hoc parum refert, tum quia non oportet omnia dici in ſingulis Iuribus, ſed poteſt ex vno intelligi, quod in alio non exprimitur, præſertim quando Ius magis eſt declarans rei honeſtatem, quam de nouo conſtituens. Tum etiam quia in cap. 1. eod. erat id ſatis declaratum, cum ibi dicatur, vſurarios cogendos eſſe ad relaxanda iuramenta ſibi facta, ſi antẽ ipſi cogi poſſunt, etiam Superior ſua authoritate id facere poterit, etiamſi ipſi reſiſtant, vt ex ſuperioribus conſtat. Sufficit ergo grauis iniuria, vel turpitudo ex parte exigentis iuramentum.

Cap. Debitores. Soto.

20. *An iuramenti relaxatio locum habeat in periuro.*

Vltimo quæri poteſt circa hanc relaxationem, vtrum locum habeat, poſtquam iurans fidem violauit, & periurium committit, vt ſi ad certum diem iurauit, & non impleuit, & poſtea relaxationem petit, an poſsit illi concedi. Eſt enim inter Canoniſtas valde recepta ſententia, in eo caſu non poſſe concedi relaxationem. Adeo, vt ſi petatur abſolutio, nulla facta mentione periurij commiſsi, nulla ſit relaxatio, ſi vero narretur periurium, & nihilominus concedatur, ſit iniuſta. Ita Felinus capit. 1. de Iureiurando nu. 28. cum Abbate ibi numer. 13. Ioan. Andr. Cardin. Imol. in ca. *Debitores*, Freder. Senen. Anchar. & ſequitur Couarruuias ſupra 2. part. §. 3. nu. 2. verſicul. *Hæc autem*. Imo addit Felinus ſupra numer. 3. quod nec pars ipſa poterit remittere, poſt quam altera pars periurium commiſit. Idem in capit. 2. de Sponſalibus num. 34. in fine, vbi à num. 17. materiam hanc de diſpenſationibus iuramentorum late proſequitur. Couarruuias vero dicit in eo caſu poſſe partem remittere obligationem iuramenti, quæ remanet, non tamen commiſſum periurium, niſi forte quoad pœnam, ſibi fortaſſe ratione periurij debitam.

Felin. Abbas. Ioan. Andr. Cardin. Freder. Anchar. Couar.

21. *Cap. Quia fruſtra.*

Pro fundamento ſolum afferunt cap. *Quia fruſtra*, de vſuris, ex quo poteſt ſumi argumentum, vel ex illa regula generali, quod *fruſtra legis auxilium inuocat, qui committit in legem*, vel à ſimili, quia ibi dicitur vſurarium, qui habuit literas ad recuperandas vſuras, quas ſoluit, non poſſe illis vti, donec ipſe reſtituat vſuras, quas accepit: ergo ſimiliter in præſenti, qui peierat, non poteſt obtinere relaxationem iuramenti, niſi prius à peierando deſiſtat, quod non poteſt facere, niſi implendo, quod iurauit. Nam poſtquam ſemel terminus elapſus eſt, cõtinue quaſi perſeuerat in periurio, & petendo relaxationem, denuo peccat, quia eſt in noua mora.

22. *Relaxatio iuramenti etiam periuro poteſt concedi.*

Hi authores videntur præcipue loqui in foro exteriori, veruntamẽ in interiori nullum video fundamentum huius ſententiæ. Quia nullo iure prohibetur concedi relaxatio in tali caſu, nec ex natura rei malum eſt: ergo eſt licita talis relaxatio, & à fortiori valida, quia ſupponitur poteſtas, quæ ſi non ſit prohibita, valide operatur. Antecedens quoad priorem partem probatur, quia nullum Ius affertur, & ex illo cap. *Quia fruſtra*, nihil probatur, quia iſte non committit in legem petendo abſolutionem, licet antea commiſerit, & regula non dicit fruſtra legis auxilium implorare, qui commiſit in legem, nam ſæpe lex ipſa ſubuenit tranſgreſſoribus pœnitentiam agentibus, & deſiſtentibus. Probatur ergo altera pars, quia licet ille fuerit periurus, adhuc petit relaxationem, vt poſtea poſsit bene operari ſine periurio, & commiſsi periurij pœnitentiam agere, & ita non abutitur fauore legis dantis poteſtatem ad relaxandum iuramentum.

23. *Abbas. Felin.*

Vnde Abbas, & Felin. ſupra fatentur, quod ſi periurium commiſſum non habet tractum ſucceſsiuum, ſed ſemel tantum fuit commiſſum, & ab eo deſiſtitur, & poſtea petitur relaxatio dari poterit, vt ſi iurauit non repetere, & repetiit, poſtea vero deſiſtit à petendo, donec relaxationem obtineat, tunc (inquiunt) poteſt concedi. Non vero quando periurium eſt veluti in continuo tractu ſucceſsiuo, vt ſi poſt lapſum terminum non ſoluit. Sed contra, quia etiamſi elapſus ſit terminus, non ita vrget pro ſingulis momentis obligatio ſoluendi, quin poſsit quis, & dolere de peccato commiſſo, & proponere illud non amplius committere, vel ſoluendo, vel ſtatim ſine mora quærendo medium, quo poſsit ſine peccato non ſoluere. Nam ratione prioris tranſgreſsionis non tenetur aliquid reſtituerè, quia non peccauit contra iuſtitiam, ſed contra Religionem, vnde licet ſoluat, poteſt poſtea repetere iuxta capit. *Debitores*, in futurum, ergo poteſt ſibi prouidere de relaxatione, ne peccet. Neque

Cap. Debitores.

in hoc,

Digitized by Google

in hoc actu peccat, quia per iuramentum non ita ſe obligauit, quin intelligatur ſemper excepta conditio, & liber as petendi relaxationem, quandocunque potuerit.

44. Confirmatur: nam votum diſpenſari poteſt in conſcientia etiam tranſacto termino præfixo ad non differendam amplius ſolutionem, vt ſi quis vouit ingredi Religionem intra annum, licet peccauerit non ſeruando, licite petit diſpenſationem (ſuppoſita cauſa ſufficienti) in ſecundo, vel tertio anno, neque iam actu, vel continue peccat, cum facit quod in ſe eſt, ad obtinendam diſpenſationem. Imo exiſtimo, validam eſſe diſpenſationem, etiamſi circumſtantia tranſgreſsionis non narretur, quia eſt impertinens ad cauſam diſpenſationis, vt infra ſuo loco latius dicetur. idem ergo cum proportione eſt in præſenti. Neque eſt ſimile de caſu cap. *Quia fruſtra*, nam ibi eſt ſermo de vſurario, qui ita vult ſibi recuperare debita, vt non ſoluat, quæ debet, vnde non vtitur beneficio literarum ad exeundum à peccato, ſed volendo perſeuerare in illo: in præſenti autem per beneficium relaxationis deſiſtitur à peccato, & pœnitentia de præterito agi poteſt ſine vlla ſolutione, vel reſtitutione, & ideo non bene applicatur regula.

45. *Commiſſium periuriū non impedit relaxationem iuramenti etiam in foro externo. Anton. Alexan.*

Vnde videtur mihi valde probabile, etiam in foro externo poſſe concedi relaxationem iuramenti, non obſtante periurio commiſſo, ſiue habeat quaſi tractum ſucceſsiuum, ſiue non habeat. Quamuis enim communis opinio peritorum in illa arte, magnam in hoc fidem mereatur, tamen neque inter eos deſunt, qui diſſentiant ab illis, & nobiſcum ſentiant, ſcilicet Anton. & Alexan. de Neuo. in d. capit. *Debitores*, nec ſine fundamento cogimur, aſſentire contra vrgentes rationes. Præcipua eſt proportionalis diſcurſui facto: quia talis relaxatio etiam in externo foro non eſt prohibita, nec ad illam recte applicatur cap. *Qui fruſtra*. nec etiam eſt per ſe mala, quia ratione periurij nullum ius acquiſitum eſt alteri, & ita integra manet poteſtas in relaxante, & eadem cauſa ſubeſt, quia diminuta non eſt propter periurium, cum turpitudo alterius ſemper ſit eadem. Dices: Iurans factus eſt indignus relaxatione. Sed contra, quia illa indignitas non eſt præciſe definita (vt ſic dicam) ad carentiam relaxationis. Nam licet hæc poſsit eſſe pœna periurij commiſsi, per nullam legem inuenitur præſcripta. Item licet eſſet impoſita, non tamen eſt ipſo Iure lata, ita vt ante ſententiam incurratur; ergo ante condemnationem non eſt ita indignus, vt ſit incapax relaxationis, vel vt malum ſit illi concedi, cum nulla lege ſit prohibitum. Nec per hoc peccatum illius fouetur: nam potius in futurum cauetur, & in præſenti iam non committitur, & præteritum poterit aliter puniri: ſi hoc ad relaxantem pertinuerit.

Vnde infero primo, non eſſe talem relaxationem nullam, etiamſi petatur ſine apertione commiſsi criminis, quia hoc per ſe non confert ad iuſtitiam, vel cauſam relaxationis, & qui illam petit, poteſt aliter pœnitentiam agere de commiſſo peccato. Secundo infero, non eſſe iniuſtum (per ſe loquendo) etiamſi à Superiore concedatur cognito periurio, quia habet iuſtam cauſam concedendi, & poteſt illo modo ſubditum liberare à peccato, & à grauamine in futurum, & de commiſſo peccato aliter eum caſtigare, nam hic nullus fauor creditoris attenditur, ſiue alter peccauerit, ſiue non. Tertio infero, etiam ipſum creditorem poſſe condonare iuramentum, & totum ſuum debitum, non obſtante peccato debitoris, quia propterea non priuatur ille iure ſuo libere diſponendi de rebus ſuis, & remittendi gratis ſua debita. Et hinc etiam ſumitur argumentum, quod id facere poſsit Superior, qui voluntatem ſubditi quaſi eminenter in ſua poteſtate continet. Imo exiſtimo poſſe etiam cogere creditorem, vt relaxet, iuxta cap. 1. de Iureiurando, non obſtante mora vitioſa debitoris, tum quia textus nihil diſtinguit, vnde nec nos diſtinguere debemus ſine cauſa; tum etiam quia peccatum debitoris nullum ius dedit iniquo relaxandi; poteſt igitur eodem modo cogi, nam interuentio periurij non diminuit poteſtatem relaxandi iuramentum iniquo extortum. Occurrebat autem hic quæſtio, quantum, vel quale ſit tale periurium, quæ in ſuperioribus etiam tractari poterat; ſed totam materiam de Periurio in ſequentem librum remittimus.

46. *Relaxatio iuramenti valida eſt, etiamſi non aperiatur commiſſum periurium.*

Finis Libri Secundi.

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII DE PERIVRIO.

Cap. 1. *An detur præceptum iurandi affirmatiuum.*

Cap. 2. *De præcepto non peierandi.*

Cap. 3. *An periurium ſit graue peccatum, & an alia excedat.*

Cap. 4. *An periurium ſemper ſit peccatum mortale.*

Cap. 5. *An iuramentum incautum habeat malitiam periurij.*

Cap. 6. *An conſuetudo iurandi incaute ſit peccatum mortale.*

Cap. 7. *An periurium inconſideratum, fiat mortale peccatum ob conſuetudinem.*

Cap. 8. *Inferuntur aliquot corollaria.*

Cap. 9. *An iuramentum amphibologice factum ſit periurium.*

Cap. 10. *An liceat iurare cum amphibologia.*

Cap. 11. *Quale peccatum ſit vti amphibologia ſine cauſa in iuramento.*

Cap. 12. *An iuramentum ſine iudicio, & iuſtitia, ſit mortale peccatum.*

Cap. 13. *An inducere aliquem ad iurandum per idola ſit peccatum.*

Cap. 14. An

Cap.14. An ſit peccatum à peieraturo petere iuramentum.
Cap.15. An violare iuramentum ex genere ſuo ſit peccatum mortale.
Cap.16. An violatio promiſſorij, poſſit eſſe venialis.
Cap.17. An iuramentum promiſſorium ſalſum ſit ſemper mortale crimen.
Cap.18. An iuramentum circa materiam ineptam, ſit mortale peccatum.
Cap.19. Quale peccatum ſit iuramentum de peccato committendo.
Cap.20. De pœnis periurio impoſitis.

LIBER TERTIVS.

DE PRÆCEPTIS AD IVRAMENTVM PERTINENTIBVS, ET PERIVRIO, ALIISQVE PECCATIS EIS CONTRARIIS.

EXplicata generali ratione iuramenti, cum eius ſpeciebus, cauſis, & effectibus, ſupereſt, vt de præceptis ad hunc pertinentibus, & conſequenter de vitiis illi contrariis diſſeramus. Prius ergo dicemus de præcepto affirmatiuo quomodo in hoc actu inueniri poſsit, vnde facile conſtabit, quomodo per omiſsionem in hoc peccari poſsit: deinde dicemus de præceptis negatiuis, & peccatis commiſsionis eis contrariis, inter quæ maximum eſt periurium proprie, & ſtricte dictum. Et ideo de illo potiſsimum diſſerit Diuus Thom. 2. 2. q. 89. quam in hunc locum explicandam relinquimus. *D. Thom.*

CAPVT I.

Vtrum detur aliquod præceptum affirmatiuum obligans interdum ad iurandum?

1. *Deut. 6.* RAtio dubitandi eſſe poteſt, quia Deuter. 6. dicitur. *Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſerujes, & per nomen illius iurabis.* In quibus verbis, ſicut duæ priores partes præceptū continent, ita etiam tertia, quia ſub eadem forma traduntur: non eſt autem ibi ſermo de præceptis cæremonialibus, ſed de naturali præcepto cultus Diuini. Vnde ca. 10. additur, *Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ipſi adhærebis, iurabiſque in nomine illius*: timere autem Deum, ſeruire, & adhærere illi pertinent ad præcepta affirmatiua legis naturalis, ergo & iurare. Ratione oſtendi poteſt, quia licet non ſemper iurandum ſit, tamen in neceſsitate iurandum eſt, vt patet ex ſupra dictis de omnibus iuramentis: ergo hoc ſatis eſt, vt detur naturale præceptum iurandi. Probatur conſequentia, quia de ratione præcepti affirmatiui non eſt, vt obliget ſemper, ſed vt obliget temporibus neceſſariis, ſed hoc modo obligatur homo ad iurandum ex vi legis naturalis, nam ſæpe poteſt talis neceſsitas occurrere, vt homo iurare teneatur, ergo. In contrarium vero eſt, quia nunquam iurare, eſto non ſit in præcepto, vt ſupra diximus, ſaltem videtur eſſe in conſilio, hoc enim poſtulare videntur verba Chriſti, *Nolite iurare omnino*, Matth. 5. & Iacobi 5. *Nolite iurare quodcunque iuramentum.* Quando autē omiſsio actus ſimpliciter, & abſolute conſulitur, affirmatio non præcipitur, quia non poteſt eſſe conſilium præcepto contrarium, ergo. *Deut. 10.* *Matth. 5. Iacobi 5.*

2. *Affirmatiuum præcep-* Aduertendum eſt, duplex præceptum affirmatiuum diſtingui poſſe: vnum conditionatum, aliud abſolutum. Primum explicatur illis verbis, *Si iuraueris, iura per Deum*, vel iura hoc, aut illo modo: vnde tale præceptum non tam eſt de exercitio actus, quam de forma, ſpecie, aut modo eius. Secundum præceptum explicatur adiuncto verbo imperandi, iura, ſeu iurandum eſt: & tale præceptum eſt proprie de exercitio talis actus. Deinde, hæc ipſa obligatio abſoluta iurandi poteſt duobus modis intelligi: vnus eſt interueniente præcepto hominis, vt quando Superior, vel iudex præcipit iurare: alius eſt per ſe, & ex vi ſolius rationis, nullo interueniente humano præcepto: vt ſi fortaſſe poſsit ex aliqua neceſsitate occurrente per ſe oriri talis obligatio. Denique hæc ipſa obligatio poteſt intelligi, vel ex virtute Religionis, vel ex alia virtute tunc occurrente, vt iuſtitiæ, obedientiæ, aut charitatis. *tum iurandi duplex.*

3. *Prima concluſio.* Dico ergo primo: De actu iurandi datur præceptum affirmatiuum conditionatum, illud autem in rigore in negatiuum reſoluitur, niſi aliunde ſupponatur obligatio exercendi talem actum. Iuxta primam huius aſſertionis partem intelligenda ſunt loca Deuteronomij citata, vt ibi Gloſſ. & Abul. exponit. Non enim intendebat Deus imponere ſuo populo obligationem, aut neceſsitatem iurādi, ſed ſolum admonebat illum, vt ſi iuraret, per ſuum ac verum Deum iuraret. Supponebat quidem Deus in illo præcepto aliquando poſſe occurrere occaſionem honeſte iurandi, ideoq; ad reuocandum illum populū ab idololatria, præcepit illi, vt per Deum ſuum iuraret, vtiq; quando iurare expediret. Et ita intelligitur optime illud Pſal. 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* non enim laudantur, tam quia iurāt, quam quia quando iurant, in eo iurant, id eſt, in cultum eius, & cum reuerentia illi debita. Similiter exponi poteſt illud Matth. 5. *Reddes Domino iuramenta tua*, id eſt, cum iuraueris, per Deum tuū iurabis. Item illud Iere. 4. *Et iurabis, viuit Dominus.* Et quod de hac conditione dicimus, intelligendum eſt de aliis ad honeſtandum iuramentum requiſitis. dicere enim poſſumus, dari præceptum affirmatiuum iurandi veritatē, ſed illud in conditionale reſoluitur, vt ſi iurandum ſit, veritas iuretur: & ſic exponitur a Chryſ. & Theoph. Mat. 5. illud, *Reddes Domino iuramenta tua*, id eſt, quando iuraueris vera loquens, ſeu adimplebis illud. Et idē eſt de ſimilibus iuxta dicta lib. 1. c. 3. & 4. *Datur iurandi præceptū conditionatum.* *Gloſſ.* *Abul.* *Pſal. 62.* *Matth. 5.* *Ieremiæ 4.* *Chryſ.* *Theophy.* *Matth. 5.*

4. Et hinc facile patet altera pars, nimirum præceptum hoc per ſe ſpectatum in negatiuum reſolui, quale eſſet, non iurabis per falſos Deos, vel per creaturas ſecundum propriam virtutem earum, aut aliud ſimile. Et ita ad hoc præceptū reuocatur, quod habetur Exod. 23. *Per nomen externorum Deorum non iurabis, nec audiatur de ore veſtro.* Sic etiam Pſalm. 14. *Laudatur ille, qui iurat proximo ſuo, & non decipit*, laudatur enim non tam quia iurat, quam quia *Exod. 23.* *Pſal. 14.*

fideliter

fideliter iurat, & ſine fraude: vnde reducitur ad præceptum negatiuum, non decipies proximum, cum illi iuraueris. Et ratio eſt, quia conditionalis nihil ponit in eſſe, & ideo præceptum affirmatiuum tantum ſub conditione, non inducit abſolutam obligationem ad aliquid agendum: inducit autem obligationem ad non agendum ſine tali conditione, ſicut in ſuperioribus explicuimus præceptum orandi attente, & idem eſt in ſimilibus. Addidi autem limitationem, *Niſi aliunde ſupponatur obligatio iurãdi*, quia tunc ſicut conditionalis poſita conditione tranſit in abſolutam, ita præceptum illud conditionatum obligabit ad iurandum per Deum, vt per ſe clarum eſt.

5. *Secunda concluſio.* *Humanum præceptũ obligat interdum ad iurandum.*

Dico ſecundo. Obligatio abſoluta ad iurandum interdum poteſt imponi per humanum præceptũ. Hoc certum eſt: primo ex vſu Eccleſiæ, duobus enim modis ſolet hoc præceptum imponi. Primo per mandatum hominis perſonale, quod ab eo pendet, & non habet vim ſtatuti, aut legis, & ſic præcipiunt iudices reis, vel teſtibus iuridice interrogatis, vt iurent verum, & in caſu graui Superior ſubdito præcipit, vt iuret aliquid, vel ad tollendum ſcandalum, vel ad aliquem alium finem bonum, & conuenientem. Secundo ſolet hoc præceptum imponi per legem, vel Eccleſiaſticam, vel Ciuilem, vt ſunt in vtroque Iure multæ, quæ iurare præcipiunt in multis occaſionibus, quas late congerit Selua loco proxime de Iuram. part. 1. Ratio eſt, quia Superior, ſiue Prælatus Eccleſiaſticus, ſiue ciuilis Reſpublica, vel Magiſtratus eius habet ius imperandi actus honeſtos, vel de ſe non malos, quando communi bono Reipublicæ, aut membrorum eius neceſſarij, vel valde vtiles ſunt: ſed iuramentum eſt actus non malus de ſe, imo honeſtus, & ſæpe poteſt eſſe neceſſarium ad coercendos peccatores, & caſtiganda delicta, vel ad cognoſcendam veritatem in aliqua cauſa iuſta, vt an talis res ſit debita, vel ſit aliena, & ſimilia: ergo poteſt per humanam iuriſdictionem, ſiue Eccleſiaſticam, ſiue ciuilem, hic actus imperari. Item illa neceſſitas interdum eſſe poteſt regularis, & ordinaria in talibus opportunitatibus, cauſis, & officiis, aliquando vero poteſt eſſe mere contingens, pro occaſione nata: ergo in prioribus caſibus poterit obligatio imponi per ſtatutum, ſeu per legem, in poſterioribus vero per homines.

Selua.

6. *Tertia concluſio.* *Naturalis lex obligat interdum ad iurandum.* *Soto.* *Aragon.*

Dico tertio, aliquando poteſt hæc obligatio oriri ex ipſa naturali lege, abſque humano præcepto interueniente. Ita docuit Soto libro 8. de Iuſtitia. quæſtione 1. articul. 2. & 4. & idem ſentit Aragon. d. articul. 2. dicunt enim affirmatiuum præceptum iurandi in neceſſitate eſſe præceptum naturale. Et probatur, quia occurrere poteſt neceſſitas iurandi ad ſaluandam rixam inter proximos, vel ad ſubueniendum proximo in vitæ periculo exiſtenti: ergo tunc etiamſi nullus homo, vel lex humana præcipiat, ratio ipſa obligabit hominem ad iurandum.

7. *Ad quã virtutem, pertineat iurandi præceptũ.*

Difficultas vero ſupereſt, An in his caſibus præceptum iurandi ſit proprium præceptum Religionis, vel poſitiuum, & humanum, ſicut eſt præceptum audiendi Miſſam, vel tantum ſit præceptum obedientiæ, vel iuſtitiæ, vel alterius ſimilis virtutis? Ratio dubitandi eſt, quia per talem legem, vel imperium reuera præcipitur actus Religionis, ergo illud præceptum ad Religionem ſpectat. Tale enim eſt præceptum, quale obiectum, ſeu materia eius, materia autem ſeu obiectum præcepti eſt actus præceptus, ergo ſi ille eſt actus Religionis, præceptum eiuſdem virtutis erit. Cur enim præceptum orandi, vel audiendi Miſſam Religionis eſt, niſi quia eſt de actu Religionis? Et confirmatur, nam ſæpe in ſuperioribus dictum eſt legem humanam habere vim [illegible] actus in materia alicuius virtutis, & [illegible] obligationem ad eandem virtutem pertinentem, ergo præceptum de quo tractamus, conſtituit actum in materia virtutis Religionis, ac ſubinde ipſum etiam pertinebit ad virtutem Religionis. Nec refert, quod iuramentum ſemper imperetur propter aliquam aliam vtilitatem, præter Dei cultum, quia nihilominus imperatur, vt iuramentum eſt, & hoc ſatis eſt, vt tale præceptum ad Religionem pertineat: ſicut oratio etiam præcipitur, vt eſt neceſſaria propter ſuum effectum, ſeu in remedium alicuius occurrentis neceſſitatis: & nihilominus præceptum, quod de illa datur ad Religionem ſpectat, ergo ſimiliter in præſenti. Atque ita ſentire videtur Soto, & Aragon.

8. *Probabilius eſt præceptũ iurãdi ad Religionẽ pertinere.*

In contrarium vero afferri poſſunt omnia, quæ ſupra tractatu 4. libro 1. capit. 29. adduximus in ſimili quæſtione de præcepto orationis, vbi difficile iudicauimus ad explicandum proprium præceptum Religionis, ad orandum obligans, cum neceſſitas orandi nunquam oriatur ex præcisã obligatione colendi Deum, ſed ex obligatione ſubueniendi neceſſitatibus propriis, vel proximorum, quæ obligatio ad charitatem pertinet. Quæ difficultas multo magis vrget in præſenti, quia oratio eſt actus ita honeſtus, vt per ſe, & propter cultum Dei appetendus ſit, & frequentandus, etiamſi neceſſitas præciſa non occurrat, actus autem iurandi licet ſit honeſtus, non eſt tamen per ſe appetendus, ſed tantum vt medium ad confirmandam veritatem, quando fuerit neceſſarium. Vnde licet ob hanc cauſam ibi concluſerimus orationis præceptum eſſe ſpeciale Religionis, de iuramento non videtur id poſſe affirmari: quia tota ratio obligationis eius eſt neceſſitas ad finem longe diuerſum à cultu Dei: ergo etiam tunc cum imperatur, non præcipitur propter cultum Dei, ſed propter cognoſcendam, vel confirmandam veritatem. Ergo ad exercitium talis actus nunquam obligat Religio, ſed alia virtus, licet ſuppoſita tali obligatione ex alia virtute, Religio dirigat actum, & obliget ad modum, ſeu ſpecificationem eius.

9.

Et confirmatur, quia omiſſio iuramenti non cenſetur ſpeciale peccatum contra Religionem, nec iſte modus peccandi contra ſecundum præceptum numeratur ab Authoribus, vt videri poteſt in Summiſtis, & Nauar. cap. 12. à principio vſque ad nu. 22. Item iuxta communem ſenſum, qui non vult iurare, cum præcipitur à iudice, non cenſetur ſacrilegus, ſed inobediens, vel iniuſtus: & qui ad defendendum innocentem, vel vitandam grauem inimicitiam nolit iurare veritatem ſibi cognitam, non cenſebitur ſacrilegus omiſſiue, ſed immiſericors, vel in charitate defectuoſus, quia reuera ille per ſe loquẽdo non deficit in cultu Dei. In quo eſt magnum diſcrimen inter orationem, & iuramentum, quia oratio per ſe præcipitur propter cultum: non ſic autem iuramentum quoad exercitium eius, ſed tantum quoad ſpecificationem, quomodo ſupra diximus eſſe actum Religionis, & non aliter. Hæc ergo pars videtur mihi probabilior, & in contrarium nihil video, quod difficultatem ingerat, nam quæ propoſuimus, ex dictis clare ſoluta ſunt.

Nauarr.

CAPVT II.

De præcepto non peierandi, & variis peierandi modis.

1. *Datur Diuinum, & naturale præceptum negatiuum prohibens vitioſum iuramentum.*

SVpponimus ex dictis in præcedenti capite, & li. 1. cap. 3. dari præceptum negatiuum prohibens iurare cum defectu alicuius conditionis ex requiſitis ad honeſtatem iuramẽti, nam eo ipſo, quod conditiones illæ neceſſariæ ſunt, defectus cuiuſcunque illarum parit malitiam. Quia malum ex quocunq; defectu, omne autem malum morale prohibitum eſt: ergo datur præceptum negatiuum prohibens iuramentum cum aliquo ex his defectibus, ſcilicet veritatis, iuſtitiæ, & iudicij. Vnde etiam conſtat tale præ-

tale præceptum Diuinum, ac naturale eſſe. Diximus enim præceptum affirmatiuum conditionatum de ſeruandis talibus conditionibus, ſi iuretur naturale eſſe, & illud reſolui in negatiuum: ergo etiam negatiuum naturale eſt. Ex quo tandem concluditur, iuramentum factum cum quocumque ex his defectibus peccatum eſſe contra legem naturalem, atq;
2. adeo eſſe prohibitũ, quia malum, & nõ è conuerſo.

Probatur prior pars, quia oſtenſum eſt hanc prohibitionem pertinere ad legem naturæ: ergo peccatum contra illam legem naturalem eſt. Atq; ita intelligitur optime ſecundum Decalogi præceptum. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum* quantum ad iuramentum ſpectat, per illud enim prohibentur omnia iuramenta contra Dei honorem facta. D *co autem: quantum ad iuramenta ſpectat*, vt omittam blaſphemias, tranſgreſſiones, vel abuſus votorum, & omnem indebitum modum inuocandi nomen Dei, id eſt, Deum ipſum quæ omnia ſub illo præcepto continentur, & aliis locis in hoc opere à nobis explicantur. Hinc denique concluditur altera pars, quia lex naturalis ſolum prohibet malum, quod ex ſe habet repugnantiam contra rectam rationem: prohibet autem hoc malum; ergo prohibet, quia malum, & non è conuerſo. Hæc ergo clara ſunt, ſolumque ſupereſt quæſtio de varietate talis peccati.

3. *Periurium duobus modis accipitur.* Oportet autem ſecundo aduertere, & explicare voces, ne propter earum ambiguitatem errare contingat. Periurij igitur vox duobus modis accipi ſolet ab Authoribus, videlicet in lata, & ſtricta ſignificatione. Primo modo periurium ſignificat omnem incautam iurationem: & ita vſus eſt illa
Hieron. Ierem. 4. Hieronym. Ierem. 4. vbi cum poſuiſſet tres comites iuramenti, ſubiungit. *Si iſta defuerint, nequaquam erit iuramentum, ſed periurium*, & refertur in c. 2. 22. q. 2. Sic ergo periurium idem eſt, quod peruerſum iuramentum, ſeu mala iuratio. Alio vero modo ſumitur ſtricte periurium pro falſo iuramento, vt defi-
Gratian. nit Gratian. 22. q. 2. in prin. Seu pro mendacio iuramento firmato, vt definiunt Theologi, & Summiſtæ cum Magiſtro in 3. diſt. 39. In quo ſenſu videtur ac-
Sapien 14. cipi Sapient. 14. vbi periurium inter grauia peccata ex idololatria orta numeratur. Et ſimiliter ſumitur
Prou. 30. verbum periurandi Prou. 30. ibi: *Aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei*, negando ſcilicet
Ianſen. furtum, cum adiuratus fuero, vt addit vbi Ianſen. Bene declarans, quomodo illi petitioni, quam præmiſerat, *Verba mendacij longe fac à me*, bene reſpondet altera, *Paupertatem ne dederis mihi*, ne ſcilicet mihi ſit occaſio dicendi, & iurandi falſum: hoc ergo eſt periurare. Et in eadem ſtricta ſignificatione videtur ſumi in Scriptura, quoties vt grauiſſimum
Leuit. 19. peccatum prohibetur Leuit. 19. vnde Zach. 5. vide-
Zachar. tur definiri, periurare idem eſſe, quod in nomine Dei mendaciter iurare.

4. *An falſitas ſit de ratione periurij.* De periurio ergo in priori ſignificatione ſumpto quæri ſolet, An de ratione illius ſit falſitas, ita vt definiri poſſit, eſſe iuramentum aliquomodo falſum?
D.Thom. Nam partem affirmantem indicat D. Tho. 2. 2. q. 98. artic. 1. in cor. ad 1. ſentit enim periurium illo modo ſumptum eſſe quaſi quoddam analogum, cuius principale ſignificatum eſt falſum iuramentum; alia vero dicuntur periuria per quandam habitudinem ad falſitatem. Nam actus (inquit) humani ſpecificantur à fine, finis autem iuramenti eſt veritatis confirmatio, cui veritati & confirmationi eius opponitur falſitas, & ita falſitas directe euacuat finem iuramẽti, ideoq; falſitas eſt de ratione periurij. Quæ vltima conſequentia videtur in hoc fundari, quod ſicut actus humani boni, & ſtudioſi ſpecificantur à fine, ita vitioſi, vt tales ſunt, ſumunt rationem ſuam ex deſtructione, & elongatione à fine ſtudioſi actus. Quia ergo omne peruerſum iuramentum eſt vitioſum, & ſuo modo deſtruens iuramentum Religioſum, ideo ſicut finis iuramenti eſt veritas, ita falſitas dicitur eſſe de ratione periurij in tota illa latitudine ſumpti: tamen quia non omne prauum iuramentũ æque deſtruit veritatem, ideo non eſt hic vniuocatio, ſed analogia. Nam falſum iuramentum actu, & omnino deſtruit veritatem, & ideo illud eſt ſimpliciter periurium, iuramentum autem incautum, ſeu non neceſſarium, ſi ſit verum, non deſtruit actu veritatem, ſed in potentia: vel periculo, quia qui ſic iurat interdum poterit falſum iurare. Iuramentum vero de re turpi, quando eſt verum, & cum intentione faciendi, non deſtruit actu veritatem, tamen quoad obligationem dicit quandam habitudinem ad falſitatem, quia non debet tale iuramentũ impleri, & ita omne periurium, vt complectitur omne iuramentum iniquum, dicit ordinem ad falſitatem.

Sed licet hęc conſideratio, & analogia quoad de- 5.
nominationem periurij ſuſtineri poſſit, nihilomi- *Reſolutio*
nus quoad rem ipſam exiſtimo, non omne pecca- *difficultatis.*
tum irreligioſitatis, quod male iurando committi poteſt, dicere habitudinem ad falſitatem, ſed aliunde poſſe ſuam malitiam deſumere. Hoc patet in primis in vano iuramento, id eſt, abſque neceſſitate facto, quia licet fiat cum ſumma animaduerſione, & cautela dicendi verum, & cauendi omne periculũ falſitatis, nihilominus peccaminoſum eſt iuramentum. Et tamen de illo dici non poteſt, quod reddatur malum propter habitudinem potentialem (vt ſic dicam) ad falſitatem, nec propter periculũ eius, quia nulla maior potentia, vel maius periculum dicendi falſum eſt in tali iuramento, quam ſi eſſet neceſſarium. Ratio autem à priori eſt, quia Deus non eſt tantum prima veritas, ſed etiam eſt ſuprema dignitas, & authoritas, & non tantum eius veritati debetur, vt non inuocetur ad falſum firmandum, nec cum periculo falſitatis, ſed etiã debetur eius maieſtati, vt ad vana, & leuia confirmanda nõ afferatur: ergo ſine vlla habitudine ad falſitatem poteſt intelligi irreligioſitas in vano iuramento. Idem conſiderare licet in iuramento turpi, ſeu iniuſto, non ſolum enim contingit talis defectus in iuramento promiſſorio, ſed etiam in aſſertorio, vt patet, cum aliquis contra iuſtitiam, vel charitatem reuelat occultum crimen, vel alium grauem defectum proximi, & dictum ſuum iuramento cõfirmat, certus omnino exiſtens de veritate rei, quam cõfirmat. Ille enim peccat contra Religionẽ iuramenti, & non propter habitudinem ad falſitatem, quia illa veritas nõ pendet aliquo modo in futurum, ſicut in iuramento promiſſorio, & ita ille non manet obligatus ad faciendum falſum, quod dixit, nec etiam eſt periculum in falſitate rei dictę, vt ſuppnitur, ergo abſolute naſcitur irreligioſitas ex iniuſtitia rei dictæ, & iuratæ. Et ratio eſt quia ad reuerentiam Deo debitam per ſe ſpectat, vt non afferatur in teſtem etiam veritatis, quando cũ iniuſtitia, & turpitudine profertur, vt li. 1. cap. 3. viſum eſt: ergo ſine vllo ordine ad falſitatem inuenitur irreligioſitas in tali iuramento.

Poteſt aliquis dicere, etiam in eo caſu reperiri a- 6.
liquam habitudinem ad falſitatem, vel quia ille, qui *Obiectio.*
ſic infamat proximum, practice erret, & ſuum errorem iuramento confirmat, error enim practicus quædam falſitas eſt, vel quia ille, qui ſic proximum infamat, quamuis iuramento ſuum dictum confirmauerit, tenetur famam reſtituere, prout potuerit, & conſequenter retractare dictum ſuum, quantum ſine mendacio valuerit. Vnde aliqui exiſtimant, illum teneri ad dicendum ſe per errorem locutum fuiſſe, ſubintelligendo per errorem practicum, & ita manet obligatus ad falſificandum aliquo modo prius iuramentum, ſaltem quoad externam ſpeciẽ, ſeu apparentiam, ergo illa turpis iuratio non caret
aliqua habitudine ad falſitatem. Sed hæc in primis *Occurritur*
non probant irreligioſitatem illius iuramenti poſi- *obiectioni.*
tam eſſe in hac habitudine, quidquid enim de illa ſit, tale iuramentum eſt irreligioſum eo ipſo, quod

ſit ad confirmandam veritatem turpem, ſeu pernicioſam proximo. Deinde dico, nõ eſſe neceſſariam illam habitudinem, quia licet iniuſtitia ſupponat errorem practicum, Dei teſtimonium non affertur ad confirmandum illum actum, vt error practicus eſt, ſed ſolum vt eſt narratio quædam veritatis: & ita ex hac parte non dicit iuramẽtum illud habitudinem ad errorem, etiamſi cum illo coniunctus ſit. Item licet ex illo facto oriatur obligatio reſtituendi modo poſsibili, non tamen mentiendo, nec ſignificando, prius dictum fuiſſe falſum, & iuramentum cecidiſſe ſupra falſam narrationem, nam hoc eſſet mendacium pernicioſum & ſcandaloſum. Et præterea interdum poteſt eſſe tale peccatum ſine obligatione reſtituendi, vel retractandi vllo modo priorem aſſertionem, vt ſi detractio non fuit contra iuſtitiam, ſed tantum contra charitatem: vel certe ſi quis ſua propria turpia facta narret, & de illis glorietur, cum iuramento illa confirmans, & ſimilia.

7\. *Periurium in tota latitudine non dicit reſpectum ad falſitatem.*

Concludo igitur ad irreligioſum iuramentum generatim, ſeu in tota ſua latitudine ſumptum non eſſe neceſſarium, vt dicat habitudinem ad falſitatem. Quapropter ſi vox *periurium* tam ample ſumatur, vt ſignificet irreligioſum iuramentum, neceſſarium non eſt, vt per falſitatem definiatur, quia vt ſic non dicit habitudinem ad illam, nec ab illa ſpeciem ſumit, ſed à peruerſitate iuramenti abſtracte ſumpta, vt dicit defectum cuiuſcumque circumſtantiæ debitæ iuramento; ſiue illa ſit veritas, cui opponitur falſitas, ſiue ſit iuſtitia, cui opponitur iniuſtitia, ſiue iudicium ſeu neceſsitas, cui opponitur vanitas, ſeu otioſitas. Atque ita periurium in hac exceptione nihil aliud eſt, quam illicitum, ſeu irreligioſum iuramentum.

8\. *Quotuplex ſit periurium.*

Vnde vlterius conſtat, quotuplex ſit periurium ſic ſumptum, poteſt enim in tria membra diſtingui. Primum eſt iuramentum vanum, ſeu ſuperfluum præciſe ſumptum. Quod addo, quia omne malum iuramentum eſt ſatis vanum, & ſuperfluum; tamen alia præter hanc habent aliam malitiam: ſpecialiter autem attribuitur illud nomen iuramento prauo ex ſolo illo capite ſicut dicitur verbum otioſum illud, quod caret omni vtilitate, & ſine bono, quando aliam malitiam non habet. Hoc ergo modo dicitur iuramentum vanum, quod licet ſit verum, & non iniuſtum ſine neceſsitate profertur. Secundum eſt iuramentum iniuſtum, licet ſit verum, vocatur autem iniuſtum, quomodocumque ſit turpe, & inhoneſtum ex parte materiæ, etiam ſi in rigore contra iuſtitiam commutatiuam non ſit, iuxta explicationem datam lib. 1. ca. 3. de Comitibus iuramenti. Tertium eſt iuramentum, quo mendacium confirmatur, & hoc dicitur proprie, & ſtricte periurium.

9\. *Quomodo aſſignata periurij membra inter ſe differant?*

Sed quæret aliquis, An hæc tria differant ſpecie in ratione periurij, id eſt, in ratione vitij moralis, ſeu peccati Religioni oppoſiti? Reſpondeo primo, probabile eſſe, non differre ſpecie, ſed tanquam perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie, quia omnia illa iuramenta praua priuant eadem honeſtate iuramenti, quæ vnica eſt, licet ex pluribus circumſtantiis conſurgat; & ideo licet deſtruatur ex defectu variarum circumſtantiarum, eadem priuatio ſemper eſt, idemque peccatum: ſicut eſt probabile de intemperantia ratione quantitatis, & qualitatis, vel modi. Addo vero etiam poſſe probabiliter defendi, differre ſpecie ſecundum illas malitias, quia opponitur cultui Dei, ſecundum varia eius attributa: nam proprium periurium opponitur directe veritati Dei, iniuſtum autem iuramentum videtur opponi bonitati, vanũ autem reuerentiæ debitæ authoritati, & maieſtati Dei. Quidquid vero ſit de ſpeculatione in ordine ad mores certum eſt, ita diſtingui, vt regulariter neceſſarium ſit, particularem iuramenti defectum in confeſsione aperire: quia, vt videbimus, infinite (vt ſic dicam) in grauitate diſtinguuntur, regulariter loquendo.

Eſt autem circa hos tres defectus conſiderãdum, dupliciter poſſe inter iurandum committi, ſcilicet materialiter & formaliter, id eſt libere, & voluntarie, ſiue directe, ſiue indirecte, vel ſine libertate, ex ignorantia, vel naturali inaduertentia. Quam partitionem de periurio tradidit Gloſſa 22. q. 1. in princ. Et licet maxime habeat locum in periurio ſtricto, tamen cum proportione applicanda eſt ad generale periurium, id eſt, ad omne iuramẽtum defectuoſum: quia in quolibet poteſt defectus eſſe voluntarius, vel inuoluntarius. Quando ergo defectus mere materialiter interuenit, non meretur nomen periurij, quia vitium morale non eſt. Sicut è contrario qui ex intentione iurat falſum, licet contingat materialiter dicere verum periurus eſt, vt ait D. Thomas q. 98. artic. 1. ad 3. quia formaliter falſum iurat: ita ergo è conuerſo, qui ex intentione verum iurat, non eſt periurus, licet materialiter falſum ſit, quod iurat, & idem eſt de aliis defectibus. Oportet autem, vt defectus ſit mere materialis, ita vt deſit intentio, tam formalis, & directa, quam indirecta, ſeu imputata propter negligentiam, vt commune eſt aliis peccatis, & hoc explicabitur inferius. Hic ergo à præſenti conſideratione excludimus defectus omnino materiales, quia morales non ſunt: alios vero omnes explicabimus. 10. *Materiale, & formale periurium.* *Gloſ.* *D. Thom.*

Aduertit denique d. Gloſ. in princ. 22. q. 1. periurium contingere tam in iuramẽto aſſertorio, quam in promiſſorio, quia in vtroq; poteſt eſſe vel deeſſe veritas in altero in dicendo, in altero autem in faciẽdo, quod dictum eſt; vnde vnum poſſumus vocare periurium falſitatis, aliud infidelitatis. Nos vero addimus, hanc diſtinctionem cum proportione habere locum in periurio generaliter ſumpto, ſeu in omni iuramento irreligioſo, quia tam promiſſorium, quam aſſertorium iuramentum vanum, & iniquũ ſine falſitate inueniri poſſunt. Et ideo vt diſtinctius procedamus prius de periurio aſſertorio, poſtea de promiſſorio dicemus. Ne tamen ſit in nominibus confuſio ſolum periurium falſum, ſeu infidele periurium vocabimus, hæc enim ſtricta ſignificatio iam vſu recepta eſt, tanquam famoſior, & tanquam continens grauiorem, & magis propriam iuramenti irreuerentiam, alia vero appellabimus vana, & iniqua iuramenta. Quibus addemus iuramentum fictum, ſeu doloſum, quod in ſolo promiſſorio diſtingui poteſt à periurio, & prædictæ diuiſioni non additur, quia vel iuramentum non eſt, vel quando eſt iuramentum, propriam malitiam à prædictis diſtinctam non habet, vt videbimus. 11. *Gloſ.* *Periurium dare poteſt tam in aſſertorio, quam in promiſſorio iuramento.*

Vna ſupereſt obiectio contra priorem generalem, ac trimembrem diuiſionem, quia videtur diminuta. Nam iuramentum verum per falſos deos, eſt iniquum iuramentum, vnde etiam dici poterit periurium in priori ampla ſignificatione: & tamen ſub nullo illorum membrorum continetur. Ad hãc obiectionem variis modis ſatisfieri poteſt. Primo enim quia hæc trimembris diuiſio per proportionẽ ad illos tres comites datur, dici ergo poteſt, hoc membrum ſub iuramento vano comprehẽdi, quia ſine iudicio, & diſcretione fit. Secundo Diuus Thomas d. q. 98. art. 1. ad 2. reſpondet, iuramentum per falſum deũ non poni in illa partitione, quia non eſt periurium, quia ex ſe non deſtruit veritatem, nec dicit vllam habitudinem ad falſitatem. Addi tertio poteſt, peccatum hoc non contineri ſub peruerſo iuramento hic diuiſo, non ſolum quia non dicit habitudinem ad falſitatem, ſed etiam quia non eſt verum iuramentum, verum (inquam) in eſſendo, ſed eſt tantum iuramentum putatum, & fictum, hic autem diuiditur iuramentum verum in dicto ſenſu. Quatenus vero ex conſcientia erronea illud eſt iuramentum, ſic non ponit in numero cum 12. *Obiectio.* *Occurritur obiectioni.* *D. Thom.*

dictis

dictis tribus prauis iuramentis, ſed ad ſingula reducitur cum proportione, nam etiam tale iuramentum poteſt eſſe de mendacio, & de re praua, & de re vana: non oportet ergo augere diuiſionem. Accedit tandem, quod illud non eſt tantum prauum iuramentum, ſed eſt blaſphemia, & idololatria, iuxta ſupra dicta tractat. 3. lib. 1. c. 6. & ideo à præſenti conſideratione excluditur.

C A P V T III.

Vtrum periurium aſſertorium ſit peccatum mortale adeo graue, vt alia excedat?

1. *Prateol. Bernard.*

NON defuerunt hæretici, qui periurium licitum eſſe dixerint, vt de Apoſtolicis refert id Prateol. verb. *Apoſtolici*, eiuſdemque hæreſis meminit Bernardus Serm. 65. in Cant. non indicat tamen illorum hæreticorum authorem, imo nullum habuiſſe ſignificat Serm. 66. Dicitque non ſimpliciter approbaſſe periurium, ſed ad occultandum ſecretum ſuæ doctrinæ, atque ita in ore habuiſſe hanc ſententiam. *Iura, periura, ſecretum prodere noli.* Quæ verba habuiſſe in ſuis dogmatibus Priſcillianiſtas, refert Aug. hæreſ. 70. & lib. 2. Retract. c. 60. & lib. contra mendacium c. 1. & 2. vbi etiam c. 18. & 19. inſinuat, eos, qui dixerunt aliquando licere mentiri, conſequenter etiam dixiſſe, aliquando licere peierare, quos ibi bene impugnat. Et in eodem errore fuiſſe hæreticos dictos Flagellantes refert Prateol. ſub eorum nomine, quamuis Gerſon in tract. quem de illis fecit 1. p. Alphab. 22. à princ. id non referat. Huius erroris nullum fundamentum relatum inuenio. Fortaſſe iſti pro nihilo habebant iuramentum, & ad Dei reuerentiam, vel iniuriam nihil pertinere putabant, ſed illud mirabile eſt, vt recte Ber. notat, quod illimet, qui ſcrupuloſiſsime dicebant iuramenti vſum eſſe omnino prohibitum, periuriũ approbabant ad ſua falſa dogmata occultanda.

Auguſt. Prateol. Gerſon.

2. *Periurium nunquam licet. Exod. Matth.*

Duo ergo ſunt certa de fide. Primum eſt, Periurium eſſe ita malum, & prohibitum, vt in nullo caſu liceat. Hoc conſtat ex clariſsimis prohibitionibus Scripturæ Exod. 20. Matth. 5. & aliis cap. 1. adductis. Item ex communi ſenſu totius Eccleſiæ, & omnium Canonum, & Catholicorum Doctorum, quos in re clara referre, ſuperfluum eſt. Ratio vero eſt, quia eſt contra præceptum naturale negatiuum, quod ſemper, & pro ſemper obligat. Item mendacium eſt ita intrinſece malum, vt nunquam poſsit honeſtari, etiam ſi ad quemcũq; finem videatur neceſſarium, ergo multo minus periurium aſſertoriũ, quod & mendacium ſupponit, & in illius confirmationem Deum teſtem adducit. Et in ſequenti dubio hoc magis confirmabitur.

3. *Periurium ſemper eſt mortale.*

Secundum aſſertum de fide certum eſt, hoc peccatum eſſe ex genere ſuo mortale, & valde graue. In hoc etiam ſine controuerſia conueniunt omnes Theologi. Et probatur, quia eſt contra præceptum ſecundum primæ tabulæ, quod eſt grauiſsimum, & conſequenter contra Religionis virtutem in materia maxime pertinente ad Diuinum honorem. Eſt etiam hoc periuriũ maxime contra finem iuramẽti: nam finis iuramẽti eſt confirmatio veritatis, periurium vero directe nititur facere illud confirmationem falſitatis. Denique ex ratione ſua eſt maxime charitati Dei contrarium, & conſequenter etiam proximi, eſt ergo ſuo genere peccatum mortale. Vnde in cap. 22. q. 1. *Grande ſcelus*, appellatur.

4. *Periurium Religioni aduerſatur.*

Tertio certum eſt, hoc peccatum contineri inter vitia contraria Religioni. Nam ſicut iuramentum eſt actus Religionis, ita periurium eſt contra illam, nam eſſentialem ſuam malitiam ſumit ex iniuria, quam Deo infert. Dubitari autẽ hic poteſt ad quod genus vitij contrarij Religionis hoc peccatum ſpectet. Quidam enim dicunt eſſe ſacrilegium, hoc neque eſt conſentaneum doctrinæ Diui Thomæ, neq; diuiſioni vitiorum contra Religionem, quam ſupra tradidimus tract. 3. lib. 1. c. 1. nam D. Thom. q. 98. ar. 2. docet periurium eſſe peccatum Religioni contrarium, quia Deo ipſi irreuerentiam exhibet, ſtatim vero q. 99. docet ſacrilegium eſſe peccatum, per quod irreuerentia infertur rebus ſacris, diſtinguit ergo ſpecie hæc vitia. Et ideo nos ſupra diximus, contineri ſub irreligioſitate ſpecialiter ſumpta, prout dicit vitium oppoſitum Diuino cultui per defectum, & ita dicendum eſt, ſub illo genere eſſe ſpecificum vitium à blaſphemia, & aliis ibi enumeratis diſtinctum.

D. Thom.

5. Iam vero ſupereſt explicandum quanta ſit grauitas huius peccati, quod per comparationem ad alia peccata inquirendum eſt. Et primo comparari poteſt cum aliis peccatis contra Deum in qua comparatione primo certum eſt, peccata contra virtutes Theologicas eſſe ex ſuo genere grauiora. Quia hoc per ſe ſolum eſt contra Religionem, quæ inferior virtus eſt, peccata autem contra nobiliores virtutes ex ſuo genere grauiora ſunt, quia malum conſiſtit in priuatione boni, vnde ex ſe tanto maius eſt, quanto excellentius bonum deſtruit. Confirmatur quia ſimili argumento ſupra tract. 3. libr. 1. c. 6. oſtendimus, blaſphemiam ex ſuo genere minus graue peccatum eſſe, quam illa, quæ ſunt contra virtutes Theologicas, quamuis illud inter peccata contra Religionem in verbis exiſtentem maximum eſſe videatur.

6. Secundo dicendum eſt, periurium non eſſe grauiſsimum omnium peccatorum, quæ ſunt contra Religionem. Probatur, quia ex ſuo genere grauior eſt blaſphemia, vt in d. loco oſtendi. Item abſolute, & per ſe loquendo, maius peccatum eſt iuramentum per falſos Deos, licet de veritate ſit, quam periurium per verum Deum. Hoc etiam dixi loco citato, quia malitiam blaſphemiæ, & idololatrię continet, quæ grauiores ſunt. Locum autem Auguſtini epiſt. 54. vbi videtur dicere oppoſitum, expoſui, vt intelligatur de exceſſu periurij extenſiuo, non intenſiuo. Aliæ vero comparationes fieri poſſunt periurij ad fractionem voti, & ad Simoniam, & ad alia contra Religionem. In quibus breuiter dico, per ſe, & ex vi obiecti poſt idololatriam, & blaſphemiam, periurium aſſertoriũ videri grauius cæteris peccatis contra Religionem: excedit enim fractionem voti, quia obligatio iuramenti aſſertorij grauior eſt, vt ſupra oſtendi. Excedit item Simoniam, quia immediatius eſt contra Deum, & maiorem illi irrogat iniuriam, vt videbimus. Periurium autem promiſſorium, ſeu infidelitatis, infra voti fractionem conſtituendum videtur, iuxta ſuperius dicta in libro ſecundo de Comparatione illius iuramenti cum voto. Deniq; ex circumſtantiis poſſunt ita aggrauari alia peccata, vt excedant periurium. Quando vero augmentum grauitatis ad illum gradum perueniat, ſolus Deus certo dicere poteſt, vt in puncto ſequenti dicam.

7. *An periurium ſit grauius homicidio.*

Secundo dubitari ſolet, an periurium ſit grauius omnibus peccatis, quæ contra proximum committuntur, & præſertim conferri ſolet cum homicidio, quod videtur inter illa eſſe grauiſsimũ. In qua comparatione multi Theologi docuerunt, homicidium eſſe grauius peccatum periurio, Durand. 3. d. 39. quæſtione 5. num. 8. & 9. Richard. articulo 4. quæſtione 1. Gab. quæſtion. 2. art. 3. dub. 4. Maior quæſt. 5. & Angelus verb. *Periurium*, n. 8. Qui omnes ſic argumentantur. Periurium opponitur latriæ, homicidium charitati, ſaltem ex ea parte, qua proximus eſt ex charitate diligendus, ergo homicidium opponitur nobiliori virtuti, ergo eſt grauius peccatum ex genere ſuo. Hæc vero ratio nullius momenti eſſe videtur, quia falſa eſt ſecunda pars antecedentis cum proportione intellecta. Homici-

Durand. Richard. Gab. Maior. Angel.

dium enim proxime, ac formaliter non eſt contrà charitatem, ſed contra iuſtitiam humanam, quæ inferior virtus eſt, quam Religio, & ita poſſet argumentum retorqueri. Dixi autem *cum proportione intellecta*, quia ſi homicidium intelligatur eſſe contra charitatem proximi, mediante iuſtitia, ſic non ſeruatur proportio in partitione, vel illatione. Quia etiam periurium eſt contra charitatem Dei mediante Religione, vnde ex hac parte grauiori modo repugnat charitati periurium, quam homicidium. Accedit, quod ſimili diſcurſu probari poſſet, adulterium eſſe grauius peccatum periurio, quia opponitur charitati proximi, & idem eſt de aliis peccatis grauiſsimis contra proximum, & vt ſunt violatio virginis per vim, & rapinam, infamatio proximi cum falſo teſtimonio, & ſimilia, quia etiam ſunt eodem modo contra charitatem proximi, & tamen de cæteris peccatis fatentur dicti Authores, præſertim Richard. eſſe minus grauia periurio: & ita idem Richardus fatetur, rationem hanc non cogere. Vnde hæc opinio magis videtur fundari ſolutione rationis in contrarium, vt videbimus.

8. *Secunda ſententia. D. Thom. Gerſon. Syluester. Soto. Couar.* Eſt ergo ſecunda ſententia dicens, periurium eſſe grauius peccatum homicidio. Ita tenet D. Tho. Quodlib. 1. artic. 18. ſequitur Gerſon 1. p. Alphabet. 13. liter. V. in Serm. contra aſſertiones Ioannis Paruí. Item Syluest. verb. *Periurium* 1. quæſtione 2. Soto lib. 8. de Iuſtit. quæſt. 2. artic. 3. Turrecr. in ca. *Prædicandum*, 22. quæſt. 1. Couar. ſupra p. 1. §. 7. nu. 1. vbi refert Guiliel. Peraltum in Summa virt. & vit. 2. tom. tract. 9. p. 2. cap. 4. vbi duodecim rationibus conatur hanc ſententiam oſtendere, & ſunt aptæ ad exaggerandã periurij grauitatẽ præſertim pro concione: tamen ad punctũ quæſtionis parum faciunt.

9. Duobus igitur modis probat D. Tho. ſententiam ſuam, vnus eſt à poſteriori, ſeu à ſigno, nam vt ait Paul. *Finis omnium controuerſiarum eſt iuramentum*, & ita etiam adhibetur in cauſa homicidij ad terminandam illam, & veritatem inquirendam. Ergo ſignum eſt periurium reputari grauius homicidio: nã ſi eſſet leuius fruſtra peteretur à ſuſpecto, ſeu accuſato de homicidio, præſumeretur enim, quod qui maiorem homicidij culpam commiſiſſet, non vereretur minorem committere. Hanc vero rationem impugnat Gab. & obiicit, quia ſequeretur, periurium eſſe grauius peccatum, quam hæreſis, quia etiam in cauſa hæreſis adhibetur iuramentum. Quam inſtantiam conatur eludere Soto, quia hæreticus per errorem labitur, & ideo in ſua apprehenſione putat, grauius peccatum eſſe periurium, quam ſuam opinionem. Sed non oportet vim facere in materiali exemplo: nam blaſphemia, & idololatria peccata ſunt, quæ ſine errore proprio committuntur, & ſunt grauiora periurio, vt ibi, & aliis locis fatetur D. Thomas, & tamen etiam in eorum cauſis adhibetur iuramentum. Non ergo adhibetur iuramentum ad extorquendam confeſsionem alicuius criminis, quia periurium grauius peccatum ſit, quam crimen, de quo tractatur, interdum enim ita erit, interdum non erit, vt oſtenſum eſt. Tunc ergo adhibetur; quia ſi forte homo interrogatus non commiſit delictum, confirmabit veritatem, quantum poteſt, ſi vero commiſit, ſperari poteſt, non additurum grauiſsimum peccatum poſt aliud quantumuis graue, quia multiplicatio peccatorum grauius malum eſt, quam vnum peccatum tantum, cæteris paribus.

10. *Alius modus probandi dictã ſententiam.* Alius modus probandi hanc ſententiam eſt à priori, quia iuramentum eſt contra præceptum primæ tabulæ, & contra Deum proxime, ac directe, & contra virtutem Religionis: homicidium autem eſt contra præcepta ſecundæ tabulæ, & contra proximum immediate, & contra humanam iuſtitiam, quæ inferior virtus eſt. Verumtamen ex his principiis generalibus non ſatis probari videtur, nam ex illis ſolum infertur peccatum contra præcepta primæ tabulæ eſſe grauius ex genere, quam peccatum contra præceptum ſecundæ tabulæ, comparando nimirum maximum ad maximum, ad quod ſatis eſt, quod idololatria, v.g. vel blaſphemia ex ſuo genere ſit grauius peccatum, quam homicidium, non tamen neceſſe eſt, vt omne peccatum in ſpecie ſumptum, contra Deum, Religionem, aut præcepta primæ tabulæ ſit grauius alia ſpecie peccati contenta ſub peccatis contra præcepta ſecundæ tabulæ. Probat hoc Gabriel, nam violare feſtum eſt contra præcepta primæ tabulæ, & non eſt tam graue, ſicut adulterium, vel homicidium. Ad quod etiam reſpondet Soto hærẽdo in materiali exemplo, in quo inuenit differentiam, quia illud peccatum eſt tantũ contra ius Eccleſiæ, & ex ea parte minus graue eſt. Verumtamen cum malitia ſit eiuſdem ſpeciei, non videtur hoc multum referre. Aliud vero exemplũ afferri poteſt de violatione voti, quæ non videtur eſſe tam graue peccatum ſicut homicidiũ, ſed fortaſſe eadem de illo mouebitur quæſtio. Aliud ſit, quia irreuerenter orare, & inuocare Deum petendo ab illo aliquid indecens, eſt contra præceptum Diuinum, in ſecundo primæ tabulæ contentum, & tamen nemo dicet, eſſe tam graue ex genere ſuo ſicut homicidium. Item ſi ratio illa eſt efficax, probabit, patricidium eſſe minus graue peccatum, quam periurium, quod licet conſequenter admittant aliqui, videtur per ſe incredibile, & contra communem ſenſum. Ratio denique afferri poteſt, quia ſub vno genere ſunt inæquales ſpecies, & nihil obſtat, quominus aliqua ſpecies inferioris generis ſuperet aliam generis ſuperioris. Quod in ſpeciebus naturalibus, & phyſicis contingit, vt nunc ſupponimus; & in virtutibus, & actibus earum, nam licet charitas ſit excellentior ſpe, & fide, nihilominus credere vel ſperare in Deum, poteſt eſſe melior actus, quam dilectio proximi etiam ex charitate, ergo etiam in peccatis poterit hoc reperiri.

Quapropter cenſeo in hac comparatione aliquid inueniri, de quo ferri poteſt certum, vel magis veriſimile iudicium, & aliquid in quo vix poteſt humano modo ferri, quod in aliis ſimilibus comparationibus obſeruandum cenſeo. Declaro priorem partem, nam clarum videtur hæc duo peccata ſe habere ſicut excedens, & exceſſum. Nam periurium ſine dubio excedit ex parte perſonæ, cui facit iniuriam, vt conſtat, homicidium autem ex parte irreparabilis nocumenti, quod infert, nam tollit vitam humanam, quæ in bonis huius vitæ, & externis maximum eſt, & reſtitui non poteſt: periurium autem non infert reale nocumentum perſonæ, ſed ſolum in affectu, & irreuerentia ex parte iurantis. Item periuriũ excedit ex parte virtutis, cui immediate opponitur, vt bene ſupra probatum eſt: at homicidium excedere videtur, quia ſeruata proportione magis offendit iuſtitiam, cui opponitur, quam periurium Religionem, nam inter peccata contra iuſtitiam cõmutatiuam homicidium videtur eſſe maximum, periurium autem non eſt maximum inter peccata contra Religionem. Quamuis autem iuſtitia ſit minus perfecta, quam Religio, tamen abſolute eſt valde perfecta, & illi propinquiſsima: & ideo videtur poſſe vnus exceſſus in peccatis cum alio compenſari. Deniq; periurium plane videtur excedere in eſſentiali ſpecie malitiæ, & hoc maxime videtur intendere D. Tho. Et patet, quia peccatum ſumit ſpeciem eſſentialem vel ex obiecto, vel ex honeſtate, qua priuat: vtrumq; autem eſt excellentius in peccato periurij, vt ex dictis conſtat. Declaratur præterea ratione inſinuata à Couar. quia periurium quãtum eſt ex ſe tollit certitudinẽ Diuini teſtimonij, & conſequenter deſtruit quaſi primum principium confirmandi, & ſtabiliendi humana fœdera, & pacta: quod indicat magnam deordinationem eſſentialem

11. *Difficultatis reſolutio.*

Digitized by Google

tialem talis vitij. Et nihilominus negari non poteſt quin ordinarie, ac moraliter loquẽdo homicidium excedat in grauitate circumſtantiarum: tum quia difficilius committitur, & ipſi etiam ſenſibili naturæ magis repugnat, vnde eſt ſignum maioris deordinationis; eſt etiam magis ſcandaloſum, & ideò grauius inter homines punitur.

11. Iam vero ſolum poteſt ſupereſſe quæſtio, An ſecundum moralem æſtimationem homicidium æquiualeat periurio, vel etiam illud ſuperet? Quæ comparatio ſolum in hoc conſiſtere poteſt, an apud Deum ſit dignum maiori pœna, omnibus penſatis? Et hoc dico eſſe nobis incertum, nec poſſe alteram partem ratione ſufficienter oſtẽdi: ſuſpicor tamen, comparando vnum periurium ad vnum homicidium, vel maximum ad maximum, grauius puniri homicidium. Quod in aliquo etiam peccato contra inferiores virtutes habente maximam quãdam deordinationem contingere credibile eſt: vt peccatum maximum contra naturam videtur eſſe deteſtabilius apud Deum, & grauius puniri, quam periurium. De adulterio autem communiter cenſetur, eſſe minus graue, quam periurium, de quo videri poteſt Richar. ſupra ar. 2. nam quoad malitiam ſpecificam, & eſſentialem ſine dubio ita eſt: quoad grauitatem vero pœnalem, (vt ſic dicam) apud Deum non eſt res tam clara. Quia malitia adulterij maiori conatu, affectu, & duratione committi ſolet, & multiplex eſt, & ordinarie habet coniunctas plures malas circumſtantias, quàm periurium: & ideo fortaſſe apud Deum, ſingula ſingulis compenſando grauius punitur quodlibet adulterium, quam vnumquodque periurium.

Sit ne periurium grauius adulterio? Richard.

CAPVT IV.

An periurium aſſertorium ſemper ſit peccatum mortale ex parte materiæ?

1. Dicimus, *Ex parte materiæ*, quia ex inaduertentia, & indeliberatione interdum eſſe poteſt veniale, vt cap. ſequenti dicemus. Agimus etiam de materia quoad mendacium, ſeu (quod idem eſt) quoad defectum veritatis in aſſertione iurata, nam de alijs defectibus in iudicio, vel iuſtitia poſtea dicemus. Mendacium igitur triplex eſt, pernicioſum, iocoſum, & officioſum: de pernicioſo omnes fatentur ſemper eſſe peccatum mortale confirmare illud iuramento, quia ſemper materia illa grauis eſt. De iocoſo vero, & à fortiori de officioſo poteſt dubitari, quia videtur materia leuis: & peccatum licet ſit mortale ex genere, poteſt fieri veniale ex parte materiæ. In quo Goffred. in ca. *Quod autem*, & cap. vlt. 22. quæſtio. 2. aſſeruit, periurium iocoſum eſſe peccatum veniale. Ita refert Angel. verb. *Periurium*, qui licet dicat contrarium eſſe tutius, nihilominus ait poſſe teneri opinionem Goffredi: quia mendacium iocoſum non eſt proprie mendacium, vt ſentit Aug. libr. Quæſtionum in Geneſ. quæſt. 145. & habetur in d. cap. *Quod autem*. Citat etiam pro hac ſententia Nauarrus Gloſſam ſolemnem in cap. *Veniens*, de Iureiuran. vbi non inuenitur. Id vero ſentire videtur Gloſ. in c. *Vnum*, §. *Nunc*, in fin. verb. *Iuramus*, 25. d. Scotus etiam 3. diſtin. 39. articulo primo dicit, communiter concedi, quod vnicum periurium leue non eſt peccatum mortale: ſed non intelligit de leuitate materiæ, ſed de leuitate loquendi ex indeliberatione, de quo poſtea.

Triplex eſt mendacium. Goffred. Cap. Quod autem. Angel. Auguſt. Nauar. Gloſ. Ca. Veniens. Cap. Vnum. Scot.

2. Nihilominus communis, & certa ſententia eſt, omne aſſertorium periurium de quotumque mendacio ſit, etiam leuiſsimo eſſe peccatum mortale, & ita nunquam fieri poſſe veniale ex leuitate materiæ. Ita ſentiunt Diuus Thomas dicta quæſtione 98. articulo 3. ad 2. & ibi Caietanus, Soto & alij Theolog. in 3. d. 39. dicunt enim periurium deliberatum ſemper eſſe mortale peccatum, ſolumque poſſe fieri veniale per ſurreptionem, Scotus quæſt. vnica artic. 2. Richar. artic. 3. quæſt. 2. & alij. Item Summiſtæ verb. *Periurium*, præſertim Sylu. Nauar. c. 10. n. 6. Couar. lib. 1. Vari. cap. 1. n. 2. & in dict. cap. *Quamuis pactum*, part. 1. §. num. 4. Ratio vero eſt, quia leuitas materiæ mendacij, eſt accidentaria ad grauitatem malitiæ iuramenti: nam reſpectu iuramenti omne mendacium eſt materia grauis.

Concluſio. Periurium ex parte materiæ ſemper eſt mortale. D. Thom. Caiet. Soto. Scot. Rich. Syluest. Nauar. Couar. Ca. Quamuis.

Quod declaratur multis modis. Primo, quia illa grauitas, vel leuitas mendacij vt mendacium eſt, conſiſtit in hoc, quod fiat ſine detrimento alterius, vel cum illo, vel cum vtilitate, vel ſine illa: periurium autem vt ſic, non inde accipit ſuam malitiam, vel grauitatem, ſed ex hoc præciſe, quod Deus adducitur in teſtem falſitatis: ad hoc autem parum refert, quod falſitas ſit pernicioſa, necne; ergo. Secundo, licet in homine affirmare mendacium iocoſum ſit leuis culpa, tamen in Deo dicere leuiſſimum mendacium eſſet ſumma imperfectio, quia eo ipſo amitteret eminentiam primę veritatis; ergo qui Deum affert in teſtem mendacij, etiam minimi, maximam iniuriam illi irrogat, & quantum eſt ex ſe, priuat illum ſua infallibili veritate, & conſequenter tacite proteſtatur, vel Deum non omnia ſcire, vel non eſſe ſumme bonum, cum mentiri poſſit. Tertio hinc fit, vt quodlibet periurium euacuet quantum in ſe eſt iuramentum fine ſuo finiẽdi controuerſias, & firmandi veritatem. 3

Probatur concluſio.

Ad argumentum ergo in contrarium patet ſolutio ex dictis, nam leuitas materiæ facit peccatum eſſe veniale, quando diminuit formalem deordinationem inuentam in tali materia reſpectu talis peccati, vt leuitas materiæ diminuit furtum, quia diminuit nocumentum, & acceptionem rei alienæ inuito domino: in præſenti autem non minuitur id, quod eſt per ſe in obiecto periurij. Dices, Etiam mendacium poteſt eſſe maius, & minus in ratione mendacij, plus enim mentitur, qui dicit ibi eſſe decem homines, cum tantum ſint duo, quam qui dicit eſſe tres, & ſic de alijs. Reſpondeo, cum veritas conſiſtat in indiuiſibili, eo ipſo, quod ab illa perfecta adæquatione receditur, tota veritas deſtruitur. Et in hoc conſiſtit grauitas periurij, quod Deus adducitur in teſtem aſſertionis, quæ veritatem non habet, quia hoc eſt directe contra primam veritatem, & eius infallibilem authoritatem, vnde totum aliud augmentum falſitatis per maiorem receſſum à veritate, quaſi per accidens, & quaſi nihil reputatur. 4.

Reſpondetur obiectionibus.

Ad id vero, quod Angelus dicebat, mendacium iocoſum non eſſe ſimpliciter mendacium, reſpondetur falſum, hoc eſſe, nam ſi falſitas re vera affirmetur, etiam per iocum, mendacium eſt, quia eſt falſa aſſertio contra mentem, & in hoc conſiſtit ratio mendacij; finis autem extrinſecus eſt. Aug. autem in d. loco intelligendus videtur, quando locutio ita fit per iocum, vt ex ipſo modo iocandi ſatis intelligi poſsit, non affirmari id, quod dici videtur, ſed tacitum ad luſum proferri. Et licet hoc admittatur in ſimplici ſermone, tamen quando adhibetur iuramentum, vix habet locum hæc interpretatio niſi conſtaret verba non aſſerendo, ſed materialiter, vel ſine intentione iurandi proferri. Quia ſi vere, ac formaliter iuramentũ adhibetur, eo ipſo ſatis ſignificatur, rem conſtanter affirmari, & ideo excuſari non poteſt à mendacio; & conſequenter nec à periurio, nec à mortali peccato, etiamſi propter iocum proferatur. Imo addit D. Tho. ſupra periurium iocoſum quodammodo grauius eſſe, quia videtur continere maiorem contemptum Dei. Quod etiam notauit Syluest. *Iuramentum*, 2. q. 6. Couarr. d. 1. p. §. 6. num. 5. 5.

D. Thom. Syluest. Couar.

Atque hinc colligitur primo, quotieſcumque id, quod aſſeritur, vel negatur, mendacium eſt, iuramentum illi additum eſſe peccatum mortale. Quo- 6

Periuriũ ex quocumque fine ſemper eſt mortale.

eumq́; ſine bono, vel malo, neceſſario, vel voluntario id proferatur, id eſt, ſiue falſum iuretur ad defẽdendum innocentem, ſiue ad damnãdum, ſiue pro bono priuato; ſiue pro communi, ſiue grauiſsima neceſsitate vrgente, ſiue ex malitia: ſemper enim eſt peccatum mortale tam in rationem factam, licet ex circumſtãtijs poſsit eſſe magis, vel minus graue, magis in ratione iniuſtitiæ, vel alia ſimili, quam in ratione periurij, niſi interdum propter maius, vel minus voluntarium. Similiter ſi deeſt veritas in minima parte aſſertionis, id ſatis eſt, ad peccatum mortale cum eadem proportione. Dixi autem, Quotieſcumque id, quod aſſeritur, vel negatur mendacium eſt, quia ſi ex circumſtantiis mutetur ſenſus verborum, & totius aſſertionis, ita vt aſſertio ſic dicta ſine iuramento, non reputaretur mẽdacium; nec iuramentum additum erit periurium, & ita ex eo capite poterit excuſari à mortali peccato. An vero aliunde non excuſetur dicemus capite 6. vbi de his amphibologicis locutionibus tractabimus.

7. *Iurare vt certum id quod eſt incertum eſt mortale peccatum.*

Secundo infertur, ſi iuramento aſſertorio deſit veritas ex parte certitudinis, & modi confirmandi, quod aſſeritur, peccatum mortale committi. Patet, quia quacumque ratione deſit veritas, iuratur id, quod falſum eſt, & hoc ſemper eſt mortale. Hac ratione qui iurat vt certum, quod non certo ſcit, mortaliter peccat, quia & exponit ſe periculo falſitatis dicti, & in actu exercito dicit falſum, ſcilicet ſe certo ſcire, quod certo non ſcit. Hoc autem intelligendum eſt, quando iuramentum fertur in rem ipſam, prout eſt in ſe: ſi autem quis iuret, ſe ita ſentire, vel illud eſſe veriſimile, aut credibile, vel credibilius, ſi de hoc videatur ſibi eſſe certus, non peccabit. Sic etiam, qui in re ſpeculatiua, & ſub opinione poſita iurat alteram partem eſſe veram, præter peccatum leuitatis (nam ridiculum eſt tale iuramentum, vt libro primo diximus cum Diuo Thoma quæſtione 89. articulo primo) erit etiam graue peccatum ex defectu veritatis, quia manifeſto periculo iurandi falſum ſe exponit, cum res in ſe dubia ſit. Si vero iuramẽtum cadat in ſolam probabilitatem rei, vel in affirmationem, quod iurans ita ſentiat, non erit periurium directe, nec indirecte: tamen ordinarie tale iuramentum habet defectum iudicij, & prudentiæ. *D. Thom.*

CAPVT V.

Vtrum iuramentum aſſertorium incautum quoad veritatem, ſemper habeat malitiam periurij, ac ſubinde mortalem.

1. *Iuramentum dupliciter poteſt eſſe incautum.*

DVobus modis poteſt dici iuramentum incautum: primo, quia ſine neceſsitate fit, & conſequenter ſine debito iudicio, & prudẽtia, quoad occaſionem, vel cauſam iurandi, licet nõ deſit aduertentia ſufficiens ad cauendam falſitatem, & dicendam veritatem: & de hoc defectu nunc non tractamus, quia ad veritatem non ſpectat. Alio modo dici poteſt iuramentum, incautum, quod fit ſine ſufficienti cautela, & aduertentia cauendi morale periculum falſitatis; & de hoc nunc tractamus. In quo ſunt aliquæ regulæ morales certæ.

2. *1. Regula de incauto iuramento.* *Auguſt.* *D. Thom.* *Soto.* *Syluest.* *Nauar.* *D. Thom.*

Prima eſt: Qui iurat aliquid putans eſſe falſum, ſemper peccat mortaliter ratione periurij, etiamſi contingat, rem in ſe veram eſſe, & licet ille per craſſam ignorantiam, putauerit illam eſſe falſam. Sumitur ex Aug. Serm. 28. de Ver. Apoſt. D. Thom. q. 98. ar. 1. ad 3. Soto ibi, & aliis Syluest. *Iuramentum*, 2. q. 6. *Periuriũ*, q. 1. & ibi aliis Summiſt. Nauar. c. 12. n. 9. Ratio eſt clara, quia ille formaliter iurat falſum, & mentitur, quia contra mẽtem formaliter loquitur, & inde ſumit actus malitiam, vt ait D. Thom. 2. 2. q. 110. ar. 1. ad 3. vnde ille etiam iurat mendacium: eſt ergo periurus, nam quod res fuerit vera contingens, & per accidens fuit. Vnde nihil refert, quod falſa illa exiſtimatio fuerit per craſſum errorem, & ſupinam ignorantiam, quia hoc vel culpam periurij potius auget, quia videtur augere affectum, & contemptum iurandi falſum: vel ſaltem impertinenter ſe habet, quia non minuit temeritatem, nec malitiam affectus ad iurandum mendacium.

Secunda regula eſt, Quando iuratur falſum, exiſtimando eſſe verum, ſi exiſtimatio fuit cum ſufficienti aduertentia, & probabili exiſtimatione veritatis, excuſabitur culpa periurij, & conſequenter, vel non erit peccatum, vel ſaltem non mortale. Doctrina eſt communis, & clara, eiuſque fundamentum eſt, quia veritas, vel falſitas iuramenti non tam ex re iurata, quam ex conſcientia, & mente iurantis attenditur, vt notat D. Thomas citatis locis, & bene explicat Soto d. lib. 8. quæſt. 2. artic. 3. concl. 6. ſed in illo caſu iuramentum illud eſt verum in ordine ad mentem iurantis, non eſt ergo periurium, nec per ſe peccatum. Et in idem redit, quod actus voluntatis non ſpecificantur ab obiecto prout eſt in re, ſed prout apprehenſo, & propoſito per intellectum, ſed obiectum illius voluntatis iurandi eſt confirmatio veritatis ſub ratione, & apprehenſione veritatis; ergo per ſe ille actus non eſt in ſpecie periurij, ſed veri iuramenti. Requiritur autem probabilis exiſtimatio veritatis, quia ſi hæc probabilitas deſit, temere iuratur, & imprudenter, ac ſubinde ignorantia falſitatis, quæ in re ipſa ineſt, non excuſat à culpà, quia ipſa ignorantia voluntaria eſt. Et conſequenter licet ille directe velit iurare verum, indirecte, & interpretatiue vult iurare falſum, ideoque malitia periurij illi imputatur, quia ad peccandum ſufficit voluntarium indirectum, per quod (vt aiunt) reducitur actus in naturam ſuæ formæ, id eſt; moraliter conſtituitur in illa ſpecie malitiæ, in qua conſtitueretur, ſi cognitio, & directa intentio intercederent. Quin potius licet contingat poſtea in re verum eſſe, quod iuratum eſt: eadem erit culpa periurij, quia hæc commiſſa fuit, quando homo ſe expoſuit periculo peierandi: & quod poſtea non fuerit falſitas ſubſecuta, materiale fuit, & per accidens, ſeu caſu, & ideo non excuſat. In hoc autem peccandi modo eſt latitudo, ſicut etiam in negligentia conſiderationis debitæ, vel culpa ignorantiæ eſſe poteſt; vnde ſi negligentia grauis fuerit, erit etiam culpa grauis: ſi autem fuerit leuis, peccatum erit veniale, non ex leuitate materiæ, ſed ex ſurreptione, ſeu defectu libertatis. Quod generale eſt in hoc modo peccãdi in quacumque materia, & in hac cum proportione applicandum eſt, iuxta exigentiam rerum, & negotiorum, de quibus tractatur, vt recte declarant Caiet. verb. *Periurium*, Soto, & alij. 3. *2. Regula.* *Soto.* *Caiet.*

4. *3. Regula.*

Hinc ſequitur regula tertia, iuramentum incautum quoad veritatem dicendam, ſemper eſſe peccatum periurij, non tamen ſemper eſſe mortale. Loquor de incauto proprie, ſeu priuatiue, & moraliter: nam poteſt iurari, per inaduertentiam naturalem, vel ad dictum ipſum, vel ſaltem ad iuramentum, & tunc non eſt peccatum, quia non eſt actus humanus: illud vero non eſt proprie iuramentum incautum, quia hæc vox indicat moralem defectum per priuationem debitæ conſiderationis. Dico etiã quoad veritatem dicendam, quia poteſt eſſe iuramentum incautum, quoad alias circumſtãtias prudentis iudicij, vt ſupra dixi: de quo poſtea dicitur. Sic ergo clara eſt aſſertio ex dictis: nam quod illud iuramentum peccaminoſum ſit, patet, quia non fit prudenter, ſed cum periculo falſitatis, & qui amat periculum, peribit in illo. Quod vero malitia illa periurii ſit, manifeſtum eſt, quia malitia illius actus in hoc conſiſtit, quod homo ſe exponit periculo iurandi mendacium, ſed hæc malitia eiuſdem ſpeciei eſt cum

Digitized by Google

eſt cum malitia mendacij iurati. Nam in vniuerſum malitia moralis periculi eiuſdem rationis eſt cum malitia euentus, vt fornicari, & ſe exponere periculo fornicandi eiuſdem malitiæ ſunt, quia eſt transgreſsio eiuſdem præcepti, & idem obiectum; ſolumque differunt, ſicut perfectum, & imperfectum, directe voluntarium, in ſe, vel in cauſa. Denique malitiam illam non ſemper eſſe mortalem circa ſecundam regulam ſatis declaratum eſt. Nam interdum poteſt eſſe tam parua negligentia circa aduertentiam periculi, vt non ſufficiat ad plenam libertatem neceſſariam ad peccandum mortaliter. Aliquando etiam poteſt eſſe ſurreptio in proferendo ipſo iuramento, & ex ea parte excuſari. Quando vero tanta ſit inaduertentia, vt excuſet, hoc modo non poteſt certa regula præſcribi, ſed prudens arbitrium neceſſarium eſt.

CAPVT VI.

An conſuetudo iurandi incaute conſtituat hominem in ſtatu peccati?

1. IVramenta incauta maxime cenſentur aggrauari ex conſuetudine, & ideo ad declarandum in quo ſenſu hoc verum ſit, hanc quæſtionem præmittimus, de conſuetudine iurandi, an ſit peccatum, vel conſtituat hominem in ſtatu peccati, ita enim facilius conſtabit, an poſsit efficere, vt aliquod iuramentum ſit peccatum mortale, quod ſine conſuetudine non eſſet. De conſuetudine igitur iurandi quidam indiſtincte dicunt eſſe peccatum graue, alij eſſe ſtatum peccati ſeu conſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis, alij vtrumque indiſtincte negant, vt latius tractat Sot. locis citandis, licet non admodum diſtincte. Sed quod ad peccatum attinet, manifeſtum eſt, conſuetudinem vt ſic, qualiſcunque illa ſit, nõ eſſe vnum aliquod peccatum. Duo enim in conſuetudine ſpectari poſſunt, ſcilicet frequentiam, & numerum actuum, vel habitum inde generatum. De habitu conſtat non eſſe peccatum, ſed poſſe eſſe effectum peccati; nam peccatum eſt dictum, vel factum, &c. contra legem Dei. Item præcepta nõ dantur de habitibus, ſed de actibus, quia in his eſt totus vſus libertatis. Item peccatum eſt pœna dignum, habitus non niſi ratione actus. Frequentia autem actuum nõ eſt vnum aliquod opus diſtinctum a ſingulis, ſed eſt collectio, & numerus omnium actuum per quos talis conſuetudo facta eſt. Vnde ſic ſumpta conſuetudo iurandi, non eſt vnum aliquod iuramentum; ſed collectio multorum, & conſequenter etiamſi illa iuramenta peccaminoſa ſint, conſuetudo illa non eſt peccatum, ſed collectio, & numerus peccatorum. Quapropter talis conſuetudo ſi per centum iuramẽta facta eſt nec habet maiorem malitiam, quam ſit in aggregato tot peccatorum, nec meretur maiorem pœnam. Igitur de hoc puncto, an illa conſuetudo ſit peccatum, nulla poteſt eſſe dubitabilis quæſtio? Nam ſingulare peccatum nec eſt, nec eſſe poteſt: plura vero peccata eſſe poterunt iuxta qualitatem, & modum iuramentorum, quibus talis conſuetudo effecta eſt.

Habitus peccati non eſt peccatum.

2. Et ideo ad expediendum aliud punctum de ſtatu peccati duo diſtinguere neceſſe eſt, ſcilicet qualitatem actuum, qui conſuetudinem conſtituũt, & quid ſignificetur nomine ſtatus peccati. Circa primum diſtinguere poſſumus duos modos conſuetudinis iurandi. Primus eſt, quando quis, licet frequenter iuret, & fortaſſe etiam ſine neceſsitate, vel vtilitate, non tamen ſine veritate, neque ſine ſufficienti aduertentia, vt quod iurat verũ ſit. Qui modus conſuetudinis inueniri poteſt, vel in homine, qui conſueuit nunquam mentiri, etiam ſine iuramento, vel etiam in illo, qui mentiri ſolet ſine iuramento, non tamen cum illo; quę diuerſitas ad præſens parum refert, vt dicemus. Secundus modus cõſuetudinis eſt, quando aliquis tam verum, quam falſum iurare conſueuit. Quod etiam duobus modis accidere poteſt, vnus eſt quando etiam directe aduertẽdo ſolet quis falſum iurare. Alius eſt, quando conſuetudo iurandi tanta eſt, vt homo ſine ſufficienti diligentia ad dicendum verum, frequenter iuret, etiamſi nunquam iuret falſum ex formali intentione, aut aduertendo falſum eſſe, quod iurat.

Conſuetudo iurandi in duplici differentia eſſe poteſt.

3. Circa ſtatum vero peccati diſtinguendum etiam eſt: nam tribus modis accipi poteſt ſtatus peccati: Primo pro ſtatu actualis peccati, & hic ſenſus & eſt improprius, & inuſitatus, & impertinens ad rẽ præſentem quia talis ſtatus non cõſtituitur per conſuetudinem, ſed per quemcunque actum peccati mortalis. Secundo modo accipitur pro ſtatu pure habituali, & ſic dici ſolet eſſet in ſtatu peccati mortalis, qui peccatum mortale commiſit, & illud non retractauit, nec veniam illius conſecutus eſt. Et hic etiam ſenſus licet ſit magis proprius, & vſitatus non deſeruit præſenti inſtituto, quia reſpectu periurij ad hunc ſtatũ non eſt neceſſaria conſuetudo, ſed vnico periurio commiſſo, & nõ retractato relinquitur homo in illo ſtatu. Tertio modo eſſe poteſt ſtatus peccati mortalis, quaſi medius inter actum, & habitũ, quia ad illum nec neceſſarium eſt actu peccare, nec ſufficit peccaſſe, ſed vltra permanentiam in peccato cõmiſſo, addit tantam deordinationem illius ſtatus, vt de ſe ſit obiectum noui peccati mortalis, ita vt quoties homo aduertit, ſe eſſe in tali ſtatu, & vult permanere in illo formaliter, vel indirecte, nouum peccatum mortale cõmittat. Sic dicitur eſſe in ſtatu peccati, qui tenetur reſtituere, & non reſtituit, cum poſſit, quia ex vi illius ſtatus ſemper actu peccat, ſolumque interdum non peccat, quia de illo actu nõ conſiderat, quoties vero conſiderat, & ita permanere vult, actu peccat, & ita ille ſtatus, & eſt obiectum peccati mortalis, & de ſe eſt quaſi continuum peccatum externum, quamuis ex defectu attentionis, & actualis voluntatis interrumpatur. Hoc ergo tertio modo in præſenti accipitur.

Status peccati tripliciter accipi poteſt.

4. Iuxta hæc ergo dicendum eſt primo, primum modum conſuetudinis, nec eſſe peccatum graue de ſe, nec collectionem peccatorum mortalium, nec cõſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis. Probatur, quia licet illa iuramenta ſint frequentia, nullum illorum de ſe eſt periurium, quia nec ex formali intentione (nam ſupponitur, cum illa frequentia iurandi eſſe intentionem ſemper iurandi verum:) neque ex indirecta, aut interpretatiua voluntate, quia ſupponitur, ſemper iurare cum ſufficienti aduertentia dicendi verum. Neque etiam per talem frequentiam dici poteſt homo conſtitui in morali periculo aliquando iurandi falſum, quia in ſingulis actibus ſemper facit moralem diligentiam ſufficientem ad vitandum voluntarium mendacium, vt etiam ſupponitur: ergo non ſe conijcit in morale periculum periurij formalis. Nam licet contingat interdum decipi, illud ſemper erit materiale mendacium, vnde illud periculum neque eſt de peccato committendo, nec poteſt dici morale, ſed naturale: quia quod homini euenit præter volũtatem, & moralem diligentiã cauendi illud, caſuale eſt, ſeu naturale, non morale. Et licet conſultius eſſet non ſe exponere huic materiali periculo, frequenter iurãdo verum, & cum illa aduertentia, nõ poſſumus dicere cũ fundamento, hoc cadere ſub obligationẽ peccati mortalis: cum periculum nõ ſit de peccato mortali, nec grauem iniuriam Diuini nominis includat.

Primum modum conſuetudinis in iuramento, nõ eſſe ex ſe peccatũ graue.

5. Atque hinc aperte ſequitur, conſuetudinem hanc nihil conferre ad accuſandum, vel excuſandum iuramentum, quod præter intentionem iurantis contingit eſſe de re falſa: nam in indiuiduo conſiderandus eſt actus iurandi, & inaduertentia, cum qua fit. Quod ſi illa actualiter fuit ex notabili negligẽtia, nõ

Digitized by Google

excuſabit conſuetudo aduertendi ordinarie, & frequenter in aliis iuramentis, nam illud oportuit facere, & hoc non omittere: ſicut licet homo frequenter ſoleat vni tentationi reſiſtere, ſi ſemel conſentiat, non excuſatur à graui culpa, propter aliarum victorias. Si vero in illo etiam iuramento ſufficiens diligentia, & aduertentia poſita eſt, vel ſi fuit negligentia aliqua, fuit venialis, non accuſabitur, nec reddetur grauior propter talem conſuetudinem iurandi, quia illa non conſtat ex grauibus peccatis, nec conſtituit hominem in ſtatu peccati: & conſequenter non facit, vt præſens actus iurandi quatenus contingit eſſe de re falſa, magis voluntarius ſit, quam ſi non eſſet talis conſuetudo, vt ex dictis conſtat; ergo non eſt vnde aggrauare poſſit talem culpam.

6. *Conſuetudinem iurandi indiſcriminatim verũ vel falſum cum aduertentia eſſe aggregatione peccatorum grauiſſimorum.*

Secundo dicendum eſt, alteram conſuetudinem iurandi indiſcriminatim verum, vel falſum, etiam cum aduertentia, & directa voluntate, eſſe aggregationem quandam grauiſſimorum peccatorum: & quamdiu voluntaria eſt talis conſuetudo, cõſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis. Prior pars manifeſta eſt, quia in tali homine fere omnes actus iurandi ſunt periuria, & peccata mortalia, ex quibus conſurgit, & coaleſcit talis conſuetudo. Dico autem *fere*, & non ſimpliciter omnia illa eſſe peccata mortalia, quia non obſtante tam praua conſuetudine, ſi interdum ille homo aduertat verum eſſe quod iurat, in eo actu non erit periurus, nec peccabit mortaliter, quia ex obiecto non habet talem malitiam; nec conſuetudo eſt circumſtantia, quæ illam inducat, quia ſolum ſe habet quaſi materialiter, & concomitanter ad talem actum, & non afficit illum.

7. Dices: Quamuis actu ille iuret verum, tamen eſt ita affectus, quod æque iuraret falſum, ſi ſibi eſſet commodum. Reſpondeo, hunc affectum fortaſſe exiſtere quaſi in habitu, quod non ſufficit ad actualiter peccandum: imo licet in præſcientia Dei verum eſſet, illum non minus fuiſſe iuraturum in tali occaſione, ſi falſum ſibi proponeretur, nihilominus de facto non imputaretur ad culpam, quod actu commiſſum nõ eſt. Solum ergo imputaretur, ſi homo haberet actu illum affectum conditionatum, & propoſitum, quod nõ minus iuraret, ſi eſſet falſum, & tunc eſſet illud aliud concomitans peccatum internum, & mentale: actus autem iurandi hic & nũc, non eſſet periurium, nec peccatum, quia non ex illo affectu procedit, ſed ex voluntate iurãdi veritatem ſufficienter cognitam. Quia vero is, qui talem conſuetudinem habet, regulariter parum curat de adhibenda diligentia debita ad veritatem dicendam: ideo omnia iuramenta eius, regulariter etiã loquendo, grauia peccata ſunt, & malitiam periurij habent, vel ratione falſitatis, vel ratione periculi eius.

8. Atq; hinc facile probatur altera pars de ſtatu peccati, in qua ſupponitur, conſuetudinem eſſe voluntariam. Et ſic probatur, Quia ex vi talis conſuetudinis ille homo eſt in morali occaſione proxima, & periculo peierandi; ergo ex vi illius eſt in ſtatu peccati mortalis, iuxta ſenſum ſuperius declaratum. Item ſtatus conſurgens ex illa conſuetudine eſt ita inordinatus, & contrarius bonis moribus, vt voluntarie illum admittere, aut retinere per actualem voluntatem, ſit peccatum mortale. ergo ſignum eſt illum eſſe ſtatum peccati mortalis. Dixi autem, *quamdiu voluntaria eſt talis conſuetudo*, quia ſi illa diſpliceat efficaciter, ita vt homo proponat, quod in ſe eſt facere ad tollendam talem conſuetudinem; ex vi illius propoſiti interrumpitur conſuetudo, & retractatur quantum ad effectũ hominis. Et ideo ratione ſolius habitus, qui tunc durat, non poterit dici eſſe in ſtatu peccati mortalis: quia licet adhuc homo verſetur in periculo, non tamen in voluntario periculo: neque etiam in æquali, quia propoſitum efficax multum iuuare poteſt contra conſuetudinem. Et difficulta illa, vel periculum, quod talis conſuetudo ſecum affert, effectus peccati eſt, nõ ſtatus peccati, quando voluntas contra illam nititur. Quia vero ille ſtatus tam prauæ conſuetudinis per proprios actus voluntarios comparatus eſt, tamdiu cenſetur voluntarius, quamdiu per propoſitum efficax non retractatur: ſi vero iam eſt ſimpliciter inuoluntarius ratione contrarii propoſiti, non poteſt dici ſtatus peccati. Atq; hinc conſtat, quod ſi talis conſuetudo iam eſt inuoluntaria, non poterit ratione illius imputari ad peccatum incautum iuramentum, quod de facto ſine morali aduertentia factum eſt; quia iam illa conſuetudo non eſt moralis, ſed quaſi naturalis. Quid vero in hoc puncto dicendũ ſit, quando talis conſuetudo voluntarie durat, & ſtatum peccati conſtituit, in ſequenti capite dicetur.

Dico tertio: Conſuetudo iurandi cum ſufficienti aduertentia ad ipſum iuramentum, quãuis eſſe non ſoleat cum directa voluntate iurandi falſum, ſi tamen ſit abſque debita cautione, ac diligentia ad ſolam veritatem cognitam iuramento confirmandã; conſuetudo eſt peierandi, & hominem conſtituit in ſtatu peccati mortalis, donec retractetur per pœnitentiam, ſeu propoſitum de ſe efficax. Hæc aſſertio conſtat ex præcedenti, & cum proportione accipiẽda eſt, quia iuramentum hoc modo incautum peccatũ mortale eſt, & malitia eius, malitia periurij eſt, vt declaraui: ergo eadem eſt proportionalis ratio de tali conſuetudine. Conſurgit enim ex collectione multorum peccatorum grauium in materia periurij, & conſtituit hominem in morali periculo cõmittendi ſimilia peccata; ergo quamdiu voluntaria eſt, & homo non conatur ad tollendam illam, conſtituit illum in ſtatu peccati mortalis in ſenſu ſupra explicato. 9.

Conſuetudo iurandi cum ſufficienti aduertentia, ſine debita tamẽ cautione, conſuetudo eſt peierandi.

Reſpondent aliqui, illam conſuetudinem non conſtituere hominem in occaſione proxima morali peccandi, ſed ſolum in remota, quæ non ſufficit ad conſtituendum hominem in ſtatu peccati: ſicut fomes peccati conſtituit hominem in periculo peccandi, non tamen in ſtatu peccati, quia periculum illud remotum eſt. Sed hoc diceretur apparenter de conſuetudine iurandi cum veritate, & aduertentia, licet cum exceſſu, & ſuperfluitate: illa enim dici poteſt occaſio peierandi valde remota, & ideo non conſtituit hominem in ſtatu peccati, vt dictum eſt. At vero conſuetudo temere iurandi quidquid in buccam venerit, & ſine aduertentia ad veritatem, ſine dubio conſtituit hominem in periculo proximo iurandi falſum: & ideo ſi voluntaria ſit, & permaneat, merito dicitur cõſtituere hominem in ſtatu peccati. Nec eſt ſimile de fomite peccati, quia ille non eſt ita voluntarius: vnde periculum illud, licet magnum ſit, eſt magis cõtractum, & naturale, quam voluntarium. Et nihilominus tenetur homo armari contra illud periculum oratione, & propoſito reſiſtendi illi: alioqui ſi ſit notabiliter negligens, conſtituet ſe in ſtatu peccati vel moralis, vel venialis pro ratione negligentiæ, & periculi. 10.

Aliquorum effugium.

CAPVT VII.

An periurium cum naturali inaduertentia prolatum, ſit peccatum mortale ratione conſuetudinis?

QVæſtio habet locum in conſuetudine grauiter peccaminoſa, quamdiu voluntaria durat. De illa enim dicunt aliqui, efficere vt periurium, quod alias non eſſet peccatum mortale ratione inaduertentiæ naturalis, imputetur ad mortale ratione conſuetudinis: ita ſentit Caiet. qu. 98. artic. 3. circa ad 3. Ratio eius eſt, quia in illo ſic aſſueto ad temere iurandum inaduertentia non eſt cauſa iurandi, nam æque iuraret, ſi aduerteret vt eius cõſuetudo oſtendit; ergo 1. *Caiet.*

dit; ergo illa inaduertentia non excuſat culpam, quia non excuſat niſi ſit cauſa, eſt enim tunc inaduertentia non antecedens, ſed concomitans, quæ non excuſat. Idem docuerat Caietanus 2. 2. quæſtione 88. articulo primo, in dubio circa primam voti conditionem: & in eodem ſenſu dixerat quæſtione 89. articulo ſecundo, conſuetudinem iurandi non excuſare. Sequitur Nauarrus capit. 12. numer. 6. & Didac. Victor. (vt refertur) in Regulis confraternitatis nominis Ieſu, contra iuramenta. Fauet Auguſtinus libro contra Mendacium capit. 15. quatenus dicit ex conſuetudine iurandi in periurium decidi. Grauius Chryſoſtom. Homil. 14. ad Popul. dicens, *Ab omnibus eſſe conceſſum, & manifeſtum, multum iurantem periurum eſſe, neceſſe eſſe.* Et ideo infra ſubdit, *non eſſe idoneam excuſationem ſi conſuetudinem prætendamus.* Similia ſumuntur ex Iſidor. libro ſecundo, Synonym. capit. 10. *Aſsiduitas iurandi periurium facit.* & libro ſecundo, Sentent. ſeu de Summ. bon. capite 31. *Dum vſum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus.* Et ex Bernard. libro de Modo bene viuen. ſermon. 32. dicente, *Periculoſum eſt iurare, vſus iurandi ducit hominem ad periurium.*

Nauar. Did. Vic. Auguſt. Chryſ. Iſidor. Bernard.

2\. Nihilominus alij diſtinguendum eſſe putant, quia talis actus indeliberatus non ſemper peccatum mortale eſt, eſſe tamen poteſt. Dicunt ergo ſolam conſuetudinem non efficere, vt iuramentum ex ſurreptione actuali prolatum ad culpam mortalem imputetur: quia fieri poteſt, vt illa ſurreptio non ex conſuetudine, ſed aliunde ex actuali paſsione iræ, vel alterius affectus oriatur. Si autem inaduertentia, & præcipitatio actualis oriatur ex conſuetudine, licet formaliter ſumpta non ſufficeret ad peccatum mortale; dicunt imputari ad peccatum mortale ratione conſuetudinis. Ratio eſt, quia licet illud iuramentum cum profertur actu non ſit voluntarium formaliter, & in ſe, nihilominus eſt voluntarium in cauſa, ſcilicet in conſuetudine, quam ſupponimus eſſe voluntariam, ſeu non retractatam. Atque hæc ſententia tribui ſolet Soto in libro octauo, de Iuſtit. quæſtione ſecunda, articulo tertio, concluſ. 7. & in libro de Cauen. iurament. abuſu ca. 12. ſed oppoſitum ſentit.

3\. *Auctoris ſententia.* Ego vero cenſo, iuramentum prolatum ſine aduertentia formali, & per ſe ſufficienti ad peccatum mortale, non eſſe in ſe nouum, ac proprium, & ſpeciale peccatum mortale propter ſolam peierandi conſuetudinem, etiam non retractatam. Hæc ſententia tribui poteſt Diuo Thomæ dicta quæſtione 98. articulo 3. ad ſecundum, quatenus ſine reſtrictione dicit, qui iurat falſum ſine aduertentia, à crimine periurij excuſari: & eodem modo loquitur Bonauentur. 3. diſtinctione 39. articulo primo, quæſtione tertia, qui addit etiam *quando eſt ex quadam conſuetudine.* Durandus etiam ibi quæſtione quinta, indefinite loquitur. Clarius Maior ibi quæſtione quarta, generalem ponit concluſionem, *Nullum iuramentum indeliberatum eſſe peccatum mortale,* & in probatione infert tanquam conueniens, *Quia alias aſſuetus iurare, toties mortaliter peccaret, quoties in actum periurij ex habitu prorumperet.* Denique idem ſumitur ex doctrina Scoti ibi quæſtione vnic. articulo primo, quatenus dicit, conſuetudinem, vel habitum non facere, vt actus ſit peccatum mortale, niſi reddat illum ſufficienter deliberatum. Syluеſter etiam abſolute loquitur verb. *Iuramentum*, 2. quæſtione 6. concluſ. 2. & in verb. *Blaſphemia*, quæſtione 4. ſentit, blaſphemiam inaduertenter prolatam ex conſuetudine non eſſe peccatum mortale, cum tamen maior ratio peccati in blaſphemia ſit, quam in periurio. Et ad hoc refert Syluеſtrum Nauarrus, c. 12. n. 84. Ipſe tamen requirit cum Caietan. vt ille, qui non aduertit, ſit ita diſpoſitus, vt ſi aduerteret, non blaſphemaret, vel non iuraret, quæ conditionalis, vt dixi, & ſtatim oſtendam, impertinens eſt. Denique in eadem ſententia eſt Soto d. articul. 3. Nam prius dicit poſſe contingere, vt inaduertentia, licet ſit in homine habente conſuetudinem iurandi, non ex conſuetudine, ſed ex alia occaſione, vel paſsione naturæ, aut alia ſimili proueniat, & tunc euidens eſſe, nõ magis eſſe peccatum mortale, quam ſi non eſſet conſuetudo, quia ibi nihil influit, vnde eſto non excuſet, accuſare non poteſt. Deinde vero addit, poſſe defectum iudicij prouenire ex conſuetudine, & nihilominus ſic iurare non eſſe peccatum, ponitque varios caſus. Vnus eſt, quando velocitas iurandi prouenit ex conſuetudine, ſed non tollit aduertentiam neceſſariam ad dicendum verum ratione materiæ, quia per ſe ſtatim patet: & hic caſus eſt clarus, ſed non pertinet ad id, de quo agimus. Secundum ergo caſum ponit, dicens: *Deinde quia poteſt contingere in illo motus ſurreptitius, qui ſic naturaliter linguam rapiat, vt culpam vel omnino tollat, vel venialem reddat.* Ecce non cenſet fieri talem motum mortale peccatum, etiamſi à conſuetudine originem trahat, & hic eſt caſus, de quo tractamus. Idem ſentit in d. lib. de Iura. c. 7. & 12. ait enim (vt refertur) conſuetudinem non facere, vt ſit mortale peccatum, quod ſine illa non eſſet.

D. Thom. Bonau. Durand. Maior. Scot. Syluеſt. Nauar. Soto.

4\. *Probatur aſſertio.* Ratione probatur primò contra generalem regulam Caietan. quia non obſtante conſuetudine præcedente non retractata, & habitu ex illa relicto, præſens inconſideratio, & inaduertentia, cum qua iuratur inuincibilis eſt, ergo excuſat à nouo peccato mortali non obſtante conſuetudine. Antecedẽs ſupponitur, nam ex tali hypotheſi tractatur quæſtio, alias clarum eſt voluntariam inaduertentiam non excuſare, ſed accuſare pro ratione voluntatis, ſiue homo habeat conſuetudinem, ſiue non. Oportet ergo, vt talis ſit inaduertentia actualis, quæ reuera excuſaret, vbi ab omni peccato, vel ſaltem à mortali, ſi homo non haberet conſuetudinem iurandi, & illa eadem inueniatur in homine habere conſuetudinem, quod non repugnat, vt omnes ſupponunt, & eſt per ſe notum. Tunc ergo illa inaduertentia per ſe ſpectata naturalis eſt, & non voluntaria. Iam ergo probatur conſequentia, ſcilicet illam excuſare non obſtante conſuetudine, quia conſuetudo non facit illam inaduertentiam magis voluntariam, quam ſi eſſet. Ergo nec facit actum in ſe magis culpabilem. Antecedens probatur, quia non facit illam magis voluntariam directe, & formaliter, quia de facto homo non magis aduertit, aut vult aduertere, neque etiam indirecte ſeu interpretatiue, quia propter conſuetudinem non eſt homo magis potens ad aduertendum, ſed æque naturaliter rapitur, & æque deeſt illi medium, aut excitatiuum, quo ſe applicet ad aduertendum.

5\. *Ignorantia inuolũtaria, etiam in operante ex malo habitu excuſat à peccato.* Vnde argumentor ſecundo, quia ignorantia inuoluntaria, & ex hac parte antecedens, licet in ordine ad habitualem affectum operantis ſit concomitans, nihilominus excuſat à nouo peccato actuali. Quia ſecundum ſe facit actum non voluntarium, ex D. Thoma 1. 2. quæſtione 6. articul. 8. & quæſtione 76. articulo 3. & hoc ſatis eſt, vt quantum eſt ex ſe impediat actuale peccatum, quia ſine actuali voluntate non peccatur, & ex hac parte habet, vt non accuſet, vnde ſi aliunde ipſa etiam ſit inuoluntaria, omnino plane excuſabit, ſed in præſenti illa inaduertentia eſt inuoluntaria, vt oſtenſum eſt, ergo excuſat. Tertio illa conditionalis, in qua maxime fundantur Caiet. & Nauar. quod ille ſic aſſuetus ad iurandũ non minus iuraret ſi aduerteret, in primis nihil facit ad actualiter peccandũ per actũ, qui de facto ſit ſine aduertentia. Vt verbi gratia, cõſueuit quis non ieiunare in diebus præceptis, hodie vero inuincibiliter ignorauit, eſſe diem ieiunij: nunquid propterea nouum peccatum commiſit, quia ſi ſciret non ieiunaret? Abſit, quia vt alias recte docuit Auguſtinus contra Semipelagianos, non imputat Deus nobis,

D. Thom. Auguſt.

quæ

Digitized by Google

quæ faceremus, ſi hoc, vel illud nobis occurreret, ſed quæ facimus, circa illud, quod occurrit, quod ſi non occurrat, nec ſe offerat memoriæ, aut ſcientiæ, cum qua peccaremus, gratiæ Dei imputandum eſt. Item qui in venatione, facta diligentia ſufficiente ad cauendum periculum occidendi hominem, caſu occidit inimicum, ſine dubio non eſt reus actualis homicidij, etiamſi ita ſit diſpoſitus in habituali affectu, quod libenter occideret, ſi ſciret eſſe inimicum, illa enim conditionalis non refert ad actuale peccatum. Eo vel maxime, quod talis conditionalis eſt incerta, & ſoli Deo cognita, & non obſtante conſuetudine poſſet homo non iurare, ſi aduerteret: ergo ex illo capite non poteſt reputari ad culpam tale iuramentum.

6. Probatur deinde noſtra aſſertio cōtra exceptionem, vel limitationem alterius ſententiæ. Quæ pro certo ſupponit, & merito, quando actualis inaduertentia prouenit ex alia paſsione, vel impetu naturali excuſare à mortali, quia ſi non eſſet conſuetudo excuſaret, & ibi conſuetudo impertinenter ſe habet. Ponamus ergo cauſam illius inaduertentiæ, & præcipitationis eſſe conſuetudinem, & argumentor in hunc modum, illa conſuetudo de facto tollit actualem vſum rationis per ſe neceſſarium ad peccandum mortaliter, ergo iuramentum factum tali modo non eſt nouum peccatum mortale. Antecedens ſupponitur ex caſu, & conſequentia probatur, quia ſine actuali vſu rationis non committitur actuale peccatum mortale. *Aliquorum euaſio.* Reſpondent, ad peccatum ſufficit voluntarium in cauſa, illa autem inaduertentia eſt voluntaria in cauſa, & ideo non excuſat. Afferturque exemplum de peccatis ebrij, quæ imputantur ratione ebrietatis, licet tunc non ſit vſus rationis: item de omiſsione Miſſæ, vel pollutione, quæ in ſomno conſummata peccatum eſt, quando cauſa præcedens in vigilia fuit voluntaria.

7. *Periurium, aut aliud ſimilis actus in ebrio, non addit nouū peccatum.* Sed hoc ipſo exemplo confirmatur aſſertio, & ratio facta, quia periurium prolatum ab ebrio, aut blaſphemia, vel quicunque alius ſimilis actus de ſe malus, non eſt nouum peccatum in ebrio diſtinctum à præcedentibus, nec addit illis nouam malitiam, nec auget pœnam Inferni, ſed ad ſummum ſe habet ſicut merus actus externus ad internum, vt conſtat ex 1. 2. qu. 71. ergo ſimiliter in præſenti actus iurandi ex indeliberatione factus, ratione conſuetudinis præcedentis non eſt nouum peccatum diſtinctum à præcedentibus, & coram Deo non addit nouam malitiam moralem periurij, nec meretur nouam pœnam, & hoc eſt ſolum, quod intendimus, & in hoc ſenſu dicimus non eſſe peccatum mortale, vtique nouum, & diſtinctum à præcedentibus. Et ſic probatur conſequentia à paritate rationis, quia ideo actus in ebrietate facti non ſunt noua peccata diſtincta in ſenſu dicto, quia non fiunt cum proprio vſu rationis, nec cum propria libertate, ſed ad ſummum imputantur ratione actus præcedentis, ſcilicet ebrietatis, in qua tanquam in cauſa fuerunt tales actus voluntarij, ſine vſu autem rationis, & ſine noua, ac propria libertate non poteſt eſſe nouum demeritum: ſic autem eſt in præſenti, quia ſupponimus nouum iuramentum fieri ſine actuali aduertentia, & ſine propria, & diſtincta libertate. Parumque refert, quod hæc carentia actualis deliberationis oriatur ex ligatione ſenſuum, vt in ebrio, vel dormiente, vel quod naſcatur ex actuali motu paſsionis, vt alij etiam concedunt, vel quod naſcatur ex habitu iam exiſtente per modum naturæ, & præueniente moralem deliberationem, quia differentia materialis eſt.

7. *An actus qui in ſomno, ebrietate, vel cū alio impedi-[mento vſus rationis fiūt dicendi ſint liberi.]* Iam vero ſolum poteſt ſupereſſe quæſtio, quę videri poteſt de nomine, an actus illi exteriores, vel omiſsiones, quæ in ſomno, ebrietate, aut cum alio impedimento vſus rationis, & libertatis fiunt, denominandi ſint peccata à cauſa libera, quę pręceſsit: Nam licet hoc modo hæc iuramenta indeliberata vocentur peccata mortalia, parum refert, dummodo conſtet, ipſa in ſe non afferre nouam malitiam, nec nouum demeritum coram Deo, ſi ſunt tantum motus primo primi, vel ſi ſint ſecundo primi habere tantum malitiam venialem ex modo, quo actu fiunt: hoc enim ſolum eſt, quod nos intendimus, quidquid ſit de denominatione ab actu præterito. Adde non deeſſe doctos Theologos, qui negant actus, vel omiſsiones contra præcepta contingentes tempore ſomni, vel ebrietatis etiamſi fuerint voluntarij in cauſa, non denominari tunc peccata, ſed tantum effectus peccati præcedentis, vt late defendit Vazquez referens pro ea ſententia Palud. Maior. Gabr. & Adrian. in 1. 2. d. 94. ca. 3. *Vazq.* quia actus non denominatur peccatum, niſi quamdiu actu liber eſt, & licet ex libera cauſa proceſſerit, ſi iam non ſubeſt libertati, non ſufficit, vt proprie denominetur peccatum, ſed tantum effectus peccati, alias qui propinauit venenum ſemper actu peccaret, quamdiu veneni actio durat, etiamſi per annum duret, & ſic de aliis, quæ videntur abſurda. Vnde certum eſt, qui dedit venenum, tunc commiſiſſe totam culpam ſuam coram Deo, ſiue poſtea ſequatur effectus, ſiue impediatur: & qui in alium emiſit ſagittam, æque peccauit, ſiue attigerit ſcopum, ſiue errauerit; tota ergo culpa in ſua emiſsione, ſeu impreſsione impetus commiſſa eſt, & ideo illa recte denominatur peccatum, quia libera fuit, reliqua autem, quæ vel naturaliter ſequuntur, vel caſu impediri poſſunt, & ſub vſum liberum, iam non cadunt, videntur potius effectus peccati commiſsi.

8. *Dubium in quo actu ſit peccatū periurij, quod indeliberate fit ex conſuetudine.* Addo, in pręſenti materia peculiarem difficultatem eſſe in explicando, in quo actu præcedente ſit voluntarium iuramentum illud, quod indeliberate fit vi conſuetudinis. Nam conſuetudo non eſt vnum peccatum, vt ſupra declaratum eſt, ſed quando eſt peccaminoſa, eſt collectio peccatorum, in qua collectione non eſt facile aſsignare, vbi fuerit voluntarium in cauſa periurium indeliberatum poſtea ſubſecutum, quia nullum peccatum illius conſuetudinis per ſe ſpectatum eſt cauſa talis effectus, neque in ſingulis præuideri poteſt, tota autem collectio ſimul ſumpta, quæ eſt conſuetudo, non habebit malitiam diſtinctam à ſingulis actibus, & à numero eorum; ergo actus indeliberatus poſtea ſubſecutus, non magis eſt voluntarius in ipſa conſuetudine, quam in ſingulis actibus eius. *Dubij ſolutio.* Ad hoc tamen dici poteſt, & bene, ac vere, in ipſa conſuetudine diſtinguendos eſſe actus præcedentes conſuetudinem antequam ſit conſummata in ſtatu peccati (id eſt, in tali gradu, in quo conſtituat hominem in morali periculo peierandi cum aduertentia, & ſine illa) ab actibus, quibus vel talis conſuetudo conſummatur, vel continuatur, aut augetur. Nam de prioribus recte probat ratio facta nondum continere in virtute actus illos indeliberatos, qui poſtea ex conſuetudine ſequuntur, & ideo veriſimilius eſt, non augeri in ſua malitia ex tali effectu, qui nondum continetur in illa cauſa, nec moraliter poteſt, aut debet in ea præuideri.

9. At vero quando homo iam videt conſummari conſuetudinem, & aduertit grauitatem, & periculum eius, tunc merito dici poteſt, tales actus incipere habere ſpecialem grauitatem ex effectibus virtute tunc volitis, ſiue poſtea ſequantur, ſiue non. Maxime vero quando poſt firmatam conſuetudinem, effectus ipſi peierandi temere fiunt: & (vt ait Chryſoſtom.) *talis homo volens, & inuitus, ſciens, & neſciens, ſerio, & ioco loquens peierat*, idque experimento cognoſcit, & nihilominus ſciens, & videns actu, vel virtute, vult permanere in illa conſuetudine. Tunc enim ſpecialiter pęccat ratione periculi ſequentium actuum indeliberatorum, & voluntas perſiſtendi in illa conſuetudine ſpecialem grauitatem habet ex illis

illis effectibus præuiſis, vel qui præuideri potuerunt, ac debuerunt. Tunc ergo commiſſa eſt mortalis malitia talium iuramentorum, quæ poſtea indeliberate committuntur, poſtea vero non augetur malitia, nec denuo peccatur. Quidquid ſit, an actus ſubſecuti denominentur peccata, vel effectus peccati, videtur enim eſſe diſſenſio de nomine, vt dixi, licet in ordine ad aliquos effectus morales poſſit aliquid referre, vt ex dicendis intelligetur. Neque oportet ad fundamenta contraria reſpondere, quia ex dictis ſatis expedita ſunt.

10. *Moralis aduertentia.* Aduertit autem Scotus ſupra, ſæpe ex conſuetudine, & habitu prouenire, vt homo citius deliberet, quam ſi habitum non haberet, ſic enim in bonis actibus (inquit) qui eſt aſſuetus ad prudenter operandum oblata occaſione ſtudioſe operandi, verbi gratia, dandi eleemoſynam ſubito deliberat de danda eleemoſyna, nec propterea actus deſinit eſſe perfectæ virtutis, quia conſuetudo facit, vt ſubito, ac imperceptibiliter deliberet: ſic etiam qui eſt aſſuetus ad amandum Deum, audito eius nomine ſtatim prorumpit in amorem, non quia indeliberate operetur, ſed quia cito deliberat. Ita ergo accidere poteſt è contrario, vt ex conſuetudine peierandi oblata occaſione ſubito homo iuret, non quia non ſatis aduertit, ſe iurare incertum, & ſine notitia veritatis, ſed quia licet aduertat, ſubito deliberat. Quod etiam in furto, & aliis peccatis accidere poteſt. Tunc ergo nouum peccatum committitur, cum malitia mortali, quia non breue, vel longum tempus, ſed deliberatio, vel indeliberatio diſtinguit crimina, ſicut & virtutis actus. Et ideo non eſt regula certa, quæ aſſignari ſolet, quod iurantes ex conſuetudine cęteris paribus, frequentius iurant ſine aduertentia, quam alij, qui non habent conſuetudinem: nam licet ex parte inclinationis habitus ita videatur, tamen quia ipſa etiam conſuetudo dat facilitatem ex parte intellectus ad apprehendendum, & deliberandum, ideo illud non ſemper eſt certum; ſed diſtinguendæ videntur conditiones perſonarum, nam in hominibus tardis, vel ruſticis fortaſſe verum eſt, conſuetudine ferri abſque mente; in hominibus autem diſcretis, & præſtantibus ingenio, ac iudicio videtur facilius præire intellectum, & ideo ad diſcernendam culpam perſonas etiam diſcernere neceſſe eſt.

CAPVT VIII.

Inferuntur corollaria ex præcedenti doctrina.

1. *Qui peccat per incautũ iuramentũ, æque peccari ſiue contingat rem iuratam verã eſſe, ſiue falſam.* EX dictis infero primo, quoties peccatur per incautam iurationem circa veritatem, vel falſitatem dicti, vel circa iuramentum ipſum, æque peccari, ſiue contingat verum eſſe, quod iuratur, ſiue falſum. Probatur ex dictis, quia tota ratio huius peccati conſiſtit in periculo, cui iurans ſe exponit iurandi falſum: (ſupponimus enim directe non intendere iurare falſum, nam illud non eſſet iuramentum incautum, ſed per ſe falſum) ergo vel non attendit, an iuret necne, vel ſi hoc attendit, non attendit, an ſit verum, vel falſum, quod iurat, vel negligenter ſe gerit circa examinationem veritatis, quam iurare intendit? In his autem omnibus caſibus fortuito tantum, & contingenter accidit, vt id, quod iuratur, ſit verum, vel falſum, ergo inde non aggrauatur, vel minuitur culpa coram Deo, quidquid illorum contingat. Probatur conſequentia, quia culpa non pendet ex effectu contingente, ſed tota committitur in periculo, & in cauſa. Confirmatur exemplis ſupra adductis de ebrio, de propinante venenum, de proijciente ſagittam, cum ſimilibus, nam æque peccant, ſiue ſequatur effectus, ſiue poſtea impediatur. Intelligitur autem hæc regula de proprio peccato quoad nouam culpam, nam ſi ſolum ſit ſermo de denominatione ab actu præterito, vel à materiali obiecto, ſeu effectu, clarum eſt peierari materialiter, quando eſt falſum, quod dicitur, non autem quando eſt verum: & ſicut ebrius denominatur homicida, quando cum effectu occidit, non vero quando non ſe obtulit occaſio occidendi, ita dicendum erit de periuro. Eſt autem hoc verum quoad has denominationes, quatenus ſumuntur ab actibus, ſeu effectibus externis, nam quoad culpam coram Deo, eadem eſt in vtroque caſu, & eandem denominationem poteſt tribuere. Idemq; eſt cum proportione de denominatione actus, vel effectus externi in ratione peccati à præcedenti voluntate in cauſa, vt dictum eſt.

Contra hanc doctrinam allegatur Soto d.q.2.ar.3.& in d.libr.c.12.quia ſentit, regulam non eſſe vniuerſaliter veram, & ſaltem inueniri falſam in eo, qui licet habeat conſuetudinem iurandi, habet tamen conſuetudinem dicendi verum. Nam ille etiamſi iuret ſine aduertentia ſufficiente ad veritatem dicti ſui, nihilominus non ſe exponit morali periculo iurandi falſum, quia conſuetudo dicendi verum reddit illum moraliter ſecurum. Sicut ebrius, qui non ſolet alios percutere, licet contingat aliquando id facere, illi non imputatur, quia moraliter non præuidit periculum. Item patitur exceptionem illatio facta in eo, qui ratione conſuetudinis, vel acuminis ingenij, vel quia materia eſt facilis, & ſubito perſpici poteſt, cito aduertit, tunc enim excuſari poteſt aliquis iurando verum, non tamen ſi falſum iuret. 2. *Limitatio aliquorum ad dictam regulam.*

3. Sed hæ exceptiones, ſeu limitationes non ſunt ad rem, quia loquimur de iuramento incauto, in quo deeſt ſufficiens aduertentia, vel de dicto, & iuramento ſimul, vel ſaltem de altero illorum. Et in omnibus his modis generaliter, & ſine exceptione vera eſt regula poſita, quia ratio ſemper eſt eadem, & ideo vel in omnibus probat, vel in nullo. Neque ad hoc refert conſuetudo quæcunque illa ſit, nam ſi in aliquo caſu ipſa ſit occaſio facilius, & velocius aduertendi, iuxta doctrinam Scoti proxime notatam, tunc iam non erit iuramentum ex inaduertentia, ſed erit cum velociori aduertentia, & ita non erit incautum: ideoque multum referre poterit, an iuretur aduertendo eſſe verum vel falſum, quod iuratur, quia ſi iudicetur verum, non erit peccatum, ſi vero falſum, erit peccatum. Sed hæc non eſt exceptio à regula poſita, quæ procedit de iuramento incauto, & ſine aduertentia prolato. Tunc autē ſi ſupponatur inaduertentia eſſe eadem, nihil refert conſuetudo ad cauſandum peccatum quoad verá culpam, ita vt ſit noua & diſtincta, quando contingit dictum eſſe verum, non vero ſi contingat eſſe falſum: quia eſt eadem ratio voluntarij, vel inuoluntarij, ergo eadē excuſatio, vel accuſatio, nā propter fortuitum effectum non augetur, vel minuitur culpa.

4. Ad inſtantiam vero de illo, qui habet conſuetudinem non mentiendi, reſpondeo, illam conſuetudinem non excuſare, nec tollere periculum falſitatis, quod in re ipſa eſt: nam qui iurat negligenter ſe gerens in conſiderando quid iuret, non ideo peccat, quia ſe exponit periculo mentiendi formaliter, & ex animo, ſed quia irreuerenter tractat iuramentum, & ſe exponit periculo iurandi id, quod in re falſum ſit. Si vero inaduertentia ſit inculpabilis omnino, quia mere naturalis, vel tantum culpa venialis, quia negligentia fuit leuis; tunc excuſabitur à culpa mortali, vel omnino, nō propter conſuetudinem, ſed propter defectū præſentis deliberationis. Vnde in vtroque caſu æque peccabit, vel non peccabit, ſiue contingat verum eſſe, quod iurat, ſiue falſum. Et conſequenter idem erit in habente conſuetudinem mentiendi, ſi reuera eādem habeat actualem inaduertentiā ex nulla, vel ex parua neglig ētia.

Imo

Imo idem erit ſi habeat conſuetudinem iurandi falſum, quantum attinet ad nouam actualem culpam, quidquid ſit de denominatione à præcedenti culpa, iuxta ſuperius dicta. Parum ergo refert, quod ſic iurans habeat conſuetudinem non mentiendi, quia illa conſuetudo non tollit periculum falſitatis in ipſo dicto, & iuramento: in quo culpa illa conſiſtit, non in periculo formalis mendacij, quod videtur ex illa conſuetudine minui. Ad ſecundam vero inſtantiam iam dictum eſt, in eo caſu iuramentum non eſſe incautum, ſed cum aduertentia ſufficienti, vt ſupponitur; & ideo non eſſe exceptionem à regula poſita.

De modo ſe quo ſe habere debeat pœnitēs in exercitio confeſſionis, qui habet conſuetudinem iurandi.

5\. Secundo ex dictis colligi poteſt, quid dicendum ſit de conſuetudine iurandi in ordine ad confeſſionem. Duo enim circa hoc deſiderari poſſunt, vnum quomodo fiet confeſſio integra, aliud quomodo diſponetur pœnitens, vt ex hoc capite fiat capax abſolutionis. In quo diſtinguendę ſunt conſuetudines modo ſupra dicto. Nam ſi conſuetudo tantum ſit in frequentia ſine neceſsitate, non tamen ſine veritate, neque ſine aduertentia ad illam, tunc facilis eſt reſolutio: quia conſuetudo non eſt peccati mortalis, nec conſtituit hominem in tali periculo morali. Et ideo admonendus eſt pœnitens, & rogandus, vt tollat talem conſuetudinem, & ipſe optime faciet confitendo illam: & moraliter loquēdo debet eam explicare, & occaſionem aliquam, ac periculum, quod in ea eſt, ne forte excedat ſtatum venialis culpæ. Quod ſi contigerit interdum peieraſſe, illud explicare tenetur cum propoſito, & pœnitentia, non tamen, id eſt tribuendum tali conſuetudini, ſed humanæ fragilitati. E contrario quando quis ex conſuetudine peierat aduertendo, tenetur in toto rigore integre confiteri, & conteri: & in illo à fortiori obſeruanda ſunt, quæ dicemus de illo, qui conſuetudinem habet incaute iurandi, non adhibendo diligentiam, vt verum dicat, vel falſum. Hic enim quoad integritatem in primis tenetur explicare iuramenta, quæ protulit, vel aduertendo falſum eſſe, quod dicebat, vel aduertendo ſe non eſſe certum de tali re, nec habere illam ſufficienter exploratam, vel etiam quæ ex magna negligentia ſine conſideratione protulit: nam his modis peccatur mortaliter; committendo ſemper nouam culpam, & ideo neceſſe eſt, ſaltem numerum, & multitudinem explicare eo modo, quo potuerit iuxta generalem regulam de confeſſione. Si autem alia iuramēta temere, & ſine mortali aduertentia pręcipitauerit, bonum eſt confiteri modum frequentiæ, quia ad curationem conſcientiæ eſt moraliter conueniens: non tamen neceſſe eſt de inquirendo numero talium actuum eſſe Confeſſorem ſolicitum, quia (vt dixi) illa non ſunt noua peccata, ſed tantum in cauſa. Et ideo ſufficiet tunc explicare modum, & tempus conſuetudinis, & quoties noua aduertentia, & quaſi repetita voluntate in ea permanere decreuerit: tunc enim committitur culpa, in qua illi actus indeliberati imputantur.

Licet periurium ſit alicubi reſeruatum, ſi fuit indeliberatum, & ſolū in cauſa peccaminoſum reſeruationē nō incurrit.

6\. Addo etiam, quod ad mores referre poteſt, ſi periurium alicubi ſit reſeruatum, & ſolum ſit commiſſum per hos actus indeliberatos formaliter, qui ſolum antecedenti cauſa, & voluntate imputantur; non eſſe cenſenda hæc peccata reſeruata, quia reuera in ſe non ſunt peccata, & culpa ſola, quæ fuit in cauſa, non fuit reſeruata. Et eadem ratione exiſtimo, ſi ſit impoſita cenſura propter periurium, non incurri per indeliberata periuria, quę in ſe non continent culpam mortalem propter formalem indeliberationem: etiamſi cauſa culpabilis, & voluntaria præexiſtat, quia illa reuera non ſunt periuria, quæ proprie ſint peccata mortalia. Nec ordinarie feruntur cenſuræ propter talia periuria, ſed propter illa, quæ cum actuali aduertentia falſitatis, & mendacij proferuntur.

Denique quod ad diſpoſitionem ſpectat, tota difficultas eſt in vero propoſito, & remedio contra talem conſuetudinem: nam ſine dubio neceſſarium eſt propoſitum tollendi illam, & vitandi tale periculum, quia pertinet ad ſtatum peccati mortalis, vt oſtenſum eſt. Quia vero propoſitum hoc ſolet eſſe valde inſtabile, & conſuetudo quodam modo tranſit in naturam; & ita periculum eſt quaſi intrinſecū, & naturale, ideo difficile eſt iudicare quando ſufficiens. Veruntamen difficultas generalis eſt ad alias conſuetudines peccandi, quæ difficillimam reddunt peccati correctionem, maxime quando non pendet lapſus ex occaſione extrinſeca, ſed quaſi ex innata fragilitate, & infirmitate. Primum ergo ſupponendum eſt propoſitum abſolutum, & de ſe efficax emendandi conſuetudinem, & non iurandi niſi cum magna conſideratione, & veritate. De quo propoſito credendum eſt pœnitenti, non obſtante quacunque præcedenti frequentia, & inconſtantia eius: quia ſicut potuit mutari in malum, ita etiam in bonum, & ipſe eſt ſui accuſator, defenſor, & teſtis. Suppoſito autem tali propoſito, obſeruandum eſt, vt ſi homo habet aliquas externas occaſiones moraliter inducentes illum ad temere iurandum, illas auferat: alioqui non ſufficienter diſponetur, ſi proximæ ſint, & ſine magno incommodo auferri poſſint. Deinde ſi ſæpius propoſuit emendari, & non fecit, adhibenda ſunt remedia conuenientia, quæ ipſe tenebitur acceptare iudicio confeſſoris, qualia ſunt frequentius confiteri, aliquam eleemoſynam, vel orationem breuem facere pro ſingulis iuramentis temere prolatis, vel ſimilia. Denique ſi hęc non ſufficerent, interdum erit vtile differre abſolutionem per aliquot dies, in quibus cogatur attentius vigilare, & contrariam conſuetudinem aliquo modo inchoare. Et in his non eſt ſcrupuloſe procedendum, ſed facta morali diligentia, illa cum propoſito cenſeri debet ſufficiens. Quia non oportet, vt Confeſſor iudicet alium non amplius peieraturum, ſed ſatis eſt, quod iudicet illum in præſenti habere tale propoſitum, & facere, quod moraliter poteſt, vt efficax ſit: nec huiuſmodi humanæ infirmitates efficacius curari ab homine poſſunt. 7.

Remedia ad euitandam conſuetudinem iuradi.

CAPVT IX.

An iuramentum aſſertorium cum amphibologia factum ſit periurium, vel aliter peccaminoſum?

Amphibologia committi dicitur, quando iurans in alio ſenſu verba intelligit, quam alius accipiat, hoc autem variis modis fieri poteſt. Primo, quando verba vtrumque ſenſum habere poſſunt in ſignificatione propria & vſitata, vt contingit in vocibus æquiuocis, vt ſi quis iuret, non comediſſe rem talem, intelligens indiuiduam, cum alij de tota ſpecie intelligant. Secundo poteſt quis vti ambiguo ſenſu, præter propriam ſignificationem verborum, ſubintelligendo, vel addendo aliquid, quod mente ipſe concipit, licet non exprimat voce, vt variis exemplis ſtatim declarabitur. Præterea poteſt hæc verborum illuſio fieri, vel ſine neceſsitate, & iuſta cauſa, vel ad decipiendum alium cum nocumento illius, vel contra obligationem iuſtitiæ, vel ſolum ad ludendum, & iocandum: vel fieri poteſt ex iuſta cauſa, aut neceſsitate, quia vel iniuſte compellitur aliquis ad iurandum, quod non tenetur, vel quia non poteſt aliter celare ſecretum, & fugere importunas interrogationes. 1.

Quibus modis committatur amphibologia in iurando.

Dico ergo primo, Non eſt intrinſece malum vti amphibologia etiam iurando, vnde nec ſemper eſt periurium. Eſt certa, & communis ſententia, quæ ſtatim exemplis, & authoritate ſimul cum ſequenti aſſertione 2.

1. Aſſertio. Non eſt intrinſece malum vti amphibologia in iurando.

aſſertione confirmabitur. Nunc declaratur ratione, quia loqui cum tali amphibologia non ſemper eſt mendacium, ergo non eſt intrinſece malū: ergo nec iuramento id confirmare eſt periurium, vel intrinſece malum. Antecedens probatur late ab Auguſtino lib. contra Mendac. præſertim a cap. 10. vbi varijs exemplis Sanctorum hoc confirmat, illa defendens à mendacijs propter multiplicem verborum aut rerum ſignificationem. Et ratio eſt, quia mendacium eſt dictum contra mentem, vtique loquentis, quia ille eſt, qui tenetur verba ſuæ menti conformare, nec tenetur ſemper illa conformare menti audientis: ſed qui vtitur verbis ambiguis in ſenſu conſentaneo menti ſuæ, non poteſt dici loqui contra mentem. Ergo non mentitur, nec profert mendacium: ergo ſic loqui non eſt intrinſece malum, ſolum enim ratione mendacij poſſet habere ſimilem malitiam. Vnde etiam concluditur, quod talem locutionē iuramento firmare nō ſit periurium, quia per illud iuramentum non inuocatur Deus in teſtem mendacij, quia illud non eſt mendacium: periurium autem non eſt ſine accuſatione mendacij, loquimur enim propriè, & rigoroſe de periurio. Vnde tandem concluditur, tale iuramentum non eſſe intrinſece malum, quia habet veritatem, & facile habere poteſt alios comites, vt conſtat.

Auguſt.

3\. Contra hoc vero obiici poteſt ſententia Iſidori ſupra tractata. *Quacumque arte quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit.* Anaſtaſi. etiam Nicæn. quæſtione 73. in Scripturam, grauem habet ſententiam huc ſpectantem. Cum enim diſtinxiſſet duplices dolos iniquos, & artificioſos, quos Theologus appellabit formales, & materiales, ſubdit de iuſtis, & ſapientibus ſimulationibus: *Cauendum eſt, ſi quando opus fuerit eiuſmodi mendacio* (vtique materiali) *aduerſus hominum malitiam, ne ſermoni addamus etiam iuſiurandum: non enim aſſumes nomen Dei tui in vanum, & falſum iuramentum ne diligatis, & ne ad mundi negotia attrahatis nomen Dei, & cæt.* & hanc ſententiam ex Baſilio in Aſceticis refert. Poteſtque ratione confirmari, quia licet in amphibologica locutione nomen Dei non inuocetur ex directa intentione ad confirmandum falſum, tamen in re ipſa aſſertur ad confirmandum id, quod aliorum opinione eſt falſum: vnde intellecta poſtea calliditate falſum cenſebitur iuraſſe, qui ſic iurauit. Ergo tale iuramentum contra reuerentiam Dei eſt, & non caret culpa, quæ licet formaliter non ſit periurij, ad illam reducitur. Probatur conſequentia, quia reuerentia Diuina poſtulat, vt non ſolum ex intentione verum iuretur, ſed etiam vt alijs, & in opinione illorum verum iuretur, ne quantum in nobis eſt, honor Diuini nominis minuatur.

Iſid.

Anaſt.

4\. Ad Iſidor. iam ſupra reſpondimus, Deum ita accipere quantum ad obligationem dicendi verum, & non decipiendi proximum: vnde illa ſententia locum habet, quando aliquis irrationabiliter ſic loquitur, & iurat. Vnde cum, ait, *Sicut ille, cui iuratur, intelligit*, nos addere poſſumus, vel intelligere debet, nam ſi ipſe inepte decipiatur ex ſua inſcitia, vel iniquitate, alteri non imputabitur. Quando vero iniquus eſt dolus, tunc peccat quidem, qui ſic iurat: an vero periurus ſit, ſtatim dicemus. Ad Anaſtaſium ſeu Baſilium dico in primis, inſinuare illum licitum eſſe aliquando propter bonum finem, vel officium dicere falſum, & proprium mendacium, non tamen licere tale mendaciū iuramento firmare, & ſic ſupponit quidem falſum, illa ſententia tamen ex illa hypotheſi aliud verum dicit, ſcilicet, etiamſi ſimplex mendacium in aliquo caſu licitum eſſet, nullo modo id dici poſſe de periurio. Quod etiam Auguſt. in d. lib. contra Mendacium optime confirmat, & ratio eſt, quia licet mendacium poſſit habere aliquam proportionem cum homine, qui falli, & fallere poteſt, non tamen cum Deo, qui eſt infallibilis veritas, & ideo ſemper fieret illi iniuria, adducendo illum in teſtem mendacij, etiamſi per impoſſibile in aliquo caſu non eſſet malum reſpectu hominis. Hæc autem doctrina quoad hypotheſim illam, nec vera eſt, nec in præſenti neceſſaria, quia per amphibologiam non dicitur mendacium, vt probauimus. Secundo, ille author non aperte profitetur errorem illū de mendacio, & ideo ne illū ei aſcribamus, dici poteſt, eum nō dicere ſemper eſſe periurum, aut malum iurare in ſenſu occulto, & amphibologico, ſed ſolum dicere, non quoties licet vti amphibologia, licere etiam illam iuramento confirmare, quia maior eſt reuerentia adhibenda iuramento, quam ſimplici ſermoni, & ideo hæc iuramenta regulariter cauenda eſſe, quia non fiunt vt plurimum, ſine aliquā irreuerentia, & culpa, eſto periurium propriè non ſit, vt dicemus. Et hoc fere modo reſpondendum eſt ad rationem: probat enim cauendum eſſe tale iuramentum vbi imminet, non vero probat eſſe per ſe malum.

Iſidor. cap. ſi ... & ...

Dico ſecundo: Quoties verba ſecūdum aliquem ſenſum, vel proprium, vel ſecundum aliquam legitimam interpretationem intentum, proferuntur ex cauſa honeſta, nec periurium committitur, neque vllum peccatum ſic iurando. Declaratur primo varijs exemplis ab authoribus traditis, & vſu receptis. Primum, ſi quis promiſit aut contraxit exterius ſine intentione promittēdi, & interrogatur à iudice ſub iuramento, an promiſerit, vel contraxerit, ſimpliciter negare poteſt, quia habere poteſt legitimū ſenſum, ſcilicet, non promiſi promiſſione me obligante, & habet legitimam cauſam ſic reſpondendi, quia aliàs cum non poſſit probare defectum intentionis, condemnabitur ad ſoluendum, quod re vera nō debet: vel ad cohabitandum cum illa, cum qua vere non contraxit. Ita docet late Nauarr. in cap. *Humanæ aures*, 22. q. 5. q. 1. & ... non ſolum poſſe iurare non promiſiſſe, ſed etiam non protuliſſe talia verba, ſi ita interrogatur, ſubintelligendo, nō protuliſſe illa, verè promittendo, vel non protuliſſe, ita vt teneatur conſiteri. Et pro hac doctrina adducit Hieronym. Greg. D. Thom. Scot. Palud. Richard. Maior. Adrian. & alios, & varias rationes, quæ confirmant generalem concluſionem poſitam. 5.

1\. Aſſertio. *Quoties verba proferuntur in aliquo ſenſu proprio, vel ſecundum aliquam legitimam interpretationem intentum, nō committitur periurium.*

Nauarr.

Secundo, ſi quis mutuo accepit nummos, quos poſtea ſoluit, & ab eo iterum poſtulentur in iudicio, in quo probare non poteſt ſe illos ſoluiſſe interrogatus à iudice poteſt abſolute negare, ſe illa mutuo accepiſſe, ſubintelligendo, vel non iterū accepiſſe, poſtquam illos ſoluit, vel non ita accepiſſe, vt illa debeat, vel non ita, vt aperire teneatur. De quo exemplo cum alijs non paucis videri poteſt Couar. lib. 1. Variar. cap. 2. 6.

Couar.

Tertio, ſi exemptus à gabella ſoluenda interrogetur, an talem vel talem rem portet, poteſt abſolute iurare, non portare, intelligendo non ita portare vt gabellam debeat, ne ſi fateatur portare, iniuſte cogatur gabellam ſoluere, vt de clerico dicit Syluest. verb. *Mendacium* q. 6. vbi alia exēpla adducit, vnum eſt vulgare de illo, qui interrogatur, an reus iſtac tranſierit, nam poteſt iurare non tranſiiſſe hac, deſignādo locum, quem pede tangit, vel manu, quod de Beato Franciſco refert Nauarr. ſupra, & in Manual. cap. 12. num. 8. ex alijs Authoribus. Aliud eſt de illo, qui interrogatur, an veniat de tali loco qui falſo putatur peſte infectus, re tamen vera non eſt, nam poteſt abſolute negare cum iuramento, ſubintelligendo, ſe non venire à tali loco peſte non infecto, vt Sylueſt. etiā dixit verb. *Iuramentum* 3. q. 2. in fine, & Nauar. in Manual. c. 12. n. 19. & Tolet. lib. 4. Summ. cap. 21. Qui addit, habere hoc verum, etiamſi locus, de quo quis interrogatur, peſte infectus ſit, perſona vero iſta certa ſit moraliter, ſe non eſſe infectam. Addit Nauar. exemplum de Scholaſticis, qui iurant, ſe non fuiſſe locutos cū oppoſitoribus, cum re vera fuerint 7.

Nauar.

Syluest.

Tolet.

loquuti, non tamen de illis rebus, quæ ad ſubornandum faciunt, vel non de illis rebus, quæ contra ſtatuta eſſe crederent. Præterea huc ſpectant omnes reſponſiones amphibologicæ, quibus licet ſubterfugere interrogationem iudicis non iuridice interrogantis ſub iuramento, de quibus in 22. quæſt. 690. Denique ad hoc etiam faciunt, quæ ſupra de obligatione promiſſorij iuramenti ſimulati diximus: & aliqua addemus de eodem iuramēto tractantes paulo inferius.

1\. *Aliqua orationes amphibologicæ, quibus licet vti poſſumus, qui nō tenentur iurare.* *Gloſ.* Eſt autem hæc ſententia facilis, & clara, quando exterior oratio ſine vlla additione, vel conditione verbis non expreſſa, duplicem ſenſum reddere poteſt, vt eſt illa, nō tranſiui iſthac, quia hoc aduerbium demonſtratiuum indeterminatam ſignificationem habet, quæ poteſt loquentis intentione determinari. Similis eſt illa æquiuocatio, quam ponit Gloſſa in cap. *Neque* 22. quæſt. 2. ſcilicet, cum quis interrogatus, an Petrus ſit domi, reſpondit, non eſt hic, accipiendo verbum *eſt*, pro verbo *comedit*, quando bono fine & iuſta cauſa vult occultare illum, qui fortaſſe ad vindictam quæritur. Similis eſt æquiuocatio in nomine *Sororis*, quam notauit Gloſſa in c. vlt. 22. q. 2. verb. *Sororem*. Et ratio eſt clara, quia tūc oratio etiam exterior in rigore eſt vera in vno ſenſu per illā ſignificatio: ergo qui in illo ſenſu illam profert, & iurat, nec mentitur, nec eſt periurus, etiamſi ſciat alium accepturum verba in alio ſenſu, & fore decipiendum, quia aliud eſt, quod audiens intelligit, aliud quod loquens dicit. Imo ſi iuſtam cauſam habeat ſic loquendi & iurandi, per ſe loquendo non peccabit, permittendo alium decipi, quia non tenetur homo ſemper vitare deceptionem alterius, quam re vera ipſe non facit, ſed alius ſeipſum decipit. Sicut interdum licet facere aliquid permittendo occaſionem peccandi, quam alius accipit, & ego non do, quantum in me eſt. An vero idem ſit, quando amphibologia in verbis ſolis externis non apparet, dicemus cap. ſequenti.

CAPVT X.

An liceat iurare cum amphibologia ſola mente concepta?

AMphibologia, de qua in cap. præced. loquuti ſumus, ſenſibilis vocari poteſt, mentalis autem erit quando exteriora verba præciſe ſumpta non habent ſignificationem propriam & completam, in qua verum ſenſum efficiant, diſtrahuntur autem à propria ſignificatione per aliquam reſtrictionem interius conceptam. Et tunc maior eſt difficultas, quia ex propoſitione exteriori, & interiori reſtrictione non fit vnū, nec eſt in poteſtate mea coniungere illa ad vnum ſignificandū, ergo ſemper propoſitio verbis expreſſa manet falſa, vt v. g. dicit aliquis, nō comedi talem rem, & interius ſubintelligit hodie, certe ſi illam comedit heri, falſum dicit, & mentitur, quia negatio illa abſoluta eſt, & totum negat, neq; cadit in reſtrictionem tantum interius apprehenſam. Vnde illam locutionem iuramento firmare periurium videtur. Atq; ita tenet aperte Caiet. d. q. 89. art. 7. dub. 2. circa ad 4. vbi de iuramento promiſſorio tractat, ſed loquitur de illo vt aſſertorium eſt, quia hoc dubium non poteſt ad illud iuramentum ſub alia ratione applicari. Et rationem reddit Caietan. generalē omnibus iuramētis aſſertorijs, ſcilicet, quia reſtrictio mēte concepta non obſtat, quominus oratio exterius prolata falſa ſit. Et ita ſequitur, & declarat ibi Arag. circa eandem ſolutionem ad 4. concl. 2. & Soto d. lib. 8. q. 1. art. 7. ad 4. qui multa in eandem ſententiam habet de iuramento aſſertorio in iudicio lib. 5. q. 6 art. 2. circa finem. *Caietan.* *Aragon.* *Sot.*

2\. Contrariam nihilominus ſententiam conſtantiſſime defendit Nauarr. in dicto cap. *Humanæ aures*, & in cap. *Inter verba*, concl. 6. corol. 65. à num. 398. & in Manu. cap. 12. num. 9. & 19. & cap. 18. num. 61. & cap. 25. num. 43. & ad illam confirmandam multa erudite allegat, & accumulat. Tenet etiam Syluest. ſupra, & *Iuramentum* 4. quæſt 7. Angel. *Iuramentum* 5. num. 9. quatenus dicunt non eſſe periurium, qui coactus iurare ſe aliquid facturum mente concipit; ſi licite potuero, vel ſi debuero, aut aliquid ſimile: dicunt enim, non ſolum non teneri poſtea, ſed etiā nec mentiri de præſenti. Quod etiam affirmat Lud. Lop. in Inſtit. p. 1. num. 42. & Nauar. d. c. 12. num. 14. Et idem ſupponunt, qui affirmant, mulierem, quæ per excommunicationem cogitur accedere ad virum, quem certo nouit non eſſe ſuum propter occultum impedimentum irritās, ſi ſit in periculo mortis, poſſe iurare ſe acceſſuram ad illum, ſubintelligendo mente, ſi licite potuero, & in eo, non mentiri, nec peierare. Angel. *Iuramentum* 4. in princ. Syluest. ſupra, Tab. eod. num. 14. Armil num. 16. & alij. Imo Sot. etiam fatetur, licitū eſſe alicui iurare, ſe neſcire, quod reuelare non poteſt, aut non tenetur, ſubintelligendo, *neſcio vt tibi dicam*. Neſcio autem quid peculiare inuenit in verbo *neſciendi* magis, quam in verbo *videndi, audiendi*, aut *faciendi*, vt in illo admittat reſtrictionem ſubintellectam, & neget in alijs, cum poſſit adhiberi cum non minori proportione. *Nauarr.* *Syluest.* *Angel.* *Lud. Lop.* *Angel.* *Tabien.* *Armil.*

3\. Sed inquit, verba eſſe ſigna conceptuum, & ideo citra mendacium adiungi commode verbo *neſcio*, limitationem illam, *vt dicam*, non tamen ita accommodari verbo *non feci*, aut *non vidi*. At hoc gratis dicitur, tum quia etiam verba ſunt ſigna rerum, & actionum & viſionum: tum etiam quia eſto, illa reſtrictio non eſſet accommodata, non deeſſent aliæ. Ipſe enim adiungit, quando iudex non poteſt legitime interrogare de occultis, in ipſa ſua interrogatione quaſi ipſo iure excipi occulta: & ideo recte illi reſponderi *non feci*, ſubintelligendo *publice*, ſeu *non feci, ita vt factum ſub tua interrogatione comprehendatur*. Et ita etiam conceſſit aperte Caiet. tom. 1. Opuſ. tract. decem & ſeptem reſponſionum in 5. ad 1. & Adrian. in 4. mater. de Confeſſione q. de Sigillo, & Tol. lib. 5 Summ. c. 58. n. 3. *Caiet.* *Adrian.* *Tolet.*

4\. *Reſoluitur quæſtio, & aſſeritur, licitam eſſe amphibologiam mentalem cum certa limitatione.* Hæc ergo ſententia practice ſecuriſsima, & in rigore vera eſt. Dummodo non ad libitum quis loquatur, & reſtrictionem concipiat proportionatam verbis & materiæ, de qua tractatur, vel ſaltem, quæ ſi voce exprimeretur, & cum alia parte orationis coniungeretur, congruum & verum ſenſum efficeret, ex quo apta & conueniens reſponſio reſultaret. Quod ſi quis forte rudis ſit, & neſciat in particulari amphibologiam concipere, conſilium erit, vt intendat, negare, vel affirmare in ſenſu, qui veritatem in re ipſa contineat. Ad hoc autem neceſſe eſt, vt ſaltem in genere ſciat, & ſibi perſuadeat, in alio vero ſenſu poſſe ſe negare, quod reuelare non tenetur, quamuis in particulari neſciat modum: nam ſi hoc etiam generaliter ignoret, nullo modo poterit in vero ſenſu loqui, & ideo niſi plane & ſimpliciter loquatur, peierabit.

5\. Sic ergo explicata ſententia hæc fundabitur ratione, reſpondendo ad fundamentum contrariæ ſententiæ. Nauar. ergo in d. cap. *Humanæ aures*, quæſt. 1. ſic argumentatur, Sicuti datur oratio pure vocalis, pure ſcripta, & pure mentalis, ita poteſt dari oratio mixta, id eſt, compoſita ex verbalibus terminis, & mentalibus: ergo veritas talis orationis mixtæ non eſt penſanda ſecundum vnam vel aliam partem, ſed ſecundum integrum ſenſum, qui ex tota oratione ſic compoſita reſultat. Ergo cum loquēs intendit conficere vnam orationem ex verbis expreſsis in voce, & reſtrictione in mente concepta nulla eſt falſitas in voce (vt contraria opinio ſuinebat) quia non eſt illa tota oratio, quæ affirmatur & negatur. Et licet voce dicat, *non comedi*, mēte ſubintelligendo, *hodie*, quam- *Nauarr.*

uis

Digitized by Google

uis negatio appareat abſoluta, re vera non eſt niſi reſtricta, & ita obſtare optime poteſt, ne tota oratio falſa ſit. Conſequentiæ manifeſtæ ſunt. Antecedens probatur à Nauarro ſolum à paritate rationis, quia à toto (inquit) ad partem cum identitate rationis eſt bonum argumentum. Sed inſtari poteſt, quia oratio vocalis, ſcripta, & mentalis non diſtinguuntur vt totum, & pars, ſed vt quædam tota, quarum ſingula habent ſuas partes proportionatas: vnde illo argumento non ſatis oſtenditur, quod ſicut dantur illa membra pura, ita poſſint dari mixta. Quia termini vocales ſunt apti, & proportionati ad componendam orationem vocalem, terminus autem mentalis non videtur habere proportionẽ ad componendam vnam orationem cum termino vocali, quia ſunt diuerſorum ordinum, & non recte vniuntur, & colligantur, quod neceſſariũ eſt ad componendum vnum totũ. Et difficile concipitur, quod ſi ego nunc ſcribo *Deus eſt*, & mente concipio *Angelus*, ex illa oratione ſcripta, & hoc termino mentali tanquã prædicato, fiat vna falſa propoſitio.

6. Et in ordine ad mores augetur difficultas, quia omnis oratio conſtituitur in genere ſigni: ergo vt termini componant vnam orationem, quæ vnam ſignificationẽ habeat, oportet, vt omnes termini ſint eiuſdem ordinis, & cum proportione ſignificent. Hoc autem non inuenitur in illis terminis, nã mentalis eſt ſignũ ſpirituale, & de ſe ſolum ſignificat concipienti, vnde non eſt aptum ſignũ alijs: vocalis autẽ oratio eſt ſignũ ſenſibile, & de ſe ordinatur ad ſignificandũ alijs, & ex hac parte nõ videtur apte componi cum interno & mentali termino: neq; inde poteſt reſultare vna oratio vera quatenus eſt ſenſibilis, & humana locutio. Et idem eſt de vocali, & ſcripto terminis, nam oratio vocalis eſt ſignũ tranſiẽs, vnde de ſe ſolum ſignificat præſentibus, & quamdiu profertur, ſcriptura vero eſt ſignũ permanens, & de ſe ordinatur ab abſentes tã loco quã tempore. Nõ ergo poteſt oratio ſcripta determinari quoad veritatem, vel falſitatem per vocalẽ reſtrictionem, quia tranſit, & permanet ſcripta oratio ſemper ſignificans verũ, vel falſum, prout ſcripta eſt. Confirmatur, quia qui ſcriberet Chriſtum non eſſe mortuũ, mente concipiens vt Deũ, plane ſcriberet propoſitionẽ hæreticã, etiãſi ipſe non eſſet interius hæreticus & in ſcribẽdo falſus eſſet, licet in ſentiendo non eſſet: ergo ſignum eſt ex illa ſcriptura, & conceptu mentis non fieri vnum, & propoſitionẽ ſcriptam falſam eſſe, nõ obſtante mentis determinatione. Deniq; aliàs nullus eſſet ſermo certus inter homines, ſed quilibet poſſet loqui, & ſcribere quæ vellet, concipiẽdo mẽte ſenſum, quem verba ſecundũ aliquam ſignificationẽ non faciunt, quod eſt contra omnem fidem humanã, nec minus nocet ſocietati hominũ, quam apertũ mendacium.

7. Sed nihilominus probabilis eſt dicta ratio Nauar. quia compoſitio, & prolatio orationum ſignificantium mentem, libere fit pro hominis volũtate, ergo poteſt illas componere ex terminis diuerſorũ ordinũ, atq; adeo facere propoſitiones mixtas: quæ non habeant plenũ ſenſum in ore, niſi vt coniunguntur menti. Sicut Greg. in Ezech. initio dixit Prophetas interdum coniungere verbũ, quod ore ſonat verbo mentis. Nec refert q; conceptus, & vox ſint ſigna, & res diuerſi ordinis, quia vnũ integrum ſignũ poteſt componi ex ſenſibili, & inſenſibili: ſicut Sacramentũ ex confeſſione, & contritione, vel ſicut Euchariſtia ex ſpeciebus ſenſibilibus, & Chriſto inuiſibili. Poteſt etiã ita explicari, nam poteſt quis inchoare alte propoſitionem, & conſummare illam voce adeo ſummiſſa, vt alter nõ percipiat vltimam determinationem, ſeu reſtrictionem: tunc autẽ nemo negabit illam eſſe vnã propoſitionem, quia eſt, quia eſt pure vocalis. Item conſtat illã eſſe in ſe veram prout integra eſt, quamuis non ſit vera vt ab altero percipitur. Et ita quoad effectus morales iidem ſequi videntur

Greg.

ex tali modo loquendi, vel iurandi: vt ſi quis dicat clare *Non feci*, & ſubmiſſe obmurmuret, *hodie* perinde ſe habet quoad ſignificandum alijs, ac ſi mente tantum concepiſſet reſtrictionem.

Præterea eſt alius modus in re æquiualens, videlicet, ſi quis intendat materialiter illa verba proferre, & ad maiorem ſecuritatem, cum incipit dicere, *Iuro*, interponat ſubmiſſe, & ſecum hæc verba, *me dicere*, & alte concludat, *quod non feci*. Sic enim veriſſima eſt aſſertio tota, & illud non feci, non profertur vt oratio integra, ſed vt vnum extremũ propoſitionis: ita ergo fieri poſſet mente tantum concipiendo illud, *me aſſerere*, quia quoad effectum moralem perinde eſt. Denique poteſt aliter explicari ratio, quia liberum eſt homini mentem ſuam exprimere, vel non exprimere: ergo eſt etiam liberum inchoare expreſsionem, & non finire. Ergo cum in mente totum hoc concipio, non feci hoc hodie, poſſum inchoare expreſsionem huius conceptus & non finire illam: ergo licet dicam, non feci hoc, & ibi ſiſtam, animo non finiendi propoſitionem in rigore non mentior. Quia nondum finiui ſermonem meum, & non intendo per illa ſola verba aliquid integre ſignificare: ergo licet iurem, nõ iurabo falſum, quia non intendo iurare quod exterius ſonat abſq; alio, quod mente concipio. 8.

Faciuntque ad hoc confirmãdum duo modi loquendi Chriſti ab Euangeliſtis relati. Prior eſt Mar. 13. *De die illa nemo ſcit, &c. neque Filius*: nam licet hic locus varias habeat interpretationes, quas in 1. tom. de Incarnatione tractaui: tamen in quacumque neceſſe eſt, aliquid ſubintelligere: quod in verbis non eſt expreſſum, vt *neque filius ſcit, vt reuelet*, vel *non ſcit à ſe* vel *Non ſcit ex humanitate*, aut aliquid ſimile. Alter locus eſt Ioan. 7. vbi Chriſtus dixit fratribus ſuis, *Ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum*, & tamen paulo poſt refertur aſcendiſſe, vbi neceſſe eſt aliquid ſubintelligi, quia Chriſtus non ignorabat, quid eſſet facturus. Subintelligitur ergo, vel *non aſcendam vobiſcum*, vel *non publice, ſicut ſoleo*, & vtrumque videtur declaraſſe Euangeliſta paulo poſt ſubdens, *Vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum, non manifeſte, ſed quaſi in occulto.* Cum enim refert, poſtquam fratres aſcenderũt, tunc ipſum aſcendiſſe, indicat priorem intellectum, ſcilicet, nõ aſcendam vobiſcum, nam hoc impletum eſt: ſeparatim vero aſcendendo non egit contra verba in ſenſu à ſe intento. Cum vero Euangeliſta accurate animaduertit *non publice* ſed occulte aſcendiſſe, indicat alteram interpretationem, quæ non eſt omnino diuerſa, ſed ex vtraque vna conficitur. Vel etiam potuit eſſe æquiuocatio in verbo *Aſcendam*, fratres enim loquebantur de aſcenſione ad feſtum agendum, ipſe autem de aſcenſione ad patiendum: quod ſignificat ratio ab ipſomet Chriſto ſubiuncta, *Ego autem non aſcendam ad diem feſtum hunc, quia meũ tempus nondum impletum eſt.* Vt prætereamus varios alios modos: quibus locus ille exponitur. 9.

Ioan. 7.

Nihilominus cauendum eſt, ne hinc homines ſumant nimiam licentiam ita loquendi, vel iurandi, nam id ſine dubio eſſet contra bonos mores, & contra ſermonis ſimplicitatem, vt ſic dicam, neceſſariam ad humanam ſocietatem. Addendum igitur eſt, hunc loquendi modum per amphibologiam, & præſertim per ſermonẽ mutilatum in verbis, & quaſi integratum ex conceptibus, non eſſe licitum, niſi ex iuſta cauſa, & neceſsitate, & ſi aliter fiat, culpam committi, & ſi addatur iuramentum regulariter eſſe graue peccatum. Ita ſentiunt communiter Doctores allegati, præſertim Caiet. & Sot. Nauar. cap. 12. num. 8. & in d. c. *Humanæ aures*, quæſt. 3. & ſumitur ex ſententia Iſid. ſæpe citata in capit. *Quacumque arte*, 22. q. 5. vbi pro regula ponit, *Quacumque arte quis iuret, Deum ita accipere ſicut ille, cui iuratur, intelligit*, quæ ſaltem vera eſt, quando nulla eſt honeſta ratio in alio 10.

Quam caute vtendum ſit amphibologia in iuramentis.

Hic modus loquendi ſolum ex iuſta cauſa, & neceſſitate licet.

Caiet. *Sot.* *Nauarr.* *C. Humanæ aures.* *Iſidor.* *C. Quacumque arte.*

Digitized by Google

ſenſu loquendi, quoad obligationem ſimpliciter, & pure loquẽdi. Vnde eſt illud Amb. lib. 3. Officiorum cap. 12. *Vnuſquiſque ſimplicem ſermonem proferat, vas ſuum in ſanctificatione poſſideat, nec fratrẽ ſuum circumſcriptione verborum inducat.* Hier. etiam ad Galat. 2. c. *Vtilem*, in q. 2. docet quidem ſimulationem aliquando eſſe licitam, dummodo in tempore, & cum vtilitate (vtique honeſta, & rationabili) fiat: ergo omnino voluntarie, & ſine cauſa vti hoc genere iuramenti contra rationem eſt atque adeo peccatum. Solum ergo licet: quando aliquis iniuſte, vel importune cogitur ad aperiendum aliquid, & iurandum, quod ſibi non expedit reuelare: quando autem quis vel iuſtæ interrogationi reſpondet, vel ipſe voluntarie ſe offert ad loquendum, ſimpliciter loqui debet, prout ſcit alium accipere.

Ambroſ. *Hieron.* *C. Vtilem.*

CAPVT XI.

Quale peccatum ſit ſine rationabili cauſa vti amphibologia, præſertim mentali in iurando?

1. *Quæritur, an detur mẽdacium & periurium, in tali modo loquendi.*

VT ratio, & grauitas huius culpæ magis intelligatur, quærimus, an ſic loqui ſine cauſa, ſit in rigore mendacium, & conſequenter ſi iuramento firmetur, ſit proprium periurium? Vtrumq; enim videtur affirmandũ, quia locutio illa eſt contra virtutem veritatis: ergo eſt mendacium, ergo iuramentum illi additũ eſt periurium. Conſequentiæ videntur claræ. Et antecedens patet ex doctrina Ariſt. 4. Eth. c. 7. quem imitatur D. Th. 2. 2. q. 109. art. 1. ad 2. docet enim ad veritatẽ pertinere, vt homo *vnumquodq;, quale eſt ipſum, dicat, atq; oſtendat tam vita, quam verbis*: & eum, qui ſic ſe gerit dicit eſſe veracem, ſentiens alium eſſe mendacem, quem ſimulatorẽ, vel diſsimulatorem vocat. Sed negari non poteſt, quin amphibologia ſit quædam ſimulatio: ergo ſi abſque iuſta cauſa fiat, eſt veritatis contraria, atq; adeo mendacium.

Ariſtot. *D. Thom.*

2. Dices: Si tunc eſt mendacium, ſemper erit, etiamſi ex quacunq; cauſa fiat, quia mendacium non deſinit eſſe mendaciũ propter iuſtum finem, aliàs interdum eſſet licitum. Reſpondetur negando ſequelam, quia malitia non eſt carentia omnis bonitatis, ſed debitæ ineſſe. Quoties autem neceſsitas nõ requirit amphibologiam, debita eſt noſtro ſermoni ſimplicitas in ſenſu vſitato & concepto ab audiẽte: & ideo tunc carẽtia veritatis in illo ſenſu eſt vitioſa & contraria veritati, ac ſubinde in rigore videtur eſſe mendacium. Quando autẽ interuenit neceſsitas, tunc illa carentia eſt pura negatio, quia contraria ſignificatio nõ eſt debita: & ita illa carentia nõ eſt vitioſa, nec conſtituit mendaciũ, quia ſupereſt alius ſenſus verus accommodatus locutioni. Neq; propterea fit, vt mendacium interdũ liceat propter extrinſecũ finem, ſed fit, vt deſinat eſſe mendaciũ, quod tale fuiſſet, cauſa non interueniente. Neq; etiam ſequitur, vt ſemper deſinat eſſe mendacium, quod propter bonum finem profertur, ſed oportet, vt verba in aliquo vero ſenſu proferantur. Nam ſi hoc non habuerint, non poterunt honeſte proferri propter vllum finem: ſi autem hoc habuerint, & alius ſimplicior ſenſus non ſit debitus, & qui loquitur, ſciat in debito ſenſu loqui, ſemper poterit excuſari mendacium.

Neceſsitas excuſat amphibologiã à mendacio.

3. *Confirmatur præſens opinio.* *Auguſt.*

Atque hæc ſententia ſatis probabilis videtur, eiq; fauet illud nomine Auguſt. de Confli. virt. & vitio. cap. 19. *Fallacia, atq; mendacium vnum dicuntur, fallacia autem fit ingenio, mendacium autem ſimplici verbo.* Quod exemplo declarans, fallaciam ponit in amphibologia, vt ſi quis petenti reſpondeat, *Non habeo quod tibi poſſim dare*, occultans quod ſibi reſeruat, dicit eſſe fallaciam: ſi vero ſimpliciter reſpondeat, *Non habeo*, dicit vocari mendacium. Vtrumque autem concludit eſſe cauendum, quia vtroq; modo mentitur quis, & proximum decipit. Ergo ſaltem debet hoc intelligi, quando fallacia eſt ſine cauſa, & deceptio eſt actiua, vt ſic dicam, & non tantum paſsiua, ſeu permiſsiua. Et in eandem ſententiam ſe oſtendit valde propenſum Aug. lib. contra Mendacium, & alijs locis, quæ late referuntur. 22. quæſt. 2. capit. *Cum humilitatis*, & ſequentibus. Denique facit cap. 1. eod. vbi generaliter definitur: *Periurium eſſe nequiter decipere credentem*: ergo quoties amphibologia, qua alius decipitur, eſt iniqua, & iuramento firmatur, eſt periurium, quia eſt iuramentum, quo nequiter decipitur proximus.

Auguſt. *Cap. Cum humilitatis.*

Nihilominus contraria pars in rigore videtur vera. Primo, quia qui ſic loquitur, & iurat, non intendit falſum dicere, vel iurare, vt ſupponitur, & id, quod dicit in rigore non eſt omnino falſum, ſed aliquem ſenſum verum habet, quem ipſe intendit, & profert, ergo in rigore nec mentitur, nec periurat. Probatur conſequentia, quia vt dixit Greg. *Humanæ aures talia verba iudicant, qualia exterius ſonant, Diuina vero iudicia talia audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* 22. q. 5. intentio enim diſcernit actionem. Minor autem declaratur, quia cum quis profert verba ambigua, licet ipſe teneatur in vno ſenſu loqui, non ideo priuautur verba altera ſignificatione, quam ſecundum ſe habent, vel habere poſſunt. ergo licet quis peccet, non vtendo verbis in ſenſu, quem debet, poteſt nihilominus loqui in ſenſu vero, & conſequenter non mentiri, licet aliter peccet. Confirmatur ex doctrina D. Thom. 2. 2. quæſt. 55. artic. 3. vbi aſtutiam ponit inter vitia prudentiæ contraria, & inter aſtutias vitioſas numerat in articulis ſequẽtibus dolum, & fraudem, & præſertim artic. 5. ad 2. declarat, aſtutiam vti alijs vitijs, ad exequendum intentum ſuum, vt auaritia, vel iniuſtitia. In præſenti autem illa amphibologia videtur eſſe aſtutia quædam iniqua, non eſt ergo in rigore mendaciũ, ſed imprudentia, à qua procedit vel iniuſta deceptio, vel ſimulata locutio indebita, vel irreligioſitas, ſi addatur iuramentum. His ergo modis eſt vitioſa illa locutio, licet non ſit mendacium.

4. *Aſſeritur in hoc caſu nec dari mendacium, nec periurium.* *Gregor.* *D. Thom.* *Aſtutia eſt vitium prudentiæ contrarium.*

Nec refert, quod ſimulata locutio indebita, & per exceſſum repugnare videatur veritati, & fidelitati humanæ, quia non repugnat per defectum veritatis, vel per contrarietatem falſitatis, ſed per nimiam occultationem veritatis reuelandæ, & per quandam circumuentionem doloſam. quæ licet ſine rigoroſo mendacio fiat, ſimplici veritati contraria eſt. Eſt ergo illud aliud genus peccati, quod frequenter habet imultitiam adiunctam, & in hac parte poteſt eſſe mortale. Adiungere vero ibi iuramentum, eſt clara irreligioſitas, quia eſt ſumere nomen Dei in vanum, & ſaltem deeſt comes iudicij & iuſtitiæ, non tamen eſt in rigore periurium, vt dictum eſt quia non deeſt veritas. Poterit vero facile participare rationem ſcandali, propter ſpeciem externam periurij, quæ ſecundum reductionem quandam ad malitiam periurij pertinet. Poterit etiam eſſe pernicioſa doloſitas, ſi eum iniuſto nocumento proximi fiat, & inde poterit eſſe peccatum morale iniuſtitiæ, & inde etiam augebitur irreligioſitatis malitia.

5. *Explicatur quomodo prædicta amphibologia non repugnat veritati.* *Poteſt tamẽ eſſe peccatũ mortale, & habet iniuſtitiam adiunctam.*

Et hæc maxime procedunt, quando verba ipſa in aliquo ſenſu habent, vel recipiunt ſignificationem ambiguam, ſiue id ſit propter multiplicem ſignificationem, quam ex ſe habent, ſiue propter occurrentes circumſtantias, cum quibus coniuncta, & interrogationi indebito ſenſu accommodata, verum aliquem ſenſum recipiunt, vt fere contingit in caſibus ſupra poſitis. Quando autem ſolum ſuppletur ſenſus per internam additionem mere voluntariam, probabile eſt, non excuſari proprium mendacium, & periurium, licet ſit res dubia, nihilominus tamen in rigore non eſt periurium, licet ſit graue peccatum. Supererat hoc loco dicendum de malitia ficti iuramenti ex defectu intentionis iurandi, ſed 6.

quia

quia illud frequentius contingit in iuramento promiſſorio, & in illo habet ſpecialem difficultatem, infra commodius tractabitur.

Capvt XII.

Vtrum iuramentum aſſertorium, cui iudicium, vel iuſtitia deeſt, ſit mortale peccatum?

1. Diximus de rigoroſo periurio ex defectu veritatis, quæ eſt præcipua in iuramento, nunc de defectibus aliorum comitum breuiter dicendum eſt. Debet autem intelligi quæſtio præciſe, nam vt dixi, hi defectus ſe habent ſicut includens, & incluſum: nam iuramento, cui deeſt veritas, etiam deeſt iudicium, & è conuerſo tantus poteſt eſſe defectus iudicij, vt redundet in defectum veritatis, & ex ea parte ſit peccatū mortale, iuxta ſupra dicta de iuramento incauto. Hic vero præciſe conſiderādus eſt vnuſquiſque horum defectuum ſine aliorum admixtione. Multoque maiori ratione abſtrahendi ſunt alij defectus accidentarij iuramento, vt erit blaſphemiæ prauitas, ſi tanta ſit turpitudo in modo iurandi, vt in illam declinet: illa enim accidentaria eſt iuramento, vt tale eſt, ideoque ad præſentem diſputationem non pertinet, ſed de illa ſuo loco dictum eſt.

Aperitur ſenſus quæſtionis.

Blaſphemia accidētaria eſt iuramento.

2. Supponimus deinde, in quocumque defectu trium comitum iuramenti, committi peccatum aliquod: difficultas ergo eſt, quando ſolum eſt in iudicio, vel iuſtitia, An ſufficiat ad peccatum mortale? Et ratio dubitandi poteſt ſumi ex D. Thoma quæſt. 98. nam in art. 1. & 2. dicit, hæc eſſe periuria, & in art. 3. concludit, periurium eſſe peccatum mortale, loquens de periurio in eadem generalitate. Ratione item declaratur, quia iuramentum vanum quocunque modo, eſt peccatum contra Religionem; & contra illud præceptum Decalogi: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*: ergo ex ſuo genere eſt peccatum mortale. ergo ex vi illius deordinationis præciſe poterit eſſe mortale in aliqua materia. Prima conſequentia patet, quia illud peccatum dicitur ex ſuo genere mortale, quod opponitur grauiſſimæ veritati, & præcepto: tale autem eſt præceptum illud, & virtus Religionis. Et ſimiliter probatur conſequentia ſecunda, nam in hoc diſtinguitur peccatū mortale ex ſuo genere à veniali ex ſuo, quod hoc nunquā poteſt fieri mortale niſi ex accidentali circūſtantia transferatur in aliam ſpeciem: illud vero permanens in propria ſpecie, & materia poteſt eſſe mortale. Confirmatur primo, quia iuramentum vanum dicitur, quod fruſtra, & ſine neceſſitate fit, dicitur autem Exod. 20. *Non habebit inſontem Dominus, qui aſſumpſerit nomen eius fruſtra*: quæ verba indicant punitionem grauem, & conſequenter etiam grauē culpam. Confirmatur ſecundo, quia ſub hoc iuramento comprehenditur iuramentum pręceps, ſeu temerariū, quod ſine iudicio, & diſcretione fit: tale autem iuramentum grauem habet deformitatem, ſaltem ratione periculi, quia ſic iurās facile periurat maxime, ſi frequenter id faciat: & ideo Sancti Patres titulo & nomine periurij hoc reprehendunt.

D. Thom.

Quod peccatum dicatur mortale ex genere.

In quo diſtinguatur peccatum mortale à veniali ex genere?

Exod. 20.

3. Dico primo: Iuramentum aſſertorium, cui ineſt veritas, ſufficienter cogitata, & cognita, ſolumque illi deeſt neceſſitas, vel vtilitas, nunquam eſt in indiuiduo peccatū mortale, dummodo abſit contemptus. Aſſertio eſt communis omnium Theologorum, & Summiſtarum in hac materia, quos in re clara referre neceſſarium non eſt. Ratio omnium, quia tunc Deus non adducitur in teſtem falſitatis, nec in re, nec in conſcientia iurantis, vt ſupponitur: ergo ex hac parte non fit Deo iniuria: quod vero Diuina authoritas interponatur ad confirmādam rem veram leuem, aut vanam, id eſt, parui, ſeu nullius momenti, non eſt grauis irreuerentia: ergo ex paruitate materiæ ſemper eſt veniale peccatum, in illo præciſe ſiſtendo. Minor declaratur, quia per talem inuocationem Dei non agitur contra aliquod Dei attributum, ita vt macula in eo ponatur, quantum eſt ex parte iurantis, ſicut fit, quando adducitur in teſtem falſitatis.

Tale iuramentum ſi adſit veritas, & abſit contemptus, non eſt mortale.

4. Dices: Fit contra Diuinam authoritatem & maieſtatem, quando ad res vanas confirmandas ſuprema veritas trahitur, quantum eſt ex parte hominis. Nam etiam graui homini fit non leuis iniuria, ſi ad teſtificandum in huiuſmodi rebus vocetur: & ſi vocaretur Rex, vel Pontifex grauior eſſet iniuria: ergo ſi inuocetur Deus, erit grauiſſima iniuria. Reſpondeo, fieri quidem tunc aliquo modo contra Dei authoritatem, & ideo illud eſſe aliquod peccatum. Dico tamen non fieri quaſi deſtruendo ipſam Dei maieſtatem in ſe, ſicut deſtrueretur eius veritas mentiendo: ſed ſolum fit non illam tractando cum debita reuerentia, quod non ſufficit ſemper ad peccatum mortale. Sic enim orando ſine attentione contra Dei authoritatem committitur, tamen in illo ordine leuis eſt culpa, quia non eſt illa grauis materia irreuerentiæ: ita ergo eſt in præſenti. Nec argumentum illud ab humanis ſumptum probat hanc iniuriam eſſe grauem in ſuo ordine, ſed ſolum eſſe in altiori ordine, & ſpecie offenſionis, quam ſit inter homines. Accedit, quod per inuocationem Dei, quæ per iuramentum fit, non adducitur re vera perſona Dei ad teſtificandum, ſicut inter homines fieri ſolet: ſed ſolum inuocatur, & offertur, quantum ex parte hominis, & ex parte leuiorem habet offenſionis modum. Denique ſolus defectus iudicij, ſeu neceſſitatis non euacuat finem iuramenti, ſicut defectus falſitatis: & ideo præciſe ſumptus ille defectus non induent grauem malitiam.

Licet ſit contra Dei authoritatem, non eſt tamen mortale.

5. Locutus ſum autem in aſſertione de iuramento, *Cui ineſt veritas ſufficienter conſiderata, & cognita*, quia ſi defectus iudicij extendatur ad temerarium, & incautum modum iurandi, poterit ex ea parte committi peccatum mortale: ſed ibi iam admiſcetur defectus veritatis, ſaltem in mortali periculo, & ideo id non eſt contra ſenſum aſſertionis poſitæ. Poſui etiam in concluſione limitationem, *Niſi adſit contemptus*, quia ratione contēptus ſolent peccata fieri mortalia, vt in materia de Legibus latius explicatur. Et in præſenti habet maiorem rationem, quia talis contemptus cadit in ipſum Deum, per quem iuratur: contemptus autem Dei grauiſſima illius iniuria eſt, vt per ſe conſtat.

Poterit eſſe mortale, ſi modus iurandi ſit temerarius & incautus.

Peccata venialia ratione contemptus fiunt mortalia.

6. Dices, hinc fieri, omne iuramentum vanum eſſe peccatum mortale, quia ex propria ratione ſua continet contemptum Dei: nam Diuus Thomas dicta q. 98. art. 3. dicit, periurium in ſua ratione continere contemptum Dei, quod probat, quia inde habet rationem culpæ, quod ad irreuerentiam Dei pertinet. Hæc autem ratio æque procedit in iuramento prauo, in omni enim illo ratio culpæ prouenit ex irreuerentia Dei, nam etiam iuramentum vanum ob hanc cauſam peccatum eſt: ergo ex propria ratione continebit contemptum, & conſequenter erit etiam peccatum mortale. Reſpondeo, illa ratione in rigore non probari, omne periurium in indiuiduo eſſe peccatum mortale, ſed ſolum ex ſuo genere tale eſſe: quod fortaſſe ſignificare voluit Diuus Thomas, cum non abſolute dixit periurium eſſe peccatum mortale, ſed reſtrictionem addidit, *Periurium ex ſui ratione*, id eſt, ex ſuo genere, loquitur enim ibi de periurio in genere. Inde vero optime inferri poteſt periurium ſimpliciter eſſe ſemper peccatum mortale, non tamen idem ſequitur de periurio ſecundum quid, prout eſt vanum iuramentum verum. Contemptus ergo ille, qui continetur in irreuerentia Dei, per ſe, & vt talis eſt, non ſemper eſt formalis, ſed materialis, qui non ſemper ſufficit ad ma-

D. Thom.

Quomodo periuriū ex ſuo genere ſit peccatū mortale.

ad malitiam mortalem. Nos autem in limitatione dicta loquimur de contemptu formali, quo ipſa Dei irreuerentia intenditur, vel nomen eius pro nihilo æſtimatur: hoc enim eſt proprie contemni, quod ſine grauiſsima deordinatione non fit, vt conſtat.

7. *Iuramentũ aſſertorium defectu iuſtitiæ regulariter eſt veniale præter a circũſtantijs.* Dico ſecundo: Iuramentum aſſertorium, cui deeſt tantum iuſtitia, quatenus contra Religionem eſt, regulariter eſt veniale, ex circumſtantijs vero interdum poteſt eſſe mortale. Loquimur de ſolo aſſertorio iuramento: nam de promiſſorio, vt tale eſt, paulo poſt dicemus. Et ita eſt aſſertio communis, & facilis, eodemq; modo probanda, quo præcedẽs. Quia hic defectus non euacuat directe finem iuramenti, nec facit Deum teſtem mendacij, ſed ad ſummum facit teſtem rei prauæ, & indecentis, quod per ſe non eſt grauis iniuria. *Narratio de peccato mortali poteſt nullum eſſe peccatum.* Declaratur præterea, quia licet narratio ſit de peccato mortali, ſæpe ipſa non eſt peccatum ſaltem mortale, quia non fit cum complacentia in illo, nec cum iniuria tertij, nec cum ſcandalo: imo ſi illa narratio habeat honeſtam cauſam, vel neceſsitatem, poterit nullum eſſe peccatum, ſi vero leuiter fiat, tantum erit de ſe peccatum veniale. Ergo iuramento firmare illam, vel nullum eſt peccatum, ſi ad bonum finem cum vtilitate, vel neceſsitate fiat, vel ſolum erit venialis culpa per ſe pertinens ad defectum iudicij: & licet augeatur ex materiæ fœditate, non tamẽ ita grauiter, ſeu infinite, vt fiat mortalis, cum materia proxima iuramenti peccatum mortale non ſit, vt ſupponitur.

8. *An iuramẽtum aſſertorium de re turpi ſit mortale peccatum. Soto.* Sed quid ſi narratio ipſa ſit peccatum mortale, vt ſi quis narret peccatum mortale infamando proximum, vel complacendo in illo? Videtur enim tunc committi grauis irreuerentia Dei, adducendo illum in teſtem turpis aſſertionis; à qua ſententia non abhorret Soto d. q. 1. ad 3. §. *De ſecũdo*, in fin. Sed nihilominus conſiderata præciſe ratione iuramenti, quæ eſt teſtificatio veritatis, videtur accidentarium illi, quod illa veritas narretur peccando, vel non peccando: & ideo licet totus ille actus ſit peccatũ mortale aliunde, nihilominus malitia, quæ illi additur ratione iuramenti irreligioſe ſuperaddui ſolũ videtur venialis, quia iuramentum per ſe non cadit in illam aſſertionem, vt malam, ſed vt veram. Excipiendum tamen videtur, niſi iuramẽtum ipſum aſſumatur, vt inſtrumentum peccandi, id eſt, niſi malitia ipſa prauæ narrationis per iuramentum augeatur. vt ſi quis, verbi gratia, infamet proximũ contra iuſtitiam narrando veritatem occultam, & vt probabilior fiat infamia, iuramentum adiungat. Videtur enim tum augeri grauiter malitia contra Religionem, & irreuerentiam in Deum, ita vt hoc titulo neceſſarium ſit, circumſtantiam illam in confeſsione explicare: quia nomen Dei aſſumitur quaſi inſtrumentũ ad faciendam iniuriã grauem proximo, quod graue iniuriam Dei continet. Et propter hanc exceptionem addidi in aſſertione limitationem illam *regulariter*, quæ ex dictis ſatis declarata, & probata relinquitur. Et fortaſſe hoc ſolum intendit Soto.

9. *Soluitur dubitatio.* Ad rationem ergo dubitandi reſpondeo, æquiuocationem committi, nam in iuramẽto vano duo conſiderantur, vnũ eſt ſpecies iuramenti praui vt ſic, aliud eſt determinatio ad talem defectum ſolius vanitatis, ſeu ſuperfluitatis. Si ergo ſit ſermo de ſpecie iuramenti praui, ſeu perjurij late ſumpti, ſic verum eſt eſſe mortale ex genere, & hoc ſolum intendit D. Thomas, & probat ratio ibi facta. Nos autem loquimur de iuramento vano, vt præciſe determinato ad malitiam, quam ex ſolo defectu cauſæ, vel neceſsitatis habere poteſt, & ſic dici poteſt non eſſe mortale etiam ex genere talis circumſtantiæ, quia in illa præciſe ſiſtendo nunquam fit mortale, niſi tranſitus ad aliam fiat. Hoc autem ſatis eſt, vt ille actus in ſua ſpecie abſoluta conſideratus dicatur peccatum mortale ex genere, quæ intra latitudinem eius virtutis, & per defectum aliarum circumſtantiarum eiuſdem etiam virtutis creſcere poteſt ad malitiam mortalem, quæ tota vna eſſe cenſetur, & eiuſdem ſpeciei, vt ſupra dixi. Ad primã confirmationem dicitur, in illo loco Exodi maxime prohiberi iuramentũ falſum, imo multi exponunt, *Non aſſumes in vanum*, id eſt, *mendaciter*, nam mendacium, & quidquid eſt fictum, nomine vani ſignificatur. Et ſaltem certum eſt, falſum ſub vano ibi comprehendi, & contra illud fieri maxime illam comminationem, quæ ſuo modo locum etiam habet reſpectu iniqui, vel ſuperuacanei iuramenti quia illud etiam punitur: & ideo non habet Deus inſontem illum etiam, qui ſic iurat. Ad ſecundam confirmationem ſupra declaratum eſt, quomodo iuramentum temerariũ, vel incautum ſit peccatum mortale, & qualis ſit illa malitia, oſtendimus enim illam proprie pertinere ad defectum veritatis potius quam ſolius iudicij.

Capvt XIII.

Vtrum inducere alium ad iurandum, quando per falſos Deos iuraturus eſt, ſit peccatum?

QVamuis in præſenti de periurio contra verum Deum præcipue tractemus, nihilominus hanc quæſtionem præmittimus, tum quia per ſe neceſſariam, tum etiam quia iuxta illam ſunt aliæ definiendæ. Ratio autem dubitandi eſt, quia cum iuramentum per falſos Deos ſit intrinſece malum, non videtur poſſe eſſe licitum inducere alium ad ſic iurandum, quia non licet alium inducere ad aliquod malum faciendum. Et confirmatur, quia non licet idolatram inducere ad ſacrificandum dijs ſuis, vel ad orandum illos, ergo nec ad iurandum per illos, quia perinde hic actus eſt idololatriæ, & ſuperſtitionis, ſicut reliqui. 1. *Ratio dubitandi.*

Breuiter tamen ex doctrina Auguſt. Epiſt. 154. & D. Tho. d. q. 98. art. 4. ad 4. quam Theologi omnes, & Summiſtæ ſequuntur, & Doctores in capit. *Mouet*, 22. q. 1. dicendum eſt, aliud eſſe loqui de iuramento abſolute, & generatim, ſeu abſtracte ſumpto, aliud de iuramento in ſpecie contracto ad iuramentũ per falſos Deos: & ſimiliter aliud eſſe petere ab aliquo, vt iuret per falſos Deos, aliud vero eſſe petere, vt iuret ab illo, qui iuraturus eſt per falſos Deos. Primo ergo dicendum eſt, nõ licere aliquem inducere determinate, vt iuret per falſos Deos. Ita D. Thom. dicens, licere vti iuramento eius, qui per falſos Deos iurat, non tamen licere illum inducere, *vt per falſos Deos iuret*. Idem ibi Caiet. Soto, & alij, & Couarr. d. p. 1. §. 1. n. 10. Et hoc videtur probare ratio dubitandi propoſita, quia non licet aliquem inducere determinate ad id, quod malum eſt, quia hoc eſt directe tentare illum. Item qui conſulit, aut petit actũ malum, eſt cauſa eius, ſed qui eſt cauſa peccati, male agit: ergo. Item non licet ab aliquo petere, quod ipſe non poteſt licite præſtare, vt ſupra tract. 3. lib. 2. cap. 18. diximus: ſed nullus poteſt licite per falſos Deos iurare, ergo nemo poteſt licite hoc ab altero petere. Nihilominus tamen nõ deſunt, qui ab hac veritate diſſentiant, magis fortaſſe in modo loquendi, quam in re, de qua diſſenſione ſtatim dicam. 2. *Auguſt. D. Thom.* *1. Aſſertio. Non licere aliquem inducere determinate ad iurandum per idola. Couarr.*

Secundo dicendum eſt, non eſſe per ſe malum, petere vt iuret ab eo, quem conſtat iuraturum eſſe per falſos Deos: vt tamen id ſine vllo peccato fiat, vel neceſsitas, vel moralis vtilitas intercedat, neceſſe eſt. Prior pars communis eſt ex Auguſti. D. Tho. & alijs Authoribus citatis. Et ratio eſt quia qui ab alio petit, vt iuret rem de ſe licitam, & quæ ſine peccato fieri poteſt, poſtulat: ergo per ſe non inducit ad malum, ſed ad bonum. Quod autem alius ex ſua malitia id præſtiturus ſit per falſos Deos iurando, ipſi imputatur, non alteri, qui bonam rem petit; ergo 3. *2. Aſſertio. Non eſſe per ſe malũ petere iuramentum ab eo, quem cõſtat iuraturum eſſe per idola.*

per ſe,

Digitized by Google

per ſe, & natura ſua illa petitio non eſt mala. Confirmari hoc ſolet nõnullis exemplis ex Scriptura ſumptis, vt de iuramento inter Abraham, & Abimelech, & inter Iſaac, & Abimelech Gen. 21. & 26. & inter Iacob, & Laban, Gen. 31 Sed hæc non multum cogunt, tum quia non conſtat Abimelech, aut Laban iuraſſe per falſos Deos, tum etiam, quia illi non tam inducti ſunt, quam ſponte ſeſe obtulerunt ad iurandum, & acceptare iuramentum infidelis minus eſſe videtur, quam poſtulare. *Licitum eſſe petere mutuum ab eo qui petet vſuras, & accipit.* Denique à ſimili confirmatur, quia licitum eſt ab iniquo mercatore mutuum petere, etiamſi ſit exacturus vſuras, & petere à malefico, vt maleficium deſtruas, cum poteſt licito modo id facere, licet ipſe malitia ſua non ſine arte praua illud ſit deſtructurus. Quia in his & ſimilibus caſibus non cooperamur peccato alterius, ſed vtimur in bona malitia eius, vel potius materiali illa actione, quæ de ſe bona eſt, & bene fieri poteſt, licet ille male eã faciat: quæ malitia non ſit à petente actum, ſed permittitur, vt ab alio fiat.

4. Dices: Quamuis phyſice hoc verum ſit, tamẽ moraliter ille, qui petit eſt cauſa peccati alterius, quia ſi ipſe non peteret actum, alter non peccaret: ergo fuit moralis cauſa talis peccati. Item ille petijt præuidendo effectum peccati (vt ſupponitur) ergo voluit peccatum in ipſa cauſa. Item petendo præbuit alteri occaſionem peccandi, ergo dedit illi ſcandalum, quod intrinſece malum eſt.

5. *Conditiones neceſſariæ vt hæc ſit inductio ad iurandum. 1. Conditio.* Propter hæc poſita eſt vltima pars aſſertionis: circa quam notandæ ſunt cõditiones neceſſariæ, vt hæc inductio, & petitio debito modo fiat. Prima ſit quaſi ex parte diſpoſitionis intellectus neceſſariæ in illo à quo poſtulatur iuramentum: neceſſarium enim videtur, vt habeat aliquam notitiam ſaltem confuſam veri Dei, vt poſsit per illum iurare ſi velit. Hanc cõditionem prętermiſſam video ab Authoribus in hoc ſpeciali pũcto: ſumi autem poteſt ex ijs, quæ diximus de malefico in d. c. 18. nam vt ab illo liceat petere deſtructionem maleficij, neceſſarium eſt, vt ipſe norit modum licitum deſtruendi illud. Quia parũ refert, vt modus licitus ſit in ſe poſsibilis ſi huic perſonæ eſt ignotus, nã eo ipſo eſt illi impoſsibilis: & conſequenter ſi ab illa petatur deſtructio maleficij, non petitur, niſi quatenus per maleficium fieri poteſt, quia nõ petitur ab ipſo, niſi vt ille nouit, & poteſt illam facere. Hæc autem ratio eodem modo in præſenti locũ habet, quia ſi infidelis ignorat verum Deum, & modũ iurandi per ipſum, non poteſt debito modo iurare: ergo non licet ab illo iuramentum petere. Patet cõſequentia, quia parum refert, ꝙ iuramentũ de ſe poſſit recte fieri, ſi is à quo petitur, modum ignorat, nam illi talis modus eſt impoſsibilis. Vnde ab illo tale petitur iuramentum, quale ipſe nouit, & poteſt facere, quod eſt iuramentum per falſos Deos.

6. Verumtamen hæc conditio moraliter impletur, ſeu ſupponitur, quoties fidelis, ſeu Chriſtianus iuramentum ab idololatra poſtulat: quia non poteſt tũc Gentilis ille non habere ſaltem famam aliquam alterius Dei, per quem Chriſtianus, cum quo facit cõtractum, iurat ſeu per quem Chriſtiani iurare conſueuerunt. Et hoc ſufficit, vt iuramẽtum per verum Deum non ſimpliciter impoſsibile tali infideli, quia iam eſt in poteſtate eius plenius informari: & ita voluntarie determinatur ad illum modum illicitum, & negligit alium licitum. Quando vero ipſi idololatræ inter ſe iuramenta poſtulãt planè tam videntur peccare petendo, quam exhibendo, niſi per ignorantiam excuſentur. Quia ex ſua intentione non ſolum petunt iuramentum, ſed etiam talem modum iuramenti: & vel aliud non agnoſcunt, vel certe de illo non cogitant. Quod ſi fortaſſe contingat Chriſtianũ petere iuramentum à Gentili, qui nullam veri Dei notitiam habet: videtur certe debere ab illo petere in communi iuramentum per verum Deum. Quod ſi alter offerat iuramentum per ſuum idolum, dicẽs ſe nõ cognoſcere alium verum Deum, poterit acceptare iuramentum: tum quia non inuenitur prohibitũ acceptare, ſed petere, vt Augu. dixit in d. Epiſt. *Auguſt.* tum etiam quia quantum eſt in ſe, iam oſtendit viam bene iurandi, & acceptando non cooperatur, ſed vtitur iure ſuo.

7. *2. Conditio.* Secunda conditio eſt ex parte volũtatis, vt infidelis ſit paratus ad iurandum, quia tunc ceſſat inductio. Hæc vero conditio non eſt ſimpliciter neceſſaria, licet conducat, vt facilius, & cum minori cauſa poſsit licite peti tale iuramentum. Nam licet fingamus, Gentilem hominem profiteri in ſuo ſtatu conſuetudinem, vel ſtatim non iurandi, nihilominus ſi fideli interſit, poteſt illum inducere ad iurandum: vel etiam compellere in iudicio, ſi occaſio iuſta occurrat, vel in contractu ſi faciendus ſit, negãdo illum commercium, vel conuentionem, aut pactum, niſi iuramento aſtringatur. Ratio eſt, quia tunc etiam nõ inducit ad malũ, ſed ad id quod per ſe bene pręſtari poteſt: & alioqui vtitur iure ſuo, quia ſupponitur cauſa iuſta id poſtulandi.

8. *3. Conditio.* Vnde tertia conditio eſt, vt qui inducit ad iurandum eum, quem ſcit, per falſos Deos iuraturum, habeat iuſtam cauſam petendi, tunc enim vere vtitur iure ſuo: vt ſi ſit componenda lis, aut controuerſia finienda, vel fœdus firmandum, aut ſecuritas in quolibet humano negotio accipienda. Et ſic dixit Augu. ſupra: *Qui vtitur fide illius quem conſtat iurare per falſos Deos, & vtitur non ad malam rem, ſed ad licitam, & bonam, non peccato eius ſe ſociat, qui per dæmonia iurauit, ſed bono pacto eius, quo fidem ſeruauit.* Vbi exponendo poſtulare Auguſtinum, vt vſus hic non ſit ad malam rem, ſed ad licitam, & bonam, id eſt, conuenientem ad humanam ſocietatem. Nam ſiquis vane, aut ſine iuſta cauſa det occaſionem multiplicandi talia iuramenta præter culpam vane iurandi (& ſine iudicio, quæ hoc etiam modo committitur, vt capite ſequenti dic..) contra charitatẽm proximi eſt, offerre illi occaſionem multiplicanda peccata ſine cauſa, & contra charitatem, & reuerentiam Dei eſt, ſimilem occaſionem offerre ad proferenda verba blaſphemiæ. Nec ſatis eſt dicere, alium eſſe paratum, nam licet paratus ſit, nihilominus ſine hac occaſione non multiplicaret hæc peccata, & hoc ſatis eſt, vt charitas obliget. Sed de hoc latius in materia de Scandalo.

9. *Dubia contra ſuperiores concluſiones.* Supereſt vero difficultas ſupra inſinuata circa priorem aſſertionem, & concordiam eius cum ſecunda, quia ſi hæ conditiones concurrant, etiam licebit in particulari petere iuramentum per falſos Deos: ſi autem non concurrant, neutro modo licet petere, vt nos dicimus, ergo nulla eſt differẽtia. Maior probatur, quia ſi infidelis eſt paratus ad iurandum per falſos Deos, vel mihi cõſtat nõ ſolere aliter iurare, perinde eſt petere ab illo iuramentum, & petere tale iuramẽtum: ergo æque licet. Item in moralibus explicitum, & implicitum, ſeu tacitũ, & expreſſum æquiparantur ſed qui à tali homine petit iuramẽtum, tacitè petit iuramentum per falſos Deos: ergo vel neutrum licet, vel vtrumque. Denique in vſura licitum eſt, non ſolum petere mutuum ab vſurario, ſed etiã expreſſe offerre vſuras, ſi ego ſciam alterum illas deſiderare, iuxta probabilem multorum ſentẽtiam, ergo.

10. *Aliquorum opinio.* Propter hęc quidem dicunt, quotieſcumque licet petere iuramentum ab idololatra, qui iuraturus eſt per falſos Deos, licitum etiam eſſe ab illo petere determinatè, vt iuret per falſos Deos. Sed licet fortaſſe diſputatio ſit de modo loquendi, nihilominus cauendum eſt, ne nimia licentia, & occaſio ſcandali præbeatur, hęc enim ex ſolis verbis inordinatè prolatis naſci ſolet. Primo ergo, quidquid ſit de hoc modo loquẽdi, aſſertio prior ſemper eſt veriſsima, quia nunquam licet inducere ad iurandum per falſos Deos: id enim apertã inuoluit repugnantiam contra

rectam rationem, & charitatem: vnde licet interdũ illa verba dici poſſint, non tamen per modum inductionis, ſed tantum promiſſionis, vt dicemus. Et in hoc eſt clara differentia inter ſecundam, & primam aſſertionem: quia ad iurandum abſolute licet inducere, etiam non paratum, ſi cauſa vrgeat, vt dictum eſt. Vnde ſecundo dicitur, quod ſi ad obtinendum iuramentum neceſſarium ſit non ſolum petere iuramẽtum, ſed etiam expreſſe declarare, quod licet alter noluit iurare niſi per ſuos Deos recipiatur iuramẽtum, id non eſt per ſe malum. Patet, quia illa non eſt inductio ad tale iuramentum, ſed acceptatio, & permiſſio. Et hoc etiam probat exemplum de vſurario, & alia argumenta facta.

11\. *Differentia aſſignata inter primam, & ſecundam aſſertionem.*

Addo vero tertiò, in præſenti materia non poſſe eſſe moraliter neceſſarium, vel conueniens petere determinate iuramentum per falſos Deos. Ratio eſt, quia licet quoad intentionem petentis faciat ſenſum permiſſiuum, & paſſiuum (vt ſic dicam) tamen ipſa forma petendi præ ſe fert inductionem actiuam, & approbationem talis facti, vnde poteſt generare ſcãdalũ. Et alioqui non poteſt moraliter loquendo eſſe neceſſarius ille modus petendi: nam vt alter ſine difficultate acceptet conditionem iurãdi ſatis eſt, quod non petatur ab ipſo iuramentum per Deum cœli, & terræ aut quid ſimile, ſed tantum iuramẽtum. Confirmatur exemplo illo de malefico, nam certe dici non poteſt, eſſe licitum petere ab illo vt maleficio vtatur ad deſtruendum maleficium, etiamſi quis ſibi perſuadeat, non aliter effecturum: quia ille modus petendi includit quandam approbationem, & ſignificationem conſenſionis in tali modo operandi. Ita ergo eſt in præſenti. In caſu vero de vſurario, quia ſatis per ſe notum eſt, eum qui mutuum petit, cupere nõ ſoluere vſuras, licet ad id ſe oſtendat promptum, non eſt periculum approbandi vſuras, etiam externa ſpecie, nec conſentiendi, quia ſemper conſtat, ſolum permittere ſolutionem eorum. Non oportet ergo æquiparare hos caſus, nec nimiam licentiam præbere in materia pertinente ad debitum modum colendi Deum, & quæ attingit externam fidei confeſſionem, vel aliquid illi derogans.

Regula generalis in prædicta materia.

Sit ergo regula generalis, non licere determinate petere iuramentũ per falſos deos, licet fortaſſe in aliquo caſu licere id poſſit propter neceſſitatem, in dicto ſenſu permiſſiuo, vel oſtenſiuo prompti animi ad acceptandũ tale iuramentum, nõ quia placeat, ſed quia illud obtineri non poteſt.

CAPVT XIV.

An ſemper ſit peccatum iuramentum ab eo petere, qui peieraturus eſt?

1\. *1. Aſſertio. Non licere inducere ad iurandum quemquam modo indebito.*

DIco primo: Non licet inducere ad iurandũ per verum Deũ modo indebito. Per inductionem intelligimus illam, quæ directe fit ad exigendum iuramentum cum tali modo. Et ſic eſt clara concluſio, quia non licet inducere ad peccatum, ſed omne tale iuramentum peccatum eſt, ergo. Vnde iuxta modum iuramẽti erit modus peccati inductionis. Nam ſi iuramentum ſit cum proprio periurio ex defectu veritatis, tunc inductio ad illud erit peccatum mortale, & participabit malitiam periurij per modum cauſæ, vt per ſe conſtat. Si autem defectus iuramenti in eo, qui inducitur, ſit veniale peccatum, etiam in inducente non erit mortale, quia illa inductio non habet pro obiecto graue peccatum: item quia reſpectu Dei non excedit irreuerentiam leuem, reſpectu vero proximi, qui ad malum inducitur, non eſt graue nocumẽtum, vt cenſeatur mortale peccatum contra charitatem. Hoc autem intelligitur per ſe, nã ex circumſtantia accidentaria poſſet eſſe peccatum mortale in inducente, vt ſi ex contemptu id faceret, vel ſi moueretur ex aliqua praua intentione graui, vel ſi præuideret graue nocumentum fieri proximo inducendo illum ad talem conſuetudinem, & maxime ſi eſſet talis perſona quæ ex officio teneretur bene inſtruere alium, vt Pater, Rector, &c. Sed hęc non oriuntur ex ſpeciali obligatione iuramenti, & ideo ſatis fuerit illa attigiſſe.

2\. *Peccatũ eſſe petere ab alio iuramẽtum etiam verum ſine neceſſitate.*

Hinc ſequitur primo, ſemper eſſe peccatum, ſaltẽ veniale petere, ſeu exigere ab alio iuramentum, etiam verum ſine neceſſitate, quod vocamus cum defectu iudicij. Probatur, quia ſi ego ſine neceſſitate peto iuramentum, alter etiam ſine neceſſitate iurabit: ergo eo ipſo, quod ſine neceſſitate peto, aliquid peto, quod ſine peccato veniali præſtari non poteſt: ergo induco ad illud peccatum, & conſequẽter illud committo. Dices, immò fieri poſſe, vt ipſa petitio iuramenti inducat reſpectu alterius neceſſitatem iurandi, & conſequenter excuſet illum à peccato veniali, quia ſi non exigeretur ab eo iuramentum, ſine cauſa iuraret, & ideo venialiter peccaret, poſtquam autem exigitur, iam non peccat, quia ex quadam neceſſitate iurat, ergo tunc qui petit, licet ſine cauſa rationabili, vel neceſſitate petat, de facto non inducit ad male iurandum: ergo non peccabit. Reſpondetur in primis, non ſatis eſſe ad excuſandũ iurantem, quod poſtulatus, & rogatus iuret verum, ſi in re non ſubeſt alia cauſa iurandi, quia ſola petitio nõ inducit neceſſitatem, niſi honeſtam cauſam ſupponat, cum poſſit, & debeat negari tale iuramentum. Tunc ergo maxime procedit ratio facta, quia tunc qui condeſcendit petenti, ſine cauſa iurando, venialiter ſaltem peccat: ergo & alter petendo. Vnde qui ſic petit, eo ipſo peccat, licet alter non conſentiat, quia quantum in ſe eſt, iam induxit ad malum.

3\.

Concedo autem contingere poſſe, vt iuramentũ ſecundum ſe non ſit neceſſarium, & quod propter exactionem liceat. Vt ſi verbi gratia, mihi ſimpliciter affirmanti, ſine cauſa iuſta, imo cum iniuria nõ credatur, & ideo cogar iurare, quia expedit mihi, vt in re, de qua tracto, fides mihi adhibeatur, tunc ego nõ pecco iurãs quaſi coactus ab alio: & nihilominus alter peccat, ſaltem venialiter. Non quidem formaliter, quia ſit cauſa peccati alterius, iam enim alter excuſatur, ſed quia per ſe incurrit maliciam iuramenti ſine neceſſitate præſtiti, quia non minus malum eſt ſine cauſa inducere alterum in neceſſitatem iurandi, quam ſine cauſa iurare. Vel aliter, quia licet illud iuramentum ſit à iurante, vt à cauſa proxima, eſt à petente, vt à cauſa priori, & vt eſt ab illo, eſt iuramẽtum ſuperfluum, & vanum, licet vt eſt à proferente ſit illi neceſſarium. Atque ſic dixit Iſidor. libr. 2. Sentent. cap. 31. *Sunt multi ad credendum pigri, qui non mouentur ad fidem verbi. grauiter autem delinquunt, qui ſibi loquentes iurare cogunt.* Quod autem ait, *grauiter*, vel intra latitudinem peccati venialis intelligẽdum eſt, vel indefinite ſeu aliquando, iuxta occurrentes circumſtantias.

Iſidor.

4\. *Semper eſſe illicitum petere ab eo iuramentũ, qui illud ſine iniuſtitia vel turpitudine præſtare nequit.*

Secundo ſequitur ex dictis, ſemper eſſe peccatum petere ab alio iuramentum, quod ſine iniuſtitia, vel turpitudine præſtari non poteſt. Hoc etiam eſt euidens ex illo principio, quod tale iuramentum ſine peccato fieri non poteſt: ergo illud petere, eſt intrinſece malum, eodem genere malitiæ. Vnde etiam fit, vt in grauitate malitiæ etiam æquiparentur hęc duo, nam quantum fuerit peccatum in eo, qui ſic iurat, tantum erit in petente, id eſt, ſi in vno veniale, etiam in alio: ſi mortale, ſimiliter. Quamuis intra ſuam latitudinem ſemper videatur grauius peccare inducens, quia eſt prima origo peccati, & quia agit contra Religionem, & contra proximi charitatem, & quia regulariter magis voluntarie peccat. Dixi autem, quod ſine turpitudine præſtari non poteſt. Nam ſi tale ſit iuramentum, vt ſine iniuſtitia fieri poſſit, licet etiam poſſit fieri cum aliqua iniquitate, vel iniuſtitia:

Digitized by Google

ſtitia: tunc non eſt intrinſece malum petere tale iuramentum ab aliquo, etiam ſi probabiliter credatur eū iniuſtitia iuraturus, quia illa iniuſtitia non imputabitur petenti, ſi alias habet ius exigēdi iuramētum, & cum debita cautione, & modo illud petit. In quo generalis regula præcedenti capite explicata ſeruanda eſt.

5. Et in hoc poteſt notari differentia inter defectum iudicij, & iuſtitiæ, quia in defectu iudicij non poteſt ſeparari permiſſio ab inductione, ſeu cooperatione, quia defectus iudicij eſt, quando nulla ſubeſt rationabilis cauſa iurandi, tunc autem ita eſt malus actus iurandi, vt nunquam poſſit eſſe bonus: & ideo poſtulare tale iuramentum non eſt indifferens ad bonum, vel malum vſum: ſed eſt determinatum ad malum, ac ſubinde ſemper habet rationem inductionis, & non permiſſionis. At vero ſi iuramentum alioqui ſit neceſſarium, & verum non poteſt ex ſe eſſe determinatum ad turpem, vel iniuſtam materiam, quia non poteſt iuramentum in tali materia eſſe neceſſarium & ideo ſi neceſſarium eſt iuramentum, aptum eſt, vt iuſte fiat, licet ex iniquitate operātis poſſit male fieri. Hinc ergo fit, vt non ſemper ſit malum petere iuramentū, quod inique præſtandum eſt, ſed tunc ſolum, quando iuſte præſtari nō poteſt, vel quādo ſine iuſta cauſa petitur, præuidendo non tantum otioſe, & vane, ſed etiam iniuſte præſtandum, tunc enim ex illo duplici capite multiplicatur malitia leuis, aut grauis quoad iniuſtitiā pro materiæ qualitate, iuxta dicta capite præcedenti, & inferius latius dicenda de iuramento promiſſorio.

Differentia inter defectum iudicij, & iuſtitiæ in iuramento.

6. Tertio ſequitur ex dictis, ſemper eſſe peccatum mortale petere ab aliquo iuramentū, quod ſine falſitate, & mendacio, vel morali periculo eius præſtari non poteſt. Hoc per ſe patet ex dictis: & habetur in cap. *Siquis conuictus*, cap. *Si peierauerit*, 22. qu. 5. Et ratio eſt, quia inducere ad peccatum mortale ſemper eſt ſimile peccatum, ſed periurium proprium ſemper eſt peccatum mortale in aſſertorio: ergo & inducere ad illud, ſed qui petit ab alio iuramentum, quod ſine defectu veritatis præſtari non poteſt, inducit illum ad periurium rigoroſum, ergo.

Semper eſſe peccatū mortale petere iuramētum quod ſine mendacio, vel morali periculo eius præſtari nequit. Ca. Siquis conuictus. Cap. Si peierauerit.

7. Contingit autem hoc tribus modis: Primo quando vnus inducit alium ad aſſerēdum eū iuramento, quod ſcit non ita eſſe, vel negandum quod ſcit ita eſſe, & tunc eſt inductio ad formale periurium, vt cōſtat. Suppono enim non eſſe inductionem ad vtendum amphibologijs, quia tunc ſi iurans illo modo excuſetur à mendacio, occultando verum, & nō dicendo falſum: iam non inducetur ad periurium, & non erit caſus, de quo loquimur. Ex principijs autē poſitis in capite ſexto iudicandum erit, an ſit amphibologia ſufficiens, & an excuſet ab iniuſtitia, vel alio genere peccati. Secundo poteſt hæc inductio fieri, petendo ab alio, vt iuret affirmando eſſe factū quod ignorat factum eſſe, vel negando factum eſſe, quod neſcit, an factum ſit. Tertio fieri poteſt inductio ad iurandū definite, & tanquam certum id, de quo iurans dubitat, & in his etiam eſt virtualis falſitas propter periculum falſitatis, & quia qui ſic iurat definite aliquid affirmando vel negando, quaſi in actu exercito iurat ſe id certò ſcire ac definite iudicare, & ideo iurat mēdacium: ergo qui illum inducit ad ſic iurandum, eodem genere peccati peccat.

Quibus modis dari poſſit inductio ad faciendū iuramentū.

8. Sed licetne, petere ab alio, vt iuret aliquid, quod petens iuramentum ſcit in re eſſe falſum, ab eo autē, à quo petit iuramentum ſcit reputari verum? Tunc enim non videtur inducere ad peccatum, cum iurās excuſetur ratione conſcientiæ, vt ſupponitur, ergo non peccabit inducendo. Nihilominus dico, non licere determinate inducere ad iurandum id, quod ſcitur falſum eſſe in ipſa re, quia reſpectu petentis illa eſt inductio ad falſitatem teſtificandam, & iurādam, quod intrinſece malum eſt, & ignorantia alterius ipſum non excuſat. An vero liceat tunc petere vt iuret, quod ſcit, vel verum putat, ex ſequenti puncto patebit?

An liceat inducere ad iurandū falſum eū, qui putat talem rē eſſe verā.

Difficultas ergo ſupereſt, quando ab illo, à quo exigitur iuramentum, non petitur determinate, vt hoc vel illud iuret, ſed abſolute, vt iuret, quod verū eſt, vel prout ipſe ſentit: An liceat hoc ab illo petere cum certa opinione, vel magna præſumptione, quod ille iurabit falſum, licet poſſit iurare verum? In quo puncto D. Thom. d. q. 89. art. 4. vtitur diſtinctione, & in primis ait, ſi petens iuramentum neſciat, alium iuraturum falſum, non peccare petendo licet nō ſciat, illum iuraturum verum: quod aliqui non admittūt dicentes, etiamſi aliquis neſciat, an alius ſit iuraturus verum, vel falſum, ſed dubius ſit, & ſuſpenſus, ignorans quid faciet, non poſſe iuramentum exigere, quia exponit ſe periculo præcipitandi alium in falſum iuramentum? Sed hoc plane falſum eſt, & improbabile, tum quia eſt contra Auguſt. Diuum Thomam, & alios Doctores ſtatim citandos. tum etiam quia nulla ratione fundatur, quia eo ipſo, quod neſcio aliquem peccaturum, præſumere poſſum & debeo recte futurum id, quod ſine peccato fieri poteſt, tum denique quia alias vix poſſent homines (ordinarie loquendo) ab alijs petere iuramentum. Vnde illa ſententia eſt cōtra communem vſum, & ſenſum omnium. De hac ergo parte nulla eſt, nec eſſe debet controuerſia. 9.

An autem liceat exigere ab homine vt iuret quod ſentit, quem certa præſumptione credo peieraturum. D. Thom.

Sed tota eſt, quando petens iuramentum, moraliter ſcit, aut præſumit, alium iuraturū falſum: quod eſt aliud membrum diſtinctionis D. Thom. Et de illo ſubdiſtinguit D. Tho. quia vel eſt perſona priuata vel publica, de priuata dicit non ei licere petere tale iuramentum, ſed eſſe homicidam fratris, ſi illud petat: de publica autem perſona dicit ei eſſe licitum. Et rationem reddit, quia non tam ipſe exigit, quam alius, ad cuius inſtantiam exigit. Vnde videtur colligi, illum alium, qui apud iudicem inſtat, ſub priori membro comprehendi, quia ſemper eſſe ſolet priuata perſona ius ſuum procurans mediante iudice: ille ergo etiam peccabit, ſic petendo, ſi primum mēbrum vniuerſaliter verum eſt. Atque ita in vniuerſum ille qui propriè exigit tale iuramentum, ſemper peccat. Et hanc doctrinam ſequuntur alij Doctores Turrecrem. cap. *Quamuis*, 22. quæſtion. 1. Bonauent. in 3. diſtinct. 39. dub. 5. circa literam, & art. 2. quæſt. 3. in corp. & ad 2. Richard. articul. 3. quæſtion. 3. Gabr. quæſt. 2. art. 3 dub. 1. Alen. 3. part. quæſt. 31. membr. 1. art. 6. Nauar. c. 12. num. 20. Soto li. 8. q. 2. art. 4. Couar. d. p. 1. § 6. nu. 2. in fin. Syluest. *Iuramentum*, 2. qu. 9. qui refert Cardinalem in Clementina vnica de Iureiur. & Panorm. in capit. *Clericus*, de Cohab. cler. & mulier. Ipſe tamen Syluest. addit limitationem, de qua ſtatim. Eandem doctrinam ſequitur Anto. 2. p. tit. 10. c. 7. § 3. & omnes fundantur in ſententia Aug. ſerm. 11. de Sanctis, & ſerm 30. alias 28 de Verb. Apoſto. & habetur in cap. *Ille qui, &c.* & cap. *Qui exigit*, 22. q. 1. vbi dicit, eum qui alium prouocat ad iurandum, quē ſcit falſum iuraturum, vincere homicidam. Ratio autem eſſe videtur, qui ille præbet proxime occaſionem ruinæ, & illum prouocat ad grauiſſimum peccatum. 10.

Punctū difficultatis.

Turrecr. Bonauen. Richard. Gabr. Alenſis. Nauar. Soto. Couar. Syluest. Anton. Aug.

Ex hac vero ratione oritur non parua dubitatio circa hanc communem doctrinam, nam qui petit ab aliquo, vt iuret, non petit, vt iuret falſum, ſed petit id, quod poteſt alter bene præſtare: ergo licet ille ex malitia ſua male id ſit præſtiturus, non imputatur malitia ei, qui petijt id, quod de ſe bonum eſt. Vnde nec dici poteſt dediſſe occaſionem peierandi, licet alius ſumpſerit illam ſua malitia, quod pertinet ad ſcandalum paſſiuum, non ad actiuum. Et eadem ratione non poterit dici induxiſſe ad malum, quia petijt id, quod alter bene facere potuiſſet: neque obſtat quod petens iuramentum præſciuerit alium peieraturum, nam hinc ſequitur permiſiſſe illud malum, non voluiſſe. Et hoc probat exemplum de petitione mutui 11.

Difficultas quæ oritur ex præcedenti doctrina.

Digitized by Google

mutui ab vſurario, & deſtructione maleficij à Mago. Denique hoc maxime videntur conuincere nuper dicta de petente iuramentum ab idololatra. Non eſt enim minus malum, imo maius iurare per Deos falſos, quam peierare per Deum verũ, vt in ſuperioribus dictum eſt: ſed hoc non obſtante abſolute ponitur regula, licere petere iuramentum ab eo, quem ſcimus iuraturum per falſos Deos, cur ergo non eadem, ſed contraria regula in periurio conſtituitur?

12. *D. Thom. reſponſio ad obiecta.*

Ad hæc reſpondet Diuus Thom. d. articu. 4. ad 4. ſupponendo, non aliter licere petere iuramentum ab idololatra, niſi quando creditur verum iuraturum, nam ſi peieraturus ſit, eadem erit de illo ratio proportione ſeruata. Hoc autem ſuppoſito reddit D. Thom. rationem differentiæ, quia. *In iuramento falſo etiamſi ſit per verum Deum, id eſt bonum fidei, qua vtitur aliquis in iuramento illius, qui verum per falſos Deos iurat. Vnde in iuramento eius qui falſum per verum Deũ iurat, non videtur eſſe aliquod bonum, quo vti liceat.* In quibus verbis hanc indicat rationem, quia tunc licet ab aliquo petere aliquid, licet cum peccato id ſit facturus, quando in eius actione aliquid boni eſt, quo vti licet, quia poteſt bene fieri, & iuſte peti: ita vero contingit in iuramento per falſos Deos: nam per illud confirmatur veritas, & firmatur fides humana, qua vti licet. In periurio autem omne bonum deficit, quia omnino euertitur finis iuramenti, quia non confirmatur veritas, ſed falſitas: & conſequenter nõ firmatur fides, nec eſt ibi aliquid boni, quo vti poſſimus.

13. *Oppugnatur ſuperior doctrina.*

Sed contra hoc eſt, quia etiam exigendo iuramẽtum ab eo, qui falſum iuraturus eſt, poteſt quis vti iure ſuo, & intendere aliquod bonum ſibi debitum, vel neceſſarium, ad quod vti poteſt illo iuramento, non vt falſum eſt, ſed vt iuramentum eſt. Quod manifeſte probatur in perſona iudicis exigente iuramẽtum à reo, vel teſte, licet præſumat falſum eſſe iuraturum, nam ſi exigat ſecundum ordinem Iuris, non peccat, quia vtitur iure ſuo, & vtitur malo alterius, ad hoc bonum ſatisfaciendi ſuo muneri, & parti petenti, & Reipublicæ: quia debet procedere ſecundum publicã ſcientiã, & inquiſitionẽ & non deſiſtere propter priuatã ſcientiam, vel præſumptionem, alioqui multo maiora mala in Republica ſequerentur. Vnde etiam patet, non peccare actorem, etiamſi priuata perſona ſit, petendo ius ſuum per iudicem, & per eum exigendo iuramentum à debitore, vel reo etiamſi peieraturum illum ſciat, quia non ſine bono vſu, & vtilitate hoc ſit. Primo quia hoc expedit ad cõmune bonum, quia rei, & debitores proniores redderentur ad malefaciendum, & ad occultanda delicta, & debita, etiam peierando, ſi ſcirent inde obligandos eſſe creditores, ſeu accuſatores ad nõ inſtandum contra illos, quod eſt maximũ abſurdum: ergo vtiliter iure ſuo vtitur, qui per iudicem petit iuramentum, non curando quod alius malitia ſua reſponſurus ſit. Accedit, quod non debet ille ex malitia ſua commodum reportare: magnum autem cõmodum illius eſſet, ſi non poſſet actor inſtare apud iudicem, vt ab eo iuramentum exigeret. Præterea nunquam poteſt eſſe tanta certitudo de futuro periurio, quin ſperari poſſit, vel ſaltem dubitari, an ille ſit permouendus ad dicendum verum, vel timore Dei, vel pœnarum, & infamiæ periurii. Denique etiam in petitione iuramenti in priuatos poteſt talis petitio habere bonum vſum, maximè in contractibus, nam licet ſciam alium contrahentẽ nõ impleturum, quod iurat, immò nec iuraturum cum animo implendi, poſſum ab illo petere iuramentum, vt cõtractus in exteriori foro firmius maneat: & vt habeam actionem cõtra illum. Item in iuramento purè aſſertorio poteſt eſſe vtilitas vel obtinendi veritatem, vel ſi ille falſum dicat, habendi occaſionem poſtea conuincendi illum, & digne puniendi, quando non habeo viam aliam ius meum obtinendi.

Hæc argumenta apud me probant nõ eſſe intrinſece malum petere iuramẽtum ab eo, quem ſcimus, vel præſumimus falſum iuraturum, ſed poſſe recte fieri, ſi duo, vel tria illa concurrant, quæ in iuramento per falſos Deos poſuimus, ad caſum præſentem illa cum proportione applicando. Primum eſt, vt non determinate petatur ab aliquo vt curet id, quod falſum eſſe ſcitur, nam hoc eſſet determinate inducere ad periurium. Et hoc maxime videtur intendere Auguſt. in dict. cap. *Qui exigit*, cum ait: *Qui autẽ nouit feciſſe, & cogit iurare, homicida eſt*, vtique ſi cogitat iurare non feciſſe. Qui ergo ſcit aliquem accepiſſe talem pecuniam, & determinate petit ab illo, vt iuret nõ accepiſſe, grauiſſime peccat, & periurus eſt, quia directa cauſa periurii eſt. Et ſic etiam dicitur in cap. 1. 22. q. 5. *Qui compulſus à Domino ſciens periurat, vtrique ſunt periuri & dominus, & miles.* Vnde neque in iudicio hoc modo petitur iuramentum, ſed indifferenter, *Iura, an hoc feceris*, vel *An hoc ſcias.* Secunda cõditio eſt, vt ſubſit iuſta cauſa petendi, ita vt neceſſitas aliqua cogat, vel ſaltem vtilitas, ad quam aliquis habeat ius, quo merito vti poſſit, nec teneatur illi cedere, nec alter ſua malitia peccat. Ratio eſt ſuperius poſita, nam eſt hic eadẽ obligatio charitatis erga proximũ, & charitatis, ac Religionis erga Deũ. Et hoc ẽt probat ratio D. Th. nãſi iuramentũ alterius, qui falſũ eſt iuraturus, nullius vtilitatis eſt reſpectu petẽtis, cõtra rationem, & charitatem eſt, illum conſtituere in illo diſcrimine. Vnde poteſt regula generalis conſtitui, Quoties iuramentum petitur ſine vtilitate, & alias ſcitur, aut vehementer præſumitur, quod ille à quo petitur, peierabit, peccatum eſt mortale: Probatur, quia licet talis petitio iuramenti ex inutilitate, & vana petitione eſſet tantum peccatum veniale, ex ruina proximi, & ex defectu veritatis futuræ in iuramento præuiſo, à petente, efficitur mortale: quia licet petens directe non inducat ad falſum iuramentum, indirecte cenſetur inducere, quia tenebatur nõ dare proximo talem occaſionem ſine cauſa. Quod maxime habet verum, quando alter non erat paratus ad iurandum: credo tamen idem eſſe etiamſi eſſet paratus in habitu, ſeu virtute, quia nihilominus hic, & nunc non eſſet commiſſurus tale peccatum.

14. *Non eſſe intrinſece malum petere iuramẽtum ab eo, quem ſcis peieraturum, ſi fiat certis conditionibus.* *Auguſt.*

Quoties iuramẽtũ exigitur ſine vtilitate, & vehementer præſumitur periurium peccatũ graue eſt illud exigere.

15. At vero cum his duabus conditionibus licitum eſſe poterit, iuramentum petere ab eò, qui præſumitur peieraturus: Nam tunc eadem eſt ratio de petitione talis iuramenti, quæ de iuramento futuro per falſos Deos, vel petitione mutui ab exacturo vſuras, & ſimilibus, vt ſatis probatum eſt. Quod autem illæ duæ conditiones poſſint concurrere, de prima eſt per ſe notum, quia ſolum conſiſtit in facto, & modo petendi, qui pendet ex libertate petentis. De ſecunda vero ſatis id videtur declaratum, & poſſunt facilè alii caſus morales, & vtilitates excogitari. Et hoc docuit Sylueſt. ſupra addens exceptionem, *Niſi ſit aliqua rationabilis cauſa recipiendi tale iuramentum:* ſupponit tamen neceſſarium etiam eſſe, vt ille, à quo recipitur iuramentũ ita ſit paratus, vt ſe obtulerit ſponte ſua ad iurandum. Et hoc etiam ſentit D. Thom. d. art. 4. ad 2. dicens illum, qui iurationem recipit non peccare niſi forte, quando propria ſponte cogit eum ad iurandum, quem ſcit falſum iuraturum: & adducit Auguſt. d. Epiſto. 154. dicentem: *Quamuis ſcriptũ ſit, ne iuremus, nunquam tamen me in Scripturis ſacris legiſſe memini, ne ab aliquo iurationem accipiamus.* Et eodem modo loquitur Soto ibi, ſentiens tantum paſſiue licere recipere iuramentum, non vero exigere, quia recipere iuramentum nõ eſt cooperari, nec cõſentire iuramento, ſicut exigere. Quapropter veriſimile nõ eſt, quod Gab. ſupra ait, non licere ſuſcipere tale iuramentum etiam ab eo, qui ſponte ſe offert ad iurandum: niſi id intelligatur, quando nulla ſubeſt legitima cauſa, vt paulò antea dixi.

D. Thom. *Aug.*

16. Addo vero contingere poſſe, vt ſubſit legitima

cauſa

Poteſt quis cum legitima cauſa, petere iuramentum ab eo qui ſe nouerit adeò ſuum, etiamſi moratur illum peieraturum eſſe.

cauſa petendi iuramentum, etiam ab eo, qui non ſe obtulit ad iurandum, et ſimili valde probabiliter timeatur eum eſſe peieraturum: quando petens habet ius ad petendum ab eo confirmationem contractus, vel alterius veritatis per iuramẽtum & multum ei intereſt vt iuret, etiãſi malitia ſua falſum iuret. Vt quoties ratione tui muneris teneris exigere iuramẽtum etiamſi non ſis publicus iudex, ſed miniſter, vel procurator alterius, qui eius cauſam agis & niſi iuramentum exigas, prævaricationis aut negligentis adminiſtrationis argueris, & damnum incurres. Item ſi tuum negotium agis, & multum intereſt, vt res ſit exterius iuramento cõfirmata vt ſupra declaratum eſt. In his enim & ſimilibus caſibus non eſt inductio ad periurium, quia ſolum petitur iuratio veritatis, vt ſupponitur & alter ſua malitia iurat falſitatem nec eſt conſenſus in periurium, ſed permiſſio, quæ aliquando licita eſt propter bonum finem & vitãdo iure proprio in graui neceſſitate. Nec agitur cõtra ordinem charitatis, quia non tenetur quis ex charitate vitare peccatũ alterius cum magna iactura propria, quando ille ſua culpa & voluntate peccat. Et ita declaranda videtur communis ſententia, in quo nobiſcum videtur ſentire Leſſ. lib. 2. ca. 42. dub. 10 clarius Dried. li. 1. de L bert Chriſt. c 9. in fine.

Leſſ.
Dried.

12. *Solutio ad rationẽ ſuperius factam.*

Iuxta hæc ergo dicendum eſt ad obiectionem ſuperius factam differẽtiam conſt tutam à D uo Thoma & Bonau. & inſinuatam ab Auguſtino, inter iuramentum verum per falſos Deos, & falſum per verum Deum quoad præſentem caſum, intelligẽdam eſſe materialiter, ac regulariter. Nam iuramentum verum etiam ſi ſit per falſos Deos, per ſe habet illam humanam vtilitatem quæ per iuramentum intenditur: & ideo in hoc iuramento moralis regula eſt, licitum eſſe vti illo, & per modum exceptionis additur, niſi gratis, & ſine cauſa petatur. E contrario vero iuramentum falſum per verum Deũ per ſe caret vtilitate intenta per iuramentum & ideo pro regula ponitur, non licere illud exigere priuata authoritate: & nihilominus per modum exceptionis addẽdum eſt, niſi iuſta cauſa, & moralis neceſſitas intercedat. In qua etiam poteſt eſſe latitudo, & leuior cauſa ſufficiet ad recipiendum tale iuramentũ ab ſponte offerente, quam ad petendum ad vtrumque autem requiritur cauſa proportionata, quia alias non eſſet ſola permiſſio, ſed moralis conſenſio. Et fere idem dicendum cẽſeo de alia diſtinctione inter perſonam publicam, & priuatam. Nam publica perſona hæc qua ſi per ſe & iure ſuo licet petere iuramentum, non obſtante ſcientia priuata de malo animo iurantis, tum quia iudex vtitur iure ſuo, & per ſe ac ratione officii habet legitimam cauſam: tum etiam quia tale iuramẽtum publice datum habet ſuum finem, & efficaciam in ordine ad ſcientiam publicam, quam iudex ſequi tenetur. In priuata autem perſona ceſſat hæc ratio & ideo generalis regula moralis contraria de illa ponitur, quamuis, vt dixi, ſuam habeat exceptionem. Et ſuo etiam modo regula data de iudice limitationem habet: nam vt ait Alenſ. ſupra, ſi iudex poteſt aliqua via, non deficiendo ſuo muneri, vitare petitionem iuramenti, debet illam cauere quod maxime à iudice Eccleſiaſtico obſeruandum eſt iuxta cap. *Clericos*, de Cohabit. cler. & mulier.

11. Tãdem ex dictis facile intelligi poteſt quid ſit dicendum de iuramẽto promiſſorio, nam eadem doctrina cum proportione ad illud applicãda eſt. Nam ſi conſideretur promiſſorium iuramentum, vt præſtandum cum debita intentione ſeruandi illud, vt ſic habet rationem aſſertorii, & conſequenter idem eſt de illo dicendum. Si vero conſideretur vt obligationem in futurum relinquit & moraliter periculũ manet, vt à fragilibus hominibus non ſeruetur, ſic moralis & prudens regula eſt, vt non niſi raro, & cũ magna neceſſitate exigatur. Quam indicat Nauar. c. [illegible] 10. eamque colligit ex d. c. *Clericos*, vbi Pontifex

Regula moralis, a quibus ſit exigendum iuramentum promiſſorium.
Nauar.

prohibet, ne clerici cogantur ad abiurandas concubinas, propter cauendum periculum periurii. Vnde etiam inferunt Doctores, imprudenter agere confeſſores, qui à pœnitentibus ſic iuramenta exigũt vel de emendatione, vel de tollenda occaſione, vel de re ſimili. Ita Nauar. ſupra cum Syluest. *Iuramentũ*, 2. q. 9. Ang. *Iuramentum*, 4. nu. 11. Ex quo à fortiori ſequitur, multo magis vitandam eſſe petitionem talis iuramenti, quando moraliter præſumitur non eſſe ſeruandum ab exhibente. Sed hoc habet moderationem poſitam de iuramento aſſertorio, quia eſt eadem ratio: vbi enim confirmatio pacti, vel promiſſionis per iuramentum ad commune bonum ſpectat, vel ad defenſionem vel firmitatem proprii iuris peti poteſt, ſine violatione charitatis, aut Religionis, quia bonum petitur, & malũ quod timetur, permittitur. Et eadem ratione licitum eſt petere debitũ ex iuramento etiamſi ſciamus alium prius peieraturum quam ſoluat quando alter non poteſt debitum recuperare, vel aliquãdo ad commune bonũ id expedit. Denique in his omnibus regula charitatis, & iuſtitiæ prudenter ſeruanda eſt, nec poteſt alia certior tradi.

Syluest.

Quando licitum eſt exigere iuramentũ promiſſorium etiã ab illo, qui perhibetur peieraturus.

19. Vltimo quæri poteſt in hoc puncto. An è conuerſo quoties alicui licet iurare poteſt, & creditur verum dicturus, licitum ſit ab illo exigere iuramẽtum? Reſpondeo duobus modis poſſe accipi verbum exigẽdi. Primo rigoroſe, vt importet moralem neceſſitatem, & quaſi coactionem vel per præceptum, vel per metum, aut pœnam &c. Secundo poteſt verbum illud latius ſumi, vt ſignificat ſolam inductionem, vel petitionem. Si ergo ſumatur hoc poſteriori modo, regula generalis conſtitui poteſt, licite ab aliquo exigi iuramentum, quod ipſe licite præſtari poteſt, & ita facturus eſſe credebatur, quia ex obiecto illa petitio eſt honeſta tum ſi de re licita, & per ſe loquẽdo non habeat circumſtantiam malam: cur enim aut vnde illam nec [illegible]? Item ſi alter poteſt licite iurare, concurrunt omnes tres comites iuramenti. at cum illis comitibus licitum eſt etiam petere iuramentum, ergo.

20. *Regula generalis tradere de his a quibus poteſt licite iuramentum exigi.*

At vero ſi verbum exigendi ſumatur priori modo, nõ ſatis eſt ad exigendum ab aliquo iuramentũ, quod ab ipſo poſſit licite præſtari, ſed vltra hoc neceſſarium eſt vt vel is à quo petitur, teneatur ex aliquo debito iuſtitiæ vel obedientiæ iuramẽtum præſtare: vel is, qui illud exigit, habeat iuriſdictionem ad exigendum illud imponendo præceptum, vel alio iuſto modo cogendo ad debitum iuramentum præſtandum. Patet, quia nemo iuſte cogitur, niſi ex parte ipſius vel ſupponatur debitum, vel poſſit ei imponi per nouum præceptum, & ex parte cogentis, ſeu exigentis ſeruetur modus proportionatus ſuæ poteſtati. Ergo ſi vnus non tenetur iurare, & alter non poteſt ei imponere præceptum, non poterit hic iuramentum ab illo exigere, quia vim iniuſtam inferret. Item ſi ille tenetur iurare hic vero nõ habet iuriſdictionem ad cogendum illum, poterit quidem hic iuramentum ab illo exigere petendo, & repræſentãdo debitum non tamen cogendo per vim: quia hæc nõ infertur iuſte, niſi ab habente iuriſdictionem, vel ſimilem poteſtatem, vt eſt domini in ſeruum, aut patris in filium. Qui autem habet talem poteſtatem, poteſt in rigore iuramentum exigere per coactionẽ ſuæ poteſtati commenſuratam: & interdum poteſt imponere præceptum iurandi & ſic facere debitum, quod ante non erat vt in principio huius libri diximus. In his autem caſibus, in quibus vnus cogit aliũ ad iurandum ſine debita poteſtate ſi iuramentum alias eſt licitum: peccabit quidem contra iuſtitiam, nõ vero contra iuramentum, vel Religionem, quia non inducit ad aliquid illi contrarium, vt conſtat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XV.

Vtrum violare iuramentum promiſſorium quoad eius veritatem peccatum mortale ſit ex genere ſuo?

1\. DIximus de grauitate peccati contra veritatem, vel honeſtatem iuraměti aſſertorij. nũc de promiſſorio dicendum ſupereſt: habet enim in hoc peculiarem rationem, & difficultatem. Poteſt autem defectus committi in hoc iuramento circa ſingulos comites honeſti iuramenti, ſcilicet veritatem, iuſtitiam, & neceſsitatem: & quidem de hac tertia nihil eſt, quod addamus, nam ex ſolo defectu illius, ſi alij duo comites ſeruentur, nunquam incurritur culpa mortalis, ſed ad ſummum venialis. Immo ſi attentè res conſideretur, ille defectus non committitur in hoc iuramento niſi quando fit ac ſubinde vt aſſertorium eſt, nam poſtquam factum eſt, neceſsitatis eſt illud implere, ſi validum fuit: quod ſi fuit inualidum etiã tunc nõ erit peccatum illud implere, niſi aliunde iuſtitia, ſeu honeſtas in ipſo actu deſit. De alijs ergo duobus defectibus dicemus prius de veritatis defectu, qui nomine periurij ſignificatur, de altero vero poſtea.

2\. *Semper eſſe peccatum mortale iurare falſum etiam in promiſſorio.* Supponimus autem primo, ſemper eſſe peccatum mortale cum falſitate iurare in ipſo actu emittendi iuramentum promiſſorium, ſiue materia ſit gratiis, ſiue leuis, ſiue bona, ſiue mala: quia tunc non violatur hoc iuramentum vt promiſſorium, ſed vt aſſertorium. Tunc autem cum falſitate ſic iuratur, quando iuratur ſine intentione faciendi, quod promittitur, qui enim ſic promittit, eo ipſo mentitur: ergo ſi iuramentum addat, eſt ſtatim periurus aſſerẽdo falſum: peccat ergo mortaliter, iuxta principium ſupra poſitum. Et ita in hac veritate omnes Doctores ſtatim citandi conueniunt, & patebit magis ex capite ſequenti.

3\. *Non ſemper eſſe nouum peccatũ non implere iuramentum promiſſoriũ, etiãſi id fiat cũ intentione implẽdi.* Suppono ſecundo, non ſemper eſſe nouum peccatum, non implere iuramentum promiſſorium, etiamſi cum intentione iurandi, & ſe obligandi, & illud implendi ſit factum. Hoc conſtat in iuramentis illicitis ex parte rei promiſſæ iuxta ea, quæ traduntur in multis Decretis 22. q. 4. & ſupra late dictum eſt. *Obiectio.* Dices: Non implere promiſſum iuramento confirmatum, eſt contra præceptum Diuinum negatiuum: ergo eſt intrinſece malum, ergo nunquam poteſt non eſſe peccatum. Primum antecedens probatur, quia eo ipſo, quod promiſsio iurata non impletur, fit falſum, quod in promittendo aſſertũ fuerat ergo fit, vt Deus fuerit adductus ad confirmandam falſitatem: hoc autem eſt contra præceptum negatiuum non peierãdi, ſeu non aſſumendi in vanum. *Solutio.* Reſpondetur, duobus modis contingere poſſe, vt iuramẽtum promiſſorium ad executionem non perueniat ſine culpa. Vno modo quia licet fuerit à principio validum, & obligauerit, incluſit tamen conditionem aliquam, ſiue expreſſam, ſiue tacitam, quæ poſtea impleta non eſt. Et tũc nulla eſt in obiectione difficultas, negatur enim primum argumenti antecedens, & alterum in probatione aſſumptum: quia tunc ex carentia talis executionis nulla falſitas redundat in præteritam aſſertionem, quæ in vi cõditionalis ſemper manet vera, & nunquam tranſiuit in abſolutam & ideo licet executio impleta non fuerit, iuramentum poteſt dici obſeruatum, id eſt non violatum. Et hæc reſponſio locum habet in omni variatione circa iuramentum, ſiue per mutationem materiæ, ſiue per relaxationẽ, diſpenſationem &c. quia omnes huiuſmodi reducuntur ad conditionem non impletam.

4\. *Alia ratio excuſandi.* Alio vero modo poteſt iuramentum non impleri ſine peccato, quia à principio non obligauit, vt cõtingit in iuramentis de rebus vel illicitis, vel contrarijs directe ſpiritualibus bonis, vel impoſsibilibus. *Iuramenta illicita vel impoſſibilia non obligant ſi non placentur.* Et in his euidens etiam eſt ratio aſſertionis, quia ſi ex iuramento non naſcitur obligatio, nõ poteſt eſſe nouum peccatum illud non implere, ſed tota culpa fuit in principio commiſſa, quando ſic iuratum eſt, vt iuramentum obligare non poſſet: de qua culpa in capite ſequenti dicetur.

5\. Ad obiectionem vero, quæ magis conſiſtit in forma arguendi, quam in re, duobus modis etiam in forma reſponderi poteſt. Primo negando maiorem, ſcilicet non exequi promiſsionem iuratam ſemper eſſe intrinſece malum ſed tunc ſolum, quando iuramentum obligauit. Ad probationem autem dicitur, quod falſitas rei, quæ poſtea ſubſequitur, non eſt voluntatis, ſed neceſsitatis, ex neceſſaria conſecutione ad priorem defectum, & ideo nec eſt noua culpa nec contra præceptum prout in ſe ſpectatur, ſed ſolum in radice prout fuit culpa ſic iurare. Vt autem dicatur executio poſtea impoſsibilis ſufficit, quod facto, vel iure ſit impoſsibilis, id eſt, talis, vt fieri non debeat vel ſimpliciter, vel intuitu iuramenti, vt ſupra explicatum eſt: vnde illa falſitas non poteſt attribui, quatenus poſtea non exequitur iuramentum, quia nec illã intendit, nec illam cauere tenetur, cum moraliter non poſsit.

6\. Secundo reſponderi poteſt, aliam eſſe rationem de iuramento aſſertorio, aliam de promiſſorio vt promiſſorium eſt: nam in aſſertorio aſſumere nomẽ Dei in vanum immediatè eſt contra præceptum negatiuum: & ideo ita eſt intrinſece malum, vt nunquã poſsit honeſtari, nec à culpa excuſari, ſi actus ſit humanus: & hoc commune eſt promiſſorio, vt aſſertorium eſt, id eſt, ſecundum illam conditionem, quam debet habere, cum fit. At vero neceſsitas implendi promiſſorium iuramentum, vt tale eſt, non oritur immediate ex tali præcepto negatiuo, quia poſtquã emiſſum eſt iuramentum iam non aſſumitur nomẽ Dei, ſed cauetur, ne prior aſſumptio Diuini nominis irreuerenter tractetur, & conſequenter ne re ipſa fiat vt in falſam aſſertionem ceciderit. Hoc autem immediate pertinet ad præceptum affirmatiuum: *Reddes Domino iuramenta tua:* & ideo nõ implere promiſſum iuratum, magis eſt peccatum omiſsionis, quam commiſsionis, quatenus eſt contra Religionem eſt, vt ſupra dixi. Præceptum autem affirmatiuum non obligat ſemper, & pro ſemper, & ideo fieri poteſt, vt non ſemper ſit malum non exequi illud. Et ita in præſenti non eſt malum, non exequi talia iuramenta, quia non pertinet ad Diuini nominis honorẽ, & reuerentiam, vt talia promiſſa opere compleãtur: quia non ſunt conformia Diuinæ bonitati, aut volũtati. Vnde etiam dici poteſt, in omni iuramento promiſſorio includi conditionem. Si Deo placuerit. & ideo illa non ſubſiſtente ſine falſitate non impleri.

7\. *Voluntarie non implere iuramentum licitum, & obligans pro tempore, mortale peccatum eſt.* Tertio ſupponendum eſt, voluntarie non implere iuramentum promiſſorium, licitum, & obligans pro eo tempore, pro quo non impletur, peccatũ eſſe ex ſuo genere mortale contra Diuinam legem naturalem. Hæc etiam aſſertio eſt certiſsima de fide, vt conſtat ex dictis de obligatione iuraměti promiſſorij: nam obligatio, quam inducit ſub præceptum cadit, vt oſtendimus: ergo frangere illam voluntarie peccatum eſt. Item illa obligatio eſt virtutis Religionis, & ex præcepto colendi Deum, ergo peccatum contra illam ex ſuo genere mortale eſt, & contra Diuinam legem naturalem. Vnde etiam conſtat in materia graui tale periurium ſemper eſſe peccatũ mortale, vt ex generalibus principijs de peccatis manifeſtum eſt. Quam vero graue ſit in ſua ſpecie hoc delictum, ex dictis cap. 3. ſumendum eſt. 8.

CAPVT

Capvt XVI.

An violatio iuramenti promiſſorij, vt tale eſt, poſſit eſſe veniale peccatum ex leuitate materiæ?

1. *1 Sententia. Gabr. Armil. Leſſ. Valent. Caiet. D. Thom.*

PRima ſententia ſimpliciter negat. Tenet Gabr. in 3. d. 39. quæſtion. 2. concluſ. 4. & 7. Armil. verb. *Iurare*, numer. 12. Leſsius libr. 2. capit. 46. dub. 5. Valen. diſput. 6. quæſtion. 7. punct. 3. concluſ. 3. Inclinat Caietanus in Summ. verb. *Periurium*, vbi ſine diſtinctione affirmat hoc periurium eſſe peccatum mortale. Fauet non parum Diuus Thomas, quæſtione 89. articul. 7. ad 1. quatenus dicit, *Ad reuerentiam Diuini teſtimonij pertinere, vt homo faciat eſſe verum id, quod iurauit, ſecundum ſuam poßibilitatem*: ex quibus verbis ſumitur fundamentum huius ſententiæ, quia videtur quoad hoc eſſe eadem ratio de iuramenti promiſſorij violatione, quæ de aſſertorij. *Probatur 1. opinio.* Probatur, quia etiam non implendo iuramentum promiſſorium obligans, efficitur Deus teſtis falſitatis, quantum eſt ex parte volũtatis illud: ergo hæc etiam ſemper eſt grauis iniuria Dei, etiamſi in re parua falſitas fit. Conſequentia conſtat ex dictis. Et antecedens probatur, quia homo adduxit Deum in teſtem ſuæ promiſsionis, & aſſertionis de futuro, & poſtea vult illam facere falſam, cum teneatur facere veram: ergo quantum eſt in ſe voluntarie facit, vt Deus teſtatus fuerit falſum. Confirmatur, quia hæc eſt præciſa ratio, ob quam in materia graui hoc eſt peccatum contra Religionem, quia per illud fit, vt Deus afferatur ad teſtificandum falſum: hæc autem ratio ad quamcumque materiam applicata continet grauem deformitatem, ergo.

2. Vnde argumentor ſecundo, quia quantitas materiæ non confert ad argumentum, vel leuitatem peccati, niſi quando ipſa materia eſt obiectum per ſe, & & immediatum peccati, vt patet in voto, in furto, & ſimilibus: at in hoc periurio materia eius non eſt res promiſſa, ſed promiſsio ipſa, vel aſſertio quatenus vera, vel falſa eſſe poteſt: ergo parum refert quantitas materiæ ad quantitatem peccati, quia veritas vel falſitas tanta eſt in graui, ſicut in leui re promiſſa. Tandem argumentor tertiò, quia finis iuramenti promiſſorij grauiſsime læditur ex violatione eius, in quacumq; materia etiam minima: ergo eſt ſemper graue peccatum. Conſequentia eſt clara, quia non poteſt melior regula aſsignari ad diſcernendum, quando defectus aliquis in iuramento graue peccatum ſit, vt bene expoſuit Caiet. in q. 98 ar. 2. & 3. *Caiet.* Antecedẽs vero probatur, quia ſi Dei teſtimonium vel in minimis poſſet deficere, parum confirmaret quamcumque promiſsionem: hæc autem confirmatio eſt iuramẽti finis, ergo.

3. *2 Sententia.* Secunda ſententia diſtinctione vtitur, nam vel parua res eſt tota materia iuramenti promiſſorij, vel eſt ſolum quædã pars minima integræ materiæ grauioris. In priori caſu aſſerit hæc ſententia, eſſe peccatum mortale iuramentum non implere, quia fit omnino vanum, & falſum, & ita tunc procedent rationes ſuperioris ſententiæ. In poſteriori autem caſu aſſerit eadem ſententia, dari poſſe peccatum veniale ex leuitate materiæ partialis in tranſgreſsione iuramenti promiſſorij. Et fundamentum quoad hanc partẽ eſſe videtur. Quia leuis defectus in partiali materia non videtur facere aſſertionem, vel promiſsionem falſam ſimpliciter loquẽdo, & humano, ac morali modo: vt ſiquis iurauit dicere Roſarium, & vnũ Aue prætermittit, non poteſt iure cenſeri infidelis in promiſsis, nec falſum dixiſſe. Idem eſt ſiquis promiſit ſoluere debitum hora tertia, & parum poſt auditã horam ſoluit, vel qui promiſit non ludere, & parum temporis in parua quantitate ludit: nam ibi materia integra eſt nũquam ludere, & reſpectu illius hoc parum pro nihilo reputatur. Præcipuus auctor huius ſententiæ fuit Caiet. 2. 2. quæſt. 89. articulo 7. ad 1. eũm ſequitur Couar. 1. Variar. cap. 1. numer. 2. & tacite idem confirmat in cap. *Quamuis*, part. 1. §. 1. numer. 4. Cordu. in Summ. Hiſpan. quæſtion. 188. Philiarchus tom. 1. lib. 3. c. 3. de Offic. Sacer. *Caiet. Couar. Cord. Philiar.*

4. *3. Sententia. Anton. Sylueſt. Angel. Graſ. Ant. de But. Soto. Nauar.* Tertia ſententia abſolutè docet, poſſe dari in hac materia peccatum veniale ex paruitate materię promiſſæ, etiam quando res parua eſt tota materia promiſsionis. Ita docet Anton. 2. part. titul. 10. cap. 4. §. 1. Sylueſt. *Iuramentum*, 4. p. 1. Angel. *Iuramentum*, 5. nu. 41. iunctis his, quæ addit verb. *Periurium*, numer. 1. Graſſis lib. 2. cap. 8. num. 8. num. 3. citans Anton. de Butr. in cap. *Si vero*, de Iureiur. idem ſentit nume. 17. So. li. 2. de Iuſt. q. 4. ar. 3. circa fin. & li. 8 de Iuſt. q. 1. ar. 7. & q. 2. art. 3. Nouar. in Manua. c. 12. n. 10. & 18 nu. 7. & reuocat priorem ſentẽtiam, quam prius ſecuerat. Dicitq; hanc ſententiam eſſe magis receptam, à qua non eſt recedendum ſine efficaci textu, aut ratione, quæ hic non inueniuntur. Eandem opinionem ſequitur Azor. tom. 1. libr. 11. cap. 5. quæſt. 3. Cordu etiam dicit, hanc ſententiam eſſe valde probabilem, licet priorem dicat eſſe ſecuriorem. Denique pro hac ſententia referri poſſunt Doctores, qui aſſerunt, non eſſe mortale, ſed veniale peccatum non implere iuramentum metu extortum, vt ſunt Ioan. Andr. Hoſtien. Panorm. & alij in c. *Verum*, de Iureiur. per illum textum, & ſequitur Angel. verb. *Periurium*, nu. 1. citans Pet. Aureo. *Ioan. Andr. Panorm. Angel. Pet. Aur.* Iſti enim ſupponunt poſſe dari culpam venialem in non obſeruando iuramento promiſſorio etiam in materia dotali, ex quo principio recte ſequitur etiam poſſe dari ob materiæ leuitatem.

5. *1. Concluſio.* Dico primo, non eſſe in hac controuerſia conſtituendam differentiam inter materiam dotalem, vel partialem, ſed eandem eſſe vtriuſque rationem. Hãc aſſertionem probabimus in tractatu 3. de Voto latius quoad materiam voti: nunc explicatur ex proprijs huius materiæ. Quia in iuramento aſſertorio non eſt admittenda talis differentia: ergo nec in promiſſorio. Antecedens conſtat, tum quia nullus in illo iuramento ita diſtinxit, ſed abſolute definiunt qualecumque ſit mendacium leue ex parte materiæ, illud confirmare iuramento eſſe peccatum mortale: tum ex rationibus ſupra factis, quia quomodocumque mendacium ſit, ſi teſtimonio Dei confirmetur, Diuina authoritas deſtruitur. Vnde non minus repugnat primæ veritati dicere leue mendacium in materia partiali, quam in totali, vt per ſe conſtat. Cõſequentia vero probatur, quia vel non implendo iuramentum promiſſorium, Deus efficitur teſtis falſitatis, vel non efficitur: ſi non efficitur, ceſſat ratio peccati mortalis in materia leui, ſi vero efficitur, parum refert, quod ſit mendacium in tota materia, vel in parte. Et procedit æquiparatio cum periurio aſſertorio. Quia iuxta illam ſententiam perinde eſt, cæteris paribus, facere falſam propoſitionem de futuro, iuramento confirmatam, ſicut afferre Deum in teſtem mendacij de præterito, aut præſenti. Vel ſi inter hæc conſtituatur differẽtia quoad materiam partialem, eadem in dotali poterit aſsignari.

6. Et ita probatur aliud membrum dilemmatis aſſumpti, quia ſi Deus non efficitur teſtis mendacij, etiamſi iuramentum promiſſorium non impleatur, nõ oportebit magis æquiparare illud cum periurio aſſertorio in mendacio circa totam materiam, quam circa partem, ſed differentia in vno inuenta, facile ad aliud applicabitur.

7. *Probatur concluſio à priori.* Ratio autem à priori ob quam in præſenti nõ admittitur illa diſtinctio, eſt, quia veritas conſiſtit in adæquatione dicti ad rem, quæ adæquatio in indiuiſibili conſiſtit: & ideo ſicut eſt falſa propoſitio affirmans hic eſſe viginti homines, cum nullus ſit, ita & affirmans eſſe viginti, vbi ſunt decem & nouem. Parumque

rumque refert de æqualitate diſputare, an vna propoſitio ſit magis falſa, quam alia, ſatis enim eſt, vtráque eſſe falſam, & aſſertionem eius ſcienter prolatam eſſe mendacium: ergo ſi falſitas propoſitionis de futuro, quæ reſultat ex iuramento promiſſorio non impleto ſufficit ad grauitatem mortalis peccati, in materia partiali, ſicut in totali ſufficiet, quia quomodocumque Deus afferatur in teſtem falſitatis, grauis illi fit iniuria. Denique declaratur in hũc modum, nam ſiquis, cum iurat ſe dicturum Roſarium hodie, haberet animum omittendi vnum, *Aue*, vel *Pater*, non minus peccaret, quam ſi iuraret dicere vnum *Aue* tantum ſine animo implendi, quia vterque iurat mendacium: ergo idem cum proportione erit ſi poſtea in vtroque caſu non impleat. Si enim iuxta illam ſententiam in priori materia totali æquiparantur dicere, vel facere falſum: debent æquiparari in poſteriori, eſt enim eadem ratio grauitatis, vel leuitatis.

8. *Refellitur ſecũda ſententia.* Quapropter falſa ſunt, quæ in probatione ſecundæ ſententiæ aſſumebantur nam re vera eadem falſitas in exemplis ibi adductis interuenit: conſiderata integra ratione veritatis, quæ ſemper ſpectanda eſt, quando Deus ad illam confirmandam adducitur. Eſt autem cauendum, ne per aliam rationem extrinſecam excuſetur culpa grauis in defectu partis materiæ leuis, vt v.g. ſi dicatur, non peccare mortaliter, qui iurauit centum aureos dare, & ſoluit illos excepto vno argenteo, vel aſſe, quia alter, cui ſoluitur tacitè conſentit, & pro nihilo ducit: hoc enim modo etiam peccatum veniale poterit excuſari, & non ſolum in materia partiali, ſed etiam in totali, immò etiam in graui, ſi eſſent ſufficientia ſigna remiſsionis alterius, vt ſupra dictum eſt. Hoc ergo eſt per accidens, & ſi quid poteſt cõferre ad præſumptionem, eadem eſt ratio materiæ partialis, & totalis. Idemque eſt, ſi dicatur, promiſsionem alicuius totius moraliter intelligi, & ideo ſufficienter, & vere impleri etiamſi aliquid minimum deſit. Nam ſi illud minimũ tale eſt, vt non cenſeatur cadere ſub intentionem iurantis in eo rigore, iam nec ſub culpa veniali erit obligatio: ſi autem cadit ſub iuramento ex intentione iurantis non ſatisfit iuramento, nec veritati, ſi illud non impletur, etiamſi quoad obligationem iuſtitiæ illud pro nihilo reputetur. Semper ergo ſupponendum eſt, iuramentum obligare tam ad materiam partialem, quam ad totalem, & vtramque omitti cũ violatione iuramenti: & ſic diximus non poſſe rationabilem conſtitui differentiam.

9. *2. Cõcluſio.* Dico ſecundo: Probabilius eſt, ſecluſo formali contemptu, non eſſe peccatum mortale non implere promiſsionem iuratam in materia leui. Hanc partem multis rationibus cõfirmat Nauarrus ſuprà. ſed omnes ſunt ex generalibus materijs petitæ, poſſentque facile ad iuramentum aſſertorium applicari, & ſicut in illa ſoluuntur, ita poterunt in præſenti ſolui, niſi differentia quoad hoc inter iuramentum aſſertorium, & promiſſorium aſsignetur. *Diſcrimen inter iuramentũ promiſſoriũ, & aſſertorium.* Hæc ergo differentia quærenda eſt, & pro principali fundamento huius materiæ, & aſſertionis aſſumenda. Hanc ergo differentiam declaro, quia non implere promiſsionem factam cum intentione recta non eſt mẽdacium. ſed infidelitas: ergo qui nõ implet, quod recta intentione iurauit, non facit Deum teſtem mẽdacij. ſed peccat, quia infideliter agit in re promiſſa ſub Diuina authoritate. Ergo non eſt eadem ratio grauitatis, & malitiæ in vtroque iuramento violando, & ita poterit facile dari ratio leuis culpæ in iuramento promiſſorio, quæ in aſſertorio locum non habeat. *D.Thom.* Primum antecedens ſumitur ex D. Thoma 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 5. dicente: *Qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur: ſi vero non faciat, quod promiſit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat.* Vbi etiam rationem inſinuat, quia mentiri eſt contra mẽtem loqui, quod non facit is, qui promiſſum non implet, infideliter autem agere eſt, mutare animum contra obligationem factam. Ex quo ſequitur, vt licet prior propoſitio de futuro falſa fuerit, non tamen ex intentione loquentis, ſed quaſi materialiter. Vnde ſi attente ſpectetur, quando non impletur promiſsio, non fit falſa prior propoſitio de futuro, tunc enim quando prolata fuit, vera vel falſa fuit, ſed latebat nos qualis eſſet, & poſtea manifeſtatur. Dici autem poteſt homo cauſa illius falſitatis, quia poſuit terminum relationis eius, vt ſic dicam, quod poterat, & debebat nõ ponere: in quo infideliter agit, & à veritatis perfectione aliquo modo deuiat, nõ tamen formaliter mẽtitur: ſunt ergo illæ deformitates, & malitiæ diuerſarũ rationũ. Et à poſteriori eſſe põt ſignũ huius diuerſitatis, quia mendacium dicere nunquam poteſt honeſtari & mutare animum poteſt honeſtari, ita vt nõ ſit infidelitas, vt ibidem D. Th. ſubdit: ergo hæc infidelitas in promiſsis eſt genus peccati formaliter diuerſum à mendacio.

Hincque probatur prima conſequentia, quia ſi illud non eſt mendacium, non affertur Deus in teſtem mendacij. 10. Vnde ſupra dicebamus (& Caietan. etiam in d. art. 7. ita loquitur) *Caiet.* quod in iuramento promiſſorio, licet Deus afferatur vt teſtis præſentis promiſsionis, & aſſertionis, quantum ad veritatem, quam de præſenti habere debet, quæ ad aſſertorium iuramentum ſpectat: nihilominus quantum ad aſſertionem de futuro potius adducitur tãquam fideiuſſor, quod ſic promittens non mutabit indebite voluntatem ſuam, & propoſitũ. *In iuramento promiſſorio non adducitur Deus, tanquam teſtis ſed tanquã fideiuſſor.* Quia teſtimonium proprie non fertur, niſi de veritate determinata, prout eſt veritas de præterito, aut de præſenti, ad confirmandas autem propoſitiones de futuris contingentibus, vel promiſsiones, non ſolent induci teſtimonia, niſi vel vt conſtet de pacto præſenti, & de obligatione inde orta, vel vt dent quãdam authoritatem obligationi per modum fideiuſsionis: ita ergo inuocatur Deus in iuramento promiſſorio, nam inuocatur modo hominibus accommodato, ergo quamuis poſtea non impleatur promiſsio iurata, non ideo Deus affertur ad teſtificandum mendacium. Nec in hoc conſiſtit irreuerentia, quæ illi fit, ſed in hoc potius quod videtur contemni eius authoritas, quæ interpoſita fuit per modum fideiuſsionis ad corroborandam promiſsionem.

11. *Obiectio.* Dices, totum hoc metaphoricum eſſe, & euertere vim iuramenti promiſſorij vt ſic, niſi ad teſtimoniũ Diuinum reuocetur: quia Deus non poteſt dici proprie fideiuſſor, non enim aſſumit in ſe onus ſoluendi promiſſum, ſi homo non ſoluat. Ergo ſolum metaphorice poteſt dici fideiuſſor, quatenus ſuo teſtimonio præbet firmitatem promiſsioni, ſicut ſolet præbere inter homines fideiuſſor: ergo proprie non inuocatur Deus niſi vt teſtis veritatis, etiam aſſertionis de futuro. Neque magis hoc repugnat, quam afferre Deum in teſtẽ veritatis de præſenti, aut de præterito occultiſsimæ, & quæ humano teſtimonio probari nõ poſſet. ideo enim Deus teſtis inuocatur, quia omnia nouit: ergo ita etiam adducitur vt teſtis promiſsionis, & aſſertionis de futuro contingenti, quia omnia etiam futura prænouit.

12. *Reſpõdetur obiectioni.* Reſpondeo, inuolui quidem ibi aliquam metaphoram, ſed non illam, quæ explicatur per teſtificationem veritatis determinatæ propoſitionis de futuro effectu libero, ſed quæ explicatur per teſtimoniũ præſentis actionis, & promiſsionis dans authoritatẽ, & vim futuræ executioni, qualificando obligationem de illa, vt ſic dicam. Quod declaro exemplo humano, ſæpe enim ſolent homines promittere, vel compromittere, aut ſponſalia facere coram Rege, vel alio homine magnæ authoritatis, non vt proprie ſit fideiuſſor ſubiens obligationem, nec etiam vt ſit teſtis futuræ executionis, ſed vt præbeat authoritatẽ contractui, & vt contrahentes intelligant iniuriam

illi

Digitized by Google

illi facturos, ſi promiſſa non impleant, quia in ſe, & veluti pro honore, & reuerentia ſibi debita, talem promiſsionem, vel cõuentionem aſſumit: quia pertinet ad reuerentiam alicuius perſonæ, vt promiſsio coram illo facta eo fine, vt propter perſonæ ipſius dignitatem cum maiori fiducia, & rectitudine recipiatur, obſeruetur, alioqui dignitas talis perſonæ contemni videtur. Ad hunc ergo modum intelligo inuocari Deum in iuramento promiſſorio, vt teſtis præſentis promiſsionis, & dans authoritatem futuræ executioni, non vero vt verificans de veritate propoſitionis de futuro contingenti.

13. *Declaratur præcedens doctrina.* Quod ita declaro, nam præſcindendo à Deo (per impoſsibile, vel per mentis abſtractionem præciſiuam) futurorum contingentium in præſcientia Dei determinatam veritatem: poſſet inuocari eo modo, quo nunc inuocatur in iuramento promiſſorio ratione ſuæ Maieſtatis, ac dignitatis, ad cuius honorem ſpectat, vt quod in eius præſentia promittitur, quodque ab ipſo veluti ſub ſua protectione, & authoritate ſuſcipitur, impleatur. Quod patet tum exemplo adducto ab humanis, ſic enim inducitur præſentia Regis, non propter præſcientiam, ſed propter authoritatem: tum quia homines, quando interponũt Deũ in ſuis pactis, & fœderibus, non inducunt illũ vt præſcientem, quid ipſi iurantes poſtea facturi ſint, ſed vt præſentem his, quæ faciunt, & potentem punire, & vindictam ſumere de trãſgreſſoribus. Idque optime declarant verba illa Gen. 31. vbi poſtquam Iacob, & Laban inierunt fœdus, & erexerunt tumulum in teſtimonium, dixit Laban: *Intueatur, & iudicet Dominus inter nos quando receſſerimus à nobis, ſi afflixeris filias meas &c. Nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit:* & infrà: *Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos.* Non ergo inuocatur Deus per talẽ iuramentum ſub ratione præſcientis futura, vel affirmantis illa, ſed ſub ratione aſsiſtentis & teſtificantis præſentia, & potentis iudicare de futuris.

Gen. 31.

14. *Confirmatur eadem doctrina.* Et confirmatur, ac declaratur amplius, quia ſæpe quod ſub iuramento promittitur, futurum non eſt, & ita aſſertio de futuro in ſe ac materialiter ſumpta (vt ſic dicam) non eſt vera: nihilominus per tale iuramentum non inuocatur Deus vt teſtis mendacij, vel falſæ aſſertionis, cum ſine vllo peccato, vel certe ſine graui peccato interdum ita inuocetur: ergo ſignum eſt nõ inuocari, vt ſimpliciter teſtificans propoſitionem de futuro. Antecedens quoad vtramque partem conſtat in iuramentis promiſſorijs, quæ ſine peccato fiunt, & poſtea ſine peccato non implentur, nam ibi aſſertio de futuro abſolute ſpectatã non fuit vera. Dices, non fuit iurata vt abſolute futura, ſed vt futura ſub conditione, vt ſupra dictum eſt & ita non fuit falſa, quia conditio non fuit impleta. Sed contra, nam ſaltem non conſtat fuiſſe veram, etiam ſub conditione, immò iuxta opinionem negantem Deum certo præſcire hæc contingentia cõditionata, nunquam de facto futura, non poterit illa inuocatio, vel teſtificatio fundari in præſcientia futuri euentus, quia abſolute futurus non eſt, & ſub conditione non præſcitur. Verumtamen licet præſciatur, quod futurum eſſet poſita conditione, non inde pendet veritas illius iuramenti. Nam licet fortaſſe Deus præſciuerit, quod licet conditio impleta fuiſſet, iurans non impleret poſtea promiſſum iuratum: nihilominus de facto ille non inuocauit Deum in teſtem falſitatis: ergo ſignum eſt non inuocaſſe illum vt teſtem propoſitionis de futuro, vt habentis quaſi materialem veritatem, vt ſic dicam, ſed ſolum vt habentis formalem in præſenti propoſito, & intentione: ex qua inuocatione naſcitur obligatio procurandi, vt factum poſtea ſit dictis conforme. Quod clarius patet in iuramento promiſſorio, quod non recte fit, poſtea vero recte non impletur, non propter defectum conditionis non impletæ, ſed quia à principio nõ habuit conditiones omnes neceſſarias ad obligandum. Ibi enim à principio eſt falſa propoſitio de futuro, vel ſaltem eſſe debet, quantum eſt ex parte hominis, & nihilominus dici non poteſt, illum inuocaſſe Deum in teſtem mendacij, vel falſitatis, ſi cum intentione faciendi iurauit, alias ſemper tale iuramentum eſſet peccatum mortale, quod eſſe falſum in cap. ſequenti conſtabit. Ergo per iuramentum promiſſorium nõ inuocatur Deus vt teſtis propoſitionis de futuro contingenti in ſe futuræ, vel non futuræ, ſed vt eſt in intentione, & obligatione iurantis.

15. *Concluditur aſſertio ſupra poſita. D. Thom.* Ex hoc ergo principio, & diſcurſu concludimus intentum. Primo ex generali differentia inter periurium veritati contrarium, & tantum contrarium promiſsioni, quia prius eſt formaliſsimum periuriũ, iuxta Diuum Thom. quæſt. 98. art. 1. ad 3. & articu. 2. ſecundum autem non ita, quia non deficit à veritate mentis, ſed tantum à veritate rei, vt ſic dicam, quæ reſpectu alterius eſt quaſi materialis, & ſecundaria: ergo licet in priori periurio non detur leuis tranſgreſsio præcepti Diuini, quia illa ratio in quolibet periurio perfecte, & integre inuenitur: ſecus erit in periurio promiſsionis ſi materia non ſit grauis. Secundo, quia licet iuramentum promiſſorium in materia parui momenti non impleatur, non ſit Deus teſtis mendacij, aut falſæ aſſertionis: ergo ex hac parte non habet ſemper grauitatem moralem illud periurium, ſicut habet periurium aſſertionis: & ita ruit fundamentum primæ ſententiæ, & ſecundæ quoad priorem partem eius, quo deſtructo nullum ſupereſt ad aſſerẽdum in tali materia leui eſſe tam grauem malitiam.

Tertiò contrarium poteſt oſtendi à ſimili de Voto, cuius trãſgreſsio in materia leui etiam dotali non eſt peccatũ mortale, vt infra videbimus: ergo multo minus erit trãſgreſsio iuramenti promiſſorij in proportionali materia. Probatur conſequentia, quia dictum eſt ſupra, maiorem eſſe obligationem voti, quam iuramenti promiſſorij, etiam in ordine ad Deum: ergo cæteris paribus ex parte materiæ minor irreuerentia fit Deo, non implendo iuramentum promiſſorium, quam non implendo votum. Vnde ſine dubio grauius peccat contra Religionem, qui non implet votum dandi centum virgini pauperi, quã qui non implet promiſsionem mere humanam iuramento confirmatam circa eandem materiam: ergo idem eſt cum proportione in æquali materia ſeui. Et hoc argumentum mihi etiam probat, per trãſgreſsionem iuramenti promiſſorij non adduci Deũ ad teſtificãdum mendacium, quia alias grauius peccatum eſſet, cæteris paribus, & intra latitudinem Religionis, non implere iuramentum promiſſorium, quam non implere votum. 16.

Quarto probatur, quia ſecluſa teſtificatione falſitatis, irreuerentia, quæ fit Deo, non implendo promiſsionem iuratam, non deſtruit aliquod attributũ Dei in ſe etiam in affectu hominis: ergo non eſt vnde illa irreuerentia ex ſuo genere tanta ſit, vt minui non poſsit vſque ad venialem culpam ex leuitate materiæ. Antecedens patet, quia non deſtruitur infallibilis veritas Dei, ſicut in periurio aſſertorio, vt patet ex dictis, nec etiam deſtruitur fidelitas, quia licet Deus inuocetur ad confirmandam promiſsionẽ hominis, non inuocatur tamquam promittens, ſed ſolum vt dans authoritatem promiſsioni hominis, & ideo cum homo non implet, non facit Deum infidelem, ſed quaſi cõtemnit authoritatem eius: hic aũt contemptus cum non ſit formalis, ex leuitate materiæ poteſt eſſe venialis. Tandem poteſt ad hoc iuuare, quod in principio huius capitis dicebamus, periurium aſſertorium eſſe directe peccatum commiſsionis contra præceptum negatiuum non faciendi Deum teſtem falſi, quod ſemper habet maximã grauitatem: periurium autem promiſsionis potius eſt peccatum omiſsionis cõtrarium proxime præcepto 17.

affirma-

Digitized by Google

affirmatiuo dandi Deo debitam reuerentiam in eo prȩſtando, quod ſub eius authoritate promiſſum eſt, vt aperte teſtatur D. Thom. d. art. 7. ad 1. dicens: *Si iuramentum adhibeatur, obligatur homo, vt faciat eſſe verũ id, quod iurauit ſecundum ſuam poſſibilitatem, propter reuerentiam Diuini teſtimonij*: ergo per talem omiſsionem non inducitur Deus ad teſtificãdum falſum, ſed ſolum non fit verum quaſi materialiter id, quod ſub Diuino teſtimonio vere, & ex animo promiſſum, & aſſertum fuit. In hac vero omiſsione, non apparet tã grauis malitia, vt non poſsit eſſe venialis ex leuitate materiæ, quia per illam omiſsionem vt ſic, non attribuitur Deo etiam in effectu hominis, & per imputationem moralem, quod falſitatem aliquam formaliter teſtificetur, vel vnquam fuerit teſtificatus, vt ſatis explicatum eſt: & aliud fundamentum illius grauitatis non apparet.

D. Thom.

18\. Ex his ergo ſatis probata manet aſſertio, & reſpõſum ad fundamentum contrarium. Solum ſupereſt admonere, vt in aſsignãda leui materia talis periurij, falſi exẽpla caueantur. Quod in primis aduerto, quia ſententia dicens, non implere iuramẽtum metu extortum non eſſe peccatum mortale, ſed veniale tantum ſimpliciter, vera non eſt, nã in materia graui ſine dubio erit graue peccatum, vt docet expreſſe Diuus Thom. quæſt. 98. ar. 3. ad 1. & ibi Soto, & Caiet. quæſt. 89 art. 7. circa ad 3. & Nauar. cap. 12. num. 14. Sylueſt. *Iuramentum*, 4. q. 7. & idem ſentit Richard. in 3. d. 39. art. 2. q. 2. Ex Canoniſtis tenet expreſſe Panorm. in c. *Si vero*, de Iureiur. num. 10. referens Calder. Archid. & alios, idem ibi Felinus n. 7. circa finem. Fortun. de Vltim. fin. illatione 22. nu. 347. Et ratio eſt, quia metus licet reſpectu hominis diminuat obligationem, non vero reſpectu Dei, ſicut votum metu factũ non minus obligat circa eandem materiam, quam obligaret ſpõte factum, quoad grauitatem obligationis, licet quoad firmitatem (vt ſic dicam) non ſit æquale, quia habet maiorem cauſam diſpenſationis: idem ergo eſt de iuramento. Neque oppoſitum dicitur in dicto cap. *Verum*, imò prius ibi ſignificatur, tale iuramentum grauiter obligare, & ideo indigere relaxatione, & ante illam non eſſe dicendum, vt non ſeruetur, ne detur occaſio peierandi. Solum ergo additur, eum, qui non ſeruat, non eſſe puniendum tamquam propter mortale peccatum, non quia tale non ſit, ſed quia habet humanam excuſationem, vt ab Eccleſia non puniatur, vt D. Thom. expoſuit & Gloſſ. in cap. *Verum*, §. *Nunc*, in fine verb. *Iuramus*, 25. diſt.

D. Thom. Soto. Caiet. Nauar. Syluest. Richard. Panorm. Ca. Si vero. Cald. Archid. Felin.

D. Thom. Gloſſ. Ca. Verum.

19\. Vnde infero, idem eſſe dicendum in caſu c. *Debitores*, de Vſurario, vbi minus coactum eſt iuramentum, licet ſit iniuſtum, & ſine dubio parit obligationẽ grauem in graui materia, ſeu ex ſuo genere, vt in illo textu aperte ſupponitur. Nec dici poteſt illud iuramentum eſſe de materia leui, (vt argumentatur Caiet.) ex eo ſolum, quod vſurario parum vtilis ſit talis pecunia, quia & poteſt repeti, & ille tenetũr eã reſtituere: nam hæc accidentaria ſunt, & actus ipſe per ſe ſpectandus eſt, ſic autem, ſi quantitas ſit conſideratione digna, grauis materia iuramenti eſt reſpectu reuerentiæ Deo debitæ. Igitur materia leuis, vel grauis ex re ipſa promiſſa, eiuſq; quantitate & qualitate, arbitrio viri prudentis penſanda eſt, vt in alijs materijs conſideratur.

Ca. Debitores.

Caiet.

Capvt XVII.

Vtrum iuramentum promiſſorium ſine veritate factum ſemper ſit peccatum mortale?

1\. Diximus de defectu veritatis in obſeruando iuramento promiſſorio, nunc dicendum eſt de peccato, quod committitur, quando in præſtando ipſo iuramento promiſſorio veritas deeſt. Deeſt aũt hoc modo veritas ex defectu debitæ intentionis, ſub quo genere iuramenti duos modos ſupra diſtinximus, vnum vocauimus fictum, alium ſimulatum, ſeu doloſum, quorũ prior in intentione interiori conſiſtit, ſecundus in vſu ſignificationis verborum, & de hoc poſteriori multa dicta ſunt in cap. 5. de Aſſertorio iuramento, quæ cum proportione locum habent in promiſſorio, quia vt ibi ẽt notauimus ſimulatio, vel dolus in verbis nõ habet locum in iuramento promiſſorio, niſi vt aſſertorium eſt, quia ſolum committitur hic defectus, quando actu verba proferuntur, vt conſtat: nihilominus ad complemẽtum materiæ, verbum vnum in fine addemus. Præcipue igitur deeſt veritas huic iuramento, quando ficta intentione fit, quod varijs modis contingit, vt libr. 2 cap. 6. diximus, ſcilicet, quia vel ſine intentione iurandi, vel promittendi, vel ſe obligandi, vel implendi promiſſum, fit. Eſt autem per ſe manifeſtum in toto hoc genere fictionis committi aliquam culpam, quia nõ fit ſine aliquo mendacio, ſeu fallacia, quia aliud verbis profertur, & aliud mente retinetur. Poteſt autem talis culpa eſſe, vel contra Religionem, vel contra iuſtitiam, aut fidelitatem humanam, & ad illius qualitatem, & grauitatem explicandam per ſingulos fictionis modos breuiter diſcurremus.

Quod ſit fictum, quid doloſum iuramentum.

2\. Dico primo: Iurare exterius ſine intentione iurãdi ex ſuo genere peccatum mortale eſt contra Religionem, & contra ſecundum præceptum Decalogi, & aliquando eſſe poteſt cõtra iuſtitiam, licet nõ ſemper. Concluſio eſt communis Theologorum in 3. d. 39. Bonau. art. 3. q. 1. Richard. art. 2 quæſt. 2. item Caietan. Soti, & aliorum d. quæſt. 89 art. 7. Couar. 1. par. §. 5. num. 2. Probatur primo, quia illo modo aſſumitur nomẽ Dei in vanum, & modo graui, ac pernicioſo: ergo eſt peccatũ mortale ex ſuo genere. Antecedens patet, quia nomen Dei ficte & exterius ad iurãdum aſſumitur, ergo vane: quia non ſumitur ad cõfirmandam veritatem, ſed ad decipiendum: ergo in vanum: quid enim magis vanũ, quam fallacia, & deceptio? Illatio autem primi argumenti probatur, tũ quia magna irreuerentia Dei eſt, quod illius nomine abutatur homo ad decipiendum alios: tum etiã quia talis modus iurandi eſt valde cõtrarius principali fini iuramenti, qui eſt firmare humana fœdera, & verba. Nam, vt in principio huius materiæ dixi, ex neceſsitate huius internæ intentionis iurandi multum videtur eneruari efficacia iuramenti: vnde niſi teneantur homines graui obligatione ad habendam talem intentionem, cum iurant, prorſus euertitur iuramenti fructus, & ſecuritas. Eſt ergo hæc grauis obligatio nata ex intrinſeca ratione iuramenti, & reuerentia Deo debita: & ideò eius tranſgreſſio eſt ex ſuo genere graue peccatum.

1. Concluſio.

Bonauen. Richar. Caiet. Sotus.

3\. Atque hæc aſſertio locum habet tam in iuramento promiſſorio, quam in aſſertorio, vt conſtat. Item poteſt tam circa veram aſſertionem, vel promiſsionem, quam circa falſam ſic iurari: habet tamen aſſertio maiorem certitudinem, quando falſum eſt, quod hoc modo iuratur, vt Authores citati, & omnes alij docent. Quia præter inordinationem declaratam, ibi adducitur nomen Dei in inuocatione externa ad falſum confirmandum: hic autem eſt maior abuſus Diuini nominis, & in maiorem irreuerentiam Dei cedit. Quia cum homines non videant cor, ſed ea quæ exterius aguntur, apud illos perinde eſt, ſic ficte iurare, ac Deum in falſum adducere: vnde ſi intelligant eſſe falſum, quod ſic iuratum eſt, credent Deum fuiſſe adductum ad teſtificandum falſum. Quod autem falſitas promiſsionis, vel aſſertionis ſic iuratæ ſit occulta alijs hominibus eſt per accidens, ſed illa de ſe eſt valde pernicioſa fictio. Confirmatur, nam exterius dicere verba blaſphemiæ in Deum, etiamſi dicantur ſine intentione blaſphemandi, ſed ex metu, vel vana oſtentatione, peccatum mortale eſt: quia de ſe tendit in grauem iniuriã, & inho-

& inhonorationem Dei: ergo adducere Deum exterius ad teſtificandum falſum, de ſe eſt grauis irreuerentia Dei.

4. Obiectio. Dices, Maledicere ſine intentione imprecãdi malum, non eſt peccatum mortale. ergo nec iurare ſine intentione, etiam falſum. Item qui iurat, ſine intentione, non iurat: ergo licet iuret falſum, non periurat: ergo non peccat mortaliter. Reſpondeo ad primum, negando conſequentiam, quia qui maledicit, non aſſumit nomen Dei, ſed fortaſſe Dæmonis: & ideo fictio non auget malitiam, ſed minuit. Deinde, licet fortaſſe contingat inuocare nomen Dei, non inuocat ad teſtificandum, ſed operandum: & ideo cum inuocetur ad malum proximi, minus malum eſt, non ex animo inuocare, neque in eo interuenit grauis iniuria Dei, vel proximi. Ad ſecundum concedo illum non vere, ſed apparenter iurare, & ideo illud non eſſe verum periurium (vt ſic dicam) ſed apparens. Verumtamen hæc ipſa fictio periurij eſt grauis iniuria Dei, & valde pernicioſa ſocietati humanæ, & ideo ſine dubio eſt graue peccatum ex genere ſuo. An vero in indiuiduo ſemper tale ſit, vel ex leuitate materiæ poſſit eſſe veniale, non inuenio diſputatum, in ſequentibus vero illud attingam.

5. At vero quando iuramentum externum eſt de re vera, aliqui putant ex vi Religionis non eſſe mortale iurare veritatem ſine intentione. Dico, *ex vi Religionis*. nam ex vi iuſtitiæ, non eſt dubium, quin poſſit eſſe peccatum mortale, vt ſi iudice, vel Superiore iuſte præcipiente iurare, ſubditus ſine intentione iurãdi verba proferat, peccat mortaliter quia facit contra iuſtum mandatum in re ipſa, licet non in externa ſpecie: quod non excuſat, quia eſt grauis deceptio, & inobedientia in re graui. Idem credo, ſi in iurando graui, & iuſto contractu, vel promiſſione ficte quis iuret ſine intentione: nam ſuppoſita conuentione, vel pacto teneris verè, & ex animo te obligare, ac iurare. Hinc vero recte concluditur, in his caſibus, atque adeo ex genere etiam eſſe hoc peccatum mortale contra Religionem, quia eſt grauis irreuerentia, & abuſus nominis Dei valde contrarius fini iuramenti, qui eſt veritatis confirmatio: pro nihilo enim æſtimabitur iuramenti adiectio, ſi intelligant homines ſine peccato graui poſſe fictè fieri, etiam in negotijs grauibus.

6. Res vero dubia eſt, quando iuramentum iniuſte exigitur, vel quoties voluntariè, & ſine obligatione, & ſine alio nocumento, vel iniuria tertij fit. Nam Caiet. Caieta. d. articul. 7. dub. penult. cenſet nihilominus illud eſſe in indiuiduo peccatum mortale, quia eſt quædam illuſio Diuini nominis, & contraria primario fini iuramenti: & hoc ſequitur Coua. ſuprà num. Couar. ibi. 3. & eſt probabile. Sed nimis rigoroſum, & ideo Soto contrarium tenet, & multi ſequuntur, & mihi etiam videtur probabilius. Quia ibi non interuenit iniuſtitia proximi (vt in caſu ſupponitur) præter illud genus mendacij, quod homini pernicioſum non eſt: nec etiam reſpectu Dei interuenit grauis irreuerentia, quia eo modo, quo nomen eius aſſumitur, ad veritatem affirmandam adducitur. Et licet ratione fictionis in vanum aſſumatur nomen Dei, quod negari non poteſt, non tamen cum graui irreuerentia ratione materiæ, & modi, & ideo licet ſit culpa, non tamen grauis. Sicut qui orat ſine attentione, & qui laudes Deo canit, nihil de illo cogitans, in vanum nomen Dei aſſumit, & nõ propterea mortaliter peccat. Nec denique finis iuraméti grauiter in hoc offenditur, quia ſufficit ad finẽ iuramenti, q; ſine fictione exhiberi debeat, & quod hæc obligatio ſit proportionata materiæ, & negotio, de quo tractatur.

7. 2 Concluſio. Dico ſecundo: Iurare cum intentione iurandi, & non ſeruandi, ſeu faciẽdi, quod iuratum eſt, ſemper eſt peccatum mortale. Hoc iam dictum eſt capite præcedenti, quia tale iuramentum eſt periurium aſſertorium, quod ſemper eſt peccatum mortale: neque in eo diſtinguitur grauis, & leuis materia quoad hanc partem, vt viſum eſt. Dices, Non eſt peccatum mortale proponere facere, quod ſine peccato mortali fieri poteſt: ſed non implere iuramentum promiſſorium in materia leui non eſt peccatum mortale: ergo proponere illud non ſeruare, non erit peccatum mortale: ergo habere hoc propoſitum in codẽ tempore, & momento, in quo iuramentum fit, non erit peccatum mortale, eſt enim eadem ratio. Secũdo paſſim videmus fieri iuramenta leuia, quæ non cenſetur eſſe peccata mortalia, licet fiant ſine intentione exequendi illa: talia videntur eſſe iuramenta parentum, vel dominorum, qui filijs, vel ſeruis ſupplicium ſub iuramento minantur, vel è conuerſo ſolent ſub iuramento munuſcula eis promittere, ſi aliquid faciant, ſolum ad eos excitandos, ſine animo implendi. Huc etiam ſpectãt iuramenta vrbanitatis, vt cum honoris cauſa iurat aliquis non ingredi, niſi alter præcedat, & ſimilia, quæ neq; poſtea implentur, neque antea cum illa intentione fiunt. His denique adiũgi ſolet iuramentum promiſſorium per iocum factum: nam fieri ſolet ſine intentione implendi, & tamen ſolum cenſetur eſſe peccatum veniale, vt ſentit Gloſſa in cap. *Vnum* §. *Nunc*, in fin. ver. *Iuramentum*, 25. d. *Obiectio contra concluſionem.* *Gloſſ. Cap. Vnum*

8. *Diſſoluitur prima obiectio.* Ad priorem obiectionem reſpondeo, negando vltimam conſequentiam, quia quando fit iuramentum cum propoſito non faciendi, quod iuratur, tale propoſitum deſtruit primariam veritatem talis iuramenti, & facit vt ſit de formali, & proprio mendacio. Quando aũt in principio fit iuramentum cũ debito propoſito, licet poſtea mutetur, nõ tollitur formalis, & primaria veritas prioris iuramenti, illa enim ſemel prolata mutari non poteſt: ſolum fit, vt aſſertio de futuro in re ipſa nõ fuerit, quod pertinet quaſi ad materialem falſitatem, vt ſupra declaratum eſt. Propoſitum ergo faciendi, vel non faciendi id, quod iuramento affirmatur, erit tũc quaſi materia peccati mortalis reſpectu falſi iuramenti.

9. *2 obiectio diſſoluitur.* Ad ſecũdam partem obiectionis omnes fere Authores conantur hæc ordinaria iuramenta excuſare à peccato mortali: oportet tamen vt excuſatio bene fundata ſit. Itaq; quantumcunque iuramentum promiſſorium ſit de re leui, ſi abſoluta intẽtione, & propoſito iurandi, & non implendi fit, peccatur mortaliter, quia eſt periurium aſſertorium, vt ſupra declaratum eſt. Primo ergo excuſari poſſunt à graui culpa, quia ſicut non fiunt cum intentione faciẽdi, quod dicitur, ita nec cum intentione iurandi: & ita licet ſit mendacium, non eſt periurium, quia illud nõ eſt iuramentum. Hæc vero excuſatio non caret ſcrupulo, quia licet illud non ſit verum iuramentum, eſt ſaltẽ externum, & apparens, & cadit ſuper mendacium, quod diximus ſupra eſſe peccatũ mortale: niſi quis velit excuſare illud propter leuitatem materiæ. Secundo vero, & melius excuſantur, quia licet fiant cum intentione iurandi, non tamen abſolute, ſed cũ aliqua ſubintellecta conditione, ſcilicet Si hoc, vel illud feceris, ſi conſenſeris, aut ſi non nimium repugnaueris, vel Niſi aliud magis expedire iudicauerim, vel Quantum in me eſt, vel ſi alteri non fuerit ingratum. Tertia excuſatio eſt, quod illa iuramenta licet cum intentione, & propoſito fiant, poſtea nõ obligant, quia non ſunt de re honeſta, ſed impertinente, vel ſine debita ratione: quomodo autem hęc eſſe poſſit excuſatio à mortali, dicemus capite ſequenti. Quarta excuſatio eſt, quod talia iuramenta interdum obligant, poſtea vero facile non obſeruantur propter mutationem animi, non tamen cum graui culpa propter dicta in capite præcedenti, quia materia leuis eſt. Et hæc tertia, & quarta excuſatio maxime videntur habere locum in leuibus comminationibus, vel promiſſionibus, quæ à matribus, vel dominis fiunt: ſecunda vero magis in iura-

Digitized by Google

mentis vt banitatis locum habet. Et vtraque videntur eſſe incauta iuramenta, quę Auguſtinus ponit inter venialia peccata ſermon. 41. de Sanctis: quia nimia facilitate in leui materia fiunt, & poſtea ex quacumque neceſsitate, vel occaſione non implentur. De quibus loquitur etiam Gratianus referens Auguſtinum in dicto §. *Nunc*, vbi Gloſſa de iocoſo iuramento id intelligit, ſed non rectè, quia multa ex dictis non ſunt iocoſa iuramēta, vt cōſtat. Vnde (quod ſupra etiam dictum eſt) iocus non obſtat quominus veritas in iurando tenenda ſit: & ideo licet promiſſio fiat ioco, ſi tamen iuratur, debet fieri animo adimplendi. Poſtea vero frequētius non obligabit, niſi ſub veniali, vt dixit Marc. Anton. Bauer. tract. de Iuram. num. 120 Quod ideo dictum eſſe intelligo, quia talia iuramenta nonniſi circa materiam leuem fiunt.

August. *Gratian.*

10. Dico tertio: Iuramentum fictum ex defectu intētionis promittendi, aut ſe obligandi, tunc ſolum eſt peccatum mortale, quādo includit falſitatem aſſertionis, aut iniuſtitiam, alias erit veniale, vel interdum nullum. De promiſsione declaratur, nam poteſt iuramentum fieri ſub verbo promittendi, vel tātùm ſub verbo faciendi, vt promitto, & iuro me facturum: aut ſolum, iuro me facturum, daturum, &c. Quando iuramētum cadit in promiſsionem, & ſufficienter hoc exprimitur, tunc iurare ſine intentione promittendi eſt periurium contra veritatem aſſertionis, & ideo eſt peccatum mortale, vt conſtat. Quando vero iuramentum cadit in factum, ſi quis habeat intentionem faciendi, licet non habeat intentionem promittendi, nō peccabit mortaliter ex vi iuramēti, quia nullum mēdacium iurat. Imo nec veniale peccatum hoc eſſe videtur ex vi Religionis, quia poteſt rectiſsime fieri iuramentum de ſola aſſertione futuri operis ſine promiſsione, vt ſupra declaratum eſt. Dico autem ex vi Religionis, aut iuramenti, quia ex alio capite poteſt interuenire culpa: vt ſi alias conuenerit de promittendo, vel de faciendo pacto, & ſine ratione decipiat alterum, & verbis eludat. Quod pertinebit magis ad iuramentum doloſum, quam ad fictum, quia vtitur quis verbis aſſertorijs, tanquā promiſſorijs: quia ita illas accipit, cui iuratur, cum tamē iurans hoc non intendat, quod pertinet ad cautelam, non ad falſitatem.

Iuramētum fictum ſolū eſt mortale, quando includit falſitatem aſſertionis, aut iniuſtitiam.

11. Quod vero ſpectat ad intentionem nō ſe obligandi, de duplici obligatione poteſt eſſe ſermo, ſcilicet de obligatione iuſtitiæ, vel fidelitatis, quæ directè eſt ad hominem, vel de obligatione propria iuramenti. Intentio ergo non ſe obligandi priori modo eadem in re eſt cum intentione nō promittendi, & ideo eādem rationem habet vel culpæ, vel excuſationis. Intentio autem non ſe obligandi ex iuramēto, impoſſibilis eſt, niſi ex erronea conſcientia, vt ſupra declaraui, & ideo non poteſt in illa fictione culpa interuenire, niſi ex eadem erronea conſcientia, & iuxta modum, & qualitatē illius: & ideo non poteſt de tali actione, & culpa aliqua regula tribui, quia conſcientia erronea, eſt per accidens, & ad factum pertinet, poteſtq; infinitis modis variari. Re autem ſecundum ſe ſpectata, licet quis erret putans poſſe ſe obligationem iuramenti à iuramento proprio, & cum intentione iurādi facto, ſeparare, vix poteſt ignorantia ad hoc extendi, vt credatur licitum, hāc ſeparationem intendere. & ideo moraliter non credo haberi talē intentionem ſine graui culpa, quę in effectu nihil cōfert, quia nihilominus ille manet obligatus, vt ſupra dixi.

Duplex intentio ſe non obligandi.

12. Dico quartò: Iuramentum ſimulatum, etiāſi promiſſorium ſit, intrinſece non cōtinet periurium, nec graue peccatum, ſi abſq; iniuſtitia, & ex honeſta cauſa fiat: ratione autem iniuſtitię poterit, eſſe peccatum grauius, aut leuius pro ratione materiæ. Concluſio eſt communis, & clara ex dictis ſupra cap. 6. nam illa communia ſunt iuramento promiſſorio: imo de illo principaliter dicuntur à Doctoribus, vt dixit Syluest. verb. *Iuramentum*, 3. q. 2. Prior ergo pars conſtat, quia in hoc iuramento non interuenit falſitas, nam ſecūdum intentionem iurantis verum eſt quod iuratur, quod autem alius aliter accipiat, non reddit iuram ē tum falſum, quia inuocatio teſtimonij Diuini nō applicatur ad ſignificatum ab intentione illius, qui accipit iuramentum, ſed iurantis. Secunda pars maxime habet locum in iuramentis metu extortis, vt bene declarant Angel. *Iuramentum*, 5. numer. 9. Nauar. cap. 12. numer. 14. Ludou. Lop. 1. part. cap. 42. & idem eſt de quacumque promiſsione iniuſte petita, & de vſuris ſoluendis, vel ſimilibus. Tertia vero pars habet locum extra hos caſus, ſcilicet quando quis vel ex obligatione, vel ſaltem ſponte iurat, & promittit, quia tunc ſincera mente, & ſine amphibologijs promittere debet, & conſequenter etiam iurare, & contrarium eſt contra iuſtitiam ex genere ſuo, & ideo tale iuramentum etiam promiſſorium mortale peccatum cenſetur. Et ita loquūtur de illo Theologi in 3. d. 39. vbi Bonau. art. 3. q 1. Richard. Scot. & alij: intelligunt enim de dolo proprie dicto, quod iniuſtā deceptionem includit. Habetq; locum in matrimonio, ſponſalibus, & alijs contractibus, de quibus varia exempla dari poſſunt: ſed ad præſentem locum non ſpectāt, & generalis doctrina de Iuramento doloſo ſatis ex dictis conſtat.

Iuramētum ſimulatum ex honeſta cauſa non eſt peccatū mortale. *Syluest.* *Angel. Nauar. Lud.*

Capvt XVIII.

Vtrum iuramentum promiſſorium, de materia incapaci obligationis, ſemper ſit peccatum mortale.

Dvobus modis poteſt iuramentum eſſe incapax obligationis ex parte materiæ. Primo, quia eſt de re non bona, ſed indifferente, vel conſilijs, contraria, vel vltra vires iurantis: ſecundo quia eſt de re mala, quod proprius dicitur iniquum, quia eſt de aliquo peccato quod poteſt eſſe aut veniale aut mortale. De priori modo praui iuramēti dicemus in hoc capite, de alio in ſequenti. 1.

Eſt peccatū promittere aliquid ad quod quis ſe non poteſt obligare.

Dico ergo primo: promittere ſub iuramento aliquid, ad quod iuramētum obligare non poteſt, peccatū ſemper eſt, & ex genere ſuo mortale. Prior pars probatur, quia inordinatum eſt formam applicare ad indebitam materiam, & rem ſacram rei profanæ, & ſibi repugnanti coniungere, ſeu miſcere: nam hoc eſt, veluti ſanctum dare canibus. Item iuramentum nunquam nō obligat ratione qualitatis materiæ, niſi quia tale eſt, quod iuratur, vt aduerſetur aliquo modo Diuinę bonitati, quia illo modo fieret iuramentū vinculum iniquitatis, vel vanitatis. Et ideo diximus ſupra, quoties iuramentum non obligat ratione materiæ, iniquū eſſe facere, quod iuratum eſt, quaſi ex obligatione iuramenti: ergo ſemper eſt contra reuerentiam Deo, & ſacris rebus debitam tale facere iuramentum: ſemper ergo eſt aliquod peccatum.

Dices: Interdum poteſt eſſe moraliter neceſſariū tale iuramentum, & fieri cum tali cautione, vt à culpa excuſetur. Vt ſi quis vel metu coactus, vel ad euitandas importunas preces iuret, ſe non ingreſſurum Religionem, ſubintelligens ſi id melius ſit, vel ſicut ſupra dicebamus cum multis non peccare fœminā, quæ in articulo mortis conſtituta, vt abſoluatur, iurat, ſe acceſſuram ad eum, qui re vera non eſt maritus, & in foro Eccleſiæ talis iudicatur, ſubintelligens, ſe acceſſuram ad illum, ſi licite poterit: hæc enim iuramenta ſunt de materia incapaci, & tamen ſine peccato fiunt. Reſpondeo negando eſſe de materia incapaci, quia tunc iuramentum illud non eſt abſolutum, ſed conditionatum, & ſtante conditione, poſſet obligare: quod vero materia non obliget, ideo eſt, quia conditio non impletur. Nec vero illæ cōditiones ſunt omnino impoſsibiles, quia & poſſet talis 2.

Obiectio. *Solutio.*

Digitized by Google

talis eſſe verus maritus, & ita actus licere, & ingreſſus Religionis in aliquo caſu poſſet non expedire. Altera vero pars, videlicet hoc peccatum eſſe mortale ex genere: patet, tum ex genere virtutis, cui opponitur: tum maxime quod intra propriam rationem & modum poteſt eſſe mortale, vt ex ſequentibus patebit.

3\. Dico ergo ſecundo: Hoc peccatum in indiuiduo, non ſemper eſt mortale, ſed poteſt eſſe veniale ex leuitate materiæ. Probatur inductione, nam iurare nõ ieiunare hodie, cum id non præcipitur, aut non facere aliquid indifferens, non eſt peccatum mortale. Ratio eſt, quia tale iuramentum, cum fit, non continet mendacium, ſupponimus enim fieri cum intentione: ergo non eſt periurium: ergo ex leuitate materiæ poteſt eſſe peccatum veniale, quia ſecluſo capite falſitatis, non eſt vnde repugnet. Et in materijs inſinuatis per ſe videtur clarum, non inueniri grauem irreuerentiam, ſed potius animi leuitatem.

4\. Dices: Iuramentum quod ita fit, vt obligare non poſsit, inuoluit quoddam mendacium iuramento ipſo confirmatum, nam qui iurat aliquid, iurat ſe obligare ad illud, at hoc falſum eſt, quando talis materia iuratur, quia tunc iurans re vera non ſe obligat: ergo implicite iurat falſum, & conſequenter eſt peccatum mortale. Et confirmatur, quia tale iuramentum directe eſt contrarium fini iuramenti, ergo etiam ex hoc capite habet grauem malitiam. Antecedens patet, quia finis iuramenti eſt confirmare veritatem, non autem confirmat illam, niſi obligando ad faciendum verum, quod iuratum eſt: ergo quoties iuratur ſine capacitate obligationis, euacuatur finis iuramenti.

5\. Ad argumentum reſpondeo negãdo aſſumptum. Ad probationem nego eum, qui iurat hoc, vel illud facere, etiã iurare ſe ad hoc vel illud obligare, præſertim valide, & cum effectu, ſed ſimpliciter, & directe, (vt ſic dicam) iurat promiſsionem, nullam vero reflexionem facit, vnde nec iurat ſe iurare, nec iurat ſe obligare, & ideo licet cum effectu non obligetur ex incapacitate materiæ, nullum mendacium profert, aut iurat. Ad confirmationem reſpondetur, in tali iuramento impediri effectum iuramenti: & inde recte probari illum eſſe indebitum modum iurandi, non tamen oſtendit ſemper eſſe peccatum mortale. Quia non impeditur, aut euacuatur finis iuramenti vniuerſaliter, vel ſecundum ſe, quia licet tale iuramentum non obliget, alia poterunt ſuam obligationem inducere in materia capaci; ille ergo defectus præciſe ſpectatus grauis non eſt.

Per ſe non eſt peccatũ mortale iurare aliquid contra conſilia. Nauarr. Tabien. Anton. Caietan.

6\. Hinc infero primo, non eſſe peccatum mortale, per ſe loquendo iurare aliquid contrariũ conſilij. Ita Nauar. c.12. n.16. & citat Gloſ. in c.1. 85. d. idem tenet Tabien. verb. *Iurare*. n.8. 10. & 12. Anton. Caieta. Sot. & alij infra citandi. Et ratio patet ex dictis, quia in re iurata ſecundum ſe ſpectata non eſt malitia, ſed ſola incapacitas obligationis iuramenti: hæc autem non ſufficit ad peccatum mortale, neq; aliunde apparet grauis iniuria Dei in illo actu, & ex ſequẽti aſſertione hæc illatio à fortiori confirmabitur. Contrarium tamen tenet Angel. verb. *Periurium*, num.1. & verb. *Iuramentum* 5. num. 2. Probat ex cap. *Florentinus*, d. 85. vbi inſinuatur grauiter peccaſſe, qui iurauit non acceptare Epiſcopatum. Sed alius eſt ſenſus illius loci, vt ſupra tractatum eſt. Potuitque illud eſſe peccatum mortale, ſi factum fuiſſet iuramentum cum obſtinato animo non acceptandi, etiam contra præceptum Superioris. Sylueſt. autem *Iuramentum*. 2. quæſt. 2. dicit, in modicis bonis, ſeu conſilijs non eſſe peccatum mortale, aliquid eis contrarium iurare, ſecus vero in magnis, vt de non ingrediendo Religionem, & ſimilibus. Sed hanc etiam diſtinctionem, ſeu exceptionem non admittimus cum alijs Doctoribus allegatis, quia non habet fundamentum, & quia in rigore etiam omiſsio Religionis, vel alterius boni ſimilis non eſt peccatum.

Secundo inferunt aliqui non eſſe peccatum mortale, iurare rem non malam impoſsibilem iuranti. 7
Ita ſentit Tabien. ſup. nu.10. nam abſolute negat iuramentum de re impoſsibili eſſe peccatum mortale, quia defectus iudicij in iuramento non eſt mortale peccatum, ibi autem tantum iudicium deeſſe videtur. Sed diſtinctione opus eſt: nam aut is, qui iurat, ſcit eſſe impoſsibile, quod iurat, aut fallitur putans eſſe poſsibile. Quando priori modo iurat, ſemper mortaliter peccat, quia impoſsibile eſt, quod cũ tali ſcientia habeat propoſitũ implendi, quod iurat: nam voluntatis propoſitum nõ eſt de re impoſsibili cognita vt tali, quia propoſitum dicit actum abſolutum & efficacem voluntatis, & talis requiritur ad iuramenti veritatem. Et hoc eſt maxime in praxi obſeruandum pro debitoribus, qui facile iurant ſoluere intra talem terminum, cum ſciant, ſibi eſſe impoſsibile, & pro Officialibus, qui iurant opus tali die reddere perfectum, & ſic de alijs. Et ita conſtat in hoc modo iurandi dari aliquando peccatum mortale: propter quod diximus eſſe hoc peccatum mortale ex genere. At vero cum aliquis putat, rem ſibi fore poſsibilem, facile poterit, vel non peccare, ſi probabilem habuit exiſtimationem, vel venialiter peccare, ſi ex negligentia leui ſic iurauit rem in ſe impoſsibilem. Si autem temere ſic iurauit, profecto erit peccatum mortale, quia reducitur actus in naturam ſuæ formæ, & ſic iurãdo, virtute vult iurare falſum quia impoſsibilitas repugnat veritati. Atq; ita docet Syl. ueſt. cum Hoſtienſ. *Iuramentum* 4. q.18. in fine, & q. 29. verb. *Periurium*. q.1. Nauar. c.12. n.22.

Capvt XIX.

Quale peccatum ſit iuramentum iniquum de peccato committendo?

Iuramentũ peccandi venialiter, ſi adſit animus implendi, eſt veniale.

Dico primo: Iuramentũ de peccato veniali peccatum eſt: ſi tamen fiat cum propoſito implendi illud, non eſt mortale ex vi talis materiæ, & per ſe loquendo. Prior pars eſt certa, quia tali iuramento deeſt comes iuſtitiæ. Difficultas vero nonnulla eſt in poſteriori parte, nam contrarium videntur ſentire Angel. & Hugo. dicunt enim, quod iurare contra primam partem iuſtitiæ, quæ eſt declinare à malo, eſt peccatum mortale. Et ſuaderi hoc poteſt primo, quia qui adhibet Deum in teſtem peccati, ipſo facto profitetur Deo placere tale peccatum: ſed hæc eſt magna blaſphemia etiam in peccato veniali: ergo. Maior patet, quia ideo iurans inducit Deum ad confirmandam talem aſſertionem, vt credatur ad reuerentiam Dei pertinere illam facere veram, ſuppoſito iuramento: quod eſſe non poteſt, niſi quia ſupponitur Deo grata talis actio. Secundo, qui ſic iurat, tenetur habere propoſitum peccandi venialiter cum iurat, alioqui iurabit mendacium, & peccabit: ergo virtute iuramenti obligatur ad habendum tale propoſitum: ſed grauis irreuerentia Dei eſt facere, vt aſſumptio nominis eius cogat, & obliget hominem ad habendum propoſitum peccandi venialiter: ergo. 1

Tertio, qui iurauit peccare venialiter, ſi id poſtea faciat ratione iuramenti, peccabit mortaliter, quia licet illud ſecundum ſe ſit tantum veniale, tamen intuitu iuramenti id facere erit mortale, quia eſt quodammodo attribuere Deo talem malitiam: ergo etiam à principio id iurare eſt peccatum mortale. Conſequentia patet, quia etiam hoc modo attribuitur Deo neceſsitas habendi propoſitum peccandi. Antecedens vero aſſeritur ab Hugone antiquo Canoniſta, vt refert & ſequitur Angel. *Iuramentũ* 5. n.2. 2

Quarto, qui iurat aliquid impoſsibile, peccat mortaliter, vt ſupra dictum eſt: ergo qui iurat quoduis peccatum, peccat mortaliter. Conſequentia probatur, quia quod licite fieri non poteſt, apud Deum iudicatur impoſsibile.

3\. *Angel. Caiet. Soto. Anton. Syluest. Tabien. Couar.*

Nihilominus aſſertio poſita communis eſt. Tenet Caietan. d.q.89 art.7. & ibi Soto, & q.2 art.3 Anton 2.p.tit.10. c.4 § 1. Syluest verb. *Iuramentum* 2.q. 7. Tabien & Nauar. proxime allegati. Couar. d.cap. *Quamuis*, 1 par. § 6. in fine, vbi alia refert. Fundamentum eſt, quia hoc non eſt periurium rigoroſum, & proprium, quia ſupponimus iurari cum intentione implendi, ac ſubinde verum eſſe, quod de præſenti iuratur & formaliter, ac ex intentione iurari, vt verum faciendum in futurum: ergo per tale iuramentum non fit grauis iniuria Diuinæ veritati. Sed nõ fit etiam Diuinæ bonitati, quia licet materia illius veritatis quæ iuratur, ſit peccatum, non aſſertur Deus vt approbator illius malitiæ, ſed tantum vt confirmator veritatis. Et licet ſit aliqua irreuerentia Dei, eius nomine & authoritate velle confirmare ſtabilitatem propoſiti de peccato veniali faciendo, tamen cum illud peccatum leue ſit, non videtur ſufficere ad mortalem grauitatem illius irreuerentiæ, ſecluſo formali contemptu. Vis autem huius rationis patebit magis ex ſolutione argumentorum.

4\. Ad primum ergo negatur maior, nam qui iurat, non profitetur materiam iuramenti placere Deo, vt patet in aſſertorio iuramento de re preterita iniquiſſima quod licitum eſſe poteſt, vt ſupra dictum eſt: ſolum ergo profitetur, Deum eſſe teſtem veritatis, quem nullo modo licet in teſtem falſitatis adducere, etiamſi materia turpis ſit. Ad probationem autem dicitur, eum, qui iurat ſe facturum aliquid ſiue bonum ſiue malum, non profiteri opus ipſum ſecundum ſe ad reuerentiam Dei pertinere, ſed veritatem vt ſic eſſe Deo conformem. Et qui iurat peccatum veniale ſe facturum, pro tunc non attendit, an ratione materiæ illa veritas ſit conformis, vel contraria Diuinæ voluntati, ac bonitati, ſed ſolum attẽdit formaliter ad rationem veritatis, & ad propoſiti ſui immutabilitatem, ex generali quadam conceptione, quod id, quod iuratur, immutabile quodammodo fit. Et ideo nunquam ſupponit, talem actionem eſſe Deo gratam, ſed tantum veritatem, & licet malefaciat applicando veritatem Diuinam ad talem materiam: non tamen in hoc grauem irreuerentiã facit, quia illam non intendit, & aliàs materia leuis eſt. Ad ſecundum concedo ex hypotheſi quod homo iurat talem actum neceſſarium eſſe vt habeat propoſitum exequendi illud, ſi vult vitare mortale peccatum periurij: hæc autem neceſsitas non ſequitur ex iuramento ſecundum ſe, neq; hoc illi attribuitur ex vi talis actionis, ſed ſequitur ex inordinata hominis voluntate, quæ ſe immiſcet illi difficultati, & perplexitati. Tamen quia illa neceſsitas talis propoſiti non excedit culpam venialem, ideo neq; illa inordinatio iurandi ſuperat in ſua ſpecie malitiam venialem, licet intra illum gradum ſatis grauis ſit.

5\. *Syluest. Nauar. Efficere peccatum, eo quod de illo detur iuramentum, est circumstantia aggrauans.*

Ad tertium Syluest. *Iuramentum* 4. quæſt. 1. circa finem, & Nauar. cap. 12. num. 15. reprobant illam opinionem Hugonis, & Angeli, dicuntque non eſſe peccatum mortale, facere peccatum de ſe veniale, etiamſi fiat ratione iuramenti facti de tali peccato. Imo addunt, hanc circumſtantiam committendi illud veniale, eo quod iuratum fuerat, extenuare potius quam augere culpam, quia in eo aliqua reuerentia in Deum habetur. Sed hoc vltimum mihi non probatur, exiſtimo enim circumſtantiam illam de ſe aggrauare culpam, ſicut ſuperius dixi. Licet non ingredi Religionem per ſe malum non ſit, & ideo quaſi materialiter implere iuramentum de non ingrediendo non ſit malum: nihilominus tamen non ingredi quaſi ex obligatione iuramenti malum eſſe, quia eſt attribuere iuramento, quod ſit perfectionis impedimentum, quod ſentire nefas eſt. Vnde illa obſeruantia ad ſuperſtitionem quandam pertinet, quia per illam colitur Deus, re maxime inepta ad cultum, & Deo valde ingrata: ergo multo magis augebit culpam venialem, ſi ratione iuramenti fiat, quia eſt facere iuramentum vinculum iniquitatis: & conſequenter eſt attribuere Deo, quod requirat à nobis obſeruationem iuramenti etiam peccando.

Quod ergo in tali actu aliqua reuerentia Deo haberi videatur, non extenuat culpam, ſed auget, quia illa reuerentia ſuperſtitioſa eſt, & zelus non ſecundum ſcientiam. Imo Soto dicta q.1. art. 7. ad 2 dicit eſſe blaſphemiam, vbi noſtram ſententiam aperte docet. Et confirmatur, quia qui iurat dicere mendacium, venialiter peccat non ſolum contra veritatem in propoſito mentiendi quod habet, ſed etiam contra Religionem propter iuramentum male factum, ergo quando mentitur quaſi iuramẽto aſtrictus, iterum vtramque malitiam committit. Quia ob relationem mendacij ad iuramentum, iterum conſentit, & quaſi repetit confirmationem voluntatis in peccando per iuramentum: ergo eandem malitiam irreligioſitatis contrahit, ac ſubinde circumſtantia illa malitiam auget. Et ſic poteſt recte intelligi quod D. Thomas ait q.89. art.7. ad 7. qui iurat facere peccatũ veniale, & peccare iurando, & peccare implendo. Item hac ratione videtur dixiſſe Auguſt. in cap. *Inter cætera. 22.q 4. Lugeat ſi coactione ac timore iuramenti aliquid defuit matri.* 6. *Sententia Soti.*

Nihilominus vero addo, quod ſicut iurare veniale peccatum, non fuit mortale peccatum contra Religionem, ita neque illud poſtea facere nimia Religione iuramenti: niſi talis operandi modus ex aliquo graui errore contra fidei doctrinam oriatur. Nam ſine dubio talis error eſſet, putare huiuſmodi iuramentum eſſe implendum, vel illum hominem teneri tunc ad peccandum: vnde ex hac conſcientia id facere graue peccatum ſuperſtitionis eſſet. Si tamen quis ex quadam ſimplicitate, & ignorantia vulgari id faceret ob timorem iuramenti, non credo eſſe peccatum mortale: quia non eſt grauior culpa in illa quaſi continuatione, & repetitione prioris culpæ, quam fuerit in iurando. 7.

Ad quartum de re impoſsibili, negatur prima conſequẽtia, quia licet actus venialis peccati iure dici poſsit impoſsibilis, & ab eo, qui honeſte operari vult, talis reputari debeat: nihilominus ſimpliciter eſt poſsibilis factu. Et ad veritatem iuramenti hæc poſsibilitas ſufficit, licet non ſufficiat ad iuſtitiam, quia cum illa impoſsibilitate morali, ſeu iuris ſtat abſolutum & efficax propoſitum faciendi quod iuratur, & hoc ſatis eſt ad veritatem iuramenti: ſtante autem iuramenti veritate, in ſolo defectu iuſtitiæ poteſt eſſe veniale peccatum. 8.

Dico ſecundo: Iuramentum promiſſorium de opere, vel omiſsione, quæ eſt peccatum mortale, ſemper eſt peccatum mortale. Ita docent omnes Doctores allegati in duobus punctis præcedentibus. Item Caiet. q.98. art. 2. & 3. Syluest. *Iuramentum* 1.q. 1. d.6. & *Iuramentum* 2.q.7. Nauar cap.12.n.3. & 15. Couarr. d. cap. *Quamuis*, 1.part. §.6. num. 6 vbi plura refert. Solet hæc aſſertio probari, quia vel ille, qui ſic iurat, habet propoſitum peccandi, vt iurat, vel non habet: ſi habet, iam peccat mortaliter ratione talis propoſiti: ſi non habet, etiam peccat mortaliter ratione periurij, & falſitatis. Sed hæc ratio non probat intentum. Vnde ſupponendum eſt, ſermonem eſſe de iuramento vero, id eſt, cum propoſito illud implendi: nam ſi hoc deſit, clarum eſt, eſſe periurium aſſertorium, & impertinens eſſe, quod materia ſit peccatum mortale, necne. Quando autem iuramentum eſt verum, clarum item eſt, eſſe peccatum mortale illius ſpeciei, cuius eſt propoſitum, vt homicidij, ſi iurauit occidere, & ſic de alijs: vnde nulla eſt 9. *Iuramentũ de peccato mortali ſemper eſt mortale. Soto. Caiet. Syluest. Nauarr. Couar.*

quæſtio

quæſtio de illo dilemmate in argumento facto. Sed ſenſus aſſertionis eſt, quãdo iuratur cum tali propoſito, non ſolum committi culpam homicidij, ſed etiam contrahi moralẽ malitiam ſacrilegij, ſeu irreligioſitatis, propter grauem abuſum iuramenti. Sic autem non eſt facile reddere rationem, cur hic defectus iuſtitiæ in iurando graue peccatum ſit.

10. Quidam dicunt rationem eſſe, quia qui iurat cum intentione peccandi mortaliter, videtur minari tale malum Deo, ſicut qui iurat aliquod bonum: videtur vouere bonum illud Deo. Hac ratione vtitur Soto lib. 8. q. 2. art. 3. & ſequuntur alij. Sed ſi eſſet ſolida, probaret etiam de iuramento venialis peccati, nam vt infra oſtendam tract. 6. vouere Deo veniale peccatum, mortale peccatum eſt. Non eſt autem ſolida, quia falſum ſumit, nam qui iurat ſe peccaturũ, non Deo, ſed homini fortaſſe promittit: vnde nihil comminatur, ſed ſolum intendit alium certum reddere ſui propoſiti, & promiſſionis. Vel ſi alteri homini non promittit, nulli promittit. vt ſupra oſtenſum generaliter eſt. ſed aſſertionem tantum confirmat: vel denique, ſi Deo promittat, vel comminetur, illud eſt per accidens, eſtq; nouum genus peccati, magis voto contrarium, quam iuramento: de quo modo non tractamus.

11. *Valent. Impugnatur 2. modo.* Alij rationem reddunt, quia ſic iurans, quantum in ſe eſt, facit Deum cooperatorẽ grauis peccati, quæ eſt grauis iniuria Dei. Sic Valen. 3. tom. d. 6. quæſt. 7. punct. 3. qui ſtatim ſenſit, obiectionem de peccato veniali, nam ſequitur etiam iurando veniale peccatum, fieri Deum cooperatorem eius, quantum eſt ex parte iurantis, quæ etiam eſt grauis iniuria bonitatis Dei, cui repugnat omnis culpa etiam venialis, non minus, quam repugnet Diuinæ veritati omne mendacium etiam veniale. Et ſatis ſe oſtendit propenſum ad concedendam ſequelam, licet propter communem ſententiam contrariam dicat: *Per me ſit illa ſententia probabilis.* Rationem vero inſinuat, quia ſic iurans veniale peccatum non intendit directe, facere Deum adiutorem peccati ſaltem vt peccatum eſt. Ad idem dicitur de iurante peccatum mortale. Sed reſponderi poteſt, in tam graui materia, vt eſt peccatum mortale, ſufficere indirectam, & interpretatiuam voluntatem faciendi Deum cooperatorem, vt grauiter peccetur: in materia autem leui non ſufficere. Sed hoc non ſatisfacit, quia in moralibus voluntas tacita æquiualet expreſſæ. Item in eo, qui iurat peccatum veniale non deeſt ſufficiens voluntas peccandi contra Deum: ergo ſi modus inuocandi Deum vt cooperatorem peccati eſt de ſe grauis, ex parte modi voluntatis non poterit excuſari culpa mortalis, quia illud peccatum ſatis deliberatum eſt. *Propoſitum firmatur.* Veritas ergo eſt in nullo illorum iuramentorum fieri Deum cooperatorem mali, quantum eſt ex parte iurantis, ſed tantum teſtificatorem aſſertionis veræ de malo facto ab homine perpetrãdo quoad defectum, & à Deo vt vniuerſali cauſa quoad materiale, & ad hoc ipſum non inuocatur per iuramentum, ſed potius illud ſupponitur.

12. Tertia ergo ratio ſit, quia iurans aliquid, quod eſt peccatum mortale, non obſtante iuramento, tenetur non facere id, quod iurat, & ita perinde eſt, ac ſi falſum iuraſſet. Qua ratione vtitur etiam Soto, & ſequitur Couarr. Et ad replicam de peccato veniali reſpondet Soto paulo inferius, iuramentum de peccato veniali poſſe impleri ſine peccato mortali, & ideo non cum tanto rigore includi falſitatem in illo iuramento, ſicut in alio de peccato mortali. Quæ ratio probabilis mihi videtur, poteſtque explicari ex doctrina D. Thomæ quæſt. 98. artic. 1. quia hic defectus iuſtitiæ includit aliquo modo indirecto defectum veritatis, quatenus ſecundum rectam rationem neceſſe eſt, non facere verum, quod ſic iuratum eſt. Ergo quanto eſt maior neceſſitas huius falſitatis, tanto maior eſt deordinatio iuramenti: ergo ſi illa neceſſitas eſt ſub peccato mortali, ſic iurare à principio eſt peccatum mortale ad periurium ſpectans. Quarta ratio eſſe poteſt, quia eſt irreuerentia Dei, velle firmare Dei authoritate propoſitum in malo: ergo quo grauius eſt illud malum, eo grauior eſt illa irreuerentia: ergo ſi malum illud ſit peccatum mortale, etiam irreuerentia eſt adeo grauis, vt ad peccatum mortale ſufficiat. Atque hæ rationes videntur ſufficere pro materia morali, cui communis ſenſus Doctorum, imo etiam Patrum fauet, vt videre licet 2. 2. quæſt. 4. per totum. Vnde non eſt de hac vltima aſſertione dubitandum, etiam ſi oporteret præcedentem quoad poſteriorem partem in dubium reuocare, ſed neceſſarium non eſt, quia differentia data eſt ſufficiens.

Ex his ſequitur diſcrimen inter eum, qui iurat facere peccatum mortale cum intentione implendi, 13.
vel ſine illa: nam ille prior duo peccata committit, vnum eſt, quod facere proponit, aliud iniquum iuramentum: poſterior autem vnum tantum periurij per ſe committit. Hoc ſecundum per ſe patet. Circa primum autem videtur aliter loqui Caietan. quæſt. 98. artic. 3. dicit enim per tale iuramentum non tam conſtitui nouam ſpeciem peccati, quam aggrauari præexiſtentẽ in propoſito peccandi mortaliter, *quia illud iuramentum* (inquit) *non eſt periurium.* Sed neque aſſertio, nec ratio placet. Nam certum exiſtimo, iurando homicidium, addi peccato homicidij circumſtantiam mutantem ſpeciem, & ita eſſe diſtinctum peccatum ſaltem quoad malitiam. Imo ſimpliciter ita eſſe vocandum, cum iuramẽtum ſit actus diſtinctus à propoſito occidendi hominem, etiam ſi illud ſupponat. Vocare autem peccatum illud ſic iurandi periurium, vel irreligioſitatem parum refert: ſatis enim eſt eſſe irreligioſitatem. Interdum vero in Iure periurium vocatur, vt in capit. *Vnuſquiſque*, & cap. *Inter cætera*, 22. quæſt. 4. & cap. *Sicut noſtris*, de Iureiurando: ſæpius autem vocantur incauta, & temeraria iuramenta, vt ex eiſdem locis conſtat.

Quæri autem poteſt, an grauius peccet ſic iurans 14.
cum propoſito exequendi peccatum, quod iurat, vel ſine illo? In quo triplex comparatio poteſt fieri, vna eſt inter peccata illa, vt contra Religionem ſunt præciſe, & quoad intenſiuam grauitatem (vt ſic dicam) *Explicatur dubium.* in ratione periurij, & temerarij iuramenti. Et hoc modo dicunt aliqui grauius peccare eum, qui iurat cum propoſito mortaliter peccandi, propter rationem ſupra factam, quod eſt quædam comminatio contra Deum, vel inuocatio eius ad cooperandum peccato mortali, quod pertinere videtur ad ſpeciem blaſphemiæ. Sed hoc exiſtimo falſum, quia fundamentum vanum eſt, quia nec Iura, nec Doctores dicunt, malitiam illius iuramenti iniqui pertinere ad blaſphemiam, ſed ad defectuoſum & iniuſtum iuramentum. Vnde ſub hac comparatione grauius peccatum eſſe cenſeo ſine intẽtione iurare, quia eſt formaliſſimum periurium, & magis directe repugnans Deo in ſe, quia opponitur Diuinæ veritati, & conſequenter etiam bonitati: aliud vero peccatum ſolum opponitur reuerentiæ debitæ Deo, & ita ſentit Caietan. d. quæſt. 98. artic. 3. & ſi attente legatur Gloſſa in cap. *Florentinum*, d. 85. verb. *Confirmauit.* *Caietan. Gloſ.* Altera comparatio fieri poteſt inter malitiam periurij vnius peccati, & ſpecificã malitiam alterius, vt homicidij, vel ſimilis. Et pro hac comparatione conſulenda ſunt dicta ſupra cap. 3. nihil enim addere neceſſe eſt.

Tertia comparatio eſt inter vtrumque peccatum 15.
abſolute ſecundum totam malitiam, quam ſingula includunt, in qua comparatione certum eſt primo, extenſiue maius peccatum eſſe iurare cum propoſito peccandi mortaliter, occidendo hominem, verbi gratia, quia in hoc peccato ſunt duæ malitiæ, vna homicidij, & altera iniqui iuramenti, in altero vero

peccato eſt vna malitia periurij, vt ex dictis patet. Secundo eſt mihi certum, vnicam illam malitiam periurij regulariter eſſe grauiorem alijs ſigillatim ſumptis: nam eſt grauior, quam malitia iniuſti iuramenti, vt oſtenſum eſt, & ordinarie excedit alias. Dico autem ordinarie, quia interdum poſſet hæc eſſe grauior, vt ſi eſſet de negãda fides, aut ſimilis, vt dixi in cap. 3. Tertio incertum eſt, an vna malitia periurij ſit ſemper minus malum, quam aliæ duæ collectiue ſumptæ: ſæpe enim fortaſſe ita eſt, interdũ tamen poterit excedere, quod ſoli Deo notum eſſe poteſt, vt exiſtimo.

16. Alia denique comparatio fieri poſſet inter obſeruationem, vel tranſgreſsionem talis iniqui iuramenti, quæ illarum deteſtabilior ſit? In quo Iura interdum dicunt, minus malum eſſe tale iuramentum frangere, quam ſeruare, & ideo ſeruandum non eſſe; quia ex duobus malis minus eſt eligendum. Vt patet ex cap. *Iurauit*, cap. *Si aliquid*, cap. *Non ſolum*. 22. q. 4. cap. *Duo mala*, cap. *Nerui*: quibus locis illa tranſgreſsio talis iuramenti periurium interdum vocatur. Verumtamen certũ eſt, in non obſeruando tali iuramento nullũ malum culpæ committi, imo neceſſario obſeruandum non eſſe ad vitandam culpam, vt ex tota illa q. 4. 22. cauſæ conſtat, & ex dictis, quia ex tali iuramento nulla naſcitur obligatio. Vnde non ſolum eſt minus malum (proprie loquendo) illud non ſeruare, quam ſeruare, ſed etiam ab illo diſtat tanquam bonum à malo. Patres autẽ attendentes ad reuerentiam iuramenti materialem, illã tranſgreſsionem iuramenti inique pręſtiti, quoddam malum reputant, quia ex malo iuramento ortũ, & quia per ſe indecens eſt. Et ſimiliter vocant periurium quaſi materiale, quia in effectu non fit, quod iuratum eſt. Et conſequenter fit falſum, quod iuratum eſt. Et conſequenter fit falſum, quod iuratum eſt, & hoc eſt quoddam malum ſecundũ ſuam rationem formalem ſpectatum, licet in tali actu iam excuſetur à culpa, & in hoc ſenſu aiunt eligi minus malum. Denique poſſet è contrario conferri actus peccati mortalis factus ex tali iuramento, vt in iuramento Herodis cum eodem actu facto abſque iuramento. De quo bene dicit Soto, ſi fiat ſine reſpectu ad iuramentum, nec minui, nec augeri, quia circumſtantia iuramenti per accidens ſe habet. Si vero fiat virtute iuramenti, multum aggrauari: quod iuxta dicta de peccato veniali cum proportione accipiendum eſt.

Cap. Iurauit. Cap. Si aliquid. Cap. Non ſolum.

Capvt XX.

De pœnis Eccleſiaſticis periurio impoſitis.

1. Cvm periurium grauiſsimum crimen ſit, Deo iniurioſum, & hominibus valde pernicioſum, conſtat grauiſsimam mereri pœnã tam apud Deum, quam apud homines. Deus enim ita vindicat hoc delictum, vt dicat Malach. 5. *Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ.* & infra: *Et omnis iurans ex hoc ſimiliter iudicabitur.* & infra: *Et veniet ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & conſumet eam, & ligna eius, & lapides eius.* Vtique in memoriam perpetuã punitionis grauiſsimi delicti, & quaſi criminis leſæ maieſtatis, vt expendit Chryſoſt. Homil. 15. 19. & 27. ad Popul. Ab hominibus autem ſemper, & in omnibus regnis iudicatum eſt hoc delictum grauiſsima pœna dignum. Periuri enim ab Aegyptijs capite mulctabantur, vt qui & pietatem in Deum violarent, & fidem inter homines tollerent: vt refert Diodor. Siculus lib. 2. cap. 3. & Alexand. ab Alexan. cum Alciat. ibi. lib. 6. Geniali. capit. 10. & alia refert Azor. lib. 11. cap. 12. quæſt. 7. Couar. etiam ſupra 1. part. §. 7. num. 2. dicit, hoc delictum vtroque Iure Ciuili, & Canonico puniri. Sed de Ciuili res eſt controuerſa, quia in l. 2. Cod. de Reb. credit. dicitur, *Iuriſiurandi contempta Religio ſatis Deum habet vltorem.* Aliæ vero leges Ciuiles periuros puniunt, vt ibi Gloſſa refert: quæ ita illa Iura conciliat, vt leges non puniant periuria, quæ ad ſolum Deum pertinent, id eſt, quibus pacta & fœdera humana non violantur, nec contra proximum fiunt: quæ vero talia ſunt, maxime puniat. Vel poſſet etiam prior lex indefinite intelligi, ſcilicet leges non omnia periuria punire: non tamen quod nulla puniat: indicat Greg. Lop. Gloſ. 2. leg. 26. tit. 11. partit. 3. vbi lex illa dicit, periurium commiſſum à parte in iuramento ſibi à iudice, vel alia parte delato, ſolum Deum habere vltorem, periurium vero teſtis per leges puniri. Sed hæc nobis de Iure Ciuili ſufficiant.

Malach. 5.

Chryſoſt.

Iurans falſe ab Aegyptijs capite damnabatur.

Diodor. Siculus.

Alexan. ab Alexan.

Alciat.

Azor.

Couar.

Gregor. Lop.

Quod ad Ius Canonicum attinet, ea breuiter trademus, quæ ad forum conſcientiæ ſpectant, vel illud attingere poſſunt, reliqua inſinuabimus, & proprijs Doctoribus omittemus. Diſtinguamus ergo more ſolito duplices pœnas, ſcilicet, vel ipſo Iure impoſitas, vel imponendas. Et quoad priores ſtatuo in primis, nullam cenſuram eſſe ipſo Iure latam propter hoc crimen, ſiue à laicis, ſiue à Clericis committatur. Hoc conſtat, quia nullum inuenitur tale ius, vt facile conſtabit diſcurrẽti per omnes cenſuras Iure impoſitas, quas in tom. 5. proſequuti ſumus. Secundo eſt certum, per hoc crimen non incurri ipſo facto & immediate irregularitatem: dico *ipſo facto*, quia mediante infamia habet dubitationem, de qua ſtatim. Sic ergo poſitam aſſertionem tradidi in 5. tom. diſp. 63. ſect. 4. num. 9. quia irregularitas non incurritur, niſi in caſibus in Iure expreſſis: hic autem in Iure expreſſus non inuenitur. 2.

Tertio dicendum eſt de pœna inhabilitatis ad beneficia obtinenda, An ipſo facto ita incurratur, vt collatio beneficij facta periuro, eo ipſo nulla ſit? Duæ enim ſunt opiniones, vna affirmans collationẽ illam eſſe nullam: quam ex Innocent. Panormitano, Decio, & alijs referunt, & ſequuntur Rebuff. de Pacific. poſſeſſor. à num. 218. & Selua de Benef. part. 3. quæſt. 2. à num. 15. Couarr. dicta part. 1. §. 7. num. 3. licet ipſe non omnino aſſentiatur. Solet autem hæc ſententia probari ex cap. *Querelam*, de Iureiuran. ibi, *Quoniam non merentur Eccleſias regere, qui ſunt crimine periurij irretiti.* Sed ex hoc textu nihil meo iudicio probatur, nam ex illis verbis ad ſummum habetur periurium eſſe dignum ſimili priuatione, non vero quod illa ſit ipſo facto impoſita: vnde in fine concluditur, *Ipſum à præſcripta Eccleſia remouentes &c.* quę verba factum hominis indicant. Alia etiam afferuntur Iura, quæ omitto, quia non plus probant. Secunda ergo ſententia eſt, hanc pœnam non incurri ipſo iure, ſed imponendam eſſe, probato delicto: & hanc videtur defendere Felin. in capit. *Ex parte* 1. de Reſcrip. & in d. ca. *Querelam*, de Iureiur. vbi eandem tenet Card. & in re non diſſentit Couarr. licet omnes confuſe ſatis hoc tractent. Et fortaſſe contraria non doceant. 3.

Rebuff. Selua. Couar.

Felin.

Cardin.

Dico ergo primo, ſecluſa infamia, talem inhabilitatem non incurri ante ſententiam. Hoc fatentur Couarruuias, Rebuff. & Selua. Et probatur, quia nullus eſt Canon, in quo talis pœna pro tali crimine ipſo iure imponatur: nunquam autem pœna aliqua incurritur ipſo facto, niſi ſit in Iure expreſſum, vt eſt regula receptiſsima, & in materia de Cenſuris, & de Legibus probata, & traditur, ac probatur ab eiſdem Authoribus in citatis locis. Atque hinc infertur, per ſolam ſententiam declaratoriam criminis non incurri hanc inhabilitatem, per modum pœnæ ſpecialiter impoſitæ illo modo per legem Canonicam huic crimini. Probatur, quia nulla eſt lex, quæ hanc peculiarem pœnam imponat pro periurio, & præſertim cum illo addito *ipſo facto*, vel *ipſo iure*, vel alio æquiualente: nullum enim Canonem huiuſmodi afferunt dicti Authores, neque ego hactenus inueni. 4.

Periurus nõ eſt inhabilis ipſo facto ad beneficium.

Nihilominus addo, quatenus per talem ſententiam 5.

tiam inducitur infamia iuridica, eatenus conſequi ex illa inhabilitatem prædictam, quatenus illa infamia facit hominem irregularem, & collatio facta irregulari eſt nulla. Ita interpretatur communẽ ſententiam Couarr. & tandem dicunt idem Rebuff. & Selua, & tandem limitationem adhibet Iul. Clar. lib. 5. §. *Periurium*, nu. 4. & Bernardus Diaz in Pract. capit. 92. in fine. Et idem aperte ſentit Panormitanus in dicto cap. *Querelam*, quem ſequuntur Angel. verſic. *Periurium*. num. 12. & Syluest. q. 6. Vnde ſolum probant ſuam ſententiam ex Regula iuris 87. in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Tota ergo hæc pœna, & eius declaratio pendet ex infamia, de qua ſtatim, & ibi exponemus alias limitationes, quæ à dictis Authoribus adduntur.

Iul. Clar. Ber. Diaz. Panorm. Angel. Syluest.

6. *Propter periurium non incurri ipſo facto priuationem beneficiorũ acquiſitorum.*

Ex quo infero propter periurium nõ incurri ipſo facto priuationem beneficiorum iam acquiſitorum ante ſentẽtiam condemnatoriam. Contrarium huius aſſertionis defendit late Rebuff. à num. 223. Sed nihil adducit, quo illud oſtendat, quia talis pœna admittenda non eſt, niſi in Iure ſit expreſſa, quod hic dici non poteſt: neque ab ipſo tale ius, etiam apparens, allegatur, ſed ſolum affert coniecturas, & ſimilitudines parui momenti. Et ita concluſio poſita communis eſt, vt patet ex Couar. Iul. Clar. & Selua locis citatis, & aliis antiquioribus, quos ipſi citant. Sequiturq; à fortiori ex præcedenti aſſertione, nam difficilius priuatur quis acquiſitis beneficijs, quam impediatur de nouo acquirere: ſed periurium non facit acquiſitionem nullam, ergo multo minus priuat beneficio acquiſito. An vero hæc pœna priuationis beneficiorum imponi debeat propter hoc delictum, dicemus ſtatim.

7. *Quomodo infamia per periuriũ incurratur. S. Thom. Syluest. Angel. Panorm. Felin.*

Quarto ergo ſupereſt videndum, an & quomodo infamia per hoc delictum incurratur. Omnes enim fere Authores docent incurri, vt videre licet in allegatis in puncto præcedenti, & in Sancto Thoma dicta quæſt. 98 art. 3. ad 3. & ibi Soto, & alijs, & Summiſtis verb. *Periurium*. Syluest. q. 6. Angel. num. 6. Panormitanus in capit. *Teſtimonium*, de Teſtibus, & in cap. *Querelam*. de Iureiur. & ibi etiam Felin. & alijs. Probatur, quia in Iure Canonico periuri inter infames numerantur cap. *Si quis conuictus* 22. q. 5. dicitur de periuris, *ſecundum legem infamia notabuntur*, capit. *Conſtituimus* 3. q. 5. in cap. *Infames* 6. quæſt. 1. vbi etiam dicitur, *omnes illos eſſe infames*, vtique Canonice, *quos ſeculi leges infames pronunciant*, at periurium per Ciuiles leges notatur infamia l. *Si quis maior*, Cod. de Tranſactio ergo. Hæc vero aſſertio ab omnibus intelligitur de periurio proprio, cui deeſt veritas cum tranſgreſsione iuramenti. Nam quantumuis ſit aliàs peccaminoſum ex defectu iuſtitiæ, ſeu honeſtatis, vt ſi ſit promiſſorium de re mala, licet poſtea non ſeruetur, non incurritur hæc infamia, quia non deeſt veritas, de quo videri poteſt late Panormitanus ſupra citatus. Item ſupponitur, debere eſſe periurium cum peccato mortali, nam quacumque ratione excuſetur, vel per inaduertentiam, vel per difficultatem in implendo promiſſo excuſabitur; de quo vide Iul. Clar. lib. 5. §. *Periurium*, num. 9. & 10. & bene Felinus cap. 1. de Iureiuran. num. 29. in fine. Duo vero circa hanc pœnam declaranda ſunt, vnum eſt, an pro omni periurio, vel pro quo incurratur infamia: ſecundum eſt, quando, vel quomodo incurratur? Et ex his conſtabit qualis ſit ipſa infamia, & quos effectus habeat.

Cap. Si quis conuictus. Ca. Conſtituimus. Cap. infames. L. Si quis maior.

Iul. Clar. Felin.

7. *Hoſtienſ.*

Circa primum Hoſtienſ. in Sum. tit. de Teſtibus, §. *Quis poſſit eſſe teſtis*, verb. *Excipitur*, tenet infamiam incurri propter quodcumque periurium ſcienter, & prudenter commiſſum, ſiue ſit aſſertoriũ, ſiue ſponte contra promiſsionem iuratam. Nec etiam videtur diſtinguere inter iuramentum in iudicio, vel extra, publicum, vel priuatum, perniciosum vel non perniciosum homini, & citat Goffred. in Summa: quem etiam cum Ioan. Andr. pro eadem ſententia refert Turrecrem. Probat primo, quia omne periurium eſt peccatum mortale: ergo inducit infamiam Canonicam iuxta cap. *Illi qui* 6. quęſt. 1. Secundo periurium omne inter crimina computatur cap. vlt. de Temp. ord. cap. *Querelam*, de Iureiur. ſed omnia talia crimina inducunt infamiam, vt ex eodem capite colligitur: ergo. Tertio addi poteſt, quod in dicto cap. *Infames*, & cap. *Conſtituimus*, abſolute periuri dicuntur infames: & vbi Ius non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.

Alij nihilominus diſtinctione vtuntur de iuramẽto aſſertorio, & promiſſorio. De promiſſorio autem ſubdiſtinguunt, quia vel eſt abſolute factũ Deo, & ſic per violationem eius non incurritur infamia, etiam ſecundũ leges Ciuiles, iuxta l. 2. ſupra citatam, C. de Reb. credit. vel eſt factum homini, & violatio eius eſt homini iniurioſa & damnoſa, & propter tale periurium imponitur infamia, iuxta l. *Si quis maior*, C. de Tranſactio. De aſſertorio autẽ aliqui abſolute negant per illud infamiã incurri, quia hoc videntur ſimpliciter negare leges Ciuiles in leg. *Lucius Titius*, ff. de His, qui not. infam. vbi ſermo eſt etiã de teſtimonio lato in iudicio. Alij vero etiã in iuramẽto aſſertorio diſtinguẽdum putant, quia ſi iuramentum ſit iudiciale, teſtificando per illud incurritur infamia, iuxta cap. vlt. de Temp. ordin. Et non videtur refragari dicta l. *Lucius*. imo idem probare, tũ quia ibi non dicitur, teſtem falſum non eſſe infamem, ſed teſtimonium in iudicio reprobatũ non reddere teſtem infamem tanquam falſum: quod intelligi poſſet, quia poſſunt eſſe multæ aliæ rationes reprobandi teſtimoniũ præter falſitatem, quia poſſet eſſe falſitas materialis tantum, ſeu ſine dolo: tum maxime, quia ibi (cum dicitur, illos teſtes, quorum teſtimonium reprobatur, non manerę infames) redditur ratio, quia illud delictum non eſt dignum infamia, ſed quia ſententia pro alio lata, alium non grauat: In qua ratione potius ſupponitur, delictum illud infamiam fuiſſe allaturum teſti, ſi ipſe directe fuiſſet de falſo teſtimonio damnatus. At vero de iuramentis priuatis, & extraiudicialibus negant iſti Authores generare infamiam, quia nullibi eſt ſatis expreſſum: & ita ſentit Soto dicto lib. 8. quæſt. 1. art. 10. & quæſt. 2. art. 3.

8.

Leg. Lucius Titius.

9. *Diſtinctio infamiæ in Canonicam & Ciuilem.*

Pro reſolutione ſupponenda eſt diſtinctio infamiæ in Canonicam, & Ciuilem, quam late expoſuimus in 5. tom. Quia vero illa verba ſunt æquiuoca, per Canonicam nunc intelligimus illam, quæ per ſe non inducit impedimentum Canonicum indelebilem, ſeu quod tolli non poſsit abſque diſpenſatione, ſed quæ talis eſt, vt per vitæ mutationem cum mutatione opinionis apud homines auferri poſsit. Ciuilis autem infamia dicitur illa, quæ poſtquam ſemel incurritur, auferri non poteſt ſine diſpenſatione, ſeu habilitatione Superioris habentis poteſtatem.

10. *Ciuilis infamia non inducitur per omne iuramentum. Panorm.*

Hoc ergo ſuppoſito duo dicenda ſunt. Primum eſt, ciuilem infamiam non induci per omne iuramentum. Aliud eſt, Canonicam per omne induci. Ita Panormitanus in dicto cap. *Teſtimonium*, & intendunt alij. Et prior pars conſtat, quia nullibi legitur talis pœna lata vniuerſaliter in Ciuilibus legibus, nec Canonizata in Canonicis. Item in Canonica citata de infamia tantum Canonica loquuntur, quia non de ſolo periurio, ſed etiam de alijs grauibus peccatis loquuntur, & abſurdum eſſet de rigoroſa infamia illa intelligere. Et inde probatur altera pars ex eiſdem Iuribus Canonicis, quibus obſtare non poſſunt in hoc ſenſu leges Ciuiles, quia licet infamia legalis non reprobata à Canonibus, eo ipſo Canonizata ſit, iuxta d. c. *Infames*: non tamen hoc ita conuertitur, vt ſola infamia legalis per aliquod delictum in Eccleſiaſtico foro incurratur, nam Canones per ſe poſſunt, & ſolent infamiam Canonicam imponere, quod in hoc delicto feciſſe videntur.

11.

Declaratur etiã ratione, tum quia grauius crimen eſt in-

Digitized by Google

eſt iurare falſum aſſertorie, quam frangere iuramentum promiſſorium, vt ex ſupra dictis patet: ergo Canones, qui attendũt grauitatem criminũ apud Deum, & in ordine ad mores animarũ corrigendos, debuerunt infamiam illius criminis cauere. Et idem eſt de violatione iuramenti Deo facti, & præſertim cum voto, quia grauiſsimum eſt, & magnã morum corruptionem inducit, & indicat. Denique etiam iuramentum extraiudiciale eſt grauiſsimum crimen: & Canones ſimpliciter de illo loquuntur, annumerando illud homicidio, & alijs ſimilibus criminibus. Et ſpecialiter notari poteſt in d. cap. vlt. de Temp. ord. prius poni periurium abſolute, poſtea falſum teſtimonium: ergo in primo non comprehenditur tantum iuramentum iudiciale, quod ad falſum teſtimonium pertinet, ſed ſimpliciter omne periurium. Et hæc reſolutio in ſequenti puncto magis declarabitur.

12. *Quando hæc infamia incurratur.* Iam ergo ſupereſt explicandũ aliud, ſcilicet quando, & quomodo hęc infamia incurratur. In hoc Hoſtienſ. ſupra ſimpliciter, & ſine diſtinctione ſentit, incurri ipſo iure ſeu facto, propter quodcumq; periurium ante ſententiam. Sed hæc ſententia & eſt valde confuſa, & multis periculis expoſita, & in rigore falſa, vt patebit. *D. Tho.* Vnde D. Thom. d. q. 98. art. 3. ad 3. quoad hoc ſequitur diſtinctionem de iuramento promiſſorio, & aſſertorio, & dicit propter periuriũ contra promiſſorium, incurri infamiam ipſo iure, propter aliud vero non incurri vſque ad ſententiã condemnatoriam via accuſationis: ſignificans non eſſe ſatis, quod feratur per viam exceptionis. *Turrec.* Et hoc ſequitur Turrecre. in cap. *Quicumque 6.* quæſt. 1. & in c. *Prædicandum* 22. q. 1. citans etiam Raymund. & Panorm. in cap. *Teſtimonium*, de Teſt. n. 7. vbi Bart. & alios refert: ſequuntur etiam Angel. & Syluest. ſupra. Alij vero ſimpliciter docent, propter nullum periurium incurri infamiam, donec quis per ſententiam ſit condemnatus, vt ſit à teſtimonio ferendo repellendus: *Soto.* ita ſentit Soto dicta quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 2. art. 3.

13. *Nulla incurritur infamia propter periurium occultum.* Mihi dicendum videtur: propter nullum periurium omnino occultũ incurri infamiã. Hoc aperte probatur ex d. cap. vlt. de Tempor. ord. iuxta quod intelligenda ſunt alia Iura. Eo vel maxime, quod vel per nullum crimen occultũ occurritur infamia iuris, vt etiam de hæretico Soto ſupra affirmat, vel (quod probabilius eſt) licet aliquando incurratur, non niſi vbi Iura ſatis expreſſe illam tali modo imponunt, vt late tractaui in 5. tom. diſput. 48. ſect. 1. Hic autem nullũ eſt Ius, in quo hoc modo hæc pœna feratur. Denique hoc videtur ſatis conuinci ex dicto *Cap. Teſtimonium.* cap. *Teſtimonium*, de Teſtib. nam prius dicitur, *Si de crimine emendatus, & eum non comitetur infamia*, & poſtea ſubditur: *Præter quam pro reatu periurij.* Vbi clare ſupponitur dari periurium, pro quo non incurratur infamia: ergo id maxime poteſt, & debet intelligi de periurio occulto, id eſt, nec per ſententiam declarato, nec aliàs notorio, iuxta ea, quæ ſtatim dicemus.

14. *Vtrum ex periurio cõtrahatur infamia Canonica, ſufficit delictũ eſſe notorium.* Dico ſecundo: vt ex periurio contrahatur infamia Canonica, non ſemper eſt neceſſaria ſententia, ſed ſufficit delictum eſſe notorium, ita vt nulla tergiuerſatione poſsit celari. Ita docent Syluest. & Angel. ſupra, & ſupponunt Panor. & alij. Et probatur ex d. cap. vlt. ibi, *Si propoſita crimina ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerunt*, inter quæ crimina periurium poſitum fuerat. Sed hic textus non conuincit ipſo iure incurri talem infamiam per periurium notorium, quia vt diximus in 5. tom. ſupra in illo textu nulla pœna ipſo iure fertur, ſed tantũ declaratur, in quibus caſibus debeant Prælati excludere Clericos crimino ſos ab vſu ordinum, vel aſcenſu ad illos. Verumtamen licet ex illo textu non colligatur, aliqua cenſura, vel irregularitas propria: nihilominus bene colligitur, notorietatem ſufficere ad infamiam: vnde ſuppoſitis alijs Iuribus, quæ declarant periuros eſſe infames, recte colligitur, notorium periurium infamiam creare. Et facit dictum cap. *Infames*, ibi, *Qui pro aliqua culpa* (ſcilicet criminali) *notatur infamia*, & ibi, *Qui in omni mundo notantur infamia.* Ratio denique eſt, quia hæc infamia eſt ex illis, quæ incurruntur ob grauitatem, & genus peccati, iuxta intentionem dictorum Iurium: huiuſmodi autem infamia non requirit niſi factum, & publicam notitiam eius, vt ſumitur ex cap. *Infames*, 3. q. 7. in fine. Hæc autem infamia talis eſt, vt per pœnitentiam auferri poſsit: neque alicubi inuenitur cum maiori rigore lata, vt oſtendimus ex d. cap. *Infames*, cum d. cap. vlt. & facit etiam d. cap. *Teſtimonium*, vbi latius Panormitan. hoc proſequitur.

Dico tertio: Infamia ciuilis, ſeu indelebilis per pœnitentiam, ſolum incurritur per ſententiam, & in his tantum iuramentis, quæ humana pacta concernunt, quando illa violantur. Hæc eſt communis ſententia, vt vidimus. Probatur autẽ in hunc modum, quia Iura Canonica, nihil in ſpeciali ſtatuunt de hac infamia: ergo ſumẽda eſt ex legibus Ciuilibus quatenus per Canones non reprobantur: leges autem Ciuiles non aliter ſtatuunt hanc pœnam: ergo. Primum antecedens conſtat ex Canonibus adductis, & ex his, quæ circa illos diximus. Prima item conſequentia nota eſt, quia talis infamia non incurritur niſi per legem aliquã ſit expreſſa, vt eſt regula recepta, & ſuo loco probata: quod autem ad hoc ſufficiãt leges Ciuiles, vbi Canones deſunt, & non reſiſtunt, in ipſis Canonibus eſt expreſſum, vt viſum eſt. Minor autem probatur ex d. leg. *Si quis maior*, Cod. de Tranſact. vbi hæc infamia tantum imponitur pro violatione pacti iuramẽto confirmati: & nullibi fertur pro iuramentis falſis in aſſertionibus de præterito, vel de præſenti, nec pro violatione iuramẽtorum de futuro, quæ ſoli Deo, vel ſibi aliquis facit. Imo in alijs legibus ſignificatur, talia iuramenta non notari infamia, vt in d. leg. 2. C. de Reb. Credit. & leg. 2. iuncta vltima ff. de Crimin. ſtellion. Quod autem hæc infamia non incurratur, niſi per ſententiam, patet ex eadem lege *Si quis maior*, ibi, *Non ſolum notetur infamia, verum etiam actione priuatus, &c.* ergo donec quis notetur per ſententiam, non incurrit talem infamiam. Item, quia nullibi fertur hæc pœna cum maiori rigore: & verba pœnalia non ſunt extendenda, ſed limitanda. Et hoc modo probatur recte eadem aſſertio ex cap. *Querelam*, de Iureiurando. Eſt denique hæc communis ſententia, vt late refert Couar. ſupra num. 4.

15. Quando, et ob quæ periuria ciuilis infamia incurratur. *L. Si quis maior.* *Ca. Querelam. Couarr.*

Dices, etiam in iuramento falſo aſſertorio incurritur hæc infamia per ſententiam, vt docet Diuus Thomas d. art. 3. ad 2. ergo nulla eſt differentia. Reſpondetur: ſi iuramentum ſit priuatum, & extraiudiciale, non incurritur talis infamia per ſententiam declaratoriam criminis, quia nullibi eſt lata, ſed ad ſummum incurretur tunc infamia Canonica, de qua iam dictũ eſt. Poterit vero fortaſſe imponi hæc ciuilis infamia per iudicem propter alia periuria, per ſententiam condemnatoriam in tali pœna, iuxta illud verbum cap. *Si quis conuictus* 22. quæſt. 5. *ſecundum legem infamia notabuntur*: & tunc habebit locum, quod Diuus Thomas ait, ſæpe enim punitur hoc periurium pœna arbitraria, & ita poteſt per talem infamiam puniri. Si vero periurium ſit falſi teſtimonij in iudicio, dicit Panormitan. ſupra, per ſententiam declaratoriam eius incurri infamiam, non tam propter periurium, quam propter falſitatem in iudicio. 16. *D. Thom.*

Atque ex his conſtant, quæ in ſecunda & tertia dubitatione propoſita ſunt de beneficijs, illa enim 17.
dubia per regulam de irregularitate definiẽda ſunt: infamia enim facit hominem irregularem, quamdiu durat. Vnde in tantum priuat hominem beneficijs, in quantum irregularitas facit hunc effectum: irre-

irregularis autem non priuatur ipſo facto beneficiis antea obtentis, ergo nec periurus. Fit autem irregularis inhabilis ad beneficia de nouo obtinêda, ita vt collatio nulla ſit iuxta probabiliorem opinionem, vt dicto 5. tom. diſput. 40. ſect. 2. viſum eſt: ergo idem dicendum de periuro, non vt periurus eſt, ſed in eo caſu, in quo infamis factus eſt, & in infamia durat. Quamuis in hoc vltimo videatur contrarium ſentire Couar. d. n. 3. vbi etiam addit limitationem, quam non video eſſe iure fundatam, & ideo illam omitto.

Couar.

18. Quinto, principaliter inter pœnas periurij poni ſolet, quod periurus non eſt in teſtem admittendus. Habetur in cap. *Quicumque*, 6. quæſtione 1. & in cap. *Paruuli*, 22. quæſtione 5. vbi generalius dicitur, vt nec teſtis ſit, nec ad iuramentum accedat, nec in ſua cauſa, vel alterius iurator exiſtat. Quod Gloſſa explicat de iuramento ſibi vtili, ſecus de oneroſo, vt eſt iuramentum calumniæ, & fidelitatis. Similem diſtinctionem habet Additio ad Gloſſam vlt. in ca. *Literas*, de Præſumpt. dicens, periurum excludi à iuramento honoris, non oneris. Dicit tamen Soto ſupra, hanc pœnam non incurri, donec aliquis per ſententiam periurij damnetur, & repellatur. At Sylueſt. *Iuramentum*, 2. quæſtione 3. dicit, ſufficere euidentiam facti cum notorietate.

Cap. Quicumque. Cap. Paruuli. Syluest.

19. Sed ego exiſtimo in foro conſcientiæ neminem teneri ad ſe abſtinendum à iurando iterum, etiam in iudicio propter periurium antea commiſſum, donec per acceptionem, vel accuſationem repellatur. Tum quia in Canonibus fere ſemper dicitur, vt iſti remoueantur, vt in d. cap. *Siquis conuictus*, vel *vt in teſtimonium non recipiantur*, vt in dict. cap. *Quicumque*, vel *vt eorum teſtimonium infirmetur*, ſicut in ſimili dicitur in cap. *Non poteſt*, 2. q. 7. vel dicitur *eſſe repellendus*, etiamſi emendatus ſit, vt in capit. *Teſtimonium*, de Teſtib. ergo ex vi Canonum non tenentur ipſi ſeſe abſtrahere donec repellantur. Tum etiam quia illa eſt quædam pœna, quæ non incurritur niſi ipſo Iure imponatur; nullibi autem inuenitur ita impoſita. Et maxime, quia fundata eſt in præſumptione, ſeu timore quod iterum peierabit; qui ſemel fuit periurus, quæ præſumptio in conſcientia ceſſat, dum quis habet animum vere iurandi. Vnde licet in capit. *Paruuli*, 22. q. 5. dicatur, *Qui ſemel peieratus fuerit, nec teſtis ſit poſt hoc, nec ad Sacramentum accedat, nec in ſua cauſa, vel alterius iurator exiſtat*. Per hoc non imponitur obligatio in conſcientia ipſi periuro, vt ad iurandum poſtea non accedat, ſed ſolum vt poſſit, & debeat repelli: Vnde colligo, etiam in foro externo ſi talis periurus de facto admittatur, eius teſtimonium non eſſe nullum ipſo Iure; quia nullibi inuenio factum irritum talem actum in pœnam præcedentis criminis. Oportet ergo vt periurus per ſententiam iudicis repellatur, vel inhabilis ad teſtificandum declaretur, & ita quo ad hanc partem cenſeo eſſe veriorem opinionem Soti, quam videtur etiam Archid. docuiſſe, licet ſub dubio.

Cap. Siquis conuictus. Cap. Quicumque. Cap. Teſtimonium. C. Paruuli.

20. Quale vero debeat eſſe periurium propter quod aliquis repelli poteſt, in dictis canonibus non declaratur, ſed indiſtincte loquuntur: videtur autem maxime intelligi de periurio in iudicio, vel in ſolenni, pacto, & promiſſione, vel certe etiam ſufficiet publica infamia, quod talis homo ſoleat periurare quocumque modo, & fortaſſe hoc voluit Sylueſt. ſignificare. Semper tamen intelliguntur excepta periuria, vel per iniuriam, vel per metum extorta, vel quæ ſolet reus committere interrogatus in iudicio, quia hæc periuria excuſationem habent, & ſolum Deum habent vltorem, ſaltem quoad pœnam ordinariam. Vide Couar. ſupra, & Iuli. Clar. ſupra num. 12. & lib. 5. §. vlt. q. 45. n. 10.

Quale debeat eſſe periurium, vt quis inhabilis reddatur ad teſtificandum. Iul. Clar.

21. Sexto tandem poſſunt hic annumerari aliæ pœnæ, quæ per hominem iuxta Canones iniungi poſſunt propter periurium. Prima, & præcipua: pro Clericis poni ſolet depoſitio, quæ expreſſe habetur in cap. *Presbyter*, 81. d. & in cap. *Cum non ab homine*, de Iud. Quid autem ibi ſignificet verbum, *Deponendus eſt*, id eſt, an rigoroſam depoſitionem, quæ perpetuam remotionem ab altari ſignificat, vt indicatur in cap. *At ſi Clerici*, de Iud. vel latius, vt comprehendit aliquando ſuſpenſionem, non pertinet ad nos nunc diſputare, credo tamen iuxta grauitatem, & circumſtantiam periurij poſſe in hoc iudicem arbitrari, grauiſſimumque debere eſſe periurium, propter quod depoſitio ſimpliciter imponenda ſit. Quod autem hæc depoſitio poſſit eſſe perpetua, aperte declaratur in cap. *Si Epiſcopus*, d. 50. De ſuſpenſione autem ab officio, & beneficio loquitur capit. *Peruenit*, de Fideiuſſ.

Aliquæ pœnæ, quæ iniungi poſſunt periuris. Cap. Presbyter. C. Cum non ab homine. Cap. At ſi Clerici. Cap. Si Epiſcopus. Cap. Peruenit.

22. Hinc ſecundo, & quaſi à fortiori poteſt periurus beneficio priuari, quia hæc priuatio quædam partialis depoſitio eſt, ſcilicet à beneficio. Et colligitur ex c. *Querelam*, de Iureiuran. vbi legi poſſunt expoſitores præcipue Panormit. & Couar. ſupra 1. part. §. 2. numer. 2. & ſequentibus, & Bernard. Diaz in Pract. cap. 92. & Angel. verb. *Periurium*, numer. 11. vbi dicit, hanc pœnam non eſſe extendendam ad fractionem fidei, vel promiſſionis, quando iuramento confirmata non eſt, cum Arch. Anton. & Card. quos refert. Quorum opinio mihi placet, quia extenſio non admittitur in pœnis ſine Iure expreſſo, quod hic non inuenitur, niſi tam acerba ſit fidei violatio, vt inter capitalia crimina computari poſſit. De illis enim criminibus in generali loquuntur interdum dicta Iura. In quo caſu habere poſſet locum opinio Ioan. Andr. Hoſtienſ. & Abb. in d. c. *Querelam*, ſentientium contrarium. Sed rariſſime (vt exiſtimo) inuenitur fractio fidei tam grauis, ſine interuentu periurij.

Couar. Ber. Diaz. Angel. Ioan. And. Hoſtienſ. Abbas.

23. Tertio ſtatuunt Canones, vt pro periurio grauiſſima pœna imponatur, non minor, quam pro adulterio, vel homicidio, aut aliis capitalibus criminibus, vt dicitur in cap. vlt. 22. quæſtione 1. & olim imponebatur pœnitentia ieiunij in pane, & aqua per quadraginta dies, & præterea alia ſeptennis pœnitentia cap. *Quicumque*, 6. quæſtione 1. Imo ibidem additur; vt nunquam ſit periurus ſine pœnitentia, communio tamen illi non denegetur. De his pœnis legi poſſunt alia Decreta 22. quæſtione 5. per totam, & Selua tractat. de Iureiurando 4. p. quæſt. 7.

Cap. Quicumque. Selua.

(:)

Finis Libri Tertij.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI DE ADIVRATIONE.

Cap.1. An adiuratio ſit proprius actus Religionis.
Cap.2. De rebus, quæ poſſunt ſanctè, & religioſe adiurari.
Cap.3. Poſſitne adiuratio fieri etiam per creaturas.
Cap.4. De peccatis, quæ in adiuratione inueniri poſſunt.

LIBER QVARTVS DE ADIVRATIONE.

D. Thom. HVnc actum poſuit D. Thomas inter externos actus Religionis 2. 2. qu. 90. & habere poteſt rationem formalem diſtinctam à reliquis: habetque quandam affinitatem cum iuramento, ſicut in voce, ita etiam in inuocatione nominis Dei, ideoq; conuenienter in hunc locum cadit de illa diſputatio. Quæ licet breuis, & facilis ſit, prætermitti omnino non debuit: tum propter materiæ complementum, tum quia & ad nonnullos caſus morales, & ad occurrendum aliquibus hęreticis vtilis eſſe poteſt. Primo ergo explicabimus quid ſit hæc adiuratio, & cur inter actus Religionis ponatur. Deinde videbimus quæ res, & quomodo adiurari poſsint: ac demum conſtabit, quid vitij, vel ſuperſtitionis in hoc genere actionis miſceri poſsit.

CAPVT I.

Vtrum adiuratio ſit proprius actus Religionis, vel quid ſit?

1. *Significationes verbi Adiuratio.* IN primis circa verbum *Adiurandi* cauenda eſt æquiuocatio, interdum enim accipitur in eadem ſignificatione, qua verbum *Iurandi*, ſolumq; per illam prępoſitionem *ad* denotatur quædam vehementia, & firmitas in iuramento præſtando, vt ex Latinis conſtat. Apud eos vero non eſt in vſu *adiurationis* nomen, licet inueniatur nomen *adiurationis*, quod iuramentum quoddam negatiuum ſignificat, cum ſcilicet aliquis iurat ſe non feciſſe, vel non eſſe facturum aliquid. Adiuratio vero in præſenti non ſignificat ipſum actum iurandi. Vnde in alia ſignificatione adiurare idē eſt, quod obteſtari, aut imprecari, per ſacram inuocationem. Et in hoc vſu inuenitur hæc vox in Scriptura, & apud Patres Latinos
Lactant. antiquiſsimos Lactantius li. 4. c. 27. tractans de Virtute Crucis, inquit: *Quanto furori ſit Dæmonibus hoc ſignum ſciet, qui viderit quatenus adiurati per Chriſtū Dæmones de corporibus, quæ obſederint, fugiant*, &
Tertull Tertul. in Apolog. c. 32. *Dæmones adiurare conſueuimus, vt illos de*
Cyprian. *hominibus exigamus.* Et Cyprian. in libr. de Idol. vani. circa med. & ad Demetriad. ait: *O ſi audire velles eos*, (id eſt, Dæmones) *quando à nobis adiurantur, & torquentur ſpiritualibus flagris*: & inferius ex Scriptura hanc eandem rem comprobabimus. Tertio addi poteſt *adiurare*, interdum ſignificare idem, quod ad iurandum inducere, ſeu aliquid ſub iuramento po-
Greg. Nyſ. ſtulare, vt ſignificauit Greg. Nyſſen. orat. 4. & 13. in Cant. circa illa verba c. 2. & 5. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem, &c.* & alia grauiora loca Scripturæ infra referemus. In præſenti autem non ita ſumitur, ſed in ſecunda tantum ſignificatione.

Atq; ex hac vocis ſignificatione intelligitur primo, in adiuratione, præter perſonam adiurantem 2. duas alias interuenire: vnam, quæ adiuratur, aliā per quam adiuratur. Hoc patet ex verbis Principis Sacerdotum ad Chriſtum, Matt. 26. *Adiuro te per Deum* *Matth. 26.* *viuum*, loquebatur enim ad Chriſtum, & illum adiurabat: interponebat autem Dei viui authoritatem, qua Chriſtus permotus, veritatem confitendo, ſuæ interrogationi reſponderet. Includit ergo adiuratio reſpectum ad duplicem perſonam: ad vnā quidem tanquam ad eam, quæ inducitur, vel impellitur ad aliquid agendum, vel non agendum, & ideo illa denominatur paſsiue adiurata: ad aliam vero, vt ad eā, *Ad quas perſonas dicat reſpectū adiuratio.* quæ interponitur, vt ſimul rogans, vel imperās maiori authoritate, vt efficacius perſona adiurata inclinetur ad id faciendum, quod ab ea poſtulatur, & ideo illa perſona non dicitur adiurari, ſed per illā, vel propter illam altera adiurari. Vnde perſona adiurata eſt quaſi materiale obiectum illius actus, vt adiuratio eſt, nam circa illam directe verſatur, & illam paſsiue denominat, vt dixi, tanquam ſubiectum, ſeu materiam circa quam verſatur. Altera vero perſona per quā fit adiuratio, videtur ſe habere per modum obiecti formalis reſpectu adiurationis, quia per illam, ſeu propter illam fit.

Secundo ſequitur ex hac declaratione, actū hunc 3. in ſuo genere honeſtum eſſe, ſi circa debitam mate- *Adiurationē eſſe actū honeſtum ex ſuo genere.* riam, & cum reliquis circumſtantiis fiat. Probatur primo ex Scriptura, quia interdum fiebat adiuratio authoritate Dei. Num. 5. vbi de muliere ſuſpecta de *Num. 5.* adulterio dicitur, *Et adiurabis eam*. Quamuis enim *Tolet. Luc. 8. Anno 62. Lorin. Act. 19. ver. 14.* aliqui cenſeant adiurandi verbum ibi in tertia ſignificatione ſumi, vt idem eſſet adiurare adulterā, quod maledictionibus eam ſubiicere, & per execrationem illam ad iurandum inducere; nihilominus exiſtimo, illam fuiſſe quandam adiurationem propriam, ſicut nunc de illa loquimur, vt infra declarabo. Sancti etiam viri ſolent adiurationibus vti, vt de Abraham legitur Gen. 24. & de Iacob Gen. 56. quas etiam fuiſſe proprias adiurationes infra oſtendam. Vſus etiam Eccleſiæ manifeſtus eſt. Ratione vero declaratur corollarium, quia duas habitudines (vt dixi) includit adiuratio; vtraq; autē poteſt eſſe honeſta, ergo & tota actio. Minor declaratur, nam adiuratio reſpectu perſonę adiuratæ eſt inductio quę- *Quæ conditiones requirūtur vt adiuratio ſit honeſta.* dam, hæc autem erit honeſta, ſi tria obſeruentur. Primum eſt, vt ad actionem, vel omiſsionem de ſe bonā, ſeu quæ bene fieri poſsit, inducatur, alias eſſet praua, & inordinata inductio. Secundum eſt, vt modo

Digitized by Google

poteſt enim inductio fieri vel rogando tantum, & amice petendo, vel imperando; & quaſi cogendo, vel obiurgando, hos enim duos modos diſtinxit Diuus Thomas dicto articulo primo. Licet alij ſolam inductionem, aut imperium in virtute alicuius ſuperioris velint eſſe adiurationem, nam alia, quæ fit rogando magis pertinet ad obſecrationem, vt videre licet in Abulen. Matth. 8. quæſtione 112. Sed non oportet de nomine contendere, quia nihil impedit, eandem actionem diuerſis reſpectibus obiurationem, & adiurationem appellari, vt infra declarabo. Ex illis ergo duobus adiurandi modis vnus eſſe poteſt accommodatus vni perſonæ, alius vero alteri. Debet ergo qui adiurat obſeruare, & conditionem perſonæ, quam adiurat, & habitudinem, ſeu proportionem, vel poteſtatem, quam reſpectu illius habet, & iuxta illius exigentiam modum adiurandi, ſeu inducendi tenere, & ita honeſto modo fiet adiuratio, vt in capit. ſequent. deſcendo ad ſingulas perſonas adiurabiles (vt ſic dicam) diſtinctius explicabimus. Tertia conditio eſſe poteſt, vt inductio habeat iuſtam, & rationabilem cauſam, quæ in omni fere negotio, vel humana actione neceſſaria eſt. Simili modo obſeruandus eſt debitus modus reſpectu eius, per quem adiuratio fit, ille enim interponitur vt det authoritatem, fauorem, vel virtutem inductioni alterius: ergo etiam reſpectu illius neceſſarium eſt, vt inductio ſit honeſta, & proportionata conditioni eius. Si ergo hæc obſeruentur, vt facile fieri poteſt, adiuratio erit honeſta. Qualis autem ſit hæc honeſtas, & quomodo obſeruanda ſit, in ſequentibus fiet manifeſtum.

D. Thom.

Abulen.

4. *Adiuratio non habet ſpecialem rationem Religionis reſpectu perſonæ adiuratæ.*

Tertio ſequitur ex dictis adiurationem non habere ſpecialem rationem actus Religionis ex habitudine ad perſonam adiuratã. Probatur, quia Religio habet Deum pro obiecto, ergo omnis actus Religionis vt ſic, debet circa Deum verſari: ſed adiuratio vt reſpicit perſonam adiuratam, non verſatur per ſe loquendo circa Deum, ſed circa creaturas, nimirum homines, vel Dæmones, vt exemplis adductis conſtat, & in ſequenti cap. latius dicetur; ergo adiuratio non habet, quod ſit Religionis actus ex parte perſonæ adiuratæ. Dices: Interdum poteſt Deus ipſe adiurari, ergo tunc ſaltem pertinebit adiuratio etiam ſecundum illum reſpectum ad virtutem Religionis. Reſponderi poteſt negando conſequentiam, quia etiam tunc non attingitur Deus, vt Deus, ſed, ſecundum quandam generalem rationem, quæ poteſt eſſe communis Deo, & creaturis. Verius tamen dicitur, tunc quidem actum illum, ſecundum illam habitudinem pertinere ad Religionem; ſed non eſſe actum ab oratione, ſeu petitione diſtinctum. Adiuramus enim Deum petendo aliquid ab ipſo propter ipſum: quia non poſſumus recte inducere Deum ad aliquid agendum, niſi humiliter ab ipſo deprecando; ergo licet illamet actio ſub alio reſpectu adiuratio dicatur, vt attingit Deum adiuratum, non eſt niſi quædam oratio. Vnde ſiquis interroget, quando perſona adiurata eſt creata, quam honeſtatem poſſit habere adiuratio reſpectu illius, cum honeſtatem Religionis non habeat; reſpondeo breuiter, cum proportione eſſe declarandam. Nam poteſt eſſe honeſta petitio humanæ amicitiæ, ſi ſit ad hominem æqualem, vel miſericordiæ, ſeu cuiuſdam obſeruantiæ, ſi ſit ad Superiorem: vel iuſtitiæ, ſi ſit ad ſubditum, vel poteſt eſſe Duliæ, & ſuo modo Religionis, ſi ſit ad Sanctos cum Chriſto regnantes, eo ſcilicet modo, quo illos ex Religione oramus; vel denique poteſt eſſe quidam actus fidei, & confeſſionis eius ſi ſit ad Dæmones, vt in cap. ſequen. declarabimus.

5. *Adiurationem eſſe actum Religionis reſpectu perſonæ per quam altera adiuratur.*

Quarto infero ex dictis, adiurationem eſſe actum Religionis reſpectu perſonæ, per quam ſeu propter quam altera adiuratur, quando adiuratio per Deum ipſum fit. Supponimus quidem ex proprietate vocis ſupra explicata, & vſu ipſius rei, adiurationem per Deum fieri; nihil enim eſt frequentius, quam aliquid ab alio petere per Deum, vel propter amorem Dei: illa ergo eſt adiuratio hominis per Deum. Ille ergo actus non eſt Religionis ex habitudine ad hominem adiuratum; ergo oportet, vt illam rationem participet ex habitudine, quam habet ad Deum, per quam alter adiuratur. Dices: Etiam ſub illo reſpectu non videtur eſſe actus Religionis, quia Religio attingit Deum, vt perſonam circa quam verſatur: ſed adiuratio non ita reſpicit eum, per quem fit, ſed eum, cui fit, vt dictum eſt; ergo nullo modo eſt actus Religionis. Reſpondeo, adiurationem dupliciter conſiderari poſſe: primo quaſi materialiter in ratione petitionis, vel iuſsionis, aut alia ſimili: ſecundo in formali ratione cultus. Priori modo verſatur circa perſonam adiuratam, & vt ſic, fatemur non eſſe actum Religionis, vel ſi aliquando eſt, non eſſe diſtinctum ab oratione, vt diximus. Poſteriori autem modo dicimus verſari circa Deum, vt circa perſonam adiuratam, ſeu cultam: quando enim aliquid per Deum petimus, in hoc ipſo honorem, & cultum tribuimus Deo, quia eius authoritatem, aut virtutem ſufficere profitemur ad obtinendum id, quod intendimus; ergo vt ſic, actus ille Religionis eſt.

6. Confirmatur, ac declaratur primo, quia in illo actu nomen Dei aſſumimus, ergo in illo ſeruandum eſt præceptum illud, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*: at receptum illud Religionis eſt, vt eſt apud omnes receptum. Et patet, quia ad nullam aliam virtutem pertinet obſeruare, vt actus ille cum debita reuerentia Dei fiat, ergo vt ſic, actus eſt Religionis. Tandem hac ratione, exorciſmi Eccleſiaſtici inter actus Religionis computantur, quia ſunt adiurationes quædam: non ſunt autem Religionis, vt verſantur circa res adiuratas, quæ maxime ſolent eſſe Dæmones, vt optime declarauit Tertullianus capit. 32. Apolog. dicens, *Dæmones adiurare conſueuimus, non deierare, vt illis Diuinitatis honorem conferamus*. Eſt ergo exorciſmus actus Religionis, quatenus in cultum Dei cedit, eo quod virtuti eius nitatur.

Tertul.

7. *Adiurationem eſſe ſpecialem actũ Religionis diſtinctum à reliquis.*

Quinto infero, adiurationem eſſe ſpecialem actum Religionis diſtinctum à reliquis. Probatur, quia modus Diuini cultus, qui in eo inuenitur, diſtinctus eſt à reliquis, vt ex proxime dictis facile intelligi poteſt. Magis vero declarabitur conferendo illum cum oratione, & iuramento, cum quibus videri poteſt habere aliquam affinitatem: nam à cæteris tam clare diſtinguitur, vt nulla collatione cum illis, vel explicatione opus eſſe videatur. Adiuratio ergo ab oratione manifeſte diſtinguitur, quia per orationem aliquid à Deo petimus, per adiurationem, vt talis eſt, non petimus à Deo, ſed petimus propter Deum, quod longe diuerſum eſt. Imo interdum non petimus, ſed imperamus, in virtute Dei, vel nominis eius, multum ergo differunt hi actus etiam in ſuo eſſe reali. Vnde etiam differunt in peculiari ratione cultus. Nam per orationem profitemur Deum eſſe auctorem bonorum omnium, cuius ope, & auxilio indigemus: per adiurationem autem profitemur tantam eſſe Dei authoritatem, vel virtutem, vel bonitatem, vt quilibet eius nomine audito moueri debeat ad præſtandum quidquid propter Deum ab illo poſtulatur.

8. *In quo conueniat iuramentum, & adiuratio.*

Cum iuramento vero habet adiuratio quandam conuenientiam in hoc, quod ſicut iuramentum adhibetur ad dandam authoritatem aſſertioni, vel firmitatem promiſsioni, ita adiuratio fit ad dandam efficacitatem poſtulationi, aut iuſsioni. Vnde ſicut iuramentum non pertinet ad Religionem propter reſpectum ad perſonam, cum qua loquimur, ſed

propter reſpectum ad perſonam, cum qua loquitur, ſed propter reſpectum ad perſonā, quam interponimus ad dandam authoritatem locutioni noſtræ, cuius reuerentiam, & honorem obſeruat Religio: ita cum proportione ſe habet adiuratio, vt explicatum eſt. Nihilominus tamen differunt, quia per iuramentum aut Diuina veritas ad aſſertionem confirmandam aut Maieſtas, & authoritas Dei ad firmandam promiſsionem adducitur: per adiurationem vero ſolum interponitur De⁹ vt obiectum amoris, vel timoris alterius, quem adiuramus, vt inde vel timore, vel amore moueatur ad faciendum aliquid. Conſtat autem has eſſe rationes valde diuerſas, tam in eſſe rei, & intellectualis operationis, quàm in ratione cultus: ergo. Vnde ſupra explicatum eſt, aliter obſeruandam eſſe reuerentiam Deo debitam in iuramento aſſertorio, per quod Deus inducitur vt teſtis enunciationis: aliter in promiſſorio, in quo ſe habet, vt dans authoritatem promiſsioni. Sic ergo differt ab vtroque iuramento adiuratio per quam ſolum inducitur Deus vt mouens alterum, ſeu dans efficaciam iuſsioni, aut petitioni: nam per hunc modum multo minus Diuinam authoritatem interponimus, & quaſi pignoramus, vt ſic dicam, quam per ſuperiores, vt conſtat.

In quo differunt.

9. *Gen. 24.* Objici vero poteſt, nam Geneſis 24. dixit Abraham ſeruo ſuo, *Pone manum tuam ſubter femur meum, vt adiurem te.* Et tamen ibi ab eo exegit iuramentum, vt ipſemet Abraham paulo inferius declarauit, dicens: *Sin autem mulier noluerit ſequi te, non teneberis iuramento.* Et ſubdit *Poſuit ergo ſeruus manum ſub femore Abraham, & iurauit illi ſuper ſermone hoc:* & infra dixit idem ſeruus, *Adiurauit me dominus meus.* Ergo iurare, & adiurare idem ſunt, & conſequenter adiuratio non eſt actus à iuramento diſtinctus. Similiter Geneſ. 47. Iacob dixit ad Ioſeph. *Pone manum tuam ſub femore meo, & facies mihi miſericordiam, & veritatem, vt non ſepelias me in Aegypto,* & infra, *Reſpondit Ioſeph, ego faciam quod iuſsiſti, & ille, iura ergo, inquit, mihi,* Et tamen capite 50. dicit idem Ioſeph, *Eo quod pater meus adiurauerit me:* ſunt ergo idem. Idem ſumitur ex 1. Eſdr. vltim. ibi, *Et adiurauit Principes Sacerdotum, & Leuitarum, vt facerent ſecundum verbum hoc, & iurauerunt.* Denique Ioſue 2. & 5. adiurare nihil aliud eſſe videtur, niſi ad iurandum inducere.

Gen. 47. Gen. 50. Eſdr. vlt.

10. *Opinio aliquorum.* Propter hæc dicunt aliqui, quoties iuramentum promiſſorium ab aliquo exigitur, interuenire adiurationem, & talem adiurationem factam eſſe in omnibus citatis locis: nihilominus tamen addunt, non confundi adiurationem cum iuramento, quia poteſt fieri adiuratio, non exigendo iuramentum, vt quotidie fitā pauperibus poſtulantibus propter Deum, & ex dicendis euidenter conſtabit. Sed ſicut hoc poſterius certum eſt, ita etiam prius non eſt neceſſarium: nam ſine dubio adiuratio, & petitio iuramenti etiam promiſſorij formaliter diuerſa ſunt. Vnde Diuus Thom. d. quæſt. 90. art. 1. ad 3. dixit, adiurare non eſſe ad iurandum inducere. Quocirca ſicut adiuratio ſeparabilis eſt à iuramēto promiſſorio, ita & hoc iuramentum peti poteſt ſine adiuratione, vt quotidie in contractib⁹, & iudicijs fieri videtur: & ratio eſt, quia poteſt quis ab alio petere, vt cum iuramento ſe obliget, non interponendo alio modo ex parte ſua Diuinum nomen. Igitur ſi aliquando ſola petitio iuramenti promiſſorij adiuratio vocatur vt videtur eſſe in illo loco Ioſue 2. Verbum adiurandi æquiuoce transfertur ad ſignificandum idem, quod ad iurandum inducere. Aliquando vero, & ſæpe poſſunt illa duo coniungi, vt videtur fuiſſe in alijs locis citatis: nam, vt dixi, adiuratio poteſt varijs modis fieri, ſcilicet rogādo, iubendo, cogendo. Inter alios ergo modos vnus eſt, exigere fœdus, & obligationē ab illo, qui inducitur ad aliquid faciendum: & aliquando ad maiorē firmitatem poteſt exigi iuramentum, vt in prædictis locis factum eſt. Coniunguntur ergo ibi adiuratio, & iuramentum, ſemper tamen manent diſtinctæ quoad proprias rationes ſuas: & videtur adiuratio præcedere, & progredi vſq; ad iuramenti petitionē. Sicut prius dicitur Iacob adiuraſſe Ioſeph, & Ioſeph obtuliſſe ſe facturū id, de quo adiuratus fuerat, & nihilominus addidit Iacob, *Iura ergo mihi:* ritus enim ille ponendi manum ſub femore licet adhiberetur in iuramento, vt ſupra libro 1. viſum eſt, potuit tamen idem ritus in adiuratione adhiberi. Petebatur enim ſimul iuramentum, quia ex promiſsione facta cum adiuratione petentis, non tanta obligatio naſcitur quanta ſi iuramento firmetur. Sic etiam intelligo adiurationem illam, quæ circa adulteram fiebat Numer. 5. nam ad illa in nomine Dei petebatur, vt veritatem aperiret, tum ex reuerentia præſentiæ Domini, iuxta illud, *Cum ſteterit mulier in conſpectu Domini,* &c. tum etiam ex timore Diuinæ iuſtitiæ, & comminatione eius, quæ per maledictiones ſignificatur: vt legimus 1. Reg. 14. vbi Saul populum adiuraſſe dicitur ſub maledictione illi imperando. Sic ergo adiurabatur ſuſpecta de adulterio, & veriſimile eſt ibi etiam fuiſſe exactum à fœmina iuramentum execratorium, quia non ſolum ſacerdos maledicta proferebat, dicens. *Sin autem declinaſti à viro tuo his maledictionibus ſubiacebis, Det tibi Dominus in maledictionem,* ſed etiam mulier cogebatur reſpondere: *Amen, Amen,* virtute iurans, vt ſibi talia euenirent, ſi tale quid commiſerat. Interueniebat ergo ibi propria adiuratio, qualis à nobis deſcripta eſt, licet modus conteſtandi Diuinam virtutem ſingularis fuerit, & tandem per adiurationem conſummaretur.

CAPVT II.

Quæ res poſsint ſancte, ac Religioſe adiurari.

1. *Quæ perſonæ interueniant in adiuratione.* TRes perſonæ, ſeu ſuppoſita in adiuratione interueniunt, quæ adiurat, quæ adiuratur, & per quam fit adiuratio, quæ non ſunt quidem ſemper diſtinctæ in re, vt vidimus, diſtinguūtur tamen habitudine, & frequentius re ipſa, ideoque neceſſe eſt exponere in quas res, vel perſonas poſsit talis habitudo, vel ratio conuenienter cadere. Non eſt vero quod circa perſonam adiurantem immoremur, nam conſtat imprimis fieri non poſſe niſi per intellectualem, vel rationalem naturam, quia petitio, & imperium ſunt actus rationis: & cum additur adiuratio, ſeu obteſtatio, aut comminatio, multo magis neceſſaria eſt vis rationis. Deinde clarum eſt, homines poſſe adiurationibus vti, vt conſtat ex dictis in præced. capit. & ex vſu, & quia ad hoc habent ſufficientem cognitionem, & diſcurſum. Hic vero præcipue agimus de adiuratione, quæ ab homine fit, & potiſsimum de illa, quæ ſupernaturali cognitione, & gratia procedit. Denique etiam conſtat, ſuperiores creaturas intellectuales poſſe adiurare, vt de ipſo etiam Dæmone dicitur Marci 5. adiuraſſe Chriſtum: *Adiuro te per Deum, ne me torqueas:* vnde à fortiori Angeli ſancti poſſunt homines adiurare, imo & Deus ipſe, vt ex dicendis conſtabit. Itaque de adiurante nulla eſt peculiaris difficultas. An vero in aliquibus hominibus ſit in hoc peculiaris aliqua virtus: præſertim reſpectu Dęmonum infra dicemus. *Mar. 5.*

2. *Perſona adiurata debet eſſe diſtincta ab adiurante.* Circa perſonam autem, ſeu rem, quæ adiurari poteſt, ſupponendum eſt, debere eſſe perſonam diſtinctā ab adiurāte, quia ſicut nemo ſe ipſum rogare, aut deprecari poteſt, ita etiā nec adiurare. Dices, poſſe aliquē ſibi ipſi imperare, & adiuratiōnē etiam fieri poſſe imperando: poterit ergo ſaltem hoc modo aliquis ſeipſum adiurare. Reſpōdeo tūc imperio

adiungi

Digitized by Google

adiungi adiurationem, quando voluntas imperati non eſt omnino in poteſtate imperantis, & ideo ille indiget quaſi fauore numinis ſuperioris ad extorquendam ab alio obedientiam: at vero cum homo ſibi imperat, habet in manu ſua voluntatem ſuam, imo imperij ſui efficacia ex ſua voluntate dependet, illud enim imperium ſui efficax eſt, quod ex voluntate abſoluta procedit, & ideo in tali imperio non habet locum adiuratio. Poteſt quidem homo interdum ſibi proponere Diuinum adiutorem, aut præceptum, aut beneplacitum, vt ſe excitet ad volendum, vel imperandum ſibi, ſed illa non eſt propria adiuratio, ſed quædam velut perſuaſio & maior quædam illuſtratio, qua homo ſeipſum inducit ad obiectum volendum.

3. *Poſſe licite Deum ab homine adiurari. D.Thom.*

Hoc ergo poſito dicendum primo eſt, Deum poſſe aliquo modo ab homine adiurari, illius tamẽ adiurationem inter partes orationis collocari, & obſecrationem appellari. Hæc aſſertio ſumitur ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 83. artic. 17. ad 1. & quæſt. 90. artic. 1. ad 3. Et declaratur breuiter vtraque pars: nam in primis non habet locum erga Deum adiuratio per modum imperij, quia eius eſt imperare, non imperari. At vero ſicut poſſumus orare Deum, ita etiam poſſumus aliquid Diuinum illi repræſentare, ob cuius amorem, aut merita noſtras orationes exaudiat, vt conſtat ex diuina Scriptura, in qua legimus Moyſen & alios Prophetas oraſſe Deum propter ſemetipſum, & propter Abraham, & alios iuſtos ſibi dilectos. Et Eccleſia ſemper orat per Chriſtum, vt agentes de Oratione diximus. Hic ergo orandi modus quandam Dei adiurationem continet, quia exoratur Deus, & ad impetrandum ab illo interponitur vel ipſemet Deus, vel aliquis nomine eius, qui potentior ſit quam nos ad impetrandum apud illum, vt per eum oratio noſtra iuuetur: ratio autem adiurationis in hoc perficitur, vt ſupra declarauimus. Conſtat autem ex dictis ſupra de partibus orationis, totum hoc pertinere ad obſecrationem, in qua proponitur Deo ratio aliqua obtinendi aliquid ab ipſo, vt cum per Chriſtum, vel per ipſiuſmet Dei bonitatem poſtulamus. Hæc ergo adiuratio obſecratio quędam eſt; ſolumque videntur ratione, & denominatione differre; nam obſecratio dicitur, quatenus dat vires orationi, adiuratio, quatenus eſt peculiaris actus reuerentiæ illius perſonæ per quam Deus adiuratur, vt ex dictis ſatis conſtat.

4. *Tam viatores, quam beatos & Angelos poſſe à nobis adiurari. D.Thom.*

Dico ſecundo, homines tam viatores, quam Beatos, & ſanctos Angelos poſſe à nobis adiurari, idque licite, & ſanctè fieri, ſi debito modo fiat. Hoc etiam tradit Diuus Thomas d. quæſt. 90. artic. 1. & eſt receptum apud omnes: & de Angelis quidem, & hominibus cum Chriſto regnantibus conſtat ex dictis ſupra de Oratione. Oſtendimus enim Sanctos recte orari à nobis, & conſequenter etiam obſecrari, & ita habet communis vſus fidelium, & Eccleſiæ, nam petimus à Virgine per filium, & per natiuitatem, vel aſſumptionem ſuam, & proportionali modo poſſumus ab alijs Sanctis petere. Vnde hæc pars huius aſſertionis eodem modo cum proportione accipienda eſt, quo præcedens concluſio. Eſt enim hęc adiuratio Sanctorum, obſecratio quędam, & pars orationis ad ipſos: & ideo vt licite fiat, ea obſeruanda ſunt, quę ad debitum modum orandi Sanctos neceſſaria ſunt. Nec enim poſſumus Sanctos adiurare cum imperio, ſed cum reuerentia, & honore humiliter eos precari, non vt authores bonorum, ſed vt interceſſores: eodem ergo modo poſſumus illos adiurare.

5. At vero reſpectu viatorum interdum poteſt adiuratio fieri deprecando tantum, vt cum ſubditus adiurat Superiorem, vel amicus amicum, aut pauper diuitem, vt per Deum, vel per Chriſtum, aut aliquem Sanctum, ſibi ſubueniat: ibi enim perfecte inuenitur tota ratio adiurationis, quam explicuimus, & hoc genere adiurationis videtur vſus Paul. 2. Corinth. 5. dicens: *Obſecramus pro Christo reconciliamini Deo*, & cap. 10. *Ipſe autem Paulus adiuro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti.* Atque hic modus adiurandi per ſeſe rationi conſentaneus eſt, quia Dei commemoratio, & honor optimum medium eſt ad aliquid honeſtum ab alio homine impetrandum. Aliquando vero fit adiuratio ad homines imperando, & quaſi cogendo, & tunc oportet, vt adiurans habeat authoritatem aliquam ſuper adiuratum, vt Diuus Thomas dixit, alias peccaret vſurpando ſibi ditionem, vel poteſtatem, quam non habet. Et ſic videtur Abraham adiuraſſe ſeruum, & Iacob filium, & de hoc genere adiurationis poteſt intelligi illud Pauli 1. Theſſal. 5. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus.* Quamuis etiam poſſit illud intelligi de adiuratione deprecatiua. Clarius videtur fuiſſe præceptiua adiuratio illa Pauli 2. ad Timoth. 4. *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu, per aduentum ipſius, & regnum eius prædica verbum, &c.* Et hac etiam adiuratione improbe & temere vti voluit Caiphas cum ad Chriſtum dixit: *Adiuro te per Deum viuum, &c.* In quo multipliciter peccauit, tum quia putauit ſe poſſe imponere Chriſto neceſſitatem, & obligationem reſpondendi, tanquam reo in legitimo iudicio interrogato: tum etiam quia non ad cognoſcendam veritatem, ſed ad captandam occaſionem condemnandi Chriſtum, ipſum adiurauit, vt eſt per ſe clarum, & effectus probauit. Quando vero fit legitima poteſtate, & debita intentione de ſe honeſta eſt, vt ex ratione ſupra facta conſtat.

2 Corint. 5. *Theſ. 5.* *2. Tim. 4.*

6. *Dæmones licite poſſunt adiurari ab hominibus.*

Dico tertio, Dæmones etiam ſanctè, & licite adiurari poſſunt ab hominibus ſi debito modo adiuratio fiat. Concluſio eſt certa ſecundum fidem, nam Eccleſia ab initio conſueuit adiurare Dæmones, vt Patres ſupra commemorati teſtantur, & multi alij, quos retuli in 3. tom. de Sacrament. diſput. 15. ſection. 4. & in Comment. articuli 2. quæſtione 90. Diui Thomæ. Fundatur autem hic vſus in Chriſti verbis, ac virtute, dixit enim Marci vltimo de ſuis fidelibus: *In nomine meo dæmonia eiicient*, & Luc. 10. *Dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, &c.* Vnde eſt etiam in Eccleſia peculiaris ordo Clericorum ad exorcizandos dæmones inſtitutus: idem autem eſt Latine adiurare, quod Græce exorcizare, vt ex dictis Patribus, & vſu Theologorum conſtat. Tantum ergo neceſſe eſt, vt in adiuratione facienda debitus modus teneatur, in quo hæc obſeruanda videntur.

Marci 16. Luc. 10.

7. *Finis adiurationis quæ ſit dæmonibus D. Thom.*

Primo ergo requiritur, vt finis adiurationis, ſit expellere, abiicere, ac fugare dæmonem, non vero aliquid ab illo obtinere, vel ſocietatem aliquam cum illo inire: Hoc docuit Diuus Thomas d. quæſt. 90. artic. 2. & conſtat primo, quia Chriſtus non dedit Eccleſiæ ſuę virtutem, niſi ad fugandos, & coercendos dæmones, iuxta illud: *In nomine meo dæmonia eiicient*, & Luc. 10. Cum Apoſtoli gloriarentur, quod etiam dæmones ſubiicerentur ipſis, Chriſtus declarauit eis, poteſtatem ipſis eſſe datam ad calcandos illos, eorumque virtutem, vt nihil nocere nobis poſſint: ergo non aliter licet nobis adiurare dæmones. Probatur conſequentia, tum quia non valemus id facere niſi per poteſtatem a Deo conceſſam, naturaliter enim longe inferiores ſumus, tum etiam quia alias periculo exponimur, vt multum nobis noceant, cum tamen finis adiurationis eſſe debeat, dæmonis inſidias, & artes nocendi fugere, vel fugare.

8. Secundo neceſſarium eſt, vt non rogando, vel amice petendo, ſed imperando, obiurgando, & cogendo dæmon adiuretur. Hoc etiam docuit Diuus Thomas d. art. 2. & tam hanc, quam præcedentem aſſertionem complexus eſt Auguſt. 10. de Ciuitate *Auguſt.*

cap. 22. dicens: *Vera pietate dæmones, aeream poteſtatem inimicam contrariamque pietati exorcizando eiiciunt, non placando omnes tentationes, aduerſitateſque eius vincunt orando, non ipſum, ſed ſuum Deum aduerſus ipſum,* & Tertull. libr. de Anim. c. 57. *Spiritualia* (inquit) *nequitia non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia nouimus, nec inuitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus.* Ratio vero eſt, tum quia dæmon nihil propter Deum operatur ob ſuam obſtinationem, ergo vanum eſſet illum propter Deum rogare; tum etiam quia omnis ſocietas cum dæmone nobis prohibita eſt, rogare autem illum, aut beneuole petere quædam ſocietas eſt, tum denique quia dæmon nihil ſponte operatur, niſi in odium Dei, & hominum perniciem, ergo aliquid ſpontaneum ab illo petere eſt participare, & communicare operibus illius malignis. De qua re videri poſſunt, quæ late diximus tractatu 3. lib. 2. de Superſtitione, cap. 7. & 8.

Tertul.

9. Neque obſtant huic aſſertioni quę Caietanus obiicit, ſcilicet quod interdum licet aliquid interrogare à dæmone, ſicut interrogauit Chriſtus Marc. 5. & Sancti aliquando leguntur petiiſſe à dæmonibus aliquas actiones, quaſi officia, vel ſeruitia. Reſpondetur enim imprimis, nunquam hæc, & ſimilia facta eſſe à Chriſto, vel Sanctis petendo, & quaſi rogando, ſed imperando, vel propria virtute vt à Chriſto, vel in nomine Chriſti, vt ab aliis Sanctis. Deinde quidquid in hoc genere à Sanctis factum eſt ad dæmonis expulſionem, cum eius confuſione, fructu fidelium, & maiori Dei gloria factum eſſe, atque ita fieri poſſe: vt docet Anton. 2. p. tit. 12. c. 1. §. 5. cum D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 4. ad 1. vbi ex Beda reddit rationem, cur Chriſtus interrogauerit à dæmone, quomodo vocaretur, *Vt intellecta magnitudine verbi, virtus curantis magis emicaret.* At vero interrogare aliqua curioſe ab energumenis, & & obſeſsis à dæmone, etiam cum actu adiurantur, quæ nihil conferunt ad expulſionem dæmonis, vel ad ædificationem fidelium, non caret ſuperſtitione, licet ex leuitate materiæ poſſet à culpa mortali excuſari, vt Caietan. notat, & ſequitur Nauar. cap. 11. num. 28.

D. Ant. D. Thom. Beda. Nauar.

10. Tertio requiritur, vt hæc adiuratio legitima poteſtate fiat, non enim omnibus datum eſt poſſe dæmones exorcizare, ſed miniſtris ad hoc munus ſpecialiter deputatis, & ideo regulariter non licet aliis, hoc munus vſurpare. Probatur, quia vel id facere tentant virtute naturali, vel Diuina, vel in vi pacti cum ipſo dæmone. Primum ſtultum eſt, cum virtus naturalis dæmonis ſit longe ſuperior. Tertium ſuperſtitioſum eſt, vt dicto loco oſtendimus, ſecundum autem temerarium eſt. Vnde timere debent, qui hanc poteſtatem temere vſurpauerint, ne illis prauus ſpiritus reſpondeat: *Ieſum noui, & Paulum ſcio. vos autem qui eſtis: & inſiluit in eos,* &c. vt in ſimili refertur Act. 19. Hoc autem intelligendum eſt de adiuratione ſolenni, & publica, quæ ſecundum quandam præſcriptam formam ab Eccleſia inſtitutam in ea fieri conſueuit: nam illa pertinet ad actus ordinis Eccleſiaſtici, qui non poſſunt niſi à conſecratis miniſtris exerceri.

11. *Quibus modis Dæmon adiurari poſſit.*

Nihilominus tamen priuatim interdum licere poteſt, dæmonem adiurare in virtute Dei, & per fidem in ipſum, & confidendo de virtute nominis Ieſu, & virtutis eius. Sed hoc etiam duobus modis fieri poteſt, vnus eſt viſibilis, quando dæmon corporaliter hominem obſidet, & vexat. Et tunc illius expulſio ſi ſit efficax, & extraordinario modo fiat, pertinet ad virtutem miraculorum, & ſine ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti, & fide ab eo inſpirata, tentari non debet. Hoc autem modo legimus Sanctos ſæpe expuliſſe dæmonia, & non ſolos viros, ſed etiam ſanctas fœminas, vt ex legēdis Sanctorum conſtat. Et in primitiua Eccleſia videtur frequēter fuiſſe fidelibus communicata hæc poteſtas ſupra dæmones, vt ſumi poteſt ex Tertulliano libr. de Coron. milit. cap. 11. & lib. de Idololat. cap. 11. & in Apolog. cap. 23. dicente: *Addatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem dæmone agi conſtet. Iuſſus a quolibet Chriſtiano loqui ſpiritus ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falſo.* Vbi expendendæ ſunt particulæ illæ, *à quolibet Chriſtiano, & iuſſus, & confitebitur,* vtique vi imperij, & virtutis Diuinæ, & ad eum finem, vt Chriſtiana veritas, & dæmonis falſitas innoteſcat. Idem ſemel, atque iterum repetit Iuſtin. Dialogo cum Tryphone, & Orat. pro Chriſtian. & Athanaſ. de Incarnatione Verbi. Alius vero modus adiurationis intelligi poteſt, priuatus, & occultus, vel etiam inuiſibilis, ac ſpiritualis, quo poſſunt licite, & vtiliter vti fideles, quando tentanti dæmoni reſiſtunt fortes in fide; ſolent enim ſancti viri exprobrare dæmonem, & interius adiurare in nomine Domini, vt diſcedat. Nam licet non ſint omnino certi, quod dæmon pariturus ſit, & diſceſſurus, vel à tentando ceſſaturus: nihilominus probabiliter id ſperare poſſunt, fundati quidem præcipue in fide, & in virtute nominis, & Crucis Chriſti, ſimulque contemnentes dæmonem, qui propter ſuperbiam ſuam ferre non poteſt huiuſmodi piorum exprobrationes, ideoque confuſus diſcedit. De qua re legi poſſunt multa apud Athanaſ. in Vita ſancti Antonij.

Tertul. Iuſtin. Athan.

12. *Quomodo adiurari poſſint irrationales creaturæ.*

Dico quarto: Irrationales creaturas ſecundum ſe non poſſe proprie adiurari, in alio vero, ſeu per modum cuiuſdam efficaciæ miraculoſæ adiurari poſſe. Ita docet D. Thom. d. quæſtione 90. articul. 3. & Sot. lib. 8. de Iuſt. quæſtione 3. articulo 3. & in ſimili id explicuimus in 5. tom. de Cenſuris diſputatione 5. ſect. 1. declarando quomodo ſoleant animalia nocentia arboribus, vel fructibus terrę exorcizari, vel quaſi anathematizari, ad eundem enim modum de adiuratione loquendum eſt. Probantur ergo, & explicātur breuiter ſingulæ partes. Nam in primis adiuratio reſpectu illius, qui adiuratur, eſt quædam obſecratio, petitio, aut imperium: ſed creaturæ irrationales nō ſunt capaces talium actionum, quia tam petitio, quam præceptum proprie ſumptum non percipitur niſi intellectu, & ratione, ergo ex hac parte non poſſunt creaturę irrationales proprie adiurari. Hinc tamen facile probatur ſecūda pars, quia creaturæ irrationales nobis non nocent ſine ordinatione, vel permiſsione Dei, ſæpe vero à Dæmonibus agitantur, & mouentur in noſtram perniciem Deo permittente: poſſunt ergo abiici. Et fugari per adiurationem Dei, vel Dæmonis, & hoc modo dicuntur adiurari in alio alium adiurando, à quo ipſę mouentur.

D. Thom. S. Thom. Soto.

13. Vnde fit, vt quando hæc adiuratio fit directe ad Deum, per obſecrationem fiat, quia (vt dixi) reſpectu Dei non habet locum alius modus adiurationis, & huiuſmodi ſunt plures orationes Eccleſiæ, in quibus à Deo poſtulatur, vt auertat inclementiam aeris, aut nubium, aut nocentia animalia: & omnes concludunt, *Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Sic etiam ſolemus exorcizare aquam, ſalem, & ſimilia, deprecando Deum cum ſimili obſecratione, vt illis peculiarem virtutem præbeat ad aliquos effectus. At vero ſi adiuratio fiat directe ad Dæmonem, tunc fit per imperium, vt ſupra dictum eſt. Et huc pertinent illæ adiurationes, quæ ſolent fieri contra has res irrationales per modum anathematiſmi, & quaſi cenſuræ: nam per illas directe abiguntur, & arcentur Dæmones cum quadam authoritate, & imperio, ne per huiuſmodi creaturas fidelibus noceant. Denique interdum oratur Deus, vt Dęmoni imperet, ne noceat, vel vt illius opera diſſoluat, & impediat, & tunc etiam Dęmon adiuratur per aliū, ſcilicet Deū, & ideo oratione, & non imperio adiuratur; & talis adiuratio ſępe etiā ad creaturas

irra-

irrationales terminatur, obſecramus enim Deum, vt præcipiat Dæmoni, ne vtatur irrationabilibus creaturis in hominum nocumentum. His ergo modis poſſunt hæ creaturæ in alio adiurari.

14 Addimus vero in tertia parte aſſertionis, etiam poſſe adiurari per immediatam efficaciam ſupernaturalem, quæ directe, & immediate verſetur circa ipſas irrationales creaturas, & in ipſis habeat ſuum effectum, & quia huiuſmodi efficacia ſolet per imperium explicari, ideo dicimus hoc modo poſſe has creaturas in ſe etiam adiurari imperio. Non quia illæ percipere valeant morale imperium, aut ſe ſe mouere ad intelligentiam illius, ſed quia (vt ait Hieronym. Matth. 8.) *Omnes creaturæ ſentiunt creatorem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt.* Sic enim exponit, quod de Chriſto ibi dicitur, quod ſurgens imperauit ventis, & mari, & ſecuta eſt obedientia, ita vt videntes mirati fuerint dicentes: *Quis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei.* Quod ergo tunc fecit Chriſtus virtute propria, poſſunt facere ſerui eius in fide, & virtute illius; poſſunt enim imperare huic monti, vt hinc transferatur, & faciet, & locuſtis vt recedant, & obedient, non morali, ſed (vt ita dicam) phyſica obedientia. Illud ergo imperium quatenus includit deprecationem per Chriſtum, dici poteſt adiuratio, non tantum reſpectu Dei, ſeu Chriſti, ſed etiam reſpectu irrationalium rerum, quibus Chriſti imperium, & voluntas inſinuatur, non vt ſenſum, ſed vt efficaciam illius ſentiant. His ergo modis poſſunt irrationalia adiurari.

Hieron. Matth. 8.

CAPVT III.

Poſsitne adiuratio fieri per creaturas, vel fieri debeat per ſolum Deum?

1 Declarauimus quas res adiurare poſsimus, nunc breuiter exponendum eſt, per quid eas adiurare debeamus. Videri enim poteſt, ſicut non poſſumus honeſte, & licite iurare, niſi per Deum, vel expreſſe, vel clare, vt ſupra dictum eſt: ita non poſſe nos licite adiurare aliquem niſi propter Deum. Quia licet adiuratio non ſit proprie iuramentum, eſt quædam imitatio iuramenti, nam per vtrumque actum interponitur Diuina Authoritas, licet ſub diuerſa ratione, & ad diuerſum finem. Et confirmatur, quia ſicut iuramentum, ita & adiuratio eſt actus Religionis, ergo æquiparari in hoc debet, vt non poſsit fieri niſi propter Deum, quia cultus Religionis ſoli Deo tribui poteſt. In contrarium vero obiici poteſt, quia quãdo adiuratur Deus, non videtur poſſe adiurari propter Deum, quia non minus debent diſtingui perſona adiurata ab ea per quam adiuratur, quam ab ea, à qua adiuratur. Quia ideo fit adiuratio, vt inter adiurantem, & adiuratum tertia perſona interponatur, quæ ſuppleat imperfectionem, vel inefficaciam adiurantis, ergo non poteſt Deus propter ſe ipſum adiurari. Confirmatur ex vſu Scripturæ, & Eccleſiæ in adiurando Deo ipſo, nam in veteri teſtamento frequenter adiurabant Deum per Abraham, Iſaac, & Iacob, nunc per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, vt homo, & Redemptor noſter eſt, ſæpe etiam per Virginem, & alios Sanctos.

2 Deum adiurari poſſe, & per ſeipſum, & per Sanctos eius, ſiue beatos, ſiue viatores, non vero per inferiores creaturas.

In hac re dicendum eſt primo, Deum adiurari poſſe, & per Deum ipſum, & per Sanctos eius, non ſolum iam cum Chriſto regnantes, ſed etiam per Viatores, qui iuſti reputantur, non vero per inferiores creaturas. Probo breuiter ſingula: nam in primis ſæpe fit obſecratio ad Deum, per ipſum, vt Daniel 9. *Ne moreris propter temetipſum Deus meus*, & Pſalm. 24. *Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Saluator meus, &c. Reminiſcere miſerationum tuarum Deus, &c.* & infra: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo*, & alij Prophetæ ſæpe hoc modo orabant: *Per temetipſum fac hoc Deus*, illa autem habent vim, & formam adiurationis. Item recte à Deo petimus propter bonitatem, & miſericordiam eius, ſæpe per fidelitatem, & veritatem eius, vim faciendo in promiſsis eius, quæ in eius fidelitate nituntur. Præterea Deus iurat per ſemetipſum, quia non habet maiorem per quem iuret, ad Hebr. 6. & ſupra viſum eſt: ergo poteſt adiurari propter ſe ipſum; quia eſt eadem proportio. Nam ſicut Deus iurat per ſeipſum, licet tale iuramentum non addat certitudinem verbo, aut promiſsioni eius, ita poſſumus nos adiurare ipſum per ipſum, licet illa reflexio ſecundum ſe non addat certitudinem deprecationi, ſeu impetrationi. Et ratio eſt, quia ſicut Deus non iurat propter ſe, ſed propter nos, vt ratio credendi dictis, & promiſsionibus eius diſtinctius nobis proponatur, & innoteſcat, magiſque nos moueat, quando per modum iuramenti proponitur, ita etiam non adiuratur per ſemetipſum propter ipſum, ſed propter nos, vt feruentius petamus conſiderata Dei bonitate, & magnitudine, quam illi per adiurationem repræſentamus. Ergo licet diſtinctio inter perſonam adiuratam, & propter quam adiuratur ſæpius intercedat, quando ratio petendi ex diſtincta perſona ſumitur: poteſt nihilominus interdum ſumi ex eadem, aliqua eius proprietate diſtinctius conſiderata, & repræſentata, & hoc modo adiurari poteſt Deus propter ſeipſum.

Hieron. Matth. 8. — Dan. 9. Pſal. 24.

Hinc facile probatur altera pars, ex vſu Scripturæ Exod. 32. vbi Moyſes orabat Deum: *Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum*, ſic etiam in illis Eccleſiæ precationibus, *Per admirabilem annuntiationem tuam, &c.* cenſetur adiuratio contineri, quæ poteſt dupliciter intelligi. Vno modo vt deprecatio ad Deum, vt Deus ſit: ratio autem obſecrandi ſumatur à myſterijs factis circa Chriſtum, vt hominem, & ſic adiuratur Deus, vt Deus, per opera humanitatis, ſeu opera in humanitate, vel per humanitatem facta, & ſic adiuratur Deus per aliquid creatum. Alio modo poteſt intelligi, vt tota petitio, & obſecratio immediate referatur ad Chriſtum hominem, vt homo eſt, & ſic adiuratur proprie loquẽdo Chriſtus ipſe propter ſe ipſum, repræſentando illi aliquam rationem largiẽdi quod poſtulatur, ex ipſomet ſumptam, eo modo, quo dicebamus, Deum per ſemetipſum adiurari. Preterea poſſumus Deum adiurare per ſanctos Angelos, vel homines, & per eorum merita, vel intercesſiones: quia Deus ſæpe vult per huiuſmodi rationes beneficium concedere, & non alias. Non quia, cum in tempore adiuratur, incipiat ab illis moueri, ſed quia ab æterno ſæpe ſtatuit, dare intuitu illorum, & non alias, ideoque etiã voluit à nobis ſic obſecrari. Præterea, quia inter viuentes iuſtos voluit Deus eſſe communicationem aliquam in bonis operibus, ac meritis, & vni ſolet benefacere propter alios: ideo etiam poteſt per viatores iuſtos adiurari, vel in communi ſi oratio ſit publica, quomodo Eccleſia obſecrat ſæpe propter omnes Sanctos, vel propter iuſtos in communi, & in confuſo: vel in oratione priuata propter talem, vel talem perſonam, quam orans exiſtimat eſſe ſanctam. Sicut enim vnus viator poteſt ſe alterius orationibus commendare, vt ſupra vidimus, ita poteſt per ipſum petere, & adiurare Deum. 3. Exod. 32.

4 Vnde tandem conſtat, non poſſe adiurari Deum propter alias creaturas inferiores, vel in natura, vel in ſtatu gratiæ, quia nec dignitas talis creaturæ, nec opera aliquid valere poſſunt apud Deũ ad impetrandum aliquid ab ipſo. Imo ſi quis recte conſideret, quando adiuratur Deus per rationem creatam, ſeu per creaturam aliquam, ſemper eſt in quãtum includit aliquam ſingularem participationem

Diuinæ bonitatis, quæ interdum habet adiunctam promiſsionem, vel ſaltem reſpicit maiorem gloriam, & honorem Dei, qui ex tali opere reſultare poteſt. Atque ita ſicut iuramentum per creaturas reſoluitur in Deum earum Authorem: ita dici poteſt de adiuratione Dei, quoties fit per commemorationem alicuius effectus creati, ibi inuolui Deum ipſum, vt Authorem eius, qui ratione ſui honoris, ac maieſtatis, vel verbi ſui, aut miſericordiæ, ex vno opere ſuo quaſi inducitur ad aliud faciendum.

5. *Sancti homines adiurari poſſunt, non ſolum propter Deum, ſed etiã propter rationes, & perſonas creatas.*

Dico ſecundo ſancti homines, & beati, & viatores adiurari poſſunt non ſolum propter Deum, ſed etiam propter rationem, vel perſonas creatas, ſingulari autem, & excellenti modo adiurantur propter ſolum Deum. Declaratur ex ſimilitudine iuramenti. Nam ſi per iuramentum afferatur teſtimonium aliquod infallibile, non poteſt eſſe niſi Deus ipſe; vel directe, & expreſſe, vel indirecte, & relatiue, vt ſupra dictum eſt: quia prima, & infallibilis veritas de ſe, ac per ſe ſolum in Deo eſſe poteſt: ſi autem iuramentum fiat per teſtimonium probabile, aut credibilius, ſic fieri poteſt per creaturam, licet vix mereatur nomen iuramenti, vt ſupra diximus. Ad hunc ergo modum de adiuratione dicimus, fieri poſſe per aliquid, quod ſummam dignitatem, authoritatem, vel poteſtatem habeat ad præbendam vim, & efficaciam petitioni, cui adiungitur: & ſic clarum eſt, adiurationem non poſſe fieri niſi per Deum, vel expreſſe, vt ordinarie fit, cum petimus per Deum, vel Dei miſericordiam, vel implicite, & reductiue, vt quando petimus per Chriſti vulnera, & propter beneficia, quæ à Deo recepimus. Et ratio eſt, quia in nulla re infra Deum inuenitur illa excellentia, quam talis modus adiurationis requirit. Et ideo adiuratio ita perfecta, eſt propria virtutis Religionis, vt diximus.

6. Poſſet tamen adiuratio, vel obſecratio ad Sanctos fieri per rationes creatas, & ad vnum Sanctum per alium, non includendo ſpecialem habitudinem ad Deum, ſed præciſe ſpectando virtutem, vel dignitatem creatam eius, & tunc non eſt actio illicita, quia non tribuitur creaturæ aliquid proprium Dei, ſed quaſi poſtulatur ab illa adiutorium, ſeu interceſſio ſuæ virtuti, ſeu dignitati proportionata. Et ita huiuſmodi adiuratio non pertinet ad virtutem Religionis, ſed ad Duliam, vel hyperduliam, ſi fiat per Virginem. Vt inter homines etiam viatores fieri poteſt, vt quando vnus ab alio petit per Sanctiſsimam Virginem, vel Sanctum Antonium, & ſimilia, tunc enim per illam adiurationem honoratur talis Sanctus ſecundum ſua merita, & propriam ſanctitatem, & ſic pertinet ad cultum Duliæ, non latriæ. Denique hic modus adiurationis habet locum inter homines moraliter inter ſe operantes, ſeruata proportione. Nam vnus poſtulat ab alio per vitam patris, vel propter amicum, &c. qui modus quidam adiurationis eſt moralis, & humanus, & per ſe non illicitus, ſi circa materiam honeſtam, & cum debita intentione, ac moderatione fiat.

7. *Dæmones ſolum per Deum licite adiurari poſſe.*

Dico tertio: Dæmones per Deum ipſum vel expreſſe, vel tacite, & non aliter adiurandi ſunt. Concluſio habetur ex vſu Eccleſiæ, conſueuit enim adiurare Dæmonem; *per Deum viuum, per Deum verum, per Deum ſanctum.* Item per Chriſtum, qui etiam eſt verus Deus, item per Crucem eius, in quo modo non tam explicite inuocatur Deus ipſe, tamen implicite ibi continetur; quia crux eſt inſtrumentum Diuinitatis, & per habitudinem ad illam habet virtutem contra Dæmones. Et eodem modo interdum adiurantur dæmones per Sanctos, quos ipſi timent, non propter eorum naturalem virtutem, imo nec infuſam præciſe ſpectatam, vt habentem ſanctificat, & bonum reddit: quia per illam ſolam virtutem non poſſunt homines cogere, aut arcere dæmones, niſi Deus Sanctis ſuis, vel Eccleſiæ ſuæ peculiarem virtutem ad hoc conferat. Hac ergo ratione adiuratio dæmonis ſemper fit per Deum, vel in ſe, vel in Sanctis ſuis, aut in ſuis inſtrumentis inuocatum: quia (vt diximus) Dæmon non adiuratur prece, ſed coactione, & imperio, quæ non eſt in re creata, niſi virtute Dei; quia vt dicitur Iob 41. *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei.* Imo probabile eſt; neque Angelos ſanctos poſſe virtute naturali dæmones cogere, ſaltem comparando maximum ad maximum, & multitudinem ad multitudinem cum proportione; quia dæmones (vt creditur) perfectiores ſunt in natura, cum dicta proportione loquendo. Ob hanc ergo cauſam adiuratio dæmonum fieri debet in virtute ipſiuſmet Dei, vt recta fide, & efficaciter fiat. Neque contra hæc, noua occurrit difficultas. *Iob 41.*

CAPVT IV.

Quibus modis circa adiurationem peccari poſſit; & conſequenter quam obligationem ſecum trahat, vel inducat adiuratio.

HIc exponemus breuiter materiam moralem huius actionis, quamuis enim ex dictis in ſuperioribus capitibus facile colligi poſsit; oportet nihilominus obligationes, quæ hic interuenire poſſunt, & modos peccandi contra illas diſtinctius explicare. Loquimur autem de adiuratione propria, & Religioſa, quæ cultum latriæ continet: quia hæc ſola eſt proprius actus Religionis, ſolaque meretur nomen adiurationis ſimpliciter. Item loquimur de hac adiuratione, prout ab hominibus viatoribus exerceri poteſt, horum enim obligationes explicabimus. Denique intelligi hic poteſt obligatio, vel antecedenter ſe habens ad adiurationem, vel conſequenter; prior pertinet ad adiurantem, quatenus vel ad adiurandum, vel tali modo adiurandum obligari poteſt, ſi adiurare velit, quæ obligatio antecedit actum ipſum adiurandi: poſterior vero pertinebit ad perſonam adiuratam, ſi talis ſit, vt ratione adiurationis poſsit in conſcientia obligari, quod dubitari non immerito poteſt. 1.

An detur præceptum affirmatiuum obligans ad adiurandũ.

Primo ergo inquiri poteſt, an detur aliquod præceptum affirmatiuum quoad exercitium actus, id eſt, ſimpliciter obligans ad adiurandum. In quo breuiter dicendum videtur, ex vi iuris Diuini, aut naturalis nunquam hunc actum cadere ſub obligationem præcepti affirmatiui, ex præcepto autem Eccleſiæ interdum huiuſmodi obligationem imponi. Prior pars probatur, quia vel hic actus conſideratur ratione cultus Diuini, vel ratione vtilitatis eius ad conſequendum aliquem effectum nobis neceſſarium, neutro autem modo eſt de neceſsitate præcepti Diuini, aut naturalis; ergo. Conſequentia fundatur recte in partitione facta, quæ ſufficiens probatur, quia nullus alius titulus vtilitatis, vel honeſtatis in tali actione excogitari poteſt; ergo neque neceſsitatis, ſeu obligationis. Minor quoad priorem partem nota eſt, quia non deſunt alij actus, quibus ſufficienter impleatur obligatio naturalis colendi Deum abſque adiuratione. Item iuramentum non eſt per ſe neceſſarium propter cultum; niſi alia neceſsitas illud poſtulet; ergo multo minus adiuratio. 2.

Altera vero pars minoris probatur; quia quidquid vtilitatis poteſt eſſe in adiuratione ex parte Dei, poteſt per orationem ſufficienter impleri. Aut enim eſt ſermo de adiuratione ipſiuſmet Dei, quam diximus eſſe obſecrationem, & illa, vt addit aliquid, vltra ſimplicem orationem, ſeu petitionem, aut poſtulationem, non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, nam ſufficere poteſt ſimplex ad Deum ſupplicatio; & eadem ratio eſt de adiuratione Sanctorum, 3.

ctorum, vel quorumcumque hominum. Si vero ſit adiuratio Dæmonum, & occurrat neceſsitas fugandi illos, vel defenſionis contra illos, ſic etiam poteſt talis effectus per orationem ad Deum, vel Sanctos obtineri, licet propria adiuratio ipſorum dæmonum non fiat. Et ideo ad ſuperandas tentationes, vel infeſtationes dæmonum, ſæpe dicunt Theologi, eſſe neceſſarium ad orationem recurrere, & poſſe hoc interdum cadere ſub obligationem præcepti charitatis propriæ, vel communis. De adiuratione vero nulla eſt talis obligatio, quia nunquam in Scriptura proponitur, vt medium neceſſarium ad obtinendum Diuinum auxilium, ſicut proponitur oratio. Imo ipſa adiuratio ideo interdum ſufficere poteſt, quia includit orationem, & ad perfectionem eius iuuat: non eſt tamen hæc perfectio ita neceſſaria, vt ſub obligationem naturalis præcepti cadat, nulla enim ſufficiens ratio talis obligationis inuenitur.

Altera pars de præcepto poſitiuo ex vſu Eccleſiæ, eiuſque miniſteriis, & obligationibus eorum colligi poteſt. Nam publicæ orationes Eccleſiæ quandam Dei adiurationem continent: ſed miniſtri Eccleſiæ ſæpe tenentur ex præcepto illas orationes, & obſecrationes ad Deum facere: ergo tenentur ex præcepto Deum adiurare. Hoc ergo præceptum coincidit cum præcepto recitandi horas Canonicas, vel dicendi Miſſam, vel miniſtrandi ſolemniter Sacramenta, vel ſacramentalia, cum illis orationibus, & obſecrationibus ad Deum, quas Eccleſia dicere præcipit. De quo præcepto ſupra de Horis Canonicis, & alibi de Sacramentis, ſacrificio, & cæremoniis eorum dictum eſt. Sic ergo adiuratio deprecatiua (vt ſic dicam) poteſt ſub præceptum Eccleſiaſticum cadere, de quo etiam poteſt intelligi illud Pauli 1. ad Timoth. 2. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, &c.* Nam licet verbum obſecrandi in rigore non indicet præceptum, ex materia applicata ad publica Eccleſiæ ſuffragia, & orationes poteſt illud continere.

1. Tim. 2.

4. Præterea adiuratio coactiua, quæ eſt ad dæmones, rarius quidem cadere ſolet ſub obligationem abſolutam præcepti conſtitutiui, nihilominus tamen ex ſuppoſitione ſolemnis adminiſtrationis, verbi gratia, baptiſmi, ſtatim vrget talis obligatio, quia oportet vt exorciſmi præcedant, & inſufflationes dæmonum, vt ſuo loco diximus. Et idem inuenitur in nonnullis benedictionibus ſolemnibus, vel ſacramentalibus, quæ ſimilem cæremoniam requirunt. Suppoſita etiam neceſsitate hominis a dæmone obſeſsi, vel alia ſimili, poſſunt miniſtri Eccleſiæ ex officio obligari ad dæmonem adiurandum, ſeu exorcizandum iuxta formam, & ritum Eccleſiæ: quia tenentur ſubuenire neceſsitatibus ſuorum fidelium per remedia conuenientia, & ab Eccleſia inſtituta, vnum autem ex remediis pro illa graui neceſsitate deſtinatum ab Eccleſia, eſt exorciſmus, ergo.

5. Secundo inquiri poteſt, an detur præceptum affirmatiuum quoad ſpecificationem, ſeu modum actus, id eſt, quod licet non obliget ad exercendum actum adiurandi, ſi tamen illum exercere velimus, obliget ad exercendum illum tali, vel tali modo. In quo etiam inuoluitur quæſtio de præceptis negatiuis prohibentibus actum adiurandi, non ſimpliciter (ſic enim non eſt prohibitus, cum ſit actus virtutis, vt oſtenſum eſt) ſed tali, vel tali modo factum.

Quæ requiruntur vt adiuratio deprecatiua ad Deum licite fiat.

In hac ergo dubitatione dico primo: In adiuratione deprecatiua, quæ eſt ad Deum, vt licite fiat, ſeruanda eſt debita ad Deum reuerentia, ad hanc autem ſpectat, vt cum veritate, iuſtitia, & iudicio fiat. Prior pars communis eſt apud Doctores ſupra citatos, conſtatque ex terminis, quia adiuratio eſt actus Religionis; ergo continet cultum eius, ſed de ratione omnis veri cultus Diuini eſt, vt cum debita reuerentia ad Deum fiat, ergo hoc ipſum eſt de ratione adiurationis. Quærit autem Syluest. verb. *Adiuratio*, q. 7. an defectus in huiuſmodi reuerentia ſit peccatum mortale, aut veniale? Refertque Angelum aſſerentem eſſe ex ſe peccatum mortale, & in hanc ſententiam allegantem Richardum. Ipſe vero imprimis negat Richardum id docuiſſe, & in vltimis verbis ſentit, tantum eſſe veniale peccatum. Sed media via tenenda videtur, vt declarabo.

Syluest.

Ad explicandam ergo hanc debitã reuerentiam applicemus ad hunc actum tres iuramenti comites, quia ſicut adiuratio continet quoddam veſtigium iuramenti, ita ſuo modo, & cum proportione illas circumſtantias requirit. Eſt autem circa veritatem aduertendum, in adiuratione nihil proprie affirmari, vel negari, quia non fit per modum iudicandi, ſed deprecandi, & ideo non ita hic requiritur veritas ſicut in iuramento. Poſtulari tamen poteſt quoad duo, vnum eſt, vt fiat propter verum Deum, vel in ſe, vel in Sanctis eius, alias eſſet actus Idololatriæ, ac ſuperſtitionis, vt eſt in Pagano petere aliquid ab alio propter Iouem, vel Saturnum, vel propter aliquod idolum, aut propter Mahometum, vel quid ſimile. Et quoad hanc partem adiuratio ſine veritate facta erit peccatum mortale, nam ad idololatriam pertinet, vt dictum eſt. 6.

Quomodo requiritur veritas ad adiurandum.

Aliud, in quo poteſt veritas poſtulari, eſt, vt adiuratio fiat ſine fictione, & ex iuſto, ac vero deſiderio obtinendi id, quod cum adiuratione poſtulatur, alioqui non fiet adiuratio ſine peccato Diuinæ irreuerentiæ, ſeu irreligioſitatis. Probatur, quia quacumque ratione nomen Dei in vanum aſſumatur, peccatum eſt contra illud præceptum, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, ſed per adiurationem nomen Dei aſſumitur: ergo ſi in vanum ſumatur, peccatum eſt: at vero ſi adiuratio propter Deum fiat animo ficto in vanum aſſumitur Dei nomen, quia ficte, & conſequenter fruſtra aſſumitur, ergo. Videtur autem hoc peccatum ordinarie eſſe veniale ex leuitate materiæ, quia nõ inducitur Deus ad teſtificandum falſum, neque alia grauis iniuria per ſe loquendo ibi interuenire videtur. Aliquando vero ſi cum graui proximi iniuria, & deceptione fiat, poterit eſſe mortale. Et ex hac parte videri poteſt graue peccatum, petere eleemoſynam propter Deum, fingendo neceſsitatem vbi re vera non eſt. Quia tunc non ſolum iniuſtitia committitur, (de qua res eſt clara) ſed etiam irreligioſitas, quia nomen Dei in vanum aſſumitur, quæ in tali materia videtur grauis, quia ſumitur Deus, vt velamentum malitiæ, & iniuſtitiæ, vnde videtur quis tunc velle vti Diuino oraculo (vt ſic dicam) & authoritate ad furandam rem alienam, quod iniuriam non leuem Dei continere videtur. Si autem fictio non ſit tam grauis, ſed fiat vel ad explorandum animum alterius, vel ad decipiendum illum in re leui, & iocoſa, erit veniale peccatum ex leuitate materiæ, vt per ſe conſtat. Imo etiam in priori caſu, licet recte probetur malitia contra Religionem, & grauis intra latitudinem venialium culparum: nihilominus probabile ſatis eſt, circumſtantiam illam non addere malitiam mortalem ſpecie diſtinctam, quia non videtur per ſe loquendo eſſe tam grauis irreuerentia Dei, inducere alium ad faciendum actum propter amorem ſuum, qui actus, vt eſt ab operante, eſt bonus licet à recipiente male poſtuletur: licet ergo ibi negari non poſsit aliqua malitia contra Religionem, non tamen facile damnanda eſt vt mortalis in illa ſpecie. 7.

Ad iuſtitiam autem adiurationis maxime pertinet, vt ſuper materiam licitam, & honeſtam cadat. Nam ſi res, quæ poſtulatur, vel imperatur ſub inuocatione Diuini nominis, turpis ſit, iniuria fit Deo, quia interponitur vt dans fauorem, & authoritatẽ actioni turpi, vel quaſi poſtulãs, aut imperans illam: 8.

Quomodo requiratur iuſtitia.

Vnde

Digitized by Google

Vnde quoad ad hanc partem videtur culpa grauis contra Religionem, ſicut eſt grauis iniuria vouere Deo aliquid turpe, etiam ſi tantum ſit veniale peccatum. Exempla ſunt ſiquis ab alio amore Dei petat mendacium, aut iniuſtum ſuffragium, vel actum inhoneſtum: idemque erit, ſi petat actum de ſe non malum ab eo, qui non poteſt licite illum exercere ſub eadem Diuina adiuratione. De quibus exemplis iudicandum eſt iuxta ſuperius dicta de Iuramento promiſſorio cadente in materiam illicitam, licet enim ex ſuo genere peccatum mortale ſit, tamen in indiuiduo poteſt eſſe veniale ex leuitate materiæ; idem ergo dicendum eſt de adiuratione, & præſertim quoad poſteriorem partem: quia non tam grauiter interponitur Dei authoritas in adiuratione; ſicut in iuramento promiſſorio, vt tale eſt. Quocirca multo minor erit culpa, ſi adiuratio non fiat expreſſe propter Deum, ſed propter vitam alicuius hominis, vel aliam rationem creatam, quæ (vt dixi) vix meretur nomen adiurationis, & ita vix auget culpam prauæ petitionis.

9\. *Quomodo requiratur iudicium.*

Denique ad iudicium, ſeu diſcretionem adiurationis maxime pertinet modus. In quo primum obſeruandum eſt, vt non leuiter, nec temere fiat in quacumque occaſione, abſque vlla neceſſitate, vel vtilitate; nam tunc etiam aſſumitur nomen Dei in vanum, & ita non fit ſine aliqua culpa, licet in tali materia ſemper videatur venialis, vt à fortiori conſtat ex his, quæ de iuramento dicta ſunt. Denique obſeruare oportet conuenientem habitudinem adiurantis ad adiuratum, quæ in hoc conſiſtit, vt adiuretur ſolo imperio, qui capax eſt illius, & non alterius communicationis, vel è contrario vt adiuretur prece ſola, qui non eſt capax imperij: ſi autem perſona vtriuſque capax ſit, poterit licite vtroque modo adiurari ad arbitrium adiurantis.

10\. *Aliquot corollaria quæ ex ſuperiori doctrina inferuntur. Primum. Secundum.*

Atque hinc ſequuntur aliqua ab omnibus recepta. Primum, eſſe peccatum adiurare dæmonem obſecrando, & rogando propter rationes ſupra tactas, quia dæmon ſecundum rectam rationem non eſt capax talis communicationis, & ſocietatis cum homine. Secundum, non poſſe licite adiurari dæmonem, imperando illi aliquod obſequium, vel miniſterium, redundans in hominis vtilitatem, tũ propter eandem rationem iniquæ ſocietatis: tum etiam quia homo non habet hoc ius, vel poteſtatem in Dæmonem, nec Deus illam permittit ſecundum ordinariam legem. Nam ſi intercedat miraculoſa operatio ex ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti iam purgabitur vitium: nunquam tamen id contingit propter ſolam aliquam humanam vtilitatem maxime priuatam, ſed propter publicam, & ſpiritualem. & ita ſemper redundabit in aliquam dæmonis confuſionem, & abiectionem, ad quem finem recte poteſt dæmon imperioſe adiurari, & tunc iam ſeruatur iudicium, & iuſtitia in tali adiuratione.

Tertium. Tertium, non poſſe licite adiurari cũ imperio homines non ſubditos, quia tũc vſurpatur poteſtas cõtra ius, quia imperare Superioris eſt. Vnde à fortiori cõſtat eſſe peccatum adiurare ſuperiorem imperando illi.

11\. Quartum eſt, non ſine peccato adiurari irrationales creaturas, ſiue obſecrando illas, ſiue imperando eis cum proprietate, cum vtrumque ſit omnino vanum. In quibus omnibus conueniunt Authores allegati D. Thomas in d. q. 90. per totam, Richard. 3. d. 37. ar. 2. q. 2. Anton. 2. p. tit. 10. cap. 8. Syluest. qu. 7. Angel. & Tabien. qui aperte ſentiunt, in omnibus eſſe aliquam malitiam ſpecialiter contra Deum, & contra Religionem, etiam ſi actus poſſit aliunde habere aliam malitiam contra aliam virtutem vt iuſtitiæ, vel temperantiæ, vel in alia ſpecie irreligioſitatis, vt ſuperſtitionis cũ dæmone, vel alterius ſimilis. Et ratio eſt, quia in illis omnibus modis aſſumitur in vanum Dei nomen, proprio quodam modo, & ſpeciali inde autem inſurgit ſpecialis malitia contra ſecundum præceptum. An vero hæc ſit mortalis vel venialis, D. Thomas, & Richar. nihil dicunt, Syluest. autem dicit, non ſemper eſſe peccatum mortale, quod verum eſt, vt ex dictis patet. Neque Angelus docet contrarium, ſolũ enim ait *ex ſe eſſe peccatum mortale*: quod magis explicuit Tabien. in vltimis verbis, dicens eſſe mortale ex genere ſuo. Quod eſt verum, quia ad hoc ſatis eſt, vt ex vi talis ſpeciei poſſit eſſe mortale, quod ita contingit in præſenti: nam in duobus primis caſibus malitia mortalis eſt ex ſuo genere, quia videtur quidam contemptus Dei, vel rerum ſacrarum, rogare dæmonem propter amorem Dei, vel ob reuerentiam debitam rebus ſacris. Idemque fere eſt de modo adiurandi Dæmonem, quaſi vſurpando Diuinam authoritatem, & ita fatentur Summiſtæ allegati.

D. Thom. Richard. D. Ant. Syluest.

Dubitari autem non immerito poteſt, an ille actus habeat tunc duas malitias mortales ſpecie diſtinctas, vnam ſuperſtitionis, vel tentationis Dei, & aliam irreligioſæ aſſumptionis nominis Dei. Nam ſpeculatiue non eſt id improbabile, ſed moraliter parum id refert, quia ſunt ita coniunctę illę circumſtantiæ, vt non poſſint ſeparari, vel ſufficienter explicari vna ſine alia, & quidquid ſit de poſſibili, cenſeo non eſſe in confeſſione omittendam illam circumſtantiam irreligioſæ adiurationis, quia re vera grauis eſt. In tertio etiam puncto omnes fatentur malitiam eſſe mortalem ex ſuo genere, quatenus eſt contra iuſtitiam, & eſt res clara. An vero malitia, quæ additur contra Religionem ſit mortalis, non declarant dicti Authores: mihi autem, eſſe videtur, ſi materia ſit etiam grauis momenti, quia vſurpatur Dei nomen ad violentiam iniuſtam proximo inferendam. At in caſu vltimo res videtur vana, & otioſa, & ideo non excedere grauitatem culpæ venialis, niſi ex aliquo graui errore, & ſuperſtitione procedat. 12. *Dubium.*

Vltimo inquiri poteſt, an adiuratio imponat aliquam obligationem perſonæ adiuratæ ad faciendum id, quod ab ea poſtulatur, ita vt illud non facere aliqua culpa ſit, ex vi adiurationis? Quod dubium ſolum habet locum, quando perſona adiurata eſt homo viator, vt per ſe conſtat. Et communis reſolutio eſſe videtur ſub diſtinctione. Nam ſi adiuratio ſolum ſit deprecatiua, non inducit obligationem. Ratio eſt, quia deprecatio non imponit obligationem, ergo nec adiuratio deprecatiua. Patet conſequentia, quia nec addit præceptum, nec promiſſionem, aut iuramentum, non apparet autem ex quo alio capite poſſit oriri grauis obligatio. Nam ſola reuerentia ad Dei nomen poteſt quidem facere, vt magis deceat, vel expediat, non vero ſatis eſt, vt inducat obligationem, & hoc magis ſtatim patebit. 13. *An adiuratio imponat aliquam obligationem implendi id, quod ab ea poſtulatur. Reſolutio dubij.*

Si autem adiuratio ſit cum imperio, & ſit iuſta, dicũt Anton. Syluest. & alij inducere obligationem ſub mortali culpa, ſi vero ſit iniuſta nullam inducere: & hoc quidem poſterius per ſe clarum eſt. Primum autem ab eis fundatur in ſola iuſtitia, vnde ſolum habet locum, quando imperium eſt de re graui, & per verba, quæ ſatis ſignificent voluntatẽ obligandi. Tunc enim ſi poteſtas ſupponatur, non eſt dubium, quin oriatur obligatio, vel ex iuſtitia, vel ex obedientia, iuxta intentionem imperantis. 14.

Dubium autem eſt, an imperium illud, propter adiunctam adiurationem, inducat ſpecialem obligationem Religionis, ita vt non parens tali adiurationi, ſit non tantum inobediens vel iniuſtus, ſed etiam ſacrilegus? Doctores enim allegati indiſtincte loquuntur, Anton. vero hoc poſterius magis indicat, dicens, quod in eo caſu, *tenetur ſubditus ſicut ex præcepto, & iuramento exacto facere, vel dicere ad quod adiuratur*. Et in hanc ſententiam inclinare videtur Ianſen. in capit. trigeſimoprimo Concor. vbi ait, orationem hanc *Adiuro te per Deum*, ita eſſe explicandam. 15. *D. Anton. Ianſen.*

Digitized by Google

candam. *Per gloriam, & obedientiam Deo debitam te obſtringo, quaſi te iureiurando ad hoc adſtrinxiſſem, ita vt temeratæ Religionis, & obedientiæ in Deum crimen incidas niſi parueris.* Vnde cap. 78. ita exponit verba illa Phariſæorum ad cæcum: *Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt, &c.* quod fuerit forma adiurandi apud Hebræos. Quod etiam ibi tradunt Tolet. & latius Mald. ex illo Ioſue 7. *Fili mi, da gloriam Domino Deo, & confitere. Admonebantur enim illis verbis,* vt Maldonatus ait, *ſtare ſe coram Deo, reuerendam ſibi eius eſſe maieſtatem. Ne ergo coram illo mentirentur, qui omnia probe ſciret, quaſi indicantes illum ignarum eſſe humanarum rerum, quæ magna in Deum erat iniuria, hunc potius illi honorem deferrent, vt conſitenda illius reuerentia, veritate oſtenderent ſe credere nihil illum ignorare.*

Tolet. Maldon. Ioſue 7.

16. Nihilominus tamen exiſtimo ex ſola adiuratione non oriri propriam obligationem intra virtutem Religionis, niſi eo procedat adiuratio, vt per eam iuramentum exigatur, & in eo ſenſu ſatis clare fiat. Ratio eſt, quia licet iudex habeat poteſtatem ad interrogandam veritatem, & ad præcipiendum, vt ſubditus illam declaret, & iuramento confirmet: nihilominus ſecluſo iuramento, non poteſt actionem illam conſtituere in materia Religionis, nec obligationem imponere vtendi confeſsione illa veritatis, vt ſigno Diuini cultus, & honoris. Alias etiam poſſet Prælatus interrogans illam confeſsionem in materia fidei conſtituere, & exigere illam, vt fidei confeſsionem de Diuina præſentia, & ſcientia rerum omnium humanarum, quod dicere ridiculum eſſet. Quia poteſtas Superioris, aut iudicis ad extorquendam confeſsionem veritatis non ordinatur ad confeſsionem fidei Diuinæ, neque ad cultum Religioſum Dei, ſed ad humana iudicia, vel negotia terminanda. Et ideo ex vi illius poteſtatis non poteſt ipſam confeſsionem veritatis in facto humano præcipere ſub ratione confeſsionis fidei Diuinæ, vel cultus Religioſi. Iuramentum autem poteſt exigere, quia vt ait Paulus ad Hebræos 6. *Omnis controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum.* Adiuratio autem per ſe ſumpta nõ habet hanc vim, nec ad hunc finem eſt introducta: ſed ſolum vt ex Diuini nominis commemoratione, alter timore, vel reuerentia ipſius, amore moueatur, etiamſi inde ſpecialis obligatio non oriatur. Et ideo Iacob licet prius adiuraſſet filium ſuum Ioſeph, & ille obtuliſſet facere, quod rogabatur, nihilominus iuramentum poſtea ab illo poſtulauit, vt Religioſam obligationem vel præcepto ſuo, vel ſimplici promiſsioni adderet, vt ſupra notatum eſt, ex Geneſ. 47. Ita ergo Iudices, & Superiores, vt grauem Religionis obligationem inducant, ſic adiurant ſubditos, vt ab eis tandem iuramentum exigant, præmittunt autem adiurationem, vt maiorem reuerentiam erga Deum, & timorem peierandi eis immittant. At vero ſi ſola adiuratione vtantur, abſque iuramenti exactione, poterunt ex iuſtitia, vel obedientia obligare: & fortaſſe grauiori quodam modo intra illam ſpeciem propter maiorem excitationem ſubditi ad conſiderandam negotij grauitatem, & poteſtatem miniſterialem Dei à qua imperatur. Niſi tamen procedant ad iuramentum exigendum non credo adiungere ſpecialem obligationem Religionis propter rationem explicatam. Semper tamen cauendus eſt contemptus, nam ſi quis adiurationem contemneret, poſſet grauiter peccare, ſi in Deum ipſum contemptus redundaret.

Ex ſola adiuratione nõ oritur propriam obligationem Religionis.

Hebr. 6.

Finis Libri Quarti.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATVS SEXTVS.

DE VOTO.

Proœmium.

1 DISSERVIMVS de oratione,& iuramento,ſupereſt ad huius partis complementum, vt de voto diſputemus,hunc enim eſſe vnum ex pręcipuis Religionis actibus apud veros Theologos,& Catholicos compertum eſt:illumque in hunc poſtremum tractatum de Virtute Religionis reſeruauimus,vt ab illo ad ſtatum Religioſum explicandum tranſitum faciamus. Eſt enim ſtatus ille vnus ex potiſſimis effectibus votorum, imo vix eſſe poteſt in Eccleſia ſtatus aliquis ſuperans communis vitæ genus, & arctiorem viam conſiliorum participans,qui voto aliquo ad Deum facto non conſecretur. Prius autem quam rem aggrediamur, oportet vocem exponere,

Duplex vocis, votum ſignificatio. eſt enim ambigua etiā in vſu Scripturæ vt alios Scriptores Latinos omittamus,apud quos eaſdem fere ſignificationes habet Duæ autem ſunt pręcipuæ,vna eſt, qua votum ſignificat bonum animi propoſitum, ac deſiderium circa rem ad Diuinum cultum pertinentem,

Exod.36. etiamſi nulla intercedat obligatio, vel promiſſio. Ita videtur ſumi Exod.36.ibi. *Quotidie mane vota populus offerebat:* nam quod illa oblatio eſſet ſpontanea, & non ex obligatione declarant ſequentia verba, quibus Moyſes iuſſit, vt nihil vltra offerrent, eo quod

Prou.1. oblata ſufficerent,& ſuperabundarent. Sic etiam videtur ſumi Prou.31.ibi; *Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei, quid dilecte votorum meorum?* id eſt,deſideriorū. Sic etiam exponi poteſt illud, quod in Canone Miſſæ dicitur, *Tibiq; reddunt vota ſua,* id eſt,pia deſideria, & fidei, ac

Durant. deuotionis ſacrificia, vt cum Alcuino,& Floro,expoſuit Durant.lib.2. de Ritibus cap.34. Non enim ſemper promiſſiones aliquas in Miſſa perſoluimus,vt etiam notaui tomo 3.tertiæ partis diſput.83.ſect.2.

2 Aliter votum ſignificat promiſſionem Deo factam, & inducentem obligationem, circa

Vuald. quam vocis ſignificationem grauiter errauit Armachāh.vt refert Vual.libr.3. Doctrin. ca.20. negans habere *votum* hanc ſignificationem in vſu Scripturæ,& doctrinæ Chriſtianæ. Ipſe autem Vual. per contrarium extremum, ita defendit votum promiſſorium, vt priorem ſignificationem negare videatur. Sed licet prior admitti debeat, negari non po-

Num.30. teſt, quin hęc poſterior ſit frequentior in Scriptura, Num.30. *Cum ſe voto obſtrinxerit,* & Pſal.

Pſalm.49. Pſal.65. 49. *Redde altiſſimo vota tua,* Pſal.65. *Reddam tibi vota mea,quæ diſtinxerunt labia mea.* Et hac ratione diſtingui ſolet redditio voti à liberali, & ſpontanea donatione:nam licet votum ipſum liberaliter fiat, poſtea non ita liberaliter, ſeu abſque obligatione impletur. Et ideo dixit Innoc.III.in c.*Magna,* de Voto,primum ad conſilium, ſecundum ad imperium referri,iu-

Innoc. Eccleſ.5. xta illud Eccleſ.5. *Siquid voueris Deo,memor eris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio.* Et hoc ſenſu condiſtinguuntur hæc duo ex voto,vel ſponte offerre Leuit.7.& 22.Num.

Significatio voti magis propria. 15. Atque hoc poſteriori modo votum accipimus in præſenti materia, & eſt ſignificatio magis propria,quæ deriuatur à verbo *voueo*, quod promittere ſignificat. Solet autem in-

Deut.12. terdum res ipſa,quæ per votum promiſſa eſt,votum appellari,vt conſtat Deuter.12. *Offere-*

1 Paral. 29. *tis holocauſta, &c. vota, atque donaria;* & 1. Paralip. 29. *Lætatuſque eſt Populus,cum vota ſponte promitteret.* Hæc autem ſignificatio ſolum eſt per translationem extendendo nomen, quo actus ſignificatur, ad materiam circa quam actus verſatur. Proprie igitur votum dicitur actus ille, quo talis materia in Diuinum cultum ita offertur ex hominis ſpontanea voluntate,vt inde oriatur obligatio reddendi illam, qui actus promiſſionis nomine ſignificatur.

3 Atque ex hac vocis interpretatione conſtat in primis, & votum eſſe, & generatim, ac confuſe quid ſit,ſaltem quoad *Quid nominis*: ſcilicet rationem voti ſtricte,& proprie ſumpti conſiſtere in ſpontanea promiſſione Deo facta.Id enim aperte colligitur ex locis Scripturæ citatis. Quanquam ex illis maxime habetur, *promiſſionem Deo factam eſſe* votum? an

vero ſola

Digitized by Google

vero ſola illa votum ſit non ita clare conſtat, diſputabitur autem in ſequentibus. Nunc ex communi ſenſu Doctorum dictam definitionem quid nominis voti ſupponimus: ad hanc enim reducuntur aliæ, quas Paludan. refert in 4. d. 38. quæſtion. 2. Eſt etiam optima, quam tradit Gregor. Nyſſen. in principio expoſit. Dominicæ Orat. *Votum eſt promiſſio alicuius rei, quæ pietatis nomine dedicetur, & ſacris deſtinetur.* Magis autem in d. d. 38. non promiſſionem, ſed teſtificationem promiſſionis votum appellat: videtur tamen loqui de exteriori, & ſenſibili Voto. D. Thom. autem 2. 2. quæſtione 88. articul. 1. dicit, poſſe intelligi de teſtificatione interiori. Sed hoc etiam modo intellecta deſcriptio, per aliquid poſterius circumſcribitur, nam votum non eſt ſignum promiſſionis, quod nomine teſtificationis ſignificari videtur, ſed eſt ipſa promiſſio. Aliam definitionem refert D. Thom. d. articul. 1. argum. 1. quam in ſequentibus melius exponemus. His ergo circa nominis ſignificationem ſuppoſitis ad rem explicandam accedamus.

Idem Greg. Nyſſ. Mag. ſ. D. Thom.

INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI DE ESSENTIA, ET HONESTATE VOTI.

Cap. 1. An recte, & conuenienter votum Deo fiat.
Cap. 2. An propoſitum efficax aliquod bonum faciendi ſufficiat ad votum.
Cap. 3. An propoſitum ſe obligandi ſit de eſſentia voti.
Cap. 4. An propoſitum implendi votum ſit de ſubſtantia voti.
Cap. 5. An intentio vouendi debeat eſſe recta, vt votum ſit validum.
Cap. 6. Vtrum ſit de ratione voti vt voluntas obligantis ſe, ſit libera.
Cap. 7. Quæ libertas ſit neceſſaria ad valorem voti.
Cap. 8. An vota facta ob grauem metum ſint irrita Iure Eccleſiaſtico.
Cap. 9. An voluntas vouendi debeat eſſe plene deliberata.
Cap. 10. Quæ deliberatio ſit neceſſaria ad votum.
Cap. 11. Vtrum ad ſubſtantiam voti pertineat conſenſus ſine dolo, errore, & ignorantia.
Cap. 12. De Ignorantia impediente valorem voti aliquot dubia.
Cap. 13. Vtrum præter voluntatem ſe obligandi requiratur promiſſio ex parte intellectus.
Cap. 14. Vtrum votum ſit promiſſio Deo facta.
Cap. 15. Vtrum votum ſit actus à Religione elicitus.
Cap. 16. Vtrum omne votum ſit actus Religionis, & an ſoli Deo fiat.
Cap. 17. Vtrum opus ex voto factum ſit melius, & magis meritorium.
Cap. 18. Sitne votum per ſe expetendum, & expediens.
Cap. 19. Quæ ſint diuiſiones votorum ex parte actus, & an aliqua ſit eſſentialis.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS DE ESSENTIA, ET HONESTATE VOTI.

Methodus ſeruanda in hoc tractatu.

SEruabimus in hoc tractatu methodum quam ſolemus. Et in hoc libro de illius natura, ſeu eſſentia dicemus, in ſequentibus de cauſis, & effectibus eius: ac tandem de illius diſpenſatione, & aliis modis, quibus auferri poteſt, tractabimus. Et quamuis ſatis per ſe n[illegible]tum ſit votum eſſe poſsibile, imo eſſe in v[illegible]u, & conſuetudine hominum: nihilominus propter huius temporis hæreticos aliquid de hac quæſtione præmittere neceſſarium erit, poſtea vero inquiremus quid votum ſit. Significatur autem nomine voti, vt dixi; promiſsio hominis ad Deum, promiſsio autem actum dicit humanum, voluntarium, & obligationem moralem inducentem. Votum ergo ſimilem actum dicit, iuxta illud Auguſtin. Epiſt. 45. *Iam vouiſti, iam te aſtrinxiſti*: eſt ergo votum quidam actus, per quem homo voluntarie ſe obligat Deo. Per hunc enim effectum recte in hac generalitate, & confuſione explicatur: præſertim cum effectus ille quaſi formalis videatur, & ideo in illius cognitione tota fere cognitio voti conſiſtit. Ex hoc ergo effectu conſtat tam voluntatis, quam intellectus actus eſſe ad votum neceſſarios: quia moralis obligatio ſine intellectu dirigente, & voluntate conſentiente non fit. Imo etiam ſequitur, his actibus votum per ſe loquendo conſummari: quia illius obligatio Deum reſpicit, qui cor intuetur, & ſignis externis ad cognoſcendam hominis voluntatem non indiget. Quod ſi interdum adhibentur, id eſt, vel vt de obligatione voti aliis hominibus conſtet, vel vt cum maiori aliqua ſolemnitate Eccleſiaſtica fiat, vel vt homo ipſe ad maiorem deuotionem in vouendo, & maiorem ſolicitudinem in obſeruando votum excitetur: vt notauit D. Thom. in articulo 1. huius materiæ, & infra ſuis locis dicetur. Ad explicandam ergo eſſentiam voti oportet in primis exponere actus intellectus, & voluntatis, quibus perficitur. Deinde vero de ipſius honeſtate dicemus. Et quoniam ſine formali obiecto intelligi non poteſt ſpecifica honeſtas, ideo de perſonis, quibus votum fieri poteſt, & ſub qua ratione fieri debeat, in hoc libro dicere oportebit.

Auguſt. *D.Thom.*

CAPVT I.

An Votum recte, & conuenienter Deo fieri poſſit?

1 RAtio dubitandi eſſe poteſt primo, Nam promiſsio ad donationem ordinatur, vt per ſe conſtat, ſi ſub donatione comprehendamus tam liberalem, quam oneroſam, ſeu per mutuum contractum: ſic enim clarum eſt omnes promiſsiones humanas ad huiuſmodi contractus ordinari, ſicut ſponſalia ad matrimonium. Sed hominis ad Deum nulla poteſt eſſe donatio, cum omnia ſint eius, nec poſsit nouum rerum dominium acquirere, ergo nec promiſsio eſſe poteſt. Vbi enim matrimonium locum non habet, nec ſponſalia habere poſſunt, vt habetur in Leg. *Oratio*, ff. de Sponſalibus. Vnde argumentor ſecundo: nam ad hanc cauſam nulla videtur eſſe poſſe vera, & propria promiſsio ſerui ad Dominum: quia cum ſeruus nihil habet, quod domini non ſit, iuxta L. *Placet*, ff. de Acq. vel om. hær. nihil poteſt domino conferre, & conſequenter nec aliquid ei promittere. Vnde ſi interdũ videtur ſeruus aliquid verbis promittere, illud perinde eſt, ac proponere tantum aliquid agere in obſequium domini, ſed homo magis eſt ſeruus Dei, & omnia, quæ habet, magis ſunt etiam ipſius Dei; ergo.

L. Oratio. *L. Placet.*

Tertio argumentantur hæretici, quia votum eſt ad inducendam obligationem: ſed homo non poteſt ſua voluntate obligari Deo; ergo nec votum emittere. Minor probatur prius generatim de omnibus hominibus, quia quidquid facere poſſunt, debent Deo, tum virtute illius eximij præcepti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.* tum propter eximia beneficia, & alios innumeros titulos; ergo nihil habent homines, in quo poſsint volũtarie obligari Deo. Deinde idẽ probatur ſpecialiter de Chriſtianis: quia votum repugnat legi gratiæ, & ſtatui eius, nam *vbi Spiritus Domini, ibi libertas*; votum autem tollit libertatem, & neceſsitatem inducit. 2.

In hac quæſtione aliud eſt inquirere, an ſit homini abſolute poſsibile facere actum illum promiſsionis, quem votum appellamus, ſiue illud ex errore, ſiue ex recto iudicio faciat, & ſiue cum effectu obligationis, ſiue tantum cum affectu? aliud vero eſt quærere, an homo recte, & conuenienter de rebus iudicans poſsit votũ Deo facere, quod proinde vera, & valida promiſsio ſit? Prior ergo ſenſus non poteſt in quæſtionem venire, nec credo fuiſſe aliquem hæreticum ita ſtolidum, vt in eo ſenſu negauerit, poſſe homines vota facere Deo, cum id conſtet ex Scriptura, & euidentiſsima experientia & à fortiori etiam conſtabit ex dicendis. Imo nec in priori ſenſu videntur hæretici negare, votum eſſe poſsibile ſimpliciter, ſed cum aliqua limitatione. Nam Lutherus (vt Bellarminus refert lib. 2. de Monachis ca. 15.) ſolum negauit ea vota, quæ nos dicimus fieri de operibus conſilij, ſupererogationis, non negauit autem, de rebus alias præceptis poſſe eſſe votum, imo credidit ab omnibus Chriſtianis fieri in baptiſmo. Quod etiam ſenſit Caluinus: hæc vero quæſtio pertinet ad materiam voti, de qua infra dicetur. Rurſus Caluinus, & Lutherus admittunt, votum fieri poſſe ob humanos fines, nõ vero in intentione Diuini cultus, quod tractandum eſt infra ad finem huius libri. Deinde Petrus Martyr dixit, in lege veteri potuiſſe fieri vota, pertinuiſſe tamen ad cæremonias illius temporis, quæ per legem gratiæ reuocatæ ſunt, & ideo tunc minime poſſe vota fieri. Alij etiam hæretici vota negarunt, vt Pſeudoapoſtoli, Lamberiani, Vuicleph. Quo autem ſenſu locuti fuerint parum noſtra refert: ſed videri poteſt Prateolus ſub eorum nominibus, & Caſtro ver. *Votum*, & Vualdenſis tomo tertio, de Sacramentalibus ca. 20. vbi refert, etiam Armachanum ad hunc errorem acceſsiſſe, de cuius ſententia in capite 16. dicemus.

3. *Senſus quæſtionis explicatur.* *Bellarm.* *Prateol.* *Caſtro.* *Vuald.*

4. Vera ergo, & Catholica ſententia eſt, Deum eſſe ad quem vera, & propria vota funduntur, ideoque recte, & conuenienter factum eſſe in lege veteri, ſiue in noua. Probatur primo ex Scriptura Pſalmi 75. *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro*: per quæ

Vera ſententia. *Pſal. 75.*

Digitized by Google

que in primis conſulitur votum vt conueniens: deinde poſtquam factum eſt reddendum dicitur tanquam iam obligans, ac denique vtrumque dicitur fieri Deo, ideo enim votum reddendum eſt Deo, quia ipſi eſt factum. Similia habentur Eccleſ. 5. Deuteronom. 23. Hæc autem verba non fuerunt a Spiritu ſancto dicta ſolum propter tempus, aut homines legis veteris, ſed ſimpliciter propter quodcunque tempus, & quoſcunque homines, vt Sancti communiter intelligunt, & ex re ipſa intelligi poteſt, non enim continent materiam cęremonialem, ſed moralem, vt ſtatim declarabimus. Vnde etiam ante legem ſcriptam votum fecit Iacob Geneſ. 28. Quapropter vanum eſt dicere, conſuetudinem vouendi reuocatam eſſe per legem nouam, lex enim gratiæ non irritauit moralia, ſed ſolum, quæ cæremonialia ſunt. Vnde potius de hominibus legis
Iſa. 19. gratiæ prophetauerat Iſaias capit. 19. *Colent eum in hoſtiis, & muneribus, & vota vouebunt, & ſoluent*: nam ibi ſermo eſt de vocatione Gentium, & ſtatu Eccleſiæ poſt Chriſti aduentum, quo tempore quaſi per antonomaſiam prædicuntur futura munera, & hoſtiæ, propter ſingulare Miſſæ Sacrificium, vt ex Patribus declaraui tomo 3. in 3. part. diſputat. 74. ſection. prima. Eodem ergo modo prædicuntur vota futura, quia non ſolum vera, & propria futura erant in lege noua, ſed etiam perfectiſsima, quale eſt præcipue votum caſtitatis, quod in lege veteri vſitatum non erat.

5. 1.Tim. 5. Rurſus hoc votum, & ſimilia valida eſſe in lege noua ſignificauit Paul. 1. ad Timot. 5. dicens: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id eſt, quia votum caſtitatis violarunt, vt Auguſtin. & alij exponunt, quos late refert Bellarminus ſupra capit. 24. Infra etiam tractando de ſtatu Religionis oſtendemus, hunc morem emittendi vota præſertim Religionis antiquiſsimum fuiſſe in Eccleſia. Denique nulla, vel probabili coniectura, oſtendi poteſt morem promittendi aliquid Deo per votum, prohibitum eſſe, aut irritum factum à Chriſto Domino; ergo ſi ex natura ſua non eſt impoſsibilis, aut irrita talis promiſsio, neque in lege noua erit inualida. Antecedens patet; quia neque talis prohibitio ſcripta legitur in toto nouo Teſtamento, neque etiam ex aliquo Concilio, aut Eccleſiaſtica traditione habetur; ſed potius Concilia, & traditio Eccleſiaſtica docent, vota conuenienter Deo offerri, & in lege noua vim ſuam retinere.

Bellarm.

6. Et hinc etiam conuincitur, hanc prohibitionem non contineri in generali ceſſatione legalium: nam vſus eorum legalium, quæ ad mortuas, & mortiferas cæremonias pertinent, non approbatur à Conciliis, Pontificibus, & Sanctis Patribus, approbatur autem vſus vouendi. Deinde inepte votum numeratur inter huiuſmodi legalia: tum quia vota antiquiora ſunt lege Moyſis, vt patet in voto Iacob Geneſ. 28. Tum etiam quia non ſolum fideles, qui verum Deum colunt, ſed etiam Gentiles quaſi naturali lumine ducti eis, quos pro Diis colebant, vota offerebant: maxime quando ab eis aliquid impetrare volebant. Ex quo factum eſt, vt nomen *votum* apud Latinos & orationem, & promiſsionem Deo factam ſignificet: nec non etiam apud Græcos nomina habeant valde ſimilia εὐχὴ, quod votum ſignificat, & προσευχὴ, quod ſignificat orationem: quia Gentiles vota orationibus præmittere ſolebant, vt
Greg. Nyſſen. notauit Gregor. Nyſſen. Orat. 2. in orationem Dominicam, & infra notabitur ex Ambroſ. & Philone. Conſuetudo ergo vouendi naturalis, & moralis eſt, non cæremonialis legis veteris. Non eſt ergo per legem nouam ob eam cauſam reuocata.

7. Quod autem conſuetudo hæc per ſe & natura ſua mala non ſit, ſufficienter oſtendit legis veteris conſuetudo: quam Deus non probaſſet, vt feciſſe legimus, ſi eſſet de re mala, aut minus decente reſpectu Dei. Ratio etiam id conuincit, quia in tali actu nihil eſt homini impoſsibile, vel contra rectam rationem, aut contra honorem debitum Deo: imo ſunt multa, quæ præ ſe ferunt honeſtatem, & virtutem; ergo. Priorem partem antecedentis oſtendemus reſpondendo rationibus in principio poſitis. Altera vero pars conſtat, quia per huiuſmodi actum oſtenditur promptitudo voluntatis ad obſequium Dei; per illum etiam redditur firmior, & immobilior in bono, vt latius infra tractando de vtilitate voti dicemus.

Sed aiunt aliqui ex hæreticis, quamuis hæc conſuetudo expreſſe reprobata non ſit in lege noua, tamen eo ipſo, quod præcepta non eſt, eſſe prohibitam: quia in lege noua omnis Religio voluntaria, quæ ſub præcepto conſtituta non eſt, reprobata eſt à Paul. ad Coloſſ. 2. vbi *voluntariam Religionem*, nomine ſuperſtitionis damnat, vbi enim legitur, *in ſuperſtitione*, Gręce habetur, *In Religione voluntaria*. Sicque interpretantur non ſolum hæretici, ſed etiam aliqui Catholici. Reſpondeo falſum eſſe aſſumptum, & contra illud Paul. 1. ad Cor. 7. *Præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*: & illud Chriſti Matth. 19. *Qui poteſt capere capiat*: quod dixit, quia non de præceptis: ſed de conſiliis tractabat, & in particulari de voto caſtitatis, vt Chryſ. & alij notarunt. Eſt etiam contra omnem rationem: cur enim non licebit Chriſtianis facere, quæ alias bona, & honeſta ſunt, etiamſi illis præcepta non ſint? De quo argumento legi poteſt Bellarm. libr. 2. de Monachis in 1. tom. & Turrian. libr. 5. pro Epiſt. Pontif. cap. 7. & ex profeſſo tractabitur infra circa ſtatum perfectionis: & aliqua tetigimus ſupra tract. 2. lib. 2. cap. 1. vbi etiam locum Pauli expoſuimus. 8.

Coloſ. 2.

1.Cor 7.

Matt. 19.

Bellar.

Turrian.

Hic vero addimus, nihil obſtare verbum illud, *in ſuperſtitione*, etiamſi legatur *in cultu voluntario*, quia dupliciter poteſt aliquis cultus dici voluntarius. Primo, quoad executionem tantum ſpontaneam ſine obligatione præcepti. Secundo non ſolum quoad executionem, ſed etiam quoad inſtitutionem ſeu inuentionem (vt ſic dicam) quia nimirum proprio iudicio, & voluntate inuentus eſt, prçter rationem, & receptos, & approbatos Eccleſiæ vſus. Prior cultus tametſi voluntarie ſumatur, legitimus eſt, quia conſentaneus Diuinæ legi, & voluntati, vel conſulenti. Et de hoc non loquitur Paul. in illo loco, ſed de ſuperſtitioſo cultu, vt recte vertit vulgatus Interpres, qui quaſi per antonomaſiam dici poteſt voluntarius cultus, quia à propria voluntate habet primam originem: quæ expoſitio ſumitur ex Chryſoſtom. & aliis eo loco, & Hieronym. Epiſtol. 151. ad Algaſiam quæſtione 10. Votum ergo quamuis ſit voluntarium priori modo, non tamen poſteriori, cum à Deo approbatum ſit in omni lege, tam naturali, quam ſcripta, & gratiæ, & per ſe ſit conſentaneum rationi naturali, & iuxta receptum Eccleſiæ morem, vt dictum eſt. 9.

Chryſ.

Hieron.

Ad primam ergo dubitandi rationem reſpondetur, negando in primis omne votum ordinari ad propriam donationem, prout ſignificat traditionē noui dominij, aut iuris in re aliqua: nam etiam ordinari poteſt promiſsio ad exhibitionem cuiuſcunq; obſequij, vel denique ad exercendam quancunq; actionem, quæ in alterius vtilitatem, vel honorem cedat. Hoc autem modo facile intelligitur, poſſe fieri promiſsionem Deo. Deinde dici poteſt, promiſsionem hāc poſſe ordinari ad donationem, quæ fiat Deo, non in ſe, ſed in ſuis templis, aut miniſtris, aut ſeruis, vel pauperibus, vt conſtat. Ad ſecundum negamus id, quod aſſumitur, nam etiam inter homines poteſt ſeruus veram, & propriam promiſsionem Domino facere inducentem obligationem ſaltem fidelitatis: quod ad præſens ſatis eſt, quidquid ſit de obligatione iuſtitiæ, ſeu promiſſione, quæ illam inducat, quod alibi diſputandū eſt.

10. Soluuntur aliqua hæreticorum rationes. Ad 1.

Ad 2.

11. *Ad 3.* Ad tertium etiamſi verum eſſet,quod aſſumitur, conſequentia nullius momenti eſt, quia nihil repugnat vni,& multis obligationibus addi aliam diuerſæ rationis,vt infra dicemus oſtendentes, poſſe votum fieri de rebus alias præceptis. Deinde quod aſſumitur erroneum eſt : nam conſtat plures eſſe actiones humanas honeſtas,& bonas,quę non cadũt ſub præceptum , nihil enim præceptum eſt à Deo, niſi vel illud quod ratio naturalis dictat eſſe neceſſarium ad honeſtatem morũ , vel illud,quod Deus ſpecialiter pręcepit,vel in Scriptura,vel alio modo, de quo per traditionem , aut per Eccleſiam conſtat. Manifeſtum eſt autem,& experientia conſtat ſępius occurrere homini actiones moraliter bonas , quas nec ratio naturalis oſtendit eſſe neceſſarias , nec Scriptura , aut Eccleſia præcipit. Vanum ergo eſt fingere neceſsitatem præcepti omnium bonarum actionum. Præceptum autem amoris erga Deum non obligat ad agendum omnia bona , ſed ad nihil agendum , quod eidem amori repugnet , atque ad præferendum Deum omnibus rebus creatis , quod vere eſt illum ſuper omnia diligere. Et ad eundem modum obligat nos gratitudo ad Deum propter beneficia ab ipſo accepta,ad cauendam omnem offenſionem eius,ſemperque bene operandum. Non tamen ſemper cogunt , aut neceſsitatem præcepti imponunt ad ſingula opera.

CAPVT II.

Vtrum propoſitum abſolutum, & de ſe efficax faciendi aliquid in honorem Dei,*ad votum ſufficiat, vel obligationem inducat?*

1. *D.Thom.* HVnc actum ponit D. Thomas d.art.1.tanquam primum inter eos, qui ad votum emittendum concurrere ſolent ; quia iuxta conuenientem modum promittendi , antecedit deſiderium faciendi aliquid , & ex illo procedit homo ad obligationem faciendam , ideoque ab hoc primo actu initium ſumimus. *Opinio quorundam.* Fuit namque quorundam opinio, propoſitum hoc , ſi abſolutum , & de ſe efficax ſit faciendi aliquid in cultum Dei , inducere obligationem voti. *Maior.* Sumi poteſt ex Maior.in 4.diſtinct. 38. quæſtione prima , vbi definit , votum eſſe *volitionem deliberatam,&c.* Sed videtur loqui de volitione ſe obligandi , iuxta dicenda infra capite 12. & eodem modo *Anton.* loquitur Antonin.2.part.titul.11.capit.2.Et ad idem *D. Thom.* tendit antiqua definitio voti , quam refert Diuus *Altiſ.* Thom.d.articul.1.& fere traditur ab Altiſiod.libro 3. Sum. tract. 28. capite 1. Votum eſt , *conceptio boni propoſiti deliberatione firmata , qua quis ad aliquid faciendum, vel non faciendum ſe Deo obligat*.In hac enim definitione ſolum propoſitum poſtulatur ad vinculum voti. Adduci etiam ſolet pro hac ſententia *Gloſ.* Gloſſa in cap.*Literarum*,de Voto , verb. *Proponens*, quatenus ait,in caſu illius textus non induci obligationem: quia ille,de quo dubitabatur , non propoſuerat animo ſe obligandi , nec firmiter proponendo , ſeu eligendo.*Quia tunc* inquit , *mortaliter peccaſſet,ſi propoſitum non impleuiſſet.* Sentit ergo firmum propoſitum , ex electione factum ad inducendam obligationem ſufficere. Idem ſentiunt Gloſſæ , & Doctores in capit. *Super eo*,& capit. *Conſulti*,& in capit. *Statuimus*, de Regularibus & in ca. vlt.de Voto,vbi Gloſ.verb.*Tenemini* ,& in cap.*Non olum*,de Regularibus in 6.& in capit. *Qui bona* 17.q. 1.Ratio vero reddi poteſt,quia propoſitum abſolutum faciendi aliquod bonum opus inducit obligationem: ergo tale propoſitum in materia Religionis inducet obligationẽ Religioſam,& conſequenter obligationem Voti. Conſequẽtia patet ex ſimilitudine rationis , & proportionis. Antecedens vero probatur : quia tale propoſitum non poteſt mutari ſine inconſtantia , neque ſine aliqua culpa.

Maxime vero videtur confirmari hæc ſententia ex Iuribus proxime allegatis:nam in eis dicitur ,eũ, 2. qui in Religione ſuſcepit habitum nouitiorum cum abſoluto propoſito mutandi vitam, & permanendi in Religione , non poſſe abſque culpa relinquere habitum Religionis, & ad ſeculum redire, etiam ante profeſsionem emiſſam. Sentiunt ergo illud propoſitum abſolutum ſufficere ad Votum, quod per habitus ſuſceptionem ſolenne efficitur,vt ex Innocen. Hoſtien. & alijs refert Abbas in dicto capit.*Literarum* , Syluester verb. *Religio* 5. quæſt. 8. *Syluest.* Alij vero exiſtimant, inde ſaltem oriri ſimplicis Voti obligationem de ingrediendo Religionem, vt Palud. Supplem. Gabriel.4.diſtin.38. & Anton. *Palud.* ſupra,& ſignificat Gloſ.1.in capit.*Conſuluit*.qui Cle- *Supplem.* rici,vel vouentes.Confirmatur ex dict.capit.vltim. *D.Ant.* de Voto,vbi prius de duobus Religioſis dicitur , vnum fuiſſe Cruce ſignatum , alterum deſideraſſe ſignari,& de vtroque ſubditur teneri. Tandem cõfirmatur ex verbis Chriſti Lucę 9.*Nemo mittens ma- Luc.9. num ad aratrum , & reſpiciens retro,aptus eſt regno* Dei: nam per hæc verba ſolum propoſitum fit , & indicatur nihilominus,non perſeuerare in illo , eſſe aliquam culpam,cum inde reddatur homo ineptꝰ ad Dei regnum.

Nihilominus certum eſt ſolum propoſitum in- 3. grediendi Religionem,vel quippiam ſimile facien- *Reſolutio* di in cultum Dei , quantumuis abſolutum ſit,non *quaſtionis* eſſe Votum,neque Voti obligationem inducere. I- *ſolum propoſitum faciendi aliquid in honorem Dei non eſt votũ, licet ſit abſolutum.* ta docet Diuus Thomas d.artic. 1. & 61.Caiet.Altiſiod. lib. 3. Summæ tract. 28.q.1. Bonauen. 4.diſtin.38. q. 1. Richard. art. 3. quæſt.2.& ibi alij Scholaſtici,& Soto lib.7.de Iuſt.q.1.artic. 2.Syluest.verb. *Votum* 1.quæſt.2. Angel. quæſt. 7. & ibi alij Summiſtæ, Caiet. libr.11. Reſponſi.in 7.& idem tenet Gratian. 17.q. 1. in vltimis fere verbis. Nauarr.in Sum. *D.Thom.* capit. 12. numer. 26. qui refert Archidiac. in dicto *Caiet.* capit. *Qui bona*. Panorm. in capit. *Litterarum*. Idem *Altiſ.* Couar.in cap.*Quamuis pactum*.part.1.§.3. num.12.in *Bonauen.* fine. Probatur,quia nemo obligatur ſine voluntate *Richard.* ſe obligandi , vt oſtendemus:ſed qui habet propo- *Soto.* ſitum aliquid faciendi ,non ſtatim habet volunta- *Caiet.* tem ſe obligandi: ergo non eſt vnde talis obligatio *Gratian.* oriatur , quia neq; à Superiore imponitur, nec pro- *Nauar.* pria voluntate ſuſcipitur. *Panor.* Minor patet primo ipſo vſu, & experientia,alias nemo proponeret aliquid, ſi ſtatim ex propoſito obligatus maneret. Et inter homines conſtat longe diuerſum eſſe , proponere aliquid dare alteri , vel promittere , aut ſe obligare.Ratio vero à priori eſt,quia facere aliquid,&ob- *Ratio à priori.* ligare ſe ad illud faciendum ſunt obiecta diuerſa, vt per ſe conſtat,ergo poteſt voluntas verſari circa vnũ& nõ circa aliud: ergo quãuis proponat aliquid facere,non ideo vult ſe obligare ad illud faciẽdum.

Atque huc etiam ſpectat alia ratio communis, 4. quia obligatio Voti ſolum oritur ex Voto , qui autem proponit tantum ſe facturum aliquid , nõdum vouet: ergo non ſe obligat. Minor patet , quia nec verbis promiſsionem profitetur neque animo cõcipit,cum nondum habeat voluntatem ſe obligandi. Votum autem in promiſsione Deo facta conſiſtit,vt ſupra præmiſi,& ex ſequentibus late patebit, optimeq; declaratur ex verbis Deut. 23.vbi prius *Deut. 23.* dicitur: *Cum votum voueris Domino Deo tuo , non tardabis reddere*:& ſubiungitur, *Si vouere polliceri, abſque peccato eris, quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis , & facies ſicut promiſiſti* Domino Deo tuo. Ergo ad obligationem Voti non ſatis eſt proponere , quia promiſsio vltra propoſitum neceſſaria eſt: ſeu quia vltra propoſitum faciendi rem,addi debet ex parte voluntatis propoſitum ſe obligandi.Quod ſatis etiam confirmat Pontifex in dict. c.*Litterarum*,dicẽs eum,qui propoſuit mutare ſtatũ,

Si vlterius non proceſſit, non peccare, nec frangere Votum, etiamſi propoſitum mutet.

5. *Aliquorum reſponſio.* Dicunt aliqui, propter aliqua ex Iuribus citatis, licet propoſitum abſolutum non ſit Votum, neque inducat Voti obligationẽ, nihilominus aliquam aliam obligationem inducere ſub culpa veniali, vel etiam mortali, vt videre licet in Gloſ. 17. q. 1. in principio. *Gloſ.* Et ratio eſſe poteſt ſupra facta, quia mutatio boni propoſiti ex perfecta deliberatione concepti, non ſit ſine aliqua leuitate animi, & aliquo ſpirituali damno: ergo nõ ſit ſine aliqua culpa: ergo tale propoſitum aliquam obligationem inducit perſeuerandi in illo, ſeu exequendi illud. Et ad hoc adducitur Greg. in d. cap. *Qui bona*, dicens: *Qui bona agunt, ſi meliora agere deliberant, & poſt deliberata non faciunt, licet in prioribus bonis perſeuerẽt, in conſpectu tamen Dei ceciderunt ex obligatione.* *Cap. Qui bona.* Nihilominus tamen hæc interpretatio, & ſententia falſa etiam eſt, rationes enim factæ non ſolum probant, ex ſolo propoſito faciendi aliquid non oriri obligationem Voti, ſed etiam omnino nullam, quia ſi ſic proponit nullam obligationem vult ſibi imponere: ergo non obligatur de nouo, magis quam antea erat, talis enim obligatio cum non fuerit à Superiore impoſita, deberet ex propria voluntate naſci.

6. Dices, propoſitum ipſum ex ſe afferre hanc aliqualem obligationem, & ideo non requiri ſpecialem voluntatem ſe obligandi, præter voluntatem proponendi, quæ in ipſomet propoſito intrinſece voluntario includitur. Sed hoc grauis dictum eſt, & præter communem omnium ſententiam: vix enim (vt ſupra dicebam) aduertẽt homines bonum aliquod proponere, ſi crederent, inde oriri obligationem, cuiuſcumque generis illa ſit. Præterea nulla lege, aut ſufficienti ratione oſtendi poteſt, ſimplex propoſitum habere hanc cõnaturalem vim inducendi obligationem ad perſeuerandum in illo, ſeu exequendum illud. Denique explicari non poteſt ad quam virtutem ſpectet illa obligatio, aut contra quam virtutem ſit culpa oppoſita: nam vel eſt generalis obligatio omnium virtutũ, quæ iuxta diſtinctionem earum ſpecie etiam diſtinguatur, vel eſt alicuius virtutis ſpecialis; neutrum autem dici poteſt probabiliter. Declaratur prior pars, quia alias qui propoſuit audire Miſſam in feriali die, ſi illam omittat, peccabit contra Religionem, & qui propoſuit ieiunare, ſi poſtea omittit, etiamſi temperantiſsime comedat, peccabit contra temperantiam: & conſequenter cum tales materiæ graues ſint, erit tale peccatum mortale. Hæc autem per ſe ſunt abſurda, & improbabilia, quia licet quis mutet tale propoſitum, non ideo tranſgreditur medium temperantiæ, aut Religionis, neque agit contra debitum talium virtutum, & idem eſt de omnibus ſimilibus. Altera vero pars declaratur: nam quæ eſt illa vna virtus, quæ ad illam obligationem inducit in omni propoſito, in quacumque materia virtutis verſetur?

7. Dicet fortaſſe aliquis, huiuſmodi virtutem eſſe conſtantiam animi, ſeu perſeuerantiam, & fortitudinem in operatione virtutis. Sed hoc nullius momenti eſt. Primo, quia conſtantia, vel perſeuerantia non eſt vna virtus ſpecialis, ſed eſt generalis conditio, & continuatio in actibus ſingularum virtutum. *D Thom.* Vnde Diuus Thom. 2. 2. q. 53. art. 5. ponit illam inter effectus prudentiæ, quæ eſt virtus intellectus, & eius defectus non habet ſpecialem rationem culpæ, ſed iuxta obligationem, ſeu debitum voluntatis, culpabilis eſt: vt recte notauit Caietanus in Sum. verb. *Inconſtantia*. Fortitudo autem, vt eſt ſingularis virtus, verſatur circa pericula, ordinaturque ad vincendum nimium timorem mortis, vel alterius ſimilis mali: quod longe diuerſum eſt à generali conſtantia in bonis propoſitis exequendis. Deinde licet non mutare bonum propoſitum, vel ab eo deſiſtere, niſi ratione melioris boni, melius ſit, & ad perfectionem virtutis pertineat, non tamen cadit ſemper ſub obligationem facere id, quod melius eſt: & ideo ſicut non eſt malum, nolle operari id, quod melius eſt, ita non eſt ſemper malum per ſe loquendo, non exequi propoſitum etiam melioris boni. Poterit autem eſſe actus otioſus, ſiquis abſque vllo bono fine contrariam voluntatem exerceat.

Aliter poſſet quiſpiam dicere, hoc eſſe contra virtutem veritatis, ſeu fidelitatis, quia is, qui proponit aliquid, affirmat ſe facturum illud: ergo ſi poſtea mutando propoſitum id non facit, mendax eſt: virtus ergo veritatis obligat ad exequendum id, quod ſemel propoſitum eſt. Sed hoc etiam non recte dicitur, primo quidem quia propoſitum vt ſic, & in eo præciſe ſiſtendo, nullam aſſertionem includit, quia non pertinet ad intellectum: ſed ad voluntatem, ergo quamuis aliquis mutet propoſitum, non profert aſſertionem falſam, aut mendacium: ergo nihil agit contra virtutem veritatis. Deinde, etiamſi is, qui proponit (quod frequentius contingit) ſimul aſſerat ſe facturum id, quod proponit, nihil agit contra veritatem, aut fidelitatem, licet poſtea non faciat id, quod propoſuit. Quia per illam ſimplicem aſſertionem vel ſolum aſſerit ſe habere propoſitum id faciendi in futurum, quod verum manet, etiamſi poſtea mutet propoſitum, vel licet concedamus, illum affirmare futuritionem talis rei, ſolum affirmat illam vt contingentem, & quatenus in præſenti cauſa habet veritatem, vt recte notauit Diuus Thomas 2. 2. q. 89. artic. 1. Neque per ſimplicem aſſertionem futuri actus homo obligatur ad efficiendum, vt cauſa, ex qua pendet illa veritas futura, non mutetur, niſi accedat promiſſio, vel iuramentum, vt D. Tho. citato loco notauit, & nos in prima Relect. diſp. 7. ſect. 2. n. 18. & ſupra tra. 2. Vnde poteſt ratio in contrarium retorqueri, quia propter ſolam ſimplicem aſſertionem de futuro, non obligat virtus veritatis ad executionem eius: ergo multo minus obligabit ſolum propoſitum. 8.

Ad argumenta in principio poſita reſpondendum ſupereſt. Et in primis definitio illa Voti, quod ſit *Propoſitum deliberatione firmatum, &c.* exponitur à Diuo Thoma dicto art. 1. ad 1. id eſt, *firmatum promiſſione.* Altiſiod. autem ſupra exponit, firmatum obligatione, ſeu intentione ſe obligandi, & fere in idem redit, vt poſtea videbimus. Ratio autem ibi facta de animi conſtantia, iam eſt expedita, nam licet perſeuerantia in bono propoſito pertineat ad virtutis perfectionem, non tamen ſub præciſa obligatione, niſi quatenus includit propoſitum vitandi peccatum, quod ex tali obiecto inuoluit obligationem, non ex ſolo propoſito. 9. *Soluuntur argumenta oppoſita D Thom.*

Exponuntur Iura in contrarium adducta.

IVra etiam adducta non habent difficilem expoſitionem. Et in primis dicimus, Greg. in dicto cap. *Qui bona*, (cum ait: eum, qui operando bona propoſuerat meliora, & ea non exequitur, cadere, etiamſi in priori bono opere perſeueret) late & per exaggerationem vſum eſſe verbo *Cadendi*, prout ſignificat non aſcendere, aut non proficere, ſeu amittere id, quod lucrari poſſet aliquis, & non lucratus eſt. Non vero oportet intelligi de caſu, vt ſignificat culpam, quia tota illa amiſſio maioris boni poteſt contingere ſine culpa: niſi quis velit exponere, huiuſmodi animi remiſſionem eſſe occaſionem cadendi, & hoc per illa verba ſignificari. Prior tamen re vera eſt ſenſus Gregorij, & ideo non dicit eum, qui ſic ſe gerit cecidiſſe ſimpliciter, ſed cecidiſſe in deliberatione: nec dicit eius opera diſplicere Deo, ſed minus placere, vt conſtat ex Homil. 3. in Ezech. circa finem. Aliud Gregorij, & Bernardi teſtimonium exponemus ſtatim. 10.

Digitized by Google

11. Ad alia vero Iura reſponderi poteſt primo, ſolum propoſitum non inducere obligationem: ſi autem propoſito adiungatur operis inchoatio, præſertim tam grauis, quam eſt ſuſceptio habitus Religioſi, tunc inducere obligationem perſeuerandi in propoſito, præſertim cum talis mutatio iam fieri nõ poſſit ſine graui nota, & ſcandalo. Et hanc limitationem indicant Palud. & Anton. ſupra, & Supplem. Gabrielis: quia dicunt, tale propoſitum cum ſuſceptione habitus inducere obligationem Voti ſimplicis magis ex ſtatuto Eccleſiæ, quam ex natura rei. Sed neutro modo poteſt hæc expoſitio, vel ſententia ſuſtineri: nam potius talis obligatio eſt contra intentionem Eccleſiæ, quæ intendit, vt probationis tempus ſit liberum, vt patet ex Tridẽt. ſeſſ. 25. 15. & 16. vt infra latius dicetur. Addo materiam illam non eſſe aptam ad Eccleſiaſticum præceptum nec in illis Iuribus eſſe verba indicantia tale præceptum, vel nouam obligationem. At vero etiam ex natura rei nulla eſt talis obligatio, quia in illa inchoatio operis, ſeu ſuſceptio habitus non auget voluntatem, nec cauſam, quæ poſſit inducere obligationem, neque per ſe poteſt illam imponere: ergo ex eo capite non magis obligatur homo, quam antea. Conſequentia eſt clara, & antecedẽs patet quoad ſingulas partes, quia illa ſuſceptio habitus ſolum eſt quidam effectus talis propoſiti: qui non requirit voluntatem ſe obligandi ad perſeuerandum in opere inchoato, ſed ſolam voluntatem faciendi, & conſequenter etiam inchoandi tale opus. Neque ipſum opus externum habet per ſe efficaciam moralem ad imponendam obligationem abſque interiori voluntate: quia radix totius obligationis, & moralitatis eſt ipſa voluntas. Quod autem dicebatur de nota, aut ſcandalo extrinſecum eſt, & accidentarium, poteſtq; vel non eſſe alicuius momenti, vel facile vitari, ſi res prudenter fiat.

Con. Trid.

12. Ex quo à fortiori ſequitur, multo magis falſum eſſe hoc ſufficere ad Votum ſolenne caſtitatis, iuxta illa Iura, vt aliquid Iuriſperiti dixerunt, quos Antonin. ſupra refert. Probatur autem primo, quia tale Votum ſolenne ſolum eſt in profeſſione Religionis: illa autem Iura loquuntur de tempore præcedente profeſſionem, expreſſe aut tacite factam. Deinde quia illa Iura loquuntur de ſuſceptione habitus nouitiorum: impoſſibile autem eſt, vt per talis habitus ſuſceptionem fiat Votum ſolenne, etiam ſi quis accedat non ſolum cum abſoluto, & firmo propoſito, ſed etiam cum expreſſo Voto ſimplici perſeuerandi in Religione. Tum quia habitus nouitiorum non eſt ſignum Religioſi profeſſi, ergo neque eſt ſignum Voti ſolennis: ergo nec per ſe poteſt ſolennizare Votum, nec per aliquam nouam voluntatem, quam indicet. Tum etiam, quia Votum ſolenne requirit acceptationem ex parte Religionis, iuxta cap. *Ad Apoſtolicam*, de Regular. quia includit pactum inter Religioſum, & Religionem. Religio autem præbendo habitum nouitiorum, non acceptat perſonam ad proprium ſtatum Religioſum, neque ad aliquod Votum eorum, ſed ad ſolam probationem in ordine ad talem ſtatum, vt per ſe notum eſt: & colligitur ex cap. *Super eo*, de Regularib. & ex capit. 1. eod. tit. in 6.

Ca. Ad Apoſtolicam.

C. Super eo.

13. Vera ergo reſponſio eſt in illis Iuribus non eſſe ſermonem de mero, ac nudo propoſito, ſed firmato ſaltem per ſimplicem promiſſionem explicitam, vel implicitam. Ita Panormit. ſupra quem alij Interpretes, Sotus, & alij Theologi ſequuntur, & Syluest. verb. *Religio*, 3. qu. 19. & Religio 5. q. 8. Solent autem Canoniſtæ, & Iura vocare hoc Votum propoſitum abſolutum mutandi vitam, quia eſt propoſitum ſe obligandi ex vi illius: & ideo non obſtat, quod Palud. obiicit, illa, ſcilicet Iura indiſtincte loqui de propoſito, quia tam ex materia ipſa, quam ex nonnullis verbis intelligi facile poteſt, hunc eſſe ſenſum illorum. Nam in cap. *Super eo*, licet in principio ſimpliciter proponatur quæſtio de Clericis, qui habitum Religionis ſuſceperunt, ſtatim in ratione deciſionis textus dicitur, *Ne contra Votum, quod Deo fecerunt, venire probentur*: ergo ſupponitur, ſuſceptionem habitus fuiſſe cum aliquo Voto. Ita etiam intelligendum eſt cap. *Conſulti*, vbi vocatur, *propoſitum abſolutum*, id eſt firmum, ſeu promiſſione confirmatum. Denique tale debet eſſe propoſitum, vt non ſolum voluntatem ingrediendi Religionem, ſed etiam ſe ad illam obligandi includat.

Vera reſponſio ad Iura in oppoſitũ. Syluest.

C. Conſulti.

14. Poteſtque hæc expoſitio egregie confirmari ex cap. *Veniens*, de Voto, vbi prius refertur quidam, qui in puerili ætate Hieroſolymam diſpoſuit proficiſci. Et infra ille abſoluitur à Voto, quod in ætate tenera fecerat. Vbi clare verbum *diſpoſuit*, de Voti emiſſione declaratur. Declarari etiam poteſt ex quodam loco Bernardi, adiuncto alio Gregorij, quem ipſe citat. Ille enim Epiſt. 9. ex Greg. in Paſt. hanc ſententiam refert, *Quiſquis maius bonum ſubire proponit, bonum minus, quot potuit ſibi illicitum fecit*. Et infra, *Qui fortiori ſtudio intenderat, retro reſpicere conuincitur, ſi relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur*. Quæ ſententia nude ſpectata videtur contraria his, quæ ſupra diximus: ſi tamen adiungamus ea, quæ Gregor. habet in Originali, facile exponitur iuxta ea, quæ de his Iuribus dicebamus. Nam tertia parte Paſtoralis cap. 28. circa finem præmittit Greg. *Sine culpa quidem ad coniugium veniunt, ſi tamen necdum meliora vouerunt*, & ſtatim ſubdit ſententiam citatam à Bernar. *Nam quiſquis maius bonũ ſubire propoſuit* (vel vt habet litera) *intendit, &c.* Ex quo contextu conſtat verbum *propoſuit*, poſitum eſſe vt æquiualens verbo *vouit*. Atque ita propoſitum aliquando ſumitur pro illo, quod per promiſſionem firmatum eſt, ſeu quod includit volũtatem abſolutam ſe obligãdi. Ita ergo recte intelligi poſſunt prædicta Iura.

Ca. Veniens.

Bernar.

15. Sed obiici poteſt: nam iuxta hæc, qui tale habet propoſitum, id eſt, Votum ſimplex Religionis, etiãſi habitum non ſuſceperit, debet Religionem ingredi, vt ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat: ergo ad hoc nihil operatur habitus ſuſceptio, quod non conſonat dictis Iuribus. Nam in dicto capit. *Super eo*, dicitur, ſi ante ſuſceptum Religionis habitum, aliquis in probatione poſitus recedere voluerit, licite id facere poſſe: & tamen loquitur Pontifex de eadem perſona habente propoſitum. Reſpondeo, quod ad internum forum conſcientiæ ſpectat, nullum eſſe diſcrimen inter eum, qui ſuſcepit habitum Religionis vel non: quia ſi habet Votum ſimplex Religionis, illud tenetur implere, ſiue aſſumpſerit habitum, ſiue non: ſi autem non habet Votum, ſed tantum propoſitum, in neutro caſu tenetur Religionem profiteri. In ordine autem ad forum Eccleſiæ, maxime iuxta illa antiqua Iura, ille, qui tantum priuate Votum Religionis emittit, & nondum habitum alicuius Religionis ſuſcepit, non obligatur, ſeu cogitur in Religione permanere, ſed ſuæ conſcientiæ relinquitur. Qui autem poſt Votum Religionis habitum ſuſcepit, ſuum propoſitum, ſeu Votum proteſtans (iuxta dictum caput *Conſulti*) non permittitur libere dimittere habitum, & violare Votum, quia res eſt iam publica, & nota Eccleſiæ: & ideo non permittitur talis perſona libere recedere ſine legitima cauſa, vel ſine tranſitu ad aliam Religionem ſaltem laxiorem, quando Votum fuit de Religione in genere.

Obiectio.

Solutio.

16. Et eodem modo intelligendum eſt ca. *Statuimus*, eod. titul. de Regularib. & cap. *Non ſolum*, & cap. *Beneficium*, eodem titulo in 6. in quorum vltimo ſtatuit Bonifacius VIII. nouitium intra annum probationis, & ante profeſſionem emiſſam non poſſe ſpoliari beneficio, quod in ſæculo habebat, niſi conſtet, quod abſolute voluerit vitam mutare.

Cap. Statuimus. Cap. Non ſolum. Cap. Beneficium.

In quo

Digitized by Google

In quo textu fundantur, qui dicunt, id ſufficere ad Votum ſolenne. Sed immerito, quia tam in illo textu, quam in dicto cap. *Non ſolum*, diſtinguitur ille caſus ab aliis, in quibus fit profeſſio expreſſa, vel tacita: igitur in eo caſu voluit Pontifex, vt etiam ante profeſſionem, & ſolenne Votum poſſet quis priuari beneficio, ne fortaſſe illa occaſione omitteret implere obligationem ſuam, de qua iam ſufficienter Eccleſiæ conſtabat per ipſiuſmet perſonæ proteſtationem, & habitus Religioſi ſuſceptionem. Atque hæc ſint dicta obiter de his Iuribus occaſione præſentis quæſtionis, nam de hac re infra latius agendum eſt, tractando de ſtatu Religionis: vbi explicabimus, quid iuxta nouum Ius, præſentemque conſuetudinem Eccleſiæ in his caſibus obſeruandum ſit.

17. Ad c. autem vlt. de Voto dicendum eſt illud non fuiſſe ſolum propoſitum in eo, qui deſideraſſe dicitur, ſed fuiſſe propoſitum cum animo ſe obligandi, licet exterius nondum ſignum promiſſionis accepiſſet, & hoc ſentit Hoſtienſ. ibi vel etiam verba illa, *Poteſtis, & tenemini Votum peregrinationis implere*, intelligi poſſunt cum partitione, ſeu conditione proportionata. Nam expendi poteſt Pontificem tãtum loqui de impletione Voti, non deſiderij: intelligit ergo teneri ad illud implendum, qui illud emiſit vel ſi iam emiſiſſet, ſaltem in animo.

Exponitur locus Lucæ 9.

18. D. Thom. AD verba Chriſti Lucæ 9. *Nemo mittens, &c.* reſpondet D. Thom. artic. 1. ad 1. mittere manum ad aratrum plus eſſe quam proponere, quia qui mittit manum ad aratrum, iam facit aliquid, qui vero ſolum proponit, nondum facit aliquid, ſed tunc facit aliquid, quando promittit, vel ſaltem ſe exhibet ad faciẽdum, ſicut qui manum ad aratrum adhibet nondum arat, ſed iam ſe aliquo modo adhibet ad arandum. Sed difficile eſt videre quomodo hæc reſponſio teſtimonio ſatisfaciat, & accommodetur. Primo, quia qui proponit aliquid facere, licet exterius nondum faciat, quod proponit, reuera coram Deo aliquid iam fecit, & moraliter rem intelligendo, vt intelligi debet, manum adhibet, id eſt, facultatem mouendi, & operandi, quæ eſt voluntas. Et ita de propoſito voluntatis citat hunc locum
D. Greg. Gregor. Hom. 3. in Ezech. & eſt frequens apud Patres. Secundo, ex reſponſione ſequitur, eum, qui cum ſolo propoſito inchoat opus, vt verbi gratia, habitum Religionis ſuſcipit, vel manum adhibet crumenæ, vt eleemoſynã det, ſi retrocedat, & opus non perficiat, hoc ipſo fieri ineptum regno Dei per culpam aliquam, quam retrocedendo committat, quod eſt contra dicta. Sequela probatur, quia tam in argumento, quam in ſolutione ſupponere videtur Diuus Thomas: *Non eſſe aptum regno Dei*, idem eſſe quod deficere in eo, ad quod iam erat aliquis obligatus, cenſeri autem obligatum hoc ipſo, quod manum mittit ad aratrum, quod licet non fiat ſolo propoſito, fit tamen per aliquam operis exhibitionem vltra propoſitũ, vt in eadem ſolutione dicitur.

19. *Quid ſit manum mittere ad aratrum?* Tria ergo exponenda ſunt, vt legitimus iſtorum verborum ſenſus habeatur. Primum quid ſit, *manum mittere ad aratrum*. Secundum, quid ſit *retro reſpicere*: tertium quid ſit, *nõ eſſe aptum regno Dei*. Vt autem hæc intelligantur aduertendum eſt, qua occaſione Chriſtus illa verba protulerit, nimirum, cum quidam ad illum dixiſſet, *ſequar te Domine, ſed permitte mihi primum renunciare his, quæ domi ſunt.* Cui Chriſtus reſpondit prædictam ſententiam: *Nemo mittens manum ad aratrum, &c.* Vnde intelligitur *mittere manum ad aratrum* (iuxta metaphoricam ſignificationem, & moralem ſimilitudinem à Chriſto intentam) nihil aliud eſſe, quam incipere Chriſtum ſequi, vel promptum ſe exhibere ad Chriſtum ſequendum, præcipue in ſtatu perfectionis, & in munere prædicandi Euangelium, de quo paulo antea dixerat Chriſtus alteri. *Sequere me, & vade annuntia verbum Dei.* Seruata autem proportione etiam poteſt intelligi de omnibus, qui Chriſtum ſequi inſtituunt per fidei, & obedientiæ obſequium, vel promptos ſe exhibent ad Crucem eius ſumendam, quæ *aratri*, nomine ſignificatur, quia dura pectora ſubiicit, vt ait Ambroſius lib. de Filij Diui. c. 6. Ambroſ.

Iuxta quam interpretationem (quæ videtur litteralis) probabilius mihi videtur, illum, qui propoſito, & voluntate deliberata, & ipſi Chriſto (quem nihil latere poteſt) neceſſario manifeſtata, ſtatuit Chriſtum ſequi, iam mittere manum ad aratrum, & ſub hac ſententia comprehendi, tum propter rationem in obiectione factam, tum etiam quia non plus fecerat ille, qui Chriſto dicebat, *Sequar te, &c.* Nullam enim promiſſionem, vel Votum emiſerat, nec aliquod aliud opus inchoauerat, ſed ſolum propoſitum, ac deliberationem ſuam oſtenderat: per hoc ergo iam manũ ad aratrum miſerat. Quin potius D. Auguſt. ſerm. 7. de Verbo Domin. indicat, D. Auguſt.
ſatis eſſe habere Dei vocationem, vt dicatur quis manum ad aratrum mittere, cũ tamen vocatio propoſitum hominis antecedat. Sic ergo inquit exponens prædicta: *Nemo mittens manum ad aratrum, &c. Vocat te oriens, & tu attendis ad occidentem.* Qui ergo vocatur, & non reſpondet, ſed alteri rei intendit, cenſetur ab Auguſt. reſpicere retro, poſt manum ad aratrum miſſam: multo ergo magis qui vocationem acceptat vſque ad propoſitum concipiendum manum ad aratrum miſiſſe dicendus eſt.

Reſpicere autem retro, duobus modis exponi poteſt, priuatiue, ſcilicet, vel contrarie. Priori modo 21. *Quid ſit reſpicere retro.*
intelligi videtur à Gregor. dicta Homil. 3. in Ezech. dicit enim, eum retro reſpicere, qui cum prius ageret bona, & propoſuerit agere meliora, poſtea meliora facere omittit, & in prioribus bonis agendis perſeuerat. Ille autem non poteſt dici retro reſpicere, quia aliquid agat contrarium priori propoſito, ſed ſolum quia ab illo ceſſat, licet in alio bono perſeueret. Hunc ergo dicimus reſpicere retro negatiue, ſeu priuatiue, quia non operatur aliquid mali, nec aliquam actionem exercet contrariam priori, ſed ſolum ab illa ceſſat. Verum eſt tamen, hanc ipſam ceſſationem prioris propoſiti ordinarie non fieri ſine poſitiua voluntate, qua prius propoſitum retractatur: quæ mutatio propoſiti, moraliter loquendo, ſemper prouenit ex eo, quod homo reſpicit, vel ad difficultatem aliquam, qua deterretur à priori propoſito, vel ad temporale commodum, aut motiuum, ratione cuius dicitur proprie, ac poſitiue reſpicere retro. Vnde Gregor. exemplum ad- Greg.
hibens in eo, qui caſtitatem ſeruare deliberauerat, ſubdit, *Sed cum cecidiſſe alios etiam per caſtitatem conſpicit, hoc ipſum, quod facere deliberauerat, pertimeſcit: fitque vt per cogitationem retro redeat, qui ad inferiora reſpiciens mentis greſſibus ad alta ibat.* Verumtamen licet illo modo non reſpiciatur retro ſine aliquo actu poſitiuo, (quod neceſſarium eſt, vt metaphora recte accommodetur:) nihilominus, in ordine ad bonitatem, & malitiam, vocamus hanc retroceſſionem priuatiuam, quia non ita quis retro reſpicit, vt conuertatur ad malum operandum, ſed ſolum vt à bono inchoato deſiſtat.

Alio ergo modo dicitur quis reſpicere retro, 22.
quando poſt propoſitum ſequendi Chriſtum, ad mundum ſequendum reuertitur, ſeu quando à bona operatione inchoata deſiſtens, ad prauam deflectit. Atq; hoc modo videtur Gre. hũc locũ exponere in Paſtorali. 3. p. c. 28. in fine: nam cũ dixiſſet: *Quiſquis bonum maius ſubire propoſuit* (id eſt, vouit, vt ex antecedentibus conſtat) *bonum minus, quod licuit, illicitum fecit*: ſubdit, *Scriptum quippe eſt, Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt*

regno cœlorum. Vbi retro aſpicere, idem ſentit, eſſe, quod bonum iam ex voto neceſſarium relinquere, & ad aliud illicite conuerti: quod nos appellauimus retro reſpicere contrarie. Qui ſenſus neceſſario admittendus eſt, ſuppoſito priori: nam ſi ille eſt ineptus regno cœlorum, qui ceſſat à bono opere inchoato, multo magis qui contrarium malum committit: quod moraliter loquendo proprius eſt retro reſpicere.

23. Verumtamen, vt opinor, licet ad hos ſenſus poſſint verba Chriſti recte accommodari, neuter illorum eſt adæquatus illis verbis, imo nec directe, & proprie à Chriſto intentus. Conſideranda ergo eſt verborum proprietas, quæ continet veluti exemplum quoddam ex artificialibus deſumptum ad rem moralem explicandam. Exemplum eſt ſumptum ex munere arandi, quod maxime viſus directionem, & oculorum vigilantiam requirit: nam ſi arator dum manum ad aratrum adhibet, retro reſpiciat, aut omnino arare non poterit, aut certe facile, & frequenter in arãdo aberrabit. Sic (inquit Chriſtus) qui ad me ſequendum animum applicat, & oculos ſuæ intentionis, aut ſolicitudinis ad negotia temporalia, vel humana conuertit, ſuſcepto muneri ineptus eſt. Igitur retro reſpicere non eſt, vt opinorã ſuſcepto, aut inchoato bono, vel ſpirituali munere prorſus deſiſtere, ſed eſt velle ſuſceptum opus perfectionis agere, & animi curam in ſecularibus negotiis ponere. Quæ expoſitio per ſe ſe ſtatim probabilis apparet, conſiderata exempli, ſeu metaphoræ proprietate, vel accommodatione: conſiderata vero occaſione qua Chriſtus illa verba protulit, ſit probabilior. Nam ille, qui ſe obtulit ad Chriſtum ſequendum, & ſolicitum ſe ſimul oſtendebat domeſticarum rerum, non deſiſtebat à bono propoſito, ſed cum illo volebat ad temporalia reſpicere, atque illorum curam gerere. Atque ita hæc verba intellexiſſe videtur Baſil. in Conſtit. Monaſt. ca. 21. vbi cum late docuiſſet eos, qui perfectionem profitentur, debere omnino animum à temporalibus curis, parentibus, cognatis, & negotiis amouere, hoc Chriſti teſtimonio illam doctrinam confirmat.

Vera loci expoſitio.

Baſil.

24. Atque ex his facile poteſt colligi, quomodo illa verba vltima, *Non eſt aptus regno cœlorum*, intelligenda ſint, poſſunt enim omnibus dictis ſenſibus accõmodari diuerſis modis, & cum proportione intellecta. Suppono autem *regno cœlorum*, in Euangelio varie ſumi, præſertim vero pro Eccleſia triumphante, & pro regno Eccleſiæ militantis. Quia vero, ſequendo Chriſtum, & hoc munus probe exercendo, & regnum beatitudinis comparatur, & Eccleſię ager excolitur, & augetur: ideo regnum cœlorum etiam ſignificat ipſum officium Chriſtiani hominis Chriſtum ſequentis, & præſertim illius, qui munus ſuſcipit miniſtrandi Chriſto in Euangelij prædicatione, & perfecta obſeruatione. Neceſſe eſt autem in illa ſententia ſubintelligere verbum aliquod, ſcilicet *non eſt aptus regno Dei*, vel *conſequendo*, vel *expugnando*, aut *propagando*, ſeu *excolendo*, quia niſi aliquid huiuſmodi ſubintelligatur, ſententia non eſt perfecta, nec reddit integrum ſenſum. Denique *non eſſe aptum regno cœlorum*, intelligi poteſt, vel negatiue tantum, vel poſitiue, ſeu contrarie.

25. Priori modo tantum ſignificatur, eum, qui retro reſpicit, poſt aſſumptum munus comparandi regnum cœlorum, pro eo tempore, vel per illam actionem, aut diſpoſitionem non reddi aptum ad comparãdum illud. Quæ expoſitio optime accommodatur priori modo declarandi, quid ſit retro reſpicere: nam is, qui bonum, quod proponit, vel inchoat, dimittit, licet ex vi illius dimiſſionis non fiat indignus regno cœlorũ, qui non peccat, tamen non fit dignus, nec aptus ad illud: quod veriſſimum eſt, quacunq; ratione regnum cœlorum, & munus circa illud exercendum intelligatur. Addo etiam, totam Chriſti ſententiam poſſe intelligi cauſaliter, vel tantum per modum iudicij, & ſigni, & vtroque modo veram eſſe, & apte exponi. Nam qui facile deſiſtit ab opere inchoato, vel ab executione boni propoſiti, ratione talis remiſſionis animi non creſcit in virtute, & ſanctitate, & ita non fit aptus regno cœlorum cauſaliter, nam vna negatio eſt cauſa alterius. Rurſuſque illa animi facilitas in omittendis propoſitis bonis, ſignum eſt, huiuſmodi hominem non eſſe aptum ad regnum cœlorum expugnandum; vel propugnandum, aut cum perfectione aſſequendum. Sicque ex illo loco non colligitur, propoſitum bonum aliquam obligationem in conſcientia inducere, aut illius executionem omittere, eſſe aliquam culpam, ſed ſolum ſequitur eſſe cauſam non creſcendi in virtute, & eſſe indicium animi remiſſi, & tepidi, quod veriſſimum eſt.

At vero ſi verbum illud *Non eſt aptus*, contrarie intelligamus, & cauſaliter, ſenſus erit, eum, qui retro reſpicit per hoc ipſum fieri ineptum, & indignum regno cœlorum. Qui ſenſus licet neceſſarius non ſit, non eſt tamen alienus à proprietate verborum, nam ſæpe huiuſmodi negatio in eo rigore ſumitur in Scriptura, vt cum Chriſtus ait, *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*, ſenſus eſt, eſt me indignus, & per talem amorem fit indignus amicitia mea. Sic autem intellecta prædicta verba debent ad ſecundum ſenſum præcedentium verborum accommodari. Tunc enim retro reſpiciendo fit aliquis indignus regno cœlorum, quando contrarie auertitur à bono illo, cui manus appoſuerat, & ad oppoſitum malum conuertitur, vel cum id, quod incepit, ſub obligatione voti ſuſcepit, & illo pretermiſſo, ad aliud etiam ſecundum ſe bonum peragendum conuertitur. Hæc enim retroceſſio ſine culpa non fit, & ideo per illam fit quis ineptus regno cœlorum: erit autem hæc ineptitudo tanta, ac talis, qualis, & quanta fuerit culpa, vt per ſe conſtat. Vnde à fortiori talis animi remiſſio eſt etiam ſignum talis ineptitudinis ad regnum cœlorum obtinendum, quia cauſa indicat effectum ſuum. Et addi etiam poteſt, talem mutationem eſſe indicium, perſonam ipſam non ſolum propter hanc culpam, ſed etiam propter aliquam aliam prauam diſpoſitionem, quam talis culpa ſupponit, eſſe ineptam ad id regnum cœlorum obtinendum vel ſimpliciter, vel cum perfectione. Hoc autem ſolum aliquo iudicio morali, aut probabili coniectura verum eſſe videtur, neque conſtat fuiſſe à Chriſto intentum. Et hanc interpretationem inſinuaſſe videtur D. Hieron. in id Iſai. 1. *Væ genti peccatrici*, & in id Pſalm. 26. *legem pone mihi Domine*, cum ait, in hoc loco non tantum conſilium, ſed etiam legem, ſeu præceptum eſſe à Chriſto Domino latum, non reſpiciendi retro poſt adhibitam manum ad aratrum: id enim eſt verum quando reſpicitur retro eo modo, quo aliquis fit indignus ad regnum cœlorum. 26.

D. Hieron.

Vterque autem ex dictis ſenſibus optime quadrat, etiamſi *reſpicere retro*, vltimo modo ſupra poſito intelligatur: nam qui vult arare retro reſpiciendo, plane ineptus eſt ad munus arandi exercendum. Vel negatiue, quia illo modo arare omnino non poteſt. Vel cõtrarie, quia ſi aret, oblique, & inepte id faciet, vt ſi quis aſſumpta penna in manu ad ſcribendum alio reſpiciat, aut non ſcribet, aut non recte, ſed tortuoſe ſcribet. Sic ergo Chriſti diſcipulus, qui perfectionem Euangelicam profitetur, aut miniſterium verbi Dei aſſumit, ſi alio reſpiciat, dum his officiis incumbit, non erit aptus regno Dei: quia vel ea opera faciet ſine fructu ſuo, & aliorum, vel etiam per ea indignus reddetur regno Cœlorum, ſeu illa faciet cum detrimẽto ſuo, & aliorum. In quo eſt attente conſiderandum, an miniſterium, officiũ, vel genus illud vitæ, ſemper fiat voluntarie, abſque obligatione, an vero ex illa. Rurſus conſiderare 27.
oportebit,

Digitized by Google

oportebit, an illa intentio, vel ſolicitudo extranea ita repugnet tali miniſterio, vel vitæ generi, vt non poſsit opus ita exerceri ſine violatione alicuius pręcepti, aut ſine diſcrimine ſalutis propriæ, vel alienæ: an vero poſsit quidem fieri ſine tanto malo, non tamen cum fructu, & vtilitate ſpirituali, ad quam tale munus ordinatur. Quando ergo peregrina intentio, vel ſolicitudo repugnat priori modo ſuſcepto muneri, tunc reddit hominem indignum, & contrarie ineptum ad regnum Cœlorum. Idemque eſt, licet ſolum impediat fructum: ſi opus ex obligatione ſuſcipiatur, quia regulariter non fit tali modo ſine noua culpa: imo licet opus abſolute non eſſet ſub obligatione, poſtquam ſuſcipitur, debet recte fieri, & ideo noua indignitas, ſeu culpa contrahitur, ſi opus retro reſpiciẽdo fiat. Ita ergo quocumque probabili modo exponatur ille locus, nihil de obligatione per ſolum propoſitum probat.

CAPVT III.

Vtrum propoſitum, ſeu intentio ſe obligandi ſit de Voti neceſſitate, ac eſſentia?

QVamuis ſolum propoſitum voluntatis ad Votum non ſufficiat, certum nihilominus eſt, eſſe neceſſarium, quia obligatio Voti voluntaria eſt, non eſt autem voluntaria niſi per actum voluntatis, quem propoſitum, ſeu intentionem appellamus. Hic autem actus circa duo, vel tria verſari poteſt, ſcilicet circa promiſsionem, obligationem, & executionem, ſeu actionem, neque præter hæc aliquid aliud excogitari poteſt. De voluntate igitur exequẽdi dicemus in capite ſequenti, hic de priori, fortaſſe enim tantum eſt vna, tamen ad maiorem declarationẽ de illis vt de diſtinctis loquemur, nam ſaltem ratione, & appellatione diſtingui debent.

2. *Voluntatẽ promittẽdi Deo eſſe neceſſariam ad Votum.*

Dico ergo primo, voluntatem promittendi Deo eſſe neceſſariam ad Votum, quia ſubſtantia ipſius Voti in promiſsione conſiſtit, vt omnes fatentur, & infra explicabitur, & ſufficienter ſumitur ex verbis Sapientis ſupra citatis: *Si quid vouiſti Domino ne moreris reddere, diſplicet enim illi infidelis, & ſtulta promiſſio.* Vbi quod prius Votum appellauerat, poſtea vocat promiſsionem, ſubſtantia ergo Voti in promiſſione conſiſtit. De ratione autem Voti eſt, vt ſit ſpontaneum quod habet à voluntate: ergo de ratione, & eſſentia Voti eſt, vt includat voluntatem promittendi.

3. *Voluntatem ſe obligandi eſſe etiam neceſſariã.*

Atque hinc ſecundo certum eſt, voluntatem ſe obligãdi eſſe ad Votum neceſſariam, ſicut voluntas obligandi ſubditum in Superiore neceſſaria eſt ad legem, ſeu præceptum, nam quoad hoc æquiparantur lex, & Votum ſecundum omnes, quia ſicut per legem obligatur ſubditus à Superiore, ita per Votum homo ſe obligat Deo. Item quia obligatio per promiſsionem inducitur, ergo ſicut voluntas promittendi neceſſaria eſt, ita etiam voluntas ſe obligandi.

4. *An vtraque voluntas ſit de eſſentia Voti?*

Tertio ex his duabus voluntatibus promittendi, & ſe obligandi omnes fatentur priorem eſſe eſſentialem, ſeu ita neceſſariam, vt ſine illa Votum conſiſtere, aut intelligi non poſsit. De altera vero, ſcilicet de voluntate ſe obligandi eſt difficultas, quæ bene declaratur in vulgari caſu, in quo fungitur aliquis vouens cum voluntate promittendi, & abſque voluntate ſe obligandi, potius cum expreſſa voluntate non ſe obligandi; nam hic caſus non inuoluit repugnantiam: ergo ſignum eſt has voluntates diſtinctas eſſe. In eo autem caſu votum eſſet validum, quia in eo conſiſteret Voti ſubſtantia, quæ eſt promiſsio voluntaria Deo facta: ponimus enim voluntatem illam promittendi eſſe efficacem, ergo producit veram promiſsionem, eamque voluntariam conſtituit; ergo ſubſiſtit ibi tota ſubſtantia voti, Ex quo vlterius concluditur voluntatem ſe obligandi non eſſe ſimpliciter neceſſariam ad votum.

Circa hunc ergo articulum diuiſi ſunt Authores. 5.

Quorundã ſententia affirmans.

Quidam concedunt illud eſſe verum votum, & obligationem inducere, quia licet obligatio non ſit volita in ſe, eſt tamen volita in cauſa, ſcilicet in promiſsione, & hoc ſatis eſt, vt obligatio naſcatur, licet homo per aliam voluntatem in contarium conetur. Quia obligatio eſt effectus omnino naturalis promiſsionis; ergo poſita promiſsione non poteſt homo talem effectum impedire ſua voluntate, ſed ex vi prioris voluntatis ponitur promiſsio; ergo ex illa oritur obligatio, velit nolit promittens. Et confirmatur primo, nam qui vult Deo promittere rem grauem, v.g. ieiunium, obligatur ad illud ſub mortali, etiamſi ipſe noluerit obligari niſi ſub veniali, quia modus, & quantitas obligationis intrinſece oritur ex natura, & materia talis voti independenter ab alia intentione vouentis, præter voluntatem vouendi. Alioqui poſitum eſſet in hominis voluntate magis, & minus obligari per æqualia vota, & minus per id, quod grauius eſt, magiſque per leuius, quæ ſunt abſurda: ergo ſimiliter ex voluntate promittendi naſcitur abſoluta obligatio independenter ab illa voluntate. Confirmatur ſecundo; quia iuramentum promiſſorium cum voluntate iurandi validum eſt, etiamſi ſit abſque voluntate promittendi, & ſe obligandi, vt ſupra viſum eſt; ergo idem dicendum eſt de voto. Atque hanc ſententiam tenuit Sot. lib. 7. de Iuſt. q. 1. artic. 2. Lud. Lop. 1. par. Inſtruc. c. 42. Aragon. 2. 2. quæſt. 88. articul. 1. Gutierr. libr. 2. Q. v. Canon. cap. 22. num. 31. Tribui etiam ſolet Caietan. 2. 2. quæſt. 88. art. 1. & quæſt. 89. art. 7. circa ad 4. Sed Caietanus id non ſentit.

Soto. Lud Lop. Aragon. Gutierr. Caiet.

6. *Sententia negans aliquorum.*

Alij vero ſentiunt in eo caſu non fieri votum, nec oriri obligationem, quia deeſt voluntas omnino neceſſaria ad ſubſtantiam, & eſſentiam voti. Qui conſequenter aſſerunt, illam non eſſe veram promiſsionem, quia votum, & promiſsio in tali materia, & circa talem perſonam idem ſunt. Nec refert quod proceſſerit ex voluntate promittendi, quia inuenit voluntatem omnino contrariam, & habentem (vt ita dicam) æqualem vim reſiſtendi. Vnde ſicut in naturalibus dicimus, poſita proportione æqualitatis non ſequi actionem, ita hic dicere poſſumus, poſitis voluntatibus contrariis, nec promiſſionem, nec obligationem ſequi. Atque hanc ſententiam indicat Sylueſt. verbo *Iuramentum*, 4. q. 7. & verb. *Metus*, q. 8. d. 8. ver. *Pactum*, q. 4. vbi idem tenet Angel. n. 4. & *Votum*, 1. n. 7. Tab. ver. *Pactum* n. 2. Ant. 2. p. tit. 11. c. 2. & Nauar. in Sum. c. 12. n. 27. & 28.

Sylueſt. Angel. Tabien. Anton. Nauar.

7. Inter has ſententias poteſt eſſe diſſenſio in verbis, & ideo oportet aduertere, duobus modis poſſe fingi caſum illum. Primo ex ignorantia vouentis, nimirum quia exiſtimat, veram, ac validam promiſſionem poſſe conſiſtere ſine obligatione. Secundo ex malitia, quia etiamſi ſciat veram promiſsionem eſſe non poſſe quin obligatoria ſit, nihilominus vult promittere, & nõ ſe obligare. Priori modo caſus eſt ſine dubio poſsibilis: quia nihil repugnat, quominus illa ignorantia haberi poſsit: in eo autem euentu omnino verum cenſeo, neq; oriri obligationem, neq; Votum tenere. Probatur primo, quia ignorantia tollit voluntarium. Neq; oportet (vt opinor) hic diſtinguere de ignorantia inuincibili, quia nõ agimus de ignorantia, quæ excuſet culpã, ſed quæ impediat voluntatem alicuius facti: ad hoc autem ſufficit ignorantia, vel falſa exiſtimatio interueniens circa ipſum, ſiue vinci potuerit, ſiue non. Quod patet in prædicto caſu, quia ſtante illa exiſtimatione, ille non vult talem promiſsionem, quæ potens ſit ad obligãdum, ſed talem quę huiuſmodi efficaciã non habeat: ergo de facto non vult promiſsionẽ ad Votũ ſufficientem, quia hæc ſolum eſt illa, quæ vim habet obligandi: ergo de facto illa voluntas non inducit Votum,

Digitized by Google

Votum, quia effectus non excedit intentionem operantis. Quod ſi dicas, promiſſionem non obligatoriam eſſe impoſſibilem, hoc non obſtat, imo iuuat, quia illa voluntas eſt de re impoſſibili exiſtimata poſſibili, quæ nihil operatur. Item argumentum factum de lege ſic cum proportione applicari poteſt. Neque contra hanc partem procedunt fundamenta prioris ſententiæ, quia omnia ſupponunt promiſſionem eſſe validam, & voluntatem verſari circa illam, quatenus eſt cauſa obligationis. Vtrumque autem falſum eſt in caſu, quia voluntas potius vult talem promiſſionem, quæ obligationem producere non valeat: & ideo nullam veram promiſſionem efficit.

8. Atque aſſertio manifeſta eſt, quando ignorantia eſt prauæ diſpoſitionis, ſeu erroris, quo aliquis credit, vouendo, aut promittendo non obligari, & ideo vouet, vel promittit, quia tunc etiamſi non habeat poſitiuam intentionem non ſe obligandi, ſed tantum ſic promittendi, non manet obligatus, quia nec explicite, nec implicite vult obligari, quia non putat ſe facere actum, quo obligetur. Dubium autem eſſe poſſet, ſi ignorantia eſſet tantum negatiua, quia promittens non ſcit, promiſſionem, aut votum habere vim obligandi, quamuis etiam non putet non eſſe actum obligatorium: tunc enim videtur velle actum prout in ſe eſt, & ita virtute velle obligari. Sed nihilominus ſi cum illa ignorantia negatiua habeat poſitiuam intentionem non ſe obligandi, vt in caſu, quem tractamus, non obligabitur, quia procedunt rationes factæ. Et quia licet ille non habeat expreſſe iudicium poſitiuum erroneum, quod promittere non ſit obligari, vt in caſu ſupponitur: nihilominus tamen in actu exercito, & practice ſupponit, poſſe fieri promiſſionem nõ obligantem, alias non poſſet habere intentionem non ſe obligandi, vt ſtatim dicemus. Vel ſaltem habendo illam intentionem apponit conditionem, ſeu determinationem promiſſioni, ſcilicet, vt velit promittere, ſi promiſſio non obligat.

9. At vero ſi non habeat poſitiuam intentionem non ſe obligãdi, ſed ſimpliciter promittat, neſciens diſcernere, quam vim habeat promiſſio, aliqui putant etiam tunc non obligari: quia ignorantia negationis non ſufficit, vt non velit quis ſe obligare, & conſequenter, vt non obligetur. Sed contrarium videtur dicendum, quia licet ille ignoret promiſſionis naturam, vult promiſſionem ſicut ipſa eſt, quia vt Philoſophi dicunt, voluntas fertur in rem prout eſt in ſe, & hoc ſatis eſt, vt implicite quis velit, quod ignorat: ſic enim dicitur etiam à Theologis, quod voluntas intrat, vbi intellectus foris ſtat. Item in huiuſmodi rebus multum operantur generales intentiones, qui enim ſic promittit, vult promittere, vt tenetur, & vt alij ſolent promittere: quæ intentio ſatis eſt ad moralem effectum, vt patet in Sacramentis, & in matrimonij contractu, ſi quis velit matrimonium facere, neſciat autem vinculũ, & perpetuam obligationem eius. Sed de hoc puncto paulo inferius circa ignorãtiam plura dicemus.

10. *Non interueniente ignorantia impoſſibile eſſe habere propoſitum vouendi, & non ſe obligandi. D. Thom. Richard. Maior.*

Secundo dicendum eſt, non interueniente ignorantia caſum eſſe impoſſibilem, ſcilicet ſimul, & ex certa ſcientia habere propoſitum vouendi, & non ſe obligandi. Ita ſentiunt poſteriores Doctores ſupra citati, ſumiturque ex Diuo Thoma in 4. d. 38. q. 1. artic. 1. Richard. ibi ar. 3. q. 3. & Maior ibidem quæſt. 2. & Modernis communiter. Et probatur, quia impoſſibile eſt voluntatem ſimul velle ea, quæ repugnantiam inuoluunt, niſi interueniente ignorantia (velle, inquam, voluntate abſoluta, & efficaci:) ſed vouere & non obligari inuoluunt repugnantiam, vt recte probant argumenta prioris ſententię: ergo impoſſibile eſt vtrumq; ſimul velle efficaci voluntate, ex certa ſcientia, ſeu abſque ignorantia. Maior conſtat, quia voluntas non poteſt ferri actu efficaci in obiectum impoſſibile cognitum: perinde autem eſt, duobus actibus abſolutis ſimul ferri in duo obiecta incompoſſibilia, ac ferri vno actu in obiectum impoſſibile. Sicut in intellectu æque repugnat duobus iudiciis aſſentiri ſimul duabus contradictoriis, ac iudicare vno actu duo contradictoria eſſe ſimul vera. In præſenti autem caſu oporteret vtrumque actum voluntatis eſſe efficacem: nam ſiquis tantum ſimplici affectu, ſeu conditionato actu velit vouere, abſolute autem nolit obligari, certum eſt nullum votum emittere, quia nondum illud ſimpliciter vult. E conuerſo autem ſiquis haberet hos actus: *Nollem obligari, volo tamen vouere, ſeu promittere*, ſciens voti naturam, & conditionem, ille & votum emitteret, & obligatus maneret, quia volũtas abſoluta operatur, nõ obſtante velleitate rei oppoſitæ. Vt ergo caſus procedat, neceſſe eſt loqui de illo, qui actibus abſolutis vtrumque vult. Ergo ſecluſa ignorantia caſus inuoluit repugnantiam.

Simplex affectus conditionatus vouendi, non ſufficit ad votum.

11. Nec ſatis eſt dicere, illam repugnantiam inter illa obiecta eſſe tantum implicitam, & virtualem, & non formalem, & ideo illa non obſtante, poſſe voluntatem abſolute ſimul ferri in vtrumque obiectum. Hoc enim non recte dicitur, tum quia virtualis repugnantia ſi non ignoratur, idẽ operatur, quod formalis, quia efficit, vt mens iudicet eſſe impoſſibile, illa duo obiecta ſimul poni, quod ſufficit ad repugnantiam inter tales actus volũtatis. Sicut non poteſt quis ſimul velle efficaciter applicare ignem alicui rei, & velle vt illa non calefiat, aut comburatur, niſi intercedat ignorantia circa virtutem, & efficaciam ignis, vel circa conditionem alterius rei combuſtibilis. Tum etiam quia illa repugnantia re vera eſt formalis, licet in verbis non ita appareat: oſtendemus enim inferius velle promittere reſpectu Dei, nihil aliud eſſe, quam velle ſe obligare, & è conuerſo abſolutam voluntatem ſe obligandi ex nunc habere vim promiſſionis, & ſufficere ad votum. Ac denique (quidquid de hoc ſit) licet obligatio ſit effectus voti, ſeu promiſſionis, non eſt tamen effectus extrinſecus, ſed intrinſecus, & quaſi formalis, & ideo velle promittere ſatis formaliter eſt velle obligari, ſicut velle ponere calorem in ſubiecto, eſt velle, vt illud ſit calidum; ergo formalem repugnantiam inuoluit abſolute velle promittere, & abſolute nolle obligari; non eſt ergo poſſibile ſimul habere vtrumque actum, nulla interueniente ignorantia. Sicut impoſſibile eſt in Superiore, velle imponere præceptum, & nolle obligare, niſi propriam vocem ignoret, & nomine pręcepti quidpiam aliud intelligat. Idemque eſt de voluntate contrahendi matrimonium, & non ſe obligandi, & ſic de aliis contractibus, qui vitiantur appoſita conditione cõtraria ſubſtantiæ actus, iuxta cap. vlt. de Condit. appoſit. at per intentionem non ſe obligandi ponitur conditio contraria ſubſtantiæ actus; ergo.

12. *Approbatur poſterior ſententia.*

Ex quibus colligo primo, abſolute loquendo poſteriorem ſententiam eſſe veriorem: nam cum diſputatio proponitur de tali caſu intelligi debet in eo euentu, & cum illis conditionibus, cum quibus caſus poſſibilis eſt, alioqui fruſtra de illo diſputamus: quoties autem ille caſus eſt poſſibilis, deeſt voluntas emittendi verum votum, quia ſemper interuenit ignorantia, & ignorantia impedit talẽ voluntatem, vt declaratum eſt. Vnde qui ſic vult vouere, ſiſtit in nomine Voti, & non attingit rem ipſam, & per Votum ſolum videtur intelligere animi propoſitum faciendi talem rẽ abſq; obligatione, ſicut inter homines, quando vnus offert alteri aliquid ſe illi daturũ, declarans nolle ſe obligare, licet dicat verba promittendi: nihilominus non inducunt obligationem, quia deeſt animus, nec declarant promiſſionem, ſed ad ſummum internum animi propoſitum faciendi id, quod offertur. Atque ita in vniuerſum ve-

ſum verum eſt, voluntatem ſe obligandi eſſe neceſſariam ad Votum emittendum, quę eſt communis ſententia Theologorum in 4. d. 38. Gloſ. & Doctorũ in c. *Litterarum*, de Voto, ſumiturq; ex illo textu conſonatque ſententia Greg. 26. Moral c. 7. quæ refertur in ca. *Humanæ aures*, 22. q. 5. in huiuſmodi actibus humanis non tantum eſſe verba conſiderãda, ſed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni. Idē ſumitur ex L. *Obligationem*, 1. ff. de Actioni. & oblig. in qua generaliter traditur ſine animo ſe obligandi nullam oriri in contractibus obligationem.

Gloſ. C. Humanæ aures. — *L. Obligationem.*

13. *Qui exterius tantũ promittit, non animo non vouẽdi non manere obligatum ad promiſſum.*

Secundo hinc infertur, quoties aliquis exterius promittit, aut vouet animo non vouendi, vel ſe obligandi, non manere in conſcientia obligatum ad efficiendum, quod promiſit, per ſe loquendo, ſeu quantum eſt ex vi promiſſionis. Ita docent dicti Doctores. Et ratio eſt, quia hæc obligatio inducitur per verum Votum, & promiſſionem, ibi autem nõ fit verum Votum, ſed fictum, quia deeſt interior intentio, quæ eſt veluti forma, & anima ipſius Voti: vnde exterior illa promiſſio falſitatem, & fictionem continet, quia ſignificat interiorem voluntatem, quæ non exiſtit. Eſt ergo illa fictio peccaminoſa præſertim in materia Voti, propter irreuerẽtiam, quæ Deo fit, argumento c. *Quacumque arte*, 22. q. 5. vbi quid ſimile de iuramento cũ dolo facto dicitur: nihilominus vt conſtat ex d. c. *Humanæ aures*, illud Votum fictum non inducit Voti obligationẽ. Sicut etiam matrimonium externum ſine interiori conſenſu nullum eſt, nullãque matrimonij obligationem per ſe inducit cap. *Tua nos*, de Sponſal. & in vniuerſum moralis efficacia cuiuſcumq; actus humani ex intentione pendet, vt patet etiam in Sacramentis & in omnibus ſimilibus.

Cap. Tua nos.

14. *Non eſſe obligandum ad votum eũ qui dixerit ſine animo promittendi, aut ſe obligandi.*

Vnde infertur tertio: Stando in foro conſcientiæ non eſſe obligandum ad ſeruandum votum qui dixerit vouiſſe ſine animo promittendi, aut ſe obligandi, per ſe loquẽdo, & ex vi promiſsionis, vt dixi, quia in foro conſcientiæ credendum eſt homini tam pro ſe, quam contra ſe, quia in illo foro non agitur niſi de bono eiuſdem conſcientiæ. Secus vero eſt in foro externo Eccleſiæ. Nam cum Eccleſia non iudicet de occultis, ſi in exteriori foro conſtat votum eſſe factum, merito Eccleſia vouentem cogit ad illud obſeruandum, neque illi fidem adhibere debet; etiamſi affirmet, vel iuramento confirmet ſe ficte vouiſſe ſine intentione ſe obligandi, ſeu promittendi. Tum quia qui hoc affirmat, eo ipſo dicit ſe fuiſſe mentitum, & ideo indignus eſt fide, veriſimiliuſque eſt nunc mentiri ad fugiendam obligationem, quam in principio, cum libere vouit, tum etiam quia alias nulla pacta, vel promiſsiones apud homines firmę eſſent, ſi vnicuique dicenti vel iuranti non habuiſſe animum promittendi, credendum eſſet. Tum denique quia vt dicitur in capit. *Per tuas*, de Probat. *Indignum eſt (iuxta legitimas ſanctiones, vt quod quiſque ſua voce lucide proteſtatus eſt) valeat proprio teſtimonio infirmare.* Quod ibi ampliatur etiamſi quis cum iuramento id affirmet, quod generaliter verum eſt, per ſe loquendo, & ſeclũs alijs coniecturis, vt etiam in materia de Matrimonio docent communiter Doctores, & hic eſt optima ratio, nam qui iurat, ſe fuiſſe ſacrilegum, ficte vouendo, facile credi poteſt, eſſe ſacrilegum falſum iurando, & ideo non eſt fide dignus. Propter quod etiam iuranti, prius ſe ficte iuraſſe ſine intentione iurandi, non creditur, vt eſt communis doctrina in capit. *Si vero*, de iureiuran. vbi Panorm numer 10. Anton. & alij, & Syluest. *Iuramentũ* 4. q. 7. & de Voto idem affirmat Hoſtienſ. Ioã. And. & alij in c. *Veniens*, Qui Cleric. vel vouent.

Panorm. Anton. Syluest. Hoſtienſ. Ioan. Andr.

15. *Poteſt Eccleſia ...*

Poteſt igitur Eccleſia, quando huiuſmodi votum ad eius forum deducitur, obligare ad votum ſeruandum, & vouens tenebitur parere, non quidẽ ratione voti, ſed ob iuſtum Eccleſiæ præceptum. Quod ſi aliter non poteſt bene, & licite implere, quod præcipitur, niſi mutando animum, & de nouo vere promittendo, ad id etiam poterit conſequenter obligari: quod non eſt inconueniens, quia licet voti emiſsio per ſe loquendo, tantum ſit ſub conſilio, nihilominus per accidẽs poteſt quis ad illud obligari, propter vitandam nouam culpam, præſertim ſuppoſita priori culpa, & fictione. Addo etiam, ſecluſo ſpeciali præcepto Superioris ſeu Eccleſiæ, aliquando poſſe oriri obligationem ad implendum aliquid ficte promiſſum, ob iniuriam ea occaſione illatam, aut propter detrimentum inde alteri reſultans: quod maxime contingere ſolet in promiſſionibus humanis, vt in fictis ſponſalibus, & ſimilib. de quib° alibi dicendum eſt: in votis autem vix poteſt hoc euenire, niſi in ficta profeſſione Religionis, de qua infra ſuo loco dicemus. Poteſt etiam id excogitari in Clerico voluntarie ſuſcipiẽte ſacrum ordinem ſine animo ſe obligãdi, aut vouendi continentiam: nam ille nihilominus ex præcepto Eccleſiæ obligatur, & ratione iniuriæ illatæ Clero, & ſacro ordini, ſuppoſito ſtatu, & conſuetudine Eccleſiæ tenetur mutare voluntatem, & votum caſtitatis emittere, vt etiam infra ſuo loco dicam.

...gere eos qui ficte vouent, ad votum ſeruandum.

16. *Fit ſatis oppoſitæ ſententiæ.*

Vltimo ex dictis patet reſponſio ad fundamentum contrariæ ſententiæ, ſupponit enim falſum, ſcilicet votum ex tali voluntate factum eſſe verum votum, cuius oppoſitum oſtenſum eſt. Secus vero eſt in iuramento facto cum intentione iurandi, & ſine intentione ſe obligandi, etiam per ignorantiã, quia illud eſt verum iuramentum, vt ſupra oſtenſum eſt in tract. præced. lib. 2. ca. 7. & ita reſponſum eſt ad ſecundam confirmationem. In prima vero petitur qualis debeat eſſe hæc obligatio voti, an in conſcientia, & an ſub mortali, aut veniali, & an hoc pendeat ex intentione vouentis, quas quæſtiones diſputabimus in libro 4. c. 2.

CAPVT IV.

Vtrum propoſitum implendi votum ſeu faciendi rem promiſſam ſit de ſubſtantia voti ſeu ad valorem eius neceſſarium?

1. Diximus propoſitum faciendi aliquid non ſufficere ad obligationem voti, videndum ſupereſt, an ſaltem ſit neceſſarium huiuſmodi propoſitum, vt votum validum ſit? Poſſumus autem loqui de propoſito formali, aut virtuali tantum, ſeu de propoſito in ſe, vel in cauſa. Propoſitum in cauſa, ſeu virtuale in propoſito, eſt ipſummet propoſitum vouẽdi, vel promittendi: nam qui vult promittere, ſaltem virtute vult dare, vel facere, dummodo cõtrarium propoſitum formale non habeat, vtique non faciendi id, quod promittitur. Nam voluntas formalis poteſt excludere virtualem contrariam: & ideo hic proprie agimus de propoſito formali faciendi id, quod promittitur. De quo nemo dixit eſſe ſimpliciter neceſſarium ad votum: aliqui tamen dixerunt ſaltem eſſe neceſſarium non habere contrarium formale propoſitum, ſcilicet non ſeruandi votum, ſeu non faciendi, quod promittitur. Sed diſtinctione opus eſt, nam aliud eſt quærere, an ſit neceſſarium ad ſubſtantiam, & valorem voti: aliud vero an ſit neceſſarium, vt recte, & honeſte fiat.

Quid ſit propoſitum virtuale.

2. *Votum eſſe validum etiã ſi fiat, cum propoſito illud nõ ſeruandi.*

Priori ergo modo negãdum eſt, propoſitum hoc eſſe neceſſarium ad valorem voti. Itaque ſiquis promittit intentione vere promittendi, & ſe obligandi, etiamſi non habeat animum faciendi, quod promittit, verbi gratia, ſeruãdi caſtitatem, vel etiãſi habeat poſitiuum propoſitum violandi illud votũ, eſt validũ, & obligans. Ita docent omnes Authores in præcedentibus capitibus allegati, quos etiam

refert,

refert, & ſequitur Gutierrez li. 2. Quæſtionum Canon. cap. 22. numer. 30. Præſertim vero id explicuit Caiet. d. art. 1. ad finem, & quæſt. 89. art. 7. circa ſolutionem ad 4. vbi idem dicit de iuramẽto, & nos ſupra de illo tractãtes idem confirmauimus: & rationes ibi factæ hic locum habent, quia quoad hoc eadem eſt ratio de promiſsione facta Deo, vel homini. Nam in vtraque aliud eſt dare ius ad rem, quod per promiſsionem, & volũtatem promittendi ſufficienter fit aliud eſt dare rem ipſam, quod eſt quid

Ratio à priori. poſterius, & ſeparabile à priori. Vnde ſumitur ratio à priori, quia voluntas ſe obligandi, & voluntas non implendi non ſunt contrariæ, vt per ſe notum eſt, quia non ſunt de obiectis ſimpliciter repugnantibus, ſed quæ poſſunt eſſe ſimul: ergo cũ illo propoſito non ſeruandi caſtitatem ſtat efficax voluntas vouendi caſtitatem, & obligandi ſe ad illam ſeruandam, quia iſti actus non ſunt oppoſiti, ne per ſe repugnantes: ſed voluntas vouendi, & ſe obligandi eſt ſufficiens cauſa in ſuo genere ad valorem, & obligationem voti, vt ſæpe dictum eſt: ergo votum emanans à tali voluntate eſt validum, & obligatoriũ, non obſtante tali propoſito. Minor probatur, quia voluntas abſoluta, & efficax habet effectum ſuum, quando ille eſt in poteſtate volentis, & nulla voluntas contraria illi reſiſtit: promittere, autem & ſe obligare eſt in poteſtate vouentis: ergo voluntas efficax ſe obligandi ſufficit, cum voluntas non implẽdi obligationem non ſit contraria. Sicut in legiſlatore voluntas imponendi præceptum, & obligandi ſtat cum voluntate vt actus præceptus non fiat, vt conſtat in Deo præcipiente Abrahæ occiſionem filij: vel ſicut in vendente ſtat voluntas venden-

Confirmatio ab exemplis. di ſine propoſito tradendi rem, & prior ſufficit ad valorem contractus. Denique confirmatur quotidianis exemplis, nam qui ſuſcipit ordinem ſacrum, etiamſi non habeat voluntatem ſeruandi caſtitatem: imo etiamſi domi concubinam habeat, votum caſtitatis nihilominus emittit. Idem eſt de promiſſione facta cum ſimili propoſito, nihil enim minus valida eſt: idem ergo eſt de quocunque voto etiam ſimplici.

3\. *Oppoſita ſententia. Valentia. D. Thom.* Contra hanc partem opinantur Greg. de Valen. in 3. tom. diſp. 6. q. 6. puncto 1. nam intelligibile putat, poſſe eſſe promiſsionem, aut votum verum ſine voluntate faciendi, putatque eſſe ſententiam D. Thomæ. Nam in d. artic. 1. videtur ad votum poſtulare propoſitum faciendi, *Nam promiſsio* (ait) *procedit ex propoſito faciendi*. Imo addit Valent. hanc eſſe cõmunem ſententiam. Ego vero nullũ alium Authorem inueni, qui hoc in terminis aſſeruerit. Nam Diuus Thomas id expreſſe non dicit, & facile intelligi poteſt, vel de propoſito faciendi non opus, ſed votum ipſum, ſeu de propoſito promittendi: non enim dicit votum procedere à propoſito faciendi rem promiſſam, ſed abſolute à propoſito faciendi. Vel certe licet loquatur de propoſito faciendi rem ipſam, non requirit illud vt eſſentiale, ſed vt recte, & ſine fictione votum fiat, vt mox dicemus: ſicque illum intellexerunt Caiet. Soto, & omnes. Et co-

Maior. dem modo loquitur Maior. 4. d. 38. quæſt. 2. licet enim indicet, eum, qui non intendit ſeruare promiſſum, ſed fallere promittendo, non teneri, plane intelligit de intendente non ſe obligare, vt poſtea exponit.

4\. Nec etiam video cur hoc non ſit intelligibile, cũ plane oſtenſum ſit, nullã eſſe in hoc repugnantiam. Neque pro illa ſententia affertur ratio, quę difficultatem ingerat. Solum enim obijci video, quia qui dicit *Promitto*, & non habet intentionem faciendi, quod promittit, mendax eſt: ergo non facit quod dicit: ergo re vera non promittit, ergo ſignum eſt, promiſsionem eſſentialiter includere propoſitum implendi, & ſine illo nullam eſſe. Reſpondetur negando ſecundam conſequentiã, quia verbum promittẽdi duas voluntates indicat, ſcilicet promittendi, & faciendi promiſſum: priorem immediate, & quaſi directe, ſecundam quaſi conſequenter, quia qui promittit ſignificat ſe & ex animo, & fideliter promittere. Qui ergo promittit ex voluntate promittendi, & ſine intentione implendi, in vno verum dicit: in alio vero fallit. Prior autem veritas ſufficit, vt verum votum faciat: poſterior autem falſitas facit, vt illicite, & in debito modo voueat, non autem, vt votum nullum exiſtat.

Vnde dico ſecundo propoſitum faciendi quod 5. voto promittitur, neceſſarium eſſe, vt votum recte, & honeſte fiat. *Propoſitum faciendi quod vouetur neceſſarium eſſe, vt votum recte fiat.* Itaque qui vouet cum propoſito non ſeruandi quod promittit; grauiter peccat. Patet, quia graue, & pernicioſum profert mendacium. Nam qui promittit, exhibet ſignum ſufficiẽs futuri effectus, quantum eſt ex vi præſentis cauſæ, ſeu diſpoſitionis ſui animi: ergo indicat propoſitum faciendi quod promittit: ergo ſi illud non habeat grauiter, & pernicioſe mentitur. Secundo quia, qui habet propoſitum non implendi votum, peccat, cum obiectum illud ſit malum, & contra rationem, ſed qui promittit cum animo ſe obligandi, hoc ipſo ligatur vero, & valido voto: ergo ſi habet ſimul propoſitum non faciendi quod promittit, habet propoſitum frangendi votum: ergo grauiſsime peccat: non poterit à peccato liberari, donec propoſitum illud mutet. Obſeruare autem oportet, cum dicimus hoc propoſitum eſſe neceſſarium ad voti honeſtatem explicandum id eſſe potius negatiue, quam priuatiue: quia neceſſarium ſaltem eſt, non habere propoſitum omittendi id, quod voto promittitur: eſto, non ſit neceſſarium habere poſitiuum propoſitum contrarium. Vel (& in idem redit) intelligendum eſt de propoſito formali, vel ſaltem virtuali: nam qui ſimpliciter vult promittere, ſi non habeat animum omittendi: hoc ipſo habet virtuale propoſitum faciendi quod promittit, tum quia vult illud in quadam morali cauſa ſufficiente: tum etiam quia dum non habet voluntatem contrariam, cenſetur vere promittere eo modo, quo honeſte poteſt, & debet. Sicut etiam qui vult promittere, quamuis non habeat actum formalem diſtinctum, quo expreſſe velit ſe obligare, dummodo non habeat contrarium propoſitum non ſe obligandi, eo ipſo vult ſufficienter ſe obligare ſaltem virtualiter. Verum eſt tamen, quod in hoc exemplo illa voluntas non tantum virtualis, ſed etiam formalis eſſe videtur, quantum ad rem ipſam, quamuis non ita diſtincte, & expreſſe cõceptam, vt in ſuperioribus declaraui, & ideo maior eſt repugnantia inter voluntatem promittendi, & non ſe obligandi, quam inter voluntatem ſe obligandi, & non implendi. Et idcirco formalis volũtas non ſe obligãdi nõ ſtat cum valore voti: volũtas autem non implẽdi poteſt cum voto ſubſiſtere.

CAPVT V.

Vtrum voluntas, ſeu intentio vouendi debeat eſſe recta, ſeu ex honeſto motiuo, vt votum validum ſit.

Explicata voluntate neceſſaria, ac ſufficiente ad vouendum, oportet exponere conditiones, ſeu modos requiſitos in tali actu, vt ad effectum vouẽdi ſufficiat, inter quos primum locum habere videtur motiuum vouendi. Poteſt autem hoc motiuum 1. conſiderari, vel ex parte materiæ promiſſæ per votum, vel ex parte ipſius actus vouendi, ſeu volendi vouere. Prior conſideratio non ſpectat ad hunc locum, ſed ad librum ſequentem, vbi de materia Voti dicemus: nã motiuũ tenẽs ſe ex parte materię, pars eſt materię promiſſę per votum, vt ſiquis promittat

dare

Digitized by Google

dare centum virgini pauperi, vt nubat, vel Religionem ingrediatur, totus ille reſpectus, & ordo ad talem cauſam finalẽ obiectũ eſt, & materia promiſſionis. Hic ergo poſteriori modo loquimur, nã ipſamet voluntas vouendi, cum ſit quidam actus humanus, ex aliquo motiuo concipi debet: de hoc ergo, quale neceſſarium ſit, inueſtigamus.

2. *Aliquorum ſententia. Richard. Gabr.* Aliqui enim Theologi abſolute docent de ratione voti eſſe, vt propter bonum finem fiat, imo hoc ponunt in definitione Voti, vt Richard. in 4. d. 38. ar. 3. q. 2. in fine, & Supplemen. Gabriel q. 1. not. 2. Non tamen ſatis explicant, de quo fine loquantur, an materiæ, vel actionis vouendi, quamuis interdum videantur vtrumque ſenſum amplecti. *Caietan.* Caiet. autem d. q. 88. art. 2. diſtinguit inter applicationem ad vouendum, & votum ipſum. Et dicit primo, applicationem ad vouendum ex malo fine non obſtare, quominus votum validum ſit: ſic enim aliquis applicatur ad profitendam Religionẽ militarem, vt abundet diuitijs, & voluptatibus, nihilominus valida eſt profeſsio. Idemq́ eſt de ſuſcipiente ordines ex prauo fine, qui ex eodem applicatur ad vouendũ caſtitatem, quod validũ eſt. Et ratio eſt, quia ille finis applicationis non cadit in votum, & ita, licet applicatio ſit mala, votum eſt ſimpliciter bonum, ac proinde obligatorium, & validum.

3. Secundo dicit Caiet. votum factum ex prauo fine eſſe nullũ, ac ſubinde de neceſſitate voti eſſe, vt voluntas vouendi ſit ex honeſto motiuo. *Nauarr.* Idem ſequi videtur Nauar. c. 12. n. 30. vbi diſtinguit finem voti, & finem rei bonę promiſſæ per votum: & malum finem voti dicit ſufficere, vt votum non obliget: *Quia licet quod vouetur* (inquit) *bonum ſit, votum tamen de illo propter malum finem malũ eſt, & ita non eſt conueniens materia voti.* Poteſtque ſuaderi. Primo, quia tale votum non eſt acceptum Deo, *Dona enim impiorum non probat Altiſsimus*, Eccleſ. 34. *Eccle. 34.* Secundo, illd nõ eſt actus Religionis, quia non fit ex motiuo cultus Diuini, ſed ex aliquo prauo: ergo non eſt votum, quia votum eſt actus Religionis, vt infra videbimus. Tertio, quia ſi quis voueat Deo eleemoſynam dare, vel ieiunare, vt obtineat vindictam de inimico, vel turpem libidinem implere poſsit, tale votum eſſet deteſtabile, & nullius valoris, ſed id ſolum eſt propter turpe motiuum: ergo idem eſt quoties votum propter prauum finem emittitur.

4. *Excluditur Caietani diſtinctio.* Verumtamen Caietani diſtinctio, aut eadem eſt cum illa, quam in principio poſuimus de fine materiæ voti, & de fine ſolius actus promittendi, aut certe intelligi non poteſt. Quia in actu vouendi, quatenus conſideratur voluntas ſe obligandi, nõ diſtinguuntur hæc duo, applicare ſe ad vouendum, & velle vouere. Probatur, quia homo nõ ſe applicat ad vouendum, niſi volendo: non enim agimus de externorum membrorum, aut linguæ applicatione, ſed de interna, & humana applicatione, quæ fit per vſum actiuum voluntatis. Nam licet intellectus præcedat conſulendo, & iudicando, nõ applicat hominem ad vouendũ, niſi per conſenſum voluntatis: in ipſa autem voluntate applicatio ad volendũ non eſt aliquis actus diſtinctus ab ipſo velle, vt ex Philoſophia, & Theologia ſpeculatiua conſtat. Quia voluntas nõ ſe applicat niſi volendo: ergo velle vouere, & applicare ſe ad vouendũ idem ſunt: ergo idem eſt finis applicationis & voluntatis vouendi: ergo idẽ etiã eſt finis applicationis, & ipſius voti, prout eſt actus hominis. Probatur conſequentia, tũ quia, vt infra dicam, Votum in ſubſtantia ſua, & in actu interno non eſt res diſtincta à voluntate ſe obligãdi, quæ eſt voluntas efficax vouendi in actu exercito (vt ſic dicam.) Tum etiam quia licet promiſsio eſſet actus imperatus à voluntate vouendi, non haberet alium finẽ: nam in humana actione idem eſt finis actus eliciti à voluntate, & actus imperati per illam, quia ſunt vnus actus moraliter, & quia voluntas eſt, quæ præſtigit finem in actionibus aliarum potentiarum.

5. *Ad valorem Voti neceſſarium non eſt finis honeſtus.* Dico ergo ad valorem & obligationem Voti neceſſarium non eſſe vt promiſsio ipſa ex fine honeſto fiat, atque adeo validum eſſe Votum, quantumcumque fiat propter malum finem: dummodo materia Voti non promittatur, vt ordinata, vel ordinanda in talem finem. *Soto. Angles.* Hanc concluſionem docet Soto d. artic. 3. & alij ibi, Angles quæſt. de Voto, artic. 1. diff. 11. Can. 2. Et in re credo Caietanum & alios non aliud ſentire, quia illa applicatio ad vouendum, de qua Caietan. loquitur, re vera non eſt niſi voluntas vouendi, aut ſe obligandi: ſi ergo illa applicatio eſt propter malum finem, Votum, ſeu promiſsio eſt propter malum finem. Et Nauarr. aperte loquitur de fine, qui afficit materiam, & reddit illam non conuenientem ad Votum: ergo niſi finis redundet in ipſam materiam, licet reddat actum Voti peccaminoſum, non reddit nullum. Præterea hoc probat exemplum Caiet. de profeſsione Religionis facta ob turpem finem, qui finis non obſtat, quominus talis profeſsio valida ſit. At fieri poteſt, vt voluntas, per quam hic & nunc homo ſe applicat, & mouet ad profeſsionem emittendam, non oriatur ex alio fine: profeſsio autem non dicitur fieri propter aliquem finem, niſi in quantũ ſit à voluntate mota ab hoc, vel illo fine. Quod patet exemplo Baptiſmi: *Auguſt.* nam (vt ait Aug. lib. de Fide & Symbolo) interdum aliquis baptizatur ob motiua humana, & temporalia, quia propter talia motiua vult baptizari, & hoc ſatis eſt, vt non ſolum applicatio ad baptiſmum, ſed etiam ipſa baptiſmi ſuſceptio dicatur eſſe propter motiuum humanum. *Confirmatur reſolutio ab exẽplis.* Præterea conſtituamus aliquem hic, & nunc moueri ad promittendam publice eleemoſynam propter vanam gloriam, & populi æſtimationem, certe de illo veriſsime dicitur propter vanam gloriam id promiſiſſe: nemo tamen propterea dicet, illum non obligari tali promiſsione, quandoquidem eleemoſyna, quam promiſit, bona eſt, & nõ promiſit facere illa ex mala circumſtantia, cum qua illam promiſit. Aliud exemplum ſumi poteſt ex Henric. Quodlib. 8. quæſt. 23. vbi hanc clare tenet ſententiam: *Henr.* nam ſi quis (ait) diceret mulieri, permitte me fornicari tecum, etſi id feceris, voueo me ingreſſurum Religionem, ſtante conditione tenebitur ad Votum implendum, quia licet male vouerit, bene implere poteſt.

6. *Ratio à priori.* Ratio ergo à priori eſt, quia Votum non habet vim obligandi ex honeſtate indiuiduali (vt ſic dicam) quam de facto habere debet voluntas promittens, ſeu ſe obligans, ſed ſimpliciter ex deliberata voluntate ſe obligandi, dummodo materia ſit capax talis obligationis. In hoc enim æquiparantur promiſsio ad Deum, & ad hominem, vtraque enim in primis requirit materiam accommodatam obligationi reſpectu talis perſonæ: nam ſi quis promittat alteri id, quod illi malum eſt, & nociuum nihil facit, quia illa materia non eſt proportionata ad obligationem. Suppoſita vero capacitate materiæ, ſi accedat promiſsio cum voluntate ſe obligandi, per ſe loquendo, naſcitur obligatio. Neque obſtabat, quod talis voluntas concepta ſit ex hoc, vel illo fine, dummodo ratione illius finis qualitas, ſeu conditio materiæ non mutetur. Sic igitur etiam reſpectu Dei naſcitur obligatio ex ſimili voluntate, ſi materia ſit capax obligationis, & ob finem voluntatis non mutet conditionem, vel capacitatem ſuam. Et declaratur amplius, nam illa voluntas ſe obligandi, licet ex fine operantis mala ſit, ex intrinſeco obiecto, & materia bona eſt. Obligatio etiam, quæ ex illa naſci poteſt, bona eſt, quia non eſt ad operandum ex illo prauo fine, ſed ſimpliciter ad operandum id, quod honeſtum eſt: & acceptat Deus illam voluntatem, quantum ad id, quod in ea bonum eſt, & ex illa ſic accepta oritur Voti obligatio. Poteſt etiam hoc confirmari ex eo, quod in ſuperiori tract. lib. 2. de Iura-

mento promiſſorio diximus, licet illicite fiat vel ex fine, vel ex alia circumſtantia, ſi non ſit de re illicita, ſed licite impleri poſsit, validum eſſe, & obligationem inducere: idem ergo eſt de Voto, eſt enim eadem ratio ſeruata proportione. Vnde omnia ibi dicta poſſunt hic applicari.

7. *Diſtinctio inter promiſſionem bonam ex malo fine, & illius executionem.*

Tandem confirmatur, & declaratur in hunc modũ, quia aliud eſt promittere, aliud exequi promiſſionem: poteſt autem quis malo fine moueri ad promittendum, & non ad exequendum: poteſt ergo promiſsio eſſe mala ex fine operantis, & tamen executio eſſe bona, quia non oportet, vt fiat ex illo fine.

Inſtantia. Dices: Qui promittit aliquid facere ob malũ finem, eo ipſo promittit propter illum finem: ergo etiam è conuerſo, qui ex malo fine promittit aliquid facere, eo ipſo promittit id facere propter eundem finem: ergo promittit male facere, & conſequenter Votum eſt nullum.

Solutio. Reſpondetur negando conſequentiam, nam qui promittit aliquid facere ob malum finem, vt, verbi gratia, dare Petro enſem, vt occidat Paulum: prius intendit finem illum, & ex illo mouetur ad promittendum, & ordinandum in illum finem, non ſolum materiam promiſſam, ſed etiam promiſſionem ipſam. Nam illa promiſsio cadit non ſolũ in talem materiam, ſed etiam in ordinationem eius ad talem finẽ. vnde neceſſe eſt, vt ipſa promiſsio in eundem finẽ tendat, quia eſt veluti pars obiecti ſui. Non verò ita eſt è contrario, nam licet homo ex aliquo fine moueatur ad promittendum, non eſt neceſſe, vt eundem finem apponat materiæ Voti, ſeu executioni promiſsionis: quia illa actio eſt poſterior, & non neceſſario imperatur ab illo fine. Imo fieri poteſt, vt talis finis nihil ad illam conducat, vt poteſt quis ex affectu diuitiarum nunc promittere fieri clericum, & poſtea mutata voluntate ordinari recta intentione: nec enim per illam promiſsionem ſtatuit, aut promiſit intentionem illam. Et ita in diſtinctione ſupra data de duplici prauo fine, vel ex parte promiſſionis, vel ex parte materiæ, membra ita comparantur, & ita accipienda ſunt, vt primum præſcindat omnino à ſecundo: ſecundum autem non ſeparetur à primo, ſed illud neceſſario includat, vel ſupponat. Vnde loquendo de fine prauo, qui ſiſtit mouẽdo ad promiſsionem, & non extenditur ad materiã ipſam, procedit aſſertio poſita, quia licet tale Votum male fiat, obligare poteſt ad rem de ſe honeſtã, & quæ poteſt recte fieri: & ideo non eſt cur talis praua intentio reddat nullam talem promiſsionem, ſeu votum. Et ideo talis finis dici ſolet teneri ex parte vouentis, & non refundi in Deum, quod in idem redit.

8. *Soluuntur rationes contra vtram. ſententiam.*

Supereſt, vt reſpondeamus ad rationes alterius ſententiæ, quatenus huic reſolutioni obſtare poſſunt. Igitur quæ afferebantur in priori membro diſtinctionis datæ à Caietano noſtram confirmant ſententiam, ſolumque verbis differunt. Quod verò ibi in ratione dicitur, finem applicationis ad vouendum non cadere in Votum, & non obſtante malo fine applicationis Votum eſſe ſimpliciter bonum, ſi intelligantur de voto, vt hic, & nunc eſt actus vouentis, non ſunt vera, quia re vera ille actus, vt ſit à tali perſona, male ſit, & non habet meritum, nec valorem apud Deum, quia propter malum finem ſit. Si vero intelligãtur de Voto ſecundum ſe, & de bonitate illius ex genere, ſeu ex obiecto, ſic ſunt vera: & hoc ſatis eſt, vt tale Votum ſit validum. Poſſet etiam dici, aliud eſſe loqui de Voto, vt eſt quoddam vinculum obligans ad talem materiam, quæ poteſt honeſte fieri: aliud vero vt eſt quoddam opus talis hominis. Priori modo non attingitur ab illo fine, quia nõ obligat ad illum finem, & ideo obligatio eius bona eſt, & Votum ipſum in ratione vinculi moralis bonum eſt: nihilominus tamen Votum illud, vt eſt actio humana à tali homine propter talem finem facta, malum eſt moraliter, & à prauo fine inficitur, licet virtute obligandi non priuetur.

9. *Ad primã.*

Vnde ad rationes pro altero membrò, quæ magis videtur nobis repugnare, facile reſpõdetur. Ad primam reſpondent aliqui, finem Voti per ſe non eſſe honorare Deum ipſa promiſsione, ſed re promiſſa, quæ placet Deo, licet promiſsio nõ placeat. Verumtamen ex natura Voti non ita eſt, ſed ipſum Votum debet etiam fieri in honorem, cum ſit actus Religionis. Tamen in indiuiduo non ſemper ita ſit, non ſolum ex defectu finis, ſed etiam ex defectu aliarum circumſtantiarum, vt conſtat. Et tunc concedo, Deo non placere votum illud quatenus actus moralis eſt: placet autem quatenus eſt vinculum obligans de ſe ad bonum. Non placet etiam quoad modum: placet vero quoad ſubſtantiam, & obſeruantiam eius. Nouit enim Deus ſeparare pretioſum à vili, & licet impiorum dona, vt ab impietate ſunt, non probet, vtitur nihilominus eis ad bonum: ſicut non probat Deus conſecrationem factam ex prauo fine, quatenus inde mala eſt, probat autem illam quatenus conſecratio eſt. ita enim ſe habet votum ad modum cuiuſdam conſecrationis.

10. *Ad ſecundam.*

Similiter reſpondetur ad ſecundam, votum rei de ſe aptæ ad cultum Dei eſſe actum Religionis ex vi obiecti, & quoad ſubſtantiam ſuam, & nihilominus ex malitia operantis, & praua eius intentione fieri poſſe, vt non ſit actus à Religione elicitus. Interior enim actus voluntatis, etiamſi verſetur circa materiam alicuius virtutis, ſi non ſit proxime ob motiuum, & honeſtatem illius virtutis, ſed propter alium finem prauum, non eſt actus elicitus à virtute, neque eiuſdem ſubſtantiæ, & entitatis ſpecificæ, cum vero actu virtutis, vt ex Prima ſecundæ ſuppono. Votum autem vt habet valorem voti quoad veritatem promiſsionis, & obligationis inducendæ, non oportet, vt in indiuiduo ſit à voluntate elicita à virtute Religionis, ſed ſatis eſt, quod ipſa promiſsio, & obligatio ſecundum ſe conſiderata recte, & honeſte poſsit per Religionem appeti. Vt ergo in forma reſpondeatur, negatur prima conſequentia. cum vero in probatione dicitur, votum eſſe actum Religionis, diſtinguendum eſt, per ſe, & natura ſua, ac ſecluſo impedimento ex parte operantis, verum eſt: in indiuiduo autem non eſt ſemper id neceſſarium, ſed ſufficit voluntas promittendi, etiamſi ex alio fine à Religione alieno moueatur. Vnde cum etiam dicitur, obligationem voti non oriri, niſi ex voto, per votum non intelligitur ſolum illud, quod à Religione elicitur, ſed omnis promiſsio Deo facta, quæ quantum eſt ex capacitate materiæ, poſſet & deberet à Religione elici, & talis eſt promiſsio, de qua agimus, etiamſi in indiuiduo fiat ex prauo fine operantis.

11. *Ad tertiam.*

Ad tertiam conceditur antecedens per ſe, ac formaliter intellectum de re turpi obtinenda à Deo, quatenus talis eſt, vel de poſtulando à Deo aliquo concurſu ad rem talem obtinendam eius bonitati minime conuenientem: nam votum propter hunc finem factum ſine dubio nullum eſt, vt infra videbimus. Tunc autem ille finis non eſt tantũ finis promiſsionis, ſed etiã materiæ promiſſæ: nam illa etiam ad illum finem ordinatur, & propter illum finem facienda promittitur, vt etiam Caietan. aduertit. Inde autem non ſequitur idem dicendũ eſſe, quoties finis prauus ita apponitur ſoli promiſsioni, vt in materiã non redundet, propter rationem iam dictam.

Capvt VI.

Vtrum ſit de ratione voti, vt voluntas promittendi, ſeu obligandi perfecte voluntaria, ac libera ſit?

1\. Explicato modo huius volũtatis ex parte obiecti, incipimus exponere modũ neceſſariũ ex parte potentiæ, ſeu voluntatis: hic autẽ modus, in ratione volun-

Digitized by Google

voluntarij, ſeu liberi conſiſtit. Nā licet hæc duo diſtinguantur inter ſe aliquo modo, vt ex 1.2.q.6. ſuppono, tamen in præſenti adeo ſunt coniuncta, vt non poſsit vnum ſine alio explicari. Dicemus ergo de libertate neceſſaria in huiuſmodi actu voluntatis, & quantam deliberationem requirat, vt rationē, & effectum voti habeat, & inde conſtabit quam voluntarius eſſe debeat. Solet autē diſtingui triplex libertas ab obligatione, à neceſsitate, à metu. & à coactione. Prima parum refert ad præſentē diſputationem, ſolum enim conſiſtit in carentia, vel negatione præcepti ad votum emittendum, quæ licet in voto regulariter, ac per ſe loquendo inueniatur, nō eſt conditio eſſentialis, nec per ſe pertinens ad rationem actus humani, vt per ſe conſtat.

De hac ergo libertate duo breuiter dicemus. Vnum eſt, votum ordinarie, ac ex natura rei loquēdo, eſſe actum ab obligatione liberum, quoad promiſſionem ipſam. Duo enim in Voto diſtinguere neceſſe eſt, ſcilicet promittere, & reddere: quæ Pſal. 75. diſtinxit Dauid dicens, *Vouete, & reddite*. Nam primum eſt liberalis voluntatis, ſecundum neceſsitatis. Vnde *August.* Auguſt. ibi. *Quiſque quod vouere voluerit, voueat: illud attendat, vt quod vouerit, reddat*. Et hoc magis explicatur *Deut. 23.* Deut. 23. *Si nolueris polliceri, abſque peccato eris, quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Igitur votum quoad ipſam promiſsionem actus eſt ab oligatione liber, nam ſi nō fiat, non peccatur, & hac ratione dicitur fieri propria, id eſt, liberali voluntate. *Eccleſ. 5.* Et ideo dicitur Eccleſiaſt. 5. *Melius eſt non vouere, quam poſt Votum promiſſa non reddere.* *Olympio.* Vbi Olympiod. tom. 1. Bibliot. intelligit, dici *melius* non vouere, id eſt, minus malum intelligens eſſe aliquod malum non vouere, *Quia malum eſt* (inquit) *ac deteſtabile ſi nihil vnquam velis Deo tribuere.* Sed per exaggerationem hoc dictum videtur, contra illos, qui nihil ſupererogationis propter Deum agere ſtudent, in rigore tamen non vouere non eſt malum, quia contra præceptum non eſt. Nihilominus tamen expoſitio in ſe non diſplicet, vt non vouere dicatur melius, non poſitiue, ſed negatiue, tum quia non comparatur ad aliud bonum, ſed ad malū non ſeruandi promiſſum: tum etiam quia non vouere ex ſe non eſt bonum, ſed indifferens, ergo nec dici poteſt poſitiue melius, ſed negatiue, quia eſt carentia mali, licet etiam ſit carentia boni, & in hoc ſenſu dicj poteſt minus malum, licet non ſit proprie malum, neque bonum. Ergo è conuerſo Votum ita eſt bonum, vt ſupererogationis, ac liberalitatis ſit, non neceſsitatis. Atque de hac libertate locutus eſt *Innocent. 3.* Innocent. III. in capit. *Licet*, de Voto, cum dixit, *Licet vniuerſis liberum ſit arbitrium in vouendo, tamen ſolutio neceſſaria eſt poſt votum, &c.* Ratio autem huius proprietatis eſt, quia Votum ordinarie, ac per ſe fit de rebus, quæ non ſunt in præcepto: vnde ſi illa facere non eſt obligationis, neque etiam illam eſt promittere. Et licet interdum voueri poſsint, quæ aliàs ſunt præcepta, vt poſtea videbimus, non tamen vouentur, vt præcepta ſunt, ſed vt illis poteſt addi ſpontanea obligatio, & ideo etiam talia vota ſine obligatione fiunt. Denique hac ratione votum dicitur lex quædam priuata, quam homo ſibi imponit ſua voluntate, cum aliàs non obligaretur.

3\. *Immunitas, ſeu libertas, ab obligatione non eſt de eſſentia Voti.*

Nihilominus vero addo, hanc libertatem, ſeu immunitatem ab obligatione non eſſe de intrinſeca ratione voti. Primo, quia licet lex naturalis ad vouendum non obliget, neque de facto id Deus iuſſerit, nihil repugnat Deum lege poſitiua id præcipere, ſi velit: quæ enim contradictio aut repugnantia afferri poteſt? Secundo, quia homo ipſe poteſt ſe vno voto obligare ad faciendum aliud, vt vouendo ſuſcipere ordinem ſacrum, vouet quis in virtute vouere caſtitatem, & per votum Religionis promittit quis profiteri, ac emittere tria vota Religionis, & ſic poſterius votum iā fit ex obligatione. Tertio licet ex ſola Religione talis obligatio non oriatur, interdum poteſt votum eſſe neceſſarium ex charitate, vel alia virtute, vt ſi quis in neceſsitate Eccleſiæ, vel ex obedientia Papæ obligetur ordines ſacros ſuſcipere, conſequēter obligatur ad vouendum caſtitatem. Item ſupra dicebamus, ex priori fictione voti cū extrema profeſsione poſſe interdum oriri obligationem ad votum faciendum: quando non poteſt aliter ſcandalum tolli, aut iniuria reparari: non eſt ergo contra rationem voti, vt ex obligatione fiat. *Ratio à priori.* Quarto eſt ratio à priori, quia licet attenta materia, & nuda natura voti, non includat obligationem, non repugnat aliunde ei adiungi, quia nō obſtante priori obligatione actus ipſe vouendi erit ſimpliciter humanus, & voluntarius, ac ſubinde ſufficiens ad nouam obligationem inducendam, ſæpe enim vna obligatio poteſt oriri ex alia. Item promiſsio, quæ alteri homini fit, licet ordinarie fiat liberaliter, ſæpe fieri poteſt ex alia obligatione priori. Ac denique licet lex imponatur ad obligandū, ſuperior ipſe poteſt obligari ad legem imponendam: ſic ergo licet votum ſit quaſi lex propria voluntate poſita, poterit talis lex ex alia obligatione proficiſci. Atq; hæc ſufficiunt de libertate, in qua nulla alia occurrit difficultas.

4\. *De intrinſeca ratione Voti eſſe, vt ſit actus liber libertate morali.* *D. Thom. Palud. Maior. Richard. Gab. Nauarr. Anton. Ioan. And. Gloſ. Felin. Præcipua ratio.*

De libertate autem à neceſsitate, quæ dicitur libertas indifferentiæ, dicendum in primis eſt, de intrinſeca ratione, & eſſentia voti eſſe, vt ſit actus ſimpliciter liber ea ſaltem libertate, quæ ad peccandum mortaliter ſufficeret. Hæc eſt communis doctrina, quam ad minimum intendit D. Thom. d. art. 1. cum dicit, ad votum requiri deliberationem. & idem ſequuntur Caiet. & alij Theologi in 4. d. 38 præſertim Palud. Maior. Richard & Supplem. Gabrielis. Item Summiſtæ, & Nauarrus cap. 12. num. 24. & 26. & cap. 18. num. 7. Anton. 2. part. tit. 11. capit 2. Ioann. Andr. & alij Canon. in capit. *Dudum*, de Conuerſion. coniugat. cum Gloſſa ibi verbo *Calore iracundiæ*, Felin. & alij in cap. *Sicut ex litteris*, de iureiurando. Ratio autem eſt, quia votum debet eſſe actus ſimpliciter humanus, non eſt autem huiuſmodi, niſi habeat ſaltem prædictam libertatem, vt per ſe conſtat. Maior probatur, tum quia votum eſt veluti quidam contractus, ſeu pactum inter hominem, & Deum: tum etiam quia per votum imponit ſibi homo grauiſsimam obligationem, quam ſi poſtea tranſgrediatur, peccabit mortaliter: ergo neceſſe eſt, vt in aſſumenda obligatione, vtatur tanta libertatē, quanta ad mortaliter peccandum ſufficeret. Et confirmatur; quia hæc obligatio moralis eſt, ergo ex actu morali naſci debet: naſcitur autem ex proprio actu, & non ex ſola lege extrinſeca ſuperioris: ergo naſci debet ex proprio actu morali, & conſequenter ſufficienter libero.

5\. *Voluntas indeliberata non ſufficit ad Votum.* *Diſtinctio Theologorū de triplici motu Voluntatis.*

Secundo hinc inferunt omnes, ſi voluntas obligandi ſe Deo indeliberata ſit, & ex ſurreptione, non ſufficere ad valorem voti. Ita docent allegati Authores. Et declaratur breuiter ſuppoſita vulgari diſtinctione Theologorum de triplici motu voluntatis, vnum vocant primo primum, quia in illo rapitur voluntas ex ſubita propoſitione alicuius obiecti, vt ſine vlla libertate cum abſoluta neceſsitate feratur: in quo proinde nulla eſt culpa etiam venialis, & ita de hoc certiſsimum eſt, nullam voti obligationem inducere. Alium vocant ſecundo primū, quia minus eſt neceſſarius, quam præcedens, nam abſolute poteſt voluntas illum cohibere: eſt tamen cum imperfectiſsima aduertentia intellectus, & ſine pleno dominio voluntatis, & ideo ad peccandum mortaliter non ſufficit, licet ad veniale ſufficiat.

6\. De ſimili ergo voluntate vouendi, aut ſe obligandi certum etiam eſt, non ſufficere ad votum (vt ita dicam) conſummatum quod grauiter obliget, vt ex dictis patet. Dubitari autem poteſt, An ſufficiat ad aliquale votū, quod ſub veniali obliget? In hoc enim

Digitized by Google

Gutier. obſcure loquitur Gutierr.lib.2.Canon.quæſtionum cap.22.num.5. ait enim, motum primo primum non ſufficere ad votum, ſed neceſſarium eſſe motum ſecundo primum, in quo ſola eſſe poteſt venialis culpa. Et in num.8. & 9 ſolum excludit motum primo primum, & in fine n.9. ait cum Angles, quem refert, non deſiderari maiorem libertatem ad promittendum, quam ad obſeruandum promiſſum. Vnde ſumi poteſt argumentum. Nam ad violandum votum per peccatũ veniale ſufficit motus ſecundo primus: ergo ad faciendum votum obligans ſaltem ſub veniali ſimilis libertas ſufficiet.

7. *Libertas imperfecta quæ eſt in motu ſecundo primo, non ſufficit ad votum.*

Nihilominus dicendum eſt ſolam libertatem imperfectam, quæ eſt in motu ſecundo primo, non ſufficere ad aliquem valorem voti, nec ad aliquam obligationem etiam ſub veniali. Ita ſentiunt Auctores citati, cum quibus etiã ſentit Gutier. n.7. Ratio reddi poteſt, quia obligatio ſub culpa veniali eſt res grauis, ergo non poteſt illam homo ſibi imponere ſine deliberatione ſufficiente ad actum ſimpliciter humanum, & liberum. Item quia lex obligans ad culpam venialem non poteſt imponi ſine maturo, & deliberato conſilio: ergo nec votum, quod eſt veluti priuata lex poteſt aliter obligare. Vel maxime, quod quãtitas obligationis pendet ex materia, in quã votum, vel lex cadit, & ideo ſi ex illo actu oriretur obligatio, eſſet iuxta totam capacitatẽ materiæ: præſertim ſi per directam intentionem non limitaretur ad leuem obligationem. Denique non eſt eadem ratio de tranſgreſsione veniali voti, & inductione obligationis, quia licet culpa venialis propter ſuam imperfectionem committi poſſit per illam imperfectam libertatem, obligari ad opus aliàs liberum, ſub quacumque culpa etiam veniali requirit perfectam libertatem, quia illud ipſum eſt res ſatis grauis, & maxime moralis, pertinetque ad perfectum vſum liberum actionum humanarum. Facit etiam, quod votum ex genere ſuo, & quantum ex ſe eſt actus virtutis, & Diuini cultus, & ideo ex hoc capite requirit etiam libertatem maiorem, quam ad veniale lapſum ex ſurreptione ſufficiat. Relinquitur ergo, vt omne votum quomodocumque obligans eſſe debeat ſimpliciter liberum, morale, & humanum.

8. *An ſaltē de potentia abſoluta poſſit eſſe validum votum abſque libertate indifferentiæ.*

Dubitabit vero aliquis, an ſaltem de potentia abſoluta poſsit eſſe verum, & validum votum abſque hac libertate indifferentiæ. Verbi gratia, ſi Deus neceſsitaret voluntatem, vt cum perfecta aduertentia intellectus, & iudicij, ex neceſsitate quoad ſpecificationem, & exercitium vellet promittere, & ſe obligare ad caſtitatem ſeruandam, an in eo caſu verum ſit votum, ita vt ex illo oriatur obligatio? Videtur enim ita eſſe aſſerendum: quia ille actus licet non ſit liber ob extrinſecam motionẽ, nihilominus intrinſece eſt perfecte rationalis, & perfecte voluntarius, quia fit cum perfecta aduertentia rationis, vt ſupponitur: ergo hoc ſatis eſt, vt ex tali voluntate oriatur obligatio. Aliàs Deus fruſtra moueret hominem illo modo ad talem actum, quia licet homo maxime velit, non poteſt ſe obligare volendo illo modo, ſcilicet abſque libertate.

9. *Reſolutio dubij pro parte negatiua.*

Nihilominus cenſeo, adeo eſſe conditionẽ hanc eſſentialem voto, vt non poſsit abſque illa votum eſſe validum in ratione promiſsionis ſufficientis ad obligationem inducendam. Ratio eſt, quia licet ille actus voluntatis ex parte rationis habeat obiectum ſufficienti modo propoſitum, & quoad entitatem, & bonitatem ſit in eadem ſpecie actus cum actu libero, nihilominus ſimpliciter non eſt actus moralis, ex actu autem morali non poteſt moralis obligatio oriri. Item in eo caſu homo non ſe mouet per illum actum, ſed mouetur, & neceſsitatur à Deo: ergo neque ſeipſum obligat: nã ſe obligare eſt moraliter ſe mouere, & ad aliud ordinare. Item impoſsibile eſt hominem illo modo peccare, aut mereri: ergo & ſe obligare. In illo igitur caſu poterit Deus, ſi velit obligationem imponere, ſicut imponit neceſsitatem: non tamen poterit facere, vt homo ipſe ſe obliget per talem actum, quia hoc inuoluit repugnantiam. Et ideo nunquam Deus inferet talem neceſsitatem ad huiuſmodi actum volendi ſe obligare, propter moralem ſuperfluitatem, & quaſi otioſitatem, quamuis alioqui phyſicam contradictionem non inuoluat. Conſequenter autem interrogandum ſtatim occurrit, an minor neceſsitas, quæ libertatem non omnino tollat, voto repugnet, ſcilicet neceſsitas metus, vel violentiæ humanæ, cui opponitur tertia libertas initio poſita, quam à coactione, & metu appellauimus, de qua in capite ſequenti dicemus.

CAPVT VII.

Vtrum libertas à coactione, & metu ex natura rei ſit neceſſaria ad valorem voti, vel è conuerſo, an metus irritet votum iure naturæ?

SVpponimus ex D.Thom.1.2.q.6.propoſitum voluntatis nunquam eſſe poſſe omnino coactum, quia voluntati quoad actum elicitum nõ poteſt violentia inferri, quia talis actus per ſeipſum, & intrinſece voluntarius eſt: quod autem eſt voluntarium, non eſt ſimpliciter, & abſolute coactum. In hoc ergo ſenſu manifeſtum eſt, propoſitum neceſſarium ad votum non poſſe eſſe ſimpliciter coactum, quia eſt actus elicitus à voluntate, & abſolutus, qualis explicatur hac voce *volo*, qui per ſe, & intrinſece voluntarius eſt. Imo licet non cum tanto rigore de coactione loquamur, ſed prout dicit, neceſsitatem ineuitabilem, certum eſt, per humanam coactionem non induci talem neceſsitatem in actu elicito voluntatis, de quo loquimur, etiamſi ad exteriores nolens interdum cogatur, vt ſentit Innocent.III. in cap. *Sacris*, de Iis, quæ vi, & in c. *Maiores*, §. *Itẽ quæritur*, de Baptiſmo. Difficultas ergo ſolum eſt de coactione quadã morali, quæ homini fieri ſolet per inflictionem alicuius mali, vel comminationem eius, vt illius vitandi cauſa ad vouendum inducatur: hæc enim vis, vel potius metus, licet non tollat omnino voluntarium, minuit tamen, quia homo ratione illius vult, quod aliàs nollet, ſi liber eſſet à tali metu. Ideoque dubitatur, an hæc diminutio voluntarij impediat votum, ita vt de ratione eius ſit libertas etiam ab huiuſmodi coactione, quod hic tractamus ex natura rei tantum, ſeu ſtando in ſolo naturali iure, aut Diuino, in ſequenti vero capite dicemus de Iure Eccleſiaſtico. 1. *D. Thom.* *Innoc. 3.* *In quo conſiſtat ſenſus quæſtionis, & de qua coactione hic agendũ.*

Vt ergo certa ab incertis ſeparemus, ſuppono metum interdum oriri ex imminentia mali prouenientis ex naturalibus cauſis, vt ex graui morbo, ex naufragij periculo, & ſimilibus: interdum vero ex hominis actione violenta, quæ interdum poteſt eſſe iuſta, interdum iniurioſa. Ac denique aliquãdo poteſt metus immitti directe ad extorquendum votum, vt ſi mater minetur filiæ grauem vexationem, niſi voueat caſtitatem, aut Religionem: aliquãdo vero metus eſt occaſio voti, licet directe non fiat ad illum finem, vt ſi inimicus minetur alicui mortem in vindictam, & inde alter moueatur ad votum faciendum, vt ab illo periculo Diuina ope liberetur. 2. *Ex quibus cauſis oriatur metus.*

Primo ergo certum eſt, votum factum ex quocumque metu prouenientẽ à cauſis naturalibus, etiamſi grauiſsimus ſit, non obſtare, quominus votum illa occaſione factum validum ſit, & obliget: eſt res certa, & communis. Ratio eſt, quia metus non tollit libertatem ſimpliciter, nec voluntatem, ſeu voluntarium: ergo non obſtante metu, homo per talem voluntatem obligatur Deo. Antecedens conſtat ex D. Thom. 1.2.q.6.art.6.& ex Ariſtot.lib.3. Ethic. cap. 1. Et ratio 3. *Votũ factũ ex quocumque metu proueniente à cauſis naturalibus validitatem Voti non impedit.* *D. Thom.* *Ariſtot.*

Digitized by Google

Et ratio eſt, quia ille dicitur ſimpliciter, & abſolute velle, qui actu abſoluto & efficaci aliquid eligit hic, & nunc, vt illud ſua voluntate faciat, etiamſi ſimul habeat ſimplicem diſplicentiam, qua nollet id facere, ſi abſque illo incommodo poſſet: ita vero ſe habet, qui ex timore alicuius mali vult vouere, eligit enim hic, & nunc hoc medium tanquam ſibi conueniens, vel neceſſarium ad finem vitandi malum. Hoc autem nihil impedit ad valorem voti, quia neque intentio illius finis reddit materiam illius voti malam, vt per ſe notum eſt, neque etiam excludit, quin illa electio ſit per actum prouenientem ab intrinſeco appetitu cum perfecta cognitione, & iudicio omnium circumſtantiarum occurrentium: in quo conſiſtit, actum illum eſſe ſimpliciter voluntarium: vnde conſtituit hominem ſimpliciter & abſolute volentem, nam voluntas coacta, voluntas eſt,

L. Si mulier. leg. *Si mulier* §. penult. ff. Quod metus cauſa, cum alijs ſupra de Iuramento adductis. Eſt denique actus ille liber, quia non obſtante metu, poſſet non fieri. Vnde confirmatur: nam ſi actus eſſet de ſe malus, libertas illa ad peccandum mortaliter ſufficeret: ergo & voluntas metu extorta ſufficit ad obligandum Deo per votum: nam eadem eſt vtrobique ratio,

August. quam de peccatis attingit Auguſt. in cap. *Merito*, 15. q. 1. & q. 24. in Numer. dicēs, peccata per metum commiſſa non eſſe peccata nolentium, ſed volentium, quia licet ſic peccans aliàs nollet peccare, quia peccatum ſecundum ſe ac ſimpliciter ſpectatum illi diſplicet, tamen hic, & nunc libere vult peccatum, vt medium vtile ad vitandum malum, quod metu imminet. Hæc autem ratio æque de voto procedit, nam voluntas, quæ ſufficit ad obligandum hominē diabolo, ſufficiet ad obligandum Deo.

4. *Inſtantia.* Dices, non eſſe ſimilem rationem, quia Deus nullo modo offendi vult ab homine, nec voluntate omnino ſpontanea, neq; illo modo coacta, quia merito vult offenſionem ſuam maiori odio haberi, quàm quodlibet aliud malum, & ita abominatur quodcumq; peccatum etiam illo modo coactum. Secus autem videtur eſſe in obſequijs, inter quæ votum computatur: vult enim Deus obſequia ſpontanea, non autem coacta, & ideo licet homo velit ſe obligare coactus tantū ex metu, Deus non acceptat illud obſequium, & ex hac parte obligatio irrita manet.

5. *Solutio.* Reſpondetur, in primis falſum eſſe, Deum generatim, & in vniuerſum non velle acceptare obſequia metu facta: quin potius communis modus trahendi homines ad obſequium ſuum eſt, terrendo illos, &

Conc. Trid. incutiendo timorem, vt docuit Concil. Tridentin. in ſeſsio. 6. ca. 6. & ſeſſ. 14 cap. 4. & in materia de Pœnitentia latius declarauimus. Deus enim gubernat homines modo accommodato naturæ illorum: eſt autem hæc hominis conditio, vt nūc metu, nunc vero amore ad bonum agendum inducatur: & ideo vtraque obſequia Deus acceptat, quia vtraque bona ſunt, licet vnū ſit melius alio. Quod in præſenti materia conſtat euidentibus exemplis, & quotidiana experientia: nihil enim frequētius eſt. quam in naufragijs, & infirmitatibus, aliiſque mortis periculis vota emittere ex deſiderio euadendi mortem, eiuſque timore. Sicque Iſraelitæ victi à Chananæis voto

Pſal. 65. ſe obligarunt Numer. 21. & Dauid ait Pſal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea*: & ſubiungit: *Et locutum eſt os meum in tribulatione mea.* Ergo licet talia vota ſint quodam modo coacta, valida ſunt, & Deo accepta. Et ratio eſt optima, quia licet reſpectu cauſarum ſecundarum huiuſmodi pericula, & metus illorum naturali quodam curſu eueniant: nihilominus reſpectu Diuinæ prouidentiæ fiunt ſæpe ſpeciali ordinatione & intentione mutandi voluntatem hominis, & obtinendi ab illo aut votum, aut aliquam aliam operationem bonam, & voluntatis conſenſum in illam. Quia finis iſte bonus eſt, & medium etiam eſt vtile: & accommodatum conditioni hominis, & Deus vt ſupremus gubernator, & Dominus habet ius vtendi illo. Sic ergo per tribulationes & pericula induxit homines ad vota emittenda: ſunt ergo talia vota valida, nō obſtante metu. Et hic eſt communis ſenſus Eccleſiæ, & ſumitur ex c. *Cap. Sicut.*

Sicut 1. & 2. de Regul. & cap. *Litteraturam*, de Voto: *Cap. Litteraturam.*

quibus locis id notant Scribentes.

6. *Cap. Conſaldus.* Obiici vero poteſt cap. *Gonſaldus* 17. quæſt. 2 de quo ibi refertur, in infirmitate feruore paſsionis preſſum, monachum ſe fieri promiſiſſe, non tamen ſe tradidiſſe Abbati, aut monaſterio, nec promiſsionem ſcripſiſſe, ſed beneficium, quod habebat, renunciaſſe: & tamen reſpondet Pontifex, illi eſſe beneficium reſtituendum, vt quiete illud retineat, eoque fruatur. Sentit ergo, promiſsionem metu mortis factam nullam fuiſſe, alioquin non eſſet ille Gonſaldus libere permittendus in ſæculo permanere cum beneficio ſæculari.

7. *Expenditur noſ[?] ultra præ[?] ſententiæ capitis.* Reſpondetur, Pontificem in eo textu tantum docere, illum per talem actum non fuiſſe factum Religioſum, quod non fundat in metu, ſed quia non egerat probationis annum, neque aliquem actum, quo oſtenderet profeſsionem emittere, renunciādo anno probationis, quod tunc fieri oportebat. Vnde per argumentū à contrario, potius textus ille probat aſſertionem poſitam: ſupponitur enim ibi, futuram fuiſſe profeſsionem validam, non obſtante metu mortis, ſi cætera neceſſaria cōcurriſſent. De promiſſione autem ſeu Voto ſimplici nihil dixit Pontifex, non quia per ſe non obligat, ſed quia nō reddit perſonam incapacem beneficij, de quo ibi agebatur. Vt autem ſupra dicebam (quod etiam hic confirmatur) quando ſimplex promiſsio Religionis non prodit in aliquem exteriorem actū, à quo fiat proteſtatio talis Voti, & aſſumatur, vel inchoetur aliquo modo ille ſtatus, non cogitur quis in foro exteriori Votum illud ſeruare, ſed conſcientiæ ſuæ relinquitur. Eo vel maxime, quod ibi non conſtiterat Pontifici, Votum illud fuiſſe validum, quia non ſolum dicitur fuiſſe factum in infirmitate, ſed etiam in feruore paſſionis, quæ poterat eſſe tanta, vt iudicium rationis alienaret: & ideo Pontifex de illo Voto nihil dixit, ſed reliquit conſcientiæ vouentis. Præſertim cum de illo non fuiſſet interrogatus, ſed de beneficio, quod non amittitur propter tale Votum: nec fortaſſe renūciatio, quæ ibi narratur, valida fuerat, quia non in manu Epiſcopi, ſed aduocati, & ordine perturbato fuiſſe refertur.

8. *Licet metus proueniat ex actione hominis iniurioſa, ſi tamen non fiat directe ad extorquendum Votum non obſtat eius valori.* Dico ſecundo, etiamſi metus proueniat ex actione hominis iniurioſa, ſi nō directe ſit ad extorquendum Votum, non obſtat valori Voti ea occaſione facti. Hæc etiam aſſertio eſt certa, & communis. Sumitur ex loco Numer. 21. citato, & ex vſu Chriſtianorum omnium, qui in bello cū Turcis, verbi gratia, vel in diuturna captiuitate Votum emittunt, ex metu, vel tædio tanti mali, quod iniuſte patiuntur: & nihilominus ſine dubio talia Vota valida ſunt. Ratio eſt eadem, quæ in ſuperioribus data eſt, nam hic nihil occurrit ſpeciale, quod poſsit annullare Votum: nam quod cauſa proxima talis metus libera ſit, & per iniuriam malum illud inferat, nihil refert ad validitatem voti tollendam. Maxime quia Deus nec eſt Author talis iniuriæ, quatenus talis eſt, neque acceptando votum occaſione illius factum, facit iniuriam, ſed potius vtitur iure ſuo, vt ex ſequenti puncto magis patebit.

9. *1. Sententia.* Difficultas ergo ſupereſt, quando metus directe immittitur ad extorquendum votum. In qua prima ſententia eſt, votum ſic factum eſſe nullum iure naturæ. Ita videtur ſentire Bonauent. in 3. d. 36. artic. 3. *Bonau.*

quæſt. 2. ad 1. tum quia in hoc ponit differentiam inter iuramentum, & votum, quod iuramentum metu factum obligat in conſcientia, non autem votum: tum etiam quia id fundat in ratione naturali, quod Deus non acceptat ſacrificia coacta. Clarius, & la-

Soto. tius hoc docet Soto libr. 7. de Iuſt. quæſt. 2. articulo
Gloſ. 1. ad 2. Idem ſentit Gloſſa in cap. 1. & in cap. *Abbas*,
Panorm. de His, quæ vi, vbi Panormitan. num. 11. qui videtur
loqui etiam de iure naturali, nam vtitur fere ratio-
ne Bonauent. Idem fere habet in cap. *Sicut nobis*, de
Angel. Regular. num. 4. ſequitur Angel. verb. *Metus*, num.
Roſel. 7. & 8. & ibi Roſell. Idem ſentit Nauarr. cap. 12. num.
Nauarr. 54. & 52. licet ſolum dicat, votum metu factum eſſe
nullum de Iure, citat Fortunium de Vltimo fine, il-
lat. 21. num. 418. Nec clarius loquitur idem Nauar-
rus lib. 1. Conſil. conſil. 2. 3. & 4. vbi eandem ſenten-
tiam indicat, & dicit, eſſe communem. Pro hac ſen-
tentia adducuntur varia Iura. quæ magis videntur
poſſe facere ad ſecundum ſenſum propoſitum, & id-
eo infra examinabuntur.

10\. *Ratio præcipua.* Ratione igitur tantum agendum eſt. Prima &
præcipua eſt ſupra inſinuata, quia Deus non acceptat
tale votum, quia non vult ſacrificia coacta, & quia
non acceptat, niſi quod eſt bonum: nihil autem eſt
bonum, & acceptum Deo, niſi voluntarium, iuxta
Amb. ſententiam Ambroſij in cap. *Non eſt quod*, 15. q. 1. Se-
cundo argumentatur Soto, quia voti obligatio ab
arbitrio vouentis ortum habet: ergo naturale eſt, vt
ſi voluntas neceſſitate compellitur, votum non ſit
legitimum. Confirmatur, quia votum eſt opus con-
ſilij, cui metus, viſque repugnant. Tertio argumen-
tari poſſumus à ſimili de matrimonio, quod metu
graui contractum cenſetur à multis iure ipſo naturæ
D. Thom. inualidum, vt videre licet in Diuo Thoma, Scot. &
Scot. al ijs in 4. d. 29. & latiſſime in Sancio lib. 4 de Matrim.
Sanc. per totum: videtur autem eſſe eadem ratio de vo-
to: ergo. Quarto argumẽtari poſſumus, quia votum
non obligat ad ſui obſeruationem imminente metu
mortis: ergo nec obligat factum ex tali metu. Con-
ſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens au-
tem probatur, quia votum non obligat ad ſui obſer-
uationem cum tanto rigore. Quinto argumentor,
Quia ſemper infertur iniuria ad extorquendum vo-
tum: nemo autẽ obligari debet ex iniuria, quam paſ-
ſus eſt, nam ſicut inferenti iniuriam vel fraudẽ, non
debet iniuria aut fraus patrocinari, ita ei, qui iniuriã
patitur, non debet iniuria nocere, aut eſſe cauſa, vel
fundamentum obligationis. Nec Deus talem pro-
miſſionem per iniuriam extortam acceptat, ne illam
approbare videatur: vnde nec inter homines poteſt
talis promiſſio rationabiliter acceptari.

11\. Sexto, quia in eo caſu multo magis eſt votum in-
voluntarium, quam in ſuperioribus: nam in illis li-
cet votum videatur emiſſum ex timore mali, quod
homo vitare cupit: tamen ſuppoſito illo timore, vo-
tum non ſolum eſt ſimpliciter, ſed etiam omnino
voluntarium, ſine admixtione alicuius inuolunta-
rij, per aliquam nolitionem vel ſimplicẽ diſplicen-
tiam. Nam qui in naufragio, vel alio ſimili mortis
periculo, etiam prouenient e ex actione hominis, a-
lia de cauſa mortem inferre volentis, promittit ali-
quid Deo, vt ſe à tali periculo eripiat, nõ habet hunc
actum, *Nollem vouere*, neque hunc, *Si non eſſem in hoc
periculo non vouerem*: cum enim intendat placare
Deum, potius conatur hic, & nunc facere votum eo
modo, quo Deo placet. Et ideo fieri non poteſt, vt il-
lum actum audeat habere, ſpontaneæ promiſſioni
multum repugnantem, & oſtendẽtem, votum illud
procedere ex timore pure ſeruili: eſt ergo illud vo-
tum in ſe omnino voluntarium, quamuis occaſio e-
mittendi illud ſit inuoluntaria. At vero in hoc vlti-
mo caſu votum illud eſt mixtum formali inuolun-
tario: nam re vera ille homo nollet votum emittere,
& per formalem affectũ ſolet id explicare, quia per
votum illud non intendit placare Deum, ſed ſolum
ſatisfacere voluntati hominis comminantis mortẽ,
niſi votum emittat: & ideo ſolum id facit, quia ad
hunc finem neceſſarium eſt, miſcetq; de inuolunta-
rio, quantum poteſt. Ergo non videtur tale votum
fieri cum voluntate ad obligandum ſufficiente.

Nihilominus verius eſt, etiam in eo caſu validum 12.
eſſe votum ſtando præciſe in Iure naturali, aut Diui- *Secunda ſententia. Validũ*
no. Ita tenet Syluest. verb. *Metus*, q. 8. Soto in 4. d. 29. *eſſe votum*
q. 1. art. 3. vbi idem ſentit de matrimonio, & conſe- *per metum*
quenter etiam de Voto. Vnde pro eadem conclu- *grauẽ emiſ-*
ſione referri poſſunt omnes, qui de matrimonio idẽ *ſum, ſtando*
ſentiunt, qui videri poſſunt in Sancio, d. lib. 4. diſp. *præciſè in*
14. nu. 2. in fine, & præterea de Voto id explicat Ara- *iure natu-*
gon. q. 88. art. 3. Henr. de Matrim. lib. 1. c. 9. num. 1. & *rali aut Di-*
3. Med. 1. 2 q. 6. art. 6. & ex Iuriſperitis tenet hanc ſen- *uino.*
tentiam Cardin. in cap. *Abbas*, de Iis, quæ vi, & Cal- *Syluest.*
der. Conſil. 1. & idem ſentit Nauar. d. c. 22. n. 51. Fun- *Soto.*
damentum, quod me maxime mouet, eſt, quia nul- *Sanc.*
lam inuenio naturalem rationem, quæ ſufficienter *Aragon.*
oſtendat, votum ſic factum eſſe inualidum: non poſ- *Henriq.*
ſumus autem affirmare, eſſe actum inualidum Iure *Medin.*
naturæ ſine ratione ſufficienter id oſtendente. *Cardin.*

Hoc autem fundamentum in hunc modum de- *Calder.*
claro, quia in illo modo extorquẽdi conſenſum cir- *Nauarr.*
ca votum, vel conſideratur ratio iniuriæ, aut ratio 13.
inuoluntarij. quod ex illa reſultat: ex neutro autem *Fundamentum huius*
capite ſumitur ratio annullandi tale votum. De iniu- *ſententiæ.*
ria patet primo, quia etiam in alio caſu ſecundæ aſ-
ſertionis intercedit iniuria, quamuis non ſit directe
ordinata ad extorquẽdum votum. Secundo & ma-
xime, quia Deus, cui ſit votum, non eſt author iniu-
riæ, & quamuis illam permittat, iure tamen, ac meri-
to poteſt illam permittere, etiã propter illum finem
eliciendi ab homine voti conſenſum: ergo iniuria,
quæ ab homine infertur, impertinens eſt, vt votum
Deo factum irritum fiat. Neque enim illa eſt ſufficiẽs
ratio, ob quam Deus non acceptet votum illud. Ne-
que etiam propterea reportatur incommodum ex
paſſione iniurioſa, quia habere votum non eſt ali-
quod incommodum, vel nocumentum, per ſe lo-
quendo, ſed potius eſt magnus animi bonum. Et in his
omnibus eſt magna differentia inter promiſſionem
Deo factam, vel homini, & ideo non licet ab vna ad
aliam argumẽtari. Quidquid ergo ſit de promiſſio-
ne, & contractibus humanis, de quibus nunc nihil
definimus, in voto nihil profecto facit ratio iniuriæ.

Et confirmatur primo, quia ſi ratio iniuriæ ad hoc 14.
ſufficeret, etiamſi metus eſſet leuis, dummodo ori-
retur ex iniuria ſufficiente ad peccatũ mortale con-
tra iuſtitiam, ſufficeret ad annullandum tale votum.
Conſequens eſt falſum: ergo. Sequela eſt clara, eam-
que plane concedit, & recte probat Nauarr. cap. 17. *Nauarr.*
num. 30 & cap. 22. n. 51. verb. *Septimum*, & conſ. 3. de
Iis, quæ vi num. 9 Falſitas autem conſequentis vide-
tur ſufficienter probari ex iure, quia non reprobat
vota etiam ſolennia metu leui facta: ergo ſignum eſt
ex naturali iure non eſſe inualida: aliàs iniuſte coge-
retur homo ad talia vota ſeruanda. Nec dici poteſt,
Eccleſiam in hoc procedere ex præſumptione, quia
de qualitate metus ſatis poteſt conſtare, & de iniu-
ria: ergo ſi hæc ſufficit ad irritandum ex natura rei,
cur nõ in foro Eccleſiæ? Tandem confirmatur, nam
iuramentum per iniuriam extortum ad confirman-
dam promiſſionem homini factam, validum eſt, &
obligat propter reuerentiam Dei, iuxta cap. *Debito-* *Cap. Debitores.*
res, cap. *Si vero*, de Iureiur. ergo etiam votum directe
extortum per iniurioſam vim, validum eſt propter *Ca. Si vero.*
Diuinam reuerentiam, non obſtante hominis iniu-
ria. Patet conſequentia, quia non minus ſpectat ad
reuerentiam Dei obſeruantia voti, quam iuramẽti:
tum etiam, quia ſicut iniuria ab homine facta in ex-
torſione iuramenti nõ tollit, quominus Deus hono-
retur ſui nominis obſeruantia, ita etiã in voto nõ ob-
ſtat, quominus Deus illud acceptet, & velit fidẽ ſibi
datam ſeruari. Aliqui aſſignant differentiã quia vo-
tum eſt per ſe ad obligandum, non ita iuramentum,
ſed nihil confert, tum quia iuramentum etiam eſt ad
confirmandam obligationem, tum etiã quia potius
illa ratione debet eſſe maior obligatio in voto, cæte-
ris paribus, quia magis per ſe eſt ad obligandum.

Altera

15. Altera vero pars de Inuoluntario probari ſolet: quia hæc vis ab homine illata, nullo modo cogit ad præbendum conſenſum voluntatis in Voto, ſed ſolũ ad proferendum exterius verba promiſſionis: nam hoc ſufficit ad euadendum periculum ab homine illatum: ſi ergo tunc adhibetur voluntatis propoſitũ, illud eſt mere voluntarium. Sed hæc ratio mihi non probatur, nam licet conatus hominis inferẽtis vim eludi poſſint per nuda verba promiſſionis, tamen is, qui illa profert, non poteſt abſque peccato, & mẽdacio illa proferre, nõ habens propoſitum vouẽdi, aut implendi promiſſum: ergo ex vi illius metus cogitur habere illud propoſitum, vt poſſit exteriorẽ promiſſionẽ vere, & abſque peccato proferre. Hoc autẽ ſatis eſt, vt non minus coacte, & inuoluntarie habeat propoſitum, quam proferat verba promiſſoria: nam is, qui per metum cogitur ad habendum actum interiorem, vt poſſit ſine peccato facere exteriorem, ad quem faciendum etiam cogitur, grauem violentiã moralem patitur, quæ ex hoc capite ſufficit ad metum cadentem in conſtantem virum.

16. *Aliquod inuoluntariũ in metu interuenire.* Concedo igitur intercedere voluntarium admixtum alicui inuoluntario: tamen quia voluntas vouendi eſt abſoluta & efficax, diſplicentia vero voti eſt tantum per voluntatem conditionatam, ſeu ſimplicem affectum quem nolleitatem vocãt, ideo tale votum ſimpliciter volũtarium eſt. Nam cum homo eſt affectus duobus actibus, vel qualitatibus aliquomodo repugnantibus, illa ſimpliciter vincit, quæ efficacior eſt: ad valorem autem voti ſufficit voluntarium ſimpliciter etiamſi alioquin miſceatur inuolũtarium ſecundũ quid ergo ex hoc etiam capite validum eſt tale votum. Et confirmatur, nam aliquando poteſt votum extorqueri per metum mortis directe ad hoc immiſſum abſq; iniuria, vt verbi gratia, ſi maritus minetur vxori adulteræ mortẽ eo modo, quo iuſte poteſt, niſi Religionẽ voueat. In quo caſu quãtum attinet ad rationem voluntarij non minus miſcetur inuoluntarium ſecundũ quid voluntario ſimpliciter, quam ſi comminatio illa eſſet iniurioſa, vt aperte conſtat: & tamen in eo caſu votum illud validum eſt. Nam & matrimonium iuſto metu contractum validum eſſe, communior ſententia fert, vt late refert, & ſequitur Sanci. d. li. 4 d. ſp. 13. ergo à fortiori idem eſt dicendum in voto: ergo ob defectum voluntarij non eſt inualidum tale votum, etiamſi actio iniurioſa ſit. *Sanci.*

17. Dices, nec ſolam iniuriam, nec ſolum inuoluntarium ſecũdum quid ſufficere, vt tale votum reddatur inualidum: illas vero duas conditiones ſimul iũctas ſatis eſſe. Verumtamen hæc fuga voluntaria eſt, ſolumque ad eludendam vim rationum conficta: nã cum illæ conditiones ſint diuerſarum rationum, & neutra in ſuo ordine habeat vim ad illum effectum, quamuis ſimul concurrant, non componunt vnam cauſam fortiorem, aut validam ad impediendũ votum, ſed quaſi per accidens aggregantur plures conditiones per ſe ſufficientes. Denique voluntarium illud in ſuo ordine ſufficit non exiſtente iniuria, & iniuria talis eſt impertinens ad valorem, & inualiditatẽ voti: ergo q̃ illa duo ſimul concurrant, eſt impertinens. Relinquitur ergo, libertatem ab hac coactione non eſſe de neceſſitate, vel ſubſtantia voti: atque adeo ex natura rei nullum votũ eſſe inualidum ratione ſolius metus.

18. *Soluuntur oppoſita rationes. Ad primã.* Neque huic reſolutioni obſtant rationes alterius ſententiæ, quin potius earum reſponſa noſtrum fundamentum confirmabunt, nimirũ, quod talis nullitas iure naturæ non probetur. Ad primam ergo negatur aſſumptum, ſcilicet Deum non acceptare talia vota. Cum autem dicitur, Deum non acceptare ſacrificia coacta, intelligitur de coactis proprie, & rigoroſe, quæ ſine conſenſu fiunt, ſicut non condemnat extrinſecam thurificationem idoli, per coactã motionem manus factam ſine conſenſu volũtatis. At vero ſicut damnat ſacrificium idolo factum per metũ, etiamſi ſit coactum ſecundum quid, ita etiam acceptat ſacrificia de ſe bona, & Religioſa etiãſi metu fiãt. Et ita explicuit propoſitionẽ illam Gratia. 15. q. 6. §. vltim. ad finem, eamq; late comprobat, & ſumitur ex Aug. Epiſt. 48 & 50 Vnde quod in illa ratione ſubiũgitur, nihil eſſe acceptum Deo, niſi volũtarium, ſi intelligatur de voluntario ſimpliciter per verum conſenſum, verum eſt, & ita dicimus eſſe voluntarium tale votũ: ſi vero intelligatur de voluntario ſine vlla mixtione inuoluntarij, falſum eſt. Quia vt ait Aug. d. Epiſt. 48. *Non eſt conſiderandum, quod quiſque cogitur ſed quale illud eſt, quo cogitur, vtrum bonum, aut malum, non quod quiſq; bonus poſſit eſſe inuitus, ſed timendo, quod non vult pati, volens iam tenet, quod nolebat.* *Gratian. Aug.*

19. *Ad ſecundã.* Ad ſecundam diſtinguo conſequens quoad particulam illam *legitimum*, ſi enim tantũ ſignificet, non recte fieri ſeu non legitime, & iuſte ex parte cogẽtis, ſic conceditur totum: ſi vero inde inferatur non eſſe legitimum votum, id eſt, validum, negatur cõſequẽtia, quia licet votum natura ſua poſtulet, ſine neceſſitate, & coactione fieri, nihilominus factũ tenet, quia multa male fiunt, quæ facta tenent. Maxime cum hic malitia non ſit ex parte vouentis, nec ex parte Dei acceptãtis, ſed ex parte inferentis metum, cuius malitia poteſt Deus iuſte vti ad bonum effectum. Neque plus probat cõfirmatio, nam operi conſilij repugnat coactio, ſecundum iuſtitiæ ordinem, non tamen repugnat valori eius, vt patet, quando coactio etiã iniuſta eſt occaſio voti.

20. *Ad tertiam. Matrimonium metu factum neq; iure natura, ſed Eccleſiaſtico eſſe irritum probabilius aſſeritur.* Ad tertiam. Primo probabilius fortaſſe eſt, matrimonium metu factum nõ iure naturæ, ſed Eccleſiaſtico eſſe irritum. Deinde non eſt omnino eadem ratio, quia matrimonium eſt contractus humanus, vnde ſi fiat per iniurioſum metũ ſaltẽ ratione iniuriæ poteſt videri irritum, quia iniuria inter homines videtur eſſe ſufficiens ad inualidandos contractus inter eoſdem. Item matrimoniũ eſt vinculum perpetuum, & habet alia onera, ratione quorũ fortaſſe ex natura rei poſtulat integram libertatem: ſed hoc in locum proprium remittimus. *Ad quartã.* Ad quartam reſpõdetur negando conſequentiam, quia conſtat non eſſe ſimile antecedens: nam illud eſt verum in metu non directe immiſſo ad fractionem voti. Et ratio illius eſt, quia vouens à principio non intendit ſe obligare cum tanto diſcrimine, ſeu ſic mutatis rebus, vt infra dicetur, & de iuramento dictum eſt. Secus vero eſt in noſtro caſu, in quo vult quis vouere, non obſtante metu. *Ad quintã.* Ad quintam iam reſponſum eſt, iniuriam hominis non impedire quominus ius acquiratur Deo per promiſſionem ex vero conſenſu factã, ſicut non impedit quominus grauiter offẽdatur Deus propter peccatum ex metu factum. Item ſi Deus ipſe per ſe ipſum vellet immediate talem metum incutere, & ſic votum extorquere, ſine dubio non faceret iniuriam, & votum eſſet validum: ergo ratio iniuriæ ex parte hominis nõ põt obſtare obligationi factæ Deo, quia forte Deus illam intendit permittẽdo tale peccatum hominis, quod iuſtiſſime facere poteſt.

21. *Ad ſextam.* Ad ſextam dicitur in primis differentiam illã non videri ſemper neceſſariam. Nã & qui vouet ex metu naturali poteſt dum vouet, habere ſimplicem diſplicentiam vouendi, & fateri Deo infirmitatem ſuã: & è conuerſo illi, qui per metum directe inducitur ad vouendum, poteſt vexatio dare tantum intellectum, vt iam plena voluntate, & ſine actuali velleitate cõtraria velit promittere: ergo illa differẽtia parũ refert. Addo verò vlterius quod licet differẽtia eſſet conſtans & perpetua nihil obſtaret, quia volũtas abſolute præualet non obſtante repugnantia actualis diſplicentiæ per nolleitatem. Item illud inuoluntarium ſecũdum quid non obſtat, quominus abſoluta voluntas bona ſit & meritoria apud Deũ, quia ſimpliciter eſt de bono obiecto, & nõ habet malã circũſtantiam: quia diſplicentia illa nec eſt circumſtantia

Digitized by Google

alterius actus, ſed concomitanter ſe habet, neque eſt mala, quia non eſt contra præceptum. Sicut qui neceſsitate cogitur bona ſua expendere in pauperes, licet habeat diſplicentiam de tali neceſsitate, & conſequenter de obligatione ad erogãdum bona ſua, quia ſimpliciter nollet dare, nihilominus quia ex ſuppoſitione abſolute vult, bene operatur, & meretur coram Deo. Si ergo talis voluntas ſufficit ad meritum, cur ex natura rei non ſufficiet ad votum?

CAPVT VIII.

An vota facta ex graui metu ſint irrita ex Eccleſiaſtico iure?

1. IN hoc puncto diſtinguendum eſt inter votum ſolenne, & ſimplex. Nam diſputationem de voto ſolenni reſeruamus in ſequens volumen, vbi de profeſsione Religioſa, & de voto cõtinentiæ ordinis ſacri dicendum eſt: nunc ſupponimus illa vota eſſe irrita, quomodo autẽ irrita ſint ibi explicabimus. Hic ergo ſolum de ſimplicibus dicendum eſt, de quibus multi ſentiũt eſſe irrita Iure Eccleſiaſtico, quod magis ſentire videntur Gloſſa, Panor. & alij Iuriſtæ ſuprà relati, & Nauar. d. Conſ. 12. & 22. & in multis Cõſilijs, de His, quæ vi, dicens eſſe opinionem communem, quã etiam videtur tenere Hoſtienſis in Summ. tit. de Regularibus §. *Et qualiter*, verb. *Alij dicunt*. Idẽ ſentit Richard. in 4. d. 29. art. 1. q. 2. & ibi etiam Palud. q. 1. & Soto ibi, & alij præſertim Summiſtæ, verb. *Metus*, ſeu *coactio*, & ver. *Votum*, qui indifferenter loquũtur de Votis metu factis, & dicunt eſſe nulla, non tamen explicant quo iure, tamen ſecluſo iure naturali ſolum ſupereſt Eccleſiaſticũ. Item hoc ſatis inſinuãt, dum aiũt, nõ quemlibet metum leuem, ſed grauem, & cadentem in conſtantem virum irritare hæc vota, quia Iura de hoc tantum metu loquuntur. Quis autẽ metus dicatur cadens in conſtantem virum, explicat latiſsimè Sancius d. lib. 4. à princip. per plures diſputationes, & nos aliqua dicemus infra tractatu de Profeſsione Religioſa. Nunc quia parum eſt neceſſaria diſputatio, ſatis ſit dicere metum, vt dicatur cadere in conſtantem virum, duo præcipue requirere, ſcilicet, & quod malum quod timetur graue ſit iudicio prudentum, & quod graui, ſeu probabili ratione timeatur tamquam imminens.

Sententia illorum qui ſentiunt vota metu graui inita eſſe irrita iure Eccleſiaſtico.
Gloſſ. Panorm. Nauar. Hoſtienſ. Richard. Palud. Soto.
Sanci.
Quæ requirantur vt metus ſit cadens in conſtantem virum.

2. Quod ergo hic metus irritet vota omnia etiam ſimplicia, probari ſolet ex cap. *Prælatus*, alias 1. de Iis quæ vi. Secundo ex capit. *Cum dilectus*, de Iis, quæ vi, ſaltem per argumentum à contrario ſenſu, ibi enim votum per metum factum cenſetur obligare, quia metus non fuit talis, vt caderet in virum conſtãtem: ergo ſi talis fuiſſet metus, votum nõ fuiſſet validum. Tertiò inducitur cap. *Abbas*, eod. quatenus in eo dicitur, quæ metu fiunt debere in irritum reuocari, & quod dicitur in cap. *Ad audientiam*. *Debere carere robore firmitatis*, quę metu fiunt. Quartò induci poſſunt generalia verba textus in c. *Cum locum*, de Sponſalib. *Cum locum non habeat conſenſus, vbi metus vel coactio intercedit, neceſſe eſt, vt vbi aſſenſus cuiuſquam requiritur, coactionis materia repellatur.* Nam hæc ratio etiam in Votis locum habet.

C. Prælatus. Cap. Cum dilectus. Cap. Abbas. Ca. Ad audientiam. Cap. Cum locum.

3. Alia ſententia extreme contraria eſſe poteſt, vota ſimplicia metu facta non ſolum per Eccleſiam irrita non eſſe, verum etiam nec irritari poſſe. Hanc commemorat Soto diſ. 29. nullum tamen eius authorem refert, neque illam approbat, dicit tamen, non carere apparenti fundamento, ſcilicet quia Eccleſia non eſt iudex voti ſimplicis, quod amplius non declarat. Videtur autem in hoc fundari, quia Eccleſia non habet poteſtatem in actus interiores: ſimplex autẽ votum in actu interiori conſiſtit, nam conſenſu interno perficitur, & interiùs poteſt explicari Deo, exterior autem indicatio eſt mere accidentaria.

Alia ſententia alteri oppoſita. Soto.

Sed quod ad poteſtatem attinet, dicẽdum eſt potuiſſe Eccleſiam irritare vota ſimplicia metu facta. Ita docet Soto ibi, & omnes alii ſupponunt. Et probatur primo: quia irritat votum ſolenne: ergo à fortiori poteſt irritare ſimplex. Secundo: poteſt præſcribere certam ætatem antequam vota ſimplicia valide non fiant: ergo etiam poteſt præſcribere modum libertatis à coactione, ſine qua vota non tenerẽt. Tertio: quia Eccleſia habet poteſtatem diſpẽſandi in Voto etiam mere interno, & irritare iam factũ, vt infra dicetur: ergo & inhabilitare perſonam, vel conſenſum irritare metu extortum. Vnde excluditur contrarium fundamentum, nam materia illa nõ eſt extra Eccleſiaſticam poteſtatem, quia votum ſiue internum, ſiue externum materia eſt circa quam poteſt iuriſdictio Eccleſiaſtica verſari, vel quia mediãte actu externo, cui cõiungitur, ſubiicitur illi, ſicut cõſenſus matrimonii aliquando irritatur ab Eccleſia, quatenus exteriori contractui coniungitur: vel quia actus iuriſdictionis vt verſantur circa vota, nõ ordinantur ſolum ad forum externum, & politicum, ſed maxime ad internum pertinens ad animæ ſalutem, in quo foro extenditur Eccleſiaſtica poteſtas aliquo modo ad actus interiores, vt de indulgentijs ſuo loco diximus. 4.

Eccleſia poteſtatem habet ad irritanda vota ſimplicia metu facta.

Nihilominus dico ſecundo, Eccleſiam de facto non irritaſſe vota ſimplicia metu facta, & ideo probabilius eſt obligare, donec diſpenſentur, ſeu tollantur per Eccleſiam, ad quod ſufficit metus præſertim iuſtus, ſeu grauis. In hoc ſequor ſententiam Card. qui in d. ca. *Abbas*, de Iis, quæ vi, dixit, nullo Iure probari vota omnia metu facta eſſe irrita, & ſequitur Syluest. ſupra dicens, nullibi authentice legi. Idem *Votum*, 2. q. 12. & *Iuramentum*, 7. q. 7. Refertur etiam Calder. in Conſ. 1. Qui clerici, vel vouent. 5.

Eccleſia hucuſque non irritauit vota ſimplicia metu facta. Card. Syluest. Cald.

Probatur autem prior pars diſcurrendo per Iura, quæ allegantur. Nam cap. 1. ſeu *Prælatum*, de Iis, quæ vi, aperte loquitur de Voto ſolenni, & profeſsione Religioſa, vt patet ex illis verbis: *Si probatum fuiſſet, non timore mortis Religionem intraſſe.* Et ex toto contextu, & communi intelligentia Innoc. Panorm. & aliorum ibi: idem Panorm. in cap. *Sicut nobis*, de Regular. nu. 5. Addit autem ibi, quod illa deciſio poteſt generaliter adduci ad validitatem, vel inualiditatem cuiuslibet voti. Sed gratis, & ſine probatione hoc dicit, & contra generales regulas, quod argumentum à ſimili in huiuſmodi re adeo graui non eſt validum. Maxime quia eſt extenſio in materia odioſa, & potius reſtringenda. Item quia non eſt æqualis ratio, nã votum ſolenne includit quendam contractum inter Religionem, & Religioſum, & ex hac parte potuit maiori ratione irritari. Item eſt indiſſolubilius, quã votũ ſimplex, & ideo oportuit maiori libertate fieri. Confirmari etiam poteſt, nam irritatio matrimonij non extenditur ad ſponſalia, per ſe loquendo, & iuxta communiorem ſententiam. 6.

Cap. Prælatum. Panorm.

Ad cap. *Cum dilectus*, primo dicitur argumentum à contrario non eſſe firmum, præſertim ad inducendam legem irritãtem. Et patet, nam ibi ſimul eſt ſermo de Iuramento, & de Voto: at in iuramento non valet illud argumẽtum: ergo nec in Voto. Vnde poteſt retorqueri idem argumentum, quatenus in eo textu iuramentum, & votum metu factum æquiparantur. Denique pro ratione redditur, quod metus non fuerat grauis, vt non ſolum conſtaret iuramentum, & votum obligaſſe, ſed etiã ſignificaretur, propter talem metum non fuiſſe diſpenſandum in illis, ſed ſimpliciter obligandum ad illa obſeruanda. 7.

Expenditur Cap. Cum dilectus.

Ad cap. *Abbas*, & *Ad audientiam*, primo dicitur ibi non eſſe ſermonem de Votis, ſed de alijs generibus actionum inter homines, de quibus non eſt eadem ratio, vt iam inſinuaui. Addo ſubinde, ex vi illorum verborum non ſequi actum factum per metum eſſe ipſo Iure irritum, ſed habere in ſe ſufficientem cauſam, cur irritetur, nam eo ipſo caret valore firmita- 8.

Explicatur Ca. Abbas. Ca. Ad audientiam.

tis, &

Digitized by Google

tis,& poteſt in irritũ reuocari. Hoc autem facile concedemus de Voto ſimplici metu facto, nam habet in ſe ſufficiẽtem cauſam, vt ab habente poteſtatem tollatur, & hoc modo ſecuriori, & ſufficiẽti modo ſubuenitur iniuriam paſſo: nec oportuit tam generalem concedere licentiam veniendi contra ſimilia vota. Neque video cur magis debuerint hæc vota irritari, quam iuramenta metu extorta, nec quę maior difficultas ſit in adhibendo remedio mediante Prælato in voto, quam in iuramento. Reſpondet autem Panormit. in cap. *Si vero*, de Iureiuran. in iuramento fuiſſe conueniens ſeruari etiam metu factum propter eius reuerentiam, quia frequenter fit, ceſſare autem hanc rationem in voto, quia raro fit. Sed certe differentia hæc valde materialis eſt, & incerta: nã licet iuramenta aſſertoria frequentius fiant, tamen promiſſoria inter homines non fiunt frequẽtius, quam vota ad Deum. Et præſertim ex metu forte ſæpius fiunt vota, quam promiſsiones humanæ iuratæ.

Panorm.

9. *Cap. Cum locum.* Ad cap. *Cum locum*, dico verba illa: *Cum locum non habeat conſenſus, vbi metus, vel coactio intercedit*, neceſſario eſſe cum debita proportione, & moderatione intelligenda, quia manifeſtum eſt, verum conſenſum habere locum, etiamſi per metum extortus ſit, vt patet de conſenſu in peccato, etiamſi ex metu detur, & quia voluntas coacta voluntas eſt. Igitur ſi de conſenſu vero abſolute intelligantur, oportet exponi quoad morale periculum, vel regulariter loquendo, atque adeo ſecundum præſumptionem Iuris nõ habere locum conſenſum, vbi adeſt metus: quia qui operatur ex metu, facile fingit exterius, cum interius non conſentiat. Et ideo qui dicit ſe non conſenſiſſe matrimonio, quod cõtraxit, quia metu coactus fuit, ſi probat metum ſufficienter tempore conuenienti, conſequenter probare cenſetur defectum cõſenſus, iuxta cap. *Conſultationi.* § *Sane*, de Sponſalib. Et fortaſſe inter alias cauſas propterea irritata ſunt matrimonia metu facta, quia morale periculum erat facta eſſe ſine vllo conſenſu: & ideo Eccleſia non poterat conuenienter cogere quemquam ad tale matrimonium obſeruandum: vel ſecundum (vt videtur eſſe communis intellectus) exponi poſſunt dicta Iura, vbi ineſt metus, non habere locum conſenſum omnino voluntarium, ac plane liberum, qualem Eccleſia in matrimonio poſtulat. Inde autem non fit, ſimilem conſenſum eſſe neceſſarium ex natura rei ad valorem voti.

10. *An Votum ſimplex Religionis metu factum validum ſit. Reſolutio dubij negatiua.* Supereſt autẽ hic peculiare dubium de voto ſimplici Religionis, an per metum factum validum ſit? Et ratio dubitandi eſt, quia aſſertio poſita generalis eſt, & rationes æque de hoc voto probant, ac de alijs. Nihilominus tamen probabiliſsimum cenſeo, quod licet tale votum nec ex iure naturæ irritum ſit, nec directe, & per ſe ſit ab Eccleſia irritum, vt probat ratio facta: per quandam conſequutionẽ eo ipſo, quod profeſsio metu facta irrita facta eſt per Eccleſiã cõſequenter fieri, vt promiſsio ſimplex faciendi talem profeſsionem metu extorta obligationem inducere non poſsit. Quia ſi promiſsio valida eſſet: ergo donatio, ſeu profeſsio ratione illius facta futura eſſet valida, quia nemo poteſt obligari ad faciendum actum inualidum, & vitioſum profeſsio autem non poteſt eſſe valida, quia per legem irrita facta eſt: ergo neq; promiſsio eius poteſt obligationem inducere.

11. Dices: profeſsionem illam non irritari per legem, quia illa non fit per metum, quamquam enim promiſsio per metum facta ſit, poteſt poſtea ſponte fieri profeſsio: lex autem ſolum irritat profeſsionẽ metu factam. Reſpondetur negando antecedens Ponimus enim huiuſmodi perſonam profiteri vi, & neceſsitate obligationis promiſsionis factæ. Nam ſi poſtea velit ſoa voluntate profiteri, etiamſi obligationẽ in ſe non agnoſcat, non erit caſus, de quo agimus, nã promiſsio tunc nihil operatur. Profeſsionem igitur factã ob prioris voti obligationem, dicimus neceſſario debere cenſeri factam ex metu, quoniam in illum tandem reſoluitur. Nam ad talem promiſsionẽ cogit promiſsio, & ad promiſsionem cogit metus: ergo de primo ad vltimum metus eſt, qui cogit ad profeſsionem: eſt ergo nulla: ergo non poteſt prior promiſsio obligare, alias veluti falſificaret (vt ſic dicam) ſeu deſtrueret ſe ipſam, quia obligando redderet impoſsibile ſuum complementum. Quapropter ſimplex votum caſtitatis. v.g. metu extortum validũ eſt, non ſolum iure naturæ, ſed etiam poſitiuo, quia neq; in ſe, neq; in alio inuenitur irritatum: votum aũt ſimplex Religionis metu extortum, licet in ſe, & directe non inueniatur irritatũ: tamen quia profeſsio Religionis metu extorta irrita facta eſt per Canonicam legem: ideo eadem lex abſtuliſſe videtur obiectum talis voti, nam ſatis probabiliter oſtenſum eſt nullum habere, circa quod valide verſari poſsit. Atque hoc etiam ſuadere poteſt dictum c. *Prælatum*. ſed de illo voto latius in proprio loco dicetur, in quem vltimum iudicium de hoc puncto differimus.

Capvt IX.

Vtrum voluntas vouendi non ſolum libera, ſed etiam plenè, & exacte deliberata eſſe debeat?

HAEc eſt alia proprietas, quæ ad votum poſtulatur, nimirum, vt ex deliberatione fiat, ac ſubinde vt propoſitum eius deliberatum ſit. De ipſa vero deliberatione, quis actus ſit, nonnulla eſt contentio, quæ mihi parui momenti, & de nomine eſſe videtur, Caiet. enim d.q. 88. ar. 1. putat deliberationem eſſe actum voluntatis eligentis vnum ex multis, quæ prius per rationem cõſiderata, & inter ſe collata fuerunt: quia quãdiu aliquis cogitat, & diſcurrit, donec eligat, non dicitur deliberaſſe, quia nondum ſe determinauit. D. Tho. autem in eodem art. 1. aperte diſtinguit deliberationẽ à propoſito voluntatis dicens, propoſitum præexigere deliberationem, cũ ſit actus voluntatis deliberatæ. Quaſi dicat, ſicut voluntatis actus ſupponit rationis iudicium, ita propoſitũ deliberatũ ſupponit rationis deliberationẽ. Et hic modus dicendi mihi placet, & illo vtar, quia eſt aptior ad rem explicandã, dũmodo ſub deliberatione cõprehendamus non ſolum conſultationẽ, & quaſi inquiſitionẽ intellectus, ſed etiam iudiciũ, quo intellectus definite proponit, quid ſit eligibile, vel eligibilius, vel quo in præſenti materia iudicat expedire votum emittere. Atq; hoc modo propoſitum volũtatis licet ab ipſa ſit elicitũ, denominabitur deliberatũ extrinſecè ab actu intellectus, quia ſcilicet cũ ſufficiẽti animaduerſione, & iudicio intellectus ſit. Et ita explicãdo hãc proprietatẽ incipimus exponere actus, qui ex parte intellectus præcedere debent, vt votum validum & obligatorium fieri poſsit. 1.

Caiet.

D. Thom.

Ex hac ergo terminorũ declaratione, & ex hactenus dictis conſtat, ad votum neceſſariam eſſe aliquã deliberationem, quia non fit ſine cõſenſu libero voluntatis, voluntas autem operari non põt ſine præuia ratione conſiderante & diſcurrente, ergo eſt neceſſaria aliqua deliberatio, ſaltẽ illa, quæ ad actum perfecte humanũ & ſimpliciter liberũ ſatis ſit. Difficultas autem eſt, an hæc ſufficiat, vel maior requiratur, atq; adeo quanta debeat eſſe hæc conſideratio. Quidam enim dicunt neceſſariam eſſe maturam conſiderationem, & conſultationem, ita vt non ſufficiat vſus, & iudicium rationis, quod ad libertatem, & dominium actus, & ad peccandum mortaliter ſatis ſit, ſed oporteat non fieri ex aliqua repentina, & ſubita mutatione, aut paſsione: ſed ex plena aduertentia, ac conſilio. Hæc opinio tribui ſolet Richardo in 4. diſtin. 38. art. 2. quæſt. 2. Sed re vera eam non docet: ſolũ enim ait, vota ex ſurreptione facta nõ obligare: 2.

Ad Votum neceſſariam eſſe aliquam deliberationem, & conſenſum liberum Voluntatis.

Quæ ſit ſufficiens deliberatio ad Vouendum.

Prima opinio Richard.

nam

Digitized by Google

nam votum requirit deliberationem. Quanta verò debeat eſſe deliberatio, vel quæ ſurreptio ſufficiat impedire votum, non declarat. Eam vero opinionẽ tenuiſſe videtur Gloſſa in cap. *Dudum*, de Conuerſ. coniugat. verb. *Calore iracundiæ*, à qua non diſſentiũt ibi Panormit. Hoſtienſ. & Anton. & fauent Doctores, imò & Iura dicentia, facto calore iracundiæ non valere, donec tranſacta paſsione confirmentur, Leg. *Quidquid*. 48. ff. de Regul. iur. vbi Gloſſa, & Bart. pluresque alios refert Tiraquel. de Pœnis temp. cauſa 1. nume. 26. de Iuramento, & numer. 27. de Voto. Et à nu. 14. vſque ad 30. idem refert de multis alijs actionibus factis calore iracundiæ. Inter quas etiam ponit profeſsionem Religionis cum Anton. in cap. *Sicut ex literis*, de Iureiuran. & Felin. ibi latè, & in cap. *Si vero*, eod. n. 7. & ca. *Matthæum*, de Simon. nu. 2. Idem latè Roma. Singul. 313. alias 314. vbi excipit donationem piæ cauſæ, quæ valet etiam facta calore iracundiæ. Quod cum alijs approbat Tiraquel. ſupra num. 4. & de Priuileg. piæ cauſæ in 108. Poſſuntque pro hac ſententia afferri c. *Diuortium*, de Pœnit. d. 1. & cap. *Siquis iratus*, 2. q. 3.

Gloſſ. Panorm. Hoſtienſ. Anton. L. Quidquid. Gloſſ. Bart. Tiraquell. Felin. C. Diuortiũ.

3. *Ratio pro hac ſentent.* Ratio addi poteſt, quia verum eſt res valde grauis, inducit enim grauiſsimam obligationem, ac de ſe perpetuam: ergo natura ſua poſtulat plenam rei conſiderationem, & aduertentiam, quia ſi aliter fiat, & homo maneat ligatus, ſequuntur moraliter loquẽdo innumera pericula peccandi mortaliter, quia vota ſic facta ſtatim diſplicent, & difficile implentur, faciliimeque violantur: ergo non eſt veriſimile placere Deo talia vota, neque acceptare illa: non ergo ſunt valida. Eo vel maxime quod votum natura ſua eſt actus Religionis, ergo etiam ex natura ſua poſtulat, vt ex iudicio prudenti fiat, nam hoc poſtulat Religionis virtus: votum autem, quod non fit cum prædicta deliberatione perfecta imprudenter fit, & peccaminoſe: non eſt ergo votum.

4. *2 Sententia ampiectida Deliberatio rationis ſufficiens ad votũ eſt, qua requiritur vt actus ſit ſimpliciter liber.* Secunda ſententia vera, & communis eſt, ad votum ſufficere illam deliberationem rationis, quæ neceſſaria eſt, vt actus volũtatis ſit ſimpliciter, liber, ita vt fiat cum dominio ſimpliciter morali, id eſt ſufficiente ad actum abſolute humanum, ſeu ad peccãdum mortaliter: per hũc enim effectum ſolet communiter explicari hæc ſententia. Quam indicat Diuus Thomas hic: dum enim ait deliberationem requiri ad votum, & non declarat ſpecialem gradum, aut modum huius deliberationis, ſatis indicat eam deliberationem ſufficere, quæ ſimpliciter deliberatio eſt: huiuſmodi autem eſt illa, quæ ſufficit ad actum abſolutè humanum, & ad peccandum mortaliter. Et ita exponit, & ſentit Caietanus hic ſequutus Paludanum in 4. diſtinct. 38. quæſtio. 1. quem cæteri ſequuntur, Soto lib. 7. de Iuſt. quæſt. 1. articul. 2. Syluest. verb. *Iuramentum*, 4. nume. 4. *votum*, 2. quæſtio. 13. Idem Angel. & alij Summuſtæ, Nauar. ſupra cap. 12. n. 24. & 25. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. Sumiturque ex Glo. 1. in ca. *Mulier*, 32. q. 2. quatenus dicit, qui poteſt ſe obligare diabolo, poſſe etiam obligare ſe Deo. Et idem habet Gloſſ. 20. q. 1. in princ. Panorm. in cap. *Sicut ex literis*, de Iureiur. n. 2. vbi Felin. num. 3. Et in eandem ſententiam inclinant Io. Andr. & alij Expoſitores in c. *Dudum*, de Conuerſ. coniug.

Caiet. Palud. Soto. Syluest. Angel. Nauar. Anton. Gloſſ. Panorm. Felin. Io. Andr.

5. *Ca. Sicut ex literis.* Probari autem poteſt primo ex cap. *Sicut ex literis*, de Iureiur. vbi iuramentum calore iracundiæ temerarie factum punitur vt graue peccatum, quia factũ fuerat de re illicita, & propter hunc poſteriorem defectum cenſetur non obligare, non ex defectu deliberationis. Simile argumentum ſumitur ex cap. *Dudum*, de Conuerſ. coniug. vbi ſignificatur, votum factum calore iracundiæ, quæ non abſtulit rationis vſum validum fuiſſe, cum tamen nõ potuerit ſimilis iracundia nõ impedire pleniſsimam, & exactam deliberationem. Idem ſumitur ex c. 2. de Voto, vbi validum cenſetur eſſe votum Hieroſolymitanæ peregrinationis factum à quodam in puerili, & tenera ætate, facilitate potius, quam arbitrio diſcretionis: ergo ex ſententia Pontificis non requiritur tam exacta diſcretio, & prudentiale iudicium ad valorem voti. Eſtque attente conſiderandum ad ea, quæ infra dicemus, votum illud Hieroſolymitanę peregrinationis fuiſſe ſemper in Eccleſia inter grauiſsima computatum, ergo ſi ad illud non requiritur tanta deliberatio multo minus requiretur ad alia.

C. Dudum.

Fauet etiam huic ſententiæ Ambroſ. relatus in capit. *Sunt qui opes*, 16. q. 4. ex lib. 2. de Pœnitent. c. 9. vbi habet, donationem factam Eccleſiæ *tumultuario mẽtis impulſu non perpetuo iudicio*, reuocari non poſſe ſine ſacrilegio, ergo donatio facta Eccleſiæ ſine prudenti, & matura deliberatione valida eſt, alioqui nõ eſſet ſacrilegium talia bona repetere: ergo à fortiori promiſsio facta Eccleſiæ, verbi gratia, dandi talia bona, quæ votum eſt, non requirit ad valorem ſuum tam exactam deliberationem. Denique hoc etiam ſuadent illa Iura, quibus ſuprà oſtendimus, vota facta in periculis mortis, & ex metu præſertim proueniente ab intrinſeco, valida eſſe, capit. 2. capit. *Sicut nobis*, de Regular. cum ſimilibus. Nam huiuſmodi vota fieri non ſolent cum tam exacta deliberatione. 6.

Ambroſ. C. Sunt qui opes. Cap. Sicut nobis.

Tandem probatur ratione, quia de eſſentia voti ſolum eſt, quod ſit actus humanus, & ſufficienter voluntarius ad talem obligationem: ſed ad hoc ſufficit communis deliberatio, quæ ad peccandum mortaliter, vel ad alios contractus humanos ſatis eſt: ergo illa etiam ſufficit ad valorem voti. Et cõfirmatur: nã ſimilis deliberatio ſufficit ad valorem iuramenti, & ad culpam periurij, & ad peccandum etiam mortaliter contra votum, ergo & ad obligationem voti, eſt enim de his omnibus conſimilis ratio. Et illa generalis eſt optima, quod illa deliberatio, quæ ſufficit ad ſe legandum reatu æternæ damnationis, ſufficit etiam ad ſe obligandum Deo vinculo promiſsionis. Item quod deliberatio, quæ ſufficit ad proponendum ſibi vltimum finem, quod cenſetur facere, qui peccat mortaliter, ſufficit ad imponendam ſibi voti obligationem. Confirmatur ſecundo, nam ſi vltra hanc deliberationem alia maior poſtulatur, nulla certa ratio excogitari poteſt ad deſignandum gradũ huius deliberationis ſufficientis, ac neceſſariæ ad votum: poteſt enim hæc deliberatio eſſe magis, vel minus diuturna, & cum conſideratione plurium, vel pauciorum rationum, aut difficultatum, quæ in aliquo voto eſſe ſolent. Item cum non omnia vota ſint paria, ad votum grauius, vt validum eſſet, poſtulanda eſſet maior deliberatio, quod neque in Iure ſit, vt ex capitulis citatis conſtat, neque moraliter fieri poteſt, ita vt de valore illius cuiuſque voti habeatur humana certitudo. Siſtendum ergo eſt in generali ratione deliberationis ſufficientis ad actum ſimpliciter liberum. 7.

Neque eſt veriſimile, Gloſſas, & Authores in contrarium allegatos cõtra hanc veritatem ſenſiſſe, plures enim illorum diſtinctione declarant, ac temperant ſententiam ſuam. Poteſt autem duplex adhiberi diſtinctio. Prior eſt, calorem iracundiæ interdũ tantum eſſe, vt rationis vſum pro tunc ita perturbet, vt liberum iudicium non relinquat: aliquando vero non eſt tã vehemens, quin relinquat poteſtatem deliberandi ſufficienter ad peccãdum mortaliter, quia non obſtante paſsione homo ſatis aduertit, quid faciat, & quid commodi, vel incommodi ſit in tali actione, vt eligi debeat, vel repudiari, quãuis hoc fiat nimia celeritate, quaſi præcipitatione quadã. In priori caſu procedere poſſunt Iura, quæ facta calore iracundiæ non recipiunt, niſi trãſacta paſsione rata habeantur, & idem eſt de Voto iuramento &c. & non ſolum in paſsione iræ, ſed etiam in amore, & quacũque alia ita perturbante rationem, id verum habeat. Et in hoc ſenſu non habet locum exceptio de donatione piæ cauſæ: nam etiam illa, ſi cum tanta pertur- 8.

Digitized by Google

batione fiat, valida non erit, vt conſtat. At vero quãdo calor iracundiæ tantum poſteriori modo impedit perfectionem deliberationis, per ſe nõ inualidat votum, neque alium actum.

9. Vnde poteſt adhiberi ſecunda diſtinctio quoad hoc membrum, ſcilicet de actu irrito, vel irritabili, nam actus ſic factus, non eſt quidem irritus, vt dictũ eſt, habet tamen iuſtam cauſam, cur irritari, vel diſpenſari poſſit, vt infra dicemus. Et quoad hoc poſſet habere locum exceptio de donatione piæ cauſæ, in cuius fauorem etiãſi mente perturbata fiat, non irritatur. De quo alias. Atque hæc doctrina ſumitur maxime ex Anto. de But. in d. c. *Sicut ex literis*, & ibi Feli. Deci. in d leg *Quidquid*, Io. Andr. in d. c. *Dudum*, Ant. 2. par. tit. 10. c. 6. verb. *Quartus caſus*, Panorm. in d. ca. *Si vero*.

Ant. de But. Felin. Deci. Ioan. Andr. Antón. Panorm.

10. *Rationi ſatis fit.*

Per hæc ergo ſufficienter reſponſum eſt ad priora iura. Ad rationem autem reſpondetur negando cõſequentiam: alioqui probaret nõ ſolum in votis, ſed etiam in omnibus actionibus, & negotijs humanis, quæ grauia ſunt, maiorem deliberationem eſſe ſimpliciter neceſſariam. Probaret etiã pro negotij qualitate, & differentia diuerſos gradus deliberationis eſſe poſtulandos ad valorem negotij, ſeu obligationis. Imò etiam probaret, quo peccatum mortale grauius eſt ex ſua ſpecie, ſeu genere, eo neceſſariam eſſe maiorem deliberationem, vt ad talem culpam imputetur. Solum igitur probatur illo argumento, iuxta prudẽtem modum operandi requiri ad votum maiorem deliberationem, quam ad alias communes actiones, & quo votum grauius eſt, eo maiorem eſſe adhibendam conſiderationem. Inde autem non fit, vt ſi in hoc defectus aliquis committatur, ſtatim votum ſit inualidum, niſi tãta ſit indeliberatio, vt vſum libertatis ſimpliciter impediat. Addunt vero prædicti Authores, & recte, votum, quod fit abſque matura deliberatione proportionata eſſe imperfectũ, & ex eo capite habere cauſam aliquã, ob quam diſpenſari poſſit, vt hoc modo occurratur illis incommodis, quæ ex huiuſmodi temerarijs, ſeu repentinis votis oriri ſolent, quod etiam mouebat Authores alterius ſententiæ. Sed ex illis incommodis male colligitur, vnumquemque pro arbitrio ſuo poſſe ſtatim talia vota cõtẽnere, illud enim maius eſſet incõmodum, multiſq; periculis expoſitum: ſed colligi debet, Prælatum iuriſdictionem habentem poſſe, & interdum debere talia vota auferre, vel commutare, conſiderata qualitate voti, & modo imperfectæ deliberationis, & hoc etiam in prædictis Iuribus docetur.

11. *Quo ſigno colligi poterit votum ſubito factũ validũ, aut inualidũ ſit ex motu inconſiderãtia.*

Sed quæret aliquis, quo ſigno diſcerni poterit, quãdo votum ſubito factum validũ, aut inualidum fuerit ex perturbatione, vel inconſideratione rationis? Ad hoc reſpondet Angel. *Votum*, 1. n. 6. ſi facto voto, homo ceſſante paſſione ſtatim pœniteat, ſignum eſſe votum fuiſſe indeliberatum, & inualidum. Sequitur ibi Tabien. & Supplementum Gabrielis d. 38. q. 1. ar. 1. circa finem. Et videntur fundari in d. c. *Diuortium*, & d. l. *Quidquid*. Hoc vero ſignum reprobant Palud. Anton. Sylueſt. Soto, & alij. Quia ſæpe retractatur actus plene deliberatus propter libertatem voluntatis, vel propter nouam conſiderationem ſtatim occurrentem quæ non impedit quominus præcedens actus fuerit ſufficienter liber. Item licet pœnitentia ſtatim poſt peccatum ſequatur, non eſt ſignum, peccatum nõ fuiſſe mortale, ſed ad ſummum iudicatur, non fuiſſe ex habitu, ſed ex paſſione, vel repentina occaſione, vt notauit Gutier. d. c. 22. n. 14. Non tamen ita reijciendum eſt hoc ſignum, quin ſit aliqua coniectura, ſi aliæ accedant: ſed ſolum, nec ſufficiens, nec vehemens exiſtimandum eſt.

Angel. Tabien. Gab. Cap. Diuortium. Leg. Quidquid.

12. Alij docent, tunc paſſionem impedire valorem voti, quãdo tanta eſt, quod ſine illa votũ non fuiſſet factum. Ita Panorm. d. c. *Si vero*, n. 7. cum Anton. in c. *Sicut ex literis*, n. 9. Idem clarius Abbas in d. c. *Dudum*, n. 8. & idem videtur dicere Sylue. d. q. 13. Sed eſt magis fallax, & incertum ſignum, tũ quia multa per occaſionem fiunt, quæ ſine illa non fierent, & tamẽ valide fiunt: quia non obſtãte occaſione, voluntas fuit ſufficienter libera, & dedit conſummatum conſenſum. Tum etiam quia quid homo faceret, vel nõ faceret, non ſtante tali paſſione, & incertiſſimum eſt, & de facto nihil confert ad meritum, vel demeritum; ergo nec ad validitatem, vel inualiditatem voti. Neque etiam eſt ſignum non præſtiti conſenſus poſita paſſione: neq; etiam indicat, fuiſſe omnino perturbatam rationem, ſed ad ſummum indicat indiſcretum, vel imprudens iudicium.

Panorm. Anton. Abb. Syluest.

13. *Nullum certum iudiciũ poſſe dari de validitate voti facti vel inualiditate per inconſiderantiam niſi prudentis arbitriũ.*

Dico ergo nullum ſignum certum, & infallibile poſſe circa hoc dari, ſed prudenti arbitrio opus eſſe, & præſertim ſpectandam rationis aduertentiã. Nam ſi tanta fuit paſſio, vt homo nõ attenderit, quid ageret, tunc indeliberata fuit actio, & inſufficiens ad votum, quia etiam ad peccandum mortaliter non ſufficeret. Si vero nec ſubita paſſio, nec breuitas tẽporis abſtulit ſufficientem aduertentiam, cum aliqua collatione eius (quod agebatur) cum actu oppoſito, ſine vllo ſigno perturbati diſcurſus, tunc paſſio non abſtulit ſufficiẽtem deliberationem, vt bene Caiet. declarat. Quid autem agendum ſit in caſu dubio, dicemus infra in peculiari capite.

14. *Nauar.*

Sed quid de temporis breuitate, ſeu ſucceſſione? Nauar. c. 12. n. 16. deliberationem hanc in momento dicit, haberi poſſe, & nõ oportere, vt tempore antecedat ad propoſitum voluntatis, ſed tantum naturæ ordine: nam in eodem inſtanti poteſt votum emitti. Sed hoc poteſt intelligi vel de tota deliberatione, vel tantũ de concluſione, ſeu iudicio eius. Priori modo eſſet vera illa ſententia, ſi de Angelis eſſet ſermo, vel de hominibus diuinitus eleuatis, vt fuerũt Chriſtus Dominus, & B. Virgo, de quibus veriſimile eſt in primo inſtanti conceptionis ſuæ votum aliquod emiſiſſe. At in hominibus connaturali modo operãtibus id non contingit, ob rationem ſupra factam, q; ſufficiens aduertentia, & deliberatio non habetur ſine diſcurſu: diſcurſus autem in tempore fit. Et ideo recte dixit Caietan. hanc deliberationem interdum fieri imperceptibiliter, quia licet in tempore fiat, tẽporis tamen ſucceſſio non percipitur, vt etiam notauit Gab. in 3. d. 39. qu. 2. not. 2. At loquendo de ſolo iudicio verum eſt, quod licet diſcurſus quoad inquiſitionem, apprehẽſionem, & aliquod iudicium præmiſſarum in tempore fiat, nihilominus quoad iudicium de voto faciendo in momento fit. Et ſic etiã verum eſt, non oportere, vt deliberatio quoad hoc iudicium tempore præcedat votum: nam in eodem momento, quo intellectus iudicat, poteſt voluntas velle ita efficaciter, vt in eodem momento fiat promiſſio, ſicut poteſt etiam cum ſimili celeritate peccare.

Gabriel.

Non oportere, vt deliberatio ad votũ ſufficiens quoad iudiciũ tempore præcedat.

15. *Obiectio. Solutio.*

Sed obijciebatur, tale votum imprudens eſſe, & peccaminoſum, ideoq; non eſſe acceptum Deo. Reſpondetur ex dictis negando conſequentiam: ſuprà enim oſtenſum eſt, votum quod peccaminoſe ſit, licet non ſit placitum Deo quoad malitiam, acceptari nihilominus quoad obligationem. Ita ergo nunc dicimus votũ, quod imprudenter fit, non placere Deo quoad imprudentiam, nec quoad malitiam: ſiquam inde contrahit, & nihilominus ſi ſufficienti deliberatione ſit, acceptari quoad obligationem. Secundo dicimus, non eſſe neceſſarium, vt votum ſic factum peccaminoſum ſit, ſæpius enim ſit bona intentione, & ex motiuo honeſto, & abſque circumſtantia, quæ imputari poſſet ad culpam, quia licet fortaſſe in re ipſa modus ſit ex ſe reprehenſibilis, & culpabilis: facile tamen accidere poteſt, vt hoc ipſum vel non aduertatur, vel ignoretur inculpabiliter. Et tunc actus vouendi non ſolum non erit peccatum, ſed etiam eſſe poteſt meritorius, ſi vouens in gratia ſit.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT X.

Vtrum ad votum ſit neceſſaria formalis deliberatio voti in ſe, vel virtualis, & in cauſa ſufficiat.

1. IN præcedenti capite præcipuè explicatum eſt, quæ intellectus cogitatio, ac conſideratio antecedat ordinariè ad deliberandum de voto priuſquam fiat, & quæ ſit ſimpliciter neceſſaria, quæ vero ad prudentẽ vouendi modum: in hoc autem capite præcipuè declarandum eſt, quæ aduertentia actualis intellectus neceſſaria ſit in eomet inſtanti, in quo votũ fit. Et ad hoc explicãdũ vtimur diſtinctione formalis, & virtualis deliberationis, qua vtitur Caietan. in d. artic. 1. & eſt ſimilis illi, quæ in materia de Sacramentis dari ſolet de intentione formali, & virtuali, de qua videri poſſunt dicta in 3. tom. diſput. 13. ſect. 3. Supponimus ergo ex dictis in capite præcedenti, ad votum neceſſarium eſſe, vt præcedat in intellectu deliberatio formalis de voto faciendo, ſiue ordine tẽporis, ſiue ſaltem naturæ. Difficultas ergo nunc eſt, An neceſſariũ ſit vt eadem formalis deliberatio duret vſque ad illud inſtans intrinſecum (vt ſic dicam) in quo voluntas vult obligationem voti ſuſcipere, vel ſatis ſit, quod præceſſerit, & virtus eius maneat eo tempore, in quo fit votum, quæ virtus appellatur virtualis deliberatio?

Caiet.

An ad validitatem voti neceſſaria ſit formalis deliberatio in inſtanti in quo emittitur?

2. Prima igitur ſententia eſſe poteſt, neceſſarium eſſe formalem deliberationem, neq; virtualem ſufficere. Ita ſentit Angl. 2. part. quæſt. de Voto art. 1. diff. 3. cap. 2. illatio. 2. & concl. 4. qui ita interpretatur opinionẽ Richardi. Probatur primò, quia voluntas, ſeu deliberatio in cauſa non ſufficit ad votum, alias votum ebrij eſſet validum, ſi eſſet præuiſum, quia eſt voluntarium in cauſa, quod conſtat eſſe falſum: at illa eſt deliberatio virtualis, ergo. Secundo, quia qui iurat, ex conſuetudine, licet ſubito promittat cum iuramento, ſe iturum Hieruſalem, ſi luſerit, &c. nõ obligatur voto, vel iuramento, & tamẽ factum eſt cum intẽtione virtuali, ergo. Maior patet, quia ſic promittens non habet animũ promittendi, qui eſt de eſſentia voti, immò fieri poteſt, vt licet habeat talem conſuetudinem, nũquam habuerit propoſitum, vel deliberationem vouendi. Minor etiam patet, quia ille peccat mortaliter ſic iurando, nam illud iuramentũ eſt voluntarium ſaltem in ipſa conſuetudine. Tertiò argumentor in hunc modum, Quia voti ſubſtantia conſiſtit in actu interno voluntatis, quo homo vult ſe obligare: ergo hic formaliter neceſſarius eſt: ergo etiam in eodem inſtanti eſt neceſſariũ iudicium ſufficiens ad illum actum, quia voluntas non fertur niſi in obiectum actu cogitatum, & iudicatum. Vel ergo illud iudicium prout tũc formaliter habetur, eſt ſufficiens, vt actus voluntatis ſit, vel non eſt ſufficiens. Si primũ dicatur, illa eſt formalis deliberatio: ſi vero dicatur ſecundum, actus voluntatis nõ erit ſufficiens ad obligationẽ voti, etiamſi deliberatio in intellectu præceſſerit. Probatur hoc vltimum (cætera enim per ſe clara videntur) quia ad votum neceſſarium eſt liberum propoſitum ſe obligãdi, vt probatum eſt: ſed illud propoſitum non eſt tũc liberum, vt in caſu ſupponitur: ergo non eſt ſufficiens ad obligandum. Dices, actum illum eſſe liberum per relationem ad præcedentem deliberationem. Sed contra: Nam hæc eſt libertas ſolum per denominationem extrinſecam, quæ ad moralem effectum non ſufficit, vt patet in voluntate ebrij, aut dormientis, de quo ſtatim dicemus.

1 Sententia. Angl.

3. Secunda opinio eſt, ſufficere virtualem deliberationem. Hanc videtur ſupponere Caiet. d. art. 1. Clarius, Nauar. c. 12. num. 26. verb. *Quinto*. Aragon. d. ar. 1. dub. 2. concluſ. 2. in vltim. verbis eius, quatenus ait, ad votum neceſſarium eſſe, quod fuerit volitum in ſe formaliter, aut virtualiter. Idem Ludou. Lopez 1. part. Inſtruct. cap. 43. verſi. 2. Et probari poteſt ex illo principio, quod illa deliberatio ſufficit ad votũ, quæ ſufficit ad peccãdum mortaliter: ſed deliberatio virtualis ſufficit ad peccandum mortaliter, vt conſtat: ergo. Secundo, actus virtualiter deliberatus eſt perfecte humanus, nam ſacerdos conſecrans ex virtuali intentione, vel citharœdus pulſans ex vi præcedentis applicationis, actum perfecte humanum facit: ergo qui vouet ſimili intentione, actum perfecte humanum facit: ergo verum votum emittit. Tertiò, intentio virtualis ſufficit ad Sacramentum conficiendum, & recipiendum: item ad orandum, imo ad imperandum: ergo & ad vouendum ſufficiet.

2. Sententia Caiet. Nauar. Aragon.

Lud. Lop.

4. Hæc vero videntur poſſe conciliari adhibita diſtinctione de virtuali deliberatione. Quædam enim eſt, quæ fundatur in præcedenti deliberatione formali eiuſdem actus, qui dicitur eſſe virtualiter volũtarius, ſeu deliberatus: & dicitur virtualis, quia non exiſtit eo tempore, vel momento, quo fit actus per illam deliberatus, licet actualiter, & formaliter præceſſerit, ſed moraliter cenſetur durare, & influere eo tempore, in quo fit actio. Qui modus virtualis deliberationis recte explicatur exemplo intentionis miniſtrandi Sacramentum, quæ formaliter aliquando præceſsit, & licet in ſe non duret, tamen eſſe virtualiter cenſetur, quando nec retractata eſt, nec influxus eius omnino ceſſauit, ſed ab illa adhuc mouetur homo ad operandum. Simile ergo poteſt accidere in præſenti materia, ſi quis deliberauit votum emittere, aut profiteri Religionem, poſtea vero eo tempore, ac momento, quo emittit votum, diſtrahitur ab illo actuali propoſito, & deliberatione: nam ea diſtractione non obſtante, cenſetur operari cum virtuali deliberatione, ac propoſito vouendi. Alio vero modo poteſt eſſe deliberatio virtualis, non quia fundetur in deliberatione, quæ præceſsit, ſed quia ita imputatur moraliter actus, ac ſi præceſsiſſet. Ita contingit in caſu de ebrio occidente hominem, ille enim nunquam propoſuit, vel deliberauit de hoc formali obiecto, vel actu homicidij in ſe, ſed quia deliberauit de cauſa, non adhibita ſufficienti diligentia, ne ſequeretur effectus, quem cauere debebat, ideo talis actus moraliter imputatur tãquam deliberatus. Et hoc modo dicitur virtualiter deliberatus in alio.

Conciliantur ſententiæ.

Quæ virtualis deliberatio ſit, ſufficiat ad votũ.

Alius modus deliberationis virtualis.

5. Poſterior ergo ſententia intelligenda videtur de virtuali deliberatione fundata in formali præcedẽte. Et in eo ſenſu illam ſuadent rationes ibi factæ. Et addere poſſumus exempla: conſtat enim multos, ac fere omnes, qui ſuſcipiunt ordinem ſacrum eo tempore, quo recipiunt ordines nõ cogitare actu de voto caſtitatis emittendo, immò nec de ordine, quem ſuſcipiunt: & tamen nemo dubitat, quin votum validum emittant ex virtute præcedentis deliberationis, cuius virtus tunc operatur. Idem contingere põt in profeſsione Religionis, & in emiſsione cuiuſcumq; voti ſimplicis, maximè ſi exteriori voce fiat: nam in voto pure mentali vix poteſt accidere, vel cogitari talis diſtractio, quia cum de illo formaliter deliberatur tunc ſubito, & ſtatim fit. Deinde hic modus deliberationis ſufficit ad peccãdum mortaliter per propriam, & internam culpã, vel culpæ augmentum, dummodo libertas in operando duret: quamuis non duret actualis aduertentia ad malitiã, & conſequẽtor neq; actualis deliberatio de peccato, vt peccatum eſt, vt latius oſtenditur in 1. 2. q. 6. artic. 8. Ergo eadem ratione ſufficit ad votum, iuxta principium ſuperius poſitum.

6. Ratio denique eſt, quia in eo caſu interuenit formalis voluntas vouendi, ex propria actuali deliberatione illius, & illa voluntas moraliter durat, quia retractata non eſt, vt ſupponimus, & illa eſt, quæ virtualiter influit in totam illam actionem: ergo ſufficit ad valorem, & moralem effectum talis actionis:

Ratio præcipua.

Et contra

Et confirmatur, quia vix fieri poteſt, vt homo aliter operetur humano, & ordinario modo loquendo: ad valorem autem voti ab homine facti, non eſt exigẽdus modus exquiſitus, & præter humanam conditionem. Item hac ratione homo poteſt obligari homini etiamſi eo tempore, quo obligatur, actu nõ cogitet de tali obligatione, vt patet clare quando quis obligatur per procuratorẽ: nam poſtea obligatur in virtute prioris voluntatis, quando de re illa nihil cogitat.

Dices, in eo caſu votum non virtualiter tantum, ſed formaliter etiam eſſe deliberatum. Patet, quia volũtas non dicitur deliberata niſi per denominationem à præcedenti deliberatione intellectus: ſed illa deliberatio, quæ præceſſit, formalis fuit, & voluntas illa non denominãtur deliberata à iudicio ſolo, quod cum illa ſimul eſt, ſed à collatione, & reſolutione, quę pręceſſit, & fuit formalis deliberatio ex qua illa voluntas origmem ducit.

Solutio. Reſpondeo primo, hoc pertinere ad quęſtionem de nomine: nam quod in re intendimus ſolum eſt, non oportere, vt actualis deliberatio formaliter ſit quando ſit votum, & licet ſit ab illa, tamen quia non eſt ab illa formaliter exiſtẽte, ſed virtute, ideo virtualis denominatur. Secũdo concedi poteſt, voluntatẽ illam, à qua principaliter naſcitur obligatio totius voti, eſſe formaliter deliberatam, licet voluntas illa, quæ adeſt, quando votũ perficitur ſolum ſit virtualiter deliberata. Quod magis in ſequentibus declarabitur.

8\. *Si non præceſſit formalis deliberatio ipſius voti in ſe, non ſufficit ad valorem illum virtualis deliberatio in cauſa.*

Secundò ergo dicendum eſt iuxta priorem ſentẽtiam, ſi non pręceſſit formalis deliberatio, & formale propoſitum deliberatum ipſius voti in ſe, non ſufficere ad valorem voti virtualem deliberationem in cauſa, ſeu per moralem imputationem. Probatur vnica ratione iam inſinuata, quia ad vouendum neceſſaria eſt formalis voluntas ſe obligandi voto, quę in ſe, ac formaliter libera ſit, & ad illud obiectum in ſe terminetur cum ſufficienti notitia illius, ſiue hæc voluntas actu duret, quando ſit votum, ſiue tantum eius virtus: ergo niſi præceſſerit deliberatio circa talem voluntatem, non poteſt votum eſſe validum, cum voluntas illa debeat eſſe deliberata. Conſequentia nota eſt, & antecedens patet, quia obligatio voti non ex his, quæ inuoluntarie oriri ſolent ex actionibus hominis (vt eſt obligatio ſatisfaciendi ex iniuria orta, vel ad pœnam ex culpa) ſed ex obligatione omnino voluntaria: ergo non contrahitur per moralem imputationem, ſed per directam voluntatem. Quod etiam videre licet in omni morali obligatione vnius hominis ad alium. Et ratio à priori eſt, quia ad contrahendam obligationem non ſatis eſt voluntas proferendi verba promiſsionis, ſed neceſſaria eſt voluntas promittendi, & ſe obligandi, vt ex ſupra dictis conſtat. At vero licet prolatio talium verborum poſsit eſſe voluntaria indirecte, ſeu virtualiter in cauſa, nihilominus vt eſt formalis promiſsio, & vim habet obligandi non poteſt eſſe voluntaria virtualiter, niſi virtute alicuius formalis voluntatis, ac deliberationis, quæ præceſſerit, quia vt obligatoria ſunt illa verba, non continentur in alijs cauſis, niſi formaliter vt talia ſunt, intendãtur. Quod magis declarabitur deſcendendo ad particulares caſus in fundamentis prioris ſententiæ inſinuatos.

9\. *Dubium an votum in ebrietate ſit validũ ante illam præuiſum.*

In priori ergo proponebatur caſus de illo, qui emittit votum in ebrietate, quod ante ebrietatẽ præuiderat. In quo aliqui concedunt tale votum eſſe validum, quia eſt ſufficienter voluntarium in cauſa, licet in ſe non fuerit volitũ. Fundanturq; in illo principio, quod voluntarium ſufficiens ad peccatũ mortale ſufficit etiam ad votum: illud autem voluntariũ ſufficit ad mortaliter peccandum. Sed procul dubio errant, illoque principio abutuntur neque Authores ſecundæ ſententiæ hoc concedunt, ſed expreſſe negant. Et patet, quia in primis in controuerſia eſt, an homicidium in ebrietate commiſſum, etiamſi præuiſum fuerit, dicendum ſit peccatum, vel tantum effectus peccati præteriti? Nam hoc poſterius multi probabiliter defendunt, de quo latius in 1.2. Deinde indubitatum eſt, in illo actu non eſſe nouam culpam, nec nouum demeritum apud Deum, ſed ad ſummum eſſe nouum actum externum, qui denominatur peccatum ab interiori voluntate, & culpa quæ præceſsit, & cum illa cõſtituit vnum peccatum, quod non habet aliam, vel nouam malitiam, præter eam, quæ fuit in voluntate præcedente: ergo ibi non eſt ſufficiens voluntas ad peccandum de nouo, ergo neque ad vouendum. Vnde axioma illud deliberationem ſufficientem ad peccandum mortaliter ſufficere ad vouendum, intelligendum eſt in ordine ad ipſam voluntatem internam, non in ordine ad denominationem actus externi. Intelligenda etiam eſt cum proportione, comparando ſcilicet voluntatem peccandi ad voluntatem vouendi, quæ alias ex obiectis ſufficiunt ad peccandum, vel ad vouendum, ſic enim deliberatio intellectus, quę ad vnam fuerit ſufficiẽs, erit etiam ad aliam. Tamen in obiectis eſt differentia, nam ad peccandum non eſt neceſſe velle formaliter malitiam, neque actum vt malum, ſed ſatis eſt velle actum cui coniũcta eſt malitia: ad votum autem non ſatis eſt velle proferre verba promiſsionis, ſed neceſſarium eſt velle aliquo modo ſub ratione promiſsionis, ſeu obligationis. Et ſic etiam locum habet quod alij dicũt, malum imputari ex quocumq; defectu: votũ autem, vtpote bonum, requirere perfectiorem volũtatem, & ideo non induci ex ſola indirecta voluntate in cauſa circa prolationem verborum promiſsionis, ſed poſtulare aliquam propriam voluntatem promittendi, & ſe obligandi.

Ad votũ nõ ſufficere proferre verba promiſsionis ſed neceſſe eſt velle ſe obligare ſub ratione promiſsionis.

Quocirca duobus modis potuit ſe habere circa votum, qui ante ebrietatẽ pręuidit, ſe ſolere in ebrietate vota emittere. 10. *Expenditur dubium de voto ab ebrio emiſſo.* Primo vt illud præuidens nõ habuerit voluntatem ſe obligandi, neque vllam aliam circa votum, ſed ſolum promiſsionem aliquam tacitam, vel expreſſam proferendi verba promiſſoria tempore ebrietatis. Secundo modo potuit ita ſe habere, vt velit valide vouere, & ſe obligare, ſi verba promiſſoria ebrius proferat. In hoc poſteriori caſu admitto illum manere obligatum, neque hoc eſt cõtra poſitam aſſertionem, quia iam ſupponitur habere, vel habuiſſe voluntatem formalem ſe obligandi. Vnde in eo caſu votum quoad ſubſtantiam factum eſt ante ebrietatem, fuit tamen veluti conditionatũ, ſeu pœnale, nimirum ſi promiſsionis verba in ebrietate proferret, & ideo obligatio non fuit orta, donec impleretur conditio. Neque enim repugnat votum fieri ſub tali conditione, quæ poſtea non pendeat ex noua libertate vouentis, vt ſi Deus me à tali periculo liberarit, vel ſi Pater conſenſerit. Eſtque optimum exemplum, ſiquis ita voueat, Si quempiam in ebrietate occidam, nunquam amplius vinum bibam, non eſt enim dubium, quin ex tali voto impleta conditione oriatur obligatio.

At verò ſi ebrius ſe geſsit primo modo, impoſsibile eſt talem promiſsionem eſſe validam, aut ex illa oriri obligationem. 11. Ratio eſt, quia ſola prolatio verbi promiſſorij, ſine voluntate vouendi, vel ſe obligandi, non inducit obligationem, neque eſt votum; in eo autem caſu ſolum inuenitur prolatio exterior, & ex parte voluntatis tantum eſt permiſsio quædam proferendi illa verba, vel ad ſummum (vt id gratis demus) eſt voluntas virtualis illa verba proferendi. Neutrum autem horum (ſi amplius non addatur) ſufficit ad votum, quia etiam volũtas formalis proferendi verba, ſi non adſit voluntas vouendi, aut ſe obligandi, non ſufficit ad votum, vt ſupra oſtenſum eſt. *Aliquorum reſponſio.* Dicunt aliqui volũtatem proferendi verba promiſſoria, dummodo non habeat coniunctam volitionem non vouendi aut ſe obligandi ſufficere ad votum, etiam ſi non adſit poſitiua voluntas vouẽdi,

Gutier.

obſcure loquitur Gutierr. lib. 2. Canon. quæſtionum cap. 22. num. 5. ait enim, motum primo primum non ſufficere ad votum, ſed neceſſarium eſſe motum ſecundo primum, in quo ſola eſſe poteſt venialis culpa. Et in num. 8. & 9 ſolum excludit motum primo primum, & in fine n. 9. ait cum Angles, quem refert, non deſiderari maiorem libertatem ad promittendum, quam ad obſeruandum promiſſum. Vnde ſumi poteſt argumentum. Nam ad violandum votum per peccatū veniale ſufficit motus ſecundo primus: ergo ad faciendum votum obligans ſaltem ſub veniali ſimilis libertas ſufficiet.

7. *Libertas imperfecta quæ eſt in motu ſecundo primo, non ſufficit ad votum.*

Nihilominus dicendum eſt ſolam libertatem imperfectam, quæ eſt in motu ſecundo primo, non ſufficere ad aliquem valorem voti, nec ad aliquam obligationem etiam ſub veniali. Ita ſentiunt Auctores citati, cum quibus etiā ſentit Gutier. n. 7. Ratio reddi poteſt, quia obligatio ſub culpa veniali eſt res grauis, ergo non poteſt illam homo ſibi imponere ſine deliberatione ſufficiente ad actum ſimpliciter humanum, & liberum. Item quia lex obligans ad culpam venialem non poteſt imponi ſine maturo, & deliberato conſilio: ergo nec votum, quod eſt veluti priuata lex poteſt aliter obligare. Vel maxime, quod quātitas obligationis pendet ex materia, in quā votum, vel lex cadit, & ideo ſi ex illo actu oriretur obligatio, eſſet iuxta totam capacitatē materiæ: præſertim ſi per directam intentionem non limitaretur ad leuem obligationem. Deniq; non eſt eadem ratio de tranſgreſsione veniali voti, & inductione obligationis, quia licet culpa venialis propter ſuam imperfectionem committi poſsit per illam imperfectam libertatem, obligari ad opus aliàs liberum, ſub quacumq; culpa etiam veniali requirit perfectam libertatem, quia illud ipſum eſt res ſatis grauis & maxime moralis, pertinensq; ad perfectum vſum liberum actionum humanarum. Facit etiam, quod votum ex genere ſuo, & quantum ex ſe eſt actus virtutis, & Diuini cultus, & ideo ex hoc capite requirit etiam libertatem maiorem, quam ad veniale lapſum ex ſurreptione ſufficiat. Relinquitur ergo, vt omne votum quomodocumq; obligans eſſe debeat ſimpliciter liberum, morale, & humanum.

8. *An ſaltē de potentia abſoluta poſſit eſſe validum votum abſque libertate indifferentia.*

Dubitabit vero aliquis, an ſaltem de potentia abſoluta poſsit eſſe verum, & validum votum abſque hac libertate indifferentiæ. Verbi gratia, ſi Deus neceſsitaret voluntatem, vt cum perfecta aduertentia intellectus, & iudicij, ex neceſsitate quoad ſpecificationem, & exercitium vellet promittere, & ſe obligare ad caſtitatem ſeruandam, an in eo caſu verum ſit votum, ita vt ex illo oriatur obligatio? Videtur enim ita eſſe aſſerendum: quia ille actus licet non ſit liber ob extrinſecam motionē, nihilominus intrinſece eſt perfecte rationalis, & perfecte voluntarius, quia ſit cum perfecta aduertentia rationis, vt ſupponitur: ergo hoc ſatis eſt, vt ex tali voluntate oriatur obligatio. Aliàs Deus fruſtra moueret hominem illo modo ad talem actum, quia licet homo maxime velit, non poteſt ſe obligare volendo illo modo, ſcilicet abſque libertate.

9. *Reſolutio dubij pro parte negatiua.*

Nihilominus cenſeo, adeo eſſe conditionē hanc eſſentialem voto, vt non poſsit abſque illa votum eſſe validum in ratione promiſsionis ſufficientis ad obligationem inducendam. Ratio eſt, quia licet ille actus voluntatis ex parte rationis habeat obiectum ſufficienti modo propoſitum, & quoad entitatem, & bonitatem ſit in eadem ſpecie actus cum actu libero, nihilominus ſimpliciter non eſt actus moralis, ex actu autem morali non poteſt moralis obligatio oriri. Item in eo caſu homo non ſe mouet per illum actum, ſed mouetur, & neceſsitatur à Deo: ergo neq; ſeipſum obligat: nā ſe obligare eſt moraliter ſe mouere, & ad alium ordinare. Item impoſsibile eſt hominem illo modo peccare, aut mereri: ergo & ſe obligare. In illo igitur caſu poterit Deus, ſi velit obligationem imponere, ſicut imponit neceſsitatem: non tamen poterit facere, vt homo ipſe ſe obliget per talem actum, quia hoc inuoluit repugnantiam. Et ideo nunquam Deus inferet talem neceſsitatem ad huiuſmodi actum volendi ſe obligare, propter moralem ſuperfluitatem, & quaſi otioſitatem, quamuis alioqui phyſicam contradictionem non inuoluat. Conſequenter autem interrogandum ſtatim occurrit, an minor neceſsitas, quæ libertatem non omnino tollat, voto repugnet, ſcilicet neceſsitas metus, vel violentiæ humanæ, cui opponitur tertia libertas initio poſita, quam à coactione, & metu appellauimus, de qua in capite ſequenti dicemus.

Capvt VII.

Vtrum libertas à coactione, & metu ex natura rei ſit neceſſaria ad valorem voti, vel è conuerſo, an metus irritet votum iure naturæ?

SVpponimus ex D. Thom. 1. 2. q. 6. propoſitum voluntatis nunquam eſſe poſſe omnino coactum, quia voluntati quoad actum elicitum nō poteſt violentia inferri, quia talis actus per ſeipſum, & intrinſece voluntarius eſt: quod autem eſt voluntarium, non eſt ſimpliciter, & abſolute coactum. In hoc ergo ſenſu manifeſtum eſt, propoſitum neceſſarium ad votum non poſſe eſſe ſimpliciter coactum, quia eſt actus elicitus à voluntate, & abſolutus, qualis explicatur hac voce *volo*, qui per ſe, & intrinſece voluntarius eſt. Imo licet non cum tanto rigore de coactione loquamur, ſed prout dicit, neceſsitatem ineuitabilem, certum eſt, per humanam coactionem non induci talem neceſsitatem in actu elicito voluntatis, de quo loquimur, etiamſi ad exteriores nolens interdum cogatur, vt ſentit Innocent. III. in cap. *Sacris*, de Iis, quæ vi, & in c. *Maiores*, §. *Itē quæritur*, de Baptiſmo. Difficultas ergo ſolum eſt de coactione quadā morali, quæ homini fieri ſolet per inflictionem alicuius mali, vel comminationem eius, vt illius vitandi cauſa ad vouendum inducatur: hæc enim vis, vel potius metus, licet non tollat omnino voluntarium, minuit tamen, quia homo ratione illius vult, quod aliàs nollet, ſi liber eſſet à tali metu. Ideoque dubitatur, an hæc diminutio voluntarij impediat votum, ita vt de ratione eius ſit libertas etiam ab huiuſmodi coactione, quod hic tractamus ex natura rei tantum, ſeu ſtando in ſolo naturali iure, aut Diuino, in ſequenti vero capite dicemus de Iure Eccleſiaſtico.

1. *D. Thom.*

Innoc. 3.

In quo conſiſtat ſenſus quæſtionis, & de qua coactione hic agendū.

2. *Ex quibus cauſis oriatur metus.*

Vt ergo certa ab incertis ſeparemus, ſuppono metum interdum oriri ex imminentia mali prouenientis ex naturalibus cauſis, vt ex graui morbo, ex naufragij periculo, & ſimilibus: interdum vero ex hominis actione violenta, quæ interdum poteſt eſſe iuſta, interdum iniurioſa. Ac deniq; aliquādo poteſt metus immitti directe ad extorquendum votum, vt ſi mater minetur filiæ grauem vexationem, niſi voueat caſtitatem, aut Religionem: aliquādo vero metus eſt occaſio voti, licet directe non fiat ad illum finem, vt ſi inimicus minetur alicui mortem in vindictam, & inde alter moueatur ad votum faciendum, vt ab illo periculo Diuina ope liberetur.

3. *Votū factū ex quocumque metu prouenientē à cauſis naturalibus validitatem voti non impedit.*

D. Thom.

Ariſtot.

Primo ergo certum eſt, votum factum ex quocumq; metu proueniēte à cauſis naturalibus, etiamſi grauiſsimus ſit, non obſtare, quominus votum illa occaſione factum validum ſit, & obliget: eſt res certa, & communis. Ratio eſt, quia metus non tollit libertatem ſimpliciter, nec voluntatem, ſeu voluntarium: ergo non obſtante metu, homo per talem voluntatem obligatur Deo. Antecedens conſtat ex D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6. & ex Ariſtot. lib. 3. Ethic. cap. 1.

Et ratio

Digitized by Google

Et ratio eſt, quia ille dicitur ſimpliciter, & abſolute velle, qui actu abſoluto & efficaci aliquid eligit hic, & nunc, vt illud ſua voluntate faciat, etiamſi ſimul habeat ſimplicem diſplicentiam, qua nollet id facere, ſi abſque illo incommodo poſſet: ita vero ſe habet, qui ex timore alicuius mali vult vouere, eligit enim hic, & nunc hoc medium tanquam ſibi conueniens, vel neceſſarium ad finem vitandi malum. Hoc autem nihil impedit ad valorem voti, quia neque intentio illius finis reddit materiam illius voti malam, vt per ſe notum eſt, neque etiam excludit, quin illa electio ſit per actum prouenientem ab intrinſeco appetitu cum perfecta cognitione, & iudicio omnium circumſtantiarum occurrentium: in quo conſiſtit, actum illum eſſe ſimpliciter voluntarium: vnde conſtituit hominem ſimpliciter & abſolute volentem, nam voluntas coacta, voluntas eſt, leg. Si *mulier* §. penult. ff. Quod metus cauſa, cum alijs ſupra de Iuramento adductis. Eſt denique actus ille liber, quia non obſtante metu, poſſet non fieri. Vnde confirmatur: nam ſi actus eſſet de ſe malus, libertas illa ad peccandum mortaliter ſufficeret: ergo & voluntas metu extorta ſufficit ad obligandum Deo per votum: nam eadem eſt vtrobique ratio, quam de peccatis attingit Auguſt. in cap. *Merito*, 15. q. 1. & q. 24. in Numer. dicẽs, peccata per metum commiſſa non eſſe peccata nolentium, ſed volentium, quia licet ſic peccans aliàs nollet peccare, quia peccatum ſecundum ſe ac ſimpliciter ſpectatum illi diſplicet, tamen hic, & nunc libere vult peccatum, vt medium vtile ad vitandum malum, quod metu imminet. Hæc autem ratio æque de voto procedit, nam voluntas, quæ ſufficit ad obligandum hominẽ diabolo, ſufficiet ad obligandum Deo.

l. Si mulier.

Auguſt.

4. *Inſtantia.* Dices, non eſſe ſimilem rationem, quia Deus nullo modo offendi vult ab homine, nec voluntate omnino ſpontanea, neq; illo modo coacta, quia merito vult offenſionem ſuam maiori odio haberi, quàm quodlibet aliud malum, & ita abominatur quodcumq; peccatum etiam illo modo coactum. Secus autem videtur eſſe in obſequijs, inter quæ votum computatur: vult enim Deus obſequia ſpontanea, non autem coacta, & ideo licet homo velit ſe obligare coactus tantũ ex metu, Deus non acceptat illud obſequium, & ex hac parte obligatio irrita manet.

5. *Solutio.* Reſpondetur, in primis falſum eſſe, Deum generatim, & in vniuerſum non velle acceptare obſequia metu facta: quin potius communis modus trahendi homines ad obſequium ſuum eſt, terrendo illos, & incutiendo timorem, vt docuit Concil. Tridentin. in ſeſsio. 6. ca. 6. & ſeſſ. 14. cap. 4. & in materia de Pœnitentia latius declarauimus. Deus enim gubernat homines modo accommodato naturæ illorum: eſt autem hæc hominis conditio, vt nũc metu, nunc vero amore ad bonum agendum inducatur: & ideo vtraque obſequia Deus acceptat, quia vtraque bona ſunt, licet vnũ ſit melius alio. Quod in præſenti materia conſtat euidentibus exemplis, & quotidiana experientia: nihil enim frequẽtius eſt, quam in naufragijs, & infirmitatibus, aliiſque mortis periculis vota emittere ex deſiderio euadendi mortem, eiuſque timore. Sicque Iſraelitæ victi à Chananæis voto ſe obligarunt Numer. 21. & Dauid ait Pſal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea*: & ſubiungit: *Et locutum eſt os meum in tribulatione mea.* Ergo licet talia vota ſint quodam modo coacta, valida ſunt, & Deo accepta. Et ratio eſt optima, quia licet reſpectu cauſarum ſecundarum huiuſmodi pericula, & metus illorum naturali quodam curſu eueniant: nihilominus reſpectu Diuinæ prouidentiæ fiunt ſæpe ſpeciali ordinatione & intentione mutandi voluntatem hominis, & obtinendi ab illo aut votum, aut aliquam aliam operationem bonam, & voluntatis conſenſum in illam. Quia finis iſte bonus eſt, & medium etiam eſt vtile: & accommodatum conditioni hominis, & Deus vt ſupremus gubernator, & Dominus habet ius vtendi illo. Sic ergo per tribulationes & pericula inducit homines ad vota emittenda: ſunt ergo talia vota valida, nõ obſtante metu. Et hic eſt communis ſenſus Eccleſiæ, & ſumitur ex c. *Sicut* 1. & 2. de Regul. & cap. *Litteraturam*, de Voto: quibus locis id notant Scribentes.

Conc. Trid.

Pſal. 65.

Cap. Sicut. Cap. Litteraturam.

6. Obiici vero poteſt cap. *Gonſaldus* 17. quæſt. 2 de quo ibi refertur, in infirmitate feruore paſsionis preſſum, monachum ſe fieri promiſiſſe, non tamen ſe tradidiſſe Abbati, aut monaſterio, nec promiſsionem ſcripſiſſe, ſed beneficium, quod habebat, renunciaſſe: & tamen reſpondet Pontifex, illi eſſe beneficium reſtituendum, vt quiete illud retineat, eoque fruatur. Sentit ergo, promiſsionem metu mortis factam nullam fuiſſe, alioquin non eſſet ille Gonſaldus libere permittendus in ſæculo permanere cum beneficio ſæculari.

Cap. Gonſaldus.

7. Reſpondetur, Pontificem in eo textu tantum docere, illum per talem actum non fuiſſe factum Religioſum, quod non fundat in metu, ſed quia non egerat probationis annum, neque aliquem actum, quo oſtenderet profeſsionem emittere, renunciãdo anno probationis, quod tunc fieri oportebat. Vnde per argumentũ à contrario, potius textus ille probat aſſertionem poſitam: ſupponitur enim ibi, futuram fuiſſe profeſsionem validam, non obſtante metu mortis, ſi cætera neceſſaria cõcurriſſent. De promiſſione autem ſeu Voto ſimplici nihil dixit Pontifex, non quia per ſe non obligat, ſed quia nõ reddit perſonam incapacem beneficij, de quo ibi agebatur. Vt autem ſupra dicebam (quod etiam hic confirmatur) quando ſimplex promiſsio Religionis non prodit in aliquem exteriorem actũ, à quo fiat proteſtatio talis Voti, & aſſumatur, vel inchoetur aliquo modo ille ſtatus, non cogitur quis in foro exteriori Votum illud ſeruare, ſed conſcientiæ ſuæ relinquitur. Eo vel maxime, quod ibi non conſtiterat Pontifici, Votum illud fuiſſe validum, quia non ſolum dicitur fuiſſe factum in infirmitate, ſed etiam in feruore paſſionis, quæ poterat eſſe tanta, vt iudicium rationis alienaret: & ideo Pontifex de illo Voto nihil dixit, ſed reliquit conſcientiæ vouentis. Præſertim cum de illo non fuiſſet interrogatus, ſed de beneficio, quod non amittitur propter tale Votum: nec fortaſſe renũciatio, quæ ibi narratur, valida fuerat, quia non in manu Epiſcopi, ſed aduocati, & ordine perturbato fuiſſe refertur.

Expenditur difficultas præſentis capitis.

8. Dico ſecundo, etiamſi metus proueniat ex actione hominis iniurioſa, ſi nõ directe ſit ad extorquendum Votum, non obſtat valori Voti ea occaſione facti. Hæc etiam aſſertio eſt certa, & communis. Sumitur ex loco Numer. 21. citato, & ex vſu Chriſtianorum omnium, qui in bello cũ Turcis, verbi gratia, vel in diuturna captiuitate Votum emittunt, ex metu, vel tædio tanti mali, quod iniuſte patiuntur: & nihilominus ſine dubio talia Vota valida ſunt. Ratio eſt eadem, quæ in ſuperioribus data eſt, nam hic nihil occurrit ſpeciale, quod poſsit annullare Votum: nam quod cauſa proxima talis metus libera ſit, & per iniuriam malum illud inferat, nihil refert ad validitatem voti tollendam. Maxime quia Deus nec eſt Author talis iniuriæ, quatenus talis eſt, neque acceptando votum occaſione illius factum, facit iniuriam, ſed potius vtitur iure ſuo, vt ex ſequenti puncto magis patebit.

Licet metus proueniat ex actione hominis iniurioſa, ſi tamen non fiat directe ad extorquendum Votum non obſtat eius Valori.

9. *1. Sententia.* Difficultas ergo ſupereſt, quando metus directe immittitur ad extorquendum votum. In qua prima ſententia eſt, votum ſic factum eſſe nullum iure naturæ. Ita videtur ſentire Bonauent. in 3. d. 36. artic. 3. quæſt. 2. ad 1. tum quia in hoc ponit differentiam inter iuramentum, & votum, quod iuramentum metu factum obligat in conſcientia, non autem votum: tum etiam quia id fundat in ratione naturali, quod Deus non acceptat ſacrificia coacta. Clarius, & latius

Bonau.

tius

Soto. Gloſ. Panorm.

tius hoc docet Soto libr.7. de Iuſt. quæſt. 2. articulo 1. ad 2. Idem ſentit Gloſſa in cap. 1. & in cap. *Abbas*, de His, quæ vi, vbi Panormitan. num.11. qui videtur loqui etiam de iure naturali, nam vtitur fere ratione Bonauent. Idem fere habet in cap. *Sicut nobis*, de Regular. num. 4. ſequitur Angel. verb. *Metus*, num. 7. & 8. & ibi Roſell. Idem ſentit Nauarr. cap.12. num. 54. & 52. licet ſolum dicat, votum metu factum eſſe nullum de Iure, citat Fortunium de Vltimo fine, illat. 21. num.418. Nec clarius loquitur idem Nauarrus lib.1. Conſil. conſil. 2. 3. & 4. vbi eandem ſententiam indicat, & dicit, eſſe communem. Pro hac ſententia adducuntur varia Iura, quæ magis videntur poſſe facere ad ſecundum ſenſum propoſitum, & ideo infra examinabuntur.

Angel. Roſel. Nauarr.

10. *Ratio præcipua.* Ratione igitur tantum agendum eſt. Prima & præcipua eſt ſupra inſinuata, quia Deus non acceptat tale votum, quia non vult ſacrificia coacta, & quia non acceptat, niſi quod eſt bonum: nihil autem eſt bonum, & acceptum Deo, niſi voluntarium, iuxta ſententiam Ambroſij in cap. *Non eſt quod*, 15. q.1. Secundo argumentatur Soto, quia voti obligatio ab arbitrio vouentis ortum habet: ergo naturale eſt, vt ſi voluntas neceſsitate compellitur, votum non ſit legitimum. Confirmatur, quia votum eſt opus conſilij, cui metus, viſque repugnant. Tertio argumentari poſſumus à ſimili de matrimonio, quod metu graui contractum cenſetur à multis iure ipſo naturæ inualidum, vt videre licet in Diuo Thoma, Scot. & alijs in 4. d. 29. & latiſsime in Sancio lib. 4 de Matrim. per totum: videtur autem eſſe eadem ratio de voto: ergo. Quarto argumẽtari poſſumus, quia votum non obligat ad ſui obſeruationem imminente metu mortis: ergo neq; obligat factum ex tali metu. Conſequentia tenet à paritate rationis. Antecedens autem probatur, quia votum non obligat ad ſui obſeruationem cum tanto rigore. Quinto argumentor, Quia ſemper infertur iniuria ad extorquendum votum: nemo autẽ obligari debet ex iniuria, quam paſſus eſt, nam ſicut inferenti iniuriam vel fraudẽ, non debet iniuria aut fraus patrocinari, ita ei, qui iniuriã patitur, non debet iniuria nocere, aut eſſe cauſa, vel fundamentum obligationis. Nec Deus talem promiſsionem per iniuriam extortam acceptat, ne illam approbare videatur: vnde nec inter homines poteſt talis promiſsio rationabiliter acceptari.

Amb.

D. Thom. Scot. Sanc.

11. Sexto, quia in eo caſu multo magis eſt votum inuoluntarium, quam in ſuperioribus: nam in illis licet votum videatur emiſſum ex timore mali, quod homo vitare cupit: tamen ſuppoſito illo timore, votum non ſolum eſt ſimpliciter, ſed etiam omnino voluntarium, ſine admixtione alicuius inuoluntarij, per aliquam nolitionem vel ſimplicẽ diſplicentiam. Nam qui in naufragio, vel alio ſimili mortis periculo, etiam proueniente ex actione hominis, alia de cauſa mortem inferre volentis, promittit aliquid Deo, vt ſe à tali periculo eripiat, nõ habet hunc actum, *Nollem vouere*, neque hunc, *Si non eſſem in hoc periculo non vouerem*: cum enim intendat placare Deum, potius conatur hic, & nunc facere votum eo modo, quo Deo placet. Et ideo fieri non poteſt, vt illum actum audeat habere, ſpontaneæ promiſsioni multum repugnantem, & oſtendẽtem, votum illud procedere ex timore pure ſeruili: eſt ergo illud votum in ſe omnino voluntarium, quamuis occaſio emittendi illud ſit inuoluntaria. At vero in hoc vltimo caſu votum illud eſt mixtum formali inuoluntario: nam re vera ille homo nollet votum emittere, & per formalem affectũ ſolet id explicare, quia per votum illud non intendit placare Deum, ſed ſolum ſatisfacere voluntati hominis comminantis mortẽ, niſi votum emittat: & ideo ſolum id facit, quia ad hunc finem neceſſarium eſt, miſcetq; de inuoluntario, quantum poteſt. Ergo non videtur tale votum fieri cum voluntate ad obligandum ſufficiente.

12. *Secunda ſententia tenenda, Validũ eſſe votum per metum graue emiſſum, ſtando præciſe in iure naturali aut Diuino.* Nihilominus verius eſt, etiam in eo caſu validum eſſe votum ſtando præciſe in Iure naturali, aut Diuino. Ita tenet Sylueſt. verb. *Metus*, q.8. Soto in 4. d. 29. q.1. art.3. vbi idem ſentit de matrimonio, & conſequenter etiam de Voto. Vnde pro eadem concluſione referri poſſunt omnes, qui de matrimonio idẽ ſentiunt, qui videri poſſunt in Sancio, d. lib. 4. diſp. 14. nu. 2. in fine, & præterea de Voto id explicat Aragon. q.88. art. 3. Henr. de Matrim. lib.1. c.9. num.1. & 3. Med. 1. 2. q.6. art. 6. & ex Iuriſperitis tenet hanc ſententiam Cardin. in cap. *Abbas*, de Iis, quæ vi, & Calder. Conſil. 1. & idem ſentit Nauar. d. c. 22. n. 51. Fundamentum, quod me maxime mouet, eſt, quia nullam inuenio naturalem rationem, quæ ſufficienter oſtendat, votum ſic factum eſſe inualidum: non poſſumus autem affirmare, eſſe actum inualidum Iure naturæ ſine ratione ſufficienter id oſtendente.

Sylueſt. Soto. Sanc. Aragon. Henriq. Medin. Cardin. Calder. Nauarr.

13. *Fundamentum huius ſententiæ.* Hoc autem fundamentum in hunc modum declaro, quia in illo modo extorquẽdi conſenſum circa votum, vel conſideratur ratio iniuriæ, aut ratio inuoluntarij, quod ex illa reſultat: ex neutro autem capite ſumitur ratio annullandi tale votum. De iniuria patet primo, quia etiam in alio caſu ſecundæ aſſertionis intercedit iniuria, quamuis non ſit directe ordinata ad extorquẽdum votum. Secundo & maxime, quia Deus, cui fit votum, non eſt author iniuriæ, & quamuis illam permittat, iure tamen, ac merito poteſt illam permittere, etiã propter illum finem eliciendi ab homine voti conſenſum: ergo iniuria, quæ ab homine infertur, impertinens eſt, vt votum Deo factum irritum fiat. Neque enim illa eſt ſufficiẽs ratio, ob quam Deus non acceptet votum illud. Neque etiam propterea reportatur incommodum ex paſsione iniurioſa, quia habere votum non eſt aliquod incommodum, vel nocumentum, per ſe loquendo, ſed potius eſt maius animi bonum. Et in his omnibus eſt magna differentia inter promiſsionem Deo factam, vel homini, & ideo non licet ab vna ad aliam argumẽtari. Quidquid ergo ſit de promiſsione, & contractibus humanis, de quibus nunc nihil definimus, in voto nihil profecto facit ratio iniuriæ.

Et confirmatur primo, quia ſi ratio iniuriæ ad hoc ſufficeret, etiamſi metus eſſet leuis, dummodo oriretur ex iniuria ſufficiente ad peccatũ mortale contra iuſtitiam, ſufficeret ad annullandum tale votum. 14. Conſequens eſt falſum: ergo. Sequela eſt clara, eamque plane concedit, & recte probat Nauarr. cap.17. num.30 & cap.22. n.51. verb. *Septimum*, & conſ. 3. de Iis, quæ vi num.9 Falſitas autem conſequentis videtur ſufficienter probari ex iure, quia non reprobat vota etiam ſolennia metu leui facta: ergo ſignum eſt ex naturali iure non eſſe inualida: aliàs iniuſte cogeretur homo ad talia vota ſeruanda. Nec dici poteſt, Eccleſiam in hoc procedere ex præſumptione, quia de qualitate metus ſatis poteſt conſtare, & de iniuria: ergo ſi hæc ſufficit ad irritandum ex natura rei, cur nõ in foro Eccleſiæ? Tandem confirmatur, nam iuramentum per iniuriam extortum ad confirmandam promiſsionem homini factam, validum eſt, & obligat propter reuerentiam Dei, iuxta cap. *Debitores*, cap. *Si vero*, de Iureiur. ergo etiam votum directe extortum per iniurioſam vim, validum eſt propter Diuinam reuerentiam, non obſtante hominis iniuria. Patet conſequentia, quia non minus ſpectat ad reuerentiam Dei obſeruantia voti, quam iuramẽti: tum etiam, quia ſicut iniuria ab homine facta in extorſione iuramenti nõ tollit, quominus Deus honoretur ſui nominis obſeruantia, ita etiã in voto nõ obſtat, quominus Deus illud acceptet, & velit fidẽ ſibi datam ſeruari. Aliqui aſsignant differentiã quia votum eſt per ſe ad obligandum, non ita iuramentum, ſed nihil confert, tum quia iuramentum etiam eſt ad confirmandam obligationem, tum etiã quia potius illa ratione debet eſſe maior obligatio in voto, cæteris paribus, quia magis per ſe eſt ad obligandum.

Nauarr.

Cap. Debitores. Ca. Si vero.

Altera

Digitized by Google

15. Altera vero pars de Inuoluntario probari ſolet: quia hæc vis ab homine illata, nullo modo cogit ad præbendum conſenſum voluntatis in Voto, ſed ſolũ ad proferendum exterius verba promiſsionis: nam hoc ſufficit ad euadendum periculum ab homine illatum: ſi ergo tunc adhibetur voluntatis propoſitũ, illud eſt mere voluntarium. Sed hæc ratio mihi non probatur, nam licet conatus hominis inferẽtis vim eludi poſsint per nuda verba promiſsionis, tamen is, qui illa profert, non poteſt abſque peccato, & mẽdacio illa proferre, nõ habens propoſitum vouẽdi, aut implendi promiſſum: ergo ex vi illius metus cogitur habere illud propoſitum, vt poſsit exteriorẽ promiſsionẽ vere, & abſque peccato proferre. Hoc autẽ ſatis eſt, vt non minus coacte, & inuoluntarie habeat propoſitum, quam proferat verba promiſſoria: nam is, qui per metum cogitur ad habendum actum interiorem, vt poſsit ſine peccato facere exteriorem, ad quem faciendum etiam cogitur, grauem violentiã moralem patitur, quæ ex hoc capite ſufficit ad metum cadentem in conſtantem virum.

16. *Aliquod inuoluntariũ in metu intercedere.* Concedo igitur intercedere voluntarium admixtum alicui inuoluntario: tamen quia voluntas vouendi eſt abſoluta & efficax, diſplicentia vero voti eſt tantum per voluntatem conditionatam, ſeu ſimplicem affectum quem nolleitatem vocãt, ideo tale votum ſimpliciter volũtarium eſt. Nam cum homo eſt affectus duobus actibus, vel qualitatibus aliquomodo repugnantibus, illa ſimpliciter vincit, quæ efficacior eſt: ad valorem autem voti ſufficit voluntarium ſimpliciter etiamſi alioquin miſceatur inuolũtarium ſecundũ quid ergo ex hoc etiam capite validum eſt tale votum. Et confirmatur, nam aliquando poteſt votum extorqueri per metum mortis directe ad hoc immiſſum abſq; iniuria, vt verbi gratia, ſi maritus minetur vxori adulteræ mortẽ eo modo, quo iuſte poteſt, niſi Religionẽ voueat. In quo caſu quãtum attinet ad rationem voluntarij non minus miſcetur inuoluntarium ſecundũ quid voluntario ſimpliciter, quam ſi comminatio illa eſſet iniurioſa, vt aperte conſtat: & tamen in eo caſu votum illud validum eſt. Nam & matrimonium iuſto metu contractum validum eſſe, communior ſententia fert, vt late refert, & ſequitur Sanci. d. li. 4 diſp. 13. *Sanci.* ergo à fortiori idem eſt dicendum in voto: ergo ob defectum voluntarij non eſt inualidum tale votum, etiamſi actio iniurioſa ſit.

17. Dices, nec ſolam iniuriam, nec ſolum inuoluntarium ſecũdum quid ſufficere, vt tale votum reddatur inualidum: illas vero duas conditiones ſimul iũctas ſatis eſſe. Verumtamen hæc fuga voluntaria eſt, ſolumque ad eludendam vim rationum conficta: nã cum illæ conditiones ſint diuerſarum rationum, & neutra in ſuo ordine habeat vim ad illum effectum, quamuis ſimul concurrant, non componunt vnam cauſam fortiorem, aut validam ad impediendũ votum, ſed quaſi per accidens aggregantur plures conditiones per ſe ſufficientes. Denique voluntarium illud in ſuo ordine ſufficit non exiſtente iniuria, & iniuria talis eſt impertinens ad valorem, & inualiditatẽ voti: ergo q; illa duo ſimul concurrant, eſt impertinens. Relinquitur ergo, libertatem ab hac coactione non eſſe de neceſsitate, vel ſubſtantia voti: atque adeo ex natura rei nullum votũ eſſe inualidum ratione ſolius metus.

18. *Soluuntur oppoſita rationes.* Neque huic reſolutioni obſtant rationes alterius ſententiæ, quin potius earum reſponſa noſtrum fundamentum confirmabunt, nimirũ, quod talis nullitas iure naturæ non probetur. *Ad primã.* Ad primam ergo negatur aſſumptum, ſcilicet Deum non acceptare talia vota. Cum autem dicitur, Deum non acceptare ſacrificia coacta, intelligitur de coactis proprie, & rigoroſe, quæ ſine conſenſu fiunt, ſicut non condemnat extrinſecam thurificationem idoli, per coactã motionem manus factam ſine conſenſu volũtatis. At vero ſicut damnat ſacrificium idolo factum per metũ, etiamſi ſit coactum ſecundum quid, ita etiam acceptat ſacrificia de ſe bona, & Religioſa etiãſi metu fiãt. Et ita explicuit propoſitionẽ illam Gratia. 13. q. 6. §. *Gratian.* vltim. ad finem, eamq; late comprobat, & ſumitur ex *Aug.* Aug. Epiſt. 48 & 50 Vnde quod in illa ratione ſubiũgitur, nihil eſſe acceptum Deo, niſi volũtarium, ſi intelligatur de voluntario ſimpliciter per verum conſenſum, verum eſt, & ita dicimus eſſe voluntarium tale votũ: ſi vero intelligatur de voluntario ſine vlla mixtione innoluntarij, falſum eſt. Quia vt ait Aug. d. Epiſt. 48. *Non eſt conſiderandum, quod quiſque cogitur, ſed quale illud eſt, quo cogitur, vtrum bonum, aut malum, non quod quiſq; bonus poſsit eſſe inuitus, ſed timendo, quod non vult pati, volens iam tenet, quod nolebat.*

19. *Ad ſecundã.* Ad ſecundam diſtinguo conſequens quoad particulam illam *legitimum*, ſi enim tantũ ſignificet, non recte fieri ſeu non legitime, & iuſte ex parte cogẽtis, ſic conceditur totum: ſi vero inde inferatur non eſſe legitimum votum, id eſt, validum, negatur cõſequẽtia, quia licet votum natura ſua poſtulet, ſine neceſsitate, & coactione fieri, nihilominus factũ tenet, quia multa male fiunt, quæ facta tenent. Maxime cum hic malitia non ſit ex parte vouentis, nec ex parte Dei acceptãtis, ſed ex parte inferentis metum, cuius malitia poteſt Deus iuſte vti ad bonum effectum. Neque plus probat cõfirmatio, nam operi conſilij repugnat coactio, ſecundum iuſtitiæ ordinem, non tamen repugnat valori eius, vt patet, quando coactio etiã iniuſta eſt occaſio voti.

20. *Ad tertiam. Matrimonium metu factum non iure naturæ, ſed Eccleſiaſtico eſſe irritum probabilius aſſeritur.* Ad tertiam. Primo probabilius fortaſſe eſt, matrimonium metu factum nõ iure naturæ, ſed Eccleſiaſtico eſſe irritum. Deinde non eſt omnino eadem ratio, quia matrimonium eſt contractus humanus, vnde ſi fiat per iniurioſum metũ ſaltẽ ratione iniurię poteſt videri irritum, quia iniuria inter homines videtur eſſe ſufficiens ad inualidandos contractus inter eoſdem. Item matrimoniũ eſt vinculum perpetuum, & habet alia onera, ratione quorũ fortaſſe ex natura rei poſtulat integram libertatem: ſed hoc in locum proprium remittimus. *Ad quartã.* Ad quartam reſpõdetur negando conſequentiam, quia conſtat non eſſe ſimile antecedens: nam illud eſt verum in metu non directe immiſſo ad fractionem voti. Et ratio illius eſt, quia vouens à principio non intendit ſe obligare cum tanto diſcrimine, ſeu ſic mutatis rebus, vt infra dicetur, & de iuramento dictum eſt. Secus vero eſt in noſtro caſu, in quo vult quis vouere, non obſtante metu. *Ad quintã.* Ad quintam iam reſponſum eſt, iniuriam hominis non impedire quominus ius acquiratur Deo per promiſsionem ex vero conſenſu factã, ſicut non impedit quominus grauiter offẽdatur Deus propter peccatum ex metu factum. Item ſi Deus ipſe per ſe ipſum vellet immediate talem metum incutere, & ſic votum extorquere, ſine dubio non faceret iniuriam, & votum eſſet validum: ergo ratio iniuriæ ex parte hominis nõ põt obſtare obligationi factæ Deo, quia forte Deus illam intendit permittẽdo tale peccatum hominis, quod iuſtiſsime facere poteſt.

21. *Ad ſextam.* Ad ſextam dicitur in primis differentiam illã non videri ſemper neceſſariam. Nã & qui vouet ex metu naturali poteſt dum vouet, habere ſimplicem diſplicentiam vouendi, & fateri Deo infirmitatem ſuã: & è conuerſo illi, qui per metum directe inducitur ad vouendum, poteſt vexatio dare tantum intellectum, vt iam plena voluntate, & ſine actuali velleitate cõtraria velit promittere: ergo illa differẽtia parũ refert. Addo verò vlterius quod licet differentia eſſet conſtans & perpetua nihil obſtaret, quia volũtas abſolute prçualet non obſtante repugnantia actualis diſplicentiæ per nolleitatem. Item illud inuoluntarium ſecũdum quid non obſtat, quominus abſoluta voluntas bona ſit & meritoria apud Deũ, quia ſimpliciter eſt de bono obiecto, & nõ habet malã circũſtantiam: quia diſplicentia illa nec eſt circumſtantia

alterius actus,ſed concomitanter ſe habet, neque eſt mala,quia non eſt contra præceptum. Sicut qui neceſsitate cogitur bona ſua expendere in pauperes, licet habeat diſplicentiam de tali neceſsitate,& conſequenter de obligatione ad erogādum bona ſua,quia ſimpliciter nollet dare, nihilominus quia ex ſuppoſitione abſolute vult,bene operatur, & meretur coram Deo.Si ergo talis voluntas ſufficit ad meritum, cur ex natura rei non ſufficiet ad votum?

Capvt VIII.

An vota facta ex graui metu ſint irrita ex Eccleſiaſtico iure?

1. In hoc puncto diſtinguendum eſt inter votum ſolenne,& ſimplex.Nam diſputationem de voto ſolenni reſeruamus in ſequens volumen, vbi de profeſsione Religioſa, & de voto cōtinentiæ ordinis ſacri dicendum eſt: nunc ſupponimus illa vota eſſe irrita, quomodo autē irrita ſint ibi explicabimus. Hic ergo ſolum de ſimplicibus dicendum eſt, de quibus multi ſentiūt eſſe irrita Iure Eccleſiaſtico, quod magis ſentire videntur Gloſſa, Panor. & alij Iuriſtæ ſuprà relati,& Nauar.d.Conſ.12.& 22. & in multis Cōſilijs,de His, quæ vi,dicens eſſe opinionem communem,quā etiam videtur tenere Hoſtienſis in Summ. tit.de Regularibus §.*Et qualiter*, verb.*Alij dicunt*. Idē ſentit Richard.in 4.d.29.art.1.q.2.& ibi etiam Palud. q.1.& Soto ibi,& alij præſertim Summiſtæ,verb.*Metus*,ſeu *coactio*,& ver.*Votum*,qui indifferenter loquūtur de Votis metu factis, & dicunt eſſe nulla, non tamen explicant quo iure,tamen ſecluſo iure naturali ſolum ſupereſt Eccleſiaſticū. Item hoc ſatis inſinuāt, dum aiūt,nō quemlibet metum leuem, ſed grauem, & cadentem in conſtantem virum irritare hæc vota, quia Iura de hoc tantum metu loquuntur. Quis autē metus dicatur cadens in conſtantem virum,explicat latiſsimè Sancius d.lib.4.à princip.per plures diſputationes,&nos aliqua dicemus infra tractatu de Profeſsione Religioſa. Nunc quia parum eſt neceſſaria diſputatio, ſatis ſit dicere metum, vt dicatur cadere in conſtantem virum,duo præcipue requirere, ſcilicet, & quod malum quod timetur graue ſit iudicio prudentum, & quod graui, ſeu probabili ratione timeatur tamquam imminens.

Sententia illorum qui ſentiunt vota metu graui inita eſſe irrita iure Eccleſiaſtico. Gloſſ. Panorm. Nauar. Hoſtienſ. Richard. Palud. Soto. Sanci. Quæ requirantur vt metus ſit cadens in conſtantem virum.

2. Quod ergo hic metus irritet vota omnia etiam ſimplicia,probari ſolet ex cap. *Prælatus*, alias 1. de Iis quæ vi. Secundo ex capit. *Cum dilectus*, de Iis,quæ vi, ſaltem per argumentum à contrario ſenſu, ibi enim votum per metum factum cenſetur obligare, quia metus non fuit talis,vt caderet in virum conſtātem: ergo ſi talis fuiſſet metus, votum nō fuiſſet validum. Tertio inducitur cap. *Abbas*, eod. quatenus in eo dicitur,quæ metu fiunt debere in irritum reuocari, & quod dicitur in cap. *Ad audientiam*. *Debere carere robore firmitatis*,quę metu fiunt. Quartò induci poſſunt generalia verba textus in c.*Cum locum*,de Sponſalib. *Cum locum non habeat conſenſus,vbi metus vel coactio intercedit, neceſſe eſt, vt vbi aſſenſus cuiuſquam requiritur, coactionis materia repellatur*. Nam hæc ratio etiam in Votis locum habet.

C. Prælatum. Cap. Cum dilectus. Cap. Abbas. Ca. Ad audientiam. Cap. Cum locum.

3. Alia ſententia extreme contraria eſſe poteſt, vota ſimplicia metu facta non ſolum per Eccleſiam irrita non eſſe,verum etiam nec irritari poſſe. Hanc commemorat Soto diſ.29. nullum tamen eius authorem refert, neque illam approbat,dicit tamen, non carere apparenti fundamento, ſcilicet quia Eccleſia non eſt iudex voti ſimplicis, quod amplius non declarat. Videtur autem in hoc fundari,quia Eccleſia non habet poteſtatem in actus interiores: ſimplex autē votum in actu interiori conſiſtit,nam conſenſu interno perficitur, & interiùs poteſt explicari Deo, exterior autem indicatio eſt mere accidentaria.

Alia ſententia alteri oppoſita. Soto.

4. Sed quod ad poteſtatem attinet, dicēdum eſt potuiſſe Eccleſiam irritare vota ſimplicia metu facta.Ita docet Soto ibi,& omnes alii ſupponunt.Et probatur primo: quia irritat votum ſolenne: ergo à fortiori poteſt irritare ſimplex. Secundo: poteſt præſcribere certam ætatem antequam vota ſimplicia valide non fiant:ergo etiam poteſt præſcribere modum libertatis à coactione, ſine qua vota non tenerēt.Tertio:quia Eccleſia habet poteſtatem diſpēſandi in Voto etiam mere interno, & irritare iam factū, vt infra dicetur: ergo & inhabilitare perſonam, vel conſenſum irritare metu extortum. Vnde excluditur contrarium fundamentum, nam materia illa nō eſt extra Eccleſiaſticam poteſtatem,quia votum ſiue internum,ſiue externum materia eſt circa quam poteſt iuriſdictio Eccleſiaſtica verſari,vel quia mediāte actu externo, cui cōiungitur, ſubiicitur illi, ſicut cōſenſus matrimonii aliquando irritatur ab Eccleſia, quatenus exteriori contractui coniungitur: vel quia actus iuriſdictionis vt verſantur circa vota, nō ordinantur ſolum ad forum externum,& politicum,ſed maxime ad internum pertinens ad animæ ſalutem, in quo foro extenditur Eccleſiaſtica poteſtas aliquo modo ad actus interiores, vt de indulgentijs ſuo loco diximus.

Eccleſia poteſtatem habet ad irritanda vota ſimplicia metu facta.

5. Nihilominus dico ſecundo, Eccleſiam de facto non irritaſſe vota ſimplicia metu facta, & ideo probabilius eſt obligare,donec diſpenſentur,ſeu tollantur per Eccleſiam,ad quod ſufficit metus præſertim iuſtus,ſeu grauis.In hoc ſequor ſententiam Card.qui in d.ca.*Abbas*, de Iis,quæ vi, dixit, nullo Iure probari vota omnia metu facta eſſe irrita,& ſequitur Sylueſt. ſupra dicens, nullibi authentice legi.Idem *Votum*, 2. q.12.& *Iuramentum*,7.q.7. Refertur etiam Calder. in Conſ.1. Qui clerici,vel vouent.

Eccleſia hactenus non irritauit vota ſimplicia metu facta. Card. Syluest. Cald.

6. Probatur autem prior pars diſcurrendo per Iura, quæ allegantur. Nam cap.1.ſeu *Prælatum*, de Iis, quæ vi,aperte loquitur de Voto ſolenni, & profeſsione Religioſa, vt patet ex illis verbis: *Si probatum fuiſſet, non timore mortis Religionem intraſſe*. Et ex toto contextu, & communi intelligentia Innoc. Panorm. & aliorum ibi: idem Panorm.in cap.*Sicut nobis*, de Regular.nu.5. Addit autem ibi, quod illa deciſio poteſt generaliter adduci ad validitatem,vel inualiditatem cuiuslibet voti.Sed gratis,& ſine probatione hoc dicit,& contra generales regulas, quod argumentum à ſimili in huiuſmodi re adeo graui non eſt validum. Maxime quia eſt extenſio in materia odioſa, & potius reſtringenda.Item quia non eſt æqualis ratio, nā votum ſolenne includit quendam contractum inter Religionem, & Religioſum, & ex hac parte potuit maiori ratione irritari. Item eſt indiſſolubilius, quā votū ſimplex, & ideo oportuit maiori libertate fieri. Confirmari etiam poteſt, nam irritatio matrimonij non extenditur ad ſponſalia, per ſe loquendo, & iuxta communiorem ſententiam.

Cap. Prælatum. Panorm.

7. Ad cap. *Cum dilectus*, primo dicitur argumentum à contrario non eſſe firmum,præſertim ad inducendam legem irritātem. Et patet, nam ibi ſimul eſt ſermo de Iuramento, & de Voto: at in iuramento non valet illud argumētum: ergo nec in Voto. Vnde poteſt retorqueri idem argumentum, quatenus in eo textu iuramentum, & votum metu factum æquiparantur. Denique pro ratione redditur, quod metus non fuerat grauis,vt non ſolum conſtaret iuramentum,& votum obligaſſe,ſed etiā ſignificaretur, propter talem metum non fuiſſe diſpenſandum in illis, ſed ſimpliciter obligandum ad illa obſeruanda.

Expenditur Cap. Cum dilectus.

8. Ad cap.*Abbas*, & *Ad audientiam*, primo dicitur ibi non eſſe ſermonem de Votis, ſed de alijs generibus actionum inter homines, de quibus non eſt eadem ratio,vt iam inſinuaui. Addo ſubinde, ex vi illorum verborum non ſequi actum factum per metum eſſe ipſo Iure irritum, ſed habere in ſe ſufficientem cauſam, cur irritetur, nam eo ipſo caret valore firmitatis,&

Explicātur Ca. Abbas. Ca. Ad audientiam.

Digitized by Google

tis,&poteſt in irritũ reuocari. Hoc autem facile concedemus de Voto ſimplici metu facto, nam habet in ſe ſufficiẽtem cauſam, vt ab habente poteſtatem tollatur, & hoc modo ſecuriori, & ſufficiẽti modo ſubuenitur iniuriam paſſo: nec oportuit tam generalem concedere licentiam veniendi contra ſimilia vota. Neque video cur magis debuerint hæc vota irritari, quam iuramenta metu extorta, nec quę maior difficultas ſit in adhibendo remedio mediante Prælato in voto, quam in iuramento. Reſpondet autem Panormit. in cap. *Si vero*, de Iureiuran. in iuramento fuiſſe conueniens ſeruari etiam metu factum propter eius reuerentiam, quia frequenter fit, ceſſare autem hanc rationem in voto, quia raro fit. Sed certe differentia hæc valde materialis eſt, & incerta: nã licet iuramenta aſſertoria frequentius fiant, tamen promiſſoria inter homines non fiunt frequẽtius, quam vota ad Deum. Et præſertim ex metu forte ſæpius fiunt vota, quam promiſsiones humanæ iuratæ.

Panorm.

9. Ad cap. *Cum locum*, dico verba illa: *Cum locum non habeat conſenſus, vbi metus, vel coactio intercedit*, neceſſario eſſe cum debita proportione, & moderatione intelligenda, quia manifeſtum eſt, verum conſenſum habere locum, etiamſi per metum extortus ſit, vt patet de conſenſu in peccato, etiamſi ex metu detur, & quia voluntas coacta voluntas eſt. Igitur ſi de conſenſu vero abſolute intelligantur, oportet exponi quoad morale periculum, vel regulariter loquendo, atque adeo ſecundum præſumptionem Iuris nõ habere locum conſenſum, vbi adeſt metus: quia qui operatur ex metu, facile fingit exterius, cum interius non conſentiat. Et ideo qui dicit ſe non conſenſiſſe matrimonio, quod cõtraxit, quia metu coactus fuit, ſi probat metum ſufficienter tempore conuenienti, conſequenter probare cenſetur defectum cõſenſus, iuxta cap. *Conſultationi*. § *Sane*, de Sponſalib. Et fortaſſe inter alias cauſas propterea irritata ſunt matrimonia metu facta, quia morale periculum erat facta eſſe ſine vllo conſenſu: & ideo Eccleſia non poterat conuenienter cogere quemquam ad tale matrimonium obſeruandum: vel ſecundu(vt videtur eſſe communis intellectus) exponi poſſunt dicta Iura, vbi ineſt metus, non habere locum conſenſum omnino voluntarium, ac plane liberum, qualem Eccleſia in matrimonio poſtulat. Inde autem non fit, ſimilem conſenſum eſſe neceſſarium ex natura rei ad valorem voti.

Cap. Cum locum.

10. Supereſt autẽ hic peculiare dubium de voto ſimplici Religionis, an per metum factum validum ſit? Et ratio dubitandi eſt, quia aſſertio poſita generalis eſt, & rationes æque de hoc voto probant, ac de alijs. Nihilominus tamen probabiliſsimum cenſeo, quod licet tale votum nec ex iure naturæ irritum ſit, nec directe, & per ſe ſit ab Eccleſia irritum, vt probat ratio facta: per quandam conſequutionẽ eo ipſo, quod profeſsio metu facta irrita facta eſt per Eccleſiã, cõſequenter fieri, vt promiſsio ſimplex faciendi talem profeſsionem metu extorta obligationem inducere non poſsit. Quia ſi promiſsio valida eſſet: ergo de metu, ſeu profeſsio ratione illius facta futura eſſet valida, quia nemo poteſt obligari ad faciendum actum inualidum, & vitioſum: profeſsio autem non poteſt eſſe valida, quia per legem irrita facta eſt: ergo neq; promiſsio eius poteſt obligationem inducere.

An votum ſimplex Religionis metu factum validum ſit. Reſolutio dubij negatiua.

11. Dices: profeſsionem illam non irritari per legem, quia illa non fit per metum, quamquam enim promiſsio per metum facta ſit, poteſt poſtea ſponte fieri profeſsio: lex autem ſolum irritat profeſsionẽ metu factam. Reſpondetur negando antecedens. Ponimus enim huiuſmodi perſonam profiteri vi, & neceſsitate obligationis promiſsionis factæ. Nam ſi poſtea velit ſua voluntate profiteri, etiamſi obligationẽ in ſe non agnoſcat, non erit caſus de quo agimus, nã promiſsio tunc nihil operatur. Profeſsionem igitur factã ob prioris voti obligationem, dicimus neceſſario debere cenſeri factam ex metu, quoniam in illum tandem reſoluitur. Nam ad talem promiſsionẽ cogit promiſsio, & ad promiſsionem cogit metus: ergo de primo ad vltimum metus eſt, qui cogit ad profeſsionem: eſt ergo nulla: ergo non poteſt prior promiſsio obligare, alias veluti falſificaret (vt ſic dicam) ſeu deſtrueret ſe ipſam, quia obligando redderet impoſsibile ſuum complementum. Quapropter ſimplex votum caſtitatis. v.g. metu extortum validũ eſt, non ſolum iure naturæ, ſed etiam poſitiuo, quia neq; in ſe, neq; in alio inuenitur irritatum: votum aũt ſimplex Religionis metu extortum, licet in ſe, & directe non inueniatur irritatũ: tamen quia profeſsio Religionis metu extorta irrita facta eſt per Canonicam legem: ideo eadem lex abſtuliſſe videtur obiectum talis voti, nam ſatis probabiliter oſtenſum eſt nullum habere, circa quod valide verſari poſsit. Atque hoc etiam ſuadere poteſt dictum c. *Prælatum*. ſed de illo voto latius in proprio loco dicetur, in quem vltimum iudicium de hoc puncto differimus.

Capvt IX.

Vtrum voluntas vouendi non ſolum libera, ſed etiam plenè, & exacte deliberata eſſe debeat?

1. HAEc eſt alia proprietas, quæ ad votum poſtulatur, nimirum, vt ex deliberatione fiat, ac ſubinde vt propoſitum eius deliberatum ſit. De ipſa vero deliberatione, quis actus ſit, nonnulla eſt contentio, quæ mihi parui momenti, & de nomine eſſe videtur, Caiet. enim d.q. 88. ar. 1. putat deliberationem eſſe actum voluntatis eligentis vnum ex multis, quæ prius per rationem cõſiderata, & inter ſe collata fuerunt: quia quãdiu aliquis cogitat, & diſcurrit, donec eligat, non dicitur deliberaſſe, quia nondum ſe determinauit. D. Tho. autem in eodem art. 1. aperte diſtinguit deliberationẽ à propoſito voluntatis dicens, propoſitum præexigere deliberationem, cũ ſit actus voluntatis deliberatæ. Quaſi dicat, ſicut voluntatis actus ſupponit rationis iudicium, ita propoſitũ deliberatũ ſupponit rationis deliberationẽ. Et hic modus dicendi mihi placet, & illo vtar, quia eſt aptior ad rem explicandã, dũmodo ſub deliberatione cõprehendamus non ſolum conſultationẽ, & quaſi inquiſitionẽ intellectus, ſed etiam iudiciũ, quo intellectus definite proponit, quid ſit eligibile, vel eligibilius, vel quo in præſenti materia iudicat expedire votum emittere. Atq; hoc modo propoſitum volũtatis licet ab ipſa ſit elicitũ, denominabitur deliberatũ extrinſecè ab actu intellectus, quia ſcilicet cũ ſufficiẽti animaduerſione, & iudicio intellectus fit. Et ita explicãdo hãc proprietatẽ incipimus exponere actus, qui ex parte intellectus præcedere debent, vt votum validum, & obligatorium fieri poſsit.

Caiet.

D. Thom.

2. Ex hac ergo terminorũ declaratione, & ex hactenus dictis conſtat, ad votum neceſſariam eſſe aliquã deliberationem, quia non ſit ſine cõſenſu libero voluntatis, voluntas autem operari non põt ſine præuia ratione conſiderante & diſcurrente, ergo eſt neceſſaria aliqua deliberatio, ſaltẽ illa, quæ ad actum perfecte humanũ, & ſimpliciter liberũ ſatis ſit. Difficultas autem eſt, an hæc ſufficiat, vel maior requiratur, atq; adeo quanta debeat eſſe hæc conſideratio. Quidam enim dicunt neceſſariam eſſe maturam conſiderationem, & conſultationem, ita vt non ſufficiat vſus, & iudicium rationis, quod ad libertatem, & dominium actus, & ad peccandum mortaliter ſatis ſit, ſed oporteat non fieri ex aliqua repentina, & ſubita mutatione, aut paſsione: ſed ex plena aduertentia, ac conſilio. Hæc opinio tribui ſolet Richardo in 4. diſtin. 38. art. 2. quæſt. 2. Sed re vera eam non docet: ſolũ enim ait, vota ex ſurreptione facta nõ obligare: nam

Ad votum neceſſariam eſſe aliquam deliberationem, & conſenſum liberum voluntatis.

Quæ ſit ſufficiens deliberatio ad vouendum.

Prima opinio.

Richard.

nam votum requirit deliberationem. Quanta verò debeat eſſe deliberatio, vel quæ ſurreptio ſufficiat impedire votum, non declarat. Eam vero opinioné tenuiſſe videtur Gloſſa in cap. *Dudum*, de Conuerſ. coniugat. verb. *Calore iracundiæ*, à qua non diſſentiũt ibi Panormit. Hoſtienſ. & Anton. & fauent Doctores, imò & Iura dicentia, facto calore iracundiæ non valere, donec tranſacta paſſione confirmentur, Leg. *Quidquid.* 48. ff. de Regul. iur. vbi Gloſſa, & Bart. pluresque alios refert Tiraquel. de Pœnis temp. cauſa 1. nume. 26. de Iuramento, & numer. 27. de Voto. Et à nu. 24. vſque ad 30. idem refert de multis alijs actionibus factis calore iracundiæ. Inter quas etiam ponit profeſsionem Religionis cum Anton. in cap. *Sicut ex literis*, de Iureiuran. & Felin. ibi latè, & in cap. *Si vero*, eod. n. 7. & ca. *Matthæum*, de Simon. nu. 2. Idem latè Roma. Singul. 313. alias 314. vbi excipit donationem piæ cauſæ, quæ valet etiam facta calore iracundiæ. Quod cum alijs approbat Tiraquel. ſupra num. 4. & de Priuileg. piæ cauſæ in 108. Poſſuntq; pro hac ſententia afferri c. *Diuortium*, de Pœnit. d. 1. & cap. *Siquis iratus*, 2. q. 3.

Gloſſ. Panorm. Hoſtienſ. Anton. L. Quidquid. Gloſſ. Bart. Tiraquell. Felin. C. Diuortiũ.

3. Ratio addi poteſt, quia verum eſt res valde grauis, inducit enim grauiſsimam obligationem, ac de ſe perpetuam: ergo natura ſua poſtulat plenam rei conſiderationem, & aduertentiam, quia ſi aliter fiat, & homo maneat ligatus, ſequuntur moraliter loquẽdo innumera pericula peccandi mortaliter, quia vota ſic facta ſtatim diſplicent, & difficile implentur, faciliſimeque violantur: ergo non eſt veriſimile placere Deo talia vota, neque acceptare illa: non ergo ſunt valida. Eo vel maxime quod votum natura ſua eſt actus Religionis, ergo etiam ex natura ſua poſtulat, vt ex iudicio prudenti fiat, nam hoc poſtulat Religionis virtus: votum autem, quod non fit cum prædicta deliberatione perfecta imprudenter fit, & peccaminoſe: non eſt ergo votum.

Ratio pro hac ſentent.

4. Secunda ſententia vera, & communis eſt, ad votum ſufficere illam deliberationem rationis, quæ neceſſaria eſt, vt actus volũtatis ſit ſimpliciter, liber, ita vt fiat cum dominio ſimpliciter morali, id eſt ſufficiente ad actum abſolute humanum, ſeu ad peccãdum mortaliter: per hũc enim effectum ſolet communiter explicari hæc ſententia. Quam indicat Diuus Thomas hic: dum enim ait deliberationem requiri ad votum, & non declarat ſpecialem gradum, aut modum huius deliberationis, ſatis indicat eam deliberationem ſufficere, quæ ſimpliciter deliberatio eſt: huiuſmodi autem eſt illa, quæ ſufficit ad actum abſolutè humanum, & ad peccandum mortaliter. Et ita exponit, & ſentit Caietanus hic ſequutus Paludanum in 4. diſtinct. 38. quæſtio. 1. quem cæteri ſequuntur, Soto lib. 7. de Iuſt. quæſt. 1. articul. 2. Syluest. verb. *Iuramentum*, 4. nume. 4. *votum*, 2. quæſtio. 13. Idem Angel. & alij Summuſtæ, Nauar. ſupra cap. 12. n. 24. & 25. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. Sumiturq; ex Glo. 1. in ca. *Mulier*, 32. q. 2. quatenus dicit, qui poteſt ſe obligare diabolo, poſſe etiam obligare ſe Deo. Et idem habet Gloſſ. 20. q. 1. in princ. Panorm. in cap. *Sicut ex literis*, de Iureiur. n. 2. vbi Felin. num. 3. Et in eandem ſententiam inclinant Io. Andr. & alij Expoſitores in c. *Dudum*, de Conuerſ. coniug.

2 Sententia amplectẽda Deliberatio rationis ſufficiens ad votũ eſt, qua requiritur vt actus ſit ſimpliciter liber.

Caiet. Palud. Soto. Syluest. Angel. Nauar. Antõn. Gloſſ. Panorm. Felin. Io. Andr.

5. Probari autem poteſt primo ex cap. *Sicut ex literis*, de Iureiur. vbi iuramentum calore iracundiæ temerarie factum punitur vt graue peccatum, quia factũ fuerat de re illicita, & propter hunc poſteriorem defectum cenſetur non obligare, non ex defectu deliberationis. Simile argumentum ſumitur ex cap. *Dudum*, de Conuerſ. coniug. vbi ſignificatur, votum factum calore iracundiæ, quæ non abſtulit rationis vſum validum fuiſſe, cum tamen nõ potuerit ſimilis iracundia nõ impedire pleniſsimam, & exactam deliberationem. Idem ſumitur ex c. 2. de Voto, vbi validum cenſetur eſſe votum Hieroſolymitanæ peregrinationis factum à quodam in puerili, & tenera ætate, facilitate potius, quam arbitrio diſcretionis: ergo ex ſententia Pontificis non requiritur tam exacta diſcretio, & prudentiale iudicium ad valorem voti. Eſtq; attente conſiderandum ad ea, quæ infra dicemus, votum illud Hieroſolymitanę peregrinationis fuiſſe ſemper in Eccleſia inter grauiſsima computatum, ergo ſi ad illud non requiritur tanta deliberatio multo minus requiretur ad alia.

Ca. Sicut ex literis. C. Dudum.

6. Fauet etiam huic ſententiæ Ambroſ. relatus in capit. *Sunt qui opes*, 16. q. 4. ex lib. 2. de Pœnitent. c. 9. vbi habet, donationem factam Eccleſiæ *tumultuario mẽtis impulſu non perpetuo iudicio*, reuocari non poſſe ſine ſacrilegio, ergo donatio facta Eccleſiæ ſine prudenti, & matura deliberatione valida eſt, alioqui nõ eſſet ſacrilegium talia bona repetere: ergo à fortiori promiſsio facta Eccleſiæ, verbi gratia, dandi talia bona, quæ votum eſt, non requirit ad valorem ſuum tam exactam deliberationem. Denique hoc etiam ſuadent illa Iura, quibus ſuprà oſtendimus, vota facta in periculis mortis, & ex metu præſertim proueniente ab intrinſeco, valida eſſe, capit. 2. capit. *Sicut nobis*, de Regular. cum ſimilibus. Nam huiuſmodi vota fieri non ſolent cum tam exacta deliberatione.

Ambroſ. C. Sunt qui opes. Cap. Sicut nobis.

7. Tandem probatur ratione, quia de eſſentia voti ſolum eſt, quod ſit actus humanus, & ſufficienter voluntarius ad talem obligationem: ſed ad hoc ſufficit communis deliberatio, quæ ad peccandum mortaliter, vel ad alios contractus humanos ſatis eſt: ergo illa etiam ſufficit ad valorem voti. Et cõfirmatur: nã ſimilis deliberatio ſufficit ad valorem iuramenti, & ad culpam periurij, & ad peccandum etiam mortaliter contra votum, ergo & ad obligationem voti, eſt enim de his omnibus conſimilis ratio. Et illa generalis eſt optima, quod illa deliberatio, quæ ſufficit ad ſe legandum reatu æternæ damnationis, ſufficit etiam ad ſe obligandum Deo vinculo promiſsionis. Item quod deliberatio, quæ ſufficit ad proponendum ſibi vltimum finem, quod cenſetur facere, qui peccat mortaliter, ſufficit ad imponendam ſibi voti obligationem. Confirmatur ſecundo, nam ſi vltra hanc deliberationem alia maior poſtulatur, nulla certa ratio excogitari poteſt ad deſignandum gradũ huius deliberationis ſufficientis, ac neceſſarię ad votum: poteſt enim hæc deliberatio eſſe magis, vel minus diuturna, & cum conſideratione plurium, vel pauciorum rationum, aut difficultatum, quæ in aliquo voto eſſe ſolent. Item cum non omnia vota ſint paria, ad votum grauius, vt validum eſſet, poſtulanda eſſet maior deliberatio, quod neque in Iure fit, vt ex capitulis citatis conſtat, neque moraliter fieri poteſt, ita vt de valore illius cuiuſque voti habeatur humana certitudo. Siſtendum ergo eſt in generali ratione deliberationis ſufficientis ad actum ſimpliciter liberum.

8. Neque eſt veriſimile, Gloſſas, & Authores in contrarium allegatos cõtra hanc veritatem ſenſiſſe, plures enim illorum diſtinctione declarant, ac temperant ſententiam ſuam. Poteſt autem duplex adhiberi diſtinctio. Prior eſt, calorem iracundiæ interdũ tantum eſſe, vt rationis vſum pro tunc ita perturbet, vt liberum iudicium non relinquat: aliquando vero non eſt tã vehemens, quin relinquat poteſtatem deliberandi ſufficienter ad peccãdum mortaliter, quia non obſtante paſsione homo ſatis aduertit, quid faciat, & quid commodi, vel incommodi ſit in tali actione, vt eligi debeat, vel repudiari, quãuis hoc fiat nimia celeritate, quaſi præcipitatione quadã. In priori caſu procedere poſſunt Iura, quæ facta calore iracundiæ non recipiunt, niſi trãſacta paſsione rata habeantur, & idem eſt de Voto iuramento &c. & non ſolum in paſsione iræ, ſed etiam in amore, & quæcũque alia ita perturbante rationem, id verum habeat. Et in hoc ſenſu non habet locum exceptio de donatione piæ cauſæ: nam etiam illa, ſi cum tanta pertur-

batione

Digitized by Google

bratione fiat, valida non erit, vt conſtat. At vero quãdo calor iracundiæ tantum poſteriori modo impedit perfectionem deliberationis, per ſe nõ inualidat votum, neque alium actum.

9. Vnde poteſt adhiberi ſecunda diſtinctio quoad hoc membrum, ſcilicet de actu irrito, vel irritabili, nam actus ſic factus, non eſt quidem irritus, vt dictũ eſt, habet tamen iuſtam cauſam, cur irritari, vel diſpenſari poſsit, vt infra dicemus. Et quoad hoc poſſet habere locum exceptio de donatione piæ cauſæ, in cuius fauorem etiãſi mente perturbata fiat, non irritatur. De quo alias. Atque hæc doctrina ſumitur maxime ex Anto. de But. in d. c. *Sicut ex literis*, & ibi Feli. Deci. in d. leg. *Quidquid*. Io. Andr. in d. c. *Dudum*, Ant. 2. par. tit. 10. c. 6. verb. *Quartus caſus*, Panorm. in d. ca. *Si vero*.

Ant. de But. Felin. Deci. Ioan. Andr. Anton. Panorm.

10. Per hæc ergo ſufficienter reſponſum eſt ad priora Iura. Ad rationem autem reſpondetur negando cõſequentiam: alioqui probaret nõ ſolum in votis, ſed etiam in omnibus actionibus, & negotijs humanis, quæ grauia ſunt, maiorem deliberationem eſſe ſimpliciter neceſſariam. Probaret etiã pro negotij qualitate, & differentia diuerſos gradus deliberationis eſſe poſtulandos ad valorem negotij, ſeu obligationis. Imò etiam probaret, quo peccatum mortale grauius eſt ex ſua ſpecie, ſeu genere, eo neceſſariam eſſe maiorem deliberationem, vt ad talem culpam imputetur. Solum igitur probatur illo argumento, iuxta prudẽtem modum operandi requiri ad votum maiorem deliberationem, quam ad alias communes actiones, & quo votum grauius eſt, eo maiorem eſſe adhibendam conſiderationem. Inde autem non fit, vt ſi in hoc defectus aliquis committatur, ſtatim votum ſit inualidum, niſi tãta ſit indeliberatio, vt vſum libertatis ſimpliciter impediat. Addunt vero prædicti Authores, & recte, votum, quod fit abſque matura deliberatione proportionata eſſe imperfectũ, & ex eo capite habere cauſam aliquã, ob quam diſpenſari poſsit, vt hoc modo occurratur illis incommodis, quæ ex huiuſmodi temerarijs, ſeu repentinis votis oriri ſolent, quod etiam mouebat Authores alterius ſententiæ. Sed ex illis incommodis male colligitur, vnumquemque pro arbitrio ſuo poſſe ſtatim talia vota cõtẽnere, illud enim maius eſſet incõmodum, multisq́ue periculis expoſitum: ſed colligi debet, Prælatum iuriſdictionem habentem poſſe, & interdum debere talia vota auferre, vel commutare, conſiderata qualitate voti, & modo imperfectæ deliberationis, & hoc etiam in prædictis Iuribus docetur.

Satis rationi conſiderata.

11. Sed quæret aliquis, quo ſigno diſcerni poterit, quãdo votum ſubito factum validũ, aut inualidum fuerit ex perturbatione, vel inconſideratione rationis? Ad hoc reſpondet Angel. *Votum*, 1. n. 6. ſi facto voto, homo ceſſante paſsione ſtatim pœniteat, ſignum eſſe votum fuiſſe indeliberatum, & inualidum. Sequitur ibi Tabien. & Supplementum Gabrielis d. 38. q. 1. ar. 3. circa finem. Et videntur fundari in d. c. *Diuortium*, & d. l. *Quidquid*. Hoc vero ſignum reprobant Palud. Anton. Sylueſt. Soto, & alij. Quia ſæpe retractatur actus plene deliberatus propter libertatem voluntatis, vel propter nouam conſiderationem ſtatim occurrentem quæ non impedit quominus præcedens actus fuerit ſufficienter liber. Item licet pœnitentia ſtatim poſt peccatum ſequatur, non eſt ſignum, peccatum nõ fuiſſe mortale, ſed ad ſummum iudicatur, non fuiſſe ex habitu, ſed ex paſsione, vel repentina occaſione, vt notauit Gutier. d. c. 22. n. 14. Non tamen ita reijciendum eſt hoc ſignum, quin ſit aliqua coniectura, ſi aliæ accedant: ſed ſolum, nec ſufficiens, nec vehemens exiſtimandus eſt.

Quo ſigno colligi poterit votum ſubito factũ validũ, aut inualidũ fuiſſe ex inconſideratione. Angel. Tabien. Gab. Cap. Diuortium. Leg. Quidquid.

12. Alij docent, tunc paſsionem impedire valorem voti, quando tanta eſt, quod ſine illa votũ non fuiſſet factum. Ita Panorm. d. c. *Si vero*, n. 7. cum Anton. in c. *Sicut ex literis*, n. 9. Idem clarius Abbas in d. c. *Dudum*, n. 8. & idem videtur dicere Sylue. d. q. 13. Sed eſt magis fallax, & incertum ſignum, tũ quia multa per occaſionem fiunt, quæ ſine illa non fierent, & tamẽ valide fiunt: quia non obſtãte occaſione, voluntas fuit ſufficienter libera, & dedit conſummatum conſenſum. Tum etiam quia quid homo faceret, vel nõ faceret, non ſtante tali paſsione, & incertiſsimum eſt, & de facto nihil confert ad meritum, vel demeritum: ergo nec ad validitatem, vel inualiditatem voti. Neque etiam eſt ſignum non præſtiti conſenſus poſita paſsione: neq; etiam indicat, fuiſſe omnino perturbatam rationem, ſed ad ſummum indicat indiſcretum, vel imprudens iudicium.

Panorm. Anton. Abb. Syluest.

Dico ergo nullum ſignum certum, & infallibile poſſe circa hoc dari, ſed prudenti arbitrio opus eſſe, & præſertim ſpectandam rationis aduertentiã. Nam ſi tanta fuit paſsio, vt homo nõ attenderit, quid ageret, tunc indeliberata fuit actio, & inſufficiens ad votum, quia etiam ad peccandum mortaliter non ſufficeret. Si vero nec ſubita paſsio, nec breuitas tẽporis abſtulit ſufficientem aduertentiam, cum aliqua collatione eius (quod agebatur) cum actu oppoſito, ſine vllo ſigno perturbati diſcurſus, tunc paſsio non abſtulit ſufficiẽtem deliberationem, vt bene Caiet. declarat. Quid autem agendum ſit in caſu dubio, dicemus infra in peculiari capite. 13.

Nullum certum iudiciũ poſſe dari de validitate voti facti vel inualiditate per inconſiderantiam niſi prudentũ arbitriũ.

Sed quid de temporis breuitate, ſeu ſucceſsione? 14.
Nauar. c. 12. n. 16. deliberationem hanc in momento dicit, haberi poſſe, & nõ oportere, vt tempore antecedat ad propoſitum voluntatis, ſed tantum naturæ ordine: nam in eodem inſtanti poteſt votum emitti. Sed hoc poteſt intelligi vel de tota deliberatione, vel tantũ de concluſione, ſeu iudicio eius. Priori modo eſſet vera illa ſententia, ſi de Angelis eſſet ſermo, vel de hominibus diuinitus eleuatis, vt fuerũt Chriſtus Dominus, & B. Virgo, de quibus veriſimile eſt in primo inſtanti conceptionis ſuæ votum aliquod emiſiſſe. At in hominibus connaturali modo operãtibus id non contingit, ob rationem ſupra factam, quia ſufficiens aduertentia, & deliberatio non habetur ſine diſcurſu: diſcurſus autem in tempore fit. Et ideo recte dixit Caietan. hanc deliberationem interdum fieri imperceptibiliter, quia licet in tempore fiat, tẽporis tamen ſucceſsio non percipitur, vt etiam notauit Gab. in 3. d. 39. qu. 2. not. 2. At loquendo de ſolo iudicio verum eſt, quod licet diſcurſus quoad inquiſitionem, apprehẽſionem, & aliquod iudicium præmiſſarum in tempore fiat, nihilominus quoad iudicium de voto faciendo in momento fit. Et ſic etiã verum eſt, non oportere, vt deliberatio quoad hoc iudicium tempore præcedat votum: nam in eodem momento, quo intellectus iudicat, poteſt voluntas velle ita efficaciter, vt in eodem momento fiat promiſsio, ſicut poteſt etiam cum ſimili celeritate peccare.

Nauar.

Gabriel.

Non oportere, vt deliberatio ad votũ ſufficiens quoad iudiciũ tempore præcedat.

Sed obijciebatur, tale votum imprudens eſſe, & peccaminoſum, ideoq; non eſſe acceptum Deo. Reſpondetur ex dictis negando conſequentiam: ſuprà enim oſtenſum eſt, votum quod peccaminoſe fit, licet non ſit placitum Deo quoad malitiam, acceptari nihilominus quoad obligationem. Ita ergo nunc dicimus votũ, quod imprudenter fit, non placere Deo quoad imprudentiam, nec quoad malitiam: ſiquam inde contrahit, & nihilominus ſi ſufficienti deliberatione fit, acceptari quoad obligationem. Secundo dicimus, non eſſe neceſſarium, vt votum ſic factum peccaminoſum ſit, ſæpius enim fit bona intentione, & ex motiuo honeſto, & abſque circumſtantia, quæ imputari poſſet ad culpam, quia licet fortaſſe in re ipſa modus ſit ex ſe reprehenſibilis, & culpabilis: facile tamen accidere poteſt, vt hoc ipſum vel non aduertatur, vel ignoretur inculpabiliter. Et tunc actus vouendi non ſolum non erit peccatum, ſed etiam eſſe poteſt meritorius, ſi vouens in gratia ſit. 15.

Obiectio. Solutio.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT X.

Vtrum ad votum ſit neceſſaria formalis deliberatio voti in ſe, vel virtualis, & in cauſa ſufficiat.

1 IN præcedenti capite præcipuè explicatum eſt, quæ intellectus cogitatio, ac conſideratio antecedat ordinarie ad deliberandum de voto priuſquam fiat, & quæ ſit ſimpliciter neceſſaria, quæ vero ad prudenté vouendi modum: in hoc autem capite præcipuè declarandum eſt, quæ aduertentia actualis intellectus neceſſaria ſit in eomet inſtanti, in quo votũ fit. Et ad

Caiet.

hoc explicãdũ vtimur diſtinctione formalis, & virtualis deliberationis, qua vtitur Caietan. in d. artic. 1. & eſt ſimilis illi, quæ in materia de Sacramentis dari ſolet de intentione formali, & virtuali, de qua videri poſſunt dicta in 3. tom. diſput. 13. ſect. 3. Supponimus ergo ex dictis in capite præcedenti, ad votum neceſſarium eſſe, vt præcedat in intellectu deliberatio formalis de voto faciendo, ſiue ordine téporis, ſiue ſaltem naturæ. Difficultas ergo nunc eſt, An neceſſariũ ſit vt eadem formalis deliberatio duret vſque ad illud inſtans intrinſecum (vt ſic dicam) in quo voluntas vult obligationem voti ſuſcipere, vel ſatis ſit, quod præceſſerit, & virtus eius maneat eo tempore, in quo fit votum, quæ virtus appellatur virtualis deliberatio?

An ad validitatem voti neceſſaria ſit formalis deliberatio in inſtanti in quo emittitur?

2\.
1. Sententia. Angl.

Prima igitur ſententia eſſe poteſt, neceſſarium eſſe formalem deliberationem, neq; virtualem ſufficere. Ita ſentit Angl. 2. part. quæſt. de Voto art. 1. diff. 3. cap. 2. illatio. 2. & concl. 4. qui ita interpretatur opinioné Richardi. Probatur primò, quia voluntas, ſeu deliberatio in cauſa non ſufficit ad votum, alias votum ebrij eſſet validum, ſi eſſet præuiſum, quia eſt voluntarium in cauſa, quod conſtat eſſe falſum: at illa eſt deliberatio virtualis, ergo. Secundo, quia qui iurat, ex conſuetudine, licet ſubito promittat cum iuramento, ſe iturum Hieruſalem, ſi luſerit, & c. nõ obligatur voto, vel iuramento, & tamé factum eſt cum intẽtione virtuali, ergo. Maior patet, quia ſic promittens non habet animũ promittendi, qui eſt de eſſentia voti, immò fieri poteſt, vt licet habeat talem conſuetudinem, nũquam habuerit propoſitum, vel deliberationem vouendi. Minor etiam patet, quia ille peccat mortaliter ſic iurando, nam illud iuramentũ eſt voluntarium ſaltem in ipſa conſuetudine. Tertiò argumentor in hunc modum, Quia voti ſubſtantia conſiſtit in actu interno voluntatis, quo homo vult ſe obligare: ergo hic formaliter neceſſarius eſt: ergo etiam in eodem inſtanti eſt neceſſariũ iudicium ſufficiens ad illum actum, quia voluntas non fertur niſi in obiectum actu cogitatum, & iudicatum. Vel ergo illud iudicium prout tũc formaliter habetur, eſt ſufficiens, vt actus voluntatis ſit, vel non eſt ſufficiens. Si primũ dicatur, illa eſt formalis deliberatio: ſi vero dicatur ſecundum, actus voluntatis nõ erit ſufficiens ad obligationé voti, etiamſi deliberatio in intellectu præceſſerit. Probatur hoc vltimum (cætera enim per ſe clara videntur) quia ad votum neceſſarium eſt liberum propoſitum ſe obligãdi, vt probatum eſt: ſed illud propoſitum non eſt tũc liberum, vt in caſu ſupponitur: ergo non eſt ſufficiens ad obligandum. Dices actum illum eſſe liberum per relationem ad præcedentem deliberationem. Sed contra: Nam hæc eſt libertas ſolum per denominationem extrinſecam, quæ ad moralem effectum non ſufficit, vt patet in voluntate ebrij, aut dormientis, de quo ſtatim dicemus.

3\.
2. Sententia Caiet. Nauar. Aragon.

Secunda opinio eſt, ſufficere virtualem deliberationem. Hanc videtur ſupponere Caiet. d. art. 1. Clarius, Nauar. c. 12. num. 26. verb. *Quinto*. Aragon. d. ar. 1. dub. 2. concluſ. 2. in vltim. verbis eius, quatenus ait, ad votum neceſſarium eſſe, quod fuerit volitum in ſe formaliter, aut virtualiter. Idem Ludou. Lopez 1. part. Inſtruct. cap. 43. verſi. 2. Et probari poteſt ex illo principio, quod illa deliberatio ſufficit ad votũ, quæ ſufficit ad peccãdum mortaliter: ſed deliberatio virtualis ſufficit ad peccandum mortaliter, vt conſtat: ergo. Secundo, actus virtualiter deliberatus eſt perfecte humanus, nam ſacerdos conſecrans ex virtuali intentione, vel citharœdus pulſans ex vi præcedentis applicationis, actum perfecte humanum facit: ergo qui vouet ſimili intentione, actum perfecte humanum facit: ergo verum votum emittit. Tertiò, intentio virtualis ſufficit ad Sacramentum conficiendum, & recipiendum: item ad orandum, imo ad imperandum: ergo & ad vouendum ſufficiet.

Lud. Lop.

4\.
Conciliantur dictæ opiniones.

Hæc vero videntur poſſe conciliari adhibita diſtinctione de virtuali deliberatione. Quædam enim eſt, quæ fundatur in præcedenti deliberatione formali eiuſdem actus, qui dicitur eſſe virtualiter volũtarius, ſeu deliberatus: & dicitur virtualis, quia non exiſtit eo tempore, vel momento, quo fit actus per illam deliberatus, licet actualiter, & formaliter præceſſerit, ſed moraliter cenſetur durare, & influere eo tempore, in quo fit actio. Qui modus virtualis deliberationis recte explicatur exemplo intentionis miniſtrandi Sacramentum, quæ formaliter aliquando præceſsit, & licet in ſe non duret, tamen eſſe virtualiter cenſetur, quando nec retractata eſt, nec influxus eius omnino ceſſauit, ſed ab illa adhuc mouetur homo ad operandum. Simile ergo poteſt accidere in præſenti materia, ſi quis deliberauit votum emittere, aut profiteri Religionem, poſtea vero eo tempore, ac momento, quo emittit votum, diſtrahitur ab illo actuali propoſito, & deliberatione: nam ea diſtractione non obſtante, cenſetur operari cum virtuali deliberatione, ac propoſito vouendi. Alio vero modo poteſt eſſe deliberatio virtualis, non quia fundetur in deliberatione, quæ præceſsit, ſed quia ita imputatur moraliter actus, ac ſi præceſsiſſet. Ita contingit in caſu de ebrio occidente hominem, ille enim nunquam propoſuit, vel deliberauit de hoc formali obiecto, vel actu homicidij in ſe, ſed quia deliberauit de cauſa, non adhibita ſufficienti diligentia, ne ſequeretur effectus, quem cauere debebat, ideo talis actus moraliter imputatur tãquam deliberatus. Et hoc modo dicitur virtualiter deliberatus in alio.

Quæ virtus in deliberatio ſit, ſufficiens ad voti.

Alius modus deliberationis virtualis.

5\.

Poſterior ergo ſententia intelligenda videtur de virtuali deliberatione fundata in formali præcedéte. Et in eo ſenſu illam ſuadent rationes ibi factæ. Et addere poſſumus exempla: conſtat enim multos, ac fere omnes, qui ſuſcipiunt ordinem ſacrum eo tempore, quo recipiunt ordines nõ cogitare actu de voto caſtitatis emittendo, immò nec de ordine, quem ſuſcipiunt: & tamen nemo dubitat, quin votum validum emittant ex virtute præcedentis deliberationis, cuius virtus tunc operatur. Idem contingere põt in profeſsione Religionis, & in emiſsione cuiuſcumq; voti ſimplicis, maximè ſi exteriori voce fiat: nam in voto pure mentali vix poteſt accidere, vel cogitari talis diſtractio, quia cum de illo formaliter deliberatur tunc ſubito, & ſtatim fit. Deinde hic modus deliberationis ſufficit ad peccãdum mortaliter per propriam, & internam culpã, vel culpæ augmentum, dummodo libertas in operando duret: quamuis non duret actualis aduertentia ad malitiã, & conſequẽter neq; actualis deliberatio de peccato, vt peccatum eſt, vt latius oſtenditur in 1. 2. q. 6. artic. 8. Ergo eadem ratione ſufficit ad votum, iuxta principium ſuperius poſitum.

6\.
Ratio principalis.

Ratio denique eſt, quia in eo caſu interuenit formalis voluntas vouendi, ex propria actuali deliberatione illius, & illa voluntas moraliter durat, quia retractata non eſt, vt ſupponimus, & illa eſt, quæ virtualiter influit in totam illam actionem: ergo ſufficit ad valorem, & moralem effectum talis actionis:

Et enim

Et confirmatur, quia vix fieri poteſt, vt homo aliter operetur humano, & ordinario modo loquendo: ad valorem autem voti ab homine facti, non eſt exigẽdus modus exquiſitus, & præter humanam conditionem. Item hac ratione homo poteſt obligari homini etiamſi eo tempore, quo obligatur, actu nõ cogitet de tali obligatione, vt patet clare quando quis obligatur per procuratorẽ: nam poſtea obligatur in virtute prioris voluntatis, quando de re illa nihil cogitat.

7. *Obiectio.*

Dices, in eo caſu votum non virtualiter tantum, ſed formaliter etiam eſſe deliberatum. Patet, quia volũtas non dicitur deliberata niſi per denominationem à præcedenti deliberatione intellectus: ſed illa deliberatio, quæ præceſſit, formalis fuit, & voluntas illa non denominatur deliberata à iudicio ſolo, quod cum illa ſimul eſt, ſed à collatione, & reſolutione, quę pręceſſit, & fuit formalis deliberatio ex qua illa voluntas originem ducit.

Solutio.

Reſpondeo primò, hoc pertinere ad quęſtionem de nomine: nam quod in re intendimus ſolum eſt, non oportere, vt actualis deliberatio formaliter ſit quando ſit votum, & licet ſit ab illa, tamen quia non eſt ab illa formaliter exiſtẽte, ſed virtute, ideo virtualis denominatur. Secũdo concedi poteſt, voluntatẽ illam, à qua principaliter naſcitur obligatio talis voti, eſſe formaliter deliberatam, licet voluntas illa, quæ adeſt, quando votũ perficitur ſolum ſit virtualiter deliberata. Quod magis in ſequentibus declarabitur.

8. *Si non præceſſit formalis deliberatio ipſius voti in ſe, non ſufficit ad valorem illius virtualis deliberatio in cauſa.*

Secundò ergo dicendum eſt iuxta priorem ſententiam, ſi non pręceſſit formalis deliberatio, & formale propoſitum deliberatum ipſius voti in ſe, non ſufficere ad valorem voti virtualem deliberationem in cauſa, ſeu per moralem imputationem. Probatur vnica ratione iam inſinuata, quia ad vouendum neceſſaria eſt formalis voluntas ſe obligandi voto, quę in ſe, ac formaliter libera ſit, & ad illud obiectum in ſe terminetur cum ſufficienti notitia illius, ſiue hæc voluntas actu duret, quando ſit votum, ſiue tantum eius virtus: ergo niſi præceſſerit deliberatio circa talem voluntatem, non poteſt votum eſſe validum, cum voluntas illa debeat eſſe deliberata. Conſequentia nota eſt, & antecedens patet, quia obligatio voti non ex his, quæ inuoluntarie oriri ſolent ex actionibus hominis (vt eſt obligatio ſatisfaciendi ex iniuria orta, vel ad pœnam ex culpa) ſed ex obligatione omnino voluntaria: ergo non contrahitur per moralem imputationem, ſed per directam voluntatem. Quod etiam videre licet in omni morali obligatione vnius hominis ad alium. Et ratio à priori eſt, quia ad contrahendam obligationem non ſatis eſt voluntas proferendi verba promiſsionis, ſed neceſſaria eſt voluntas promittendi, & ſe obligandi, vt ex ſupra dictis conſtat. At vero licet prolatio talium verborum poſsit eſſe voluntaria indirecte, ſeu virtualiter in cauſa, nihilominus vt eſt formalis promiſsio, & vim habet obligandi non poteſt eſſe voluntaria virtualiter, niſi virtute alicuius formalis voluntatis, ac deliberationis, quæ præceſſerit, quia vt obligatoria ſunt illa verba, non continentur in alijs cauſis, niſi formaliter vt talia ſunt, intendãtur. Quod magis declarabitur deſcendendo ad particulares caſus in fundamentis prioris ſententiæ inſinuatos.

9. *Dubium an votum in ebrietate ſit validũ ante illam præuiſum.*

In priori ergo proponebatur caſus de illo, qui emittit votum in ebrietate, quod ante ebrietatẽ præuiderat. In quo aliqui concedunt tale votum eſſe validum, quia eſt ſufficienter voluntarium in cauſa, licet in ſe non fuerit volitũ. Fundanturq; in illo principio, quod voluntarium ſufficiens ad peccatũ mortale ſufficit etiam ad votum: illud autem voluntariũ ſufficit ad mortaliter peccandum. Sed procul dubio errant, illoque principio abutuntur neque Authores ſecundæ ſententiæ hoc concedunt, ſed expreſſe negant. Et patet, quia in primis in controuerſia eſt, an homicidium in ebrietate commiſſum, etiamſi præuiſum fuerit, dicendum ſit peccatum, vel tantum effectus peccati præteriti? Nam hoc poſterius multi probabiliter defendunt, de quo latius in 1.2. Deinde indubitatum eſt, in illo actu non eſſe nouam culpam, nec nouum demeritum apud Deum, ſed ad ſummum eſſe nouum actum externum, qui denominatur peccatum ab interiori voluntate, & culpa quæ præceſsit, & cum illa cõſtituit vnum peccatum, quod non habet aliam, vel nouam malitiam, præter eam, quæ fuit in voluntate præcedente: ergo ibi non eſt ſufficiens voluntas ad peccandum de nouo, ergo neque ad vouendum. Vnde axioma illud deliberationem ſufficientem ad peccandum mortaliter ſufficere ad vouendum, intelligendum eſt in ordine ad ipſam voluntatem internam, non in ordine ad denominationem actus externi. Intelligenda etiam eſt cum proportione, comparando ſcilicet voluntatem peccandi ad voluntatem vouendi, quæ alias ex obiectis ſufficiunt ad peccandum, vel ad vouendum, ſic enim deliberatio intellectus, quę ad vnam fuerit ſufficiẽs, erit etiam ad aliam. Tamen in obiectis eſt differentia, nam ad peccandum non eſt neceſſe velle formaliter malitiam, neque actum vt malum, ſed ſatis eſt velle actum cui coniũcta eſt malitia: ad votum autem non ſatis eſt velle proferre verba promiſsionis, ſed neceſſarium eſt velle aliquo modo ſub ratione promiſsionis, ſeu obligationis. Et ſic etiam locum habet quod alij dicũt, malum imputari ex quocumq; defectu: votũ autem, vtpote bonum, requirere perfectiorem volũtatem, & ideo non induci ex ſola indirecta voluntate in cauſa circa prolationem verborum promiſsionis, ſed poſtulare aliquam propriam voluntatem promittendi, & ſe obligandi.

Ad votũ nõ ſufficere proferre verba promiſsionis ſed neceſſe eſt velle ſe obligare ſub ratione promiſsionis.

10. *Expenditur dubium de voto ab ebrio emiſſo.*

Quocirca duobus modis potuit ſe habere circa votum, qui ante ebrietatẽ pręuidit, ſe ſolere in ebrietate vota emittere. Primo vt illud præuidens nõ habuerit voluntatem ſe obligandi, neque vllam aliam circa votum, ſed ſolum promiſsionem aliquam tacitam, vel expreſſam proferendi verba promiſſoria tempore ebrietatis. Secundo modo potuit ita ſe habere, vt velit valide vouere, & ſe obligare, ſi verba promiſſoria ebrius proferat. In hoc poſteriori caſu admitto illum manere obligatum, neque hoc eſt cõtra poſitam aſſertionem, quia iam ſupponitur habere, vel habuiſſe voluntatem formalem ſe obligandi. Vnde in eo caſu votum quoad ſubſtantiam factum eſt ante ebrietatem, fuit tamen veluti conditionatũ, ſeu pœnale, nimirum ſi promiſsionis verba in ebrietate proferret, & ideo obligatio non fuit orta, donec impleretur conditio. Neque enim repugnat votum fieri ſub tali conditione, quæ poſtea non pendeat ex noua libertate vouentis, vt ſi Deus me à tali periculo liberarit, vel ſi Pater conſenſerit. Eſtque optimum exemplum, ſiquis ita voueat, Si quempiam in ebrietate occidam, nunquam amplius vinum bibam, non eſt enim dubium, quin ex tali voto impleta conditione oriatur obligatio.

11. At verò ſi ebrius ſe geſsit primo modo, impoſsibile eſt talem promiſsionem eſſe validam, aut ex illa oriri obligationem. Ratio eſt, quia ſola prolatio verbi promiſſorij, ſine voluntate vouendi, vel ſe obligandi, non inducit obligationem, neque eſt votum: in eo autem caſu ſolum inuenitur prolatio exterior, & ex parte voluntatis tantum eſt permiſsio quædam proferendi illa verba, vel ad ſummum (vt id gratis demus) eſt voluntas virtualis illa verba proferendi. Neutrum autem horum (ſi amplius non addatur) ſufficit ad votum, quia etiam volũtas formalis proferendi verba, ſi non adſit voluntas vouendi, aut ſe obligandi, non ſufficit ad votum, vt ſupra oſtenſum eſt.

Aliquorum reſponſio.

Dicunt aliqui volũtatem proferendi verba promiſſoria, dummodo non habeat coniunctam volitionem non vouendi aut ſe obligandi ſufficere ad votum, etiam ſi non adſit poſitiua voluntas vouẽdi, aut

aut ſe obligandi, & hoc modo ſe habere ebriũ in illo caſu. Sed illud falſum eſt, nam voluntas proferendi verba valde materialis eſt, niſi adſit animus vouẽdi, aut ſe obligandi. Qui licet exterius præſumi poſsit, quando contrarium non exprimitur, re tamen vera eſt quid diuerſum, & aliquid amplius in voluntate requirit, quam voluntariam prolationem verborũ, vt ſupra oſtenſum eſt: & euidentius conſtat, quando hoc voluntarium tam remotum eſt, & indirectum, quãtum eſt in ebrio in quo in ordine ad votum magis poteſt cenſeri permiſsio, quam voluntas, vt dicebam. Declaratur, quia vt huiuſmodi indirectum voluntarium tale cenſeatur, neceſſe eſt, vt præter præuiſionem effectus teneatur quis vitare cauſam, ne talis effectus ſequatur. Ille autem, qui præuidit ſe ſolere tempore ebrietatis dicere verba promiſsionis, nõ videtur teneri ad vitandam ebrietatem intuitu voti: quia verba illa parui momenti ſunt ad votum, ſi non adſit alia voluntas (& ideo dicam, illã potius eſſe permiſsionem, quam voluntatem in ordine ad votum.) Quamuis propter reuerentiam Diuini nominis videatur quis teneri ad vitandam occaſionem proferendi talia verba: & ſub ea ratione cenſeri poſſent indirecte volita ſeu volũtaria ſcilicet vt verborũ prolatio aliquam irreuerentiam in Deum cõtinent. Vnde ſi quis præuideat, ſe in ſomno ſolere proferre talia verba, & nihil de illis curet, neq; habet poſitiuam volitionem ſe obligãdi, nec vouebit quidquã, nec peccabit, quia non tenetur vitare cauſam illam, ne talis effectus ſequatur. Ex quibus à fortiori ſequitur, quotieſcumque ante ebrietatem non præuidetur directe talis effectus, multo minus poſſe oriri voti obligationem ſiue talis effectus potuerit præuideri, ſiue non: quia vbi non intercedit directa cognitio, nec directa voluntas eſſe poteſt: oſtenſum eſt autem ſine tali volũtate nõ poſſe in eo caſu oriri voti obligationẽ, ergo.

Cõditio requiſita ad voluntariũ indirectum.

12. *Dubium an validum ſit votum promittẽtis cũ iuramento, aut vouentis ex cõſuetudine ſine actuali aduertentia.*

In ſecundo fundamento prioris ſententiæ tangitur difficultas de promittente cũ iuramento, ſeu vouente ex quadam conſuetudine, ſine actuali aduertentia eius, quod agit quando ſic iurat. Circa quam Caiet. ſupra videtur ſentire, deliberationem illã virtualem, quæ ratione conſuetudinis imputatur, ſufficere ad valorem voti. Nam de illo, qui operatur ex conſuetudine ait, quod licet nõ deliberet actualiter, neque forte vnquam deliberauerit, vti tali conſuetudine: nihilominus ex collatione, ſeu deliberatione virtualiter operatur, quia nõ curat de collatione, ſed ita acceptat opus illud, ac ſi contuliſſet. Et quamuis Caiet. non applicet illam doctrinam ad votum, nec dicat expreſſe illum modum deliberationis ad votũ ſufficere, videtur tamen id ſentire, nam ad hunc finem illam doctrinam adducit.

Caiet.

13. *Reſolutio dubij negatiua.*

Ego verò exiſtimo, verba promiſsionis cum iuramẽto prolata, vel per modum voti ſine actuali aduertentia, & ſine præcedenti deliberatione formali ſic vouendi, non eſſe vera vota, neq; valida propter ſolam conſuetudinem proferendi ſimilia iuramẽta, vel vota: ſi eis non præbeat alium cõſenſum, propter illum indirectũ, qui colligi poteſt ex negligentia tollendi talem conſuetudinem. Quia de hoc fere eadẽ ratio eſt, quæ de voto emiſſo ab ebrio: nã ſicut ebrius profert exteriora verba, ita in eo caſu conſuetudo illa ſolum eſt cauſa proferendi talia verba ſine aduertentia, & volũtate per ſe ſufficiente ad inducendã voti obligationẽ. Negligentia ergo in tollenda conſuetudine ad ſummũ poteſt efficere, vt externa illa prolatio verborum ſit aliquo modo permiſſa, vel volũtaria, quatenus poteſt eſſe peccaminoſa propter irreuerentiam aliquam: non tamen poteſt efficere, vt illud votum validum ſit, quia nunquam facit, vt ſit ex deliberata, & formali volũtate ſe obligandi, quæ vel tunc exiſtat, vel præceſſerit, & virtute tunc manet, quod tamẽ neceſſariũ eſt, vt explicui. Et cõfirmari hoc põt ex his, quæ de cõſuetudine pererãdi in præcedẽti tractatu li. 3. c. 5. dicta ſunt, nimirũ ſi periurium fiat ſine actuali aduertẽtia ſufficiẽte ad actum humanum, licet fiat ex cõſuetudine, nõ eſſe nouum peccatum, ſed ad ſummum ita denominari per modum actus exterioris à præcedenti voluntate in cauſa, & ideo eandẽ eſſe rationẽ de tali peccato, quæ de peccato ebrij: ergo ẽt in ordine ad votum eadẽ eſt ratio. Oportet aũt aduertere, quod ibidẽ notaui, interdum cõſuetudinẽ nõ tollere actualẽ aduertentiã, ſed potius excitare illã, & tunc ſi id cõtingat, neq; iuramentum, neq; votũ poſſe dici indeliberatum formaliter: quia illa aduertentia licet breuiſsimo tẽpore fiat, eſſe põt ad deliberãdum ſufficiẽs, & ideo põt etiã ſufficere ad valorẽ voti. Nos aũt loquimur, quãdo cõſuetudo rapit linguam prius quam ratio aduertere poſsit, tunc enim non credimus fieri votum, niſi formalis voluntas præceſſerit, modo circa ebrium declaratõ.

14. *Dubium vltimum.*

In tertio fundamento poſito pro priori ſententia, plus videtur eſſe difficultatis, quia videtur etiã vrgere cõtra noſtram priorẽ aſſertionẽ, & in vniuerſum probare, nũquã fieri poſſe votum validum, niſi in eo inſtãti, ſeu tẽpore quo votũ emititur, ſit actualis aduertentia intellectus ſufficiens ad humanum actum ſatis deliberatum & ad peccandũ mortaliter, nõ exterius tãtum, vel per denominationem à præcedenti actu, ſed ẽt interius in nouo actu ipſi⁹ volũtatis. Probatur hoc, quia votum cõſiſtit in volũtate deliberata ſe obligandi Deo: hæc autẽ nõ fuit antea, ſed tunc primo habetur cum ſit votum: ergo tunc debet eſſe ſufficiẽter libera, & humana: ergo requirit actualem aduertentiam, alioqui non erit in ſe libera, ſed ad ſummum per denominationẽ ab aliquo actu præterito: quod nõ ſatis eſt, vt proxime dictum eſt, ergo ſemper requiritur ad votum actualis, ac formalis deliberatio. Declaraturq; difficultas ex differentia, v. g. inter votum, & Sacramentum: nam Sacramentum cõſiſtit in ipſo actu exteriori, & ideo virtualis intẽtio ex formali præcedẽte ſufficere põt ad Sacramentum efficiendum, at votum conſiſtit in ipſo actu interno voluntatis ſaltem quoad rationẽ obligationis, vt partim dictum eſt, partim in ſequentibus dicetur. Et ideo neceſſarium videtur, vt in eodem momento, in quo cõcipitur voluntas inducẽs obligationẽ voti, ſit in intellectu actualis cõſideratio, & aduertentia ſufficiens ad propriã, & intrinſecã libertatẽ, & moralitatem talis voluntatis: hoc autem eſt talem voluntatem eſſe formaliter deliberatam, ergo ſemper talis neceſſaria eſt ad vouendum.

15. *Non poſſe votũ fieri abſq; aliqua volũtate formaliter deliberata vouẽdi, ſeu obligãdi ſe Deo.*

Hæc ratio apud me cõuincit, nõ poſſe votum fieri ſine aliqua voluntate formaliter deliberata vouẽdi, ſeu ſe obligandi Deo, ita vt ratio ſufficienter aduertat ad hoc obiectum, quando voluntas habet illum actum, in cuius virtute obligatur. Hæc autẽ determinatio voluntatis dupliciter haberi põt, primo ita vt per tale propoſitum ſtatim fiat votum, & tunc cõcedo ſemper eſſe neceſſariã actualẽ, ac formalẽ aduertentiã cum iudicio ſufficienter cõtinente deliberationem. Poterit autem ante illud tempus præcedere collatio, & recogitatio, quæ per diſcurſum fit, & quoad illã poterit dici deliberatio illa virtualis, quia virtute cõtinetur in iudicio, quod voluntatem nunc mouet ad vouendum. Tamen quoad ipſum iudicium deliberatio eſt formalis & actualis, vt probat ratio facta. Secundo verò modo põt haberi determinatio vouendi in voluntate cũ ordine, & dependentia ad futurum actum, quod maxime contingit in votis, quæ exterius fiunt, & donec verba proferãtur nõ cenſentur facta, nec obligare: ſtatim vero ac verba proferuntur facta ſunt, & obligãt. Et tunc dico, præcedere in voluntate determinationẽ vouendi per talia verba prolata cõmuni, & ordinario modo, & ideo etiã ſi fortaſſe proferantur ſine actuali attẽtione, nihilominus per illa fieri votum in vi prioris deliberationis, ac determinationis. Et in hoc ſenſu accipiendum eſt, cũ dicitur, tũc fieri votũ cũ ſola determinatione virtuali, vtique comparatione ad votum externũ, & ad

obliga-

Digitized by Google

obligationem, quæ tunc de nouo inſurgit: re tamen vera tota hæc obligatio naſcitur ex priori voluntate, quæ formaliter fuit deliberata. Videtur autem fuiſſe quaſi cōditionata, ſeu ſuſpendens obligationē, donec votū exterius fieret, & ideo facto poſtea exteriori voto ſine interiori aduertētia actuali, incipit valere votum, & obligatio eius. Et ita res eſt clara, & difficultas expedita.

Capvt XI.

Vtrum ad ſubſtantiam voti pertineat, vt conſenſus in illud ſine dolo, ignorantia, vel errore præſtetur?

1. Diximus ſufficientem aduertentiam, vel conſiderationem ad valorem voti neceſſariam eſſe, vnde cum hæc poſsit maxime per ignorantiam, vel errorem impediri, conſequenter explicandum eſt, quando, & quomodo id contingat. Diſputamus autē hoc loco de voto præciſe, quatenus votum eſt, atque adeo de voto ſimplici, non de ſolemni, nam ſolenne adhæret aut ordini ſacro, aut profeſsioni Religionis, & ex ea parte valor eius pendet ex valore profeſsionis, de cuius impedimentis infra ſuo loco ex profeſſo dicturi ſumus. Et ibi conſequenter videbimus, quando, & quomodo ignorantia impediat valorem ſolennis voti: hic ergo ſolum de ſimplici, ſeu de voto ſecundum ſe differimus.

In hac ergo quæſtione duę poſſunt eſſe opiniones. 2. *1 Sententia.* Prima generaliter docens, omnem ignorantiam, vel deceptionem, quæ dat cauſam voto, illud reddere nullū, ita enim de omni promiſsione gratuita multi cenſent, vt videre licet in Molin. 2. tom. diſpu. 567. & to. 1. d. 209. *Molin.* & ratio, quam adducit, idem probat de voto, ſcilicet quia promiſsio, vel donatio gratuita eſſe debet plenè, & ex omni parte volūtaria, & ſine admixtione inuoluntarij. Hac enim ratione ſolutio vſurarum valida non eſt, quia licet ſit voluntaria, habet admixtam inuoluntariam. Et ratio eſt, quia illa promiſsio eſt ex ſola liberalitate, & ita pendet ex animo, & intentione donantis: eius autem animus eſt quaſi conditionalis ſaltem habitualiter, ſcilicet promittēdi, ſi talis cauſa ſubſiſtat: ergo illa non exiſtente non oritur obligatio. Confirmatur: quia talis deceptio cauſat inuoluntarium, qui enim ex falſa cauſa donat, vel promittit, inuoluntarie id facit, ergo. Hæc autem omnia ęque procedunt in voto, quod eſt promiſsio liberalis, & gratuita, facta Deo, ergo. Et ita in particulari de Voto id ſine limitatione aſſeruit Leſſ. *Leſſ.* li. 2. c. 4. dub. 1. nu. 5.

Secūda opinio eſſe poteſt, ſimpliciter negans do- 3. *2 Sententia. Stunica.* lum, vel ignorantiam inualidare votum. Ita docuit Stunica q. 1. de Voto n. 17. ex quibuſdam Iuribus, quę non obſtante dolo, & deceptione, ſeruandum cenſent eſſe votum, vt patet ex cap. *Dudum*, de Conuerſ. coniug. vbi Gloſſa, Imol. & Panorm. Idem Gloſſ. vlt. *C. Dudum. Gloſſ. Imol. Panorm.* per textum ibi in cap. *Cum dilectus*, de his, quæ vi, quæ diſerte explicat id procedere, etiamſi dolus det cauſam voto. Et rationem reddit, quia in ſpiritualibus licet quis decipiatur, decipitur in ſuum cōmodum, & non in præiudicium, & ideo talis dolus non inualidat actum.

4. Sed in hac quæſtione oportet præ oculis habere, quæ ſuperiori tract. lib. 2. in ſimili quæſtione de iuramēto adnotauimus, nam multa hic poſſunt cū proportione accōmodari. Præſertim circa dolum propriè ſumptum aduertimus, duo includere, iniuriam *Quid inferat dolus propriè ſumptus.* in decipiendo, & effectum, ſeu damnum illatum per talem iniuriam, nimirum, errorem, ſeu ignorantiā: vtrumque autem horum poteſt inter homines conferre ad inualidandas promiſsiones, & contractus, vt ibi dictum eſt, & latius tractatur in materia de Iuſtit. Vnde Soto lib. 7. de Iuſt. q. 1. art. 2. ver. *Sextus error*, & c. ait, per deceptionem inualidari votum, quando cōtinet grauem iniuriam: non vero ſi leuem contineat. Nihilominus tamē exiſtimo reſpectu Dei rationem iniuriæ nihil facere ad inualidandum votum illi factum, quantumuis iniuria grauis fuerit. *Iniuriā nihil efficere ad inualidandum votum quod Deo fit.* Probatur primo ex dictis ſupra de metu: nam licet cum iniuria graui inferatur ab homine ad extorquēdum votum, non inualidat votum ex natura rei: ergo idem erit in dolo, præciſe ſpectando iniuriam. Nam eſt ratio eadem, nimirum, quod iniuria non fit à Deo, cui fit votum, neq; etiam acceptare votum ſic factum eſt iniuria, ſi alias plena volūtate factum eſt, quia potius hoc ſpectat ad honorem Dei, & ad bonum ipſius vouentis. Secundo hoc maxime probant Iura allegata, quia in primis nō irritant votum factum per dolum, quod notauit Gloſſa in c. *Conſtituit*, 20. q. 3. ponderās *Gloſſ.* in hoc differentiam inter metum & dolum. Deinde nullam habent rationem iniuriæ illatæ per deceptionem, quando voluntas vouendi non defuit, & ſupponunt votum eſſe tunc validum ex natura rei alias illud ſeruare non præciperent. Igitur in dolo ſola ratio ignorantiæ, ſeu erroris conſideranda eſt, & ita in præſenti eodem modo de dolo, ſeu deceptione iniurioſa, ac de errore vndecumq; concepto loquendum eſt, & ita in genere de ignorantia loquemur.

Deinde tanquam certum ſupponimus, aliquā ignorantiam poſſe impedire valorem voti, & aliquam ad hoc non ſufficere. 5. *Aliquam ignorantiam poſſe impedire valorē voti, & aliquā ad hoc nō ſufficere.* Primum patet quia ignorantia tollit cognitionem: ergo tantā eſſe poteſt, vt auferat neceſſariam deliberationem: ergo impediet votum. Item ignorantia tollit voluntarium: ergo tanta eſſe poteſt, vt voluntarium non relinquat: at votum niſi ſit voluntariū, votum eſſe non pōt, ergo. Altera pars probatur, quia metus non impedit votum: ergo neq; ignorantia ſemper impediet. Probatur conſequētia, quia ſicut metus minuit voluntarium, non tamen omnino tollit illud: ita aliqua ignorantia non prorſus tollit voluntarium, ſed tantum minuit. Item ignorātia nō tollit omnem rationis vſum, alias potius eſſet impotentia cognoſcendi, aut omnimoda inaduertentia, quam ignorantia: ergo non tollit omnem deliberationem, ſed minuit perfectionem eius. Dictum eſt autem, ad votum non eſſe neceſſariam deliberationem vndique perfectam: ergo non eſt cur omnis ignorantia votum impediat. Oportet ergo ignorantias diſtinguere, & quæ ſufficiat, vel non ſufficiat ad impediendum votum, declarare.

Solet autem ignorantia variis modis diſtingui, vt 6. conſtat ex 1. 2. q. 6. artic. 8. & q. 76. artic. 1. præcipue tamen diuidi ſolet, vel ex parte materiæ, ſeu rerum, *Quibus modis diuidatur ignorantia.* quæ ignorantur, vt diuiditur in ignorantiam iuris, & facti, vel ex parte modi, qui ſpectat ad ipſam perſonam, quæ ignorantia laborat, quomodo diuiditur ignorantia in eam, quæ conſiſtit in priuatione, vel in praua diſpoſitione, ſeu errore: item in ignorantiam antecedentem, concomitantem & conſequentem, voluntariam, & inuolūtariam, vincibilem, & inuincibilem, ſeu culpabilem, & inculpabilem, & omnia hęc membra poſſunt pręſenti inſtituto deſeruire: ſed de his poſterioribus dicemus capite ſequenti. Nunc vlterius poteſt diſtingui ignorantia: quædam enim verſari poteſt circa ipſum votum, vel circa intrinſecum effectum eius, qui eſt obligare hominē ad rem voto promiſſam, vt ſi fingamus hominem votum emittere prorſus ignorando quid ſit vouere, aut per errorem cogitando nihil aliud eſſe, quam proponere, aut affirmare, ſe aliquid facturum, abſque vlla obligatione, quam ſibi imponat. Alia vero ignorantia verſari poteſt circa materiam voti, & conditiones, ſeu proprietates eius, vt ſi quis putet rem, quam vouet, eſſe facilem, aut paucis ſumptibus poſſe fieri, vel quid ſimile: poſtea vero intelligat, ſe deceptum eſſe. Hæ autem conditiones interdum poſſunt eſſe graues, interdum leues, aliquando etiam poſſunt dare cauſam voto, aliquando dare tantum occaſionem,

Digitized by Google

aliquando vero eſſe impertinẽtes, ſeu concomitantes tantum.

6. *Quoties votum fit ex ignorantia conditionum eſſentialium, ignorantia voti valorẽ impedit.*

Primum ergo aſſero: Quoties votum fit ex ignorantia proprietatum, & conditionum ſubſtantialium voti, talem ignorantiam impedire valorẽ voti, niſi vouens nõ obſtante tali ignorantia velit promittere eo modo, quo alii promittunt. Hæc aſſertio ex parte declarata eſt ſupra tractando de illo, qui vult vouere, & non ſe obligare, exiſtimans vouere nõ eſſe obligationem ſibi imponere, neque votum habere hanc vim. De quo voto diximus nullum eſſe, quia re ipſa ille non vult votum, ſed nomine tãtum. quia cũ res ipſa & ſubſtantia voti ignoretur, non poteſt eſſe voluntaria, quia voluntas nõ terminatur in incognitum, & ita in hoc cõueniũt omnes Authores allegati citato loco, & infra referendi. Addita vero eſt limitatio, quam dicto loco etiã explicui. Nam ſi ignorans naturam voti cõfuſe velit illud facere prout in ſe eſt, vel prout alii faciunt, iam per talem intentionem depellit ignorantiã, ſicut in materia de Sacramentis diximus, intentionem generalem ſufficere ad conficiendum Sacramentum, non obſtante priuato errore.

7. *Qui ignorat votum fieri Deo, licet dicat voueo nihil vouet.*

Atque hinc ſequitur, ſiquis ignoret votũ fieri Deo, licet abſolute dicat, voueo me hoc facturum, nihil agere, quia vel non promittit alicui, vel certe nõ Deo. Quia impoſsibile eſt habere voluntatẽ promittendi alicui perſonæ ſi omnino ignoretur, promiſsionem ordinari, aut dirigi ad talem perſonam, ergo qui hoc ignorat, non poteſt velle ſe illi obligare. Vnde in eo caſu cenſendus eſſet talis homo propriam vocem ignorare, & apud illum nihil aliud eſſe vouere, quam conſtanter aliquid proponere, vel affirmare, vel etiã iurare. His enim modis ſæpe videtur vſurpari verbũ vouendi apud vulgares homines. Vt cũ vouẽt Deo, ſe vindictã ſumpturos de inimico nõ enim intẽdunt aliquid Deo promittere, ſed vel iurare, vel magnã animi pertinaciam declarare. Vnde aliqui vouendo Deo, verum eſſe affirmant quod narrant, etiamſi res præterita ſit, in quam obligatio, aut promiſsio nõ cadit: non ergo vouẽt, ſed iurant licet vocibus vouendi abutantur.

8. *Ignorantia circa materiam voti ſi ſit circa conditiones ſubſtantiales eius, vel circa res adeo graues vt exiſtimẽtur pertinere ad eſſentiam, votum inualidat.* *Soto.* *Arag.* *Lud. Lop.*

Dico ſecundo: Ignorantia circa materiam voti, ſi ſit circa conditiones ſubſtantiales eius, vel circa res adeo graues vt moraliter exiſtimentur pertinere ad rei ſubſtantiam, impedit valorem voti. Cõcluſio eſt communis, quæ magis videtur ſupponi, ab Authoribus, quã diſputari, vt patet ex So. li. 1. de Iuſt. q. 1. art. 2. Arag. d. ar. 1 in quadã ſolutione ad 3. Lud. Lop. 1. p. c. 50. §. vl. & Modernis communiter. Declaratur aũt in hunc modũ: nã conditio ignorata in materia voti aliquãdo eſſe poteſt talis, vt reddat illam incapacem obligationis voti, vt ſi innoteſcat eſſe impoſsibilem, vel illicitam, &c. & tũc clarum eſt, tale votũ eſſe nullum, non ſolum propter inuoluntarium, quod ignorantia cauſat, ſed etiam quia tale votum cadit in materiam incapacem. Aliquando etiã ablata ignorantia res promiſſa, ſeu voti materia eſt capax obligationis voti, & quoad ſubſtantiam eſt illa, quæ per votũ intẽditur, error aũt, vel ignorantia eſt de circumſtantiis eius grauiſsimis iuxta rei qualitatẽ. Exẽplũ eſt ſiquis voueret ire Hieroſolymam, exiſtimans ſine nauigatione poſſe illuc proficiſci, aut ire Romam exiſtimãs parum diſtare, & ſimilia. Et tunc videtur eſſe nõnulla maior difficultas, nihilominus tamẽ in hoc etiam ſenſu aſſeritur, & eſt vera concluſio.

9. *Ratio aſſertionis.* *L. Si per errorem.*

Ratio aũt eſt, quia talis ignorantia tollit propriam voluntatem vouendi, quia nihil eſt magis contrariũ cõſenſui, quam error, vt dicitur in l. *Si per errorẽ*. ff. de Iuriſd. omn. iud. Vnde quoties fuerit tanta ignorantia, quæ impediat hanc voluntatem, impediat etiam votum, ſiue iniuria interueniat, ſiue nõ. Eſt tamen in hoc differentia notanda inter metũ, & ignorantiam, quod metus non tollit voluntarium ſimpliciter, ſed potius ad illud inducit, quamuis ſecũ admittat, vel etiã moraliter afferat inuoluntariũ ſecundũ quid: ignorantia aũt tollit voluntatem directam, & abſolutam obiecti ignorati. Cuius differentiæ ratio eſt, quia metus nõ tollit voluntati obiectum, ſed potius applicat illud, & facit iudicari bonũ, (ſaltẽ ſub ratione vtilis) id, quod alias ſimpliciter exiſtimaretur malũ. Ignorantia aũt occultat obiectum, quo occultato nõ poteſt volũtas ferri in illud, quia nihil volitũ, quin præcognitum. Et hac ratione metus per ſe nõ ſufficit ad votum annullandũ, ſufficit aũt ignorantia per ſe ſola, ſi ſufficienter occultet, vel mutet obiectum, vt in caſibus propoſitis plane videtur efficere. Nã qui vouit Hieroſolymitanam peregrinationem exiſtimans abſque nauigio poſſe fieri, non habuit voluntatem ſe obligandi ad nauigãdũ: vnde nõ habuit pro obiecto ſibi propoſito ad volendũ, & vouendũ peregrinationem illã, quæ vere eſt Hieroſolymitana, ſed aliam per ignorantiam confictam: merito ergo talis ignorantia votum impedire cenſetur.

Sed obiiciet aliquis, quia ignorantiam circumſtãtiarum non reddit inuoluntariã actionẽ quoad ſubſtantiam eius, ſed in prædictis caſibus non ignoratur ſubſtantialis materia voti, ſed quædam eius circumſtantia: ergo talis ignorantia non põt reddere votũ illud inuolũtariũ quoad ſubſtantiã eius: ergo erit validũ tale votum quoad ſubſtãtiam ſuam, & cõſequẽter ẽt quoad reliqua, quaſi per conſecutionem quandam, quia accidentia conſequuntur ſubſtantiã. Maior patet ex dictis: nã ignorantia eatenus cauſat inuoluntarium, quatenus occultat obiectum volendum, non aũt occultat niſi illud, de quo ipſa eſt, ergo ſi tantum eſt de circũſtantiis, & non de ſubſtantia actionis, non occultat actionem quoad ſubſtantiam: ergo nec facit illam inuoluntariam. Minor ẽt patet, quia ſubſtantia Religionis nõ eſt ieiuniũ, aut abſtinẽtia à carnibus, &c. ergo ignorantia horũ effectuũ nõ põt reddere inualidum votum Religionis. Simile eſt de voto peregrinationis, cuius ſubſtantialis materia eſt viſitare hunc, vel illum locum pium, diſtantia autẽ, aut modus itineris eſt accidentalis circumſtantia. 10. *Obiectio.*

Reſpondeo, ideo dictũ eſſe in aſſertione, has conditiones ignoratas tunc impedire valorẽ voti, quando ſunt adeo graues, vt moraliter cẽſeantur ad ſubſtantiam pertinere. Eſt aũt conſiderãdum, aliud eſſe loqui de ſubſtantia alicuius actus in ordine ad conſtituendum, v.g. ſtatum Religionis, ſeu ad participãdum talem honeſtatẽ, ſeu modũ cultus Religioſi: aliud vero eſſe loqui de ſubſtãtia talis actus, vt eſt obiectum, ſeu materia talis voti, vt v. g ad ſubſtantiam actus eleemoſynæ quoad honeſtatem eius, nõ refert, quod fiat Petro potius, quam Paulo: ſi autẽ quis vouit eã facere Petro, illa circumſtantia eſt de ſubſtãtia eleemoſynæ, vt eſt materia talis voti. Sic ergo in præſenti dicimus, quod licet abſtinentia à carnibus, vel alia grauis aſperitas Religionis non ſit de ſubſtantia ſtatus Religioſi vt ſic, moraliter tamen cenſetur de ſubſtãtia talis ſtatus Religioſi in indiuiduo, quatenus hic ſtatus in particulari eſt materia alicuius voti, quia vouens nõ intendit promittere ſtatum nudum, ſed veſtitum his, vel illis conditionibus: quæ interdum tales ſunt, tamque graues, vt nõ cẽſeantur moraliter volitæ, quãdo circa illas erratur: & ideo talis ignorãtia cenſetur cauſare inuoluntarium in his, quæ pertinent ad ſubſtantiam talis voti ex parte materiæ. Quæ doctrina facile poteſt ad alia exempla applicari. 11. *Solutio.*

Inſtabis, maxime in illo exemplo de voto Religionis: nam eſto, tale votum non obliget in particulari ad talem Religionem ita aſperam, ſaltẽ obligabit ad ſtatum Religionis aſſumendum alibi: ergo talis ignorantia nõ facit votum ſimpliciter inualidum, ſed ſolum quoad talẽ conditionẽ ignoratã. Antecedens patet, quia ſi vouens nihil ignorauit eorum, quæ pertinẽt ad ſtatum Religionis, & illud primario intẽdit, cum votum emittit: ergo ad illũ ſaltẽ in cõmuni obligatur. Reſpondeo forte non defuturos, quibus hoc probabile appareat, Nihilominus negãdã exiſtimo, 12. *Inſtantia.* *Satisfit inſtantiæ.*

ſeque-

ſequelam, quia licet ille non ignorauerit ſtatum Religionis vt ſic, tamen non intendit ad illum abſolute, & nude ſe obligare, ſed tantum ad hunc in particulari, & cum talibus conditionibus partim veris, partim exiſtimatis, & ideo ſi obligatus non manet ad hunc ſtatum in particulari ſumendum, neque ad alium eligendum obligatur. Sicut qui vouet dare tãtam eleemoſynam Petro, quia exiſtimauit eſſe pauperem, ſi poſtea intelligat ſe deceptum, & Petrum eſſe diuitem, non obligatur tali voto ad dandam illi eleemoſynam, nec alijs pauperibus, quia ipſe hoc non vouit, neque ſimpliciter voluit honeſtatem miſericordiæ exercere, ſed tantum circa talem perſonam. Tota autem hæc obligatio ex intentione, & voluntate vouentis pendet, neque illam excedit.

13. *Cum circa materiam voti interuenit deceptio circa aliquas conditiones vel leues, vel impertinentes ad votũ non impeditur valor voti.*

Dico tertio: Quando circa materiam voti interuenit ignorantia, vel deceptio circa aliquas conditiones, vel impertinentes, vel leuiores momenti, talis ignorantia qualiſcumque illa ſit non impedit valorẽ voti. Ita docet Sot. & omnes ſupra allegati. Et ratio eſt, quia parum pro nihilo reputatur, ideoque moraliter non exiſtimatur ſufficiens ad mutandam volũtatem, neque ad cauſandum inuoluntarium ſimpliciter, vel multum illud minuendum: quod autẽ vel perfectionem eius aliquãtulum minuat: vel aliquale inuoluntarium ſecundum quid cauſet, non ſatis eſt ad impediendum votum. Et hoc etiam confirmant rationes dubitandi in principio poſitæ. Quando vero conditio ignorata huiuſmodi ſit, prudens Theologus in particulari iudicabit, conſiderata qualitate materiæ, & circumſtantiarum, nam certior generalis regula dari non poteſt.

14. *Cõditio, pertinẽs ad propriã cauſam finalem vel formalẽ voti impedit valorẽ voti.*

Dico quartò. Quando conditio ignorata non ſpectat ad materiam voti, ſed ad cauſam eius, tũc impediet valorem eius, quando fuerit propria, & finalis cauſa voti, & quaſi ratio formalis mouens in tali materia, ad illam Deo promittendam: ſi vero fuerit tãtum occaſio, ſeu ratio ſecundario mouens, ignorantia illius non impediet valorem voti. Hęc aſſertio eſt communis præſertim Canoniſtarum, qui vtũtur nominibus cauſæ finalis, vel impulſiuæ, vt latè refert *Tiraquel.* Tiraquel. in tract. *Ceſſante cauſa*, p. 1. n. 256. & lim. 1. n. 1. & ſequentib. Et infra tractando de obligatione voti, & excuſationibus eius, latius eſt à nobis declaranda. Nunc breuiter ratio vtriuſq; membri ſumitur ex duabus præcedentibus aſſertionibus, nam proprius *Ratio aſſert.* finis, & per ſe mouens voluntatem pertinet ad ſubſtantiam voluntatis (vt ſic dicã) quia pertinet ad ſubſtantiale obiectum eius, ergo error circa talem finẽ ſubſtantialis eſt. Item ſi error ſit circa finem vniuerſalem qui eſt Diuinus honor, deſtruitur materia voti, quia ſi non eſt apta ad illum finẽ, non eſt capax obligationis voti. Si vero eſt error circa finem proximum, & intrinſecum actus, tollitur obiectum formale, & conſequenter intẽtio, vt ſi voueo dare huic, quia puto eſſe pauperem, & poſtea ſcio eſſe diuitem: ergo. Altera vero pars de cauſa ſecundaria, ſeu impulſiua probatur cõtraria ratione, quia illa non pertinet ab ſubſtantiã voti, & ſine illa manet integer cõſenſus. Solet autem hæc pars limitari, niſi talis finis det cauſam voto, ita vt ſi ſciretur non eſſe, votũ non fieret. Sed hoc intelligendum eſt iuxta ſupra dicta, ſi hæc ipſa conditio formaliter, vel virtute actu cadat ſub intentionem operantis, alias illa conditionalis eſt impertinens, vt ſæpe dixi.

15. *Cap. Ex parte, 2.*

Et iuxta hanc poſteriorem partem intelligi poteſt cap. *Ex parte*, 2. de Conuerſ. coniug. vouerat enim in caſu illius textus caſtitatem quædam mulier, quæ ſponſum habebat, cum quo matrimonium ratum contraxerat, mota vero fuerat ad vouendũ, eo quod credebat maritum eſſe leproſum, in quo tamen fuerat decepta. Et nihilominus reſpondet Pontifex, votum eſſe validum, & ſeruandum, *Cum ſine qualibet tali cauſa id ipſum Religionis obtentu facere potuiſſet.* Vbi *Gloſſ.* Gloſſa, & Doctores laborant in explicando, quomodo votum ex errore factum validum fuiſſe declaretur: & licet dubium ſit, an de voto ſimplici, vel ſolenni ibi ſit ſermo (quod infra ſuo loco tractabitur) tamen de quocumque intelligatur, exponitur facile iuxta doctrinam datam. Quia ignorantia illa non fuerat de re pertinente ad ſubſtantiam voti, ſed de motiuo quodam, vel occaſione valde extrinſeca, quæ potuit quidem excitare, & applicare voluntatẽ mulieris ad vouendum, non tamen pertinet ad obiectum, ſeu materiam, neque ad intrinſecum finem, ſeu motiuum talis voti, quod eſt Religio, & cultus Dei. Et eodem modo intelligi poteſt cap. *Magnæ*, de Voto, vbi Panorm. & alij dicunt, ignorantiam illam fuiſſe de cauſa impulſiua, & remota, non de intrinſeca propria, & finali cauſa. Supererat dubium an in voto ſolenni habeat locum hæc doctrina, nam diſcurſus factus videtur vniuerſalis, & fortaſſe formaliter intellectus, ita eſt: tamen quia de voto ſolenni eſt ſpecialis difficultas, in proprium tractatum illam reſeruamus.

Capvt XII.

Expediuntur tria dubia circa ignorantiam impedientem valorem voti.

Svperſunt aũt nonnulla dubia circa ſuperiorẽ doctrinam explicanda. Primum eſt, an locum habeat in ſola ignorantia inuincibili? Videtur enim nõ procedere, quando ignorantia vinci potuit, & voluntaria fuit: hæc enim ignorantia non facit actum omnibus modis inuoluntarium, ſed potius relinquit tale voluntarium, quod ad peccandum mortaliter ſufficit: ergo relinquet etiam voluntarium ad obligationem voti ſufficiens, iuxta commune axioma ſuprà tractatum. Et confirmatur maxime ſi talis ignorantia non ſolum ſit ſupina, ſeu negligens, ſed etiam ſit affectata: tunc enim voluntas ignorandi eſt quędam virtualis voluntas ſe obligandi, etiamſi fortaſſe decipi contingat. Vt v.g. qui promittit aliquid Petro exiſtimans eſſe Paulum, non tamen ſine hæſitatione, aut formidine, negligitq; diligentiam facere, ſed abſolutè vult promittere, videtur conuinci velle promittere, etiamſi talis conditio in re ipſa nõ ſubſiſtat: teneturq; implere promiſſum, licet poſtea intelligat ſe fuiſſe deceptum circa exiſtimationem Petri. Idem ergo eſt in omni caſu ſimili, ergo talis ignorantia nõ eſt contra ſubſtantiam voti. 1. 1. *Dubium.*

Secundum dubium eſt, eſto ſupra dicta procedãt in ignorantia antecedente, quæ eſt cauſa actus, an locum habeant in concomitãte. Quæ tunc eſſe dicitur, quando aliquis ita operatur ignorans, vt non ſit minus operaturus, etiamſi nõ ignoret: talis enim ignorantia in præſenti materia non excludit voluntatem vouẽdi, quia fieret votum, etiamſi huiuſmodi ignorantia non adeſſet: ergo non repugnat valori voti. 2. 2. *Dubium.*

Tertia difficultas eſt de ignorantia priuationis, quamuis enim prædicta locum habeant, quando intercedit error contrarius intentioni, & voluntati vouentis: quando vero ſolum interuenit mera priuatio ſcientiæ alicuius rei promiſſæ, tunc illa non videtur cauſare poſitiue inuolũtarium, ſed ſolum excludere voluntatem directam, & explicitam talis cõditionis: cum quo ſtat, vt talis conditio ſit implicite volita in alio obiecto, in quo inuoluitur, nam ab illo nõ excluditur propter ſolam ignorantiam. Vt v.g. qui vult vouere ingredi Religionem Carthuſianorum, ignorãs, an in illa ſit vſus carnium abſq; vllo errore, ſi abſolute voueat Religionem illam, videtur votum validum eſſe, quia qui abſolute vult aliquid ſine examine, vel ſcientia, an habeat hanc, vel illam conditionem, cenſetur ſimpliciter velle illũd, cuiuſcumq; conditionis ſit. 3. 3. *Dubium.*

Ad primum reſpõdeo in primis, quando ignorã- 4. 1. *Solutio.*

tia talis eſt, vt ſit cauſa, & ratio emittendi votum, & alioqui eſt de re ſubſtantiali, parum referre ad rationem voti, quod talis ignorantia ſit voluntaria indirectè per negligentiam repellendi illam, quamuis id fieri potuerit. Ratio ſumi poteſt ex dictis cap. 8. quia ad votum non ſufficit voluntarium in cauſa, vel interpretatiuum: voluntarium autem ex hac ignorantia eſt ſolum interpretatiuum in cauſa, ergo. Probatur minor, quia conditio ignorata non eſt in ſe volita: ergo ad ſummum poteſt cenſeri intenta interpretatiuo modo & in cauſa, ſcilicet in ipſa ignorantia, at illa cõditio ſubſtãtialis eſt, vt ſupponimus, ergo ſubſtãtia voti hoc tantũ modo erit voluntaria ꝙ non eſt ſufficiens. Alia ratio inſinuata eſt ſupra in ca. 4. quia quod ignorantia ſit illo modo voluntaria, & quod homo poſsit, vel nõ poſsit illã vincere, poteſt quidẽ referre, vt actus cẽſeatur prudẽter vel imprudẽter factus, & cõſequẽter vt ſit vel non ſit peccaminoſus, nihil tamen refert, vt ſit, vel nõ ſit validus ad obligationẽ inducendam. Quia hoc ſolum pendet, (vt ita dicam) ex facto, id eſt, ex eo, quod aliquis habeat, vel non habeat voluntatem ſe obligandi: quam nõ magis habet, qui in eo caſu prudenter operatur poſt diligentiam adhibitam, quam qui temere, & imprudenter. immò ex alio capite videtur in hoc eſſe minor voluntas, quia minor eſt deliberatio. Accedit tertio, quod in ordine ad peccatum vitandum tenetur quis diligentiam adhibere, vt ignorantiam prius expellat, & ideo ſi ſit negligens, cenſetur illa ignorantia propriè voluntaria, licet indirectè. In ordine autem ad votum emittendum, & vt quis obligatus maneat ad ea quæ non nouit, non tenetur quis adeo diligenter examinare omnes conditiones, quas ſimplici modo exiſtimat ineſſe rei promiſſæ: nulla enim lege de tali obligatione conſtat: & ideo talis ignorãtia nõ tam eſt voluntaria, ſeu volita, quam permiſſa, & ideo non ſufficit, vt votum cenſeatur voluntariũ, etiam quoad conditionem ignoratam. Contra hoc autem videntur opinari Innoc. & alij in cap. *Dudum*, de Conuerſ. coniug. & ca. *Cum dilectus* de his, quæ vi. Sed illi videntur loqui de voto ſolenni, de quo fortaſſe eſt alia ratio, vt ſuo loco videbimus. Et in lib. 4. iterum occurret doctrina illa Canoniſtarum.

Innocen.

5. Atque hæc quidem clara videntur, quando ignorantia tantum eſt indirectè voluntaria: quando vero eſt directè vel ita (quod in confirmatione attingebatur) examinanda diligentius eſt voluntas operantis, quia hæc ignorantia non ita neceſſario excludit voluntatem directam conditionis ignoratæ, ſicut prior, quia non ita excludit directam cognitionem illius. Nam qui directè vult ignorare aliquid, iam directè cogitat de illo, quod ignorare vult, ſeu quod nõ vult examinare, an ita ſit: ideoque etiam poteſt directè velle ſe ad id obligare ſaltem ex hypotheſi, ſi fortaſſe ipſe decipitur: & ideo cum tali ignorãtiæ modo poteſt ſine dubio eſſe voti obligatio. Tamen in eo caſu, ſi rectè attendamus talis ignorantia nõ eſt cauſa vouendi: nã potius è contrario, ideo homo ſic affectus non curat rem examinare ad tollendam ignorantiam, quia habet voluntatem ſe obligandi cum quacumque conditione, nec etiam omnino occultat obiectum, vt declaratum eſt. Aduertere autem oportet, quod licet cum illa ignorantia ſic explicata poſsit eſſe prædicta voluntas vouendi, non propterea neceſſarium eſt, vt quoties ignorantia eſt affectata, voluntas vouẽtis ſit abſolute, & omnibus modis ſe obligandi, quia etiam poteſt illa voluntas ignorandi, ſeu non examinandi rem oriri ex aliquo timore humano, vel alio ſimili reſpectu, & ita poteſt nihilominus, qui vouet, non habere intentionem ſe obligandi, niſi iuxta exigentiam materiæ ſub tali, vel tali conditione propoſitæ, & ideo in huiuſmodi caſu diligenter examinanda eſt voluntas vouentis, nam inde res tota pendet.

Eadem fere reſponſio eſt ad ſecundam dubitationem, nam ignorantia concomitans, vt ſic non eſt cauſa actus, & ideo non comprehenditur ſub ea ignorantia, de qua in præſenti ſermo eſt. Aduertere igitur oportet, ignorantiam tunc dici concomitantem, quando homo eſt ita diſpoſitus, quod licet talem ignorantiam non haberet, idem eſſet operaturus. Hæc autem diſpoſitio intelligi poteſt, vel habitualis tãtum, vel actualis: & habitualem voco illam, quæ non eſt per actuale propoſitum, vel deſiderium voluntatis, etiamſi habitualis diſpoſitio ex actibus proxime præcedentibus relicta fuerit: quam alii fortaſſe virtualem vocabunt: in præſenti vero melius dicitur habitualis, quia (vt ſupponimus) neque actu exiſtit in ſe, neque in aliquo alio actu, qui in virtute eius operetur, vt ſupponimus. Hæc igitur diſpoſitio habitualis parum refert ad effectus morales, quamdiu in actum non prodit: imo vix poteſt de illa ferri humanum iudicium. Quis enim præter Deũ ſcit, quid eſſet volitutus homo, ſi hoc, vel iſtud conſideraſſet, aut quod propoſitum circa hoc obiectum conditionatum eſſet habiturus, ſi menti occurreret? Vtrumque enim pendet ex libera volũtate, quæ indifferens eſt, atque adeo incerta, quamdiu non prodit in actum. Neque ſatis eſt quod tempore proxime præcedente tale propoſitum habuerit aliquis, nam poteſt, & ſolet facile mutari. Vnde hoc modo ſolum poteſt dici ignorantia concomitans ſecundum humanam coniecturam: in præſenti autem materia talis coniectura non obſtat, quominus talis ignorantia æque impediat valorem voti, ac quælibet alia, quia homo non obligatur per hoc, quod facturus eſſet, ſi hoc, vel illud ei accidiſſet, ſed per hoc, quod actu facit, vel fecit. 6.

Ad primã.

Quid ſit ignorantia cõcomitans.

Alio ergo modo dicitur ignorantia concomitans comparata ad præſentem voluntatem actualem, qua aliquis declarat mentem ſuam: vt bene in ſimili ſignificauit Tiraq. tractat. *Ceſſante cauſa*, limit. 1. num. 19. dum in fine ſimilis limitationis ait: *Quomodo autem id cognoſcatur, an alias, ſcilicet fuiſſet necne facturus, non video, niſi ex verbis legis, ſtatuti aut conceſsionis id deprehendi poſsit.* Ita ergo in præſenti dicimus, hoc voluntarium concomitans deprehendi non poſſe, niſi ex intentione, & verbis vouentis, ex illis tamen poſſe, & declaratur exemplo. Nam ſi aliquis occidat Petrum inimicum, ignorans quidem eſſe illum, & exiſtimans eſſe ceruum, actu vero deſiderans ibi adeſſe inimicum, cum propoſito occidendi illum, ſi ipſe eſſet tunc ignorantia dici poteſt actualiter concomitans: talis ergo poteſt etiam in voto emittendo interuenire, & tunc nihil obſtare poteſt quominus votum validum ſit, quia ignorantia tunc, neꝗ eſt cauſa talis voti, neque excludit ſufficientem voluntatem ſe obligandi ad talem materiã vt affectam tali proprietate, quia licet ignoretur abſolute, ſub conditione apprehenditur. Vt ſiquis voueat peregrinationem Hieroſolymitanam, exiſtimans non fieri per mare, habens tamen actu voluntatem, non minus vouendi illam, etiamſi per mare fieret, ſufficientem habet intentionem ſe obligandi ad talem peregrinationem abſolute, & ſimpliciter, ſiue per mare fiat, ſiue non, quamuis priuato errore exiſtimet abſque nauigatione fieri. 7.

Alius modus ignorantiæ concomitantis in ordine ad voluntatem actualem.

Tiraquel.

Ad vltimam difficultatem concedo, aſſertionem poſitam maxime procedere, quando ignorantia eſt poſitiua per iudicium, & exiſtimationem de materia voti, quod ſcilicet ſit affecta proprietatibus, quas re vera non habet. Tunc enim talis materia vt affecta talibus conditionibus eſt quæ mouet, & ad quam poſitiue fertur voluntas, ideoꝗ magis cauſat inuoluntarium, *Cum errantis nulla voluntas ſit*, vt dicitur in L. *Cum teſtamentum* ff. de iuris, & facti ignorantia. At vero quando ignorantia eſt pure priuatiua, iudicium, ſeu exiſtimatio poſitiua mentis proponit aliquid in materia voti, quod in re verũ eſt, & ibi ſiſtit: 8.

Ad tertiã.

& præ-

Digitized by Google

& præſcindit ab alijs, quæ nõ negat, quamuis ea non proponat, nam propterea non eſt ignorantia poſitiua, quia abſtrahentium nõ eſt mendacium. Vnde fit, vt obiectum ſic propoſitum non moueat voluntatem ſecundum id, quod per ignorãtiam occultatur, & ideo talis ignorantia nõ ita cauſat inuoluntarium. Poteſt autẽ illud cauſare tanquam remouens prohibens, nam illud quod per talẽ ignorantiã occultatur in obiecto, ſicut non attrahit voluntatem, ita nec retardat illam: & ex hac parte contingere poteſt, vt talis ignorantia cauſet inuoluntarium, quia ſi talis conditio fuiſſet propoſita, & non occultata, retardaret hominem à vouendo. Et hunc etiam inuoluntarij modum aliqui putant ſufficere, vt valor voti impediatur, maxime quando talis conditio callide occultatur, ne vouentem retardet.

9. Verumtamen hoc oportet ſano modo intelligere: nam vt dicebam de ignorantia concomitãte, nemo obligatur, vel deſinit obligari propter ea, quæ facturus eſſet, ſi hoc, vel illud accideret, ſed per ea, quæ facit: in eo autem caſu talis homo abſolute vouet, quod autem non eſſet emiſſurus votum, ſi hoc, vel illud ſciuiſſet, actu nihil ponit, vel cauſat in ipſo: ergo non poteſt hic, & nunc impedire obligationem, quæ ex voto ſecundum ſe naſcitur. Eo vel maxime quod (vt etiã dicebam) illa conditionalis hominibus incerta eſt, vnde non poteſt niſi diuinando, & coniectando affirmari: valor autem voti non debet pendere ex coniecturis adeo incertis. Quare potius videtur pro regula ſtatuendum, in eo caſu validum eſſe votum, & illam conditionem, occultatam per ignorantiam, implicite volitam eſſe in obiecto propoſito, à quo non fuit excluſa. Atq; ita ſentit Caietanus in Summa verb. *Votorum emiſſio*, &c. in fine, Soto ſupra q. 2. art. 1. ad 3. verb. *ex his*, Ludou. Lop. 1. p. c. 43 in fine, Valen. diſp. 6. q. 6. punct. 4. in fine.

Regula generalis in hac materia. *Caietan.* *Soto.* *Lud. Lop.* *Valent.*

10. Hæc tamen regula dupliciter limitanda eſt. Primo, niſi talis homo dũ vouet, per expreſſam voluntatem limitet ſuam intentionẽ ad obiectum ſibi propoſitum, vt ſic, vel expreſſe addat conditionem, Niſi tale votum habuerit plures difficultates, quam ſibi proponantur, nam per talem intentionẽ manifeſte fit huiuſmodi votum inuoluntarium. Quia tunc voluntas eſt conditionalis, & conditio ſubtilis. Secus vero eſt quando licet difficultas, vel conditio lateat, in intentione non concipitur, ſed abſolute fertur intentio ad obiectum, vt de facto proponitur: nec ſatis eſt dicere, quod ſi difficultas illa ſic cognoſceretur, homo non voueret, neq; illud obiectum vellet. Hæc enim conditionalis eſt de futuro, non de præſenti, & ideo non mutat præſentem voluntatem, ſed abſolutam illam relinquit, vt ſæpe dictum eſt. Secundo, niſi ex materia propoſita & modo proponẽdi moraliter conſtet taciturnitatem huiuſmodi conditionis, ſeu proprietatis materiæ æquiualere negationi, & conceptum, qui inde formatur, non ſolum eſſe præciſiuum, ſed etiam excluſiuum: tunc enim ignorantia iam non eſt mere negatiua, ſed vim habet moralis deceptionis. Quando autem de tali ignorantia hoc modo iudicandum ſit prudẽtis arbitrio relinquendum eſt, multumque pendet ex deliberatione, & intentione ipſius vouentis.

Duplex limitatio ad precedentẽ regulam.

Capvt XIII.

Vtrum præter deliberatam voluntatem ſe obligandi Deo, neceſſaria ſit promiſſio, quæ ſit actus intellectus, in quo voti ſubſtantia conſiſtat?

1. Diximus de actibus intellectus neceſſarijs ad voluntatem vouẽdi, & ordine naturæ antecedentibus illam, nunc ſupereſt explicandum, an ſit in intellectu aliquis actus ſubſequens prædictam voluntatem, in quo ſubſtantia, vel (vt ita dicã) entitas ipſius voti conſiſtat? Vt autem ſenſus, & quæſtionis ratio intelligatur, ſuppono in primis, votum formaliter conſiſtere in promiſſione facta Deo: ita vt interius in anima actus vouendi, & actus promittendi idem omnino ſint. In hoc conueniunt omnes Doctores, & ſupra capit. 1. & 2. probatum eſt. Patetque ex illo Deu. 23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*, & infra: *Facies ſicut promiſiſti*: vbi verbum vouendi per verbum promittendi explicatur. Sicut etiam fit Eccleſiaſt. 5. dum dicitur: *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim illi infidelis, & ſtulta promiſſio*: & infra: *Melius eſt non vouere, quam poſt votum promiſſa non reddere.* Vbi ea, quæ ſub votum cadunt, promiſſa dicuntur: ipſum ergo votum promiſſio eſt. Et eodem modo loquuntur Patres. Iſidor. lib. 2. Synonymor. & habetur cap. *In malis*, 22. q. 4. & Auguſt. Epiſt. 45. *Iam vouiſti, iam te aſtrinxiſti, tenetur apud Deum ſponſio tua.* Deinde in votis, quæ ore fiunt, nihil eſt ore vouere, niſi ore promittere: ergo ſimiliter in mente quam per votum explicamus, quod in mente geritur. Præterea fractio voti infidelitas quædam eſt apud Deum: infidelitas autem moralis promiſſioni contraria eſt: ergo votum eſt promiſſio. Tota ratio conſtat ex allegatis verbis Sapientis: *Diſplicet enim illi infidelis, & ſtulta promiſſio.* & ex illis Pauli 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id eſt, prius votum, vt Clemens expoſuit lib. 3. Conſt. cap. 1. dicens: *Rationem Deo reddet, non quia iterum nupſit, ſed quia promiſſionem non ſeruauit.* Illa ergo fides eſt promiſſio, eademq; eſt votum: & illã expoſitionem ſequuti ſunt Pontifices, Concilia, & Patres, vt infra tractando de Tranſgreſſione voti videbimus. Deniq; inter homines ex promiſſione ſeu pollicitatione naſcitur proxime obligatio: ergo & in ordine ad Deum: ſed ille actus ſpontaneus per quem homo ſe obligat Deo, eſt votum: ergo votum idem eſt, quod promiſſio. De hoc ergo puncto nõ eſt cõtrouerſia, ſed de ipſa promiſſione, à qua potentia fiat, & quis actus in ea ſit.

Deut. 23. *Eccleſ. 5.* *Iſidor.* *Auguſt.* *1. Tim. 5.* *Clemens.*

Hinc ergo intelligitur ratio dubitandi. Nã quod non ſit voluntatis actus, patet, quia non eſt propoſitum faciendi, quod promiſſum, vel promittendum eſt, quia ille actus non inducit obligationẽ, imo neq; eſt ſimpliciter neceſſarius ad illam, vt oſtenſum eſt. Neque eſt voluntas vouendi, aut promittendi, tum quia talis actus habet pro obiecto ipſam promiſſionem, & votum non habet pro obiecto ſe ipſum, quia repugnat primum obiectum alicuius actus voluntatis eſſe ipſummet actum, vt oſtendit D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. ad 2. tum quia promiſſio, & votũ eſt effectus illius voluntatis, atque adeo poſterius illa: eſt ergo aliquis actus diſtinctus ab illa. At vero poſt actum illum, quo homo vult promittere Deo, non poteſt intelligi alius actus ipſiuſmet voluntatis, qui ad votũ pertineat, quia poſt illum actũ nihil ſupereſt volendum, ſed faciendum, ergo in voluntate nõ poteſt intelligi actus, qui ſit votum. Et declaratur ex modo communi loquendi, nam *volo promittere*, & *promitto*, non ſignificant idem, nec qui dicit, volo promittere, cenſetur promittere, donec dicat promitto: ergo ſignum eſt, actum promittendi eſſe diſtinctum ab omni voluntatis actu, qui ad vouendum, vel promittendum interuenit. 2.

Ratio dubitandi in actibus voluntatis. *D. Thom.*

Quod autem votum non poſſit eſſe actus intellectus, probatur, quia nec eſt actus tempore, vel natura antecedens voluntatem ſe obligandi Deo, nec etiam eſt actus poſterior, ergo nullus eſſe poteſt. Maior euidens eſt ex dictis, quia ante voluntatem vouendi, ſeu obligandi ſe Deo, non eſt votum: ergo nullus actus intellectus antecedens dictam voluntatem poteſt eſſe votum. Minor etiam probatur: quia omnis actus intellectus, vel eſt cognitio, vel locutio, neuter autem ex his actibus poteſt eſſe votum, non quidem cognitio; nam poſt 3.

Idem probatur in actibus intellectus.

Digitized by Google

voluntatem vouendi, aut ſe obligandi nulla cognitio neceſſaria ſequitur in intellectu, niſi cognitio quaſi reflexiua, qua cognoſcit homo, quod velit, ſeu voluerit ſe obligare. Quæ cognitio non poteſt eſſe votum, tum quia non eſt cognitio ad alterum, ſed ad ſe, tum etiam quia non eſt actus practicus, ſed ſpeculatiuus, quo homo alium actum ſuum cognoſcit, vel effectum eius, votum autem eſt actus practicus, vt rectè D. Thomas dixit, tum quia talis cognitio videtur ſupponere votum: nam eo ipſo, quo vult ſe obligare Deo, obligatus manet: nam illa voluntas efficax eſt: ergo cum homo cognoſcit illam voluntatem in ſe, iam cognoſcit ſe obligatũ, ergo iam ſupponitur votum. Quoad alteram verò partem de locutione probatur minor, quia locutio interna ad Deum ſola voluntate ſufficienter fit, vt ſupra tract. 4. lib. 1. cap. 4. dixi, & licet poſsit etiam ab homine fieri per conceptus verborum, vt ibidem cap. 3. declaraui, hæc locutio non eſt neceſſaria, ſed valde accidentaria ad votum Deo faciendum, & ad obligationem eius, ergo.

4. *1. Sententia.* Duæ itaque in hac re ſunt opiniones. Prima dicit promiſsionem ad Deum, quæ eſt votum, eſſe quendam actum intellectus poſteriorem voluntatẽ promittendi, ac ſe obligandi, & ab illa procedentem per modum cuiuſdam impulſus, & imperij, quo ſe homo ordinat ad Deum. Hæc eſt opinio D. Tho. d. art. 1. quam ibi Caietan. Sot. Aragon. & alij Moderni ſequuntur, & omnes illi, qui orationem, legem, & imperium in intellectu conſtituunt, quos ſupra d. cap. 3. commemoraui. *D. Thom. Caietan. Soto. Aragon.* D. Thomas vtitur illa ratione, quia ordinarie ad intellectum pertinet, per votum autem ordinat homo ſeipſum, vt rem, quã vouet, ad Deum. Verumtamen ad hanc rationem iam diximus citato loco cum Scoto, & cum ipſo D. Thoma alijs locis non eſſe ſolius rationis ordinare, ſed etiam voluntatis. Nam profectò referre, ordinare eſt, voluntas autem refert actiones ad finem, vel ad alterum, vt qui vult obedire alteri, voluntatem ſuam voluntati alterius ſubordinat, & qui vult ſuum corpus tradere alteri, vt per matrimonium, ſuum corpus ſubiicit poteſtati alterius, quæ eſt quædam ordinatio. Sic ergo ex parte ordinationis non repugnat votum eſſe actum voluntatis. Aliter ſolet probari hæc opinio: quia votum eſt quaſi lex priuata, quam homo ſibi imponit, vt ait D. Thomas d. quæſt. 88. art. 10. *D. Thom.* quia ſicut ex lege naſcitur publica obligatio, ita ex voto priuata: ſed lex eſt actus intellectus: ergo & votum. Verumtamen, & de fundamento huius rationis eſt eadem controuerſia, præſertim de lege poſitiua, cui magis comparatur votum. Et præterea propoſitio illa, quod votum ſit lex priuata, metaphorica quodammodo eſt, vt infra declarabo: ex metaphorica autem locutione, ſubſumendo propriam, non poteſt eſſe efficax argumentatio, quia virtute fit in quatuor terminis.

5. *2. Sententia.* Eſt ergo ſecunda ſententia aſſerens, votum mentale eſſe actum voluntatis, quo voluntas efficaciter vult ſe obligare Deo ad hoc, vel illud, in honorem ipſius faciendum. Hanc ſententiam tenent in 4. diſt. 38. Maior. q. 1. definiens votum eſſe volitionem, *Maior. Gabriel.* Supplemen. Gabr. q. 1. artic. 1. qui bene rem diſputat. Inſinuat Scot. ibi q. vni. ver. *Alia ratio*, *Scot.* quatenus dicit per actũ voluntatis obligari aliquem vouendo, quia per ſolam voluntatem eſt dominus, & transfert dominium, &c. Idem ſentit Richard. artic. 2. quæſt. 2. *Richard. Palac.* Palac. diſput. 1. Alij vero antiqui non ſatis rem diſputant, nec explicant, ſemper tamẽ magis tribuunt votum voluntati, quam intellectui, & Iura interdum explicant per propoſitum firmum, id eſt, obligatorium, vt ſupra viſum eſt. Ipſum etiam nomen *Votum* à voluntate deductum eſt, vt dictum ſit *Votum*, quaſi volitum, vt aſſeruit Bart. in L. *Qui in aliena*, in princ. ff. de acquir. hæred. *Bart.* Et hoc fortaſſe ſentiunt Canoniſtæ, quando dicunt ad votum ſufficere propoſitum, vt diximus cap. 1. Et plura ex illis adducit Stunica quæſt. 1. nu. 37. & ſequentibus, qui nunc in hanc, nunc in aliam ſententiam inclinat. *Stunic.* Denique in hac opinione ſunt omnes Doctores, qui legem, imperium, vel orationem in voluptate conſtituunt, eſt enim eadem ratio.

6. *Senſus huius opinionis expenditur.* Vt autem fundamentum huius ſententiæ intelligatur, prius eſt ſenſus percipiendus. Non enim in propoſito ſeu voluntate faciendi, vel non faciendi rem promiſſam, votum ponit, ſed in voluntate ſe obligandi Deo, vt ex dictis conſtat. Hic autem actus *volo obligari Deo ad caſtitatem ſeruãdam*, dupliciter accipi poteſt. Primo tanquam ſolum propoſitum de futuro, ita, vt licet actus volũtatis ſit de præſenti, obiectum eius tantum ſit aliquid faciendũ futuro tempore, vt cum dico, volo ſeruare præcepta, & ſimilia, & in hoc ſenſu conſtat, talem actum voluntatis non eſſe votum, nec promiſsionem, ſed tantum propoſitum vouendi, vel promittendi. Vnde ſi quis dicat, volo promittere in eodem ſenſu de futuro, nõ promittit, nec illa verba æquiualẽt huic verbo, promitto. Alio vero modo poteſt intelligi actus voluntatis ſe obligandi efficaciter, & ex tunc, ſeu ex vi talis actus, ita vt idem ſit volo obligari, quod volo manere obligatus, ſeu volo vt ex nunc in me oriatur vinculũ, & obligatio. De hoc ergo actu intelligit hæc opinio eſſe votum, nec dependere in eſſe voti ab aliquo ſubſequenti actu intellectus.

7. *In quo actu voluntatis conſiſtat votum.* Sic ergo explicata hæc opinio mihi videtur vera. Et fundatur primo, quia illa voluntas per ſe ipſam ſtatim inducit ſpontaneam obligationem in ordine ad Deum, & voluntarie aſſumptam: ergo eſt votum. Conſequentia patet ex proprio effectu voti ſupra declarato. Antecedens autem probatur, quia ille effectus obligãdi ſe eſt in hominis poteſtate, & illa voluntas eſt abſoluta, & efficax, & pro ſtatim (vt ſic me explicem) ergo quãtum eſt ex parte illius, & ex parte hominis, ſtatim etiam per ſe ipſam inducit obligationem. Neque vero ex parte eius, cui fit talis obligatio, aliquid amplius neceſſarium eſt, quia in his obligationibus maxime requiri ſolet ex parte eius, cui fiunt, acceptatio, at vero cum obligatio hæc fit ad Deum, qui intuetur cor, & videt talem voluntatis determinationem, ſi ſit de materia capaci ſtatim poteſt acceptari, ergo etiã ex parte creditoris nihil aliud requiritur ad talẽ obligationem. Dices; licet ex parte illius volũtatis, & efficaciter ſequatur obligatio, nõ tamen immediate, ſed mediante facultate ad illam faciendã apta, quæ eſt intellectus, ſicut ex hoc actu efficaci volo moueri, ſtatim ſequitur motus, nõ tamen immediate, ſed per motiuam potentiam.

8. Contra hoc vero inſto, declarando aliud fundamentum huius ſententiæ, quia poſt illum voluntatis actum, nullus poteſt intelligi in intellectu, qui neceſſarius ſit, nec per ſe conferat ad efficiendam obligationem apud Deum, ergo ſola voluntas eſt, quæ & efficaciter, & immediate illam inducit. Conſequentia eſt clara. Et antecedens probatur, quia poſt illam voluntatem proxime ſequi poteſt in intellectu cognitio quaſi experimentalis, qua homo quaſi intuetur, & experitur in ſe talem actum voluntatis, quę cognitio vt ſic, non eſt ad Deum, nec aliquid ordinat ad ipſum, & ideo non poteſt eſſe votum, vt ſupra argumentabar. Deinde intelligi iudicium poteſt, quo homo iudicat, ſe ex vi illius voluntatis eſſe obligatũ Deo. Et hoc iudicium multo minus poteſt eſſe votum tum ob eandem rationẽ, tum quia ſupponit effectum voti, & conſequenter votum: tum quia quotidie ferre poſſumus illud iudicium iterum, atq; iterum, & non propterea iteratur votum. Hi ergo actus cognoſcendi, licet neceſſarij ſint ad implendũ poſtea votum, non tamen ad faciendum illud: præter illos autem nullus alius actus cognoſcendi per ſe coniungitur illi voluntati, nec intelligi poteſt ad quid ſit, vel quis, aut qualis ſit.

Præter

9. Præter cognitionem autem poteſt eſſe in mente locutio: hæc autem in præſenti materia non poteſt eſſe neceſſaria ad voti exiſtentiam, & obligationem, & maxime loquendo de locutione, quæ ſit actus intellectus: nam obligatio voti eſt ad Deum, qui nulla indiget locutione hominis, vt videat voluntatem ſe obligandi ipſi Deo, ad quid ergo eſt talis locutio neceſſaria. Deinde hæc locutio ad Deum, ſi ſit pure ſpiritualis per voluntatem fit, vt in tract. de Oration. oſtenſum eſt, ergo etiam ex hac parte non eſt neceſſarius actus intellectus. Et præterea cum talis locutio ad Deum non ſit, niſi ordinatio quædam proprij actus, quaſi per voluntariam præſentationem talis actus in conſpectu Dei, hæc ordinatio quaſi in actu exercito includitur in voluntate ſe obligandi Deo. Nam illa voluntas ad Deum voluntarie ordinatur intime, & per ſeipſam, & qui illam habet, optime nouit, non ordinare obligationem ſuam ad ignorantem illam, ſed ad eum, qui optime nouit illam, & acceptat, & exigit: ergo ex hac parte in illo actu includitur ſufficiens ordinatio. Quod ſi addatur expreſſus actus voluntatis, quo velit illam ſuam voluntatem, & obligationem Deo offerre, & præſentare, erit ad maiorem feruorem (vt ita dicam) ipſius vouentis, non de neceſſitate voti: quamuis etiam illa maior expreſſio ad voluntatem pertineat, vt dixi.

10. Denique ſi addatur locutio mentalis per conceptus verborum ſenſibilium, illa magis extrinſeca eſt ad rationem voti reſpectu Dei, tum quia non eſt neceſſaria, vt obligatio acceptetur à Deo, vt oſtenſum eſt: tum etiam quia illa iam ſupponit totum id, quod ex parte hominis eſt neceſſarium ad obligationem. Quod per comparationem ad promiſſionem, quæ fit homini, magis innoteſcet: nam inter homines ad effectum promiſſionis, præter efficacem voluntatem obligandi ſe alteri, requiri poſſunt verba, aut ſigna, quibus alteri conſtet illa voluntas, vt poſſit alius obligationem acceptare: at in ordine ad Deum non ſunt neceſſaria talia ſigna etiam intellectualia, ſed voluntas ipſa ſe ſuoſque actus ordinans ſufficit: ergo.

11. Vnde etiam ſumi poteſt argumentum, quia in promiſſione, quæ fit homini, quidquid poſt conſenſum voluntatis requiritur ad firmitatem promiſſionis, vel cuiuſcumque alterius contractus, eſt tantum in ratione ſigni, vt alteri innoteſcat conſenſus promittentis, vel donantis. Vnde inter homines hæc verba *Promitto tibi hanc rem*, nihil aliud ſignificant, niſi voluntate mea me tibi obligo ad rem hanc tibi donandam. Vnde verbis illis nihil reſpõdet in mente promittentis, niſi voluntas ſe obligandi, & in intellectu conceptus eorundem verborum, quibus dirigitur lingua ad illa verba proferenda, nec intelligi poteſt in intellectu alius actus illis verbis reſpondens. Idemque eſt in qualibet donatione. Et in matrimonio, verba illa quibus perficitur Sacramẽtum, *accipio te in meam, meque tibi trado*, aut ſimilia, licet per intellectum dictentur, immediate indicant conſenſum voluntatis in traditionem ſui corporis, vel in acceptationem alterius. Et ideo ſolent dicere Iura ſolum mutuum conſenſum dandi, & acceptãdi inuicem corpora, perficere matrimonium, vt loquitur Alex. III. in cap. *Cum locum*, de Sponſalibus, & Nicola. Papa in c. *Sufficiat* 27. q. 2. quia, nimirum, licet verba neceſſaria ſint, ſolum requiruntur vt ſigna conſenſus, ipſe autem conſenſus voluntatis eſt propria, & per ſe cauſa vinculi, & obligationis. At in promiſſione ad Deum non ſunt neceſſaria ſigna per ſe loquendo, ſed voluntas ipſa per ſe innoteſcit Deo, & eo ipſo quod eſt de obligatione illi efficaciter facienda, ordinatur ad ipſum, & ſi eſt recta, & conformis voluntati eius, acceptatur ab ipſo, ergo illa per ſe ſufficit ad votum. Dico autẽ per ſe, quia interdum ex ſtatuto Eccleſiæ, vel ex intentione vouentis, poteſt requiri exterior promiſſio etiam publica, vt votũ coram Deo valeat: ſed illud, & accidentariũ eſt, & tunc etiam illa exterior ſignificatio eſt quaſi conditio neceſſaria ad valorem conſenſus: ſubſtantia autem voti, quatenus in anima eſt, in conſenſu conſiſtit.

Solum conſenſum voluntatis perficere matrimonium. Alexan. Nicol.

Dicere vero poteſt aliquis, præter voluntatem ſe obligandi, & locutionem mentalem, interuenire actum imperij, quo ſibi homo imperat talem obligationem, & illum eſſe actum intellectus, & priuatam legem, quam ſibi homo imponit, & in illo conſiſtere votum, licet non vocetur imperium, ſed promiſſio, quia nõ eſt ordinatio à Superiore proueniens in ſubditum, ſed eſt ordinatio, qua ipſe ſubditus ſe ordinat ad Superiorem. Sed cõtra hoc dici poſſent multa de imperio, quia reuera præter iudicium non poteſt eſſe, niſi locutio, vt in 1. 2. latius dicitur. Hic tamen eſt peculiaris ratio non admittendi talem actum ſpecialem, quia imperium proprium cadit in actum humanum, qui imperatur: hic autem nullum tale eſſe poteſt. Nam practicum iudicium, quod antecedit voluntatem ſe obligandi Deo, eſto vocetur imperium, non eſt votum, vt iam oſtenſum eſt, quia ex illo non naſcitur propria obligatio: imo poteſt non ſequi, quia poteſt voluntas non obedire. Poſt illam autem voluntatem non ſupereſt actus humanus imperandus, niſi forte executio actus promiſſi per votum, quod imperium eſt, eſt effectus voti, non votum, & eſt effectus voluntarius, qui poteſt non imperari frangendo votum. Nec poteſt fingi imperium ſe obligandi, nam ſe obligare præciſe ſumptum, vt eſt aliquid diſtinctum ab actu voluntario per quem cauſatur, non eſt actus imperatus, ſed eſt vinculum, ſeu effectus moralis relictus ex voluntate ſe obligandi: ergo circa illud vinculum vt ſic, non poteſt immediate verſari aliud imperium, præter voluntatem ſe obligandi. Dicunt aliqui, imperium illud eſſe de acceptanda obligatione voti, quæ acceptatio actus humanus eſt. Sed non recte, quia qui vouet, vel non acceptat obligationem, ſed facit, Deus autem eſt, qui acceptat: vel non aliter homo acceptat illam, quam faciendo, & volendo illam: acceptatio ergo obligationis non eſt aliquid præter voluntatem ſe obligandi: at imperium huius voluntatis non eſt votum, vt oſtenſum eſt, quia antecedit illam: ergo nullum imperium ab illa voluntate diſtinctum poteſt eſſe votum. 12.

13. Neque obſtat, quod votum dicatur lex particularis, tum quia lex ſufficienter ferri poſſet per voluntatem, ſi per ſe innoteſceret illi, cui imponitur, ſicut vnicuique innoteſcit voluntas propria. Tum maxime, quia (vt dicebam) locutio illa metaphoram inuoluit. Quod ita declaro, nam dupliciter poteſt oriri obligatio ex actione aliqua, aut tanquam ex facto, vt ex furto naſcitur obligatio reſtituendi, vel ex teſtamento naſcitur obligatio implendi voluntatem teſtatoris, aut tanquam ex iure, vt ex naturali dictamine vnicuiq; dandum eſſe quod ſuum eſt, naſcitur obligatio reſtituendi rem alienam. Ex voto igitur, vel quacumq; promiſſione naſcitur obligatio tanquam ex facto, & ideo licet dicatur lex priuata propter quandam ſimilitudinẽ cum lege in producenda obligatione per voluntatem, tamen re vera non eſt proprie lex, quia non conſtituit ius: nec eſt actus iuriſdictionis, ſicut voluntas teſtatoris poteſt dici quaſi lex reſpectu hæredis, nõ tamen propriè, ſed per quandam analogiam. Propria autem obligatio tanquam ex Iure ſeruandi votum oritur ex illa lege naturali: *Redde Domino vota tua*, & hæc lex dici poteſt eſſe in dictamine intellectus, non eſt tamen votum, ſed circa votum, vt circa propriam materiam verſatur. Obligatio ergo, quæ oritur ex facto, non eſt neceſſe oriri ex intellectu, ſed ordinarie naſcitur ex voluntate, vt patet in matrimonio, & in teſtamento, in quibus præter voluntatem ſola ſigna externa requiruntur

Quomodo votũ dicatur lex particularis.

Dupliciter oriri poteſt obligatio ex actione aliqua.

Obligatio ex facto non ex intellectu, ſed ex voluntate oritur.

Digitized by Google

runtur propter cognitionem humanam: in præſenti ergo voluntas ſufficit, & ſigna non ſunt neceſſaria, vt votum ſit, ſed vt hominibus innoteſcat, vt oſtenſum eſt.

14. *Reſpondetur dubitationi initio propoſitæ. Votum dupliciter accipi poteſt. D. Thom.* Denique ad rationem dubitandi in principio poſitam reſpondeo, promiſsionem, aut votum dupliciter accipi. Vno modo pro obligatione, & vinculo, quod manet in homine habente votum: alio modo pro actu illo, à quo immediate naſcitur obligatio, hæc poſterior ſignificatio eſt magis propria, magiſq; vſitata, tamen prior etiam eſt frequens: ſic enim ait D. Thomas in d. art. 1. *Votum quandam obligationem importat ad aliquid faciendum, vel non faciendum*, & Supplemen. Gabr. d. quæſt. 1. dixit: *Gabr.* Promiſsionem eſſe obligationem adimplendi propoſitum, quo homo vult eſſe obligatus, & votũ nihil aliud eſſe, quam obligationem, qua quis ſe ſpontanee obligat Deo. Hæc enim, & ſimilia intelligenda ſunt de voto quatenus eſt vinculũ permanens, & quaſi in habitu. Dico ergo votũ proprie dictum, prout ſignificat actum illum, quo homo ſe obligat Deo, nõ habere pro obiecto aliũ actum humanũ, ſed obligationem ipſam, ſeu vinculum efficiendum per actum vouendi. Atq; ita voluntas illa, qua homo ſe obligat Deo, habet pro obiecto obligationem ipſam ad Deum, & ita habet pro obiecto votum, vel promiſsionem, quatenus hæc ſignificant vinculum ipſum efficiendũ per votum, non quatenus ſignificat actum vouẽdi, aut promittendi. Et ſimiliter votum prout ſumitur pro ipſo vinculo, ſeu obligatione, recte dicitur eſſe effectus volitionis ſe obligandi. Si vero ſit ſermo de ipſo actu inducente obligationem, potius dicendus eſt effectus potentiæ voluntatis, & formaliter eſſe actus eius.

15. Illæ autem locutiones, volo promittere, aut volo vouere, iam explicatæ ſunt, nam ſi ſint de futuro ex parte promiſsionis & voti, ſignificant præſens propoſitum voluntatis de alio futuro actu voluntatis: ſicut volo amare, aut volo pœnitere: ſi autem ſint de præſenti quoad effectum volitum, ſic velle promittere, vel vouere idem eſt, quod velle obligari ſtatim cum effectu, & ibi promiſsio pro obligatione ſumitur, vel certe licet promiſsio nihil aliud ſit, quã ipſamet volitio obligationem inducens, quia illa ſpontanea eſt, & per ſeſe extrinſece voluntaria, recte dicitur velle promittere, quia ita ſe vult obligare, non quia habeat promiſsionem ipſam actualem pro obiecto eiuſdem actus, ſed quia promittendo vult etiam promittere, ſicut qui amat vult amare, non alio actu, ſed ipſo amore. Verum quidem eſt, homines vix poſſe exercere hos actus interiores etiam voluntatis, quin illos exprimant, loquẽdo ſaltem mentaliter, vt cum amo Deum interius, quaſi loquendo profero in mente hæc verba: *Diligam te Domine fortitudo mea*, vel ſimilia, & ſimiliter cum volo me obligare Deo, mente profero verbum: voueo aut promitto Deo, tamen ſicut amor non conſiſtit in verbis etiam mentalibus, ſed in ſignificato per verba, ita & votum, per verbum autem Promitto nihil aliud ſignificatur, niſi volo me obligare, ſeu voluntarie me obligo, vt ſatis declaratum eſt.

Capvt XIV.

Vtrum votum ſit tantum promiſsio Deo facta, vel etiam traditio?

1. Non diſputarunt quæſtionẽ hanc antiqui Theologi de Voto in genere, nec de Voto ſimplici, attigerunt vero illam circa votum ſolenne tractando in 4. d. 38. quomodo ſolenne votum caſtitatis impediat, ac dirimat matrimonium: nos autem in præſenti nihil de Voto ſolenni, vt tale eſt, dicere intendimus, ſed de voto ſecundum ſe, atque adeo de ratione voti ſimplicis. Credimus enim, votum ſimplex quaſi priuatiue tantum differre à ſolenni eiuſdem materiæ, quia votum ſimplex includit quid quid eſt neceſſarium ad perfectam, & ſpecificam rationem voti in tali materia, & nihil aliud: votum autem ſolenne includit etiam totam ſpecificam rationem voti, & addit quidpiam aliud, quod votum in ratione ſolennis conſtituit, quid autem illud ſit, & quomodo ad rationẽ voti cõparetur infra ſuo loco dicetur, & ideo nunc nõ tractabimus, an traditio requiratur ad votum ſolenne, vel quomodo cum illa coniungatur. Nihilominus tamen ad explicandam complete ſpecificam rationem voti, vel ſimplicis, vel abſolute ſpectati, neceſſarium viſum eſt propoſitam quæſtionem examinare. Quia cũ vix poſsimus nos differentias vltimas rerum niſi per negationes explicare, ad eſſentiam voti comprehendendam non ſatis eſt, dixiſſe illam conſiſtere in promiſsione valida Deo facta: ſed neceſſe eſt oſtendere in hoc ſolo, & nullo alio addito ex parte actionis, conſummari rationem voti. Nihil autem excogitatum haſtenus eſt, vel videtur poſſe cogitari, addi poſſe vltra promiſsionem rei, præter traditionem eius, & ideo de illa ſpecialiter mouetur quæſtio. *Votum ſimplex priuatiue tantum differt à ſolenni.*

2. *1. Opinio.* Eſt ergo quædam opinio, quæ duabus aſſertionibus continetur. Prima eſt, votum ſecundum ſe, ac ſimplex ſufficienter perfici poſſe per ſolam promiſsionẽ ſine traditione. Secunda eſt, aliquando votum etiam ſimplex non ſola promiſsione perfici, ſed traditionem etiam includere. Et de prima quidem aſſertione nulla eſt difficultas, nam communis eſt, & clara, vt patebit. In ſecunda autem eſt maxima, tum in explicanda illa differentia votorum etiam ſimplicium, tum in coniungendo per ſe duas illas rationes promiſsionis & traditionis in eodem actu vouendi. Duobus ergo modis poteſt illa diuerſitas votorum declarari, primo ex parte materierum, ſecundo ex intentione vouentis. *Duplex modus colliden di diuerſitatem votorum.*

3. *1. Modus.* Prior ergo modus declaratur, & probatur primo exemplis: nam votum ingrediendi Religionem verum, ac perfectum votum eſt, & tamen in ſola promiſsione conſiſtit: nam ſic vouens nihil ſtatim, & ex vi voti tradit Deo, ſed ſolũ obligat ſe ad tradendum in futurum. At vero votum caſtitatis etiam ſimplex non ſolam promiſsionem, ſed etiã traditionem includit, quia ſtatim, & ex vi illius vouẽs corpus ſuum tradit, & conſecrat Deo in perpetuam caſtitatem. Idem cernere licet in voto obedientiæ omnino ſimplici, & extra omnem ſtatum Religionis facto, nam per illud ſtatim tradit vouens ſuam voluntatem illi, cui obedire promittit. Secundo probatur ratione vtraque aſſertio. Prior quidem, quia votum interdum eſt tantum de actione futura, quæ nondum eſt, vt eſt de ingreſſu Religionis, de peregrinatione, & ſimilibus, in his ergo votis & materijs tantum habet locum promiſsio, & non traditio, quia traditio tantum eſſe poteſt de re iam exiſtente, quia non traditur niſi quod eſt, promiſsio autem eſt de re futura, nondumque exiſtente. Poſterior autem aſſertio contraria probatur, quia votum aliquando fit de re exiſtẽte, quæ per ipſum votum etiam ſimplex exhibetur, & traditur in ordine ad actionem futuram, vel moralem omiſsionem, ſeu priuationẽ, (quæ in moralibus nomine actionum comprehenditur, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. q. 71. art. 6.) vt ſit per votum caſtitatis, & obedientiæ, & ſimilia: ergo tale votum licet in ordine ad actus futuros includat promiſsionem, & ideo per verbũ promittendi communiter fiat, aliquam traditionem includit, eius nimirum rei præſentis, qua in futurum vtendum eſt. Quia de re, quæ in præſenti exhibetur, vt ſic, non fit promiſsio, ſed traditio, ſic ergo ex parte materiarum diſtinguuntur talia vota. Tertio declaratur differentia à ſigno, nam ſi poſt votum caſtitatis, quis fornicetur, ſtatim violat votum, non vero ſi fornicetur poſt *D. Thom.*

votum

votum Religionis, antequam actu ſe tradat Religioni: hæc autem differentia non aliunde prouenit, niſi ex eo, quod per prius votum ſtatim traditur corpus Deo, non autem per ſecundum.

4. *2. Modus.* Secundus modus explicandi, & probandi illam aſſertionem eſſe poteſt ex intentione vouentis, & declaratur in hunc modũ: nam inter homines duo ſunt modi liberalium actionum, vnus eſt promittendo tantum, alius donando, quarum diſtinctio tam clara eſt, vt non indigeat explicatione: ergo iidem duo modi eſſe poſſunt erga Deum. Nam cur non: cum ex parte hominis ſit eadem poteſtas, & libertas, & ex parte Dei non minor, imo maior ſit capacitas. *Scot.* Vnde Scot. in 4. diſ. 38. ſignificat, per votum ſimplex poſſe fieri traditionem rei, vel corporis Deo ipſi immediate in ordine ad actum, vel vſum talis rei: *Quia non minus* (inquit) *transfert aliquis à ſe, quod immediate dat Deo, quam quod dat eidem mediante homine vicario.* Et quamuis argumentando hoc dicat, illi rationi non reſpondet, vnde videtur in ea ſentẽtia perſiſtere. Sunt ergo poſsibiles illi duo modi offerendi aliquid in cultum Dei, etiam in actibus mere internis, qui immediate verſantur inter hominem, & ſolum Deum, ſcilicet, per modum promiſsionis, & donationis, ſeu traditionis. Vterque autem ex his modis pertinet ad cultum Religioſum, & continetur ſub nomine voti, & de modo offerendi per promiſsionem id conſtat ex dictis, & ad illum pertinet prima aſſertio huius ſententiæ in principio poſita. De altero vero patet, quia promittere aliquid Deo Religioſum eſt: ergo multo magis tradere. Item ſi ex promiſsione naſcitur obligatio, multo magis ex traditione, quæ obligatio cum ſit ad Deum non poteſt niſi ad Religionem pertinere. Quod autem hic etiam modus Religioſi cultus, ſeu actus ſub voto comprehẽdatur, patet, quia aliàs oporteret nouum actum Religionis multiplicare, quia ſub nullo alio comprehendi poteſt talis traditio. Item Scriptura ſacra hæc omnia, quæ Deo donantur ex deuotione & cultu eius, vota ſolet appellare. Item ex tali donatione Deo facta oritur obligatio non conuertendi rem illam ad vſum profanum, ſeu nõ priuandi Deum vſu talis rei in ſuum cultum: hæc autem obligatio ſimilis eſt obligationi voti, & eiuſdẽ rationis, ergo hac ratione talis donatio, quatenus parit obligationem, recte ſub generali nomine voti comprehenditur, iuxta hunc ergo modum merito illa duo genera votorum diſtinguuntur.

5. Deinde hi duo modi vouendi Deo non poſſunt ſatis diſtingui ex verbis, ſeu ſignis externis, tum quia hæc non ſunt per ſe neceſſaria ad votum, vt ſæpe dictum eſt, hic autem loquimur per ſe, ac ex natura rei, & ſecluſa inſtitutione Eccleſiæ, tum etiam quia in ipſis ſignis externis poteſt eſſe ambiguitas, & æquiuocatio, nam etiam erga homines ſolemus vti verbo promittendi, cum nos tradimus, vt in voto ſolẽni, & profeſsione Religioſa ſæpe ſit, & qui ſe donat aut vendit in ſeruũ, promittit parere Domino, &c. *Quomodo diſtinguatur votum per modum puræ promiſsionis, à ſuo cum traditione.* Debent ergo illi duo modi diſtingui intentione, quæ diſcernit actiones internas: erit ergo votum per modum ſolius promiſsionis, quando quis intendit tantum ſe Deo obligare ad aliquid faciendum, nullam rem à ſe abdicando, per modum autem traditionis erit, quando intendit rem in totum à ſe abdicare, & in peculiare Dei dominium, & poteſtatem transferre.

6. Nihilominus hanc ſententiam falſam eſſe exiſtimo, & ſine Authore, nullum enim inuenio, qui illam typis mandauerit in puris votis, ſeu ſimplicibus, niſi fortaſſe illi, qui dixerunt, votum ſimplex caſtitatis irritare matrimonium ſubſequens, quorum opinio reprobata eſt, vt infra ſuo loco videbimus. Operæ pretium nihilominus exiſtimo veram reſolutionem præſentis quæſtionis exacte tradere, & expendere, quia ex illa pendent multa, quæ ad varietatem votorum, eorumque effectus intelligendos neceſſaria ſunt.

Dico ergo primo: Votum, vt votum eſt, ſola promiſsione valida ad Deum facta perficitur, neque vllum eſt votum ſimplex, quod in ſua ratione eſſentiali traditionem includat. Ita ſentiunt Doctores in 4. etiam loquendo in ſpeciali de voto ſimplici caſtitatis, Diuus Thomas quæſt. 1. artic. 3, quæſt. une. 2. & 3. Bonauent. artic. 2. quæſt. 1. Richard. artic. 7. quæſt. 2. Durand. quæſt. 2. Argent. artic. 3. ad 1. Turrecr. 27. quæſt. 1. in princ. artic. 1. Ac denique omnes, qui conſtituunt differentiam inter votum ſimplex & ſolenne caſtitatis in hoc, quod ſimplex eſt pura promiſsio: alter vero inuoluit traditionem, hanc aſſertionem ſupponunt, ſunt autem illi quamplures, vt infra ſuo loco videbimus, illoſque copioſe refert Sanc. lib. 7. de Matrim. diſp. 25. n. 7. Deinde hoc probari poteſt ex communi conſenſu Doctorum in definiendo voto in communi, nam per ſolum genus promiſsionis illud definiunt, & pro differẽtia conſtituunt ordinem ad Deum mediante materia capaci talis promiſsionis, neque ad votum ſimplex ſpecificũ, & proprium aliud requirunt: ergo quidquid vltra additur, eſt extra eſſentiam, & ſpecificam rationem voti. 7. *Vera quæſtionis reſolutio proponitur. 1. Conclusio. D. Thom. Bonauent. Richard. Durand. Argent. Turrec. Sanc.*

Et confirmatur, ac declaratur, quia in re ipſa datur aliquod votum, quod illam ſolam rationem, & definitionem voti includat, vt omnes fatentur, & patet in voto ingrediẽdi Religionem: ergo ſignum eſt, differentiam conſtitutiuam illius voti eſſe ſpecificam, & vltimam, quia differentia generica non poteſt in rerum natura inueniri ſine omni differentia contrahente, cum ſola negatione omnium differentiarum contrahentium, & eſſentialium, eſt ergo votum illud in ſpecie vltima voti conſtitutum, ergo non poteſt tota illa ratio voti inueniri in aliquo voto magis determinata, & contracta eſſentialiter in ratione voti, ex parte actus qui in illo interuenit, ſed ſolum eſſe poterit differentia in hoc, quod in tali, vel tali materia verſetur promiſsionis actus. Probatur conſequentia, quia vltima differentia & ſpecies non eſt vlterius determinabilis: oſtenſum eſt autem illam differentiam actionis in ratione promiſsionis eſſe vltimam: ergo. Denique hoc poteſt ſpecialiter confirmari ex proprijs rationibus promiſsionis, & traditionis, ſunt enim adeo oppoſitæ, vt non poſsint ſimul verſari circa idem ſecundum idem. Sed hæc aſſertio cum probationibus eius euidentius conſtabit, deſcendẽdo ad ſingulos modos explicandi priorem ſententiam, & impugnando illos. 8. *Confirmatur cõcluſio propoſita.*

Dico ſecundo: Impoſsibile eſt ex ſolis materijs diſtinguere vota ſimplicia in ratione puræ promiſsionis, & admixtæ, ſeu coniunctæ cum traditione. 9. *Secunda concluſio.* Probatur primo, ſupponendo promiſsionem, & traditionem non diſtingui per ſe ex materijs, ſeu rebus, circa quas verſantur, ſed ex proprijs rationibus, ſeu formalibus effectibus ad quos ſiunt. Nam per promiſsionem purã nihil donatur promiſſario: per traditionem autem donatur res tradita, in quam acquiritur ius per traditionem, quod non acquiritur per ſolam promiſsionem. Hæc ergo duo ſecundum ſe diſtincta ſunt, & circa omnes & ſingulas materias verſari poſſunt: ergo etiam in materijs votorũ poſſunt illa duo habere locũ in qualibet materia: ergo non poſſunt diſtingui ex materijs. Vnde argumentor ſecundo, quia nulla eſt materia voti, quæ nõ poſſit ſimpliciter promitti ſine vlla traditione. Probatur, quia in omni materia voti promiſsio ipſa eſt mere voluntaria, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo pro voluntate promittentis poteſt in qualibet materia fieri ſola promiſsio, quæ ibi ſiſtat, & ad traditionem nõ tranſeat. Probatur conſequentia, quia promiſsio de ſe eſt prior, & ſeparabilis à traditione, quæ eſt poſterior, ergo pro voluntate promittentis poteſt cum effectu ſeparari, cum vtraque pendeat ex eius voluntate: ergo nulla eſt materia voti, quę non ſit capax puri voti, ſimpli-

Digitized by Google

ſimplicisque promiſsionis ſine interuentu alicuius traditionis, ergo illa duo genera votorum non poſſunt ex materijs diſtingui.

10. *Confirmatur aſſertio retorquendo exempla pro oppoſita parte allata.*

Tertio probatur eiſdem exemplis, quæ contraria ſententia proferebat. Nam in materia caſtitatis re vera datur pura promiſsio abſque vlla traditione, quia vouens ſimpliciter caſtitatem nihil aliud intendit, quam promittere, & actus, ac effectus non excedit intentionem agentis. Idemq; eſt de ſimplici voto obedientiæ, per quod nullum ius acquiritur homini, cui obediendum eſt, ſupponimus enim illi non fieri promiſsionem aliquam, nec traditionem, nam hoc eſt in poteſtate vouentis. Addere etiam poſſumus votum ſimplex paupertatis, quod obligat æque ac illa duo, & nullam per ſe includit traditionem, quia ex vi talis voti non tradit homo diuitias, quas habebat, nec ſe illis ſpoliat, donec cum effectu impleat votum, nec etiam fit incapax acquirendi illas, licet obligetur ad non acquirendas, ſicut per votum caſtitatis fit in propria materia, eſt ergo eadem omnium ratio. Quarto, licet votum fiat de re iam exiſtente in ordine ad futurũ vſum, non ſequitur in tali voto includi aliquam traditionem, quia per talem promiſsionem non alienatur res, nec transfertur in alium. Qui enim vouet dare eleemoſynam ex pecunia, quam habet, nondum illam tradit, neq; à ſe abdicat, & ratio à priori eſt, quia promiſsio vt ſic nõ eſt actio ſufficiens ad hunc effectum. Ita ergo qui vouet caſtitatem, licet promittat talem vſum ſui corporis, nemini tradit corpus ſuum, ſed ſolum ſe obligat ad vtendum illo tali modo, & hinc prouenit, vt ſi tradat poſtea ſuum corpus vxori, matrimoniũ teneat, quia licet tradiderit ei rem alteri promiſſam, non tamen rem alienam, neque alteri traditam.

11. *Vnde proueniat, quod votum caſtitatis, & ſimilia, obligent ſtatim, ac ſemper.*

Quinto, quod caſtitatis votum, & ſimilia obligent ſtatim, ac ſemper non prouenit ex traditione, ſed ex qualitate materiæ, quæ eſt negatiua, & ex intentione promittentis obligandi ſe ſtatim, & ſimpliciter, ac perpetuo. Sic enim qui vouet non mentiri, aut non furari, vel non inferre malum inimico, ex tunc obligatur, & pro ſemper, & tamen in his votis fingi non poteſt aliqua traditio. Et ſimiliter votum non nubendi ſtatim obligat, & pro ſemper, & nihilominus non habet vmbram traditionis. Solum ergo differt à voto caſtitatis, quod hoc vniuerſalior eſt ex parte materiæ, non tamen in modo obligationis, aut traditionis. Sexto: differentia illa inter votum caſtitatis & Religionis falſa eſt, & ſine fundamento: nam quod per fornicationem violetur vnum votum, & non aliud, non eſt, quia vnum eſt promiſsio, & aliud traditio, ſed quia materia voti caſtitatis eſt abſtinentia ab actibus venereis, materia autem voti Religionis tantum eſt ingreſſus Religionis. Et inde etiam eſt, quod prius votum obliget ſemper, & pro ſemper in ſua materia, ſecundum vero licet obliget ſemper, non tamen pro ſemper: quia cum vnum ſit de priuatione, aliud de affirmatione obligant ad inſtar præcepti affirmatiui, & negatiui. Tamen quatenus in illa affirmatione voti Religionis inuoluitur aliqua negatio, ſecundum illam obligat pro ſemper, ſcilicet ad nõ contrahendum matrimonium, & multo magis ad non conſummandum. Vnde fruſtra etiam dicitur vnum votum, ſcilicet caſtitatis, eſſe de præſenti, aliud vero Religionis eſſe de futuro. Nam in vtroque perſona circa quam, ſeu de qua vouetur, præſens eſt, & ſub dominio vouentis manet poſt vtrumque votum, ſicut ante illa erat: vſus autem, ſeu actiones talis perſonæ, quæ promittuntur in vtroque voto, ſunt de futuro, licet in vno ſint plures, vel pauciores quã in alio, quod impertinens eſt ad rationem præſentis, vel futuri. Atq; ita etiam concluditur, non magis in vno illorum votorũ eſſe traditionem, quam in alio: quia in vtroq; eſt tantum obligatio ad vſum futurum proprij corporis, vel ſuppoſiti, ſine abdicatione dominij, vel poſſeſsionis illius, & ſine

Vera aſsignatur differentia inter votũ caſtitatis, & Religionis.

tranſlatione in alium. Neque etiam magis conſecratur perſona illa Deo per vnum votum, quam per aliud, quod attinet ad modum conſecrationis (ſi ita cum arguente loquendum eſt) quia illa conſecratio non eſt aliud quam vinculum, quod eiuſdẽ rationis eſt in vtroque voto: ſed in vno eſt in vna materia, & in alio in diuerſa, & ex illa parte poteſt vnũ votum dici ſacratius, vel excellentius alio, non vero magis dici poteſt traditio. Et non facile iudicari poteſt, per quod illorum perſona magis dicetur Deo, nam licet votum caſtitatis ſtatim ad plura obliget, tamen votum Religionis obligat pro debito tempore ad rem excellentiorem. Nulla ergo eſt differentia talium votorum ex eorum materijs.

Dico tertio: Ex intentione & actione vouentis fieri poteſt, vt cum voto ſimplici coniungatur aliqua traditio, non tamen fieri poteſt, vt traditio ſit de eſſentia talis voti, vel differentia per ſe contrahens illud, vel denique vt traditio ipſa ſit promiſsio, vel è conuerſo. Hæc aſſertio directe eſt contra ſecundum membrum ſupra poſitum: & in ea ſupponitur, hæc duo eſſe valde diuerſa, ſcilicet traditionem, & promiſsionem coniunctim, ſeu concomitanter fieri, & vnam eſſe aliam, vel de ratione alterius: quod tam eſt per ſe notum, vt nulla indigeat probatione, vel declaratione, præter quam quod ex probatione vtriuſque partis ſatis explicabitur. Prior ergo pars de concomitantia declaratur prius humanis exemplis: nam qui donat alteri arborem, conſequenter tradit illi fructus in radice, ſeu ius ad illos, & nihilominus poteſt addere promiſsionem nunquam percipiendi fructus ex tali arbore. Item qui alteri donat rem aliquam, tradit illam, & nihilominus ſæpe addit promiſsionem nunquam iterum petendi illam. Sic ergo in rebus Diuinis poteſt quis tradere Deo res ſuas, donando illas Eccleſiæ, & votum Deo facere nunquam iterum petendi illas, vel aliquem fructũ temporalem ex illis, quod votum ſimplex eſt coniunctum cum traditione, vt conſtat. Idemq; contingere poteſt etiam in votis ſimplicibus, caſtitatis, obedientiæ, vel paupertatis, vt ſi quis ex pacto perpetuo ſe tradat hoſpitali ad ſeruiendum in illo, ſimulq; promittat Deo, ibi ſeruaturum obedientiam, aut caſtitatem, &c. Et in aliquibus Religionibus ſunt conuerſi, qui ſe tradunt Religioni, non per profeſsionem, ſed per alium modum pactionis, ſimulq; votum aliquod ſimplex emittunt, vt caſtitatis, vel obedientiæ. Et in quibuſdam Congregationibus non approbatis ad ſtatum Religioſum, poſſunt ſimilia vota ſimplicia cum traditione aliqua coniuncta reperiri, vt notat Nauarrus Comment. 1. de Regul. notab. 23. num. 19. ex Gloſ. in Clement. *Cum ex eo*, de Sentent. excommunic. verb. *Tertio*, & in Clement. 1. de Relig. dom. verb. *Obedientiam*, & infra oſtendemus, etiam in aliquo ſtatu vere Religioſo poſſe vota ſimplicia coniungi cum traditione.

12. *Ex intentione vouentis fieri poteſt, vt cum voto ſimplici coniungatur aliqua traditio, non tamen poteſt eſſe de eſſentia voti.*

Confirmatio ab exemplis.

Nauarr. Gloſ.

Ratio denique clara eſt, quia licet illa duo ſint diuerſa, non tamen ſunt repugnantia, & poſſunt ſe iuuare ad maiorem confirmationem pacti: ergo ex libera voluntate hominis poſſunt interdum coniungi, ſicut iuramentum additur interdum promiſsioni ſeu voto. Conſiderandum tamẽ eſt, ſemper illa duo cadere ſuper res diuerſas, vel ſub diuerſa ratione, nam res, quæ traditur realiter, & in ſe, vt ſic non poteſt promitti, quia inuoluitur repugnantia, quia promiſsio ordinatur ad traditionem: vnde ſi res ſupponitur tradita, tollitur obiectum promiſsionis de eadem re ſub eadem ratione, quia promiſsio eſſe non poteſt de re iam facta. Nihilominus tamẽ circa rem traditam poteſt fieri promiſsio conſeruandi illã, vel non auferendi illam, & circa rem traditam non in ſe, ſed in radice poteſt fieri promiſsio dandi cum effectu talem rem, vel non impediendi vſum fructuum illius, vt fructus futuri traduntur donando arborem, & homo tradit futura opera ſua, vendendo ſe, & ta-

13. *Ratio aperta aſſertionis.*

Digitized by Google

& tamen ibi poteſt addi promiſsio ſeruiendi, &c. Hoc ergo modo poteſt coniungi promiſsio cum traditione, & ita ſemper verſatur circa actionem, vel omiſsionẽ diuerſam, vt trado rem, & promitto non retractare, trado perſonam, & promitto ſeruire, & ſic de alijs, neque alius modus huius coniunctionis excogitari poteſt.

14\. *Oſtenditur, promiſſionem & traditionem, licet coniungantur, nunquam ita confundi, vt vna ſit alia.* Atque ex his oſtenditur facile altera pars, quod nimirum illa duo, promiſsio, & traditio, licet coniungantur, nunquam ita confundantur, vt vna ſit alia, vel vna ſit differentia contrahens alterius. Patet primo, quia illa duo nõ verſantur circa idem, ſecundum idem, nec immediate conferunt idem, vt proxime oſtenſum eſt, ergo nunquam poſſunt inter ſe confundi, nam hæc vincula, ſeu iura moralia ex materijs, & primis actibus diſtinguuntur ad modũ potentiarum, vel habituũ, aut actionum. Secundo, quia illa duo habẽt oppoſitas rationes, vt conſtat ex proxime dictis, quia traditio eſt de præſenti: promiſsio autem de futuro, ideoq; de eo quod immediate, ac formaliter promittitur, nõ ſit ſimul traditio. quia eſt repugnantia, vt oſtendi, ergo fieri non poteſt, vt traditio fiat promiſsio, vel vt formaliter, ac per ſe contrahat illam. Tertio, votum ſimplex quantumuis ſit coniunctum traditioni, ſemper eſt in ſpecie promiſſionis, & in illa habet vltimum complementum vſque ad ſpeciem vltimam, vt in prima aſſertione probatum eſt: ergo numquam poteſt ita cum traditione coniungi, vt in ratione voti amplius determinetur per ſe, ſed ſolum accidẽtaliter, & denominatiue. Quia non poteſt ſpecies vltima amplius determinari per eſſentialem differentiam, quod non ſolum in ſpeciebus phyſicis quarumcumq; rerum, actuum, & habituum inuenitur, ſed etiam in ſpeciebus boni, ac mali moralis neceſſarium eſt, vt ex Prima ſecundæ ſuppono, & vtroque modo in præſenti applicari, & verificari debet. Quarto nunquam ita coniunguntur illæ duæ rationes ex voluntate vouentis, ſeu operantis, quin poſsint ex eadem ſeparari, ergo ſignum eſt, coniunctionem illam eſſe accidentalem, & non in vnica ratione eſſentiali eiuſdem actus. Conſequentia clara eſt. Et antecedens patet, tum in exemplis adductis, nam qui ſe tradit hoſpitali vouendo caſtitatem, vel obedientiam, poſſet ſe tradere ſine vllo voto, & è conuerſo poſſet vouere, & nullam traditionem facere, & ſic de alijs. Tum etiam, quia illa duo circa diuerſa verſantur, & ad diſtinctos effectus ordinantur, vt oſtenſum eſt, & non habent per ſe connexionem, ſed ex voluntate operantis.

15\. *Expenditur ſecunda ſententia.* Atque hinc conſtat, quid dicendum ſit ad ſecundam ſententiam, & eius fundamentum. Aliquid enim verum continet, & aliquid falſum, & aliquid etiam dubium. Verum quidem eſt abſolute loquendo, eſſe in poteſtate hominis colere Deum, non tantum votis, & promiſsionibus, ſed etiam donationibus, ſeu traditionibus earum rerum, quas ab ipſo accipit, iuxta illud, *Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Et ita poteſt hæc poſterior pars probari ex dictis de obligationibus tract. 2. lib. 1. & ex dicẽdis infra de ſtatu Religioſo. Prior vero pars vt clara ſumitur ex his, quæ de voto dicere cœpimus, & in ſequentibus perficiemus. Hinc verum etiam eſt, eſſe in poteſtate hominis vouentis coniungere cũ voto traditionem aliquam factam in honorem, & cultum Dei: quia ſicut vtraq; actio voluntaria eſt, ita eſt etiam voluntarium, vtramq; coniungere, cũ in hac coniunctione repugnantia non ſit, vt ex dictis conſtat. *Ex intentione operantis pendet votũ ſimplex, cũ aliqua traditione, vel ſine illa fieri.* Ac ſubinde verum etiam eſt ex intentione operantis pendere duplicem modum faciendi ſimplex votũ, ſcilicet cum aliqua traditione adiuncta, vel ſine illa, quia vt oſtendimus, hæc non ſunt per ſe connexa, nec ratione materiæ, nec alio titulo: & ideo ex ſola intentione, id eſt, voluntate operantis pendet vno, vel alio modo operari. Cum autem dico *ſola*, non excludo

inſtitutionẽ Eccleſiæ, quæ in hoc interuenire poteſt imponendo formam, & modum ſeruandum in huiuſmodi actibus, ſed ſenſus eſt, in vſu ipſo & exercitio totũ pendere ex conſenſu, & intentione operantis: quamuis hæc debeat eſſe recta, & iuxta præſcriptam formam, vel per Eccleſiã, vel ſecundum rationem naturalẽ, vbi Eccleſia formam non adhibuit.

16\. *Non poſſe ex intentione operantis fieri votum ſimplex, quod ſimul ſit votũ, & traditio.* Nihilominus tamen falſum eſt, poſſe ex intentione operantis fieri votum ſimplex, quod ſimul ſit votum & traditio: nã licet ſit in poteſtate hominis hæc coniungere, non tamen illa ita confũdere, quin in ſuis rationibus diſtincta, & ſeparabilia maneant, vt oſtenſum eſt. Vnde ſecundo falſum eſt, traditionem alicuius rei, quæ ſit Deo in cultum eius, propter intentionem operantis fieri proprie & eſſentialiter votum, vt nunc de illo loquimur. Vt enim diximus in principio huius materiæ, votum in vno ſignificato idem eſt, quod deſiderium: & hoc modo omnis donatio voluntaria poteſt dici votum. Item adnotauimus, quod ſicut ſacrificium interdum ſignificat rem oblatam, ita etiam vota ſæpe dicuntur res illæ, quæ Deo ex voto offeruntur, vt eſt frequens in Scriptura. *Propria voti ſignificatio eſt in promiſſione.* Nihilominus votum proprie, & vt nũc de illo loquimur, promiſsionem ſignificat, & ſi ſit votum ſimplex, puram etiam promiſsionẽ dicit, traditio autem formaliter non eſt promiſsio, vnde nec eſt votum; ergo non poteſt intentio operantis facere, vt votum faciat tradendo aliquid, licet poſsit facere, vt traditioni adiungat votum. Atq; hinc tertio falſum eſt, ex traditione vt ſic oriri cultum, vel obligationẽ eiuſdem rationis cum cultu, & obligatione voti. Neque per hoc multiplicãtur plures actus Religionis, quam in ſuperioribus cum D. Thoma, & communi doctrina politi ſunt. Nam oblatio actus eſt Religionis à voto diſtinctus: omnis autẽ traditio Deo facta eſt quædam oblatio, vt ex ipſis vocibus conſtat. Obligationes etiam, quæ ex traditione, & promiſsione oriuntur, etiamſi demus ad eamdem virtutem pertinere, diſtinctarum rationum ſunt, tum quia obligatio orta ex traditione magis rigoroſa eſt, magiſq; participat de ratione iuſtitiæ: tum etiam quia res tradita Deo magis efficitur ſacra per actualẽ donationem, quam per ſolam promiſsionem, vt conſtat. Et ita ſufficienter reſponſum eſt ad omnia, quæ in illo ſecundo modo dicendi afferebantur.

17\. *An traditio ad Deũ immediate fieri poſſit ſine interuentu hominis acceptantis loco Dei?* Dubium autem ex diſcurſu ibi facto relinquitur, An traditio ad Deũ fieri poſsit immediate ad ipſum, ſine interuentu alicuius hominis, qui loco Dei acceptet donationem ipſi factam, per ſolam voluntatem hominis ſe, vel ſua donantis, & tradentis Deo, acceptante etiam Deo per ſeipſum donationem: An vero de ratione traditionis Deo factæ ſit, vt ſemper fiat interuentu hominis acceptantis nomine Dei traditionem, vt valida, & conſummata eſſe poſsit? Quæ ſane quæſtio grauis eſt, & dubia, tamen ad punctum præſentis diſputationis: non eſt neceſſaria eius reſolutio: nam quomodocumque traditio fiat, eſt extra rationem promiſsionis, & voti, vt declaratum eſt: poterit autem eſſe neceſſaria illius quæſtionis reſolutio ad declarandam eſſentiam ſtatus Religioſi, & ideo ibi commodius diſputabitur. Alia item quæſtio ex dictis pullulabat, ſcilicet, An omnis promiſsio ad Deum, etiam intra latitudinem promiſsionis, ſit eiuſdem rationis, & eodem modo fiat ex parte ſua? (quidquid ſit de diuerſitate materiæ, de qua poſtea dicetur.) Sed hæc quæſtio habebit commodiorem locum in lib. 4. vbi de obligatione voti dicetur.

Capvt XV.

Vtrum votum ſit actus à Religione elicitus?

Explicuimus hactenus naturam voti quoad entitatem quaſi phyſicam, & quoad conditiones communes actibus moralibus: nam ſi quis recte at- 1

tendat fere omnia, quæ ad votum ex parte actus neceſſaria eſſe oſtendimus, in omni promiſsione & obligatione neceſſaria ſunt ſeruata proportione. Nunc ergo ſupereſt explicanda ratio honeſtatis, & virtutis, quæ in voto reperitur. Poſſumus autem ſupponere ex dictis in c. 1. actum voti, quantum eſt ex ſe, & ex vi ſui obiecti, honeſtũ eſſe: hoc enim contra hæreticos ſufficienter oſtenſum eſt, neque circa id noua difficultas occurrit, loquimur enim de bonitate ex genere, & ex vi obiecti: nam ex praua intentione operantis, vel alijs circumſtantijs clarum eſt, poſſe votum peccaminoſe fieri: ſed hæc ſunt per accidens, & ſub ſcientiam non cadunt. Inquirimus ergo ſpecificam rationem, & honeſtatem voti. Ad quam explicandam duo in voto diſtinguenda ſunt. Vnum eſt emittere votum, ſeu actus ipſe promittendi Deo: aliud eſt implere promiſſum, ſeu actus ſeruandi votum: prior eſt actus non debitus: poſterior vero iam eſt debitus.

Senſus quæſtionis.

2\. Hinc ergo ſumi poteſt prima ratio dubitandi circa priorem actum, Quod non poſsit eſſe actus Religionis, quia Religio eſt virtus reddens debitum cultum: ſed promiſsio non eſt debitus, ſed voluntarius cultus, ergo non eſt actus virtutis Religionis. Secunda, Inter homines promittere, & implere promiſſum non ſunt actus eiuſdem virtutis: ergo nec reſpectu Dei: ſed implere votum Religionis: ergo facere votum non eſt munus eiuſdem virtutis. Primũ antecedens patet, quia promittere eſt liberalitatis, miſericordiæ, aut amicitiæ: implere autem eſt iuſtitiæ, aut fidelitatis. Prima conſequentia tenet à paritate rationis. Minor autem certa eſt, quia ſeruare Deo fidelitatem maxime pertinet ad honorem & cultum eius, ſeruare autem votum fidelitatis eſt. Et inde eſt clara ſecunda conſequentia, quia promittere non ſpectat ad fidelitatem. Tertia, Promiſsio ex ſe non determinat certam ſpeciem honeſtatis, ſed iuxta intentionem vouentis multiplex eſſe poteſt. Quod patet ex humanis: nam ſi quis promittat alicui pecuniam, ſolum, quia prudenter credit illud pertinere ad liberalem vſum pecuniæ, actus ille liberalitatis eſt: ſi vero promittat ex compaſsione, vt miſeriam eius ſubleuet, actus miſericordiæ eſt: ſi ob ſolum amorem eius, cui promittit, actus amicitiæ eſt: ſi propter beneficium acceptum, erit actus gratitudinis: ſi vt alter aliquid rependat, erit vel actus iuſtitiæ commutatiuæ, vel alterius amoris proprij commodi: nunquam autem videtur eſſe actus obſeruantiæ, aut honoris humani. Sic ergo promiſsio ad Deum præciſe ſumpta non videtur habere ſpeciem honeſtatis, ſed poſſe eſſe charitatis, & amicitiæ ad Deum, ſi ex puro illius amore fiat: vel gratitudinis, ſi fiat propter beneficium acceptum. Vnde ad ſummum ad Religionem poterit ſub ea ratione pertinere, quatenus gratitudo ad Deum, ſub Religione continetur. Alia vero genera virtutum, numerata inter homines, circa Deum locum non habent, præter illud de ſpecie proprij commodi: nam etiam poteſt homo aliquid promittere Deo, vt ab eo aliquod beneficium obtineat, & tunc pertinebit ad virtutem ſpei, ſi id, quod intenditur, & ſperatur ſupernaturale, ſit aliquo modo, ſeu ſupernaturaliter obtinendum: alioqui procedet illa promiſsio ex naturali amore alicuius proprij commodi.

Prima ratio dubitandi.

Secunda.

Tertia.

3\. Occurrit hoc loco tractãdus error hæreticorum huius temporis, qui damnant vota facta ſub ratione cultus, licet permittant illa ſub alijs inferioribus rationibus. Quorum fundamentum eſt, quia omnis voluntarius cultus in lege gratiæ prohibitus eſt. Sed hoc fundamentum vanum eſt, vt oſtendi ſupra c. 1. & tract. 2. li. 2. c. 1. Vnde error ipſe irrationabilis prorſus eſt, quia non ſolum fidei, ſed etiam rationi contrarius eſt. Primũ conſtat ex Scripturis, quæ paſsim docent colere Deum votis & muneribus, Pſalm. 75. Deut. 23. & ſpecialiter de tẽpore legis gratiæ, Iſai. 19. Quod etiam ſatis confirmat vſus, & traditio Eccleſiæ. Secundum facile etiã oſtenditur, tum quia ſi votum de ſe non eſt malum, cur erit malum illud facere in gloriam & honorẽ Dei, ſi res promiſſa illi grata eſſe creditur? Certe illa circumſtantia potius conferet operi bonitatem, & excellentiam. Tum etiã quia votum ipſum intrinſece continet cultum, vt oſtendemus, ergo maxime ſub ea ratione fieri debet.

Expenditur hæreticorũ error dãnantium vota ſub ratione cultus.

4\. Hoc ergo prætermiſſo errore, vt ſpeciem huius actus explicemus, aduertendum eſt, de intrinſeca ratione promiſsionis eſſe, vt id quod promittitur, ſit aliquo modo bonum eius, cui ſit promiſsio. Ita docet D. Thomas d. q. 88. quia aliàs non eſſet promiſsio, ſed comminatio, vel actus impertinens alteri non acceptabilis. Hoc autem bonum in ſe ſpectatum reſpectu eius, cui promittitur, non poteſt eſſe niſi vel honoris, vel alicuius commodi: nam ad hæc reducitur vtile, quatenus ad ea ordinatur. In ordine vero ad rectam rationem, & ad ipſum promittentem erit tale bonum honeſtum, quando honeſtum fuerit alterius commodum, vel honorem procurare. In hoc autem inuenitur differentia in ſuperioribus tacta inter Deũ, & homines. quod homini poteſt aliquid promitti, & propter honorem, & propter commoditatem eius: Deo autem nulla commoditas, vel vtilitas ex noſtris operibus redundare poteſt, ſed tantum honor, & gloria, quia nõ eſt capax alterius commodi, iuxta illud Pſalmi 15. *Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges.* Et ideo promiſsio ad Deum ſolo titulo honoris & cultus fieri poteſt.

De ratione promiſsionis eſſe, vt promiſſum ſit bonum eius, cui ſit promiſſio.

D. Thom.

Pſal. 15.

5\. Ex his ergo concluditur primo, votum verum ac validum ex ſe eſſe actum elicitum à Religione. Ita docet D. Thomas d. quæſt. art. 5. & eſt communiter receptum à Theologis. Probatur, quia eſt promiſsio facta Deo: ergo proxime intendit Diuinum honorem, quia per talem promiſsionem nullũ aliud bonum Dei intendi poteſt, vt declaratum eſt, ergo eſt actus Religionis, nam hæc virtus eſt, quæ Dei honorem procurat. Dices: Etiam poſſumus Deo promittere amare illum, credere in illum, obedire illi, non ex affectu honoris, vel cultus, ſed tantum ex affectu amoris, fidei, & obedientiæ, talis ergo promiſsio non eſt actus Religionis. Reſpondeo negando antecedens, nam ſicut nõ poſſumus vouere Deo caſtitatem ex puro affectu caſtitatis, ſed affectu Diuini honoris per caſtitatem, ita neq; illarum virtutum actus poſſumus Deo promittere, niſi ex affectu Diuini honoris. Nam in illa promiſsione non eſt tantum conſiderandum, quod materia eius circa Deum verſatur, ſed etiam, quod ipſa promiſsio Deo ſit & ideo ſeruat illam communem rationem promiſsionis, quæ eſt reſpicere aliquo modo bonum eius, cui ſit: amor autem, fides, & obedientia Dei, non ſunt bona Dei, niſi in quantum in eius honorem redundant, & ideo ſolum ſub ea ratione poſſunt Deo promitti. Et huc tendit ratio D. Thomæ in d. artic. 5. quod per promiſsionem ordinatur ad Deum id quod promittitur, & ideo promiſsio ipſa eſt actus elicitus illius virtutis, quæ omnia ordinat in cultum Dei, hæc autem eſt Religio, quia nimirum per illam ordinationem non poteſt alia Dei commoditas intendi, præter cultum, vt explicuimus.

Votum verum ac validum ex ſe eſt actus virtutis Religionis.

D. Thom.

Obiectio.

Solutio.

6\. Dicet rurſus aliquis: Vt votum ſit actus Religionis, nõ ſatis eſt, quod materia promiſſa ſit honorifica Deo, ſed etiam neceſſe eſt, vt ipſamet promiſsio ſit cultus Dei: hoc autem non ſequitur neceſſario ex illo: nam poteſt quis promittere Deo cultũ aliquem, non vt ipſamet promiſsione illum colat, ſed vt aliquid à Deo impetret, vt frequenter ſit, vel ob alium ſimilem finem. Sicut poteſt homo promittere homini aliquid quod ſit commodum eius, non tamen ob commodum, ſed ob aliam rationem. Vt autem aliquis actus ſit alicuius virtutis, non ſatis eſt, vt verſetur circa materiam habentem honeſtatem illius virtutis, ſed oportet, vt etiam propter talem honeſta-

Alia obiectio.

Digitized by Google

neſtatem verſetur, vt ex 1.2. ſuppono. Et declaratur etiam retorquendo argumentum factum: nam promittere amare non eſt amare, neq; elicitur à charitate: ergo promittere colere non eſt colere, neque elicitur à Religione.

7. *Solutio.* Reſpondetur hic recte ſequi vnum ex alio. Vt autem hoc declaremus, diſtinguamus duo, ſcilicet velle obligari Deo ad tale opus, & ipſum opus: nã opus ſecundum ſe, licet tantũ ſit aptum ad cultum, tamen obligatio ad illud includit rationem cultus, & inde fit, vt velle ſe obligare ſit actus elicitus à virtute colente Deum, quæ eſt Religio. Idemque eſt, ſi ſub nomine promiſsionis loquamur: nam voluntas efficax ſe obligandi Deo eſt promiſsio, vt dixi. Idemque eſt cum proportione, ſi iuxta probabilẽ opinionem de promiſsione loquamur, vt de actu diſtincto ab illa voluntate: nam licet illa promiſsio, vt eſt actus diſtinctus ab ipſo velle, ſit quaſi imperata ab illo, tamen vt componit cum illa vnum moralem actum, ſic conſtituit votum tamquam vnum actum à Religione elicitũ. Sic ergo ipſamet promiſsio Deo facta eſt de ſe quidam cultus Dei, hoc ipſo, quod cadere non poteſt in rẽ promiſſam, niſi quatenus pertinet ad honorẽ Dei: nam ſicut promiſsio alicuius boni vtilis eſt etiam quoddã bonum vtile reſpectu eius, cui fit, ita promiſsio honoris eſt de ſe quidam honor eius, cui fit: ergo ſi voluntas promittendi ſit recta, & conformis tali obiecto erit actus Religionis. Vnde recte aduertit *Caietan.* Caietan. d. artic. 5. circa ad 2. quod licet res Deo promiſſa non exhibeatur per ſolam promiſsionem, ipſamet promiſsio iam exhibetur, & quaſi donatur, quia per illam actu ſubiicitur mens Deo: & ita voluntas promittendo donat Deo, nõ rem promiſſam, ſed ſeipſam in cultum Dei, quem ipſa promiſsione honorat. Hoc ergo modo ipſa promiſsio ſeu votum eſt actus à Religione elicitus.

7. Neq; obſtat, quod voluntas pro ſua libertate poſſit in promiſsione ipſa non intendere cultum Dei, etiamſi velit promittere rem pertinentem ad cultum Dei (quomodo ſupra diximus, votum praua intentione factum poſſe eſſe verum & validum:) quia inde ſolum ſequitur, poſſe ab aliquo fieri votum, non honeſte, nec Religioſe, non tamen hoc tollit, quin ipſum votum de ſe ſit actus Religionis. Et hoc explicui in aſſertione, quãdo dixi, votum *ex ſe*, eſſe actum Religionis. Votum enim (vt ita dicam) ſupponit pro ipſa obligatione actuali, ſeu promiſsione, quæ ex ſe intrinſece continet cultum Dei, vt declaraui, & ideo ex ſe poſtulat voluntatem, quæ hunc cultum intendat: vnde ſi ita fiat, erit actus Religionis: quod autem fiat ex alia peregrina voluntate, eſt per accidens, & non mutat naturam ipſius actus.

8. *An votũ ſit actus electus à virtute ſupernaturali.* Quæret vero aliquis, An intelligendum hoc ſit de Religione infuſa, vel acquiſita? Quod eſt quærere, An ſit actus ſupernaturalis, an naturalis. Ad quod breuiter dicendum eſt, ad vouendum Deo recte, & conuenienter ſaluti æternæ neceſſariã eſſe gratiam, vt definit *Concil. Arauſic.* Concil. Arauſi. c. 11. & habetur in lib. Sent. Aug à Proſpero collecta in 54. & ſumitur ex eodem *August.* Auguſt. in lib. 17. de Ciuit. cap. 4. poſt medium. Vnde conſtat, votum recte factum actum ſupernaturalem eſſe aliquo modo, quia gratia per ſe propter ſupernaturalem actum neceſſaria eſt. Vnde etiam eſt probabilius, eſſe actum per ſe infuſum, & ab infuſa Religione elicitum, vt perfecto, & connaturali modo fiat iuxta ea, quæ in primo tractatu diximus de ipſa virtute Religionis, eſt enim eadẽ ratio de hoc actu, cum ſit vnus ex præcipuis huius virtutis. Adde quod licet Gentiles, vel Philoſophi lumine naturæ ducti cognouerint aliquo modo vouendi vſum & rationem nihilominus veram rationem recte vouẽdi ignoraſſe, quia non poteſt cenſeri votum rectum, niſi *August.* quod ex fide ſit. Vnde eſt illud Auguſt. apud Proſp. ſentent. 15. *Quiſquis bene cogitat, quæ Deo voueat, & quæ vouendo perſoluat, ſeipſum voueat, & reddat*, & infra, *Sed videndum eſt, quid, & cui offeras, quia veri ſacrificij extra Catholicam Eccleſiam locus non eſt*: quia nimirum ſine fide nõ recte vouetur. Ergo votum recte & conuenienter factum actus eſt Religionis infuſæ.

Dico ſecundo, votum implere, reddendo Deo, 9. quod illi promiſſum eſt, eſt actus Religionis, non tamen per ſe elicitus, ſed imperatus. Sumitur ex Diuo Tho. d. art. 3. Priorq; pars recte probatur illo teſtimonio, quod adducit D. Tho ex Eſa. 19. *In illo die cognoſcent Aegyptij Dominũ, & colent eum in hoſtiis & muneribus, & vota vouebunt, & ſoluent*, vbi tam vouere, quam ſoluere ponunt inter actus Diuini cultus. Ratio etiam conſtat ex dictis, quia in tantum talis actus poteſt eſſe materia voti, in quantum aliquo modo ad honorem ſeu cultum Dei ordinari poteſt: ſed per votum ad hunc cultum ordinatur, ergo vt ſic eſt actus pertinens ad Religionem. Item per votũ adiungitur illi quædam neceſsitas ad Religionem ſpectãs, nimirum, quod Deo fidelitas ſeruetur: ergo ſi talis actus fiat ex vi voti ad Religionem pertinet, quia ſeruare fidelitatem Deo, ad eius cultum ſpectat. Si enim promittere Deo aliquid, cultus eſt Dei: ergo & donare (vt ita dicam) quod promiſſum eſt, cultus erit Dei: nam vtroque actu in Dei reuerentiam, & honorem operamur. Vnde è contrario non ſeruare Deo promiſſum, irreligioſitas eſt: ergo ſeruare eſt Religio. Item vouere idolo, & ſoluere votum, idololatria eſt: ergo reſpectu Dei, vtrumque eſt vera latria.

Votum implere eſt actus Religionis non elicitus, ſed imperatus. D. Thom. Iſai. 19.

Atque ex his conſtat poſterior pars aſſertionis, 10. hunc nimirum actum eſſe imperatum, non elicitum à Religione, ex vi voti. Quod ideo addo, quia aliquando poteſt ſub votum cadere alius actus Religionis, vt orare, ſacrificare, & tunc actus ex voto factus eſt quidem elicitus à Religione, quia ipſe aliàs id habet ex vi ſui obiecti, non quia per votũ promiſſus eſt, ſed vt ſic eſt imperatus ab eadem Religione per alium actum. Et idem eſt quando quis vouet vouere, ſeu profiteri Religionem, tunc enim ipſum profiteri ſeu vouere caſtitatem ex ſe ſunt actus eliciti à Religione modo iam declarato: verum quatenus fiunt ex priori voto, & ad illud implendũ fiunt, ſunt actus imperati ab eadem Religione: non enim repugnat eundem actum elici immediate ab aliqua virtute, & imperari ab eadẽ medio alio actu. Quando vero actus per votum promiſſus de ſe non eſt actus Religionis, ſed aliarum virtutum, tunc conſtat, etiamſi fiat ex voto, non eſſe elicitũ, ſed imperatum tantum à Religione, quia votum non extrahit illum à propria natura, & ſpecie, ſecundum quam eſt actus elicitus à propria virtute: ſed addit illi ordinationẽ Diuini cultus, & inde habet quod ſit actus à Religione imperatus. Imo quia hæc ordinatio per votũ ſupponit in tali actu honeſtatem, ratione cuius poteſt ordinari ad Diuinum cultum: ideo ſemper ſupponit illum actum, vt eliciendum ab alia virtute, & addit imperium Religionis.

Quæret vero aliquis, vtrum ad votum implen- 11. dum neceſſarium ſit, vt talis actus imperetur à Religione? Videtur enim graue eſſe imponere hoc onus omnibus habentibus votum, quia illi non vouerunt facere ex Religione, ſed tantũ facere. Qui ergo vouit ieiunare, ſatis implet votum, etiamſi nullo modo referat illud ieiunium in cultum Dei. Quod ſi hoc ita eſt, non eſt vniuerſaliter verum, quod dictum eſt, ſeruare votum eſſe actum Religionis, quia tunc neque elicitus, neque imperatus eſt.

Vtrũ ad votum implendum requiratur vt talis actus imperetur à Religione.

Reſpondeo primo: verba in his aſſertionibus, & 12. *Reſponſio.* quaſi definitionibus, non tam dicere actum, quam aptitudinem, atque ita dici hunc actum imperatum Religionis, quia quantum eſt ex vi voti natus eſt ita fieri, quamuis non ſemper ita fiat, neque ad implendam obligationem voti neceſſarium ſit ita fieri. Secundo quoad hoc vltimum poſſumus diſtinguere: nam contingit ſeruare votũ formaliter, vel tantum

materialiter. Tunc dico ſeruari votum formaliter, quando ad hoc fit actus, vt votum impleatur, & ad hunc modum implẽdi conſtat neceſſarium eſſe imperium Religionis, quia in illo includitur intentio cultus: nam velle ſeruare promiſſum, eſt velle fidelẽ eſſe Deo, & hoc eſt quidã cultus Dei. Materialiter autem ſeruare votum, eſt facere id, quod eſt promiſſum ſine vlla memoria voti, vel relatione ad illud ſeruandum, & tunc non eſt neceſſarium imperium Religionis, vt argumentum probat. Hic autem ſeruandi modus ſufficiet quidem ad non peccandum contra votum, ex intentione ſaltẽ habituali ſoluendi debita, vt etiam argumentum probat, non tamen ſufficiet ad fructum, & vtilitatem, quam talis actus poſſet habere ex voto.

13. *Satisfit rationibus dubitandi ſuperius factis.* *Ad primã.*

Ad primam rationem dubitandi in principio poſitam reſpondetur ex dictis in primo tractatu, & libro huius operis, Religionem non ſolum reddere Deo cultum debitum ex præcepto, ſed etiam ſpontaneum, quia licet talis actus in particulari nõ ſit debitus, per illum exhibetur Deo cultus ex genere ſuo, ſeu in communi debitus. Deinde dico, votum eſſe actum Religionis, quatenus in ſe cultum Dei continet, & quatenus ad Religionem ſpectat obſeruare, vt vere, ac fideliter, & digne Deo fiat, ſicut in ſuperioribus de Iuramento dicebamus. *Ad ſecundã.* Vnde in ſecundo argumento aliqui exiſtimant, etiam reſpectu hominis eiuſdem virtutis eſſe promittere, & ſoluere, forte quia fidelitas ipſa humana dirigit promiſsionem, vt vere, & fideliter fiat. Et ita poteſt ad ſecundum negari aſſumptum. Verumtamen illo etiam dato reſpectu hominis, negatur conſequentia reſpectu Dei, quia reſpectu hominis habent locum liberalitas, miſericordia: & aliæ ſimiles virtutes: Deo autem nihil offerri poteſt, ſiue promittendo, ſiue exhibendo, niſi per modum cultus, vt ſupra oſtenſum eſt.

14. *Ad tertiam.*

Ad tertiam reſpondetur, ſolum probare votum quoad promiſsionem ipſam poſſe imperari ab alijs affectibus: quod verum eſſe fatemur, nec repugnat his, quæ dicta ſunt, quia etiam alij actus Religionis poſſunt hoc modo imperari ab affectibus aliarum virtutum. Et hoc ipſum probat exemplum ibi adductum de promiſsione humana. Quin in ſuperioribus diximus, ac declarauimus, ſi promiſsio conſideretur ſolum, vt eſt actus quaſi exterior Religionis poſſe imperari etiam ex prauo affectu: ita vt propria virtus Religionis tunc nihil operetur in efficienda tali promiſsione, quod non impedit, quominus promiſsio ſecundũ ſe ſit actus Religioni debitus. Ex quo propterea habet, vt tunc etiam obliget, ſi materia capax ſit obligationis, vt ſupra etiam tractatum eſt.

CAPVT XVI.

Vtrum omne votum ſit actus Religionis, & conſequenter an ſoli Deo fiat?

1. HAec quæſtio neceſſaria eſt, vt adæquata ratio voti compleatur. Hactenus enim ſolum viſum eſt, votum eſſe actum Religionis quatenus Deo fit, & ideo oportet inquirere, an poſsit aliter, aut aliter fieri, vt concludamus, votum eſſe actum proprium ſolius Religionis. *Ratio dubitandi.* Ratio autem dubitandi eſt, quia vota ſolent etiam Sanctis fieri, quæ ſancta, & Religioſa cenſentur, ideoque valida, & obligationem inducentia: ſed Sancti ſunt creaturæ à Deo diſtinctæ, ergo. Maior conſtat, tum ex vſu Eccleſiæ, & omnium piorum, tum etiam ratione, quia homo non ſolum Deo, ſed etiam homini poteſt aliquid promittere: ergo etiam hominibus Sanctis, & beatis poſſumus promittere, nam licet nobiſcum non viuant, tamen noſtrarum rerum cognitionem, & curam agunt: vnde ſicut illos oramus, & ad illos loquimur: ita etiam illis aliquid promittere poſſumus: promiſſio autẽ illa non eſt omnino humana, ſeu ciuilis, ſed ſacra, & aliquo modo Religioſa: ergo eſt votũ. Non pertinet autem ad virtutem Religionis, quia non fit Deo, nec continet cultum eius: ergo non omne votum eſt actus Religionis, aut Deo fit.

Hæc quæſtio, & cum hæreticis & inter Catholicos verſatur. Hæretici enim ſicut negant omnium Sanctorum cultum, & preces ad illos: ita etiã omnino negant poſſe ad illos fundi vota abſque idololatria, cum quibus in hac parte ſenſit Eraſmus in Colloquio inſcripto *Naufragium*, vt refert Bellarm. lib. 3. de Cultu Sanctorum cap. 9. vtunturque Scripturæ teſtimonijs, in quibus ſolum legimus vota Deo fieri ſolere. Verumtamen de fundamento huius hæreſis non eſt hoc loco dicendũ: nam quod Sancti à nobis colendi ſint, & honorandi, oſtenſum eſt à nobis in 1. to. 3. p. diſp. 52. Quod vero cũ eis loqui, & conuerſari poſsimus, & ad eos preces fundere, ſupra tractando de actu orationis demonſtratum eſt: eadem autem ratio eſt de promiſsione, vt ratio ſuperius facta demonſtrat. Quare nos pro certo ſupponimus, poſſe Sanctis fieri promiſsiones, & vota aliquo modo. Quam eſſe antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, probat Bellarminus ſupra, adductis varijs Patrum teſtimonijs, in quibus his verbis vtuntur, loquentes de fidelibus, *Vota Sanctis offerunt*, & ſimilia. Maxime vero ad rem præſentem faciunt verba illa Gregorij Turonenſis lib. 2. de Hiſtorijs Francorum cap. 37. *Domino gratias agentes, & vota beato Confeſſori promittentes.*

2. *Eraſmi eum ſenſus cum hæreticis in negãdo poſſe Sanctis fieri vota. Bellarm.*

Greg. Tur.

Cum ergo conſtet, promiſsiones, & vota Sanctis aliquo modo fieri. In modo explicandi, quomodo illis non obſtantibus, ſoli Deo proprium votum fiat, varie ſentiunt Theologi. Quidam enim exiſtimant, quando vota fiunt Sanctis, duas intercedere promiſsiones, vnam proxime, & directe factam Sancto, de hoc vel illo opere faciendo in eius obſequium: aliam factã Deo de priori promiſsione Sancto facta adimplenda. Hanc poſteriorem dicunt eſſe votum, non autem priorem, niſi fortaſſe per extrinſecam denominationem, modo infra explicando, & ita ſaluant proprium votum ſoli Deo fieri. Ita ſentit D. Thomas d. q. 88. art. 5. ad 3. qui eandem rationem eſſe putat de promiſsione facta Sanctis, & de illa, quæ fit Prælato, vel hoſpitali, & voto ad Deum facto ſtabilitur.

3. *Variæ opiniones Theologorũ in explicando, quomodo votum ſoli Deo fiat.*

D. Thom.

Alij vero dicunt, Sanctos duobus modis poſſe conſiderari, ſcilicet vel vt ſunt creaturæ rationales, & vt ſic, nõ eſſe capaces, vt eis fiant vota, quia votum continet adorationem latriæ, quæ non poteſt creaturæ vt ſic tribui. Secundo poſſunt conſiderari Sancti, vt in eis Deus habitat per gloriam, & hoc modo aiunt poſſe vota proprie dicta fieri Sanctis. Ita ſentit Caiet. circa dictam ſolutionem ad 3. D. Thomæ, vnde non videtur omnino amplecti doctrinã D. Thomæ. Diſsimilẽm enim putat eſſe rationem de votis, quæ fiunt Sanctis, & quæ fiunt mortalibus hominibus, vt Prælatis, vel hoſpitalibus &c. Nã hæc poſteriora vota non fiunt in honorem & cultum hominum, ſed ſolius Dei, licet aliqua fiant in vtilitatẽ hominum: vota autẽ, quæ fiunt Sanctis, fiunt in eorum honorem & cultum propter gloriã Dei, quam participant, ergo eſt longe diuerſa ratio vtriuſque promiſsionis. Ideoque illa, quæ fit Sanctis, per ſe poteſt eſſe verum votum. Et confirmat hoc Caietan. ex diuerſitate verborum, quibus hęc vota fieri ſolent: nemo enim dicit, *voueo Prælato*, aut *Xenodochio*, ſed *voueo Deo obedire Prælato*, aut *dare hoc, vel illud Xenodochio.* At vero de Sanctis dicitur, *Voueo Beatæ Virgini, &c.* & ſpecialiter affert Caietan. formam ſuæ Religionis, in qua dicitur, *Voueo Deo, Beatæ Mariæ, Beato Dominico, & omnibus Sanctis.*

4. *Aliorum opinio de eadẽ re.*

Caietan.

Ego vero cenſeo, ſimpliciter dicendũ eſſe, votum proprium ſoli Deo fieri, quod intendit D. Thomas, cuius

5. *Aſſeritur, & oſtẽditur votum ſoli Deo fieri.*

Digitized by Google

cuius ſententia vera, & ſatis perſpicua mihi eſſe videtur, quamuis illi aliquid addi poſsit ad maiorem explicationem, ad quam tradendam aduerto, tribus *Tribus modis vota fiũt Sanctis.* modis intelligi poſſe vota fieri Sanctis. Primus eſt, quem D. Thomas declarauit, qui mea ſententia negari non poteſt: nam ſicut poſſumus honorare Sanctum laudando ipſum, &c. Ita etiam promittendo illi aliquid faciendum in eius honorē, eadem enim eſt vtriuſque ratio. Rurſus poſt promiſsionem factam Sancto, laudabile, imo neceſſariũ ad honeſtatem eſt, promiſsionē implere: ergo per aliā promiſsionē, & proprium votum ad Deũ factum poſſumus nos obligare ad illud prius promiſſum ſeruandum. Nam ſicut alij actus laudabiles ſunt materia voti, ita etiam hic: ergo optime intelligitur fieri vota Sanctis coniungendo has duas promiſsiones.

6. Hinc vero colligitur poſsibilem etiam eſſe alium modum promittendi Sancto aliquid vnica tantum promiſsione ad eum immediate ordinata: nulla alia promiſsione Deo immediate facta. Probatur, quia illæ ſunt duæ promiſsiones diſtinctæ, & prior non pendet à poſteriori: ergo poteſt homo pro arbitrio ſuo priorem facere, non adiuncta poſteriori. Confirmatur à ſimili ex promiſsione facta pauperi, verbi gratia, quam poteſt homo facere, vel prius promittendo homini, & poſtea Deo de ſeruanda homini fidelitate, vel etiam poteſt ſolam humanā promiſsionē facere: non adiuncta Diuina. Denique confirmatur ratione generali, quia licet prior actio Sancto promiſſa quatenus laudabilis eſt, & honeſta, poſsit eſſe materia voti, tamen non neceſſario fit votum vbicumque inuenitur materia eius, nec cogitur homo illam obligationem addere, maxime cum vtraque voluntarie ſuſcipienda ſit. Poteſt ergo promiſsio fieri ſoli Sancto, nulla adiuncta promiſsione Deo facta.

7. *Vota Sãctis fieri nõ tantũ qua creaturis rationalibus, ſed formaliter, & Sanctis.* Addo vero tam in hoc, quam in præcedenti puncto, huiuſmodi promiſsionem, quæ Sancto fit, non tantum illi fieri, vt creatura rationalis eſt, ſed formaliter, vt Sanctus eſt, & per gloriam conſummatus, in quo diſſentio à Caietani opinione. Probatur autem primo, quia hæc promiſsio fit in cultum, & honorem Sancti, hic autem cultus non eſt tantum humanus, & ciuilis, qualis eſt ille, qui datur homini, ſolũ, quia creatura rationalis eſt: ergo illa promiſsio fit Sãcto non ſolum quatenus homo rationalis, ſed etiam quatenus ſanctus eſt. Maiorem ſumo ex eiuſdem Caiet. doctrina, & ex communi vſu, & ſenſu fidelium, & quia Patres quotieſcumque de votis Sanctorum mentionem faciunt, in eorum honorem illa fieri dicunt, vt patet ex Euſeb. lib. 13. de Præparat. Euang. c. 7. *Euſebius.* & alijs à Bellarmin. citatis. Denique ſi promiſsio fit Sancto ratione ipſius, certe non poteſt fieri niſi in honorē eius, cum nihil vtilitatis poſsimus illi afferre, & omnis promiſsio, vel propter obſequium, vel propter vtilitatem fieri videatur. Quod enim aliud motiuum excogitari poteſt? Minorem etiam ſuppono ex dictis, de cultu Sanctorum in citato loco, ibi enim oſtenſum eſt, cultum Sanctorum eſſe altioris rationis, quam ſit cultus mere humanus, & ciuilis. Quædam autē pars huius cultus eſt hoc genus promiſsionis, vt ex eiſdem Patribus, & Eccleſiæ vſu conſtat. Denique hoc ſuadent aliquo modo rationes Caietani. Conſequentia vero probatur, quia cultus, vel honor fundatur in excellentia eius, qui honoratur, & ab illa ſumit rationem ſuam: nam altiori excellentiæ altior cultus debetur: ergo è contrario quando cultus eſt altioris rationis, non datur niſi propter altiorem excellentiam: ergo ſi huiuſmodi promiſsio fit Sanctis, vt per eam illis offeratur cultus nobilior, & altior, quam ſit purè humanus, aut ciuilis, fundatur non in ſola perfectione naturali rationalis creaturæ, ſed in ſupernaturali, & Diuina participatione gratiæ, & gloriæ. Quin potius adiungo, ſi homines defuncti, ſolum vt homines ſunt, conſiderentur, non eſſe capaces promiſsionis, quæ illis fiat ab hominibus in hac vita degentibus, quia non habent cum illis conuictum, neque eorum facta cognoſcere, aut dicta poſſunt audire, ſine mutua autem cognitione non habet locum promiſsio, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo vt illis fiant promiſsiones, neceſſe eſt illos conſiderare, vt Sanctos, & Beatos, quibus hæc noſtra opera, quatenus ad illos pertinent, nota ſunt: ergo tales promiſsiones non fiunt Sanctis, quatenus creaturæ rationales ſunt, ſed quatenus glorioſi, & Sancti ſunt.

Dices: Ergo promiſsio facta Sancto etiam ſecundo modo ſupra poſito eſt verum votũ Deo factum, 8. *Obiectio.* nec poteſt ab illo ſeparari, quod videtur dictis repugnare. Sequela patet ratione Caietani, quia Deus non tantũ honoratur in ſe, ſed etiam in Sanctis ſuis, & oratio ad Sanctum facta cenſetur fieri ad Deum, & elici à virtute Religionis: ergo etiā promiſsio facta Sancto, quatenus in illo Deus habitat per gratiam, & gloriam, eſt votum factum Deo ex Religione: ergo nunquam eſt ſeparabilis promiſsio Sancto facta, vt Sanctus eſt à voto Deo facto. Vnde etiam ſequitur contra prius membrum, non interuenire duas promiſsiones in hoc negotio, quia quando agitur cum Sancto, quatenus Sãctus, & Beatus eſt, vna promiſsio ſufficit, nam per eam ſimul attinguntur & Sanctus & Deus, ſuperflue ergo multiplicantur. Neque eſt ſimile de promiſsione pure humana facta homini: in illa enim non interuenit Deus, & ideo poteſt roborari per aliam promiſsionem Deo factam.

Reſpondetur negando ſequelam. Vt autem tota 9. *Solutio.* obiectio explicetur, aduertendum eſt ex materia de Adoratione, duobus modis poſſe Sanctum coli. Pri- *Quibus modis poſſit Sanctus à nobis coli.* mo propter Diuinam & increatam excellentiam, ita vt illa ſola ſit proxima ratio talis cultus: Sanctus vero ſit res materialiter adorata tamquam quoddam templum Diuinitatis, qui cultus immediate elicitur à virtute Religionis, & tranſit in Deum ipſum, nõ ſolum tamquam in vltimum finem, ſed etiam tamquam in proximam rationem colendi, ſed hic modus colendi Sanctos licet poſsibilis ſit, non eſt in vſu, quia non eſt conſentaneus perſonæ creatæ. Alio ergo modo coluntur Sancti proxime, & immediate propter excellentiam creatam gratiæ, & gloriæ, quam in ſe habent, & hic cultus non elicitur à virtute Religionis, ſed à virtute duliæ, neque terminatur ad Deum tamquam ad obiectum aliquo modo, ſed ſolum ordinatur ad illum tamquam ad vltimum finem: in cuius gloriam cedit omnis Sanctorum gloria. Cultus ergo hic, quia alicui Sancto datur per promiſsionem illi factā, ſecundo modo ſupra declarato, non pertinet ad priorem cultum ſed ad poſteriorem. Nam ſanctus ratione ſuæ ſanctitatis eſt dignus cultu proportionato illi excellentiæ, per quæcumque opera vel ſigna detur: inter alia autem opera, vel ſigna proportionata, vnum eſt hæc promiſsio, poteſt enim fieri ex affectu ad eorum ſanctitatem accommodato, & cum debita æſtimatione illius vel poteſt etiam fieri in ſignum alicuius beneficij à Sancto ſuſcepti, non vt à principali Authore, ſed vt à mediatore: Vnde etiam fieri poteſt ex ſpe obtinendi à Sancto, vt officium interceſſoris exerceat. Hæc ergo promiſsio non à Religione, ſed à Dulia elicitur, & ita eſt ſolutum argumentum. Falſum enim eſt, per huiuſmodi adorationem, & cultum coli Deum proprie, & tamquam obiectum, quod adoratur: falſum item eſt, huiuſmodi cultum à Religione elici. Et idem dixi ſupra de oratione, quæ fit Sanctis: idem ergo eſt de hac promiſsione. Atque inde etiam ſoluitur vltima pars obiectionis: nam hæc promiſsio ſic facta Sancto optime poteſt per porprium votum Deo factum confirmari: ſicut homo poteſt Deo vouere, quod Sanctis reddet cultum illis proportionatum.

Atque ex his intelligitur primo, quæſtionem eſſe 10.

de nominé, an talis promiſsio facta Sanctis prædicto modo, dicenda ſit votū necne? Nam ſi nomine voti intelligamus promiſsionem factam alteri in recognitionem ſupremæ excellentiæ, vel in ſignum gratitudinis debitæ primo, ac ſupremo benefactori: ſic conſtat, promiſsiones, quæ fiunt Sanctis ſecundo modo ſupra poſito, non eſſe vota. Quia ſi ex vera fide, & Religione fiant, non poſſunt ea mente, & intētione fieri. Vnde ſatis probabile eſt eo modo, quo nūc de voto loquimur, & diſputamus, ac iuxta communem modum loquendi Scripturæ, & frequentiorem vſum Eccleſiæ, votum ſimpliciter dictum ſignificare promiſsionem hoc animo factam, & continentem cultum latriæ, ac propriæ Religionis, & ideo ſimpliciter negari poteſt, huiuſmodi promiſsiones Sanctis factas eſſe vota, atque ita concludemus, votum ſoli Deo offerri. Quod maxime verum eſt de promiſsione facta ſecundo modo, id eſt, ſolitarie, & nullo adiuncto voto Deo facto. nam illa neque intrinſece, neque extrinſece poteſt denominari votum in dicta ſignificatione propria. Quādo vero ſit priori modo, poteſt denominari votum, tamquam res Deo oblata per votum, nam illa etiam ſolet votum nominari, extenſo nomine actus ad materiam, circa quam verſatur. Sic enim illa promiſsio, quæ ſit Sancto, rurſus aſſumitur vt materia promiſsionis Deo factæ, atque ſub hac ratione votum nominatur: & ſic etiā ſaluatur votum fieri ſoli Deo: nam illa promiſsio, quæ ſit Sancto, non dicitur votum, quia Sancto facta eſt, ſed quia Deo per aliam promiſsionem oblata eſt, & hæc videtur fuiſſe mens D. Thomæ.

Sanctis proprie loquendo vota non fieri.

11\. At vero ſi nomen *votum* latius accipiatur, prout ſignificare poteſt promiſsionem alicui factam per modum cultus Religioſi: ſic promiſsio facta Sancto poterit votum nominari, & conſequenter negādum erit, votum in tota ſua generalitate ſumptū ſoli Deo fieri, ſed ſolum in ſuo primo, ac principali ſignificato. Neque ab hoc loquendi modo abhorrent Catholici, nam Bellarm. loco proxime citato probabilius exiſtimat, iuxta vſum Eccleſiæ nomen voti eſſe generale ad promiſsionem Deo, vel Sancto factam, & ad cultum latriæ, & duliæ. Vnde ſicut nomen adorationis, vel etiam nomen cultus Religioſi commune eſt Deo, & Sanctis, & ſicut verbū orandi Deo & Sanctis communicatur, ita etiā cenſeri poteſt de verbo vouendi. Et hic vſus declaratur conferēdo verbum vouendi cum prædictis & cum verbo ſacrificandi. Hoc enim vltimum ita eſt proprium Dei, vt nemo audeat illud Sanctis accommodare: nemo enim dicet: *Sacrifico B. Mariæ*, ſicut dicit, *Oro B. Mariam*: vnde recte colligimus, ſacrificium ſignificare cultum proprium Dei: orationem autem abſtrahere & communiorem eſſe: ſic autem vtimur verbo vouēdi, vt abſolute dicamus, *Voueo B. Mariæ*, ergo ſignum eſt votum generalius ſumi, & vtramque promiſsionem ſub ſe complecti.

In qua ſignificatione, & acceptione promiſsio facta Sanctis dicatur votū.

Bellarm.

12\. Quod tandem ex re ipſa ita explicatur. nam promiſsio, quæ ſit Deo, & quæ ſit Sanctis habent inter ſe plures conueniētias, in quibus differunt ab alijs promiſsionibus mere humanis: nam vtraque promiſsio ſit non in vtilitatem, ſed in honorem, & cultum eius, cui ſit, & potius cedit in vtilitatem promittentis, vtraque etiā ſit intuitu ſanctitatis, & gloriæ, ac beatitudinis, aliquo modo eiuſdem ordinis: ergo ratione huius conuenientiæ poteſt abſtrahi conceptus communis vtrique promiſsioni, non ſolum analogus (vt aliqui putant) ſed etiam vniuocus, vt in ſimili oſtendi de communi ratione cultus, & adorationis. Cur ergo illa communis ratio promiſsionis non poterit vno communi nomine votum appellari? Ita ergo ſit probabilis hæc ſententia. Et quod attinet ad res, ſeu rerum conceptus, vera ſunt, quæ dicit, & ſufficienter probata. Quod vero attinet ad vſum vocis caute loquendum eſt, & cauendum, ne quiſpiam ambiguitate verbi offendatur, nam certe in Scriptura votum aliquid Deo proprium ſignificare videtur: & iuxta vſum etiam Eccleſiæ exiſtimo non tribui Sanctis, niſi materialiter quatenus promiſsio ad Sanctū coniuncta eſt cum promiſsione Dei, vt explicuimus. Quia licet ſeparari poſſint, communiter non ſeparantur, vel certe quia frequenter promiſsio aliter ſit, tertio ſcilicet modo, qui ſupereſt explicandus.

Oſtenditur, in quo conueniat promiſsio facta Deo, & Sanctis, & in quo differat.

Secundo ergo ac principaliter intelligitur ex dictis, vota quæ Sanctis fieri dicuntur, aliquando, ac ſæpe ita fieri, vt vere, ac proprie ſoli Deo fiat promiſſio, quamuis id, quod promittitur, cedat in cultum, ſeu honorem alicuius Sancti. Sæpe enim actio, quæ exercetur circa vnam perſonam, poteſt promitti alteri perſonæ, & non illi, circa quam verſatur: vt verbi gratia, ſi quis promittat Petro dare filiæ eius centum in dotem, donatio quidem reſpicit filiam, & circa illam exercenda eſt: promiſsio autem non ſit filiæ, ſed ſoli patri, nam illi ſoli fides datur, & obligatio illum tantum reſpicit, præſertim ſi ſit ſolius fidelitatis. Et ratio eſt, quia hoc pendet ex voluntate, poſſum enim me obligare huic perſonæ, & non alteri, quamuis actio promiſſa circa alterum exercenda ſit: ſicut fieri etiam poteſt, vt actio exercenda ſit circa rem irrationalem, vel inanimatam: vt, ſi promitto Petro alere equum eius, aut fodere vineam eius, vbi clare conſtat, promiſsionem ſoli Petro fieri. Idem ergo eſſe poteſt, etiamſi actio ſit exercēda circa perſonam rationalem, ſi intentio promittentis ad illam non dirigitur tamquam ad terminum promiſsionis (vt ſic dicam) ſed tamquam ad materiam. Atque hic eſt communis modus vouēdi dare eleemoſynam pauperibus, nulla enim promiſsio ſit pauperi, ſed ſoli Deo ſit promiſsio, etiamſi actio promiſſa exercenda ſit circa pauperes. Et aliud exemplum iuxta quandam diſpoſitionem antiquam Iuris Ciuilis ſumi poteſt ex L. *Quoties*, C. de Donationibus, quæ ſub modo.

13. Vota quæ Sanctis ſolēt fieri ſæpe ita fiunt, vt propter ſoli Deo fiat promiſſio.

L. Quoties.

Hic ergo eſt tertius modus vouendi aliquid in cultum, & honorem Sanctorum. Quia enim in gloriam Dei cedit, quidquid ſit in honorem Sancti, ideo poſſumus Deo promittere, talem orationem fundere ad Sanctum, vel ædificare ſepulchrum eius, imaginem ei dicare, aut quid ſimile. Oportet autem ibi diſtinguere duos affectus, vnus eſt colendi, ſeu honorandi, alius eſt promittendi. Quamuis enim ipſa promiſsio in præſenti materia ſit quidam cultus, non tamen è conuerſo omnis cultus eſt promiſsio, ſed alijs etiam actionibus ſit. Affectus ergo colendi in prædicto caſu Deo & Sanctis commune eſt, ſeruata proportione: affectus autem promittendi ſolum circa Deum eſt, quia iuxta hunc modum, quem explicamus, illi ſoli ſit promiſsio. Cuius ſignū à poſteriori eſt, quia ſi quis poſtea tale votum non impleat, omittendo actionem Sancto honorificam, quæ ſecluſo voto in præcepto non eſſet, non peccat ſpecialiter contra Sanctum, neque illi infidelis appellari poteſt, ſed ſoli Deo, cuius votum fregit: ergo ſignum eſt, tale votum continere tantum promiſsionem Deo factam.

14. Tertius modus vouendi aliquid in cultū & honorem Sanctorum.

Et hoc tantum modo exiſtimo intelligi poſſe, quod Caietanus dixit, promiſsiones factas Sanctis, vt in eis honoratur Deus, Deo ipſi fieri: quamquam ipſe hunc ſenſum non explicet, neque inſinuet, ſolum enim dicit, quia Sanctus participatione quadam Deus eſt, ideo votum Sancto factum cenſeri fieri ſoli Deo. Quem ſenſum nos nō probamus propter ea, quæ hactenus diximus: nā ſi promiſsio dirigatur ad Sanctum, ita vt illi fiat propter ſanctitatem eius, talis promiſsio præciſe ſumpta nō ſit Deo, ſed ipſi Sancto. Vnde non credimus fieri poſſe, vt vna & eadē promiſsio Deum & hominē reſpiciat tanquam terminum proprium ad quem ſit obligatio. Sed vel ſit ſoli homini, & tunc nō eſt proprium votum, etiamſi talis homo ſanctus, & beatus ſit: vel ſi eſt propriū votum, promiſsio ſit ſoli Deo. Sanctus vero ſolū eſſe poteſt mate-

15. Quomodo explicanda ſit opinio Caietani de votis, quæ fiunt Sanctis.

Digitized by Google

materia promiſsionis, ſeu voti, altero ex duobus modis hactenus explicatis. Atque ita cõſtat, quomodo omne votum proprium & actus ſit à Religione elicitus, & ſoli Deo fiat.

16.

Fit ſatis dubitationi, & explicatur in quo differat promiſſio facta Sanctis, ab alijs.

Ad rationem igitur dubitandi poſitam concedimus promiſsionem poſſe fieri Sanctis excellentiori quidem modo, quã ſoleat fieri mortalibus hominibus, non tamen eo ſingulari ac perfectiſsimo modo, quo fit Deo, ideoque negamus illam promiſsionem eſſe votum propriè dictum. Poteſt autẽ dici illa promiſsio Religioſa, non quidem, vt à virtute Religionis elicita, ſed vt res quædam ſacra, & quia in actibus Religioſis, & ſanctis verſatur. Simili enim modo cultus Sanctorũ Religioſus dicitur, vt alibi oſtendimus. Propriiſsimè verò: & abſq; ambiguitate dicetur illa eſſe virtutis Duliæ. Et hoc ſolum probat etiam prima ratio Caietani: fatemur enim, hanc promiſsionem, quæ fit ſancto, in hoc differre ab illa, quæ fieri ſolet homini mortali, quod prior nunquam fit in vtilitatẽ Sancti, ſed in ſolum ſacrum cultum: poſterior verò regulariter fit in alterius vtilitatem. Vnde etiam fit, vt promiſsiones, quæ fiunt inter homines mortales pertineant ad beneficentiam, amicitiam miſericordiam, aut aliam ſimilem virtutem, quę hominem inclinet ad ſubueniendum proximo, ſeu ad faciẽdum aliquid in eius vtilitatẽ: promiſsio autem ſacra, quæ fit Sãctis ad altiorem virtutem Duliæ ſpectet. Ex hac vero differentia non ſequitur, promiſsionem Sãcto factam, vt ſic eſſe proprium votum, quia non continet cultum latriæ, ſed inferiorem. Neque etiam ſequitur contra D. Thom. promiſsionem hanc, quæ fit Sanctis, non cõuenire cum illa, quæ fit homini mortali in hoc, quod vtraque poteſt eſſe materia alterius promiſsionis factæ Deo. Tum quia cum hæc promiſsio ad Sanctos fit inferioris ordinis poteſt per altiorem voti promiſsionem confirmari non minus quam promiſsio ad Prælatum: tum etiam quia illa poteſt ad cultum Dei referri, ſicut & honeſta promiſsio facta Prælato: & ipſa per ſe non eſt immediatus cultus Dei, vt iam explicatum eſt.

Ad quã virtutem pertineat promiſſio facta Sanctis.

17.

Explicatur in quo ſenſu verbum voueo ſumatur in promiſſionibus quæ fiunt Sanctis.

Ad illum autem vulgarem vouendi modum, in quo maxime Caiet. & alij fundantur, reſpondeo fortaſſe ab aliquibus vſurpatum fuiſſe verbum vouendi pro verbo promittendi, maximè in his rebus ſacris, & quando promiſsio fit ſimul Deo, & Sanctis. vnde etiam in profeſsionibus, ſeu in votis Religioſorum diſtingui hæc accuratè ſolent, *Voueo Deo, & promitto tibi, ſeu Religioni.* Deinde addo, cum ſimul dicitur, *Voueo Deo, Beatæ Mariæ, ac Sanctis*, (prout Caietanus ait fieri in profeſsione ſuæ Religionis) fortaſſe non fieri ſpecialem promiſsionem Beatæ Mariæ, aut Sanctis, neque illa verba ea intentione dici, vt ex eis plures obligationes oriantur, vna ad Deum, & alia ad Sanctos, vix enim exiſtimo eſſe vouentem, qui habeat huiuſmodi intentionem. Dicuntur ergo illa verba ad Sanctos, vt teſtes aduocandos. Nam vulgari etiam loquendi modo, quando promiſsio humana propter maiorem ſolennitatem fit coram multis teſtibus dicere ſolet, qui promittit: *Promitto Petro, & omnibus hic ſtantibus*, vtique vt teſtibus obligationis, quæ vni principaliter nominato fit, non vt omnibus illis perſonis fiat obligatio. Et ideo noſtri Religioſi dum vouent, clarius dicunt, *Coram Beata Virgine, & curia cœleſti voueo omnipotenti Deo.*

18.

Denique dicimus, fieri etiam poſſe, vt verbum vouẽdi tribuatur Sanctis, ſolum quia ſunt quaſi materia voti facti Deo, ſicut etiam poteſt dici vouere pauperibus, aut templo, qui vouet Deo aliquid eis tribuere. Quando autem votum huiuſmodi eſt, melius, ac verius dicetur fieri Deo in honorem Sanctorum, ſicut votum eleemoſynæ dici poteſt factum Deo in leuamen pauperum. Nec illud eſt mirum, nã etiam ſacrificium dicitur fieri Deo in honorem Sanctorum, ſacrificari autem Sanctis nullo modo dicitur, quia verbum ſacrificandi exteuſum non eſt ad talem ſignificationem impropriam, neque in eo inuenitur eadem occaſio, quia in ſacrificio vnica actio inuenitur, quę ad ſolum Deum dirigi poteſt. Tamen in voto duplex eſt actio, vna eſt promiſsio, quæ ſoli Deo fit, alia eſt actio promiſſa, quæ immediatè verſatur circa Sanctum, & ratione huius potuit dici votũ fieri Sancto, minus tamen propriè, & materialiter. Cum autem dicimus votum fieri ſoli Deo, propriè, ac formaliter de ipſa promiſsione ſermo eſt, & hæc eſt, quæ per verbum vouendi ſignificatur.

De duplici actione quæ eſt in voto.

Capvt XVII.

Vtrum opus ex voto factum melius ſit, magiſq; meritorium.

HAEc quæſtio videtur ex parte pertinere ad effectus voti, tamen via neceſſaria eſt ad excellentiam, & vtilitatem voti explicandam, ideo ad complementum huius libri neceſſaria viſa eſt. Videri ergo poteſt non eſſe melius operari ex voto, quia non eſt melius operari ex voto, quia non eſt melius operari ex præcepto, ergo neque ex voto. videtur enim eadem ratio, conueniunt enim in virtute imponendi neceſsitatem, ſeu obligationem. Antecedens autem patet, qui melius eſt opus conſilij quam opus præcepti: hæc enim ratione conſilia dicuntur eſſe de meliori bono, & ob eandem cauſam eorum obſeruantia ſpectat ad ſtatum perfectionis, præcepta vero ad communem ordinem vitæ Chriſtianæ. Secundo, quia ſi eſſet melius, maxime quia ratione voti adiungitur bonitas Religionis: ſed hoc non ſufficit: ergo. Probatur minor, quia etiam iuramentum addit actui bonitatem Religionis, & tamen non propterea eſt opus excellentius implere promiſsionem iuratam, quam ſimplicem: immò inter homines hoc poſterius pluris exiſtimatur, & ideo quo homo eſt inſignioris virtutis, eo minus neceſſarium exiſtimatur in eo iuramentum, quia ſimplex verbum ſufficit. Tertiò argumentor, quia licet ex honeſtate voti videatur creſcere bonitas, vel honeſtas actus, multum tamen minuitur ex neceſsitate impoſita per votum, & hoc videtur eſſe maioris ponderis in moralibus actibus, quatenus tales ſunt, quia per libertatem conſtituuntur in eſſe morali, & quo maior eſt libertas, eo bonitas, & meritum augentur intenſiue: aliud autem augmentum eſt exiguum, quod minoris momenti eſt: ergo penſatis omnibus nõ eſt melius opus ex voto factum. Vnde ait Proſper. lib. 2. de Vit. contempl. cap. vlt. *Sic abſtinere, vel ieiunare debemus vt non nos vel abſtinendi, vel ieiunandi neceſsitati ſubdamus.* 1.

Proſper.

Propter hæc Armac. vt refert Vuald. libr. 3. Doct. fi. ca. 21. dixit, actum non creſcere in perfectione, vel in ratione meriti ex additione voti. Vnde æquiparabat votum iuramento, vt concluderet, quod ſicut non eſt melius facere opus ex iuramento, ita neque ex voto. Hanc vero ſententiam damnat ibi Vuald. vt contrariam Religioni, & Diuinæ iuſtitiæ, & ex Aug. aliqua in illius impugnationem adducit, quæ partim ad præſentem quæſtionem, partim ad tractandam cap. ſequenti pertinent. Vt ergo veram ſententiã declaremus, aduerto, hic poſſe fieri comparationem, vel in bonitate, vel in merito, quia non ſemper hæc vniformiter ſe habent: nam poteſt actus in bonitate excedere, & non in merito ex defectu libertatis, vel alterius conditionis ad meritum requiſitæ. Bonitas etiam duplex ſpectari poteſt in actu ex voto facto, vna intrinſeca, quam vocant ex genere, ſeu ex obiecto proprio, qualis eſt bonitas temperãtiæ in ieiunio promiſſo, vel miſericordiæ in eleemoſyna ex voto facta: alia eſſe poteſt bonitas extrinſeca addita ex fine Diuini cultus, & ordinatione voti. Poteſt ergo prior bonitas præciſe ſumpta comparari ad ſe 2.

Vuald. Opinio Armachani expenditur, & impugnatur.

Expenditur duplex bonitas quæ in voto reperitur.

ipſam exiſtentem ſub voto, & ſic non eſt proprie loquendo maior, neque minor, quia licet circumſtantia voti honeſta ſit, & ideo per ſe non poſſit minuere alteram bonitatem, tamen eſt omnino accidentaria, & extrinſeca, & ideo non auget quaſi intenſiue illam bonitatem. Vnde nō in hoc ſenſu mouetur quæſtio, ſed de augmento extenſiuo per additionem nouæ bonitatis.

3. *1. Aſſertio. Opus factū ex voto melius eſt ſaltē extenſiue, aliquando vero etiam intenſiue.* Dico ergo primo: Opus factum ex voto melius eſt ſaltem extenſiue, quam ſine voto factum, interdū vero etiam intenſiue. Aſſertio eſt D. Thom. art. 6. & ibi Caiet. & Soto. Idem D. Thom. optimè Opuſ. 17. cap. 11. & Opuſc. 18. cap. 12. & omnes Scholaſtici in 4. d. 38. præſertim Maior. quæſtio. 4. Supplemen. quæſtion. 1. articul. 3. dub. poſt ſextam concluſionem. Probatur primo ex Scriptura conſulente votum *Pſal. 75.* Pſ. 75. *Vouete, & Reddite.* Vnde ſic colligit Diuus Thom. conſilium eſt de meliori bono, ſed Deus conſulit facere votum: ergo etiam conſulit facere rem ex voto, ergo opus factum eſt melius quam ſine voto. Et cōfirmatur primò, quia per illud opus ſic factum impletur duplex conſilium, ſcilicet faciendi tale opus, & faciendi ex voto, vel etiam poteſt impleri præceptum, & conſilium, quod de ſe melius eſt, quam ſolū præceptum implere. Item confirmatur eadem ratio, quia alias fruſtra fierent vota, ſi opera non fierent inde meliora. Quam rationē late proſequitur, & exaggerat *Vuald.* Vuald ſupra, ſed reſponderi poſſet, habere votum alios fructus, & ideo non eſſe fruſtra, ſed vis huius illationis patebit ex dicendis.

4. *Auguſt.* Secundo probatur ex Auguſt. Epiſt. 45. vbi multa de hoc argumento attingit, & inter alia dicit: *Reddite quod vouiſtis,* & infrà: *Neque enim quod redditis, reddendo minuetur, ſed potius ſeruabitur, & augebitur,* & infrà: *Priuſquam eſſes voti reus liberum erat, quo eſſes inferior, quamuis non ſit gratulabunda libertas, qua ſit vt non debeatur, quod cum lucro redditur.* Igitur teſte Auguſtino opus, quod ex voto redditur, augetur, & reddere illud opus, vt debitum, eſt lucrari, comparatione facta ad idem opus libere, & ſine debito voti factum, vnde infrà ſubiungit: *Minor tunc eſſes, non peior,* vtique ſine voto. Poſſunt tamen ex eodem loco in cōtrarium induci verba illa *Nunc vero quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam iuſtitiam inuito, ſed à magna iniquitate deterreo.* Illis enim verbis indicare videtur Auguſtinus, non eſſe magnam iuſtitiam ſeruare votum, id eſt, non eſſe opus magnæ perfectionis, quia iam eſt magnæ neceſſitatis. Sed ibi comparat obſeruationem voti cum emiſſione illius, in qua comparatione verè dici poteſt maius opus eſſe vouere, quam votum ſeruare, non ſolū quia illud prius eſt minoris neceſſitatis, & maioris voluntatis, ſeu libertatis, ſed etiam quia per votum quodammodo offertur ipſa voluntas, & poteſtas: per obſeruationē autem fructus eius, vt ſtatim circa rationes D. Thomæ dicemus. At comparando obſeruationem voti ad opus, per quod obſeruatur nudè ſumptum ſic nō negat, imo confirmat Auguſtinus augeri iuſtitiam operis per voti adiectionem. Et hoc confirmat idem *Auguſt.* Auguſtinus libro de Sanct. Virg. cap. 8. vbi de ipſa virginitate ait, non ideo honorari, quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, vt latius ibi proſequitur.

5. *Probatur aſſertio ratione.* Vnde probatur tertio ratione, quia opus, quo votum impletur, habet totam honeſtatem quam per ſe haberet ſine voto, & præterea habet honeſtatem voti, per quam conſecratur Deo, & fit opus Religioſum: ergo ſimpliciter augetur in bonitate. Et ideo dixi, hoc augmentum ſemper eſſe extenſiuum, quia eſt per multiplicationem bonitatum. Aliquando vero poſſe eſſe intenſiuum, quia ſæpe bonitas, quæ per votum additur, maior eſt, quam intrinſeca bonitas actus, vt in ieiunio ex voto melior eſt honeſtas Religionis, quam temperantiæ. Non tamen ſemper ita eſt, quia ſi actus amoris Dei, vel fidei ex voto fiat, melior eſt bonitas charitatis, vel fidei, quam Religionis. & ita ſolum ibi relinquitur augmentum extenſiuum. Et ideo Diuus Thomas in ſua prima ratione, quæ cum hac fere coincidit, limitare videtur comparationem ad actus inferiorum virtutum moralium ſecundum ſe, vel ex voto factos, quia ex latria habent maiorem nobilitatem: tamen cum proportione explicata comparatio, & ratio poſſunt generaliter procedere.

Sed obijcit Maior ſuprà, quia ſine voto poſſunt actus aliarum virtutum æquè referri ad Diuinum cultum, ſicut cum voto: ergo illa ratione non ſatis probatur melius eſſe opus ex voto, ſed melius eſſe opus relatum ad meliorem finem, vel ad plures fines honeſtos, quod longe diuerſum eſt. Conſequentia videtur clara, & antecedens probatur, quia ieiunium ſpontaneum, & ſine voto poteſt referri ad Diuinum honorem, & virginitas poteſt conſecrari Deo per firmum propoſitum ſine voto. Quo argumento cōuictus negat rationem eſſe efficacem, cum tamen in principio eadem fere ipſe vtatur ad confirmandam concluſionem. Reſpondeo igitur, comparationem (vt dixi) eſſe intelligendam cæteris paribus, & ſic ſolidam eſſe rationem: nam tota illa relatio ad cultum Dei, quæ poteſt ſponte fieri in ieiunio, virginitate, & ſimilibus ſine voto, poteſt etiam fieri, & fit ex vi voti, ſi cum perfectione obſeruetur, & vltra illam addit votum propriam quandam ordinationem, & honeſtatem Religioſam, quam non habet actus abſque illo factus, etiam relatus ad cultum Dei: eſt aūt hęc peculiaris ordinatio voti, quæ ex obligatione naſcitur, quia per illam manet talis actus ad Diuinum cultum ſpecialiter deputatus, & inde habet ſpecialem honeſtatem. Quæ ita declaratur, nam ſeruare Deo fidelitatē, eſt peculiaris honeſtas Religionis, quæ in nulla alia relatione ad cultum Dei reperitur, niſi in obſeruatione voti: ergo cæteris paribus actus ex voto ex hac parte melior eſt. 6. *Obiectio.* *Reſponſio.*

7. Et ad hoc confirmandum iuuare poſſunt ſecunda, & tertia ratio Diui Thomæ, quæ in eandem fere coincidunt: ſcilicet, quod per votum datur Deo non ſolum fructus, ſed etiam arbor, qua ſimilitudine vtitur *Anſel.* Anſel. lib. de Similitud. c. 88. ad explicandum, per votum non tantum offerri Deo actum, ſed etiā poteſt. Item, & inde refert melius eſſe opus Monachi (vtique vt Monachus eſt) quam laici. Similiſque alia ratio eſſe videtur, quod per votum firmatur voluntas in bono propoſito, & ita perficit ipſū propoſitū, & conſequenter opus eius. Quas rationes impugnat etiam Maior, quia ſine voto poteſt fieri firmum propoſitum, & quia ſecularis ſine voto poteſt ſe, & ſua dare ſeu offerre Deo. Et hinc digreditur ad probandum, opus ſecularis hominis poſſe eſſe æque bonum, ac Religioſi: ſed hæc diſputatio extra rem eſt, quia hic ſolum agimus de honeſtate, quam habet opus ex vi voti comparatione illius, quod non fit ex voto, ſiue fiat à ſecularibus, ſiue à Religioſis: nam & illi poſſunt operari ex voto, & iſti non ex voto. Alia vero quæſtio de ſola circumſtantia perſonæ ratione ſtatus infrà ſuo loco tractabitur. Deinde aduerto, illis duabus rationibus immediate probari votū ipſū eſſe perfectiſſimum actum, & ſæpe maioris meriti apud Deum, quam ſit, facere opus illud, quod per votum promittitur: nihilominus tamen conſequenter confirmant optime concluſionem poſitam, nam illa perfectio redundat in opus, quo obſeruatur votum, quia eo ipſo quod homo obtulit, & obligauit Deo ſuam poteſtatem, ex altiori ratione virtutis operatur, quando Deo reddit fructum illius poteſtatis, & cum maiori ſtabilitate animi operatur. Et ita hæ rationes ad priorem quodammodo reuocantur, & illam magis confirmāt. Et ita facile applicatur eadem reſponſio ad obiectiones Maioris, tum quia licet ſine voto poſſit haberi propoſitum omnino determinatum, non tamen poteſt habere illam ſpecialem firmitatem, quam præbet votum: cum voto autem vtraq;

Digitized by Google

vtraque habetur, tum etiam quia licet homo ſe offerat totum Deo ſine voto per actualem relationem, non tamen per ſpecialem obligationem, ſicut facit per votum.

8. Denique ſolet aſſertio cōfirmari, quia omiſſio operis voto promiſſi eſt maius peccatum, quam ſi nō eſſet promiſſum: ergo etiā facere illud eſt maius bonum, quia oppoſitorum debet eſſe proportionalis ratio, & quia maior malitia priuat maiori bonitate. Sed neq; hæc ratio placet Maiori, quia alias (inquit) probaret melius eſſe quodlibet opus præcepti, quam conſilij. Sed nihilominus mihi placet ratio pro ſubiecta materia quidquid ſit de formali illatione. Loquimur enim de eodem opere, & cæteris paribus: itē loquimur de augmento peccati ſecundum nouam ſpeciem malitiæ. Nam omiſſio ieiunij voto promiſſi ſacrilegium, ſeu irreligioſitas eſt, quam malitiam nō haberet ſecluſo voto: ergo etiam in actu ieiunij contrario, eſt maior bonitas ratione voti. Et ita rationē hanc non ſolum approbat, ſed etiā exaggerat Vuald. ſuprà, quia repugnat Diuinæ iuſtitiæ, & benignitati, quod tranſgreſſionē voti plus puniat, & obſeruationem non amplius remuneret. Vnde non obſtat obiectio Maioris, tum quia præceptū per ſe non addit ſpecialem bonitatem, ſed eandem ſub neceſſitate conſtituit: tum etiam quia ſi comparatio fiat in eodē opere, ac cæteris paribus, conſequens illud verum eſt, vt dicam in ſolutione ad primum: ſi autem comparetur opus conſilij maioris perfectionis cum inferiori opere præcepto comparatio non eſt ad rem.

9. *Obiectio.* Sed dicet tādem aliquis: Opus, quo impletur votum ſæpe ſit ſine vlla memoria voti, & ſine vlla relatione ad eius obſeruationem: ergo tunc ſaltem non eſt melius, quam ſi non eſſet promiſſum. Patet conſequentia, quia maior bonitas nō eſt in actu exteriori, ſeu imperato, niſi per denominationem ab imperante: ergo ſecluſa bonitate propria imperij de obſeruatione voti, nō poteſt melius fieri opus, quo votum ſoluitur. *Solutio.* Reſpondetur concedēdo totum: quia non de materiali obſeruatione voti, ſed de formali loquimur, quæ requirit actualem voluntatem, vel ſaltem virtualem ſeruandi votum. Et ideo non diximus, opus cum voto factum eſſe melius, ſed opus ex voto factum: non ſit autem ex voto, niſi fiat ex volūtate ſeruandi votum. Itaque quando obſeruatio voti eſt tantum materialis, dici poterit opus aptum, vt melius fiat ratione voti, quam nude, licet actu non habeat illam bonitatem ex defectu operantis: quando vero opus ſit ex intentione ſeruandi votum, tunc eſt actu melius. Quomodo autem fiat hæc maior bonitas per intentionem illam actualem, & quomodo per virtualem, & an ſit per bonitatem intrinſecam, an per denominationem extrinſecam, nō pertinet ad hunc locum explicare, ſed ad 1. 2. quæſtion. 18. & 19.

10. *2. aſſertio. Actum ex voto factum cæteris paribus magis eſſe meritorium, quam abſque illo.* Dico ſecundo, actum ex voto factum cæteris paribus, magis eſſe meritoriū, quam factum abſq; voto. Ita docent D. Thomas & Doctores allegati, & aliqui putant eſſe rem certam contra hæreticos, qui putant vota eſſe inutilia ad omnem ſpiritualem fructum. Sed vt gradum huius certitudinis declaremus, diſtinguere oportet de merito eſſentialis, & accidentalis præmij. Si ergo loquamur indiſtincte de alterutro horum, ſine dubio eſt concluſio certiſſima, & oppoſitum tanquam erroneum damnat D. Thomas *D.Thom.* Opuſc. 17. cap. 11. 12. & 13. & Opuſc. 18. cap. 12. Et probatur ex dictis: quia bonum opus ſi aliæ conditiones concurrant, eſt meritorium: ergo quo melius fuerit, ſi cætera ſint paria, erit magis meritorium. Quæ ratio ad minimum concludit de præmio accidentali.

11. *Cætera opera moralia [illegible]* De præmio vero eſſentiali, qui exiſtimant bona opera moralia non mereri hoc præmium, ſed ſolam charitatem, vel ſi hoc tribuatur alijs operibus, ſolum eſſe per extrinſecam denominationem ratione charitatis imperantis, & iuxta gradum, & valorem eius: qui hoc (inquam) modo opinantur, conſequenter dicent, non eſſe magis meritorium quoad eſſentiale præmium, opus ex voto factum, niſi quatenus regulariter ſit ex maiori charitate actuali, quia tale meritum formaliter tantum eſt in actu à charitate elicito, iuxta illam ſententiam. *præmiū eſſentiale, ſed ſolam charitatem, aſſerūt aliqui.* Verumtamen illud fundamentum à nobis non probatur, vt latius diximus in Opuſculis relect. 2. & in tract. de Gratia iterum oſtendemus. *Excluditur talis opinatio.* Ideoque omnino verū cenſemus, opus ex voto factum eſſe magis meritorium etiam præmij eſſentialis, etiamſi ſtatus gratiæ, & affectus charitatis æquales ſint. Et re vera D. Thomas, & Caiet. art. 6. de hoc merito loquuntur, & iuxta communem vſum Theologorum in hoc ſenſu eſt ſermo, quoties de merito abſolutè loquuntur. *D. Thom. Caiet.* Item neceſſe eſt, D. Thomam loqui, ſuppoſita æquali charitate: nam ſi exceſſus meriti ſolum eſſet ex exceſſu charitatis, ſine dubio ſæpe accidit, vt qui non habet votum ex maiori affectu charitatis operetur: ergo ex vi voti nulla poſſet regula maioris meriti conſtitui, quod enim cum obligatione maior affectus charitatis adiungatur, & accidentarium eſt, & incertum etiam regulariter. Nam licet ipſa voti emiſſio frequenter ſit ſignū maioris effectus charitatis, tamē in ipſo actu, qui ex voto ſit, non eſt cur dicamus regulariter coniungi illum maiorem affectum charitatis. Et præterea de ipſo voto incredibile eſt, non eſſe meritoriū præmij eſſentialis, neq; plus mereri, qui promittit caſtitatem, quam qui dat vnam eleemoſynam, ſi alioqui affectus charitatis ad Deum idem eſt.

12. *Opus ex voto eſſe magis meritoriū, quam ſine illo ſi fiat ex voto formaliter.* Eſt autem aſſertio intelligenda ſicut prior de formali obſeruatione voti: quia materialis obſeruatio non videtur augeri, quoad meritum propter ſolum habitum voti (vt ſic dicam) nam ſi votum non influit in actum, non tribuit illi bonitatem, ergo nec meritum. *Obiectio.* Dices, ſtatim perſonæ Religioſæ, vel dicatæ Deo per votum, ſufficere ad augmentum meriti. *Solutio.* Reſpondeo falſum eſſe aſſumptum: quia ſolum de ſtatu gratiæ, & ſanctitatis id conceditur à Theologis (aliquibus etiā in hoc repugnātibus) ſtatus aūt voti, aut perfectionis per ſe non ſanctificat formaliter animam, nec facit dignam vitæ æternæ: ergo ſi Religioſus non operetur vt Religioſus, non erit actus eius magis meritorius propter ſolum ſtatum. Requiritur ergo aliqua relatio ex voto, & fortaſſe ſufficiet virtualis, quod generale eſt, & ſpectat ad materiam de Merito.

13. *D.Thom.* Et iuxta hæc accipiendum eſt, quod D. Thom. d. art. 6. ad 2. ait, licet poſt votum factum diſpliceat feciſſe, & opus ipſum ſine triſtitia, & aliqua diſplicentia non fiat, nihilominus eſſe magis meritorium, quam ſi abſque voto omnino ſponte fieret. Hoc enim intelligendum puto cum limitatione, ſcilicet quātum eſt ex circumſtantia voti: nam cum iam non ſint cætera paria, ſæpius contingere poterit, vt ſit magis meritorium integra voluntate operari ſine voto, quam cum imperfecta ex voto. Nam quod ſit cum tædio, & diſplicentia, frequentius ſit remiſſe, & indebite. Et ideò vt ſecurius ſit meriti augmentum oportet operari iuxta conſilium Pauli 2. Cor. 9. *Nō ex triſtitia, aut ex neceſſitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* *2.Cor.9.* Cōtingere aūt poteſt, vt voluntas tanta fortitudine reſiſtat difficultati, & triſtitiæ occurrēti in obſeruatione voti, vt inde non minuatur, ſed augeatur meritū. Quod maxime accidit, quando diſplicentia illa non ex animi tepiditate, aut mala cōſuetudine, ſed ex cauſa extrinſeca, vel inuoluntaria prouenit.

14. *Fit ſatis argumentis. Ad primū.* Ad primum ergo argumentum in principio poſitum reſpondetur negando aſſumptum. Non enim verum eſt, opera, quæ ſunt præcepta, eſſe minus perfecta, quā ea quę ſunt ſub cōſilio, quin potius illa ex ſuo genere ac cæteris paribus, meliora ſunt, quia habent fructum obedientiæ, & maiorem cōnexionem cum charitate, & maiorē etiā neceſſitatem, & honeſtatem

virtu-

virtutis. Cum ergo conſilia dicuntur eſſe de meliori bono, non comparantur ad præcepta, ſed comparãtur ad alia bona illis repugnantia vt notauit Gerſon. *Gerſon.* 3. p. tract. de Statu perfect. Alphab. 67. Liter. S. Quod ſi comparatio fiat ad præcepta, intelligenda eſt cũ incluſione, non cum præciſione, id eſt, melius eſſe conſilia ſimul cum præceptis ſeruare, quam ſola præcepta. Vnde ipſa conſilia ad hoc ordinantur, vt præcepta facilius obſeruẽtur, de qua re videri poteſt D. Th. *D. Thom.* Opuſc. 17. c. 6. Vel intelligendum eſt reſpectu diuerſorum, & inæqualium operum: ſic enim opus conſilij ſæpe eſt melius, quam opus præceptum, licet nõ ſit tam neceſſarium. Tamen reſpectu eiuſdem operis boni, præceptum auget bonitatem, quãtum eſt de ſe.

15. *Ad ſecũdũ.* Ad ſecundum negatur minor: nam cæteris paribus honeſtas Religionis addita actui, ſine dubio auget moralem valorem eius. Ad exẽplum autem de iuramento in primis non eſt omnino eadem ratio, quia opus, quod ſub iuramento promittitur, non ita ordinatur ad cultum Dei, ſicut opus, quod per votũ promittitur, vt tractatu præcedenti tactum eſt. Dico vero vlterius, ſi opus fiat ex ſpeciali reuerentia iuramenti, & ad illud implendum, ex hac parte etiam augeri meritum, ſi in alijs ſit æqualitas.

16. *Ad tertium.* Ad tertium de diminutione libertatis negamus votum proprie loquendo, minuere libertatem, quatenus conſiſtit in indifferentia operandi, quia ſolum inducit obligationem, obligatio autem non inducit neceſsitatem repugnantem prædictæ indifferentiæ, quia ipſa obligatio cum perfecta indifferẽtia impletur. Et licet obligatio magis moueat, tamen quia tota illa motio eſt ex parte obiecti, & non determinat potentiam, non minuit proprie libertatem. Ac denique aliunde ex parte obiecti auget voluntarium, quod multum confert ad meritum. Addo etiam, ex voto naſci occaſionem noui vſus libertatis, quia homo libere vult non ſolum actum ieiunij exercere, v. g. ſed etiam fidelitatem, & Religionem ad Deum. Et præterea ſemper poteſt homo, ſi velit habere hanc voluntatem quaſi reflexam, ita faciẽdi, quod promiſit, vt etiam faceret, quamuis non promiſiſſet, atque ita ſemper poteſt habere omnem vſum libertatis.

17. *Expoſitio D. Thom. ad locum Proſp.* Ad Proſperum reſpondet D. Tho. d. art. 6. ad 1. illum fuiſſe loquutum de neceſsitate coactionis, quia ſtatim ſubiungit: *Ne iam non deuoti, ſed inuiti rem voluntariã faciamus.* Huic vero expoſitioni obſtat, quia Proſper. aperte loqui videtur de neceſsitate voluntarie aſſumpta, vt patet ex illis verbis: *Vt non nos neceſsitati ſubdamus*: at in neceſsitate coactionis ſubdimur potius ab alio, quia prouenit ab extrinſeco: neceſsitati autem voti nos ipſi nos ſubmittimus. Item quia in toto diſcurſu capitis probare conatur, eam neceſſitatem poſſe minuere charitatem, & ideo non eſſe à nobis amplectendam, quę ratio, & totus diſcurſus in coactionis neceſsitate locum non habet. *Germanior explicatio ad locum Proſperi.* Conſiderãdum ergo eſt, Proſperum non loqui de quolibet opere virtutis, eiuſque neceſsitate, ſed ſpecialiter de abſtinentia, & ieiunio, quæ ſunt ex bonis, & officijs mediocribus, quæ aliquando propter maiora bona intermitti debent. Rurſus aduerto, Proſperi mentẽ non fuiſſe conſulere, vt ieiunium nunquam ſub neceſsitate, vel obligatione conſtituatur, ſiue per votũ, ſiue per Superioris præceptum: nam conſtat hoc aliquando vtile eſſe, nec in hoc potuit Proſper dubitare. Conſuluit ergo, vt hæc neceſsitas ieiunij non temere, neque indiſcrete aſſumatur, ne forte occurrẽte rationabili cauſa frangendi ieiunium, *iam non deuoti, ſed inuiti* illud ſeruemus. Et fortaſſe vult non ita eſſe pro lege ſumendum, vt nec propter fraternam charitatem, vel aliam ſimilem cauſam intermittendum putetur. *Quia iam tunc* (inquit) *abſtinentia non eſt virtus dicenda, ſed vitium*: & cætera, quæ proſequitur in hoc ſenſu facilia ſunt.

Capvt XVIII.

Vtrum votum ſit per ſe expetendum, & expediens?

1. *Grauis error Armacani circa voti vtilitatem.* HAEc quæſtio partim ad perfectionem voti magis declarandam pertinet, & ad conſummandam quæſtionem, an ſit votum in primo capite inchoatam eſt neceſſaria; & vſque hunc locum dilata eſt, quia eius reſolutio ex omnibus hactenus tractatis pendet. Armac ergo, vt Vuald ſuprà refert, ſicut male ſenſit de perfectione voti, ita grauiter circa eius vtilitatem errauit, dixit enim, votum æquiparari iuramento, cuius vſus per ſe non expedit: & ideo frequentia eius non conſulitur, ſed potius abſtinentia, & raritas ſuadetur, ſolumque in caſu neceſsitatis, vel magnæ vtilitatis permittitur. Ita ergo ille de voto ſentiebat. Quia ſicut docemur, vt ſermo noſter ſit, *Eſt, eſt, non, non, quod amplius eſt à malo eſt*: ita quoad voluntatem, & affectum docemur, vt ſit voluntas, & affectus noſter eſt eſt, non, non, id eſt, ſimplex, & purum propoſitum ſine obligatione ad Deum. Et poteſt hæc proportio ſuaderi, quia etiam iuramentum eſt actus Religionis, & nihilominus propter periculum non expedit propter ſe fieri, aut expeti, & conſulitur ſimpliciter, vt non fiat, vtique propter ſe, ſeu non ſine magna cauſa, vel neceſsitate. Sed non minus periculi eſt in vſu vouendi, quia facile promittitur, & difficile impletur, & ita occaſione votorum frequenter multiplicantur, & augentur peccata, ergo eadem ratione non eſt votum per ſe expetẽdum, nec conſulendum. Et cõfirmatur, quia magis expedit vitare graue periculum peccandi mortaliter, quã augmentum meriti, quod ex voto poteſt prouenire, ſed illud periculum frequens eſt, & graue: ergo.

2. *Euaſio.* Dices, hoc periculum nõ naſci ex voto, ſed ex hominis malitia, aut fragilitate. At profecto parum hoc refert, ſi in re ipſa ineſt periculum in voto, quod ſine illo non eſſet: vndecumque enim naſcatur tale periculum, ſi commode vitari poteſt. & ſine detrimento, vitandum eſt ſicut de ſcandalo paſsiuo dici ſolet, illud vitandum eſſe, ſi commode poteſt, ſiue hoc ſit ex præcepto, ſiue ex conſilio charitatis, quodcumq; enim horum ſufficit, vt dicamus hoc eſſe magis expediens. Rurſus non ſatisfaciet, qui dixerit, hoc periculum non eſſe morale, eo quod multi ſeruant vota emiſſa abſq; peccato mortali: nam de rebus moralibus iudicandum eſt, iuxta ea, quæ frequentius accidunt, & inde accipere debent abſolutam denominationem, ſed frequentius in hominibus contingit, vt facile frangãt promiſsionem Deo factam, ergo ſimpliciter iudicandum eſt hoc non expedire. Confirmatur primo: quia non expedit homini minuere libertatem ſuam circa boni operationem: ſed votum inducendo neceſsitatem, & obligationem, minuit libertatem ergo. Confirmatur ſecundo ex illo Pauli. 1. ad Cor. 7. *Non vt laqueum vobis iniiciam*, quaſi dicat. conſulo continentiam, non votum, ne laqueum vobis iniiciam. *1. Cor. 7.*

3. *Quibus titulis votum ſit expediens.* Pro ſolutione aduerto, duplici titulo vel ratione poſſe intelligi, votum eſſe expediẽs, ſcilicet vel propter ſe, & ſuam perfectionem, vel propter vtilitatem ad alia bona conſequenda, & à fortiori propter vtrãque rationem, ſi ſimul coniungantur. In ſecundo ſenſu, ſcilicet, de vtilitate videtur tractare hanc quæſtionem D. Thomas d. quæſt. art. 4. & ita exponit Caietan. ibi. *D. Thom. Caiet.* Oportetque aduertere, dupliciter dici aliquid vtile, ſcilicet vel vt purum medium ad finem, vel vt formam per ſe conuenientem ſubiecto tanquam aptum operandi principium. ſicut viſus, vel habitus poteſt dici vtilis homini, quæ ratio vtilis non excludit rationẽ honeſti, & boni per ſe amabilis,

bilis, ac conuenientis naturæ rationali, vt conſtat in exemplis adductis & de ſanitate, lumine, & alijs formis, quæ ſunt propter ſuam operationem, & nihilominus ſunt per ſe conuenientia, & expetibilia. Omnibus ergo his modis de voto tractari poteſt, an expediat. Poſſumusq; loqui de voto in generali, & ſecundum ſe, quod ad doctrinam pertinet, vel in particulari applicando votum ad talem perſonam, vel ad talem materiam, quod magis pertinet ad prudentiam.

3. *1. Aſſertio. Votum eſſe per ſe honeſtum, & expetibile, & ad vitæ perfectionem expediens. D. Thom. Pſalm. 75.* Dico ergo primò: Votum ita eſt ſecundum ſe honeſtum, & per ſe appetibile, & ad perfectionem vitæ expediens, vt ſimpliciter cadat ſub conſilium. Hanc aſſertionem intendit D. Thomas in d. art. 4. & exiſtimo eſſe certam de fide. Primo quia Scriptura hortatur ad vouendum vt Pſalm. 75. *Vouete, & reddite.* Vbi Auguſtinus, & alij notant primum eſſe conſilij, ſecūdum neceſſitatis, & ſimilia loca ſunt Leuit. 27. Num. 6. & 30. Deuter. 12. & 23. Et inter opera perfecti cultus Diuini futuri in lege gratiæ vota ponuntur Iſai. 19. ſupponitur etiam 1. Timoth. 5. Sumi etiam poteſt ex conſilio caſtitatis, prout à Chriſto proponitur Matt. 19. *Sunt eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum,* vtique per votum caſtitatis, quo poteſtas licite nubendi aufertur, & de illis ſubdit: *Qui poteſt capere capiat.* Excitans ad id præſtandum, & laudans facientem, vt ibi notant Chryſoſtom. & Expoſitores Hieronym. lib. 1. Cont. Iouin. Auguſt. de Sancta virgin. cap. 24. Fulgent. libr. de Fid. ad Petr. capit. 3. in fine.

Matt. 19. Chryſ. Hieron. Auguſt. Fulgent.

4. *Auguſt.* Secundo probatur ex Patribus. Auguſt. d. Pſa. 75. *Non ſitis pigri ad vouendum: nō enim viribus veſtris implebitis.* & Pſalm. 131. *Qui te hortatur, vt voueas, ipſe adiuuat, vt reddas.* *Hilar.* Hilar. in Pſalm. 64. in principio, *Deo vouenda ſunt contemptus corporis, caſtitatis cuſtodia, ieiunij temperantia, atque ideo ait, & tibi reddetur votum in Hieruſalem.* *Fulgent.* Optimè Fulgent. lib. de Fid. ad Pet. cap. 3. in fin. ait: *Tunc vnuſquiſque regnum cælorum poſſidebit, ſi obliuiſcens quæ retro ſunt, & in anteriora extendens ſe ipſum ſecundum quod in Pſalmis dicitur Vouete, & reddite, quod ſcit eſſe licitum, & ad profectum melioris vitæ pertinere cognoſcit, & libenter voueat, & celeriter reddat.* *Chryſoſt.* Chryſoſt. Hom. in Pſalm. 49. circa id. *Redde altiſsimo vota tua, Tu* (inquit) *ſiue promittas eleemoſynam, ſiue vitam pudicam, ſiue aliquid aliud tale, ad id exoluendum feſtina.* Vbi ſupponit optimum eſſe hæc promittere, & neceſſarium eſſe exoluere. Simili modo in id Pſalm. 115. *Vota mea Domino reddam, Vota* (inquit) *hic dicit promiſſa, & pollicitationē: in his enim ærumnis ad Deum confugiebat, & ſe debitorem Deo conſtituebat &c.* Hoc ergo commendat tamquam optimum conſilium. Atque ad eūdem modum loquitur de voto ieiunandi *Tertull.* Tertul. lib. Aduerſus Pſychicos, c. 9. in fine, & cap. 11. addit, talia vota Deo placere, vtique non alia ratione, niſi quia per ſe conuenientia ſunt, & vtilia. Poſſumus hic addere exempla vouētium in tempore legis naturæ, ſcriptæ, & gratiæ etiam Chriſti, & Apoſtolorū, ſed hæc in libr. reſeruamus: omitto etiam, quæ de votis caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ tradunt Patres, quia de illis infrà ſuis locis ex profeſſo tractandum eſt.

5. *Probatur aſſertio ratione.* Tertio: eſt euidens illa ratio, qua vtitur D. Thom. in d. art. 4. Quia per votum firmatur voluntas in bono, in quo & magna honeſtas, & ſumma vtilitas cernitur: ergo votum ſaltem propter hunc effectum eſt maxime appetibile, ac pertinens ad opera conſilij. Confirmatur primo: quia ſtatus Religionis ſub conſilium cadit, vt eſt de fide certum, & infrà oſtendetur, eſtque per ſe honeſtus, & vtilis ad perfectionem, ſed ille ſtatus votis conſtituitur, ſeu firmatur: ergo. Confirmatur ſecundo: quia votum eſt de meliori bono, ſed votum vouendi, quale eſt votum Religionis, eſt optimum votum ergo & ipſum vouere eſt de melioribus bonis, atq; adeo ex operibus conſilij, & per ſe expedientibus. Confirmatur tertiò: quia ex voto honeſtiſſimæ vtilitates cōparātur. Prima, quod per illud homo liberalem ſe oſtendit erga creatorē ſuum, illi offerēdo ſe, vel ſua modo quodā ſtabili, & firmo: ſecunda, per hūc actū maxime colit Deū, honorando illum, vel gratias agendo, vel ſe illi ſubmittēdo: tertia, votum ipſum ſuo modo eſt principium meliorum operum, vt c. præced. oſtenſum eſt: quarta, votum eſt etiam ratio ſæpius, frequentius, ac certius bene operandi: ergo per ſe loquendo talis actus per ſe appetendus, & expediens eſt.

Quartò poteſt hoc ſpecialiter oſtendi contra Armach. ex comparatione voti ad iuramentum. In qua primum argumentari poſſumus ab authoritate negatiua: nam cum in veteri lege fere eiſdem locis, & verbis præcipiamur Deo reddere iuramenta, & vota, Chriſtus Dominus de ſolis iuramentis declarationem adhibuit prohibens iurare vtique per ſe, & ſine aliqua cauſa, vrgente, & conſulens nunquam iurare quoad fieri poſsit: at de votis nullam limitationem poſuit, ſed potius conſulendo perfectionis viā, vel expreſſe, vel virtute vota conſuluit: ergo ſignum eſt, non eſſe idem iudicium de votis, quod de iuramentis ferendum. Deinde id conſtat ex proprio fine vtriuſque actus: nam iuramentum per ſe primo eſt ad confirmandam humanam veritatem, vnde non ordinatur ad cultum, niſi ſuppoſita eius neceſsitate ad alium finem: votum autem per ſe primo eſt propter cultum Diuinum, & nullam aliam priorem rationem, aut neceſſitatem exigit, præter eam, quæ eſt firmandi voluntatem in propoſito de meliori bono, vel in offerendo liberaliter Deo ipſam liberam voluntatem. Vnde eſt etiam alia differentia, quod per iuramentum veritas iurata per ſe non ordinatur in cultum Dei: per votum autem opus promiſſum cultui Dei dicatur, & Religioſum efficitur. Et ideo iuramētum per ſe non appetitur, vel expedit ex vi ſolius Religionis: votum autem maximè. Ex quibus differentijs conſtat, iuramentum non ſolum propter periculum, ſed etiam ratione ſuæ inſtitutionis, & naturæ, non eſſe talem actum, qui per ſe expediat: votum autem ex vi intrinſeci finis valde expedire. Addo etiam multo maius periculum inueniri in iuramento propter maiorem eius frequentiam, pluresq; occaſiones, quia non ſolum in Diuinis, ſed etiam in humanis negotijs adhibetur: votum autem rarius fit. 6.

Vnde ad difficultatem de periculo recte ibi reſponſum eſt, ex voto nullum naſci morale periculū, 7. *Solutio difficultatis in oppoſitum, Ambroſ.* quia ſola obligatio recte operandi non cōſtituit hominem in periculo. Alioqui, vt recte intulit Ambroſ. lib. de Viduis prope finem: *Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur, nec pedis vtatur obſequio, qui gradiendi periculum reformidat, nec oculis intendat officio, qui concupiſcentiæ timet lapſum.* Hoc ergo periculum, ſi prudentia in vouendo ſeruetur, moraliter loquendo nullum eſt, cum autem abſolute dicimus, expediens eſſe vouere, loquimur (vt par eſt) ſeruatis prudentiæ legibus. Hæc autem prudentia non debet eſſe tantum ſecundum hominem, ſed ſecundum Deum, vt non plus de humana fragilitate timeat, quam de Diuina virtute confidat: Vnde Auguſtinus, d. Pſalm. 75. cum dixiſſet: *Non ſitis pigri ad vouendum, non enim viribus veſtris implebitis,* ſubiungit: *Deficietis ſi de vobis præſumitis: ſi autem de illo, cui vouetis, vouete, ſecuri reddite,* & Pſalm. 131. prope initium: *Nemo præſumat viribus ſuis reddere, quod vouerit, qui te hortatur, vt voueas, ipſe adiuuat, vt reddas.* *Auguſt.* Denique periculum voti per ſe nullum eſt niſi periculum obligationis: hoc autem per ſe loquendo moraliter nullum eſt: alias nullum præceptum poſitiuum deberet hominibus imponi, Immò, vt bene VValdenſis argumentatur, nulla pacta eſſent inter homines ineunda, nulla fides danda, nec coniuges deberent ſe inuicem obligare. Nam in omnibus obligationibus eſt periculum peccandi, ſi non impleantur, tamen periculum per ſe non

Digitized by Google

non oritur ex obligatione: idem ergo eſt de obligatione voti.

8. *Diluitur confirmatio.* Ad confirmationem de diminutione libertatis, iã dictum eſt capite præcedenti, votum non minuere libertatem indifferentiæ, licet minuat, vel tollat libertatem ab obligatione. Priuari autem hac libertate propter Deum valde meritorium eſt, & per ſe decens. Nam per promiſsionem, vel contractum humanũ interdum homo ſe priuat hac libertate, ergo & ipſe poteſt honeſtiſsimè, & vtiliſsimè id facere propter Deum. Vnde optimè Auguſt. dicta Epiſt. 45. *Auguſt.* *Non eſt*, inquit, *gratulabunda libertas, qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur.* Addit etiam D. Thomas *D. Thom.* dicto art. 4. ad 1. quod ſicut in Deo, & Beatis neceſsitas non peccandi non eſt diminutio libertatis, ita participatio quædam eius, quæ per votum habetur, non minuit perfectionem libertatis: vnde de illa dixit Auguſt. vt ſupra retuli. *Felix neceſsitas, quæ ad meliora compellit.* Et V Vald. *V ald.* ſupra dixit, quod *ligamento confirmationis in Hierarchia cæleſti, correſpondet Sacramentum voti in Hierarchia terreſtri.* Vbi hoc eruditè, & piè proſequitur, oſtendens ex Scripturis vinculum voluntatis, quod illam frenat. & in officio continet, non eſſe contra libertatis perfectionem, imò ad magnum eius auxilium pertinere. Vnde non poteſt votum laqueus appellari, nec Paulus 1. Corinth. 7. *1. Cor. 7.* cum dixit. *Non vt laqueum vobis iniiciam*, indicauit votum eſſe laqueum, quia potius inducit ad id, quod honeſtum eſt, & facultatem præbet ſine impedimẽto Dominum obſecrandi, vt ſignificauit ibi D. Thom. ſed laqueum vocauit inuoluntariam neceſsitatem, quaſi dixerit, hæc conſulendo dico, non cogendo., non enim laqueum vobis injicio, qualis eſſet inuoluntarium præceptum in tali materia: & idem dici poterit de voto, ſi ex metu, vel ſimili coactione fiat: non verò quando fit plena voluntate, & prudenti deliberatione.

9. *De prudentia ſeruãda in vouendo.* Vnde dico ſecundo: Licet votum de ſe expediat in praxi, & vſu, ſeruanda eſt prudentia, ne in laqueũ conuertatur. Ideoque in primis conſideranda eſt cõditio perſonæ vouentis, poteſt enim eſſe varia. Aliquando eſt apta ad vſum voti, ita vt ex diſpoſitione, & inclinatione non poſsit timeri morale periculum, præter generalem mutabilitatem humanam: & tunc ex illa parte nulla eſt difficultas, quin votũ expediat, ſi aliunde impedimentum non occurrat, quod accidentarium eſt. Secundò fieri poteſt, vt homo habeat ſpem moraliter probabilem ſe frequentius obſeruaturum votum, tamen cũ eadem probabilitate timeat aliquando lapſurum, & tũc in primis licitum eſt vouere, quia illud periculum non eſt morale, neque in particulari, nec prouenit ex voto. Addo etiam poſſe expedire, ſi omnibus penſatis, maior fructus ſperetur, quam damnum timeatur, præſertim cũ ſemper ſperandum ſit de Diuino auxilio, & in eo confidendum: quod ſi poſtea ſequatur aliquis lapſus, eſt per accidens, & per pœnitentiam poteſt remedium adhiberi. Tertio fieri poteſt, vt aliquis probabiliter timeat ſæpius violaturus votum, eique futurum potius in laqueum, quam in ſubſidium: & tunc tali perſonæ *1 Cor. 7.* *Richard.* non expedit vouere, vt per ſe conſtat, & inſinuauit Paulus 1. ad Corin. 7. dicens, *Melius eſt nubere, quam vri.* Addit vero Richardus in 4. diſtinct. 38. artic. 6. q. 1. neminem debere hoc præſumere, aut iudicare, niſi per certam experientiam id de ſe ipſo cognouerit, quod videtur ſignificaſſe Paulus cum dixit, *Quod ſi non ſe continent, nubant.*

10. Vltimo conſideranda eſt maxime materia voti, nam quo votum eſt de meliori, & perfectiori, magis perpetuo, magiſque vniuerſali bono, eo ex ſe melius eſt, magiſque expediens, tamen eo ipſo poteſt eſſe difficilius, & ideo contingere etiam ſæpius poteſt, vt non expediat propter indiſpoſitionem, vel fragilitatem vouentis. Nam ea vota, quæ ad vnum actum ordinãtur, quo peracto finitur obligatio voti, raro habent aliquid periculi, niſi actus ipſe talis ſit, vt ſit improportionatus vouenti, & moralem impotentiam includat, tũc enim eſſet votum indiſcretũ, & ex hac parte non expediens. Quando vero votum ad plures actus refertur, qui in diſcurſu temporis implendi ſunt, aut vitandi, tunc plures circumſtantiæ conſiderandæ ſunt, & quo tempus voti fuerit diuturnius, & maior actuum frequentia, aut in ſingulis vitãdis, aut faciendis maior difficultas, eo maior prudentia adhibenda eſt. Oportet autem aduertere, licet contingat, votum eſſe imprudenter factum, non ſatis eſſe, vt ex ſe non obliget, licet inde iuſta cauſa diſpenſationis ſumi poſsit, vt infrà lib. 6. latius dicemus.

CAPVT XIX.

Quid ſit diuiſiones votorum ex parte ipſius actus, ſeu modi vouendi, & an aliqua illarum eſſentialis ſit.

1. EX dictis de ſubſtantia, & eſſentia voti colligere poſſumus nonnullas votorum diuiſiones, quas hic præmittere neceſſe eſt, ſaltem vt intelligãtur termini, quibus in diſcurſu huius materiæ vtẽdum eſt. Poſſunt autem in voto duo diſtingui, vnum eſt actus ipſe vouẽdi cum obiecto ſuo formali, & alijs circũſtantijs, quę ex parte ipſius, ſeu in modo vouendi cõcurrere poſſunt: aliud eſt materia, circa quam votũ verſatur, & ex vtroque capite variç diuiſiones ſumũtur. Tamen quia illæ, quæ ſumuntur ex parte materiæ, cognitionem ipſius materiæ ſupponunt, ideo illas commodius in fine libri ſequentis trademus, hic alias, quæ ex priori capite ſumuntur, breuiter recenſebimus.

2. *Prima diuiſio voti, in commune, & ſingulare, ſeu in neceſſarium, & voluntarium.* Primò ergo celebris eſt apud Scholaſticos cum Magiſtro in 4. diſt. 38. diſtinctio voti in commune, & ſingulare, ſeu in neceſſarium, & volũtarium, vt cum Hoſtienſ. loquitur Palud. ibi q. 2. nu. 6. & 8. & vtrumque habet fundamentum in Auguſt. in d. Pſalm. 75. *Vouete, & reddite.* Eſt autem hæc diuiſio ſumpta partim ex materia, partim ex actu vouendi: nam votum *Magiſt.* neceſſarium dicitur, quod eſt de præceptis, quæ ſunt *Palud.* de neceſsitate ſalutis, & quia hæc communia ſunt omnibus, *Auguſt.* ideo votum hoc commune dicitur. Votum autem, quod eſt de conſilijs, dicitur voluntarium, & ſingulare, quia paucorum eſt.

3. Sed hinc non ſatis diſtinguuntur illa duo membra, quia etiam votũ omnino voluntarium, & ſingulare poteſt fieri de præceptis, vt oſtendam li. 2 & clare ſumitur ex eodem Auguſt. d. Pſ. 75. nam inter propria vota, quæ à communibus diſtinguuntur, ponit votum caſtitatis coniugalis, cum tamen illud ſit de materia neceſſaria, & præcepta. Igitur propria ratio illius diuiſionis ſumitur ex parte actus. Nam votum ſingulare, ac voluntarium conſiſtit in proprio actu promittẽdi, qui ſemper ſupererogationis eſt, in quacumque materia verſetur, prout hactenus explicuimus: votum autem commune, ſeu neceſſarium non cõſiſtit in actu promittendi, ſed in ſola acceptatione præcepti cum propoſito implendi illud, vt in lib. 3. c. 2. declarabimus. Et ideo talis actus non propriè, ſed per analogiam quandam votum dicitur, neq; eſt actus proprius Religionis, nec eius ſpecialem obligationem inducit, licet poſsit aggrauare intra propriã ſpeciem, ſicut peccatum hominis Chriſtiani cenſetur grauius, quam hominis infidelis, vt rectè docuit D. Th. in 4. d. 38. q. 1. ar. 2. quæſtiun. 1. & ibi Durand. Pal. *D. Thom.* *Durand.* *Palud.* *Gabr.* *Sylueſt.* Supple. Gabr. & omnes, Sylueſt. *Votum*, 1. q. 5. vbi refert Archid. Raymun. & Hoſt. & plura infra in locis citatis dicemus. Quapropter hæc diuiſio non eſt de voto ſecundum rem, ſed ſecundum vocem, & ideo prætermittenda eſt, quia hic ſolum agimus de voto proprie dicto, quod eſt promiſsio.

4. Secundo diuidi poteſt, votum ex parte perſonæ, cui ſit,

Digitized by Google

2. Diuiſio quæ poteſt ſieri ex parte perſonæ cui fit Votum.

cui fit, nam aliud fit Deo, aliud fieri poteſt perſonis Creatis, ſeu Sanctis iuxta dicta ſupra c. 15. Si quis autem attente conſideret quæ ibi diximus, facile intelliget, vel hanc non eſſe diuiſionem voti, ſed alterius rationis magis vniuerſalis, vel non recte tradi, niſi ſecundum quandam denominationem accidentalem, votum enim proprium ſoli Deo fit. Tamen (quia interdum fit Deo ſine vllo reſpectu ad alium, etiam accidentario: aliquando vero fit Deo in honorem alicuius Sancti, vel fit Deo de cultu, & veneratione aliqua in honorem Sancti facienda, ſeu ad confirmandam promiſſionem Sancto factam, vel eum inuocatione, & morali præſentia Sanctorum, vel offertur Sancto, vt ipſe offerat illud Deo) ideo diuiſio illa traditur, cum tamen omnes hi modi ſint accidentales ad rationem, & ſubſtantiam voti, vt conſtat. Et præterea hæc differentia non bene illis verbis explicatur: nam ſemper votum fit Deo, vt proprio creditori, ſeu promiſſario, ſed vno modo fit illi ſine vlla interuentione Sanctorum: in alio vero cum aliquo reſpectu ad Sanctos. Quæ differentia in ordine ad effectus morales voti fere nihil confert & ideo illam omittimus.

5. Alio vero modo poteſt fieri promiſſio alicui Sancto ſecundum ſe, & per modum cultus Duliæ, vel hyperduliæ, & talis diuiſio non eſt propria voti, vt ſupra dixi: vnde ſi in hoc ſenſu fiat illa diuiſio, diuiſum non erit votum, ſed promiſſio Religioſa, quæ diuidi poterit in votum, & promiſſionem Duliæ (non enim habet ſimplex nomen ſpecificum, quo ſignificetur) & ſic erit diuiſio eſſentialis, vt ex ſupra dictis conſtat: licet illa membra in ordine ad moralem doctrinam proportionem ſeruent: nam quæ de voto dicuntur, cum proportione intelligenda ſunt de quacunque ſacra promiſſione Sanctis cum Chriſto regnantibus facta, quia in ſuo gradu inducit obligationem ſacram, quæ per eaſdem cauſas induci, ſeruari, aut auferri poteſt. Igitur proprium votū ex parte perſonæ, cui fit, diuiſionem non recipit, neque reſpectu Diuinarum perſonarum diuidi poteſt, quia votum fit Deo vt intelligenti, & volenti, & ita fit illi, vt vnus eſt, ideoque ſicut opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, ita votum indiuiſe fit tribus Diuinis perſonis. Quapropter licet ex deuotione vouentis poſſit ſpecialiter dirigi ad vnam, vel aliam perſonā: nihilominus ſimpliciter omnibus perſonis neceſſario fieri debet, quaten' vnus verus Deus ſunt.

6. *3. Diuiſio quæ poteſt fieri in votum bonū & malum.*

Tertio Diuidi poteſt votum in bonum, & malū, dici autem poteſt votum malum, quod eſt de actu malo, & turpi, quocumque modo. Et ſic diuiſio ſumitur ex parte materiæ, tamen non eſt diuiſio veri voti, quia vt oſtendemus libr. ſequenti votum ſic prauum non eſt votum: quia non tenet, nec inducit obligationem. Et in hoc ſenſu poteſt dici malum votum omne id, quod eſt de materia incapaci obligationis, vel quia praua eſt, vel quia ad prauum finem ipſe actus promiſſus ordinatur, vel quia eſt res vana, & inutilis, ſeu mere indifferens, aut etiam impoſſibilis, vt talis eſt. Et ſic conſtat malum votum diſtingui eſſentialiter à bono, quia diſtinguuntur vt verum votum, vel tantum apparens, & ideo de voto malo ſic ſumpto nihil dicendum eſt, ſed tantum erit explicandum, quando contingat votum eſſe ſic prauum, quod in ſequenti libro præſtabimus. Alio ergo modo dicitur votum malum, quia ex parte vouentis male fit, licet quod vouetur bonum ſit, vt ſi vouens non recta intentione inducatur ad vouendum, ita vt prauum motiuum ſit finis actus vouendi, non materiæ promiſſæ, iuxta dicta ſupra c. 5. vel quia in modo, & circumſtantiis vouendi, prudentia ſeruata non eſt. Et in hoc ſenſu diuiſio quidem cadit in verum votum, quia votum etiam non bene factum validum eſt, vt ſupra oſtendi. Eſt autem accidentalis diuiſio, tum quia omne votum ex genere, & obiecto ſuo bonum eſt, vnde ſi aliquod eſt malum, eſt ex accidentali malitia, tum etiam quia ad rationem promiſſionis, & obligationem eius parum refert, quod promittens ex parte ſua malitiam aliquam in vouendo adiungat. Sicut etiam in bene vouendo poteſt plures bonitates adiungere, vt Diuinæ gloriæ, & vtilitatis proximorum, & ſimilium, quæ rationem voti non mutant, ita ergo eſt, quando ex parte operantis malitia adiungitur, & ideo hæc accidentalis differentia parum refert ad doctrinam de Voto, ſed pro materia Confeſſionis, aut Pœnitentiæ agendæ obſeruari poterit.

Vnde cum eadem proportione accipi poteſt quarta diuiſio voti, quæ eſſe poteſt in votum perfectum, & imperfectum, quam tradit ſupplement. Gabr. diſt. 38. q. 1. §. *Eſt autem hic inuenire.* Eſt autem votum perfectum, in quo ſeruantur perfecte, & integre omnia, quæ ad votum neceſſaria ſunt, ſeu cui nihil deeſt de integritate voti. Votum autem imperfectum multis modis eſſe poteſt, quia malum ex quocumque defectu. Duplex autem ſubdiuidi poteſt, ſcilicet imperfectum eſſentiali imperfectione, vel accidentali tantum. Priori modo dici poteſt imperfectum votum fictum, quod fit ſine intentione vouendi, aut ſe obligandi: item votum factum ex ſurreptione tollente libertatem ſufficientem ad peccandum mortaliter, item factum ſine conſenſu ſufficiente ad ſe obligandum. Poteſt autem conſenſus eſſe inſufficiens, vel ex naturali impedimento, ſeu defectu libertatis naturalis, & vſus rationis, vel ex defectu poteſtatis circa materiam obligationis: nam ſi illa non ſubiaceat poteſtati promittentis, non poterit circa illam efficaciter obligari, vt lib. 3. dicemus vel ex efficacia legis, aut præcepti irritantis cōſenſum, vt de voto ſolenni ſuo loco videbimus. Quocumque autem modo fit, votum eſſentialiter imperfectum non eſt votum, ſed fingitur, vel apparet votum, ideoque vbi conſtiterit votum habere talem imperfectioné, nulla ratio illius habenda eſt, niſi ad pœnitentiam agendam, quia in eo emittendo culpa grauis committi poteſt, & interdum poterit fieri iniuria, quæ ad reſtitutionem obligabit, quod maxime contingit in Religioſa profeſſione, vt infra videbimus, vbi etiam declarabimus, an interdum relinquatur obligatio iterum faciendi valide tale votum. Poſteriori autem modo dicitur votum imperfectum accidentaliter, quod factum eſt cum imperfecta deliberatione, quia licet fuerit ſufficiens ad humanam libertatem abſolute, & ſimpliciter, non tamen ſatis conſiderate, & prudenter factum eſt. Item quod factum eſt per aliquam ignorantiam grauis circumſtantiæ, licet non impedientem ſubſtantialem conſenſum, vel etiam quod factum eſt per reſpectum humanum ob reuerentiam alicuius, vel priuatam beneuolentiam, aut etiam ex timore, ſiue interuentu legis irritantis. Et hæ imperfectiones non tollunt veritatem voti, aut eius obligationem: poſſunt tamen vel dare ſufficiētem cauſam diſpenſationi, vel multum ad illam iuuare, vt infra ſuo loco dicemus.

7. *4. Diuiſio in Votum perfectum, & imperfectum. Gabr.*

Votum imperfectum eſſentialiter non eſt Votum.

Quidnam ſit Votum imperfectū accidentaliter.

Quinto diuiditur votum in conditionatum, & abſolutum. Quæ diuiſio videtur ſumi ex parte materiæ, quatenus cadit ſub intētionem vouentis, proprie tamen pertinet ad modum vouendi, qui maxime ex intentione pendet. Itaque conditionatum votum eſt quod fit cum conditione ſuſpenſiua obligationis donec ipſa impleatur: abſolutum vero dicitur quod ſimpliciter, & ſine conditione fit. Vbi eſt primo conſiderandum in voto conditionato conditionem non apponi promiſſioni ex parte illius, ſed ex parte obiecti. Nam ſi conditio poneretur ex parte actus promittendi, ſuſpenderet illum, & ita non fieret tunc promiſſio, ſed affereretur facienda, quando conditio impleatur, vt ſi quis dicat. Si Petro viſum fuerit promitto caſtitatem, nondum promittit nec abſolute, nec cōditionate, ſed ſolum affir mate

8. *5. Diuiſio in Votum conditionatum, & abſolutum.*

Conditio in Voto conditionato apponenda eſt ſolum ex parte obiecti.

mat ſe promiſſurum non abſolute, ſed ſub conditione. Et ideo etiã cõditione impleta; ſi tũc de nouo non promittat, non obligabitur. Illud ergo non eſt votum conditionatum, ſed aſſertio, vel propoſitum conditionatum; votum ergo conditionatum, vt ſit verum votum, debet eſſe promiſsio de præſenti, quæ ex parte materiæ includat conditionem ſuſpenſiuam obligationis, donec impleatur, vt voueo dare eleemoſynam, ſi nauis venerit, vel fieri Religioſus ſi ſanabor.

9. Dico autem conditionem ſuſpendere obligationem, non quia tale votum nullo modo obliget ſtatim, id enim repugnat voto, ſed quia quoad executionem ſuſpenditur obligatio, vel quia ipſamet eſt conditionata in obiecto, nihilominus ſtatim ita naſcitur, vt non ſit in poteſtate vouentis non manere ſubiectus illi obligationi, ſi conditio impleatur. Et ideo ex tunc tenetur habere animum implendi votum, impleta conditione, & conſequenti ratione poſtea non erit neceſſarius nouus conſenſus, vel promiſsio, ſed poſita conditione, votum quod erat conditionatum tranſit in abſolutum. Et hæc eſt vel vnica, vel potiſsima differentia inter hæc duo membra, quæ accidentalis quidem eſt, tamen in ordine ad morales effectus plurimum refert, & præſertim in ordine ad diſpenſationem, vt videbimus.

Differentia inter aſſignata mẽbra diuiſionis.

10. *Soti doctrina de voto conditionato aliqua ex parte excluditur.*

Hinc vero colligo, non poſſe vniuerſe conſiſtere doctrinam, quam de voto conditionato tradit Soto libr. 7. quæſt. 2. articulo 1. ad 4. dicens, votum conditionatum eſſe, quotieſcumque homo ad rem aliquam affectus eſt, ſed quia impedimentum ſibi obſtat, aut facultas non ſuppetit, vouet ſub conditione. Ponitque exemplum, ſiquis voueat ingredi Religionem poſt mortem matris, vel peregrinari ſuppetentibus nummis. Hæc (inquam) doctrina mihi non probatur. Nam in primis illa deſcriptio non conuenit omni voto conditionali; nam vt omittam vota pœnalia, quæ late loquendo etiam conditionalia ſunt præter illa multa fiunt etiam non pœnalia, quæ non procedunt ex affectu ad rem promiſſam, ſed ad rem aliam, pro qua obtinenda votum fit, vt in alio exemplo, quod ipſe ponit: Si Deus mihi tale beneficium contulerit, orphanam dotabo: idemque eſt de votis conditionatis, quæ in naufragiis, & aliis periculis fiunt.

10. Deinde non conuenit illa deſcriptio ſolis votis conditionatis: nam multa ſunt abſoluta vota, quibus illa omnia conueniunt, vt ſi iuuenis voueat quã primum ſtudium meum conſummauero, Religionem ingrediar, votum illud ex affectu ad Religionem fit, & quia facultas literarum illi non ſuppetit, ponit illam limitationem, & quaſi conditionem; & nihilominus votum illud abſolutum eſt, quia non ſuſpendit conſenſum, & obligationem, ſed ſolum exſpectat commoditatem exequendi illud, quod lõge diuerſum eſt. Vnde exempla etiam à Soto poſita non placent. Nam primum votum in ea forma, qua illud proponit, plane videtur abſolutum, voueo ingredi Religionem poſt mortem matris, quia obligatio, & conſenſus conſummata ſunt, ſolum differtur executio propter exſpectandam commoditatem, vt qui vouet poſt vindemias peregrinari, abſolute, & non ſub conditione vouet, alias omne votum affirmatiuum, quod non fit pro ſtatim, ſed exequendum poſt aliquod tempus, eſſet conditionale, quod eſt abſurdum. Aliud etiam exemplum, ſcilicet, *ſi facultas ſuppetat*, videtur eundem habere defectum, quia illa non eſt conditio, ſed determinatio, & limitatio materiæ voti, & licet ſumatur vt conditio perinde eſt, ac ſi diceretur, ſi commode potuero, quæ eſt ex his, quę de ſe inſunt, & ideo non facit votum conditionatum, etiamſi exprimatur, & declaretur ad tollendam dubitationem, vt ſtatim dicetur. Sed de his, & ſimilibus exemplis dicemus plura infra lib. 6. cap. 29.

Recte igitur dictum eſt, votum conditionatum eſſe illud, quod in ſuo proprio obiecto conditionẽ inuoluit, quæ conſenſum reddit imperfectum, & aliquo modo ſuſpenſum. Probatur primo ex c. vn. §. *ille*, de Sponſal. in 6. Secundo explicari poteſt à ſimili de intellectu: nam aſſenſus conditionatus eſt ille qui fertur in propoſitionem hypotheticam conditionalem; ita ergo votum conditionale eſt illud, quod fertur in obiectũ quaſi hypotheticum, & ſub conditione apprehenſum, nam votum abſolutum peregrinãdi ad actum peregrinandi ſimpliciter terminatur: conditionatum autem non ſic, ſed ad hoc totum, ſi ſanitas mihi reſtituatur. Secũdo ab effectu, quia votum conditionatum ſuſpendit conſenſum, & obligationem ſimpliciter, quaſi reſeruando illam ad conditionis euentum, nam ſic vouens ex tunc ad ſummum vult obligari ad exſpectandam conditionem, & hæc videtur propriiſsima differentia voti conditionati ab abſoluto. 11.

Explicatur amplius natura voti conditionati.

Vnde attente conſiderandum eſt multum differre inter votum factum animo differendi executionem pro tali tempore quod indicatur opportunum, vel factum ſub futura, & cõtingenti conditione: habent enim ſimilitudinem quandam in effectu differendi executionem, & ideo interdum ab Authoribus confundũtur, tamen re vera ſunt diuerſæ naturę: nã vnum eſt abſolutum, quia ex quo fit, ſimpliciter & ſtatim obligat ad principalem materiam, limitatam vero ad talẽ circumſtantiam temporis, quę non magis facit votũ conditionatum, quam determinatio loci, vel alterius circumſtantiæ reddũt votum conditionatũ. Sicut etiam inter homines obligatio ſoluendi debitũ poſt aliquod tempus non eſt conditionata, ſed abſoluta, quia nõ ſuſpendit obligationẽ, ſed differt tantũ executionẽ; idem ergo eſt cũ proportione in voto: hoc ergo non ſufficit, vt ſit conditionatum, ſed neceſſe eſt, vt conditio ita apponatur in obiecto eius, vt ſit quaſi pars obiecti, & conſequenter non ſolum differat executionem, ſed etiam ſuſpendat principalem obligationẽ. Sæpe autem non poſſunt hæc ſatis diſcerni, niſi ex intẽtione vouentis, quia verba ambigua ſunt, & in vtroq; ſenſu accipi poſſunt. Et ideo attendendum eſt, an mens vouentis fuerit ſimpliciter obligari ex tunc, v. g. ad Religionem, licet differre voluerit executionẽ propter exſpectandam meliorem opportunitatem, & tunc votum eſt abſolutum: ſi vero intentio vouentis fuit, non obligari ſimpliciter, niſi ſtante tali conditione, tunc votum eſt conditionatum.

Differentia inter votũ factum animo differendi executionem, vel factum ſub conditione futura, & contingenti.

Dices: Nullum eſt votum, quod non includat aliquam conditionem, vt ſi vixero, ſi res mutatæ nõ fuerint, ſi Superior non contradixerit, vel diſpenſauerit, &c. ergo nullum eſt votũ abſolutum. Reſpondeo hic eſſe applicãdam doctrinam datam de iuramento, quod non ſit conditionale propter generales conditiones intrinſece incluſas, ſed propter ſpecialem conditionem ex voluntaria intentione iurantis, ſeu promittentis conceptam, quod etiam notauit Supplem. Gabriel. d. q. 1. art. 2. in fine, & in hoc eſt eadem ratio de voto, & ideo non oportet ibi dicta repetere, ſed applicare. Solum infero, votũ non fieri conditionale propter conditionem de præſenti, vel præterito, ſed propter conditionem de futuro. Quia ſi conditio eſt de præſenti, vel præterito non ſuſpendit obligationem, cum ipſa non ſit ſuſpenſa, ſed iam ſit, vel non ſit in re poſita. Poterit tamen ſuſpendere quoad notitiam vouentis, vt ſi de conditione poſita quoad locum, vel quoad tempus præteritum, non ſtatim conſtet, ſuſpendetur executio, donec de illa conſtiterit, tamen in re iam ſubeſt. Imo etiam cõditio de futuro oportet, vt ſit contingens, nã ſi fuerit neceſſaria iam cenſetur poſita, & ſolũ intelligitur addita ad deſignandũ tempus obligationis, vt ſi quis voueat, *Si ſol oriatur cras, hoc faciam*, perinde eſt, ac ſi promitteret, craſtino die hoc faciam.

12. Obiectio.

Solutio.

Gabr. Votum ſolum fit cõditionale propter conditionem de futuro.

Præterea

Digitized by Google

13. Prætereà ſolet votum conditionatum ſubdiuidi (poteſtque eſſe ſexta diuiſio voti) in pœnale, & non pœnale, ſeu purum, vt attigit Soto dict. libr. 7. de Iuſtitia. quæſt. 2. artic. 1. ad 4. Gutierr. libr. 2. qq. Canon. capit. 21. numer. 47. & ſequentibus. Hoc poſterius eſt tantum conditionale, & ſolet ſimpliciter illa voce ſignificari, & in illud conueniunt, quæ diximus: in illo enim ponitur conditio, non vt pœna, ſed vt mera conditio, vt ſi pater voluerit, ſi conualuero ex infirmitate, &c. Et hoc votum, impleta conditione, omnino æquiparatur abſoluto, vt dictum eſt. Votum autem pœnale eſt illud, in quo res ſub conditione promiſſa ſolum intenditur in pœnam illius actus, per quem conditio impletur, vt ſi quis voueat dare eleemoſynam, ſi luſerit, quod votum hoc habet peculiare, quod non fit ex affectu ad materiam ſub conditione promiſſam, imo ex quadam auerſione ad illam, quia omnis pœna eſt aliquo modo inuoluntaria, & ita eo ipſo, quod illa promittitur vt pœna, reſpicitur vt inuoluntaria, & contra vouentis affectum. Et nihilominus ſine dubio obligat impleta conditione, quia eſt verum votum, per quod homo conſentit ſimpliciter in obligationem talis pœnæ. Poteſt autum hoc votum dupliciter fieri, primo vouendo vtrumque, ſcilicet conditionem vel potius vitare illam, & pœnam, ſi conditio impleatur, vt in voto dandi eleemoſynam, ſi luſero, poteſt comprehendi & votum non ludendi, & votum dandi eleemoſynam, ſi luſero, & tale votum non eſt tantum conditionale, ſed quoad non ludendum eſt abſolutum: vnde ſtatim obligat, & contra illud peccatur ludendo; quoad eleemoſynam eſt conditionale; eſt ergo duplex votum, vel potius ſunt duo vota ſimul, & per modum vnius facta. Alio modo fieri poteſt hoc votum pure pœnale, ita vt non obliget ad non ludendum, ſed tantum ad eleemoſynam, ſi luſero, & tunc non peccatur ludendo, ſed peccabitur omittendo eleemoſynam, impleta conditione, & hoc eſt proprium vnũ votum. Quando autem fiat vno: vel alio modo ex intentione vouentis pendet, regulariter autem, & ex vi prædictorum verborum videtur eſſe pure conditionale, & ita iudicandum eſt, niſi aliter explicet vouens intentionem ſuam, quod ſi ipſe non valuerit illam diſcernere, proprietati verborum ſtandum erit.

6. Diuiſio in votum pœnale, & non pœnale, ſeu purũ. Soto. Gutier.

Duobus modis fieri poſſe votũ quod dicitur pœnale.

14. Dubitant vero aliqui, an hoc votum, quando eſt vnum tantum, dicendum ſit pœnale. Nauarrus enim videtur dicere eſſe pure conditionale, capit. 12. numer. 43. alii diſtinctione vtuntur dicentes, votum fore pœnale, ſi fiat intentione abſtinendi à peccato, ex timore talis rei promiſſæ, tanquã cuiuſdam mali pœnæ, non tamen ſi fiat ex affectu ad rem promiſſam, etiamſi non ſit ſimpliciter promiſſa, ſed pro caſu, in quo fuerit impleta conditio, ſcilicet ad fugiendam occaſionem ſimilium peccatorum, vt ex varijs Authoribus refert, & approbat Sancius libr. 8. de Matrimonio, diſput. 10. num. 5. Veruntamen ſi diſtinctio admittenda eſt, non ſolum habet locum, quando votum pœnale eſt vnum tantum, ſed etiam quãdo eſt duplex. Nam ibi ſunt duo vota, vnum de vitando peccato, quod Pœnale proprie non eſt, ſed directiuum, vt ſic dicam; aliud de pœna, quæ non minus tunc intendi poteſt illis duobus modis, quam ſi eſſet ſolum tale votum. Et ideo alii abſolute cenſent tale votũ eſſe pœnale, vtrouis modo fiat. Quia iuxta formam verborum, & ordinariam intentionem vouentium talis promiſſio fit ſub ratione pœnæ, & ita ſentiunt Soto, & Gutierr. ſupra, & alii. Nec aliud ſentit Nauarr. ſed quando tale votum eſt vnũ tantum, vocat illud pure conditionale, non ad excludendum pœnale, ſed ad excludendum omne votum abſolutum ibi incluſum. Et hæc ſententia vera eſt, non eſt tamen dubium, quin ſæpe illa pœna intendatur vt coercitiua tantum, ſeu vindicatiua: aliquando vero poſſit intendi, vt pœna medicinalis, ſeu remedium ad vitandum recidiuum, in quo ſenſu intellecta diſtinctio ſupra relata eſt optima, & vtilis ad materiam diſpenſationum, & commutationum votorum, de qua in lib. 6. vbi has duas diuiſiones amplius explicabimus.

Septimo diuido votum in internum, & externũ, ſeu mentale, & ſenſibile. Quam diuiſionẽ indicauit Soto in 4. d. 38. q. 2. art. 1. in principio. Poteſt autẽ internũ votũ dici vel quoad actũ vouẽdi tantum, vel quoad actũ promiſſum tantũ, vel quoad vtrumque. Primo modo dicitur internum votum, quod ſola mente fit, etiamſi contingat eſſe de actu ſenſibili, & interno. Conſtat enim ex ſupra dictis, hoc ſufficere ad ſubſtantiam, & obligationem voti coram Deo, licet Eccleſia de illo non iudicet. Alio vero modo poteſt dici mẽtale votum illud, quod habet pro materia aliquem actum ſpiritualem, & internum: nam de illo etiam poteſt votum ſine dubio fieri, vt de amando Deum aliquoties in die, de aliqua mentali oratione, de dolore peccatorum, & ſimilibus actibus. De quo voto ſolum in foro conſcientiæ iudicari poteſt, nam ratione materiæ non cadit ſub externum iudicium, etiamſi contingat ſenſibili voce fieri, quia Eccleſiæ conſtare non poteſt, an illud obſeruetur, necne? Vnde etiam conſtat poſſe dari votum pure mentale ex vtroque capite, quia poteſt dictum votũ de re interna pura mente apud Deum fieri. An vero poteſtas diſpenſandi ad hæc vota extendatur, infra videbimus. Atque hinc conſtat totidem modis poſſe fieri votum externum: proprie autem, & ſimpliciter tale vocari, & iudicari, quando & eſt de aliquo actu externo, & ſenſibili faciẽdo, aut vitãdo, & promiſsio ipſa exterius fit, ita vt hominibus innoteſcere poſsit. Hoc autem votum, vt verum votum ſit, nunquam poteſt eſſe ita externum, quin internum includat, alias erit fictum, & conſequẽter nullum: externum ergo includit internum, & addit ſenſibile ſignum, quod licet per ſe, & ex parte Dei, non ſit neceſſarium, vt de illo conſtet Eccleſiæ neceſſarium eſt, & interdum ex eiuſdem Eccleſię ordinatione erit etiam ad valorem voti neceſſarium, pręſertim in ſolemni voto, vt infra ſuo loco dicemus. 15.

7. Diuiſio in internũ votum, & externum. Soto.

Quibus modis dicatur votum internum.

Quibus itẽ modis votũ dicatur externum.

Huic affinis eſt diuiſio voti (quæ poteſt eſſe octaua) in expreſſum, & tacitum, quã tradit Graffis libr. 2. c. 21. n. 8. & dicit eſſe diuiſionem voti priuati, quod à ſolenni diſtinguit. Vnde per priuatum videtur intelligere ſimplex, & poſtea expreſſum, & tacitum declarat eſſe idem, quod internum, & externum, ſed vtitur terminis extra communem vſum. Nam priuatum votum à publico diſtinguitur, non à ſolenni, vt ſtatim dicetur, & votum internũ non eſt tacitum: nam reſpectu Dei maxime expreſſum eſt, & vix poteſt concipi quomodo fiat tacite: reſpectu vero hominum nec tacitum, nec expreſſum eſt. Votum autem externum non ſolum expreſſum, ſed etiam tacitum eſſe poteſt. Vnde de ſolo voto externo proprie datur illa diuiſio, vt ſit ſubdiuiſio præcedentis quoad alterũ membrum. Imo nõ de toto illo membro, nec de priuato, aut ſimplici voto, ſed de ſolo voto ſolenni datur communiter hæc diuiſio, vt videre licet in Palud. d. quæſt. 2. n. 13. & ſequentibus, vbi late id proſequitur, eumque imitatur Supplementum Gabr. d. q. 1. art. 2. verb. *Secunda diuiſio*. Et communiter ita diuiditur profeſsio Religionis in expreſſam, & tacitam: expreſſa eſt, quæ fit verbis deſignatis, tacita, quę per geſtationem habitus profeſſorum, vel alias circumſtantias, de quibus latius infra. 16

8 Diuiſio in votũ expreſſum & tacitum. Graf.

Palud. Gabr. Diuiſio profeſſionis Religioſæ, in tacitam & expreſſam

Hinc autem intelligitur, vix poſſe diuiſionem accommodari ad votum ſimplex, quia cum votum ſimplex non habeat communiter adiunctum peculiarem habitum, aut aliud ſimile ſignum, non videtur poſſe exterius emitti, niſi verbis proferatur, & conſequenter ſemper eſt expreſſum: nã quia verba expreſſam habẽt ſignificationem, ideo votum verbis factum expreſſum dicitur: tacitum autem cum 17.

indicatur per aliquam actionem, aut ſignum in facto conſiſtens, cui votum coniunctum eſſe ſolet, quę coniunctio inuenitur in voto ſolenni: non autem in ſimplici. Sed nihilominus non repugnat in hoc etiã inueniri, vt ſi eſſet alicubi conſuetudo, vt virgines habentes votum ſimplex caſtitatis, certum habitum deferrent, & non aliæ ibi, quæ illum habitum deferret, cenſeretur tacite vouiſſe caſtitatem, ſic aſſumens peculiari modo crucis ſignum cenſebatur eo ipſo tacite promittere profectionem ad bellum terræ Sanctæ, vt colligitur ex modo loquendi Iurium ca. *Licet*, & cap. *Magna*, & cap. *Quod ſuper his*, de Voto. Sic ergo non repugnat in votis ſimplicibus dari tacitũ modum exterius vouendi, quamuis nunc vix ſit in vſu, niſi fortaſſe vbi vota ſimplicia ſunt adiuncta ſtatui Religioſo, vt infra videbimus.

Ca. Licet. C. Magna C. Quod ſuper his.

18\. *9. Diuiſio in votum occultum, & publicũ. Gab.*

Nono, diuidi poteſt votum in occultum, & publicum cum Supplem. Gabr. ſupra, qui notat, non coincidere diuiſionem hanc cum diuiſione voti in ſimplex, & ſolenne, quia votum ſimplex poteſt vtroque modo fieri. Eſt ergo hæc diuiſio ſolius voti externi: nam votum internum per ſe eſt occultum, & ita non poteſt eſſe publicum dum in eo ſtatu manet, niſi Deo, Angelis, ac Beatis: nunc vero reſpectu Eccleſiæ militantis loquimur. Votum autem externum licet per ſe publicum ſit, quantum ex ſe eſt, nihilominus poteſt eſſe per accidens occultum, vt ſi fiat verbis, non tamen coram teſtibus, in quo poteſt habere latitudinem, prout eſt commune in actibus occultis, & cum proportione idem eſt de publico. Nam ſi fiat coram duobus teſtibus poteſt dici publicum reſpectiue ad omnino occultum, quamuis abſolute iuxta ordinariam ſignificationem non dicatur opus publicum, niſi coram pluribus, & in loco publico fiat. Et ideo votum ſolenne ordinarie ſemper eſt publicum, licet poſſet in rigore fieri valide coram paucis teſtibus: an vero poſsit fieri ſine teſtibus, & quaſi clandeſtine inter Prælatum, & ſubditũ, dicemus in proprio loco. Neque hæc diuiſio maiori indiget explicatione, quia accidentaria eſt, & non habet ſpeciales effectus, præter eos, qui vel ad ſolenne votum, vel ad prolationem voti in iudicio pertinere poſſunt.

19\. *10. Diuiſio in votum ſimplex, & ſolenne. D. Thom. Magiſt. Palud.*

Decimo, diuiditur votum in ſimplex, & ſolenne: quam diuiſionem tradit D. Thom. d. q. 88. art. 7. & 11. & Magiſt. in 3. d. 38. & ibi omnes præſertim Paludan. late d. q. 2. & habet fundamentum in Iure in c. Vnico de Voto in 6. vbi vota ſolennia ſub hac voce declarantur, & diſtinguuntur à reliquis votis, quæ licet non vocentur expreſſe ſimplicia, plane dicuntur non ſolennia, & hoc eſt eſſe ſimplicia. Nam ſimplicitas negatio eſt, & hic non poteſt hæc ſimplicitas in alia negatione conſiſtere. Vnde conſtat intelligentiam huius diuiſionis pendere ex hoc, vt explicetur, & intelligatur, quid ſit ſolennitas illius voti, quod ſolenne vocatur. Nam membra illius diuiſionis, quaſi priuatiue opponuntur: priuatio autem per habitum cognoſcitur, & ideo explicata ſolennitate vnius membri, notum erit votum ſimplex, vt ſimplex eſt: omne enim votum, quod illa ſolennitate caret, ſimplex appellatur. Non poſſumus autem hoc loco rationem voti ſolennis ex profeſſo tractare, integram enim de illo voto diſputationem in tractatum de Statu Religioſo relinquimus, quia cum illo habet magnam coniunctionem, ſine qua ſatis explicari nõ poteſt. Nunc ergo breuitatis cauſa duas conditiones ad votum ſolenne requirimus. Vna eſt, vt ſit omnino abſolutum, & conſequenter de ſe perpetuum: alia eſt, vt perſonam reddat inhabilem vel ad matrimonium, vel ad diuitias, vel ad alios contractus ſuæ materiæ repugnantes. Omne autem votum, quod huiuſmodi eſt, annexum eſt vel ordini ſacro, vel profeſsioni Religioſæ, & ideo ſolet etiam hoc votum per partitionem explicari, videlicet eſſe illud, quod ſacro ordini, vel profeſsioni in aliqua Religione approbata annexum eſt: è contrario omne illud quod illas duas conditiones non habuerit, etiamſi alteram habeat, ſimplex eſt, quia caret propria, & ſubſtantiali ſolennitate. Et hoc pro nunc ſufficiat ad explicationem terminorum: nam res, vt dixi inferius, eſt exactius declaranda.

Duæ conditiones ad votum ſolenne requiſita.

20\. *Non ſatis eſſe ad ſolennitatẽ voti, quod vouentes verbis dicant ſolenniter vouere.*

Hinc vero colligimus primo: non ſatis eſſe, quod aliquis verbis dicat, ſe votum ſolenne facere, vt votum re vera ſolenne ſit. Sæpe enim homines, vel ex ignorantia, vel ex nimio affectu verbis dicunt, ſe votum ſolenne facere, vel non ludendi, vel peregrinãdi, quod non obſtat quominus votum ſimplex ſit, quidquid ipſi intendãt, quia non poſſunt ipſi naturã voti immutare: vnde non magis obligat votum illud, nec plures effectus habet, quam ſi ſimpliciter emitteretur. Eſt igitur illa tantum hyperbolica locutio ad effectum exaggerandum, in re tamen nullam ſolennitatem voto tribuit. Secundo colligitur dari poſſe votum ſimplex, quod non ſolum publice, ſed etiam cum quodam externo ritu, & ſolennitate fiat, vt votum peregrinationis Hieroſolymitanæ interdum fit cum benedictione peræ, & baculi, vt ſupra notat Supplem. Gabr. Et ſimiliter votum militandi pro recuperatione Terræ Sanctæ olim fiebat cum ſolenni traditione Crucis, & votum ingrediẽdi Religionem, quod ſine dubio ſimplex eſt, interdum ſolenniter fit, vt dicitur in capit. *Per tuas*, de Voto, vbi Panormitan. notat, vocari forte ſolenne propter publicum inſtrumentum, vel quia in præſentia Prælati, & aliorum factum eſt. Poteſt ergo votum ſimplex denominari ſolenne ex ſolo ritu externo cum celebritate aliqua, quæ ſolet ſolennitas appellari: eſt tamen ſolennitas accidentaria, & ſecundum quid, quam non neceſſario excludit votum ſimplex, ſed illam tãtum, quam per dictas conditiones explicuimus, quæ ſolennitas ſubſtantialis dici poteſt. Vnde infertur tertio, non ſatis eſſe, votum eſſe annexum ſtatui Religioſo, vt ſit ſolenne, ſi abſolutum, & perpetuum ex ſe non ſit, neque etiam ſufficere, vt dirimat matrimonium poſt illud ſubſecutum, ſi aliam conditionem non habeat, vt videre licet in votis Religioſorum ſcholarium Societatis Ieſu, quæ nouo iure ſunt inſtituta, & peculiarem explicationem continent, quam in ſequentibus Deo dante, tcredemus. Et ideo hæc nunc ſufficiunt de diuiſionibus votorum, quæ in forma vouendi ſumuntur: de diuiſionibus autem, quæ ſumuntur ex parte materiæ dicemus commodius, explicata materia voti in fine libri ſequentis.

Oſtenditur poſſe dari votum ſimplex, quod cum externo ritu, & ſolennitate fiat. Gabr.

C. Per tuas. Panorm.

Oſtenditur non ſatis eſſe ad ſolennitatẽ voti eſſe annexum ſtatui Religioſo.

Finis Libri Primi.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI, DE MATERIA VOTI.

Cap.1. An materia voti debeat eſſe poſſibilis.
Cap.2. Vtrum votum de materia impoſſibili ad aliquid obliget.
Cap.3. An votum non peccandi obliget.
Cap.4. Vtrum actus malus poſſit eſſe materia voti.
Cap.5. Vtrum actus ſub conditione turpi poſſit eſſe materia voti.
Cap.6. Vtrum actus præceptus poſſit eſſe materia voti.
Cap.7. Vtrum actus minus bonus poſſit eſſe materia voti.
Cap.8. Vtrum omnis actus virtutis non repugnans perfectioni poſſit eſſe materia voti.
Cap.9. Vtrum actus inhabilitans ad ſtatum perfectionis poſſit eſſe materia voti.
Cap.10. Vtrum actus includens aliquid boni, & mali poſſit eſſe materia voti.
Cap.11. Quæ omiſſiones poſſint eſſe materia voti.
Cap.12. De diuiſionibus voti ex parte materiæ.

LIBER SECVNDVS.

DE MATERIA VOTI, ET DIVISIONIBVS, QVÆ EX MATERIA SVMVNTVR.

EXplicuimus naturam & eſſentiam voti, ſimulq́ nonnullas eius cauſas declarauimus, præſertim formalem, & finalem. Nam quia votum actus quidam humanus eſt, ab intrinſeco fine ſpeciem ſumit, & ideo finem hunc declarauimus oſtendendo, quomodo votũ ad Diuinum cultũ ordinetur. Ibiq́ conſequenter egimus de perſonis, quib⁹ voti promiſsio fieri poteſt. Vnde etiam explicatum reliquimus id, quod reſpectu voti poteſt habere aliquem modum formæ, nimirum obiectum formale eius: nam cum actus ipſe ſit quædam forma, non habet aliam formam intrinſecam, præter obiectũ ſuum, quamquã omnia, quæ diximus de deliberatione ſeruanda in vouendo poſsint dici ad formam eius pertinere. Igitur dicendum ſupereſt, de cauſa materiali, & efficiente voti: efficientẽ voco perſonã vouentem, quã conſiderabimus in libro ſequẽti, & in hoc de materia voti dicendũ eſt. Votum autẽ cum ſit forma quædã, non habet materiam, ex qua componatur, habet tamen materiam ſeu ſubiectum ex cuius potentia educatur, & in quo recipiatur: hæc autẽ materia non eſt alia, præter potentiam illã, cuius actus eſt votũ, de qua etiã in ſuperiori libro ſufficienter dictum eſt. Solum ergo ſupereſt dicendũ de materia, circa quam votũ verſari debet, vt licitũ, & validum ſit, id eſt, de reb⁹ illis, quæ poſſunt Deo cõuenienter promitti, & quã conditionem habere debeant, vt ſub voti obligationẽ cadere poſsint. Et hinc conſequenter varietatem, & diſtinctionem votorũ ex parte materię declarabimus.

CAPVT I.

An materia voti debeat eſſe poſsibilis, & non neceſſaria, & quotuplex illa ſit?

DVplex materia voti diſtingui poteſt, proxima, ſcilicet & remota, quia quidquid in Dei cultum promittere poſſumus, dici poteſt materia voti. Promittimus autem Deo, & res permanentes, vt pecunias, prædia, imagines, & noſtra etiam corpora, itemque actiones, quibus his rebus vtimur, & quæ proxime ſunt in noſtra poteſtate. Igitur materiã proxima recte appellatur actio aliqua humana, in quam promiſsio proxime cadit, ſicut proxima materia Sacramenti dicitur confeſsio, vel ablutio, quia forma Sacramenti immediate cadit in illam, vel quia proxime conſtituit Sacramentum. Remotam autem materiam appello omne id, quod mediante materia proxima attingitur, & ordinatur ad cultum Dei, ſiue ſit obiectum, ſiue materia circa quam alia propinquior verſatur: ſic enim ſeruata proportione, aqua, vel peccatum &c. dicuntur materia remota Sacramenti. 1.

Materia voti, diuiditur in proximam & remotam.

Dico ergo primo: Materia proxima voti neceſſario eſſe debet aliquis actus humanus. Ita docet Diuus Thomas dicta quæſtione, artic. 2. & omnes id tanquam clarum ſupponunt. Et probatur: quia materia voti eſſe debet in hominis poteſtate, ſed ſolus actus humanus immediate eſt in hominis poteſtate: ergo illa eſt proxima materia voti. Deinde patet ex ipſa forma vouendi, vel promittendi, quiſquis enim 2.

1. Aſſertio. Materia proxima eſt actus humanus. D. Thom.

promittit dare vel agere aliquid promittit, quibus verbis actiones humanæ ſignificantur. Nec refert, quod etiam ſolemus promittere aliquid non agere, tum quia vt ſupra notaui, & eſt vulgatum in materia morali, ſub actione humana comprehenditur omiſsio, ſeu priuatio ſimilis actionis: tum etiam quia talis omiſsio includit voluntatem non agendi, quæ voluntas eſt actus humanus.

3. *Votum nõ eſt de re abſolute neceſſaria D. Thom.*

Atque hinc ſequitur primo, votum de actu neceſſario abſoluta neceſsitate, ſeu omnino naturali, ſtultum omnino eſſe, ac prorſus inualidum, quia talis actus non eſt capax voti. Ita Diuus Thomas ſupra, & eſt res clara, quia de ratione actus humani eſt, vt ſit in poteſtate hominis illum omittere: actus autem neceſſarius non eſt ita in poteſtate hominis. Item quia obligatio moralis ad aliquid faciendum non poteſt cadere, niſi in id, quod poſſumus non agere, ad hoc enim additur obligatio, vt homo caueat non facere id, ad quod obligatur; ſupponit ergo talis obligatio poſsibilitatem non faciendi, obligatio autem voti moralis eſt, & habet adiunctam obligationem præcepti: ergo ſupponit poteſtatem omittendi actum promiſſum, & ad hoc ſit, vt voluntas immobilior ſit in tali actu. Hoc autem intelligitur, vt dixi, de neceſsitate abſoluta, & naturali: nam de neceſsitate præcepti, & de quacumque alia, quæ veram libertatem non excludit, poſtea dicendum eſt.

4. *Votum nõ eſt de re impoſſibili. Ca. Nemo.*

Secundo infertur, votum de re, ſeu actu impoſsibili nullum eſſe, quia de ratione actionis humanæ eſt, vt ſit homini poſsibilis. Item quia manifeſtum eſt hominem non poſſe obligari ad impoſsibile, etiamſi velit, cap. *Nemo poteſt*, de Reg. Iur. in 6. & lege *Impoſsibilium.* ff. Eodem. Quia voluntas imponens obligationem, etiamſi propria ſit, debet eſſe ſecundum ſe conſentanea prudentiæ: obligatio autem ad impoſsibile imprudentiſsima eſt, & contra omnem rationem. Eo vel maxime, quod, vt ſupra tetigi, licet obligatio voti oriatur ex promiſsione tanquam ex facto, formaliter tamen naſcitur ex Diuina, & naturali lege, quæ cum maxime rationabilis ſit, nunquam obligat ad impoſsibile etiamſi homo conetur illam obligationem ſua voluntate aſſumere. Adde, ſi res, ſeu actio talis eſſe cognoſcatur, non poſſe voluntatem humanam illam abſolute, & efficaciter velle, quia electio non eſt impoſsibilium, & ita nec poteſt abſolute velle ad illam ſe obligare cognita impoſsibilitate, vnde nec promittere illam poteſt vere, & ex animo, quia promiſsio, quantum eſt ex ſe, eſt principium actus promiſsi, & poſtulat efficacem voluntatem eius; ergo eſſe non poteſt de actione impoſsibili, eius cognita impoſsibilitate: ſi autem hæc ignoratur, & ideo promittitur, quod in ſe eſt impoſsibile, quia exiſtimatur poſsibile: tunc ex alio capite votum inualidum eſt, ſcilicet quia eſt inuoluntarium propter interuenientem ignorantiam. Denique impoſsibilitas natura ſua excuſat ab obligatione etiam iam exiſtente; ergo multo magis impediet, ne denuo naſcatur. An vero votum de materia, quæ non tota eſt impoſsibilis obliget ad partem poſsibilem, dicemus in ſequentibus.

5. *2. Aſſertio. Materia remota, eſt res qua poſſumus vti ad cultum Dei.*

Dico ſecundo: Materia remota voti complectitur res omnes, quibus per actus humanos ad Diuinum cultum vti poſſumus, vt ſunt materia talis vſus: ſic enim proprium corpus pecunia, & ſimilia poſſunt dici materia voti, imo hac ratione ſolent vota appellari, ſi ex voto fiant: ſicut in ſacrificio res oblata eſt materia ſacrificii, & eatenus ſolet ſacrificium appellari. Ratio autem eſt clara ex ſupra dictis, quia actus humanus eſt proxima materia voti; ergo omnis illa res, quæ poteſt cadere ſub talem actum vel eſt neceſſaria ad illum, erit materia remota voti. Item obligatio voti cadit aliquo modo in talem rem, & non proxime, ſed mediante aliqua actione: nam votum obligat, verbi gratia, ad expendendas pecunias & cæt. ergo ob priorem cauſam recte dicetur talis res materia voti, & ob poſteriorem dicetur remota. Neque circa hoc difficultas alicuius momenti occurrit. Solum obſeruo, aliquam dici poſſe materiam remotam voti, vt efficiendam, ſeu poſitiue (vt ſic dicam) donandam, vel conſecrandam Deo, aliam vt vitandam, ſeu cauendam, quomodo dicitur 2. Reg. 23. Dauid libaſſe aquam Deo, quam noluit bibere. Priori modo eſt materia voti omnis res ſacra, ſeu conſecrabilis Deo, vt templum, imago, & Chriſtus ipſe, quatenus poteſt ex voto offerri in ſacrificium Deo, imo & omnis res, quæ honeſtum habet vſum, & ſub ea ratione offerri poteſt Deo, vt pecunia. Poſteriori autem modo delectatio corporis, vel in omnibus quælibet materia peccati poteſt dici materia voti, quia voluntaria eius carentia poteſt in Dei honorem ordinari.

Materia remota, alia eſt vitanda, alia proſequenda.

Atque hinc intelligitur, quomodo etiam quoad hanc materiam verum ſit, votum eſſe de materia poſsibili, & non de neceſſaria. Primum enim intelligi debet, & ſimpliciter, ſeu ſecundum ſe, & in ordine ad vſum hominis: nam ſi res ipſa in ſe non ſit poſsibilis, nec vſus eius poſsibilis erit: parum vero refert, ipſam in ſe poſsibilem eſſe, ſi vſus eius ſit homini impoſsibilis, vt conſtat. Vnde è contrario non obſtabit, quod materia remota voti in ſe neceſſaria ſit, ſi vſus eius poteſt eſſe non neceſſarius, ſed liber. Sicut poteſt quis vouere Deo patienter ferre ægritudinem, famem, ſitim, quamuis hæc naturalia ſint, vel poteſt vouere non vindicare iniuriam, quam per abſolutam vim patitur. Atq; ita intelligendus eſt D. Thomas dicto artic. 2. cum inquit, quod eſt abſolute neceſſarium eſſe, vel non eſſe, nullo modo ſub votum cadere: eſt enim hoc verum de re neceſſaria, quatenus talis eſt: at vero quatenus poteſt eſſe materia vſus liberi, bene poteſt eſſe materia voti, vt conſtat, quia vt ſic ſub poteſtate hominis cadit. 6.

Materia ad votum ſufficit quod ſit poſſibilis & non neceſſaria quoad vſũ.

Hinc denique licet vniuerſaliter inferre, materiam, quæ eſt in alterius poteſtate, non poſſe ab alio promitti, ſeu non eſſe materiam voti alieni (vt ſic dicam) ſed vnumquemque tantum poſſe illa vouere, quæ ſunt ſub ſua poteſtate, ſeu quæ ab ipſo aliquo modo pendent. Ratio eſt, quia quod non eſt in mea poteſtate, vt ſic non eſt mihi poſsibile: votum autem eſſe debet de re poſsibili reſpectiue, id eſt, ipſi vouenti, vt probant rationes ſupra factæ. Et ideo etiam votum proprie non eſt de patiendo, ſed de agendo, de paſsione autem eſſe poterit quatenus à vouente pendet, id eſt, vel de non impedienda paſſione, vel de patienter ferenda: ſicut etiam eſſe poterit de actione aliena procuranda, vel quid ſimile. Et ideo hæc ſufficiunt de materia remota: nam per ordinem ad actus humanos ipſius vouentis ſumenda eſt, & ideo explicatis actibus, qui poſſunt eſſe materia proxima voti, cognoſcetur etiam materia remota. 7.

CAPVT II.

Vtrum in materia impoſsibili pars poſsibilis ſit materia voti, ita vt votum de materia impoſsibili obliget ad materiam poſsibilem?

Dictum eſt, rem, ſeu actionem impoſsibilem non poſſe eſſe materiã voti, ex quo duo certa ſunt. 1.
Vnum eſt, votum de vna re impoſsibili, non obligare ad aliam poſsibilem in illa materia non incluſam, quia votum non obligat vltra intentionem agentis, & vouens talem rem, non intendit promittere aliam omnino diſtinctam, & in illa non incluſam: ergo ad illam non obligatur. Nec tenetur quaſi commutare rem impoſsibilẽ in poſsibilem omnino diſtinctã, quia hoc non intendit, nec promiſsio per ſe habet hãc vim, ſicut lex de re impoſsibili, ad aliam diſtinctam poſsibilem non obligat. Vnde eſt ſecundo cer-

Digitized by Google

do certum, quando res promiſſa ita eſt vna vel in-diuiſibilis, ſi alias ſit etiam impoſsibilis, nullam re-linqui materiam, quæ ſit capax obligationis voti. Probatur, quia nec res tota impoſsibilis eſt materia, nec pars eius, quia ſupponitur eſſe indiuiſibilis, nec res alia omnino diſtincta, quia in illam non cecidit promiſsio: ergo nulla eſt ibi obligatio, nec materia eius. Difficultas ergo eſt, quando integra materia impoſsibilis coaleſcit ex multis, quorum ſingula, vel omnia, vel aliqua ſunt poſsibilia, an tunc votum de toto impoſsibili obliget ad partem poſsibilem.

Dubium & tractatur ex parte impoſsibilis ſi materia voti?

2\. *Sententia negans.*

Pars negans tale votum ad aliquid obligare, ſuaderi poteſt primo: quia tale votum eſt ſimpliciter nullum, ergo ad nihil obligat. Antecedens patet, quia ſimpliciter eſt de materia inepta, & incapaci, quia malum ex quocumque defectu, & conſequenter votum eſt nullum, quia directe cadit in totam illam materiam vt vnum quid eſt, & inde accipit rationem, & proprietates ſuas. Conſequentia autem probatur, tum quia quod eſt nihil, nullum poteſt inducere effectum: tum etiam quia intentio vouentis non fertur in ſingulas partes, ſed in illud totum, quod impoſsibile eſt. Secundo argumentor exemplis: vnum eſt, ſi quis vouit nunquam peccare, votum illud ad nihil obligat, quia eſt de re impoſsibili. & ideo nullum, & ſtultum eſt, vt dixit Soto lib. 7. de Iuſt. quæſt. 1. artic. 3. Nam quia ad totum obligare non poteſt propter rationem factam, neque ad partem obligat, quia non eſt maior ratio de vna, quam de alia. Aliud exemplum eſt, ſi quis poſt matrimonium conſummatum, voueat abſolute caſtitatem, inuito altero coniuge, illud votum cenſetur nullum, quia eſt de obiecto iniuſto ex parte, & ita impoſsibili moraliter, quia non poteſt nõ reddere debitum, & ideo ex ſententia multorum ad nihil cenſetur obligare. Item qui vouit dare eleemoſynam propter malum finem, non obligatur dare illam, prætermiſſo fine, quia circumſtantia illa totam materiam vitiauit, & ineptam, ac incapacem reddidit, ergo ſimiliter in præſenti. Denique qui vouit facere rem poſsibilem modo impoſsibili, ad nihil obligatur, vt qui vouit ire Romam ex Hiſpania intra tres dies, vel Hieroſolymam ſine naui, quia non ſe obligauit ad rem ſine tali modo, ſicut etiam qui promittit rem indifferentem propter ſe ipſam, non tenetur facere illam propter bonum finem, quia non ſe obligauit ad talem modum: ergo ſimiliter in præſenti.

Soto.

3\. *Sententia affirmans proponitur.*

Contraria nihilominus ſententia multis modis ſuaderi poteſt. Primo ratione, quia qui promittit quantum in ſe eſt, intendit ſe obligare ad id, quod promittit, ergo cum promittat totum, & partem, ſi non poteſt totum, obligatur ad partem. Secundo argumentor ex Regula, *Si non valet quod ago, vt ago, valet vt valere poteſt*, c. vnico. §. 1. de Deſpon. impub. in 6. quam regulam obſeruandam eſſe in iuramentis ſupra diximus, & idem eſſe de votis, tradit Syl-ueſt. verb. *Votum* 4. q. 2. diſt. cum Panormitano in c. *Quidam*, de Conuerſ. coniugat. vbi idem habet Ant. & in c. *Placet* eod. Et colligitur ex illis Iuribus quatenus aſſerunt, fœminam, quæ viuente marito, Religionem eſt profeſſa, licet Religioſa fieri non potuerit, nihilominus fuiſſe voto obligatam in eo, quod potuit, ſcilicet in non petendo, non vero in eo, quod non potuit, ſcilicet in non reddendo debitum. Tertio facit regula Iuris 37. in 6. *Vtile per inutile non vitiatur*, quæ regula intelligitur, quando vtile ſine inutili conſiſtere poteſt, vt ibi notant expoſitores, & Nauar. in Sum. capit. 12. numer. 4. verſ. *Ex quibus infertur*, Vbi regulam illam ad hæc vota applicat. Atque eandem regulam ſeruandam eſſe in iuramentis inſinuatur in cap. *Ad noſtras* 3. & in cap. *Quemadmodum*, de Iureiurando, & ſupra dictum eſt; ergo idem erit in votis. Quarto probatur exemplis: vnum eſt de vouente ire genibus flexis Hieroſolymam, nam tenetur ire modo poſsibili reiecto impoſsibili. Aliud ſimile eſt, ſi quis voueat triduo ire Romã, tenebitur etiam quam primum poſsit, ſicut in L. *Si quis ita* 2. ff. de Condit. inſtitut. dicitur, legatum, vel inſtitutionem relictam ſub conditione ſi intra triduum poſt mortem teſtatoris monumentum feceris, non obligare ad modum impoſsibilem, licet obliget quoad opus ipſum, vt recte ibi Gloſſa declarat. Aliud exemplum eſt, ſi quis vouit ieiunare totam Quadrageſimam, & non poſsit integram, poſsit autem partem: nam tenetur ad partem ſecundum omnes: ergo, &c.

Ca. Vnico.

Syluest.
Panorm.
Anton.

Nauar.

C. Ad noſtras 3. Ca. Quemadmodum

4\. *Votum de re impoſsibili, quando obliget ad partem poſsibilem, quando vero non.*

Hæc argumenta pro vtraque parte facta conuincunt, votum de re impoſsibili aliquando obligare ad partem poſsibilem: aliquando vero non obligare. Solum relinquitur explicandum, qua diſtinctione in hoc vtendum ſit, & quomodo poſsint caſus diſcerni. Ad hoc autem declarandum aduertendum eſt, ex duobus principiis hoc pendere, ſcilicet ex materia voti, & intentione vouentis, quia ex materia pendet capacitas obligationis, ex intentione vero actualis obligatio.

5\. *1. Conditio ex parte materiæ.*

Primo ergo ex parte materiæ nonnullæ conditiones aſsignari poſſunt. Prima, & præcipua eſt, vt cõditio impoſsibilitatem inducens inſeparabilis ſit ab actu poſsibili, eo manente vtili, & honeſto hæc per ſe nota eſt ex dictis. Secunda eſſe poteſt, vt actus maneat eiuſdem rationis, ſub qua promiſſus eſt: quæ conditio inuoluit etiam intentionem vouentis. Ratio eſt, quia votum non obligat ad omnem actum poſsibilem, ſed ad illum, de quo ſit: ſit autem de illo actu in ſpecie, & ſecundum eam rationem, quæ per verba promiſsionis ſignificatur: ergo ſi ita non eſt poſsibilis, licet aliqua pars eius ſit poſsibilis, non obligabit votum. Vnde licet hoc proueniat ex intentione vouentis, tamen quia intentio colligitur ex materia, ideo hæc conditio ex parte materiæ poſtulatur. Et hanc partem bene probat prima ratio dubitandi priori loco poſita: exempla autem parum valent, vt mox dicam. Meliora ſunt, ſi quis vouit confiteri, & poſtea non poſsit, ex vi voti non tenetur de peccatis dolere, licet dolor vt pars Sacramenti in voto fuerit incluſus. Item, ſi quis vouit ieiunare in tali die, in quo non poteſt abſtinere a carnibus, non obligabitur ad aliam abſtinentiam, vel formam ieiunii, licet eam obſeruare poſsit, quia illud non eſt ieiunium. Item, vouit quis ædificare templum, quod illi eſt impoſsibile, licet poſsit ædificare capellam in alio templo, non tenetur, & ſic de aliis. Quæ extendenda non ſunt, ſed prudenter moderanda, iuxta ea, quæ dicemus.

6\. *1. Conditio qua ab aliquibus inculcatur, ...*

Tertia conditio addi ſolet, vt totum ita ſit impoſſibile ratione collectionis partium, vt aliqua maior ratio obligationis appareat in vna parte poſsibili, quam in alia: nam ſi votum non obligat ad collectionem partium propter impoſsibilitatem, & in vnã parte nulla eſt maior ratio, quam in alia, votum etiã non obligabit ad partem aliquam determinate, cũ non ſit maior ratio vnius, quam alterius: ergo ad nihil obligabit. Et hoc videntur ſentire Soto, & alii. Sed hanc conditionem non exiſtimo neceſſariam, vt patet in exemplo de vouente ieiunare omnibus diebus hebdomadæ: nam ſi hoc totum eſt impoſsibile, poſsit autem ter, vel quater in hebdomada ieiunare, tenebitur ſecundum omnes: & tamen nulla eſt maior ratio de hoc die, quam de illo. Satis ergo eſt, quod numerus dierum poſsit determinari prudenti arbitrio: determinatio autem ad tales dies, quaſi materialis eſt, & propria voluntate fieri poteſt. Quod patet in aliis votis, quę non habent definitam obligationem, quoad indiuiduam materiam, vel temporis circumſtantiam, ſed quaſi ſub diiunctione relicta ſunt. Igitur duæ priores conditiones ſufficiunt.

Soto.

7. *Aliquot corollaria. Primum.*

Ex quibus colligitur primo, quoties materia totalis voti non eſt totum aliquod moraliter, & ſecundum ordinarium vſum indiuiſibile, ſed eſt tantum vel ſpecies quædā actuum, vel multitudo, aut collectio eorum, tunc licet non ſit poſsibile totam materiam, & ſingulas partes implere, nihilominus votum obligare ad partes, vel ad collectionem partium poſsibilem, vbi de contraria intentione vouẽtis non conſtiterit. Hæc eſt communis ſententia, vt ſumitur ex Diuo Thoma (*D. Thom.*) dicta q. 88. artic. 3. ad 2. vbi loquitur de impoſsibilitate ſuperueniente poſt votum, ſed eſt eadem ratio de illa, quæ exiſtit, cum votum fit. Et eodem modo loquũtur Theologi communiter in 4. d. 38. Ant. (*Anton.*) 2. p. tit. 11. §. 2. verſ. *Secundo eſt*, & cap. 2. §. 4. Turrec. 27. q. 1. in princ. art. 3. Nauar. c. 12. numer. 39. & Summiſtæ verbo *Votum*. Probaturque rationibus, & Iuribus ſecundo loco adductis, quæ plane hoc conuincunt. Item, quia contra hoc nihil probant priores rationes, nam prima ſolum procedit, quando materia voti eſt vnum totum indiuiſibile, quia tunc vel nullæ ſunt partes, vel non vouentur ſecundum ſe, ſed tantum vt componunt totum.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Non procedit autem, quando materia tantum dicitur vna per modum vnius confuſi, ſeu potentialis, vel aggregati, quia tunc vitium vnius partis non vitiat aliam, & ſingulæ per ſe promittuntur, & omnes quaſi diſtributiue. Tunc ergo negamus tale votum eſſe omnino nullum, nam ex parte validum eſt, quia habet materiam multiplicem, & partes illæ non ſunt inter ſe connexæ, nec in aliquo toto, quod quaſi per ſe componant, ergo votum cadens in totam illam materiam habet ſuum effectum in parte capace, & non in alia.

8. Declaratur optime ex Gloſſa in dicta L. *Siquis ita*, quia illud votum, licet vnum appareat, virtute eſt multa, vt patet in voto ieiunandi Quadrageſimam: nam virtute continet vota ſingula pro ſingulis diebus, quid ergo obſtat, quo minus ex parte poſsit eſſe validum, & ex parte inualidum? Idem cenſent aliqui de voto recitandi in die integrum officium Canonicum, ſi poſsit ex parte quoad aliquas horas impleri, & non quoad omnes: nam obligabit quoad partem poſsibilem: quod eſt accipiendum iuxta ſupra dicta de illo præcepto. Nam in præſenti optima regula eſſe videtur, vt ex vi talis materiæ tunc votum cenſeatur obligare ad partem, & eo modo, quo obligaret præceptum Eccleſiaſticum in ſimili materia, & caſu ad partem implendam, cum totum non poſsit. Quia eſt eadem in vtriſque ratio, & æquiualentia plurium præceptorum, vel votorum, & diuiſibilitas (vt ſic dicam) obligationis, ac denique quia vota cenſentur fieri de his actibus, iuxta communem morem Eccleſiæ, atque adeo prout præcipit, vel conſuli ſolent.

9. *Satisfit exemplis in oppoſitum.*

Nec etiam exempla in contrarium inducta vrgent, ſed poſſunt ex parte retorqueri. Primum enim exemplum de voto nunquam peccandi incertum eſt, & forte probabilius eſt inducere aliquam obligationem, vt dicam ſequenti capite. Secundum vero exemplum falſum aſſumit: nam certum eſt, votum illud obligare ad id, quod eſt in poteſtate coniugis, quod eſt non petere, non fornicari, &c. vt probant allata Iura. Et ita retorqueri poteſt illud exemplum, quia caſtitas non eſt vnum totum indiuiſibile, ſed eſt collectio plurium Actuum, quorum ſinguli per ſe ſub votum cadunt, quia in ſingulis honeſtas caſtitatis ſimpliciter reperitur; & per ſingulos offenditur caſtitas. Vnde materia illa poteſt negatiue explicari, ſcilicet non vti venereis quantum poſſibile fuerit, & ideo licet quoad aliquid, non ſit poſſibile, quoad cætera obligat, ſed de illo voto plura ſuo loco. Tertium autem exemplum non eſt de re ſimili, quia finis, & actus propter finem promiſſus non comparantur vt duæ partes materiæ promiſſæ per ſe ſeparabiles, ſed finis eſt tota ratio, & motiuum operandi, & ideo ſi ſit prauus, & ponatur ex parte materiæ excludit voluntatem circa illam materiam ſecundum ſe, vt infra videbimus. Et eadem ratio eſt de promiſsione rei indifferentis propter ſe ipſam: nam illa etiam intentio tota eſt de materia praua, & ideo non eſt ad rem. Alia vero exempla falſa ſunt, vt ex dictis patet.

10. *Secundo quando impoſsibilitas materiæ voti prouenit ex modo acceſſorio votum obligare ad actum ipſum abſolute.*

Vnde infertur ſecũdo, quoties impoſsibilitas materiæ voti prouenit ex modo acceſſorio actui principaliter promiſſo, votum obligare ad actum ipſum ſecundum ſe, ſecluſo modo, niſi talis modus, propter minuendam materiæ difficultatem adhibitus ſit, vel niſi alias conſtet, intentionem vouentis fuiſſe non obligari ad actum ſine tali modo. Regula hæc recepta eſt, vt ſupra ex Nauarro retuli, in caſu de voto eundi Hieruſalem genibus flexis: & ſimilibus: nam cenſetur votum obligare ad ſubſtantiam ſecluſo modo, quam reſolutionem omnes ſequuntur, & ſumitur ex doctrina Diui Thomæ proxime relata, & conuincitur rationibus factis ſecundo loco. Et ſpecialiter declaratur, quia accidentalis defectus non deſtruit ſubſtantiam. Item impedimentum in acceſſorio non redundat in principale, ſicut non polluitur Eccleſia polluto cemœterio capit. Vnic. de Conſecratione Eccleſiæ in 6. *Ne minus dignum maius, aut acceſſorium principale ad ſe trahere videatur*, vt ibi dicitur. Item, ibi concurrunt ſimul duæ voluntates formales, aut virtuales, vna volendi ſe obligare ad principalem actum, verbi grãtia: peregrinationem Hieroſolymitanam, alia obligandi ſe ad modum, & prior fuit abſoluta, & non ſub conditione talis modi, ergo licet voluntas modi non obliget, voluntas ipſius actus obligabit. Secus vero erit è contrario ob contrariam rationem, nam ſi actus principaliter promiſſus inuenitur impoſsibilis, ceſſant acceſſoria, etiamſi poſsibilia ſint, quia non ſunt per ſe ſub promiſsione, ſed vt adiacentia alteri, vt ſi quis voueat communicare, & conſequenter teneatur confiteri, ſupponendo habere conſcientiam peccati mortalis, ſi poſtea non poſsit communicare, nec confiteri tenebitur. Item ſiquis vouit peregrinari ſacco indutus, ceſſante poſsibilitate peregrinationis, ceſſat obligatio induendi ſaccum, & ſic de aliis. Sed hinc oriebatur difficultas circa Iura ſupra allegata de Conuerſ. coniug. Sed illa poſtea tractanda eſt.

Addidi vero limitationem, *niſi modus ad minuendam materiam additus ſit*. nam ſi notabiliter fiat actus difficilior ex defectu modi, qui putabatur poſsibilis, tunc poterit votum non obligare, non quia ſit de re impoſsibili, ſed ex defectu voluntarii, vt verbi gratia, vouit quis viſitare limina ſancti Petri equitando, vel nauigando, quia credidit nec facultatem nec poſsibilitatem ſibi defuturam ad eundum tali modo, poſtea vero deeſt facultas, non tenebitur pedibus ire. Quia hic modus notabiliter mutat difficultatem materiæ, & non cenſetur volitus actus ſine modo, quia licet modus ſit acceſſorius in ordine ad actum, in ordine ad conſenſum ita eſt moraliter neceſſarius, vt error circa illum ſubſtantialis cenſeri debeat, & conſequenter impoſsibilitas eius in totam materiam redundet. Et quoad hoc eſt magna differentia inter modum impoſsibilem augentem difficultatem operis, vel minuentem. Nam quando auget, & nihilominus vouetur ex falſa exiſtimatione, quia putatur poſsibilis, & magis Religioſus, licet detegatur error, & talis modus auferatur, votum obligat, quia non interuenit ratio minuens voluntatem circa ipſum actum poſsibilem, & honeſtum ſecundum ſe, quia voluntas ferebatur in illum etiam cum maiori arduitate: ſecus vero eſt, quando modus faciliorem reddebat actum promiſſum, vt declaratum eſt. 11

Denique addita eſt limitatio, *niſi aliunde conſtet de intentione vouentis*, quia ab illa pendet tota obligatio, & pro- 12

& pro libertate ſua poteſt connectere quoad obligationem ea, quæ ſecundum ſe connexa non ſunt, & poteſt nolle principale, niſi dependenter ab acceſſorio, & quaſi ſub conditione illius, quia hoc totum liberum eſt. Tunc ergo quocunque modo ſit impoſsibilis materia ratione vnius partis, vel modi etiam acceſſorii, votum ad nihil obligat, tum quia tunc intenditur totum illud obiectum per modum vnius indiuiſibilis: tum etiam quia conſenſus circa vnam partem poſsibilem tunc nõ eſt abſolutus, ſed virtute eſt conditionatus, ſi altera pars, ſeu modus adiungatur.

13. *Obiectio. Solutio.* Dices: Si materia voti non poſtulat talem intentionem: ſaltem ſecundum vſitatum, & conuenientem modum vouendi, vnde poterit cognoſci? Reſpondeo, in primis ex relatione, & conſcientia vouentis, cui credendum eſt in eius foro. Ille ergo potuit ita expreſſe concipere ſuam intentionem, volo peregrinari pedibus, & mendicando, & ita obligari, & non aliter, tunc ergo ſatis conſtabit de intẽtione, & ita ſi modus ſit impoſsibilis, non tenebitur equitando propriis expenſis votum implere. Deinde, quando intentio non eſt ita expreſſa, ſpectanda eſt ratio volendi, nam ſi penſatis omnibus, credatur principale motiuum vouendi fuiſſe omnino pendens à tali modo, vel circumſtantia, tunc ſignum eſt, materiam illam fuiſſe intentam cum tali modo, & non aliter, quia ex motiuo, & fine pendet tota voluntas. Et tunc modus ille reſpectu talis motiui eſt materia principalis, licet reſpectu ipſius actus, vel materiæ acceſſorius videatur. *D. Thom.* Optimum exemplum eſt apud D. Thom. dicta quæſt. 88. art. 3. ad 2. & quæſt. 189. art. 3. ad 2. de illo qui vouit ingredi hoc monaſterium ex peculiari affectu ad illud: nam ſi fiat illi impoſsibilis ingreſſus in illud, quia non admittitur, non obligatur ad alia, quia non intendit ſe obligare ad ſtatum Religioſum abſolute, ſed veſtitum talibus circumſtantiis. Idem eſt, ſi quis vouit confiteri intuitu lucrandi iubileum, & præciſe ratione illius, nam ſi fiat impoſsibile iubileum, quia ceſſauit antea, vel quia non poteſt vouens alias neceſſarias diligentias facere, non tenebitur confiteri. Et idem eſt, quoties principalis finis operantis redditur impoſsibilis, quia tunc obligatio voti circa alia ceſſat, quia reſpectu voluntatis vouentis ſunt quaſi acceſſoria, quæ ceſſant, ceſſante principali.

14. *Quid agendum quando vouens manet dubius de intentione vouendi.* Sed quid, ſi poſt diligẽtem examinationem conſcientiæ vouentis, & circumſtantiarum omnium, non poſſit certo conſtare de intentione vouentis, ſed res maneat dubia? Quidam cenſent interpretãdam eſſe intentionem in fauorem vouentis, ex illo generali principio, quod in dubio melior eſt conditio poſsidentis. De quo principio quomodo ad obligationem voti accommodandum ſit infra lib. 4. ex profeſſo eſt dicendum. Nunc ergo aſſero, primum omnium ſpectandam eſſe conditionem materiæ, iuxta priorem regulam ſupra poſitam: nam eo ipſo quod de contraria intentione vouentis nõ conſtet, iudicandum eſt votum obligare iuxta exigentiam materiæ, & intentionem fuiſſe materiæ proportionatam. Vnde licet aliũde moueatur dubium, ſi materia talis eſt, vt partes eius non ſint connexæ, nec componere ſoleant vnum totum quaſi indiuiduum, vel materia poſsibilis eſt principalis, & modus impoſsibilis eſt acceſſorius, votum obligat ad partem poſsibilem. Quia tunc ſatis conſtat de voto emiſſo, conſtat etiam, quod ordinaria, & quaſi connaturali intentione factum obligat ad partem poſſibilem, & non conſtat fuiſſe aliter intentionem conceptam: ergo pro voto, cui materia fauet, præſumendum eſt, & ex quo aliquis ſic vouit, non poteſt dici poſsidere ſuam libertatem, quia de hoc ipſo dubium eſt, an illam poſsideat, & probabilius eſt poſſidere votum. Secus vero erit, quando alia intentio eſt magis connaturalis materiæ, propter contrariam rationem. Quod ſi ex parte etiam materiæ dubium ſit, quænam intentio illi melius aptetur, tunc in dubio fauendum cenſeo libertati vouentis, vt dicto loco latius oſtendam.

CAPVT III.

An fieri poſsit votum non peccandi, & ad quid obliget?

HAEc quæſtio annexa eſt præcedenti, & in hoc tantum ſenſu hoc loco proponitur. Nam poteſt quæri de voto non peccandi in aliquo indiuiduo, vel in aliqua ſpecie, aut genere peccati, vt contra iuſtitiam, aut caſtitatem, & de hoc non mouemus quæſtionem, quia talis materia poſsibilis eſt. Hic ergo ſpecialiter conſideratur votum non peccandi, vt eſt de tota collectione peccatorum, quam totam ſine lapſu vitare cenſetur impoſsibile fragilitati naturæ lapſæ, & ideo tale votum videtur nullũ, iuxta principium poſitum in primo capite. In contrarium autem eſt, quia cum omne peccatum debeat eſſe voluntarium, tota illa materia videtur ſimpliciter ſubiecta humanæ voluntati, ac ſubinde non eſſe ita impoſsibilis, quin poſsit cadere ſub voti obligationem, ſicut cadit ſub obligationem præcepti, ſeu præceptorum Dei. Tria igitur vota in præſenti diſtingui poſſunt, ſcilicet nunquam peccandi mortaliter, vel venialiter ex deliberatione, vel ſimpliciter nihil vnquam peccandi, etiam venialiter, & quouis modo. 1. *Senſus quæſtionis.*

Dico primo: Votum nunquam peccandi mortaliter validum eſt. Ita tenet Soto lib. 7. de Iuſt. quæſt. 1. art. 3. eumque omnes moderni ſecuti ſunt, Nauar. in cap. 12. numer. 65. ſub diſtinctione dicit, eſſe de re adeo difficili, vt vel non obliget, vel facile diſpenſandum ſit. Nihilominus veritas eſt, eſſe ſimpliciter validum. Probatur, quia eſt de re honeſta, & non impoſsibili, quia licet ſit impoſsibilis per naturam, non tamen per gratiam, quod autem per amicos poſſumus, ſimpliciter poſſumus, gratia enim Dei ex ſe parata eſt. Non deſunt tamen, qui diſtinguendum putent inter hominem fragilem, & conſtantem: & in priori dicunt tale votum eſſe nullum, quia eſt de re moraliter impoſsibili ipſi vouenti: in alio vero eſſe validum, quia in illo non habet illam impoſsibilitatem. Non eſt tamen probanda diſtinctio quoad voti valorẽ, quamuis habere poſsit locum quoad vtilitatem, & conuenientiam. Itaque in quocumque homine votum illud validum eſt, quia quantũuis homo ſit fragilis, habet moralem poſsibilitatem non peccandi mortaliter, ſi velit auxilium Diuinum implorare. Et quamquam negotium ſit difficile, maxime in tali ſubiecto non eſt tanta difficultas, vt reddat votum nullum, aut materiam incapacem obligationis voti. Nam etiam in Ciuili Iure difficultas reddendi non facit contractum nullum L. vlt. ff. de Actionibus empti, & in L. *Continuus* §. *Illud*, cũ ſequenti ff. de Verborum obligatione, vbi Gloſſa verb. *Poſsibile* recte, & ad rem noſtram aduertit, non eſſe impoſsibile, quod per alium fieri poteſt. 2. *Aſſertio. Votum nunquam peccandi mortaliter validum eſt. Soto. Nauar. L. Continuus. Gloſ.*

Nihilominus tamen verum eſt, quod Nauarrus dixit, eſſe ſufficientem rationem in tali voto, vt diſpenſetur in illo. Et ſimili ratione verum eſt, tale votum expedire, neque eſſe conſulendum regulariter, quia eſt parum vtile, & poteſt eſſe occaſio grauius peccandi, quia rari ſunt homines, qui Diuinæ gratiæ ita cooperentur, vt nunquam moraliter peccent. Dixi autem regulariter, quia in homine conſtante, & qui auxilium Diuinæ gratiæ in ſe expertus eſt, poterit tale votũ eſſe vtile, & temeritate carere: raro tamen hoc admittendum eſt, quia ordinarie eſt pluſ periculi, quàm vtilitatis in tali voto. Imo aliquando poteſt tam graue eſſe periculum, ſpectata fragili conditione vouentis, vt nonnullum peccatũ ſit tale 3. *Facile diſpenſandũ in voto non peccandi mortaliter.*

Digitized by Google

ſit tale votum emittere, propter imprudentiam, & temeritatem. Hoc vero periculum non ſatis eſt, vt votum ſit nullum, quia non naſcitur ex ipſo voto, ſed aliunde ex hominis negligentia, aut malitia, quia vero prudentia reſpicit omnes circumſtantias ſufficit illud periculum vt non expediat facere tale votum.

4 *2. Aſſertio. Votum nunquam peccandi veniale ex deliberatione non eſt inualidum.* Dico ſecundo: Votum nunquam peccandi venialiter ex deliberatione, ac plena aduertentia, non eſt inualidum, licet minus expediat, minuſque conſulendum ſit, quam præcedens: De hoc puncto nihil in ſpecie dicunt Soto, Nauarrus, vel alii moderni: habet tamen peculiarem difficultatem. Quia votum hoc plura complectitur, quam votum non peccandi mortaliter, & ideo difficilius eſt, imo videri poteſt moraliter impoſsibile. Sed mihi non videtur eſſe tale. Probatur ergo prima pars aſſertionis, quia tale votum eſt de re honeſta, & poſsibili cum Diuina gratia: ergo abſolute validum eſt. Probatur minor, quia omne id, quod humanam, & moralem requirit deliberationem, includit etiam poteſtatem moralem faciendi, & non faciendi: ergo ex hac parte tota materia illius voti moraliter poſsibilis eſt. Aliunde vero ex parte Diuinæ gratiæ etiam eſt poſsibile vitare omnia eiuſmodi peccata venialia longo tempore, etiam vſque ad finem vitæ, multis enim hæc gratia conceſſa eſt, non ex ſpeciali priuilegio, quod ſit præter aliquam ordinariam legem, nulla enim talis lex inuenitur, ſed ex maiori beneuolentia Spiritus ſancti, qui diuidit ſingulis prout vult. Imo non exiſtimo donum hoc adeo rarum eſſe, quin multis viris, vel perfectis, vel qui ad perfefectionem tendunt pro aliquo ſaltem vitæ tempore concedatur. Hoc ergo votum ex vi obiecti non eſt inualidum: imo neque omnibus nociuum, inutile, aut imprudens. Ordinarie vero non expedit, vt à fortiori probant dicta in præcedenti aſſertione. Quia ordinarie poteſt plus obeſſe, quam prodeſſe. Quale autem peccatum ſit, non ſeruare votum in materia leui, lib. 4. dicemus.

5 *3. Aſſertio. Votum de non peccando omnino & ſimpliciter, non obligat quoad totam materiam.* Dico tertio: Votum de non peccando ſimpliciter, & quocunque modo, non obligat ad ſui obſeruationem quoad totam illam materiam. Ita docent Nauarrus, Soto, & omnes: imo (vt videbimus) cenſent votum illud eſſe omnino nullum, quia eſt de re impoſsibili, quia vitare omnia peccata venialia etiam ex ſurreptione, & collectiue non eſt poſsibile, non ſolum per liberum arbitrium, verum etiam nec per gratiam ordinariam abſque ſpecialiſsimo priuilegio, vt ex materia de Gratia ſuppono. Confirmatur primo, quia tale votum eſt ex ſe inutile, & eſſet ſemper nociuum, ſi obligaret: non eſt ergo veriſimile tale votum acceptari à Deo: ergo neque eſſe validum. Deinde probari hoc ſolet, quia ſicut votum requirit deliberationem moralem ſubreptioni oppoſitam vt valide fiat, ita ex parte materiæ requirit, per ſe loquendo, vt poſsit cum ſimili deliberatione impleri, aut violari: peccata autem venialia, quæ fiunt ex ſurreptione, excludunt huiuſmodi deliberationem, quia non eſt in poteſtate hominis deliberare perfecte de illis vitandis, vel admittendis: nam eo ipſo, quod homo hoc poſſet, iam talia peccata non eſſent ex ſubreptione: ergo talis materia eſt incapax obligationis voti. Maior probatur: quia votum requirit materiam ſibi proportionatam, ergo cum ſit opus perfectæ deliberationis, requirit materiam eodem modo deliberabilem, & cum ſit opus conſilii, requirit etiam opus, quod ſub conſultationem cadere poſsit. Nec ſatis eſt, quod materia voti abſolute ſumpta deliberabilis ſit, quia non tantum hoc modo ſumitur in tali voto, ſed etiam vt ex ſurreptione mouet hominem, & vt ſic, deliberabilis non eſt.

6 Sed hæc ratio non videtur cogere, quia homo tenetur ex lege Diuina ad vitanda omnia peccata venialia abſolute, & ſimpliciter: ergo ſignum eſt illud obiectum non eſſe impoſsibile, quia lex non eſt de re impoſsibili: ergo poteſt eſſe materia voti. Confirmatur: quia quæ poteſt eſſe materia boni, & perfecti propoſiti, poteſt eſſe materia voti, ſed propoſitum abſolutum nunquam peccandi venialiter vllo modo, eſt poſsibile, & optimum, & aliquando in confeſsione adhibitum, ergo. *Obiectio.*

Ad hoc argumentum reſponderi poteſt primo, non dari vnam aliquam legem obligantem ad vitanda omnia peccata venialia, atque ita non poſſe dari vnum votum, quod ad hoc obliget. Sed hæc reſponſio non ſatis facit, tum quia intelligi poteſt aliqua lex, cui repugnet hic actus, *Volo aliquando peccare venialiter*, quod eſt ſignum, illud obiectum eſſe lege prohibitum; tum etiam quia negari non poteſt, quin ſaltem ex collectione plurium præceptorum illa obligatio naſcatur, ergo eadem ratione poſſet ex voto oriri, quia homo ſaltem poſſet ad hoc ſe obligare per collectionem plurium votorum, quod æquale inconueniens eſt. Maxime, quia ad omne id, ad quod poteſt homo ſe obligare per plura vota, poteſt etiam ſe obligare vnica promiſsione, ſi tota illa materia per modum vnius proponatur. 7. *Solutio.*

Aliter reſponderi poteſt, peccatum veniale præſertim hoc imperfectum, de quo agimus, non eſſe contra legem, ſed præter legem; & ideo argumentum ſupponere falſum, quia nulla datur propria lex, quæ talia peccata prohibeat. Hæc tamen reſponſio magis in verbis conſiſtere videtur, quam in re, quia negari non poteſt, quin omnis culpa, eo ipſo quod culpa eſt, repugnet legi, quod ſatis eſſe videtur ad vim argumenti. Reſponderi autem poteſt, legem per ſe, & directe fieri de actu humano; ex imperfectione autem hominis accidere, vt imperfecto modo legem violet ſine perfecta deliberatione, ratione cuius imperfectionis dicitur talis actus eſſe præter legem, & non contra legem, quæ non directe, ſed quaſi concomitanter cadit in talem actum. Votum autem ſi fiat de huiuſmodi peccatis vitandis, directe illa reſpiciet, vt propriam materiam, & ideo non eſt ſimilis ratio de vtroque. Sed neque hoc ſatisfacit, quia etiam reſpectu talis voti dicetur peccatum veniale ex ſurreptione eſſe præter legem voti, non cõtra illam, ſicut in voto caſtitatis dicendum eſt quoad peccata venialia per ſubreptionem in illa materia. 8.

Vnde clarius reſpondetur, concedendo, illud obiectum non eſſe phyſice impoſsibile, quia cum peccatum liberum eſſe debeat aliquo modo; neceſſe eſt, vt ſit aliquo modo poſsibile, vitare illud. Quod ſi ob hanc cauſam poſsibile eſt vitare ſingula peccata, vitare etiam omnia non poteſt eſſe phyſice impoſsibile. Dicitur autem abſolute impoſsibile, quia humano modo fieri non poteſt, nec fieri vnquam contingit ſine ſpeciali priuilegio. Deinde fatendum eſt, naturalem legem ſiue vnam, ſiue collectionem plurium ad aliquid amplius poſſe humanã voluntatem obligare quam ipſa ſe ipſam poſsit per votum obligare, nam lex naturalis obligat ad illam collectionem moraliter impoſsibilem, ad quam non poteſt homo voluntarie ſe obligare. Huius autem ratio eſſe poteſt, vel quia illa obligatio eſt ſumma poſsibilis, & ideo licet à ſuprema voluntate imponi poſsit, non tamen per propriam aſſumi. Sicut etiam lex humana non poſſet homini præcipere rem adeo difficilem, votum enim in hoc conuenit cum lege humana, quod per hominis voluntatem fit. Vel etiam eſſe poteſt ratio, quia illa obligatio eſt veluti proprietas naturalis neceſſario conſequens ad lumen rationis, cui accidentaria eſt moralis impoſsibilitas, quæ oritur ex coniunctione ad corpus, & appetitum ſentientem. Vnde illa obligatio eſt etiam per ſe neceſſaria, ac ſufficiens ad rectitudinem legis naturalis, & modum humanum. obligatio- 9. *Solutio vera.*

autem

Digitized by Google

autem voti nec naturalis, neque in tali materia eſt vtilis, nec conueniens ad morum honeſtatem.

10. Confirmatio autem ſupra addita de propoſito potius probat contrarium: nam homo non poteſt habere propoſitum efficax, & abſolutum vitandi omnia hæc peccata, vt dixi in materia de Pœnitentia: quod autem non poteſt homo proponere facere, non poteſt promittere, nam licet poſsit promittere *Obiectio.* ſine voluntate faciendi, non tamen ſine poteſtate habendi hanc voluntatem. Dices; Poteſt ſaltem homo proponere facere, quod in ſe eſt ad vitandã *Solutio.* omnia peccata venialia. Reſpondeo primum, hoc propoſitum non ſatis eſſe ad vouendum ſimpliciter vitare omnia. Deinde exiſtimo, illud etiam obiectum talis propoſiti non poſſe eſſe materiam voti, quia propoſitum eſſe poteſt de re valde confuſa, & quæ in ipſa executione vix poſsit humano modo diſcerni, an homo tali propoſitò ſatis fecerit: votum autem eſſe debet non ſolum de re poſsibili, ſed etiam de re determinata, quæ moraliter loquendo poſsit cognoſci, ſaltem probabiliter cum impletur: obiectum autem illius propoſiti eſt valde confuſum, & incertum; quis enim hominum cognoſcere poteſt, an faciat id, quod in ipſo eſt ad vitanda omnia venialia peccata, etiam illa, quæ per ſurreptionem committuntur? Non eſt ergo illa materia voti.

11. *Obiectio.* Sed obiici poteſt, quia ſequitur, non ſolum generale votum vitandi omnia peccata nullum eſſe, verum etiamſi fiat in vna, vel alterà materia, vt verbi gratia, vitandi omnes motus ſecundo primos contra caſtitatem, aut omnes ſubitas dubitationes circa fidẽ, vel temerarias cogitationes circa proximum, quæ per ſurreptionem poſſunt attingere venialem culpam. Sequela probatur, tum ex ratione impoſsibilitatis, quia non minus impoſsibile eſt homini in vna materia hos motus cauere, quam in omnibus, tum ex ratione indeliberationis, in qua hęc impoſsibilitas fundatur. Ratio enim, qua oſtendimus, motum indeliberatum, vt cauendum non eſſe aptam materiam voti, æque probat de ſingulis, ac de omnibus his motibus: nam omnis materia voti debet eſſe talis, vt per actum humano modo deliberatum poſsit executioni mandari. Deliberare autem tunc quando voluntas per ſurreptionem mouetur, eſt humano modo impoſsibile non ſolum, ratione multitudinis, ſed etiam ratione talis motionis, quæ in ſingulis ex his peccatis inuenitur; ergo non ſolum omnia, ſed etiam ſingula erunt inepta materia voti. Conſequens autem videtur abſurdum, alias abſolutum votum caſtitatis non comprehenderet hos motus ſub materia ſua, & conſequenter etiamſi per ſurreptionem peccet quis venialiter in materia caſtitatis, non grauius peccabit intra quantitatem venialis culpæ, quam ſi votum caſtitatis non haberet, quod videtur abſurdum.

12. Ad hoc non deerit fortaſſe qui totum concedat, tum propter rationem factam, tum etiam quia per ſe veriſimile eſt, ita eſſe caſtitatis votum interpretandum, quia obligatio voti eſt iuxta intentionem vouentis: nemo autem vouens caſtitatem videtur intendere ſpecialiter ſe obligare ad cauendos motus indeliberatos in tali materia, & quando ipſe vouens neſciret, hoc modo interpretari intentionem ſuam ſecundum rectam rationem eſſet ita interpretanda: quia veriſimile non eſt aliquem velle ſe obligare ad ea, quæ moraliter ſibi impoſsibilia ſunt, & in ſua plena deliberatione non ſunt poſita. Sed de probabilitate huius ſententię alus iudicium relinquo. Ego enim illi aſſentiri non audeo, tum quia ex illa ſequitur, motus ſecundo primos contra caſtitatem non habere maiorem malitiam venialem in Religioſo, quam in non habente votum, quia nullo modo cadunt ſub votum, & conſequenter non habent malitiam contra Religionem, etiam venialem: Tum etiam quia vlterius ſequitur, non poſſe peccari venialiter per ſurreptionem contra votum vllum, quod videtur alienum à communi ſenſu. Tum præterea quia ſequitur idem eſſe dicendum de omni lege poſitiua præſertim humana, iuxta æquiparationem ſupra factam. Dico *Solutio.* ergo, aliud eſſe, motum indeliberatum aſſumi per ſe vt materiam voti, & hoc dicimus fieri non poſſe ſecundum rectam rationem: aliud vero eſſe motum indeliberatum eſſe poſſe imperfectam transgreſsionem voti: & hoc concedimus fieri poſſe, quando votum per ſe verſatur circa materiam poſſibilem, & honeſtam, & de ſe plene deliberabilem; nam tunc per naturalem conſecutionem, in actu indeliberato poteſt inueniri venialis culpa contra tale votum. Ita enim fit de illa materia votum, aut ſolet de illa præceptum, vel conſilium fieri, & ideo ſicut pręceptum, ſuo modo omnes actus etiam imperfectos prohibet, ita etiam votum. Quod in particulari materia non eſt inconueniens, eſſet autem maximum, in vniuerſali materia omnium peccatorum.

Inquirunt autem vlterius Soto, & alij, an tale votum ad aliquid obliget, ſaltem ad faciendam diligentiam pro vitandis peccatis, quantum poſsibile fuerit? Et reſpondent neque ad hoc obligare. Ita Soto, & Nauarrus, item Aragon. quæſtione 88. articulo ſecundo, Valent. diſput. 6. quæſtione 6. punct. 2. Sanct. libr. 9. de Matrimon. diſput. 35. numer. 25. Eman. Rodr. 2. part. Summ. capit. 94. numer. 4. Mouentur primo, quia tale votum eſt nullum, nam eſt adeo imprudens, vt merito debeat omnino irritum iudicari. Secundo, quia hoc votum eſt de toto illo obiecto impoſsibili per modum vnius integræ materiæ, cuius partes non intenduntur, niſi vt totam componunt, ſcilicet integram innocentiam, & carentiam culpæ. Tertio, quia non eſt maior ratio de vno peccato vitando, quam de alio, nec inter illa poteſt fieri moralis electio. Hæc opinio eſt probabilis propter authoritatem tot, & talium Authorum. Tamen in rigore rationes eius non videntur efficaces: nam prima petit principium, & ſumit probandum, nimirum, hoc votum eſſe omnino nullum. Poteſt enim eſſe nullum reſpectu integri obiecti, quatenus impoſsibile eſt, & nihilominus eſſe validum quoad partem poſsibilem, iuxta dicta in capite præcedenti: neque imprudentia ſufficit, vt votum ad nihil obliget, vt in multis alijs conſtat. 13.

An votum de nunquam peccando, ſaltem ad aliquid obliget.

Aragon.
Valen.
Sanct.
Eman. Rodr.

In ſecunda etiam ratione falſum videtur, collectionem omnium peccatorum venialium euitandorum intendi per modum vnius totius, cuius partes non per ſe intendãtur, ſed ſolum vt componunt totum: hoc enim nulla ratione fundatum eſt, nec per ſe videtur veriſimile. Nam qui vouet, potius intendit omnia, & ſingula peccata vitare: vnde non intendit collectionem, niſi vt quandam multitudinem, vel numerum, cuius ſingulæ vnitates per ſe intenduntur. Item qui vouet non peccare contra caſtitatem, non collectionem tantum vt ſic, ſed ſingula peccata in illa materia vitare promittit: & qui vouet nunquam peccare mortaliter, non ſolum carentiam totius culpæ collectiuæ, ſed etiam ſingularum intendit, ac promittit: nam proprium eius motiuum eſt vitare offenſionem Dei, quæ in ſingulis culpis inuenitur. Alias qui haberet votum non peccãdi mortaliter, poſtquam ſemel peccaſſet frangendo votum, ad nihil amplius teneretur, quia iam illi impoſsibile eſt innocentiam ſeruare: quod aperte falſum eſt. Et ſimile eſt, quod Diuus Thomas attigit d. articulo tertio ad 2. de illa, quæ vouit virginitatem: nam licet ſemel lapſa fuerit, & corrupta, tenetur poſtea caſtitatem ex voto ſeruare: quia in virginitate non intenditur principaliter integritas carnis, neque ſola collectio plurium actuum, aut priuationum moraliũ per modum vnius totius, ſed 14. *D. Thom.*

etiam

Digitized by Google

etiam intenduntur ſingulæ carentiæ illiciti coitus, ſeu venereæ delectationis. Ita ergo de voto non peccandi ſentiendum eſt. Quæ omnia intelliguntur per ſe, & ex vi materiæ, niſi aliud conſtet de intentione vouentis.

15. Nec magis vrget tertia ratio, nimirum quod nulla maior cauſa ſit implendi hanc partem voti, quam illam. Primo, quia hoc non eſt neceſſarium, nam prudenti arbitrio poteſt fieri determinatio, vt ſupra oſtendi exemplo allato de eo, qui vouit ieiunare totam Quadrageſimam, & non poteſt: nam tenetur ad partem poſsibilem, quæ prudenti arbitrio determinanda eſt, vt ijdem Authores admittunt, Soto, Aragon, & Valen. ſupra, & Sanci. numer. 5. referens alios. Maxime vero fauet Cordub. in Summ. quæſtione 151. vbi de voto ieiunandi omnibus diebus vitæ ait, licet videatur difficile, & indiſcretum, & ideo non integre obligare, nihilominus obligare ad ieiunandum, quantum ſine magno incommodo potuerit. Quam determinationem, vel electionem neceſſe eſt prudenti arbitrio fieri, quia ex parte dierum non eſt maior ratio de vno, quam de alio. Simile eſt, ſiquis vouit alere tales decem pauperes, & poſtea poſsit tantum vnum alere, ad hoc obligabitur: eritque illi voluntarium, vnum potius, quam alium eligere, etiamſi ex vi voti non ſit maior ratio in vno, quam in alio. Addi etiam poteſt, inter peccata eſſe diſparitatem: nam aſsignari poteſt ratio, ob quam tale votum magis obliget ad vitanda quædam peccata, quam alia, quia in mortalibus eſt multo maior ratio, & deinde etiam in venialibus deliberatis.

Sanci. Cordub.

16. Videtur ergo ſatis probabile, tale votum, quamdiu non commutatur, vel diſpenſatur obligare ad vitanda omnia peccata deliberata, vel ſaltem mortalia, quia hæc pars illius obiecti poſsibilis eſt, & non eſt per ſe connexa cum alia parte impoſsibili. Item quia intentio vouentis videtur illo modo interpretanda ſecundum intellectum in caſu non multum diſsimili approbatum, in c. *Ad noſtram*, 3. de Iureiur. Item qui vouit confiteri omnia peccata venialia, licet non obligetur ad confitenda omnia, quæ per ſurreptionem committuntur, aut memoriam fugiunt, ſaltem tenetur ad omnia, quæ poſt moralem diligentiam memoriæ occurrunt; ergo & votum non peccandi, licet ad totum non obliget, obligare poterit ad poſsibile moraliter cum Diuina gratia, quale eſt vitare omnia peccata, quæ cum deliberatione integra, & ſufficiente ad peccandum mortaliter, in materia graui committuntur. Accedit tandem quod ſecurius, & tutius eſt, petere diſpenſationem, vel commutationem, & interim cauere voti tranſgreſsionem. Nihilominus qui voluerit ſequi priorem partem, practice poteſt.

Probabile eſſe votum nunquam peccandi obligare quamdiu non diſpenſatur, ſaltem ad euitanda peccata deliberata. Cap. Ad noſtram.

CAPVT IV.

Vtrum actus moraliter malus poſſit eſſe materia voti?

1 RESOLUTIO huius quęſtionis eſt facilis, & ideo breuiter dicendum eſt, actum moraliter malum non poſſe eſſe materiam capacem obligationis voti. Eſt communis ſenſus omnium Doctorum. Ratio eſt, quia nemo poteſt obligari ad faciendum actum malum, ſeu quod in idem redit ad peccandum, alias obligaretur homo ſimul ad duo contradictoria, atque adeo ad impoſsibile. Sequela patet, quia recta ratio dictat non eſſe faciendum opus malum: ergo obligat ad illud vitandum; ſi ergo votum obligaret ad illud faciendum, eſſet (vt ſic dicam) contradictoria obligatio. Præterea eſt optima ratio D. Tho. d. ar. 2. quia promiſsio eſſe debet de re apta, & cōueniente ei, cui promittitur, alias potius eſſet comminatio; ſed votum eſt promiſsio facta Deo; ergo debet eſſe de re, quę Deo placet: opus autem malum potius eſt iniurioſum Deo, ergo. Et hinc oritur tertia ratio; quia vt promiſsio ſit valida, debet eſſe acceptata, Deus autem non poteſt acceptare tale votum, quia non poteſt velle malum; ergo. Pręterea iuuare poſſunt, quę ſupra in ſimili quęſtione de iuramento diximus. Maxime illud Iſid. 22. q. 4. *In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vouiſti ne facias, impia enim eſt promiſsio, quæ ſcelere adimpletur.* Tandem etiam inter homines ſtipulatio turpis non inducit obligationem, Leg. *Generaliter*, cum ſequentib. de Verbor. obligat. Leg. *Iuris Gentium*, §. Si *vt maleficium*, ff. de Pactis; ergo à fortiori reſpectu Dei.

Actum moraliter malum non poſſe eſſe materiam voti.

D. Thom.

Iſidor.

Leg. Generaliter. Leg. Iuris Gentium.

2. Sequitur primo, aſſertionem veram eſſe tam in venialibus, quam in mortalibus peccatis, & tam in actibus intrinſece malis, quam etiam in malis, quia prohibitis, ſiue Diuino iure poſitiuo, ſiue humano. Nam rationes factæ in vtroque locum habent, & obligationes contrariæ qualeſcunque ſint, non poſſunt ſimul cadere in eundem actum. Dices; Voti obligatio eo quod ſit Diuina, & naturalis, poterit eſſe maioris efficaciæ, quam prohibitio poſitiua talis actus, & ideo, non obſtante illa prohibitione, poterit votum obligare ad talem actum. Reſpondeo, vel obiectio ſupponit, poſito tali voto ceſſare obligationem alterius præcepti prohibentis actum, vel non, ſi dicatur hoc poſterius procedit repugnantia ſupra poſita, quod ſimul ſint prohibitio, & præceptum eiuſdem actus, & parum refert, quod obligatio vnius ſit maior, quam alterius, ſi ſtante vna, non ceſſat alia: & præterea procedunt aliæ rationes ſupra factæ. Si autem dicatur prius, ſic falſa eſt ſuppoſitio, quia votum, quod propria voluntate fit, non poteſt obligationem legis poſitiuæ, quæ à ſuperiori voluntate deſcendit, impedire. Sic enim intelligi poteſt illud, *Melior eſt obedientia, quam victima*, primo Reg. 15. quia ſacrificium de re prohibita non placet Deo, vt ſignificauit etiam Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 104. articulo 3. ad 1. Simili enim modo votum de re prohibita à quocunque Superiori habente legitimam poteſtatem, non poteſt eſſe placitum Deo, neque habere efficaciam contra prohibitionem ſuperioris. Et ratio eſt clara, quia licet lex de implendo voto ſit naturalis, & Diuina, ſupponit tamen voluntatem propriam efficacem ad vouendum, & promittendum: non poteſt autem voluntas priuata habere efficaciam contra voluntatem legitimam ſui Superioris, & ideo non poteſt obligatio voti cadere in talem materiam. Et hic etiam addi poſſunt ſupra dicta de iuramento.

Reſolutio ſuperior ad omnem actum peccaminoſum ſe extendit. Obiectio.

Solutio.

1 Reg 15. D. Thom.

3. Secundo ſequitur, concluſionem non ſolum procedere in actu malo ex obiecto, ſed etiam in actu malo ex fine, vel aliis circumſtantiis, ſi illæ, ſeu habitudo ad illas, aut illarum coniunctio ſub votum cadant. Eſt communis ſententia Doctorum, quos ſtatim referam. Et ratio eſt eadem; quia actus ex circumſtantia malus, ſimpliciter eſt malus, quia malum ex quocunque defectu; ergo Deo non placet; ergo non acceptat votum de illo. Item homo ſemper tenetur talem actum ſic factum vitare; ergo non poteſt per votum ad illum obligari. Atque ita reſoluta manet quæſtio, an votum de bono actu propter finem malum obliget: nam adhibenda eſt diſtinctio ſupra tradita libro 1. capit. 5. de habitudine ad finem, quæ eſt materia voti, vel quę ſolum inficit ipſam voluntatem vouendi. Nam de hac poſteriori iam diximus, non eſſe contra ſubſtantiam voti. De priori nunc dicimus eſſe contrariam ſubſtantiæ, quia reddit materiam malam, ac ſubinde incapacem obligationis voti. Quod docent communiter Theologi in 4. d. 38. vbi bene Richard. articulo 1. Durand. in 3. diſt. 39. quæſtione 4. & ibi etiam alij; late Caietan. d. articulo 2. dub. 3. Soto d. articulo 3. Summiſtæ verbo *votum*. Neque in hoc eſt difficultas.

Non poteſt eſſe materia voti actus malus ex parte obiecti, nec ex parte finis.

Richard. Duran. Caiet. Soto.

Quæri

4 *An ſaltem votum obliget ad actum reiecto malo fine, & circumſtantia. Reſolutio dubij vnde ſumenda.* Quæri tamen poteſt, an tunc votum obliget, vt impleatur quoad actum reiecto fine, vel circumſtãtia mala. Hoc enim in poteſtate eſt voluntatis, vt per ſe notum eſt; ergo cum homo vouerit actum bonum cum circumſtantia mala, tenebitur homo implere vtile, reiecto inutili, iuxta dicta in capite ſecundo. Hoc vero dubium expediendum eſt iuxta doctrinam datam in eodem c. 2. eadem enim eſt ratio quoad hoc de materia illicita, quæ de impoſsibili: nam illicita eſt moraliter impoſsibilis. Igitur ad voti obligationem non ſolum conſiderandum eſt, quid poſsit homo facere, ſed maxime quid voluerit vouere, & ad quid intenderit ſe obligare, quia (vt ſæpe dixi) hæc obligatio eſt iuxta menſuram voluntatis, ſuppoſita poteſtate. In eo autem caſu, qui voluit vouere rem efficiendam propter malum finem, ſi illum finem habuit pro motiuo principali, noluit ſe obligare ad efficiendum illum actum per ſe ſe, ſed ſolum propter talem finem, vel vt affectum tali circumſtantia: & ideo ſicut tali voto non obligatur ad efficiendum actum propter talem finem, vel vt affectum tali circumſtantia, nec ad ipſum actum nudum obligatur. Idemque eſt de qualibet alia circumſtantia mala iuxta diſtinctionem datam de modo, quo talis circumſtantia praua intenta eſt. Nam ſi includitur in primaria intentione vouentis, per quam vult obligationem ad illum actum ſic affectum per modum vnius indiuiſibilis obiecti, ſic votum eſt omnino nullum, nullamque parit obligationem, quia cadit in materiam incapacem. At vero ſi primaria intentio vouentis feratur in actum ipſum ſecundum ſe, circumſtantia vero adiungatur ex ſeundaria intentione; quaſi ſuperaddita priori: tunc orietur obligatio ad ipſum actum ſine praua circumſtantia, quia ibi interueniunt duo vota in virtute, vnum de actu; aliud de modo, ſeu de circumſtantia actus, & ideo obligat prius, etiamſi poſterius nullum ſit. Sicut enim ſubſtantia eſſe poteſt ſine extrinſeco accidente, ita intentio primaria, & ſubſtantialis poteſt habere ſuum effectum, etiamſi intentio ſecundaria, & accidentaria indebita, & nullius efficaciæ ſit.

5 *Actus indifferens vt ſic non eſt materia voti.* Tertio inferre poſſumus ex dictis, vel illis addere, actum indifferentem, vt ſic, non eſſe materiam voti, vt affectum autem bonitate alicuius finis eſſe poſſe. Declaratur, nam actus indifferens dupliciter conſiderari poteſt: vno modo ſecundum ſe, & ſine additione alicuius finis honeſti: ſecundo vt affectus tali fine. Priori modo licet in communi conſideratus malus non ſit, tamen in indiuiduo ſic factus ſemper eſt malus, accidentali ſaltem malitia, ex defectu boni finis, iuxta opinionem D. Thom. quam nunc veriorem eſſe ſuppono. Poſteriori autem modo actus alioqui ſubſtantialiter indifferens, eſt ſimpliciter bonus bonitate accidentali ſumpta ex bono fine; ergo actus indifferens vt ſic, non eſt materia voti, quia ſic factus eſt malus. Nam licet votum fieri videatur de ſpecie actus, re tamen vera ſit de actu, vt exercendo in indiuiduo, & ſic abſque bono fine malus eſt. Et præterea quamuis talis actus in indiuiduo malus non eſſet, iuxta opinionem Bonauenturæ, adhuc eſſet inepta materia voti, & incapax obligationis eius, quia eſt prorſus inutilis ad Diuinum obſequium, & honorem, vt recte etiam D. Thomas ſenſit. Vtrumque autem incommodum ceſſat, quãdo additur finis honeſtus, vt per ſe conſtat, & in materia de Iuramento explicatum eſt.

6 *Obiectio.* Sed obiicitur contra vtramque partem: nam ex priori ſequitur, votum de agitandis tauris in honorem Dei, vel alicuius Sancti, eſſe validum, quia vouetur res indifferens facienda propter bonum finem. Conſequens autem eſt plane abſurdum. Contra alteram vero partem obiicitur; quia qui vouet actum indifferentem præciſe, non vouet quaſi poſitiue facere illum actum ſine bono fine, ſed vouet actum, & negatiue ſe habet circa finem; ergo abſolute non vouet actum malum, neque inutilem, ſed vouet actum, qui ab eo poteſt bene, & vtiliter fieri; ergo ad hoc tenebitur ex vi talis voti.

Ad priorem partem reſpondeo negando ſequelam. 7 *Solutio.* Et in primis negari poſſet, agitationem taurorum eſſe actum indifferentem, niſi multæ circumſtantiæ in eo ſeruentur, quæ iuxta communem vſum omittũtur: ſed nolumus in pręſenti hoc in quæſtionem vocare, quia ad hunc locum non ſpectat, ſatiſque eſt ad vim argumenti, quod ille actus factus debito modo poſsit eſſe non malus, quod negari non poteſt. *Regula obſeruanda ad cognoſcendum, quando actus indifferens fiat honeſtus ex fine.* Dico igitur (eſtque generaliter obſeruandum) vt actus indifferens fiat honeſtus ex fine honeſto, non ſatis eſſe quod ex libertate, aut falſa apprehenſione operantis in eum finem referatur: ſed oportere, vt talis relatio prudenter fiat, & cum proportione, ac fundamento alicuius conuenientiæ inter tale medium, & talem finem, id eſt, quod ſit vtile ad illum, vel proxime, vel interuentu aliorum mediorum, quia alias imprudens eſt relatio talis medij ad talem finem, & potius videtur in verbis, aut falſa apprehenſione, quam in re ipſa exiſtere. Exemplo res declaratur: nam ſi quis dicat ſe ire in agrum propter Dei honorem, vel amorem, profecto ſi nihil aliud adiungatur, & immediate fiat talis relatio, vna eſt, & nullius momenti: quia ire in agrum per ſe nihil confert ad Dei honorem, vel amorem; ſed interponere oportet alia media, quibus mediantibus, poſsit ille actus conferre ad talem finem, vt ſi ſtudium conferat ad Dei honorem, & vires corporis ſint ad ſtudium neceſſariæ, & ad has vires comparandas, vel conſeruandas conueniens iudicetur ire in agrum: tunc optime refertur actus ille ad bonum honeſtum, & ideo eius bonitatem participat. Agitatio igitur taurorum, etiamſi tali modo fiat, vt mala non ſit, nihil in ſe habet vtilitatis, aut conuenientiæ, vt ad Dei, vel Sanctorum honorem cõferre quidquam poſsit, vel mediate, vel immediate, & ideo nullam honeſtatem accipit actus ille ex tali relatione, neque ad Religionem vllo modo pertinet. Ideoque votum de tali actu, etiam ſi fingatur illo fine coloratum, validum non eſt, ſed potius ſuperſtitioſum.

Ad alteram partem reſpondetur negando conſequentiam vltimam, & in priori eſt quædam ambiguitas. 8 Simpliciter enim verum eſt, eum qui talem actum vouet, nõ vouere actum malum, ſed indifferentem: ita tamen illum vouet, vt ſi fiat præciſe, vt promiſſus eſt, malus, vel inutilis ſit futurus. Atque hoc ſatis eſt, vt tale votum ſit nullum, quia materia voti non ſolum eſſe debet non contraria Deo ex ſe, ſed etiam in indiuiduo debet eſſe illi conſentanea. Maxime quia nõ obligatur quis ex tali voto ad agendum actum illum ex aliquo honeſto fine. Quia qui ſic vouit, non intendit hoc promittere; ergo ad id non ſe obligauit, ſed ſolum ad nudum actum: vnde cum ad hoc obligari non poſsit, ſimpliciter obligatio non tenuit. Eo vel maxime, quod qui ſic vouet, non intendit principaliter, niſi delectationem aliquam, vel commoditatem temporalem in tali actu inuentam; ergo non eſt cogendus ad faciendum illum actum ex aliquo fine honeſto, cum hoc fuerit extra intẽtionem principalem eius.

Addo denique ſæpe actum indifferentem eſſe talem, vt vix poſsit habere finem honeſtum voto proportionatum, niſi valde remote, & interpoſitis multis aliis mediis, vel actibus, ad quos vouens nulla ratione voluit ſe obligare, & tunc res eſt per ſe clara. 9 At vero quando actus, ſeu obiectum indifferens poteſt immediate conferre ad honeſtum finem voto proportionatũ, tunc conſulenda eſt intentio vouentis, quod in his caſibus moralibus ſæpe neceſſarium eſt, vt v. g. votum de non ludendo cum Petro, in eo qui habet animũ ludendi cum Paulo, &

cum aliis, communiter cenſetur inualidum, quia illa circumſtantia perſonæ cenſetur indifferens, atque adeo impertinens: at vero ſi vouens id feciſſet, quia Petrus frequentius ad ludendum illum prouocat, vel quia eſt illi occaſio rixandi, aut iurandi, tūc votum eſſet validum, quia iam illud obiectum non eſt indifferens, ſed honeſtum. Similiter ſi quis voueret non ingredi talem domum, in qua habet peccandi occaſionem, quamuis haberet animum ingrediendi alias, in quibus habet ſimiles occaſiones, votum eſſet validum, ſi re vera fieret intuitu tollendi talem occaſionem: quia non ſolum omnino tollere occaſiones peccandi, ſed etiam illas minuere tollendo vnam, honeſtum eſt. Et ad hunc modum iudicandum eſt de ſimilibus obiectis, quæ videntur indifferentia. Denique in huiuſmodi votis de indifferentibus actibus propter honeſtos fines conſiderandum eſt, quamuis à principio obligent exiſtente fine, illo tamen ceſſante, ceſſare etiam obligationē voti ex defectu materiæ, vt in exemplo poſito de voto non ingrediendi domum, vbi erat occaſio peccandi, ſi à tali domo auferatur talis occaſio, ceſſat obligatio non ingrediendi talem domum, quia iam res eſt prorſus inutilis, vt Nauarrus recte notauit, & eſt commune.

10. *Votum factum cōtra prius votū, iuramentum, promiſſionem eſſe nullum.*

Quarto ex dictis infero, votum factum contra prius votum, iuramentum, vel contra priorem promiſſionem eſſe nullum, quia verſatur circa materiā prauam, & indebitam, niſi in priori iuramento intelligatur excepta. De hac aſſertione late diximus tractando de iuramento, & ideo hic breuiter illam perſtringimus. Prima ergo pars de voto poſteriori repugnante priori clara eſt, quia ſi prius votum fuit validum, neceſſe eſt, vt poſterius ſit nullum, tum ratione prioris, tum etiam ratione indebitæ materiæ. Quia ſi prius votum eſt validum, eſt de meliori bono: ergo ſi poſterius votum priori opponitur, erit de materia oppoſita meliori bono: ergo ex illo capite eſſet nullum, etiamſi illud melius bonum non fuiſſet antea promiſſum, iuxta ea, quæ inferius dicemus. Si autem prius votum validum non fuit, poſterius non erit contrarium vero voto. Dices, aliquando poſſe contingere, vt prius votum ſit validum, & nihilominus poſterius votum contrarium valeat, vt ſi promiſi dare totam eleemoſynam Petro, & poſtea voueam dare Paulo, poſterius votum eſt priori contrarium, quia per illud voueo virtute non dare Petro, & tamen ſæpe obligabit votum poſterius. Reſpondeo, aut dare illam Paulo, eſt melius, & ſic votum ſecundum non eſt contrarium primo, tum quia bonum melius ſemper intelligitur exceptum. tum quia votum per ſe reſpicit cultum, & beneplacitum Dei, & reſpectu illius non eſt contrarium: vel dare illam eleemoſynam Paulo, eſt minus bonum, & ſic poſterius votum non obligat, vel eſt æquale, & ſic etiam non obligat, vel ad ſummum, tanquam idem putatur reſpectu Dei, iuxta varias opiniones, de quibus infra lib. 6.

Inſtantia

Solutio.

11. *Probatur aſſertio in iuramento*

Atque hinc facile probatur altera pars, quæ intelligitur de iuramento promiſſorio homini facto: nam ſi cadat ſuper promiſſionem factam Deo, eadē ratio de illo eſt, quæ de voto iurato; ſupponitur etiam eſſe iuramentum validum, alias pro nihilo reputabitur, neque erit vera contrarietas. Denique ſermo eſt, quando votum eſt contrarium iuramento, quia ſi fiat in fauorem eius, vt vouendo Deo implere tale iuramentum, vel dare tali perſonæ eleemoſynam, clarum eſt vtrumque eſſe validum, quia ſe iuuant. Sic ergo clara eſt ratio huius partis: quia iuramentum obligat ad ſui obſeruationem: ergo votum non poteſt obligare ad tranſgreſſionem eius, alias obligaret ad malum: ergo tale votum eſt de materia praua, & incapaci. Dices, obligatio voti eſt maior, & ita poterit expellere aliam, qua ablata, ita votum non obligabit ad malum. Reſpondetur votum ſuperueniens non poſſe auferre præcedentem obligationem ex iuramento ortam, ſicut ſupra dicebamus de obligatione præcepti poſitiui: nam fortior eſt obligatio præcepti Diuini, ac naturalis, ex quo naſcitur obligatio faciendi verum, quod iuratum eſt, & ideo votum ſuperueniens iuramento promiſſorio, & illi contrarium eſt de re intrinſece mala ex ſuppoſitione iuramenti, ſcilicet de violatione iuramenti, ac proinde obligare non poteſt.

Obiectio, Solutio.

Idemque probat hæc ratio de voto contrario priori promiſſioni humanæ, etiam ſimplici ſuppoſita eius validitate, & virtute ad obligandum, ſiue ex iuſtitia, ſiue ex fidelitate, & ſiue ſub culpa veniali, ſiue ſub mortali. Quia talis promiſſio ſufficit, vt votum de materia illi contraria ſit de re praua; tale votum non tenet, nec Deo placet. Quia vt dicitur Eccleſiaſt. 34. *Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata,* Et infra, *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.* Sicut enim non placet Deo votum de aliena ſubſtantia, ita nec de re alteri promiſſa, quia per promiſſionem quodammodo alterius facta eſt: vnde non poteſt illo inuito Deo ſancte offerri, ac proinde nec voueri. 12. *Probatur aſſertio in voto cōtrario priori promiſſioni. Eccl. 34.*

Hinc vero ſtatim occurrit difficultas, an qui ſponſalia contraxit, ſeu promiſit, poſſit caſtitatem vouere, vel Religionem, vel an is, qui promiſit pauperi eleemoſynam, poſſit vouere illam dare Eccleſiæ, vel in aliud pium opus? Sed non poſſumus hic ad hæc particularia deſcendere, infra enim tractando de voti obligatione, & commutatione, commodius tractabuntur. Propter caſus vero illos de voto caſtitatis, aut Religionis addidimus limitationem, *niſi in priori iuramento intelligatur aliqua materia excepta,* tunc enim non fiet contra iuramentum, cum materia illa non fuerit ſub illo comprehenſa. Talis autem fortaſſe intelligenda eſt eſſe caſtitas, vel Religio in promiſſionibus humanis, quæ illis repugnare videntur, vt ſuis locis videbimus. Si autem materia excepta non eſt formaliter, aut virtute, procedit regula generalis, vt præualeat prior promiſſio facta homini, vt dictum eſt. Vnde qui promiſit pauperi eleemoſynam, ſi illi directe, & proprie promiſit, nō poteſt de tali pecunia poſtea contrarium votum facere: ſi tamen non homini, ſed Deo promiſiſſet, etiamſi redundaret promiſſio in vtilitatem pauperis caſus non comprehenditur ſub hac parte, quia illa non eſt promiſſio humana, ſed votum, & ita pertinebit ad primam partem corollarij, & iuxta dicta circa illam regulandus eſt, de quo iterum ſermo redibit, cum de commutatione votorum agemus. 13. *An qui promittit ſponſalia, caſtitatem, vel Religionē vouere poſſit.*

CAPVT V.

Vtrum actus honeſtus ſub conditione turpi poſſit eſſe materia voti?

Videri poteſt hæc quæſtio coincidere cum tractata in capite præcedenti: nam ibi dictum eſt, actum bonum ex obiecto, promiſſum cum circumſtantia praua non eſſe materiam voti: conditio autem turpis videtur eſſe praua circumſtantia. Sed nihilominus quæſtio eſt valde diuerſa: nam ibi actum eſt, quando circumſtantia praua eſt quaſi pars materiæ promiſſæ, quia promittitur vt circumſtantia ponenda in actu promiſſo per votum, quando executioni mandetur ad votū implendum: hic autē nō de hoc agimus, ſed de conditione turpi poſtulata à vouente ad ipſā voti obligationē. Hæc enim conditio non eſt futura circumſtantia operis promiſſi per votum, vnde per ſe non reddit illud moraliter malum. Et hinc poteſt ſumi ratio dubitandi, quia nō obſtante illa conditione, actus promiſſus eſt bonus, & poteſt bene fieri implendo promiſſionem, ergo non eſt, cur non ſit conueniens materia voti: nam quod vo- *Senſus quæſtionis expenditur.* *Ratio dubitandi.*

Digitized by Google

quod vouens nolit ſe obligare, niſi exiſtente tali conditione, erit defectus in modo vouendi, non in materia voti. Explicatur primo in promiſsione humana: nam ſi quis ingrediens iniquum duellum cum inimico promittat alicui centum, ſi vincat; vel ſi promittat fœminæ, ſi ſecum fornicetur, illam ducturum, nihilominus promiſsio eſt valida, quia licet conditio ſit turpis, non eſt circumſtantia actus promiſsi, ſed poterit ſine peccato impleri; ergo cõditio turpis non reddit turpem materiam: ergo ex hac parte non annullat votum erga Deum, nec apparet alia ratio inualiditatis talis voti. Confirmatur ſecundo, quia ſi votum fiat ſub conditione indifferente, aut mere contingente, ac temporali, validum eſt, vt ſiquis dicat, Ego voueo ingredi Religionem, ſi illa nupſerit, aut mortua fuerit, vel Promitto centum dare hoſpitali, ſi nauis venerit, &c. Ergo etiam ſi ſit turpis conditio, cum apponatur tantum ad ſuſpendendum conſenſum, illa poſita, conſenſus tranſibit in abſolutum, & obligabit circa materiam alias bonam, quæ poteſt bene fieri.

2. *Varij modi apponendi cõditiones in votis.* Vt decidatur quæſtio, quia multa inuoluit, diſtinguere oportet varios modos, quibus conditio ſimilis poteſt apponi. Primo enim poteſt adhiberi in odium eius, (vt ſic dicam) & tunc votum eſt pœnale, ſitque ad coercendum hominem ab actu turpi, vt cum quis promittit dare eleemoſynam, ſi malè luſerit, vel ſi iurauerit, aut ſi fornicatus fuerit. Secundo poteſt votum fieri ſub conditione boni effectus præſupponentis actum turpem, qui per ſe non intenditur in conditionem, ſed ſupponitur, vt ſiquis promittat Deo aliquid, ſi filius ſibi ex meretrice naſcatur. Tertio fieri poteſt Deo promiſsio per modum impetrationis, vt ſi me de inimico vindicauero, faciam eleemoſynam. Quarto fieri poteſt per modum gratiarum actionis, vt qui vouet Miſſam, quia potitus eſt vxore aliena. Quamuis enim hoc modo non ſit conditio propria, ſed cauſa, quia iam ſuppponitur euentus: nihilominus poteſt ſub eadem ratione ſpectari, vel pendere in futurum, & ideo hic etiam conſideranda eſt. Quinto fieri poteſt ſub ratione puræ conditionis, ſolum quia nolo obligari nunc abſolute, ſed poſt talem euentum, vel quia tunc ero magis diſpoſitus, & expeditus, vel propter aliam commoditatem, vel rationem humanam, ad quam eſt impertinens, quod conditio turpis ſit, vel honeſta. Vt ſi meretrix promittat eleemoſynam facere, ſi ſuperflua habeat, non intentione obtinendi à Deo multas occaſiones turpis lucri, ſed tantum quia ſine abundantibus facultatibus non vult obligari, & cum illis vult.

3. *1. Aſſertio. Votum ſub conditione turpis actus ad ſe puniendum, & vitandum illũ, validum, & conueniens eſt.* Dico ergo primo: Votum ſub conditione turpis actus ad puniendum, & vitandum illum, non ſolum eſt validum & de conuenienti materia, ſed etiam rectè & honeſte fit. Eſt res communis, & clara: quia quod directe promittitur, eſt bonum, vt ſupponitur, & finis vouendi etiam eſt bonus, ſcilicet vitare actum turpem, vnde ex hac parte ſit votum. Item etiam actus promiſſus ordinatur ad finem bonum, ſcilicet ad vindictam actus turpis, ſi committatur, & ideo recte etiam promittitur ſub conditione, quia materia vindictæ non poterat promitti abſolute, nec vindicta per ſe intendi, ſed tantum ex ſuppoſitione actus mali. Et quamuis actus bonus ſic promiſſus poſſet etiam promitti ſine reſpectu vindictæ, tamen vouens ad hoc non tenebatur: poteſt ergo honeſte promittere, vt voluerit, dummodo finem bonum intendat, & malam circumſtantiam non apponat, hic autem nulla interuenit. Denique votum illud eſt de materia quaſi diſiuncta ſub quodam ordine, ſcilicet vel vitabo tale peccatum, vel ſi in hoc deficiam, faciam talem actum bonum: vtraque autem pars huius diſiunctiuæ bona eſt, vt conſtat, & ordo etiam eſt voluntarius, & non malus. Et ita in hac parte nulla eſt difficultas. Quomodo autem tale votum obliget, & quomodo diſpenſari poſſit, infra ſuis locis dicemus.

4. *2. Aſſertio. Votum factum pro effectu bono, qui ex actu turpi ſequi poteſt validũ eſt. Caietan. Aragon. Soto Nauar. Angles.* Dico ſecundo: Votum factum pro effectu bono, qui ex actu turpi ſequi poteſt, ſupponendo tantum actum turpem, & non ordinando vllo modo promiſsionem voti ad ipſum actum turpem; validum eſt, & materia illa non eſt inepta ad votum. Eſt communis ſententia, tenet Caietan. verb. *Votum*, & articulo 2. vbi Aragon. & reliqui, & Soto d. articulo 3. Nauar. cap. 12. numer. 31. & 32. Angles. quæſtion. de Voto articulo 1. difficult. 11. Ratio eſt, quia in tali voto non eſt per ſe ordo ad actum turpem, ſed illõ ſuppoſito, eſt ordo ad effectum eius, qui bonus eſt; ergo tale votum neque in ſe, neque in materia habet circumſtantiam malam. *Ratio aſſertionis.* Antecedens quoad vtramque partem ſupponitur ex caſu, quia qui ſic vouet, non intendit, Deum facere authorem ſuæ iniquæ actionis, neque vult per votum obtinere auxilium ad illam, ſed cum alias ſupponat, ſe facturum talem actionem, cupit obtinere à Deo, vt ex illo turpi facto tale bonum eliciat.

5. Iam ergo probatur conſequentia, quia in illo effectu duo conſiderari poſſunt, vnum quod temporale eſt, aliud, quod ex turpi actione procedit, neutrum autem horum eſt contra honeſtatem voti, ergo. *Votum factum pro bono, temporali obtinendo validum eſt, ſi voti materia ſit capax.* Probatur prima pars minoris: nam votum factum pro temporali bono obtinendo validum eſt, ſi alias votum ſit de congrua materia, vt tradunt omnes. Cuius ratio eſt, quia ille finis non reddit malum actum promiſſum, quia non eſt finis eius. Sentit autem Richard. in 4. diſt. 38. artic. 1. q. 2. votum factum peccaminoſe fieri, quia malũ eſt, ſpiritualem actum vouendi ordinare ad temporalem finem, & nihilominus ait obligare, quia materia eius bona eſt, & ex illo fine non accipit malitiam aliquam. *Richard.* Dico tamen etiam votum ipſum non neceſſario male fieri propter talem finem, quia finis ille non eſt malus, ſed indifferens, & poteſt honeſte intendi, vel ordinari ad honeſtum finem, & tunc ordinare votum ad illum finem temporalem, non eſt malum, neq; ordinare ſpirituale ad temporale malum eſt, quando in temporali non ſiſtitur tanquam in vltimo fine, vt in tractatu de Oratione explicatum eſt. Ex hoc ergo capite votum illud non eſt malum, quod pro omnibus alijs caſibus tractandis notandum eſt.

6. Altera pars minoris, videlicet non obſtare, quod illud temporale malum ex actione turpi prouenturum ſit, probatur: quia non propterea procuratur actio turpis, ſed ſupponitur, & effectus non ſequitur ex illa, vt turpis eſt, ſed vt actio naturalis, & materialis eſt, & hoc modo ex malis bonum elicere nõ eſt malum, imo eſt maxime conſentaneum Diuinæ bonitati, ac ſapientiæ, ergo. Et confirmatur, nam ſiquis poſt patratam fornicationem oret Deum pro fœlici partu, & pro filio aliquid voueat, vt ſi vir fuerit, &c. tunc ſine dubio votum eſt validum, quia eſt ad obtinendum quoddam beneficium temporale, quod iam non pendet ex aliqua turpitudine, ergo idem erit etiamſi ante patratum ſcelus fiat, quia ſit ex illa ſuppoſitione, ac ſi iam præceſsiſſet, reddit; hunc ſenſum, ſi poſtquam ego hoc fecero, Deus ex illo tale bonum elicuerit, &c. Et ita ſoluitur facilè obiectio, quæ fieri poſſet, quia tale votum emiſſum ante turpe factum, videtur includere factum ipſum, quia neceſſarium eſt ad talem effectum, & nondum extitit. Reſpondetur enim, non includere, ſed ſupponere illud in forma, & intentione vouendi. eſt enim quaſi conditionatum, ſi hoc fecerim, peto vt bonum exitum habeat: ſicut poſſum poſtulare, ſi peccauero, peto vt det mihi Deus pœnitentię locum; vel peto vt Deus bene vtatur meo lapſu ad maius aliquod bonum. Sed hoc magis vrgebitur, & declarabitur in ſequenti puncto.

7. *Tertia aſ.* Dico tertio: Votum emiſſum ad obtinendum auxilium pro malo, ſeu turpi facto nullum eſt, propter

Digitized by Google

Tertio votū factum ad obtinēdum auxilium pro malo, ſeu turpi facto nullum eſt. Caiet. Soto. Syluest. Nauar. Richard. materiam turpem, & iniquam. Eſt communis ſententia. Tenet Caiet. in Sum. ver. *Votum*, & d. ar. 2. vbi Sot. & alij Moderni Syluest. verb. *Votum*, 2. q. 2. vbi refert alios Nauar. c. 12. n. 30. & 43. Richard. autem in 4. d. 38. artic. 1. q. 1. citari ſolet pro hac ſententia, & pro contraria parte: ille tamen ſolum generatim dicit, quando aliquid promittitur propter malum finem, votum eſſe nullum, in quo huic ſententię fauet. Et apertius in ſolutione ad primum, dum ait, hominem non poſſe conſequi per Deum malum finem. Solet probari hæc ſententia, quia non ſolum eſt votum iniquum, quando finis malus apponitur, vt finis illius boni, quod vouetur, ſed etiam quando eſt finis voti, quia tale votum eſt iniquum, ergo nullum. Sed niſi antecedens amplius explicetur, poſterior conſequentia non eſt bona, quia poteſt votum male fieri, & eſſe validum, quando eius malitia ſolum conſiſtit in hoc, quod ipſemet actus promitendi propter malum finem ſit, ſi alioqui res promiſſa bona permaneat, & nullam malitiam participet ex tali fine.

8 *Confirmatur aſſertio ratione, & explicatur.* Vt ergo ratio ſit firma, oportet, vt oſtendamus, in caſu aſſertionis turpem actum non ſolum eſſe finem voti ex parte promiſsionis, ſed etiam ex parte materiæ, quæ Deo ſub tali conditione promittitur: Hoc autē patet, quia ſic vouēs mouetur non ſolū ad vouendum, ſed etiā ad faciēdam rem, quā promittit ex affectu ad rem illam, quam à Deo obtinere intendit, vt ex re ipſa per ſe notum eſt: ergo ille finis non ſolum ex cauſa promiſsionis, ſed etiā rei promiſſæ. Cuius ſignum eſt, quia quando aliquid eſt finis ſolius promiſsionis, & non etiam rei promiſſæ, ex ſe non mouet ad propoſitū faciendi rem, quæ promittitur, ſed ſolum ad promittendum: vt patet in eo, qui ex affectu ad honores vel diuitias vult vouere caſtitatem. At vero in præſenti turpis actus, propter quem obtinendum fit votum, non vtcumque ad vouendum, ſed maxime ad vouendum cum propoſito faciendi mouet: nam quomodo exiſtimaret quis, ſe obtenturum à Deo aliquid per promiſsionem ſine propoſito faciendi rem promiſſam? Prius ergo mouet ille finis ad tale opus faciendū, & deinde ad illud promittendum: ergo ille non tantum eſt finis promiſsionis, ſed etiam rei promiſſæ.

9 *1. Obiectio.* Sed obiicitur primo, quia ex vi talis voti homo nō promittit facere poſtea talē actum propter talem finem: nā ſi actus promiſſus erat, verbi gratia, eleemoſynæ, licet quis poſtea illam non referat in turpem finem ſufficiet ad implendum votum: ergo relatio illius operis in talem finem non eſt materia illius voti. Et confirmatur, quia illa conditio non eſt circūſtantia operis promiſsi, ſed pura cōditio: ergo licet turpis ſit nō facit actū promiſſum eſſe turpem.

10. *1. Solutio.* Ad obiectionem reſpondeo primo negando aſſumptum, nam qui vouit aliquid facere in gratiarū actionem, tenetur id facere cum illo reſpectu: ergo qui vouit aliquid facere ad impetrandum aliud, tenetur etiam illud facere ſub illo reſpectu, ſi ſupponamus votum eſſe validum. *Secundo.* Secundo & facilius, quamuis demus talia vota obligare ad talem actū, & non ad relationem in illum finem, neganda eſt illatio, quia ſatis eſt, quod illud votum vt ſic factum ex intentione operantis, ordinet opus promiſſum ad talem finem, & illud maxime poſtulet: nam hoc etiam repugnat promiſsioni Deo factæ, ſiue obliget ad illam relationem, ſiue non. Quod patet, quia per tale votum eleemoſyna nō promittitur ſub ſola ratione eleemoſynæ, ſed ſub ratione quaſi mercedis, & ſtipendij (vt ſic rem explicem) auxilij dati ad prauum opus: ſub hac autem ratione illa materia praua eſt: ergo ſiue poſtea fiat ſub illa ratione, ſiue ſub alia, votum in illam cadens prauum eſt ex parte materiæ, atque adeo nullum.

11. *Fit ſatis cōfirmationi.* Vnde ad confirmationem negatur aſſumptum: nam (vt recte notauit Caiet.) illa non eſt pura conditio in caſu, quem tractamus, nō enim negamus poſſe eſſe puram conditionem, vt paulo poſt videbimus. Sed dicimus in caſu morali, de quo agimus, illam re vera non eſſe puram conditionem, ſed includere habitudinem cauſæ: quia ad hoc fit promiſsio, vt à Deo obtineatur turpis actus intentus. Quod plane conſtat, tum ex intentione vouentis, tum quia alias nulla eſſet ratio, vel occaſio apponendi voto talem conditionem: nam dicere apponi illo modo ex mero arbitrio voluntatis ſine alio titulo, vel ratione, non eſt verum, nec morale. Hæc ergo eſt tota deformitas illius voti, propter quam cenſemus illud non acceptari à Deo, & conſequenter non eſſe validum. Vnde ſi vel ab actione, vel re intenta ſeparetur turpitudo, vel ſeparetur intentio conſequendi illam mediante re promiſſa, tūc non repugnabit votū eſſe validum. Quomodo autem, aut quando id poſſit contingere, conſtabit reſpondendo ad alias obiectiones, quæ in præſenti occurrunt.

Secundo ergo obiici poteſt, quia per tale votum non poſtulatur à Deo aliquid, quod facere non poſſit, & interdum faciat, vt verbi gratia, ſi votum fiat Deo, vt det victoriam in bello iniuſto, nō propterea poſtulatur ab ipſo, vt ſit author iniuſtitię, ſed ſolum vt actionem illam materialem ita dirigat, vt quāuis ego iniuſte agam, nihilominus victor euadā. In hoc autem nihil petitur à Deo, quod ipſe facere non ſoleat. Nam conſtat ex Scriptura, Deum ſæpe ita ordinare curſum rerum, vt iniuſte bellantes conſequantur victoriam; imo ſæpe illis vti, vt inſtrumentis ad vindictam de aliis ſumēdam: quia licet reſpectu aliorum hominum iuſte ſe ab illis defendant, reſpectu Dei ſunt peccatores, & vult illos punire per alios, etiamſi ipſi iniuſte agant. Vnde Daniel. 1. dicitur: *Tradidit in manu eius* (ſcilicet Nabuchodonoſor) *Ioakim regem Iuda*, & capit. 2. *Ipſe transfert regna*, &c. Et Iudith. 16. *Dominus conterens bella*, ergo ſi quis ex hac fide generali voueat Deo, vt ſibi concedat victoriam eo modo, quo poteſt ſancte, & iuſte, licet ipſe vouens iniuſte agat, non vouet aliquid contra Dei honorem; ergo erit validum tale votum. Vnde in hoc videtur eſſe magna differentia inter hominem, & Deum. Nam promittere homini aliquid, vt me iuuet in opere malo, eſt ſemper malum, quia homo non poteſt iuuare ad malum, niſi male agendo: Deus autem vel permittendo, vel cooperando vt cauſa vniuerſalis, vel ſuo iure, & vniuerſali prouidentia vtēdo poteſt ſine prauitate vlla dare victoriā in bello iniuſto; ergo ita vouere illi nō eſt malū. 12. *2. Obiectio.* *Daniel. 1. Iud. 16.*

Circa hanc obiectionem Caietanus, & alij ſentiunt, eum, qui ſic vouet, quantum eſt ex ſe facere Deum authorē peccati, & hoc neceſſario intendere per tale votum, ſicut qui promittit homini aliquid, vt ſe iuuet ad homicidium, intendit illum facere authorem homicidij. Vnde potius conſtituunt differentiam inter votum, & promiſsionem humanam, q. reſpectu hominis tenet talis promiſsio, & ſi alius exhibeat cooperationem, debetur illi ſtipendium promiſſum, quia ille eſt capax inductionis, & cooperationis ad malū, & ideo etiā eſt capax illius ſtipendij ratione laboris, qui ex ſe pretio æſtimabilis eſt. At vero Deus eſt incapax illius cooperationis, & cōſequenter etiā turpis promiſsionis. Sed quāuis hæc vera ſint, quando vouens talē intentionē habuit, nō tamen videtur neceſſarium, vt illā habeat, neq; etiā videtur eſſe ſufficiens fundamentū ad attribuendū ſic vouenti talē intentionem. Quia neq; illa ſolet haberi directe, & expreſſe, vt per ſe notū videtur, moraliter loquendo: neq; etiā interpretatiue, vt obiectio facta videtur probare, quia ſic vouens ſolum vult habere victoriā v. g. à Deo, eo modo, quo Deus ipſe ſancte, & iuſte poteſt illā dare, etiāſi ipſe homo illam procurādo & intendendo, grauiter peccet. Et explicatur in hunc modū; nam ſi quis explicite ita Deum oraret, licet ego iniuſtus ſim, & iniuſte fa- 13. *Aliquorū reſponſio.*

ciam,

Digitized by Google

ciam [illegible] te poſſe ſine iniquitate facere, vt ego conſequar quod per actionem hanc [illegible], & non tibi iniquam [illegible] quæſo ergo vt hoc mihi concedas, per hanc orationem, vt videtur, neque actionem prauam peteret à Deo, neque illum faceret authorē mali. Et ſimiliter qui orare Deum vt permitteret inimicum ſuum labi in peccato, non poſtularet ab eo aliquid malum, neque ex hac parte peccaret; ergo idem dicendum eſt in caſu de voto.

14. *Solutio germana.* Dico igitur. Etiamſi per talem votum non petatur à Deo vt cooperetur, vel inducat ad malum, nihilominus votum eſſe iniquum, quia vouens deſiderat, & ordinat, quantum in ſe eſt, totam illam Dei actionem, vel promiſsionem ad prauum finem. Eſt autem per ſe iniquum, & malum, procurare bonum actum alterius propter malum finem, quia iam bonum non procuratur niſi vt medium ad finem iniuſtum. Deinde dico, quod licet Deus bene faciat permittendo peccatum, aut concurrendo ad materialem actum eius, nihilominus ſi id faceret ea intentione, vt homo peccaret, aut expleret ſuam iniquam voluntatem, nō recte faceret, ideóq; repugnare eius bonitati. Iam vero qui Deo aliquid promittit, vt iniuſtam actionem ſibi perficere concedat, hoc ipſo vult, & procurat, vt Deus ſuam cooperationē, quæcumque illa ſit, ordinet ad fauorem, vel auxilium præſtandum iniquæ voluntati eius: & ideo talis promiſsio, & actio, quæ ex vi illius fit, non ſolū in ſe iniqua eſt, ſed etiā ſpeciali modo Deo iniurioſa. Vnde qui ex affectu peccati deſiderat, vt Deus permittat ſibi talem occaſionem, vel conſenſum alterius, peccat quidem inique optando iuſtam permiſsionem Dei: non tamen peccat ſpeciali malitia contra Religionem, ſed ſolum illa, quæ ex tali fine turpi deſumitur. Qui autem petit à Deo, vt hoc ſibi concedat, vel permittat, iam in hoc eſt ſacrilegus, quia vult, vt Deus id permittat ex iniqua eius oratione, & conſequenter ordinando promiſsionem ſuam ad finem explendi iniquam voluntatem, & voluptatem eius. Ita ergo qui ex ſimili intentione aliquid Deo vouet, ſacrilegam facit promiſsionem, & iniuriam in Deū committit, illam implendo, cum virtute includat illam petitionem. Ob hanc ergo cauſam votum illud inualidum eſt.

15. *Caietani limitatio reijcitur.* Quare non mihi placet limitatio, quam Caietanus adhibet, videlicet ſiquis diſcernat in opere malo bonum à malo, & voueat offerre mille aureos, ſolum ac præciſe, vt conſequatur illud, quod ſecundum ſe bonum eſt in victoria iniuſta, votum validum eſſe, quia iam nō habet malitiam. Hoc inquā mihi non probatur, quia reſpectu intentionis hominis ſic promittentis, non exiſtimo illa duo eſſe ſeparabilia: quia tale bonum reſpectu hominis ſemper eſt finis malus, quia vel ſecundum ſe eſt rationi contrarium, vel vt obtinendum per tale medium belli iniuſti. Exemplū primi eſt in eo, qui vouet aliquid, ſi talem fœminam turpiter cognoſcere potuerit, quantumcumque enim præſcindat bonum voluptatis à malitia intemperantiæ tale votum eſt iniquum, & inualidum. Exemplum ſecundi eſt, ſiquis intendat conſequi honorem alias licitum per iniuſtam vindictam nam etiam tunc votum ordinatur ad tale bonum, vt conſequendū tali modo & in tali voto, quod eſt ad impetrandum, non exiſtimo illa duo poſſe ſeparari. *Obiectio.* Dices. Ergo non erit votum licitum pro obtinendo filio ex prauo concubitu ante turpem actum commiſſum. Patet conſequentia, quia tunc etiam bonum intenditur per turpe medium. Conſequens autem eſt contra dicta. *Solutio.* Reſpondeo non eſſe ſimile, quia in bello iniuſto victoria eſt quaſi intrinſecus terminus actionis, & ideo vouere pro victoria neceſſario eſt vouere pro auxilio ad actionem: in actu vero generandi hominem productio filij eſt effectus valde poſterior, & quaſi extrinſecus reſpectu turpis actionis hominis. Et ideo ſeparari poteſt effectus, qui eſt filius ab actu turpis copulæ, & ſine petitione alicuius auxilij ad talem actum, poteſt filius poſtulari, & pro illo voueri modo ſupra dicto.

Sed quæres, An in bello, vel duello iniuſto liceat pro incolumitate propria aliquid vouere? Videtur enim ex dictis ſequi, hoc non licere, quia hoc neceſſario ordinatur ad victoriam iniuſtam, imo eſt magna pars eius, vnde non poſſunt intentione ſeparari. Nihilominus probabilius cenſeo, tale votum eſſe validum cum Caietan. Soto, & Nauarro, capit. 12. numer. 32. quia id, quod poſtulatur, bonum eſt, vt conſtat, & non intenditur per turpe medium, quia duellum, aut bellum iniuſtū non eſt mediū ad incolumitatem propriam obtinendam, ſed potius de ſe eſt illi contrarium & ſolum petitur à Deo, vt non permittat talem effectum, quod etiam eſt per ſe bonum, & Deum non dedecet. Vnde etiam talis effectus de ſe non ordinatur ad malum finem, neque in eo caſu ordinatur à vouente in malum finem. ergo tale votum non eſt iniquum ex obiecto, vel ex fine, non eſt ergo cur inualidum ſit. Nam quod non occidi v. g. ſit valde vtile ad comparandam victoriam, & veluti quædam pars eius, non obſtat quia qui hoc poſtulat à Deo, & propterea aliquid promittit, non ordinat, aut petit à Deo propriam incolumitatem tanquam medium ad inferendum malum alteri, ſed per ſe tantum, reſpiciendo ad bonum, & commodum propriæ naturæ. In victoria autem duo diſtingui poſſunt, immunitas à propria cæſione, ſeu paſsione, & offenſio alterius, & in hoc poſteriori conſiſtit prauitas iniuſtæ victoriæ primum autem per ſe non eſt malum, & ad illud ſpectat non occidi, aut non vulnerari, & ideo propter hoc præciſe aliquid vouere non videtur inordinatum.
16. *An liceat in bello, vel duello iniuſto aliquid pro ſalute [illegible] vouere.* *Reſolutio dubij affirmatiua.* *Nauar.*

17. *Obiectio.* Sed inſtabit aliquis, quia quamuis hæc vera ſint conſiderando in communi puram defenſionem, vel liberationem à morte, vulnere, &c. tamen in indiuiduo quatenus talis defenſio coniuncta eſt cum offenſione alterius, vix eſt ſeparabilis à malitia illius, quia eſt morale auxilium ad ipſam offenſionem. Quod patet, ſi caſus ſimilis inter homines conſideretur nam ſiquis ita aſsiſtat alicui in duello, vt ſolum defenſioni eius incumbat, cenſetur cooperari ad homicidium, etiamſi malum alteri non inferat, neque talem habeat directam voluntatem. Similiter ſi aliquis fieret ſocius alteri eunti ad adulterium committendum, ſolum vt eum à malo tueretur abſque vlla alia cooperatione, cenſeretur illum iuuare ad malum, & qui aliquem ad id inuitaret, cenſeretur illum inducere ad malum; ergo idem cenſendum eſt reſpectu Dei. Nam qui voluntarie ſe ingerit periculoſæ actioni, alioqui iniuſtæ, ſeu iniquæ, & in illa vult ſpecialiter protegi à Deo quoad ſuam defenſionem, virtualiter videtur velle iuuari à Deo ad illam actionem. Item ſi certo ſciret, Deum incolumem illum ſeruaturum in illo periculo, ſine dubio maiori voluntate, & animo aggrederetur talem actionem; ergo ſignum eſt illud reputari magnum præſidium ad illam actionem.

18. Reſpondeo, argumentum ſolum concludere, quod ſi vouens hæc non ſepararet, & ſub illo titulo per tale votum intendat victoriam, aut vindictam iniuſtam, grauiter peccabit, & votum erit nullum. *Solutio.* Nihilominus tamen abſolute illa ſunt ſeparabilia, & ſi homo recta intentione procedat, votum erit validum, vt dixi, nec exempla humana, ſunt ſimilia, quia non eſt in hoc comparandus Deus cum homine. quia homo tenetur non currere etiam illo modo in ſimili caſu Deus autem non tenetur, & homo non ita poteſt ſeparare defenſionem vnius ab offenſione alterius, ſicut poteſt Deus.

19. *4. Aſſertio.* Dico quarto votum factum in gratiarum actionem pro victoria iniuſta iam parta, vel pro alio ſimili

Votum factum in gratiarum actionem, pro termino actionis turpis iam factæ validum eſt.

mili termino actionis turpis iam factæ, ſi alioqui ſit de materia capaci, validum erit, nec ratione illius circumſtantiæ fit illicitum. Aliquibus non placet hæc aſſertio, putant enim eãdem eſſe rationem ſiue victoria præceſſerit, ſiue exſpectetur. Quæ videtur eſſe opinio Caietani: nam euiſdem malitiæ eſſe exiſtimat vouere in gratiarum actionem, & ad impetrandum. Dico tamen, non eſſe ſimilem rationem de voto, ante, vel poſt effectum obtentum, emiſſo. Nam quando votum præcedit, ordinatur ad iniquam impetrationem à Deo; quando vero ſubſequitur, iam non ordinatur actio Dei in malum finem, cum ſupponatur facta, ſed ſolum pro effectu iam facto, qui in ſe bonus eſt, gratiæ aguntur Deo; quod ex ſe bonum eſt, & non habet circumſtantiam malam. Vnde Caietanus, Nauarr. & alij fatentur, quando quis gratias agit pro victoria abſolute, & ſine iniquitate conſiderata, non male agere, & conſequenter votum de tali gratiarum actione validum eſſe. At vero quotieſcumq; gratiarum actio eſt pure de effectu iam conſecuto, ſeparatur bonitas effectus ab omni malitia: conſtat enim hominem non agere gratias pro ſuo peccato, ſed pro tali effectu, vt fuit à Deo, à quo non potuit inique fieri, neque homo tales gratias agendo; hoc Deo attribuit, neque explicite, neque implicite, quia ſolum agit gratias pro illo bono, ſicut eſt, & ſicut factum eſt à Deo, ergo ſine illa limitatione, vel diſtinctione abſolute, & ſimpliciter pura gratiarum actio pro bono iam collato, bona eſt. In hoc ergo magna videtur eſſe differentia inter votum impetratiuũ, & gratificatiuum, quod in illo ſi fiat propter turpem finem diſcerni non poteſt bonitas à malitia: in hoc vero non ſolum diſcerni poteſt, ſed etiam ſemper diſcernitur, moraliter loquendo, niſi homo ex pura malitia, & abſque vlla neceſsitate velit Deo turpitudinem ſui actus imputare.

20\. *Duplex limitatio concluſioni apponitur Prima.*

Oportet tamen huic aſſertioni duplicem limitationem adhibere. Primam inſinuaui, cum dixi, debere eſſe puram gratiarum actionem. Nam duobus modis poteſt intelligi, hoc votum eſſe poſt victoriã partam: primo quantum ad executionem rei promiſſę; non vero quantum ad ipſam promiſsionem, vt v.g. ſi ante congreſſum belli, votum talis peregrinationis fiat in gratiarum actionem victoriæ, ſi concedatur. Secundo vt votum quoad vtrumque fiat poſt victoriam, quia nimirum hæc comparata, & vouetur peregrinatio, & fit in gratiarũ actionem. In hoc ergo locum habet doctrina data. Quando vero fit priori modo, votum etiam eſt impetratiuum, & ideo cenſeo eſſe iniquum quãtum ad ipſam promiſſionem. Quãtum ad valorem autem eius poſſet quis dubitare, quia in executione votum illud iam non eſt impetratiuum, etiam ſi in intentione, vel promiſſione fuerit. Nihilominus tamen cenſeo tale votum eſſe inualidum, quia obſeruare illud votum, eſſet profiteri per illud votum impetratam eſſe à Deo iniuſtam victoriam, quod falſum eſt, & iniurioſum Deo. Item quia illud ſolueretur tanquam pretium iniquo pacto comparatum, quod licet homini non repugnet, contrarium eſt bonitati Diuinæ, vt diximus. Ac propterea in illo caſu, ſiquis vult actionem, quam promiſit in gratiarum actionem ſine peccato facere, debet præſcindere à voto, vt poſsit omnino gratiarum actionem ab impetratione ſeparare. Poterit ergo ſponte illam facere, non ex obligatione voti, atque ita etiam diſcernere bonitatem effectus à malitia ſua.

21\. *Secunda.*

Altera limitatio eſt, vt bonum per actionem iniquam comparatum tale ſit, vt honeſte, & iuſte retineatur: nam ſi malitia actionis quodammodo perſeueret in effectu, non poteſt gratiarum actio licite fieri, etiam illo iam conſequuto, & ideo nec votum de tali gratiarum actione validum erit. Explicatur exemplis vtraque pars. Sumit aliquis in duello vindictam de inimico, occidendo eum, qui alapam ſibi dederat, & ita honorem recuperat, vel aliud ſimile commodum obtinet, quod malum non eſt, etiamſi malo medio fuerit comparatum. Tunc dico gratiarum actionem pro tali bono licitam eſſe, & votum de illa eſſe validum, quia illud bonum, vt iam obtentum recte poteſt Deo attribui, ſeparando bonitatem effectus à malitia medij, ſeu actionis. Si autem Rex inferat iniuſtum bellum alteri, & comparata victoria eius regnum vſurpet, quod iuſte retinere non poteſt: tunc dico, votum in gratiarum actionem pro tali regno obtento iniquum eſſe, & inualidum. Quia licet actio iniqua phyſice videatur iam finita, & præterita, moraliter tamen durat, & habet (vt aiunt) tractum ſucceſsiuum. atque ita agere Deo gratias pro tali bono conſecuto, eſt illi attribuere iniuſtam retentionem eius, illam æſtimando tanquam Dei beneficium. Item quia gratiarum actio pro tali bono eſt quædam virtualis petitio conſeruationis eius, & eſt quædam confirmatio propoſiti retinendi illud. Eſt denique gaudere de iniuſta illius boni poſſeſsione: hoc autem totum iniquũ eſt: ergo hæc gratiarum actio eſt impia: ergo & votum de illa præſtanda inualidum eſt. Oportet ergo, vt & gratiarum actio ſit pura, & bonum (vt ita dicam) ſit purum, id eſt, non habens admixtam perſeuerantem iniuſtitiam, vel aliam ſimilem iniquitatem.

Explicatur vtraque pars exemplis.

Dico quinto: Si votum fiat ſub conditione turpi habente rationem puræ conditionis, & non cauſæ, vel rationis voti, nihil obſtabit turpitudo eius, quominus votum validum ſit. Hæc concluſio non placuit Soto, non tam quia falſa ſit, quam quia putat hypotheſim eſſe impoſsibilem; *Quia nullus* (inquit) *ſub mera conditione vouet, ſed Deum ſui ſceleris patronum compellat.* Aſſertionem vero poſuit Caietan. & ſequitur Nauar. & data hypotheſi conuincitur argumentis in principio capitis poſitis pro ratione dubitandi, quia tunc materia voti non fit mala ex turpi conditione, imo neque ipſum votum, quia non eſt circumſtantia eius. Poteſt autem eſſe conditio ſuſpenſiua conſenſus, & obligationis, quia licet ſit turpis, non habetur pro non adiecta, ſicut in matrimonio, nam illud eſt peculiare in matrimonio, & ex præſumptione Iuris in fauorem eius, iuxta capit. vltim. de Condit. appoſit. Hic autem nullum eſt tale ius poſitiuum, ſed ex ſola rei natura iudicandum eſt; ſic autem conditio appoſita cuiuſcumque qualitatis ſuſpendit conſenſum. Poſt impletam vero talem conditionem obligabit votum, quia honeſte, & ſancte impleri poteſt. Hypotheſis autem illa licet rara ſit, non eſt impoſsibilis, & in ordine ad humanam commoditatem poteſt habere rationem non turpem, neque inhoneſtam, vt in notab. 2. declaraui.

22\. *5. Aſſertio. Votum factum ſub conditione turpi, vt pura conditio eſt, validum eſt.*

CAPVT VI.

Vtrum actus boni, qui ſunt ſub præcepto, poſſint eſſe materia voti?

HActenus magis explicuimus quid non ſit materia voti, quam quid ſit, nunc explicanda directe eſt propria materia voti, & quoniam ex dictis conſtat, hanc materiam cõſiſtere in aliquo actu bono, & honeſto, paulatim inquirendum eſt; an requirat certum aliquem honeſtatis gradum, vel aliquas conditiones. Poſſumus autem diſtinguere tres ordines actuum bonorum. In primo conſtituimus actus præceptorum, ſiue naturalium, ſiue poſitiuorũ, omnes enim honeſtos eſſe neceſſe eſt, & quantum ad præſens ſpectat, omnium eſt eadem ratio. In ſecundo ſunt actus non ſolum non præcepti, verum etiam nec ſub conſilio poſiti, qui ſolent vocari minora bona, vt ſunt matrimonium, ludus honeſtus, iuſta negotiatio, & ſimiles. In tertio ſunt actus conſi-

Triplex ordo actuum bonorum numeratur.

conſiliorum, quæ ſolent dici meliora bona [illegible] gulis erg [illegible] nt.

De actibus præcepti [illegible] eſſe materiam voti [illegible] de opere aſ [illegible] præceptis [illegible] obligationem. Tenet Gerſon [illegible] la- tione [illegible] dicit, vxorat [illegible] bentem vel [illegible] non peccare [illegible] vel face do- tem fornicantem non [illegible] quia non fornicari, cum [illegible] non com- prehenditur ſub materia [illegible] Tabien. [illegible] idem [illegible] q. ar. 3. dub. 3. concl. [illegible] ſine. Re- ferunt [illegible] dicunt [illegible] ex præcepto non fieri pro- prium votum [illegible] & [illegible] ſla- le eſt illud [illegible] ex D. Thoma in 4. [illegible] quæ ibi ſentit [illegible] ana- logice dici de voto [illegible] & de voto rei [illegible] ad 2. indicat peccatum [illegible] votum [illegible] addere ſpecialem [illegible] tale votum [illegible] Alber. [illegible] Ric. [illegible] Bona- [illegible]

P [illegible] cap. Quia [illegible] de [illegible] ſornicat [illegible] non [illegible] ſub voto, & [illegible] quia votum [illegible] non [illegible] in ope [illegible] Item quia [illegible] ducit [illegible] ergo non [illegible] ne- mo enim [illegible] debet [illegible] in certa [illegible] Legatis. [illegible] promiſſa non [illegible] vinculum inſ [illegible] quod et [illegible] ergo eadem ratione [illegible] cepta voueri non poteſt. De- nique [illegible] de melioribus [illegible] com- mune [illegible]

Ve [illegible] cepti [illegible] Hæc eſt ſententia D. Thomæ [illegible] in- terpretatur Caiet. & [illegible] Do- miſtæ. Durand. in 4. [illegible] te- nendum eſſe eum, qui habet votum [illegible] niceretur, non ſolum peccare peccato fornicationis; ſed etiam ſacrilegii, ſeu fracti voti. Item Palud. ibi quæſt. 2. n. 8. Maior q. [illegible] 1. Anton. [illegible] tit. 11. cap. 2. §. 1. Syluest. Votum 1. quæſt. 5. Nau. in c. [illegible] n. 25. & communiter Summiſtæ. [illegible] de Leg. pœnal. c. 10. non longe [illegible] principio, vbi contrariam ſententiam nimium erroneam appellat.

Confirmari ſolet hæc veritas ex facto Iacob, qui Geneſ. [illegible] votum fecit [illegible] Deum in Deum ſibi eſt, ſolum illum tanquam Deum co [illegible] ad natu- rale præceptum ſpectat. Nonnulli et aliqui exponant locum illum de voto [illegible] pro deuota, & ſpontanea obligatione [illegible] in Catena. Veranda tamen eſt [illegible] abu- tatur, vt attigit [illegible] proprietas verborum [illegible] Nec- ſolum [illegible] tamen non [illegible] non ſimpliciter vouiſſe [illegible] de- cimarum oblatione [illegible] vo- luntaria [illegible] vt D. Th. [illegible] & Caiet. [illegible] re- [illegible] modo Deum colere. Secundo [illegible]

batur ex vſu Eccleſiæ [illegible] vouemus enim caſtitatem [illegible] voto [illegible] ce- ceſſitate præceptis [illegible] ob [illegible] feſſion ſideles. Paulo [illegible] cepto neceſſaria continent [illegible] dem [illegible] voto [illegible] &c.

Ratione probatur ex D. Thoma [illegible] præceptus, ſi aliquo [illegible] eſt voluntari [illegible] & libe [illegible] nem poteſt eſſe materia voti [illegible] ra relinquitur à D. Thoma [illegible] alio principio, quo vtitur Durand [illegible] bandum quia non repugnat [illegible] obligationi, & rem debitam vno [illegible] beri ex alio, vt etiam Iure ciuili conſtat ex l. [illegible] aſſe ff. de Verb. oblig. & quæ refert [illegible] leg. [illegible] eode titul. Et ratio eſt, quia cũ pri [illegible] gatio non omnino determinet voluntatem [illegible] dat illam immobilem in propoſito faciẽdi id quod promiſſum eſt, adhuc manet capax obligationis voti, quia amplius determinetur, & immobilior red- datur in tali propoſito. Vnde argumentor vltimo; quia hæc materia eſt honeſta, & placens Deo, & promiſſio eius ex ſe promouet ſtudium virtutis, & nul- lo modo effectum illius impedit, per ſe loquendo: ergo neque ex parte materiæ, neque ex parte pro- miſſionis eſt ibi aliquid, quod impedire poſſit valo- rem, & veritatem voti.

Dicunt aliqui, per talem promiſſionem fieri in- iuriam Diuinæ, aut humanæ legi addendo obli- gationem, ac ſi legis obligatio non eſſet ſufficiens. Sed hoc conſtat eſſe falſum in iuramentis, quibus ſæpe promittimus ſeruare ea, ad quæ aliqui ex lege tenemur, vt patet in cap. [illegible] de [illegible] iuran. c. Cum in [illegible] de Maior. & obedientia c. Significaſti, de E- lect. c. [illegible] 22. q. [illegible] & in d. Bul la Pij [illegible] Profeſſione fidei, & 1. Eſdræ 10. legi- mus [illegible] ſeruare legem Domini, & Dauid Pſal. 118. dicit: Iuraui, & ſtatui, cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Sicut ergo legi additur Religio iura- menti [illegible] ita etiam addi poteſt Religio vo- ti [illegible] eadem ratio. Neque enim illa, quæ ob- [illegible] dupliciter cogi- [illegible] ſufficiens primo ex par- [illegible] ad imponendam obligationem ſub culpa mortali, & [illegible] & [illegible] nec tali [illegible] eſſe [illegible] votum [illegible] Alio modo dici poteſt lex inſufficiens [illegible] ad extorquen- dum actum ab homine ex parte ipſius hominis, qui ſæpe reſiſtit legi, & rumpit eius vinculum [illegible] ſolet au- tem fortius induci, magiſque timeri, quando plu- ribus ligatur vinculis, & ex tali exiſtimatione poteſt optime fieri hoc votum ſine iniuria legis. Adde præterea modum alium, quo poteſt lex dici inſuffi- ciens, ſcilicet ad tribuendum actui plures honeſta- tes diuerſarum rationum. Vnde hac etiam intentio- ne poteſt fieri tale votum, vt actus, ſcilicet aliqui præceptus ſpeciali titulo Deo conſecretur, & inde accipiat ſpecialem honeſtatem, quam non haberet, ſi ex ſolo præcepto fieret.

Sequitur primo, votum de [illegible] materia præcepta eſſe vnum [illegible] voto [illegible] quæ de operibus [illegible] nunt. Probatur, quia tale votũ e [illegible] cũ alio, & [illegible] ſub [illegible] ratione [illegible] promiſsione [illegible] alio titulo, vt eſſe in [illegible] Deo facta [illegible] voti. Ite iura [illegible] præcepto [illegible] iuramẽti [illegible] ſpõtanea [illegible] voti [illegible] non [illegible] analogiam [illegible] ſpecificam, quod ad [illegible] probabile. Dices: Quid

 ergo

2. Multorũ ſententia aſſerentiũ actus præceptos non eſſe materiam voti. Gerſon. Tabien. Gabr.

D. Thom.

Bonau. Albert. Richard.

3. Cap. Quia [illegible] Cap. Presbyteri.

4. Actus præcepti poſſe eſſe materiam voti, ſententia Catholica eſt. D. Thom. Caiet. Soto. Durand. Palud. Maior. Anton. Syluest. Nauar. Caſtro.

Gen. 28. Lippom. Vrand.

D. Thom. Caietan. Abul.

7. Obiectio.

Solutio.

Cap. Ego. C. Cum in Eccleſiis. Cap. Significaſti. C. [illegible] C. [illegible] Pſalm. 118.

Quomodo poſſit dici lex inſufficiens ad ligandum.

8. Votum in materia præcepta eſt vnum [illegible] votum cũ aliis voti.

Obiectio. ergo ſibi volunt Scholaſtici, quando dicunt propriam materiam voti eſſe ſupererogationis ac ſi hæc materia ſit metaphorica? Reſpondeo, vocari propriam, non vt diſtinguitur ab impropria, ſed vt diſtinguitur contra communem. *Solutio.* Nam materia præceptorũ ad omnes pertinet; conſiliorũ autẽ ad eos, qui ita acceptant præcepta, vt non recuſent conſilia, vt dixit Auguſtin. Sermon. 18. de Verb. Apoſtol. *Auguſt.* Item materia ſupererogationis dicitur propria votorum, non quia ſit adæquata, ſed quia eſt præcipua, & de ſe magis accommodata ad nouam, & ſpontaneam obligationem.

9. *Violatio præcepti voto firmati, nouã addit malitiam contra Religionem & fidelitatẽ.* Secundo ſequitur, violationem præcepti voto confirmati addere nouam malitiam cõtra Religionem, & fidelitatem Deo debitam, vt eſt certum de fornicatione contra votum caſtitatis, ex cap. *Impudicas*, 27. quæſtione prima, vbi fornicatio monachi ſacrilega contagio dicitur: & in capit. *Virgines*, eadem dicitur, *Has virgines, quæ ſe Deo dedicauerunt, pactum perdere Virginitatis, ſi libidini vacent*, vbi non loquitur Concilium de virginibus, quæ tantum per nuptias votum violant, ſed in vniuerſum de omnibus, quæ mœchantur, vt explicuit Concilium Colonienſe primum capit. vltim. & in capit. *Sciendum*, eadem cauſa, & quæſtione ſacrilegi vocantur violatores ſacrarum virginium: ergo à fortiori etiam ipſæ ſacrilegæ ſunt. *Cap. Impudicas. Cap. Virgines. Con. Col. Cap. Sciendum.* Idem ſumi poteſt ex multis alijs, quæ referuntur diſtinct. 81. Vbi propter hanc cauſam ſimile delictum in ſacerdote, vel monacho grauiſsimum exiſtimatur, magnaque pœna punitur. Item violatio præcepti iuramento confirmati addit nouam malitiam periurij, ergo. Denique ob hanc cauſam omnes Doctores, quos copioſe refert Sanc. libr. 7. de Matrimonio diſput. 27. num. 19. cenſent, *Sanc.* hanc circumſtantiam eſſe in confeſsione declarandam, ſiue circumſtantiæ aggrauantes in eadem ſpecie confitendæ ſint; ſiue non, quia de hac omnes conſentiunt addere nouam malitiam, & hic etiam eſt communis ſenſus fidelium. *Quam cenſuram mereatur opinio Gerſon. Caſtro.* Vnde opinio Genſon. practice improbabilis, & erronea eſt, vt merito Caſtro dixit.

10. *Votum caſtitatis abſolute factum comprehendit materiam ex naturali præcepto neceſſariã.* Tertio ſequitur, votum caſtitatis abſolute factum comprehendere materiam ex præcepto naturali neceſſariam. Hoc etiam eſt certum, tum ex communi ſenſu Eccleſiæ, tum ex vi verborum, quia plus eſt ſeruare caſtitatem, quam non nubere, imo infra oſtendemus, votum non nubendi non eſſe votum caſtitatis. Item ſæpe fit votum caſtitatis tantum coniugalis, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ etiam in votis Regionum militarium, & tamen illud votum non obligat ad abſtinendum à matrimonio, vel vſu eius: vnde neceſſe eſt, vt obliget ad ſeruandam caſtitatem ex lege naturæ neceſſariam. Item quia iuuenis poteſt facere votum ſeruandi caſtitatem non perpetuo, ſed donec matrimonium contrahat, quod ſolum obligat ad vitandam violationem caſtitatis per ſe malam: ergo votum caſtitatis abſolute factũ obligat etiam ad honeſtatem naturali lege præceptam. Denique ſimiliter ſequitur coniugem vouentem caſtitatem, vel eum qui poſt votum caſtitatis vxorem duxit, teneri ad nõ petẽdum debitum, quod communiter receptum eſt à Theologis in 4. diſtin. 32. & Iuriſperitis in cap. *Rurſus*. *Cap. Rurſus.* Qui clerici, vel vouentes, & in cap. 3. de Couerſ. coniugatorum, & colligitur ex illo textu, & ex ratione eius, ſcilicet quia tenetur ſeruare id, quod eſt in eius poteſtate. Vnde in hoc etiam multum errauit Gerſon oppoſitum ſentiens. Atque ex his corollarijs omnibus aſſertio poſita manifeſte confirmatur.

11. Nec Scholaſtici antiqui contra hanc manifeſtam doctrinam aliquid docuerunt, licet interdum ſit aliqua æquiuocatio in eorum verbis. D. Tho. ergo d. quæſtione 88. art. 2. ſatis clare hanc ſententiam docuit, dicens ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem poſſe cadere ſub votum. Et vt declaret illud eſſe propriũ votum, addit, illa non vt neceſſaria ſunt, ſed vt ſunt voluntaria cadere ſub votum, per quæ verba non ſignificat, ipſammet obſeruationẽ præcepti, etiamſi ex ipſo præcepto neceſſaria ſit, non cadere ſub votum. Nam re vera de hac ipſa neceſsitate præcepti obſeruanda ſit votum. Sed intelligit, hoc proprium votum non conſiſtere in ſola acceptatione obligationis, ac neceſsitatis præcepti, nec in propoſito, ſeu profeſsione implendi illam, ſed in promiſsione voluntaria addita illi neceſsitati præcepti. Vnde in 4. longe in diuerſo ſenſu locutus videtur, ibi enim votum commune appellat ſolam ſuſceptionem legis imponentis obligationem, & profeſsionem ſeruandi illam, & ideo dicit eſſe analogice votum, & non addere nouam ſpeciem honeſtatis; quæ de proprio voto cadente in materiam præceptam vera nõ ſunt: loquitur ergo ibi de voto improprio; quale dicitur fieri in baptiſmo, vt libro ſequenti declarabo. Et in eodem ſenſu loquutus eſt Alber. Richar. autem obſcurius, ſed forte non aliud intendit.

Ad primum ergo fundamentum contrariæ ſententiæ, quod ex Iuribus ſumebatur, reſpondetur, in d. ca. *Quia circa*, vſum concubinæ in Clerico vocari ſimplicem fornicationem in ordine ad bigamiam inducendam, & ita vocari ſimplicem ex parte affectus, & modi talis culpæ, & vt diſtinguitur à copula maritali, vel quæ fit cum affectu maritali, iuxta cap. *Nuper*, eodem tit. de Bigamis. non tamen dicitur ſimplex ad excludendam malitiam contra Religionem. In quo ſenſu dixit ibi Hoſt. quem Panor. imitatur, turpitudinem clerici in ſacris, etiam cum ſoluta, non eſſe ſimplicem, ſed duplicem, propter voti fractionem: in ſacerdote vero poſſe dici triplicem propter ſingularem grauitatem: Abbas autem antiquus ibi aduertit, in illo peccato Clerici in ſacris eſſe duplicem malitiam, & ideo in d. cap. *Quia circa*, non vocari abſolute clericum illum ſimplicem fornicarium, *ſed tanquam ſimplici fornicatione notatum*. Vtique in ordine ad bigamiam. Simili modo in d. capit. *Presbyter*, clarius dicitur *fornicari*, ad diſtinguendum turpem acceſſum clerici ac ſolutam, ab adulterio eiuſdem, in vtroque enim peccato eſt malitiam ſacrilegij, & ita hæc ſupponitur in vtraque voce: ſolum ergo vſurpantur ad explicandam differentiam in malitia iniuſtitiæ, & videntur retineri voces illæ ex conditione perſonæ, cum qua peccatur. Vnde obiter intelligitur, inutilem eſſe quæſtionem Iuriſtarum, an fornicatio ſacerdotis ſit adulterium, vel ſimplex fornicatio, quam tractant Felinus in capit. *At ſi clerici*, de Iudic. numer. 14. Iulius Clarus libr. 5. §. *Fornicatio*, numer. 18. & §. *Inceſtus*, n. 1. & alij, quos late refert Sanc. lib. 7. de Matrimonio, quæſtione 27. numero 21. Et multi eorum dicunt, lapſum clerici cum ſoluta eſſe ſimplicem fornicationem. Sed ſi intelligant, id eſt, non eſſe adulterium, (vt alij peccatum illud vocant) recte loquuntur: ſi autem intendant excludere malitiam ſacrilegij, falſum dicunt, & videntur fundari in hoc, quod obligatio ad caſtitatem in clericis ſacris non eſt ex voto, ſed ex ſolo præcepto Eccleſiæ, quæ ſententia falſa eſt, vt infra ſuis locis dicemus, vbi aliqua eorum dicta latius expendemus. 12. *Fit ſatis fundament. ſententiæ oppoſitæ. Explicantur. Ca. Quia circa. C. Nuper. Hoſt. Panor. Abbas. Cap. Presbyter. Felin. Iul. Clar. Sanc.*

Ad primam rationem negatur conſequentia: nam opus ſupererogationis, id eſt, non præceptum, poteſt verſari circa opus præceptum, addendo aliquid non debitum, ſicut dictum eſt de additione iuramenti: vel ſicut poteſt Confeſſor in ſatisfactionem iniungere auditionem Miſſæ; vel ieiunium præceptum, imponendo nouam obligationem pertinentem ad Religionem, vel pœnitentiam. Et ratio eſt, quia licet actus ſit præceptus, non omnis modus eius eſt præceptus, neque ſub omni titulo, & ideo non repugnat actui præcepto, qui ſimpliciter nõ eſt ſupererogationis, addi nouum modum ſupererogationis, & hoc fit per votum. Ad ſecundam con- 13. *Ad primã rationem. Ad ſecundã.*

firm.

Google

firm. negatur conſequentia, quia poteſt obligatio addi obligationi: maxime quando ſunt diuerſarum rationum, vt patet in exemplis adductis de iuramento, per quod etiam additur forum foro, vt Iuriſtæ dicunt, vnde etiam in ciuilibus obligationibus idem inuenitur: nam ſolutio debita ex contractu mutui, vel alio ſimili, poteſt de nouo promitti, & iurari. *Ad tertiā.* Ad tertiam aliqui negant antecedens: quia poteſt quis pro arbitrio ſuo plura vincula ſibi imponere etiam eiuſdem rationis: vnde ſi id intendat non eſt inconueniens, quod id efficiat, & quod arbitrio ſuo poſsit vincula multiplicare, id ſpecialiter intendendo. Quod additur, quia ſi ſolum intendat repetere prius votum, vt in illo animum confirmet, ſic clarum eſt, non induci nouam obligationem. *Angl.* Et hoc indicat Angles. quæſt. de Voto articulo 1. difficult. 9. Coroll. vltim. Melius tamen, & verius *Sub eandem materiam voti non poſſe multiplicari obligationes eiuſdem rationis.* reſpondetur negando conſequentiam: nam obligationes omnino eiuſdem rationis non multiplicantur circa idem, vt inter homines ſi rem vendidi, aut promiſi Petro, licet iterum vendam, vel iterum promittam, non additur alteri nouum ius, vel alteri noua obligatio: ſicut etiam ſi ſemel rem donaui, non poſſum iterum donare, ſed confirmare donationem. Et ratio eſt, quia primus actus efficit totam obligationem poſsibilem in illa ſpecie, & ideo nouus actus ſimilis non inducit nouam obligationem. Sic etiam iuxta veriorem ſententiam lex poſitiua addita legi naturali in eadem materia, & ſub eadem ratione, vt non furandi, non occidendi, &c. non addit nouam obligationem quaſi numero diſtinctam, neque qui contra vtramque legem peccat in eodem actu, duas malitias committit in ſpecie furti, vel homicidij. Sic ergo de duobus votis, vel potius de voto bis emiſſo circa eandem materiam, iudicandum eſt, vt eſt communis ſententia, præſertim Modernorum, quos refert Sanc. libr. 7. de Matri. *Sanc.* diſp. 27. n. 25. Secus vero eſt de vinculis diuerſarum rationum, vt ſunt votum, & præceptum. Et hac ratione promiſsio facta homini, & Deo circa eandem materiam eleemoſynæ, aut obedientiæ duas obligationes inducunt, quia ſunt diuerſarum rationum, *Caiet.* & virtutum, vt docet Caiet. d. q. 88. ar. 1. & in ſequētibus dicemus. Item votum, & iuramentum circa eandem materiam obligationem, & tranſgreſsionem multiplicant, quia ſunt diuerſarum rationum, vt ſupra tract. 5. libr. 2. dictum, eſt: multiplicatio autem votorum eiuſdem rationis eſt, & ideo non multiplicat obligationem.

14 *Obiectio.* Sed obiici poteſt repugnantia in dictis: nam lex humana addita legi naturali in eodem actu non addit obligationem, ſeu honeſtatem, vel malitiam ſpecie diſtinctam; ergo nec votum addit, atque ita non erit proprium votum. Probatur conſequentia, quia non eſt potentior voluntas priuata perſonæ particularis vouentis, quam voluntas ſuperior Prælati, vel Principis præcipientis; ergo ſi hæc præcipiendo in materia alias præcepta lege naturali non addit nouam obligationem ſpecie diſtinctam, nec voluntas vouentis addet illam. *1. Solutio.* Reſpondetur primo, antecedens non eſſe vniuerſaliter verum: nam ſi lex humana præcipiat, vel prohibeat eandem materiā in ordine ad honeſtatem ſpecie diuerſam, etiam multiplicabit obligationem, vt lex naturalis prohibet furtum in loco ſacro fortaſſe ſola lege iuſtitiæ; poteſt ergo Eccleſia illud prohibere lege Religionis, & intuitu Diuini cultus, & tunc multiplicantur obligationes, vt ſæpe in ſuperioribus dictum eſt. Et quoad hoc tenet ſimilitudo, & retorqueri poteſt argumentum.

15. *Secunda.* Secundo dicimus, quando lex humana prohibet rem prohibitam lege naturæ ſecundum eandem rationem, & honeſtatem, ſeu motiuum, tunc verum eſſe antecedens. Quia lex conſtituit actum in ſpecie virtutis, iuxta exigentiam materiæ, & motiui, & ideo ſi materia eſt eadem, licet nouum titulum neceſsitatis addat, non extrahit actum a propria ſpecie virtutis; ſic autem negatur conſequentia, quia per votum materia promiſſa conſecratur Deo, & inſurgit noua ratio virtutis. Vnde differentia non prouenit ex eo, quod voluntas propria ſit potentior ad obligandum, quam voluntas ſuperioris, ſed quia de facto per votum conſtituuntur actus in diuerſa materia virtutis, & tunc noua obligatio magis oritur ex lege naturali præcipiente ſeruari Deo fidelitatē, quæ eſt diuerſæ rationis ab alia lege præcipiente actum ſecundum ſe, vt ieiunij, eleemoſynæ, aut alterius ſimilis. Addo denique quoad aliqua opera, & aliquod genus obligationis facilius poſſe obligari hominem ſua voluntate interueniente, quam per ſolam voluntatem ſuperioris, vt ad opera conſilij, ad matrimonium, & ſimilia.

16. *Obiectio.* Dices; Saltem ſi votum fiat de actu Religionis præcepto, vt de audienda Miſſa in die feſto, non inducit votum nouam obligationem, quia ſunt eiuſdem rationis, ſcilicet Religionis. Quidā concedunt, votum in eo caſu non addere ſpeciem obligationis, vel honeſtatis, ſed augere illam. Sed hoc falſum eſt, & à poſteriori patet, quia tranſgreſsio illius voti explicanda eſt in confeſsione, ergo ſignum eſt addidiſſe honeſtatem, ſeu circumſtantiam ſpecie diſtinctam. Reſpondere poſſunt, ſatis eſſe quod addat notabiliter aggrauantem. Sed hoc non recte dicitur, tum quia multo certius eſt illam circumſtantiam eſſe confitendā, quam quod circumſtantiæ non mutantes ſpeciem ſint confitendę propter grauitatem; tum etiam quia ſi illa circumſtantia non mutat ſpeciem, gratis dicitur ita notabiliter aggrauare, vt ſit neceſſario confitenda: quandoquidem præceptum poſitiuum additum naturali intra eandem ſpeciem nō ita aggrauat. Dico tertio in eo caſu votum inducere ſuā obligationē ſpecie diſtinctā ab obligatione *Solutio.* orandi, vel audiendi Miſſam ex præcepto orta, quia intra eandem virtutem poſſunt eſſe actus habentes honeſtates ſpecie diuerſas, & tales ſunt oratio, ſacrificium, & votum, vt in tractat. primo diximus, & bene explicat Vazquez prima ſecundæ, diſput. 98. capit. ſecundo. *Vazq.*

17. *Ad vltimum argumentum ſit ſatis.* Ad vltimum argumentum, quod votum eſſe debet de meliori bono, reſpondetur primo, etiam actus præceptorum computari inter meliora bona: nam, & ſunt optimi actus, & præferendi ſunt actibus non præceptis quantumcumque bonis, qui ſimul fieri non poſſunt, merito enim bonum melius dicitur quod tale eſt, vt quicumque ſibi oppoſito præferendum eſt, ſiue illud præcipiatur, ſiue non. Quod ſi in eo ſenſu ſumatur illud axioma votum eſſe de meliori bono, id eſt, de bono, quod ad melius eſſe conſulitur, & non præcipitur, ſic facile poteſt negari tale principium, quia nullo iure, ratione, vel authoritate fundatum eſt. Addi vero poteſt, etiam illo modo poſſe in aliquo ſenſu verificari, hoc votum de re præcepta eſſe de meliori bono, quia licet illa materia ſecundum ſe ſit præcepta, tamen quod fiat intuitu Religionis, & quod per votum conſecretur Deo, præceptum non eſt, & vt ſic votū illud dici poteſt de meliori bono, quia melius eſt illud ipſum factum ex voto, quam eſſet ſine voto. Verum eſt, illud argumentum bonitatis prouenire ex voto, potius quam ſupponatur ex parte materiæ, & ideo expoſitionem non videri tam propriam, nec fortaſſe ab authoribus intentam: nihilominus per ſe ſpectata veram doctrinam continet, quia ſatis eſt quod talis materia ex ſe ſit capax illius augmenti, & quaſi conſecrationis ad Diuinum cultum, vt etiam ſecundum ſe, & antecedenter ad votum dici poſſit ex melioribus bonis. Sed de vero, & proprio ſenſu illius axiomatis dicemus in capite ſequenti.

(:)

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VII.

Vtrum actus virtutis, impediens meliorem, poſſit eſſe materia voti, vel neceſſario eſſe debeat votum de meliori bono?

1. *Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi eſſe poteſt, primo quia ad faciendum aliquod opus propter Deum, & bene merendum coram ipſo, & ſimpliciter ad operandum in gloriam eius, nõ eſt neceſſe facere id, quod melius eſt, ſed ſatis eſt facere bonum, & placẽs Deo, vt per ſe conſtat; ergo & ad vouendum Deo ſatis eſt, quod opus ſit bonũ, & ſimpliciter Deo placens; etiam ſi non ſit melius alijs. Probatur conſequentia, quia non eſt maior ratio de promiſsione, quam de donatione, ſeu actuali obligatione; imo videtur eſſe minor, *cum promiſsio*, ad donationem ordinetur; ergo ſi ad actualem donationem id ſufficit, ad promiſsionem ſufficiet. Confirmatur, quia in humana promiſsione nõ ſolum id, quod eſt vtilius, vel melius promiſſario eſt materia validæ promiſsionis, ſed ſatis eſt, vt ſit aliquid vtile; ergo idem erit cum proportione erga Deum. Secundo explicatur in hunc modum, quia alias ſequitur quotieſcumq; actus bonus impedit meliorem, votum de illo factum non obligare: conſequens non videtur admittendum; ergo. Sequela clara eſt. Minor autem patet, quia alias nullum eſſet votum firmum & ſtabile, quia nullus eſt fere actus bonus, qui non impediat meliorem, & ſiquis vouit bonã actionem, impeditur à contemplatione, & ſi vouit orationem vocalem, impeditur à mentali, & ſi vouit dare eleemoſynam tali pauperi, fortaſſe eſſet melius dare magis indigenti, vel ſacerdoti, & ſic de alijs. Tertio argumentor, quia nullus actus magis impedit melius bonum, quam matrimonium, ſed de illo poteſt fieri votum, ſi ad cultum Dei ordinetur, vt ſi fiat ducendi virginem pauperem animo ſubueniendi neceſsitati illius, & conſeruãdi honeſtatem eius; ergo.

2. *Reſoluitur quæſtio, & aſſeritur votum neceſſario eſſe debere de meliori bono, vt valide, & recte fiat.*

Nihilominus dicendum eſt, votum neceſſario eſſe debere de meliori bono, non ſolum vt recte fiat, ſed etiam vt valide fiat. Hæc eſt ſententia D. Th. d. ar. 2. & in 4. d. 38. q. 1. ar. 1. q. 2. & ibi Bonau. ar. 1. q. 2. Alber. ar. 7. Mai. q. 1. Palud. q. 5. præſertim à n. 25. Richard. ar. 3. q. 2. Dur. q. 1. n. 6. Supplem. Gab. q. 1. in princ. Caietan. d. art. 2. So. artic. 3. & ibi reliqui, & Summ. ver. *Votum*, Nauar. c. 12. n. 25. Anton. 2. p. tit. 11. capit. 12. & in principio huius materiæ vidimus, quod antiqui ita definiebant votum, Propoſitum melioris boni promiſsione firmatum. Itaque hæc videtur fuiſſe communis animi conceptio. Et in generali poteſt fundamentum eius ita declarari. Quia votum inducit obligationem; ſed non poteſt votum obligare ad non faciendum id, quod melius eſt; ergo non poteſt obligare ad bonum cum detrimento melioris boni. Conſequentia patet, quia iam obligaret ad omittendum melius bonum propter minus. Probatur ergo Minor, quia materia voti eſſe debet conſona Diuinæ voluntati, alias Deus non acceptat illam, & conſequenter promiſsio non valet, ſed obligari ad omittendum melius propter minus bonum non eſt conſonum Diuinæ voluntati, quia voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra: vnde quantum eſt ex ſe cupit Deus, vt homo ſemper faciat, quod melius eſt; ergo non placet illi, vt homo ligetur ad faciendum id, quod eſt minus bonum, quia per hoc priuatur poteſtate morali faciendi, quod eſt melius.

D. Thom. Bonau. Albert. Maior. Palud. Richard. Durand. Sup. Gab. Caiet. Soto. Nauar. Anton.

3. Hæc autem ratio, & veritas euidentior fiet, explicando amplius, quid per melius bonum intelligatur, & reſpondendo obiectionibus in principio factis. Ex dictis ergo facile intelligitur, per melius bonum non eſſe intelligenda ſola opera conſiliorum, vt Authores citati in capite præcedenti exiſtimarũt: nam diſcurſus factus non probat, ſolam Religioſam obligationẽ de operibus conſiliorum placere Deo. Quia etiamſi talis obligatio addatur operibus præceptis non inde impeditur homo, quominus ſemper faciat, quod Deo gratius eſt, nam ex tempore, quo præceptum obligat, nihil gratius poteſt homo Deo facere, quam ſeruare præceptum: merito ergo illud inter meliora bona computatur. Dicitur ergo melius bonum quodcumq; bonum opus, quod ſine impedimento maioris boni fieri poteſt, ita vt illa comparatio non fiat ad præceptum, nec ad quoduis aliud melius bonum, ſed ad oppoſitum, ſeu repugnans tali bono, vt bene expoſuit Tolet. lib. 4. Sum. c. 17. n. 6. & ſignificat Bonau. ſupra. Et in ſimili Gerſon. in tract. de Conſil. Euang. Alphab. 67. lit. S. vbi ait, cum conſilia dicuntur eſſe de meliori bono, non fieri comparationem ad præcepta, ſed ad ſua contraria. Sic ergo in præſenti melius bonum.

Tolet. Bonau. Gerſon.

4. *Opus melius quod eſt materia voti in multiplici ordine diſtingui poſſe.*

Poteſt autem hoc opus in tres ordines diſtingui, Vnus eſt operum pręceptorum, de quibus iam dictum eſt. Alius eſt quorundam operum, quæ licet non ſunt præcepta, nõ ſolum fieri bene poſſunt ſine impedimento maioris boni, verum etiam ſunt de ſe aptiſsima inſtrumẽta ad conſequendam perfectam bonitatem, & honeſtatem, vt ſunt abrenuntiatio temporalium, cuſtodia caſtitatis, & obedientię profeſsio, quæ per antonomaſiam dicuntur conſilia Euangelica, & ſunt præcipua materia votorum, de quibus in particulari agendum eſt in tertio volumine huius operis. Tertius gradus eſt multorum bonorum operum, quæ bona ſunt præcepta, nec de ſe impedientia maiora bona, & ſub hac ratione operibus ſupererogationis, & conſilij annumerari poſſunt, etiamſi non ſpectent peculiariter ad ſtatum perfectionis tanquam propria inſtrumenta eius, ſed ad communem etiam ſtatum virtutis pertineãt, vt ſunt ieiunare, eleemoſynam facere, precari, & ſimilia. De quibus etiam certum eſt, ex ſuo genere eſſe conuenientem materiam voti. Quia placent Deo, & non eſt, vnde diſpliceant cum de ſe meliora opera non impediant. Sic ergo ſufficienter declarata, & probata relinquitur communis aſſertio. Solum circa hoc tertium membrum poteſt dubitari, an omnis actus bonus nõ impediens meliorem poſsit eſſe materia voti, quod in capite ſequenti tractabimus.

5. *Fit ſatis rationibus oppoſitis. Ad primam.*

Ad primam ergo rationem in principio poſitam negatur conſequentia, quia licet facere aliquod opus poſsit ordinari in Dei gloriam, obligari ad illud poteſt non pertinere ad gloriam Dei. Et ratio differentiæ eſt, quia ſimplex operatio ſine obligatione, non tollit poteſtatem faciendi melius bonum in futurum, ſed ſolum includit actualem voluntatem vnius boni ſine voluntate alterius, quæ voluntas nullam habet malam circumſtantiam. At vero promiſſio, ſeu obligatio tollit poteſtatem moralem in futurum ad opus melius, & hæc oblatio talis poteſtatis Deo non placet, & ex hac parte talis obligatio non cedit in gloriam Dei. Ita Bonau. d. q. 2. Ad confirmationem negatur ſimilitudo, quia promiſsio humana fit homini, qui nec ſemper cupit, quod melius eſt, nec curam habet perfectionis promittentis, ſed ſui commodi, & licet optet quod ſibi eſt vtilius, tamen quando id non offertur, acceptat id, quod vtile eſt. At Deus ſemper cupit ab homine, quod melius eſt, & perfectius etiam ad honeſtatem ipſius vouentis, & maxime vult, illam ratione promiſsionis ſibi factæ non impedire, quominus poſsit operari, ſi velit, id quod eſt melius, & optimum.

Bonau.

6. *Aduertendum ad ſecũdam rationem ſoluendam.*

Circa ſecundam rationem aduerto, duobus modis poſſe aliquod bonum opus repugnare bonis melioris ordinis, ſcilicet, actu tantum, vel etiam aptitudine. *Actu*, voco, quando actus inferior ſolũ quãdiu exiſtit, impedit ne ſimul poſsit melior fieri, vt ſtudium impedit, orationem; *aptitudine*, autem appello, quando actus inferior ſemel factus relinquit

Digitized by Google

quit perſonam ligatam, vel impeditam moraliter, ne poſsit perfectioribus incumbere, ſicut matrimonium impedit Religioſum ſtatum. Regula ergo aſſertionis poſitæ potiſsimum datur de actibus bonis repugnantibus melioribus hoc poſteriori modo, & contra illam ſic intellectam parum vrget illa ſecunda ratio, quia inde non ſequitur omnia vota de actibus minus perfectis eſſe inualida, quia non omnes illi reddunt perſonam impeditam ad meliora, licet actu non poſsint ſimul eſſe cum illis. Addo vero, etiã poſſe regulam extendi ad omnes actus bonos comparatos ad meliores incompoſsibiles ſimul cum illis, dummodo conuenienter intelligatur.

Votum de actu inferiori eſſe validum, niſi fiat compara tio ad meliorem. Dico ergo, votum de huiuſmodi actu inferiori eſſe quidem validum abſolute, non tamen comparatione facta ad meliorem actum. Id eſt obligare hominem ſimpliciter ad faciendum talem actum, non tamen obligare ad omittendum meliorem. Probatur prior pars; tum quia votum illud eſt de quodam bono, quod per ſe non excludit melius, quod enim ex parte ſubiecti homo non poſsit ſimul vtrumque facere, accidentarium eſt, tum etiam quia licet aliud opus ſit melius, poteſt homo nolle illud facere; ergo tunc votum obligabit, quia nulla eſt ratio cur non teneat, ergo abſolute obligat. Altera vero pars declaratur, quia non obſtante tali voto, poteſt homo ſi velit, facere melius opus incompoſsibile operi promiſſo; quia nec voluntas Dei, nec intentio recte vouentis eſt obligari ad relinquẽdum melius propter minus bonum, in hoc ergo ſenſu ſemper eſt verum, omne votum eſſe de bono ſub ratione melioris, ſeu ſub conditione ſi melius opus non fiat.

7. *Duo modi quibus, bonum opus promiſſum propter melius relinqui poſſit.* Aduertendum autem eſt, duobus modis poſſe contingere, vt opus bonum voto promiſſum propter melius relinquatur: vno modo per ſolam dilationem executionis voti; alio modo per abſolutam omiſsionem, ſeu ceſſationem ab vno opere ratione alterius. Prior modus eſt facilis, quando votum nõ habet certum tempus præfixum, pro quo implendum ſit, & licet nunc differatur, poteſt poſtea impleri, & eo animo differri, & tunc nulla eſt difficultas, quia nihil contra votum fit. Vnde poteſt in vniuerſum regula ſtatui, nunquam violari votum etiam moraliter, vt ſic dicam, ex eo, quod eius executio differatur propter aliquod maius Dei obſequiũ. Quia vt ſupponitur, tempus exequendi votum non erat in ipſo voto determinatum, nec prudenter iudicari poteſt tempus opportunum, nedum neceſſarium, illud in quo omittendum eſſet opus melius ad votum implendum. Poſterior autem modus non habet locum, niſi interueniente commutatione voti in melius, quam credimus fieri poſſe propria voluntate vouentis, quando de exceſſu conſtat, quia illa conditio, vel diſtinctio eſt intrinſece incluſa in omni voto, faciam hoc, niſi aliud melius occurrerit faciendum, vel faciam hoc, aut aliquid melius. Nam hoc intelligitur eſſe magis conſentaneum Diuino beneplacito, & acceptationi, vt infra libr. 6. latius dicam.

8. *Ad ſecundum.* Ad ſecũdum ergo argumentũ, vel negatur ſequela ſimpliciter loquendo, vel (maioris claritatis gratia) diſtinguitur ſenſus conſequentis: nam ſi ſenſus eſt, ſequi, votum de actu bono repugnantem meliori quocumque modo non obligare abſolute negatur ſequela: oſtenſum eſt enim abſolute obligare, quia per ſe neceſſarium eſt illud fieri, ſi commutatio in melius non interueniat. Quæ conditio cum generalis ſit, & incluſa in ipſa natura voti, non facit votum eſſe conditionatum, ſeu non abſolutum, vt conſtat ex dictis ſupra de iuramento, ſi autem ſit ſenſus, ſequi talia vota non obligare ita definite ad tales actus, quin liceat ſubſtituere meliores, ſic conceditur ſequela, neque inde fit, talia vota non eſſe firma, ſeu ſtabilia, quia ſatis firma obligatio eſt, quæ omitti non poteſt, niſi iuxta arbitrium creditoris, & dando illi aliquid, quod ab ipſo libentius acceptetur. Tertium autem argumentum petit difficultatem, quæ maiori indiget examinatione, & ideo in capite ſequenti tractabitur.

CAPVT VIII.

Vtrum omnis actus virtutis, qui non reddit perſonam inhabilem ad opera perfectionis, poſſit eſſe materia voti?

1. *Ratio dubitandi.* Ratio dubitandi ſumitur ex quibuſdam actibus pertinentibus (vt ſic dicam) ad corporis, ſeu præſentis vitæ commoditatem, qui ſimpliciter ſtudioſi ſunt, & nihilominus non videntur eſſe materia voti. Antecedens inductione, & ratione declaratur. Primo in actu comedendi, & bibendi, quando oportet ad naturæ conſeruationem: nam hi actus honeſti ſunt etiam ex obiecto, quia ſunt rectæ rationi conſentanei, ſuo tempore, & loco, & tamen non videntur eſſe materia voti. Maxime ſi addamus, etiam eſſe bonum moraliter, vti cibis ad ſalutem vtilioribus, quia ſolent eſſe delicatiores, & pretioſiores, quibus vti de ſe non eſt malum, & recta ratione regulatum erit moraliter bonum, & tamen de illo vſu votum facere ridiculum, & illuſorium eſſet. Item accedere ad ignem tempore frigoris, vel deambulare, aut fricare manus, actus ſunt boni moraliter ob eandem rationem, & tamen de illis vota fieri non poſſunt, vt videtur per ſe notum, quia nihil ad Dei cultum pertinens in illis actibus inuenitur. Idem eſt de ludo honeſto, & de quacumque moderata recreatione, & alijs ad Eutrapeliam pertinentibus, quæ vera virtus moralis eſt, vt oſtendit Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 168. & tamen omnes *D.Thom.* illi actus non ſunt materia voti. Cuius ſignum eſt, quia potius vota de negationibus talium actuum vt de non ludendo, &c. valida ſunt. Et ratio à priori eſſe videtur, quia materia horum actuum valde humana eſt, & ſenſibilis, quæ licet honeſte fieri poſſit, tamen ſimpliciter diſtrahit mentem ab ſpiritualibus, & perfectioribus rebus, & ideo licet illi actus honeſti admittantur, non tamen obligatio ad illos. Tandem operari bonum ex metu pœnæ, moraliter bonum eſt, cum non ſit malum, vt oſtendimus in materia de Pœnitentia, & oſtendit etiam Veg. lib. 6. in Trid. ca. 25. & tamen talis operatio non eſt materia voti, quia non eſt perfecta. Imo ait Veg. ſupra, *Vega.* neque eſſe laude dignam, ergo non omnis bona operatio materia eſt voti.

2. In contrarium vero eſt, quia nullum eſt opus bonum, quod quatenus tale eſt, non poſsit in Dei gloriam referri, iuxta illud. *Omnia in gloriam Dei facite.* Propter quod in tract. 1. lib. 1. capit. 7. diximus, nullum eſſe actum virtutis moralis, qui non poſsit ordinari ad cultum Dei, & vt ſic fieri materiam Religionis, ergo eadem ratione poteſt eſſe materia voti, ſi accipiatur, & conſideretur talis actus, quatenus non impedit meliorem. Nam eo ipſo eſt ex melioribus bonis, quia eſt de bono morali non impediẽte aliud melius: nam quod poſsit in melius commutari non obſtat, quominus abſolutum votum de tali bono valeat, vt generaliter declaratum eſt. Cõfirmatur, quia tales actus mediante voto obedientiæ, poſſunt cadere ſub votum, ergo etiã immediate. Antecedens patet: nam ſi quis vouit obedire alteri in omnibus licitis, & honeſtis, & alter præcipiat iuſtam recreationem, tenebitur obedire, qui vouit, quandoquidem res eſt licita, & honeſta. Conſequẽtia vero probatur ex paritate rationis.

3. Non inuenio punctum hoc ab Authoribus in terminis tractatum, in eo tamen contrarias ſententias ab eis indicari inuenio. Prima ergo ſentẽtia eſſe poteſt

poteſt omnem actum bonum moraliter eſſe poſſe materiam voti, ita ſumit vt certum Vazquez 1. 2. diſp. 52. n. 30. ex quo principio concludit, illa opera, quæ in dubitationem adduximus, in indiuiduo etiam facto illo modo, & propter commodum naturæ non eſſe moraliter bona, ſed eſſe indifferentia vt ipſe putat, vel certe iuxta opinionem negantem dari opus indifferens in indiuiduo potius eſſe dicēda mala, quam bona, & putat hanc eſſe ſententiam Aug. lib. 4. contra Iul. cap. 3. & alios Patres ad id cōfirmandum ibi adducit. Eandem ſententiam generalem, quod omne bonum opus ſit materia voti, indicat Toletus lib. 4. ſuæ Inſtr. c. 17. n. 7. & 8. vbi ad materiam voti ſolum requirit, vt ſit bona, & meliori non contraria: declarat autem tunc eſſe meliori contrariam, quando ex illa non poteſt fieri tranſitus ad meliorem, nam ſi tranſitus fieri poteſt, votum (inquit) tenet. In his autem actibus, de quibus tractamus, inuenitur vtraque conditio, nam & boni ſunt, & ab illis poteſt fieri tranſitus ad meliores: ergo. Atque ita etiam Doctores ſupra citati, qui hoc modo explicant, quomodo votum eſſe debeat de meliori bono, huic ſententiæ fauere videntur. Item fauent omnes, qui dum negant actum indifferentem vt ſic poſſe eſſe materiam voti, addunt ſi referatur ad bonum finem poſſe eſſe materiam voti, nec requirunt, vt referatur ad optimū finem, ſed ad honeſtum: hoc autem ad minimū videtur reperiri in omnibus a-

Caiet. Soto. ctibus ſupra numeratis. Ita vero docent de actibus indifferentibus Caietanus dicto articul. 2. Soto art. 3. & alij.

4. 2. Sententia. Secunda ſententia eſt, non omnem actum moraliter bonum non impedientem meliorem eſſe materiam capacē obligationis voti, quia ſunt aliqui actus, qui ex intrinſeca conditione ſua ſunt improportionati ad votum. Ita ſentit Azor 1. tom. libr. 11. (Azor.) cap. 13. quæ. 7. vbi prius dicit, valida eſſe vota de aliquibus bonis, quibus alia ſunt meliora: poſtea vero ſubiungit: *Votum in materia ſibi ſubiecta nihil aliud requirit, niſi rei bonitatem, & qua ſit ex numero earum rerum, qua conducunt, & iuuant ad ſalutem, & vitam æternam conſequendam, de qua nobis conſilium eſt à Chriſto Domino datum.* Sentit ergo, non omnia bona minora aliis eſſe aptam materiam voti, ſed oportere, vt conferant ad ſalutem æternam, qualia non videntur eſſe, quæ in principio numerata ſunt. Huius (Sanc.) ſententiæ videtur etiam eſſe Sanci. lib. 1. de Sponſal. diſp. 4. numer. 4. & 5. vbi ait, eſſe quoſdam actus virtutis, qui includunt acceſſum ad res terrenas, & mētis euagationem, vt ludere etiam honeſte, de quibus actibus inquit, nō eſſe materiam voti, ſed votum de aliquo illorum factum eſſe irritum, quia gratius eſt Deo abſtinere ab his actibus, etiamſi ſtudioſi ſint, (Leſſ.) quam illos exercere. Eandem expreſſe docet Leſſi. lib. 2. capit. 40. dub. 5. n. 43. qui exempla ponit in actu militandi extra cauſam Religionis, & in adminiſtratione officij iudicis, aut alterius ſimilis, &c. quos actus abſolute ſumptos multi forte indifferentes cenſebunt.

5. Duplex modus quo votum fieri poteſt de tali bono honeſto. Mihi in primis diſtinguendi videntur duo modi, quibus votum fieri poteſt de aliquo huiuſmodi actu honeſto, vt honeſtus eſt, vnus eſt ſi tantum fiat promiſſio quaſi de ſpecificatione actus, vt ſi quis, verbi gratia, non abſolute voueat ludere, vel deambulare, aut recreari, ſed quaſi ſub cōditione, ſi luſerit, honeſte ludere, & ſecundum rectam rationem. Alius modus eſt, quando exercitium actus vouetur propter aliquem finem, vel ſub motiuo aliquo rationi conſentaneo. De priori modo dubitari non poteſt, quin votum ſit validum, & conſequenter illa ſit cōueniens materia voti. Quia tale votum eſt de re valde conſentanea rationi, & Deo grata ſatiſque difficili, & per ſe non auertit mentem ab aliqua re meliori, nec diſtrahit illam circa res terrenas, aut corporales, quia non obligat ſimpliciter ad tales actus, ſed ſolum ſi fiant, ponit debitum modum in illis, ergo. Vndè confirmatur, quia tale votum in negatiuum reſoluitur, & negatio eſt de non committenda aliqua culpa, quod votum validum eſt, vt ſupra vidimus, ergo. Maior declaratur, quia illa cōditionalis propoſitio reſoluitur in hanc nagatiuam, non faciam hoc ſine debito fine, aut motiuo: ſine quo non bene fieret, ergo perinde eſt, ac ſi diceretur, non faciam hoc peccando. Sicut vouere non loqui ſine vtilitate iuſta, & rationabili, perinde eſt ac ſi voueret non dicere verba otioſa, quod votum in verbis ſanctum eſt, quatenus eſt ex bonitate materiæ, niſi videatur nimium, vel impoſſibile, ob rei difficultatem, de qua parte iuxta ſuperius dicta iudicandum eſt, nunc enim de honeſtate materiæ agimus, & ex hac parte validum eſt votum. Idem ergo eſt de omni ſimili voto circa quoſcumque actus, qui bene, & male fieri poſſunt.

Circa poſteriorem autem modum vouendi hos actus quoad exercitium, tria dicenda videntur. Primum eſt, regulariter talia vota non obligare: vt hoc oſtendam, conſidero, duo eſſe in huiuſmodi actibus ad commodum naturæ pertinentibus, vnum eſt finis intentus, ſeu motiuum operandi: aliud eſt ipſa actio materialis, per quam tale commodum obtinetur. Inter quæ duo hoc differt, quod primum eſt propter ſe appetibile, quia videtur rationem honeſti participare, dummodo recta ratione reguletur, & ſecundum rectam rationem appetatur, quod ſemper neceſſarium eſt ad actum honeſtum, & ſub ea ratione non repugnat illam eſſe materiam voti, vt ſtatim dicam. Secundum autem habet magis rationem boni vtilis, vnde per ſe non eſt materia voti, niſi duo concurrant. Vnum eſt, vt finis ſeu commoditas, ad quam ordinatur ſub votum cadere poſſit. Aliud eſt, vt talis actio materialis, etiam vt ordinata ad tale commodum naturæ, ſit etiam ad Diuinum obſequium, & ad ſpirituale bonum animæ magis commoda quam eius omiſſio, etiamſi ſit eū nonnulla incommoditate naturæ. Nam ſi negatio actionis ſit animæ vtilior, ſine dubio votum de tali actione, etiam propter illum finem non erit de meliori bono, quandoquidem immediate, & per ſe excludit maius bonum, quod eſt negatio eius. In quo eſt aduertendum, longe aliud eſſe, quod ipſa carentia actus ſit melior, quam actus, vel quod alius actus diuerſus, vel repugnans eſſe ſimul, ſit melior. Nam quando eſt comparatio inter actus, eſt inter bona poſitiua, quorum licet vnum ſit melius alio, tamen ſimpliciter eſt melius alterutrum illorum facere, quam neutrum, & ideo votum poteſt obligare ad minus bonum abſolute: quamuis cū libertate tranſeundi ad melius. At vero quando ipſa carentia actus eſt melior quam actus, non poteſt votum obligare ad actum, etiam abſolute, quia ſemper liberum erit præferre carentiam actus ipſi actui: ergo nunquam relinquitur obligatio ad actum.

6. Duo conſideranda in actibus ad cõmodum naturæ pertinentibus.

Dices: Quomodo poteſt actus eſſe bonus moraliter, & nihilominus eſſe melior carentia eius quam ipſe, cum ipſe aliquam bonitatem afferat, carentia nullam. Reſpondeo in primis, etiam in ipſa carentia eſſe aliquam bonitatem obiectiuam; & in voluntate carendi commoditate morali; vel alia ſimili, quam actus ſecum afferebat, eſſe formalem bonitatem moralem, & virtutis. Deinde, licet in illa priuatione actus non ſit poſitiua bonitas; eſt tamen quædam remotio impedimentorū ad melius operandum, & ex hac parte illa carentia inter bona melioris ordinis computatur. Sicut paupertas per ſe non eſt bona, vt inſtrumentum autem perfectionis eſt ex melioribus bonis, quæ ſub conſilium cadunt: ita ergo abſtinere à recreatione licita, vel à ludo honeſto; & ſimilis, quatenus diſponunt ad meliores actus præferri poſſunt illis actibus; quibus opponuntur; etiamſi actus ipſi boni etiam ſint.

7. Obiectio. Solutio.

Ex his

8. *Actus qui verſantur circa corporu commoda licita non ſunt abſolute apta materia voti.* Ex his ergo facile probatur primum dictum, nam hi actus boni inferioris ordinis, ſeu qui verſantur circa corporis commoditates, vt plurimum tales ſunt, vt melius ſit homini priuare ſe illis, ſeu abſtinere ab illis, quam illos exercere, ergo regulariter loquendo votum de huiuſmodi actu non obligat. Conſequentia eſt euidens, quia ſi illud eſt melius, ergo eſt licitum non obſtante voto: ergo votum non obligat: nam vt votum abſolute obliget ad exercendum actum, oportet, vt ſaltem reſpectu ſolius carentiæ actus, exercitium actus præferatur. Quia non præfertur reſpectu cuiuſcunque alterius actus melioris, vt eſt oſtenſum, ergo ſi neque reſpectu negationis ſui præfertur, non poteſt intelligi obligatio. Primum vero antecedens facilè oſtendi poteſt inductione facta per actus ſupra numeratos, de quibus maxime loquuntur Authores ſecundæ ſententiæ, quorum dicta quatenus conſonant his, quæ diximus, probanda videntur, & noſtram ſententiam confirmant.

9. *Supra dictos actus poſſe eſſe materiã voti additis aliquibus circumſtantiis.* Secundo nihilominus addo, in aliquo caſu tales poſſe circumſtantias concurrere, vt talis actus bonus ſit in materia voti obligantis ad exercitium talis actus, ſaltem abſolute, & quaſi formaliter ſpectati, ſeu comparati ad totalem omiſsionem eius, ſeu abſtinentiam ab illo. Probatur, quia talis actus, verbi gratia, honeſtę recreationis (idemque eſt cum proportione in aliis) licet proxime ſit propter leuamen naturæ, nihilominus eſſe poteſt ſimpliciter actus virtutis, quia illud met commodum naturæ iudicatur rationi conſentaneum, reſpectu talis perſonæ, &c. & talis eſſe ſupponitur, vt poſsit eſſe materia voti. Deinde poteſt eſſe tanta ſubiecti neceſsitas, vt melius ſit, magiſque rationi conſentaneum, talem commoditatem naturæ procurare, quam ab illa abſtinere, tum quia interdum poteſt eſſe tanta neceſsitas, vt ſit etiam in præcepto, ergo & vt poſsit eſſe materia voti, iuxta ſupra dicta, tum etiam quia licet non perueniat ad illum gradum neceſsitatis, poteſt interdum eſſe magis conſentaneum rationi; ergo ſi tunc fiat, votum obligabit, quia tunc non habet locum ratio facta in priori aſſertione, cum non ſit melius abſtinere, quam facere, quia quod non rationabilius, non eſt melius. Item licet tunc actus ille diſtrahat mentem, & occupet circa terrena, totum hoc diſpendium cenſetur eſſe magis gratum Deo, quia eſt magis conſentaneum virtuti, ergo illo non obſtante, votum obligabit.

10. Dixi autem votum obligare tunc ad illum actum abſolute, & quaſi formaliter ſpectatum, quia raro obligabit ad illum actum materialiter ſumptum, niſi in eo caſu, in quo leuamen illud naturæ, non poſsit alio remedio, vel actu obtineri: nam ſi alio actu, vel melius, vel æque bene obtineri poſsit, tunc ſatisfaciendo intentioni, & motiuo promiſsionis quocunque medio, (quod vocamus materialem actum) voto ſatisfiet. Vnde poteſt confirmari aſſertio: nam ſi quis in tali neceſsitate, vel imbecillitate conſtitutus voueret in generali interdum exercere actum honeſtæ recreationis, quando iudicaret eſſe magis conſentaneum rationi rectæ, & ſecundum illam: certe votum obligaret, quia quaſi formaliter eſſet de meliori bono, ergo ſi in particulari promittat aliquem actum ex ſimili præiudicio, obligabitur abſolute ad illum, quamuis hæc obligatio non excludat poteſtatem tranſeundi ad meliorem in ordine ad eundem finem, iuxta ſupra dicta. Denique confirmatur à contrario, quia in eo caſu votum non ludendi, vel non efficiendi alium ſimilem actum in naturæ leuamen, non obligaret, quia eſſet impertinens ad Diuinum ſeruitium, imo poſſet obſtare, ſi talis actus eſſet neceſſarius ad talem finem, ergo votum contrarij actus poteſt obligare.

11. Vnde concludo, & dico tertio, nullum eſſe actum virtutis moralis, qui ſecundum ſpeciem ſuam non poſsit aliquando eſſe materia voti; quamuis in aliquibus id rariſsime contingat. Hęc aſſertio ex ſuperioribus conſtat, & ideo non eſt neceſſe circa illam amplius immorari. Intelligitur enim de actibus, qui non tollunt poteſtatem moralem ad opera perfectiora in futurum, ſed ad ſummum impediunt, quamdiu durant, vel licet aliquam imperfectam diſpoſitionem (vt diſtractionem mentis, vel quid ſimile) afferant per contrariam mentis applicationem, poteſt facile expelli, & ita res eſt clara ex dictis, quia in quolibet actu virtutis moralis, etiam ex his inferioribus, poteſt excogitari caſus, in quo hoc magis expediat, licet raro id contingat cum tanta neceſsitate, & certitudine, vt poſsit immediate ad materiam voti ſufficere. *Aſſertio generalis nullum eſſe actum virtutis qui ſecundum ſpeciem non poſſit aliquando eſſe materia voti.*

Atque ita reſponderi facile poteſt ad rationes dubitandi vtrinque propoſitas. Nam in caſibus omnibus pro parte negante propoſitis excepto vltimo de metu, concedimus, regulariter illam non eſſe materiam voti, non quia actus illi cum ſufficienti deliberatione facti in indiuiduo indifferentes ſint, vel p[ro]p[ter]... Hoc enim ſecundum ſine dubio falſum eſt, vt ibi obiter probatum eſt, & eſt communis conſenſus. Neque Auguſtinus vnquam negauit huiuſmodi actus ... eſſe moraliter bonos, sed negat poſſe iuſte, & ... fieri ſine gratia, quod alterius conſiderationis eſt. Primum autem vel etiam falſum eſt, vel ad præſentem quæſtionem non eſt neceſſarium, quia oſtenſum eſt ex alio capite prouenire, quod illæ materiæ non ſint regulariter ad votum accommodatæ: Quod autem in nullo caſu eſſe poſsint, neque in illa inductione probatur, neque eſt rationi conſentaneum, vt oſtenſum eſt. Ad vltimum autem exemplum de operatione bona ex metu, reſpondeo, votum non poſſe obligare ad operandum ex metu, excludendo melius motiuum, non quia operari bonum ad vitandum malum, quod timetur, non poſsit eſſe bonum, & laudabile, ſed quia excludere melius motiuum laudabile non eſt. Abſolute vero fieri poteſt votum de bono opere faciendo, ſaltem per metum, quia per hoc nullum melius bonum excluditur. 11. *Et ſatis rationibus oppoſitis.*

Denique iuxta hæc intelligenda ſunt alia dicta Doctorum, quæ in prima opinione afferebantur: nam vt actus ſit materia voti, neceſſarium eſt, quod ſit ita bonus, vt poſt votum non liceat ab illo abſtinere, niſi per tranſitum ad meliorem, vel ſaltem æque bonum, & quoties actus hoc habuerit in quacunque materia virtutis, fatemur eſſe poſſe materiam voti. Hoc tamen non obſtante, poſſunt eſſe aliqui actus boni, quorum omiſsio ordinarie melior eſt, & vtilior ad ſpirituale bonum, & de his dicimus, quamdiu tales ſunt, non eſſe materiam voti. Et eodem modo [illegible] quod de actibus indifferentibus ... bonum dicitur: nam generalis doctrina eſt vera, & ita traditur ab Authoribus, tamen in particulari conſideranda eſt bonitas finis, vt illa etiam ſit ad votum accommodata. Et ita etiam citati Authores adhibent exempla in fine per ſe ſpectante ad ſalutem animæ, vt quando vouet quis non ingredi talem domum propter vitandam occaſionem peccati, vel non ludere cum tali perſona propter ſimilem cauſam. 13.

Ad rationem vero, quæ pro affirmatiua parte afferebatur, reſpondetur negando conſequentiam; quia vt ſupra declaratum eſt, aliqua fieri poſſunt propter Deum, quæ non ſunt illi offerenda ex voto, & huiuſmodi ſunt nonnulli actus imperfectiores licet boni, regulariter loquendo, vt diximus. Neque id prouenit ſolum ex eo, quod tales actus ſunt minus perfecti, quam alij, propter quos omitti poſſunt, ſed quia ipſi in ſe ratione externorum actuum includunt aliquod impedimentum, vel quaſi nocumentum ſpiritus, propter quod vitandum regulariter perfectius eſt, ab illis abſtinere, vt decla- 14. *Reſponſio ad argumenta.*

Digitized by Google

ratum eſt. Ad confirmationem autem dico, ſolum probare, non repugnare, tales actus eſſe poſſe aliquando materiam voti: facilius autem hoc fit mediante voto obedientiæ, quam immediate, tum quia ſuperioris arbitrio certius, & ſecurius proponitur illa materia, vt melior, & conuenientior ad virtutem: tum etiam quia media voluntate ſuperioris adiungitur noua honeſtas, vel neceſsitas in tali actu, quæ facit illum eſſe longe meliorem. Et iuxta hæc etiam admittimus ſecundam ſententiam, in qua nihil additur noſtræ, ſecundæ, aut tertiæ aſſertioni repugnans, cui reſpondere neceſſe ſit.

CAPVT IX.

Vtrum actus moraliter bonus inducens inhabilitatem in futurum ad ſtatum perfectionis, poſſit interdum eſſe materia voti?

1. HAEc quæſtio peculiarem difficultatem habet in voto de matrimonio contrahendo, propter perpetuitatem illius ſtatus, & repugnantiam, quam habet cum conſiliis perfectionis, maxime cum conſilio de caſtitate ſeruanda, & cum ſtatu Religionis: in nullo enim alio actu inferioris ordinis hoc inuenitur. Nam licet multi repugnent ſtatui perfectionis, ita vt non poſsint ſimul eſſe cum illo, non tamen inducunt ſtatum immutabilem impedientem tranſitum ad ſtatum meliorem, & ideo de matrimonio in ſpeciali queſtionem tractabimus, & deinde quid de aliis actibus dicendum ſit, breuiter indicabimus. Circa matrimonium autem prius ſtatuenda eſt regula generalis per ſe obſeruanda, poſtea inquiremus, an patiatur aliquam exceptionem.

2. *Generalis regula inculcatur, & aſſeritur actum contrahendi matrimonii per ſe loquendo non eſſe materiam voti.*

Regula igitur generalis eſt, actum contrahendi matrimonium per ſe loquendo non eſſe materiam voti. In hac regula conueniunt omnes Doctores infra citandi, & ſentiunt, illam eſſe materiam incapacem obligationis voti, tam comparatiue, quam abſolute, & ideo tale votum eſſe nullum. Ratio eſt, quia illud vinculum inducit effectum repugnantem meliori bono, quale eſt ſtatus Religioſus, & perpetua obſeruantia caſtitatis: ergo votum de tali vinculo aſſumendo nec poteſt obligare ad non ingrediendum Religionem propter matrimonium, neque etiam ad ſtatum continentiæ, ſeu cœlibatus dimittendum: ergo ad nihil obligare poteſt, ideoque eſt irritum. Hæc vltima conſequentia conſtat ex doctrina data capite præcedenti, quod quando actus bonus tam eſt imperfectus, vt carentia eius ſit moraliter melior, tunc non poteſt eſſe materia voti, nec votum de illo poteſt obligare: talis autem eſt actus nubendi comparatus ad negationem nubendi, quia hæc per ſe melior eſt, quia magis abſtrahit hominem à ſecularibus curis, & voluptatibus carnis. 1. Corinth. 7. Vnde Concilium Trident. ſeſſ. 24. Canon. 10. dicit, meliorem eſſe ſtatum virginitatis, ac cœlibatus ſtatus matrimonij: conſtat autem matrimonium immediate, & contradictorie repugnare huic meliori bono: ergo per ſe loquendo non poteſt eſſe materia validi voti.

Conc. Trid.

3. *Soti limitatio ad regulam ſupra datam.*

Addit vero Soto d. q. 1. art. 3. quandam limitationem huic regulæ, dicens, vouere matrimonium illicitum eſſe, niſi expreſſe promeres exceptionem, dicens: *Voueo Deo matrimonium, niſi de me ipſe ſalubrius quidpiam diſpoſuerit.* Sed hæc conditio parum refert ad honeſtandum votum, alias etiam votum ſine illa valeret, quia illa conditio in omni voto, & in omni actu noſtro tacite ineſt; ergo non minus eſſet validum votum cum illa conditione tacita, quam cum expreſſa: regulariter enim loquendo, & ex natura rei, non minus operari ſolet conditio tacita, præſertim intrinſeca, quam expreſſa. Deinde illa conditio vel Dei tentationem includit, vel non apparet, quem legitimum ſenſum, vel quam vtilitatem habere poſsit. Nam qui ſic vouet, quomodo vult cognoſcere, Deum de ſe aliter diſponere, vt niſi Deus id faciat, voto obligetur? Aut enim intendit ſolum, vt Deus id faciat per ordinarium modum, & legem, & hoc iam diſpoſuit conſulendo cœlibatum, ac Religionem, & quantum in ſe eſt vocando ad illam, & ita bona eſt conditio: tamen in hoc ſenſu deſtruit votum, quia in illo ſenſu iam eſt poſita: vel intendit, vt Deus ſpecialiter reuelet, ſuam voluntatem eſſe, vt non contrahat, vel vt hoc præcipiat, & hoc eſt tentare Deum, & rem extraordinariam ſine cauſa poſtulare. Vel denique intendit, vt Deus extraordinaria vocatione illum vocet ad non contrahendum: & hoc etiam eſt tentare Deum, quia eſt coarctare prouidentiam eius, & quaſi exigere gratiam non debitam, & extraordinarium ſignum. Maxime quia neceſſe eſt, vt votum illud, vel ſtatim, vel pro certo tempore obliget, intra quod Deus debeat ſignum illud præſtare, quod etiam ſpectat ad tentationem Dei, vt ſumitur ex Iudith 8. & ſupra tractatum eſt: ergo ſimpliciter, & independenter ab illa conditione regula intelligenda eſt.

Sed obiicitur primo contra regulam; quia iuramentum poteſt obligare ad matrimonium, ſaltem abſoluta obligatione; ergo & votum, cuius obligatio maior eſt, quam iuramenti promiſſorij. Antecedens conſtat in ſponſalibus iuratis. Reſpondetur primo, negando conſequentiam, quia iuramentum ſequitur naturam promiſsionis, cui adiungitur: natura autem promiſsionis humanæ eſt, quod obliget ad id, quod homini promittitur, ſi eſt bonum, & commodum illi, etiamſi non ſit ex bonis melioribus reſpectu promittentis, quia hoc non attenditur in tali promiſsione. Secus vero eſt in promiſsione voti, in qua Diuinus cultus, & quod Deo eſt gratius per ſe intenditur: vnde ſi promiſsio de contrahendo matrimonio ſoli Deo fiat, etiamſi iuretur, nec votum, nec iuramentum obligat, quia votum eſt nullum, & iuramentum confirmat promiſsionem nullam, quę promiſſario non placet. Quia vero promiſsio homini facta de matrimonio cum illo contrahendo, valida eſt, ideo iuramentum illam confirmat, quia per iuramentum materia iurata non dicatur in cultum Dei, ſicut per votum, ſed ſolum adducitur Deus in teſtimonium veritatis. Secundo vero additur, etiam illud iuramentum non obligare ad matrimonium comparatione cuiuſcunque ſtatus melioris, quia non obſtante illo iuramento, poteſt quis ingredi Religionem, quia hic ſtatus in ipſa promiſsione intelligitur exceptus, vt ſuperiori tractat. dictum eſt. An vero etiam intelligatur exceptus ſtatus perpetuæ continentiæ per votum ſimplex caſtitatis, vel per ordinem ſacrum, dicemus in ſequentibus. Solum ergo obligat ad matrimonium cum tali perſona, cui iuratum eſt, vel reſpectu aliarum, vel etiam comparatione ad ſimplicem negationem non nubendi, quia illi immediate opponitur obligatio contrahendi, quam promiſsio humana induxit, per quam potuit homo ſe priuare illa libertate. Et ad bonum Reipublicæ expedit tales promiſsiones eſſe firmas, & ſtabiles, ſaltem in illo ſenſu, & maxime quando iuramento firmantur.

4. *1. Obiectio.* *Solutio.*

Secundo vero obiici poteſt contra dictam regulam: quia fundamentum eius ad ſummum procedit in matrimonio conſummato: nam ſolum ratum non impedit tranſitum ad meliorem ſtatum Religionis, vt nũc ſupponimus: & conſequenter nõ impedit perpetuam obſeruantiam caſtitatis; ergo non opponitur per ſe maiori bono, & alioqui actus ipſe contrahendi per ſe bonus eſt, & in lege gratiæ confert gratiam ex opere operato; ergo votum de matrimonio rato cũ intentione non conſummandi illud, eſſe poterit validum, quia eſt de quodã magno bono,

5. *2. Obiectio.*

bono etiam Religioſo, cum ſit ſuſceptione cuiuſdã Sacramenti, & non impedit tranſitum ad maius bonum intrinſece, ac per ſe, vt declaratum eſt. Et confirmatur, quia poſſent contrahentes conuenire de perpetua caſtitate ſeruanda in matrimonio, imo & de illa Deo vouenda, vt de Sanctiſſima Virgine, & Sancto Ioſeph credimus, & tunc actus ille matrimonij nullo modo excludit bonum melius, ergo.

6. *Reſolutio quæſtionis.* Nihilominus reſpondemus, regulam poſitam etiam in matrimonio rato procedere. Primo quidem, quia contrahere matrimonium animo non conſummandi illud, licet in caſu poſſit expedire, vt infra dicam, nihilominus per ſe loquendo, non videtur honeſtum, neque conſentaneum rationi. Maxime ſi fiat ab vno contrahentium, ignorante altero, & bona fide contrahẽte, quia videtur illi fieri aliqua iniuria, vel ſaltem aliquis modꝰ deceptionis, & ideo non eſt illa conueniens materia voti. Secundo, & magis ex proprijs, quia etiam votum illud non eſt de meliori bono, tum quia licet ſolum matrimonij vinculum per ſe non excludat caſtitatem, vel Religionem: nihilominus conſtituit hominem in graui periculo mutandi intẽtionem, & permanendi in illo ſtatu, tum etiam quia ex vi talis voti ſaltem excluderetur ſtatus cælibatus ſimplicis, qui etiam eſt melior, quam ſtatus matrimonij: ergo excluderetur aliquod melius bonum. Antecedens patet: quia ſi votum illud eſſet validũ abſolute, teneretur homo matrimonium contrahere, illo autem contracto, non poteſt contrahens ſeruare perpetuam caſtitatem, niſi ingrediendo Religionem, ſaltem, inuito altero coniuge: ergo cogeretur ille non manere in cęlibatu. Quod autem hoc ſit cõtra perfectionem voti, patet, quia nullum aliud melius bonum debet per votum excludi, hoc enim ad Dei obſequium non confert: item quia non ſolum omnino excludere, ſed etiam coarctare (vt ſic dicam) viam perfectionis, vel etiam difficiliorem illam reddere, contrarium eſt meliori bono. Hac ergo ratione contrahere matrimonium etiam quoad vinculum, de ſe cenſetur minus bonum. Nec refert quod gratiam conferat, quia maior gratia poterit per alia Sacramenta, & per alia opera perfectionis comparari.

7. *Satisfit vltima obiectioni.* Et ita reſponſum eſt ad principalem obiectionẽ. Ad confirmationem reſpondetur, contrahere illo modo ſcilicet cum pacto mutuo non conſummandi, niſi interueniat ſpecialis reuelatio Diuina, vel eſſe contra ſubſtantiam matrimonij, vt D. Thom. & quam plures Doctores opinantur: vel certe non eſt modus contrahendi conſentaneus fini matrimonij, & conſequenter nec rationi: & ideo ſine dubio non eſt illa materia voti. Addo, ex natura rei etiam derogare illud matrimonium perfectioni caſtitatis, quia ſaltem minuitur obligatio naturalis abſtinendi à coitu: nam poſſent poſtea illi contrahentes à contractu recedere, & matrimonium conſummare ſine peccato contra caſtitatem. Denique tale matrimonium inutile eſt ad finem Diuini obſequij, & eſto non impediat perfectionem (quod vix poteſt moraliter contingere) ſaltem non confert: ergo non eſt, cur intelligatur acceptari à Deo tale votum, niſi aliqua alia ſpecialis ratio Diuini obſequij illud honeſtet, vt contingit inter Dominam, & Ioſeph, vbi etiam Diuina reuelatio interuenit, vt alibi diximus.

8. *Quas exceptiones patiatur regula tradita.* Supereſt dicendum de ſecundo puncto, an regula hæc patiatur exceptionem. In quo vnum eſt certum, ſcilicet excipiendos eſſe caſus, in quibus homo tenetur ex præcepto matrimonium contrahere, vel abſolute, vel cum tali perſona. Poteſt enim aliquando matrimonium cadere ſub præceptum, vel ob neceſſitatem generis humani in caſu, qui magis poteſt cogitari, quam euenire, vel certe propter commune bonum, & pacem alicuius regni, vel prouinciæ, qui etiam caſus rariſſimus eſt: vel denique ad legitimandos filios ex concubina genitos, & illius honori conſulendum, quæ obligatio aliquando maxime vrget in articulo mortis: poteſtque in ordinario vitæ curſu contingere. Et ſæpe prouenire ſolet ex nocumento facto alicui perſonæ, maxime ſub promiſſione ducendi illam in vxorem. Quando ergo matrimonium cadit ſub præceptum poteſt etiam cadere ſub votum. Patet, quia tunc votum nõ eſt impeditiuũ melioris boni, quia ſupponitur homo ſufficienter impeditus, vt non poſſit altiorem ſtatum aſſumere: vnde hypotheſi facta, tale votum redundat in maius bonum vouentis, quia confirmat illum in bono, quod facere tenetur, & confert, vt actus ipſe meliori modo fiat. Itẽ qua ratione poteſt fieri votum de obſeruatione præcepti in alia materia, poteſt etiã fieri in hac. Item ſi quis teneretur non ingredi Religionẽ, vt ſubueniret, verbi gratia, parentibus indigentibus, & propterea faceret votũ non ingrediendi Religionem, durante tali neceſſitate parentum, validum eſſet votum: quia non impediret maius bonum, & confirmaret in bono. Nã obedire præcepto per voluntariam carentiam tanti boni bonum eſt, & poteſt in eo caſu Deo offerri in magnum obſequium. *Quando matrimonium cadit ſub præceptum poteſt eſſe materia voti.*

9. *Quomodo explicanda regula data per ordinem ad matrimonium. Duplex regula.* Regula ergo generalis ſupra poſita intelligitur de matrimonio voluntario: nam hoc eſt regulare in ipſo, & quia propria materia voti eſt voluntaria, & de illa nunc agimus, in eodem ergo ſenſu inquirimꝰ nũc, an hæc generalis regula exceptionem patiatur propter circumſtantias occurrentes. Duplex autem occaſio excogitari poteſt. Vna pertinens ad ſpiritualem neceſſitatem ipſius vouentis: alia ſpectans ad pietatem erga alium. Prima ergo exceptio adhibetur ad vitandum periculum intemperantiæ. Ita tenent Caiet. d. art. 2. dub. vlt. Nauar. c. 12. nu. 43. Palacios in 4. diſtin. 38. diſput. 1. colum. 14. Bellar. li. 2. de Monachis capit. 14. verſus finem, Ludouic. Lop. 1. p. Inſtr. capit. 44. Vbi ait, ita tenuiſſe Canum cõtra Sotum. Idem ſequuntur plures alij Moderni, quos refert, & ſequitur Sanc. li. 1. de Sponſal. diſput. 4. nu. 7. Dicunt ergo hi auctores in eo caſu, in quo perſona adeo eſt fragilis, vt ad vitandum carnis lapſum iudicio prudentum melius illi ſit nubere, quã vri: tunc votum ducendi vxorem eſſe validum, ſi propter hoc emittatur. *Caiet. Nauar. Palac. Bellar. Lud. Lop. Sanci.*

10. Ratio eſt primo, quia tale votum in tali perſona ſimpliciter eſt de meliori bono, cum Paulus dicat, meliꝰ eſſe illi nubere. Secundo declaratur: quia cõſilia Dei licet generatim dentur, tamen in particulari applicanda ſunt expenſis circumſtantijs perſonæ, loci &c. Vnde fit, vt licet ingredi Religionem abſolute ſit in conſilio: nihilominus huic perſonæ fragili habenti tales conditiones conſulendum non ſit. Idemque eſt de non contrahendo matrimonio, ſæpe enim prudenter iudicatur tali perſonæ non eſſe conueniens conſilium, à matrimonio abſtinere, ergo talis perſona non aget contra conſilium, etiamſi contrahat, ergo licet id ipſum voueat, non vouet aliquid contra id, quod ſibi eſt in conſilio, ergo tale votũ in tali perſona non eſt impedimentũ maioris boni, ergo eſt validum, cum alias ſit de re bona, & maxime vtili tali perſonæ ad ſalutẽ animæ. Tertio: quia propter has circũſtantias poteſt interdũ aliquis obligari ad matrimonium contrahendũ, ſi arbitrio prudentum iudicetur illud medium moraliter neceſſarium ad vitandum periculum lapſus, ergo eadem ratione poterit votum ex eodẽ fine factũ eſſe validũ. Quarto, votũ illud videtur prudens, atque licitũ: quia ſumitur vt mediũ commodũ ad bonũ, & neceſſarium finẽ, eſt ergo validum: iam enim ſupra oſtenſum eſt, omne votum inualidũ eſſe etiam illicitum. Tandem confirmatur alijs exemplis: nam licet votum non mutãdi abſolute non ſit validum, tamen ſi fiat ex intentione vitandi litem, aut rixam,

vel graue detrimentum filiorum, aut propter alium ſimilem finem, qui reſpectu particularis perſonæ occurrat, licitum, & validum eſt. Idem dici poteſt de voto non ieiunandi: nam præciſe ſpectatum non valet, tamen ſi in particulari fiat ad vitandum ſcandalum, quod vere, ac probabiliter timetur, validum erit. Ita ergo in præſenti dicẽdum videtur.

11. *Authores negantes priorem exceptionem. Soto. Aragon.* Nihilominus aliqui Authores non admittunt hanc exceptionem: negant enim ob vitandum periculum fornicationis eſſe validum votum contrahendi matrimonium. Ita tenet Sot. lib. 7. de Iuſt. q. 1. ar. 3. quem ſequuntur Aragon. d. art. 2. & aliqui Moderni. Quorum fundamentum eſt, quia ſemper votum illud eſt de re impediente aſſenſum ad perfectiorem ſtatum. Sed hoc fundamentum videtur petere principium, & ſumere id de quo eſt quæſtio: nam licet matrimonium ſemper impediat ſtatum de ſe perfectiorem, quando hic ſtatus tali perſonæ conſuli non poteſt, tũc eſt melior reſpectu eiuſdem perſonæ, ergo obſtare non poteſt quominus eius votum validum ſit. Sed vrgetur fundamentum, quia licet in præſenti tempore matrimonium in tali homine ſit remedium contra concupiſcentiam, reddit tamen illum inhabilem ad ſtatum perfectionis, etiam pro tempore futuro, pro quo fortaſſe illud medium non eſſet ita neceſſarium, quia cum Diuina gratia poſsit illa difficultas paulatim vinci, adhibendo alia remedia orationis, pœnitentiæ, &c. Ergo non eſt validum votum quo remedium illius mali ad tale medium determinatur, & ponitur obſtaculum Spiritui ſancto, ne perfectioribus mediis poſsit malum illud impedire. Confirmatur primo, quia intendere actum matrimonij propter fornicationem in ſe ipſo vitandam, eſt peccatum ſaltem veniale teſte Diuo Thoma in 4. diſt. 31. q. 2. artic. 2. ad 2. ergo hoc fine non poteſt fieri matrimonium materia voti. Confirmatur ſecundo, quia non obſtante tali voto, poteſt homo fragilis ingredi Religionem, ergo ſignum eſt, votum fuiſſe inualidum. *D. Thom.*

12. *Reſolutio dubij.* Nihilominus admittẽda videtur exceptio, dummodo & occurrens neceſsitas, & modus obligationis voti conuenienter explicetur. Aſſero ergo in primis non obſtante tali voto, & neceſsitate fere ſemper eſſe licitum illi, qui tale votum emiſit, ingredi Religionem, & tentare alia media, quibus iuuetur ad obſeruandam continentiam, atque ita omittere, vel ſuſpendere talis voti executionem. Hoc probat fundamentum ſecundę ſententię, quia Deus non permittit aliquem tẽtari ſupra id, quod poteſt, neque negat auxilium facienti, quod in ſe eſt, & oranti ſicut oportet, ergo ſi talis homo velit confiderare de Diuina gratia, & proponere cooperari illi, vel aſſumendo ſtatum, quo paulatim ad perfectionem aſcendat, vel ſaltem quantum neceſſarium ſit ad vincendam fragilitatem ſuam, & continentiam ſeruandam, non eſt obligãdus ad matrimonium contrahendum: nam hoc iam eſſet ponere obicem Diuinæ gratiæ, quod per votum fieri non poteſt.

13. *Satisfit rationibus prioris ſententiæ.* Neque contra hanc partem procedunt rationes prioris ſententiæ: quia tunc non ſolum in generali, ſed etiam huic perſonę in particulari melius eſt, non contrahere matrimonium, ſed perfectiori modo vincere fragilitatem ſuam. Nec ſententia Pauli in eo caſu recte applicatur: nam Paulus non dixit, *Melius eſt nubere, quam ſe ipſum vincere, & contra ſe pugnare per alia media Diuinæ gratiæ*, ſed *quam vri*, id eſt, quam ex propria fragilitate cadere, ſeu tentationi ſuccumbere. Vnde ſenſus illius ſententiæ eſt quaſi compoſitus (vt ita dicam) ſcilicet mulieri, quæ propter fragilitatem ſuam non decernit facere, quod in ſe eſt, vt continentiam ſeruet, melius eſt nubere, quam vri; ſic enim proxime præmiſerat. *Quod ſi non continent, nubant.* Dixi autem fere ſemper, quia ſi talis eſſet conditio perſonæ, vt moraliter loquendo iudicaretur prudenter, eſſe illi melius, & ſecurius nubere, quam Religionem ingredi, vel aliter conari ad ſeruandam caſtitatem, tunc votum determinate obligaret ad matrimonium, vt iam dicam.

14. *2. Aſſertio.* Aſſero ergo ſecundo, in caſu illo neceſsitatis votum de matrimonio contrahendo validum eſſe, non tamen ſemper eodem modo obligare. Priorem partem probant recte argumenta primæ ſententiæ. Secunda explicatur, quia tunc matrimonium non propter ſe promittitur, ſed vt medicina, & remedium tali articulo neceſsitatis. Poteſt autem hæc neceſsitas eſſe varia, ergo & modus obligationis poteſt eſſe multiplex. Probatur minor, quia fieri poteſt, vt omnibus penſatis, tale remedium cenſeatur ſimpliciter neceſſarium huic perſonæ, vel ſaltem vtilius quam ſtatus Religionis, vel quam alia remedia. Et tunc votum abſolute, & definite obligabit ad matrimonium, quia de illo factum eſt ſub ratione Deo grata, & commutatio illius remedij in alia non eſt in melius reſpectu talis perſonæ, ergo obligat determinate ad illud, de quo factum eſt. Secũdo, poteſt illud medium matrimonij eſſe aptum ad vitandum periculum, non tamen ſimpliciter neceſſarium, neque optimum, quia melius per Religionis ſtatum, vel aliam vitæ mutationem fiet, & tunc votum non obligabit præciſe ad matrimonium contrahendum. Non tamen propterea erit nullum, ſed obligabit ad matrimonium ſaltem ſub ea conditione, niſi velit vouens per Religionis ingreſſum, vel aliud ſimile vitare periculum, in quo verſatur.

15. *Explicatur ſenſus illius.* Iam enim ſupra dictum eſt, non eſſe hanc conditionem contra obligationem voti, imo eſſe incluſam fere in omni voto. Atque in hoc ſenſu procedit prior opinio, & exceptio poſita. Nam ſi quis ſolutus matrimonio longo tempore expertus ſit fragilitatem ſuam, vel longam cõſuetudinem cum concubina, à qua difficillime dimoueri poſsit, & ideo voueat vxorem ducere: ex vi illius voti obligatus manet ad adhibendum remedium illi infirmitati, ſaltem per matrimonium carnale, quia tunc illi hoc melius eſt, quam ſolutum manere, ſicut antea erat, & quoad hoc obligatur ad matrimonium comparatione facta ad carentiam eius, ſeu ad ſtatum anteriorem. Quia vero matrimonium tunc ſolum vouetur vt remedium, ſi aliud excellentius adhiberi poſsit, vt eſt Religio nunquam illud ita excluditur, quin poſsit vouens illud [illegible]ere, ſi velit. Imo ſi prudenter rem conſiderando, cenſeatur ſufficere ſtatus ordinis ſacri, vel votum ſimplex caſtitatis cum aliis ſpiritualibus remediis, non exiſtimo eſſe neceſſarium commutare votum matrimonij in Religionem, ſed in alia etiam remedia ſpiritualia mutari poſſe.

16. *Satisfit argumentis poſterioris ſententiæ.* Ad argumenta autem poſterioris ſententiæ quatenus priori ſic declaratæ repugnant, facile eſt reſpondere. Ad primum dicitur, licet matrimonium impediat perfectiorem ſtatum, tamen in eo caſu reſpectu talis perſonæ, non impedit id, quod eſt illi melius. Nam ſi matrimonium cenſetur ſimpliciter neceſſarium, vel vtilius ad impedienda maiora mala, illud tunc eſt melius: ſi vero cenſetur vtile, & non optimum, tunc licet votum obliget ad matrimonium, non tamen excluditur optio eligendi melius remedium. Sicut ſi quis in eo caſu explicite voueret hoc disiunctum intra certum tempus, vel ducere concubinam, vel ingredi Religionem, ſine dubio obligaretur; in eundem autem ſenſum redit votum illud matrimonij, vt declaratum eſt. Ad primam confirmationem dico, nullum peccatum eſſe vti matrimonio propter vitandam fornicationem, maxime quando tentatio vrget, & eſt moralis neceſsitas, vel ſaltem vtilitas, quia finis ille non eſt malus, ſed bonus, & medium ſecundum ſe non eſt malum, cum ſit vſus legitimi coniugij. Sententia autem illa D. Thomæ in 4. vel non eſt admittenda, vel ad ſum- *D. Thom.*

Digitized by Google

ad ſummum habebit locum, quando ſine neceſsitate vult quis delectatione illius actus gaudere illo titulo, qui tunc eſt fictus, & non verus, de quo in ſuo loco Deo dante dicemus. Ad ſecundam confirmationem iam reſponſum eſt, & antecedens non eſſe ſemper verum, & conſequentiam non eſſe bonam, nam licet votum obliget, relinquit optionem melioris boni, quam eſſe ſententiam omnium dixit Nauar. capit. 12. numer. 53. cum Tabien. *Votum*, 1. numer. vltim. qui id ſumpſit ex Anton. 2. part. titul. 11. capit. 2. Notab. 4. & ita eſt etiam intelligendus Paludanus 4. diſtin. 38. quæſt. 1. numer. 29. vt indicauit etiam Syluest. *Votum*, 1. q. 4.

Nauar. Tabien. Anton. Palud. Syluest.

17. *2. Exceptio.* Secunda exceptio adhiberi ſolet, ſi votum ducendi aliquam in matrimonium fiat intuitu miſericordiæ, & pietatis, ac ſubinde in obſequium Dei. Vt cum quis vouet ducere meretricem, vt eam liberet ab illo malo ſtatu, vel virginem pauperem, cuius integritas periclitatur, vt ei ſubueniat, &c. Ita tenet Henriquez lib. 11. de Matrimonio capit. 6. numer 5. dicens ſi votum ſit publicum, poſſe Epiſcopum compellere promittentem ad votum implendum. Item Philar. de Officijs Sacerdot. tom. 1. part. 2. libr. 3. capit. 17. numer. 3. Hanc vero ſententiam, vt veriſimilis ſit, in hoc ſenſu intelligendam eſſe cenſeo, ſcilicet vt tale votum non obliget ſimpliciter ad exercitium talis actus, ſed ad ſpecificationem (vt ſic dicam, ſeu ad determinationem eius quoad talẽ perſonam, vel quoad talem perſonæ conditionem: ita vt votũ non includat ſimul, & abſolute hæc duo, voueo ducere vxorem, & voueo ducere iſtam pauperẽ, vel indigentem hoc remedio, &c. ſed ſolũ per modum vnius conditionalis voti obliget ad ducẽdam pauperem, ſi vxorem accepturus ſit.

Henr. Philar.

18. *Armil.* Et in hoc ſenſu videtur intellexiſſe hanc ſententiam Armil. verb. *Votum*, n. 22. vbi ſentit, poſſe eum, qui habet votum ducendi pauperem, vouere Religionem, & quando iam habet hæc duo vota incõpoſsibilia, (vt ipſe loquitur) teneri ad ſeruãdum votum Religionis tamquam perfectius. Vbi clare ſupponit primum votum eſſe validum, & nihilominus non impedire valorem ſecundi, nec ingreſſum Religionis: ergo ſignum eſt primum votum non obligare abſolute ad exercitium actus: alias obligaret ad non ingrediendam Religionem. Atque hæc eſt ratio à priori huius partis, quia votum illud etiam factum ſub titulo pietatis, ſi obligaret abſolute ad exercitium eſſet impeditiuum maioris boni, ſcilicet altioris ſtatus perfectionis: ergo non poteſt ſic obligare, quia matrimonium etiam ſpectatum vt pium opus, eſt minus bonum, quam Religio.

19. *Confirmatur amplius.* Imo addo, rationem hanc non ſolum conuincere, tale votum matrimonij non ſolum non obligare abſolute ad exercitium comparatione ſtatus Religioſi, ſed etiam reſpectu cælibatus, in quocumque continentiæ gradu, quia cælibatus ſimpliciter eſt melior, quam matrimonium etiam vt pium opus. Quia matrimonium vt ſic facit deſcendere hominem à perfectione continentiæ, & hoc damnum nõ compenſatur ſolo illo motiuo pietatis, & ideo ſemper tale votum eſt de bono minori, impediente trãſitũ ad melius, vel priuans meliori ſtatu, & ideo ſub ea ratione obligare non poteſt. Vnde licet votum ſit publicum, non poterit quis cogi ad illud implẽdum poſitiue (vt ſic dicam) id eſt cogendo illum ad ducendã vxorem, ſed negatiue poterit cogi ad non ducẽdam aliam, vel non ducendam diuitem iuxta exigentiam voti, ſeu quod idem eſt, poterit cogi ſub conditione, vt ſi velit ducere aliquam, talem aſſumat, & non aliam.

20. *Vt improbetur hæc ſententia.* Hæc autem ſententia etiam in hoc ſenſu, & quoad obligationem illam conditionatam, improbatur ab aliquibus, quia ille, qui ſic vouit, non vouit conditionaliter, nec intendit ſe obligare ſub conditione, ſi ducturus ſim, hanc accipiam, ſed abſolute, & per modum vnius vouit, hanc pauperem ducere, vel quid ſimile, ſed hoc votum abſolutum eſt de materia indebita, & incapaci obligationis: ergo ad nihil obligat. Item non obligat abſolute: ergo nec ſub conditione, quia actus agentium non operantur, vltra intentionem eorum: ille autem non habuit intentionem ſe obligandi ſub conditione: ergo. Vnde in præſenti habet locum illa ratio, quod ille non ſe obligauit, vt voluit, quia non potuit, nec ſe obligauit, vt potuit, quia noluit.

21. *Sed ſtatuitur tamquam vera.* Sed nihilominus ſententia illa quoad hanc partẽ mihi probanda videtur. Primo: quia ſic vouens intendit ſe obligare ad opus illud pietatis quantum poteſt: ergo ſi non poteſt obligari abſolute ad exercitium actus, obligabitur ſaltem ad determinationem, ſeu ſpecificationem eius. Nam in votis ſicut in iuramentis locum habet illa regula, ſi non valet quod ago, vt ago, valeat, vt valere poteſt. Secundo: quia qui vouet impoſsibile, complectens aliquid poſsibile, obligatur ad id, quod poteſt, licet non obligetur ad id, quod non poteſt, & (vt ſtatim dicam capite ſequenti) qui vouet licitum cum modo illicito, obligatur ad licitum, excluſo modo, ſaltem quando modus non eſt præcipua ratio vouendi: ergo in præſenti qui vouet tale opus pietatis, obligatur ad illud modo licito, & poſsibili, licet non obligetur ad id, quod ſub voti obligationem cadere non poteſt. Tertio: quando aliquis vouet aliquid minus bonum, per ſe, & ſimpliciter obligatur ad illud, ſub tali conditione ſubintellecta, vt liceat trãſire ad melius, ſed hoc votum eſt de opere pietatis: ergo obligat ſub ſimili conditione. Maior communis ſententia eſt, vt paulo antea dixi, & ex dictis in c. 6. & 7. eſt manifeſta.

22. *Obiectio. Præcluditur.* Dices, illud principium intelligi, quando minus bonum non præcludit viam ad bonum perfectius: matrimonium autem præcludere hanc viam. Sed contra: nam propterea dicimus, non obligare tale votum ad exercendum actum matrimonij, ſed obligare ad pietatem matrimonij ſi fiat, & tunc non præcluditur via perfectiori operi ratione voti, ſed ex propria voluntate ducendi vxorem, & illa ſuppoſita, obligat votum ad exequendam illam volũtatem titulo pietatis. Vnde argumentor quarto: quia ſi quis explicite voueret, voueo, quod ſi decreuero ducere vxorem, pauperẽ ducam, vt illi miſeriam ſubleuem, votum obligaret, ſed hæc conditio tacite ineſt in voto illo facto in forma abſoluta. Nec refert quod fortaſſe ille dum vouit, non cogitauit de conditione, vel quod forte voluit obligari abſolute ad totum actum. Quia hic error non obſtat, quominus conditio ipſa ibi claudatur, nec etiã excludit generalem intentionem ſe obligãdi ad illud opus, vt eſt pietatis, eo modo quo poteſt. Denique vtile per inutile non vitiatur, & ideo licet non tenuerit illa intentio quoad inutile, tenere debuit quoad id, in quo vtilis eſſe potuit. Et per hęc ſatis reſponſum eſt ad rationem in oppoſitum. Nam licet votũ ſit vnum, interpretandum eſt in ſenſu poſſibili, & intẽto ex vi motiui, ſecluſo priuato errore, quia non minuebat, ſed augebat voluntatem ſe obligandi ad id, quod eſt poſsibile, ſeu conueniens, vt ſupra explicatum eſt.

23. *Concluditur reſolutio.* Tandem ex his, quæ de matrimonio diximus, conſtat quid dicendum ſit de voto aſſumendi quẽcumque ſtatum pium, vel quaſi ſtatum inferiorem impedientem perfectiorem, ſolum quaſi actualiter: non tamen inhabilitando ad illum. Dicendum eſt enim, quando in illo ſtatu inferiori eſt aliquid pietatis eleuans hominem aliquo modo vltra ſtatum communem votum obligare ad illum ſtatũ abſolute, & per ſe ſpectatum, non ablata libertate tranſeundi ad meliorem. Hoc conſtat euidenter ex regula poſita, & quia tunc illud votum ſimpliciter eſt de meliori bono ſi ita accipiatur, & nõ aliter. Exẽpla

Digitized by Google

ſunt: Siquis voueat ingredi laxiorem Religionem, ſimpliciter obligatur, quia licet ingrediendo illam, omittere videatur perfectiorem, licitum erat illi implere votum in Religione perfectiori, & poſtea etiam licet tranſitus, per ſe loquendo, & ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, & quoad hoc non eſt illa immobilitas in ſtatu Religioſo, quæ eſt in matrimonio. Item ſi quis vouit perpetuo ſeruire hoſpitali, obligatur, poteſt tamen fieri Religioſus, ſi velit, & ſic de alijs, quæ ex dictis ſatis patent.

CAPVT X.

Vtrum obiectum includens bonum, & malum poſſit eſſe materia capax voti, ita vt votum de illo factum ad aliquid obliget?

1. *Explicatur ſenſus quæſtionis.*

DVobus modis intelligi poteſt obiectum voti malum, & bonum includere: vno modo in actu, alio modo in potentia. Actu dico includere, quando materia ipſa, quæ per votum determinatur, actu conſtat ex bono, & malo, vt ſiquis voueat dare in eleemoſynam mille aureos, quos partim iuſte, partim iniuſte lucratus eſt, vel ſi quis voueat nudus peregrinari. Potentia vero dico includere, quãdo materia voti eſt aliquod generale obiectum, ſub quo bonæ, & malæ operationes contineri poſſunt, quas includit per modum totius potentialis continentis partes ſubiectiuas, vt ſi quis voueat eleemoſynam facere ex lucro ſimpliciter, & abſolute, cum lucrum, ſub ſe iuſtum, & iniuſtum comprehendat, vel ſiquis promittat obedire alicui, nihil amplius determinando. Iuxta hos ergo duos modos duæ regulæ conſtitui poſſunt.

2. *Regula prima de obligatione voti in materia, partim praua, partim honeſta.*

Prima regula eſt. Quando materia voti aliquid bonum, & aliquid malum actu includit, votum obligat ad id, quod eſt bonum, ſecluſa malitia, niſi principalis ratio vouendi fuerit prauitas materiæ, ſeu turpe motiuum, vel niſi de intentione vouentis conſtet fuiſſe non obligari ad vnam partẽ ſine connexione alterius, vel quaſi ſub conditione illius. Tota hæc aſſertio explicanda eſt iuxta dicta cap. 2. & 4. quibus nihil fere addendum occurrit, quia eadem eſt ratio de bono, & malo, quæ de poſsibili, & impoſsibili. Nam (vt ibi etiam notaui) malum reputari poteſt impoſsibile in ordine ad votum, quia eſt incapax obligationis: ſub malo autem nunc comprehendimus quidquid indecens eſt, vel inutile, ac improportionatum ad cultum Dei, quia hoc totum eſt impertinens ad votum, ſi reuera tale ſit, & tale permaneat, vt adiungitur, ſeu miſcetur in materia voti. Interdũ enim conditio materiæ non eſt per ſe mala moraliter, nec prohibita, ſed videtur impertinens per ſe ſpectata: & nihilominus in particulari cõſiderata, ſæpe non inuenitur impertinens, nec reijciẽda.

3. *Nauar.*

Exemplum ſit in voto peregrinandi nude. De quo voto dixit Nauar. c. 12. n. 137. non obligare, quia eſt inhoneſtum, & poſſet valetudini maxime officere, præſertim in hyeme. Quod ad ſummum poteſt intelligi de illo voto, quantum ad circumſtantiam nuditatis: nam quoad ſubſtantiam peregrinationis ſine dubio eſt validum, vt idem Nauarr. in alijs exemplis ſtatim docet num. 43. de quibus eſt eadem ratio, & ita expoſuit Emanu. Rod. 2. part. Sum. cap. 92. num. 1. vbi etiam ait votum eundi Romam tranſeundo per Alpes tempore hyemis nudum, non obligare quoad talem circumſtantiam. At vero Anton. d. titul. 11. cap. 1. §. 3. non audet dicere eſſe nullum tale votum, ſed non eſſe multum commendabile, & eſſe in aliud commutandum, *Authoritate*, inquit, *Superioris*. Quod erit verum niſi vel impotentiam claram, vel turpitudinem, aut inhoneſtatem contineat. Cenſebitur autem continere impotentiam, ſi credatur futura conditio valde nociua ſaluti: turpis vero, quando manifeſte eſt contra honeſtatem, vt ſi eſſet de totius corporis nuditate ſine diſcrimine partium. Et tunc intelligerem non tenere conditionem quoad inhoneſta; ſeruari autem debere quoad nuditatem poſsibilem, & honeſtam, quæ ad humiliationem, vel macerationem corporis deſeruiret, vt in hac ciuitate homines cuiuſdam populi quotannis in proceſsione veniunt nudi quoad totam ſuperiorem partem corporis, quod nec indecens, nec à Religione alienum reputatur: nam ad oſtenſionem humilitatis, & corporum macerationem, & ad populi deuotionem deſeruire poteſt.

Emanu. Rodr.

Anton.

4. *2. Regula.*

Secunda regula eſt: quando materia voti eſt commune aliquod obiectum ſub ſe continens actiones licitas, & illicitas, votum obligat ad licitas, & non ad alias, & ex natura ſua talem determinationem includit. Eſt communis regula, de qua videri poſſunt Richard. 4. d. 38. ar. 9. quæſtione 3. & Ioan. de Capit. tract. in quodam tract. de Matrimon. numer. 54. in tom. 9. Ratio eſt, quia illa materia diuiſibilis eſt, nulla enim inter partes eſt connexio, niſi fingatur eſſe in intentione vouentis, quod accidentarium eſt, & vix poteſt contingere in hoc genere materiæ, ergo generalis indifferentia materię non obſtat, quin determinanda ſit ad partem licitam, & capacem obligationis. Nam licet votum in generali fiat, obligare debet ad particularia, ergo ad illa, quæ ſunt capacia obligationis. Vnde licet addatur diſtributio, vt in illo exemplo de voto faciendi eleemoſynam ex omni lucro intelligeretur fieri de iuſto, & non de iniuſto, vt per ſe notum eſt ex conditione materiæ. Et licet per errorem vouens intenderet ſe obligare ad omnia, id non obſtaret, quominus in re ipſa maneret obligatus ad ea, quæ capacia ſunt obligationis, & non ad alia, quia ſeparabilia ſunt. Nec in hoc relinquitur ratio difficultatis ex ſupra dictis.

De voto Iephte breuis digreſſio Iudic. 11.

5. *Iudic. 11.*

SOlum occurrit hic tractanda difficultas de voto Iephte, quam omnes Doctores in hac materia attingunt, & ſumitur ex Iudic. 11. Vbi legimus de Iephte, *Votum vouit Domino dicens, ſi tradideris filios Ammon in manu mea, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrit reuertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* Et poſtea refertur illi primum occurriſſe vnigenitam filiam, cui ille dixit poſt alia, *Aperui os meum Domino, & aliud facere non potero*. Et tandem ſubditur, *Fecit ei, ſicut vouerat*. Illud ergo votum de ſe indifferens erat, quaſi potentialiter, & poſtea caſu determinatum eſt ad actionem iniuſtam, & nihilominus tanquam obligans impletum eſt, quod aperte eſt contra regulam poſitam. Circa hoc ergo votum primo factum ipſum, & poſtea ius expendendum eſt.

6. *Expenditur votũ Iephte quoad executionem eius.*

Circa factum poteſt primo dubitari, an Iephte vere ſacrificauerit filiam ſuam, illam corporaliter occidendo. Multi enim negant Iephte interfeciſſe filiam, quia Scriptura hoc non exprimit, ſed prius dicit voluiſſe Iephte offerre id in holocauſtum Domino, quod primo ſibi occurreret, &c. Deinde vero ſubiungit, cum filia vnigenita ei occurriſſet, *feciſſe ei ſicut vouerat, quæ ignorabat virum*. Solum ergo ex his colligitur obtuliſſe illam in holocauſtum, hinc autem non ſequitur eam occidiſſe. Nam rationalis creatura poteſt aliter in holocauſtum offerri, quam per interfectionem, & materialem combuſtionem, nimirum per abſtractionẽ ab omnibus terrenis curis, & oblationem, ac traditionem eius in ſolius Dei cultum perpetuũ. Sic enim hodie virgines, quę Deo conſecrãtur per votum, vel profeſsionẽ Religionis,

dicuntur

Digitized by Google

Lyra. Vatabl.

dicuntur ſe offerre Deo in holocauſtum. Ita expoſuit Lyra ibi, & ſequitur Vatablus. Adducitque Lyra illud Leuit. vlt. vbi non ſolum res aliæ, ſed homines conſecrari dicuntur Deo, quando eius cultui dicantur, quamuis non interficiantur. Et ibidem ſubditur: *Omne, quod Domino conſecratur ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager non vendetur, neque redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino, & omnis conſecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur ſed morte morietur.* Homo ergo conſecratus Domino dicitur etiam *morte mori*, non quidem naturali, vt conſtat, ſed ciuili, quia redimi non poteſt, nec ab eo munere ſeparari: ergo & filia Iephte poteſt hac ratione dici in holocauſtum oblata.

7. Poſſumuſque expoſitionem confirmare, quia hoc modo euitantur multa incommoda, quę in illa hiſtoria aliter intellecta occurrunt: & aliunde nulla vis infertur litteræ, quia illa ſignificatio holocauſti vſitata eſt, & videtur poſſe ſumi ex eadem hiſtoria. Refertur enim ibi, filiam Iephte deploraſſe virginitatem ſuam: non autem vitam, aut mortem: ergo ſignum eſt, patrem non decreuiſſe illam occidere, ſed ſolum ita Deo dicare, vt perpetuam virginitatem conſeruaret, quam ipſa deplorabat, quia eo tempore id non erat in vſu, & pro ignominia quadam habebatur. Vnde poſt illa verba: *Et fecit ei ſicut vouerat*, ſtatim ſubditur: *Quæ ignorabat virum*, quaſi hoc fuerit conſecutum ex illa oblatione.

8. *Iephte filiã ſacrificauit, corporaliter interficiẽdo.* *Athan.* *Auguſt.* *Hieron.*

Nihilominus aſſerendum eſt, Iephte ſacrificaſſe filiam ſuam, interficiendo illam corporaliter. Hæc eſt communis ſententia Patrum, Athanaſ. in Synopſi Scripturæ libr. 7. Auguſt. quæſtione 49. in Iudic. vbi ex profeſſo reprobat illam Lyræ interpretationem, & Hieronym. libr. 1. contra Iouin. parum ante medium ſignificat, hanc fuiſſe communẽ intelligentiam Hebræorum, à quibus propterea dicit reprehendi ſtolidum Iephte voti temerarij. Nam ſi canis, inquiunt, occurriſſet, ſi aſinus, quid faceret? Et ſubiungit: *Ex quo volunt diſpenſatione Dei eſſe factum, vt qui imperfecte vouerat, errorem voti in filiæ morte ſentiret.* Aſtipulatur huic ſententiæ Ioſeph libr. 5. capit. 9. *Pater mactatam holocauſtoma obtulit neque legitimum, neque Deo gratum ſacrum faciens.* Eandem ſententiam vt claram ſupponit Theodor. quæſtione vlt. in lib. Iudic. Idem Anſelm. ad Heb. 11. & plures Patres ſtatim referemus. Conſentiũtque Scholaſtici cum D. Thoma quæſt. 88. art. 2. ad 2. Victor. Relect. de Temperantia num. 7. Arbore. li. 9. Theoſophiæ c. 7. Probaturque ex proprietate illorũ verborũ, *Eum in holocauſtum offeram Domino*: nam hoc non dicitur proprie niſi de ſacrificio per corporalem occiſionem. Maxime quando illa verba ad cętera animalia generalia ſunt: quia alia animalia non ſolebant in holocauſtũ offerri, niſi per realẽ mortẽ.

Ioſeph. *Anſelm.* *D. Thom.* *Victor.*

9. *Obiectio.*

Dicet vero aliquis verba illa: *Quod mihi occurrerit, & c. offeram tibi in holocauſtum*, dicta eſſe à Iephte in generali, & cum diſtributione accommoda, concipiendo in intentione, ſi fuerit animal aptum ad ſacrificium cruentum offeram in corporale holocauſtum, ſi homo in ſpirituale, ſi inferius animal ineptum ad ſacrificium, redimam illud, & pretium offeram Domino. Sicque reſponderi etiam poſſet, ad reprehenſionem, & interrogationem Iudæorum, ex Hieronymo relatam. Nam difficile creditu eſt, virum in lege Dei inſtructum tanta ignorantia laboraſſe, vt alia mente indiſcrete voueret, & incredibilius eſt virum ſanctum temere id feciſſe. Maxime cum ibi ſcriptum ſit, factum eſſe ſuper Iephte ſpiritum Domini.

10. *Reſpõdetur obiectioni.*

Sed in hac interpretatione non euitatur improprietas verborum, quæ admittenda non eſt ſine magna ratione, vel authoritate. Et præterea augetur difficultas dicendo, idem verbum *offeram in holocauſtum*, accipi in communi, & indifferenter ad proprium, & impropriũ holocauſtum. Et ideo Vatabl. ſic legit, & transfert verba illius voti: *Quodcunque occurrerit &c. Domini erit ſacrificaboque illud holocauſtum.* Et ait votum fuiſſe diſiunctiuum, ſcilicet quod occurrerit, vel erit Dei, id eſt, perpetuo dicabitur, & ſeruiet Domino, aut ſacrificabo illud, vtique iuxta rei occurrentis conditionem. Sed verbum illud *Domini erit*, non eſt in vulgata, & licet in Septuaginta habeatur, legitur copulatiue, *& erit Domino, & offeram eum holocauſtum.* Quæ verba non poſſunt ſub diſiunctione exponi, nec diuerſis rebꝰ attribui, nam plane referuntur ad quamcunque rem primo occurrentem. *Vatab.*

Quapropter Lyra ibi fatetur, Iephte feciſſe votum intentione realiter occidendi, quod primo occurreret, & ita etiam circa filiam facere decreuiſſe in principio, poſtea vero admonitum à Sapientibus Hebræorum mutaſſe ſententiam contẽtumque fuiſſe ſpirituali holocauſto. At hoc diuinare eſt ſine fundamento, & contra vim verborum ſequentium. *Et fecit ei ſicut vouit*: Si ergo vouit holocauſtum verum, & cruentum hoc in ea perfecit. Accedit, quod in fine capitis dicitur conſuetudine introductum fuiſſe, vt ſingulis annis filiæ Iſrael plangerent filiam Iephte tanquam re vera mortuam, & occiſam. At Vatablus ſic legit verba illa: *Facta eſt conſuetudo in Iſrael, vt annua vice venirent filiæ Iſrael, vt diſſererent cum filia Iephte.* Ex qua lectione probatur contrarium, nam exponit vt diſſererent, id eſt, vt loquerentur cum illa, vel conſolarentur illam. Sed illa lectio repugnat vulgatæ, & Septuaginta: & ideo illam non recipimus. Denique in eo tempore virginitas nõ erat in vſu, nec in eo pretio habebatur, vt propter illius obſeruationem, aut conſecrationem ad illam obſeruandam filia Iephte dici potuerit in holocauſtum oblata. Quin potius ideo dicetur deploraſſe virginitatem ſuam, quia ſine filijs decedebat, quaſi de hoc grauius quam de ipſa morte doleret. 11.

Hoc ergo facto ſuppoſito, de iure inquirendum eſt, quod inquiri poteſt vel ſecundum ſe, vel in ordine ad talem perſonam. Conſiderando ergo rem ſecundum ſe, certum eſt, votum in eo ſenſu factum fuiſſe temerarium, & talem eius executionem fuiſſe impiam. Primum patet, quia tale votum non erat de re neceſſario bona, ſed multis periculis expoſita: ergo factum cũ illa voluntate temerariũ fuit. Secundũ autem per ſe notum eſt, quia factum illud contra legem naturalem erat, & contra legem ſcriptam Exodi. 20. de non interficiendo innocente. Quæ procedit, & obligat, etiam titulo Religionis, & voti, quia pater non eſt dominus vitæ filiæ, vt illam vouere, aut ſacrificare poſſit. Vnde talia ſacrificia ſemper impia habita ſunt, vt late Clemens Alexan. Orat. adhort. ad Gent. vbi Gentianus Heruetus §. *Age vero*, litera E. aduertit, mirum non eſſe Gentiles in eo fuiſſe errore, cum à Iephte legatur ſuam filiam ſacrificaſſe. Atque hoc modo tam de voto illo, quam de eius executione Patres ſentiunt. 12. *Votũ Iephte, ſecundum ſe impium fuit.* *Exod. 20.* *Clemen. Alexan.* *Gentian. Heru.*

Quæri vero tandem poteſt, an Iephte excuſari poſſit à culpa tam in vouendo, quam in adimplendo tale votũ. Videtur enim hoc neceſſarium, quia Paul. ad Heb. 11. inter inſignes Sanctos illum refert. Reſponderi poteſt, etiam ibi numerare Dauid, & alios, qui aliquando grauiter peccarunt, & nihilominus ſancti ſunt, quia condignam egerunt pœnitentiam, quod etiam D. Thõ. hic de Iephte reſpondet. Contra hoc vero obſtant duo. Primum, quod in viris ſanctis quando Scriptura narrat culpam, narrat etiam pœnitentiam: nullibi autẽ meminit pœnitẽtię Iephte: ergo nec factum illud vt culpam narrauit. Secundum, quia Scriptura non narrat illud vt peccatum, ſed potius vt opus egregium Spiritu Dei factũ, quod ſignificant illa verba. *Factus eſt ergo ſuper Iephte Spiritus Domini, & votum vouit, & cæt.* Propter quod 13. *An Iephte in vouendo & implendo voto excuſari poſſit à culpa.* *D. Thom.*

Auguſt. Auguſtin. lib. 1. de Ciuit. cap. 21. *Merito*, inquit, *quaritur, vtrum pro iuſſu Dei ſit habendum, quod Iephte filiam, qua patri occurrit, occidit.* Vnde infra optima intentio eius illis verbis declaratur: *Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.* Quocirca D. Hieronym. Epiſt. 34. quæ eſt conſolatio ad Iulianum, Hieron. tantum abeſt, vt ſentiat, Iephte in eo facto peccaſſe, vt potius dicat, eam ob rem ab Apoſtolo inter Sanctos numerari. *Iephte*, inquit, *obtulit virginem filiam, & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apoſtolo ponitur.* Quod etiam habetur in Iuſtin. q. 99. ad Gent. & confirmatur: nam ſi peccauit, vel per malitiam, vel ignorantiam peccauit. Primũ aperte repugnat textui Scripturæ, vt patet ex verbis adductis. Secundum autem non eſt veriſimile, quia res videbatur per ſe ſatis clara.

14. D. Thom. Nihilominus D. Thomas ſupra ſentit Iephte peccaſſe, nec eſſe cur excuſetur: quia licet fuerit Sanctus, potuit aliquando delinquere, maxime per ignorantiam culpabilem, & poſtea ſui delicti pœnitentiam agere. Tribuit Diuus Thomas ſententiam hanc Hieronymo, ex quo hæc verba refert: *In vouendo fuit ſtultus, quia diſcretionem non habuit, & in reddendo impius.* Quæ verba formaliter non inuenio in Hieronymo: ſed ſumi poſſunt ex d. libr. 1. contra Iouinia. Vbi refert ſimilem Hebræorum ſententiam, quam non reiicit. In caput autem 7. Ieremiæ circa finem ſic loquitur: *Quod ſi Iephte obtulit filiam ſuam Virginem Deo, non ſacrificium placet, ſed animus offerentis*, vbi nec illum expreſſe accuſat, neque excuſat.

15. Auguſtini ſententia de voto Iephte. Auguſtin. hoc diſputans d. quæſtione 49. in Iudic. nullam huius rei difficultatem intactam relinquit. & primum probabile cenſet, Iephte directa, & ſpeciali intentione vouiſſe in ſacrificium primum hominem domus ſuæ, qui ſibi occurreret, & cæt. Acuteque ponderat, non ſolere homini reuertenti in domum ſuam cum victoria, obuiam de domo exire pecora, aut alia animalia apta ad holocauſtum, ſed canes, qui blando famulatu ſolent obuiam dominis occurrere, de quibus non potuit Iephte cogitare, quia & vile votum fuiſſet, & de re immunda. Videtur ergo cogitaſſe de hominibus, & ideo non dixit: *Quodcumque.* ſed *Quicumque*, poſtea vero rem in vtramque partem verſans, non ſatis definit alterutram, ſed vt rem vtrinque probabilem, & dubiam relinquere videtur. In lib. autem quæſtionum vtriuſque teſtamenti; qui Auguſtin. tribuitur. part. prima quæſtione 34. *Iephte*, inquit, *homo facinoroſus, & improuidus ſtulta deuotione munus Deo promiſit, dicens, Quicumque, & cæt.* Et infra, *vſque adeo inſenſatus fuit Iephte, vt nec poſtea ſe ſtulte deuouiſſe cognoſceret.* Et poſtea dicit, Deum non iuuiſſe illum in victoria propter ipſius meritum, aut votum, ſed vel propter meritum Abrahæ, vel propter honorem ſuum defendendum contra Allophylos. Sed valde exceſsit Author huius libri, & ſine dubio verba illa non ſunt Auguſtini: vbique enim ſe valde dubium oſtendit in præſenti quæſtione, & honorabilius loquitur de Iephte, vt viſum eſt.

16. Chryſoſt. Chryſoſtom. etiam tomo primo Sermone ſpeciali de hac hiſtoria, nullam de hac re mouens quæſtionem, nobis in exemplum proponit Iephte, non quidem in vouendo illo modo, ſed in ſacrificando filiam iuxta moralem ſenſum, id eſt, animam noſtram: vnde laudat intentionem Iephte, de ipſius vero facto nihil ibi dicit. In Hom. autem 10. ad Roman. de inſidiis Dæmonis verba faciens, ait. *Sic & Iephte pietatis, ac Religionis ſpecie perſuaſit, filiam vt immolaret, illegitimumque ſacrificium offerret.* Et Homil. 14. ad Popul. ante medium, damnat factum illud vt malum, & à Deo dicit, fuiſſe permiſſum, nõ ordinatum: in quo ſignificat fuiſſe peccatum. Ambroſ. Ambroſ. item libr. 1. de Offic. capit. vltim. cum dixiſſet, aliquando eſſe contra officium promiſſum ſoluere, & Sacramentum cuſtodire, poſuiſſetque exemplum in Herode, ſubdit. *Nam de Iephte quid dicam, qui immolauit filiam, quæ ſibi victori prima occurrit, quo votum impleret, quod ſpoponderat? Melius fuiſſet nihil tale promittere, quam promiſſum parricidio ſoluere.* Et libr. 3. cap. 12. *Neque vnquam adducar vt credam, non incaute principem promiſiſſe Iephte, & cæt.* Et infra. *Dura promiſſio, acerbior ſolutio.* Subdit vero ſtatim. *Non poſſum accuſare virum, qui neceſſe habuit implere, quæ vouerat, ſed tamen miſerabilis neceſſitas, quæ ſoluitur parricidio: melius eſt non vouere, quam vouere id, quod ſibi, cui promittitur, nolit exolui.* Cum ergo ait, *non poſſum accuſare, & cætera*, intelligit vel quoad intentionem, vel ſuppoſita eius conſcientia erronea. Vnde libro tertio de Virgini. ante medium idem tractans factum, *Quid igitur* (inquit) *hoc probamus? minime. Sed tamen & ſi parricidium non probo, aduerto præuaricandæ metum & formidinem ſponſionis.* Et alia, quæ eleganter proſequitur, eiuſque verba vſurpauit Concilium Toletan. 8. capit. ſecundo, Concil. Tolet. & Anaſtaſius Nicæn. libro quæſtionum in Scriptur. quæſtione 36. Anaſt. Nicæn. *Quid hoc voto potuerit eſſe magis impium?* Et infra, *Vicit autem Iephte non propter votum, ſed propter iuſtum Dei iudicium: non enim propter votum male factum, oportebat dolere Iſraelem.* Tertul. Abul. Eandem habet ſententiam Tertul. libr. 3. Poematum contra Marcion. ad finem. Item Abulenſ. in capit. 11. Iudic. & Matth. 14. quæſt. 32. dicit vouiſſe incaute, credidiſſe autẽ obligari, & ideo occidiſſe. Idem Carthuſ. Iudic. 11.

Ratio autem pro hac ſententia eſſe poteſt, quia vel Iephte eſt excuſandus propter ignorantiam, vel propter inſtinctum Spiritus ſancti æquiualentem præcepto. 17. Propoſitur ſententia aſſerens impium fuiſſe votum Iephte. Præter has enim nulla alia ratio excuſationis excogitari poteſt, neque in voto, vt ex dictis conſtat, neque in parricidio, vt per ſe notum eſt ex principiis fidei: neutro autem ex dictis modis excuſari poſſe videtur cum fundamento. De ignorantia patet, quia licet negare non poſsimus, quin ignorantia laborauerit, credendo ſe obligari tali voto: tamen quod illa fuerit inuincibilis, nec ex Scriptura colligitur, quia nullum ibi eſt de hac re verbum, aut ſignum, nec ex materia, cum fuerit de re contraria rationi naturali, & multis præceptis legis veteris, nec ex circumſtantiis perſonæ, aut temporis, quia erat princeps populi, & tenebatur eſſe inſtructus in re tam graui, & licet antea non fuiſſet, potuit interrogare à ſapientibus veritatem, ſaltem ante voti executionem. Ribera. Reſpondet Ribera in capit. 11. ad Hebr. Iephte laboraſſe inuincibili ignorantia: quia eo tempore non erant res adeo explicatæ, nec erat Propheta, quem conſuleret. Abulenſ. Imo Abulen. quæſt. 47. & 48. credit totum populum illa ignorantia laboraſſe, ita vt neque ſummus Sacerdos ſciret quæſtionem diſſoluere, an votum illud obligaret. Nihilominus vero ipſe non excuſat Iephte, *quia debuit* (inquit) *per ſacerdotem magnum Deum conſulere.* Mihi vero difficile creditu eſt, talem ignorantiam fuiſſe inculpabilem, cum res ſit nota lumine naturali, & in Scriptura videatur ſatis declarata, præſertim Leuit. vlt. Excuſatio ergo ignorantiæ non videtur admittenda.

18. Auguſt. De inſtinctu autem Spiritus ſancti nonnulla poſſet coniectura ſumi ex verbis illis: *Factus eſt ergo ſpiritus Domini ſuper Iephte.* Sed tamen Auguſt. ſupra dicit, ex his non colligi, fuiſſe Iephte à Spiritu ſancto motum ad tale votum emittendum, & merito, quia Scriptura ſolum dicit abſolute, factum eſſe ſuper eum Spiritum Domini, quod poteſt intelligi, vel ad pugnandum contra Ammonitas, vel ad ſperandum à Deo victoriam, & poſtulandam. Quod autem ſubiungitur, votum vouiſſe, & cæt. non eſt neceſſe factum eſſe eadem Spiritus ſancti motione, ſed ex proprio ſpiritu, vel certe, licet motio ad vouendum fuiſſet à Spiritu ſancto, determinatio ad

tale

Digitized by Google

tale votum potuit eſſe à proprio ſpiritu. Sæpe enim Spiritus ſanctus in generali mouet ad orandum, vel offerendum Deo aliquem cultum ob aliquam rem impetrandam, & homo ſuo arbitrio, & diſcurſu determinat modum, vel materiam, in qua determinatione culpam miſceri contingit: ita ergo in Iephte accidiſſe veriſimilius eſt.

9. Et confirmatur: quia ſi materiam, & modum illius voti conſideremus, nulla probabilis ratio occurrit, ob quam Spiritus ſanctus tale votum inſpirauerit, ac explicite, vel implicite præceperit. Non enim fuit votum de ſacrificanda filia, ſicut fuit præceptum datum Abrahæ de filio ſacrificando, ſed in communi de ſacrificando quolibet homine, vel quolibet animali primum occurrẽte in quo genere voti nihil excellens, nihil prudens: nihil Spiritu ſancto dignum apparet. Quãuis ergo ſpiritus quando, & quomodo vult ſpiret, tamen quantum nos ex tali facto coniectare poſſumus, credibile non eſt, fuiſſe ex ſpeciali Spiritus ſancti impulſu. Nec etiam in adimpletione voti talis inſtinctus apparet, tum quia ſolum ex vi prioris vinculi exiſtimati, & ex conſcientia erronea id fecit Iephte, vt ex litera conſtat: tum etiam quia valde humano modo, & cum magno animi dolore id fecit. Vnde multi ex Sanctis citatis interrogant, cur Deus impediuerit Abraham, ne ſacrificaret filium: non autem Iephte. Et reſpondent, quia Abraham ſpiritu Dei, Iephte proprio ſpiritu, & errore mouebatur. Imo addunt, in pœnã prioris temeritatis in vouendo permiſiſſe Deum, vt nõ illuminaretur, donec filiam cum magno ſuo dolore occideret.

10. Non eſt ergo quod in eo facto excuſationem, vel operis, vel perſonæ quæramus. Negare autem non poſſumus, quin Iephte magna virtutis ſigna in eodem opere oſtenderit: maxime vero fidelitatem, & Religionem in Deum. Quamquam enim erraret cogitans ſe obligatum: tamen ſuppoſita ea diſpoſitione, egregium oſtendit affectum in Deum, cum amore vnigenitæ filiæ non potuerit ab obſeruatione voti retardari, ſed ſtatim gaudium victoriç dolore animi interruperit, filiamque ſacrificare decreuerit. In ipſo etiam voto emittendo, licet præceps, & temerarius fuerit: oſtendit tamen fortem, & liberalem animum erga Deum, & fidem magnam de neceſsitate auxilij, & protectionis eius. Qui actus licet tunc non fuerint meritorij de condigno propter interueniens peccatum, eſſe potuerunt diſpoſitiones congruæ, vt facilius Deus illius miſereretur, quia ignorans, & bono zelo fecit: vnde etiam facile potuit poſtea pœnitentiam agere, & ad magnam ſanctitatem peruenire.

CAPVT XI.

Vtrum omiſsiones bonorum actuum poſsint eſſe materia voti?

1. QVamuis voluntariæ omiſsiones cum moralibus actibus computentur, vt in ſuperioribus diximus: nihilominus, quia immediatius opponuntur bonis actibus, quam alij actus illis repugnantes, inde aliquid peculiare interdum habent in ordine ad votum, & ideo de illis in particulari pauca dicemus. Non agimus autem de omiſsionibus malorũ actuum, nam vitare malum per ſe bonũ eſt, & ideo pars iuſtitiæ ponitur, atque ad obſeruationem præceptorum pertinet, ideoque quod de præceptis diximus, in malis vitandis locum habet. Præterea de negationibus actuum indifferentium nihil addere neceſſe eſt: eſt enim eadem ratio de illis, quę de actibus ipſis: nam omiſsio indifferentis actus æque indifferens eſt, ac ipſe actus, & ideo per ſe, & ex vi ſuæ ſpeciei, ſeu obiecti non eſt apta materia voti: ſi autem ſumatur, vt vtilis ad aliquid honeſtum, iam nõ ſumitur vt indifferens, & ita poterit votum de illa valere. Exempla communia ſunt, non filare in Sabbatho, vel non tranſire per hanc viam, & ſimilia: nam ſi propter ſe tantum promittantur Deo, ſtulta eſt promiſsio: ſi vero primum promittatur ad vacandum Deo, & ſecundum ad vitandam occaſionem peccati, iam erunt materia voti: videantur dicta in ſimili de iuramento tract. 5. lib. 2. capit. 17. & applicentur hic: nam quoad hoc eſt eadem ratio. Deniq; actus boni in tres ordines diſtingui poſſunt: quidam ſunt in præcepto, alij tantum in conſilio, alij neque in conſilio, neque in præcepto. De primis nihil etiam dicere neceſſe eſt, quia conſtat, omiſsionem actus præcepti eſſe peccatum, & ideo non eſſe materiam voti. Quod ſi ſumatur actus præceptus pro eo tempore, pro quo præceptum non obligat, vt eſt audire Miſſam in die profeſto, iam opus illud vt ſic, dicitur conſilij, non præcepti. De alijs igitur duobus breuiter dicendum eſt.

Dico ergo primo, negatio, ſeu omiſsio boni operis ſupererogationis, ſeu conſilij ex ſuo genere non eſt materia voti, nec tale votum, ſi fiat ad aliquid obligat. Sumitur ex D. Thoma d. quæſtione 88. articulo ſecundo, & quæſtione 89. articulo ſeptimo. Et eſt communis Theologorum in 4. d. 38. vbi bene Palud. quæſtione 1. articulo, numero 25. Syluester. *Votum*, 1. quæſtione quarta, diſtin. quarta, & reliqui Summiſtæ, Caietanus bene in d. articulo ſecundo & ibi Soto, & alij. Ratio eſt, quia omittere hæc bona non eſt melius cum ipſa conſilia ſint de melioribus bonis. Quin potius talis omiſsio, nec bona eſt ex ſe, ſed ad ſummum indifferens: non enim nunc agimus de poſitiuo actu oppoſito, ſed de ſola carentia, qualis eſt non ingredi Religionem: in hoc enim, vel ſimili obiecto nulla eſt intrinſeca honeſtas, ſed ad ſummum indifferentia: oſtenſum autem eſt ſupra, votum de re indifferente per ſe non eſſe validum, ergo. Adde quod licet hæc omiſsio quatenus per ſe nec bona, nec mala eſt, moraliter indifferens dicatur, de ſe inclinat ad ea, quæ Deo per ſe non placent, quia contraria bona ei maxime placent, & ab eo conſulitur. Et ideo votum de tali re multo magis Deo diſplicet, quia per illud offertur Deo tanquam illi placitum id, quod impedit conſilium eius. Et quia per tale votum ponitur obex Spiritui ſancto, vt D. Tho. dixit. 2.

Omiſsio boni operis ſupererogationis ex ſuo genere non eſt materia voti.

D. Thom. *Palud.* *Syluest.* *Caietan.* *Soto.*

Contra hoc referri ſolet Gratian. 22. quæſt. 4. ca. vlt. vbi ait, talia vota non prohiberi ſeruari. Et Hoſtienſ. in Summ. lib. 3. tit. de Voto §. *Quod ſint*, verb. *Nunquid ergo*, dicit, votum non ingrediendi Religionem obligare, niſi Deus poſtea contrarium inſpiret: ſignificat autem oportere, vt inſpiratio per reuelationem fiat. Sed dictum Gratiani formaliter falſum eſt, prohibitum enim eſt tale votum ſeruare formaliter, id eſt, ex obligatione eius non facere melius opus: nulla enim eſt talis obligatio, & illa intentio eſſet Religioni, ac Diuinæ voluntati, & bonitati contraria. Materialiter autem poteſt ſeruari votum, quia poteſt quis non ingredi Religionem: nam hoc voluntarium ſemper fuit. Dictum etiam Hoſtienſis ſimpliciter falſum eſt, quia tale votũ non obligat: & reuelationem exigere eſt improbabile, ac temerarium: ponere autem conditionem Diuinæ inſpirationis eſt impertinens, tum quia per ſe ineſt, tum quia non pertinet ad ius, ſed ad factum, id eſt, non ad neceſsitatem obligationis, ſed ad neceſsitatem gratiæ Diuinæ ad tale opus. Solum ergo poſſet hæc ſententia habere locum, quando in particulari vrgeret neceſsitas, ob quam eſſet tale opus conſilij dimittendum; quia pro tunc illud non eſſet opus conſilij, & ideo votum de omiſsione, vel ſuſpenſione eius propter talem finem poſſet eſſe validum: ideoque in concluſione poſui, omiſsionem illam per ſe, & ex genere ſuo non eſſe materiam voti, & accidentales caſus, & rationes excluderem, 3.

Obiectio. Hoſtien. Gratian.

derem. Plura de hoc videri poſſunt in loco citato de Iuramento, nam eſt eadem ratio: vbi nonnulla dubia in particulari expediuimus.

4. *An votum non vouendi licitum ſit?* Hic vero ſolet vlterius quæri in particulari, an votum non vouendi licitum ſit necne? Reſpondeo abſolute non eſſe licitum, quia eſt de re conſilijs directe contraria. Vouere enim eſt ſub conſilio, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo non vouere abſolute repugnat conſilio. Si autem non ſimpliciter, ſed ſub prudenti limitatione fiat tale votum, poterit eſſe licitum, & obligare. Vt ſiquis diffidens de ſua prudentia, & conſilio, voueat non facere votum, quo abſolute obligetur, donec cum viro prudente rem conferat, & ille id conſulat, validum erit tale votum. Item ſiquis expertus temeritatem, vel facilitatem ſuam in vouendo, promittat nunquam vouere actu mere interno, nec ſe obligare, donec verbo vel ſcripto votum exprimat, valebit votum, vt docuit Richard. 4.d.38. artic.2. quæſtione 3. quem ſequuntur Angel. *Votum*, 3. quæſtione 4. Sylueſter *Votum*, 2. quæſtione 7. Ratio eſt, quia per tale votum non retrahitur quis ab opere conſilij, ſed ſibi prudenter cauet, ne illud temere faciat, quod optimum eſt. *Richar. Angel. Syluest.*

5. Addit tamen Richar. loco citato, tale votum non obligare ad non vouendum, ſed obligare ad exprimendum verbo, vel ſcripto, ſi quid interius vouerit. Et primum quidem clarum eſt ex dictis. Secundum autem ſano modo intelligendum eſt: nam ſiquis cum prius votum emiſit, habuit animum non ſe obligandi per ſolam promiſsionem internam, donec exterius idem exprimeret, licet poſtea interius voueat, nondum obligatus manet, donec verbis, vel ſcripto exprimat, quia non eſt cōditio completa, niſi expreſſe decreuerit abſolute obligari mutando priorem intentionem. Alias prior intentio virtute manet, & operatur, & iuxta illam intelligendum eſt ſubſequens votum, quia non præſumitur male vouere frangendo prius votum. Et in eo caſu non exiſtimo obligari per nouum votum internum ad illud exterius exprimendum, quia illud votum nondum induxit aliquam obligationem, & prius ad hoc non obligat, ſed ſolum ad ſeruandum illum modum, quando voluerit ſe efficaciter obligare. Quod ſi non obſtante priori voto non vouendi niſi tali modo, aliquid expreſſe mutet intentionem, volens obligari voto mere interno, male quidem faciet frangens prius votum: nihilominus tamen votum validum erit, quia eſt de re bona, & capaci obligationis, vt ſupponitur. Et licet homo male faciat mutando intentionem, factum nihilominus tenet, quia per prius votum non ſe reddidit inhabilem, nec priuauit ſe poteſtate ſe obligandi aliter, licet ſe obligauerit ad id non faciendum. Multa enim contra debitum, & obligationem fiūt, quæ facta tenent.

6. *An votum non petendi diſpenſationem voti validum ſit?* Aliud dubium huic ſimile eſt, an votum non petendi diſpenſationem voti validum ſit. Quod dubium tractat Richar. in 4.d.38.ar.9.q.3. & illum referunt, ac fere ſequuntur, Ang. *Votum*, 3.nu.20. Sylueſt. *Votum*, 2.q.14. Ant.2.p.tit.11.c.2.§.9. Angl.q. de Voto, art.8. diffic.8. Henr. li. 7. de Indulg. c.30.§.6. Felin. in c. *Cæterum*, de Reſcrip. nu.26. Ioan. Staſil. in tract. de Gratiis, in vlt. p. eius. §. *Et primo*: & Ioan. à Capiſc. loco cit. c. præced. Breuiter tamen dicendū eſt, hanc negationem, ſcilicet, *non petere diſpenſationem*, non eſſe intrinſece bonam, aut malam, ſed ex cauſa, & circumſtantiis variari poſſe. Nam petere diſpenſationem ſine cauſa iuſta, malum eſt; interueniente autem cauſa iuſta non eſt malum: poteſt autem eſſe interdum minus bonum, & aliquando maius, & nonnunquam moraliter neceſſarium. Illa ergo negatio non eſt materia omnino incapax obligationis voti, ac proinde obligabit votum illud ad non petēdam diſpenſationem voti, niſi vbi diſpenſatio indicata fuerit melior, ſeu magis conueniens ad bonum animę. Addo præterea, vt ſupra etiam de Iuramento dixi, ſemper poſſe inchoari, petēdo diſpenſationem ab hoc vltimo voto. Et in vniuerſum exiſtimo, non obſtante hoc voto, poſſe rem totam cum hoc ipſo voto non petendi diſpenſationem, proponi Superiori, vt ipſe faciat, quod melius eſſe iudicauerit, quia votum in contrario ſenſu factum non eſſet rationabile, quia non eſſet de re vtili ad ſalutem, & aliquo modo eſſet in præiudicium muneris, & poteſtatis Superioris. Atque cum eadem proportione ſentiendum eſt de voto non petendi voti commutationem. Dicit tamen Angles ſupra. hoc votum obligare ad non petendam commutationem in æquale, non tamen in melius. Sed licet ſecunda pars ſit clara, quia votum non impedit maius bonum, prior intelligenda eſt iuxta dicta: nam interdum expedit, vel melius eſt petere commutationem, etiam in æquale.

Richar. Angel. Syluest. Ant. Ang. Henr. Felin.

7. *An votum non ſuſcipiendi ordines validū.* Præterea ſolet hic interrogari, an votum non ſuſcipiendi ordines validum ſit? Hoſtienſis enim loco citato affirmat ſine vlla probatione. Suaderi autem poteſt, quia ſuſcipere ordines ad quendam gradum honoris pertinet in Eccleſia, & ideo ſuſpenſio ab ordine ſolet vocari in Iure ſuſpenſio ab honore. Fugere autem honores opus conſilij eſt; ergo tale votum validum erit. Et confirmatur; quia non eſt impeditiuum ſalutis: nam vt in ſimili caſu dicitur in capite *Ad aures*, de Temporum ordinatione *Non in ſublimitate graduum, ſed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei*. *C. Ad aures.*

8. In contrarium autem eſt, quia votum ſuſcipiendi ſtatum clericalem eſt validū: ergo eſt de meliori bono, ergo votum de negatione oppoſita non poteſt eſſe de meliori bono in ſenſu ſupra declarato. Quia fieri non poteſt, vt duo obiecta contradictorie, vel priuatiue oppoſita, ita ſe habeant, vt vnum ſit melius altero, & è conuerſo, per ſe loquendo, & ſecluſis extrinſecis accidentibus; imo neque bona æqualia eſſe poſſunt, quia ſemper vnum oppoſitorum eſt inferius altero. Præterea ſuſceptio ordinum de facto includit votum caſtitatis, ſi ordo ſit ſacer, vel eſt via ad illud, ſi ſit inferior; ergo tale votum ex ſe impedit maius bonum, ſcilicet votum caſtitatis, ergo eſt nullum. Quapropter ſententia hæc verior videtur ſimpliciter, maxime conſiderando ſtatum clericalem quatenus habet annexum votum caſtitatis: hoc enim vt minimum probat ratio facta. Addo vero etiam præciſe loquendo de ſtatu clericali, non videri validum votum non ſuſcipiendi illum, quia illa eſt res ſacra, & ſuſceptio illius eſt actio Diuini cultus, & de ſe non impedit maius bonum. cur ergo tale votum validum erit? Intelligendum autem hoc eſt ex vi obiecti: nam de fine extrinſeco, & accidentali ſtatim dicemus. *Reſoluitur dubium & aſſeritur votum non ſuſcipiendi ordines non eſſe validum.*

9. *Obiectio.* Sed dicet aliquis; Ergo etiam votum non ſuſcipiendi Epiſcopatum eſt per ſe inualidum ex vi talis obiecti: conſequens eſt falſum, & contra communem vſum. Sequela patet, quia ſtatus Epiſcopi eſt ſtatus perfectionis, ergo votum non ſuſcipiendi illum ſtatum eſt impeditiuum maioris boni. Item de hoc voto maior videtur eſſe ratio, quam de voto non ſuſcipiendi clericatum. Hoc dubium attingit Gerſon in Regulis moralibus in cap. de Superbia, & vana gloria Alphab. 24. litera K. & abſolute docet votum non accipiendi prælaturam indiſcretum eſſe, & non obligare. Idem Sylueſter, *Iuramentum*, 4. n.1. & tenuit Archidia. cum Raymundo in cap. *Si aliquid*, & in cap. *Innocens*, 22. quæſt. 4. Et inducit caput vnicum 85. d. vbi Gregor. damnare videtur tale iuramentum. In contrario vero ſenſu ſolet ille textus intelligi, ſcilicet vt Gregor. ibi præcipiat inquiri, an quidam Archidiaconus tale feciſſet iuramentum, non quia prauum fuerit, ſed vt non violetur. Et hoc magis ſentit Gloſſa ibi, & in cap. *Innocens*, 22. quæſt. 4. verb. *Confirmauit*, quamuis neque conſequenter, neque cum fundamento dicat, tale votum, *Gerſon. Syluest. Archid. Raymun. Gloſ.*

Digitized by Google

tum, vel tale iuramentum eſſe peccatum, quia ſi obligat non eſt malum ex vi obiecti: omnis autem alia malitia eſt per accidens, ideoque non poteſt cum fundamento ei attribui. Et hanc partem ſequitur Hoſtienſ. ſupra, & bene rem explicat in iuramento. Addit tamen, tale iuramentum eſſe peccatum veniale, quia fit ſine neceſsitate, vnde idem diceret de voto. Veruntamen ſi eſt de bono obiecto, non fit ſine neceſsitate, quia fit ad firmandum animum in bono. In hanc etiam partem videtur inclinare Panormitan. in cap. *Si vero*, de Iureiurando num. 4 & adducit capit. *Qui Epiſcopatum*, 8. qu. 1. vbi inter alia Auguſt. ait: *Locum ſuperiorem non decenter appeti*, ex quo poteſt colligi, decenter fugi, quod fit per votum non recipiendi illum.

Panorm. Auguſt.

10. *D. Thom. Soluitur obiectio, & exponitur quomodo poſsit eſſe validum votum de nō admittendo Epiſcopatu.*

Melius autem quam cæteri hoc punctum paucis verbis reſoluit D. Thomas. 2. 2. quæſt. 185. artic. 2. ad 3. ex cuius doctrina breuiter dico, ſi tale votum fieret de non ſuſcipiendo Epiſcopatu, vel Prælatura, etiamſi Pontifex, vel alius, qui poſsit præceptum imponere, id præcipiat, hoc ſenſu votum eſſe inualidum, quia eſt contra bonos mores. Si autem tale votum ſolum fiat de non procuranda prælatura, aut Epiſcopatu, vel etiam de non acceptando, donec is, qui poteſt præcipiat, ſic votum eſſe diſcretum, ſanctum, & validum, quia de ſe eſt valde vtile ad ſpiritualem profectum, occludit enim viam ambitioni, & refrænat affectum honoris, & dignitatis, & aliunde non impedit maius aliquod bonum, vel priuatum, ſeu perſonale, vel commune. Primum patet: quia licet ſtatus Epiſcopi dicatur perfectionis, quia ſupponit, vel requirit perfectionem in eo, qui tale munus aſſumit, non eſt tamen de ſe adeo aptus ad comparandam propriam perfectionem, quin potius de ſe eſt multis periculis expoſitus. De quo poſſunt legi multa apud Gratianum d. 40. Quod ergo ſpectat ad priuatum commodum ſpirituale vniuſcuiuſque perſonæ, ſine dubio commodius eſt his dignitatibus carere. Neque in hoc eſt ſimile de ſuſceptione ordinum præciſe quantum ad ſtatum clericalem, quia in eo nō eſt illud periculum, & eſt ſpeciale bonum ſpirituale, vel ratione miniſterij ſacri, vel ratione voti annexi. Similitudo autē eſſe poteſt quoad ſuſceptionem beneficij, aut cuiuſcunque regiminis animarum, de quo concedimus eſſe idem iudicium.

Gratian.

11. *Quando votum de non admittendo Epiſcopatu poſsit eſſe inualidum.*

Altera pars de bono communi patet, quia illi ſufficienter ſubueniri poteſt per Superioris prouidentiam: nā poteſt præcipere ſuſceptionem Epiſcopatus ſi communi bono expediat. Addo inſuper, ſi re vera caſus occurreret, in quo alicuius perſonæ induſtria, vel diligentia eſſet neceſſaria communi bono, tunc tale votum ex ſe non obligare ad non acceptandum Epiſcopatum, etiamſi non præciperetur à Pontifice. Nam in eo caſu præcipitur à Deo per legem charitatis; id ergo ſatis eſt, vt votum obligare tunc non poſsit, etiamſi Pontifex, vel ex ignorantia, vel ex negligentia id non præcipiat. Erit autem neceſſarium, vt communis boni neceſsitas euidens ſit, & manifeſta. Nec ſatis eſt, vt conſtet huic populo, hoc tempore, & cum his circumſtantiis neceſſarium eſſe optimum paſtorem, has, vel illas qualitates habentem: ſed etiam oportet, vt eodem modo certum ſit, hanc perſonam in particulari, & non aliam tali muneri aptam moraliter occurrere: nam ſi alia facile inueniri poſsit, neceſsitas ceſſat, ideoque obligatio voti integra manet. De quo voto iterum redibit dicendi occaſio tractando de Statu Religioſo.

12. *Negatio operis boni quod nec eſt in conſilio, neque in præcepto poteſt eſſe materia voti.*

Dico ſecundo: negatio operis boni, quod neque eſt in conſilio, neque in præcepto etiam poteſt eſſe materia voti. Hæc aſſertio pati poteſt difficultatem aliquam, quia ſi opus eſt bonum, omiſsio eius per ſe ſpectata non eſt bona; quomodo ergo poteſt eſſe materia voti, cum votum eſſe debeat non ſolum de bono, ſed etiam de meliori bono. Nihilominus concluſio eſt certa, & probatur primo: nam votum non nubendi, ſeu non ducendi vxorē, etiam prout diſtinguitur à voto caſtitatis, validum eſt, & ſanctum, vt omnes Doctores in hac materia ſupponunt, conſtituentes differentiam inter illa duo vota, vt in ſequentibus videbimus. Secundo: poteſt ſimile argumentum ſumi ex illis actibus boni inferioris ordinis, quos diximus non eſſe materiam voti: nam inde conſequenter fit, negationes eorum poſſe eſſe materiam voti. Probatur, quia ſi actus ille non eſt materia voti, ideo eſt, quia negatio eius præferri poteſt, & præeligi actioni, ergo eadem ratione poterit voueri, quia quod ſecundum rectam rationem præeligitur, melius eſt, ergo eſt materia voti. Tertio, eſt ratio à priori, quia licet actus ſit bonus, poteſt impedire maius bonum, vt de actu matrimonij, & aliis ſupra declaratum eſt, ergo negatio talis actus, non vt eſt negatio alicuius bonitatis, ſed vt eſt negatio impedimenti maioris bonitatis eſſe poteſt materia voti. Quia ad materiam voti non eſt neceſſe, vt intrinſece, & ex obiecto habeat bonitatem moralem, ſed ſatis eſt, quod ex relatione ad aliud illam participet, quatenus ad illam diſponit. Sic enim paupertas per ſe, & intrinſece bona non eſt, & tamen quia multum ad perfectionem diſponit, materia eſt voti, vt docuit D. Thom. 2. 2. quæſt. 186. artic. 3. & de aliis conſiliorum materiis bene exponit Gerſon. Alphab. 67. lit. S. eodem ergo modo de his negationibus dicendum eſt, & ita ſoluitur obiectio facta.

Gerſon. D. Thom.

13. *Votum non ludendi eſt validum etiam de ludis qui ſine peccato exerceri poſſunt. Eman. Rodr. S. Thom. Nauarr.*

Ex quibus obiter infero, votum non ludendi, & ſimilia, valida eſſe, & obligare etiam in his ludis, quæ ſine peccato exerceri poſſent. Probatur, quia tale votum ſimpliciter eſt de meliori bono, ratione explicata. Contrariū vero tradit Emmanuel Rodr. in Sum. part. 1. cap. 188. numer. 10. affirmans, ſuam aſſertionem eſſe Sancti Tho. 2. 2. q. 168. & Nauarrus cap. 20. numer. 2. ſolum quia dicunt, ludum honeſtum eſſe actum virtutis, ſed hinc non ſequitur, aut votum illius eſſe validum, aut votum de abſtinentia ab illo eſſe inualidum; vt ex dictis conſtat. Vnde cum talis actus, licet bonus eſſe poſsit, ex ſe ſit impeditiuus maioris boni, non eſt cur votum abſtinendi ab illo regulariter non obliget, niſi declinetur in aliud extremum, in quo ſit vel contra propriam ſalutem, vel contra neceſſariam vrbanitatem à tali actu abſtinere, tunc enim poterit eſſe, vel in præcepto, vel in conſilio, & ſic iam non erit in illo gradu, in quo nos nunc loquimur. Quia vero ordinarie, & regulariter talis actus, v. g. ludendi, etiamſi abſque culpa exerceri poſsit, fructuoſius omittitur, & de rebus moralibus ſimpliciter iudicandum eſt, iuxta ea, quæ ordinarie eueniunt, ideo ſimpliciter, ac per ſe loquendo, tale votum validum cenſetur, & ita docuit expreſſe Sot. lib. 7. de Iuſt. q. 2. art. 1. in fine corporis.

Soto.

CAPVT XII.

De aliquibus diuiſionibus votorum, quæ ex parte materiæ deſumuntur.

1. *Prima diuiſio in votum reale, & perſonale. Palud.*

Reliquum eſt, vt in huius libri fine diuiſiones voti, quæ ex parte materiæ ſumuntur, tradamus, impleamuſque quod in fine præcedentis libri promiſimus. Prima ergo, & celebris diuiſio eſſe ſolet, quia votum in reale, & perſonale diuiditur. Hanc tradit late Palud. d. q. 2. n. 4. vbi dicit datam eſſe à Iuriſperitis, quia pro diſpēſationibus, & commutationibus votorū cōfert, vt infra videbimus. Igitur votum reale dicitur, quo promittitur pecunia, vel aliquid pecunia æſtimabile, quod actio hominis vouentis non ſit. Perſonale vero, quod ſolum eſt de aliqua actione perſonali ipſius vouentis, ſub actione etiam compre-

Quid ſit votum reale.

Quid perſonale. comprehendendo omiſsionem, ſeu priuationẽ, vt ſunt vota orandi, ieiunandi, &c. Circa quę membra obſeruare licet, aliquando votum perſonale eſſe de re pretio æſtimabili, vt ſi quis voueat laborare ſuis manibus in vna Eccleſia, vel in ædificatione templi, votum illud perſonale cenſetur: & tamen actio illa, quæ promittitur æſtimabilis eſt iuſto pretio, vel ſtipendio, quo etiam redimi poſſet ex conſenſu Eccleſiæ, vel Pręlati, magis tamen denominatur ab eo, quod formaliter eſt quam ab eo, cui virtute æquiualet, & ideo in priori membro dixi, votum reale eſſe de re pretio æſtimabili, quę non ſit eiuſdem vouentis perſonalis actio. Vnde ſi in aliquo priuilegio daretur facultas commutandi vota perſonalia, & non realia, illud votum (vt exiſtimo) ſub tali priuilegio comprehenderetur, quia ſimpliciter perſonale eſt.

2. *Quid ſit votum mixtũ.* Solet autem huic diuiſioni addi tertium membrum, ſcilicet votum mixtum, diciturque illud eſſe, quod præter actionem hominis etiã reales ſumptus includit. Quod membrum maioris claritatis gratia, & maxime ad commutationem votorum vtile eſt: in rigore tamen non eſt neceſſarium. Nam mixtio illa dupliciter contingit, primo ex voluntate tantum vouentis coniungentis in ſua promiſsione actionem, & donationem, quæ alias per ſe coniunctæ non ſunt, vt cum quis vouet viſitare Eccleſiam, vel pauperem, & talem eleemoſynam illi præbere. Et tunc votum illud licet vnum videatur: tamen in re eſt duplex, vnum perſonale, & aliud reale, quæ per ſe ſeparari poſſent, cum facta fuere, & poſſent etiam per diſpenſationem, vel commutationem, vel per impotentiam faciendi vnum tolli manente obligatione ad aliud. Alio vero modo eſt votum mixtum intrinſece ex natura actionis, quæ ſine realibus ſumptibus ex natura rei, vel moraliter fieri non poteſt, vt eſt peregrinatio, & hoc votum eſt per ſe vnum, & mihi videtur formaliter perſonale, licet virtute ſit reale. Quia quod formaliter promittitur, ſolum eſt actio perſonalis, quæ ſi fieri poſſet ſine ſumptibus, quantum eſt ex vi voti, licite etiam ita fieri poſſet, quia ſumptus non cadunt directe ſub promiſsionem, ſed actio promiſſa illos ſecum affert. Et hinc eſt, vt in voto hoc non poſsit per ſe auferri onus reale, relicto perſonali, quia eſt illi annexum, & ſolum ſub ea ratione cadit ſub votum, illa vero annexio, ſeu connexio eſt ita intrinſeca, vt tolli non poſsit naturaliter, vel moraliter. Et ob eandem rationem è conuerſo ablato perſonali onere, cadit, ſeu tollitur reale, quia ſequitur principale tanquam acceſſorium, & conſequenter occurrente excuſatione ab obligatione peregrinandi, ceſſat omnis obligatio realis, quia nulla res per ſe promiſſa erat, vt dixi.

3. *Vota mixta ad perſonalia reducuntur.* Ex quo etiam ſentio ſub generali conceſsione circa vota perſonalia comprehendi mixta hoc ſecundo modo, etiamſi in indulto nulla fiat mentio realium votorum, quia hæc re vera ſunt formaliter perſonalia: illa vero quæ ſunt mixta priori modo ſolum quoad eam partem, qua perſonalia ſunt, cõprehenduntur, quia alia obligatio realis non habet per ſe connexionem cum iſta. Quod vero Paludanus ſupra inter hæc vota mixta votum Religionis ponit, mihi non placet, quia per ſe non includit obligationem dandi res ſuas Religioni, ſed abdicandi illas, quod poteſt quis facere per actum alterius donationis humanæ, abſque actu voti, aut Religionis. Quod ſi quis ex intentione ſua ſpeciali vtrumq; ſub voto ſuo includat, iam erit duplex votum, vel ad ſummum mixtum priori modo explicato. Multo vero magis mihi diſplicet modus loquendi aliquorum, qui inter vota mixta enumerant votum non ludendi, quia ſi ſeruetur ſolet etiam temporalem vtilitatem afferre. Qua ratione etiam votum non fornicandi, vel non comedendi ſuperflue, & ſimilia dici poſſent mixta, quod ridiculum eſt. Eo vel maxime quod votum dicitur mixtum propter expenſas faciendas in opus Diuini obſequij, non propter emolumentum temporale, quod ex voto reſultat: nam hoc nec facit votum oneroſum, nec cedit in obſequium Dei, ſed in temporalem vouentis vtilitatem, & ideo eſt impertinens ad votum.

Addi etiam ſolet differentia inter vota perſonalia, & realia, quod perſonalia ſolum reſpiciunt Deum, & non proximum, & ideo per ſe, nec ius proximo conferunt, nec vtilitatem illi afferunt, & conſequenter ſine illius detrimento auferri poſſunt: quæ omnia contrario modo videntur conuenire votis realibus. Hæc vero differentia non eſt vniuerſaliter vera: primo, quia ſi ſit ſermo de perſona, cui ſit promiſsio, omnia vota etiam realia ſoli Deo ſiunt, nam ſi cum illis iungitur promiſsio facta proximo, illa & ad votũ non pertinet, & per accidẽs cũ illo coniungitur, ſi vero ſit ſermo de perſona, quę poteſt eſſe circumſtantia materię voti, licet hæc frequentius reperiatur in votis realibus, tamen etiam poteſt in perſonalibus reperiri, vt in voto orandi pro Petro, inſeruiendi tali hoſpitali, aut tali pauperi infirmo, &c. Quo fit, vt vota etiam perſonalia ſoli Deo facta poſsint afferre vtilitatem proximo, interdum ſpiritualem tantum, interdum vero etiam tẽporalem, & pretio æſtimabilem. Non conferunt autem illi ius proprium, quia non ſit illi promiſsio. In hoc vero eadem ratio eſt de votis realibus, ſi in pura ratione voti ſiſtamus, & aliam promiſsionem directe factã homini non miſceamus, nulla eſt ergo illa differentia. Hæc igitur diuiſio ſolum præ oculis habenda eſt in ordine ad votorum commutationem, vel redemptionem, de qua in lib. 6. dicemus.

Secundo diuidi poteſt vtrumque ex his votis per diuerſas virtutes, ſeu materias eorum. Per vota enim realia varia virtutum officia promitti poſſunt, maxime vero miſericordiæ, Religionis, gratitudinis, & aliquando etiam iuſtitiæ. Ratio generalis eſt, quia his omnibus modis eſt honeſtus pecuniæ vſus, & frequentius eſt ſupererogationis, potius quam neceſsitatis, & Deo eſt valde gratus, & ideo magnam proportionem habet, vt ei per votum offeratur. Atque hoc totum eſt per ſe notum in miſericordia, ſeu eleemoſyna: in materia autem Religionis eſt votum ornandi, vel ditandi Eccleſiam, fundandi monaſterium, expendendi aliquid in Miſsis, vel alijs Diuinis officijs celebrandis. Opus etiam gratitudinis erit conferendo pecuniam, vel donum æquiualens benefactori, illa enim apta eſt materia voti, quia materia conſilij, vt plurimum eſt, licet aliquando poſsit eſſe debita. Et ideo dixi actum iuſtitię aliquando eſſe poſſe materiam voti, quia illa non eſt materia tam propria, quia de ſe neceſſaria eſt: nihilominus tamen votum reſtituendi vſuras, vel aliquid ſimile eſt optimum, & votum mutuandi ſine vſuris, partim miſericordiam, partim iuſtitiam complectitur. Sicut poteſt etiam fieri votum ſoluendi decimas, in quo & Religionis, & iuſtitiæ ratio ſupponitur: additur vero nouum vinculum voti, quod licet Religioſum ſit, tamen quia eſt diuerſæ rationis, cadere poteſt in alium actum eiuſdem Religionis, vt in ſuperioribus tactum eſt. Alij vero vſus pecuniæ, vt liberalitatis, & magnificentiæ, etiamſi honeſti ſint, non videntur adeo accommodati ad vota facienda, quia ordinarie non ſunt ex melioribus bonis: neque etiam ad Diuinum cultum videntur conferre. Nihilominus tamen hoc non repugnat: cur enim non poterit auarus vouere eſſe liberalis, cum hoc ſit opus virtutis, atque adeo gratum Deo, & homini ſic affecto poſsit eſſe valde vtile? Iuuare enim poterit ad vincendum malum, & faciendum bonum. Nec impedit maius bonum, quia vſus liberalitatis honeſtus, tunc ſolum erit neceſſarius ex vi talis voti, quando melior vſus non occurrerit,

5. *Secunda diuiſio voti per varias virtutes.*

Digitized by Google

occurrerit, ita vt ſolum intelligatur promiſſus ad coercendam auaritiæ ſitim, non ad impediendum altiorem vſum.

6. Vota item perſonalia omnium virtutum materias complectuntur, etiam ipſiuſmet Religionis, vt in principio huius materiæ notauimus, & per ſe etiam ſatis patet. Interrogari vero ſolet, an hæc materiarum diuerſitas faciat ſpecificam diuerſitatem in ipſis votis? Ad quod negatiue reſpondendum eſt, quia in omnibus materiis motiuum voti, & ratio obligationis eius eadem eſt, tota ergo illa diuerſitas eſt materialis, non formalis. Vnde etiam peccata, quæ contra hæc vota committuntur, licet materialiter poſsint eſſe ſpecie diuerſa in ratione fornicationis, adulterij, vel iniuſtitiæ, &c. Nihilominus in ratione infidelitatis contra votum ſpecie non differunt, quia eadem honeſtate priuant, & obligationi eiuſdem rationis opponuntur, vt etiam obſeruauit Vazquez 1.2. diſp. 99. c. 5. n. 19. & 20. *Vazq.*

7. *Tertia diuiſio voti in affirmatiuū, ṫ negatiuū.* Tertio diuiditur votum in affirmatiuum, vel negatiuum. Quam diuiſionem attigit Syluest. *Votum*, 1. q. 5. & ſumitur ex parte materiæ: nam ex parte actus promittendi ſemper votum eſt poſitiua promiſsio, tamen hæc aliquando cadit in aliquid agendum, vt votum peregrinandi, orandi, &c. & tunc dicitur votum affirmatiuum: aliquando vero in omiſsionem actus, vt non fornicandi, non nubendi, & tunc dicitur votum negatiuum, inſtar præceptorum. Atque hæc diuiſio facilis eſt in votis perſonalibus, vt patet in exemplis adductis. In realibus vero dubitari poteſt, an detur votum negatiuum (nam de affirmatiuo nullum eſt dubium, vt patet in voto dandi eleemoſynam, & ſimilibus) de voto autem non dādi, vel non mutuandi dubitari poteſt, an reale, vel perſonale dicendum ſit? Quia videtur habere pro materia remota bona externa temporalia, & ex hac parte videtur reale: & ita votum paupertatis inter realia videtur computandum, quia offert Deo res externas, ſeu bona fortunæ in cultum. Vnde Angel. ſupra, exiſtimat votum Religionis eſſe mixtum, & eſſe reale quatenus includit abdicationem bonorum. In contrarium vero eſt, quia per tale votū non obligatur homo ad aliquem vſum talium rerum, ſed tantum ad non vſum, vel ad non habendam proprietatem illorum, quod videtur conſiſtere in ſola abſtinentia à talibus rebus, quæ ſpectat ad votum perſonale, vt votum abſtinendi à cibis, &c. Sed parum refert hoc, vel illo modo loqui, quia de ſolo modo loquendi videtur eſſe controuerſia. Nihilominus in ordine ad commutationes videntur hæc vota ſequi conditionem votorum perſonalium, ſi præciſe vt negatiua ſunt, ſpectentur, quia vt ſic tantum reſpiciunt bonam affectionem, & diſpoſitionem ipſius vouentis, & non aliquod grauamen eius, neq; alterius commodum, quæ maxime ſolent in votis realibus conſiderari: ſi vero formaliter, vel virtute includatur in tali voto Religioſa diſpenſatio bonorum, ſub ea ratione vota realia cenſebuntur, & ita ſolent iudicari: at vero in voto paupertatis per ſe hoc non includitur, vt iam tetigi, & latius in proprio loco dicam.

8. *Quarta diuiſio voti in perpetuum, & tēporale.* Quarto diuidi ſolet votum, in perpetuum, & temporale, quæ diuiſio licet videatur dari ex parte durationis obligationis voti, maxime tamen fundatur in ipſa materia, præſertim quando non ſolum per accidens ex intentione vouentis, ſed quaſi per ſe cōuenit talis proprietas voto ratione materiæ. Poteſt item hæc diuiſio, & realibus, & perſonalibus accommodari. Nam inter vota reale poteſt ex parte materiæ dici votum perpetuum, votum ædificandi hoſpitale, vel monaſterium, vel inſtituendi pium opus, ex quo perpetuo alantur pauperes, aut virgines matrimonio tradantur. Quo ſenſu maior perpetuitas in reali voto, quam in perſonali inueniri poteſt: nā in voto perſonali non excedit vitam vouentis, in reali autem dicto modo intellecta ſæpe excedit, ſaltem quoad rem ex tali voto permanentem. Ex intentione autem vouentis dicetur, votum reale perpetuum, quod eſt de actionibus tranſeuntibus, quæ tamen per totam vitam faciendæ promittuntur, vt eleemoſyna ſingulis Sabbathis totius vitæ facienda, vel quid ſimile. Hoc autem poſterius votum reſpectu prioris eſt temporale; reſpectu autem huius temporale erit, quod eſt de vno, vel alio actu eleemoſynæ, &c. Atq; eadem fere proportione explicari poſſunt illa membra in votis perſonalibus, quamuis enim illorum perpetuitas nihil aliud ſit quam duratio per totam vitam vouentis; tamen quædam habent durationem quaſi continuam ex vi materiæ, vel ſtatus, vt votum caſtitatis, & Religionis, & ſi quæ ſunt ſimilia, reſpectu quorum alia temporalia cenſentur. Ex his vero temporalibus quædam per totam vitam obligant ex intentione vouentis, quæ ſuo modo perpetua ſunt: alia vno actu, vel certo actuum numero finiuntur, quæ maxime ſunt temporalia.

Inter hæc autem vota, quod ad doctrinam moralem attinet, potiſsima differentia poſita eſt in ipſa diuturniori obligatione. Alia eſſe poteſt, quod vota perpetua grauiora ſunt, & difficiliorem habent diſpenſationem, vel commutationem. Quod in realibus maxime ſeruandum eſt, quando ſunt priori modo perpetua, quia ſunt de rebus vtiliſsimis Eccleſiæ, & quæ vix poſſunt, niſi per alia æque perpetua compenſari, niſi debeant propter grauiſsimam neceſsitatem prætermitti. In perſonalibus item id obſeruatur, quando etiam ſunt priori modo perpetua, quæ Caiet. 22. qu. 184. art. 6. §. *Circa illud*, vocauit *perpetua per ſe*, illa enim difficile tolluntur. Adeo vt D. Thom. ibi, exponente Caietano, illa omnia reſeruata cenſuerit, (de quo infra) alia vero, quæ temporalia ſunt facilius tolli poſſunt, aut commutari. Aduertendum eſt præterea circa hanc diuiſionem, non ſolum vota abſoluta, ſed etiam conditionata poſſe eſſe ſuo modo perpetua, quando res ſub conditione promiſſa perpetua eſt, vel obligatio futura eſt perpetua ex quo fuerit conditio impleta. Nam hæc perpetuitas non tam attenditur à parte ante, quam à parte poſt, id eſt, non requirit, quod obligatio ſtatim inchoetur, ſed quod poſtquam inchoata fuerit, perpetuo duret. Vnde votum caſtitatis etiāſi ex intentione vouentis eius obligatio per annum, v. g. differatur, ſi ex tunc abſolute duraturum eſt, perpetuum ſimpliciter cenſetur. Eo vel maxime; quia votum illud ſtatim inducit obligationem ſuam, licet non pro ſtatim, tamen illa ita inducitur, vt perpetuo duret. 9. *Caiet.* *Aduertendum.*

Quinto diuiditur votum in reſeruatum, & non reſeruatum, quę partitio datur in ordine ad diſpenſationem, & commutationem, & inde conſtat valde accidentarium eſſe, quia reſeruatio accidit voto ex voluntate ſuperioris non concedentis poteſtatem diſpēſandi in illo. De qua reſeruatione infra ex profeſſo tractandum eſt libr. 6. Et inde etiam conſtabit aliud membrum, quod ſolum in negatione reſeruationis conſiſtit. Idemq; eſt de aliis ſimilibus diuiſionibus voti, diſpenſabilis, vel non diſpenſabilis, irritabilis, & infirmi, vel non irritabilis, ſed omnino firmi: omnes enim ſumuntur ab extrinſeca poteſtate irritandi, aut diſpenſandi, licet ſupponat interdum aliquam conditionem materiæ, vel perſonæ vouentis, quæ omnia in lib. 3. & 6. explicanda ſunt, & ideo nihil amplius de his diuiſionibus in præſenti dicendum eſt. 10. *Quinta diuiſio voti in reſeruatum, & non reſeruatum.*

Finis Libri Secundi.

INDEX CAPITVM LIBRI TERTII, DE CAVSA EFFICIENTE VOTI.

Cap.1. Vtrum ſolus homo poſſit vouere, & obligari Deo.
Cap.2. An omnes homines viatores ſint voti capaces.
Cap.3. An vota ſimplicia ſint nulla ob inhabilitatem perſonæ.
Cap.4. An Eccleſia poſſit aliquos inhabiles reddere ad vouendum.
Cap.5. An prohibeantur à voti emiſſione perſonæ ſubiectæ.
Cap.6. Quomodo vota perſonalia ex parte materiæ, ſint valida in ſubditis.
Cap.7. An vota realia valida eſſe poſſint in perſonis ſubditis.

LIBER TERTIVS, DE PERSONIS QVÆ VOVERE POSSVNT.

EX cauſis voti ſola efficiens explicãda ſupereſt, vt ex initio libri præcedentis conſtat. In cauſa autem efficienti cõſiderari poteſt vel facultas proxima, per quam votum efficitur, vel perſona. De facultate in li. 1. dictum eſt, explicando ipſummet actũ voti, quia ſine habitudine ad facultatem ſuam explicari non poterat. Ibi ergo declaratum eſt, quomodo votum, vt in anima exiſtit, voluntate & intellectu perficiatur; exterius autem conſtat fieri ore, per ſe loquendo, vel ſcripto, aut ęquiualenti ſigno. De hoc ergo principio proximo nihil eſt, quod dicamus; neque hic etiam agendum de extrinſeco principio, ſeu cauſa voti, qualis eſt Deus, vel concurrendo vt cauſa prima, vel ſpecialiter mouendo, & adiuuando per auxilia gratiæ. Iam enim in ſuperioribus diximus, votum prout à fidelibus fit, opus eſſe gratię, iuxta definitionem Concilij Arauſic. ca.11. & iuxta ea, quæ tract. 1. de Virtute Religionis generatim diximus: vnde quæ de illo ſub ea conſideratione dici poſſent generalia ſunt; neque hic habent ſpecialem conſiderationem, & ideo ſufficiunt, quæ de virtute Religionis, & actibus eius tract. 1. diximus. Solum ergo ſupereſt dicendum de perſonis, quæ poſſunt votum emittere, & per illud obligari.

CAPVT I.

Vtrum ſolus homo poſſit votum emittere, & illo obligari?

1. POteſt dictio, *ſolus*, excludere vel res homine inferiores in natura, vel ſuperiores. De inferioribus nulla eſt quęſtio, quia intellectu carent, ſine quo votum eſſe nõ poteſt; igitur de ſuperioribus dicendum. Inter ſuperiores autem primum locum tenet Deus, vt Deus eſt, de quo certum eſt, non eſſe voti capacem, quia nec Religionis eſt capax, vt tract. 1. vidimus. Cui enim cultum exhibebit ſuprema natura? Quocirca licet promittere poſsit, vt conſtat, non tamẽ in cultum, vel obſequium, ſed in beneficium, & gratiam eius, cui promittit.

2. De perſona vero Diuina in aſſumpta natura dubitari poteſt, nam de Chriſto Domino ſolet inquiri, tum de poſsibili, tum etiam de facto. In quo puncto primo dicendum eſt, per aſſumptam naturam potuiſſe votũ emittere. Probatur, quia nõ repugnabat naturę aſſumptę ſecundũ ſe, vt per ſe notum eſt, nec etiam ratione vnionis, ſeu perſonæ, ergo. Probatur minor primo: quia talis repugnantia non oriebatur ex generali ratione cultus Religioſi, quia certum eſt, Chriſtum vt hominem potuiſſe Deum, vt Deum colere, ſicut & illi obedire, & ſatisfacere. Item illi obtulit ſacrificium, quod proprium cultum Religionis continet. Nec repugnantia inueniri poteſt in ſpeciali ratione voti, quia non magis repugnat talis cultus dignitati perſonæ Chriſti: quam alij actus Religionis. Item Chriſtus potuit orare, vt ſupra viſum eſt: ergo & vouere: ſunt enim hi actus valde affines. Item fuit Chriſtus capax obligationis præcepti: ergo & obligationis promiſsionis. Item Deus vt Deus poteſt ſe obligare homini promittendo: ergo etiam Deus vt homo poteſt ſe obligare Deo promittendo. Neq; obſtat, quod per vnionem habeat volũtatem firmatam in bono, tum quia poſſet pluribus modis, & titulis eſſe firmata; tum etiam quia votum nõ ſolum fit propter firmandam voluntatem, ſed etiam propter ipſam honeſtatem Religioſi cultus.

An Chriſtus Dominus votum emiſerit.

Secundo dicendum eſt, incertum eſſe, an Chriſtus votum propriũ de facto emiſerit. Ita intelligo quod D. Tho. dicit d.q.88. ar. 2. ad 3. *Chriſto non competebat vouere, tum quia Deus erat, tum etiam quia vt homo habebat voluntatem firmatam in bono, quaſi comprehenſor exiſtens.* Soto vero q.2. artic. 2. ad 3. addit, *quod Chriſto nulla ratione vouere congruit*, ſignificans non fuiſſe hunc actum congruum, vel conſentaneum Chriſto. Sed D. Thom. hoc non dixit: nam aliud eſt non competere, quod indicat nõ fuiſſe illi neceſſarium: aliud non congruere, quod ſignificat eſſe incongruum, aut minus decens: ego autem neque incongruitatem, neq; indecentiam in hoc video. Quia votum per ſe eſt opus conſilij, aptum ad cultum, & ad oſtendendam ſubiectionem ad Deum, & reddens actum ex parte materiæ, & motiui meliorẽ; nec per ſe includit indecentiam, quia non ſolum eſt propter firmandam voluntatem non firmam, ſed etiã propter alios titulos honeſtos, iam explicatos. 3.

Incertum eſſe an Chriſtus Dominus de facto votum emiſerit.
D. Thom.
Soto.

Itaque probabilius cenſeo non ſolum de potẽtia abſoluta, ſed etiam de ordinaria potuiſſe Chriſtum, ſaltem 4.

Probabilius

Ipſo Chriſtum potuiſſe vouere.

ſaltem vt viator erat, votum proprium emittere ſiue virginitatis, ſiue paupertatis, ſiue obedientiæ, non quidem homini præſtanda, id enim non decebat (vt alibi dixi) ſed Deo, & maxime in procuranda hominum ſalute, & offerendo ſe ipſum in ſacrificium pro Eccleſia ſua. Sic enim intelligit Hilar. illud Pſalm. 131. *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob*, Vnde ait, ſic Chriſtum geſsiſſe omnia, *vt ſacramento Religionis ſatisfacere videretur*. Et infra dicit, reſtitiſſe Petro tentanti impedire paſsionem ſuam. *Impium, & profanum docens eſſe, ſi non omnia, quæ erga humanã ſalutem Patri vouiſſet, expleret*: & infra concludit: *Secundum hanc geſtorum deuotionem, ita omnia geſta ſunt, vt videantur ſtudioſe pro Religione, quæ iurata ſunt, hæc eſſe perfecta.* (*Hilar. Pſal. 131.*)

5. Conſonantque huic ſententiæ Hilarij verba illa Pſal. 21. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.* (*Pſal. 21.*) In illo enim Pſalmo Chriſtum eſſe, qui loquitur, teſtimonia Euangeliſtarum, & Pauli, & verba totius Pſalmi teſtantur, vt Ianſen. ait: eſtque totius Eccleſiæ ſenſus, & fuit etiam ſapientum Hebræorum, vt Genebrar. refert. D. Thomas autem in d. ſolut. ad 3. dicit, Chriſtum in illis verbis loqui in perſona Eccleſiæ ſuæ, ita ibi vocans vota ſua, ſicut in principio dixerat, *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum.* (*Ianſen. Genebr. D. Thom.*) Sed non eſt eadem neceſsitas, cum non ita Chriſto repugnent vota in propria perſona, ſicut delicta: ſine neceſsitate autem non videtur ad metaphoram recurrendum. Neque Gloſſæ, aut Auguſt. illam expoſitionem poſuerunt in his poſterioribus verbis, ſed tantum in primis. Vnde Auguſt. per vota intelligit ſacrificium Chriſti, ſiue cruentum ſiue incruentum. Quod etiam Gloſſæ ſequuntur, & indicatur in Commentariis Hieronym. Verum eſt, hos Patres non explicare, qualia fuerint illa vota, ſed tantum materiam illorum exponere. Vnde intelligi facile poſſent de voluntaria oblatione, quã de ſe ipſo Chriſtus fecit Patri in primo inſtãti ſuæ conceptionis, acceptando præceptum eius de redimendo genere humano. Ita enim ſæpe accipi nomen voti à Patribus in cap. 3. oſtendemus. Et licet illa acceptatio per vnum actum voluntatis Chriſti facta fuerit, vota in plurali appellantur, propter multitudinem actionum, & Sacramentorum, quæ ſimul obtulit Patri pro ſalute hominum.

6. Sed profecto non eſt alienum à rigore literæ, vt de proprio voto intelligatur, id eſt, de vera promiſsione cum voluntate obligandi ſe, etiamſi per Patris præceptum non obligaretur. Quin potius fauet proprietas vocis Hebrææ *Neder*, & vocis Græcæ ευχὴν, vtraque enim propriam promiſsionem ſignificat, & habetur in aliis locis Scripturæ, vbi eſt ſermo de propriis votis, vt Pſalm. 65. *Reddam tibi vota mea*: vnde etiam conſonat verbum *Reddam*, quod in vtroque loco habetur, & voti obligationem indicat, vt omnes notant, maxime in id Pſal. 75. *Vouete, & reddite*, &c. Præterea fauet Baſilius in d. Pſal. 21. dicens, ευχὴν, *hic non intelligit preces, ſed promiſsiones.* Et idem fere habet Theodoret. Vnde Ianſen. cum Auguſtino intelligens ibi per vota myſteria corporis, & ſanguinis Domini, ait, appellari vota, non ſolum quia in vltima cœna inſtituta, & offerri iuſſa, ſed etiam quia idem corpus olim ex voto Deo Chriſtus obtulit in Crucem. Itaque corpus, & ſanguis Chriſti appellantur vota, tanquam per votum oblata *olim*, id eſt, ab initio conceptionis ſuæ. Deinque hinc ſumi poteſt congruentia, quia per hoc votum explicatur optime ſumma voluntas, & libertas, qua Chriſtus ſe ſe pro nobis à principio obtulit Patri: nam ſi illi non fuit impoſitum præceptum obligans, ipſe ſe voluit ad moriendum pro nobis, & ad offerendum corpus, & ſanguinem ſuum obligare: ſi vero illi fuit rigoroſum præceptum impoſitum, illud non tantum propoſito, ſed etiam promiſsione acceptare voluit, quod ſignum eſt maxime voluntatis, & libertatis. Itaque in hoc dicendi modo non deeſt probabilitas, licet incerta res ſit, vt etiam notaui in 2. tom. 3. partis diſp. 28. ſect. 2. (*Pſal. 65. Pſal. 75. Baſil. Theod. Ianſen. Auguſt.*)

7. *An Angeli ſint capaces voti.*

Secundo inquiri poteſt de Angelica natura, an ſecundum ſe ſpectata, ſit capax voti? In quo breuiter dicendum eſt, Angelicam naturam non eſſe ſimpliciter incapacem voti. Probatur, quia in Angelo reperiuntur omnia, quæ ad vouendum ſunt neceſſaria, ſcilicet intelligentia, & libertas ſufficiens, ſubiectio ad Deum per Religioſum cultum, poteſtas ſe obligandi: nam ſi hanc habet homo, cur non habebit Angelus? Neque etiam illi deerit materia promiſsionis, tum quia etiam habet actus ſupererogationis, id eſt, bonos & non præceptos, quos promittere poſsit: tum etiam quia ipſos actus ſibi præceptos poſſet promittere, vt ſi concipiamus Angelum promittere Deo, diligenter cuſtodire hominem; vel Verbum Incarnatum adorare, aut quid ſimile. (*Reſolutio affirmatiua.*)

8. *Angeli ſecundum exigentiam naturalem votum non admittunt.*

Nihilominus tamen ſi loquamur de potentia ordinaria (vt ſic dicam) ſeu iuxta exigentiam Angelicæ naturæ, veriſimilius eſt, actum vouendi in illa non reperiri. Nam ſi Angelos vt viatores ſpectemus, eorum via breuiſsima fuit: vnde pro ſtatu viæ non indigebant votis, ſeu promiſsionibus, ſed vnica deliberatione perfecta, qua in bono confirmarentur. Poſt ſtatum autem viæ, qui damnati ſunt, non ſunt apti ad vouẽdum propter obſtinatam voluntatem, neque etiam beati ratione ſtatus, vt ſtatim dicam. Quod ſi ſecluſo omni ſtatu gratiæ, aut culpæ, naturalem conditionem Angelicæ naturæ præciſe ſpectemus, etiam non videtur accommodata ad vſum vouendi, propter inflexibilem electionem, quam facit iuxta communem ſententiam, quæ Damaſceni, & Diui Thomæ eſſe creditur. Et licet fortaſſe illa inflexibilitas non ſit omnimoda, ſed moralis, & per adhæſionem difficile mobilem, illa ſatis eſt, vt dicamus, iuxta naturæ ſuæ conditionem ſufficere Angelo deliberatũ propoſitum abſque vſu vouendi.

9. *Obiectio. Solutio.*

Dices; Longe immutabilior eſt voluntas Dei, & nihilominus illi adiungit promiſsionem. Reſpondeo primo, forte promiſsionem Dei nihil aliud eſſe, quam aſſertionem ſui deliberati propoſiti de beneficio præſtando, vel abſolute, vel ſub conditione aliqua, quæ aſſertio etiam poſſet eſſe in Angelo, ſed non oſtenderet voluntatem omnino immutabilem, ſicut in Deo. Vnde vlterius dicitur, eo modo quo Deus promittit nõ id facere propter ſe, ſed propter nos, vt ſpem noſtram confirmet: quæ ratio ceſſat in voto reſpectu Dei. Vnde ſi ex conditione naturæ vouentis non eſt votum propter ipſum vouentem neceſſarium, ceſſabit vſus eius. Denique reſpondeo, propterea dictum eſſe, Angelum non eſſe, ſimpliciter incapacem voti, vnde ex illa conditione ſolum declaratur minor quædam neceſsitas eius.

10. *An beati ſpiritus ſint voti capaces? Affirmatiua reſpõſio.*

Tertio quæri poteſt de ſpiritibus beatis, an ſint voti capaces? Cui quæſtioni eadem breuitate, & porportione reſpondendum eſt, non eſſe ita incapaces, vt eis repugnet, non tamen eſſe hunc cultum, ſeu vouendi vſum illi ſtatui accommodatum. Prior pars probatur, quia etiam beati colunt Deum Religioſo cultu, vt eſt conſtans, & in hoc ſpeciali cultu non eſt repugnantia. Quia licet beatus habeat voluntatem firmatam in bono, adhuc eſt capax boni ſpontanei, quod per votum poteſt melius reddi: & aliunde eſt etiam capax obligationis, & præcepti: vnde non videtur repugnare, quod inter beatos ipſos habeat locum promiſsio, & fidelitas, ergo nec reſpectu Dei repugnabit.

11. Nihilominus altera pars probatur primo ex immutabilitate voluntatis beati, quę neceſſario adhæret Deo, & illius amore regitur in omnibus ſuis actibus: non ergo indiget confirmatione aliqua per votum, ſeu promiſsionem. Neque etiam eſt illi neceſ-

Digitized by Google

ſaria propter ordinandum actum ad finem Religionis: nam quando expedierit, hoc perfectiſsime facere poteſt, abſque voto, & infallibiliter faciet, quoties ex charitate indicauerit, eſſe faciendum. Accedit, quod beati iam ſunt in termino: votum autem propriè videtur ſpectare ad ſtatum viæ propter futuras actiones, vt ad maiorem perfectionem, vel meritum tendant. Et quoad hoc non eſt eadem ratio de Chriſto in ſtatu huius vitæ, in quo licet fuerit comprehenſor, fuit tamen verus viator, & ex ea parte fuit magis capax voti, ſaltem propter noſtrum exemplum. Nunc autem certum eſſe cenſeo, Chriſtum non emittere vota, quod de cæteris beatis tam hominibus, quam Angelis ſentiendum puto: nam ratio generalis eſt.

13. *Solus homo viator eſt voti capax.* Quarto ex dictis concluditur reſponſio ad quæſtionem, nimirum ſolum hominem viatorem eſſe voti capacem, ita vt de facto, ac moraliter loquendo in illo reperiatur. In qua aſſertione duæ partes continentur, vna affirmatiua, ſcilicet hominem viatorem eſſe voti capacem, altera negatiua de quolibet alio præter viatorem hominem. Et hæc quidem poſterior pars ſatis probata eſt ex dictis, excluſimus enim omnes res alias tam inferiores, quam ſuperiores, & omnem ſtatum extra viam. Prior autem pars ſatis probata eſt in lib. 1. cap. 1. & in ſequenti amplius declarabitur.

CAPVT II.

An omnes homines viatores ſint voti capaces?

1. *Ante vſum rationis homines vouere non poſſunt. Cap Sicut tenor.* DIcendum primo eſt, homines ante vſum rationis non eſſe voti capaces. Aſſertio eſt communis, & clara, quia ſine voluntario conſenſu votum non emittitur: ſed ante vſum rationis homo non poteſt habere deliberatum conſenſum, vt conſtat, ergo nec votum. Maior habetur in c. *Sicut tenor*, de Regular. & ſupra libr. 1. late tractata, & declarata eſt, ibi enim oſtenſum eſt ad minus requiri ad votum conſenſum ſufficientem ad peccandum mortaliter. Excluduntur ergo omnes infantes, & paruuli pro ea ætate, in qua nondum habent vſum rationis ad peccandum mortaliter ſufficientem. Et eadem ratione ſub his comprehenduntur perpetuo amentes. Deniq; excluduntur omnes homines pro eo ſtatu, & diſpoſitione, in qua vti ratione non poſſunt, vt dum dormiunt, phrenetici ſunt, aut ebrij, vt in citato loco latius dictum eſt.

2. *Obiectio.* Dices, hoc recte procedere in voto, quod vnuſquiſque pro ſe ipſo emittit: poſſe tamen vnum pro alio vouere, & ſic infantem, verbi gratia, poſſe vouere per alium, ſcilicet per parentem, vel tutorem, ſic enim videmus, parentes vouere filios infantes Religioni. Et populus interdum vouet diem feſtũ, vel ieiunij, & tunc filij paruuli, imo & nondum nati cenſentur in parentibus vouere. Et ratio reddi poteſt, quia voluntas vnius interdum moraliter continetur in voluntate alterius, vt voluntas filij in voluntate patris: ergo poterit per illam voluere, etiamſi nondum propria vti per ſe ipſum poſsit.

3. *Solutio.* Reſpondetur negando aſſumptum. Eſt ergo ad hanc rem explicandam proponenda hic regula ſimilis illi, quam de iuramento tradidimus, votum eſſe actionem perſonalem, id eſt, quæ propria voluntate vouentis fieri, & in illa proxime, & immediate niti debet. *Inculcatur regula ad votum. D. Thom. Palud. Sup Gab. Palac. Soto. Syluest. Nauar Hostienſ.* Ita ſumitur ex Diuo Thoma dicta q. 88. art. 9. Et eſt communis in 4. diſt. 38. vbi Palud. quæſt. 3. art. 3. Supplement. Gabr. q. 1. concl. 4. Palac. diſput. 1. concluſ. 8. Soto libr. 7. qu. 2. art. 1. ad 5. Sylueſt. *Votum*, 2. quæſt. 9. & 11. Nauar. ca. 12. numer. 56. & 79. Hoſtienſ. in Summ. libr. 3. titul. de Voto §. *Et vtrum*, & alij Canoniſtæ in capit. *Licet*, de Voto. Ex quo textu id ſumitur per argumentum à contrario ibi: *Onus tibi à patre iniunctum, & à te ſponte ſuſceptum.* Si ergo non eſſet ſponte ſuſceptum, non obligaret. Ratio præter ſupra traditam de iuramento, hic reddi poteſt, quia votum eſt promiſsio: ſed promiſsio ita eſt propria actio promittentis, vt non poſsit alium comprehendere ſine conſenſu illius, ergo & votum. Probatur minor, quia promiſsio vt ſic, inducit proxime, ac per ſe obligationem fidelitatis, ſeu veritatis, faciendi verum, quod promiſiſti: ſed obligatio fidelitatis, & veritatis non poteſt oriri niſi ex proprio actu. Intelligi enim non poteſt, vt vnus ſit mendax, aut verus propter dicta alterius, niſi ipſo aliquo modo illa etiam proferat, vel confirmet, quia veritas conſiſtit in adæquatione dicti ad mentem loquentis, & non dicti vnius ad mentem alterius. Idemque eſt in fidelitate, quæ conſiſtit in adæquatione facti ad verbum proprium, non ad alienum. Vnde Prouerb. 6. dicitur. *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus*: & eſt ſermo de promittente. *Prou. 6.* Et ſimilis loquendi modus eſt frequens in Scriptura Iudic. 11. *Aperui os meum*, & infra. *Iudic. 11.* *Si aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es.* *Deut. 23.* Deut. 23. *Obſeruabis, & facies ſicut locutus es Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Hoc ergo neceſſarium eſt ad valorem, & obligationem voti. Et poteſt amplius explicari ratio: quia obligatio voti non eſt ex poteſtate iuriſdictionis, aut dominatiuæ. Nam hæc ſpectat ad legem, vel præceptum, ergo eſt obligatio ex priuata, ac propria voluntate, ratione poteſtatis, & dominij, quod vnuſquiſque habet in ſuas proprias actiones: & ideo votum dicitur quaſi lex priuata, quam vnuſquiſque poteſt ſibi imponere, niſi alias impediatur: ergo propria obligatio voti, ſeu verum votum non poteſt eſſe ex ſola voluntate aliena, ſed eſt quaſi immanens, quæ in eo manet, à quo inducitur.

4. *Qui vti non poteſt propria voluntate non eſt capax voti.* Ex hoc ergo principio manifeſtum eſt, eum, qui non poteſt vti voluntate propria tanquam habens dominium eius, non eſſe voti capacem per ſe ipſum, & conſequenter neque per alium, quia hoc repugnat naturæ voti. Vnde verum non eſt votum parentum tranſire ad filios, aut defuncti ad hæredes, aut populi ad ſucceſſores. Quomodo autem ex voto vnius redundare poſsit obligatio ad alios, dicemus libr. 5. nunc ſatis ſit dicere, votum vnius non tranſire ad alios, poſſe tamen eſſe cauſam quaſi efficientem obligationis in aliis, & tunc obligationem, quæ ad alium redundat, non eſſe proprie obligationem fidelitatis, aut Religionis, ſed eſſe iuſtitiæ, vel præcepti, vt ibi latius exponemus. Neque amplius probat illa ratio, quod voluntas vnius poteſt conſtitui in alterius voluntate. Dupliciter enim poteſt hoc intelligi. Vno modo ratione ſubiectionis naturalis, aut politicæ, & hic modus ſubordinationis nõ ſufficit ad votum, propter rationem factam, ſed poterit ſufficere ad obligationem legis, vel præcepti. Alio vero modo poteſt quis proprio conſenſu voluntatis ſuæ dare alteri poteſtatem vouendi pro ſe, & hic modus eſt poſsibilis, quia poteſt votum per procuratorem fieri, ſicut matrimonium, vel ſicut iuramentum: nam ibi dicta hic poſſunt applicari. Tunc autem neceſſario ſupponitur vſus rationis ad conſtituendum procuratorem, qui pro te promittat, aut cõtrahat, & tota obligatio voti oritur ex proprio cõſenſu, qui à principio datus fuit à propria perſona mandante procuratorem, quaſi ſub conditione, vt promiſsio intelligeretur facta, ſtatim ac procurator nomine ſuo illam faceret. Et ita hoc non tollit veritatem aſſertionis, quod ad votum ſit neceſſarius vſus rationis.

5. *Duo dubia circa eandem materiam.* Duæ vero difficultates occurrebant circa hanc reſolutionem. Vna eſt de filiis infantibus oblatis à parentibus Religioni, quia eo ipſo videntur ita firmiter Religioſi fieri, & votis obligari, vt retrocedere non poſsint, vt multa Iura ſignificant. Sed hanc relinqui-

Digitized by Google

relinquimus in tractatum de Statu Religionis, quia non poteſt antea conuenienter intelligi. Nunc ergo negamus aſſumptum, donec enim in ætate adulta conſentiant, non obligantur. Quomodo autem illa iura intelligenda ſint ibi videbimus. Altera difficultas eſt de voto baptiſmi, quam nunc expediemus, quia in hac materia ab omnibus tractatur, & eſt huius loci propria. Eſt ergo difficultas, quia omnes baptizati obligantur voto ad legem Chriſti ſeruandam, & tamen multi baptizantur ante vſum rationis: ergo non eſt vſus rationis ad votum neceſſarius. Maior probatur, quia illa obligatio eſt voluntarie ſuſcepta, & ideo baptizandi interrogantur, an renũcient Sathanæ, & pompis eius, &c. vt per ſe, vel per patrinos conſentiant, & ſpondeant. Atque ita loquuntur Magiſter, & Scholaſtici in 4.d.38. præſertim D.Th.q.1.ar.2.quæſt.1. Bonau.art.1.q.2. Quam ſententiam non ſolum ſequitur, ſed etiam de proprio voto videtur exponere VValdenſ. in Doctrina lib.3. capit. 20. præſertim, numero quarto, & capite 22. in principio, & numer. 5. Solentque pro hac ſententia referri varij Patres August. in Pſal.75. vbi dicit generatim, quædam eſſe, quæ omnes communiter vouere debemus, vt credere in Deum, non furari, &c. de baptiſmo autem nihil dicit, videtur tamen eſſe eadem ratio. Et Epiſt.23. dicit *Patrinos in baptiſmo paruulorum pro illis ſpondere.* Et hoc indicauit Tertul. lib. de Coron. milit. ca.3. dicens, *Aquam adituri in Eccleſia, ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius.* Quo verbo *renunciandi Diabolo* vtuntur frequenter Patres, vt Cyprian. libr. 1. Epiſtol. 5. & alij, quos fuſe retuli tom.3. q.71. ar.1. in Comment. vbi circa finem adnotaui, quoſdam etiam Patres interdũ vti nomine promiſsionis, ſeu ſponſionis. Quibus addi poteſt Greg. Hom.29. in Euang. dicens, *Qui nos in die baptiſmatis omnibus antiqui hoſtis operibus, & pompis renunciare promiſimus.* Et Hieronym. Amos 6. in fine: *In myſteriis primum renunciamus ei, qui in occidente eſt, nobiſque moritur cum peccatis, & ſic verſati ad orientem pactum inimus cum ſola iuſtitia, & ei ſeruituros nos eſſe promittimus.* Idem late Ambroſ. 1. de Sacramentis capite ſecundo.

Magiſt. *D. Thom.* *Bonauen.* *VVald.* *Auguſt.* *Tertul.* *Cyprian.* *Gregor.*

6. Nihilominus ſimpliciter reſpondendum eſt, nullum proprium votum fieri in ſuſceptione baptiſmi, etiam ab adultis. Ita Altiſi. li.3. Sum. tract.2. cap.2. q.1. Rich. in 4.d.38. ar.3. q.2. Dur. q.1. Pal. ibi qu. 2. & dub. 6 q.4. art.2. concl.1. Caiet. Soto, & omnes d. ar. 2. Vict. in Sum. 4. mat. de Baptiſmo n.38. Nauar. c.12. n.32. optime Bellar. lib.2. de Monach. c.19. Rationes ſunt, prima quia nullum eſt ibi verbum indicãs votum. Secunda, quia nulla authoritate, & traditione conſtat Eccleſiam præcepiſſe tale votum. Tertia, quia eſſet potius in laqueum, quam in vtilitatem. Has rationes optime tractat, & proſequitur Caiet. ar.2. Adde, in Sacramento Pœnitentiæ nullum exigi à pœnitentibus votum de vitæ emendatione, cur ergo exigeretur à baptizatis adultis de vitæ profeſſione? Denique alias omnia peccata Chriſtianorum eſſent ſacrilegia, præter malitias, quas habent in propriis ſpeciebus, quod probabile non eſt. Vnde à fortiori conſtat, multo minus infantes cum baptizantur, vel votum per alios emittere, vel cum ad adultam ætatem perueniunt, obligari voto, ſed ſolis præceptis legis Euangelicæ, & Eccleſiæ.

Reſolutio quæſtionis. *Altiſ.* *Richard.* *Durand.* *Palud.* *Caiet.* *Soto.* *Victor.* *Nauar.* *Bellarm.* *Caiet.*

7. Ad explicandas ergo priores locutiones Patrum diſtinguunt Magiſt. & Scholaſtici in d.d.38. præſertim D. Th. dupex votum, quod vocant commune, & ſingulare, & neceſſarium, & voluntarium. Dicunt ergo in baptiſmo fieri votum commune, & neceſſarium, non tamen voluntarium, ac ſingulare. Quam diuiſionem ſupra in fine lib.1. explicaui. D. Tho. autem in 2.2. illam omiſit, quia poteſt cauſare æquiuocationem, nam votum illud commune, ſeu neceſſarium non eſt proprie votum, quia non eſt promiſſio, ſed profeſſio quædam legis Euangelicæ, in qua non interuenit promiſsio ex parte ſuſcipientis illum ſtatum, ſed tantum libera ſuſceptio baptiſmi, & conſequenter libera acceptatio legis Euangelicæ, non eſt ergo verum votum. Sed ita appellatur, tum quia votum interdum ſignificat propoſitum, vt in principio notauimus, quomodo dicere etiam ſolemus contritionem catechumeni, continere baptiſmum in voto, tum etiam quia per illam acceptationem manet homo obligatus. Aliter tamen quam per votum, quia in voto obligatio eſt fidelitatis, & promiſsionis, in hac vero acceptatione obligatio eſt legis, ſeu præcepti: vnde in priori obligatio eſt à vouente, quaſi actiue: in poſteriori eſt à voluntate Chriſti, licet ex parte recipientis conſenſus accedat. Antiqui ergo Scholaſtici, & Patres locuti ſunt large, & improprie de voto. Quod patet, quia dicunt illud votum baptiſmi analogice ſic appellari, & non addere ſpecialem obligationem virtutis Religionis, nec ſpecialem malitiam in contraria tranſgreſſione. nam fornicatio baptizati non eſt alterius ſpeciei, quam non baptizati, licet accidentaliter ſit grauior in eadem ſpecie, propter maiorem cognitionem, & voluntatem, vt loquitur D. Thom. in 4. vbi ſupra. Eſtque aperta ſententia Auguſtin. in dicto Pſalm. 75.

Magiſt. *D. Thom.* *D. Thom.*

8. Dices: Cur poteſt infans profiteri Religionem Chriſtianam per offerentem ipſum, & non poteſt ſic vouere, vel profiteri Religioſum ſtatum per parentes, vel alios, cum etiam profeſſio baptiſmi debeat eſſe voluntaria? Reſpondeo rationem eſſe, quia profeſſio fidei Chriſtianæ eſt ex obligatione immediata Diuinæ legis, quam Chriſtus potuit imponere ſua ſola voluntate, obligationem autem voti, aut particularis Religionis reliquit in hominis arbitrio. Et ita Chriſtus Dominus inſtituit, vt & infantes rite baptizari poſſent ſine proprio conſenſu, & vt omnes baptizati ad ſuam legem ſeruandam tenerentur, & Eccleſiæ manerent ſubiecti, ita vt per eam compelli poſſent. Quod facere potuit, quia illa eſt obligatio manans à poteſtate iuriſdictionis, quæ illi non deeſt: ſecus vero eſt de obligatione voti, quę à propria debet emanare voluntate.

Cur poſſit infans profiteri fidem Chriſti per offerentem ipſum, non vero Religioſum ſtatum. Solutio.

9. Dico ſecundo; Omnis homo viator ſufficienti ratione vtens, quantum eſt ex parte ſua capax eſt ad emittendum votum, ſi aliunde non ſit impeditus. Hæc aſſertio ſumitur ex Diuo Thoma dicta quæſt. 88. articul. 8. & 9. & aliis Theologis in 4. diſt.38. vbi præſertim Richard. art.4. q.2. & quantum ad generalem regulam eſt per ſe manifeſta, quia ſi homo ſufficienti ratione vtitur, etiam vtitur ſufficienti libertate, ſed ad votum hæc duo ſufficiunt ex parte vouentis, vt conſtat ex dictis in toto lib.1. ergo. Dixi autem ſufficienti ratione vtens, vt ſignificarem non quemcumque rationis vſum ſufficere ad votum, ſed oportere, vt ſe extendat ad Dei cognitionem, quia ſine illa impoſsibile eſt votum emittere, cum votum ſit promiſsio Deo facta. Vnde etiam addo, poſſe ſub illa ſufficientia includi, quod ſit vſus rationis fide illuminatæ, quia ſine fide non videtur poſſe verum, & proprium votum emitti. Sed licet hoc verum ſit de voto perfecto, & Chriſtiano (vt ſic dicam) tamen abſolute non repugnat votum validum, & obligans inueniri in homine carente fide, vt ſi hæreticus errans in aliis, & non in his, quæ ſpectant ad voti Religionem, voueat caſtitatem, ſine dubio obligabitur. Et idem eſſet, ſi homo habens ſolam naturalem Dei cognitionem, & illum colens naturali cultu, aſſequeretur modum colendi per votum: ſicut Gentiles vouebant diis ſuis, & ex conſcientia erronea obligabantur: nam alioqui ex defectu obiecti vota illa inualida erant. Requiritur ergo ex parte vſus rationis cognitio proportionata voto, & ſi hæc deſit, non erit vſus rationis ſufficiens. Vel certe ſi ignorantia interueniat, illa erit vnum

Omnis homo viator perfecta ratione pollẽs, voti capax eſt, niſi aliũde impediatur. *D. Thom.* *Richard.*

ex impedimentis inclusis in exceptione, de qua ſtatim.

10. Dixi etiam in aſſertione hominem *ex parte ſua, &cæt.* Primo, quia ſemper ſupponendum eſt, auxilium neceſſarium ex parte Dei: nam vt in principio dixi, hic ſolum agim⁹ de virtute cauſę proximę. Secundo, quia præter virtutem agendi, oportet, vt homo habeat materiam proportionatam ad votum, id eſt, quam ipſe poſsit efficaciter obligationi voti ſubijcere. Quod facile oſtendi poteſt, tum ratione phyſica, quia agens creatum non poteſt operari ſine materia capaci, tum ratione morali, quia ſi homo promitteret rem alienam, non eſſe honeſta promiſsio, nec de re licita. Exempla ſunt, ſi Religioſus voueat facere eleemoſynam de rebus monaſterij, vel filius de rebus paternis, vel ſi ſeruus promittat ſuas operas hoſpitali, cum illæ ſint domini, & ſic de alijs exemplis, quæ videri poſſunt in Richard. ſupra, Sylueſter verb. *Votum*, 3. per totum, & in ſequentibus ea proſequemur. *Sylueſt. Richard.*

11. Denique addidi in aſſertione, *Si aliunde non ſit impeditus*, quia hæc conditio in omni cauſa agente neceſſaria eſt, ſemperque ſubintelligitur. Eandemque limitationem poſuit Richardus ſub alijs verbis, ſcilicet. *Cui vouere non prohibetur.* Quæ verba intelligere videtur de prohibitione ex parte materiæ: quia illi eſt prohibita, omnia enim exempla, quę adducit (ex capit. *Magna*, de Voto, & capit. *Niſi cumpridem*, de Renunciat. & capit. *Non oportet*, de Conſecratione diſtinct. 5.) aut non ſunt ad rem, quia in eis votum non eſt ſimpliciter inualidum, vt infra ſuis locis dicetur, vel vt ſit inualidum reduci debet ad votum de materia prohibita, vt eſſet in Epiſcopo votum de renunciando Epiſcopatu ſine licentia Papæ, & ſimilibus. Item quia ratio qua vtitur, ſcilicet quia Deus non acceptat votum contra prohibitionem factam ſolum procedit in eodem ſenſu, nam aſſumptum eſt verum ex parte materiæ, non autem ſemper ex parte vouentis. Hoc autem modo illa conditio iam declarata eſt, nunc autem aliam intendimus, quæ illis verbis non ſatis explicatur.

12. Quod ſi verba illa intelligãtur de prohibitione ex parte vouẽtis, nõ erit vniuerſaliter vera exceptio illis verbis explicata, quia multa fieri prohibentur, quæ facta tenent capit. *Ad Apoſtolicam*, de Regular. Vt ſæpe quis male facit vouendo, aut profitendo Religionem, & tamen votum tenet, ſi lex prohibens non addat verba irritantia: vt conſtat ex generali principio de Legibus, & ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. capit. 15. de Regular. per argumentum à contrario, maxime adiuncto d. capit. *Ad noſtras*. Nam profeſsio facta ante expletum annum probationis, vel ante ætatem legitimam nunc eſt nulla, quia ita Concilium expreſsit: antea vero non erat nulla, licet prohiberetur, quia non irritabatur: Similiaque exempla ſumi poſſunt ex alijs Decretis, & Bullis Pontificis, vt Sixt. V. Clem. VIII. de Illegitimis. & ſimilibus. Ratio autem eſt, quia poteſt actus promittendi eſſe prohibitus, & non actus, qui eſt materia promiſsionis: vt poteſt Superior me prohibere, ne votum orandi faciam, licet non me prohibeat orare. Tunc ergo licet malefaciam vouendo, non tamẽ eſt votum de re mala, aut Deo non accepta. Et ita tunc non procedit ratio Richar. quod Deus non acceptat votum prohibitum, licet enim non acceptet illud, quando eſt de re illicita, tamen acceptat illud, quod eſt de re licita, etiamſi licite factum ſit vt ſupra lib. 1. cap. 5. latius explicuimus. Vnde licet votũ prohibeatur ſi materia non prohibetur, poterit votum eſſe validum, ſi aliud non ſubeſt impedimẽtũ. *Cap. Ad Apoſtol.* *Concil. Trident.*

12. Dices: qui prohibet vouere orationem, prohibet orare ex voto, ergo id ſemper malum eſt, ergo repugnat tale votum obligare. Reſpõdeo, diſtinguẽdo antecedens, prohibet remote, & quaſi in radice, tranſeat, prohibet formaliter, & in ſe, nego quia licet prohibeat votum, quod eſt radix obligationis, tamen illo facto, non prohibet obſeruationem eius. Sicut votum ſimplex caſtitatis prohibet matrimonium, & conſequenter coniugalem copulam, quia tamen non irritat matrimonium: ſi ſemel fiat, etiamſi peccaminoſe fiat obligat ad reddendum debitum, & id iam non prohibet votum caſtitatis. *Obiectio. ...*

Melius ergo explicatur illa limitatio per illa generalia verba, *Si aliunde non ſit impeditus*: nam exiſtẽte capacitate intrinſeca vouentis (vt ſic dicam) & capacitate etiam materiæ, adhuc poteſt impedimentum interuenire. Hoc autem impedimentum eſſe non poteſt niſi prohibitio Superioris, quia ſecluſa prohibitione poſitiua, omnis homo vtens ratione habet liberam, & efficacem voluntatem ad vouendum, & ſe obligandum in materia apta, quia nullo iure Diuino, vel naturali impeditur. Nec ex alio capite poteſt ratio impedimenti cogitari. Ius autem humanum, vel præceptum Superioris dupliciter poteſt impedire votum. Vno modo ſimpliciter prohibendo ne fiat, & tunc impedit, ne licite fiat, nõ tamen ne valide fiat, vt declaratum eſt. Alio modo poteſt non ſolum prohibere, ſed etiam irritare inhabilitando perſonam, vel voluntatem eius inefficacem reddendo ad ſe obligandum, vt capite ſequenti conſtabit, & tunc perſona illa eſt impotens ad votum ſimpliciter, ſeu validum emittendum, quia veluti priuata eſt naturali poteſtate.

Ex quibus tandem ſequitur nullum eſſe in Eccleſia hominem adultum, qui per ſe loquendo non poſsit valida vota emittere. Patet, quia nemini ſunt omnia prohibita, & multo minus irritata, omnes ergo adulti fideles dici poſſunt ſimpliciter capaces voti. Habet autem hoc nonnullam difficultatem in perſonis alijs ſubiectis, de quibus tractat Diu⁹ Tho. dicto art. 8. & 9. Sed hoc tractabitur diſtinctius in ſequentibus. Nunc ſolum dicimus, etiam illarum perſonarum vota eſſe valida, niſi vel ſint de illicita materia, vel inueniantur in Iure irritata. Quando autẽ alterum ex his contingat, dicemus in ſequentibus. *D. Thom.*

CAPVT III.

An Eccleſia poſsit aliquas perſonas inhabiles reddere ad valide vouendum?

QVæſtio hæc videtur attingere materiam de irritatione votorum in 6. libr. tractandam. Sed aliud eſt votum validum iam factum irritare, aliud impedire, ne valide fieri poſsit, nam hæc eſt veluti irritatio antecedens, ſicut impedimentum irritans contractum faciendum, altera vero eſt irritatio ſubſequens ad opus valide factum. Hæc ergo irritatio ſubſequens tractanda eſt in libro ſexto, & eam nomine irritationis ſemper intelligemus: alteram vero (ad tollendam ęquiuocationem terminorum) vocabimus inhabilitatem perſonæ ad vouendum, quæ ad hunc locum proprie ſpectat, vt explicare poſsimus, quæ perſonæ ſecundum omnia Iura ſint aptæ ad vouẽdum valide. Loquimur autem de perſonis adultis, & ſufficienti ratione vtentibus, quæ (vt oſtendimus) iure naturali ſunt aptæ ad vouendum in materia ſibi proportionata, illa enim ſemper ſupponenda eſt, vt conſtat: nam ſi ex parte materiæ ſit inhabilitas, non requiretur ſpecialis ex parte perſonæ. Igitur ſolum de Iure Eccleſiaſtico habet locum quæſtio, & conſequenter tantum reſpectu fidelium, in quos Eccleſia iuriſdictionẽ habet.

Duo vero poſſunt hic inquiri, vnum de poteſtate, aliud de facto, hic de ſola poteſtate, in ſeq. cap. de actu dicemus. Ratio ergo dubitandi eſſe poteſt primo, quia tota vis, & efficacia voti conſiſtit in actu interiori intellectus, & voluntatis: nam exterior actus ſolum eſt ſignum voti apud Deum emiſsi: ſed Eccleſia non habet poteſtatẽ in actus internos, ergo. 1. *Ratio dubitandi.*

Secun-

Secũdo, vel hęc poteſtas eſt iuriſdictionis, vel dominatiua. Prior nõ ſufficit, quia, vt infra oſtendemus, poteſtas iuriſdictionis non ſufficit ad irritanda vota iam facta: vnde multo minus ſufficiet ad irritanda illa ſi fiant, vel antequam fiant, ſeu quando fiunt. Poſterior autem poteſtas non eſt in Pontifice, & cõſequenter nec in vniuerſa Eccleſia: alias poſſet Pontifex pro ſuo arbitrio, & ſine vlla cauſa talem irritationem facere, quod conſtat eſſe falſum. Sequela autem patet, quia poteſtas dominatiua non indiget cauſa ad irritanda vota, vt infra videbimus. Tertio: ſi Eccleſia poteſt hoc modo vota irritare antecedenter, vel id eſt ex parte materiæ, prohibendo illam, & faciendo illam ineptam ad votum, vel ex parte perſonæ illam reddendo inhabilem ad vouendum etiam in materia capaci. Primum fieri poteſt à quocumque ſuperiori reſpectu ſubditi, ſed illud non eſt per ſe votum impedire, ſed id per accidens ſequitur ex quacumque alienatione, ſeu priuatione materiæ: nam hoc modo etiam poteſt homo ſe imponentem reddere ad aliquod votum emittendum, ſi materiam eius à ſe alienauerit. Secundum videtur impoſsibile, tum quia videtur contra naturale ius, quo potens eſt homo ad ſe obligandum Deo per ſuam voluntatem: tum etiam quia ſolus Deus videtur habere poteſtatem ſuper voluntatem humanam quatenus cum Deo ipſo contrahere, & quaſi negotiari poteſt.

3. *1 Aſſertio. Eccleſia poteſt aliquos inhabiles reddere ad vota ſolemnia.* Nihilominus dico primo: De votis ſolennibus, vt ſolennia ſunt, non eſt dubium, quin ſit in Eccleſia poteſtas ad inhabilitandas aliquas perſonas ne valide poſsint talia vota emittere, ſeu quod idem eſt, ad inſtituenda impedimenta irritantia talia vota, ne valida ſint, ſi cum illis fiant. Hæc aſſertio acceptari debet, vt certa de fide, quia communi vſu, & ſenſu Eccleſiæ recepta eſt: Pontifices enim, & Concilia vſa ſunt hac poteſtate: non tanquam dubia, vel probabili, ſed tanquam certa, & indubitata. Hoc conſtat primo, quia ſupra libr. 1. oſtenſum eſt, Eccleſiam irritaſſe votum ſolenne factum ex metu cadente in conſtantem virum. Secundo, quia Eccleſia irritauit profeſsionem factam à pueris ante annos pubertatis, id eſt, (ſecundum antiquum ius) ante decimum quartum annum ætatis in viris, & ante duodecimũ in fœminis, vt de viris eſt expreſſum in capit. *Ad noſtras*, de Regular. & capit. 1. & 2. eod. tit. in 6. *Cap. Ad noſtras.* De fœminis autem non ita inuenitur expreſſum in illis Iuribus, tamen ex illis textibus cum proportione colligitur, fœminas impuberes eſſe inhabiles ad votum ſolenne emittendum. vnde quia in ordine ad matrimonium fœminæ cenſentur impuberes vſque ad duodecimum tantum annum capit. *Ex litteris*, de Deſponſat. impuberum: & in ordine ad ſtatum Religioſum, idem clare ſumitur ex cap. *Puella*, 20. quęſt. 2. ideo etiã in fœminis ante duodecimum annum profeſsio ſemper fuit nulla. *Cap Ex literis. Ca. Puella.* Vnde in capit. 1. 20. quæſt. 1. dicitur: *in virginibus eſſe firmam profeſsionem ex quo adulta ætas eſſe cœperit*: declaratur autem eſſe illa, *quæ ſolet apta nuptiis deputari*, & ita ibi notat Gloſſa. Et eodem modo ſumitur hæc ſententia ex capit. *Cum virum*, de Regula. *Cap. Cum virum.* & ita tradit etiam Gloſſa in Clement. *Eos*, de Regular. Hodie vero tam in viris, quam in fœminis requiritur decimus ſextus annus expletus, & vota ſolennia antea facta irrita ſunt ex Decreto Concilij Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de Regular. vbi etiã irritãtur vota ſolennia antea annum probationis emiſſa. *Tridem.* Item Sixtus V. irritauit profeſsionem factam ab illegitimis, & à quibuſdam criminoſis, & alijs, & ita factum eſt, & in Eccleſia durauit, quamdiu conſtitutio illa fuit reuocata à Clemente VIII. Non poteſt ergo de hac poteſtate dubitari, cum de actu non dubitetur, & ita docent Diuus Thomas d. quæſtione 88. ar. 9. & omnes. *D. Thom.*

4. Ratio vero reddi poteſt ſpecialis in voto ſolenni, quia in illo ſemper interuenit acceptatio ex parte Eccleſiæ, & contractus aliquis humanus inter Religioſum tradentem ſe Religioni, & Religionem acceptantem illam traditionem, & ſe obligantem ſuo modo Religioſo: ergo poteſt Eccleſia hunc cõtractum irritare, ſeu ſtatuere conditiones, ſine quibus validum non ſit: ergo conſequenter facere poteſt, vt vota ſolennia valida non ſint. *Ratio aſſertionis.* Antecedens ſupponitur: nã infra ſuo loco tractabitur. Prima vero conſequentia probatur: tum quia omnis reſpublica, vel princeps eius habet ſimilem poteſtatem circa contractus ſubditorum, & ita leges ciuiles irritant antecedenter plures contractus, niſi modo per ipſas conſtituto fiant. Et idẽ facit Eccleſia, quod maxime confirmat exemplum de matrimonio. nã licet ſit ſacramentum, quia fundatur in contractu humano, ideo potuit Eccleſia multis modis irritare illud, niſi legitime fiat. Tum etiam quia contractus, qui in votis ſolennibus interuenit, eſt cũ Religione, cuius poteſtas tota eſt à Pontifice, & ideo facile potuit dare, vel auferre poteſtatem acceptandi talem contractum, ſeu traditionem, & ita annullare illam. Secunda vero conſequentia probatur, quia vota non habent ſolennitatem, niſi vt adiuncta traditioni, & conſecrationi. ergo irrita traditione, irritantur vota.

5. *Obiectio. Solutio.* Dices, hinc ſolum concludi, non valere illa vota vt ſolennia, non tamen inde ſequi non valere vt vota. Reſpondeo in primis inde ſatis probari aſſertionem, quia in ea ſolum poſuimus non valere illa vota, vt ſolennia ſunt, quia certius eſt. Deinde vero dico, etiam non valere vt vota ſunt, vel quia iura interdum id declarant, præſertim Trident. d. capit. 15. dicens: *Profeſsio antea facta ſit nulla, nullamque obligationem inducat*, &c. *Aut ad alios quoſcumque effectus*. *Tridem.* Quæ vniuerſalia verba ſine dubio comprehendunt etiam obligationem voti ſimplicis, & effectus eius. Vel etiam non valent ex defectu intentionis vouentis, qui non intendit emittere illa vota niſi vt ſolennia, id eſt, vt annexa tali ſtatui Religioſo, & vt ſeruanda in illo, & ideo ſi Religioſus ſtatus non fuit validus, nec vota ipſa etiam vt vota ſunt, obligabunt. Primo quia illa intentio virtute includit conditionem, ſi profeſsio valuerit, vel ſi Religioſus fuero: ſecundo, quia includit determinationem obligandi ſe ad illa in tali ſtatu, & non aliter: tertio quia ſolum intenduntur vt acceſſoria, & acceſſorium ſequitur principale. Denique quia obedientia, & paupertas non promittuntur ibi niſi ſecundum talem regulam, & ideo ſi non tenet obligatio ad regulam, neque illa vota poſſunt valere. De voto autem caſtitatis nonnullum oritur dubium ex capit. *Quidam*, & capit. *Placet*, de Conuerſ. coniugat. vbi in caſu, in quo eſt profeſsio nulla dicitur tenere votum caſtitatis, ſed de illis textibus dicemus infra tractando de Religioſo ſtatu. *Cap. Quidã. Cap. Placet.* Nunc breuiter dicimus, illa iura procedere ex præſumptione. Quia in illo particulari caſu præſumunt, coniugem velle obligari ad caſtitatem independenter à profeſsione: in foro autem conſcientiæ ſtandum erit intentione vouentis. Vide Sancium lib. 7. de Matrim. diſp. 34. *Sanc.*

6. *Corollaria aliqua ex tradita doctrina. Primum.* Atque ex his obiter infero, quando ſimplicia vota fiunt, vt annexa ſtatui Religioſo, vt fiunt in Scholaribus, & coadiutoribus Societatis Ieſu: tunc ſicut poteſt perſona aliqua per Eccleſiam fieri inhabilis ad talem ſtatum, vel ſtatuere conditiones irritantes receptionem, ſeu ingreſſum ad illum ſtatum, ita conſequenter poſſe irritare talia vota ſimplicia. Patet, quia etiam illa fiunt vt annexa tali ſtatui, in quo etiam aliquis contractus neceſſario intercedit inter Religionem, & Religioſum, qui contractus etiam habet conditiones ſubſtantialiter requiſitas ad valorem ſuum, vel ex iure communi Eccleſiæ, vel ex iure proprio talis Religionis per

Eccleſiam approbato, quibus deficientibus, non valet aſſumptio talis ſtatus, nec à Religione acceptatur valide. Ergo etiã illa vota, vt ſunt vota talis Religionis inualida ſunt: & conſequenter ſimpliciter, & in ſe ſunt inualida: in voto quidem obedientiæ, & paupertatis ex defectu materiæ propriæ: in voto autem caſtitatis ex intentione vouentis, qui ſolum voluit vouere caſtitatem, vt annexam tali ſtatui. Quod ſi ipſe peculiari intentione voluit obligari ſimpliciter, & independenter à tali ſtatu, iam illud erit ſimplex votum caſtitatis abſolute factum, de quo alia eſt ratio.

7. *Secundum.* Secundo infero, vota quædam ſimplicia, quæ in Societate fiunt à profeſsis poſt profeſsionem, non fore valida, niſi profeſsio valida eſſe ſupponatur, & conſequenter ita poſſe irritari, ſicut poteſt irritari profeſsio. Quia in illa nituntur tanquam acceſſorium in principali, quod ruit non ſubſiſtente principali: iuxta regulam *Acceſſorium*, 42. de Regulis iur. in 6. & leg. *Cum principalis*, ff. eodem. Item quia ſub hac intentione fiunt à vouente, & ideo forte in forma emittendi illa dicitur: *Ego N. profeſſus Societatis Ieſu*. Vnde fit etiam probabile, quod licet profeſſio in Societate fuerit valida, ſi poſtea mutetur in aliam, vt Chartuſiæ, vel alterius Religionis ex conſenſu eiuſdem Societatis, vel Pontificis, tunc eo ipſo dicta ſimplicia vota euaneſcere, quia non ſubſiſtebant vt annexa profeſsioni Religionis, vt ſic, ſed profeſsioni talis Religionis: ſi ergo mutetur, illa etiam non obligant: ſed de hoc iterum occurret ſermo tractando de Religionibus.

8. *2. Aſſertio, Poteſt. Eccleſia inhabilem perſonam aliquã reddere ad vota ſimplicia emittenda.* Dico ſecundo: Poteſt etiam Eccleſia directe, & per ſe inhabilitare perſonam aliquam, ſeu voluntatem eius, & conſenſum inefficacem reddere ad vota ſimplicia valide emittenda, ſeu conditiones aliquas deſignare, ſine quibus votum ſimplex non valeat, etiamſi promittens velit. Hæc aſſertio non inuenitur in iure in proprijs terminis, nec in aliquo vſu huius poteſtatis, & ideo non eſt tam certa ſicut præcedens. Quia licet vinculum voti ſolennis ſit maius quam vinculum voti ſimplicis, vel ſaltem non minus: nihilominus non fit euidens illatio in hoc puncto à voto ſolenni ad ſimplex: quia in voto ſolenni eſt illa peculiaris ratio de traditione, & contractu humano, & ita ibi vota non directe, ſed quaſi indirecte irritantur, vel ex defectu materiæ & fundamenti, vel ex defectu conditionis, ſub qua fiunt. Nihilominus aſſertio eſt ſatis certa, quæ à Theologis videtur potius ſupponi, quam diſputari. Vnde multorum opinio eſt, votum ſimplex ex metu graui factum eſſe irritum iure Eccleſiaſtico: & alij, qui hoc negant, non negant poteſtatem, ſed factum.

9. *D. Thom.* Item conſtat Eccleſiam deſignaſſe annos pubertatis, intra quos vota à pueris facta poſſunt à parentibus irritari, vt docet Diuus Thomas d. articulo 9. & infra dicemus: ergo poſſet etiam ipſa Eccleſia immediate irrita facere talia vota, ſi expediret, ſicut etiam poſſet terminum illius ætatis ad irritanda vota, vel augere, vel minuere. Item poteſtas ciuilis poteſt irritare promiſsiones humanas antecedenter: & Eccleſia ſimiliter ſponſalia varijs modis annullat: ergo & vota ſimplicia poterit ſic irritare. Probatur conſequentia: quia omnia hæc pendent ex conſenſu promittentis: ergo ſicut in alijs materijs irritat conſenſus, ita poterit in hac. Adde, facilius poſſe in præſenti: quia valor voti ſimplicis pendet ex acceptatione Diuina: Deus autem non acceptat votum quando Eccleſia irritat illud. Sicut enim quando Eccleſia diſpenſat in voto, cenſetur Deus ipſe cedere iuri ſuo, & hoc veluti per ipſam diſpenſationem declaratur virtute illius poteſtatis, quam Deus dedit Petro, vt quod ipſe ſolueris in terris, ſit ſolutum in cœlo: ita etiamſi Eccleſia ita prohibeat votum aliquod, vt nolit eſſe validum, cenſetur Deus non conſentire tali voto, nec acceptare illud ex vi conceſsionis eiuſdem poteſtatis: eſt enim eadem ratio, & proportio.

10. *Dubium, an Eccleſia vota interna poſsit irritare.* Occurrit autem hic ſpecialis difficultas de votis mere internis, ſiue quoad actum promittendi, ſiue quoad materiam promiſſam, an illa etiam poſsit Eccleſia irritare dicto modo. Et ratio dubij eſt: quia non habet poteſtatem in actus interiores: vnde non poteſt prohibere ſub præcepto talia vota: ergo nec irritare poterit. *Solutio.* Sed dico, etiam ad hæc vota extendi dictam poteſtatem, & quidem ſi materia ſit externa, vt v. g. peregrinatio, ieiunium &c. poſſet Eccleſia irritare omne votum ſimplex factum ab impubere, v. g. circa ſimilem materiam, ſiue votum ſit verbis factum, ſiue ſola mente. Probatur, tum quia eadem eſt ratio, & neceſsitas in vtroque modo vouendi. Tum etiam quia eſto, poteſtas Eccleſiæ non extendatur directe ad actus pure internos, extenditur ad illos, vt coniunctos externis, vt prohibet ferre ſententiam ex odio: ergo etiam poteſt prohibere illum actum externum vt faciendum ex voto, & hoc eſt irritare votum. Tum præterea quia Eccleſia poteſt diſpenſare ſimile votum, & in perſonis ſubiectis poteſt irritare etiam poſt factum, vt infra videbimus, ergo talis materia non eſt omnino extra poteſtatem Eccleſiæ. Maxime quia hæc poteſtas non ordinatur ad externam vindictam, ſed ad ſpirituale bonum, & cõmodum animarum.

11. Vnde concluditur idem eſſe dicendum, etiamſi materia voti interna ſit, ſiue votum ore fiat, ſiue etiam ſolo corde, quia Eccleſia poteſt inefficacem reddere ipſum conſenſum internum in promittendo etiam Deo, quando ita expedit ad bonum animæ, ad hunc autem finem, & ad hanc efficaciam parum refert, quod votum ſit de materia externa, vel interna, quia non minus, imo ſæpe plus periculi eſt in voto de internis actibus, quam de externis. Neque etiam quidquam refert quoad obligationem coram Deo, quod votum voce exprimatur, necne. Item etiam votum ſic factum interius poteſt diſpenſari ergo & inualidari à principio, quia vtrumque fit ex vi eiuſdem poteſtatis: *Quodcumque ſolueris, &c.* & *Paſce oues meas*. Et vtrumque poteſt eſſe neceſſarium ad ſpirituale, & internum regimen animarum.

12. *In quibus perſonis ſit poteſtas vota annullandi.* Tandem circa concluſionem hanc poteſt interrogari, in quibus Prælatis ſit hæc poteſtas ſic annullandi. Ad quod breuiter dico eſſe in Summo Pontifice, in quo eſt ſuprema poteſtas Eccleſiaſtica. Et probabilius cenſeo non eſſe conceſſam Epiſcopis: nam in votis ſolennibus certum eſt illam non habere, & in ſimplicibus eſt etiam res grauiſsima, quæ non pertinet ad particulare regimen, ſed ad vniuerſale. Et cum non poſsit talis poteſtas ex vſu colligi, & alioqui non pertineat ad priuatos Epiſcopos omnis poteſtas Eccleſiaſtica, neque hæc in particulari legatur conceſſa, non eſt cur illis attribuatur. Maxime quia grauiores cauſæ Pontifici ſunt reſeruatæ capit. *Maiores*, de Baptiſmo. *Cap. Maiores.* Item quia forte generaliter verius eſt, non poſſe Epiſcopos condere leges irritantes, de quo in materia de legibus dicendum eſt.

13. *Fit ſatis argumentis. Ad primum.* Supereſt, vt ad argumenta in principio poſita reſpondeamus. Ad primum iam reſponſum eſt, quomodo Eccleſia habeat poteſtatem in actus internos, vel in ordine ad externos, vel in ordine ad animæ ſalutem. Eſt enim in Eccleſia quaſi duplex poteſtas, altera gubernatiua in ordine ad externum forum, alia, quæ immediate ordinatur ad forum animæ, & hæc poſterior cadit in actus internos, vt conſtat de poteſtate remittendi peccata, concedendi indulgentias, diſpenſandi in votis, & ad hunc ordinem ſpectat hæc poteſtas, de qua tractamus.

14. *Ad ſecund.* Ad ſecũdum reſpondetur, hanc poteſtatem pertinere

Digitized by Google

tinere ad poteſtatem Iuriſdictionis ſupernaturaliter à Chriſto datam ad animarum gubernationem, ſicut infra dicemus de poteſtate diſpenſandi in votis. Nam fere eiuſdem rationis ſunt, ſicut eiuſdem rationis ſunt non acceptare promiſsionem, vel acceptatam remittere: hoc enim ſecundum fit per diſpenſationem voti, primum autem per hanc anticipatam annullationem, vt explicatum eſt. Vnde etiam concedimus, talem modum prohibitionis, ſeu annullationis voti non poſſe licite fieri ſine cauſa iuſta. Tum quia in omni iuſta lege eſt hæc neceſſaria, tum etiam, quia alias & homini, & Deo fieret grauis iniuria per talem legem. Quæ ratio concludit, non ſolum neceſſariam eſſe iuſtam cauſam, vt irritatio hæc ſit iuſta, ſed etiam vt ſit valida, quia attingit ius, ac debitum Diuinum, ſicut etiam dicetur infra de diſpenſatione, eſt enim eadem proportionalis ratio, vt ex dictis conſtat.

15. Ad id autem, quod obiiciebatur, quia ad irritandum non ſufficit poteſtas iuriſdictionis, reſpondeo, eſto, id ſit verũ in votis iam factis, & validis, non eſſe verum in irritatione antecedente, ſeu in annullatione voti futuri: quia facilius impeditur contrahi vinculum, quam diſſoluatur contractum, quia turpius eiicitur, quam non admittitur hoſpes, & quia poſt contractum eſt ius acquiſitum, quod difficile tollitur, vt matrimonium facilius impeditur ne valeat, quam ratum dirimatur. Vnde primum multis modis facit Eccleſia: ſecundum autem raro, & adhuc ſub iudice lis eſt, an id facere poſsit. Similiter poſt donationem validam difficilius priuatur quis re acquiſita, quam impediatur donatio, ne valide fiat: ita ergo in præſenti. Deinde dico, ſeruata proportione, etiam illum, qui poteſt irritare vota facta per poteſtatem dominatiuam, poſſe antecedenter id facere per eandem poteſtatem, vt infra videbimus. Et ſimiliter qui per poteſtatem iuriſdictionis poteſt diſpenſare in votis, poteſt illa antecedenter annullare ex iuſta cauſa, ſi habeat poteſtatem illam in ſupremo gradu.

16. Ad tertiũ. Ad tertium iam dictum eſt, irritationem hanc fieri poſſe inhabilitando perſonam, & voluntatem eius ad valide vouendum, etiam ſine mutatione materiæ. Neque hoc eſt contra ius naturale, quia nullum eſt, quod hoc prohibeat: nam licet per talem irritationẽ priuetur homo quodam vſu libertatis ſuæ, quod videtur eſſe contra ius naturale lato modo, id eſt, concedens bonum aliquod, non tamẽ eſt contra ius naturale diſponens vel prohibens ablationem, vel diminutionem talis boni. Sicut ſeruitus dici ſolet contra ius naturale dans libertatem: non tamen contra ius naturale prohibẽs, ne homo illa priuetur: nullum enim eſt tale abſolutum ius, & ita in matrimonio & aliis contractibus, ad quos homo eſt habilis natura ſua, poteſt fieri inhabilis per poſitiuam legem. ita ergo eſt in præſenti. Neque obſtat quod votum ſit quaſi contractus quidam cum Deo, quia etiam hæc poteſtas à Deo ipſo manauit, & ſoli vicario eius conceſſa eſt, vt dixi.

CAPVT IIII.

V. vota ſimplicia aliquarum perſonarum ſint nulla ob inhabilitatem perſonæ Iure Eccleſiaſtico inductam?

1. Diximus eſſe in Eccleſia hanc poteſtatem annullandi votum ſimplex: ſupereſt videndum, an de facto illa vſa ea fuerit? Quod in primis quæri poteſt propter aliquas conditiones, ſeu modos vouendi, qui poſſunt eſſe generales quibuſcumque perſonis, vt ſunt vouere ex metu, vel ex ignorantia, aut dolo. Sed de his conditionibus ſufficienter dictum eſt in primo libro, vbi oſtendimus, vota ſimplicia non habere de facto nullitatem aliquam ex Iure Eccleſiaſtico, ſed de illis eſſe iudicandum iuxta exigentiam naturalis iuris, quia nullum inuenitur poſitiuum ius, quod circa talia vota ſimplicia aliud diſponat. Solum ergo proponitur quæſtio propter nonnulla particularia Iura, quæ propter ſpeciales conditiones aliquarum perſonarum videntur earum vota irritare, ſeu (quod idem eſt) eas inhabiles reddere ad valide vouendum, vt multi Authores ſentire videntur, quos ſtatim referemus, & Iura etiam expendemus.

Illis enim non obſtantibus, ſtatuo generalem regulam, ex Iure Eccleſiaſtico nullam perſonam eſſe ſimpliciter inhabilem ad emittendum valide vota ſimplicia. Hęc aſſertio poteſt duobus modis intelligi. Primo quod nemo ſit inhabilis ad omnia, & ſingula vota valide emittenda: ſecundo quod nullum votum ſimplex ſit irritum ex vi ſolius iuris Eccleſiaſtici. Priori modo ſenſus eſt, nullam perſonam ita eſſe inhabilem ad vouendum, vt nullum votum valide facere poſsit. Et ſic eſt euidens aſſertio, quia nullum tale ius Eccleſiaſticum inuenitur pro aliquo ſtatu, vel conditione perſonarum: neque fortaſſe eſſet vtile, aut conueniens. Solum poteſt hic inſtari de quibuſdam perſonis, quæ ſpeciali modo ſunt aliis ſubiectæ, vt Religioſi, impuberes, ſerui, vxores, vel ſiqui ſunt alij ſimiles. Sed de his nũc ſolum dicendum eſt, eorum vota non eſſe irrita, ſed irritabilia, ſeu infirma, vt docet Diuus Thomas d. quæſtione 88. articulo 8. & ita etiam illæ perſonæ nõ ſunt inhabiles ad vouendum valide, vt capit. 5. latius explicabitur. Imo neque omnia vota omnium illarum perſonarum ſunt æque infirma, quod infra lib. 6. tractandum eſt. 2. *Regula generalis. Nulla perſona eſt inhabilis Iure Eccleſiaſtico ad vota ſimplicia.* *D.Thom.*

3. Poſteriori modo ſenſus aſſertionis eſt, nullam perſonam eſſe iure poſitiuo inhabilem ad aliquod particulare votum ſimplex efficiendum: ſeu è conuerſo, nullum eſſe votum ſimplex, quod ex vi ſolius iuris poſitiui ſit inualidum, quando ſit, ſi alias ad illud concurrant omnia, quæ de iure naturæ requiruntur, & ſufficiunt. Et in hoc ſenſu etiam cenſeo eſſe veram aſſertionem, licet non æque certam. Illam vero colligo ex Diuo Thoma d. articulo 8. & 9. quatenus tractando de perſonis, quæ poſſunt vouere nullam excipit, præter perſonas aliis ſubiectas: & de illis non dicit, non poſſe valide vouere, ſed *non poſſe firmiter*. Fundamentum autem eſt idem, ſcilicet non inueniri tale ius, quo irritentur ſpecialiter aliqua vota ſimplicia, per ſe ac directe, ſeu (quod idem eſt) ex parte perſonæ, inhabilitando illam ſeu conſenſum eius inefficacem reddendo ad votum aliquod ſimplex emittendum. Iterum enim aduerto, duobus modis poſſe votum eſſe nullum ratione iuris poſitiui. Primo ex parte materiæ, quia eſt Iure Eccleſiaſtico prohibita alicui, & ideo ſi de illa facienda votum faciat, tale votum erit de re mala, & conſequenter nullum, & hunc modum nullitatis clarum eſt in multis materiis inueniri, vt ſi quis voueret, ieiunare die Dominico, vel quid ſimile. Sed illa non poteſt dici irritatio voti de Iure poſitiuo, ſed mutatio materiæ facta à Iure, qua ſuppoſita, ex natura rei ſequitur nullitas voti. Non ergo agimus de hoc modo nullitatis. Alio modo poſſet votum annullari directe, & in ſe, vt ſi Eccleſia irritaret votum ſimplex Religionis, aut caſtitatis factum ab impubere, aut votum longæ peregrinationis factum à fœmina iuuene, vel quid ſimile: nam materia non prohibetur, ſed licita, & melior ſemper manet, & hunc modum irritationis dico non inueniri in Iure quoad vota ſimplicia. Quæ propoſitio negatiua difficilis probationis eſt, quia directe, & poſitiue non poteſt oſtendi, ſed tantum negatione: quia tale Ius non inuenitur. Vt autem hoc probemus, oportet *D.Thom.*

expendere

Digitized by Google

expendere aliquas exceptiones, quæ ab hac regula fiunt.

4. *Prima exceptio.* *C. Magna.* *Richard.* *Palud.* *Maio.* *Anton.* *Angel.* *Syluest.*

Prima eſt, de Epiſcopis, in quibus votum peregrinationis longæ, ſeu diuturnæ nullum eſſe cenſetur, per caput *Magnæ*, de Voto. Ita ſentit Richard. 4. d. 38. articulo 4. quæſtione 2. Palud. quæſtione 3. articulo 1. Maio. quæſtione 3. dubio 1. qui caſum extendit ad omnes habētes beneficium, ratione cuius reſidere tenentur. Anton. 2. part. titulo 11. capite 2. §. 6. Angel. *Votum*, 2. numero 1. & 2. Syluester, *Votum*, 3. quæſtione 1. Licet aliqui horum limitationem, vel declarationem addant repugnantem, vt ſtatim dicam. Veruntamen hæc exceptio nulla eſt, & ex dicto capite *Magnæ*, non ſumitur. Primo quia prius in eo textu procedit Pontifex in vtramque partem argumentando, & in prioribus argumentis potius ſupponit votum fuiſſe licitum, & obligaſſe, in poſterioribus autem argumentatur, non debuiſſe fieri in præiudicium Eccleſiæ, & ſine licentia Papæ, quia id erat contra Canonicas ſanctiones prohibentes peregrinari Clericum ſine licentia Prælati ſui, vt Papa eſt Prælatus Epiſcopi. Nunquam tamen dicit, votum fuiſſe inualidum, imo in reſolutione ſupponit eſſe validum, & ideo illud commutat, quia iuſta cauſa ſuberat. Ergo ex illo textu nulla irritatio talis voti, ac ſubinde nulla exceptio à regula poſita colligitur.

5. *Panor.*

Laborant autem ibi Interpretes in explicando, quomodo votum illud fuerit validum, cum fuerit de re illicita, & per ſacros Canones prohibita. Et Panormitanus numero 15. fatetur, non obligaſſe, ſed ad cautelam propter ſcandalum commutatum fuiſſe. Sed non placet, tum quia in textu nulla mentio fit rationis ſcandali vitandi. quin potius expreſſe dicit Pontifex, *Non curantes, quod os loquentium iniqua loquatur*, quaſi deſpiciens ſcandalum, quod tantum eſſe poterat paſsiuum. Tum etiam quia expreſſe ſupponit Papa obligationem, & reddit pro ratione commutationis, quod motiuum peregrinationis ceſſauerat. Alij etiam dicunt, votum fuiſſe nullum, ſed in præiudicium vouentis admiſſum fuiſſe, vt validum. Ita refert Hoſtienſ. ibi. Et hoc videntur ſentire Theologi allegati, ſed hoc etiam eſt aperte contra textum ſupponentem voti obligationem: eſt etiam contra rationem, ſi enim ſic vouere peccatum fuit, puniri potuit à Pontifice illud peccatum, non tamen votum tam grauiter commutari. *Hoſt.* Dicit tertio Hoſtienſ. fuiſſe ſpeciale in illo voto, quod fuerit validum, quia erit de accipienda cruce in ſubſidium, & peregrinationem terræ Sanctę: nam ad hoc votum emittendum omnibus Prælatis facultas data cenſetur in capite vlt. de Voto. Sed hoc neque eſt abſolute verum, vt ſtatim dicam, nec conſonat dicto textui. *C. Magna.* Nam Papa in d. capit. *Magnæ*, ſupponit, votum illud non fuiſſe factum de licentia Papæ.

6. *Reſolutio dubij.*

Dico ergo, votum illud potuiſſe validum eſſe, quia non conſtat fuiſſe de re illicita, licet fortaſſe in illo emittendo non fuerit debitus modus ſeruatus. Quod enim ibi dicitur *forſitan non debuiſſe* Epiſcopum votum illud emittere ſine conſenſu Capituli, non obſtat, tum quia non conſtanter aſſeritur, quia nec ibi prohibetur, nec inuenitur in ſpecie prohibitum, & ex generalibus textibus, quos ibi Gloſſa, Innocent. & alij allegant, non ſatis colligitur. Tum maxime, quia eſto, id fieri non debuerit, fuit defectus in modo non in ſubſtantia, nec inuenitur ius irritans votum propter illum defectum. Itē defectus alius, ſcilicet quod erat factum votum ſine licentia Papæ ex duplici capite intelligi poteſt. Primo ex generali regula, non debere Clericum peregrinari ſine licentia Prælati, & hæc non cogit, vt ſtatim latius dicam: quia votum non prohibetur, ſed modus exequendi illud poſtulatur. Secunda ratio illius defectus eſt obligatio reſidendi, quæ ſignificatur in illis verbis, *qua te tādiu abſentares*. Et hic defectus vel potuit excuſari in illo Epiſcopo, quia ad ſubueniendum ſuæ Eccleſiæ in graui neceſsitate conſtitutæ votum emiſerat, vt in principio capitis dicitur, qui autem pro defenſione ſuæ Eccleſiæ ſe abſentat, reſidere cenſetur, ca. *Ex parte* 2. de Cleric. non reſid. Vel etiam licet Epiſcopus non poſsit ſine licentia tamdiu abſentari, nihilominus votum non eſt nullum, ſed obligat de ſe, ſi Papa facultatem concedat. Ita ergo facile intelligi poteſt, votum illud fuiſſe validum, & conſequenter potius ex illo exceptionem improbari.

7. *In quo ſenſu poſſet votum illud eſſe inualidum.*

Addo vero vltimo, in aliquo ſenſu potuiſſe votum illud eſſe illicitum, & invalidum, & in illo etiam non probare exceptionem. Primum patet: ſi Epiſcopus voueat peregrinationem, moroſam abſentiam requirentem, & animo faciendi illam contra obligationem reſidendi, & ſine licentia Papæ, & ſine conſenſu Capituli, & ſine ſuæ Eccleſiæ neceſsitate: tunc enim votum eſſet de re illicita, vt conſtat. Neque aliud fundamentum malitiæ, aut nullitatis in illo voto inueniri poteſt, vt omnes fatentur. Hinc autem conuincitur altera pars, tum quia votum illud non eſt de materia honeſta, nos autem requirimus materiam honeſtam, tum etiam quia votum illud non fuiſſet inualidum ex iure poſitiuo, ſed ex natura rei, ſuppoſita talis perſonæ obligatione, ſicut votum dandi eleemoſynam ex pecunia alteri ex iuſtitia debita. Et ideo Diuus Thomas hanc exceptionem non fecit, ſed votum hoc comprehendit ſub generalibus regulis, quas tradidit dicto articulo 8. ad 1. & 4. quæ in ipſa rei natura, non in iure poſitiuo fundantur.

8. *2. Exceptio.* *C. Niſi cum pridem.* *C. Licet.* *C. Inter ſpiritual.* *C. Sicut.*

Similis eſt alia exceptio, quę de Epiſcopis fit: nam prohibentur vouere renunciare Epiſcopatui, etiam intuitu Religionis. Ita docent Authores allegati præcedenti puncto, qui ſolum id probant ex capite. *Niſi cum pridem*, de Renunc. & capite. *Licet*, §. *Si vero*, de Regular. ſed ibi nulla mentio voti fit: ſed actum ipſum renunciandi dicitur non eſſe faciendum ſine licentia Pontificis, quia eſt contra ſpirituale vinculum inter Epiſcopum, & Eccleſiam, cap. *Inter corporalia*, de Tranſlat. Epiſ. & capit. *Sicut*, cum alijs 7. quæſtione 1. Vnde additur in d. capit. *Niſi*, licentiam ſine aliqua ex legitimis cauſis, quæ ibi numerantur, non eſſe petendam. Quocirca etiam in hoc caſu nulla eſt irritatio voti ab Eccleſiaſtico Iure, vel ex parte inhabilitatis perſonę, vel ineſficaciæ conſenſus illius. Sed ſolum conſideranda eſt materia: nam ſi promittatur vt illicita, id eſt, ſi ſumatur renunciatio vt facienda proprio arbitrio, & ſpiritu, ſine dependentia à Pontifice, ſic votum eſt nullum, non propter impedimentum iuris poſitiui, ſed ex natura rei, quia eſt de materia praua. Si vero materia illa ſumatur ordinato modo, quatenus ſancta eſſe poteſt, & debito modo fieri, propter maius ſpirituale bonum, & de licentia Papæ, ſic votum erit validum, ſicut dicebamus in ſuperioribus de voto non acceptandi Epiſcopatum.

9. *3. Exceptio*

Tertio excipiunt dicti Authores votum Clerici de peregrinatione facienda, non habita licentia Prælati. Sed in hoc habet locum doctrina data, etiamſi ſupponamus, verum eſſe, quod ſumitur, ſcilicet Clericum non poſſe licite peregrinari ſine licentia Epiſcopi. Nam tum etiam nulla eſſet irritatio voti ex iure poſitiuo, ſed vel eſſet votum validum obligans tamen ad petendam facultatem, vel ſi eſſet de materia praua, ſeu prohibita, eſſet nullum ex natura rei, non ex ſpeciali iure irritante. Vt autem de materia talis voti clarius conſtet, breuiter aduerto, exceptionem hanc fundatam eſſe in capit. *Non oportet*, de Conſecr. d. 5. quod ſumptum eſt ex Concilio Laodi. c. 41. & 42. quod (vt Gratianus legit) loquitur non tantum de Clericis, ſed etiam de laicis, *Non oportet*, (inquit Concilium) *Miniſtrum altaris, vel*

Ca. Non oportet. *Gratian.*

ris, vel

Digitized by Google

ris, vel etiam laicum ſine Canonicis litteris, id eſt formatis, aliquo proficiſci. Fuit enim in primitiua Eccleſia vſus earum litterarum, vt ſumitur ex Auguſtin. Epiſtol. 163. vbi *Epiſtolas communicatorias*, appellat, *quas* (inquit) *formatas dicimus*, eo quod certa, ac præſcripta forma ſcriberentur. Quę etiam dicebantur *commendatitiæ, ac paſificæ*, litteræ ex Conc. Chalcedonen. capit. 13. & ex Concil. Antiocheno capit. 7. & in capit. *Extraneum*, & capit. *Nullum*, d. 71. & earum forma late deſcribitur diſtinct. 37. per totam. Harum vero litterarum vſus iam ceſſauit, præſertim quoad laicos, quoad Clericos vero neceſſariæ ſunt, vt ad ordines, vel ad ſacra miniſteria admitti poſsint, iuxta antiqua Concilia, quæ innouauit Concilium Triden. ſeſſ. 23. capit. 16. de Reformatione. At vero in Originali Concilij Laodicen. de ſolis, & de omnibus Clericis dicitur, *Non oportere præter iuſsionem Epiſcopi ad peregrinandum proficiſci.* In quo etiam cenſeo, nunc conſulendam eſſe præſentem Eccleſiæ conſuetudinem. Olim enim & pauciores erant Clerici, & fere ſemper ad ſpecialia miniſteria deputati, & ideo fortaſſe tunc magis neceſſaria erat Epiſcopi facultas ad peregrinandum, præſertim in longinquum: de huiuſmodi enim peregrinatione in illo Canone ſermo eſſe videtur. Nunc autem propter ſolam abſentiam non videtur hæc facultas omnibus Clericis neceſſaria, niſi vel propter vſum ordinum, vt dictum eſt, & inſinuauit Turrecrem. in d. capit. *Non oportet*, vel propter obligationem reſidendi ratione beneficij, vt Richard. & Palud. docuerunt, quia non video ſpecialem Eccleſiaſticam legem, quæ maiorem obligationem imponat, imo etiam in illo capite, verba non ſunt in rigore præceptiua.

Aug. — *Cap. Extraneum.* — *Cap. Nullū.* — *Turre.*

10. *Votum peregrinandi à Clerico factum validū eſſe, & licitum.*

Ex his ergo infertur, votum peregrinandi à Clerico factum, abſolute loquendo, licitum eſſe & validum, imo & omnino firmum, ſi aliunde non obſtet alicuius officij, vel beneficij ſpecialis obligatio: & tunc etiam erit votum licitum, & ratum ſub conditione, ſeu in ordine ad conſenſum Prælati, qui licentiam, ſeu facultatem dare poſsit, ſicut in ſuperiori puncto dictum eſt. Vtrique autem addo ſi Clericus habens huiuſmodi beneficium, habeat aliquod tempus anni à Iure conceſſum, pro quo à reſidendo excuſetur, & peregrinatio maiorem abſentiam non requirat, tunc votum huius peregrinationis abſolutum eſſe poſſe, quia eo tempore impleri poteſt, in quo nulla eſt prohibitio, neque alienus conſenſus neceſſarius eſt. Similis exceptio fieri ſolet de Clerico beneficium parochiale habente quoad votum Religionis, quia non debet relinquere Eccleſiam inconſulto Epiſcopo, capit. *Admonet*, de Renunc. Sed non eſt neceſſaria exceptio, quia poteſt fieri votū inconſulto Epiſcopo, licet non debeat plene mandari executioni illo inconſulto, quia, ſcilicet ad hoc ſufficit licentia petita, & non obtenta capit. *Duæ*, 19. quæſtione 2. capit. *Licet*, de Regular. Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 189. à. 7. & infra in proprio libro de Voto Religionis latius dicetur.

11. *Expeditur dubium ſuperius.*

Hinc etiam facile expeditur dubium propoſitum à Turrec. d. capit. *Non oportet*, ſi ſacerdos, vel Epiſcopus habeat votum, ante receptum Epiſcopatum, vel beneficium, an teneatur poſtea illud implere etiam renuente Superiore? Diſtinctione enim inſinuata vtendum eſt. Aut enim tale eſt votum, vt poſsit impleri tempore libero, & ſibi à Iure conceſſo, vt in eo abſens eſſe poſsit, & tunc tenebitur ille implere votum, cum poſsit. Si autem votum non poteſt eo tempore impleri, male quidem fecit Clericus non prius implens votum, quā ſuſciperet munus impediens executionem eius, ſi commode potuit, vel aliunde non fuit excuſatus. Poſt ſuſceptum vero munus non poteſt abſque conſenſu Prælati illud implere, quia iam in illo ſtatu peregrinatio aliter facta non eſſet licita, & ita per mutationem materię ceſſat obligatio voti, etiam ſi talis mutatio non ſine culpa acciderit. Sic enim qui habens votum caſtitatis matrimonium contraxit, iam non poteſt licite negare debitum. In illo ergo caſu tenebitur petere facultatem à Superiore, & ſi ille negauerit, obligatio voti ceſſat, vel certe Superior illud tollere cenſetur.

Aliqui vero excipiendum putant, votum peregrinationis Hieroſolymitanæ, quia neque Epiſcopus poteſt in illo diſpenſare, neque poteſt illud irritare, etiam ratione ſubiectionis ortæ ex ſpeciali obligatione beneficij poſtulantis reſidentiam: quia ea non obſtante, Pontifex vult impleri tale votum, & conſequenter concedit facultatem, quam non poteſt Epiſcopus reuocare. Ita ſentit Richard. ſupra & Hoſtienſ. in capit. *Magnæ*, de Voto numer. 17. Oppoſitum tamen tenet Parnor. ibi, quod cenſeo verum, & magis conſentaneum Iuri in d. capit. *Magnæ*, & quia talis facultas in nullo alio Iure inuenitur. Nam capit. *Ex multa*, de Voto, quod citat Richar. non loquitur de hac re: ca. autem vlt. eiuſdem tituli, quod fauere poſſet, loquitur ſpecialiter de quibuſdā Prælatis regularibus, & non eſt extendendum, ſed potius limitandum ad occaſionem in qua Papa concedit generalem facultatem eūdi. Vt ibi notat Panor. quem Angel. ſupra, & Sylueſt. *Votum*, 3. q. 2. & 4. Abul. Num. 30. q. 70. ſequuntur.

12. *Aliquorum exceptio de voto peregrinationis Hieroſolymit.* — *Richard.* — *Hoſtienſ.* — *Panor.* — *Cap. Ex multa.* — *Angel.* — *Syluest.* — *Abulen.*

13.

Alię præterea exceptiones adduntur de Religioſis, & aliis perſonis ſubditis. Sed dicendum eſt eorū vota non eſſe inualida ex incapacitate voluntatis vouentis, vt capit. ſequen oſtendetur: licet interdū poſsint eſſe inualida ex conditione materiæ, quæ illicita eſt, quod in omnibus fere hominibus contingere poteſt. Et in his perſonis ſubditis explicabitur amplius in capitulis ſequentibus.

CAPVT V.

Vtrum Perſonæ aliis ſpecialiter ſubiectæ prohibitæ ſint, ne vouere poſsint?

1. *D. Thom.* — *Caiet.* — *Soto.* — *Palud.* — *Richard.* — *Syluest.* — *Angel.*

DE his perſonis ſpecialiter mouent quæſtionem Diuus Thomas ſupra art. 4. 8. & 9. & ibi Caiet. Sot. & alij, Palud. etiam Richard. & alii in 3. d. 38. Syluest. Angel. & alii Summiſtæ, quia in illis eſt ſpecialis difficultas. Nam perſona, quæ non eſt ſubdita, quatenus talis eſt, liberam habet ſuæ voluntatis diſpoſitionem, & ideo libera etiam eſt ad ſe obligandum, & vouendum, perſona autem ſubdita, vt talis eſt, pendet à voluntate Superioris, & ex ea parte poteſt eſſe impedita ad vouendum, ideoque merito quæritur, An ita ſit, & quomodo ſit intelligendum? Vnde fit, vt infra Pontificem quæſtio hæc locum habeat in omnibus hominibus, quia ſolus Pōtifex in hac vita non eſt homini ſubiectus & ideo ex eo capite liber eſt ad vouendum quidquid Diuinæ legi, aut rectæ rationi reſpectu ſuæ perſonæ non repugnauerit. Alii vero omnes ſunt aliquomodo ſubiecti, etiam Epiſcopi, & Principes, & ideo in omnibus vt ſubditi ſunt, habet locum quæſtio. Specialiter tamen dicuntur ſubiecti quaſi per antonomaſiam, illi qui habent ſtatum, ſeu conditionem viuēdi ſub poteſtate alterius proxime conſtitutam, vt ſunt Religioſi, filiifamilias, coniuges præſertim fœminæ, ſerui, vt tales ſunt. Et ideo de his in particulari diſputant Authores, an ſubiectio illos impediat à vouendo? Quod eſt conſequenter intelligendum de voto, proprio arbitrio emiſſo, ſine facultate ſui Superioris: nam ſi detur facultas legitima, per illam quodammodo liberatur quis à ſubiectione quoad illum actum.

Vnde vlterius aduertendum eſt, tria poſſe de his perſonis quæri. Primum, an poſsint licite vouere, id eſt, ſine vlla culpa: ſecundum an valide, ita vt 2.

voto

voto obligentur, tertium, an firmiter, id eſt, vt eorum vota non poſsint à Superioribus irritari? Hoc tertium membrum relinquimus in lib. 6. vbi de poteſtate irritandi vota tractandũ eſt, ibi enim exponendi ſunt caſus, in quibus locum habet irritatio, & conſequenter dicendum erit, quando vota ſubditorum firma ſint, vel infirma, ſeu irritabilia: alia vero duo capita hic expedienda ſunt. Circa quæ vltimo aduerto, duplicem ſubiectionem poſſe in his perſonis conſiderari: vna ex parte voluntatis ipſiuſmet vouẽtis, quatenus eſt ſub voluntate Superioris, qui habet dominium quoddam in volũtatem ſubditi, vt illam dirigat, quod maxime in Religioſis, & in filijs impuberibus inueniri videtur. Alia ſubiectio eſt ex parte materiæ, quia non eſt ſub voluntate ſubditi, ſed domini. Vnde fit, vt etiam ex duplici capite poſsit votum eſſe illicitum, vel inualidum, etiam libera, & plena aduertentia factum: vno modo ex parte materiæ, quæ eſt illicita, vel impoſsibilis vouenti: ſecundo ex parte ipſius vouentis, quia nimirum per ſubiectionem prohibitus, vel impeditus eſt ne voueat, aut vouere valeat. Prior modus communis eſt ſubditis, & non ſubditis, vt conſtat, & ideo per ſe non pertinet ad ſubditos, vt ſubditi ſunt, poteſt autem ſpecialiter ad eos pertinere quatenus ratione ſtatus, vel ſubiectionis aliqua materia illis eſt illicita, quæ alijs non ſic ſubditis licita eſt, & ideo de illo ſenſu dicemus in duobus capitibus ſequentibus. Hic vero tractamus de alio modo impedimenti, quod eſt proprium ſubditorum, vt tales ſunt, quia prohibitio illa, vel impedimentum non poteſt aliunde quam ex ſubiectione prouenire.

Duplex ſubiectio, quæ in perſonis conſiderari poteſt.

3\. *Prima aſſertio non eſſe illicitũ ſubditis vouere in materia licita. D. Thom.*

Dico iam primo. Non eſt illicitum ſubditis vouere in materia, quæ ſibi licita eſt, non obſtante ſubiectione. Hæc eſt ſententia Diui Thomæ dicto articul. 8. ad 4. dicit enim generaliter, hos ſubditos non peccare vouendo: vtique in materia apta, qualem votum requirit. Poteſtque inductione probari: nam filius impubes vouens caſtitatem, vel Religionem ſine licentia parentis non peccat, quidquid ſit de illius voti irritabilitate. Item vxor poteſt vouere moderatam orationem, idemque eſt de ſeruo, & alijs. Ratio vero eſt, quia ſic vouere non eſt talibus perſonis prohibitum, quia malum, nec etiam eſt malum, quia prohibitum: ergo nullo modo. Primum patet, quia ex ſolo iure naturæ non eſt illis malum vouere rem ſibi licitam: nullum enim intrinſecum principium talis malitiæ oſtendi poteſt. Secundum patet: quia nullum inuenitur poſitiuum præceptum, quo hæ perſonæ ſpecialiter prohibeantur vouere in materia ipſis non illicita, nec prohibita.

4\. *Opinio aliquorum aſſerentium Religioſos nihil omnino poſſe vouere. Richard. Palud. Maior. Angel. Roſel. Cap. Monacho. Cap. Manifeſtum. Ca. Noluit.*

Ab hac tamen regula excipiũt aliqui Religioſos, quos aiunt, nihil omnino poſſe vouere licite ſine licentia Prælati. Ita Richard. in 4. d. 38. articul. 4. quæſtione 1. Palud. quæſtione 3. articulo 1. Concl. 7. vbi ait, Religioſum non poſſe vouere niſi tranſitum ad Religionem arctiorem, & ad hoc ipſum (ait) debere licentiam petere. Maior. quæſtione 2. dub. 1. eodem modo de vxoribus loquitur. De Religioſis idem ſentit Ang. *Votum*, 2. numer. 5. & Roſel. Fundantur primo, quia putant eſſe Iure prohibitum Religioſo vouere ſine conſenſu Prælati tacito, vel expreſſo capit. *Monacho*, 20. quæſtione quarta, vbi ſic dicitur, *Monacho non licet vouere ſine conſenſu Abbatis, ſi autem vouerit, frangendum erit.* Item adducitur, quod de vxore dicitur in capit. *Manifeſtum*, 33. quæſtione 5. *Voluiſſe legem, fœminam eſſe ſub viro, ita vt nulla vota eius, quæ abſtinentiæ cauſa vouerit, reddantur ab ea, niſi author vir fuerit permittendo.* Et ſimilia habentur in capit. *Noluit*, eodem. Secundo, quia votum non fit ſine voluntate, Religioſus autem non habet velle, aut nolle: quia totum eſt ſub voluntate Prælati. Tertio, quia Religionis onus tam graue eſt, vt non poſsit ei noua obligatio voti ſuperaddi ſine periculo non implendi debita onera Religionis, & moleſtiam Prælato ſuo, & fratribus ſuis exhibendi. Quarto: quia Eccleſia ſtatuit, vt omnia vota ante profeſsionem emiſſa per profeſsionem Religioſam extinguerentur propter vitandum periculum tranſgreſsionis: ergo non licet Religioſo poſt ſuſceptum illum ſtatum noua votorum grauamina propria authoritate ſibi imponere.

Sed nihilominus regula poſita etiam in Religioſis vera eſt, neque talis exceptio eſt admittenda. Hæc eſt ſententia Diui Thomæ in loco citato, quam Caietanus, Soto, & alij ſequuntur, & Nauarrus, cap. 12. numer. 67. Syluester, *Votum*, tertia, quæſtione tertia, qui merito reprehendit Angelum, quod ſuam ſententiam Diui Thomæ tribuat. Ille vero, & interdum alij in hoc labuntur, quod non diſtinguunt inter illicitum, & infirmum votum, cum tamen valde inter ſe diſtent, vt diximus, & ex ſequentibus magis conſtabit. Illamque differentiam aperte intendit Diuus Thomas d. aricul. 8. ad 3. & 4. nam in priori ait, votum Religioſi non eſſe firmum, & in poſteriori ait, eſſe validum: & vtrumque verum eſt etiam de voto antequam innoteſcat Prælato. Ratio vero eſt, quia ſuppoſita capacitate materiæ actus vouendi non eſt ſpecialiter prohibitus Religioſo, nec eſt per ſe malus ratione ſtatus Religioſi: ergo eſt licitus. Conſequentia clara eſt. Antecedens vero quoad vtramque partem, reſpondendo ad rationes contrarias, ſufficienter oſtendetur: nam cum votum ſit de ſe actus bonus, & Religioſus, eo ipſo quod non probatur prohibitus, vel alias malus, ſatis oſtenditur bonus. 5.

Excluditur exceptio ſupra tradita. D. Thom. Caiet. Soto. Nauarr. Syluest. D. Thom.

Ad capit. ergo *Monacho*, dicitur primo, illum non eſſe Canonem, vel legem Eccleſiaſticam: nam licet Nauar. illud alleget ex Concil. Agathen. per errorem accidiſſe videtur: non enim capit. *Monacho*, ſed capit. *Monachum*, eſt Concilij Agathenſis, in quo nihil de hoc habetur, ſed in priori, quod refertur ex Baſil. Sed (vt notatur in Decretali Gregoriano) in illo non inuenitur, ſenſus autem Baſilij ſumi poteſt ex Serm. 2. de Inſtit. Monachor. & ex Conſtit. Monaſt. capit. 28. In quibus locis nihil de voto in particulari à Baſilio dictum inuenio. Sed in priori de perfectione obedientiæ Religioſæ diſſerit, & talem dicit eſſe debere, vt Religioſus non ſolum in abſtinendo à malo concilium Superioris ſequatur, verum etiam opera laudabilia ſine ſententia illius non faciat. Non tamen dicit, peccare Religioſum, ſi opus honeſtum faciat ſine voluntate Superioris, dummodo non ſit contra illam: ſicut infra dicit: *Si quis ea faciat, ſpretis conſilijs Antiſtitis ſui, plus faciet mali, quam boni.* In altero vero loco generaliter ait, Religioſum nec ad punctum quidem temporis habere debere poteſtatem ſui ipſius. Et infra dicit, non licere ei aliquid agere, aut exequi ſine Antiſtitis ſui ſententia. Sed in primis ibi non de neceſsitate præcepti, ſed perfectionis loquitur. Deinde illud verbum *ſine Antiſtitis ſententia*, contrarie intelligi poteſt, id eſt, contra Antiſtitis ſententiam, vt Syluester indicauit. Præterea Gloſſa in d. capit. *Monacho*, verba illa limitat ad vota abſtinentiæ, & ſimilia, per quæ alij ſcandalizari poſſunt. Ad alia vero capita, quæ de vxoribus loquuntur, reſpondeo, ibi non dici, eſſe vxori prohibitum vouere, aut vota eius eſſe illicita, vel inualida, ſed ſolum ratione materiæ eſſe dependentia à voluntate mariti. Quod intelligendum eſt, quando materia pertinet ad ius mariti, vel cedit in præiudicium eius, vt latius in libro 6. explicaturi ſumus, & capit ſequenti attingemus.

6. Fit ſatis oppoſitis argumentis. Cap. Monacho. Baſil. Gloſ.

Ad ſecundum reſpondetur, axioma illud, quod Religioſus non habet velle, aut nolle, non eſſe ita intelligendum, vt nihil poſsit licite, & valide velle, niſi quod illi poſitiue ordinatur, aut conceditur, 7.

Ad Secundum.

quia

quia neque Religioſus hoc vouit, nec eſſet conuenienes: immò nec humano modo poſsibile. Debet ergo ita intelligi, vt nihil poſsit licite velle contra voluntatem Prælati, neque ita ſibi proponere aliquid agendum, vt non ſit paratùs ad omittendum illud, ſi Superior velit. Quo ſenſu dixit Baſil. *Nec ad punctum temporis habere poteſtatem ſui ipſius*, quia nunquam poteſtatem habet ita propriam, ſeu liberam, quin cohiberi poſsit. Et ſimiliter dixit Diuus Thom. hanc conditionem: *Si Superior non prohibeat*, vel *quãdiu non prohibuerit*, virtute includi in omni voto Religioſi, & ideo eſſe licitum, vtique ex parte materiæ: nam eo ipſo ſupponitur non prohibitum ex parte actus vouendi. Quod ſimili ratione patet, quia aliæ actiones de ſe bonæ, non contrariæ ſtatui, aut muneri, aut regulæ Religionis ſuæ, quamdiu ſpecialiter non prohibentur, poſſunt à Religioſo licite fieri ſola voluntate, & ſine ſpeciali facultate Superioris: ergo & actus vouendi ſimili modo licet, quia eſt ex actibus bonis, & in conſilio, & ex parte ſua non repugnat regulæ Religionis, ſi ex parte materiæ non repugnat. Nec etiam ex vi voti obedientiæ priuatur Religioſus poteſtate vouendi id, quod non repugnat obedientiæ Prælato debitæ, quia nec votum obedientiæ Religioſæ in aliquo iure ita explicatur, neque in regula Religioſa ordinarie continetur, vt ſi alicubi fuerit talis regula, tantum obligabit per modum regulæ. Et hoc confirmat quod D. Tho. Quodlib. 10 articul. 10. ad 3. dicit Religioſum ſubdi Prælalato quoad generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ, non vero quoad omnes particulares actus: ergo maxime quoad actus, de quibus nec regula diſponit, nec Prælatus de facto diſpoſuit præcipiendo, vel prohibendo, inter quos actus maxime eſt voti emiſsio de re licita, vt oſtenſum eſt. Vnde in eodem ſenſu accipiendum eſt, cum dicitur, Religioſum non habere dominium ſuæ voluntatis, vtique quoad ſtatum, & diſpoſitionem vitæ ſuæ, vel ſuarum actionum contra ſui Prælati voluntatem: non vero ita vt præter illam, aut ſine illa nihil poſsit licite, aut valide velle.

8. *Ad tertium.* Ad tertium negatur aſſumptum, quia onus Religionis non eſt ſemper ita graue, ſicut in argumento exaggeratur alias, nec de licentia Superioris poſſent conuenienter vota emitti in Religione, præter ea, quæ ad eius profeſsionẽ pertinent, quod conſtat eſſe falſum. Præterea eſto non expediat hæc vota multiplicari in Religioſis, tamen non inde ſequitur, eſſe illicitum, ea facere, ſolum ratione grauaminis, vel periculi, quia nec grauamen eſt intollerabile, nec periculum morale: & ſæpe eſt nullum iuxta perſonæ cõditionem. Adde, poſſe vota fieri de ipſiſmet actibus, quos regula exigit, & ita non imponet nouum onus, ſed idem nouo titulo, & maiori obligatione. Denique ſiquid in hoc incommodi eſſe poteſt, ſatis eſt, vt Prælatus poſsit, ſi velit, prohibere votum, vel tollere: non ergo id ſufficit, vt cum fundamento dicatur, actum vouendi in Religioſo eſſe malum, aut prohibitum.

9. *Ad quartũ.* Ad quartum, dato antecedenti (de quo late dicendum eſt tractando de profeſsione Religioſa.) negatur conſequentia, quia quod priora vota per profeſſionem extinguantur, non ideo eſt, quia nullum aliud votum addi poſsit ſtatui Religioſo, ſed quia vota iam facta poſſunt optime commutari in perfectius votum Religionis, & ideo Eccleſia iudicauit expediens ita fieri, ne profitentes denuo Religionem cogerentur tot onera ſuſtinere, & ipſi etiam profitentes virtute hoc intendunt, & Prælati Religionum hoc etiam volunt. At vero circa vota ſubſequentia non habet locum commutatio, & non neceſsitate, ſed noua voluntate fiunt, poſt ſuſceptum prius onus Religionis, & neque Eccleſia impediuit, aut prohibuit fieri, neque Religio ipſa hoc prohibet, ſed tantum committit Prælato, vt prohibere poſsit, ſi velit, & ideo quamdiu non prohibet actum, non eſt illicitus.

10. *2. Aſſertio. Vota ſubditorum valida eſſe quãdiu per ſuperiorem non irritantur. D. Thom.* Dico ſecundo: Vota ſubditorum valida ſunt, quamdiu per Superiorem non tolluntur, ſi ſint de materia ipſis non prohibita. Ita Diuus Thomas, quem ſupra citati ſequuntur, & ſequitur ex præcedenti. Vel à poſteriori, quia ſi votum non eſſet validum, non fieret licite, quia vouere cum eſſentiali defectu, & impedimento contra rationem eſt: ergo è conuerſo ſi eſt votum licitum, validum eſt, quamuis non conuertatur: poſſet enim eſſe validum, & non licitum, vt ſupra dictum eſt. Vel etiam poteſt fieri ratio oſtenſiue: quia ſi votum eſt licitum, ergo eſt de materia licita, & à perſona non prohibita, ſed habili ad vouẽdum: cur ergo non erit validum? Poteſt etiam hoc confirmari ex d. ca. *Monacho*, 20. q. tertia, quatenus dicit, *Si autem Monachus vouerit frangendum erit*: nam illa verba oſtendunt votum non eſſe per ſe nullum, ſed tolli poſſe. *Cap. Monacho.*

11. Atque hinc ſequitur, tale votum, quamdiu non irritatur, obligare iuxta materiæ exigentiam, & conditionem. Probatur, quia ſi votum eſt validum, neceſſe eſt, vt obliget, quia in hoc conſiſtit valor, & efficacia eius. Atque hoc ſpecialiter in votis Religioſorum notauit Syluester ſupra conſtituens in hoc differentiam inter duas opiniones in ſuperiori puncto tractatas. Nam Richardus, & alij ſentiunt, illud votum in Religioſo non ſolum eſſe illicitum ſed etiam per ſe inualidum, & ideo à principio nihil obligare, quia eſt factum ab eo, qui non poterat ſe obligare: ideoque conſequenter dicere debent, non indigere Religioſum irritatione, vel diſpenſatione, vt tale votum ſine peccato non ſeruet. At vero ſecundum Diuum Thom. & noſtram ſententiam votum tenuit, & conſequenter obligauit, quamdiu non irritatur, quia licet Religioſus non poſsit ita ſe obligare Deo, quin per ſuperiorem poſsit obligatio tolli, poteſt nihilominus ſimpliciter obligari, ita vt ſi non tollatur obligatio, vel quamdiu non tollitur, omnino ſeruanda ſit. Dicunt verò aliqui, neceſſarium eſſe manifeſtare votum Prælato, vt conſentiat, & antea non obligare, ſed hoc falſum eſt, vt ex dictis cõſtat, & in capit. ſequenti iterum dicam. Vbi etiam explicabimus, quando, & quomodo vota ſubditorum poſsint eſſe de materia non prohibita, ſeu capaci obligationis voti, & quando poſsint illis prohiberi.

12. Eodem modo iudicandum eſt de filijs impuberibus, de quibus quidam dixerunt, eorum vota non eſſe valida, vt refert Gloſſa in cap *Mulier*: 22. quæſtio. 2 Sed eſt falſa ſententia, & ſine fundamento, vt eadem Gloſſ. docet, & ibi Turrecr. & alij, Panorm. ca. 2. de voto, nume. 3. & ibi reliqui Doctores, D. Thom. d. quæſt. 88. art. 8. vbi Caiet. Soto, & reliqui, Durand. Paludan. & alij in 4. d. 38. Summiſtę verb. *Votum*. Tabien. *Votum*, 5. num. 5. Syluest. *Votum*, 3. quæſtion. 5. & verb. *Religio*, 2. quæſt. 15. & Nauar. c. 12. numer. 61. Et colligitur aperte ex Num. 30. vbi dicitur, mulierem vouentem in domo patris, & in puellari ætate aſtringi voto, niſi pater irritet. Et ratio eſt, quia neque iure naturæ talia vota ſunt inualida, cum ſint ex libertate ſufficiente ad peccandum mortaliter, vt ſupponitur, vt poſsint eſſe de materia honeſta, vt eſt per ſe clarũ: neque etiam dari poteſt ius Diuinum, & humanum, quod illa irritet.

13. *Angel. Exceptio aliquorũ in voto Religionum. D. Thom.* Aliqui excipiunt votum Religionis, vt Angel. *Votum*, 2. num. 6. & loquitur de ſimplici: nam reprobat D. Thom. Idem ſentit Palac. 4. d. 38. diſp. 3. circa medium, qui interdum de voto Religionis, & caſtitatis loquitur, interdum de omnibus, & nunc cũ D. Tho. & communi, nunc contra illos ſentire videtur. Citatur etiam pro exceptione illa de voto Religionis, Panor. in c. *Significatum*, de Regul. quia n. 3. dicit: *Votum Religionis ante pubertatẽ emiſſum non obligat vouentem.*

Cap. Ad noſtras. Sed Abb. nõ loquitur de voto ſimplici, ſed de ſolenni, quod interdum dicitur Religionis non promiſſiuum, ſed conſtitutiuum (vt ſic dicam) nam de illo ſermo eſt in illo textu, & profeſsionis votum appellatur. Et de eodem loquitur c. *Ad noſtras*, eod. & ca. 1. eod. in 6. in quo Angel. fundat exceptionem ſuam. Vnde ſine fundamento loquitur, quia illa exceptio nec iure poſitiuo probatur, nec naturali, vt probat generalis ratio ſuprà facta. Neque eſt maior ratio de voto Religionis, quam caſtitatis, & ſimilibus. Vnde etiam lex Num. & Iura ſine exceptione loquuntur: ergo non licet nobis exceptionem facere.

Caput VI.

Vota perſonalia quomodo poſſint in perſonis ſubditis valida eſſe ex parte materiæ.

1. *Ratio dubitandi.* Quæſtionem hanc præcipuè explicabimus in Religioſis, qui maximè ſubditi videntur, & inde facilè accommodabitur reſolutio ad alios ſubditos. Ratio autem dubitandi eſt, quia nemo poteſt vouere rem alterius, vel quæ ex voluntate alterius pendet ſed ſubditus habet omnes actiones ſuas dependentes à voluntate eius, cuius eſt ſubditus: quæ ſubiectio maxima eſt in Religioſis, quia in omnibus actionibus perſonalibus, quæ ſunt materia horum votorum, à ſuis Prælatis pendent: ergo nihil habent, de quo poſsint vota perſonalia facere. In contrarium vero eſt: quia (vt ſuperiori capite oſtenſum eſt) ſubditus etiam Religioſus habet multas actiones bonas, honeſtas, & de conſilio, quas libere poteſt facere, & omittere quia nec per regulam, nec per ſuperiorem ſunt prohibitæ, nec impediunt alias per regulam, vel Prælatum iniunctas ſed iſtæ actiones ſunt de ſe apta materia votorum perſonalium, ergo. Confirmatur ex doctrina Diui Thomę ſupra citata, quod per obedientiæ votum ſubijcitur ſubditus Prælato quoad generalem diſpoſitionem vitæ ſuæ, non quoad omnes. & ſingulos actus.

2. Omiſsis actibus per ſe malis, aut per Eccleſiam prohibitis, quæ in nullo Chriſtiano ſunt materia voti, nedum in Religioſis Sed genera actionum in Religioſis diſtinguere poſſumus, ſub actionibus omiſſionem comprehẽdendo. Vnũ eſt actionũ quæ ſunt ſub præceptum, vt recitare horas Canonicas in Religioſo profeſſo, vel non mentiri, &c. Aliud eſt actionum propriarum Religioſi quæ per regulas, vel mãdatum, vel ordinationem Superioris pręſcribuntur, vt ieiunium, & aliæ pœnitentiæ regulares vniuſcuiuſque. Tertium eſt actionum, quæ non prohibẽtur, nec præcipiuntur per vllam legem, vel regulam, etiamſi ſint optimę, & ſub conſilio. Quartum eſt actionum, quæ licet ſimpliciter non ſint prohibitæ per regulam, vel per Superiorẽ, nihilominus prohibentur fieri ſine licentia, vel facultate Superioris, vt v. g. caſtigatio corporis proprio arbitrio facta, &c. Quintum eſſe poteſt actionum, quæ licet ſint honeſtæ, ſimpliciter per regulam prohibentur, vt orare tali, vel tali tempore. Addere ſexto poſſumus actum perfectionis, qui eſt ſupra regulam, vt eſt tranſitus ad arctiorem Religionem.

De votis Religioſorum.

3. *1. Aſſertio, Religioſus poteſt valide vota perſonalia emittere in materia neceſſaria.* Dico ergo primo: Religioſus poteſt valide vota perſonalia emittere in materia neceſſaria pręceptorum, quæ vota nullam conditionem inuoluũt ex parte materiæ, & ideo ſtatim obligant, & ſemper, quamdiu legitimè non tolluntur. Hęc aſſertio ſumitur ex D. Thoma d. quæſt. 88. arti. 8. quamquàm Syluest. d. quæſt. 3. in fine dicat, D. Thomam ibi tantum loqui de votis factis de operibus conſiliorum, *D. Thom. Syluest.* propter quandam Richardi obiectionem, de qua infra dicetur. Sed ſine dubio doctrina D. Thomæ generalis eſt, & clarius ſumitur ex eodem, ead. q. art. 12. ad 2. Imò Richard fatetur, hanc materiam eſſe ſufficientem ad votum, etiam in Religioſo, ſi alias voluntas eius non eſſet impedita. Et idem ſentit Summ. Roſel. *Roſel.* & alij, & omnes allegati cap. præcedenti pro noſtra ſententia. Supponẽdo ergo vt probatum eſt, ex parte voluntatis Religioſi non eſſe tale impedimentum, euidens eſt, etiam ex parte materiæ hæc vota eſſe valida. Quia materia ſecundùm ſe eſt capax, cur ergo non erit in Religioſo? Vnde etiam facile probatur ſecunda pars aſſertionis, ſcilicet illa vota eſſe abſoluta, & non includere conditionem ex parte materiæ, quia nec includunt conditionem affirmatiuam, *Si Superior fecerit facultatem*, quia non eſt neceſſaria ad ſeruanda pręcepta, vel vitanda peccata, nec etiam eſt neceſſaria conditio negatiua, *Si Superior non prohibuerit:* quia non poteſt prohibere præceptorum obſeruantiam.

4. *Obiectio. Solutio.* Dices: Interdum poteſt prohibere actum ſolo iure poſitiuo præceptum. Reſpondeo ſtante obligatione præcepti non poteſt, quia inuoluit repugnantiã, cum Prælatus non poſsit ſimpliciter auferre obligationem legis. Quod ſi diſpenſare poſsit & velit: nihilominus non poterit præcipere contra legem, quia non poteſt obligare ſubditum ad acceptandam diſpenſationẽ. Si autem in tali caſu præceptum nõ obliget & Prælatus ita interpretetur, & ſuppoſita interpretatione, præcipiat actum contrarium. Tunc quidem iam non obligabit votum, quia ſolum erat de actu illo vt neceſſario ex præcepto, & ita concluſio vniuerſaliter procedit.

5. *Obiectio.* Sed obijci poteſt, quia votum illud includit ſaltem hanc conditionem, *Si Superiori placuerit tale votum*, non ex parte materiæ, ſed ex parte vinculi. Poteſt enim placere actus, & non nouum vinculum eius, ſeu è conuerſo poteſt diſplicere Superiori, quod ſubditus habeat votum ieiunandi in Quadrageſima, licet non diſpliceat, vt ieiunet: ergo donec Superior conſentiat voto, tale votum non obligabit. Propter hoc aliqui Moderni, generaliter de votis Religioſorum dicunt, *Aliquorum reſponſio.* non obligare, donec innoteſcat Superiori, & ille vel conſentiat, vel ſaltem non contradicat, quod erit tacitè conſentire, & ita exponunt D. Tho. d. art. 8. ad 3. & 4. Ratio eſt, quia Religioſus non *D. Thom.* habet dominium ſuæ voluntatis, ſed eſt apud Prælatum, & ideo quamdiu votum non cõfirmatur à Prælato, non cenſetur factum ab habente dominiũ illius voluntatis, & ideo non obligat. Sed hoc repugnat dictis in pręcedenti capite, vbi hæc ratio ſoluta eſt quia Religioſus non ita caret dominio ſuæ voluntatis, vt ad vſum licitum, & validũ eius ſemper indigeat poſitiuo conſenſu, ſeu approbatione ſui Superioris: ſatis enim eſt, quod non ſit cõtrarius. *Vt ſatis obiectioni.* Dico ergo duplicẽ ſenſum poſſe habere antecedens, vnus eſt de conditione affirmatiua, id eſt, niſi Superior poſitiue conſentiat, vel votum approbet, & ſic falſum eſt antecedens, quia nullo iure oſtendi poteſt neceſsitas, ſeu incluſio talis conditionis & hoc probant omnia adducta in præcedenti capite. Quocirca in rigore non eſt neceſſarius conſenſus poſitiuus Prælati, nec expreſſus, nec tacitus, nec præſumptus: nam quamdiu de facto nõn tollitur votum à Superiori, quia forte illud ignorat etiam ſi credatur illi diſplicere, & repugnaturus, ſi illud ſciat ipſum votum ex ſe eſt efficax ad obligandum, & ideo actu obligat. Alio ergo modo poteſt illa conditio intelligi negatiue ſcilicet: *Si Superior non contradixerit*, & declarat, ſe nolle, vt ſubditus talem habeat obligationem, & ſic conditio attingit materiam de irritatione voti, quæ nonnullam difficultatem habet, an in hac materia locum habeat propter diſcurſum D. Tho. in illo art. 8. & obiectionem Richardi contra illum? Sed de hoc puncto dicemus infrà in lib. 6. in proprio loco.

Dico

Digitized by Google

6. *2. Aſſertio. Vota Religioſi de actibus regulæ valida ſunt.*

Dico ſecundo: Vota Religioſi de actibus Regulæ ad firmandam voluntatem, & augendam obligationem in eorum obſeruantia, valida ſunt, & abſoluta ex parte materiæ. Hæc eſt D. Thomæ in eodem artic. 12 ad 2. Et ratio eſt eadem, quæ præcedentis aſſertionis: quia tales actus non ſolum ſunt honeſti, ſed etiam ſunt conſilii: immò reſpectu talis perſonæ poſſunt dici ad perfectionem neceſſarii, quia talis perſona profitetur ſtatum illũ vt viam ſuæ perfectionis acquirendæ. Addo etiam ex D Thoma ſuprà, Prælatum non poſſe hos actus prohibere, ſtante obligatione regulę quia non eſt illi data poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem, & ideo talia vota nõ includunt conditionem, niſi Prælatus reſtiterit: nam licet poſſit diſpenſare, ſubditus non cogitur acceptare diſpenſationem, vt dixi, & ideo, ſtante voto, tenebitur illud ſeruare. Quod ſi talis ſit caſus, in quo Superior poſſit præcipere actum regulæ cõtrarium, tunc procedet quod diximus de actibus præceptis, ſcilicet in eo euentu ceſſare obligationem regulæ, & ideo nõ eſſe illam materiam, de qua tractamus, quia iam talis actus hic, & nunc non eſt ordinatus per regulam, quandoquidem poteſt per Prælatũ abſolutè prohiberi. Vel etiam dici poſſet, in illo voto inuolui conditionem, niſi res ita mutentur, vt regula nõ obliget ad talem actum, quod non contingit, niſi quando melius eſt non ſeruare materialiter (vt ſic dicam) regulam, quam illam exequi, quæ cõditio cum proportione ſumpta generalis eſt, & ideo non facit votum conditionatum.

7. *3. Aſſertio. Vota de bonis melioris Ordinis non prohibitis per regulam valida ſunt. D. Thom.*

Dico tertio: Vota de bonis melioris ordinis, quæ per regulam nullo modo prohibentur, nec præcipiuntur, valida ſunt in Religioſo, & ſtatim obligant, licet includant conditionem negatiuam, *Si Prælatus non prohibuerit*. Sumitur ex D. Thoma in d. artic. 8. in corp. ad 3. & ſolum oportet vltimam eius partem oſtendere: nam explicata illa conditione, cætera erũt clara. Ad illam autem partem probandam eſt efficax diſcurſus, quo ibi vtitur D. Thomas. Nam licet per votum obedientiæ nõ ſubiiciantur actu omnes, & ſinguli actus Religioſi voluntati Prælati quaſi poſitiuæ regulæ illorum: ſubiiciuntur nihilominus poteſtati, quia nullum eſt tempus, in quo Prælatus non poſſit præcipere ſubdito, & poſitiue diſponere quid agere debeat vbi per alia præcepta, vel regulam diſpoſitum non ſit: ergo in tali voto ſubditi, vt licitum ſit, neceſſario inuoluitur illa conditio, *ſi Superior non prohibuerit*, vel aliquid repugnans non præceperit. Probatur conſequentia, quia votum vt ſit licitum, non debet eſſe in præiudicium alterius: eſſet autem in præiudicium Prælati, & poteſtatis eius, niſi in tali materia talem conditionem inuolueret includit ergo illam. Et ita non procedunt contra hunc diſcurſum inſtantiæ Richardi, quæ ſolum ſunt de materia neceſſaria, & pertinente ad obſeruationem præceptorum, vt non mentiri, & ſimilia, de quibus in prima aſſertione dictum eſt: nunc autem loquimur de actibus ſupererogationis, in quibus inſtantiæ locum non habent. Ex hac ergo conditione conſtat, materiam illius voti licitam eſſe, quia per ſe bona eſt, & ex melioribus bonis, & non prohibita, & promiſſa intelligitur ſub exceptione prohibitionis: ergo votum Religioſi de tali materia illum obligat. Conſtat deinde, conditionem illam, quamdiu non impletur, nõ ſuſpendere obligationem voti, quia non ad hoc ponitur, ſed ad excipiendam, ſeu tollendam obligationem pro tempore, in quo fuerit impleta conditio, ergo quamdiu non impletur, votum manet abſolutum, & actu obligans. Ideoque ſi ante prohibitionẽ Superioris votum violetur, grauiter peccabitur ex genere ſuo, vt rectè Caietanus dicto articul. 8. notauit.

8. *Dubium.*

Interrogabis, Si ſecundum perfectionis ordinem, ſeu regulam talis Religionis debeat Religioſus votum ſuum declarare Prælato, & id facere omittat, & ideò fortaſſe conditio non impleatur, quia ſi Prælatus haberet talis voti notitiam illud prohiberet, nũquid hoc ſufficiet, vt non obliget votum? Videtur enim, tunc Religioſum illum imperfectè acturum, ſi abſque ſcientia Prælati votum exequatur, & conſequenter votum nõ obligare, quia nõ obligat ad imperfectè operandum. Reſpondeo, ſi ad faciendum opus promiſſum non erat neceſſaria Prælati ſcientia ideò in eo caſu votum obligabit. Nam licet fortaſſe Religioſus ex alio capite imperfectè agat, non aperiendo votum ſuum Prælato, votum nõ eſt cauſa huius imperfectionis, nec ad illam obligat: & ideo nihil obſtare poteſt quo minus votum implendum ſit, cũ de ſe poſſit rectè, & ſine imperfectione fieri: Neq; etiam ſufficiet, quod fortaſſe Superior reſiſteret, ſi votum ſciret: quia id incertum eſt, & obligatio non eſt ablata, nec materia eſt prohibita. *Solutio.*

9. *4. aſſertio. Cum iuxta regulam prohibitum eſt ne opus fiat inſcio Superiore votum de tali actu non eſt inualidum. D. Thom. Caiet. Soto Nauar.*

Dico quartò: Quando iuxta regulam prohibitum eſt, ne opus fiat ſine licentia Superioris, votum de tali actu non eſt inualidum, licet non obliget ad actum niſi impleta conditione affirmatiua, quam illud votum includit, *Si Superior fuerit cõtentus*, quæ ſuſpendit obligationem, donec impleatur, & ideo tale votum proprie cõditionatum eſt. Ita ſumitur ex Diuo Thoma dicto articul. 8. ad 3 & 4. vbi bene id exponit Caietan. in 1. dub. artic. & ibidem Soto & alii & Nauar. d. num. 67. Et in primis quod illa conditio ſit neceſſaria probatur, quia alias votum eſſet de re vel mala, vel ſaltem regulæ & perfectioni contraria, ad quam votum non obligat, cum eſſe debeat de meliori bono. Item ſiquis voueret hoc facere ſine licentia Superioris, votum non obligaret, quia eſſet directè de agendo contra regulam, ſed tale eſt votum illud, niſi conditio ſubintelligatur, ergo eſt neceſſario ſubintelligenda. At vero ſubintellecta conditione materia eſt honeſtiſſima, & ſimpliciter de cõſilio, ſeu melior, quam oppoſita ergò ita eſt votum intelligendũ, & ita obligat. Dicunt aliqui, etiam obtenta facultate, non eſſe melius facere tale opus, quia melius eſt cõformari regulæ prohibenti illud, & ita votum illud ſimpliciter non obligare. Sed reſpondemus; hoc nõ rectè accommodari huic aſſertioni, quia ſupponitur falſum, tales enim actus non prohibentur per regulam, imò ſæpe conſuluntur: ſed præſcribitur definitus modus, ſcilicet vt fiant iuxta ſuperioris arbitrium, ſine quo modo prohibentur. Et ideo, ſeruato illo modo, actus ſimpliciter eſt melior, & nullo modo diſcordans à regula. Vnde licentia illa non eſt diſpenſatio, vel relaxatio regulæ, ſed potius eſt obſeruatio, & executio eius, & ideo neceſſitas eius non obſtat valori voti. *Reſponſio aliquorum.*

10. *An obliget votum illud ad petendũ facultatẽ à ſuperiore ad efficiendum opus promiſſum.*

Sed quærendum ſupereſt, an votum illud obliget abſolute ſaltem ad petendam facultatem à Superiore ad efficiẽdum opus voto promiſſum? Nam videri poteſt, minime ad hoc obligare votum, quia homo hoc non vouit, ſed tantum opus ſub conditione, ſi prælatus facultatem dederit, quod longe diuerſum eſt. Item in alijs votis conditionatis, non obligatur quis ad procurandum [illegible] conditio impleatur, ſed ſolum vt ſit paratus implere promiſſum ſtante conditione, vt ſi infirmus voueat Religionem, ſi ſalutem recuperet nõ tenetur ex vi voti ſpeciali modo ſalutẽ procurare: ergo ſimiliter in præſenti. Item ſiquis voueat, ſe daturum eleemoſynam, ſi Rex donum aliquod dederit, nõ obligatur ex voto ad procurandũ donum illud, & ſiquis voueat Religionem ſi conſenſerit, non tenetur procurare conſenſum, &c. ergo idem eſt in præſenti.

11. *Reſolutio ſuperioris dubij. Caiet.*

Nihilominus dicendum eſt, votum illud obligare per ſe loquendo ad petendam facultatem à Prælato ad faciendum tale opus. Ita docet Caietanus ſupra, quem alij ſequuntur. Ratio autem eſt, quia hoc eſt intrinſece incluſum in obiecto, & ratione talis voti. Primò, quia votum illud fruſtrà fieret, & ridiculũ eſſet, niſi ad hoc ſaltem obligaret: nam cum non ob-

Digitized by Google

liget ad opus, niſi ſuppoſita facultate, & facultas non ſoleat dari niſi petatur, inutilis eſſet obligatio, niſi ad facultatem petendam abſolutè, & ſine alia conditione cogeret. Secundò, quia in conditione illa, *Si facultas detur*, ſubintelligitur neceſſario, & quaſi per correlationem, *Si facultas petita detur*, quia hæc eſt moralis conditio talis facultatis, vt non aliter detur: ergo includitur in tali voto, quod talis facultas petẽda ſit. Tertiò, hæc eſt moralis intentio vouentis: nam cũ actum promittit, intendit illum facere eo modo, quo moraliter, & ordinatè poteſt: modus autem ordinarius, & Religioſus, quo talis actus fieri ſolet, eſt petendo facultatem à Superiore: ergo hæc eſt etiam intẽtio in voto illo incluſa, ſecundum ordinarium, & moralem ſenſum eius. Sic enim quando Religioſus proponit ieiunare, quando ſine facultate Prælati id facere non poteſt, virtute proponit facultatem petere à Prælato: ergo ſimiliter in præſenti. Denique qui promittit finem, virtute promittit media moraliter neceſſaria: in pręſenti autẽ petitio facultatis eſt mediũ moraliter neceſſarium vt opus promiſſum fiat, vel fieri poſsit, vt promiſſum eſt, ergo.

12. *Fit ſatis obiectionibus. Ad primũ. Ad ſecundũ*

Ad obiecta verò in contrarium reſpondetur. Ad primum negando aſſumptum: nam in illa conditione recte intellecta includitur votum petẽdi facultatem. Ad ſecundum verò de votis cõditionatis dico, non poſſe generalem regulam aſsignari, quod conditionaliter vouens non teneatur procurare conditionem, ſed diſtinctione opus eſſe. Nam ſi conditio non includat actionem præuiam ipſius vouentis honeſtatem, & capacem obligationis voti, & neceſſariã ad actũ promiſſum: tunc non obligabit votũ ad procurandam conditionem, vt ſi conditio pendeat tantum ex intrinſecis cauſis, vt ſi nauis venerit, tunc non tenetur vouens aliquid agere, ſed expectare euentũ. Et tale eſt illud exemplum, *Si ſalutem recuperauero*, iuxta communem ſenſum, & intelligentiam, quia tunc ſolum vouetur Religio in gratiarum actionem pro beneficio ſalutis, ſi concedatur, homo verò non intendit ſe obligare ad illam procurandam ſpecialiter propter executionẽ voti, ſed id ſupponit, prout ordinariè fieri ſolet. Item ſi conditio pendeat à vouẽte, non tamen pertineat ad meliora bona, non intelligitur incluſa in voto, ſed ſuppoſita ſub eadem conditione, vt ſi quis voueat dare eleemoſynam ex lucro, ſi ludendo, vel negotiando illud comparauerit, non obligatur ad ludendum, vel negotiãdum, ſed totum illud intelligitur ſub cõditione poſitum, *Si luſero, vel negotiatus fuero, & lucrum conſequar, &c.* Idemq́ eſt de illa conditione, ſi Rex aliquid donauerit, nam ordinariè non obligatur homo ad petendũ, ſed ad ſummum ſupponit Regem ſe id facturum, aut ſub conditione inuoluitur eodem modo. Secus verò eſt, ſi cõditio intrinſecè includat actionem præuiam ipſius vouentis, quam poſtulabant verba promiſsionis: tũc enim votum ad illam obligat, vt in exemplo de illa conditione, *Si pater conſenſerit*, ibi includitur proponendum eſſe patri, vt poſsit conſentire, vel diſſentire, & in ſignificatione, & communi ſenſu talium verborum hoc includitur, ideoque votum ad hoc obligabit. Idemque eſt in noſtro caſu, quia petitio facultatis talis eſt opus ſupererogationis, & quaſi inchoatio operis promiſſi, quæ abſolutè eſt in poteſtate vouentis.

13. Hæc verò intelligenda ſunt, per ſe loquendo, vt dixi: nam ſi expreſſe intentio vouentis fuiſſet, non ſe obligare ad petendam licentiam, ſed ſolum ad faciendum opus, quoties contigerit licentiam dari, vel quia ſolet interdum generaliter dari, etiam nõ petita, vel quia expreſſe vult vouens petitionem ſibi eſſe liberam, tunc clarum eſt, non obligari. Item ſi interueniat ignorantia, vt quia vouens credidit, non eſſe ſibi neceſſariam facultatem, & ideo vouit, tunc non videtur ſe obligaſſe ad petẽdum facultatem, quia ignorantia abſtulit voluntatem. Idemque eſt ſi tempore, quo factum eſt votum nulla erat prohibitio nõ faciendi tale opus ſine licentia, ſed erat omnino liberum, poſt votum autem factum, neceſsitas licentiæ impoſita eſt: tunc enim non videtur obligare votum ad illud grauamen, nec cum tali rerum mutatione, quod notauit Arago. d. q. 88. art. 8. Extra hos verò caſus votum obligat, vt dixi, ſemper verò eſt intentio vouentis attendenda. *Arag.*

14. *An ſubditus teneatur votum explicare Superiori vel ſufficiat facultatẽ petere ad opus.*

Vlterius verò interrogandum ſupereſt circa hãc partem, an ſubditus teneatur tunc votũ ſuum explicare Superiori, vel ſufficiat facultatẽ ad opus poſtulare? in hoc enim variant Authores: Quidã cenſent, neceſſarium eſſe in facultatis petitione aperire, ſe eſſe obligatum voto ad opus faciendum. Ita tenet Soto lib. 7. de Iuſt. quęſt. 3. art. 1. ſequitur Angles. q. de Voto, artic. 7. difficult. 3. inclinant Arag. dicens eſſe ſecurius, & Valent. dicens eſſe tutius. Fundamẽtum eſt, quia explicando votum, Superior magis mouetur ad concedendã facultatem, & attentius rem conſiderabit prius quam negare audeat. Confirmatur, nam qui vouet, tenetur procurare, & quod in ſe eſt, facere, vt votum impleat, ſed ille non videtur facere ſufficientem diligentiam ad implendum votum, niſi petat facultatem ad illud implendum formaliter, & non tantum quaſi materialiter ad faciendum actum promiſſum: ergo tenetur priori modo illam petere, quod facere non poteſt, niſi notificando votum ſuũ. Confirmatur ſecundo, quia negatio facultatis ad faciendum illum actum eſt quædam irritatio voti, ſed hæc fieri non debet ſine cognitione voti, cum ſit actus humanus, & poteſtatis gubernatiuæ, & magni momẽti, ergo quamuis Superior neget facultatẽ inſcius voti, ſubditus habens votum non manet in conſciẽtia ſecurus, quia illa negatio, & irritatio ſubreptitia videtur. *Soto. Angl. Arag. Valent.*

15. Alij exiſtimant, ſatis eſſe facultatem petere à Prælato ad faciendũ actum per votum promiſſum, vt ad ieiunandũ, peregrinandũ, &c. etiamſi nulla mentio voti fiat. Ita Nauar. c. 12. n. 69. Palac. 4. d. 38. diſ. 3. circa medium. Et idem ſentit Caiet. d. q. 88. art. 8. in dub. 2. licet poſtea lubrice loquatur, & in Sum. ver. *Votũ*, ca. 3. de Condit. voti ex parte vouentis. Senſus aũt huius ſententię eſt, ſi vouens ſpeciali intentione non intendat ſe obligare ad votum declarandũ Superiori, ſatisfacere obligationi voti, petendo ſimpliciter facultatẽ ad actum promiſſum, nã ſi expreſſe ẽt aliud intẽdat, clarum eſt obligari, quia illud eſt apta materia ad voti obligationẽ, & tũc ex intẽtione vouẽtis votũ ad illã extenditur. At verò ſecluſa hac intentione nõ eſt vnde oriatur illa obligatio, quia ex vi voti ſimpliciter facti de ieiunio, v. g. nõ obligor ad dicendũ Superiori, me id vouiſſe, ergo. Probatur antecedens primò, quia petendo facultatẽ ad opus faciendũ, adhibeo mediũ neceſſariũ, & ſufficiens, vt opus mihi liceat, & cõſequenter, vt expleã votũ: ergo nõ eſt vnde maior obligatio oriatur. Probatur cõſequentia, quia illa obligatio petendi facultatẽ non eſt ex intentione expreſſa, ſed ex implicita, in illo autem obiecto in rigore non inuoluitur niſi id, quod ſufficit, & neceſſarium eſt ad votum honeſte implendum. Et hęc ratio euidentior fiet reſpondendo ad fundamenta cõtraria. Secũdo, ſi Religioſus aduertat, poteſt vouere tale opus cum intentione petendi facultatem ad opus, & non ſe obligandi ad aperiendum votum, neq; in hoc male faciet, ſed tunc obligabitur voto iuxta intentionem ſuam, ſicut diximus è cõtra obligari ad explicandum votum, ſi id expreſſe intendat: nam æque debet eſſe vtriuſque partis conditio: ergo vbi neutram partẽ directe, & expreſſe intendit, interpretandum eſt votum cum minimo onere, quod ad eius honeſtatem, valorem, & obſeruationem ſecundum verborum proprietatem ſufficiat, iuxta regulam textus in lege Si *ita ſtipulatus*, 109. ff. de Verborum obligatione. Tertiò: ſæpe declaratio voti, vel promiſſionis poteſt vouenti eſſe moleſtiſsima, non eſt ergo *Nauar. Palac. Caiet. Sẽſus huius ſententiæ.*

talis

talis obligatio imponenda ſine maiori fundamento.

16. *Auctoris iu dicio in pra dicta ſententia.* Quapropter licet in ordine ad perfectionem, vel melius eſſe, prior ſententia conſulenda videatur, & in hoc ſenſu dici poſsit tutior, & ſecurior in rigore obligationis, & præcepti hæc poſterior verior, & ſequenda videtur, ne laqueos, & vincula multiplicemus, ſine cogēte cauſa. Nam quod tractamus in votis perſonalibus habet locum in realibus, vt infra videbimus: eſſet aūt moleſtum vxori quę vouit facere eleemoſynam, declarare marito votum ſuum: ſatis ergo erit, ſi facultatem petat ad eleemoſynam faciēdam, vt ſi negetur, voto pro tūc non obligetur. Item quod de voto dicimus habet locum in humana promiſsione: ſi ergo Religioſus promiſit alicui facere opus, quod ſine facultate Superioris facere nō poteſt, ſatisfaciet promiſsioni, petendo facultatem ad opus: quod ſi eam non obtineat, nō eſt cogendus promiſſionem declarare, vt licentiam extorqueat: nam ſępè erit valde onerofum, & non eſt veriſimile voluiſſe ad hoc obligari.

17. *Ad ſatu fundamento oppoſita ſententia.* Ad fundamentum ergo contrariæ ſententiæ reſpondeo primo concedēdo, explicationem voti eſſe efficacius medium ad obtinendam licentiam, & negando conſequentiam: quia non tenetur vouens ex vi voti ad faciendā ſummam diligentiam, quia neq; hoc expreſsit, neq; in voto includitur. Et patet, quia Religioſus vouendo ſub tali conditione, *Si Prælatus conceſſerit*, non ſe obligat ad adhibendam ſummam, & extraordinariam diligētiam, vt licentiā obtineat, ſed ſolum illam, quę ex vi illius conditionis poſtulatur, & à Religioſis exhiberi ſolet. Dico vero vlterius, quod ſicut declaratio voti poteſt inducere Pręlatū, ita etiam poteſt auertere voluntatem eius, à facultāte concedenda, quia forte moleſte feret quod ſubditus vouerit ante petitam facultatem, & quaſi in odiū, vel pœnam negabit facultatem: ergo in re dubia nō eſt imponendum illud onus. Eſſetq; maximum, ſi ſubditus cogeretur coniecturam facere, an ſit vtilius ad licentiam obtinendam aperire votum, vt id neceſſario eligere debeat, quod cōiectauerit eſſe aptius, quia hoc eſſet valde arduum, & ſcrupulis, ac dubijs expoſitum: & non eſt credibile Religioſum vouentem intendiſſe ſe ad hoc obligare. Et per hæc etiam reſponſum eſt ad primam confirmationem.

18. In ſecunda vero petitur aliud dubium, ſcilicet, an hoc ſufficiat ad voti irritationem? Nam Caiet. negat ſufficere, Palatius vero dicit ſufficere ad irritationē indirectam, quæ eſt ex parte materiæ, quia non eſt actus iuriſdictionis, ſed dominij. Sed hoc dubium habet proprium locum infra lib. 6. & ideo illud remittimus in eum locum. Nunc vero dicimus, ſi facultas ſimpliciter petita negetur à Pręlato, ſatis id eſſe, vt votum non obliget pro eo tempore, pro quo cenſetur durare illa prohibitio Prælati, quia ſufficit, vt materia nō ſit licita, ſeu apta ad votum. An vero illa ſit appellanda irritatio, vel ſuſpenſio obligationis voti; & an ſubditus obligatus maneat ad petendam iterum facultatem iuxta varietatem votorum indicandum eſt, vt citato loco dicemus? Vbi etiam examinabim⁹ quæſtionem aliam hic valde controuerſam, an poſtquam Prælatus facultatem conceſſit ad votum exequendum, poſsit illam reuocare? Et è contrario, an poſtquam illam negauit, ſi iterum illam cōcedat, teneatur ſubditus votū implere? Hæc enim omnia cōnexa ſunt cum irritatione, & ideo non poſſunt commode hic præueniri.

19. *Quarta aſſertio Votum Religioſi prohibitum per regulam nullum eſt.* Dico quinto: Votum Religioſi de actu ſimpliciter prohibito per regulam nullum eſt, nullamque obligationem inducit. Hæc aſſertio vel eſt prætermiſſa à Caiet. Soto, Nauar. & alijs allegatis, vel videntur ſentire contrarium, quia de his votis quæ ſunt de rebus contra regulam, videntur generaliter affirmare includere conditionem, *Si Superior conſenſerit*, & ſub illa cenſent obligare, & conſequenter etiam obligare ad conſenſum Superioris poſtulandum. Aſſertionē vero oppoſitam docuerunt multi Theologi docti noſtri temporis, & inter eos refertur Victoria, & mihi videtur probabilior, & vera, & conſentanea his, quæ D. Thom. docet dicto art. 12. ad 2. Et declaratur in hunc modum: nam quæ regula ſimpliciter præcipit Religioſo per ſe ſpectant ad maiorem eius perfectionem, & ſimiliter cōſultius eſt vitare ea, quæ ſimpliciter prohibet: ergo licet votum de his fiat, nō obligat, quia non eſt de meliori bono. *Victor. D.Thom.* Secundo tale votum non obligat abſolute ad actum promiſſum, nec ſub conditione, *Si Superior reuocet prohibitionem*: ergo nullo modo. Maior probatur, quia abſolute ille actus eſt prohibitus, vt ſupponitur: ergo abſolutè non poteſt cadere ſub votum. Dices, prohibitio regulæ non obligat ſub peccato, ergo non obſtante prohibitione actus eſſe poteſt ſtudioſus, ergo non obſtante prohibitione, votum poterit abſolutè obligare. Reſpondetur, conceſſa maiori ordinariè loquendo, ſeu in Religionibus, vbi ita declarata eſt regulæ obligatio, & conceſſa etiam minori ex vi regulæ: nam practicè, & ex circumſtantijs vix talis actus ſit ſine aliqua culpa, vt infra ſuo loco dicam. Toto (inquam) antecedenti conceſſo, negatur conſequentia, quia non ſemper materia honeſta eſt materia voti, ſi impediat honeſtiorem, ſeu materiam conſilij, reſpectu autem Religioſi melius eſt, & ad conſilium pertinet regulæ obſeruatio, & ideo actio, vel omiſsio abſolute prohibita per regulam ſaltem eſt quid imperfectum reſpectu talis Religioſi, quia impedit maius bonum. Et ideo votum de tali materia non poteſt abſolute obligare.

Hinc vero probatur altera pars, quòd nec ſub cōditione obliget, quia licet Prælatus reuocet prohibitionem, ad ſummum ſe habebit tamquam diſpēſans in regula, ſed votum non obligat ad operandum ex diſpenſatione, ergo. Maior patet, quia prohibitio regulæ eſt generalis (vt ſupponitur) & abſoluta: nā licet includat conditionem, Niſi Superior diſpenſet, illa generalis eſt, quæ non facit votum conditionatū, & ita de facto obligabat, vt etiam ſuppono: ergo ablatio illius obligationis eſt quædam diſpenſatio. Minor autem probatur, quia per ſe melius eſt ſeruare regulam, quam vti diſpenſatione ad operandū contra illam: ergo vſus talis diſpenſationis non eſt materia voti, quia nō eſt de meliori bono, ergo multo minus poteſt eſſe materia voti talem diſpenſationē poſtulare. Ergo nec poteſt votum obligare ad talē conditionem, vel ſub tali conditione confirmatur, quia ordinariè, ea quæ ſic prohibentur per regulam, ſunt opera minus idonea ad perfectionē, vel aliquo modo illam impedientia, & è contrario quæ pręcipiuntur, magis ad perfectionem diſponunt: ergo quoties talia fuerint, non poteſt votum obligare ad procurādam diſpenſationem in illis. Quod ſi interdū videntur aliqua præcipi, aut prohiberi propter corporis commoditatem, in illis met principalis reſpectus habetur ad ſpiritualem profectum, & maximè per hæc cōſulitur communi bono Religionis, vt debitus ordo ſeruetur, & omnia conueniēter fiant, quod commune bonum præferendum eſt priuato. Ergo ſemper ſeruare regulam, iuxta regulæ intentionem per ſe loquendo melius eſt, ergo votum non obligat ad agendum contra illam, etiam ex cōceſsione Prælati. 10.

Dices: interdum poteſt eſſe talis diſpoſitio ſubditi vel corporalis, vel ſpiritualis, vt ſecundum prudentiam melius illi ſit vti diſpenſatione, & agere contra regulam, quam rigorem vel literam eius ſeruare, ergo tunc ſaltem obligabit votum, nec doctrina generalis erit. 21. *Obiectio.* Reſpondeo, ideo ſemper additum eſſe *per ſe loquendo*, quia in rebus moralibus ſermones generales ſunt ſecundum ea, quæ ordinariè accidunt: caſus verò extraordinarij accidentales ſunt. *Solutio.* Dico præterea in illis caſibus particularibus, conſideratis circumſtantijs, regulam non prohibere ſimpliciter talē materiam, & conceſsionem Superioris non tam eſſe

Digitized by Google

diſpenſationem, quam interpretationem, quod tũc melius fit non ſeruare materialiter (vt ſic dicam) regulam. Et ideo illi caſus potius reducuntur ad præcedentem concluſionem, quia pro illis caſibus regula non abſolutè obligat, ſed ad ſummum obligat, vt nõ prætermittatur ſine licentia Superioris, ne exceptiones fiant priuato arbitrio, ſed Superioris. At vero loquendo de prohibitione abſoluta regulæ in ſua vi, & robore perſeuerante, aſſertio hæc generaliter procedit, & videtur quidem ſufficienter probari diſcurſu facto. Et poteſt cõfirmari exemplis aliorum fidelium: nam ſi quis voueret ieiunare in die Dominico, certe non obligaretur voto ad petendum à Pontifice facultatem ſeruãdi tale votum: quia eſt de re ſimpliciter prohibita intuitu Religionis, & melius eſt conformari communi conſuetudini, quam diſpenſatione vti. Item ſi quis ex quacumque deuotione voueret communicare, aut facere ſacrum bis in die ſubintelligens conditionem, *Si Papa conceſſerit*, non obligaretur voto ad petendum talem diſpenſationem, quia ſimpliciter melius eſt in tali materia communẽ regulam ſequi.

12. Denique ad hanc aſſertionem confirmãdam adduci poſſunt Iura Ciuilia, quæ dicunt, ſtipulationem de re lege prohibita eſſe nullam L. *Si ſtipuler*, 35. ff. de Verborum obligationibus. Quod aliæ leges declarant, procedere etiam ſi ſtipulatio fiat ſub cõditione, *Si Princeps diſpenſauerit*, vt ſumitur ex L. *Inter ſtipulantem*, 83. §. *Sacram*, & ex L. *Continuus*, 137. §. *Cum quis*, ff. de Verb. Vnde multi graues Doctores docuerũt, etiam inter homines promiſſionem de re lege prohibita in ordine ad diſpenſationem eſſe nullam, & ſpecialiter videri poteſt Henr. libro duodecimo de Matrimon. cap. 10. numer. 4. vbi illam ſententiam ſequens rationem reddit noſtræ ſimilem: quia melius eſt ſequi legem communem, quam vti diſpenſatione. Sed contra, quia ex dicto exemplo poteſt retorqueri argumentum, quia ſimpliciter probabilius eſt, promiſſionem inter homines ſic factam eſſe validã, & obligare ſaltem ad expectãdum reſponſum Principis, quando materia eſt ordinariè diſpenſabilis, & creditur iuſtè poſſe obtineri diſpenſationem, vt latè diſputat Sancius libro quinto de Matrimon. diſputation. 5. quæſtion. 1. ergo idem erit in noſtro propoſito. Reſpondemus negando conſequentiam: eſt enim magna differentia inter votum, & promiſſionem humanam, nam vt promiſſio humana valeat, nõ oportet, vt ſit de meliori bono in ordine ad Deũ, ſed ſatis eſt, vt ſit de re honeſta, & poſſibili ſecundum rectam rationem, ſalua iuſtitia, quę omnia inueniuntur in illa promiſſione de re prohibita per legem poſitiuam, vt ſunt, verbi gratia, ſponſalia inter cõſanguineos cum ordine ad diſpenſationem Papæ. Et ideò parum refert, quod talis promiſſio nõ ſit de meliori bono: nam poſt promiſſionem iam eſt neceſſarium bonum: at vero votum eſſe debet de meliori bono, & ideo à principio non tenet de re prohibita etiam ſub illa conditione. Et ideo ratio illa in voto efficacior eſt, quam in humana promiſſione. Sic votum Religioſi tranſeundi ad Religionẽ laxiorem vel æqualem, etiam ſub conditione, *Si Põtifex conſentiat*, ad nihil obligat, quia eſt de minori bono: ſecus de voto Epiſcopi aſſumendi ſtatum Religioſum, ſi Papa diſpẽſet: nam tale votum forte obligat (vt infra ſuo loco videbimus) quia omnibus penſatis cenſetur eſſe de meliori bono. Nec Epiſcopo eſt ſimpliciter prohibitum Religioſum fieri, ſed ſolum ne id faciat, ſine authoritate Pontificis, & ita hoc votum magis pertinet ad præcedentem concluſionem, quam ad præſentem.

13. Dico ſexto: Votum Religioſi de materia excedẽte, ſeu ſuperante obligationem regulæ, quale cenſeri poteſt votum tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, ſimpliciter, & abſolutè validum eſt, & obligat independenter à conſenſu Prælati. Hæc eſt communis: nam vt infra videbimus, omnes docent tale votum non ſolum validum, ſed etiam firmum eſſe, & irritari non poſſe. Et ratio eſt, quia illud votum eſt de meliori bono, quod per regulam prohiberi non poteſt, vnde non eſt contrarium regulæ: ſed ſuprà illam. Et ideò quoad hoc votum non ſubditur Religioſus voluntati Prælati, nec quoad emiſſionem eius nec quoad executionem, quia in ipſamet profeſſione laxioris Religionis quoad perpetuitatem intelligatur incluſa conditio non impediendi tranſitum ad meliorem frugem: quia de ratione ſtatus perfectionis eſt, vt non impediat augmentum perfectionis. Dices: Religioſus non poteſt tranſire ad ſtrictiorem abſque licentia, ergo votum includit hanc conditionem. Reſpondetur in primis, poſſe emittere votum ſine licentia. Deinde, poſſe etiam exequi ſine licentia obtenta, & ita ex hac parte non includit conditionem affirmatiuam, vel negatiuam. Non poteſt tamen de facto tranſire ſine licentia ſaltem petita ex ordinatione Iuris. Tamen quis petere licentiam eſt in poteſtate vouentis, ideo non includit conditionem pendentem ab alio, ſed abſolutè votum obligat, qua obligatione ſuppoſita Canones obligant ad ſeruandum modum debitum in executione talis voti.

Sed quid ſi Pontifex prohibuit trãſitum ad aliam Religionẽ, licet ſtrictiorem? Nunquid votum tranſeundi ad illam obligabit, ſaltem ſub conditione, *Si Papa diſpenſauerit*, & conſequenter obligabit ad diſpenſationem petendam? Reſpondeo in primis, vix iudicari poſſe Religionem illam eſſe perfectiorem, ad quam tranſitus prohibitus eſt, quia non videretur tranſitus prohibendus, ſi clarus eſſet exceſſus. Videtur ergo in illa prohibitione ſupponi ſaltem quędam æqualitas, qua ſuppoſita melius eſt permanere, vel licet non ſupponatur æqualitas omnimoda, ſaltem non cenſetur eſſe tanta diſtantia, quin omnibus penſatis melius ſit in incepto ſtatu permanere, & ex hac parte raro videtur, votum illud in ea hypotheſi obligare. Tamen quia hæc prohibitio Põtificis poteſt interdum fundari in maiori vtilitate, & conuenientia in ordine ad bonum commune, & ad quietem, & pacem Religioſorum, & ideo eſſe iuſta, etiamſi in particulari conſtet tranſitum prohibitum eſſe ad perfectiorem, ſeu ſtrictiorem Religionem, ideo addendum videtur, quando id conſtiterit, votum in particulari obligari ſub ea conditione. Quia tunc ipſa prohibitio non eſt accipiẽda tanquam omnino abſoluta, ſed ſolum ſub ſimili conditione, ſcilicet vt tranſire nemo audeat, non conſulto Pontifice, eiuſq; licentia obtenta. Et ratio eſt, quia ſemper votũ illud ſub conditione factum, eſt de meliori bono, & ideo prohibitio iuxta ſubiectam materiam eſt intelligenda.

Sed quærat tandem aliquis, eſto, ex vi ſtatus non ſit abſolute prohibitum Religioſo noua vota facere, poſſitne Prælatus nihilominus hoc prohibere? Reſpondeo breuiter poſſe ſaltem prohibere, ne id faciat, niſi prius petita licentia, immò etiam poſſe hoc per regulam alicuius Religionis ſtatui: quia per hoc non prohibetur opus perfectionis, ſed prouidetur modus, quo melius fiat. Sic enim prohibentur interdũ, ne fiãt opera pœnitẽtiæ. orationis, nõ petita prius licentia, eadem aũt ratio, vel certe maior eſt de voto. Sed quæres vlterius, an ſi votum fiat, nõ obſtante tali prohibitione validum ſit? Reſpondeo, ſi tantum ſit ſimplex prohibitio validũ eſſe votũ: quia multa fieri prohibẽtur, quę facta tenent. Et licet votũ tũc malè, vel imperfecte fiat: nihilominus põt eſſe de materia capaci obligationis. Dubium aũt eſſe poteſt, an poſſit eſſe talis prohibitio cũ irritatione, quæ antecedẽter faciat votũ eſſe nullũ? In qua nõ dubito, quin per legem, ſeu ſtatutum legitima poteſtate factum in tali Religione poſſit hoc fieri propter ſpecialem modũ ſubiectionis, & obedientiæ, quę Religioſi profitentur,

tur, vt infra videbimus: non videtur tamen eſſe in vſu talis modus conſtitutionis, ſeu prohibitionis, neque regulariter eſſet expediens. At vero ſecluſa lege irritante, non videntur poſſe Prælati priuata authoritate inhabilitare (vt ſic dicam) ſubditos ad vouendum: quia nullibi eſt illis conceſſa hæc poteſtas, neque ex vi profeſſionis, aut obedientiæ Religioſæ ſequitur: nam ſufficit, vt ſi expedire iudicauerint, poſſint talia vota irritare poſtquam facta fuerint, vt lib. 6. videbimus.

De alijs ſubditis.

26. EX his facile eſt doctrinam applicare ad alios ſubditos. Et primo ad vxorem reſpectu mariti. Circa quam conſiderandum eſt vxorem non ſubdi viro per ſe in omnibus actibus ſuis, præſertim in his, quæ ad ſalutem animę ſpectant, ſed ſolum in his, quę ſpectant ad vſum matrimonij, & externam familiæ gubernationem, vt bene declarat Panor. in cap. *Litteras*, de Reſt. ſpol. n. 27. & 28. & infra li. 6. cap. 4. latius dicemus. Hinc ergo eſt, vt non obſtante ſubiectione, vxori liberæ ſint multæ actiones, & materiæ virtutũ, quas maritus illi prohibere non poteſt: quia debitum obſequiũ in his, quæ ad ſuum ſtatum pertinent, non impediunt, de quibus actionibus in particulari hic dicere nõ poſſumus, ſed in materia de Matrimon. explicandæ ſunt. Regula ergo generalis eſt, vota omnia vxoris de actionibus honeſtis, & ſibi liberis, ita vt in eis ſit quaſi ſui iuris, & licita, & valida ſunt, omninoque abſoluta, quia cũ illi actus nõ poſſint prohiberi à marito, nulla relinquitur conditio, quam talia vota includere poſsint. At vero quoad actiones pertinentes ad ius mariti, nõ poteſt vxor votũ omnino abſolutũ, & independens à marito emittere: poterit tamen emittere validum, ſubintellecta conditione vel negatiua, *Si maritus non prohibuerit*, vel affirmatiua, *ſi conſenſerit*, vbi proceſsit prohibitio ſub tali conditione. Ratio eſt clara, quia ſine tali conditione materia non eſſet licita. Et ita hæc reſolutio cum proportione intelligenda eſt iuxta dicta de Religioſis.

Panor.

Regula generalis de votis quæ emittere poteſt vxor ſine mariti licentia.

27. Vnde etiã intelligi poteſt idem eſſe cum proportione de marito reſpectu vxoris quantum ſpectat ad vſum, ſeu actum coniugalem, in quibus ſunt æqualis iuris, iuxta c. *Gaudemus*, de Diuort. & neuter poteſt vouere aliquid in præiudicium alterius ſine licentia illius. Et eadem ratio eſt de voto abſtinentiæ, & ſimilibus, quatenus in præiudicium coniugis redundare poſsunt. Dicunt autẽ aliqui, ſi votum mariti ſit oneroſum vxori, & in præiudicium eius, non ſolum infirmum eſſe, ſed etiam illicitum, & inualidum, quia eſt veluti de re aliena. Sed hoc nõ eſt verum, niſi votum fiat cum intentione ſe obligandi ad id faciendũ, etiam repugnante vxore. Nam ſi fiat ſimpliciter, & bona fide, potius intelligitur habere conditionem ſubintellectam, *ſi vxor conſenſerit*, ſicut de Religioſis dictum eſt: vnde materia illius voti non eſt omnino aliena, ſed eſt actio propria pendens ex conſenſu alterius. Dices: Ergo etiam erit validum votum non reddendi debitum, quia etiam includit conditionẽ, *ſi alter conſenſerit*. Reſpondetur non eſſe ſimile: tum quia hoc eſt directe contra finem matrimonij, & non aliud? tum maxime quia in tali voto inuoluit repugnantiam talis conditio: nam debitum non negatur niſi petẽti, & repugnanti. Et hæc eſt cõmunis ſententia Doctorũ, quos refert, & ſequitur Sanci. lib. 9. de Matri. diſ. 3. n. 8. & ex dicẽdis li. 6. magis cõſtabit.

28. Secundo cum eadem proportione dicendum eſt de filijs familias, qui puberes, & impuberes eſſe poſſunt, & vtriſque commune eſt, vt in aliquibus actionibus ſint ſui iuris, quia eis prohiberi non poſſunt à parentibus, vt ſunt obſeruationes præceptorum, & actiones honeſtæ, quæ obedientiam parentibus debitam non impediunt, de quibus actionibus non impediuntur vouere. In actionibus autem, quæ aliquo modo derogare poſſunt iuri parentum, neceſſaria eſt conditio cum proportione, vt ex dictis facile conſtat. Eſt autem differentia inter puberes, & impuberes, quod vota impuberum ſubijciuntur voluntati parentum, non ſolum ex parte materiæ, ſed etiam ex parte ipſius voluntatis, quæ in impubere magis eſt dependens à voluntate parentis, & ideo omnia vota eius infirma ſunt, licet ſint valida. Sed hęc differentia ex profeſſo tractanda eſt in lib. 6. reliqua ex dictis ſatis ſunt clara.

De votis quæ filij familias impuberes emittere poſſunt.

Tertio idem cum proportione dicendum eſt de ſeruis, qui in operibus ſuis ordinarie pendent à voluntate domini, & ideo materia talium votorum ordinarie accipienda eſt cum conditione proportionata, vt non præiudicet iuri domini. Habent autem iſti etiam aliquas actiones honeſtas, in quibus omnino ſunt ſui iuris, de quibus votum ſimplex valet. Et idem eſt de alijs famulis, & miniſtris, qui in paucioribus actionibus ſubijciũtur: quia in cæteris ſunt ſui iuris, & ita doctrina cum proportione, ad omnes infra Pontificem quatenus aliquo modo ſubditi ſunt, applicari poteſt, vt de Epiſcopis, & alijs clericis in quarto cap. attingimus, & eadem ratio eſt de omnibus. 29.

Quæ vota ſerui emittere poſſunt.

CAPVT VII.

An vota realia valida eſſe poſſint in perſonis ſubditis?

HAec quæſtio re vera eſt generalis ad omnes homines, & ex eiſdem principijs eſt in omnibus definienda, tamen ſpecialiter tractatur de ſubditis propter ſpecialem incapacitatem, quam ad hæc vota habere videntur. Votum ergo reale hoc addit vltra perſonale, quod requirit materiã externam, ſeu pecuniam, cuius pius vſus per votum promittatur, (ſub pecunia autem omnem aliam rem pecuniæ æquiualentem intelligimus) & ideo requirit in vouente liberam facultatem vtendi, ac diſponendi de illis in talem pium vſum (quem nomine eleemoſynæ ſemper intelligemus.) Hæc autem facultas eſſe poteſt, vel dominium cum adminiſtratione, vel ſaltem adminiſtratio bonorum, quæ ad huiuſmodi eleemoſynam proprio, ac prudenti arbitrio faciendam, extendatur. Nam ſi quis velit eleemoſynam facere de pecunia, in quam non habet huiuſmodi facultatem, iniuſte faciet, & votũ reale de tali eleemoſyna factum nullum erit ex incapacitate materiæ. 1.

Quid addat votum reale vltra perſonale.

Ex hoc ergo principio recte ſequitur, omnem illum, qui nec pecuniam habet, nec liberam eius adminiſtrationem non eſſe capacem votorum realium ex defectu materiæ, etiam ſi non ſit ſubditus, ſed maxime liber ad vouendum, quantum eſt ex parte ſuæ voluntatis. Dico autem non poſſe facere talia vota, quæ obligent illum ſecundum præſentem ſtatum, quia ſic eſſet obligatio de re illicita: ſecus vero erit, ſi voueat ſub conditione, vel pro tempore pinguioris fortunæ, nam tunc votum refertur ad licitam materiam, & obligat pro tempore impletæ conditionis: Et ita Paterfamilias, vel qui eſt oneratus debitis, licet ſubditus alias non ſit, ſi faciat vota realia in præiudicium familiæ, vel creditorum, non valebunt, quia tunc obligatio eſſet vel contra iuſtitiam, vel contra obligationem pietatis, aut charitatis. Quod ſi egeſtas, & obligatio non ſit tam grauis vt reddat actum illicitum, licet poſsit eſſe votum indiſcrete factũ, quia eſt nimis oneroſũ, & ideo poſsit facile diſpenſari, non erit per ſe nullum, donec diſpenſetur. Nec de his perſonis non ſubditis aliquid amplius dicere neceſſe eſt. Quia vero hæc indigentia, vel impotentia in non ſubditis eſt per accidens, & vix eſt aliquis adeo pauper, qui non poſsit aliquam eleemoſynam licite facere ſi ſit iuris ſui: ideo ſpecialiter hæc quæſtio tractatur de ſubditis, in qui- 2.

Qui non ſint capaces votorum realium.

bus hæc impotentia videtur eſſe per ſe: non eſt autem æqualis in omnibus ſubditis, & ideo de ſingulis membris breuiter dicemus, ſcilicet Religioſis, vxoribus, filiisfamilias, & ſeruis. Alij enim ſubditi non ſunt incapaces per ſe talium votorum, & ſolum debent obſeruare regulam, vt ſi aliena bona adminiſtrent, vel expendant, non voueant de alieno, ſed de proprio, vel ſi de alieno, iuxta domini voluntatem.

3. *An Religioſi vota perſonalia poſſint emittere, & quomodo?*

Primo ergo Religioſi nihil habent proprium, & ex hac parte commune omnibus eſt, vt non poſſint facere vota realia, niſi eis ſit adminiſtratio conceſſa, vel votum fiat ſub conditione, *ſi concedatur.* Vnde hæc regula cum proportione applicata omnibus Religioſis, ſubditis, & Prælatis communis eſt. Tamen quia Prælati iam habent adminiſtrationē ex vi muneris, ideo conſequenter habere cenſentur poteſtatem faciendi aliquam eleemoſynam, iuxta quam menſuram poſſint etiam vota facere valida, & ſtatim obligantia. Quæ ad ſummum includerent conditionem negatiuā, *niſi à Superiore impediantur.* Nam illi etiam ſunt ſubditi, & ſub ea ratione ſunt capaces illius conditionis, maxime ratione paupertatis. Et eadem ratione, ſi Prælatus vellet excedere facultatem ordinariam in eleemoſynis faciendis, non poſſet niſi ſub conditione affirmatiua: *Si ſuperior conceſſerit.* Nam tunc ſe gerit vt ſubditus, & in omnibus ſubditis Religioſis eſt illa conditio neceſſaria, quia nec dominium, nec adminiſtrationem, nec liberum vſum rerum habent, ſed dependentem à voluntate Superioris. Quapropter etiam de illis rebus, quæ ad proprium vſum eis conceduntur, & quas in eo conſumere poſſunt, vota realia facere non poſſunt, niſi ſuppoſita dicta licentia, vel ſub eius conditione, quia non quilibet vſus, ſed talis, & determinatus eis conditur. Illa autem facultas concedi poteſt, vel in particulari, vel in generali, iuxta varios vſus Religionum: vnde reliqua de his votis per proportionem ad perſonalia intelligenda ſunt.

4. *An Religioſus, qui abſque Prælati licētia emittit votū perſonale, teneatur petere facultatem ad votū implendum.*

Solum poteſt in his dubitari, an Religioſus, qui abſque vlla licentia Prælati, vel ad vouendū, vel ad dandum eleemoſynam, facit votum illam tribuendi, teneatur petere facultatem à Prælato ad tale votum implendum? Nam ratio facta de votis perſonalibus videtur hic etiam ſuadere, quod teneatur, quia qui vouit finem, tenetur ad medium, alioqui vanum eſſet tale votum. In contrarium vero facit, quia tale votum non videtur eſſe conſentaneum ſtatui Religioſo, & ideo videtur eſſe vanum, & ad nihil obligare. Vt ſi quis voueret eleemoſynam facere de bonis alterius, non obligaretur ad petendam ab eo facultatem, ſed potius diceremus, tale votum eſſe indiſcretum, & ineptum. Ita vero accidere videtur, in huiuſmodi voto Religioſi, cum voueat diſponere de rebus non ſuis, nec ſuæ diſpenſationi commiſsis. Sed exemplum non eſt omnino ſimile, quia Religioſus eſt pars illius communitatis, ad quam illa bona ſpectant, & ideo participat vſum illarum.

5. *Reſolutio dubij.*

Quare hic cenſeo diſtinctione vtendum. Nam ſi Religioſus voueat eleemoſynam facere de his rebus, quas ipſe in proprios vſus conſumere poteſt: cupit autē ſe aliqua ex parte illis priuare, vt alijs bene faciat, credo teneri ad facultatem petendam à Superiore, quia materia illius voti optima eſt, & tale votum non eſt indecens, nec improportionatum ſtatui Religioſo, vt per ſe notum videtur, & ideo merito intelligitur factum ſub prædicta conditione, & ad illam obligare. At vero ſi votum ſit de alijs bonis Religionis, quorum vſus, vel adminiſtratio ad priuatum Religioſum non pertinet, regulariter credo eſſe votum impertinens, & ad nihil obligare propter rationem factam, & quia regulariter nec talem facultatem petere expedit. Dico autem *regulariter*, quia in ſpeciali caſu, vbi grauis occurreret neceſsitas, quam ratio dictaret, eſſe aperiendam Superiori, &c. tunc merito poſſet quis ad hoc ipſum voto ſe obligare. Quod tamen potius eſſet vouere procurare eleemoſynam, vel medium illius neceſsitatis à Superiore, quam propriam eleemoſynam facere: & ideo extra ſimilem caſum dico tale votū eſſe imprudens, & non obligare, quia non tam eſt de eleemoſyna facienda, quam de Superiore monendo, vt eleemoſynam faciat, quod per ſe ſumptum ſine alijs circumſtantiis non videtur expediens.

6. *Vxor, filij, & ſerui vota perſonalia emittere nō poſſunt, niſi certa exceptione adhibita.*

Secundo, eadem fere doctrina ad vxores, filios, & ſeruos applicanda eſt. Nam quoad vxores regula generalis eſt, vxorem non poſſe facere realia vota abſoluta de bonis communibus, nec de ſuis dotalibus, de quibus non poteſt libere donare, aut eleemoſynas facere, niſi iuxta conceſsionem, & licentiam mariti, vel ſpecialem, vel generalem, vel per conſuetudinem. Quia in his non habet liberam adminiſtrationem, ſed omnino pendet à marito: de bonis autem paraphernalibus, vel de aliquibus proprijs lucris, ſi ad ipſam ſpecialiter pertineant, poterit vouere: nam illorum bonorum habet magis liberū vſum. Idemq; cum proportione dicendum de filiofamilias quoad bona paterna, ſecus quoad propria, ſi habeat caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia. Et idem eſt cum proportione de ſeruo, quia non habet propria bona, niſi fortaſſe aliquid de ſeruitio ſuo permittatur acquirere. Neque hæc poſſunt hoc loco exactius tractari, quia ſpectant ad materias, de Donat. Eleemoſyna, Dominio, & ſimilibus.

Finis Libri Tertij.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM LIBRI QVARTI, DE OBLIGATIONE VOTI.

CAp. 1. Vtrum ex voto Deo facto obligatio in conſcientia oriatur.
Cap. 2. Vtrum in voti obligatione Dei acceptatio intercedat.
Cap. 3. Quam grauis ſit obligatio voti.
Cap. 4. Vtrum obligatio voti ex ſola intentione vouentis poſſit non eſſe proportionata materiæ.
Cap. 5. De obligatione voti, de quo dubitatur, an ſit factum.
Cap. 6. De obligatione voti quoad valorem eius.
Cap. 7. Quomodo votum ſit interpretandum, quando non eſt de materia certa.
Cap. 8. Quomodo ſingulæ voti circumſtantiæ in eo non expreſſæ determinandæ ſint.
Cap. 9. An votum obliget tantum vouentem.
Cap. 10. Vtrum poſſit, vel teneatur aliquis votum ſuum per alium implere.
Cap. 11. Vtrum obligatio voto ipſo facto, vel iure tranſeat ad hæredes.
Cap. 12. Pro quo tempore votum obliget.
Cap. 13. An votum tempore aſſignato non impletum deſinat obligare.
Cap. 14. An qui non poteſt votum implere tempore definito teneatur anticipare tempus vt impleat.
Cap. 15. An qui non implet votum tempore præfixo ad compenſationem poſtea teneatur.
Cap. 16. Vtrum quæ ſiunt contra voti obligationem valida ſint.
Cap. 17. Vota conditionata, quando, & quomodo obligent.
Cap. 18. An ceſſante cauſa voti ceſſet eius obligatio.
Cap. 19. An ex mutatione materiæ ceſſet obligatio voti.
Cap. 20. Expediuntur duæ dubitationes.

LIBER QVARTVS, DE OBLIGATIONE VOTI.

DIXIMVS de natura, & eſſentia voti, & de cauſis, ac conditionibus ad illud requiſitis, conſequens eſt, vt de effectibus eius dicamus. Poſſumus autem duplicẽ effectum voti diſtinguere: vnus eſt obligare vouentem ad implendum, quod promiſit: alius eſt conſtituere vouentem in ſtatu, vel via perfectionis. Prior effectus eſt vniuerſalis, & quaſi intrinſecus, & proximus voti: & dici poteſt intrinſecus finis, & veluti effectus formalis, quia votum eſt veluti quoddam vinculũ, quod formaliter ligat, licet etiam dici poſsit quædam moralis efficientia intrinſeca voto, & ideo de hoc effectu in præſenti tractamus. Alius vero vel non eſt vniuerſalis omnibus votis, vel eſt extrinſecus, & remotus, & ideo poſt integram tractationem de Voto in communi, in ſequenti volumine ſpecialem diſputationem de illo inſtituemus. Ibique dicemus de alijs effectibus impediendi matrimonium, vel rerũ dominium, & alijs huiuſmodi, qui cum illo effectu cõiuncti ſunt. Circa voti autẽ obligationẽ oportet recolere, quod de iuramento promiſſorio diximus, in eo cõſiderari poſſe antecedentem, & ſequentẽ obligationem, vtraque enim in voto locũ habet. Antecedens dicitur, quæ ante votum eſt de ſeruando debito modo in vouendo, & hæc ſatis explicata eſt in ſuperioribus libris, & de peccatis, quæ in eius violatione committuntur, dicemus libro ſequenti. Obligatio autem conſequens dicitur, quæ per ipſum votum inducitur tanquã effectus eius: & de hac eſt ſermo in præſenti. Et quamuis explicatio huius obligationis vix poſsit ſeparari à culpis, & peccatis, quæ in illis committuntur: nihilominus minoris claritatis, & vtilitatis gratia, curabimus ea diſtinguere, & hic ſolam vim obligandi, & modum, ac circumſtantias eius declarare, de peccatis autem, quæ contra illam committuntur, in ſequenti libro dicemus.

CAPVT I.

Vtrum ex voto Deo facto obligatio in conſcientia oriatur?

FVit antiquus error, ex voto nullam oriri obligationem, quem retulit, & impugnauit D. Thomas Opuſc. 1. *Error antiquus de Voto. D. Thom.*

Opuſc.18.c.12. nam licet ſpecialiter referat hunc errorem circa votum ingrediẽdi Religionem, tamen motiua quæ refert generalia ſunt de omni voto, quę ad hoc reducuntur, quod melius eſt opus ſponte, quam ex obligatione factum. Atque in hoc errore ſunt etiam hæretici huius temporis, qui hac ratione vota contemnunt, ne obligationẽ eorum admittant, *Damaſc. Prateol.* quod de Lamperianis refert etiam Damaſcen. lib. de Hæreſ. & Prateolus verb. *Lamperiani*. Sed contra hunc errorẽ ſatis in principio, & fine libri primi diſputatum eſt, vbi oſtendimus, & actũ vouendi optimum eſſe, & à Deo conſuli, & opus ex illo factum, cæteris paribus, melius eſſe, quam ſine illo.

1. Aſſertio. Votum inducere obligationem in conſcientia de fide eſt.

2. Primo ergo de fide certum eſt, votum inducere obligationem in conſcientia, vt fiat, quod Deo promiſſum eſt. Ita docuit D. Thomas ſupra, & Quodlib. 3 art. 12. vbi dicit, oppoſitum eſſe hæreticum. Idem docuit ſine cenſura, 2.2.q.88.art.3.q.189.art.3.& conueniunt omnes Catholici, & antiqui Patres, quos erudite refert Bellarmin. lib.2.de Monach. c.16.& ſequent. Medin.lib.4.de Contin. Sacer. controuer.7. Et multa habentur in Decret.20.q.3. & 27.q.1.& 33.q.5. Eſt deniq; ſatis expreſſa hæc veritas in Scriptura in locis ſæpe citatis Pſal.75. *vouete & reddite, &c.* Vbi primum verbũ conſilij eſt, ſecundum obligationis, vt expendit Innocent. III. in cap. *Magnæ*, de Voto. Et ita eodem verbo explicatur hæc obligatio Deut. 23. Eccleſiaſtes 5. Et ſimile eſt illud Iob 22. *Rogabis Deum, & exaudiet te, & vota tua reddes*, Idemque optime confirmat illud Iſaiæ 19. *Vota vouent Domino, & ſoluent*, nam ſolutio reſpondet debito, & obligationi. Denique Leuit. 7. expreſſe diſtinguitur, *hoſtia ex voto, vel ſponte oblata*, vt ſignificetur id, quod ex voto offertur, non iam ex mera voluntate, ſed ex obligatione offerri.

D. Thom. Bellarm. Medin. Pſal 75. Innoc. III. Iob 22. Iſaia 19. Leuit. 7.

3. Ratione declarat Diuus Thom. ſupra hanc veritatem primo, quia inter homines promiſsiones bona fide factæ obligant: ergo & promiſsio Deo facta obligationem inducit. Quæ argumentatio eſt Auguſtini apud D.Thom. dicta q.189. art. 3. *Si inter homines* (inquit) *ſolent bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolui, quanto magis pollicitatio quã cum Deo pepigit ſolui ſine vindicta non poterit.* Quæ verba apud Auguſtinum reperire nõ potui: ſimilia vero habentur apud Leonem Papam Epiſt. 90 aliàs 92. ad Ruſtic. cap.14. *Si humana pacta non poſſunt impune calcari, quid eis manebit, qui corruperint fœdera Diuini Sacramenti?* Atque eodem recidit ratio, quam attingit Diuus Tho. dict. q. 88. ar. 3. *Quia homo maxime debet Deo fidelitatẽ, tum ratione dominij, tum ratione beneficij ſuſcepti, ideo maxime obligatur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta.* In qua ratione ſupponit implere votum ad fidelitatem pertinere, ſupponit etiam ſeruare fidelitatem eſſe per ſe bonum, & honeſtum, & debitum hominibus, ſicut loqui veritatem, quia eſt neceſſarium ad ſocietatem humanam, & ideo dicitur fides, qua fiunt dicta eſſe iuſtitiæ fundamentum à Cicerone lib. 1. de Officijs, & Ambroſ. lib.1. Offic. cap.29. & ideo lib. 2. cap. 48. ait, *omnibus eſſe ſeruandam*, ergo maxime Deo.

D. Thom. S. Leo. D.Thom. Cicero. Ambroſ.

4. Circa quam rationem occurrebat diſputatio, quę à Theologis hoc loco frequentius tractatur, an humana promiſsio, id eſt, quæ ab homine homini fit, obligationem in conſciẽtia inducat? Sed illam prætermittendam duxi, tum quia nec per ſe ſpectat ad locum præſentem, ſed in materia de Iuſtitia, & de Veritate tractanda eſt, aliquidque de illa attigimus in Opuſc. Relect.1. tum etiam, quia vt eſſe poteſt dubia, ad fundamentum huius rationis neceſſaria non eſt. Nam quod humana promiſsio honeſta, & acceptata in conſcientia obligationẽ inducat, ita certum eſt, vt non poſſit in dubitationem adduci. Nam ad minimum id pertinet ad veritatem humanam, quæ ſemper in dictis, & factis ſeruanda eſt, vt ſenſit Diuus Thomas dicto artic. 3. ad 1. & clarius quæſtion. 110. articulo 3. ad 5. & ſumitur ex Ambroſio ſupra, & ex Auguſtino Epiſtol. 19. circa medium, & lib. de Mendac. capit. 20. vbi fidem moralem ſub veritate concludit, & ideo etiam leges Ciuiles agnoſcunt in humana pollicitatione naturalẽ obligationẽ, quam omnino ſeruandam eſſe Iura Canonica decernunt, cap. 1. & 3. de Pactis. Hoc autem ſufficit ad fundamentum prædictæ rationis, ſiue promiſsio humana obliget ex fidelitate, ſiue ex iuſtitia, & ſiue obliget graui, aut leui obligatione, & ſiue ex illa naſcatur actio, ſiue non: nam hæ quæſtiones ad præſens non referunt. Satis enim eſt, quod obliget in conſcientia, vt inde à fortiori inferatur: votum in conſcientia obligare: in cæteris vero non ſunt comparandæ promiſsiones cum ea, quæ eſt ad Deum, altioris ſit rationis. Vnde obiter etiam conſtat, hanc veritatem de obligatione voti ratione naturali cognoſci potuiſſe, ſicut etiam à gentibus reſpectu ſuorum Deorum fuit agnita. Nam propterea *Voti reum* vocabant eum, qui promiſerat dijs, & non ſoluerat, vt eſt apud Macrob. lib.3. Saturnal. cap.2. & in Leg. ſecunda, ff. de Pollicitat. dicitur, *ſi quis rem aliquam vouerit, Voto obligatur.*

D. Thom. Auguſt. Macrob.

An Voti obligatio ſit ex iuſtitia?

5. Quæri vero poteſt circa voti obligationem, an dicenda ſit aliquo modo iuſtitiæ, eo modo, quo poteſt eſſe iuſtitia ad Deum, vel ſit ſolius veritatis, vel poſsit eſſe vtriuſque rationis? Et ratio dubitandi eſt, quia votum ſolum eſt quædam promiſsio ſimplex, ſeu pollicitatio Deo facta: at vero tota ratio promiſsionis quoad obligationem eius eſt, vt fiat verum, quod dictum eſt: ergo in hoc ſolo conſiſtit obligatio voti. Maior ſupponitur ex dictis in lib. 1. Minor probatur primo ex D. Thom. d. artic. 3. quæſtionis 88. vbi ait, ſoluere promiſſa ad fidelitatem pertinere: fidelitas autem non eſt niſi veritas, vt ſupponit in q. 80. & ſentit in eodem art. 3. adducens Auguſt. dicentem, fidem (id eſt, fidelitatem) dictam eſſe ex hoc, quod dicta fiunt. Et in his tantũ principijs fundat obligationẽ: & eodem fere diſcurſu vtitur d. q. 189. art. 3. & q. 89. art. 7. dicit, obligationẽ iuramenti promiſſorij ad hoc tendere, vt veritas dictorum adimpleatur: eadem autem ratio eſt de voto. Eandem doctrinam confirmat Caietan. 2. 2. q. 113. art. 1. vbi docet debitum faciendi, quod promiſſum eſt per ſe, ac formaliter ad veritatem pertinere, & ita ſentit de promiſsione homini facta: idẽ ergo erit de promiſſione facta Deo: nã quod locutio & opus ordinetur ad hanc, vel illam perſonam, non variat rationem formalem promiſsionis, aut veritatis, ſed ad ſummum inducit maiorem, vel minorem obligationem in illo ordine. Ratio addi poteſt, quia de ratione iuſtitiæ eſt, vt fundetur in iure alterius, ad quem eſt obligatio eiuſdem iuſtitiæ, ſed votum, & in vniuerſum promiſsio nõ fundat obligationem ſuam in iure promiſſarij, ſed in ſola veritate, ac fidelitate promittentis, ergo. Probatur minor, quia promiſsio nec ſupponit illud ius in alio, cum ſit mere liberalis, nec dat illud, quia non eſt donatio de præſenti, ſed ſola promiſsio de futuro.

D. Thom. Caietan.

6. In contrarium vero eſt primo: quia obligatio voti eſt obligatio Religionis, at Religio eſt pars iuſtitiæ, quatenus ad Deum eſſe poteſt, ergo. Secundo, quia aliàs obligatio non eſſet grauis, ſeu legalis, ſed eſſet leuis, ſeu moralis: conſequens eſt falſum, aliàs tranſgredi votum nõ eſſet ex ſuo genere peccatum mortale, quod eſſe omnino falſum, oſtendemus in principio libri ſequentis: ergo. Sequela patet, quia obligatio veritatis etiam reſpectu Dei, non eſt grauis. Vnde qui fictè, & ore tantum vouet, Deo mentitur, & nihilominus non peccat mortaliter: ergo idem eſſet in voto implendo, ſi eius obligatio tantum eſſet cuiuſdam veritatis faciendæ. Tertio, per votum acquiritur ſpeciale ius Deo, & ideo ex parte Dei requiritur acceptatio: nam ob hanc cauſam votum de re mala, vel impertinente non obligat, quia Deus illam

Digitized by Google

iam promiſsionem non acceptat: ergo ſignum eſt, acquiri per votum Deo aliquod ſpeciale ius. Nam veritas, quæ conſiſtit in ſola conformitate factorum cum dictis, non pendet ex acceptatione alterius.

7\. *2. Aſſertio. Votum inducit obligationem fidelitatis ad Deum, ac iuſtitiæ.* Pro huius dubij reſolutione dico ſecundo. Votum inducit obligationem fidelitatis ad Deum, quæ in ſe & veritatem, & cultum Deo debitum complectitur, & ideo & iuſtitiæ ad Deum, & veritatis dici poteſt. Primam principalem partem docet clare D. Thom. locis citatis, quem in hoc omnes Theologi ſequûtur. Et ſumitur ſufficienter ex verbis illis Pauli: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Vbi nomine fidei moralis fides, quæ alias fidelitas dicitur, intelligitur, vt ex communi Patrum expoſitione data in ſuperioribus conſtat. Et eandem partem probant omnia adducta in ratione dubitandi priori loco poſita. Nam implere promiſsionem cuicumque fiat, ad fidelitatem erga illum ſpectat: ergo obligatio ad promiſsionem implendam ex eadẽ fidelitate naſcitur, cuius eſt talis actus implendi promiſſum: nam vnaquæque virtus obligat ad actum ſuum, & vnumquodque præceptum tale eſt, qualis eſt materia in qua verſatur, & qualis eſt ratio virtutis in qua fundatur. Secunda vero pars aſſertionis, quæ eſt de veritate, ſufficienter oſtenditur ex adductis in eadem ratione dubitandi. Nam fidelitatis actus, qui eſt implere promiſsionem, eſt conſtitutiuus veritatis quaſi ex parte termini, & menſuræ ipſius veritatis. Sed obligatio voti ad hoc tendit, vt promiſsio Deo facta impleatur: ergo ad hoc tendit, vt veritas obſeruetur eo modo, quo implendo promiſsionem ſeruatur, ſcilicet ex parte termini, & menſuræ. Maior (cætera enim clara ſunt) declaratur: quia veritas formaliter eſt in dicto, ſeu promiſsione ipſa, quatenus conformitatem habet ad rem promiſſam, quam reſpicit vt terminum, à quo menſuratur.

8\. *Cõfirmatur aſſertio Ananiæ exẽplo. Act. 5.* Poteſtque hæc pars optime confirmari ex illis verbis Act. 5. vbi de Anania dicitur: *Defraudauit de pretio agri*, fraudem enim vocauit illam partis pretij occultationem, quia in violatione voti paupertatis, ſeu perfectionis Euangelicæ ſequendæ fiebat, & ideo paulo inferius dixit Petrus: *Non es mentitus hominibus ſed Deo*, nam promittere aliquid Deo, & non ſeruare, mentiri Deo eſt. *Greger.* Et ita exponit Greg. lib. 1. epiſt. 33. *Clem.* cap. *Ananias*, 17. q. 1. Et ſignificat Clem. epiſt. 5. in c. *Hieron.* *Dilectiſsimus* 12 q. 1. Tradunt Hieron. epiſt. 8 ad *Auguſt.* Demet. Auguſt. ſerm. 25. de Verbis Apoſtoli, & ſerm. *Lorin.* 12. de Diuer. & li. 3. de Mir. Sacræ Script. *Bellarm.* Et ibi expoſitores communiter, & alij Patres, quos ibi Lorin. indicat cum Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 20. qui bene ex contextu, & ex grauitate pœnæ id confirmant. Ex quo loco optime etiam comprobatur tertia pars aſſertionis, quia ideo Ananias dictus eſt mentiri Spiritui ſancto, & Deo, quia mendacium fecit, vel protulit Spiritui ſancto iniurioſum, & quaſi pernicioſum, quantum eſt ex parte frangentis votum: ergo contraria obligatio voti reſpicit impletionem veritatis promiſſæ, quatenus illa ſpectat ad reuerentiam, & cultum Deo debitum. Declarari etiam hoc poteſt ex leg. 1. de Pollicitat. vbi dicitur, quando aliquis ob honorem promittit, teneri ex pollicitatione, & in l. 3. dicitur: *Illud eſt conſtitutum, vt ſi ob honorem pollicitatio fuerit facta, quaſi debitum exigatur.* Votum autem eſt pollicitatio facta Deo ob honorem, & cultum eius: ergo id, quod voto promittitur, debitum Deo eſt per modum cultus, ſeu honoris.

9\. Vnde tandem explicari, & confirmari poteſt vltima pars concluſionis. Nam obſcurum videri poteſt, quomodo voti obligatio ſimul pertineat ad veritatem ſuſtinendam, & ad cultum Deo reddendũ, tanquam ex iuſtitia debitum eo modo, quo iuſtitia ad Deum eſſe poteſt: cum primũ videatur ad virtutem veritatis, ſeu fidelitatis pertinere: ſecundum autẽ ad virtutem Religionis, quæ ſunt diſtinctæ virtutes. Dicendum eſt ergo, quod ſicut promiſsio de ſe abſtrahit ab ea, quæ fit Deo, & homini, ita etiam veritas, quæ in promiſsione ſeruanda cernitur commune quid eſt. Rurſus in promiſsione illa conueniẽtia eſt quaſi generica: nam in illis membris honeſtates ſpecie diſtinctæ inueniuntur: quia prior ad Religionẽ, poſterior ad inferiorem virtutem ſpectat. Imo hæc poſterior poteſt ad plures virtutes pertinere: nam promiſsio ſi fiat homini in honorẽ, pertinet ad obſeruantiam: ſi propter beneficium pertinet ad gratitudinem: ſi ex mera liberalitate pertinet ad liberalitatem, vel miſericordiã, & interdum poterit etiam ad iuſtitiam pertinere, ſi ipſamet promiſsio aliquo titulo iuſtitiæ debita ſit. Vnde ſeruare veritatem in promiſsione implẽda, quæ fidelitas dicitur, officium eſt virtutis, non vnius ſpeciei, ſed generis continentis ſub ſe plures ſpecies honeſtatis, iuxta varios titulos, ex quibus officium illud debitum eſſe poteſt. Atque ita fidelitas diſtingui poteſt in fidelitatem ad Deum & ad homines: prior ſpectat ad cultum Dei: ſecunda ad alias rationes ſocietatis humanæ: quæ vlterius diſtingui poteſt in fidelitatem obſeruantiæ, gratitudinis, vel iuſtitiæ. Interdum vero debita eſſe poteſt ex ſolo titulo veritatis neceſſariæ ad ſocietatem humanam, & tunc pertinere cenſetur ad virtutem veritatis, iuxta doctrinam D. Thomæ locis citatis, & 2. 2. q. 109. art. 3. ad primum, & retinet fidelitatis nomen, quaſi applicato generico nomine ad ſpecificum membrum minus perfectum. *D. Thom.* Ita ergo obligatio voti includit obligationem ſeruandi veritatem quaſi genericam rationem, quæ per rationẽ cultus, & reuerentiæ debitæ Deo contrahitur ad veritatem Religioſam (vt ſic dicam) & ſic hæc obligatio ſimul eſt fidelitatis, & Religionis, quia fidelitas ad Deum Religio eſt, ſic gratiarum actio ad Deum Religio ſimul eſt. Et quia Religio eſt quodammodo iuſtitia ad Deum, ideo hæc obligatio iuſtitiæ etiam dici poteſt in ſenſu explicato.

10\. *Fit ſatis oppoſita ſententia. Ad primũ.* Neque huic reſolutioni obſtãt rationes in vtramque partem inductæ. Prima enim principalis ratio primo loco poſita, procedit ex æquiuocatione fidelitatis, ac ſi eſſet vna in ordine ad Deum & hominem ſecundum rationem ſpecificam, quod falſum eſt. Cum autem dicitur, non variari rationem promiſſionis propter hoc, quod fiat Deo, vel homini. Reſpondetur negando aſſumptũ, quia quidquid ſit de phyſica actione ſeu locutione intellectus, aut oris in ratione honeſti actus diſtinctã ſpecie rationem habent: & in voluntate ipſa volitio ſe obligãdi Deo, vel homini actus ſunt ſpecie diſtincti propter diuerſas honeſtates, quæ in obiectis inueniuntur. Vnde obligatio ad Deum & hominem non ſolũ differunt tanquam maior & minor intra eandem ſpeciem, ſed vt differentes in ſpecie. Nam obligatio ad Deum ſumit ſpecificam rationem ſuã ex Diuina excellẽtia ratione cuius debitum eius alterius rationis eſt, vt ſupra tract. 1. lib. 1. declarauimus. Et eodẽ modo licet veritas ipſa phyſice ſpectata, quatenus eſt, eſt ad modum cuiuſdã relationis, & conformitatis, poſsit eſſe eiuſdem ſpeciei: nihilominus debitum veritatis ſeruãdę reſpectu vnius & alterius poteſt eſſe ſpecie diuerſum, ex diuerſo titulo, in quo fundatur, & hoc debitum attendunt virtutes, quæ ſunt ad alterum, vt dicto etiã loco declaratum eſt. Vnde ad vltimã rationem in illo priori membro poſitã reſpondeo, illam habere locum in promiſsione alteri homini facta ex ſola libertate, & voluntate, in præſenti vero non recte applicari. Quia Deo debitus eſt honor, & reuerentia ex intrinſeco, & naturali iure. Et licet hoc debitum ex ſola rei natura non determinetur ad hunc actum, v. g. caſtitatem, quæ voto promitti poteſt, tamen poſtquam promiſſa eſt Deo, eo ipſo illud Diuinum ius requirit illum determinatũ actum, tanquam neceſſarium ad ſeruandã Diuinam reuerentiam. Itaque non homo confert Deo ius proprie loquendo, ſed quaſi determinat materiã illius cultus,

eam

Digitized by Google

eam promittendo, & illam determinationem Deus acceptat, & ſic reſultat tale debitum.

11. *Ad primum pro alia ſententia.* Ad primum alterius partis concedimus totum. Ad ſecundum negatur ſequela, de qua dicemus libro ſequenti. Ad probationem autem ſequelæ dicitur, falſum omnino eſſe, non eſſe grauem obligationem ſeruandi veritatem in factis, & dictis cum Deo ipſo, quia mentiri Deo ex genere ſuo eſt peccatum grauiſsimum, eſto, mentiri homini nõ ita graue cenſeatur. Quam differentiam ſatis profecto inſinuauit Petrus, dicens, *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Et ratio eſt clara, quia mentiri Deo contra reuerentiam illi debitam eſt, imo quendam eius contemptum includit, vnde in re graui peccatum mortale eſt, atque adeo ex genere ſuo eſt tale. Neq; inſtantia de illo, qui ficte vouet, eſt accommodata, quia ille, qui ſic mentitur, non Deo, ſed hominibus mentitur, imo ideo ſic fingit coram hominibus, ne Deo ipſi mentiri cogatur, vt infra lib. 5. latius explicabo. In tertio argumento petitur difficultas de acceptatione voti, quæ in ſequenti capite commodius tractabitur.

CAPVT II.

Vtrum in voti obligatione Dei acceptatio intercedat?

1. *Aliquorum opinatio in hac materia.* ALiqui exiſtimant huiuſmodi acceptationem, neque neceſſariam eſſe, neque poſsibilem. Non quidem neceſſariam, quia votum non eſt pactum cum Deo, ſed pura pollicitatio: nec vero eſſe poſsibilem, quia acceptatio dicit motum animi, qui in Deum cadere non poteſt, quia Deus non eſt capax accidentis, ſeu mutationis. Ita docuit ex Ripa, & Iacob. Nigro. Barbos. in Rubri. ff. Solut. matrimon. in 2. p. n. 93. & in L. 1. p. 3. n. 18. *Ripa. Nigro. Barbos.* Quod ſi obiiciatur, quia ſequitur, votum non inducere obligationẽ, quia ſola pollicitatio non acceptata non obligat L. 1. & 3. ff. de Pollicitat. reſpondent, hoc eſſe ſingulare in voto, vt obliget efficaciter, iuxta L. 2. eod. Licet ſit tantum pollicitatio, vt appellatur in c. *Scimus* 12. q. 1 vbi Gloſſa notat, ex nuda pollicitatione, quę fit Deo, oriri obligationem, & ſequitur Præpoſit. ibi. *Ca. Scimus.*

2. *Excluditur prædicta ſententia.* Sed hæc ſententia falſa eſt: nam acceptatio Dei in voto, poſsibilis eſt, & neceſſaria. Primum conſtat refutando contrariũ fundamentum, quod ſine dubio Theologicum non eſt. Nam acceptatio non eſt aliter motus animi, quàm intellectio, viſio, complacentia, & amor: certum eſt autem, Deum intelligere & videre noſtros actus, cum fiunt, & complacere in illis, ſi boni ſint ſine accidente, aut mutatione ſui: eodem ergo modo poteſt acceptare. Imo acceptare nihil aliud eſt, quam complacere in tali actu, & velle illum, vel de illo gaudere. Vnde nihil eſt frequentius in ore Theologorum, quã Deum acceptare hominum merita, & hæc manere ſemper in acceptatione Diuina. Imo in Scriptura etiam frequentiſsimũ eſt, aliquid eſſe acceptum, vel non acceptum, acceptabile, vel non acceptabile Deo. Vnde Pſal. 50. dicitur, *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ.* *Pſal. 50.* Cur ergo non acceptabit ſacrificium voti? Tandem argumentor ad hominem: quia ſi votum nõ poſſet acceptari à Deo, etiam traditio, vel donatio nõ poſſet à Deo acceptari, quia etiam requirit motum animi, conſequẽs autem eſt falſum, & contra eoſdem Authores. *Euaſio.* Dicunt tamen, Deum acceptare poſſe per hominem, non tamẽ per ſeipſum, & ita priori modo acceptare interdũ donationẽ, ſeu traditionem illi factã, ſed cõtra: *Occluditur effugium.* nam vnus homo nõ acceptat nomine alterius, niſi interueniente conſenſu principalis partis: ergo vt homo acceptet nomine Dei, neceſſarius eſt conſenſus Dei: at vero ille conſenſus eſt quidam animi motus: ergo iuxta illorum argumentationem non poteſt cadere in Deum. Vel ſi ille poteſt cadere in Deũ ſine nouo accidente, vel mutatione vlla, etiã poterit cadere immediatus conſenſus in promiſsionem ſibi factam ſine mutatione. Itaq; non poteſt dubitari de poſsibilitate. Cur autem Deus nõ acceptet immediate per ſeipſum donationes, ſeu traditiones, quæ illi fiunt, infra tractando de voto ſolemni à nobis explicabitur.

3. *Oſtenditur acceptationem eſſe in voto neceſſariam.* Secundum autem, ſcilicet acceptationem eſſe in voto neceſſariam, probatur: quia de ratione promiſſionis, cuicumq; fiat, eſt, vt includat conditionem, ſi res promiſſa promittenti placuerit: nam ſi diſpliceat, non tenet promiſsio, & hac ratione omnis promiſsio, etiam iurata deſinit obligare ad arbitriũ promiſſarij, quia ratione conditionis incluſæ pendet à voluntate eius, vt ſupra in materia de Iuramento ſæpe dictum eſt. Ergo etiam votum, quatenus promiſſio eſt, hanc includit conditionem, ergo vt votũ obliget, neceſſaria eſt acceptatio ex parte Dei. Probatur conſequentia, quia promiſsio conditionata non obligat, quamdiu conditio non eſt impleta, & ideo pollicitatio facta homini abſenti non obligat, ſaltẽ quoad rem promiſſam, donec alter ſciat, & acceptet: ita ergo nõ obligabit pollicitatio ad Deũ, ſi Deus illam non acceptet. Et quamuis vera eſſet opinio dicentiũ, pollicitationem homini abſenti factam, obligare ſaltem ad non retrocedendum, donec alteri notificetur, & ille poſsit conſentire, vel diſſentire: hoc non habebit locum in Deo, quia ille non eſt abſens, ſed ſtatim agnoſcit noſtra vota: vnde ſi ſtatim non acceptat, nec ſpectanda eſt reuelatio acceptationis. Neceſſe eſt ergo dicere, Deum acceptare votũ, quoties tale eſt, vt obligare poſsit. De qua acceptatione ſatis nobis conſtat per Scripturas, tum quia ipſe reuelauit ſe velle, vt talia vota impleantur, illa enim voluntas eſt acceptatio voti: tum etiam quia vota obligantia ſemper ſunt de meliori bono, & de conſilijs, & ipſa etiam vota ſunt in conſilio: ſcimus autem ex fide, opera conſilij accepta eſſe Deo, & ita votum acceptari à Deo. Et hanc doctrinam ſupponunt omnes Theologi. Imo D. Thomas quæſt. 88. art. 2. ait, *Vana eſſet promiſsio, ſi aliquis alicui promitteret id, quod ei non eſſet acceptum*, & loquitur de promiſsione, vt votum includit: nam inde infert, neceſſarium eſſe, vt voti materia ſit Deo accepta. *D. Thom.*

4. *Nõ eſſe pollicitationem purã votum Deo factum. Panorm.* Ex quibus infero, votum, vt fit Deo, non eſſe pollicitationem puram, qualis definitur in l. 3. ff. de Pollicit. quod ſit *offerẽtis ſolius promiſſum*, ſed eſſe per modum pacti cum Deo: nam includit conſenſum eius, & acceptationem, & ita conſummatur ratio pacti, ſuppoſita voluntate vouentis: *Nam pactum eſt duorum conſenſus, & conuentio*, vt dicitur in eadem l. 3. & in l. 1. ff. de Pactis. Vbi Fortun. id explicat in votis num. 12. & attigit breuiter Panormit. in cap. *Ex parte*, de Cenſib. Not. 1. dicens, votum fieri Deo, quia vbique præſens eſt, & intelligitur illud recipere, & ideo efficaciter obligare. Sentit ergo in voto intercedere pactum cũ Deo. Imo addere poſſumus eſſe pactum non omnino nudum, ſed veſtitum authoritate Diuina, & ideo merito non ſolum petere obligationem, ſed etiam dare actionem, vt poſsit per Eccleſiã quis cogi ad votum implendum. Si enim promiſsio humana iurata veſtita dicitur, & nõ nuda, & ideo actionẽ dare, magis id dici poteſt de voto, quod fortius vinculum eſt & eminenter continet promiſsionem hominis, & Diuinam authoritatẽ, & acceptationem. Propter quod loquẽs de voto dixit Amb. li. 9. in Luc. circa c. 20. *Maior eſt contractus fidei quam pecuniæ.* *Ambroſ.*

5. *Explicatur Cap. Scimus.* Neq; contra hoc obſtat d. c. *Scimus*, 12. q. 1. vbi votum pollicitatio vocatur: reſponderi enim poteſt, ibi eſſe ſermonem de voto reali, quo fideles volentes vitam communem agere, vouebant ſua bona Eccleſijs: hoc autem votũ, licet reſpectu Dei ſit pactum, reſpectu Eccleſiæ eſt pollicitatio, & idem eſt de voto dandi pauperi eleemoſynam. Et hanc interpretationem indicauit Panorm. ſupra: infert enim inde, ex ſimplici pollicitatione facta Eccleſiæ poſſe aliquem compel-

Digitized by Google

eo compelli ad executionem, quia illa eſt votū: & ad hoc allegat dictum c. *Scimus*, cum Gloſ. At vero in illo textu ſatis explicatur, pollicitationem illam Deo fieri, nam ſtatim ſubdit. *Quod Domino eſt pollicitus, fideliter cuſtodiat.* Quare dico, non eſſe vim faciendam in verbo pollicitandi, vel pollicitationis: nam ſæpe confunduntur cum verbo promittendi, & promiſſionis, & in rigore Latino idem ſignificant. Et in cōmuni vſu ſæpe dicitur nuda promiſsio, vel pollicitatio, etiamſi acceptata ſit, & ita exiſtimo ſumi in illo textu pro promiſsione, nec eſſe aliquod myſteriū in vocabulo. Nec denique contra neceſsitatem acceptationis obſtat tertia obiectio ſupra facta, quia veritas promiſsionis eſt conditionata, ſi promiſſario placuerit promiſſum, & ideo, vt impleri debeat, conditionis implementum, atq; adeo acceptatio neceſſaria eſt. Quomodo autem, illa poſita, ſpeciale ius Deo acquiratur, iam explicatum eſt.

CAPVT III.

Quam grauis ſit obligatio voti.

1. *Voti obligationem grauem eſſe oſtenditur.*

PRimo certum eſt, hanc voti obligationem ex ſuo genere grauem eſſe. Probatur, quia hæc obligatio naſcitur ex illo præcepto Diuino, ac naturali, *Redde Domino vota tua*: hoc autem præceptum grauiſsimum eſt, ex ſuo genere. Tum quia pertinet ad primum, vel ſecundum præceptum primæ tabulæ, vt infra dicemus, tum etiam, quia pertinet ad grauē virtutem, vt eſt Religio, & de ſe habet grauem materiam, vt eſt Diuinus honor, & fidelitas illi debita. Deniq; illa obligatio grauis dicitur, in cuius tranſgreſsione Diuina charitas violatur, & peccatū mortale committitur, ſed ita fit in trāſgreſsione voti: ergo. Minor probabitur late lib. ſequenti cap. 2. nam grauitas obligationis, & grauitas trāſgreſsionis quaſi correlatiue ſe habent, & ibi vtramque ex profeſſo confirmabimus.

2. *Vnde colligatur grauitas obligationis in voto.*

Secundo certum eſt, ex natura rei loquendo, tunc maxime hāc obligationem eſſe grauem, quando eſt de actu, ſeu materia graui. Hoc conſtat ex generali regula legum, tunc enim grauiter obligant in re ipſa, & in particulari, quando ſimpliciter feruntur circa materiam grauem: & ſimiliter peccatum, quod eſt mortale ex genere, tunc in re ſeu in indiuiduo tale eſt, quando verſatur circa materiam grauem. Idem ergo eſt cum proportione in hac voti obligatione. & idem dicemus poſtea de voti trāſgreſsione. Hic vero ſtatim occurrebat interrogandum, an hæc obligatio ſit grauis in omni materia, ſiue totali, ſiue partiali, cuiuſcūque qualitatis ſit, vel quomodo diſcernenda ſit eius grauitas ex parte materiæ: ſed hæc tractabuntur commodius in ſequenti libro, vbi videbimus, an tranſgreſsio voti in leui materia peccatum mortale ſit? Hic ergo ſolum per aliquas comparationes inquiri poteſt, quam grauis ſit hæc voti obligatio vna eſt, an ſit maior, quam obligatio iuramenti, ſed tractata eſt in tract. 5. lib. 2. capit. 3.

3.

Alia ergo comparatio eſt voti ad legem, An ſcilicet obligatio voti maior ſit, quam obligatio præcepti Diuini, vel humani? Et vt poſsit comparatio procedere, debet fieri circa eādem materiam, & per ſe loquendo ex vi talium vinculorum. Nam ſi comparatio fiat abſolute, vel in diuerſis materijs, nihil certū reſponderi poteſt: quia obligatio credendi res fidei, vel amandi Deum ſuper omnia maior eſt, quam obligatio ſeruandi votum caſtitatis: & è conuerſo votum caſtitatis magis obligat, quam præceptum ieiunandi, verbi gratia, vel quid ſimile. Debet ergo cōparatio fieri in eadem materia, vt verbi gratia, inter votum ieiunandi, & præceptum Eccleſiaſticum de eodem actu, quod illorum magis obliget, idem de præcepto naturali, & voto dandi eleemoſynā. Quam comparationem attigit Gerſon. 3. par. tract. de Statu

An voti obligatio ſit maior, præcepti Diuini, aut humano.

perfect. Alphab. 67. littera S. Et præfert obligationem præcepti præſertim Diuini. Idem tenet Aug. in Moralibus c. 9. in fine, vbi dicit obligationem Diuini præcepti, atque etiam Eccleſiaſtici ſuperare obligationem voti, cuius nullam rationem adducit, ſed ſupponit deteriorem eſſe tranſgreſsionem præcepti, quam voti, in quo eſt eadem difficultas, & eadē ratio deſideratur. Ratio ergo eſſe poteſt, quia circa eandem materiam magis videtur obligare maior poteſtas, & ſuperior voluntas, ſed præceptum eſt à voluntate Superiorum, votum à propria, ergo magis obligat præceptum.

Aliquorum hac de re ſententia pro negatiua parte.

Soto.

Idem ſentit Soto lib. 7. de Iuſt. q. 2. artic. 1. in corpor. vbi à legis obligatione ad obligationem voti argumentatur, quod ſicut prior non eſt grauis in materia leui, ita nec poſterior. Et vt hanc conſequentiā probet, adiungit, *Cum votum ſit quadam priuata lex non aliter obligare poſſe, quam ſi lex eſſet ab Eccleſia, vel a Deo ipſo poſita. Imo vrgentior videtur legis Eccleſiaſticæ, quam voti.* Idem ſentit Cordub. in Sum. quæſt. 188. qui ſolum negatiue loquitur, dicens, votum non plus obligare, quam obliget lex à Deo, vel Eccleſia in eadem materia poſita. Eandem vero quæſtionem obiter attingens Alberic. tract. de Statutis lib. 2. qu. 198. num. 9. abſolute dicit, votum magis eſſe obligatorium, quam Superioris ſtatutum. Argumento (inquit) c. *Qui bona* 17 q. 1. & quia quæcumque poſſunt præcipi ſecundum naturam, poſſunt voueri, & non è contra, ſicut dixit Ambr. in exhortatione ad Virg. integritatem Virginum rem eſſe magis conſilij, quā præcepti cap. *Integritas* 32. quæſt. 1.

Cordub.

Alberic.

Ambroſ.

4. *Excluditur prædicta ſententia vniuerſaliter ſumpta.*

Prior vero ſententia non videtur poſſe vniuerſaliter defendi, nec habere firmum fundamentum. Primum patet, quia ſæpe lex naturalis obligat circa materiam aliquam tantum ſub veniali, & votū circa eandem obligabit ſub mortali, vt Soto eodem loco fatetur. Vt verbi gratia, ludere decem aureos in tali perſona ex vi legis naturalis poteſt eſſe tantū veniale peccatum, & tamen ſi votū fiat non ludendi in tanta quantitate, obligabit ſub mortali, extra omnē cōtrouerſiam. Et ſimilia exēpla erūt facilia, igitur poteſt votū inducere obligationē ſub mortali, vbi lex naturalis ſolum ſub veniali illam imponebat. Ergo eadem ratione, licet lex naturalis in aliqua materia imponat obligationem ſub mortali, poterit votum maiorem inducere, eſt enim eadem ratio. Quod ſi hoc inuenimus in lege naturali, eadē ratione inueniri poterit in lege poſitiua tā Diuina, quā humana. Ratio autem à priori reddi poteſt, quia obligatio legis tam naturalis, quam poſitiuæ eſt accommodata materiæ, & ideo ſæpe pertinet ad inferiorem virtutem, vt temperantiæ verbi gratia: votū autem addit obligationem altioris rationis, nimirum Religionis, quæ ex ſuo genere maior eſt, quam obligatio inferioris virtutis. Et hac ratione ſiquis habeat votū ieiunandi in vigilia Aſſumptionis v. g. ſi non ieiunet, cū duo peccata cōmittat, grauius videtur peccare contra votū, quā cōtra præceptū, quia prius peccatū eſt cōtra Religionē, & contra fidelitatem debitā Deo formaliter ac ſpecifice: poſterius autem peccatum eſt contra tēperantiam formaliter contra obedientiā autem eſt tantum materialiter & generice, quod etiam habet peccatum contra votum.

5.

Vnde etiam deficere videtur fundamentum prioris ſententiæ, nam licet votū dicatur lex eſt per quādam imitationem, non per proprietatē, & veritatē, quia obligatio voti, licet ab ipſo originē habeat tanquam à conſtituente (vt ſic dicam) proximā materiā naturalis præcepti, proxime tamen obligatio in conſcientia eſt à lege Diuina, & naturali præcipiente ſoluere Deo promiſſa, quod etiam præcipit Eccleſia: ergo ſimpliciter poteſt eſſe maior. Nam quod illud præceptum ſeruandi vota tale ſit, vt non applicetur, nec obliget, niſi interueniente prius voluntate hominis volentis vouere: hoc non obſtat, quia po-

ſita illa promiſsione hominis, obligatio illius præcepti ſit maior, quam alia, quæ homini imponitur ſine præuia aliqua voluntate eius, quia poſita illa voluntate hominis, & facta tali mutatione in materia poteſt illa eſſe capax melioris obligationis. Vt ego non teneor alteri ex iuſtitia dare eleemoſynam, & poſſum teneri ex præcepto miſericordiæ, & tamen ſi promiſi ex vero pacto, teneor ex iuſtitia, quæ maior eſt, quam miſericordiæ, etiamſi ad illam voluntas libera promittendi ſupponatur. Et ſi addatur iuramentum, erit maior obligatio, licet iuramentum etiam voluntarium ſit: ergo idem eſſe poterit in voto.

6\. *Neque etiā probatur regula generalis oppoſita primæ ſententiæ.*

Propter hæc ergo non cenſeo poſſe illam regulā generalem aſsignari, vt circa eādem materiam plus obliget præceptum Eccleſiæ, vel etiam Dei, quā votum. Et ob eandem cauſam non ſoleo vti illa argumentandi ratione à lege ad votum, quaſi ſupponendo non eſſe maiorem obligationem voti, quam legis, quia re vera non ſemper ita eſt, & ita argumentatio non poteſt eſſe ſolida, & formalis. Addo vero, nec etiam contrariam regulā poſſe eſſe generalem, vt magis obliget votum circa eandem materiā, quā præceptum: nam licet quis voueat non apoſtatare à fide, vel non ſacrificare idolo, magis obligat ipſum præceptum fidei, vel latriæ ſoli Deo debitæ ad nō recedendum à fide, vel non colenda idola, quam votū, quia eſt obligatio altioris virtutis, vel rationis. Neque etiamſi cōparatio fiat cum lege humana, vel cum ſtatuto apparet ſufficiens ratio, vt generalem ſententiam proferamus, magis obligare votū, quam ſtatutum, cum maior ſit obedientia, quam victima, & per ſtatutum poteſt aliquādo præcipi actus ſub ratione virtutis æqualis, & cum maiori poteſtate. Nec motiua Alberici ſunt alicuius momēti. Nam c. *Qui bona*, nihil de præſenti cōparatione continet, ſed ſolū de conſtantia in bonis propoſitis habenda, & de voti obligatione. Quod vero omnis materia præcepti, ſit etiam materia voti, & non è contrario, ſolum probat obligationem voti extenſiue eſſe maiorem, id eſt, ad plura extendi, quod ex eo prouenit, quod magis voluntarie ſuſcipitur, nō ex eo, quod intēſiue maior ſit.

7\. *Quando eſt maior obligatio præcepti, quam voti.*

Igitur diſtinctione opus eſt, quæ ex honeſtate actus præcepti ſumenda videtur: nam ſi actus ſecundum ſe, & præceptum, quod de illo datur, ſit altioris virtutis, & honeſtatis, quam votum, tunc maior erit obligatio præcepti ex ſuo genere, quā voti, & ita præcepta fidei, ſpei, & charitatis ex ſuo genere magis obligant, quam vota de eiſdem actibus, quando videlicet ſimul cadunt in eundem actum: nam votum fieri poteſt etiam de actibus non præceptis talium virtutum: & tunc nulla eſt comparatio reſpectu eiuſdem actus, poteſt tamen eſſe inter diuerſos actus, vt v. g. inter actum amoris Dei, qui hic, & nunc cadit ſub præceptum charitatis, & ſimilem actum amoris non præceptum, neque debitum niſi ratione voti. Nam tunc priorem omiſsionem cenſeo eſſe grauiorem, & conſequēter etiam obligationem, quia eſt de eadem materia, & ſub altiori ratione: altior enim eſt ratio, & neceſsitas, quæ ex ipſamet charitate naſcitur, quā quæ oritur ex voto. Et idem dico de fide, & ſpe.

8\. *Quando eſt maior obligatio voti, quam præcepti.*

At vero ſi materia voti ſit inferioris rationis, & conſequenter præceptum pertineat ad virtutem aliquam inferiorem Religione, vt ad temperantiam, miſericordiam &cæt. exiſtimo per ſe, & ex ſuo genere eſſe maiorem obligationem voti, quam ſit obligatio præcepti poſitiui, vel naturalis. Nam illa accommodatur tali materiæ, & manet ſub inferiori virtute. Vt in actu temperantiæ maior erit obligatio, quæ naſcitur ex reſpectu ad honorem Deo debitum, quam quæ naſcitur ex reſpectu ad mediocritatem temperantiæ, & ſic de alijs. Et hoc mihi probant rationes factæ. Solum in hoc aduerto, interdum præferri obligationem iuſtitiæ obligationi voti, nō quia maior ſit, ſed quia materia obnoxia obligationi iuſtitiæ ſit incapax obligationis voti ſibi repugnantis, quia Deus non vult ſibi offerri de alienis bonis, nec vult coli cum iniuria proximi. Suppoſitā autem debita materia voti, eiuſq; obligatione maior ſine dubio, eſt ex ſuo genere, quam obligatio iuſtitiæ propter rationē factam, & quia præcepta iuſtitiæ ſæpe nō obligant, niſi præcedente aliquo conſenſu voluntatis humanæ. In quo quandam habent conuenientiā cum obligatione voti, & in reliquis ſunt inferiora, vt ſiquis promiſit dotem virgini pauperi cum obligatione iuſtitiæ, & vouit Deo promiſſum illud implere, magis ex voto, quam ex promiſsione humana obligatur.

9\. *Quando ſit maior obligatio voti, an præcepti, quādo ſunt in eadē virtute Religionis.*

Denique ſæpe contingit, vt materia voti ſecundū ſe ſpectet ad virtutem Religionis, & cadat ſub præceptū eius, vt patet in voto audiendi Miſſam in die feſto, vel communicandi in Paſchate. Et tunc regulariter fortaſſe maior eſt obligatio præcepti. Tamen etiam tunc cenſeo eſſe expendendam materiæ grauitatem: nam in illo ordine quædam ſunt præcepta grauiſsima, vt ſuſcipiendi baptiſmum, & Euchariſtiā, & ſimilia. & de his cēſeo, grauius obligare quam vota de ijſdem actibus: alia vero ſunt præcepta Religionis, quæ non continent tam grauem Dei cultum, & honorem, ſicut in ſeruanda Deo fidelitate inuenitur, & in his eſſe poterit maior obligatio voti, quam præcepti. Vt in præcepto attente orandi magis obligabit votum, ſi de recitando ſit factum, quam naturale præceptum Religionis: nam ſiquis orans ex voto, nō attendat, peccabit mortaliter in aliqua materia, in qua ex vi naturalis præcepti recitare ſine attentione eſſet tantum veniale peccatum. Interdum vero cenſeo eſſe incertum exceſſum, vt in onere recitandi officium Canonicum ex voto, vel ex præcepto Religionis, aut iuſtitiæ, vt in beneficiato, non eſt facile diſcernere, quæ obligatio ſit maior: licet extenſiue conſtet augeri obligationem, quando plures ex his titulis coniunguntur, & in obligatione reſtituendi obligationem iuſtitiæ ſuperare. Sed de hac comparatione hæc videntur ſufficere.

Capvt IV.

Vtrum obligatio voti ex intentione vouentis poſſit non eſſe proportionata materiæ eiuſdem voti?

1\. IN hoc puncto duæ poſſunt fieri comparationes: prima ac præcipua eſt, vtrum votum in materia graui poſsit leuiter, ſeu ſub veniali obligare, quia vouens non vult amplius obligari? Secunda eſt, an è conuerſo poſsit vouens efficaciter ſe obligare grauiter, ſeu ſub mortali in materia leui, quæ de ſe ad talem obligationem non ſufficeret? Hic de priori puncto præcipue tractamus: in fine vero aliquid de ſecundo attingemus.

2\. *An votū in materia graui poſſit tantum ſub veniali obligare? 1. Sententia. Caſtro. Nauar. Sanc. Henr.*

In prima ergo parte duæ ſunt opiniones. Prima dicit eſſe hoc in vouentis poteſtate: nā licet quis votum faciat de ſeruanda caſtitate, ſi faciat cum hac limitatione, quod nō intendit ſe obligare, niſi ſub veniali culpa, votū non grauius obligabit. Pro hac ſententia referri poſſunt omnes qui de lege ita ſentiunt: nam de lege ad votum optimū ſumitur argumentum: ita vero de lege ſentiunt Caſtro lib. 1. de Leg. pœn. cap. 5. docet 4. & Nauar. in Manu. cap. 23. num. 49. & alij. In terminis vero de voto id tradit Sanc. lib. 1. de Sponſ. diſp. 9 dub. 1. num. 6. & ſatis indicat nō inueniſſe alios authores, quia ſolū inducit Henr. eo quod lib. 1. de Pœnit. cap. 21. num. 5. dixerit, poſſe fieri votum non obligans ad culpam, ſed ad ſolā pœnam ex intentione vouētis. Ex quo poteſt prima ratio confici: nam ſi vouens intendat nō ſe obligare ad culpam, ſed ad ſolā pœnam, id efficaciter facit. ergo

ſi intendat ſe obligare ad venialem culpam, & non ad mortalem, id faciet efficacius, quia facilius videtur minuere culpam, quã omnino auferre, & commutare in pœnam. Secundo, legiſlator poteſt imperare in materia graui, obligando tantum ſub veniali pro ſuo arbitrio, & intentione: ſed votũ eſt quædam lex priuata: ergo idem poterit facere vouẽs, dum ſibi talem legem imponit. Tertio, licet obligatio ſit de eſſentia voti, vel inſeparabilis ab illo, tamẽ obligatio ſub mortali non eſt de eſſentia, neq; eſt cur ſit omnino inſeparabilis: ergo per intentionem vouentis poterit minui illa obligatio.

2. *2. Sententia.* Secunda opinio eſt, ſi materia voti eſt capax obligationis ſub mortali, non eſſe in poteſtate vouentis verum votum emittere, & ſua intentione illud limitare, vt ad veniale obliget, & non ad mortale. Ita *Soto.* ſentit Soto lib.7. de Iuſt. quæſt. 2. artic.1. in corporis fine, ſic enim ait: *Non eſt in vouentis arbitrio ſitum, ſub reatu ſe mortali, aut veniali obligare, ſed culpæ qualitas ex quantitate, & neceſſitate obiecti perpendenda eſt.* Idem *Cordub. Va, q.* ſentit Cordub. in Summ. Hiſpana quæſtione 188 in puncto 1. Clarius loquitur Vaſquez 1.2. diſp. 158. c. 4. num. 34. vbi hoc late docet de lege, & inde infert idem de iuramento, & voto. Ratio huius ſententiæ videtur eſſe, quia licet in voluntate vouentis ſit promittere, vel non promittere talem rem, tamen facta promiſſione, non eſt in poteſtate illius obligatio, nec naſcitur proprie ex ipſius voluntate, ſed ex illa lege Diuina, ac naturali, *Redde Domino vota tua*: ſed illa lex obligat grauiter ex genere ſuo: ergo in materia graui neceſſario obligat grauiter, & ſub mortali, vnde ſicut non eſt in poteſtate vouentis, ſtante voto, limitare legem illam: ita non eſt in eius facultate facere, vt illa obligatio non ſit ſub mortali. Vnde argumentor ſecundo: quia vel votum factum cum illa intentione eſt verum votum, vel non. Si eſt verum votum, regulandum eſt quoad obligationem per illam legem Diuinam, & non per aliam intentionem vouentis: ſi autem non eſt verum votum, nullam inducet obligationem, ſed erit alius actus imperfectus, & extra quæſtionem, quam tractamus.

3. Tertio: non eſt in poteſtate iurantis promiſſionẽ grauem, velle iurare, & non grauiter obligari, etiamſi velit: ergo nec eſt in poteſtate vouentis quippiam ſimile, ſeruata proportione. Quarto, non eſt in poteſtate vouentis nolle obligari, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: ergo neque eſt in eius poteſtate minus obligari, quam votũ natura ſua poſtulet. Patet conſequentia, quia ſicut obligatio eſt intrinſeca voto, ita talis, ac tanta obligatio tali ac tanto voto. Confirm. quia ſi vouens ſimpliciter velit promittere Deo talem rem grauem, nullam faciendo reflexionem, nec formalem intentionem de obligatione ad veniale, vel ad mortale, manet obligatus ad mortale, ſecundum omnes: ergo ſignum eſt, talem obligationẽ in tali gradu, ſequi ex tali promiſſione ex ipſa Diuina lege, & naturali: ergo non poteſt per hominem diminui. Quinto: quia aliàs eſſet in poteſtate hominis facere votum caſtitatis, & ſolum obligari ad veniale: imo & facere votum ſolemne cum intẽtione ſe obligandi tantum ad veniale, & contrahere ſponſalia cum ſimili intentione, & ſic de alijs contractibus, etiam de ipſo matrimonio, & in omnibus ſolum obligari ad veniale: hæc autem omnia ſunt plane abſurda, & contra Eccleſiæ intentionem: ergo.

4. *1 Aſſertio. Qui vouet, & non habet intentionem ſe obligandi ad peccatũ mortale, nõ manet ita obligatus.* Vt declarem, quid in hac re ſentiam. Dico primo: Si quis eum fouet, habet intentionem non ſe obligandi ſub peccato mortali, non manet ita obligatus. In hoc ſentio cum priori ſententia. Et idem ſentio de præcepto dato à Superiore cum eadem intentione in quacumq; materia, vt in materia de Legibus dicam, & argumentum inde factum videtur eſſe efficax. Poſſet tamen reſponderi, non eſſe omnino eandem rationẽ, quia magis Diuina ac naturalis eſt obligatio voti, quam legis humanæ: quia in lege humana obligatio in conſcientia immediate eſt ab illa, & à voluntate Superioris, quæ eſt immediata ratio obligationis, quia obligatio legis humanæ poſitiua eſt, & non naturalis, niſi remote, & in radice: at vero obligatio voti, licet ſupponat voluntatem hominis, nihilominus quatenus eſt obligatio in conſcientia, immediate eſt ab ipſo iure Diuino, quia homo non habet iuriſdictionem in ſe ipſum, ſicut Prælatus habet in ſubditum: ſed habet homo poteſtatem quaſi donãdi ſe, vel res, aut actiones ſuas: promiſſio enim eſt quædam veluti inchoata donatio. Nam vt dixit D. Thom. d. q. 88. artic 5. ad 2. *Qui promittit, in quantum ſe obligat ad dandum, iam quodammodo dat.* *D.Thom.* Suppoſita vero promiſſione, quæ eſt quid facti, vt ſic dicam, ius ipſum naturale obligat in conſcientia ad votum implendum, & ideo minus videtur poſſe hanc obligationem per voluntatẽ vouentis limitari. Sed nihilominus quoad negationem illam nõ ſe obligandi ad mortale, videtur eſſe eadem ratio. Primo, quia obligatio voti ſaltem in hoc conuenit cum obligatione *Occluditur euaſio.* legis humanæ, quod vtraq; introducitur per voluntatem hominis: ergo tã impoſſibile eſt in voto, quã in lege, vt obliget contra intentionẽ vouentis: ergo ſi vouẽs intẽdit non ſe obligare ad mortale, obligari nõ põt per votũ. Vnde, licet in voto diſtingui poſſit quaſi obligatio facti ex parte volũtatis propriæ, & obligatio iuris ex naturali lege, nihilominus hæc poſterior ſupponit primã: ergo ſi homo de facto non vult ita grauiter obligari, non poteſt ius naturale per ſeipſum immediate illum obligare. Denique hic etiam habet locum illud axioma, actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, ſed hæc obligatio voti eſt ex morali actu hominis: ergo non poteſt excedere intentionem eius.

Secundò, ac præcipue argumentor in hunc modum: quia vel eſt poſſibile vouere in tali materia, nõ ſe obligando ſub mortali, vel id eſt impoſſibile homini. Si primũ eſt poſſibile: ergo tunc maxime fiet, quando vouens intendit vtrumq;, & expreſſe ponit illam limitationem in voto ſuo, quia ſicut votum eſt homini voluntarium, ita conditiones poſſibiles, in quibus poteſt recipere variationem, ex eius intentione pendent, vt in ſimili dixit D. Thomas dicta q. 88. artic. 3. ad 3. *D.Thom.* Neque ille modus voti, ſi poſſibilis eſt, aliter poteſt reduci ad actum, quam per hominis voluntatem, & intentionem, & ita habemus, quod intendimus. Si vero dicatur ſecundum, ſcilicet talem modũ voti eſſe impoſſibilem, (quo magis tendunt rationes ſecundæ ſententiæ) ſic etiam ſequitur, ex tali modo vouendi non ſequi obligationem ad mortale, quia cum illa intentione non ſit verum votum. Probatur hoc, quia qui ſic vouet, ſolum intendit circa talem materiam facere votum obligans ad veniale, & nõ ad mortale, ſed tale votum eſt impoſſibile, vt dicitur: ergo intendit votum impoſſibile: ergo nihil facit, & conſequenter neq; obligationem inducit. Confirmatur, quia ſi quis voueat animo, & intentione non ſe obligandi, non obligatur, quia re vera non vouet, ſed voce tantum, quia intendit votum non obligans, quod repugnat, & non eſt votum, vt in primo lib. dictũ eſt: ergo qui ſimiliter tale votum facere intendit, dummodo non obliget ad mortale, vult votum impoſſibile, vel ſub conditione impoſſibili, & conſequenter non vouet. Et tandem explicatur, quia vel vouens ſcit conditionẽ talis voti in tali materia, quæ eſt, vt ſi vere fiat, neceſſario obligaturum ſit ad mortale, vel talem conditionem ignorat, & putat manẽte voto, eſſe ab illo ſeparabilem obligationẽ, cum tamen id ſit impoſſibile, vt ſupponitur. In priori caſu impoſſibile eſt, ſimul coniungi voluntatem ſic vouendi cũ abſoluta intentione non ſe obligandi iuxta conditionem talis voti, quia illæ voluntates ſunt contrariæ, & de obiectis inuoluentibus contradictionem: ergo, ſecluſa ignorantia, non poſ-

poſſunt ſimul coniungi. Si autem ignorantia interuenit, illamet impedit, ne quis obligetur contra voluntatem ſuam: tum quia ignorãtia cauſat inuoluntarium, præſertim quando eſt de conditione adeo ſubſtantiali, tum etiam quia illa voluntas non ſe obligandi ad mortale, eſt æque abſoluta, ac altera voluntas promittendi, ergo æque reſiſtet, ne votũ validum, & ſic obligans fiat. Qui diſcurſus ex dictis in lib. 1. c. 3. locupletari, & vrgeri poteſt.

6. *2. Aſſertio. Votum factum de re graui cũ intentione non ſe obligandi ſub mortali inualidum eſſe, probabile eſt.* Dico ſecundo: Non eſt improbabile, votum factum de re graui cum intentione non ſe obligandi ſub mortali culpa, prorſus inualidum eſſe, ac ſubinde nihil obligare in conſcientia; probabilius tamen eſt, eſſe aliquale votum inducens obligationem ſub veniali iuxta intentionem vouentis. Non inuenio priorem partem expreſſe aſſertam ab aliquo Authore; nam qui admittunt, tale votum non obligare ad mortale, fatentur obligare ſub veniali, ſi vouens id etiam non excludat expreſſe. Alij vero, qui putant non poſſe obligare tantum ad veniale, fatentur eſſe validum, & obligare ad mortale. Nihilominus ſi ponderetur præcipuum fundamentum poſterioris ſententiæ, ſolum tendit ad perſuadendam illam partem negatiuam, ſcilicet illud votum nõ poſſe obligare ad veniale tantum, non tamen probat alteram affirmatiuam, quam ſupponit, ſcilicet illud votum eſſe validum, & conſequenter habere perfectam, & integram vim obligandi: Probatur ergo hæc pars primo ab inconuenienti, quia ſi illud eſt verum votum obligabit, quantum votum in tali materia obligare poteſt, propter fundamentum ſecundę opinionis, quia votum eſt quaſi naturale agens, quod agit quantum poteſt: nam obligat in virtute Diuinæ, ac naturalis legis. Conſequens autem eſt falſum, vt oſtenſum eſt: quia non poteſt obligare vltra intentionem vouentis, ergo oportet fateri, non eſſe verum votum: eſt ergo inualidum: ergo nullam inducit obligationem. Secundo argumentor applicando diſcurſum nuper factum: quia intentio vouendi, & non ſe obligandi eſt de re impoſſibili, & ideo nihil facit iuxta dicta libro primo, capit. tertio: ergo intentio vouendi rem grauem, & nõ ſe obligandi, grauiter eſt de re impoſſibili, quia eandem proportionem ſeruat: ergo eadem ratione, nihil operatur, ergo tale votum non eſt votum: & conſequenter nullam obligationem etiam venialem inducit. Et declaratur, ac confirmatur tertio: nam ſi votum ſic factum validum eſt, confero illud cum voto facto ab alio in ſimili materia cum intentione abſoluta ſe obligandi iuxta exigentiam materiæ, & quæro, an illa duo vota ſint eiuſdem rationis, & perfectionis in eſſe voti? Nam ſi hoc affirmetur, impoſſibile videtur intelligere, quod non inducant æque graues obligationes, quia ſuppoſito eſſe voti, obligatio naturaliter ſequitur, & Diuina eſt, & procedunt rationes ſecundæ opinionis. Dicere autem vota illa eſſe vera vota & eiuſdẽ materiæ, & habere aut diuerſitatem, aut inæqualitatẽ in eſſe voti, non videtur intelligibile: ergo magis conſequenter dicitur votum vnum eſſe validum, & nõ aliud, & conſequenter alterum indebita intentione factum ad nihil obligare.

7. *Probabilius eſt eſſe aliquale votũ obligans ſub veniali ex intentione vouentis.* Nihilominus contrarium cenſeo probabilius, vt in poſteriori parte aſſertionis dixi. Quam probant in primis rationes prioris ſententiæ. Nam in legiſlatore probabilius mihi eſt, poſſe ferre legẽ in materia graui, quæ ex intẽtione eius nõ obliget ad mortale, & nihilominus ſit valida lex, & obliget ad veniale, vt ſuo loco Deo dante oſtendam: æquiparatio autem voti ad legem in hoc valida eſt, vt dixi, & ſtatim amplius explicabo. Secundo idem ſuadet ratio de voto pure pœnali, de quo in fine huius puncti aliqua dicam. Tertio probatur explicando rem ipſam; nam eſſentia voti perficitur voluntate ſe obligandi Deo, ita vt vel in illa conſiſtat vel in inſinuatione, & locutione illius (nam hæc differentia parum ad præſens refert) ſed obligatio, quantum ex ſe eſt, recipit magis, & minus: ergo & voluntas ſe obligandi recipiet etiam magis, & minus: ergo & votum ipſum poteſt recipere magis, & minus, & eſſe validum, vtrumque in ſuo gradu.

Dicetur fortaſſe, quod licet obligatio abſolute exſpectata poſſit eſſe maior, & minor, id eſt, ad veniale, vel mortale, tamen obligatio voti in tali materia, id eſt, graui, non recipit magis, & minus, ſed neceſſario eſt tanta, & tam grauis pro materiæ qualitate: ſed contra: nam hoc gratis aſſumitur: rationes enim ſecundæ ſententiæ hoc non probant, vt videbimus, ſed id tacite ſupponunt ſine probatione. Deinde, ſi in obligatione legis etiam circa eandem materiam grauem dari poteſt maior, & minor obligatio, quam ſine repugnantia poſſet intendere Legiſlator, cur in obligatione promiſſionis hoc repugnabit? Tandẽ hæc obligatio ſimpliciter libera eſt: nihil autem eſt, quod voluntatem neceſſitet, vt ſi obligare ſe velit circa talem materiã, neceſſario cogatur ſe obligare, quantum poteſt, vel quantum materia eſt capax, quid enim illam neceſſitat? Nihil ſane, vt reſpondendo ad argumenta magis conſtabit.

Dico ergo, in hoc obiecto, quod eſt obligari Deo in tali materia de ſe graui ſolum ſecundum quid, ſeu ſub veniali non includi repugnantiam, & ideo voluntatem de tali obligatione non eſſe de re impoſſibili, nec de re mala, aut perfectioni contraria & ideo validam eſſe, & effectum inducere. Ac ſubinde vel illa, vel actus rationis, quo illa inſinuatur & profertur, eſt aliquale votum, non quidem plenum, & perfectum, quale eſſet ſimpliciter factum circa talem materiam, ſed tantum ſecundum quid, validum tamen, & obligans in ſuo gradu. Neque per hoc diſtinguimus vota ſecundum ſpeciem, ſed tantum ſecundum gradum: nam ex parte materiæ datur ſimilis diſtinctio votorum, vt infra videbimus: nihil ergo repugnat, dari ex intentione vouentis diuerſum modum circa eandem materiam, ſicut etiam dicturi ſumus cum proportione de imperio legis.

Per hæc ergo ſatis reſponſum eſt ad argumenta, quæ ſuadebant priorem partem huius ſecundæ aſſertionis. Ad primum enim concedo, vnumquodque votum obligare, quantum poteſt. Dico tamen in ipſis votis poſſe eſſe inæqualitatẽ, & vnum eſſe ſimpliciter, aliud ſecundum quid (vt ita rem explicem.) Vt volitio mouendi brachium naturaliter agat motum, licet illa libere fiat, quia tamen in ipſa volitione poteſt dari inæqualitas ex parte obiecti: nam poteſt quis velle tardius, aut velocius mouere, ideo voluntas mouendi, licet naturaliter agat, non ſemper æqualem facit motum. Ita ergo dico de voto: nam in ſuo eſſe poteſt eſſe inæquale ex parte voluntatis, etiam circa eandem materiam & ideo poteſt inæqualiter obligare. 10. *Ad primũ.* Vnde ad ſecundum nego paritatem: *Ad ſecundum.* nam ablata omnino obligatione, tollitur votũ ſimpliciter, & ſecundum quid: ablata autem obligatione tantum ad mortale, & relicta ſub veniali, non omnino tollitur ratio voti, ſed minuitur. Ad tertium, *Ad tertiũ.* iam explicatum eſt, quomodo circa eandem materiam poſſint eſſe varij gradus votorum iuxta diuerſas intentiones vouentium, & conſequenter etiam diuerſitas obligationum.

11. *Fit ſatis argumentis alterius ſententiæ. Ad primũ.* Ad argumenta item ſecundæ ſententiæ facile ſatisfit ex dictis. Ad primum dicitur non ſolum eſſe in voluntate vouentis promittere, vel non promittere: ſed etiã promittere ſimpliciter, vel ſecundum quid: nam ſicut obligatio voti naſcitur ex voluntate vouentis, ita etiam modus obligationis. Cum autem dicitur, obligationem non oriri ex voluntate vouentis proxime, ſed ex naturali iure: reſpondeo ex dictis, duplicem ibi poſſe diſtingui obligationem, ſcilicet facti, & iuris. Prima eſt à voluntate vouentis, qua poſita, neceſſario ſequitur ſecunda, quæ

eſt iuris

Digitized by Google

eſt iuris naturalis, ita vt, priori poſita, poſterior non pendeat ex arbitrio vouentis, ſed neceſſario conſequatur. Tamen ſicut prior poteſt eſſe ſimpliciter, & ſecundum quid. ita & poſterior cum proportione ſequitur. Vnde ſicut lex illa naturalis, *redde Domino vota* non obligat ſub mortali in materia leui, vt infra videbimus: ita etiam non obligat ſub mortali, quando promiſsio non abſolute. ſed diminute, & limitate facta eſt. quia licet materia ſit grauis, promiſsio nõ eſt illi adæquata, nec offert illam ſimpliciter Diuino obſequio, ſed tantum vt diſpoſitionem quandam ad illud. Ad ſecundum reſpondetur, tale votum eſſe quidem votum, ſed diminutum, vt explicui. & ideo legem ipſam Diuinã non obligare ad illius obſeruantiam, niſi iuxta gradum, & qualitatem eius, atque adeo ſub veniali culpa.

Ad ſecundum.

11. *Ad tertiũ.* Ad tertium de iuramento negatur ſimilitudo, quia iuramentum non eſt directe ad obligandum, ſed ad confirmandam veritatem Diuino teſtimonio, ex qua confirmatione naturaliter ſequitur obligatio, & ideo in ſuperiori tractatu diximus, poſita voluntate iurandi neceſſario ſequi obligationem, etiamſi homo nolit. Et ob eandem rationem ſequitur obligatio in tali gradu iuxta naturam iuramenti: quia non datur in iuramento magis, vel minus iurare, neque eſſe poteſt varietas in voluntate iurantis. At votum directe eſt ad obligandum, quia promittere non eſt aliud, quam velle ſe obligare, ſeu indicare Deo voluntatem ſe obligandi ipſi, & ideo illa obligatio, quæ eſt veluti facti, proxime eſt à voluntate hominis, & recipit magis, & minus iuxta hominis intentionem. Neque ſignum ibi adiunctũ aliud probat, niſi quod ex promiſsione abſoluta, & ſimpliciter in graui materia neceſſario ſequitur obligatio grauis iuris Diuini: ex quo ſolum ſequitur, ſuppoſito illo modo abſolute vouendi, non poſſe hominem minuere illam obligationem iuris Diuini. Poteſt tamen voluntas hominis mutare factum, à quo pendet illa obligatio iuris Diuini, & nõ abſolute promittere, ſed tãtum ſecundũ quid, vt declaraui, & tunc etiã ex natura rei ius ipſum Diuinũ non obligat cũ tãto rigore.

12. *Ad quartum.* Ad quartum reſpondeo, votum caſtitatis abſolute dictum dicere votum ſimpliciter, & ideo tale votum obligare iuxta exigentiam talis materiæ, & ideo quoties quis ſimpliciter vouet caſtitatem, grauiter obligatur: ſecus vero eſſet, ſi quis non abſolute vellet promittere caſtitatem, illam conſtituendo, vt ſibi ſimpliciter neceſſariam ad cultum Deo debitum, ſed tantum vellet illam promittere in eo gradu, in quo ſolent eſſe debitæ diſpoſitiones remouẽtes impedimenta peccatorum venialium. Hæc autem diſtinctio non habet locum in voto ſolenni, & qui vellet profiteri Religionem cum intentione non ſe obligandi. niſi ad veniale peccatum, grauiter peccaret, & nihil faceret, tenereturque votum cum abſoluto, & debito conſenſu iterare. Idemque dico de ſponſalibus, qui enim ſimpliciter profitetur facere ſponſalia, tenetur habere abſolutam voluntatem ſe obligandi, quantum ſponſalia natura ſua obligant, quia alius grauiter deciperet alium contrahentem. Vnde ſi haberet aliam intentionem non ſe obligandi grauiter, perinde fere eſſet, ac ſi ficte ſponderet. De matrimonio autem non eſt idem, quia matrimoniũ requirit conſenſum in tradendo corpus ſuum alteri, quod obiectum non recipit magis, nec minus, & ex illa traditione ſequitur obligatio grauiſsima, & ſub mortali.

13. *An poſſit dari Votum ad nullam culpam obligans.* Vnum vero ſupereſt in hoc puncto dubium, quod tangitur in argumentis primæ ſententiæ. An poſſit dari votum non ſolum obligans ad leuiorem culpã, quam materia de ſe poſtulet, ſed etiam ad nullam culpam obligans? Nam quidam negant eo quod impoſsibile ſit dare votum in quo non obliget illa lex *redde Domino vota tua*, ſed illa ſemper obligat in conſcientia: ergo: & ita tenet Sanc. ſupra. Contrarium vero tenet Henr. vbi ſupra, & poteſt ſuaderi à ſimili de lege pœnali, quia poteſt dari lex pure pœnalis nõ obligans in conſciẽtia, vt ex materia de legibus ſuppono: ergo & votum. Item obligatio ad ſolã pœnam vera obligatio eſt, & inter homines locum habet ſine reatu culpæ, ergo etiam in promiſsione ad Deũ.

Sanc. *Henr.*

Reſolutio dubij. Sed ſolutio eſt facilis, & vix poteſt in ea eſſe controuerſia de re: nam extra votum pœnale certũ eſt, non dari votum ſine obligatione ſub aliqua culpa. In pœnali autẽ neceſſario ſupponi debet aliqua tranſgreſſio, cui pœna reſpondeat: nam pœna neceſſario ſupponit vel culpam, vel actionem aliquam, aut omiſſionem moralem, quæ ſit cauſa pœnæ, eſto non ſit vera culpa, ſed habeat quandam imaginẽ eius. Votum ergo pœnale duo complectitur, ſcilicet & priorem actionem, vel omiſsionem vitandã, & pœnam exequendam, ſi non impleatur.

14. *Quibus modis omitti poſſit tale Votum.* Hoc autem votum dupliciter fieri poteſt, primo in ſenſu abſoluto quoad actum, & in conditionali quoad pœnam, & tunc non vnam tantum, ſed duplicem in conſcientia obligationem inducit. Vnam abſolutam ad hoc faciendum, vel non faciendum, aliam conditionatam ad pœnam, ſi prior obligatio violetur, & vtraque grauis eſt ex ſuo genere, niſi ad veniale minuatur ex alio capite iuxta ſupradicta: eadem enim ratio eſt de tali voto, & de omnibus alijs. Quia ſi votum de ipſa materia abſolute fiat, non minuitur obligatio propter adiectionem pœnæ, vt de lege pœnali etiam conſtat. Et impleta conditione, non minus obligat ad pœnam conditionatũ votum, quam ſi abſolute factũ eſſet. Et ita de hoc nulla eſt controuerſia. Alio modo poteſt fieri tale votum in ſenſu diſiunctiuo, vel (quod perinde eſt) in conditionato, & ſic tale votum non obligat in conſcientia determinate ad actum pro conditione poſitum, ſeu immediate ac directe intendit. Et hoc intendit poſterior opinio, idque conuincunt argumenta eius. Ratio vero propria eſt, quia illa tunc non eſt definita materia promiſsionis, ſed ſolum ſub diſiunctione, vel conditione. Nihilominus tamen neceſſe eſt, vt tale votum in materia adæquata imponat obligationem in conſcientia. Et hoc vult prior opinio, & recte probatur ratione ibi facta. Et præterea patet, quia ſi votum eſt diſiunctiuum, non poteſt vtraque pars prætermitti ſine culpa, licet poſsit alterutra, vt ſi voui Sabbatho ieiunare, vel tantam eleemoſynam facere, non poſſum vtrumque omittere ſine peccato. Et idem redit, ſi votum illud vt conditionatum conſideretur: nam impleta conditione, & non ſeruato voto, quoad actionem primo intentam, debet ſeruari quoad pœnam, nec poterit omitti ſine peccato, imo & prior tranſgreſsio, ſi non fieret cum formali, vel virtuali intentione ſubeundi pœnam, iam eſſet peccaminoſa, quia eſſet promiſsioni contraria. Et ita verum eſt, omne votum quantumuis pœnale, reſolui tandem in aliquam obligationem in conſcientia. Quod etiam in lege pœnali locum habet, vt ſuo loco dicam. Eſt tamẽ differentia notanda, quod in lege ordinarie non eſt obligatio in conſcientia ad pœnam, donec per iudicem imponatur, & regulariter non eſt obligatio ad exequendam actiue pœnam, ſed ad ſuſtinendam: votum autem obligat in conſcientia ad exequendam pœnam, ſi pœnalis conditio impleta eſt. Et ratio eſt, quia votum non fundatur in vi coactiua, ſicut lex pœnalis, ſed in vi directiua, & eius obligatio oritur ex ipſa lege naturali iuxta exigentiam materiæ, & abſque vlla coactione.

15. *Votũ in materia leui ſe ad mortale non obligat.* Vltimo ſupereſt dicendum de alia comparatione, quando vouens vult obligari ſub mortali in materia leui. In qua ſupponendum eſt, votum in materia leui de ſe non obligare ad mortale: aliàs non eſſet locus præſenti quæſtioni. quia ſi votum de ſe obligaret ſub mortali in materia leui, à fortiori ita obligaret, quando vouẽs id intenderet, quia illa intentio eſſet

tio eſſet conſentanea naturæ voti. Et ex illo fundamento procedit Cordub. d. q. 188. punct. 2. cum dicit poſſe vouentem obligari ſub mortali in materia leui totali ex intentione ſua, vel Superioris præcipientis in vi voti obedientiæ, aut paupertatis. Suppoſito autem contrario principio (quod lib. ſeq. late oſtendemus) ſcilicet promiſsionem rei leuis etiã Deo factam ex ſe, & (vt ſic dicam) ſibi relictam non obligare ad mortale, habet locum quæſtio poſita, an adiuncta ſaltem ſpeciali intẽtione vouentis ſe grauiter obligandi, indueat cũ effectu talem obligationem?

Cordub.

17\. Videtur itaque ex dictis ſequi, veram eſſe partem affirmantem, quia videtur eſſe eadem ratio in additione obligationis, quæ in diminutione: ſi ergo intentio vouentis poteſt obligationem minuere repugnante quodammodo materiæ grauitate, cur nõ poterit augere obligationẽ vltra materiæ dignitatem? Quin potius videtur ſecundũ facilius, quam primũ. Quia in primo videtur eſſe repugnantia quædã poſitiua cum grauitate materiæ, & cum iure Diuino, & cum honore debito fidelitati erga Deum: in ſecũdo vero tantum eſt negatio quædam ex parte materiæ, quia de ſe non poſtulat tantam obligationẽ, & conſequenter nec ius naturale, aut Diuinus honor illam poſtulant, attenta ſola conditione materiæ. At hoc nõ obſtat, quominus homo voluntate ſua poſsit ſpecialem obligationẽ addere, & tũc addita hac ſpeciali intentione videtur habere locũ, Diuinum ius dicẽs: *Illaqueatus es verbis oris tui.* Et confirmatur: nã homo volens ſic ſe obligare in materia leui nemini facit iniuriã, & de ſe vult magis honorare Deum: eſtq; Dominus ſuæ libertatis: ergo illa voluntas erit efficax, & habebit effectum. Vnde in hoc cernitur magna differentia inter votũ, & legem: nam Superior ſi velit obligare ad mortale in materia leui facit iniuriã ſubditis, & conſequẽter excedit ſuã poteſtatem, & ideo probabilius eſt, cum effectu nõ inducere talem obligationem. At vero vouens non facit ſibi iniuriam, nec excedit poteſtatẽ, quam habet in ſeipſum, ergo.

Superior nõ poteſt obligare ad mortale in materia leui.

18\. Nihilominus Authores vtriuſque opinionis allegati in primo puncto, in hoc ſecũdo puncto concordant, tale votum non eſſe validum ſaltem quoad gradum obligationis, ſed neceſſario reſtringi ex paruitate materiæ. Nam Soto aperte loquitur æqualiter de vtroq; membro, & in lib. 8. de Iuſt. q. 1. art. 7. dub. 1. in particulari id docet de hac forma vouendi, *Voueo ſub reatu mortali hoc facere*, quod leue eſt, Vaſquez etiam de vtroque membro loquitur, nec nõ & Cordub. ſaltem quoad materiam leuem partialem, de qua ſicut fatetur, votum ex ſe non obligare ad mortale, ita etiam nec ex intentione vouentis. Idem tanquam clarum ſupponit Sanci. & de lege poſitiua omnes ita ſentiunt. Fundamentũ autem horum Authorum neceſſario eſt diuerſum. Nã priores in hoc abſolute fundãtur, quod quantitas obligationis non pendet ex intentione vouentis, ſed ſola voti emiſsio, quod in vniuerſum nos non admittimus, & ideo niſi aliquid ſpeciale in præſenti addatur, nihil inde inferri poteſt.

Votũ in materia leui nõ poſſe ſub mortali obligare ex intentione vouentis, qui aſſerunt.
Soto.
Vazquez.
Sanc.

19\. Alij ergo addunt, tale votum eſſe ſtultum, & irrationabile, & ideo non acceptari à Deo, qua ratione vtitur etiam Soto, & Sanci. addit argumentum ſumptum ex lege. Quod profecto non conuincit, propter diſsimilitudinem ſupra indicatam. Ratio etiam ſumpta ex ſtultitia voti valde eneruatur ex opinione eorum, qui dicunt, votum ſimpliciter factum in materia leui obligare ad mortale: ſi enim hoc ſentiunt Authores prudentes, & graues, ſignum eſt, non eſſe rem adeo ſtultam & irrationabilem: ergo ex hoc capite non erit votum illud adeo ſtultum, vt ſit inualidum. Item, liceat ille appareat exceſſus feruoris, non tamen eſt contra pietatem, neque includit malitiam aliquam, aut repugnantiam cum perfectione, cur ergo non acceptabitur à Deo? Item facere votum, quod difficillime impleri poteſt, poteſt eſſe ſtultum, & ex indiſcreto ſeruare, & tamen non propterea votum eſt omnino nullum: & ſimiliter multiplicare vota indiſcretum ſæpe eſt, & tamen obligant, ergo idem eſſe poterit in præſenti voto.

Hæc ergo poſterior ſententia non eſt mihi certa, conſequenter loquendo ad ea, quæ in primo puncto dicta ſunt, & ideo iudico talia vota cauenda eſſe, nec eſſe temere violanda ſi fiant. Præcipue vero conſiderandum eſt, an materia illa, quæ ſecundum ſe leuis videtur, reſpectu talis perſonæ aliquam habeat vtilitatem ſpirituale, ſeu in ordine ad perfectionem: nam ex illo capite facile poſſet votũ non eſſe omnino irrationabile, quãuis iam dici non poſſet omnino de re leui. Quapropter rem attente, & in rigore conſiderando, ſi materia penſatis omnibus reſpectibus eius leuis permaneat, probabile videtur, tale votum non obligare grauiter, non obſtante intentione vouentis. Tum quia ſatis veriſimile eſt, Deum non acceptare talem obligationem, quia non eſt durus exactor, nec placet illi ſtulta promiſsio: illa vero ita videtur ſtulta, vt ad profectum animæ, & ad Dei cultum ſit impertinẽs, & alioqui poſsit eſſe in laqueum. Tum etiam quia omnis obligatio requirit materiam capacem: illa autem materia non eſt capax. In quo eſt magna differentia inter hunc ſecundum caſum, & primum, quia materia capax grauioris obligationis, à fortiori eſt capax minoris: non vero e conuerſo materia capax de ſe tantum obligationis leuis, conſequenter eſt capax obligationis grauis. Vnde talis obligatio videtur excedere poteſtatem vouentis, quia non poteſt ſe obligare Deo, pluſquam Deus ipſe velit, vel quam materia patiatur: ſicut non poteſt homo homini obligare ſe ſub obligatione graui in materia leuiſsima: quia excedit materiæ capacitatem, & quoad hoc tenere poteſt ſimilitudo ad legem, etiamſi quoad omnia non teneat, & ita reſponſum eſt ad rationes dubitandi. 10.

Authoris iudicium de relato ſententijs.

Caput V.

De obligatione voti, de quo dubitatur an factum ſit?

Dvplex poteſt circa votum oriri dubium: vnum eſt, an factum fuerit, nec ne, aliud eſt, an votum, quod conſtat certo factum eſſe, obliget, vel an obliget tali, vel tali modo? Et quoniam non eſt eadem regula in vtroque dubio ſeruanda, ideo de illis ſigillatim dicendum eſt. Circa primum igitur contrarias inuenio opiniones: Prima ſimpliciter affirmat tale votum, de quo dubitatur, an factum ſit, obligare ad ſui obſeruationẽ. Tenet expreſſe Cordub. in Summ. quæſtione 147. Refertque Caietanum, Sylueſtrum, & Sotum, qui id non dicunt. Magis fauet Angel. *Votum* 3. num. 13. licet in proprijs terminis non loquatur, vt infra dicam. fauet Syluester, *Votum* 2. quæſtione 2. verſu quarto, nam in quodam caſu dubio dicit, tutius eſſe ſeruare votum, cum Archid. qui refertur in capit. *Non ſolum*, 32. quæſtione 8. ſed ibi aliud agit. Tenet Azor tomo primo libr. 2. capit. 19. quæſtione 10. latius Vaſquez 1. 2. diſputat. 65. capit. 3. inclinat Nauarrus conſilio 26. de voto, num. ſecundo. 1.

Duplex dubium circa votum.
1. Opinio.
Cordub.
Angel.
Syluest.
Archid.
Azor.
Vaſq.
Nauarr.

Probatur primo, quia in dubio facti tutior pars eſt eligenda, ſed dubium voti eſt dubium facti: ergo. Minor facile probatur, quia eſt dubium, an fecerim votum, nec ne, quod ſpectat ad purum factum. Nam licet votum dici ſoleat priuata lex, iam ſupra diximus, hoc non per proprietatem, ſed per quandam analogiam dici: cum votum non ſit actus iuriſdictionis, vel imperij, in quo propria lex, ſeu ius conſiſtit, ſed actus promiſsionis, quæ ad factũ pertinet, vt conſtat inter homines. Maior autẽ probatur primo 2.

indu-

Digitized by Google

induſtione: nam dubitãs de veritate matrimonij: & an hæc ſit vxor ſua, non poteſt petere debitum, quia ibi interuenit dubium facti, puta contractus matrimonij, & valoris eius, ex quo oritur periculum agẽdi contra naturale ius prohibens fornicationem, accedẽdo ad vxorem dubiam. Idem autem eſt in præſenti, nam dubitans de voto, & agens contra illud, exponit ſe periculo agendi contra naturale ius reddendi domino vota, ſeu non violandi illa. Secũdum exemplum eſt de irregularitate: nam in dubio facti tenetur quis ſe gerere, vt irregularis iuxta capit. *Ad audientiam*, de Homicid. & tamen eſt eadem ratio.

3 *Ca. Iuuenis. C. Ad audientiam. Cap. Significaſti.* Tertiò facit axioma illud, *In dubijs tutior pars eſt eligenda*, approbatum in Iure capit. *Iuuenis*, de Sponſalib. & d. cap. *Ad audientiam*, & capit. *Significaſti*, 2. Homicid. ſed in præſenti tutius eſt, ſeruare dubium votum, quia in hoc nihil eſt periculi, in tranſgreſsione eſt periculum non implendi promiſſum: ergo. Et confirmatur, quia alias nunquam haberet locum illud principium, quod dici non poteſt: nam eſt contra Iura, & contra communem conceptionem. Sequela vero patet, quia qua ratione in hoc caſu non admittitur, nec applicatur, eadem non habebit locum in quolibet alio. Probatur hoc, quia ſi aliqua hic ſubeſſet ratio, maxime quia in dubio melior eſt conditio hominis poſsidentis ſuam libertatem: at hæc ratio currit in matrimonio, in irregularitate, & in omnibus, &c. Vnde inferunt dicti Authores illud aliud axioma: *In dubijs melior eſt conditio poſsidentis*, ſolum habere locũ in materia iuſtitiæ, & ideo non recte hic applicari, quia non de obligatione iuſtitiæ, ſed de periculo violandi Religionem tractatur: in dubio autem fauendum eſt Religioni, & Diuino cultui. L. *Sunt perſonæ*, ff. de Relig. & ſumpti. funer. *Leg. Sunt perſonæ.* Sic enim non habet locum in irregularitate propter idem periculum cõtra Religionem, nec in matrimonio propter periculum in materia caſtitatis, & ſic de alijs. Et ratio reddi poteſt, quia poſſeſsio non dat ius ſpirituale, nec proprie habet locum niſi in materia iuſtitiæ.

4 *1. Opinio. Soto. Medin. Angl. Lud. Lop. Eman. Rodr. Henr. Sanc. Gloſſ.* Secunda opinio abſolute dicit quando dubium eſt, an votum fuerit emiſſum, non teneri aliquem ad ſeruandum illud. Tenet Soto lib. 7. de Iuſt. q. 3. art. 2. Medin. in Summ. lib. 1. ca. 14. §. 7. Angl. q. 9. de Ieiun. art. 1. difficult. 7. dub. 2. Propoſit. 3. & idem fere habet licet minus conſtanter in quæſt. 4. articul. 1. difficult. 3. dub. 3. prop. 2. Denique hãc partem ſecuti ſunt Ludouic. Lop. Emmanuel Rodr. Henr. & alij, quos refert, & ſequitur Sancius lib. 1. de Sponſalib. diſput. 9. numer. 11. & fauet Gloſſa in capit. *Ex parte*, de Cenſib. in propoſitione caſus in fine, vbi pro regula ſtatuit; *In dubijs liberum eſſe ſequi quoad magis placuerit*: quæ nimis ampla videri poteſt. Sed limitanda videtur iuxta materiã textus, quę eſt de voto reali, in quo dubium eſt de quantitate promiſſa: nam tunc ſentit Gloſſa, liberum eſſe vouenti, illam determinare: ergo idem ſentit, quando eſt dubium de toto voto emiſſo. Et hanc ſententiam obiter in alijs locis probaui, & nunc etiam veram eſſe iudico: oportet tamen illam conuenienter exponere, & fundare.

5 *Senſus quæſtionis exponitur, & de quo dubio ſit ſermo.* Principio ergo ſupponendum eſt, ſenſum quæſtionis eſſe de dubio, quod vocant negatiuum, quãdo intellectus ita eſt in vtramque partem ſuſpenſus, vt neutri, det aſſenſum, quia pro neutra habet rationes, quæ ad iudicium ſaltem probabile ferendũ ſufficiant. Nam ſi dubium ſit poſitiuum, id eſt, per iudicium probabile vtriuſque partis, tũc omnes fere Authores conſentiunt, ſi homo iudicet probabiliter, ſe non emiſiſſe votum, nõ obligari tali voto, etiãſi fortaſſe habeat rationes probabiles, quæ contrariũ ſuadeant: nam inter probabilia poteſt homo tuta conſcientia ſequi quam partem maluerit: quod eſt certum, quando probabilitas vtrinque eſt ęqualis, quod præſenti inſtituto ſufficit. At vero ſi iudicium poſitiuum ſit, votum fuiſſe factum, & dubium ſit tantum formidinis, non ſufficit ad conſtituẽdum hominem in vero dubio morali, vt ſiquis probabiliter credat, ſe emiſiſſe votum, & ad contrarium credendum nõ habeat probabilia motiua, ſed ſolam formidinem: quia non habet euidentiam, ſed probabiles coniecturas, tunc non eſt dubium, quin teneatur ſeruare votum. Quia illa probabilitas facit certitudinẽ moralem, quando non eſt alia ſimilis in contrariũ, quia in rebus humanis non eſt maior certitudo exigenda, cum vix aliquid per infallibilem euidentiam cognoſcamus. Neque oportet diſtinguere de iudicio magis, vel minus firmo, ſeu cum maiori, vel minori formidine: nam ſi iudicium eſt re vera probabile in fauorem voti, illud ſufficit, vt votum integre ſeruãdum ſit, etiamſi ſit minimum, ſeu cum quacumque formidine, ſi iudicium in contrarium nõ eſt probabile. Hic ergo agimus de dubio negatiuo, quod durat, quamdiu pro neutra parte ferri poteſt probabile iudicium. Nec refert, quod pro altera ſint plures, vel pauciores coniecturæ, ſi neutræ ſufficiant ad iudiciũ probabile pro altera parte. quia tunc ſimpliciter manet intellectus ſuſpenſus, & rationes æque procedũt, vt videbimus.

Secundo diſtinguendi ſunt duo ſtatus dubitantis dicto modo. Vnus eſt quando homo dubitat, & diligentiam non fecit ad expellendum dubium, & veritatem inueniendam. Alter eſt, quando poſtquam in dubium incidit, moralem diligentiam fecit, & nõ potuit dubium expellere nec probabilitatem inuenire: ſed ſuſpenſus ſicut in principio manet. 6. *Duplex ſtatus in quo dubitãs eſſe poteſt de emiſſione voti.* Dubium ergo accipi debet in hoc poſteriori ſtatu: nam in priori certum exiſtimo, non poſſe hominem agere cõtra votum, priuſquam diligentiam adhibeat ad veritatem cognoſcẽdam, hoc enim ad minimum probant motiua primæ opinionis. Nam ſine dubio eſſet magna temeritas ſic agere contra votum dubium, ſine alio examine: nam ſic operans euidenti periculo errandi ſe exponeret. Intelligendum autem hoc eſt, ſuppoſita poteſtate faciendi diligentiam, & differendi voti executionem, & tranſgreſsionem. Nam ſi votum neceſſario ſit ſtatim exequendum, vel omittendum, vt contingit maxime in votis negatiuis, & in affirmatiuis pro certo tempore propinquo: tunc ſatisfaciet dubitans ſi iuxta temporis anguſtias, & capacitatem diligentiam adhibeat, prout potuerit: nã ſi quod in ſe eſt faciat pro tali opportunitate, iam erit conſtitutus in poſteriori ſtatu dubij, de quo eſt controuerſia.

7. *Dubium de voto poſt moralem diligentiam factam non tenetur ſeruare illud.* His poſitis dico, eum, qui poſt moralem diligentiã dubius manet de voto emiſſo, & non poteſt ferre probabile iudicium, quod illud emiſerit, non teneri ad talis voti obſeruationem. Probatur primo ex cõmuni fundamento, quod in dubijs melior eſt conditio poſsidẽtis: nam ille ſic dubitãs poſsidet ſuã libertatem: ergo eſt melioris conditionis, vt nõ ſubijciatur obligationi voti propter ſolam dubitationẽ. Reſpondent principium illud, *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis*, habere locum in materia iuſtitiæ, non aliarum virtutũ. Sed hoc gratis dicitur. Primò quia Iura ex quibus regula illa deſumitur, generatim, & ſine reſtructione loquũtur, vt in cap. *In pari*, 65. de Regul. iur. in 6 abſolutè dicitur, in quacumq; cauſa præferri ius poſsidentis. *Ca. In pari.*

8. Secundò: quia nulla ratio differentiæ aſsignatur, nec aſsignari poſſe videtur, quod in hunc modum declaro. Quia in materia iuſtitiæ principium illud, vel fundatur in hoc, quod quando eſt dubium circa fundamẽtum obligationis, vt v.g. an hæc res ſit mea, vel aliena, eſt quædam æqualitas inter obligationem reſtituendi, & poteſtatem retinẽdi, & alioqui poſſeſſio rei confert aliquod ius, & ideo prævalet ius poſſidẽtis. Vel fundatur in hoc, quod propter ſolum dubium non ſunt immutandæ res ab antiquo ſtatu, in

Digitized by Google

quo bona fide exiſtebant, quia cum in dubio ſit quę-dam æqualitas vtrinque, non eſt cur potius in vnam partem obliget, quam in aliam. Vel fundatur in hoc, quod interueniente ignorantia inuincibili inſurgit excuſatio obligationis: intercedente autem dubio, interuenit ignorantia rei, de qua dubitatur, & facta diligentia ad expellendum dubium, & perſeuerante nihilominus dubio, fit illa ignorãtia inculpabilis, quia non fuit in poteſtate hominis illam depellere, & ideò impedit obligationem. Vel fundatur in hoc, quod obligatio eſt oneroſa, & ſuo modo odioſa, & ideò reſtringenda, vt non oriatur, niſi vbi fundamẽtum eius moraliter certum eſt, præſertim vbi cætera non ſunt paria. At hæ omnes rationes habent locum extra materiam iuſtitiæ, & ſpecialiter in voto, de quo tractamus: ergo. Conſequentiam ſuppono vt claram, quia nec alia ratio vltra inſinuatas, in Maiori affertur, neque eſt facile aliam inuenire, quæ ſit propria iuſtitiæ, vt ex dicendis clarius conſtabit.

9. Probatur ergo Minor quoad ſingulas partes: nam in primis etiam in voto dubio eſt quædam æqualitas inter obligationem dandi, ſeu faciendi, & poteſtatẽ non ſoluendi, quia dubium æque verſatur in fundamẽto obligationis, quod eſt promiſsio, & aliũde homo poſsidet ſuam libertatem, & rem illam, quæ eſt materia voti, eo modo quo poſsideri poteſt: ergo. Minor patet: nam ſi votum eſt reale poſsideo rem illam, quam alienare à me debeo, ſi votum implendũ eſt: ſi autem eſt votum perſonale. poſsideo meas actiones, vel morale ius vtendi me ipſo, vel potentijs meis, cum indifferentia & libertate etiam ab obligatione. Vnde falſum eſt, quod in contrarium dicebatur, poſſeſsionis titulum eſſe proprium iuſtitiæ. Nam ſicut libertas eſt generalis conditio omnis materiæ virtutis, ita & poſſeſsio. Et declaratur in vtraque materia voti, & iuſtitiæ: quia in vtraque poteſt eſſe dubium circa rem diſtinctam proprie poſſeſſam ab eo, qui dubitat, & circa actiones perſonales, & omiſsiones, quæ non in ſe, ſed in poteſtate, & libertate faciẽdi, & non faciendi, poſsidentur, & illa poſſeſsio eſt ſufficiens, quia eſt eo modo, quo eſſe poteſt circa Iura incorporalia. Sed dicunt nõ deeſſe poſſeſsionem, ſed illam iuuare contra proximum, qui nobiſcũ circa eandem rem de iuſtitia contendit: non vero iuuare contra Deum: quia dubitans de voto non cõtendit cum Deo de iuſtitia circa rem illam, ſed ex Religione.

10. Sed hæc eſt petitio principij: iam enim habemus titulum poſſeſsionis in materia voti, cur ergo non præualet & iuuat in caſu dubio? Si enim dicatur, maiorem eſſe voti, ſeu Religionis obligationem, quam iuſtitiæ. In primis incertum hoc eſt, aliqui enim exiſtimant magis rigoroſam eſſe obligationem iuſtitiæ. Deinde eſto obligatio Religionis ſit maior ex parte Dei: nihilominus ex genere fidelitatis eſt minor, & non poteſt dici infidelis qui non facit aliquid, quia non ſibi conſtat de promiſsione. Denique parum refert, quod obligatio maior ſit, ſi res eſt dubia: quia tunc contendimus non oriri obligationẽ contra eũ, qui certo poſsidet ius ſuum, & in hoc eſt quędã proportionalis æqualitas inter iuſtitiæ obligationem, & voti.

11. Præterea ad hoc iuuat ſecunda ratio, quia ante votum, eiuſque dubium exortum homo erat in ſtatu indifferentiæ, & libertatis (vt ſic dicam) ad faciendũ, vel non faciendum aliquid in Dei cultum: ergo non debet cogi propter ſolum dubium ad vnam partem potius quam ad aliam, cũ dubium vtrinq; ſit æquale: ergo ex tali dubio non ſequitur obligatio, nec actio, ac ſubinde relinquitur res in ſtatu, in quo de ſe erat. Et confirmatur, quia in exteriori foro, qui non probatur voto obligatus, non cogitur illud ſeruare, etiã ſi res maneat dubia, vt ſi alicui obijciatur impedimẽtum voti, vt à matrimonio arceatur, ſi actor deficiat in probatione voti, & dubia ſit res, non obligabitur, quia: *Vbi partium iura ſunt obſcura, fauendum eſt potius reo, quam actori*, vt habet vndecima regula in 6. ergo idem eſt in foro conſcientiæ: quia vbi non proceditur ex præſumptione, idem eſt ius conſcientiæ, & Eccleſiaſtici iudicij.

In exteriori foro non cogitur ſeruare votum niſi qui probatur illi obligatum.

Accedit tertia ratio, quia hic interuenit ignorantia inuincibilis voti: ergo impediet obligationem, & conſeruabitur homo in libertate faciendi, vel non faciendi, quam antea habebat. Antecedens patet, quia qui habet dubium negatiuum voti, re vera non ſcit, ſe habere votum: ergo habet ignorantiam negationis de tali voto. Ad hanc enim ignorantiam nõ eſt neceſſarium ſcire, votum non eſſe, ſatis eſt, non ſcire votum eſſe, quia ignorantia hæc in ſola negatione ſcientiæ conſiſtit, alias nemo ignoraret votum, niſi qui errans exiſtimat ſe non habere votum, cum re vera habeat, quod aperte falſum eſt. Eſt ergo illa vera ignorantia. Deinde illa ignorantia ſit inuincibilis, quando poſt diligentiam ſufficientem non expellitur, quia eſt argumentum, non eſſe in poteſtate hominis illam vincere. Nam ſi verum eſt quod habet regula Iuris in 6. *Præſumitur ignorantia vbi ſcientia non probatur*, multo magis excuſabitur ignorantia, vbi probatur neſciẽtia: ergo talis ignorantia ſufficiet ad impediendam obligationem: ergo ſtante dubio quod talem ignorantiam includit, non poteſt votum obligare. 12.

Vltima etiam ratio in hac materia locum habet, quia obligatio voti valde oneroſa eſt: ergo reſtringenda eſt, & non amplianda, ergo non eſt extendenda ad votum dubium. Vnde hic etiam habet locum regula communiter recepta, neminem eſſe cogendum ad ſolutionem certã pro debito incerto: quia ſine cauſa etiam hoc limitabitur ad debitum iuſtitię, cum eandem, vel maiorem habet rationem in debito fidelitatis, etiam ſi ſit ad Deum. Sic ergo non ſolum manet firmum fundamentum illud, quod in dubio melior eſt conditio poſsidentis etiam in materia voti, ſed etiam obiter eſt confirmata aſſertio varijs rationibus, vt quod nemo obligatur ſoluere, niſi probetur eſſe debitor: non probatur autem debitor, niſi probetur fundamentum debiti, quod eſt promiſsio in præſenti materia. Debet autem probari in eo foro, in quo ſoluere cogitur, ſcilicet in foro cõſcientiæ, vt in illo obligetur, ſicut in foro externo, vt in eo compellatur. Aliæ rationes ex dictis conſtant: amplius vero confirmabitur aſſertio reſpondendo ad fundamenta contraria.

13. *Obligatio voti quomodo reſtringenda.*

Totum ergo fundamentum prioris ſententiæ nititur in illo principio: *In dubijs tutior pars eſt eligenda.* Et prius quam reſpondeam, interrogo, an illud habeat locum in materia iuſtitiæ: nam ſi habeat locũ, ſicut illo non obſtante. ſine peccato non reſtituitur, quod dubitatur, an ſit debitum: ita illo non obſtante, poterit dubium votum ſine peccato non impleri. Si verò illud principium non admittitur in materia iuſtitię eadem ratione dicetur, non eſſe neceſſarium in materia voti in rigore præcepti, ſed tantum conſilij, vt multi ex Authoribus allegatis docuerunt, dicentes, ſatis eſſe ſequi partem tutam. Dico ergo axioma illud quatenus præceptum continet, etiam habere locum in materia iuſtitiæ, quia fundatur in illo principio, qui amat periculum, peribit in illo. ratione cuius tenetur quis non operari etiam in materia iuſtitiæ cum periculo peccandi, & conſequenter nec cum conſcientia practice dubia de bonitate, vel malitia actionis. At hoc modo etiam in materia voti nemo poteſt operari contra votum cum dubio practico, an bene vel male faciat agendo contra votum: hinc verò non efficitur, vt dubius de voto male agat non ſeruando illud: quia illud dubium ſpeculatiuum eſt, & cum illo ſtat dictamen certum practicè, non eſſe peccatum, non ſeruare tale votum, ſicut cum dubio, an hæc res ſit aliena, ſtat practica certitudo,

14. *Explicatur fundamentum prioris ſententiæ.*

titudo. [illegible] non reſtituere. Nam [illegible] rem eſſe alienam, & [illegible] tamen illud eſt tan[illegible] detinetur, vt non [illegible] & cum [illegible] tionibus, ac inter[illegible] bona fide. Et eadem ratione licet poſsit cō[illegible] votum dubium, non reddat Deo quod illi promiſſum fuerat [illegible] tātum eſt materialiter [illegible] formaliter bona fide & iuſta ratione apprehendit [illegible] non promiſsum ſufficienter ad pariēdam obligationem. Et ita nullum eſt periculum, & pars illa eſt omnino tuta, quod attinet ad excludēdum periculum culpæ. Neque in hoc eſt proprie magis, vel minus, quia certe tuto practica excludit omnino periculum, & ita locum habet regula iuris 31. in 6. *Eum, qui certus eſt, certiorari vlterius non oportet.* Nam illa quæ [illegible] privatio totalis, quæ non recipit magis, & minus in ſe, ac formaliter, licet reſpectu materialis periculi poſsit eſſe aliquid tutius. Et quo ſenſu non ſemper ſpectat ad præceptum eligere partem tutiorem, ſiue in materia iuſtitiæ, ſiue in voto & in alijs. Nec tamē ſemper licet operari cum dubio quaſi ſpeculatiuo de materiali nocumento, vel tranſgreſsione, ſed tunc ſolum, quando per ſe is omnibus, ſecundum rectam rationem, non obſtante illo dubio ſpeculatiuo poteſt prudenter retineri iudicium practicū, vt in præſenti retinetur ex illo principio, quod in dubijs melior eſt conditio poſsidentis.

Non ſemper licet operari cum dubio ſpeculatiuo.

15 Quod poteſt etiam explicari hoc modo, qui non ſeruat votum dubium, certus eſt non agere contra illam legem: *Redde Domino vota tua.* Nam illa lex mer[illegible] intelligitur de votis moraliter, & humano modo certis [illegible] probabilibus, non de incertis, quæ probari non poſſunt etiam a propria conſcientia. Sicut de peccatis reſeruatis dici [illegible], non obſtante reſeruatione alicuius peccati abſolute facta, poſſe abſolui illum, qui dubitat, an tale peccatum commiſerit, quia reſeruatio, quæ oneroſa eſt, reſtringere ad caſum certum: & qui tunc abſoluit, licet dubitet, an peccatum tale fuerit commiſſum, certus eſt, non eſſe reſeruatum, & ita tutam, & tutiſsimam partem ſequitur. Ita ergo in præſenti lex imperans implere vota, merito reſtringitur ad vota certa moraliter, & ideo licet quis dubitet de voto, certus eſſe poteſt nō obligari illa lege, quia non [illegible] materia eius conſtituta [illegible]. Talis autem interpretatio legis (præter omnia dicta) fundari poteſt in c. Ex parte, de Cenſib. vbi benignior fit interpretatio [illegible] quia non eſt Deus tā rigoroſus exactor, vt etiam dubia incerta, & nō probata exigat, tum ex omnibus, quibus ſupra probauimus in votis benigniorem interpretationem eſſe faciendam. vbi etiam oſtendimus, hoc tandem cedere in maiorem fauorem Religionis, propter vitandum periculum, quod in his v[inculis] multiplicādis inueniatur. Et quia vix eſſet, qui de vouendo auderet cogitare, aut deliberare, ſi tam rigoroſe exigeretur dubia obligatio.

Explicatur lex de implendis.

Reſtringitur ad vota certa moraliter.

Cap. Ex parte.

16. Ad exemplum autem de matrimonio poſſet nonnulla differentia aſsignari, quia matrimonium facit licitum, quod antea erat [illegible] tum, ſcilicet acceſſum ad talem perſonam, & ideo vbi de veritate matrimonij non conſtat, ſeu res dubia eſt, videtur res permanere in ſtatu, in quo ex ſe antea erat, & ideo non eſſe licitum acceſſum ad talem perſonam. At votum è contrario facit illicitum, quod antea, ac per ſe licitum erat, vtique omiſsionem, vel actionem voto cōtrariam: & ideo vbi de veritate voti non conſtāt, manet res in ſtatu priori, & per ſe illi conueniente, & ideo eſt licita talis actio, vel omiſsio, non obſtante dubio. Sed quidquid ſit de hoc diſcrimine, verius & conſtantius reſpondetur, ſi dubium anteceſsit matrimonium, tunc non excluſo dubio, nūquam licere vſum [illegible] matrimonij, & tunc recte procedere rationem factam, & maxime quia ille nunquam eſt poſſeſſor bonæ fidei, a qua regula ſolet excipi caſus impotentiæ impedientis matrimonium, quia ipſe vſus eſt medium neceſſarium ad expellendum dubium, de quo alias. At vero ſi dubium ortum eſt poſt matrimonium contractum, & facta diligentia nō poteſt expelli, licitum eſt vtitam reddendo, quam petendo, vt verior habet ſententia, & ita hoc exemplo potius confirmatur noſtra ſententia, de quo puncto videri poteſt Sanct. lib. 2. de Matrimonio ca. [illegible] quæſt. 4. Ad ſecundum exemplum de irregularitate alibi late reſponſum eſt illud eſſe ſpeciale in irregularitate homicidij, & in caſibus a Iure expreſsis, quia ſicut Ius Canonicum potuit ſtatuere irregularitatem pro homicidio, ita potuit ſtatuere, vt homicidium dubium ſufficeret ad talem irregularitatem contrahendam, vel ad obligationem ſeruandi illam. Nec refert, quod Iura id ſtatuentia fundentur in illo principio in dubijs tutius eſſe eligendū, quia fundantur in illo vt in ratione mouente Pontificem ad talem legem ferendam, non vt tale per ſe ſufficeret ad obligandum hominem in eo caſu, ſecluſa tali lege. De qua re late in 5. tom. 3. p. d. [illegible] 40. ſect. 6.

Quid tenendum in dubio matrimonij.

Sanct.

Vnde etiam patet reſponſio ad Iura approbantia principium illud, *In dubijs tutius eſt eligendum.* Nam capit. *Ad audientiam, de* [illegible], *Significaſti*, loquuntur de irregularitate homicidij, de quo iam dictum eſt. In cap. autem *Iuuenis*, videtur eſſe ſermo de dubio practico vt ex [illegible] conſtat. De eo etiam ibi nullum fuiſſe poſſeſſorem bonæ fidei: nam dubium de priori impedimento publicæ honeſtatis præceſsit ſecundum matrimonium, & ideo certo iudicatum eſt pro parte certiori, & pertinēte ad Eccleſiæ honeſtatem [illegible]. Ex quo poteſt colligi modus alius interpretandi illud principium ſcilicet in dubijs eligendum eſſe tutius, quando cætera paria ſunt, id eſt, quando ex neutra parte intercedit ius poſſeſsionis, vel al[iqua] æquiualens ratio, quæ parti minus tutæ materialiter [illegible] expl[illegible] magis faueat, ita enim contingebat in caſu dicti cap. *Iuuenis.*

17. *C. Ad audientiam. Cap. Significaſti. Ca. Iuuenis. In dubijs eligendum eſt tutius, quādo cætera ſunt paria.*

Ca. Iuuenis.

Et ita patet reſponſio ad vltimam confirmationē, in qua inferebatur, vt abſurdum, quia nunquam haberet locum principium illud, *In dubijs tutior pars eſt eligenda.* Reſpondetur autem in primis, intellectum illud principium de dubio practico ſemper eſſe ſeruādum, vt declaratum eſt. Sic autem intellectum illud principium [illegible] illo ponitur comparatiuum *tutius* quia non a tuto ſed a periculoſo practice diſcernitur. Si vero intelligatur de dubio ſpeculatiuo, & tutius dicatur id, in quo minus eſt periculum tranſgreſsionis [illegible], dicimus regulam illam non eſſe ſemper [illegible] nec ſub præcepto, negamus tamen inde ſequi nunquam habere locum cum obligatione præcepti. Nam ſeruanda eſt, quando cætera ſunt paria, vt dixi ſeu quādo ex neutra parte intercedit poſſeſsio, aut peculiare ius, vel ratio, quæ practice conferat ſecuritatem, ac certitudinem: & hāc dicimus in præſenti interuenire, vt oſtenſum eſt, non tamen ſemper inueniri, vt quando dubium anteceſsit poſſeſsionem, & in caſibus ſimilibus.

18. *Quo pacto in dubijs tutior pars eligenda ſit.*

Caput VI.

De obligatione voti quoad valorem eius.

Svpereſt vt dicamus de alia parte propoſita, quando conſtat de voto facto, dubitatur autem de valore, vel duratione eius, an ſeruandum ſit. Hæc autem dubitatio ex multis capitibus oriri poteſt, iuxta varia impedimēta, quę poſſunt auferre valorem voti. Vnum eſt pendens ex lege poſitiua & hoc non habet locum niſi in voto ſolenni Religioſæ profeſsionis, & ideo illud nunc omittimus in proprium tractatum, Nam circa vota ſimplicia, ſeu per ſe ſumpta non

1. *Proponitur ſtatus quæſtionis.*

non ſunt per legem Eccleſiaſticam introducta impedimenta omnino irritantia valorem voti, præter ea, quæ ius naturale dictat: ſunt autem aliquæ conditiones, cum quibus factum votum eſt irritabile, & pendent ex iure humano, vt quod votum ſit factum ante decimum quartum ętatis annum. Et in his probabiliter cenſeo in caſu dubio, iudicandum eſſe votum infirmum, ſeu irritabile. Ratio eſt, quia fauores ſunt ampliandi, pertinet autem ad fauorem, vt talia vota irritabilia ſint. Qui fauor non ſolum perſonarum, ſed ipſius etiam Religionis, & Diuini cultus cēſendus eſt, quia talia vota facilè franguntur, & ideo

1 consultius eſt, vt irritari valeant. Et hoc confirmat exemplum ſupra adductum de caſibus reſeruatis, qui abſolute dicti includunt tantum caſus moraliter certos: ita enim vota non irritabilia illa tantum cenſentur, quæ conſtat habuiſſe tales, vel tales conditiones: nam ſicut reſeruatio, ita exemptio à poteſtate irritantis videtur odioſa, & reſtringenda. Denique ibi etiam poteſt applicari principium, quod melior ſit conditio poſſidentis, quia dum non probatur, verbi gratia, impuberem perueniſſe ad pubertatē, ſemper eſt quaſi in poſſeſſione parentis, & ex dicendis hoc magis conſtabit, viderique poteſt Sancius dicta diſp. 41 lib. 2. num. 39.

Conditio faciens votū irritabile, eſt ætas.

Sanci.

2. Aliud impedimentum valoris voti ex natura rei eſſe poteſt ex parte voluntatis vouētis, vt quādo cōſtat, aliquem verba vouendi emiſiſſe, dubium autem eſt, an habuerit intentionem vouendi, aut ſe obligādi, vel licet de intentione cōſtet, dubium eſt, an fuerit cum ſufficienti vſu rationis, vel propter defectū ætatis, vel propter vehementem iram, vel timorem, aut aliam ſimilem paſsionem. Et pro his caſibus non poteſt vna generalia regula conſtitui, præter hanc, vtendum eſſe prudentibus coniecturis ad iudicium ferendum de valore voti. Primo igitur quando ambiguitas voti tota eſt de intentione, & conſenſu vouentis, conſiderādum in primis videtur, an dubium ſit de ſenſu, in quo verba voti dicta fuere, an ſcilicet dicta fuerint ad ſignificandam promiſsionem, vel ſolum propoſitum? Et tunc dicimus, quando facto examine ſuæ intentionis, vouens non potuerit certus de illa reddi, nec probabile iudicium proferre, tunc ſpectandam eſſe proprietatem & vim verborū: nam ſi in rigore, & proprietate non ſignificant promiſsionem, manifeſtum eſt, nō obligare: item ſi ſunt ambigua, & in rigore poſſunt vtrunque ſenſum proprie reddere benignior interpretatio facienda eſt, vt non inducant obligationem: hoc enim probant omnia adducta in præced. cap.

Secunda cōditio, vel impedimentū, eſt defectus voluntatis.

3. At verò ſi verba in rigore ſignificant promiſsionē ſolam, & non cōſtat de intentione extrahendi illa à propria ſignificatione, licet non conſtet poſitiue de intentione ſe obligandi, aut vere promittendi, tale votum obligat & non votum dubium, ſed moraliter certum iudicādum eſt. Ratio eſt, quia ibi eſt maxima præſumptio, quę humano modo eſſe poteſt de veritate voti, & ſufficiens motiuum ad probabiliter iudicandum, tale votum factum eſſe cum intentione vouendi: quia verba de ſe ſunt ſufficientia ſigna animi vbi contrarium non conſtat: vt enim ait Iuriſconſultus in Leg. *Labeo*, ff. de Supellectilib. lega. *Nemo dicere præſumitur, quod non ſentit.* Item quia *facta non ſunt in deteriorem partem interpretanda*, cap. 2. Ext. de Regul. iur. At vero in dicto caſu talis intentio ita erat neceſſaria verbis, vt ſine illa non poſſent verba ſine peccato proferri: ergo non poſſunt ita intelligi, nec illo titulo poteſt quiſpiam excuſari ab obligatione, nemo enim excuſari poteſt ab obligatione, pręſumendo in facto ſuo præterito culpam, vt ſupra etiam de iuramento dixi. Itē quia alias innumera vota iam facta redderentur incerta & eluderetur eorum obligatio, ſi ſufficeret ſola non recordatio poſitiua (vt ſic dicam) intentionis ſe obligandi.

Quomodo per vim verborum iudicandum ſit certum votum.

4. Quapropter multo maiori ratione quoties aliquis nō dubitat, quin verba voti dixerit in ſenſu promiſſorio, ſeu ad promittendum exterius, licet dubitet, an ficte, vel ex animo illa dixerit, obligandus eſt ad ſeruandum votum, niſi tot, tamque probabiles coniecturæ ſint in contrarium, vt determinent intellectum ad iudicandum ficte vouiſſe. Ratio eſt eadem, quia eo ipſo quod tales coniecturæ non adſunt, eſt moralis, ac vehemens præſumptio pro voto. Et quia etiam tunc non eſt culpa præſumenda, fictio autem illa nō fuiſſet ſine culpa. Denique in his caſibus poſſeſsio magis fauet voto, & Deo quam vouenti, nam tunc iam ſatis conſtat ligatum fuiſſe vouentem verbis oris ſui, quantum eſt ex parte illorum, & non cōſtat de contrario impedimento volūtario: ergo ius, & pręſumptio eſt pro voto. Atque hoc à fortiori ſentiunt Authores primæ ſententiæ allegati cap. pręced. & alij, quos in ſimili de iuramento citauimus lib. 2. c. 26. & ita eſt intelligendus Anton. in 2. part. tit. 11. ca. 2. Notab. 6. cum dicit, hoc eſſe tutius, nimirum ita vt aliud tutum non ſit.

Declaratur amplius hæc [illegible] & obligatio.

Anton.

Secundò: Quando de verbis, & intentione conſtat, dubitatur autem de vſu rationis, diſtinguēdum videtur, an dubium ſit de defectu radicali (vt ita dicam) ſeu naturali facultate ad vtendū ratione, qualis in pueris inuenitur, vel de accidentali impedimēto, quod ſolet ad tempus tollere aptitudinem ad vtēdū ratione, vt eſt ebrietas, ſomnus, phreneſis ex febri vel alia ſimili cauſa, vel ſolum eſt ſubita commotio, & præcipitatio in vouendo, ratione cuius ſolum dubitatur de actuali vſu rationis ſufficiente. In primo caſu Soto dicto lib. 7. q. 3. art. 2. non ſolum dicit votū in eo caſu non obligare, ſed notabilem regulam ſtatuit: *Quoties votum eſt factum ante legitimum tempus pubertatis non obligare in conſcientia, niſi vouēs ſit ita certus, quod tunc habuerit vſum rationis, vt nulla, aut tenuiſſima apud viros prudentes reliqua ſiat dubitatio contrariæ opinionis.* Et hanc ſententiam ſequuntur aliqui Moderni, vt refert Sanci. li. 1. diſp. 9. num. 12. Ipſe vero in n. 14. diſtinguit de tempore ante ſeptenniū, vel poſt; nam in priori tempore probandam cenſet Soti opinionem, non autem in poſteriori. 5.

An votum obliget quando de uſu rationis vel [illegible] dubitatur.

Soto.

Sanci.

Et certe rationes Soti nullo modo procedunt de tota ætate ante pubertatem, nec de toto ſecundo ſeptennio. Prima enim ratio eius eſt, quia ius non præſumit in impubere vſum rationis, ergo nō eſt in cōtrarium adigendus niſi luculenter id ratio conuicerit. Huius aūt rationis antecedēs verum eſt de primo ſeptennio ætatis, non de toto tempore impubertatis: nam Ius cenſet ſponſalia poſt ſeptēnium ætatis facta eſſe valida: ergo præſumit vſum rationis in illa ætate, quia ſine vſu rationis nullus contractus poteſt eſſe validus. Et ita ſumitur ex d. c. *Iuuenis*, & cap. *Litteras*, & cap. *Acceſsit*, de Deſponſ. impuber. quibus locis Interpretes id notant. Altera ratio Soti eſt, quia nemo ante legitimum illud tempus tenetur Eccleſiaſticis legibus Sacramentorum, & ieiuniorum: ergo nec votis, niſi clare conſtet, eſſe doli capacem. Sed illud, quod de pręceptis ieiuniorum aſſumitur impertinens eſt ad rem præſentem: quia in eis non tantum conſideratur vſus rationis, ſed etiam vires corporis, vnde nec poſt pubertatem obligāt vſque ad certum annorum numerum. Quod vero aſſumitur de præceptis Sacramentorum plane falſum eſt: nam ante decimum quartum annum tenentur pueri, per ſe loquendo, audire Miſſam, & confiteri, quia ordinariè ſunt capaces peccati mortalis, & communicare iuxta arbitrium Confeſſoris. Quare duæ iſtæ rationes optime poſſunt in cōtrarium retorqueri pro votis emiſsis à ſeptennio ætatis vſque ad annos pubertatis: videtur autem rectè procedere pro altera parte de votis emiſsis ante ſeptennium. 6.

Ca. Iuuenis.
C. Acceſsit.

Addo vero etiam de his votis non eſſe ferendum iudicium ex ſola præſumptione ætatis, quæ præſumtio Iuris non extenditur ad conſcientiæ forum, quādo in illo aliud conſtat de veritate, ſi Ius non irritauit actum. 7.

actum. In præſenti autem nullum ius eſt, quod irritet votum factum ante ſeptẽnium (de ſimplici enim agimus) ergo ſi conſtet ante ſeptennium non defuiſſe ſufficienter vſum rationis, qui ad peccãdum mortaliter ſufficeret, votum erit validum, & obligãs. Nec videtur neceſſarium, vt id conſtet tanta certitudine, vt nulla formido, vel coniectura in contrarium relinquatur, quia in rebus humanis nõ poſtulatur tam exacta certitudo, neque in hoc caſu aſsignatur ſpecialis ratio, ob quam requiratur, ergo ſufficient tãta ſigna vſus rationis, vt moraliter cogant, non obſtante præiudicio ætatis. Illa enim poſſunt reddere iudicium ita probabile, vt contrarium non poſsit probabile cenſeri propter ſolam coniecturam ætatis: quotieſcumque autem iudicium eſt ita probabile, ſufficit ad humanam obligationem. Quando autem probabilitas non eſt tam vehemens, verũ eſt, ſolam coniecturam, & præſumptionem ætatis minoris ſeptennio ſufficere, vt votum cenſeatur non obligare. Cõtrarium vero dicendum eſt de votis factis poſt ſeptẽ annos ætatis, reliquo tempore ante pubertatem: ex vi circumſtantiæ ætatis potius præſumitur votum validum, quam nullum, quia in ea ætate Ius præſumit vſum rationis: nihilominus tamen tot poſſunt eſſe in contrarium coniecturæ, vt præualeant contra præſumptionem ætatis, iuxta caput *Puberes*, de Deſponſ. impuber. Aliquando etiam poſſunt non ſufficere ad formandum iudicium probabile de defectu vſus rationis, & nihilominus poſſunt efficere rẽ dubiam, ita vt ſaltem æquiualeant præſumptioni ætatis: & tunc etiam cenſeo, votum non obligare, iuxta principia poſita. Atque ita ſemper ſeruatur hic regula, quod in dubio votum non obligat formaliter loquendo (vt ſic dicam) nam ſi aliquando ex præſumptione ætatis cenſetur obligare, ideo eſt, quia illud iudicium, quando aliud æquiualens non obſtat, per ſe ſufficit ad iudicandum probabiliter non defuiſſe vſum rationis, & ſic iam tollitur dubium.

8. *An deobliget votum impedimentum vſus rationis accidentale.* Supereſt dicendum de ſecundo caſu, in quo dubitatur de vſu rationis propter impedimentum accidentarium, quod ſit aliquando permanens, & ſolet aptitudinem proximam ad ratiocinandum auferre, vt eſt ſomnus, ebrietas, vel quid ſimile. In quo caſu videri poteſt, non obſtante dubio votum obligare. Quia tunc ſupponitur in perſona ſufficiens ætas, ſtatus, ac interna diſpoſitio per ſe ſufficiens ad vſum rationis: ergo niſi contrarium ſufficienter probetur, ſemper iudicandum eſt, non defuiſſe vſum rationis, ac ſubinde votum eſſe validum: ergo licet dubitetur de vſu rationis, votum iudicãdum eſt validum. Confirm. quia dubium nõ ſufficit ad probãdum impedimentum: ergo cum homo ſit quaſi in poſſeſsione vſus rationis, pro illo præſumitur in caſu dubio, ergo & pro voto, & valore eius.

9. Nihilominus cenſeo in illo caſu, ſi verum ſit dubium de tali impedimento, conſequenter etiam eſſe dubium de voto, ac ſubinde nõ obligare. Probatur, quia tunc vere dubitatur de valore voti, & nulla eſt ſufficiens ratio præſumendi vſum rationis, exiſtente tali dubio. Quia hæc impedimenta licet non ſint perpetua, tamẽ ſunt naturalia ſuppoſitis talibus cauſis: ergo quoties iure dubitatur de tali impedimento, dubitatur conſequenter de toto valore actus, & conſequenter etiam de obligatione. Et declaratur exemplo: nam qui paſſus eſt pollutionem in ſomnis, licet dubitet, an in eo puncto temporis habuerit ſufficientem vſum rationis, necne, nihilominus non poteſt iudicari peccaſſe mortaliter, ſed potius contrarium præſumendum eſt: ergo idem erit ſi dormitando, vel in dubio, an ſufficienter fuerit expergefactus, votum emiſerit: nam ſæpe dictum eſt in hac materia, æquiparari votum, & mortale peccatum. Neque contraria præſumptio ex ſola ætate, & naturali diſpoſitione quicquã iuuat: tum quia etiam eſt naturale impedimentum reſpectu ſuæ cauſæ & illa ſuppoſita: & reſpectu perſonę ſolet illa cauſa eſſe ſufficienter durabilis, vel ſuis temporibus ordinaria, ac proinde ſufficiens ad dubitationem inducendam, non obſtante interna diſpoſitione per ſe conueniente. Tum etiam quia licet daremus in tali dubio præſumẽdum eſſe pro vſu rationis in his, quæ ſpectant ad fauorem perſonæ, non tamen in his, quæ ſpectant ad onus, & obligationem: nam vt habet regula iuris in 6. *Quod in gratiam alicuius conceditur, non debet in odium retorqueri*, & in ſimili docet Nauar. in Comment. quarto. de Regul. numer. 72. cum Gloſſ. Bart. & alij in Le. *Qui iuraſſe* § *ſi Pater*, ff. de Iureiurand. & Felin. in capit. vltim. de Præſumpt. numero 13. *Nauar. Gloſſ. Bart. Felin.*

10. *An obliget votum emiſſum in ſubita paſsione.* At vero in tertio caſu de ſubita paſsione, vel præcipitatione orta ex tranſeunte occaſione, non videtur eſſe eadem ratio: quia ſimilis commotio non ſolet omnino abſorbere vſum rationis, ita vt tollat libertatem ſufficientem ad peccandum mortaliter, ſed ſolum perfectam deliberationem, & ideo non videtur inde oriri ſufficiens dubium, quod obligationem voti impediat. Confirmatur, quia licet interdum huiuſmodi paſsio tollat vſum rationis omnino, rarò tamen id contingit, quæ autem raro contingunt, non præſumuntur, niſi ſufficienter probentur: ergo. Atque ita ſenit Panormitanus, in cap. *Dudum*, de Conuerſ. coniug. numer. 8. & Felin. cum alijs in capit. *Sicut ex litteris*, de Iureiurand. numer. 3. Qui maximè videntur loqui in foro exteriori, tamẽ quia hoc non fundatur in falſa præſumptione, ſed in vera, & probabili coniectura, idem dicendum erit in foro interiori. Solum aduerto in hoc caſu (& idem fere eſt de cæteris) aliud eſſe quærere, an ſtante vero dubio de vſu rationis actuali, & ſufficiente ad liberum conſenſum, naſcatur obligatio: aliud vero eſſe quærere, quando ſit, vel non ſit tale dubium. In priori quæſito ſemper verum eſt, ſtante hypotheſi, quod tale dubium negatiuum verum ſit, votum non obligare, quia eſt dubium an ſit votum, & ita procedunt omnia ſupra dicta. Dicti ergo Authores proprie tractant ſecundam quæſtionem, & in eo ſenſu dicunt, votum factum ex calore iracundiæ, ſi non conſtet poſitiuè, & per iudicium fere certum abſtuliſſe vſum rationis, obligare, quia ſolus calor iracundię per ſe non ſufficit ad conſtituendum morale dubium de ſufficienti vſu rationis, niſi aliæ circumſtantiæ accedant. Et in hoc ſenſu recte procedit dicta reſolutio, & coniecturæ quæ oſtendunt in hoc eſſe diuerſitatem aliquam inter hunc caſum & duos præcedentes. *Panorm. Felin.*

11. *An votũ de certa materia dubitatur an ſit licita obliget.* Tertio poteſt dubitari de valore voti ex parte materiæ, quia dubitatur, an ſit licita, vel illicita, & in hoc caſu contendunt aliqui moderni, tale votum non obligare: tum quia etiam tunc res eſt dubia, & ita procedit regula, vt in dubio melior ſit conditio poſſidentis: parum enim videtur referre, quod dubium ex hoc, vel illo capite naſcatur, ſi de facto totum votum, valor, ac obligatio eius dubia reddantur. Tum etiam, quia ſeruando tale votum exponitur quis periculo peccandi, quia ad implendum votum facturus eſt rem: de qua dubitat, an ſit peccatum. Tum denique quia dubitans, an vouerit talem, vel talem materiam, non obligatur ad eam, de qua dubitat: ergo ſimiliter, &c.

12. *Reſolutio dubij.* Nihilominus contrarium cenſeo verius abſolute loquendo nimirum tale votum obligare ad ſui obſeruationem, vel non tranſgreſsionem, dummodo in illius obſeruantia prudens, ac debitus modus ſeruetur. Priorẽ partẽ probo primo ex his, quæ in ſimili caſu de iuramento dict. cap. 26. dixi. Nam ſine dubio eſt eadem vtriuſque ratio: dixi autem ibi iuramentum promiſſorium, in quo dubitatur de honeſtate materiæ, non eſſe de ſe nullum, ſed obligare. Cuius argumentum eſt, quia indiget diſpenſatione, vel

decla-

declaratione Prælati, vt ex Diuo Thoma, & multis authoribus allegaui, qui omnes poſſunt pro hac parte allegari, propter æquiparationem voti cum iuramento. Et ita illa expreſſe æquiparat in hoc puncto, Gloſſa in cap. *Magna*, de Voto, verb. *Noluiſti*, & ſequitur ibi Anton. numer. 14. & in ſimili idem docet Roſel. referens Archid. *Votum*, 5. nume. 6. in fine. Nauarrus cap. 12. numer. 54. verſ. *Vigeſimo ſexto*. Et expreſsè Anton. 2. part. titul. 11. cap. 1. §. 2. in vltimis verbis. Et probatur primo, quia ille, qui ſic dubitat, certus eſt ſe vouiſſe, & quantum eſt ex parte ſua ſe obligaſſe: ergo non poteſt propter dubium ſolum ex parte materiæ excuſari, & pro nihilo votum habere, quia dubium illud iam non fauet illi tanquam poſsidenti libertatem ſuam, quandoquidem certus eſt, ſe voluiſſe obligare. Secundo declaratur in hunc modum, quia ad valorem voti duo neceſſaria ſunt: vnū eſt, vt homo velit ſe obligare, ſeu vouere, aliud eſt, vt Deus acceptet: quando ergo eſt dubium ex parte materię, non eſt dubium de valore voti ex parte voluntatis vouentis, ſed eſt dubium ex parte Dei acceptantis: ergo cum homo de voluntate ſua ſit certus, ſaltem procurare debet, vt de Diuina acceptatione certior fiat: ergo debet conſulere Chriſti vicarium in eo dubio, vt vel diſpenſet, vel interpretetur. Vnde argumentor tertiò: nam votum includit illam conditionem, ſi hoc fuerit poſsibile, aut licitum: ergo tale votum ſub ratione ſaltem conditionati non eſt dubium, ſed certum, atque adeo ſub ea ratione poſſeſsio eſt ex parte voti, ſeu Dei: ergo cum dubium tantum ſit, an conditio fuerit expleta, nec ne, non eſt, cur vouens ſua authoritate, & arbitrio, rem in ſuum fauorem interpretetur, & votum deſpiciat, ſed tenetur ſaltem Prælati arbitrium, aut interpretationem, vel diſpenſationem procurare. Et hæc eſt ſine dubio communis mens Theologorum, quæ ſola tuta, & ſecura apparet.

Gloſ. Anton. Roſel. Nauar.

13. Addidi autem in poſteriori parte neceſſariam eſſe prudentiam in talis voti executione: quia ſtante dubio practico, an res promiſſa liceat; non poteſt quis progredi ad voti executionem, quia eſſet temeraria, & periculo peccandi expoſita. Nec ſufficit ad expellendum dubium practicum neceſsitas implēdi votum, quia votum eſt valde extrinſecum, & in eo faciendo non interuenit voluntas Superioris, quę præferenda ſit dubio, ſed interuenit propria voluntas, quæ non habet illam prærogatiuam, vt per ſe cōſtat. Quando ergo tale oritur dubium, tenetur vouens, ita ſe gerere, vt nec exequatur, nec tranſgrediatur votum, priuſquam rem examinet, & dubium repellat. Quod ſi nec per ſe, nec prudentum arbitrio potuerit ſufficienter reddi certus ſaltem practicè, de incapacitate materiæ ad voti obligationem, debet diſpenſationem, aut interpretationem Prælati procurare. Quod ſi antequam hanc diligentiam facere valeat, ſit neceſſarium votum exequi, vel omittere, tunc excuſabitur ab impletione voti, quia poteſt iudicium certum formare, quod pro tunc nō obligat: quia ſicut Deo non placent praua obſequia: ita nec illa, in quibus imminet prauitatis periculum, quod euitari non poteſt.

Limitatio apponenda reſolutioni.

14. Vnde conſtat idem cum proportione eſſe dicendum, quoties poſt votum certum, & obligatorium oritur dubium ex mutatione materiæ: nā ſi non poteſt depelli dubium per priuatam diligentiam circà cognitionem facti, aut Iuris, vtendum eſt diſpenſatione, aut interpretatione Superioris, quod fieri poſſit. Si autem non poteſt, cauendum eſt periculum peccandi: ſi autem hoc periculum non imminet, ſeruandum eſt votum: niſi tam graue incommodum timeatur, vt moraliter conſtet, non fuiſſe intentionem vouentis ſe obligare cum tanto diſcrimine, iuxta principia poſita capite tertio. Ex quo tandem conſtat, quid dicendum ſit, quando votum eſt certum omni ex parte, ſolumque inciditur in dubium, an fuerit impletum nec ne? Tunc enim ſi non poteſt quis ſaltem probabiliter iudicare ſe impleuiſſe votum, tenetur illud ſeruare, quia debitum eſt certum, & ideo quamdiu ſolutio eſt incerta, ius poſſeſsionis fauet creditori, vt ex materia de Iuſtitia cōſtat.

Capvt VII.

Quomodo votum interpretandum ſit, quando materia eius certa, & determinata non eſt?

HAEc difficultas maxime locum habet in circūſtantia materiæ promiſſæ, quamuis interdum etiam verſetur circa aliquid, quod ad ſubſtantiam materiæ pertinet, vt videbimus. Ratio autem difficultatis eſt, quia votum non obligat, niſi ad ea, quæ vouens intendit, & vult, ſæpe autem vouens in promiſsione non determinat omnes circumſtantias actus promiſsi, & interdum, non ſatis declarat, quid in eo comprehendatur: merito ergo dubitatur, quomodo poſsit tunc votum obligare? Vel ſi ad circumſtantias nō obligat, quomodo obligare poſsit ad nudam ſubſtantiam actus, quæ ſine circumſtantijs exerceri non poteſt? Vel denique quomodo in obſeruatione voti illę determinandæ ſint, ſi ſub votum nō cadunt? Quæ difficultas petit fere omnia, quę de hac voti obligatione dicenda ſuperſunt, quæ declarabūtur commode aſsignando prius aliquas generales regulas in hoc capite, & in ſequentibus ad particulares circumſtantias illas applicando. 1.

Quādo ſunt certa de cōmiſſione ſoli, ſed dubita de impletione, tenetur ad illud.

Pro generalibus autem regulis conſtituendis tria capita diſtinguenda ſunt, (ex quibus diſcerni poteſt, ac debet, quando, aut quomodo obliget votum ad determinatas circumſtantias) videlicet intentio vouentis, natura voti, ſeu materiæ eius, & verba quibus votum exprimitur, aut interius concipitur. Probatur, quia hæc ſunt per ſe requiſita in voto, præſertim humano: nam intētio eſt prima radix huius obligationis, vt ſæpe dictum eſt, quia eius obligatio voluntariè aſſumitur, & ideo per intētionem determinari poteſt ad tales, vel tales circumſtantias. Hæc autem intentio ordinarie accommodatur materiæ voti, explicatur aūt per verba, ita vt etiam dum interius concipitur per mētalia verba inſinuetur vt ſupra declaratū eſt. Ergo per ſe loquēdo optimè ex his principijs declarabuntur circumſtantiæ voti. Verum eſt tamen, etiam aliunde fieri poſſe coniecturam, vt ex occaſione vouendi, ex modo, & ſimilibus, quæ magis accidentalia ſunt, & ad verba reduci poſſunt, quia ordinariè in tantum conſiderantur, in quantum ad ſenſum verborum explicandum conferunt. 2.

Dico ergo primo, Si vouens determinate, & ſatis expreſſe intendit omnes circumſtãtias, cum quibus vult obligari ad votum ſeruandum, ad illas obligat votum per ſe loquendo, & cum illis ſufficienter implebitur: & tunc ſi illæ voluntariè omittantur, ex ea parte violabitur votum. Hoc totum certum eſt ex illo principio, quod tota obligatio voti pendet ex intentione vouentis, iuxta illud Deut. 23. *Facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es.* Propria ergo voluntas, ſeu intentio eſt regula obligationis, iuxta c. *Cum dilecti*, cum ſimilibus, de Donat. vbi id notatur ab Authoribus. Et ratio eſt, quia hæ voluntariæ obligationes à voluntate trahūt originem, & ipſa ſola eſt efficax ad inducendam, vel definiendam obligationem, quando ex parte obiecti, & circumſtantiarum non eſt repugnantia, quod in præſenti ſupponimus: nam loquimur de circumſtantijs honeſtis, & aptis ad votum implēdum. Et ita in hac regula nulla eſt controuerſia, vel difficultas quoad obligationem, ſtante poſsibilitate. 3.

1. Aſſertio. Si vouens determinatè, & expreſſe intendat omnes circumſtãtias voti, quibus vult obligari, ad illas etiam tenetur.

Deut. 23. Cap. Cum dilecti.

Solum poteſt interrogari, quando circumſtantiæ à vouente intentæ non poſſunt ſeruari, ceſſet, ne obligatio- 4.

An ceſſet obligatio voti quando circumſtantia non poſſunt ſeruari. Reſolutio dubij.

ligatio voti, etiamſi actus quoad ſubſtantiam cum aliis circumſtantiis ſeruari poſsit. Sed hoc per eandem intentionem determinandum eſt. Conſiderandum eſt enim, an illa circumſtantia, quæ impleri non poteſt, ita fuerit principaliter intenta, vt vouens non habuerit animum ſe obligandi ſine illa: ita vt fuerit intenta tanquam conditio neceſſaria ad ſubſtantialem obligationem voti: tunc enim illa deficiente ceſſat tota obligatio voti, non vero alias. Ratio vtriuſque facilis eſt, quia in priori caſu circumſtantia reducitur in ſubſtantiale obiectum reſpectu talis intentionis vouentis: vel certe intentio ſubſtãtiæ non eſt abſoluta, ſed cum tali conditione, quæ non impletur, & ideo ceſſat obligatio. In poſteriori autem caſu intentio de ſubſtãtia actus, & obligatione eius eſt principalis, & abſoluta, circumſtantia autem ſolum eſt vt modus acceſſorius, & ideo principale non ceſſat, deficiẽte acceſſorio. Quando autem intentio ſit talis, ſi fuerit expreſſa, per illam ſatis conſtabit, ſin minus, aliis coniecturis, & regulis vtẽdum eſt ad iudicium de illa ferendũ, iuxta infra dicenda.

5. *Confirmatur ab exemplis.*

Duobus exemplis poteſt hoc declarari ſumptis ex D.Tho. & Caiet. Vnum eſt de illo, qui vouit ſumere ſtatum Religioſum in tali monaſterio, quæ determinatio pertinet ad circumſtantiam voti, & de illa dicit D.Tho. art.3. ad 2. quod ſi vouens principalem intẽtionem ſuam direxit ad tale monaſterium propter complacentiam in illo ſolum tenetur facere, quod in ſe eſt, vt illud ingrediatur, quod ſi non poſſit, quia non recipitur, liber à voto manet: ſecus vero eſſe ſi principaliter intendit illam Religionem, & ſecundario talem locum. De quo exemplo plura in ſequenti volumine tractando in particulari de voto Religionis. Aliud exemplum eſt de voto fœminæ, quæ vouit ſeruare perpetuam virginitatem: quod etiam attigit D.Tho. in eadem ſolutione, inquirens, an ſi ſemel perdiderit virginitatem, amplius voto obligetur ad ſeruandam caſtitatem, quod pertinet ad circumſtantiam *Quid*. Et reſpondet D.Tho. debere ſeruare, quod poteſt, ſcilicet perpetuam continentiam. Quod ſpectat ad aſſertionem ſequentem. Ad hanc vero pertinet, quod Caiet. addit, ſi ex intentione ſic vouentis eſſet determinata promiſsio ad ſolã negationem violationis clauſtri virginalis, & non eſſet extenſa ad omnem priuationem actus libidinoſi, tunc amiſſa ſemel virginitate, ad nihil obligare votum: quia materia eius facta eſt impoſsibilis, & caſtitas poſsibilis ex intentione vouentis non fuit ſub voto comprehenſa. Talis enim intentio, nec repugnantiam inuoluit, ſed pro libertate vouentis haberi poteſt, vt conſtat, nec in ſe turpis eſt aut meliori bono repugnat, licet non ſit de integra, & perfecta caſtitate, quod neceſſarium non eſt ad valorem voti. Sic ergo materia limitanda eſt iuxta intentionem vouentis. Quod adeo verum cenſeo, vt licet poſt tale votum virgo illa frangeret votum ex directa intentione, vt libera maneret ad matrimonium contrahendum: nihilominus poſt corruptionem non obligaretur voto, quia de facto nihil aliud vouit, vel intendit. Neque propterea illa reportat commodũ ex ſua malitia, quia grauiſsime peccare non eſt commodum, neq; reddi ineptã ad obligationem virginitatis propter carentiam illius, & iuxta hæc de alijs materijs iudicandum eſt.

6. *2. Aſſertio. Cum intentio vouentis formaliter non præſcribit particulares circumſtantias in tali materiã determinandæ ſunt.*

Dico ſecundo: Quando intentio vouentis expreſſe, ac formaliter non præſcribit particulares circumſtantias, ſed ſimpliciter fertur in talem actum, tunc ad materiam voti recurrendum eſt, & iuxta exigentiam eius, conſiderata eius intrinſeca natura, vel inſtitutione, determinandæ ſunt aliæ circumſtantiæ, quoad fieri poſsit. Hæc etiam aſſertio colligitur ex communi doctrina Theologorum, & Summiſtarum, quos ſtatim referemus. Ratio vero eius eſt, quia acceſſorium ſequitur principale, materia autẽ voti eſt id, quod primo fertur intentio vouentis, ergo conſequenter etiam fertur in circumſtantias, prout ex natura rei conſequuntur, aut comitantur talem materiam; ergo eo ipſo, quod vouens illas non excludit, aut mutat ſpeciali intentione, implicite cenſetur illas promittere prout materia poſtulat. Deinde paucis exemplis res illuſtratur.

7. *Fit clarior res exemplis.*

Primum ſit proxime adductum de voto virginitatis: nam ſi non ſatis certo conſtet de intentione limitante illam materiam modo proxime declarato, votum illud de ſe obligat ad abſtinendum ab omni actu venereo ſufficiente ad tollendam virginitatem, & conſequenter ab omni venerea turpitudine, quæ de ſe ad talem actum tendit, vt ſentit D. Thom. ſupra, & ſequuntur Maior in 4. diſtinct.38.q.3. ad 5. Turrecrem. in cap. *Quod autem*, 17.q.1.n.11. Abul. in cap.30. Num.q.55. Soto libr.7.q.2. art 1. ad 3. Nauar. c.12.nu.43. verſ. *Decimo quarto*, & alij præſertim Caiet. qui bene hoc declarat ex materia talis voti, quæ eſt virginitas: nam illa includit negationem venereæ voluptatis ſimpliciter, & abſolute. Et ideo votum virginitatis abſolute prolatum includit votum caſtitatis in communi omnium hominum vſu, & conceptu. Quare ſicut habens votum caſtitatis, licet ſemel, aut iterum illud violet, ſemper manet obligatus ad ſeruandam illam in poſterum, ita etiam qui vouit virginitatem, licet illam perdat, tenetur abſtinere ex voto ab actibus venereis: quia illi de ſe ſufficiunt ad tollendam virginitatem, vel eo tendunt, & per accidens eſt, quod illam materialiter nõ tollant, quia in ſubiecto non præſupponitur. Votum enim abſolute factum hoc non reſpicit, ſed honeſtatem integræ caſtitatis, & abſtinentiæ ab omni tali turpitudine, & ideo de ſe includit abſolutam carentiam talium actuum. Et illa intentio explicata à Caiet. adeo eſt extraordinaria, & aliena à conditione talis materiæ, & ab vſu vouendi illam, vt præſumi non poſsit, niſi de illa certo conſtiterit.

D. Thom. Maior. Turrec. Abul. Soto. Nauar.

8. *Obiectio Caietani.*

Quod vero Caiet. contra hoc obiicit; quia ſi illa virgo eſſet præſcia ſui lapſus, non vouiſſet caſtitatem ſeruandam poſt illum: ergo ſignum eſt, neque à principio hoc intendiſſe. Hoc (inquam) nullius momenti eſt: tum quia aſſumptum vel eſt falſum, vel ita incertum, vt ſciri ab homine non poſsit, & contrarium facile credi poſſet, quia forte in vindictam, & emendationem ſui lapſus continentiam ſeruare decreuiſſet: tum etiam quia illatio nulla eſt, nã præſens intentio, & ſenſus, ac obligatio voti non pendet ex eo, quod homo vouiſſet, ſi hoc, vel illud præſciret, ſed ex eo, quod actu vult, & vouet iuxta præſentem cognitionem, vt in materia de Iuramento attigi, & in ſequentibus declarabo. Imo addit Diuus Thomas virginem poſt tale votum lapſam non ſolum teneri ad ſeruandam continentiam, ſed etiam ad agendam pœnitentiam prioris lapſus. Sed hoc non eodem modo accipiendum eſt: nam ad continentiam tenetur ex voto; ad pœnitentiam vero de incontinentia priori nõ tenetur ex voto, ſed ex præcepto pœnitentiæ: quia in voto virginitatis hoc non includitur. Niſi fortaſſe intelligatur negatiue, id eſt, de non complacẽdo in lapſu præterito, nam ad hoc votum extenditur: nam ſicut ex vi voti prohibetur, non ſolum actus exterior contrarius, ſed etiam deſiderium eius, & conſenſus in illum, ita etiam prohibetur complacentia in actu iam commiſſo, & voto contrario, quia eiuſdem eſt malitiæ, quod generale eſt omni voto.

9. *Vouens ieiunare, debet votum implere ſecundum exigentiam ieiunij Eccleſiaſtici.*

Secundum exemplum eſſe poteſt de voto ieiunandi tali die: nam ſi nihil ſpeciale per intentionem vouentis determinetur, obligat iuxta exigentiam ieiunij Eccleſiaſtici, quia illa eſt natura talis materię, & ſolet in Eccleſia intelligi nomine ieiunij. Vnde ſi quæratur, quomodo computandus ſit dies pro quo obligat votum illud, dicendum eſt computari ſecundum naturalem curſum à media nocte antecedente vſque ad ſequentem, quia ita intelligitur Ec-

Digitized by Google

cleſiaſticum ieiunium. Et eadem ratione obligat votum ad abſtinendum à carnibus per abſolutam negationem, ita vt ſi ſæpius eo die comedantur, ſæpius peccetur, quia ita obligat præceptum Eccleſiaſtici ieiunij, & eſt communis, & certa ſententia. Si vero quæratur, an vouens ieiunare, teneatur abſtinere à lacticinijs, cum de hoc nihil cogitauit? Reſpondendum eſt, extra Quadrageſimam non teneri. quia ſimpliciter non eſt illa abſtinentia de ratione ieiunij niſi Quadrageſimal. Vnde dixit Sylu. ver. *Ieiunium*, q. 5. n. 15. citans Palud. illum, cui iniunctum ieiunium ſimpliciter non teneri abſtinere à lacticinijs, ſed à carnibus: idem ergo eſt de vouente ieiunium ſimpliciter. Poſſet autem hoc limitari, niſi votum fieret, vbi cõſuetudine obligante, receptum eſſet, vt in omnibus diebus ieiuniorum abſtineretur à lacticinijs; tunc enim veriſimilius eſſet, votum eſſe factum de ſimili ieiunio.

An vouens ieiunare teneatur abſtinere etiam à lacticinijs. *Solutio.* *Syluest.*

10\. Denique ſi quęratur, an votum illud obliget ad non comedendum, etiam ex cibis permiſsis, niſi ſemel, & poſt certam horam, & an ſæpius comedendo ex eiſdem cibis, ſæpius violetur, toties, ſcilicet quoties fuerit comeſtum. Dicendum eſt, idem eſſe de voto dicendum, quod de præcepto, quia vouendo ieiunium, id intelligitur promitti, quod ſolet per Eccleſiam præcipi. In illo autem puncto variæ ſunt opiniones: nam Ioan. de Neapol. in quodam Quodlib. dixit ieiunium toties violari, quoties intrà illum diem comeditur hora prohibita, etiamſi nõ carnes, ſed cibi permiſsi comedantur. Quia præceptum ieiunij eſt negatiuũ quoad omnes ſuas partes, & ideo in omnibus ſequitur naturam præcepti negatiui, quæ eſt ſemper, & pro ſemper obligare, ex quo ſequitur, vt toties contra illud peccetur, quoties contra negationem agitur. Et confirmatur, quia hac ratione comedendo pluries carnem contra tale votum, pluries peccatur: ergo eodem modo pluries peccabitur, ſæpius comedendo piſces, quia ſicut præceptum ieiunij quoad carnis eſum ſimpliciter negatiuum eſt, ita etiam illa pars comedendi aliquid plus quam ſemel, vel ante talem horam negatiua eſt, & ita hanc partem eſſe probabilem dixit Durand. in 4. d. 15. q. 1. Imo ſecuriorẽ eſſe dixit Gerſon. Alphab. 24. litera X. in Regul. moral. cap. de Gula. Maior vero in 4. d. 15. q. 6. dixit eſſe problematicam quæſtionem.

An votum illud obliget ad abſtinendum etiam à cibis permiſsis niſi ſemel, & poſt certam horam. *Reſolutio. Ioã. de Neap.* *Durand. Gerſon. Maior.*

11\. Nihilominus communis opinio habet, ieiunium ſolum violari ſemel, comedendo contra præceptum, quoad cibos non vetitos, & poſtquam ſemel violatũ eſt, non amplius peccari ſępius comedendo, quia iã non poteſt ſeruari forma ieiunij, & ita iam nõ obligat quoad illam. Ita cenſent probabile Gerſon, & Maior ſuprà. Durand. vero dicit eſſe probabilius, & abſolute id docet, Palud. dicta d. 15. q. 4. artic. 5. qui de voto idem habet dicta d. 38. quæſt. 3. artic. 4. num. 23. ſequitur Anton. 2. p. tit. 6. cap. 2. §. 9. & tit. 11. cap. 2. §. 2. vbi de voto loquitur. Summiſtæ verb. *Ieiunium*, Syluest. q. 8. Angel. num. 22. Tabien. num. 9. Armil. num. 14. vbi addit, in voto de ieiunio ſtandum eſſe intentioni vouentis, tamen verb. *Votum*, num. 27. idem in voto cenſet, quod in præcepto, quando de alia intentione non conſtat. Nauar. cap. 21. nu. 14. & bene Caietan. 22. q. 147. artic. 8. in fine. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia negatio pluries comedendi non eſt per ſe, ac ſimpliciter lata, ſed tantum ad cõſtituendam formam, & modum ieiunandi, ponendo talem limitem, quem tranſgredi non liceat, illo autem tranſacto, non eſt ſpecialiter vetitum vlterius progredi, nec violata ſemel forma poteſt amplius obſeruari. & quamuis hæc ſententia difficultate non careat, & ſatis efficaciter non probetur, vt latè diſputant Maior & Palu. tamen quia non eſt impoſsibile, ꝙ ieiunium fuerit ſub hac intentione inſtitutũ, & præceptum, & communiter ita intellectum eſt, ideo in praxi ita poteſt ſecure teneri. Idem ergo cum proportione obſeruabitur in voto, vbi de alia intentione vouentis non conſtiterit.

Præceptum ieiunij ſolũ ſemel violatur, licet ſæpius comedat quis in die. *Palud. Anton. Syluest. Angel. Tabien. Armil. Nauar.* *Caiet.*

Hinc vero extenditur ab aliquibus hoc exemplum ad ſimilia, vt verbi gratia, ad votum non comedendi carnes feria quarta, vel non bibendi vinum in ſextis feriis: nam ſi ſemel frangatur, dicunt non obligare amplius: quia ſolum eſt de illa priuatione, ſeu abſtinentia à vino ſimpliciter pro illo die: deſtructa autem illa priuatione per vnum actũ contrarium, amplius cuſtodiri non poteſt. Ita ſentit Palud. ſupra n. 49. quem ſequitur Ant. ſupra, & Tabien. *Votum*, 3. nu. 8. Quod ſi obiicias, quia eadem ratione votum nõ bibendi vinum in perpetuum, poſtquam ſemel violetur, non obligabit amplius, quod eſt incredibile. Reſpondet Palud. negando conſequentiam, quia votũ perenne omnes dies ęqualiter comprehendit, & omnes horas, & totum tempus. Sed vt verum fatear, non intelligo diſcrimen, quia eadem eſt proportio illius negationis ad integrum diem, & omnes horas, vel partes eius, quæ eſt eiuſdem negationis ad totum tempus vitæ, & ad ſingulas partes eius. Reſpondet Palud. votum perenne obligare ſimpliciter pro quolibet die, & hora: votũ autem vnius diei non obligare pro ſingulis horis abſolute, ſed ex ſuppoſitione, quod in nulla præcedenti hora per contrariam actionem fuerit abſtinentia illius diei violata. Hoc autem ſine vlla ratione, aut fundamento dictum eſt. Item quod ſi votum ſit de abſtinendo à vino pro vna hebdomada, menſe, vel anno: certè negari non poteſt, quin obliget ſimpliciter pro toto tempore deſignato, vt etiam Palud. ſentire videtur, licet non ſatis clarè. Idem ergo eſt in vno die, nec differentia reddi poteſt ex intentione vouentis: quia hæc eodem modo poſſet haberi in voto perpetuo, & diuturno, non ergo tractatur de intentione, ſed ex vi materiæ. Denique alias qui vouiſſet ieiunare tali die, & ſemel carnes comediſſet, non amplius peccaſſet, iterum atque iterum illo die comedendo carnes, quod eſt abſurdiſsimum, & contra omnes; alias idem dici poſſet de pręcepto. Sequela patet, quia obligatio non comedendi carnes ſolum naſcitur ex voto talis abſtinentiæ pro tali die, quæ abſtinentia incluſa eſt in voto ieiunij talis diei per modum abſolutæ negationis: ergo idem à fortiori eſt, quoties ſimilis priuatio abſolute promiſſa fuerit pro toto die. Et ita merito in his caſibus aſſeruit Nauarrus capite 12. numero 53. cum Maior. in 4. d. 38. quæſtione 6. vbi etiam Supplement. Gabr. quæſtione 1. articul. 3. Palac. diſputat. 1. concluſ. 5. Angel. verb. *Votum*, 3. numero 27. Syluest. *Votum*, 2. quæſtione 20. 12.

Palud. Anton. Tabien. *Nauar. Maior. Gab Sup. Palac. Angel. Syluest.*

Qua propter quoties votum negatiuum eſt, naturam ſequitur præcepti negatiui pro eo tempore, quo fit, & nihil refert breuitas, vel diuturnitas temporis, nec limitatio obligationis ad certum, vel certos dies, quia pro illis cum eadem proportione obligat ſemper, & pro ſemper, niſi ex intentione vouentis fiat limitatio aliqua, vt dictum eſt de voto virginitatis, & concipi poteſt in voto abſtinendi à vino pro quocumque tempore fiat: vel etiam niſi negatio aliunde limitetur ex modo actus, cui adiungitur, vel ex forma præcepti, quod votum imitatur, vt dictum eſt de voto ieiunij. Extra hos vero caſus natura negationis eſt, vt neget omnia, & ſingula, & conſequenter, vt toties violetur, quoties intra pręſcriptum tempus contrarius actus fuit. Quod ſecus eſt in affirmatiuis, nam cum proportione etiã illa imitantur naturam præceptorum affirmatiuorũ, ideoque in modo obligendi illa etiam imitãtur. Sic ergo poteſt ad hęc vota applicari regula facta, vt ex natura illorum colligenda ſit obligatio, quando ex intentione vouentis ſpecialiter non declaratur. 13.

Votum negatiuum naturam ſequitur præcepti negatiui.

Vltimo ergo pro amplianda, vel explicanda hac regula adhiberi poſſunt exẽpla in votis affirmatiuis 14.

per quæ

per quæ aliquid agendum promittitur: nam conſiderandum eſt, quid ſit ſimpliciter neceſſarium ad eſſe talis actus: totum enim illud cadit ſub voto, & non aliud ex vi, & natura talis voti. Vt verbi gratia, ſi quis vouit audire Miſſam, eo ipſo obligatur illam attente audire, quod ſi non ita audiat, non implet votum, etiamſi de attentione nihil vouendo cogitauerit, aut intenderit, quia in ipſo actu audiendi Miſſam intime includitur, vt nũc ſuppono. Et quoad hoc eadem eſt ratio de voto orandi: item eadem ratione votũ audiendi Miſſam ſimpliciter factum obligat ad audiendã illam ante meridiem, eo modo quo inſtitutio illius actus determinat illud tempus: nam votum factum cenſetur iuxta inſtitutionem, ſicut de ieiunio dictum eſt. Si quis autem vouet audire Miſſam in die feſto, non intelligitur vouere aliam Miſſam, præter eam, quam ex præcepto audire tenetur, niſi expreſſa intentione id determinet: quia ex vi talis materiæ id non ſequitur: quia de ratione Miſſæ non eſt, quod ſit, vel non ſit præcepta.

5\. *Caiet.*

Aliud exemplum ſumi poteſt ex his, quæ Caiet. dicto articulo 3. tractat de voto ingrediendi Religionem, an obliget ad caſtitatem ſaltem ex eo tempore, in quo incipit vouens eſſe in mora non implendi votum Religionis, ſiue mora ſit culpabilis, ſiue non. Dicendum eſt enim, ſine dubio non obligare, niſi id ſpecialiter intendatur, etiamſi votum Religionis ſit non tantum ingrediendi, ſed etiã profitendi, ac perſeuerandi perpetuo in illo ſtatu, vt latiſsime deducit Caiet. pluribus tamen verbis, quam videatur neceſſariũ, quia res eſt clara, & fere ſine cõtrouerſia. Ratio ergo eſt, quia votum ingrediendi, vel profitendi Religionem, non habet pro materia caſtitatem, ſed ſtatum, in quo vouenda eſt caſtitas, & idem eſt de paupertate, & obedientia, & ita ex natura talis voti non extenditur ad talem materiã. Sicut votum aſſumẽdi ordinem ſacrum eſt votum aſſumendi ſtatum in quo vouetur caſtitas, & obligatur quis ad recitandum: hæc tamen non ſunt materia prioris voti; ideoq́ niſi ſpeciali intentione extendatur obligatio ad caſtitatem pro eo caſu, in quo votum Religionis impletum non fuerit, non obligat ad illam tale votum natura ſua. Imo quãdo fuerit talis intentio vouentis virtute facit duo vota, vnum Religionis abſolute, vel infra tale tempus, aliud caſtitatis, vel etiam abſolute, vel ſub conditione ſi fuerit in mora in implendo priori voto, iuxta modum intentionis. Et hoc ipſum in re ſentit Caiet. Admittit tamen aliquo modo caſtitatem eſſe materiam voti profitendi Religionem, ſcilicet mediatam, & ideo non cadere ſub obligationem, donec immediata materia impleatur. Et licet forte quæſtio ſit de modo loquendi, mihi videtur nullo modo eſſe materiam talis voti, quia nullo modo cadit in illud. Et ſignum eſt directe contrarium ſigno, quo vtitur Caietan. quia votum Religionis, vel ordinis ſacri nunquam obligat ad caſtitatem, etiam poſt profeſsionem factam, vel ordinem ſuſceptũ: nam licet ſic vouens factus ſacerdos, vel Religioſus fornicetur, non peccat contra prius votum ſimplex, ſed contra ſolum ſolenne, quod in ordinatione, vel profeſsione emiſit. Ad ſummum ergo dici poſſet, caſtitatem eſſe finem prioris voti Religionis, aut ordinis ſacri. Et ita optime fundatur hæc veritas in alio principio, quod finis legis non cadit ſub lege: ergo nec finis voti cadit ſub voto, ſed tantum materia, quod principium capite ſequenti magis declarabitur. Vnde infero, quod licet quis promittat, ſe vouere caſtitatem intra annum, ex vi illius voti non tenetur ſeruare caſtitatem, donec illud impleat vouendo caſtitatem, non ſolum durante anno (quod eſt clarum) ſed etiam poſt illum impletum, ſi de facto non voueat caſtitatem, etiam frangendo prius votum. Quia licet in hoc peccet, de facto nondum vouit caſtitatem, quæ fuit finis prioris voti non materia. Sed de votis caſtitatis, & Religionis in particulari ex profeſſo tractandum eſt in ſequenti volumine, nunc gratia exempli hæc ſufficiunt, vt ex vi illius alia intelligantur.

Votum ingrediendi Religionem, non obligat ad caſtitatẽ, dum modo non impletur.

Finis voti non eſt materia voti.

6\. *3. Aſſertio. Quando intentio, &c. non ſufficit ad declarationem voti verba ſunt expendenda. Deut. 23.*

Dico tertio: Quando intentio vouentis, & materia non ſufficiunt ad circũſtantias omnes declarãdas quoad obligationem, verba voti expendenda ſunt, & in omni proprietate ſeruanda, poſſunt tamẽ licite in fauorem vouentis exponi, ſalua ipſorum proprietate, & non repugnante materiæ voti qualitati, vel alijs circũſtantiis. Prior ergo pars colligitur ex illis verbis Deuteron. 23. *Illaqueatus es verbis oris tui*: ergo per votum obligatur homo verbis ſuis: non obligatur autem illis quaſi materialiter ſumptis, ſed vt indicãt animum, & mentem: ergo iuxta propriam ſignificationem verborum interpretari debemus voti obligationem. Et confirmatur: quia vbi non conſtiterit de contraria intentione vouentis, ſemper intelligitur habere intentionem faciendi id, quod verbis declarat: ergo recte ex verbis colligitur obligatio. Et hac regula vtuntur Iura Canonica, vt ſumitur ex capite *Litterarum*, de Voto, & capite *Ex parte*, de Cenſib. Imo Canones in exteriori foro non aliter de intentione vouentis iudicant, quam in verbis ipſis fuerit expreſſa: quia Eccleſia non iudicat de inferioribus actibus prout in ſe ſunt, ſed prout per exteriores manifeſtantur. In foro autem conſcientiæ ſtandum eſt intentione vouentis: vbi autem ipſe neſcit aliquid ſpeciale de ſua intentione declarare, proprietati verborum ſtandum eſt. Et ad hoc declarandum, & confirmandum valent, quæ in ſimili de iuramento diximus. Hæc ergo pars difficultatem non habet, quando de verborum ſenſu ſatis conſtat. Hic autem verborum ſenſus ex propria, & recepta verborum ſignificatione ſumendus eſt. Quod ſi verba fuerit ambigua etiam in propria ſignificatione, tunc conſuetudo perſonæ vouentis, regionis, & aliæ circũſtantiæ obſeruandæ ſunt ad iudicium ferendum de ſenſu à vouente intento, argumento Leg. *Si ſeruus plurium*, §. vltim. ff. de Legat. 1. & dicto capit. *Ex parte*, de Cenſib. Et ex his, quę in particulari de circũſtantiis ſubijciemus, magis hoc declarabitur.

Ca Litterarum

Cap Ex parte.

Verba ambigua interpretanda ſunt iuxta morem perſonæ regionis, &c.

L. Si ſeruus plurium.

7\. Contingere autem poteſt, vt omnibus perſpectis adhuc verba ſint ambigua, & ideo addidimus vltimam partem regulæ circa quam dubitari poteſt: quia inter Deum, & hominem potius interpretanda ſunt verba in fauorem Dei (vt ſic dicam) ſeu Religionis quam hominis, ſed votum fit Deo: ergo vbi vota fuerint ambigua, potius interpretatio eſt facienda in fauorem Dei, quam hominis. Patet, quia ſupponimus votum eſſe factum, & quoad hoc eſſe certum, & non dubium, & conſequenter per illud eſſe ius acquiſitum Deo: ergo tum propter hunc titulum, tum propter ipſam pietatem votum interpretandum eſt in fauorem Religionis. Confirmatur primo ex Leg. *Titia*, §. *Seia*, ff. de Argent. Legat. vbi verbum dubium interpretandum dicitur in fauorem Religionis, vt ſi quis voueat dare Calicem Eccleſiæ, intelligendum eſſe de Calice argenteo, non de æreo: ergo intelligendum eſt votum ita vt plus obliget vouentem, ſi id redundet in fauorem voti. Confirmatur ſecundo ex capite *Cum dilecti*, de Donation. vbi dicitur, in contractibus plenam, in teſtamentis pleniorem, in beneficiis pleniſsimam interpretationem eſſe faciendam, vbi per *beneficia*, intelligit præcipue pias donationes, & legata, de his enim in textu ſermo erat: ergo in votis etiam pleniſsima interpretatio eſt facienda: ergo interpretanda ſunt ita, vt in maiorem Dei cultum cedant. Confirmari etiam poteſt per argumentum à contrario, vel ab ſpeciali ex dicto capite *Ex parte*, de Cenſib. ibi: *Ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare*. Vbi ſpecialiter in voto reali fa-

Cap Cum dilecti.

Cap. Ex parte.

Digitized by Google

cto in temporale ſubſidium Eccleſiæ, ſit quædam interpretatio reſtricta in fauorem vouentium ratione vitandi ſcandali: ergo inſinuatur, per ſe loquendo interpretationem voti eſſe faciendam in fauorem voti, vbi illa ſpecialis ratio non interuenerit, vt contingit in omnibus votis, quæ immediate Deum ipſum, vel cultum eius reſpiciunt. Denique in his, quæ ad animam pertinent, tenenda eſt via ſecurior, cap. *Iuuenis*, de Sponſalibus cap. *Ad aud.etiam*, de Homicidio. Sed ſecurior via eſt, ſi in re ambigua votum interpretemur in fauorem voti, & in maiorem obligationem vouentis: ergo.

Ca. Iuuenis. Cap. Ad audientiam.

8\. *Verba dubia interpretanda ſunt in fauorem vouentis.*

Nihilominus aſſertio poſita etiam quoad illam vltimam partem vera eſt, & probari poteſt ex omnibus adductis ſuperiori tractatu libr. 2. cap. 25. vbi de Iuramento ſimile principium oſtendimus. Vbi plures Iuris Canonici Interpretes, & Summiſtas adduximus, qui perinde ſentiunt de voto, ac de iuramento: nam hæc ab eis quaſi paria cenſentur. Facit etiam principium, quod ibi ſumpſimus, & probauimus, quia vbi de obligatione, ſtricta interpretatio facieda eſt. Hoc enim principium etiam in præſenti locum habet: quia cum agitur de voto, de grauiſſima obligatione agitur. Præterea ſpecialiter probatur ex dicto c. *Ex parte*, de Cenſib. vbi in voto reali, quod de minori, vel maiori menſura poſſet intelligi, benignior ſit interpretatio, optioni vouentium relinquendo, vt quam voluerint, eligant. Et pro ratione redditur: *Quoniam cum huiuſmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius ſunt à viris Eccleſiaſticis exigenda.* Vbi Gloſſa vltim. addit, *Bona ſit interpretatio, ne ipſorum munificentia erga Eccleſias retardaretur*, vt in ſimili dicitur in leg. 2. Cod. de Bonis, quæ liberis, &cæt. Hæc autem ratio in omni voto locum habet, quia ſi vota, quæ à principio ſunt gratuita, benigne exiguntur, & intelliguntur ab Eccleſia, multo magis à Deo. Item hoc etiam ad cultum Dei pertinet, ne homines ab affectu, & feruore colendi Deum per vota retardentur. Denique quia in dubiis vnuſquiſque præſumitur, minus ſe ipſum voluiſſe grauare, quam potuerit: ergo niſi aliunde magna ſit præſumptio, interpretatio facienda eſt in fauorem vouentis, ita vt minus grauetur. Et hoc etiam ad ſalutem animarum magis expedit, ne facile illaqueentur, & grauibus periculis exponantur. Atque ita ſenſit Abb. in dicto capit. *Ex parte*, numer. 3. & 4. & ſumitur ex Sylueſt. verb. *Ieiunium*, quæſt. 10. num. 27. quem in ſimili ſequitur Angles 1. part. tractat. de Ieiunio quæſt. 9. articul. 1. difficult. 7. dub. 2. concluſ. 3.

C. Ex parte.

Abbas. Syluest. Angles.

9\. *Limitatio aſſertionis.*

Huic vero parti addidimus declarationem, ſeu limitationem, quam etiam tractando de iuramento poſuimus, ſcilicet dummodo materia ſubiecta non repugnet verborum reſtrictioni, ſeu interpretationi: nam ratio huius declarationis eſt, quia iuramentum intelligitur ſecundum naturam materię, in qua præſtatur, vt notat Abb. in cap. *Intellecto*, de Iureiurando numer. 10. Sed votum etiam intelligitur ſecundum naturam materiæ, in qua præſtatur, vt in ſecunda concluſione diximus: ergo reſtrictio verborum nũquam poteſt tanta fieri, vt repugnet proprietati materiæ, & ita hæc declaratio ex ſuperioribus regulis habetur. Et ad illam maxime ſpectat, vt decentia Diuini cultus obſeruetur, ideoque per interpretationem voti non eſt ita minuenda eius obligatio, & materia, vt vel ridiculum, vel parum conſentaneum Diuino cultui reddatur: ſeruata autẽ ſufficienter, ac prudẽter dignitate voti in reliquis ratio vouentis habenda eſt, vt non nimiũ oneretur.

Abbas.

10\. *Satisfit arg. Panor.*

Et iuxta hæc non erit difficile ad obiecta in contrarium reſpondere. Ad primum reſpondeo optime confirmare hanc declarationem vltimo loco adhibitam, quia per illam habętur ratio Diuini honoris, ac Religionis, non vero probare ita eſſe exaggerandam (vt ſic dicã) cauſam Religionis, vt votum in ſummo rigore contra vouentem ſit interpretandum. Nam hoc potius redundaret in odium ipſius Religionis, vt in dict. cap. *Ex parte*, ſignificatur. & inter probandam noſtram ſententiam explicatum eſt. Ad primam confirmationem reſpondetur primo cum Panormitano ſupra, aliud eſſe loqui de interpretatione legati, ſeu etiam voti reſpectu hæredis, aliud reſpectu vouentis: nam reſpectu hæredis ſit reſtricta interpretatio, licet redundet in maius grauamen hæredis, quia non derogatur libertati vouentis, aut teſtantis, ſed potius illud ipſum grauamen hæredis eſt fauor teſtatoris, redundatque in maius bonum illius in piis legatis, ſeu promiſsionibus. Et ita loquitur dicto §. *Seia*. At vero reſpectu ipſius vouentis ſit benigna interpretatio, quia fauetur libertati eius: nam cum ſponte promiſerit, non videtur cogẽdus ad ſubeundum grauius onus in re ambigua: tum etiam ne nimia videatur exactio, & ne vouentes à munificentia retardentur: & ita loquitur dict. cap. *Ex parte*. Et ita ex illa lege colligi ſolet, legatum ad pias cauſas, quando verba ſunt indifferentia, vel ambigua, intelligendum eſſe de re meliori, & nihilominus in voto reſpectu vouentis id non eſſe neceſſarium.

Interpretatio. C. Ex parte.

Sed quidquid ſit de veritate illius doctrinæ, propter illam legem nõ videtur neceſſaria. Primo quia, vt Bart. notat, ibi non erat dubium de quantitate legata: nam expreſſe dicitur, imaginem futuram fuiſſe ex libris centum: dubitabatur ergo de qualitate, in qua nihil grauabatur hæres, aut teſtator, & idem eſſet de vouente: non erat ergo doctrina neceſſaria. Deinde in eligenda qualitate non videtur electum id, quod fuiſſet ſummum, neque etiam infimum, ſed medium, quod videtur pertinuiſſe ad prudens arbitrium: cum enim quæſitum eſſet, an aureum, argenteum, vel æreum faciendum eſſet ſignum, argenteum declaratum eſt. Denique in hoc non ſola cauſa Religionis, ſed etiam conſuetudo loci, ſeu templi ſpectata fuit: propoſitum enim fuerat, in eo templo tantum aurea, vel argentea fuiſſe dona: & poſtea ſubditur: *Reſpondi ſecundum ea, quæ proponerentur, argenteum ponendum.* Quæ reſponſio ſeruatis eiſdem circumſtantiis, & coniecturis etiam in obligatione voti danda fuiſſet non ſolum contra hæredem, ſed etiam contra vouentem. Vnde in caſu à citatis Authoribus propoſito, de voto faciendi Calicem, an intelligendum ſit de argenteo, licet Panormitan. ſupra relinquat ſub dubio cogitandum, videtur ſane ſi circumſtantiæ illius legis obſeruentur, de argenteo Calice votum eſſe interpretandum ſicut de legato ibi dicitur. Quia in primis ſi de quantitate pecuniæ expendendæ in Calice ex verbis voti conſtaret, Calix argenteus eſſet aptior ad cultum Dei, & non eſſet magis oneroſus vouenti. Item ſi in tali loco, aut templo non eſſent in vſu Calices niſi aurei, vel argentei, vel etiamſi hic eſſet frequentior vſus, ita eſſet votum interpretandum, non ſolum in fauorem Religionis, ſed etiam quia verba ſecundum conſuetudinem exponẽda ſunt, vt diximus. Addo etiam, quod per ſe loquendo hæc interpretatio eſt magis conſentanea materiæ talis voti, & pertinere ad decentiam actionis Diuini cultus, ad quam tale votum ordinatur, & ideo etiam ex hoc capite præferendam eſſe talem interpretationem, quod etiam ad §. *Seia*, poſſe accommodari. Et ita deciſio illius legis non repugnat, imo multis modis conſentanea eſt regulę à nobis poſitę. 11.

Ad cap. *Cum dilecti*, applicari etiam ſolet quunctio data, & quod regula ibi tradita intelligatur reſpectu hæredis, & non reſpectu ipſiuſmet promiſſoris, ſeu donatoris. Sed non recte ſit applicatio. Primo, quia licet in caſu illius textus contentio eſſet cum hæredibus donantis: tamen idem iudicium ferendũ eſſet, ſi cum ipſomet donatore tractaretur, vt patet ex illis verbis: *Cũ ex tenore inſtrumẽti euidẽter apparеat,* 12.

Reſponditur. Cap. Cum dilecti.

appareat, quod hæc fuit mens, & intentio donatoris. Stante enim hoc principio, etiamſi ipſemet donator, vel vouens voluiſſet retrocedere, cogendus eſſet implere donationem iuxta verum ſenſum inſtrumenti, vt in ſuperioribus aſſertionibus dictum, & oſtenſum eſt. Secundo non placet expoſitio, quia cum ibi dicitur. *In contractibus plena, &c.* non eſt ſermo tantum reſpectu hęredum, ſed etiam reſpectu ipſorum contrahentium inter ſe, quia debet inter eos ſeruari æqualitas. Ergo cum dicitur in beneficiis pleniſsimam interpretationem eſſe faciendam, intelligitur etiam reſpectu ipſius benefactoris: imo maxime reſpectu illius, & abſque præiudicio tertij id ab omnibus intelligitur.

13. Dico ergo regulam illius textus ad votum recte applicari, quando ex verbis, & materia nota eſt intẽtio vouẽtis, vt in illo textu ſupponitur. In caſu autem, in quo verba ſunt ambigua, ſolum eſſe extendendam interpretationem quantum neceſſarium fuerit ad decentiam Religionis, & Diuini cultus, & de conſilio ampliandam eſſe ad id, quod melius eſt, non vero ad rigorem obligationis imponendum. Addi etiam poteſt, votum potius eſſe per modum pacti inter Deum, & hominem, & ex hac parte primam partem regulę in illo eſſe ſeruandam, ſcilicet vt in eo plena interpretatio fiat aduerſus vouentem, vtique ſeruata verborum, & materiæ proprietate, vt dixi. Non tamen dicitur votum proprie beneficium, ſed obſequium ad Deum, quia benefactor ſemper eſt Superior, & ſub ea ratione ſpectatur. Ideoque regula illa de ampliſsima interpretatione beneficij, quæ ſolet in Iure maxime tradi de beneficiis Principum, & nobilium cap. 1. de Donat. & cap. *Olim*, de Verborum ſignificatione, non ita commode applicatur ad votum, quod potius eſt obſequium inferioris ad Superiorem. Quod licet vt eſt liberalis promiſsio conueniẽtiam habeat cum donatione, & beneficio, & ex hac parte debeat extendi, quantum neceſſe eſt, vt plene Diuino cultui ſatisfiat; tamen quatenus obligatorium eſt, non extendendum vltra id, quod præciſe fuerit neceſſarium. Et in ſenſu dicimus eſſe interpretandum in fauorem vouentis, ne nimium ligetur.

Cap. Olim.

14. Ad c. Ex *parte*, iam oſtenſum eſt, directe probari noſtram ſententiam ex illius deciſione illa vero ratio, quæ in vltimis verbis additur, non ponitur tanquam adæquata, ſed tanquam iuuans poſt alias ſpecialiter in his votis, quæ poſſunt in lucrum perſonarum Eccleſiaſticarum cedere: ad vltimum vero reſpondent Syluest. & Angelus ſatis eſſe eligere partem tutam, nam reſpectu illius non dicitur alia tutior, niſi quia fortaſſe eſt melior de ſe, id autẽ quod eſt melius, non ſemper cadit in obligationem. Vnde addi poteſt, quod licet extenſio voti quoad executionem ſit tutior, extenſio vero quoad obligationem non ſemper eſt tutior, ſed poſſet frequenter in maius periculum vrgere.

15. Dico quarto: Quoties nec de intentione vouentis expreſſe conſtat, nec ex materia, & verbis ſatis colligitur determinatio obligationis ad certam circumſtantiam, tenetur vouens aliquo determinato modo votum implere, licet modus determinationis arbitrarius illi ſit. Vt verbi gratia, ſi vouit Religionem, tenetur aliquam eligere, poteſt vero quam voluerit, & ſic de aliis. Colligitur etiam hæc regula ex communi doctrina, & ex hactenus dictis. Prior ergo pars probatur: quia tale votum obligat, cum ſit de re honeſta, & ſancta: ergo obligat ad aliquem modum poſsibilem executionis: ſed nõ poteſt executioni mandari in abſtracto, quia actiones ſunt de ſingularibus: ergo obligat ad determinationem faciendam, alias fruſtra eſſet, ergo tenetur vouens aliquo determinato modo tale votum implere. Quod ſi inquiras, vnde oriatur hæc obligatio, cum in voto non fuerit expreſſa? Reſpondeo in ipſo voto virtute contineri, quia obligando ad ſui obſeruantiam, obligat ad id, ſine quo obſeruari non poteſt.

4. Aſſertio quoties determinatio voti non colligitur omnino, tenetur vouens pro arbitrio implere.

Obiectio.

Solutio.

Poſterior vero pars probatur quia votum non obligat ad determinatum modum, ſeu circumſtantiam: ergo relinquitur in arbitrio vouentis, quia non eſt; vnde poſsit amplius obligari. Vtrumque explicatur optime ex obligatione naturalis præcepti colendi Deum: nam per ſe, ac præciſe ſumptum non obligat ad determinatum modũ cultus, & ideo tenetur homo determinationem aliquam adhibere, quæ arbitraria illi eſt, quando per legem poſitiuam non definitur. In præſenti autem determinatio non poteſt per vniuerſalem legem præſcribi, quia votum eſt lex priuata, & voluntaria, in omnibus, quæ per illud non præſcribuntur formaliter, aut virtute: ergo neceſſario relinquenda eſt arbitrio vouentis qui tenebitur illam facere, quando oportuerit. Denique vtrumque ſufficienter probatur ex dicto c. Ex *parte*, de Cenſib. ibi. *Volentes ſoluere ad minorem, non ſunt cogendi, vt ad maiorem perſoluant*: nam ſupponunt illa verba, potuiſſe cogi ad alterutram menſuram ſoluere, & ita determinationem facere: hanc vero illorum voluntati eſſe relinquendam. 16.

Cap. Ex parte.

Contra hoc vero obiicit Panormitan. in dicto c. Ex *parte*, quia incertitudo rei promiſſę, aut legatę vitiat actum, ita vt non inducat obligationem: ergo idem dicendum eſt in voto: nam eſt eadem ratio, & conſequenter tale votum non obligabit ad talem arbitrariam determinationẽ, ſed potius ratione indeterminationis excuſabitur vouens. Antecedens probat ex L. *Qui inſulam*, ff. de Verbor. obligationib. & L. *Legato generaliter*, ff. de Leg. 1. vbi dicit notari ab Interpretibus. Et in ſumma reſpondet negando conſequentiam, quia incertitudo non vitiat obligationem in ſpiritualibus, ſicut in profanis, & ideo ex æquitate Canonica non vitiatur obligatio, ſed debet reduci ad arbitrium boni viri. Quam ſententiam refert Archid. in capit. *Sunt nonnulli*, 1. quæſt. 1. & Anton. in dicto ca. *Ex parte*, & plurimum illam commendat. 17.

Obiectio.

Archid. Anton.

Sed profecto, nec Ius Ciuile improbat omnes promiſsiones, vel legata propter incertitudinem rei promiſſæ ortam ex indifferentia, vel generalitate promiſsionis. Nam in dicta L. *Legato generaliter, &c.* ff. de legat. 1. Supponitur, legatum generaliter factum valere, & declaratur, quomodo declarandus ſit, & facienda electio. Idem haberi poteſt ex L. *Si cui*, ff. de Annuis leg. Et hæc videtur generalior regula, licet nõnullas habeat exceptiones, in quibus ſæpe non negatur obligatio naturalis, ſed ſola actio Ciuilis, aliquando vero pro nihilo habetur promiſſio, aut legatum, non propter quamcumque incertitudinem, ſed quando eo reducitur, vt offerendo rem fere nullius æſtimationis, poſsit impleri, vt notant Gloſ. & Bart. in d. L. *Legato*, de Leg. 1. & in Leg. *Cum poſt*, §. *Generaliter*, ff. de Iur. dot. In præſenti autem iſtæ acceptiones locum nõ habent, quia prior de actione ciuili derogata eſt impertinens ad materiam voti, vt per ſe conſtat. Poſterior autem non admittitur, quia votum ita ſemper interpretandum eſt, vt non ſit vanum, nec contra reuerentiam Deo debitam, quia non eſt præſumendum peccatum, & ideo ſemper prudenti modo intelligitur factum, ideoque prudentis arbitrio ſit determinatio, vt in particularibus circumſtantiis mox dicemus, & hoc vltimum videntur intendiſſe Canoniſtæ citatis locis. 18.

Gloſ. Bart.

CAPVT VIII.

Quomodo ſingulæ circumſtantiæ voti in eo non expreſſæ determinandæ ſint.

SEptem circumſtantiæ humanorum actuum aſſignari ſolent: hic vero nonnullas ſubdiuidendo, 1.

Circumſtan-

Via materia proxima & remota voti

vſq; ad decem numerabimus, quia non ſolum materiam proximam, quæ eſt actus humanus, ſed etiam materiam remotam, & accidentia eius conſiderare neceſſe eſt, vt omnis difficultas attingatur. Prima ergo ſolet aſsignari circumſtantia, *quis*, ſeu perſonæ: quia tamen in voto duæ perſonæ neceſſario interueniunt, ſcilicet promittens, & cui promittitur, ideo poſſumus numerare hanc circumſtantiam, *cui* ſeu *circa quam*, & *quis*; quibus addi poteſt *per quem*, quæ alias dicitur *quibus auxiliis*. Quarta eſt, *quid*, adiunguntur *quale*, & *quantum*. Septima erit *propter quid*, octaua *quomodo*, ac denique *vbi*, & *quando*, ex quibus plures ſunt faciles, & breuiter in hoc capite expediri poſſunt: aliquarum autem materia eſt fuſior, quam in ſequentibus proſequemur.

2.

1. Aſſertio. Votum per ſe obligat ſoli Deo.

Dico ergo primo; votum per ſe obligat Deo vero, & illi ſoli. Prior pars conſtat, quia votum per ſe fit Deo: ergo illi obligat. Vnde ſiquis ſimpliciter voueat opus capax voti, licet expreſſe non cogitet de Deo, nec illum nominet, obligatur Deo ex naturali habitudine ipſius voti, ratione cuius implicite vult obligari Deo, niſi aliunde conſtet non fuiſſe intentionem hominis vere, ac proprie vouere, ſed per ignorantiam, vel inaduertētiam verbum illud protuliſſe. Altera pars probatur, quia votum ſoli Deo fit; ergo ſoli Deo per ſe obligat: nulla enim promiſſio obligat alteri, niſi cui fit. Addidi autem hanc obligationem ſolum eſſe ad verum Deum, quia verum votum ſolum eſt ad verum Deum, obligatio autem voti ſolum naſcitur ex vero voto. Sicut ſupra de iuramento diximus, obligationem eius ſolum oriri ex iuramento facto per verum Deum.

3.

Vota falſis Diis facta non obligant ex ſe.

Vnde ſicut ibi de iuramento per falſos Deos tractauimus, an obliget: ita in præſenti inquiri poteſt, an vota, quæ infideles faciunt Diis ſuis obligationem inducant? Eodem tamen modo breuiter expediendum eſt: nam hic longe certius eſt, tale votum per ſe nullam obligationem inducere: quia non eſt verum votum ex parte perſonæ, cui fit, & conſequenter eſt de actione iniqua, & ſacrilega, nimirum, de aliquo actu idololatriæ. Item talia vota Dæmonibus fiebant; homo autem non poteſt promiſſione Dæmoni obligari, ſiue illi voueat, vt putato Deo, ſiue Dæmoni, vt creaturæ rationi excellenti, vt conſtat ex dictis ſupra de Superſtitione: quia omnis talis promiſſio, & obſeruatio eius continet iniquam, & ſacrilegam communicationem cum Dæmone. Accedit, quod huiuſmodi vota, & promiſsiones ordinarie ſunt de rebus vanis, & inutilibus, & interdum impudicis, & iniuſtis. Vt de votis

Alexan. ab Alexan. Tiraquel.

Gentilium videri poteſt apud Alexandr. ab Alexandr. & Tiraquellus libro tertio, Dierum Genialib. capite 22. Vnde maior iniquitas, & nullitas in talibus votis reperiebatur per ſe loquendo, quam in iuramentis: nam in iuramentis ſaltem humana pacta, & promiſsiones, quæ per talia iuramenta confirmabantur, per ſe poterant obligare, & eſſe iuſta, ac licita, in votis autem actio ipſa promiſſa ordinarie ſupponitur iniqua, aut vana, & per ipſum met votum efficitur idololatria: & hoc poſterius generale eſt in omni voto facto falſo Deo: vnde conſtat nullam per ſe inducere obligationem. Nihilominus ex conſcientia erronea obligare poterat, ſicut de iuramento per falſos Deos diximus, quod eodem modo exponendum eſt.

4

Ratione materiæ poteſt votum inducere obligationem alicui præter Deum. D. Thom.

Addendum vero huic aſſertioni eſt, quod licet votum de ſe ſolum inducat obligationem ad Deū, nihilominus ratione materiæ poteſt aliquando inducere obligationem ad alium. Hoc poteſt explicari ex doctrina Diui Thomæ d. quæſtione 88. articulo 3. ad 3. vbi dicit, votum poſſe coniungi cum promiſsione homini facta, reſpiciendo illam, vt materiam ſibi ſuppoſitam. Et ita explicat vota, quæ Sanctis fiunt: nam ibi fit promiſsio Sancto, quæ non eſt votum, & adiungitur votum ad Deum de illa promiſsione implenda. Qui modus eſt poſſibilis, licet non ſit neceſſarius, vt ſupra dixi. Et eodem modo explicat votum, quod ſolet fieri Prælato, de quo idem dicendum eſt. Et generaliter addi poteſt, quoties promiſsio ad homines eſt pietatis opus, poſſe eſſe materiam voti, & ita cum illo coniungi, vt ſiquis promittat dotem pauperi virgini, & voueat Deo illud implere. Idem eſt de promiſsione

Promiſſio quando eſt opus pietatis, eſt materia voti.

cuiuſcunque eleemoſynæ. Et in his inſurgunt duæ obligationes: illa tamen ſola, quæ ad Deum eſt, obligatio eſt voti: alia erit iuſtitiæ, aut fidelitatis, vel ſi ſit ad Sanctos cum Chriſto regnantes, erit duliæ, vt ſupra dictum eſt. Non eſt autem abſolute neceſſaria coniunctio talium promiſsionum, & obligationum: quia poſſet ſoli Deo fieri votum de tali actu erga hominem, vel Sanctum exercendo, ſiue actus ſit eleemoſynæ, ſiue obedientiæ, ſiue reuerentiæ, hoc enim non repugnat, & pendet ex promittentis libertate. Et tunc vna tantum orietur obligatio ad Deum, quia ſolum ibi eſt promiſsio voti, quæ non habet pro materia promiſsionem ad homines, ſed ſolam actionem. Et ideo attente diſcernendum eſt, quando votum vno, vel alio modo fiat: nam in ſolis ſolennibus votis Religioſorum, ſeu quæ in ſtatu Religionis fiunt, videntur quaſi per ſe coniunctæ illæ duæ obligationes, iuxta vſum, & inſtitutionem Eccleſiæ, vt infra ſuo loco videbimus: in aliis vero accidentaliter coniunguntur. Et ideo ex verbis, & circumſtantiis eſt obligationis modus colligendus.

5.

2. Aſſertio. Quand. datur dubiū de materia voti, optio datur vouenti.

Dico ſecundo; Circumſtantia *quid*, ſeu ad quid votum obliget, ſi ex verbis, aut intentione vouentis ſatis determinari non poteſt, optio datur vouenti, vt eligat inter ea, de quibus dubitatio, vel incertitudo æqualis eſt. Ratio eſt, quia in eo caſu non conſtat de obligatione ad partem magis rigoroſam, & reſtrictam, & ideo non cogitur vouens illam eligere: datur ergo optio, vt partem minus oneroſam, ac ſubinde quam voluerit, eligat, quæ veriſimiliter potuerit ſub votum cadere, iuxta principia poſita in capite præcedenti. Hoc autem melius declarabitur exemplis, aduertendo, quod hæc circumſtantia *quid* magis videtur ad obiectum ipſum, vel materiam voti pertinere, quam ad aliquod accidens eius: & ideo vix poteſt eſſe incerta ex ambigua, aut abſtracta ſignificatione verborum, quia res promiſſa ſaltem quoad ſubſtantiam ſuam ſolet ſufficienter concipi, & ſignificari. Ordinarie igitur contingit incertitudo ex obliuione, quia non recordatur homo definite, ac determinate quid vouerit: vt ſiquis vouit quotidie dicere Roſarium, dubitet autem poſtea, an per Roſarium intellexerit integrum Roſarium, vel tertiam partem eius. In quo caſu credimus poſſe eligere tertiam partem, quando non poteſt pro altera parte ferre determinatum iudicium probabile: quia tunc poteſt interpretationem facere ſibi fauorabilem, & quia in obligatione dubia eſt melioris conditionis, vt viſum eſt.

6.

Nauarr.

Aliqua vero ſunt exempla magis dubia. Vnum eſt apud Nauarrum Conſilio 13. de Voto, de illo, qui vouit caſtitatem, & Religionem ſimul, dubitat vero poſtea, an vouerit caſtitatem quaſi ſub conditione, ſi in Religionem reciperetur, quia in illa volebat illam ſeruare, & non alias, vel an ſimpliciter, & abſolute vouerit caſtitatem, & Religionem adiunxerit, vt facilius, & melius caſtitatem ſeruaret. Nam

Exemplo explicatur concluſio.

in hoc poſteriori ſenſu obligabitur ad caſtitatem, etiamſi in Religionem non recipiatur, in priori autem minime. Reſpondet autē Nauarrus ſi non poſsit ferri iudicium determinatum de conditione, in tali materia eligendam eſſe partem tutiorem, iuxta caput *Iuuenis*, de Sponſal. & capit. *Ad audientiam*, de Homici. Sed iam diximus cum aliis Authoribus, ſatis eſſe eligere partem tutam. Et regulam illam ſi tan-

ſi tanquam præceptum continens aſſumatur, intelligendum eſſe de parte tutiore reſpectu non tutæ. ſi autem inter tutas fiat comparatio conſilium continere non præceptum, niſi in caſibus in iure expreſſis, vt dixi exponendo dicto capit. *Ad audientiã*, in 1. tomo diſputat. 40 ſect. [illegible] 6. numer. [illegible]. In dicto autem [illegible] *Iuuenis* [illegible] in dubiis tutiorem partem eſſe [illegible] *In his quæ dubia ſunt, quod certius* [illegible] Vnde textus ille non loquitur, quando dubium eſt tale, vt pro vtraque parte [illegible] iudicium, ſed quando eſt tale dubium, vt pro altera parte coniecturæ faciant probabile iudicium, pro alia vero minime, tunc [illegible] in [illegible] certum [illegible] parte dubia. In [illegible] autem dubio [illegible] ad [illegible] ſententiam cenſeo veram eſſe ſententiam Nauarr. Nam ſi votum [illegible] vehementer coniecturas, quod caſtitatem abſolute vouere voluerit [illegible] in contrarium probabiles coniecturas non habeat [illegible] ſolam incertitudinem, tunc [illegible] obligatum independenter à ſtatu Religioſo [illegible] tutius [illegible] Secus vero ſi, quando incertum eſt indifferenter [illegible] pro vtraque parte [illegible] quod vtraque [illegible] partem ſibi minus onerosam. Eodem modo dicendi ſunt ſimiles [illegible] eodem voto caſtitatis, vt ſi poſt illud [illegible] ſimpliciter, & [illegible] caſtitatem in [illegible] promiſerit, vel [illegible] ſolam abſtinentiam a matrimonio voluerit in quibus eadem regula ſeruanda eſt. Solum oportet [illegible] & ſimilibus aduertere, ſi conſiderata verba voti fuiſſe abſoluta de caſtitate ſeruanda licet quis dubitet de intentione, ſtandum eſſe verbis, quæ ſignificant integram caſtitatem niſi coniecturas habeat, quæ ſufficiant ad probabile iudicium, quod intentio non fuerit adæquata verbis. Alioquin in dubio negatiuo vis verborum facit vehementem præſumptionem in fauorem voti.

7. *Alio exemplo confirmatur concluſio.* Similia exempla ſolent afferri in voto Religionis: ſolet enim oriri dubium, an per Religionem quis intellexerit ſolum ingreſſum ad probandum, vel perſeuerantiam, & profeſſionem: nam hæc duo communiter cenſentur diuerſam obligationem inducere, vt ſuo loco videbimus. Cenſent ergo aliqui in caſu incerto votum obligare ad perſeuerandum & profitendum. Ita docet Nauarrus Conſ. 26. de Voto, numero ſecundo dicto 3. Sequitur Emanuel Rodr. ſecunda part. capit. 25. numero 6. Sed in hoc exemplo contrarium cenſeo. Quia hic non ſolum habet locum ratio repetita, quod obligatio eſt benignius interpretanda in caſu accipiti, ſed etiam hic intercedit peculiaris ratio, propter quam vt votum Religionis obliget ad perſeuerandum, oportet, vt certo conſtet [illegible] ſe abſolute obligare ad perſeuerantiam [illegible] independenter [illegible] quantum [illegible] parte ſua, vt probabo [illegible] tractando in particulari [illegible] voto. [illegible] rationis eſt, quia [illegible] ſuo, nec diſcedere [illegible] communi [illegible] ſtiterit, ad intendendum. Imo vota [illegible] minime ſunt interpretanda in caſu incerto.

Nauar. Eman. Rodr.

8. *Dubium an Religionem in communi an in particulari vouerit ad quid teneatur.* Aliud vero exemplum adhiberi ſolet de eodem Voto Religionis, ſi quis poſtea definire non poſſit, an Religionem in communi vel talem in particulari promiſerit, ad quid obligetur? Quem caſum proponens Diuus Thomas in 4. d. 38. quæſtione prima articulo 3. quæſtiunc. prima ad 6. ſolum reſpondet debere *tutiorem vitam eligere, nec ſe diſpenſando committat*. Quæ verba tranſcripſit ibi Carthuſ. quæſtione [illegible] Turrecr. 17. quæſtione [illegible] princip. articul. 4, ad 4. At vero Angel. verb. [illegible] numero [illegible] cunt tutiorem [illegible] eſſe [illegible] determinate promiſit [illegible] poſſe, vt hoc redundet [illegible] dubium ſit de particulari Re[illegible] rosi & ipſe eligat aliam laxiorem [illegible] ſatisfacit voto intellecto gene[illegible] ſequatur partem tutiorem, ſi pars [illegible] eſt, quæ magis reſtringit obligationem [illegible] Sed nihilominus cenſeo illam ſententiam ve[illegible] al[illegible] ſcilicet quia ille certus eſt ſe vouiſſe [illegible] ligionem, & de reſtrictione voti ad talem Religionem non eſt certus, imo nec poteſt ferre probabile iudicium vt ſupponitur ergo tunc debet ſequi certum [illegible] incertum. Et licet hoc interdum poſſit eſſe fauorabilius quoad aliquid, vt declaratum eſt, ſemper tamen in hoc eſt onerosius quod ſi [illegible] non ſatisfacit petendo in vna Religione [illegible] repudietur, ſed tenetur aliam tentare [illegible] eſſet in voto definito ad certam Religionem. Sed hoc nihilominus [illegible] dum e[illegible] non ſolum quia eſt [illegible] ut opponitur non [illegible] propter rationem [illegible] & quia non poteſt [illegible] voto vt [illegible] ad ſatisfaciendum per [illegible] rem, & [illegible] ſatisfaciendo [illegible] per ſolam petitionem in illa. [illegible] autem [illegible] in illo caſu eſſet [illegible] dubitantis [illegible] intentionem [illegible] & obligationem ad vnam Religionem [illegible], vel magis reſtrictam per modum [illegible] melius ad eam diffinite ſe obligando, & poſtea ſatisfaciat petendo in illa? De quo puncto dicam tractando de voto Religionis.

9. *3. Aſſertio. Quando in voto non determinatur qualitas rei promiſſæ, arbitrio vouentis relinquitur.* Dico tertio. Quando in voto non determinatur qualitas rei promiſſæ, nec ex verbis aut materia fieri poteſt, arbitrio vouentis relinquitur vt qualitatem rei eligat, dummodo bona fide, & ſine fraude, aut dolo ſubſtantiæ, & verbis voti plene ſatisfaciat. Hanc aſſertionem attigi ſufficienter in ſuperiori volumine, tract. 2. libr. 1. capit. 7. numero 21. & ideo hic fere nihil amplius dicam. Nam clarum eſt, in eo caſu certam qualitatem non cadere ſub votum, quia nec verba illam comprehendunt, nec intentio ad illam extenditur, vt ſupponitur ergo non eſt vnde cadat ſub obligationem, eſt ergo ſpontanea, ac ſubinde arbitraria. Vnde fit, hoc intelligendum eſſe non ſolum de qualitate accidentali intra eandem ſpeciem, ſed etiam de ſpecifica, & [illegible] verba generaliora ſunt, ac denique de [illegible] perfectione qualitati proportionata. Vt ſi voueo dare oleum Eccleſiæ, non teneor dare optimum, ſed illud, quod ſufficiat cultui Diuino in illo genere. ſi autem voueo dare vinum pro ſacrificio, licet ne eſſe non ſit dare optimum, & [illegible] tamen ex fine talis voti [illegible] dandum eſſe ſanum, & purum, & decens [illegible] Si autem voueo dare panem [illegible] dare panem pauperibus [illegible] teneor dare [illegible] tri[illegible] de aliquo [illegible] eadem proportione [illegible] indifferenter, in [illegible] Religio [illegible] Vt [illegible] vel vbi non ſeruetur [illegible] ſuo loco?

10. *4. Aſſertio. Quando in voto non determinatur quantitas, nec ex verbis, materia, aut conſuetudine certa, vouentis relinquitur determinatio.* Dico quarto. Quando in voto non determinatur res [illegible] nec ex verbis, aut materia ſecundum [illegible] vel attenta conſuetudine determinari poteſt, arbitrio vouentis relinquitur determinatio [illegible] iudicio [illegible] ſit ſufficiens. [illegible] dicto capite Ex parte, [illegible] ſcriptoribus, præſertim [illegible] & Panormitan. [illegible] probant [illegible] facta in proxima [illegible] præcedenti [illegible] tunc non eſt

D. Thom. Carthuſ. Turrec.

 vnde

Digitized by Google

vnde oritur obligatio ad certam quantitatem, vel menſuram. At vero Syluester, melius dici putat in eo caſu teneri vouentem ad eam quantitatem, de qua cogitabat, cum vouit, vel quam determinaſſet, ſi cogitaſſet. Sed prior pars in tantum habet aliquam probabilitatem, in quantum veriſimile eſt, vouentem intendiſſe illam menſuram, vel quantitatem promittere, de qua cogitabat, cum vouebat: nihilominus tamen non ſufficit cogitaſſe de tali quantitate, niſi reuera illam vouerit, & intentionem habuerit ſe ad illam obligandi, ſæpe enim habetur cogitatio ſine intentione, vt conſtat, & frequenter etiam ex cogitatione vnius rei ſumitur occaſio volendi aliam, vel ex cogitatione alicuius particularis operis excitatur homo ad ſimilia in ſpecie, vel in genere, & non ad omnino æqualia. Non ſatis ergo eſt cogitaſſe de quantitate, ſed neceſſe eſt totam illam intendiſſe, vt naſcatur obligatio. Vnde ſi in ipſo voto quantitas illa non eſt expreſſa, licet ex memoria cogitationis ſumatur aliqua coniectura intentionis, non tamen ſufficiens ad obligandum, niſi aliunde perficiatur coniectura, & ideo prudentis arbitrio opus eſt. Altera vero pars impertinens omnino eſt, tum quia (vt ſæpe dixi) multo magis incertum eſt, quid homo determinaſſet, ſi cogitaſſet: tum etiam quia licet homini eſſet certum, parum refert ad obligationem, ſi homo de facto illam quantitatem non determinauit, quia homo non obligatur, ſicut nec meretur, nec demeretur ex his, quæ determinaſſet, ſi cogitaſſet, ſed ex his, quæ poſtquam cogitauit, determinat. Ergo ſi quantitas non fuit determinata, poteſt poſtea illam determinare prout voluerit vouens, & eligere minorem, etiamſi credatur veriſimiliter, quod ſi tempore voti determinationem feciſſet, maiorem quantitatem elegiſſet, quia erat fortaſſe feruentior, & deuotior. Quia ex illa diſpoſitione (vt dixi) de facto non fuit nata obligatio, quia de facto non fuit ad votum in tali quantitate faciendum determinata.

11. *5. Aſſertio. Circumſtantia loci ſi non exprimatur arbitrio vouentis relinquatur. Aduertendum circa præcedentem conclusionem. Caiet. Nauar.*

Dico quinto; Idem ſentiendum eſt de circumſtantia loci, ſeu vbi: nam ſi in voto non exprimitur, arbitrio vouentis relinquitur, vt ſi voui orare, non obligor orare in Eccleſia: quia in tali voto includitur hæc circumſtantia, & conſequenter manet ſpontanea, & libera, ſicut antea erat. Solum oportet aduertere, locum debere eſſe accommodatum, vt ſubſtantia voti, & probabilis intentio vouentis impleatur. Qua ratione dicunt Doctores, qui vouit Religionem aliquam, non ſatisfacere, ſi eligat locum, in quo Religioſe non viuitur, nec profeſſio ſeruatur, vt videri poteſt in Caietano, dicto articulo tertio. Nauarro capite duodecimo, numero quadrageſimoquinto, quia ibi non impletur votum quoad ſubſtantiam ſecundum debitam intelligentiam eius, quæ eſt de aſſumendo ſtatu, in quo Religioſe viuatur, vt latius ſuo loco dicetur. Et ſimiliter qui vouit orare, non ſatisfaciet eligendo locum, vbi moraliter non poteſt attente orare, & ſic de aliis. Addo præterea, non ſatis eſſe, vt eligatur locus ſufficiens, niſi in illo efficaciter poſſit votum impleri: nam ſi contingat in loco vno eſſe impedimentum, tenebitur vouens alium adire, quia votum indifferens quoad circumſtantiam loci, ſicut libertatem relinquit eligendi locum, ita obligat ad implendum votum vbi commode potuerit. Vt ſiquis vouit orare, & poſtea eligit Eccleſiam ad orandum, ſi inueniat eam clauſam, vel impeditam, non excuſatur, ſed tenetur alium locum quærere, & ſic de aliis.

12. *6. Aſſertio. Finis voti non cadit ſub obligatione, niſi ſit intrinſecus. Nauar.*

Dico ſexto; Finis voti non cadit ſub obligatione voti, niſi ſit finis intrinſecus, id eſt, obiectum ipſius materiæ ſeu actus promiſſi. Hanc aſſertionem attigit Nauarrus conſ. 26. de Voto, quam explicat ad ſimilitudinem præcepti, de quo dici ſolet, finem præcepti non cadere ſub præceptum: votum autem eſt veluti quædam particularis lex; ergo etiam votum non obligat ad finem, ſed tantum ad materiam. Et declaratur exemplis: nam qui vouit ingredi Societatem intentione eundi ad Indiam, vel Iaponem pro conuerſione infidelium, poſtquam votum impleuit ingrediendo hanc Religionem, non obligatur ex vi voti ire ad Indos, etiamſi poſsit, quantum eſt ex parte Religionis; ſic etiam qui vouit ieiunare ad pœnitentiam agendam, & macerandam carnem, non obligatur ad hunc finem: vnde ſi debitam ciborum qualitatem, & formam ieiunij ſeruet, licet excedat in quantitate, vel aliis circumſtantiis requiſitis ad temperantiam, vel pœnitentiam, ſeruat votum, ſicut ſeruat præceptum ieiunij, quia ex vi talis voti ſolum ad ieiunandum ſe obligauit.

Fit clarior exemplis aſſertio.

13. *Expeditur differentia inter finem voti, & finem actus promiſſi per votum.*

Declaratur ratio ex dictis ſupra, quia alius eſt finis ipſius voti, id eſt, mouens ad vouendum, alius eſt finis actus promiſſi per votum, ſeu quo ſeruatur votum. De priori fine manifeſtum eſt, non cadere ſub votum ex vi illius habitudinis, quia nullo modo eſt materia voti. Qui enim ex aliquo fine motus eſt ad vouendum, non ideo vouit operari ex illo fine; ergo nec ad id obligatur, & in hoc maxime tenet ſimilitudo ex lege ſumpta, & hoc probant exempla adducta. Imo interdum tenebitur homo ſaltem ex alio præcepto non ſeruare votum ex illo fine, ex quo illud emiſit: ſæpe enim contingit finem illum eſſe malum, & nihilominus votum obligare, vt ſupra dixi; ergo non obligat ad talem finem, imo cum obligatione voti ſtat aliunde neceſsitas vitandi talem finem. De altero vero fine ſubdiſtinguendum eſt, quia poteſt eſſe extrinſecus, ſeu operantis, & intrinſecus, ſeu operis. Hic poſterior coincidit cum obiecto operis & ideo ſi vouetur opus, neceſſario vouetur cum habitudine ad talem finem, quia pertinet ad ſubſtantiam talis actus, & conſequenter comprehenditur ſub materia voti, & ideo in aſſertione excepimus finem hunc, qui (ad tollendam æquiuocationem) melius dicitur obiectum, ſeu terminus intrinſecus actus. Sicut ergo lex obligat ad finem intrinſecum actus præcepti, quia eſt de ſubſtantia eius tanquam intrinſecus terminus; ita ſi voui caſtitatem, obligor ad carendum venereis delectationibus, qui eſt finis intrinſecus obſeruantiæ caſtitatis, & ſic de aliis. At vero finis extrinſecus operantis, vt talis eſt, non cadit ſub obligationem voti, niſi formaliter, & directe cadat ſub intentionem vouentis ſe obligare ad ſeruandum votum ex tali fine. Vt verbi gratia, ſiquis vouit dare eleemoſynam, ex vi voti non obligatur dare illam propter Deum, vel ad ſatisfaciendum pro peccatis, vel propter alium ſimilem finem: quia votum illud de ſe indifferens eſt ad hos fines, & ideo ſuccedit regula, quod non cadunt ſub obligationem voti, ſed determinatio relinquitur arbitrio operantis. Si autem determinate quis vouit non ſolum dare eleemoſynam, ſed etiam dare ex hoc, aut illo bono fine, tunc clarum eſt obligari ad illum finem, quia iam ille nō eſt tantum finis extrinſecus actus promiſſi, ſed eſt materia voti, quo ipſe promittitur, vnde virtute ibi ſunt duo vota, vnum de tali actu, ſcilicet, eleemoſynæ, aliud de relatione talis actus ad talem finem, & reſpectu huius relationis finis ille eſt intrinſecus, & eſt materia voti.

14. *Quando circumſtantia voti cadat ſub obligationem.*

Atque ex iſta aſſertione conſtat, circumſtantiam *Propter quid* ſumptam, vt circumſtantia eſt, non cadere ſub obligationem voti, niſi vbi intentio vouentis fuerit, illam etiam promittere, in quo iam illa non conſideratur vt circumſtātia, ſed vt obiectum, ſeu materia promiſſa. Et ita in hac circumſtantia locum habet, quod de quantitate, qualitate, & aliis diximus, determinationem eius relinqui arbitrio vouentis, niſi alias conſtiterit fuiſſe ſpecialiter intentam à vouente vt materiam voti, ſicut explicatum eſt. Du-

Dubium. eſt. Dubitari autem poteſt ſpecialiter de fine Diuini cultus, quia votum ex intrinſeca natura ordinatur ad cultum Diuinum, & ſimul ordinat rem promiſſam ad Diuinum cultum: ergo ad votum implendum neceſſarium eſt operari propter Dei cultum, & ad hoc obligat omne votum. Item votum obligat ad ſeruandam Deo fidelitatem, ergo obligat etiam ad intendendum hunc finẽ, qui eſt intrinſecus *Solutio.* reſpectu actus promiſsi. Reſpondeo, obligare votum ad faciendum id, quod de ſe eſt aptum ad cultum Dei, non tamen obligare in rigore ad ordinandum actum promiſſum in cultum Dei, quia nõ hoc promittitur, & ille magis eſt finis, qui ſolet mouere ad vouendum, quam qui cadat ſub ipſum votum, & obligationem eius. Similiter dicitur ad alteram partem, obligare votum ad ſeruandam Deo fidelitatem in actu exercito (vt ſic dicam) non vero in actu ſignato ad intendendam fidelitatem, vel honeſtatem eius, ſicut præceptum obligat ad obediendum, non formaliter ſub ratione obediendi, ſed materialiter, & in actu ipſo exercendo, quod præceptum eſt. Vnde fit, vt ſiquis ſine memoria, vel conſideratione voti faciat, quod promiſit, votum impleat, etiamſi rationẽ fidelitatis non intendat: *impleat*, (inquam) materialiter: nam formaliter, ac morali modo non implet, quia non voluntarie, nec ſciens implet. Dicitur tamen materialiter implere, quia id ſatis eſt, vt votum non violet, & poſtea non teneatur iterum facere actũ promiſſum. Vide *Maior.* Maior. 4. d. 38. q. 3. ad 6.

15. *Vltima aſſer. Modus implendi votũ non cadit ſub obligationem niſi ad ſubſtantiam actus promiſſi ſpectet. D. Thom.* Dico vltimo: Modus implendi votum non cadit ſub obligationem eius, niſi vel ad ſubſtantiam actus promiſſi pertineat, vel directe, ac formaliter promiſſus ſit, ideoque talis modus relinquitur arbitrio vouentis, quantum eſt ex vi voti. Hæc aſſertio pertinet ad circumſtantiam *quomodo*, habetq; eandem rationem, & intelligentiã, quam precedens, eodemque modo ad legis ſimilitudinem explicanda eſt. Nam de lege dicitur, modum actus præcepti nõ cadere ſub præceptum, niſi cum prædictis limitationibus, vt ſumi poteſt ex doctrina D. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 9. & 10. Ratio autem generalis eadem eſt, quia votum non obligat, niſi ad id, quod formaliter, vel virtute promittitur, ſed modus actus non promittitur, niſi vel in ipſo actu includatur, vel directe intendatur: ergo extra hos caſus modus non cadit ſub votum, ac ſubinde talis modus relinquitur arbitrio vouentis, quantum eſt ex parte voti. *Oſtenditur aſſertio inductione.* Deinde poteſt oſtendi inductionẽ, & exemplis diſcurrendo per varios modos operis, quos D. Thom. loco citato indicat: vnus eſt modus operandi ex charitate, ſeu amore Dei, de quo manifeſtum eſt, non cadere ſub votum, niſi votum ſit de ipſo amore Dei exercendo, vel de exercendo aliquo actu ex imperio, aut relatione talis amoris, iuxta dicta in præcedenti aſſertione.

26. Alius modus eſt operari ex habitu, & de hoc eſt clarum, nec cadere ſub votum, quo ſimpliciter promittitur actus, quia eſt modus valde extrinſecus: nec etiam ſolere intendi à vouente, ſicut neque à legislatore: quia & eſt valde incognitus homini, & nõ eſt in poteſtate eius, niſi ratione actuum. Et ita non poteſt voueri niſi forte ratione actuum. Nam poſſet quis vouere talem, vel talem frequentiam actuum animo conſequendi habitũ, ſed tunc actus ipſi, non finis, caderent ſub votum, vt dictum eſt. Et ſimiliter poſſet quis vouere, recitare quotidie Roſarium in ſtatu gratiæ, quod videtur eſſe operari ex habitu: tamen neque hoc ibi immediate vouetur, ſed vel diſpoſitio, & præparatio ad illum ſtatum, vel fit ad excludendam conſcientiam contrarij ſtatus. Et præterea hic etiam modus non cadit ſub votum, niſi directe intẽdatur. Vnde qui obligatur ex voto audire confeſsiones, ſi illas audiat extra ſtatũ gratię, licet peccet contra ius Diuinũ, non tamen contra votum,

Tertius modus eſt, quod actus ſit ſtudioſus, & bonus moraliter, & de hoc etiam aſſero, non cadere ſub obligationem voti, niſi ſpecialiter intentus ſit, quia etiam eſt extra ſubſtãtiam actus præcepti: vt ſi quis vouit ieiunium, & ſeruet modum neceſſarium ad ieiunium, qui reſpectu illius eſt ſubſtantialis, licet alias intemperate comedat, non violabit votum: & qui vouit eleemoſynam, licet illam det propter vanam gloriam, non aget contra votum. Idem eſt de voto orandi, obligat enim ad modum attente orandi, qui eſt de ſubſtantia orationis, non tamen ad bene, & ſine vllo defectu orandum. Quod ſi obijciatur, quia votum eſt de meliori bono, & ideo non videtur impleri per malum actum. Reſpondetur, eſſe de meliori bono ex genere ſuo, nõ tamen ſemper obligare ad excludendam omnem malitiam ab actu, niſi id fuerit in ipſo voto expreſſum. Et iuxta hæc iudicandum eſt de alijs modis magis extrinſecis, vt ſunt intenſe, vel remiſſe operari, & ſimilibus. De modis autem operandi *Sciens*, *& volens*, clarum eſt, catenus cadere ſub votum, quatenus ſunt per ſe neceſſarij ad actum moralem, vt talis eſt, de quo fieri ſolet votum. Et in præcedenti puncto attigimus, quomodo ſit neceſſarium ad implendum votum voluntarie exercere actum eius: quando autem inuoluntarium repugnet obligationi eius, dicemus in fine libri ſequentis. 17. *Obiectio.* *Solutio.*

CAPVT IX.

An votum obliget ſolum vouentem, ita vt voti obligatio perſonalis tantum ſit?

HAec quæſtio pertinet ad circumſtantiam *quis*, ſeu perſonæ, in quam cadit hæc voti obligatio, & quoniam per ſe notum eſt, votum per ſe primo obligare vouentem, & in ſuperioribus ſatis eſt hoc tractatum, & probatum: ideo ſolum ſupereſt dicendum, an ſolum illum obliget, vel poſsit voto vnius alius obligari? Quam quæſtionem de Iuramento promiſſorio tractauimus, habetque eandem fere rationem in voto: ideoque breuiter illam expediemus. Supponimuſque in primis (quod cum proportione ibidem notauimus) aliud eſſe formalem obligationem voti comprehendere alium præter vouentem: aliud vero ex voto vnius manere obligationem aliquam ad alium, non voti, nec Religionis, ſed iuſtitiæ, vel alterius præcepti, hic priorem ſenſum tractamus: de poſteriori dicemus in capite ſequenti.

Dicendum ergo eſt, votum ſolum obligare vouentem, neque poſſe alium obligare propria Religionis, & fidelitatis ad Deum obligatione. Eſt communis conſenſus Doctorum, & ſpecialiter notat, Abb. in capit. *Olim*, de Reſtit. Spoliat. num. 4. Gloſ. Archid. & alij in capit. *Quicumque*, 20. q. 1. Cardin. in Clement. 1. §. *Ad hæc*, de Sum. Trinit. ſumitur clare ex D. Thom. d. q. 88. art. 1. artic. 3. ad 3. & ar. 8. ac 9. & alijs ibi. Plureſque retuli libr. præced. cap. 2. ibi enim poſitum eſt fundamentum huius veritatis: nã oſtendimus, votum eſſe actionem pure perſonalem, quia dicit reſpectum ad propriam voluntatem, & conſenſum: & ideo impoſsibile eſt, vnum obligari propria obligatione voti ſine propria voluntate. Et ideo dicebat Dauid, *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.* Et Deuteronom. 23. *Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis.* Ille ergo tantum obligatur, qui votum emittit. Poteſt autem optime fieri, vt vnus faciat ſuum votum alterius, per proprium conſenſum, iuxta caput *Licet*, de Voto, ibi, *Onus tibi a patre iniunctum, & a te ſponte ſuſceptum.* Sed tunc ille, qui conſentit, & ſuſcipit obligationem alterius, virtute promittit denuo ſua propria voluntate, quod alter promiſerat. Et ideo licet dicatur obligari voto alterius quaſi materialiter,

2 *Votum ſolum vouentem obligat, neque poteſt alium obligare Religionis obligatione.* *Abbas. Cardin. D. Thom.* *Deut. 23.* *C. Licet.*

Digitized by Google

materialiter, id eſt, ad exequendum illud idem, quod alter ex voto debebat, tamen formaliter illa obligatio non naſcitur in hoc ſecundo ex voluntate prioris, ſed ex ſua voluntate, atque adeo ex promiſsione, quam ipſe facit. Atque ita nunquam vnus obligatur ex vi voti alterius, ſed ſua promiſsione.

3. *Dubium circa caput Licet.*

Imo in caſu dicti capit. *Licet*, & ſimilibus dubitari poteſt, an filius ille teneretur ex voto proprio ſumere crucem, quod pater vouerat, an ſolum ex promiſsione, & fidelitate humana? Videtur enim, tantum fuiſſe obligationem humanæ fidelitatis, quia ibi filius non promiſit Deo, ſed patri; ergo licet materia ſuæ promiſsionis eſſet votum alterius, ſeu executio eius, tamen promiſsio ipſa humana fuit: nam ſumit hanc rationem ex perſona, cui fit non ex re de qua fit. Et idem eſt in omni ſimili pacto, aut conuentione: nam ſi Petrus habeat votum faciendi eleemoſynam, & roget Paulum, vt pro ſe faciat, & hic promittat Petro id facere, non vouet, ſed ſimplicem facit promiſsionem, & ſic de aliis.

Solutio dubij.

Reſpondeo, in caſu c. *Licet*, non videtur dubium, quin filius rogatus, vel iuſſus à Patre proprium votum fecerit de eadem peregrinatione, & expugnatione terræ ſanctæ, quam Pater promiſerat. Nam expreſſe in illo textu dicitur, *Et tu aſſumpto crucis ſignaculo, te impleturum ſine dilatione qualibet promiſiſti.* Illud enim ſignaculum erat voti Deo facti, vt in ſuperioribus adnotaui. Interuenit ergo ibi votum ad Deum ſimul cum promiſsione ad Patrem. Idem vero cenſeo dicendum quoties vnus rogatus ab alio habente votum, onus illius ſponte ſuſcipit, & promittit illud impleturum: quia in ſe ſuſcipit non tantum obligationem humanam ex promiſsione ad hominem efficiendi tale opus, ſed etiam ſuſcipit Religioſam obligationem ad Deum: ergo virtute facit etiam promiſsionem ad Deum: nam ſe illi voluntarie obligat. Antecedens patet, quia longe aliter obligatur qui promittit Petro facere pro illo eleemoſynam, quando Petrus illam non debebat ex voto, vel quando debebat: nam in priori caſu promittens tantum obligatur homini: in poſteriori vero etiam Deo: nam hoc eſt ſuſcipere in ſe obligationem alterius, & hæc eſt intentio petentis, & eſſe debet promittentis. Sicut enim is, qui in ius ſuccedit alterius, eodem, quo ille iure vtitur, iuxta regulam 46. iuris in 6. ita qui alterius obligationem in ſe ſuſcipit voluntarie, eadem, qua alter obligatione tenetur. Facit etiam illud axioma, quod ſubrogatum ſapit naturam eius, cui ſubrogatur, vt

C. Eccleſia.

ſumitur ex textu cum Gloſſa in capit. *Eccleſia*, Vt lite pendente, & cætera, & late Eneradus in loco *A vi ſubrogationis*. An vero in eo caſu liber maneat ab obligatione proprij voti, qui in alterum deriuauit obligationem, illo conſentiente, dicam in capit. ſequenti.

4. Alia difficultas occurrebat circa hanc concluſionem de votis parentum offerentium filios infantes Religioni, aut ſtatui Eccleſiaſtico, an talia vota obligent filios in ætate adulta? Sed hoc tetigi in d. cap. 2. ſuperioris libri, & breuiter dixi non obligare, ampliorem de hac re diſputationem, & iurium de hoc loquentium expoſitionem remiſi in tractatum de Statu Religionis.

5. *Propria quæſtionis difficultas.*

Propria ergo huius loci difficultas eſt de quibuſdam votis, quæ à populis fiunt, vt perpetuo obligent ſucceſſores, qui cenſentur obligari ex vſu, & omnium ſententia, quamuis ipſi votum non emiſerint: ergo obligantur voto maiorum, ſeu anteceſſorum: ergo votum vnius obligat alium. Eademque difficultas eſt de eiſdem votis quando primo fiunt, quoad perſonas eiuſdem populi, vel communitatis, quæ talia vota non emiſerunt, imo ſæpe contradixerunt: & nihilominus ſi maior pars præualuit, obligantur voto; ergo poſſunt obligari voto ſine proprio conſenſu, ac ſubinde per votum alterius.

6. *Varij modi explicandi iſtam difficultatem. Nauar.*

Varij ſunt modi explicandi hanc obligationem. Nauar. ca. 12. nu. 73. duos modos ponit ſub disiunctione: vnde videtur, & æque approbare illos, & alterutrum illorum exiſtimare neceſſarium. Vnus eſt, in eo caſu omnes de illo populo, ſiue iam exiſtentes cum fit votum, ſiue ſucceſſores eorum, teneri propria obligatione Religionis ex vi eiuſdem voti. Neque propterea vnum obligari voto alterius, quia totus populus eſt vna perſona ficta, ſeu myſtica, & ita vnus numero ſemper perſeuerat, tam omniũ exiſtimatione, quam Iuris fictione, iuxta Leg. *Proponebatur*, ff. de Iudi. & ideo vnum eſt votum totius populi, & illud ipſum eſt votum ſingulorum. Et ſuaderi hoc poteſt, quia in Republica, ſeu communitate humana videtur eſſe hæc poteſtas vouendi nomine omnium: pertinet enim ad perfectam eius gubernationem in ordine ad Diuinum cultum. Sicut communitas tota poteſt ſe obligare per promiſsionem alteri homini, vel communitati: & tunc ſinguli de communitate obligantur ad ſeruandum tale pactum. Sed hic modus non ſatisfacit, quia votum eſt perſonalis actus, qui à perſona ficta dici non poteſt, niſi in quantum fit à ſingulis perſonis, propriis talis communitatis. Sicut de iuramento ſupra diximus, non poſſe fieri à communitate, niſi per ſingulos, & oportere, vt ſinguli iurent, & propria oligatione iuramẽti teneantur. Et in pacto, vel promiſsione humana factis à cõmunitate, obligari poſſunt ſinguli in vi pacti præcedẽtis, & iuſtitię, vel pręcepti, nõ tamen in vi propriæ fidelitatis, & veritatis.

L. Proponebatur.

7. *Alius modus.*

Alius modus reſpondendi Nauarri eſt, quod tunc ſinguli de populo, vel ſucceſſores obligantur ex vi pacti, & promiſsionis, quæ in vniuerſalem ſucceſſorem pertranſit. Sed contra, Quia vel hoc intelligitur de pacto cum Deo, & hoc non, quia ibi non eſt aliud pactum, niſi votum, quod non omnes faciunt, vel eſt pactum inter homines, & hoc non ſemper intercedit in talibus votis emittendis: nec videtur in illo fundari talis obligatio, alias eſſet obligatio iuſtitiæ, quod dici non poteſt. Nec etiam dici poteſt, pactum illud eſſe, quod tacite intercedit inter ſucceſſores, & eum, cui ſuccedunt, ſcilicet ſuccedendi cum oneribus ab eo impoſitis, vt verba Nauar. indicant. Hoc (inquam) locum non habet; tum quia non de ſolis ſucceſſoribus eſt difficultas, ſed etiam de aliis membris communitatis, qui in principio non conſenſerunt, nec ſucceſſoribus ſuis tale onus imponere voluerunt: tum quia talis modus ſucceſsionis non habet locum in votis perſonalibus vllo modo, & in realibus non quoad voti obligationem, vt cap. ſequenti explicabo.

8. *3. Modus.*

Tertio igitur dici poteſt, ſingulos de populo obligari tali voto, quia omnes conſentiunt, & acceptant votum illud, & ſic faciunt illud ſuum, iuxta proxime dicta circa cap. *Licet*, de Voto. Et hoc tam de exiſtentibus in principio, quando fit votum, quã de ſucceſſoribus intelligi poteſt, quia omnes, qui de tali populo naſcuntur, ſtatim, ac intelligunt ſui populi obligationem, illam acceptant, & licet fortaſſe non intelligant diſtincte illam eſſe obligationem voti, ſatis eſt, quod confuſe illam acceptent prout in ſe eſt. Sed hoc in primis ſupponit factum incertum: vnde enim conſtat hæc perſonalis, ac propria omnium, & ſingulorum acceptatio. Nam in principio multi forte diſſentiunt, & conſentiente maiori parte fit votum, & obligat omnes. Deinde ſucceſſores nõ tam acceptant, quam recognoſcunt obligationem, & ſeruant illam, quia putant cũ illa ſe natos fuiſſe (vt ſic dicam:) antecedit ergo obligatio acceptationem: non eſt ergo ex acceptatione. Vnde argumentor in hunc modum, quia vel illi ſucceſſores tenentur acceptare, vel non: ſi non tenentur, ergo illa acceptatio eſt ex ignorantia, & ita nullam inducit obligationem: acceptant enim, quia putant ſe teneri. Si vero tenentur acceptare; ergo iam ob-

Digitized by Google

iam obligantur abſolute ex voto parentum. Dices, non obligari ex voto, ſed tantum ex illo principio naturali, *Turpis eſt pars, quæ diſcordat à toto*. Sed hæc obligatio ordinarie, ac per ſe non ſolet eſſe grauis nec ſub reatu mortalis culpæ, ſecluſo ſcandalo: nec etiam eſſet ad acceptandum votum, ſed ad ſummũ ad concordiam in actu promiſſo.

9.
4. Modus

Quarto dicunt aliqui, hæc vota tantum obligare in vi conſuetudinis. Sed hoc non placet, tum quia cenſetur votum obligare à principio omnes, & ſingulos de populo ante introductam conſuetudinem & ad hoc videtur eſſe poteſtas in Republica, vt in principio argumentabar: tum etiam quia illa conſuetudo non incipit per actus voluntarios, & paulatim introducit legem, ſed ſemper ſeruatur vt neceſſaria.

10.
Reſoluitur difficultas, & aſſeritur vota communitatum non obligare ſingulos propria obligatione niſi à ſingulis acceptentur.

Dico ergo, talia vota communitatum non obligare ſingulos propria obligatione voti, niſi à ſingulis perſonaliter fiant, vel acceptentur, eſſe tamen in communitate poteſtatem ad obligandum ſingulos præſentes, & futuros ſucceſſores in vi præcepti humani, vel ad acceptandum tale votum quoad voti obligationẽ, vel ſaltem ad obſeruantiam actus promiſsi. Vnde eo ipſo quod populi Rectores in tale votum ſufficienter conſentiant, conſequenter imponunt aliis præceptum obſeruandi illud quoad actum promiſſum, & ideo grauiter peccabunt, non obſeruando illud. Vnde illi, qui non vouerunt, licet non violent votum, & conſequenter non committant proprium peccatum infidelitatis cõtra Deum: nihilominus grauiter peccant contra obedientiam, vel contra propriam virtutem, in qua eſt materia voti.

11.
Obiectio.

Sed obiici poteſt, quia laici non poſſunt præcipere ſpiritualia, & quæ ordinantur ad ſalutem animæ, & cultum Religionis, ſed hæc vota ordinarie fiunt à populo laico, ergo non poſſunt obligare in vi præcepti, & minus poterunt obligare ad acceptandam propriam voti obligationem, quæ magis ſpiritualis eſt, & ſpontanea.

Solutio.

Reſpondeo, conſiderando rem hanc in terminis ſolius iuris naturalis eſſe in communitate Reipublicæ poteſtatem ad ſtatuendum ea, quæ pertinent ad Religionem, & cultum Dei, & bonos mores Reipublicæ: & ideo de illo ſtatu non procedit argumentum. Nunc vero in Eccleſia Diuinus cultus eleuatus eſt ad ſuperiorem ordinem, & eius cura commiſſa eſt Prælatis Eccleſiæ, & præcipue Chriſti vicario. Et ideo exiſtimo, talia vota nõ habere vim obligandi, niſi interueniente Epiſcopi authoritate, & approbatione. Et conſequenter neceſſe eſt, vt ipſe præcepto ſuo cogat omnes ad voti acceptationem, vel ſaltem ad obſeruantiam actus promiſsi, & tunc obligabuntur illi, qui non vouerunt, non in vi voti, ſed in vi Eccleſiaſtici præcepti. Hoc enim ſatis eſt ad explicandam hanc obligationem, & ad conuenientem populi gubernationem in tali materia: imo etiam eſt valde accommodatum, vt ſimilia vota prudenter, ac Religioſe fiant. Vnde obiter intelligitur, talia vota (licet vt perſonalia ſint reſpectu ſingulorum, qui ea emiſerunt, reuocari non poſsint ab Epiſcopis, niſi per medium iuſtæ diſpenſationis) vt obligant totam communitatem poſſe ab eis reuocari, ſicut alia præcepta particularia ſuarum diœceſium, quia reſpectu communitatis non habent vim niſi ratione præcepti, quod per Epiſcopum poteſt abrogari. Quapropter talis abrogatio valida erit, etiamſi fiat ſine cauſa ſufficiente ad diſpenſationem voti, quia per illam non tollitur propria obligatio voti, ſed alia quæ per eandem iuriſdictionem, & poteſtatem Eccleſiaſticam introducta fuerat.

12.
An votum per procuratorem factũ obliget.
Gloſ.

Tandem poterat hic moueri difficultas, quia poteſt votum per alium, ſcilicet per procuratorem fieri, & tunc obligat eum, pro quo fit: ergo poteſt vnus alterius voto obligari. Circa hoc, Gloſſa in capit. *Sciendum*, 27. quæſt. prima negat, votum fieri poſſe per alium licet poſsit iuramentum, vel matrimonium. Fundatur in illo textu, quatenus dicit homines obligari, *per votum propriæ ſponſionis*, ſequitur ibi Turrecrem. Contrarium vero ſentit ibi Archid. referens Gloſſam in c. *Preſbyter*, 82. diſtinct. & hãc partem cenſeo veriorem, quæ tractata eſt ſufficiẽter de Iuramento, & hic poſſunt applicari, quæ ibi dicta ſunt. Fatemur enim votum fieri poſſe per aliũ quoad exteriorem prolationem: nam conſenſum interiorem nemo dare poteſt niſi per ſe ipſum. Poteſt tamen ita concipi, vt non obliget, donec votum exterius per procuratorem proferatur, & ex tunc obligare incipiat. Quia quoad hoc eadem eſt ratio de voto, quæ de iuramento, vel matrimonio, aut aliis contractibus. Nam ex natura rei nihil repugnat hic modus paciſcendi cum Deo, & per ius Eccleſiaſticum non inuenitur abſolute prohibitum, an vero, & quomodo locum habeat in profeſsione Religioſa infra ſuo loco dicetur. Poſito autem hoc modo vouendi, non obligatur quis voto alieno, ſed proprio tum quia moraliter loquendo, quod alius facit nomine meo & vt miniſter à me deputatus, ego facio: tum etiam quia obligatio proxime naſcitur ex proprio, conſenſu, quem ego præſto: actio autem procuratoris eſt veluti conditio requiſita vt ex meo conſenſu oriatur obligatio, ſicut de iuramento etiam dictum eſt. Et ita reſponſum eſt ad dictum caput *Sciendum*.

Archid.

CAPVT X.

Vtrum poſsit aliquis, vel teneatur votum ſuum implere per alium?

1.

Hic explicanda à nobis eſt circumſtantia *Quibus auxiliis*, quatenus cadere poteſt ſub obligationem voti vel illi repugnare, id eſt, an votum obliget ad ſui obſeruationem, etiam per alium, quando vouens non poteſt per ſe ipſum illud implere, vel etiã ſi poſsit per ſe implere, an liceat illi implere per aliũ, & non per ſe? Et vt breuius, ac diſtinctius agamus, dicemus prius de votis perſonalibus, poſtea de realibus, & vltimo de mixtis.

2.
1. Aſſertio, Nemo tenetur votũ perſonale implere per alium, ſi per ſe non poteſt.
Palud.
Anton.
Abul.
Soto.
Syluest.
Angel.
L. Idem.

Dico ergo primo nemo tenetur votum perſonale implere per alium, ſi non poteſt per ſe ipſum. Eſt cõmunis ſententia Theolog. in 4. d. 38. vbi præſertim Palud. quæſtione 3. art. 3. Ant. 2. p. tit. 11. capit. 2. §. 5. Abulen. in capit. 30. Numer. quæſt. 97. Soto lib. 7. q. 2. art. 1. circa finem, Sylueſt. *Votum*, 2. quæſt. 10. Ang. *Votum*, 3. num. 7. & reliqui Summiſtæ, & Canoniſtæ in capit. *Licet*, de Voto, & aliqui in c. 1. Soletq; probari à ſimili ex L. *Idem*, 25. ff. de pactis, vbi dicitur *Perſonale pactum ad aliũ non pertinere*. Tamen aliter ibi dicitur pactum perſonale quam hic dicatur votũ. Nã ibi dicitur pactum perſonale quod fit eum perſona, ſiue fiat de rebus, ſiue de operibus eius: hic autẽ votum perſonale dicitur, quod eſt de actu perſonę vouentis: nihilominus poteſt à ſimili aliquod argumẽtum inde ſumi. Propria vero ratio eſt, quæ ſumitur ex definitione voti perſonalis. Nam eſt de actu, & opere vouentis, ſed opus alterius non eſt opus vouẽtis: ergo tale votum non obligat ad actum alterius: ergo non obligat, vt per alterum impleatur.

3.
Obiectio.
Solutio.

Dices: Interdum fit votum peregrinãdi per aliũ, mittendo v. g. Religioſum, qui pro me viſitet ſancta loca, & eodem modo poteſt voueri oratio, vel ieiunium. Reſpondeo neminem poſſe proprie promittere actum alterius, & ita votum, vt cadit in actum alienum, nec perſonale eſſe, nec reale quia actus alienus non eſt proxima materia voti. Solum ergo eſſe poteſt quaſi obiectum, ſeu materia circa quam verſatur actus proxime promiſſus: nam qui vouet ieiunare, aut peregrinari per alium, non vouet ieiunare, ſed procurare vt alter pro ſe ieiunet, aut mittere alium, qui peregrinetur loco illius. Et tunc conſide-

rando

Digitized by Google

randa eſt actio,quam proxime voués exercet, nam ſi reſoluitur in collationem pecuniæ, aut æquiualẽtis,eſt votum reale, vt votum dicendi Miſſam per ſacerdotem reale eſt: ſi vero ſit tantum perſonalis actio,vt rogare præcipere &c.tunc votum eſt perſonale, & proxime impletur per propriam actionem vouentis,qua procurat actionem alterius:alter vero ſolum materialiter implet rem promiſſam, iuxta obligationem, quam vouens potuit illi imponere, vel ipſe voluit ſponte ſuſcipere.

1 Corollar. Qui ſimpliciter vouit non teneri, imo nec poſſe per alium votum implere.

4. Hinc ſequitur primo eum, qui ſimpliciter vouit aliquid facere,non ſolum non teneri, verum etiam nec poſſe ſuum votum implere per alium, nec iure, nec facto.Probatur prior pars, quia ſi poteſt per ſe ipſum implere,non poteſt licite implere per alium: quia plus vouit,ſcilicet,facere per ſe ipſum, hanc enim quaſi reciprocam relationem includit materia talis voti,quia eſt veluti vitalis act⁹, qui inuoluit intrinſecam habitudinem ad ipſum operantem. Et hinc probatur poſterior pars, nã licet quis non poſſit per ſe implere tale votum,& velit implere per alium non poterit. Probatur, quia ſi vouit ieiunare, licet iubeat alteri vt pro ſe ieiunet, quia ipſe non poteſt,non implet votum,quia nõ vouit iubere,ſed facere,quod longe diuerſum eſt,& licet alter pro ipſo ieiunet,ipſe non ieiunat, & ita non facit, quod promiſit. Vnde licet in eo caſu honeſte faciat iubẽdo,vel procurando ieiuniũ alterius, nõ facit tamen aliquid,quod pertineat ad talis voti obſeruationem. Quod ſi votum à principio fuit extenſum ex intentione vouentis ad ieiunandum, vel ſi non poſſet, procurandum ab alio, tunc quidem implet votum, per ſe ipſum: quia per ſe procurat,aut exercet actionem,qua immediate votum impletur.

2. Corollar. Quando quis etiam culpabiliter ſit impotẽs ad implendũ votum non tenetur per alium implere ſi ſit perſonale. Sylueſt. Nauar.

5. Secundo ſequitur, non ſolum quando abſque culpa propria ſit quis impotens ad implendum ſuũ votum,verum etiamſi ſua culpa impotentiam contraxerit,nõ teneri per alium implere perſonale votum,ſed abſolute excuſari, quando aliud expreſſe non vouit.Ita ſentit Syluester,*Votum*,2.queſtione 6. & 10.in fine. Nauarrus cap. 12.numer.55.&56. Soto, & alij ex ſupra relatis. Probaturque ex dictis,quia culpa commiſſa in tranſgreſsione voti non obligat ad aliquid, quod promiſſum non fuit, neque in re promiſſa continetur : ſed implere per alium rem promiſſam non fuit in voto perſonali promiſſum: ergo. Præterea, licet poſt culpam commiſſam in trangreſsione voti opus promiſſum per alium fiat, non perſoluitur votum prius factum:ergo nulla eſt talis obligatio.

Obiectio.

6. Dices: Licet nõ ſoluatur formaliter, ſoluitur per quandam compenſationem eo modo, quo in tali caſu ſolui poteſt. Propter hoc Angel. ſupra oppoſitum docet,nimirum,ſi fuit in mora, teneri ad implendum per alium,quia tenetur compenſare.Probatur,tum quia Deut.23.dicitur,*Si moratus fueris,imputabitur tibi in peccatum*:tum etiam quia in Leg.2.ff. Siquis cautionibus,&c.in principio, dicitur, reum. qui promiſit ſiſtere in iudicio,liberari ab obligatione,ſi negotium tranſegit,prius quam ſiſti oporteret, ſecus ſi poſt : ſic ergo in præſenti. Tum denique quia in capit.final.de Iniuri.dicitur,teneri qui damnum dedit ſua culpa, ad ſatisfaciendum. Et hanc ſententiam ſequitur Anton.2.part.titul.11.capit.2.§.5.Poteſt pro eadem ſententia referri Syluester, *Votum*,2.quæſtione 10.qui pro illa refert Archid. & illi aſſentire videtur in verſi. *Diſtinguit tamen.* Poſtea vero in fine totius quæſtionis oppoſitum clare docet. Denique ſumitur illa ſententia ex Parnormitan.in capit. 1.de Voto numero 4. & in capit. *licet*, numer. 14. Sed hæc ſententia ſupponit vnum falſum,ſcilicet eum,qui tranſgreſſus eſt votum perſonale,teneri ad faciendam compenſationem,& quaſi reſtitutionem,ſi factus ſit impotens,quod eſſe falſum, patebit à fortiori ex dicendis infra de tempore obligationis voti. Hoc autem fundamento destructo,ruit illa ſententia. Et præterea illo dato, non inferetur ex illo teneri vouentem ad implendum votum per alium,niſi omnis alius modus eſſet impoſsibilis.

Deut. 23.

Anton. Syluest.

Panor.

Fit ſatis obiectionibus.

Ad obiectionem ergo reſpondeo,non teneri tranſgreſſorem voti ad aliquam compenſationem. *Ad primum.* Ad primum Angeli reſpondetur,ſolum probare peccaſſe illum,qui fuit in mora, non vero teneri ad aliud,quam ad pœnitentiam. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum negatur conſequentia,quia diſpoſitio illius legis eſt in ordine ad iudicium externum, & in ordine ad punitionem delicti,vt ibidem dicitur. *Ad tertium.* Ad tertium etiam negatur conſequentia,quia tranſgreſsio voti non eſt contra iuſtitiam,ſicut damnum cum iniuria factum.

3. Corollar. Non tenetur quis votum implere per alium, licet impotentia à principio extiterit quando factum fuit. Hoſtienſ. Nauar. Panor.

7. Tertio ſequitur,hanc aſſertionem procedere etiamſi impotentia implendi tale votum à principio extiterit,quando votum fuit factum,& ſiue vouens præſciuerit impedimentum, ſiue non,dummodo eadem fuerit intentio vouentis. Hãc ampliationem addo propter varia dicta Canoniſtarum. Hoſt. enim in capit.*licet*,de Voto numer.4.&5.abſolute dicit,in eo caſu quando impotentia fuit à principio, obligare votum,vt per alium impleatur, ſi fieri poteſt,ne votum fuerit irriſorium. Quod ſequitur Nauar. d. numer. 55.dicens abſolute teneri aliquẽ implere votum per alium,quoties tale eſt,vt per alium impleri poſsit. Sed merito hoc limitat Panor. num. 13.vt ſolum locum habeat,quando vouens non ignorabat impotentiam ſuam:nam tunc ſolum procedit ratio Hoſtienſis. Si enim ignorabat,potuit bona fide vouere facere per ſe, quod putabat ſibi eſſe poſsibile. At vero ſi ſciebat per ſe non poſſe, eo ipſo videtur vouiſſe facere per alium: quia non voluit promittere aliquid impoſsibile cognitum,nec præſumitur feciſſe votum irriſorium. Et hoc ſequuntur Angel. & Syluest. Veruntamen hoc ipſum ſolũ procedit ex præſumptione: vnde non limitatur aſſertio poſita, ſed præſumitur aliud eſſe votum, & ideo dixi in hoc Corollario, *Dummodo eadem fuerit intentio*,in quo(quod ſpectat ad forum conſcientię) non præſumptione,ſed declaratione vouentis ſtandum eſt:quia fieri poteſt, vt non intenderit rogare, vel imperare, aut aliter procurare per alium facere, ſed per ſe,vel ex temeritate,& arroganti inconſideratione, vel quia ſperabat fore, vt aliquando poſſet. Vnde ſi verba voti tantum ſonent actionem propriam,vt ieiunare,orare, viſitare, & vouens declaret non intendiſſe promittere facere per alium,non obligatur facere:quia obligatio non excedit intentionem,& quia non poteſt plus operari ſuperueniens impedimentum, quam exiſtens tempore voti cæteris paribus. Quin potius licet non poſsit vouẽs certo ſcire, ſe habuiſſe intentionem non vouendi, agere per alium ſatis eſt,quod non iudicet ſe habuiſſe intentionem ita vouendi,vt non ſit obligandus ad implendum tale votum per alium,ſed potius iudicandum ſit tale votum diſcretum,& vanum:quia hoc potius colligitur ex tali modo vouendi, & in verbis voti (vt ſupponitur) nullum eſt fundamentum ad illam intentionem præſumendam.

4. Corollarium qui vouit agere aliquid per alium ſatis implet votũ exhibendo actionem accommodatam per ſe ipſum.

8. Quarto infertur, quando quis expreſſe vouit agere aliquid per alium, ſatis implere votum exhibendo actionem accommodatam voto quam per ſe poteſt facere. Hæc autem actio varia eſſe poteſt: interdum enim ſolum eſſe poteſt rogare,aut intercedere cum alio,& tunc id ſatis eſt,ſiue alius faciat, ſiue non. dummodo vouens ſufficientem diligentiam fecerit ex parte ſua,quod prudenti arbitrio relinquendum eſt iuxta negotij qualitatem. Aliquando eſſe poteſt actus præcipiendi,ſeu ordinandi pro ratione ſui muneris, vt ſi Prælatus Religionis voueat orationes ſuorum ſubditorum pro aliqua neceſsitate,ſatisfaciet eas imperando, vel ordinando,

modo

Digitized by Google

modo conſueto. Non credo tamen teneri ad explicandam ſubditis ſuum votum: quia votum ſuum non obligat alios, nec ratione illius tenetur illos magis cogere, vel obligare, quam iuxta regulam, vel conſuetudinem ſoleat ſimiles actus iniungere, & ſic ordinando ſatisfacit voto ſuo, etiamſi fortaſſe alij non omnino illud exequantur. Denique poteſt actio hæc includere conuentionem cum alio, & obligationem, vt actum promiſſum faciat quaſi ex pacto, vel iuſtitia, vt cum quis mittit alium ad peregrinandum, dando illi neceſſarios ſumptus, vel quid ſimile, & tunc eum proportione dicendum eſt, ſatis eſſe, vt vouens faciat id, quod eſt ex parte ſua, etiamſi alius poſtea non impleat, & præſertim ſi tale votum reſoluitur in reale, vel de illo habet aliquid admixtum ratione expenſarum: nam ſi vouens illas ſemel ſoluit, licet alter inique, & iniuſte agat, non exequendo promiſſum, credo non teneri vouentem ad iterum faciendos ſimiles ſumptus. Sicut, qui promiſit dicere Miſſas per alium, & dedit ſtipendium, & bona fide alium obligauit ad eas dicendas, licet ille iniuſte deficiat, non tenetur vouens iterum eleemoſynam dare, quia iam impleuit votum quoad actionem, & rem, quæ ad ipſum poterat pertinere. Si autem actio non habet ſumptus annexos, & vouens illos non amiſit, ſed recuperauit ſtipendium, tunc tenebitur iterum procurare, vt votum impleatur, ſi tempus pro quo obligabat adhuc durat, iuxta dicenda inferius capit. 10. Et hæc de votis perſonalibus.

9. *Vota realia obligant ad impletionē per alios, quando quis per ſe non poteſt.*

Secundo loco dicendum eſt de realibus votis, de quibus Doctores ſupra allegati communiter docent obligare, vt per alium impleantur, quando vouens non poteſt per ſe illa implere. Ratio eſt, quia hæc vota non tam ſunt de actibus dicentibus intrinſecum reſpectum ad vouentem, quam de rebus, vel actionibus, quæ per alios poſſunt executioni mandari. Vt votum eleemoſynæ obligat ad exhibendam pecuniam: eleemoſyna autem ipſa per famulum fieri poteſt, & votum de ædificando templo, data pecunia per alios impletur. Atque hęc quidem ſententia quoad doctrinam intentam vera eſt: ſi quis tamen recte conſideret formalem (vt ſic dicam) impletionem voti realis, differentiam vix inueniet inter ipſum, & perſonale, quatenus à vouente ipſo vtrumque impleri poteſt, & debet. Vt autem qualis eſſe poſsit differentia clare percipiatur, aduerto in voto reali duo conſiderari poſſe: vnum eſt exhibere pecuniam promiſſam, aliud eſt facere, & exequi opus, ad quod pecunia promiſſa eſt.

10. *Duo conſideranda ad differentiā voti realis, & perſonalis dignoſcendam.*

Quod ad primum attinet, dico tale votum obligare vouentem, vt per ſe votum exequatur, & non per alium: quia tenetur de ſuo implere, non de alieno, non ſolum quia non poteſt de alieno arbitrio ſuo diſponere, ſed etiam quia non tenetur petere ab alio, vt tales ſumptus faciat: quia ex vi talis voti realis id non promiſit. Et in hoc ſeruatur quædam proportio inter votum perſonale, & reale, quod ſicut in perſonale, qui non poteſt per ſe implere, non tenetur per alium, ita in reali, ſi quis in pauperiem incidat, & non poſsit de ſuo expendere, quod promiſit, non tenetur procurare, vt alius faciat, nec eleemoſynā ab alijs petere vt votum impleat: quia ex vi voti hoc in eo nō continetur, niſi ex conditione perſonæ, & circumſtantijs colligi poſsit, hāc fuiſſe intentionem eius. Et tunc votum erit potius perſonale, quam reale, vel erit duplex, & ante omnia obligabit perſonale, quia petere eleemoſynam ad faciendum opus pium, materia eſt voti perſonalis, & quoad illam partem certum eſt non obligare ad faciendum per alium. Expleta autem illa parte, & acquiſita eleemoſyna, iam votum erit reale, eiuſque leges ſequetur: votum ergo reale quoad ſuam partem obligat vnum quemq; , vt per ſe faciat, non per alium.

Obiectio.

Dices: ſi quis non impleuit viuens reale votū, tenetur implere per hæredem. Reſpondeo, inprimis ſi abſolute vouit eleemoſynam, vel aliud pium opus facere, teneri dum viuit facere, atque adeo per ſe. Si tamen vel fuit in mora culpabili; vel à principio non intendit aliter ſe obligare, verum eſt debere per hæredem facere: nimirum præcipiendo, vt de ſuis bonis opus fiat, & tunc iam per ſe implet votum quoad illam partem: quia de ſuo impleri vult, & ipſe præcipiendo facit, quod ad illum ſpectat, ſicut quando præcipit famulo, vt det eleemoſynam. *Solutio.*

Vnde quod ſpectat ad ſecūdum, ſcilicet conſumptionem pecuniæ in tali vſu aliquid eſt perſonale pertinens ad vouentem, quod non poteſt per alium fieri, ſcilicet præcipere, vt fiat ex illa opus promiſſum: imo & diligentia adhibere vt impleatur, quoad fieri poſsit. Nam hæc obligatio penes ipſum vouentem eſt, & non poteſt alteri delegari, niſi aliud fuerit in voto expreſſum. Quia quoad hoc votum includit eandem habitudinem ad vouentem, quam votum perſonale. Aliquid vero eſt in illo vſu, quod non tenetur ex vi talis voti per ſe ipſum vouens explere, ſed poteſt famulo, aut miniſtro committere, vt diſtribuere actu eleemoſynam in pauperes, vel ædificare templum. Hoc vero non eſt propter ſpecialem proprietatem voti realis, ſed quia illa non eſt materia talis voti: generale autem eſt omni voto, vt non obliget extra ſuam materiam. Cuius ſignum eſt, quia ſi quis vouiſſet ſuis proprijs manibus dare eleemoſynam, vel perſonaliter laborare in templo, quod ſuis ſumptibus ex voto ædificat, teneretur id facere per ſe, nec ſatisfaceret faciendo per alium: quia iam quoad id votum eſſet perſonale. Votum ergo reale quoad id, quod intrinſece, ac per ſe obligat, per vouentem ipſum debet mandari executioni, & non per alium, alias non ſatisfit propriæ obligationi voti. Vnde differentia ſolum eſt, quod in voto reali, ſi vouens poteſt exhibere pecuniam, & præcipere, vt fiat pium opus per alium, tenetur id facere, etiamſi aliter opus facere non poſsit: quod in voto perſonali non inuenitur. Et ſic res eſt adeo clara, vt non indigeat alia probatione, ex ſequenti autem puncto magis comprobabitur. 11.

12. *Votum mixtum quomodo obliget ad impletionem.*

Tertio dicendum eſt de voto mixto ex perſonali, & reali, de quo certum eſt quoad partem perſonalem non expleri per alium, iuxta primam aſſertionem: nam eſt eadem ratio. Vnde ſolū poteſt quæri, an in eo caſu, in quo vouens non poteſt per ſe implere perſonalem actionem, quam votum includit, teneatur ad realem contributionem? In quo reſolutio communis eſt, diſtinctione vtendum eſſe. Nam illa mixtio duobus modis inueniri poteſt, vno modo per ſe, & quaſi intrinſece ex conditione ipſius operis perſonalis, vt ſunt in peregrinatione ſumptus itineris, in militia alimenta perſonæ; vt ſiquis vouit perſonaliter militare contra infideles ſine ſtipendio, & proprijs ſumptibus. Alio modo contingit mixtio quaſi per accidens ex intentione vouentis, vt ſiquis vouit viſitare ſanctum Iacobum & ibi tot Miſſas, eleemoſynam, vel lampadem argenteam offerre, vt militare in pio bello, & ſecum deferre tot milites ſuis ſumptibus. In priori caſu ceſſante obligatione perſonali, ceſſat realis: tū quia acceſſorium ſequitur principale, & illud reale eſt ita acceſſorium vt in tali actu omnino nitatur: tum etiam quia illi ſumptus non tam ex voto debentur, quam ex naturali conditione perſonæ, ac neceſsitate. *Mixtio quibus modis inueniatur in voto.*

13. *Qui non poteſt votum implere quo ad partem perſonalem, tenetur ſaltem quoad partem realem.*

In poſteriori vero caſu licet quis non poſsit implere votum quoad partem perſonalem, tenetur quoad partem realem, vt ſi non poſsit ire ad ſanctum Iacobum, tenetur mittere eleemoſynā, quam illuc perueniendo facere promiſerat, & ſi non poteſt perſonaliter ire ad bellū, tenetur mittere, quos ſecum deferre promiſerat non in proprium famulatum, ſed in auxilium, & ſubſidium belli. Ratio eſt, quia illa duo licet fuerint coniuncta, non ſunt connexa,

nexa, nec vnum proprie eſt acceſſorium alterius, & ita in virtute illa ſunt duo vota diſtincta: & ideo ſi vnum impleri poteſt, licet aliud non poſſit, ſeruandum eſt, quod poteſt. Sic etiam in caſu ſupra propoſito, ſi quis promittit ſuis ſumptibus, ex proprio, ac perſonali labore templum ædificare, licet laborare non poſſit, tenetur ſuis ſumptibus ædificare: quia illa etiam non ſunt per ſe connexa, ſed tanquam duo vota diſtincta. Item qui promiſit dare eleemoſynam ſuis manibus, licet infirmitate, vel aliter impediatur, & non poſſit per ſe dare, tenebitur per alium dare, aut mittere: quia etiam ibi non eſt per ſe connexio, & præterea ibi eleemoſyna eſt principale, alia eſt circumſtantia eius, & quaſi acceſſorium, ceſſante autem acceſſorio, non ceſſat principale. Ita ſumitur

Innoc. *Panor.* ex Innoc. in c. *Licet*, de Voto, & ibi Panormit. nu. 12. & ſequentibus, & alij. Conſentiunt Sylueſt. Angel. *Aduertendum.* Anton. & alij locis citatis. Solumque occurrit aduertendum, hæc intelligenda eſſe per ſe, & conſiderata natura, & materia talium votorum: nam ex intentione vouentis poſſunt hęc ita colligari, vt vnum ponatur tanquam conditio neceſſaria ad obligationem alterius, & tunc non aliter obligaret votum, vt ſi voueret ire ad ſanctum Iacobum, & ſi illuc perueniret, dare eleemoſynam, & non aliter, & ſic de aliis. Tunc enim votum eſſet conditionatum quoad illam partem, vnde conditione non impleta non obligaret, ſicut etiam in priori caſu poſſet intentio ferri ad expenſas per ſe vouendo de illis eleemoſynam facere, ſi peregrinari non poſſet, & tunc clarum eſt votum obligare, ſed hoc eſt accidentarium, & oportet vt certo conſtet. Hic vero occurrebant difficultates ex cap. *Licet*, & cap. *Super his*, de Voto, quę in cap. ſequenti melius tractabuntur.

CAPVT XI.

Vtrum obligatio voti ipſo facto, vel iure tranſeat ad hæredes.

1. *Formalis voti obligatio non extenditur ad hæredes vouentis.*

HAEc quęſtio annexa eſt duabus pręcedentibus: nam pertinet ad explicandas perſonas, ad quas extendi poteſt obligatio voti, vel potius per quas poteſt, & debet votum impleri. Supponitur autem vt clarum, propriam, & formalem (vt ſic dicam) voti obligationem non extendi ad hæredes, quia licet repræſentent perſonam defuncti, vere tamen ſunt perſonæ ab illo diſtinctæ, quæ promiſſione eius formaliter obligari non poſſunt, vt oſtenſum eſt c. 8. Et in ſimili lib. 2. de Iuramen. cap. 24. eſt ergo quæſtio de alia obligatione iuſtitiæ, quæ ad hæredes tranſeat ex voto defuncti.

2\. Addidi autem in titulo *ipſo facto, vel iure*, vt excludam peculiare mandatum ipſius teſtatoris: nam ſi hoc intercedat, clarum eſt teneri hæredem ad voluntatem teſtatoris implendam, & ex hac parte poſſe obligari ad implendum votum defuncti, quod ipſe præcepit impleri: tunc autem dicetur obligatio voti tranſire ad hæredem, non ipſo facto, vel iure, ſed media voluntate teſtatoris. In hoc autem puncto obſeruanda eſt differētia inter vota perſonalia, & realia: nam perſonalia non tranſeunt ad hæredem, etiam volente, & pręcipiente teſtatore, niſi hęres ſpōte ſua acceptet, & faciat ſuam promiſſionem defuncti, iuxta cap. *Licet*, de Voto, & dicta ſupra cap. 8. quia hoc onus perſonale nō eſt coniunctum cum hæreditate, ſed cum perſona, & ideo non poteſt teſtator ſuo ſolo arbitrio illud imponere hæredi nolenti illud acceptare. Et ita docent Palud. & alii ſtatim referendi.

3\. *In inſtitutione hæredis voluntaria, poteſt teſtator hæredi* Verum eſt tamen, quod vbi inſtitutio hæredis eſſet omnino voluntaria, poſſet teſtator ſub hac conditione, hæreditatem Petro extraneo relinquere, vt tale votum ſuum peregrinationis, aut pii belli perſonaliter impleat, alias illam amittat: & tunc hæres teneretur votum teſtatoris implere, non abſolute, *relinquere hæreditatē ſub conditione cuiuſdā voti implendi.* ſed vt poſſet hæreditatem obtinere, vel retinere iuxta modum inſtitutionis. Imo addit Abul. 3. Reg. 15. q. 19. quod ſi teſtator inſtituat hæredem voluntariū, eique in teſtamento præcipiat, vt pro ſe votum pe- *Abul.* regrinationis, aut aliud ſimile impleat, tenetur hæres, ſi adeat hæreditatem, implere votum, etiamſi viuente teſtatore nihil promiſerit, vel acceptauerit: & ſi nolit, poſſe per cenſuras compelli ad implendum votum, vel hæreditatem relinquendam, licet teſtator hanc conditionem non expreſſerit: quia præſumitur ex coniecturata mente illius. Sed hic rigor nimius eſt, & contra verba Iuris, quæ requirunt voluntariam acceptationem hæredis: neque eſt cur præſumatur illa voluntas teſtatoris, cum nec illam expreſſerit, vt ſupponitur, nec ad illum rigorem teneretur ex vi voti, vt ex ſupra dictis conſtat. Potius ergo videtur ille eſſe modus, quam cōditio, vel certe petitio ex gratitudine potius quam ex obligatione: ſecus vero eſſet, ſi inſtitutio eſſet conditionata. Et idem dicendum cenſeo de legatario: poſſe ſcilicet hoc modo obligari, ſi ſub tali conditione legatum relinqueretur. Hæredi autem neceſſario non videtur poſſe tale onus imponi per modum conditionis: quia per ſe habet ius abſolutum ad hæreditatem, quod non poteſt pater, verbi gratia, minuere, & conditionatum reddere, addita conditione voluntaria, ad quam alter ſimpliciter non tenetur.

At vero in votis realibus certum eſt, poſſe iuſte teſtatorem imponere hæredi onus implendi illa: 4. imo etiam teneri, ſi re vera talia vota non erant extincta, ſed durabat eorum obligatio, ſiue culpabilis fuerit mora, ſiue non: quia ſemper tenetur quis implere eo modo, quo poteſt. Item quia ſemper eſt debitor Deo illius pecunię, ſeu rei: ergo tenetur præcipere vt ſoluatur: ergo eſt præceptum iuſtum obligans hæredem. Denique hoc à fortiori conſtabit ex dicendis. Idemq; eſt cum proportione de votis mixtis quoad illam partem in qua realia ſunt, vt etiam mox explicabimus. Semper autem hoc intelligitur quando teſtator diſponit de bonis, quæ vocantur libera, ſemperq; poteſt tale onus imponere. Vnde à fortiori conſtat, non teneri hæredem ipſo facto ad implenda vota defuncti perſonalia, vel mixta quoad partem perſonalem: quia ſi non obligatur, etiam pręcipiēte defuncto, niſi in caſu, & modo explicato, multo minus obligabitur, ſi teſtator nihil præcipiat, ſed ſimpliciter hęredem inſtituat, vel ſi hæres ab inteſtato ſuccedat. Et ratio clara eſt, quia perſonalis obligatio voti extinguitur cum perſona, & quia nullo modo adhæret rebus, ſeu hæreditati: & ideo ex vi illius non trāſit ipſo facto, vel iure ad hæredē.

Tota ergo difficultas eſt de votis realibus, & mixtis quoad partem realem. Et ratio dubitādi eſſe po- 5. *Punctū difficultatis.* teſt: quia ad hæredem non tranſeunt ex vi hæreditatis niſi debita ex iuſtitia: ſed obligatio voti non eſt ex iuſtitia: ergo. Confirmatur primo, quia illa obligatio vt perſonalis non tranſit ad hęredem, ſed cum perſona extinguitur: nec etiam tranſit vt realis, quia non adhæret rebus ipſis, nec moraliter afficit illas, vt dicantur tranſire ad hæredem cum tali onere: ergo nullo modo tranſit. Minor patet ex leg. 2. ff. de Pollicit. dicēte, *Si quis rem aliquam vouerit, voto obligatur, quæ res perſonam vouentis, non rem, quæ vouetur, obligat*, & infra, *res ipſa ſacra non efficitur*. Confirmatur ſecūdo, quia alias etiamſi teſtator declararet ſuam voluntatem eſſe, vt tale votum non impleretur, hæres ex vi hæreditatis teneretur illud implere. Conſequens autem videtur falſum, quia tunc hæres non tenetur ex vi Religionis, vt conſtat, quia formaliter non obligatur voto, neque etiam ex vi iuſtitiæ, quia non poteſt obligari ex iuſtitia, niſi ex quaſi contractu cum teſtatore: ibi autem nullus quaſi cōtractus conſiderari poteſt, cum teſtator remiſerit, & ſuam voluntatem ſatis declarauerit: ergo.

Nihilo-

Digitized by Google

6. *Reſoluitur quæſtio, & aſſeritur obligationem voti realis tranſire ipſo iure ad hæredem ex vi hæreditatis receptæ. Ambulenſ. Palud. Sup. Gab. Soto. Ant. Syluest. Angel. Nauar. Innoc. Panor. Hoſtienſ. Cap Si hæres.*

Nihilominus dicendum eſt, obligationem voti realis tranſire ad hæredem ipſo iure, ſeu facto ex vi hæreditatis receptæ. Hæc eſt ſententia communis, tradit Abul. in cap. 30. Numer. quęſtione 98. Palud. 4. d. 38. quæſtione 3. art. 3. Supplem. Gab. quæſtion. art. 3. poſt 3. concluſionem, Sot. d. quæſt. 2. art. 1. in fine. Ant. 2. p. tit. 11. ca. 2. §. 5. Sylueſt. *Votum*, 2. quæſt. 11. Ang. *Votum*, 3. numer. 8. & 9. & Summ. communiter Nauar. d. cap. 12. numer. 56. Innoc. Hoſtienſ. Panormit. Anton. & alii in cap. *Licet*, de Voto. Probari poteſt primo hæc ſententia ex c. *Si hæredes*, de Teſtam. vbi puniuntur hæredes non adimplẽtes iuſſa teſtatorum, & ſubditur, *vt vota defuncti adimpleantur*. Sed ibi (vt adęquata ſit ratio) per vota non videntur ſignificari proprie promiſsiones, ſed voluntates, ſeu deſideria defuncti. Et licet comprehendantur propria vota, ille textus in rigore ſolum loquitur, quãdo teſtator illa impleri iubet. Probari etiam ſolet ex cap. *Licet*, de Voto. Sed ibi etiam præceptum patris præceſsit, & acceptatio, ac promiſsio filii: Vnde ex textu non colligitur, patrem id feciſſe ex obligatione, nec filium obligandum fuiſſe, niſi promiſiſſet, vt infra dicam.

7. *Cap Ex parte.*

Magis videtur hoc probari cap. *Ex parte*, de Cenſib. vbi clare ſupponitur, filios teneri, & poſſe cogi ad ſoluenda vota parentum. Item facit cap. 1. de Solut. quatenus in eo dicitur, teneri filium ad ſoluenda debita parentum. Expreſsius habetur in leg. 2. ff. de Pollicit. vbi dicitur. *Qui decimam partem bonorum vouit, ſi deceſſerit ante ſolutionem, hæredem illius hæreditario nomine decimæ obſtrictum eſſe.* Vbi expendo particulam *hæreditario nomine*: nam æquiualet illi *Ipſo iure, ſeu facto*. Et pro ratione ſubditur. *Voti enim obligationem ad hæredem tranſire conſtat.* Ratio vero eſt, quia per votum reale ſit homo debitor Deo illius rei, in quam votum cadit, ſed bona defuncti, ſunt obnoxia ſolutioni debitorum eius, ita vt debita non computentur in bonis: ergo hæres tenetur ad ſoluenda vota realia defuncti ex vi bonorum, quæ ad ipſum peruenerunt, & hoc eſt obligari ipſo facto. Vnde colligitur clara differentia inter votum perſonale, & reale. nam perſonale votum conſtituit hominem debitorem ſolius actionis cohærentis propriæ perſonæ, ad quod debitum perſoluendum non ſunt obnoxia bona externa, ſed ſola perſona. Neque etiam apud Deum habet locum obligatio ad aliquod intereſſe, quæ relinquatur ex voto perſonali non impleto, quia illa tantum eſt obligatio ad pœnitentiam agendam (vt infra oſtendam) quæ etiam perſonalis eſt. At votum reale conſtituit hominem debitorem rerũ externarum, quæ ſemper poſſunt reddi Deo, etiamſi homo dum viuit fuerit negligẽs in illis reddendis, ideoque illę ſemper manent obnoxiæ tali debito ſoluendo, & cum illo onere tranſeunt ad hæredes, & ideo ille manet obligatus eo ipſo quod hæreditatem adit. Vnde etiam intelligitur, hanc obligationem non tranſire ad hæredes, niſi pro viribus hæreditatis, & habita ratione aliorum onerum, & debitorum iuxta generalem doctrinam de obligationibus hæredum, & modo ſoluendi debita defunctorum. Hæc vero ratio maiori indiget expoſitione, quę pendet ex dicendis.

8. *Fit ſatis rationi dubitandi.*

Ad rationem ergo dubitandi reſponderi poteſt primo, debitum Religionis in ipſo vouẽte reſpectu Dei eſſe maius, quam iuſtitię, quia eſt ius aliquo modo Deo ipſi acquiſitum, quod eſt altioris rationis, quam ſit ius humanæ promiſsionis, etiam ſi ſupponatur eſſe iuſtitię, & ideo multo maiori ratione trãſit ad hæredes promiſsio realis facta Deo, quam facta homini, at promiſsio facta homini, ſaltem quando ex iuſtitia obligat, tranſit ad hæredes, vt apud omnes conſtat: ergo & votum Deo factum. Hæc vero reſponſio, & æquiparatio non conuincit, neque omnino videtur ſatisfacere: quia licet Religio excellat ratione dignitatis perſonæ, tamen in ratione debiti fidelitatis ſemper habet hanc diuerſitatem, quod non obligat quaſi ad reſtitutionem, vel recõpenſationem, vt infra dicemus. Vnde augetur difficultas, quia alias tenebitur hæres ad ſoluenda vota defuncti ex Religione: conſequens eſt contra dicta, & contra rationem, quia ibi non eſt alia obligatio Religionis, niſi fidelitatis ad Deum: hæres autem non poteſt teneri ex fidelitate ad Deum, cum ipſe non promiſerit: hac enim ratione formalis obligatio voti defuncti non tranſit ad hæredes: ergo. Sequela patet, quia hęres non tenetur ex iuſtitia reſpectu hominis, quia ſuccedit tantum in locum defuncti, & defunctus nulli homini erat ex iuſtitia obligatus: ergo.

9. *Vera reſponſio.*

Reſpondeo igitur negando minorem, quia hæres tenetur ex iuſtitia reſpectu defuncti ex tacito quaſi contractu, quo obligatur illi ad ſoluenda eius debita, eo ipſo quod adit eius hæreditatem, vt dixit Panormit. cum Anton. in dicto capit. *Licet*, Et conſequenter etiam tenetur reſpectu eius, cui res promiſſa danda eſt propter voluntatem defuncti. Vnde licet obligatio voti perſonalis ſit, & in vouente ad Religionem pertineat, in hærede tranſit in obligationem iuſtitiæ ratione rei acceptæ cum illo onere. Et ita ſoluta relinquitur prima confirmatio. concedo enim ex vi ſolius voti realis rem non manere affectam quaſi ſpirituali onere, & obligatione, ſed obligationem eſſe perſonalem. Nihilominus tamẽ bona ipſius vouentis debitoris manent obligata generali obligatione ad hoc debitum, ſicut ad alia: hac enim ratione alia debita perſonalia ad hęredes trãſeunt, vt conſtat.

10. *An obligatio voti realis tranſeat ad hæredem etiam cõtra voluntatem teſtatoris.*

In ſecunda confirmatione petitur, an hæc obligatio voti tranſeat ad hæredem etiam contra voluntatem teſtatoris, ſi expreſſe declaret, ſe nolle tale onus imponere hæredi? Videtur enim ex dicta ratione ſequi non tranſire: quia tunc ceſſat quaſi contractus inter hæredem, & teſtatorem, quia non poteſt eſſe contractus contra proprium conſenſum, & voluntatem ibi autem nec hæres vult obligari plus, quam defunctus illum obliget, nec defunctus vult hæredem obligare: ergo nullus contractus, vel quaſi contractus inter eos intercedit. ergo non eſt vnde oriatur obligatio iuſtitiæ in hærede, & alia eſſe non poteſt, vt oſtenſum eſt. Atq; ita ſentiunt aliqui, non teneri hæredem in eo caſu ad implendum votum defuncti. Et conſequenter iuxta hanc ſententiam dicendum eſt, hanc obligationem fundari in præſumpta voluntate defuncti, quia nemo præſumitur agere contra æternam ſuam ſalutem, & ideo licet expreſſe non præcipiat teſtator hæredi, vt ſuum votum impleat, hoc cenſetur velle eo ipſo, quod expreſſe illum non liberat ab illo onere: ac ſubinde communis ſententia intelligenda erit, quando hæres ſimpliciter inſtituitur, aut ſuccedit: limitanda vero erit, quando teſtator expreſſe liberat hæredẽ illo onere: quia tunc vel præſumitur teſtator à principio ita vouiſſe: vel licet forte grauiter in eo facto peccet, factum tenet, quia ſine voluntate eius non poteſt eius obligatio ad alium tranſire, neque ille, poſtea acceptando hæreditatem, cooperatur peccato eius, ſed vtitur effectu ex illo relicto, qui per ſe malus non eſt.

11. *Dupliciter fit votum reale.*

In hoc puncto aduertendum eſt, dupliciter poſſe fieri votum reale, vno modo abſolute, & ſine reſtrictione ad vitam alio modo cum tali reſtrictione: voueo in vita mea Eccleſiam ædificare. ſi autem non perfecero, vel ædificauero, nolo obligationem vllam tranſire ad meos filios, vel hæredes: ex hac ergo forma promittendi vel æquiualenti, obligatio ſine dubio extinguitur per mortem vouentis, ſiue cum culpa, ſiue abſq; illa votum non impleuerit viuens. Probatur, quia ille modus promittendi non eſt impoſsibilis. Quam enim inuoluit repugnantiã? Nec eſt illicitus, cui enim virtuti repugnat? certe

Digitized by Google

Quale votũ reale non tranſeat ad hæredem.

nulli; nam ſicut votum ſpontaneum eſt, ita & ampliatio, vel reſtrictio obligationis eius. Tale ergo votum vi ſua non tranſit ad hæredes, quia non obligat vltra intentionem vouentis. Et confirmatur, quia promiſsio ad hominem illo modo, & cum illa limitatione facta non obligat hæredem etiam ſi ipſum promittentem obligauerit de iuſtitia: quia illo modo acceptata eſt à promiſſario, & ita non potuit poſtea acquirere ius contra hæredem, vt videre licet apud Anto. Gomez tom. 2. de Contract. cap. 11. num. 12. & 13. vbi Iura, & Doctores allegat; ergo idem erit in promiſsione ad Deum: nam licet vinculum iſtius ſit maius in ratione voluntarij, in depẽdentia ab intentione vouentis æquiparatur.

Ant. Gom.

12. *Fit ſatis ſuperiori dubio, & expeditur quibus modis ſe poſſit gerere teſtator nolens vota ſua ad hæredi transferre.*

In prædicto ergo caſu, quando teſtator declarat, ſe nolle, vt hæres ſuus votum ſuum implere teneatur, duobus modis ſe gerere poteſt, primo declarando intentionem, quam in vouendo habuit, quod fuerit limitata, & reſtricta ad ſuam perſonam, & quod expreſſe noluerit obligare bona ſua illi voto, ſoluendo, ſi ipſe viuens illud non impleret. Et tunc ſi manifeſte non conſtet declarationem illam eſſe contrariam verbis Scripturæ; verbi gratia, aut promiſsionis publicæ, vel coram teſtibus factæ, credendum eſt declarationi teſtatoris, ac ſubinde non tenebitur hæres implere votum. Quia nec ex vi talis voti tranſit ad illum obligatio, vt dictum eſt, nec teſtator illam imponit, vt in facto ſupponitur: nam potius declarat ſe nolle eum obligare. Neq; hoc eſt contra dicta: quia quæſtio, quam tractamus, & aſſertio poſita nõ in hoc ſenſu procedit, ſed de voto reali abſolute facto, & ſine tali reſtrictione: nam illa poſita nullum poterat eſſe dubiũ, ſicut etiam eſſe non poterat, ſi expreſſe quis vouiſſet facere templum, vel per ſe, vel per hæredes: tunc enim clarum eſt obligationem ad illos tranſire.

13. Igitur ſolum dubitari poteſt de voto ſimpliciter facto ſine expreſſa reſtrictione, vel ampliatione, & tunc dicimus tranſire ad hæredes, quando teſtator contrarium non declarauit ſaltem propter præſumptam, & debitam voluntatem eius. In caſu autem poſito, quando teſtator expreſſe declarat, ſe nolle hæredem onerari tali debito, mihi videtur res conſideratione digna. Quia licet ratio facta non paruam vim habere videatur. Nihilominus eſt difficile creditu, quod poſsit teſtator liberare creditores ab illo onere: quia non poteſt liberare ſe ipſum: ergo nec bona ſua, quominus ſecum deferant illam obligationem. Itẽ ſi expreſſe vouiſſet facere per ſe, vel per hæredem, & mortuus eſſet re infecta, licet tentaret reuocare votum, & liberare hæredem, non poſſet, vt videtur per ſe notum: ergo idem eſt, quando abſolute vouit, quia illa declaratio in re non auget voti obligationem, ſicut de promiſsione humana recte declarat Antonius Gomez ſupra. Item vouẽs ipſe ſi viueret, poſſet cogi ad votum implendum, etiamſi nollet, vt conſtat ex citatis Iuribus, quæ eandem actionem concedunt cõtra hæredem: ergo non magis poteſt teſtator liberare ſucceſſores ab hac obligatione, quam ſe ipſum. Item licet teſtator abſoluere tentet hæredem ab obligatione ſoluendi alia debita ſua, tenetur hæres illa ſoluere, & poterit à creditoribus cogi: ergo etiam tenetur ad hoc debitum voti, & poterit cogi à creditore Deo, vel ab his, quibus in terris credita ſunt Diuina iura (vt ſic dicam.) Non ergo pendet hæc obligatio hæredis in illo caſu ex voluntate defuncti, niſi quatenus ab illa pendet inſtitutio hæredis. Hac ergo poſita, ex ipſa acceptatione, & aditione hæreditatis oritur in hærede obligatio ad ſoluendum hoc debitum defuncti: quia non poteſt aliter iuſte recipere, nec retinere hæreditatem, vt indicatur in dicto cap. *Licet*, Hæc difficultas pendet multum ex dicendis, & ideo illius deciſionem in caput quindecimum remitto.

Dico ſecundo, vota mixta per ſe, & quaſi per intrinſecam connexionem partis realis cum perſonali, non tranſire ad hæredem: ſi vero tantum ſint mixta per accidens ex intentione ſpeciali vouentis, illa quoad partem realem non impletam tranſeunt ad hæredes. Hæc eſt communis concluſio eorundem Authorum, Palud. Anton. Nauar. &c. Et ratio vtriuſq; partis conſtat ex dictis, quia vbi reale eſt omnino acceſſorium perſonali, ſequitur illud, & cenſetur vnum ſimplicisſimum votum, & ideo ſicut perſonale non tranſit ad hæredes, ita nec pars realis, quam habet adiunctam. Item ipſemet vouẽs excuſatur ab actione perſonali promiſſa, & conſequenter excuſatur à reali onere, vt ſupra dictum eſt, ſed hæres excuſatur à perſonali voto defuncti: ergo à fortiori excuſabitur à tali onere reali. Idemque eſt, quando reale per ſe ſupponit perſonale. Exemplum vulgare eſt, ſiquis vouit ſe, & ſua tradere Religioni: nam ſi excuſetur ab obligatione tradẽdi ſe, conſequenter excuſabitur ab obligatione tradendi ſua: quia non promittit ſua niſi mediante ſe. Vnde ſimiliter ſi contingat hunc habentem tale votum Religionis mori ante ingreſſum, hæres ſicut non tenetur ingredi Religionem pro alio, ita nec bona illius tradere Religioni: quia ſolum erant promiſſa, vt annexa ſtatui Religioſo vouentis. Altera vero pars contraria ratione probanda eſt: nam tunc votum illud eſt quaſi duplex, & pars realis per ſe eſt diſtincta, & poteſt per ſe impleri: quia ſolum per accidens coniunguntur, & concomitantur. Et ideo ab ipſo vouente debetur pars realis, etiam quando perſonalis impleri non poteſt: ergo idem eſt cum proportione de hærede. Et ita in hac parte nulla eſt noua difficultas. 14

2. Aſſertio. Quæ vota mixta tranſeant ad hæredes, quæ vero non.

Circa priorem vero obiici ſolet cap. *Licet*, de Voto, vbi Rex Vngariæ, qui votum mixtum fecerat terræ ſanctæ, filio illud impoſuit etiam quoad perſonalem obligationem, & realem per ſe coniunctam, & filius ad totum implendum obligatur. Sed dico, Regem illum non fuiſſe obligatum ad id poſtulandum à filio, quia neque hoc dicitur in textu, nec ex vi voti ſequitur talis obligatio, vt conuincit argumentum. Vnde conſequenter aio, non potuiſſe patrem imponere filio onus illud perſonale, ipſo inuito, quia erat res grauiſsima, & materia conſilij potius, quam præcepti. Imo addo vlterius, forte non potuiſſe Regem imponere filio inuito totum onus reale, quod per ſe erat in illo voto diſtinctum à perſonali, licet à vouente fuerit quaſi intrinſece coniunctum, quale erat adire Hieroſolymitanam prouinciam *in forti manu*, quia quando filius ſuccedit neceſſario iure primogenituræ, non poteſt pater ſuo arbitrio illum grauare tot oneribus, & expenſis, nec per ſe tenetur filius talia promiſſa paterna implere, vt latius tradit Couar. in ca. *Si hæredes*, de Teſtam. in fin. Vnde merito concluditur, ideo filium illius Regis fuiſſe obligatum ad implendum votum patris quoad omnia, quia onus ſibi iniunctum ſponte ſuſcepit, & promiſit votũ, vt in ipſo textu expreſſe notatur, ibi, *Onus tibi à patre impoſitum, & à te ſponte ſuſceptum.* Et ita textus ille nullam habet difficultatem, vt ſupra dictum eſt, & Couar. cum aliis notat. 15

Obiectio ex Cap. Licet.

Maior difficultas oritur ex cap. *Quod ſuper his*, eodem vbi de his, qui pro ſuccurſu terræ ſanctæ, ſignum Crucis aſſumpſerunt, id eſt, qui vouerunt ire ad ſuccurrendum terræ ſanctæ, dicitur, *Quod ſi propter impedimentum ire non poſſunt, nihilominus tenentur expenſas, quas eundo facturi erant, mittere in ſubſidium eiuſdem terræ.* Et tamen illæ expenſæ pertinent ad votum mixtum, tanquam reali per ſe coniunctum, & acceſſorium perſonali: ergo & vouens ipſe tenetur explere tale votum quoad partem realem, contra dicta in præcedenti capite, & hæres tenebitur ad hanc partem contra hic dicta. Reſponderi poteſt primo, hoc eſſe quaſi ſpeciale in illo voto: 16

Obiectio ex Cap. Quod ſuper his.

quia

Digitized by Google

quia erat votum opitulandi his, qui in terra ſancta pugnabant, quod comprehendebat auxilia per alios ferenda, & ita tacite extẽdebatur votum ad expenſas. Ita Nauarrus capite duodecimo, numer. 55. Sed non ſatisfacit textui, qui expreſſe loquitur tam de his, qui pro defenſione terræ ſanctæ, quam de his, qui deuotionis vel ſatisfactionis gratia illuc peregrinari vouent. Vnde etiã non ſatisfacit, quod alij dicunt, Pontificẽ nõ loqui de expẽſis faciẽdis in itinere, ſed de aliis ſubſidiis, quæ in ordine ad defenſionẽ, vel adiutorium belli promittebãtur. Hoc (inquam) non ſatisfacit, quia de vtriſque fit in textu mentio, & in vtriſque indiget textus maiori declaratione.

Nauar.

17. *Expoſitio communis ad dictum Cap. Quod ſuper his.*

Communior ergo ſententia eſt, textum illum non loqui de impotentia per ſe excuſante ab obligatione voti, ſed de impedimento reddente difficilem, aut minus vtilem voti obſeruationem, quod ad commutationem, ſeu redemptionem ſufficiat. Ita Innocentius, Hoſtienſis, Panormitanus, quos alij ſequuntur. Vnde ſentiunt, quod ſi impedimentum eſſet per ſe ſufficiens ad excuſandum, nõ oporteret expenſas mittere: in commutatione vero rationem earum habendam eſſe, iuxta caput *Magna*, eodem, cum ſimilibus. Quæ expoſitio quoad priorem partem, poteſt pati difficultatem, quia in propoſitione caſus videtur eſſe ſermo de impotentia morali, vt indicant illa verba, *Votum non poſſunt vtiliter adimplere*: quia non poſſe vtiliter, eſt non poſſe ſimpliciter, ſeu moraliter. Nihilominus verba illa habent latitudinem, vel quia propter magnam etiam difficultatem dici poteſt aliquid non poſſe vtiliter fieri, vel certe quia fieri poteſt, vt impletio voti nõ ſit vtilis terræ ſanctæ, & nihilominus poſſit Religioſe, ac ſancte fieri, & ideo non ſatis fit talis cauſa, vt per ſe excuſet. Eſt ergo expoſitio illa cõſona textui: nam loquitur de his, qui indigent diſpenſatione, vel commutatione permiſſa in capite ſequenti *Ex multa*. Nihilominus res ipſa, & doctrina maiori indiget declaratione, quia poſſunt hic multi caſus comprehendi, iuxta varios modos, quibus hoc votum fieri poteſt.

18. *Quibus modis votum de peregrinatione terræ ſanctæ emitti poſſit.*

Primo enim fieri poteſt de ſola peregrinatione terræ ſanctæ ſine vllo ordine ad auxilium belli, ſed ſolum Religionis cauſa. Secundo poteſt fieri in ordine ad belli auxilium, vel ſubſidium, idemque variis modis, vt ſtatim dicam. Quando ergo fit primo modo, procedit in hoc voto generalis doctrina de votis per ſe mixtis: nam ſi quis non poſſit ire, ita vt excuſetur omnino ab obligatione peregrinandi, non tenetur expenſas mittere, vel ſoluere. Et conſequenter ſi teſtator moriatur, non impleto tali voto, ſiue in eo peccauerit, ſiue non, hæres non tenetur ad tales expenſas propter rationem factam, quæ in hoc etiam voto locum habet. Nam qui ſic vouit, non intendit vtilitatem afferre terræ ſanctæ, ſed ſolum cultum Dei in illa viſitanda, expenſæ autem ſolum includuntur, ſuppoſita peregrinatione perſonæ, ad illius ſuſtentationem: & ideo obligatio de illis ceſſat, ceſſante circa ipſam peregrinatione. Et ita docent Palud. Anton. & alij ſupra, & ſumitur ex generali doctrina Diui Thomæ de mutatione votorum infra tractanda, quam tandem in hoc puncto admittit Panormitanus in capit. 1. de Voto, licet dubitare videatur. In hoc autem eſt differentia inter impotentiam ſimpliciter per ſe excuſantem, & difficultatem dantem cauſam commutationi: nam doctrina hæc procedit in priori, non tamen in poſteriori. Et ratio eſt, quia quando impedimentum per ſe non excuſat, adhuc eſt integra obligatio voti, ideoque in commutatione habetur ratio expenſarum: quia obligatio ad illas adhuc durat, & ex illis creſcit grauitas voti, & obligationis, & confert ad meliorem commutationem, vt infra dicetur. Quãdo vero impedimentum per ſe excuſat, omnino tollit obligationem. Et ideo quoad hanc partem recte exponitur dict. cap. *Quod ſuper his*, de difficultate, & non de impotentia.

Panor.

Præterea quando hoc votum fit in ſubſidium belli, duplex poteſt eſſe hoc ſubſidium, pecuniarum, & operarum, ſiue in pugnando, ſiue in ſeruiẽdo quolibet modo. De pecuniario ſubſidio manifeſtum eſt, eſſe per accidens coniunctum cum actu peregrinandi, quia illud ſubſidium pertinere non poteſt ad expenſas itineris, vel neceſſitatem perſonæ, quia ex illis nullum ſubſidium ad bellum redundabit: ergo neceſſe eſt, vt tale ſubſidium ſit diſtinctum, ac ſubinde vt maneat ſub obligatione, licet peregrinatio reddatur impoſsibilis perſonæ, & conſequenter vt tranſeat ad hæredem, iuxta poſteriorem partem ſecundæ aſſertionis. De ſubſidio autem operarum ſubdiſtinguendum vlterius eſt: nam poteſt voueri ſubſidium aliorum bellantium, vel aliter inſeruientium, vt in caſu capit. *Licet*, vbi Rex vouit ire cum manu armata, & idem eſt, ſi nobilis, vel diues voueat ire, & ſecundum deferre aliquot perſonas ad bellandum, vel iuuandum. Et in hoc caſu etiam hoc ſubſidium reputatur reale ex omnium ſententia, quia licet non ſit pecuniæ, illi æquiualet. Item quia non eſt propria actio perſonalis, imo tale eſt onus, vt per accidens coniungatur cum perſonali aditu ipſius vouentis, & ideo licet vouens excuſetur ab eundo, tenebitur mittere illud ſubſidium, & eadem ratione hæres tenebitur in eodem caſu, iuxta vires hæreditatis, iuxta doctrinam datam. Poterit tamen in eo caſu redimi tale ſubſidium aliarum perſonarum, dando expẽſas, legitima cauſa interueniente, & per habentem poteſtatem, in quo caſu etiam loquuntur dictum capit. *Quod ſuper his.* & ca. *Ex multa*. Neque de hac parte procedit difficultas poſita, vt conſtat. 19.

Tandem poteſt ſubſidium operarum intelligi de ſolis operibus ipſius vouẽtis, quod etiam eſt diſtinctum onus ab ipſa peregrinatione, & ab expenſis eius, vt cum quis vouet ire Hieroſolymam, & ibi per ſe militare, vel ſeruire, vel aliter iuuare terram ſanctam. Et in hoc voto dubitari poteſt, an illæ operæ pertineant ad votum reale, vel perſonale, ita vt licet quis excuſetur à peregrinatione, & expenſis eius intrinſecis, nihilominus obligetur ad mittendum alium, qui pro ſe militet, vel ſaltem ad ſoluendum ſtipendium pro vno milite. In quo Innoc. Panormit. Anton. ac plerique alij generatim loquuntur dicentes, ſi vouit propter ſubſidium, votum eſſe reale. Hinc autem videtur ſequi hoc votum quoad hanc partem eſſe reale, nam qui vouet ſuas perſonales operas, re vera vouet propter ſubſidium, ſicut qui vouet laborare ſuis manibus Romę in ædificationem templi S. Petri, non ſolum vouet peregrinari ad ſanctum Petrum, ſed etiam vouet adiuuare ad illud opus, quod adiutorium eſt pretio æſtimabile, & conſequenter reale, & per accidens adiunctum peregrinationis voto. Ergo quoad illam partem obligabit ſaltem quoad æſtimationem operarum, licet perſonalis labor, vel aditus reddatur impoſsibilis, & conſequenter etiam obligabit hæredes. Nihilominus Paludanus ſupra expreſſe dicit, perſonale dici à propria perſona, non ab aliena. Vnde ſentit, quod licet quis promittat operas ſuas in ſubſidium, & ſeruitium, vel adiutorium belli; non tenetur per alium facere, ſi per ſe non poteſt, & conſequenter nec aliquid ſoluere, ac ſubinde nec inde aliquid ad hæredes tranſire. Et hanc partem exiſtimo veram. Nam licet res pendeat ex intentione vouentis, vt per ſe clarum eſt, nihilominus hæc videtur eſſe intentio quaſi intrinſeca tali voto, & ita eſt intelligendum, niſi aliud conſtet. Quia ſimpliciter illa actio perſonalis eſt, & quod ſit promiſſa in ſubſidium, vel ſolum ratione cultus non refert, nec mutat naturam voti perſonalis. 20.

Qui promittit ſeruitiũ per ſe, non tenetur per alium illud exhibere ſi ab eo excuſetur.

CAPVT XII.

Pro quo tempore votum obliget.

1. SOlum ſupereſt nobis dicendum de circumſtantia temporis, in qua tria declaranda ſunt: primo quando votum obligare incipiat, ſecundo, quanto tempore duret eius obligatio non impleta, tertio quibus modis finiatur per ſe, id eſt, quamuis ab alio non tollatur: hic enim modus auferendi obligationem alterius conſiderationis eſt, quam in librum ſextum reſeruamus. Deinde in hac obligatione voti duo illa diſtinguenda ſunt, quæ in lege diſtingui ſolent, ſcilicet quando obliget, & pro quando, quia præceptum negatiuum dicitur obligare ſemper, & pro ſemper, affirmatiuum autem obligare ſemper, non vero pro ſemper, quæ habent proportionalem rationem in voto negatiuo, & affirmatiuo, vt conſtat ex his, quę de illis ſupra diximus. Vnde hæc duo genera votorum conueniunt cum proportione in initio obligationis, ſeu in aſsignatione temporis, vel momenti, in quo obligare incipiunt: differunt autem in modo poſtea obligandi, quamdiu durat eorum obligatio, qui votum negatiuum de ſe obligat ſemper, & pro ſemper, quamdiu durat, affirmatiuum autem licet ſemper obliget, non pro ſemper. Vis autem horum verborum (vt ſemel explicetur) eſt; quod votum negatiuum ita obligat pro ſuo tempore, vt in nullo momento illius temporis liceat agere id, quod ex voto prohibitum manet, votum autem affirmatiuum dicitur intra tale tempus ſemper obligare, quia vel in qualibet parte illius temporis ſufficienter impleri poteſt, ſi ex parte actus promiſsi non repugnet, vel ſaltem tenetur homo eſſe in præparatione animi ad talem actum præſtandum in aliqua parte illius temporis. Dicitur autem non obligare pro ſemper, quia non in qualibet parte ſignata illius temporis neceſſario implendum eſt. Vt ergo diſtincte tempus huius obligationis explicemus, de his duobus generibus votorum ſigillatim dicendum eſt.

In quo conueniant, & differant votum affirmatiuum, & negatiuum.

2. Dico primo; Votum negatiuum abſolute factum, ſtatim ac fit ex vi formæ ſuæ obligare incipit, ſemperque, ac pro ſemper, & perpetuo obligat, quantum materia patitur, niſi ex intentione vouentis limitetur. Hæc vltima pars ſemper ſupponitur in hac materia, quia vt ſæpe dictum eſt; obligatio eſt voluntaria: & ita non extenditur vltra intentionem vouentis. Hæc autem intentio, quando in verbis non exprimitur, eſt quaſi per accidens, & extra ſciētiam, & ideo ſolum oportet aduertere, vt de illa, & de modo illius ſatis conſtet, & tunc illa erit regula obligationis tam quoad initium, quam quoad durationem, ac terminum obligationis. Si ergo in ipſo voto explicetur intentio ſuſpendens obligationem vſque ad talem terminum, aut diem, vel addens illi certum terminum, & finem, tunc votum non erit abſolutum, ſed quaſi conditionatum quoad initium, vel limitatum quoad finem, & ita de initio obligationis eius iudicandum erit, iuxta dicenda in aſſertione ſequenti, & infra de voto conditionato, de fine vero ex verbis ipſis, & intentione vouentis. Aſſertio autem poſita loquitur de voto abſoluto negatiuo. Et ratio eius eſt clara, quia negatio abſoluta natura ſua omnia, quæ poſt ſe inuenit, deſtruit, & ideo abſoluta prohibitio, ex qua fit ſine limitatione, ſemper & pro ſemper obligat: quia illa negatio diſtributionem totius temporis ſequentis continet reſpectu actus, ſeu materiæ, in quam cadit. Et ita explicantur præcepta negatiua abſolute lata, & cenſuræ non limitantes tempus, quia priuationem continent, vt ſuo loco explicatum eſt: eadem ergo ratio eſt in præſenti.

1. Aſſertio. Votum negatiuum abſolute factum ſtatim ac fit ſemper, & pro ſemper obligat niſi à vouente limitatur.

3. Addidi vero, hoc eſſe intelligendum iuxta materiæ capacitatem, quia ex parte materiæ limitari, aut determinari poteſt obligatio: quia non poteſt excedere capacitatem materiæ, vt per ſe conſtat ex dictis in ſuperioribus. Vnde conſiderare oportet, actum per votum prohibitū interdum talem eſſe, vt quolibet tempore indifferenter fieri poſsit, vt ludere, &c. Et tunc votum non ludēdi ſimpliciter obligat ſtatim, & pro quolibet tempore quaſi cōtinue, vel perpetuo, vel vſque ad terminum, ſi pręfixus ſit. Aliquando vero talis eſt actus, vt non ſemper, ſed certis temporibus capax ſit obligationis voti, vt v.g. non ſtudere abſolute, non eſt materia voti negatiui, tamen ſi ſtudium conſideretur vt impedimentum orandi, audiendi Miſſam, vel quid ſimile, ſic cadere poteſt ſub votum negatiuum, tunc autem votum non ſtudendi eo titulo, non obligat ſemper, ſeu pro ſemper abſolute, ſed pro temporibus, in quibus poteſt eſſe impedimentum. Idemque poteſt eſſe de ludo, vel aliis actibus, ſi tantum voueatur eorum ceſſatio, quatenus impedimenta ſunt aliorum actuū virtutum ſuis temporibus efficiendorum. Similiter votum non ingrediendi talem domum vitandę occaſionis gratia tantum durat, quamdiu durat occaſio, quia illa ceſſante, deſinit illa materia eſſe apta ad votum, & ſic de aliis.

Dico ſecundo; Votum affirmatiuum ſtatim ac fit, obligat, non tamen pro ſtatim, ſed hoc determinandum eſt, vel ex intentione, & verbis voti, vel ex prudēti arbitrio. Prior pars declaratur, quia votum etiam affirmatiuum eſt cauſa obligationis: ergo ſtatim ac eſt, inducit illam: ergo ſtatim obligat. Prima conſequentia in qua eſt vis, probatur: quia votum inducit obligationem quaſi naturaliter, ac neceſſario: nam (vt ſupra dictum eſt) licet facere votum ſit liberum, quod autem votum factum obliget non eſt liberum vouenti: ergo neceſſario ſequitur. Atque hæc ratio cum proportione habet etiam locum in votis negatiuis: nam licet obligent ad negationem, ipſa tamen obligatio ad negationem quaſi vinculum poſitiuum eſt, quod ſtatim, ac neceſſario inducitur per votum. 4.

2. Aſſertio. Votum affirmatiuum ſtatim ac ſit obligat, non tamen pro ſtatim.

Dices; Si ratio eſſet efficax, omnia vota ſine exceptione comprehēderet, quod tamen nō ita eſt, quia vota conditionata ſunt vera vota, & tamen non obligant ſtatim. Reſpondeo, imo eo modo, quo ſunt vota, ſtatim obligant: vt infra declarabitur. Et ita concedo rationem eſſe vniuerſalem, & omnia vota comprehendere. Nam omne votum ſtatim, ac fit, obligat hominem ad actum ſuo tempore faciendum, & conſequenter ad habendum tale propoſitum, ſeu animi præparationem ſaltem virtualem, & conſequenter, etiamſi ſit votum affirmatiuum, obligat ſtatim ad non habendum propoſitum contrarium obſeruantiæ voti, vel ad cauendum impedimentum: ergo ſignum eſt ſtatim inducere aliquam obligationem. Altera vero pars aſſertionis, quod tale votum non obliget pro ſemper, conſtat ex natura obligationis affirmatiuæ, quę non continet illam diſtributionem, quam negatio inuoluit, vt in principio dictum eſt, & per ſe conſtat: quia nulla operatio neceſſaria eſt continua, ſicut poteſt eſſe negatio operationis. Item operatio poſitiua temporis oportunitatem requirit, pro qua fiat, quæ non ſemper adeſt: ergo natura talis obligationis eſt, vt non pro ſemper obliget. 5.

Obiectio.

Solutio.

Difficultas vero eſt primo, an votum affirmatiuum abſolutum obliget pro ſtatim, vel pro prima opportunitate exercendi talem actum promiſſum: loquor autem de abſoluto voto non ſolum vt diſtinguitur à conditionato, de quo infra dicendum eſt, ſed etiam vt diſtinguitur à voto deſignante certum tempus, pro quo res promittitur, & nō antea ex declarata intentione vouentis: nam de hoc conſtat, pro tempore deſignato obligare, & non antea. Dubium ergo eſt de voto abſoluto, verb. g. intrandi 6.

An votum affirmatiuum obliget pro ſtatim, vel pro prima opportunitate.

Religio-

Religionem, dandi eleemoſynam, & aliis indefinite factis, ſine alia temporis deſignatione, de quibus videtur eſſe recepta ſententia tale votum obligare ſtatim, id eſt, pro prima opportunitate congrua. *D.Thom.* Sumitur ex Diuo Thoma dicta quæſt. 88. articul. 3. ad 3. Nam licet ſolum dicat, ſi de intentione vouentis ſit obligare ſe ad ſtatim, teneri ſtatim ſoluere, ſecus ſi ad certum tempus, vel ſub conditione aliqua: nihilominus cum nullam mentionem faciat de alio modo vouendi, ſatis indicat, eo ipſo, quod vouens non differt obligationem pro tali tempore, votum obligare ad ſtatim. Sic enim qui vult aliquid vouere, & non apponit conditionem, hoc ipſo vult abſolute obligari, etiamſi non expreſſe velit abſolutam obligationem quaſi ſub hac denominatione. Sicut ergo obligatio non ſuſpenſa per conditionem tranſit in abſolutam, ita etiam obligatio non dilata per intentionem in tempus futurum incipit ſtatim pro præſenti tempore.

7\. *L. Promiſſor.* Poteſtque adhoc induci L. *Promiſſor*, §.1.ff. de Côſt. pecun. ibi, *Si ſine die conſtituas, &c. confeſtim agi tecum poterit, ſi ſtatim vt conſtituiſti, non ſoluas.* Præterea induci poteſt ratio facta, quia votum ex ſe eſt cauſa efficax obligationis: ergo ſi non impeditur, ſtatim ac pro ſtatim inducit illam, ſi enim per intentionem non ſuſpenditur, aut differtur obligatio, nullum relinquitur impedimentum: ergo. Alia ratio moralis eſt, quia ſi tale votum non obligat ad ſtatim, nulla certa ratione poterit deſignari poſtea initium temporis, pro quo obliget. In præceptis enim affirmatiuis, quæ dicuntur ſemper obligare, & non pro ſemper, aſsignantur tempora, pro quibus obligant, iuxta aliquam neceſsitatem, vel occaſionem, pro qua tale præceptum obligat, quando non eſt aliter determinatio facta à legiſlatore: in præſenti vero obligatio voti non oritur ex rei neceſsitate, ſed ex voluntate vouentis, & ideo tempus, pro quo obligat, non poteſt deſignari ex articulo neceſsitatis prouenientis ex re ipſa ſecundum ſe. Recurrendum ergo eſt ad volũtatem vouentis. Supponimus autem per hanc voluntatem nullum futurum tempus fuiſſe determinatum: ergo nulla eſt maior ratio explicandi hanc voluntatem de vno, quam de alio tempore futuro: ergo ne talis voluntas, taleque votum inania ſint, dicendum eſt ſtatim obligare. *Communis reſolutio.* Atque hæc videtur eſſe communis ſententia Theologorum in 4. diſtinct. 38. vbi Palud. q. 3. ar. 2. late Supplement. q. 1. ar. 3. concluſ. 3. Angel. *Votum*, n. 9. 2. Syluest. *Votum*, 2. q. 3. Sentit Panormitanus in capit. *Non eſt*, de Voto, vbi ex textu per ſenſum à contrario colligit, non eſſe licitam voti dilationem ſine diſpenſatione. *Palud. Sup Gab. Angel Syluest. Panor.*

8\. *Caietani limitatio ad traditam reſolutionem.* Caietanus autem dicto artic. 3. dubio vltim. videtur hanc doctrinam limitare, dicens primo, ſpectandam eſſe conſcientiam vouentis: nam ſi illa dictat, non eſſe contra vinculum ſui voti expectare vnum, vel duos annos, non erit in mora culpabili, qui hoc tempore distulerit ſolutionem. Quia vero obiici poterat, tale dictamen conſcientiæ poſſe eſſe temerarium, & irrationabile, ſubiungit indicia, quibus cognoſci poſsit eſſe prudens illud iudicium, ideoque ſufficiens ad excuſandum. Primum, ſi quoties illi occurrit memoria illius vinculi, non occurrit cum remorſu conſcientiæ, eo quod impletum non ſit, ſed ſimpliciter, vt ſuo tempore implendum. Secundum ſi non conſueuit promittere, vel proponere cum illa reſtrictione, ſed cum magna temporis dilatione: nam cenſendus eſt vnuſquiſque habere intentionem ſe obligandi iuxta ſuam conſuetudinem. Tertio, vnuſquiſque præſumitur ſe obligare pro tempore ſibi commodo: vnde licet opportunitas implendi ſtatim votum, reſpectu aliorum videatur commoda, ſi non ſit talis reſpectu ipſius vouentis, non cenſetur intendiſſe, ſtatim ſe obligare, ſed pro tempore ſibi cõmodo. Tandem ſubiungit Caiet. ſi nihil horum occurrat, ex quo poſsit intentio vouentis colligi, arbitrio prudentis viri determinandum eſſe tempus, pro quo obligat votum, penſatis circumſtantiis perſonæ, materiæ, &c. *ſi non poteſt* (inquit) *tutior pars eligi implendi ſtatim voti.*

Ex qua ſententia tria videntur colligi. Primum eſt, non eſſe idem iudicium de voto, quo formaliter aliquis vult ſe obligare ad ſtatim, & quod ſimpliciter fit ſine temporis determinatione; ſed eſſe quaſi medium, quod nec determinat certam dilationem, nec etiam ſtatim vrget, ſed admittit dilationem quaſi abſtracte, & in communi, ſeu indeterminate. Secundum eſt, determinationem ſumẽdam eſſe ex dictis coniecturis. Tertium, illis deficientibus, prudenti arbitrio eſſe vtendum: ſemper tamen admittendo (hoc enim videtur intendere Caiet.) aliquam maiorem dilationem in hoc voto, quam in alio determinante expreſſe obligationem ad ſtatim. 9.

Sed fortaſſe Caiet. nihil contrarium intendit ceteris Auctoribus: omnes enim requirunt aliquod prudens arbitrium, quod ipſe per illas omnes coniecturas voluit explicare. Vnde abſolute verum cenſeo, tale votum obligare ad ſtatim, & moraliter non eſſe diuerſum ab alio, niſi ſecundum implicitam, vel explicitam intẽtionem, ac declarationem, eiuſdem obligationis. Quod videtur ſenſiſſe Diuus Thomas, alioquin diminutam doctrinam tradidiſſet. Et rationes ſupra factæ hoc ſatis probare videntur. Vt tamen magis explicetur, aduerto, contingere poſſe, vt aliquis expreſſe nolit ſe obligare ad ſtatim, nec certum diem ad votum implẽdum conſtituere, ſed ſolum intendat ſe obligare ad hoc faciendum poſt aliquod tempus, quãdo prudenti arbitrio commodum videbitur. Tunc autem illud votum diuerſum eſſet à voto abſoluto, & indefinito, quia vouens per intentionem ſuſpendit voti obligationem, & vult dilationem executionis, & modum determinationis eius etiam ſtatuit, quamuis tempus non præſcribat. Vnde ſi de tali intentione conſtaret, iuxta illam iudicandum eſſet de tempore obligationis. Si vero non conſtaret, & vouens eſſet dubius, neque ſciret ſatis explicare intentionem ſuam, præſumeret tamen aliquo modo ſe non habuiſſe intentionem obligandi ſe ad ſtatim, ſed potius differendi obligationem, tunc haberent locum coniecturæ Caietani ad iudicandum de tali intentione, ſaltem implicita. 10. *Auctoris ſententia.*

Oportet autem attente illas coniecturas expendere: nam prima de conſcientia ſine remorſu in homine timorato, & non ignaro facit probabilem præſumptionem: in homine autem ignorante, qui neſcit iudicare, quando votum obliget, vel nimium negligente circa res ad conſcientiam pertinentes, ex tali coniectura nullum iudicium ſumi poteſt. Secunda etiam poteſt eſſe fallax, quia ſæpe homo tardus, & moroſus in exequendis operibus virtutis ſolet ſe voto obligare, vt conſtringatur ſtatim facere; ergo ex conſuetudine differendi opera virtutis, non poteſt ſufficienter colligi votum eſſe factum ſub tali intentione. Tunc autem poſſet aliquid valere illa coniectura, quando prior conſuetudo circa dilationem temporis non excederet limites prudentiæ, quæ non permittit, hominem eſſe præcipitem in rebus agendis. Ex his vero, & ſimilibus coniecturis ideo poteſt differri obligatio voti, quia in tali caſu fertur prudens iudicium, vouentem habuiſſe ſaltem implicite, & virtualiter talem intentionem. 11.

Præterea cum dicimus, votum affirmatiuum abſolute factum obligare ad ſtatim, & pro ſemper, intelligendum eſt non metaphyſice, ſed moraliter. Ita enim exponunt omnes Authores, & ſignificauit I.C. in d. §.1. ſubiungens poſt verba allegata: *Sed modicum tempus ſtatuendum eſt, non minus decem dierum, vt exactio celebretur*, & in l. *Ratum*, ff. de Solut. vbi, 12. *Quomodo intelligendũ quod votum affirmatiuũ, ſtatim, & pro ſemper obliget. L. Ratum.*

L. Quod dicimus. quod dicitur *ſtatim*, ſeu *cum primum*, declaratur, *eſſe cum quodam* ſpacio temporis accipiendum, & in l. *Quod dicimus*, eod. *ſtatim ſoluere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt*: quia moraliter loquendo hæc eſt intentio omnium hominum, imo eſt ad prudentem modum operandi neceſſaria. Quoad hoc ergo locum habet in hac determinatione prudens arbitrium ad iudicandum, quæ dilatio temporis phyſica (vt ſic dicam) non debeat moralis cenſeri, ita vt ratione illius non debeat quis iudicari violaſſe illud præceptum: *Si quid vouiſti Domino, ne moreris reddere*. Et quoad hoc habet locum conſideratio commodę opportunitatis ad implendum votum, ſic enim intelligendum eſt, cum dicitur, hoc votum obligare quam primum impleri poteſt, ſcilicet commode, quia humano modo loquendo nemo intendit aliter ſe obligare. Quamuis in hac commoditate ſpectanda cauendum ſit, ne nimia ſit mora, ſed illa ſolum requiratur, quæ iudicio prudentum in ſimilibus negotiis expectari ſolet. Quod optime explicuit Iulian. in d. l. *Ratum*, dicens, dandum eſſe *ſpatium temporis, nec minimum, nec maximum, & quod magis intellectu percipi, quam eloquutione poſſit exprimi*. Per quæ verba prudens arbitrium ſignificaſſe mihi videtur, & latius exprimitur in l. *Continuus*, ſtatim citanda. Atque hinc euenire poteſt, vt dilatio temporis, quæ reſpectu vnius moralis eſt, non ſit reſpectu alterius: quia quod eſt commodum tempus reſpectu vnius, non eſt reſpectu alterius, propter diuerſas circumſtantias perſonarum, ac negotiorum.

13. Denique (quod conſiderandum eſt) hæc moralis prudentia non ſolum locum habet in voto, in quo nulla ſit mentio temporis, ſed etiam in voto, quod expreſſe determinatur ad ſtatim, certum diem non declarando. Nam qui ſic vouet, & aliud expreſſe non declarat, virtute, ſeu implicite intelligit illud *ſtatim*, moraliter, & iuxta humanam congruentiam, ſeu commoditatem. Item quia Deus non eſt adeo rigoroſus exactor, vt nullam commoditatem præbeat ad ſoluendum ſibi debitum; nemo autem tenetur debitum ſoluere, niſi iuxta voluntatem creditoris. Quocirca parua eſt moralis differentia inter votum poſitiue, vt ſic dicam, determinans obligationem ad ſtatim, aut ſolum negatiue non definiens dilationem: in vtroque enim caſu eſt obligatio ad ſtatim, ſubintellecta morali opportunitate, & commoditate. Dixi autem hoc habere locũ, quãdo certa dies non conſtituitur: nã ſi vouens dicat *hodie*, non licebit maior dilatio, quia iam non eſt locus prudenti arbitrio, quia in eo, quod tempore, atque facto finitum eſt, nullus eſt coniecturæ locus, vt dicitur in l. *Continuus*, §. 2. ff. de Verbor. obligat. Solum poſſent admitti coniecturę ad iudicandum, an tãta reſtrictio fuerit imprudens, ac temeraria, quod poterit cõtingere iuxta materiæ grauitatem. Quantum vero, aut quomodo peccare contingat, non implẽdo ſtatim huiuſmodi votum in libro ſequenti cap. 6. dicemus.

L. Continuus.

14. Idem iudicium ferendum de obligatione voti verſus finem, quo de eius initio.

Vltimo dicendum eſt, eiſdem modis iudicium eſſe ferendum de duratione, & fine obligationis voti, quo de eius initio: nam ſi conſtet de intentione vouentis, illa erit regula, vt ſæpe dictum eſt. Si vero vouens nihil expreſſit, conſideranda eſt natura, & materia voti: nam quædam ſunt vota, quæ habent perpetuitatem quaſi connaturalem, vt votum caſtitatis, paupertatis, & cæt. & in his eo ipſo, quod non additur temporis determinatio, ſed ſimpliciter fiunt, perpetuam inducunt obligationem. Imo ſi talia vota ſolemnia ſint, tam intrinſecam habent perpetuitatem, vt etiam per intentionem vouentis impediri non poſſit, ita vt ſi vouens ſolemniter intenderet tantum ad tempus ſe obligare, vel nihil faceret, vel ſaltem non faceret votum ſolemne, ſed ad ſummum ſimplex, & temporale, vt infra ſuo loco latius dicetur. Alia autem ſunt vota, quæ ex parte materiæ non habent perpetuitatem, & in his eſt aliqua diuerſitas inter negatiua vota, & affirmatiua. Negatiua enim ex vi ſuæ formæ ſunt perpetua: quia negant omne tempus futurum, ſi abſolute proferantur, vt ſupra ponderatum eſt: poſſunt tamen recipere terminum ſuæ obligationis ex parte materiæ, quæ vel mutari poteſt, vel finiri; iuxta ea, quæ in ſequentibus capitibus, & in libr. ſequenti capit. 6. dicemus. Votum autem affirmatiuum non habet maiorem durationem temporis in obligatione ſua, quam poſtulet opus promiſſum: quia de ſe non eſt votum vniuerſale, vel particulare ex parte temporis, vel repetitionis actuum, niſi iuxta intentionem vouentis: & ideo ſi illa non explicatur, materiæ promiſſæ in hoc accommodatur; & illa expleta ceſſat obligatio. Quamdiu vero non impletur, durat, niſi fuerit limitata ad certum tempus ex intentione vouentis, vt mox explicabimus.

CAPVT XIII.

An votum tempore præſcripto non impletum deſinat obligare?

1. HAec quæſtio locum habet, quando in ipſomet voto certus terminus temporis præfixus eſt, intra quem implendum eſt votum: nam in votis, quæ abſolute fiunt ſine certa temporis determinatione, iam dictum eſt obligationem eorum durare, quamdiu non implentur, quia eorum obligatio de ſe perpetua, vel indefinita eſt. Ratio autem dubitandi in aliis votis eſſe poteſt, quia debitor, qui ad certum diem ſoluere tenetur, licet intra illum non ſoluat, ſemper manet obnoxius debito, donec ſoluat: ſed homo per votum conſtituitur Dei debitor; ergo tenetur ſemper eadem obligatione, quamdiu debitum non ſoluit, etiamſi dies ad ſoluendum deſignatus tranſactus fuerit. Confirmatur, quia maior eſt obligatio voti ad certum diem, quam obligatio voti ſimpliciter: nam hæc eſt vna tantum, ſcilicet ad faciendum, quod promiſſum eſt; illa eſt duplex, vna ad faciendum promiſſum, alia ad faciendum tali die; ergo licet hæc ſecunda non impleatur, ſemper relinquitur prima, ac ſi illa ſola eſſet in principio promiſſa. Simili enim modo argumentatur, & concludit Pontifex in capir. *Cum dilecti*, de Dol. & contum. & Iuriſconſultus in Leg. *Celſus*, ff. de Recept. arbitr. Ratio dubitandi. Cap. Cum dilecti. L. Celſus.

2. Opinio quorundam aſſerentium votum pro certo die factum obligare tranſacto die. Panor. Angel. Syluest. Tabien. Caiet. Duplex modus, quo certus dies aſſignatur ad aliquam actionem ex mente Caietani.

Propter hæc Panormitan. in cap. *Per tuas*, de Voto numer. 1. ſimpliciter affirmat, votum ad certum diem factum obligare tranſacto illo die, quem ſequũtur Angel. *Votum*, 3. numer. 3. Syluest. *Votum*, 2. quæſt. 4. Tabien. *Votum*, 3. numer. 7. qui addunt limitationem, niſi vouens intenderit determinate ſe obligare ad illam diem, & addit Tabien. hanc eſſe frequentius intentionem vouẽtium. Diſtinctius vero hoc explicuit Caietan. d. quæſt. 88. art. 12. dub. vlt. & in Sum. verb. *Votum*, ca. vltim. vbi diſtinguit duos modos, quibus dies, aut terminus deſignatur ad aliquam actionem. Vnus modus eſt, quando actio intenditur, aut imponitur tanquam proprium onus illius diei, per quem deſignatur, vt eſt Miſſa pro die Dominica, ieiunium pro vigilia, horæ Canonicæ pro ſingulis diebus, & ſic de aliis. Alius modus eſt quando dies præfigitur, vt vtique ad illum poſſit differri voti ſolutio, non autem vltra illum. Quando ergo votum ſit priori modo, tunc ait Caietan. ceſſare obligationẽ voti, quia iam pertranſiuit tempus pro quo præciſe factum erat, & quia tunc intentio vouentis eſt in illo die ieiunare, v. g. & non in alio. Quando autem tempus deſignatur poſteriori modo: tunc lapſo termino magis ſemper vrget obligatio voti, & hoc probãt rationes dubitandi in prin-

Digitized by Google

principio poſitæ, & ſine dubio in hoc ſenſu locuti ſunt Panormit. & dicti Summiſtę, & docent Nauarr. c.12.n.54. Soto lib.7.q.2.art.1.ad 4. & eſt communis, & vulgaris doctrina. *Nauar. Soto.*

3. Procedit autem vtraque pars, ſiue dilatio voti cũ culpa, ſiue ſine culpa contigerit. Quia ſi manet obligatio (vt quando opus promiſſum non eſt onus talis diei) non ideo eſt, quia homo peccauit non implendo, nam ex hac tranſgreſſione non oritur obligatio recompenſandi, vt mox dicam, ſed oritur ex eo, quod nec voti materia, nec obligatio fuit extincta: quia terminus non fuit ad hunc finem præfixus: & ideo licet caſu, & ſine culpa contigerit dilatio, poſtea durat obligatio in eo, quod poteſt impleri, è contrario vero ſi opus erat vnius diei poſtea non manet obligatio, ſiue omiſſum fuerit votum cum culpa, ſiue abſque illa, materia principalis extincta eſt, & facta impoſſibilis, vt in ſimili circa præceptum horarum notauit Nauarr. in Ench. de Orat. capit.10. numero 53. cum Anchar. in capit.1. de Celebrat. Miſſar. numero 20. *Nauar. Anchar.* Eadem autem ratio eſt de obligatione voti: nam ſi quis præciſe vouit ieiunare in ſabbato, illo tranſacto non poteſt tale ieiunium fieri: ergo nec poteſt tale votum impleri. An vero quando illa omiſſio fuit culpabilis, oriatur aliqua obligatio recompenſandi, dicemus c.14.

4. Neque contra hanc partem obſtant rationes in principio factæ, quia prima locum habet cum eadẽ diſtinctione, & frequẽtius verum eſt, quod ibi aſſumitur, quia terminus temporis ponitur non ad finiendam, ſed ad differendam obligationem, vt loquitur Nauarr. in Manual. capit.22. numero 45. *Nauar.* & de eodem modo termini loquuntur Iura ſupra citata. Aliquando vero terminus ponitur ad finiendam obligationem, & tunc illo tranſacto non tenetur debitor, argumento capit. *Sicut*, de Sponſal. *Cap. Sicut* & talis eſt terminus priori modo conſtitutus in voto. Vnde ad confirmationem dicitur, tunc non eſſe proprie duo præcepta, vel promiſſa vt ſeparabilia, ſed vnum quaſi compoſitum, ita vt diuidi non poſſit.

5. *Vnde diſcernant Authoritates, quomodo tempus aut dies definiatur in voto.* Quæret vero aliquis primo circa hanc communem doctrinam, quomodo diſcerni valeat, quando tempus aut dies definiatur in voto, priori vel poſteriori modo? Ad hoc Authores nihil aliud reſpondent, niſi ſpectandam eſſe intentionem vouentis, quia ab illa pendet, vt ſæpe in aliis dictum eſt. Vnde ſi ipſe certus ſit de intentione ſua, eius declarationi ſtandum eſt in foro conſcientiæ: ſi autem ipſe intentionem ſuam explicare non valeat, quia ſimpliciter vouit, tunc coniecturis agendum eſt, conſideratis verbis, & materia. Primo ergo quando intentio fertur principaliter in deuotionem talis diei propter venerationem alicuius myſterii, quod in eo contingit, *Vt ſolet ſeruari*, in ieiunio feriæ ſextæ, vel in honorem Sancti, vt ſolet eſſe in ieiunio Sabbati propter Beatam Virginem, vel in vigilia alicuius Sancti in eius honorem, tunc ſignum eſt, diem deſignari ad finiendam obligationem. Oportet autem vt illa ſit cauſa totalis, vel ſaltem ſine qua non, quia (licet habeatur ratio deuotionis illius diei) ſi ſit tantum ſecundario, non ſufficiet, vt extinguatur obligatio. Vt ſi quis vouit ingredi Religionem in die aſſumptionis Virginis ob deuotionem eius licet illo die fuerit impeditus, vel etiam culpabiliter diſtulerit, non extinguitur obligatio, quia in tali voto ille reſpectus ad temporis ſolennitatem eſt tantum ſecundarius, & principaliter reſpicitur ipſe ſtatus. Sicut quando Confeſſor imponit in pœnitentiam ieiunium ſextæ feriæ; ſi in ea omittatur, non ceſſat obligatio, quia licet fortaſſe ſimul reſpexerit Confeſſor ad ſpecialem deuotionem illius diei; tamen principalis intentio fuit ſatisfactio, aut medicina, quæ per ſe ſufficit, & ſemper manet, & ita illud nõ eſt tũc onus talis diei. Oportet ergo vt principalis, & quaſi vnica ratio ſit per reſpectũ ad talẽ diẽ,

6. Addo vero non ſemper eſſe neceſſarium, vt in tali die ſit ſpecialis ratio deuotionis, aut cultus Dei, vel Sanctorum, propter quam in illo aliquid promittatur vt proprium onus illius diei. Aliquando enim poteſt ex voluntate vouentis præfigi terminus ad finiendam obligationem propter alias rationes ſuæ commoditatis, vt verbi gratia, ſi quis voueat, ter in hebdomada ieiunare, ita tamen, vt in qualibet hebdomada ſua obligatio finiatur, ne (ſi in illa impleta non fuerit) oporteat pluries in alia hebdomada ieiunare: nam ad hoc non vult obligari, non ob deuotionem, ſed ne nimium grauetur. Sic etiam poſſet quis vouere ingredi Religionem ante trigeſimum ætatis annum, hac intentione, vt ſi quacumque occaſione infra illud tempus non fuerit ingreſſus, poſtea non teneatur: tunc enim etiam in illo termino extinguitur obligatio. Quando ergo votum ſit priori modo, tunc opus tali tempore promiſſum proprie dicitur eſſe onus talis temporis: nam ſi fiat tantum poſteriori modo potius ſit ad finiendam ibi obligationem talis temporis, & ideo non dicitur tam proprie onus illius, quamuis lato vocabulo poſſit etiam ita vocari. Notarique poteſt differentia inter hos modos, quod cum opus voti eſt diei proprium, ſemper habet fundamentum aliquod in circumſtantia, & Religione temporis, & ideo & ex materia, & ex verbis voti facile eſt, talem voti conditionem colligere. Quando vero ſolum ponitur terminus poſteriori modo ad finiendam obligationem, vix diſtingui poteſt à termino poſito tantum ad differendam obligationem, niſi ex intentione vouentis, vel niſi cõtingat in ipſis verbis expreſſe declarari, quod raro contingit. Et ideo vbi non conſtiterit de tali limitatione, præſumendum eſt terminum eſſe poſitum ad differendam non ad finiendam obligationem.

Secundo inquiri poteſt, circa eandem partitionem, an locum habeat in votis realibus: nam de perſonalibus nullum eſt dubiũ, quia de illis maxime datur: vt conſtat de voto ieiunandi, orandi &c. 7 *An eadem partitio cadat in vota realia.* Et de his tantum loquitur Caietan. & in eiſdem ponunt exempla Nauarr. & alij, vnde tacendo videntur excludere vota realia. *Soto.* Clarius vero Soto libr. 7. quęſt. 2. artic. 1. ſentit in votis realibus terminum tẽporis, vel diem præſcriptum ſemper eſſe ad differẽdam, non ad extinguẽdam obligationem. Nam dicit vota realia, non impleta tempore præfixo, ſemper relinquere obligationem, vt poſtea quam primum impleantur, & ita onus transferri in ſubſequens tempus, vnde clare ſequitur non fuiſſe proprium onus prioris temporis. Idem ſentit Aragon. *Aragon.* d. quæſt. 88. artic. 3. dub. 1. poſt concluſionem tertiam. Moueri potuerunt, tum quia in votis perſonalibus materia promiſſa eſt actio tranſiens, & non relinquit aliquem permanentem effectum externum, ex voto autem reali ſi impleatur, vltra actionem dandi relinquitur realis fructus, & effectus, quia proximus locupletatur, vel à miſeria eripitur & ideo in perſonali voto tranſacto tempore debito, non relinquitur fundamentum obligationis, in reali autem ſemper relinquitur fundamentum obligationis: quia res promiſſa eſt permanens, & poteſt cum eodem fructu, & effectu expendi, etiamſi tempus tranſactum ſit. Tum etiam quia votum reale ſemper ſit in vtilitatem alterius proximi, vel in ornatum templi, aut aliquid ſimile: ergo hic finis eſt principaliter intentus, & circumſtantia diei, etiam ſi illius ratio aliqua habeatur, ſemper eſt ſecundaria, & ideo non ſufficit ad extinguẽdam obligationem. Sicut ſupra dicebamus de voto ingrediendi Religionem tali die etiam in honorẽ diei. Et poteſt hæc coniectura cõfirmari ex promiſſionibus humanis; nam licet fiant de danda pecunia tali die, vel tali loco, licet tranſierit dies, danda eſt. & licet non poſſit dari in tali loco, danda eſt vbi potuerit, quia

ſemper

ſemper ipſa datio eſt principaliter intenta, vt ſumitur ex d. L. *Continuum*, §. *Cum ita*, ff. de Verb. obligat. At vota realia ſeruant in hoc quandam proportionem ad promiſsionem realem humanã: nam licet vota non fiant hominibus, fiunt tamen in vtilitatem hominum, & ad hoc principaliter videntur fieri, licet tota illa vtilitas promittatur in honorem Dei.

Leg. Continuum.

8\. Nihilominus alij exiſtimant, etiam in votis realibus habere locum partitionem illam, quia poſſunt etiam fieri, vt onera certæ diei, vel ita definita ad certum tempus, vt in eo finiatur obligatio. Ita notauit Vazq. 1.2. diſp. 146. c. 2. in fine. Ratio eſt, quia hoc pendet ex intentione vouentis, & ex parte rei, nec eſt impoſsibilitas, nec turpitudo in tali intẽtione. Quid enim vetat, vt aliquis voueat quotidie facere aliquam eleemoſynam ſub hac intentione, vt eleemoſyna vnius diei non tranſmittatur ſub obligatione ad aliam diem, etiamſi omittatur quacumque occaſione, ſiue excuſabili, ſiue culpabili? Si autem ita fiat, iam vnaquęque diurna eleemoſyna eſt onus diei, & obligatio eius cum die extinguitur. Item, ſi quis voueat tali die feſto expendere tantã pecuniam in honorem talis Sancti, vt ſolennius Miſſa cantetur, ornetur templum & c. illud eſt votum reale, vt conſtat, & tamen ſi omittatur non relinquit obligationem, quia non obligat votum illud ad expendendam pecuniã illam in alios vſus pios, quia hoc non fuit promiſſum, nec etiã poteſt expendi in id, quod fuit promiſſum: quia non poteſt fieri, cum occaſio præterierit: illud ergo votum eſt reale, & onus illius diei. Niſi quis fortaſſe dicat durare obligationẽ vſq; ad ſubſequens annum in ſimili diei. Sed hoc non habet locum, ſiue ponamus ſolum promiſiſſe hoc die, & hoc anno facere; ſiue ponamus promiſiſſe omnibus annis facere: nã anno ſequenti tenebitur ex vi proprij voti, nec tenebitur augere ſumptus, quia præterito anno votum non ſeruauit.

Vazquez.

9\. Poſſumus tamen has opiniones conciliare dicendo, de abſoluta poteſtate vouentis vtrumque modum aſsignandi terminum obligationis habere locum in vtroq; genere voti perſonalis, & realis, hoc enim conuincunt ratio, & exempla poſteriori loco allata. Nihilominus tamen ex parte materiæ diſtinctionem illam eſſe quaſi connaturalem votis perſonalibus, & in ſua materia habere fundamentum, maxime ſecundum communem Eccleſiæ conſuetudinem: in votis autem realibus raro ſolere circũſtantiam temporis principaliter intendi, quod probabiliter ſuadent motiua prioris ſententiæ. Neque differentia hæc ſine morali vtilitate conſideratur: nam hinc fit, vt in votis perſonalib. ex materia ipſa, & modo vouendi ſæpe cõſtare poſſit, opus eſſe promiſſum, vt onus talis diei, vt in ieiunio Sabbati in honorem Virginis: & in votis quę fiunt ad imitationem præceptorum de his oneribus diarijs, vt erit votum audiendi Miſſam in diebus Doctorum, vel recitandi horas Canonicas, & ſimilia. At in votis realibus vix poteſt hoc iudicari ex materia, vel forma vouendi, niſi expreſſe declaretur talis intentio vouentis: quia regulariter illa circumſtantia temporis quoad eleemoſynam, & ſimilia opera eſt valde accidentaria, & licet intendatur ob deuotionem diei, ſolum eſt ſecundario, & ſecundum quid niſi aliud expreſſe declaretur. Solũ in exemplo de voto reali ordinato ad ſolennitatẽ ſolam talis celebritatis videtur ex ipſa materia colligi onus eſſe diei: tamen id eſſe videtur, quia illud non eſt tantum votum reale, ſed mixtum, & in eo reales ſumptus ordinantur ad actiones perſonales, quibus ſolennis dies celebrandus eſt. Idem cerni poteſt, ſi votum fiat dandi eleemoſynam tali die, quia in eo præciſe requiritur ad iobilæum lucrandum, quod principaliter vouetur: nam tunc etiã eleemoſyna promittitur, vt pars cuiuſdam perſonalis actionis, quæ eſt implere diligentiam neceſſariam ad talem indulgentiam: & ideo tunc erit illud onus talis diei, magis per modũ voti perſonalis, quam realis.

Conciliantur opiniones ſupra tradita.

Tertio dubitari poteſt circa vota habentia terminum ad differendam ſolutionem, non ad finiendã, an tranſacto termino teneatur vouens ſtatim, & quã primum poteſt votum implere. Reſpondeo breuiter, obligari ſtatim, non tantum ad arbitrium boni viri, ſed pręciſe ſine vlla mora, eo ſcilicet modo, quo obligat votum intra terminum expreſſe præfixum. Patet, quia votum illud ſic obligabit in termino temporis definiti, & illa obligatio non fuit extincta; ergo ſemper durat cum eadem præciſione. Imo intenſiue (vt ſic dicam) ſemper augetur, quia ex mora aggrauatur obligatio. Vnde etiam fit, vt continue, ac pro ſemper obliget, morali modo ad modum præcepti negatiui: quia pro toto continuo tempore eadem ratio vrget, ſicut etiam dici ſolet in præcepto reſtituendi, vel ſoluendi humana debita. Quomodo autem contra hanc obligationem peccetur continue, vel multiplicando peccata, libro ſequenti dicetur. Dixi autem hic non requiri arbitriũ boni viri, vtique ad deſignandum tempus obligationis ſecundum ſe, aut per ſe, non tamen excludimus quin ex parte operantis, & circumſtantiarum occurrentium poſsit interuenire arbitrium ad aliquam excuſationem, vel coniecturam faciendam quod non fuerit mens vouentis ſe obligare ad tantum onus ſimul exequẽdum. Vt v. g. cõtingit in hac dilatione creſcere quantitatem eleemoſynæ, vel orationis, aut ieiuniorum, quæ diſtributa per partes, & varios dies, ac diſtantes facilis erat; poſtea vero coniuncta in vnum diem, vel in plures continuos, eſt pœna intolerabilis tali perſonæ. Dico ergo in eo caſu fieri poſſe prudens arbitrium, vt votum cum diſtributione, & partitione perſoluatur. Vt ſiquis vouit per annum ſingulis hedomadibus ieiunare vno die in pane, & aqua, & per integrum annum omiſit, non eſt poſtea cogendus, vt per quinquaginta ſex dies continuos ieiunet in pane, & in aqua, vt votum citiſsimẽ expleatur, quia eſſet grauiſsimum onus, & credi poteſt, fuiſſe extra intentionem vouentis. Satis ergo erit ſi cogatur primo anno ſequenti id explere, vel ſi in illo eandem habeat obligationẽ, vt bis in hebdomada ſic ieiunet, &c. Idem exemplum poteſt adhiberi in eleemoſyna, & aliis actibus. In his ergo prudens arbitrium locum habet, vt omittam aliquando eſſe vtile commutationibus, aut diſpenſationibus iuſtis vti.

10\. *An vota habentia terminum ad differendam ſolutionem, an illo tranſacto teneatur vouens quam primum poteſt votum implere.*

CAPVT XIV.

An qui non poteſt implere votum, in præfinito tempore, teneatur tempus præuenire, & votum prius implere?

1\. Ratio dubitandi eſt: nam qui non poteſt implere votum quoad totum, debet implere quoad partem: præſertim quando illa principalis eſt, & ſeparabilis à circumſtantia impoſsibili, ſic autem contingit in propoſito caſu, nam qui non poteſt implere votum eodem die, in quo promiſit, ſi poteſt ſubſtantiam operis implere, variata ſolum temporis circumſtantia, tenebitur id facere, præueniendo tempus. Confirmatur ex Leg. *Continuum*, §. 1. ff. de verb. obligat. vbi ſic dicitur, *Quod in diem debetur, ante ſolui poteſt, licet peti non poſsit.* In debito autem voti non eſt neceſſe petitionem expectare, & ex poteſtate ſoluendi ſequitur obligatio: nam votum obligat, vt impleatur, prout poteſt. Confirmatur ſecundo ex D. Thom. in 4. d. 38. quæſtione 1. articulo tertio, quæſtiunc. 1. ad 7. dicente, eum, qui vouit, ſi timeat perpetuum impedimentum, teneri ad præueniendum tempus, quod ſequitur Sylueſt. *Votum*, 2. q. 3. Tabien. *Votum*, 3. num. 3. Ergo ſeruata proportione,

Leg. Continuum.

D. Tho.

Syluest.

Tabien.

tione, quandocumq; præuidetur impedimentum, tenetur quis præuenire.

In contrarium vero eſt, quia nemo obligatur ad id, quod vouendo non intendit, ſed qui ſibi præfixit certum diem, vt terminum, nō intendit ſe antea obligare: ergo tenetur. Confirmatur: nā qui facit votum conditionatum, non tenetur præuenire ante impletam conditionem, etiamſi præuideat futurum impedimentum, ſi expectat, vt impleatur conditio; ſed temporis deſignatio æquiualet huic conditioni, ſi ad talem diem peruenero, hoc faciā, ergo ante illā conditionē expletam nō tenetur præuenire, etiamſi poſtea futurū eſſe impedimentū præuideat. Confirmatur ſecundo ex illo Deut. 23. *Facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo*, vbi ponderanda eſt particula, *Sicut*: ergo qui non poteſt in diem ſicut promiſit, non tenetur aliter, id eſt, ante diem.

3. Quæſtio hæc non habet ſolum in votis, in quibus expreſſe declaratur obligatio ad ſtatim: imo neque in votis abſolutis, & indefinitis, quæ nullum deſignant tempus, nam de illis dictum eſt obligare ad ſtatim; obligatio autem ad ſtatim eſt quaſi de præſenti, reſpectu cuius non habet locum præuentio, vt per ſe conſtat. Et quamuis dictū ſit in hoc *ſtatim* habere locum iudicium prudentiale; tamen ex hoc ipſo conſtat, eo modo (quo in tali obligatione poteſt habere locum dilatio, ſi impedimentum præuideatur futurum poſt moram quantumcumq; breuem præueniendam eſſe: quia illa re vera non eſt præuentio reſpectu voti, cum obliget ad ſtatim, ſed eſt prudentiale iudicium, quia attento periculo impedimenti illa opportunitas præſentanea, eſt ipſum *ſtatim*, pro quo obligat tale votum. Et in hoc ſenſu videtur loquutus D. Thom. loco citato: nam loquitur de voto Religionis obligante de ſe ad ſtatim, addit vero aliquid, quod expoſitione indiget, vt paulò poſt dicam.

4. *Germanus ſenſus quæſtionis.* Procedit ergo quæſtio, quādo ad votum implendum certus terminus, vel dies præſcribitur. Quod dupliciter fieri poteſt, vt dictum eſt, ſcilicet præueniendo terminum, vel vt in eo finiatur obligatio, vel vt ſolum vſq; ad illum, & non vltra differre liceat ſolutionem. Et vterque modus ſubdiſtinguendus eſt. Nam in priori interdum deſignatur dies, vt opus promiſſum ſit proprium onus illius, vel quaſi debitum illi in ſpecialem obſeruantiam illius: aliquando vero ſolum præfigitur terminus, quia vouens non vult vltra illum terminum eſſe oneratus obligatione, ſiue prius illam expleuerit, ſiue non: intra illum vero terminum non promittit opus vt onus peculiare alicuius diei, vel temporis, ſed pro toto illo ſpatio libera ſibi manet electio. Quam ſubdiſtinctionem ſupra inſinuauimus. Nunc autem addimus aliam non multum diſſimilem pro altero membro. Nam terminus ad differendam obligationem duobus modis poteſt conſtitui: primo per modum cōditionis ſuſpēdētis obligationē, vt ſi quis voueat, promitto ex primo die anni ſequētis ieiunare ſemel in mēſe, vel ſi voueat peregrinari tēpore feriarū, &c. Alio modo poteſt deſignari terminus ſine ſuſpenſione obligationis, ſolū vt liceat differre ſolutionem vſq; ad illum terminū, ſeu eligere diem, vel horas intra totum illud ſpatium temporis: vt cum voueo intra hunc annum decies recitare Roſarium, vel ingredi Religionem.

5. *1. Aſſertio. Cum opus vouetur vt onus propriū certi temporis non tenetur quis præuenire opus* Dico ergo primo; Quando opus vouetur vt proprium onus certi diei, ſeu temporis, nō tenetur quis præuenire, etiamſi præuideat impedimentum pro illo die. Eſt communis, & probatur primo ex dictis, quia eadem eſt ratio de poſtpoſitione, & præuentione, ſicut ergo nō tenetur poſtea facere, ſi in die proprio nō potuit, ita neq; tenetur anteponere. Secundo patet à ſimili de præceptis eiuſdem formæ, ſeu materiæ, vt non tenetur quis præuenire Miſſam in die Sabbathi, etiamſi præuideat ægritudinem, ſeu febrem in die Dominica impedituram ne Miſſam poſſit audire, & ſic de alijs. *licet detur impedimentum.* Tertia ratio eſt, quia ille non poteſt implere quod promiſit, & ſub habitudine, & relatione, ſub qua promiſit, quę intrinſece pertinet ad conſtitutionem talis materiæ, vt cadit ſub tale votum. Vnde licet præueniat, non facit quod promiſit: nam licet ieiunet, v. g. feria 5. non ieiunat feria 6. quod ſpecialiter promiſit in cultū illius diei, quem prębere non poteſt: votum autem nec ad impoſſibile obligat, neq; ad id, quod promiſſum non fuit. Neq; etiam poteſt eſſe illa obligatio per modū recompenſationis, tum quia hæc non habet locum in votis, vt declarabo ſeq. c. tum etiam quia maximè non eſt neceſſaria, quando ſine culpa debitum non ſoluitur, ſeu ſoluendum non eſt. Quare non obſtant contra hanc aſſertionem priores rationes: quia materia promiſſa in his votis eſt indiuiſibilis moraliter: quia ſicut inſeparabilis eſt relatio à termino, ita onus proprium diei ab ipſo die pro quo promittitur, & ideo ſimpliciter fit impoſſibilis impletio talis voti. Neq; lex ibi citata, vel D. Thom. de die ſic præfixo, loquuntur, vt videbimus.

Atq; hinc infertur in illo caſu non ſolum non teneri vouentem præuenire, verum etiam nec poſſe, ita vt voto ſatisfaciat, quia non faciet, quod promiſit. Ampliariq; hoc poteſt, vt locum habeat, etiamſi circumſtantia talis diei non primario ſit intenta per votum, ſed ſecundario: ſatis enim eſt, quod ſit promiſſa, vt impleri debeat. Sicut in pręcepto communionis in Paſchate circumſtantia diei non eſt principaliter intenta, ſed actus, cuius ſignum eſt: quia ſi quis non communicet illo die, vel diebus præfixis, tenetur nihilominus quam primum poſſit cōmunicare. Et nihilominus, quia tempus Paſchale præceptum eſt, ſaltem ſecundario, peccabit quis, niſi tūc communicet, etiamſi præueniat, & ita non cogitur præuenire, vt dixi in 3. tom. d. 70. ſect. 2. ergo idem dicendum eſt in obligatione voti etiamſi cum proportione circumſtātia diei promittatur. Nam quod poſſit ſic promitti, ſupra oſtenſum eſt, & per ſe eſt ſatis clarum: quāuis talis modus promiſsionis ex ſola intentione vouentis cognoſci poſſit. Hæc autem intelligenda ſunt, niſi intercedat commutatio: poteſt enim interdum opus vnius diei in ſimile opus alterius diei commutari: oportet tamen vt legitima cauſa, & poteſtas intercedat, iuxta infra dicenda de commutatione votorum.

6. *2. Aſſertio. Quando dies impletionis voti aſſignatur, & ad differendam ſolutionem, & ad ſuſpendendam obligationem nulla eſt obligatio præueniendi ſolutionem.* Dico ſecundo; quando terminus, ſeu dies, in quo implendum eſt votum, additur non ſolum ad differendam ſolutionem, ſed etiam ad ſuſpendendam obligationem vſq; ad talem terminum, tunc nulla poteſt eſſe obligatio præueniendi ſolutionem, faciendo opus promiſſum ante præſcriptum diem, etiamſi futurum impedimentum præuideatur. Hanc aſſertionem conuincunt rationes poſteriori loco factæ, & præſertim illa de voto conditionato. Nam re vera tale votum inuoluit conditionem, *ſi vixero, & potuero tali die*, vel habet hunc ſenſum, ex tali die hoc faciam: ergo ante illam non obligat, & conſequenter non poteſt obligare ad præueniendum. Vnde terminus ille non tam eſt ad differendam ſolutionem, quam ad inchoandam obligationem abſolutam; & ideo ante illum nulla eſt obligatio, quæ pro tunc implenda ſit; ergo non eſt obligatio ad præueniendam ſolutionem, ſed ad ſummum vt paratus ſit homo ſuo tempore implere, ita vt per eum non ſtet, ſicut de voto conditionato infra dicemus. Nec refert, quod impedimentum præuiſum ſit perpetuum, vel temporale, quia intentio vouentis ſimpliciter fuit, non obligari, niſi impleta illa cōditione, ſeu pro tali tempore, & ideo ſi impedimentum fue-

Digitized by Google

tum fuerit perpetuum , deſtruetur obligatio, quia votum factum eſt impoſsibile. Si vero fuerit tẽporale, differtur obligatio obſoluta vſque ad ablatum impedimentum.

7. *3 Aſſertio. Quando terminus ſolum ponitur in voto ad dilationem, & non ad ſuſpenſionẽ obligationis præuenire oportet ſolutionem ſi detur impedimentum.*

Dico tertio: Quando terminus ſolum ponitur ad differendam ſolutionem, & non ad ſuſpendendam obligationem, tũc obligat ad ſolutionem prę-ueniendo terminum, ſi impedimentum poſtea futurum præuideatur. Hoc etiam clarum eſt, & communiter receptum. Et ratio eſt, quia tũc votum ſtatim , ac fit obligat abſolute, vt intra terminum deſignatum opus fiat. Vnde quando ad totum tempus eſt determinata obligatio , quantum vero ad ſingulas partes eius eſt quaſi diſiunctiua , & ideo tenetur abſolute vouens implere votum in aliqua parte illius temporis: ergo ſi præuidet, futurum eſſe impedimentum in poſteriori parte temporis , tenetur in priori facere, & hoc eſt præuenire.

Cõfirmatio ab exemplis.

Confirmatur exemplo prçceptorum: nam qui tenetur intra annum confiteri , ſi præuideat futurum impedimentum in duodecimo menſe tenetur confiteri antea, & qui tenetur audire Miſſam in die feſto, ſi præuidet non inuenturum illam poſt horam nonam tenetur antea audire , & idem eſt de obligatis ad officium Canonicum intra diem, vt ſupra ſuis locis dictum eſt: vnde idem eſſet ſi de iſtiſmet actibus vota fierent, quia fiunt inſtar præceptorum , vt ſupra declaratum eſt: ergo idem eſt in omnibus votis , quæ ſub ſimili forma, ſeu limitatione temporis fiũt. Vnde aſſertio hęc cum proportione verum habet, ſiue impedimentũ, ſit perpetuũ, ſiue tẽporale. De perpetuo enim maxime procedũt rationes factæ, quia illud omnino impedit voti obſeruantiã, & ideo præueniendũ omnino eſt. Temporale autẽ ſolum impedit executionẽ tempore debito, & cogit ad dilationem vltra terminum præſcriptum , & ideo videri poteſt minus neceſſaria anticipatio , quia dilatio interdum permitti poteſt. Nihilominus tamẽ, quia etiam cadit ſub obligationem voti, vt ſolutio præſcripto tempore fiat, & non differatur, ſi commode poteſt, ideo etiã tunc eſt obligatio ad præueniendum, niſi aliqua ſpecialis difficultas excuſaret, quod eſt per accidens. Et ad hãc aſſertionem accommodatur bene ratio primo loco facta, & lex ibi citata, & rationes in contrarium non procedunt contra aſſertionem , vt facile conſtabit intuenti.

8. *4. Aſſertio.*

Dico quarto. Licet terminus temporis ſit præfixus ad finiendam ſolutionẽ, ſi opus promiſſum nõ eſt peculiare , onus alicuius determinatæ partis totius temporis vſq; ad illum terminum , tenetur vouens præuenire in ſolutione terminum illum, ſi ante illum impedimentum præuideat.

An teneatur quis aliquãdo anticipare terminum præfixũ in voto quando præuidet impedimentum?

Vt v. g. vouit quis ieiunare quatuor dies menſis, non deſignando illos, limitando tamen obligationem ad menſem, ita vt cum illo extinguatur in omni euentu: ſi ergo ille præuideat futurum , vt poſt 15. diem menſis ieiunare non poſsit, tenetur in prioribus diebus totũ votum implere, & ita præuenire terminum. Probatur ratione facta , quia tunc totum tempus menſis eſt tempus abſolutæ obligationis , quæ debet impleri in parte eius poſsibili. Item hoc confirmant exempla præceptorum adducta: nam in horis Canonicis obligatio vniuſcuiuſque diei in illo finitur, & nihilominus intra illum implenda eſt, præueniẽdo horas ſi, neceſſe ſit. Imo quodammodo idem eſt reſpectu termini totius vitæ: nam ſi quis voueat aliquid facere in tota vita, id eſt, ante mortem , ſi præuideat impotentiam futuram in ſenectute , tenetur præuenire, & antea facere, quia alias non faciet ante mortem, cum tamen poſsit.

10 *Tenetur vouens ſemper vitare impedimẽtum vt votum ſuo tempore ad impleat.*

Oportet tamen his addere, teneri vouentem in omnibus caſibus vitare impedimentum, vt votum ſuum tempore promiſſo implere poſsit. Vnde ſi ex induſtria affectet impedimentum , ne cogatur implere votum, manifeſte eſt voti violator , & infideliter agit, & contra pactum incluſum in voto. Quapropter licet votum non obliget ad exequendum opus ante tale tempus præfixum, obligat tamen ad non ponendum impedimentum: quia hoc neceſſarium eſt ad effectum prioris obligationis, alioqui eſſet inefficax, & ficta. Quapropter non ſolum non licet directe velle, aut procurare impedimentum, verum etiam nec illud voluntarie admittere , ſi poteſt quis illud vitare ſine magno diſpendio. Quia cũ obligatio voti ex nunc naſcatur pro tunc, ex nũc etiam obligat ad habendam moralem prouidentiã, & curã vt votum poſsit impleri: nam ratio fidelitatis hoc poſtulat, & hæc eſſe debet legitima intentio vouẽtis. Dico autem moralem prouidentiam: quia non oportet extraordinariam diligentiam adhibere , ſed bona fide procedere, & nõ ſe exponere his periculis ſine rationabili cauſa: quod prudẽti arbitrio in particulari iudicandum eſt, vt c. 15. circa vota conditionata amplius explicabitur.

11. *Explicatur mens D. Th.*

Per hæc ergo ſatisfactum eſt rationibus vtrinque propoſitis. Solum circa illud dictum D. Th. oportet adnotare , illum non loqui de voto facto cum termino temporis, ſed de voto ingrediendi ſtatim Religionem. De quo addit, ſi quis habeat debita , non propterea poſſe differre, ſed ſtatim ingredi debere: *& qui eum receperit,* (ait) *ſoluet debita.* Addit vero, quod ſi cum vouit, cogitabat de debitis, poteſt præſumere non ſe voluiſſe obligare ad ingreſſum , donec ſolueret debita. Et adhuc in eo caſu ſubiungit, ſi præuideat impedimentum perpetuum , non debere expectare, ſed teneri ad ingrediendũ ſtatim. Verũtamen hęc doctrina requirit in primis longã diſputatio de eo quod D. Th. ſupponit, habentem debita poſſe licite ingredi Religionem antequam illa ſoluat: de qua infra in materia de Statu dicendum eſt. Deinde ſuppoſita præſumpta intentione vouẽtis ſoluendi prius debita , quam ingrediatur, habet difficultatem illa reſolutio Diui Thomæ: quia votum illud videtur conditionatum, *Si ſoluero debita,* & ita hac conditione non impleta , non obligabit votum. Nam ſicut impedimentum temporale excuſat ab ſtatim , ita perpetuum excuſat ſimpliciter. Reſpondetur tamen non loqui Diuum Thomam quando votum eſt conditionale , ſed quando eſt modale: nam in priori obligatio eſt ſuſpenſa: in poſteriori autem eſt abſoluta. Itaque ſermo eſt, quãdo quis abſolute vouit Religionem, tamen propter debitum modum id exequendi , tacite ſibi conceſsit indulgentiam dilationis , vt prius ſoluat debita. Nã tunc ait Diuus Thomas ſi impedimentum perpetuum futurum ſit, ob talẽ dilationem non oportere expectare, vt impleatur ille modus: tũ quia hoc eſſet contra ſubſtantiam obligationis: tum quia non poteſt præſumi, talem fuiſſe intentionem vouentis in prædicto caſu, quia ſimpliciter voluit obligari, & ſolum voluit diſponi ad ingreſſum illo modo. Vnde non eſt veriſimile, voluiſſe illo modo impediri. Sed de hoc puncto latius in prædicto loco: nam ſine propriis fundamentis non poteſt hic exacte declarari. Et hic ſolum hoc proponitur propter generalem doctrinam, quidquid de exemplo ſit.

CAPVT XV.

An qui non implet votum tempore præfixo, ad aliquam recompenſationem poſtea teneatur.

SVpponendum eſt , ſermonem eſſe de tempore præfixo , & omnino neceſſario , ita vt in illo præſcribatur terminus ad finiendam obligationem voti. Nam ſi violatio tantum fuit in tranſgreſsione, & viola-

& violatione termini poſiti ad differendam ſolutionem, clarum eſt obligare poſtea per votum: illa tamen non eſt recompenſatio, ſed formalis obligatio voti. Habebit tamē quæſtio locum etiam in illo voto, quando homo in illo tempore factus eſt impotens ad implendum formaliter, quod promiſit. Nā licet conſtet in his caſibus votum formaliter poſtea non obligare, adhuc inquiri poteſt, vtrum aliquā obligationem quaſi ad reſtitutionem relinquat? nō enim deeſt in hoc aliqua dubitandi ratio, & aliqua opinionum varietas.

2\. Ratio autem dubitandi eſſe poteſt, quia licet inter nos, & Deum non ſit propria iuſtitia ex defectu æqualitatis, nihilominus ex parte noſtra eſt pluſquam rigoroſa iuſtitia quoad debitum, & obligationem, & ex parte Dei eſt ſummum ius, quod habet ad rem ſibi debitam ex promiſsione ſibi facta, & ab eo acceptata. Hinc ergo ſumitur argumentum. nam inter homines, qui non implet promiſsionē ex iuſtitia obligantem, tenetur poſtea recompenſare, vel reſtituere prout potuerit, quod non ſoluit: ergo eadem obligatio manet apud Deum ex promiſsione non impleta. Probatur conſequentia: quia hæc obligatio ad Deum eſt ſuo modo ex iuſtitia: quia licet dicatur impropria, quia deficit in poteſtate reddendi æquale, hoc videtur parum referre ad debitum recompenſandi: ſolum enim inde fit, vt non oporteat recompenſationem eſſe æqualem, conſiderata dignitate Diuinæ perſonæ, & iniuriæ illi factæ, non vero quod illud debitum implendum nō ſit cum poſsibili æqualitate, qualis inter actum promiſſum, & alium loco illius factum conſiderari poteſt. Quia in re ipſa facta eſt inæqualitas ad Deum per non ſolutionem voti, quæ inæqualitas ad æqualitatem reducenda eſt: hoc enim poſtulat generalis ratio iuſtitiæ, prout abſtrahit à Deo, & hominibus.

3\. Deinde non deſunt Authores, qui ita ſentire videantur: nam licet omnes ſentiant, quando votum ſine culpa non impletur, nec impleri poteſt debito tempore poſtea non obligare: nihilominus quando quis culpa ſua non impleuit, vel factus eſt impotens, aliqui ſentiunt obligari poſtea ad recompenſationem. Pro qua ſententia merito allegari poſſunt Panormit. Ant. & Angel. quatenus aſſerunt qui culpa ſua factus eſt impotens ad implendum votum, teneri adimplere per alium, vt ſupra cap. 9. retuli, illud enim neceſſario debet fundari in obligatione recompenſandi. Item pro eadem ſententia allegari poſſunt Panorm. Sylueſt. & Angel. allegati cap. 10. quatenus dicunt, qui culpabiliter non impleuit votum die præſtito, teneri poſtea implere: nam hoc etiam eſſe non poteſt niſi per modum recompenſationis. Item poſſunt hic allegari qui dicant, eum qui ſub conditione vouit, & poſtea ſua culpa facit, vt conditio non impleatur, teneri ad voti ſolutionem, quos capit. ſeq. referemus: illud enim eſſe non poteſt, niſi per modum recompenſationis: nam formalis obligatio voti non extat, non impleta conditione.

4\. *Palud.* Item Palud. in 4. d. 38. q. 4. num. 13. ait, qui eſt in cauſa, vt alius frangat votum, teneri rem æquiualentem reddere, & omnino comparat hanc obligationem *Richard.* cum obligatione reſtituendi, ſi quis alium induxit ad furtum faciendum. Præterea Richard. 4. d. 38. art. 5. q. 1. ad 1. generaliter ait, quando aliquis ſua culpa factus eſt impotens ad ſeruandum votum, teneri ad aliquam recompenſationem, etiamſi in eadem ſpecie non poſsit ſoluere. Ponitque exemplum de virgine, quæ vouit abſolute virginitatē, & poſtea corrupta eſt: nam tenetur (inquit) ſeruare, quod poteſt, ſcilicet caſtitatem. & recōpenſare, quod nō poteſt, aliquid ſcilicet faciendo in recompenſationem virginitatis amiſſæ. Simile exemplum erit, ſi quis vouit ieiunare die Sabbathi, & frangat ieiunium comedēdo mane; nam poſtea tenetur ſeruare formaliter, quod poteſt, abſtinēdo à carnibus reliqua parte diei, & recompenſare, quod non poteſt, ſcilicet dando aliquam eleemoſynam loco ieiunij. Intelligenda autem eſt hæc opinio, quando culpa fuit directe contra votum, nam ſi fuerit alterius ordinis, licet ex ea reſultet impotētia implendi votum, non refert ad obligationem voti, vt conſtat, quia in ordine ad votum impotētia inculpabilis eſt. Vt ſi quis culpa ſua ægrotauit, aut vulneratus eſt, & poſtea non poteſt votum de ieiunio adimplere, nihil contra votum peccauit: & ideo ex parte materiæ non habet locum recompenſatio.

Vt vero à certioribus ſumamus initium, dicimus primo: Quoties ſine tranſgreſsione culpabili votū non impletur tempore præfixo ad finiendam obligationem, vel homo fit impotens ad talem voti obſeruantiam pro tempore vel in perpetuum homo non tenetur ad aliquam recompenſationem faciendam. In hoc conueniunt omnes Doctores, & à fortiori conſtabit ex dicendis in ſequentibus aſſertionibus. Nunc autem ſpecialiter probatur exemplis propriis, & alienis. Nam qui vouit ingredi vnam Religionem in particulari, & in illam non poteſt ingredi, quia non admittitur, nō tenetur aliam æqualem ingredi ſecundum omnes: quia id non vouit, obligandus autem eſſet ſi teneretur recompenſare. Item probari poteſt ex dictis, quia qui non poteſt implere per ſe, nō obligatur implere per alium, nec ibi admittitur talis recompenſatio, & ſic de aliis ſupra dictis. Denique inter homines qui promiſit dare aliquid alteri, & poſtea non poteſt, non obligatur aliquam recompenſationem facere. Ratio ergo à priori eſt, quia nemo intelligitur habere intentionem ſe obligandi cum tanto rigore, & obligatio non excedit intentionem. Item poſſumus hoc ita explicare per proportionem ad reſtitutionem ex iuſtitia. Quia in illo caſu non eſt obligatio recompenſandi ratione acceptionis, ſeu non ſolutionis: quia illa fuit inculpabilis, nec ratione rei acceptæ, quia debitor nihil inde acquiſiuit, nec factus eſt ditior, neq; alium fructum reportauit per ſe loquendo præter excuſationem à culpa: ergo. 5.

1 Aſſertio. Votum inculpabiliter non impletum tempore præfixo ad finiendam obligationē non obligat ad recompenſationem.

Ratio à priori.

Contra hanc vero aſſertionem obiici poteſt cap. *Quod ſuper his*, de Voto, ſed illud caput ſufficienter tractatum eſt in capit. 10. poteſt item moueri dubium ſpecialiter in voto reali, & quando excuſatio culpæ ſolum fuit per obliuionem, vel inaduertentiam naturalem, vt ſiquis vouit dare eleemoſynam in tali die, verbi gratia, ſancti Laurentij in ſpecialem reuerentiam eiuſdem diei, & poſtea non det ex naturali obliuione, ſi ſequenti die recordetur, videtur obligandus ad dandum, ratione rei retentæ, per quam quodam modo factus eſt ditior. Reſpondetur nihilominus, ſi ſupponatur illud fuiſſe promiſſum vt onus proprium diei, extinctam fuiſſe obligationem, & illud commodum temporale inde reſultans eſſe per accidens. quia intentio ſic vouentis eſt, vt cum illo die tranſeat obligatio, quidquid in eo die actum fit, quæ intentio in materia ſic promiſſa inuoluitur, licet non exprimatur. 6.

Obiectio ex Cap. Quod ſuper his.

Soluitur obiectio.

Dico ſecundo; In votis perſonalibus licet culpabiliter non impleantur intra terminum præfixum ad terminandam, ſeu finiendam obligationem, non tenetur vouens ad aliquam recompenſationem faciendam. Eſt communis ſententia, quam ſatis indicat D. Th. d. art. 3. ad 2. vbi fractorem voti virginitatis, ex ea parte qua ſe reddidit impotentem ad votum implendum, ſolum dicit teneri ad pœnitētiam agendam, non ad aliam recompenſationem in 4. vero d. 38. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 1. hoc declarans, dicit teneri ad aliquam recompenſationem per pœnitentiam. Et fortaſſe Richard. per recompenſationem nihil aliud intellexit, quam pœnitentiam. Idem 7.

2. Aſſertio. In votis perſonalibus etiam culpabiliter non impletus tempore præfixo non tenetur vouens ad recompenſationem.

D. Thom.

etiam ſupponunt Syluester, Nauarrus, Soto, & alij cap. 9. relati, dum negant, teneri aliquem implere per alium, quod per ſe non poteſt, etiamſi culpa ſua impotentiam contraxerit. Item Caiet. & alij relati cap. 12. ſimpliciter negant, votum obligare ad opus, quod eſt onus diei tranſacto die, ſimpliciter enim negant obligare ad aliquid æquiualens, alias nihil efficerent. Item hoc probant exempla, quæ adducunt: nam qui omiſit ieiunium, vel Miſſam in die præcepto, non obligatur poſtea ad aliquam recompenſationem, & idem iudicium eſt de ſacerdote, qui omittit horas Canonicas, vel ſe reddit impotentem ad penſum illud ſoluendum proijciendo, verbi gratia, Breuiarium in mare: nam poſtea ad ſolam pœnitentiam agendam tenetur, niſi intercedat obligatio iuſtitiæ ratione beneficij, quæ ad reſtitutionem obliget. Idem ergo eſt de obligatione voti

9. Et ratio eſt eadem in vtroque caſu cum proportione, ſcilicet quia ſicut Eccleſia præcipit actum Religionis, & non recompenſationem: ita etiam, qui vouit ieiunare in vigilia Corporis Chriſti, non vouit facere aliquam recompenſationem, ſi frangeret votum, nec pro eo caſu ad aliquid ſe obligauit, nec forte de illo infelici euentu cogitauit: & ſi cogitaſſet forte nihil aliud deliberaſſet, quam de pœnitentia agenda; vel ſi aliud deliberaſſet ad illud teneretur, non ad aliam recompenſationem. Vt ſi quis vouit ieiunare abſolute, addendo ſibi pœnam eleemoſynæ faciendæ ſi non impleat, frangendo ieiunium, obligatur ex ſpeciali voto conditionato ad eleemoſynam faciendā, non vero ad aliquid aliud; ergo ſi non addidiſſet votum conditionale, ex vi ſolius tranſgreſsionis voti abſoluti ad nihil obligaretur. Præterea idem eſt etiam, ſi opus promiſſum non ſit ſpeciale onus alicuius diei, vel temporis, quaſi in cultum eius: quia ſi terminus temporis additus eſt ad extinguendam obligationem, eſt impoſsibile, vt ex tranſgreſsione naſcatur obligatio ad recompēſationem. Nam vel hæc obligatio naſcitur ex voto, & hoc repugnat intentioni vouentis præfigentis talem terminum ſuę obligationi: vel naſcitur ex alio præcepto, & hoc nullum eſt, quia poſitiuum non datur, & naturale ſolum obligat ad reddendum quod promiſi. Denique idem eſt in voto ſimpliciter facto, vel cum termino ad differendam tantum ſolutionem, quando aliquis culpa ſua factus eſt impotens in perpetuum ad illud implendum. Nam etiam illud votum includit hanc conditionem, *Si potuero*, & intentio ſe obligandi non ſe extendit ad aliam materiam pro caſu impotentiæ, ſiue cum culpa, ſiue abſque illa euenerit. Nec ex ratione iuſtitiæ colligi poteſt talis obligatio: tum quia etiam iuſtitia non obligat vltra intentionem promittentis: tum propter aliam rationem, quam in ſequenti aſſertione declarabo.

Dico tertio: Etiam in votis realibus nulla eſt re-

9. compenſandi obligatio, quando obligatio propria

3. Aſſertio. In votis realibus nulla eſt recompēſandi obligatio, quando propria obligatio extinguitur.

Declaratur aſſertio exemplis.

voti extincta eſt, vel per impotentiam, vel quia terminus præfixus tanquam peremptorius obligationis elapſus eſt. Hæc aſſertio habet nonnullam maiorem difficultatem ad conciliandas varias doctrinas Authorum: ſed nihilominus videtur communis, & neceſſario connexa cum præcedentibus: nam eſt fere eadem ratio, vt videbimus. Itaque declaratur exemplis: nam votum Religionis, ſi attente ponderetur, reale eſt, nam eſt promiſsio dandi ſe ipſum Religioni: & tamen ſi quis poſt tale votum ducat vxorem, nullam recompenſationem Religioni, aut Deo facere tenetur præter pœnitentiam. Sicut etiam ſi quis ſoli Deo vouit dare Hoſpitali ſeruum ſuum Petrum, & poſtea illum occidat, non tenetur ad aliquam recompenſationem: deberet enim eſſe aliqua reſtitutio æquiualentis valoris, vel alterius ſerui ſimilis: nemo autem dixit, vinculum voti præciſe ſpectatum obligare ad reſtitutionem aliquam Deo faciendam. Item ſi quis vouit expendere tantum pecuniæ in celebratione alicuius diei, vt ſpeciale onus illius diei, ſupra oſtendimus non teneri poſtea ad aliquam recompenſationem, ſi votum violet, & tamen reale eſt. Ratio autem in primis eſt eadem, quæ præcedentis, quia intentio vouentis etiam in his votis ſolum eſt de expendenda, vel præbenda tali re, non vero de recompenſatione facienda, quacumque ratione id fiat impoſsibile, vel extra terminum deſignatum ad talem pecuniæ vſum: quia eo ipſo, quod ſolum voluit obligare ſe intra illum terminum, poſtea non eſt vnde naſcatur obligatio. Tandem qui fecit votum reale, & poſtea factus eſt impotens ſine culpa, non tenetur ad aliquam recompenſationem, vt oſtenſum eſt; ergo nec tenetur etiamſi culpa interceſſerit. Probatur conſequentia, quia culpa illa ſolum eſt contra Deum, & culpa contra ſolum Deum obligat ad pœnitentiam, & ſatisfactionem: non vero ad aliam recompenſationem. Imo ad illam ſatisfactionem pœnitentiæ non obligat in præſenti votum præcedens, vt ſupra notaui, ſed obligat preceptum virtutis pœnitentiæ.

Vnde facile ſoluitur ratio ex obligatione iuſtitiæ 10.

ſupra poſita. Nam in primis dici poteſt, hanc culpam tranſgreſsionis voti proprie eſſe contra fidelitatem Deo debitam, & non contra propriam iuſtitiam: & ideo licet ſit grauis culpa in ratione irreuerentiæ, & contra cultum Deo debitum, non tamē eſſe propriam iniuriam damnificantem Deum (vt ſic dicam) in bonis ſuis, vt inde obliget ad recompenſationem per modum alicuius reſtitutionis. Declaratur præterea in hunc modum. Quia non magis damnificatur Deus in bonis ſuis per vota realia non impleta, quam non implendo vota perſonalia, quia vtraque ordinantur ad ſolum cultum Dei: neque enim ex votis realibus aliquid Deo accreſcit præter cultum, quia propter aliam vtilitatem ſuam rebus noſtris non indiget; ergo ſicut ex transgreſsione votorum perſonalium nō relinquitur obligatio reſtituendi Deo aliquid, licet ei fuerit denegatus debitus cultus, ita nec ex fractione voti realis.

Fit ſatis obiectioni in principio factæ.

Et hinc poteſt intelligi ratio à priori, ob quam li- 11.

cet Religionis obligatio ſit excellentior, quam obligatio iuſtitiæ humanæ, violatio illius non obliget ad aliquam reſtitutionem, ſicut iſtius. Nam Deus non poteſt proprie damnificari ab homine in bonis ſuis, ſibi vtilibus, ſed ſolū poteſt offendi per denegationem debiti cultus, vel amoris debiti, aut præferendo illi creaturam in honore, vel amore: & ideo reſpectu Dei ſolum eſt obligatio ad ſatisfactionē pro iniuriis illatis, per conuerſionem ad ipſum, per amorem, & pœnitentiam, & vindictam pro culpa cōmiſſa. Homo vero damnum patitur in ſuis bonis, & illis priuatur per actiones iniurioſas: & inde naſcitur reſtituendi obligatio, quæ propterea propria eſſe dicitur iuſtitiæ commutatiuæ: de qua re alibi dicendum eſt. Ad ſententias autem aliorum Doctorum ex parte iam reſponſum eſt, & in capit. 16. eodem modo explicabimus obligationem voti conditionati. Dictum autem Paludani non admittimus: quia vero ſpecialiter loquitur de illo, qui alium impedit, ne votum Religionis impleat, de illo puncto ſpecialiter dicemus infra tractando de illo voto in particulari.

Cur obligatio Religionis non obliget ad reſtitutionem.

CAPVT XVI.

Vtrum quæ fiunt contra voti obligationem, & obſeruationem valida ſint, & firma?

HAEc quæſtio valde neceſſaria eſt ad intelligentiā præcedentiū, & ad varios caſus morales definiendos, 1

niendos,

Digitized by Google

niendos, & ideo hoc loco illam interponimus. Vt autem quæſtio intelligatur, oportet aduertere ſermonem eſſe de moralibus effectibus, quos interdum habent actiones humanæ, vt ſunt contrahere, donare, transferre dominium, obligare, & ſiqui ſunt ſimiles. Nam de effectibus phyſicis nulla eſt quęſtio, vt per ſe conſtat: nam qui ludit contra votum, vere ludit quoad phyſicam actionem; moraliter vero inquiri poteſt, an veram rationem contractus efficiat: & qui donat contra votum, phyſice quidem rem tradit, ſed an donatio valeat, inquiri poteſt, & ſic de alijs. Vt ergo breuiter reſpondeamus, eſt aduertendum ſecundo; duas actiones poſſe intelligi voto contrarias. Vna dici poteſt contraria voto ex parte ipſius, ſeu quoad obligationem, vt ſi promiſi Deo non ludere, & poſtea promiſi homini ludere; & cæt. Alia actio eſſe poteſt voto contraria ex parte materiæ, ſeu quoad exequutionem, vt eſt transgreſsio ipſius voti, vt ſi promiſi non donare, & dono, vel ſi promiſi dare talem rem in eleemoſynam, & poſtea vendo illam.

An efficiat verū cõtractum qui cõtra votum contrahit.

Duplex actio voto contraria.

2\. Dico ergo primo: Omnis promiſsio facta contra prius votum validum, & obligans, non ſolum illicita eſt, ſed etiam inualida, & irrita. Probatur primò, quia eſt de re illicita, eſt enim promiſsio de fractione voti, quæ intrinſece mala eſt. Secundo, iuramentum promiſſorium factum contra prius votum non obligat, vt ſupra oſtenſum eſt: ergo multo minus obligabit promiſsio ipſa per ſe ſpectata. Tertio: Votum etiam factum contra prius votum inualidum eſt, & factum contra abſolutam, & validam promiſsionem homini factam inualidum eſt: ergo a fortiori promiſsio humana facta contra prius votum inualida eſt. Antecedens quoad vtramque partem ſupra lib. 2. probatum eſt. Conſequentia vero tenet à fortiori, quia minus poteſt præualere promiſsio facta homini contra promiſsionem factam Deo, quam è contrario. Tandem hac ratione ſponſalia facta contra votum ſimplex Religionis, caſtitatis, aut non nubendi, vel aſſumendi ordinem ſacrum non valent: quia impleri non poſſunt de ſe ſine transgreſsione voti, & ita continent promiſsionem de re illicita. Et eadem ratione promiſsio donandi homini quamcumque aliam rem Deo promiſſam non valet, quia eſt voto contraria. Quod ſi contingat, promiſsionem factã eſſe homini intuitu pietatis, tunc habebit rationem voti, & tunc ſi opus illud cenſeatur maioris pietatis, quam aliud priori voto promiſſum, valere poterit poſterior promiſsio, nõ vt contraria voto, ſed per modũ cõmutationis vnius voti in aliud melius, vt ſupra dictum eſt.

1. Aſſertio. Promiſsio facta contra votum validum inualida, & illicita eſt.

3\. Dico ſecundo: acta contra voti obligationem, & debitam obſeruantiam valida ſunt, licet male fiant. Loquimur de voto præciſe, vt votum eſt, & ex vi obligationis eius, abſtrahendo nunc à ſolennitate voti, & à ſtatutis Eccleſiæ, de quo poſtea, tractando de ſtatu, & de voto ſolenni. Sic ergo intellecta concluſio declaratur exemplis: nam matrimonium contra votum caſtitatis ſimplex validum eſt, licet male fiat, vt habetur in cap. vnico, de Voto in 6. & tractandum eſt late in ſequenti volumine. Item eadem proportione, ſi quis vouit non acceptare donationem ſibi factam, vel Epiſcopatum, aut dignitatem, & ſimilia: & poſtea acceptat, factum tenet, vt eſt per ſe notum. Item probari hoc poteſt ex dictis de iuramento. oſtendimus enim, facta contra illud valida eſſe: obligatio autem voti, & iuramenti quoad hoc æquiparantur. Ratio autem propria eſt, quam eodem loco tetigimus, quia huiuſmodi actus habent valorem, & effectum ex hominis voluntate, quæ potens eſt ad ſe obligandum, ad donandum vel contrahendum, & ſimilia; ſed votum licet obliget ad non vtendum tali poteſtate, non tamen aufert poteſtatem ipſem nec poteſt ita illam ligare, quin poſsit contrarium velle; & efficaciter facere: ergo. Minor declaratur, quia in primis votum non aufert libertatem naturalem ad volendum abſolute contrarium, vt per ſe conſtat. Deinde non priuat hominem materia apta, vt circa illam faciat efficaciter, quod vult, etiamſi non bene faciat. Probatur, quia non obſtante voto, manet homo dominus materiæ promiſſæ: nam qui vouet Deo rem aliquam, non ſtatim illam à ſe abdicat, nec quoad poſſeſsionẽ, nec quoad dominium: ergo ex hac parte tenebit donatio illius, non obſtante voto. Et hanc rationem reddunt communiter Doctores, ob quam matrimonium tenet, non obſtante voto ſimplici caſtitatis: quia votum eſt tantum promiſsio, per quam non abdicat à ſe homo dominium ſui corporis, & ideo traditio illius, quam per matrimoniũ facit, validã eſt, vtpote facta à vero domino, nulla lege irritante, reſiſtente. Hęc autẽ ratio cũ proportione locũ habet in omni ſimili actu, ſeu largitione voto repugnante. Sicut etiã inter homines traditio alicuius rei Petro facta valet, licet prius per contractum fuiſſet Paulo promiſſa, iuxta l. *Quoties*, C. de Rei vindic.

2. Aſſertio. Acta contra voti obligationem & obſeruantiã valida ſunt, licet illicita.

L. Quoties.

4\. Præterea actus contra obſeruantiam voti factus, licet male fiat, non inclinat, nec obligat ad aliquid malum, ſed poteſt conſeruari, & ad vſum applicari ſine vllo peccato, per ſe loquẽdo; ergo etiam ex hac parte poteſt ille actus eſſe validus, id eſt, habere ſuum effectum, quatenus actus humanus eſt, non obſtante malitia, quam contra votũ habet. Sicut ex humana generatione contra votum facta reſultat bonus effectus, filius, ſcilicet, procreatus. Vnde in hoc cernitur differentia inter promiſsionem, & largitionem voto contrariam, quod promiſsio obligat ipſũ promittentem ad agendum contra votum, quod fieri non poteſt: largitio vero ſemel facta non obligat poſtea ad agendũ aliquid contra votum, & ideo ex hac etiam parte valida eſſe poteſt. Denique neq; ex parte perſonæ vouentis cogitari poteſt aliqua inhabilitas, quæ ex voto reſultet, vt ob eam actus poſtea factus validus eſſe nõ poſsit. Quod ita declaro: nã votum non operatur vltra intentionẽ vouẽtis, vt ſæpe dictum, & probatum eſt, ſed vouens v. g. non nubere, non intendit ſe inhabilẽ reddere ad nubendũ, ſed ſolũ intendit promittere, & ſe obligare ad id nõ faciendũ, licet poſsit, & habilis ſit. Et in idẽ redit, quod vouens per ſe, & ex vi voti non intendit irritare ſuas actiones, ſed ſolum ſe obligare ad illas faciẽdas, vel non faciendas; ergo nõ plus facit vouendo.

Differentia inter largitionem, & donationem voto contraria.

5\. Addo vero, quod licet intenderet, & vellet irritare ſuas actiones, non poſſet, niſi perſeuerando in eadem voluntate non faciendi talem actionem. Nã ſi mutat voluntatem per aliam contrariam, eo ipſo deſtruit priorem, & iam vult eſſe ratum, quod nolebat, & poſterior voluntas reuocat priorem, & ita hæc habet effectum. Vt ſi quis nolit contrahere, dum in illa voluntate perſeuerauerit, inhabilis erit ad contrahendum in ſenſu (vt ita dicam) compoſito: nam ſtante illa voluntate impoſsibile eſt facere contractum validum. Tamen ſi voluntatem mutat, iam erit habilis, quantum eſt ex hoc capite. Et ſimiliter licet homo prius abſolute velit, omnem contractum à ſe poſtea factum irritum eſſe, ſi poſtea velit abſolute contractum validũ facere, re vera facit: quia ſemper poſterior voluntas efficax eſt ad reuocandam priorem, nec poteſt homo ſe priuare hac poteſtate, niſi aliunde priuetur, vel niſi per priorem voluntatem rem ita à ſe alienet, vt iam non habeat dominium, vel poteſtatem in illam. Et hac ratione nunquam poteſt Pontifex, gratiam aliquam ita irreuocabilem concedere, quin ab ipſo reuocari poſsit: quia ſemper poteſtas eſt eadem, & poſterior voluntas præualet, ita ergo ſe habet voluntas propria hominis circa ſuos actus, ſi à ſuperiore nõ impeditur. Nullũ ergo excogitari poteſt principium, quare acta contra votum inualida

Molin.

ſint, licet male fiant. Et hanc aſſertionem attigit ex parte Molin. tract. 2. de Iuſt. diſp. 369. §. *Quintum.*

6. *Acta contra votum non ſolum ſunt valida ſed, & etiam firma.*

Ampliatur hęc aſſertio primo, vt huiuſmodi acta non tantum ſint valida, ſed etiam firma, id eſt, ſine vlla obligatione irritandi, vel reuocandi illa ex parte vouentis. Poteſt enim interdum actus non eſſe irritus ipſo facto, eſſe tamen irritabilis, vel irritandus, vt eſt vulgare in legibus, & contractibus humanis. Oſtendimus ergo acta contra votum non eſſe irrita ipſo iure, nunc autem addimus, nec eſſe irritanda, vel retractanda. Loquimurque in conſcientia, & quantum eſt ex intrinſeca obligatione voti: nam alia quæſtio eſt, an talia facta irritabilia ſint, vel irritanda per Eccleſiam, quæ ad præſens non ſpectat, nec ſemper locum habet: ſtatim vero de illa aliquid attingemus. Primo ergo id patet in exemplo de matrimonio contra votum ingrediendi Religionem, eſt enim irreuocabile. Idem eſt in profeſſione facta in religione laxiori contra votum ingrediendi ſtrictiorem, quia non eſt reuocanda, nec manet obligatio tranſeundi ad ſtrictiorem: iuxta cap. *Qui poteſt*, de Regul. in 6. Ad hæc vero exempla dici poteſt, hoc ideo eſſe, quia illi actus matrimonij, & profeſsionis natura ſua ſunt perpetui. Veruntamen idem eſt in quocunque alio genere donationis, vel traditionis, vt ſi quis donauit amico rem promiſſam alteri, donator non tenetur donationem caſſare, Imo nec iure poteſt titulo ſolius voti. Ratio, cur non teneatur eſt, quia id non vouit, neque ad id intendit ſe obligare ex vi talis voti. Et prętcrea addi poteſt non licere, & ideo non poſſe votum ad id obligare. Antecedens probatur, quia illa actio facta eſt cum poteſtate dominij, & cum plena voluntate, vt ſupponitur, & ex parte recipientis eſt acceptata ſine vlla iniuria: ergo nō poteſt donator illam reuocare.

Cap. Qui poteſt.

7. *Acta contra votum ad nullam obligant recompenſationem.*

Ampliatur ſecundo, vt non ſolum talis largitio ſit valida, & firma, ſed etiam vt ex illa nullum relinquatur onus vouenti ad aliquam recompenſationem faciendam pro voto violato. Hoc patet ex dictis cap. 14. vbi oſtenſum eſt, violationem voti non obligare ad aliquam recompenſationem: nam illa regula generalis eſt, vt ibi eſt probatum: ergo etiam in præſenti locum habet. Oportet autem aduertere, aliud eſſe recompenſare votum in eo, quod violatum eſt, aliud implere votum ex parte violatum, in ea parte, quæ reſidua eſt, & ſeruari poteſt. Prius enim dicimus non cadere ſub obligationem, poſterius autem nihilominus cadere poteſt. Contingit enim votum ad plura obligare, & licet in vno violetur, & quoad id nō obliget ad recompenſationē, nihilominus, ad alia obligat, quæ obſeruari poſſunt, nō obſtante priori actione voto contraria, & effectu eius. Sicut ſupra dicebamus de virgine habente abſolutum votum virginitatis, ſi virginitatem perdiderit quo ad eam partem ſolum teneri ad pœnitentiam agendam pro fractione voti, nihilominus ex vi eiuſdem voti teneri ad caſtitatē in poſterum ſeruandam, quia in eo integrum permanſit votum. Sic etiam dicunt Theologi, qui contra votum caſtitatis matrimonium contraxit, & conſummauit, teneri nihilominus ad non petendum debitum, non per modum recompenſationis, ſed per formalem voti obſeruationem, quia eius obligatio durat in eo, in quo impleri poteſt: pro priori autem tranſgreſsione nulla recompenſatio neceſſaria eſt præter pœnitentiam. Item qui contra votum Religionis vxorem duxit, adhuc tenetur non conſummare matrimonium: quia poteſt implere votum, quod de ſe ſemper obligat: ſi autem matrimonium conſummauit, iam non tenetur ad aliquam recompenſationem, ſed ſolum tenetur eſſe in præparatione animi ad implendum votum, quacumque ratione à vinculo, vel ab obligatione matrimonij liberetur.

8. *Acta contra vota realia nil obligant ad recompenſationem licet ſæpe maneat obligatio voti.*

Maxime autem oportet hoc notare pro votis realibus: nam poſt tranſgreſsionem illorum etiam non relinquitur onus recompenſandi, licet interdum, & fortaſſe ſæpius perſeueret obligatio voti, vt in ſimili materia impleatur. Et ideo eſt attente conſiderandum, an votum fiat de tali re ſingulari, & indiuidua, ita vt ad illam ſolam feratur intentio vouentis, vel fiat de aliqua re in genere, ſeu ſecundum valorem, & æſtimationem eius? Quando enim fit hoc poſteriori modo, non obſtante violatione voti, manebit obligatio ad votum, in alia re ſimili implendum, non per recompenſationem, ſed quia obligatio voti non fuit extincta, & poteſt impleri. Vt ſi quis vouit ex præſenti pecunia dare dimidiam partem pauperibus, & poſtea totam illam vane, & prodige conſumit, tenetur nihilominus poſteaquam primum poſsit votum implere ex quacumque alia pecunia, vel re æquiualente, quia votum non fuit extinctum, licet fuerit violatum quoad dilationem. Quia intentio principalis vouentis non fuit limitare promiſsionem ad præſentem pecuniam, ſed fuit de facienda eleemoſyna ſecundum ſe, & ſimpliciter: ad accelerandam autem ſolutionem deſignauit præſentem pecuniam. At vero ſi intentio vouentis limitata fuit ad hanc rem indiuiduam, verbi gratia, hunc ſeruum, hunc equum, hunc calicem, hanc imaginem, &c. licet poſtea violet votum, donando alteri talem rem, non manet obnoxius alicui recompēſationi. Nam obligatio voti extincta eſt, quia non poteſt impleri in illa materia, cum iam res ſit aliena, quia donatio tenuit iuxta dicta, nec extenditur ad aliam, quia intentio vouentis in illa fuit terminata à principio: & ideo non tenetur ad valorem rei tribuendum, quia illud ſolum eſſe poſſet per modum recompenſationis, ad quam votum non obligat.

9. *Aduertendum ad ſupra dicta.*

Duo autem videntur addenda: vnum eſt, regulariter hæc vota fieri priori modo, & ideo ita debere præſumi, & obligari vouentes, niſi vbi vel per expreſſam declarationem, vel ex conditione materiæ, & modo vouendi, ac circumſtantiis conſtiterit, votum eſſe factum poſteriori modo. Quod maxime contingit, quando res, quæ vouetur, non eſt pecunia, nec ex aliis, quæ ſuo vſu ſtatim conſumuntur, vt triticum, & oleum, ſed eſt res permanentior, vt pretioſa mobilia, res ſe mouentes, & interdum etiam immobiles: nam hæc ſolent magis ſecundum propriam rationem, & conditionem, quam ſecundum communem voueri: & ſæpe magna facilitate aliquis vouet aliquam huiuſmodi rem, qui pecuniam, ſeu pretium non promitteret. Aliud addendum occurrit per modum limitationis, quæ mihi videtur valde veriſimilis: nam ſi quis huiuſmodi rem voto promiſſam poſtea vendat, vel cōmutet, videtur mihi teneri ad implendum votum ex pecunia, vel alia re, in quam illam commutauit. Non propter recompenſationem: nam hæc nunquam habet locum: ſed quia veriſimilius eſt, hoc fuiſſe incluſum in voto: nam qui rem talem Deo promiſit, profecto habuit intentionem vouendi Deo omnem eius vtilitatem. Item quia tunc pretiū, vel res alia quaſi ſubrogatur loco alterius, & ita in eam cadit eadem obligatio, quod ſecus eſt, quando omnino alienatur, vel conſumitur. Hoc autem nō eſt certum, quod aliis magis cōſiderādum relinquo, nam in Authoribus non inuenio declaratum: videtur tamē ſatis pium, & probabile, & vtile, ne homines nimiam licentiam aſſumant violandi ſimilia vota.

Aliud aduertendum.

10. *Qui accepit aliquid ob ea, quæ contra votum donat, nō tenetur ad recompēſationem.*

Ampliatur tertio ſecunda aſſertio, vt non ſolum procedat reſpectu vouentis, ſed in votis realibus locum habeat etiam reſpectu aliorum, quibus tales res donantur, aut venduntur. Nam etiam reſpectu illorum contractus, largitio, & ſimilis actio valida eſt, & firma, & ideo poſtea tuta conſcientia rem poſſi-

poſsident, ac retinent, nec tenentur contractum reſcindere, aut rem ipſam, vel aliquid loco illius reſtituere, ſed poſſunt illa libere vti tanquam ſua. Probatur, quia ſi actio fuit valida, recipiens acquiſiuit dominium, & quia fuit firma, non tenetur rem acceptam red dere, vel contractum reſcindere, & conſequenter illa libere vti poteſt. Quia ratione iuſtitiæ non impeditur; vel ad aliquid horum obligatur: nec etiam ratione voti, quia ipſe votum non fecit. Et hoc à fortiori concludit ratio: nam ſi illemet, qui votum fecerat poſt talem tranſgreſsionem ad aliquid horum non obligatur, multo minus obligatur alter, qui votum non fecit.

11. *Qui accipit à donãte contra votum etiamſi peccet non tenetur ad recompenſationem. Auguſt.* Ampliaturque vltimo hoc poſterius dictum, vt locum habeat, etiamſi talis perſona peccauerit, rem talem accipiendo, vel emendo, &c. Poteſt enim alle excuſari à peccato, ſi bona fide rem accipiat, quæ Deo erat voto promiſſa, quia illud ignorabat, vt teſtatur Auguſtin. Epiſtol. 7. & habetur in capit. *Nos nouimus*, 17. quæſtione 2. Et tunc clarum eſt, ad nihil teneri, quia nec ratione acceptionis cum nihil peccauerit, nec ratione rei acceptæ, quia vere, & ſolide illam comparauit, vt oſtenſum eſt. Et à ſimili poteſt optime confirmari ex capite primo, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit, & cæt. Poſſet etiam fortaſſe excuſari à culpa, etiamſi ſciret votum alterius, quando ipſe non induxit ad donandum, vel contrahendum, ſed illi res eſt oblata, vel alter ſe oſtendit paratum: quia tunc non videtur peccare acceptando rem oblatam, quia non inducit alium ad malum, ſed in ſuum commodum bene vtitur malitia alterius. Quamquam hoc mihi ſatis incertum eſt, nam licet ille excuſetur à peccato ſcandali, non tamen videtur excuſari à cooperatione cum alio in fractione voti. Sed hóc parum in præſenti refert, & tractabitur infra diſputando in ſpeciali de voto caſtitatis. Demus ergo illum peccare acceptando, vel etiam inducendó, aut inuitando alium, cum ſciat, eum habere votum, & non poſſe id facere ſine fractione voti, in quo caſu certiſsimum eſt, graue peccatum committere contra Religionem, quia non ſolum eſt cooperator, ſed etiam cauſa fractionis voti, vt ſi quis inducat virginem habentem votum caſtitatis ad matrimonium, vel ſecum, vel cum alio contrahendum, grauiſsime peccat, vt eſt per ſe notum.

12. Dico ergo etiam tunc procedere concluſionem poſitam, & poſt illud peccatum poſſe illum licite retinere rem acceptam, & libere illa vti tanquam ſua. Hoc patet exemplo matrimonij: nam qui ſic deſponſauit ſibi virginem habentem votum, non ſolum dominium corporis eius acquirit: & perpetuo retinet, propter validitatem matrimonij, ſed etiam libere illa vtitur, non ſolum reddendo, ſed etiam exigendo, vt bene notauit Syluest. *Matrimonium*, 7. quæſtione 5. diſt. 6. in fine, & Sanc. libr. 9. de Matrimon. diſput. 33. numer. 2. Et ratio eſt quia ille non obligatur ad non petendum proprio voto caſtitatis, quia illud non habet, vt ſupponitur, nec obligatur voto vxoris, quia votum non obligat niſi vouentem, nec obligatur ratione peccati commiſsi inducendo, vel cooperando ad fractionem voti, quia fractio voti non obligat poſtea ad recompenſationem, ſed ad pœnitentiam etiam ipſum vouentem: ergo multo minus obligabit cooperantem, vel inducentem. Idem ergo dicendum eſt in voto reali, quando quis rem voto promiſſam alteri donauit, qui forte peccauit vel petendo, vel accipiendo illam: nam poſt illam acceptam ad nullum onus obligatur, niſi ad pœnitentiam. Probatur, quia ſi votum ibi fuit extinctum, principalis vouens, & proprius fractor voti ad nihil obligatur; ergo nec alter, qui ſolũ fuit cooperator, vel inductor: ſi vero votũ adhuc obligat, quia nõ erat limitatum ad rem illam numero, obligabit ſolũ vouentem non alium.

Syluest. Sanc.

Duæ vero circa hoc occurrunt difficultates: vna eſt, quia (licet regula Iuris Ciuilis ſit, vt quando eadem res duobus diſtrahitur, ille eã retineat, cui primum tradita eſt, ſeu qui primis illam poſsidere incœpit) L. *Quoties*, C. de Rei vendit. Nihilominus hæc regula non habet locum in ſpiritualibus, iuxta capit. *Si tibi abſenti*, de Præben. in 6. ſed votum ſpirituale quid eſt; ergo in illo non habet locum regula Iuris Ciuilis, ſed Canonici, quæ habet collationem beneficij abſenti factam ab Epiſcopo non poſſe fieri alteri, ante elapſum terminum priori conſtitutum ad acceptandum, & ſi fiat nullius eſſe momenti; homini etiam in præſenti collatio facta poſt promiſsionem Deo factam non valet. Maxime cum Deus non ſit abſens, ſed ſtatim acceptet. Accedit, quod licet per contractum non ſoleat trãsferri dominium ante traditionem rei, iuxta Leg. *Traditionibus*, C. de Pactis; nihilominus Eccleſiæ, ſeu potius Deo acquiritur, iuxta Leg. *Vt inter*, C. de Sacroſ. Eccleſijs; ergo per votum etiam transfertur dominium, & conſequenter omnis contraria traditio inualida eſt. Et hoc maxime vrget, quando votum reale de re certa factum eſt. Nam vt dicitur in Leg. 2. ff. de Pollicit. decima voto promiſſa non deſinit eſſe in bonis vouentis, donec ſeparetur, vtique propter confuſionem, & incertitudinem: ergo è contrario ſi res promiſſa fuit certa, ac ſeparata, eo ipſo, quod vota eſt, deſinit eſſe in bonis; ergo ſi poſtea aliter de illa vouens diſponat, diſpoſitio non tenet. 13. *Duplex difficultas cõtra doctri. L. Quoties. C Si tibi abſenti. L. Traditionibus. Leg. Vt inter.*

Et confirmatur, quia ob hanc cauſam per votum reale cenſetur ius acquiri Eccleſiæ, propter quod cogi poteſt vouens ad illud implẽdum; ergo quidquid ſit contrarium tali voto, eſt irritum, & inane. Antecedens videtur poſſe ſumi ex cap. *Ex parte*, de Cenſi. vt ibi ſentit Abb. in princip. citãs cap. *Scimus*, 12. quæſt. 1. ex quo nihil colligitur: aliquid vero indicat ibi Gloſſa 1. Item Abb. in capit. *Quod ſuper*, de Voto numer. 2. & in cap. *Rurſus*, Qui Clerici, vel vouen. numer. 4. Clarius id tradit Sarmient. de Redit. Eccleſi. part. 4. capit. 3. nu. 3. & 6. vbi ait, ex voto ſpeciali acquiri ius, & actionem ipſo iure loco, cui ſit, iuxta Leg. 2. cum Gloſſa ff. de Pollicit. Tandem augetur difficultas, quia licet daremus regulam legis, *Quoties*, habere locum in ſpiritualibus, nihilominus ſolum haberet locum, quando quis bona fide accipit rem Deo promiſſam à conferente illam contra obligationem voti. Ita enim limitant legem illam etiam in contractibus humanis multi Iuriſtæ, quos refert, & ſequitur Couarruuias lib. 2. Variar. cap. 19. numer. 5. Et videtur rationi conſentaneum, quia ſi mala fide quis accipiat, facit iniuriam priori emptori, ſeu creditori: ergo eadem limitatio erit in præſenti adhibenda, quod eſt contra dicta. 14. *Cap. Ex parte. Abb. Sarmient. Couar.*

Ad primam partem huius difficultatis reſpondeti poteſt primò, negando ſecundam conſequentiam, quidquid ſit de toto antecedente. Et ratio eſt, quia votum non habet vim actualis collationis, ſeu donationis, ſed tantum promiſsionis de futuro: & ideo etiamſi ſit à Deo acceptata, non priuat vouentem dominio, & abſoluta poteſtate vtendi re ſua: ſolum obligat illum, ne illa vtatur, niſi tali modo, vel in talem vſum. Quod ſi ille rumpat hanc obligationem, & liberius de illa re diſponat, factum tenet, licet ipſe peccet: nam vſus rei propriæ non eſt inualidus, licet ſit iniuſtus, niſi vel vbi dominium eſt diminutum, vel lex irritat actum. Deinde dicitur, regulam illam capituli *Si tibi abſenti*, non eſſe extendendam ad omnia ſpiritualia; ſed eſſe peculiarem in beneficiorum collatione, in qua lata eſt: vt bene notauit Barboſa in Rubr. ff. Solut. Matrim. p. 2. n. 83. & ſenſit etiam Couar. li. 3. Variar. ca. 16. nu. primo. Et ratio reddi poteſt, quia nullibi in Iure ſit illa extenſio ad omnia ſpiritualia, & ideo ſpecialis diſpoſitio odioſa non eſt extendenda contra gene- 15. *1. Reſponſio ad primam partem primæ difficultatis. Barboſa. Couar.*

Digitized by Google

ralem regulam. Ratio autem ſpecialis in beneficiis redditur à Barboſa, quia in beneficij collatione non transfertur dominium, ſed manet ſemper apud Chriſtum, & homini conceditur adminiſtrandi ius. Sed non placet, tum quia verius fortaſſe eſt, beneficiatum eſſe dominum ſui beneficij, tum etiam quia (vt tollatur quæſtio de modo loquendi) de illo iure adminiſtrandi, eadem redit quæſtio, cur in illo acquirendo non præferatur, qui acceptauit illud, & in poſſeſsionem miſſus eſt. Alia ergo ratio eſt, quia Epiſcopus conferens beneficium abſenti, non donat rem ſuam, ſed eſt publicus diſpenſator, qui iam functus eſt officio ſuo, & ideo non permittitur illi, vt collationem mutet, donec alius reſpondeat. Ita Couar. ſupra cum aliis, & eſt optima congruentia, & maxime decens. Et ita ibi locum etiam habet regula Iuris *Quod ſemel placuit*, &c. Illud ergo lege Canonica firmatum eſt, quia ad publicam beneficiorum diſpenſationem, & adminiſtrationem decebat: ſecus vero eſt in donationibus, quas vnuſquiſque facit de bonis ſuis, vt notant Bartol. Palud. Caſtren. & alij in L. *Abſenti*, ff. de Donat. Et quoad hoc idem eſt in ſpiritualibus, vt patet in profeſsione Religionis: quia licet quis ſe offerat alicui Religioni, non ſolum per modum promiſsionis, ſed etiam donationis ex parte ſua, donec realiter ſe tradat, & acceptetur, non acquiritur ius Religioni, & ſi alteri ſe tradat, tenebit factum, argumento cap. vnic. de Voto in 6. Multo ergo magis hoc procedit in voto ſimplici, ſeu puro, quod eſt tantum promiſsio.

Bart. Palud. Caſt.

16. *Reſpondetur ad confirmationē. Leg. Vt inter.* Vnde ad primam confirmationem negatur conſequentia, dato antecedente, quia illud procedit in donationibus legatis, & contractibus factis cum Eccleſijs, & locis piis, de quibus loquitur d. L. *Vt inter*: nam in illa materia diſponit lex ciuilis, & priuilegium Eccleſiæ concedit, non in voto puro, quod non continet contractum per modum donationis, ſed ſolius promiſsionis Deo factæ. Vt autem ſatisfaciamus aliis partibus illius confirmationis oportet ex ſupra dictis aduertere, votum reale factum Deo interdum eſſe ſolum, & purum; interdum habere promiſsionem humanā adiunctam, vt quādo promitto Eccleſiæ calicem, & voueo Deo illud implere. Quando ergo votum fit priori modo, non ſolum vouens non admittit dominium rei ſuæ, ſiue votum fuerit de re incerta, ſiue de re determinata, & ſeparata ab aliis, verum etiam nec ex vi illius voti aliquod ius acquiritur alicui homini, vel loco pio, vt rectè notauit Caietan. tom. 2. Opuſc. tract. 11. q. 3. Et patet, quia non eſt promiſsio facta homini, vel Eccleſiæ: ergo non eſt vnde oriatur obligatio reſpectu illius. Item quia ſi quis vouit dare eleemoſynam pauperibus, nullum ius inde accquirunt pauperes, nec obligatio vouentis terminatur ad illos. Et de huiuſcemodi votis hic loquimur: nam alia promiſſio, quæ interdum fit homini, quaſi per accidens ſe habet, vel ad ſummum vt materia voti. Sic autem euidens eſt, rem voto promiſſam Deo, non transferri in aliquem alium quoad dominium, nec ſeparari à bonis vouentis: quo ſenſu dictum eſt in d. L. 2. de Pollicit. illam non fieri ſacram. Et ita quod ibi dicitur de decima promiſſa, non ſolum procedit propter incertitudinem, ſed etiam propter naturam promiſsionis puræ, quæ ad hoc ſatis eſt, vt notauit Petrus Andr. Gammar. tract. de Extenſionibus, num. 105. tom. 18. De alia vero promiſsione, quæ interdum fit Eccleſiæ ex aliis principiis iudicandum eſt. Tamen de illa etiam certum eſt, quod licet per eam acquiratur aliquod ius Eccleſiæ, non tamen poteſt acquiri dominium, quia non eſt facta donatio, ſed promiſsio tantum, vt ſupponimus. Vnde etiam illa promiſsio non obſtat, quominus donatio alteri facta à vero domino, valida ſit, ſicut eſt matrimonium validum, etiamſi fiat vel poſt votum Religionis Deo factum, vel etiam poſt promiſsionem de futuro factam ipſi Religioni. Idem ergo eſt in quacumque promiſsione alterius rei ſiue certæ, ſiue incertæ, vt etiam notauit Molin. ſupra.

Caiet.

Pet. And.

17. *Fit ſatis alteri confirmationi.* Ad alteram vero confirmationem, quod Eccleſia poteſt cogere homines ad hæc vota implenda, reſpondetur, ſi ſupponatur cum voto promiſsio facta Eccleſiæ, ratione illius datur fortaſſe actio ipſi Eccleſiæ, vt poſsit exigere obligationem ſibi factam. Idemque eſt, ſi cum voto adiungatur conſuetudo ſoluendi, quæ iam tranſierit in præſcriptionem, & hoc titulo exigunt ſæpe Eccleſiæ vota, & obligationes, vt ſupra tetigi tract. ſecundo. Hoc vero ad præſens nihil refert, vt dixi, & notauit Caiet. ſupra. Loquendo vero de Voto puro, cum eodem Caietan. reſpondetur, Prælatum Eccleſiæ non poſſe cogere ſubditum ad votum implendum quaſi exigendo proprium ius, ſed vel exigendo ius Dei, cuius ipſe vices gerit, & cui commiſſa eſt adminiſtratio bonorum, ſeu iurium ad Deum pertinentium, vel cogendo ſubditum, vt ſeruet præceptum Diuinū de reddendis Deo votis. Vnde in ſimili caſu, particularis perſona, vel Eccleſia, in cuius vtilitatem redundat executio talis voti realis, non poteſt agere contra vouentem, tanquam habens aliquod ius contra illum, ſed poteſt apud Prælatum agere, implorando officium illius. Et in hoc ſenſu intelligenda ſunt dicta Iuriſtarum, alioqui illa non admittimus cum Caiet. ſupra. Sicut etiam de iuramento per ſe ſtante in ſuperioribus dictum eſt. Ex hoc autem ſenſu nihil ſequitur contra aſſertionem poſitam, ſi aduertamus, hanc coactionem, vel exigentiam voti proprie habere locum, quando res eſt integra, & vouēs poteſt implere votum cuius obligatio durat. At vero ſi de re promiſſa iam diſpoſuit, & voti obligatio extincta eſt, in rigore nō poterit obligari ad votum implendum, ſed per modum pœnæ cogi ad recompēſationem aliquam faciendam, licet ipſe per ſe, & in conſcientia illam facere non teneretur: quia propter tranſgreſsionem commiſſam poteſt ab Eccleſiæ Prælatus illo modo puniri.

Ad vltimam confirmationem, primo incerta eſt illa ſententia in foro conſcientiæ ſtando, nimirum (ſecundum emptorem emendo rem prius emptam ab alio, & mala fide illam actu recipiendo, vt alium præueniat teneri in conſcientia, ad reſcindendam ſuam emptionem, & tradendam rem priori emptori, recuperato pretio, fortaſſe enim neutrum eſt verum, per ſe loquendo, & ſecluſo alio nocumento inde reſultante, quidquid ſit, an per iudicem cogi poſſit ad reſcindendum contractum, ſi de mala fide, & ſcientia prioris venditionis conuincatur. Et multo magis incerta erit talis obligatio, quando nō donatio, aut venditio, ſed pura promiſsio præceſſit. Sed omiſſa diſputatione illa pro materia de Iuſtitia, in præſenti negatur conſequentia: nam ibi ratione malæ fidei cōmittitur aliqua iniuſtitia reſpectu hominis, ex tali autem iniuſtitia ſequi ſolet obligatio reſtituendi, quæ fortaſſe etiam in illo caſu locum habet. At in præſenti ex mala fide ſolū ſequitur cooperatio ad fractionem voti, ex qua non ſequitur obligatio ad recompenſationem, vt oſtenſum eſt. 18.

Secunda difficultas eſt, quam ſupra huc remiſi: nam ex dictis ſequi videtur, in eo caſu, in quo teſtator habens votum reale expreſſe declarat, ſe nolle obligare hæredem ad illud implendum, hæredem non obligari, & ideo merito dubitamus, an hoc ſit admittendum, vel quæ ratio diuerſitatis aſsignanda ſit? Sequela patet, quia eſto, illa voluntas teſtatoris ſit contra votum, nihilominus valida erit, & factum per illam tenebit, iuxta reſoluta in hoc capite; ergo non eſt, vnde hęres maneat obligatus. Probatur hęc vltima conſequentia, tum quia teſtator eſt potens ad non onerandum illum, & hoc vult efficaciter; ergo facit, quia votum licet prohibeat illi tale factū, non irritat illud: tum etiam quia formalis obligatio 19.

voti,

Digitized by Google

voti, mortuo teſtatore, extinguntur, quia erat pure perſonalis, vnde ex vi illius non obligatur hæres: ſimiliter voti tranſgreſsio fuit à teſtatore conſummata per illam iniquam voluntatem, & perſeuerãtiam eius vſque ad mortem, & ex illa tranſgreſsione non naſcitur obligatio ad aliquam recompenſationem, vt definitum etiam eſt; ergo non eſt vnde ad hæredes tranſeat talis obligatio. Quia hęreditas, ſeu bona ipſa per ſe non ſufficiunt, quia non erant affecta illo onere quaſi reali, vt patet, quia ſi transferantur per donationem, aut venditionem, aut quocumque alio modo, non deferunt ſecum illud onus. Præterea eſt valde apparens ratio; quia ſi teſtator mortuus eſt in illa volũtate, etiamſi poſtea hęres faciat, quod alter vouerat, non implet votum eius; ergo non tenetur id facere. Conſequentia eſt clara, quia ſolum poteſt hęres obligari ad votum implẽdum. Antecedens autem probatur, quia non poteſt aliquis implere votum per alium contra voluntatem ſuam: nam vt votum per alium impleatur, oportet, vt alius agat nomine vouentis, & quaſi deputatus ab illo tanquam miniſter, quod repugnat, quando alter non vult.

20. *Authoris iudicium in hac difficultate.* In hac difficultate mihi eſt res dubia, & ideo aliis cogitandam, & definiendam illam relinquo. Nam rationes factæ, apud me valde ſuadent hanc partem. Quæ non videtur eſſe aliena à mente Authorum. Nam cum dicunt teneri hæredem ad perſoluenda vota defuncti, fundant hanc obligationem in quaſi contractu inter ipſum, & teſtatorem, vt patet ex Abb. in c. *Licet*, de Voto, in fine, Aug. *Votũ*, 3. n. 8. Sylueſt. *Votum*, 3. qu. 11. d. 4. (*Abb. Angel. Syluest.*) Alij vero expreſsius fundant hanc obligationem hæredis in voluntate expreſſa, vel tacita teſtatoris, quia vel præcipit ſua vota impleri, in teſtamento, vt in cap. *Si hæredes*, de Teſtamen. aut verbo, vt in capit. *Licet*, de Voto, vbi nulla ſit mentio teſtamenti, vt ibi notat Panor. n. 5. (*Cap. Si hæredes. C. Licet. Panor.*) aut quia nihil in hoc diſponit, & eo ipſo, quod non reuocauit, cenſetur perſeuerare in priori voluntate, argumẽto L. *Cum hic ſtatus*, §. 1. ff. de Donat. inter virum, & vxor. (*L. Cum hic ſtatus.*) quod maxime debet præſumi in voluntate implendi tale votum, vtpote ad ſalutem neceſſaria. Ergo à contrario, ſi conſtet, non fuiſſe hanc voluntatem defunctis ceſſat ratio obligationis in hærede ex mente ipſorum Authorum. Caſus autem hic vix videtur eſſe moralis, & ideo prætermiſſus videtur ab his Authoribus.

21. *Aliorum opinatio.* Nihilominus contrarium videntur ſentire alij Authores, qui hanc obligationem fundant in generali obligatione, quam hæres habet ad ſoluenda debita defuncti æquiparãdo vota aliis debitis humanis, vt Palud. 4. d. 38. q. 3. & Abul. in c. 30. Num. q. 98. & ſuper 3. Reg. c. 15. q. 20. (*Palud. Abul.*) vbi expreſſe proponit hanc quæſtionem, & ita illam definit. Habet tamen falſum fundamentum, ſcilicet quod per votum amittitur dominium rei promiſſæ, ſola poſſeſsione retenta, quod eſſe falſum ſupra dictum eſt, vt in voto Religionis, & caſtitatis eſt manifeſtum. Alij ergo hanc obligationem fundant in c. 1. de Solution. & ſimilibus. Videntur ergo ſentire, ſicut hæres tenetur ad alia debita, etiamſi teſtator nolit hoc imponere onus; ita etiam teneri ſoluere vota realia. Accedit L. 2. de Pollicit. quæ abſolute, & ſine reſtrictione dicit; *Voti obligationem ad hæredem tranſire*: quæ verba non ſignificant, poſſe talem obligationem imponi à defuncto, ſed ipſo iure tranſire, & cum lex illa indiſtincte loquatur, non videtur à nobis limitanda. Præſertim cum cauſa Religionis, & pietatis extendenda ſit potius, quam coarctanda, & nullus fauor dandus ſit prauæ voluntati teſtatoris.

22. *Reſolutio difficultatis ſupra poſitæ.* Propter quæ, & propter alia, quæ ſupra c. 10. inſinuaui, ego in hanc partem propenſus ſum: eſt enim ſecurior, & videtur valde conſentanea rationi, licet difficile ſit obiectioni factæ ſatis facere. Poſſet vero dici, eſſe ſpecialem rationẽ in hærede, quia ſimpliciter ſuccedit loco defuncti, & occupat vniuerſaliter bona eius. Quia vero hoc non ſatisfacit ſtando in puro iure naturali, addi poteſt, hunc caſum excipi, vt in eo voluntas teſtatoris non ſit efficax: quia obligatio illius voti non tranſit in hæredẽ ex ſola voluntate illius, vt imponentis tale onus, ſed etiam ex virtute, & adminiculo legis id ſtatuentis in fauorem Religionis, & (vt ita dicam) ipſius Dei. Magis autem hoc ſtatuit lex in hærede, quam in aliis donatarijs, vel quia voluit cogere teſtatorem, vt ſaltem in morte votum impleat, nec poſsit libere de bonis ſuis teſtari, niſi cum illo onere; vel quia hæres magis repręſentat defunctum, & quaſi vnus cum illo reputatur: vel quia hæreditas per ſe complectitur omnia bona defuncti, ex quibus debita illius ſoluenda ſunt.

Vnde non dubito, quin etiam in particulari caſu, quem tractamus, non obſtante illa praua diſpoſitione teſtatoris, poſsit hæres per legitimum iudicem cogi ad ſoluenda vota defuncti, ſi certo conſtet, & emiſiſſe illa, & non impleuiſſe. Tum propter diſpoſitionem Iurium, tum etiam quia viuentem cogere poſſet Prælatus ad votum implendum; ergo etiam poteſt cogere illum in rebus ſuis, quia moraliter perinde eſt. An vero in conſcientia teneatur hæres in rigore in eo caſu, res dubia eſt. Maxime vero poſſet hęres conformari priori ſententiæ, quando probabiliter præſumere poſſet, teſtatorem per illam diſpoſitionem voluiſſe declarare, vel nõ fuiſſe votum, vel iam impleuiſſe illud, vel à principio feciſſe illud ſub conditione, vt non tranſiret ad hæredes iuxta dicta in capit. 10. Vbi autem talis præſumptio non haberet locum, & conſtaret de iniquitate diſpoſitionis, ſecurius eſt poſteriori ſententiæ adhærere: imo practice neceſſarium, quia nullus Author contrarium aſſeruit, & quia in his rebus, quod in foro exteriori præciperetur, eſt per ſe, & in conſcientia neceſſarium.

CAPVT XVII.

Vota conditionata quando, & quomodo obligent.

QVoniam conditionata vota aliquid peculiare habent in modo obligandi, ideo de illis in particulari dicere, neceſſe eſt. Supponimus autem primo, omne votum aliquas inuoluere conditiones generales, non tamen propterea omne votum conditionatum eſſe. *Aliquas conditiones generales includi in omni voto.* Vtrumque explicandum eſt cum proportione, ad ea, quæ de iuramento diximus ſuperiori tract. lib. 2. c. 27. Primo enim in omni voto includuntur conditiones generales, quæ ad tres reuocantur. Vna eſt, *Si potuero*, in qua includitur, quod res non mutentur notabiliter, quæ conditio in ſequentibus eſt late explicanda. Altera conditio eſt, *Si mihi licuerit*, vbi inuoluitur quamdiu licuerit, vel quamdiu Deo placuerit, quæ conditio ex dictis in libr. 1. ſatis explicata eſt. Tertia eſt, *Si ſuperior non abſtulerit obligationem*, quæ in libr. 6. tractanda eſt. Prima conditio ſumitur à ſimili, capit. *Querelam*, & capit. *Quemadmodum*, de Iureiur. & notatur ab Authoribus in cap. *Quod ſuper his*, de Voto, & conſtat ex illo principio, quod nemo obligatur ad impoſsibile. *Cap. Querelam. C. Quemadmodum. Cap. Quod ſuper his.* Secunda ſumitur ex c. *Scriptura*, de Voto, & fundatur: tum quia votum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, tum etiam quia Deo non placet ſtulta promiſsio: *Cap. Scriptura.* tum denique quia votum non obligat, niſi prout à Deo acceptatur, non acceptatur autem, niſi pro his, quæ ſunt ſecundum beneplacitum eius. Vltima conditio habetur ex c. 1. c. *Non eſt*, cum aliis de Voto. *Cap. Non eſt.* Et ita in his conditionibus omnes conueniunt, vt videri poteſt in Panormit. & alijs circa eadem Iura. *Panor.* Quod autem hæ conditiones non faciant votum eſſe conditionatũ, etiamſi exprimãtur, patet ex dictis ſupra de Iuramento, vbi Iura, & Doctores allegauimus.

allegauimus. Ratio vero eſt, quia hæ conditiones non ſunt ad ſuſpendendam voti obligationem, ſeu exequutionem, ſed præſupponuntur potius, vt votum debitas conditiones, & cauſas habere poſsit, & ideo licet votum omnes illas conditiones includat, poterit eſſe abſolutum, niſi aliqua ſpecialis addatur, quæ obligationem eius aliquo modo ſuſpendat: & hęc eſt propria differentia inter conditionatum votum, & abſolutum.

2.
Votum cõditionatũ non obligat ante impletam conditionem p. ſt illam vero ſtatim.

Ex hac ergo differentia videntur duo concludi: vnum eſt, votum conditionatum non obligare ante impletam conditionem; aliud eſt, impleta conditione, ſtatim incipere obligare. Quæ duo communi conſenſu omnium videntur recepta. Ratio autem prioris aſſertionis eſt, quia conditionalis nihil ponit in eſſe, quamdiu conditio non ponitur. Item quia conditio additur ad ſuſpendendam obligationem: ergo quamdiu non impletur conditio, obligatio non cogit, quia hoc eſt, eſſe ſuſpenſam. Ratio autem alterius partis eſt, quia conditionalis, impleta conditione, tranſit in abſolutam. Item quia obligatio deſinit eſſe ſuſpenſa. Et ita votum conditionatum, poſt impletam conditionem, perinde ac abſolutum reputatur. Vnde omnia dicta de obligatione voti abſoluti in eo locum habent.

3.
Solum poteſt quis interrogare, an hæc pars intelligenda etiam ſit de votis pœnalibus? Nam Catherin. contra Caiet. dixit, votum hoc, *Si tale peccatum commiſero, promitto ingredi Religionem*, non obligare etiam poſt impletam conditionem. Sed eſt falſa, & abſurda ſententia, doctrina ergo generalis eſt quoad abſolutam obligationem, quia illud votum pœnale à principio validum fuit, quia eſt de re honeſta, & non impediente maius bonum, & cum ſufficiente libertate ſit, vt ſupponitur; ergo à principio fuit votum validum, vt ſupra etiam oſtenſum eſt; ergo inducit obligationem. Et hic eſt communis conſenſus Doctorum Caiet. d.q.88.ar.2.& Sum. ver. *Votum*, c. 2. & alij Theolog. comuniter in 4.d. 38.Dur.in 3. d.39.q.4.Hen. Quodlib.8.q.23.Syluest. ver. *Votum*, 2. q. 2. & alio Summiſta ibi Sot.li. 7. de Iuſt.q.2.artic.1. & q. 4.artic.3. Cordu.in Sum.q.152. & Couar. ſpecialiter impugnat Catherin. in capit. *Quamuis pactum*, 1. p. §.3.n. vlt.& Viual.3.p. Candelab.c.14.n.45. & 47. & in lib. 6. videbimus, omnes Doctores ſupponere hæc vota obligare, niſi diſpenſentur. Solumq; aſsignant in illis aliquam differentiam in ordine ad diſpenſationem, vel commutationem, de qua ibi dicemus.

4.
Obiectio.

Circa priorem autem partem occurrit difficultas: nam votum conditionatum ſtatim ac fit, & ante impletam conditionem, eſt verum votum; ergo neceſſe eſt, vt ſtatim obliget. Antecedens ab omnibus ſupponitur, & patet, quia eſt vera promiſsio, & quia ſine nouo conſenſu inducit obligationem, impleta conditione. Conſequentia vero probatur; quia obligatio eſt quaſi formalis effectus voti: vnde non poteſt ab eo ſeparari, illo exiſtente, vel ſi dicatur eſſe effectus in genere cauſæ efficientis, etiam hoc modo non liberè, ſed naturaliter fit. Vnde non poteſt à vouente impediri.

5.
Solutio.

Hæc ratio conuincit, commune illud dictum, *conditionem non impletam ſuſpendere obligationem voti conditionati*, non eſſe intelligendam de omni obligatione, ſed de illa, quæ poſtulat actualem exequutionem actus promiſsi. Vnde hic applicari poteſt diſtinctio ſupra data de obligatione, quæ ſtatim imponitur, & pro ſtatim. Votum enim conditionatum ſtatim obligationem imponit, vt ratio facta probat, quia tunc vere fit, ſed non obligat pro ſtatim, ſed pro eo tẽpore, in quo fuerit impleta conditio: quia quoad hoc ſuſpendit conditio obligationem vſque ad illud tempus. Declaratur tandem, quia votum non dicitur cõditionatum ſubiectiue (vt ſic dicam) ſed obiectiue, ſeu non ex parte actus promittendi: nam ſi hoc modo eſſet conditionatum, non fieret tunc votum, ſed diceretur, vel ſtatueretur faciendum, impleta conditione. Vt cum quis intra ſe ſtatuit, ſi Petro videbitur, ego voueam virginitatem, nondum vouet, ſed proponit vouerè, ſi alteri videatur, & nondum obligatur ad aliquid: & licet poſtea, impleta conditione, non voueat, non erit voti violator, quia nondum vouerat, ſed erit inconſtans in propoſito. Ad votum ergo conditionatum neceſſe eſt, vt votum ſtatim fiat: vnde quoad poſitionem actus promittendi (vt ſic dicam) abſolutum eſt votum, quia abſolute fit: conditio ergo ex parte obiecti, ſeu actus promiſsi intelligenda eſt; ergo tale votum, eo modo, quo abſolute fit, ſtatim obligat: eo autem modo, quo actus promittitur ſub conditione, habet ſuſpenſam obligationem, donec impleatur conditio. Imo hic etiam eſt conſiderãdum, duobus modis poſſe conditionem apponi etiam ex parte actus promiſsi. Vno modo ſimpliciter quoad exequutionem eius, vt promitto ingredi Religionem, ſi pater conſenſerit, & hoc eſt propriiſsime conditionatum votum. Alio modo poteſt conditio apponi veluti quoad durationem, vel firmitatem, vt cum quis vouet non nubere, niſi pater præceperit: nam tunc ſtatim obligat votum, & pro ſtatim: vnde quoad hoc in rigore eſt abſolutum. Eſt tamen non omnino firmum, & conditionatum quoad durationem, & quoad hoc ſequitur naturam voti conditionati, & ad illud applicari cum porportione poterunt, quę dicemus de priori voto ſimpliciter conditionato.

Quibus modis apponi poſſit cõditio in voto.

5.
Ad quid obliget votũ conditionatum dum non impletur conditio.

De illo ergo ſupereſt explicandum ad quid obliget tale votum, dum non impletur conditio: duo enim ſunt, in quæ poteſt cadere illa obligatio, ſcilicet conditio, & actus ſub conditione promiſſus. Et quantum ad actum, dicendum eſt obligare ad propoſitum, ſeu animi præparationem de actu illo faciendo, ſi conditio impleatur. Quia reſpectu illius non poteſt intelligi alia obligatio, cum de actuali exequutione non ſit: illa eſt neceſſaria, quia diſpoſitio voluntatis contraria repugnaret tali voto. Ad implendam autem hanc obligationem ſufficit feciſſe votum cum illo propoſito, & intentione, & poſtea nunquam habere propoſitum contrarium, quia hoc ſatis eſt, vt virtualis volũtas maneat, & repetitio formalium actuum non cadit ſub obligationem, niſi ſpecialiter promiſſa ſit. Ad hoc etiam propoſitum ſpectat, vt quamdiu conditio pendet, homo non ſe reddat inhabilem, ſeu impotentem ad implendum votum: quia hoc manifeſte eſt contra dubium propoſitum implẽdi votum pro caſu promiſſo. Quod peccatũ grauius, & clarius eſt, quando ex directa intentione excuſandi obligationem voti hoc fit. Idem autem erit quomodocumque id fiat voluntariè, & præuidendo impedimentum, & ſine rationabili excuſatione, iuxta ſuperius dicta. Vnde recte dixit Abulen.q.110.in c.30.Num.eum, qui votum conditionale emiſit, debere ſe talem cuſtodire, vt veniente conditione, votum implere poſsit.

Abulen.

6.
An vouens teneatur non impedire cõditionis euentum vt votũ impleat & ſi impediat an illud violet.

Quantum autem ad cõditionem, qua ſit votum, difficultas eſt, An homo ex voto teneatur, non impedire conditionis euentum, & conſequenter an violet votum, illam impediendo, ac denique an ſi ob culpam vouentis conditio non impleatur, votum nihilominus obliget? De quo puncto varię ſunt ſententiæ. Prima affirmat contra votum peccare, qui impedit, vel procurat ne conditio impleatur. Secundo addit, ſi ob eam cauſam cõditio non eueniat, teneri nihilominus vouentem ad votum implendum. Ita Richar. in quarto d.38.art.5.q.3. Supplemen. ibi q.1. artic.3. concluſ.2. Angel. *Votum*, 1.n. 10. Tabien. *Votum*.2.n.2. Prior pars non probatur à dictis Authoribus, ſed ſupponitur vt clara; tum quia contra obligationem voti eſt, procurare, ne impleatur, ſed hoc facit, qui procurat, vt conditio non impleatur;

1 Sententia. Richard. Suppl. Angel. Tabien.

pleat [illegible] ergo tum etiam quia ille fraudulenter vi[illegible] agere, at ſi, binde contra fidelitatem ex voto de[illegible] dum [illegible], quia votum conditionatum ſtatim inducit aliquam [illegible]tionem; ergo maxime [illegible], ſcilicet fideliter expectare conditionem, & [illegible] imponere, alias [illegible] eſſet votum, & [illegible]. Poſterius autem dictum probat [illegible] ſub conditione, remittens [illegible] nem, non minus obligatur, quam ſi [illegible] impleta; ſed qui voluntarie impedit conditionem, illam remittit ſaltem æquivalenter: ergo obligatur. Confirmat ex capit. *Sicut ex* [illegible] *de Sponſal.* ubi *Si per eum non ſtetit.* Ex quo verbo [illegible] contrario ſenſu colligit, quod ſi per eum ſtetiſſet, obligaretur: ſed quando quis impedit conditionem, per eum ſtat, ergo obligatur.

Cap. Sicut ex termini.

9.

[illegible] o inferunt hi Authores, ſi quis fecit votum ingrediendi Religionem, ſi a tali peccato præſeruetur, [illegible] poſtea non faciat, quod in ſe eſt ad vitandum illud, [illegible] ideo illud committat, nihilominus teneri ad [illegible]. Quod Richa. limitare videtur, quando [illegible] intentione illud committit, ne voto obligetur, quia non debet illi fraus & dolus patrocinari. Et ita intelligit, & ſequitur Nauarr. cap. 12. n. [illegible] 42. Angel. [illegible] 2. de Voto artic. 2. difficult. 17. dub. 8. Palud. etiam in 3. d. 38. diſput. 1. licet prius abſolute [illegible] ſententiam Richardi, tandem in dubio 3. poſt concl. 5. cum hac limitatione illam amplectitur. Supplemen. vero generaliter videtur ſentire, ſi ſua culpa cadit, obligari: quia ſua culpa non impletur conditio. Et idem ſentiunt Tabien. & Angel. dicentes: [illegible] *ſi voluntarie ſe præcipitaret.* Quæ verba habet etiam Sylueſter, *Votum,* 2. quæſtione 2. diſt. 2. nec differt [illegible] ſententia Richardi, ſed limitat illam, niſi conſtet [illegible] fuiſſe intentionem vouentis.

Nauar. Angl. Palu.

Sylueſt.

8.

In hoc vero puncto duo ſunt diſtincte tractanda, quæ iam [illegible] ſunt. Primum, quando in hoc peccetur contra votum: ſecundum quæ obligatio maneat poſt tale peccatum. In neutro autem puncto [illegible] generalis regula tradi, præter [illegible] intentione vouentis, quam poſuit Sylueſter, [illegible] non eſt ſpecialis, nec diſtincte [illegible] ſunt conditiones, [illegible] da eſſe [illegible] in [illegible] aliquando [illegible] ius voluntate [illegible] pendet ex cauſis naturalibus. Item ſub conditione [illegible] generis [illegible] ſolet fieri votum, vnum eſt pœnale, vt ſi [illegible] commiſero, illud faciam. Aliud vocare poſſumus gratitudinis, ſeu gratiarũ actionis, vt ſi hoc peccatum vitauero, Religionem ingrediar, vel quid ſimile. Tertium genus vocare poſſumus pure conditionale, vt ſi venero, vel abiero, hoc faciam, ibi [illegible] alius reſpectus; niſi puræ conditionis [illegible]. Similiter quando conditio pendet ab [illegible] poteſt pendere ex mera illius voluntate, vt ſi Petrus voluerit, vel conſenſerit, interdum vero magis ex iudicio, & conſilio, vt ſi Petrus expedire iudicauerit. In conditionibus etiam naturalibus poteſt eſſe varietas, ſed ad præſens nõ refert.

Tria genera conditionũ in votis diſtinguenda.

9.

Dico ergo primo, quando votum eſt pœnale, licitum eſt voluntarie non ponere conditionem. Imo licet id fiat pure ad vitandam voti obligationem, nullum erit peccatum reſpectu obligationis voti. Prior pars per ſe nota eſt, quia qui ſic vouet, præcipue intendit vitare conditionem. Item conditio illa non impletur ſine peccato: ergo vitare illam, bonum eſt. nec votum poteſt obligare ad non vitandam illam: optimum ergo eſt procurare, ne talis conditio impleatur. Altera vero pars declaratur exemplis: nam ſi quis vouit, ſi iurauero, dabo eleemoſynam, etiamſi hac ſola ratione vitet iuramentum, ne cogatur eleemoſynam dare, non agit contra votum. Probatur, quia ipſe non vouit dare eleemoſynam quaſi id per ſe intendens, ſed potius vouit eo, ut libet a iurando timore eleemoſynæ: ergo vt illo timore, non eſt contra intentionem vouentis, & conſequenter nec contra votum. Quin potius ſi ille habeat hunc actum interne [illegible] non haberem hoc votum iurarem, licet peccet [illegible] contra præceptum de non vane iurando, nihilominus contra votum nihil aget: quia potius ſe abſtinet, implendo intentionem, quam in vouendo habuit: quamuis in modo illam implendi alias peccet.

1. Aſſertio. In voto pœnali licet nõ ponere conditionem quãuis fiat ad vitandã obligationem.

10.

Dico ſecundo, Etiamſi votum factum ſit ſub cõditione gratificanda per votum, non eſt contra votum, voluntarie, ac libere vitare conditionem illam, ſeu contrariam ponere. Probatur primo: quia alias votum illud eſſet abſolutum, & non conditionatum: conſequens autem eſt abſurdum: nam eſt euidenter contra formam eius, & contra intentionem vouentis: ergo. Sequela patet: quia ſi ille non poteſt libere vitare conditionem, quin frangat votum: ergo ſiue impleatur conditio, ſiue non impleatur, franget votum: ergo eſt votum abſolutum. Patet hæc poſterior conſequentia, quia obligat independenter à conditione, ſiue illa impleatur, ſiue nõ, & hæc eſt natura voti abſoluti. Prior vero conſequẽtia patet, quia ſi ille impleat conditionem vitando peccatum, iam obligatur voto: ſi vero vitat conditionem voluntarie committendo peccatum, dicitur etiam tranſgredi votum, & illo obligari: ergo nihil operatur conditio. Quæ ratio maxime conuincit contra eos, qui dicunt, illum ſic peccantem teneri poſtea ad votũ implendum. Si quis autem diceret, illum quidem tranſgredi votum, quia non facit quantum poteſt ad conditionem ponẽdam, poſtea vero non teneri ad votum, non conuinceretur illa ratione: ſatis enim ſaluaret proprietatem voti conditionalis in illo voto quoad actum directe promiſſum. Contra hoc vero inſto: quia qui ſic vouet, non ſe obligat ex voto ad faciendum quantum in ſe eſt, vt peccatum illud vitet: tum quia nec talis intentio eſt expreſſa, nec eſt vlla ſufficiẽs ratio ad præſumendam illam: tum etiam quia alias ille abſolute voueret vitare tale peccatum, quod plane falſum eſt. Et ſequela patet, quia ſi ille faciat, quod in ſe eſt, vitabit peccatum: ergo ſi vouit facere quod in ſe eſt, virtute vouit abſolute vitare. [illegible] vouit peccatum illud vitare, vt [illegible] gratitudinem, ſi vitaret, ita licet illud [illegible] non peccabit contra votum: quando autem [illegible] non vitat, voluntarie impedit conditionem: ergo per hoc non peccat contra votum.

2. Aſſertio. Votum factum ſub cõditione gratificanda per votum, non eſt contra votum vitare cõditionem.

11.

Vnde dico tertio: Non eſt improbabile eum qui vouit Religioſus fieri, ſi tanto tempore tale peccatum euitet, non proprie tranſgredi votum, etiamſi ex directa intentione peccatum illud committat, ne voto ligetur: nihilominus tamen probabilius eſt, illud eſſe contra fidelitatem, & contra pactum in tali voto incluſum, certiuſque eſt in eo peccari grauius, irreligioſe abutendo tali voto. Declaro & oſtẽdo priorem partem. Nam ſi recte penſetur illa conditio, magis ponitur ex parte Dei, quam ex parte hominis, ita vt ſit ſenſus, ſi mihi Deus efficacem gratiam dederit, vt tale peccatum cum effectu euitem, hoc faciam: hæc autem conditio pendet ex beneplacito Dei: vnde ſi de facto pecco, quacunque ratione, aut intentione id faciam, non recipio à Deo gratiam efficacem ad illud peccatum vitandum, ergo non impletur conditio ex parte Dei, ac ſubinde ergo in hoc non pecco ſpecialiter contra votum. Dices, per te ſtat, non per Deum, quod illa gratia non ſit efficax. Reſpondeo de facto ita eſſe, potuiſſe tamen Deum facere, vt per me non ſtaret, & hac intentione factum eſſe votum, ſcilicet ad obtinendum à Deo gratiam talem, cui ego de facto non reſiſterem, & per quam Deus faceret, vt per me non ſtaret

3. Aſſertio. Non eſt improbabile eum qui vouit Religionẽ, ſi vitet peccatum, non tranſgredi votum, ſi ex intentione peccatum committat.

Digitized by Google

ſtaret, quod ex ſola ipſius voluntate pendet, & ideo mihi non poteſt imputari, quod conditio illa, prout in voto fuit intenta non impleatur.

Quod autem illud votum ex ſe hanc intentionem, & non aliam includat, declaratur, quia intentio ſic vouentis non eſt, obtinere à Deo gratiam ſufficientem ad euitandum peccatum, ſi fecerit quantum in ipſo eſt, quia iam habet omnem gratiam ſufficientem ad euitandum peccatum, & ſi homo fecerit quantum poteſt cum illa, vitabit peccatum. Imo hanc gratiam ſemper ille homo habuit, quoties ſic peccauit, & nihilominus per obligationem voti intendit obtinere maiorem gratiam: ergo ſenſus illius conditionis eſt, ſi Deus dederit mihi gratiam congruam, qua faciam quod in me eſt, & qua cum effectu euitem peccatum: hoc enim eſt peculiare beneficium, cui gratum ſe fore promittit per tale votum, nam habere gratiam ſufficientem commune eſt. At vero quoties ille non vitat tale peccatũ, quacumq; intentione id faciat, non recipit tale beneficium, nec eſt in manu eius facere, vt à Deo præueniatur maiori gratia, quàm ſufficiente: ergo nõ poteſt in eo peccare cõtra tale votum. Cõfirmatur: quia ex vi ſolius voti non tenetur quis facere, quãtum in ſe eſt, & debet ad obtinendam à Deo gratiam ſpecialem: tum quia alias obligaretur ex vi illius voti ad orandum, & petẽdum talem gratiam ſpecialem, & ad alia media, quod eſt præter intentionem ſic vouentis. Tum etiam quia non poſſet humano modo cognoſci quãdo homo peccet contra tale votum: quia non poteſt conſtare homini, an Deus deneget ſpecialem illam gratiam propter indiſpoſitionem eius, vel quia ſimpliciter non vult dare illam. Solumq; poteſt conſtare homini de facto non reſiſtere tentationi, quia nõ vult cooperari gratiæ, quã recipit, quę ſolũ eſt ſufficiens, & pro illa ſola non fit votum, vt oſtenſum eſt.

Denique qui ſic vouet, non ſe obligat per votum illud abſolute, & ſimpliciter ad vitandum tale peccatum, quia nõ hoc promittit, ſed ſolam talem grati animi oſtenſionem, ſi tale beneficium recipiat: ergo nec obligatur per illud votum ad non peccandum tali intentione, & conſequenter, licet id faciat, non agit formaliter contra intentionem voti. Probatur prior conſequentia, quia non magis cõſtat, voluiſſe vouẽtem obligare ſe ad hoc ſecundum per tale votum, quam ad primum.

14. *Approbatur communis reſolutio.* Sed licet hæc probabilia videantur ſecurior eſt ſententia communis. Quia ſincere, & pure intelligendo tale votum, & pactum in illo incluſum: intentio vouentis videtur fuiſſe bona fide procedere, & conari morali, & ordinario modo ad vitandum illud peccatum, ſaltem non vtendo fraude, aut dolo. Vnde licet verum ſit, tale votum ſolere fieri ad obtinendam à Deo gratiam extraordinariã, & peculiarem, & non tantum communem, & ſufficientem, & hominem ſic vouentem non obligari ex voto ad faciendum totum, quod in ſe eſt, ſaltem videtur obligari ad non vtendum dolo, & fraude nec reſiſtendum tam directe gratiæ Dei. Declarat hoc Palaci. ſupra non incommodo exemplo. Nam ſi Titius promittit Sempronio decem, ſi eum in domo ſua viſitauerit, & poſtea iubeat fores occludi Sempronio venienti, contra promiſſionem agit Titius, quia in pacto erat tacite incluſum, ne illa vis, vel fraus Sempronio fieret: ſic ergo cum proportione in præſenti intelligendum eſt. Vnde etiam conſtat, certius eſſe, intẽtionem peccandi, ne obligetur voto eſſe valde inordinatam, & iniurioſam voto: nam qui ſic peccat, abutitur voto, vt ex illo ſumat delinquendi occaſionem, & directe intendit peccare, vt reſiſtat Spiritui ſancto, & ita præter obligationem ſupra dictam augetur ex hac parte peccatum ex naturali obligatione non abutendi rebus Diuinis ad ipſius Dei offenſionem. Et ita ſatis probatæ ſunt omnes partes aſſertionis.

15. *4. Aſſertio. Votum pure conditionatum pendens ex conditione libera, & quaſi indifferente non violatur etſi conditio non impleatur.* Dico quarto: Quando votum eſt pure conditionatum pendens ex conditione libera vouentis, & quaſi indifferente, quia de ſe ſine peccato fieri poteſt; vel vitari, tunc cenſeo nec violari votum, nec peccatum aliud committi, non implendo conditionem mere voluntarie, & propter vitandam obligationem voti. Probatur primo, quia per tale votũ non obligatur quis ad faciendum, vel vitandum actum illum, quem ſub cõditione poſuit: ergo quidquid in hoc faciet non frangit votum. Antecedens patet, tum quia in forma ſic vouendi hoc non continetur: non enim promittitur conditio, ſed aliud, ſi conditio extiterit: tum etiam quia illa conditio nõ ponitur in hoc tertio modo, vt ſit occaſio vitandi, vel faciendi actum, ſed ſolum vt ſuſpendat obligationem exequendi votum: ergo ſignum eſt, ideo aliquem ſub tali conditione vouere, & non abſolute vt liberum illi poſtea ſit implere, vel non implere conditionem. Vt ſi ego alicui promitto, ſi ſacrum dixero, pro te offeram, non faciam contra promiſſum, ſi non dixero ſacrum, vt conſtat, idem eſt, ſi ſic promittam, ſi domo exiero, in tuam ibo, quamuis enim libere me domi contineam, non ero infidelis. Imo licet hac ſpeciali ratione non egrediar, ne obliger ire in domum alterius, nihil agã cõtra promiſſum. Item ſi alteri ſic promittam, ſi veneris in domum meam, & ibi me inueneris, dabo tibi rem talem, & poſtea, ſciens illum venire, domo egrediar, ne ibi me inueniat, non ſum infidelis, nec ago contra promiſſum: quia non promiſi illum expectare. Idem ergo eſt in prædicto voto conditionato: nam ſimilis eſt conditio in illa poſita, & eadem ratio in ea procedit. Eſtque optimum exemplum, ſiquis voueat hoc modo, ſi in hac ciuitate per annum permanſero, quotidie tantam eleemoſynam faciam: nam ille non obligatur voto ad ibi permanendum, vt conſtat: poteſt ergo libere vitare conditionem abeundo, & licet id faciat conſulto, vt fugiat onus eleemoſynæ, non aget contra votum. Semper tamen habet locum exceptio, niſi de intentione promittentis aliud conſtiterit: nam hoc generale eſt: dicimus tamen ex vi talis modi vouendi, non poſſe colligi talem intentionem, niſi aliquod ſpeciale verbum addatur, vel ipſe vouens ſpecialem reflexionem faciat. *Exceptio.*

16. *5. Aſſertio. Votum factum ſub conditione dependenti ab alterius arbitrio, contra votum erit impedire vi, aut fraude alterius conſenſum.* Dico quinto: Quando votum fit ſub conditione dependente à libero conſenſu, & arbitrio alterius ſine alio reſpectu, tunc contra votum erit, per vim, aut fraudem impedire liberum conſenſum, vel diſſenſum eius, non tamen erit contra votum, inducere illum, ne conſentiat, morali modo, & non iniuſto procurando, ne conditio impleatur. Ratio vtriuſque partis eſt, quia talis intelligitur eſſe intentio vouentis, quantum eſt ex tali modo vouendi. prior ergo pars probatur, quia qui vouet hoc facere, ſi Petrus voluerit, virtute conſtituit Petrum vt electorem ſuæ obligationis: ergo virtute etiam ſe obligat ad relinquendam illi liberam optionem: ergo ſi per vim, vel metum illum cogat, ne conditioni conſentiat, contra pactum, & votum facit: nam in illo voto includitur pactum cum Deo expectandi liberam determinationem alterius, à quo pacto receditur per illam vim, vel fraudem. Declaratur à contrario: nam ſi quis in eo caſu cogeret Petrum per vim, vel metum, vt prẽberet conſenſum, & poneret conditionem, non cenſeretur vouens obligatus: quia non cenſeretur impleta conditio, eo quod merito intelligitur fuiſſe pendens à Petro ſuæ libertati relicto: ergo vt ſeruetur ęqualitas, & proportio, eodem modo intelligitur conditio ex parte vouentis, nimirum quod relinquet liberam electionem Petro.

Ratio vero alterius partis eſt, quia precibus, aut rationibus inducere alium ad hãc partem potius, quã illam eligendam, non eſt abſolute contra liberam

electionem

electionem eius: ergo ex hac parte hoc nõ repugnat tali voto. Aliunde vero materia illius voti nõ eſt de procurando, vt talis conditio impleatur, nec etiam de non procurando vllo modo, ne impleatur: nam ex vi conditionis non oſtenditur talis intentio vouentis: ergo niſi aliunde de illa conſtet, non eſt ad hoc obligãdus ex vi voti. Vt ſi filius voueat ingredi Religionem, ſi pater licentiam dederit, dummodo ſe oſtendat paratum ad ingreſſum, ſi pater conceſſerit, non peccabit contra votum etiamſi oſtendat deſiderium, vt pater non conſentiat, nec de facto obligabitur ad ingreſſum, ſi de facto pater non conſentiat. Itaq; in hoc caſu vouens non recedit à pacto incluſo in voto, ſicut in priori; nã licet expectanda ſit libera electio alterius, per illud genus inductionis non immutatur, nec impeditur. Nam qui conſtituit rem in arbitrio alterius, nõ eo ipſo obligatur ad non petendum aliquid ab illo, vel ad non oſtendendum ſuum deſiderium, vel quidpiam ſimile.

18. *6. Aſſertio. Quid dicendum quando conditio conſtituitur dependens à conſilio prudentis.*

Sexto hinc conſtat, idem cum proportione dicẽdum eſſe, vbi conditio cõſtituitur per modum prudentis conſilij, ſi Petrus, verb. g. hoc iudicauerit, &c. Nam tũc per fraudem, vel dolum inducere Petrum ad iudicandum non expedire votum executioni mandare, plane eſt contra voti obligationem, & cõtra pactum in tali cõditione incluſum. Nam qui vouet ſub hac cõditione virtute vouet proponere Petro animum, & votum ſuũ, & plene illum inſtruere de circumſtantiis perſonæ materiæ, & totius facti, & tunc ſtare libero, & prudenti iudicio eius; ergo quacunq; ratione vouens peruertat hoc iudicium, cõtra votum agit. Si autem ſine deceptione, vel occultatione veritatis, dum Petrum inſtruit, ſimul oſtendat affectum excuſandi obligationem, & reuera id deſideret, non ideo frangit votum: quia illud deſiderium non eſt voto contrarium, quando nec excludit abſolutam voluntatem implendi votum, ſi conditio impleatur, nec ratione illius fit aliquid ad impediendum iniuſte conditionem, ſicut libro ſequenti in fine dicemus, nõ peccari per pœnitentiam voti, quando non eſt obſeruationi eius contraria.

19. *7. Aſſertio. Conditio pẽdens ex cauſis naturalibus non obligat vouentẽ ſimpliciter ad illam nõ impediendã.*

Septimo dicendum eſt, quando conditio eſt tantum pendens ex naturalibus cauſis, nõ obligari vouentem ſimpliciter ad non impediendum illam: obligari tamen ad bona fide procedendum, & non vtendum extraordinariis, & præſertim illicitis mediis ad impediendum euentum eius. Hæc aſſertio cum proportione ad præcedentes poſita eſt, habet enim fere eandem rationem: nam, ſi quis recte conſideret, effectus venturus per naturales cauſas non ponitur vt conditio voti, quatenus ab eius neceſſario euenit, ſed vt eſt aliquo modo contingens, alioqui inepta eſſet conditio. Eſt autem effectus contingens, id eſt, non neceſſario eueniens, vel quatenus prouenit à voluntate Diuina, quæ facile poteſt illum impedire, vel promouere, vel quatenus interuenire in eo poteſt voluntas hominis, & præſertim ipſiuſmet vouentis applicando actiua paſſiuis, vel ea remouendo, vel eorum impedimenta. Quatenus ergo hi effectus pendere poſſunt à voluntate, & induſtria vouentis procedit concluſio, quia reliqua non ſunt in eius poteſtate: & ideo hæc aſſertio fere eandem habet rationem cum aliis. Et declaratur in hũc modum: nam qui vouet aliquid ſub tali conditione, non obligatur ad procurandum euentum conditionis, nec ad mutandum ſuum liberum, & ordinarium operandi modum, ne conditio impediatur: nulla enim probabili coniectura poteſt hæc obligatio, vel intentio eius vouenti attribui ex vi talis voti, niſi ipſe aliter explicet ſuam volũtatem. Vt ſi quis vouit ingredi Religionem, ſi Deus ſalutem conceſſerit, non ideo cogitur ex vi voti ad cauenda ſpeciali cura impedimenta ſalutis: vnde ſi excedat comedendo, aut bibendo ſine dolo, aut fraude, non aget contra votum, etiamſi alias peccet contra ſalutem. Si vero id faciat ex induſtria, & timore, ac pœnitentia voti, procurando ægritudinem, aut debilitatem, ne voto obligetur, videbitur profecto infideliter, ac doloſe agere contra pactũ in voto incluſum. Nam poſtquam fit ſub tali conditione dependenter ex cauſis naturalibus, vt ſubſtant prouidentiæ Dei, ab illa expectatur euentus: vt vero ſubſtant prouidentiæ ipſius vouentis, ita ſaltem expectatur, vt bona fide procedatur, & non ex induſtria impediendo effectum. Et ita declarata, & probata eſt tota concluſio, quæ variis exemplis moralibus illuſtrari poſſet, ſed dicta ſufficiunt.

Vltimo dicendum eſt, in his caſibus nunquam obligare vouentem ſub conditione ad implendum votum, non impleta conditione, etiamſi in impedienda conditione peccauerit. In hac aſſertione maxime diſſentio à Richardo, & aliis, qui eum ſequũtur, & diſſenſio eſt in vltima parte: nam ſi conditio non eueniat abſque culpa vouentis, omnes fatentur non oriri obligationem, & eſt res per ſe nota ex dictis, & à fortiori patebit ex dicendis. Probatur ergo illa pars primo generali ratione, quia vouens non intendit ſe obligare niſi impleta conditione ad executionem rei promiſſæ: ergo quomodocumque impediatur euentus conditionis non naſcitur obligatio ex vi voti: & aliunde ratione peccati commiſſi oriri non poteſt, quia votum non obligat ad recompenſationem: ergo ex nullo capite dari poteſt talis obligatio. 20. *Vltima Aſſertio. Non obligatur vouens ad implendum votum non impleta conditione, et ſi peccet non implendo illam.*

Secundo explicatur diſtinguendo varios caſus: 21. Quia poſt non impletam conditionem ex culpa vouentis vel conditio amplius impleri non poteſt, quia pro definito tempore, vel actu poſita erat, & iam occaſio præteriit, vel conditio habet tractum ſucceſſiuum, & poteſt poſtea impleri, licet pro aliquo tempore fuerit cum peccato impedita. In priori caſu, conditione non impleta, votum iam obligare non poteſt ex vi formæ ſuæ, nec ex intentione vouentis, nec ratione culpæ præteritæ: ergo nullo modo. Vt verbi gratia, voui ingredi Religionem, ſi pater intra annum conſenſerit, poſtea doleo votum emiſſum, & ideo indebite procuro, vt prætereat annus priuſquam pater conſentiat, & ita deinceps non poteſt impleri conditio: tunc ergo non poteſt obligare votum ex vi ſuæ formalis obligationis, quia illa fuit ſuſpenſa per conditionem, & conditio cum effectu non fuit impleta. Imo ſemper eſt incertum, an fuiſſet implenda, etiã ſi pater ſuæ libertati fuiſſet relictus. Nec etiam obligat ex intentione vouentis, quia ipſe nihil de hoc cogitauit, quin potius ſolum ſub conditione conſenſit. Quod autem Richard. ait, illum tunc cedere conditioni, falſum eſt: nam potius procurat non impleri, ne obligetur: ergo nõ vult cedere, ſed potius vult obligationem ſemper eſſe conditionatam. Nec etiam tenetur ratione peccati commiſſi, quia ſolum fuit tranſgreſſio voti, tranſgreſſio autem voti non obligat ad executionẽ voti vltra priorem obligationem eius, vt ſupra oſtẽſum eſt, quia non obligat ad recompenſationem.

22. In poſteriori autem caſu, quando conditio habet tractum ſucceſſiuum, & impleri adhuc poteſt, cõſiderandum vlterius eſt, an poſſit impleri intra tempus, pro quo factum eſt, iuxta exigentiam ſuam, vel iuxta primam intentionem vouentis: vel non poſſit vltra illud impleri. Quando intra illud tempus impleri non poteſt, eadem ratio eſt, quæ in præcedenti caſu: nam extincta eſt obligatio voti, quia præteriit tempus, cuius erat onus. Vnde fit etiam vt conditio non impleatur formaliter, & pro eo tẽpore, pro quo poſita eſt, vt verbi gratia, voui ego ieiunare hodie, ſi Superiori placẽrit, intendendo ieiunium vt onus tantum huius diei: ſi ergo hodie omittam conſulere Superiorem, & ideo non ieiunem, licet craſtino die cõſulam, & ipſe declaret ſe

futurum

futurum fuiſſe contentum, & nunc eſſe, vt alio die ieiunem, non teneor: quia hoc non voui, nec prior tranſgreſsio ad hoc me obligat, & eadem ratio eſt de omnibus ſimilibus. At vero quando conditio poteſt intra tempus habile impleri, tunc licet quis peccauerit impediendo, ne debito tempore conditio poſſet impleri, poſtea tenebitur tollere impedimentum, vt ſi voui fieri Religioſus, ſi pater conſentiat, & procuro vt pater neſciat votum, peccare poſſum per nimiam dilationem: nihilominus tamen non extinguitur obligatio, quia ſemper poteſt impleri conditio tempore habili. Nihilominus tamen etiam in eo caſu non obligat votum ad Religionem ante impletam conditionem, ſed obligat, vel ad tollendum impedimentum, vel ad faciendum quod ad ipſum vouentem ſpectat in ordine ad euentum conditionis. Nam ad hoc obligat votum, non vt conditionatum eſt, ſed vt eſt aliquo modo abſolutum, vt ſupra declaratum eſt: ſemper ergo verum eſt, votum conditionatum non obligare ad executionem materiæ promiſſæ ante impletam conditionem.

23. Ad argumenta autem Richardi, quatenus dictis obſtare poſſunt, facile poteſt reſponderi. Et in primis admittimus argumenta prioris partis, quatenus probant poſſe interuenire peccatum in impedienda voti conditione, ſi interueniat dolus, & fraus, non tamen ſemper, & omni modo, vt dixi: quia votum conditionatum ad hoc non obligat. Vnde non ſemper eſt peccatum impedire executionem eius, cum hoc non ſemper ſit contra abſolutam obligationem eius. Ad rationem pro altera parte factam, iam reſponſum eſt negando minorē: nam qui fraudulenter impedit conditionem, non remittit illam, imo vult firmam permanere quoad ſuſpendēdam obligationem. Neque cap. *Sicut ex terminis* aliquid facit ad cauſam: tum quia ibi eſt ſermo de iuramento promiſſorio abſoluto ducendi quandam in vxorem, in quo non includitur vt conditio, quod per iurantem non ſtet, ſed eſt ipſa materia voti: tū etiam quia illa conditio ſemper poterat impleri tempore habili, quia vel promiſsio facta fuerat ſine certo tēpore, vel ſi additum erat certum tempus, erat ad differendam, non ad terminandam ſolutionem. Tum deniq; quia ibi eſt ſermo de promiſsione humana, quæ ſemel violata poteſt obligare ex iuſtitia ad aliquam recompenſationem, quod non ita eſt in voto; ex illo ergo textu nihil probatur.

Fit ſatis ad argumenta Richardi.

24. Vnde concludo, ſi quis vouit ingredi Religionem, ſi per annum integrum à fornicatione abſtineat, quacunque ratione, malitia, vel praua intentione non abſtineat, licet forte peccet contra votū, poſtea non teneri ingredi, quia conditio non fuit impleta, nec impleri poteſt, nec ex peccato orta eſt obligatio abſoluta, quam votum ipſum per ſe non induxit, vt ſatis declaratum eſt. Nec ſequitur tale votum eſſe fruſtra: nam ſatis eſt quod obliget, tum ad gratitudinem talem, ſi beneficium illud vouenti conferatur, tum ad procedendum ſine fraude, & dolo, & conſequenter ad peccandum, ſi aliter vouens ſe gerat, etiamſi ad recompenſationem non obliget. In quo etiam non oportet æquiparari votū cum humana promiſsione, vt in exemplo ſupra poſito ex Palacio, in illo enim, & ſimilibus intercedit iniuria, eludendo promiſsionem, & occludendo fores, & ideo naſcitur obligatio reſtituendi, quæ reſpectu Dei locum non habet.

CAPVT XVIII.

An ceſſante cauſa voti, eius obligatio ceſſet?

1. EXplicuimus voti obligationem, & quomodo incipiat, & quamdiu duret per ſe loquendo, & quantum eſt ex parte voti, nunc videndum ſupereſt quib9 modis ceſſare poſſit per ſe, ſeu ipſo facto abſque actione extrinſeci agentis directe auferentis illam, de qua in lib. 6. agendum eſt. Certum eſt autem voti obligationem non impletam non ceſſare pro tempore habili, niſi interueniente aliqua mutatione, nec poſſe auferri per ſolam mutationem voluntatis: oportet ergo vt vel ex parte finis, vel ex parte materiæ mutatio intercedat. Finem autem hic cauſam appellamus, quia illa eſt præcipua, & quia ita loquuntur Iura, & Doctores, cum de donationibus, & promiſsionibus agunt, & vt illam à materia voti diſtinguamus, de cuius mutatione poſtea dicemus. Ratio ergo dubitandi circa propoſitam quæſtionem eſt, quia id quod in principio impediret voti obligationem ſufficit, vt poſtea votum non obliget (vt eſt axioma multorum Doctorum, quos infra referemus) ſed in principio, quando votum fuit emiſſum, ſi non extitiſſet cauſa, quæ mouit ad illud emittendum, votum non obligaſſet, quia vel factum non fuiſſet, ſi vouens ſciret defectum cauſæ, vel ſi ex ignorantia, & falſa exiſtimatione cauſæ vouiſſet, eo ipſo votum non obligaſſet: ergo nec poſtea obligat. In contrarium vero eſt, quia ſi quis vouit Religionem, vt paupertatem effugeret, qua tunc premebatur, licet poſtea ditior fiat ſuccedendo in hæreditatem, vel alio ſimili modo, nihilominus obligatur voto, iuxta caput *Magnæ* de Voto, & cap. *Ex parte* 2. de Conuerſ. coniugat. ergo.

Ratio dubitandi.

C. Magnæ. C. Ex parte 2.

Tres ſententiæ poſſunt in hoc puncto referri. Prima ſimpliciter affirmans, ceſſante cauſa, ſeu ratione voti ceſſare obligationem eius. Pro hac referri poſſunt Nauar. in Sum. c. 18. n. 6. Syluest. verb. *Pactum*, quæſt. 4. Med. Cod. de Reſtit. q. 24. Molin. tom. 2. de Iuſtit. diſp. 209. quatenus aſſerūt, donationem, legatum, aut promiſsionem non tenere, non ſubſiſtente principali cauſa: ergo conſequenter dicere debent, non durare obligationem nō durante cauſa. Videtur enim eſſe proportionalis ratio, licet oppoſitum doceat. Anchar. in cap. *Magnæ*, de Voto nu. 13. inter illa duo diſtinctionem faciens. Probatur autem illatio: quia defectus cauſæ principalis ideo impedit obligationem, quia reſoluitur in conditionem, ſub qua datur conſenſus, & non ſine illa, ſed eodem modo datur pro duratione obligationis: ergo eodem modo ceſſat obligatio, ceſſante tali cauſa. Nam vt dixi cap. præcedenti, eadem eſt ratio de voto conditionato quoad primam obligationem, & quoad durationem eius, vt deficiente conditione, non ſubſiſtant, proportione ſeruata.

1. Sententia.

Nauar. Syluest. Medin. Molin.

Anchar.

3. Secunda opinio abſolute negat, ceſſante cauſa voti, ceſſare obligationem eius. Ita ſentit Gloſſ. in cap. *Magnæ*, de Voto, verb. *vt venires*, Hoſtienſis in c. *Magnæ*, de Voto numer. 10. & 11. & in cap. *Ex parte* 2. de Conuerſ. coniugat. num. 10. & ibidem Anchar. num. 4. & vbi ſupra. Mouentur ex iiſdem Iuribus: & quia votum non indiget alia cauſa præter cauſam Religionis: ergo quacunque alia ceſſante, valet. Tertia opinio diſtinguit inter cauſam finalem, & impulſiuam, & de priori ait, ceſſante illa, ceſſare obligationem voti, propter rationes primæ ſententiæ, & propter rationem dubitandi in principio poſitam. De poſteriori vero ait, quamuis illa ceſſet, nō ceſſare obligationem voti, propter dicta Iura, quæ de hac cauſa aperte loquuntur: & quia hæc cauſa non eſt de ſubſtantia, nec carentia eius impedit conſenſum, vt probat etiā ratio dubitandi in ſecūdo loco poſita. Et confirmari hoc ſolet, quia ceſſante fine adæquato, & principali legis ceſſat obligatio legis, non autem ceſſante fine tantum impulſiuo, vt ſuppono ex materia de Legibus. Ita Panorm. in d. cap. *Magnæ* num. 14. & in dicto cap. *Ex parte* 2. numer. 8. & ibi Cardin. numer. 5. Ant. numer. 14. Syluest. *Votum* 2. quæſt. 8. Angel. *Votum* 3. numero 5. & generaliter de hac diſtinctione videri poteſt Tiraquel. in tract. Ceſſante cauſa, limit. 1. à principio.

2. Sententia. Gloſſ. Hoſtienſ. Anchar.

Panorm. Card. Ant. Syluest. Angel. Tiraq.

Atque

Digitized by Google

4. Atque hæc ſententia eſt vera, ſi membra illius diſtinctionis cõuenienter explicentur, in quo paululum immorandum eſt. Et primo videndum eſt, quid intelligatur nomine cauſæ finalis in præſenti puncto. Quidam enim ex dictis Authoribus per cauſam finalem explicare vidẽtur generalem finem voti, qui eſt, vt votum fit de re, quæ Deo placet, & cedat in cultum eius. Ita videntur explicare Panormitan. Syluester, & alij. In quo ſenſu manifeſtum eſt, quotieſcumque ceſſat cauſa finalis voti, ceſſare obligationem eius: nam perinde eſt, ac ſi dicatur, ſi res promiſſa ita mutetur, vt incipiat nõ placere Deo, votum iam non obligare, vt ſi ex licita fiat illicita, & ex bona & honeſta fiat vana, & indifferens. Et ratio eſt, quia ibi iam non ceſſat tantum cauſa, ſed etiam materia capax obligationis voti. Item quia votum nunquam eſſe poteſt vinculum iniquitatis, aut vanitatis, neque in ſuo fieri, neque in ſuo conſeruari, vt ſic dicam: & ſimiliter neutro modo poteſt obligare ad aliquid, quod Deo non placet. Et hac ratione qui vouit ieiunare hodie, ſi per Superiorẽ prohibeatur, ceſſat voti obligatio. Item qui vouit non ingredi domum, vbi habebat occaſionem peccandi, ablata occaſione ceſſat votum: quia iam illa res eſt indifferens, & impertinens ad Dei cultum: ergo quoties ceſſat hic finis vniuerſalis voti, ceſſat eius obligatio. Dicitur autem ceſſare hoc modo, quando obſeruantia voti vel fit illicita, vel vana, & omnino impertinens ad cultum, & honorem Dei. An vero idem ſit dicendum, quoties ex parte vouentis eſt occaſio impediendi maius bonum, vel alicuius mali, dicemus in capite ſequẽti.

5. Supereſt vero difficultas iuxta hanc interpretationem: nam vel non eſt vniuerſalis, nec adæquata, & ſic non declarat ſufficienter, quando ceſſante cauſa voti, ceſſet obligatio eius, vel ſi doctrina eſt adæquata, eſt creditu difficilis. In hoc autem poſteriori ſenſu illam ſententiam declarat Angel. nume. 5. dicens, in omni voto finalem cauſam eſſe, vt placeat Deo, & reliquas omnes eſſe impulſiuas, vnde infert, alijs ceſſantibus, nõ ceſſare obligationem voti. Quod etiam ſenſit Anchar. d. c. *Magnæ*, num. 13. At hoc modo falſa plane videtur ſententia: tum quia finis proximus, ac per ſe primo intentus non poteſt dici cauſa tãtum impulſiua, vt diſtinguitur à finali: nam eſt proprijſsimus finis, & dans ſpeciem actui: tum etiam quia falſum eſt dicere, ceſſante hoc fine, non ceſſare obligationem voti, nam ſæpe ſufficit, vt ceſſet finis particularis, ad hoc vt ceſſet obligatio voti. Vt ſi quis vouit dare Petro pauperi quotidie tantam eleemoſynam propter indigentiam eius, ſi ille fiat diues ceſſat obligatio voti: quia ceſſat finis particularis ſubueniendi indigentiæ illius, licet fortaſſe nõ ceſſet finis vniuerſalis, quia forte poſſet illa elargitio fieri ſtudioſe, ita vt placeret Deo. Clarius exemplum eſt, ſi quis vouit peregrinari pro ſalute amici, & amicus moriatur ante inchoatam peregrinationem, non obligatur voto, etiamſi peregrinatio per ſe poſſet Deo placere. Item ſi promiſi redimere Petrũ captiuum, & antequã poſſim implere votum, ipſe fugiat, nõ teneor amplius voto, nec obligor dare illi in eleemoſynã pretiũ redẽptionis, licet fortaſſe placeret Deo, quia illud nõ voui.

6. Dico ergo, nomine cauſæ finalis in præſenti intelligendum eſſe, non tantum remotum finem, ſed etiam illum, qui eſt proximus, & eſt proprium motiuum actus promiſſi, & quaſi dans ſpeciem illi. Eſt enim aduertendum, quod licet finis generalis voti ſit colere Deum, non tamen eſt ille finis proximus cuiuſcumq; voti: quia non per omne votum intẽdimus colere Deum eiſdem rebus, ſed in vno per obſeruationem caſtitatis, in alio per ieiuniũ, in alio per tale opus miſericordiæ, & ſic de alijs. Dico ergo, cauſam propriam, & finalem cuiuſcumq; voti non eſſe cultum Dei in communi, ſed vt exercendum per talem actum virtutis, qui à vouente promittitur, & intenditur, & ita ad cauſam propriam, & per ſe voti

Quando finis ceſſante ceſſet voti obligatio.

pertinere motiuum illud, quod conſtituit talem actũ in tali ſpecie virtutis: ideoque ceſſante hoc fine, ſine quo non poteſt eſſe actus eius virtutis, cuius promiſſus eſt, ceſſare etiam obligationem voti. Quod intelligendum ſemper eſt de fine operis, non de fine operantis. Hoc probãt exempla adducta, quibus addi poſſunt alia: hac enim ratione qui vouit ieiunium, ſi non poteſt, non tenetur eleemoſynam dare, etiamſi foret placita Deo, imò ſi non poteſt à carnibus abſtinere, non tenetur ad aliud genus abſtinentiæ, quod non ſit ieiunium, licet poſſet illud ſeruare, & Deo placeret. Item qui vouit Religionem in tali monaſterio principaliter, ſi claudatur illi ianua, quia non recipitur, & ideo ceſſet propria cauſa ſui voti, non tenetur alibi ingredi, licet id fortaſſe eſſet placitum Deo.

Et ita ſumitur hæc ſententia ex D. Thoma q. 88. ar. 3. ad 2. Et in ſimili declarauit eam Medin. C. de Reſt. quæſt. 24. §. *Corollarie*, cum ſequentibus, vbi dicit cõtra Angel. verb. *Reſtitutio*, 1. num. 8. eum, qui ſimulando ſanctitatem legatum obtinuit, teneri ad reſtituẽdum, quando principalis, & finalis cauſa donationis eſt ſanctitas. Deinde obijcit ex Angelo, quia relinquens tale legatum habet pro principali fine Deum, non ſanctitatem talis perſonæ, & reſpondet Deũ eſſe cauſam remotam principalem, proximam vero eſſe cõditionem ſanctitatis, quæ ponitur eſſe in perſona, vt in ea, & per eam honoretur Deus, & ideo ceſſante cauſa illa proxima, non tenere legatum. Quod continet exemplo ab omnibus recepto de fingẽte paupertatem, quam non habet, quidquid enim illo titulo accipit, tenetur reſtituere: quia illa fuit proxima per ſe cauſa donationis, qua ceſſante non tenebit donatio. Ita ergo in votis, & promiſsionibus iudicandũ eſt. Et quoad hoc idem eſt de valore voti à principio (de quo ſupra dictum eſt) & de duratione obligationis eius. Eſt autem ratio, quia ceſſante illa cauſa finali deficit intentio vouentis, quia deficit proprium, ac principale motiuum eius. Item quia ſi attente conſideretur, etiam defuit materia propria talis voti, quæ erat eleemoſyna: ieiunium, vel quid ſimile: deficiẽte autem materia, obligatio ceſſat, nec tenetur quis aliam ſubſtituere alterius rationis, vt ſupra dictũ eſt, quia illam non vouit. Denique ille finis eſt quaſi obiectum intrinſecum talis actus, & ideo ceſſante illo, ceſſat obligatio. 7. *D. Thom. Medin.*

8. Ex quo infertur, nomine cauſæ impulſiuæ intelligendum eſſe omne aliud ſecũdarium motiuũ, quod non eſt intrinſecum actui promiſſo, nec pertinet ad proximum, ac per ſe obiectum eius, ſed adiungitur ex parte vouentis ad impellendam voluntatẽ eius. De qua cauſa impulſiua diximus alibi eſſe finalem, quod in rigore philoſophico verum eſt, quia nõ impellit niſi metaphoricè, & per modum finis. eſt tamẽ finis ſecundarius, & quaſi accidentarius reſpectu talis operis, & ideo alter finis intrinſecus vocatur cauſa finalis quaſi per antonomaſiã, & hic vocatur cauſa impulſiua, vt ab illa diſtinguatur. Poteſt etiam ſic declarari, quia prior cauſa, quæ ſimpliciter finalis dicitur, eſt finis non ſolum actus vouendi, ſed etiam actus promiſſi & quaſi ſpecificans illũ: & ideo ſimpliciter dicitur finis voti non tantum actiue, ſed etiam paſsiue (vt ſic dicam) id eſt, actus, quo voueo, & quem voueo. At verò cauſa, quæ impulſiua dicitur, eſt finis actus vouendi, non vero actus promiſſi, & ideo non ſimpliciter finis appellatur. De hac ergo cauſa clare loquuntur Iura in d. c. *Magnæ*, & d. c. *Ex parte*, & cap. *Dudum*, de Conuer. coniugat. cum negant, ceſſare voti obligationem, tali cauſa ceſſante. Hoc etiam continent exempla ſupra adducta. Adde ſæpe cõtingere, cauſam impulſiuam eſſe iniquam, & nihilominus ſupra oſtenſum eſt, votum eſſe validum: ergo tunc nõ ſolum obligabit, ceſſante fine impulſiuo, ſed etiam neceſſe eſt, illum ceſſare, vt votum poſſit honeſte impleri.

Quid intelligendũ nomine cauſa impulſiua. Tract. 3 de Relig. lib. 4. de Simonia.

Angel.

Digitized by Google

9. Ita ergo explicata cauſa impulſiua, clara etiam eſt altera pars tertiæ ſententiæ. Quia ceſſante tali cauſa, permanet principale motiuum, & tota materia voti, & honeſtas, ac vtilitas eius in ordine ad Diuinũ cultum: ergo non eſt, cur tunc ceſſet obligatio voti. Dices, poſſe ceſſare, quia de intentione vouentis fuit nolle obligari, ceſſante illo fine, etiamſi eſſet ſecundarius, & tantum impulſiuus. Reſpondeo, nos hic per ſe loqui, & ex vi talium finium, & cauſalitatum: ſi tamen ponatur operans ita limitaſſe intentionem ſuam, tunc votum erit quaſi cõditionatum reſpectu talis conditionis, ſeu cauſæ, & ex illa parte ceſſabit, ceſſante conditione. Oportet tamen, vt hæc intentio vouentis ſit expreſſa, & formalis, vel ſaltem ita virtualis, vt ſit aliquo modo actualis, iuxta ea, quę capite ſequenti dicemus, & in ſuperioribus etiam dictũ eſt. Neceſſe eſt etiam, vt de illa ſufficienter conſtet: nam in dubio præſumi non poteſt, cum ſit valde extrinſeca, & accidentariã.

10. *Obiectio.* Dices: Interdum in actu promiſſo coniunguntur plures honeſtates, quæ per ſe primo videntur ſumi ex obiecto, quid ergo dicendum erit, ſi alter tantum earum ceſſet. Vt v.g. promiſi Deo dare eleemoſynã Clerico pauperi, & intuitu miſericordiæ, & intuitu Religionis, interim ſit diues, & ceſſat ratio eleemoſynæ, ceſſabit ne votum, cum non ceſſet ratio Religionis? *Solutio.* Reſpondeo, tũc fere neceſſarium eſſe recurrere ad intentionem vouentis, quæ vel ab ipſo explicanda eſt, vel ex verbis, quibus votum fuerit conceptum, poterit coniectari. Nam ſi quis dicat, voueo ſubuenire tali Clerico neceſsitatem patienti, certe videtur omnino reſpexiſſe ad miſericordiam, quæ licet plus mouerit coniuncta Religioni, tamen videtur principaliter mouiſſe, & circumſtãtiam perſonæ tãtum fuiſſe impulſiuam. Si autem voueat dare tali Eccleſiæ pauperi calicem, quia reſpectu loci ſacri nõ ſolet principaliter mouere paupertas, ſed Religio: ideo veriſimilius eſt Religionẽ ibi eſſe cauſam principalem, & circumſtantiam paupertatis fuiſſe impulſiuam: & ideo hac ſola ceſſante, non ceſſare tale votũ. At ſi dicat, voueo reſtituere tali loco pio rem talẽ, quæ ſua eſt, vel illi debetur: ſi poſtea conſtet, non eſſe ſuam, nec deberi, non obligabitur: quia verbum reſtituendi limitauit honeſtatem iuſtitiæ, vt primario intentam, licet Religio potuerit etiam impellere, & per hæc de alijs iudicandum eſt.

11. *Manente cauſa motiua voti manet obligatio, licet omnis impulſiua ceſſet.* Vltimo colligo ex dictis, quod licet votum habeat plures cauſas impulſiuas & illæ omnes ceſſent, ſi finalis, & intrinſeca permaneat, obligationem voti nõ ceſſare, quia illa ſola eſt, ex qua per ſe pendet conſenſus, & conſequenter ſubſtantia voti. Et eadem ratione è cõtrario, ſi finis præcipuus deficiat, licet plures impulſiuæ cauſæ durent, non obligabit votum, quia deeſt propria materia talis voti, vt declaratum eſt. Nam ceſſante fine principali, cauſæ impulſiuæ nõ poterunt inducere ad actum eiuſdem rationis, & cõſequenter neque ad idem genus voti, ſeu obligationis, vt autem inducant nouam obligationem, oportet, vt nouum votum fiat: neq; vero poteſt contingere vt votum habeat plures cauſas impulſiuas & nullam finalem propriam, ac principalem: quia non põt dari intẽtio vouentis, quę non habeat aliquod proprium motiuum, & quaſi ſpecificatiuum ſui actus: illa autem eſt cauſa finalis propria, & proxima: ergo nõ poteſt dari voti cum ſola cauſa impulſiua ſine finali. Et ideo ceſſat alia comparatio, & quęſtio, quę moueri ſolet, ſi cauſæ motiuæ ſint plures, an ceſſante vna tantũ, ceſſet obligatio voti: ſi enim hæc quæſtio ſupponat illas cauſas eſſe ſolas, ſupponet falſum, quia nõ poſſunt omnes cauſæ eſſe impulſiuæ: ſi vero præter eas datur cauſa finalis, & propria ſiue vna impulſiua ceſſet, ſiue vtraque parum referet, ſi finalis duret, vt dictum eſt. Contingere autem poteſt, vt omnes fines ſint intrinſeci operi, v.g. de ſe indifferenti, & tunc reſpiciendum eſt, quis illorum reſpectu vouentis fuerit præcipuus, & quaſi proprium motiuum, & ad illum applicanda ſunt omnia, quæ diximus, & ad cognoſcendum illum coniecturæ adductæ applicandæ etiam ſunt. Quando vero res manet dubia, & durat aliquis finis honeſtus, propter quem ſeruari poteſt votum ſeruandum eſt, iuxta ea, quæ in vltimo capite huius libri dicemus.

Capvt XIX.

An ex mutatione materiæ ceſſet interdum obligatio voti?

1. *Duplex voti impedimentum.* DVplicia ſolent eſſe impedimenta voti: quædam antecedentia, alia ſubſequentia dici poſſunt. Priora ſunt quæ antecedunt votum, & impediunt ne recte, vel valide fiat, de quibus in primo libro dictũ eſt. Poſteriora vero ſunt, quę contingit oriri poſt votum emiſſum, de quibus nunc dicendum eſt. Conſtat autem apud omnes, aliquando poſſe ex hoc capite ceſſare voti obligationem, per ſe, & ſine neceſſitate diſpenſationis. Loquimur autẽ in his omnibus de voto ſimplici, ſeu pure & ſecundum ſe, ſecluſa ſolennitate: nam quæ ad votum ſolẽne, vt tale eſt, pertinent, in propriũ locum reſeruamus. Difficultas ergo eſt in aſsignanda regula ad cognoſcendũ, quando tale ſit impedimentum, ſeu quod idem eſt, quando tanta ſit mutatio materiæ, vt ad hoc ſufficiat: nam huiuſmodi impedimẽta ex mutatione materiæ maxime oriuntur. In qua re tres gradus mutationum diſtinguere poſſumus. *Triplex gradus mutationis in materia voti. Primus.* Primus eſt, quando tanta eſt materiæ mutatio, vt actus promiſſus nõ poſsit honeſte fieri. Et tunc manifeſtum eſt, ceſſare obligationẽ voti, imo reſultare obligationem non ſeruandi votum, quia votum nõ obligat ad rem illicitam, & quia non poteſt Deus coli per actum turpem. Exempla ſunt, ſi res antea conceſſa, poſtea prohibeatur: ſi votum, quod antea poterat ex proprijs bonis impleri, iam non poſsit niſi ex alienis, & ſimilia.

2. *Secundus.* Secundus gradus eſt, quãdo materia ita mutatur, vt licet non fiat turpis, deſinat tamen eſſe honeſta illo genere honeſtatis, quod fuit principaliter intentũ, & promiſſum, & tunc etiam ceſſat obligatio voti: reducitur autem ad ceſſationem cauſæ, vt patet ex dictis in c. præcedenti, vbi ſufficientia exempla poſita ſunt. In hoc autem caſu licet votum non obliget, non tamen datur obligatio non ſeruandi illud per ſe loquendo. Quamquam poteſt in præſenti accõmodari diſtinctio ſupra de iuramento tradita: nam poteſt intelligi obſeruatio voti vel formalis, vel materialis. Formalis eſt, quando actus fit ad obligationẽ voti obſeruandam: & hæc fit impoſsibilis eo ipſo, quod ceſſet obligatio voti, quia repugnat impleri obligationem, quæ non eſt. Materialiter autem impleri dicitur, quãdo fit actus materialis, qui erat promiſſus, non ad ſatisfaciendũ obligationi, ſed ex quadam abundãtia voluntatis, quia vult homo id facere, quod promiſit, licet non teneatur: & tunc ſi actus ipſe honeſte fieri poſsit, & ita fiat, clarum eſt, licitum hoc eſſe, & laudabile.

3. *Tertius.* Tertius gradus mutationis eſt, quando in actu promiſſo non deeſt honeſtas, nec motiuum propriũ, & principale per votum intentum: aliũde vero magna mutatio facta eſt in circumſtantijs materiæ, quibus longe difficilius ad obſeruandum, votum dictum eſt. Circa hanc ergo mutationem ſolet aſsignari regula, Mutationem illam auferre obligationẽ voti iam facti, & validi, quæ ſi in principio fuiſſet, impediret, ne fieret, vel ne valide fieret. Ita D. Thom. 4. d. 38. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 1. & ibi Supplem. Gabr. quæſt. 1. art. 3. Palac. diſp. 1. circa concl. 3. Caiet. 2.2. q. 88. art. 3. dub. 2. circa ad 2. & ibi alij, & Sot. d. li. 7. q. 2. art. 1. Ant. 2. p. tit. 10. c. 6 §. 5. Syluest. *Votum*, 2. q. 17. & *Iuramentum*, q. 13. ver. *Pactum*, q. 4. & ibi Angel. *D. Thom. Supp. Gabr. Palac. Caiet. Soto. Anton. Syluestr. Angel.*

Digitized by Google

Nauar. Cordub. Archid. Panorm.

n.4 & ibi alij Summiſtæ, & ver. *Votum*, Nauar. c.12.n. 39. & c.18.n.7. Cord. in Summa Hiſpana q.141.punct. 2. Et ex Canoniſtis Archid. in c. *Qui bona*, 17.q.1. nu 4. & ſumi poteſt ex eodem in cap. *Non ſolum*, 32. quæſt. 8. licet ibi ſcrupuloſe loquatur. Habet etiam Panor. in cap.1. de Voto num.4. Anton. in c. *Quemadmodum*, de Iureiur. num.3. & alii. Vt autem hæc regula exponatur, duo diſtinguenda ſunt neceſſaria ex parte vouentis ad valorem voti, ſcilicet poteſtas, & voluntas: poteſt ergo intelligi illa regula vel de mutatione facta in obiecto voti in ordine ad poteſtatem vouẽtis, vel in ordine ad voluntatem, & in vtroque ſenſu habere poteſt veritatem, licet in priori maiori explicatione indigeat.

Anton.

Quæ requirantur ad valorem voti ex parte vouentis.

4. *1. Aſſertio. Mutatio in materia voti in ordine ad poteſtatẽ vouẽtis ſufficiẽs in principio ad illud irritandum ſufficit poſtea ad obligationem tollendam. L. Pluribus.*

Dico ergo primò: Quandocumque tanta ſit mutatio in voto ex parte materiæ eius in ordine ad poteſtatem vouentis, vt in principio eſſet ſufficiens ad impediendum valorem eius, ſufficit etiam poſtea ad tollẽdã eius obligationem. Hæc regula ſatis nota eſt ex dictis, ſumiturque ex l. *Pluribus*, 140. §. *Et ſi placeat*, ff. de verb. obligat. vbi dicitur, *Extingui obligationem, ſi in eum caſum inciderit, à quo incipere non poteſt*. Licet ibi aliquę limitationes aſsignentur, quę ad nos nũc non ſpectant. Quia cadunt in illam regulam, quatenus intelligi poteſt de caſu, in quo obligatio incipere non poteſt iure, ſic enim in aliquo caſu fortaſſe conſeruatur, & defenditur obligatio iam impoſita, in quo non permitteretur imponi. In præſenti autem intelligitur regula de impoſsibili, & iure, & facto. Et ſic, ſicut probatum eſt ſupra, votum de re impoſsibili non obligare, nec valere, ita clarum eſt, quoties decurſu temporis ſit impoſsibilis obſeruatio voti, ceſſare obligationem eius. Tum quia Deus nullo in tẽpore obligat ad impoſsibile. Tum quia etiam lex deſinit obligare, quoties ſit obſeruatu impoſsibilis: tum præterea quia in omni voto ſubintelligitur cõditio, *Si potuero*, vel *Quamdiu potuero*, vt ſupra oſtenſum eſt. Tum denique quia votũ licet vno momẽto fiat, extenditur ſimul ad totam materiam futuram, & ad omnes actus, qui in virtute illius poſtea exercẽdi ſunt: ergo totam illam materiam reſpicit vt poſsibilem, & hæc eſt prudens intentio omnium vouentium: ergo eo ipſo, quod materia ſit impoſsibilis, votum non obligat.

5. *1 Corollar. Impedimentũ in materia voti perpetuum votum auſert.*

Atque hinc ſequitur primo, ſi hæc impotentia, ſiue impedimentum vnde illa prouenit, ſit perpetuũ, extinguere, & omnino auferre votũ: ſi vero ſit temporale, ſolum ſuſpendere, ſeu differre obligationẽ. Ratio vtriuſque partis clara eſt, quia impedimẽtum talem inducit excuſationem, qualem impotentiam affert impedimentum autem perpetuum affert impotentiam ſimpliciter, & ideo ſimpliciter aufert votum. Voco autem impedimentum perpetuum cũ proportione omne illud, quod durat pro toto illo tempore, pro quo votum poterat obligare, vt ſi votum ſit de vno tantum actu pro certo die faciendo, ita vt ſit onus proprium illius diei, & pro illo die occurrat impedimentum, extinguet votum. Si vero ſit votum pro certo tempore cum termino poſito ad finiendam obligationem, ſi impedimentum duret toto illo tempore vſque ad eius terminum, omnino etiam auferet obligationem. Si autem votum ſit indefinitum, vel vſque ad terminum poſitum tantum ad differendam ſolutionem, & terminandam dilationem, tũc oportet, vt impedimentum ſit abſolute perpetuum, vt votum extinguere omnino poſsit. Itaque oportet (vt ita dicam) quod impedimẽtum ſit adæquatum voto quoad durationem, vt illud prorſus extinguat. At impedimẽtum temporale non põt extinguere votum: nam ſi ceſſet impedimẽtum: ſtatim reſurget obligatio, cum tamen votum de nouo non fiat: præexiſtebat ergo, & durabat, ſed pro tunc excuſabatur vouẽs ratione impedimẽti. Et hoc modo dicitur obligatio illa ſuſpendi, vel differri per talem mutationem, iuxta c. *Quod ſuper his*, de Voto, & quæ ibi notantur. Vnde licet voto, v.g. de templo aliquo ædificando intra certum tempus ſuperueniat impedimentum impotentiæ, & paupertatis durans pro toto illo tempore, ſuſpendit obligationẽ pro eodem: ſi tamen poſtea perueniatur ad pinguem fortunam, vrgebit obligatio. Sicut etiam in debitis ciuilibus contingit, §. vlt. Inſt. de Actioni & ſumitur ex l. vlt. ff. de Action. emp. &c. vbi etiam ſignificatur, impedimentum temporale differre obligationem, non auferre, quia non reddit ſolutionem ſimpliciter impoſsibilem, ſed pro tunc.

6. *2. Corollar. Idem dicendum eſt de impedimento adæquato, vel inadæquato in materia voti, quod dictum eſt de tempore.*

Secundo infertur, quod dictũ eſt de impedimento adæquato, vel inadæquato quoad tempus, intelligẽdum etiam eſſe quoad materiam voti: nam ſi impedimentum ſit adæquatum, ſiue totale, aut integrũ, ita vt totam materiam reddat impoſsibilem, integre etiam excuſabit, aut extinguet votum: ſi autem ſolũ ex parte impediat, quoad aliquid excuſabit. Quo ad partẽ vero poſsibilem ſemper obligat votum: quãdo, videlicet, materia diuiſibilis eſt, & ſingulæ partes ſeparatæ eandem retinent rationem, & capacitatem obligationis, quia tale impedimentum non excuſat, niſi propter impotentiam, & ideo non plus excuſat, quam afferat impotentiæ. Quæ eſt doctrina communis, D. Thom. d. articul.3. ad 2. & Caietan. ibi & in Summa verb. *Votorum omiſsio*. De qua videri poſſunt dicta lib. 2. cap. 2. nam quæ ibi diximus de valore voti, quando à principio eſt de re impoſsibili, habent eãdem rationẽ cum proportione de duratione obligationis eius. Et idem dicendum eſt de dilatione: nam quod integre impleri non poteſt intra præſcriptum terminum, ſi poteſt ex parte, non eſt differendum quoad illam partem, quando commode diuidi poteſt, & contrarium non conſtat de intentione vouentis: hæc enim conditio ſemper ſubintelligenda eſt. Supererat autem explicandum, an hæc regula intelligẽda ſit tantum de impoſsibili ſimpliciter, vel etiam de difficili, quod in ſequenti regula ſimul explicabitur.

D. Thom. Caiet.

7. *3 Corollar. Mutatio materia in voto ſiue ſit voluntaria ſiue inuoluntaria ſi eſt ſupra dicta tollit obligationẽ voti.*

Tertio infero, concluſionem procedere, ſiue mutatio illa fuerit voluntaria, ſiue inuoluntaria, & ſiue fuerit præuiſa, ſiue non, ac ſubinde ſiue fuerit cum culpa, ſiue abſq; illa: etiamſi oppoſitum ſentiat Abbas in capit. *Licet*, de Voto. Ratio eſt, quia in hac materia culpa præcedens non relinquit obligationem faciendi recompenſationem, ſed tantum pœnitentiam, & poſtea non excuſat culpa præcedens, ſed impotentia præſens. Exempla ſunt, ſiquis habens votum caſtitatis duxit vxorem, non enim peccat reddendo, licet peccauerit mutando ſtatum. Item ſiquis habens v.g. votum peregrinationis, quod in Epiſcopatu, vel alio ſimili officio implere non poteſt: nam licet peccauerit acceptando munus incõpoſsibile ante votum impletum, ſi commode poterat: poſtea nihilominus à noua culpa excuſabitur, niſi tale ſit votum, vt pro illo implendo, relinquendum ſit munus etiam Epiſcopale, iuxta caput *Per tuas*, de Voto, de quo infra ſuo loco dicetur. Dixi autem: *Si commode poteſt*, quia tanta poteſt eſſe neceſsitas, vel occaſio acceptandi ſtatim Epiſcopatum, vel quidpiam ſimile, vt non detur locus implendi votum, & tunc excuſari poteſt quis à culpa, tam faciendo mutationem (quia non creditur habuiſſe intentionem ſe obligandi cum tanto rigore, & pro tali opportunitate iuxta ſtatim dicenda) quam poſtea non implendo propter impoſsibilitatem, ſi abſoluta ſit. Nam ſi tantum ſit conditionata, vt verbi gratia, quia factus Epiſcopus non poteſt longam peregrinationem facere ſine licentia Papæ tunc tenebitur illam petere, & ſi denegetur, tunc excuſabitur, quia votum manet irritum.

8. *Mutatio materia quæ nõ reddit impoſsibilẽ obſer-*

Dico ſecundo: Si mutatio facta non reddit abſolute impoſsibilem obſeruationem voti, non ſufficit ad tollẽdam obligationem, etiamſi talis ſit, quod ſi à principio extitiſſet, homo non vouiſſet, niſi etiam mora-

Digitized by Google

uentiam Voti non tollit illius obligationem. Armil. Duplex mutatio, quæ accidere poteſt in Voto.

moraliter credatur non fuiſſe ad illum ſtatum extẽſam intentionem vouentis. Prior pars communis eſt, vt conſtat ex Caieta. Soto, Nauar. & aliis locis citatis, Armil. verb. *Votum*, nume. 11. quos omnes Moderni ſequuntur. Et declaratur, ac probatur. Nam illa mutatio dupliciter accidere poteſt, primo ex parte ipſius vouentis: ſecundo ex parte ipſius voti, vel circumſtantiarum eius. Ex parte item vouentis poteſt accidere variis modis, vnus eſt ex parte intellectus: quia nimirum, poſtea multa cogitat, quæ antea non cogitauit, & ſi cogitaſſet, forte auerterent eius voluntatem, vel etiam, quia licet difficultate cogitauerat, non erat expertus, poſtea vero per experientiam longe aliter illam apprehendit. Et hæc mutatio ſine dubio non ſufficit ad obligationem tollendam, quando non includit ignorantiam, vel errorem circa ſubſtantialia voti, quia non excludit verum, & abſolutum conſenſum in tale obiectum, alias nulla eſſet firmitas in humana obligatione, ſiue in voto, ſiue in quocumque alio contractu humano. Vnde hic locum habent. quæ de voto per errorem, vel ignorantiam facto diximus ſupra li. 1. ca. 10. Nam eadem eſt ratio de inceptione, & conſeruatione obligationis, vt proxime dixi.

9. Alio modo poteſt accidere hæc mutatio ex parte voluntatis vouentis, quia cum vouit, erat bene affectus ad talem perſonam, cui ex voto promiſit eleemoſynam: poſtea vero intercesſit diſſenſio aliqua, vel occaſio auerſionis, aut odii, quæ ſi præextitiſſet in principio, non vouiſſet. Et hęc etiam mutatio non ſufficit, dummodo illa perſona pauper ſemper ſit, quia illa diſpoſitio eſt extrinſeca voto, & non abſtulit verum cõſenſum, nec poſtea extrahit actum promiſſum ab obiecto illius conſenſus. Denique hinc etiam fit, vt licet aliquis poſt votum caſtitatis ſe fragilem experiatur, & ſæpius cadat, ac ſentiat vinculum illud ſibi non prodeſſe, nihilominus voto obligatur, nec per ſe ceſſat, donec per diſpenſationem auferatur, vt eſt communis doctrina. Ratio autem eſt, quia tota difficultas prouenit ex ſola diſpoſitione ſubiecti, cooperatione libera voluntate eius. Accedit quod ſi in his caſibus daretur licentia non ſeruandi votum tamquam non obligans, infinita mala, & ſcandala prouenirent.

10. *Obiectio.* Dices: Si homo ille interrogaretur in principio cum vouit, an vellet obligari pro tempore talis occaſionis, vel ſi talis mutatio eueniret, reſponderet, ſe nolle: ergo de facto non ſe obligauit pro illo tempore, ſed quaſi ſub conditione vouit hoc facere, ſi talis mutatio non eueniret. Hac enim coniectura ſæpe vtũtur Authores præſertim Canoniſtæ, & Summiſtæ, & in promiſsione humana illam habet Armilla ver. *Pactum*, num. 2. & verb. *Iuramentum*, num. 35. Angles quæſt. de Voto art. 2 difficu. 3 concl. 5. Vnde infert, quod ſi tempore promiſsionis erant amici: & tẽpore adimpletionis inimici, non obligat promiſſio, neq; ſi tempore promiſsionis erat ditior, quam tempore adimpletionis.

Armilla. Angles.

11. *Solutio.* Reſpondeo in primis, conditionalem illam: *Si homo interrogaretur in principio non vouiſſet*, valde incertam eſſe, & inſufficientem ad effectus morales, quia homo non obligatur, ſicut nec meretur, nec demeretur ex his, quæ vellet, ſi hoc vel illud ei occurriſſet, ſed ex his, quæ vult ſecundum ea, quæ illi repræſentantur, quando deliberatè vult. Vnde parum refert, quod fortaſſe nollet, ſi iam vouit, ſicut de caſu maioris experientiæ, & aduertentiæ diximus. Falſum autem eſt, voluntatem illam eſſe conditionalem, eo quod forte mutaretur volũtas, ſi aliud eueniret: nã qui reſiſtit tentationi præſenti, abſolute reſiſtit, licet fortaſſe non reſiſteret, ſi eſſet maior tentatio: & qui proponit nemini malum inferre, abſolute proponit, & non tantum ſub conditione, niſi ei fiat iniuria, licet fortaſſe ſi de facto fieret, mutaret propoſitum. Itaque coniectura illa non eſt ſufficiens, niſi in caſibus explicandis in ſequenti puncto, & ita ſunt limitandi dicti Doctores, vel non eſt admittenda eorum regula. Exempla autem illa quæ adducit Angles ſunt valde incerta, & maxime tam generaliter propoſita. Nã primum de mutatione amicitiæ in inimicitiam in promiſsione humana fortaſſe aliquid facit, in voto autem nihil: quia votum fit Deo, & non nititur in humana amicitia, vel gratitudine. Immò nec inter homines eſt tam indefinite accipienda. Quid enim ſi promiſſor fuit cauſa inimicitiæ, nunquid propterea non obligabitur promiſsione & fructum ex ſua malitia reportabit? Itaque in tantum id poterit habere locum, in quantum promiſſarius per iniuriam, vel ingratitudinem ſit indignus promiſſo. Quod item promittens fuerit ditior in tempore promiſsionis, non ſatis eſt, niſi tanta fuerit mutatio, vt moralẽ impotentiam inducat.

Declaratur ſecunda pars aſſertionis: quia obligatio voti pendet ex intentione vouentis: ergo ſi intentio non fuiſſet extenſa ad talem rerum ſtatum, ad quem per mutationem peruentum eſt, tunc votum non obligabit. Quod mutatio talis eſſe poſsit, patet tum, quia in promiſsione humana ita cõtingit, vt docuit D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. ex Seneca lib. 4. de Benef. ca. 34. & 35. tum etiam quia vnuſquiſque cenſetur promittere prudenti modo, & cum debitis cõditionibus: ergo tanta poteſt eſſe rerum mutatio, vt licet non ſit res facta impoſsibilis ſimpliciter, nihilominus non credatur homo vouiſſe, aut promiſiſſe, niſi ſub illa tacita conditione, niſi res ad talem, vel talem ſtatum peruenerint. Itaque in hoc eſt notanda differentia inter hanc partem, & præcedẽtem, quod iuxta præcedentem conditio non fuit poſita, nec intellecta in obiecto voti, quando votũ fuit factũ, ſed ponitur quoad actũ vouendi, ſi fieret poſita hac, vel illa conditione, & talis conditio non mutat votum prout factum fuit, nec facit quominus extendatur ad materiam promiſſam, etiamſi de facto occurrat illa conditio. At verò in hoc poſteriori puncto conditio ſubintelligitur actu, vel virtute poſita in materia voti, & quia poſita eſt ad terminandam, vel excipiendam obligationem voti, ideo ſi per mutationẽ impletur talis conditio, eo ipſo ceſſat voti obligatio, & ita videntur interpretandi Doctores allegati. 12.

D. Thom.

Differentia.

Iam vero explicandum ſupereſt, quomodo cognoſcetur mutationem eſſe ſufficientem ad iudicandum, non fuiſſe intentionẽ vouentis ſe obligare pro tali caſu, vel tacite appoſuiſſe talem conditionem, niſi hoc acciderit. Aliqui enim ſolum caſum impotentiæ admittunt, quia extra illum nulla coniectura poteſt eſſe certa: & in re incerta videtur ſecurior pars eligenda: in præſenti autem votum eſt certum, intẽtio autẽ eſt dubia, & incerta, & ideo tutius eſt, adhærere voto, vt abſolute factum eſt. Vel ſaltem aiunt quod licet inde ſumatur ſufficiens cauſa diſpenſationis, vel interpretationis, quod votum nõ obliget, non licebit illam facere propria authoritate, ſed Superioris. Sicut in lege humana licet interdum occurrat caſus: qui per epijkiam præſumitur non cõprehenſus in lege ex intentione legislatoris, nihilominus non licebit propria authoritate talem interpretationem facere, ſaltem dum patet aditus ad Superiorem. Alij præter caſum impotentiæ ſolum putãt ſufficere mutationem illam, in qua ita ceſſat cauſa intrinſeca, & principalis voti, vt ceſſet etiam materia, & actus non cenſeatur ſub obiecto voti comprehenſus: quia hæc etiam exceptio eſt clara, reliqua ſunt incerta. 13.

Quæ mutatio ſit ſufficiens in materia Voti ad iudicandũ quod Vouẽs intentionem ſe obligandi nõ haberet.

Sed nihilominus maior aliqua moralis excuſatio, & latitudo admittenda eſt: nam in promiſsione humana ſecundum Senecam D. Thomã, & omnes admittitur, & Deus non eſt magis rigidus exactor, præſertim quia licet homines promittant Deo, promittunt vt homines, & iuxta conditionem humanã. Accedit, quod etiam in promiſsione iurata admittitur talis 14.

inter-

Quemadmodum. interpretatio, vt expreſſe habetur in ca. *Quemadmodum*, de Iureiur. & ſupra ſuo loco traditum eſt: ergo idẽ erit in voto. Præterea iuuat illa regula Iuris, quod in generali conceſsione non veniunt, quæ in ſpecie propoſita veriſimiliter non eſſet quis conceſſurus, c. *Ca In generali. Cap. Si Epiſcopus.* *In generali*, 81. de Regul. iur. in 6. c. *Si Epiſcopus*, de Pœnit. & remiſſ. Vbi non ſolum propter impotentiam, ſed etiam propter coniecturatam intentionem, ſeu limitationem intentionis, generalia verba conceſſionis limitanda dicuntur, idemque cenſent omnes de verbis obligationis: idem ergo erit in voto. Quæ- *Gloſſ.* rit autem Gloſſa in dict. capit. *In generali*, quomodo ſcietur, quæ ſint illa ſpecialia, quæ ſub generali conceſsione non comprehenduntur. Et reſpondet hoc cognoſci poſſe, *Ex impoſsibili, vel inhumana aut dura ſeparatione*. Ita ergo in præſenti dicere poſſumus, nõ ſolum illam mutationem, quæ reddit obſeruationẽ voti abſolute impoſsibilem, ſed etiam illã, quæ reddit inhumanam vel nimis duram, tollere vel ſuſpẽdere obligationem: quia non ſolent homines regulariter loquendo, ſe tam grauiter obligare. Pruden- *Caiet.* ti ergo iudicio opus eſt. Vnde Caietan. 2. 2. q. 113 dubio 4. *Oportet* (dicit) *conſiderare ſupernenientia impedimenta, & conferre cũ re promiſſa & collatione facta, quod recta tunc ratio ſuadet, penſatis conditionibus locorum, perſonarum, temporum, & negotiorum, honeſtum exequi.* Loquitur autem de promiſsione generatim; eſt autem eadem ratio de voto, & ideò eadem regula poteſt hic cum proportione applicari.

15. *Indicia ad colligendam & limitandã intentionẽ vouentis.* Denique nonnulla indicia in particulari aſsignare poſſumus, quæ ſint quaſi regulæ ad colligendam huiuſmodi intentionem vouentis, & limitandam illam. Vnum eſt, quando per mutationem res ad eum ſtatum perueniunt, in quo leges humanæ non ſolent obligare: quia non cenſentur obligare cum tanto rigore, & ideo communiter ſic intelliguntur. Vt ſi quis vouit ieiunium, & ægrotet, excuſabitur quoties ægritudo ſufficeret ad excuſandum ab obligatione præcepti Eccleſiaſtici, & ſic de alijs: quia hæc duo vel æquiparantur in obligatione, vel certe ſemper præſumitur quis, in huiuſmodi voto voluiſſe ſe obligare iuxta Eccleſiaſticam conſuetudinem. Aliud indicium eſt quoties exceptio, vel limitatio poteſt prudenter fundari in aliqua Iuris regula vel ad illam reduci, vt v. g. quando poteſt reduci ad illud principiũ, *Quod ſub generali clauſula nõ continentur ſpecialia*: nam ſi in particulari facta mutatione, inſurgit ſpecialitas ſufficiens iudicio prudentum, & de illa non fuit cogitatum: habet locum benigna interpretatio, quod paulo inferius exemplis exponemus. Tertia regula, ſeu indicium ſumi poteſt ex communi hominũ cõſenſu, & cõſuetudine: nam ſi per mutationem homo conſtituatur in eo ſtatu, in quo non ſolent homines talia onera ſibi imponere, veriſimile eſt non habuiſſe vouentem intentionem ſe obligandi pro illo euẽtu. Vt cum quis habens ſuperflua vouet facere eleemoſynam quotidie, & peruenit ad ſtatum in quo vix habet neceſſaria ad ſtatũ, non eſt cenſendus voluiſſe ſe obligare pro illo ſtatu: quia non ſolent homines talem obligationẽ ſibi imponere in ſimili ſtatu, nec tunc votum prudens fuiſſet: præſumitur autem quis prudenter voviſſe. Sic etiam (vt referunt) aiebat Victor, qui in iuuẽtute promiſit ingreſſum Religionis, & diſtulit vſq; ad ſenectutem, licet antea peccauerit, ex tunc poſſe excuſari à peccato, non ſolum quando iam eſt omnino ineptus, vel quando conſtat, nullibi eſſe recipiendum, ſed etiam quãdo Religio facta eſſet notabiliter grauior, & præter communem vſum hominum eſt ad illam obligari pro illa ætate.

16. *Obiectio.* Sed obijci poteſt contra hanc partem aſſertionis. Quia votum à principio factum cum talibus circũſtantijs validum eſſet: ergo multo magis ſi à principio validum fuit, poſtea obligabit eum iiſdem circũſtantijs. Conſequentia patet tum ex regula D. Thom. quod illa mutatio tollit obligationem voti, quæ à principio valorem eius impediret: tum etiam quia eadem eſt ratio initij & conſeruationis. Antecedens autem patet ex eiſdem exemplis. nam ſi quis in ſenectute voueat Religionem, obligabitur, &c. Reſpondetur diſtinguendo primum antecedẽs. Poteſt enim *Solutio.* ſumi ſeruata proportione, & æqualitate in omnibus, vel variata diſpoſitione vouentis. Et priori modo falſum eſt, quod aſſumitur: poſteriori autem modo, nulla eſt illatio. Declaro ſingula. nam ſi ſupponamus in principio vouentẽ nihil conſideraſſe de tali circũſtantia, vel ſtatu rerũ: quia vel nondũ erat, vel ſi erat, ipſe non aduertit ſed ignorauit, ſic falſum eſt aſſumptum. Nam ſi ille ſtatus rerum non erat, non cenſetur comprehenſus ſub generali intentione vt declaratum eſt: ſi autem erat, & ignorabatur, perinde eſt, quia intentio vniuerſalis ita nõ extenditur ad caſum ſpecialem ignoratum ac ſi non exiſteret, vt ſæpe dictum eſt. At vero ſi ſtatus ille iam erat & fuit conſideratus, & nihilominus homo emittit votum, iam non tãtum in generali, ſed etiam in ſpeciali intenditur, & promittitur talis materia etiã pro tali ſtatu. Et hoc quomodo in ſenectute vouet Religionẽ, obligatur quantum eſt ex ſe, quia in particulari id intendit, & idem eſt, ſi pauper voueat eleemoſynam: nam iuxta ſuam paupertatem in particulari cenſetur vouere. Inde vero nihil poteſt inferri, quia longe alia eſt intentio, vt conſtat. Et hæc doctrina ſumitur ex Panorm. in c. *Licet*, de Voto num. 13. *Panorm.*

Caput XX.

Duæ dubitationes ex præcedenti doctrina corollariè expediuntur.

1. *An votũ obliget in articulo mortis, vel grauis iacturæ.* Vt doctrina præcedentis capitis veluti duobus exemplis magis declaretur, libet duo breuia & ordinaria dubia ex principijs poſitis definire. Primo igitur ex dictis reſoluitur dubium, an votum obliget in caſu neceſsitatis vel extremæ, vt in periculo mortis & ſimili, vel grauis, vt cum diſcrimine magnæ iacturæ, vel in temporalibus bonis, vel in fama, vel in ſtatu, & honore, vel in ſalute aut corporis incõmodis? Videtur enim ex dictis ſequi in huiuſmodi euẽtu, & neceſsitate votum non obligare, quia tunc obſeruatio voti eſt moraliter impoſsibilis, vel adeo difficilis vt nemo intentionem habeat obligandi ſe ad voti obſeruationem cum tanto diſcrimine. Confirmatur, quia in his materijs à lege poſitiua ad votum licitum eſt argumentari: ſed lex poſitiua non obligat in caſu neceſsitatis, vnde habetur regula iuris, *Quod non eſt licitum in lege neceſsitas facit licitum*, quia *neceſsitas non ſubiacebit legi*, vt dicitur in c. 2. de Obſeruatione ieiun. ergo idem eſt in voto, vt infert Gloſſa vlt. *Gloſſ.* in dicta regula iuris 4 & ibi Panorm. num. 2. ſimpli- *Panorm.* citer, & ſine reſtrictione dicens nõ frangere votum, qui illud propter neceſsitatem non ſeruat. Confirmatur etiam à ſimili de iuramẽto promiſſorio, quod etiam voto æquiparatur: at qui ob neceſsitatem non implet tale iuramentum non eſt tranſgreſſor illius, vt ſumitur ex cap. *Querelam*, de Iureiur. ibi. *Non neceſsitate ſed voluntate*, vbi Gloſſa, & Doctores id notant, & multa allegant. Quæ etiam congerit Selua de *Selua.* Iureiur. 3. p. q. 1. numer. 13. & 14 vbi in hoc votum iu- *Gloſſ.* ramento æquiparat. Sumitur etiam ex Gloſſa 2. in ca. *Panorm.* *Si vero* de Iureiur. vbi Panorm. num. 2. eãdem æqui- *Anton.* parationem facit Sequitur Anton. 2. p. tit. 10. c. 6. ver. *Turrecr.* *Secundus caſus*. Idem fere Turrec. in ca. *Non ſolum*, 32. *Gerſon.* q. 8. num. 3. Gerſon. in Regu. moralib. c. de Gula Alphab. 24. Littera X. Poteſtque probari ex eodem: tũ quia in vtroque includitur illa cõditio: *Si potuero*, vel *Si commode potuero*, intelligendo illud *commode*, ſecũdum prudẽs arbitrium, tum etiam, quia alias votum eſſet temerarium, neque Deo cenſendum eſſet acceptum pro tali euentu.

2\. In contrarium verò apparet, doctrinam hanc non poſſe vniuerſaliter defendi. Primò quia in multis caſibus voto obligant etiam cũ periculo mortis. Vulgaris caſus eſt de lege Carthuſianorum abſtinendi à carnibus: nam multi cenſent voto obedientiæ confirmari, & ideo obligare etiam in extrema neceſsitate. Alius caſus eſt ſi quis voueat curare infirmos perpetuo in hoſpitali: nam obligatur etiam cum periculo vitæ, & ſic de alijs. Secundo eſt à priori ratio, quia tale votum poteſt eſſe gratum Deo: quia non tenetur homo ſemper conſeruare vitam ſpeciali diligentia, nec fugere omnia mortis pericula: ergo poteſt ſæpè votum hoc eſſe gratum Deo, & non temerarium, vt aiebat Panorm. Vnde in tali voto non neceſſario includitur illa conditio, *Si potuero*, ſubintelligẽdo *commode*, ſeu ſine tali periculo, quia votum ipſum obligare poteſt ad ſubeundum illud periculum.

3\. *Reſolutio prioris dubij.* Breuiter tamen dicendum eſt, aliud eſſe vouere generaliter, nulla facta ſpeciali reflexione, nec habita ſpeciali intentione circa tale periculum: aliud verò eſſe vouere ex intentione formali, vel virtuali comprehendendi talem caſum. In præſenti loquimur priori modo, & ſic procederet omnia priori loco adducta, & generalit regula quod facta tali mutatione, ſeu occurrente tali neceſsitate, votum non obligat, niſi ex certis coniecturis cõſtet aliam fuiſſe intentionem vouentis. Obiectiones autem in contrarium procedunt in caſu, in quo ſatis conſtat, aliã eſſe intentionem vouentis. In quo imprimis requiritur, vt intentio ſit rationabilis, & prudens, quia non eſt licitum homini ſine cauſa prodigere vitam ſuam, vel ſalutem, nec tale votum eſſet Deo placitum. Non eſt tamen dubium, quin interdum poſsit eſſe honeſtiſſimum votum, & magnæ perfectionis, vt probat vltima ratio facta. Item quia lex humana poteſt interdum obligare cum diſcrimine vitæ, vt nunc ſuppono. Item lex naturalis ad hoc ſæpe obligat: poteſt autem fieri votũ de obſeruatione cuiuſcumq; legis. Itẽ ſæpè eſt opus ſupererogationis, & conſilij, vt non recedere ab infirmo, quãtum expedit ad curationem, vel conſolationem eius, etiamſi cõtagium teneatur, & aliquando eſt opus magnæ charitatis ſe morti exponere ne alius pereat: omne autem tale opus poteſt ſub votum cadere.

4\. Non eſt ergo dubium, quin poſsit votum obligare cum periculo mortis, quando illud eſt rationabile, & intentum, & tale videtur eſſe votum ſeruiendi hoſpitali ſine limitatione, ſed iuxta morem eius in omni occaſione. Alius vero caſus de Carthuſianorũ ſtatuto valde controuerſus eſt ab Auctoribus, vt videre licet in Panormitan. Anto. Selua, & Gerſon. locis citatis, & alijs, cum quibus de hoc puncto latè diſputat Vazquez 1.2. diſp. 162. ego vero id nunc omitto, quia re vera Carthuſiani non habent de hoc ſpeciale votum, ſed ſtatutum, in quo non dicitur, vt etiam in extrema neceſsitate carnes non comedãt, ſed cõſuetudine ita ſeruant, & interpretantur ſtatutum, & ideò non expectat ad hunc locum, ſed de illo dicemus tractando de Statu Religioſo, & in particulari de ſacra illa Religione. *Vazquez.*

5\. *An qui vouit ieiunare omnibus ſextis ferijs obligetur ad ieiunandũ etiam in die natalis Domini ſi incidat in tali feria.* Secundo principaliter poteſt expediri dubium in hac materia frequens, an qui vouit ieiunare ſimpliciter omnibus ferijs ſextis, obligetur ex voto ad ieiunandum etiã in die natalis Domini, quando in feria ſexta incidit? Supponimus enim ſi quis ex voto ſpecialiter id vouit, vel ſi vouẽdo generaliter habuit intentionem ſe obligandi etiam pro illo die, obligari ex voto iuxta cap. vlt. de Obſeruat. ieiun. quia licet Eccleſia non prohibeat comedere carnes illo die, nõ tamen prohibet ab illis abſtinere: & ideo tale votum validum eſt. Dubium ergo ſolum eſt, quando ſit generaliter votum ſine aduertentia ad caſum illum, an votum nihilominus obliget etiam pro illo die? Quidam ſimpliciter affirmant, quia illa circũſtantia mere eſt accidentaria reſpectu talis voti: ergo non obſtante illa obligat votum pro tali die. Probatur cõſequentia: quia occultatio, ſeu ignoratio extrinſecarum circumſtantiarum non tollunt voluntarium, & alias votũ fuit generale, & ſine limitatione ergo. Ita tenet Paludanus in 4. diſt. 38. q. 4. n. 36. & in hanc partem inclinat Panorm. in cap. vlti. de Obſeruat. ieiun. loquens de voto abſtinendi à carnibus in ſexta feria. Et planè idem ſentit Glo. ibi fundaturque in generali principio quæ generaliter, & ſine cõditione promittuntur generaliter etiam abſolute eſſe implenda. Sentit Sylu. ver. *Ieiunium*, in fine, tenet Vazquez 1.2. diſp. 30. cap. 4. *Panorm. Palud. Gloſſ. Syluest. Vazquez.*

6\. Alij contrarium ſimpliciter defendunt, quia ſub generali promiſsione non veniunt illa, quę ſi ſpecialiter eſſent propoſita, vt veriſimiliter non eſſent intenta. tale autem eſt ieiunium illius diei, quia eſt præter generalem conſuetudinem Eccleſiæ, & ita circũſtantia illius diei, licet non faciat votum inuoluntarium propriè loquendo facit non voluntarium, ſeu non volitum quoad illum diem. Et ita tenet Molin. tom. 1. de Iuſt. diſput. 272. quia non intelligitur ordinarie vouens comprehendiſſe illum diem, nec voluiſſe ſingularis eſſe, nec onerosus familiæ ſuæ. Et hoc ipſum ſentit Ioan. Andr. dicta cap. vltim. de Obſeruat. ieiun. & eandem rationem ſignificat dicens, qui ſic vouet ſolum intendere illas ſextas ferias, in quibus Eccleſia præcipit abſtinere à carnibus. Nec eſt contemnenda ratio, (quidquid ibi dicat Panor.) tum quia licet abſtinentia à carnibus ſit in præcepto, poteſt etiam voueri: tum etiam, quia vouens ieiunare, non tantum vouet abſtinentiam à carnibus, ſed etiam formam ieiunij. Videtur autem qui ſic vouet non addere hanc formam ſua voluntate, niſi ſuppoſita neceſsitate abſtinendi à carnibus, vel quia ideo videtur illum diem potius vouere, quam alium, vel quia non vult eſſe in hoc ſingularis, vel certe quia licet in peculiarem obſeruantiam paſsionis Domini id faciat, non vult excludere lætitiam Natalis. Et in hanc partem inclinat Azor 1. tom. 1. libr. 11. capit. 20. & Iacob. Zocchus in tractat. de Ieiunijs, numero 76. *Molin. Io. Andr.*

7\. Mihi videtur res ſatis dubia, & ideo cum votum ſit certum, & ius commune magis illi faueat, tutiorẽ partem eſſe ſequẽdam. Claritatis vero gratia aliqua in particulari aduerto. Primum diſtinguendum eſſe de voto abſtinendi à carnibus, vel de voto ieiunandi: item de voto quaſi continuo totius temporis, vel de ſexta feria in ſpeciali, & de perpetuo voto, vel tẽporali. Qui ergo vouet nunquam comedere carnes, ſine dubio illum etiam diem comprehendit, vt bene dicit Panormitan. quia plane mouetur ex aliqua ſuperiori, & generali ratione, & quia in hoc ſenſu ſolent talia vota, vel ſtatuta fieri. Si autem vouit abſtinere à carnibus ſextis ferijs, conſideranda eſt occaſio: nam ſi id vouit, quia ſolebat frangere abſtinẽtiam illam ad ſe corrigendum, vel quia verſabatur inter hæreticos, vt ſe in obſeruatione Eccleſiaſtica cõfirmaret, ſic recte interpretabimur, ſolum vouiſſe abſtinentiam illam prout obſeruatur communiter ab Eccleſia, quia ad hoc tantum ducit intentio. Quãuis oppoſitum doceat Abb. in illo caſu, *Quia alias* (inquit) *votum eſſet inutile*, ſed hoc nõ ſequitur, vt ex dictis conſtat. Si tamen ſine aliqua ſpeciali occaſione hoc vouit ſolum ex deuotione, vel alia ſimili, videtur voluiſſe obligare ſe ſimpliciter, & ſine exceptione, & ad hoc maxime emiſiſſe votum.

8\. *Auctoris in dictum in hoc dubio.* Quando autem votum eſt de ieiunio, ſi eſſet de perpetuo, & quaſi continuo ieiunio, idem dicẽdum eſſet propter eandem rationem. Item ſi ſit de ſolis ſextis ferijs, tamen ſit abſolute pro tota vita, perpetuum etiam videtur comprehendere omnes ſine exceptione. Nam illa circumſtantia non adeo immutat ieiunium vt faciat caſum ſpecialem. Quod videtur ſupponi in dict. cap vltim. nam excipit vota, & ſtatuta regularia: intelligit autem de ſtatutis, nõ ſolũ

quæ

Digitized by Google

quæ prohibent in vniuerſum eſum carnium, nec ſolum de his, quæ ſpecialiter diſponunt, vt in illo caſu ieiunetur, ſed quæ ſimpliciter diſponunt, vt omnibus ſextis ferijs ieiunetur, vt omnes exponunt. Ergo eodem modo intelligit alteram partem de voto, & non iudicat de illo caſu, vt de ſpeciali, ſed vt compreheſo ſub generali clauſula. Item quando votum eſt generale, de tota vita iam ibi comprehenditur caſus ille, quia neceſſe eſt, vt durante vita interueniat, neque oportet, vt hoc ipſum in ſpeciali cogitetur, quia in nullo voto neceſſarium hoc eſt. Denique ſi votum eſt pro vno, vel pro altero anno, & in eo accidit caſus ille omnino præmeditatus, tunc res eſt magis dubia, & probabile ſatis eſt, poſſe tunc vouentem excuſari, maxime quando circumſtantiæ perſonæ aliquo modo fauent, vel ſaltem dicendum eſt, & ſine ſcrupulo poſſe vouentem conformari ſecundæ ſententiæ. Ego tamen ſemper conſulerem ſequi priorem, vtpote communiorem, & magis Iuri conformem, ac ſecuriorem.

INDEX CAPITVM LIBRI QVINTI DE PECCATIS VOTO, EIVSQVE OBLIGATIONI CONTRARIIS.

Cap. 1. Quando, & quam grauiter peccetur vouendo modo indebito?
Cap. 2. Quale peccatum ſit vouere materiam Deo indignam.
Cap. 3. An agere contra voti obligationem ſit peccatum, & quam habeat malitiam?
Cap. 4. De grauitate peccati violandi votum, & an poſſit eſſe veniale?
Cap. 5. An violatio voti ſit grauis, quæ fit per plures actus leues ex parte materiæ.
Cap. 6. Quibus modis violetur votum, & quando hæc peccata multiplicentur?
Cap. 7. An pœnitere de voto facto ſit peccatum contra votum.

LIBER QVINTVS, DE VITIIS, SEV PECCATIS, EIVSQVE OBLIGATIONI CONTRARIIS.

EXPLICVIMVS omnia, quæ ad intelligendam voti naturam, & obligationem neceſſaria viſa ſunt, nunc oportet, vt de peccatis voto contrarijs diſſeramus: hoc enim neceſſarium eſt ad perfectionem doctrinæ moralis: nam licet fere omnia ſuperioribus libris tractata moralia ſint, tamen non ſatis applicantur ad mores, niſi modi peccandi in tali materia in particulari tradantur. Et ideo hæc conſulto ſeparatim tractanda reſeruauimus, vt diſtinctius, & facilius comprehendantur, & vſui eſſe poſsint. Optimoque ordine in hunc locum cadit hæc diſputatio, prius quam de modis, quibus vota auferuntur, tractemus, quia voti ablatio ad hoc ordinatur, vt culpa, & peccatum in illo non obſeruando excuſetur. Duobus autem modis in genere loquendo, peccari poteſt circa votum, ſcilicet vel male vouendo, vel violando votum, quia duplex intelligitur in voto obligatio: vna quaſi antecedens ipſum votum, & obligans, vt debito modo fiat: alia ex voto ipſo reſultans, vt impleatur. Contra priorem peccari poteſt in voto faciendo: contra poſteriorem, contra votum iam factum. Et de vtroque modo peccandi dicendum eſt. Ad honeſtatem autem voti duo requiruntur, ſcilicet modus fidelis, & prudens vouendi, & materia debita. & ita poſſumus duos modos peccandi in vouendo conſiderare, qui faciles ſunt ex dictis, & ideo illos prius breuiter expediemus: poſtea circa proprias votorum tranſgreſsiones immorabimur.

Quibus modis peccetur contra votum.

Quæ requirantur ad honeſtatem voti.

CAPVT I.

Quando, & quam grauiter peccetur in vouendo modo indebito.

1.

IN modo emittendi votum, aliquid requiritur ex parte intellectus, & aliquid ex parte voluntatis, & ob vtriuſque defectum poteſt peccari in vouendo, & ita varijs modis poteſt in hoc peccari, licet non æque grauiter, quod per ſequentes aſſertiones breuiter explicabitur.

2.

1. Aſſertio. Vouere temere, & ſine debita conſideratione aliquod peccatum eſt.

Dico primo: Vouere temere, & ſine debita conſideratione, ac deliberatione intellectus, aliquod peccatũ eſt, raro autem erit mortale, niſi ratione alicuius grauis, & moralis periculi, cui homo ſe exponit. Prior pars ſupponitur ab authoribus, quorũ aliqui requirunt exactã, & accuratam conſideratione͂, vt votum obliget: alij requirunt illã ſaltem, vt debito modo fiat. Ratio aute͂ eſt, quia votũ eſt grauiſsimus actus Religionis, & graue͂ inducit obligatione͂: ergo poſtulat prudentiam, & magnã conſiderationem, vt recte fiat: ergo temere vouere nõ ſit ſine culpa. Confirmatur primo: quia vota temeraria, quæ facilitate͂ fiunt, eadem violantur: ergo non ita fiunt ſine aliqua culpa. Confirmatur ſecũdo: quia temere iurare peccatum eſt, vt ſupra vidimus: ergo & temere vouere. Vt aute͂ altera pars, & tota aſſertio comprehendatur, aduerto, ſi tãta ſit indeliberatio in voue͂do, vt excludat vſum libertatis completũ, & humanũ, tunc non fieri votum validũ iuxta ſupra dicta: & ita non peccari tunc in emiſsione veri voti: nihiſominus tamen

illum voti inualidi prolationem non eſſe ſine aliqua culpa ex parte actus: quia nomen Dei fruſtra, & in vanum, ac ſubinde irreuerenter aſſumitur: culpa autem illa nõ poterit eſſe mortalis, quia vt ſupponitur, deeſt libertas ad mortale peccatum ſufficiens: erit ergo venialis, & tanta poteſt eſſe inaduertentia, vt omnem culpam excuſet.

3\. *De qua deliberatione hic ſit ſermo.* Concluſio vero maxime intelligitur, quãdo non deeſt aduertentia ſufficiens ad valorem voti, tamen intra gradum illum parum eſt conſiderata: & tunc culpa conſiſtit in nimia præcipitatione voluntatis (vt ſic dicam) quamuis ſit libera. Non eſt autem facile gradum & menſuram huius culpæ præfigere, quia pendet ex circumſtantia perſonæ, grauitate negotij, & ſimilibus conditionibus. *Vouere ſine debita conſideratione ordinarie venialis culpa eſt.* Dico tamen ordinarie hunc lapſum eſſe venialem: tum quia ipſemet defectus maioris aduertentiæ ordinarie non cogitatur, nec aduertitur: tum etiam quia cum votum, & intentio eius de ſe ſint bona, ille defectus prudẽtiæ videtur eſſe per exceſſum in affectu ad tale bonũ, qui valde excuſabilis eſt. Vnde per hoc non ſit grauis iniuria Deo, per ſe loquendo, nec Religioni: erit ergo venialis culpa. *Quando ſit peccatũ mortale vouere ſine debita conſideratione.* Aliquando vero propter talẽ præcipitationem homo ſe exponit periculo vouendi, aut illicita, aut impoſsibilia, vel mutandi poſtea facile voluntatem, & non implendi votum: & tunc dico ratione periculi poſſe votum eſſe peccatũ mortale, ſi periculum aduertatur, vel facile aduerti poſſit, vt contingit, quando homo expertus eſt ex tali facilitate vouendi ſimilia incommoda ſolere incurrere: tunc enim voluntarie ſe exponendo illi periculo, peribit in illo.

4\. *2. Aſſertio. Vouere ficte vel quoad ſubſtantiã, vel quoad obligationẽ voti, peccatum eſt non tamen mortale per ſe loquendo.* Dico ſecundo: Vouere ficte in ſubſtantia voti, id eſt, in ordine ad ipſam voti obligationem, & ſubſiſtentiam, atque adeo ſine animo vouendi, aut ſe obligandi peccatum eſt, non tamen eſt mortale, per ſe loquendo, id eſt, ſecluſo contemptu, ſcandalo, iniuſtitia, & alijs accidentalibus incommodis. Prior pars per ſe clara eſt: tum quia talis fictio non ſit ſine aliquo mendacio: tum etiam quia ibi nomẽ Dei in vanum aſſumitur: ſic enim iuramentum cum ſimili fictione prolatum peccatum eſſe, ſupra oſtenſum eſt. De poſteriori autem parte dubitari quis poteſt: quia illa fictio non videtur eſſe ſine graui irreuerentia Dei, iuxta illud, *Diſplicet ei infidelis, & ſtulta promiſſio.* Nam votum ſic factum contra fidelitatem eſſe videtur, & ſatis ſtultum. Nihilominus vera eſt etiam illa pars, quam ſupponunt Soto, & Victoria, & Angles cap.te ſequenti referendi.

5\. Et ratio eſt, quia votum non poteſt eſſe ſic fictum reſpectu Dei, ſed tantum reſpectu hominum: ergo per illud nec Deo ſit grauis irreuerentia, nec hominibus grauis iniuria per ſe loquendo, ergo nõ eſt per ſe loquendo peccatum mortale. Antecedens declaratur, quia cum ſubſtantia voti conſiſtat in actu interno, quem Deus tuetur, ſi ſit, vel videt carentiam eius ſi re vera non ſit: nemo poteſt eſſe tam ſtultus, vt intendat fingere votum reſpectu Dei: nam hoc eſſet intendere Deũ decipere, quod ſine manifeſto errore & hæreſi cogitari non poteſt, ſi quis autem illo errore laboraret, grauiſsime peccaret, illum profitendo, illa vero eſt circumſtantia alterius rationis à fictione, de qua nunc tractamus. Igitur votum nõ fingitur reſpectu Dei, ſed reſpectu hominum. Iam igitur probatur conſequentia quoad priorem partem: quia nolle vouere per ſe nõ eſt peccatum, ergo velle proferre verba vouendi cum nolitione vouendi nõ eſt grauis iniuria Dei, quia per talem abuſum taliũ verborum non violatur fidelitas erga Deum: quia vbi non eſt promiſsio, nec infidelitas reperitur, nec decipitur Deus etiam ex intentione, & affectu vouentis, vt oſtenſum eſt: neque ſit aliquid directe contra aliquod Diuinum attributum: ſolum ergo eſt vanus quidam, & fictus vſus nominis Dei, qui per ſe non continet grauem iniuriam. Et confirmari poteſt hæc pars ex his, quæ de iuramento promiſſorio, & ficto diximus ſuperiori tractatu lib. 3. capit. 17. Vbi oſtendimus, ſi Deus non afferatur exterius, vt teſtis mendacij: (nam in hoc ſpecialis cernitur deformitas propter prauum vſum iuramenti cum fictione iurandi) non peccari mortaliter: idem ergo erit in voto: nam eſt eadem ratio, quia per hanc fictionem nulla falſitas Deo tribuitur, nec alia grauis iniuria irrogatur.

Altera vero pars illius conſequentis facile probatur, quia mendacium illud incluſum in tali fictione per ſe non eſt pernicioſum reſpectu hominum, ſed poteſt eſſe vanum mendacium, aut officioſum. Vt ſi quis ficte voueat ad euadendam violentiam cogentium ad vouendum, aut ſi quis inuentus in adulterio ficte voueat Religionem, vt dimittatur. Si autem contingat, talem fictionem fieri cum detrimento proximi, erit graue peccatum contra iuſtitiam: ſed illam vocamus malitiam per accidens, vt re vera eſt reſpectu virtutis Religionis, quam reſpicit votum. Idemque eſt de malitia ſcandali, aut contemptus, vt per ſe conſtat. Aliquando etiam poteſt adiungi malitia mortalis ex parte materię voti, vt capite ſequenti dicam: tamen illa eſt per accidens ad malitiam fictionis, de qua nunc tractamus, etiam ſi vtraque ſit contra Religionem. Denique aduerto, potiſsimum accidere mortalem malitiam in hoc genere fictionis in votis ſolennibus, vel quæ fiunt in aſſumptione ſtatus Religioſi, quia in ea fictione magna ſit iniuria Religioni, & conſequenter etiam Deo, & Eccleſiæ, & vix ſeparari poteſt grauiſsimum ſcandalum. Ad quid vero poſtea teneatur qui ſic finxit, dicemus in materia de Statu Religionis: nam in cæteris votis ſimplicibus talis fictio nullam obligationem poſtea relinquit, niſi cauendi ſcandalum, & proximi iniuriam. 6. *Vouere ficte quando ſit peccatum mortale?*

Dico tertio, vouere ficte quoad executionem voti, id eſt, ſine propoſito ſeruandi votum vere, & ex animo factum quoad ſubſtantiam eius, peccatum eſt mortale ex ſuo genere. Hæc aſſertio communis eſt. Et probatur, quia non implere votum eſt peccatum mortale ex ſuo genere: ergo propoſitum non implendi eſt mortale peccatum ex obiecto ſuo: ergo vouere cum tali propoſito eſt peccatũ eiuſdem generis. Non intelligo tamen ibi eſſe duo peccata, ſed vnum, quia in voto illo ſic facto vna eſt malitia, quæ tota deriuatur ab illo propoſito. An vero tale peccatum poſsit eſſe veniale ex leuitate materiæ, pendet ex alia quæſtione de tranſgreſsione voti, quam infra tractabimus. Qualis enim fuerit tranſgreſsio voti in materia leui, tale erit propoſitum illius. Videtur autem peculiaris deformitas addi, quando ſimul coniungitur vera promiſsio cum propoſito non implendi, quia videtur magis directe, ac formaliter contemni Deus, ad quem directe votum dirigitur, & quem latere non poteſt animus vouentis. Sed nihilominus ſecluſo contemptu formali, non erit tale votum peccatum mortale, ſi ex parte materiæ tranſgreſsio non ſit futura peccatum mortale. Quia quod propoſitum illud ſimul concipiatur cum ipſo voto, vel poſtea, non multum auget grauitatem, & ille modus vouendi poteſt oriri non ex contemptu, ſed ex inconſideratione aliqua cum alio affectu, vel paſſione. Denique aliqui limitant hanc aſſertionem, quando materia voti eſt peccaminoſa, etiam ſi peccatum mortale ſit, de quo dicam in capite ſequenti. 7. *3. Aſſertio. Vouere ſine propoſito ſeruandi votũ, vere & ex animo factum, mortale peccatũ eſt ex ſuo genere.*

Dico quarto: Vouere propter prauum finem peccatum eſt cõtra Religionem. Concluſio intelligitur de fine voti, nõ de fine materiæ, iuxta diſtinctionem ſupra datam: nam quando votum ſit de actione propter prauum finem intenta, ſeu exercenda, tunc relatio voti ad finem eſt materia voti, & ita pertinet ad modum peccandi declarandum capite ſequenti. Hic ergo ſermo eſt, quando votũ ipſum ſit ex prauo moti- 8. *4. Aſſertio. Vouere propter prauũ finem, eſt peccatũ contra Religionem.*

motiuo, & ita euidens eſt aſſertio, quia praua intentio corrumpit actum de ſe bonum, & illum malum reddit, vt ex 1. 2. ſuppono: idem ergo eſt in actu vouendi. Inſurgit vero quæſtio, an tunc in illo voto duplex ſit malitia, vna illius ſpeciei, cuius eſt prauus finis: alia contra voti Religionem. Quæ dubitatio licet in omni actu ex genere ſuo bono & malo ex prauo fine locum habeat: ſpecialem rationem dubitandi in præſenti habere videtur, propter reuerentiam debitam Deo, cui votum fit. Videtur enim eſſe irreuerentia Dei illi aliquid promittere, intendẽdo prauum finem, & abutendo voto, quod ad eius cultum referendum eſt, tanquam medio ad prauum finem conſequendum. Et ita profecto cenſeo eſſe in tali modo vouendi malitiam irreligioſitatis, præter malitiam propriam prauæ intentionis, vt vanæ gloriæ, vel ambitionis, aut alterius vitij ſimilis.

9. *Malitia contra Religionem, quæ eſt in vouente prauo fine, venialis eſt.*

Addo vero illam malitiam, quæ ſpecialiter eſt contra Religionem, venialem videri, etiam ſi contingat, intentionem talis finis in ſua ſpecie eſſe peccatum mortale. Vt ſi quis profiteatur Religionem militarem intentione indigne obtinendi dignitates, vel captandi maiorem libertatem: peccabit quidem mortaliter in ea intentione contra iuſtitiam: tamen contra Religionem in male vouendo, non videtur, ſpecialem malitiam mortalem committere ſpecie diſtinctam: quia ſupponimus fideliter promittere animo ſeruandi, quæ promittit, quæ per ſe honeſta ſunt, & honeſte poſtea fieri poſſunt. Vnde praua illa intentio in ordine ad cultum Dei, non videtur grauem iniuriam continere, niſi contingat, prauam intentionem in vouendo eſſe contrariam obligationi voti, vt ſi quis vouendo ſolenniter caſtitatem, intenderet habere maiorem libertatem, & commoditatem ad luxuriandum. Illa enim intentio redundaret in voti infidelitatem, animo, & propoſito conceptam, & ex hac parte eſſet peccatum mortale, vt iam dictum eſt. Præciſe vero ſpectando habitudinem ad finem prauum, & malitiã irreligioſitatis inde reſultantem, illa venialis eſt: actus vero ipſe abſolute conſideratus erit peccatũ mortale, aut veniale pro qualitate intentionis. Nam ſi in fine fuerit grauis turpitudo, erit peccatum mortale, ſi leuis, erit veniale, vt per ſe notum eſt. Poterat autem hic quæri, an finis temporalis, & inferioris ordinis, quamuis non malus, ſit prauus in ordine ad votum, propter illum emittendum? Sed hoc in lib. 2. ſatis explicatum eſt.

Capvt II.

Quale peccatum ſit vouere materiam Deo indignam?

1. *Semper eſſe peccatum vouere Deo materiam incapacem obligationis.*

Poſſumus in hac quæſtione generalem regulam conſtituere, ſemper eſſe peccatum vouere Deo materiam incapacẽ obligationis voti, niſi inaduertentia, vel ignorantia excuſet. Probatur primo: quia actus ille eſt imprudens, & irrationabilis, quia vt minimum eſt otioſus, & inutilis. Secundo eſt contra reuerentiam Deo debitam, quia offertur ei aliquid, quod ei placere nõ poteſt, quod eſt illi quodammodo illudere. Tertio, cenſeri poteſt tale votum ſuperſtitioſus cultus: nam per illud res inepta ad Diuinum cultum, ad Deum honorandum vſurpatur.

2. *1. Corollarium. Peccatũ eſt vouere aliquid quod nequit impleri. D. Thom. Nauarr. Angel.*

Ex qua regula ſequitur primo, eſſe peccatum vouere aliquid, quod impleri nõ poteſt. Sumitur ex D. Tho. d. q. 88. art. 2. quatenus dicit, ſtultũ eſſe vouere id, quod eſt neceſſarium eſſe, vel nõ eſſe. Quod enim impleri nõ poteſt, neceſſariũ eſt non eſſe, ac ſubinde impoſſibile eſt eſſe: ergo ſtulte vouetur: ergo nõ ſine peccato vouetur. Idem ſumitur ex eod. q. 89. art. 7. vbi docet, eſſe peccatum iurare facere aliquid, quod præuidetur fieri non poſſe: eadem autem ratio eſt de voto. Tradunt etiam Nauar. c. 12. n. 38. & Angel. *Votum*, 2. n. 9. Ratio clara eſt ex propoſita regula: & rationes pro illa factæ poſſunt hic applicari.

3. *Veniale eſſe vouere quod nequit impleri, ſi votũ fiat bona fide.*

Sed hoc peccatum mortale eſt, aut veniale. Nauar. enim ſupra abſtracte loquitur, & rem amplius non declarat: Angel. autem dicit eſſe peccatũ mortale. niſi ignorantia, ſeu exiſtimatio de poteſtate implendi excuſet, vel niſi aliqua cõditio poſſibilis ſubintelligatur, qua ſubſiſtente, votum ſeruari poſſet: nam licet poſtea nõ ſubſiſtat, & ideo votum impleri non poſſit: votũ ipſum potuit fieri ſine peccato, vel nullo, ſi probabilis fuit exiſtimatio: vel ſaltem ſine mortali, ſi imprudenter factum eſt votum. Dico tamẽ, ſi bona fide quis voueat, & ſub ratione, ac intentione honeſta, raro in hoc committi peccatum mortale. Quia fieri non poteſt, vt quis ex animo voueat facere, quod ſcit, ſe nõ poſſe facere. In quo eſt notanda differentia inter votum, & iuramentũ: nam facile poteſt quis iurare ex animo, & ex abſoluta intẽtione iurandi, quamuis ſciat, ſibi nõ fore poſſibile id facere, quia poteſt quis ſcienter iurare falſum: nam velle ſic iurare, non eſt velle aliquid impoſſibile: Non ſic autem eſt de voto, quia non poteſt quis efficaciter velle facere impoſſibile, aut ſe obligare ad impoſſibile: & ideo non poteſt vere, & ex animo vouere id, quod nouit eſſe impoſſibile. Vnde ſi ſic voueat, erit fictum votum, & ſine animo ſe obligãdi, quæ eſt culpa alterius rationis, de qua ſupra dictum eſt. Solum ergo accidere poteſt, vt aliquis ſic voueat cogitans ſibi eſſe poſſibile, quod re vera non eſt, & tunc eſt. Quamuis hæc cogitatio ſit ex leuitate animi concepta, vel ex ignorantia voluntaria, non videtur grauis malitia, quando alioqui bona eſt intentio: quia ille error non videtur redundare in grauem Dei iniuriam, nec in detrimentum proximi. Et ideo niſi interueniat contemptus vel ſcandalum, aut periculum alterius nocumenti, non videtur hæc eſſe materia peccati mortalis.

4. *Secundũ corollariũ vouere actum moraliter malum peccatum eſt.*

Secundo ſequitur, eſſe peccatum vouere aliquem actum moraliter malum. Probatur ex regula poſita, & rationibus eius. Et ita in hoc conueniunt omnes. Intelligitur autem, quando id vouetur cognita malitia actus: nam ſi actus putetur honeſtus, iam votum ex intentione vouentis non eſt de re turpi, ſed de honeſta. Et quamuis materialiter ſit de re praua, excuſari poterit ratione ignorantiæ, vel omnino ſi ignorantia ſit probabilis, aut naturalis inaduertentia, vel ſaltem quoad grauitatem moralem propter rationem proxime factam, niſi temere procedatur ad executionẽ actus mali promiſſi ſine maiori examine, & diligentia: nam tunc creſcet peccatum iuxta grauitatẽ actus, vt mox explicabimus. *Obiectio.* Dices: Quomodo poteſt quis ex animo velle vouere id, quod ſcit eſſe malum: nam in ordine ad voti obligationem tam impoſſibile eſt obiectum prauum, quam quod abſolute eſt impoſſibile. *Solutio.* Reſpondetur, vbi eſt impoſſibilitas facti, & illa cognoſcitur, ſimpliciter eſt impoſſibile velle efficaciter illud promittere intentione ſe obligandi: at vero vbi tantum eſt malitia facti, etiamſi cognoſcatur, poteſt factum promitti abſoluta intentione: quia opus malum poteſt abſoluta voluntate intendi, & ſimiliter obligatio eius, vt patet de promiſſione ad hominem facta. Multi autem ſunt adeo ſtolidi, vt non diſtinguant inter Deum, & homines, & ideo ita promittunt Deo malum opus, acſi homini promitterent: qui etiam cogitare poſſunt poſſe de facto ſe obligare tali promiſſione, & maxime ſi apparenti bona intentione tale opus malum promittant.

5. *Quam graue ſit actum moraliter malum vouere.*

Supereſt vero explicandum quanta ſit huius peccati grauitas. In quo diſtinguendum eſt, an votũ fiat de peccato mortali committendo, vel de veniali? De primo fatentur omnes eſſe peccatũ mortale ſpeciale contra Religionem, illud vouere. Probatur, quia illa non eſt promiſſio, ſed grauis comminatio, quæ Deo fit, vt ait D. Th. d. ar. 2. Nam promiſſio eſt de

aliquo

aliquo bono eius, cui fit, comminatio autem eſt de malo: peccatum autem mortale nõ eſt bonum Dei, ſed magna iniuria: ergo vouere Deo tale peccatum, eſt comminari illi grauem iniuriam, quæ comminatio nõ minor iniuria eſt. Secundo, quia ſi tale votum vt promiſsio ſpectetur, continet aliunde maiorem iniuriam: nam promittens eo ipſo profitetur gratum eſſe promiſſario id, quod illi promittit: ergo qui ſic vouet, profitetur placere Deo peccatũ mortale: hæc autem grandis blaſphemia eſt. Tertio, qui ſic promittit, vel habet animum implendi, & ſic iam peccat mortaliter, non ſolum quia habet propoſitum peccandi mortaliter, ſed etiã quia illud habet tanquam neceſſariũ ad bene vouendum Deo. Et ſic qui promittit Deo vindicari de inimico, occidendo illum, & cum tali intentione, malitiam grauem homicidij, & irreligioſitatis cõmittit. At ſi id voueat ſine intentione faciendi, excuſatur quidem ab homicidio: nihilominus tamen nõ excuſatur à culpa ex ſuo genere graui. Quanquam oppoſitam doceat Angl. q. de Voto, art. 1. diff. 11. cap. 1. vbi ex ſententia Vict. (vt ipſe refert) ait, non peccare moraliter eum, qui ſic vouet ſine propoſito implendi, quia voluntatem peccandi non habet, ſed venialiter tantum, quia tale votum eſt otioſum. Sed illa ratio ſolum probat illud peccatum non eſſe mortale in propria materia actus promiſsi. At contra Religionem non videtur eſſe mortale ex duplici capite: nam & eſt infidelis & ſtulta promiſſio Deo facta in materia graui.

Angl.

6. *Aliquorũm limitatio.* *Soto.*

Magis apparẽs limitatio eſſet, ſi diceretur, tale votum factum ficte, & ſine intentione ſe obligandi, eſſe tantum veniale. Et fortaſſe in hoc ſenſu loquutus eſt Vict. & indicat So. d. art. 3. ſic enim ait, *Peccatum eſt mortale, etiamſi non fiat cum propoſito implendi votum, dummodo adſit intentio vouentis*, hanc ergo requirit vt conditionem neceſſariam: ergo ſi hæc etiam deſit, non erit peccatum mortale. Et patet ſimili ratione, quia tunc nec facto, neque intentione promittit, ergo nec malitiam mortalem committit. Vnde conſequenter ſequitur, ſi quis voueat animo faciendi, non tamen ſe obligandi, peccare quidem mortaliter in illa ſpecie malitiæ, in qua eſt factum promiſſum, non tamen malitia talis voti, quia non habet propoſitum faciendi.

7. *Qui vouet actum malum etiã ſine animo implendi ſacrilegium committit.*

Mihi tamen videtur etiam in eo caſu peccari malitia iniquæ promiſsionis & ſacrilegij contra Deum. Patet, quia ſic vouere etiam ſine animo faciendi, & promittendi peccatum ſacrilegij eſt: eſt enim actus inordinatus, non tantum propter mendacium, ſed etiam propter irreuerentiam in Deum. Quia licet ille nõ velit vere promittere, vult tamen exterius promittere, vel potius comminari Deo tale malũ, quod ſine dubio eſt contra reuerentiã Deo debitam. Vnde etiam vlterius mihi veriſimilius eſt, illud ex grauitate materiæ eſſe peccatum mortale, nõ ſolum ratione ſcandali, quod regulariter interuenit, ſed etiam ratione iniuriæ Diuinæ, quæ ibi eſſe videtur per modum cuiuſdam blaſphemiæ. Qui enim in Deum blaſphemus eſt, vt mortaliter peccet, non oportet, vt proferat verba blaſphemiæ ex deſiderio, aut voluntate inferendi, aut optandi Deo aliquod malum, ſed ſatis eſt velle proferre verba, quæ hoc indicent: ſic ergo in præſenti. Item comminari graue malũ Regi etiam ſine animo faciendi, aut ſe obligandi, cenſetur moraliter grauis iniuria, ſaltem propter verborum temeritatem, & contumeliam: ergo à fortiori idem iudicandũ eſt reſpectu Dei: nam hæc promiſſio de peccato mortali potius eſt comminatio grauis mali contra Deum, & ideo ſecluſa etiam voluntate faciendi, & ſe obligãdi, ſola voluntas proferendi talia verba grauis blaſphemia mihi eſſe videtur.

8. *An qui vouet peccatũ veniale mortaliter peccet?* *Sotus.* *Nauarr.*

An vero idem dicendum ſit, quando materia voti eſt tantum veniale peccatũ, diſſenſio eſt inter Authores. Nam Sotus ſupra dicit, tale votum non eſſe peccatum mortale, ſed veniale. Idem tenet Nauar. c. 12. n. 28. & 34. Indicat Sylueſt. verb. *Votum*, 1. q. 4. nam præciſe ait, vouere malum tunc eſſe peccatum mortale quando malum illud, quod vouetur, eſt mortale peccatum, & æquiparat illud iuramento, de quo dixerat verb. *Iuramentum*, 2. quæſt. 7. iuramentum de peccato veniali ſolum eſſe peccatũ veniale. Idem tenet Anton. 2. p. tit. 10. cap. 4. §. 1. Ratio eſt, quia talis materia etiam reſpectu Religionis eſt leuis. Item, quia implere tale votum non eſt niſi veniale peccatum: ergo neque facere. Tertio, quia iurare facere aliquod peccatum veniale, non eſt niſi venialis culpa.

Sylueſt.

Anton.

9. *Caiet. opinio aſſerẽtis mortale eſſe vouere Deo veniale.*

Nihilominus Caiet. verb. *Votum*. oppoſitum ſentit, ait enim, ſi aliquis ſic vouens cognoſcat & aduertat, quid faciat (nimirum quod attribuit Deo acceptare ſimile votum) peccare mortaliter, quia ſciens, & videns attribuit Deo, quod ei non conuenit, quod ſpectat ad ſpeciem blaſphemiæ. Vnde iuxta ſententiam hanc licet peccatum veniale in propria ſpecie, & vt faciendum ſit quid leue, tamen vt offerendum Deo in cultum per votum cenſetur materia grauis in ſpecie irreligioſitatis, & ideo tale votũ, per ſe loquendo, eſt peccatum mortale, niſi per ignorantiam, vel inaduertentiam excuſetur. Quæ ſententia inde maxime cõfirmatur, quod rationes contrariæ ſententiæ leues ſunt. Nam in prima ſumitur quod probandum eſt, ſcilicet, hanc materiã eſſe leuem. Quod ſi ex leuitate actus in vna ſpecie colligatur leuitas materiæ in ordine ad aliam ſpeciem peccati, nulla eſt cõſecutio, quia affirmare, mendacium officioſum placere Deo, grauius peccatum eſt, quam ipſum mendacium dicere. Vnde mendacium, quod ſecundũ ſe quid leue eſt, reſpectu talis aſſertionis eſt grauis materia: ergo ſimiliter idem mendacium eſſe poterit grauis materia reſpectu promiſsionis: nam in actu exercito eſt veluti quædã aſſertio per ipſum factum, quod talis culpa placeat Deo.

10. Vnde etiam ſecunda ratio non vrget, dupliciter enim fieri poteſt tale peccatũ promiſſum, vno modo quaſi materialiter, ſolum quatenus talis actus eſt: & ſic verum eſt, eſſe tantum peccatum veniale: alio modo poteſt fieri formaliter, id eſt, intentione cultus, & propter implendam promiſsionem Deo factam, & ſic falſum eſt, quod aſſumitur: nam ſic implere illud votum peccatum mortale eſt, quia eſt opere ipſo profiteri Deum coli peccatis, & obligare hominem ad peccatum faciendum. Vnde retorquetur argumentum: nam implere promiſsionem illam ex voto peccatum mortale eſt: ergo multo magis vouere.

11. Et ſimili modo putant aliqui, tertium argumentum eſſe retorquendum: nam iuramentum mentiendi iocoſe, vel aliud ſimile peccatum veniale committendi, peccatum mortale eſt. Sed de iuramento contrarium cenſuimus ſupra de illo diſputãdo. Poteſtq; facile diuerſa ratio aſsignari: nam in iuramento promiſſorio materia iurata nõ offertur in cultum Dei, ſed Deus adducitur in teſtimonium veritatis, in quo non inuoluitur grauis irreuerentia in Deum, quia veritas, etiamſi ſit in materia mala, per ſe teſtificabilis eſt (vt ſic dicam) neque eſt contra bonitatem Diuinam illam teſtificari: quia non propterea cenſetur illam approbare. At vero per votum materia ipſa offertur Deo in cultũ eius, & tamquam illi gratum, & ideo ſemper videtur eſſe grauis blaſphemia, offerre Deo aliquod malũ morale etiam minimum: quia ex vi, & genere talis actionis tribuitur Deo, vt illi gratum.

12. *Aliquorum reſponſio.* *D. Thom.*

Dicunt aliqui, etiamſi ſit blaſphemia, poſſe eſſe venialem ex leuitate materiæ. Sed in primis verius eſt, nunquam peccatum blaſphemiæ eſſe veniale ex leuitate materiæ, vt tract. 3. diximus, & ſignificat Diuus Thomas 2. 2. q. 13. art. 2. ad 3. Et deinde in præſenti talis materia non poteſt leuis cenſeri: nam directe opponitur ſummæ bonitati Dei, quia ſi vel minima mali-

Digitized by Google

malitia illi eſſet placita, non eſſet ſumme bonus. Simili enim ratione probatur, iurare mendacium minimum eſſe peccatũ mortale, quia ſi Deus minimum mendaciũ ſua authoritate teſtaretur, non eſſet ſumma veritas, & ideo ſic iurans, quantum eſt de ſe infallibilem Dei veritatem deſtruit: non minus autem repugnat Diuinæ bonitati acceptare promiſsionem de peccato etiam minimo. Eſt ergo hoc (vt opinor) peccatum mortale ex vi materiæ.

Quando ſit ſolum veniale vouere Deo actum venialem.

13\. Poterit autem hoc peccatum eſſe veniale ex ſurreptione, ex naturali inconſideratione, qua vel aliquis non aduertit id, quod facit, an Deo promittat, nec ne: vel ſaltem non aduertit, per promiſsionem illam ſignificari tale opus eſſe gratum Deo, ſicut etiam de blaſphemia in genere docet Diuus Thom. in loco proxime citato. Multi etiam excuſarẽtur, quia indiſcrete proferunt ſimilia verba: *Promitto Deo me facturum hoc, vel illud*: nullam enim intentionem habent Diuini cultus, nec promittendi Deo, ſed vel comminandi, vel promittendi alteri, vel explicandi ſuam voluntatem. Nominant autẽ Deum, vt fidem concilient dictis ſuis, vnde magis adducunt illum vt teſtem, quam vt perſonam, cui ſit promiſsio. Sicut quando ſponſus ſolet his verbis vti. *Promitto Deo, te in vxorem ducere*, non vouet Deo, ſed promittit homini coram Deo. Hæc autem promiſsio, & obligatio ad hominem, etiamſi ſit de peccato veniali, poteſt eſſe culpa venialis, ſecus vero eſt, quando re vera promiſsio ſit Deo, propter rationem factam.

Tertium corollarium, promittere Deo rem indifferentem peccatũ eſt, licet ſit tantum veniale.

14\. Tertio principaliter ſequitur ex dictis, promittere Deo rem indifferentem, peccatum eſſe, licet per ſe non videatur plusquam veniale. Prior pars conſtat ex regula poſita, quia illa eſt materia indebita. Poſterior autẽ communis eſſe videtur, & probatur: quia licet hęc materia non ſit apta voto, nõ eſt tamen directe iniurioſa, & cõtumelioſa Deo. Nam vt ſupra dicebam. qui vouet actum indifferentem, nõ vouet poſitiue actum illũ facere ſine bono fine: iam enim illud non eſſet votum de actu indifferente, ſed de actu malo, & otioſo, & de illo iudicandum eſſet iuxta duas præcedentes illationes. Qui ergo vouet actum indifferentem, tantũ negatiue ſe habet circa finem, & ita non eſt adeo iniurioſus, & contumelioſus in Deum, quia nõ profitetur aliquid per ſe contrarium bonitati Diuinæ: nam Deus poteſt eſſe Author actus indifferentis, & velle illum. Solũ ergo deficit, quia promittit rem inutilem, vel quia in promittendo omittit bonum finem, quem debuiſſet adhibere, vt promiſsio eſſet valida, hic autem defectus leuis eſt ex leuitate materiæ: neque contra hoc occurrit obiectio alicuius momenti.

Quartũ corollariũ vouere directe non ingredi Religionem, aut non ſequi ſimilia conſilia, peccatum eſt.

15\. Quarto principaliter infertur ex eodem fundamento, eſſe peccatum, vouere directe non ingredi Religionem, aut non ſequi ſimilia Dei conſilia. Patet, quia illa etiam materia eſt inepta; & non parũ iniurioſa Deo, quia offertur illi, quod ei diſplicet: imo de hoc ſolet eſſe grauior quæſtio, an tale peccatum mortale ſit? Multi enim ſentiunt eſſe tantum veniale peccatum, quia illa materia eſt quaſi indifferens, vnde licet vanum ſit tale votum, nõ tamen attribuit Deo aliquid directe repugnans bonitati, aut veritati eius: ſupponimus enim non voueri omiſsionem illam ſub aliqua ratione mali, ſed potius boni, licet nõ melioris. Excipiuntur autem duo caſus. Prior eſt, ſi quis voueat numquam facere opus conſilij, etiamſi occurrat occaſio, in qua poſsit eſſe ſub præcepto: vt ſi quis voueret non mutuare. aut non dare eleemoſynam etiam in articulo neceſsitatis. Sed hoc licet verum ſit, nõ eſt exceptio, quia tale votum iam non tantum eſt de omiſsione conſilij, ſed etiam de omiſsione præcepti. Altera exceptio eſt, ſi tale votũ ſiat gratia diſplicendi authori talium conſiliorum, vt loquitur Nauarr. d. c. 12. n. 29. & idem fere habet Caiet. d. art. 2. Quod cenſeo eſſe verum, id tamen vniuerſale eſt in omni materia peccati venialis: nam ſi quis diceret mendacium leuiſsimũ ex directa intentione diſplicendi Deo, peccaret mortaliter, quia talis intentio continet directe odium, vel formalem contemptum Dei, ac ſubinde magnam inordinationem voluntatis erga ipſum. Hæc ergo exceptio generalis eſt, & adeo rara, vt vix in homine viatore poſsit habere locum: maxime cum votum fieri ſoleat ad placendum ei, cui ſit promiſsio.

Nauarr.

Aliquorum exceptio.

16\. Et ideo alij potius excipiunt caſum, in quo talis materia offeratur Deo per votum tamquam illi placita: nam ſi hoc animo fieret tale votũ ex induſtria, eſſet peccatũ mortale, quia blaſphemiã contineret: quod ſentit Caietan. dicto art. 2. Hæc vero exceptio deſtruit poſitionem: nam ſi materia non offertur Deo vt placens illi, non eſt votum. Nam de ratione voti eſt, vt ſit promiſsio, de ratione autẽ promiſsionis eſt, vt promittatur res placẽs ei, cui ſit promiſsio: aliàs non eſt promiſsio, ſed comminatio, vt Diuus Thomas dixit. Item ſi non promittitur Deo, vt placens Deo: ergo promittitur ei, licet ei diſpliceat: hæc autem eſt maior blaſphemia. Dices: Poteſt promitti ſine aduertentia, an placeat, vel diſpliceat. Sed contra: nam tunc vel non eſt votum, niſi voce tantum, vel ſi ſit, per ſe habet grauem malitiam, ſolumq́ propter inaduertentiam excuſatur. Dico ergo, etiamſi voueatur vt placens Deo, nõ eſſe mortale: quia non eſt neceſſe offerri vt magis placẽs, quod inuolueret hæreſim, ſed ſatis eſt, vt offeratur tamquam aliquo modo placens. Fateor tamen hoc non poſſe contingere, ſine aliqua falſa opinione vel circa materiam, vel circa ipſum votum, exiſtimando eſſe poſſe Deo acceptum. Tamen hic error humanus eſt, & licet ſit ex ignorantia culpabili, non continet blaſphemiam, aut contemptum, & ideo per ſe non ſufficit ad mortalem culpam.

Caiet.

Euaſio.

Occluditur.

Capvt III.

Vtrum agere contra voti obligationem ſit peccatum, & quam habeat malitiam?

1. Aſſertio. Violare votum intrinſece malum eſt, & peccatum.

Deut. 23. Eccleſ. 5.

1\. Dico primo: Violare votum rumpendo obligationem eius, intrinſece malum eſt, & peccatum. Concluſio eſt certa, & de fide: nam habetur expreſſe in Scriptura Deut. 23. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et ſatis idem probant verba illa Eccleſ. 5. *Diſplicet enim illi infidelis, & ſtulta promiſsio*: quod enim Deo diſplicet, malum eſt & in actu morali peccatum eſt. Item verbum illud *Reddite*, Pſal, 75. verbum pręcepti eſt, vt ſæpe dictum eſt: ergo non implere illud, peccatum eſt. Denique ex dictis libro præcedenti c. 1. conſtat ratio huius veritatis: quia votum inducit obligationem in conſcientia: ergo contra conſcientiam eſt non implere illam obligationem: ergo eſt peccatum. Dices: Peccatum eſt dictum, vel factum contra legem Dei, ſed votum non eſt lex Dei, ſed hominis vouentis: ergo agere contra votum non eſt peccatum. Reſpondetur negando conſequentiam, quia agendo contra votum, agitur contra legẽ Dei. Votum enim non eſt propria lex, vt ſupra explicui, ſed promiſsio: facta autem promiſsione, lex Diuina, & naturalis obligat ad illam obſeruandam, quia iam hoc pertinet ad reuerentiam Dei, quod totum in illo Deut. loco ſatis explicatur.

Obiectio.

Solutio.

2. Aſſertio. In quo conſiſtat malitia peccati contra votũ.

2\. Dico ſecundo: Malitia huius peccati vnica eſt, per ſe loquendo, & formaliter conſiſtit in perfidia, ſeu infidelitate ad Deum, quæ mendacium & ſacrilegiũ quodammodo virtute continet. Hæc aſſertio ponitur ad explicandam qualitatem, & quaſi ſpeciem huius malitiæ. Nam primo videri poteſt, hoc peccatum eſſe mendacium, quia dum non impletur Deo promiſſũ, falſa ſit aſſertio incluſa in promiſsione Deo facta.

Digitized by Google

facta. Secundo videtur eſſe hoc peccatum ſacrilegij: quia res Deo dicata per votum irreuerenter tractatur. Tertio eſt ibi peccatum perfidiæ, quia promiſsio non impletur. Nihilominus tamen verum eſt, malitiam huius peccati eſſe tantum vnam, & illam eſſe proprie, ac formaliter malitiam infidelitatis contra Deum: licet ſecundum quandam eminentiam deformitatem ſacrilegij, & mendacij inuoluat. De qua aſſertione dixi multa ſuperiori volum. tract. 3. lib. 3. c. 3. à principio, & ideo hic breuiter explicatur ex dictis lib. præcedenti c. 1. ibi enim oſtenſum eſt, obligationem voti eſſe fidelitatis ad Deũ: ergo in trãſgreſsione eſt priuatio illius honeſtatis debitæ, quæ eſt infidelitas, ſeu perfidia. Quod ſatis declarauit Paul. 1. Tim. 5. dicens: *Habentes damnationem, quia primã fidem irritam fecerũt.* Quæ verba ita omnes exponunt, & ita in hac parte conſentiunt in hac materia D. Th. & omnes. Poteſtque confirmari, tum ex dictis in d. c. 3. tum quia inter homines non implere promiſſum quædam infidelitas eſt: ergo & in ordine ad Deum. Quod vero in tali peccato non ſit alia malitia, patet, quia in voto non eſt niſi vna honeſtas & vna obligatio, priuatio autem ſeruat proportionem ad habitum. Et hoc amplius patebit, reſpondẽdo ad duo prima argumenta.

3. *Fit ſatis oppoſitis argumentis.* Ad primum ergo negatur, tranſgreſsionem promiſsionis eſſe mendacium, vt in præcedenti tract. li. 3. c. 16. oſtendi. Tum authoritate D. Th. tum ratione. Et breuiter nunc declaratur: nam qui non implet votum, nihil affirmat, vel negat: ergo non poteſt proprie mentiri. Solum ergo dici poteſt, eſſe in cauſa, vt non ſit verũ, quod prius promittendo dixit: hoc autem non eſt proprie, aut formaliter mẽtiri, vt conſtat: non eſt ergo in illa emiſsione malitia mendacij. *Inſtantia.* Dices eo ipſo quod ille tenetur vitare, ne prior aſſertio falſa fuerit, ei imputatur malitia mendacij. *Soluitur.* Reſpondetur in primis negando abſolute aſſumptũ, quia ibi nunquam inuenitur propria malitia mẽdacij, quæ imputetur: ſed ſolum inuenitur defectus veritatis quaſi materialis, & à principio non intentus, qui propterea non imputatur, niſi iuxta obligationem, quę eſt ad vitandum talem defectum. In præſenti autem obligatio vitandi hunc defectum tota eſt ex virtute Religionis, & ideo defectus ille veritatis ſolum imputatur ratione Diuinæ irreuerentiæ, quæ in tali perfidia inuenitur. Denique ſupra oſtenſum eſt obligationem ſeruandi veritatem in tali actu ſolum eſſe genericam, & contrahi ex obligatione reddendi Deo debitum cultum in promiſsis ſeruandis: ergo defectus ille veritatis non eſt ſpecialis malitia mendacij, ſed ſolum per modum circũſtantiæ genericæ incluſæ in tali peccato. Et ſic poteſt *Actor. 5.* intelligi illud Actor. 5. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Quãuis probabile ſit, in eo facto præter tranſgreſsionem voti, commiſſum eſſe proprium, & formale mendacium, affirmando tanti fuiſſe venditum agrum, intentione negandi pluris fuiſſe venditum. Quod mendacium non negatur fuiſſe hominibus dictum vllo modo: nam cõſtat, Petro fuiſſe dictum, ſed ſenſus eſt, fuiſſe mendacium non mere politicum, ſed irreligioſum, quia fuit ad tranſgreſsionem voti committendam ordinatum.

4. *Fractio voti ſecundum ſe non habet propriam malitiam ſacrilegij.* Ad ſecundum nego fractionem voti per ſe ſpectatam eſſe propriam malitiam ſacrilegij, prout eſt ſpecies diſtincta ab aliis malitijs cõtra Religionẽ. Quod late probaui in d. c. 3. nunc ſolum addo duo. Et in primis expendo quod dicitur in l. 2. ff. de Pollicitationibus: *Votum perſonam voventem, non rem, quæ vovetur obligat:* & quaſi pro ratione additur, *Res enim, quæ vovetur, ſoluta quidem liberat vota, ipſa tamen ſacra non efficitur.* Si ergo res promiſſa Deo per votum ſacra non efficitur, non erit ſacrilegij materia in fractione voti, quia ſacrilegium proprie, & ſpecifice ſumptum, circa rem ſacram verſatur non immediate circa Deum ipſum. Non omittam tamen aduertere, *Alexand.* Alexand. in Additione 1 ad Bartol. ſuper dictam leg. 2. dicere, legem illam non habere locum de Iure Canonico, & citat Gloſſam, quam dicit notabilem in cap. *Mulier* 23. q. 2. Sed in ea quæſt. nullũ eſt c. *Mulier*, nec in tota illa quæſt. Gloſ. tract. de hac materia, neq; etiam in c. *Mulier*, 22. q. 2. Nec in c. *Mulier* 1. vel 2. 33. q. 5. neque in vllo alio. Neque etiam inuenio Canonem, cui lex illa quoad prædicta verba repugnet. Nam, licet vbi non ſolum votum ſimplex, ſed etiam ſpecialis conſecratio interponitur, res, vel perſona ſacra fiat ſecundum Canones, no tamen inuenitur in canonibus, quod per ſolum votum ſimplex res efficiatur ſacra.

5. Imo hinc ſumo alteram confirmationem, quia inter res ſacras in infimo ordine cõſtituũtur bona Eccleſiaſtica, quæ actu ſunt ſub Eccleſiæ dominio, & conſecratæ ſpecialiter nõ ſunt, iuxta doctrinã D. Th. *D. Thom.* 2. 2. q. 99. art. 3. Sed res tantum promiſſa Deo per votum, nullo illorum modorum eſt ſacra, quia nec in ſe cõſecrata manet, nec inter Eccleſiaſtica bona propter ſolam promiſsionem computatur: ergo illam contrectare, vel ad vſum profanum conuertere, nõ eſt ſacrilegium proprie, ſed ſola perfidia in Deũ. Vnde tandem ita concludo: nam omne ſacrilegium eſt aut contra ius naturale, aut ratione legis Eccleſiaſticæ prohibentis illo intuitu profanum vſum alicuius rei ſacræ, vt ſupra in materia de Sacrilegio viſum eſt. Sed violatio voti nec eſt ſacrilegium ex vi ſolius rationis naturalis, vt optime probat ratio facta, & lex ciuilis, quæ naturalem rationem oſtendit: nec etiam inuenitur lex Eccleſiaſtica, quæ naturali obligationi voti aliquã poſitiuam, & diuerſæ ſpeciei addat: ergo. Vnde ſi interdum in Decretis, vel Patribus vocatur hoc peccatum ſacrilegium, vt apud Baſilium in Regulis fuſius diſ. in 14. *Baſil.* vel ſumitur illa vox late prout frequẽter dicitur de omni irreligioſitate, vel ſermo eſt de rebus alias ſacris, quæ non tantum ratione voti, ſed etiam ratione conſecrationis ſpecialiter violantur, vt dicemus latius tractando de caſtitate perſonarum ſacrarum.

6. *3. Aſſertio. Tranſgreſsio voti interdum poteſt eſſe commiſsionis, interdum omiſsionis.* Dico tertio: Tranſgreſsio voti interdum poteſt eſſe peccatum commiſsionis, interdum omiſsionis. Hæc aſſertio eſt contra aliquos, qui dixerunt, ſemper tranſgreſsionem voti eſſe commiſsionem, quia conſiſtit in falſitate quadam, & mendacio. Sed hæc ratio ex dictis ſoluta eſt, quia non implens promiſſum non mentitur de nouo, aut dicit falſum, neque etiam prębet aliquod ſignum falſitatis, ratione cuius poſsit dici falſitatem committere: ſed ſolum non ponit terminum, ſeu menſuram neceſſariam ad veritatem aſſertionis, ſeu promiſsionis prius prolatę, & ita non eſt neceſſe, vt delinquat committendo: nam omittendo poteſt impedire, ne fiat verum, quod dictum eſt. Alii è contrario dicunt hoc peccatum eſſe omiſsionis, quia eſt contra affirmatiuum præceptũ: *Redde Domino vota tua*, ſed hoc optime intelligitur, quando votum eſt de opere poſitiue agendo ex vi voti: nam tunc in rigore per ſolam omiſsionem violatur tam votum ipſum, quam præceptum obligans ad illius obſeruationem. At vero quando votum eſt negatiuum, non violatur niſi per actum poſitiuum, & ideo non videtur, tunc eſſe peccatum omiſsionis, ſed commiſsionis.

Vnde neceſſaria videtur aſſertio poſita, quæ ſupponit trãſgreſsionem voti de ſe abſtrahere ab omiſ- 7.
ſione, & commiſsione: ſicut tranſgreſsio præcepti eodem modo abſtrahit: videtur enim eſſe eadem proportio, quia ſicut præceptum abſtrahit ab affirmatiuo, & negatiuo, ita etiam votum. Vnde licet pręceptum de reddendo voto affirmatiui formam habeat, vtrumque complectitur; ita enim reddit votum, qui cauet, quod cauere promiſit, ſicut qui facit, quod facere promiſit. Illud ergo *Reddere* moraliter potius, quam phyſice accipiendum eſt, ſicut omiſsio moralis nomine actionis comprehendi ſolet: Senſus ergo

ſus ergo præcepti eſt, *ita te gere, ſicut promiſiſti*; ſiue agendo, ſiue non agendo. Sicut obedientia obligat ad parendum Superiori: parere autem interdum eſt agere, interdum nõ agere. Vera eſt ergo aſſertio poſita, quod votum violetur omittendo, quando affirmatiuum eſt, committendo vero quando eſt negatiuum.

8. *Peccata licet phyſice ſpecie differant, poſſunt tamen moraliter eſſe eiuſdem ſpeciei. D. Thom.*

Dices: Ergo illa peccata differunt ſpecie. Reſpondeo conſequentiam non eſſe formalem, quia omiſſio, & commiſsio poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei in formali ratione mali, licet phyſice differant in ratione actus, vt docuit D. Thom. 1.2. quæſt. 72. artic. 6. & patet in materia iuſtitiæ, in peccato furandi, & non reſtituendi, & in peccato decipiendi, & non docendi verum, quando ex iuſtitia teneris Et in materia de Obedientia, non obedire, vel agendo, vel non agẽdo, ſi materia ſit alias æque indifferens, & in illa ſola honeſtas obedientiæ videtur, peccatum eſt eiuſdem rationis. Ita ergo eſſe poteſt in præſenti, & ratio à priori eſt, quia malitia moralis ſiue adhæreat actioni, ſiue ceſſationi promiſſæ, eiuſdem turpitudinis eſt in ordine ad promiſsionem Deo factam. vnde actus voluntatis in quo eſt formaliter tranſgreſsionis malitia, eandem accipit ſecundum ſpeciem ab illo obiecto, ſiue in ſe ſit poſitiuum vt eſt agere, ſiue negatiuum vt non agere.

9. *4. Aſſertio. Tranſgreſſio voti eiuſdem ſpeciei eſt reſpectu cuiuslibet voti, etſi materia diſtinguuntur.*

Hinc dico quarto: Tranſgreſsio voti eiuſdem ſpeciei eſt reſpectu cuiuslibet voti, etiamſi materiæ votorum diſtinctæ ſint, vt temperantiæ, caſtitatis, &c. Hanc pono aſſertionem, quia aliqui exiſtimarũt peccata contra hæc vota eſſe ſpecie diuerſa, ſumpta analogia ex præceptis, in quibus vnaquęq; obligatio ſpecificatur, iuxta exigentiam materiæ, & ita peccata contra diuerſa præcepta, ſpecie diſtinguuntur, non propter præcepta, ſed propter materias diuerſam habentes honeſtatem: idem ergo putant eſſe in votis. Sed nihilominus contrarium dicendum eſt iuxta aſſertionem poſitam, quia formalis ratio huius malitiæ eſt perfidiæ ad Deum, vt explicuimus: hæc autem eiuſdem rationis eſt in quacumque materia, vt recte Caietanus explicuit d. q. 88. art. 5. Et patet ex ſupra dictis, oſtendimus enim, diuerſitatem votorũ ex materiis non eſſe formalem: quia honeſtas voti, in omnibus eadem eſt: ergo & è contrario idem eſt de malitia, quæ in priuatione illius honeſtatis conſiſtit. Nec eſt ſimile de præceptis, vt idem Caietanus *Caiet.* dixit: nam præcepta non extrahunt actum, ſeu materiam à propria ratione virtutis, & honeſtatis, quam habent, ſed intra illam imponunt neceſsitatem, lex enim in materia temperantię pręcipit actum temperantiæ, & materia Religionis actum Religionis, & ſic de alijs: votum autem addit materiæ ſpecialẽ honeſtatem Diuini cultus, ordinando talem materiam ad hunc cultum, & ſub illa ratione imponit neceſsitatem, & ita eſt obligatio eiuſdem rationis in omnib. & conſequenter etiam tranſgreſsio. *Obiectio.* Dices, ergo in confeſsione non oportebit explicare in ſpecie materiam tranſgreſsionis voti, ſed ſatis erit dicere, violaui quoddam votum graue, ſeu grauiter. *Solutio.* Reſpondetur negando conſequentiam, tum quia non ſolum nudam ſpeciem malitiæ tenemur confiteri: ſed vt in re committitur per talem, vel talem actum, quando ex malitia actus poteſt multum variari iudicium Confeſſoris, & grauitas delicti, & neceſsitas medicinæ, ſeu remedij adhibendi in peccati curatione: tum etiam quia ex parte materiæ frequenter additur noua ſpecies malitię, vt iam explicabitur.

10. *An ex parte materiæ in voto ſemper adiungatur alia malitia ſpecie diſtincta in hoc genere peccati.*

Sed dubitari poteſt, eſto malitia irreligioſitatis, quæ eſt in tranſgreſsione voti ſit vna tantum, & eiuſdem rationis in omnib. violationibus votorum, an ex parte materiæ ſemper adiungatur alia malitia ſpecie diſtincta in hoc genere peccati? Quod dubiũ non mouetur de votis, quæ ſunt de materia neceſſaria ex alijs præceptis, vt ſunt votum caſtitatis, quoad abſtinendum à fornicatione, & adulterio, & omni ſimili turpitudine, & votum non furandi, & ſimilia: nam de ijs notum eſt, duas malitias eſſe in tali tranſgreſsione: vna contra ſpecialem virtutem, ad quam pertinet materia, & præceptum eius, ſcilicet contra caſtitatem, iuſtitiam, &c. aliam contra rationem voti. Imo interdum poterit vtraque eſſe contra Religionem ſecundum diuerſas rationes, vt in voto audiendi Miſſam in die feſto, & ſimilibus, vt ſatis conſtat ex dictis in ſuperioribus. Difficultas ergo eſt, quando votum eſt de actu alias non neceſſario, vt in ieiunio ſupererogationis, abſtinere à carnibus, in voto caſtitatis, non ducere vxorem, vel ſi illam habeas, non petere debitum: nam ante votum hi actus honeſti erant, & abſtinere ab illis non erat neceſſe ad vitandum peccatum: poſt votum autem mali ſunt: quæritur ergo, an comedere carnes contra votum ſit non ſolum irreligioſitas, ſed etiam intemperantia, & ſimiliter an in cõiuge habente votum ſit luxuria petere debitum, & ſic de alijs? Et ratio dubitandi eſſe poteſt, quia qui non ieiunat, ver. gr. quando tenetur ex voto, non facit actum temperantiæ, ſed intemperantiæ: ergo non tantum peccat contra Religionem, ſed etiam contra temperantiam. Idemque augumentum eſt de coniuge habente votum caſtitatis, & petente debitum: quia non facit actum caſtitatis, ſed luxuriæ. Vtrumq; antecedens patet, quia ille non ſeruat medium temperantiæ, & caſtitatis, quia non exercet actum quando, & quomodo oportet, ſed excedit in affectu ad talem materiã, quandoquidem ex affectu illius excedit limites rectæ rationis in eius vſu. Et confirmatur, quia ille, qui ſic vouit, ſe obligauit ad talem temperantiam & caſtitatẽ: ergo agens contra illam obligationem contra temperantiam, & caſtitatem peccat.

11. *Reſponſio negatiua ad ſuperiorem quæſtionem. Caietan. Aragon. Soto.*

Nihilominus dicendum eſt, per ſe loquendo, & ex vi talis actus in tranſgreſsione voti non eſſe aliam malitiam, niſi contra Religionem, ſcilicet perfidiæ in Deum. Ita docet late Caietan. in d. art. 5. dub. vlt. & ibi Soto, Arag. & omnes. Ratio eſt, quia votum nõ eſt lex vera, ſed tantum promiſsiõ, vt in ſuperioribus declaratum eſt, & ideo non imponit neceſsitatem niſi in ratione fidelitatis proportionatę perſonæ, cui ſit promiſsio, quæ in voto eſt fidelitas Religioſa: ergo tranſgreſsio illius per ſe ſoli Religioni repugnat: ergo ſola malitia irreligioſitatis in ea inuenitur. Confirmatur, & declaratur, quia licet votũ dicatur inducere obligationem, quia illo poſito naſcitur obligatio tamen propria obligatio in conſcientia immediate naſcitur ex lege Diuina & naturali obligante ad reddenda vota, vt ſupra dictum eſt, ſed poſito voto ieiunandi, vel dandi eleemoſynam ſupererogationis, non obligat lex naturalis temperantiæ, vel miſericordiæ ad ieiunandum, vel faciendam eleemoſynam: ſed obligat tantum lex illa, *Redde Domino vota tua*: ergo ſolum contra illam peccatur, ergo ſola malitia contra Religionẽ ibi inuenitur. Probatur vtraque conſequentia, quia nullum eſt peccatum, niſi quod alicui legi repugnat, nec habere poteſt malitiam, niſi legi contrariam. Et quamuis ſufficiat interdum lex poſitiua, ibi etiam non interuenit, quia (vt dicebam) votum non eſt lex. & ibi nullus alius actus interuenit, qui poſsit inducere legem poſitiuam: & ex reſponſione ad argumenta hoc euidentius conſtabit. Intelligenda autem eſt aſſertio ex vi ſolius neceſsitatis, quam votum imponit: nam ſi cum voto coniungitur promiſsio ad hominem, & ſit materia eius, dupliciter peccatur vnica tranſgreſsione: quia ſecunda promiſsio inducit obligationem diuerſæ rationis, quæ ſimul violatur. Sed hæc eſt accidentaria ad rationem voti vt ſic, ſicut in ſuperioribus explicatum eſt.

12. *Fit ſatis ad rationes oppoſitas.*

Ad primum reſpondeo, difficultatem eſſe communem de omni actu, qui de ſe eſt vnius virtutis, & deeſt illi circumſtantia neceſſaria ex alia virtute extrinſeca, & non ex propria, an retineat aliquam ho-

Digitized by Google

neſtatem, non obſtante malitia aliunde prouenien-te, quæ in 1. 2. ex profeſſo tractanda eſt. Nunc breuiter dico poſſe nos loqui, vel de actu exteriori ieiunij, vel de interiori voluntate. Quoad primum dico, ieiunium illud, vel petitionem debiti poſſe eſſe actū temperantiæ, vel caſtitatis, & retinere in ſe honeſtatem obiectiuam harum virtutum. Patet, quia poteſt in quolibet illorum ſeruari medium talis virtutis cū omnibus circūſtantijs requiſitis ad mediocritatem & honeſtatem eius. Neque repugnat cum illa voluntate coniungi malitiam formalem & moralem ex ratione extrinſeca, vt ex fine prauo extrinſeco operantis, vel in præſenti ex obligatione voti. Loquendo autem de interna voluntate, fateor, vix poſſe committi illud peccatum contra votum ſine aliquo exceſſu in alio motiuo operandi: quia nemo tranſgreditur votum propter tranſgreſsionem ipsā: peruerſiſsima enim eſſet talis voluntas: ducitur ergo alio motiuo, quod profecto non erit honeſtum: nam illud non induceret ad executionem adeo imprudētem, & prauam: ſemper ergo eſt aliquod motiuum, vel malum, vel ſaltem non bonum moraliter, vt alicuius delectationis, vel commodi humani. Ex hac igitur parte fateor regulariter admiſceri aliam malitiam. Dico tamen, illam & eſſe per accidens reſpectu talis materiæ ex ſola libertate, & fine operantis, & non neceſſario eſſe in ſuo genere mortalem: ſufficit enim venialis exceſſus in appetendo obiecto indifferente, vel leuiter malo, vt homo ſua libertate grauiter excedat, rumpendo votum propter illam cauſam leuem: & ita tunc tota grauitas mortalis ſumitur ex effectu tranſgreſsionis voti.

15. Ad ſecundum reſpondent aliqui, dupliciter poſſe hominem vouere ieiunium: primo ex ſimplici intentione vouendi, & conſecrandi Deo ieiunium, & tunc procedere omnia dicta. Secundo ex ſpeciali intentione reddendi ſibi neceſſariam, & debitam non tantum rectitudinem Religionis, ſed etiam temperantiæ, & ieiunij, & tunc verum eſſe, duplicem eſſe in fractione ieiunij malitiam grauem: aliam contra Religionem, aliam contra temperantiā, & hoc concludi argumento facto. Sed non eſt neceſſaria diſtinctio, nec veram doctrinam continet quoad poſterius membrum. Nam licet homo maxime velit ſibi imponere per votum aliam obligationem, quam Religionis, non poteſt. Ratio eſt ſupra tacta: quia homo non poteſt ſibi legē imponere, quę ex poteſtate iuriſdictionis procedat, vt per ſe notum eſt, & ideo ex hac parte nō poteſt ſibi imponere obligationem, & quaſi prçceptum obligans in vnaquaque materia ſecundū exigentiam eius, ſed hoc pertinet ad poteſtatem Superioris. Vnde nec vnus homo poteſt hoc genus obligationis alteri imponere, niſi iuriſdictionem in illum habeat, etiamſi aliunde poſsit illi præcipere ex promiſsione aliqua humana inter illos, ratione cuius poterit exigere fidelitatem, vel iuſtitiam, non vero imponere neceſsitatem temperantiæ propriam vel alterius ſimilis virtutis, quam tamen poteſt Superior ponere per poteſtatem iuriſdictionis. Ad argumentum ergo reſpondeo negando conſequentiam: quia neceſsitas, quam ſibi homo poteſt imponere, ſolum eſt voti, ſeu promiſsionis, non legis, vel præcepti determinantis materiam virtutis.

Non poteſt aliquis per votum ſibi imponere niſi obligationem Religionis.

CAPVT IIII.

De grauitate peccati violandi votum, & an interdum poſsit eſſe veniale?

1. *Violatio voti ex ſuo genere eſt mortale.* *D. Tho.*

DIximus de vnitate, & qualitate, ſeu ſpecie huius peccati, nunc de grauitate ſeu quantitate dicendum eſt. Et primo tanquam certum aſſerimus, peccatum hoc eſſe mortale ex ſuo genere. Hanc aſſertionem poſuit Diuus Thomas in quarto, diſtinctione 38. quæſtione prima, articul. 3. quæſtiuncula prima, & in eam non ſolum Doctores omnes, ſed etiam omnia Iura Canonica, & vniuerſa Eccleſia conſpirant: quare non eſt dubium quin ſit de fide. Imo videtur eſſe ſatis in Scriptura expreſſa. Ad quod in primis ponderari poteſt, quod in Pſalmo 75. poſt illa verba, *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro,* ſubiungit Dauid, *Terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ.* Quibus verbis exaggerare voluit grauitatem peccati non reddendi Deo votum ex Diuina maieſtate, & poteſtate. Præterea adduci ſolet illud Prouerbiorum, 20. *Ruina eſt homini deuorare Sanctos, & poſt vota retractare:* vbi aliqui pro *deuorare* legunt *deuotare*, vt Beda, Lyra, & Carthuſianus. Sed retinenda eſt lectio vulgata, & optimus ſenſus eſſe videtur, vt *deuorare Sanctos*, ſit temere, & magna cum facilitate vouere; quia inde fit, vt vota poſtea retractentur, id eſt, non impleantur, propoſitum mutando, & retractando, & hoc dicitur eſſe *ruina hominis*, quod plane peccatum mortale ſignificat. Euidentiora vero ſunt verba Pauli 1. ad Timoth. 5. *Habentes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt*, id eſt, promiſsionem prius datam, vt ex Concilijs, & Patribus ſupra expoſuimus, non dicitur autem habere damnationem, niſi qui mortaliter peccat. Atque hinc ortum eſt illud Hieronymo attributum 17. quæſtione 1. capit. 2. *Vouentibus virginitatem, non ſolum nubere, ſed etiam velle, damnabile eſt.* Et habetur in Auguſtino de Bono vidui. capit 9. Vnde capit. 11. ſubiungit, grauius eſſe violare caſtitatem contra votum, quam adulterare, & idem habet Chryſoſtomus Epiſtol. 6. ad Theod. lapſum Ambroſ. ad virginem lapſam capit. 5. vnde lib. 9. in Luc. circa cap. 20. inquit. *Quam grauia vincula promittere Deo, & non ſoluere?* Denique Innocentius III. in cap. *Licet*, de Voto, tam neceſſariam eſſe dicit voti ſolutionem, vt ſine diſpendio propriæ ſalutis prætermitti non poſsit.

Pſalm. 75. *Prou. 20.* *Beda.* *Lyra.* *Carthuſ.* *Hierony.* *Auguſt.* *Chryſoſt.* *Ambroſ.* *Innoc. 3.*

Ratione probatur hęc veritas, primo quia hoc peccatum eſt contra præcepta primæ tabulæ, quæ ſunt grauiſsima: ergo ex ſuo genere eſt mortale peccatum. Antecedens eſt Diui Thomæ Quodlib. 3. art. 12. vbi ſentit, hoc peccatum eſſe contra primum prçceptum, quod eſt de latria ſoli Deo exhibenda: quia votum continet cultum latriæ. Sed hæc ratio ſolum probat, eſſe contra illud primum præceptum, votum facere, vel offerre alteri, quam ſoli Deo, non tamen videtur probare, pertinere ad illud præceptum ſoluere vota facta Deo. Reſponderi autem poteſt, in illa negatione includi, vel potius ſupponi affirmationem dandi Deo cultum latriæ debitum ſecundum rectam rationem: hic autem cultus, prout exhibetur in obſeruatione voti, debitus eſt ſecundum rectam rationem, vt in præcedenti libro capite primo oſtenſum eſt: ergo. Alij vero potius exiſtimant hoc peccatum eſſe contra ſecundum præceptū primæ tabulæ: quia non implet votum, re ipſa facit, vt Dei nomen in vanum aſſumptum fuerit: nam per votum nomen Dei aſſumitur, & votum vanum redditur, cum non impletur. Et ita docet Catechiſmus Roman. 3. part. in explicatione ſecundi præcepti decalogi. Et Angelus verbo *Interrogationes*, circa ſecundum præceptum, Nauarrus capite duodecimo in principio, qui citat Concilium Coloni. Et quo ad rem præſentem ſpectat, ferè in idem redit, quia etiam ſecundum præceptum primæ tabulæ grauiſsimum eſt, & ideò peccatum contra iuramentum promiſſorium ex ſuo genere eſt peccatum mortale: ergo multò magis frangere votum. Probatur conſequentia: quia ſupra oſtenſum eſt, maiorem eſſe ex ſuo genere obligationem voti, quam iuramenti promiſſoriu. Quia grauius eſt infidelem eſſe ipſi Deo, quàm homini coram Deo, ſeu aſsiſtente Deo, & dante robur promiſsioni. Tertio poſſumus argumentari ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 89. artic. 8. quia infidelitas

2. *Ratione probatur aſſertio.* *Cath. Ro.* *Nauar.* *D. Thom.*

ſerui

ſerui ad Dominum eſt magna irreuerentia, argumento leg. 1. ff. de Conſtituta pecun. & quo grauior eſt perſona cui fides frãgitur, eo maius eſt delictum, vt ibi ſenſit Gloſ. & ſumitur ex leg. 1 §. *Merito*, ff. Depoſiti: ergo reſpectu Dei eſt grauiſsima iniuria, ac ſubinde graue peccatum, ſed tale eſt peccatum non implendi votum: ergo.

3. *Quam graue ſit peccatum votum violare.*

Quæri vero hic poteſt, quam graue ſit hoc peccatum, ſeu in quo gradu grauitatis exiſtat? Sed hæc dubitatio cum proportione expedienda eſt, ſicut ſimilis de periurio ſupra tractata libro tertio ſuperioris tract. capit. 3. ibi enim oſtendimus, peccatum hoc in eodem ordine grauitatis eſſe cum periurio, eſſe vero medium inter periurium contra aſſertorium, & contra promiſſorium iuramentum, ita vt ſit minus graue, quam primum, & grauius quam ſecundum. Hinc ergo concludimus, perfidiam contra votum eſſe minus graue peccatum, quam ſint peccata contra virtutes Theologicas, & quam omnia peccata contra Religionem, quæ ſunt grauiora periurio: eſſe vero grauius omnibus peccatis Religioni oppoſitis, & periurio inferioribus. Quæ omnia ex ibi dictis ſatis conſtant. De comparatione autem cum peccatis contra alias virtutes morales inferiores Religione nihil magis certum dici poteſt, quam quæ ibi de periurio dicta ſunt: & ideo nihil hic videtur de illa comparatione addendum.

4. *Non ſeruare votum erit veniale ſi ſit ex ſurreptione.*

Secundo principaliter certum eſt, hoc peccatum non ſeruandi votum poſſe eſſe veniale ex ſurreptione, ſeu indeliberatione. Patet, tum quia hic modus extenuandi culpam etiam in grauiſsimis peccatis, infidelitatis, deſperationis, & odij Dei locum habet, & in peccato periurij, vt ſupra viſum eſt. Tum etiam: quia propter indeliberationem poteſt interdum omnis culpa etiam venialis excuſari, vt manifeſtum eſt ſi ex obligatione naturali votum non impleatur, vel ſi ex motu primo id contingat: ergo pari ratione poterit impediri culpa mortalis, & relinqui venialis: quia poteſt eſſe aliqualis negligentia, vel libertas ita imperfecta, quæ ad culpam leuem, non tamen ad grauem ſufficiat. Quando autem contingat, tranſgreſsionem voti eſſe leuem culpam ex hoc capite, non habet hic ſpecialem conſiderationem, ſed iuxta generalia principia de peccatis, & actibus humanis intelligendum eſt. Præcipue vero ſumi poteſt ex dictis in libro primo de deliberatione neceſſaria ad ſubſtantiam voti: illam enim indeliberatio, quæ in principio impediret voti valorem: in eius tranſgreſsione impediret etiam mortalem culpam: quia pro regula poſuimus, illam deliberationem eſſe neceſſariam ad votũ, quæ ad peccandum mortaliter neceſſaria eſt: ergo è contrario, quæ ad votum non eſſet ſufficiens, multo minus erit ad peccandum mortaliter contra ipſum votum. Hic vero occurrebat difficultas, an poſsit contra votum peccari venialiter per ſurreptionem? Sed hoc ſufficienter attigimus lib. 2. cap. 3.

5. *Peccatum contra votũ poteſt eſſe veniale ex leuitate materiæ.*

Dico tertio: Tranſgreſsio voti poteſt eſſe peccatum veniale ex leuitate materiæ, etiamſi cum ſufficienti deliberatione fiat. Hæc eſt communior ſententia, quam in primis tenent omnes, qui de iuramento promiſſorio id ſentiunt, vt Archidiaconus, Antoninus, Syluest. Angel. Graffis, & Anton. de Butrio, quos retuli præcedenti tractatu, lib. 3. capit. 16. Tenet etiam Soto lib. 7. de Iuſtitia quæſt. 2. art. 1. Nauar. c. 12. n. 40. & communiter recentiores Theologi, & Summiſtæ. Probatur: quia hæc eſt generalis regula, vt peccatum mortale ex genere fiat veniale ex leuitate materiæ, quæ non habet exceptionem formalem (vt ſic dicam) ſed tantum materialem, vt ſtatim declarabo. Et ratio illius eſt, quia in moralibus parũ quaſi nihil reputatur, & ideo non cenſetur grauem Dei iniuriam continere, nec contrarie opponi charitati eius: ergo etiam in voto habet locum hæc regula, quia omiſsio fidelitatis in re parui momenti

Archid. Anton. Syluest. Angel. Graffit. Ant. de But. Sot. Nauar.

non eſt grauis iniuria. Declaratur præterea: quia hic nulla ratio talis exceptionis locum habet: nam in periurio contra iuramentum aſſertorium cenſetur habere illa regula exceptionem: quia ex teſtimonio cuiuſcumque mendacij leuiſsimi infertur Deo grauiſsimum nocumentũ, quantum eſt ex parte iurantis, & ideo dixi ſimilem exceptionem non eſſe formalem, quia illa materia nõ eſt leuis, ſed grauiſsima eo modo, quo ſub iuramentum cadit: & ideo etiam illud periurium eſt de materia graui formaliter loquendo, licet materialiter mendacium illud ſecundum ſe, & reſpectu hominis leue ſit. Et idem cum proportione inuenitur in blaſphemia, & vbicumq; ceſſauerit illa regula: nam ſemper inuenitur aliqua ſpecialis ratio grauitatis in materia, quæ aliàs apparet leuis. In voto autem nulla talis ratio reperitur: quia per tranſgreſsionem eius nihil attribuitur Deo repugnans dignitati eius, nec aliquod nocumentum quaſi intrinſecum ei infertur, etiam ex affectu operantis, ſed ſolum negatur ei quoddam debitum extrinſecum, quod pertinet ad extrinſeca in iniuriam, quæ recipit magis & minus vſque ad diminutionem venialis culpæ. Denique ita in alijs irreuerentijs contra Deum, & res ſacras videre licet: nam in oratione debita ex præcepto datur grauis, & leuis tranſgreſsio, & in debitis decimarum, oblationum, & ſimilium: ergo & votorum, nulla enim inuenitur ſpecialior ratio in voto: ergo eadem regula ſeruanda eſt.

Violatio materia leuis in voto, non eſt grauis iniuria.

Contra aſſertionem hanc non inuenio opinionem aliquam directe, ſeu formaliter repugnantem, licet ex parte, & quaſi materialiter Caietan. contradicere videatur, vt ſtatim dicam. Nec etiam inueni rationem alicuius momenti, cui reſpondere neceſſe ſit. Solum enim obiici poteſt argumẽtum à ſimili de iuramento aſſertorio Item infidelem eſſe ad Deum, eſt res grauiſsima, etiamſi in re minima eſſe contingat, plus enim eſt infidelem eſſe ad Deum in re minima, quam Regi in re graui: quia maior eſt exceſſus perſonæ ad perſonam, id eſt, Dei ad Regem, quam poſsit eſſe inter materias Regi, vel Deo promiſſas: ſed negare debitum Regi in graui materia eſt iniuria grauis: ergo grauior erit ad Deum etiam in leui materia. Veruntamen ad argumentum de iuramento aſſertorio reſponſum iam eſt, negando conſequentiam: quia grauior eſt obligatio iuramenti aſſertorij, & quia modus irreuerentiæ adducendi Deum in teſtem mendacij longe alterius, & grauioris rationis eſt. Ad alteram vero partem fatemur, infidelitatem ad Deum eſſe grauiſsimam in ſuo, & ex ſuo genere: nihilominus vero in indiuiduo poſſe diminui in illo ordine vſque ad venialem culpam: quia grauitas, vel leuitas culpæ non eſt conſideranda ex ſola excellentia Diuina, quæ ſemper eſt, ſed ex materia vt habente habitudinem ad Deum, quæ habitudo eſt proportionata materia, & ideo inde fieri poteſt, vt ſit tantum proportionata veniali culpæ. Ad ſimile autẽ adductum aliqui fortaſſe dicent, infidelitatem ad Regem non eſſe grauem culpam etiam in materia graui, niſi tranſeat in iniuſtitiam, vel formalem contemptum. Quidquid vero de hoc ſit, negatur ſimilitudo: quia ſit comparatio inter res diuerſorum ordinum, vnde ſolum ſit omnem infidelitatem ad Deum eſſe altioris ordinis, & ſpeciei, quam ad quemcunque hominem, non tamen concluditur ſimpliciter, & in indiuiduo eſſe grauius peccatum infidelitatem in re leui reſpectu Dei quam infidelitatem in re graui reſpectu regis. Quia vnaquæque augetur, vel minuitur in ſuo ordine iuxta proportionem ſuæ materiæ, vt conſtat in omnibus alijs vitijs diuerſorum ordinum. Argumentum enim fere generaliter fieri poteſt de omnibus peccatis venialibus ex leuitate materiæ, comparatis ad peccata inferiorum ordinum. 6.

7. *Caietani limitatio.*

Hanc nihilominus aſſertionem limitat Caiet. 2. 2. q. 89. art. 7. dicens procedere, quando materia voti

Digitized by Google

non impleta partialis eſt: non vero ibi votum in tota materia ſua non obſeruatur: nam tunc cenſet ſemper eſſe peccatum mortale, quantumuis materia minima eſſe videatur. Quam ſententiam ſequutus eſt aliquando Nauarrus, poſtea vero illam retractauit. Illi vero adhæret Cordub. in Sum. quæſt. 188. punct. 2. vbi licet contrariam dicat eſſe probabilem, hanc dicit eſſe ſecuriorem, & communiorem, ſed nullum authorem pro illa refert, & pauci pro ea inueniuntur in quæſtione de voto, quidquid ſit de iuramento promiſſorio, de quo ſuo loco dictum eſt. Cauendum item eſt exemplum, quod ibi adducit de Religioſo proprietario in re parui momenti, vt in *Cordub.* quarta parte argenti, quem dicit peccare mortaliter, hoc enim eſt contra omnes, & cõtra ipſummet Cordubam, quia reſpectu voti paupertatis illa nõ eſt materia totalis, ſed partialis, & tamen ipſe fatetur cum Caietano, quod tráſgreſsio voti in materia leui partiali non eſt peccatum mortale: reiiciendum ergo omnino eſt ſimile exemplum.

8. *Proponitur fundamentum Caiet.* Fundamentum ergo Caietani eſt, quia ſi materia eſt totalis, non poteſt eſſe leuis (& ideo dicebam materialiter diſſentire etiam in hac materia, quia ſemper requirit materiam grauem ad peccatum mortale, ſed in modo iudicandi de materia graui, aut leui diſcrepat.) Probat ergo aſſumptum: quia magnum, & paruum reſpectiue dicũtur, & ideo vbi totalis materia grauis eſt, minima pars eius poterit dici leuis reſpectu totius materiæ, quę grauis eſt. At vero vbi materia totalis eſt, non habet aliam reſpectu cuius ſit leuis: & ideo ſemper eſt grauis. Quod ſi obiicias, quia hinc ſequitur furtum vnius argẽti eſſe de materia graui, & conſequenter eſſe peccatum mortale: ſequela patet, quia materia illa eſt totalis, ergo grauis. Reſpondet negãdo ſequelam, & conſtituendo differentiam inter votum, & præceptum, ac materiam eorum: nam materia præcepti eſt generalis, & valde ampla, & reſpectu illius eſt materia partialis illa, quæ eſt materia tantum vnius, vel alterius actus, & ita materia talis furti eſſe poteſt leuis: quia eſt partialis reſpectu materiæ totius præcepti. Votum autem eſt particularis lex, quæ reſpicit interdum rem in ſe paruam tanquam materiã totalem, & ideo non poteſt illa reſpectu voti dici leuis materia: quia nullam habet grauiorem, vel totalem, ad quam comparetur. Quoties ergo materia voti totalis eſt, perfecta eſt, & grauis, conſtituitque actum perfectum voti: & conſequenter obligat ſub præcepto perfecto, & ſub mortali.

9. *Diluitur fundamentum Caietani.* Hoc autem fundamẽtum Caietani nititur in voluntaria explicatione illius habitudinis paruæ, & magnæ, ſeu leuis, & grauis materiæ, quæ ſine dubio falſa eſt. Primo, quia non oportet, vt dicantur comparatiue inter ſe in ordine ad materiam actu promiſſam, vel præceptam, ſed in ordine ad alteram materiam, quæ præcipi, vel promitti poſſit. Vt præceptum Prælati, vel confeſſoris recitandi ſemel orationem Dominicam leuis materia eſt, non reſpectu maioris materiæ præceptæ: nulla enim eſt: ergo reſpectu grauioris, quæ præcipi poſſet, ſi neceſsitas, vel cauſa ſubeſſet. Vnde ſumitur argumentum: quia aliàs præceptum Confeſſoris, vel Prælati de tali actu obligaret ſub mortali, quod dici non poteſt. Sequela patet, quia illa materia eſt totalis reſpectu talis præcepti, & in hoc æquiparatur voto. Simile argumentum ſumi poteſt ex promiſsione humana, vel ſupponendo obligare ex iuſtitia, & ſub mortali ex genere ſuo, vel ſaltem loquendo de promiſsione includente contractum mutuum obligantem ex iuſtitia: ſequitur enim, quod ſi fiat mutua conuentio, & promiſsio de re leuiſsima, vt dandi panem, ſi actum leuem feceris, eſſe peccatum mortale nõ implere, quod nullus admittet: nam furari rem ſimilem non eſt mortale: ergo non ſoluere illã, etiãſi ſit debita ex quocũque pacto, nõ eſt mortale. Sequela autem patet, quia reſpectu talis pacti illa eſt materia grauis: quia eſt totalis. Signum ergo eſt, materiam grauem, vel leuem non dici reſpectu alterius materiæ actu comprehenſæ ſub eadem promiſsione, vel pacto, ſed reſpectu alterius materiæ, quæ promitti poſſet, aut voueri. Et hæc argumenta euertunt plane differentiam à Caietano poſitam inter votum, & præceptum, vt conſideranti facile patebit.

Secundo (quoniam materia eſt vniuerſalis) addendum eſt, grauitatem, vel leuitatem materiæ non 11. *Grauitas materiæ in voto vnde deſumenda.* ſolum non conſiderari ſemper per reſpectũ ad materiam maiorem, vel totalem, etiam poſsibilem, ſed ſæpe conſiderari ſecundum alios reſpectus. Nam Lucæ 21. de vidua paupere mittente minuta duo in *Luc. 21.* gazophylacium, dixit Chriſtus plus cæteris miſiſſe, quod non poteſt intelligi ſecundum comparationem ad materiam totalem, vel minorem in quantitate ſua, ſed per reſpectũ ad perſonam. Et ita furtum vnius, & eiuſdem pecuniæ poteſt eſſe de materia leui reſpectu diuitis, & de graui reſpectu pauperis, ſiue ſit totalis, ſiue partialis. Non eſt ergo inde ſumenda grauitas, vel leuitas materiæ, ſed ex alijs reſpectibus, & maxime per comparationem, vel ad perſonam operantem, vel ad eam circa quam actio verſatur. Sicut idem pondus eſt magnum reſpectu pueri, & leue reſpectu viri, & idem verbum eſt leuis iniuria reſpectu vnius perſonę, & grauis reſpectu alterius. Igitur ad minimum non eſt adæquata illa ratio explicandi paruam materiam à Caietano explicatam, & conſequenter etiam ſi materia voti ſit totalis, poterit ſecundum alios reſpectus morales, leuis cenſeri. Aliunde vero ille modus explicandi lubricus eſt, & periculis expoſitus. Nam poſſet inferri, reſpectu voti perpetui recitandi quotidie officium Canonicum, eſſe leuem materiam, vno vel alio die totum officium omittere: quia reſpectu totius collectionis & materiæ ſub voto illo comprehenſæ videtur minima pars officium vnius diei, ac ſubinde leuis materia: & ſic de alijs.

Non ergo ſecundum illam habitudinem totius, & partis, ſed ſecundum comparationem ad rectam 12. rationem, iudicium de leui vel graui materia ferendum eſt. Et ſic ſemel dicere orationem Dominicam, etiamſi ſit tota materia alicuius voti, leuis eſt non ſolũ reſpectu grauioris quæ promitti poſſet, ſed etiam, quia in ſe ſpectata leuem Dei honorem, vel cultum continet, & conſequenter eius omiſsio leuem etiam iniuriam Deo infert. Illa ergo circumſtantia totalis, vel partialis materiæ nihil mutat iudicium rationis in ordine ad Diuinam irreuerentiam, & ideo materia illa, quæ non ſufficit ad peccatum mortale, quando eſt pars materiæ voti, non ſufficiet, licet ſit tota materia, & è conuerſo. Aſſumptum patet, quia illa habitudo partis, vel totius quaſi materialis eſt, parumque refert ad moralem mutationem, vt inductione etiam oſtendi poteſt: tum in præceptis generalibus non furandi, non nocendi proximo, de quibus id Caietan. fatetur: tum in præceptis particularibus, vt Confeſſoris, Prælati, &c. tum in particularibus obligationibus contractuum. Eadem autem ratio eſt in præſenti: quia præceptum reddendi vota, obligat ad reddendum votum integre: vnde parum refert, quod omittatur in toto, vel in parte, ſi id in quo omittitur æquale eſt in ſe: quia æque violatur præceptum de voto ſeruãdo. Item quia præceptum reddendi Deo vota eſt quaſi præceptum reddendi debita, ſub quo præcepto non tantũ debitum vnius voti, vel alterius, ſed ſimpliciter totum debitũ comprehenditur, reſpectu cuius obiecti materia cuiuslibet voti poteſt tanquam partialis reputari: culpa autem grauitas in ordine ad illud præceptum ſpectanda eſt: non eſt ergo neceſſaria limitatio, ſed concluſio abſolute vera eſt.

Sed obiici poteſt ex Caietano, quia peccatũ morta- 13.
le ex genere nõ ſit veniale, niſi ꝑpter imperfectionẽ *Obiectio,*
actus,

Digitized by Google

actus, ſed integra tranſgreſsio voti eſt actus perfectus, quantumuis materia in ſe minima ſit: ergo eſt peccatum mortale, quia eſt actus perfectus contra graue præceptum ſeruandi votum. Minor probatur, quia perfectio actus non ſumitur ex quantitate materiæ ſecundũ ſe, ſed ex hoc quod ſit omiſsio totius ſub præceptum cadentis. Reſpondeo, vel aſſumptũ eſſe falſum, vel in eo peti principium. Interrogo enim quid intelligat per actum perfectum, vel imperfectum, non enim poteſt loqui de perfectione, vel imperfectione in modo liberè operãdi: ſic enim falſa eſſet maior: nam actus perfectè humanus, & liber poteſt eſſe veniale peccatum, etiam in præcepto obligante ex genere ſuo ſub mortali. Oportet ergo intelligi de perfectione, & imperfectione actus ex parte materiæ, quæ perfectio, vel imperfectio in actu peccaminoſo, per comparationem ad actum virtutis, quem excludit, ſumenda eſt. Actus autem voti poteſt dici perfectus: quia eſt ſimpliciter actus virtutis, ad quam nihil illi deeſt, & hoc non ſatis eſt, vt actus cenſeatur materia grauis obligationis præcepti, ſed oportet vt illamet perfectio, & bonitas grauis ſit in ordine ad honorem, vel amorem Dei.

Solutio.

14. Eo vel maxime, quod talis actus in materia voti æque bonus eſt, quando eſt materia partialis, & quãdo eſt totalis, vt ſiquis vouit recitare per annum orationem Dominicam ter quotidie: alter vero tantum vouit hodie illam dicere: oratio illa ab vtroque facta hodie æque bona eſt per ſe loquendo: ergo volũtaria omiſsio vtriuſque actus erit etiam æque mala, & conſequenter æqualiter erit actus perfectus, vel imperfectus in ratione peccati. Loquendo ergo de imperfectione cum eadẽ proportione idẽ dicendũ eſt de totali, vel partiali tranſgreſsione voti. Igitur ſi maior propoſitio intelligatur de imperfectione actus, quæ in hoc conſiſtit, vt ſit partialis tranſgreſsio, ſic facile negatur: nam in ea petitur principium: ſi vero intelligatur de imperfectione actus, quæ in hoc conſiſtit, quod ſolum excludit actum leuem licet bonum, ſic conceditur maior, & negatur minor: quia licet omiſsio voti ſit totalis, ſi ſit de re leui eſt imperfecta tranſgreſsio voti: nam licet ſit quoddam totum eſt paruum, & imperfectum. Sicut etiam votum ipſum de tali materia, leue & parui momenti, ac ſubinde in eo ſenſu ſeu negatiue imperfectum, dici poteſt. Non ergo ſatis eſt ad perfectum actum, id eſt, grauem quod ſit omiſsio alicuius totius, niſi illudmet totum graue ſit ſecundum ordinem ad prudens iudicium rationis.

15. Atque ex his tandem intelligi poteſt, qua regula vtendum ſit ad diſcernendum, quando tranſgreſsio voti ſit peccatum veniale ex leuitate materiæ: nam eadem eſt, quæ in cæteris datur præceptis, ſeu peccatis, cum proportione illam applicando. Regula autem eſt, vt leuitas, vel grauitas materiæ ex prudenti arbitrio deſumatur, penſatis cõditionibus perſonarum, & alijs circumſtantijs reſpectu talis materiæ, neque alia certior aſsignari poteſt. Et ſic etiam dici ſolet, illam materiam eſſe grauem in aliquo præcepto, cuius violatio intelligitur charitati Dei, aut proximi contraria, vt ſpecialiter videri poteſt apud Caietanum tom. 1. Opuſc. tra. 25. q. 1. Et indicant Syluest. verb. *Præceptum*, q. 3. Ant. 2. p. tit. 4. c. 2. §. 3. Hoc autem ipſum neceſſario reducendum eſt ad arbitriũ prudentiæ, quia non aliter diſcerni poteſt, an materia ſit contraria charitati, necne, & tale iudicium æque in materia totali, & partiali eſt neceſſarium: quia in vtraque poteſt offendi grauiter charitas erga Deũ: igitur non inde ſumendum eſt iudicium, ſed ex grauitate ipſius actus, quatenus grauem, vel leuem cultum Dei continet, ſecundum communem prudentium æſtimationem. Aduertendum etiam eſt, non eſſe ſumendum iudicium de grauitate, & leuitate materiæ ex eo, quod ante votum eſſet fortaſſe res indifferens, vel leue peccatum: quia vt bene notauit Soto lib. 7. q. 2. art. 1. in fine corporis, ſæpe fieri poteſt mortale ratione voti, quod antea erat veniale, vel nullum malum, imo interdum bonum, vt ludus matrimonium, &c. Sed conſideranda eſt grauitas actionis, de qua tractatur, quæ in ordine ad cultũ Dei, vel ad humana pacta poteſt eſſe res grauis, etiamſi abſque voto non cadat ſub obligationem grauem, & tunc in ordine ad votum erit materia grauis, ſi in graui quantitate ſumatur, ſecus ſi in leui, quod ſemper ex arbitrio prudenti pendet, vt dixi.

Regula ad diſcernendũ quando trãſgreſsio voti ſit venialis ex parte materiæ.

Syluest. Anton.

Vnde deſumenda grauitas materiæ in voto.

Soto.

CAPVT V.

Quando ſit mortale peccatum tranſgreſsio voti, quam per plures actus leues ex parte materiæ fieri contingit.

1. HAec quæſtio oritur ex reſolutione capitis præcedentis, habetque locum tam in opinione Caietani, quam in noſtra. Contingit enim fieri votum dandi quotidie per menſem, vel annum paruam eleemoſynam, vel orationem breuem recitandi. De quo voto certum eſt, tranſgreſsionẽ eius in vno die ſolo, eſſe tantum veniale peccatũ, ſiue quia illa materia ſimpliciter eſt leuis, ſiue etiam quia eſt partialis ſecundum Caietanum. Vnde ſit idem dicendum eſſe de omnibus, & ſingulis diebus diuiſim ſumptis. Difficultas ergo oritur, an procedẽdo ita per ſingulos dies anni, multiplicentur tantum venialia peccata, & nunquam peccetur mortaliter, vel ſi interdum peccetur mortaliter, quando id contingat, & quæ ſit ratio illius peccati? Supponimus enim quod licet multa peccata venialia ſimul ſumpta non poſsint efficere vnum mortale ex 1. 2. quæſt. 88. artic. 4. quia non ſunt partes vnius, nec componunt vnum, ſed tantum vnam collectionem, vel multitudinem: nihilominus aliquando poſſunt præcedentia peccata venialia ratione materiæ ita coniungi cum poſteriori peccato, vt faciant illud eſſe mortale, quod aliàs per ſe, ac ſolitarie ſumptum eſſet veniale, vt in paruis furtis frequentatis certum eſt apud omnes. Punctum ergo difficultatis eſt, an hic modus peccandi mortaliter in tranſgreſsionibus ſimilium votorum contingat.

Difficultas quæſtionis.

2. Circa quod ſupponitur vlterius iuxta dicta in præcedenti libro, ex tranſgreſsione voti in tempore debito interdum relinqui obligationem ad votum implendum in tempore futuro: aliquãdo vero non relinqui, ſed extingui obligationẽ per lapſum temporis. Quando ergo eſt votum, de quo tractamus, vt licet pro aliquibus diebus non impleatur, ſemper duret obligatio implendi id, quod fuit omiſſum, indubitatum eſt tandẽ peccari mortaliter violando votum in tota materia, vel in graui parte eius. Quia licet frangi videatur per paruas tranſgreſsiones multiplicatas, neceſſe eſt tandem peruenire ad diem, & horam, in qua ſimilis tranſgreſsio ſit peccatum mortale. Quamuis enim fiat poſt actum de ſimili materia leui, non verſatur circa illam, vt leuis eſt, ſed vt complet materiam grauem. Vt verbi gratia, ſiquis promiſit dare quotidie argentum in eleemoſynam, ea intentione, vt dies intelligatur præfixus, vt terminus, non vt præcipua ratio obligationis, quamuis vno, vel alio die id omittat, tenetur ſequẽtibus diebus ſupplere, & ideo ſẽper poſterior omiſſio grauior eſt: & poſt paucos dies erit mortale, id omittere, quia non ſolum omittitur eleemoſyna illius diei, ſed omnium præcedentium, quæ eodem die ſimul dandæ eſſent, & ita iam illa omiſsio habet materiam grauẽ. Idemq́ eſt de voto ſimili recitandi quotidie breuem orationem ſi eadem intentione fiat, nam eſt eadem ratio, vt dicemus. Et in hac parte non videtur eſſe diſſenſio inter Authores, vt videbimus. Supereſt ergo dubium, quando per tranſ-

Quando per tranſgreſsiones voti ſingulorum dierũ obligati

ita extinguitur, vt nulla in poſterũ maneat. greſsiones voti ſingulorum dierum, obligatio ita extinguitur, vt iam nulla fit ad faciendum id, quod prætermiſſum eſt, & in hoc ſunt variæ opiniones.

3. *1. Sententia.* Prima dicit nunquam peccari mortaliter in talis voti tranſgreſsione, ſed poſſe omnino violari per ſolam multiplicationem tranſgreſsionum venialiũ. Pro hac ſententia referri poſſunt Soto, Aragon, & Vazquez: nam formaliter videntur in hoc conuenire, quod in prædicto caſu tranſgreſsio voti hodierna (quæ ex obligatione præſentis diei tantum eſt venialis) non augetur propter ſimiles tranſgreſsiones præcedentes, niſi quando durat obligatio reparandi, & quaſi reſtituendi hodie quod præteritis diebus omiſſum eſt, & conſequenter, quando hæc obligatio non durat, ſed extinguitur, omnes tranſgreſsiones diurnas eſſe veniales tantum, licet per earum multiplicationem obligatio voti exhauriatur & violetur. Ratio huius opinionis eſſe poteſt, quia ſi onus diei præcedentis non adiungitur hodierno, non eſt vnde augeatur materia præſentis diei: ergo permanet leuis, ſicut de ſe erat, & eadem eſt ratio de ſingulis, & omnibus.

4. *Soto.* Differunt autem dicti Authores in applicatione huius doctrinæ: nam Soto ſentit, hanc poſteriorem partem non habere locum in voto reali, ſed tantum in perſonali. Vnde lib. 7. de Iuſt. q. 2. art. 1. & *Aragon.* Aragon 2. 2. quæſtione 88. articulo 3. diſtinguunt inter vota realia, & perſonalia. Et de reali voto dicunt, ſi ſit, verbi gratia, votum de facienda quotidie parua eleemoſyna, licet in principio aliquæ tranſgreſsiones leues præcedant, cum peruenitur ad ſtatum, in quo grauis quantitas completur, tunc omiſsionem illam, per quam completur illa quantitas, eſſe peccatum mortale, & à fortiori omnes ſequentes, & ſtatũ in illo peccato ſemper durare, donec votum impleatur, ſicut eſt vulgare in furto, idem enim eſſe de voto cenſent dicti Authores. Et in hoc concordat *Medin.* Medin. 1. 2. quæſtione 88. art. 4. qui in hoc fundat hanc partem, quod per illas tranſgreſsiones fit graue nocumentum proximo, & ideo tunc peccatur mortaliter, quando incipit nocumentum eſſe graue. Et illa ratione etiam vtitur Aragon. Sed ad culpam contra votum non recte conſideratur proximi nocumentum: tum quia in trãſgreſsione voti realis non fit iniuria proximo, quia reſpectu illius non naſcitur obligatio, etiamſi materia voti illi vtilis ſit: ergo non proprie fit illi nocumentum, ſed ſolum non redundat in eum vtilitas, qui effectus eſt ibi quaſi materialis: ergo non peccatur contra proximum, ſed tantũ contra Deum. Et conſequenter nocumentum proximi nihil hic refert: ſed reſpectu fidelitatis Deo debitæ oſtendendum eſt, quomodo ibi augeatur materia grauis reſpectu vltimi actus (vt ſic dicam.) Ratio ergo vnica eſſe debet, quam Soto tetigit, dicens: *quia quod hodie non tribuis, cras teneris*, hinc enim aperte fit, vt perueniatur ad materiam grauem, vnde in hoc ſenſu hæc pars non pertinet ad præſentem dubitationem, ſed ad ſuppoſitionem, quam ſecũdo loco fecimus, & diximus eſſe extra controuerſiam. De perſonali autem voto, vt de parua recitatione quotidie facienda, dicunt dicti Authores, etiamſi quotidie omittatur oratio promiſſa, nunquam peccari mortaliter: quorum fundamentum eſſe debet, quia in his votis nunquam eſt obligatio recitandi hodie, quod heri omiſſum eſt, & ita materia ſingulorum dierum ſemper manet tantum venialis.

5. *Refellitur diſtinctio de voto reali, & perſonali.* Hanc vero diſtinctionem improbat Vazquez 1. 2. d. 146. cap. 2. in fine. Et non ſine magno fundamento, quia tam votum reale, quam perſonale fieri poteſt pro tali die in ſpecialem deuotionem, & cultum eius. Vt poteſt quis vouere ſingulis ſabbatis ieiunare, & eleemoſynam facere intuitu colendi Deum illo die, & tunc ſicut votum perſonale illo die non impletum, non obligat pro die ſequenti, ita nec votum reale. Et è conuerſo ſicut poteſt votum reale fieri pro ſingulis diebus, vt non differatur ſolutio, non vero vt extinguatur, ita etiam poteſt votum recitandi, & quodlibet perſonale eadem intentione fieri, & tunc ſicut votum reale obligat ad dandam hodie eleemoſynam heri prætermiſſam, ita etiam votum perſonale obligabit ad recitandum, & ſupplendum, quod fuit prętermiſſum. Ergo nullum eſt diſcrimen inter talia vota, cum proportione de illis loquendo. Nam ſi fiant priori modo, etiam in realibus ſemper materia cuiuſcumque diei eſt leuis, ſi vero fiant poſteriori modo, etiam materia voti perſonalis paulatim aggrauatur ex paruis tranſgreſsionibus, & ita peruenietur neceſſario ad grauem tranſgreſsionem. Quod autem illi duo modi vouendi in vtroque voto locum habeant, patet, quia hoc pendet ex libera intentione vouentis, vt ſupra dictum eſt.

Dicet forte aliquis: eſto hoc ita ſit, nihilominus regulariter obſeruari, vt vota realia nõ ita determinẽtur ad præſcriptum diem, ſicut perſonalia, nec eleemoſyna præſcribatur, vt onus proprium talis diei, ſicut ieiuniũ. Et ratio eſſe videtur, quia eleemoſyna principaliter intenditur propter ſubueniendum neceſsitati proximi, quæ durat, tranſacto die deſignato: ieiunium vero, & ſimilia opera perſonalia ſolent frequenter fieri in peculiarem ſanctificationem talis diei, in reuerentiam alicuius Sancti, vel Diuini beneficij. Sed hoc, eſto ita ſit, ad factum pertinet, non ad ius, & eſt accidentarium ex vſu, vel intentione operantium, non ex natura talium votorum. In vtroque ergo genere votorum formalis doctrina eadem eſt, nimirum, ſi fiant, vt vnus ſingulorum dierum, non augeri præſentem tranſgreſsionem per præcedentes, & conſequenter ſi ſingulæ tranſgreſsiones diurnę per ſe ſpectatę leues ſint poſſe per ſolas tranſgreſsiones veniales multiplicatas, totũ votum violari, ſiue reale, ſiue perſonale: ſi vero neutrum ſit, vt onus diei proprium, in vtroque augeri præſentem tranſgreſsionem ex præcedentibus, & ſic non conſummari violationem eius ſine peccato mortali, per ſe loquendo, & ſecluſa inaduertentia.

Nihilominus alij ſentiunt, votum tam perſonale, 7. *2. Sententia.* quam reale de parua materia pro ſingulis diebus anni, vel menſis, quæ tota ſimul facit grauem materiã, non omitti in tota illa materia, vel in graui parte illius ſine peccato mortali, etiãſi onus vniuſcuiuſque diei voueatur, vt proprium eius, & ſemel omiſſum non maneat obligatio illius pro altero die. Ita ſentit Valentia diſputat. 6. quæſtione 6 punct. 4. quæſtio- *Valen.* ne 2. nam indefinite, & ſine limitatione, vel diſtinctione loquitur, etiam in votis perſonalibus. Poteſtque ſuaderi ex contrario fundamento, quia materia poſteriorum tranſgreſsionum ſemper augetur ex præcedentibus tranſgreſsionibus, etiamſi priores trãſgreſsiones reſarciendæ, ſeu quaſi reſtituendæ nõ ſint: ergo materia hodiernę tranſgreſsionis poſt præcedentes poterit eſſe grauis, & conſequenter materia peccati mortalis per relationem, & coniunctionẽ ad præcedentes etiamſi ſecundum ſe leuis videatur, & conſequenter non violabitur totum votum ſine peccato mortali. Antecedens probatur, quia illud votum vnum eſt & habet pro materia adæquata cumulum, ſeu collectionem illarum paruarum orationum, vel eleemoſynarum, ergo inducit obligationem grauem circa totum illud, quod ſicut paulatim per partes impletur, ita etiam violatur, ergo cũ multiplicantur partiales trãſgreſsiones paulatim augetur tranſgreſsio voti: ergo quando multiplicatis tranſgreſsionibus peruenitur ad terminum augmẽti, in quo læſio voti (vt ſic dicam) grauis eſſe incipit iam illa materia, vt conſũmatiua grauis læſionis eſt materia grauis, & conſequenter in illa peccatur mortaliter: quia vt peccetur mortaliter contra votum, ſatis eſt, quod votum ipſum grauiter lædatur, etiãſi nõ relinquatur obligatio faciendi quod omiſſum fuit.

Digitized by Google

ſum fuit. Parũque ad rem moralem videtur referre, quod illa læſio grauis paulatim fiat, & cõſummetur, vel quod ſimul fiat: nam in re in idem redit, quando ſciens, & videns aliquis paulatim conſummat grauẽ illam tranſgreſsionem.

8. Confirmatur, ac declaratur: nam ſi poſt tale votũ emiſſum, aliquis haberet propoſitum non implendi illud, ſed tranſgrediendi per multiplicatas omiſsiones ſingulorum dierum, peccaret mortaliter: ergo & poſtea quando peruenit ad terminum, in quo videt conſummari tráſgreſsionem grauẽ peccat mortaliter. Antecedens videtur ſane per ſe probabile & verum, quia votum illud graue eſt, & de graui Dei obſequio: illud autem propoſitũ opponitur toti voto, & deſtruit illud, cõtinet ergo deformitatem grauem. Prima vero conſequentia patet, quia propoſitũ illud eſt peccatum mortale propter grauem læſionem voti, quam obiectiue ſibi proponit, ſed hanc læſioné voluntarie facit, qui per leues tranſgreſsiones videt illam conſummari: & nihilominus cõſentit & vult per aliquem actum illam conſummari: ergo in illo actu exercet, & cõtinet totam maliam illius propoſiti. Cõfirmatur ſecundo, quia vt augeatur materia peccati, quod additur præcedentibus, non ſemper eſt neceſſarium, vt præcedentia relinquant obligationem quaſi reſtituendi, vel reparãdi, quod omiſſum eſt, ſed ſufficit, quod paulatim augeatur aliquod malum, quod homo vitare teneatur. V. G. quando homo leuiter peccat intemperate comedendo contra ſalutem ſuam, non tenetur poſtea reparare illud dãnum, tenetur tamen non augere illud multiplicãdo ſimiles actus gulæ, vnde licet prior exceſſus fuerit venialis, ſecundus erit grauior, ſi homo videt augeri nocumentum: & ita fieri poterit, vt tertius, vel quartus ſit mortalis, ſi conſummetur nocumentum graue. Item hoc modo licet præceptum ieiunij leuiter violetur per paruam ſumptionem cibi, ſi tamen eodem die ſæpius multiplicentur paruæ illæ ſumptiones, conſummari poterit graue peccatum: quia læditur ieiunium in materia graui. Idem videri poteſt in infamatione proximi: nã ſi incipio infamare venialiter, aperiẽdo occultum defectum leuem, & poſtea addam alium, & iterum alium, poterit eo perueniri, vt in collectione fiat nocumentũ graue: & ita vt in aliqua infamatione conſummetur peccatum mortale, niſi aduertentia excuſet. Hæc enim limitatio ſẽper ſubintelligitur, quia ſine aduertentia ſufficiente non peccatur mortaliter: ſed hoc generale eſt, & ideo illud ſupponimus, & loquimur de actu ipſo ſecũdum ſe. Sic ergo in præſenti ex ipſa læſione voti, & augmento eius augetur ſufficiẽter materia, licet obligatio reſtituendi non intercedat.

9.
Fertur iudicium de ſecũda ſentẽtia, & impugnatur.
Difficultates quæ oriũtur ex prædicta doctrina.

Quamuis aũt hæc vltima ſententia videatur probabiliter ſuaderi his coniecturis, nihilominus ſcrupuloſa eſt, & vix poterit, qui illam defenderit, varijs difficultatibus moralibus inſurgentibus occurrere. Nam iuxta illam dicendum eſſet, ſiquis fecit votum non mentiendi, etiã iocoſe, vel officioſe, poſſe mortaliter peccare propter ſolam multiplicationẽ mendacij iocoſi: quia multiplicando mendacia lædit votum grauiter, & priuat Deũ magno obſequio, quod in tali obiecto ſimul ſumpto reperitur: cõſequẽs autem nullo modo videtur concedendum, quia non apparet maior ratio in illo voto, quã in lege nõ mentiendi. Vnde Nauar. c. 12. n. 65. dixit tranſgreſsiones voti de vitando aliquo peccato veniali, cõmuniter tãtum eſſe peccatum veniale, & in hoc putat eſſe votum æquiparandum legi: quod etiam cenſuit Soto, dict. art. 1. Secundo ſequitur ex dicta ſententia, ſiquis vouit quotidie recitare Roſarium, & ſingulis diebus partem leuem omittat, inde augeri malitiam poſteriorum tranſgreſsionum, & tandem fieri materiam peccati mortalis in tráſgreſsione ſecũdũ ſe leui propter relationem ad præcedentes. Conſequẽs eſt falſum: ergo. Sequela patet, quia etiã tota illa tranſgreſsio ſimul ſumpta eſt grauis læſio talis voti, & illi applicari poſſunt rationes ſupra factæ. Minor aũt videtur clara, quia illi defectus non vniuntur inter ſe, vt videre licet in defectibus, qui quotidie committuntur in recitatione horarum Canonicarum: nam defectus vnius diei non cõiungitur cum defectibus alterius diei ad componendam vnam materiam grauẽ. Alias poſt ſemel completam materiam ex ſucceſſiua multiplicatione talium defectuum, ſemper peccaretur mortaliter per ſimiles defectus in ſe leuẽs, quod eſt dictu abſurdiſsimum. Et patet ſequela, quia ſemper coniungerentur præcedẽtibus, & efficerent tráſgreſsionem grauiorem. Vnde idem argumentũ fieri poſſet in voto recitandi quotidie horas Canonicas: nam ſine dubio per defectus leues multiplicatos in dies nunquam venietur ad peccatum mortale committendum, cuius tamen oppoſitum ex dictis ſequitur applicando rationem factam. Item ſiquis vouit ieiunare Aduentum, licet ſingulis diebus leuẽ defectum in ieiunio committat, nunquam peccabit mortaliter, etiamſi illæ tráſgreſsiones ſimul ſumptæ grauem materiã contineant, ita vt ſi vno die fierẽt, ſufficerent ad frangendum grauiter ieiunium.

10.
Leuis tranſgreſsio voti diuerſis temporibus ſæpius repetita nõ eſt grauis niſi ex his actibus componatur vnus moraliter.

Dico ergo, in his leuibus tranſgreſsionibus voti diuerſis diebus ſeu temporibus factis, ſemper ſpectãdum eſſe, an ex his componatur vnus actus moralis, nec ne: nam ſi non componitur, nũquam tranſgreſſio grauis eſt, licet multę leues multiplicẽtur. Et hoc probant rationes factæ, & illã generalis ſupra facta, ob quam multę peccata venialia nõ componunt vnum mortale, ſcilicet, quia non vniuntur vllo modo ad vnum actum componendum. At vero ſi plures actus diuiſim facti tendant ad vnum componẽdum, & vt ſic, cadant ſub votũ, tunc ex multis poterit vnus actus conflari, vel ſuppoſitis prioribus, poterit per aliquam poſteriorem conſummari: & ita poterit peccari mortaliter in eo momento, in quo grauis ille actus conſummatur. Sub actu vero etiam omiſsionẽ contrariam voto comprehẽdimus, vt ſæpe diximus. Et ratio eſt oppoſita ſuperiori, quia ſi actus eſt vnus, & grauis; poteſt eſſe ſufficiens ad vnum peccatum mortale conſtituendum: nam ſicut negatio eſt cauſa negationis, ita affirmatio affirmationis.

11.
Duobus modis per plures actus efficitur vnus grauis moraliter.

Dices: Quando per plures actus leues cenſetur vnus grauis paulatim perfici? Reſpõdeo duobus modis poſſe id cõtingere. Primus eſt ſupra poſitus, quãdo ex prioribus actibus leuibus relinquitur obligatio, quæ coniungitur præſenti obligationi, & ex vtraque fit vna grauis: & tunc eſt res clara, & frequenter contingit in votis realibus, & poſſet etiam inueniri in perſonalibus, vt dictum eſt. Et iuxta hunc modum proceſsit prima ſententia, non tamen excluſit alium modum, licet illum non explicuerit. Secundus ergo modus eſſe poteſt, quando ſecundum moralem vſum, & æſtimationem cẽſetur componi moraliter vnus actus ex multis, vel ex quadam ſucceſſione actuum, aut omiſsionum: vt verbi gratia, ex horis Canonicis vnius diei cenſetur componi vna integra recitatio: recitatio vero vnius diei non componit vnum actum moralem cum officio alterius diei, & ideo in habente votum recitandi officium Canonicum ex leui omiſsione vnius Pſalmi in Prima, verbi gratia, & alterius in Veſpera, & alterius in Matutino intra eundem diem poſſet inſurgere grauis tranſgreſsio voti. ſi autem fierent in diuerſis diebus eſſent tãtum plures tranſgreſsiones leues. Idem cerni poteſt in ieiunio vnius diei, vel plurium. In diuerſis autẽ diebus raro inuenitur vnus actus moralis, qui hoc modo componatur ex pluribus actibus illorum dierum, non tamen repugnat inueniri. Vt ſi quis vouit per nouem dies aſsiſtere in Eccleſia, Religionis cauſa, ſi ſingulis diebus parum abſit, moraliter coniungentur illi defectus ad componendum vnum grauem defectum in illo actu, ſeu materia voti, quia ex modo, & intentione voti eſt vna obli-

Ex leui omiſſione vnius Pſalmi in prima, alterius in Veſpera, & ſic in aliis intra eundẽ diem grauis tranſgreſſio, urget.

Nauar. *Soto.*

obligatio, quæ paulatim violatur. Idem dico, ſiquis voueat dicere Roſarium diuiſum in tres partes per tres dies, ſingulas partes ſingulis diebus deſignando tamquam onera talium dierum in illis præciſe implenda: nam ſi ille omittat ſingulis diebus aliquid leue, ſi ex omnibus illis omiſsionibus aliquid graue reſpectu totius Roſarij reſultet, credo peccari mortaliter, ſicut ſi vno die recitandum eſſet Roſarium ex voto: quia diſtinctio dierum parum refert, quando quidem actus ille ſemper reſpicitur, vt moraliter vnus, & vt talis vouetur.

12. Iuxta hunc ergo ſecundũ modum procedere põt poſterior opinio: ſi vero generalius loquatur, vt ſignificat, illam non admittimus. Quotieſcumq; enim votum eſt de pluribus actibus leuibus, quorum ſinguli totales ſunt, & diuiſim, ac ſigillatim præſtandi ſunt, ſiue in diſtinctis diebus, ſiue etiã in diuerſis horis eiuſdem diei, ex multiplicatione tranſgreſsionũ venialium non peruenitur per ſe loquendo ad mortalem. Quia tũc nulla eſt vnio & ita vnus actus nullo modo aggrauat alium. Exempla ſunt in votis affirmatiuis, ſiquis voueat ſingulis horis, aut decies in die eleuare mentem in Deum, licet decies omittat, non eſt grauior decima omiſsio quam prima. idem dico de breui recitatione v. g. Orationis Dominicæ per ſingulos dies menſis: nam licet per totos dies omittatur, non eſt maius peccatum in vltimo, quã in primo die. In votis autem negatiuis exẽpla ſunt in voto non mentiendi iocoſe, vel non omittẽdi leuem partem Miſſæ, aut Diuini officij: nã licet in diuerſis Miſſis, ſeu diebus ſæpius hoc fiat, nunquam peccabitur mortaliter. Et idem erit de voto vitandi omnem leuem ſumptionem cibi in diebus ieiunij peccãdo venialiter contra illud: nam licet hoc peccatum in pluribus diebus ieiunij fiat, nunquam eſt mortale: quia vna materia non colligatur cum alia nec illæ plures comeſtiones paruę componunt vnum actum moralem, quod ſecus eſſet, ſi eodem die contra idem ieiunium fierent, & ſic de alijs. In quibus etiam ſemper ſpectanda eſt intentio vouentis, multum enim conferre poteſt ad iudicandum, an vouere voluerit plures leues actus diuerſis temporibus efficiendos, vt ſigillatim impleantur, vel omittantur ſine vnione, ſeu continuatione eorum inter ſe.

13. *Fit ſatis fundamentis aliarum opinionum.*

Atque ex his ſatisfactum eſt fundamentis aliarum opinionum. Nam in priori credimus nõ eſſe diſſenſionem circa ius, ſed circa factum, & fortaſſe magis eſſe in modo loquendi, quam in re: verum enim eſt, quoties ex voto hoc die nõ impleto relinquitur obligatio in ſequentem diem, augeri materiam tranſgreſsionis, & non conſummari ſine graui culpa, quãdo illa minima ſimul iũcta grauem materiam componunt. Et hoc poſſe contingere in votis perſonalibus, licet rarius. Et hoc ſolum probant omnia, quæ circa illam ſententiam adducta ſunt. Non tamẽ probant excluſionem, id eſt, nõ poſſe eſſe alium modũ, quo diſtincti actus leues inter ſe continuẽtur, & quaſi vniantur ad componendam, vel conſummandam vnam grauem tranſgreſsionem voti, quæ peccatum mortale ſit. Et hoc damus ſecundæ ſentẽtiæ & argumentis eius. Quia verò generalius procedere videndur, illis ſatisfaciendum eſt, ne contra ea, quæ diximus vim aliquam habere videantur.

14. *Ad præcipuã rationem.*

Ad principalem rationem dico, recte procedere, quando votum eſt de vno actu graui, qui paulatim omittitur, ſeu diminuitur per partiales tranſgreſsiones leues, non vero quando actus leues ſunt omnino diſtincti: tunc enim nego per multiplicationẽ actuũ fieri grauem tranſgreſsionem voti, ſed tantum plures leues, quarum cumulus, vel multitudo nũquam eſt vna tranſgreſſio, & ita nunquã eſt grauis, ſeu mortalis tranſgreſsio. Cum autem vrgetur, quia votũ illud eſt vnum, & graue. Reſpondeo in primis eſſe vnum ex parte actus animi, tamen ex parte obiecti æquiualere pluribus, ſicut præceptum recitandi Diuinum officium dici poteſt vnum ex parte actus, plura vero vt applicatur ad plures dies. Deinde dico, illud votum non eſſe graue intenſiue, id eſt, obligans ad aliquem actum grauem, vel ſub mortali, quia nõ trãſcendit materiã venialem, etiamſi tota ſimul ſumatur, ſed intra illam latitudinem poteſt dici graue extenſiue, id eſt, plures obligationes leues, ſeu ſub veniali in ſe complectens. Quod in præceptis de vitandis verbis otioſis, vel mendacijs leuibus, videre licet: nam tota materia talis præcepti ſimul concepta grauis videtur ſecundum quandam extenſionem, ſeu multitudinem actuum, non tamen eſt intenſiue grauis, id eſt, quę per ſe ſufficiat ad augmentum peccati mortalis, vt conſtat. Atque hoc ipſum probat ſecunda confirmatio, procedit enim quando multi actus leues intelliguntur in vno effectu, vel nocumẽto, quod ſit obiectum vnius peccati mortalis cõmiſſi per tranſgreſsionẽ vnius præcepti, & vno actu graui: non vero procedit, quando actus leues ſunt omnino condiſtincti: nam tunc augmentum quod reſultat ex eorum multiplicatione ſolum eſt extenſiuum intra latitudinem venialem: & ita tunc nõ poteſt dici grauiter lædi votum, niſi in eodẽ ſenſu, vt explicatũ eſt.

In prima vero confirmatione petitur quid dicendum ſit de formali propoſito, non implendi tale votum de leui peccato vitando, vel paruo opere bono faciẽdo, ſingulis diebus. De quo clarum eſt tale propoſitum eſſe peccatum mortale, quando tranſgreſſiones illæ leues habituræ ſunt inter ſe cõnexionem, aut augmentum aliquo ex duobis modis explicatis: nam tũc tota malitia tranſgreſsionis futuræ, vel poſſibilis iam eſt in illo propoſito, ſed illa in ſe eſt peccatum mortale, vt declaratum eſt: ergo & illud propoſitum. Imo tunc ſi propoſitum illud antecedat, & ex illo incipiat votum non ſeruari, à principio omnis trãſgreſsio eſt peccatum mortale, etiamſi ſecundum ſe paruæ materiæ eſſe videatur, quia iam procedit à propoſito grauiter peccaminoſo, & ad illius complementum ordinatur, vt in ſimili notauit Nauar. d. num. 65. 15.

An formale propoſitum non implẽdi votũ de leui peccato vitãdo, vel de alio paruo opere graue peccatũ ſit.

Nauar.

Difficultas ergo eſt, quando votum eſt implendũ, vel omittendum per actus leues multiplicatos ſine connexione, vel augmento eorum inter ſe. Nam tũc etiam videri poteſt propoſitũ illud peccatum mortale propter augmentum factum, quod illud propoſitum opponitur toti obiecto: vnde videtur grauem habere deformitatem. Nihilominus tamen dicendum videtur, per ſe & in rigore illud non eſſe peccatum mortale, quod aperte ſentit Soto d. art. 1. dicens: *Dum materia leuis eſt nihil referre, totum ne ſit obiectum voti, an pars.* Nam par ratio eſt de propoſito cõtrario. Idem ſumitur ex Nauar. d. c. 12. nu. 65. quatenus abſolute dicit, tranſgreſsionem talis voti eſſe veniale peccatum, ſumens argumentũ à ſimili ex lege. Vnde probatur primò: quia illud nõ eſt propoſitum committendi aliquod peccatum mortale: ergo nõ habet obiectum, vnde ſumat mortalem malitiam. Item propoſitum mẽtiendi venialiter quoties occaſio tulerit, in rigore non eſt peccatum mortale, quia præceptum non mentiendi intra illam materiam nõ obligat ſub mortali: ergo idem eſt de tali voto: nam æquiparatur in hoc legi ſecundum omnes, & oſtenſum eſt, votum talis materiæ non obligare in re ipſa ſub mortali. Item ſiquis haberet plura vota de diuerſis materijs leuibus, vnum ver. gratia, dicendi orationem Dominicam: aliud dandi paruam eleemoſynam: aliud viſitandi ſemel Eccleſiam, & ſimilia, licet vno actũ proponeret nullum implere, non peccaret mortaliter: ergo idem eſt in vno voto obligante ſolum ad plures actus leues omnino totales, & diſtinctos, licet ſint eiuſdem rationis. 16.

In quo ſenſu non eſt mortale habere propoſitum non implẽdi votum de vitando leui peccato.

Nauar.

Neq; obſtat, quod propoſitum illud videtur habere materiam grauem contra Religionem: dico enim illam materiam eſſe grauem intra latitudinem venialis, quia plura venialia confuſe complectitur, 17.

quam

quam vocauimus grauitatem extenſiuam, non tamẽ eſſe grauem intenſiue, & in ordine ad mortalẽ tranſgreſsionem: quia nunquam in executione continet obiectũ alicuius peccati mortalis, & ideo nec in ordine ad propoſitum habet talem grauitatẽ. Dixi autẽ hoc eſſe intelligendum per ſe, & in rigore: quia timẽdum eſt graue periculum talis propoſiti, & quod vix poteſt haberi ſine contemptu, & ita ex circumſtantijs poterit eſſe peccatum mortale.

Capvt VI.

Quibus modis peccari poſsit contra votum, & quando talia peccata multiplicentur?

1. Dvplex modus in generali circa hunc peccandi modum ſupra dictus eſt, ſcilicet committendo, vel omittendo: priori*q*; modo violantur vota negatiua: poſteriori affirmatiua, ſicut in pręceptis contingit, & ſuprà etiam tactũ eſt. De his ergo duobus modis diſtincte in præſenti loqui oportet, vt clarius, & breuius, quę ad vtrumque membrum pertinent, expediantur.

2. *1. Aſſertio. Per omiſsionem interdum peccatur contra votum ſola dilatione, interdũ abſoluta violatione qua illius obligatio finitur. Deut. 23. Ca. Non eſt. Panorm.*

Dico ergo primò: Per omiſsionem interdum peccatur contra votum ſola dilatione, interdũ abſoluta voti violatione, qua illius obligatio extinguitur, & finitur. Vtrumque colligi poteſt ex verbis Deut. 23. *Cũ votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Et infrà: *Si moratus fueris, immutabitur tibi in peccatũ.* Peccatur ergo per ſolam dilationem: conſtat autẽ multò magis peccari per totalem omiſsionem. Et ideo non tantum ad omittendum, ſed etiam ad differendum ſine peccato neceſſaria eſt diſpenſatio, vt ſumitur ex c. *Non eſt*, de Voto. Ideo*q*; in c. *Per tuas*, eodem, voti tranſgreſſor dicitur, qui intra præfixum tempus votum Religionis non impleuerat, vt ibi Panor. not. Ratione declaratur, quia hic modus peccandi per omiſsionem eſt cõtra obligationem voti affirmatiuj, vt ſupra declaratum eſt: omne autem votum affirmatiuum habet aliquod determinatum tempus, pro quo obligat, vt ſupra etiam oſtenſum eſt, ergo ſi pro illo non impleatur per omiſsionem peccatur: omiſsionis enim peccatum eo tempore maxime cõmittitur, pro quo præceptum affirmatiuum obligat.

3. Atq; hinc facile declaratur duplex ille modus peccandi, vel per totalem dilationem voti, vel per ſolam violationem. Quia duobus modis definitur tẽpus obligationis voti affirmatiui: vnum vocare poſſumus affirmatiuum, alium negatiuum: quia per vnũ præſcribitur totum tẽpus, in quo poteſt & debet impleri votum, per aliũ ſolum præſcribitur terminus, vltra quem non eſt differenda voti ſolutio, quamuis ſi differatur, nihilominꝰ poſtea fieri poſsit, & debeat. Vnde in priori modo terminus eſt ad extinguendã voti obligationẽ, in poſteriori ad accelerandam illã, vt nõ differatur: & ideo prior dici poteſt neceſſarius ad ſolutionẽ nõ ſolum debitam, ſed etiam poſsibilẽ: poſterior vero ſolũ ad debitam. Item prior dici poteſt de ſubſtantia voti: ſecundus de obligatione tantum. Exempla clara ſunt in voto ieiunandi in vigilia talis Sancti, vel ieiunãdi ante menſem elapſum, & alia ſuperiori libro tractata. Hinc ergo fit, vt ſi votũ nõ impleatur toto tẽpore, quo impleri poteſt vſque ad terminum affirmatiuũ, ſeu ſubſtantialem, tũc prorſus violetur per totalẽ, ac ſubſtantialẽ omiſsionem: quãdo autẽ differtur vltra terminũ præfixũ ad vrgẽdã ſolutionẽ, tũc ſolũ violatur per nimiã dilationem.

4. *Corollariũ, grauius peccatur contra votũ per totalẽ omiſsionẽ, quã per ſolam dilationem.*

Hinc ſequitur primo, grauius peccari per totalem omiſsionem, quã per ſolam dilationem. Patet, quia prior peccandi modus eſt contra ſubſtantiam voti omnino: poſterior vero ſolum contra circumſtantiam temporis. Item per priorem lapſum ita contẽnitur votum, vt amplius ſeruari non poſsit: at per poſteriorem minus contẽni videtur, quandoquidem ſemper poteſt retineri propoſitum implẽdi votum, ſaltem quoad ſubſtantiam eius. Vnde fit, vt cæteris paribus, facilius committatur graue peccatum in abſoluta voti omiſsione, quam in dilatione: tum quia de ſe maior eſt prior violatio voti, quam poſterior: tum etiam quia facilius excuſari, imo honeſtari poteſt dilatio aliqua quã omiſsio ſimpliciter: nam minor cauſa ſufficiet ad differendum, quam ad omittendum. Quæ omnia poſſunt à ſimili confirmari ex obligatione reſtituendi, ſeu ſoluendi iuſtitiæ debitũ, vel humanam promiſsionem: nam dilatio ſolutionis, ſeu reſtitutionis de ſe minus grauis eſt, faciliuſq; excuſatur, quam abſoluta debiti negatio.

Occurrunt autem in pręſenti nonnulla dubia circa vtrumque membrum. Et primo circa totalẽ violationem quæri poteſt, an poſtquam votum omnino omiſſum eſt, obligatio maneat ad aliquã recompenſationem, & quaſi reſtitutionem. Sed hoc ſufficienter ſuperiori libro tractatum eſt, quia ad obligationẽ voti plene explicãdã pertinebat. Et ſimile dubiũ eſt, quãdo aliquis habet tempus, ſeu diẽ certum, & præfixum ad votũ implendũ, & in eo non põt, an peccet tunc non implendo? Ad quod dicendũ eſt ſicut in alijs omiſsionibus, ſuppoſita impotentia, iam non peccari de nouo coram Deo, quia nemo peccat in eo ꝙ vitare non poteſt, cum illud iam non ſit volũtatis, ſed neceſsitatis. Solet autem omiſsio præſens imputari ad culpam ratione præcedentis cauſæ voluntariæ, & tũc quæſtio eſt de nomine (vt in ſuperioribus tetigi) an externa omiſsio, quæ tempore impotentiæ contingit denominetur peccatũ à ſuperiore cauſa, necne. De quo alias: magis aũt ad rẽ ſpectat, inquirere, ſiquis præuideat fore, vt non poſsit eo die votum implere, an teneatur præuenire? Sed hoc etiam in ſuperiori libro ſufficienter tractatum eſt. 5. *Dubia aliquot circa violationem totalẽ voti.*

Ac tandem poteſt inquiri, quando opus eſt promiſſum pro certo die, an poſsit licite vouens extendere ſua voluntate tempus illud ſine tranſgreſsione voti, vt verbi grat a, ſi vouit ieiunare die Sabbathi: an peccet differendo illud ieiunium in proximam feriam, animo retinendi eandem obligationem, & ſeruandi illam? Reſpondeo, hoc fieri non poſſe, ſi ieiunium promiſſum eſt vt onus proprium talis diei: quia vel in ipſo die Sabbathi occurrit ratio ſufficiens ad excuſandum ieiunium in illo die, & tunc non eſt neceſſarium habere animum poſtea implendi votũ, iuxta dicta in libro pręcedenti, quia tũc extinguitur obligatio elapſo tempore: vnde ſiquis id facere velit, erit voluntatis actus, non obligationis, vel ſi noua obligatio aſſumpta eſt, erit nouum votum, non prioris obſeruatio. Si autem pro illo die Sabbathi non occurrit ratio ſufficiens ad excuſandum, non poteſt eſſe licita omiſsio illius propter intentionem poſtea faciendi: quia illa nõ eſt dilatio, ſed totalis voti omiſſio, quæ non honeſtatur propter intentionem futuri actus. Dices, poſſe illam eſſe quaſi voti commutationem. Reſpondeo, etiam ad hanc requiri cauſam iuſtam, & poteſtatem Prælati: non enim exiſtimo fieri poſſe propria voluntate: etiam in æquale, vt infra dicam. Eo vel maxime quod illa non eſt æqualis omnibus penſatis, quia licet opus ieiunij videatur ęquale, ipſa dilatio eſt quædam obligationis relaxatio, & fortaſſe ex circumſtantia non eſt tam ſacrum ieiunium alterius diei, ſicut vigiliæ, v.g. vel alterius ſimilis. Dices: compenſari hoc totum poteſt addendo aliquid oneris, vt ſi ſtatuam alio die ieiunare, & eleemoſynam facere, vel quid ſimile. Reſpondeo, tunc vtendum eſſe regulis iuſtæ commutationis infra tradendis, & ita poſſe excuſari peccaminoſam omiſsionem, non per modum dilationis, ſed per modum iuſtæ commutationis. 6.

7. *An ſemper ſit peccatum mortale voti dilatio quando materia eſt grauis.*

Circa aliud autem membrum de dilationę vltra terminum præfixum ad accelerandã ſolutionẽ, dubitari põt, an ſemper ſit peccatum mortale quælibet dilatio, quando alias materia voti eſt grauis, & de ſe ſuffi-

ſufficiens ad peccatum mortale reſpectu totalis omiſſionis. Videri enim poteſt ſemper eſſe peccatum mortale, etiamſi mora ſit minima, quia in alijs præceptis ita deſignantibus terminum dilationis videtur hoc eſſe ſemper peccatum mortale, vt in præcepto de communione in Paſchate, ſi per diem differatur, vltra vltimum iam deſignatũ: & in præcepto ab homine comparẽdi intra nouem dies, ſi decimo cõpareat aliquis, cenſetur grauiter trãſgreſſum eſſe præceptum, & excommunicationem incurriſſe, ſi impoſita erat ipſo facto. Quia ibi includitur præceptũ negatiuũ: *Non differas vltra hoc facere*, quod videtur grauiter violari, eo ipſo quod ſubditus præfixũ terminum tranſgreditur in re graui. Item ſi iuramentum fiat ſoluendi intra talem terminum, qui intra illũ nõ ſoluit, etiamſi paulo poſt impleat, cenſetur periurus, & conſequenter peccare mortaliter, ſi alias materia ſit grauis: ergo idem à fortiori in voto. Antecedens patet, quia cũ veritas in indiuiſibili cõſiſtat per minimam termini trãſgreſsionem deficit veritas iuramenti. Et hoc confirmari poteſt ex c. *Commiſſum*, de Sponſal. iuxta quendam intellectum, quia ne differatur terminus iuramento præfixus, conſulitur matrimonium ante ingreſſum Religionis.

8. *Reſoluitur ex parte moræ breuis poſſe eſſe veniale peccatum contra votum. Syluest. Angel. Tabien.*

Reſpondeo nihilominus, etiã ex parte moræ breuis poſſe hoc peccatũ eſſe veniale, etiamſi actus, qui differtur, alias grauis ſit. Ita ſentiunt cõmuniter Sum. ver. *Votum*, Sylu. 2. q. 4. Ang. 3. n. 2. Tabie. n. 3. Probatur: tum quia promiſsiones, & obligationes iuſtitiæ non obligant cum maiori rigore, vt patet de obligatione ſoluendi mutuum intra certum diem: tum etiam quia non eſt veriſimile, vouentem habuiſſe animum ſe obligãdi cũ maiori rigore: tum etiam quia materia potiſsima illius violationis voti eſt circumſtantia temporis: ergo ex diminutione illius poterit etiam eſſe leuis omiſsionis culpa. Aduerto autẽ hoc frequentius contingere, quando terminus implendi votũ non eſt præciſe definitus ex formali intentione vouẽtis ſed ex prudenti arbitrio: nam ſicut in hoc poteſt eſſe latitudo intra gradum licitũ, ita etiam in gradu illicito, ita vt prius iudicetur quaſi inchoari tranſgreſsio per venialem culpam, & poſtea aggrauari vſque ad mortalem. Quãdo vero indiuiſibilis terminus eſt præfixus, ſtatim totus tranſitur, & ideo maior eſt deformitas: ſed nihilominus ſi hoc fiat ſine contemptu, & cum aliqua humana excuſatione, & cauſa ſaltem apparente, & alias ſit bona fides, & moralis certitudo breuitatis moræ, poterit culpa eſſe venialis. Nec obiecta in contrarium aliud probant, ſed potius iuxta hanc regulam moderãda ſunt. Solum in exemplo de communione Paſchali aduerto, dilationem in rigore incipere fieri à die Paſchatis, & conſuetudine factum eſſe, vt abſque vllo peccato etiam veniali differri poſſit per octo, vel quindecim dies: & ideo quando iam differtur vltra vltimum diem promiſſum, videtur ſtatim eſſe trãſgreſſio grauis, niſi cauſa grauis excuſet. Et hoc maximè timendum eſt, quando excõmunicatio eſt impoſita: quia videtur in ipſo termino contumacia conſummari, & ſaltẽ in foro Eccleſiæ ita præſumitur: in conſciẽtia vero poſſet quis excuſari, ſi mora nõ fuit grauis in re, nec fuit ex animo contumaci.

9. *An quando conſtat de termino dilationis in voto habeat ibi locum epicheia. Syluest. Gloſſ.*

Dubitari præterea poteſt, quando conſtat de termino præfixo, an locum habeat epicheia propria authoritate, vel prudentis viri, ſine authoritate Superioris? Sylu. enim *Votum*, 2. q. 3. in fine, ait ſi quis procraſtinet ex ſpe maioris cõmoditatis poſſe excuſari: illa autem eſt quædam epicheia. Et fauet Gl. in c. *Non eſt*, de Voto dicens, in voto includi conditionem implendi illud ſtatim *ſi commode fieri poteſt*. Et idem fere ſentit Ang. ſupra addens aliam diſtinctionem parum neceſſariã. Vnde dico in primis, ſi dies, vel hora implendi votum expreſſe conſtituta ſit per verba, vel intentionem vouentis, nullum eſſe locum dilationi per epicheiam, vel interpretationem niſi in eo caſu, in quo occurrit impedimentũ ſufficiens ad tollendã obligationem voti, vt ſupra declaratũ eſt: quia ſi tale non ſit impedimentum, obligatio vrget, & poſita illa determinatione, non eſt locus prudenti arbitrio. Et ita ſentit Panor. d. c. *Non eſt*, reprobans Gloſſam prædictam. At verò ſi votum nõ determinauit tempus: quia in illo ſit determinatio prudenti arbitrio, in tantum admitti poterit illa excuſatio, in quãtũ illa maior commoditas confert ad prudentem coniecturã, vel de intentione vouentis, vel de maiori obſequio Dei. Poteſt enim in præſenti etiam interuenire quædam tacita commutatio in melius bonum, ſi re vera tale iudicatur, vt ſi quis vouit ingredi Religionem, & differt aliquantulum, vt diſcat litteras neceſſarias vſui Religionis, quę in illa non poſſunt commode addiſci, facile poterit à culpabili mora excuſari, dummodo virum prudentem conſulat. *Panorm.*

10. *An poſt paruam dilationem aliquis continue peccet omittendo votum.*

Vltimò dubitari poteſt circa idem membrum, an poſt huiuſmodi paruam dilationem, aliquis continue peccet omittendo votum? Quæ interrogatio nõ habet locum in priori totali omiſsione voti: quia vbi extinguitur obligatio voti, & ita tranſacto termino, amplius non peccatur omittẽdo: quando aũt omiſſio eſt per dilationem, tunc non extinguitur obligatio, imò poſt tranſactum terminum præfixum, magis ſemper obligatio premit, & pro ſemper: ergo etiã ſemper, ac pro ſemper peccatur. Cum qua dubitatione cõiuncta eſt alia, ſcilicet quando peccatum illud interrumpatur, & quãdo multiplicetur. Sed hæc difficultas eadem eſt in hoc peccato, quæ in peccato nõ reſtituendi, vel non ſoluendi debitum: nam cũ proportione idem dicendum eſt in vtroq; caſu. De quo pro nunc ſufficiunt, quæ diximus in 4. to. 3. p. diſp. 22. ſect. nu. 30. & ſequentibus, & quę in 1. 2. in materia de Peccatis tractantur. Summa omnium eſt, illud peccatum quoad externam omiſsionem actus promiſsi quaſi continue durare: hanc vero durationem non eſſe moralem, & in ratione peccati, niſi quãdo actualiter eſt voluntaria directe, vel indirecte. Ad hoc autem neceſſe eſt, vt actu veniat in memoriam obligatio vel in ſe, vel in ipſo actu promiſſo, & quod poſsibilitas implendi votum hic, & nunc actu duret: quia alias omiſsio non eſt actu voluntaria, & conſequenter non eſt actuale peccatum.

11. *Quando interrumpatur tale peccatum.*

Vnde ſit, vt tale peccatum interrumpatur, vel per naturalem inconſiderationem, vel per totalem occupationem circa res alias: per ſomnum, per impotentiam implendi, & ſimilia. Atque ita tunc iterabitur talis culpa, quando poſt moralem interruptionẽ homo iterum aduertit, & nihilominus vult non implere votum, vel directe, vel indirecte volendo occupari circa aliud, & non curando de voti obſeruatione. Fieri tamen poteſt, vt licet tempus implẽdi votum tranſactum ſit, nõ poſſit poſtea in qualibet parte temporis impleri, ſed certis horis vel temporibus opportunis, vt ſi hodie audienda eſſet Miſſa tranſacta hora Miſſę, commiſſum eſt peccatum, ceſſat vero reliquo diei tempore, obligabit tamen ſtatim ſequenti die, per ſe loquendo: & idem eſt cum proportione de ieiunio, & ſimilibus actibus in quibus facile cernitur interruptio, & iteratio peccati. At ſi votum ſit ingrediendi Religionem intra annum tranſacto anno poteſt obligatio vrgere continue, per ſe ac moraliter loquendo, & tunc procedit regula poſita, vt conſtat.

12. *2. Aſſertio. Per modum commiſsionis nõ peccatur contra votũ ob ſolam dilationẽ, ſed per obligationis violationem.*

Dico ſecũdo: Per modum commiſsionis nõ peccatur contra votum ob ſolam temporis dilationem, ſed per violationem directæ obligationis voti: per hanc vero tranſgreſsionem non ſemper extinguitur obligatio voti: ideoq; ſæpius tale peccatum committi poteſt. Declaro ſingula, breuiter explicando, quo modo vota negatiua violentur, & peccata contra illa multiplicentur: nam per modum commiſsionis tantum vota negatiua violantur, vt ſupra dixi. Vota autem negatiua in hoc differũt ab affirmatiuis, quod de ſe

Digitized by Google

quo differant vota affirmatiua a negatiuis.

de ſe ſemper, & pro ſemper obligant, vel ſimpliciter, vel iuxta intentionem vouentis, vt ſupra explicatum eſt: & ideo vt obſeruentur, nullam aliam requirūt tēporis determinationem. Nam ſi abſolute fiūt, ſtatim obligare incipiunt, & ex tunc pro ſemper obligant: ſi vero fiant cum intentione ſuſpendente obligationē vſq; ad certum terminum, illo completo, ex tunc etiam pro ſemper obligant vel perpetuo, vel vſq; ad alium terminum præfixum. Hinc ergo fit, vt votum negatiuum non poſsit per dilationem violari, quia cum obliget pro ſemper, nullam dilationem admittit, ex quo incipit obligare, ꝙ non ita eſt in affirmatiuo voto: nam licet iam obliget, & impleri poſsit, tamen quia non obligat pro ſemper de ſe admittit dilationem, & arbitrium. Item quia votum negatiuum non obligat ad agendum, ſed ad non agendum, ideo non violatur niſi tranſgrediendo ſubſtantiam ipſius voti, etiam ſi in primo inſtanti obligationis eius violetur: vnde ſi quis poſt votum caſtitatis ſimpliciter emiſſum, vallet per vnam tantum horā, vel quadrantem non exequi illud, non diceretur differre executionem, aut obſeruantiam voti, ſed frangere illud. Et hinc etiam fit, vt ad augmentum, vel diminutionem huius peccati nihil referat mora temporis in voto exequendo poſt obligationem eius: tantū enim peccat, qui ſtatim poſt emiſſum votum caſtitatis peccat contra illam, ac ſi ante annum votum emiſiſſet. Illa ergo, quæ diximus de dilatione in affirmatiuo voto, non habent locum in negatiuo. Et ita patet ſufficienter prior pars aſſertionis.

12. *Aduertēdū circa votum negatiuum.*

Circa poſteriorem vero aduertēdum eſt, votum negatiuum aliquando eſſe poſſe de vno tantum actu præciſe, qui ſtatim tranſeat, nullo relicto termino, quaſi permanente moraliter conſiderabili, vt ſi voueam non cœnare hodie, aliquando vero eſſe poſſe de vno actu, qui videatur habere tractum ſucceſsiuum, & quaſi continuum in ſuo termino, vt ſi voueā non ingredi domum, vbi poſt ingreſſum ſequitur mora, vel maior progreſsio, &c. Et ſimile eſt votum non egrediendo domo. Interdum vero poteſt fieri votum de vno actu ſolo, non tamen abſolute ſpectato, vt eſt talis naturæ, vel ſpeciei, ſed vt eſt primus in tali ordine, vt dicebamus ſupra de voto virginitatis præciſe hac intentione facto, & ſimile eſſe poteſt in iuuene emittente votum abſtinendi à vino, id eſt, nō incipiendi vſum, vel guſtum eius. Vltimo poteſt eſſe votum de negatione actus talis ſpeciei ſine alia determinatione ex parte actus, vt eſt in voto caſtitatis, vel abſtinentiæ à carnibus: ſiue talia vota, perpetua fiant, ſiue temporalia, cum proportione ad tempus, pro quo fiunt. Igitur in tribus primis modis ſemel tātum contra votum peccatur, & per vnam tranſgreſſionem voti obligatio extinguitur, quia votum ſolū obligat ad abſtinendum vno actu indiuiduo, & ideo poſt illum commiſſum iam non obligat ad abſtinēdum, quia ad præteritum non eſt potentia; nec etiam obligat ad abſtinendum ab alio ſimili actu, quia de illo non eſt factum, nec etiam obligat votum ad recompenſationem, vt ſupra oſtenſum eſt. Diſcurrendo etiam per ſingulos modos id oſtendi poteſt. Et quidem in primo res eſt per ſe nota, neque circa illum aliquid addendum occurrit: nam ſi quis vouit non cœnare, & ſemel cœnat etiamſi poſtea iterum, atque iterum comedat, non agit contra votum, quia votum ſolum cecidit in vnicum cœnæ actum.

13. *An qui ingreditur domum cōtra votū, teneatur ex vi illius ibi non detineri.*

Circa ſecūdum vero modum poſſet eſſe aliquod dubium, an qui ingreſſus eſt domum aliquam contra votum, teneatur ex vi voti ibi non detineri, & an continuo peccet, quamdiu ibi voluntarie exiſtit, vel poſtquam primam ianuam ingreſſus eſt, an peccet ingrediendo vſque ad interiora domus, & ſic vlterius progrediendo. Vel è contrario ſi votum ſit non egrediendi, an poſt primum egreſſum iterum, atque iterum peccetur progrediendo? Sed in his omnibus dicendum eſt, ex vi talium votorum peccari ingrediendo, vel egrediendo reſpectiue, ibique extingui obligationem voti quoad illum actum, quia permanere in termino, vel ambulare in illo, & ſimilia non ſunt contra votum non ingrediendi, vel egrediendi. Nec ſatis eſt, quod forte ſint contraria fini talis voti, quia finis voti non cadit ſub præceptum, vt ſupra dictum eſt: hoc autem intelligendum eſt ex vi talis formæ vouendi: nam ſi intentio vouentis extēdatur ad hæc omnia, iam mutabitur materia voti, & ideo manet obligatio. Intelligitur etiam de vnico ingreſſu, ſeu egreſſu reſpectu ſui termini, & omnium, quę in illo fiunt ſine nouo egreſſu, vel ingreſſu. Nam ſi poſt primum actum ingrediendi homo exeat, & iterum ingrediatur, &c. tunc iudicandum erit de ſecundo ingreſſu iuxta modum voti, an fuerit de primo actu, vel de omnibus ſimpliciter, & ſecundū hāc comparationem pertinebit votum ad tertium, vel quartum modum ſuprà poſitum, & iuxta illos definiendum erit, quomodo in eo caſu peccata multiplicentur.

Circa tertium ergo modum aliquid dictum eſt ſupra li. 4. c. 4. explicando duos modos vouendi virginitatem, & omnes Authores ibi citati pro certo ſupponunt illum modum vouendi eſſe poſsibilem: quia pendet ex libera intentione vouētis: illo autem ſuppoſito manifeſtum eſt, per primum actum voto contrarium extingui obligationem voti, quia ex intentione vouētis limitata fuit obligatio ad primum actum illius materię, & obligatio non extenditur vltra intentionem, & circa primum actum iam eſt impoſsibile ſeruare votum: quia iam factum ſupponitur. Quamuis autem hoc verum ſit, ſuppoſita tali intentione vouentis, neceſſarium eſt, vt de tali intentione ſatis conſtet, raro enim ex ſola forma vouendi, & materia eius intentio hæc colligi poteſt niſi ipſemet vouens formaliter eam expreſſerit, vel ſaltem conceperit, vt fere omnes Authores notant in voto virginitatis, & eadem ratio eſt in ſimilibus, licet aliquando poſsit colligi intentio illa ex materiā, vt de ieiunio quoad vnicam cœnam, ſeu comeſtionem ibi notauimus. 14. Quocirca quartus vouendi modus frequentior eſt in his votis negatiuis, quia negatio de ſe omnia deſtruit, & ideo votum negatiuum factum de aliquo actu in communi obligat ſimpliciter ad abſtinendum de omnibus ſimilibus, ideoq; toties peccatur contra tale votum, quoties fit actus ſub illa negatione comprehenſus, ſiue tale votum ſit factum pro diuturno tempore, ſiue pro breui, dummodo actus intra tempus prohibitum repetantur, vt in particulari de voto non bibendi vinum in d. c. 4. declaraui: & eadem eſt ratio de cæteris, vbi de contraria intentione vouentis aperte non conſtiterit, vt dixi.

15. *An peccatū contra votū augeatur ex multiplicatione votorū circa eandē materiā.*

Cætera de peccatis, quæ contra votum committi poſſunt ex dictis li. præced. de obligatione voti colligi poſſunt: nam peccatum conſiſtit in tranſgreſsione obligationis, & ideo pro varietate, & modo obligationis voti erit de peccatis illi contrarijs iudicandum. Solet autem ſpecialiter quęri, an peccatum cōtra votum augeatur ex repetitione, ſeu multiplicatione votorum circa eandem materiam, vt ſiquis ſæpius emiſit votum caſtitatis, & poſtea caſtitatem violet, an peccatum illud habeat tot malitias, quot fuerunt vota caſtitatis emiſſa? In quo dubio dicendum eſt primo, in illo peccato tantum eſſe vnam malitiā. Probatur: quia per illa vota non multiplicantur obligationes, ſed eadem repetitur, & confirmatur, ſicut promiſsiones humanæ de eadem re eidem homini, & eodem titulo, ac firmitate factæ non multiplicant obligationem, nec honeſtates multiplicātur in actu, quo talia vota ſeruātur: ergo nec malitię ſolo numero differentes multiplicantur in eodē actu, vel omiſſione. Secundo dicitur, ex illo capite poſſe accidentaliter augeri malitiā tranſgreſsionis. Probatur. tum quia ꝙ pluribus titulis debetur: magis debitum eſt ſaltem extenſiue, & ideo non reddere tale debitum; aliquam

aliquam maiorem deordinationem continet, ſicut ingratitudo maior eſt, quo beneficia ſunt plura etiāſi non ſint diſtinctæ rationis. Tum etiam quia illa votorum repetitio de ſe magis excitat ad voti obſeruationem, ipſamq́ obligationem magis in memoriam reuocat, & ideo talis tranſgreſsio eſt magis voluntaria, & ex maiori contemptu ſaltem virtuali.

16\. *grauitas peccati, quæ oritur ex violatione voti ſæpius repetiti nō eſt circūſtantia neceſſario aperienda in confeſſione. Medin.*

Nihilominus addimus tertio hãc grauitatem per ſe loquendo, non eſſe talem, vt oporteat circumſtãtiam illam in confeſsione explicare. Probatur: quia nec mutat ſpeciem, vt per ſe conſtat, nec eſt ita notabilis, vt mutet iudicium notabiliter, vel ſpecialẽ obligationem inducat, aut peculiari indigeat remedio. Dico autem per ſe loquendo, vt circumſtantiā ſcandali, contemptus formalis, vel alias ſimiles excludā. Et hæc doctrina ſumitur ex Medin. 1. 2. q. 72. ar. 6. vbi de obligationibus votorum loquitur, & dicit, non multiplicari per ſimilia vota & conſequẽter nec peccata in eorum tranſgreſsione quam æquiparat trãſgreſsioni plurium legum idem ſub eadẽ ratione virtutum præcipientium, aut prohibentium, & in ordine ad confeſsionem idem dicit in Sum. c. 9. in fine, & idem tenent plures Moderni, quos refert, & ſequitur *Sanci.* Sanc lib. de Matrim. diſ. 27. nu. 25. Eſt aūt hoc certius quando illa vota ſunt tãtum ſimplicia: peculiare aūt dubium habet, ſi vnum ſit ſolemne, & aliud ſimplex, *Dubium.* vel ſint duo ſolemnia diuerſarū rationum, vt ſacerdotis, & Religioſi. Vnde inſurgit illa quęſtio, an ſacerdos Religioſus caſtitatẽ violãs ſatisfaciat, dicẽdo peccaſſe cōtra votū caſtitatis, vel dicẽdo ſe eſſe Religioſum, vel tantū dicendo eſſe ſacerdotem, vel teneatur vtramq́ circumſtantiam explicare. Sed quod ad præſens ſpectat, dicimus, quantū eſt ex parte voti, ſatis eſſe voti circūſtãtiam aperire: an vero ſtatus perſonæ Religioſæ, vel conſecratio ordinis ſit circumſtantia ſpecialis neceſſario aperienda in confeſsione, dicemus infra tractando de votis talium ſtatuum, ſeu perſonarum in particulari. Interim videri poteſt Sanc. d. diſ. 27. à nu. 22.

17\. *An votum ieiunij, & votum implendi tale votum ſi violetur, habeat diſtinctā malitiam.*

Sed quid ſi quis votum habẽs ieiunij, vel aliud ſimile poſtea faciat votum implendi tale votum, nūquid peccatum contrarium habebit diſtinctam malitiam? Videtur enim habere, quia illud votū diſtinctum eſt, & circa diſtinctam materiā: nam vnius materia eſt ieiunium: alterius autem materia eſt obſeruatio voti: ergo violãtur ibi vota diuerſarum rationum: ergo ſunt plures malitiæ in tali actu. Confirmatur primo: quia ſiquis voto facto adiungat iuramentum ſeruandi votum, & poſtea violet votū, duas malitias committit: ergo ſimiliter in præſenti. Confirmatur ſecundo: quia ſiquis voueat ſeruare præceptum, duas committit malitias: ergo etiam in præſenti. Nihilominus dico, ibi tantum eſſe vnam malitiam, imò idem eſſe iudicium de tali peccato, quod de tranſgreſsione voti ſæpius repetiti circa eandem materiam. Ratio eſt, quia votum ſeruãdi prius votū ieiunij, v. g. nihil aliud eſt, quam iteratum votum ieiunij alijs verbis explicatum. Declaro, quia vouens ieiunium virtute, ſeu in actu exercito (vt ſic dicā) vouet implere illud idem votum: quia ex vi illiuſmet voti obligatur quis ad implendum ipſum: ergo non poteſt votum illud ſeparari ab obligatione fidelitatis ſeruãdi idẽ votū, quæ obligatio ab ipſomet prouenit: ergo virtute includit illam quaſi reflexionem in ſe ipſum, vt promittendo rem, promittat ſui obſeruationem. Vnde etiam è contrario vouere ſeruare votum ieiunij, nihil aliud eſt, quam vouere ieiunium ſeruandum ex obligatione voti, ergo illa duo vota in re non ſunt diſtincta quoad obligationẽ, quā inducunt: ergo nec peccata, ſeu malitiæ trãſgreſsionis oppoſitæ inde multiplicantur. Neque eſt ſimile de iuramento, & voto, quia iuramentum addit circumſtantiam, & obligationẽ diſtinctæ ſpeciei ab obligatione voti, vt ſupra tract. 2. lib. 2. declaratum eſt. Erit autem ſimile, ſi non comparetur iuramentum ad votum, ſed vnum iuramentum ad aliud, vt ſiquis iuret ſeruare votum, & poſtea iterum iuret ſeruare illud iuramentum, non addet obligationem diuerſam à priori iuramento, nec trãſgreſsio oppoſita habebit pluſquam vnam malitiam contra vtrumq́ iuramentum, præter aliam contra votum, propter eãdem rationem. De pręcepto item ad votum comparato, non eſt ſimile, quia inducit obligationẽ diuerſæ rationis, vt ſupra dictum eſt. Erit autem eadem ratio, ſeu proportio, ſi præceptum feratur de ſeruando priori præcepto: quia etiam inde non multiplicabūtur malitiæ contra præcepta.

Capvt VII.

Vtrum dolere, ſeu penitere de voto facto ſit peccatum contra votum, vel contra aliud præceptum?

Hoc dubium non eſt tactum in ſuperioribus, neq́ etiam ex dictis de obligatione voti ſufficienter expeditur, & ideo breuiter tractandum hic eſt, ſicut tractatur communiter à Doctoribus in hac materia, præſertim à Caie. d. q. 88. ar. 6. qui diſtinguit inter pœnitentiam voti, & pœnitentiam de hoc, quod eſt feciſſe votum, & primam cenſet eſſe peccatum mortale: non vero ſecundam. Soto verò li. 7. q. 2. art. 4. ad 2. illos reprehendit terminos, & non ſine occaſione, quia ſubobſcuri ſunt. Quid enim eſt pœnitẽtia voti, niſi pœnitentia de hoc, quod eſt feciſſe votum? Pœnitere enim de peccato, & pœnitere feciſſe peccatū, idem ſunt: ergo ſimiliter pœnitere aliquem de voto, vel quod fecerit votum, idẽ ſunt. Itẽ pœnitentia non eſt niſi de actu pręterito: ergo pœnitentia de voto nō eſt de actu faciẽdo ex voto, quia ille actus nō eſt pręteritus, ſed futurus: ergo tãtū eſt de voto iã facto: ergo illa duo non diſtinguuntur. Nam pœnitentia de voto facto, & quod fecerim votum, idem ſunt. 1.

Caiet.

Soto.

Clarius ergo diſtinguere poſſumus duplicem pœnitentiam voti, vnam efficacem, aliam inefficacem. Efficacem voco illam, qua ita quis deteſtatur votum factum, vt ſtatuat, & proponat non ſeruare illud, vel ſi illud hactenus ſeruauerit, amplius nolit cuſtodire, etiamſi eius obligatio duret. Poteſtq́ ad eum gradū deordinationis talis pœnitentia peruenire, vt doleat vouens non ſolum, quod vouerit, ſed etiam quod talia opera fecerit, vel ita ſe continuerit ad ſeruandū votum. Pœnitentiam inefficacem voco, quæ ſolum habetur per ſimplicem affectum diſplicẽtiæ de priori voto, ſeu (quod idem eſt) quod diſplicet me feciſſe votum: nihilominus tamen, non obſtãte hac diſplicẽtia retineo propoſitum implendi votum. Quæ diſtinctio ſumpta eſt cū proportione à pœnitentia peccati commiſſi, quæ tunc eſt efficax, quando inducit propoſitum non peccandi de cætero, tunc vero inefficax, quando ſolum eſt diſplicentia velleitatis, quę relinquit affectum iterum peccandi. Et fortaſſe Caiet. eandem doctrinam intendit, quamuis illam non eiſdem verbis expoſuerit. 2.

Duplex pœnitẽtia quæ dari poteſt de voto facto.

Dico primo: Pœnitentia efficax voti facti in ordine ad obſeruationẽ eius, peccatum mortale eſt eidẽ voto contrarium. Hanc aſſertionem intendit Caiet. & admittunt Soto, & omnes ſtatim referendi. Et patet, quia talis pœnitentia includit propoſitū non ſeruandi votum, & eſt quaſi quædam apoſtaſia à voto, ſed tale propoſitum eſt peccatum mortale cōtra obligationem voti, quia trãſgreſsio, & propoſitum eius eandem habent malitiam: ergo. Dixi autem notanter ad obſeruationem eius: nam ſi quis de voto efficaciter pœniteat, ad remediū eius per iuſtam diſpenſationem, vel commutationem, talis pœnitẽtia nullū erit peccatum, quia propoſitum efficax, quod includit nullū eſt peccatum, ſi diſpenſatio, (vt ſupponitur) iuſta ſit; & idem eſt de irritatione, vt infrà dicetur. 3.

1. Aſſertio. Pœnitentia efficax de obſeruatione voti facti mortale peccatum eſt. Soto contra ...

Dices:

Digitized by Google

Obiectio. Solutio.

Dices: illa pœnitentia tendit ad non obſeruandum votum. Reſpondeo: tendit ad non obſeruandum illud, illo tollè ablato, at hoc nullum eſt peccatũ: imò propriè, ac formaliter non eſt, non obſeruare illud, ſed eſt materialiter nõ exequi illud, quod fuerat votum, quatenus nõ continetur ſub promiſsione voti, quæ includebat conditionem, *niſi per Superiorem tollatur*. Aſſertio autem procedit de pœnitẽtia quæ immediate inducit formalem non obſeruantiam voti, illo durante, & ſic eſt manifeſta. Vnde conſtat idem dicendum eſſe de pœnitentia actus prius facti ad votum implendum: vt ſi quis habens votũ ſimplex Religionis ex vi eius Religionem profiteatur, & poſtea doleat, quod factus fuerit Religioſus, includendo compoſitionem ad prius votum, & conſiderando illum ſtatum, vt impletiuum prioris voti, vt explicatur his verbis: *Pœnitet me impleuiſſe tale votum, etiam ſi illud haberem.* Conſtat ergo, hanc pœnitentiam eſſe peccatum mortale quia includit deſiderium huius, quod eſt fregiſſe votum, quod cõtinet malitiam directe oppoſitam obligationi voti. Secus vero erit, ſi talis pœnitentia ſit de ipſo actu ſecundum ſe, & abſq; compoſitione cum voto, ſed potius deſiderando ſimul, vt votum non fuerit, vt conſtabit ex dicendis.

4\. *2. Aſſertio. Pœnitentia inefficax voti per ſe non eſt peccatum. D. Thom. Caiet. Soto. Nauar. Syluest. Angel.*

Dico ſecundo: Pœnitẽtia inefficax voti, per ſe loquendo, non eſt peccatum. Hoc ſupponit D. Tho. d. art. 6. ad 2. vbi Caiet. & Soto ſupra, & Nauar. c. 12. nu. 54. Sylue. ver. *Votum*, 2. q. 20. Ang. *Votũ*, 3. n. 13. Et probatur, quia hęc pœnitentia non eſt de obiecto prohibito ex vi obligationis voti: ergo per ſe non eſt peccatum contra votum. Antecedens patet, quia votum ſolum eſt promiſsio faciendi hanc, vel illam rem, nõ aũt eſt promiſsio gaudendi ſemper, aut nũquam dolendi de voto facto: ergo ſi dolor non ſit tãtus, vt excludat voluntatem implẽdi promiſſum, nõ eſt cõtra votum. Imo hinc vlterius concluditur, huiuſmodi pœnitentiam ex genere ſuo nullum eſſe peccatum. Probatur: quia nullum præceptum inuenitur, cui directe opponatur. Item nolle vouere, nullum peccatum eſt: ergo & hic actus *nollem vouiſſe*, ex obiecto nullum peccatum eſt, quia obiectũ vtriuſq; actus idẽ eſt, & propter habitudinem ad diuerſas differentias temporis non variatur in bonitate, vel malitia. Quia ſicut à principio non fuit obligatio vouẽdi, ita neque poſtea eſt aliquod pręceptum, quod obliget ad ita perſeuerandum in priori voluntate vouendi, vt per actum etiam ſimplicem, & inefficacem non diſpliceat.

5\. Vnde conſtat idem eſſe dicẽdum de actibus prius factis ex voto, quando alias per ſe, aut ex alio præcepto non erãt neceſſarij. Nam de illis pœnitere (vt ſupra dicebam) inefficaciter, & ſub conditione ſeparãte ab illis obligationem voti, nullum peccatum eſt: quia obiectum talis actus ſic propoſitum malum nõ eſt: nam per conditionem adiunctam præſcinditur ab eo omnis malitia. Similia exempla reperimus in obligatione præcepti poſitiui, cum qua, vt ſæpe diximus, magnam proportionem ſeruat obligatio voti. Dolere igitur quod mihi fuerit tale præceptum impoſitum, aut quod hodie ſit dies ieiunij, retinendo propoſitum ieiunandi, per ſe nullum peccatum eſt: quia neq; eſt contra temperãtiam, cum hæc, & opere, & propoſito ſeruetur, neq; eſt contra obedientiam, quia hæc non obliget, vt ipſummet præceptum placeat, aut non contriſtet: ſed vt fiat, quod præceptum eſt. Et eadem ratione dolore de præterito actu præcepti iam facto, non quidem dolendo de ipſa obſeruantia præcepti, ſed ſolum de ipſo actu ſecundum ſe, & ſolum de hoc, quod fuerit tũc ex præcepto neceſſarius, nullum peccatum eſt (vt dolere, quod præterito die nõ laborauerim propter Eccleſiæ præceptũ) tunc enim non diſplicet feciſſe, quod Eccleſia præcepit, ſed diſplicet, præceptũ occurriſſe tali die, quod per ſe malum non eſt. Ita ergo in præſenti de pœnitentia voti, & actionum ex illo factarum philoſophandum eſt.

6\. *3. Aſſertio. Implere votum cum pœnitentia inefficaci de obligatione eius nullum peccatũ eſt.*

Dico tertiò: Implere votum cum hac pœnitudine inefficaci, & triſtitia de voto emiſſo, & de eius obligatione, per ſe loquendo, nullum peccatũ eſt. Quod etiam ſentit D. Tho. in d. ſolutione ad ſecundum. Et probatur: quia in primis illa operatio non eſt obligationi voti contraria, quia votum obligat abſolutè ad implendum, quod promiſſum eſt: non vero ad modum, qui non fuit promiſſus: qui autem vouit dare eleemoſynam, v. g. nõ vouit dare alacriter, ſeu abſq; vlla triſtitia, vel pœnitentia voti. Loquimur autem de ſolo vno voto quaſi directo: nam ſi fingamus aliquem feciſſe votum quaſi reflexum nunquam dolendi de alio voto facto aut obligatione eius, tũc illa pœnitentia eſſet mala non præcisè, quia eſt pœnitentia voti, ſed quia eſt directa tranſgreſsio alterius voti. At ſecluſa hac reflexione, & per ſe ac directe rem conſiderando, per actum illo modo factum ſufficienter impletur votum quoad eius obligationem. Aliunde verò illa circumſtantia non eſt per ſe mala: quia illa pœnitentia non eſt ex obiecto mala, vt oſtenſum eſt, ergo.

7\. Dixi autem ſemper, *per ſe loquendo*, quia per accidens poteſt talis pœnitentia eſſe mala, & voto contraria, nimirum ſi ratione illius cõſtituatur homo in morali periculo proximo non implẽdi votum: quia qui amat periculũ, peribit in illo: & ideo qui aliquid tenetur facere, tenetur etiam quantum in ipſo eſt, vitare talia pericula. Poteſt autem hoc in præſenti materia facile contingere, quia ea, quæ diſplicent volũtati, & cum deliberatione facile omittuntur, & difficile fiunt integre, & ſicut oportet. Et ideo facile poteſt cum hac pœnitentia miſceri aliqua culpa. Qualis autem illa ſit ex circumſtantijs perſonæ, & qualitate materiæ penſandum eſt. Et quoad hoc locum habet diſtinctio, quam Caiet. attigit in ſuo puncto ſecundo: nam in votis leuioribus, & temporalibus facilius poteſt haberi hæc pœnitentia ſine illo periculo, & conſequẽter ſine voti læſione culpabili: quia pro aliquo tempore, & in vno, vel alio actu facile vinci poteſt illa pœnitentia, vt non impediat, nec retardet ab integra obſeruatione voti. At vero in votis grauioribus, ac perpetuis plus eſt periculi, & ideo facile poteſt admiſceri aliqua culpa ſaltem venialis, nam mortalis raro erit ex hoc capite: niſi fortaſſe experientia iam docuerit ibi ineſſe periculum morale omittẽdi graue aliquid circa voti obſeruationem.

8\. *Quale opus ſit pœnitentia voti facti.*

Tandem inquiri poteſt, quale opus ſit hæc pœnitentia voti facti, ſi per ſe, & ex obiecto peccatum non eſt? Reſpondeo etiam ex obiecto non eſſe actum bonum, cum ſit dolor de bono actu iam facto: vnde ſequitur ad ſummum eſſe actum indifferẽtem ex obiecto. Tamen quia de ſe magis poteſt impedire bonum, quã promouere, ideo in malum vergit, & difficile eſt, vt habeat honeſtum finem. Et ex hoc capite regulariter talis actus erit malus. Aliquando tamen poſſet honeſtari, ſi rationabilis cauſa de nouo occurreret, vel cognoſceretur, ob quam merito iudicaretur fuiſſe magis expediens non vouiſſe. Quamquam etiam tunc iudico eſſe melius abſtinere à tali actu, eo quod iam vtilis non ſit, niſi fortaſſe ad impetrandam iuſtam diſpenſationem eſſet neceſſarius: nam tunc poſſet ex illo fine honeſtari.

Finis libri quinti.

INDEX LIBRI SEXTI DE IRRITATIONE, DISPENSATIONE, ET COMMVTATIONE VOTI.

CAp. 1. An poſſit votum irritari, & quid, ac quotuplex ſit irritatio.
Cap. 2. An poſſint Sum. Pont. & alij Superiores vota ſubditorum irritare.
Cap. 3. An domini poſſint ſeruorum vota irritare.
Cap. 4. An vnus coniugum poſſit vota alterius irritare.
Cap. 5. De poteſtate parentum ad irritanda vota filiorumfamilias.
Cap. 6. De poteſtate parentum circa vota filiorum impuberum.
Cap. 7. An Prælati Religionum poſſint Religioſorum vota directe irritare.
Cap. 8. Vtrum votum factum, vel confirmatum de licentia Prælati poſſit ab eodem, vel ab alio irritari.
Cap. 9. Vtrum ſit in Eccleſia poteſtas commutandi, ac diſpenſandi in votis.
Cap. 10. In quibus ſit in Eccleſia poteſtas ordinaria ad diſpenſandum, & commutandum vota.
Cap. 11. Qui ſint Prælati ordinarij fidelium ad eorum vota diſpenſanda.
Cap. 12. An delegari poſſit poteſtas ad diſpenſandum in voto: & an eo ipſo cenſeatur conceſſa ad commutandum.
Cap. 13. Ad quæ vota extendatur facult. diſpenſ. & commutandi.
Cap. 14. An facultas delegata ad diſpenſandum vota extendatur ad iurata.
Cap. 15. Vtrum eadem poteſtas extendatur ad vota facta in commodum tertij.
Cap. 16. De facultate eligendi perſonam, quæ poſſit in votis diſpenſ. vel commutare.
Cap. 17. Vtrum ad diſpenſationem voti ſit cauſa neceſſaria.
Cap. 18. Vtrum ad commutandum votum in melius requirat poteſtas Prælati vel cauſa.
Cap. 19. Quæ poteſt. vel cauſa requiratur ad commutat. voti in æquale, aut minus.
Cap. 20. De vi commutationis ad tollendam voti obligationem circa priorem mater.
Cap. 21. De diſpenſatione, & commutatione votorum, quæ reſeruantur Pontifici.
Cap. 22. De reſeruatione votorum conditionalium.
Cap. 23. An vota pœnalia in materijs votorum reſeruatorum reſeruata ſint.
Cap. 24. De votis ſub diſiunctione factis de mat. reſeruata, & non reſeruata.
Cap. 25. De poteſtate delegata ad diſpenſandum, vel commutandum vota reſeruata.
Cap. 26. An qui habent facultatem generalem commutandi vota, poſſint commutare vota reſeruata.
Cap. 27. Quæ voluntas Prælati & forma ſit neceſſaria ad valorem diſpenſationis.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXTVS DE MODIS, QVIBVS VOTVM EIVSVE OBLIGATIO TOLLI POTEST, VIDELICET IRRITATIONE, DISPENSATIONE ET COMMVTATIONE.

EXplicando voti naturam, & obligationem declarauimus, quomodo interdũ contingat, aut votum à principio non obligare, ac ſubinde eſſe nullum: vel licet initio validum fuerit, poſtea per rerum mutationem ceſſare: in hoc libro explicandum ſupereſt, quibus modis poſsit votum validum, & in ſua vi, & obligatione perſeuerans per hominem auferri: nam quod auferri poſsit, pro conſtanti ſupponitur, & patebit ex dicendis. Non enim vno tantum modo auferri poteſt, & ideo generalis illa concluſio melius probabitur diſcurrendo per ſingulos modos, quibus auferri poteſt, quam in cõmuni, quia huiuſmodi actiones, & cauſæ earum circa particularia verſantur. In communi ergo ſatis ſit dicere, non fuiſſe conueniens, obligationem voti ita eſſe perpetuam, vt ſemel inhærens remoueri non poſsit: nam conſiderata mutabili conditione humanæ naturæ, eſſet valde dura, & pernicioſa talis cõditio. Pertinuit ergo ad conuenientem gubernationem, & quaſi neceſſariam prouidentiam erga homines, vt aliqua via & modo poſſet hæc obligatio auferri, ſi expediret. Tres autem modi auferẽdi votum diſtingui ſolent, qui ſunt irritatio, diſpenſatio, & commutatio, quos terminos explicuimus tractãdo de Iuramento, quoad vocum ſignificationem, quoad ipſam vero rem ex ſingulorum tractatione cõſtabit, quid ſint, & quomodo diſtinguantur, ac denique quomodo nõnulli alij, qui addi ſolent, ad illos reducantur.

CAPVT .I.

An poſſit votum irritari, & quid, ac quotuplex ſit irritatio voti?

1. AD declarandam voti irritationem ſupponẽdum eſt ex dictis in fine libri ſecundi in vltimis fere verbis, quædam eſſe vota ita abſoluta, & firma vt in rigore non pendeant per ſe loquendo niſi ex voluntate vouentis, tam ex parte ipſius perſonæ vouentis quam ex parte materiæ promiſſæ, vt eſt v. g. votum caſtitatis emiſſum ab homine maioris ætatis, & ſimilia. Quædam vero eſſe vota, quæ habent dependentiam ex voluntate alterius, præter voluntatem vouentis, quæ quidem non habent ex voluntate vouẽtis plenam firmitatem, quia quatenus ab alia pendẽt, eatenus infirma dici poſſunt.

2. *Obiectio.* Dices: Omne votũ cũ ſit promiſsio pendet ex voluntate eius, cui fit, nã ſi ille nõ acceptet, non valebit promiſsio, & ſi poſtquam acceptauit, remittat, tolletur obligatio: ergo ſaltem ex hac parte omne votum infirmum eſt, & irritabile, ſicut ſupra diximus, omne iuramẽtum promiſſorium per remiſsionem creditoris eſſe remiſsibile, ſeu irritabile. *Solutio.* Reſpondeo cũ votum ſit promiſsio Deo facta, ex parte promiſſarij proprij non poſſe ſecundum legem ordinariam auferri per conditionem, quia inter nos, & Deum non intercedit tam familiaris communicatio, ſicut inter homines. Oporteret enim Deum per ſe ipſum ſibi immediate promiſſa condonare, quod non facit, ſed per vicarium ſuum, & ideo in votis loco conditionis ſuccedit diſpenſatio, vt infra dicam. Igitur hæc habitudo ad Deum & promiſſarium communis eſt omni voto, nec ex illa habet maiorem firmitatem, vel infirmitatem, vnum quam aliud, ſed potius eo ipſo, quod votum validum eſt, habet firmitatem ex parte illud. Cum ergo dicitur, aliquod votum eſſe infirmum, intelligitur ſecundum dependentiam ab alio extra promittentem, & promiſſarium, & illud votũ, quod talem dependentiam non habet, vocatur hic ſimpliciter firmum.

3. *Quodnam votum ſit irritabile.* Tunc ergo dicitur votum irritabile, quãdo in ſuo valore & obligatione, vel (vt ita dicam) in ſuo fieri, & cõſeruari pẽdet ex voluntate alicuius tertię perſonæ extra promittẽtem, & promiſſarium. Vnde tale votum ſemper eſt conditionatum expreſſe, vel tacite: habet autem hoc peculiare, quod ex parte conditionis inuoluit conſenſum poſitiuum, aut ſaltem nõ repugnantem alterius: & ideo ab illo, à quo pendet irritabile eſt. Alia enim vota conditionata, quorũ conditiones ex alijs cauſis contingentibus pendent, licet poſsint non valere, vel ceſſare ex defectu conditionis, non dicuntur proprie irritari, ſed per ſe deſinere, aut mutari, vel eſſe nulla. Irritatio enim dicit actum liberum voluntatis, quo is, à quo votum pendet, facit, vt non ſit, ſeu non obliget. Talis autem dependentia voti ab alterius voluntate multiplex eſſe põt, ad duo vero capita reducitur, ſcilicet vel ex parte materię vel ex parte perſonę ſeu voluntatis ipſius vouentis. *Quid ſit, & quotuplex irritatio voti.* Priori modo pẽdet votum ab alterius voluntate, quando materia voti ab illa pendet in aliqua conditione neceſſaria ad valorem voti, vt in honeſtate, quia poteſt ab alio prohiberi, vel non prohiberi: vel in poſsibilitate, ſi materia voti eſt ſub alterius poteſtate. Poſteriori modo pendet votum ab alterius voluntate, quando voluntas vouẽtis ita eſt ſubordinata voluntati alterius, vt in ſua obligatione includat conditionem, ſi alter conſenſerit, aut non repugnauerit, vt filius impubes pendet ex parte, Religioſus à ſuo Prælato.

4. Ex qua diuerſitate colligitur primo duplex modus irritandi votum, vnus eſt ex parte materiæ, quaſi ſubtrahendo, vel mutando illam: alius ex parte ipſiuſmet actus vouendi, ſeu voluntatis vouẽtis, reuocando, & quaſi diſſoluendo illum. Priorem modum vocare ſoleo indirectum, & communem, quia non cadit immediate in votum ipſum, ſed fit per ſubtractionem materiæ: vnde ſimilis eſt illi ablationi, vel ceſſationi voti, quæ contingit ex mutatione materię, vt in fine libri quarti viſum eſt. Poſterior autem modus eſt directus, & proprius, quia immediate cadit in votum ipſum, & habet ſpecialem, & propriam rationem auferendi illud. *Differentia inter modũ irritandi ex parte materiæ voti, & modum ex parte actus ſe habentis.* Eſt autem differentia valde notanda inter hos duos modos irritationis voti: nã irritatio directa ex parte obligationis eſt irritatio ſimpliciter, & quaſi totalis deſtructio voti: altera verò indirecta irritatio ex parte materiæ poteſt dici ſecũdum quid, quantum eſt ex ſe. Vnde ſæpe eſt quaſi tẽpora-

poralis ſuſpenſio voti, & licet interdum omnioo auferat obligationem voti, eſt quaſi per accidens, quia vel votum ſolum fuit factum pro eo tempore, pro quo materia eius prohibetur, aut licet ſit perpetuum ex parte ſua, deficit perſona prius, quam irritatio finiatur.

5. Secundo hinc etiam fit, vt votum directe irritatũ nunquam amplius reuiuiſcat: ſi vero tantum irritetur ex parte materię, ablata prohibitione, vel illa ceſſante, votũ incipiat obligare. Prior pars nota eſt, quia prior obligatio extiocta fuit per irritationem: & patet exemplo: nam ſi impubes faciat votum Religionis, & à Patre irritetur, factus pubes non obligatur tali voto. Alteram vero partem videtur negare Abul. Numer. 30. q. 67. & 68. vbi de Epiſcopo loquitur, qui vouit peregrinari, & petijt licentiam à Papa qui illam non conceſsit, & ita votum irritauit, & de illo ait Abulenſ. licet poſtea dimittat Epiſcopatum, non teneri votum implere, quia irritatum fuit. Dico tamen id non eſſe per ſe, ſed conſiderandam eſſe cõditiooem voti. Nam ſi obligat pro certo tẽpore, & pro illo oegetur licentia, vel prohibeatur materia, conſequenter extinguitur votum: ſi autem votum ſit indefinite factum, vel ſit perpetuum, noo extinguitur, ſed ſolũ ad tempus impeditur eius executio, & ita mutato ſtatu poterit obligare. Ita ſenſit Caiet. d. qu. 88. arti. 8. Et declaratur exẽplo ſerui, ſi votum Religionis faciat. Nã poteſt à domino prohiberi eius executio, & tunc dicitur irritare votum, non tamen aufert illud, quia ſi dominus moriatur, vel ſeruus illa aliavia fiat liber, obligabitur voto, quod ſi nunquam fiat liber, nunquam obligabitur, non quia votum fuerit extinctũ, ſed quia ſemper fuit impeditum.

6. *Omnis fideles extra Sũmum Pontificem poteſt habere vota irritabilia ex parte materia, non tamen omnia ex parte obligationis.*

Ex his ſequitur tertio: in quocumq; homine fideli extra Summum Pontificem poſſe dari vota irritabilia ex parte materiæ: nõ vero dari in omnibus vota irritabilia directe, & ex parte obligatioois, licet in aliquibus detur. Prima pars conſtat, quia omnes homines infra Pootificem habent Superiorem in terris, à quo interdum prohiberi poſſunt, ne hoc, vel illud faciaot: ergo ex hac parte poteſt eſſe in quocumque hominum aliquod votum irritabile: vel etiã aliqua. Dixi enim indefinite in quocumq; homine infra Pontificem poſſe dari vota irritabilia, quia nõ omnia vota ſubditorum ſunt irritabilia ex parte materię etiam per Summum Pontificem: quia non põt omnia pro libito ſuo præcipere, vel prohibere. Nec enim opera bona, & cõſiliorum generaliter prohibere põt, quia non eſt data ei poteſtas in deſtructionẽ, ſed io ædificatiooem, nec ad omnia priuata facta hominum præcipienda, ſed ad ea, quæ ad regimen Eccleſię ſpectant, & ad boonm animarum neceſſaria ſunt, aut regulariter expediunt. Quod tam de clericis, quam de laicis veriſsimũ eſt, quamuis pro ratione ſtatus quidã illi io pluribus ſubdantur, quã alij. Igitur abſolute, & generatim non põt omnia vota ſingulorũ irritare. Non repugnat aũt, in quolibet homine inueniri materiam aliquã voti irritabilis per Pontificem, quia in quolibet põt occurrere occaſio illi præcipiendi aliquid propter commune bonum, etiamſi ſit priuato voto contrarium. In ipſo autem Pontifice nõ habet locũ irritatio hęc: quia nõ habet Superiorẽ, vt cõſtat.

7. Altera pars de irritatione directa probatur: quia non omnes homines habent ſuam voluntatẽ ita ſubordinatam, & dependentem ab alterius cõſenſu, vt ſine dependentia ab illo obligari nõ poſſint Deo pro arbitrio ſuæ voluntatis, ſi illis ſuppetat materia licita, & ab alijs obligationibus, vel debitis libera. Hoc patet inductione: nam in primis ex parte ætatis omnes homines adulti maioris ætatis, quæ ſaltem trãſcendat annos pubertatis, habent ratione libertatis ſuæ ſufficieotem poteſtatẽ ad ſe obligandũ per votũ, nec ex hac parte pendeot à Papa, vel Rege, aut alio Superiore, vt in ſequẽti capite videbimus. Deinde ex parte ſtatus ſoli Religioſi in rigore habent talem ſubordinationem, & dependentiam ab alterius voluntate, vt ex diſcurſu materiæ conſtabit. Itaque ex parte ætatis in ſolis impuberibus: ex parte autem ſtatus in ſolis Religioſis ſunt vota omnia irritabilia directe, & ex parte obligationis. In maiori enim ætatę eſt ſufficiens libertas ex parte ſua ſufficiens ad votũ, vt ſupra viſum eſt: & io omni ſtatu extra Religionẽ eſt homo ſui iuris in ordine ad Deum quoad ea omnia, quæ ex parte materiæ illi prohibita non ſunt: & ideo abſolute, & ſimpliciter obligari poteſt ſine cõditione tacita, quæ dependentiam ab alterius voluntate includat. Quod à fortiori conſtabit ex his, quæ de Epiſcopis, ſeruis, & coniugatis dicemus.

Sed oportet aduertere aliud eſſe loqui de voto irritabili ex intrinſeca conditione perſonę vouentis, aliud de voto irritabili ex voluntaria intentione, ſeu conditione poſita à vouente. Nam dicta procedunt priori modo, & ita etiam ſemper loquemur: quia ille modus eſt quaſi per ſe, & poteſt ſub doctrinã cadere. Poſteriori autem modo nullus eſt hominum, qui non poſsit facere votum irritabile per alterius volũtatem: nam ipſe etiam Summus Pontifex poteſt vouere ieiunium, vel eleemoſynam, ſi confeſſor ſuus non contradixerit, vel ſi cooſerit, & tunc confeſſor poterit irritare directe tale votum Põtificis, quia poteſt facere, vt non impleatur conditio, ſine qua votũ non obligat. De hoc autem modo irritationis nihil fere dicendum occurrit præter ea, quæ de voto conditionato diximus: aliqua vero ex his, quæ dicemus, poſſunt ad illã applicari. 8. Quarto colligitur ex dictis, poteſtatem irritandi nõ ſemper eſſe ſpiritualem, vel fuodari in poteſtate iuriſdictionis, ſed in hoc diſtinguendum etiam eſſe inter irritationem directam, & indirectam. Patet: quia directa irritatio ex parte irritantis fundatur in patria poteſtate, vel naturali, vt eſt io proprio parente reſpectu filii, vel ſpirituali, vt eſt in Prelato reſpectu Religioſi: ex parte autem vouentis fundatur, vel io imperfectione voluntatis cũ tali modo emanationis, vel ſubiectionis, vt in filio impubere, vel in ſpeciali promiſsione, & pacto præcedenti, vt in Religioſo. Et ideo poteſtas hæc ad irritãda vota directe, vocari ſolet dominatiua, quod maxime dicitur ad diſtinguendam illam à propria poteſtate iuriſdictionis, quæ per ſe, & proxime oon requiritur ad hanc irritationem: iotelligendum autem eſt nõ de quacumq; dominatiua poteſtate, ſed de illa peculiari, quæ in parentibus, vel Religionum Prælatis in tales perſonas reperitur. Verum etiam eſt, ad conſtituendum, vel determinandum hoc genus poteſtatis aliquo modo interuenire ius humanum ciuile, vel Eccleſiaſticum, vt infra videbimus, quod ius à poteſtate iuriſdictioois pẽdet: ſed oihilominus talis actus irritandi immediate non procedit à poteſtate iuriſdictionis, nec à ſupernaturali, & ſpirituali poteſtate, ſed à domioatiua, quæ vel à naturali origine, vel à voluntate vouentis dimanauit, vt dixi, & in ſequentibus latius declarabimus. Secus vero eſt de poteſtate irritandi vota indirecte: nam hæc irritatio interdum prouenit immediate à poteſtate iuriſdictionis, non tamen ſemper à ſpirituali: ſed aliquando à temporali: aliquando vero à neutra, ſed à dominio circa materiam voti. Probo ſingula: quia hæc irritatio fit per prohibitionem materiæ: hęc aũt prohibitio interdum eſt per poteſtatẽ iuriſdictionis ſpiritualis, vt per ſe conſtat. Aliquando vero eſſe poſſet per principem ſæcularem, & per illum poſſet irritari votum, ſi lex, vel præceptum eſſet iuſtum, vt ſi Rex præcipiat iuſte dari in ſubſidium belli aliquam partem bonorũ, & ideo non poſsit quis dare quod promiſerat in eleemoſynã dare &c. Sæpe vero hęc prohibitio eſt per poteſtatẽ dominatiuã circa perſonas, vel bona, vt in hero reſpectu ſerui, marito reſpectu vxoris, & ſic de alijs, quæ in ſequentibus videbimus.

Poteſtas irritandi non eſt ſemper ſpiritualis.

Quinto colligitur ex dictis, quomodo intelligendum ſit, quod communiter dici ſolet ad irritandum 9.

votum

Quomodo ſit intelligendum, quod ad irritandum votum non ſit neceſſaria cauſa.
Palud. Supplem. Sylueſt. Angel. Abulenſ. Soto. Nauar. Caiet. Anton. D. Thom.

votum non eſſe neceſſariam cauſam, ſicut ad diſpenſandum, vel commutandum. Quod docent cõmuniter doctores in 4. d. 38. præſertim Palud. q. 4. art. 2. Suppl. q. 1. art. 5. c. 2. Sylueſt. *Votum*, 3. q. 3. & *Votum*, 4. q. 2. Angel. *Votum*, 2. num. 10. Abulen. Num. 30. q. 43. Soto lib. 7. q. 3. art. 1. Nauar. c. 12. n. 63. & 69. Caiet. ver. *Votum*, c. vlt. Anton. 2. p. tit. 11. ca. 2. §. 6. Sumitur ex D. Thom. d. q. 88. art. 12. ad 2. vbi omnes Moderni. Intelligendum ergo hoc eſt formaliter de irritatione, vt talis eſt: ad illam enim vt ſic non requiritur cauſa, licet ex parte fundamenti, vel aliunde poſſit requiri. Ad quod explicandum oportet diſtinguere iuxta proxime dicta. Nam illud maxime locum habet in irritatione directa, quæ fundatur in poteſtate dominatiua, loquẽdo præcipue de cauſa neceſſaria ad valorem irritationis: nulla enim neceſſaria eſt: tũ quia vtitur quis iure ſuo, & re ſua, & iuſta poteſtate, quam ſuper illam habet, vt ſupponitur, tum etiam quia tale votum fuit implicite conditionatum, & de facto cõditio non impletur, quando alter repugnat ſiue ex cauſa, ſiue abſque cauſa ſuo arbitrio id faciat: ergo id ſatis eſt, vt votum non obliget, vtpote conditione non impleta. At vero quando irritatio eſt indirecta per poteſtatem iuriſdictionis, neceſſaria eſt cauſa iuſta, vt lex ſit valida, vel præceptum obliget: vnde quia irritatio ſupponit validam prohibitionem, ex hac parte requirere poteſt cauſam: non quæ formaliter reſpiciat ablationem voti (nam in tali irritatione illa non neceſſario per ſe intenditur, ſed quaſi cõſequitur) ſed quæ reſpiciat æqualitatem legis, vel præcepti.

10. *An poteſtas dominatiua ad irritanda vota iuſte, requirat cauſam.*

Sed quęres circa irritationem ex poteſtate dominatiua, an requirat cauſam ſaltem, vt iuſte fiat? Quidam enim ſimpliciter negant, quia vnuſquiſque libere poteſt vti iure ſuo. At Soto, & Abul. ſupra affirmant, quia ſaltem erit actus otioſus, vel imprudens irritare votum ſine cauſa. Dicẽdum vero eſt ſermonem eſſe poſſe de peccato contra Religionem voti, quod ſit quaſi iniurioſum Deo, & ſic nullũ eſſe peccatum in tali irritatione, quale inuenitur in diſpenſatione voti ſine cauſa data. Et ratio eſt, quia illud votum eſt conditionatum, & poſitum in arbitrio irritantis. Poſſet autem generaliter interrogatio fieri de quouis genere peccati. Et ſic dico, vlterius conſiderandum eſſe, an talis poteſtas data ſit irritãti in bonum, & vtilitatẽ vouentis, vel in commodum ipſiuſmet irritantis, vel vtriuſq; intuitu. Primo modo data eſt Prælato Religionis: ſecundo modo domino in ſeruum: tertio data videtur patri in filium, & marito in vxorem. In primo igitur modo, vt irritatio licite fiat, oportebit, vt cenſeatur vtilis, vel vouẽti, vel Religioni, aut quod penſatis omnibus, cenſeatur eſſe maius Dei obſequium, alioqui male vtetur Prælatus poteſtate ſua, factum tamen tenebit. Et raro erit peccatum mortale, niſi vel praua intentio, vel graue nocumentum ſubditi ex notabili negligẽtia Prælati intercedat, quod raro eueniet, ſecluſa directa malitia. In ſecundo modo nullum erit peccatum, votum irritare ex ſolo affectu propriæ commoditatis ſine alia ſpeciali cauſa: quia ibi vtitur dominus re omnino ſua, vt ſi alius voueat facere eleemoſynam ex aliena pecunia, ſi dominus conſentiat, omnino libere poteſt dominus non conſentire. Sic ergo poteſt ſe habere dominus circa vota ſerui de rebus ſuis, vel de actionibus ſibi debitis: ſed ſolum oportet, vt talis actus habeat generalem circumſtantiam finis honeſti, & obſeruare etiam, ne contra charitatem fiat, quę ſeruo etiam debetur. Et idem fere eſt in tertio modo quãuis ibi maiori obligatione teneatur pater cõſulere commodis filij, & vir vxoris, vel familiæ, vt bene ſua cura, & poteſtate vtatur.

11. Vlterius vero interrogari poteſt, An teneatur Prælatus, qui votum irritat, præſertim quãdo id facit per poteſtatem iuriſdictionis, nõ ſimpliciter tollere votum, ſed in aliquid aliud commutare, prout fit in c. *Magna*, de Voto? Ante cuius reſolutionem oportet vlterius interrogare, an poſſit Prælatus cogere ſubditum, vt talem commutationem acceptet? Et hinc initium ſumendo dico, non poſſe Prælatum imponere hoc onus ſubdito, qui votum emiſit, quando non vult dare licentiam ad ſeruandũ votum in propria ſpecie, in qua factum eſt. Ratio eſt, quia ſubditus non vouit niſi talem materiam in ſpecie: ergo ſi illa non permittitur, non poteſt cogi ad aliam: quia non poteſt cogi ad vouendum vel ſimpliciter, vel hãc rẽ potius quam illam. Confirmatur: quia ille non eſſet irritatio, ſed commutatio: poteſtas autem commutandi pertinet ad iuriſdictionem voluntariam, vt ex dictis conſtare poteſt, & infra etiam dicetur. Neque contra hoc facit c. *Magna*, quia ibi facta eſt commutatio ad petitionem vouentis. Itaque ſi vouens petat ablationem voti, poteſt Papa ſi velit, per commutationem tollere, & non per irritationem, & tũc ſi ſubditus nolit acceptare commutationem, obligabitur ad votum implendum & ita tunc cõmutatio eſt quaſi conditionata, ſub conditione, ſcilicet acceptandi aliud onus: tunc autem liberum erit vouenti nõ acceptare, ſed votum ſuum formaliter implere. Si vero Papa inuitum compellat ad votum non implendum, non poteſt illum ſimpliciter cogere ad aliquid aliud faciendum. Addi etiam poteſt, ſi votum ſit mixtum ex perſonali, & reali, & ſolum præiudicet iuri Superioris, vel Eccleſiæ, vt perſonale eſt poſſe irritari quoad eam partem, relicta obligatione quoad alteram de reali ſubſidio, quia tunc nõ tam eſt commutatio voluntaria, quam partialis irritatio, relicto partiali debito, quod inerat ex vi voti. Hoc autem ſolum habet locum, quando realis obligatio eſt per accidens coniuncta cum perſonali, non vero quando eſt acceſſoria, quæ ceſſat, ceſſante principali, iuxta ſuperius dicta.

C. Magna.

Prælatus nõ poteſt cogere ſubditum vt commutationem acceptet ſi illum impediat ab obſeruatione voti proprij.

12. *Superior, qui votũ irritat, non tenetur illud in aliud cõmutare.*

Vnde ad priorem interrogationem reſpondeo, non teneri ſuperiorem ad huiuſmodi commutationem imponendam, per ſe loquendo, & ex vi obligationis voti. Probatur, quia non poteſt cogere ad illã acceptandam: ergo non tenetur illam intentare, vt ſic dicam. Item poteſt abſolute vti iure ſuo, abſq; alia cauſa: ergo. Item votum non obligat ad compenſationem quando impleri non poteſt: ergo nec illa eſt neceſſaria, quando alias irritari poteſt.

13. *Quotuplex ſit irritatio voti, & quomodo differat à diſpenſatione.*

Tandem conſtat ex dictis, quid & quotuplex ſit irritatio voti, & quomodo à diſpenſatione differat: conueniunt enim in effectu auferendi votũ, differũt tamẽ in habitudine ad votum. Quia diſpenſatio cadit in illud, vt ſolum pendet ex acceptione Dei, etiamſi alias ſit omnino firmum, & abſolutum: irritatio vero reſpicit votum, vt eſt aliunde infirmum, & conditionatum ex parte materiæ, vel volũtatis ipſiuſmet vouentis. Vnde prouenit, vt etiam differant in poteſtate, à qua manant: nam diſpenſatio ſemper prouenit à poteſtate ſpeciali à Deo conceſſa: non autem ſemper irritatio. Item diſpenſatio ſemper requirit iuſtam cauſam, non autem irritatio. Item irritatio fieri poteſt, inuito vouente, vt conſtat, diſpenſatio vero minime: quia eſt beneficium, quod non fit inuito, & fit in leuamen diſpenſati, & ideo nõ debet fieri in eius grauamẽ, iuxta regulas iuris 61. & 69. in 6. Maxime quia ſi diſpenſatus nõ acceptet diſpenſationem, eo ipſo quaſi confirmat, & iterum emittit idem votum. Quare ſi Prælatus velit ſubditi votum auferre, illo etiam inuito, neceſſe eſt, vt irritatione vtatur, prohibendo materiam, vel reſiſtendo obligationi voti, & quaſi auferendo conditionem, ſine qua validum eſſe non poteſt. Atque idem fere eſt de commutatione, quæ in hoc maxime differt à diſpẽſatione, quod diſpẽſatio eſt quaſi mera priuatio, cõmutatio vero eſt quaſi mutatio inter terminos poſitiuos: quia non pure tollit obligationem, ſed vnam in aliam transfert, in quo etiam irritatio conuenit cũ diſpenſatione, à commutatione etiam differt, & fere

in alijs omnibus, in quibus diximus à diſpenſatione diſtingui: nam illa ſuo modo commutationi cõmunia ſunt, vt in ſequentibus videbimus.

Capvt II.

Poſſintne Summus Pontifex, aut alij Prælati, aut Principes vota ſubditorum irritare?

1. DOctrina generaliter data de irritatione votorũ vtilior, & clarior erit ſi ad particulares perſonas applicetur, tam ex parte irritantium vota, quam eorum, quorum vota irritantur, quæ duo quaſi correlatiua ſunt & ideo de vtriſque ſemel dicemus. Sunt autem quinque genera perſonarum, de quibus tractari ſolet, ſcilicet Prælati, ſeu Superiores ratione iuriſdictionis in ſubditos, Dominus reſpectu ſerui, propter ſpeciale dominium, quod in illum habet, maritus reſpectu vxoris, & è conuerſo propter ſpeciale vinculum inter ſe. Pater reſpectu filij, & Superior Religionis propter ſpecialem etiam poteſtatẽ, quam habet in ſubditos. *Obiectio.* Dices: interdum poteſt priuatus creditor irritare votum, remittẽdo debitum, vt ſiquis promiſit puellæ pauperi dotem, & votum fecit Deo implendi promiſsionem, poteſt nihilominus illa puella remittendo promiſſum, irritare votũ. *Solutio.* Reſpondeo, votum illud eſſe conditionatum, ſi illa voluerit, & ceſſante conditione deſinere obligationem voti, qui modus irritationis generalis eſt omnibus votis conditionatis, de quibus ſupra dictum eſt, & de illo particulari exemplo diximus in materia de Iuramento, & ibi dicta hic applicari poſſunt, nam cũ eadem proportione ſunt intelligenda. Quapropter omiſsis ijs, quæ generalia ſunt, de illis quinque perſonis ſeu ſtatibus, cum omnibus Authoribus in particulari dicemus accommodando doctrinam ad ea tantum, quæ ratio, & obligatio voti formaliter poſtulat (vt ſic dicam) nam velle hac occaſione explicare omnia iura, quæ ex his vinculis oriuntur, tam ex parte Superiorum, quam ſubditorum infinitum eſſet, & ab hoc loco alienum. Cõſtituemus ergo in ſingulis generalem regulam, & vno vel alio exẽplo illas explicabimus. Et in hoc capite dicemus de his, qui per poteſtatem iuriſdictionis Superiores ſunt, & quia ſupremus eſt Summus Pontifex, de illo prius ſpecialiter dicemus, & inde facile conſtabit, quid de alijs dicendum ſit.

2. *Opinio eorum aſſerentium Summum Pontificem omnia vota Chriſtianorum irritare poſſe.* De Summo ergo Pontifice referri ſolet quædam opinio dicens, poſſe illum irritare omnia vota Chriſtianorum (de illis enim tãtum loquimur: nã de his, qui foris ſunt, nihil ad nos.) Fundamentum eſſe poteſt, quia Pontifex habet ſupremã poteſtatem in terris, & illi ſine limitatione dictum eſt in Petro, *quodcũque ligaueris, & quodcumq; ſolueris,* &c. ergo etiam illi data eſt poteſtas irritandi omnia vota. Vnde aliqui Canoniſtæ dicunt, authoritatem Pontificis cenſeri exceptam in omni voto: ergo omne votum includit conditionem, niſi Pontifex reſtiterit: ſed hoc eſt fundamentum irritationis, vt diximus ergo. *Gloſſ.* Sic Glo. in c. *Quemadmodum,* de Iureiur. ver. *Conditio,* dicit, in omni iuramento includi hanc conditionem, *Si Papa placuerit*: diximus autem ſæpè votum, & iuramentũ in his conditionibus æquiparari. Sed hæc ſententia ita generatim, & abſolute ſumpta vera non eſt, & ideo ſuppoſita diſtinctione de duplici irritatione directa, & indirecta duæ regulæ ſunt conſtituendæ.

3. *Summus Pontifex non poteſt irritare vota Chriſtianorum, nec inferiores prælati directe.* Prima regula eſt: Summus Pontifex nõ poteſt directe irritare vota Chriſtianorum, vnde multo minus id poſſunt inferiores Prælati Eccleſiaſtici, vel Principes, ſeu Gubernatores temporales. Loquimur de his Prælatis formaliter quatenus ſua poteſtate iuriſdictionis vtuntur: nam ſi aliunde aliam habeant, alia erit ratio conſideranda, iuxta modum poteſtatis. Et cum proportione loquimur de votis ſubditorum, vt ſubiiciuntur tali poteſtati, & ita excludimus Religioſus, quatenus ſpeciali modo ſubijciũtur Põtifici, de quibus infra dicemus. Et ſic eſt aſſertio cõmunis, ſumitur ex Palud. 4. d. 38. q. 4. num. 20. vbi alij videntur illam ſupponere, & magis declarat Soto d. li. 7. de Iuſt. q. 3. in princip. vbi ſpecialiter de Pontifice loquitur. *Palud.* *Soto.* De illo igitur probatur prior aſſertionis pars, primo ex c. *Magna,* de Voto, vbi aperte ſupponit Innocen. III. non potuiſſe irritare votum cuiuſdam Epiſcopi ſine cauſa. *Ca. Magna.* Et idem intelligi poteſt ex toto titulo de Voto, ex quo ſumitur argumentum à poſteriori, quia nõ poteſt Pontifex pro ſuo arbitrio tollere vota Chriſtianorum: imo infra ex cõmuni ſententia oſtendemus non poſſe in illis diſpenſare ſine cauſa, & ſi id facere tentet, nihil facere: ergo ſignum eſt, non poſſe irritare. Secũdo falſum eſt, in omni voto includi illam conditionem, *Si Papa placuerit,* vt de iuramento diximus li. 2. de Iuram. c. 27. cum Panor. d. c. *Quemadmodum,* vbi declarat nõ omnia iuramẽta pendere ex abſoluto beneplacito Papæ, ſed tãtum illa, quæ verſantur in materia concernente Pontificem. *Panorm.* Tertio, eſt ratio à priori, quia illa poteſtas nec neceſſaria, nec cõueniens erat ad regimen Eccleſiæ: nec legimus à Chriſto eſſe datam, ſed tantum poteſtatem ſupremæ iuriſdictionis ad gubernandam Eccleſiam: hæc autem poteſtas eſt longe diuerſa: ergo. Et confirmatur: nam ex vi poteſtatis iuriſdictionis Pontificiæ factum non eſt, vt omnes volũtates Chriſtianorum ita ſint dependentes à voluntate Papæ, vt non poſsint obligari firmiter, & abſolute Deo, niſi dependenter à conſenſu Papæ: vnde enim fingi poteſt talis depẽdentia? Alias etiam homo homini obligari non poſſet, niſi ſub conditione incluſa, *Si Papa placuerit.* & ſic nec ipſum matrimonium, nec profeſſio Religioſa firma eſſet, ſi Papa vellet illam irritare, quæ ſunt abſurda.

4. Vnde rationes factæ non ſolum probant, Papam non poſſe irritare directe vota laicorum, ſed etiam Clericorum, Epiſcoporũ & omniũ: nec ſolum probant non poſſe illo modo irritare omnia vota Chriſtianorum, ſed etiam nullum omnino votum poſſe hoc modo irritare: quia eadem ratio eſt de ſingulis, quæ de omnibus. Neque hoc eſt contra ſupremam poteſtatem eius, quia illa eſt ſuprema in ſuo genere, ſcilicet ſpiritualis iuriſdictionis, quæ non extenditur ad actus, qui non ſunt iuriſdictionis, vt eſt directa irritatio voti validi. Immo nec ratione iuriſdictionis poteſt Papa pro ſuo arbitrio prohibere fidelem ſubditum, ne ieiunet, aut opera ſupererogationis efficiat: & ideo multo minus poteſt directe irritare vota de his operibus facta. *Obiectio.* Dices: Poteſt Pontifex irritare vota antecedenter impediendo, ne obligatio naſcatur, vt ſupra li. 3. c. 3. oſtenſum eſt: ergo etiam poteſt irritare vota iam facta directè, tollendo obligationẽ iam contractam. *Solutio.* Reſpondetur negando conſequẽtiam, tum quia difficilius tollitur ius acquiſitum, quã acquirendum: tum etiam quia irritatio antecedens non fit pro ſolo arbitrio, ſed ex neceſſaria, & rationabili cauſa: vnde nõ fit per poteſtatem dominatiuam, ſed per poteſtatem iuriſdictionis, ad quam ſpectat præſcribere conditiones neceſſarias ad contrahendum. vel ſe obligandum. Et ita illi poteſtati quoad vota facieda correſpõdet poteſtas diſpenſandi quoad vota valida iam facta, quæ ex legitima cauſa, & per poteſtatem iuriſdictionis etiam fit: non vero reſpondet abſoluta irritatio directa, quæ ex dominatiua poteſtate pro ſolo arbitrio fiat.

5. Atque ita tãdem vt clara relinquitur reliqua pars concluſionis, quę plures complectitur, vt de Epiſcopo reſpectu ſuorum ſubditorum, & de rege reſpectu cuiuslibet vaſalli, & ſic de alijs. Nã in Epiſcopis à fortiori procedunt rationes factæ de Summo Põtifice, & eſt res per ſe nota, & indubitata apud omnes. De poteſtatibus autem tẽporalibus, eſt res clarior: quia

hac ſpi-

nec ſpiritualem poteſtatem habent, nec in temporali quantumuis ſuprema hæc includitur. Quia nec ex naturali lege, nec ex iure Gentium, vel alia via probabili oſtendi poteſt, eſſe in Rege vel Imperatore huiuſmodi dominium ſuper voluntates ſubditorũ: aliunde vero homo ex natura ſua eſt liber ad vouẽdum independenter ab alterius conſenſu. Imo etiã eſt eodem modo liber ad ſe obligãdum homo. Nec poteſt Rex pro ſuo arbitrio irritare iuſtam promiſſionem homini factam, & directe tollere obligationem ab eo, qui promiſit, vel ius ab eo, cui promiſsio facta eſt, ſed ſolum ex iuſta cauſa poteſt per modum diſpenſationis, vel punitionis hæc iura mutare: multo ergo minus poteſt promiſsionem ad Deum directe irritare.

6 *Summus Pontifex imo & alii prælati poſſunt aliquando indirecte vota ſubditorum irritare. Palud. Sylueſt. Greg. Lop. Abul.*

Secunda regula eſt, Summus Pontifex poteſt aliquando irritare indirecte vota fidelium cuiuſcumque ſtatus, & hanc poteſtatem cũ proportione participant inferiores Prælati, imo & in temporalibus ſuo modo, & per quandam conſequutionem inuenitur. Prima pars huius aſſertionis ſumitur ex doctrina communi, vt videre licet in Palud. d.q. 4 art. 2.n.21. Sylu. *Votum* 3.q.1.& *Votum* 2.q.4.& aliis Summiſtis ibidem, Canoniſtis in cap. *Cum pridem*, de Renun. cap. *Magnæ* de Voto, cap. *Sicut* de Iureiur. Greg. Lop. in Leg.3.tit.8.p.1. Abulen. Num. 30.q.66.& ſequentibus. Qui ſpecialiter loquuntur de votis Epiſcoporum, & Clericorum, ſed (vt oſtendam) eadem eſt ratio cum proportione de reliquis. Maxime item loquuntur de irritatione præueniente, quæ per aliqua iura facta videtur, de qua ſufficienter diximus ſupra lib.3.cap.4. vbi oſtendimus, ex iure communi nullam talem irritationem propriam colligi, ſed ſolum haberi in iure prohibitiones aliquorũ actuum, qui licet ſecundum ſe boni ſint, & apta materia voti, nihilominus non licent Epiſcopis ſine licentia Papæ, vel inferioribus Clericis ſine licentia Epiſcopi: & ideo ſi de talibus actibus vota fiant, non eſſe omnino nulla, ſed obligare quaſi ſub conditione, ſi Papa conſentiat, & non aliàs.

7. Hinc vero optime probatur aſſertio, quia in aliquibus votis includitur conditio, ſi Papa licentiam præbuerit, vt maximè in Epiſcopis cernitur: ergo talia vota irritari poterunt à Papa licentiam denegante. Item alia vota includunt conditionem, ſi Papa nõ contradixerit, quod facere poteſt, quando materia voti ad ipſum aliquo modo pertinet, & illi vel commodis Eccleſiæ poteſt afferre aliquod præiudicium. Argumento c. *Sicut noſtris* de Iureiur. & ca.2. de Precariis. Vnde per argumentum à contrario facilè colligitur, hanc poteſtatem Pontificis ad irritanda vota Epiſcoporum etiam indirectè non extendi ad omnia illorum vota, ſed ſolum ad ea, quæ poſſunt afferre præiudicium Eccleſiæ, vel quæ ob ſpecialem rationem habent materiam pertinẽtem ad ius Pontificis. Nam in reliquis actibus, ſicut non poteſt Papa omnes actus bonos prohibere Epiſcopo, vel limitare, vt ſine licentia ſua illos facere non poſsit, ita nec poteſt prohibere, quin de illis poſsit firma, & abſoluta vota facere, & conſequenter, nec vota de illis irritare. Vnde recte concludit Abulen. ſupra d. quæſt. 66. vota omnia Epiſcopi de rebus, quæ ſibi abſolutè & ſine licentia licent, irritari non poſſe à Papa, quod etiam docent omnes in cap. *Magnæ*, & cap. *Scripturæ*, de Voto, Hoſtien. in Summa titul. de Voto, & alii ſupra allegati. Denique eadem ratione colligitur, hanc Pontificis poteſtatem cum proportione habere poſſe locum in omnibus fidelibus tam Clericis, quam laicis principibus, & plebeis, quamuis vſus eius frequentius habeat materiam in Clericis, quam in laicis. Ratio eſt, quia iuriſdictio Põtificis ad omnes extenditur, & omnibus poteſt præcipere, vel prohibere in materia proportionata, hæc autem poteſtas eadem eſt cum poteſtate prohibendi materiam voti, vel præcipiendi contrariam. Vnde quia non omnes

Ca. Sicut noſtris.

æque immediate pendent à Pontifice, neque tam frequenter, ideo rarius poteſt hanc poteſtatem exercere in quibuſdam, quam in alijs.

Præterea hinc facile probantur aliæ partes aſſertionis: nam Epiſcopi, & alii Prælati Eccleſiaſtici in ſuis diœceſibus habent iuriſdictionem ſibi proportionatam, ratione cuius poſſunt hoc, vel illud prohibere in ordine ad ſpirituale bonum ſubditorũ: ergo mediante tali prohibitione ex parte materiæ poterunt irritare aliqua vota ſubditorum, licet non omnia. Et ſic in clericis, qui tenentur Eccleſiæ ſeruire, poterunt irritare vota, quæ præiudicent debito muneri, vel ad quorum executionem fuerit licentia neceſſaria. In aliis verò minimè habet locum talis irritatio, & ita ſeruatur proportio, vt benè notauit Abul. ſupra q. 70. cum Raymund. & aliis, quos refert. Et ſumitur ex Sylueſt. *Votum* 3.q.2. De laicis etiã eſt eadem ratio: nam licet rarius occurrat in eis materia apta ad talem irritationem reſpectu Epiſcopi, nõ repugnat interdum occurrere, vt ſi laicus voueat peregrinationem: ex qua timeri poteſt periculum fidei, vel ſpiritualis ſalutis, poteſt Epiſcopus illam prohibere, & ſic votum irritare, & ſic de aliis. Denique idem cum proportione applicari poteſt ad laicos vaſallos reſpectu Regis, imò ad quemcumque vouentẽ aliquid, quod ſine conſenſu alterius licitè exequi non poteſt, vt ex ſequentibus etiam capitibus conſtabit. 8.

Abul. Raymund. Syluest.

Sed quæri hic ſolet, an hæc irritatio locũ habeat, quando vota præcedunt ſtatum ſubiectionis, verbi gratia, ſuſceptionem Epiſcopatus vel beneficii, &c. vel ſolum quando ſubſequuntur? Reſpondeo, de omnibus eſſe idem dicendũ cum proportione. Quia ſi obſeruantia talium votorum non præiudicet Superiori, nec impediat executionem muneris ſuſcepti, æquè abſoluta manent, neque irritari poſſunt, vt per ſe conſtat: quia illa mutatio ſtatus impertinenter ſe habet ad talia vota: ſi verò præiudicent, tunc præualet ius Superioris, & obligatio iuſtitiæ, quę ex munere ſuſcepto naſcitur, ſiue in illa mutatione peccatum fuerit commiſſum, ſiue non, iuxta dicta ſupra lib.4.cap.16. Poteſt autem quis ſpecialiter interrogare de aſſumptione Epiſcopatus, cur non extinguat omnia vota antecedentia, ſicut profeſsio Religioſa. Sed de hoc aliquid fortè inferius dicemus circa ſtatum Religioſum. Nunc dicimus rationem eſſe, quia id fieri non poteſt ſine aliquo iure poſitiuo, vel æquiualente conſuetudine: neutrum autem inuenitur in Epiſcopali ſtatu, ſicut in Religioſo. Nec immerito; quia licet Epiſcopatus ſit perfectior ſtatus: tamen quoad onera votorum, & quoad conſilia ex illis ſeruanda, & quoad ſubiectionẽ voluntatis excedit ſtatus Religioſus, & ideò magis liberari debuit à prioribus votis, & oneribus voluntariis.

9. An per hãc irritationẽ poſſint vota quæ præcedũt ſtatum ſubiectionis irritari? Reſponſio.

Cur ſuſceptio Epiſcopatus non extinguat omnia vota antecedentia? Aſſertio.

Capvt III.

An Domini poſſint ſeruorum vota irritare?

Haec quæſtio eodem modo, quo præcedens expediẽda eſt, adhibita diſtinctione de duplici irritatione, directa, & indirecta. Dicendũ eſt ergo primò, dominum non poſſe directè irritare vota ſerui, tollendo ſcilicet obligationem voti immediatè, ac per ſe, & nulla facta morali mutatione ex parte materiæ. Hæc eſt communis, ſumiturque ex Diuo Thoma dicta quæſt. 88. art. 4. & clarius ex Caietano ibi, Soto, & aliis in 4. diſtin. 38 Ratio verò eſt primò: quia ſeruus nõ eſt ſubiectus domino in ſpiritualibus, ſed tantum in his, quæ ad vſum actionum, & rerum corporalium pertinent: quia non eſt ſeruus ſecundum animam, ſed ſecundum corpus (vt ſic dicam) ergo ex parte voluntatis in ordine ad Deum ſeruus 1.

Dominus nequit irritare directè vota ſerui.

D. Thom. Caiet. Soto.

eſt plane liber, vt Deo voueat, ſi materiam habeat voto accommodatam: ergo dominus non poteſt irritare directe vota illius. Et confirmatur, quia ſeruus ad ſe obligandum Deo, non pendet intrinſece, ac per ſe ex conſenſu domini: ergo nec dominus poteſt directe irritare votũ eius. Conſequentia conſtat ex dictis capit. 1. Antecedens autem patet, quia illa dependentia nõ eſt à natura, vt per ſe notum eſt, nec eſt ex voluntate ſerui, quia nullum tale pactum cum domino fecit, nec eſt ex iure ſeruitutis, vt introducta iure gentium, vel ciuili: quia nec inuenitur tale ius, nec eſſet iuſtum, nec fortaſſe poſsibile intra latitudinem ſeruitutis ciuilis, & humanæ, quia eſt longe inferioris rationis: ergo. Cõtra hoc obiici poteſt L. *Si quis ſeruum*, ff. de Pollicit. quatenus ibi æquiparatur ſeruus filio impuberi quoad impotentiã obligandi ſe voto ſine conſenſu domini, ſicut filius impubes non poteſt obligari ſine conſenſu patris. Reſpondeo, non eſſe illam æquiparationem, ſed ſimplicem commemorationem diuerſorum membrorum, quæ non oportet eſſe eiuſdem rationis, nec ex eadem radice oriri.

Obiectio. *Solutio.*

2. *2. Aſſertio, Domini poſſunt irritare vota ſubditorum indirecte. D. Tho. Caiet. Soto. Palud. Sup. Gab. Syluest. Angel. Nauar.*

Dico ſecundo: Domini poſſunt irritare vota ſeruorum indirecte, & ex parte materiæ, ita illam prohibendo, vt non liceat ſeruo votum exequi, prohibente, vel non præcipiente domino. Ita D. Thom. dicto art. 8 ad 2. & ibi Caiet. Soto, & alij. Palud. Supplement. Gabr. & alij in 4. diſtin. 38. Syluest. & Angel. vbi ſupra, & Nauar. c. 12. num. 64. Ratio eſt, quia ſeruus eſt domini quoad vſum actionum ſuarum, quas illi ex iuſtitia debet: ergo in illis pẽdet à voluntate eius: poteſt enim dominus vel actionem prohibere, vel contrariam præcipere: ergo ex parte materiæ poteſt irritare votum ſerui. Confirmatur: quia ſeruus non poteſt aliquid promittere Deo cum præiudicio dominĩ: quia talia obſequia quaſi de alieno, Deo non placent: ergo quando materia voti talis eſt, vt poſsit parere præiudicium domino, vt votum ſit licitum, & validum, oportet, vt hanc conditionem includat, *Si dominus conſenſerit*, vel ſaltem ſi non contradixerit: ergo tale votum fiet irritum, ſi dominus non conſentiat, vel contradicat, & hoc eſt irritare votum indirecte. Denique hac ratione ſi ſeruus voueat ingredi Religionem, & dominus non conſentiat, votum non obligat: quia niſi conſentiat ſaltem indirecte, ſciendo ſcilicet & tacendo, non poteſt tale votum executioni mandari cap. *Si quis ſeruum*, cum ſimilibus, 17. quæſt. 4. Idem eſt, ſi ſeruus voueat peregrinationem, per quam ſubtraheretur à ſeruitio dominĩ. Idem creditur de voto ieiunandi, quod intelligendum eſt, ſi impediat debitum ſeruitium: non vero aliàs, iuxta dicenda in ſequenti aſſertione.

C. Si quis ſeruum.

3. *3. Aſſertio, Quæ vota perſonalia ſeruorum poſsĩt à dominis irritari.*

Dico tertio: Dominus non poteſt irritare omnia vota perſonalia ſerui, ſed illa tantum, quorum executio illi eſſet nociua, & contraria iuri, quod habet in ſeruum. Hæc ſequitur ex dictis, nam quod poſsit dominus irritare vota præiudicium ſibi afferentia ex præcedenti aſſertione conſtat. Poteſt autem ſeruus multa perſonalia vouere, quæ non cedant in præiudicium domini: in illis ergo non habet locum irritatio indirecta: ergo nulla, iuxta duas præcedentes concluſiones. Duo autem ſunt genera horum votorum. Vnum eſt eorum, quæ referuntur ad tempus libertatis, & pro illo fiunt: vt ſi ſeruus voueat ſeruire hoſpitali, ſi libertatem conſequatur, vel ieiunare, fieri Religioſus, & ſimilia. Quia hæc non præiudicant domino ex parte obligationis: & ideo non poteſt ipſe votum auferre, vt dictum eſt. Et hinc eſt, vt ſi ſeruus abſolute voueat Religionem, & durante ſeruitute, non poſsit exequi votũ domino reſiſtente: ſi poſtea comparet libertatem, obligari, vt ſupra dixi, per ſe loquendo: quia votum illud abſolute factum ad omne tempus habile refertur. Dixi autem *per ſe*, quia ex intentione vouẽtis poſſet votum aliter limitari, & ex dilatione temporis, & augmento ætatis, poſſet eſſe facta tanta mutatio, quæ excuſaret, iuxta ſuperius dicta. Aliud genus votorum eſt, quæ in ipſo tempore ſeruitutis poſſunt ſeruari ſine præiudicio domini, vt eſt votum caſtitatis, votum recitandi breuem aliquam orationem, & vota præceptorum, vt audiendi Miſſam in feſto, & ſimilia. Itaque regula generalis eſt, vota omnia, quæ præiudicium non afferunt domino, quia ex parte materiæ nõ opponuntur iuri eius, non poſſe ab eo irritari, quia oporteret irritationem eſſe directam, quæ ab eo fieri non poteſt. Illa autem vota, quæ huiuſmodi præiudicium afferunt domino, ab illo irritari poterunt: quia non ſunt omnino nulla ipſo facto, vt lib. 3. oſtenſum eſt: dependent autem à domino ex parte materiæ, & ideo indirecte tolli poſſunt, vt declaratum eſt.

Regula generalis ad oſtendendũ quæ vota ſeruorum non poſſunt à dominis irritari.

4. Contra hanc vero aſſertionem allegari poteſt Abul. Numer. 30. q. 91. dicit enim, *dominum poſſe irritare votum ſerui, ſiue illi præiudicet, ſiue non.* Reſpondeo, verba hæc, vt iacent falſam continere ſententiam, & contra omnes, & contra eundem Abulen. nam in quæſt. 87. cum dixiſſet, ſeruum non poſſe votum firmum emittere, ſubiungit, *Quod intelligatur de illis, in quibus præiudicatur domino, nam in cæteris poteſt vouere, ſicut facere orationem, &c.* Et idem dicit poſtea in eadem quæſt. 91. quare veriſimile videtur irrepſiſſe mendum in prioribus verbis, & deficere negationem, legendumq́ eſſe, *dominum non poſſe*: quia illa negatione addita, cætera conſonant.

Abul.

5. *4. Aſſertio. Dominus irritare valet omnia fere vota realia ſerui. L. Si quis rem.*

Dico quarto: Dominus irritare poteſt fere omnia vota realia ſerui. Eſt communis, fundaturq́ in hoc, quod ſeruus non habet materiam talis voti omnino firmi: quia nihil habet proprium, ſed quidquid habet, domini eſt. Et ideo dicitur in leg. *Si quis rem*, ff. de Pollicit. ſeruum non poſſe voto obligari, quod maxime habet locum in votis realibus, licet cum proportione applicari poſsit ad perſonalia, iuxta proxime dicta. Dixi autem *fere*, tum quia ex conuentione cum domino poteſt ſeruus aliquid proprium habere, iuxta Gloſ. in l. *Quod attinet*, 33 ff. de Reg. iur. & tunc ſi de illo faciat votum reale, irritari nõ poterit, eadem ratione. Aliqui etiam excipiunt, ſi tale ſit votum, vt poſsit licite impleri, dando verbi gratia, quotidie minimum aliquid in eleemoſynam, maxime ſi ſeruus illa ſubtrahat ex his, quæ in proprium vſum ſibi conceduntur. Sed non eſt neceſſaria exceptio: nam licet fortaſſe hoc liceat, non contradicẽte domino, ex quadam præſumpta voluntate, abſolute poteſt contradicere, & ita votũ ſemper eſt irritabile ex parte materiæ, quia ſi contradicat, non licebit.

Gloſſ.

6. *Creditor irritare valet vota creditoris quæ de bonis ſolutionem impediunt.*

Et hinc colligo, cum proportione idem dici poſſe de quocumq́ debitore: nam ſi voueat aliquid, quod ſoluere non poteſt ſine præiudicio creditoris, poterit creditor irritare votum, eſt enim eadem ratio, nã perinde eſt, ac ſi voueat eleemoſynam de alieno. Imo tale votum regulariter cenſetur per ſe irritum, niſi intentio fuerit vouendi procurare conſenſum domini, ſeu creditoris, nam ita eſt votum interpretandum, ne vanum, & iniquum fuerit, & obligabit ad conſenſum procurandum, alter autem negando conſenſum, poterit votum irritare. Vnde poteſt etiam extendi doctrina ad omnes ſeruientes, ſeu mercenarios, qui ex iuſtitia tenentur alijs præſtare obſequia, vel ſuas operas. Nam ſi faciant vota de his operibus cum præiudicio creditorum, ſeu patronorum, non poterunt illa exequi ſine ipſorum conſenſu. & ita poterunt ab eis irritari, vel ſaltem ſuſpendi, aut differri vſque ad tempus finitæ obligationis: ſemper tamen exceptum cenſetur votum Religionis, extra ſeruitutem, vel matrimonium conſummatum, vt ſuo loco dicetur.

7. *Vota ſeruorum ante ſeruitutem emiſſa poſſunt irritari à domino ſi illius ſeruitium impediant.*

Denique ampliari poſſunt dicta de votis ſeruorũ præiudicantibus dominis, vt locum habeant, ſiue vota præceſſerint, ſiue ſequuta ſint ſeruitutem: nam quam-

Digitized by Google

quamuis præcedant, mutato ſtatu ſeruari non poterunt contra legem iuſtitiæ, & ita pro tunc poterunt irritari, vel ſuſpendi per diſſenſum domini. Contingere autem poteſt, vt vota præcedant ſeruitutem in his caſibus, in quibus fideles baptizati iuſte poſſunt in ſeruitutem redigi, de quibus videri poteſt Molin. tom. 1. de Iuſt. diſput. 33. Frequentiuſque accidere poteſt quidpiam ſimile in homine, qui poſt votum reale emiſſum, debita de iuſtitia contraxit: nam in ſolutione nihilominus præcedere debet iuſtitia, ne votum ex alieno ſolui videatur, & ita poterit à creditore irritari. Et iuxta hæc eſt de ſimilibus iudicandum.

Molin.

Caput IV.

An vnus coniugum poſsit alterius vota irritare?

1\.

1. Aſſertio. Maritus nõ habet poteſtatem ad irritandũ directe vota vxoris. Epheſ. 5.

QVæſtionem hanc eodem modo definiendam cenſeo, ac præcedentes, ſcilicet per eandem diſtinctionem de irritatione directa, & indirecta. Dico ergo primo maritus non habet poteſtatem ad irritandum directe vota vxoris, vnde à fortiori neque vxor habet talem poteſtatem ſuper maritum. Hæc poſterior pars euidens eſt, tam per ſe, quã per conſequutionem neceſſariam priori ſuppoſita, quia vir caput eſt mulieris, non è conuerſo. Ad Epheſ. 5. ideoque vxor eſſe debet ſubdita viro, & non è contrario Geneſ. 3. 1. Corinth. 14. ad Coloſ. 3. Prior igitur pars communis eſt eorum Authorum, qui dicunt maritum ſolum poſſe irritare vota vxoris, quæ ſibi, aut familiæ, vel gubernationi domus præiudicium afferunt, præſertim Sylueſt. *Votum* 5. num. 3. Angel. *Votum* 2. n. 8. Nauar. c. 12. n. 64. Caiet. d. ar. 8. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 22. Tabien. Matrim. 1.

Sylueſt. Angel. Nauar. Caiet. Anton. Tabien.

2\.

Ratio vero eſt, quia ſubiectio vxoris ad virum ſolum naſcitur ex vinculo matrimonij, & eſt illi commenſurata, non enim intercedit ibi alia ſpecialis promiſsio, vel ratio obligationis, vt per ſe conſtat, & omnes fatentur. Sed ex vi talis vinculi ſolum ſequitur ſubiectio neceſſaria, & conueniens ad talẽ ſtatũ: id eſt, ad vſum matrimonij, educationẽ filiorum, & gubernationem familiæ. Ergo dependentia & ſubiectio in votis ſecundum ſe, & ex parte voluntatis non ſequitur ex vinculo matrimonij ſed ſolum ratione materiæ, vel in ordine ad dictam gubernationem. Minor patet: quia ille modus ſubiectionis eſt neceſſarius, quoniam non poſſunt eſſe duo capita alias non eſſet pax, nec ordo: & ideo ſuppoſita diuerſitate ſexuum, clarum eſt, vxorem debere eſſe ſubiectam viro. Maior autem ſubiectio, quam prædicta neceſſaria non eſt: ergo non eſt, vnde fingi poſsit, quia media ſunt proportionata fini, & ita etiam effectus eſt commenſuratus cauſæ ex qua naſcitur. Et confirmatur primo: quia ſubiectio vxoris ad virum non eſt abſoluta in rebus omnibus, vt per ſe patet: ergo continetur intra dictos limites, nullo enim alio modo rationabiliter definiri poteſt. Confirmatur ſecundo, quia non poteſt maritus prohibere vxori pro ſuo arbitrio omnia opera ſupererogationis, nec poteſt præcipere quidquid libuerit etiam in corporalibus, ſed cum proportione ad ſtatum, vt late Panor. in c. *Litteras*, de Reſtit. ſpoli. n. 27. & 28. Ergo nec poteſt præcipere, ne voueat id, quod alias poteſt facere, cum ſit opus ſupererogationis: ergo nec tollere poteſt vota ex eo ſolum, quod voluntariam obligationem afferunt. Tandem hic habet locũ, quod de ſeruis dicebamus, quod hęc ſubiectio vxoris ad virum corporis eſt, non ſpiritus, per ſe loquendo: quia non ordinatur per ſe, & immediate ad finem ſpiritualem, ſed ad humanum, & quaſi corporalem: ergo per ſe, & directe non extenditur illa ſubiectio ad dependentiam ex parte voluntatis in vouendo, & ſe obligando Deo, ſed ad ſummum ex parte materię promiſſæ, vt declarabimus. Aliqui vero vidẽtur cõtra hanc aſſertionem ſentire, cum quibus paulo inferius diſputabimus. Obijci vero ſolet: Quia mulier eſt imprudens, & facilis in verbis, & promiſsis, & ideo Deus ſubdidit eius voluntatem viro in votis emittendis. Sed reſpondetur facile, Deum non plus ſubdidiſſe illam, quam naturalis ratio poſtulat, attento vinculo matrimonij, & naturali conditione vtriuſque coniugis. Mulier autẽ non eſt ita carens diſcretione, vel vſu rationis, vt non poſsit prudenter, & valide vouere, alias omnium fœminarum vota deberent eſſe irritabilia vel à parentibus in omni ętate, vel ab Epiſcopis, vel alijs Superioribus, &c. Non ſunt ergo vota fœminarũ ſicut vota impuberũ, nec ideo ſubijciuntur maritis, ſed ſolum propter debitum ordinem intra finem matrimonii.

Panorm.

3\.

2. Aſſertio. Maritus indirecte, & ex parte materia valet vxoris vota irritare.

Dico ſecundo: Maritus indirecte, & ex parte materiæ poteſt irritare vota vxoris. Hæc etiam eſt certa, & communis D. Th. d. art. 8. ad 3. & ibi late Caiet. & omnes, ac Soto lib. 7. q. 3. art. 1. Palud. & Sup. 4. d. 38. locis citatis, & Palac. d. 32. diſp. 2. Angel. *Votum* 2. n. 8. Syluest. *Votum* 5. q. 1. Nauar. c. 12. n. 61. & 64. Abulenſ. Numerorum. 30. quæſt. 80. & ſequentibus. Sumiturque ex Num. 30. vbi late Aug. quæſt. 59. Alia referuntur 33. quæſt. 5. quæ in ſequentibus expendemus. Ratione autem probari debet concluſio eodem modo, quo de ſeruo ſimilem oſtendimus: nam vxor etiam eſt ſubiecta, & in multis poteſt ei à marito aut præcipi, aut prohiberi. Vnde poteſt etiam ipſa aliqua vouere, quæ iuri mariti præiudicent: ergo poteſt maritus irritare vota vxoris, vel prohibendo illi iuſte aliquas actiones, quæ eo ipſo non poterũt eſſe materia voti, vel non conſentiendo illi in his, quæ vxor facere non poteſt ſine licentia mariti, ſeu quæ præiudicium afferre poſſunt iuri mariti. Et hæc eſt indirecta irritatio.

D. Thom. Caiet. Soto. Palud. Supplem. Palac. Angel. Syluest. Nauar. Abul. Auguſt.

4\.

3. Aſſertio, Quæ vota vxoris poſsit maritus irritare.

Hinc dico tertio: Non poteſt maritus omnia vota vxoris ſimpliciter irritare, ſed illa tantũ, quæ ſibi ſuæque familiæ, vel gubernationi afferunt præiudicium. Ita docent expreſse dicti Authores, Gloſ. in c. *Manifeſtum* 33. q. 5. & Innoc. in c. *Scriptura*, de Voto, & ibi Hoſt. Ioan. And. Ant. Card. Anchar. & pluresalii, quos refert Sanc. loco infra citando. Et ſequitur euidẽter ex prima aſſertione: quia vxor multa vota emittere poteſt, quæ nullum præiudiciũ afferant marito: ergo illa irritare non poterit maritus. Conſequentia patet: quia nec directe iuxta primam concluſionem, nec indirecte iuxta ſecundam: quia non præiudicant illi, & conſequenter non ſubdũtur poteſtati eius. Antecedens patet inductione, primo in votis de rebus præceptis, & neceſſarijs, quas maritus prohibere non poteſt. Et hac ratione irritare non poterit votum caſtitatis coniugalis vxoris: quia illud eſt optimum, & ſine præiudicio mariti, imo cũ commodo. Secundo in votis factis pro tempore viduitatis, ſi euenerit, quia illud nec quoad præſentem obligationem, nec quoad futuram executionẽ pertinet ad maritum, vt conſtat, & colligitur ex capit. *Placet*, de Conuerſ. coniugat. & ibi notant Panorm. & Hoſtienſ. & tenet Caiet. dicto articul. 8. Syluest. *Votum* 4. q. 2. d. 5. Angel. *Votum* 2. nu. 13. Tabien. *Votum* 5. num. 5. Palud. 4. diſtin. 28. diſp. 1. & 3. & ibi Suppl. q. 1. lit. X. Nauar. nu. 66. Tertio in votis obligantibus pro tempore matrimonii, quæ nõ ſunt contra iura mariti, vt erunt quoad vota perſonalia, votũ de breui recitatione in die, vel quid ſimile, quo ad realia vero ſi vxor habeat res aliquas, de quibus diſponere poſsit ſine licẽtia viri, vt expreſsit Ab. in c. *Scriptura*, & Palud. dict. d. 38. q. 3. n. 10. quod ordinarie habet locũ in rebus leuibus, vel quę pertinent ad eius ſtatum. Extraordinarie autẽ poteſt contingere in aliquibus caſibus, quos explicare nõ ſpectat ad hunc locum: quia hic formaliter tantum (vt ſic dicam) explicamus ſirmitatem talis voti ſuppoſita tali conditio-

Glos. Innocen. Hoſtienſ. Ioã. And. Anchar.

Ca. Placet. Panorm. Hoſt. Caiet. Syluest. Angel. Tabien. Palud. Supplem. Nauar. Abbas. Palud.

conditione materiæ poſsibili: quando autem, & quibus modis illa conditio impleatur, materiale eſt ad rationem voti: per ſe autem ſpectat ad materiam de matrimonio, vel de iuſtitia. Quod eſt in hac materia præ oculis habendum, nam ob eam cauſam conſulto multa omittemus, quæ in præſenti in particulari tractari non poſſunt.

5. *Soto.*

Contra hanc vero aſſertionem ſentit Soto dicta quæſt. 3. artic. 1. & ſimul contra primam. Nam primo æquiparat vxorem Religioſo, quoad irritationem (vt ſic dicam) ſuorum votorum, deinde ait, poſſe maritum irritare votum non mentiendi vxoris, & ſimilia. Denique concludit, poſſe maritum irritare vota vxoris, nullo excepto. Et rationẽ reddit: quia eſt ſubdita quoad vltroneam obligationem. Idem habet in 4. d. 32. q. 1. ar. 3. vbi ex hoc principio infert, poſſe virum irritare votum vxoris non petendi debitum. Et pro hac ſententia poſſunt citari, qui diſtincte aſſerunt vxorem non poſſe vouere ſine conſenſu viri, vt Durand. 4. d. 38. quæſtione 1. nume. 7. Palud. quæſtione 3. num. 10. Refertur etiam Gloſſa in dicto capite. *Manifeſtum*, quia poſtquam contrariam opinionem retulit ex Hugon. addit, textum illum indiſtincte loqui. Item citatur Panormitan. in capit. *Scriptura*, de Voto à Sylueſt. & Nauarro ſupra, nam dicit, maritum poſſe irritare votum abſtinentiæ vxoris, etiamſi nullum ſibi præiudicium afferat, quod videtur ſequi Summa Roſel. *Votum* 2. num. 8. Allegari etiam ſolet Diuus Thomas dicto artic. 8. ad 3. qui eodem modo loquitur de votis vxoris, & Religioſi. Citatur etiam Auguſt. d. quæſtione 59. in Nu. & Ambroſ. libr. de Paradiſ capit. 10. & habetur in capit. *Manifeſtum*, & capit. *Noli*, & capit. vltim. 33. quæſtione 5. vbi etiam Gratian. in fin. hoc ſignificat. Denique hanc partem late defendit Sanci. libro 9. de Matrimon. d. 39. numer. 4. vbi plures Doctores allegat. Et fundatur in c. 30. Numer. Et quia vxor ſimpliciter, & in omnibus ſubijcitur viro.

Durand. Palud. Gloſ. Roſel. D. Thom. Gratian. Sanc.

6. Sed nullum video fundamentum huius ſententiæ ſatis probabile. Nam magis eſt ex ratione naturali colligendum, quam ex aliqua lege poſitiua: illa autem tanta ſubiectio vxoris non colligitur ex ratione naturali, vt oſtendi. Quare ſi in Leg. Numer. plus adderetur, quam ratio moralis poſtulet, dicendum eſſet, non obligare nunc, quia fuiſſet poſitiua. Sed re vera quoad hanc partem non addit aliquid, vt mox ex Auguſtino dicam. Nec Authores communiter in eo ſenſu loquuntur, ſed cum reſtrictione in prima concluſione indicata, quam etiam indicauit Abulenſ. Numer. 30. quæſtione 84. dicens, vxorem eſſe penitus ſubiectam viro, quantum ad domeſticam gubernationem.

Abul.

7. Vnde Panormitan. expreſſe approbat ſententiam Gloſſæ dicentis, poſſe vxorem vouere ſine conſenſu mariti, quod poteſt dare ſine licentia eius. Quomodo autem conſequenter loquatur de voto abſtinentiæ, paulo poſt dicam, Diuus Thomas autem valde generaliter loquitur, & cum proportione poteſt intelligi, vel certe potius videtur reſtricte loqui de irritatione votorum Religioſi, vt infra dicam. Apud Ambroſium loco citato nihil inuenio: Auguſtinus autem potius limitat, & declarat legem Numerorum, vt intelligatur de votis abſtinentiæ, ſub quibus intelligit illa, quæ ſunt de rebus affligentibus corpus, & ſimilia, & ideo de voto continentiæ dicit, non poſſe irritari à marito, & conſequenter eſſe attendendum, an præiudicium afferat iuri mariti. Regula ergo generalis eſt, vt quoties vota vxoris dicuntur irritabilia, intelligantur quaſi formaliter de vxore, vt ſubdita eſt, & vt promittit de rebus in quibus parere tenetur, & quæ poſſunt vſum matrimonij vel commodam familiæ gubernationem impedire. Et in eodem ſenſu loquitur Gratian. vt declarant illa verba eius: *Nulla vota abſtinentiæ, ſeu Religioſæ conuerſationis*: nam hæc ſolent obſequijs coniugalibus nonnihil derogare. Alia autem vota, quæ nihil ad matrimonium referunt, dici poſſunt emitti ab vxore quaſi materialiter, quia in illis perinde ſe habet, ac ſi non eſſet ſubdita nec vxorata: & ideo non poſſunt in rigore à marito irritari. Vnum vero addere poſſumus in gratiam alterius opinionis, licet maritus aliquod votum vxoris in rigore non poſsit irritare, vt moderatæ abſtinentię ex deuotione alicuius diei, nihilominus ſi ipſe expreſſe contradicat, & acerbè ferat, ita vt inde perturbetur pax, id ſufficere, vt pro tunc votum non obliget, non tam quia proprie irritetur, quam quia ex circumſtantijs, & mutatione materię votum nõ cenſetur tunc eſſe de meliori bono. Vnde à principio cenſendum eſt, includere hanc conditionem faciendi hoc, ſi commode, & ſine occaſione ſcandali, & perturbationis potuero.

8. *4. Aſſertio. Quæ vota mariti poſſit indirecte vxor irritare.*

Dico quarto: Etiam vxor poteſt irritare indirecte illa vota mariti, quæ fuerint in præiudicium eius. Ita ſumitur ex D. Thoma 4. diſp. 38. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiuncula 3. ad 4. & ibi Richard. artic. 4. quæſt. 2. Palud. quæſt. 3. numer. 10. Supplement. Gab. quæſtion. 1. Abulenſ. Matth. 5. quæſtion. 149. Innocentio, Panormitano, & alijs in cap. *Scriptura* de Voto, Hoſtien. in Sum. tit. de Voto §. *Quis vouere poteſt*. Gregor. Lopez in lib. 3 tit. 8. p. 1. num. 8. & ſumitur etiam ex eadem l. & l. 8. & 9. eiuſdem tituli, Syllueſt. & Angel. ſupra, & aliis communiter. Et ſuppoſita hypotheſi, quod votum viri poſsit eſſe in præiudicium vxoris res eſt euidens: quia tunc tale votum abſolute intellectum eſt iniquum tanquam de re aliena, & ita per ſe erit irritum: vt ergo ſit licitum debet includere conditionem, ſi vxor conſenſerit, vel non repugnauerit: ergo tunc irritabitur votũ mariti per diſſenſum vxoris. Quod autem hypotheſis in multis vera eſſe poſsit, patet primo in votis realibus: nam ſi vir voueat facere copioſam eleemoſynam, vel pium opus, quod implere non poſsit, niſi diſpenſando, & alienando aliquid de bonis vxoris, clarum eſt, nõ poſſe id facere ſine conſenſu vxoris, & conſequenter poſſe vxorem tale votum irritare. Secundo in votis perſonalibus, ſi vir voueat peregrinationem, qua priuetur vxor, & vſu corporis viri, & adiutorio eius ad vitam neceſſario, cedit maxime in præiudicium vxoris. Idem eſt, ſi vir voueat abſtinentiam nimiam, quæ illum reddat ineptum ad vſum matrimonij. Quia ſicut vir nõ habet liberam poteſtatem minuendi dotem mulieris, aut bona, quæ ad illam pertinent, ita nec corpus ſuum debilitare, aut labefactare poteſt, quia magis vxoris, quam ſuum eſt, vt recte Chryſ. Hom. 1. in Pſ. 50. in fine.

D. Thom. Richard. Palud. Supplem. Gabr. Abulenſ. Innocen. Panorm. Hoſtienſ. Gre. Lop. Sylueſt. Angel.

9. *Obiectio.*

Sed obiici poteſt, quia Numeror. 30. ſoli viro datur facultas irritandi vota vxoris: non vero è contrario: ergo falſa eſt aſſertio. Et confirmatur, quia irritare eſt actus ſuperioris: mulier autem in nullo eſt ſuperior viro, ſed eſt illi ſubiecta, vt ſupra dixi. Imo (vt ait Auguſt. in lib. Quæſt. veteris Teſtamenti q. 45.) mulier ita eſt ſubiecta ſub dominio viri, vt nullã authoritatem habeat, & habetur in ca. *Mulierem* 33. quæſt. 5.

Auguſt. Ca. Mulierem.

10. *An ſit æqualitas in irritando inter maritum, & vxorem. Innocent. Nauar. Angel. Panorm.*

Antequam reſpondeamus, inquirendum eſt, an in hac poteſtate irritandi ſit æqualitas inter virum & vxorem? In quo Innoc. in d. cap. *Scriptura*, quem ibi Cardin. Anton. & nonnulli alij ſequuntur, & videtur ſequi Nauarr. ſupra n. 64. & Angel. *Votum*, 2. n. 8. abſolute ait, eos eſſe æquales, quia vterque poteſt irritare alterius vota ſibi præiudicantia, & neuter poteſt irritare vota alterius, quę ſibi non præiudicãt. At vero Panorm. in eod. c. *Scriptura*, docet hoc eſſe verum quoad materiã caſtitatis, aut Religionis, vel mutationis ſtatus: nõ vero quoad alias materias votorum tam realium, quam perſonalium. Idem in c. *Chariſſimus*, de conuerſ. coniug. n. 4. Gloſ. in c. *Manifeſtũ*, 33. q. 5. vbi Gratiã. idẽ ſignificat §. *Ex prætermiſſis*, & ibi Archid. & Turrecr. & idẽ tenet Hoſt. in Sum. vbi ſupra, & Palud. d. 38. q. 3. num. 10. Ant. 3. p. tit. 11. cap. 22.

Gloſ. Gratian. Archid. Turrecr. Hoſtienſ. Palud. Anton.

Digitized by Google

Syluest. cap. 22. §. 1. & idem in re ſentit Syluest. *Votum* 5. q. 1. licet reprobet Panorm. ſine cauſa. Eſt ergo hæc vera ſententia. Et prior pars conſtat, quoniam in his, quæ ſpectant ad vſum matrimonij, vir, & vxor ad paria iudicantur, iuxta c. *Gaudemus*, de Diuort. & clare docet Paul. 1. Corint. 7. *Vir ſui corporis poteſtatem non habet*. De votis autem coniugum, tam caſtitatis, quam Religionis in præſenti non diſſerimus: quia totam materiam de voto ſimplici caſtitatis in ſequẽtem tomum reſeruamus, vbi de aliquibus votis in ſpeciali; maxime de votis caſtitatis & Religionis in omni genere perſonarum diſſerendum eſt.

Cap. Gaudemus. 1. Cor. 7.

11. At vero in alijs votis, licet dicatur eſſe quædam æqualitas quaſi proportionalitatis inter virum, & vxorem: quia neuter poteſt vouere cum præiudicio alterius, niſi in ordine ad conſenſum eius, & conſequenter vterque poteſt votum alterius quod vergit in ſuum præiudicium irritare: nihilominus abſolute non eſt æqualitas. Quia poteſtas irritandi aliquando oritur ex proprio dominio, ſeu iure aliquo iuſtitiæ illi æquiualente: aliquando vero ex poteſtate gubernatiua, quæ locum habet in hac irritatione indirecta ex parte materiæ, vt ſupra explicatum eſt. Mulier ergo quamuis ſit ſubdita viro, aliquarum rerum dominium habet: præcipue vero habet dominium in corpus viri quoad vſum matrimonij, habet etiam conſequenter ſpeciale ius, vt vir ſecum cohabitet, & ſibi cooperetur ad onera matrimonij ſuſtinẽda. Habet etiam proprium dominium dotis, & aliquorum bonorum: non habet tamen poteſtatem gubernatiuam, nec adminiſtrationem bonorum, vt conſtat. Vir autem & habet dominium in corpus vxoris, & in hoc æqualitatem habet, & præterea habet poteſtatem gubernatiuam familiæ, & adminiſtratiuam bonorum, in qua ſuperat vxorem.

12. Quatenus ergo irritatio voti poteſt ex dominio prouenire, ſunt æquales vir & vxor, ſicut de voto caſtitatis diximus: & hinc ſunt etiam æquales in irritandis votis perſonalibus, quę derogant huic dominio, ſeu iuri proxime vel mediate. Et huc ſpectant vota peregrinationum: item vota dormiendi in loco ſeparato, vel induendi veſtibus, vel nimium macerandi corpus. Item votum deferendi habitum Eremiticum, aut Beatorũ (vt vocant) vel ſimilia, quæ aut omnino impediunt, aut horrorem inducunt: vt bene Syluest. Angel. & Roſell. tradunt, & ſumitur ex doctrina Auguſtini Epiſt. 199. & habetur in cap. *Quod Deo*, 33. quæſt. 5. Idemque cum proportione eſt in votis realibus, quæ repugnant dominio, quod vnuſquiſque eorum habet in propria bona, vt dictum eſt.

Syluest. Angel. Roſell. Auguſt.

Quando ſit maior poteſtas irritãdi vota in marito? At vero quatenus irritatio poteſt emanare ex poteſtate ſuperiori, quam gubernatricem, vel adminiſtratricem vocamus, in ea non eſt æqualitas inter virum & vxorem: nam vir habet hanc poteſtatem, & omne ius ad illam pertinens, & non vxor, ideoque in his votis, quæ in materia talis poteſtatis verſantur, poteſt vir irritare vota vxoris, & non è contrario.

13. *Vt ſatis ſuperiori obiectioni.* Hanc ergo partem probat obiectio facta, de hac enim irritatione loquitur lex Numerorum, nam illa eſt (vt ita dicam) propria, & ſpecialis marito, alia enim irritatio, quę prouenit ex dominio puro, eſt quaſi generalis omnibus hominibus, qui vel rerum dominium, vel ius ad actiones aliorũ habere poſſunt, vt capite præcedenti attigimus. Et ita ad confirmationem dicitur, irritationem non ſemper eſſe actum poteſtatis Superioris, ſed eſſe poſſe cuiuſcũq; habentis dominium, ſiue ſit æqualis, ſiue etiam inferior. Et hinc eſt, vt in votis realibus poſsit maritus aliquod facere de aliqua eleemoſyna, vel pio opere, quod non poſsit vxor irritare, & non è conuerſo: quia illud pertinet ad ſuperiorem adminiſtrationem bonorum, quam vir habet, & non vxor. In perſonalibus etiam poteſt vir vouere moderatam peregrinationem, ita vt vxor impedire non poſsit, non vero è conuerſo: nam ſine voto poteſt vir abſens fieri ad breue tempus, etiam renuente coniuge, & ideo etiam poteſt abſolute vouere peregrinationem, quæ maiorem abſentiam non requirat: vxor vero prohiberi poteſt, etiam ne domo exeat: quia ſubdita eſt. Idem cum proportione eſt de voto ieiunij, licet contrarium ſentiat Innocent. Nam vir non ſolum ratione dominij poteſt prohibere ieiunium vxori, quando impedit coniugalem actum, ſed ratione adminiſtrationis, quãdo perturbat aliquo modo ordinem, vel conuenientem domus adminiſtrationem, & ſic de alijs.

Circa hanc vero irritationẽ explicandum ſupereſt, an limitationem aliquam, ſeu exceptionem recipiat, vel ampliationem? Nam in primis limitari ſolet, vt non procedat in voto peregrinationis Hieroſolymitanæ, nam ſi vir illud emittat, implere illud debet, etiam inuita vxore: vnde nõ poteſt per ipſam irritari. Ita docent Gloſ. & Doctores ex deciſione capit. *Ex multa*, & cap. *Quod ſuper his*, de Voto. Nam propter commune bonum potuit ius priuare vxorem ſuo priuato iure. Et ita non poteſt illud Decretum ad alia in eo non expreſſa extendi, quin potius inde per argumẽtum à ſpeciali confirmatur regula generalis poſita, poſſe vxorem irritare omnia vota mariti, quæ in ſuum pręiudicium cedunt, niſi fuerint in Iure excepta: nullum autem præter hoc in Iure inuenitur exceptum. Vnde non video cur Abul. Leuit. 27. q. 10. dixerit, poſſe maritum omnem peregrinationem vouere ſine licentia vxoris præter tranſmarinam. Nam potius dicere debuiſſet, nullam poſſe vouere præter tranſmarinam, vt dicitur in d. l. 9. tit. 8. p. 1. Et intelligitur de peregrinatione lõginqua: nam minor non cenſetur præiudicare vxori, vt dixi. Adde exceptionem illam non eſſe intelligendam de voto ſimplicis peregrinationis, ſed de voto in ſubſidium terræ ſanctæ: nam de illo tantum loquitur d. cap. *Quod ſuper his*, & expreſsius d. cap. *Ex multa*, §. *In tanta*, vt notat ſup. Gabr. in 4. d. 32. q. 1. Lit. F. & Gregor. Lop. L. 9. tit. 8. parti. 1. Et hoc etiam ſentit D. Thomas 4. diſtin. 32. ar. 1. ad 4. ex ratione ipſius textus, ſcilicet *Ne in tanta neceſsitate populi Chriſtiani terræ ſancta impediatur ſubſidium*. Quæ ratio ceſſat in peregrinatione ex priuata deuotione, neque alia ſubeſſe videtur ad priuandam vxorem iure ſuo. Imo addunt D. Th. Quodlib. 4 art. 11. & Ant. 3 p. tit. 1. c. 22. §. 1. virum non poſſe perſonaliter implere tale votum, ſi vxor nolit illum comitari, & ſit iuuenis, ac relinquatur in periculo incontinentiæ: quia ex iure naturæ tenetur vir periculũ illud vxoris præcauere: vnde tunc ſatisfaceret redimendo votum. Nec poteſt vir cogere vxorem, vt ipſum comitetur: quia eſt res grauiſsima, & valde oneroſa. Et ita ſumitur ex d. c. *Quod ſuper his*.

14. *An hæc irritatio ſubeat aliquam limitationẽ?*

Gloſ.

Cap. Quod ſuper his. Ca. Ex multa. Supplem. Gabr. Greg. Lop. D. Thom.

Ant.

Denique in hac exceptione non eſt æqualitas: nam vxor non poteſt facere, & exequi tale votum inuito marito, & ita ex parte vxoris hæc non eſt limitatio, ſed potius ampliatio, quam Diuus Th. 4. diſtinct. 32. art. 1. ad 4. notauit, & Anton. in cap. *Scripturæ*, & c. *Ex multa*, de Voto. Ratio à priori eſt: quia in dictis Iuribus viris tantum conceditur hæc facultas. Congruentia autem eſſe poteſt, tum quia mulieres non ſunt ita aptæ ad ſubſidium, ſicut viri, imo potius ſolent impedire: tum quia in illis eſt maius periculum caſtitatis: tum denique quia magis ſubijciuntur viris. Contrarium vero docent Hoſt. in Sum. tit. de Voto, §. *Quis vouere poſsit*, verb. *Vxor*. & in d. c. *Ex multa*, vbi etiam Panor. & Ant. ſupra. Et fundari potuerunt in vltimis verbis dict. cap. *Quod ſuper*, vbi de mulieribus dicitur, *Vt quæ remanere noluerint viros ſuos ſequantur: cæteræ vero (niſi forte ſint diuites, quæ ſecum ſuis expenſis poſsint ducere bellatores) votum redimant, quod vouerunt*. Nam prior particula intelligitur de vxoribus, quæ non vouerunt, vt Gloſ.

15.

D. Thom.

Hoſtien. Panorm. Anton.

Digitized by Google

vt Gloſſa notat, & exponitur in ſequenti cap. § *Quod autem*: ergo poſterior particula intelligitur de illis, quæ vouerunt, vt Gloſſa etiam notat: ergo obligantur voto. Sed reſpondetur ſub illa dictione *Cætera*, includi omnes alias mulieris ſiue vxoratas, ſiue non: nam partitio eſt adæquata, & vniuerſalis. De illis ergo verum eſt, teneri voto, & obligari, eo modo, quo de iure poſſunt, nullum tamen priuilegium eis conceditur, & generalis diſpoſitio ſecundum ius cõmune intelligenda eſt, & vnicuique accommodari poteſt iuxta capacitatem eius. Et ideo mulier habẽs virum, ſi voueat, indiget conſenſu mariti ad eundẽ, imo ad redimendum votũ, niſi habeat bona, de quibus libere poteſt diſponere: quia in cæteris ſubiecta eſt viro. Sed hæc hodie quoad praxim non ſunt neceſſaria: quia nõ eſt locus, ſeu occaſio, aut materia talis voti, eſſe tamen poſſet, ſi bellum pro recuperanda terra ſancta moueretur.

16. *Traditur ſecunda ampliatio.*

Secundo ampliari ſolet prædicta irritatio, vt locũ habeat etiam circa vota, quæ antecedunt matrimonium, quando ſine præiudicio alterius coniugis ſeruari non poſſunt. Quia per mutationem ſtatus mutata etiam fuit materia voti, & ita ſine iniuſtitia ſeruari non poſſet, renuente ſocio ius ſuum poſsidente. Ita Panor. in d. c. *Scriptura*, de Voto. Roſell. *Votum* 2. n. 10. Nauar. c. 12. num. 61. & Abul. Num. 30. q. 80. & ſumitur ex alijs ſupra allegatis. Alij vero hoc limitant quoad vota realia: quia debita ante matrimonium contracta ſoluenda ſunt poſt matrimoniũ, nec maritus poteſt impedire vxorẽ, quin illa ſoluat. Sed nihilominus doctrina formaliter intellecta vniuerſalis eſt: nam etiam votum reale impleri non poteſt cum præiudicio alterius: eſſet autem præiudiciũ viri, ſi vxor poſt contractum matrimonium de bonis libere diſponeret, cum ſit commiſſa adminiſtrationi mariti, vel etiam data ad ſuſtinenda onera matrimonij: ergo licet votum præceſſerit, non obligat ſine conſenſu mariti: quia fieret illi iniuria. Et confirmatur: quia, vt dixi, tale votum à principio incluſit virtute illam conditionem, *Niſi ſtatum mutauero*, quia alias non fuiſſet prudens, neque iuſtum, vel certe ſi directa intentione factum eſt animo ſe obligandi perpetuo per tale votum, etiam poſt matrimonium contractum: tunc debuit explicari cõditio illa marito ante matrimonium, vt onus illud acceptaret, alias deceptio fuiſſet iniuſta. Et ideo ſi conditio explicata non fuit, maritus poteſt iure ſuo vti, nõ obſtante voto: quia Deus non vult ſibi offerri cultum de alieno nec cum iniuria alterius. An vero poſſit maritus irritare vota: quæ ſponſa ante pubertatẽ emiſit, dicam in fine capitis ſexti.

Panor. Roſell. Nauar. Abulenſ.

Extenditur etiam ad vota realia.

17. *Proponitur tertia ampliatio.*

Tertio ſolet ampliari dicta irritatio, vt ſemel facta ſit perpetua: quia extinguit obligationem, & obligatio ſemel extincta amplius non redit L. *Qui res* §. *Aream* ff. de Solut. Leg. *Cum ex cauſa*, C. de Remiſ. pign. Et ita ſentit Panor. in cap. *Scriptura*: de Voto nu. 7. Sylueſt. verb. *Votum* 4. q. 2. & Religio 2. q. 15. & Sot. lib. 7. de Iuſt. q. 3. art. 1. Abul. q. 66. in 30. cap. Num. & ibi Caiet. ad hoc inducens textum illum, qui iuxta vulgatam lectionem nullam vim habet, vt facile legenti patebit. Dico ergo, applicandá hic eſſe generalem regulam poſitam in cap. 1. iuxta quam dicendum eſt, maritum per ſe tantum poſſe impedire executionem voti pro tempore durantis matrimonij. & ita pro eodem tempore tollere obligationem eius. Vnde ſi à principio ſolum eſt factum pro illo tempore, clarum eſt manere extinctum poſt mortem mariti, imo & ante illam, ſi antea pertranſijt tempus pro quo præciſe factum fuerat votum. At vero ſi factum fuit votum abſolute pro toto tempore vitæ, non extinguetur obligatio per irritationem mariti: quia tãtum poteſt illud tollere, quod ſibi parit præiudiciũ. Sicut ſi factum eſſet votum determinate pro tempore poſt ſolutum matrimonium non poſſet irritari, vt ſupra oſtenſum eſt, eſt enim eadem ratio. Item ſi votum eſſet factum ante matrimonium, & eſſet perpetuum, vel ex ſe, vt votum non nubendi, vel ex intentione vouentis, obligaret ſoluto matrimonio, vt ſumitur ex Innocen. in cap. *Scripturæ*, de Voto, & docet Roſel. *Votum* 2. n. 7. Nauar. d. n. 61. Indicant Palud. 4. d. 38. q. 4. nu. 23. & 29. Ant. 2. par. tit. 11. c. 2. §. 6. Et conſtat, quia illud votum non fuit mortuum, ſed mortificatum tempore matrimonij. Et ita ſumitur ex cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, de Conuerſ. coniugator. quatenus ex eis habetur, votum caſtitatis factum durante matrimonio obligare poſtea ad non contrahendum iterum, & quoad hoc nõ poſſe irritari ab altero coniuge durante priori matrimonio.

L. Qui res. L. Cum ex cauſa. Panor. Sylueſt. Sot. Abul. Caiet.

Innoc. Roſell. Nauar. Palud. Anton. C. Quidam. Ca. Placet.

18. *Obligatio voti quomodo reſtringenda.*

Dices: Quid ſi materia voti de ſe non eſt perpetua, & non conſtat ſatis de intentione vouentis? Reſpondeo ſeruandam eſſe generalem regulam ſupra poſitam, vt benignior fiat interpretatio voti, & reſtringatur obligatio ad præſentem matrimonij ſtatum, & conſequenter ſi pro illo fuit irritatum, intelligatur ſimpliciter extinctum. Præſertim: quia hic interueniunt nonnullæ coniecturæ ad præſumendã hanc intentionem, quando de contraria non conſtet. Tũ quia ſolent homines inſtruere rationem vitæ ſuæ ſecundum præſentem ſtatum: nam de alio poſsibili incerto, & infelici regulariter non diſponunt, niſi de illo expreſſe, & cum aliqua occaſione cogitent. Tum etiam quia ſicut ſtatus futurus viduitatis incertus eſt ſimpliciter, ita multo magis quoad circumſtantias temporis, ætatis, virium &c. Et ideo non fit veriſimile, quod ex nunc velit obligari aliquis pro illo ſtatu, niſi expreſſe id declaret. Oportet ergo vt de intẽtione vouentis ſatis conſtet, vel ex verbis eius vel ex materia, quæ ex ſe videatur referri ad liberiorem ſtatum, vt maxime eſt caſtitas, Religio, &c. Et ita limitat ſuperiorem ſententiam Nauar. num. 66. citans Panormit. Sylueſt. & Angelum locis ſupra citatis, & Caietanus dicto artic. 8.

Nauar. Panor. Syluest. Angel. Caiet.

19. *Maritus validè irritare poteſt etiam approbatum à ſe votum.*

Vltimo interrogari poteſt, an hæc irritatio fieri poſſit aut liceat poſtquam ſemel votum approbatũ eſt? Vt verbi gratia, vouit vxor dare Calicem Eccleſiæ, & petit facultatem à marito, qui illam concedit de voto conſcius: poſtea vero ante voti executionem reuocat facultatem, & votum irritat, dubium eſt an talis irritatio ſit valida, & licita? De quo puncto infra de Religioſis late dicturi ſumus: ideo nunc breuiter dicendum eſt. Primo: ſi maritus reuocet licentiam, & irritet votũ, quod probauerat, valida eſt irritatio. Ita docent Innoc. Panor. & omnes in d. c. *Scriptura*, idem Panor. in cap. *Chariſsimus*, de Conuerſ. coniugat. n. 4. Nauar. d. nu. 61. cum Richard. in 4. d. 32. ar. 2. q. 2. Caiet. d. ar. 8. & omnes fere ſupra relati. Et ſumitur ex Num. 30. ibi, *Sin autem contradixerit* (vbique maritus) *poſtquam reſciuit, portabit ipſe iniquitatem eius*, ſcilicet vxoris. Quia nimirum illa non peccabit tranſgrediẽdo votum, ſed maritus reddet rationẽ pro illa: valida ergo eſt irritatio, & ita exponit ibi Aug. & habetur in c. *Manifeſtum* 33. q. 1. Ratio autem eſt: quia licet maritus det licentiam, non abdicat à ſe proprium dominium, vel poteſtatem: nã ſi votũ eſt reale, ſemper manet dominus pecuniæ, ad quam expendendam fecerat facultatem, vel ſaltem ſemper retinet liberam adminiſtrationem, ſaltem in rigore iuſtitiæ; quod ſatis eſt, vt reuocatio facta teneat: & ſimiliter ſi votum ſit perſonale, mulier manet ſubiecta viro, non obſtante licentia, nec maritus poteſt à ſe abdicare poteſtatem gubernandi, & regendi: & ideo valebit actus propter eandem rationem. Ab hac autem regula ſolet excipi votum caſtitatis, quod habet ſpecialem difficultatem, quam cum alijs reſeruamus in proprium librum de illo voto.

Innoc. Panor. Nauar. Richard. Caiet. Num. 30. Auguſt. Ca. Manifeſtum.

20. *An peccet maritus in tali reuocatione.*

Secundo dicitur, communiter peccare maritum talem reuocationem faciendo. Ita docent allegati Authores, & expreſſe Aug. in d. cap. *Manifeſtum*. Et

Auguſt.

ſumitur

ſumitur ex d. ca. 3. Num. in verbis allegatis. Nam in eo cap. dicitur, vir portare iniquitatem vxoris: quia ipſe eſt, qui delinquit, non vxor. Et quod grauius eſt, non ſolum id dicitur, quando maritus expreſſe cõſenſit, ſed etiam quando tacite, ſcilicet: quia votum ſciuit, & non contradixit, ſed tacuit, quia nimirum tacens tacite conſentit. Imo videtur ibi poſtulari, vt ſtatim contradicat: nam ſi ſtatim tacuerit, & vſque in aliam diem diſtulerit, cenſetur ita conſentire, vt ſine peccato retractare non poſsit. Sed in hoc diſtinguere oportet, quid ſit morale ex iure naturæ, & quid fuerit poſitiuum ex illa lege: nam illud nunc obligat, & non ſecundum, vt recte Caietan. ibi notauit. *Caiet.* Primo ergo quoad modum ratificandi votum per ſolam taciturnitatem vnius diei, illa eſt lex poſitiua, & cæremonialis quæ nunc non obligat. Nunc ergo in foro conſcientiæ, ſi vir tacens non intendit approbare, nec licentiam dare, votum non erit approbatum, ſed liberum erit marito illud reuocare, non ſolum poſt vnum diem, ſed etiam poſt plures, ſi in omnibus illis non conſenſit: nam eſt eadem ratio, & determinatio illius temporis fuit tantum poſitiua. *Quando non cenſeatur approbare per taciturnitatem?* Quoad præſumptionem vero, ſi materia voti poſitiue cedat in præiudicium mariti, non cenſebitur approbare per ſolam taciturnitatem, niſi expreſſe concedat facultatem: ſi autem materia pertineat ſolum ad debitam ſubordinationem, & gubernationem, vel ad bonum animæ vxoris, de quo non conſtet cedere in præiudicium mariti, tũc taciturnitas ſufficit ad præſumptionem, vt poſsit vxor licite exequi votum, imo vt debeat, ſi tempus obligationis inſtet. Secundo, non obſtante illa lege, certum eſt, poſſe maritum ſuſpendere poſitiue votum prohibendo ne votum mandetur executioni, non abſolute, ſed vſque ad beneplacitum ſuum, vel donec deliberet, & iudicet, quid facere expediat. Hoc patet, quia ex natura rei hoc non eſt contra rationem, vel prudentiam; ergo nunc non eſt prohibitum ex vi illius legis. Vnde poſt talem ſuſpenſionem ſine dubio poterit maritus licite irritare votum: quia per illam conditionem reſeruauit ſibi hanc poteſtatem. Imo ſentit Caiet. ibi, totum hoc etiam licuiſſe in veteri lege, quia lex illa nihil loquitur de hoc caſu ſuſpenſionis quaſi poſitiuæ, ſed tantum de caſu taciturnitatis.

21. *Licet marito determinare tempus.* Tertio, eadem ratione licet marito approbare votum, vel licentiam dare, non abſolute, ſed pro tempore determinato, vel vſque ad beneplacitum ſuum. Et tunc licet ſeruandum ſit votum, vel pro eo tempore, vel quamdiu non reuocatur: nihilominus licitum erit marito poſtea reuocare, vel tranſacto tempore præſcripto, vel quamdiu libuerit, ſi latior fuit conditio. Ratio eſt, quia ſicut poteſt vel approbare, vel irritare ſtatim totum votum, ita poteſt ex parte approbare, & ex parte irritare, vel ad certum tempus concedere, & pro vlteriori deliberationem differre. In omnibus enim his eſt eadem ratio poteſtatis, & honeſtatis, nec ex natura rei aliquid inordinatum ibi inuenitur: imo nec ex vi dictæ legis videtur fuiſſe hoc prohibitum, vt ex verbis, & ex proxime dictis ſatis conſtat.

22. *Quando talis irritatio ſit peccatũ.* Solum ergo ſupereſt caſus, quando approbatio ſit ſimpliciter, & ſine limitatione, vel quando ſit pro determinato tempore, vel actu, & pro eodem ſit poſtea irritatio, & retractatio. Et hoc cenſetur eſſe peccatum, & ita colligi ex illa lege. Dubitari autem poteſt, an hoc fuerit malum, quia prohibitum in illa lege: vel e conuerſo fuerit prohibitum, quia malum? Nam ſi primum dicatur ex vi illius legis; nunc non erit malum: ſi autem dicatur ſecundum, erit nunc etiam malum ex iure naturæ. Et hoc poſterius videtur communiter affirmari, & ſequũtur etiam Caiet. Abulenſ. &c. *Caiet. Abulenſ.* non explicant tamen, quę, & quanta ſit illa malitia. In legibus autem Hiſpaniæ, Partit. 1. tit. 8. l. 8. dicitur, eſſe peccatum mortale. Quod eſt difficile creditu: nam primo non eſt contra iuſtitiam, quia maritus vtitur iure ſuo, ideo enim valida eſt actio: nec eſt contra Religionem, quia nec ipſe maritus violat votum; cum illud non fecerit; neq; eſt cauſa violationis eius, cum nec vxor violet, ſed ſolum eſt cauſa, vt votum non ſit, vel non obliget, quod per ſe malum non eſt, vt per ſe conſtat; nec videtur fieri intrinſece malum ex eo, quod licentia præceſſerit. Quare placet mihi regula, quã tradit Anton. 3. p. tit. 1. *Anton.* c. 22. in princip. ex Raymund. *Raym.* & eandem habet Maior 4. d. 28. qu. 4. dub. 1. *Maior.* & alij infra c. 7. citandi. Si vir poſtquam dedit licentiam vxori ad votum, v. g. abſtinentiæ, vel eleemoſynæ implendum, illud reuocat ex rationabili cauſa motus non peccat, ſed bene facit: quia poteſtatem habet, & per priorem conceſſionem non ſe obligauit ad non reuocandum, interueniente cauſa iuſta, vel re melius conſiderata. Si autem ſine cauſa reuocat, peccatum eſt, non ſolum propter inconſtantiam, & leuitatem, ſed etiam quia eſt contra vrbanitatem, & conuenientem gubernationem, & videtur etiam eſſe aliqua irreuerentia Dei. Raro autem videtur hoc peccatũ eſſe mortale, niſi vel ſcandalum, vel contemptus grauis intercedat, vt videtur probare ratio facta. Neq; lex Num. in rigore contra hoc obſtat: nam cum dicitur: *Ipſe portabit iniquitatem eius*. Ibi iniquitas non ſumitur formaliter, ſed materialiter, quia reuera in vxore non eſt formalis, ſed ipſa non obſeruatio voti materialiter ita vocatur: eſt ergo ſenſus, maritum eſſe rationem redditurum de illa non obſeruatione voti, vt ſi ſine iuſta cauſa facta fuerit, illi imputetur.

CAPVT V.

De votis filiorum familias impuberum, & poteſtate parentum ad irritanda illa.

SVppono ſermonem eſſe de filiis exiſtentibus ſub cura parentum nondum emancipatis. 1. *Raro erit peccatum mortale.* Nam emancipati ſunt ſui iuris, & liberam habent ſuarum rerum adminiſtrationem, etiamſi vigeſimum quintum annum ætatis non attigerint, vt nunc ſuppono, *Explicatur ſenſus quæſtionis.* & videri poteſt in Couarr. in 4. 2. p. ca. 7. §. 1. num. 13. *Couar.* Anton. Gom. in leg. 47. *Ant. Gom.* Barboſ. in leg. 2. § *Quod ſi in principio* ff. ſoluto matrimonio, *Barboſ.* Sylueſt. ver. *Emancipatio*, & verb. *Patria poteſtas*, *Sylueſt.* Molin. tract. 2. de Iuſ. disp. 229. *Molin.* Igitur de votis filiorum emancipatorum ita iudicandum eſt, ſicut de cæteris, qui ſunt ſui iuris. Filij autem familias, quidam ſunt impuberes, de quibus in c. ſequenti, alij puberes, de quibus per diſtinctionem datam reſpondendum eſt.

2. *1. Concluſio.* Dico primo: Pater non poteſt vota filiorum puberum directe irritare ex parte ipſorum votorum. Ita ſumitur ex Authoribus in aſſertione ſecunda, & tertia citandis: omnes enim conſtituunt radicem huius irritationis in iure, quod habet pater, vel in adminiſtranda re familiari, vel in gubernatione ſuæ familię ſub qua filij maxime continẽtur. Quod fundamentum totum eſt ex parte materiæ votorũ, non ex parte vouentis, ita vt non ſit capax propriæ voluntatis quoad abſolutam poteſtatem ſe obligandi Deo, ſi materia ſuppetat, quæ in præiudicium patris non cedat. Ratio vero eſt eadem, quæ in ſuperioribus facta eſt. Quia hæc poteſtas non oritur ex puro iure naturali, nec ex iure poſitiuo, nec ex ſpeciali contractu, vel promiſsione filij: ergo nulla eſt. Conſequentia eſt clara: quia homo de ſe eſt liber maxime in ordine ad Deum, niſi ex aliquo ſpeciali principio ſubiiciatur, quod nõ poteſt niſi ad aliquod ex dictis capitibus pertinere. Probatur ergo prima pars antecedentis, quia ex vi iuris paterni ſolum ſequitur poteſtas commẽſurata œconomicæ gubernationi, & honeſtæ, ac conuenienti educationi filiorum ad quem finẽ nullo modo pertinet, nec refert aliquid obligatio voti ſecundum ſe ſpectata, ſi materia voti illi non præiudicat. Deinde ex iure naturali ſolum

requiritur ad abſolutum valorem voti ſufficiens diſcretio rationis, & materia capax obligationis ſine præiudicio alterius, ſed in filiofamilias maioris ætatis eſt perfectus vſus rationis: nam etiam ius Canonicum præſumit plenam diſcretionem in illa ætate, vt videbimus: ergo ſi materia ſit honeſta, & nihil patri præiudicet, votum illius erit omnino firmum, & validum. Denique ſi parens poteſt irritare directe vota filij puberis, vel eſt in ordine ad rem familiarem, & domeſticam, ac temporalem: vel in ordine ad honeſtatem, & bonos mores filij. Si dicatur primum, totum illud pertinet ad indirectam irritationem: ſi vero dicatur ſecundum, profecto ad illum finem non pertinet poteſtas directe irritandi vota: quia votũ de ſe opus honeſtũ eſt, & ſupererogationis: & ideo etiam paſtoribus Eccleſiæ, qui maximam habent poteſtatem gubernandi in ordine ad morum honeſtatem, illa poteſtas irritandi data non eſt. Vnde in his, quæ ad Deum pertinet non poteſt pater impedire honeſtam actionem filij, nec opera ſupererogationis, quæ ſibi non præiudicant: ergo nec votum poteſt directe impedire, aut tollere ex vi ſolius poteſtatis naturalis. Quod vero à iure poſitiuo nullam habeat certum eſt: quia nullũ tale afferri poteſt, imo oppoſitum ex illo colligitur, vt videbimus. Denique quod nec habeat ex ſpeciali promiſsione filij manifeſtum eſt, & ex ſequentibus aſſertionibus hoc magis conſtabit.

Quid requiratur ex iure naturali ad valorem voti.

3\. Dico ſecundo: Non poteſt pater irritare omnia vota filij puberis abſolute, & ſimpliciter. Eſt certa, & ſequitur ex præcedenti: quia non omnia vota talium filiorum verſantur in materia, quæ ad parẽtis poteſtatem pertineat, vel illi præiudicet. ergo non poſſunt irritari à patre ex parte materię, ſed neque directe tolli poſſunt, vt oſtenſum eſt, ergo. Deinde patet inductione: nam hac ratione non poteſt pater irritare vota caſtitatis, vel Religionis talium filiorum, vt eſt conſtans ſententia apud D. Th. & Interpretes d. art. 8. & 9. & 22. quæſt. 189. art. 2. & aliorum Theologorum, ac Summiſtarum in locis citatis, & Sum. Confeſſ. lib. 1. tit. 8. quæſt. 3. Sylueſt. verb. *Religio*, 2. q. 15. qui hoc probat ex c. *Si dominus*, 11. q. 3. ſed ibi ſolum dicitur filios non teneri obedire parẽtibus in his, qui ſunt contra Deum, quod non probat: quia illud etiam in impuberibus locum habet: & hoc eſt, quod quæritur, an talis irritatio ſit contra Deum: expreſsius ergo id probatur ex c. 1. & 2. 20. q. 2. Et fundari etiam poteſt in c. *Ad noſtras*, de Regular. & ex L. *Deo nobis*. §. *Hoc etiam*, C. de Epiſcop. & Cleric. & ex Authentica de Sanctiſ. Epiſcopis c. 41. Quibus locis hoc tradunt Doctores. Ratio vero eſt, quæ ex dictis aſſertionibus colligitur: quia filius in illa materia non præiudicat patri: quia in ordine ad Diuinum obſequium, & præſertim quoad ſtatum ad illud pertinentem filius habet plenum ius, & poteſtatem diſponendi de ſe, & aliunde obligatio voti de ſe rata eſt. Sed de his votis plura in proprijs locis.

2. Aſſertio Non poteſt pater abſolute irritare omnia vota filij puberis.

D. Tho. Sum. Conf. Sylueſt.

Cap. Ad noſtras. L. Deo nobis.

4 Denique ob eandem rationem irritari non poſſunt vota perſonalia filij, quæ ſine præiudicio obedientiæ patri debitæ ſeruari poſſunt, vt ſunt votum moderatæ orationis, aut abſtinentiæ, quæ nec vires ad conuenientem laborem pro ratione ſtatus minuat, nec domeſticum ordinem perturbet. Item vota de rebus alias præceptis, vt audiendi Miſſam die Dominica: item vota, quę referuntur ad tempus emancipationis, quãdo erit filius ſui iuris. Idem tradunt communiter Doctores de votis realibus, ſi fiant de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, de quibus filius & dominium, & adminiſtrationem habet, vt nunc ſupponitur. Denique ratio facilis eſt ex dictis principiis. Item à ſimili de vxore, &c. item à fortiori ex voto caſtitatis.

Quæ vota perſonalia filij non poſſunt irritari à patre.

5\. Sed obiici poteſt, quod Numer. 30. ſine limitatione dicitur, parentem poſſe irritare vota filiæ exiſtentis in domo ſua, in puellari ætate, vbi puellaris ætas etiam pubertatis intelligenda videtur, ita vt illa particula addita ſit ad excludendam filiam emancipatam, vt verbi gratia, viduam habitantem cum patre: non vero filiam exiſtentem ſub patria poteſtate in quacunque ætate, vt Abulenſ. quęſtione. 15. Caiet. Carthuſ. & Oleaſter exponunt. Propter quod Tabien. *Votum*, 5. n. 5. generaliter ait, vota ſimplicia filiorum non emancipatorũ non eſſe rata, quamdiu ſunt ſub cura parentum, etiamſi facta ſint poſt pubertatem, ſolumq; excipit votum Religionis, quaſi ex ſpeciali priuilegio. Sed eſt improbabilis ſententia maxime cum neque caſtitatem excipiat, nec votum ordinis, & ſimilia. Veruntamen de aliis etiam non habet fundamẽtum in ratione, aut iure. Nam quod iura ſtatuunt de voto Religionis non eſt ſpeciale priuilegium, & quaſi exceptio à regula contraria, ſed eſt potius quaſi extenſio, vel exaggeratio regulæ, quod talia vota non ſint irritabilia, quandoquidem etiam difficillimum votum, & quod maiorem deliberationem requirit, irritabile non eſt, vt recte notauit Soto d. q. 3. art. 2. cuius ſententia, ne nimium videatur parentum poteſtatem reſtringere, iuxta tertiam aſſertionem moderanda eſt, vt videbimus.

Obiectio.

Abulenſ. Caietan. Carthuſ. Oleaſt. Tabien.

Soto.

Aliter Angles q. de Voto art. 7. difficult. 12. dub. 6. diſtinguit inter filios, & filias, & in fœminis fatetur, poſſe parentem vota illarum irritare, etiamſi facta ſint poſt pubertatem, & nullum excipit etiam caſtitatis, vel Religionis. Imo ex concluſione 2. colligitur, idem de his votis ſentire: nam ibi oppoſitum docens de filiis maſculis, in voto Religionis, & aliis perſonalibus, id declarat. Moueturque tantum ex lege Numer. quæ ex vi verborum de filiabus diſponit, & ita illam ibi exponit Oleaſt. Sed non poteſt Angles ſententia probari. Nam in primis illud de voto Religionis eſt contra expreſſa iura, & contra torrentem Doctorum, vt viſum eſt. Deinde nulla eſt ratio diuerſitatis in filia: nam potius præſumitur citius habere perfectum iudicium, & peruenire ad annos pubertatis, vt ſupra lib. 3. vidimus, & ex parte materiæ eſt eadem ratio, vt conſtat. 6

Item lex Numer. tam de filiis, quam de filiabus intelligitur ab Abulenſ. ibi quæſtione 3. 14. 19. & 20. Vnde ipſe reſpondet; quoad illam partem fuiſſe legem illam poſitiuam, & ceſſaſſe, atque adeo in nouo Teſtamento firmiora eſſe vota filiorum puberum exiſtentium ſub cura parentum, quam in lege veteri. Nam tunc omnia vota perſonalia poterant irritari à parente, quãdiu filius erat ſub eius poteſtate, & cura, etiamſi eſſet grandioris ætatis: nunc autem illa lex non obligat. Atque eadem reſponſio habebit locum, etiamſi lex illa de ſolis filiabus intelligatur, vt rigor literæ, & contextus magis indicare videtur, & Caiet. ſentit, ac Oleaſter: quia etiam hoc modo erit in hac parte poſitiua (nam licet Angles ſupra dicat, legẽ illam in hoc ſenſu intellectam, quoad ſolas filias non fuiſſe poſitiuam, ſed moralem, & naturalem, non poteſt id ratione probare:) tum quia nulla eſt naturalis ratio, quæ id doceat magis de filiabus, quam de filiis, cum in fœminis adultis ſit ſufficientiſsimus vſus rationis ad vouendum, & ſæpe maior capacitas ex parte pietatis, & moderationis affectuum: tum etiam quia ſupra oſtenſum eſt, patrem non habere poteſtatem ex ſola lege naturæ ad directe irritandũ talia vota: ſublata autẽ directe irritatione, nullũ relinquitur vniuerſale fundamẽtũ ex parte materiæ, etiam pro filiabus, vt per ſe notum eſt. 7.

Explicatur lex Numerorum. Abulenſ.

Poſſet etiã illa lex aliter exponi, quoad illa verba: *In ætate adhuc puellari*, vt intelligatur de impubere; tum quia non ſine cauſa verba illa addita ſunt poſt illa: *Mulier quæ eſt in domo patris ſui*. Ergo tacite ſignificatum eſt, poſſe eſſe in maiori, vel minori ætate, & limitata eſt ad puellas minoris ætatis. Et ita videtur intellexiſſe Gloſſa Interliniaris addens *adhuc ſcilicet paruula, & tamen diuinæ eruditionis* 8.

Alia eiuſdem legis explicatio.

habens

Digitized by Google

Gloſ. ord.

habens initia, & Gloſſ. ordinar. dicit, *Adhuc tenera, cui pater dominatur in votis.* Et iuxta expoſitionem hanc lex illa poteſt quoad hanc partem cenſeri pure moralis, tamen in ea non erat definitum per annos ætatis, quantum duraret ætas puellaris, ſed oportebat, vel per aliã legem humanam definiri, vt nunc factũ eſt, vel arbitrio parentum relinqui. Nec etiam definiebatur, quid poſſent parentes circa vota filiorum puberum ſub ſua poteſtate exiſtentium, ſed id iuri naturali eſſet relictum. Denique addi poteſt, licet illa lex intelligatur de votis filiarum non emancipatarum cuiuſcumq; ætatis, limitari poſſe ad vota, quæ iuri patris aliquo modo derogant, ſicut de vxore dicebamus, & ita ſignificat ibi Nicolaus de Lyra.

Nicol. de Lyra

9

3 Aſſertio. Quæ vota filiorum poſſint a patre indirecte irritari.

Dico tertio: Poteſt pater irritare indirecte omnia vota filiorum ſub poteſtate ſua degentium, ſeu non emancipatorum, quæ præiudicium afferunt patriæ poteſtati, id eſt, quæ regimen liberum, & expeditum familiæ impediunt, vel nimium ſubtrahunt filium ab obedientia, & cura patris, vt ſunt extraordinaria ieiunia, longa peregrinatio, & vota realia de bonis paternis, vel quorum vſusfructus, & adminiſtratio ad patrem ſpectat. Hæc eſt certa, & communis ſententia D. Thomæ d. art. 8. ad 2. vbi Caiet. & alij, & Soto d. quæſt. 3. art. 2. Alij Theologi in 4. d. 38. Duran. q. 1. articulo 7. Richar. art. 4. q. 2. Palud. q. 3. Maior q. 4. dub. 1. Supplemen. q. 1 art. 5. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 6. Syluest. *Votum* 3. q. 6. Angel. *Votum* 2. Tabien. Roſel. Nauar. num. 70. Panormitan. & alij in cap. *Scriptura*, de Voto. Et patet ex dictis ſupra de votis ſerui, & vxoris, nam eſt eadem ratio proportionalis. Summaque eius eſt, quia talia vota eſſent illicita ex parte materiæ, & conſequenter nulla, niſi includerent conditionem, *ſi pater conſenſerit*, vel ſaltem, *ſi non repugnauerit*, iuxta exigentiam materiæ, quia eſſent contra ius paternum: ergo ratione conditionis incluſæ poteſt pater talia vota irritare. Denique pater poteſt prohibere filio talem materiam: ergo poteſt indirecte votum irritare.

D. Thom. Caiet. Soto. Durand. Richard. Palud. Maior. Supplem. Anton. Syluest. Angel. Tabien. Roſel. Nauar. Panorm.

10.

An patiatur aliquam exceptione hæc regula.

Quæri ſolet, an hæc regula patiatur exceptionem aliquam, præſertim illam de peregrinatione terræ Sanctæ. Affirmant Syluest. *Votum* 3. quæſt. 6. Angel. *Votum* 2. n. 5. & Nauar. n. 70. Sed hoc non inuenitur in Iure expreſſum, & ideo ſumunt argumentum à ſimili ex d. cap. *Ex multa.* Nam maius videtur eſſe præiudicium vxoris, quam patris: ſi ergo hæc licentia datur marito, inuita vxore, multo magis intelligetur conceſſa filiofamilias maioris ætatis, inuito parente: quia magis præiudicat vxori abſentia mariti, quam patri abſentia filij. Contra hanc vero ſententiam obijci poteſt: quia lex illa quatenus præbet hanc licentiam viro in præiudicium vxoris eſt quodammodo præter ordinarium ius: ergo non eſt extendenda vltra caſum, in quo loquitur, propter aliquam ſimilitudinem. Præſertim quia in multis rebus eſt diuerſitas: nam filius eſt proprie ſubiectus patri, non ſic autem vir vxori. Item vir habet adminiſtrationem familiæ, quam filius non habet, & ita liberius poteſt diſponere de actionibus, & rebus ſuis, quam filius. Item magis confidit lex de viri prudentia in tali voto emittendo, & de eius fructu in exequendo, quam de filiofamilias. Præterea in ſeruo non admittitur illa exceptio, neque in eo vale; argumentum à ſimili, cur ergo valebit in filio? Item etiam ad Religioſum non poteſt fieri extenſio propter argumentum à ſimili, vt notant Hoſtienſ. & Panormitan. in cap. vltim. de Voto, & ideo nec Innoc. nec Panormit. vel alij in d. cap. *Ex multa*, illam faciunt extenſionem. Imo in c. *Scriptura* generaliter definiunt, non poſſe filium votum aliquod emittere in præiudicium iuris paterni, quod ab ipſo non poſsit irritari.

Syluest. Angel. C. Ex multa

11.

Propter hæc dubia mihi eſt hæc exceptio. Et in primis certum eſt non habere locum in voto peregrinationis Hieroſolymitanæ, quod non in ſubſidium, ſed tantum ob deuotionem, vel Religionem fit. quia nec vir poteſt in eo caſu, vt ſupra dixi. Deinde ſi ſubſidium ſit futurum, cum expenſis, certum exiſtimo non poſſe fieri de bonis paternis, inconſulto patre: quia filius non habet ius diſponendi de illis, nec Eccleſia illud concedit, neque fortaſſe eſſet expediens. Si autem ſubſidium illud tantum eſſet perſonale, adiuuando ſcilicet per ſe ipſum, vel militando, vel conſulendo, vel aliud miniſterium vtile ad bellum exercendo: tunc fortaſſe admittetur exceptio, non tam ex iure poſitiuo, quam ex naturali: quia tunc fere nullum fit præiudicium patri, & homo videtur per tale votum vitam, & corpus ſuum Deo conſecrare, in quo magnum habet ius. Accedit etiam ratio boni communis, propter quod videtur iuſte prætermitti voluntas paterna in eo caſu.

Poſſent tandem hic interrogari dubia ſuperius facta, an hæc irritatio ſit perpetua, & an habeat locũ reuocatio poſt licentiam ſemel conceſſam? Sed hæc eodem modo hic expedienda ſunt, quo in capite præcedenti. nam eſt eadem ratio. Interrogatio autem illa, an irritatio hæc extendatur ad vota antecedentia talem ſtatum, hic non habet locum nam talia vota erunt facta in ætate impubere, & ita conſtat à fortiori eſſe irritabilia: an vero eodem modo, videbimus capite ſequenti. Item quid ſit dicendum, quando dubium eſt, an talia vota facta ſint ante, vel poſt pubertatem, in eodem capite ſequenti dicetur. Præterea interrogari poteſt, quamdiu hæc poteſtas duret in patre ad irritandum vota filij puberis. Solet enim ab aliquibus limitari per annos ætatis filij, id eſt, vſque ad vigeſimum quintum ætatis annum, quia vſque ad illud tempus cenſetur minor, & ita vota poſt illam ætatem emiſſa à filio non poterunt irritari à patre. Dicendum nihilominus eſt tamdiu durare hanc poteſtatem, quamdiu durat patria poteſtas, ſeu quamdiu filius non eſt emancipatus. Poteſt autem eſſe emancipatus ante vigeſimum quintum annum per matrimonium, vel alio modo, & tunc iam pater non poterit irritare vota eius, licet contrarium dicat Gloſ. 22. quæſt. ſecunda, cap. *Mulier*, quæ haberet locum, quando filius emancipatus eſſet minor, & maneret ſub tutela patris, quod fieri poteſt, vt ſuppono. Et tunc ſubiectio non omnino aufertur, ſed mutatur, quod perinde eſt. Deinde poteſt filius eſſe ſub poteſtate patris, ſed non emancipatus poſt vigeſimum quintum annum, & tunc poterit pater vota filij irritare. Et ratio eſt, quia hæc irritatio non fundatur in defectu rationis ad vouendum, ſed in defectu materiæ propter ſubiectionem; ergo ex duratione ſubiectionis pendet duratio poteſtatis, non ex ętate. Et confirmatur: nam hac ratione filius non emancipatus etiamſi ſit maior viginti quinque annorum, non poteſt aliquid donare de bonis pertinentibus ad ius, vſumfructum, vel adminiſtrationem patris, vt tradit Cordub. in Sum. quæſt. 133. ergo ſimiliter in præſenti. 12.

Quamdiu duret poteſtas in patre ad irritanda vota filiorũ.

Gloſ.

Amplius interrogari poteſt, an hæc vota facta à filio pubere non emancipato, quæ durante patria poteſtate irritata non fuere, poſsint poſt emancipationem irritari? Breuiter reſpondeo, non poſſe, quia illa vota non fuerunt irritabilia ex defectu voluntatis, & rationis, & ita ſi durat, ex ea parte manent firma: ex parte autem materiæ iam auferri non poſſunt, quia filius emancipatus iam eſt ſui iuris. Item hæc poteſtas irritandi fundatur in patria poteſtate, ſed hæc ablata eſt per emancipationem; ergo & poteſtas irritandi. Conſiderandum ergo eſt, an votum ſit factum ex intentione vouentis pro tempore, in quo emancipatus futurus eſt, vel tantum vt ſtatim exequendum. Nam ſi ſint prioris modi irritabilia non ſunt quoad illam partem, non ſolum poſt emancipationem, verum etiam nec an- 13.

Vota facta à filio pubere non poſſunt poſt emancipationem à patre irritari, licet antea fuerint facta.

tea, ſicut de vxore dictum eſt: nam eſt eadem ratio, quia illa vota quoad illud tempus non ſunt contra ius paternum. Si autem vota ſint poſterioris, modi poſtea non obligant, & ita non habet locum in eis irritatio, nec interrogatio facta.

14.
Quid nomine patris intelligendum cum agitur de poteſtate irritandi vota.

Poſſet tandem interrogari, quid nomine patris intelligendum hic ſit, id eſt, an veniat etiam mater, aut auus, vel curator in defectu illorum, ſed quia de hoc dicturi ſumus latius capite ſequenti, dico breuiter, deficiente patre, curatores poſſe irritare vota realia puberis, vt officiunt eorum adminiſtrationi: vota autem perſonalia per ſe loquendo non poſſe irritare, quia curatori non eſt commiſſa perſona, ſed bona eius. Dicunt autem aliqui, ſi votum reale minoris iuramento confirmetur, non poſſe irritari à curatore, argumento ſumpto à ſimili ex leg. 1. & 2. C. Si aduerſ. vendit. Sed non credo, quia votum illud vt ſit iuſtum, & Deo placeat, debet includere conditionem, niſi curator reſiſtat, alias iniuria illi fieret, & conſequenter iuramentum confirmans illud votum ſine tali conditione, eſſet iniquum, & non obligans: ſi autem votum illam conditionem includat, non obſtabit iuramentum, quominus irritari poſsit. De matre autem, & auia dicendum eſt, nihil poſſe, niſi quatenus munus curatoris ſuſcipiunt, vel niſi ex accidenti votum ſit in illarum præiudicium, vt dicetur capite ſequenti.

CAPVT VI.

Vtrum parentes irritare poſſint vota filiorum impuberum, & quando, ac quo modo?

1\. Loquimur de impuberibus ratione vtentibus, qui iam ſciunt peccare mortaliter: nam reliqui non ſunt capaces voti: iſti autem votum validum poſſunt emittere, licet infirmum, vt ſupra dictum eſt lib. 3. Hinc ergo certum eſt primo, parentes poſſe irritare vota horum impuberum. Ita docent omnes cum Diuo Thoma d. quæſtione 88. articulo 9. & in 4. d. 38. vbi reliqui Scholaſtici, & Anton. 2. part. titul. 11. cap. 2. §. 6. & omnes Summiſtæ, præcipue Syluester. *Votum*, 3. quæſtione 5. & 6. Nauarrus capite 12. numero 64. & 65. Soto d. quæſtione 3. numero 2. Colligitur communiter ex Numero 30. Sed de illa lege incertum eſt, an loquatur de ſolis filiabus, & de qua ætate loquatur, & non ſatis conſtat, an fuerit poſitiua, vel naturalis: & ideo ratione, & iure Canonico vtendum eſt, quæ ſtatim afferemus.

D. Tho. Anton. Syluest. Nauar. Soto.

2\. Dico ergo ſecundo: Hæc poteſtas eſt ad irritandum hæc vota impuberum non ſolum directe, ſed etiam indirecte. De indirecta nihil addere neceſſe eſt, quia eſt eadem (vel maior ratio) de his filiis, quæ de grandioribus. Prior ergo pars communis eſt, & ſumitur ex capit. 1. & 2. 20. quæſtione 2. & capit. *Mulier*, cum aliis 32. quæſtione 2. Et pręterea fundatur in ratione naturali, addita poſitiua quoad temporis determinationem. Ratio ergo eſt, quia filius iure naturæ ita eſt ſub poteſtate patris, vt ante vſum rationis voluntate patris regi debeat, ita vt voluntas patris filij voluntas cenſeatur. Poſtquam autem incipit filius vti ratione, licet iam poſsit libere operari, habet pro aliquo tempore vſum rationis nimis imbecillem, ac tenuem: & ideo ratio naturalis dictat, vt pro aliquo tempore pendeat, à voluntate patris, ſaltem quoad firmitatem obligationis, ita vt non ſit omnino firma, donec pater illã approbet. Et maxime in negotio grauiſsimo, quale eſt obligationis ad Deũ, quę per votum contrahitur.

2. Aſſertio. Poteſtas parentum ad irritanda vota filiorum impuberũ eſt nõ ſolum directa, ſed & indirecta. Cap. Mulier.

3\. Hoc ergo eſt naturale fundamentum huius obligationis: illud autem ſolum fortaſſe non eſſet ſufficiens ad vſum huius poteſtatis niſi pro caſu dubio, in quo, ſcilicet dubitaretur, an filius haberet libertatem ſufficientem ad ſe obligandum, & ad peccandum mortaliter, nec ne. Quia vbi certo conſtiterit, puerum habere iam libertatem ad peccandum mortaliter, & ſe obligandum diabolo, conſequenter conſtabit de libertate ſufficiente ad ſe obligandum Deo per votum, iuxta regulam communiter receptam à Theologis, & Iuris peritis cum Gloſſa in dicto cap. *Mulier*, 32. quæſtione 2. Et ideo immerito dubitari poterit, an ſtando in ſolo iure naturali talis puer cenſendus iam eſſet ſui iuris ad ſe obligandum firmiter Deo in materia proportionata, & ſibi libera, & conſequenter, an tale votum poſſet irritari à patre. Nihilominus tamen quia regulariter loquendo illa ætas non eſt ſufficiens ad deliberandum perfecte in negotio tam graui, & quia vinculum voti quatenus in futurum obligat, arduum, & periculoſum eſt, & in eo omittendo, quando, vel quomodo expedit, poteſt paruulus facile errare, ideo valde conſentaneum eſt rationi naturali, vt pro aliquo tempore voluntas paruuli filij, etiam poſt comparatum rationis vſum, pendeat à voluntate patris, & ab eo tolli poſsit, vel confirmari.

Gloſſ.

Atque hinc fit, neceſſariam etiam fuiſſe legem poſitiuam, quæ tempus definiret, pro quo patria poteſtas extenditur ad irritationem hoc modo faciendam, ſeu pro quo durat ex parte filij imperfectio illa, ratione cuius hac irritatione indiget. 4 Quia hoc non poteſt ex ſolo iure naturæ, quia alij celerius, alij tardius ratione vtuntur, & non debuit hoc relinqui arbitrio parentum, ſed certo aliquo ætatis termino præſcribi. Qui terminus licet non ſit idem in omnibus, tamen lex humana obſeruat, quod frequentius accidit, & ita pro maſculis deſignata eſt ætas vſque ad decimum quartum annum completum: in fęminis vſq; ad duodecimum etiam completum, vt omnes Authores citandi conſentiunt, quia Iura abſolute loquuntur, quæ ſupra libr. 3. c. allegaui, & eſt fauor, & ampliandus, vt mox ſubiiciam. Neque circa hunc terminum ætatis facta eſt aliqua mutatio per Concilium Trident. in ordine ad vota ſimplicia, vt dicto capit. 3. dixi, & notauit etiam Palaci. d. diſputat. 30. Azor libr. 11. c. 17. quæſt. 7. circa finem. Addi præterea hic poteſt, neceſſarium eſſe, vt certo conſtet, annum eſſe completum, vt ceſſet hæc poteſtas patris: nam in caſu dubio poteſt votum irritare: tum quia pater poſsidet ius ſuum, quo non priuatur in caſu dubio, tum quia eſt fauor debitoris, & ideo ampliandus: tum propter alia ſupra dicta de voto dubio. Tum denique quia in ſimili dubio non iudicatur impubes factus pubes quoad alios effectus, vt v. g. quoad agendum in iudicio, & ſimilibus. Et ita ſenſit Palud. 4. diſtinct. 38. quæſt. 4. art. 2. Conc. 9.

Palac. Azor.
Poteſt pater irritare vota filiorum quando dubitat an ſit iã impletus annus pubertatis.

Solet autem quæri, ſi contingat puerum ante illam ætatem eſſe aptum ad perfecte deliberandum, ſeu (vt dici ſolet) doli capacem, & id experimento ſatis certo conſtet, an poſsit nihilominus pater tunc vota eius irritare? Nam Hugo, vt refert d. Gloſſa, dixit, tunc votum non eſſe irritabile. Sed hæc ſententia ab omnibus reprobatur cũ d. Gloſſa, & alia in dicto c. 1. 20. quæſt. 2. & in c. *Ad noſtram*, de Regular. & à doctoribus eiſdem locis, & in capit. *Poſtulaſti*. de Regular. Palud. in 4. d. 38. quæſtione 4. Syluest. Religio. 2. quæſtione 12. Et ſumitur ex dictis iuribus: nam licet loquantur de voto ſolenni, inde tamen optimum ſumitur argumentum ad ſimplex. Tum quia illa iura ſimpliciter ſubdunt voluntatem filij impuberis voluntati patris in negotio ſe obligandi Deo, vt Panormitan. notat in d. cap. *Poſtulaſti*, tum etiam quia eſt fauor parentum, & filiorum, ideoque ampliandus: tum maxime quia deficiente ratione legis in particulari, non ceſſat obligatio, & conceſsio legis, quæ abſolute diſponit: tum denique, quia expedit maxime ad 5

An poſſit pater vota irritare filij qui eſt capax doli, & deliberationis ante ætatem.
Gloſſ. Palud. Syluest.
Iaxem

commu-

commune bonum, vt lex in [illegible] alias res ferè manet et [illegible] Non [illegible] æquiparamus [illegible] votum cum [illegible] tum quia lex non [illegible] modo [illegible] tum etiam quia votum magis spirituale est, [illegible] maiorem cognitionem requirit.

6. *3. Aſſertio. Pater poteſt irritare omnia vota filii impuberis ſine vlla exceptione.* Dico tertio: Pater poteſt irritare omnia vota filii impuberis ſine vlla exceptione. Hæc aſſertio [illegible] habet in votis [illegible] nam ſolenne [illegible] facto nullum [illegible] impubere, etiam votum Religionis, [illegible] valere non [illegible] amplius [illegible] vt ſuo loco dicemus. Sic [illegible] aſſertionem Doctores [illegible] magno conſenſu, præſertim Soto, Nauarrus, Sylueſter, & alii Summiſtæ, & ſequitur aperte ex principio poſito, quod hæc irritatio non fundatur in conditione materiæ, ſed in dependentia voluntatis vouentis à patris poteſtate, quæ dependentia in omni materia reperitur: & in omni voto [illegible] in omni voto impuberis includitur illa conditio, [illegible] pater [illegible] ergo ex ea parte irritabile eſt. Confirmatur ex differentia inter impuberem filium, & vxorem, quam rectè notauit *Differentia inter filium impuberem & vxorem. Sylueſt.* Sylueſter, *votum* 5. quæſt. [illegible] in fine. Quia filius impubes eſt ſub patria ita vt voluntas patris cenſeatur [illegible] eius voluntas [illegible] perfectè [illegible] quin illa præſumatur: vxor vero non eſt ita ſubiecta, nec [illegible] nec [illegible] pubes, [illegible] & ideo licet non omnia vota illorum ſint irritabilia, [illegible] omnia irritari poſſunt, quia ille [illegible] omnia tranſcendit. Denique [illegible] nam omnia vota realia irritabilia ſunt, quia impubes nullius rei adminiſtrationem habet: [illegible] omnia perſonalia, quia votum caſtitatis, & Religionis irritari poſſunt: ergo à fortiori alia.

7. *Viuald.* Contra hanc aſſertionem opinatus eſt Viuald. in Candelab. 1. p. c. 4. n. [illegible] An etiam patrem poſſe irritare omnia vota realia filii eius [illegible] ante decimum quartum annum, & filiæ ante duodecimum: non *Azor.* tamen omnia perſonalia, ſed illa tantum, quæ patri, vel matri præiudicant. Refert etiam Azor li. 11. c. 17. q. [illegible] quorumdam dixiſſe, non poſſe patrem irritare votum filii, cuius executio refertur ad tempus pubertatis, vt votum ingrediendi Religionem poſt decimum quartum annum expletum. Sed Viuald. nullum fundamentum adducit, nec Doctorem allegat, & videtur euertere fundamentum poſitum in ſecunda aſſertione. Et nihilominus n. 101. ſupponit id, quod certum eſt, patrem poſſe irritare votū Religionis, & caſtitatis filii impuberis, in quo non poteſt ſibi conſtare, quia votum caſtitatis perſonale eſt, & non præiudicat patri, & ita non poteſt ab eo irritari indirectè propter præiudicium, ſeu ex parte materiæ: ergo limitatio non eſt vniuerſalis, neque habet maiorem rationem in aliis votis, quam in voto caſtitatis. Nullo ergo modo admittenda eſt illa ſententia. Alia etiam exceptio reiicienda eſt ex eodem fundamento, quod irritatio hæc non fundatur in materia, ſed in ſubiectione, & imperfectione vouentis: & ideo dixi, nullam eſſe admittendam exceptionem [illegible] de votis relatis ad tempus maioris ætatis, ſiue de votis rerum præceptarum: ſemper enim voti obligatio per ſe, & directè auferri poteſt.

8. *4. Aſſertio. Votum factum in ætate impubere, irritabile eſt impubere à patre niſi deinde confirmatū fuit. Caiet. Nauar. Viuald.* Dico quarto: Votum factum in ætate impubere irritabile eſt in ætate pubere, ſi in eodem ſtatu permanet ex parte vouentis, & parentis, id eſt, ſi à neutro confirmatum eſt. Hæc aſſertio non eſt tam certa ſicut præcedentes, eſt tamen probabilior. Eam tenet Caiet. 2. 2. q. 189. art. 5. Nauarr. c. 12. n. 71. Viuald. d. c. 14. n. 105. Azor d. c. 17. [illegible] Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 4[illegible] n. [illegible] Lud. Lop. cap. [illegible] & communiter Moderni. Fundamentum eſt, quia votum illud à principio fuit infirmum, & irritabile, & nunquam fuit confirmatum vt ſupponitur: ergo ſemper retinet illam imperfectionē: ergo ſemper irritari poteſt. Pro-

batur [illegible] poteſtas dura eſt *Azor. Leſſ. Lud. Lop.* parentis [illegible] impuberis, quia [illegible] legem limitata eſt [illegible] durante impubertate [illegible] vt verſatur [illegible]

Contra [illegible] quia [illegible] [illegible] & [illegible] nullius momenti. Quia illa conditio [illegible] ad impubertatem [illegible] irritatio nec ex iure colligi poteſt, à quo [illegible] poteſtas pendet, nec ex ratione, quia [illegible] poteſtatem [illegible] nentum [illegible] hæc autem neceſſitas ſemper durat reſpectu actus præteriti cum dicta imperfectione facti [illegible] præſens obligatio contracta. Vnde confirmatur à ſimili ex ratione textus in capite vlt. de Senten. excommunicatur. vbi datur Epiſcopo facultas abſoluendi à ſententia Canonis puerum ante pubertatem Clericos [illegible] ferunt [illegible] ante ſiue poſt annos pubertatis [illegible] Et redditur ratio his verbis: *Cum [illegible] in qua fuit [illegible] tempore [illegible]* Quando ergo poteſtas [illegible] circa aliquod factum [illegible] poteſtatis attendendū eſt, quando actus fuit factus, non quando exercetur actio circa illum, ita [illegible] meoque eadem regula ſeruanda [illegible] Vnde Panormitanus ibi n. 2. generaliter cōcludit [illegible] ratione minoris ætatis, [illegible] cœpit habere [illegible] non [illegible] licet minor [illegible] ætatem.

10. *Contraria Soto Aragon. Angl.* Contra hanc vero partem tenuit Soto d. q. 2. art. 3. in fine, & ſequitur Arag. 2. 2. q. [illegible] art. 9. Ang. *v.* de Voto art. [illegible] d. c. 12. dub. [illegible] etiam Angel. *v.* Votum 2. numer. 6. Sed ibi non dicit. Fundatur, quia hæc ſententia, quia vt votum irritetur, non ſatis eſt, quod de ſe ſit irritabile, ſed requiritur poteſtas ex parte irritantis: nam ſi fingamus patrem eſſe mortuum, & non dari tutorem, vel [illegible] ſuum puberem, [illegible] votum, [illegible] votum [illegible] de ſe eandem ſemper [illegible] retineat. Sed in præſenti [illegible] poteſtatem, quia iam filius non eſt ſubditus [illegible] matur, quia alias etiam tutor id poſſet, [illegible] deſiit eſſe tutor, quia pupillus peruenit ad maiorem ætatem. Item pater poſſet irritare vota facta à filio pubere non emancipato, etiam poſt emancipationem, & dominus vota ſerui poſt libertatem obtentam, & ſimilia.

11. Sed hæc non cogunt: propter primum tamen argumentum poſſet quis diſtinguere [illegible] lu, qui excedit pueritiam, vnus eſt, quamdiu [illegible] ſub patria poteſtate [illegible] pubertatem, alius eſt, quando iam e[illegible] [illegible] & ita conſiliare opinionem [illegible] quod [illegible] habeat [illegible] quamdiu filius [illegible] non eſt emancipatus [illegible] pro toto illo ſtatu ſemper pater [illegible] poteſtatem [illegible] lum & conſequenter [illegible] etiam [illegible] qui obiectiue, vt ſic dicam, [illegible] pubertatis, & in eo exercere debet [illegible] dilatus. At vero [illegible] habeat poſt emancipationem [illegible] omnino [illegible] ctio hinc ad patrem [illegible] poſſe intelligi poteſtas [illegible] Veruntamen diſtinctio hæc, ſeu moderatio neceſſaria non [illegible] Quia nec per tem- 12. poris lapſum, nec etiam per [illegible] poteſtatem circa vota [illegible] quia perſona ſemper manet ſub illa pendens [illegible] ad vota minoris ætatis, licet [illegible] præſentem [illegible] vel ætatem tam non [illegible] voluntatem [illegible] ſemper manet aliquo modo ſubiecta [illegible] quoad aliquam

correctionem, vel directionem, ſi neceſſaria fuerit, ſicut filius ſemper patri debet reuerentiam: & hoc ſatis eſt ad illam irritationem. Præſertim quia conditio incluſa in voto ſemper habet locum, & irritatio ſolum fit per ſuſpenſionem, ſeu ablationem cõditionis, nec eſt neceſſaria alia iuriſdictio, vel alia poteſtas dominatiua. An vero idem ſit dicẽdum de tutore, quod in confirmatione tãgitur, infra dicam. Exemplum autem de filio pubere, vel ſeruo non eſt ſimile: nam horum vota non ſunt irritabilia, niſi ex parte materiæ: & ideo mutata conditione materiæ per mutationem ſtatus, vota erunt firma, ſi à principio ea intentione facta ſunt, vt etiam pro tali tẽpore, ſtatu, & materia obligarent, vt iam ſupra dictum eſt.

12. Addidimus vero conditionem, & limitationem in aſſertione, dummodo votum illud in eodem ſtatu permaneat, & confirmatum non ſit. Poteſt autem eſſe confirmatum, vel ab ipſomet vouente, vel à patre. Ab ipſo quidem vouente quia libertatem ad hoc habet, debètque intelligi poſt completum decimum quartum ætatis annum: nam licet antea ſæpius iteretur votum, nunquam confirmabitur, quia omnis illa repetitio fit cum eadem imperfectione, & ſubiectione. At ſi inchoata iam pubertate, aliquis ratum habeat votum, quod in pueritia fecit, iam illud denuo emittit, & ita votum imperfectum tranſit in perfectum, & quod erat conditionale incipit eſſe abſolutum, denique eſt tam firmum, ac ſi tunc primum fieret, & antea nullum votum præceſsiſſet.

Quid requiritur ad confirmationem voti, poſtquam ad pubertatis annum quis accedit.

Solum oportet exponere, quando cẽſeatur tale votum eſſe confirmatum à vouente. In quo primum dicendum eſt, non ſufficere voluntatem ſeruandi illud: nam licet hæc voluntas ſæpius habeatur in ætate pubere, non confirmat votum, quia votum illud validum fuit, & quamdiu non irritatur, ad illam voluntatem obligat; ergo per illã non confirmatur.

13. *Obiectio.* *Solutio.*

Dices: Profeſsio inualida tacite confirmatur per actiones Religioſi profeſsi; ergo ſimiliter, &c. Reſpondetur primo negando conſequentiam, quia profeſsio nulla non obligat ad illos actus, imo nec illos permittit, quantum eſt de ſe, & ideo qui illos vult facere, cenſetur velle fundamentum illorum, quod eſt profeſsio. At hic iam ſupponitur ſufficiens fundamentum obligationis, nec eſt neceſſaria maior confirmatio voti, vt obliget ad illos actus: & ideo per illos vt ſic non confirmatur. Adde; quod vt profeſsio per illos actus, vel delationem habitus profeſſorum confirmetur, neceſſaria eſt cognitio nullitatis talis profeſsionis, vt ex communi ſententia Doctorum infra videbimus. Quia error cauſat inuoluntarium, & ideo quamdiu præſupponitur fundamentum illorum actuum tanquam validum in cogitatione operantis, non interuenit tacita voluntas confirmandi, vel potius innouandi votum. Et hinc potius confirmatur, quod dictum eſt. Nam ſi puer, qui fecit votum caſtitatis, veniens ad pubertatem, & putans iam votum non eſſe irritabile, ſtatuat perpetuo ſeruare illud, ſicut tenetur, non ideo vult confirmare illud, ſed potius in ſua exiſtimatione ſupponit eſſe firmum, & ideo vult ſeruare, & non confirmare: ſi vero ſcit votum eſſe irritabile, interim tamen obligare, & ideo vult ſeruare, etiam tunc non confirmat propter rationem ſupra factam, quod voluntas ſeruandi obligationem non dat maiores vires obligationi, quam per ſe habeat. Neceſſaria ergo eſt in præſenti expreſſa confirmatio per voluntatem, qua quis deliberet non amplius velle irritationem, ſed abſolute obligari, quia tacita confirmatio hic non poteſt interuenire eo, quod nulla voti obſeruatio, ſeu exequutio eſt ſufficiens ſignum confirmationis eius.

Caiet. 22. q. 189 art. 5. Nauar. c. 12. n. 71. Syluest. Matrimonium 4 q 16. Doctores. In cap. 1. de Regul. in 6.

14. Secundo confirmatur votum à patre, ſi ſciens factum eſſe, illud poſitiue ratum habeat. Itaque ante omnia neceſſe eſt, vt illius notitiam habeat, quia ſi ignoret illud non poteſt confirmare illud, quia confirmatio debet eſſe voluntaria: ignorantia autẽ tollit voluntarium. Deinde requiritur voluntas, quia ſola ſcientia non ſufficit, etiamſi adſit taciturnitas, ſeu negatio irritationis: quia poteſt pater pro tunc negatiue ſe habere, nec confirmando, nec irritãdo: vtrumque enim voluntarium eſſe debet, & ab vtroque poteſt voluntas abſtrahere, etiam per voluntatem poſitiuam ſuſpendendi, ſeu differẽdi vſum ſuæ poteſtatis, vt ſupra in ſimili de marito dixi, & legem Num. quę videtur aliter diſponere, explicui. Et quidem ſi pater ſciat votum non à filia, vel filio proponente, vel petente irritationẽ, ſed aliunde: tunc licet taceat, & diſsimulet, non confirmat etiam iuxta legem Num. quia non *tacet ei*, id eſt, filio, vt Caiet. bene ponderat iuxta Hebraicam proprietatem. Item ſi ſciat à filia, & expreſſe dicat velle ſuſpendere, & cogitare de re, non confirmat etiã iuxta rigorem illius legis: quia nõn omnino tacet, ſed declarat voluntatem ſuam. Si autem mere negatiue ſe habeat per diẽ integrum tacite confirmabat votum iuxta diſpoſitionem illius legis: ſed quoad hoc erat poſitiua, & nunc non obligat, & ideo ſolũ inde ſumi poteſt pręſumptio aliqua voluntatis confirmandi votum, tamen ſi hæc in veritate non adfuit, votum non manet in conſcientia confirmatum, quia in hoc foro attenditur veritas, non præſumptio.

Tunc ergo pater confirmat votum filij impuberis quando ſciens illud, vult ratum, & confirmatum manere. Et tunc dico nõ poſſe amplius irritari à patre, maxime ſi in ea voluntate perſeuerauit vſque ad pubertatem filij: tum quia iam ille pater vſus eſt ſua poteſtate, quantum potuit: tum etiam quia iam res illa tranſiuit quaſi in rem iudicatam, & conditio incluſa in voto plene impleta eſt, quæ ſecundum rectam rationem ita videtur intelligenda, niſi pater contradixerit, vel etiam niſi ratum habeat. Tum etiam quia alias talia vota neceſſario manerent infirma, quamdiu pater viuit, etiãſi millies illa prius confirmet, quod videtur abſurdũ. Denique illud decretum patris magis videtur declaratiuum, quam conceſſiuum alicuius facultatis: declarat enim illud votum eſſe ratum, & perfectum. Et hoc maxime procedit, quando confirmatio illa retractata non eſt vſque ad annos pubertatis: quia tunc maxime procedunt rationes factæ.

15. *Quando, & quomodo confirmat pater votum filij impuberis.*

Dubitari autem poſſet, an confirmatio illa poſſet retractari ante aduentum pubertatis, ſaltem valide, etiamſi non licite, vt ſi votum eſt factum decimo tertio ætatis anno ex conſenſu patris, vel approbante illo, & poſtea irritetur ante completum decimum quartum annum: videtur enim illa confirmatio habere tractum ſucceſsiuum pro illo tempore, in quo voluntas filij eſt infirma, & ſub voluntate patris. Sed nihilominus etiam tunc cenſeo oppoſitum probabilius: quia rationes factæ vniuerſaliter procedunt. Sed hoc declarabitur melius, explicando inferius ſimile pũctum de Religioſis. Intelligitur etiam hoc quoad irritationem directam: nam ſi votum ſit de materia pertinente ad ius paternum, & quæ poſsit ibi præiudicium afferre, ex ea parte poterit votum irritari, ſicut de votis vxorum diximus: quia eſt eadem ratio. Et quoad hoc eſt conſtituenda differẽtia inter cõfirmationẽ voti ex parte materię, vel ex parte voti, quia confirmatio ex parte materię ſolum eſt quędã licentia ad vtendum tali materia, quæ reuocabilis eſt ſaltem valide, quia non fuit donatio perpetua: at vero confirmatio voti ex parte vouentis in impubere non eſt licentia vouendi, vel vtendi re vota, ſed eſt veluti declaratio quædam perfectionis voti, vt omnino firmum permaneat: & ideo poteſt pater licite, & directe impedire executionẽ talis voti, quamdiu ſine ſuo pręiudicio fieri non potuerit, & non tamen poteſt abſolute, & in ſe votum irritare.

16. *An confirmatio voti filij, quæ fit à patre ante annos pubertatis poſſit iterum retractari.*

Reſolutio negatiua.

Dico quinto: Votum impuberis ſemel irritatum à patre nunquam amplius reuiuiſcit. Ita docent Caiet. 17. *5. Aſſertio.*

Soto,

Votum impuberis ſemel irritatũ nunquam reuiuiſcit.

Soto [illegible]. Abulenſ. & Sylueſt. citati ſupra ca. 4. Et ratio eſt, quia talis irritatio cadit in ipſum votum [illegible] ergo extinguit illud, eiuſque obligationem, ergo non reuiuiſcit amplius, iuxta regulam iuris traditam dicto capit. 4. & iuxta dicta cap. 1. Item votum illud fuit in hac parte conditionatum, & conditio non fuit impleta: ergo fuit votum extinctum. Vnde parum refert, quod votum fuerit ab impubere factum, vt implendum pro tempore pubertatis: quia nihilominus vinculum ipſum directe, & in ſe auferri potuit a parte, & ſemel ablatum non redit, niſi iterum ab eodem vouente fiat. Quod verum etiam habet in voto Religionis, nam procedit eadem ratio: imo in illo eſt magis neceſſaria, quia votum Religionis de ſe habet, vt non poſſit executioni mandari, niſi poſt pubertatem: ergo cum a patre irritatur, non impeditur ſolum quoad exequutionem. hoc enim nihil eſſet, ſed in ſe extinguitur.

18. *Explicatur mens Innocẽtii.*

Contra hanc aſſertionem citari ſolet Innocent. in cap. *Scripturæ*. de Voto, vbi ſolum dicit, filium etiam impuberem teneri ad implendum votum, quod in pueritia fecit, poſtquam fuerit ſui iuris, & extra patriam poteſtatem: ſed non dicit teneri ad hoc, etiamſi votum fuerit irritatum a patre. vnde poteſt intelligi, vt loquatur, quando votum irritatum non fuit: ſolum enim explicare voluit, votum illud non fuiſſe nullum, ſed obligatorium. Citatur etiam [illegible] Nauar. c. 12. n. 66. ſed immerito, quia ibi non loquitur de impuberibus, ſed de [illegible] vbi de impuberibus loquitur abſolute dicit vota eorum irritari, & in num. 69. dicit annullari, & num. 64. expreſsius id declarauerat. Palud. autem in 4. d. [illegible] quæſt. 4. art. 2. concluſ. 11. numer. 29. expreſſe [illegible] contrarium, loquens in ſpeciali de Voto [illegible] Ant. 2. part. 11. c. 2. § 6. & in hanc [illegible] D. Thomam. Sed nunquam D. [illegible], vt conſtat ex 2.2. quæſtio. 8[illegible] art. 5. & in 4. d. 38. quæſt. 1. art. [illegible] Quæ. 17. c. 13. ad 10. quibus locis [illegible] vota impuberum poſſe irritari a patre, nunquam vero dicit talia vota poſtea reuiuiſcere. Denique illa ſententia nullum habet fundamentum, quia hæc vota impuberum non ſunt comparanda cum votis vxorum, ſeruorum, & filiorum puberum. nam iſtorum vota non irritantur directe, ſed ratione materię, & ideo ſi obligationẽ ſuam referant ad tempus habile, quando fuerint ſui iuris, vota eorum non poſſunt irritari. Vnde ſi abſolute voueant pro vtroq; tempore vota eorum poterũt irritari pro tempore ſubiectionis tantum, non ſimpliciter: & ideo talia vota dicuntur mortificari, ſeu impediri pro tali tempore non extingui, vel ſimpliciter tolli. At vota impuberum irritantur in ſe, & directe, & ideo de quacũque materia ſint, & ad quodcunq; tempus eorum obligatio referatur, quando irritantur, extinguuntur, & radicitus tolluntur, ideoq; amplius non redeunt. Quam differentiam bene notauit Roſella *Votum*, 2.

Palud. Anton. D. Thom. Roſell.

19. *6. Aſſertio, Dum pater viuit, ſolus habet poteſtatem irritandi vota filij, impuberis, illo defuncto, eadẽ manet in tutore.*

Dico ſexto: Solus pater dum viuit, habet hanc poteſtatem irritandi vota filij, pręſertim impuberis: patre autem defuncto, tutor habet eandem poteſtatem erga pupillum. Prior pars ponitur ad excludendam matrem: illa enim non habet poteſtatem irritandi vota filiorum, viuente marito. Eſtque communis ſententia, vt videre licet in Summa Confeſſ. l. 1. tit. 8. q. 30. Sylueſt. *Votum*, 4. q. 2. Et ſumitur ex eodem *Religio*, 2. q. 13. apertius Palud. ſupra cõcluſ. 8. n. 26. Idem ſentit Nauar. cap. 12. nu. 64. dicens ſimpliciter patrem poſſe irritare, de matre vero ſubdit, etiam poſſe, quando, deficiente patre illi ſuccedit. Idem clarius Angles. q. de Voto art. 7. difficul 12. dub. 4. Idem ſentit Azor. tom. 1. li. 11. c. 17. quæſt. 3. & 7. diſtinctius Leſſius lib. 2. de Iuſt. c. 40. dub. 10. num. 78. Et ſumi poteſt ex Numerorum trigeſimo

Summ. Conſ. Syluest. Palud. Nauar. Angles. Azor. Leſſ.

vbi ſoli patri hæc datur facultas. Ratio vero eſt, quia ſolus pater eſt caput totius domus, & familiæ, & habet plenam rerum adminiſtrationem, & perſonarum gubernationem: ergo voluntas filij non eſt poſita in voluntate matris, ſed ſolius patris. Et cõfirmatur, quia vt dicitur in §. *Fœminæ* Inſtit. de Adopt. *Fœminæ nec naturales filios habent in ſua poteſtate.* Vnde hac ratione non poteſt mater diſponere de filio ſine conſenſu patris, offerendo illum Religioni, vel alteri miniſterio obligando illum.

Sed dicunt aliqui, licet pater ſolus poſsit irritare votum filij, etiam contradicente matre, quod conuincit ratio facta, & mater non poſsit, contradicente patre, ob eandem cauſam: nihilominus ſi mater præueniat, & inſcio patre, irritet votum filij impuberis, validam eſſe irritationem, ac ſubinde matrem etiam habere hanc poteſtatem, licet ſecundariam: quia eſt ſuo modo Superior, & habet ſubditum filium, licet ſub patre. Hoc enim modo nõ eſt inconueniens, hanc poteſtatem eſſe in duobus, ſicut reſpectu Religioſi eſt in Rectore, & Prouinciali. Et poteſt pro hac parte citari D. Thom. ſupra, qui ſimpliciter, & in plurali dicit, parentes poſſe irritare, & eodem modo loquitur Soto dict. art. 2. Et poteſt hoc ſuaderi ex cap. *Addidimus* 20. q. 2. ibi, *Si pater, vel mater*, &c. & in ca. *Quicumque* ibi, *A parentibus*. Et adducitur exemplum Samuelis, qui à matre fuit templo oblatus. Et poteſt confirmari: quia filius infans baptizari poteſt, volente matre, & ſine conſenſu patris: ergo ſimiliter, &c.

20. Aliquorũ opinatio. D. Thom. Soto. C. Addidimus. C. Quicumque.

Sed hæc opinio ſimpliciter falſa eſt, quia nulla ratione nititur, nec Iura hanc poteſtatem concedunt matri, nec eſt conſentanea iuri naturali, vel Ciuili, vt probat fundamentum prioris ſententiæ. Vnde in caſu, in quo mater ſcit votum filij aut filiæ, & pater ignorat, poteſt fortaſse illi præcipere, vt votum non exequatur, donec patrem conueniat: quia id non excedit limites obedientiæ debitæ matri, & poteſt habere congruentẽm rationem: ſimpliciter autem irritare non poteſt. Imo licet ipſa contradicat, ſi pater poſtea votum confirmet, erit validum. Addo etiam, licet mater non poſsit per ſe, & directe irritare hęc vota, nihilominus ſi illi pręiudicẽt ex parte materiæ poſſe illa irritare: quia hoc modo etiam votũ mariti, & filij puberis poteſt irritare. Et hoc ad ſummum probat ratio facta, & fortaſſe ideo D. Thom. & alij Authores in plurali loquuntur de parentibus: quia loquuntur abſtracte de irritatione ſiue directa, ſiue indirecta. vel certe loquuntur de parentibus cũ diſtributione accommoda, de vnoquoque iuxta ſuum modum, ſeu in caſu ſibi permiſſo: nam alia quando etiam mater habet hanc poteſtatem, vt ſtatim dicemus. Et eodem modo ſunt intelligenda Iura allegata. Et hunc ſenſum confirmat exemplum de Samuele: quia licet mater eum obtulerit, non tamen ſine conſenſu patris dicentis: *Fac quod bonum tibi videtur* 1. Reg. 1. Ad illud autem exemplum de baptiſmo, dico in primis aſſumptum eſſe incertum, de quo alibi. Deinde nego ſimilitudinem: quia baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem filij ex Diuino iure, & ideo ad fauorem filij ſpectat, vt ſufficiat conſenſus matris.

21. Excluditur ſupra dicta opinio.

Altera pars de tutore certa eſt, & communis, vt patet ex allegatis Autoribus, & Abulenſ. quæſt. 15. in cap. 30. Numer. vbi ita exponit legem illam. Sumitur etiam ex illo Pauli ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus eſt*, &c. *Sub tutoribus, & actoribus eſt, vſq; ad præfinitum tempus a patre.* Vnde ſumitur ratio: nam tutor ſuccedit loco patris, & conſequenter eodem modo voluntas pupilli ſubordinatur voluntati tutoris. Et ita 20. q. 2. c. *Puella*, expreſſe tribuitur hæc poteſtas tutoribus. Vnde fit, vt quia mater, deficiente patre, iure ordinario habet tutelam filij, ideo tunc poſsit irritare vota eius, & idem eſt de auo, vel quocumque aſcendente, deficiente

22. Abul. Galat. 4. Ca. Puella. Quinam poſſunt mortuo parente filiorum votum irritare?

Digitized by Google

Propinquiori. Quando autem vel iſti priuantur tutela, vel omnes deſiunt tutor dari ſolet authoritate publica, & apud illum tunc eſt hæc poteſtas, & tunc non magis poterit mater irritare votum filij ſine tutore, quam poſſet, viuente marito, ſine illius conſenſu. Si autem contingat, plures eſſe tutores, quilibet ſufficiet ad irritandum votum. Et in hoc ſenſu dixit Syluest. *Religio* 2. quæſt. 13. cum Innoc. & Direct. quod conditio prohibentis erit melior quia habet ſufficientem poteſtatem, & non poteſt per alium impediri, cum non ſit Superior.

Syluest.

23\. Sed inquiri poteſt, an ſi paruulus ſit ſeruus, verbi gratia, & orbatus parentibus, poſsitne dominus illius vota irritare, non ſolum indirecte, & ex parte materiæ titulo ſeruitutis, ſed etiam directe ratione impubertatis, & quaſi titulo tutoris? Idem quæri poteſt de quouis paruulo libero, qui parentibus caret, & tutorem non accepit, an illi ſub quorum cura eſſe contingit, habeant in hoc vicem patris, & tutoris? Aliqui affirmant, & eſt conſonum pietati, & rationi. Et de domino reſpectu ſerui videtur certius: quia ratione dominij ad illũ pertinet cura ſerui. In alijs vero, qui non ſuccedunt quaſi ſuo iure in huiuſmodi cura, ſed voluntarie, & ex quadam miſeratione illam ſuſcipiunt, res eſt magis incerta: poteſt vero fundari in præſumpta voluntate parentis. Ad maiorem autem ſecuritatem conſulendũ videtur, vt ad vtendum tali poteſtate proprium munus tutoris, ab eo, qui legitima poteſtate illud cõferre poteſt, ſuſcipiant.

An vota ſerui paruuli orbati parentibus poſſint à domino irritari.

Affirmatiua reſolutio.

24\. Hic vero ſpeciale dubium habet, an ſicut diximus poſſe patrem irritare vota filij in pueritia emiſſa, poſt inchoatam pubertatem ſi confirmata non ſint, ita poſſit tutor? videtur enim eadem ratio. Nihilominus dico non poſſe, quia eo ipſo, quod pupillus ſit pubes, deſinit tutor eſſe tutor, & incipit eſſe tantum curator, cui non directe perſona, ſed res, & bona eius commiſſa ſunt. Amiſſo auté tutoris munere amittitur hæc poteſtas, quia non perſonæ, id eſt, Petro, v.g. ſed muneri, ſeu tutori, vt tutor eſt, cõmiſſa erat. Item quia qui ſemel fuiſſet tutor, poſſet irritare vota eius, qui fuit pupillus ſuus, etiamſi poſtea nec tutor, nec curator eius ſit, quod eſt abſurdum, & inuſitatum. Item ſi contingat, aliquem relinquere munus tutoris, & alium conſtitui loco eius, certe iam prior non poterit irritare vota, quæ ſub ſua tutela pupillus fecit, ſi ea non irritauit, dum eſſet tutor, quia deuoluta fuit poteſtas ad ſucceſſorem: ergo etiam non poteſt, quando eius officium ceſſauit, & pupillus ab eius exijt tutela, licet nullus alius ſucceſſerit.

An poſſit tutor irritare vota pupilli emiſſa in pueritia poſt inchoatam pubertatem, ſi confirmata non ſint. Reſolutio negatiua.

25\. Sed obijci poteſt, quod ſupra de Patre diximus; nam ſi pater poteſt, cur non tutor? Nam etiam poteſtas tutoris reſpicit imperfectionem voti, & ætatem, in qua factum eſt, non in qua irritatur. Item votum pupilli etiam includit conditionem, *niſi tutor contradixerit*. Reſpondeo eſſe diſsimilem rationem, quia pater ſemper manet pater, & ideo etiam ſemper manet integra conditio in voto incluſa reſpectu illius, & ipſe ſemper retinet poteſtaté in ordine ad actus filij in tali ætate factos: tutor autem non habet hanc poteſtatem, niſi quatenus gerit vices patris, & non includitur ſub cõditione voti, niſi prout tutor, & vicarius patris eſt, quæ ratio omnino amittitur ceſſante munere, & ideo iam non poteſt reſpectu illius impleri conditio in prioribus votis incluſa, & ideo iam non habet locũ irritatio. Sicut in caſu cap. vltimi de ſententia excõmunic. licet Epiſcopus poſſit abſoluere, qui ante pubertatem clericum percuſsit, non poterit eadem perſona id facere ſi deſinat eſſe Epiſcopus. Et Prælatus Religionis, qui poteſt irritare vota, ceſſante munere non poteſt.

Obiectio.

Solutio.

26\. Tandem ex his expeditur dubium ſupra huc remiſſum, an vota, quæ emiſit puella ante pubertatem in domo patris, poſſint irritari à ſponſo directe, & per ſe, & non tantum ratione materiæ? Sub diſtinctione enim reſpondendum cenſeo, quia vel ſponſa nondum eſt pubes, vel iam attigit pubertatem. In priori caſu, credo poſſe irritare votum ſponſæ etiam antea emiſſum, præſertim ſi pater iam mortuus eſt: quia tunc maritus habet locum tutoris, vt ſumitur ex Aug. q. 59. in Numer. c. *Noluit*, 33. q. 5. Et idem erit viuente patre, ſi iam filia eſt emancipata, & in domo ſponſi propter eandem rationem. Hic autem caſus non poteſt modo contingere, niſi per diſpenſationem mulier contrahat matrimonium de præſenti ante annos pubertatis, vel niſi malitia ſuppleuerit: nam alias non fuiſſet matrimonium validum, vt conſtat ex materia de Matrimon. At vero ſi vxor iam exceſsit pueritiam, & pubes facta eſt, non credo poſſe virum, ſed ſolum patrem directe irritare votum eius in impubertate factum: quia nec vir per ſe habet hanc poteſtatem, vt ſupra oſtendi, nec tunc fungitur quaſi munere tutoris, quia iam vxor non eſt capax tutelæ. Poterit autem maritus ex parte materiæ irritare talia vota, ſi ſibi præiudicium afferant, ſicut de emiſsis poſt pubertatem, & ante matrimonium ſupra dictum eſt: nam eſt eadem, vel maior ratio. Et ita generaliter tradit Abulen. ſuprà q. 24. & paulo ante illam. Et ita eſt intelligenda ſententia Auguſtini in loco citato.

An vota emiſſa à puella ante pubertatem in domo patris poſſint irritari à ſponſo, & per ſe.

August.

Ca. Noluit

Reſolutio dubij.

CAPVT VII.

Vtrum Prælati Religionum poſſint Religioſorum vota directe irritare?

DE irritatione indirecta nemo eſt, qui dubitet. Vnde dicimus primo, Prælatos Religionum poſſe irritare vota Religioſorum ſibi ſubditorum ſaltem ex parte materiæ. In hoc omnes conueniunt, vt ex Authoribus ſtatim referendis conſtabit. Ratio autem ſumitur facile ex duobus votis Religioſorum paupertatis, & obedientiæ. Nam ratione voti paupertatis non poteſt Religioſus facere firma vota realia, quia non poteſt illa facere abſolute, alias eſſent contraria voto paupertatis, cum nihil proprium habeant, neque vti poſsit rebus vt proprijs, id eſt, ſine licentia Prælati: ergo talia vota neceſſario includunt conditionem, *ſi Prælatus conſenſerit*, & ratione illius ſunt à Prælato irritabilia ſaltem ex parte materiæ. Ex voto autem obedientiæ ſequitur idem de votis perſonalibus, quia ratione obedientiæ pendet Religioſus à ſuo Prælato in omnibus actionibus ſuis. Quod ita declarat Diuus Thomas d. q. 88. art. 8. ad 3. Quia Prælatus in quolibet tẽpore poteſt occupare ſubditum in aliquo opere conſentaneo ſuæ regulæ: ergo de nullo opere poteſt Religioſus facere firmum votum alicuius actionis ſuæ, quia illa requirit tempus, & illud tempus poteſt præoccupare Prælatus, & ita irritare votum. Et declaratur: quia omne votũ perſonale Religioſi includit hanc conditionem, *niſi Prælatus aliud iuſſerit*, ergo ratione illius poterit irritari. De qua ratione, & varijs modis inducendi illam in diſcurſu capitis dicam.

1. Aſſertio. Prælati Relig. poſſunt irritare vota ſubditorum ſaltem ex parte materiæ.

D. Thom.

Difficultas ergo eſt: An Prælatus poſsit directe irritare vota Religioſi ſubditi? Et ratio dubitandi ſumi poteſt ex authoritate, & ratione Diui Thomæ nunc explicata. Nam illa ſolum procedit de irritatione ex parte materiæ; ergo ſenſit D. Thomas Religioſum Prælatum ſolum ex parte materiæ poſſe irritare vota ſubditi. Et pro eadem ſententia referri poteſt Paludan. 4. d. 38. quæſt. 2. artic. [illegible] concl. 6. quatenus eadem ratione vtitur, & declarat illam hoc modo. Quod prælatus, licet non poſsit præcipere Religioſo quidquid voluerit abſolute, ſed ſecundum regulam, poteſt nihilominus irritare, quæ afferre poſſunt præiudicium ſuæ poteſtati, & quia in quolibet tempore poteſt aliquid præcipere ſecundũ regulam, ideo poteſt vota perſonalia præiudicantia

Palud.

huic

huic poteſtati irritare. Idem ſentit Caiet. dum hanc irritationem etiam declarat ex præiudicio, quod fieret Prælato ex tali voto, & illud explicat eodem modo, quo Palud. & addit, poſſe etiam Prælatum prohibere interdum ea. quæ ſunt regulæ, vel contraria præcipere, ſi in aliquo caſu magis conducant ad finem regulæ: & hoc modo vel directe, vel reductiue omnia opera Religioſi pendent à Prælato, & ideo vota perſonalia Religioſi ſunt irritabilia à Prælato. Tota autem hæc irritatio eſt indirecta ex parte materiæ; nullam ergo aliam videtur agnoſcere Caiet. Vnde conſequenter addit, ſi qua ſunt vota in Religioſo, quorum exequutionem impedire nō poteſt Prælatus, illa non poſſe ab eo irritari, vt ſunt vota de ſeruandis præceptis. Et in hoc conſentit Sylu. (vnde eandem opinionem ſequitur) *Votum* 3. q. 3. Idem Tabien. *Votum* 5. n. 4. & Innoc. cū Panor. in c. *Scripturæ* de Voto, vbi æquiparāt Religioſū ſeruo in poteſtate vouendi, quæ non præiudicant Prælato. Nec aliter ſentit Hoſt. ſi attente legatur in Sum. lib. 3. tit. de Voto §. *Qui poſſit* &c. idem Palac. in 4. d. 38. diſ. 3. circa medium, Angles ſupra difficult. 2. Tandem confirmari hoc poteſt ratione, quia tota poteſtas Prælati ad irritanda vota Religioſi oritur ex voto obedientiæ, ſed ex voto obedientiæ non ſequitur maior, quam indirecta: ergo non habet maiorem. Minor probatur, quia votum obedientiæ ſolum obligat, vt nihil fiat contrarium illi, ſeu in præiudicium eius.

Syluest. Tabien. Hoſtienſ. Palac. Angl.

3. Nihilominus dico ſecundo: Prælatus Religionis poteſt directe irritare vota ſubditorum, tollendo obligationem voti, etiamſi circa materiam nullam mutationem faciat, vel etiamſi votum ſit de materia, quæ nullum illi præiudicium affert, quia ab ipſo prohiberi non poteſt. Pro hac ſententia poſſunt referri Richar. in 4. d. 38. ar. 4. q. 1. Angel. *Votum* 2. n. 5. & Roſel. n. 14. quatenus non ſolum tenent, poſſe Prælatum irritare omnia vota ſubditi, ſed etiam talia vota eſſe nulla, donec Prælatus conſentiat: vnde à fortiori concederent, licet eſſent valida, eſſe directe irritabilia. Et eodem modo poteſt citari Panor. in cap. vlt. de Voto n. 3. quatenus dicit, Religioſum non poſſe vouere ſine licentia Superioris, quia nullam voluntatem habet, & ſic non poſſe ſe obligare ex voto. Expreſsius ſumitur hæc ſententia ex Soto d. quæſt. 3. artic. 1. (licet non ſub his terminis, rem eandem intendat) cum dicit, poſſe Prælatum auferre obligationem voti, etiamſi opus promiſſum non impediat, nec impedire poſsit, vt in his, quæ alias præcepta ſunt: nam hæc poteſtas plane pertinet ad directam irritationem. Atque idem ſentit Aragon. dicto articul. 8. dub. 1. concluſ. 4. qui expreſsius declarat, hanc irritationem fieri per dominium Prælati in ipſam ſubditi voluntatem. Ludouic. Lop. 1. p. cap. 48. vbi etiam allegat Medin. & Nauarrum, qui non loquuntur diſtincte, ſed fauent, quatenus nullam exceptionem faciunt, vt ſtatim dicam. Et hæc aſſertio eſt ſatis conformis praxi, & conſuetudini Religionum, vt oſtendam.

2. Aſſertio Prælatus Religionis poteſt ſubditorum vota directe irritare. Richard. Angel. Roſel. Panorm. Soto. Lud. Lop. Aragon.

4. Non eſt autem facile fundamentum à priori reddere. Quidam videntur ſentire hoc eſſe de iure Eccleſiaſtico, vt Richard. & alij, ſed non afferunt Canonem, ſeu Decretum, vnde colligatur. Nam c. *Monacho* 20. q. 4. nihil probat, vt ſupra lib. 3. cap. 5. & 6. oſtendi. Item cum in Prælatis Eccleſiæ, vt tales ſunt, nō ſit poteſtas irritandi vota, difficile creditu eſt, potuiſſe illam dari Prælatis Religionum ex ſola poteſtate iuriſdictionis, quam habent ad leges poſitiuas ferendas. Alij ergo dicunt, hanc poteſtatem conuenire Prælatis Religionum ex iure Diuino non quidem poſitiuo (hoc enim nullum inuenitur) ſed naturali, quod clarius, quam alij explicuit Arag. ſupra paulo ante quartam concluſionem, qui Caiet. allegat, ſed Caiet. loquitur de irritatione ex parte materiæ. Quod ſi inquiras, cum ſtatus ipſe Religioſus ſit de iure Eccleſiaſtico, quomodo poſsit hæc poteſtas eſſe de iure naturali? Reſpondet ſæpe contingere, vt ſuppoſita inſtitutione aliqua de iure Eccleſiaſtico, ſequatur obligatio aliqua ex iure naturali. Sicut licet conſecratio calicis ſit de iure poſitiuo, nihilominus debetur illi reuerentia ex iure naturali & vendere illum vt conſecratum, eſt Simonia contra ius naturale. Et in præſenti poteſtas ad indirectam irritationem ex iure naturali eſt, quia poſito voto paupertatis, & obedientiæ ex illis neceſſario ſequitur. Et idem eſt in ſeruo: nam iure humano ſeruus factus eſt: poſt ſeruitutem autem iure naturali, ſequitur poteſtas irritandi in domino, Religioſus autem ſeruo æquiparatur, vt late Nauar. Comment. 2. de Regul. numer. 30. & 34. ergo idem erit in illo dicendum.

Nauar.

5. Sed adhuc supereſt difficultas, quia ex vi ſtatus Religioſi ſolum videtur ſequi ex natura rei poteſtas ad irritandum vota, quatenus præiudicant obedientiæ debitæ Prælato; at tota hæc poteſtas ſufficienter ſaluatur, & exercetur per irritationem indirectam, nec apparet vnde poſsit vniuerſalior poteſtas colligi, ergo poteſtas ad irritandum directe obligationem voti, non poteſt ſufficienter colligi ex ſolo iure naturali. Reſpondeo, hoc naturale ius pendere ex modo profeſsionis Religioſæ, & ex ſenſu voti obedientiæ, quod in illa fit. Quia vero exacte declarari non poteſt vſque ad proprium tractatum de ſtatu Religioſo, ideo pro nunc breuiter ſuppono, per voluntariam profeſsionem, ac promiſsionem obedientiæ ita ſubdi Religioſum ſuo Prælato, vt reſpectu dominij, bonorum, & ſui ipſius ſit tanquam ſeruus: reſpectu vero ſuarum actionum, & diſpoſitionis ſuæ voluntatis ſit tanquam pupillus ſub tutore, ita vt *velle, & nolle non habeat, ſed ex illius quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cuius imperio ſe ſubiecit, voluntate dependeat*, vt dicitur in capit. *Si Religioſus*, de Electi. in 6. Quod etiam optime explicant verba, quæ ex Auguſtin. refert Gratian. in capit. *Non dicatis* 12. quæſtione 1. *Religioſum non ſolum facultatibus, ſed etiam voluntatibus propriis renunciare, & ſe per promiſſam obedientiam aliorum poteſtati, & imperio ſubdere*: quæ ab omnibus recipiuntur, licet apud Auguſtin. non inueniantur. Vſus præterea, & conſuetudo omnium Religionum ita interpretata eſt hanc ſubordinationem Religioſi ad ſuum Prælatum, vt ſine ordine ad conſenſum illius nullam firmam obligationem facere poſſit. Quod maxime fuit in votis neceſſarium, tum quia maxime ordinatur ſubiectio Religioſi ad directionem eorum, quæ ad ſalutem ſpiritualem conferre, vel obſtare poſſunt, inter quæ maxime computantur votorum obligatio, & obſeruatio: tum etiam quia non poſſent Religioſi conuenienter in ſpiritualibus gubernari, niſi hoc modo voluntas inferioris eſſet Prælato ſubiecta.

Gratian.

6. Ex hoc ergo pacto inito cum Prælato Religionis in profeſsione, & confirmato per obedientiæ votum, relinquitur voluntas Religioſi impotens ad vouendum abſolute, ſed tantum ſub conditione implicita *ſi Superior conſenſerit*, vel ſaltem ſi non contradixerit, & ex tali modo vouendi conſequenter ſuboritur, vt poſſit Superior directe ipſum votum irritare. Prior pars euidens eſt, tum quia vinculum profeſsionis, & ius inde acquiſitum Superiori firmum eſt, & irreuocabile, tum etiam quia poſterius votum non poteſt eſſe contrarium priori, alias eſſet inualidum. Accedit, quod profeſsio Religioſa eo modo, quo fit approbata eſt, & confirmata ab Eccleſia, ratione cuius dici poteſt, Religioſum non tantum voluntate ſua, ſed etiam Eccleſiæ authoritate, ita tranſtuliſſe voluntatem ſuam in voluntatem Superioris, vt ab illa pendeat in omni voto, & obligatione ſua: ergo non poteſt poſtea illam ſubiectio-

Digitized by Google

ſubiectionem reuocare, nec ſe obligare abſolute, ſed cum illa dependẽtia. Poſterior autem pars conſtat ex dictis de votis pupilli, & de irritatione in genere: quia in ſimili conditione in voto incluſa fundatur. Atque ad hunc ſenſum facile accommodari poteſt ratio D. Thomæ. Et fortaſſe non aliud intendit Richard. quoad hanc partem: dicitur enim hæc poteſtas eſſe de iure Eccleſiaſtico, quatenus ſtatus Religioſus quoad modum, & determinationem eſt ex inſtitutione Eccleſiæ: inde vero ſequitur ex natura rei dicta poteſtas, quia ſemper intercedit obligatio, & traditio Religioſa voluntaria, quia ſine ſuo conſenſu nõ potuiſſet ad talem ſubiectionem compelli.

3. Aſſertio. Prælatus poteſt omnia vota Religioſi irritare quæ in illo ſtatu impleri poſſunt. Medin. Nauar.

7. Dico tertio: Prælatus poteſt omnia vota Religioſi irritare, quæ in illa Religione, & ſtatu impleri poſſunt, & debent. Hæc aſſertio ſequitur euidenter ex præcedenti, quia ſubiectio illa voluntatis Religioſi eſt vniuerſalis, & in omnibus dictis votis includitur prædicta conditio. Et ita conſequenter opinantur Soto, & alij ſupra citati, & Medin. in Summa 1. p. ca. 14. §. 7. vniuerſaliter loquitur, & Nauar. c. 12. n. 65. & Moderni communiter ita ſentiunt. Et poteſt confirmari ex D. Tho. quatenus ex eius principio colligitur, quia Religioſus ſubditus eſt Prælato quantum ad ſuas operationes ſecundum profeſsionem regulæ, id eſt, quantum moraliter neceſſarium, vel opportunum eſſe poteſt ad regulæ obſeruationem, ſed inter alia opera ipſius Religioſi eſt ipſum vouere, & oblatio inde orta circa quamcunq; materiam: ergo in hoc etiam ſubditur Religioſus Prælato ſuo in quacunque materia. Non ergo oportet excipere materiam pręceptorum, vt Caiet. & alij faciunt, quia etiam vota circa illam addunt grauamen, quod poteſt impedire potius, quam iuuare in tali ſtatu, & in illo etiam pendet voluntas Religioſi à ſuo Prælato. Et confirmatur: nam ſi hæc vota excipienda eſſent, maxime quia Prælatus non poteſt impedire illa opera, hæc autem ratio non ſufficit, alias multa alia vota eſſent excipienda, præſertim negatiua, quę ſine impedimento obedientiæ debitæ fieri poſſunt, vt votum non ingrediendi cellam alterius, vel non loquendi, & ſimilia, quæ non requirunt ſpeciale tempus vt ſeruentur. Neque refert, quod poſsit contrarium præcipi: nam hoc ipſum includitur in materia talis voti, ſcilicet non facere hoc ſine voluntate Pręlati: ſic ergo non erit votum irritabile, quod & falſum eſt, & à Caietan. & aliis non conceditur.

8. Vnde neque excipienda ſunt vota de operibus ſupererogationis conſentaneis regulæ. Nam licet à Prælato non prohibeantur, nec forte abſque cauſa prohiberi poſsint, vota illorum irritari poſſunt ſine alia cauſa, propter dependentiam voluntatis, & quia non expedit Religioſo talem obligationem habere, licet opus expediat. Item multo minus excipi poſſunt bona opera, quæ per regulam iniunguntur, nec illius obſeruantiam impediunt: quia etiamſi hæc liceant, & Prælatus nolit illa prohibere, poteſt tollere vinculum voti circa illa, quia in illud ſemper habet poteſtatem propter eaſdem rationes. Denique nec de votis mere internis exceptionem facio: nam licet Religioſus voueat exercere quotidie tot actus amoris Dei, aut fidei, aut internæ pœnitentiæ, &c. poteſt Prælatus onus voti auferre, etiamſi non poſsit tales actus prohibere. Tum quia mere interni ſunt, tum etiam quia nihil impediunt alia opera obedientiæ, ſed cum illis ſimul fieri poſſunt. Hæc denique tanta amplitudo, ſeu vniuerſalitas huius poteſtatis Prælati Religionis vſu, & conſuetudine ſatis comprobatur, & reuera eſt neceſſaria conueniens regimen illius ſtatus. Et ideo eſt poteſtas directa in ipſam obligationem, & non tantum media prohibitione materiæ: quia cum ſola indirecta irritatione non poteſt reddi ſufficiens ratio tantæ vniuerſalitatis.

Prælatus non poteſt irritare votum tranſeundi ad ſtrictiorẽ Religionem. Nauar.

9. Addita vero nihilominus eſt limitatio ad vota in eodem ſtatu, & Religione implenda, ad excipiendum votum tranſeũdi ad ſtrictiorem Religionem, quod omnes excipiunt, negãdo poſſe irritari à Prælato Religionis, vt patet ex Caiet. Soto, & aliis Supra, & Nauar. conſ. 4. alias 30. de Voto, & ſumitur ex ca. *Licet*, de Reg. quatenus declarat, in tranſitu ad arctiorem non pendere Religioſum ex conſenſu ſui Prælati: vnde ſumitur ratio ſupra tacta li. 3. c. 5. quia profeſsio Religioſa, cum ſit de quodam bono perfectionis, non poteſt melius impedire, & ideo ſemper includit conditionem, vt liceat ad meliora vota tranſire, ac propterea illa materia reſeruata etiam eſt, vt de illa poſsit Religioſus abſolute vouere, & ſine dependentia à Prælato, & inde eſt, vt ab eo irritari non poſsit. An vero poſsit diſpenſari, dicemus inferius, vbi etiam explicabimus, quomodo hoc intelligendum ſit, quando tranſitus hic prohibetur per ſpecialia priuilegia.

Ad quas perſonas extendatur hæc poteſtas irritandi vota quam habent Prælati Religionum.

10. Atq; hinc obiter infertur, poteſtatem hanc poſſe exerceri à Prælatis Religionis circa omnes perſonas ſibi ſubditas ex vi profeſsionis, & obedientiæ, & non circa alias. Patet, quia tota hæc poteſtas fundatur in pacto, & voto profeſsionis; ergo omnes ſic profeſsi ſunt capaces huius irritationis, & ſoli illi. Prior pars illationis patet, quia cauſa illa eſt ſufficiens, & in omnibus æqualiter efficax. Quod intelligendum eſt, ſi Religioſus habeat Prælatum ſuperiorem. Nam ſi Summus Pontifex ſit Religioſus non habebit à quo vota eius irritabilia ſint, ſed id eſt per accidens ex defectu ſuperioris. Vota etiam Epiſcopi regularis non poterunt irritari à proprijs Prælatis Religionis, quia non ſubiicitur illis, poterunt tamen irritari à Summo Pontifice, qui etiam habet hanc poteſtatem circa Religioſos, vt infra dicam, & Religioſus licet ſit Epiſcopus, ſemper manet ſubiectus Pontifici, non ſolum vt Epiſcopus, ſed etiam vt Religioſus. Altera vero pars excluſiua conſtat, quia vinculum Religionis eſt adæquata ratio huius poteſtatis ex parte Prælati, & ſubiectionis ex parte Religioſi: ergo vbi non fuerit illud vinculum, neque erit hæc poteſtas. Statim vero occurrebat dubium, an ſit neceſſaria profeſsio per vota ſolennia, vel ſufficiat per ſimplicia, vt in quibuſdam Religioſis Societatis? Sed reſpondetur, ſine dubio ſufficere quamlibet, vt in ſpeciali tractatu de Religionis ſtatu, in ſequentibus dicetur.

Non poſſunt Prælati Religionum nouitiorũ vota irritare directe. Nauar. Sylueſt. Archid. Palud.

11. Deinde occurrit dubium annexum huic reſolutioni de Nouitiis, an poſsint Prælati Religionum eorum vota irritare? In quo vnum eſt certum, ſcilicet directe non poſſe, vt tradit Nauar. cap. 12. n. 65. & videntur ſupponere Sylueſt. *Votum*. 4. qu. 7. diſt. 3. & Archid. ac Palud. quos refert, & ſequuntur communiter moderni. Et ratio eſt iam tacta, quia deeſt in nouitio ſubiectio ex obligatione obedientiæ, in qua fundatur hæc directa irritatio. Quæ ratio probat ex vi votorum, ſi abſolute fiant: ſi autem nouitius expreſſa, ac priuata intentione ponat in voto ſuo conditionem, *Si Prælatus*, vel Magiſter nouitiorum probauerit votum, vel in illo conſenſerit, tunc clarum eſt, poſſe ab eis irritari per ſubtractionem conditionis appoſitæ. Sed hoc commune eſt cuique vouenti, vt ſupra dictum eſt, poteſt tamen frequentius accidere in nouitiis, eſtque illis conſulendum, vt non aliter voueant.

Probabile eſt indirecte poſſe nouitiorum vota à ſuo Prælato irritari, quæ gubernationi eius impedimento ſunt.

12. At vero indirecte, ſeu ex parte materiæ probabile eſt, poſſe Prælatum irritare vota nouitij, quæ gubernationi, & conuenienti ordini Religionis præiudicium attulerint: quia quoad hoc habet Prælatus poteſtatem in nouitium, non prouenientem ex voto, ſed ex iuriſdictione, cui pro tũc nouitius ſubiectus eſt, vt infra ſuo loco dicetur. Imò probabile eſt, talia vota quoad illam partem eſſe impeditiua maioris boni, & ideo pro tunc de ſe non obligare, ſi Prælatus iubeat ea non ſeruari, ſed ſequi ordinem

Religio-

Religionis. Quia debet nouitius regulam ſeruare & paratus eſſe ad obediendum Superiori, vt poſſit, & Religionem probare, & ab ea probari, nec votum poteſt contra hoc obligare, & ita poteſt ſaltem pro tunc ſuſpendi, quam vocamus indirectam irritationem. Vnde fit, vt illa non extendatur ad omnia vota nouitij, ſed ad illa præciſe, quæ tale præiudicium attulerint, neque ſimpliciter fiat pro omni tempore, ſed tantum dum ſtatus ille durat. Vnde ſi nouitius ad ſæculum redeat, tenebitur ſeruare illa, ſi ad illud tempus relata ſunt. Et ſi ſint realia irritari, aut ſuſpendi non poterunt, quia eorum executio Religionis obſeruantiam non impedit: nec deniq; tolli poſſunt vota de obſeruatione præceptorum, vel ſimilia. An vero per modum diſpēſationis, vel commutationis talia vota auferri poſſint infra ſuis locis dicetur. Atq; hæc etiam procedunt cum proportione de votis emiſſis in ſæculo ante ingreſſum ad nouitiatum, de quibus votis tractando de commutatione latius dicemus.

13. *4. Aſſertio. Quid requiratur ad directā irritationē votorū Religioſi & quos effectus habeat hæc irritatio. Caiet. Nauar. Oneſtio. Solutio.*

Dico quarto, vt votum Religioſi irritetur ſimpliciter, & directe, neceſſe eſt, vt Prælato aliquo modo innoteſcat: tunc autem votum ſic irritatum nō amplius redit, etiamſi Prælatus reuocet irritationem, niſi à ſubdito iterum voluntarie fiat. Tota aſſertio eſt clara, & certa, eamque docuit Caiet. d. ar. 8. & in Sum. ver. *Votum*, c. 3. quem alij ſequuntur, & ſpecialiter Nauar. d. c. 12. n. 69. Et prima pars patet, quia voluntas non operatur circa incognita, irritatio autem non fit ſine voluntate; ergo vt cadat directe in obligationem voti, oportet ſupponi voti cognitionem. Dices; poſſet Prælatus ſua Authoritate irritare vota ſubditorum, ſi forte illa habent, etiamſi ei non fuerint manifeſtata. Reſpondeo, tunc irritationem eſſe quaſi conditionatam de præſenti, quæ tranſit in abſolutam, ſi conditio extat, & ideo ſine dubio habet effectum: tamen tunc non fit ſine aliqua præcognitione, quia præcognoſcitur eſſe poſſe, vt votum ſit, & occultetur, & ſtante conditione, voluntas fertur in votum prout eſt in re, & ideo in concluſione poſui illam particulam *aliquo modo.* Altera vero pars concluſionis ſæpe probata eſt in ſuperioribus, quia obligatio extincta non reuiuiſcit. Neq; etiam in præſenti poteſt à Superiore imponi, quia obligatio voti perſonalis eſt, & à propria volūtate omnino pendet.

14. *Differentia inter irritationē directā & indirectam votorum.*

Atque hinc colligitur differentia inter irritationem directam, & indirectam in his votis. Nam ſi Religioſus velit ſuum votum irritari ſimpliciter, ita vt non redeat, oportet vt illud reuelet Prælato, vt Prælatus velit ipſum votum ſimpliciter tollere. Alioqui ſi ſubditus petat à Prælato facultatem faciendi opus promiſſum, tacita promiſſione, votum non manebit irritum ſimpliciter, etiamſi Prælatus neget facultatem, ſed ad ſummum manebit ſuſpenſum, quando illa facultas neceſſaria fuerit ad tale opus exequendum ſecundum regulam. Et hoc ſenſit Caiet. d. ar. 8. vt notatum eſt ſupra in lib. 3. Et ſimiliter licet Prælatus prohibeat opus promiſſum, non tollit ſimpliciter, & in ſe votum, quod ignorabat, ſed ſimpliciter impedit exequutionem, quamdiu prohibitio durat. Imo licet habeat notitiam voti, poteſt pro ſuo arbitrio illud vel directe irritare, vel tantum ſuſpēdere pro aliquo tempore, aut ſolum materiam prohibere, quia cum ſit liber non cogitur operari ſecūdum totam poteſtatem ſuam, neq; ibi eſt aliquid, quod impediat talem vſum poteſtatis. De quo redibit ſermo in capite ſequenti. *Caiet.*

15. *An cum votum non manifeſtatur ſuperiori, ſed petitur tantum facultas operis, & ille negat, teneatur ſubditus iterū licentiā petere. Caiet. Palat.*

Inſurgit vero hic dubitatio, quando votum non manifeſtatur Superiori, ſed petitur tantum facultas operis, quam ille negat, an ſubditus teneatur iterum petere licentiam? Nam Caiet. d. art. 8. & in Sum. ver. *Votum*, cap. 3. dicit teneri iterum, atque iterum congruis temporibus, prout prudentia dictauerit. Nam votum non fuit extinctum; ergo ſemper obligat, ergo ſaltem ad petendam licentiam, ſine qua impleri non poteſt. Aliis difficile videtur hoc onus imponere Religioſo: quia non tenetur eſſe importunus Prælato, nec eſt veriſimile, voluiſſe per votum ſe ad hoc obligare. Et ita ſentit Palaci. 4. d. 38. diſp. 3. exiſtimat tamen ille, votum illud omnino extingui, etiamſi à Prælato ignoretur. Hoc autem non poteſt eſſe vniuerſaliter verum, vt ex dictis cōſtat, & ideo conſiderandam eſſe cenſeo materiam voti, & durationem eius. Nam ſi votum ſolum obligat pro determinato tempore, vel actu, & pro illo petitur facultas & negatur, non oportet facultatem iterum petere: nam votum per lapſum temporis extinguetur, quia pro tempore, pro quo obligare poterat, impleri non potuit, ſeu conditio non fuit impleta. Si autem obligatio voti eſt diuturna, quia licentia ſemel poſita non extenditur moraliter ad totum illud tempus, tunc prudenti arbitrio erit iterāda petitio licentiæ, neq; illud eſt onus nimiū, vel importunū, quia non ſit repetita licentia circa idem tēpus, & conſequenter neq; ad eoſdem numero actus.

16. *Non peccat Religioſus petens à Prælato irritationem voti, etiam ſine iuſta cauſa.*

Sed quæres, an peccet Religioſus petens à ſuo Prælato irritationem voti, quando non habet cauſam, quæ ad iuſtam diſpenſationem ſufficeret? Reſpondeo ex ſententia omnium, non peccare, quia vtitur iure ſuo. Item quia votum non fuit abſolutum, ſed conditionale, & per illud non ſe obligauit ad cauendum, ne conditio impediretur, vel ad non procurādum, vt non poneretur, vt conſtat ex communi modo vouendi. Item in ſtatu Religioſo per ſe loquendo melius eſt, vt Prælatus habeat notitiam voti, vt de ſubdito diſponat prout expedire iudicauerit: ergo proponere votum Prælato non eſt malum. Nec etiam eſt peccatum ſe oſtendere propenſum ad irritationem: quia hoc neque eſt contra votum, neq; contra aliud præceptum, & quia dubium eſt, an id magis conueniat. Tandem qui ſentit onera Religionis, ſine peccato frui poteſt commodis illius: ergo qui ſe ſubiecit poteſtati Superioris, vt ab illo onera recipiat, non peccat procurando licitis mediis aliquod leuamen per eiuſdem poteſtatem: ſicut ergo non peccat Prælatus irritando, ita nec ſubditus petendo.

17. *5. Aſſertio. Quilibet Prælatus ordinarius Religionis à proximo vſque ad ſupremum habet hanc poteſtatem irritandi vota Religioſorum.*

Dico quinto: Quilibet ordinarius Prælatus Religionis à proximo vſque ad ſupremum habet hanc poteſtatem irritandi vota Religioſorum, cum aliqua ſubordinatione inter ſe. Probatur primo generaliter, quia votum obedientiæ ad hos omnes extenditur. Vnde omnes acquirunt ius, & poteſtatem in voluntatem Religioſi ad dirigendam, & moderandam illam in ſpiritualibus: & ideo omnes participant poteſtatem irritandi ſubditorum vota. Quia vero multitudo ſine ordine pareret confuſionem, neceſſe eſt, vt inter habentes hāc poteſtatem ſit ſubordinatio, & dependentia: nam ſuperior poteſtas ſemper maior eſt, & poteſt inferiorem cohibere, vt per ſe patet, & in ſequētibus amplius exponere. Igitur habent hāc poteſtatem in primis Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, & ſimiles, qui in vnoquoq; Conuentu Prælati ſunt. Hi enim iuriſdictionem ſpiritualem habent, & præcipere poſſunt in virtute obedientiæ, & ideo ex vi ſui muneris hanc participant poteſtatem. At vero ſi quos habent ſub ſe coadiutores regiminis, vt Vicarios, vel Miniſtros, illi non habent hanc poteſtatem ordinariam, ſicut nec ſpiritualem iuriſdictionem habent, niſi delegatam accipiant, vel quando in abſentia Prælati, vicem illius gerunt cum tota iuriſdictione, iuxta vniuſcuiuſque Religionis conſuetudinem. Deinde continentur ſub his Prælatis omnes Superiores habentes vniuerſaliorem poteſtatem, vt Prouinciales, & Generales, & ſi qui ſunt intermedij. Nam hi omnes ſunt ordinarij paſtores, & vniuerſaliorem habent poteſtatem, quæ principaliter in Generali reſidet, deinde aliis cum proportione communicatur, & ideo de his nulla eſt dubitatio.

Solet

Digitized by Google

18. Solet autem quæri de Summo Pontifice, an habeat hanc poteſtatem in Religioſos, cum in alios fideles illam non habeat, vt ſupra dictum eſt? In quo dicendum eſt, poteſtatem hanc principaliter eſſe in Summo Pontifice tanquam in ſupremo Prælato cuiuſcumque Religionis, non ex communi titulo ſupremæ iuriſdictionis, quam in Eccleſia habet, quia ſola non ſufficit, vt probat ratio facta, ſed ex vi profeſsionis, & obedientiæ Religioſæ: nam ipſe eſt, qui principaliter illam acceptat, & alii in virtute conceſſionis, & approbationis eius, vt latius tractando de Statu Religionis dicemus. Et in præſenti docent Caiet. d. q. 88. art. 12. Soto d. q. 3. artic. 1. Nauarr. d. c. 12. num. 66. & alii communiter. Idemque erat olim cum proportione de Epiſcopis, quando Religioſi erant illis immediate ſubiecti, & in eorum manibus profitebantur, & fere illis erat cõmiſſa Religionum approbatio pro ſuis diœceſibus. Nunc vero non habent hanc poteſtatem Epiſcopi Religioſos exemptos: quia nec ſunt ſub eorum iuriſdictione, nec illis ſpecialem obedientiam vouent. Habent tamen illam in moniales ſibi proxime ſubiectas, & in alios, ſi qui ſunt, qui in manibus eorum profiteantur, & ſub eorum obedientia immediate verſentur, de quo latius in materia de Statu.

Poteſtas directe irritandi vota Religioſorum principaliter eſt in Summo Pontifice.

Caiet. Soto. Nauar.

19. Præterea ſolet ſpecialiter quæri, an Prælatæ monialium hanc habeant poteſtatem, cum iuriſdictionem ſpiritualem non habeant, iuxta receptam ſententiam? Reſpondeo in primis habere Abbatiſſas, ſeu Prioriſſas poteſtatem ad irritandum vota ſubditarum ſaltem indirecte, & ex parte materiæ in his, quæ ordinario regimini earum præiudicium afferre poſſunt. Nam illæ re vera habent ius præcipiendi intra limites ſuæ domeſticæ gubernationis, & inde ex natura rei ſequitur illa poteſtas: quia neceſſe eſt, vt votum includat hanc conditionem, quia alias eſſet de re iniuſta. Item hoc eſt neceſſarium ad conueniens regimen talium monaſteriorum, vt ex ſupra dictis conſtat à paritate rationis. Nec ad hoc eſt neceſſaria iuriſdictio, ſed poteſtas illa quaſi dominatiua, ſeu œconomica ſufficit. De poteſtate autem ad directe irritandum, non videtur res tam clara: quia illa poteſtas non videtur his fœminis neceſſaria, quia ſufficit, quod Prælati illam habeant, quibus ſpiritualis gubernatio Religioſarum principaliter commendata eſt. Sed nihilominus probabilius eſt, etiam hanc poteſtatem habere Abbatiſſas, quia illis etiam ſubditæ obedientiam vouent, & ab illis ita pendent, vt ſine earum conſenſu firmiter obligari non poſsint: & ad hanc etiam poteſtatem non eſt neceſſaria iuriſdictio, ſed profeſsionis obligatio ſufficit. Confirmatur, quia mater ſaltem tutrix habet poteſtatem directe irritandi vota filiarum impuberum: cur ergo non poterit illam habere Abbatiſſa, licet fœmina ſit, cum ratio obedientiæ Religioſæ ad hoc ſufficiat? Et ita ſentit Angles ſupra difficult. 7. & Alcocer in Summa cap. 16.

Prælatæ monialium habent poteſtatem irritandi vota earum ſaltem indirecte.

Probabilius eſt habere poteſtatem Prælatas monialium directam ad earum vota irritanda.

Angel. Alcocer.

CAPVT VIII.

Vtrum votum factum de licentia Prælati, vel ab eo confirmatum poſsit ab eodem, vel alio Prælato Religionis irritari?

1. QVia Prælati Religionis habentes hanc poteſtatem plures ſunt, vt dixi, ideo variæ poſſunt fieri comparationes. Vna eſt ſuperioris ad inferiorem, & è conuerſo; alia eſt eiuſdem Prælati ad ſe ipſum diuerſis temporibus, vel ad ſucceſſorem in poteſtate æqualẽ. Et ita quatuor inſurgũt interrogationes, an inferior poſsit irritare votum à Superiore approbatum: ſecunda, an è conuerſo Superior poſsit irritare approbatum ab inferiore: tertio, an idem Prælatus poſsit irritare votum ſua authoritate factum, vel confirmatum: quarta an ſucceſſor.

Dico primo: Inferior non poteſt irritare votum confirmatum à Superiore. Probatur, poteſtas Superioris, ſiue iuriſdictionis, ſiue dominatiua non pendet ab inferiori: ergo non poteſt irritare inferior, quod fecit Superior. Dices: votum ſubditi includit conditionem, *Niſi Prælatus repugnauerit*: ergo oportet, vt nullus repugnet: ergo eo ipſo, quod vnus repugnat, etiamſi alii maiores conſentiant, ille ſufficit ad irritandum votum. Reſpondeo, intelligi conditionem, niſi repugnet efficaciter, & valide: at vero ſtante confirmatione Superioris, iam non poteſt inferior efficaciter reſiſtere, ſicut non poteſt reuocare licentiam, quam dedit Superior. Et ita potius hinc confirmatur aſſertio. Eſt denique neceſſaria hæc aſſertio propter debitam dependentiam, & ſubordinationem, quam diximus capite præcedenti, eſſe inter hos Prælatos, etiam in vſu huius poteſtatis. 2.

1. Aſſertio. Inferior non poteſt irritare votum confirmatũ à Superiore.

Obiectio.

Solutio.

Dico ſecundo: Superior Prælatus poteſt irritare votum confirmatum ab inferiori, vel de eius licentia factum. Vtramque concluſionem poſuit Richard. 4. d. 38. artic. 4. q. 3. & Aſtenſ. in Sum. libr. 1. titul. 20. Ratio eſt eadem, quæ concluſionis præcedentis, & optime explicatur per conditionem incluſam in voto, quæ eſt; *Niſi Prælatus reſtiterit*, at Prælatus ſuperior poteſt efficaciter reſiſtere, etiam ſi inferior approbet, quia ſuperior Prælatus poteſt retractare licentiam datam ab inferiori, & eius præceptum. Imo etiam poteſt ſuperior Prælatus irritare votum factum à Prælato inferiori: ergo & conſenſum eius in votum ſui ſubditi. Denique ſicut votum ſubditi includit conditionem, *Niſi Prælatus reſtiterit*, ita approbatio Rectoris, verbi gratia, includit conditionem, *Niſi prouincialis reſtiterit*. Ergo ſemper poteſt votum à ſuperiori Prælato irritari. Quæ æqualiter procedunt de irritatione tam directa, quam indirecta, vt ex rationibus factis conſtat. Dices: votum factum de licentia Prælati inferiori, legitime factum eſt, ergo retractari nõ debet, iuxta regulam *Factum* 73. de Regul. Iuris in 6. Vnde obligatio ciuilis, vel eleemoſyna facta à monaſterio cum licentia Prioris, non poteſt à Prouinciali reuocari. Reſpondeo, illud votum factum quidem eſſe legitime, ſed cum conditione incluſa, vt declaratum eſt: & ideo ex ea parte non eſſe firmum, ſed irritabile. De obligatione autem ciuili dicitur, vt ſit abſoluta, & firma interdum requiri confirmationem ſupremi Prælati, vbi autem neceſſaria non eſt, intelligitur, ita daram eſſe poteſtatem inferiori Prælato, vt in illo, & per illum omnes ſuperiores conſentiant expreſſe, vel virtute, & idem eſt in donatione, vel eleemoſyna, quæ valide fit, & immediate transfert dominium. Secus vero eſt in præſenti, vt conſtat. 3.

2. Aſſertio. Superior Prælatus poteſt irritare votum confirmatum ab inferiori.

Richard. Aſten.

Obiectio.

Solutio.

Dico tertio: Prælatus poteſt irritare votum ab ipſomet confirmatum, vel authoritate ſua factum. Eſt communis ſententia Theologorum, Maior. 4. d. 38. quæſtione 4. dub. penult. vbi de marito loquitur, ſed eſt eadem, vel maior ratio, vt bene expendit ibi Supplem. Gabri. quæſtione 1. lit. X. optime Caiet. d. artic. 8. Abul. Numer. 30. quæſtione 43. Soto d. quæſtione 3. art. 1. Nauar. cap. 12. numer. 73. Sylueſt. *Votum* 4. quæſtione 2. Angel. *Votum* 2. num. 10. & cõmuniter Summiſtæ, & Panormit. in cap. *Scriptura*, de Voto numer. 8. Ioan. Heſſel. in explicatione Decal. cap. 12. Ratio omnium eſt, quia Prælatus dando licentiam, vel confirmando votum, non priuat ſe ſuo dominio, & poteſtate: ergo per illam poteſt retractare, quod antea fuerat, & votum irritare. Et declaratur hoc in irritatione indirecta: quia Prelatus poteſt reuocare licentiam v. g. ieiunandi, quam dedit, vel etiam prohibere opus: ergo poteſt hoc modo irritare votum prius ex eadem parte confirmatum, id eſt, ex parte materię, & hinc extenditur ratio ad directam irritationem: quia ſimiliter cum Prelatus dedit facultatem ad vouendum, non ſe priuauit 4.

3. Aſſertio. Prælatus poteſt irritare votum ab ipſomet confirmatum, vel eius authoritate, actum.

Maior. Suppl. Caiet. Abul. Soto. Nauar. Syluest. Angel. Panorm. Ioan. Heſſ.

poteſtate

Digitized by Google

eſt ratio de [illegible], & de exterior, nimirum quod Prælatus [illegible] ſubdito, non facit illum ſui iuris, ſed [illegible] vt operetur, aut ſe obliget, ſemper tamen pendens ab ipſo.

5\. *Qui oppoſitam ſententiam. Richar.*

Contra hanc vero aſſertionem ſentit Richard. d. 3. diſtinctio 2. quæſt. 3. loquitur tamen, quando Prælatus [illegible] facultatem ad vouendum, & dicit ſi res ſit [illegible] eſt, ſi votum nondum eſt factum, poſſe illam reuocare, & impedire, ne votum fiat, vel ſaltem [illegible] fiat [illegible] quia nondum eſt Deo ius [illegible]. Si tamen votum iam ſit factum, ait, non poſſe Prælatum illud irritare, forte ob contrariam [illegible], quia iam eſt acquiſitum Deo. Dico autem [illegible], quia ille nullam rationem adducit. Imo addit [illegible], non poſſe Prælatum diſpenſare in voto [illegible] facto. In [illegible] eandem ſententia refertur

Aſtenſ.

Aſt. [illegible] Summæ [illegible] autem diſtinctio non videtur poſſe applicari ad confirmationem voti [illegible] abſque [illegible] licentia: nam in illa ſtatim ac votum confirmatur, res non eſt integra, & ius Deo acquiritur. Et ita de tali voto dicendum erit [illegible] illam opinionem, amplius irritari non poſſe.

6\. *Excluditur ſuperior opinatio.*

Veruntamen quoad indirectam ſaltem irritationem [illegible] opinio non videtur mihi veriſimilis, nec [illegible]. Nam Prælatus, qui dedit facultatem ad [illegible] poteſt illam valide reuocare priuſquam [illegible] fiat: ergo ſi dedit facultatem ad ieiunandum, [illegible] eleemoſynam, poteſt [illegible]: ergo ſaltem ex parte materiæ [illegible] exequutionem voti.

Euaſio.

[illegible] Antecedens [illegible] verum ante votum, vel ſi licentia [illegible] non fuit data in ordine ad votum [illegible] non vero quando data ad votum [illegible] vel confirmandum.

Occluditur.

Sed contra [illegible] intuitu nunquam Prælatus intendit [illegible] ſua poteſtate, ſed ſemper [illegible] conditionem, vel limitationem ſubintellectam ad beneplacitum ſuum, quia ſemper vult manere ſuperior, [illegible] forte taſſe nec poteſt, quia hoc repugnaret ſtatui, & obedientiæ Religioſæ. Et ita non [illegible] iuri de iure Deo acquiſito, quia ſemper eſt ius conditionatum, niſi ſuperior aliud voluerit. Item quoad hanc partem eadem eſt ratio de Prælato erga ſubditum, quæ de parente erga filium, vel filiam, vel de marito erga vxorem, de quibus ſupra oſtenſum eſt, poſſe valide reuocare talem facultatem, vel illa non obſtante denuo materiam prohibere.

7\.

De irritatione autem directa eſt mihi nonnulla difficultas, quia poſita facultate vouendi, vel confirmatione voti facta, obligatio, quæ ex voto oritur, videtur omnino firma, ſicut eſſet obligatio ad hominem facta: ergo non eſt amplius reuocabilis ſine conſenſu creditoris. Confirmatur: nam ſupra dicebamus, votum pupilli à patre, vel tutore ſemel confirmatum non poſſe ab eis amplius irritari. ergo idem dicendum eſt de Religioſo nam videtur eadem ratio.

Aſſertio ſuppoſita extendenda eſt non ſolum ad irritationem indirectam, ſed etiam directam.

Nihilominus etiam in hoc ſenſu cenſeo, eſſe veram cõmunem ſententiam, quia eadẽ eſt ratio de obligatione voti, quæ de exequutione operis promiſſi. Nam ſicut licentia ad hoc opus ſemper pendet a ſuperiore non ſolum in fieri (vt ita me explicem) ſed etiam in conſeruari, quia hoc poſtulat ſtatus, & ſubiectio Religioſa, ita etiam licentia ad ipſam obligatione voti nõ ſolum pendet a voluntate ſuperioris, vt fiat, & [illegible], ſed etiã vt conſeruetur, & retineatur, quia [illegible] poſtulat Religioſa ſubiectio: & ſub hac [illegible] & conditione intelligitur dari talis licentia [illegible] ideo poteſt ſemper ipſamet obligatio in [illegible] irritari. Nec in hoc debet comparari obligatio [illegible] cum obligatione ad hominem, vt ſupra [illegible] quia obligatio voti ſemper [illegible] melius bonum, & ideo ſemper ſit conuenienter [illegible] Religioſum, obligatio autem ad hominẽ ſit iuxta humanos, & ciuiles mores.

Differentia inter votum pupilli, & Religioſi.

Fit etiam differẽtia inter votum pupilli, & Religioſi: nã in pupillo ſolum eſt voluntas patris neceſſaria propter prudẽtem voti emiſſionẽ, quæ per vnicã approbationem confirmatur, & ideo amplius non pendet votũ à patre: in Religioſo autem requiritur propter dependentiã, quæ ſemper durat, & ideo hęc ſemper reuocari poteſt per ſe, & quaſi ab intrinſeco illa vero minime, niſi fortaſſe quando in ipſa approbatione manifeſtus error eſſet commiſſus, quod eſt per accidens, & incertum.

8\. *An peccet Prælatus irritando votum quod antea confirmauerat. Varia ſententia circa hoc dubium.*

Dubitant autem prædicti Auctores, eſto: ſit valida irritatio à Prælato facta poſt ſuam eiuſdem voti cõfirmationem, an peccet illam faciendo? In quo varii ſunt. Nam quidam dicunt ſemper peccare, quia abutitur ſua poteſtate, in voti iniuriam, ac Dei irreuerentiam cui ſe quodam modo obligauit, quando votum confirmauit. Et ita ſentiunt Caiet. Abul. Angel. & alii. Alii diſtinctione vtuntur: nam ſi irritet ſine cauſa peccabit propter rationem factam: non tamen ſi id faciat ex cauſa legitima. Quia illa poteſtas, quæ in ſuperiore permanet, non eſt otioſa, & vana: ergo poteſt licite ex iuſta cauſa ſuum actum exercere, alias non aliter loquendo nullius momenti eſſet, nec quidquam conferret ad Religioſum ſtatum. Ita ſentiunt Maior. Syllueſt. Soto, Nauarr. & alii. Non deſunt vero qui dicant, hanc irritationem per ſe fieri ſine vllo peccato. Tum quia Prælatus dando licẽtiam non contraxit ſpecialem obligationem non retractandi illam quia neque hoc vouit, neque promiſit. tum etiam quia in ipſa licentia, vel voti confirmatione ſubintelligitur conditio, ſeu limitatio vſque ad beneplacitum concedentis. Tum denique quia ſicut requiritur aliqua honeſta ratio mouens ad irritandum votum poſt confirmationem eius, ita etiam ante illam, vt ſupra dictum eſt capit. primo ergo non eſt aliqua differentia, & ita ſentit Palacius ſupra.

9\. *Fertur iudicium circa dictas ſententias, & reſoluitur dubium.*

Sed fortaſſe inter has opiniones non eſt magna differentia in re, ſed in modo loquendi, ſecunda vero mihi probatur cum proportione ad ea, quę de marito dixi reſpectu vxoris. Nihilominus tamen addo conſiderandum eſſe modum concedendi licentiam, vel approbandi votum. Nam ſi fiat pro determinato die, aut actu, raro certo reuocabitur pro eodem die ſine peccato, quia videtur eſſe aliqua irreuerentia Dei, & quaſi contemptus voti, cui aliquo modo cooperatus eſt, qui licentiam dedit, vel illud confirmauit imo videtur quantum ex ſe eſt obtuliſſe Deo materiam illius voti, & ideo non ita facile debet reuocari. Nihilominus tamẽ ſi ignorãtia interceſſit, vel noua cauſa exorta eſt, poterit honeſtari irritatio: oportebit tamen eſſe grauiorem, quam ſuffiſſet in principio ſufficiens ad denegandã licentiam. Et idem cenſeo, ſi licentia detur poſitiue vt perpetua, & irreuocabilis, ſemper tamen ſubintelligendum eſt eſſe irreuocabilem ſine legitima cauſa: quia hoc poſtulat prudens ratio concedendi talem facultatem. At vero ſi licentia detur ad tempus, illo expleto, reuocari poterit, vt per ſe conſtat, ex capi. *Chariſſimus*, de Conuerſ. coniugat.

Cap. Chariſſimus.

Imo videtur per ſe ceſſare ex limitatione temporis. Item ſi detur indefinite ad ieiunandum ſemel in hebdomada, facilius poterit reuocari pro aliquibus diebus, non obſtante voto: quia tunc non reuocat facultatem priorem, quia non pro eodem tempore illam negat, ſed ſolum adhibet terminum, qui fuerat ſine determinatione relictus. Item quia illa conditio erat tacite inclusa in modo illius conceſſionis vt dictum eſt. Vnde certius hoc erit, & clarius ſi conditio expreſſe ponatur. Et poſſunt in præſenti accommodari, quæ de precaria conceſſione notantur cap. vlt. de Precariis.

4. aſſertio.

Dico quarto: Prælatus æqualis in officio ſuccedens reuocare poteſt vota ſubditi à prædeceſſore confir-

confirmata, æque ac ipſemet prędeceſſor facere potuiſſet, imo maiori facilitate. Probatur primo; quia poteſtas eadem in vtroque, & illa perſonarum diſtinctio quaſi materialis eſt. Itē illa poteſtas integra eſt in ſucceſſore; ergo comprehendit etiam talem materiam, vel talem actum. Vnde etiam facile perſuadetur vltima pars; quia ſi quæ obligatio orta eſt in ipſo concedente facultatem vouendi ad non retractandum, quod proprio conſenſu, & voluntate contraxerat, vel omnino, vel magna ex parte in ſucceſſore ceſſat: quia nō fuit particeps voti ſubditi per propriū conſenſum. Poteſtq; hoc cōfirmari à ſimili ex Aug. q. 59. in Numer. vbi ait, ſi puella fęcit votū in domo patris, quod pater confirmauit, & ante executionem voti nuptui tradatur, poſſe à ſponſo tale votum irritari, quia eſt perſona diſtincta, cui tale votum poteſt peculiare præiudicium afferre. Sic ergo in præſenti caſu Prelatus ſucceſſor alterius poteſt libere vti ſua poteſtate, prout ſuo regimini expedire iudicauerit, quoad hoc enim non potuit ligari eius poteſtas à prædeceſſore. Vnde quoad indirectam irritationem, poteſt licentiam denegare, vel actionē prohibere: quia liberam adminiſtrationē, ſeu iuriſdictionem accepit. Quoad directam vero irritationem eſt proportionalis ratio, quia ſemper voluntas ſubditi manet æque pendens à ſucceſſore etiam quoad voti obligationem, atque ita ex parte ſubditi eſt eadem ratio parendi Superiori volenti, vt non ſit voto obnoxius. Ex parte autem ipſius Superioris nihil intereſsit, quo libero vſu poteſtatis ſuæ priuaretur, vt oſtenſum eſt.

Aug.

CAPVT IX.

Vtrum ſit in Eccleſia poteſtas diſpenſandi in votis, eaque commutandi?

1\. POſt irritationem dicēdum eſt de diſpenſatione, de quarum differentia iam ſupra dictum eſt, & ex definitione diſpenſationis conſtabit. De commutatione vero poſtea dicetur, tamen quia in multis conuenit cum diſpenſatione, & aliquando diſpēſationem inuoluit, non poſſunt omnino diſputationes ſeiungi: & ideo dicendo de diſpenſatione, obitēr explicabimus quæ fuerint communia commutationi, vt per eorum comparationem magis etiam diſpenſatio declaretur. Diſpenſatio autem, vt communiter à Iuriſperitis, & Theologis definitur, eſt relatio iuris ab habente poteſtatem legitime facta: ſolet etiam requiri, vt fiat ex cauſa cognita, ſed hoc non ſemper eſt de ſubſtantia diſpenſationis, & ideo non oportet poni in deſcriptione, vt ex materia de Legibus ſuppono. Quamuis in præſenti hoc non impediret, quia cauſa eſt de ſubſtantia diſpenſationis voti, & ideo parum refert illam addere: non eſt tamen neceſſarium, quia in prioribus verbis ſufficienter continetur, & non oportet omnia in definitione diſtincte explicare.

Definitio diſpenſationis.

2\. Ex hac vero definitione colligere licet diſcrimen inter diſpenſationem, & interpretationem, quam hic prænotare neceſſarium eſt. Nam diſpenſatio ſupponit vinculum actu obligans, & tollit illud, ſeu obligationem eius, interpretatio vero non tollit obligationem, ſed declarat tantum in re ipſa non eſſe; vnde potius ſupponi caſum, in quo lex, vel votum ex ſe non obliget. Et ideo interdum fieri poteſt auctoritate priuata, & per doctrinam potius, quam per iuriſdictionem, licet etiam poſsit fieri authentice, & tunc poſtulet publicam poteſtatem. Hoc declaratur ex c. *Quintaualle*, de Iureiurand. ibi. *Ad mandati obſer. ...* Nam qui denunciat nihil agit, ſed ſignificat, quod factum eſt, vt dicitur in le. *Heredes palam. §. Si quid poſſ.* ff. de Teſtament. & ita ibi Abbas numer. 3. notat aliam fuiſſe interpretationem iuramenti de ſe non obligantis, non relaxationem eius. Non deſunt autem, qui hanc interpretationem interdum vocent diſpenſationem, vt videre licet in Bonauent. in 4. d. 38. q. vlt. Scot. 3. d. 37. q. vnica, & Gabr. ibi ar. 1. notab. 3. qui dicunt duplicem eſſe diſpenſationem, ſcilicet iuris reuocationem, & iuris declarationem, quam diſtinctionem admiſit etiam Speculat. tit. de Diſpēſ. in principio.

Differentia inter diſpenſationem & interpretationem.

Cap. Quintaualle. L. Heredes palam.

Bonauent. Scot. Gabr. Specul.

3\. Verumtamen non oportet abuti terminis, nec confundere æquitatem, ſeu epicheiam cum diſpenſatione: ſunt enim actus diuerſarum virtutum, & poteſtatum, & longe diuerſos habent effectus: & ideo merito diuerſis vocibus ſignificantur. Per diſpenſationem enim tollitur obligatio, per interpretationem non tollitur, ſed declaratur non eſſe: quia vel nunquam orta eſt, vel ceſſauit per ſeſe, vel ſimpliciter, vel pro tali caſu. Vnde diſpenſatio per ſe eſt actus iuriſdictionis, interpretatio vero per ſe eſt actus ſcientiæ, ſeu doctrinæ, ac denique diſpenſatio eſt proprie actus iuſtitiæ diſtributiuæ; interpretatio ad ſpecialem virtutem epicheiæ magis pertinet: recte ergo diuerſis vocibus ſignificantur, & ad hoc accommodatæ ſunt illæ duæ. Vt in hac materia notarunt Soto lib. 7. q. 4. art. 1. Aragon. q. 88. art. 10. Azor. lib. 11. c. 19. & 20. & communiter alij in materia de Legibus. Et bene Turrecrem. in Summ. de Eccleſ. lib. 3. c. 53. & 55. & Couarr. in 4. 2. p. c. 6. §. 9. num. 2. vbi ait, ex diametro pugnare diſpenſare, & declarare, ſeu interpretari.

Soto. Aragon. Azor. Turrecrem. Couar.

4\. Denique hinc colligere licet, interpretationem voti verſari, vel circa materiam, vel circa intentionem vouentis, diſpenſationem autem dari ex parte Dei, qui tanquam ſupremus Dominus, vel tanquam creditor cedit ſuo debito. Omnis enim interpretatio quoad votum non obliget, ſumitur vel ex materia, quia eſt facta incapax obligationis voti, vel ex intentione vouentis, quia conſectamur non fuiſſe intentionem vouentis ſe obligare pro illo caſu. Ita ſumitur à ſimili de iuramento ex textu cum Gloſ. in d. c. *Quintaualle*, nam in textu dicitur, denunciandum fuiſſe iuramentum in eo caſu non obligaſſe, quia præceptum erat de re illicita, & addit Gloſſa per Panor. & alios approbata, etiam potuiſſe iuramentum illud denunciari, non obligaſſe: quia non erat veriſimile intendiſſe iurantem ſe obligare pro tali caſu. Item ex ſupra dictis de valore vel mutatione voti intelligi poteſt, omnem voti interpretationem in his duobus capitibus fundari: nā ſi materia ſit capax obligationis, & conſtet vouentē voluiſſe ſe obligare, nulla ratione interpretari poſſumus votum nō obligare, ſed tunc ſuppoſita firmitate voti recurrēdum eſt ad diſpēſationem, vt voti obligatio auferri poſsit, quod fieri nō poteſt niſi ex parte Dei, vt dicemus. De interpretatione igitur nihil amplius nobis ſupereſt dicendū: nā quæ dicta ſunt in lib. ſuperiori de mutatione, & ceſſatione circa obligationē voti, & de votis dubiis, & de modo interpretandi votū ſufficiunt: in præſenti ergo ſolum de propria diſpenſatione tractamus.

Gloſ.

5\. Ex dictis ergo oritur ratio dubitandi in quæſtione propoſita: nam diſpenſatio eſt iuris relaxatio, ſed ius ſoluendi vota Deo relaxari non poteſt; ergo nec votum poteſt diſpenſari. Probatur minor, tum quia illud ius eſt naturale, & iure naturali non cadit diſpenſatio; tum etiam quia obligatio fundatur in fidelitate Deo debita; diſpenſabile autem non eſt, vt Deo fidelitas non ſeruetur: ergo. Propter hoc quidam dixerunt, non eſſe poteſtatem in Eccleſia ad diſpenſandum in votis, ſed ſolum ad interpretandum an obligent necne. Quod videtur ſentire Diuus Thomas d. quæſtione 88. art. 10. Nam in corpore articuli ſolum ait votum eſſe diſpenſabile, quia poteſt contingere, quod in aliquo caſu ſit ſimpliciter malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum. Et in ſolut. ad 2. declarat.

Punctū difficultatis expenditur.

Aliquorum opinatio.

D. Thom.

diſpenſa-

diſpenſationem voti tantum ex parte materiæ fieri, ita vt diſpenſare nihil aliud ſit, quam determinare in hoc caſu hanc non eſſe congruam materiam voti; quia vel eſt aliquid malum, vel inutile, vel maioris boni impeditiuum, vt etiam in ſolutione ad 3. declarat. Expreſsius vero illam ſententiam docuit S. Bonauent. 4. d. 38. quæſt. vlt. & Gloſſa in cap. *Non eſt*, de Voto, verb. *Auctoritate*, & ibi Anton. num. 3. & Cardin. in cap. *Cum ad monaſterium*, de Statu Monach. in fine.

Gloſ. Anton. Cardin.

5. Nihilominus certum eſt, eſſe in Eccleſia poteſtatem circa vota ad auferendum, quando oportuerit, illorum obligationem. Ita Diuus Thomas expreſſe reprobans contrariam opinionem in 4. diſtinct. 38. q. 1. artic. 4. nec in dicta q. 88. artic. 10. aliud ſentit, vt intelligi poteſt ex comparatione ad diſpenſationem legis humanæ: qua in corp. & ad 2. vtitur, & ex doctrina eiuſdem in art. 11. & 12. Vnde quando in illo artic. ait, per diſpenſationem determinari, non eſſe bonum, vel conueniens, ſeruare votum non eſt intelligendum ſupponi hoc ante diſpenſationem, ſed per illius determinationem fieri, vel intelligendum eſt affirmatiue potius, quam negatiue, ſcilicet bonum eſſe, & conueniens media diſpenſatione in tali cauſa non ſeruari votum. Et ita etiam intelligendum eſt, quod ait, præſertim in ſolutione ad tertium diſpenſationem voti eo tendere, vt malum, vel inutile vitetur, non quod ſemper ſupponatur ante diſpenſationem votum eſſe inutile, vel impedire maius bonum, ſed quod debeat cauſa intercedere, quæ ad hoc ducat, ita vt periculum ſit ne id eueniat, niſi in voto diſpenſetur. Semper ergo fuit D. Tho. in eadem ſententia, quam etiam ſequuntur in 4. d. 38. Richar. art. 3. q. 1. Palud. q. 4. art. 3. Sup. q. 1. art. 3. Palac. diſp. 3. Ant. 2. p. tit. 11. cap. 2. §. 9. Sot. lib. 7. quæſt. 4. art. 1. Abulenſ. Numerorum 30. quæſtion. 102. Nauarrus dicto cap. 12. à numero 63. & reliqui Summiſtæ. Item docent communiter Canoniſtæ in c. *Non eſt*, de Voto, & in c. *Propoſuit*, de Conceſ. præben. vbi bene Pan. in nu. 8. referens Hoſt. & Innoc. Couar. in c. *Quamuis pactum*, 1. part. §. 3. Numer. 4.

Datur in Eccleſia poteſtas ad auferendum votorum obligationem.

D. Thom. Richard. Palud. Supplem. Palac. Anton. Soto. Abul. Nauar. Panorm. Couar.

7. Probatur primo ex vſu, & traditione Eccleſiæ tam frequens enim eſt vſus huius diſpenſationis in Eccleſia, tamque antiquus vt de poteſtate dubitare non liceat: nam eſſet intollerabilis error in Eccleſia in re maxime neceſſaria ac mores, quod eius ſanctitati repugnat. Neque etiam dici poteſt, has quæ conceduntur eſſe tantum declarationes, non proprias diſpenſationes. Nam oppoſitum euidenter conſtat, tum ex facto ipſo: nam vbi eſt obligatio voti certa ante diſpenſationem, per illam tollitur: tum ex verbis diſpenſandi, vel commutandi, quę in proprietate hoc ſignificant, & in Iure, quando fit tantum interpretatio, ponitur verbum *Iudicandi*, vt in cap. *Litteraturam*, de Voto, vel verbum *declarandi*, vt in d. cap. *Quinta vallis* de Iureiur. Quando vero fit relaxatio ponitur verbum *diſpenſandi*, vt in cap. 1. de Voto, vel verbum *abſoluendi*, vt capit. 2. eod. frequenter verbum commutandi, & redimendi, de quibus infra. Tum præterea: quia ob hanc cauſam hæc diſpenſatio à ſolis Prælatis fieri poteſt, & non ab inferioribus licet doctiſsimis. Et inter vota quædam reſeruantur Papæ, quod eſt ſignum hunc eſſe actum iuriſdictionis, ac ſubinde eſſe propriam diſpenſationem: nam interpretatio vt ſic, non eſt iuriſdictionis, vt dixi, niſi fiat per modum diſpenſationis, aut legis, vt infra etiam dicetur.

Cap. Litteraturam. Cap. Quinta vallis.

8. Ratione declaratur: quia omnis humana lex indiget interdum diſpenſatione, ſed votum eſt quaſi priuata lex humana: ergo indiget interdum diſpenſatione: ergo non deeſt in Eccleſia poteſtas ad illam concedendam, iuxta illud Matth. 16. *Quodcumque ſolueris*. Et ratio eſt: quia humana deliberatio non poteſt omnia circumſpicere, & ideo ſæpe non expedit, quod lege fuerat præſcriptum, vel expedit aliquē ab obligatione legis excipere, vel propter maius bonum, vel propter aliquod malum vitandum, quæ eſt ratio iuſtificans diſpenſationem, vt ex Cyrillo dicitur in capite *Diſpenſationem*, 1. quæſtione 7. Et inde facile oſtenditur prima conſequentia: quia ſicut lex, quæ generaliter proponitur in particulari poteſt non expedire, ita votum, quod eſt veluti priuata lex, poteſt alicui, vel in aliquo caſu non expedire: vnde in multis caſibus ſequerentur multa mala, & pericula ex vinculo voti, niſi in eo diſpenſaretur. Secunda vero conſequentia probatur: quia Chriſtus non defuit Eccleſiæ in neceſſariis. Vnde hæc poteſtas ſine dubio continetur in his verbis. *Paſce oues meas*, quia vnus ex præcipuis, magiſque neceſſariis actibus huius paſtoralis muneris eſt hæc poteſtas. Et eadem ratione continetur in illa promiſsione. *Tibi dabo claues, &c. Et quodcumq; ſolueris, &c.*

Atque hæc veritas magis conſtabit, reſpondendo ad difficultatem propoſitam. Ad quam quidam Canoniſtæ reſpondent, poſſe Pontificem diſpēſare in iure Diuino naturali. Quibus in hac parte conſentit Cano Relect. de Pœnitentia par. 5. tractando de præcepto Diuino confeſsionis. Verumtamen ſi hoc intelligatur de iure proprie, vt ſignificat legem naturalem, eſt falſa ſententia, vt dicemus in materia de Legibus, & tractant late Canoniſtæ in capit. *Quæ in Eccleſiarum*, de Conſtitut. vbi Decius numero 4. Felinus numero 19. & ſequentibus, vbi plures allegat, & Couar. in 4. 2. p. cap. 6. §. 9. numero 4. & patet breuiter, quia quod eſt contra legem naturalem, eſt per ſe intrinſece malum, & ideo prohibitum, quod autem tale eſt numquam poteſt non eſſe malum: ergo non poteſt in eo diſpenſari. Et hoc conuincit ſecunda probatio poſita in ratione dubitandi: quia non poteſt cadere diſpenſatio in fidelitatem Deo debitam. In hoc ergo puncto vera ſententia eſt, non diſpenſari in lege naturali formaliter, ſed auferri, & mutari materiam legis naturalis, & ita ceſſare eius obligationem. Lex enim naturalis in præſenti eſt, vt vota Deo reddantur, quæ ſicut non incipit obligare, niſi poſtquam fit votum, ita non conſeruat obligationem (vt ſic dicam) niſi durante voto, ſi autem votum ſemel factum auferatur, ceſſabit obligatio illius legis ſine diſpenſatione in illa: hoc ergo fit per diſpenſationem voti. Affert exemplum Diuus Thomas de lege humana: nam etiam lex naturalis dictat, eſſe ſeruandam legem humanam, ſi tamen lex humana auferatur, vel ſimpliciter, vel in caſu, iam non obligabit illa lex naturalis, licet in ea non fiat diſpenſatio. 9.

Quorūdam Canoniſtarū reſponſio ad difficultatē.

Decius. Felin. Couar.

Cano vero ſupra licet fateatur, hanc reſponſionem eſſe Diui Thomæ, & diſcipulorum, eius eam non probat: tum quia ex ea ſequeretur diſpenſationem voti ſine cauſa factam validam eſſe: tum etiam quia alias, ſecluſa inſtitutione Diuina, non poſſent Principes humani in votis diſpenſare. Vnde ipſe ſentit, Deum dediſſe poteſtatem diſpenſandi in hoc iure naturali ſeruandi vota: quia ſeruare, & præbere vota (ſic enim loquitur) poterat eſſe regni cœlorum impedimentum, & vergere in ſalutis diſpendium. Sed certe non recte loquitur, vel ſententiam communem refutando, vel ſuam aſtruendo. Nos enim non aſſerimus, legem obligantem ad ſeruandum votum eſſe humanam, vt poſsit authoritate mere humana tolli, aut ſine cauſa valide diſpēſari: ſed dicimus votum ipſum eſſe quid factum voluntate humana, à quo pendet illa obligatio, & ideo illud poſſe auferri, non tamen ſine cauſa, & debita poteſtate propter rationem infra explicandā. Quod autem ipſe ait, ſeruare votum poſſe eſſe ſalutis diſpendium, in rigore falſum eſt: quia ſeruare votum nunquam poteſt ſpirituali ſaluti nocere: quia nunquam obligat cum diſpendio ſpiritualis ſalutis. Habere ergo votum poteſt interdum eſſe impedimen- 10.

tum, & vergere in diſpendium, & ideo ad hoc fuit neceſſaria poteſtas, vt votum ipſum auferretur. Adde non ſolum ex illo periculo, ſed etiam ex aliis rationibus poſſe interdum inſurgere iuſtam cauſam diſpenſandi in voto.

11. *Dubium.* Hinc autem oritur difficultas, quomodo poſsit homo auferre votum Deo factum: quia promiſsionem regi factam nemo remittere poteſt, niſi ipſe Rex. Et declaratur in exemplo Diui Thomæ: nam materia illius legis naturalis, obediendum eſt legi Principis, ideoque auferri poteſt ab ipſo principe: quia ipſe poteſt mutare legem ſuam, non tamen poterit auferri ab alio inferiore principi, in præſenti autem votum Deo factum, non poteſt auferri ab eo, qui illud fecit, non enim poteſt mutare voluntatem ſuam propria auctoritate: hoc enim eſt contra legem naturalem, & contra fidelitatem Deo debitam: ergo nec aliquis, qui ſit infra Deum, poteſt illud votum tollere: ergo neq; ſubtrahere materiam illi legi naturali.

12. *Prima reſponſio ad dubium.* Primus modus reſpondendi ad hanc difficultatem eſt, omne votum includere hanc conditionem, niſi Prælato aliud viſum fuerit, & ex ea parte poſſe diſpenſari votum à Prælato. Ita referunt D. Th. & D. Bona. ſupra, & ex parte ſequitur Medin. loco infra citando. Quod ſi obiiciatur: quia inde ſequeretur, hanc non eſſe diſpenſationem, ſed irritationem & conſequenter poſſe ſine ſpeciali cauſa tolli votum à Prælato propter conditionem incluſam, quod eſt omnino falſum, & abſurdum. Reſponderi poteſt, in ipſa conditione includi ordinem ad iuſtam cauſam, id eſt, *niſi Prælato ex iuſta cauſa videatur, hoc non eſſe ſeruandum*, & ita nunquam valebit ablatio voti, niſi ex iuſta cauſa fiat: quia non impletur conditio. Sed in hoc ſenſu non ſatisfacit illa ſententia. Nam interrogo; an illa conditio includatur in votis ex voluntate libera vouentium, vel ex aliqua lege, & neceſsitate. Primum dici non poteſt. Tum quia illud voluntarie dicetur: poteſt enim vnuſquiſque vouere abſolute, & ſine vlla conditione, quantum legitime poteſt. Tum etiam, quia illo poſito non exceduntur limites irritationis indirectæ, & ſolum ex parte materiæ, & nõ ex poteſtate ſuperiore in ipſum vouentem. Vnde vlterius fit, vt non habeat locum reſeruatio in diſpenſatione votorum, quia diſpenſatio hæc pendet ex conditione voluntaria vouentis, & nemo cogi poteſt, vt non faciat votum ſub conditione quacumque, prout voluerit, dummodo conditio honeſta ſit. Imo etiam inde fit, vt hæc poteſtas non tantum ſit in Prælatis, ſed etiam poſsit eſſe in parochis, & confeſſoribus, & ſimilibus pro arbitrio vouentium, ſi in ſuis votis conditiones ſimiles includant, *Niſi meo confeſſori, aut parocho ex rationabili cauſa aliud videatur.* Non fundatur ergo poteſtas diſpenſandi in ſimili voluntaria conditione vouentium. Si ergo dicatur ſecundum, ſcilicet conditionem illam ex neceſsitate includi, interrogo quis impoſuerit vouentibus hanc neceſsitatem? Deinde vel illa neceſsitas eſt de lege naturæ, vel de iure Eccleſiaſtico. Primum dici non poteſt: tum quia lex naturalis non prohibet aliquid abſolute Deo promittere: tum quia ex natura rei non magis obligatur vouens ad conſtituendam illam conditionem in ordine ad Pontificem, quam ad Epiſcopum, vel alium paſtorem ſuum inferiorem, vel etiam hominem doctum, & pium: ergo ex ſola lege naturali non poteſt talis conditio præſcribi. Contra ſecundum etiam de Eccleſiaſtico iure obiici poteſt ex Diuo Thoma, & Bonauentura ſupra, quia multa ſunt, quæ nullus Prælatus etiam Papa poteſt prohibere, vt opera conſiliorum per ſe loquendo: ergo non poſſunt imponere neceſsitatem vouendi conditionate, & non abſolute, & multo minus poſſunt determinare conditionem, vt ſit ad voluntatem Papæ, vel Epiſcopi; non poteſt ergo hæc diſpenſabilitas (vt ſic dicam) prouenire ex parte vouentium.

Secundus modus reſpondẽdi eſt, vinculum voti eſſe humana voluntate contractum, & ex hac parte reſcindi, & auferri poſſe per voluntatem Prælati, 13 *2. Reſponſio.* quæ ſuperior eſt ipſo vouente. Sic enim poteſt obligatio facta ab inferiori reſcindi per Superiorem ex rationabili cauſa. Et hoc modo dicebamus ſupra poſſe relaxari iuramentum, reſcindendo promiſſionem illi ſubtractam. Poteſtque in hunc modum amplius declarari, quia in hoc differt lex priuata, *Differentia inter legem priuatam, & publicã.* quæ eſt votum, à lege propria, & publica, quod hæc per eandem voluntatem per quam lata fuit, poteſt auferri, vel temperari ex cauſa iuſta: illa vero cum non ſit propria lex, ſed promiſsio, non pendet amplius ex voluntate promittentis, quia non poteſt ipſe ſuo arbitrio auferre à ſe obligationem, quam ſemel contraxit: quia hoc repugnat cum vera ratione, & obligatione promiſsionis etiam inter homines. Et ideo vt tollatur obligatio, neceſſe eſt, vt vel tanta ſit rerum mutatio, vt per ſe ceſſet, vel vt à ſuperiore auferatur, legitima cauſa interueniente. Ergo ex ea parte, qua lex illa, vel obligatio humana eſt, poterit per Prælatum humanum auferri, cum priuata voluntas ad id non ſufficiat, & ſufficiens ratio ad auferendam illam poſsit interuenire propter defectibilitatem humanæ voluntatis, vt ſupra in fundamento aſſertionis dictum eſt. Ita ſentiunt Ioan. Medin. C. de Confeſſ. quæſtione de Diſpenſat. ſuper confeſſ. reuel. ad ſecundum Couarr. de Teſtamentis capit. 2. numer. 12. Mich. Medin. libr. 5. de Continen. Sacerdot. capit. 50. & in rẽ idem ait Soto d. articulo 1. ad 2. dicens, diſpenſantem in voto immediate tollere obligationem, quatenus ex voluntate hominis emerſit, *quæ quodam modo eſt lex humana.* Et idem habet libr. 10. de Iuſt. quæſtione 3. articulo 4. §. *Quod ſi quis*, & Victoria Relect. de Poteſtate Eccleſiaſti. ad 2. Ac denique Diuus Thomas, & omnes, qui dicunt, per relaxationem voti non diſpenſari in lege ſeruandi votum, ſed auferri votum, idem dicunt. Solum poſteriores Doctores magis declarant, ideo votum auferri poſſe, quia humana voluntate obligationem induxit.

Ioan. Med. Couar. Mich. Medin. Soto. Victor.

Contra hanc vero reſponſionem obiici poteſt ex Cano ſupra, ex illa ſequi, votum poſſe auferri per voluntatem vouentis, quia res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolui poteſt. E contrario vero obiicit Azor. to. 1. libr. 6. capit. 1. quæſtione 4. quia inde ſequitur poſſe Pontificem ſuo arbitrio ſine aliqua cauſa votum auferre. Sed re vera neutrũ ſequitur. Non quidem primum, quia non poteſt humana voluntas à ſe auferre obligationem, quam ſibi impoſuit, acceptãte alio, quia tunc iam alter acquiſiuit ius aliquod ratione cuius ſine eius conſenſu, vel ſuperioris non poteſt auferri obligatio. Neque hic habet locum axioma illud: *Per quas cauſas*, & cæt. quia non eſt integra cauſa voluntas promittentis, ſed etiam acceptantis. Præter quam quod axioma illud ſuas habet exceptiones, vt in matrimonio, profeſſione, & cæt. de quibus alibi. Nec etiam ſequitur ſecundum, quia Pontifex non poteſt diſſoluere pacta pro ſuo arbitrio, nec obligationem humana voluntate inductam etiam inter homines, nedum inter hominem, & Deum: licet ergo habeat poteſtatẽ ſuper hanc obligationem ex ea parte, qua humana eſt, nõ ſequitur eſſe poteſtatem quaſi dominatiuam, vt ſine cauſa operari poſsit.

14. *Aliquæ obiectiones contra traditã doctrinam. Azor.*

Maior ſupereſt difficultas, quia licet obligatio voti ex parte hominis ſit humana, ex parte Dei eſt Diuina, quatenus voluntas Diuina ad illam concurrit, acceptando illam, & ſuo modo acquirendo ius ratione illius, quod ius Diuinum non immerito dici poteſt: ergo non poteſt homo in illa obligatione diſpenſare, etiam auferẽdo illam, quin diſpenſet in iure Diuino. Secundo augetur difficultas, 15

quia

quia ad diſſoluendum pactum duabus voluntatibus contractum, neceſſarium eſt, vt vel illæ duæ voluntates conſentiant, vel vt voluntas, quæ illud diſſoluit, ſuperior ſit vtriſque: ſed in voto conſurgit obligatio, voluntate humana concurrente vt promittente, & Diuina vt acceptante: ergo non poteſt ſola voluntas Prælati, quæ humana eſt, obligationem illam auferre, cum ſit inferior voluntate Diuina. Tertio: lex ipſa naturalis, quæ dictat, vt vota reddantur, dictat vt immutabilia permaneant, quia hoc ipſum includitur in promiſsione; ergo non poteſt votum ipſum auferri, quin diſpenſetur in ipſa lege naturali reddendi vota.

15. *Pontifex, ſeu Prælatus diſpenſando in votis Dei vicem gerit remittendo obligationem Deo factam.*

Quapropter neceſſarium eſt dicere, in hac voti ablatione concurrere Pontificem, ſeu Prælatum ex parte Dei, remittendo obligationem Deo factam, & declarando ſibi eſſe placitum, vt non ſeruetur: nam alia ratione nõ poſſet talis obligatio auferri, aut pactum diſſolui, vt vltimæ rationes mihi probant, & præſertim ſecunda. Illo autem modo fieri diſſolutionem pacti, & extingui obligationem facillimum eſt. Nam etiam inter homines hoc modo tolluntur obligationes, promiſsionum, & Rex poſſet committere officiali ſuo, vt promiſsiones ſibi factas relaxaret, vel componeret: ita ergo intelligere poſſumus feciſſe Deum. Et tunc non diſpenſatur in iure Diuino, vt ſignificat legem naturalem, in qua formaliter, ac proprie diſpenſanda inuoluitur repugnantia contra naturalem honeſtatem. Sed eſt diſpenſatio in iure Deo acquiſito per votum, quod ſuo modo ad factum pertinet, quatenus ius dicit actionem ad debitum, vel vt dicit dominium. Quomodo poſſunt homines dici diſpenſatores iurium, ſeu bonorum Dei, ſicut à Paulo vocantur *diſpenſatores myſteriorum Dei*, 1. Corinth. 4. Nam ſi poſſunt remittere peccata, quibus homo maxime efficitur debitor Dei, quid mirum, quod poſsint remittere debita promiſsionum Dei? Hoc igitur modo votũ mutare, non eſt contra legem naturalem reddendi vota, quia lex illa ſolum petit immutabilitatem in voluntate promittentis ſine conſenſu promiſſarii: non autem illo conſentiente, vel iuri ſuo cedente per ſe, vel per Vicarium ſuum.

16. *Inſtantia.*

Solum poteſt videri, iuxta hunc modum explicandi hanc voti ablationem non eſſe diſpenſationem, ſed remiſsionem debiti, ſicut homo remittens debitum promittenti non diſpenſat; ſed donat ius ſuum. Ex alio etiam capite videri poteſt hæc non eſſe diſpenſatio: quia potius videtur abrogatio, quia cũ votũ ſit priuata lex, nõ poteſt tolli, quin omnino tollatur, & abrogetur.

Solutio.

Sed hæc de nomine tantum ſunt. Ad primum enim fateor, hanc eſſe quandam remiſsionem debiti nomine Dei factam quæ poteſt dici abſolutio, vel relaxatio, & ita tollitur quæſtio de nomine: tamen quia non Deus ipſe immediate, ſed per ſuum vicarium, & quaſi diſpenſatorem hanc facit remiſsionem, ideo merito diſpenſatio dicitur, eo vel maxime quod non vocatur diſpenſatio in præcepto, ſed in voto: ex qua fit vt ceſſet obligatio præcepti reddendi vota; licet in ea non diſpenſetur. Ad ſecundum etiam concedi poteſt, hanc eſſe quandam abrogationem voti, maxime quando totaliter aufertur: nam ſi ex parte auferatur, & ex parte relinquatur (vt fieri poteſt) magis retinebit modum diſpenſationis. Verumtamen licet reſpectu ipſius perſonæ à qua votum aufertur, videatur hæc eſſe voti abrogatio, tamen reſpectu aliorum habentium ſimilia vota, à quibus non auferuntur; vocatur hæc diſpenſatio, quia iugum caſtitatis, v. g. ab vno aufertur, & non ab omnibus.

17. *Vnde conſtet in hominibus eſſe poteſtatem componendi pacta hominum cum ipſo Deo.*

Ita ergo recte expeditur principalis difficultas de lege naturali, vt tamen plene, & ex omni parte ſatisfactum ſit, oportet exponere, vnde conſtet, eſſe in hominibus hanc poteſtatem componendi pacta hominum cum Deo ipſo inita, aut vnde trahat originem hæc poteſtas. Nam licet ratio in principio facta oſtendat neceſsitatem huius poteſtatis, & vſus à poſteriori illam comprobet, à priori oportet oſtendere, vnde fieri potuerit. Ad quod dico hanc poteſtatem in lege Euangelica ſupernaturalem eſſe, & à Chriſto ipſo datam. Nam quod dari ab ipſo potuerit, manifeſtum eſt: quod autem data ſit, ex verbis Chriſti ſupra adductis habemus. Nam licet in illis non fiat ſpecialis mentio huius poteſtatis, in abſoluto verbo *Paſce*, & in vniuerſali diſtributione. *Quodcunque ſolueris, &c.* ſufficienter continetur. Nam etiam ibi non explicatur in particulari poteſtas concedendi indulgentias, & diſpenſandi merita, & ſatisfactiones Chriſti, & ſimiles, quæ in generali clauſula cenſentur conceſſæ: tum propter proprietatem, & vim verborum, tum propter eminentem Chriſti poteſtatem *in cælo, & in terra*, quam largiſsime ſuo vicario communicauit, tum maxime propter Eccleſiæ traditionem, quæ ita ſenſum illorum verborum explicuit; tum denique quia maxime congruebat ad perfectionem ſpiritualem Eccleſiæ Chriſti: ergo eadem ratione comprehenſa eſt ibi hæc poteſtas, quia eſt eadem neceſsitas, & eadem traditio Eccleſiæ declarat ibi eſſe comprehenſam.

18. *An poteſtas diſpenſandi in votis ſit de iure naturæ in republica Chriſtiana.*

Hic vero occurrebat dubium, an hæc poteſtas diſpenſandi in votis ſit aliquo modo in Republica Chriſtiana de iure naturæ, ita vt ſecluſa ſpeciali Chriſti inſtitutione, eſſet in tempore legis naturalis, in quo erat verus cultus Dei, & fiebant vota? Imo etiam de pura natura ſola ratione naturali ducta idem interrogari poteſt. Quia ſicut in natura ratione ducta poſſet eſſe Religio ad Deum, ita poſſet etiam eſſe votum, & promiſsio, & conſequenter eſſet etiam poteſtas diſpenſandi in votis, quando expediret. Nam ratio ſupra facta quæ oſtendit neceſsitatem huius diſpenſationis, naturalis eſt; ergo & poteſtas videtur eſſe naturalis; quia Deus etiam vt Author naturę non deeſt in neceſſariis. Neque hoc poſito ſequitur, tunc etiã poteſtatẽ Eccleſiæ eſſe naturalem, quia ſimpliciter eſt ſuperioris ordinis, & longe maior, & excellentior, & non eſt, niſi in his, in quibus Chriſtus illam contulit, & ſucceſſoribus eorum. At vero ſtando in pura natura eſſe poſſet immediate in Republica, ſeu communitate humana, & per illam dari poſſet alicui magiſtratui, vel ſacerdoti ad hoc à republica deputato, qui ordo naturalis nunc ceſſauit, quia Deus eleuauit illum ad ſuperiorem ordinem.

An fuerit eadem poteſtas in tempore legis ſcriptæ in republica Hebræorum

Vnde etiam dubitari poteſt, an in Republica Hebræorum fuerit ſimilis poteſtas tempore legis ſcriptæ, quæ eſſet, vel eadem, quæ ante erat, applicata ad illum ſtatum, iuxta modum eius, vel eſſet ſpecialiter à Deo conceſſa Pontificibus illius populi ab ipſo inſtitutis? Quod videtur poſſe veriſimiliter colligi ex illo Deuteronom. 17. *Si difficile, atque ambiguum iudicium eſſe perſpexeris, &c. Surge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.* & infra: *Et facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus.* *Deut. 17.*

19. Sed in his dubiis nihil certi ſtatuere poſſumus, quia magna ex parte pendent ex Diuina reuelatione, per quam eius beneplacitum circa vota illi facta innoteſcat. Et ideo in pura natura difficile creditu eſt, futuram fuiſſe hãc poteſtatem, quaſi proprietatem conſequentem naturam, ſicut eſſet poteſtas gubernandi Rempublicam, tam in politicis, quam in his, quæ ad Religionem pertinent. Nam cum diſpenſatio includat interpretationem voluntatis Dei quaſi remittentis debitum, in tali, vel tali caſu, in qua ipſa obligatio per ſe, ac ſecluſa diſpenſatione nõ ceſſaret, vix credi poteſt, poteſtatem ad talem declarationem faciendam ſequi ex vi ſolius naturæ. Quis enim poteſt per rationem naturalem declarare beneplacitum Dei, vel quomodo conſtare poſſet conſenſuram Diuinam voluntatem in remiſsione

debiti cum hominis arbitrio? Vt enim nobis conſtaret, neceſſarium fuit, vt Chriſtus diceret, ſoluta fore in cœlis, quæ Petrus ſolueret. At per rationem nihil tale, vel ſimile etiam quoad aliquam participationem cogitari poterat. Igitur ſi in illo ſtatu eſſent vota, ſeruanda eſſent, donec tanta fieret mutatio rerum, vt eorum obligatio ceſſaret, iuxta regulam ſupra poſitam eum proportione applicatam. Et licet hoc iugum eſſet graue, & difficile ad obſeruandum, tamen imperfectio naturæ humanæ ſibi relicta his, & maioribus difficultatibus ſubiecta eſt, quibus per gratiam Chriſti ſubuentum eſt.

22\. Vnde ſi forte in lege naturæ inter fideles, vel in lege ſcripta fuit aliquis vſus huius poteſtatis, (quod mihi eſt incertum) credendum eſt per reuelationem incepiſſe, & ſupernaturaliter fuiſſe conceſſum, & ſic per traditionem ad poſteros manaſſe. Nam in illis ſtatibus fuiſſe ſimilia ſupernaturalia dona conuenientia ad ſpirituale regimen, & ad cultum Dei improbabile non eſt, licet incertum, vt dixi. Denique his addere oportet, omnia, quæ dicta ſunt de poteſtate diſpenſandi à fortiori habere locum in poteſtate commutandi, quæ minor eſt, vt latius dicemus in cap. 11. Quod intelligo quoad commutationem, quæ requirit Prælati auctoritatem: nam ſi aliqua ſine illa fieri poteſt, alia eſt eius ratio, vt infra videbimus.

CAPVT X.

In quibus perſonis ſit in Eccleſia poteſtas ordinaria ad diſpenſandum, & commutandum vota.

SVppono primo, actionem hanc pertinere ad iuriſdictionem, quod de diſpenſatione per ſe notum eſt, & de illa nunc præcipue tractamus: adiungimus vero commutationem quatenus aliquam diſpenſationem includit. Nam (vt dixi in fine capitis præcedentis, & pro omnibus ſequentib. accipiendū eſt) de hac ſola commutatione nunc loquimur. Iuriſdictio autem Eccleſiaſtica duobus modis haberi poteſt, nam vel ordinaria eſt, vel delegata, quarum diſtinctio ſatis nota eſt, & aliis locis eſt ſufficienter explicata in iuriſdictione in foro pœnitentiæ, & in foro externo ad abſoluendum à cenſuris: eodem enim modo in præſenti diſtinguuntur: quia ergo delegata poteſtas ab ordinaria oritur, ideo de illa prius tractamus. Suppono ſecundo, hanc poteſtatem non eſſe niſi in Eccleſiaſticis perſonis, quia hoc etiam generale eſt de omni poteſtate Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, vt ex eiſdem libris, & ex tractatu de Legibus, & de Ordine ſuppono. Quod autem hic actus diſpenſandi in voto ſit ſolius iuriſdictionis Eccleſiaſticæ notius eſt, quam vt probatione indigeat: nam ex dictis in capite præcedenti de origine huius poteſtatis, & ex fine eius, qui mere ſpiritualis eſt, & ex materia, quę Diuinum cultum, & honorem continet, res eſt clariſsima, & ex traditione, & vſu Eccleſiæ de fide certa.

Quotuplex ſit iuriſdictio.

Poteſtas diſpenſandi in votis ſolum eſt in perſonis Eccleſiaſticis.

2\. His ergo ſuppoſitis dico primo: Poteſtas hæc eſt in ſummo Pontifice immediate, ac de iure Diuino, & in ſupremo gradu perfectionis eſt de fide. Quæ ſatis etiam probatur ex capite præcedenti: oſtendimus enim Chriſtum dediſſe immediate Petro hanc poteſtatem, vt paſceret Eccleſiam, & conſequenter in illo dediſſe ſucceſſoribus eius. Denique eadem eſt ratio de hac poteſtate, & de toto, quæ eſt in Pontifice. Nam illa vnica eſt, & indiuiſibilis, cuius actus quidam eſt hæc diſpenſatio. Vnde ſicut in aliis habet illam poteſtatem ſummam perfectionem, ita in hoc actu. Poſſunt autem notari nonnullæ prærogatiuæ, quæ ad ea, quæ dicemus conferent. Prima, quod à nullo alio in terris pendet: omnis autem poteſtas in hoc genere ab ipſo pendet: vnde fit, vt poſſit ſibi reſeruare vota reſpectu omnium aliorum Prælatorum, quod nullus facere poteſt reſpectu ipſius: quia caput eſt. Secunda, quia hæc poteſtas in Pontifice eſt vniuerſalis reſpectu omnium votorum, perſonarum, ac locorum: quia eſt vniuerſalis Epiſcopus. Solum ex parte votorum dubitari poteſt, an omnia ſint diſpenſabilia? Sed præſenti inſtituto ſatis eſt formaliter intelligi, omnia vota diſpenſabilia maxime cadere ſub poteſtatem Pontificis. An vero omnia ſint diſpenſabilia, necne, poſtea tractabitur: nunc autem ſupponimus, omnia poſſe per Pontificem diſpenſari, quod de ſimplicibus eſt certum, vt infra videbimus. De ſolemni in alio volumine eſt ex profeſſo dicendum. Tertia prærogatiua eſt, quia hæc poteſtas à Pontifice manat ad alios omnes, qui illam participant, ſiue iure ordinario ſiue per delegationem, vt ex dicendis conſtabit.

1. Aſſertio. Poteſtatem diſpenſandi in voto eſſe in Summo Pont. & ſic immediate, & de fide Diuino iure.

Dico ſecundo: Vnuſquiſque Epiſcopus in ſua diœceſi habet ordinariam poteſtatem diſpenſandi, & commutandi omnia vota, quæ ſpecialiter reſeruata non ſunt. Eſt communis, & certa concluſio Diui Thomi dicta quæſtione 88. art. 12. ad 3. & alij Theologi citati in 4. diſtin. 38. Soto dicta quæſt. 4. art. 3. Innoc. Hoſtienſ. & Panorm. in capit. 1. de Voto, Sylueſt. *Votum*, quæſtione 3. Et reliqui Summiſtæ eodem verbo Nauar. cap. 12. nu. 75. & omnes. 3. Soletque colligi ex cap. 1. de Voto, ibi, *Sed eius, qui præſidet.* Quod aliqui expoſuerunt de Summo Pontifice: tum quia ille ſolus toti Eccleſiæ præeſt, tum quia ſcribens ibi Alex. 3. ad quendam Epiſcopum, non dicit, *tuo arbitrio, ſed eius qui præſidet.* Sed hic ſenſus probabilis non eſt: tum quia ſi Papa de ſe loqueretur, diceret potius *à noſtro pendet arbitrio*: tum etiam quia in omni proprietate Epiſcopus præeſſe dicitur in ſua diœceſi, & non eſt, cur maior fiat reſtrictio illorum verborum. Maxime quia quando eſt ſermo in iure de propria iuriſdictione Papæ, vel ponuntur verba, quę maiorem dignitatem ſignificant, vel additur, *qui toti Eccleſiæ præeſt.* Eſt ergo ibi ſermo de Epiſcopis, ſed quia intelligendum erat generaliter, & reſpectiue ſcilicet de vnoquoque Epiſcopo pro ſua diœceſi, ideo vſus eſt Pontifex illo modo loquendi. Tantum ergo valent illa verba; ac ſi dixiſſet, *ab ordinarij arbitrio pendet*, & ita exponunt Gloſſa, & omnes, & vſus, ac conſuetudo ita legem interpretata eſt. Videtur autem textus ille loqui de commutatione potius, quam de diſpenſatione, de quo ſtatim dicam. Nunc ſufficit eadem conſuetudo Eccleſiæ ad hanc aſſertionem probandam: quia conſuetudo, vel ſufficit dare iuriſdictionem, vel eſt ſufficiens ſignum illius, vt eſt vulgare apud omnes, de quo alibi plura dixi.

2. Aſſertio. Quæ poteſtas diſpenſandi & commutandi vota ſit in Epiſcopis. D. Thom. Soto. Innoc. Hoſt. Panorm. Syleſt. Nauar.

Ratio vero eſt, quia hæc poteſtas eſt neceſſaria ad regimen Epiſcopale, & ex eadem ratione colligendum eſt, quam ſit vniuerſalis ex parte votorum. Dicimus enim in aſſertione extendi ad omnia vota Epiſcopo non prohibita. Nam cum duæ ſint regulæ in materia de poteſtate Epiſcoporum, vna affirmatiua, vt id poſsint, quod eis conceſſum inuenitur, qua vtimur in conceſsione indulgentiarum: alia eſt negatiua, vt poſſint quidquid non inuenitur prohibitum, hac vtendum eſt in præſenti: quia hæc poteſtas eſt valde neceſſaria ad ordinariū regimen, ideoque extenditur, ad omnia ſpecialiter non reſeruata. Nec poſſet alio modo cōmode limitari: quia conſuetudo non oſtendit aliam determinationē, nec per rationem excogitari poteſt, quia de omnibus communibus votis eadem eſt ratio. Itē quia hęc regula ſeruatur maxime in aliis abſolutionib. & ordinariis diſpenſationibus, vt videre licet in additione ad Gloſ. in cap. *At ſi Clerici*, §. *De adulteriis*, de iudicus, verb. *Pœnitentia*, Turreç. in cap. *Si quis presbyter*

Turrec.

Maiol. Sanci.

preſbyter, d. 50. n. 3. Item additio ad Abb. in ca. *Propoſuit*, de Conceſsione præb. nu. 12. Maiol. libr. 5. de Irreg. capit. 51. nu. 4. Sanci. referens alios libr. 1. de Matrim. diſputat. 61. numero 3. Quæ autem vota reſeruata ſint à iuriſdictione Epiſcoporum infra videbimus.

5\. *Panor. ſententia.* *Roſell.*

Contra hanc aſſertionem ſenſit Panor. in ca. *Propoſuit*, de Conceſs. præb. n. 12. ait enim, Epiſcopis ſolū eſſe conceſſam votorū commutationem, diſpenſationem autem cuiuſcumque voti Papæ eſſe reſeruatam. Ex hoc ſequitur Roſel. verb. *Papa*, nu. 1. Fundari potuit primo in d. c. de Voto, vbi de ſola commutatione ſermo eſt: imo videtur poſtulari commutatio in rem Deo magis gratam. Secundo in cap. *Accedentibus*, de Exceſ. Prælat. & in c. 1. d. 25. & capit. *Quanto*, d. 68. numerantur actus proprii Epiſcoporum, inter quos hic non ponitur. Tertio poteſt adiungi ratio, quia ad paſtorale officium Epiſcopi, & prouidendum ſaluti ſuarum ouium, ſatis eſt, vt poſſit vota tollere commutando: ergo ex vi officii nō amplius poteſt: ergo liberalior remiſsio merito ſupremo paſtori reſeruatur. Atque hanc opinionem referunt Innoc. & Hoſtienſ. in cap. 1. de Voto. Illam vero ſolum reiiciunt: quia in omni commutatione inuoluitur aliqua diſpenſatio. Sed hoc modo non impugnatur ſufficienter illa ſententia. Tum quia id non eſt verum, quando commutatio eſt euidenter in melius, vt infra oſtendam: tum quia licet in aliis miſceatur aliqua diſpenſatio, illa eſt ſecundum quid tantū, & non eſt in ſubſtantia voti, ſed ſolum in modo implendi illud, non in propria ſpecie, ſed per aliquid æquiualens. Vnde infra oſtendemus poſſe ſeparari poteſtatem commutandi, quando eſt delegata: ergo poteſt idem dici in ordinaria.

6\. *Excluditur ſententia Panormitani.*

Nihilominus illa ſententia falſa eſt, & in ea nec ipſe Panormit. perſtitiſſe videtur in capit. 1. de Voto, & ita illam reiiciunt Sylueſt. Soto, & Nauarr. ſupra. Ratio autem potiſsima eſt, quæ adducta eſt de conſuetudine, & de munere Epiſcopali, quę paulo inferius amplius expendetur. Item quia probationes nullius ſunt momēti: nā in d. c. 1. de Voto, interrogatio facta fuerat Pontifici de commutatione, & redemptione voti, & ideo de commutatione etiam reſpōdet, & nihilominus in fine ita concludit, *& ſecundum hoc habet exinde diſpenſare*. Significans, iuxta exigentiam negotii poſſe Epiſcopum diſpenſatione vti, vel pura, vel miſcendo commutationem, prout iudicauerit expedire. Alia vero iura non ſunt ad rem: nam in Canonibus Decreti ſermo eſt de actibus ordinis, non de actibus iuriſdictionis. In ca. autem *Accedentibus*, non numerantur omnes actus iuriſdictionis Epiſcopalis directe, & (vt ita dicam) per ſe, ſed per occaſionem commemorantur aliqui, quos inferiores quidam Abbates vſurpabant. Et fieri potuit, vt non vſurparent votorum diſpenſationem. Et nihilominus poſt numerationem illorum actuū additur, *& ſimilia*, ſub quibus poteſt hic actus comprehendi. Ratio autem tertio loco facta, ſi quid valeret, probaret etiam Pontifici non eſſe poteſtatem diſpenſandi, ſed tantum commutandi: quia ad prouidendum neceſsitatibus fidelium ſufficit commutatio, neque ipſi Pontifici data eſt hæc poteſtas, niſi vt prudēter ſuccurrat fidelium neceſsitatibus. Vnde non eſt illi datum, vt liberaliter remittat ſine cauſa. Oportet ergo dicere, aliquando non ſufficere commutationem propter neceſsitatem, vel periculum ſubditi, vel quod licet in rigore ſufficiat, non expedit ſemper illo rigore vti propter alias cauſas occurrentes. Hæc autem reſponſio tam habet locum in Epiſcopo, ſicut in Pontifice Summo.

7\. *Vnde conceſſa ſit Epiſcopis poteſ. ad diſpenſandum in votis.*

Circa hanc vero poteſtatem Epiſcoporum occurrunt tres breues interrogationes. Prima eſt, an hęc poteſtas data ſit illis ex Diuino iure, & immediate à Chriſto, vel à Vicario eius, & de iure Pontificio? Sed hæc quęſtio generalis eſt de actibus iuriſdictionis Epiſcopalis, & de iuriſdictione in foro pœnitentiæ, & de poteſtate concedendi indulgentias, & conferendi cenſuras, vel abſoluendi ab illis, vt in illis locis tractauimus, & eandem reſolutionem habet in præſenti: quia eſt eadem ratio, vt facile conſideranti conſtabit. Itaque cenſeo, hanc poteſtatem primo eſſe communicatam Petro pro ſe, & pro ſuis ſucceſſoribus, & per illum communicatam eſſe Epiſcopis. Quamuis enim Epiſcoporum dignitas, & munus à Diuino iure trahat originem, & ſecundum exigentiam eius communicanda illis ſit iuriſdictio, nihilominus proxime per Chriſti Vicarium collata eſt: & ideo ipſe poteſt illam moderari, & limitare, quamuis omnino auferre non poſsit: quia hoc eſſet in deſtructionem, & iuri Diuino aliquo modo repugnat. Dici ergo poteſt hæc poteſtas communicari Epiſcopis ratione Diuini iuris inſtituentis munus Epiſcopale, adiuncta ratione, quæ poteſt dici ius Diuinum naturale, ſuppoſita inſtitutione talis dignitatis. Ad illam enim ſequitur, vt debeat illi conferri omnis poteſtas ordinaria moraliter neceſſaria ad tale munus: talis autem reputatur poteſtas hæc abſoluendi à votis, & ideo in virtute iuris Diuini collata eſt, licet per Chriſti Vicarium proxime conferatur.

8\. *An eadem poteſtas ſit conceſſa Archiepiſcopis per ordinem ad totum archiepiſcopatum.*

Præterea peti poteſt, quid ſit dicendū de Archiepiſcopis, & Superioribus. De quibus dubitari nō poteſt, an habeāt hāc poteſtatē in ſuis propriis diœceſibus? nā hoc per ſe notū eſt ex dictis in ſecunda aſſertione. Solū ergo interrogari poteſt: An hęc poteſtas extendatur in Archiepiſcopo ad totū Archiepiſcopatum, vt complectitur omnes diœceſes ſuffraganeorum, & cum proportione de Patriarcha, vel Primate. In quo certum eſt, ordinarie non extendi poteſtatem Archiepiſcopi extra proprii Epiſcopatus diœceſim, & ita non poſſe diſpenſare iure ordinario in votis ſubditorum ſuorum ſuffraganeorum. Quia nec ex iure ſpeciali habet talem poteſtatem, nec ex conſuetudine, nec ex vi muneris: quia ipſe non eſt ordinarius paſtor talium perſonarum: neque in eis habet immediatam iuriſdictionem. Vnde nec poteſt confeſsiones earum audire, nec à caſibus reſeruatis ſuis Epiſcopis eas abſoluere: ergo multo minus poteſt cum eis in votis diſpenſare. Et ita ſentiunt Palud. & Sylueſter ſupra, & ſumitur ex capite *Paſtoralis*, de Offic. ordin. ibi. *Cum in eum (exceptis quibuſdam articulis) nullam habeat poteſtatem*, ſcilicet Archiepiſcopus in ſubditum ſui ſuffraganei. Dices: Archiepiſcopus poteſt indulgentias concedere in toto ſuo Archiepiſcopatu capit. *Noſtro*, & capit. de Pœnitentia & remiſsione: ergo & hanc diſpenſationem. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia in his, quæ extraordinaria ſunt, non habet locum regula negatiua, vt quidquid non prohibetur, poſsint, ſed affirmatiua, vt ea poſsint, quæ illis conceſſa inueniuntur, & non plura. Vnde in his nihil valet argumentum à ſimili, ſed potius valet argumentum ab ſpeciali, quia illud eſt conceſſum, & non aliud: ergo vltra illud nihil poteſt. Accedit, quod indulgentia non eſt odioſa, ſicut diſpenſatio, nec ita pręiudicat iuri diœceſanorum.

Cap. Paſtoralis. *Cap. Noſtro.*

9\. *Palud.*

Solum ergo poteſt dubitari, an Archiepiſcopus, ſaltem quando viſitat Prouinciam, poſsit hanc diſpenſationem dare ſicut poteſt confeſsiones audire, & abſoluere iuxta capit. vltim. de Cenſib. in 6. In quo Paludan. 4. d. 38. quæſtione 4. artic. 4. concl. 8. varie loquitur, prius enim negat, poſtea vero indicat, quod licet diſpenſare non debeat, ſi tamen faciat, tenebit diſpenſatio. Imo hoc poſterius dicere videtur, etiam extra tempus viſitationis, quod tamē nullo iure fundatum eſt, vt dixi, quia ſi non debet diſpenſare, ideo eſt, quia iuriſdictionem non habet: ergo nec valebit diſpenſatio. Vnde è conuerſo, ſi dum viſitat, habet iuriſdictionem ad diſpen-

Digitized by Google

ſandum in votis, cur non poterit licite id facere, ſicut poteſt licite à peccatis abſoluere? Ego tamen non video, vnde talem iuriſdictionem habeat, etiam dum viſitat, quia non eſt coniuncta cum poteſtate abſoluendi in confeſsione, vt per ſe conſtat: ergo non colligitur ex dicto capit. vltim. Imo in hoc habet locum regula, quod ſolum poteſt Archiepiſcopus in his rebus ea, quæ illi inueniuntur conceſſa, iuxta capit. *Duo ſimul*, cum ſequentibus, de Offic. ordin. ſed hoc non conceditur ibi, vt conſtat, nec alibi, vt omnes fatentur; ergo. Quare hanc partem cenſeo probabiliorem, niſi conſuetudo alicubi contrarium habeat, quod mihi non conſtat. Item Archiepiſcopus dum viſitat, non poteſt literas dimiſſorias dare ſubditis ſuffraganeorum, nec diſpẽſare in impedimentis matrimonij Epiſcopalibus, nec ſimiles actus ordinariæ iuriſdictionis ſibi expreſſe non conceſſos exercere, argumento capit. *Paſtoralis*, de Offic. ordin. ergo nec in votis diſpenſare.

Cap. Duo ſimul.

10.
Cardinales nullã habẽt poteſtatem diſpenſandi ex vi dignitatis in votis.

Tandem dubitari poteſt de Cardinalibus, ſed de illis conſtat ex vi ſuæ dignitatis non habere iuriſdictionem Epiſcopalem, ac ſubinde nec poſſe in votis diſpenſare. Dicuntur autem habere ſpecialem iuriſdictionem in foro Pœnitentiæ ſupra ſuam familiam, vt in 4. tom. 3. part. tetigi. Vnde fortaſſe etiam habent hanc poteſtatem circa eos, qui ſunt de familia ſua; ſed non inuenio de hoc latum ſpeciale ius, nec ab Authoribus aliquid in ſpeciali dictum: ſolum videtur poſſe ex eo colligi, quod Cardinalis dicitur habere ius Epiſcopale in ſua Eccleſia, vt teſtatur Ioann. Andr. in capit. 1. de Maior. & Obedient. in 6. & Martin. Laudenſis in tractat. de Cardin. quæſtione 60. vbi refert, Papam hoc declaraſſe. Ex quo vniuerſaliter colligit, quoad ſibi ſubiectos habere hanc poteſtatem. Nihilominus nihil in hoc aſſero: nam pendet ex facto, & conſuetudine, de qua mihi non ſatis conſtat. At vero ſummus pœnitentiarius, & Legatus Papæ hanc habent poteſtatem, quæ licet ſit ex commiſsione Papæ, eſt in eis ratione muneris, & ordinario iure, & ideo non cenſetur eſſe delegata, ſed ordinaria.

Ioan. And. Mar. Laud.

Summus Pœnitentiarius, & Legatus Papæ habet hanc poteſtatem.

11.
3. Aſſertio. Parochus proprius non habet poteſtatem diſpenſandi vel cõmutandi vota.

Dico tertio: Parochus, ſeu ſacerdos proprius non habet poteſtatem ordinariam ad diſpenſandum, vel commutandum vota. Eſt ſententia certa, & communis Theologorum in 4. d. 38. Richard. art. 9. Palud. q. 4. ar. 4. concl. 6. & 9. Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 8. & 9. Canoniſtæ communiter in cap. 1. de Voto, Innoc. Hoſtien. Panor. &c. & Summiſtæ verb. *Votum*, Nauarr. d. c. 12. n. 75. & 79. Soto d. q. 4. ar. 3. Et ſumitur ex D. Thoma d. artic. 12. quatenus dicit, ad diſpenſandum requiri Prælati authoritatem; ergo inferiores omnes, qui Prælati non ſunt, non habent hanc poteſtatem. Et idem intelligunt omnes de poteſtate commutandi, vtique quando commutatio requirit poteſtatem iuriſdictionis, quam poſtea explicabimus. Ratio à priori eſt, quia diſpenſatio hæc eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ diſtinctæ à iuriſdictione ſacramenti pœnitentiæ, ſed in Parocho, & ſimilibus non eſt talis iuriſdictio, nullo enim iure illis conceditur, nec ex natura rei, vel conſuetudine colligi poteſt, ergo.

Richard. Palud. Anton. Innoc. Hoſtienſ. Panor. Nauar. Soto. D. Thom.

12.

Contra hanc vero aſſertionem referri ſolet Supplementum Gabrielis dicta d. 38. quæſt. 1. in fine, vbi ſolum ait: *Quandoque Prælatum inferiorem, & ſimplicem ſacerdotem poſſe quoad ſibi ſubiectos in aliquibus votis diſpenſare.* Sed forte intelligit, aliquando id poſſe ex ſpeciali priuilegio, vt mox dicemus: nam de ordinario iure probabile non eſt. Contra hanc etiam receptam doctrinam videtur docere Emmanuel Rodri. tom. 2. Quæſtionum Regular. quæſtione 46. articulo 9. quatenus dicit, Curatum poſſe diſpenſare in votis minoribus, vt peregrinationis breuis, vel ſimilibus: quia poteſt diſpenſare in ordinariis legibus Eccleſiaſticis, vt ieiunij, vel audiendi Miſſam, &c. Et eadem eſt ratio de dictis votis iuxta doctrinam Diui Thomæ d. quæſtione 88. articul. 10. Sed hæc ſententia non eſt admittenda, quia eſt contra communem, & nullo textu fundatur, vt ipſe fatetur, nec etiam circa vota oſtendi poteſt talis conſuetudo, imo de contraria teſtantur Hoſtienſ. & alij Authores allegati. Vnde argumentum ex diſpenſatione legis ſumptum retorqueri poteſt, quia Parochus non poteſt in legibus diſpenſare, quod ſi in aliqua poſſet ex ſpeciali conſuetudine, ad alias leges extendenda non eſt, nedum ad vota. Quando autem poſsint Parochi diſpenſare in legibus, dicemus in tractatu de Legibus, quem præ manibus habemus.

Em. Rod.

D. Thom.

14.
4. Aſſertio. Nullum Prælatum inferiorem Epiſcopo ſine iuriſdictione Epiſcopali poſſe in votis diſpenſare iure ordinario.

Dico quarto: Nullum Prælatum inferiorem Epiſcopo, vel in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutum ſine iuriſdictione Epiſcopali, poſſe in votis diſpenſare: ex priuilegio autem, conſuetudine, vel ſpeciali inſtitutione Pontificia, Prælatos aliquos ſæculares inferiores Epiſcopis, qui Epiſcopalem iuriſdictionem participant, & Prælatos regulares exemptos poſſe in votis non reſeruatis cum ſuis ſubditis diſpenſare, ſemperque ſub diſpenſatione commutationem intelligimus in ſenſu explicato. Aſſertio communis eſt, circa quam notanda eſt regula Innocent. in ca. 2. de Eo, qui fur. ordin. recep. quam valde commendat Abb. in cap. 1. de Voto numer. 7. dicitque eſſe communiter receptam in cap. vltim. de Poſtul. Prælat. Prælatum inferiorem Epiſcopo non poſſe diſpenſare, niſi in caſibus in Iure expreſsis. Quam probat Abbas ex Clement. 2. de Priuileg. vbi nihil inuenio. Innocent. autem illam deducit ex capit. *Ad hæc*, de Offic. Archid. quatenus ibi dicitur, Archidiaconum non poſſe ardua negotia ſine Epiſcopo terminare: nam diſpenſatio votorum inter ardua negotia computatur. Propria autem ratio eſſe videtur, quia iſti inferiores non ſunt ordinarij paſtores, ſecluſa ſpeciali inſtitutione, aut priuilegio: & ideo in eis non habet locum regula, vt poſſint quidquid eis non prohibetur, ſed alia, ſcilicet vt ea tantum poſsint, quæ illis inueniuntur conceſſa in Iure, vt dicunt dicti Authores: non excludunt tamen conſuetudinem, quæ, vt ſæpe dixi, vel iuriſdictionem præbet, vel datam oſtendit, argumento capit. vlt. de Offic. Archidiac. cap. vlt. & cap. *Duo ſimul*, de Offic. ordin. cum ſimilibus. Aduertit autem Paludan. conſuetudinem hanc derogare iuri communi, & ideo eſſe reſtringendam, ita vt ſi Archidiaconus, v. g. ex conſuetudine alicubi diſpenſet in votis perſonalibus, ac leuibus, non extendatur ad realia, nec ad grauia, ſecluſa autem conſuetudine dicta regula ſeruanda eſt in Archidiaconis, Abbatibus, & ſimilibus inferioribus Prælatis, & ita ſentit Syluest. *Votum*, 4. q. 3. Palud. d. ar. 4. concl. 7.

Innoc. Abbas.

Syluest.

15.
Quidam priuilegio poſſunt in votis diſpenſare.

Secunda vero pars de Prælatis ſæcularibus ex vſu conſtat in multis Prælatis exemptis, qui iuriſdictionem habent Epiſcopalem. Et ratio eſt, quia Pontifex poteſt hanc iuriſdictionem communicare vt ordinariam, quia in illo exiſtit tanquam in principali, & vniuerſali cauſa ſub Chriſto, & ad illum ſpectat illam diſtribuere, & inſtituere diuerſos miniſtros, per quos ex officio, ac ſubinde iure ordinario adminiſtretur: hac autem poteſtate ſæpe vtitur, prout iudicat expedire, vt conſtat ex vſu, & ex c. *Duo ſimul*, cum ſequentibus de Offic. ordi. & aliis ſimilibus. Quocirca ad cognoſcendum, quanta, & qualis ſit hæc poteſtas in his Prælatis inferioribus conſulenda ſunt eorum priuilegia, & conſuetudines. Pro regula vero tenendum eſt, quod ſi habent ordinariam iuriſdictionem Epiſcopalem, ita vt ſuam veluti diœceſim habeant, & ſuum tribunal, conſequenter etiam habeant poteſtatem diſpenſandi in votis. Quæ regula à ſimili ſumitur ex Gloſſa in Clement. 1. de Reb. Eccleſ. non alien. cum Innocent. quem allegat in capit. *Statutum*, de Tranſact. Et ad

Gloſſ.

candem

Digitized by Google

Abbas. eandem confirmãdam conferunt multa, quæ congerit Abb. in capit. *Significaſti*, de Foro competenti, à numero 5. vſque ad 13. & clarius, ac breuius in capit. 1. de Voto numer. 7. vbi ita exponit verba illius textus, *Quilibet præſidens, ſcilicet habens iuriſdictionem Epiſcopalem*: quia talis Prælatus poteſt exercere iura Epiſcopalia.

14. Tertia denique pars de Prælatis regularibus, intelligenda eſt reſpectu ſubditorum regularium, & exemptorum. nam ſi non ſunt exempti, potius ſubduntur Epiſcopis vt propriis Prælatis. nec tales ſuperiores regulares merebuntur nomen Prælatorum, vt ſtatim dicam. Si voto contingat Prælatos regulares habere iuriſdictionem Epiſcopalem in laicos. (vt ex priuilegio aliquibus conceditur) tunc per accidens eſt, quod illi Prælati ſint regulares, & in eis locum habent dicta in proximo puncto. Sic ergo explicata illa pars ſequitur ex regula proxime tradita, quia hi Prælati regulares re vera habent iuriſdictionem Epiſcopalem, vt nunc ſuppono. Itẽ eſt hoc conſequens ad exemptionem: nam ex ipſo, quod hi Religioſi eximuntur à iuriſdictione Epiſcoporum, non poſſunt ab eis diſpenſari, ergo Prælati eorum in hac poteſtate ſuccedunt, quos loco Epiſcoporũ habent, nec Pontifici immediate ſubiciuntur. Et ideo hæc poteſtas non eſt in his Prælatis vt delegata, ſed vt ordinaria, quia ſuppoſita inſtitutione, & approbatione Religionis competit illis ex vi muneris, & officii. Et ita docent communiter Doctores, præſertim Richard. artic. 9. quæſtione 2. Syluest. d. quæſtione 3. So. libr. 7. quæſt. 3. artic. 1. q. 4. art. 3. Caiet. d. art. 8. Nauar. d. num. 75. Qui declarant, omnes Prælatos Religioſos, qui poſſunt irritare vota ſubditorum, poſſe etiam diſpẽſare, ſi velint, atque ita non ſolum Generales, & prouinciales, ſed etiam Prælatos locales, ſeu conuentuales habere hanc poteſtatem. Et vſus hoc confirmat. Ratio autem eſt, quia illi etiam iuriſdictionem Epiſcopalem participant, quia ex vi muneris eis committitur plena cura ſpiritualis ſubditorum, & hac ratione inſtituuntur cum ſufficienti iuriſdictione ad hoc munus, & ad alia ſimilia, ideoque ſub nomine Prælatorum proprio comprehenduntur, vt tradunt Summiſtæ verb. *Prælatus*, cum Gloſſa in Clement. 1. de Elect. ver. *Prælatus*.

Richard. Syluest. Soto. Caiet. Nauar.

15. Contra hanc vero aſſertionem ſentit Palud. in 4. d. 38. quæſtione 4. art. 4. concl. 7. Ratio eius eſt, quia vel vota Religioſi fuerunt emiſſa ante profeſſionem, vel poſt: priora extinguuntur profeſſione, & ita propter illa non eſt neceſſaria poteſtas diſpenſandi: poſteriora vero irritatione tolluntur, & ita etiam non eſt locus diſpenſationi. Sed profecto vna poteſtas non excludit aliam, ſunt enim diuerſarum rationum, & non ſunt contrariæ, & vtriuſque fundamentum reperitur in Prelato Religioſo, quia poteſtas irritandi fundatur in ſubiectione ex vi voti, & profeſſionis. poteſtas autem diſpenſandi in iuriſdictione Eccleſiaſtica communicata his Prælatis per Apoſtolicam Sedem: vt ex eorum inſtitutis, & Bullis conſtat. Vnde quando Monachi non erant exempti, vel ſiqui nunc ſunt Religioſi non exempti, eorum ſuperiores, licet habeant irritandi poteſtatem, non poterunt diſpenſare in votis: quia non ſunt proprie Prælati, ſed eorum Prælatus proximus eſt Epiſcopus. Abbatiſſæ etiam licet irritare poſſint, non tamen diſpenſare, quia non ſunt capaces iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vel ſaltem iure ordinario eis non conceditur. At vero Prælati regulares exempti vtramque poteſtatem habent.

Palud. Contrariæ ſententiæ.

16. Neque id eſt ſuperfluum, tum quia interdum poterunt ex iuſta cauſa nolle irritare, diſpenſare, vel commutare. Tum etiam quia aliquando vota irritare non poſſunt, in quibus poterunt diſpenſare, quorum nõnulla exempla breuiter notari poſſunt. Primum eſt, votum tranſeundi ad arctiorem, Religionem vt affirmat communis ſententia Ant. 2. p. tit. 11. ca. 2. §. 9. Caietan. 2. 2. quæſtione 189. artic. 2. Syluest. d. quæſtione 3. Soto quæſtione 3. artic. 2. dub. 2. & quæſt. 4. art. 3. Palaci. d. diſp. 3. Nauar. Comment. 4. de Regul. ca. 22. Qui omnes ſupponunt, hoc votũ non poſſe irritari, vt ſupra vidimus, & quoad diſpẽſationem non eſſe reſeruatum, & conſequenter inferunt à proprio Prælato poſſe diſpenſari, quia poſſet ab Epiſcopo ſi eſſet illi ſubiect9, de quo infra ſuo loco videbimus.

Anton. Caiet. Syluest. Soto. Palac. Nauar.

Secundum exemplum eſt de voto confirmato ab eodem Prælato, quod forte irritare non poteſt, ſaltem licite, poteſt tamen diſpenſare in illo ex iuſta cauſa, ſecundum omnes allegatos, licet aliqui antiqui oppoſitum dixerint, vt refert Richard. ſupra ar. 4. quæſtione 3. à quibus ipſe non recedit, licet ſolum concludat tutius eſſe à ſuperiore Prælato diſpenſationem petere. Sed quod diximus, certum eſt, quia Prælatus conſentiendo in voto ſubditi, non ſe priuauit poteſtate diſpenſandi, cur enim, vel à quo? Aut enim ſua voluntate, & hoc non, vt conſtat, vel voluntate Superioris, & de hac vnde conſtat? vel quæ eſſe poteſt iuſta cauſa illius, cum ille non peccauerit confirmando votum, vt in pœnam priuationem illam meruerit? vel denique illa priuatio ſequitur ex natura rei, & hoc etiam dici non poteſt cum fundamento: quia ex confirmatione voti ad ſummum ſequitur, vt tale votum ſit firmum, votum autem quantumuis firmum, eſt diſpenſabile: ergo non obſtante illa confirmatione, votum manet ſub obiecto potentiæ diſpenſandi, quæ in ſe nec diminuta nec ligata fuit. Non eſt ergo dubium, quin legitima cauſa intercedente, poſſit idem Prælatus licite, & valide in illo voto diſpenſare. 17

Richard.

Quin etiam addimus tertium exemplum de voto confirmato à Superiori Prelato, quod ab inferiori ordinario irritari non poteſt, & tamen poteſt diſpenſare, etiamſi Richar. ſupra oppoſitum dicat. Probatur, quia illud votum eſt diſpenſabile, vt ratio facta probat, & non fuit reſeruatũ à Superiore propter conſenſum in illud, ſed tantum confirmatum, quod longe diuerſum eſt, nec diſpenſatio eſt contraria confirmationi, ſicut eſſet irritatio: quia eſt à poteſtate iuriſdictionis, non à poteſtate dominatiua. At per confirmationem Superioris extrahitur votum à poteſtate dominatiua inferioris, non à iuriſdictione voluntaria ad quam pertinet diſpenſatio: ergo. 18

CAPVT XI.

Qui ſint ſingulorum fidelium Prælati ordinarii ad eorum vota diſpenſanda.

QVamuis Prælatus, & ſubditi correlatiua ſint, & ideo explicata poteſtate Prælatorum, videatur conſequenter declaratum, vniuſcuiuſque vota à Prælato, cui vouens eſt ſubditus, eſſe diſpenſanda: nihilominus propter nonnulla dubia, quæ in aliquibus perſonis occurrunt, vtile erit etiam ex parte vouentium hanc ſubiectionem, ſeu relationẽ, & capacitatem declarare. 1

Et primo inquiri poteſt de Pontifice: nam etiam ille eſt capax votorum, ſiue illa habuerit ante Pontificatum, (non enim extinguuntur ipſo facto per dignitatẽ illam, quia nullo iure, vel ratione hoc affirmari poteſt) ſiue ſint emiſſa in illo ſtatu: nã eſt capax vouendi, ſicut & iurandi, vt per ſe notum eſt. Nec dubitandũ eſt, quin talia vota Pontificis diſpẽſabilia ſint, quia non debet eſſe peioris conditionis, quam reliqui fideles. A quo ergo diſpenſabuntur? Nam Prælatum non habet, cum in terris nõ habeat ſuperiorẽ, & ſecum ipſe diſpenſare non poteſt, quia hic eſt actus iuriſdictionis, quem non poteſt idem exercere circa ſe ipſum. Dicendũ vero eſt, talia vota eſſe diſpẽſãda per eiuſdem Pontificis iuriſdictionẽ: 2

Vota facta à Pontifice ab eodem ſunt irritabilia.

quia

quia per inferiorem fieri non poteſt talis diſpenſatio, vt ratio facta probat. Deinde optimus modus erit, ſi Pontifex hanc iuriſdictionem ſuo confeſſori committat, quia tunc optime, & ſine vlla ſuſpicione exercebitur iuriſdictio. Sic enim alias diximus confeſſorem Pontificis ab eodem habere iuriſdictionẽ, qua illum abſoluit. Denique non eſt improbabile, ipſum Pontificem poſſe per ſe ipſum ſecum diſpenſare, quia hic non requiritur diſtincta perſona propter ſpecialem inſtitutionem, ſicut in abſolutione Sacramentali nec etiam requiritur propter vſum iuriſdictionis, quia in iuriſdictione voluntaria, & ſuprema non eſt inconueniens eundem, vt Pontificem operari in ſe ipſum vt hominem, ſicut de indulgentijs alias diximus.

3. *Simile dubium de Epiſcopis. Palud. Excluditur Paludan.*

Secundo eſt ſimile dubium de Epiſcopis, de quibus Palud. 4. d. 38. q. 4. art. 4. concl. 8. dicit, vota Epiſcopi ſuffraganei poſſe diſpenſari ab Archiepiſcopo. *Quia eſt* (inquit) *illi ſubiectus*. Vnde conſequenter idem fortaſſe diceret de Archiepiſcopo reſpectu Patriarchæ, vel Primatis. Sed ex iure hoc accipi non poteſt, quia nullum inuenitur, & alioqui Epiſcopus non eſt proprie ſubditus Archiepiſcopo in ſpirituali regimine perſonæ ſuæ, ſed ſolum in aliquibus actibus pertinentibus ad externam gubernationem Eccleſiæ, vt ſumitur ex cap. *Paſtoralis*, de Offi. Ord. & ideo credo conſulendam eſſe conſuetudinem, de qua mihi non conſtat. Addit ſecundo Palud. poſſe hos Prælatos eligere confeſſorem, qui cum illis in votis diſpenſet, quod ſolum probat ex eo, quod poſſunt eligere confeſſorem, qui eos abſoluat à caſibus Epiſcopo reſeruatis, iuxta cap. vlt. de Pœniten. & remiſſ.

Cap. Paſtoralis.

4. Sed hæc probatio inefficax eſt, tum quia ibi ſolum conceditur poteſtas eligendi confeſſorem, ad quam non ſequitur poteſtas eligendi diſpēſatorem in votis, vt per ſe notū eſt: & ideo quando vtrumq; conceditur, exprimitur, vt in Iubileis fit. Tum etiam quia ibi nulla fit mentio de reſeruatione, & ita ex vi illius textus non poteſt confeſſor electus abſoluere à caſibus reſeruatis Superiori. Quod autem poſſit abſoluere à reſeruatis ipſimet Epiſcopo, nihil refert: quia illa reſeruatio non comprehendit reſeruantẽ, tum quia non abſoluitur iuriſdictione ſua, ſed manante à Superiore, tum quia licet ita abſolueretur, ipſe poſſet committere iuriſdictionem ſupra caſum à ſe reſeruatum. Supra votum autem ſuum non poteſt, quia infra Papam nullus poteſt ſecum diſpenſare, vt ſentit Gloſ. 1. (etiam de interpretatione loquẽs) in cap. *Magnæ*, de Voto. vbi Panor. expreſſe dicit, Epiſcopum non poſſe diſpenſare in propriis votis, & ſequitur Syluest. *Votum* 4. q. 3. §. *Vndecimum*. & Angel. *Votum* 4. n. 7. argumento Clement. 2. de Reb. Eccleſ. non alien. vnde fit, vt Epiſcopus non poſſit committere confeſſori à ſe electo poteſtatem diſpēſandi ſecum: quia nemo dat quod non habet. Quod autem confeſſori ab Epiſcopo electo Pontifex illā conferat iure non probatur, vt dixi. Niſi ergo conſuetudo Epiſcoporum talem facultatem oſtendat iure ordinario à Pontifice in hac diſpenſatione pendent: quia illi immediate in his ſpiritualibus ſubijciuntur.

Gloſ. Panorm. Syluest. Angel.

Epiſcopus nequit committere ſuo confeſſario poteſtatem ad diſpenſandum cum illo in votis.

5. *Expeditur ſimile dubium de Prælatis habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem.*

Tertio iuxta hæc definiendum eſt ſimile dubium de Prælatis exemptis habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, & poteſtatem ad diſpenſandum vota. Nā Palud d. q. 4. art. 4. concl. 8. de Abb. ait, poſſe eligere confeſſorem, qui cum illo in votis diſpenſet, ſub Abbate vero omnes hos Prælatos comprehendere videtur, & tam regulares, quam ſeculares iuxta tenorem c. vlt. de Pœnit. & remiſ. Sed hoc eadem ratione improbatur, quam de Epiſcopis attulimus; quia non eſt maior poteſtas, nec maius priuilegium horum inferiorum Prælatorum, quam Epiſcoporum, vt per ſe notum eſt. Igitur ſi ſecularis fuerit, & immediate ſubijciatur Papæ, ad illum recurrat, neceſſe eſt, vt ab eo diſpenſetur: ſi vero fuerit regularis Prior, Guardianus, & ſimiles à Prouinciali, hic à Generali, vel Cōmiſſario (ſi eum habuerit) & denique inferior à Superiore diſpēſandus eſt, quia Superior habet in inferiorem Prælatum iuriſdictionem, & non è conuerſo, neque idem in ſe ipſum. Prælatus autem ſupremus Religionis, vt Generalis à tota Religione, quæ illi ſuperior eſt, poteſt habere deſignatam perſonam ad hoc munus, vel poteſtatem eligendi confeſſorem cum tota hac poteſtate, quam tunc non eligens, ſed Religio in virtute Bullarum Pontificum confert. Ac denique in vnaquaq; Religione expēdenda ſunt illius priuilegia & ſtatuta; & iuxta illa iudicandum eſt.

6. *An principes ſeculares habeant aliquā poteſtatem ad diſpenſandum in ſuis votis.*

Quartum, & ſimile dubium tractari poteſt de Regibus, vel alijs ſecularibus Principibus, ſed re vera in eis proprie non habet locum, nec in aliquo genere, vel ſtatu hominum, ſiue laicorum, ſiue Eccleſiaſticorum, ſecularium, vel regularium. Nam omnes habent aliquem Eccleſiaſticum Prælatum, cui ſubijciuntur, & ab illo debent per ſe loquēdo in votis diſpenſari. Vt Cardinalis, verb. g. à Papa, Reges à ſuis Epiſcopis, loquendo de ordinario iure. Nam ex priuilegio fortaſſe habent facultatem eligendi confeſſorem, qui hanc poteſtatem habeat, & tunc à Papa manabit poteſtas, & ſic de alijs ſimilibus perſonis iudicādum eſt. De inferioribus autem occurrunt duo alia ſpecialia dubia, partim ad Religioſos, partim ad laicos pertinentia.

7. *An poſſit Religioſus petere diſpenſationem voti ab Epiſcopo.*

Quinto ergo interrogari poteſt, an poſſit ſubditus Prælati exempti, vt Religioſus. v. g. petere diſpenſationem ſui voti ab Epiſcopo, & non à Prælato ſuo. Quaſi cedendo priuilegio exemptionis. Sed hæc quæſtio generalis eſt de vſu talis iuriſdictionis, præſertim in fauorabilibus, & voluntarijs, quam, Deo dante, tractando de Statu Religioſo differemus. Interim videri poteſt Panor. in c. *Significaſti*, de Foro compet. n. 11. & q. 7. to. 8. Qui partem negantem late defendit, & videtur conſentanea iuri, quia exemptio non eſt fauor Religioſi, ſed Religionis, cui non poteſt priuatus renunciare cap. *Si diligenti*, de For. compe. Item quia per exemptionem aufertur ius Epiſcopo in talem perſonam, & confertur Prælato Religionis authoritate Papæ, quam poſtea ſubditus ſua voluntate mutare non poteſt. Et propter alia de quibus latius in loco allegato.

Panorm.

Ca. Si diligenti.

8. *A quo Prælato nouitiorum vota queant diſpenſari.*

Quinto inquiri poteſt de Nouitiorum votis, à quo Prælato poſſint diſpenſari, an à Prælato Religionis, vel à proprio Epiſcopo. Et habet locū quæſtio, quādo nouitius vult diſpenſari ante profeſsionem: nam ſi velit vſque ad profeſsionem exſpectare, & interim ea ſeruare, poſtea non indigebit diſpenſatione: nam in ipſa profeſsione extinguuntur, vt poſtea dicemus. Deinde aliud eſt agere de propria diſpenſatione, qua omnino tollatur vinculum voti, aliud de ſuſpenſione voti quoad exequutionem pro illo anno probationis. Nam pro illo anno probabile eſt, habere Prælatum Religionis poteſtatem in nouitiis ad ſuſpendendam exequutionem quorumcumque votorum, quæ vel opera Religionis, & ordinē impediunt, vel nimium aggrauare poſſunt onus Religionis, quia pro illo temporē Nouitius eſt commiſſus regimini Prælati Religionis, vt eum gubernare poſſit prout oportuerit ad finem probandi illum, & vt ipſe etiam probare poſſit Religionē, vnde habet omnem iuriſdictionem neceſſariam ad hunc finē. Eſt autem maxime neceſſarium, vt moderari poſſit alia opera, vel onera, quæ vel impedire poſſunt alia exercitia Religionis, vel oneroſa illa reddere, ne illa occaſione, vel difficilior reddatur Religio, & perſeuerantia in illa, vel omittenda ſint opera Religionis propter peculiaria onera votorum. Quæ ratio locum habet, ſiue talia vota facta ſint ante aſſūptum Religionis habitum, ſiue poſt, & ita idem de vtriſque dicendum eſt. Siue ergo hoc fiat per modum in-

Digitized by Google

dum indirectæ irritationis prohibendo materiam voti, ſiue per modum commutationis, de qua poſtea dicemus, ſiue per modum interpretationis, declarando pro eo tempore, & in eo ſtatu non eſſe melius, nec gratius Deo exequi talia vota, ſiue per modum iuſtæ diſpenſationis, certũ videtur hoc genus ſuſpenſionis eſſe licitum, & in poteſtate Prælati Religionis.

9\. Quocirca ſi vota eſſent talia, vt ſolum pro illo anno, & in tali ſtatu, & modo, & non alias eſſent obſeruanda ex intentione vouentis, per talem ſuſpenſionem conſequenter tollerentur omnino, non tã per directam diſpẽſationem, quam per lapſum temporis pro quo implenda erant, in quo illud impedimentum interuenit. At vero ſi vota non ſint oneroſa vitæ Religioſæ pro illo tempore, vt ſi ſit votũ ſimplex, & priuatum caſtitatis aut obedientiæ ſecundũ illam regulam, aut ſit de exequendis ipſimet operibus Religionis vt, de ſeruando abſtinentiam, veſtimentis, non eſt cur ſuſpendatur: nec in Prælato Religionis eſt ad hoc poteſtas ex vi directi regiminis, quia ceſſat ratio facta, vt conſtat: nec etiam poſſunt tolli per directam diſpenſationem, vt iam dicam. Deinde ſi vota obligent indifferenter, vt vel in Religione, vel extra ſeruanda ſint, ſiue in ſeculo, ſiue in Religione ſint facta, non poſſunt per diſpenſationẽ ſimpliciter tolli a Prælato Religionis, ſed hoc pertinet ad proprium Epiſcopum. Probatur; quia Prælatus Religionis non habet ſimpliciter iuriſdictionẽ Epiſcopalem in nouitium, ſed tantum regimen illius pro tali tempore, & propter talem finem: ergo non poteſt tollere eius vota, quatenus pro illo ſtatũ non impediunt ſtatum illum. Item nouitius non mutauit ſtatum ſimpliciter, nec domicilium: ergo adhuc manet ſub Epiſcopo ſuo in his, quæ abſolute reſpiciunt perſonam ſuam: ergo ab eo pendet tam in hac, quã in ſimilibus diſpenſationibus, ſicut in literis dimiſſoriis, ſi ordinari vellet, & ſimilibus. Et hæc doctrina ſumitur ex Nauarr. d. c. 12. n. 65. & intelligenda eſt ex vi iuris cõmunis, nam ſi Religio habuerit ſpecialia priuilegia, quæ Prælatis conferant maiorem poteſtatem illa vti poterunt. Quod autem de commutatione dicendum ſit, ſi nouitius ea vti velit, dicemus in ſequentibus.

10\. *A quo Prælato Peregrinorum vota diſpenſari queant* Vltimo interrogari poteſt de his, qui iter agunt, & extra ſuam diœceſim peregrinãtur, a quo Epiſcopo poſſint in votis ſuis diſpenſari, an a proprio, vel ab Epiſcopo loci in quo verſantur. In quo breuiter dico, quãdiu non mutatur domicilium poſſe Epiſcopum proprium diſpenſare in voto cum ſuo ſubdito etiam in alia diœceſi verſetur, quia hic actus eſt iuriſdictionis voluntariæ, & ſine ſpeciali ſolennitate exteriori fit, & ideo exerceri poteſt circa abſentem, & extra territorium exiſtentem. Sicut etiam e contrario Epiſcopus exiſtẽs extra diœceſim poteſt diſpẽſare in votis cum ſuis ſubditis in Epiſcopatu exiſtentibus propter eandem rationem, vt in ſimili de cenſura & eius abſolutione diximus. Addo præterea non ſolum poſſe, ſed debere ſic peregrinantem à ſuo proprio Epiſcopo diſpenſationẽ in voti obtinere. Loquimur enim de proprio peregrinante, ſeu iter agente, qui in alio loco nec domicilium, nec quaſi domicilium conſtituit, ſed eſt in continuo trãſitu, vel tantum ad breue tempus ibi negotiatur, vel oratur: ille ergo nullo modo eſt ſubiectus Epiſcopo alterius dioceſis ſeu territorii per ſe, vel in ordine ad vota: quia ſola præſentia localis ad hoc non ſufficit, nec conſuetudine eſt introductum, nec eſt neceſſarium (regulariter loquendo) ad ſubueniendum conſcientiis, ſicut eſt Sacramentum confeſſionis, & ideo non licet ab illo argumentum ſumere, de quo in proprio loco dictum eſt.

11\. *Opinio aliquorum.* Imo etiam de his, qui per magnam anni partem alicubi habent quaſi domicilium, vt ſunt Mercatores, vel Scholaſtici, dicunt aliqui, non poſſe diſpenſari in votis ſuis ab Epiſcopo loci, vbi tunc manent, ſed à proprio Epiſcopo. Ita Abbas in capit. *Nullus*, de Paroch. num 4. quem ſequuntur Angel. Syluest. & Tabien. verb. *Domicilium*. Et ratio eſt eadẽ, quia ſcholaris v. g. ſimpliciter non eſt ſubditus Epiſcopi Academiæ, ſed ſolum quoad ſacramenta neceſſaria, & ideo non poteſt ab eo ordinari ſine licentia ſui Epiſcopi, eadem autem ratio eſt de diſpenſatione voti. *Abbas. Angel. Syluest. Tabiena.* Dices: quid ſi neceſsitas vrgeat? Reſpondeo, neceſſitatem non dare iuriſdictionem ei, qui paſtor non eſt: erit ergo tunc ſubueniendum neceſsitati eius, qui voto ligatus eſt, tanquam carenti pro tunc paſtore, qui poſſit cum illo in voto diſpenſare. Adde nullam videri poſſe eſſe tam vrgentem occaſionẽ, quæ ad tollendum vinculũ voti ſtatim, & ſine mora compellat. Nam ſi tantum ſit aliqua vrgens occaſio alicuius commoditatis humanæ, illa non ſatis eſt ad tollendum voti vinculum prætermiſſo ordine, ſeu ordinem Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, & illam vſurpãdo. Si vero ſit neceſsitas ſpiritualis, illi ſubueniri poterit aliis mediis, vel ſaltem ſufficiet pro tunc ſuſpẽdere exequutionem voti, & ad hoc multum valere poterit authoritas præſentis loci Epiſcopi, vel per modum interpretationis, vel fortaſſe etiã per modũ diſpẽſationis in vſu, ſeu dilatione exequutionis voti, quia hæc facilius admitti poteſt ex voluntate interpretatiua proprii Epiſcopi, quam diſpenſatio in vinculo voti.

CAPVT XII.

An poteſtas ad diſpenſandum in voto delegari poſſit, & an eo ipſo cenſeatur conceſſa ad commutandum.

1\. *Delegabilis eſt tam poteſtas ad diſpenſandũ quam ad commutandum vota.* Diximus de poteſtate ordinaria, dicendum ſequitur de delegata. Supponimuſque hanc poteſtatem, ſiue ſit ad diſpenſandum ſimpliciter, ſiue ad commutandum delegabilem eſſe, quod eſt per ſe notum, quia eadem ratio de illa eſt, quæ de qualibet poteſtate iuriſdictionis. Solum oportet, vt delegatio fiat ab habente poteſtatem ordinariam: quia hoc eſt regulariter neceſſarium ad delegationem: nam delegatus nõ poteſt ſubdelegare, niſi vbi hoc ei fuerit ſpecialiter conceſſum: ex parte vero eius, cui fit delegatio, ſolũ eſt neceſſarium vt ſit capax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, atque adeo vt ſit clericus: nõ vero, vt ſit ſacerdos, quia hæc diſpẽſatio extra confeſsionem fieri poteſt, & eſt actus externæ iuriſdictionis licet voluntariæ. Suppono etiam, hanc delegationẽ fieri ſemper ab homine, vel per ſpecialia indulta, aut priuilegia: nam de iure communi non conſtat, aliquam delegationem ſimilem eſſe factam.

2\. *Poteſtas ad diſpenſandũ non cenſetur conceſſa, vt ſit ſpecialiter delegata.* Vnde ſuppono tertio, vt hæc poteſtas cenſeatur delegata, non ſatis eſſe, vt aliqua ſimilis poteſtas cõcedatur, ſed neceſſarium eſſe, vt in ſpecie detur poteſtas ad diſpenſandum in votis. Tum quia priuilegium non plus valet, quam ſonat, tum quia alias nõ conſtabit de voluntate delegantis, à qua hæc poteſtas pendet: tum etiam quia in concedendis non fit illatio. Vnde licet concedatur poteſtas ad abſoluendum ab omni caſu reſeruato, & ab omni culpa, pœna, & cenſura, & ad diſpenſandum ab irregularitate, non eſt delegata poteſtas ad vota diſpenſanda, niſi exprimatur. Quæ ſunt certa, & communia. Dicit autem Gloſſa Extrauag. 1. de Pœnit. & remiſſ. verb. *Conſtituuntur*, verius finem. Per remiſsionem pleniſsimam, quæ fit in anno indulgentiæ, tolli omnia vota exceptis Hieroſolymitano, & Religionis: vnde poteſt inferri idem eſſe in quocunque Iubilæo pleniſſimo. *Gloſſ.* Sed ſi illud verum eſt, non eſt ex vi Iubilæi, vt concedit remiſsionem pleniſsimam peccatorum, ſed ex peculiari conceſsione Papæ, qui ipſe declarauit conſtitutionalter, & prætante, vt illa Gloſſa refert, de qua [illegible] tertio ſequenti.

Quantum

3. *Dubium pro pluribus.* Quamuis autem hæc principia ſint certa, nihilominus, quia diſpenſatio, & commutatio ſunt valde coniuncta, de illis ſunt ſpecialia dubia. Et primum eſt, an conceſſa poteſtate ad commutanda vota, cenſeatur data poteſtas ad diſpenſandum ſimpliciter? Ratio dubitandi eſt, quia commutatio non fit ſine diſpenſatione; ergo poteſtate ad commutationem conceſſa, conſequenter, ac neceſſario conceditur ad diſpenſationem. Hoc enim modo Innocent. Panormit. & alij in cap. 5. de Voto ex poteſtate commutandi, quæ eſt in Epiſcopis colligunt poteſtatem diſpenſandi. Vnde Syluest. *Votum*, 4. quæſt. 3. diſt. 2. dicit, qui habet poteſtatem commutandi, habere etiam diſpenſandi in votis; & inter hæc nec iura, nec Doctores conſtituere diſcrimen, quantum ad authoritatem: ſequitur Palac. in 4. d. 38. diſp. 3. circa finem, §. *Et ſane ſi amicus.* Et confirmatur, quia vel talis poteſtas reſtringenda eſt ad commutationem in melius, vel æquale, quod valde rigoroſum eſt; vel extenditur ad commutationem in minus, & hæc non fit ſine magna diſpenſatione, & moraliter vix ſeparantur, quia raro fit diſpenſatio ſine aliqua impoſitione. Vnde etiam ſumitur coniectura, quia hac ratione videntur Iura Canonica indifferenter loqui de voti diſpenſatione, & commutatione, quia loquuntur ſecundum id, quod frequentius accidit, vel etiam conuenientius eſt: ſic autem moraliter non fit diſpenſatio ſine aliqua commutatione: ergo veriſimile eſt hæc indulta indifferenter vti his terminis, & diſpenſationem ſub commutatione comprehendere. Deniq; confirmatur, quia poteſtas commutandi ad gratiam, & beneficium ſpectat: ergo large eſt interpretanda eius conceſsio, ergo, &c.

Innoc. Panorm. Syluest. Palac.

4. *Reſolutio. Poteſtas commutandi, nō infert poteſtatem diſpenſandi. Cordub. Couar. Abb. Roſel.* Nihilominus dicendum eſt, conceſſa per delegationem poteſtate commutandi, non cenſeri conceſſam poteſtatem diſpenſandi in votis. Hæc eſt communis ſententia, quam vt certam tradunt Doctores in puncto ſequenti citandi, & Cordub. li. 5. de Indulg. q. 37. & Couar. in ca. *Quamuis pactum*, 1. p. §. 3. n. 4. & pro illa poſſunt à fortiori allegari Abb. & Roſel. dicentes, etiam in Epiſcopo non ſequi, habere poteſtatem diſpenſandi, quia habet commutandi. Et ratio eſt, quia commutatio, & diſpenſatio proprie, & in rigore ſunt actus diſtincti, & commutatio eſt quid minus quam diſpenſatio: ergo non poteſt fieri extenſio priuilegij à commutatione ad diſpenſationem. Maior conſtat ex terminis, quia diſpenſatio eſt pura mutatio negatiua, per quam extinguitur vinculum voti; commutatio non tollit vinculum, ſed transfert in aliam materiam. Minor autem eſt per ſe clara, & traditur à D. Thó. d. q. 88. ar. 10. Conſequentia deniq; videtur per ſe nota, quia hæc delegatio tota fundatur in voluntate concedentis, ex voluntate autem dandi aliquis minus non poteſt colligi voluntas dandi aliquid, quod lõge maius eſt. Vnde obiter colligitur differentia inter poteſtatem ordinariam, ac delegatam. Nam in ordinaria non ſeparantur poteſtas commutandi, & diſpenſandi: quia vtraq; includitur in paſtorali munere, & in adæquata iuriſdictione illius, per modum vnius ſimplicis poteſtatis neceſſariæ ad tale munus, & de hac poteſtate ordinaria videtur loquutus Sylu. loco citato. Poteſtas autem delegata conceditur pro arbitrio delegantis, & ideo ſi minorem tantum exprimit, non poteſt cenſeri concedere maiorem.

D. Thom.

5. *Ratio ſit contrariis argumentis.* Ad rationem autem in contrarium. Reſpondetur; diſpenſationem æquiuoce ſumi poſſe in præſenti. nam ſimpliciter ſumpta ſignificat remiſsionem debiti, & ita ſumitur cum diſtinguitur à commutatione, & ſic negatur antecedens, ſcilicet in omni commutatione includi diſpenſationem. Alio vero modo poteſt dici diſpenſatio omnis diminutio, ſeu lenitio rigoris debiti ſoluẽdi, & hoc modo in commutatione includitur aliqua diſpenſatio, quatenus quod erat præciſe debitum in vna ſpecie, permittitur in alia ſolui. Et ſic negatur conſequentia, & ita ſuperius dixi, illationem Iuriſtarum in vi illationis non eſſe bonam, etiamſi materialiter res vera ſit. Ad primam confirmationem reſpondetur, & ex natura rei, & in vſu Iurium, & indultorum Pontificum, & Doctorum omnium illa duo eſſe valde diſtincta, nec poſſe accipi vt æquipollentia.

Quod autem ibi inquiritur, de qua commutatione intelligendum ſit priuilegium concedens tantum poteſtatem commutandi, pendet ex multis infra dicendis de commutatione, & ideo dico breuiter, in rigore intelligi de commutatione in æquale: quia proprietas verborum, & ratio æqualitatis hoc poſtulat, quando nulla maior indulgentia conceditur. Dico tamen hanc æqualitatem non mathematice, ſed moraliter eſſe ſumendam, ita vt prudenti arbitrio, aut nulla, aut parua differentia eſſe credatur. Vnde credendum eſt, etiam extendi ad commutandum in dubio, An ſit melius id, in quo fit commutatio. Exiſtimoque etiam habere locum, quamuis dubium ſit, an ſit minus, dummodo nõ ſit certum: quia quando eſt res dubia, parua poteſt eſſe inæqualitas, licet forte in re contingat eſſe aliquam; & illa cenſetur æqualitas moralis: quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, & quia credibile eſt, voluiſſe delegantem aliquam concedere benignitatem. Vltra hanc vero menſuram non extenditur illa poteſtas, & ita longe diſtat à poteſtate diſpenſandi. Vnde patet reſponſio ad vltimam confirmationem. Beneficium enim Principis large interpretandum eſt, intra verborum tamen proprietatem, & ita hic ſub cõmutatione comprehendimus quidquid rationabiliter intelligi poteſt, diſpenſatio vero non ita poteſt comprehendi. 6.

Supereſt vero aliud dubium, an è contrario conceſſa poteſtate diſpẽſandi in votis, intelligatur conceſſa poteſtas commutandi? In quo duas inuenio ſententias extreme contrarias. Prima negat, quam tenet Nauar. dicto cap. 12. num. 79. & in Comment. de Iobelæo in §. *In leuitica*, notab. 27. à principio, ſequitur Ludouic. Lop. in to. 1. Inſtruct. 1. p. c. 50. Valen. 3. tom. diſput. 6. q. 7. punct. 7. circa finem §. *Denique*, Azor. tom. 1. libr. 11. cap. 11. q. 4. & c. 18. q. 7. Sanc. libr. 8. de Matrim. diſp. 7. numer. 5. Fundatur hæc opinio primo, quia priuilegia non plus valent, quam ſonant; ergo ſi vnum tantum actum concedunt, non poſſunt extendi ad alium diſtinctum, ſiue ſit maius, ſiue minus, quando vnum non eſt pars alterius: ita vero ſe habent diſpenſatio, & commutatio: ergo. Maior eſt clara: quia etiam in naturalibus potentia ad nobiliorem actum, non eſt potentia ad minorem, & in moralibus, cui datur poteſtas ad diſpenſandum in irregularitate grauiori, non ideò poteſt tollere diuerſam, licet minorem. Minor etiam probata iam eſt, quia diſpenſatio eſt ad tollendum vinculum voti; commutatio autem minime, ſed transfert vinculum ab vna materia in aliam. 7.

Dubium an poteſtas diſpenſandi in votis inferat poteſtatem commutandi. 1. Opinio negans. Nauar. Lud. Lop. Valent. Azor. Sanc.

Secundo: Licet poteſtas diſpenſandi videatur maior, poteſtas ad commutandum, eſt ex parte ſuſcipientis difficilior: quia requirit maiorem prudentiam, vt poſsit æqualitatem in commutatione ſeruare. Tertio, ſi quis habeat vtramque poteſtatem, & priuetur poteſtate commutandi, non priuatur eo ipſo poteſtate diſpenſandi: ergo etiam è cõtrario cui datur facultas diſpenſandi, non eo ipſo datur poteſtas commutandi. Conſequentia tenet à paritate rationis. Et antecedens ſuaderi poteſt: tum quia priuatio illa eſt odioſa, & ideo reſtringenda, ergo ſi tantum ſit de inferiori actu, non debet extendi ad maiorem diſtinctum: tum etiam quia Epiſcopus ſuſpenſus à collatione primæ tonſuræ, non ideo eſt ſuſpenſus à collatione ſuperiorum ordinum. Tum denique quia quando Iura volunt vtrumque effectum facere, id exprimunt, & poſt commutationem ad- 8.

Digitized by Google

nem addunt diſpenſationem, vt patet in Extrauag. *Quemadmodum*, de Pœnitent. & remiſſ. cum ſimilibus: ergo.

9\. *Proponitur ſecunda opinio affirmans.*

Secunda opinio contraria antiquior, & communior eſt, conceſſa poteſtate diſpenſandi in votis, concedi conſequenter poteſtatem commutandi. Tenet Palud. 4. d. 38. quæſt. 4. ar. 3. concl. 5. qui aperte loquitur etiam de poteſtate delegata: tum quia dicit, *Quicumque, & quandocumque poteſt in votu diſpenſare, quod maius. poteſt commutare, quod eſt minus*: tum etiam quia addit, *Sed non è converſo*, quod non eſſet verum, ſi tantum de ordinaria poteſtate loqueretur. Poſſunt item referri Syluest. & Palac. ſupra. Sed illi loqui videntur de poteſtate ordinaria. Tenet Soto li. 7. q. 4. art. 3. verſ. *Abbates*, vbi licet non expreſſe loquatur de poteſtate delegata, tamen dũ generaliter loquitur dicens, *Poteſtas diſpenſandi eadem vtique eſt commutandi*, ſatis comprehendit etiam poteſtatem delegatam: & ratio quam ſubiũgit, quia magis eſt diſpenſare, quam commutare, eundem ſenſum confirmat. Et ex profeſſo mutando ſententiam, hanc probat Ludouic. Lop. in 2. p. c. 9. de Clauibus. Tenet etiam Arag. 2. 2. quæſt. 88. ar. 12. & magis explicat quæſt. 89. art. 9. Henr. libr. 7. de Indulg. cap. 30. num. 5. & alios refert Sanci. ſupra. Fundatur hæc ſententia primo in Regul. Iur. 53. in 6. *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus*: quæ ad minus verum habet in his, quæ vel ſubordinata ſunt, vel vnũ aliud aliquo modo includit. Ita vero comparantur commutatio, & diſpenſatio: ergo. Secundo quia poteſtas diſpenſandi, ad gratias ſeu priuilegia pura, & non odioſa pertinet, vt Nauarr. ipſe in d. §. & notab. 27. fatetur. Et ideo eſt recepta ſententia, (de qua Deo dante, in materia de Legibus) talem poteſtatem eſſe ample interpretandam, imo & largiſsime tanquam beneficium Principis: ergo etiam poteſtas diſpenſandi in votis ſic interpretanda eſt: ergo debet extẽdi ad commutationem. Tertio: quia cui conceditur vt poſsit remittere totũ debitum, multo magis conceditur vt partem remittat, ſed hoc fit per commutationem: ergo.

Palud. Syluest. Palac. Soto. Abb. Lud. Lop. Arag. Enriq.

10\. *Approbatur ſecunda opinio, & amplius confirmatur.*

Hæc poſterior ſententia iudicio meo eſt non ſolum practice probabilis, & ſecura, ſed etiam in omni rigore vera: imo ſi prior opinio diſtinctius euoluatur, & ad particularia applicetur, non video, quomodo poſsit ſolida ratione, & conſtanter defendi. Tres enim tantum ſunt modi commutationũ, ſcilicet in melius, in minus, & in æquale, ſed oſtẽdemus poteſtatem diſpẽſandi in voto poſſe omnes has commutationes exercere: ergo ſimpliciter eſt poteſtas commutandi, & aliquid amplius. Probatur minor: nam cætera clara ſunt. Et primo de commutatione in melius cõmunis opinio fert, propria authoritate fieri poſſe: quis ergo dubitare poteſt, quin fieri poſsit ab habente poteſtatem diſpenſandi? Imo licet teneamus eſſe neceſſariam authoritatem Prælati ad talem commutationem, illa cõmunicata eſt ſufficienter per talem poteſtatem. Nam ibi duo in virtute ſunt: vnum eſt auferre vinculum voti à tali materia, & hoc facere poteſt, qui poteſt diſpenſare: nam poteſt auferre ſimpliciter: ergo multo magis à tali materia. Aliud eſt transferre illud vinculũ in aliã materiam digniorem, & ad hoc non eſt neceſſaria ſpecialis iuriſdictio, ſed ſufficit, ſi vouens acceptet tale onus, quod in omni commutatione ſupponendum eſt, per quamcumque poteſtatẽ fiat, vt conſtat.

11\. Denique ex aliis membris hoc conſtabit à fortiori, nam per poteſtatem diſpenſandi poteſt votum commutari in minus: ergo multo magis poterit in maius: quia melius agitur Dei negotium, & ſecurius, ac in maiorem fauorem voti. Hoc ergo antecedens, quod erat ſecundum membrum ſupra poſitum, fatentur expreſſe Azor, & Sancius. Et probant optime, quia habens poteſtatem diſpenſandi, non cogitur, tunc relaxare votum, ſed poteſt imponere aliquod onus, licet minus, hoc autem eſt commutare in minus, vel vt alij loquuntur partim relaxare, partim commutare: ergo. Maior patet, tum quia, (vt Caiet. notat dicto artic. 12. & omnes conſentiunt) regulariter eſt melius, non relaxare votum pure, ſed miſcere ſemper aliquam cõmutationem, quia ſic certius eſt non errari. Tum quia Pontifex ordinarie ita facit, quando diſpenſat, & fere ita loquuntur Iura, ſed credendum eſt, eum, qui delegat alteri poteſtatem diſpenſandi, concedere illi, vt meliori, & ſecuriori modo illa vtatur: ergo non cogit illum ad diſpenſandum pure, ſed meliori modo, quo id fieri poſsit: ergo ſi ipſe iudicet expedire, commutationem miſcere, poteſt facere ex vi illius poteſtatis. Tandem hoc conuincit ratio facta: quia qui poteſt totum remittere, poteſt etiam partem, ſed qui habet poteſtatem diſpenſandi, poteſt totum remittere, & commutando in minus ſolum remittit partem: ergo poteſt hoc facere ex vi eiuſdem poteſtatis.

Caiet.

Venio ad tertium membrum de commutatione in æquale, quod non video: qua doctrinæ conſequutione negari poſsit ab his Authoribus: nam qui commutat in æquale, minus diſpenſat, quam qui commutat in minus: ergo multo facilius poteſt id facere ex vi eiuſdem poteſtatis. Probatur conſequentia: quia illæ duæ actiones continentur ſub eodem genere commutationis, & in his certa eſt regula, quod qui poteſt id, quod magis eſt, poteſt etiam quod eſt minus. Sed fortaſſe negabunt, commutationẽ in æquale, eſſe diſpenſationem. Verumtamen aut loquimur iuxta ſententiam dicentem, commutationem in æquale poſſe fieri priuata authoritate, & ſic verum eſt, non miſceri diſpenſationem, ſic tamen multo magis poterit fieri commutatio, ſi per vouentẽ petatur ab habente poteſtatem diſpenſandi. Illi ergo Authores contrarium ſupponunt, quod & verius eſt, vt dicemus. Sic autem probatur ibi miſcere diſpenſationem, quia votum obligat ad perſoluendum in ſpecie id, quod promiſſum eſt, niſi aliquo modo obſtet meliori bono, ſed hæc obligatio relaxatur per illam commutationem: ergo eſt illa quædam diſpenſatio partialis in voto, & in hoc eſt æqualis hæc commutatio commutatione in minus, vt conſtat. Quatenus vero imponit onus æquale minus relaxat, & ad hoc non eſt neceſſaria ſpecialis poteſtas, vt ſupra dicebam, ſed per ſolam prudentiam, acceptante debitore, fieri poteſt. Vnde pertinet potius ad fidelem vſum poteſtatis diſpenſandi, quam ad maiorem, vel diſtinctam poteſtatem. Igitur in præſenti habet locum illa ratio, quod hæc eſt veluti pars comparata ad diſpenſationem ſimpliciter; ergo continetur ſub poteſtate ad totum, ſeu ad diſpenſationem ſimpliciter. 12.

Vnde concluditur generalis ratio aſſertionis: quia omnis commutatio eſt diſpenſatio voti ſecundum quid, & in tantum eſt ad illam neceſſaria poteſtas Superioris, in quantum inuoluit aliquid diſpenſationis voti: ergo talis poteſtas continetur in poteſtate diſpenſandi votum, tanquam ſecundum quid in ſimpliciter, ſeu tanquam pars in toto. Declaratur, & confirmatur, quia poteſtas ad diſpenſandum ſemper requirit ad vſum ſuum iuſtam cauſam: Vnde ſi non eſt cauſa ſufficiens ad diſpenſandum pure, ſit vero ad commutationem in aliquid minus, non ſolum poterit, ſed etiam debebit diſpenſator, ita diſpenſare: ergo ſi cauſa ſit minor; ſufficiat vero ad relaxandum vinculum quoad determinationem ad talem materiam, compenſando illam cum alia æquali, poterit id facere, & tenebitur, ſi velit ſua vti poteſtate. Probatur conſequentia, quia ſeruatur eadem proportio poteſtatis ad actionem, & cauſam: nam ſicut ſimpliciter ſe habet ad ſimpliciter, ita ſecundum quid ad ſecundũ quid. Confirmatur, quia ſiquis habeat poteſtatem eligendi con- 13.

di confeſſorem, qui ſecum in voto diſpenſet, non excedet priuilegium ſuum, ſi à confeſſore ſolū poſtulet commutationem, imo cedet ex parte ſuo iure, & moderatiſsime vtetur priuilegio: ergo ſignū eſt ſub diſpenſatione commutationem comprehēdi, licet non conuertatur.

14. *Fit ſatis fundamentis oppoſitæ ſententiæ. Ad primum.*

Sed hoc euidentius fiet reſpondendo ad fundamenta contrariæ ſententiæ. Ad primum nego diſpenſationem ſimpliciter, & commutationem voti differre tanquam magis, & minus diuerſorum generum: nam differunt vt pars, & totum, vel ſicut ſecundum quid, & ſimpliciter ſub eodem genere diſpenſationis. Nam oſtendi, omnem commutationē etiam in æquale eſſe diſpenſationem quandam vinculi, ſaltem quoad determinationem ad talem ſpeciem ſolutionis. Vnde nihil refert, quod non omnino relaxet vinculum: ſatis enim eſt, quod aliquam obligationem illius auferat. Præterquam quod dici poteſt, vnum vinculum tolli, & quoad hoc eſſe diſpenſationem, & aliud loco illius ſubſtitui, & hinc fieri, vt non ſit diſpenſatio ſimpliciter, ſed ſecundū quid. Vt in promiſsione humana, ſi promiſi equum, teneor in ſpecie implere. Vnde ſi creditor remittat illum rigorem, & ſit cōtentus pretio, aliqualem remiſsionem facit, quæ ab eodem domino procedit, quo poſſet totum remittere, ſi vellet. Ita ergo in præſenti, qui poſſet remittere totū, diſpenſando ſimpliciter, ſi cauſa ſubeſſet, poteſt remittere rigorem illum, & contentus eſſe æquiualente ſolutione. Vnde ſi poteſtas delegaretur ſub generalioribus verbis, vt ad tollendam, vel remittendā obligationem votorum, ſine dubio vtrumque modum comprehenderet: ergo ſignum eſt per commutationem tolli, & remitti voti obligationem aliquo modo, & ſub ea ratione ſub diſpenſatione comprehendi.

15. *Ad ſecundū. Difficilius eſſe diſcernere de cauſa integræ diſpenſationis quam facere commutationem voti.*

Ad ſecundum in primis nego aſſumptum. Nam difficilius eſt iudicare, & diſcernere, an cauſa ſit ſufficiens ad integram diſpenſationem, quam facere commutationem quamcunque etiam arbitrium ferendo de æqualitate. Et ideo ſi quis eſt idoneus, vt ei conferatur poteſtas diſpenſandi, ſine dubio reputari debet idoneus, vt detur ei poteſtas commutandi. Deinde, dato antecedente, negatur conſequentia: imo dico inde inferri, melius, & ſecurius fieri commutationē in æquale per poteſtatem diſpenſandi, quam per poteſtatem commutandi præciſam, quia in hac poſteriori eſt illa neceſsitas, & difficultas attingendi æquale: in illa vero non eſt talis neceſsitas, & ideo ſi fiat mediocris diligentia ad imponendum æquale onus ſufficit: nam ſi quidpiam defuerit, ſupplebitur per poteſtatem diſpenſandi. Vnde licet fingamus non interuenire cauſam, niſi ad commutationem æqualem faciendam, ſufficit illa moralis diligentia, vt licita, & valida ſit commutatio, quamuis fortaſſe in re non attingatur æqualitas: quia hæ cauſæ, & actiones moraliter expendendæ ſunt, non mathematice, quod infra oſtendemus procedere in omni cōmutatione, multo veromagis in ea, quæ fit per poteſtatem diſpenſandi.

16. *Suſpenſus ab vſu commutandi vota, ſuſpenditur etiam ab vſu diſpenſandi.*

Ad tertium nego antecedens, quin potius ſuſpēſus ab vſu commutandi vota, ſuſpenditur etiam ab vſu diſpenſandi, nam ex materia de ſuſpenſione conſtat, ſuſpenſum ab inferiori actu, ſuſpendi etiam à ſuperiori, ſi cum inferiori neceſsariam connexionem habeat, vel illum includat, ſic ſuſpenſus à diaconatu cenſetur ſuſpenſus à ſacerdotio, licet non è conuerſo. Ita ergo in præſenti ſuſpenſus à commutando, eo ipſo eſt ſuſpenſus à diſpenſando: quia ſi prohibetur illi minor diſpenſatio; ergo à fortiori maior. Item qui prohibetur commutare, prohibetur auferre vinculum voti à tali materia: ergo multo magis prohibetur auferre ſimpliciter. Item qui prohibetur commutare, prohibetur commutare in minus, quia hoc quoddam commutare eſt, & abſoluta prohibitio generis comprehendit omnes ſpecies, vt ex materia de Suſpenſione cōſtat: ergo prohibetur diſpenſare, cum vix poſſit fieri diſpenſatio ſine miſtione alicuius commutationis. Eſt enim incredibile prohiberi optimum, & moralem modum diſpenſandi, & relinqui liberam poteſtatem diſpenſandi pure, & ſine tali moderatione. Neque hæc eſt ampliatio rigoris, ſeu pœnæ, ſed eſt explicatio eorū, quæ tacite inuoluit. Vnde ècontrario ex vi illationis non valebit conſequutio, ſuſpenditur quis ab actu diſpenſandi: ergo ab actu commutandi, quia non ita inuoluitur diſpenſatio ſimpliciter in ſecundum quid, neq; totum in parte, ſicut è conuerſo: & ita reſponſum eſt ad primam probationem. Ad ſecundam dicitur, id quod aſſumitur de Epiſcopo ſuſpēſo ad minores ordines conferendos, non eſſe ſuſpenſum à collatione maiorum non eſſe certum, ſed dubium. Deinde dico non eſſe ſimile, quia illi actus non ita comparantur, vt maior includat minorem, ſed tantum quod ſupponat illum. Vnde ex parte cōferentis non habent eſſentialem ordinem, ſed tantum ex parte recipientis. Ad tertiam reſpondetur in illis iuribus, vel indultis diſtinctè poni commutationem, & diſpenſationem ad maiorem claritatem, & ad tollendam opinionum ambiguitatem. Supererat hoc loco dubium, an hæc poteſtas delegata extendatur ad reſeruata. Sed quia ſupponit cognitionem votorum reſeruatorum, infra commodius tractabitur.

CAPVT XIII.

An facultas diſpenſandi, vel commutandi vota reſtringatur ad emiſſa, vel extendatur ad emittenda?

Diximus de facultate delegata, & actu eius, nunc ſupereſt explicanda materia eius: & quia quando illa eſt certa, & determinata in particulari nullā habet dubitationem, ideo hic ſolum agimus de facultate generaliter conceſſa. Et primum occurrebat quæſtio, an ſub illa comprehendantur vota reſeruata? ſed quia de votis reſeruatis infra agendum eſt, illuc eam reſeruamus. Supponimuſq; ſub tali conceſsione comprehendi quælibet vota non reſeruata Papæ, quæ Epiſcopalia dici ſolent, ſiue conceſsio contineat expreſſe diſtributionem omnium votorum, ſiue ſit abſolute ad vota diſpenſanda, quia in his votis nulla eſt ratio diuerſitatis, & in talibus formulis conceſsionum indefinita æquiualet vniuerſali, cum non poſsit habere alium legitimum ſenſū, quia alias materia conceſsionis eſſet indeterminata, & incerta, cum non ſit maior ratio de vna, quam de alia. Dices poſſent intelligi excepta vota reſeruata Epiſcopis, ſicut in caſibus, vel cenſuris reſeruatis dicitur. Reſpondetur, non eſſe ſimile, quia non ſunt vota proprie reſeruata Epiſcopis, ſed omnia vota ſunt Epiſcopalis iuriſdictionis per ſe, & iure ordinario, vt ſupra dixi: & ideo quando delegātur vota, eo ipſo delegantur vota Epiſcopalia, ac ſubinde fit delegatio cū indifferentia, & vniuerſalitate ad omnia, ſi nullum votum expreſſe excipiatur. Quod interdum fieri ſolet, vt Innoc. VIII. in facultate conceſſa Minoribus excepit peregrinationū vota, quæ duas dietas excederēt, & tunc exceptio etiam confirmat conceſsionem quoad cætera omnia.

De hac ergo facultate, ſi ſit perpetua, clarum eſt extēdi ad omnia tempora, vt patet in priuilegiis cōceſsis Religioſis. Contingit autē dari pro certo tēpore, & tunc etiam conſtat dari propter vota, quæ iam ſunt emiſſa, quando illa conceditur, quia hoc ſatis expreſſe in talibus reſcriptis dicitur, & ad hoc maxime ordinantur. Imo idem certum eſt de votis emiſsis ante promulgationē, ſeu applicationem priuilegii

priuilegij, etiamſi fuerint emiſſa poſt conceſsionem Romæ factam, verbi gratia, conceditur Bulla Cruciatę Romę ante duos, vel tres annos; promulgatur autem hic hodie, & conceditur pro vno anno, clarum eſt, vota emiſſa ante promulgationem, poſſe commutari per talem Bullam; tum quia ſimpliciter præcedunt tempus conceſsionis, vt incipit habere effectum: tum etiam quia alias ſi conceſsio eſſet valde antiqua, vt in Bullis confraternitatum, & ſimilibus, gratia eſſet nullius momenti. Itaq; de illo tempore nulla eſt controuerſia inter Authores.

3. *Diffi. ultas quæſtionis.* Dubium ergo eſt de votis emiſsis intra tempus pro quo fit conceſsio, vt in exemplo poſito de Bulla Cruciatæ, eſt difficultas de votis factis in diſcurſu anni pro quo conceditur, & in Iobilæo, verbi gratia, quod intra quindecim dies obtinendum eſt, de votis in illiſmet emiſsis, vt poteſt contingere. *1. Opinio.* Prima opinio aſſerit, intelligenda eſſe talia indulta de ſolis votis antea emiſsis, quia incongruum eſt, vt ante emiſſa vota detur facultas obtinendi diſpenſationem ab illis. *Soto. Cordub.* Tenent Soto d. quæſt. 4. artic. 3. & Cordub. in Sum. Hiſpan. quæſtion. 149. quin in hoc conſtituunt differentiam inter vota, & cenſuras, ſeu caſus reſeruatos, quia diſpenſatio votorum (ait Soto) non ſpectat ad forum pœnitentiæ, ſicut abſolutio à cenſuris, vel culpis; ſed eſt ſpecialis facultas, quam Pontifex conceſsit, ac ſi tunc vouens diſpenſationem poſtulaſſet. *2. Opinio.* Secunda opinio diſtinguit inter poteſtatem diſpenſandi, & commutandi, & de priori fatetur cum Soto, non extendi ad vota emiſſa in tempore conceſsionis. De poteſtate autem commutandi dicit contra Sotum, extendi etiam ad hæc vota. *Cordub. Lud. Lop.* Ita tenuit idem Cordub. lib. 5. de Indulg. q. 37. & ſequitur Ludouic. Lop. 2. p. c. 9. ſub tit. de Clauib. ſolumq; fundantur, quia commutatio facilius conceditur, cum non tollatur ſimpliciter vinculum voti, & ita in illa ceſſat congruitas, quam Soto conſiderauit.

4. *Omnia vota emiſſa etiam intra tempus conceſsionis poſſunt diſpenſari, & commutari illi, cui conceſſa eſt diſpenſatio. Nauar.* Veritas tamen eſt, ſub talibus conceſsionibus comprehendi omnia vota, quibus ligatus eſt, qui diſpenſatur, eo tempore, quo fit diſpenſatio ab habente poteſtatem delegatam, quocunque tempore prius fuerint emiſſa, etiamſi primo die præcedente ſint facta, vt ſic rem declarem. Ita docet, & optime confirmat Nauarr. dicto capit. 12. numer. 8. & Comment. de Iobeleo notab. 24. numer. 4. & 5. Probatur ex forma conceſsionis, quæ eſt, verbi gratia, vt confeſſor poſsit commutare omnia vota, quæ pœnitens habuerit, ſed hæc vniuerſalis conceſsio, non eſt determinanda niſi ad vota, quæ tunc habet, cum commutationem petit: ergo. Probatur minor: quia illa conceſsio quatenus eſt poteſtas diſpenſandi eſt gratia, fauor, & beneficium Principis: ergo non eſt reſtringenda, ſed potius amplianda, quantum verba propriiſsime intellecta patiuntur: illa autem verba propriiſsime recipiunt hunc ſecundum ſenſum, vt eſt per ſe notum: ergo. Secundo, quia vt verba admittant illam reſtrictionem, quam alij fingunt, oportet aliquid addere, vel ſubintelligere in verbis, quod fieri non debet, alias pro libito poſſet quis aliam additionem, & limitationem excogitare, ſi fortaſſè ſibi congruere videantur.

5. Tertio, in multis priuilegiis huiuſmodi eſt moraliter impoſsibilis illa additio, vel clare contra intentionem concedentis, vt ſi per Bullam confraternitatis alicuius conceditur illa gratia omnibus confratribus, ſine dubio non conceditur pro votis tantum emiſsis ante ingreſſum, & receptionem in confratrem, ſed multo magis pro his, quæ emiſerit, quãdiu fuerit confrater: idem eſt in Religioſis, & ſimilibus. Idem ergo eſt de Bulla Cruciatę (de qua ſpecialiter loquitur Soto) nam ſi conceditur pro vno anno, verbi gratia, eandem proportionem ſeruat ad illum annum, quam ſeruaret ad totam vitam, ſi pro tota concederetur: non ergo valet tantum ad commutationem votorum emiſſorum ante receptionem, vel promulgationem Bullæ, ſed etiam ad omnia, quæ in diſcurſu illius anni emittentur, ſi intra eundem annum diſpenſatio, vel commutatio eorum petatur, ſicut ſi eſſet conceſsio pro decem annis, ad omnia vota in illis facta extẽderetur, & ſi pro tota vita ad omnia futura in diſcurſu vitæ: eſt enim eadem proportio, & ratio, nam ſi in diuturno tempore non eſt neceſſaria illa reſtrictio, cur erit in breuiori? Quarto vrget illa ratio, quod poteſtas abſoluendi à cenſuris, & caſibus reſeruatis extenditur ad futura: ergo & poteſtas diſpenſandi, commutandi. Patet conſequentia, quia nulla ratio differentiæ aſſignatur. Nam quod Soto ait, abſolutionem à caſibus pertinere ad forum pœnitentiæ, aliam vero eſſe facultatem ſpecialẽ, quid refert ad cauſam? Nam eſto, hoc ita ſit, nihilominus forma conceſsionis eſt æque indefinita, vel vniuerſalis: nec magis eſt neceſſaria limitatio in vna, quam in alia, nec eſt alia ratio congruitatis, vt ſtatim declarabitur.

Atque hæ rationes concludunt non eſſe veriſimilem diſtinctionem ſecundæ opinionis. 6. Primo quia rationes factæ eandem vim habent in diſpenſatione, vt facile applicanti patebit. Secundo, quia ſi conceſsio dicat expreſſe ad commutandum, & diſpenſandum in votis, incongruum valde eſſet, vnam partem intelligere cum reſtrictione de votis vno tempore factis, & aliam ſine limitatione de præteritis, & futuris, quia hoc oſtendit voluntariam eſſe additionem, & non eſſe fundatam in verbis: ergo idem eſt, etiamſi diſpenſatio tantum in indulto exprimatur, maxime cum æquiualens ſit, vt ſupra dixi. Tertio, quia incongruitas, quam Soto conſiderauit, nulla reuera eſt: quia quod votum poſsit diſpenſari à pluribus ex iuſta cauſa, nullum inconueniens eſt, nec quod homo habeat facilem viam obtinendi diſpenſationem iuſtam, etiam pro votis futuris, ſi illa indiguerit, non eſt incõgruum, ſed fauor prudenter conceſſus ad alliciendos homines ad opera virtutis. Maius certe inconueniens videri poſſet, habere ſimilem viam obtinendi diſpenſationem ab irregularitate, vel abſolutionem à cenſuris, aut à peccato in futurum committendo, quia hinc videtur poſſe ſumi occaſio liberius peccandi, quod non conuenit: quod autem ſumatur licentia facilius vouendi parum refert. Neutra vero occaſio cenſetur data, & ideo licet interdum poſsit male accipi ex prauitate, vel imprudentia peccantis, aut vouentis, non ideo priuilegium de ſe eſt minus congruum, aut conueniens.

Imo ex hac ratione colligitur vlterius, quod licet quis cum facilitate voueat ſpe diſpenſationis ex priuilegio, quod habet, id non obſtabit quominus diſpenſari poſsit, ſi cauſa ſubeſt. 6. Hoc à fortiori colligo ex alia ſententia communi de caſibus reſeruatis, videlicet, ſi quis peccet ſpe priuilegij, quod habet, poſſe per illud abſolui, niſi in ipſo priuilegio talis exceptio ponatur, vt interdum ſolet. Quod ſenſit clare Sylueſt. verb. *Indulgentia*, quæſtione 10. alias 11. dict. 5. dicens, in forma abſoluendi ex vi indulti ab omnibus peccatis non oportere addere illam particulam, *Præter eas, quæ ſpe huius indulti commiſiſti.* *Syluest.* Idem ſentit Nauarrus d. Comment. de Iobel. notab. 30. numero ſeptimo, & Cordub. libro quinto, de Indulg. quæſtione 34. & 37. licet in Summ. quæſtione 22. oppoſitum ſignificauerit. *Cordub. Nauar.* Et eſt valde probabilis ſententia, quia gratia non eſt reſtringenda vltra vim verborum, & ſi quæ occaſio inde ſumitur, eſt ex abuſu hominum, non ex vi beneficij. Sic enim etiam abutuntur homines miſericordia Dei, & inſtitutione Sacramentorum, vt inde ſumant licentiam facilius peccandi, & nihilominus non priuantur fructu illorum, ſi poſtea pœniteant. Dico ergo multo certius eſſe in diſpenſatione votorum: nam ſumere licentiam ad vouendum per ſe non eſt malum, nec per ſe videtur eſſe contra intentionem conce-

concedentis talem poteſtatem, & ideo talis limitatio nunquam addi ſolet in his indultis, quatenus ad vota ſpectant.

Caput XIIII.

An facultas delegata ad diſpenſandum, vel commutandum vota, comprehendat vota iurata, ſeu pia iuramenta?

Iuramenta facta homini, ſeu vota non poſſunt per hanc poteſtatem diſpenſari.

1. Supponimus, non eſſe ſermonem de iuramento promiſſorio directe facto homini, confirmando promiſſionem illi factam: nam certum eſt, nec talia iuramenta venire nomine voti, nec comprehendi ſub delegatione etiam directe facta ad relaxanda iuramenta, quæ ſemper debet intelligi ſine præiudicio tertii, vt ex ſupra tractatis in proprio loco conſtat. Agimus ergo de iuramentis, quæ inſtar votorum fiunt de materia, ſeu actione, quæ de ſe eſt proportionata ad votum, vel quæ de facto vouetur. Duobus enim modis (vt ex tract. 2. conſtat) poteſt iuramentum fieri: vno modo per ſe ſolum, alio modo ſimul cum promiſſione. Et ita in præſenti circa piam materiam fieri poteſt, vel cum voto, vel ſine illo, ſolum affirmando, & iurando hoc, vel illud pium opus facere.

Quibus modis adiungatur iuramentum cũ Voto.

Vnde etiam poteſt duobus modis coniungi cum voto, vno modo tantum concomitanter: quia videlicet, aliquis nunc vouit non ludere, & poſtea ſine repetitione voti ſimpliciter iurauit non ludere, & ita manent illa duo vincula circa eandem materiam, quæ dicimus eſſe cum ſola concomitantia: quia vnum non cadit in aliud. Alio vero modo poſſunt coniungi cum ſubordinatione, & in hoc ordinarius, ac communis modus eſſe ſolet, vt votum præcedat, & iuramentum addatur ad cõfirmandam voti promiſſionem, vt cum quis iurat non ſolum eandem rem, quam vouit, ſed etiam voti impletionem. Poſſet autem etiam contrario modo fieri, vt præcederet iuramentum, & adderetur votum ad confirmandum iuramentum promittẽdo Deo implere, quod ſuo nomine iurauit. Nam illa etiam eſt apta materia voti, vnde nihil repugnat ſic fieri pro arbitrio iurantis.

2. Referuntur quatuor opiniones. 1. Opinio.

2. Hinc ergo quatuor ortæ ſunt opiniones, quas nõ exiſtimo veras. Prima ſimpliciter negat tale priuilegium extendi ad iuramenta pia, etiamſi iuramentum ſit ſolum, & à voto ſeparatum. Et à fortiori nõ poſſe extendi ad votum iuramento firmatum, vel quocumque modo cum illo coniunctum. Hanc opinionem tribuunt Caiet. aliqui Moderni, ſed falſo, vt videbimus.

Azor. Nauarr.

Eam ergo docet Nauarr. in Sum. ca. 27. num. 275. verſ. *Decimoſexto*, & Conſ. 1. alias 3. de Iureiur. num. 6. Sequitur Azor tom. 1. lib. 11. cap. 10. q. 2. Fundamentum eſt: quia iuramenti vinculum eſt ſpecie diſtinctum à voto: ergo priuilegium præciſe conceſſum ad vota non poteſt extendi ad iuramenta: quia priuilegium etiam fauorabile non poteſt extendi vltra proprietatem terminorum, quibus conceditur, iuxta regulam textus in cap. *Porro*, de Priuilegiis: *Sic eos volumus priuilegiorum ſuorum ſeruare tenorem, quod eorum metas tranſgredi minime videantur*; vbi id notant Gloſſa, & Doctores.

Ca. Porro. Gloſ.

Cum ergo iuramentum non ſit votum, extenſio ab vno ad aliud eſſe progredi terminos priuilegii. Secundo, quia à diuerſis non fit illatio, etiamſi vnum ſit maius alio. Nam regula illa Iuris, *Qui poteſt maius poteſt & minus*, intelligitur, quando illa ſunt ſubordinata, & minus includitur in maiori, vel quando id, quod eſt minus neceſſario ſupponitur ad id, quod eſt maius: non vero in diſparatis, & omnino diſtinctis, niſi aliunde etiam habeant connexionem in ipſa poteſtate ordinaria per ordinem ad eum finem, quem poteſtas ordinaria adæquate reſpicit. At in poteſtate delegata id non habet locum: quia pendet ex voluntate concedentis, vt patet in poteſtate conceſſa ad diſpenſandum in irregularitate aliqua grauiori, vel in cenſura: non enim ideo extenditur ad minorem, ſi illa tantum in ſpecie conceſſa eſt. Sic ergo in præſenti licet votum ſit grauius vinculum, eſt prorſus diſtinctum à iuramento, & cum illo non connexũ: ergo. Et confirmatur ex cap. *Cui de non ſacerdotali*, de Præbend. in 6. ex quo habetur, poteſtatem ex priuilegio datam ad prouidendum de maiori præbenda, non extendi ad minorem. Tertio quia alias priuilegium conceſſum ad diſpenſandum in iuramentis, poſſet extendi ad vota, licet eorum mentionem non faceret. Patet ſequela, quia communiter cenſentur vincula quaſi æqualia, & adhuc ſub iudice lis eſt, quod eorum magis obliget, & in Iure ſæpiſſime æquiparantur: conſequens autem videtur nouum, & abſurdum. Quarto quia quando Pontifices volunt vtrumque concedere, vtrumque exprimũt: ergo quando alterum tacent, ſignum eſt tantum alterum velle concedere.

Secunda opinio ait, iuramentum, ſi per ſe ſtet ſine voto, poſſe diſpenſari, vel commutari per talia priuilegia, non vero ſi confirmat votum, vel cum illo quocumque modo coniungatur. Ita tenet Lud. Lop. in 2. p. Inſtruct. tit. de Claub. cap. 9. & Emmanuel Rodr. in Bulla §. 9. numer. 110. & tom. 1. Quæſt. regul. q. 63. art. 5. Henriq. lib. 7. de Indulg. c. 30. nu. 5. Et de priori parte dicemus poſtea. Ratio vero poſterioris partis eſt: quia poteſtas ad diſſoluendum minus vinculum non extenditur ad maius, ſed votum iuratum eſt maius vinculum, quam nudũ votum, teſte D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. ergo facultas data tantum ad votum non poteſt extendi ad votum iuratum. Et confirmatur: quia quando votum eſt iuratum non ſolum multiplicantur vincula, ſed etiam ipſummet vinculum voti in ſe ſit grauius, & præſertim in ordine ad arbitriũ, & voluntatem delegantis: ergo non poteſt intelligi conceſſum, in ſimplici, & abſoluta votorum conceſſione. Confirmatur ſecundo: quia ſi quis habens votum iuratum peteret à Pontifice diſpenſationem, vel commutationem, non explicando circumſtantiã iuramenti, ſed tantum voti, merito cenſeretur Pontificem decipere, & ſubreptitiam gratiam obtinere: quia petit ſolutionem vnius vinculi, cum duo habeat: ergo ſignum eſt, facultatem ad votum per ſe non extendi ad iuratum. Tandem confirmatur, quia cũ ſocietas IESV haberet à Paulo III. priuilegium commutandi vota, Gregor. XIII. illud extendit ad vota iurata ſine præiudicio tertii, ergo ſignum eſt prius priuilegium non extendi ad talia vota.

3. 2. Opinio. Lud. Lop. Em. Rod. Henriq. D. Thom.

Tertia opinio eſt huic ſecundæ extreme contraria: negat enim cum prima, iuramẽtum per ſe ſtans ſine voto poſſe tolli per tale priuilegium, & nihilominus affirmat, votum iuratum poſſe per illud priuilegium diſpenſari, vel commutari. Hanc referunt Moderni Authores, non tamen illam inuenio typis mandatam: poteſt tamen ſuaderi, quia licet votum ſit iuratum ſemper eſt proprium votum, & de ſe tãtum eſt votum: ergo comprehenditur ſub tali conceſſione: ergo poteſt per illam tolli. At vero illo ſublato per ſe ceſſat iuramenti obligatio: quia ſublato fundamento ruit quod in illo nitebatur, & ablato principali, aufertur acceſſorium, hic autem votum eſt principale, & iuramẽtum eſt acceſſorium, vt cõſtat: ergo. Confirmatur, ac declaratur exemplo promiſſionis humanæ confirmatæ iuramento: nam ſi ille, in cuius fauorem facta eſt promiſſio, remittat illam, conſequenter ceſſat iuramentum, quod illi adhærebat: ergo ſimiliter in præſenti, diſpenſato voto, ceſſat iuramentum: quia diſpenſaris (vt ſupra dicebamus) remittit debitum nomine Dei. 4. *3. Opinio.*

Quarta opinio admittit, iuramentum purũ poſſe tolli per facultatem conceſſam circa vota. De voto autem iurato, ſeu coniuncto cum iuramento diſtinguit: quia vel iuramentum cadit ſupra votum ad con- 5. *4. Opinio.*

ad confirmandum illud, & tunc dicit licet directe, & in ſe diſpenſari non poſsit iuramentum, ſeu votum vt iuratum, nihilominus poſſe votum auferri, & conſequenter per ſe cadere iuramentum, vt tertia opinio dicebat, & propter fundamentum eius. At vero ſi iuramentum, & votum ſolum concomitanter ſe habeant circa eandem materiam, immediate ad illam obligando, tunc non poſſe obligationem illam tolli per tale priuilegium, ſicut dicebat ſecunda opinio, & propter fundamentum eius: quia ſcilicet illa duo vincula fortius ligant, & ideo non poſſunt per ſimplicem illam facultatem tolli. Ita opinatur Sanci. lib. 8. de Matrim. diſp. 2. n. 23. Inter has opiniones prima recte procedit, & nititur probabili fundamento: reliquæ vero limitationes, & diſtinctiones non videntur mihi conſequenter propoſitæ. Quia vero in principali puncto de æquiparatione iuramenti cum voto cenſeo primam opinionem non eſſe neceſſariam, & contrariam poſſe practice ſuſtineri, ideo de re tota aliter ſentiendum iudico.

[illegible] aliqua ex parte prima opinio cateris.

6. Dico ergo primo: Satis probabile eſt, poteſtatem delegatã ſimpliciter ad diſpenſandum in votis extendi ad diſpenſandum in iuramentis piis circa eaſdem materias, quando per ſe ſtant, ſuamque ſolam obligationem inducunt. Hęc eſt ſententia communis, & ſine dubio poteſt in praxi obſeruari. Sumitur ex Caietan. 2. 2. q. 89. art. 9. not. 1. in fine. Nam licet non loquatur de poteſtate delegata in particulari, loquitur indifferenter de omnibus, qui ſub Papa habent poteſtatem diſpenſandi, vel commutandi vota, & ait, omnes, quibus hæc poteſtas conceſſa eſt, poſſe etiam in piis iuramentis diſpenſare. Et reddit rationem generalem omnibus: quia cui conceditur maius, cenſetur etiam conceſſum, quod eſt minus; de qua ratione dicam ſtatim. Et ita declarat, & ſequitur Arag. §. *Dico quarto*, & q. 88. art. 12. §. *Siquis autem*, in dicto 1. vbi refert Stunicum tract. de Voto, qui id affirmat in q. 5. n. 42. tenet etiam Ema. Rodr. in Sum. c. 191. alias 192. n. 16. concl. 10. vbi refert Sot. lib. 8. de Iuſt. q. 1. artic. 9. ſed ille de ſolis Epiſcopis, & Papa loquitur. Tenet etiam Vuald. in Candelab. c. 14. n. 8.

1. Aſſertio. Probabile eſt poteſtatem delegatam ad diſpenſandum in votis extendi ad iuramenta pia de eadem materia. Caiet.

7. Fundamentum vulgare huius ſententiæ eſt ſupra tactum: quia cui conceditur maius, conceditur minus, cap. *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi, c. *Plus*; & cap. *Cui licet*, de Regul. iuris in 6. Sed iuramenti promiſſorij vinculum per ſe expectatum minus eſt, quam voti, vt ſupponitur: ergo in facultate conceſſa ad vota comprehenditur à fortiori poteſtas ſimilis ſuper iuramenta, quatenus vota imitantur. Sed contra hanc rationem vrget valde fundamentum Nauarri. Quod illa regula ſolum procedit in per ſe connexis, vt pars, & totum, vel vt principale, & acceſſorium, vel quaſi conſequens, quomodo loquitur d. c. *Per venerabilem*. Vnde è conuerſo eſt regula Canoniſtarum. In diſpenſationibus non fieri extenſionem, etiam ad caſum minorem, & habentem in ſe maiorem rationem, quam caſus conceſſus. Quam tradunt Hoſt. in c. *Poſtulaſti*, de Reſcript. & ibi Felin. n. 8. §. *Circa tertiam*, Deci. Conſ. 250. vbi alios refert. Verum eſt ibi, loqui de diſpenſatione, quæ magis odioſa eſt, magiſque reſtringenda, quam poteſtas diſpenſandi, vt ipſe etiam paulo poſt limitat. Adde etiam quoad diſpenſationes limitari hãc regulam ab ipſomet Nauar. in Apol. de Redit. Eccleſ. q. 3. Monit. 10. vt procedat, quando militat eadẽ, vel maior ratio in minori, quæ in maiori: tunc enim ait, poſſe extenſionem fieri etiam in materia odioſa, & refert Deci. neruoſe id probantem in cap. *Quia intantum*, de Præbend. n. 5.

Hoſt. Felin.

8. Hinc ergo poteſt amplius vrgeri fundamentum illud: quia conceſſa poteſtate ad aliquem actum maiorem, cenſetur conceſſa ad minorem, in quo eadẽ, vel minor ratio ſpectatur, ſed in iuramento, & voto ita contingit: ergo. Maior ſupponitur, tunc ad hominem contra Nauar. tum ex authoritate Canoniſtarum: nam præter Decium eandem limitationem addit Felin. referens alios ibidem limit. 1. & 2. & in quarta dicit maxime procedere in poteſtate diſpenſandi, tum inductione, quia poteſtas teſtandi ex priuilegio extenditur ad codicillum faciendum, & ad donationem cauſa mortis, vt ſupra Nauar. tradit, & licentia donandi extenditur ad mutuandum, & facultas audiendi Diuina tempore ceſſationis à Diuinis, extenditur ad tempus interdicti: imo & è contrario in rigore iuris, vt multi tenent apud Couar. in capit. *Alma*, 2. par. §. 4. num. 7. tum denique ratione: quia vbi eadem, vel maior ratio intercedit, rationabiliter creditur, eandem eſſe voluntatem diſpenſantis, vel delegantis poteſtatem diſpenſandi.

Couar.

Iam ergo probatur, hic recte applicari hanc regulam: quia tota ratio, quæ conſideratur in voto, 9. eſt obligatio Religionis ad Deum, quam ſibi homo ſua voluntate impoſuit, obligatio autem iuramenti, de qua tractamus, etiam eſt ad Deum, & ad Religionem pertinet, & licet in rigore ſpeculatiuo ſint diuerſarum rationum, tamen moraliter, & in ordine ad vſum moralem quaſi paria iudicantur, vt eſt commune Iuriſperitorum proloquium. Item in vtriuſque obſeruatione, diſpenſatione, vel commutatione; ſolum obſeruatur, quid gratius Deo ſit: nam in vtroque ſolus Deus conſideratur vt creditor, & in vtroque maxime intenditur, vt Deo tanquam creditori ſatisfiat: quod autem illud debitum naſcatur ex promiſsione Deo facta; vel ex inuocatione teſtimonij Diuini, non videtur multum mouere concedentem tale priuilegium, neque ad mores multum referre: ergo merito tale iuramentum cenſetur ſub voto comprehendi. Vnde etiam hic iuuat regula, quod quando duo parificantur, diſpoſitio in vno concepta extenditur ad aliud, quam tradit Panormit. in cap. *Prudentiam*, de Mutui petit. n. 10. tum Gloſ. in c. *Si Poſtquam*, verb. *Prouiſione*, de Elect. in 6.

Panor. Gloſ.

Sed quia hæc generalia principia ſunt valde ambigua, & plures ſolent pati limitationes, & exceptiones, & (quod caput eſt) ſæpe in eorum applicatione 10. ſolet peti principium, ideo non videntur ſufficere ad rem tam grauem, & dubiam confirmandam. Nam ſimpliciter verum non eſt, iuramentum, & votum eiuſdem materię parificari in omnibus: nam aliqui cenſent, reſeruationem voti in aliqua materia non extendi ad reſeruandum iuramentum. Et eadem ratione licet fractio iuramenti in vna materia ſit reſeruata, non ideo erit fractio voti. Item ſub periurio venit violatio iuramenti, & non fractio voti eiuſdem materiæ, & ſic de aliis, quæ in diſcurſu huius, & præcedentis tractatus tacta ſunt. Ergo eadem ratione dicetur, non æquiparari quoad poteſtatem diſpenſandi, & ſi contrarium ſumitur vt clarum, principium petitur. Accedit, quod licet in diſpoſitionibus, quæ pertinent ad ordinarium ius, valeat argumentum ab æquiparatis, quando clara differentiæ ratio non occurrit, in delegatione non eſt eadem ratio: tum quia eſt res facti, & pendet ex voluntate delegantis, & poteſt vnum actum, & non alium committere, quando non ſunt connexi, quamuis ſimiles eſſe videantur, & maiorem ſine maiori; tum etiam, quia ſemper poteſtas ad plura eſt maior, quantumuis ſint paria, & ideo ex conceſsione vnius, non videtur poſſe colligi vtriuſque conceſsio.

Propter hæc igitur addo, quidquid ſit de illis regulis, ſeu principiis in ſua generalitate ſumptis in 11. pręſenti puncto recte procedere propter vehementem coniecturam voluntatis, & intentionis concedentis. Nam ſecundum communem æſtimationem iuramenta hæc tanquam vota reputantur, & maxime in ordine ad finem ordinarie intentum ab eo, qui hanc facultatem concedit. Declaratur: quia

quando iuramentum ordinatur ſolum ad Deum, & pietatem, perinde reputatur, ſiue cum promiſsione, ſiue abſque illa fiat, vnde ſub nomine voti ſolet iuramentum comprehendi, & è conuerſo maxime ſecundum communem, & vulgarem modum loquendi. Et poteſt habere fundamentum in Iure. Nam in c. *Peruenit*, 2. de Iureiur. ſic dicitur: *Non enim propoſitum, aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat.* Quæ regula de votis ponitur in capit. *Scriptura*, de Voto, & ſub illis verbis in rigore ad votum pertinet, & tamen ponitur ſub titulo de iuramento ſub eiſdem verbis. Hinc etiam Canoniſtæ interdum dicunt, tale iuramentum eſſe quoddam votum, ſignatim Abb. in cap. *Si vero*, in fine de Iureiur. Sic etiam Ant. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 2. dicit cum Ioan. de Neap, iuramentum promiſſorium de his, quę pertinent ad Dei honorem, includere votum. Quod fortaſſe ita eſt regulariter etiam intellectum de proprio, & formali voto, inde tamen in communi æſtimatione tale iuramentum quomodocumque fiat, pro voto reputatur, & ſub ea voce comprehenditur, ita vt ſignificet generatim debitum voluntarie contractum ex Religione ad Deum. Accedit, quod modus diſpenſandi, vel commutandi vtrumque vinculum quando ſolum Deum attingit, idem eſt, ſcilicet ex parte Dei remittendo obligationem, vnde cui committitur facultas remittendi debitum voti ex parte Dei, conſequenter poterit remittere debitum ortum ex ſimplici aſſertione ratione adiuncti iuramenti: nam quod ad Deum attinet perinde eſt.

Cap. Peruenit.

Abb. Anton. Ioan. Neap.

12\. Et hinc eſt (quod non parum rem confirmat) quod per ingreſſum Religionis ſicut extinguuntur vota, ita cenſentur etiam extingui hæc iuramenta. Hinc etiam ſub votis reſeruatis intelliguntur eſſe reſeruata Religioſa iuramenta, etiam pura de eiſdem materiis, vt tract. 2. diximus, cum tamen reſeruatio ſit magis odioſa, quam delegatio poteſtatis. Denique ſi conſideremus finem propter quem ſolent concedi hæ facultates per priuilegia, aut Bullas, vel iobilea regulariter inuenietur eadem ratio in huiuſmodi iuramentis, quæ in votis, & extenſionem ad vtrâque neceſſariam eſſe ad conſequendum illum finem; ergo credendum omnino eſt, mentem concedentis huiuſmodi eſſe. Declaratur antecedens in iobileis, v.g. in quibus ſolet cõcedi poteſtas diſpenſandi in votis, vt fideles facilius, & melius diſponi poſsint ad conſequendum fauorem iobilei, ad quem finem omnino eadem neceſsitas apparet in his iuramentis votiuis & idem eſt in ſimilibus: ergo magnum indicium eſt, mentem Pontificis in huiuſmodi conceſſionibus eſſe loqui de omnibus his obligationibus Religionis, quæ ſolũ Deum reſpiciũt, & ad honorẽ eius tendunt, eaſque comprehẽdere ſub nomine voti.

Per ingreſſum Religionis non ſolum vota ſed etiam iuramenta cenſentur extingui.

13\. Hoc ergo modo declarata hæc ſententia eſt ſatis probabilis. Ex eadem vero declaratione infero, non eſſe extendẽdam hanc conceſsionem ad omnia iuramenta promiſſoria. Quia non poteſt extendi ad illa quæ fundantur in promiſsione humana. Quod non ſolum cenſeo verum in his, quę ſupponunt obligationem promiſsionis, in quibus nullum eſt dubium, ſed etiam in his, quæ ſolum obligant in vi iuramenti, & relaxari poſſunt ſine vero præiudicio tertij, vt ſunt illa de quibus loquuntur c. *Debitores*, c. *Si vero*, cum ſimilibus, de Iureiur. ſcilicet iuramentum metu extortum, vel per iuſtitiam, vt de ſoluendis vſuris, & ſimilia. Ratio autem eſt, quia illa iuramenta nullo modo ſunt vota: nec ſub tali appellatione venire conſueuerunt, & ideo non poſſunt ad illa extendi talia priuilegia. Et quoad hoc cenſeo veram opinionem Nauar. & probari optime fundamento eius cum aliis, quæ circa illud addidimus. Et propterea non fundo aſſertionem poſitam in ſolo illo argumento à maiori ad minorem poteſtatem, neque in quacumque æquiparatione in vinculo obligationis, ſed addendo ſimul æquiparationem in hoc quod tota obligatio, & materia talis iuramenti votiui ordinatur ad Dei honorem, & pendet ex ſolo illo tanquam creditore, & ita habet eundem modum diſpenſationis, & commutationis cũ voto, & eundem finem, eandemque rationem, & connexionem, attento fine talium conceſsionum, & attento vſu talium iuramentorum, ac denique conſiderata communi exiſtimatione fidelium, in qua tanquam vota reputantur.

Ad quæ iuramenta extẽdatur iſta poteſtas diſpenſandi, & commutandi

Cap. Debitores.

Cap. Si vero.

14\. Vnde dico ſecundo: Vota etiam iurata, in quibus iuramentum cadit directe ſuper votum, poſſunt per hæc priuilegia diſpenſari, vel commutari. Hanc aſſertionem intendunt Authores allegati in tertia, & quarta opinione, & alij, quos infra referam in ſequenti. Poteſt autem dupliciter explicari, & probari. Primo, vt talis diſpenſatio directe feratur in iuramentum, & deinde ad votum. Secundo vt incipiat à voto, & per conſequens irritet potius, quam diſpenſet iuramentum, & vtrumque modum cenſeo verum. Sed prior coincidit cum ſequenti aſſertione, & ideo ibi tractabitur. Nunc ergo probatur aſſertio iuxta ſecundum modum. Nam votum, licet iuramento firmetur, non deſinit eſſe votum: ergo non obſtante iuramẽto poterit tolli per poteſtatem tollendi vota: ſed illo ablato iuramentum per ſe cadit, & deſinit obligare ſine alia diſpenſatione, vel commutatione: ergo per illam facultatem poteſt directe tolli votum, & indirecte iuramẽtum. Primum antecedens per ſe euidens eſt, quia iuramentum additum voto, non deſtruit illud, ſed confirmat, & promiſsio ad hominem iurata vera promiſsio eſt. Conſequẽtia vero probatur, quia ſi eſt vniuoce votum, non eſt, cur excludatur à generali conceſsione votorum, quia non eſt votum reſeruatum ratione iuramenti; ſub generali autem clauſula comprehenduntur omnia vota non reſeruata, vt ſupra dictum eſt. Item quia ibi conſideratur iuramentum vt acceſſorium ad votum, & ideo non conſideratur ad poteſtatem in votum ipſum, quod eſt principale: imo ſequitur illud iuxta regulam Iuris. Vnde quod aliqui dicunt per illam clauſulam ſolum concedi vota pura, quæ non ſunt alio vinculo communita nec ex iure, nec ex ratione ab eis probatur, & ideo gratis dicitur. Quia aliud vinculum diſtinctum eſt, & non facit vinculum voti in ſe eſſe fortius, quaſi intenſiue, vt ſic dicam: & ideo non poteſt obſtare, quominus vinculum voti præciſe ſpectatum, poſsit cadere ſub talem facultatem. Vt ſiquis habeat poteſtatem diſpenſandi in irregularitate tantum; licet illa coniuncta ſit cum ſuſpenſione, poterit in irregularitate diſpenſare, ſiue maneat ſuſpenſio, ſiue non. Et (quod eſt ſimilius) quia poteſt homo remittere promiſsionem ſibi factam, poteſt illam remittere etiamſi iurata ſit, & dominus qui poteſt prohibere ſeruo, ne opus aliquod faciat, poteſt etiam prohibere, licet illud ſub iuramento ſeruus promiſerit, quia eius iuramentum non poteſt minuere poteſtatem domini. Et impedimentum ſubortum, quod iuſte impediret voti exequutionem, excuſando à culpa, etiam ſufficiet ad excuſandum, licet votum iuratum ſit. Sic ergo qui conſtitutus eſt vice Dei ad remittendam promiſsionem Deo factam, poteſt illam remittere, etiamſi iurata ſit. Itaque ſi aliunde non conſtet, eſſe aliam mentem concedentis, ex vi verborum non eſt, cur excludantur à tali conceſsione vota iurata, quatenus vota ſunt.

2. Aſſertio. Vota iurata in quibus directe cadit iuramentum poſſunt diſpenſari, & commutari per hæc priuilegia.

15\. Iam vero probatur Minor, ſcilicet ablato voto, iuramentum per ſe ceſſare. Id autem ſatis oſtenditur argumentis tertiæ ſententiæ, & exemplo ibi & hic proxime adducto, quod plane cõuincit. Et ratio eſt, quia qui iurat promiſsionem vt ſic, non iurat immediate rem promiſſam, ſed ſeruare fidelitatẽ promiſsionis: & ſi aliquo modo iurat actionem promiſſam, non eſt abſolute, ſed vt cadit ſub obligationem promiſsionis. Sicut qui iurat ſeruare præceptũ

audiendi

audiendi Miſſam, non iurat audire Miſſam abſolute, ſed vt affectum tali obligatione : & ideo, ſublato præcepto, nõ obligabit iuramentũ; ergo ſimiliter in præſenti. Vnde ſi Summus Pontifex, vel Epiſcopus diſpenſet in tali voto, etiamſi per ſe non attingat iuramentum, irritabit ſeu relaxabit illud: ſicut ſi Deus ipſe immediate remitteret rem ſibi debitam per tale votum iuratum, conſequenter tolleret iuramentũ ſine ſpeciali fauore, vt ſic dicam. Vnde etiam exiſtimo, ſuppoſita poteſtate, non eſſe neceſſariam maiorem cauſam ad tollendum tale votum, quam ſi iuratum non eſſet. Quia nullo modo læditur iuramẽtum, aut ſeruari deſinit ex illa voti ablatione: ergo ſi, ſecluſo iuramento, cauſa eſſet ſufficiens ad remittẽdam promiſſionem nomine Dei, eadem ſufficiet, non obſtante iuramento: nam ſi iuramento non præiudicatur, cur obſtabit? Quod autem nõ præiudicetur, patet, quia illud eſt de ſeruanda fidelitate Deo: per hoc autem non violatur fidelitas, vt conſtat. Item iuramentum illud eſt conditionale, iuro ſeruare votum, ſi durauerit, vel niſi remittatur: & ideo non impleta conditione, nihil derogatur iuramento. Item hac ratione poteſt homo ſua voluntate remittere promiſſionẽ ſibi cum iuramento factã, quia per hoc nullum præiudiciũ fit iuramento; ergo ſimiliter in præſenti. Denique in iuramento promiſſorio cauſa, quæ ſufficit, vt vinculum fidelitatis auferatur iuſte, & valide, ſufficit ad relaxandum iuramentum ex parte materiæ.

16. *Obiectio.* Dices; Sæpe iuramentum promiſſorium obligat, etiamſi promiſſio nõ ſit valida, vt patet in iuramẽto per metum iniuſtũ extorto, & de ſoluendis vſuris, & ſimilibus: ergo ablata promiſſione, non ſequitur intrinſece ablatio iuramenti. Item aliquæ ſunt promiſſiones, quæ reuocari poſſunt, non addito iuramẽto, & illo addito, nõ poſſunt, vt in c. *Quãuis pactũ*, de Pactis, ergo eadẽ ratione, licet promiſſio voti nõ iurata poſſit tolli per hanc facultatem, iurata non poterit. *Cap Quãuis pactum.*

17. *Fit ſatis obiectioni.* Ad priorem partem reſpondeo, illa iuramenta à principio cadere ſuper promiſſionem inualidam, & ideo non fundari in obligatione promiſſionis, ſed in ſola promiſſione externa ab alio acceptata, quæ includit aſſertionem dandi, vel faciendi quantum eſt ex parte iurantis, & ideo talia iuramenta inducũt à principio obligationem ſuam ſine dependentia ab obligatione promiſſionis. Secus autem eſt de iuramento, quo firmatur votum, quia cadit in promiſſionem obligantem, & in illa omnino fundatur. Vnde quando quis iuraret ſeruare votum inualidũ, vt v. g. profeſſionem nullam, non obligaretur iuramento, ſicut nec voto. Et ratio eſt, quia quoties votum eſt nullum, Deus non acceptat illud, & creditore non acceptante, non poteſt iuramentum obligare. Et ita poteſt etiam reſponderi, illa iuramenta, quorum promiſſio acceptatur à creditore, etiamſi promiſſio ſit inualida, non ſtatim amittere vim obligandi, quia ad hanc ſufficit aſſertio acceptata: at vero quando promiſſio non obligat propter remiſſionem, vel non acceptationem creditoris, non poteſt iuramentum obligare. Vnde merito poteſt conſiderari conuenientia inter vtraque iuramẽta. Nam illa etiam iuramenta, quæ hominibus præſtantur ſuper promiſſiones turpiter extortas, habent dependentiam à voluntate eorum, in quorum vtilitatem ſiunt: nam ſi illi remittant, deſinunt obligare. Quoad hoc ergo eſt etiam ſimilitudo; nam ſicut illa tolluntur per remiſſionem creditoris, ita etiam tolluntur iuramenta confirmantia promiſſionem validam, vel vota, & quia cum diſpenſatur votum, interuenit remiſſio creditoris, ideo ceſſat iuramentum. Ad alteram partem reſpõdetur, illud contingere, quando iuramentum eſt de non reuocanda promiſſione, vt ſupra tract. 2. lib. ſecundo, viſum eſt: quia tunc fieret contra iuramentum, petendo reuocationem contractus; hic autem nec diſpẽſans iurauit *Qui iurat ſeruare votum inualidum non tenetur neque iuramentum neque votum ſeruare.*

non diſpenſare, vel non commutare votum iuratum, nec tale iuramentum fuiſſet licitum, interueniente iuſta cauſa. Neque etiam qui votum iuratum emiſit, vouit, aut iurauit, non diſpenſare in voto, ſed ſolum ſeruare votum, vtique perſeuerans. Neque tale votum, aut iuramentum obligaret, interueniente iuſta cauſa, vt in ſuperioribus tactum eſt.

Sed quæri poteſt circa hanc aſſertionem, An commutando votum iuratum commutetur etiam iuramentum, vel potius relaxetur? Reſpondeo breuiter, in rigore, & per ſe non commutari, ſed relaxari. Itaque licet per commutationem talis voti, maneat obligatio voti circa aliam materiam, illud tamen votum, quod manet, non eſt iuratum, ſicut prius erat. Ratio eſt, quia (vt dixi ſuperiori tract. lib. 2. cap. 35.) iuramentum non patitur translationem, vt ſic dicam, ab vna materia ad aliam, iuxta caput *Clericum*, de Iureiurand. & ideo ſiquis iurauit, ſeruare votum ieiunandi, verbi gratia, non poteſt ex vi illius iuramenti obligari ad recitandum Roſarium, ſi forte prior materia in hanc mutata eſt, argumento cap. *Clericum*, de Iureiurand. Dices, licet iuramentum nõ poſſit extendi, ſeu transferri ad aliam materiam, poteſt nihilominus commutari, vt ibidem dictum eſt. Reſpondeo, verum hoc eſſe, ſed tamen in præſenti non commutari iuramentum, vt ſupponitur, ſed tantum votum. Nihilominus tamen addendum eſt, poſſe eum, qui commutat tale votum, nolle commutare, niſi vouens acceptet nouam materiam ſub eadem obligatione voti iurati. Et tunc obligabit iuramentum, quia virtute de nouo emittitur ſuper nouam materiam, & obligationem. Dicimus tamen hunc modum commutationis non eſſe neceſſarium, ſed poſſe ſimpliciter commutari votum, & tunc tolli iuramentum, & manere votum non iuratum, niſi à vouente iterum iuretur. 18. *Cum commutatur votum iuratum, etiam relaxatur iuramentum.* *Cap Clericum.* *Obiectio.* *Solutio.*

Dico tertio: Etiamſi votum, & iuramentum ſuper eandem materiam immediate cadant, & vnumquodque per ſe obliget ad Dei honorem, per facultatem abſolutam diſpenſandi in votis auferri poterit vel votum, vel iuramentum, vel vtrumque pro iuſto arbitrio diſpenſantis. Pro hac aſſertione poſſumus allegare omnes Authores primæ aſſertionis: nam re vera eſt conſequens ad illam, & tenent alij Moderni, & viri docti. Et probatur prior pars, quia licet illud votum habeat coniunctum iuramentum, ſemper manet verum votum, & non reſeruatum, imo non manet ipſum firmatum iuramento per ſe loquendo, ſed tantum eadem materia manet ſubiecta obligationi iuramenti: ergo poteſt tolli per illam facultatem, non obſtante concomitantia iuramenti. Conſequentia patet à fortiori ex dictis in præcedenti aſſertione: quia etiam hic ſunt vincula omnino diſtincta, & minus inter ſe colligata: nec eſt, cur vnum poſſit impedire vſum poteſtatis erga aliud. Confirmatur: nam iuxta ſatis probabilem ſententiam, ſiquis habeat poteſtatem ad diſpenſandum in quarto gradu conſanguinitatis, & aliquis ſit coniunctus cum alio in tertio, & quarto, poterit diſpenſare in quarto ſolo, relicto tertio diſpenſando à ſuperiore. Item qui habet irregularitatem vnius homicidij voluntarij, & alterius caſualis occulti, poterit ab Epiſcopo diſpenſari in irregularitate poſteriori ad eum pertinente, reſeruata altera irregularitate pro Pontifice; quia vnum impedimentum, vel vinculum non mutat ſuam naturam propter conſortium alterius, & ex natura ſua poteſt vnum ſine alio auferri, vt ſuppono, nec de neceſſitate diſpenſationis eſt, quod ſimul vtrumque diſpenſetur, vel quod poteſtas ad vtrumque ſe extendat. Sic ergo in præſenti non obſtante iuramento, poterit votum illud tolli per eum, qui habet directam poteſtatem in vota. Et ex his probata manet ſecunda pars, additis, quæ in prima aſſertione diximus. Nam ſi iuramentum eſſet ſolum, auferri poſſet per illam 19. *3. Aſſertio. Votum, & iuramentum ſuper eandem materiam immediate cadens, & vtrumque per ſe obligans per dictam poteſtatem auferri poterit.*

Digitized by Google

facultatem perinde ac ſi eſſet votum; ergo licet ſit cum voto coniunctum, poterit auferri, per ſe tantum ſpectatum: ſic enim procedunt rationes de æquiparatione, & reliquæ.

20. *Probatur 3 pars aſſertionis.* Difficultas ergo eſſe videtur in tertia parte aſſertionis, quæ dupliciter intelligi, & probari poteſt, vel de directa diſpenſatione vtriuſque vinculi, vel quia ablato vno conſequenter ceſſat reliquum: & *Primus ſenſus.* prior ſenſus eſt maxime intentus. Secundus vero non eſt contemnendus. Probatur ergo primo modo, quia, vt in aſſertione expreſsimus, loquimur de poteſtate conceſſa ſimpliciter ad diſpenſandum in votis; qui autem talem poteſtatem habet, non ſemel tantum, ſed ſæpius poteſt cum tali perſona diſpenſare in obligatione Religionis ad Deum per vota, vel iuramenta æquipollentia; ergo poſtquam talis diſpenſator conceſſit diſpenſationem in voto, poteſt concedere in iuramento, & eadem ratione poterit vtrumque ſimul tollere, quaſi duas diſpenſationes ſimul concedendo. Secundo, ſi à principio talis materia ſolum fuiſſet ſub obligatione iuramẽti, poſſet ex vi illius poteſtatis diſpenſari; ergo quãuis votum præceſſerit, & ſit diſpenſatum; poterit iuramentum diſpenſari: vel aliter ponamus, aliquẽ vouiſſe peregrinationem, & deinde diſpenſationem voti obtinuiſſe, & iterum poſtea iuraſſe eandem peregrinationem, certe etiam hoc iuramentum poterit relaxari per eandem facultatem, non minus, quã ſi votum non præceſsiſſet: quia id eſt omnino impertinens. Ergo licet ſimul aliquando extiterint votum, & iuramentum eiuſdem materiæ, poterunt quaſi per duplicem actum illius poteſtatis auferri. Tertio ſi quis in iobileo haberet votum recitandi Roſarium, & iuramentum non ludendi, poterit vtrumque per facultatem iubilei diſpenſari, non minus quam ſi vtrumque eſſet votum, iuxta dicta in prima aſſertione; ergo licet vtrumque illorum cadat ſimul in eandem materiam, poterit etiam auferri ex vi eiuſdem poteſtatis.

21. *Proponitur ſecundus ſenſus aſſertionis.* Secundus præterea ſenſus poteſt probabiliter ſeruari, nimirum, non ſolum poſſe ceſſare obligationem iuramenti, ablato voto, quando iuramentum directe confirmat promiſsionem, ſed etiam quãdo immediate cadit in materiam voti. Quod in hunc modum declaro: nam iuramentum factum homini per ſimplicem aſſertionem de futuro, ſine propria promiſsione, ſeu iuramẽtum promiſſorium, in quo promiſsio non obligat, ſed ſolum iuramentum, poteſt remitti, & relaxari per remiſsionem partis, ſeu creditoris, in cuius vtilitatem iuratum eſt, vt in ſuperioribus eſt oſtenſum, quia tale iuramentum ſemper includit conditionem, ſi alter fuerit contentus, vel ſi ipſe non remiſerit; ergo etiam hoc modo relaxabitur iuramentum ad Deum, quoties conſtiterit Deo placere id, quod eſt iuratum non fieri, ſed remittere illud, vel acceptare aliud loco illius. Nam quoad hoc eadem eſt ratio in Deo, quia eadem conditio includitur in iuramento facto Deo. Sed quoties votum, & iuramentum in eandem materiam cadunt, & votum per iuſtam diſpẽſationem, vel commutationem tollitur; eo ipſo declaratur, Deum eſſe contentum, vt id non fiat, vel illi placere, vt aliud loco illius fiat: ergo eo ipſo deſinit iuramentum obligare circa illam eandem materiam, quia de illa iam conſtat, non eſſe tam gratam Deo vt velit illam, ideo enim cenſetur illam iam non exigere in ordine ad votum. Dices, ex vi diſpenſationis von ſolum intelligi illam materiam nõ placere Deo in ordine ad tale vinculum voti: non vero in ordine ad aliud vinculum iuramenti. Sed contra, quia cauſa, & ratio illius remiſsionis non eſt reſpectiua in ordine ad hoc, vel illud vinculum, ſed fundatur ſimpliciter, & abſolute in conditionibus, & circumſtantiis materiæ ſecundum ſe, hic & nunc ſpectatis, vt *D. Thom.* conſtat ex D. Tho. d. art. 10. Ergo eo ipſo, quod ceſſat conditio incluſa in voto, ceſſat etiam conditio incluſa in iuramento, & ideo per ſe ceſſat. Et hic diſcurſus optime etiam declarat, quam ſint ſimilia, & æquiparabilia votum, & iuramentum in ordine ad diſpenſationem, & confirmat omnia, quæ in prima aſſertione dicta ſunt, & omnia magis confirmabuntur ſoluendo argumenta, & ibi dicemus, quid ſentiendum ſit, quando facultas in particulari conceditur ad aliquod votum tollendum.

Ad primum argumentum primæ ſententiæ reſpondetur, licet iuramentum in rigore ſit vinculum diſtinctum ſpecie, tamen in ordine ad diſpenſationem, & cõmutationem æquiparari, quando iuramentum tendit ſolum ad Dei honorem: ſicut votum, & ideo non eſſe hanc extenſionem repugnantem priuilegio, ſed eſſe interpretationem conſentaneam iuri, & fini conceſsionis, & menti concedentis: Ac denique ſiquid habet extenſionis, eſt conſentanea regulæ de ampliandis gratiis, & beneficiis Principis, præſertim, quando in ſpirituale bonum cedunt, & nulli præiudicant, vt ſunt hæ facultates. 22. *Soluuntur argumenta in contrarium propoſita.* Ad ſecundum iam reſponſum eſt, non fundari noſtram ſententiam in illa regula, & illatione à maiori ad minus generatim ſumpta, ſed in ſpeciali ratione iuramenti, & æquiparatione, & connexione, ac fere eadem æſtimatione, quam habet cum voto.

23. Ad confirmationem ex cap. *Cui de non ſacerdotali*, reſpondet Nauarr. d. qu. 3. de Redit. Moni. 10. illum textum non loqui in facultatibus diſpenſandi, imo nec in diſpenſationibus, ſed in mandatis, quorum fines diligenter ſunt ſeruandi, quia ſæpe non militat eadem ratio in minori, quæ in maiori. Vt in caſu illius textus mandatum de prouidendo aliquo de maiori, vel pinguiori beneficio, non permittitur extendi ad minus, vel tenuius: quia in huiuſmodi mãdato cõſideratur qualitas, & proportio perſonæ, cui prouideri mandatur, & ſæpe non expedit illum inferioribus miniſteriis applicari, vel minus ſufficienter prouideri: vnde cum tale mandatum vno actu expiret, oportet illum ad amuſsim obſeruari, eiuſq; fines diligenter ſeruari, vt dicitur in leg. *Diligenter.* ff. de Mandat. Hæc autem ratio non habet locum in diſpenſationibus, vt idem Nauarr. ibi fatetur cum Decio ſupra allegato. Hæc vero reſponſio, licet ſatis *Couar.* communis ſit, non placet Couar. lib. 1. Variar. c. 20. n. 7. §. *Solet tamen*, cum ſequentibus, & ideo ipſe reſpondet, ibi Pontificem loqui, quando præſcribitur certa quantitas in reditibus beneficij, quæ eſt quaſi taxa quædam determinans ſpeciem, extra quam voluntas concedentis non impletur. Sed re vera in idem reuoluitur, & prior reſponſio rationem reddit, ob quam illa determinatio valoris cenſetur facta cum tanta præciſione. Et fortaſſe illa declaratio tam ſtricta habet locum in materia beneficiorum, & non in aliis.

24. Ad tertium ſi priuilegium abſolute concedatur ad relaxanda iuramenta etiam votiua, ſeu pia, & in honorem Dei facta, concedo extendi ad vota propter rationem ſupra factam: & ita concedit expreſſe Sanc. ſupra n. 29. Idemque dicendum cenſeo, ſi generaliter conceditur facultas tollendi iuramenta, quæ ſine præiudicio tertij auferri poſſunt: nam per hæc potiſsime intelliguntur ea, quæ in Dei tantum honorem, vel de aliquo actu virtutis abſolute ſiunt. Eo vel maxime, quod hæc iuramenta ordinarie includunt promiſsionem; & qui dat facultatem relaxandi iuramenta, dat facultatem tollendi obligationem promiſsionis iuratæ; ſi auferri poteſt ſine præiudicio tertij. Reſpectu autem Dei nullum eſt præiudicium, quando diſpenſatio ſit ex cauſa. Ad quartum reſpondetur, interdum fieri in indultis maiorem expreſsionem ad clariorem declarationem, non quia ſit ſimpliciter neceſſaria. 25. *Soluuntur argumenta ſecundæ ſententia.*

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur, votum iuratum eſſe maius vinculum tantum exten-

Digitized by Google

extenſiue, id eſt, plura vincula; & ideo per eandem poteſtatem auferri poſſe, quæ ad plura ſimilia vincula tollenda ſufficit. Vt omittam, poſſe illa duo auferri, tollendo vnum directe, & aliud per naturalē ſequelam, vt explicatum eſt. Ad primam confirmationem negatur antecedens quoad ſecundam partem. Nam quando iuramentum additur voto, nulla grauitas quaſi intenſiua accreſcit voto, ſed tãtum additur nouum vinculum, vt D. Thom. loco ibi citato docuit, & eſt res per ſe clara: nam ſæpe votum tempore antecedit, & poſtea iuramentum illi ſuperadditur, ſine vlla mutatione in voto facta, idem autem eſt moraliter, licet ſimul fiant. Præterquam, quod licet inde votum in ſe creſceret, eſſet grauitas mere accidentalis, quæ non variaret vinculum in ordine ad diſpenſationem. Ad ſecundam confirmationem concedo, habentem votum iuratum, & petentem diſpenſationem voti abſolute, non explicato iuramento, manere diſpenſatum in voto, ſi veram, & legitimam cauſam allegauit: quia gratia non eſt ſubreptitia propter illam taciturnitatem, quia nihil occultatum fuit, quod iure difficiliorem reddere diſpenſationem. Nam oſtendimus, cauſam ſufficientem ad diſpenſationem voti ſatis eſſe, licet votum iuratum ſit, ideoque declarare hanc circumſtantiam, nec ex natura rei neceſſarium eſt, neque in iure inuenitur præceptum. *D. Thom.*

16\. Sed eſt hic notanda differentia inter facultatem poſtulatam ad vnum votum tantum diſpenſandū, & inter facultatem abſolute datam ad diſpenſanda vota, de qua hactenus loquuti ſumus. Nam hæc poſterior extēditur ad plures actus, & ideo facile poſſunt per illam tolli votum, & iuramentum, vnumquodque directe, & quaſi multiplicatis actibus diſpenſationis, vt declaratum eſt. At vero quando poſtulatur facultas ad vnum votum tantum, tunc vnica diſpenſatio videtur conceſſa, & per illum actum expirat illa facultas, iuxta dicta in ſimili in 3. tom. 3. p. diſp. 27. ſect. 4. n. 7. & quæ tractat. Nauar. d. q. 3. de Redit. Moni. 9. & tract. de Iobilæo notab. 32. nu. 46. Vnde fit, vt tunc facultas non extēdatur ad votum, & iuramentum directe tollendum, quia deberent tolli illo modo per plures diſpenſationes, & illa poteſtas non extenditur ad plures actus, vt dixi: vnde nec etiam plura vota poterunt per illam auferri, ſed ſolum quod poſtulatum eſt. Voco autem plura vota, quæ ſunt circa diuerſas materias, nam quæ iterantur circa eandem, tanquam idem reputantur. Hoc autem ſecus eſt in voto, & iuramēto, etiā circa eandem materiam, & ideo vt directe tollerentur, diuerſis diſpenſationibus indigerent. Quapropter in hoc caſu particulari, quando indultum eſt adeo limitatum, probabile eſt, non extendi directe ad iuramentum, & votum ſimul. Nihilominus vero iuxta dicta probabile eſt, ablato voto per illam facultatem, ceſſare iuramentum, non directe, ſed indirecte, id eſt, non per modum diſpenſationis, ſed per modum irritationis, & quia ceſſauit conditio in illo incluſa. Quod admittit Sanc. in iuramēto, quod cadit ſupra votum: non vero quando concomitanter ſolum cadit ſupra eandem materiam, quod eſt probabile in hoc puncto. Sed nō minus probabile cenſeo contrarium, propter diſcurſum ſupra factum. Et quia rem moraliter, & practice ſpectando, parum hoc refert ad vim obligationis in ordine ad Deum, nec eſt minor in voto, & iuramento vno modo facto, quam alio, & (quod caput eſt) in vtroque ceſſat aliqua conditio in iuramento incluſā, & parum refert, quod ſit diuerſa, ſi vtraque eſt neceſſaria, vt duret obligatio iuramenti. Ad vltimam confirmationem iam reſponſum eſt ex dictis, quod illud indultum eſt optimum ad tollenda dubia. De alijs autem opinionibus ſufficienter dictum eſt. *Sanc.*

CAPVT XV.

Vtrum poteſtas diſpenſandi in votis vel illa commutandi, extendatur ad vota facta in commodum tertij?

QVæſtio hæc communis eſt poteſtati ordinariæ, & delegatæ: in hac vero poſteriori habet maiorem rationem dubitandi, & ideo in hunc locum reſeruata eſt: doctrina vero ad vtramque eſt cum proportione applicanda. Contingit ergo ſæpe, vt votum, licet Deo directe fiat, nihilominus habeat materiam exercendam circa proximum, ſeu circa tertiam perſonam: & in his oritur ſpecialis ratio dubitandi de hac poteſtate, propter præiudicium tertii. Quando enim votum ſoli Deo fit, & illius executio tantum cedit in honorem, vel cultum eius, tunc recte procedunt omnia dicta, quod remiſſio fiat à diſpenſante vice ipſius Dei, tamen quando votum cedit in proximi vtilitatem, videtur requiri conſenſus eius, cui præiudicium per diſpenſationem, vel commutationem fit, & ideo poteſtas Prælati non videtur per ſe ſufficiens ad tale votum tollendum, niſi tertia perſona cedat iuri ſuo. Habetque locum maxime hæc dubitatio in votis realibus, vt de facienda eleemoſyna tali loco pio, vel tali perſonæ indigenti, &c. Tamen etiam poteſt in votis perſonalibus hoc inueniri, vt ſi fiat votum ſeruiendi huic hoſpitali, vel ingrediendi hanc Religionem, & ſimilia. 1. *Ratio dubitandi proponitur.*

Duobus ergo modis poſſunt hæc vota fieri. Primo pure, & nude promittendo Deo, & non homini. Secundo promittendo ſimul Deo, & homini, vt quando promitto pauperi fœminæ dotem competentem, & promitto ſimul Deo illam dare, ſeu implere promiſſionem humanam. Inter quos duos modos eſt magna differentia: nam in priori ſoli Deo oritur obligatio, & nullum ius acquiritur homini: in ſecundo vero præter obligationem reſpectu Dei acquiritur ius homini per humanam promiſſionē, quā ſupponimus ab illo eſſe acceptatam. Quæ diſtinctio ſumitur ex D. Th. d. q. 88. art. 5. & clarius in 4. d. 38. q. 1. ar. 1. quæſtiun. 1. ad 5. Quod ſi quis inquirat, quando intelligēdum ſit votum fieri vno, vel alio modo? Reſpondeo cum Caiet. ſtatim citando, hoc maxime pendere ex intētione vouentis, quæ ex verbis colligenda eſt. Vnde ſi tantum vtitur verbo vouendi, intelligitur eſſe tātum votum Deo, vel Sanctis ad colendum illum, vel in ſe, vel in ſua imagine. Vt ſi dicat, voueo ſanctæ Mariæ Lauretanæ: votum fit ſanctiſſimæ Virgini: locus autem deſignatur ſolum vt circumſtantia ſeruanda in colenda Virgine per tale votum. Vt ergo voto coniungatur promiſſio humana, oportet, vt directe fiat aliqua promiſſio homini, & quod ab illo acceptetur, alias non obligabit, vt ſuppono, & videri poteſt Couar. in cap. *Quamuis*, part. 2. §. 4. num. 14. 2. *Dupliciter poteſt aliquis vouere in commodum tertii.* *D. Thom.* *Caiet.* *Couar.*

Hac ergo diſtinctione ſuppoſita, dico primo: Si votum ſit purum, diſpenſari, vel commutari poteſt ex iuſta cauſa per eādem poteſtatem, per quam diſpenſantur alia vota, & ita hæc diſpenſatio ad eoſdem Prælatos iure ordinario pertinet: idemque cū proportione dicendum eſt de commutatione, vbi ad illam faciendam fuerit neceſſaria iuriſdictio. Ratio eſt, quia per tale votum non acquiritur ius tertio, & ideo per diſpenſationem non fit illi præiudicium verum, id eſt, iuri eius contrarium, etiamſi cedat in aliquod incommodum eius, ſeu in carentiam commodi, quod eſt longe diuerſum, vt agentes de iuramento promiſſorio ſæpe diximus. Quia in priuatione huius commodi non interuenit iniuria, nec culpa, per ſe loquendo, & ideo non eſt, cur impediat Prælatū, ne vtatur ſua poteſtatē, vel vouētem, quo- 3. *1 Concluſio. Vota emiſſa in commodum tertii poſſunt diſpenſari vt reliqua, ſi non detur promiſſio facta tertio.*

tem, quominus vti poſsit iure ſuo, petendo diſpenſationem, vel commutationem. Et ita hæc aſſertio communis eſt, quam tenet Caietan* 2.tom. Opuſc. tract. 11. quæſtione 3. & ſequitur Nauarr. dicto capit. 12. numer. 78. latius in Apolog. de Rediti. Eccleſ. q. 1. Mon. 71. in antiquis, & 60. in nouiſ. Tenet Syluest. *Votum*, 4. quæſt. 7. d. 4. Angel. *Votum*, 3. nu. 26. Piſana *Votũ*. 6. §. 3. Tabiẽ. verb. *Diſpẽſatio* n. 12. Armilla. n. 20.

Caiet. Nauar. Syluest. Angel. Piſana. Tabien. Armilla.

4\. Contra hanc ſententiam tenent Archid. Raym. & alii, quos Syluest. ſupra refert, & ſequitur Sarmi. tract. de Rediti. Eccleſ. part. 4. capit. 3. numer. 4. Vbi de Caiet. ſpecialiter conqueritur, quia dixit tractationem de voto ad Theologos potius, quam ad Canoniſtas pertinere. Fundamentum eſt: quia in pia cauſa ius acquiritur etiam abſenti, L. *Illud*, C. de Sacro. Eccleſ. & de Voto id ſpecialiter habetur in Leg. 2. iuncta Gloſſa ff. de Pollicit. & colligitur etiã ex capit. *Ex parte*, de Cenſib. vbi actio datur ad ſoluenda vota realia facta Eccleſiis, vbi Innoc. & Panormitanus id notant, & tradit Gloſ. communiter probata in capit. *Scimus*, 12. quæſtione 1. Ratio addi poteſt: quia ex quo votum ſit Deo incommodum talis perſonæ indigentis, aut Religioſæ, acquiritur ius ipſi Deo, quod cenſetur transferre in talem perſonam: nam vult in vtilitatem eius impleri promiſſionem.

Archid. Panor. Syluest. Sarmi. Ca. De ſac. Eccl. C. Ex parte. Innoc. Panor. Gloſſ.

5\. Hæc ſententia eſſet probabilis ſi tantum diceret, in commutatione talium votorum habendam eſſe rationem, quoad fieri poſsit, vtilitatis talium locorum, vel perſonarũ vt ſcilicet eorum cõmodis quoad fieri poſsit per commutationẽ conſulatur, ſicut in ſimili diximus de relaxatione iuramenti promiſſori, & ſumi poteſt ex capit. *Magna*, & ex cap. *Ex multa* in fine de Voto. At vero quod ad hanc diſpenſationem, vel commutationem ſit neceſſarius conſenſus illius, in cuius vtilitatem votum obſeruatum cederet, non habet fundamentum. Nam illud, quod pro aſſertione adduxim⁹ (vt recte aduertit Nauar.) ſemper ſuam vim retinet, quia re vera homini nulla facta eſt obligatio per tale votum, vnde nõ eſt, cur illius conſenſus requiratur, ſi alias iuſta cauſa diſpenſationis, vel commutationis intercedit. Nam dicere, Deum transferre ius ſuum in illam perſonam, gratis dictum eſt, & eadem facilitate negatur: qua fingitur, ſolum ergo vult Deus, vt votum non violetur, quod intercedente iuſta diſpenſatione ſeruatur. Ad Argumentum autem reſponderi poteſt ex doctrina Nauarri ſupra, per votum acquiri ius aliquod Eccleſię, vel perſonę in cuius vtilitatem executio voti cedit, tamen illud ius eſſe reuocabile, ſi votum reuocetur iuſte, & valide. Quod ipſe declarat ex alia doctrina Bartoli dicentis, eum qui donat aliquid alteri ſub modo, vel onere, vt illud poſtea transferat in Eccleſiam, poſſe poſtea onus illud reuocare, quia licet Eccleſia tunc acquiſierit actionem contra donatarium, illa etiam reuocabilis eſt: ita ergo in præſenti cenſetur. Et ita poſſunt ad hoc confirmandum conferre, quæ de illo puncto late tractat Couarruuias libr. 1. Variar. capit. 14. numer. 15.

Ca. Magna. C. Ex multa. Nauar.

6\. Ad maiorem autem declarationem addere poſſumus, per votum ſoli Deo factum de eleemoſyna v.g. facienda Petro, nullum proprium ius acquiri Petro, ratione cuius dici poſsit habere ius in re illa, vel ad rem illam, ſolumque concedi illi Canonicã, vel etiam ciuilem actionem vtilem poſtulandi à iudice, ſeu Prælato, implorando officiũ eius, vt cogat aliũ votum illud implere. Et hoc ad ſummũ probat illa lex 2. ff. de pollicitat. Hæc autem actio ſolum conceditur, quamdiu votum in ſua vi, & in ſpecie (vt ſic dicam) permanet: nam ſi ablatum ſit per iuſtam diſpenſationem, vel in aliam rem translatum per commutationem, ceſſabit actio, vel ſi quis illam intentet, repelletur probata diſpenſatione, vel commutatione, & ideo merito dicitur illa actio reuocabilis. Et iuxta hæc intelligenda eſt Gloſſa in d. capit. *Scimus*, ſolum enim ait, ex pollicitatione, quam quis facit Deo, poſſe conueniri, quod etiam habet Gloſſa in capit. *Iuramenti*, 2. 2. quæſtione 5. & poteſt admitti in ſenſu prædicto, quamuis nec ex illis iuribus probetur, vt illæ Gloſſæ dicunt. Nec ex capit. *Quicumque*, 13. quæſtione 2. quod allegant: quia loquitur de promiſsione aut donatione facta Eccleſiæ cũ authoritate Epiſcopi, non de puro voto. Et ſimiliter loquitur capit. *Quia Ioannes*, 12. quæſtion. 5. quod etiam allegant, imo ibi nulla fit mentio de actione, quam habet Eccleſia, quando illi promiſsio fit. At vero cap. *Ex parte*, de Cenſib. non loquitur de actione contra vouentem, ſed contra hæredem, reſpectu cuius actio facta eſt irreuocabilis, præſertim quando ex conſuetudine acquiſitum eſt ius Eccleſiæ, vel per modum præſcriptionis, vel quia indicat donationem ipſi Eccleſiæ factam, talis enim erat caſus illius textus. Quanquam ex illo colligant Innoc. & Abb. poſſe vouentem compelli ad implendum votum etiam ad petitionem eius, cuius intereſt, quod in ſe verum eſt in ſenſu declarato. Denique L. *Illud*, C. de Sacroſ. Eccl. nihil facit ad cauſam: quia non tractat de votis, ſed de donationibus factis locis piis ſine ſcriptura, nec inde colligi poteſt, quod factæ etiam in abſentia eorum, qui poſſent pro Eccleſia acceptare valeant, imo oppoſitum docet Gloſ. ibi, & eſt res controuerſa, de qua videri poteſt Tiraq. de Priuileg. piæ cauſæ Priuileg. 114. & 115.

Votum de eleemoſyna facienda nullum proprium ius illi confert. Gloſſ. Innoc. Abb. Gloſſ. Tiraquel.

Dico ſecundo: Quando votum ad Deum habet adiunctam promiſsionem certæ perſonæ, aut communitati, ſeu Eccleſiæ valide factam, cui votum additur ad robur, & confirmationem, tunc regulariter non poteſt tale votum commutari ſine conſenſu tertii, in cuius præiudicium cederet, commutatio eſt, communis aſſertio. Ratio autem eſt, quia ibi cum voto coniungitur promiſsio humana, quam ſupponimus eſſe acceptatam, & conſequenter dare ius, quo non poteſt quis priuari per poteſtatem cõmutandi vota, ſicut etiam de iuramento promiſſorio dictum eſt. Dixi autem *Regulariter*, quia interdũ poteſt hoc votum ſimpliciter diſpenſari, vel commutari tollẽdo talem obligationem in duobus, ſcilicet caſibus. Vnus eſt, quando promiſsio facta eſt Eccleſiæ, & Prælatus eſt diſpenſator bonorum, & iurium talis Eccleſiæ, & ex iuſta cauſa poteſt remittere, vel compoſitionem facere in debitis eiuſdem Eccleſiæ, vt maxime eſt Papa, vel interdum Epiſcopus, & tunc non fit proprie exceptio à regula poſita, quia iam tunc conſentit creditor, cui facta erat promiſsio. Alter caſus eſt, quando tanta eſt neceſsitas, & cauſa diſpenſationis, vt poſsit Pontifex cogere priuatum, vt cedat iuri ſuo, vel illum inuitum priuare propter commune bonum, de quo eadem eſt ratio quæ de iuramento promiſſorio, & ita videnda ſunt, quæ de illo diximus. 7.

Votũ cadens in promiſsionem factam tertio non poteſt diſpenſari ſine eius conſenſu. Limitatur concluſio.

Obiicies primo, quia licet extra hos caſus recte probet ratio facta, non poſſe tunc vtramque promiſsionem auferri, ſeu commutari; nihilominus tamen videtur, poſſe ſolum votum diſpenſari, vel commutari, ſi iuſta fuerit cauſa, & relinqui puram promiſsionem humanam, vt ea impleatur. Reſpondeo duobus modis poſſe coniungi votum, & promiſsionem humanam circa eandem actionem. Primo concomitanter tantum, quando vtraq; promiſsio cadit immediate in eãdem actionem, & non vna in aliam, vt verbi gratia, quando promitto Petro eleemoſynam, & ſeparatim voueo Deo, illam eleemoſynam facere: & hoc facilius intelligitur, quãdo votum præcedit. Secundo poſſunt illæ promiſſiones coniungi cum ſubordinatione, quia promiſſio voti cadit in promiſsionem humanam, vt in materiam; quia promitto Deo ſeruare promiſsionem factam homini, vt notat D. Thomas q. 88. ar. 5. ad 3. Quando ſe habent priori modo, nulla apparet repugnantia, 8.

Satisfit obiectioni. D. Thom.

pugnantia, quin ex vi poteſtatis tollatur ſolum votum, relicta promiſſione humana, quia non pendet ab illa, neque directe fit præiudicium tertio; nam integrum manet illi ius ſuum. Nihilominus tamen regulariter non habet locum talis diſpenſatio, vel commutatio, quia ſemper promiſſum præſtandum eſt ſecundum rectam rationem: & ideo vix poteſt dari iuſta cauſa ad auferendam maiorem obligationem. Præſertim quia ſemper videtur id fieri in fraudem, & incommodum tertij. Non repugnat autem interdum iuſtam cauſam intercedere ad tollendum ſolum vinculum voti, vt poſtea poſsit facilius compoſitio fieri in promiſsione humana, quam fortaſſe æquitas, vel moralis neceſsitas poſtulat. Idemq; fere eſt, quando votum cadit ſuper promiſsionem humanam, vt in materiam ſuam, licet tunc maior videatur eſſe ratio non auferendi votum, perſeuerante promiſsione: nam dum hæc retinet ſuam rationẽ pietatis, & propriæ obligationis, ſine cauſa aufertur alia. Quia licet poſsit interdum diſpenſari in voto de obſeruando aliquo præcepto, permanente obligatione præcepti, vt patet in voto de caſtitate coniugali ſeruanda; nihilominus raro poteſt hoc habere legitimam cauſam, quando obligatio illa, quæ eſt materia voti cõfert ius tertio, in cuius commodum cedit, & illa non aufertur, quia tunc magis directe eneruatur promiſsio facta tertio, & ita cedit in præiudicium eius.

9. Sed inſtari poteſt de voto obedientiæ in aliqua Religione facto: nam confirmat promiſsionem factam homini, & traditionem factam Religioni, & nihilominus commutari poteſt in aliam Religionem, & Prælatũ eius, per tranſitum ad arctiorem. Reſpõdet Caietan. d. q. 3. in voto Religionis ſimplici poſſe hoc fieri, quia per illud non acquiritur ius Religioni laxiori: nam ſi acquireretur (ait) non poſſet fieri propria authoritate: vnde in voto ſolenni, ſeu profeſſione Religionis forte diceret fieri authoritate iuris. Sed dicitur facilius, in tali profeſsione ſubintelligi exceptionem, vel conditionem: *Niſi ad meliora vota tranſiero*, quia intelligitur profeſsio fieri ſine impedimento maioris boni, & ideo nõ acquiritur ius Prçlato, vel Religioni, niſi ſub eadem limitatione, vt ſupra etiam dictum eſt: & propterea tranſitus ad arctiorem non fit cum eius præiudicio, ſicut in matrimonio rato inuoluitur ſimilis conditio: & ideo ingreſſus Religionis non eſt in præiudicium coniugis. Et idem eſt ſuo modo de voto ſimplici cũ promiſſione facta certæ Religioni ingrediendi illam; nihilominus enim manet libertas cõmutandi in ſtrictiorem, vt infra dicemus.

Caietan.

10. Tandem inſtabis tertio: nam ſequitur non poſſe commutari votum factum Sancto Franciſco, verbi gratia quia præter promiſsionem Dei includit ſępe promiſsionem factã tali Sancto, vt ſupra diximus: tunc ergo ſequitur tale votum non eſſe commutabile, quod videtur inconueniens. Reſpondeo cum Caiet. negando ſequelam. Imo aſſero, licet intelligamus, promiſsionem factã Sancto ſine ſpeciali promiſsione facta Deo (quod non repugnat, vt ſupra etiam dixi;) nihilominus promiſsionem illam eſſe diſpenſabilem, vel commutabilem per ordinariam Eccleſię poteſtatem. Tum quia promiſsio ſemper intelligitur facta Deo indirecte, & eatenus participare rationem voti: tum etiam quia Deus, & Sancti cũ ipſo regnantes quoad hoc quaſi conſtituũtur ſub eodem foro, vt Vicarius Dei in terris poſsit etiam diſpenſare iura Sanctorum, & debita illorum remittere, ſi oportuerit. Tum deniq; quia talia vota non ad humanam vtilitatẽ Sanctorum, ſed ad Religioſum cultum, & ſimul ad fructũ animarum referuntur: quod totum eſt ſub cura, & regimine Prçlatorum Eccleſiæ. Atque ita videmus Prælatos Eccleſiæ non ſolum Chriſti theſaurum, ſed etiam Sanctorum ſatisfactiones diſpenſare, & applicare. Vnde fit, vt licet in eodem voto coniungatur promiſsio ad Deum, & ad Sanctum, & (licet promiſsio ad Sanctum, vt fideliter implenda ſit materia promiſsionis ad Deum) totum ſit commutabile, & diſpenſabile per Eccleſiam: quia eadem eſt ratio de ſingulis promiſsionibus, & de vtraque ſimul, vt per ſe conſtat.

11. Dico tertio: Poteſtas delegata ad tollenda vota, ſi abſolute conceditur, extenditur ad ea, quæ poſſunt eſſe vtilia tertiæ perſonę, quãdo illi nullum ius conferunt: nõ vero ad illa, quæ habent adiunctam promiſsionem humanam. Hæc aſſertio eſt facilis, ſuppoſitis prioribus. Nam prima pars huius aſſertionis procedit iuxta primã aſſertionem. Et ratio eius eſt, quia illa vota ſunt diſpenſabilia ex ſe, vnde per poteſtatem delegantis iure ordinario auferri poſſunt, & alias non ſunt reſeruata: ergo comprehenduntur ſub generali poteſtate delegata circa vota, iuxta regulam ſupra traditam. Neque in præſenti occurrit ſpecialis ratio faciendi exceptionem, cum talis diſpenſatio non ſit in pręiudiciũ tertij. Altera vero pars procedit iuxta ſecundam concluſionem, & ex dictis in illa ſufficienter confirmatur. Neque hic neceſſe eſt adhibere exceptiones, vel limitationes ibi poſitas, quia illæ requirunt ordinariam poteſtatẽ longe diuerſæ rationis, & interdum ſupremam, & ideo talis poteſtas nõ intelligitur conceſſa, niſi exprimatur. Nunquam autẽ exprimitur, imo ſæpe additur clauſula, *Dummodo non fiat in præiudicium tertij*, vt patet in Compend. priuileg. Societ. ver. *Commutatio*, & alijs. Additur vero, non quia neceſſaria ſit, nam licet non adderetur, eſſet intelligẽda, ſed ad maiorem declarationem.

Poteſtas ad diſpenſandũ abſolute delegata, non extẽditur ad ea quæ ſimul habent promiſsionem factã tertio.

CAPVT XVI.

De facultate eligendi perſonam, quæ poſſit vota commutare, vel in eis diſpenſare.

1. DVobus modis, vt alibi latius notaui, poteſt delegari aliqua poteſtas vno modo ex parte eius, cui committitur iuriſdictio, alio modo ex parte eius, circa quem exercenda eſt: vterque ergo modus in præſenti locum habet, quia maxime ſolet hic poſterior modus applicari ad iuriſdictionem voluntariam, ad quã ſpectat votorũ diſpenſatio. Cum ergo in præcedentibus capitulis maxime explicuerimus hanc delegationem prout directe conceditur delegato, in hoc breuiter adnotabimus aliqua, quæ propria ſunt eius facultatis, quæ ad eligendum diſpenſantem datur: nam media illa electione, & deſignatione perſonæ iuriſdictio manat à Prælato, qui talem facultatem dedit. Supponendum autem eſt tanquam certum, per hæc indulta etiam per iobelea, & ſimilia non commutari vota ipſo facto, vt recte admonuit Nauarr. ca. 12. n. 79. dicens contrariam eſſe ignorantiam vulgi: nam per illa non datur commutatio, ſed poteſtas commutandi, media electione habentis votum: & ideo oportet, vt ad petitionem eius commutatio per delegatum fiat. Duo ergo in hac facultate explicãda ſunt, vnum pertinet ad ius (vt ita dicam) talis facultatis aliud ad praxim, & vſum eius.

Duplici modo delegatur poteſtas.

Per iobelea non commutãtur vota ipſo facto. Nauar.

2. Circa primum notari poteſt differentia, quæ aſsignari ſolet inter hæc indulta conceſſa ex parte diſpenſantium, & in eorum fauorem, vel ex parte diſpenſandorum. Quod priora cenſentur continere ſimpliciter fauorem, & beneficium Principis, & ita eſſe amplianda, quantum proprietas verborum permiſerit: poſteriora vero cenſentur eſſe odioſa, tanquam continentia diſpenſationem priuatam, & ideo eſſe ſtricte intelligenda. Quæ differentia videtur plane colligi ex capite *Si cui nulla*, de Præbendis, in ſexto. vbi poteſtas data alicui gratioſe authoritate Apoſtolica ad conferendum aliis beneficia, cenſetur gratiæ, & benefi-

Poteſtas delegata ex parte diſpenſantis, & amplianda eſt, ſecus ex parte venientis.

Cap. Si cui nulla.

Digitized by Google

& beneficium Principis permanſurũ: & contrarium decernitur de facultate data ad prouidendum alicui certæ perſonæ in fauorem prouidendi: vnde à fortiori idem intelligitur de facultate paſsiua data alicui, vt ei conferatur beneficium, quando vacauerit; ergo idem eſt in præſenti de facultate data, diſpenſando in fauorem eius ad eligendum diſpenſantem. Ratio autem huius differentiæ eſſe videtur, quia quando datur facultas diſpenſando, iam illi virtualiter conceditur diſpenſatio, licet alteri committatur, & quia diſpenſatio eſt odioſa, & ſtricti iuris, ideo illa facultas eodem iure cenſetur. Et ob hàc rationem idem eſt, quando facultas actiua directe datur certæ perſonæ, cui committitur, vt diſpenſet cum tali perſona in fauorem diſpenſandi, vt ex eodem ca. colligitur, quia tunc etiam virtualiter datur diſpenſatio. Quod ſecus eſt, quando directe, & indefinite datur alicui facultas diſpenſandi, quia tunc illi fit gratia propter communicationem abſolutam poteſtatis, in qua non magis includitur actualis diſpenſatio, quam in abſoluta poteſtate, quæ eſt in ipſo delegante. Et ita Nauarr. in conſ. 1. alias 3. de Iureiurand. perinde cenſet de facultate data per iobilæum ad eligendum confeſſorem, qui diſpenſet, & conſequenter cenſet eſſe odioſam, & ſtricti iuris, & ita ſentiunt aliqui Moderni.

Nauar.

3. *Sententia Authoris circa propoſitum diſcrimen.*

Ego vero hanc ſententiam admitto in his facultatibus, quæ ſolent concedi aliquibus ad obtinendam diſpenſationem aliquorum votorum, quam ſolent à Põtifice poſtulare, & ipſe committit diſcreto confeſſori, aut doctori ab oratore, ſeu latore eligendo, vt veritate perpenſa, cum illo diſpẽſet. Nam in his facultatibus procedit optime ratio facta, & conſonat etiam ius allegatum. Nihilominus tamen ſimiles facultates paſsiuæ generaliter conceſſæ per iobilæa, quæ nunc ordinarie concedi ſolent, etiamſi concedantur in fauorem recipiẽtium, exiſtimo non eſſe computandas inter ſimpliciter odioſas, ſed inter fauores ample interpretãdas. Moueor, tum quia hæc iobilæa cenſentur eſſe maxima beneficia Apoſtolicæ ſedis, quæ nulli poſſunt ex ratione aliqua iuſta videri odioſa, per ſe loquendo, & ſecluſis exceſſibus, & priuatis reſpectibus, quæ non conſiderantur. Tum etiam quia tales conceſsiones ordinantur immediate ad pleniorem abſolutionem, & remiſsionem faciendam, quę quoad hanc partem fauorabilis eſt, vt oſtendi de Indulg. in 3. tom. 3. p. diſp. 56. ſect. 2. de fauore autem conceſsionis iudicandum eſt ex proximo, ac principali fine, ad quem ordinatur, vt eſt communis ſententia, quam nunc remittimus in materiam de Legibus. Tum etiam quia per hæc indulta non intenditur principaliter priuatum bonum, ſed bonũ commune Eccleſiæ, ſeu ſpiritualis ſubuentio in aliqua communi, ac publica neceſſitate Eccleſiæ, reſpectu cuius attendenda eſt conceſsio, vt fauor ſimpliciter cenſeatur; tum denique quia illa indulta non ſunt in præiudicium tertij, & ſunt in fauorem animarum, nec poſſunt dici Iuri contraria, ſed ſupra, vel vltra Ius. Nam reuera per ea immediate communicat Põtifex ſuam poteſtatem, quod eſt conſentaneum iuri Diuino, & rationi, quãdo confert ad ſalutem animarum. Quod autem illa poteſtas concedatur, media electione pœnitentium quoad determinationem perſonarum parum videtur tunc referre, quia hoc nulli eſt odioſum, vel affert præiudicium. Et ita etiam de facultatibus Bullæ Cruciatæ ſentit Lud. Lop. 2. p. tit. de Claub. c. 9. & idem ſentit Henr. li. 7. de Indul. c. 30. in princip. ait enim, priuilegia Bullę licet dicantur odium iuris, ampla interpretatione eſſe extendenda, quantum verborum proprietates patiuntur. Et multi viri docti noſtri temporis ita ſentiunt de his indultis, & in eis interpretandis vtuntur regulis communibus de fauoribus, & beneficiis Principum ampliandis, & ita cenſeo, ſine ſcrupulo poſſe fieri, ſaltem quoad ſpirituales fauores, inter quos pono diſpenſationem, & commutationem votorum, ſeu facultatem ad illas, etiam paſsiuam generaliter conceſſam in ordine ad commune bonum, & ad ſpiritualem indulgentiam conſequendam. An vero in illis indultis, & præſertim in Bulla Cruciatæ ſint aliæ conceſsiones, quæ ſtricte ſint interpretandæ, ad præſentem conſiderationem non ſpectat.

Lu. Lop. Henr.

4. *Primum aduertendum, de qualitatibus requiſitis ad perſonã quæ diſpenſare debet in votis. Dubium de tempore quo diſpenſari poſſit votum à confeſſario per poteſtatem delegatam.*

Hac ergo generali regula ſuppoſita, in vſu iſtarum facultatum ex parte diſpenſandi primum obſeruandum eſt, vt perſonam eligat illis qualitatibus affectam, quas indultum, ſeu reſcriptum poſtulat, vt quod ſit confeſſor in tali gradu conſtitutus, & approbatus ab Ordinario huiuſmodi enim cõditiones ſolent in perſona eligẽda poſtulari in particularibus delegationibus pro votis Religionis, & caſtitatis, de quibus dicam infra ſuis locis. Solet autem ſpecialiter quæri, quando deſignatur confeſſor, an reſpectiue ſit intelligendũ in ordine ad diſpenſandũ, & conſequenter an oporteat, vt prius confeſsio præcedat, & in illa, vel mediãte illa fiat cõmutatio voti? Si enim non fit mentio confeſſoris, clarum eſt non eſſe neceſſariam confeſsionem, & diſpenſationem poſſe à viro idoneo fieri, etiamſi confeſſor non ſit, nec Sacramentum pœnitentiæ miniſtret. De priori autem forma eſt varietas opinionũ. Breuiter tamen dico, ſi reſtricte explicetur, vt diſpenſatio, vel commutatio fiat in foro pœnitentię, vel audita cõfeſsione, tunc neceſſario eſſe ſeruandam formam, quam aperte illa verba indicant, & in ipſa confeſsione Sacramentali eſſe actum illum exercẽdum. Si vero id non ſufficienter declaretur, ſed tãtum requiratur, vt ſit confeſſor approbatus, non eſſe reſtringendum vſum illius facultatis ad pęnitẽtiæ Sacramentũ: quia nomen confeſſoris magis eſt muneris, quam actualis exercitij, & ſolum requiritur, vt pro illo munere approbatus ſit. Nec obſtabit, quod dicatur in foro conſcientiæ tantum: quia forum conſcientiæ latius patet, quam forum pœnitentię Sacramentalis, & per illa verba ſolũ excluditur, ne diſpenſatio valeat pro foro externo, ſed tantum ad conſcientiæ ſecuritatẽ. Et ita docuit Nauarrus in ordine ad abſolutionem à cenſuris in Conſ. 11. de Priuileg. & Emman. Rod. lib. 1. q. Regul. q. 61. ar. 10. Eſt autem eadem ratio de commutatione votorũ, vt per ſe conſtat, & optime tractat Sanc. li. 8. de Matrim. diſp. 34. vbi copioſe has clauſulas exponit.

Em. Rod. Nauar.

Sanc.

5. *Secundũ obſeruandum. Quæ forma præſcribi debeat vt talis diſpenſatio cenſeatur conceſſa.*

Secundo obſeruandum eſt, vt forma præſcripta ad concedendam talem diſpenſationem ſeruetur, alioqui non erit valida diſpenſatio, quia forma præſcripta ſolet eſſe de ſubſtantia, & valore actus. Quæ autem ſit forma, ex verbis reſcripti facile colliget vir doctus, & videri poteſt Sanc. ſupra. Maxime vero peti ſolet examinatio cauſæ neceſſariæ ad iuſtam diſpenſationem, vel commutationem, & hæc eſt maxime neceſſaria, modus autem eius, niſi in particulari præcipiatur in reſcripto, relinquitur prudẽti arbitrio. Item quando hęc facultas conceditur per iobilæum ſolent requiri aliæ actiones, ad obtinendam gratiam iobilei, vt ieiunia, orationes, eleemoſynæ, confeſsio, & communio, ſine quibus omnibus ſimul ſumptis indulgentia iobilei non comparatur.

6. *An per iobileum cõmutari poſſint vota antequam requiſita ad illud comparandũ perficiantur.*

Hinc ergo naſcitur ſpeciale dubium de votis, an per talia indulta commutari poſsint antequam perficiantur omnia requiſita ad comparandam gratiam iobilei? Ad quod breuiter dico, poſſe antea cõmutari, vel diſpenſari, dummodo bona fide procedatur, & cum propoſito obtinendi iobilæum. Probatur primo, quia hoc modo poteſt quis abſolui virtute talis iobilei in principio hebdomadę, & ante alia opera pia neceſſaria ad indulgentiam, vt cũ maiori fructu fiant, & tunc abſolui poteſt à caſibus reſeruatis; ergo poteſt etiam in votis diſpenſari. Patet conſequentia, tũ quia eſt eadem ratio, tũ etiam quia ſępe eſt vtile ad cõfeſsionẽ melius perficiendã: tum denique

Digitized by Google

denique quia in talibus indultis non ſolet præſcribi ordo, vt commutatio votorum reſeruetur in finem poſt obtentam indulgentiã, vel poſt factas alias diligentias, ſed ſimpliciter conceditur in ordine ad indulgentiam, & interdum ad ſummum petitur, vt in foro pœnitentiæ fiat: ergo poteſt ſimul fieri cũ confeſsione, etiam ante abſolutionem, & hoc fere habet vſus. Dixi autem neceſſariam eſſe bonam fidem lucrandi iobileum, & implendi omnia alia opera, quæ in eo poſtulantur, quia illa gratia nõ conceditur, niſi in ordine ad hunc finem, & per modum preparationis ad effectum iobilei: ergo qui non habet animum implendi, & obtinendi iobileum, non poteſt gaudere hac facultate circa vota.

7. *Quid contingat illi qui poſt commutationẽ voti aliquid prætermittat ad conſequẽtem indultum neceſſarium. Variæ de hac re opiniones. Prima. Viual.*

Hinc vero ſuboritur aliud dubium, quid videlicet, dicendum ſit, ſi contingat poſt vota commutata, aliquem prætermittere ieiunium, orationes. vel alia opera neceſſaria ad conſequendam indulgentiam, & conſequenter non lucrari effectum iobilæi? Nunquid priora vota redibunt, aut commutata, ſeu ablata manebunt? In hoc tres poſſunt eſſe ſententiæ. Prima, talem ablationem voti non manere ſolidam, ſed retractari in eo caſu, & votum redire. Ita tenet Viual. in 3. p. Candelab. c. 14. n. 63. ſine allegatione, vel ratione, aut alia probatione. Poteſt autem ſuaderi, quia non eſt neceſſe, illam commutationem abſolute concedi, ſed ſub tacita cõditione, *Si lucratus fueris indulgentiam*: ergo veriſimilius eſt ita fieri. Antecedens patet, quia non repugnat ex parte voti, cum poſsit ſuſpendi, & non ſimpliciter tolli, niſi ſub tali conditione, nec ad finem iobilæi plus eſt neceſſarium. Et inde probatur conſequentia: quia illa poteſtas ſolum conceditur in ordine ad iobilæum, & eodem fine fit diſpenſatio ex vi illius poteſtatis, quatenus ad illum effectum conducit. Et confirmatur, quia aliàs licet confeſſor non diſpenſaſſet tempore confeſsionis, ſed promiſiſſet poſtea facere, poſſet id valide poſtea facere, etiamſi ſciret pœnitentem non ieiunaſſe, nec poſſe iam lucrari iobilæum: conſequens eſt abſurdum, vt per ſe notum videtur: ergo. Sequela patet, quia ſi tempore conceſsionis poſſet abſolute auferre votum, & ſine dependentia à futuris diligentijs: eandem poteſtatem retineret, & poſſet illa poſtea vti. Quod ſi illa fuit data ſub tali conditione, etiam vſus eius includet eandem conditionem. Hæc vero opinio nimis rigoroſa eſt, & ſine ſufficienti fundamento, vt videbimus.

Excluditur 1. ſententia.

8. *Secunda.*

Secunda ergo opinio diſtinctione vtitur, quia vel pœnitens bona fide propter impotentiam, aut caſu, & per obliuionem prætermiſit opera neceſſaria ad conſequendum iobilæum, vel conſulto, ac deliberata voluntate. In priori caſu dicunt ratam manerẽ commutationem, propter rationem ſtatim proponendam. In poſteriori autem caſu dicunt, non tenere ſed reuocari, vel per ſe ceſſare: quia nõ fuit omnino ablata, ſed tacitam conditionem incluſit: *Si lucratus fueris iobilæum, quantũ in te eſt*, ſeu *ſi voluntarie impedimentum non poſueris.* Quia non videtur veriſimile, voluiſſe Pontificem abſolute diſpenſare cum eo, qui voluntarie iobilæum omittit. Sed hæc diſtinctio non eſt ſolida ratione fundata, quia illa cõditio gratis additur, vel conceſsioni poteſtatis, vel vſui eius, cum Pontifex illam non exprimat, nec confeſſor illam de ſuo addat, ſed tantum ſupponat id, quod ex vi iobilæi neceſſarium eſt: nec etiam datur ſufficiens ratio ad præſumendam talem intentionem Pontificis. Nam licet concedatur hæc gratia, propter effectum iobilæi, vt facilius obtineatur, non inde ſequitur dari conditionaliter, aliàs non haberet effectum, donec impleretur conditio, quod eſt falſum: nam ſtatim poteſt votum non ſeruari, vel expleri per aliud opus, in quod commutatum eſt. Satis ergo eſt, quod detur ſub tali onere, quod non ſit conditio, ſed modus. Item aliàs facile etiam dici poſſet, quod præcedens opinio ſupponit, conditionem non eſſe illam, ſed hanc: Si *cum effectu lucratus fueris indulgentiam.* Denique vtraque eſt nimia reſtrictio præter regulam iuris, quod actus legitimi non recipiunt conditionem, & præter regulam de fauoribus ampliandis, inter quos hæ gratiæ continentur, vt diximus.

Excluditur ſecunda.

Eſt ergo tertia opinio dicens, in eo caſu voti commutationem, aut diſpenſationem ratam manere. Tum propter rationes datas, quæ videntur concludere abſolute fuiſſe conceſſam, & habuiſſe effectum, qui non poteſt iterum redire, niſi ex voluntate hominis ſemel diſpenſati, iterũ emittendo votũ. Tũ etiam quia cum commutatio ſupponatur facta ex legitima cauſa, non videtur magnum inconueniens, quod ſemel data permaneat, etiãſi modus, ſub quo data fuit, nõ fuerit impletus. Tum præterea quia Papa nõ dat illam poteſtatem ad commutandum cum dependentia à futuro euentu: nam ſi id intenderet, vel potius ordinaret, vt commutatio non fieret, niſi poſt reliqua completa, vel ſaltem clarius illam conditionẽ exprimeret in re tam graui. Et ita tenet Henric. lib. 7. de Indulg. c. 9. in principio Gloſſæ, & cap. 11. n. 4. citat Nauarr. de Orat. Miſcellan. 59. n. 223 alij referunt in 89. Sed in nouiſsima impreſsione habetur in 93. & ibi nihil de votis, ſed tantum de caſibus reſeruatis tractat, & rationes, quas adducit, ſolum de abſolutione à peccatis procedunt, & nõ de votis, imo nec de cenſuris. Et eodem modo loquitur Cordub. in Summa Hiſpan. q. 21. Denique allegat Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuileg. ſed non video, quomodo inducatur. Solum enim poteſt ex ea ad præſentem cauſam accipi, quod dicit, neminem teneri ad confitenda iterum peccata ſemel confeſſa, & remiſſa virtute alicuius priuilegij, quod ad rem non facit: tum quia non eſt ſimile de votis, tũ etiã quia hoc eſt, quod inquirimus, an illa fuerit abſolutio ſimpliciter à votis ante conſummatam gratiam iobilæi, vel tantum ſuſpenſio, vel ablatio ſub conditione. Solum ergo poteſt hæc opinio ſuaderi his coniecturis, quibus oſtendimus, illam fuiſſe diſpenſationem ſimpliciter. Addiq; hic poſſunt, quę de ſimili quæſtione diximus tract. de Cenſur. diſp. 7. ſect. 5. vbi idem diximus de abſolutione à cenſuris, inter quas & vota non poteſt ſufficiens ratio differentiæ aſsignari. 9. *Tertia. Henric. Nauarr. Cordub.*

Hæc igitur ſententia ſatis probabile habet fundamentum, & præter Authores citatos hominibus doctis non diſplicet, eſtque benignior. Vnde cum verſemur in materia fauorabili cenſeo eſſe in praxi ſecuram, dummodo (vt dixi, & ſpecialiter aduertit Nauarr.) pœnitẽs bona fide proceſſerit, & confeſſor ſimpliciter diſpenſauerit, vel commutauerit, nulla adiuncta conditione. Duo enim aduerto: vnum ex parte diſpenſantis, quia poteſt, ſi velit, nõ diſpenſare, donec omnes diligentiæ iobilæi completæ ſint, vel ſi antea conceſſerit diſpenſationem, vel formam commutationis adhibuerit, poſſe intentionem, & verba ſua referre ad tempus poſt completas diligentias. Quod nõ habet ita locum in abſolutione à peccatis, quia debet precedere, & eſſe abſoluta: nec in abſolutione à cenſuris, quia etiam debet præcedere, vt pœnitens ſit capax indulgentiæ, & non debet eſſe ad reincidentiam: quia hæc dari non debet, niſi in caſibus expreſsis. Votorum autem ablatio non eſt ita neceſſaria ad effectum indulgentiæ, & ideo ſine vlla culpa differri poteſt dicto modo, & non erit irrationabile ad tollenda dubia. Caueat tamen confeſſor, ne concipiat conditionem, dummodo pœnitens effectum indulgentiæ conſequatur: nam hoc neceſſarium nõ eſt, & eſſet nimis periculoſum, ac ſcrupuloſum. ad ſummum ergo poteſt concipere conditionem: *Dummodo reliqua diligentiæ ad iobilæum neceſſaria compleantur.* Verumtamẽ licet hoc in rigore fieri poſsit, eſt nimius rigor, & ſcrupulis etiam expoſitus, & ideo melius eſt, vel differre diſpenſationem voti in talem diem, quando complentur diligentiæ, vel 10. *Indicatur probabilis tertia opinio. Duplex aduertendum circa dictã opinionem. Cautela in Confeſſarios diſpẽſantes in votis pro indulto.*

ſi antea concedatur ſimpliciter, & ſine alia conditione illam dare, quantum poteſt.

Qui voto cõmutationẽ accepit per iobilaeum, grauiter peccat, ſi voluntarie omittat onera iobilaei.

11. Aliud notandum eſt ex parte habentis vota: nam licet illi detur hoc modo diſpenſatio, aut commutatio, ſemper intelligitur dari ſub onere faciẽdi, quod in ſe eſt ad iobilæi gratiam obtinendam. Vnde ſi voluntarie hoc omittat, grauiter peccabit, ſiue contra pactum implicitum, & iuſtum, ſiue contra obligationem relictam ex voto, & incluſam in tali commutatione, ſeu diſpenſatione. Quamuis autem tale peccatum committatur, nihilominus diſpẽſatio, vel commutatio facta in voto rata manebit. Et idem in ſimili dixi de abſolutione à peccatis vel cenſuris reſeruatis in 4. tom. 3. partis diſp. 31. ſect. 4. n. 5. Non deſunt tamen Authores, qui negent in eo caſu pœnitentem committere ſpeciale peccatum. Quod in abſolutione à reſeruatis tenet Henric. lib. 6. de Pœnit. c. 16. nu. 6. Et in caſu de Voto Sanc. lib. 8. de Matrim. diſp. 15. nu. 24. licet opinionem noſtram putet probabilem, contrariá amplectitur vt probabiliorem. Quia non ſatis probatur, illud propoſitum tranſire in pactum, vel comparari pœnitentię acceptatæ. Ego vero ſemper cenſeo, non eſſe ſatis tutum dare tantam licentiam pœnitẽtibus. Nec videtur ſatis rationi conſentaneum quod illud propoſitum ſit neceſſarium ad valorẽ talis abſolutionis, vel commutationis, & quod poſſit poſtea tam facile mutari, vel non impleri ſine vlla culpa. Et ideo dico, licet non probetur pactum explicitum, ſufficienter probari implicitum quaſi intrinſece, & ex natura rei incluſum in tali actione, ſeu miniſterio, vt recte, & fideliter fiat, nec videtur dubium, quin hæc ſit præſumpta intentio Pontificis talem facultatem concedentis, vt ratio facta probat.

Aliqui contra opinantur.

Henric.

Sanc.

12. Aliæ ſunt, quę de hac facultate deſiderari poſſunt. Vnum eſt de duratione eius, etiam poſt mortem concedentis, ſed in hoc pars affirmans tenenda eſt. De qua videri poſſunt dicta de facultate eligendi confeſſorem in 3. tom. 3. p. diſp. 27. ſect. 4. Nam quæ ibi diximus, poſſunt hic cum proportione applicari. Videri etiam poteſt Maiol. lib. 5. de Irreg. c. 51. nu. 6. qui loquitur de diſpenſatione irregularitatis. Et de diſpenſatione in generali id dicit Sylueſt. verb. *Diſpenſatio*, q. 6. Armill. verb. *Gratia*, num. 5. cum Frederic. conſ. 78. Præterea videri poſſunt, quæ in 5 to. diſp. 7. ſect. 5. diximus de Cenſuris: nam illa etiam poſſunt cum proportione ad votorum commutationem applicari.

Maiol.

Syluest.

Armill.

Frederic.

Qui iobilaei virtute relaxantur reſeruata, vel cenſuras ponitur etiam eodem quo ad oblita ponitur.

13. Solum occurrit aduertenda æquiparatio quædam in ſpeciali caſu, quæ ab aliquibus admittitur. Nam ſi quis intra tempus ad iobilæum, vel ad vſum talis gratiæ conceſſum obliuiſcatur alicuius cenſurę, vel caſus reſeruati, ſi virtute iobilæi abſoluatur ab alijs peccatis, vel cenſuris, quarum memoriam habet, cenſetur, vel ablata reſeruatio, vel etiam cenſura. Et idem cenſent multi de irregularitate, ſi eius diſpenſatio per indultum concedatur, & per obliuionem omittatur, vt patet ex Nauarr c. 26 n. 13 Maiol. lib. 5. de Irregularit. c. 51. n. 6. Hinc ergo aliqui inferunt, idem eſſe de commutatione votorũ, nam ſi per obliuionem omittatur tempore iobilæi, putant poſſe poſtea commutari virtute eiuſdem iobilæi, quando habens votum diligentiam fecit, & credit fructum iobilæi obtinuiſſe. Ita tenet Henric. lib. 7. de Indulg. c. 11. n. 4. vbi nullam probationẽ adducit, ſed remittit ad ea, quæ antecedenti libro capit. 16. dixerat, vbi de votis non facit mentionem, ſed ſolum de peccatis, & cenſuris reſeruatis num. 5. Vnde ſolum videtur fundari in æquiparatione.

Nauarr.

Maiol.

Henric.

14. Ego vero valde dubito de hac æquiparatione quam nullus alius fecit quem ego viderim. Eſt autem longe diuerſa ratio, ſi attente ſpectetur. Nam in caſibus reſeruatis, ſi habeant cenſuram annexam, directe tollitur per abſolutionem generalem, etiamſi oblita ſit: ſi vero illam non habeant, tollitur ſaltem eorum reſeruatio, quia indirecte remittuntur per eum, qui poſſet ab eis directe abſoluere, ſi fuiſſent confeſſa, vt alibi diximus. Item irregularitates oblitæ ideo cẽſentur diſpẽſatæ in ſimili caſu, quia abſoluens generaliter, etiã diſpenſat in irregularitatibus, in quantũ ipſe poteſt, & alius indiget, vt recte aduertit Nauarr. & cum illo Maiol. At vero votum nõ poteſt ita confuſe, generatim, vel ſub conditione ſimili diſpenſari, ſi forte fuerit. Quia in primis commutatio nullo modo fieri poteſt, niſi cognito voto commutando, & eius qualitate, &c. Deinde diſpenſatio voti requirit cauſæ cognitionem, & ſufficientiam, ſine qua non erit valida diſpenſatio, vt mox dicemus. Et ideo in votis nõ habet locum ille modus diſpenſationis generalis, ſeu conditionalis, *ſi indigueris*, atq; ita nulla diſpenſatio, vel commutatio cadit in vota oblita: ergo tranſacto tempore iobilæi, non poteſt denuo fieri, quia iam expirauit iuriſdictio. Et cõfirmatur per argumentum à contrario, quia ideo irregularitas oblita cẽſetur in eo caſu ablata, quia præceſsit in tempore habili diſpenſatio generalis, quæ extenditur ad oblita: ergo ſi illa non præceſsiſſet, poſtea irregularitas non fuiſſet diſpenſata, nec poſſet diſpenſari de nouo, quia iam ceſſauit poteſtas. Et hoc plane ſentiunt Maiol. & Nauarr. quando illam generalem diſpenſationem poſtulant, & ſpecialiter admonent pœnitentes, vt illam poſtulent, ne poſtea careant illo effectu: ergo cum ille modus diſpenſationis non poſsit cadere in vota, vt videtur manifeſtum, non habet locum extenſio illius priuilegij ad vota oblita.

4 tom. diſp. 31 ſect. 4.

Diſpenſatio fieri nequit ſine cognitione voti commutandi.

15. Hæc ergo ſententia videtur mihi vera, & in praxi ſeruanda, quia contraria non habet fundamentum, & ratio facta eſt efficax. Procedit autẽ ſolum, quando vota fuerunt oblita. At vero ſi intra tempus habile pœnitens petat à confeſſore diſpenſationem & commutationem votorum, & ipſe velit attentius conſiderare, vel qualitatem cauſæ, vel modũ commutationis, exiſtimo, ſi neceſſarium ſit, poſſe id facere etiam poſt dies iobilæi, vel indulti, quia iam acceptauit poteſtatem, & inchoauit cauſam, & quodammodo conceſsit diſpenſationem tempore habili, quod ſufficit ad firmandam iuriſdictionem, vt tempore congruo poſsit in particulari diſpenſatio conſummari. Tum quia hæc eſt natura poteſtatis delegatæ: tum etiam quia eſt moraliter neceſſarium ad conuenientem vſum talis poteſtatis: & qui dat poteſtatem, cenſetur dare omnia, quæ ad illam moraliter conſequuntur, ſeu ad conuenientẽ vſum eius neceſſaria ſunt. Et conſequenti ratione, ſi homo recordatur, ſe feciſſe votum, non tamen ſpeciei, ſeu materiæ eius in particulari, poterit confeſſor prudenti arbitrio vti, & iuxta modum obligationis, & circumſtantias occurrentes determinare aliquam materiam per modum commutationis, vel omnino tollere obligationẽ per diſpenſationem, ſi cauſa iudicata fuerit generaliter ſufficiens: vel etiam poterit aliquod maius tempus concedere ad recogitandũ, & reuocandum in memoriam ſpeciem voti, etiamſi neceſſe ſit tranſgredi tempus præfixũ ad iobilæum, priusquam diſpenſatio conſummatur, iuxta doctrinam proxime datam. Tunc autem oportebit, vt vouens obtinuerit iobilæum: nam quacumq; ex cauſa id prætermiſerit, eo ipſo erit inhabilis ad recipiendam poſtea diſpenſationem.

Hæc ſententia vt probabilior eligitur.

16. Tandem hic poteſt inquiri de his iobilæis, quæ conceduntur, vt intra duas hebdomadas obtineantur, ſi quis poſtquam in prima hebdomada, factis omnibus diligentiis, conſequutus eſt iobilæum, & commutationem votorũ, quæ antea emiſerat, poſtea natum votũ emittat, an poſsit in virtute eiuſdem iobilæi commutationem illius voti obtinere in ſecunda hebdomada? Aliqui enim affirmant poſſe illam commutationem obtinere, dummodo faciat omnia opera requiſita ad obtinendam iterũ gratiam iobi-

An qui in prima hebdomada iobilæi diſpenſationem voti conſequutus eſt, ſi in ſecunda nouũ votum emittat, poſſit ab illo diſpenſari.

Henric. ſpecialis.

iobilæi. Ita tenet Henric. lib. 3. de Pœnit. c. 16. n. 3. & lib. 7. de Indul. c. 11. in princ. Supponit autem hæc opinio, poſſe ex vi talis iobilæi effectus eius, non tantum ſemel, & in altera hebdomada, ſed etiam bis, & in vtraque obtineri a quocunque qui voluerit in vtraque hebdomada requiſita opera facere, qua ſuppoſitione facta recte infert, idem eſſe dicendum, tam de abſolutione à caſibus reſeruatis, quam de commutatione votorum. Illud autem ſuppoſitum fundat in generali principio, nimirum, quod ſi priuilegium concedat indulgentiam pro aliquo tempore, non eſt ita reſtringendum, vt ſemel tantum obtineri poſsit intra illud tempus, ſed etiam pluries, ſi repetantur neceſſariæ preces, vel alia opera ſimilia, iuxta opinionem Angel. Roſel. Nauarr. & aliorũ, quos ipſi referunt. Et fauet etiam opinio Nauarr. aſſerentis, in anno iobilæi poſſe aliquem bis, & pluries intra illum annum effectum, & omnem gratiam illius iobilæi obtinere, ſi Romæ exiſtens pluries opera requiſita faciat.

17\. Sed quia valor indulgentiæ, & conceſsio priuilegii pendent ex forma, & verbis eius, ideo argumenta à ſimili ſunt inefficacia in iſta materia, niſi in omnib. ſeruetur ſimilitudo, quod hic ſine dubio non fit. Et ideo non eſt neceſſe in præſenti expendere veritatem illius opinionis de indulgentia pro aliquo tempore indefinite cõceſſa, de qua quomodo limitanda ſit, dixi in 4. to. 3. par. diſp. 57. ſect. 1. Neque etiam circa opinionem Nauarri de anno iobilæi nunc immorari neceſſe eſt: nam forma cõceſsionis (vt dixi) ſemper erit conſideranda, & conſuetudo multũ valere poterit ad interpretationẽ eius. In præſenti ergo dico, conſiderata ordinaria forma, ſub qua concedi ſolet iobilæi gratia intra duas hebdomadas obtinenda, videtur fere certum, ſemel tantum in vna, vel altera hebdomada obtineri poſſe, & non ſemel in prima, ac iterum in ſecunda. Ratio eſt, quia non conceditur copulatiue, & in vna, & altera hebdomada obtineri poſsit, nec indefinite vt pro aliis duab. hebdomadib. comparetur, ſed expreſſe ſub forma diſiunctiuâ, v. g. *qui prima hebdomada poſt publicationem, vel in ſequenti poſt illam*, &c. Quæ forma verborum, vel alia æquiualẽs ſæpe repetitur in vltima Bulla iobilæi conceſſa à S. D. N. Paulo V. hoc anno 1608. Et ex toto contextu manifeſte conſtat, intentionem eius eſſe concedere vnam tantum pleniſsimam indulgentiam, ac remiſsionem, & facultatem ad abſoluendum à reſeruatis, &c. *hac vice tantum*, vt ibidem dicitur, id eſt, vna vice in vna, vel altera hebdomada, & in ordine ad vnam indulgentiam. Vnde conſtat, idem dicendum eſſe de votis, ideoque ſi poſt lucratam indulgentiam in prima hebdomada, votum emittatur in principio ſecundæ, iam nõ poterit commutari virtute eiuſdem iobilæi, quia delegatio eius reſpectu talis perſonæ finita iam eſt.

Reſoluitur dubium ſuperius organitum.

Capvt XVII.

Vtrum ad diſpenſationem voti ſit cauſa neceſſaria?

1\. Qværſtionem hanc non extendimus ad commutationem, quia in illa non poteſt habere generalem reſolutionem, niſi prout diſpenſationem includit, vt in fine capitis dicemus. Supponimus autem neceſſariã eſſe cauſam, vt licite diſpenſatio concedatur; nam hoc modo etiam in legibus humanis neceſſaria eſt, vt eſt notum apud omnes, & dicemus in materia de Legibus, & hic conſtabit à fortiori ex dicendis. Quæſtio ergo eſt, an ſit neceſſaria hæc cauſa ad valorem diſpenſationis, quam tractabimus de Sũmo Pontifice? nam inde à fortiori conſtabit, quid dicendum ſit de reliquis. De Summo ergo Pontifice dixerunt aliqui (vt D. Thomas refert) validã eſſe diſpenſationem voti pro arbitrio Papæ datam abſque alia cauſa. Fundamentum eorum erat, quia in omni voto includitur illa conditio, *Niſi Papa aliud diſpoſuerit*, quam colligebant ex capit. *Venientes*, de Iureiur. cum ſimilibus. Videturque hæc opinio accommodata ad pacãdas conſcientias, quia alias ſi valor diſpenſationis pendet ex cauſa, vix aliquis poterit eſſe ſecurus. Et confirmatur, quia ſi eſſet tanta hęc neceſsitas, maxime quia diſpenſatio in votis attingit ius Diuinum, ſed hoc non ita eſt, quia non diſpenſatur in iure naturali, vt ſupra dixi, & licet diſpenſetur aliquo modo in iure Dei, id eſt, in bonis, in hoc genere diſpenſationis non eſt tam neceſſaria cauſa. Nam decimæ etiam computantur inter bona Dei, & diſpenſatio eorum eſt valida, licet ſit iniuſta. Beneficia etiam ſunt bona Dei, & tamen, licet dentur indignis, collatio tenet, præſertim ſi à Summo Pontifice fiat, ergo.

Quæ cauſa ſit neceſſaria ad valorem diſpenſationis in votis quæ datur à Summo Pontifice. Aliquorum opinio.

Nihilominus dicendum eſt, diſpenſationem voti datam ſine cauſa legitima, eſſe nullam, & obligationem non auferre. Eſt communis ſententia D. Thomæ, d. articulo 12. & 4. d. 38. Vbi Richar. Palud. Supplem. Palaci. & alii, Caietan. dicto articulo 12. & verb. *Diſpenſatio*, in Summ. vbi etiam Syluester quæſtion. 3. & *Votum* 4. quæſtione 3. & alii Summiſtæ ſub eiſdem verbis, & Anton. 2. part. titul. 11. cap. 2. § 9. Nauarrus capit. 12. numer. 57. & 76. Soto lib. 1. de Iuſtit. quæſtione vltim. articulo 2. & lib. 7. quæſtione 4. articulo 3. Gigas de Penſio. quæſtione 6. numer. 16. & communiter Canoniſtæ cum Gloſſa in capit. *Non eſt*, de Voto, præſertim Panormitan. numer. 7. Innocen. in cap. 1. de Renun. Felin. in cap. *Quæ in Eccleſiarum*, de Conſtit. numer. 25. & in cap. *Ad audientiam*, ſecundo de Reſcript. numer. 4. Imol. in capit. *Cum olim*, de Cleric. coniug. Archid. in cap. 1. d. 85. & in cap. *Authoritatem*, 15. quæſtione 6. vbi Raymundum, Speculat. & alios allegat, qui omnes fere indifferẽter loquuntur de iuramento promiſſorio, & voto. 2.

Diſpenſatio voti ſine cauſa legitima eſt nulla. D. Thom. Richar. Palud. Sup Gab. Palac. Caiet. Syluest. Anton. Nauarr. Soto. Gigas. Gloſ. Panor. Innocent. Felin. Imol.

Ratio ergo eſt, quia inferior diſpenſans in lege Superioris non poteſt valide diſpenſare ſine cauſa, & pro libito, vt ſuppono ex materia de Legibus: tum quia præiudicat iuri Superioris, tum quia voluntas inferioris non eſt per ſe efficax ad mutandam voluntatem Superioris ſolo ſuo arbitrio. Neque eſt veriſimile Superiorem conceſsiſſe illi talem facultatem, ſed ad ſummum, vt ſe gereret tanquam fidelis diſpenſator, & prudens. Ergo multo minus poteſt Papa valide diſpenſare ſine cauſa in voto, quia diſpenſat aliquo modo in iure Diuino naturali, ſaltem ſubtrahendo illi proximam materiam, quam nulla humana poteſtas auferre poterat, niſi ex commiſsione Diuina. Probatur conſequentia, quia in tali diſpenſatione Papa non mutat aliquid, quod ſua voluntate ſit conſtitutum, vt per ſolam ſuam voluntatem tanquam per principalem cauſam poſsit valide talem mutationem facere: ergo diſpenſat cedendo iuri ipſius Dei ex commiſsione ipſius Dei, & conſequenter non diſpenſat vt dominus, ſed vt miniſter, qui non poteſt excedere cõmiſsionem ſuam: ergo ſi remittat ſine cauſa nihil facit, tum quia operatur vt dominus, tum etiam quia excedit commiſsionem, quia non agit vt fidelis diſpenſator, ſed vt diſsipator. Sicut inter homines procurator, vel œconomus remittens debita domini ſola voluntate nihil faceret, & mandatarius excedens finem mandati, non operatur valide. Sic etiam in materia de Indulgẽtiis ex eodem principio diximus, neceſſariam eſſe cauſam ad indulgentiarum valorem. 3.

Atque hinc conſtat primo idem eſſe à fortiori dicendum de Epiſcopis, tum quia ratio facta magis in illis conuincit, tum etiam quia illi non poſſunt valide diſpenſare in legibus Papæ ſine cauſa, ergo multo minus in votis. Conſtat ſecundo idem eſſe dicendum de omnibus diſpenſantibus poteſtate delegata, quia non poſſunt maiorem poteſtatem accipere à delegante, quam in ipſo ſit: ergo ſi delegans non po- 4.

Idem dicendum de Epiſcopis & reliquis habentibus poteſtatem delegatam.

Diſcrimen inter legẽ Pontificiam, & votũ per ordinem ad diſpenſationem. teſt diſpenſare ſine cauſa, multo minus delegatus. Cõſtat tertio eſſe magnũ diſcrimen inter legẽ Pontificiam, & votum: nam lex eſt poſita per voluntatẽ Pontificis, & ideo per eandem poteſt valide auferri, etiamſi male auferatur ſine cauſa, vt ſuo loco dicemus: votum autem licet fundetur in promiſsione profecta à voluntate humana, tamen poſtquam facta eſt, & à Deo acceptata, pendet ex voluntate Dei, & non niſi iuxta commiſsionem eius poteſt auferri.

5. *Cõmutatio, vel diminutio ſi nulla eſt cauſa, totus actus fuit nullus.* Conſtat quarto, idem cum proportione eſſe dicendum de commutatione, quæ in minus fit. Nam ſi nulla fuit cauſa, tam ad commutationem, quam ad diminutionem, totus actus fuit nullus, quia totus fuit vltra poteſtatem: ſi vero erat iuſta cauſa commutandi, non tamen diminuendi, tunc diſpenſatio partialis nulla fuit proportionali ratione, commutatio autem quoad partem ſuſtineri poterit quia habet omnia requiſita, & *vtile per inutile non vitiatur*, vt habet regula Iuris 37. in 6. Quod procedit, quando actus poteſt diuidi, & vitium vnius partis non redũdat in aliam, vt Gloſſa ibi ſentit, & notat Panormit. in *Panor.* cap. *Dilectus* 1. de Præbend. in 6. In præſenti autem ſeparabilis erit partialis commutatio à partiali diſpẽſatione, quãdo materia voti diuiſibilis fuerit, & poſſit per partes impleri, vt recitare quotidie Roſarium, vel quid ſimile. At vero ſi ſit materia indiuiſibilis, vt Religio, peregrinatio &c. non videtur, habere locũ partitio, & ideo totum actum eſſe inualidum. Dico tamen poſſe valere actum, & manere obligationem addendi aliquid obligationi, prudenti arbitrio, quia ſupponitur cauſa commutandi, & poteſtas, ac voluntas Superioris ad tollendam, vel mutandam obligationem.

6. Fundamentum autem contrariæ ſententiæ falſum *Fit ſatis ad fundamentũ oppoſitæ ſententiæ* ſupponit, quia nulla talis cõditio includitur in votis, alias non probaretur inde poſſe Pontificem diſpenſare vota, ſed poſſe irritare illa, quod falſum eſſe ſupra cap. 1. & ſequentibus oſtenſum eſt. Nec in c. *Veniens*, *Cap. Veniẽs.* dicitur: voluntatem Papæ eſſe exceptam in iuramento, ſed ius Superioris, quod longe diuerſum eſt, vt latius in materia de Iuramento, & in ſuperioribus eſt dictum. Neque ex hac doctrina ſequitur anxietas, vel inquietudo conſcientiæ, quia ſi quis bona fide procedat, & cauſam veram proponat, quam ſufficientem ipſe exiſtimat, iudicium eius Prælato relinquendo, tunc ſecure procedit, iudicium Prælati ſequendo, pro quo ſemper præſumere debet, argumento cap. *In præſentia*, cum Gloſ. ibi de Renunt. & c. *Quid culpatur* 23. q. 1. & ita docuit D. Th. d. ar. 12. ad 2. *Cap. In præſentia, Gloſ. D. Tho.* Ad confirmationem ex dictis patet reſponſio, nam per hanc diſpenſationem licet non relaxetur proprie lex Diuina, ſeu naturalis, ſubtrahitur illi materia cedendo cuidam debito Diuino, quod ius Diuinum poteſt appellari, quod nemo infra Deum poteſt remittere tanquam dominus, ſed ſolum vt fidelis diſpenſator, ac ſubinde ex iuſta cauſa, & Dei negotium principaliter agendo. De exemplis autẽ ibi allatis in ſuis proprijs locis agendũ eſt, & aliqua dixi in tract. de Indulg. & in tract. de Decimis.

7. Solet autem hic cõſequenter quæri, quæ ſint iuſtæ cauſæ diſpenſandi in votis quæ res magis pertinet ad factum, quam ad ius: & ideo vix poteſt ſub doctrinã cadere. Sed vt rationem aliquã, vel regulam aſsignemus ad ferendũ iudicium in huiuſmodi cauſis, aduerto, interdum hanc cauſam poſſe ſumi ex modo vouendi, aliquando ex conditione ipſius materiæ per ſe ſpectatæ, aliquando ex conditione perſonæ, ſeu comparatione materiæ ad talem perſonam, aliquando ex noua rerum cognitione, quæ per experientiam cõparata eſt: aliquando ex noua mutatione, ſæpe ex neceſsitate aliqua extrinſeca pertinente ad commune bonũ. Denique poteſt etiam oriri ex cauſa extrinſeca pertinẽte ad bonum aliquorũ priuatorum. Ex quibus variæ poſſunt aſsignari regulæ.

Prima ſit: Ex imperfecto, & indiſcreto modo vouendi ſæpe ſumitur iuſta cauſa diſpenſandi in voto. 8. *1. Regula. Aliqua regula ad cognoſcendum quæ ſint cauſæ iuſtæ ad diſpenſationem, & commutationem votorum.* Hanc fere omnes ponũt tractantes de votis factis ex metu, vel ex calore iracundiæ, vel alterius ſubitæ paſsionis non tollentis requiſitam deliberationem, impedientis autem perfectam & prudentem, & huc etiam ſpectant vota puerorum, etiam puberum quãdo diſcretio non multum ſupplet ætatem. Nam cum obligatio voti oriatur ex libera voluntate, diminutio huius libertatis, vel volũtatis diminuit obligationẽ, & ita de ſe dat cauſã remittendi, vel in totũ, vel ex parte. Ita ſumitur ex Caiet. d. q. 88. art. 1. dub. 3. *Caiet.* Palud. 4. d. 38. q. 4. art. 4. concl. 5. Ant. 2. p. tit. 11. c. 2. *Palud. Anton.* Soto l. 7. de Iuſt. q. 1. ar. 2. Syl. *Votum* 2. q. 13. in fine, *Soto. Syluest.* Nauar. c. 12. n. 22. & 27. Pan. & Canoniſtis in c. 2. de *Nauarr. Panor.* Voto, & colligitur ex textu.

9. Secunda regula eſt: Ex parte materiæ ſumitur legitima cauſa diſpenſationis, quãdo moraliter poteſt *2. Regula.* eſſe occaſio ruinæ, ſiue per ſe ſpectata includat tale periculũ reſpectu hominũ communiter, ſiue in particulari cõſiderata per ordinẽ ad talem perſonã, quæ diſpenſari vult. Nã res & cauſæ morales magis ſũt in indiuiduo conſiderandæ, penſatis omnibus circumſtantijs, quã in vniuerſali ex abſoluta conditione rerum. Sumitur hæc regula ex Richar. d. d. 38. ar. 9. q. 1. Exempla ſunt in voto nunquã peccãdi mortaliter *Richard.* quia talis materia moraliter eſt periculoſa, & nociua. Item in voto nõ petẽdi debitum in cõiugato, eſt enim ex ſe periculoſum. Item in voto ſimplici caſtitatis reſpectu perſonæ, quæ lõga experientia cognouit ſe fragilem, & vix poſſe cõtineri, & ſic de alijs. Et iuxta hanc regulam intelligo quod D. Th. ait d. art. *D. Thom.* 10. & cum eo Syluest. *Votum* 4. & alij tunc votũ re- *Syluest.* cte diſpenſari, quando id, quod promiſſum eſt inuenitur eſſe malum, vel incipit eſſe malum, vel inutile. Non enim debet intelligi de illo, quod re vera eſt omnino malum, vel inutile, vel non bonum, ſic enim votum eſſet nullum, & non eſſet neceſſaria diſpenſatio, intelligitur ergo de illo, quod licet in ſe non ſit malum, præbet occaſionem mali, non quia per ſe illam afferat, ſed ex hominis fragilitate. Et huc etiam ſpectat periculum ſpiritualis nocumẽti ipſius vouẽtis, quod poſuit Richardus ſupra ar. 9. q. 1. & ſumi- *Richar.* tur ex c. *Veniens*, Qui clerici, vel vouentes, iuxta probabilem intellectum. Et docent omnes: quia tale periculum multum derogat fini voti, & cauendum eſt, ſaltem per diſpenſationem, ne quod pro charitatis perfectione introductum eſt, in eius diſpendiũ vergat, iuxta regulam Bernardi de Præcepto, & diſpen. Neque oberit, quod periculum illud ortum fortaſſe ſit ex culpa habentis votum: quia ſatis eſt, quod inſit, & alio conuenienti modo vitari non poſsit. Vt patet in eo, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxit: quia non obſtante priori culpa, ſubueniendum illi eſt, vt ſecurius viuat.

10. Tertia regula ſit: Si votum impediat maius bonũ ſpirituale vouentis, inde ſumi poteſt legitima cauſa *3. Regula. Si votum impediat maius bonum, datur legitima cauſa diſpenſationis tunc.* diſpenſationis, vel cõmutationis. Ita D. Th. & omnes. Et ratio eſt clara, quia votum debet eſſe de meliori bono, & conſequenter deuiat à fine voti, ſi impedit maius bonum, vnde nõ ſolũ in caſu certo, ſed etiã in dubio ſumitur hinc ſufficiens cauſa, vt recte D. Th. docuit. Nam etiam illud dubium derogat ſecuritati voti, & conſcientiæ, ideoque ad aliquam relaxationem, vel recõpenſationem ſufficit. Imo addit Rich. ſupra, & ſatis eſſe quod ex diſpenſatione voti ſperetur maior fructus & ſpiritualis vtilitas, & eſt valde rationi conſentaneũ cum hoc ſit per votũ principaliter intentũ. Et circa hanc regulam ſupponenda ſũt, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, tam de materia voti, quam de mutatione materiæ voti, & de voto dubio, & de excuſationibus, quæ ex his capitibus oriri ſolent. Nam ſi tales ſint, vt euidenter vel annullẽt votum, vel per ſe tollant obligationem voti, tũc nõ poteſt ex illis oriri cauſa diſpẽſationis, proprie loquẽdo

quia

Digitized by Google

quia diſpẽſatio in tali caſu non eſt neceſſaria vt conſtat: ſi ergo res ſit dubia, tunc habet locum cauſa diſpenſationis, quia ſupponitur eſſe certum quod votum ſit factum. Et quamuis nullũ ſit dubium de obligatione nec de honeſtate materiæ, ſi ſperetur abũdè magis bonum, etiamſi ſit cum aliquo dubio, poterit inde honeſtari diſpenſatio etiamſi abſque illa nõ poſſit obſeruantia voti prætermitti. Vt bene Cordub. q. 147. Summæ cum Syluest. Caiet. & Soto, quos refert & Couar. in cap. *Quamuis pactum* §. 3. num. 4.

Cordub. Couar.

11. *4. Regula. Quæ mutatio in materia voti ſufficiat ad diſpenſandam voti obligationem. Panor.*

Quarta regula huic proportionalis ſumi poteſt ex mutatione materiæ, interdũ enim eſt tanta, non quoad honeſtatem vel ſpiritualem incõmoditatem, ſed in magnitudine difficultatis, vel incõmoditatis humanæ, vt ſufficiat ad interpretandũ nõ obligare votum ex defectu prioris voluntatis, quæ ad talem caſum non fuit extenſa. Quando ergo res fuerit clara, tunc non eſt neceſſaria diſpenſatio, vt in ſuperiorib. dictũ eſt cum communi ſententia Panorm. & aliorum in c. 1. & cap. *Licet* de Voto, & Summiſtarũ omnium ac Theologorum, quos retulimus ſupra li. 4. c. penult. Quando vero res non eſt certa ſed dubia, & veriſimilis, attenta humana conditione, tunc inde etiã ſumi poterit iuſta cauſa diſpenſationis. Tum quia eſt hoc moraliter neceſſarium ad ſubueniendũ fragilitati hominum: tum etiã, quia eſt valdè conſentaneũ benignitati Dei, tum præterea, quia moraliter in huiuſmodi caſibus ineſt graue periculum cadendi, ſi votum non auferatur, tum denique quia cum non ſatis certo conſtet de obligatione, iuſtum eſt aliquam moderationẽ facere. Et ita ſumitur ex ca. 1. de Voto cum communi interpretatione ibi. & ſentit Sylueſt. ſupra q. 6. & 8. Nauar. d. n. 77. clarius Soto lib. 1. q. 7. ar. 3. ver. *At ſi percontaris*, & lib. 7. quæſt. 4. art. 3.

Syluest. Nauar. Soto.

12. *Gloſſ.*

Oppoſitum autem dixerunt aliqui Canoniſtæ, præſertim Gloſſa in c. *Non eſt* de Voto. Sed fundatur in falſo principio, quod in voto non habeat locum diſpenſatio, ſed pura interpretatio, quod ſupra improbatum eſt. Addit vero Soto, hanc cauſam habere locum, quando ex re ipſa oritur vel ex naturali conditione, ſeu complexione perſonæ, non vero ſi difficultas oriatur ex praua conſuetudine, quia non debet quis ex ſua malitia cõmodum reportare. Sed hoc intelligendum eſt iuxta dicta in ſecunda regula, ſcilicet niſi ex voto adiuncta praua conſuetudine, oriatur animæ periculum: nam tunc cauſa erit iuſta, neque reportabitur commodum ex iniquitate, ſed indulgentia ex materia. Præſertim vero quia carere voto per ſe nõ eſt commodum, per accidens autem poteſt expedire, etiam per occaſionem culpã contractam. Dixi autem neceſſarium eſſe, vt hæc difficultas denuo ſuborta ſit, vel in re ipſa, vel in cognitione vouentis. quia ſi à principio inerat, & fuit cognita, per ſe non dat cauſam diſpenſationi. quia tota illa difficultas voluntario fuit Deo oblata, vnde niſi aliquid noui accidat, vel periculum ſubortum ſit, vel per experimentum cognitum, ſola rei arduitas nõ dat cauſam. Aliàs omne votum de re ardua poſſet ſine alia cauſa diſpenſari, quod planè falſum eſt oportet ergo, vt difficultas fuerit inuoluntaria aliquomodo, vel per temerariam deuotionem, iuxta primam regulam, vel per nouam rei mutationem, iuxta hanc quartam, vel certè propter nouum periculum, vel nouam eius cognitionem iuxta ſecundam, & tertiam.

Quædam Soti limitatio.

13. *5. Regula. De cauſa diſpenſandi in voto, quæ ſumitur ex publico bono.*

Quinta regula eſt, cauſam legitimam diſpenſandi in voto ſumi poſſe ex neceſſitate, vel magna vtilitate pertinente ad publicum, & commune bonum. Eſt certa & communis, ſumiturque ex ca. *Non eſt*, cap *Magna*, c. *Ex multis*, cum ſimilibus de Voto. Ratio autem eſt: quia bonum cõmune eſt diuinius & priuato præferendum. Item quia tunc non priuatur vouens ſpirituali cõmodo: quia apud Deũ multũ meretur ſubueniẽdo cõmuni bono, per quod recõpenſatur voti obſequium. Vnde extenditur hæc regula, vt locum habeat etiã in graui neceſſitate domus, vel familiæ, quia et à his ſubuenire eſt opus pietatis, quod interdum Deus hoc præfert operi Religionis. Maximè ſi pietas ipſa poſſit propter Deum exerceri. Et ita ſentit Soto ſupra clarius Nauar. n. [illegible] *Licet* [illegible] *contrariũ ſentiunt*, quos nõ refert. Videntur autem ſentire Turrec. cum Hugo. in c. *Requiſiti*. [illegible] 1. quæſt. 7. ar. 4. Sed ea quæ ad [illegible] nihil [illegible] probant imo ex eodem §. N[illegible], cum Decretis ſequentib. poteſt colligi, quod diximus, & [illegible] et a c. 1. & 2. de Voto, & vſus hoc maxime confirmat. Et in materia de Legib. idem cum proportione dicitur de legum diſpenſationibus, vt patet ex D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 4.

Nauar. Turrec. Hugo.

D. Thom.

14. *6. Regula [illegible] prudentis arbitrium.*

Vltima regula ſit, quã omnes tradunt, & ſola ſufficit, ſufficientiam huius cauſæ prudenti arbitrio eſſe definiendã, nec poſſe certã aliam regulam præſcribi. Nam quæ traditæ ſunt, deſeruiunt ad firmandũ animum diſpenſantis. Oportet enim præ oculis habere non ſemper ſingulas ſufficere ad votũ omnino tollendum, ſed ſæpe eſſe plures conferendas. Item proportionẽ eſſe ſeruandã inter occurrentẽ cauſam, & votum: nam in voto grauiori maior cauſa [illegible]tur. Item licet forte votum fuerit temere [illegible] tamen non nocet, ſed potius viſum [illegible] erit illa ſufficiens cauſa tollendi votum. Cauendũ [illegible] etiam ſcandalũ in diſpenſatione voti vt bene aduertit Turrec. ſupra. quod intelligitur de ſcandalo [illegible]lorum, nam ſi ſit Phariſæorũ, nõ eſt multum curandũ, præſertim quando res eſt iuſta, & expedit, vt ſignificat Innoc. III. in c. *Magnæ*, de Voto. Vbi ipſe aduertit, tria eſſe in hac diſpenſatione ſpectanda. [illegible] *quid liceat ſecundum æquitatem, quid* [illegible] *honeſtatem, & quid expediat* [illegible] ſi hæc obſeruentur, licita, & valida erit diſpenſatio. Omnia vero iſta pendẽt ex cauſis enumeratis, & ex [illegible] prudenti arbitrio ſunt elicienda.

Innoc. 3.

15. *Aliquot corollaria. Primum.*

Atque ex his ſequitur primo, etiam eſſe neceſſariã cauſam proportionatã ad cõmutationem voti, quando fit in minus, quid enim dicendum ſit in commutationibus in melius, vel æquale, dicemus in duobus capitibus ſeqq. Commutatio vero in minus duobus modis intelligi poteſt. Primo ſi totum commutetur in partem eiuſdem rationis, vt ſi ieiunium [illegible] dianum commutetur in ieiunio [illegible] hebdomada. Et tunc illa non eſt [illegible] tio, ſed partialis diſpenſatio, vt [illegible] ex parte votum, ad quod requiritur [illegible] cauſa, vt probant omnia adducta [illegible] vt per ſe notum eſt. Alio modo ſi [illegible]tatio omnino in onus ſpecie diuerſum, ſed [illegible] & tunc etiã ſit partialis diſpenſatio, [illegible] & pars oneris abſolute tollitur, & in toto [illegible]tur ſolutio in alia ſpecie, & ideo maior cauſa [illegible] neceſſaria ad talem commutationem quam ad partialem diſpenſationem, licet minor ſufficiat [illegible] ad diſpenſationem ſimpliciter. Quæ de [illegible] tur cõmunis. Sumiturque ex Caietano, & Soto ſupra, & Nauar. cap. 12. num. 63. & bene Couar. dicto cap. *Quamuis* 1. p. §. 3. num 4.

Quibus modis fiat commutatio in minus.

Nauar. Couar.

16. *Secundum. [illegible]*

Secundo ſequitur ex dictis reſolutio illius quæſtionis ſupra huc re[illegible]. An liceat ei [illegible] diſpenſare & commutare [illegible] diſpenſatione ſi cõmutatio ſufficiat [illegible] diti? Nam Soto l. 7. q. 4. [illegible] licere, ſiue ex parte [illegible] petentis, & hoc ſequitur Ioan. Rod. in Summa [illegible] n. 4. [illegible] videtur ſequi, non eſſe validum talem [illegible]nem: nam in hac materia [illegible] ſatio videtur conſiderare iuxta ſupra dicta. [illegible] cauſa ſufficiens ſubeſt licet [illegible] eſt valida [illegible] & licita, & ſi non ſubeſt, nec valida erit, nec [illegible]. At vero Sanc. lib. 8. de Matrimon. d[illegible]

Sanctus opinio contraria. lum validam eſſe dicit talem diſpenſationem, ſed etiam licite dari, ſi ſubſit iuſta cauſa. Quod confirmat ex vſu Eccleſiæ, quia in votis ſæpiſſime vtuntur Prælati diſpenſatione non curando, an commutatio ſufficeret. Et rationem reddit: quia non eſt infidelis diſpenſator, qui vtitur poteſtate data a Domino, ſed Deus dat Prælato poteſtatem indifferenter ad diſpenſandum, & commutandum, ſi cauſa ſubſit: ergo.

17\. Sed in primis ſatis poteſt dubitari de vſu: nam Iura ſemper adiungunt aliquam recompenſationem, vt videre licet in cap. 1. & 2. & cap. *Magna*, & ſeq. de *Cap. Magna.* Voto, & in Reſcriptis Pontificiis vix conceditur diſpenſatio, vel poteſtas diſpenſandi nude, ſed vel ſola commutatio, vel ſaltê ſemper adiungitur aliqua recompenſatio. Et hoc fatetur idê Sanc. eod. lib. diſp. 2. n. 5. dicens, Pontificem in omnibus ſuis diſpenſationibus votorum, commutationê aliquam miſcere, Authores omnes conſulere, vt ita fiat: vnde fit veriſimile, etiam Epiſcopos hoc obſeruare. Vſus ergo potius videtur probare opinionem Soti. Ratio etiam ſecundæ ſententiæ videtur petere principium: nam ſi cauſa non poſtulet diſpenſationem, quia compenſatio ſufficit, nô eſt, cur credamus, Dominum dediſſe poteſtatem ad diſpenſandum in eo caſu, cum in eo re vera non ſubſit legitima cauſa ad diſpenſandum. Vnde cum dicitur alicui data eſſe poteſtas ad diſpenſandum, & commutandum, non accumulatiue (vt ſic dicam) pro eiſdem caſibus, & cauſis intelligendum eſt, ſed ſecundum partitionem accommodam, ſcilicet ad diſpenſandum, quando neceſſarium eſt, vel ad commutandum, quando ſufficit.

18\. *Opinio Soti probabilis iudicatur.* Eſt ergo probabilis opinio Soti, ſed ad temperandum rigorem, & ne videatur fieri impoſsibilis moraliter pura diſpenſatio voti licita, quatuor dicenda occurrunt. Primum eſt, ſæpe poſſe dari cauſam, & *Poteſt dari cauſa in voto diſpenſan do ſine vllo onere.* prudentem occaſionem diſpenſandi abſolute nullo onere impoſito. Probatur, quia negare non poſſumus, quin habeant Prælati poteſtatem diſpenſandi ſimpliciter & ſine commutatione, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt, & ſupponunt D. Tho. & omnes Theologi, dum poteſtatem diſpenſandi, & commutandi diſtincte numerant: ergo talis poteſtas non eſt ſuperflua, nec otioſa, ergo poteſt interdum ſuum actum plenum exercere valide, & licite: quia id poſſumus: *Numerantur cauſa iuſta ad diſpenſandum in voto.* quod licite facere poſſumus: ergo poſſunt dari cauſæ iuſtificantes talem diſpenſationem. Hæ autem eſſe videntur, prima ſi vouens habeat tot vota, vt expediat aliqua illorum omnino auferre, nullo addito ſpeciali onere. Secundo, ſi ſit pauper, qui non poteſt ſuſtinere commutationem in realem obligationem, & aliàs ſit tot obligationibus, & occupationibus oneratur, vt non expediat noua perſonalia illi imponere ſub voti obligatione. Et ita in votis realibus habet ſæpe locû hæc diſpenſatio ex titulo paupertatis, quia commutatio in onera perſonalia eſt illis votis parû proportionata, & ſæpe eſt perſona moraliter incapax illius, maxime quando à principio elegit potius votum reale, quam perſonale: quia non ſe ſentiebat aptum, vel diſpoſitum ad perſonalem obligationem. Tertia cauſa eſſe poteſt, quando timetur periculum lapſus, ex quacumq; obligatione voti relicta in quacumque materia, & creditur fore vtilius, ſi per modum tantum conſilij relinquatur, & proponatur aliqua ſatisfactio pro voto.

19\. *Quando non ſit licitum diſpenſare, ſed commutare votum. Caiet. Nauarr.* Secundo dicitur, ſæpe eſſe poſſe ſufficiêtem cauſam ad commutandum, & nô ad diſpenſandum abſolute, & tunc non eſt licitum diſpenſare, etiam illi, qui vtramque habet poteſtatem, ſed tantum commutare. Ita ſumitur ex Caiet. d. q. 88. art. 12 Nauar. c. 12. n. 63. eſtque res per ſe ſatis clara: quia hoc videtur frequentius, & ordinarie contingere. Nam ſi ſit votum reale, vix aliquis eſt tam pauper, qui non poſſit aliquam partem implere, vel in eadem ſpecie operis, vel in alia per commutationem ſine magno grauamine, & idem eſt cum proportione in votis perſonalibus: quia ſemper poteſt fieri aliquod opus pietatis in alia ſpecie. Et ita vix poteſt eſſe cauſa, quæ cogat ad tollendam omnino obligationem, niſi interueniant circumſtantiæ poſitæ in priori aſſertione, quæ raræ ſunt. Ex hac vero priori parte ſequitur poſterior, & eam probat fundamentum Soti, quia ad fidelitatem diſpenſatoris pertinet, non liberaliter debita domini, quando recompenſationem aliquam poteſt rationabiliter, & ſuauiter exigere. Item hoc probant dicta circa poſteriorem ſententiam.

An diſpenſatio illicita ſit nulla. Sed quæres, an diſpenſatio abſoluta in eo caſu data ſit nulla, nâ eſt illicita, & in hac materia illicitum, & nullum videntur conuerti, vt ſupra argumentabamur. In contrarium vero facit: quia non omnino deeſt cauſa, vt ſupponitur: vnde diſpenſatio partialis fuiſſet valida: ergo non eſt, cur tota ſit omnino inualida: quia vtile per inutile non vitiatur. Reſponderi poteſt, totum eſſe inualidum: quia eſt actus indiuiſibilis, & vltra poteſtatem. Item quia non eſt vlla ratio propter quâ in vna parte valeat potius, quam in alia: nec ſignari poteſt, quam obligationem relinquat, vel quam auferat. Nihilominus dicendû cen- *Dubij reſolutio.* ſeo, ſi ſubdito non conſtet euidenter de inſufficientia cauſæ, poſſe ſine ſcrupulo vti diſpenſatione, propter rationem ſupra datam, quod poteſt, & debet præſumere pro Prælato: ſi autem conſtet de inſufficientia cauſæ pro diſpenſatione, & ſufficientia pro commutatione, poſſe ex vi talis diſpenſationis vti prudenti arbitrio, & commutationem facere etiam in minus: quia ſaltem ad hunc effectum poterit eſſe valida illa diſpenſatio, & ita omnibus difficultatibus ſatisfit. 20.

Tertio dicitur, aliquando poſſe eſſe cauſam ſufficientem disiunctam (vt ſic dicam) ad diſpenſandum, vel commutandum pro prudêti arbitrio Prælati, ſeu habentis poteſtatem, & tunc habet locum ſecunda ſententia. Declaratur: nam ſuppono cauſam ad diſpenſandum talem eſſe poſſe aliquando, vt non ſolum reddat licitam diſpenſationem, ſed etiam debitam arg. c. *Conſilium*, de Obſer. ieiun. vbi id notat Abb. n. 4. & in c. *Paſtoralis*, de Appellat. n. 17. Et ratio eſt, quia poteſtas diſpenſandi data eſt in ſubſidium, & remedium ſubditorum. Vnde tâta poteſt eſſe eius neceſsitas, vel ad commune bonû, vel ad cauendum ſpirituale detrimentum ſubditi, vt teneatur Prælatus ex vi ſui muneris ad illam concedendam. Quando ergo cauſa eſt adeo vrgês in materia voti, de qua tractamus, tunc non licebit Prælato cogere ſubditum ad recipiendam aliquam obligationê, ſeu commutationem, quia ſupponitur habere ius, vt ei concedatur abſoluta diſpenſatio ex vi cauſæ, quâ allegat. Extra hûc vero caſum rigoroſum poteſt ſæpe cauſa eſſe ſufficiens ad diſpenſandum, & nihilominus nô eſſe malum adhibere aliquam commutationem: tunc ergo licebit Prælato, vel diſpenſare, ſi velit mitius agere, vel commutare, ſi velit maiori rigore vti. Nam hoc arbitrium neceſſarium interdum eſt ad conuenientem vſum huius poteſtatis. Et confirmatur, quia interdû poteſt ſuperior commutare votû, quia cauſa ſufficit, & nihilominus poteſt etiam licite rigore vti, & commutationê negare, vel in pœnam, vel propter rigorê diſciplinæ, aut propter alias cauſas: ergo ſimiliter poteſt interdum iuſte diſpenſare, & nihilominus ſine peccato diſpenſationê negare: ergo tunc poteſt etiã iuſte commutare. Et ita nô eſt vniuerſalis regula tradita à Soto. Quod habens poteſtatem diſpenſandi, & commutandi male facit, diſpenſando: aliquando enim poteſt ad id cauſa ſufficere: licet non ſemper, vt ex præcedenti aſſertione conſtat. Et ita neutra regula eſt generalis, ſed conſiderãda ſunt cauſa, & circumſtantiæ. 21. *Cap. Conſilium. Abbas. Quando ob cauſam tenetur Prælatus cum aliquo abſolute diſpenſare in voto, & quando commutare.*

Quarto ergo dicitur regulariter loquendo, conſiliû eſſe non diſputare ſimpliciter, ſed miſcere com- 22.

mutatio-

mutationem, quod ſufficienter probant vſus, & alia, quæ adduximus.

CAPVT XVIII.

Vtrum ad commutandum votum in aliquid melius ſit neceſſaria poteſtas Prælati, & cauſa ſpecialis?

COmmutatio, vt ſuprà explicatum eſt, differt à pura diſpenſatione, & ideo aliqua de illa in particulari addere neceſſe eſt, præſertim quoad id, in quo à diſpenſatione diſtinguitur. Sub commutatione autem redemptionem voti comprehẽdimus: cõuenit enim cum illa in generali ratione recõpenſationis, & in ſubrogatione (vt ſic dicam) in obligatione voti, ſolumq; materialiter addit vt commutatio fiat in pecuniarum ſolutionem, vel conſumptionem in eleemoſynis, vel al[illegible] pijs operibus, quod vbi fuerit neceſſarium, dicemus. Hæc igitur commutatio triplex eſſe poteſt, ſcilicet in melius in æquale, & in minus, de hac vero vltima iam diximus, de alijs ergo ſigillatim dicemus.

Quibus modis fiat commutatio. 9

8. *1 Sententia.* *Richard.* *Syluest.* *Palud.* *Maior.* In hac ergo quæſtione prima ſententia, votum nõ poſſe commutari etiam in euidenter melius ſine authoritate Prælati. Ita ſentit Richard. in 4. d. 38. ar. 8. q. 1. dicit enim, nõ oportere id fieri ſine authoritate Prælati, Sylueſter autem *Votum* 4. qu. 7. addit non poſſe, ſequitur Palud. dicta d. 38 [illegible] circa medium: indicat etiam ib. Maior. q. 3. in fine, dum ait, vnum modum implendi votum eſſe petendo commutationẽ in aliud Deo magis gratum. Et in eandem ſententiam ſolet citari D. Thomas qui in d. art. 12. abſolute, & ſine diſtinctione requirit authoritatem Prælati ad cõmutationem. Eandem ſententiam tenet Panorm. c. *Scriptura* de Voto n. 2. Solumque excipit commutationem aliorum votorum in ſtatum Religionis. Idẽ in c. *Peruenit* 2. de Iureiur. n. 2. vbi etiã idem tenet Fel. & idem ſentit Innoc. in c. *Deleƈtares*, de Iureiur. vbi ait, poſſe Epiſcopum commutare prium iuramentum in melius, ſicut & votum, & idem ſentit in c. 1. de Voto: vnde cum in c. *Scriptura*, videtur dicere contrarium, loquitur de ſpeciali commutatione in ſtatum perpetuum Religionis, de qua textus ille loquitur.

Panorm. *Felin.* *Innocen.*

9. *Leuit. vlt.* Fundari poteſt hæc opinio in illa prohibitione Leuit. vlt. *Animal autem, quod immolari poteſt Domino, ſi quis vouerit ſanctum erit, & mutari non poterit, nec melius in malum, nec peius in bonum.* Secundo in cap. 1. de Voto, vbi Prælati arbitrium poſtulatur ad commutandum votum in melius. Tertio ex eodem textu, quia omnis commutatio, etiam in melius, includit diſpenſationem voti, vt ibi notant Innoc. & Panor. nã ita vocatur in illo textu. Quarto ratione quia promiſsio obligat ad ſoluendum in propria ſpecie ita vt ſatisfaciat debitor dando rem meliorem ſine cõſenſu creditoris § 1 Inſt. Quibus modis tollit. oblig. & l. 2 ff ſi certum petatur, & dictum eſt ſuperiori tract. 1. 2. ergo etiam in voto non poteſt fieri talis ſolutio ſine conſenſu Dei per eum, qui vices eius tenet. Quinto non poteſt quis propria authoritate commutare ieiunium præceptum in maius opus eleemoſynæ, ſimiliter nõ licet mihi commutationẽ facere rei alienæ in meliorẽ ipſo incõſulto, vt vinum eius accipere relinquendo loco illius triticum, vel quid ſimile, ergo ſimiliter & c. Sexto alias nulla poſſent eſſe vota reſeruata quoad commutationẽ in melius: cõſequẽs eſt falſum, vt cõſtat in voto caſtitatis, & Religionis, & in profeſsione Religionis minus ſtrictæ: nã interea ũ reſeruatur Papę tranſitus ad ſtrictiorem: ergo.

4. *1. Aſſertio. Commutatio voti in melius bonum* Nihilominus dico primo: Commutatio voti in melius bonũ fieri poteſt propria authoritate, dummodo euidenter conſtet de exceſſu materiæ ſeu rei, in quam fit commutatio, & commutatio non ſit ſpecialiter per Eccleſia prohibita. Hæc ſententia eſt nũc frequentius recepta, tenet eam Caiet. d. q. 88. art. 12. & in Sum. ver. *Voti commutatio*, Soto d. [illegible] l. 7. q. 4. art. 3. Couar. in cap. *Quamuis pactum*, [illegible] § [illegible] n. 4. Abul. Num. 30. q. 110 Nauar. [illegible] c. 12. n. [illegible] Angel. [illegible] q. de Voto art. 8. in fine. 4 C[illegible] in Sum. [illegible] 148. Armill. ver. *Votum*, n. 14. idem Ang. *Votum* 4 n. 2. [illegible] ſufficere ad hanc cõmutationẽ, licet[illegible] non ſit obiecta argumento c. *Licet*, de Regul. [illegible] neceſſaria illa petitio licẽtiæ extra caſum in iure expreſſum de trãſitu Religioſi ad arctiorem, vbi eſt ſpecialis ratio, & diſpoſitio. Hanc etiam ſententiam videtur tenuiſſe Author legum Partitarum H[illegible] in leg. 7. tit. 8. part. 1. licet Greg. Lop. legem [illegible] videatur ad caſum ſpecialem de commutatione votorum in ſtatu Religioſum. Sed licet in [illegible] hoc contineatur, nõ tamen vt ſpeciale, imo fundatur in vniuerſali principio, quod ſit licitum votum in melius commutare. Nec D. Th. eſt alienus ab hac ſententia, licet illã non declarauerit, quia [illegible] loquitur de propria cõmutatione, quæ aliquã diſpẽ[illegible] requiuit, & in qua deliberare oportet, & [illegible] de beneplacito D[illegible]. In cõmutatione aũ: in melius nõ includitur diſpenſatio, ſed votum [illegible] implετur iuxta conditionem, quam includit, vt explicabimus. Nec eſt neceſſarium arbitrium: quia loquitur in caſu euidente, vt ſtatim exponemus.

fieri poſſe propria Authoritate. *Caiet.* *Soto* *Couar.* *Abulenſ.* *Nauar.* *Angl.* *C[illegible]* *Armill* *Angel* *Ca Licet.* *Greg. Lop.*

Ad probandum autem hanc partẽ ſuppono, duobus modis poſſe votum commutari in melius, vno modo quaſi ex neceſſitate: quia non poſſet fieri id, quod melius eſt, implendo votum, ſed illa duo ſunt ſimul incompoſsibilia vt ſiquis vouit peregrinari, & poſtea iudicet, eſſe melius ſeruire illo tempore hoſpitali, vel ſemper. Secundo fieri poteſt magis volũtarie, omittendo minus propter melius, quamuis ſucceſsiue, & ſine incommodo poſſet vtrumq; fieri. De priori modo res eſt facilioris probationis: nam ex natura voti fere euidẽter ſequitur: quia de ratione voti eſt, vt nõ impediat maius: vnde in omni voto includitur cõditio, *Dummodo non impediatur maius bonum*, vt ſupra li. 2 late dictum eſt, ſed in eo caſu votum impediret maius bonũ, ſi in propria ſpecie impleretur, vt ſupponitur: ergo non põt ad id obligare. ergo tũc ſine dubio cõmutatio per ſe licita eſt. Et ita in illo fatetur Sylue. cum Ant. in d. c. *Peruenit* 2 de Iureiu. dicit aũt, illa tunc non eſſe commutationem, quia votum in eo caſu nõ obligat. Ad hoc ſolum pertinet ad modum loquendi, & in rigore non eſt verum quod votum non obliget. nam re vera abſolute obligat, licet non obliget ad omittendum melius propter minus bonum.

5. *Duobus modis poſſe votum in melius commutari.*

Syluest. *Anton.*

Verumtamen etiam in poſteriori modo voluntarię commutationis procedit aſſertio. Cuius ratio eſt, quia talis voti commutatio eſt conſentanea fini voti, qui eſt promouere homines ad melius bonũ & Deo magis gratum: ergo vbi in melius commutatur, optimè impletur. Secũdo, quando in promiſsione eſt moraliter certum, creditorem acceptare ſolutionẽ, certum etiam eſt illũ ſufficere ad implendã promiſſionem, ſed hic eſt moraliter euidens acceptari à Deo maius obſequium, prętermiſſo minore. nam ſemper vult fieri à nobis quod eſt melius, & ſibi gratius. Dices, id quod eſt voto promiſſum, licet in ſe ſit minus ex circũſtatia voti fieri melius. Sed hoc nihil obſtat, quia per commutationẽ tota illa honeſtas trãsfertur in aliam materiã: nam fit ex intentione implendi votũ, & colendi Deum, & ita ſemper manet exceſſus, quam materia ex ſe habet. Tertio ex priori [illegible] ſumitur optima ratio, quia votum [illegible] cogit ad eligendum minus bonum [illegible] quod homo nolit vtrumq; bonum facere [illegible] contra finem voti, & contra rationab[illegible] quæ in Deo ſemper preſumitur: ergo [illegible] (non ex neceſsitate, quia nõ poteſt vtrumq; [illegible] facere, ſed ex voluntate, quia [illegible] facere) eligat melius opus, vt per [illegible] votum.

7. *Probatur vltima pars aſſertio.*

7. Vltra has vero rationes, quæ per ſe videntur effi-
caces, iura etiam fauent huic ſententiæ, præſertim ca.
C. Peruenit. *Peruenit*, 2. de Iureiurand. in quo dicitur, non frange-
re promiſſum etiam iuratũ qui in melius illud com-
mutat. Nam licet Syluest. plures Gloſſas adhibeat, o-
mnes ſunt voluntariæ, & ſine fundamento in textu,
vel ex natura rei. Vna tantum poteſt adhiberi, ſcili-
cet vt maxime id procedat, quando recompenſatio
eſt euidenter melior reſpectu creditoris, & illi magis
grata, quod plane locum habet in re de qua tracta-
Ca. Scriptura. mus. Et ita etiam conducit c. *Scriptura*, de Voto: nam
licet ſpecialiter loquatur de commutatione voti tẽ-
poralis in perpetuum Religionis; non videtur ibi
ſpeciale priuilegium concedere Religioni, vt multi
Canoniſtæ exponunt, ſed declarat potius, quod in-
trinſece ſequitur ex hoc, quod per talem commuta-
tionem Deo maius obſequium exhibeatur. Præter-
C. Licet. ea ſimili modo induci poteſt ca. *Licet*, de Regul. qua-
tenus declarat, licitum eſſe tranſitum ad arctiorem
Religionẽ ſine conſenſu Prçlati, quod eſt etiam fun-
datum in illo principio, quod votum non eſt impe-
dituum maioris boni.

8. Denique etiam cap. 1. de Voto iuuat potius, quam
obſtet: probat enim primam limitationem in aſſer-
tione poſitam, & ita etiam concluſionem confirmat.
Limitauimus enim concluſionem, vt procedat, quã-
do exceſſus materiæ, in quam votum commutatur,
certus, ac euidens ſit, vt citati Authores præſertim Ca-
iet. & Nauarr. adnotarũt, vnde fit, vt in caſu dubio nõ
liceat commutationem facere propria authoritate.
Quæ eſt communior ſententia Doctorum, vt vide-
bimus capite ſequenti: nam eadem eſt ratio in hoc,
quæ eſt de commutatione in ęquale, de qua ibi dice-
mus. Et ratio reddi poteſt, quia in dubio melior eſt
conditio poſſidentis: Deus autem poſſidet ius ſuum
ratione voti: ergo in dubio de qualitate materiæ ſol-
uendum eſt votum in propria ſpecie, ad quam Deus
habet ius. Hoc etiam confirmant rationes factæ pro
priori ſententia. Denique hoc probat dictum cap. 1.
quatenus ait, ab eius, qui præſidet pendere arbitrio,
vt cõſideret diligenter, an peregrinatio, vel recom-
penſatio melior ſit, magiſq; Deo grata, & ad hoc dicit
ponderandas eſſe circumſtantias perſonę, loci, ac tẽ-
poris, & aliorum, ad quos res pertinet. Quia non ſa-
tis eſt, quod opus ſecundum ſe, & in ſpecie ſit melius:
ſed oportet in indiuiduo rem expendere, quia cir-
cumſtantiæ ſæpe faciunt, vt opus ſit ſimpliciter me-
lius & gratius Deo, licet in ſpecie ſit minus nobile, &
è conuerſo, & iuxta hoc arbitriũ dicit ibi debere fieri
diſpenſationem. Hæc autem cõſideratio in caſu du-
bio neceſſaria eſt: nam ſi res per ſe ſit euidens, nullũ
arbitrium eſt neceſſarium: ergo ex deciſione illius
textus in caſu dubio eſt neceſſaria authoritas Præla-
ti, non extra illum. De altera vero limitatione in aſ-
ſertione poſita dicam, ſoluendo argumenta.

9. Dico ſecundò: Quando commutatio in melius
2 Aſſertio. Quando cõmutatio in melius eſt euidens ſine cauſa eſt licita. euidens, ſine cauſa eſt licita: quando vero eſt dubia
interdum requiret aliquam cauſam, leuis autẽ ſuffi-
ciet. Vnaquæque pars huius aſſertionis ſuo modo eſt
cum proportione ad poteſtatem, per quam fieri po-
teſt talis commutatio. Diximus enim hanc commu-
tationem fieri poſſe propria voluntate vouentis, ita
ergo nunc dicimus in ipſa magnitudine, ſeu exceſſu
ſolutionis intrinſece contineri ſufficientem cauſam
commutationis, & ideo non eſſe aliam neceſſariam.
Item quia votum ipſum à principio nunquam obli-
gauit ad omittẽdum melius bonum propter minus:
& ideo ſine noua cauſa ſemper licet illud præferre.
Et ita docent conſequenter Authores noſtræ ſentẽ-
Angel. tiæ, & præterea Angel. infra num. 10. & Nauar. num.
Nauar. 63. Quin potius etiam Abb. cap. 1. de Voto num. 3. &
Abb. Syueſt. *Votum*, 4. q. 8. dicunt, licet commutatio hæc
Syluest. debeat fieri per Prælatum, poſſe fieri ſine alia cauſa.
Contra hanc vero partem refert Angelus Innocen-
tiu. de Obſeruat. ieiun. n. 2. & Archid. in cap. *Presbyter*,
82. d. n. 3. Sed illi tãtum dicũt, ieiunia votiua poſſe re-
dimi authoritate Superioris, ſi vtilitas ſubſit: non ta-
men declarant eſſe neceſſariam aliam vtilitatem, vel
cauſam pręter exceſſum operis, in quod ſit mutatio,
vel redemptio, vel etiam intelligunt, requiri aliam
vtilitatem, quando in ipſa redemptione non eſt eui-
dens exceſſus.

Probatur ergo iam altera pars de caſu dubio, in 10.
quo iudicium, & authoritas ſuperioris poſtulatur, vt
diximus, & ideo reſpectu illius eſt cauſa cõſiderãda.
Poſt conſiderationem autem circumſtantiarum va-
rijs modis poteſt firmari mens Prælati, vnus eſt, vt
probabiliter iudicet commutationem eſſe in melius
cum certitudine, quod non ſit in minus, & tunc ſine
alia cauſa poterit illam facere: quia poteſt ſuum pro-
babile iudicium ſequi, quo poſito procedunt à for-
tiori rationes factæ in priori parte aſſertionis, vt cõ-
ſtat. Alius modus eſt vt certo iudicet, commutatio-
nem ad minimum eſſe æqualem, & dubitet an ſit et-
iam melior, certus autem moraliter ſit nõ eſſe in mi-
nus. Et tunc credo poſſe etiam ſine ſpeciali cauſa cõ-
mutationem facere, quia fideliter tractat negotium
Domini, cum de æqualitate ſit certus, & per dubium
ſe exponat occaſioni lucrandi aliquid domino, ſine
periculo perdẽdi. Tertius modus eſſe poteſt, vt cer-
to, vel probabilius credat, commutationem non eſſe
in melius, & potius dubitet, an ſit in minus & tũc cre
dimus neceſſariam eſſe aliquam cauſam propter cõ-
trariam rationem, quam in ſequenti capite latius ex-
pendemus, & inde etiam conſtabit, leuem ſufficere. 11.

Dico tertio: hęc commutatio in euidenter melius Cõmutatio in euidenter melius propria voluntate fieri poterit.
propria voluntate fieri poteſt, etiam in votis, quæ in
alicuius tertij vtilitatem cedunt, vel fiũt, dummodo
ſoli Deo fiant, & ſpecialem promiſsionem ad homi-
nem non includant. Hanc conditionem addo pro-
pter aliquos, qui hæc vota excipiunt à generali regu-
la poſita. Quod ſentit Henr. li. 2. de Pœnit. alias lib. 5. Henr. Syluest.
Sũmæ c. 20. n. 5. lit. S. & li. 7. de Iud. c. 30 n. 5. cũ Sylu.
Votum, 4. q. 7. §. *Quartum*, vbi ait, talia vota non poſſe
commutari in melius propria voluntate, ſed autho-
ritate Epiſcopi. Sed ille in priori parte loquitur con-
ſequenter, quia de omni voto idẽ dixit. Tamen ſup-
poſito cõtrario principio, & quæ c. 14. dicta ſunt, hæc
aſſertio eſt euidens. Quia per hæc vota nullum ius
acquiritur tertio: ergo omnino penſanda ſunt in or-
dine ad Deum; ergo ſi Deo ſit magis grata mutatio,
fieri põt ex intrinſeca natura voti, ac ſubinde propria
voluntate. Et confirmatur: nam vel acquiritur ius
tertio, vel nõ, ſi acquiritur, nec Epiſcopus poterit cõ-
mutare, quod Sylue. non admittit: ſi non acquiritur,
nulla eſt ſpecialis ratio in his votis, propter quã ma-
gis in eis requiratur authoritas Epiſcopi, vt commu-
tentur in melius, quam in alijs votis. Confirmatur 2.
quia votum ſimplex Religionis, etiãſi factum ſit pro
determinata Religione, poteſt propria authoritate
commutari in ſtrictiorem Religionem, quando cõ-
ſtat de maiori perfectione: quia tale votum ordina-
tur præcipuè ad bonum ſpirituale perſonæ promit-
tentis, & ideo licet ipſimet Religioni fieret ſpecialis
promiſsio, licita ſemper eſſet commutatio in perfe-
ctiorem, quia hæc conditio ſemper intelligitur in-
cluſa. Atque hinc à fortiori ſit, poſſe Prælatum hanc
commutationem facere, etiam in caſu dubio, & idẽ
eſt de omni illo, qui habet poteſtatem delegatam ad
commutanda vota ſine præiudicio tertij: hæc enim
vota non cẽſentur commutari cum præiudicio ter-
tij, vt ex dictis conſtat.

Ad primum fundamentum contrariæ ſententiæ 12.
ſumptum ex Leuit. vlt. primo dicendum eſt, legem Fit ſatis fundamento oppoſitæ ſententiæ.
illam nõ fuiſſe vniuerſalem, ſed de ſolis animalibus
aptis ad ſacrificia vt aduertit Abul. cap. 33. At in alijs Abulenſ.
votis non prohibebatur commutatio, & redemptio,
vt ex antecedentibus, & ſubſequẽtibus legibus eiuſ-
dem capitis conſtat. Vnde in reliquis quorum ibi nõ
ſit mentio, fieri poterat ſecũdum dictamen iuris na-
turalis,

turalis, quia non extēdebatur ad illa prohibitio. Vnde multo minus extenditur ad vota legis gratiæ, in qua lex illa non obligat: tum quia cæremonialia ceſſarunt, ad quæ illa pertinebat. Tum etiam quia materia illius prohibitionis non habet locum hoc tempore, cum nunc nulla animalia idonea ſint, vt offerātur Deo in ſacrificium: ſed ſolum agnus immaculatus. Addit vero D. Tho. d. art. 10. ad 1. illa animalia vota Deo, eo ipſo fuiſſe conſecrata Deo, & ideo non potuiſſe commutari, ne ad vſus profanos res Deo ſemel conſecratæ conuerterentur, & ita dicit hoc eſſe cum proportione ſeruandum in lege gratiæ, non ex vi legis Moyſis, ſed naturalis, quia ſiquis voueat calicem, & illum conſecratum offerat, non poterit amplius commutari. Idem habet Abul. Num. 30. q. 102. & Leuit. vlt. q. 33. vt tamen idē tradit in q. 29. & 135. & ſequent. in idem caput, illa ſanctificatio non erat alia, niſi quæ prouenit ex authoritate illius legis quia ſcilicet illa animalia per votum ita manebant Domino applicata, vt nō poſſent mutari, & illa immobilis applicatio dicebatur ſanctificatio. Talis autē conſecratio ex vi voti non inuenitur in lege noua, vt etiam de Voto ſolēni infra dicemus. Et ideo nec per proportionem poteſt illa lex præſenti tempori applicari. Nā ſi calix conſecratus non poteſt in alienos vſus conuerti, non eſt ratione voti, ſed ratione propriæ conſecrationis: vnde illa ſublata per fractionem, poſſet fieri cōmutatio. Item calix voto promiſſus licet conſecratus, poteſt alteri loco applicari per voti cōmutationem. Simpliciter ergo dicendum eſt illam legē fuiſſe cæremonialem, & ceſſaſſe, vt ibi dixit Oleaſter.

Abul.

Oleaſt.

13. Ad ſecundum ex c. 1. de Voto, iam reſponſum eſt, illud procedere, quando exceſſus non eſt euidens. Et ſimiliter dicitur ad 3. in commutatione euidenter in melius non fieri diſpenſationem, ſed rigoroſam ſolutionem. Neq; in hoc probamus ſententiam Innoc. & Panorm. de qua etiam ſupra dictum eſt. Ad quartum reſpondetur, ſatis conſtare de cōſenſu Dei, quando res eſt euidēter melior, neq; in hoc eſſe Deū cum homine comparandum: nam homo ſuam vtilitatem peculiarem reſpicit, & interdum ſuam volūtatem, & aliquando in illo eſt pro ratione voluntas. Ad quintum reſpondetur, primum exemplum de lege non eſſe ſimile, quia votum in ſua origine pēdet ex propria voluntate, lex autem a voluntate Prælati emanat, & ideo votum poteſt per eandem voluntatē mutari, quādo cōſtat de conſenſu creditoris: quia per quas cauſas naſcitur obligatio, per eaſdem mutari poteſt: non ſic autem lex, ſed per volūtatem Superioris mutanda eſt. Accedit quod obligatio voti, cum ſit ex voluntate vouentis, poteſt transferri in aliam materiam, & ita ex illa parte ſemper ſeruatur æqualitas, obligatio autem obedientiæ, ſeu præcepti non poteſt ita transferri, & ita deficiet. Denique lex abſolute præſcribit rem præceptam, & facit illam eſſe neceſſariam & ideo iam non poteſt habere rationem boni quidquid impediuerit obſeruationē legis. At votum non facit rem ſimpliciter neceſſariam, ſed reſpiciendo ſemper ad melius bonum, & includendo cōditionem, & quaſi exceptionem, dummodo illud non impediatur. Aliud vero exemplum de commutationibus humanis, iam dictum eſt non eſſe ſimile, & aſſignata eſt ratio differentiæ: vbi autem inter homines cōſtaret euidēter de beneplacito domini, ſeu creditoris, tunc procederet ſimilitudo, & potius iuuaret.

14. Sextum argumentum probat limitationem ſecūdam, quam in prima aſſertione poſuimus: nam in aliquibus votis grauioribus præſertim perpetuis, iudicium de meliori bono difficile eſt, & ideo Eccleſiæ Prælati præſertim Pontifex, merito poteſt illud ſibi reſeruare: nam ſpiritualem poteſtatem habet ad declarandum, quid ſit Deo magis acceptum, imo ſæpe aliqua mutatio, licet in indiuiduo ſit melior, ad bonum commune non expedit, & ideo poteſt etiā prohiberi, vt ſine authoritate Prælati non fiat. Et ita poteſt Pontifex prohibere tranſitum ab vna Religione in aliam ſine ſuo conſenſu, etiamſi arctior eſſe videatur. Vel etiam ſic vetuit, mutare votū factum in ſubſidium terræ ſanctæ in aliam eleemoſynam ſine exceptione melioris, quia in ordine ad commune bonum illud cēſebatur melius, & in vniuerſum eſt melius in hoc ſubeſſe iudicio Prælati, quando per prohibitionem illud interponit: ſecluſa autem ſpeciali prohibitione, votum natura ſua illam commutationem admittit.

Capvt XIX.

Vtrum ad voti commutationem in æquale, aut minus, Prælati authoritas, & cauſa requirantur?

1. Opinio aliquorum. Medin. Henr.

De commutatione in æquale aliqui opinati ſunt, fieri poſſe propria voluntate, & conſequenter abſque aliqua ſpeciali cauſa. Ita tenet Medin. in Inſtruct. cap. 14. ſequitur Henriq. lib. 2. de Pœnitent. cap. 20. §. 5. qui tribuit hanc opinionem Angelo, Caietan. Abulen. & Armillæ, ſed immerito, vt conſtabit. Refert etiam Pedraz. in Sum. circa primū præceptum §. 8. & Alcozer in Sum. cap. 16. concl. 7. Sed hunc videre non potui, ille vero de ſola commutatione in melius loquitur, & de cæteris ſentit contrarium. Tribuit etiam Soto lib. 7. de Iuſt. quæſtione 2. articulo vltim. & quæſtione 4. articulo 3. Verumtamen in priori loco nihil dicit, in poſteriori autem ſolum vnum verbum dubitantis habet. Ait enim, *Forte ſi certum eſſe poſſit, rem eſſe æqualis apud Deum valoris, inconſulto Prælato, poſſet fieri commutatio.* Sed ſtatim corrigit dubitationem, dicens: *Sed tamen non eſſe adeo tuta, quia dum agitur de qualitate, alienum requiritur iudicium.* Et in ſequētibus multa inculcat, quibus ſatis oſtendit in contraria ſententia firmaſſe iudiciū. Nam in primis paulo inferius ait, Quando dubium eſt, an mutatio in melius, vel in minus fiat, imo *vbi certiſſimum non ſit opus eſſe excellentius, ſemper eſſe authoritatem Prælati neceſſariam*: ergo vbi ſolum conſtat de æqualitate, multo magis ſentit eſſe neceſſariam. Et infra dicit, omnem commutationem, quæ non eſt in melius, poſtulare iuſtam cauſam, ex quo etiam ſequitur, poſtulare poteſtatem ſuperiorem, vt dicemus. Vnde Emanu. Rodr. in expoſitione Bullæ Cruciatæ, §. 9. n. 106. cum prius videretur docuiſſe hanc ſententiam, in contrarium refert Sotum cum Caiet. & ſubiūgit, eorum opinionem eſſe ſequēdam. Lud. Lop. 1. p. Inſtr. c. 49. in fin. dicit idem, quod Soto, ſub particula forte, & addit fauere Ius Canonicum, quod nō allegat, nec ego inueni. Item in 2. p. 1. q. de Clauib. per occaſionem, & aliud agens, referens opinionem Medinæ, non reprobat, ſed tacite approbat. Paucos ergo patronos certos habet hæc ſententia, & nullū, qui ex profeſſo punctū diſputauerit, & expenderit.

Ema. Rod. Lud. Lop.

2. Fundamentum autem huius ſententiæ ſolum eſt, quod apud Deum parum æſtimatur, quod opus ſit huius, vel illius materiæ, ſi re vera, penſatis omnibus, eſt æque bonum de ſe, & æque gratum Deo: ergo in tali commutatione ſemper eſt certum, Deum acceptare talem ſolutionem, quia nulla eſt probabilis ratio ad timendum contrarium. Nam ſi vtrumq; opus ſine voto fieret, æquè illi placeret, & ad æquale præmium illud acceptaret, ſi cætera eſſent paria ex parte operantis, & ſi poſterius opus, in quod fit commutatio à principio eſſet voto promiſſum, æque etiam fuiſſet Deo placitum: ergo idem credendum eſt, quando poſtea commutatur: nam obligatio voti transfertur in aliam materiā, & ita omnia ſunt paria. Vnde argumentor ſecundo, Quia talis commutatio eſt rigoroſa, ac perfecta ſolutio, quia re vera fit non ſolum

ſolum non inuito creditore: ſed etiam ad beneplacitum creditoris: ergo nihil diſpenſationis habet annexum: ergo non eſt, cur ſit neceſſaria poteſtas Superioris, nec ſpecialis cauſa. Tertio adducūtur exempla, ſi quis vouit intrare certam Religionem, & poſtea elegit aliam æqualem, vel ſi promiſit certam pecuniā, & poſtea dat calicem eiuſdem valoris.

3\. *1. Aſſertio. Ad commutationē voti in æquale bonū neceſſaria eſt authoritas Prælati. D. Thom. Ariſt.*

Nihilominus dico primo: Ad commutationem in æquale bonum, etiamſi conſtet certo eſſe tale, neceſſaria eſt authoritas Prælati. Hęc eſt ſine dubio ſententia Diui Thomæ dicto articul. 2. quia abſolute ad commutationem requirit Prælati authoritatem: cō mutatio autem ſimpliciter dicta maxime ſignificat æqualem. Tum quia cōmutatio ex ſe poſtulat æqualitatem iuxta ſententiam Ariſt. 5. Ethic. c. 4. Tum etiam, quia alias non oportuiſſet commutationem diſtincte numerare pręter diſpenſationem, ſi ſolum de commutatione in minus intelligenda eſſet, quia illa eſt diſpenſatio quædam, vel ſolum erit ad illam neceſſaria poteſtas Prælati, quatenus partialem diſpenſationem continet. In eadem ſententia eſt aperte Caietanus in eod. articulo 12. dub. 1. & 2. & ita intelligit Diuum Thomam, & expreſſe Angel. *Votum*, 4. numero 2. Item Armil. numer. 14. ſequitur doctrinam Caietan. Item Tabien. verb. *Diſpenſatio*, numero 10. expreſſius Nauarrus, & Couar. citati cap. præced. & Cordub. d. quæſtione 149 Graff. libr. 2. Deciſ. cap. 30. numer. 4. Viuald. 3. part. Candelab. capit. 14. numer. 15. Abulenſ. in 30. capit. Numer. quatenus à quæſtione 103. vſque ad 106. dicit, commutationem fieri nō poſſe niſi ex iuſta cauſa, & eius authoritate, qui vicem Dei gerit, ſolumque in quæſti. 110. excipit commutationem id id, quod eſt euidenter melius. Et hic etiam addi poſſent Soto, & Emanu. Rodr. ſupra, vltra omnes authores præcedenti capite allegatos, qui dicunt, etiam ad commutationem in melius requiri Prælati authoritatem.

Caiet. Angel. Armil. Tabien. Nauar. Couar. Cordub. Graff. Viuald. Abulenſ.

4\. Probari autem poſt hæc aſſertio ex cap. 1. de Voto, etiam iuxta latiorem interpretationem ſupra datā. Nam requirit authoritatem Prælati, quoties incertū fuerit, an res ſit gratior Deo: ergo multo magis requiret illam, quando ad ſummum conſtat eſſe ęqualem, & non meliorem. Cōfirmari poteſt primo, quia iura quoties tractant de cōmutatione etiam per Pręlatum facienda, ad hoc inclinant, vt fiat in melius, vt in d. c. 1. & 2. & c. *Quod ſuper his*, cū alijs de Voto: ſupponunt enim, commutationem, etiamſi fiat authoritate Prælati, per ſe loquendo debere fieri in æquale, & quia difficillimum eſt, attingere ipſum æquale, inclinandum eſſe in melius, vt Dei negotium fideliter agatur. Non parum etiam confirmatur hæc ſententia ex indultis, quæ conceduntur ad cōmutanda vota, vt ſtatim videbimus. Ratio denique eſt, quia promiſſio ſoluenda eſt in propria ſpecie, quātum eſt ex vi fidelitatis: ergo ita ſeruanda eſt, nec poteſt mutari propria authoritate, niſi vbi fuerit aliquis exceſſus, ratione cuius promiſſio non cenſeatur obligare: ergo eo ipſo, quod mutatur materia in non meliorem, nō ſeruatur fidelitas promiſſionis. Et declaratur primo, quia in euidenter melius fit cōmutatio ſine violatione fidelitatis, quia in ipſo voto intelligitur ſic poſita conditio, & exceptio melioris: non ſic autem intelligitur excepta æqualis materia. Alias nullum votum intelligeretur magis factum de materia determinata, quam de qualibet æquali, quod videtur abſurdum, & cōtra communem ſenſum promiſſionum. Vnde confirmatur ſecundo: nam hac ratione de iuramento diximus, non poſſe commutari in æquale, etiam in pijs iuramentis, quę votis ſunt ſimilia, quia eo ipſo, quod non datur Deo aliquid melius, merito intelligimus, ſibi gratius eſſe, vt teſtimonium eius in ea forma, in qua adductum eſt, verum reddatur, ſic ergo in pręſēti cęteris paribus gratius eſt Deo, vt verbum ſic promiſſum formaliter compleatur, & non per æquipollentiam. Accedit tandem com-

Cap. Quod ſuper his.

munis ratio, quia eſt difficillimum attingere æqualitatem, & ideo non eſt veriſimile hoc fuiſſe conceſſum cuilibet vouenti, maxime in propria cauſa, quæ ratio declaratione indiget, quam ſtatim trademus.

5\. *2. Aſſertio. Voti commutatio nequit fieri ſine iuſta cauſa, licet parua ſufficiat. Nauar.*

Dico ſecūdo: Hæc commutatio in æquali fieri nō poteſt ſine aliqua iuſta cauſa, licet parua ſufficiat. Ita ſentiunt authores allegati fere omnes, & Nauar. cōſ. 18. de Voto, licet contradicant Cordub. & Angles, qui iudicio meo non loquuntur conſequēter. Ratio ſumitur ex proxime dictis, quia eo ipſo, quod opus reddendum, ſecūdum ſe non eſt melius, eſt magis conſentaneum excellentiæ Diuinæ, ac fidelitate ei debitę, ſoluere in propria ſpecie, quod fuit promiſſum, ergo vt non fiat hoc, quod per ſe debitum eſt, aliqua cauſa poſtulatur. Et ita hæc aſſertio, & præcedens ſe mutuo iuuant: nam eo ipſo, quod poteſtas Prælati ad hāc commutationem neceſſaria eſt, intelligimus gerere vices Dei in hac commutatione, eiuſque conſenſum interpretari: ergo neceſſe eſt, vt aliqua rationabili cauſa ducatur, & non ſolum quia ſibi ita placet, quia hæc nulla ratio eſt, ad interpretandum conſenſum Dei. Vnde etiam in hac commutatione verū eſt Innoc. Panor. & aliorum principium commutationem eſſe quandam diſpenſationē, quia ex ipſo, quod nō impletur promiſſū in propria ſpecie, nec ſecūdū eōditionem aliquam in eo incluſam, diſpenſatur in aliquo rigore fidelitatis: ergo requiritur cauſa. Et inde etiam cōcluditur, eſſe neceſſariam poteſtatem, quia diſpenſatio quantumuis minima, non poteſt fieri ſine poteſtate. Item ſi requiritur cauſa, ſignum eſt debere fieri rationabilem remiſſionem ex parte Dei, ſaltem quoad remittēdam determinationem obligationis ad talem materiam: ergo ſignum eſt requiri poteſtatem. Denique commutatio in æquale ſine cauſa interueniente nō habet aliquam rationem honeſtatis, vel virtutis: ergo non eſt cur præſumatur, Deū illam velle, aut eſſe contentum tali ſolutione: ergo merito requiritur cauſa, & conſequenter etiam conſenſum al cuius vicem Dei gerentis, qui cauſam approbet, & commutationem admittat.

6\. *Cōmutatio voti nequit fieri arbitrio confeſſoris, niſi habeat poteſtatem delegatam.*

Atque hinc fit, hāc commutationem fieri non poſſe arbitrio, vel iudicio cōfeſſoris, niſi ad hoc habeat poteſtatem delegatam. In quo aliqui vel non recte, vel obſcure loquuntur, dum dicunt, confeſſorem poſſe talem commutationem probare vt loquitur Angl. ſupra. Sed id non eſt verum ex vi muneris cōfeſſoris, quia hæc commutatio non eſt actus iuriſdictionis in foro pœnitentię, ſed in foro externo pertinente ad gubernationem Eccleſiæ. Antecedēs patet, quia hæc non eſt materia illius Sacramenti, nec ſpectans ad illud iudicium. Quod ſi ſit ſermo de cōfeſſore habente poteſtatem delegatam, illa eſt per accidens: & illo modo etiam non cōfeſſor poterit commutare, ſi illā habeat. Nec ſatis eſt, quod cōfeſſor ſit prudens, & poſſit recte iudicare de æqualitate cōmutationis: nam hoc poterit etiam habere nō cōfeſſor, nō tamen ſufficit ſcientia, vel prudentia, vt declaratum eſt.

7\. *Cum per aliquot priuilegia conf. ſoribus delegatur facultas ad commutationē votorum, ſolum cōceditur ad commutationem in æquale. Cordub. Emm. Rod. Viuald.*

Secundo infertur, quando per iobilæa, vel priuilegia, aut alias Bullas datur cōfeſſoribus, aut alijs poteſtas delegata ſolum ad commutanda vota, in rigore non poſſe commutationem facere, niſi in æquale, & ex cauſa. Prior pars communis eſt, licet Med. Lud. Lop. & Henriq. contrarium ſentiant, quibus in hoc conſentit Cord. d. q. 149. & Emmen. Rodr. in expoſitione Bullæ §. 9. n. 107. & in Sum. 2. p. c. 100. n. 4. Idem Viual. d. c. 14. n. 20. Fundamentum eſt, quia ad commutandum in ęquale non eſt neceſſaria ſpecialis poteſtas: ergo vt illa priuilegia conferāt aliquid, neceſſe eſt ea interpretari de commutatione in minus. Sed hæc ratio ſupponit falſum fundamētum, & prætera non ſatis euidenter colligit: nam etiamſi illud antecedens poſſet eſſe verum, eſſet certum, ſed dubium, & ideo poſſent dari priuilegia ad tollendum omne dubium. Quapropter contraria ſententia in rigore

Iuris

Caiet. Nauar. Panorm. Syluest. Greg. Lop.

Iuris, & rationis verior eſt, quam tenẽt Caiet. d. ar. 12. & in Sum. ver. *Votum*, c. vlt. & Nauar. c. 12. n. 63. & 72. & fere allegati, & ſumitur ex Panor. & alijs, in c. 1. & 2. de Voto, ſemper enim ad commutationem requirunt ſaltem æqualitatem. Idem Sylu. *Votum*, 5. in fin. Greg. Lop. in Leg 6. tit. 8. p. 1. num. 5.

8. Ex quibus ſumitur ratio aſſertionis, quia priuilegia hęc, licet fauorabilia ſint, non ſunt extẽdenda vltra verbi proprietatem: commutatio aũt proprie ſignificat ęqualitatem, vt ex Ariſt. adnotauimus cum Caiet. & fere alijs Doctoribus. Item ſi per hæc priuilegia cõmutatio hæc fieri poſſet in minus ex directa intentione commutantis, eadem ratione poſſet fieri in notabiliter minus, cauſa id exigente: conſequens eſt adeo falſum, vt etiam ab aduerſarijs non concedatur. Si enim fieret, vt talis poteſtas extenderetur ad diſpenſationem voti, prout ordinario modo diſpenſari ſolet, quia ſemper eſt cum aliqua commutatione: hoc autem eſt falſum, & contra omnes, vt ſupra viſum eſt. Prima vero ſequela patet, quia ſi commutatio in proprietate vocis comprehẽdit cõmutationem in minus, eadem ratione comprehendet omnem latitudinem eius in quacumque proportione fiat. & ita nulla erit ratio limitandi priuilegium, cum intra vocis proprietatem extendi poſsit. Quod ſi cõmutatio in minus nõ eſt tantũ commutatio: ſed etiã propria diſpenſatio, vt re vera eſt, non poſſunt talia priuilegia ad illã extendi. Neq; etiam arbitrio diſpẽſantium relinquendũ eſt, vt ſibi pręſcribant inæqualem commutationem, quam poſſunt facere, vel non facere, cũ hoc non poſsit certa ratione diſcerni, vel fundari: ergo ſiſtendum eſt in cõmutatione æquali. Cõfirmatur, quia dominus, qui dat procuratori ſuo commiſsionem ad vendendum, & commutãdum, in rigore tantũ dat facultatem faciendi illos contractus cum æqualitate: nam quidquid inde minuitur, non eſt commutatio, ſed donatio, & ita nõ comprehenditur ſub tali facultate, ita ergo eſt in præſenti.

9. Ne tamen nimium rigoroſa, & ſcrupuloſa hæc ſententia videatur, aduertendũ eſt, ſenſum illius eſſe, intentionem commutãtis per huiuſmodi priuilegia debere ſemper tendere ad æqualitatem, & ad eandẽ attingẽdã per diſcretionẽ, & prudẽtiã conari. Quod ſi hoc obſeruãs bona fide commutat, valida erit cõmutatio, etiãſi forte in re fiat in minus: quia hæ morales facultates hanc latitudinem poſtulant, neq; humano modo aliter poſſunt exerceri, & ideo ſine dubio ita cõcedũtur. Præſertim quia tũc non põt multum aberrari ab ſcopo, parũ aũt in moralibus pro nihilo reputatur, maxime procedendo bona fide, quæ in hoc negotio ſemper poſtulatur. Vnde neceſſe eſt, vt cõmutatio fiat ſub ratione ęqualis, & ſub probabili iudicio de æqualitate. Quod ſi ſit dubiũ tam de exceſſu, quã de defectu, illa ẽt cenſetur æqualitas, quãdo dubiũ in vtrãque partẽ æqualiter vergit: quia humanũ arbitrium nõ põt certius de his iudicare. Imò ſi nõ cõſtet opus in ꝙ votũ cõmutatur, eſſe minus bonum, ſed dubiũ ſit, an perueniat ad æqualitatẽ, vt aliàs interueniat rationabilis cauſa commutãdi, & nõ imponẽdi maius onus, probabile eſt poſſe commutationem fieri per hanc poteſtatem. Tum quia parua poteſt eſſe inæqualitas, quæ moraliter non reputatur aliquid, tum quia res, & iudicia humana non admittunt maiorem certitudinem: tum quia propter hæc dubia videntur maxime concedi hæ facultates.

10. Atq; hinc facilè patet altera pars de cauſa, tũ quia vt dixi, neceſsitas poteſtatis delegatæ, & exigentia cauſæ ſeſe comitãtur: tum etiã quia ipſe delegans, ſeu habens poteſtatem ordinariam non poteſt commutare ſine cauſa: ergo multo minus poterit delegatus. Sufficiet autem (vt etiam dixi) cauſa leuis, quia parua eſt etiam remiſsio, quæ per commutationẽ ſit.

Caietani aduertentia Vnde prudenter aduertit Caiet. interdum poſſe ſufficere cauſam iuſtæ condeſcentionis cum fragilitate pœnitentis, ſeu vouentis, vt cũ gaudio, & nõ gemendo debitum ſuum ſoluat. Quãdo recta ratione credi põt, hoc eſſe opus gratitudinis, vice Dei exhibitæ, vt non videatur cum tanto rigore exigere definitũ debitum à liberali debitore, qui voluntarie ſe obligauit. Et ad hoc ſuadendum valent aliquid motiua primæ ſententiæ ſupra allata. Addo vero interdum hęc indulta, ſeu facultates ad has commutationes cõcedi ſub aliquo onere, & ex generali cauſa boni cõmunis, & tunc ipſa cauſa, & modus obtinendi talem facultatem, ſufficiens videtur ad honeſtandam commutationem æqualem ſine alia ſpeciali cauſa. Et hoc modo videtur hæc facultas dari per iobelea ordinaria, & per Bullam Cruciatæ, & ſimilia. Secus vero eſt, quando ſimpliciter delegatur hæc poteſtas in gratiã delegati, vt ſit per priuilegia Religionum, vel quando ſimpliciter conceditur in fauorem priuatæ perſonæ, vel in remedium alicuius particularis oneris, tũc enim neceſſaria eſt ſpecialis cauſa, vt dictum eſt.

Ad duo prima fundamenta cõtrariæ ſententiæ ſolutio patet ex dictis. Exẽpla vero, quæ in tertio loco proponebantur dicimus poſſe in contrarium retorqueri. Nã in primo negatur ꝙ aſſumitur, quia qui certã, ac determinatã Religionem vouit ex peculiari intentione illius, non poteſt ſuo arbitrio aliam æqualẽ ingredi tum propter oẽs rationes factas: tum ẽt quia in hac ſpeciali materia lõge difficilius eſt de tali æqualitate iudicare: tũ præterea, quia poſt promiſsionẽ in vna Religione nõ eſt licitus tranſitus ad aliam ęqualẽ, Ergo idem cũ proportione erit in promiſsione profitẽdi, vel ingrediendi Religionẽ. Et ideo ſolent Põtifices cõcedere priuilegia vt votũ Religionis in aliqua cenſeatur cõpletũ licet de alia æquali ſit factum, quaſi generalẽ cõmutationẽ cõcedẽtes, quæ in fauorẽ Religionis honeſtatur. Hoc aũt maxime procedit inter Religiones ſpecie diuerſas: nã ſi tãtũ ſint monaſteria diuerſa eiuſdẽ Religionis, diſtinctio eſt quaſi materialis. Vnde licet votũ ſit de vno factũ, & in alio impleatur, nõ cẽſetur cõmutatio moralis, q̃a illa determinatio fuit accidẽtaria & in ea promiſsione non intenditur commodũ monaſterij ſed ſpirituale bonum vouẽtis, ꝙ in vtraq; idem eſt, & eiuſdẽ rationis, & ideo votum in propria ſpecie impleri cẽſetur. Niſi forraſſe in obſeruãtia regulæ ſit magna diſparitas, nã tũc rigor obligationis ſeruandus eſſet q̃ procederet eadẽ ratio. Sed de hoc voto plura in ſequ. volumine. 11. *Qui certam Religionem vouit, nõ poteſt ſuo arbitrio aliam æqualem ingredi.*

12. Ad aliud exẽplũ dicimus in primis, nõ procedere in votis perſonalibus, quæ ſunt de operibus virtutũ diuerſarum rationum, inter quæ non admittitur illa commutatio. Deinde pro votis realibus obſeruanda ſunt, quæ in ſimili pũcto de iuramẽto promiſſorio diximus. Nã quædã ſunt res, quæ facile inter ſe cõmutantur, & moraliter pro eadẽ reputantur, vt triticum, vinum, & ſimilia: aliæ ſunt quæ non habẽt tã facilem commutationẽ, & quæ ratione ſuæ ſpeciei peculiarẽ æſtimationẽ habẽt, vt domus, equus, & aliæ res, quæ non ita facile vſu cõſumũtur. Inter priores ergo admitti poſſet ſolutio in re ſimili cum ęqualitate, quando ſpecialis ratio non obſtaret: quia nõ cenſetur moralis mutatio, ſed tanquã idem reputatur. In poſterioribus vero non eſt admittenda ſine expreſſo cõſenſu eius in cuius vtilitatem res cedit. Vnde in illo exemplo, ſi promiſi pecuniam in rigore non ſatiſfacio, dando calicẽ, quia fortaſſe mihi eſt vtilior pecunia: quia vniuerſaliorẽ habent vſum, & licet Calix ratione materiæ, & operis poſsit vendi, tamen illud ipſum eſt grauamen minuens æqualitatem, præterquam ꝙ morale eſt, non poſſe facile tanti vendi, quanti æſtimatur. E contrario etiam, ſi promiſi Calicẽ Eccleſię, in rigore non ſatiſfaciam dando valorẽ, quia præter id, ꝙ eſt pretio æſtimabile, poteſt eſſe in Calice peculiaris commoditas, vel æſtimatio. Vnde in his rebus ſicut nemo in cuius commodum res cedit, poteſt inuitus ad commutationem compelli, ita etiam reſpectu Dei fieri nõ poteſt ſine conſenſu eiuſdem partis, vel Superioris, qui vice Dei ſolutionem approbet.

Sed

Digitized by Google

13\. *Quale peccatum ſit votū in æquale propria authoritate, & ſine cauſa commutare.*

Sed quæret tandem aliquis, eſto: non liceat cōmutare votum in æquale propria authoritate, an ſi fiat de facto, ſit peccatum mortale, vel tantum veniale? Videri enim poteſt hoc ſecūdum: quia reſpectu voti illa materia tranſgreſsionis videtur leuis: dictum eſt autem ſupra tranſgreſsionem voti in materia leui tātum eſſe peccatum veniale: ergo. Maior patet: quia quia ibi ſoluitur æquale, in quo videtur poſita ſubſtantia voti: quod autem ſit in hac, vel illa ſpecie, non videtur eſſe circumſtantia adeo grauis, vt ad mortale peccatum ſufficiat. Vnde ſimiliter videri poteſt, Prælatum non peccare mortaliter, commutādo votum in æquale ſine vlla cauſa, ſed pro ſola voluntate ſua, vel vouentis: quia licet non bene vtatur ſua poteſtate non videtur eſſe abuſus in materia graui, nec cum graui Dei iniuria.

14\. *Dubij reſolutio.*

Ad interrogationem dico, licet non videatur improbabile, tamen conſequenter loquēdo, aliter ſentiendum eſſe. Quia vouens non habet poteſtatem ad hanc commutationem faciendam: ergo licet illam faciat, nihil facit: ergo manet integra obligatio voti: ergo ſi illam impleat, non obſtante alio opere, quod fortaſſe per modum commutationis fecit, peccat tranſgrediendo totum votum, ac ſubinde mortaliter. Vnde ſi quis faciat tale opus, animo non implēdi aliter votum prout factum fuit, peccabit mortaliter, per ſe loquendo: niſi per ignorantiam, vel adhæſionem ad aliā opinionem, quā putat probabilē, excuſetur. Et eadē ratione non excuſatur à graui lapſu Pręlatus commutans ſine vlla cauſa, licet ęqualitatem ſeruet in commutatione, niſi aliquam addat recompenſationem ob remiſsionem, quam facit de rigore promiſsionis. Ratio eſt, quia excedit in ſua poteſtate, vnde facit actum de ſe nullum: illa ergo remiſsio inualida eſt: ergo abutitur poteſtate in re graui. Cuius ſignum eſt: quia non reddit ſubditum tutum in conſcientia: ergo grauiter peccat, & decipit ſubditū, tollendo vinculum, quod auferre non poteſt. Quamuis autem hæc vera ſint, quādo commutatio eſt omnino voluntaria, & irrationabilis: tamen moraliter fere ſemper excuſari poterit, quia vt dixi, parua cauſa ſufficit, ſcilicet vt vouens libentius, & alacrius Deo ſeruiat, & vt gratitudo quædam ex parte Dei oſtendatur.

15\. *Quando ſit neceſſarium vti redemptione in commutando votū. Senſus dubij expenditur. Aliquorum ſententia.*

Vltimo inquiri poteſt, an in commutatione faciēda ſeruanda ſit etiam ſimilitudo? Vbi etiam explicādum erit, quando ſit neceſſarium, vti redemptione in voto commutando. Senſus ergo dubij eſt, an oporteat votum reale in reale onus commutare, quæ dicitur voti redemptio, & eadem ratione, an votum perſonale redimi poſsit, vel debeat neceſſario commutari, in perſonale onus & cū proportione de mixto? Multi enim Doctores indicant, neceſſarium eſſe, hanc proportionem ſeruare, ideo enim dicunt, vota realia redimenda eſſe, & in votis mixtis vt peregrinationis, expenſas redimendas eſſe, onera verò perſonalia eſſe commutanda in alia proportionalia. Ita ſentit Angelus *Votum*, quarto, numero duodecimo, Caietanus verb. *Votorum diſpenſatio*, circa finem, Nauarrus capit. 12 nume. 77. Angles quæſtio. de Voto articul. 4. difficultat. 7. Grego. Lopez in leg. quarta, & quinta, titul. octauo, parti. prima. & ex ipſis textibus colligitur. Et fundatur in cap. 2. cap. *Magna*, cap. *Ex multa*, ca. *Quod ſuper his*, de Voto: ex quibus habetur, in voto peregrinationis commutandas eſſe expenſas, vt redimantur, & labores, vt commutentur: ergo idē eſt in omnibus ſimilibus. Congruentia reddi pōt, quia inter ſimilia verſatur propria æqualitas, & non difficile inueniri poteſt: inter diſsimilia vero, & (vt ita dicam) heterogenea vix attingi poterit. Itē in votis realibus eſt ſpecialis ratio, quia ordinariè cedunt in vtilitatem alicuius, quæ videtur in commutatione conſideranda, & retinēda quoad fieri poſsit.

Angel. Caiet. Nauar. Greg. Lop. Angl.

16\. Verumtamen neque Authores allegati ponunt hunc modum commutationis vt neceſſarium, neq; ex natura rei requiritur ſemper, ſed tantum vbi per legem, vel delegationem poteſtatis præſcriptus fuerit. Declaratur primo aſſertio inductione: nā in primis votum perſonale poteſt in reale transferri, ſeu quod idem eſt, per redemptionem tolli. Ita ſupponit expreſſe Ang. dum ait, votum ieiunij in perſona paupere parua pecunia redimi poſſe: in diuite autem maiori, quod etiam dicit Nauar. & omnes, & eadem ratio eſt de quolibet alio voto perſonali. Miſtum etiam votum, vt eſt peregrinationis per ſolam redemptionem referri poteſt, vt ſumitur ex c. 2. de Voto ibi: *Ita tamen, quod idem votum eleemoſynis redimat, & iuxta cōſilium noſtrum toto vitæ ſuæ tempore vni pauperū Chriſti (dūmodo ad hoc ſuæ facultates ſufficiant) debeat prouidere.* Vbi pro voto perſonali nullum onus perſonale imponit, ſed ſolum reale. Igitur etiam reale votum poterit in perſonale commutari, vt votum eleemoſynę in ieiunia, & orationem, vel votum miſtum vt peregrinationis in ſolum perſonale: eſt enim eadem ratio, cum eadem ſit proportio ęqualitatis, vel inęqualitatis inter vtrāque materiam, ſiue ſumatur vna vt commutata, & altera ſit in quam commutatio ſit, ſiue è conuerſo: parum enim hoc refert. Et ratio eſt, qa in his non attenditur phyſica vnitas, vel ſimilitudo, ſed proportio, ſeu ęſtimatio moralis in ordine ad virtutē, & gloriam Dei: & hæc inueniri poteſt in omnib' his actibus, vt per ſe notū eſt. vnde in ratione meriti, vel ſatisfactionis poteſt oratio æquari eleemoſynę, & è conuerſo, imo interdum ſola oratio æquiualet ieiunio, & eleemoſynæ ſimul, & ſic de alijs: ergo etiam in ordine ad cōmutationē votorū poterūt cōpēſari.

Votū mixtū per ſolam redemptionem tolli poteſt.

Idem de perſonali dicendum.

Nec iura citata contrarium ſtatuunt, imo in c. 1. de Voto dicitur, *de peregrinationis votis, an eleemoſynis redimi, an in aliud cōmutari*, &c. Significatur ergo poſſe vtroq; modo tolli tale votum Prælati arbitrio, iuxta exigentiam cauſæ, & circumſtātiarum. Indicatur aūt redemptione eſſe vtendum, niſi neceſsitas cogat ſolam commutationē facere, q̄ poteſt eſſe conſilij non præcepti. Alia vero iura loquutur in ſpeciali de voto peregrinationis Hieroſolymitanæ, & maxime quando ſit in ſubſidium terræ Sanctæ, & in illius cōmutatione Pontifices ſemper obſeruarunt, facere cōmutationem in fauorem terrę Sanctę, quod illis temporibus erat maxime conueniens. Vnde ex vi iuris ſeruanda erat illa forma redimēdi votum illud, & mittendi expenſas in ſuccurſum illius terræ, nō quia per ſe neceſſaria ſit, ſed quia ita videtur iure ſtatutū. Nūc autem illa vtilitas, & neceſsitas ceſſaſſe videtur, & ita nunc votum illius peregrinationis ad inſtar aliorum commutari poteſt, vel iuxta tenorem priuilegij conceſsi ad talem commutationem faciendā, quia nunc non durat eadem ratio. Congruētia autē ſupra facta ſolum oſtendit, illum modum compēſandi eſſe magis accommodatum, & ideo eſſe conſilij illum ſeruare, quando commode poteſt.

17\. *Explicātur iura in oppoſitum allata.*

Adde quod præter dictam facilitatem, habet etiā vtilitatem proximorum, & præſtantiā eleemoſynæ, quæ multum commendatur, & ideo vtile ſemper eſt miſcere illam. Eſt etiam rationi conſentaneum, vt materia, & intentio voti ſeruetur quoad fieri poſsit, & conſequenter vt ratio habeatur perſonæ vel loci, in cuius vtilitatē votum cedebat, licet hoc in rigore neceſſarium non ſit, vt ſupra dixi: ſemperq; magis eſt attendendum ad ſpirituale bonum vouentis, maioremq; gloriam Dei. Quando ēt ſit cōmutatio virtute alicuius Bullæ, vt de Cruciata in ſpeciali aduertunt, dicentes eſſe redemptionem in eius fauorem faciēdam Nauar. ſupra n. 8. Lud. Lop. 1. p. c. 50. Cord. d. q. 149. Emm. d. §. 5. n. 109. ſupra diffic. 7. & inſinuat Soto d. q. 4. art. 3. Quod intelligo, vt ex parte ſiat cōmutatio in ſubſidium Cruciatæ, non vero quod neceſſarium ſit, totā commutationem in hoc ſolum ſubſidium fieri. Et ita Angl. ſupra, non dicit totam commutationem, ſed eleemoſynam futuram eſſe in ſubſidium Bullæ. Imo Viual. d. c. 14. n. 39. citans Alphonſum 18

Nauar. Lud. Lop. Cordub. Soto.

Angles. Viuald.

Digitized by Google

ſum Deza, dicit ſufficere ſubſidium ſpirituale, quia Bulla ſolum dicit in ſubſidium: ſed re vera Bullæ intentio eſt de ſubſidio temporali. Tamen in pauperibus haberet illa interpretatio locum. Maxime quia debet intelligi illa conditio morali modo, & quatenus fuerit poſsibilis, ac ſuauiter fieri poſsit. Et ideo etiam prior interpretatio de partiali compenſatione certior eſt, quia Bulla non plus exigit, & aliud eſſet grauiſsimum onus, vnde pauci vellēt tali priuilegio vti, & ita in eius præiudicium redundaret.

19\. *Quis modus ſit obſeruandus in votorum commutatione.*

Ex hac ergo reſolutione conſtare poteſt, quis modus ſeruādus ſit in cōmutandis votis pure realibus, vel pure perſonalibus, aut mistis. Nam in primis votis, ſi cauſa oritur ex paupertate, non oportet facere commutationem realem, (vt ſic dicam) ſed perſonalem cum prudenti æquiparatione, alias commutatio eſſet inutilis, & repugnaret cauſæ: ſi autem ratio cōmutationis ſit alia, & facultas non deſit, tunc optimū eſt ſemper facere realem commutationem, niſi perſonalis euidenter melior, ſeu in melius iudicaretur. At votum perſonale fere ſemper poteſt commutari per redemptionem, ſi facultas ſuppetat, propter rationē dictam. In voto autem miſto, ſi ſit miſtum per accidens (vt ſic dicam) eſt quaſi duplicatum votum, vt ſupra dixi l. 2. c. vl. & ideo ad ſingulas partes applicanda ſunt, quæ diximus. Si autem ſit proprie & intrinſece miſtum, vt peregrinationis, tunc ratio habēda eſt ſumptuum itineris, his demptis, quos vouens domi eſſet facturus, non quia neceſſario ſint pecunia redimendi, ſed quia illi augent pondus, & æſtimationem voti, & ideo compenſandi ſunt: ordinarie quidem per alias expenſas in opera pietatis, propter rationem ſupra factam, vel per alia opera ex rationabili cauſa.

20\. *Aliquorum opinatio de expenſarum computatione per ordinem ad commutationem votorum.* *Angl.* *Henriq.* *Em. Rod.* *Caiet.* *Nauar.* *Medin.* *Lud. Lop.* *c. a Magna.*

In expenſis autem ſupputandis aiunt quidam eſſe computandos ſumptus futuros in eundo: non tamē in redeundo, quia redire non eſt peregrinari, nec cadit ſub votum. Ita Ang ſupra diſtic. 6. Henriq. li. 7. de Indul. c. 30. lit. M & N. Emma. Rodr. in Expoſitione Cruciatæ § 9. nu. 107. Referuntur etiam pro hac ſententia Caie. d. ar. 12. Naua. d. c. 12 n. 77. Med. li. 1. Sum. c. 14 § 7. Lud. Lop. 1. p. c. 47. At Caiet. Nauar. & Med. abſolute dicunt, conſiderādas eſſe impenſas, quas in itinere eſſet facturus: Lopez vero referens illam opinionem, licet dicat non eſſe multo rigore vtendū, ſimpliciter dicit, non eſſe tutā. Et mihi etiā ita videtur. Primo, quia non eſt conſentanea iuri: nā in d. ca. *Magna*, expreſſe dicitur: *Expenſas, quas fuerat eūdo, morando, & redeundo facturus.* Nec dici poteſt illud eſſe ſpeciale in voto Hieroſolymitano, quia Papa non intendit imponere onus, quod non eſſet incluſum in voto, & ita eadem ratio eſt de illo, & de quocumque alio peregrinandi voto. Secundo non videtur conſentanea rationi illa opinio, tum quia acceſſoriū ſequitur principale, reditus aūt eſt acceſſoriū peregrinationi, quādo moraliter, vel ex intentione vouentis illi coniūgendus eſſet: tum etiā quia licet quis non promittat reditū, nihilominus moraliter auget valorē (vt ſic dicam) itineris, quoad eius expenſas. Et ita qui ſe obligat ad eundum aliquò, etiam computat reditū ad æquitatem mercedis. Tum denique quia alias qui peregrinationē vouit, nō deberet ſumptus itineris computare iuxta ſtatum ſuum, & moralem conſuetudinem, & intentionē, quia in rigore non promiſit hoc, ſed tantum ire: conſequens eſt contra omnes, & cōtra rationem, quia res æſtimandæ ſunt moraliter, & prout in re ipſa futuræ ſunt.

21\. Tandē ex eadē reſolutione conſtat quomodo reliqua omnia vota cōmutanda ſunt vel ſeruando eaſdem cōditiones, quoad fieri poſsit, vel expediat, vel cum proportione mutādo illas ſecundum aliquam moralem æſtimationem: vt ſi votum eſt cōditionale poteſt cōmutari ſeruata cōditione, id eſt ſubſtituēdo aliam materiam ſub eadem conditione, vel mutata cōditione cum eadem pœna, ſeu materia, vel denique

De commutatione voti conditionati.

commutari poteſt in aliquid abſolutum, & tūc poterit cenſeri æqualitas, etiamſi quantitas rei promiſſæ minuatur, vt ſi promiſi dare decem in eleemoſynā, ſi nauis venerit: & nunc abſolute volo dare quinque ſiue veniat, ſiue nō, moraliter pōt cenſeri æqualitas, conſideratis aliis circumſtantiis. Ad eundem modū, ſi votum ſit diuturnæ obligationis, commutari facilius poterit, ſi in aliud onus æque diuturnum trāsferatur obligatio: non eſt tamen id neceſſarium, ſed ex qualitate, & grauitate operis breui tēpore expediendi poterit illa diuturnitas compenſari: vt ſiquis promiſit dare ſingulis annis tantam eleemoſynā per totam vitam, poſſet redimi obligatio, data nunc ſimul aliqua magna quantitate in eleemoſynam, quæ iudicio prudentis viri adæquationē faceret. Et iuxta hæc cum proportione cogitari poterit, quomodo ſit cōmutatio facienda in votis etiam per ſe perpetuis, vt caſtitatis, & Religionis, quando illa commutitur: ſed de illis in particulari poſtea dicemus. De reliquis vero dicta ſufficiant: quia hæc res magis ex prudētia pendet, quā ex generalibus regulis: ponderandæ igitur ſunt circūſtantiæ perſonarū, & qualitates operum, in primis in ordine ad Diuinum cultum: deinde in ordine ad bonum commune, vel vtilitatem præſertim ſpiritualem proximorum: multo vero magis ipſius vouentis, vel in ordine ad meritum coram Deo, vel in ordine ad ſatisfaciendum pro peccatis, vel in ordine ad præcauenda peccata futura, vel occaſiones eorum. Et ſic omnibus penſatis non erit admodum difficile, etiam inter materias, & proprietates votorum diſsimiles ſufficiētem proportionem inuenire.

Supererant hoc loco tractanda duo grauia dubia. 22.
Vnum eſt, an votum Religionis poſsit commutari in ſtatum Epiſcopalē: aliud eſt, an per profeſsionē Religioſam extinguantur omnia vota priora, ita vt in ſolennia vota Religionis ſufficienter commutentur. Verumtamen quia hæc puncta ſtatum Religionis attingunt, eiuſque aliqualem cognitionem prærequirunt, ideo in tractatu de illo ſtatu ea remittimus. Solum in ſecunda dubitatione aduerto, in illa attingi aliam generalem, an in aliis votis interdum fiat commutatio vnius in aliud ipſo iure. Sed loquēdo de iure naturali, ex vi illius, ſola cōmutatio in melius conceſſa eſt, ſolum tamē ſequitur quaſi neceſſario, ſi vota ſint incompoſsibilia, alias pendet ex volūtate vouentis, vt conſtat. Si vero loquamur de iure poſitiuo Diuino, licet in lege veteri fuerint quædam vota neceſſario commutanda ſecundum legē, illa cæremonialia erant, & pertinebāt ad ſacrificia carnalia. In lege aūt gratiæ non obligāt, neque aliquod ſimile ius Diuinum inuenitur. Denique ſi ſermo ſit de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, certū etiam eſt nullam huiuſmodi cōmutationē ex vi illius fieri, quia nullibi tale ius inuenitur, nec commode fieri poſſet extra commutationē, quæ ſit in euidenter melius, cum in aliis oporteat multa conſiderare, vt recta cōmutatio fiat, quæ nō poſſunt, niſi in particulari pōderari, & ideo ſemper actio hominis requiritur. Si vero ſit ſermo de cōmutatione in melius extra ſtatum Religioſum non apparet ratio, cur fiat ipſo iure, niſi quādo votum maius, & minus ſunt incompoſſibilia, alias cur ius ſtatueret commutationem, quæ pendet ex voluntate vouentis, cū per ſe melius ſit habere duo vota, quā vnum tātum, etiamſi ſit melius altero? De ſtatu autē Religionis eſt ſpecialis conſideratio, de qua dicto loco tractabitur.

An in aliquibus votis fiat commutatio vnius in aliud ipſo iure.

Reſolutio.

Capvt XX.

Quam vim habeat commutatio ad tollendam omnino voti obligationem circa priorem materiam?

QVia per commutationem non omnino aufertur obligatio voti, ſed ex vna materia transfertur in 1.
aliam

1. Dubium.

Digitized by Google

An poſt commutationẽ liceat vouenti redire ad priorem materiam voti, & omittere commutationem.

aliam, ideo explicare neceſſe eſt, quam ſit firma hæc tranſlatio, in quo nonnulla dubia includuntur. Primum dubium eſt, an poſt factam commutationem liceat vouenti redire ad priorem materiam, & omittere commutationem: videtur enim poſſe, quia hæc cõmutatio eſt fauor vouentis, ſed liberũ eſt vnicuiq; non vti fauore ſibi conceſſo: ergo. Diſtinguendum vero eſt, quia vel commutatio fuit facta in melius ſiue ex electione vouentis, ſiue per Superiorem, ipſo acceptante: vel fuit facta in æquale, aut minus. Quãdo facta eſt commutatio priori modo, exiſtimo non eſſe in poteſtate vouentis iterum ad prius votum redire, omiſſa materia, in quam facta eſt commutatio. Ratio eſt, quia illa commutatio habet vim noui voti, quo commutans ſe obligat ad reddendum Deo aliquid melius, quam antea promiſerat: ergo iam non licet illi reſpicere retro, quia illud virtute erit melius votum in minus commutare. Vnde qui prius vouit clericus fieri, & poſtea hoc votum in Religionis votum commutauit, vel qui fecit votũ ſimplex Religionis laxioris, & poſtea voluit obligari determinatè ad perfectiorem, cõmutando votum: tenetur ſtare poſteriori obligationi, nec põt retrocedere, quia poſterior obligatio potuit derogare priori, & præualet. Et in contractibus humanis idẽ videre licet, quando ex conſenſu partiũ augetur obligatio in fauorẽ creditoris: idẽ ergo eſt eũ proportione in omnibus votis. Deniq; niſi talis induceretur obligatio, nulla fieret commutatio in melius, quia poteſtas faciẽdi melius loco minoris boni ſẽper interuenit in omni voto abſq; vlla commutatione: ergo quando fit cõmutatio, hoc additur, quod illa poteſtas trãſit in obligationem, mutata obligatione voti ab inferiori opere, & tranſlata in melius. Contra hanc partẽ tenet Sanc. lib. 9. de Matrim. diſ. 4. n. 21. putat enim, eſſe eandem rationem de commutatione in melius, & in æquale. Sed re vera non eſt, quia hæc, quæ eſt in melius non fit in fauorẽ vouentis, ſed Dei, & quia alias nulla eſſet commutatio, vt oſtenſum eſt.

Reſolutio.

Sanc.

2\. At vero in commutatione in minus res clara eſt, ſemper manere in poteſtate vouentis non vti commutatione, ſed implere votum prout à principio factum fuit, quia ſemper licet trãſire ad meliora vota. Vnde licet à principio fuiſſet votum factum de illo minori opere, liberum eſſet cõmutare illud in melius: ergo à fortiori licebit, quando per commutationem ad opus minus bonum trãſlata eſt obligatio.

3\. At vero de commutatione in æquale poteſt dubitari, quia facta commutatione per Prælatum, & acceptata per vouentem, quaſi fit nouum votum circa illam materiam, in qua fit commutatio, ſed poſt factũ votum, non eſt in poteſtate vouentis illud cõmutare ſua voluntate, etiam in æquale: ergo neq; tunc licebit cõmutationem nouã facere ſine nouo cõſenſu Prælati. Confirmatur: quia commutatio fit per tranſlationẽ obligationis ab vna materia in aliã: ergo facta illa mutatione, nõ eſt in poteſtate vouentis recedere à poſteriori obligatione volũtarie ſuſcepta. Cõfirm. 2. quia alias talis cõmutatio non eſſet in æquale, quia prius erat definite ad vnũ: poſtea manet quaſi indifferens, & arbitraria inter duas materias, quæ amplitudo multum minuit de rigore obligationis. Tandẽ non videtur ſufficere, quod illa commutatio facta ſit in fauorẽ vouentis: nam fauor ſolũ fuit ad mutationem faciendã: poſtea vero res firma permanet. Sicut ſi Religioſo concedatur tranſitus ad æqualem Religionem, ſemel trãſlatus ibi ſtabiliter permanere debet, & ſi pupillus habuit licentiam ſe obligandi, poſtea retrocedere non poteſt, licet licentia fuerit quidam fauor. Eſt ergo hæc ſententia probabilis.

Licitum eſt omittere cõmutationẽ in æquale.

4\. Sed nihilominus [illegible] in praxi. Nam in primis [illegible] probabile, hanc cõmutationem in æquale [illegible] eſſe, multo eſt veriſimilius, quando per illam reditur ad priorem, & quaſi naturalem illius voti obligationem. Deinde nõ videtur dubium, quin cõmutatio poſſit fieri in hoc ſenſu, vt vouẽti liceat, ſi velit vti alia materia voti, quamuis ad id nõ cogatur. Nam in hoc, neq; aliqua repugnãtia neq; iniuſtitia inuenitur: ergo veriſimilius eſt, ita fieri, quando aliud non declaratur. Probatur cõſequẽtia, tum quia hæc videtur cõmunis intẽtio cõmutantiũ, tũ maxime, quia hoc videtur eſſe non ſolũ fauor vouentis, ſed etiã cedere magis in fauorem voti, quatenus ſemper põt in propria ſpecie impleri. Neq; illa libertas eligẽdi inter illas materias eſt magni momẽti, & ſiquid eſt, illa eſt gratia cõmutationis, & cauſa quæ iuſtificat cõmutationem, ſufficit ad iuſtificandũ illũ fauorem. Deniq; ratio facta ſatis probabilis eſt quod talis cõmutatio nõ ſit in fauorẽ creditoris, ſed ipſius debitoris, & ideo facta cenſetur modo magis fauorabili, ac ſubinde nõ omnino abſolute: ſed ſubintellecta conditione, ſi ei placuerit, tali commutatione vti: ergo ſemper illi manet liberum ſeruare votũ in prima, & propria ſpecie. Et ita manet ſoluta ratio in contrarium. Et hanc opinionem ſequitur Azor to. 1. li. 11. c. 18. qui ſolum loquitur de commutatione in æquale, non in melius, & merito, quia vt dixi, eſt magna differentia inter has cõmutationes: nam illa, quæ eſt in melius eſt abſoluta, & obligatoria de nouo, reſpicitq; fauorem Dei (vt ſic dicam) ſeu majorem cultum eius. Cõmutatio aũt in æquale eſt quaſi cõditionata, ſi volueris, & ita non inducit præciſam obligationem, ſed quaſi concedit licentiam, & facultatem commutãdi. Commutatio aũt in minus, adhuc magis eſt permiſſiua, ſeu remiſſiua, & ideo non vti illa, non ſolum eſt licitum, ſed etiam de ſe manet ſub cõſilio ex natura voti, quia eſt de meliori bono.

cum ſit reditus ad priorem materiam v. 11.

Azor.

Secundum dubium eſt, an facta commutatione, & impleta per vouentẽ omnino maneat extincta obligatio prioris voti? In quo nulla eſt difficultas, quãdo commutatio ritè & rectè facta, fuit impleta. Nam per conceſſionem commutationis obligatio voti tranſlata eſt in nouam materiam, & à priori ſublata, & per exequutionem commutationis extincta fuit obligatio, vt cadebat in illam materiã: ergo ſimpliciter ablata eſt. Et confirmatur primo: quia per diſpẽſationem validã omnino extinguitur obligatio voti, ſed per commutationem fit quædã voti diſpenſatio quaſi ſub onere faciẽdi tale opus: ergo ex illo exhibito, cõpletur diſpẽſatio, & omnino tollitur obligatio. Deniq; cõfirmatur: quia alias inutilis eſſet cõmutatio voti. Difficultas verò eſt, quãdo cõmutatio non fuit recte facta, quæ non habet locum in ea, quæ fit in euidẽter melius, quia illa ſemper valet, & recte fit ſine alia cauſa, vel Superioris conſenſu, & ideo ſemel impleta, ſemper extinguitur obligatio: difficultas ergo erit de æquali, vel minori, quæ vel propria volũtate facta fuit, & impleta, vel à Superiore ſine iuſta cauſa, an tũc nihilominus talis commutatio exequutioni mãdata, facta teneat, & ſufficiat ad ſolutionẽ voti? Multa enim malefiunt, quæ facta tenent. Et videtur valde rigidũ obligare eum qui æquale opus fecit ad votũ implendũ, vt iterũ votũ ſoluat, non eſt autem veriſimile Deum eſſe tam rigidum exactorẽ.

5. 2. Dubium. An facta cõmutatione extinguatur omnino obligatio prioris voti.

Dicendum verò eſt, cõmutationem factã propria voluntate etiamſi impleatur, in rigore, & iuxta veram ſententiam, non extinguere obligationem voti, ac ſubinde, non obſtante illa teneri vouẽtem ad ſuũ votum implendum. Probatur: quia illa commutatio nulla fuit: quia facta eſt ſine poteſtate, & ſine conſenſu creditoris: ergo exequutio talis commutationis non fuit ſolutio voti: ergo non potuit extinguere obligationem voti. Antecedens ſupra oſtenſum eſt, ſecunda vero conſequentia eſt per ſe nota. Prima vero probatur: quia quod non debetur, non ſoluitur: illud autem opus non erat debitum ex voto: quia nõ fuit in illud tranſlata obligatio voti. Et hæc ratio iam procedit in commutatione in æquale, quã in minus, licet de hac poſteriori ſit certior, quia extra quæſtionem eſt, & certum, commutationem in minus

6. Commutatio propria voluntate facta, etſi impleatur non extinguit priorem voti obligationẽ.

Digitized by Google

propria authoritate factum eſſe omnino inualidam. De æquali vero eſt opinio, vt diximus, quæ forte quoad hoc poteſt probabilis reputari, vt ſaltem poſt factam voti ſolutionem per æquiualens, liceat ſe illi conformare, vt non maneat obligatio iterum ſoluendi Votum. Dicunt vero aliqui tunc eſſe ſufficiēs, petere ab habente poteſtatē vt commutationem approbet, & quaſi de nouo faciat, ratam habendo priorem ſolutionem nomine Dei, & quaſi faciēdo commutationem in illam. Videtur tamen hoc difficile, ſcilicet vt id fiat per modum commutationis, quia commutatio debet eſſe proportionata obligationi voti, vnde ſicut votum obligat ad nouum opus, ita debet commutari in opera futura, per quæ nouus cultus Deo tribuatur, ſicut tribuendus eſſet per ſolutionem voti: nam opera præterita iam habuerunt ſuum effectum, nihilque de nouo conferunt ad cultum Dei. Et ideo non poteſt commutatio fieri in opera iam facta, alias multa ſequi poſſent abſurda, & multi abuſus, petendo commutationes in opera iam facta, & præſertim allegando facta fuiſſe ſpe commutationis voti, & ſimilia, quæ admittenda non videntur. Neque admittenda eſt ibi ratihabitio, quia, vt dicitur in regula iuris. 9. in 6. *Ratum quis habere nō poteſt, quod ſuo nomine non eſt geſtum*: illud autem opus non fuit factum authoritate Prælati, & quod vouens fuerit illa intentione, vel ſpe, non mutat naturam eius. Et ideo non recte cadit ratihabitio, vel commutatio Prælati in tale opus. Quapropter in eo caſu ſecurius erit, voti diſpenſationem petere ab eo, qui poſſit diſpenſare, & tunc illud onus ſuſceptum occaſione implendi votum, poterit conferre ſaltem ex magna parte ad complendam diſpenſationis cauſam.

Aliquorum opinatio.

7. *An commutatio quæ fit ab habente poteſtatem ſine iuſta cauſa voti obligationē tollat. Reſolutio.*

Sed quid, quando commutatio fit ab habente poteſtatem, & creditur fuiſſe defectus in cauſa? Primū, ſi ſubdito id non euidenter conſtet, & opus ſibi impoſitum impleuit, poteſt ſcrupulū deponere, & credere ſatis feciſſe voto, vt à fortiori patet ex dictis ſuprà de diſpenſatione. Si vero defectus cauſæ eſt notus, & commutatio fuit in æquale, & bona fide id iā factum eſt, credendum eſt Deum acceptaſſe illud, quando quidem fuit æquè bonum, & authoritate vicarij eius bona fide fuit factum. Item in hoc puncto ſatis probabilis eſt opinio, talem commutationē non fuiſſe inualidam, etiamſi Superior peccauerit in modo: imò, vt ſuprà dixi, mortaliter non deeſt cauſa. At ſi commutatio fuit in minus, & ſine vlla cauſa legitima tunc re vera fuit nulla & votum nō fuit extinctum per ſolutionem eius. Secus vero erit, quando interuenit cauſa ſufficiens ad commutationem, licet non ad diminutionem: tunc enim executio cōmutationis valebit ſaltem in partialem ſolutionem, & ſolum ſupererit obligatio ad ſupplendū quod defuit ad æqualitatem faciendam, quod exiſtimo, tunc fieri poſſe ad arbitrium boni viri ſine nouo cōſenſu Prælati, quia iam quantum in ipſo eſt, in commutationem conſenſit ex cauſa iuſta, vt ſupponitur.

8. *3. Dubium. An aliquando reuiuiſcat votum commutatū.*

Tertium dubium eſt, an in aliquo caſu reuiuiſcat obligatio voti commutati. Caſus autem eſſe poteſt, ſi vouens fiat impotens ad opus commutationis, vel ſua culpa quia verb.g omiſit magnam partem commutationis, quæ iam reparari non poteſt, vel certe ſine culpa, quia factus eſt impotens, verb. grat. ad eleemoſynam, vel ieiunium, & poſſit propriū opus voti facere, vt ver. gr. non ludere, vel peregrinari, de quo primum votum factum fuerat. Eſt autem in caſu ſupponendum, quod voti obligatio duraret ſi commutatio facta non eſſet alioquì ſi voti obligatio ex alio capite per ſe extincta fuiſſet, quia tempus obligationis finitum fuit, vel materia prior fuit ſublata, vel quidquam ſimile tunc non eſſet locus præſenti quæſtioni vt per ſe cōſtat. Ratio autem dubitandi in prædicto caſu eſſe poteſt: quia votum prius non extinguitur per ſolam commutationem abſolute, & ſimpliciter, ſed quaſi ſuſpenditur, vel tollitur ſub conditione, ſi aliud fiat: ergo ſi non fiat, quacumq; occaſione id contingat, ſiue per impotentiam, ſiue per malitiam, redit prior obligatio. Item facta commutatione, manet obligatio quaſi diſiuncta ſoluendi hoc, vel illud, ſed debitor qui ita tenetur ſoluere, non ſit impotens ad ſoluendum, nec liberatur ab obligatione ex impotentia ad vnam ſpeciem ſolutionis, ſi ad aliā ſit potens: ergo &c.

Hæ rationes videntur nonnullum maius dubium inferre in commutatione minori, vel æquali, & ideo prius dicendum eſt de commutatione in melius. Dico ergo primò: ſi aliquod votum minus perfectum in melius commutetur, prior obligatio omnino extinguitur, neque redit propter impotentiam implēdi melius, ſiue culpa interceſſerit, ſiue non. Probatur primo, quia (vt dixi) poſt talem commutationē, manet vouens ita definite obligatus ad opus melius, vt non ſit illi integrum retrocedere: & ad priorem obligationem reuerti: ergo ſignum eſt priorem obligationem fuiſſe omnino extinctam, ac ſubinde nō amplius redire, iuxta communem regulam iuris, & iuxta ea, quæ ſtatim dicemus. Et cōfirmatur, quia nō debet hic vouens grauari duplici onere, ſcilicet faciendi neceſſario melius opus, ſi poſſit, vel ſi nō poſſit, implendi prius votum, quia hæc eſſet nimia inæqualitas, quæ non eſt ita interpretanda, niſi expreſſe conſtiterit, vouentem voluiſſe illo modo obligari per commutationem, vel in eo ſenſu illam acceptaſſe. Atq; hinc facile probatur vltima pars aſſertionis: quia facta tali commutatione, ita ſe habet vouēs circa poſteriorem materiam meliorem, ac ſi nō vouiſſet priorem, & ideo clarum eſt, quod ſi abſque culpa fiat impotens ad implendum votum in materia cōmutata, ſimpliciter excuſatur: ergo licet interceſſerit mora culpabilis, vel alia culpa ad nihil eſt obligādus: ſicut tranſgreſſor alterius voti non obligatur ad aliquam recompenſationem, ſi votum fuerit extinctū, ſed tantum ad pœnitentiam, vt in ſuperioribus viſum eſt. Neque contra hoc vrget ratio dubitandi, quia in hac commutatione non manet diſiuncta, ſed definita obligatio ad melius, & ita per ipſammet cōmutationem extinguitur prior obligatio. 9.

1. Aſſertio. Si votū minus perfectū in melius commutetur prior obligatio omnino extinguitur.

Dico ſecundo: etiamſi commutatio fiat in minus, vel æquale, prioris voti obligatio nunquam redit, etiamſi poſterior nō impleatur, vel ſine culpa, vel cum illa. Ratio eſt, quia per commutationem extinguitur prior obligatio, obligatio autem ſemel extincta non reuiuiſcit, ergo. Minor nota eſt in Iure, & ſæpe in ſuperioribus oſtenſa, & notat Gloſſa in cap. *Quæris*, verb. *Contrahatur*, de Conſecrat. d. 4. ex ea. *Si illic*, 23. quæſtione 5. & ex leg. *Qui res* § *Arcam*, ff. de Solut. vbi Gloſſa plura Iura Ciuilia congerit. Et ratio eſt clara, maximè in obligationibus, quæ propria volūtate, & non aliter contrahi poſſunt, qualis eſt obligatio voti, quia ſemel ſublata obligatio, niſi propria voluntate iterum aſſumatur, non poteſt reſurgere, niſi iterum quis velit tale votum emittere. Maior autem propoſitio ſumitur ex communi ſententia Doctorum dicētium, per commutationem voti mutari obligationem voti ab vna materia ad aliam: ſic enim dixit Diuus Thom. 4. d. 38. quæſt. 1. ar. 4. quæſtiunc. 3. Quando votum commutatur, vouentem abſolui ab vno, & ligari ad aliud: ſic etiam dixit Caiet. d. qu. 88. art. 12. per commutationem non auferri ſimpliciter obligationem voti, ſed in aliam materiam transferri. Idem fere Sot. lib. 7. de Iuſtit. quæſtione 7. artic. vltim. & Sylue. *Votum*, 4. q. 1. dixit, commutationem eſſe annullationem voti cum ligamine ad aliquid faciendum. Ratio vero eſt, quia per commutationem fit remiſſio obligationis ſpecificæ ad talem materiā ex cōſenſu creditoris, vt ſupponitur: ergo extinguitur illa obligatio vt talis erat ſicut in obligationibus, & promiſſionibus, ſeu contractibus humanis fit: eſt enim eadem ratio. 10.

2. Aſſertio. Licet cōmutatio fiat in minus vel æquale prioris voti obligatio nunquam redit, etiamſi commutationem impleatur. Gloſſ. D. Thom. Caiet. Soto. Syluest.

11. Et hinc fit non referre quoad præſentem effectũ, quod commutatio non impleatur cum culpa, vel ſine illa, quia vtroque modo extincta obligatio non reuiuiſcit, neque ob impotentiam implendi aliam, neque in pœnam delicti. Quocirca ſi abſque culpa impotentia occurrat, excuſat à præſenti obligatione, & prior nõ redit, ſi vero culpabilis fuit dilatio, & adhuc ſupereſt tempus habile, & facultas ad implẽdam obligationem præſentem, illa ſemper vrgebit, & pro dilatione erit pœnitentia agenda: ſi verò tãta fuit dilatio, vt iuxta formam commutationis extincta fuerit poſterior obligatio, tantum ſupereſt pœnitentia: quia non eſt vnde alia obligatio naſcatur. Et ita ad priorem rationem dubitandi negatur, has commutationes etiam in æquale, vel in minus includere conditionem ibi impoſitam, nulla enim ratione, vel iure hoc probatur, & preterea ſi conditionata eſſent, licet ſine culpa non impleretur illa conditio, rediret prius votum: quod nullus dicet. Eſt ergo commutatio abſoluta quatenus vna obligatio pro alia ſimpliciter conſtituitur. Atque ita ſentit Viuald. d. c. 14. nu. 27. qui in numer. 28. hoc limitat ad commutationes, quæ fiunt ab homine: nam ſecus eſſe putat in his, quæ fiunt à iure. Sed in votis ſimplicibus, de quibus agimus, non eſt neceſſaria limitatio, quia nulla commutatio in ipſis fit ipſo iure, niſi tantum in profeſsione Religioſa: tamen ibi non eſt neceſſaria exceptio: quia votum ſolenne Religionis perpetuum eſt, & de ſe immutabile, & ita commutatio, quæ per illud fit, ſatis immutabilis permanet, ſed de illa cõmutatione infra in proprio loco tractãdum eſt, vbi etiam videbimus, an extendatur ad vota nouitiorum, ſeu ad ingreſſum ipſum in Religionem tantũ quoad habitũ? Nunc autem ſupponimus in nouitiatu ad ſummum fieri ſuſpenſionem votorum, non commutationem, & ita ibi etiam non habere locum limitationem.

12. *Quadã difficultas cõtra ſuperiores aſſertiones*

Vna vero ſupereſt difficultas, quæ tangitur in ſecunda ratione dubitandi ſupra poſita, quia hęc commutatio æqualis relinquit libertatem ad implẽdum votum in priori materia: ergo etiam debet relinquere obligationem, ſi commutatio non impletur. Propter quam difficultatem aliqui cenſent, has duas aſſertiones, ſeu reſolutiones non cohęrere. Quia ſi poteſt quis nõ vti commutatione, ſed prius votum implere, obligatio manet quaſi alternatiua faciẽdi hoc, aut illud, quæ non tollitur propter impotentiam ſolutionis in vna materia, ſi in altera ſolui poteſt. Nihilominus tamen reſpondeo illas duas partes optimè poſſe ſimul conſiſtere, quod patet manifeſte in cõmutatione in minus bonum: nam illa non obſtante, licet reditus ad melius bonum, & nihilominus ſi occurrat impotentia circa materiam minorem, in quã facta fuit commutatio, nõ relinquitur obligatio implendi votum in alia materia. Non eſt ergo eadem ratio de libertate implendi votum in priori materia, & de obligatione, quia prior pertinet ad fauorẽ, qui fit per commutationem: poſterior ad rigorem, & reſtrictionẽ commutationis, quæ non præſumitur, niſi expreſſe fiat ſub tali conditione, & dependẽter ab illa. Nec eſt verum illam obligationem, quę manet eſſe pure alternatiuã: nam re vera eſt determinata de ſe ad talem materiam, cum facultate vero redeundi ad priorem: ſicut in opinione dicente, commutationem in æquale eſſe vnicuique liberam, non eſt dicẽdum: obligationem eſſe mere alternatiuã: nam per ſe votum obligat determinate ad talem materiam, & ſi illa fiat illicita, vel impoſsibilis, votum deſinit obligare, quamuis poſſet vouens, ſi vellet in alia materia ęquali illud implere, quia obligatio per ſe cadit in illam materiam tantum, licet impleri poſsit per aliã ex interpretatiuo conſenſu, vel facultate creditoris.

Fit ſatis difficultati.

13. *An qui renunciauit commutationi poſſit iterum illa vti.*

Sed quid ſi aliquis poſt commutationem renũciauit commutationi, & decreuit omnino ſeruare votũ, & non vti cõmutatione, poteritne iterũ pœnitere, & ad commutationis materiam redire? Aliqui ſimpliciter negant: mihi autem videtur partim ex materia, partim ex intentione vouentis pendere. *Reſolutio* Vnde ſpectandum in primis eſt, an commutatio facta fuerit in minus, & tunc dico, ſi renuntietur commutationi animo manẽdi firmiter in priori obligatione, virtute fieri de nouo prius votum, quod erat de meliori bono, & ideo non eſſe licitum redire ad minus: quia per ſe non licet, nec virtute prioris commutationis, quia illa non poteſt cadere in votum poſt illam emiſſum. At vero ſi commutatio fuit in æquale, conſideranda eſt intentio vouẽtis: nam ſi eodem modo voluit renunciare commutationi, & quaſi de nouo vouere, idem dicendum erit iuxta noſtram ſententiam, & ex vi commutationis propter eandẽ rationẽ. Quia credimus commutationẽ in æquale per ſe nõ licere ſine authoritate Superioris. At vero iuxta hanc ſententiã hoc nõ eſt ſpeciale in hoc caſu, ſed idem cũ proportione erit in prima voti commutatione, ſi quis illã acceptauit animo ſe definite obligãdi ad nouã materiã cõmutationis, & renunciandi fauori incluſo in commutatione: nam ẽt tũc emittit quaſi nouum votum.

Quartum dubium hic eſſe poteſt: an facta cõmutatione, actio in quam fit commutatio, ſubeat omnes conditiones prioris voti? Quod maxime interrogari ſolet, propter commutationem factam authoritate Papæ in votis ipſi reſeruatis: nam dubium eſt, an materia illa ſequatur conditionem voti commutari: id eſt, an ſit reſeruata ſicut illud? Et ratio dubij eſſe poteſt, quia ſubrogatum ſapere debet naturam eius, pro quo ſubrogatur, iuxta doctrinam Canoniſtarũ in c. *Eccleſia*, 1. vt lite pendente & c. vbi ſpecialiter Panorm. nu. 3. Et confirmatur, nam pœna impoſita per Superiorem non poteſt per inferiorẽ cõmutari: ergo nec materia illa, in qua facta eſt talis cõmutatio, põt iterum mutari per inferiorem: patet conſequentia: nã licet non ſit proprie pœna: habet tamen eandem rationem, quatenus eſt onus impoſitum à Superiore. Et confirmatur ſecundo: quia illa poſterior obligatio ad talem materiam non eſt aſſumpta per ſolã voluntatem vouentis, ſicut in alijs votis ordinarijs cõtingit, ſed eſt poſita arbitrio Papæ vel eius Vicarij, vnde pertinet etiam ad ſoliditatem, & ſecuritatem prioris reſeruationis, vt cõmutatio illa immobilis permaneat, & eandem legem ſubeat.

14. *4. Dubium. An actio in quam fit cõmutatio ſubeat omnes conditiones prioris voti.*

C. Eccleſia. Panorm.

Nihilominus contrariam ſentẽtiam exiſtimo veram, & tutam. Indicat Syluest. *Votum*, 4. q. 7. verſ. *Octauo*, vbi cum Romano ſingulari 460. dicit, poſſe Epiſcopũ diſpenſare in pœnitentia, id eſt, onere, quod Papa impoſuit, tranſmutando votum, & loquitur aperte de tranſmarino. Et fauet Gloſſa in c. *Tempora*, 26. quæſt. 7. licet generalius loquatur. Citatur pro hac ſententia Cordub. in Summ. qu. 150. vbi ait, votum commutatum poſſe iterum cõmutari per Bullam Cruciatæ, ſed non loquitur in ſpecie, quando primũ votum erat reſeruatũ: imò loqui videtur de communi voto, quod per poteſtatem inferiorem illa, quam Bulla concedit, potuit commutari. Et eodẽ modo loquitur Viuald. d. c. 14. num. 78. Immo in ratione, quam adducit, clarius ſupponit ſe loqui de voto, quod poterat à principio commutari, ac proinde non reſeruato. Expreſsius tenet Henriq lib. 7. de Indulgen. cap. 30. nume. 5. lit. O. Aragon. 22. quæſtione 88. articulo 12. §. *Quando votum*, Sanci. referens alios libr. 8. diſputat. 9 numer. 20. Et ratio eſt, quia per primam commutationem fuit extinctum votum reſeruatum, & aliud loco illius ſubſtitutum, quod reſeruatum non eſt. Antecedens patet, quia per commutationem obligatio voti transfertur in aliam materiam, per illam autem translationem neceſſe eſt, extingui priorem obligationem indiuiduam (vt ſic dicam) & induci nouam circa nouam materiam. Tum quia indiuiduatio obligationis ſuo modo eſt, vel pẽdet ex materia, circa quam verſatur, tum quia inducitur per nouam volũtatem faciendi, vel acceptandi illam circa aliam materiam, & ita virtute eſt

15. *Reſolutio. Syluest.*

Gloſſ. Cordub.

Viuald.

Henriq. Arag. Sanct.

emiſsio

Digitized by Google

emiſsio noui voti loco alterius quod extinguitur, vt ſupra latius oſtenſum eſt, quamuis ergo prius fuerit reſeruatũ, poſterius non erit, quia non eſt ex his, quæ reſeruantur, vt ex dicendis capit. ſequenti conſtabit. Et confirmatur primo: quia votum reſeruatur ratione materiæ, ad quam obligat: ergo mutata materia, mutabitur etiam, ſeu tolletur reſeruatio. Confirmatur ſecundo, quia ſi è contrario votum non reſeruatũ, commutaretur in materiam voti reſeruati, iã maneret reſeruatum, vt ſiquis feciſſet votum Lauretanum, & cõmutaret illud in votum Compoſtellanũ, vel Romanum, iam iterum non poſſet commutari, niſi per Papam, ergo & è contrario.

16. *Eſt ſatis rationi oppoſita.* Ad rationem in contrarium reſpondetur, ſubrogatum ſapere naturam eius, pro quo ſubrogatur, quantum ad id, quod per ſe, & intrinſece pertinet ad talem ſubrogationem, non vero quoad ea, quæ ſunt extrinſeca, & à lege, & voluntate extrinſeca prouenire poſſunt, vt ſumitur ex eiſdem Iuriſperitis, & Iaſone in §. *Fuerat*, Inſtit. de Actioni. Sic ergo in præſenti pertinet ad hãc ſubrogationem, vt materia quæ ſubſtituitur loco alterius voti, ſit apta ad cultum Dei. & ſit æqualis, vel proportionalis priori, & quod cadat ſub obligationem Religionis. Quod autem ſit reſeruata, nec ne, eſt quid extrinſecum, & non pertinet ad ſubrogationem: vnde cum per Pontificem nunquam declaratum fuerit, reſeruationem extendi ad materiam, ſeu votum alterius generis propter ſolam ſucceſsionem in locum alterius, non eſt à nobis extendenda, cum materia odioſa ſit. *Ad 1. Confirmationem.* Ad primam confirmationem primo dico, antecedẽs eſſe incertum: nam multi tenent contrarium, etiam de pœnis impoſitis propter peccata reſeruata, vt in 4. tomo 3. partis latius tractaui, & ſentiunt Gloſſ. Roman. & Sylueſter, ſupra citati. Secundo negatur cõſequentia, quia pœna continet præceptum ſuperioris, quod non poteſt tam facile ab inferiori mutari: hic autem ſemper obligatio eſt à voluntate vouentis acceptantis commutationem, & ita diſpenſatio eius ſequitur naturã voti, non præcepti. *Ad ſecũdã.* Ad ſecundam confirmationem dicitur, verum quidem eſſe, in commutatione interueniſſe authoritatem Superioris ad deſignandam materiam commutationis, & ideo non poſſe illam mutari mere voluntarie, nec quaſi ad emendandam priorem commutationem. Nihilominus tamen obligatio, quæ manet, non eſt abſolute ex imperio Papæ. ſed voluntate vouentis, & ideo ſubit conditionem voti, cuius ſignum eſt, quia in euidenter melius ſine dubio commutari poteſt, etiam ſine alia cauſa, vel ſuperiori poteſtate. Neque hoc obſtat. quominus illa prior commutatio Pontificis de ſe ſit firma, & ſtabilis, quantum natura voti poſtulat, quia ad hoc non eſt neceſſe, vt ſit æque indiſpẽſabilis, vel incommutabilis, ac votum reſeruatum: nam commutatio ipſa voti reſeruati, ſecum affert in hoc relaxationem quandam, niſi contrarium in particulari declaretur.

17. *5. Dubium. An vota pœnalia poſſint commutari per facultatem ordinariam vel delegatam. Nauar.* Quintum vero dubium hinc oritur generale ad vota pœnalia, quæ poſt culpam obligationem relinquunt, an quoad illam obligationem poſsint commutari per facultatem ordinariam, vel delegatam commutandi, & maximè ſi Papa commutationem fecit. Declaratur ex Nauarro, Conſ. 31. & 32. de Voto, vbi ipſe diſtinguit inter votum, & pœnam incurſam per fractionem voti in ordine ad commutationem: vultque per facultatem commutandi vota, nõ poſſe commutari pœnam debitam ex fractione voti. Vt verbi gratia caſus, quem ibi proponit, erat de quodam, qui vouit, non peccare cum tali fœmina, & quoties peccaret, facere talem eleemoſynam, & ſæpius fregit votum, & nullam eleemoſynam fecit, & ita obligationem grauem copioſæ eleemoſynæ faciendæ contraxit, petijtque diſpenſationem à Papa, qui eleemoſynam commutauit in certam pœnam: votum autem pœnale talis caſtitatis integrum reliquit. In illo igitur caſu ſentit Nauar. per poteſtatem poſtea datam ad commutanda vota, verbi gratia per Cruciatam, aut iobeleum, poſſe quidem commutari votum non accedendi ad fœminam, quod Papa integrum reliquerat: non tamẽ eſſe commutari pœnam à Papa impoſitam. Ratio eſt, quia aliud eſt pœna, aliud votum, & ideo poteſtas conceſſa ad commutandum votum, non eſt conceſſa ad pœnam mutandam, quia illa priuilegia nullam pœnæ mentionẽ faciunt. Et confirmatur, quia votum reſpicit futurum, & non præteritum: ergo poteſtas commutandi vota, non extenditur ad pœnam ex fractione voti iam præterita contractam. Et hoc ſequuntur aliqui Recentiores.

Mihi vero hæc reſolutio non probatur. Vt autem meam ſententiam declarem, diſtinguo inter poteſtatem, & actum. Ruſuſque in poteſtate conſiderandum eſſe puto, an ſit in particulari data ſolum ad commutandum tale votum, prout obligat ad futura, & non vt obligat ad ſoluendam pœnam incurſam ex tranſgreſsione præterita, an vero ſit ſermo de generali poteſtate alias data ad vota commutanda. In priori caſu clarum eſt poteſtatem illam non extendi ad pœnam iam incurſam, nec ad id, in quod commutata fuit à Papa. Vt verbi gratia, in caſu propoſito, potuit Papa per ſe commutare pœnam incurſam, vel partem remittere, & partem ſoluendam relinquere, & pro ipſo voto, vt in futurum obligabat, cõmittere Oratori, vt eligat confeſſorem idoneum, qui commutationem faceret. Tũc ergo confeſſor ſic electus nihil poſſet circa pœnam immutare, ſed tantum circa votum, non quia illa pœna ſit à Papa impoſita, neq; quia non ſit ex voto, ſed quia poteſtas fuit expreſſe limitata ad aliud, vt ſupponitur, quia circa pœnam incurſam noluit Pontifex cauſam committere, ſed per ſe definire. Non loquitur autem Nauarrus in hoc caſu, de quo nullum poterat eſſe dubium, ſed de altero, quando confeſſor poſtea commutans votum habet generalem poteſtatem commutandi vota per Bullam, vel Iobeleum, vel priuilegia Religionis. 18. *Excluditur præcedens opinio, & reſoluitur dubium.*

In hoc ergo caſu dico, poſſe confeſſorem commutare non ſolum obligationem voti in futurum, ſed etiam pœnam incurſam ex fractionibus eiuſdẽ voti, & idem à fortiori eſt ſemper intelligendum de Epiſcopo vtente ſua ordinaria poteſtate: nam eſt eadem ratio, vt conſtat. Probatur ergo aſſertio primo, quia ſiquis fecit votum non pœnale, ſed directum (vt ſic dicam) dãdi quotidie aliquam eleemoſynam, & illud fregit per multum tempus, poteſt per Iobeleum, vel Bullam petere commutationem totius voti, tam quoad præterita, quam quoad futura: ergo ſi fecit votum pœnale, & incurrit pœnam, etiam illa poterit commutari per ſimilem facultatem. Antecedens receptum eſt communi vſu, & praxi. Et ratio eſt euidens, quia tota illa obligatio eſt ex voto: nam illa obligatio ſoluendi quod omiſſum fuit, non eſt alia ab illa, quę ſuo tempore obligauit de præſenti, ſed eſt eadem, quæ ſemper magis, ac magis vrget: ergo idem eſt votum, quod ſemper obligat ad illam ſolutionem: ergo poteſt commutari per generalem facultatem commutandi vota. Confirmatur: nam ſiquis fecit votum peregrinandi Compoſtellam intra annum, & illud per plures annos diſtulit frangẽdo votum, poteſt nihilominus adueniente iobeleo, commutationem talis voti obtinere, quia iobeleum non limitat facultatem ad vota nunquam facta, ſed abſolute ad omnia extenditur: ergo idem eſt in votis realibus. Poterit ergo commutari totum id, quod promiſſum eſt, ſiue ſit iam debitum, ſiue non. Iam vero probatur prima conſequentia argumenti, quia magis quodammodo obligat votum ad directam materiam, in quam cadit, quam ad pœnam: ergo ſi poteſt commutari quoad debitum iam contractum 19. *Poſſe cõfeſſore per delegatam poteſtatẽ, non ſolũ voti obligationem ſed pœnam per fractionẽ incurſã commutare. Idẽ dicendũ de habente ordinariam poteſtatem.*

in materia directa, multo magis in pœna. Confirmatur, ac declaratur: nam vel votum pœnale eſt ſimplex, & per modum vnius, vel duplex, ſeu duo vota includens, iuxta dicta lib. 1. ca. vlt. Quando ſit primo modo, eſt quaſi votum conditionale de ipſa pœna: ergo licet tranſeat in abſolutum propter impletam conditionem, non magis obligat, quam votum abſolutum, imò fortaſſe minus, vt poſtea videbimus, & ſemper obligat in vi voti: ergo eſt commutabile per generalem facultatem (non loquimur enim nũc de pœna, quæ ſit materia voti reſeruati, de qua infrà dicemus) Si autem votum ſit duplex, vnum abſolutum de vitanda tali culpa, aliud pœnale, & conditionale de tali pœna, ſi incurratur culpa, procedit eadẽ ratio, quia ſicut prius votum commutari poteſt, licet ſæpius fuerit fractum, ita & poſterius, licet iam abſolute obliget: quia generalis facultas omnia comprehendit.

20. Ex quo vlterius concludimus, nihil obſtare huic commutationi, quod Papa prius commutauerit pœnam iam debitam, vel partem remiſerit: partem vero reliquerit. Primo quidem, quia in caſu, quem Naua. tractat, qui petijt integram commutationem, nõluit vti illa gratia, quod facere potuit: ergo ex vi illius non potuit impediri, quominus vti poſtea poſſet alia generali gratia, vel facultate ſibi conceſſa. Secũdo licet acceptaret diſpenſationẽ, ſemper eſt illi integrũ redire ad priorem obligationem, & relinquere cõmutationem, cum non fuerit in melius, vt ſupponitur: ergo ſicut prius poterat petere per iobilæũ commutationem prioris obligationis, ſi Papa nihil circa illam diſpoſuiſſet, ita etiam poſtea. Tertio etiam ſine reditu ad priorem obligationem commutabilis manet illa pœna, quam Papa reliquit, vel in quam commutationem fecit. Probatur, quia illa ſemper eſt pœna debita in vi voti, non in vi ſpecialis præcepti Pontificis: vnde non implere illam erit perfidia cõtra votũ, non inobedientia, vel iniuſtitia: ergo ſemper manet diſpenſabilis per modum voti: ergo comprehẽditur ſub generali poteſtate cõmutandi vota. Et hoc à fortiori probatur ex dictis in præcedenti dubio. Nã ſi põt mutari materia, quæ ſuccedit loco alterius reſeruatę multò magis poterit cõmutari pœna, quę ſuccedit loco prioris, quæ nõ directe, ſed quaſi per cõſequutionẽ promiſſa fuerat, & incurſa. Neq; cõtra hoc vrget fundamentum Nauarri: quia quando pœna tãtum debetur ex voto, non recte diſtinguitur contra votum: nam eſt quoddam particulare votum, vt declaratum eſt. Ad confirmationẽ autẽ negatur conſequentia, quia votũ pœnale, licet non obliget, niſi poſt commiſſam culpam, ſemper tamen obligat ad futuram ſolutionem, vt conſtat, & quod illa obligatio vel cõpleta fuerit ratione culpæ, vel duratione illius, parũ refert, non enim hoc impedit, quominus illa ſit obligatio voti, quod ſemper idẽ durat, ac permanet.

21. Atq; hæc dicta ſint de poteſtate: circa actum vero interrogari poteſt, an ſi quis in caſu poſito ſolum petat à delegato, vel Epiſcopo commutationem voti de tali eleemoſyna facienda ſiue directe, ſiue ratione pœnæ, non tamen ſpecialiter petat commutationem pœnæ, vel eleemoſynæ iam debitæ, & non ſolutæ, cẽſendum ſit totum votum commutatum, etiã quoad præterita, vel ſolum quoad futura? Reſpondeo, illam commutationem non extendi ad præterita, non ex defectu poteſtatis, vt probatũ eſt, ſed ex defectu intentionis commutantis ob imperfectam voti narrationem, & apprehẽſionem. Nam votum ſic abſolute propoſitum de faciẽda quotidie eleemoſyna, ſolum apprehenditur, vt ex nunc obligãs in futurum, & ita veriſimile eſt, cõfeſſorem ſolum ad hoc reſpicere in commutatione: & idem eſt de Epiſcopo immò & de Pontifice, ſi à principio votum hoc modo illi propoſitũ eſſet, & illud commutaſſet: vt ergo talia vota cõmutentur quoad vtrãq; partem præteritã, & futurã, oportet diſtinctè proponi. Dices: in votis perſonalibus qui petit voti cõmutationẽ, nõ oportet, vt explicet, an fregerit votum, necne, vt totum votum ſimpliciter commutetur: ergo neq; in realibus. Reſpondetur antecedens eſſe verũ, quãdo prior fractio voti, vt ſic, non reliquit voti fracti obligationem quoad materiam omiſſam, ſed ſolã obligationẽ potentiæ: tunc enim nihil eſt commutabilẽ circa præteritum, & ideo eſt impertinens ad commutationem. Et ita negatur ſimilitudo, quia fractio, vel dilatio voti realis ſemper relinquit obligationem implendi quod omiſſum eſt. præter obligationem, quæ ſemper in futurum naſcitur, & ideo oportet diſtinctè proponi, alias non fiet integra commutatio, ſed ſolius obligationis in futurũ, quæ ex vi talis propoſitionis apprehenditur. Sed quid ſi in caſu propoſito pœnitens diſtinctè petat commutationem totius voti quoad omnia præterita, & futura nulla tamen facta mentione commutationis factæ à Papa? Reſpondeo nihilominus commutationem poſteriorem eſſe validã, ſuppoſita cauſa, vel æqualitate, quia poteſtas non deeſt, vt oſtenſum eſt & illa circumſtantia eſt impertinens ad præſentem commutationem, quia pœnitens (vt dixi) poteſt priori cedere: & conſequẽter ita ſe gerere, ac ſi illam non habuiſſet.

Obiectio.

Solutio.

An pœni commutationẽ Voti cenſendum ſit totũ Votum commutatũ, etiam quoad præteritã obligationem.

Capvt XXI.

De diſpenſatione, & commutatione votorum, quæ ſunt Pontifici reſeruata.

Diximus generatim de diſpenſatione, & commutatione votorum communium, nunc pauca addẽda ſunt de votis reſeruatis Põtifici, & quoniã inter illa præcipua ſunt Caſtitatis & Religionis, de quibus in ſequenti volumine in particulari diſputãdum eſt, ideo in præſenti breuius agemus, ſolum ea, quæ generalia ſunt attingendo, & quæ ad vota peregrinationum ſpectant, expediendo, quę aũt propria fuerint illorũ votorũ in proprium locũ reſeruãdo. Præmittendum etiã hic eſt, in votis nõ inueniri proprie vota reſeruata Epiſcopis, ſicut inueniuntur in caſibus, ſeu peccatis reſeruatis, ſed tantum Pontifici. Et ratio eſt, quia ex vi communis iuris omnia vota quoad reſeruationem ſunt propria Epiſcoporum, ſeu habentium iuriſdictionem Epiſcopalem, ideoq; nõ oportet, ea reſeruare reſpectu inferiorum, ſed ex ſe, ſeu ex genere ſuo ſunt quaſi reſeruata, vel potius extra iuriſdictionem illorum: quod non ita eſt in peccatorũ, & cenſurarum abſolutione: poſſunt enim ab inferioribus remitti, niſi reſeruentur Papæ, vel Epiſcopis. Hinc ergo eſt, vt reſeruatio votorũ ſolum ſiat reſpectu Epiſcoporum, quatenus aliqua ab eorũ ordinaria iuriſdictione eximuntur. Poſſunt tamen ipſi Epiſcopi, quando alteri ſuam iuriſdictionẽ cõmittunt, ſeu delegant, votum aliquod reſeruare: ſed de hoc nihil eſt iure ſtatutum, & ideo illa reſeruatio ad factũ pertinet, & tanta erit, quanta fuerit explicata, nec de illa oportet plura dicere. Reſpectu vero Epiſcoporũ ſolus Papa poteſt vota reſeruare, quia ſolus ille poteſt iuriſdictionem eorum ordinariam reſtringere, vel ex parte auferre: diſpenſatio aũt votorum ad iuriſdictionẽ ordinariã Epiſcoporũ pertinet, vt diximus. Vnde etiã ſit (quod pro his, quæ dicemus obſeruandum eſt) vt hæc reſeruatio ſtricte interpretanda ſit, quia nõ ſit per nõ conceſſionẽ iuriſdictionis, ſed per ablationẽ eius, & quaſi diminutionẽ ordinarię poteſtatis, quę nõ mẽſuratur per affirmatiuã regulã, vt ſc. ea tãtum poſſint Epiſcopi in diſpenſandis votis, quæ ipſis inueniuntur conceſſa: ſed per negatiuam, vt omnia poſſint, quæ ipſis non inueniuntur prohibita, & ideo propriſſima, & rigoroſa reſeruatio. 1.

Nulla Vota propria Epiſcopis eſſe reſeruata.

Dico ergo primo: Quinque tantum ſunt vota Põtifici reſeruata quoad diſpenſationem, ſcilicet Religionis, Caſtitatis, Hieroſolymitanum, Romanum, & Com- 2.

1 Aſſertio. Quæ Vota ſint tantum Pontifici reſeruata quo ad diſpenſationem.

Digitized by Google

Compoſtellanum. Hæc aſſertio certa eſt, & communis: duas autem continet partes: vna eſt affirmãs reſeruationem quinque votorum, alia excludens alia. Circa priorem eſt ſciendum, hãc reſeruationem non haberi expreſſam in Iure antiquo, niſi de ſolo voto Hieroſolymitano in capit. *Ex multa*, de Voto. Imo in illo Canoniſtæ diſtinguunt de voto facto in ſubſidium terræ Sanctæ, vel peregrinandi tantum illuc, deuotionis, aut pœnitentiæ gratia, & dicunt primum votum ibi reſeruari: non ſecundum. Ita Gloſſa in d. cap. *Ex multa*. Abbas ibi in fine, & in cap. 1. in fine, & in capit. *Quod ſuper*, in fine de voto, & idem ſentiunt ibi Hoſtienſ. & alij, Anto. de Butr. in c. *Scriptura*, de Voto, Felinus in cap. *Quod ſuper*, de Fid. inſtrum. Et videtur ſumi ex dicto cap. *Ex multa*. Præterea de voto Caſtitatis aliqui dicunt eſſe etiam Iure reſeruatum, quia licet in particulari non excipiatur, reſeruatum cenſetur ex vi generalis regulæ, cap. *Maiores*, de Baptiſm. quod grauiores cauſæ ad Summum Pontificem ſunt referendæ.

Cap. Ex multa. Gloſ. Abbas. Ant. de But. Felin. Cap. Maiores.

3\. *Panorm. Hoſtienſ.* Et ita hæc tantum duo vota reſeruata Papæ ponit Panormit. cap. 1. de Voto, num. 8. Hoſtienſ. in Sum. titul. de Voto, §. *Qualiter, & cuius authoritate, &c.* Expreſsius Petr. Ant. Gambara de Offic. & poteſtat. legat. libr. 2. ſub tit. de varijs ordinari. nominib n. 177. vbi ait, de iure duo tantum vota eſſe reſeruata Papæ, caſtitatis, & terræ Sanctæ redemptionis, ſeu pro ſubſidio. Vnde generaliter de omnibus votis peregrinationum, quod poſsint ab Epiſcopo diſpenſari dicit Felin. dicto cap *Quod ſuper*, cum Ant. ibidem. De voto autem Religionis nullus ex his Authoribus affirmat aliquid, vel negat in particulari, & Bonaguid. tract. de Diſpenſat. n. 26. abſolute ait Epiſcopos poſſe diſpenſare in omnibus votis, præter caſtitatis, & ſubſidij terræ ſanctæ, imo & D. Tho. d. q. 88. art. 12. ad 2. tantũ illa duo vota enumerat, ille vero, vt exiſtimo, ſub caſtitate Religionis votũ comprehendit, de quo in alijs locis ſtatim citandis mentionem facit, duas autem peregrinationes omittit, quia ſuo tempore forte non erant reſeruatæ. Vnde Richard. d. 38. art. 9. q. 2. votum ſancti Iacobi dicit, poſſe diſpenſari ab Epiſcopo, & idẽ ſentit de voto ſancti Petri, quia tantum numerat tria. Nõ video autẽ cur magis votum caſtitatis ſit dicendum iure reſeruatũ, quam votum Religionis, quia reſeruatio expreſſa, & in particulari non magis vnius, quam alterius inuenitur in Iure, generalis autem ratio illius regulæ, quod grauiores cauſæ pertinent ad Papam, non minus conuenit voto Religionis, quam caſtitatis, cum nõ ſit minus graue, verius autem puto, ſolam illam regulam non ſufficere, etiam in voto ſimplici caſtitatis.

Felin. Ant. Bonaguid. D. Thom. Richard.

4\. *Vnde inducta ſit hæc reſeruatio votorum. Syluest. Soto. Nauar.* Hæc igitur reſeruatio, ſi antiquitatẽ reſpiciamus, magis traditione, & conſuetudine, quam iure ſcripto probanda eſt, vt ſentit Syluest. *Votum*, 4. q. 3. vbi ſolum loquitur de tribus præcipuis, tamen de omnibus quinque, idem dixit Soto d. q. 4. art 3 & Nauar. num. 75. dicit eſſe reſeruata ex ſtylo Curiæ, & hoc ſequuntur omnes recentiores Authores. Et videtur certe hæc reſeruatio iam eſſe facta ſatis expreſſe in Extrauag *Etſi dominici*, 2. de Pœnit. & remiſſ. per illa verba, *Niſi ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra*. Quamuis enim ibi ſolũ tractet Pontifex de diſpenſatione, quæ fit virtute litterarum ab ipſo Papa emanatarum: nihilominus ſupponere videtur reſeruationem: tum quia ob hanc cauſam non vult comprehendi in clauſula generali, tum etiã quia ſupponit eſſe neceſſariam licentiam ſpecialem Papæ, ſupponit ergo ab Epiſcopis dari nõ poſſe: ergo ſupponit etiam ipſos Epiſcopos non habere tunc ordinariam poteſtatem ad diſpenſandum in his votis. Tum denique, quia cum proportione æquiparat relaxationem horum votorum abſolutioni cenſurarũ cœnæ Domini, quæ minus reſeruatæ ſunt ſimpliciter, etiam reſpectu Epiſcoporum. Hæc ergo ſunt propria fundamenta huius reſeruationis. Ratio autem, ſeu congruentia ſumenda eſt ex illo principio. quod graues cauſæ merito reſeruantur Sedi Apoſtolicæ, hæc autem omnia vota grauia iudicanda ſunt.

Vnde loquendo de his votis, prout de facto ſunt reſeruata per vſum, vel ius nouum, non eſt limitandum votum tranſmarinũ ad illud, quod fuit ſubſidij gratia, ſed ſimpliciter de voto illius peregrinationis accipiendum eſt, vt ſentiunt Authores proxime allegati. & Palud. 4. d. 38. q. 4 num. 43. Suppl. Angel. *Votum* 4. n. 6. licet nõ conſtanter. Couar. in c. *Quamuis*, p. 1. § 3. n. 12. Greg Lop. in leg. 5. tit. 5. & in leg. 5. tit. p. 1. vbi merito reiicit limitationem Angeli dicentis. licet recurrendum ſit ad Papam, ſi tamen diſpenſatio concedatur ab Epiſcopo, fore validam, quod certe improbabile eſt, maxime poſt dictam Extrauagantem, & poſt conſtantem conſuetudinem, & ſtylum Curiæ. qui ex Bulla Cruciatæ, & ſimilibus ſatis conſtat. Nec magis probabiliter loquuntur, qui limitationẽ illam ponunt in votis Romano, & Cõpoſtellano. vt idem Angel. indicat, clarius Armill. verb. *Diſpenſatio* n. 16. Viual. d. c. 14. n. 63. citans Summam Confeſſ. lib 1. tit. 8. c. 70. Nam in his votis nec ſecundum ius habet locum limitatio: quia Ius nihil de illis diſponit, nec ſecundum conſuetudinem, vt iidem Authores fatentur, & eſt per ſe notum, quia illa vota nunquam fieri conſueuerunt in ſubſidium belli, de quo Iura loquuntur, quando tractant de voto Crucis. 5.

Palud. Suppl. Gab. Angel. Couar. Greg. Lop. Armil. Viuald.

Circa ſecundam partem aſſertionis excluſiuam ſupereſt nonnulla difficultas: quia Diuus Thomas 2. 2. q. 184. art. 6. q. 185. art. 4. q. 189. art. 7. & in 4. d. 38. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. dixit, omnia vota perpetua reſeruari Papæ, ſed hæc poſſunt eſſe multo plura: ergo. Reſpondent Caiet. Soto, & alij D. Tho. intelligendum eſſe de votis per ſe perpetuis, id eſt, quæ ſimpliciter facta ſine additione vlla, vel limitatione perpetua ſunt, non vero de illis, quæ peculiari additione ad totam vitam extenduntur, & ideo per accidens perpetua dici poſſunt. Sed hæc reſponſio licet quoad aliqua vota difficultatem fugiat, non tamen quoad omnia difficultatem euacuat. Nam imprimis ex illa ſequitur, votum accipiendi ordinem ſacrum eſſe reſeruatum, quia de ſe perpetuum eſt. Item votum v. g. ſe tradendi hoſpitali in ſeruum, vel faciendo ibi abſolutam promiſsionem obedientiæ, aut ſeruitutis, ex vi obiecti eſt perpetuũ. quamuis nihil addatur. Item votũ non ludendi, non comedendi carnes, & ſimilia ſimpliciter facta, eſſent etiã vota reſeruata: quia etiam ſunt de ſe perpetua. Quod amplius declaratur, nam votum Religionis ideo eſt per ſe perpetuũ. quia eſt de ſtatu perpetuo; ergo omnia vota de ſtatu perpetuo ſunt per ſe perpetua: tale autẽ eſt votum clericatus in ſacris, & votũ ſeruitutis per veram traditionem, & dominij tranſlationem: votum autem caſtitatis ideo eſt per ſe perpetuum, quia eſt de obiecto negatiuo nõ admittendi venereas delectationes tam licitas, quam illicitas. Negatio autem abſolute prolata omnia tempora negat, & ideo perpetua eſt, omne ergo votum negatiuum abſolute factum erit de ſe perpetuum, nam eſt eadem ratio: vt votum non nubendi perpetuum eſt, & votum non ſe polluendi, vel votum caſtitatis coniugalis. Omnia autem illa conſequentia, ſeu illata contra aſſertionem ſunt. 6.

D. Thom. Caiet.

Circa hanc difficultatem primo dicendum eſt de ſingulis conſequentibus illatis, & poſtea de aſſertione. Primum illatum erat de voto clericatus in ſacris, de quo aſſero non eſſe reſeruatum. Ita Pet. Ant. Gamb de Author. legat. lib. 10. num. 484 & Nauar. Conſ. 18. de Voto, & ſequũtur omnes Moderni. quos refert Sanc. lib. 8. de Matrim. diſp. 9. n. 13. Et ratio eſt: quia illud non eſt votũ caſtitais, vt patet ex obiecto: nam per ſe eſt votum affirmatiuum, votum autem caſtitatis eſt negatiuum, vnde licet ille fornicetur, 7.

Votum clericatus non eſt Papæ reſeruatum. Pet. Ant. Sanch.

non peccat contra votum, & licet contrahat matrimonium, & in eo peccet contra votum, non tamen peccabit poſtea petendo debitum, nec etiã aget contra votum adulterando. Dices, Illud obiectum includit virtute caſtitatem. Reſpondeo, includere illam vt promittendam, non vt promiſſam, quod non ſufficit, vt præſens votum ſit caſtitatis. Magis enim includit caſtitatem ſtatus Religioſus, & nihilominus votum Religionis non eſt votum caſtitatis, nec inducit per ſe immediate obligationem eius, vt poſtea videbimus. Vrgebis, Quia perinde eſt facere votum vouendi caſtitatem, & caſtitatem vouere: qui autem vouet clericatũ in ſacris, conſequẽter vouet vouere caſtitatẽ. Reſpondeo concedendo, illud votum eſſe de vouenda poſtea continentia, vt admittit Gambar. ſupra, nihilominus tamen non eſt immediate votum caſtitatis, & hoc ſatis eſt, vt non ſit reſeruatum, quia reſeruatio vtpote odioſa non extenditur ad diuerſa, etiamſi in multis videantur eſſe ſimilia. Vnde licet quis voueret expreſſe ſe facturum votum ſimplex caſtitatis, tale votum non eſſet reſeruatum propter eandem rationem: quia illud votum ſolum, ac per ſe non obligat ad caſtitatem ſeruandam.

Obiectio. Solutio. Inſtantia. Reſponſio.

8. Secundum illatum erat de voto ſeruitutis propter Deum, vel alio ſimili ſtatu de ſe perpetuo. De quo etiam aſſero non eſſe reſeruatum, quia inter illa quinque non continetur, & licet cum illis conueniat in aliqua proprietate, non ſatis eſt ad extenſionem faciendam. Imo licet votum ſit de aliquo ſtatu, qui vltra perpetuitatem habeat coniunctum votum caſtitatis, vt eſt quorundam conuerſorum, aut quarundã fœminarum tertiariarũ, quæ beatæ appellantur, & peculiari habitu vtuntur, & votum caſtitatis emittunt. Votum enim de tali ſtatu aſſumendo reſeruatum non eſt, quia neq; eſt votum Religionis, vt conſtat, nec eſt votũ caſtitatis, licet includat votum de illa emittenda. Et eadem ratione votũ obedientiæ extra ſtatum Religioſum non eſt reſeruatũ, tum quia de ſe non eſt perpetuum, niſi vt annexum Religioſo ſtatui, extra illum enim fieri poteſt ad tempus, vel pro tota vita pro arbitrio vouentis: tum etiam quia licet eſſet perpetuum, non inuenitur reſeruatum, nec cenſetur tãtæ æſtimationis, vt reſeruari debuerit, quando extra ſtatum Religioſum fit, vt poſtea videbimus.

Votum ſeruitutis propter Deum, vel alicuius ſimilis ſtatus de ſe perpetuus non eſt reſeruatum.

9. Tertium exemplum erat de votis negatiuis, de quibus etiam diximus, quod licet ſecundũ ſe re vera ſint perpetua, non ſunt reſeruata, niſi illud tantum, quod eſt de tota materia caſtitatis, quia ex omnibus votis negatiuis poſſibilibus vnicum tantũ reſeruatum eſt, vtiq; caſtitatis ſimpliciter: reliqua ergo, quæ vel circa alias materias verſantur, vel circa materiã tantum partialem caſtitatis, reſeruata nõ ſunt. Priora quidem, quia nullam habent affinitatem cum votis reſeruatis, niſi in perpetuitate, quæ ſatis nõ eſt. Poſteriora vero, quia licet habeant materiã ad caſtitatem pertinentem, ſimpliciter non ſunt vota caſtitatis, & reſeruatio reſtringenda eſt. Circa quam vltimã partem multa dicẽda occurrebant, ſed illa in propriam diſputationem de Voto caſtitatis, in ſequenti volumine tradendam remittimus. Atq; hinc colligitur, etiam votum paupertatis extra ſtatum Religionis factum non eſſe reſeruatum: quia licet negatiuum ſit, & inde videatur de ſe perpetuum, & de materia graui, & multum pertinente ad perfectionem, nihilominus de facto non eſt reſeruatum: quia nec inuenitur talis reſeruatio in Iure, nec conſuetudine introducta eſt. Et forte ratio eſt, quia tale votum rarum eſt, vel quia paupertas de ſe ſit inſtrumentum perfectionis, extra ſtatum Religioſum non ſolet eſſe adeo vtilis, & ſecura. Et ita de illo voto ſentit Nauarrus in Comment. 1. de Regularib. num. 21. §. *vigeſimum nonum*, & Henr. lib. 7. de Indulgentijs, cap. 30. num. 6. lit. F.

De votis negatiuis ſolũ caſtitatis eſt reſeruatum.

Votum paupertatis extra Religionem non eſt reſeruatum.

Nauarr. Henr.

Ad difficultatem ergo fatemur, regulam illam de votis perpetuis in rigore acceptam, non eſſe vniuerſalem, nec veram: quia perpetuitas, etiam per ſe, nec ad reſeruationem requiritur, vt in votis peregrinationis conſtat, nec ſufficit, vt probant omnia, quæ diximus. D. Thom. autem exponendus eſt iuxta ſubiectam materiam, de quã loquitur: nam in omnibus locis citatis ex 2. 2. loquitur de votis perpetuis, quæ per ſe pertinent ad ſtatum perfectionis, vt in primo loco aperte declarat, loquitur etiam de votis ordinarijs, & vſitatis in Eccleſia, qualia ſunt votum caſtitatis, aut Religionis: nam licet ibi ponat votum Epiſcopi permanendi in ſuo munere: id vocat ſolenne, & ideo ad præſens non ſpectat, quale autem ſit, videbimus poſtea tractando de ſtatu perfectionis. In quarto autem, in ipſis verbis ponit reſtrictionem, ſi attente legatur, ſic enim ait, *Votum Religionis, & alia huiuſmodi vota perpetua ſolus Papa diſpenſare poteſt.* Particula enim *huiuſmodi* limitat ſermonẽ ad vota conſtituentia aliquo modo, vel reſpicientia ſtatum perfectionis: videtur autem etiam loqui de votis ſolennibus, quæ in 4. cenſuit diſpenſabilia, & ideo in plurali dicit, *Et alia vota*, ſignificat etiam, hæc vota ſic perfecta, & integra quaſi natura ſua eſſe reſeruata Papæ, fortaſſe propter grauitatem eorũ, propter quam videntur ſemper fuiſſe reſeruata. Nam de votis peregrinationum ait eſſe Epiſcopalis, *Niſi reſeruentur*, quia hæc reſeruatio nõ tam ex intrinſeca natura talis materiæ oritur, quam ex peculiari inſtitutione, vel conſuetudine, vt Caietanus notauit. 10.

Explicatur D. Thom.

Circa eandem ſecundam partem aſſertionis dubitari poteſt ſecundo, quid ſub ſingulis ex quinque illis votis comprehendatur, & conſequenter quas extenſiones, vel reſtrictiones admittãt? In quo puncto multa dici poſſent de voto caſtitatis, & Religionis, ſed quia de illis in particulari tractaturi ſumus, in eum locum omnia, quæ ad illa pertinent reſeruamus: quia re vera non poſſunt commode exponi, nõ declarata prius natura, & obligatione talium votorum. De duobus autem votis peregrinationum ad limina Apoſtolorum, & ad ſanctum Iacobum, nihil inuenio ab Authoribus traditum, quod adnotare neceſſe ſit: neque in eis aliquid eſt peculiare, præter ea, quæ diximus: alia enim communia ſunt cæteris votis peregrinationum, præter reſeruationem, de qua etiam nihil notandum occurrit præter ea, quæ ſupra indicauimus circa modum, quo excipiuntur, vel comprehenduntur in indultis concedentibus votorum commutationem. 11.

Quæ reſtrictiones & extenſiones patiantur vota Pontifici reſeruata.

Circa votum autem Hieroſolymitanum, ſeu tranſmarinum, duo puncta inuenio tacta ab Authoribus. Vnum eſt, votum illud eſſe ampliandum ad omnia vota Crucis. Ita dixit Hoſtienſ. in Sum. tit. de Voto §. *Qualiter, & cuius authoritate, &c.* vbi cũ dixiſſet, votũ tranſmarinum in ſubſidium terræ ſanctę nõ poſſe tolli ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, ſubdit: *Idem puto in voto Crucis cuiuslibet: quia ad ipſum pertinet de talibus iudicare.* Non adducit autem ibi probationem, ſed remittit ad §. vltimum eiuſdem tituli, in eo autem ſolam hanc indicat: quia quoties in alijs caſibus prædicatur Crux, ſeu conceditur indulgentia eius in expeditionem alicuius belli contra infideles, hæreticos, vel ſchiſmaticos, eadem priuilegia conceduntur accedentibus ad illud bellum, quæ pro expeditione terrę ſanctæ conceduntur, c. *Excommunicamus*, §. *Catholici*, de Hæretic. ergo etiam votum eandem habet immunitatem, ſeu reſeruationem. 12.

Hoſtienſ.

Sed hanc extenſionem non cenſeo eſſe admittendam, quia hæc reſeruatio ex Iure ſumenda eſt, vt diximus: Ius autem ſolum loquitur de Cruce pro expeditione terræ ſanctæ, vt conſtat ex dicto c. *Quod ſuper his*, & cap. *Ex multa*: ergo non debet ad alia extendi. Probatur cõſequentia, tũ quia ſumus in diſpoſitione onerosa: tum etiam quia non eſt ſimilis ratio, quia in 13.

Excluditur ampliatio Hoſtienſ. in voto Hieroſolyma. Cap. Quod ſuper his. Cap. Ex multa.

Digitized by Google

quia in voto tranſmarino habita eſt ſpecialis ratio recuperationis terræ ſanctæ, propter ſpecialem pietatem, & ſanctitatem illorum locorum. Nec ſatis eſt, quod alia priuilegia concedantur: nam illa non pertinent ad reſeruationem, aut materiam votorum, ſed ſunt indulgentiæ, quæ etiam Inquiſitoribus, & eorum miniſtris in certis caſibus conceduntur, vt videre licet apud Eymeric. 3. p. Directorij, c. 129. & 130. Imo in tract. de forma procedendi Inquiſit. attributo Ioan. Calder. p. 1. ſub tit. de Offic. Cruce ſignat. refertur priuilegium Innoc. III. vbi conceditur Inquiſitoribus facultas prædicandi Crucem in fauorem fidei, ſignando Cruce vouentes ſuum auxilium ad extirpandas hereſes, & inter alias gratias datur Inquiſitoribus facultas commutandi vota officialium Cruce ſignatorum, addit vero, *Terræ ſanctæ votis, aliiſque perpetuis, quæ commutationis non admittunt remedium duntaxat exceptis.* Cum ergo tam explicite tria illa tantum enumerantur, ſignum clarum eſt, votum illud aſſumendi Crucem in alium finem non eſſe reſeruatum.

Eymer.

13. Aliud punctum notandum eſt, quod aliqui extendunt hanc reſeruationem ad votum factum de applicandis bonis incertis in terræ ſanctæ ſubſidium, ita vt tale votum ab Epiſcopo diſpenſari non poſſit, vt illa bona in alios vſus transferantur. Ita Angel. *Votum* 4. q. 13. qui citat Redoan. qui addit etiam per ingreſſum Religionis non poſſe tale votum auferri, & ſequitur Syluest. *Votum* 4. q. 3. §. *Quintum*. Sed hi Authores nullum fundamentum adducunt, & ideo nõ cenſeo eorum ſententiam admittendam. Nam tale votum diſtinctum eſt à voto tranſmarino, quod reſeruatur, vt patet ex d. capit. *Quod ſuper his*, quod in principio loquitur de his, qui vouent pro ſuccurſu terræ ſanctæ *Crucis ſigno aſſumpto*, & de hoc tantum voto explicat Papa in c. *Ex multa*, ſine ſpeciali licentia ſua non poſſe auferri: ergo ex vi Iuris ſolum illud votum eſt reſeruatum. Nulla autẽ conſuetudine oſtendi poteſt, reſeruationem eſſe extenſam ad votum dandi bona incerta in ſubſidium terræ ſanctæ: ergo non eſt id ſine fundamento aſſerendum. Aliàs etiam eſſet dicendum, omne votũ faciendi eleemoſynam locis pijs terræ ſanctæ eſſe reſeruatum Papæ, & vota reſtituẽdi debita (quæ incertis ſeu ignotis creditoribus debentur) in ſubſidium terræ ſanctæ eſſe reſeruata, etiamſi nullum ſit bellum pro illa recuperanda: hoc autem eſt præter intentionem Iurium, & ſine fundamento.

Votũ de applicãdis bonis incertis terræ ſanctæ aliqui ſentiunt reſeruatum.
Angel.
Syluest.
Excluditur eorum opinatio, & explicatur.
Cap. Quod ſuper his.
Cap. Ex multa.

14. Vnde illa reſeruatio quatenus eſt Iuris, & pro ſubſidio, ſolum habet locum, quando prædicatur Crux pro expeditione belli ad recuperationẽ terræ ſanctæ, & ſit votum in ſubſidium eius, aſſumpta Cruce, quod votum, etiamſi ſit de ſubſidio perſonali, per reale redimitur à Papa, quando aliter non poteſt impleri, & de tali voto iudicium ferendum eſſet per ſe loquendo iuxta intentionem vouentis: iam vero reſeruatio ex conſuetudine extenditur ad votũ peregrinationis tranſmarinæ, quod omni tempore fieri poteſt. At vero alia vota eleemoſynarũ, ſiue ex bonis proprijs, ſiue ex debitis incertis, etiamſi fiant in fauorem terræ ſanctæ, nullo modo inueniuntur reſeruata, ſed ſequuntur regulam ſupra datam de votis factis in fauorem alicuius pij loci. Nam ſi non eſt acquiſitum ius tali loco poſſunt per Epiſcopum diſpenſari: ſi autem ſit ius acquiſitum, ſolus Papa diſpenſare poterit: nõ propter reſeruationem, ſed quia ſolus ipſe eſt ſupremus diſpenſator bonorum, & iurium Eccleſiaſticorum.

15. Præterea occurrit aduertendum circa hunc numerum votorum peregrinationũ, Nauar. in Comment. 1. de Reg. n. 21. §. *Vigeſimum nonũ*, exceptis dictis quinque votis, hæc verba addidiſſe, *Quibus hodie annumeratur votum viſitandi domum glorioſam glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Lauretanam.* Quod additũ valde nouum, & ſingulare videtur, eſtq; ab eodem Authore tam in Manuali, quam in conſilijs prætermiſſum. Et quod mirum eſt, nullam probationẽ, vel ex conſuetudine, vel ex ſtylo Curiæ, aut aliquo reſcripto Pontificio adducit. Nec memini, me vidiſſe fieri exceptionẽ illius voti in aliquo priuilegio, vel iubileo, aut alia generali conceſſione diſpenſandi in votis. Quapropter nõ cenſeo eſſe facile credendam illam additionem ſine maiori probatione. Vnde nõ dubito, quin ſub facultate generali ad diſpẽſandum in votis Lauretanum comprehẽdatur, quia ex conſuetudine nullam habet ſpecialitatem. Et inde à fortiori fit, vt Epiſcopus poſſit in illo diſpenſare.

Votũ de domo Lauretana videndi falſo aſſeritur reſeruatum.
Nauar.

Vltimo circa hunc numerum interrogari poteſt, an poſſit augeri ex voluntate, & intentione vouentis, id eſt, an poſſit quis ita ſe voto ſuo obligare, vt intendat efficaciter, quod à nemine tolli poſſit, niſi à Papa, atque ſuum votum reſeruatum efficere, licet aliàs non ſit? Reſpondeo, non eſſe hoc in poteſtate vouentis, quia reſeruatio conſiſtit in ablatione, vel non conceſſione iuriſdictionis, ſubditus autẽ quantumcunque conetur, non poteſt Epiſcopum ſua iuriſdictione priuare. Item aliàs etiam poſſet facere votum indiſpenſabile per Papam, ſi id intenderet. Item in peccatis non poteſt quis facere, vt peccatum ſuum ſit reſeruatum, etiamſi id intendat, vel promittat: idem ergo eſt in votis, quia eſt eadem ratio. Illa ergo intentio in hoc ſenſu vana eſt, & ex ignorantia profecta. Ad ſummum ergo poſſet quis ſe obligare ad non petendam, vel acceptandã diſpenſationem, niſi à Summo Pontifice, & tunc de tali voto iudicandum eſt, ſicut de voto non petendi diſpenſationem, de quo ſuprà lib. 2. cap. 11. dictum eſt. 16

An poſſit votum reſeruari ex intentione vouentis?
Reſolutio negatiua.

Dico ſecundo. Prædicta quinque vota non ſolum quoad diſpenſationem, ſed etiam quoad commutationem reſeruata ſunt. Eſt certa, & communis ſententia, quę ex eiſdem principijs oſtendenda eſt. Nam c. *Ex multa* aperte loquitur de commutatione, & redemptione, quæ commutatio quædam eſt. Item Extrauag. *Etſi dominici* de ſola commutatione loquitur, ſub illa comprehendens diſpenſationem: nam qui commutare nõ poteſt, multo minus poterit diſpenſare. Vſus etiam ita obſeruat, & ſtylus Curiæ. Vnde cum Bullis Cruciatæ, iobelæis, & ſimilibus ordinarie non concedatur, niſi commutandi facultas, excipi ſolent hæc vota, vel omnia, vel aliqua pro amplitudine conceſſionis. Et ratio eſt eadem, quia propter grauitatem talium votorum, & cauſarum, conueniens iudicatum eſt, vt in propria ſpecie ſoluantur, neque aliud liceat ſine Summi Pontificis arbitrio, aut licentia. 17

2. Aſſertio. Prædicta quinque vota, & quoad commutationem, & quoad diſpenſationem ſunt reſeruata.
Ext. Et ſi dominici.

Quæri autem poteſt, an inter ipſa vota reſeruata licita ſit cõmutatio ſine authoritate Pontificis, quando fit in melius? vt ſi quis velit commutare votum Sancti Iacobi in votum Sancti Petri, vel hoc in votum Hieroſolymitanum, vel hoc in votum caſtitatis, vel hoc in votũ Religionis: nam in his gradibus videtur fieri ſemper aſcenſus ſatis certus, & euidens, qui non poteſt exiſtimari prohibitus per reſeruationem, quia eſſet contra bonos mores. Sed nihilominus cenſeo etiam hanc commutationem eſſe reſeruatam, ita vt nullius Prælati inferioris authoritate fieri poſſit, nec intelligatur conceſſa per generalem clauſulam: imo potius cenſeatur excepta, quoties talia vota excipiuntur, vel in ſpecie non conceduntur. Quia d. Extrauagans abſolute de commutatione loquitur, & eodem modo ſolent fieri exceptiones in Priuilegiis, & Bullis, & ita etiam loquuntur communiter Doctores, & ſeruat vſus. Et ratio reddi poteſt primo, quia vt ſupra dixi, commutatio etiam in melius poteſt per ſedem Apoſtolicam prohiberi priuata authoritate, ne fiat propter ſpeciales & cauſas. Neque hoc eſt contra bonos mores, quia per hoc non prohibetur ſimpliciter melius bonum, ſed præſcribitur modus tranſeundi ad illud ex licentia ſupremi Vicarij Chriſti, cui aliud bonum erat in ſpecie promiſſum. 17.

miſſum. Secundo, quia licet conſiderando illa vota in generali, recte videantur illo modo ordinari: nihilominus in particulari poteſt eſſe laborioſius, & grauius votum Compoſtellanum, quam Romanum & in Hieroſolymitano poſſunt multæ rationes occurrere, ob quas minus expediat, quam alia. Votum autem caſtitatis nunquam impedit aliorum votorũ obſeruantiam: imo ad illa, & ad omne bonum iuuat, & ideo non oportuit concedi, vt propter caſtitatem poſsit quis ſe alijs votis exonerare.

Exceptio de Voto Religionis per quod omnia commutantur.

18. Solum videtur facienda exceptio de voto Religionis, in quod poſſunt omnia commutari, iuxta c. *Scripturæ*, de Voto. Et tunc dici poſſet, illam cõmutationem fieri ex vi Iuris, & non ab homine, prout nos loquimur. Aduertere autem oportet, votũ Religionis dici poſſe conſtitutiuum; vel promiſsiuum Religionis. Conſtitutiuum voco illud, quod emittitur in profeſsione Religionis, quod ordinarie eſt ſolenne. Promiſsiuum eſt votum ſimplex Religionis, id eſt, ingrediendi, aut aſſumendi ſtatum Religioſũ. Dictum ergo cap. *Scripturæ*, videtur loqui de voto conſtituente Religioſum, nam licet hac voce non vtatur, illud ſignificat, cum ait, licitum eſſe quodcũque temporale votum *in perpetuam Religionis obſeruantiam commutare.* Nam ſola promiſsio ſimplex Religionis non poteſt dici perpetua Religionis obſeruantia. loquitur ergo de aſſumptione ipſius ſtatus per profeſsionem. Vnde fit in primis, vt non oporteat ibi comprehendi votũ caſtitatis: tum quia illud non eſt temporale, ſed perpetuum, tum etiam quia illud non commutatur, ſed ſolidatur per ſtatũ Religioſum. De cæteris autem votis verum eſt, cõmutari poſſe in illum ſtatum, de qua commutatione, quomodo fiat, poſtea ſuo loco generaliter dicemus. Proprie autem non credo poſſe commutari in ſimplex votum Religionis, poſteriori, & vſitato modo intellectum, ita vt per illam commutationem ipſo facto alia vota extinguantur. Nam licet votum peregrinationum poſsit ſuſpẽdi per ipſum ingreſsũ ad probationem Religionis, & conſequenter poſsit etiam per votum ſimplex Religionis impediri eorũ exequutio, inchoando prius exequutionem voti Religionis: nihilominus talia vota non extinguuntur per illam commutationem, vel promiſsionem Religionis. Nam ſi quis in eo ſtatu non perſeueret, & habitũ Religionis dimittat, tenebitur votum peregrinationis reſeruatum implere, vel licet votum Religionis, quis emiſerit, ſi illud non implet, ſiue per excuſationem, quę non impediat peregrinationem, ſiue per diſpenſationem, tenebitur aliud votum implere. Et ita inter illa quinque vota ſimplicia, & reſeruata nũquã admittitur propria commutatio ſine Pontificis authoritate. Hic vero ſtatim occurrebat dubium, an ſemel commutatum aliquod ex his votis, onus pro illo impoſitum reſeruatũ maneat? Sed hoc in capite præcedenti expeditum eſt, quia ad naturam commutationis explicandam pertinebat.

Capvt XXII.

De Votis conditionalibus, quando & quomodo reſeruata ſint.

Punctũ difficultatis.

1. HAEc quæſtio generalis eſt omnibus votis reſeruatis, & frequentiſsime occurrit, tam in votis peregrinationum reſeruatarum, quã in aliis, & ideo neceſſaria hoc loco viſa eſt. Ratio autẽ generalis dubitandi in ea eſt, quia reſeruatio hæc ſtricte eſt interpretanda, quia coarctat poteſtatem diſpenſandi, quę fauorabilis eſt, maxime quia etiam poteſtatem ordinariam reſtringit: ergo ſolum comprehendit illa vota, quæ ſimpliciter talia ſunt: ſed huiuſmodi tantũ ſunt vota abſoluta, & determinata: nã vouere ſub conditione, non eſt ſimpliciter vouere talẽ rẽ: ergo talia vota non comprehenduntur ſub reſeruatione, quæ fit ſimpliciter de voto eundi Hieroſolymã, vel ſimilibus. In contrariũ vero eſt, quia dici non poteſt, nulla vota conditionata eſſe reſeruata: nam votum hoc, ſi pater deceſſerit, Religionem ingrediar, idque promitto, reſeruatum eſt, & ſimilia: ergo eſſe conditionatum non obſtat reſeruationi, ergo omnia cõditionata erũt reſeruata circa materiam proportionatam, quia non eſt maior ratio de vna conditione, quam de alia. Quæſtio hæc, & ratio propoſita locũ habet, non tantum in votis conditionalibus puris, ſed etiam in pœnalibus, de quorũ diſtinctione diximus in lib. 1. c. vlt. Verũtamen maioris claritatis gratia in hoc capite ſolum de conditionatis, in ſequenti de pœnalibus dicemus, & poſtea de diſiunctiuis aliquid addemus. In conditionalibus item ſunt diſtinguendi duo ſtatus, vnus eſt ante impletam conditionem, alius poſt euentum conditionis, iuxta quos duo ſunt dubia.

1. Dubium. An votum transmarinum conditionatũ ante aduentũ conditionis ſit reſeruatum?

2. Primum ergo dubium eſt, An votum tranſmarinum verbi gratia, ſub conditione factum, ante euẽtum conditionis ſit reſeruatum, vel poſsit per Epiſcopum diſpenſari, ſeu commutari? Et idem ſemper eſt intelligendum de cæteris, & loquimur precise de conditionali vt à pœnali diſtinguitur. Prima ſententia dicit, tale votum contineri ſub reſeruatis, tenet Soto lib. 7. de Iuſtit. q. 2. art. 1. ad 4. & quæſt. 4. art. 3. quam ſequitur Arag. d. q. 88. art. 12. in dubio de Votis pœnal. & videtur idem ſentire Valent. 3. to. diſp. 6. q. 6. p. 7. circa finem, Nauar. c. 12. n. 43. Cor. in Sum. q. 152. Gutierr. lib. 2. Quæſtionum canon. c. 22. n. vlt. Azor. to. 1. lib. 11. c. 19. q. 13. & aliqui alii Moderni. Ratio eſt, quia votum conditionatum, quod non eſt pœnale, eſt votum directum de materia ſub conditione promiſſa, & ex directa intentione & affectu illius fit: ergo ſi materia illa eſt reſeruata, votum illud, etiamſi conditionale ſit, eſt reſeruatũ, quia eſt verum votum caſtitatis, aut Religionis, &c. Secundo declaratur, quia votum conditionale ſtatim obligat quoad vinculum voti, vt ſupra viſum eſt: ergo ſtatim conſummatur in ratione voti, ſolumque ſuſpenditur exequutio quoad actum promiſſum, ratione conditionis. Quod non ſatis eſt, vt illud non ſit ſimpliciter votum talis materiæ: nam qui vouet Religionem, ſuſpendens per intentionem exequutionem per vnum, vel duos annos, verum votum Religionis emittit, quod plane reſeruatum eſt, ergo idem dicendum eſt: licet talis ſuſpenſio fiat per adiectam conditionem. Accedit quod ſæpe tale votum obligat ſtatim ad aliquos actus, vel omiſsiones, vt ſi ſit votum caſtitatis, aut Religionis, obligat ad nõ contrahendum matrimonium ante expectatum euentum conditionis, peccabit enim quis contra votum, antea contrahens, & conſummans matrimonium, & ſimiliter alia cum proportione obligant ad expectandum conditionis euentum, & vitanda impedimenta, quæ tunc poſſent facere impoſsibilem plenam voti exequutionem. Signum ergo eſt, hæc eſſe veras promiſsiones talium materiarum cum dilatione exequutionis, quod non obſtat, quominus ſint vera vota. Tertio probatur inductione: nam primo in voto ingrediendi Religionem, vel eundi Hieroſolymam, ſi pater obierit: ſecundo, ſi frater natu maior habuerit filios: tertio, ſeruandi caſtitatem, niſi frater moriatur ſine filijs: hæc enim conditionalia ſunt, & tamen in eis non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia re vera ſunt vota caſtitatis, Religionis, aut tranſmarinum, & in communi æſtimatione talia cenſentur, ergo.

1. Sententia. Soto. Aragon. Valen. Nauarr. Cordub. Gutier. Azor.

Reſolutio. Vota conditionalia qua talia nõ eſſe reſeruata.

3. Nihilominus probabilius cenſeo, vota conditionalia, quamdiu in illo ſtatu permanent, non eſſe reſeruata. Ita tenet Tol. lib. 4 Sũmæ c. 19. in fine, refert. Victor. Item Ledeſm. 2. p. Sum. tract. 10. c. 8. Inſinuat Emanu. Rod. 2. p. Sum. c. 97. in fine. Tenet Leſsius li. 2. c. 4. dub. 13. & Sanc. lib. 8. diſp. 10. n. 12. & 13. & refert

Tolet. Ledeſm. Em. Rod. Leſſ. Sanc.

Perez

Perez Vegam, & Ant. Gomez. Ratio præcipua eſt, quia votum conditionatum, non impleta conditione, nondum eſt conſummatum, & perfectum votum, & ideo ad illud nō extenditur reſeruatio. Conſequentia ſupponitur vt clara ex regula ſupra poſita, quod reſeruatio eſt odioſa, & reſtringēda, vt in materia etiam de caſibus reſeruatis alibi oſtendimus.

Contractus ſub conditione factus nō eſt contractus perfectus.

Antecedens patet, quia contractus ſub conditione factus non eſt perfectus contractus, vt in ſpōſalibus, matrimonio, & ſimilibus videre licet, votum autem eſt quaſi quidā contractus cum Deo: ergo. Item votum conditionatum, conditione non impleta, non obligat ſimpliciter, id eſt, non obligat ad materiam ſub conditione promiſſam, ſed ſolum ad expectandum euentum conditionis: ergo pro illo ſtatu non poteſt dici votum ſimpliciter talis materiæ, caſtitatis, &c. Item qui ſolum ſub conditione vouet Religionem, verbi gratia, nondum conſentit plene in Religionem, ſicut qui ducit vxorē ſub conditione, nondum conſentit in matrimonium plene: ergo neque in obligationem plene conſentit, neq; habet propoſitum ſimpliciter ſeruandi caſtitatem: ergo nec votum illud pro illo ſtatu eſt ſimpliciter votum caſtitatis. Atq; ita votū conditionatum, vt ſic, includit conditionem valde diminuentem rationem voti reſpectu materiæ tantū ſub conditione promiſſæ, ac ſubinde non eſt votum ſimpliciter tale, nec reſeruatum. Confirmatur, ac declaratur: nam ſi lata eſſet excommunicatio contra vouentem ire Hieroſolymam tali tempore, & aliquis voueret ire, ſub conditione, *Si nauis venerit*, non incurreret excommunicationem, quamdiu non eſſet impleta conditio: ſicut qui contraheret matrimonium clandeſtinum conditionatum, non incurreret cenſuram, etiamſi eſſet impoſita in contrahentem clandeſtine: ſignum eſt ergo, omnes actus, qui requirunt abſolutum conſenſum ad perfectam obligationem, ſi ſub conditione fiant, non eſſe conſummatos, pendēte conditione & conſequenter non eſſe tales ſimpliciter, nec venire ſub tali voce ſimpliciter poſita, præſertim in odioſis, & reſtringendis.

4.

Confirmatur reſolutio ex ſolutione rationū in contrarium. Ad prima

Maxime vero confirmabitur hæc reſolutio, expendendo rationes oppoſitas: nam cum ſimus in materia odioſa, & hæc pars fauorabilis ſit, eo ipſo, quod contraria non probatur, ſit hæc credibilior. Ratio ergo prima alterius opinionis ex dictis eneruatur: quia licet votum conditionatum ſit verum votum, non tamen eſt votum ſimpliciter caſtitatis, aut Religionis, ſed tantum ſecundū quid. Vnde non ſufficit, quod fiat ex affectu caſtitatis ad votum ſimpliciter.

Aduertendum.

Deinde addo, quod notandum eſt, talia vota non ſemper fieri ex affectu ad materiam ſic promiſſam, ſed ad aliud cōmodum, propter quod promittuntur ſub conditione, vt verbi gratia, cum in mortis periculo quis promittit peregrinationem, ſi euaſerit, nō id facit ex affectu peregrinationis, ſed ex affectu vitæ, & timore mortis, & talia eſſe ſolent ordinarie vota cōditionalia, quæ fiūt in ægritudine, & in quolibet alio periculo, vel etiam quæ fiunt ad impetrandum aliquid à Deo, vt ſi Deus mihi dederit filium, hoc faciam, vel ſi vicero hanc tentationē Religioſus efficiar, &c. ergo in his ſaltem non habet locum illud fundamentum. De aliis autem votis quæ aliter fieri ſolent, ſtatim dicam.

5.

Ad ſecundū.

Eadem reſponſio eſt ad ſecūdum: nam in illo ſolum probatur, votum conditionatum eſſe votum, & inducere aliquam obligationem, etiam in ordine ad materiam ſub conditione promiſſam: nihilominus tamen dicimus, totam illam obligationem eſſe ſecūdum quid reſpectu talis materiæ, vt ſatis declaratum eſt. Non admittimus autem exemplum ibi adductū de voto Religionis, quod nūc fit, vt ex nūc obliget, non tamen pro ſtatim, ſed poſt biennium, verbi gratia. Nam hoc votū non eſt vllo modo conditionatum, ſed abſolutum. Quia licet virtute includat hanc conditionem, *Si vixero*, hæc non facit votum conditionatum, quia eſt generalis conditio in omnibus votis ſubintellecta, vt dicto capit. vlti. libr.1. dictum eſt. Vnde votum illud conſummatum omnino eſt, & abſolutū, ac perfectū conſenſum includit. Quod patet, quia, multa ſunt vota, præſertim affirmatiua quę non pro ſemper, ſed pro certis temporibus, & cum dilatione, vel vnius anni, vel plurium obligant, vt ſi quis voueat ire ad limina Sancti Petri ſingulis quinquennijs, vel ſingulis annis feſtum alicuius Sancti celebrare, quæ vota nemo appellabit conditionata, ſed ſimpliciter abſoluta: votum ergo conditionatum non tantum includit temporis dilationem, ſed ſuſpendit præcipuam obligationem, & reddit conſenſum imperfectum circa abſolutam exequutionem talis rei, & ideo non eſt ſimile.

6.

Ad tertium.

Tertium argumētum poſitum eſt ad expendenda aliqua exempla, quæ partim afferuntur à dictis Authoribus, partim addi poſſunt. Primū eſt de hoc voto, *Promitto ingredi Religionem, ſi pater obierit.* Hoc enim poſuit Soto inter conditionalia vota, & ideo maxime illum mouit, quia tale votum non videtur poſſe ab Epiſcopo diſpenſari. In quo ego illi conſentio quoad hanc poſteriorem partem, nego tamē votum illud eſſe conditionale, ſed abſolutum cum dilatione executionis, quod longe diuerſum eſt, vt ſupra lib.1. cap.vlt. declaraui. Nam re vera qui ſic vouet, nullo modo habet ſuſpenſum conſenſum, ſed omnino reſolutus eſt, ſibi expedire ſtatum Religioſum, illudq; abſolute promittit, tamen quia mater indiget, vel ne illam contriſtet, non vult exequi votum illud ea viuente, & ita ex priori capite eſt abſolutum, ex poſteriori autem differtur exequutio eius, quod non eſt contra rationem voti abſoluti. Et patet, quia ſi quis voueat ſimiliter Religionē ingredi intra biennium, ſine dubio eſt votum abſolutū Religionis, ſicut iuramentum ducendi aliquam intra biennium eſt abſolutum iuramentum cap. *Commiſſum*, de Sponſal. Et ſumitur à ſimili ex cap. *Per tuas*, de Voto, & ideo tale votum eſt reſeruatum, quamuis ad exequutionem non obliget durante biennio: ergo ſimiliter votum illud abſolutum eſt.

Cap. Commiſſum. Cap. Per tuas.

7

Obiectio.

Dices: non eſſe ſimile, quia ibi ponitur certus terminus, pro quo eſt abſoluta obligatio: hic autē terminus eſt incertus, & ita explicatur per conditionē ſi mater obierit, & includit etiam aliam, ſi ego matri ſuperuixero. Vnde legata ſic facta conditionalia in Iure cenſentur, nam *Dies incertus conditionem in teſtamento facit*, vt eſt lex 75. ff. de Condit. & Demonſtrat. & lex *Si cum hæres*, ff. Quando dies legat. &c.

L. Si cum hæres. Solutio.

Reſpondeo, ad conſcientiæ forum, & obligationem parum referre, quod dies ſit certus, vel incertus, ſi animus vouentis idem eſt, in vtroque autem caſu animus vouentis eſt addere illum terminū ſolum ad commodam exequutionem voti, non ad ſuſpendendam, vel minuendam determinationem conſenſus, & ideo vtrumque votum æque abſolutum eſt. Nec refert, quod explicatur per particulam *Si*, quia illa ibi æquiualet aduerbio temporali *Quando*, vel *Cum*, quod ponitur ad determinandum tempus, non ad ſuſpenſionem obligationis.

Cōfirmatio ab exemplo.

Eſt optimum exemplum, ſi quis agens decimum quartū ætatis annum voueat, ſi decimum ſextum attigero, ingrediar Religionem, non animo obtinendi vitam à Deo illo medio, ſed ſolum vt ſibi præſcribat terminum exequendæ obligationis, votum eſt abſolutum, licet in verbis conditionale appareat. Nec etiam obſtat conditio incluſa, *Si ſuperuixero*, quia hæc non eſt extrinſeca, ſed per ſe inelt, eadem enim eſt cum hac *Si vixero*: ſicut etiam votum implendum poſt biennium includit conditionem, *Si ego vltra vixero.* Denique non obſtant leges Ciuiles, quia ſolum procedunt in ordine ad effectum ciuilem nō tranſmittendi legatum ad hæredem legatarij: vnde in l.1. de Condit. & demonſt.

demonſt. legatus ad diem certũ, diſtinguitur à conditionato, licet poſtea in illo effectu æquiparentur, non oportet ergo æquiparationem ad noſtram materiam extendere. Aliter dici poſſet, hæc vota eſſe abſoluta quoad ſubſtantiam obligationis, licet ſint conditionata quoad temporis determinationem, & ratione prioris obligationis eſſe reſeruata.

8. *Satisfit ſecundo exemplo.* Secundum exemplum erat de hoc voto, promitto ingredi Religionem, ſi frater natu maior habuerit filios: nam videtur omnino conditionale, ſicut fuit votum Annæ, *Si dederis ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eũ Domino*, 1. Reg. 1. *1. Reg. 1.* Sed licet hoc regulariter ita ſit, nihilominus conſidero differentiã inter illa duo vota: nam mater vt Anna, per votum intendit conſequi à Deo filium, & ita ponit illam vt conditionem neceſſariam ad ſuam obligationem, & includitur in illo voto pactum cum Deo, *Dabo, ſi dederis*, & ideo tale votum ſimpliciter conditionale eſt, & in ſimili forma ſemper eſt non ſeruatum ante impletam conditionem, niſi conſtet, vouentem magis abſolute voluiſſe vouere, & in alio ſenſu verba accepiſſe. At vero in exemplo de fratre, plane, conſiderata materia & communi vſu, non eſt ille ſenſus verborum, ſed particula *Si* æquipollet huic, *Quam primum* frater habuerit ſucceſſorem, ego ſtatum Religioſi, aut clerici aſſumam. Nam illud votum non fit ad impetrandum filium heredem fratri nec talis ſolet eſſe intentio ſic vouentis, ſed ſolum ponitur illa limitatio ad expectandam opportunitatem ad exequendum votũ, ne domus, ſiue familia ſine ſucceſſore relinquatur. Sed licet hoc ita ſit ex hoc capite, ex alio videtur mihi tale votum regulariter eſſe imperfectũ, & conditionatum, quia ordinarie non fit ex abſoluto affectu ad ſtatum Religioſum: imo frequenter qui ſic vouet, deſiderat, vt conditio non impleatur, & vellet potius eſſe hæres in domo patris, quam Religioſus, quamuis pro contrario euentu id nunc deliberet, & ſic votum illud erit conditionatum & non reſeruatum. Nec eſt eadẽ ratio de illo, & de voto, *cum pater obierit*, &c. quia hoc moraliter loquendo ſemper fit ex puro affectu ad Religionem, & cũ abſoluto conſenſu: illud vero non eſt huiuſmodi in caſu poſito. Secus vero eſſet, ſi certo conſtaret de animo vouentis, quod reuera ex puro & abſoluto affectu ad Religionem, illam promittit, & ſolũ ſuſpendit exequutionem propter vitandam domus incommoditatem, nam tunc videtur valde probabile, tale votum eſſe abſolutum, & reſeruatum, & hoc mihi magis placet & ſine dubio eſt tutius, licet oppoſitum defendi etiam poſſit.

9. *Satisfit tertio exemplo.* Tertium exemplum erat de voto ſeruandi caſtitatem, niſi frater ſine filiis moriatur. De quo breuiter dico, tale votum eſſe abſolutum, quia illa conditio non ponitur ad ſuſpendendum conſenſum, vel obligationem de præſenti, ſed ſolum ad terminandam, & extinguendam illam in tali euentu, cuius ſignum eſt, quia ſi ille violet caſtitatem, vel vxorem ducat, nõ expectata conditione agit contra votum: ergo eſt abſolutum, quia ſtatim, & pro ſtatim obligat ad ſeruandam caſtitatem. Nihilominus tamen dico, non eſſe reſeruatum, quia non eſt perpetuum, & ita non eſt ſimpliciter votum caſtitatis, ſed cum aliquo termino ſaltem poſsibili, licet incerto. Et ex hac parte votum illud, vt caſtitatis ſimpliciter, ſeu vt perpetuum non eſt abſolutum, ſeu conditionatum, vt per ſe conſtat, & ita reſeruatum non eſt.

10. *2 Dubium. An talia vota conditionata poſita conditione maneant reſeruata. Aliquorum ſententia.* Secundum dubium eſt de eiſdem votis conditionatis poſt impletam conditionem, an maneant reſeruata? Quidam negant eſſe reſeruata, & affirmant poſſe commutari ab Epiſcopis iure ordinario, vel à delegatis habentibus facultatem generalẽ commutandi vota. Ratio eſt, quia illud votum à principio fuit imperfectum, & diuerſæ naturæ ab abſoluto, & ideo licet magis abſolute obliget, impleta conditione: ſemper tamen prouenit illa obligatio ex radice imperfecta, & ideo ad illam non extenditur reſeruatio. Confirmatur, quia hac ratione vota pœnalia, etiam poſt culpam commiſſam, poſſunt per Epiſcopum diſpenſari: eſt autem fere eadẽ ratio in præſenti: nam omnia hæc vota conditionalia nõ ſolent fieri ex perfecto affectu ad rem ſub conditione promiſſam, ſed potius ex affectu ad ipſam conditionẽ, & ex hac parte ſunt imperfecta, & ſimpliciter cenſenda non ſunt vota Religionis, aut caſtitatis, etiam poſt impletam conditionem. Confirmatur ſecũdo, quia ſi diſpenſari non poſſet hoc votum poſt impletam conditionem, neque antea poſſet. Probatur ſequela, quia talis diſpenſatio antea data referretur ad tempus impletæ conditionis: ad hoc enim ordinaretur, vt impleta conditione votum non obliget: ergo ſi in eo tempore non poteſt Epiſcopus diſpenſare, refert ſuam diſpenſationem ad tempus inhabile: ergo eſt nulla diſpenſatio, quia ad valorem actus non eſt inſpiciendum initium eius: ſed tempus pro quo fit, quia ſi in illo factus nõ valeret, nec pro illo antea factus valebit: hæc enim in Iure æquiparãtur, l. *Eum qui*, ff. de Iuriſd. omn. iudic. *L. Eum, qui.* & late per Tiraq. de Iure conſtit. limit. 2. n. 3. *Tiraquel.* vnde votũ factum ab impubere *Sanc.* irritari poteſt poſt pubertatem propter imperfectam originem: ergo ſimiliter. Pro hac ſententia refertur Tolet. ſed re vera illam non declarat, licet abſolute loquatur de votis conditionalibus, & pœnalibus, & fortaſſe de vtriſque intellexit, quamdiu ſunt in ſtatu conditionalium. Tenet vero illam Sanc. ſupra, qui refert Petr. Ledeſm. in Summa, & Anto. Gom. ſuper Bullam Cruciatæ, quos videre non potui. Adiungit etiam viros doctiſsimos noſtræ ætatis ita ſentire.

Nihilominus tamen dico, votum, quod à principio fuit vere & proprie conditionatum, impleta conditione, eſſe vere & proprie votum talis rei, puta Religionis, vel ſimile, ideoque eſſe vere & proprie reſeruatum. Hæc aſſertio intelligitur de voto conditionali, vt diſtincto à pœnali, & ſic eſt cõmunis. Eam enim in primis tenent omnes Authores in ſuperiori puncto allegati pro priori ſententia Soto, Nauar, Arag. Gutier. Cord. Azor, Valen. Item Leſsi. Emman. Rod. Perez, & Vega citati pro ſecunda ſententia. Idẽ tenet Couar. in cap. *Quamuis pactum*, 1 part. §. 3. n. 12. & omnes, qui hoc dicunt de voto pœnali, quos paulo poſt referam. Idem à fortiori ſupponunt de omni conditionali, vt per ſe notum eſt: difficile autem eſt in re tam graui, & neceſſaria à communi ſenſu recedere ſine textu, vel cogẽte ratione. Probatur autem primo, quia licet contractus fuerit à principio conditionatus, impleta conditione purificatur, & tam perfectus manet, ac ſi à principio fuiſſet ſine conditione factus: ergo idem eſt de voto. Conſequentia patet à paritate rationis. Antecedẽs autem probatur ex L. *Potior*, ad fin. ff. Qui in pignore potiores &c. vbi ſic habet, *Cum ſemel conditio extiterit, perinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.* Reſpondent aliqui verum eſſe hoc quantum ad obligationem, non vero quantum ad radicem obligationis: nã licet obligatio æqualis ſit, tamen radix obligationis non eſt æque perfecta.

Sed contra primo, quia in aliis contractibus non tantum obligatio, ſed etiam contractus ipſe eſt æque perfectus cõditione impleta, vt patet in matrimonio & ſponſalibus, impleta conditione, & idem eſt in emptione, & venditione, & quacumq; humana promiſsione: ergo voluntarium eſt ſolum votum excipere. Secundo videtur impoſsibile, obligationẽ eſſe æque perfectam & conſummatã, & conſenſum non eſſe æque perfectum, cum obligatio ſit quaſi formalis effectus conſenſus, & voti, vel ſi ſit in genere cauſæ efficientis, eſt ita intrinſecus, vt non poſsit eſſe maior perfectio in ratione obligationis, quam in ratione voti. Tertio, quia commutatio, vel diſpenſatio non cadit in votum, vt eſt actus, qui præceſsit, & iam non eſt

11. Reſolutio. Votum conditionatum, poſita conditione manet reſeruatũ, ac ſi eſſet abſolutum.

Couarr.

L. Potior.

Euaſio quorundam.

12. Occluditur.

Digitized by Google

eſt, ſed vi relinquit obligationem: ergo ſi peruenit ad eum ſtatum, in quo tam perfectam obligationem inducit, ſicut votum abſolutum, erit æque indiſpenſabile, ſeu reſeruatum. Quarto alij actus, vel contractus ſub conditione facti, impleta conditione, eoſdem pariunt effectus morales etiam odioſos, & pœnales, quos pariunt ſimiles contractus abſoluti à principio. ergo in præſenti erit eadem reſeruatio. Antecedens patet inductione; nam ſponſalia ſub conditione, quæ ante conditionem impletam non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis, impleta conditione, illam inducunt, non minus, quam ſi à principio fuiſſent abſoluta, cap. *Vnico.* §. *Ille*, de Sponſalibus in 6. Item datio beneficij ſub conditione Simoniaca de futuro, ante conditionem impletam non inducit cenſuram, & alias pœnas: impleta vero conditione inducit, & idem eſt in ſimilibus. Conſequentia autem probatur à paritate rationis: dicere enim quod in reſeruatione attenditur ad originem; & non in ſponſalibus, & aliis, gratis dicitur, & nulla ratio differentiæ aſsignari poteſt.

Secundo principaliter vt hoc euidentius conſtet, oſtendo illam imperfectionem, quæ in voto ſub conditione facto tanquam in radice conſideratur, nullam eſſe, nec in ordine ad conſenſum, nec in ordine ad morales effectus. Quod vt declarem, diſtinguo duos ordines horum votorum conditionalium, ſub vno conſtituo omnia illa vota, quæ fiunt per modũ pacti conditionati cum Deo, ſi periculum euaſero, hoc faciam, ſi tale beneficium contuleris, tale ſeruitium faciam, &c. In alio pono alia vota, quæ ſub ſimplici conditione fiunt ſine figura pacti cum Deo, vt voueo caſtitatem ſi cõfeſſor probauerit, vel ſi pater conſenſerit, &c. In prioribus votis nulla imperfectio eſt ex parte conſenſûs, præter ſuſpenſionem, & imperfectionem contractus, quæ durat quamdiu conditio non impletur: illa autem poſita, tollitur ſuſpenſio, & imperfectio contractus: ergo nulla imperfectio relinquitur ex vi illius originis. Quia illa ſolum erat pro ſtatu conditionis non impletæ, & ita illemet conſenſus, qui præceſsit, reſpicit duo tempora præſens, ſcilicet, dum non eſt conditio, & futurum, pro quo erit, & licet pro priori ſit imperfectus, pro poſteriori eſt perfectus, & talis incipit eſſe ſtatim, ac conditio ponitur. Obligatio autẽ tunc non oritur ex conſenſu, vt terminato ad tempus pręcedens, ſed vt terminato ad ſubſequẽs tempus, in quo eſt impleta conditio.

14. *Euaſio. Occluditur.*

Dices, ſemper eſt hęc imperfectio, quod votum ſit intuitu rei obtinendæ à Deo. Sed contra: nam hęc imperfectio qualiſcumq; illa ſit, impertinens eſt ad reſeruationem: nam votum Religionis etiamſi fiat intuitu honorum, & commoditatum temporalium Religionis, & ex ea parte ſit imperfectum, nihilominus validum, & reſeruatum eſt, quia illa non eſt imperfectio in proprio obiecto, ſeu materia voti, nec in plenitudine conſenſus, ſed tantum eſt in motiuo ex parte vouentis, ſeu in applicatione ad vouendũ. Idem autem eſt in voto illo conditionato: nam eſto motiuum vouendi ſit minus perfectum, tamen cõſenſus eſt plenus, & pro tempore, in quo fuerit poſita conditio eſt abſolutus, cuius ſignum eſt, quia poſita conditione tranſit in abſolutum, & cõſummat contractum ſine ſui mutatione, per ſolam mutationem obiecti. Quod autem ille idem cõſenſus prius fuerit conditionatus, nulla eſt imperfectio, ſicut non eſt imperfectio, quę ad rem pertineat, quod fiat ſub cõditione de pręſenti, vel præterito. Vt v.g. ſi pater pro abſente filio ſic voueat. *Si filius meus viuit hodie, voueo peregrinari Compoſtellam*: ſubſiſtente enim conditione, ſine dubio eſt validum votum, & reſeruatum ſecundum omnes, licet ſit imperfectum in motiuo, vel in modo vouendi. Denique in his votis, quatenus habent formam contractus, videtur eſſe maior ratio obligationis, quam in promiſsione abſoluta, & ſimplici, vt inter homines magis obligat promiſsio ſub conditione impleta ab alio, quam ſimplex. At vero in his votis ex parte Dei eſt perfectiſsimus conſenſus in contractum (vt ſic dicam) & Deus ex parte ſua perfecte implet contractum, conferendo beneficium, & cuſtodiendo à periculo: ergo vt ſit æqualitas etiam ex parte vouentis eſt conſummata obligatio, & perfectum votum.

Votum Religionis intuitu honoris, & commodorum temporalium factum perfectum, & validum eſt.

Idem facile probari poteſt de ſecundo ordine votorum; nam in his materia voti eſt promiſſa directe, & per ſe intenta à vouente, ſolum eſt imperfectus conſenſus, quamdiu conditio eſt ſuſpenſa, illa autem completa, abſolutus eſt, parumque ad effectus refert, quod illa conditio præceſſerit, & conſequenter nec ad reſeruationem confert. Quod declarari poteſt, applicando diſcurſum factum: nam ille etiam conſenſus habet duplicem reſpectum ad duo tempora, & pro tempore conſummatæ conditionis eſt omnino perfectus. Solumque in illo conſiderari poteſt, quod votum illud quaſi paulatim fit, & conſummatur: nam prius eſt conditionatum, poſtea abſolutum, & ita in eo proceditur, quaſi ab imperfecto ad perfectũ: at hoc nihil impedit, quominus poſtquã eſt conſummatum, perfectum ſit, ita enim contingit in rebus omnibus, quæ paulatim acquirunt perfectionem ſuam. Et declaratur amplius, quia illa imperfectio ſolum erat dependentia à iudicio, & conſilio alieno, quę plene tollitur, poſito conſilio fauẽte voto, vel forte erat expectatio alieni cõſenſus, quo poſito, manet conſummatus conſenſus vouentis, ſi iã fuit de præſenti datus, vt ſupponitur: ergo ſicut in his votis nihil deeſt ad perfectiſsimam obligationem, ita neque ad perfectam rationem voti abſoluti, in eiſque verum eſt commune axioma, conditionalem aſſertionem, vel conſenſum, poſita conditione tranſire in abſolutum: ergo nihil deeſt talibus votis, quominus reſeruata ſint.

Fundamentum alterius ſententiæ ſufficienter ſolutum eſt ex dictis: nego enim votum conditionatum fuiſſe imperfectum in ordine ad tempus futurum, pro quo eſſet impleta conditio, ſed ſolum fuiſſe imperfectum ex parte alterius extremi, quaſi extrinſece, quia nondum conditio poſita erat, tamen iam ex parte ſua habebat totam perfectionem neceſſariam vt eſſet abſolutus conſenſus, poſita conditione, & ideo licet imperfectio conferat ad non reſeruationem quamdiu durat, non tamen poſtquã ſublata eſt, vt ſatis eſt declaratum. Ad primam confirmationẽ in ſeq. c. in 2. dubio dicetur, nunc aſſero, ſi neceſſarium eſſet, per illationem vnum ex altero inferre, potius concedendum eſſe, vota pœnalia eſſe reſeruata, impleta conditione, quam conditionalia non eſſe, & ideo propter rẽm incertam non eſt neganda res longe certior: quanta vero ſit illa connexio, mox declarabo. Ad ſecundam confirmationem nego ſequelam: & ad probationem dico, regulam illam non recte in pręſenti applicari: quia diſpẽſatio voti conditionalis data ante impletam conditionem non refertur proprie ad tempus futurum, in quo eſſet implenda conditio, ſed ſtatim habet ſuum effectum, tollendo votum, & ad hunc effectũ tempus illud habile eſt, & opportunum, quia votũ nondum perfecte obligat, votum autem ſemel ablatum, ſemper manet ablatum, & ita conſequenter fit, vt licet poſtea impleatur conditio, iam votum non obliget. Inde vero non fit, vt diſpenſatio referatur ad tempus inhabile, ſed fit potius, vt præueniat illud tempus, & faciat, vt iam in illo nõ ſit neceſſaria diſpenſatio. Ad tertiam confirmationem negatur etiam conſequentia: nam votum impuberis fuit imperfectum ex imperfecta ratione, & voluntate vouentis, quæ imperfectio non purgatur ex ſolo tractu temporis ſine noua confirmatione. Hic autem non fuit imperfectio in deliberatione vouentis, ſed ſolum in ſuſpenſione conſenſus per conditio-

15. *Fit ſatis fundamentis oppoſita ſententia.*

nem, qua imperfectio purgatur conditione impleta.

CAPVT XXIII.

An vota pœnalia in materiis votorum reſeruatorum reſeruata ſint?

1. *Vota pœnalia ante culpam non ſunt reſeruata.* DVo etiam ſtatus ſunt in his votis diſtinguendi: vnus ante culpam, alius poſt illam commiſſam, & ita etiam hic duo dubia occurrunt. Primum eſt, an vota pœnalia ante commiſſam culpam ſint reſeruata, vel poſsint tolli per Epiſcopum, & alios habentes generalem facultatem? In quo breuiter dicendum eſt, talia vota pro illo ſtatu non eſſe reſeruata. Probatur à fortiori, quia illa vota vltra propriam imperfectionem, quam habent, vt pœnalia ſunt, habent generalem ſuſpenſionem conditionalium: nam reuera conditionata ſunt; ergo ſi alia vota conditionalia non ſunt reſeruata, non impleta conditione, multo minus iſta. Et ita in hac aſſertione conueniunt fere omnes Doctores allegati, & ſtatim referendi. *Nauar.* Solus Nauar. in Summ. ca. 12. n. 43. & conſ. 15. de Voto, diſtinguit inter votum pœnale purum, ſeu ſimplex, (quod vnum tantum eſt, vtriq; de pœna, ſi committatur culpa, & non ſit ſpeciale votum de non committenda tali culpa) & inter votum pœnale, quod duo includit, vnum nō ludendi, verbi gratia, aliud eundi Hieroſolymam, ſi id commiſerim. De hoc ergo poſteriori concedit, poſſe diſpenſari ante commiſſam culpam quaſi in radice, ſcilicet tollendo votum de non ludendo, quia illud nō eſt reſeruatum, & illo ablato, tollitur aliud. Quia licet ille poſtea ludat, non peccat contra votum, & conſequenter non incurrit pœnam alterius voti, & ita ſubtrahitur illius voti materia, & ſic tollitur, licet non diſpenſetur. De priori autem voto negat poſſe tolli, niſi per Papam, etiam ante cōmiſſam culpam, quia eſt vnum, cuius materia eſt reſeruata.

2. *Excluditur ſententia Nauarri.* Hæc vero ſententia quoad hoc poſterius membrum, in quo diſſentit à nobis, reiicitur ex dictis capit. præceden. in primo dubio, quia Nauarr. ſolum in hoc fundatur, quod votum conditionatum, etiam ante conditionem impletam, reſeruatum eſt, cuius contrarium definiuimus, & oſtendimus, ideoque hæc ſententia quoad hanc partem procedit ex falſo fundamento. Et præterea aduerto, hoc votum etiam interdum poſſe eſſe tale, vt per ſolam diſpenſationem circa antecedens tollatur conſequens, etiam per Epiſcopum. Vt ſi quis voueat in hunc modum, promitto ire Compoſtellam ſi fregero Quadrageſimale ieiunium: nam ſi Epiſcopus diſpenſet cum illo in ieiunio, licet non ieiunet, non tenebitur voto, quia ceſſat ratio peccati in non ieiunando, quod erat fundamentum voti, & ita ſi cætera ſint paria, eſt eadem ratio in vtroque voto.

3. *Duplex aduertendum.* Vnde vlterius in priori puncto occurrunt duo notanda. Vnum eſt, etiam in illo voto eſſe diſpenſabile poſterius votum, non reſeruato primo, & hanc diſpenſationem non eſſe reſeruatam, ſed poſſe concedi ab Epiſcopo. Probatur prior pars; quia cum ſint duo vota, primum de ſe eſt ſeparabile à poſteriori: ergo è conuerſo poteſt per commutationem tolli poſterius, relicto primo. Vt in dicto caſu poteſt non tolli votum de non ludendo, & tolli pœna talis peregrinationis, mutando illam in aliam peregrinationem, vel in alia opera pia, quæ ſtatim fiant, etiam ante incurſam culpam. Quod autem hoc fieri poſsit ordinaria poteſtate, probatur: quia illa non eſt diſpenſatio in voto abſoluto Compoſtellano, ſed ad ſummum in conditionato, & eo tempore, quo nondum eſt contracta obligatio, ſed eſt ſuſpenſa reſpectu talis pœnæ. Item eſt optima ratio, quia illud votum diſpenſari poteſt, quando eſt vnicum: ergo licet ſit coniunctum cum alio, poterit diſpenſari ſine illo. Item in his duobus votis ſicut prius poteſt eſſe ſine poſteriori, ita è conuerſo: quia poteſt quis teneri ex voto ad non ludendum ſine adiunctione talis pœnæ: imo ſine adiectione alicuius pœnæ ex voto; ergo non repugnat diſpenſari poſterius votum relicto priori, & alioqui tale votum nondum eſt reſeruatum, vt oſtenſum eſt, quia licet prius ſit abſolutum; poſterius eſt conditionatum, & nondum eſt impleta conditio, vt oſtenſum eſt; ergo poteſt per Epiſcopum, vel delegatum diſpenſari, aut commutari ſine priori. Quin potius etiamſi prius votum, tale ſit, vt non poſsit Epiſcopus diſpenſare in illo, nihilominus poſſet diſpenſare in ſecundo conditionali. Vt ſi quis voueat ſeruare caſtitatem, & ſi illam violet, ieiunare, vel Religionem ingredi, poterit Epiſcopus commutare, vel auferre pœnam, licet votum caſtitatis auferre non poſsit. Nam tunc etiam procedunt rationes factæ.

Alterum notandum eſt, non videri neceſſarium, quod Nauar. ait, diſpenſato priori voto, ſecundum per ſe cadere, quia fieri poteſt, quod illa pœna non promittatur propter priorem culpam, vt eſt contra ſpeciale votum, ſed tantum vt eſt ſecundum ſe mala, & contra aliud præceptum. Vt ſi prius votum ſit non fornicandi, & aliud ſit eundi Hieroſolymam, ſi fornicatus fuerit, etiamſi tollatur prius votum, poterit propter ſolam fornicationem incurri hæc pœna. Nam præciſe propter intemperantię culpam, & ad ſe continendum ab illa, videtur vouens talem pœnam ſibi impoſuiſſe, & videtur ſane, hæc eſſe communis intentio ſic vouentium. Imo ſæpe non tam attendunt ad malitiam moralem actus, quam ſibi interdicunt, quam ad alia incommoda, quæ ludus, verbi gratia, ſecum affert: quæ incommoda non auferet Epiſcopus, etiamſi in voto non ludendi diſpenſet: ergo per ſolam diſpenſationem in primo voto non ſatis tollitur ſecundum, niſi ipſum in ſe diſpenſetur. Vnde reſpiciendum ſaltem eſſet ad intentionem vouentis, & modum voti, quod non ſit, ſi ſimpliciter totum illud votum per modum vnius auferetur. Deniq; in eo caſu non ſatis eſt petere diſpēſationem à voto nō ludendi, ſed oportet vtrūq; votum explicare: ergo eſt ſignum non tolli illo modo, ſed per ſe, & in ſe, (vt ita dicam) vtrumq; diſpenſari.

Aliud dubium eſt, an votum pœnale, in quo pœna eſt materia pertinens ad vota reſeruata, maneat quoad illam reſeruatum poſt commiſſam culpam? Certum eſt enim eum, qui vouit Hieroſolymam peregrinari ſi occidat inimicum, poſt factum homicidium teneri ſimpliciter, & abſolute ad peregrinandum illuc ex voto: difficultas ergo eſt, an illud votum maneat reſeruatum? Multi enim, & graues Authores affirmant, Soto ſupra, & tract. de Iuramento, 1. p. cap. 9. Cordu. Couarr. & Gutier. vbi ſup. Em. Rod. in Bulla Cruciatæ §. 9. nu. 124. Azor ſupra, & c. 10. q. 3. & eſſe veriorem opinionem dicit Graſſis libr. 2. Deciſ. cap. 28. eſſe vero tutiorem, licet contraria probabilis ſit, dicit Angles qu. de Voto, art. 8. difficult. 10. Fundamentum eſt, quia iam illud votum non eſt conditionatum, ſed abſolutum, & ita in illo vrgent omnes rationes, quæ de voto conditionato poſt impletam conditionem diximus: quia vix poteſt ſpecialis ratio in pœnali voto aſsignari, quæ efficax ſit. Et quia in hoc ſolo cōſiſtit vis huius fundamenti, examinando fundamentum ſequētis ſententiæ, melius expendetur. 5. *An votum pœnale de materia pertinente ad vota reſeruata maneat quoad illam reſeruatum. 1. Opinio. Soto. Cordub. Gutier. Em. Rod. Azor. Graſſ. Angles.*

Secunda ergo ſententia dicit, hæc vota non eſſe reſeruata, etiam poſt impletam conditionem. Tenet Aragon. ſupra, & dicit, hanc opinionem iam eſſe communem. Henr. lib. 7. de Indul. c. 30. nu. 6. vbi dicit eſſe communem praxim, & refert plures viros doctos, qui ſcripta ſua typis non mandarunt. Tenet etiam Medin. in Sum. li. 1. c. 14. §. 6. Viuald. late d. ca. 14. à n. 45. vſque ad 57. Ludouic. Lop. 1. p. c. 44. & 2. p. capit. 9. de Clauib. circa finem, & Em. Rod. mutans ſenten- 6. *2. Sententia. Aragon. Henriq. Medin. Viuald. Lud. Lop. Em. Rod. Sanc.*

Digitized by Google

ſententiam [illegible] quæſtionum Recudar, [illegible] artic. [illegible] [illegible] reſeruandam. Et fere omnes [illegible] Authores fatentur hanc eſſe probabilem, [illegible]. [illegible] eſſet [illegible] contradicere & [illegible] conſuetudinem [illegible], licet non [illegible] ſolida [illegible] tam ſententiam perſuadere. Prima eſt [illegible], quia hoc votum à principio fuit conditionatum & imperfecte voluntarium, & ſemper trahit ſecum illam imperfectionem. Confirmat hoc Vnalden. à ſimili, quia licet rebaptizatio ſit caſus reſeruatus, vel ſufficiens ad cenſuram, ſi tamen rebaptizet quis ſub conditione, non incurrit cenſuram, nec eſt caſus reſeruatus. Confirmatur ſecundo, quia hæc vota pœnalia ſunt valde ordinaria, præſertim in [illegible] caſus autem, qui frequenter accidunt, committuntur Epiſcopis, vt ex materia de Legibus conſtat, [illegible] perſequitur Cordub. in libr. 1. Quæſtion. quæſt. 11.

Cordub.

7\. Sed hæ partim vrgent nam prima ratio procedit generaliter de omni conditionato, & non aſſignat particularem rationem in his pœnalibus, [illegible] vel ſuppoſit[illegible] fundamentum, vel non declarat, quam particularem imperfectionem habeant hæc vota, quæ ſufficiat vt non cenſeantur reſeruata poſt impletam conditionem, nam pro illo tempore reuera ſunt ſatis perfecte volũtaria quia ſunt facta cũ deliberatione integra, & ſufficienter ad peccatum mortale, & poſita conditione fiunt abſoluta. Prima etiam confirmatio non eſt ad rem, quia in illa rebaptizandi conditio adiecta non eſt de futuro, ſed de præſenti, & tantum eſt, vt excludat voluntatem ſimpliciter rebaptizandi. Nam conditio eſt, ſi [illegible], ſi non eſt baptizatus, baptizo te, & tunc [illegible] dum non [illegible], & ſi non ſufficit, non eſt reſeruatio, & ea conditio ſimpliciter excuſat rebaptizationem ſimpliciter. Si vero eſſet ſupponeretur [illegible], cum qua [illegible] eſt, [illegible] vt baptizo te ſi [illegible] peccabis, tunc ſubſiſtente conditione eſſet rebaptizatio, & incurreretur cenſura, [illegible]. Non poteſt autem baptiſmus dari ſub conditione de futuro, & ideo non poteſt caſus ille in exemplum trahi. Secunda vero confirmatio [illegible] congruentiam, ſed non per ſe ſufficientem, [illegible] probaret de omnibus votis Religionis [illegible] ſufficienter, vt [illegible] generaliter [illegible].

8\. *Ratio fundamentalis.* Vnica ergo ratio fundamentalis [illegible] eſt, quia in voto pœnali [illegible] neceſſe, & per ſe id, quod vouet in pœnam, vt Religionem, vel peregrinationem non [illegible] promittit per ſe intendens cultum Dei, ſed potius affectat vitare talem rem vt moleſtam, & pœnalem & ideo illam promittit ſub tali conditione, vt ex affectu vitandi pœnam cogatur vitare culpam. ergo qui ſic vouet non vult Religionem, niſi valde [illegible], & [illegible] nunquam [illegible] votum illud eſt ſe votum ſimpliciter Religionis cum conditione [illegible]. [illegible] votum Religionis ſimpliciter [illegible] tantum eſt ex affectu Religionis [illegible] vel[illegible], voluiſſe Papam reſeruare vota ſimili modo facta in quocunque ſtatu inueniantur. Hinc confirmatur differentia inter hæc vota, & alia conditionata, nam hæc non excluduntur à numero votorum reſeruatorũ propter imperfectionem conſenſus conditionati, hæc enim non ſufficit poſt impletam conditionem, ſed propter imperfectum modum vouendi talem materiam potius ex repugnantia ad illam, quam ex affectu.

9\. *Obiectio.* Contra hanc vero rationem obiici poteſt primo, quia ſi eſſet ſolida probaret etiam votum factũ ſub tali conditione de præſenti, aut de præterito, non eſſe reſeruatum, conſequens eſt falſum, & à nemine admittitur ergo. Declaratur ſequela, ſi quis dubitet, an in tali actu peccauerit mortaliter, ita voueat, ſi in hoc peccaui mortaliter in vindictam talis peccati voueo peregrinari &c. tunc ergo vouens non promittit ex affectu ad Religionem, ſed potius, quia eſt ſibi oneroſa, & pœnalis illam promittit in odium peccati ergo quoad hoc habet tale votum eandem imperfectionem, quam ſimile votum pœnale de futuro; ergo [illegible] ratio ſufficit in hoc voto, vt non ſit reſeruatum impleta conditione, etiamſi [illegible] ſit præterita, ſufficiet. Patet conſequentia, quia affectus ad Religionem eſt idem & diuerſitas in conditione non refert, quia vt oſtenſum [illegible] de futuro poſitam impletur, [illegible] conditioni de præſenti vel de præterito. Quare differentia inter hæc vota, quæ ex conditione de præſenti vel futuro [illegible] per ſe nõ eſt ſufficiens. Nihilominus tamen poteſt conſiderari aliqua differentia ex parte affectus vouentis, nam quando [illegible] factum, voluntas [illegible] pœnam [illegible] vouentis, [illegible] que [illegible], quod non [illegible] voti. [illegible] frequenter [illegible] Religionem, vt poſſint pœnitentiam [illegible] peccatis, & alia quæ ſunt perfecta [illegible]. At vero quando conditio eſt [illegible] ſupponitur culpa, quæ eſt [illegible], [illegible] promittio Religionis à principio [illegible] ſugiendi illam, vt ita [illegible] & in hac parte votum illud, vt eſt Religionis, [illegible] eſt ſub ea ratione. *Fit ſatis obiectioni.*

10\. *2. Obiectio.* Sed obiicitur ſecundo, quia in illo voto, aut conſideratur imperfectum motiuum vouendi, aut repugnantia voluntatis, & affectus ad Religionem, quæ in ſe [illegible] neutra autem ſufficit vt tale votum non ſit reſeruatum ergo. Probatur Minor quia motiuum illud continendi ſe à tali vitio [illegible] obligationis ad Religionem, nõ eſt malum, licet non ſit omnino perfectum, & ita parum refert ad reſeruationem, vt ſupra dixi. Eo vel maxime [illegible] tale motiuum pertinet ad cauſam impulſiuam (vt vocant) ſeu applicationem voluntatis ad [illegible] poteſt eſſe [illegible] Religionis [illegible] perfectum. [illegible] voluntate [illegible] abſoluta voluntate ſe obligandi [illegible] ergo illa imperfectio ex parte motiui non ſufficit ad impediendam reſeruationem in voto conditionato pro ſtatu impletæ conditionis nam pro illo ita eſt cõnominata, & [illegible] voluntas ſe obligandi, licet motiuum impulſiuum ad illam voluntatem fuerit, [illegible] à peccato. Altera pars de repugnantia affectus [illegible] quia etiam in voto abſoluto ſimul cum [illegible] poteſt interuenire ſimilis repugnantia [illegible], qui nollet fieri Religioſus, & cui diſplicet Religio, vouet illam abſolute ad vitandam mortem, vel ad conſequendos honores, & tamen votum eſt reſeruatum, & ita ſolum relinquitur differentia in ratione conditionati, & abſoluti, quæ ceſſat impleta conditione, vt dixi. Confirmatur quia [illegible] poſſet quis dicere, omne votum [illegible], quod à principio fuit factum cum fundamento malo, & ſine affectu totali ad Religionem non eſſe reſeruatum, ſed diſpenſabile ab Epiſcopo, quod non videtur admittendum, vt ſequentia [illegible] dicam.

11\. *Soluitur obiectio, & aſſignatur differentia.* Obiectio ſine dubio eſt difficilis, & ſpeculatiue [illegible] detur ſatis probabiliter concludere, nihilominus tamen poteſt aliqua differentiæ ratio reddi, non quidem in motiuo applicante volunta-

Digitized by Google

In modo repugnantiæ. tem, ſed in modo repugnantiæ. Vnde ingenue fateor imperfectionem in motiuo applicante voluntatem ad vouendum, non ſatis eſſe, vt votum non ſit reſeruatum, ſi alias materia reſeruata ſit. Item fateor non ſatis eſſe, quod votum ſit cum illa repugnantia, quæ prouenit ex admiſtione inuoluntarij ſecundum quid, vtrumque enim conuincit ratio facta. *Vera ratio aſſignatur.* Dico ergo, rationem conſiſtere in hoc, quod votum, quando eſt pœnale de futuro, ſit cum effectu, & deliberatione cauendi illud ipſum, quod ſub conditione vouetur, & cum propoſito, & animo vitandi abſolutam obligationem eius, quod in aliis votis omnibus non inuenitur. Nam ſi ſint abſoluta etiam pœnalia pro culpa iam commiſſa fiunt, cum abſoluta voluntate ſe obligandi ad Religionem, caſtitatem, vel peregrinationem, & cum deliberato animo id præſtandi, etiamſi cum repugnantia, & nolleitate (vt ſic dicam) ſeu ſimplici diſplicentia: in voto autem conditionali pœnali intercedit animus omnino cauendi abſolutam obligationem; imo intrinſece videtur hoc includi in tali voto ex natura eius, quod proprium eſt illius, & nullis aliis, vel abſolutis, vel conditionatis non pœnalibus conuenit. Et ideo illud nunquam cenſetur votum ſimpliciter talis rei, ſicut cenſentur alia, tametſi aliquo modo inuoluntaria fuerint, & hinc fit, vt alia reſeruata ſint, vel ſtatim, ac fiunt, ſi ſint abſoluta, vel impleta conditione, ſi ſub illa fiant: pœnale autem minime.

12. *Inſtantia.* Dices: Licet ille, cum vouit, habuerit talem animum; nihilominus cum poſtea peccat, eo ipſo ſimpliciter vult ſe obligare ad pœnam, non obſtante repugnantia, & diſplicentia illius. *Soluitur.* Reſpondeo, ex vi talis peccati non habere vouentem illam voluntatem formalem. Imo peccare poteſt, nihil cogitans de voto, vel licet cogitet, poteſt peccare ſpe diſpenſationis, vel poteſt non renouare voluntatem obligationis, ſed permittere obligationem, quæ neceſſitate quadam ſuperuenit ex vi prioris voti; eſt ergo tantum quædam voluntas permiſſiua, & ſæpe tantum interpretatiua, quæ non ſufficit, vt votum illud dicatur ſimpliciter tale vt ob eam rem interpretari poſſimus, non fuiſſe intentionem Pontificis reſeruare illud. Hoc ergo modo illa opinio probabili ratione defenditur; fortius autem, & certius practice defenditur ex probabilitate, quam ab authoritate habet, & maxime à conſuetudine: nam ſicut hæc reſeruatio maxime nititur in conſuetudine, ita eadem conſuetudo illam interpretata eſt. Vnde cum id fiat, vidente, & tacente Pontifice, illam approbare videtur.

13. *De duplici pœna peccati, & differentia inter vtramque.* Nihilominus tamen occurrit addenda moderatio quædam, quæ fundamentum habet in ratione facta prout à nobis explicata eſt. Duplex enim eſt pœna peccati; vna vindicatiua, & alia medicinalis, vt ex materia de Confeſſione conſtat: his enim duobus modis poteſt confeſſor pœnitentiam imponere, eſtque inter illas pœnas latum diſcrimen: nam medicinalis maioris neceſſitatis eſt, & non excuſatur propter indulgentias, nec facile mutari poteſt. *Duobus modis votum pœnale fieri poſſe.* Dico ergo, his duobus modis poſſe fieri votum pœnale, & omnia dicta maxime procedere de voto pœnali, quod in vindictam peccati fiat, & de hoc intelligendam eſſe ſententiam communem nunc inter Modernos: non tamen eſſe extendendam ad pœnam medicinalem. Nam ſi quis voueat ingredi Religionem, ſi talia peccata commiſerit, non in vindictam, ſed vt in Religione vitet pericula, & occaſiones ſic peccandi, videtur illud votum fieri ſufficienter ex affectu ad Religionem, ſaltem vt eſt aptum medium ad vitanda peccata, quod eſt optimum voti motiuum. Vnde tale votum videtur potius conditionale purum, quam proprie pœnale, & non videtur fieri ex affectu cauendi obligationem, ſed ſolum ex affectu cauendi peccata, & vtendi conuenienti remedio contra illa, ſolumque videtur pro tunc apponi conditio ad ſumendam ſufficientem experientiam neceſſitatis talis remedij: ideoque impleta conditione, ſatis voluntarium, & conſummatum relinquitur votum Religionis vt remedij contra peccata, quod merito cenſendum eſt votum ſimpliciter Religionis, ac ſubinde reſeruatum. Idemque cenſeo ſi actio pœnalis, & oneroſa promittatur in gratiarum actionem pro actu virtutis, vel pro peccato euitando, vt ſi quis voueat peregrinari Compoſtellam, ſi a lapſu carnis tanto tempore conſeruetur, vel quid ſimile: hoc enim votum impleta conditione abſolutum eſſe cenſeo, ac reſeruatum, quia non eſt pœnale, licet fortaſſe opus ſit pœnale, & vt tale promittatur, quia promittitur ex directo affectu, & cum plena determinatione pro tali euentu.

CAPVT XXIIII.

De votis ſub diſiunctione factis de materia reſeruata, & non reſeruata.

1. *Votum factum ſub diſiunctione de materia reſeruata, & non reſeruata non eſſe reſeruatum.* COntingit ſæpe vouere ſub hac forma, Voueo peregrinare Hieroſolymam, vel centum aureos in eleemoſynam dare, ſeu promitto peregrinari, vel Romam, vel Lauretum. De huiuſmodi ergo voto ſolet inquiri an reſeruatum ſit? In quo dubio breuiter dicendum eſt, *re exiſtente integra*, id eſt, non mutata voluntate vouentis, nec facta determinatione ex parte materiæ, votum non eſſe reſeruatum. Ita tenent communiter moderni Doctores, qui hoc attingunt. Ratio eſt, quia illud non eſt votum Romanum ſimpliciter loquendo: ergo non comprehenditur ſub reſeruatis. Item quia ille poteſt implere votum circa materiam non reſeruatam per regulam *In alternatiuis*, de Regul. Iur. in 6. ergo non eſt ſimpliciter obligatus ad materiam reſeruatam: ergo illa obligatio, quæ immediate ex illo voto naſcitur, ſimpliciter diſpenſari oportet, vel commutari in aliam determinatam, quæ reſeruata non ſit, vel etiam poſſet auferri pars illa materiæ reſeruatæ, & alia ſola relinqui, vel pars reſeruata poſſet in aliam non reſeruatam commutari, relinquendo votum diſiunctum. Nam ſuppoſita non reſeruatione voti, hæc omnia cadunt ſub eandem poteſtatem, ſi cauſa ſubſit proportionata.

2. Oportet autem, vt altera, vel aliqua pars diſiunctionis fuerit de materia non reſeruata: nam ſi fiat votum diſiunctiuum circa vtramque materiam reſeruatam, vt voueo caſtitatem, vel Religionem, clarum eſt, votum eſſe reſeruatum, quia neceſſario impleri debet in materia reſeruata: & ita totum illud æquiualet ſaltem voto determinato de minori parte diſiunctiuæ, quod reſeruatum eſt. Sed quid de hoc voto, Voueo Religionem, vel clericatum in ſacris? Dico non eſſe reſeruatum, quia in eo habet etiam locum ratio facta. *An promittere caſtitatem, vel ordinari in ſacris ſub diſiunctione ſit votum reſeruatum.* Maius dubium eſſe poſſet de hoc voto, Promitto caſtitatem, aut ordinari in ſacris: nam in illo quidquid eligatur, ſeruanda eſt caſtitas; ſed nihilominus non eſt votum reſeruatum, quia pars materiæ quoad clericatum reſeruata non eſt, & licet illa eligatur nondum eſt obligatio ad caſtitatem donec cum effectu ordinatio fiat, & tunc obligatio ad caſtitatem oritur ex nouo voto, non ex priori diſiunctiuo.

3. Dixi autem in aſſertione, *re exiſtente integra*: quia ſi mutatio fiat tunc limitatione, ſeu diſtinctione opus eſt. Poteſt enim mutatio fieri per electionem vouentis, vt ſi poſt primum votum emiſſum, voluntarie determinat ſuam obligationem ad alteram partem voti reſeruatam. Quod duobus modis fieri poteſt. Primo per ſolum propoſitum exequendi votum in parte materiæ reſeruatæ & quamdiu

vltra

ſiſtitur in ſolo propoſito pertinente ad executionem voti non mutatur votum, nec obligatio eius, quia propoſitum illud, iuxta ſupra dicta, non inducit obligationem: vnde & mutari poteſt ſine ſpeciali peccato, & non reddit votum minus diſpenſabile, quam antea erat. Secundo poteſt id fieri per abſolutam voluntatem ſe obligandi ad partem materiæ reſeruatam. Et tunc quaſi nouum votum emittitur, & contrahitur, ac determinatur obligatio ex conſenſu partium, quæ & ideo mutari amplius non poterit arbitrio vouentis, ſed tenetur implere votum in parte, quam decreuit, ideoque iam illud votum eſt ſimpliciter Religionis, verbi gratia, ac ſubinde reſeruatum.

4. *An votum ſub diſiunctione in materia reſeruata ſit reſeruatũ.* Alia mutatio poteſt contingere ex parte materię, quia verb. grat. vouit quis Religionem ingredi, vel talem eleemoſynam facere, & poſtea factus eſt impotens ad eleemoſynam, & tunc dubitari poteſt, an ille obligetur ad Religionem determinate, & conſequenter, an illud votum ſit reſeruatum? Reſpondeo, quoad obligationem non eſſe dubium, quin ſi perſeuerante obligatione alternatiua, altera pars facta eſt impoſsibilis, implenda ſit obligatio in altera parte? Quia votum obligat, vt impleatur, eo modo quo poteſt. Nihilominus tamen dico, votum nõ fieri reſeruatum, quia nunquam eſt votum determinatum talis materiæ, & applicatio obligationis ad illam prouenit ex ſolo facto, ſeu ex impoſsibilitate materiæ, quæ eſt per accidens, nõ ex vi vinculi.

5. *Obiectio.* Dices; Etiam votum conditionatum eſt quaſi diſiunctum, & tamen, impleta conditione obligat, ita vt ſit reſeruatum: idem ergo erit in præſenti, vel è conuerſo, ſi votum diſiunctiuum facta determinatione ad alteram partem non ſit reſeruatum, nec conditionale fiet, impleta conditione. *Solutio.* Reſpondetur tamen negando conſequentiam vtramque: nam votum, licet ſub conditione fiat, non eſt diſiunctiuum, ſed determinate eſt de tali materia, & conditio non ampliat, nec variat materiam, ſed ſuſpendit conſenſum pro eo tempore, pro quo nõ impletur; pro illo autem, in quo fuerit impleta conditio, conſenſus eſt conſummatus, & abſolutus, & ita non per accidens, & præter intentionem vouentis ſit illa determinatio, & abſoluta obligatio, ſed per ſe, & vi ipſius voti. In præſenti autem caſu determinatio obligationis non eſt ex vi voti, ſed per accidẽs; & quaſi de facto potius quam ex natura obligationis, & ideo non eſt ſimilis ratio.

CAPVT XXV.

De poteſtate delegata ad diſpenſandum, vel commutandum, vota reſeruata.

1. CONſtat ex hactenus dictis, poteſtatem ordinariam ad tollenda hęc vota in ſolo Summo Pontifice eſſe poſt reſeruationem, ſaltem regulariter loquendo: nam dubitari poſſet, an hæc regula patiatur exceptionem, quod infra videbimus. Hinc ergo fit, vt ſecluſa delegatione, ſeu commiſsione nullus inferior poſsit illa vota mutare: nam hæc eſt vis reſeruationis. At vero media delegatione, certum eſt, poſſe hanc poteſtatem inferioribus committi, quia eſt delegabilis, vt conſtat, & ita habet Eccleſiæ vſus. Vnde etiam conſtat, poſſe delegari non tantum Epiſcopis, ſed etiam inferioribus clericis, quia quoad hoc eadem eſt ratio de his votis, quæ de aliis. Imo dicunt aliqui, hanc delegationem non habere vim delegationis reſpectu Epiſcoporum, ſed tantũ reſpectu inferiorum; quia eo ipſo, quod Epiſcopis conceditur reſpectu ſubditorum, incipit eſſe in eis ordinaria poteſtas: quia per illam conceſsionem tollitur reſeruatio, qua ſublata, Epiſcopus poteſtate ordinaria talia vota cõmutare poteſt. Sed licet hoc eſſet verũ, quando reſeruatio ſimpliciter tolleretur, vel perpetua conceſsio fieret Epiſcopali dignitati: tamen in his ordinariis conceſsionibus, ac facultatibus id locum non habet, quia etiam reſpectu Epiſcoporum ſunt tantum delegationes, quia ſit ſolũ commiſsio temporalis, quæ ſit tantum perſonæ, & quia non proprie tollitur reſeruatio, ſed communicatur iuriſdictio ſupra reſeruata. Itaque in hoc nullą eſt differentia, ſed tales conceſsiones eodem modo intelligendæ ſunt reſpectu Epiſcoporum, ac reliquorum.

2. *An per conceſsionem generalem diſpenſandi in votis, comprehẽdantur hæc vota reſeruata.* Solum ergo ſupereſt dubium, an per conceſsionem generalem diſpenſandi in votis, intelligantur hęc vota commiſſa, vel oporteat ſpecialem mentionem eorum facere? Ratio autem dubitandi eſſe poteſt: quia tale dubium ſolum cadere poteſt in delegationem ab ipſo Pontifice factam: nam ſi Epiſcopus delegec hanc poteſtatem, clarum eſt, non comprehendere vota Pontificia, quia non poteſt delegare quod non habet; Pontifex autem poteſt; ergo ſi generaliter concedit poteſtatem ad diſpẽſandum in votis, intelligitur de his omnibus, quæ ipſe poteſt diſpenſare; ergo etiam de reſeruatis.

3. *Reſolutio negatiua. Cap. Si Epiſcopus.* Nihilominus reſolutio communis eſt, ſub hac generali conceſsione non venire vota reſeruata, argumẽto c. *Si Epiſcopus*, de Pœnit. & remiſſ. in 6. vbi de caſibus reſeruatis ſimilis regula ſtatuitur. Et fundatur in alia, quod ſub generali cõceſsione non veniunt ſpecialia. Regula iuris 81. in 6. & ita non obſtat vniuerſalis cõfeſsio, etiam cum poſitiua diſtributione, quia illa eſt ſecundum ius intelligenda, & in iure habet prædictam limitationem. Quæ videtur ſatis declarata, & ad hanc materiam applicata in Extrauag. *Et ſi Dominici*, t. de Pœnit. & remiſſ. vbi declaratur, non concedi talium votorum commutationem, *Niſi ex ſpeciali cauſa, & certa ſcientia Papæ.* *Extr. Et ſi Dominici.*

4. *Quorundam limitatio. Soto. Em. Rod. Henric. Sanc.* Quidam vero reſtringunt hanc regulam ad vota caſtitatis, & Religionis. Nam vota peregrinationum putant comprehendi ſub generali conceſsione. Ita ſentit Soto li. 7. q. 4. ar. 3. vbi in fine corporis ait, votum Hieroſolymitanum debere expreſſe excipi; vt intelligatur non conceſſum. Et ſequitur Emman. Rod. in Sum. 2. p. c. 97. n. 1. in fine, & inſinuat Henric. li. 7. de Indul. c. 3. n. 6. lit. A. approbat Sanc. lib. 8. diſp. 9. de Matrim. n. 2. Qui Authores nullam probationem adducunt, niſi proprium arbitrium, quia vota peregrinationum non ſunt tanti momenti, ſicut alia duo, vel quia eorum reſeruatio non eſt tam antiqua. Sed hoc pendet ex alia quæſtione, an illa tria vota peregrinationum ſint vere, ac proprie reſeruata, necne? Ego autem ſuppono eſſe ita reſeruata, vt Epiſcopi per ordinariam poteſtatem iam non poſſint in eis diſpenſare, vel illa mutare, quod infra videbimus. Hoc autem ſuppoſito, non poſſum illi ſententiæ adhærere, ſed potius exiſtimo etiam in illis eſſe verum, niſi exprimantur, non intelligi conceſſa in vniuerſali clauſula. *Votum Hieroſolymitanum reſeruatum eſt, vt alia quæ Pontifici reſeruantur.* Probatur, quia ſunt ſimpliciter reſeruata: ergo in eis ſuccedit regula iuris, & dictum caput *Si Epiſcopus.* Probatur conſequentia, quia differentia ſecundum magis, & minus, vel ſecundum antiquitatem reſeruationis, non facit exceptionem in illa regula. Nam etiam inter peccata reſeruata quædam ſunt longe grauiora, & antiquiora aliis, & nihilominus, quoad hoc vt reſeruata non comprehendantur ſub generali conceſsione, omnia ſunt paria: ergo idem dicendum eſt in votis, ſuppoſita vera reſeruatione: nam eſt eadem ratio: quia ex vi reſeruationis obtinent ſpecialitatem, ratione cuius non comprehenduntur in clauſula generali.

5. *Obiectio. Solutio.* Dices: Etiam inter caſus reſeruatos, quidam ſunt magis reſeruati, quam alij, vt caſus Bullæ Cœnæ. Reſpondeo, ad hoc vt non comprehendantur ſub clauſula generali abſoluendi ab omnibus peccatis, omnes caſus reſeruatos eſſe æquales, ſed quoſdam habere maiorem ſpecialitatem in hoc, vt etiam in generali clauſula concedente caſus reſeruatos, non

Digitized by Google

comprehendantur, de qua ſpecialitate non iudicatur ex materia, vel antiquitate, ſed ex vſu, vel declaratione Pontificum: ergo in præſenti vota reſeruata conuenire debent, ſaltem in prima regula, vt ſub generali clauſula non comprehẽdantur. In alio vero nullum illorum habet dictam ſpecialitatem, quia nullibi declarata eſt, nec vſu introducta, vnde ſi concedantur vota reſeruata abſolute, & ſine alia declaratione, vel exceptione, ſine dubio comprehendentur etiam votum caſtitatis, & Religionis: ergo illa limitatio valde voluntaria eſt, & ideo non auderem illam ad praxim applicare.

6. *Confirmatio.* Et confirmatur primo, quia non eſt credibile, Pontificem per ſola generalia verba concedere priuatis perſonis quod negat Epiſcopis. Confirmatur ſecundo: quia ſecundum communem vſum, quando vult illa concedere, exprimit illa. Denique hoc videtur contineri ex d. Extrauagant. *Etſi dominici*, 2. *Ext. Etſi dominici.* nam ibi numerantur illa quinque vota, & additur, vt nemo audeat illa commutare, *Niſi ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra*: ergo ſtatuit Papa, vt omnia ſint ſpecialia, & non comprehendantur ſub generali clauſula, imo declarat Papa, vt de tali licentia tunc conſtare cenſeatur, *Cum in ſignatura noſtra deſuper manu noſtra ſcriptum, aut in literis noſtris expreſſum fuerit, & cætera.*

7. Nihilominus tamen negandum non eſt, vota peregrinationum intelligi conceſſa, quando Papa omnia concedit, & excipit ſolum vota caſtitatis, & Religionis: nam exceptio illa firmat conceſsionem quoad alia, quæ ſine dubio ſunt minora. Aliquando vero excipitur etiam expreſſe votum Hieroſolymitanum & tacentur alia, vt in Bullis Cruciatæ excipiuntur vota caſtitatis, Religionis, & Hieroſolymitanum, & tunc exceptio firmat conceſsionem quoad reliqua vota peregrinationum, quia ſine dubio minora ſunt, & facilius conceduntur, ſemper tamen oportet, vt aliquo ſufficienti ſigno indicetur *Aduertendum Soti.* conceſsio. Recte autem admonet Soto ſupra, quod licet excipiatur votum Hieroſolymitanum, & taceantur votum caſtitatis, & Religionis (vt de quadam Bulla, Sanct. Antonij ipſe ibi refert, & de Bulla S. Trinitatis idem circumfertur) nihilominus illa vota non cenſentur conceſſa ſub tali conceſsione, ſed vel ſupponuntur excepta iure antiquiſsimo, vel certe, excepto inferiori, cenſentur excepta maiora, & ad ſummum eſſe comprehenſa minora. Et iuxta hæc iudicandum eſt de ſimilibus formulis delegãdi hanc poteſtatem, quæ ponderãdæ ſunt, & cum illa Extrauaganti Sixti IIII. conferendæ, vt ſecundum illam limitentur, vel extendantur.

8. *An cenſeatur conceſſum votũ Religionis non expreſſum in conceſſione cũ conceduntur omnia vota etiam caſtitatis. Reſolutio negatiua.* Solum poſſet quis dubitare, ſi concedantur omnia vota, etiam caſtitatis, tacito Religionis, vel è conuerſo, quid dicendum ſit? Reſpondeo in primis talem conceſsionem non eſſe in vſu in ordinariis iobileis, & Bullis cruciatæ, & confraternitatum, aut Religionum, & ideo fortaſſe de illo caſu in ſpeciali nihil dicitur ab Authoribus: Illo tamen poſito, dico conceſsionem eſſe intelligendam, vt ſonat, ita vt inter illa duo vota intelligatur conceſſum, quod exprimitur, & non conceſſum q tacetur, quia reputantur fere æqualia, & ideo ex conceſsione non poſſumus colligere aliud eſſe etiam conceſſum: tum quia à diuerſis non fit illatio, tum quia maius eſt concedere vtrumque quam vnum. Vnde Pontifex exprimendo vnum & tacendo aliud indicauit, velle ſe facere aliquam ſpecialem gratiam, ſed non omnem, quam poteſt.

9. At vero maius dubium eſt, ſi concedantur omnia vota, & excipiatur votum caſtitatis, ac cenſeatur conceſſum votum Religionis, vel è conuerſo. Quæ forma etiam non eſt in vſu, ſed quoties vnum horum excipitur, ſolet excipi aliud. Poſito tamen illo caſu videri poteſt res dubia: nã hinc apparet ſub vno debere intelligi comprehenſum aliud, quia quaſi eiuſdem rationis reputantur. Item quia quodcumque illorum tam graue eſt, & tam reſeruatum, vt non intelligatur concedi per viam argumẽtationis, niſi exprimatur, quia poteſt vnius exceptio exprimi, vel caſu, vel aliqua alia occaſione, & ideo non ſatis conſtat aliud eſſe conceſſum, cum æque graue exiſtimetur.

In contrarium vero eſt, quia ibi habet locum regula, quod exceptio firmat regulam in contrarium 10. *Obiectio.* quoad omnia, quæ ſub tali exceptione non continentur: hic autem nulla eſt ratio ob quam votum caſtitatis ſub voto Religionis comprehẽdantur, cum ſint diuerſa, & ſe habeant ſicut excedens, & exceſſum, ita vt non liceat ab vno ad aliud quaſi à minori argumentari. Quin potius excipiendo vnum videtur Pontifex alterius gratiam concedere. Denique explicatur exemplo relato à Gloſſa ſupra citata in *Gloſ.* Extrauagan. 1. de Pœniten. & remiſſ. verb. *confitebuntur*, quæ ait, Bonifacium viij. declaraſſe, per indulgentiam pleniſsimam anni ſancti tolli omnia vota, excepto Hieroſolymitano, & ingreſſu Religionis, ibi enim non eſſe exceptum votum caſtitatis indicat illa Gloſſa, & expreſsius declarauit Viuald. 3. part. Candelab. cap. 14. numer. 19. eſtque probabile propter rationem factam, & quia priuilegia non ſunt reſtringenda, ſed amplianda. In illo autem exemplo (de cuius veritate, quæ ad factum pertinet, nunc non tractamus) poteſt maius dubium ingerere, quomodo excipiendo votum Hieroſolymitanum, non excipiatur à fortiori votum caſtitatis: iuxta ea, quæ in principio dicebamus. Sed dici poteſt, vel ex adiectione ſpeciali voti Religionis indicatum eſſe, noluiſſe Papam excipere vtrumque, vel certe ibi eſſe ſermonem de voto in ſubſidium terræ ſanctæ, quod in hac reſeruatione ſolet eſſe magis priuilegiatum, quam votum caſtitatis, vt videbimus.

CAPVT XXVI.

Vtrum Epiſcopi, vel qui habent à Pontifice facultatem generalem commutandi vota, poſſint in aliquibus caſibus commutare vota reſeruata?

QVamuis prædicta quinque vota ſint Papæ reſeruata veluti per generalem regulam, adhuc 1. ſupereſt explicandum, an in aliquibus caſibus illa regula patiatur aliquam exceptionem, quod dubiũ prius circa Epiſcopos tractabimus, & deinde circa inferiores, qui vtuntur generali facultate delegata à Papa. Dico autem *generali*, quia ſi in ſpeciali ſint commiſſa vota reſeruata, nulla ſupereſt dubitandi ratio de poteſtate, nec illa eſt proprie exceptio, quia iam interuenit formaliter (vt ſic dicam) authoritas Papæ. Præterea aduerto, in hoc dubio ſolum *Sanctius difficultatis.* eſſe ſermonem de votis, quæ vere, & proprie ſunt reſeruata, & de propria diſpenſatione, vel commutatione eorum. Nam ſi ex parte votorum ſumantur aliqua, quæ affinitatem, vel ſimilitudinem habent cum reſeruatis, in eis multa poſſunt aſsignari, quæ per Epiſcopum poſſunt tolli; ſed illę etiam non ſunt exceptiones à regula reſeruationis talium votorum, ſed ſunt declarationes materiæ, in quam cadit reſeruatio, talis eſt, quã ſupra tractauimus de votis pœnalibus, & plures alię, & quę de voto caſtitatis partiali vel Religionis tractari ſolet, quas in propria loca reſeruamus. Igitur hic loquimur, ſuppoſita perfecta materia, & obligatione voti reſeruati; an ſint aliqui caſus, in quibus Epiſcopi poſsint in eis diſpenſare.

2. *Aliqui exceptiones circa vota reſeruata.* Primus caſus, ſeu prima exceptio aſsignari ſolet de votis caſtitatis verb. grat. vel Religionis, quæ ab impuberibus emittitur, & à parentibus irritari poſſunt. Nam hinc inferunt aliqui, poſſe, etiam per

Epiſcopum

Epiſcopum diſpenſari. Ita ſumitur ex Gutier. lib. 2. Quæſtionum Canon. c. 21. n. 49. vbi generalem regulam conſtituit, omne votum ſubditi irritabile à ſuo Superiore, ſeu domino, etiamſi ſit caſtitatis, Religionis, aut ſimile, poſſe diſpenſari ab Epiſcopo, ponitque exempla in votis caſtitatis coniugum, regulam tamen extendit ad parentes, dominos, ac Prælatos. Citat autem Syluest. Nauar. Sot. & alios, qui de ſolis coniugibus loquuntur: de quibus ſatis dubium eſt, an poſsit Epiſcopus votum caſtitatis factum poſt matrimonium cōſummatum tollere, vel in toto, vel in parte? quod in proprium locum reſeruamus, quidquid vero de hoc ſit, hoc non pendet ex poteſtate irritandi coniugum inter ſe, nec per illam regulanda eſt poteſtas Epiſcopi, vt dicemus. Idem ergo eſt de parente, domino, & ſimilibus.

Excluditur exceptio.

3. Dico ergo regulam non eſſe veram, & conſequenter dictam exceptionē non eſſe admittendam, quia nullo iure fundatur. Et quia poteſtas irritandi, & diſpenſandi ſunt longe diuerſæ, & ex principiis diſtinctis oriuntur, & ideo ab vna ad aliam argumētari non licet. Vnde licet parens, vel maritus poſsit irritare vota filij, aut vxoris, non tamen poteſt in illis diſpenſare, vt bene notauit Sot. lib. 7. de Iuſt. quæſt. 3. artic. 1. ergo ex eo, quod pater poſsit irritare hæc vota filij impuberis, non recte colligitur poſſe Epiſcopum illa diſpenſare, vel commutare. Denique reſeruatio non opponitur irritationi, quia non tollit poteſtatem dominatiuam, ſed opponitur iuriſdictioni, quam ſubtrahit, ac limitat: ergo licet facta reſeruatione pater poſsit irritare, nihilominus non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Quapropter ſi pater nolit irritare votum filij caſtitatis, vel Religionis; non propterea poterit Epiſcopus diſpenſare: quia illud eſt votum validum, & ſimpliciter talis materiæ, ac ſubinde reſeruatum. In ſeruo autem non habet locum illud exemplum, quia non poteſt dominus irritare votum caſtitatis ſerui, nec proprie votum Religionis, licet poſsit executionem eius impedire. Votum autem peregrinationis Hieroſolymitanæ forte poteſt irritare, & illo admiſſo, non ſequitur poſſe Epiſcopum in illo diſpenſare, cum iuriſdictionem non habeat, & idem eſt in omnibus ſimilibus.

Parens, & maritus poteſt vota filij, & vxoris irritare, non tamen diſpenſare.

4. Secundo excipiunt aliqui hæc vota ex metu facta: nam tunc aiunt, poſſe Epiſcopum in eis diſpenſare. Ita tenet Angl. *Votum*, 4. num. 9. ſequitur Tabien. verb. *Diſpenſatio*. licet videatur ſimul poſtulare periculum frangendi votum: ex cap. *Veniens*, Qui Clerici, vel vouen. vbi Panor. Anton. & alij hoc ſequuntur. Sed de ratione periculi dicemus ſtatim, nunc de metu diſtinguere poſſumus inter metum iuſtum, ſeu cadentem in virum conſtantē & minorem. De metu inſufficienti, & non iuſto dico, per ſe non ſufficere, quidquid dicat Angel. quia nullo iure cauetur, nec etiam d. c. *Veniēs*, quod plures alias circumſtantias inuoluit, & plures habet ſenſus, vt infra dicam. Nec vlla ratione fundari poteſt, quia metus ille ad ſummum cauſat quoddam inuoluntarium ſecundum quid, quod non ſufficit, quia eo non obſtante, eſt voluntarium ſimpliciter, & votum eſt validum, & ſimpliciter talis materiæ. Item alias excipienda eſſent vota facta in periculo mortis, vel naufragij, quia ſæpe ſunt magis inuoluntaria ſecundum quid. Nam quod illa non ſint ex metu directe immiſſo ad votum extorquendum, parum refert, quia ſolum per hoc additur ratio iniuriæ, quæ eſt impertinens ad votum, vt ſupra dixi, & conſequenter nihil etiam refert ad reſeruationem eius, maxime quando metus leuis fuit.

Vota metu facta aliqui excipiunt. Angl. Tabien. Panor. Anton. In metu inſufficienti, & iuſto nulla eſt exceptio.

5. At vero quando metus eſt iuſtus, & cadens in conſtantem virum, vel votum eſt inualidum, vt habet probabilis opinio, & ſic non eſt neceſſaria diſpenſatio: vel ſi reputatur validum iuxta contrariam opinionem, videtur etiam de illo procedere ratio facta, vt per Epiſcopum diſpenſari non poſsit. Nihilominus tamen in tali voto alia ratione poteſt dicta exceptio ſuſtineri, quia dubium eſt, an talia vota valida ſint, vel nulla ipſo iure, ſiue naturali, ſiue Eccleſiaſtico: quamuis enim probabilis opinio ſit, eſſe valida, tamen contraria non caret probabilitate, quæ ſufficit, vt voti obligatio non ſit certa, & hac ratione poterit Epiſcopus in tali voto diſpenſare. Nam in primis ad illum pertinet, declarare, an metus ſit grauis, & cadens in conſtantem virum; ſi de hoc etiam dubium oriatur. Facta autem hac declaratione, vel ſi de re ipſa ſatis certo conſtet, probabile eſt poſſe vouentem, ſe conformando opinioni probabili, non ſeruare tale votum, non recognoſcendo in ſe obligationem eius: ergo à fortiori poterit Epiſcopus diſpenſare in tali voto, eritque melius, & tutius ad tollendos ſcrupulos, vel ſcādalum, vt ſtatim dicam.

Quid dicendum ſit de votis emiſſis per metum grauē.

Imo hic poſſumus generalem regulam conſtituere, quoties de valore voti caſtitatis, aut ſimili fuerit morale dubium, ſiue illud ſit dubium facti, ſiue iuris, & ſiue ſit negatiuum propter coniecturas, quæ non ſufficiunt ad determinatum iudicium ferendum, ſiue ſit poſitiuum ex opinionibus probabilibus contrariis, tale votum non eſſe reſeruatum, ſed poſſe per Epiſcopum tolli. Hoc patet, tum ex alia regula ſupra poſita, quod hæc reſeruatio eſt valde ſtricti iuris, & ideo reſtringenda: ergo debet intelligi de votis certis, & indubitatis: nam dubia vota non ſunt vota ſimpliciter, ſed ſecundum quid; tum etiam quia de peccatis, & cenſuris reſeruatis ſimilis regula ab omnibus admittitur. Circa hanc vero regulam oportet aduertere ſupra dicta de voto dubio: nam poteſt dubium eſſe tale, vt votum non obliget, vt ſi dubito, an cōſenſerim, &c. Et tunc non erit neceſſaria diſpenſatio, tamen ſi ad cautelam, vel ad tollendum aliquod ſcandalum Epiſcopi diſpenſatio petatur, non erit malum, nec inutile, & ipſe dare illam poterit, vt conſtat. Regula autem proprie traditur propter caſus dubios, in quibus dubium per ſe non ſufficit ad excuſandum vouentem ab obligatione voti, vt ſupra lib. 4. capit. 4 viſum eſt, & in eis credimus eſſe reſtringendam reſeruationem, vt ſolum vota omnino certa comprehendat. 6.

Generalis regula, & exceptio irrita vota de materia reſeruata, quando de illorum emiſſione dubitatur.

Tertio excipiunt aliqui caſus communiter accidentes, in quibus iuuenes, vel alij incompoſiti homines talia vota emittunt: ita ſignificant Henr. & Viuald. præcedenti capite allegati, ex quodam principio, quod Epiſcopus poteſt diſpenſare in caſibus communiter accidentibus, vt tradidit Caiet. 1. 2. q. 97. artic. 4. quem ibi ſequitur Medin. & Soto libr. 1. de Iuſt. q. 7. artic. 3. & alij. Sed hoc intelligi poteſt, vel de frequentia faciendi talia vota, vel de frequētia frangendi illa poſtquam facta ſunt. Hic poſterior ſenſus coincidit cum periculo tranſgreſsionis voti, de quo ſtatim dicetur. In priori autem ſenſu non video, quomodo principium illud poſsit ad diſpenſationem in votis reſeruatis applicari. Nam illa doctrina Caietani datur de legibus Eccleſiaſticis generaliter, & ſine vlla reſeruatione latis, in quibus ſæpe occurrit ordinaria neceſsitas diſpenſandi, & ita eſt illa doctrina probabilis, vt in ſuo loco dicemus. Fundatur autem non in frequentia, vel multitudine talium legum, ſed in frequenti occaſione, & neceſsitate non ſeruandi legem, & conſequenter diſpenſandi, ne cogantur homines, vel tranſgredi legem ſua authoritate, vel cum magna difficultate, & periculo illam ſeruare. Hæc autem ratio non procedit in frequentia vouendi: nam vnumquodque votum ſolum obligat vouentem, & vnuſquiſque poteſt ſuum ſeruare: ergo hæc frequentia impertinens eſt ad præſumendam iuriſdictionem contra reſeruationem. Vnde etiam confirmatur, quia alij Authores loquuntur de legibus 7.

Altera exceptio. Caiet. Medin. Soto.

Digitized by Google

communibus; in præſenti autem agimus de votis ſpecialiter reſeruatis, in quibus parum refert frequentiã votorum, quia neque hæc ignoratur à Pontifice reſeruante, neque in eis neceſsitas diſpenſationis tanta eſt, neque tam frequens, quanta in illis legibus eſſe ſolet. Adde quod etiam in legibus Eccleſiaſticis, quando diſpenſatio alicuius legis reſeruata eſt Pontifici, vt eſt v.g. in impedimentis dirimẽtibus matrimonium, vel in cenſuris reſeruatis, frequentia caſuum non dat iuriſdictionem Epiſcopis ad diſpenſandum, vel abſoluendum, niſi alia ſpecialis neceſsitas interueniat. Igitur neque in votis reſeruatis obſtat frequentia, quominus reſeruatio integra maneat, ſiue illa frequentia oriatur ex indiſcreto modo vouendi, ſiue ex alia conſuetudine.

8. *Exceptio de caſibus in quibus graue imminet periculum trãſgreſsionis voti.*

Additur ergo quarta exceptio de caſibus, in quibus imminet graue periculum tranſgreſsionis, vt ſi quis expertus ſit verſari in magno conſcientiæ periculo, ſi habeat continentiæ votum. Hanc ponit Angel. d. numer. 9. ſequitur Tabien. ſupra, & Armilla ver. *Diſpenſatio*, num. 17. Hi vero ſimul requirunt, quod votum fuerit ex metu ſactum, vt dixi. Sed vt hæc exceptio aliquam veriſimilitudinem habeat, coniungenda eſt cum illa neceſsitate difficultas magna, vel moralis impoſsibilitas recurrendi ad Pontificem. Nam ſi hic recurſus ad illum pateat, ſolã cauſa ſufficiens diſpenſationis, quæ ex illo periculo naſcitur, non eſt ſufficiens, vt Epiſcopus poſsit diſpenſare, vt eſt per ſe euidens. Tum quia alias ob quãcumque aliam legitimam cauſam poſſet Epiſcopus diſpenſare, etiamſi aditus ad Pontificem non eſſet impeditus, & ita vna eſſet reſeruatio. Tum etiam quia cauſa diſpenſationis, etiamſi ex periculo quocumque oriatur, ſine poteſtate non ſufficit ad diſpenſationem, per reſeruationem autem ablata eſt poteſtas, quæ non reſtituitur propter ſolam neceſsitatem diſpenſationis, quando hæc poteſt à Pontifice poſtulari: ergo. Vnde conſtat ex communi vſu in facultatibus, quæ à Pontifice dantur ad commutanda vota caſtitatis, vel Religionis, frequentius allegari pro cauſa periculum incontinentiæ: ergo ſignum eſt, non obſtante tali periculo, votum ſemper manere reſeruatum. Non ergo ſufficiunt illæ duæ conditiones poſitæ ab Angel. Armill. & Tabien. cum Canoniſtis, niſi adſit hæc de difficili aditu ad Pontificẽ. Et ſi hæc adſit, & reputetur ſufficiens, conditio metus non erit neceſſaria, ſed ratio periculi, vel alterius ſimilis neceſsitatis ſufficiet.

Angel. Tabien. Armil.

9. *Punctum difficultatis.*

Tota ergo difficultas eſt, an exiſtente hoc periculo, vel alia æquiualenti neceſsitate, & interueniente impotentia, vel graui impedimento adeundi Pontificem, vel petendi ab illo commutationem, vel diſpenſationem, Epiſcopus poſsit in tali euẽtu diſpenſare in quocumque voto alias reſeruato? In quo puncto valde communis ſententia affirmat, in eo caſu poſſe Epiſcopum diſpenſare. Id à fortiori tenent Summiſtæ allegati, & Canoniſtæ in c. *Veniens*, præſertim Panor. in 6. citans Speculat. tit. de Legibus §. *Nunc de Epiſcopo, &c.* numer. 121. Idem clarius Sylueſt. *Votum*, 4. quæſt. & verb. *Diſpenſatio*, quæſtione 9. Nauar. capit. 12. num. 76. Palac. in 4. diſtin. 38. diſp. 3. Arag. 2. 2. quæſt. 88. artic. 12. qui ſine cauſa adducit Sotum, & Cordub. pro hac ſententia. Eandem tenet late, & referens plures Sanc. lib. 8. de Matrimon. diſp. 9. num. 22. & 23. Quæ ſententia fundatur ſolum in coniecturata mente Pontificis, quia non videtur veriſimile, voluiſſe Pontificem reſeruationem hanc facere cum tanto rigore, vt relinquantur homines ſine remedio in grauiſsimis neceſsitatibus, & periculis, in quibus ad ipſum, nec per ſe, nec per alios recurrere poſſunt. Quæ coniectura eſt valde probabilis, maxime cũ hæc reſeruatio non ſit tam neceſſaria ad bonum commune Eccleſiæ, vt cum maiori rigore intelligenda videatur: imo aliter intellecta videri poſſet in deſtructionem potius, quam in ædificationem quoad illum rigorem. Hãc ergo ſententiam nunc admitto, & propono vt practice probabilem, & ſecuram, maiorem autem examinationem eius remitto in tractatum de Legibus quia cenſeo pendere ex principio generali de poteſtate, quam habent Epiſcopi ad diſpenſandum in legibus Pontificiis in ſimilibus caſibus: nam quoad hoc videtur eſſe eadem ratio.

Panor. Sylueſt. Nauar. Palac. Aragon. Sanc.

Aduerto nihilominus ad maiorem huius puncti declarationem, inter vota reſeruata quatuor eſſe affirmatiua, ſcilicet peregrinationum, & Religionis, licet votum Religionis quandam etiam negationem includat, ſcilicet non ducendi vxorem ſaltem animo conſummãdi matrimonium. Inter affirmatiua autem vota, & negatiua hæc eſt differentia, quod affirmatiua non obligant pro ſemper, ſicut negatiua, ſed pro aliquo certo tempore. Ex qua differentia naſcitur, vt in votis affirmatiuis raro, aut nunquam ſit neceſſaria diſpenſatio Epiſcopi propter imminentem neceſsitatem, vel periculum, diſpenſatio (inquam) vel commutatio totius voti, quia ad ſubueniendum illi neceſsitati ſufficit dilatio exequutionis voti. Tunc ergo clarum videtur, non poſſe Epiſcopum ſimpliciter diſpenſare auferendo votum, quia nec cauſa ſufficiens ſubeſt, nec neceſsitas eſt talis, vt huiuſmodi poſtulet poteſtatẽ. Ad dilutionem vero, ſi neceſsitas tanta eſt vt proponitur, ſæpe non erit neceſſaria diſpenſatio, quia ratione ſubortæ mutationis votum non obligat cum tanto rigore, iuxta ſuperius dicta. Quod ſi tunc ab Epiſcopo petatur diſpenſatio, potius erit authentica declaratio, quam ſine dubio dare poteſt, quia nullo modo opponitur reſeruationi. 10.

Aduertendum circa vota reſeruata.

Differẽtia inter vota affirmatiua, & negatiua.

Aliquando poteſt eſſe neceſsitas præbens iuſtam cauſam diſpenſandi in dilatione temporis, licet per ſe non auferat rigorem obligationis: & tunc dicunt aliqui, non ſolum ob impotentiam adeundi Pontificem, ſed etiam iure ordinario poſſe Epiſcopum diſpenſare quoad dilationem exequutionis talium votorum, licet expreſſus fuerit terminus in ipſo voto. Vt ſi quis vouit intra annum fieri Religioſus, poſſe diſpenſare cum illo, vt per alium annum differat, ſi cauſa ſubeſt, quia tunc non diſpenſãt in ſubſtantia voti, quæ eſt reſeruata, ſed in qualitate, ſeu celeritate. Sed hoc ſecurius admittitur applicando ſuperiorem doctrinam, ſcilicet vt ſi cauſa ſuperueniat, quæ iuſtificet dilationem, ſeu diſpenſationem eius, & non ſit locus adeundi Pontificem intra præſcriptum voti tempus, tunc poſſet Epiſcopus licentiam dare ad differendum per aliquod tempus: ſi autem cauſa excuſationis poſsit proponi Pontifici conuenienti tempore, exiſtimo ad illum eſſe recurrendum. Hæc poſterior pars ſuadetur, tum quia ita habet vſus, & conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres. Tum etiam quia talis circumſtantia multum attingit ſubſtantiam: nam differt totam voti obſeruationem pro aliquo tempore. Et quia per ſimiles diſpenſationes multiplicatas, ſeu ſucceſsiue conceſſas; poſſet totum votum fruſtrari: nam ſi prima valuit per annum, etiam valebit ſecunda, perſeuerante cauſa, & ſic deinceps. Facile etiam poſt talem dilationem contingunt mutationes, quæ omnino impediunt ſtatum Religioſum, vel aliam voti exequutionem. 11.

Quapropter ordinarie non admitto hanc facultatem in Epiſcopis, ſed ſolum in caſu reſtricto, in quo nõ poteſt conueniri Pontifex ante completum tempus in voto præfixum. Et tunc poterit Epiſcopus diſpenſare iuxta dictam generalem doctrinam, quæ hic facilius applicatur. Quia re vera illa non eſt diſpenſatio in rigore contraria reſeruationi ſimpliciter, quia non eſt abſoluta diſpenſatio in voto. Item licet demus ordinarie hoc non poſſe fieri cum dictis circumſtantiis, videtur maxime neceſſarium ad ordinariam & communem gubernationem in 12.

caſibus

caſibus frequenter occurrentibus: ergo non eſt veriſimile [illegible] ſublatam Epiſcopis per reſeruationem [illegible] poteſtatem. Quod ſi interdum contingat, [illegible] dilatio ne fiat impoſſibilem impletionem [illegible] alio tempore, vel ſi impedimentum [illegible] ad Pontificem ſit perpetuum, vel ſi neceſſitas [illegible] de actu contrario obſeruationi voti etiam [illegible] vt de contrahendo matrimonio poſt [illegible] ſimplex Religionis, tunc habebit locum in [illegible] affirmatiuis commutatio, vel diſpenſatio pro ratione cauſæ, vel neceſsitatis.

13. *Votum castitatis dilationem non patitur.* In voto autem caſtitatis non habet locum dilatio, ſed vel ſeruandum eſt, vel ſi eius executio habet aliquod graue periculum, vel incommodum, non habet locum dilatio, ſed diſpenſatione, vel commutatione eius obligatio tollenda eſt. Et ideo fortaſſe Authores de hoc voto in particulari maxime tractant præſentem quæſtionem. Eadem vero [illegible] de voto Religionis quatenus obligat ad non contrahendum, vel conſummandum matrimonium [illegible] nam ſi periculum imminens ſit in non contrahendo, vel in differendo matrimonio vſque ad [illegible] Pontificis, tunc non habet locum dilatio voti, ſed violatio, ſi contra illud agendum eſt, & ideo neceſſaria eſt commutatio, vel diſpenſatio. In huiuſmodi ergo euentu procedit maxime dicta ſententia. Verumtamen obſeruare hic etiam oportet, cum illa ſententia ſolum fundetur in quadam [illegible] interpretatione, nō eſſe extendendam vltra id, quod in [illegible] exigit moralis [illegible], vt ſi neceſsitas ſit contrahendi matrimonium [illegible], & ſine mora, ne ſequatur [illegible] infamia [illegible] vel [illegible] matrimonio [illegible] non [illegible] votum Religionis, ſed [illegible] ad ſemel contrahendum [illegible] perſona, [illegible] finem, non [illegible], cum eadem limitatione, & [illegible] obligatione ſeruandi caſtitatem [illegible]. Quia hoc modo [illegible] & [illegible] reſeruatio, [illegible] fieri poteſt. *Aduertendum.*

14. Quod [illegible] vera ſunt, [illegible] poteſt Epiſcopus [illegible] in his votis, ſed [illegible] in [illegible] ſit a [illegible] non [illegible] in [illegible] tantum [illegible] con[illegible] ſed etiam [illegible] non ſu[illegible] non [illegible] caſtitatem [illegible]. Hinc [illegible] circa hanc [illegible] Epiſcopus [illegible] & ſimi[illegible] commodius [illegible] volumine.

15. *An tunc fieri possit in dispensatione voti vniuersalis ad mentem, si fiat ab Episcopo sit valida. Arag. Em. Rod.* Sed [illegible] recurſus ad Nuncium, ſeu [illegible] Apoſtolicum, [illegible] ad illum recurrere, & non ad Epiſcopum [illegible] Medinas aſ[illegible] Aragon. [illegible] Emman. Ro[illegible] 3. [illegible] habet [illegible] Pontifice, [illegible] recurſus ad illum [illegible] ergo [illegible] neceſsitas [illegible] & conſequenter [illegible] per neceſsitatem illi conceditur. [illegible], etiam tunc eſſe liberum accedere ad Epiſcopum, quia poteſtas ordinaria Nuncij in his caſibus non eſt maior, quam Epiſcopi, vt ſuppono ex materia de Legibus; & ideo non [illegible] neceſsitas ad petendam diſpenſationem [illegible] Nuncio, ſed æque liberum eſt ad Epiſcopum, vel ad illum accedere. Et hæc ſententia mihi vera videtur, loquendo de poteſtate ordinaria, quia ſi legatus non poteſt in votis reſeruatis diſpenſare, vel commutare ſuo iure ordinario, in illo etiam caſu non poterit, niſi per eandem interpretationem, & quaſi epikiam: ergo quoad hoc cenſetur quaſi æqualis ipſi, & Epiſcopus, & ideo libera erit optio inter illos, ſicut eſt ad alia vota communia. Si vero Nuncius haberet pro his caſibus ſpecialem commiſsionem, [illegible] tebit vi eius poteſtate, quia tunc procedit [illegible] quod tunc eſt ſpecialiter delegatus à Pontifice loco ſui pro ſimilibus neceſsitatibus. [illegible] cenſeo, ſi virtute alicuius priuilegij, vel indulti ſpecialis poteſt aliquis in his caſibus diſpenſare, vt delegatus Pontificius, vt inuenitur [illegible] dicemus in tractatu de Legibus. *Vera sententia.*

16. *An in casibus in quibus Episcopi possunt commutare haec vota, possint etiam Religiosi, vel alij generalem habentes facultatem.* Vltimo dicendum ſupereſt, quod ſecundo loco propoſuimus, an in omnibus his caſibus, in quibus poſſunt Epiſcopi commutare hæc vota, poſſint etiam id facere Religioſi, vel alij, qui habent facultatem generalem ad commutanda vota, his reſeruatis exceptis [illegible] dubitandi eſt, quia per huiuſmodi priuilegia conceduntur Confeſſoribus, vel ſimilibus perſonis omnes [illegible] Epiſcopales quoad commutationem votorum: ergo in quocumque caſu poteſt Epiſcopus commutare votum alias reſeruatum, poterit etiam quilibet habens talem poteſtatem delegatam [illegible] Confirmatur, ac declaratur, quia ſi poteſt Epiſcopus in illo caſu vrgentis neceſsitatis commutare [illegible] votum, id eſt, quia reſeruatio non [illegible] ad caſum illum: ergo quoad illum caſum tale votum non eſt reſeruatum [illegible] comprehenditur ſub generali facultate commutandi vota. Imo licet [illegible] excipiatur expreſſe votum caſtitatis, non intelligitur exceptum pro illo caſu, quia ſolum excipitur vt reſeruatum eſt, & pro illo non eſt reſeruatum.

17. *Resolutio.* Nihilominus aduertendum eſt, aliud eſſe loqui de votis, quæ licet videantur cadere in materiam reſeruatam, re vera reſeruata non ſunt, vt ſunt vota pœnalia in quolibet ſtatu, conditionalia [illegible] impletam conditionem, vel vota [illegible] aut temporalia [illegible] aliud vero [illegible] ra ſunt reſeruata, [illegible] propter extraordinariam neceſsitatem [illegible], non eſſe ſubdita omnino [illegible] rum. De [illegible] quid poſſint Epiſcopi circa commutationem [illegible] rum, poſſe etiam delegatos Papæ habentes [illegible] ſta generalia [illegible] conceſſa ipſis commutantibus, ſiue conceſſa ex parte vouentium ad [illegible] dum confeſſorem, vt per Bullam Cruciatæ ſolet, & ſimilia. Hanc regulam probat ratio facta, quia talia vota per ſe [illegible] non ſunt reſeruata, & ideo poteſtas generaliter delegata ad votum illa etiam complectitur. Solum [illegible] dum, regulam datam eſſe de ſola commutatione, nam de hac tantum loquuntur hæc priuilegia. Et ideo licet extendantur ad omnia vota dicta, non tamen ad omnem [illegible], neque ad eundem modum commutationis [illegible] quia non extenduntur ad diſpenſationem [illegible] neque ad commutationem [illegible] & directam in minus bonum, ſed ſemper ſub [illegible] cum latitudine quadam morali, vt [illegible] eſt. Epiſcopus autem poteſt miſcere diſpenſationem ſi [illegible] vel etiam omnino diſpenſare. Idem vero cum proportione erit [illegible] inferioribus [illegible] priuilegia [illegible] de diſpenſatione loquantur. *Aduertendum.*

18. *Vota reseruata neque[illegible].* At vero in votis, quæ re vera reſeruata ſunt, nihil poſſunt illi inferiores delegati ex vi dictorum priuileg.

Digitized by Google

fiunt diſpenſari in caſu extraordinario à delegatis in votis Epiſcopo

Em. Rod.

priuilegiorum in illo caſu extraordinario, in quo creditur, Epiſcopum poſſe ex benigna interpretatione. Ita tenet Eman. Rodr. in expoſitione Bullæ §. 9. num. 118. & ſumitur ex numero 135. quem alij ſequuntur. Rationemque reddit, quia nomine votorum, vel caſuum Epiſcopalium, ſolum intelliguntur illi, qui per ſe, & ordinario iure conceduntur Epiſcopis: non vero illi, qui per ſpecialem commiſſionem, vel extraordinariam interpretationem, ad illos pertinere cenſentur: nam tunc eorum induſtria ſpecialiter deſideratur. Sed adhuc vrget ratio facta, quia in his priuilegiis non conceduntur vota Epiſcopalia, ſed ſimpliciter conceduntur vota omnia cum ſola aliqua exceptione expreſſa: ergo latitudo huius priuilegij non eſt menſuranda per ordinem ad caſus Epiſcopales, ſed abſolute per generalitatem conceſsionis, quæ comprehendit omnia non reſeruata, inter quæ videtur contineri tale votũ pro tali caſu. Neq; etiam videtur verũ in tali caſu conſiderari ſpecialem induſtriam Epiſcopi: nam ipſe poteſt tunc illam poteſtatem delegare, vt dicam latius in materia de Legibus.

19\. Reſpondetur nihilominus, veram eſſe dictam reſolutionem. Ratio autem ſumenda videtur ex differentia inter poteſtatem delegatam & ordinariam: nam poteſtas delegata non extenditur extra caſus conceſſos, etiamſi in caſibus non conceſsis occurrat ſumma neceſsitas. Quia potentia non extenditur extra ſuum obiectum propter quãcumque neceſsitatem: per hæc autem priuilegia ſolum conceditur poteſtas circa talem materiam limitatam, ſcilicet circa vota non reſeruata, & ideo nunquam extenditur ad non reſeruata, etiamſi maxima neceſsitas occurrat. Neque eſt verum, quod in tali caſu neceſsitatis votum non ſit reſeruatum, etiamſi maxima neceſsitas occurrat: nam per ſe loquendo, ac ſimpliciter reſeruatum eſt, licet per accidens poſſit ordinarius paſtor in illo diſpenſare ex benigna interpretatione voluntatis reſeruantis. Aliud ergo eſt de poteſtate ordinaria: nam illa per ſe, & quaſi natura ſua extendebatur etiam ad hos caſus, niſi reſeruarentur, vt ſupra dictum eſt: quia hæc poteſtas eſt quaſi connaturalis muneri Epiſcopali, & de ſe ad omnia vota extẽditur niſi limitetur. Et ideo quando occurrit caſus, in quo reſeruatio eſſet in deſtructionem, pro illo cenſetur caſus ille relictus ſub ordinaria poteſtate, quæ eſt poteſtas Epiſcoporum, quia ex vi illius epijkiæ, vel benignæ interpretationis ſtatim ex natura rei ſequitur, vt talia vota pertineant ad ordinarium paſtorem, & ideo pertinent ad Epiſcopum (ſine noua conceſsione) ex vi ſuæ poteſtatis. Quod non habet locum in facultate delegata, vt explicatum eſt.

CAPVT XXVII.

Vtrum ad valorem diſpenſationis neceſſaria ſit voluntas libera Prælati per aliquam verborum formam expreſſa?

1\. QVæ haſtenus diximus fere omnia pertinent ad poſsibilitatem (vt ſic dicam) huius diſpenſationis: nam præcipue declarauimus ipſam poteſtatem, & materiam circa quam verſatur, & effectum, quem facere poteſt: nunc ad materiæ complementũ aliquid dicendum eſt de actu ipſo diſpenſandi, & conſequenter de forma in diſpenſatione ipſa ſeruãda. Nomine autem diſpenſationis commutationem etiam comprehẽdimus, vt breuius loquamur, quia doctrina communis eſt. Eſt autem aduertendum, in his diſpenſationibus, quando non conceduntur immediate à Prælato habente ordinariam poteſtatem, duo interuenire: vnum eſt delegatio poteſtatis: aliud vſus eius. Prior fit duobus modis, vt ſupra

Aduertendũ de diſpenſationibus quæ non fiunt immediate ab ordinario Prælato.

viſum eſt. Primo per generalem conceſsionem, vt fiunt per priuilegia Religioſorum, vel etiam per iubilea, Bullam cruciatæ, & ſimilia, de quibus nihil noui, vel proprium huius loci occurrit, ſed in tractatu de Statu Religionis totum id reſeruauimus. Secundo fit hæc delegatio pro caſibus particularibus; & tunc continet virtualiter diſpenſationem quandam conditionatam, & ideo ſub nomine diſpenſationis tam hanc facultatem diſpenſandi, quã vſum eius, ſeu voti ſolutionem comprehendemus.

Primo ergo certum eſt, ad valorem diſpenſationis neceſſarium eſſe, vt ex voluntate Prælati, ſeu diſpenſantis procedat. Probatur, quia diſpenſatio hæc eſt actus humanus: ergo debet procedere ex libera voluntate. Item actus agentium non operantur vltra intentionem eorum: ergo ſi deſit intentio in diſpenſante, nihil efficiet; ſed ſi deſit voluntas, deeſt etiam intentiò: ergo. Item hac ratione in Sacramentis miniſtrandis, & cenſuris ferendis, vel tollendis, & ſimilibus actibus moralibus, qui à poteſtatibus moralibus deriuantur, neceſſaria eſt voluntas, ac intentio libera ad valorem actuum, vt in ſuis locis oſtendimus. Et facit cap. *Cum voluntate*, de Senten. excomm. idem ergo eſt in præſenti. Quapropter ſi ſufficienter conſtet, diſpenſantem ficte protuliſſe verba diſpenſationis, & non habuiſſe animum tollendi, ſed vt aliis morem gereret, ita fuiſſe exterius locutum diſpenſatio nulla eſt, neque illa vti licet in conſcientia, quamquam non ſit de voluntate dubitandum, quando exterior ſignificatio eſt ſatis clara, niſi de contraria voluntate manifeſte conſtet. Hoc autem conſtare non poteſt, niſi per expreſſam declarationem ipſius diſpenſantis, cui an credendum ſit, prudenti arbitrio relinquitur: nam ex circumſtantiis perſonæ, & negotij pendet.

4. Ad valorem diſpenſationis prælati, vel diſpenſantis voluntas requiritur.

C. Cum voluntate.

Secundo hinc colligitur diſpenſationem interdum eſſe nullam, quia cum deceptione, ſeu per ſubreptionem obtenta eſt. Hoc in genere patet, quia ignorantia, & error cauſant inuoluntarium, ſeu non voluntarium, ſed diſpenſatio, ſi non ſit ſufficienter voluntaria erit nulla, quia ſine voluntate non valet, vt dictum eſt, ergo. Item hoc confirmari poteſt illis Iuribus, quæ probant gratiam per ſubreptionem obtentam eſſe nullam, capit. *Poſtulaſti*, de Reſcript. ibi, *Commodum reportare non debet de huiuſmodi literis, vtpote veritate tacita impetratis.* Et in cap. *Conſtitutus*. Eod. dicitur eſſe irritum, & inane quidquid virtute literarum ſic impetratarum fit. Item in capit. vlt. de Fil. presbyter. in 6. de diſpenſatione per ſubreptionem obtenta dicitur, eſſe nullius valoris, & momenti. Et quamuis hæc Iura loquantur in materia beneficiali, quæ ſolet eſſe magis odioſa, propter ambitionẽ, quæ in illa interuenire ſolet, vt ſumitur ex capit. *Quamuis*, de Præbend. in 6. Nihilominus quoad hoc procedunt etiam in diſpenſatione votorum; tum quia ratio, quæ redditur in illis Iuribus, multo magis in votis locum habet, ſcilicet quia non eſt veriſimile, Pontificem fuiſſe diſpenſaturum ſi hoc, vel illud fuiſſet expreſſum, vel ſine falſitate narratum: ideo igitur diſpenſatio illa nulla eſt, quia deeſt voluntas diſpenſantis: hæc autem ratio cum proportione applicata non minus militat in votis, quam in beneficiis, vt conſtat: ergo. Tum etiam quia diſpenſatio in votis magis ſpiritualis eſt, magiſque attingit ius Diuinum, & ideo fidelius, & purius tractari debet, ac ſubinde ſubreptio magis eſt illius valori contraria. Et ob eandem cauſam procedit dicta aſſertio, non ſolum in diſpenſationibus Pontificiis in votis grauioribus ipſi reſeruatis, ſed etiam in omnibus diſpenſationibus votorum omnium, ſiue ab Epiſcopis, ſiue ab aliis per poteſtatem delegatam concedantur quia in omnibus æque requiritur voluntas diſpenſantis, quæ ſimiliter poteſt impediri per deceptionem,

5. Diſpenſatio interdum eſt nulla ſi per ſubreptionem obtineatur vel deceptionem.

Cap. Poſtulaſti.

Cap. Conſtitutum.

Cap. Quamuis.

errorem, vel ignorantiam. Quę doctrina confirmari poteſt ex his, quæ de ſubreptione in his diſpenſationibus, & gratiis generaliter tradit Panor. in c. *Ad audientiam* 2. de Reſcript. n. 14. & ibi Felin. à n. 178. & alii Canoniſtæ communiter ſuper dicta Iura citata, & maxime in d. c. vlt. de Fili. presb. in 6.

Panor. Felin.

4. Statim vero occurrebat inquirendum, quando diſpenſatio voti cenſenda ſit irrita ex defectu voluntatis concedentis proueniente ex defectu veritatis in narratione, vel petitione. In qua re communis regula, quæ ad omnes gratias, & diſpenſationes extenditur eſt, diſpenſationem fieri irritam, vel ex taciturnitate veri, vel ex admiſtione falſi, & ſpecialiter de voto traditur hæc regula in c. *Quod ſuper his*, de Fid. inſtru. vbi eſt ſermo de voto Hieroſolymitano, idem vero eſt de reliquis, vt ibi Innoc. Ant. Abb. Felin. & alii notant. Et generatim de taciturnitate, ſeu occultatione veritatis loquuntur expreſſe Iura allegata. Et inde à fortiori ſequitur altera pars: nam maior deceptio eſt in falſa narratione, quam in diminuta, & magis cauſat involuntarium error, quam pura ignorantia, & ideo tales diſpenſationes habent conditionem incluſam, *Si ita eſt*, vel *Si preces veritate nitantur*, quæ ſubintelligenda eſt, etiamſi nõ exprimatur, vt dicitur in cap. 2. de Reſcript. Quia vero neque omnis taciturnitas, neque omnis falſitas ſtatim gratiam annullat, vt communior opinio fert: ideo neceſſarium eſſet explicare quæ taciturnitas, quęue falſitas ſufficiat ad irritandum actũ, & è conuerſo, quando non obſtantibus illis defectibus poſſit eſſe diſpenſatio valida. Quam rem ſparſim tractant Doctores in variis locis de Matrimonio, de Legibus, de Irregularibus, &c. In præſenti vero materia fere nihil dicunt. quia fortaſſe nihil habet ſpeciale, & quia fere totum pendet ex vera cauſa diſpenſationis, ad quam eſt principaliter attendendum.

Regula ad dignoſcendũ quando diſpenſatio voti ſit irrita.

5. Primo ergo ſolet hæc res multum pendere ex iure poſitiuo, vel ex ſtylo Curiæ, vel conſuetudine: nam vbi ius humanum, vel ſcriptum, vel conſuetudine introductum declaratur, in petenda tali diſpenſatione, vel gratia, hoc aut aliud eſſe narrandum, taciturnitas illius ſolet derogare valori gratiæ, vt in materia de beneficiis ad impetrandum vnum, oportet mentionem facere alterius, ſi impetrans illud habeat, iuxta cap. *Si motu*, de Præbend. in 6. & idẽ eſt ſuo modo in indulgentiis, & ſic de aliis. In pręſenti autem materia nullum ius poſitiuũ ſpecialiter latum inuenio, aut conſuetudine introductum, & ideo ſolo iure communi, quod re vera in hac quæſtione videtur explicare ius naturale, agendum eſt. In votis ergo duæ regulæ ſeruandæ videntur.

C. Si motu.

6. Prior eſt: tacita veritas tunc ſolum impedit valorem diſpenſationis voti, quando vel ſubſtantia ipſius voti non ſatis declaratur, vel cauſa ſufficiens ad diſpenſationem voti diſpenſandi non proponitur. Exempla prioris membri ſunt, ſi quis habens votum caſtitatis dicat ſe vouiſſe non ducere vxorẽ, vel non fornicari, & petat diſpenſationem, neutro enim modo ſatis explicuit votum caſtitatis: vnde ſi ab eo petat diſpenſationem, qui non habeat poteſtatem circa vota reſeruata, diſpenſatio aperte erit nulla. Verumtamen, etiãſi in diſpenſante non deſit poteſtas circa votum caſtitatis, adhuc diſpenſatio erit nulla: quia re vera eſt error in ſubſtantia voti diſpenſandi. Item quia longe aliud eſt diſpẽſare etiã ex parte in abſoluto voto caſtitatis, quam diſpenſare in voto, quod tantum eſt de illa parte. Item quia alias poſſet illo modo votum caſtitatis quaſi per partes auferri per plures diſpenſationes partiales, nunquam explicato voto caſtitatis, quod plane abſurdum eſt. Aliud exemplum eſt, ſi quis habens votum ſuſcipiendi ordinem ſacrum, petat diſpenſationem voti non nubendi. Nihil enim agit, quia illa vota ſunt ſubſtantialiter diuerſa. Et licet ex priori ſequatur etiam obligatio ad non nubendum, plus tamen includit. Tertium exemplum eſt, ſi quis peteret diſpenſationem voti dubii, cum de illo ſit certus: nam tunc etiam moraliter variatur ſubſtantia in ipſa materia diſpenſationis, vt recte conſiderauit Sanc. lib. 8. diſp. 22. n. 40. Aliud exemplum eſt apud Nauar. c. 12. n. 47. Si quis habens votum profitendi in Religione, ſolum proponat votum Religionis, quia non ſatis explicat ſubſtantiam voti, quod habet, & ideo dicit, nullum fore Iuriſperitum, qui talem diſpenſationem non iudicet ſubreptitiam: ſupponit autem vota ingrediendi, vel profitendi Religionem eſſe ſubſtantialiter diuerſa, quod ſuo loco examinabimus. Aliud exemplum accommodatum eſſe poteſt: ſi quis tantum petat diſpenſationem in voto peregrinationis terræ ſanctæ, cum ipſe vouerit illuc ire in ſubſidium: nam hæc duo vota ſubſtantialiter diuerſa in Iure cenſentur. Ratio autem huius partis eſt, quia per eam taciturnitatem occultatur ſubſtantialis materia, circa quam verſari debet voluntas diſpenſantis, & ita non poteſt diſpenſatio à vera voluntate procedere.

Prima regula Quando tacita veritas impediat valorem diſpenſationis.

Sanch. Nauarr.

7. Exempla alterius membri ſunt, ſi quis petendo diſpenſationem voti, nullam legitimam cauſam proponat, ſed aut impertinentem, vt eſſe amicum diſpenſantis, aut ita leuem, vt ad diſpenſationem iuſtificandam non ſufficiat. In his enim caſibus licet contingat veram, ac legitimam cauſam in re ipſa ſubeſſe, ſi non eſt allegata, & declarata, diſpenſatio non valebit: niſi aliunde conſtet, talem cauſam non latuiſſe diſpenſantem, & ab illa motum fuiſſe. Ratio eſt, quia diſpenſatio voti lata ſine legitima cauſa eſt nulla: ſi autem cauſa non eſt cognita à diſpenſante, non poteſt ab illa moueri, & conſequenter nec diſpenſatio poteſt in illa niti: ergo non poteſt eſſe valida diſpẽſatio, etiamſi fortaſſe in re cauſa exiſtat. Tum quia illa cauſa tunc non cauſat (vt ſic dicam) & ita non poteſt dare valorem diſpenſationi: tum etiam quia illa diſpenſatio tunc re vera non procedit à poteſtate diſpenſandi, quę non operatur, niſi cum cognitione cauſæ: ergo ſi vera, & legitima cauſa taceatur, nulla erit diſpenſatio. Vnde in tali caſu taciturnitas cauſæ non tam impedit valorem diſpenſationis, quia tollit abſolute voluntatem diſpenſandi, quam quia impedit iuſtam voluntatem neceſſariam. Nam fieri poteſt, vt diſpenſans velit, quantum eſt ex ſe, & conetur tollere votum ex irrationabili, ac humana, vel temporali cauſa, & tamen nihil efficiet, quia non habet legitimam voluntatem. Dixi autem *Si nullam legitimam cauſam proponat*, quia de ſola huiuſmodi taciturnitate quaſi totali, procedit ratio facta: ſi enim plures ſubſint cauſæ ſingulæ ſufficientes, & vna proponatur, licet aliæ taceantur, nihil nocebit: quia vna cauſa ſufficit per ſe ad valorem diſpenſationis, & aliæ, quæ forte tacentur, de ſe potius iuuarent, quam impedirent, ad diſpenſationem facilius, & cum minori onere obtinendam. Denique addidi, *Niſi aliunde conſtet diſpenſantem non ignoraſſe cauſam, & ab illa fuiſſe per motum*, quia tunc taciturnitas petentis nihil nocebit: quia nõ eſt neceſſarium ad valorem diſpenſationis, vt cognitio cauſæ proueniat ab ipſo impetrante: quid enim hoc refert, ſi cauſa non ignoretur? Etenim quacunque via innoteſcat, & moueat, voluntas erit abſoluta, & legitima: erit ergo etiam efficax.

Cauſa legitima non ſufficit ad diſpenſationem voti ſi propter illam nõ fiat diſpenſatio.

8. Poſterior regula eſt, eiſdem duobus modis cum proportione, diſpenſationem voti fieri nullam per falſam narrationem, ſeu admiſtionem falſitatis. Primo ſi aliquid addatur, vel detrahatur voto, quod mutet ſubſtantiam eius, dicendo falſum, vel negando verum. Exempla eadem, vel ſimilia ſupra poſita hic afferri poſſunt. Nam quod fit tacendo aliquid, poteſt multo magis fieri negãdo, & ita in hoc habet locũ eadẽ ratio ſine noua difficultate. Nõnulla autẽ

2. Regula. Diſpenſatio voti eſt nulla per falſam narrationẽ, vel mixtam.

eſſe po-

eſſe poteſt, ſiquis erret per exceſſum, aggrauando votum plus quam eſt: vt ſi quis petat diſpenſationẽ in voto profitendi Religionem, cum tantum vouerit Religionem. Dicendum tamen cenſeo, ſi additio illa non ita mutet votũ, quin includat illud, quod diſpenſandum eſt, tunc errorem non obſtare diſpenſationis valori: quia tunc comparantur illa vota ſicut votum, & pars, & qui diſpenſat in toto, à fortiori vult in parte diſpenſare. Item quia ille error non omnino occultat obiectum quoad ſubſtãtiam eius, nec eſt de circumſtantia, quæ difficilem redderet diſpenſationem, ſed potius facilem ſi agnoſceretur. Atque ita in illo exemplo de voto Religionis ſine dubio eſt valida diſpenſatio, quando poſtulata eſt pro voto profitendi, & illud tantum erat ingrediẽdi Religionem. At vero ſi vota ſint omnino diuerſa, ita vt neutrum in altero includatur; licet votum per errorem propoſitum ſit grauius, & difficilius, non valebit diſpenſatio pro alio voto minori. Vt ſiquis petit diſpenſationem pro voto peregrinationis trauſmarinæ, & illud erat Compoſtellanum, vel ſi votum erat de non contrahendo matrimonio, & poſtulata eſt diſpenſatio pro voto nõ fornicandi, vel quid ſimile. Ratio eſt, quia tunc error eſt in ſubſtantia vinculi, quod tollendum eſt, quo errore ſtante, non poteſt ad illud dirigi voluntas diſpenſantis, quod in aliis diſpenſationibus commune eſt.

Quando error, vel falſitas admixta narrationi valorem voti non impediat.

9. Multo magis locum habet poſterior hæc regula in falſitate circa cauſam diſpenſandi in vota: nam ſi falſa cauſa proponatur, plane erit diſpenſatio nulla, non tantum ex iure poſitiuo, quod habetur in citatis Decretis, ſed etiam ex iure naturali: quia diſpenſatio voti ſine cauſa facta eſt nulla, vt ſupra probatũ eſt, ſed quæ fit ex falſa cauſa, fit ſine cauſa, quia falſa cauſa non eſt cauſa, cum re vera non ſit: ideo enim falſo allegatur: ergo. Vnde conſtat, hoc procedere in cauſa, quæ fundat diſpenſationem, quæ appellari ſolet finalis, & propria ratio talis actionis: nam ſi ſit tantum impulſiua, & præter illam detur vera cauſa ſufficienter fundans diſpenſationem voti, aliter dicendum eſt, vt mox dicemus. Regula ergo poſita intelligitur de cauſa, quæ iuſtificat diſpenſationem: illa enim eſt propria, & ſimpliciter cauſa, alia enim motiua, quæ ex parte diſpenſantis occurrere poſſunt, magis ſunt cauſæ applicantes voluntatem eius ad diſpenſandum, quam ipſius diſpenſationis, niſi per accidens, & remote.

Falſitas in cauſa diſpenſationis vetat.

10. Sed quid ſi plures proponantur cauſæ ipſiuſmet diſpenſationis, vna vera, & alia falſa, vt verbi gratia, ſi habens votum caſtitatis vere patiatur magnum periculum incontinentiæ, & hanc cauſam proponat ad obtinendam diſpenſationem: addat vero vouiſſe ex metu, vel indeliberate, idque ſit falſum? Reſpõdeo diſtinctione opus eſſe: nam vel neutra cauſa per ſe ſufficeret, & ex vtraque integratur vna ſufficiens cauſa, & tunc eadem eſt ratio ſubreptionis, & nullitatis, vt per ſe conſtat, quia in re datur diſpenſatio ſine ſufficienti cauſa. Vel cauſa vera per ſe ſufficit: additur autem falſa, vt certior, faciliorque ſit obtentio diſpenſationis, & tunc vlterius conſiderandum eſt, an cauſa vera ſit ſufficiens, non ſolum ad diſpenſationem abſolute, ſed etiam ad talem modum diſpenſationis, qui de facto obtinetur, necne? Vt verbi gratia, ſiquis vouit peregrinari, & petat diſpenſationem, quia re vera eſt debilis, & iuſte occupatur, erit ſufficiens cauſa tollendi votum, non abſolute ſed per commutationem, quæ moraliter loquendo fiat ſaltem ex parte in aliquod reale onus, ſi autem ſimul alleget, ſe eſſe pauperem, fortaſſe diſpenſatio abſolute concedetur, vel ſaltem ſine reali onere. Tunc ergo, ſi hæc vltima cauſa ſit falſa, licet prior ſit vera, omnino eſt nulla diſpenſatio. Ita ſumitur ex doctrina communi in capit. *Poſtulaſti*, de Reſcriptis, prout illam moderatur, & interpretatur Couarr. in libro primo Variar. capit. vigeſimo, numero 5. verſicul. *Falſitas vero*, Barboſ. in leg. 1. part. 1. numer 85. ff. Solut. matrimon. Et ratio eſt, quia actus diſpenſationis eſt vnus, & indiuiſibilis, & ideo cum ſit nullus quoad modum, quo fit, quia in cauſa falſa fundatur, eſt ſimpliciter nullus. At vero ſi vna cauſa vera eſt ſufficiens ad diſpenſationem talem, prout hic & nunc conceditur, tunc falſitas alterius cauſæ non inualidabit diſpenſationem ex defectu ſufficientis cauſæ. Dubitari autem poteſt, an inualidet ex defectu cauſæ efficacis (vt ſic dicam) id eſt, ex defectu cauſæ actu mouentis diſpenſantem? Nam tunc videtur deeſſe voluntas diſpenſantis, quia ille de facto mouetur ex vtraque cauſa ſimul, & fortaſſe ſi noſſet, alteram eſſe falſam, vel ſi ſola vera proponeretur, non vellet diſpenſare: ergo de facto inuolũtarie diſpenſat, quod videtur ſatis eſſe, vt diſpenſatio non valeat. Et ita cẽſent aliqui: oppoſitum tamẽ credo verius, quod tenet Sancius numero quadrageſimo ſecundo, & quadrageſimo quarto. Reſolutio vero conſtabit ex ſequenti puncto.

An diſpenſatio, quæ fit ex duplici cauſa, vna vera, altera falſa ſit valida.

Reſolutio.

Cap. Poſtulaſti.

Couar.

Barboſ.

Sanc.

11. Vnum ergo reſtat hic dubium generale, ſcilicet, an ſatis ſit ad valorem diſpenſationis, quod circa ſubſtantiam voti, & cauſam diſpenſationis ſufficiẽtem de ſe ad valorem eius, veritas ſufficienter proponatur, licet in aliis vel dicatur aliquid falſum, vel taceantur aliqua, quæ fortaſſe retardarent voluntatem diſpenſantis, vel facerent, vt non conſentiret, etiamſi illi eſſet talis cauſa propoſita, quæ alias ſufficiens ſit? Et ratio dubii eſt: quia licet illa duo ſufficiant ex parte voti ad valorem diſpenſationis, non videntur ſufficere ad actualem voluntatem diſpenſantis, quæ neceſſaria eſt ad conferendam cum effectu diſpenſationem. Quia licet Prælatus poſſit iuſte diſpenſare, & id ſciat, & cognoſcat per cognitionem voti, & cauſæ: nihilominus poteſt nolle, ſeu nõ velle: ergo ſi per errorem, vel ignorantiam cogatur velle, quod alias nollet, erit diſpenſatio nulla ex defectu voluntatis. Primo ergo diſtinguendum eſt, an id, quod tacetur, vel falſo additur tale eſt, vt difficiliorem redderet voluntatem Prælati: non tamẽ ſimpliciter impediret voluntatem eius. Quando priori modo ſe habet, dico non impedire valorem diſpenſationis in materia votorum, quando probabiliter creditur diſpenſationem fuiſſe concedendam, eiuſdem rationis, & qualitatis, licet maiori difficultate, vel minori voluntate. Ratio eſt: quia nullo iure humano hoc inuenitur ſtatutũ, aut declaratũ, nec etiam ex natura rei ſequitur, quia talis ſimulatio, vel diſſimulatio non cauſat in eo caſu inuoluntarium ſimpliciter, quando quidem de facto, & de præſenti Prælatus vult diſpenſare, & cum effectu eſſet voliturus, etiãſi alio modo clariori, aut puriori veritas proponeretur. Quod autem tunc eſſet difficilius voliturus, eſt accidentarius defectus, & inſufficiens ad annullandam diſpenſationem. Et hanc regulam communius amplectuntur Doctores in omnibus gratiis, quæ non habent ſpeciale aliquid de iure poſitiuo, aut conſuetudine. Aliqui vero illam limitant ad occultationem veri, noluntque habere locum in admiſtione falſi, vt videre licet in Nauarro de Datis, & promiſ. notab. 32. num. 48. & Conſ. 1. de Conſtit. numero 53. Sed profecto ratio facta (qua ipſe in eodem conſilio vtitur num. 49. efficaciter probat etiam de falſitate: quia ſi abſque tali deceptione, vel etiamſi contraria veritas diſpenſanti conſtaret, nihilominus diſpenſaſſet, nõ poteſt dici vouiſſe propter illam deceptionem: ergo non poteſt dici inuoluntarium in diſpenſando: cur ergo non valebit diſpenſatio? Et ita ſentit Couarruuias ſupra, & late referens plures Sancius lib. 8. diſp. 22. numer. 32.

Quæ propoſitio veritatis ſufficiat ad valorem diſpenſationis.

Nauarr.

Sanc.

12. At vero quãdo diſpenſans eſt ita diſpoſitus, quod ſi integra, & omni ex parte vera narratio fieret, non eſſet gratiam conceſſurus, tunc fere omnes dicunt, gratiam eſſe nullam per Iura ſupra allegata, & propter

Digitized by Google

pter rationem inuoluntarii, quæ locum habet, etiã in diſpenſationibus votorum. Sed hic etiam alia diſtinctio adhibenda eſt. Nam vel ea, quæ tacentur, aut finguntur, pertinent ad cauſam de qua tractatur, nimirum, ad conuenientẽ, vel meliorẽ vſum poteſtatis diſpenſandi, ſeu ad finẽ diſpẽſationis, vel ſunt res, aut circumſtantiæ de ſe impertinentes ad cauſam voti, quæ nihilominus mouerent, ſeu mutarent voluntatem diſpenſantis ſic, vel aliter propoſitæ. In hoc poſteriori caſu non credo ſufficere ad nullitatem diſpenſationis, vel licentiæ, taciturnitatem circumſtantiæ, qua cognita Prælatus non diſpenſaſſet. Vt verbi gratia, ſi occultatur perſona ne illam cognoſcat: quia ex odio, vel alio ſimili reſpectu illi denegaret diſpenſationem alias iuſtam. Idem eſt, ſi occultatur qualitas perſonæ, quæ non refert ad cauſam, vt quod ſit vitioſa, vel ex tali, aut tali origine, & ſimilia. Item in votis videtur eſſe huiuſmodi conditio, ſæpius idem votum repetiuiſſe: quia hoc de ſe nihil refert ad cauſam, licet fortaſſe diſpenſantem moueret, vel retardaret. Idẽ credo eſſe, ſi quis prius obtinuit diſpenſationem, verbi gratia, voti caſtitatis, & poſt eam iterum illud emittat, & deinde huius ſecundi voti diſpenſationem petat, non facta mentione prioris: quia ad cauſam impertinens eſt, vt in ſimili dixit Nauarrus in dicto conſilio primo de Conſtit. quæſt. 19.

Diſtinctio obſeruanda ad validitatem diſpenſationis cognoſcendã.

Nauar.

13\. Idem præterea eſt, etiamſi falſitas aliqua in his interueniat, vt ſi quis ad obtinendam voti diſpenſationem, fingat ſe virum ſtudioſum, aut doctum, vel quid ſimile, quod ad cauſam diſpenſationis nihil referat: nam in his caſibus ignorantia illa, vel deceptio non impedit quominus diſpenſans hic, & nunc velit ſoluere hoc vinculum ex iuſta, & rationabili cauſa. Quod autem id non eſſet voliturus, ſi talem circumſtantiam, quæ ad cauſam non refert, cognoſceret, non facit præſentem actum inuoluntarium, quia illa nolitio, ſub conditione tantum futura, nihil in præſenti operatur, nec præſens quaſi habitualis diſpoſitio minuit actualem voluntatem, aut ponit aliquam conditionem in obiecto, ratione cuius videri poſsit inuoluntarium, cum illa diſpoſitio ſit impertinens, & extra cauſam. Et hæc pars ſumi poteſt ex Mandoſio, & Menochio, quos refert, & ſequitur Gutierr. lib. 2. Canonic. quæſtionum cap. decimo quinto num. 29. Qui dicunt, quando diſpoſitio illa diſpenſantis prouenit ex affectu, non ex iuſta cauſa, & Iuri conformi, non obſtare valori gratiæ, etiamſi taciturnitas intercedat, & idem ſequitur referendo alios Sanc. d. diſp. 21. n. 18.

Gutier.

Sanc.

14\. Denique ſi conditio, quę occultatur, vel falſo additur, habeat connexionem prudentem, & rationabilem cum materia voti, & diſpenſationis de qua tractatur, tunc habebit locum generalis regula à Doctoribus tradita, ſcilicet quod ſi illa occultatio, vel deceptio ita eſt cauſa volendi diſpenſare, vt ſine illa Prę latus nollet diſpenſare, tunc diſpenſatio cenſeatur ſubreptitia, & conſequenter nulla. Ita ſumitur ex citatis Authoribus, qui plures alios referunt, & licet in generali loquantur, habet eandem rationẽ in diſpenſatione votorum. Ad intelligendam autẽ rationem prius explicandum eſt, quomodo poſsit illa conditionalis de contraria voluntate futura in tali euentu, ſcilicet facta alia narratione clariori, aut veriori, præſentem voluntatem impedire. Diximus enim ſæpe, illam conditionalem vix poſſe ab hominibus cognoſci, & licet coniectetur, non poſſe habere aliquem moralem effectum, cum non ſit de facto.

De conditionibus quæ occultata vel addita valorem diſpenſationis impedirent.

15\. Sed quoad priorem partem dicendum eſt, licet non poſsit certo cognoſci, poſſe de illa fieri coniecturam prudenti arbitrio: nulla enim alia regula aſſignari poteſt, vbi Iure nihil eſt præſcriptum. Maxime autem ſumitur hæc coniectura ex conſuetudine diſpenſantis, ſi non ſoleat cum tali, vel tali circumſtantia diſpenſare, etiamſi poſsit, idque ex cauſa rationabili pertinente ad modum diſpenſandi, quem ipſe putat eſſe meliorem, & prudentiorem, vel ſi antea declarauit ſufficienter, ſe eſſe in tali propoſito. Hoc autem poſito, facile reſpondetur ad alteram partem, in tali perſona voluntatem diſpenſandi includere virtute illam conditionem: *Si ita eſt, & nihil falſo additur, vel callide occultatur, quod intentioni meæ repugnet*, & quia illa conditio non ſubſiſtit, ideo voluntas illa redditur inefficax. Ratio autem illius conditionis, ſeu interpretationis voluntatis eſt, quia illa interpretatio eſt iuſta, & rationabilis, & omni Iuri conformis: vnuſquiſque autem cenſetur operari prudenti intentione, & conformi ſuæ conſuetudini rationabili, vel iuxta priorem deliberationem non retractatam. Et confirmatur: nam hac ratione dicunt iura, non comprehendi ſub generali conceſsione id, quod in ſpecie propoſitum non eſſet aliquis conceſſurus, quia ſcilicet, ex vi illius habitualis diſpoſitionis rationabiliter ſubintelligitur conditio, vel exceptio, etiamſi conceſsio ſit generalis, vel indefinita. Ita ergo in præſenti reſpectu eius, qui talem habitum, vel diſpoſitionem habet, ſubintelligitur dicta exceptio, vel conditio, quia reſpectu illius caſum ſpecialem conſtituit.

16\. Dices: Ergo idem erit etiamſi conditio ſit irrationabilis, & impertinens ad cauſam diſpenſationis, quia tunc etiam ſubintelligitur illa conditio, & faciet voluntatem conditionatam, & conſequenter inefficacem, non obſtante conditione. Reſpondeo negando conſequentiam, quia talis voluntas interpretanda eſt ſecundum rectam rationem, & ſecundum Iura, & quoties aliquis actu recte, & honeſte vult, cenſetur retractare priorem irrationabilem conſuetudinem, aut affectum, potius quam ſecundum illum agere. Et hoc videntur ſenſiſſe omnes Authores, qui dicunt, occultationem circumſtantiæ, quam Ius declarare non præcipit, non obſtare, etiamſi illa cognita, Prę latus non eſſet gratiam conceſſurus, vt late refert Sanc. ſupra nu. 12. Eſt enim id valde probabile: maxime ſi intelligatur non ſolum de iure poſitiuo, ſed etiam de iure naturali, & recta ratione: eſt enim par ratio. Poſtulat autẽ recta ratio, vt nihil occultetur, vel fingatur, quod ſit contra honeſtam intentionem, etiam habitualem, & prudentem rationem diſpenſantis, qui habet ius vtendi ſua poteſtate, ſecundum ſuam rationabilem voluntatẽ, & ſuum dictamen, & non ab alio circumuentus, & ſeductus. Et hæc pro nunc ſufficiant de voluntario requiſito ad hanc diſpenſationem ex hoc capite: alia enim, quæ ad alias materias pertinent, ſuis locis, Deo dante, dicemus.

Obiectio.

Solutio.

Sanc.

Tertio principaliter addendum eſt ad valorem diſpenſationis neceſſarium nõ eſſe per ſe loquendo, 17.
vt procedat à voluntate non coacta per metum, etiã cadentem in conſtantem virum, ſeu grauem. Nam ſi non obſtante tali metu, ex vero conſenſu procedat, valida erit. Hæc aſſertio attingit quæſtionem ſimilem præcedenti, an timor illatus diſpenſanti in voto, annullet diſpenſationem, quam non inuenio in ſpecie tractari, & ideo ex regulis generalibus, quas veriores cenſeo, illam breuiter definio. Itaque illa diſpenſatio non eſt inualida iure naturæ, quia voluntas coacta voluntas eſt, & propter alia, quæ de ipſo voto dixi. Nec ratio iniuriæ, ſi forte per talem metum infertur aliquid refert ad valorem actus, ſed alio modo erit reſarcienda: quia valor diſpenſationis non fundatur niſi in iuſta cauſa, poteſtate, & voluntate, reliqua ſunt per accidens. Deinde non inuenitur talis diſpenſatio per ius poſitiuum irritata. Et licet in cap. Vnic. de Iis, quæ vi in 6. annulletur abſolutio à cenſura exorta, non poſſumus legem odioſã extendere ad alium caſum. Imo licitum eſt ab ſpeciali inde confirmare aſſertionem: nam illud ius videtur ſupponere tales actus natura ſua eſſe validos, &

Diſpenſatio voti, quæ obtinetur per metum grauem ſi à cõſenſu voluntatis procedat, inualida eſt.

Digitized by Google

dos, & dum id ſpecialiter ſtatuit in defenſionem clauium circa vſum cenſurarum, alia videtur relinquere in ſua natura. Quo diſcurſu vſus etiam ſum circa cenſuras metu latas in 5.tom.3.p.diſp.2.ſect.5. & ibi dicta hic applicari poſſunt.

12. Dixi autem *Per ſe loquendo* quia ſupponendum eſt per metum non induci Prælatum ad diſpenſandum ſine iuſta cauſa: nam tunc erit diſpenſatio nulla, aliunde, ſcilicet ex defectu cauſæ, non ex defectu voluntarij. Aſſertio ergo procedit, quando eſt iuſta cauſa diſpenſandi, & Prælatus non vult, & per metum inducitur, vnde fieri poteſt, vt illatio metus nō ſit iniuria, ſed redemptio vexationis præſertim, ſi tam grauis ſit cauſa, vt Prælatus non ſolum poſſit iuſte, ſed etiam debeat diſpenſare: nam tunc ipſe videtur facere vim, quæ per metum repellitur. Veruntamen licet fiat iniuria, vel irreuerentia Prælato in modo extorquēdi diſpenſationem, nihilominus id, quod poſtulatur, iuſtum eſt, & ideo ſi tandem diſpenſator ſimpliciter velit, id ſatis eſt ad valorem actus. *Obiectio.* Dices: Semper cauſa diſpenſandi eſt vitare malum, quod timetur, quæ ſemper videtur irrationabilis cauſa reſpectu diſpenſationis. *Solutio.* Reſpondeo, cauſam illam ſolum eſſe impulſiuam, ſeu applicatiuam voluntatis, non vero cauſam finalem, ſeu propriam rationem, in qua fundatur diſpenſatio, & ideo non obſtare valori actus.

13. Dico vltimo: Neceſſe eſt diſpenſantis voluntatem ſufficientibus ſignis manifeſtari nulla tamen in hoc eſt præſcripta forma, à qua effectus diſpenſationis pendeat. *Ad effectum diſpenſationis alicuius voti requiritur, vt voluntas Prælati ſufficientibus ſignis pateſiat.* Prior pars conſtat, quia voluntas humana non poteſt aliter innoteſcere, vel operari inter homines. Secunda probatur, quia nec iure inuenitur præſcripta talis forma, nec erat vlla eius neceſsitas. Ita Sylueſt. *Votum*, 4.q.8. cum Anton. 2.p. tit.11.cap.2.§.9. Palud.4.d.38.q.4.n.37. *Sylueſt. Anton. Palud.* Refert autem Palud. opinionem Canoniſtarum dicentium, requiri ſaltem propria verba, & non ſufficere nutus, niſi forte in Pontifice. *An neceſſaria ſint propria verba in diſpenſatione voti.* Sed neque hoc conſtat ex Iure. Vnde ipſe ait, quacumque via Epiſcopus explicet, ſufficienter voluntatem diſpenſandi, ſufficere. Quod verum cenſeo, vix tamen credo poſſe fieri, niſi verbum aliquod prolatum ſcriptum interueniat, quo vel votum notificetur Prælato, vel cauſæ diſpenſandi, vel ipſe voluntatem ſuam aperiat: hæc enim omnia vix ſine verbis fieri poſſunt. Vnde licet Prælatus ſciat, ſubditum tranſgredi Votum, & toleret: imo licet illum inuitet ad ludendum, v.g. contra votum, non eſt ſignum ſufficiens diſpenſationis, niſi aliæ circumſtantiæ concurrant, quæ vix poſſunt eſſe certæ. Et ideo moraliter loquēdo, verbis fieri debet diſpenſatio, non ex iuris diſpoſitione, ſed ex ipſius rei neceſsitate, quam vniuerſalis conſuetudo ſatis confirmat.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

Prior numerus Paginam: poſterior columnam deſignat.

GENESIS.

C.2.n.21. IMmiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam. Explicatur hic raptus, pag.125.col 2 & 126.c.2

4.26. *Cœpit* (Enos) *inuocare nomen Domini*, id eſt, peculiarem ritum inuocandi, p 65 c.2

24.3. *Pone manum tuam ſubter femur meum*, p. 460. col. 1

31.49. *Intueatur, & iudicet Dominus inter nos, &c* p.447.c.1

37.29. *Pone manum tuam ſub femore meo, &c.* explicatur hæc cæremonia, p.460.c.1

32.10. *Dimitte me, &c.* explicatur de efficacia orationis, pa. 28.c.2

LEVITICVS.

5.4. *Anima, quæ periurauerit, & protulerit labiis ſuis, vt vel male quid faceret, vel bene, & id ipſum iuramento, & ſermone affirmauerit, oblitaque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato* 1. *qui male iurauerit*, debet pœnitere, *qui vero bene*, quia fuit oblitus, p.352.c 2

27.9. *Animal autem, quod immolari poteſt Domino ſiquis vouerit, ſanctum erit, & mutari non poterit, nec melius in malum, nec peius in bonum p.703.c* 1. expenditur late, & oſtenditur hanc legem fuiſſe cæremonialem.

NVMERI.

5.19. *Adiurabitque eam, &c.* de qua adiuratione ſit intelligendum, p.458.c.2

30.3. *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum ſuum*, explicatur de quacunque promiſſione iurata, non de voto tantum, p.312.c.2.& 313.c.2

4. *Mulier ſi quidquam vouerit, &c. in ætate adhuc puellari*, pag. 662.col.2

15. *Si audiens vir tacuerit, &c. Si autem contradixerit poſt quam reſciuerit, portabit ipſe iniquitatem eius* 1. vxor non peccabit non ſeruando votum, vir autem reddet rationem facti eius, p.660.c.2

DEVTERONOMIVM.

6.13. *Per nomen illius iurabis, &c.* id eſt, cum iurare oportuerit, per Deum tuum iurabis, p.284.c.2

23.23. *Facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & in ore tuo locutus es*, expenditur, p.674.c.1

IOSVE.

9.18. *Et non percuſſerunt eos eo quod iuraſſent eis Principes multitudinis in nomine* Domini *Dei Iſrael*, agitur late de hoc iuramento, p.360.col.2.361.col.1

IVDICVM.

11.30. *Votum vouit Domino* (Iephte.) expenditur votum, p. 546.col.2

21.1. *Iurauerunt quoque filij Iſrael in Maſpha, & dixerunt, nullus noſtrum dabit filiis Beniamin de filiabus ſuis vxorem*, explicatur hoc iuramentum, p.352.col.2

REGVM LIBRI.

1.11. *Si dederis famulæ tuæ ſeruum virilem, dabo eum Domino. Oſtenditur hoc votum fuiſſe conditionatum, p.720.c.1*

13.13. *Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius mouebantur, pagin.8 c.1*

15.22. *Melior eſt obedientia quam victima*, quia ſacrificium de re prohibita non placet Deo, p.528.c.2

20.2. *Abſit non morieris, neque enim faciet pater meus quicquam*, & infra, *& iurauit rurſum Dauidi*, vtique Ionathas, qui iurabat de facto alieno ex coniecturis, p 315.c.2

2. Reg. 12.22. *Quis ſcit ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans*, pa.62.c.1. nimirum quod impetrans orando pro alio, in illo nobis datur. Item ad orationem non requiritur fides omnino certa de euentu, p.57.c.1

3. Reg. 3.5. *Apparuit Dominus Salomoni per ſomnium nocte dicens, poſtula quod vis, vt dem tibi.* Oſtenditur, in ſomno extitiſſe diſcurſus, p.126.c.2.& late expenditur hic ſomnus, p.132.c.2

4. Reg 1.10. *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis, &c.* explicatur, p.47.c.1

20.3. *Memento queſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, &c.* vel de ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti, vel de neceſſitate ad exercitandam fiduciam exponitur, pa. 77.col.1

LIBRI ESDRÆ.

1.10.5. *Surrexit ergo Eſdras, & adiurauit Principes ſacerdotum, & Leuitarum, & omnem Iſrael, vt facerent ſecundum verbum hoc, & iurauerunt*, expenditur hic locus, p.353.col.1

PSALMI.

Pſalm. 9.17. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*, deſiderium pro oratione ponitur, p.6.c.2

18.15. *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*, cum meditatio ſit opus intellectus, debet à corde exire, & referri ad Dei cultum, p 76.c.1

21.26. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum, &c.* explicatur de Chriſto Domino, p.555.c.1

25.2. *Proba me Domine, & tenta me*, explicatur late de tentationibus, p.45.c.2

31.5 *Dixi: confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino*, p. 10.c.1

39.13. *Cor meum dereliquit me.* Per cogitationes varias non animaduerſas, p.145.c.1

54.16. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes.* Exponitur late, p.46 c.2

57.11. *Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam*, exponitur de vindicta æterna damnato poſtulata p.46.c.1

62.12. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Non tam quia iurant, quam quia ſuppoſito, quod iurant in cultum eius, p 419.c.2

75.12. *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro.* Conſulitur votum, & præcipitur eius impletio, 470. c. 2. exaggerat vero Propheta grauitatem peccati non reddendi Deo votum ſequentibus verbis, *terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ, p.638.c.2.* Item vouete, eſt conſilij, reddite neceſſitatis, p.515.c.1

76.4 *Memor fui Dei, & delectatus ſum*, explicatur de deuotione actum liberum præueniente, 95. c.1. Item, tanta poteſt eſſe facilitas perfecta, vt ſola Dei memoria ſufficiat ad orationem mentalem, p.76.c.1

83.3. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, ſci-

licet ſuperiore appetitu ſecum ferente inferiorem, pa. 123.col.2

103. 21. *Catuli leonum rugientes vt rapiant, &c.* exponitur de naturali brutorum inſtinctu, pag 431.c.2

108.7. *Oratio eius fiat in peccatum.* Vtique quando petitur aliquid prauum, p 454.c.1

118. 10. *In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis, &c.* Non enim damnatur recordatio meritorum propriorum ad puſillanimitatem pellendam, pagin. 59 col.1.&2

120.1. *Leuaui oculos meos in montes,* id eſt, ad Sanctos. p.23.c.2

146.9. *Pullis coruorum inuocantibus eum,* explicatur de naturali appetitu brutorum, p.10.c.1

PROVERBIA.

20.25. *Ruina eſt homini deuorare ſanctos, & poſt vota retractare.* Deuorare ſanctos eſt magna cum facilitate vouere, vnde vota facilius retractentur, alia lectio eſt *deuotare,* pag.638.c.2

PROVERB. 30.

30.9. *Aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei,* ſcilicet negando furtum cum adiuratus fuero, 421.c.1

ECCLESIASTES.

5.3. *Melius eſt non vouere, quam poſt votum promiſſa non reddere, &c.* melius, id eſt, minus malum, p.483.c.1

ECCLESIASTICVS.

7.15. *Ne iteres verbum in oratione tua,* vtique ex infidelitate, arbitrando Deum aliter non audire. p.175 c.1

16.8. *Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes,* oſtenditur illo etiam tempore neceſſariam fuiſſe orationem, p.65.c.2

18.23. *Ante orationem prepara animam tuam, &c.* Exponitur de lectione ſpirituali, p.65 c.1

38. *Obſecro Domine, memento quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto, &c.* Nec enim excluditur recordatio propriorum meritorum ad puſillanimitatem expellendam, p.59.c.1

DANIEL.

6.11. *Viri ergo illi curioſius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem, &c.* vtique publice orabat, p.136 c.1

10.13. *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi, &c.* expenditur hæc contentio, p.29.c.1

OSEAS.

4.15. *Neq; iurauerітis, viuit Dominus, &c.* expēditur, p.276.c.1

IONAS.

3, 9. *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, &c.* Oſtenditur opus non eſſe fide omnino certa de euentu. p.57.c.1

MATTHÆVS.

5.33. *Reddes autem Domino iuramenta tua, &c.* id eſt, *ſi quando iuraueris per Deum tuum iurabis.* p.419.c.2. explicatur etiam hic locus, p.312. c.1. Item redduntur Domino iuramenta, quia in eorum obſeruatione Diuino honori conſulitur, p.320.c.1. vide etiam, p.284.c.2

34 *Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum: quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius, &c.* Illud *omnino,* id eſt, non per creaturas vt tales ſunt, pa.277. c. 2. vel, *neque per cælum, &c.* quia in his virtute iuratur per Deum. p.285.c.2

37. *Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt, &c.* id eſt, ab imperfectione naturæ deficientis, & fallentis, & præſertim exponitur de frequentia iurandi. p 308.c.2

6.6. *Cum oraueris, intra in cubiculum tuum.* Ad litteram de materiali loco exponitur. p.83.c.2

7 *Orantes autem nolite multum loqui.* Ita, vt fiducia in verborum multitudine ex ignorantia ponatur, vel ita vt multiloquium internam impediat deuotionem, pagin.149.colum.2

9. *Pater noſter, qui es in cælis, &c.* vox *pater*, vel non excludit alias perſonas, vel dirigitur ad totam Trinitatem. pagin. 21. colum. 2. explanatur tota Dominica oratio.151.colum.2 & ſeq.

7, 7. *Petite, & dabitur vobis,* traditur præceptum de petendo pagin.64. colum.2

9. 18. *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis.* Nam ad orationem exigitur fides ſaltem implicata. p. 57. c.1

18.20 *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo.* Illud *congregati*, non ſolum de tempore, ſed etiam de loco interpretandum. p.166. col.2

20.20 *Adorans, & petens,* nam reuerentia præmittitur orationi p.78.col.2

MARCVS.

13.32. *De die illa nemo ſcit, &c.* vel vt reuelet, vel à ſe, vel ex humanitate, &c. p 435.col.2

LVCAS.

9.62. *Nemo mittens manum, &c.* explicatur late ad literam. pag.475.col.2

10 42. *Optimam partem elegit ſibi Maria, &c.* Quia oratio mentalis eſt quodammodo huius vitæ beatitudo. pagin.74.colum.1

11.8. *Etſi non dabit illi, eo quod amicus eius ſit, propter importunitatem tamen eius, ſurget, & dabit,* exponitur de efficacia orationis, ſi habeat conditiones neceſſarias, p. 60.c.1.

9. *Petite & dabitur vobis, quærite* vtrumque eſſe ex gratia petere, & accipere: notatur ex Patribus, 17, col 2.

18.1. *Oportet ſemper orare & non deficere,* id eſt, non deſiſtere à petitione licet ſtatim non concedatur, p.68. col 1. quia oratio eſt de neceſſitate medij ad ſalutem. p. 63. col.2. vide etiam 3. col.2 13. c. 2. 67. col.2. & ſeq.

IOANNES.

4.24 *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate, oportet adorare,* id eſt, verum Deum, & puro corde, non vero excluditur corporis adoratio. Imo de viſibili etiam adoratione per ſacrificium exponitur, 134. col. 1. vel aliter, non eſſe neceſſarium certum locum ad Deum orandum, 149. col.2.

7.8. *Ego non aſcendam ad diem feſtum iſtum,* id eſt, vel vobiſcum, vel ad patiendum, 435. col.2.

9.31. *Scimus, quia Deus peccatores non exaudit,* id eſt, orationes, quas vt peccatores fundunt, vel ad facienda miracula in confirmationem mēdacij, 60. col.1.

11.4. *Ecce quem amas, infirmatur,* oſtenditur ibi vis occulta orationis, 193.col.1.

14 13. *Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Pater*. videtur ſumi eſſentialiter pro Deo, vt Pater noſter, atq; ita pro tota Trinitate ſupponere, p.22. col. 2.

17.1. & 5. *Clarifica filium tuum, &c.* Intelligendum eſt de claritate nominis per notitiam credentium, p. 30. col. 2.

ACTA.

5.4 *Non es mentitus hominibus, ſed Deo,* ſenſus eſt, non fuiſſe mendacium mere politicum, ſed irreligioſum p. 636. col.1. vide & p 575 col.2.

8,22 *Roga Deum ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Quia incertū eſt, an is, qui orat, habeat diſpoſitionem ſufficientem ad obtinendum, quod poſtulat, p.60. 2.

10.10. *Cecidit ſuper eum mentis exceſſus*, exponitur hic raptus, p.131. col. 2

27 24. *Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Nobis enim datur, etiam ſi alteri detur, quod pro alijs petimus, pag 62. col.1.

AD RO-

Digitized by Google

AD ROMANOS.

4.20. *In repromiſsione Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide.* Quia firmitas ſpei in fide fundatur, 57. col. 1.

8.26. *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Explicatur de orandi modo, quem nobis infundit, 28. col. 2. item varios, & inenarrabiles compunctionis modos inſpirando, pag. 79. col. 2. item poſtulare nos facit, p. 17. col. 2.

10.14. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Nam oratio ſupponit conuerſionem ad Deum, 69. col. 1.

I. AD CORINTHIOS.

7.5. *Nolite fraudare inuicem niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi;* illud *hoc conſenſu*, oſtendit conſilium, non præceptum orationis, p. 67. col. 2.

10. *Melius eſt nubere, quam vri*, reſpectu ſcilicet illius, qui non decernit facere quod in ſe eſt, vt continentiam ſeruet, 544. col. 1.

35. *Non vt laqueum vobis iniiciam*, *laqueus* hic ſignificat inuoluntariam neceſsitatem pag. 516. col. 1.

12.3. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto*, expenditur, pag 18. col. 1.

13.2. *Si habuero omnem fidem, &c.* Id eſt, perfectam, poteſt enim eſſe ſubſtantialis, quin ſit perfecta, p. 6. col 1.

14.14. *Si orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt*, id eſt, ſi orem ſola lingua, non percipit mens ſpiritualem refectionem, 144. col. 2.

14.26. *Vnuſquiſque veſtrum, &c pſalmum habet, &c. Pſalmus* videtur vſurpari pro metro in laudem Dei canendo, p. 172. col. 1.

AD GALATAS.

2.20. *Viuo autem iam non ego, &c.* ſcilicet, *per amoris Eccſtaſim, quam patiebatur*, pag 124. col. 1.

AD EPHESIOS.

5.19. *Canticis ſpiritualibus cantantes, &c.* id eſt, canticis ſpiritualia continentibus, pag. 167. col. 2.

AD COLOSSENSES.

2.23. *Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione*, explicatur, p. 471. col. 2.

I. AD THESSALONIC.

5.17. *Sine intermiſsione orate.* Id eſt, ſine diſtractionibus interpoſitis. 85. col. 2. pag. 5. col. 1.

5.27. *Adiuro vos per Dominum, vt legatur Epiſtola hæc.* Poteſt intelligi de adiuratione imperatione imperatiua, vel coactiua, pag. 461. colum. 2.

I. AD TIMOTHEVM.

2.1. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes poſtulationes gratiarum actiones.* Expenditur late p. 4. col. 1. & 78. col. 2. & 79. col. 1. 137. col. 2.

5.12. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Nomine fidei, moralis fides, ſeu votum intelligitur, p. 271. col. 1. pag. 675. col. 1. 499. col. 2.

2. AD TIMOTHEVM.

4.1. *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu per aduentum ipſius, &c.* Eſt adiuratio præceptiua, p. 461. col. 2.

AD HEBRÆOS.

6.16. *Omnis Controuerſia eorum finis, ad confirmationem eſt iuramentum.* Id eſt, omnis controuerſia inter homines iuramento finitur, quatenus veritas per iuramentum confirmatur, p. 288. col. 2. vide etiam p. 291. col. 1.

I. IOANNIS.

2.1. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum.* Notatur non addi. *ſolum.* 25. col. 2.

5.13. *Quodcumque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.* Expenditur illud *Secundum voluntatem eius*, p. 56. col. 1.

5.15. *Eſt peccatum ad mortem.* Explicatur quodnam ſit hoc peccatum, p. 58. col. 2.

APOCALYPSIS.

3.20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo*, p. 18. col. 1.

6.10. *Clamabant voce magna dicentes, vſque quo Domine, &c.* Explicatur de petitione gloriæ corporum, pag. 30. col. 1.

ROMA

Digitized by Google

INDEX CAPITVLORVM, ET IVRIVM OMNIVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

EX DECRETO

CAP. *Presbyter*, d.28. pag.536.col.2
Cap. vlt. d. 92. de Obligat, recitandi, pag. 194. col. 2
Cap.vnic. 85.d. p.350.col.2
Cap *Presbyter*, d.91.217. col 2.
Cap. *Clericus victum*, d.21. 266. col.1
Cap *Si quis presbyter*, d. 92. 217. col. 2
Cap. *In ſancta Romana*, 92. d. Quibus incumbat canere in choro, 193 col. 1
Cap vlt. 92. d.de Obligatis ad recitan. 196.c.1.
Cap. *Quicumque*, 6 q.1.457.col.1
Cap. *Scimus*, 12. q.1.p.676. col.2
Cap. *Qui bona*, 17.q 1. & 678. col.1
Cap. *Gonſaldus*, 17. q.2.exponitur p.485. col.2
Cap. *Sunt qui opes*, 17. q.4. 490. col. 2
Cap. *Monacho*, 20. q.4. p.564. col.2
Cap. *Paruuli*, 22.q.5. 457. col. 1
Cap. *Ecce*, ibi. 324. col.2
Cap. *Audiuimus*, 24. q.1. p.354. col.2
Cap. *Epiſcopus*, de Conſecrat. d. 3. de Aſſiſtentia Epiſcopi in choro, 197. col 1
Cap *Non oportet*, de Conſecrat. d. 5. 562. colum. 2. & 563. col. 1

EX DECRETALIBVS.

Cap *Venerabilem*, de Elect. pag 396. col. 2
Cap. *Super hoc*, de Elect. p. 396. col. 1
Cap. *Niſi cum pridem*, de Renunciar. p. 562. col. 2
Cap. *Quia cir a*, de Bigamia, p. 516. col. 2
Cap. *Perlatum*, Cap *Cum dilectus*, Cap. *Abbas*, de Iis quæ vi. p.488 col.2
Cap. *Ad audientiam*, eod. pag.383. col. 2. 376. col. 2. 488. col. 2. 585. col.2
Cap. *Ad aures*, eod. p. 303. col.1
Cap. *Paſtoralis*, de Off.ordi. p.382.col.1
Cap. *Nouit*, de Iudicijs, p.382.col.1
Cap 2.de Iureiur. 383.col.2. p. 237. col.2
Cap. *Si vero*, Cap. *Cum contingat*, de Iureiur. pag.353. col.2. 366. col.2. 384. col.1. 349. col. 2
Cap. *Cum quidam*, §. *Illi vero*, eod.p.354.col.1
Cap. *Quemadmodum*, §. *Illud*, eodem, pag.358. col.1. 113. col.1
Cap *Venerabilem*, § *Idem*, eod.p.362 col.2
Cap. *Veniens*. eodem, p. 364. col.1. 699. col.1
Cap. *Quanto*, eodem, 372. col.1
Cap. *Ad noſtram*, eodem, p.376.col.2. 383. col.2. 403. col. 2. 404.col.2
Cap. *Debitores*, eod.380. col. 1. 312. col. 2. 314.col.1. 320. col.1.333.col.2
Cap. *Intellecto*, eodem, 389.col.1
Cap *Clericus*, cap. *Iuramentum*. eod.296. col.2.402, col.1
Cap. *Et ſi Chriſtus*, eodem, p.323. col.2
Cap. *Veritatis*, eod.p 394. col.2
Cap. *Perueniens*, eod.p.398.col.1
Cap. *Eam te*, de Reſer, ibid.
Cap. *Verum*, eod. p.448.col.1
Cap. *Querelam*, eodem, p.454. col.2
Cap. *Sicut ex litteris*, eodem, 490. col. 1
Cap. *Quintauallis*, eod.671.col.1
Cap.1.de Voto, ibi. *Sed eius, qui præſidet*, p.678.col.2
Cap. *Scriptura*, eod.p.704. col.1
Cap. 1. de Celebrat. Miſſarum. De Numero Horarum Canonicarum, 184. col.2
Cap. Dolentes, eod. exponitur illud *ſtudioſe, pariter, & deuote*, 87. col. 2. & de Attentione in choro, 216. col. 2. & qui ſint Clerici minores, 218. col.2
Cap. *Super eo*, de Regular. 474. col.2
Cap. *Licet*, § *Si vero*, eod.p.562. col.2
Cap. *Conſulti*, eod. 474. col.2. late.
Cap. *Statuimus*, & cap. *Non ſolum*, eodem, ibid.
Cap *Dudum*, de Conuerſ.coniugator. 490. col.1
Cap. *Ex parte*, 2.eod. p.514. col. 1
Cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, eod. p. 559. col. 2
Cap.1.de Voto, ibi. *Eius qui præſidet*, 678. col.2
Cap. *Ex multa*, de Voto, p.654.col 2. 717. col.1
Cap. *Scriptura*, eodem, p.597. col.2. p.667. col.1
Cap. *Licet*, eod. p.597. col.2. 604. col.2
Cap. *Quod ſuper his*, eod. p. ead.
Cap. *Litteraturam*, de Voto, p.591.col.2
Cap. *Magna*, eodem, p.562. col. 1
Cap. *Veniens*, eodem, p. 474. col.2
Cap. vlt. eodem, p. 475. col. 1
Cap. *Cum dilecti*, de Donat. p.592. col.2.
Cap. *Ex parte*, de Cenſib. 591. col. 2
Cap. *Significante*, de Pignorib. p.491. col. 2
Cap. *Ex parte*, de Clericis non reſidentib. pag. 395. col. 2. 404. col.2
Cap. *Commiſſum*, de Sponſal. p. 348. col.2
Cap. *Gemma*, eod. p.371. col.2
Cap. *Cum locum*. eod. p.489. col.1
Cap. *Iuuenis*, eod.p.585. col.1. 595. col.1
Cap. *Quia fruſtra*, de Vſuris, pag.417. col.2
Cap. *Significaſti*, de Homicid. p.585. col. 2
Cap. *Accedentibus*, de Exceſſ. Prælar. p.679. col.2
Cap. *Olim*, de Verbor.ſignificat. pag. 593. col.1

EX LIBRO SEXTO.

Cap. *Quamuis pactum*, de Pactis, pag. 353. colum. 2. 366. col. 2. 383. col. 2
Cap. *Licet mulieres*, de Iureiur. 382. col.1. 385. col. 1
Cap. vlt. de Clericis non reſidentib. p.198. col.1
Cap. *Si tibi abſenti*, de Præbend. p.104. col.2
Gap. *Cui de non ſacerdotali*, eod.p.688.col.2. 692.col.2
Cap. *Si cui nulla*, eod p.695.col.2

CLEMENTINÆ.

Clem.1.de Celebrat. Miſſar. pag. 195. col. 1. circa præceptum recitandi.

EXTRAVAGANTES.

Extrauagans vnica de Vita, & honeſtate Clericor. pag. 189. col 2
Extrauag. *Et ſi dominici*, 2. de Pœnit. & remiſ. p.726. col.1

Digitized by Google

Concil. Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 12. de Reformat. 198. col. 2. circa aſſiſtentiam in choro.
Idem ſeſſ. 25. cap. 16. de Reforma. circa iuramentum notariorum in diſpoſitione bonorum. p. 409. c. 1
Modus Pii. V. circa obligationem reſtituendi pro omiſſione horarum, p. 264. & ſeq.

EX IVRE CIVILI.

Lex *Non erit*, ff. de Iureiur. p. 314. c. 1. p. 325. c. 2
Lex *In lege*. ff. de Contrahenda empti, p. 342. c. 2
Lex 2. ff. de Pollicitat. p. 636. c. 1
Lex *Si Stipulatio*, ff. de Verb. obligat. p. 570. col. 1
Lex *Continuus* § *Cum qui* ff. eo. ibid.
Lex *Inter ſtipulantem* §. *Sacram*. ff. eod. *ibid.*
Lex *Labeo*, ff. de Supellectil. legata, p. 59. c. 2
Lex *Legato generaliter*, ff. de Legatis, p. 593. col. 2
Lex *Si cum heres*. ff. Quando dies lega, pag. 719. col. 2
Lex *Potior*, ad fin ff. Qui potio. in pig. ha. p. 720. col. 2
Lex *Lucius Titius*, ff. de His, qui notãtur infamia, pag. 445. col. 2
Lex *Si quis pro eo*, ff. de Fideiuſſorib. pag. 381. col. 2. pag. 386. col. 2
Lex *Si quis inquilinos*, §. vlt. ff. de Legatis, 1. p. 381. c. 1
Lex *Non dubium*. C. de Legib. p. 386. c. 2. & 381. c. 1
Lex *Ut inter*, C. de Sacroſanctis Eccleſ. p. 617. c. 2
Lex 1. C. Si aduerſus venditorem, p. 385. c. 2
Authentica, *Sacramenta puberum*, C. *Si* aduerſus venditor. 381. c. 2
Lex 3. C. de Pactis pignorum, p. 377. col. 2
Lex 1. C. de Rebus creditis, p. 445. c. 2
Lex *Si quis maior*, C. de Tranſactionib. p. 456. c. 2
Lex *Quoties*, C. de Rei vendicatione, p. 617. c. 1
Lex *Traditionibus* C. de Pactis, p. 617. c. 2

Digitized by Google

INDEX RERVM, QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus Paginam: poſterior columnam deſignat.

ABBATISSA.

1 *ABbatiſſa an poſsit Monialium vota irritare, p. 672.c.1*

ABIVRARE.

1 *Abiurare quid ſit? p.291.c.2*

2 *Abiurare beneficium, eſt iurare de eo non repetendo, p 383 c.2*

ABSOLVI, ABSOLVTVM.

1 *Abſolui poteſt quis à peccato reſeruato dubio, p 585.c.1*

2 *Abſolutum à conditionato, quatenus diff.rat, p.339.c.1*

ABSTRACTIO.

1 *Abſtractio à ſenſibus non tollit continuo libertatem, p.173.c.2*

2 *Abſtractio à ſenſibus externis poteſt eſſe naturalis, p.137.c.1*

3 *Abſtractio à ſenſibus omnimoda non datur in contemplatione naturaliter, p.122.c.1*

ABVLENSIS.

Abulenſis locus emendatus, p.656 c.2.659 c.2

ACCVSATIO.

Accuſatio inimicorum, an ſpectet ad orationem? p.144.c.1

ACCESSVS.

Acceſſus ad Deum per orationem, quis ſit? p.78 c.1

ACTIO.

1 *Actio gratiarum quæ? p 135.c.2.vide Gratiarum actio.*

2 *Actiones intellectus in contemplatione ad maiorem perfectionem faciunt, p 115 c 1*

3 *Actio in iudiciis quid ſit? p 375.c.2*

ACTOR.

Actor poteſt petere, vt exigatur iuramentum ab eo, quem timet peieraturum, p.442.c.1

ACTVM, ACTVS.

1 *Acta contra votum per ſe non obligant ad recompenſationem, p 616.c.1*

2 *Acta contra votum ſimplex priùs factum tenent, p.615.c.1*

3 *Per actus plures leues, quando cenſeatur perfici vnus grauis? p.643 c.2*

4 *Actus quatenus ſint materia voti? vide Voti materia.*

5 *Actuum bonorum triplex ordo, p.534.c.2*

6 *Actus indifferens, quomodo fiat honeſtus. p.529.c.2*

7 *Actus intellectus, & voluntatis requiruntur ad votum, p.470. col.1*

8 *Actus vt ſit meritorius, quid requiratur, p.18.c.2*

9 *Actus bonus duplex, p.56.c.2*

10 *Actus virtutis quando pertineat ad propriam virtutem? p.67. col.1*

11 *Actus virtutum omnium in oratione mẽtali exercentur, p.74. col.2*

12 *Actus à meditatione profecti, qui, p.76 c.2*

13 *In actu orandi tria perpenduntur, p.79.c.1*

14 *Actus virtutis qualis, p.98 c.1*

15 *Actus Religionis quis dicatur? p.88 c.1*

16 *Actus deuotionis poteſt eſſe ſine iuſtitia, p.88.c.1*

17 *Actus intelligendi poteſt eſſe perfectus, quin ſit liber, p.125.c.2*

ADAMVS.

1 *Adami raptus expenditur, p.ead.c.2.& p.116.c.2*

ADIVRARE, ET ADIVRATIO.

1 *Adiurare quid ſignificet? p.458.c.1*

2 *Adiurandi actus ex ſuo genere honeſtus, p ead c.2*

3 *Adiurari poteſt Deus ab homine, p.461 c.1.& 463.c.1*

4 *Adiurari poteſt Deus & per ſe, & per ſanctos, &c. ibid.*

5 *Adiurari Deus, per quæ non poſsit? ibid.*

6 *Adiurari poſſunt Angeli, & homines, p.461.c.1. & per quæ, p. 464 c.1*

7 *Adiurari quatenus poſsint Dæmones? p.461.c.2.& p.462.c.1*

8 *Adiurandi ſunt Dæmones tantum per Deum, p.464 c.1*

9 *Adiurari an poſsint creaturæ irrationales vt ſic? p.465 c.2*

10 *Adiurare Dæmonem non imperando quod peccatum? p.466. col.1*

11 *Adiurare Dæmonem etiam imperando, quando non liceat? ibid.*

12 *Adiuratio vt ſit iuſta, quid requiratur? p.458.c.2*

13 *Adiuratio eſt ſpecialis actus Religionis, p.459.c.2*

14 *Adiuratio comparatur cum oratione, & iuramento, ibid.*

15 *Adiuratio non eſt actus Religionis relatiue ad perſonam adiuratam p 459.c.2*

16 *Adiuratio Dei, quinam actus ſit? ibid.*

17 *Adiuratio Dei, quando ſit pe caminoſa? p.465.c.2*

18 *Adiuratio hominis, quinam actus ſit? p.459.c.1*

19 *Adiuratio reſpectu perſonæ per quam adiuratur, eſt actus Religionis, p.ead.c.2*

20 *Adiuratio inter quas perſonas fiat? p.460.c.2*

21 *Adiuratio, an ſit de præcepto? p.464 c.1*

22 *Adiurationis modus, an habeat præceptum? p 465.c.1*

23 *Adiuratio an imponat obligationem perſonæ adiuratæ? p.466. col.2*

24 *Adiuratio contempta poteſt eſſe graue peccatum, p.467.c.2*

25 *Adiurationis reſpectu creaturarum defectus, p.466.c.1*

ADVLTERIVM.

Adulterium an periurio ſit grauius, p.425 c.1

ÆSTIMATIO.

AEſtimatio reſpectu Dei in orante, p.15 c.2

AFFECTVS.

1 *Affectus orandi diſtinguitur ab oratione, p.15.c 1.& 2*

2 *Affectus orandi habet pro obiecto Dei cultum, p.15.c.2*

3 *Affectus orandi ex quo motiuo? p.ead c.1*

4 *Ex affectu vnius virtutis naſcitur vſus alterius, p.16.c.1*

5 *Affectus quid ſit? p.87.c.2*

6 *Affectus varii in actibus voluntatis, p.9 c.2*

7 *Affectuum quinam magis ſpectent ad deuotionem? p. 93.c.2*

8 *Affectus petendi neceſſarius eſt ad orationem, p.139 c.2*

9 *Affectus ſimplex, conditionatus, non ſufficit ad votum, p. 478. col.2*

ALA.

Alæ orationis duæ, p.74 c.2

AMEN.

Amen, explicatur, p.159.c.1.306.c 2

AMOR.

1 *Amor Diuinus finis, & principium p.105.c.2*

2 *Amor noſter in Deum, quomodo ſe habeat reſpectu cognitionis? p.114 c.1*

3 *Amor Dei ſine præuia cognitione non poteſt eſſe, nec experimento haberi. p. ead.c.2.*

4 *Amor quatenus poſsit habere principatum in myſtica Theologia, p.116.c.2*

AM-

AMPHIBOLOGIA.

1 *Amphibologia quotuplex,p 432.col.2.*
2 *Amphibologia, an faciat in iuramento aſſertorio periurium? ibid.*
3 *Amphibologia inter iurandum non eſt intrinſece mala,ibid.*
4 *Amphibologia verbalis in iuramẽto,quando non ſit peccatum? p.433 col.2.*
5 *Amphibologia mentali vti licere iurando, probatur variis exemplis,p.434.col.1.*
6 *Amphibologia mentali quando vti liceat? p 435.col 2.*
7 *Amphibologia ſine cauſa rationabili vti in iurando, quod peccatum? ibid.& p.ea c.2.*
8 *Amphibologia ſine cauſa rationabili,an ſit mẽdacium? p.436. col.1.*
9 *Amphibologiæ ignarus,cum illa eſt opus,ſatis eſt ſi iuret in ſenſu,qui poteſt eſſe verus,p.434.c.2.*

ANGELVS.

1 *Angeli orant.p. 28.c 2.*
2 *Angelorum oratio qualis? p.11 c.1.*
3 *Angeli noſcunt orationes noſtras,p.26.c.2.*
4 *Angeli,& Beati,quomodo offerant orationes noſtras,p.29.c.2.*
5 *Angeli quatenus poſſint orare pro ſe,p.30 c 2.*
6 *Angeli,an poſſint iurare,p.307.c.2. Vide etiam Iuramentum Angelorum.vide Iuramenti cauſa efficiens.*
7 *Angeli an poſſint Dæmones cogere virtute naturali? p.464 c.2.*
8 *Angeli an poſſint vouere? p.555.c.1.vide voti cauſa efficiens.*

ANIMA.

1 *Animæ Purgatorii an ſint orandæ,p.27.c.2.*
2 *Animæ Purgatorii fortaſſe noſcunt orationes noſtras,p.28 c.1. & p.31 c.1.*
3 *Animæ Sanctorum Patrum ante aduentum Chriſti orabant pro viuis,p.28.c.2 & p 35.c.1.*
4 *Animæ beatæ orant pro nobis, p.28 c.2.& p.31.c.2. vide Angeli, & Beati.*
5 *Animæ Purgatorii orant pro ſe, & poſſunt impetrare, p.31.c.1.*
6 *Animæ Purgatorii non ſatisfaciunt orando, ibid.*
7 *Animæ Purgatorii an orent pro Viatoribus,p.3 .c 2.*
8 *Anima videns Deum nõ impeditur naturaliter à reliquis functionibus humanis,p.122.c.1.*

ANTIPHONA.

1 *Antiphona quid ſit? p.201.c.2.& p.173.c.1.*
2 *Antiphonæ finito Pſalmo, in priuata plurium recitatione, an ab omnibus dici debeant? p.243.c.2.*

APPETITVS.

1 *Appetitus mediorum accipit limitationem ex fine,p.50 c.1.*
2 *Appetitus,& ſenſus,quatenus diſtinguantur,p.117.c.1.*
3 *Appetitus ſuperior naturaliter mouet inferiorem,p.123.c.2.*
4 *Appetitus ſenſitiuus non impeditur à contemplatione, ibid.*
5 *Appetitus ſenſitiuus,quomodo per ecſtaſim eleuetur? p.124.c.1.*
6 *Appetitus ſenſitiuus, quomodo in oratione cooperetur voluntati? p.ead.c.2.*

ARGVMENTVM.

Argumentum à contrario,quando non valet? p.488.c.2.

ASSERTIO.

1 *Aſſertio de futuro,quatenus obliget? p.473 c 2.*
2 *Aſſertio de futuro,an ſemper inuoluat promiſſionem? p.312.c.2.*
3 *Aſſertio de futuro,& promiſſio, quatenus differant? p.313 c.1.*
4 *Aſſertio de futuro iurata,quid importet? p 313.c.1.*
5 *Aſſertio de futuro iurata,an tranſeat in promiſſionem? p.313. c.1.& 314 c.2 vide Iuramentum.*

ATTENTIO.

1 *Attentio triplex,p.140.c.2.*
Attentio ſpiritualis, quæ? ibid.
2 *Attentio omnino requiritur ad orationem mentalem p.54.c. 1.& 85.c.1.& 107.c.2.*
3 *Attentio non eſt propria orationi,p.54.c.1.*
4 *Attentio eſt de ſubſtantia orationis vocalis,p.140.c.2.*
5 *Attentio omnis ſi deſit, non datur oratio vocalis,p.141 c.1.*
6 *Attentio requiritur in omni oratione voluntaria,ibid.*
7 *Attentio ad minimum debet eſſe virtualis,p.141.c.2.*
8 *Attentio qualis ſufficiat, vt oratio ſit valida, atque impetret? ibid.& 145.c.1.*
9 *Attentio,quæ eſt ſufficiens ad ſatisfactionem, & meritum? p. 145 c 1.*
10 *Attentio nimia ad Deum, an impediat orationem vocalem,p. 142 c.2.*
11 *In loco impedienti attentionem,quãdo orandum ſit? p.150.c.2.*
12 *Attentio in choro,quæ requiratur? p.210 c 2.*
13 *Attentio nõ cadit ſub morali in mercenario cantores,p.212.c.2. & 213 c 2.*
14 *Attentio in recitantibus priuatim, quatenus ſit neceſſaria,p. 247.c 2.*
15 *Attentio eſt neceſſaria,vt obligationi recitandi ſatisfiat,p.249. col.2.*
16 *Attentione nulla qui recitat horas Canonicas,peccat mortaliter,p.251.c.1.*
17 *Attentio virtualis,quando deſinat? p.250.c.1.*
18 *Attentio,& intentio,quomodo diſtinguantur p.247.c.2.*
19 *Attentionis defectus,quando venialis? p.251.c.1.*
20 *Attentio,quæ ſufficiat ſcrupuloſis? p.ead.c.2.*
21 *Attentio an ſit ſufficiens agendo alia? ibid.*
22 *Attentio an poſſit per exceſſum eſſe peccaminoſa? p.252.c.1.*
23 *Attentio, quæ ſufficiat ad recitandum, ibid.*
24 *Attentio cum deficit eſt iterum ex obligatione recitandum, p. 252.c.2.*
25 *Attentionis defectus tunc peccatum importat,cum eſt intentio iterum non recitandi p.253 c.1.vide Chorus.*

ATTESTATIO.

Atteſtatio ſimplex in iuramento quid ſit? p.267.c.1.

AVXILIVM.

1 *Auxilium ſupernaturale neceſſarium eſt vt oratio rite fiat? p. 17.col.2.*
2 *Auxilium ſufficiens abſolute eſt petendum,p.50 c 1 & p.51.c.2.*
3 *Auxilium ſufficiens,quod non ſit efficax homo eſt in cauſa,p.50. col.1.*
4 *Auxilium Dei poteſt eſſe neceſſarium,vt hoc numero opus fiat, cum alioqui in ſpecie fieri poſſit,p.53.c.1.*
5 *Auxilium ad orandum,quatenus cadat,vel non cadat,ſub meritum? p 62.c 1.*
6 *Auxilium extraordinarium,moraliter eſt ſæpe neceſſarium,p. 7 .c.1.*
7 *Auxilia orationem iuuantia,p.87.c.1.*

B.

BAPTISMVS.

In baptiſmo fit profeſſio legis Diuinæ,non tamen votum,p.557.c.2.

BEATITVDO,ET BEATI.

1 *Beatitudo æterna,vt finis,alia dona gratiæ vt media ſunt optanda,p.50.c 2.*
2 *Beati pro nobis orant,p 28.c.2.*
3 *Beati cum orant pro nobis,an præcognoſcant euentum,p.29.c.1.*
4 *Beati quomodo offerant orationes noſtras p 29.c.2.*
5 *Beati an orent pro ſe,p.30.per totam.*
6 *Beati non orant pro iis,quæ ad ſuam eſſentialem beatitudinem ſpectant,p.30.c.2.*
7 *Beati non orant pro conſeruatione gloriæ eſſentialis,p.ead.*
8 *Beati orant pro accidentali gloria, ibid.*
9 *Beati poſſunt orare,& impetrare,non vero mereri,p 53.c.2.*

BENEDICTIO MENSÆ.

Benedictio menſæ,an ſit de obligatione,etiam Eccleſiaſticis,p. 56. col.2.

BENEFICIATVS.

1 *Beneficiatus ad duo munera incompoſſibilia obligatus,quomodo ſe debeat habere? p.198.c.1.*

2 Beneficia-

2 *Beneficiatus, qui diſtributiones accipit ob aſsiſtentiam, niſi adſit non poteſt accipere. p. ea c. 2*

3 *Beneficiatus, qui per primos ſex menſes non recitat, an, & quid teneatur reſtituere? p. 265 c. 2. & 266. c. 1*

4 *Beneficiatus non recitans poſt primos ſex menſes, qua proportione debeat reſtituere. p. 269. c. 1*

5 *Beneficiatus recitans in peccato mortali, an teneatur reſtituere? ibid.*

6 *Beneficiatus ex obliuione non recitans, vtrum teneatur reſtituere? p. 270. c. 1*

BENEFICIVM DEI.

1 *Beneficij petiti dilatio, non debet retardare ab oratione, p. 61. c. 2*

2 *Beneficiorum Diuinorum narratio, quo ſenſu oratio dicatur? p. 129 c. 2*

3 *Beneficium gratiæ eſt petendum, etiamſi promiſſum ſit, p. 5. c. 2*

BENEFICIVM ECCLESIASTICVM.

1 *Beneficium Eccleſiaſticum an detur ob recitationem, p. 266. c. 1*

2 *Beneficium Eccleſiaſticum importat obligationem recitandi, p. 221. c. 1*

3 *Beneficia multiplicata non important plures recitationes in die, p. 222. c. 2*

4 *Beneficia manualia, quæ dicantur. p. 234. c. 2*

5 *Beneficij titulus ſine poſſeſſione, quando obliget, vel non obliget ad recitandum p. 224 c. 2. p. 226 c. 2*

6 *Beneficij poſſeſſio pacifica cum titulo, vel cum morali ope fructuum obligat ad recitandum, p. 225 c. 2*

7 *Beneficium accipiens cum onere ſoluendi alteri fructus omnes, tenetur recitare, ibid & p. 226 c. 1*

8 *Beneficij pacifica poſſeſſio ſine fructibus primi, aut ſecundi anni obligat ad recitandum, p. 226. c. 2*

9 *Beneficiorum primi fructus, non poſſunt cedere Epiſcopis, pag. 227 c. 1*

10 *Beneficiorum primi fructus, quibus poſſint applicari? ibid.*

11 *Beneficij fructu omni iniuſte priuatus, an teneatur recitare, ibid. & p. 229 c. 1*

12 *Beneficij fructus primos applicandi conſuetudo, nec reprobata eſt, nec deobligat à recitando, p. 227 c. 2. & 228. c. 1*

13 *Beneficij poſſeſſor licet fructus non percipiat ſponte, vel culpa ſua, tenetur ad recitandum p. 228. c. 2*

14 *Beneficium ſine vlla fructuum ſpe, videtur non obligare ad recitandum, p. 229 c. 2*

15 *Beneficij tenuitas non deobligat regulariter à recitando, p. 230. col. 2*

16 *Beneficij tenuitas an aliquando deobliget à recitatione, p. 231. col. 2*

17 *Beneficij fructus ſoli, quando dantur clerico per modum ſtipendij propter actionem temporalem, non obligant ad recitandum, p. 232. c. 1*

BLASPHEMIA.

1 *Ad blaſphemiam ſufficiunt verba ſine intentione operis, p. 634. col. 1*

2 *Blaſphemia exterior etiam ſine intentione eſt mortale peccatum, p. 448. c. 2*

3 *Blaſphemia nunquam eſt venialis ex leuitate materiæ, pa. 634. col. 2*

BONVM, BONITAS.

1 *Bono quolibet in hac vita poſſumus male vti aliquo modo, ſaltem obiectiue p. 41. c. 1*

2 *Bona aliquot petere poſſumus, quæ ſimpliciter non iudicentur neceſſaria p. 52 c. 2*

3 *Bonum melius in voto, quod ſit? p. 54 c. 2*

4 *Bonum honeſtum de ſe non poteſt, non conducere ad ſalutem, p. 56 c. 2*

5 *Bonitas, & honeſtas conditio prima, vt oratio impetret pa. 54. col. 2*

6 *Bona ſpiritualia maxime & abſolute petenda, p. 47. c. 1*

7 *Bona ſpiritualia duplicia, p. 48. c. 1*

8 *Bona ſpiritualia ſupererogationis poſſumus petere ſub conditione, ibid.*

9 *In bonis ſpiritualibus, aliquid vt finis, & aliquid vt medium optandum, p. 50. c. 2*

10 *Bona ſpiritualia quàtenus ſine termino petenda? ibid. & p. 51. c. 1, vide Gratia.*

11 *Bonorum genus duplex, p. 40. c. 1*

12 *Bona temporalia quæ, & quatenus petenda? 40. c. 2. & 42. c. 1*

13 *Bonorum temporalium quomodo petitio periculoſa, p. 42. c. 2*

14 *Bona temporalia, an ad gratiam reducantur, ibid.*

15 *Bonorum temporalium petitio, qualis ſit? p. 43. c. 1*

16 *Bonorum naturalium, quæ ſit petitio? p. 43. c. 2. 44. c. 1*

17 *Bonorum naturalium petitio miraculum non comprehendit, ibid.*

18 *Bona temporalia per Chriſtum, quomodo petenda? p. 46 c. 1*

19 *Bonorum temporalium petitio debet includere conditionem, ſi expedit, 139. c. 2*

BREVIARIVM.

Breuiarij defectus an, & quomodo excuſet à recitatione, p. 257. c. 2

C.

CÆCITAS.

Cæcitas an excuſet à recitando? p. 258. c. 2

CANONICVS.

Canonici, qui diſtributiones accipiunt ob aſsiſtentiam, ſi non adſint, non poſſunt accipere, 198. c. 2

CANERE, ET CANTVS.

1 *Canendi munus Eccleſiaſticas perſonas decet. p. 191. c. 1*

2 *Canendi Eccleſiaſticũ munus quatenus ad omnes ſpectare poſſit. p. 192. c. 2*

3 *Canendi munus non conuenit omnibus Eccleſiaſticis. pa. 193 c. 1*

4 *Canens alternatim debite ſatisfacit, p. 202. c. 1*

5 *Cantus alternatus qualis? p 201. c. 2 & ſeqq. per totum caput.*

6 *Cantus Organicus defenditur, p. 326 c. 1. & 2*

7 *Cantus Eccleſiaſticus probatur, p. 188. c. 1*

8 *Cantus profanus in Eccleſia, quod peccatum? p. 210 c. 1*

CAPELLA, CAPELLANIA.

1 *Capellarum inſtitutio quatenus ſeruanda? p. 195. c. 2*

2 *Capellania duplex, p. 234 c. 1*

3 *Capellania, quæ obliget ad recitandum? p. ead. c. 2*

CAPITVLVM.

Capitulum in officio Diuino p. 173. c. 1

CAVSA, CAVSALITAS.

1 *Cauſalitas diſpoſitiua reduci poteſt ad meritum de congruo, pa. 53. c. 2*

2 *Cauſa iuramenti, vide Iuramenti cauſa: vide etiam voti cauſa.*

3 *Per cauſas ſecundas operatur Deus quoad commode poteſt fieri, p. 64 c. 2*

CHARITAS.

1 *Charitas actualis non eſt neceſſaria ad Orationem, p. 59 c. 2*

2 *Charitas efficacius attingit particularem perſonam, quando circa ſolam verſatur, quam charitas communitatis ſingulos de illa attingat p 63 c 2*

3 *Charitas immediate verſari poteſt circa materiam Religionis, p 92. c. 1*

4 *Charitas formaliter reſpicit bonitatem, p. 92. c. 2*

CHORVS.

1 *Chorus Eccleſiaſticus probatur. p. 167. c. 1*

2 *Chori obligatio quibus incumbat? 195. c 1*

3 *Chori obligatio quatenus inſit Religioſis ſub mortali? p 197. c. 1. & 2*

4 *Chori obligatio facilius excuſatur in Religioſo, quam in beneficiato ſeculari ea c. 2*

5 *Chori obligatio beneficiatos obligat ſub mortali, 198. c.*

6 *Chori*

Digitized by Google

6 Chori obligatio eſt definita ad certa templa, p.198.c.2
7 In choro omnes pſalmi, & verſiculi dici debent, etiamſi organum ſonet. p.190.c.2
8 In choris iuxta quam formam recitandum officium? p.199.c.2
9 In choro aſsignatum pro tunc officium eſt recitandum, p.200. col 1
10 In choro quo minus recitetur aſsignatum officium, quatenus Prælati poſſint diſpenſare. ibid.
11 In choro ſeruandus ordo horarum p 200.c.2
12 In choro cum omittitur aliquid, eſt in poſterum reſeruandum, p.201 c.2
13 In choro qui verſus ad ſe pertinentes omittit non repetiturus peccat, p 202.c.1
14 In choro an peccetur, vel ſatisfiat ſubmiſſe recitando? p ea c 2
15 In choro ſubmiſſe recitans ſatisfacit officio Diuino, non vero chori obligationi p.203.c.1
16 In choro ſubmiſſe recitans non conſequitur diſtributiones, ſaltem in totum. p 204 c 1
17 In choro dum alii canunt, non tenetur altera pars ſubmiſſe eadem recitare. p.205 c.1
18 In choro qui partem aliorum ſubmiſſe recitat, non peccat, & ſatisfacit p.206.c.1. per totum.
19 In choro dum alij cantant qua attentio ſit habenda? ibid.
20 Chori integri per diem defectio, vbi eſt obligatio, eſt mortale peccatum, & cuius ſit præcipue p.207.c 1
21 In choro obligatio horæ vnius prætermiſſio, vel etiam partis ſufficientis, eſt grauis, ibid. chori defectus, an poſſit diſpenſari? ibid.
22 Choro obligatus cuius partis omiſſione peccet mortaliter? p. 207.c.2
23 In choro verborum mutilatio, quod peccatum? p.209.c.1
24 In choro non poteſt conuenienter repeti, quod eſt male cantatum. ibid.
25 In choro celeritas canendi ratione erit mortalis, p 209 c.1
26 In choro quatenus ſit abrogata obligatio recitandi alias preces, præter officium Diuinum. p. ead. c. 2. In choro addere aliquid officio Diuino. qua ſit culpa? ibid.
27 Chori obligationi ſatisfacit, qui inſeruit. 212.c.2
28 In choro an ſufficiat aſsiſtentia ſine attentione? p. 212. c. 2. & 213 c.1
29 In choro, quæ ſit habenda corporis compoſitio? p.2 3.c.2
30 Choro, quæ tempora ſint impendenda? ibid.

CHRISTVS.

1 Chriſtus ſemper orabat. p.4 c.2
2 Chriſto non fit iniuria, cum ſancti orantur, p 25.c.1
3 Chriſtus adhuc vere pro nobis orat, ea c.2
4 Chriſtus dupliciter mediator, p 24.c.2
5 Chriſtus an & quomodo poſſit orari, vt pro nobis oret p.24.c.1
6 Chriſtus non orat pro conſeruatione vnionis ſuæ humanitatis ad Verbum, p 30.c.2
7 Chriſtus nobis meruit bona honeſta, etſi naturalis ordinis videantur, p.45.c.2
8 Chriſtus mentali orationi vacabat. p.73.c.1
9 Chriſtus naturaliter operabatur per ſenſus, licet eſſet comprehenſor. 121 c 2
10 Chriſtus noua præcepta moralia non attulit p.278 c 1
11 Chriſti vota, & iuramenta, p.306.c.2. vide Voti cauſa efficiens.
12 Chriſtus in primo inſtanti conceptionis vouit, p. 336.c.1

CHRISTIANVS.

1 Chriſtianus non peccat recipiendo iuramentum ab Idololatra, nec fere poſtulans, p.439 c.1
2 Chriſtiani per ſe tenentur ſcire, promiſſionem eſſe orationi factam, p.57 c.1

CIRCVMSTANTIA.

1 Circumſtantia voti. vide, voti circumſtantia.
2 Circumſtantia iuramenti, vide iuramenti circumſtantia.

CLERICVS.

1 Clericum eſſe deputatum alicui Eccleſiæ, quid ſit? p.196.c.2
2 Clerici in ſacris tenentur recitare horas Canonicas, p. 216.c.2 Et quo iure, ibid.
3 Clerici in minoribus non tenentur ad horas ſacras, niſi forte ob beneficium, p.218.c.1 & 2
4 Clerici in minoribus non tenentur ad orationem certã, p. 218. col.2
5 Clerici ad quod officium priuatim teneantur, p.237.c.1
6 Clericus nulli Eccleſiæ addictus tenetur conformari diœceſi, ea. col.1
7 Clericus beneficiatus in vna diœceſi, & reſidens in altera, cui conformari tenatur, ibid.
8 Clericus habens beneficia in diuerſis diœceſibus, cui teneatur cõformari, priuatim recitando? p.238.c.1
9 Clerici quatenus per ius nouum teneantur recitare iuxta formam à Pio V. ſeu Clemente VIII. datam, p.ea.c.2
10 Clerici an poſſint priuatim recitare, iuxta formam Pij V. in diœceſibus, qui eam non acceperunt, ibid.
11 Clerici diœceſeos, in qua mala non eſt recepta forma Pij V. an teneantur dicere ad Romanam formam? ibid.
12 Clericus, quo pacto oret pro Eccleſia? p.250 c.2. & 251.c.1
13 Clericus poteſt obligari ad votum caſtitatis emittẽdum, p.479. col.2
14 Clericus an poſſit vouere peregrinationem, p. 562.c.2

COGITATIO.

1 Cogitatio quid ſit? p.98.c.1
2 Cogitatio turpis inter orandum, quod peccatum, p.142 c.2
3 Cogitatio ſancta à Deo, principium eſt omnis boni deſiderij, ac voluntatis, p.75.c.1

COLLECTA.

1 Collecta in officio Diuino, quæ, & vnde dicta? p .173.c.2

COADIVTOR.

1 Coadiutores, an ſaltem teneantur ad officium Virginis? p.236. col.2
2 Coadiutores Canonicorum, vt ſic non tenentur recitare Diuinum officium p.235.c.2
3 Coadiutor Canonici an ſit vere Canonicus, p.235.c.1
4 Coadiutor Epiſcopi poteſt eſſe vere Epiſcopus. p. 3 c.1
5 Coadiutor pro principali an teneatur recitare, ibid.

COMMINATIO.

Comminatio iurata quantum obliget, p.314.c.1

COMMVNIO.

Communio Paſchalis, quoad vſque licite differatur p.646.c.1

COMMVNITAS.

1 Communitatis vota vt perpetuo valeant, debent eſſe approbata à Prælato, p.597.c 2
2 Communitatis vota poſſunt à Prælato reuocari. p.599.c.1
3 Communitas an poſſit obligare ad votum, & ſimilia? ibid.
4 Communitas quatenus poſſit iuramentum præſtare, p.369.c.1. 392.c.2
5 Pro communitate quando teneamur orare?, p.71.c. 2

COMPENSATIO.

1 Compenſatio æquiualens quando ſufficiat ad debiti ſolutionẽ, p.267.c.1
2 Compenſatio in quo differat ab æquiualente ſolutione, in iuramento, p.403.c.1
3 Compenſatio in iuramento, vide iuramenti compenſatio.

COMPLETORIVM.

Completorium in officio Diuino, quid, p.182 c.1

COMPVNCTIO.

Compunctio quid ſit? p.105.c.1

CON-

Digitized by Google

CONCVRSVS.

Concurſum Dei generalem incertum eſt,an negaret,p.43.c.2

CONDITIO.

1 *Conditiones neceſſariæ,vt oratio impetret,p.55.c.1*
2 *Conditio in voto conditionato,vnde apponatur?p.517.c.2*
3 *Conditiones circa materiam voti,p.531.c.1*
4 *Conditio poſſidentis quando ſit melior?p.583 c.2*
5 *Conditiones generales votorum,p.619.c.2*
6 *Conditio in voto quot modis detur, 620.c. 2.earum triplex genus,621.c.1.vide Votum.*

CONFESSIO.

1 *In confeſſione non ſemper ſufficit ſpecificam rationem actus confiteri,p.637.c.1*
2 *Confeſſio interna qualis,p.11.c.1*

CONFRATERNITAS.

Confraternitatum leges ad recitandum, quantum obligent,141.col.1

CONIVX.

1 *Coniux poſt votum caſtitatis non poteſt petere,p.536.c.1*
2 *Coniuges, quæ particularia habent dominia,p. 659.c.1. vide voti irritatio.*

CONSCIENTIA.

Conſcientia erronea in iuramento,p.302.c.1.& 323.c.1

CONSTANTINVS.

Conſtantinus Imperator orandi formam milites docuit,pag.159.col.2

CONSECVTIO.

Conſecutio rei poſtulatæ eſt finis extrinſecus virtutis Religionis, p.16.c.1

CONSIDERATIO.

Conſideratio quid ſit,p.98.c.1

CONSOLATIO.

Conſolatio ſpiritualis qualis p.90.c.2

CONSVETVDO.

1 *Conſuetudo incaute iurandi, an ſtatuat hominem in ſtatu peccati,427.c.1*
2 *Conſuetudo iurandi duplex.ibid.vide iurandi conſuetudo.*

CONTEMPLATIO.

1 *Contemplationis definitio ex D.Bernar.p.77.c.2*
2 *Contemplatio quid ſit, & an ſit actus intellectus, an voluntatis?p 97.c.1.& 2*
3 *Contemplatio finis humanæ vitæ,p.98.c 2*
4 *Contemplatio circa res creatas triplex,p 93.c.1*
5 *Contemplatio Chriſtiana, quatenus à communi differat,pag.99.c.1*
6 *Contemplatio iuncta eſt cum actu voluntatis,ibid.*
7 *Contemplatio quare amanda?ibid.*
8 *Contemplatio Dei cauſa amoris?p.99.c.2*
9 *Contemplatio quid addat orationi?p.100.c.1*
10 *Contemplationis proprius actus,p ea.c.2*
11 *Contemplatio,quem diſcurſum ſupponat.ibid.*
12 *Contemplationi cooperantur tria Spiritus ſancti dona, 102.col.1*
13 *Contemplationis mora quanta,ibid.*
14 *Contemplatio,quatenus propria perfectorum,105 c.2*
15 *Contemplatio an poſſit eſſe ſine actu intellectus & voluntatis?p.106.c.1.& 2*
16 *Contemplatio an poſſit eſſe cum ſolo actu voluntatis? p.110.c.1*
17 *Contemplatio in quo conſiſtat,p.116.c.2*
18 *Contemplatio naturaliter eſſe nequit ſine cooperatione ſenſuum,poteſt tamen diuinitus,p.117 c.1.& 2*
19 *Contemplatio, quæ non incipit à ſenſibus, non poteſt principium habere ab homine,p.118.c.1*
20 *Contemplatio omnino abſtracta à ſenſibus non eſt procuranda,ibid.*
21 *Contemplatio cum abſtractione ſenſuum externorum poteſt eſſe ſine miraculo,ibid.*
22 *Contemplatio infuſa in quo conueniat cum viſione beata?p.122.c.1*
23 *Contemplatio non impedit omnem corporis motionem,p.124.c.1.nec vegetationem,p.ea.c.2*
24 *Contemplatio duplex,p.125.c.1*
25 *Contemplatio non impedit vſum rationis perfectum,p.125 c.1.& p.126.c.2.& 129.c.1*
26 *Contemplationis actus poteſt eſſe independens à voluntate, p.125.c.2*
27 *Contemplationis infuſæ duo modi,p.125.c.2*
28 *Contemplatio quatenus ſit,an non ſit libera?p.129.c.1.& 131.col.1*

CONTRACTVS.

1 *Contractus minorum quatenus ſint validi?pa.382.c.2. & pag.384 c.1*
2 *Contractus quilibet poteſt fieri per procuratorem,p.391.c.1.vide verb.Iurament.*

CONTRITIO.

Contritio etiam valde perfecta non reſtituit ſemper familiaritatem,& fauorem Dei priorem,51.c.2

CONVERSIO, ET CONVERTERE.

1 *Conuerſio ad Deum ſupponitur ad orationem.p.69 c.1*
2 *Conuerti ad Deum an teneamur in primo inſtanti,p.69.c.1*

COOPERATIO.

Cooperationem noſtram vult Deus,p.64.c.2

COR.

Cordis munditia prodeſt ad orationem p.59 c.1

CORONA.

Corona virginis inculcatur p.160.c.1

CREDITOR.

Creditor quatenus poſſit relaxare iuramentum,p.375.c.1

CVLPA.

1 *Culpa quæ petatur dimitti in oratione Dominica?p.155.c.2*
2 *Culpa omni, & pœna poteſt aliquis in hac vita carere ad aliquod tempus,p.157 c 1*

CVLTVS.

1 *Cultus dupliciter poteſt dici voluntarius,p 471.c.2*
2 *Cultus Deo exhibitus per orationem non diſtinguitur ab ipſa,p.15.c.2*
3 *Cultus Dei obiectum eſt affectus orandi,ibid.*
4 *Cultus Dei eſt medium ad rem obtinendam p.16.c.2*
5 *Cultus Diuini præceptum naturale non obligat ad actum determinatum p.67.c.1*
6 *Cultus Diuinus eſt ratio orationis,p.70.c.2*

D.

DÆMON.

1 *Dæmones non orant,p.6.c.1*
2 *Dæmon,quomodo poſſit exſtaſim cauſare?p.130.c.1*
3 *Dæmones quatenus poſſint adiurari. vide adiurari, vide adiurare,7*

DAMNATI.

Damnati poſſunt petere,non orare p 30 c.2.& 31.c.1

DECALOGVS.

Decalogus non continet omnia præcepta moralia formalia, pag.66.col.2

DELECTATIO.

1 *Delectatio ſpiritualis duplex,p.93.c.2*

2 Dele-

Digitized by Google

2 Delectationes quare Deus det, & auferat? p.94 c.1
3 Delectatio deuotionis, vnde oriatur? p.96.c.2
4 Delectatio ſpiritualis ſenſibilis, vnde, & quanti facienda? p. 124 c.1
5 Delectatio contemplationis magna, p.99.c.2

DELIBERATIO.

1 Deliberatio ad votum qualis? p.489.c.2. vide votum.
2 Deliberatio quatenus differat à propoſito, p.489 c.2
3 Deliberatio an tempore præcedere debeat votum? p.491.c.1.
4 Deliberatio vnde agnoſci poſſit, eſſe ſufficiens, p.491.c.1
5 Deliberatio ad votum quanta requiratur, formaliſne, an virtualis? p 492.c.1. & 492.c.2. & 493 c.1. vide voti requiſita.

DESIDERIVM.

1 Deſiderium de eo, quod non poſſis facere, non eſt continuo illicitum, p.10.c 2
2 Deſiderium obtinendi requiritur ad orationem, p.7.c.2
3 Deſiderium rei indifferentis propter ſe ipſam eſt turpe, p.55.c 2

DEVOTIO, ET DEVOVEO.

1 Deuotio quid ſit? p.87 c.1. & 90.c.1. & 91.c.2. & 93.c.1
2 Deuotio duplex, p.ea.c.2
3 Deuotio actualis, p.88.c.2. & 89.c.1
4 Deuotio in actu primo, p.88 c.2
5 Deuotio proprie pertinet ad voluntatem. p.87.c.2. & 92.c.1
6 Deuotio non conſiſtit in promptitudine ab habitu, p.89.c.1
7 Deuotionis nomen æquiuocum, p.91.c.1
8 Deuotio ad quam virtutem ſpectet, p.ea.c.2
9 Deuotio poteſt eſſe actus Religionis p.90.c.2
10 Deuotio ad Sanctos eſt actus Duliæ, p.24.c.2
11 Deuotio poteſt dici voluntas credendi, p.91.c.2
12 Deuotio dicit reſpectum ſubiectionis, p.92.c.2
13 Deuotio pro quibus impropriè ſumitur. p.ead.c.1
14 Deuotionis cauſæ & effectus, p.93.c.2
15 Deuotionis liberum actum præcedentis, & ſequentis, cauſa eſt Spiritus ſanctus, p 94.c.1
16 Deuotionem, quæ excitent, p.85.c.2
17 Deuotio iuuatur duplici diligentia, p.94.c.2.
18 Deuotionis delectatio vnde oriatur? p.96.c.2
19 Deuotio operatiua eſt, ibid.
20 Deuoueo, verbum, quid ſignificet. p.91.c.2. Vide Actum.

DEVS.

1 Deus multa facit interuentu orationis, p.13.c.2
2 Deus petit cooperationem noſtram, p.14.c.1
3 Dei gloriam decet, quod eum oremus, ibid.
4 Deus volens dare vult nihilominus orari, p.27.c.1
5 Deus dupliciter aliquid vult. p.36.c.2
6 Deus aliquando condeſcendit iratus. p.60.c.1
7 Deus cur differat beneficia ornatus, p.61.c.1. & 2
8 Deus abſq; oratione beneficia confert, p.65. c.1
9 Deus cognitus. dupliciter poteſt neceſſitare voluntatem, p.132. col.1
10 Deus an poſſit iurare, p.305.c.1
11 Deo, quid cenſeatur placere, p.397.c.1
12 Deus quo ſenſu in iuramento promiſſorio dicatur fideiuſſor, p. 446.c.2
13 Deus quatenus poſſit adiurari. Vide Adiurare.
14 Propter Deum petere aliquod malum, quod ſit peccatum? p. 466.c.1
15 Deo quatenus poſſit aliquid dari? 471.c.2
16 Deus poteſt acceptare votum, p.567.c.1
17 Dei acceptatio eſt neceſſaria in votis, p.ea. c.2
18 Deo velle diſplicere formaliter etiam in minimis, videtur mortale peccatum, p.635.c.2
Vide Adiurare.

DIES.

Dies acceptiones, p.181.c.2

DILIGENTIA.

Diligentia ad deuotionem duplex. p.94.c.2.

DISCVRSVS.

Diſcurſus an ſit præuius ſemper contemplationi? p 95.c.1

DISPENSARE, DISPENSATIO.

1 Diſpenſare poteſt Papa cum Beneficiato circa recitandi obligationem, p.263 c.2
2 Diſpenſare an poſſint alii Prælati præter Papam circa recitationem, p.263.c.2
3 Diſpenſatio iuramenti, quomodo differat à relaxatione, p.407. col.1. Vide iuramen.
4 Diſpenſatio non ſolum requiritur ad omittendum votum, ſed etiam ad differendum p.645.c.1
Vide ver. Voti diſpenſatio.

DISTRACTIO.

1 Diſtractio in oratione mentali an ſit peccatum? p.85.c.1
2 Diſtractio, vt ſit inuoluntaria, quid requiratur, p.ead.c.2
3 Diſtractio voluntaria in oratione vocali, quod peccatum? p. 142.c.2
4 Diſtractio voluntaria in choro, quando peccatum? p.212.c.1
5 Diſtractio voluntaria in recitantibus ex obligatione quando, & quod peccatum. p.251.c.2. & 247.c.1
6 Diſtractio voluntaria in cauſa, quod peccatum? p.251.c.2
7 Diſtractio, quando videatur eſſe cum propoſito non recitandi iterum, p.253.c.1
8 Diſtractio voluntaria inducit obligationem reſtituendi, ibid.

DISTRIBVTIO.

1 Diſtributiones an debeant dari non canentibus in choro? p.203. c.2. & 204.c.1
2 Diſtributiones amittit, qui fingit cauſas vt abſit à choro, p.208. col.2
3 Diſtributiones non videtur amittere, qui recitat voluntariè diſtractus, p.213.c.1
4 Diſtributiones ad recitandi obligationem ſufficiunt, p.227.c.2
5 Diſtributiones, quatenus amittit, qui non recitat, 269.c.1

DOLOR.

Dolere de præcepto an liceat? p.649.c.1

DOLVS.

1 Dolus, & error in quo differant? p.340.c.1
2 Dolus an inualidet iuramentum, ibid. & 283.c.2 Vide iuramentum.
3 Dolus propriè ſumptus quid importet? p.497.c.2

DONVM.

Dona extraordinaria non petenda. p.52.c.1

DOS.

Dote ſi cedat filia cum iuramento, an peccet? p.366.c.2

DVBIETAS, ET DVBIVM.

1 Dubius an iurauerit debita intentione, quomodò dubium expediet p.330.c.1. Vide Iuramentum.
2 Dubium quatenus obliget? p.395.c.2. In dubio melior eſt conditio poſſidentis, explicatur, p.583.c.2
3 In dubio quatenus pars tutior eligenda? pag. 584.c.2. & 585. col.2
4 Cum dubio ſpeculatiuo quãdo liceat operari? p.585.c.1

DVLCEDO.

1 Dulcedines ſpirituales communes bonis, & malis, p. 48.c.2
2 Dulcedo ſpiritualis. Vide delectatio.

E.

ECCLESIA.

1 Eccleſia duplex poteſtas, p.560.c.2. Eccleſia poteſt inhabilitare ad vota. Vide voti cauſa efficiens.
2 Eccleſia poteſt irritare vota ſimplicia. Vide vot.

Digitized by Google

ECSTASIS.

1 *Ecſtaſis quid ſit? p.1.8.c.2*
2 *Ecſtaſis triplex, ibid.*
3 *Ecſtaſis, quatenus naturaliter ſequi poßit contemplationem, p. 119.c.2*
4 *Ecſtaſis ex ſpeculatione ſequi poteſt, ibid.*
5 *Ecſtaſis omnimoda naturaliter non datur, p.122.c.1. vide abſtractio.*
6 *Ecſtaſis, an poßit naturaliter eſſe de naturali obiecto, p.130.c.1*
7 *Ecſtaſis non tollit libertatem actus amoris, p.131.c.2.*
Vide Appetitus.

ELEEMOSYNA.

1 *Eleemoſynam propter Deum ficte petere, quod peccatũ p. 465. col.2*
2 *Eleemoſyna ſolum de congruo meritoria, ſi ex auxilio gratia fiat ante gratiam ſanctificantem, p.60.c.2*

ENVNCIATIO.

Enunciatio an poßit eſſe partim vocalis, partim mentalis, p.434. col.2

EPIIKIA.

Epiikia, an ſit admittenda in voto, quando conſtat de termino præfixo? p.646.c.1

EPISCOPVS.

1 *Eiſcopus vouens ingredi Religionem an teneatur? p. 570 c.1*
2 *Epiſcopus an poßit vouere renunciationem Epiſcopatus, p.562. col 2*
3 *Epiſcopus an licite, & valide voueat peregrinationem? p.391. col.2*
4 *Epiſcopus non videtur poſſe dare ordines minores cum obligatione aliquid perpetuo recitandi, p.219.c 1*
5 *Epiſcopi quatenus debeant aßiſtere ſacris, p.197 c.1*
6 *Epiſcopi per ſe non tenentur ad chorum, niſi forte ſolennibus diebus, p.195 c.1*
7 *Epiſcopi quorum Religioſorum vota poßint irritare, p.672.c.1*

ERROR.

1 *Errores circa orationem, p.12 c.1*
2 *Error an inualidet iuramentum? p.339 c.2 vide Dolus.*
3 *Error duplex circa contractum, p.341.c.1*
4 *Error quatenus inualidat promißionem, p.ea.c.2*

EVCHARISTIA.

Eucharistia petitur nomine panis in oratione Dominica pag.154. col.2

EXAMEN.

Examen conſcientiæ inculcatur, p.83.c.2.

EXECRATIO.

Execratio in iuramento quid ſit? p.285 c.2

EXORCISMVS.

1 *Exorciſmi Eccleſiaſtici ſunt actus Religionis, p.459.c.2*
2 *In Exorciſmis, quæ ſeruanda? p.461 c.2*

F.

FABRICA.

Fabrica beneficiorum quid comprehendat? p.270.c.1

FALSITAS.

Falſitas an ſit de ratione periurij. Vide Periurium.

FELICITAS.

Felicitas noſtra in actu aliquo conſiſtit, p. 74.c.2

FIDVCIA. FIDES.

1 *Fiducia ne tranſeat in præſumptionem p.59.c.1*
2 *Fiducia orantis vnde poßit oriri p 58.c.2*
3 *Fiducia requiritur ad orationem, p.57.c.2. Quid conducat, p. 58.c.2*
4 *Fiducia, & fides maius, & minus haſitationis quatenus habeant? p.ea.c.1*
5 *Fides in oratione exercetur p.14.c.1. & 145.c.1*
6 *Fides eſt conditio vt oratio impetret p.57.c.1. & quæ? ibid.*
7 *Fides promißionis exigitur ad orationem, ibid.*
8 *Fidei defectus, non repugnans cum eius ſubſtantia, in quo conſiſtat, p.58.c.1*
9 *Fides ſpeculatiua, & practica ibid.*
10 *Fidei mira ulorum quæ, p. 59.c.1*

FILIVS.

1 *Filij qui ſint quorum reſpectu Deus Pater dicitur? p.152.c.2*
2 *Filij emancipati ſunt ſui iuris, p.661.c.2*
3 *Filiorum vota. Voti cauſa, & voti irritatio.*

FINIS.

1 *Finis prauus quatenus deprauat votum? p.632.c.2. vide votum.*
2 *Finis mentalis orationis in quo differat à fine vocalis? & quis ſit? p.84.c.1*
3 *Finis ex ſe non habet terminum, p. 50.c.2*
4 *Ad finem inferiorem, rem ſuperiorem referre an liceat, p.289. c.2.290.c.1*

FORMIDO.

Formido ex parte intellectus, quæ non impediat orationem? p.5[illegible] col 1

FRVCTVS.

1 *Fructus orationis alius proprius, alius communis, p.53.c.1*
2 *Fructus Eccleſiaſtici ſine beneficio an obligent ad recitandum? p.232 c.2*

G.

GLORIA.

Gloria Patri, & Filio, &c. in fine pſalmorum, in [illegible]catur? p. 17[illegible] col.1

GENVFLEXIO.

Genuflexio orandi commendatur, p.86.c.2

GRATIA.

1 *Gratia ſeſe accommodat naturæ p.117.c 1*
2 *Gratia ſtatus an ſit neceſſarius ad orandum? p.19.c.1. & 59.c.2*
3 *Gratia denegatio nullo modo eſt petenda p.52 c.1*
4 *Gratia bona nulla certa lege ſtatuta peti poſſunt, p.49.c.2*
5 *Gratiæ neceßitas ex oratione colligitur p.42.c.2*
6 *Gratiæ nomine quid potuerit intelligere D. Tho. reſpectu orationis p.21.c 1*
7 *Gratia præcipui effectus, efficaciter præordinati ſunt ante prauiſam orationem p.14.c.1*

GRATIARVM ACTIO.

1 *Gratiarum actio ſpectat ad orationem p.77.c.1*
2 *Gratiarum actio mentalis quomodo fiat p.10.c.2*
3 *Gratiarum actio ad Deum pro auxilio ad turpe factum non eſt oratio, p.140.c.1. vide Actio1.*

GRAVITAS.

Grauitas obligationis vnde colligatur? p.677.c.1

H.

1 *Habitus corporis inter orandum mentaliter p.86.c.1. Vocaliter, p.253.c.2*
2 *Habitus vitij non eſt peccatum p 427.c.1*
3 *Habitualis operatio an cadat ſub votum, p.597.c.1*

HÆRES.

1 *Ad hæredem an tranſeat voti obligatio, p. 595.c.2*
2 *Hæredi neceſſario, non poteſt conditio perſonalis voti apponi, p. 602.c.2*
3 *Hæredi imponenda eſt voti realis obligatio, ibid.*
4 *Hæres non tenetur ipſo facto implere vota perſonalia defuncti, nec mixta, vt ſunt perſonalia. p.602.c.2*
5 *Hæres tenetur ad vota realia, vel mixta, quatenus realia, p. 603 col.1*
6 *Hæres an ſubeat voti realis obligationem, etiam inuito teſtatore, p.603.c.2*

Digitized by Google

7 *Ad hæredem quatenus transeunt vota mixta,p.604.c.2*
8 *Hæres non tenetur dare Religioni bona eius, qui vouit ſe, & ſua, & ante ingreſſum Religionis obijt,ibid.*
9 *Hæres an obligetur ad votum contra expreſſam voluntatem teſtatoris,p.618.c.2*

HÆRETICVS.

Hæreticorum pœnas ipſo facto non incurrit, qui ficta intentione adorat Idolum,p.275.c.2

HÆSITATIO.

Hæſitatio,quæ prohibeatur in orando,p.58.c.1

HOMAGIVM.

Homagium quod iuramentum,p.304.c.1

HOMICIDIVM.

1 *Homicidium formaliter non opponitur charitati, ſed iuſtitiæ, p.424.c.1*
2 *Homicidium,an periurio grauius ſit peccatum,p.423.c.2*

HOMO.

1 *Homo cum ſolo naturæ lumine an poſſit orare,p.19.c.2*
2 *Homo non poteſt velle,quidquid Deus vult,p.52.c.1*
3 *Homo in puris naturalibus,an teneretur orare,p.66.c.1*

HORA.

1 *Hora prima diei,fuiſſe videtur orationi deſtinata apud Iudæos, p.233.c.1*
2 *Hora numerus cenſetur eſſe finita vltima hora, à qua denominatur,p.176.c.2*
3 *Hora prima an diuiſa fuerit olim in Oratione?p.177.c.1*

HORÆ CANONICÆ.

1 *Horæ Canonicæ vnde dictæ? p.168.c.2.& 175.c.1*
2 *Horæ Canonicæ quot ſint numero,p.182.c.2.& 184.c.1*
3 *Horæ Canonicæ olim fuere octo,p.184.c.1*
4 *Horæ Canonicæ publicè ſunt ſub præcepto,p.194.c.2*
5 *Horæ Canonicæ ſingulæ quibus horis ſint recitandæ in choro? p.213.c.2*
6 *Horarum Canonicarum publicarũ tempus variare, quando ſit peccatum?p.216.c.1*
7 *Horis Canonicis variandis, quatenus poſſit Prælatus diſpenſare,p.22.c.2*
8 *Horæ Canonicæ, iuxta quem ritum ſint priuatim recitandæ? p.237.c.1*
9 *Horarum Canonicarum priuata tranſmutatio an liceat? p. 241.c.1*
10 *Horæ vnius inuerſio inter alias,an liceat? ibid.*
11 *Horæ Canonicæ pars omiſſa per obliuionem quomodo ſupplenda,ibid.*
12 *Horæ Canonicæ vnius ab alia interruptio, an ſit peccatum,p. 242.c1.*
13 *Horæ Canonicæ eiuſdem partium interruptio an liceat?p.242. c.2. & quando, ibid.*
14 *Horam Canonicam interrumpere ob verba turpia vel indecentia,aliquando erit mortale,ibid.*
15 *Horas Canonicas omnes omittere vno die an ſint ſeptem peccata,p.245.c.2*
16 *Horas Canonicas alternatim omittere, id eſt primam recitando non tertiã & ſextam,recitando nonam, quotuplex peccatũ? p.246.c.1*
17 *Horæ Canonicas omittendi, quæ pœnitentia imponenda? p. 254.c.1*
18 *Horæ Canonicæ priuatim non eſt certum, an dicantur nomine totius Eccleſiæ,p.267.c.1*
19 *Horarum Canonicarum ſeptenarij numeri myſterium. Vide Septem.*

HVMILITAS.

Humilitas,quatenus neceſſaria ſit, vt oratio impetret?p.59.c.2

HYMNVS.

Hymni Eccleſiaſtici probantur,p.171.c.2

I.

IEIVNIVM.

1 *Ieiunij votum poteſt mutari in aliam rem,non vero præceptum, p.248.c.2*
2 *Ieiunij votum an prohibeat lacticinia,p.590.c.1*
3 *Ieiunij votum quid includat,p.589.c.2*

IEPHTE.

Iephte votum expenditur,p.546.c.1

IGNORATIO, IGNORANTIA.

1 *Ignoratio Dei in contem; lattione,quid ſit,p.109.c.2*
2 *Ignorationis nomine qua cognitio à D. Dionyſio dicatur? p. 115.c.2*
3 *Ignorantia de Dei promiſſione orationi quatenus excuſabilis? p.57.c.1*
4 *Ignorantia de eo,quod votum obliget,facit vt vouens non obligetur,p.477.c.2*
5 *An ignorantia annullet votum? p.495.c.1.& ea.c.2*
6 *Ignorantia variè diſtinguitur,ibid.*
7 *Ignorantia proprietatum, & conditionum ſubſtantialium voti, quatenus id irritent,p.466.c.1*
8 *Ignorantia non deobligat volentem vouere, quomodo alij vouent,ibid.*
9 *Ignorantiam habens,de voto,quod fiat Deo,nihil vouet,ibid.*
10 *Ignorantia circa materiam voti,quatenus id inualidet,p.496. col.1*
11 *Ignorantia circa circumſtantias, quatenus inualidet votum? ibid.*
12 *Ignorantia conditionum leuium non impedit votum, p.497. col.1*
13 *Ignorantia circa finem, vel motiuum voti, quatenus id impediat? ibid.*
14 *Ignorantia de re ſubſtantiali, quæ tamen cauſat votum, non oportet vt ſit inuincibilis vt inualidet votum,p.498.c.1*
15 *Ignorantia concomitans quæ, & vtrum inualidet actum?p. ea.c.2*
16 *Ignorantia poſitiua,an irritet votum,ibid.*
17 *Ignorantia priuatiua an inualidet votum,p.499.c.1*

IMPEDIMENTVM.

1 *Impedimentum voti duplex p.626.c.2*
2 *Impedimentum voti implendi, tenetur vouens vitare ſi poteſt; alioquin ſi illud affectet, violat votum,p.606,c.2*

IMPETRATIO.

1 *Impetratio,non recurrit cum merito p.62.c.2*
2 *Impetratio non fundatur ſolum in Dei libertate,p.63.c.2*
3 *Impetratio,orationis mentalis vtilitas eſt p.74.c.2*

IMPRECATIO.

Imprecationes Scripturæ quo pacto intelligendæ?p.47.c.1

INDICIVM.

Indicia varia ad cognoſcendam intentionem vouentis? p.628.c.2 vide intentio.

INDVCERE.

1 *Inducere alium ad iurandum per falſos Deos quod peccatum? p.438.c.2.439.c.2*
2 *Inducere ad iurandum abſolute,iuraturũ per falſos Deos, quatenus liceat,p.438.c.2*
3 *Inducens infidelem ad iurandum, debet id facere ex cauſa,p. 439.c.2*
4 *Inducere alium vt iuret per falſos Deos, ſi aliter nolis, non per ſe malum,p.440.c.1*
5 *Inducere ad iurandum modo indebito,non licet,ibid.*
6 *Inducere alium ad iurandum ſine neceſſitate,ſaltem eſt veniale,p.440.c.2*
7 *Inducere ad iuramentum, quod præſtari non poteſt ſine peccato,quæ culpa p.440.c.2.& 441.c.1*
8 *Inducens ad iurandum grauius peccat ipſo iurante,p.440.c.2*
9 *Inducitur aliquis ad iurandum inique tribus modis,p.441.c.1*
10 *Inducere alium ad frangendum votum,quale peccatum? pag. 617.c.1*

Rrr 2 11 Indu-

11 Inducere an poſſim ad iurandum putantem rem eſſe veram, cũ ſciam eſſe falſam, 441.c 1

INFAMIA.

1 Infamia proximi cum iuramento, quod peccatum? p.421 c 2
2 Infamia proximi iurata, quomodo debeat retractari? p.721. col.1
3 Infamia an incurratur per periurium? vide periurium.
4 Infamia alia Canonica, alia Ciuilis, p.445 c.2
5 Infamia Ciuilis, non inducitur per omne iuramentum falſum, Canonica maxime ibid.
6 Infamia non incurritur propter periurium occultũ, p.456.c.1
7 Infamia incurritur ex periurio abſque ſententia. ibid.
8 Infamia Ciuilis quando incurratur per periurium? p.ea.c.2
9 Infamia Ciuilis non incurritur per periurium priuatum extra iudiciale ibid.
10 Infamia facit irregularem, ibid.

INFIDELIS.

1 Infidelis non orat perfecte, p.32 c.1
2 Infideles non orant ſine aliqua credulitate, p.44.c.2
3 Infidelis. Vide Idololatra. & inducere.

INIMICVS.

1 Pro inimicis poſſumus orare p.38.c.2. An, & quando teneamur, ibid.
2 Inimicum an liceat excludere orando? p.38.c.2. & 39.c.1

INIVRIA.

Iniuria non inualidat votum p.459.c.2.

INSTRVMENTVM.

Inſtrumenta muſica an deceant in Eccleſia? p 190.c 1

INTELLECTVS, INTELLIGERE.

1 Intellectus quibus actibus concurrat ad Orationem? p.77.c.2 & 78.c.1
2 Intellectus qua cauſa ſit reſpectu voluntatis? p 112 c.2
3 Intellectus intimior eſt animæ quam voluntas, p.116.c.2
4 Intellectus coniunctus, naturaliter pendet à phantaſia, p. 117. col.2
5 Intellectus non concurrit ad viſionem beatam per aliquam naturalitatem, p.121.c.1
6 Intelligendi actus, vide actus intelligendi.

INTENTIO.

1 Intentio mentis neceſſaria eſt ad orationem vocalem, p.139 c.2
2 Intentio orandi debet eſſe honeſta, ibid.
3 Intentio bona impliciter non eſt de ſubſtantia orationis vocalis, p.140.c.1
4 Intentio implicita, & virtualis ſufficit ad orationem, ibid. quæ ſit vtraque? ibid.
5 Intentio circumſtantia eſt vocalis orationis p.148.c.2
6 Intentio, quæ requiratur in recitaturo, p.247.c.2. & ſequent. pag.
7 Intentio non ſatisfaciendi præcepto per hoc opus, an efficiat, vt teneat iterum ad aliud agendum? p 248.c.1
8 Intentio ſe non obligandi in iuramento duplex. p.507.c.2

IOANNES BAPTISTA.

Ioannis Baptiſtæ in vtero contemplatio, & meritum p.125.c.2

IOBILEVM.

Vide aliqua ver. Voti diſpenſatio. & voti commutatio.

IRREGVLARITAS.

Irregularitas in dubio an teneat? p 585.c.2

IVDICIVM, IVDEX.

1 Iudicium prærequiritur ad orationem, & quale requiratur? p.7.c.2
2 Iudicium in reuelationibus quale? p.126.c.1
3 Iudex laicus quatenus poſſit cogere ad remittendum iuramentum? p.411.c.2
4 Iudex exigere poteſt iuramentum à peieraturo? pag. 442.c.1. 443.c.1

IVRAMENTVM.

1 Iuramentum quid ſit? p.273.c.1. & 2
2 Iuramenti partes, p.274.c.1
3 Iuramentum poteſt eſſe mentale ibid.
4 Iuramentum licitum eſt Chriſtianis, p.276 c.2
5 Iuramentum quo ſenſu Chriſtus prohibuerit p.278.c.1
6 In iuramento quo ſenſu Deus adhibeatur teſtis p 280.c.1
7 Iuramentum eſt actus Religionis, p.282.c.1. & 2
8 Iuramentum an ſit appetibile propter Dei cultum præciſe, pag. 272.c.1
9 Iuramentum per atteſtationem quod? p.285.c.2. vide atteſtatio.
10 Iuramentum per execrationem quod: ibid.
11 Iuramentum ſimplex. p.297 c.2
12 Iuramentum ſolenne p.298.c.1
13 Iuramenta priuata communiter reputantur ſimplicia, p. ead. col.2
14 Iuramentum execratorium, 299.c.1
15 In iuramentis attendenda eſt iurantis conſcientia. p.305.c.1
16 Iuramentum an eſſet in ſtatu innocentiæ. p 308.c.1
17 Iuramentum ſupponit vſum rationis. p 309.c.1. & ſequent.
18 Iuramenti ne, an Voti maior ſit obligatio? p 317.c.1
19 Iuramentum quod, & quatenus reducatur ad votum? p. 363. col.1
20 Iuramentum de omiſſione impertinenti eſt peccatũ, p. 370.c.1
21 Iuramentum ſimpliciter poteſt eſſe illicitum p 371.c.2
22 Iuramentum potiſſimum iudicandum iuxta naturam actus cui adiungitur. p 393 c 2
23 Iuramentum quantum pendeat ab intentione? ibid.
24 Iuramentum non mutare naturam actus, quomodo intelligendum, p. ead.c.2
25 De iuramento an detur præceptum affirmatiuum, & quod? p. 419 c 1 & 2
26 Iuramentum incautum quando ſit mortale? p 426 c 1. & 2 vide iurare.
27 Iuramentum prolatum ſine aduertentia formali, & per ſe ſufficiente ad peccatum mortale, quod peccatum? p.429.c.1
28 Iuramentum vanum an includat cõtemptum Dei? p.437 c.2
29 Iuramentum petere, quod præſtari nequit ſine peccato, quod peccatum? p. 440.c 2
30 Iuramentum à peieraturo, an poſſit exigi, p.441.c.2. 442. c.1. 443.c.1
31 Iuramentum à iuraturo forte male, quatenus priuata perſona poſſit petere? p.443 c.1
32 Iuramentum quatenus poſſit peti à bene iuraturo? p. 443. c.2
33 Iuramentum quis licite poſſit exigere? ibid.
34 Iuramentum exterius ſine intentione iurandi, ex ſuo genere eſt mortale, p.448.c.1
35 Iuramentum fictum contra iuſtitiam, vel obedientiam eſt mortale, p. 449.c.2
36 Iuramentum fictum in contractu graui eſt mortale, ibid.
37 Iuramenti vel iniuſte exacti, vel voluntarij fictio quam peccaminoſa? ibid.
38 Iuramentum cum intentione iurandi, & non implendi, ſemper mortale eſt, p.449.c.1
39 Iuramenta leuia, vrbana, minatoria, promiſſoria inter domeſticos, quæ peccata, p. ea.c.2
40 Iuramentum ſimulatum, quod peccatum p.450.c.1
41 Iuramentum addit voto nouæ ſpeciei obligationem, p. 648.c.2 Quid præterea importet? p.319.c.2.320.c.1

IVRAMENTI CAVSA EFFICIENS.

1 Ad iuramentum quomodo ſe habeant intellectus, & voluntas & in qua harum potentiarum ſit formaliter? p.274.c.1. & 2
2 Iuramentum à Deo factũ, an ſit validum? p.305 c.2
3 Iuramentum execratorium probabilius eſt non dari in Deo, p. 306 c.1
4 Iuramentum an detur in Deo vide Deus,
5 Iuramentum an emiſerit Chriſtus p.306.c.2
6 Iuramentum an emittant Angeli, & quod, p.307.c.2
7 Iuramentum probabilius eſt non exerceri ab Angelis malis inter ſe, ibid.

8 Iuramen-

Digitized by Google

8 Iuramentum an eſſent immiſſuri Angeli in pura natura, pag. 308 c.1.
9 Iuramenti capaces ſunt pueri poſt vſum rationis, p.309.c.1
10 Iuramenti an ſint capaces, qui Deum ignorant? ibid.
11 Iuramenti an ſint capaces Gentiles, ibid.
12 Iuramenti an ſint capaces Hæretici & Iudæi, p.309 c.1
13 Iuramenti an fuerint capaces, qui Deum ex parte ſolum agnouerunt, p.ead.c.2
14 Iuramenti quatenus fideles ſint capaces, ibid.
15 A iuramento: quatenus quis excludatur, ibid.
16 Iuramento interdicitur inſanibus, & periuris, ibid.
17 Iuramentum, quatenus presbyteri debeant abſtinere, ibid.
18 Iuramentum præſtitum, à procuratore an ſit verum? p.391.c.1. An obliget. vide, iuramenti obligatio.
19 Iuramentum per tertiam perſonam, quatenus non admittatur aliquando in iure humano, p.ea.c.2
20 Iuramentum quatenus poſſit præſtari à communitate, ibid & p.342.c.2

IVRAMENTI CAVSA FORMALIS.

1 Iuramentum Religioſum per ſolum verũ Deum fit, p.248.c.2
2 Iuramentum per aliud à Deo, vt ſic non eſt iuramentum, pag. 285.c.1
3 Iuramentum per creaturas, quod. ibi. p.285.c.2.286.c.1
4 Iuramentum per creaturas, quatenus ſit ſcandaloſum? p. 286. col.1.
5 Iuramentum per creaturas irrationales an ſit peccatum, p.ead. col.2
6 Iuramentum per Dæmones, aut damnatos, eſt illicitum, ibid.
7 Iuramentum per Angelos, & Beatos, quoad liceat? p. 287.c.1
8 Iuramentum per fidem meam, aut veritatem non eſt iuramentum, ibid.
9 Iuramentum per execrationem, vel atteſtationem, quod, p.285. col.2
10 Iuramentum per Deum, & per creaturas vtrum differant ſpecie p.287.c.2
11 Iuramenti forma, quæ? p 295.c.2
12 Iuramenti forma, quatenus ſint verba. p.296 c.1
13 Iuramenti forma an neceſſario includat verba, ibid.
14 Iuramentum tribus modis poteſt fieri ex parte formæ, p.297.c.1
15 Iuramentum poteſt fieri per alia ſigna, præter verba, p.296.c.1 297.c.2
16 Iuramenti cæremonia: manus ad fæmur applicita qualis, pag. 296.c.1
17 Iuramenta fiebant per ſacrificia p.298.c.1
18 Iuramentum ſolemne variis ritibus fit. ibid.
19 Iuramentorum formulæ variæ. p.299.c.2.300.c.1
20 Particula iuro per ſe ſola an ſufficiat ad iuramentum, p.300.c. 1.& an ſit neceſſaria. ibid.
21 Iuramentum an ſit, voueo Deum. p.300.c.1
22 Iuramentum ſicut Deus eſt veritas, &c. cõtinet blaſphemiam, p.301 c.1
23 Iuramentum per fidem, vel in fide, &c. p.301.c.1
24 Iuramentum per conſcientiam meam, per cælum, &c. p.303.c. 1.& 304.c 1
25 Iuramentum homagij, quod, p.304.c.1. iuramenti execratorij formulæ variæ. p.ead.c.2
26 Iuramentum execratorium, an ſit dicere maledicta ſit hæc res ſi eam habeo, p.305.c.1
27 Iuramentum per falſos Deos an inducat obligationem, p. 322. c.2.323.c.2
28 Iuramentum per falſos Deos non obligat poſt conuerſionem ad fidem, p.323.c.1. non eſt iuramentum, p.282.c.1
29 Iuramentum per creaturas, vt ſic an obliget, pag.324.c.1. 152. col.2
30 Iuramentum verum per viatores quatenus non datur, p. 287. col.2
31 Iuramentum per Dæmonem quatenus non obliget, pag. 324. col.2
32 Iuramentum per Cælites, in quantum obliget, pag. 324. col.1

IVRAMENTI CAVSA MATERIALIS.

1 Iuramentum in qua potentia formaliter, p. 274 c.1
2 Iuramenti materia extenditur ad negotia humana, pag. 290. col 2
3 Iuramenti materia debet eſſe contingens p.294 c.2
4 Iuramenti materia debet inuoluere actionem hominis, p.295. col.1
5 Iuramentum de aliena actione, quod ſit, ibid.
6 Iuramentum factum circa certam materiam non poteſt vt ſic ad alia extendi, p.297.c.1
7 Iuramenti materia grauitas, vel leuitas, vnde petenda? p.448. col 1
8 Iuramentum ex parte materiæ dupliciter poteſt eſſe nullum, p. 450.c.2
9 Iuramentum de re ad quam obligari non poſſum ex genere ſuo eſt mortale, ibid.
10 Iuramentum de re contraria conſilio, non eſt per ſe mortale, p. 451.c.1
11 Iuramentum de re non mala, ſed impoſſibili, quod peccatum? p.451.c.2
12 Iuramentum de peccato veniali faciendo, quod peccatum, p.ea. col.2.
13 Iuramentum promiſſorium de facto, vel omiſſione mortali, ſemper eſt mortale, p.452.c.2.& 453 c.2.
14 Iuramentum promiſſorium faciens de peccato Mortali, an grauius peccet cum intentione, an ſine illa? ibid.
15 Iuramenti aſſertorij materia remota an debeat eſſe honeſta? p. 281.c.1. Idem de proxima, ibid.
16 Iuramenti aſſertorij materia proxima, & remota, quæ? ibid.

IVRAMENTI FINIS.

1 Iuramenti finis proximus eſt confirmatio veritatis, p.290.c.1
2 Iuramentum non attendentis ad Diuinum cultum, vt ſic, non eſt peccatum. p ead.c.2

IVRAMENTI COMITES.

1 Iuramentum tres debet habere comites, p.280.c.1. Hæ ſufficiunt, p.281.c 2
2 Ad iuramentum omne requiritur veritas, p.280.c.1
3 Iuramenti promiſſorij duplex eſt veritas ibid.
4 Iuramentum de futuro quam requirat veritatem. p.280.c.2
5 Iuramentum quo ſenſu iuſtitiam requirat? ibid.
6 Iuramentum quatenus exigat iudicium? p.281.c.1. quid ſub hoc iudicio intelligatur?
7 Iuramentum quam exigat intentionem? 274.c.2

IVRAMENTVM CONDITIONATVM.

1 Iuramentum conditionatum quatenus ab abſoluto differat, p. 399.c.1
2 Iuramenti conditiones variæ. p 397.c.1
3 Iuramentum quas conditiones non poſſit non habere, p.398.c.2
4 Iuramenti generales conditiones, prima ſi potuero, p.397 c 1 ſecda. ſi licite potuero, ibi. tertia, niſi prælatus aliter diſpoſuerit, & ibid. quarta ſi promiſſario placuerit, p.ea.c 2. quinta, ſi ſit idem rei ſtatus, ibid. ſexta ſaluo iure ſuperioris, p. 397.c.2 aliæ item, p 398.c.1.& 404.c.2
5 Iuramentum abſque talibus conſtitutionibus, quid valeat p.ea. col.2
6 Iuramentum has habens conditiones quomodo poſſit eſſe abſolutum? ibid.

IVRAMENTI DIVISIONES.

1 Iuramentum diuiditur in aſſertorium, & promiſſorium, pag. 273.c.1.& 291.c.2. qualis ſit hæc diuiſio? p.293 c.1
2 Iuramenti diuiſio in ſpirituale, & temporale. p.291.c.1
3 Iuramentum ſenſibile diuiditur in tria membra, pag. 297. col.2

4 Iuramenti diuiſio in ſimplex a. ſolemne, a cidentaria, p. 298. col 1
5 Iuramentum diuiditur, in atteſtatorium, & execratorium. Et qualia ſint membra? ea. c. 2
6 Iuramenti hæ diuiſio qualis ſit, p. 299 c. 1
7 Iuramenti promiſſorii, & aſſertorii diſcrimen quoad materiæ leuitatem p 446 c. 1

IVRAMENTVM ASSERTORIVM.

1 Iuram ntum aſſertorium, quod? p. 273 c. 1. 291 c. 2
2 Iuramenti aſſertorii materia proxima & remota, p 281. c. 1
3 Iuramentum aſſertorium an exigat honeſtam materiam? pag. 280. c. 2. 281 c 1
4 Iuramentum aſſertorium an poſſit eſſe de futuro? p 292. c. 1
5 Iuramenti aſſertorii obligatio grauior eſt quam voti, p. 318 c. 1
6 Iuramentum de aſſertione facta in gratiam iurantis an obliget? p 347. c. 2
7 Iuramentum aſſertorium ex defectu ſolius neceſſitatis non eſt mortale in indiuiduo, niſi adſit contemptus Dei p. 437. c. 1
8 Iuramentum aſſertorium ex defectu iuſtitiæ ſolius, quod peccatum? p. 438 c. 1
9 Iuramentum aſſertorium de re turpi an ſit mortale? ibid.
10 Iuramentum aſſertorium de futuro non implere, magis ſpectat ad emiſſionem, quam ad commiſſionem p. 444 c. 2
Vide iuramenti obligatio.

IVRAMENTVM PROMISSORIVM & confirmatorium.

1 Iuramentum promiſſorium quod, p. 273. c. 1. 291. c. 2
2 Iuramentum promiſſorium includit aſſertorium, p. 292. c. 1. non è contra, p ea c. 2
3 Iuramentum promiſſorium vltra aſſertionem de præſenti, addit promiſſionem de futuro p. 291 c 1
4 Iuramento promiſſorio quod confirmatur, debet pendere à iurante p 292 c. 2
5 Iuramentum de futuro promiſſorio æquiualet ibid.
6 Iuramentum promiſſorium quid addat ſuper aſſertorium? p. 312 c 1
7 Iuramenti promiſſorii obligatio, an includat promiſſionem de futuro, p. ea c. 2
8 Iuramentum promiſſorium, quatenus afficiat promiſſionem? p 313 c. 1
9 Iuramentum promiſſorium, an faciat ex aſſertione de futuro promiſſionem. p 313 c. 1. 314 c. 2
10 Iuramentum promiſſorium addit aſſertioni de futuro ſpecialẽ obligationem p. 314 c. 1
11 Iuramentum promiſſorium ſine propoſito eſt graue peccatum? ibid.
12 Iuramentum promiſſorium de aliena actione dupliciter ſe habet, p 315. c. 1
13 Iuramentum de futuro non factum homini, regulariter ſit cũ voti admixtione, p. 37 c. 1
14 Iuramentum promiſſorium quomodo diſcernatur à voto? ibid.
15 Iuramentum promiſſorium additum voto, quid importet? pag. 394. c. 1. 320 c. 2. 648 c. 2
16 Iuramentum promiſſorium additum promiſſioni, an reſpectu hominis, cui ſit, ſit validus p. 320. c. 2
17 Iuramentum promiſſorium explicite per Deum, maximam habet vim, p. 322. c. 1
18 Iuramentum promiſſorium quam requirat libertatem? p. 326. c 2. 327. c. 1
19 Iuramentum promiſſorium requirit intentionem iurandi, p. 326. c. 2
20 Iuramentum promiſſorium quatenus obliget facere veram promiſſionem de futuro? p 363. c. 1
21 Iuramentum additum promiſſioni poteſt eſſe validum, licet illa illicita ſit p 373 c. 1
22 Iuramentum promiſſorium cadens immediate in promiſſionẽ de futuro irritam per leges, an ſit validum p 386 c. 2. Non confirmat promiſſionem omnino nullam, p 387. c. 2
23 Iuramenti promiſſio duplex, p. 399 c. 1
24 Iuramentum promiſſorium, quomodo exigendum. aut non, p. 443. c. 1
25 Iuramentum promiſſorium ex eo præciſe quod non habeat neceſſitatem non eſt mortale, p. 444. c. 1
26 Iuramentum promiſſorium factum cum falſitate, ſemper eſt mortale, ibid.
27 Iuramentum promiſſorium, ſi non impleatur, non eſt ſemper nouum peccatum p. 444. c 1
28 Iuramentum promiſſorium dupliciter poteſt ſine culpa nõ impleri ibid.
29 Iuramentũ promiſſoriũ licitum non implere ex genere ſuo eſt mortale p. ea. c. 2
30 Iuramentum promiſſorium, an poſſit impleri ſine mortali ob materiæ leuitatem, p. 445. c. 1. 446. c. 1
31 Iuramenti promiſſorij tranſgreſſio in materia totali vel partiali quid referat ad grauitatem peccati p 445 c. 2
32 Iuramentum de grauitate materiæ cum intentione emittendi partem leue quod peccatum, p. 446. c. 1
33 Iuramentum promiſſorium quatenus differat ab aſſertorio, quoad materiæ leuitatem. ibid.
34 Iuramentum promiſſorium nõ implere eſt contra fidelitatem, ibid.
35 Iuramento promiſſorio Deus non tam vt teſtis quam vt fideiuſſor adducitur, p. ea c. 2
36 Iuramentum promiſſoriũ de mortali. quod peccatum? p. 452. c. 2. 453 c 1. & 2
37 Iuramentum promiſſorium de futuro veniali quod peccatum. p 451. c. 2. id implere, qua culpa? 452 c. 1
38 Iuramentum promiſſorium de re non mala impoſſibili, quod peccatum? p. 451. c. 1
39 Iuramentum promiſſorium de re contra conſilium non eſt per ſe mortale p. 451. c. 1. vide iuramenti obligatio.
40 Iuramentum promiſſorium de aliena actione dupliciter ſe habet p. 315 c. 1
41 Iuramentum firmans contractum per legem prohibitum, quẽ effectum habet, p. 376. c. 2. & quid ſi lex reſpiciat locum communem vel priuatum ibidem late.
42 Iuramentum in contractum lege prohibitum, & factum cõtra eius iuramentum, an confirmet contractum p. 387. c. 2
43 Iuramentum addit 3 promiſſioni an valida det actionem in iudicio, p. 375. c. 2

IVRAMENTI OBLIGATIO.

1 Iuramentum fictum per ſe non inducit obligationem pag 275. col. 2
2 Iuramentum additum comminationi quatenus obliget, p. 314. col. 2
3 Iuramentum additum aſſertioni de futuro, ſpecialiter obligat, ibid.
4 Iuramenti promiſſorij obligatio qualis, p. 315. c 2. & ſequent. talis obligatio eſt grauis ex genere ſuo, 315 c. 2. differt ab obligatione voti, pag 316. c. 1. quatenus ſeparata naſcantur, pag ead col 2
5 Iuramenti an voti maior ſit obligatio, pag. 317. c. 1. 318. col. 1. & 2
6 Iuramentum promiſſorium an obliget ad hominem? pag 320. col. 1
7 Iuramenti, promiſſorii obligatio præcipue eſt reſpectu Dei, ibid.
8 Iuramentum non coniunctum cum promiſſione humana. non inducit obligationem præterquam ad Deum, ibid.
9 Iuramentum promiſſorium propriiſſime inducit obligationem etiam ad hominem p. ea c. 2
10 Iuramentum promiſſioni additum magis an obliget ad illum, cui ſit, ibid.
11 Iuramentum per Deum implicite in creatura eandem inducit obligationem, p. 322 c. 1
12 Iuramentum promiſſorium vt obliget, ſat eſt intentio iurandi, p 327. c 1

Digitized by Google

13 In dubio vtrum promiſſorium iuramentum teneat, quid faciendum, pag. 330. col 1
14 Iuramenti promiſſorij obligatio non impeditur per intentionem non implendi rem iuratam, pag ea. col. 2
15 Iuramentum promiſſorium ſimulatum vel doloſum vtrum obliget? p. 331. col 1. p ea. col. 2
16 Iuramentum cum prudenti amphibologia non obligat, ſi abſit iniuria, p. 331 col. 2
17 Iuramentum extortum per iniuriam an obliget, p. 332. c. 2
18 Iuramentum, vel per iniuriam extortum, ſi abſque peccato, & turpitudine iurantis impleri poteſt, obligat, p. 333 col. 1
19 Iuramentum factum vſurario, an obliget? p. ea. col 2
20 Iuramentum factum latroni, an obliget? 334. col 2
21 Iuramentum de non petenda re per iniuriam extorta obligat, pag. 335 col. 2
22 Iuramentum de non petenda relaxatione iuramenti iniurioſe extorti, an obliget, pag 336. col 1
23 Iuramentum per metum extortum, an obliget, p. ead col. 2. & quando. p. ead col 2
24 Iuramentum ortum ex metu ſine iniuria illato obligat, pag. 336 col. 2
25 Iuramentum de redeundo ad carcerem cum periculo an obliget, 338. col. 1. p 339. col. 1. & 2
26 Iuramentum per metum quare obliget, pluſquam votum, aut matrimonium, p. 338 col 1
27 Iuramenti obligatio impeditur per dolum, vel errorẽ, p 340. c 2
28 Iuramentum cum reduplicatione, etiamſi decipiat. obligat, p. 341. col. 2
29 Iuramentum de re bona, ſi non impediat maius bonum, obligat de ſe, pag 344 col 1
30 Iuramentum de actu bono, qui ſi fiat melior, ſit impediendus, an obliget, pag. ead col 2
31 Iuramentum an obliget ad minus bonum? ibid.
32 Iuramentum additum voto non obligat, niſi eo obligante, pag. 345 col 1
33 Iuramentum additum voto mutatur cum voto in melius, ibid. An poſſit mutari in æquale? pag 346 col. 2
34 Iuramentum additum promiſſioni factæ Deo, quatenus obliget? pag. 345 col 2
35 Iuramentum additum promiſſioni factæ homini, quatenus obliget, & an poſſit commutari? p 345. col. 1
36 Iuramentum additum aſſertioni de futuro quantum obliget? pag 347. col 1
37 Iuramentum additum promiſſioni internæ obligat, p. ead. c. 2
38 Iuramentum de ſponſalibus an obliget ad non ingrediendam Religionem? p. 348 col. 2
39 Iuramentum de non acceptando Epiſcopatu quatenus obliget, pag. 350. col. 2
40 Iuramentum promiſſorium de actu, qui importet peccatum mortale, non obligat, pag. 351. c. 2
41 Iuramentum Iſraelitarum de non dandis vxoribus filijs Beniamin, an fuerit rectum, & obligatorium, p 352 col. 2
42 Iuramentum de opere, quod fieri nequit ſine peccato veniali non obligat, 353 col 2. An debeat eſſe cum intentione perficiendi an ſecus? p 354. col. 1
43 Iuramentum de re indifferenti an obliget? p. 355. col. 1. Quid ſi addatur bonus finis p. ea. col. 2
44 Iuramentum de non faciendo opere malo quatenus obliget? p 356. col. 1
45 Iuramentum de non facienda re indifferenti, ſi ſit de omiſſione impertinente ad virtutem, non obligat, p ead. col 2
46 Iuramentum promiſſorium, quatenus obliget facere veram promiſſionem de futuro, p 356 col. 2
47 Iuramentum de non faciendo opere bono ſupererogationis non obligat, ibid.
48 Iuramentum de omiſſione boni operis ſpectantis ad commodum proximi an obliget, p 357. c. 1
49 Iuramentum de non mutuando, an obliget? p 358 col. 1
50 Iuramentum de non accuſanda vxore, an obliget, p. ea c. 2
51 Iuramentum de omittendo bono, an ſeruetur abſque peccato? p. 360 col. 1
52 Iuramentum factum contra præceptum Diuinum non obligat, p. ead. col 2
53 Iuramentum factum Gabaonitis, an fuerit obligatorium? p. 361. col. 1
54 Iuramentum factum contra prius votum, iuramentum aut promiſſorium vtrum obliget? 363 c. 1. & pag. 364. col. 1. Quid ſi creditor conſentiat, p. 364. c. 2
55 Iuramentum de actu per legem in conſcientia prohibitum, non obligat, p. 365. c 2
56 Iuramentũ contra leges Canonicas non eſt validum, p. 366. c. 1
57 Iuramentum contra regulas Religionis, etiam quæ nõ obligant, non eſt validum, ibid.
58 Iuramentum contra leges Ciuiles obligantes in conſcientia non obligat, ibid.
59 Iuramentum contra leges Ciuiles interdum eſt validum, ibid.
60 Iuramentum contra bonos mores an obliget à peccato, p. 367. col. 2
61 Iuramenti de non reuocando teſtamento obligatio, pag. 371. col 1
62 Iuramentum confirmans pactum futuræ ſucceſſionis an ſit validum, p. 369. col. 1. & pag 371. col. 2
63 Iuramentum Clerici contra immunitatem Eccleſiaſticam non obligat, p 370 col. 2
64 Iuramentum de non recedendo à promiſſione ſub tali pœna, an obliget? p 371. c. 1. Idem in ſponſalibus, p ead. col. 2
66 Iuramentum confirmans omnium bonorum donationem, an ſit validum, p 372. col 1
67 Iuramentum illicitum quando obliget, pag 372. col 1
68 Iuramentum additum promiſſioni prohibitæ & irritæ, an obliget? p 373. col 2
69 Iuramenti promiſſorij duplex obligatio, p. 374. col. 2
70 Iuramento relaxato, qualis maneat promiſſio? p. 374. col. 2
71 Iuramenti obligatio quando tranſeat ad heredes, pag 375. c. 2
72 Iuramentum ſeruandi pactum legis commiſſoriæ an obliget? p. 378 col. 1
73 Iuramentum ſoluendi per ludum acquiſita, an obliget, pag. 378 col. 2
74 Iuramentum an confirmet pactum, quod leges reprobant in odium creditoris, p. 379 col. 1
75 Iuramentum firmans contractum in præiudicium tertij nõn valet, p 380. c. 1
76 Iuramentum an confirmet pacta irrita per leges, ibid. & pag. 383 col. 1
77 Iuramentum quatenus firmet contractum alioquin inualidum, ibid.
78 Iuramentum confirmatorium an tranſeat ad hæredes, p. 385. col. 1
79 Iuramentum cadens immediate in promiſſionem de futuro irritam per leges, an ſit validum, p. 386 c. 2
80 Iuramentum non inducit ſpecialem obligationem reſpectu promiſſarij, p. 387. col. 1
81 Iuramentum per ſe ſtans ſine turpitudine creditoris magis obligat, quam promiſſorium cum turpitudine p. ead c. 2
82 Iuramenti obligatio an ſit mere perſonalis vtrinque, p 390. col. 2
83 Iuramentum præſtitum à procuratore an obliget? vide Iuramenti cauſa efficiens.
84 Iuramentum an tranſeat ad ſucceſſores vtriuſque partis, pag. 392. col. 2
85 Iuramentum quoad obligationem ſtricte eſt interpretandum, p. 394. col. 2
86 Iuramenti obligationis reſtrictiones variæ, pag. 395 col 1
87 Iuramenti obligatio in caſu dubio, ibid. & p. 395. col. 2. & pag. 396 col. 1
88 Iuramentum dubium, ratione metus, an obliget? ibid.
89 Iuramentum de re in totum illicita, in partem licita, obligat ad partem licitam. p. 397. col. 1

90 Iuramentum quando, & quamdiu obliget, pag. 399. col. 1
91 Iuramenti promiſſorij obligationi an fiat ſatis per æquivalens, p. 398. col. 2. & ſeq. etiam ex conſenſu promiſſarij, p. 401. col. 1. & ex authoritate Superioris, pag. ead. c. 2
92 Iuramenti commutati obligatio extenditur ad id in quod commutatur, 492. col. 1. Iuramento quatenus aptetur compenſatio, 404. col. 1. & 2
93 Iuramenti obligatio quot modis tollatur, p. 407. col. 1
94 Iuramentum promiſſorium deſinit obligare, per condonationem etiam tacitam promiſſarij, p. 409. col. 2
95 Iuramenti obligatio poteſt eſſe aliquando ex lege naturali, p. 420. col. 1

IVRAMENTI DISPENSATIO, relaxatio, ſeu ablutio.

1 Iuramenti diſpenſatio quomodo differat à relaxatione, p. 407 col. 1
2 Iuramentum à quo poſſit irritari, ibid. iuramentum quando poteſt, & à quo irritari ſine ſpeciali cauſa, p. ea. col. 2
3 Iuramentum minorum quatenus poſſit irritari à tutoribus, p. 408. col. 1
4 Iuramentum puberum circa confirmationem contractus nequit irritari à tutore, ibid.
5 Iuramentum an poſſit irritari ex parte ipſius iurantis, pag. ea. col. 2
6 Iuramentum factum Deo principaliter, tertio minus principaliter, an poſſit remitti tertio, p. 410. col. 1
7 Quæ nolitio, vel remiſſio requiratur in tertio, vt iuramentum irritetur, p. 410. col. 2
8 Iuramentum an poſſit remitti mutuo, à mutuo ſibi iurantibus, ibid.
9 Iuramentum abſque ſponſalibus de ducenda paupere, an poſſit ab illa remitti, p. 411. col. 2
10 Qui coegit ad iurandum, an cogi poſſit ad remittendum, ibid.
11 Iuramentum meum, an poſſim mihi remittere? 412. col. 1
12 Iuramentum promiſſorium factum Deo, quando, & à quo poſſit diſpenſari, p. ead. col. 2
13 Iuramenta omnia an poſſint ab Epiſcopis diſpenſari, & an vero aliqua omnino Papæ reſeruata, pag. 413. col. 1
14 In priuilegijs relaxandi iuramenta, quæ cenſeantur non comprehendi, p. 414. col. 1
15 Iuramentum promiſſorium homini factum, an, & quando poſſit à Superiore relaxari, pag. ea. col. 1. & 2
16 Iuramentum licitum factũ tertio in vtilitatem tertij, quando relaxari poſſit, p. 114. col. 1
17 Iuramentum illicitum reſpectu creditoris poteſt relaxari, pag. 415. col. 1
18 Iuramentum Regi factum quomodo relaxetur, ibid.
19 Iuramenti relaxatio cuius Prælati poteſtatem requirat, 415. col. 2
20 Iuramentum factum tertio non relaxatur ſufficienter ab habente poteſtatem relaxandi vota iurata, p. 416. col. 1
21 Iuramentum tertio factum, an poſſit à ſæculari poteſtate relaxari, pag. ead. col. 2
22 Iuramentum factum tertio, ex qua cauſa ſufficienter relaxetur, ibid.
23 Ad Iuramenti relaxationem qui metus ſufficiat, 417. c. 1
24 Iuramenti relaxatio an habeat locum in periurio, p. ea. c. 2
25 Iuramentum annullatur per dolũ in ſubſtantia rei, p. 340. c. 2
26 Iuramentum non irritatur per errorem circa cauſam extrinſecam mouentem ad iurandum, vel circa qualitatem accidentariam rei iuratæ, p. 342. c. 1
27 Iuramentum quatenus per ignorantiam inualidetur, pag. ea. col. 1
28 Iuramentum quatenus poſſit relaxari à creditore, p. ea. c. 1
29 Iuramentum quando admittat repetitionem promiſſi, & quando non, p. 375. c. 2
30 Iuramentũ quatenus admittat petitionẽ relaxationis, 376. c. 1
31 Iuramenti confirmatorij relaxatio difficilis, p. 384. c. 2
32 Iuramenti contractum contra leges, firmantis relaxatio qualis, pag. 386. col. 1

IVRARE.

1 Iurans ſecum ſe aliquid alicui daturum tenetur, 314. col. 2
2 Iurans ſe rediturum ad carcerem cum periculo, an obligetur, 337. c. 1
3 Iurans ſponſalia an poſſit ingredi Religionem, p. 348. col. 2
4 Iurans ſine cauſa, eâ adueniente an teneatur, p. 365. c. 1
5 Iurans, nec attendens ad Diuinum cultum vt ſic peccat, pag. 290. c. 2
6 Iurare presbyteri quatenus non debeant, p. 309. col. 2
7 Iurans dupliciter poteſt ſe habere ad Religionem, p. 283. c. 2
8 Iurandi præceptum ad quam virtutem ſpectet, p. 420. c. 1
9 Iurans putando eſſe falſum ſemper peccat mortaliter, p. 426. col. 1
10 Iurandi obligatio poteſt interdum imponi per humanum præceptum, 420. col. 1
11 Iurans falſum, putando eſſe verum, quatenus peccet, pag. 426. col. 2
12 Iurandi incaute conſuetudo an conſtituat hominem in ſtatu peccati, p. 427. col. 1
13 Iurandi conſuetudo non eſt vnum aliquod peccatum, ibid.
14 Iurandi verum conſuetudo non eſt mortalis, p. 427. c. 1
15 Iurandi verum vel falſum indiſcriminatim conſuetudo, quale peccatum ſit, p. 428. col. 1
16 Iurans verum, iuraturus falſum, ſi ſibi intereſſet, quomodo peccet, ibid.
17 Iurandi incaute conſuetudo quod peccatum, p. 248. c. 2
18 Iurans incaute æque peccat iurando vere ac falſo, pag. 431. col. 1
19 Iurare conſuetus quomodo ſe debeat habere in confeſſione, pag. 432. col. 1
20 Iurans ſe facturum mortale, an grauius peccet cum intentione faciendi, an ſine illa, p. 453. col. 2
21 Iurans ſoluere intra decem dies, ſi non ſoluat vltra periurium, obligatur ſoluere cum primum poteſt, p. 402. c. 2

IVRISDICTIO.

Quotuplex ſit iuriſdictio, pag. 678. col. 1

L.

LABOR.

Labor ſpiritualium exercitiorum, pag. 102. col. 2

LATRIA.

Latriæ cultus non continetur in omni oratione, p. 23. col. 2

LAVS.

1 Laus Dei mentalis quomodo fiat, p. 10. col. 1
2 Laus, qua ſibi quis alium laudat, qualis, ibid.
3 Laudes in officio Diuino, pag. 179. col. 1
4 Laus Dei duplex, 132. col. 1

LECTIO.

1 Lectio præambula ad orationem mentalem, pag. 75. c. 2
2 Lectio neceſſaria ad orationem mentalem, ibid.
3 Lectiones ſacræ afferuntur, pag. 172. c. 2. & p. 173. col. 2

LEX.

1 Lex naturalis ſupponit malum eſſe quod prohibet, p. 419. c. 2
2 Lex gratiæ non irritauit moralia, ſeu cæremonialia, p. 471. c. 1
3 Lex poſitiua addita naturali an augeat diſtinctam obligationem, 537. col. 1

LIBERTAS.

1 Libertas non poteſt exerceri per ſolam potentiam paſſiuam, p. 74. col. 1
2 Libertas non poteſt dari in actu voluntatis ſine intellectu, pag. 112. c. 2
3. Libertas iudicij cum datur in contemplatione, datur & voluntatis, pag. 131. c. 1
4 Libertas ad votum promiſſorium, quæ requiratur, pag. 325. c. 2

9. Liber-

Digitized by Google

5 *Libertas quatenus requiratur ad votum.p.483.col.2*
6 *Libertas triplex, ibid.*
7 *Libertas ab obligatione non eſt omnino neceſſaria ad votum, ibid.*
8 *Libertas ad votum exigitur, quæ ſufficeret ad peccatum mortale p.483 col.2*
9 *Libertas actus ſecundo primi an ſufficiat ad aliquale votum, pag.484.col 1*
10 *Libertas à coactione, & metu quatenus requiratur ad valorem voti pag.ea col 2*
11 *Libertas non minuitur per votum.p 514 col 1.& p.576 c.1*

LINGVA.

Lingua peregrina orare, an expediat, p 144.col.2

LITANIÆ.

1 *Litaniæ, pag.164.col.1*
2 *Litaniæ maiores & minores ibid.*
3 *Litaniæ non ſunt inuentæ à Gregorio, ibid.*

LOCVS.

1 *Locus ad orationem qui deceat, pag.83 col.2.253.col.2*
2 *Locus vt eſt circumſtantia orationis vocalis, p.149.col.2*
3 *Loci vtilitas non impedit orationem, p 150.col.1*
4 *Locus ſacer circumſtantia eſt orationis vocalis, pag ea.col 2*
5 *Locus alius interdum ſacro eſt commodior ad orandum, ibid.*

LOCVTIO.

1 *Locutio Dei, & creaturæ quatenus differant, p 9.col.1*
2 *Loquutio ſpirituum, pag.8.col.1.& 2*
3 *Loquutio ſpirituum duplex, p.9.col.1*
4 *Loquutio ad Deum, & ad creaturas, in quo differant, pag 11. col.1*
5 *Loquutio Dei ad hominem, & hominis ad Deum in oratione quæ, p.109.col.1*

LVCERNARIVM.

Lucernarium quid p.215.col.1

LVTHERVS.

Lutheri error circa prouidentiam Diuinam, p.12.col.1

M.

MALEDICERE.

Maledicere ſine intentione quare non ſit peccatum mortale, pag. 439.col.1

MALEFICVS.

A maleſico licet petere vt maleficium tollat, ſi poteſt licite, licet facturus ſit illicite p.439.col.1.& ibid.

MALVM.

1 *Mala temporalia petere non eſt intrinſece malum, pag.45.col. 2.dupliciter peti poſſunt, ibid.*
2 *Mala temporalia diuerſo modo nobis, & alijs petere licet, p.46. col 1.& 2.& quis ſit ille modus, ibid & p.46.c.1*
3 *Malum quod intelligatur in oratione Dominica, pag.158.c.2*

MANVALIA.

Manualia beneficia. vide verb. Beneficium num. 4.

MARIA VIRGO.

1 *Maria virgo videt omnia, quæ Deus in Eccleſia operatur, pag. 29.col.1*
2 *Maria Virgo in ſomno, & in inſtanti conceptionis meruit, pag. 325.col.2*
3 *Maria Virgo pro nobis in cælo orare, eſt de fide, p.160.col.2*
4 *Maria Virgo quomodo dare dicatur p.163 col.2*
5 *Maria Virgo in inſtanti conceptionis vouit, p.491.col.2*
6 *Mariam Virginem ſalutare, cum dantur ſigna, an teneamur, p.147.col.2*

MARITVS.

1 *Maritus quatenus poſſit imperare vxori, p.657.c.2*
2 *Maritus quatenus poteſt vxoris vota irritare. Vide voti irritatio.*
3 *Maritus quatenus poſſit vouere peregrinationem, inuita coniuge, p 659.col.1.& 2*
4 *Maritus aliqua poteſt vouere, quæ non poſſit vxor, ibid.*

MATER.

1 *Mater an poſſit irritare vota impuberum, viuo patre, pag.638. col.2. Vide votorum irritatio.*
2 *Mater poteſt irritare indirecte vota nonnulla filiorum, pag. 668.col 2*
3 *Mater non poteſt irritare directe vota filiorum, ſed tutor, pag. 669.col.1*

MATERIA.

1 *Materia orationis eſt res poſtulata, p.14.col.2*
2 *Materia orationis vocalis, p.169.col.1*
3 *Materiæ leuitas quando minuat peccatum, 425.col.2*
4 *Materiæ leuitas facit peccatum mortale veniale, p 639.c.1*
5 *Materiæ grauitas vel leuitas vnde petenda, pag.640.col 1.& p.641.col.1*

MATRIMONIVM.

1 *Matrimonium per procuratorem eſt nullum, ſi ante fuit procuratio reuocata, pag.391.col.2*
2 *Matrimonium metu factum quo iure irritetur, pag. 428. col.1*
3 *Matrimonium quatenus requirat ſigna externa, p.501.col.1*
4 *Matrimonium per ſe non eſt materia voti, p.542.c.1*
5 *Matrimonium quando poteſt eſſe materia voti, pag 543 col.1. Vide voti materia.*
6 *Matrimonium dubium pro quo habendum, p 585.col.1*
7 *Matrimonium poſt votum ad quid valeat, 616.col.1*
8 *Qui ducit vxorem habentem votum caſtitatis, quamuis eam*
9 *induxerit ad nubendum, non peccat poſtea vtendo matrimonio, pag.617.col.1*

MATVTINVM.

1 *Matutinum tempus orationi aptum, pag 83.col.1*
2 *Matutinum in officio Diuino, pag. 178.col.1*
3 *Matutinum à laudibus licet ſeiungere generatim loquendo, p. 185.col 1*
4 *Matutinum à laudibus quando ſeparatur, quæ aduertenda, pag.ead.col.2*
5 *Matutinum, & veſpertinum officium quid ſit, pag.194.c.2*
6 *Matutinum poteſt dici in die præcedenti, p. 255. col. 2.& qua hora, 255.col.2. 256.col.1*

MEDICVS.

Medici iudicium ad non recitandum quando ſufficiat, pag. 260. col. 1

MEDITATIO.

1 *Meditatio quid ſit, 75.col.1.& 2*
2 *Meditatio ex ſe non ſpectat ad orationem, p.76.col.1*
3 *Meditatio qui ſpectet ad orationem, p. 76.col.1*
4 *Meditatio debet eſſe practica, ibid.*
5 *Meditatio orationis quo tendat, ibid.*
6 *Meditationis duo præcipui effectus, p 76. col. 2*
7 *Meditatio quid conferat obſe rationi, 76.col. 2*
8 *Meditatio, & oratio quando coniungantur, ibid. Vide actus 12.*

MEDIVM.

1 *Media neceſſaria ad ſalutem ſunt nobis Diuino iure præcepta, pag. 65. colum. 2*
2 *Media nox accipitur pro tempore à media nocte ad auroram, pag.214.col.1*

MEMORIA.

Memoria Dei frequens quam iuuet, p.81.col.2

MENDACIVM.

Mendacium eſt triplex, pag.425.col.1

Digitized by Google

MENDICARE.

Mendicare an teneatur extreme egens, pag 66. col.2

MENTALIS ORATIO.

Mentalis oratio. vide verb. Oratio mentalis.

MENTIRI.

Mentiri Deo ex genere ſuo eſt mortale, p.576. col 1

MERCATOR.

A mercatore exacturo vſuras, licet petere mutuum, p. 439. col.1

MERITVM.

1 *Meritum actus quid requirat, p.11. c.2*
2 *Meritum de condigno quid? p. 56. c.1*
3 *Meritum orationis quatenus ex radice charitatis, p.53. col.2*
4 *Ad meritum de congruo probabile eſt, non ſemper requiri ſanctificantem, ibid.*
5 *Merito ſuo quatenus orans poſſit confidere, pag.59. c.1*
6 *Merita propria non debent obuerſari oranti, pag.59. col.1. & 77. c.1*
7 *Merita propria diſcutienda ad orationem, p.59. c.1*
8 *Meritorum propriorum recordatio quatenus bona, ibid.*
9 *Meritum de iuſtitia non eſt neceſſarium ad infallibilem impetrationem, p.61. c.2*
10 *Meritum ab impetratione diſtinguitur, p.53. c.2*
11 *Meritum quomodo creſcat in opere, p.145. c.1. & 2 vide actus 8.*

METVS.

1 *Metus mortis an excuſet à recitatione, p.262. c.1*
2 *Metus an irritet iuramentum, p.317. c.1*
3 *Metus non tollit intentionem, ibid.*
4 *Metus ex quibus cauſis oriatur, p.484. c.2*
5 *Metus ex cauſis naturalibus ortus non irritat votum, ibid.*
6 *Metus proueniens ab actione iniurioſa hominis, niſi ſit directè extorquendum votum, non illud irritat ex natura rei, p.485. c.2. vide verbo votum.*
7 *Metus ab homine intentus, & extorquens votum illud, non irritat ex natura rei, p.496. c.2*
8 *Metus cadens in conſtantem virum qui ſit, p.488. c.1*

MINISTER.

Miniſter Eccleſiaſticus orat nomine totius Eccleſiæ, p.168. c.2

MIRACVLVM.

1 *Miraculorum fides quæ. p. 58. c.2*
2 *Miracula cur fiant interdum per peccatores, p. 59. c.2*
3 *Miraculum non fit ad confirmandum mendacium, p.60. c.1*

MISSA.

1 *Miſſæ tempore an orare teneamur, p.69. c.2*
2 *Miſſa optimum exemplar orandi, p.138 c.1*
3 *Miſſæ tempore nihil vocaliter recitare tenemur, p.148. c.1*
4 *Miſſam audit qui inſeruit, licet ad ſacriſtiam eat, p.213. c.2*
5 *Miſſam dicere ante matutinum an liceat, p.241. c.2*
6 *Pro Miſſa hodierna qui eleemoſynam accepit, an ſatisfaciat dicendo alio die, p.266. c.2*

MODVS.

Modus vt eſt circumſtantia orationis p.151. c.1

MORBVS.

1 *Morbus an excuſet à recitando, p.259. c.2*
2 *Morbus talis vt dubitetur, an ſit obligatio recitandi, quatenus obliget, p.260. c.1*

MOS.

Mores alij Ciuiles, alij naturales, p.367. c. 2

MOTETVM.

Motetum intermiſcere ſacris, an peccatum ſit, pag.209. col.2. & 210. col.1

MOTIO PRACTICA.

Motio hæc duplex eſt, pag.4. c.2

MOTIVVM.

Motiui honeſtas an requiratur ad votum, p.480 c.2

MVTILATIO.

Mutilatio verborum inter recitandum quod peccatum, p.208. c.2

N.

NARRATIO.

Narratio operum Dei, quatenus ſit oratio, 139. c. 2

NATALIS DIES.

Natalis dies an cadat ſub votum ieiunandi ſextis ferijs, p. 630. c.1

NECESSITAS.

1 *Neceſſitas duplex in actibus virtutis, p.63. col. 2*
2 *Neceſſitas medij, ibid.*
3 *Neceſſitas orationis fundatur aliquo modo in ipſa rei natura, p.64. col. 2*
4 *Neceſſitas orationis conſummatur ex Decreto Diuino, ibid.*
5 *Neceſſitas propria orationis ſupponit Deum incipientem, pag. 65 col.1*
6 *Neceſſitas grauis, vel extrema an deobliget à voto, 64 c.2*
7 *Neceſſitas in intellectu, non neceſſitat voluntatem, p.132. c.1*

NOCTVRNI.

1 *Nocturni in officio Diuino quando dicebantur, p.178. c.1*
2 *Nocturni quatenus poſſint ſeparari, p.185. c.1*

NOMEN.

Nomen Dei quod intelligatur in oratione Dominica, pag.152. col.2

NOTITIA.

Notitia Diuina promiſſionis an requiratur ad orationem, pag. 57. col.1

NOVITIVS.

1 *Nouitij non tenentur recitare horas ſacras, p.219. col. 2*
2 *Nouitiorum vota qualia, p.474. col.2*

O.

OBEDIENTIA.

1 *Obedientia quatenus differat à Religione, p.92. c.1*
2 *Obedientia reddit actus magis bonos, p.542 col.1*

OBIECTVM.

Obiecta plura quando ſe impediant, p.122. col. 2

OBLIGATIO.

1 *Obligatio an neceſſario inferatur à voto, p.476. col 2*
2 *Obligatio dupliciter oritur ex aliqua actione, p.501. col.2*
3 *Obligationes eiuſdem rationis non multiplicantur circa idem. pag.537, col.1*
4 *Obligatio ad Deum, & ad hominem quatenus differant, pag. 575. col. 2*
5 *Obligationis grauitas vnde colligatur, p.677. col.1*
6 *Obligati. vide, voti obligatio.*

OBSECRATIO.

Obſecratio mentalis quomodo fiat, p.10. c.2. & 11. c.2

OBSTINATVS.

1 *Obſtinatus vix poteſt conuenienter orare, p. 60. c.2*
2 *Obſtinatus in peccato quatenus peccet orando, p.157. c.1*

OCCVPATIO.

Occupatio externa an ſemper orationem impediat, p.82. c.2

OFFICIVM DIVINVM EIVSque inſtitutio.

1 *Officium Diuinum, vel Eccleſiaſticum vnde dictum, pag. 169. col. 1*
2 *Officij eiuſdem inſtitutio, p.186. c.1*
3 *Officium Eccleſiaſticum ſubſtantialiter vbique vnum eſt, pag. 169. c. 1*
4 *Officij Diuini varietas, p.175. c.1*
5 *Officium Diuinum diuiditur rectè in diurnum, & nocturnum, pag.177. c.1*

6. Officij

Digitized by Google

6 *Officij nocturni partes, & diuiſiones, pag. ead. col. 2*
7 *Officium Romanum, ſi Eccleſia aliqua anticipat, poſteà non poteſt per ſe relinquere. p. 129 col. 2*
8 *Officium Romanum poteſt à qualibet Eccleſia acceptari, ibid.*
9 *Officium Romanum quatenus debeat acceptari, p. 240. c. 2*

OFFICII DIVINI PARTES.

1 *Officij Diuini partes materiales defenduntur, & probantur, pag. 170 col. 1*
2 *Officij Diuini materia.*
3 *Officij Diuini partes, pag. 180 col. 1*
4 *Officij Diuini quæ forma ſeruanda vbique, pag. 199 col. 2*
5 *Officium Diuinum vnde incipiat, 240 col. 2*
6 *Officij quæ pars ſit notabilis, p. 245. col. 1*

OFFICII DIVINI CIRCVMSTANTIÆ.

1 *Officium Diuinum neceſſario dicendum eſt voce ſenſibili, pag 186. col. 2*
2 *Officium priuatum poteſt dici voce ſubmiſſa. ibid.*
3 *Officium Canonicum pro vſu fidelium debet dici alta voce, colum. 2*
4 *Officium Diuinum non debet dici vulgari lingua, p. 188. c. 1*
5 *Officium Diuinum vbi ex officio recitandum quotidie, vel aliquoties in hebdomada. p. 194. col. 2*
6 *Officium Diuinum in choro dicendum à Religioſis quatenus, pag 195. col. 2*
7 *Officium Diuinum diei ſequentis non eſt incipiendum ante finem præcedentis. p. 240. col. 2*

OFFICII DIVINI OBLIGATIO.

1 *Officium Diuinum recreationis cauſa lectum non deobligat. 82. col 1.*
2 *Officio diuino extra Miſſam non tenentur populus ſub præcepto aſſiſtere, 47 col 2*
3 *Officij diuini publici obligatio, Prælatis præſertim incumbit, pag. 195 col. 1*
4 *Officij diuini præceptum quatenus ſingulos obliget Eccleſiaſticos, ibid.*
5 *Officij diuini obligatio nulla conſuetudine poteſt abrogari, pag. 202 col 2*
6 *Officium diuinum non eſt multiplicandum quotidie, ob multiplicationem beneficiorum, licet augeantur tituli. p. 222. c. 2*
7 *Officium diuinum ratione quarum capellaniarum ſit recitandum, pag. 234. col. 2*
8 *Ad officium diuinum recitandum tenetur, qui habet beneficium commodatum, ibid.*
9 *Ad officium recitandum tenetur qui beneficium alteri commendat, pag. 235 col. 1*
10 *Item qui habent officia propriè manualia, p. 235 col. 1*
11 *Secus eſſe de mero coadiutore, ibid. maxime Canonicorum, ibidem.*
12 *Officium diuinum priuatim eſt dicendum iuxta Breuiarium approbatum in ſua diœceſi, vel ordine, &c. alioqui non ſatisfit, 237. col. 1*
13 *Officij recitandi obligatio eſt perſonalis, nec per alium impletur, pag. 258. col. 2.*
14 *Officium qui non poteſt totum dicere, an teneatur ad partem, pag. 260. col. 2*
15 *Officium qui hodie non recitat, non poteſt implere præceptum alio die id recitando, 266. col. 2*
16 *Officium non recitans poſt ſex menſes per aliquos dies ab obtento beneficio an teneatur reſtituere pro rata, p. 268 c. 2*

OFFICII DIVINI RECITATORES.

1 *Cum duo recitant officium Diuinum, & alter non tenetur recitare, non tenetur, & audire ſocium, pag. 203. col. 1*
2 *Officium diuinum an recitare teneantur, qui ſolum habent fructus Eccleſiaſticos, non beneficium, pag. 232. per totum cap.*
3 *Officium diuinum poteſt recitari priuatim à duobus, vel pluribus, pag. 243. col. 1. & 2*
4 *Cum aliquis recitat cum alio, non inde tenetur ſub mortali ad attentionem, ſi aliunde non tenebatur, p. 243. col 2*
5 *Cum duo recitant, non eſt omnino neceſſe, vt lectiones alternent inter ſe, ſed poteſt vnus omnes dicere in rigore, ibid.*
6 *In priuata pluriũ officij recitatione, quæ ab vno, quæ ab omnibus ſimul dicenda, ibid.*
7 *Officium inter plures quomodo priuatim recitandum, p. 244. col. 1*
8 *Recitantibus priuatim pluribus, corruptio ſyllabarum non expedit omnino, ibid.*

OFFICII DIVINI INTERRVPTIO.

1 *Officij diuini interruptio, p. 201. col. 2*
2 *Officij diuini interpollatio quod peccatum ſit, p. 201. c. 1*

OFFICII DIVINI MVTATIO.

1 *Officij huius diei mutatio recitando aliud num ſit peccatum mortale, p. 239. col. 1*
2 *Officij diuini huius diei in aliud mutatio quando ſit leuis, pag. 239. col 2*
3 *In hoc, aut illo officio diuino recitando poteſt Papa diſpenſare, pag. 240. col. 1*
4 *In officij diuini mutatione quatenus poſſit Prælatus diſpenſare, ibid.*
5 *An qui non poteſt officium diuinum recitare aliud, recitare teneatur loco illius, 262. col. 1*

OFFICII DIVINI OMISSIO.

1 *Officium diuinum an poſſit omitti ex aliqua cauſa à toto choro Religioſorum p. 197. col 2*
2 *Officij Canonici omiſſio pro vno die eſt mortalis, pag. 244. col. 2*
3 *Officij huius diei partem notabilem omittere eſt mortale, pag. 245. col. 1*
4 *Officium diurnum omittenti, quæ pœnitentia imponenda, pag. 254 col. 1*
5 *Officium omittentibus beneficiatis, quæ pœnæ imponantur, p. 264. col. 1*

OFFICIVM VIRGINIS, ET defunctorum.

1 *Officij Virginis inſtitutio p. 182. col. 2*
2 *Officium Virginis, aut defunctorum in choro omittere quod peccatum ſit? pag. 309. col. 1*
3 *Officium Virginis, aut pro eo Canonicum tenentur recitare penſionarij, vt clerici, qui non habent beneficium, p. 233. c. 1*
4 *Officium Virginis aut defunctorum, quando ex obligatione recitandum, pag. 244. col. 1. Vide coadiutor, & penſio.*

OMISSIO.

1 *Omiſſiones bonorum actuũ an poſſint eſſe materia voti, 554. col. 1. vide voti materia.*
2 *Omiſſio, & commiſſio quatenus poſſint eſſe eiuſdem ſpeciei, pag 637. col. 1*
3 *Omiſſio plurium particularium in diuino officio quando poſſit eſſe grauis, p. 645. col. 2*
4 *Omiſſio alicuius actus quando habeat ſpecialem malitiam, pag. 66. col. 2*

OPERATIO.

Operationes ſubordinatæ non ſe impediunt, p. 113. col. 2

OPVS.

1 *Opus factum ex voto melius eſt ſaltem extenſiue, quam factum ſine voto, p. 512. col 1*
2 *Opus ex voto factum vt ſit melius, requiritur reſpectus ad votum, pag. 513. col. 2*
3 *Opus ex voto factum plus habet meriti, ibid.*
4 *Opus ex voto, cuius facti pœnitet, an ſit præſtantius, ibid.*
5 *Opus præceptum non eſt minus perfectum, eo quod ſit ex conſilio, ibid.*
6 *Opus factum ex iuramento an ſit melius, pag. 514. col. 1*
7 *Opus pœnale quomodo ad orationem iuuet, p. 50. col. 2*

Digitized by Google

ORARE.

1 Orandum ſemper quomodo, p.67.col.2
2 Orare poſſumus pro nobis. & pro alijs, pag.33. col.2
3 Orare licet pro particularibus, ibid.
4 Orare an liceat pro reprobo.p.36.col.1
5 Orare non licet abſoluto affectu pro æterna ſalute reprobi cogniti, p.ea.col.2 ſecus ex affectu ſimplici, p.37. col.1
6 Orare non licet contra Dei decretum reuelatum, pag.ea.col.2
7 Orandum pro omnibus hominibus, ibid.
8 Inter orandum nullus ſignate excipiendus, 38. c.1
9 Orare non licet pro infante decedente ſine baptiſmo, p.49.c.2
10 Oranti pro ſe facta eſt infallibilis promiſſio. p. 62. col. 1
11 Orare pro ſe non videtur conditio omnino neceſſaria ad orationem, vt impetret, ibid.
12 Orare pro alijs quando teneamur, p.70.col.1
13 Orare pro nobis primo obligamur, p.71. col.1
14 Oratur pro alio duobus modis, p.250.col.2
15 Orandi affectus quomodo ſe habeat ad vocem, p. 136. col.2
16 Orare ſpiritu quid ſit in Diuo Paulo. p.123. col.1
17 Orans vocaliter debet ſe audire, pag 244.col.1. vide affectus, angelus, & beati.

ORATIO.

1 Orationis nomen, pag.3.col.1. definitio, ibid.
2 Triplex eius acceptatio, ibid.
3 Orationis acceptio pro operatione reiicitur, pag. 3.col 2
4 Oratio propriiſſime ſumitur pro petitione, pag.4. col.2
5 Orationis pro petitione definitio expenditur, p.4.col.1
6 An de ratione orationis ſit, vt bona petantur, pag.5. col.1. & 2. & p. 20. col. 2
7 Orationis malitia, Dei eſt iniuria, p 5.col.2
8 Oratio ſine intentione vlla, non eſt oratio, pag.6. col.1
9 Oratio vtrum ſit actus intellectus, an voluntatis, ibid.
10 Ad orationis finem intrinſecum non eſt neceſſaria externa loquutio, pag.8.col.1
11 Oratio an foret inutilis, ſi res neceſſario euenirent, pag.12.col.2
12 Oratio an poſſet eſſe vtilis, Deo neceſſario agente, ibid.
13 Oratio directe facta eſt opus bonum, pag.13.col.1
14 Orationis exterioris efficacia eſt ab interiori, p.14. col.2.
15 Oratio cuius virtutis ſit actus elicitus. p.14.col.2
16 Oratio ad Deum, & ad hominem quatenus differant, pag.15. col.2. 23.col.2
17 Oratio eſt actus Religionis, pag.15.col.2 pag.15. col.1
18 Quid ſufficiat vt oratio ſit actus Religionis, pag.17.c.1
19 Oratio, ſi fiat vt oportet, eſt actus ſupernaturalis, pag.18. col.1
20 Oratio habet habitudinem ad quatuor, 19. col.2
21 Oratio ad ſolum Deum, ibid.
22 Oratio vnde ſit ſupernaturalis, p.21. c.1
23 Oratio ad Sanctos non eſt proprie virtus Religionis, p. 24. c.1
24 Oratio non impetrans non eſt inutilis, p. 30. c. 1
25 Oratio quomodo ſit propria rationalis creaturæ, pag. 33 c. 2
26 Oratio de ſe eſt actus meritorius, 53.c.1. & 2
27 Oratio habet peculiarem vim diſponendi, & ſolandi animam, pag 54. col. 1
28 Oratio de ſe eſt opus ſatisfactorium, ibid.
29 Oratio eſt impetratoria, p.ead. c.2
30 Oratio vt impetret quas conditiones requirat p 55. col.2
31 Oratio de peccato veniali, eſt peccatum mortale, ibid.
32 Oratio de re indifferente non habet promiſſionem, pag. 55. col. 2. eſtque peccaminoſa. ibid.
33 Oratio pie fieri quæ dicatur, p.56.col 2
34 Oratio non tendit eo, vt propria materia rependatur, ſed vt Dei gratia conferatur, 59. col 1
35 Orationis vis in impetrando, in quo fundetur, 60.col.1
36 Oratio an ſit medium ſimpliciter neceſſariũ ad ſalutem, 63.c.2
37 Oratio eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, p.64. c.1
38 Orationis continuitas qualis, p.68. c.1
39 Oratio, obſecratio, poſtulatio, & gratiarum actio, quatenus diſtinguantur, 78.col.1
40 Orationis definitiones iuxta tres eius ſtatus, p.104.c.2
41 Oratio publica, & priuata quæ, 136.c.1
42 Oratio publica ſemper vocalis, p.137.col.1
43 Ad orationem quæ reducantur, p.138.c.1
44 Oratio ſcripta fieri poteſt, p.139.c.1
45 Oratio tres habet modos cauſandi, p.170.c.2
46 Oratio quatenus per culpam impediatur, p.145.col.2
47 Oratio communitatis laudatur, p.166.c.2. & p.168.col 1
48 Oratio publica exiſtentiũ in peccato mortali impetrat, non ratione orantis, ſed Eccleſiæ p 223.col.1.
Vide Angelus, & bonum conditio.

ORATIONIS MATERIA.

Orationis materia eſt res, quæ poſtulatur, 14.c.2
vide bonum.

ORATIO MENTALIS.

1 Oratio mentalis quos actus includat, pag.73.c.1
2 Orationis mentalis finis, ibid.
3 Oratio mentalis commendatur in ſacra Scriptura, ibid.
4 Orationis mentalis laudes, p.73.c.2
5 Oratio mentalis aptiſſima ad meritum, p.74.c.2
6 Orationis mentalis vtilitates, ibid.
7 Oratio mentalis in quibus actibus eſſentialiter conſiſtat, pag. 77. col. 2
8 Orationis mentalis ſpecies. p.79.c.2
9 Oratio mentalis nullo Eccleſiæ præcepto directe præcipitur, p. 80. col.1. & 2
10 Oratio mentalis quatenus cadat ſub obligationem, ibid.
11 Oratio mentalis omnibus conſulenda. p. 81. c.2
12 Oratio mentalis vocali præſtat, ibid.
13 Oratio mentalis medium moraliter neceſſarium ad vitæ puritatem, &c. pag 82.c.1
14 Orationis mentalis circumſtantiæ, ibid.
15 Orationis mentalis inſtar luminis, p.84.c.2
16 Orationis mentalis materia, ibid.
17 Orationis mentalis modus, p.84 c.2
18 Oratio mentalis includit actus intellectus, & voluntatis, pag. 93.c.1
19 Oratio mentalis non poteſt eſſe abſque omni actu intellectus, vel voluntatis, p.106 c.2
20 Oratio mentalis. & vocalis, p.4.c.2
21 Oratio pure mentalis quando attribuatur voluntati, p.8.c.2
22 Oratio mentalis poteſt conſiſtere ſine aduertentia reflexiua, p.9.c.2
23 Quæ occupatio non impediat orationem mentalem, 82.c.2
24 Oratio mentalis ad quid, p 134.c.2. 136.c.1

ORATIO VOCALIS.

1 Oratio vocalis poteſt eſſe ſine actuali attentione, p.107.c.2
2 Oratio vocalis quid addat mentali. p.134.col.1
3 Orationem vocalem qui hæretici non admittant, ibid.
4 Oratio vocalis vtilitas probatur, 134.col.2
5 Oratio vocalis certam formam non ſemper exigit, p.135. col.1
6 Oratio vocalis multiplex, p.136. col.1
7 Oratio vocalis quomodo ſit eleuatio mentis in Deum, pag.138. col. 1
8 Oratio vocalis priuata, imitatio publicæ, p.137.c.2
9 Oratio vocalis an ſit ex præcepto, p 146.c.2
10 Oratio vocalis bene cedit mentali, p 149.c.2
11 Orationis vocalis circumſtantiæ, p.148. c.2
12 Oratio vocalis quamdiu debeat durare, p.149.c.1
13 Orationum vocalium multitudo notatur, p ead.c.2
14 Orationis locus, & tempus. vide locus, & tempus.

ORATIO PRO ALIO.

1 Oratio vnius pro alio vtilis, p 27.c.1
2 Oratio pro communitate ex ſuo genere nobilior, pag.34.col.2
3 Orare pro beatis an liceat, p 35 c.1
4 Orare pro Dei gloria an liceat, p.ead.c.2
5 Orare an liceat pro reprobo, p.36. col. 1. p.38.col.1

6 Ora-

Digitized by Google

6 *Oratio pro multis, an ſingulis aque impetret, ac facta pro vno, pag. 63. col. 1*
7 *Orare pro alijs, quando teneamur, p. 70. col. 1*

ORATIO DOMINICA.

1 *Oratio Dominica an ſit ſub præcepto, pag. 146. col. 2*
2 *Orationis Dominicæ explanatio, p. 151. col. 2*
3 *Oratio Dominica non delet culpam ex opere operato, pag. 156. col. 2*
4 *Oratio Dominica quatenus inſeruiat contra peccata venialia, ibid.*
5 *Oratio Dominica an dicatur nomine Eccleſiæ, p. 159. col. 1*

ORATIONIS PRÆCEPTVM.

1 *Oratio eſt ſub præcepto Diuino, p. 65. col. 1*
2 *Orationis præcepti omiſſio, quod peccatum ſit, p. 66. col. 2. & quando nullum ſit peccatum, p. 71. col. 1*

ORGANA.

1 *Organa Eccleſiaſtica. vide inſtrumenta.*
2 *Organorum vſus probatur, p. 10. col. 2. poteſt tamen fieri cum peccato, & quando, ibidem.*

P.

PACTVM.

Pactum per leges irritum dupliciter firmatur iuramento, pag. 383. col. 1

PANIS.

Panis, qui petatur in oratione Dominica, p. 154. col. 2

PAPA.

1 *Papa non poteſt irritare omnia vota, p. 652. col. 1*
2 *Papa in quæ non habeat poteſtatem, ibid.*
3 *Papa quatenus poſſit vouere dependenter ab alio, pag. ead. colum. 2*
4 *Papa ſi cogat ad votum non implendum, non poteſt cogere ad aliud loco illius faciendum, pag. 653. col. 2*
5 *Papa ratione ſuæ iuriſdictionis non poteſt prohibere ſubdito opus conſilij per ſe loquendo, pag. 654. col. 2*
6 *Papa poteſt indirecte irritare aliqua vota fidelium, cuiuſcumque ſtatus, pag. 655. c. 1*
7 *Papa an poſſit Religioſorum vota directe irritare, pag. 672. col. 1*

PARENTES.

1 *Parentes, & paſtores tenentur moraliter docere ſuos orationem Dominicam, p. 147. col. 1*
2 *Parentes quod ius habeant in filios puberes, p. 661. col. 2*
3 *Parentes an poſſint vota filiorum irritare, & quatenus. Vide voti irritatio.*
4 *Parentum poteſtas de irritandis votis filiorum, quamdiu duret, pag. 663. col. 2*

PATER.

1 *Pater in oratione Dominica ſpectat ad totam Trinitatem, pag. 309. col. 2*
2 *Pater noſter an debeat ſciri ex obligatione, p. 146. c. 2*
3 *Patris nomine in votorum irritatione, qui intelligantur, pag. 664. col. 1*
4 *Pater ſolus, dum viuit, habet poteſtatem irritandi vota filiorum, præſertim impuberum, 667. col. 1*

PAVPER.

Pauper fictus tenetur reſtituere eleemoſynas, 625. col. 2

PECCATOR.

1 *Peccatores in via poſſunt orare, pag. 32. col. 1*
2 *Peccator orans ſatisfacit obligationi orandi, pag. ead. colum. 2. pag. 33. col. 1*
3 *Peccator an ſpecialiter orare teneatur, ibid.*
4 *Peccatores quatenus Deus exaudiat, aut non, pag. 59. col. 2. 60. col. 2*
5 *Peccator maxime eget oratione mentali, pag. 60. col. 2*

6 *Peccati ſtatus non animaduerſus non impedit impetrationem orationis, ibid.*

PECCATVM, ET PECCARE.

1 *Peccatum veniale à Deo petere eſt mortale, pag. 55. col. 1*
2 *Peccatum mortale ex genere ſuo quod dicatur, pag. 239. c. 2*
3 *Peccati habitus non eſt peccatum, pag. 427. col. 1*
4 *Peccatum mortale ex genere ſuo quatenus diſtinguatur à veniali in ſuo, p. 437. col. 1*
5 *Peccatum mortale ex genere, quod dicatur, ibid.*
6 *Peccari dupliciter poteſt contra votum, pag. 631. c. 1*
7 *Peccatum eſt, & quod ſit, vouere temere, pag. ead. c. 2*
8 *Peccatum quodcumque quatenus orationem impediat, pag. 145. col. 2*
9 *Peccatum vnum quomodo ex multis coaleſcat. Vide actus 3.*

PENSIONES.

1 *Penſionem habens vt clericus tenetur recitare Virginis officium, pag. 233. col. 1*
2 *Penſionarius non recitans, cui debet reſtituere, pag. 270. c. 2*

PERICVLVM.

Periculo ſe exponere quando ſit peccatum, pag. 42. c. 2

PERIVRIVM, ET PERIVRVS.

1 *Periurij acceptiones, pag. 421. col. 1*
2 *Periurium ſumptum pro incauta iuratione, an eſſentialiter includat falſitatem, ibid.*
3 *Periurium quotuplex ſit, pag. 422. col. 1*
4 *Periurium materiale, & formale, pag. ead. col. 2*
5 *Periurium quatenus poſſit eſſe tam in iuramento aſſertorio, quam in promiſſorio, ibid.*
6 *Periurium aſſertorium quantum ſit peccatum, p. 423. col. 1*
7 *Periurium an ſit grauius quam homicidium, pag. ead. c. 2*
8 *Periurium an adulterio ſit grauius, pag. 425. c. 1*
9 *Periurium aſſertorium ſemper eſt mortale ex parte cuiuſuis materiæ, ibid. & p. 426. c. 1*
10 *Periurium iocoſum graue peccatum, 425. c. 2*
11 *Periculum ex quocumque veritatis defectu eſt mortale, pag. 426. col. 1*
12 *Periurium cum naturali inaduertentia an ſit mortale ex conſuetudine, p. 428. col 2*
13 *Periurium æque eſt in incaute iurante, ſiue vero, ſiue falſo iuret, p. 431. col. 1*
14 *Periurij reſeruatio, vel circa id cenſura, an comprehendat incaute prolatum in conſueto, pag. 432. c. 1*
15 *Periurium non liceret, etſi liceret aliquando mendacium. pag. 433. col. 1*
16 *Periurium ex ſuo genere quomodo ſit mortale, pag ead. c. 2*
17 *Periuris quæ pœna Eccleſiaſtica imponantur, p. 437. c. 1*
18 *Periurium cenſura nulla punitur ipſo iure, p. 744. col. 2*
19 *Per periurium non incurritur immediate irregularitas, ibid.*
20 *Per periurium non amittuntur ipſo facto beneficia parta ante ſententiam, pag. 445 col. 1*
21 *Per periurium qua infamia incurratur, ibid. Vide infamia.*
22 *Periurus non eſt in teſtem admittendus, 457. col. 1*
23 *Periurus an deponendus pag. ead. col. 2*
24 *Periurus an beneficio priuandus ſit, ibid.*
25 *Periuro quam pœnam ſtatuunt Canones, ibid.*

PERMISSIO.

Permiſſio proprij peccati non poteſt peti, pag. 52. col. 1

PERSEVERANTIA.

1 *Perſeuerantia conditio ad orationem neceſſaria, p. 61. c. 1*
2 *Perſeuerantia in oratione, quamdiu durare debeat, pag. ead. col. 2*
3 *Perſeuerantia in gratia melior, quam in petendo, ibid.*

PERSONA.

1 *Perſonæ Diuinæ vt tales orare non poſſunt, p. 28. col. 2*

Digitized by Google

2 *Perſona vna Diuina vtrum orari poſſit ſine attentione ad alias, pag. 21. col. 1*

PETITIO, ET PETO.

1 *Petitionis nomen pro oratione expenditur, pag. 5. col. 1*
2 *Petitio diſtincta eſt à deſiderio, pag. 7. col. 2*
3 *Petitio quomodo ſit actus rationis, pag 8. col. 1*
4 *Petitio mentalis eſt actus intellectus, ibid.*
5 *Petitio à viatore, & à beato vtrum eiuſdem rationis, p. 27. c. 2*
6 *Petere aliquid determinate Deo licitum eſt, p. 39. col. 2*
7 *Petendi à Deo modus multiplex. p. 40. col. 1*
8 *Petere bona temporalia vt finem vltimum non licet, pag. ead. col. 2*
9 *In petitione tantæ perfectionis in particulari, cauenda comparationes, pag. 51. col. 1*
10 *Petitione conditionata non eſt per ſe malum petere perfectionem tantam vel tantam, ſecus de abſoluta, ibid.*
11 *Petitio eſt de nondum acceptis, pag. 51. col. 1*
12 *Petere non licet, quæ ſcimus nobis data, pag. ead. c. 2*
13 *Petere licet beneficia gratiæ, quantumuis promiſſa, ibid.*
14 *Petere poſſumus etiamſi non iudicemus, nos aliter rem aſſequi non poſſe, pag. 52. col. 2*
15 *Petuntur aliqua vt ſimpliciter neceſſaria, alia aliter, ibid.*
16 *Petitio ad quid proprie dirigatur, pag. 54. col. 2*
17 *Petitio rei honeſtæ non conferentis ad vitam æternam, an impetret ex promiſſione, p. 46. col. 1*

PETRVS.

Petri raptus, pag. 132. col. 2

PHANTASIA.

Phantaſia capax eſt cognitionis intuitiuæ, & abſtractiuæ, 119. col. 2

PIETAS.

Pietas orationis in quo conſiſtat, pag. 56. col. 2

POENA.

Pœna temporalis huius vitæ remiſſio non habet infallibilem impetrationem, p. 61. col. 1

POLLVTIO.

Pollutio in ſomnis, in dubio quale peccatum eſſe præſumatur, pag. 587. col. 1

POSTVLATIONES.

Poſtulationes, orationes, obſecrationes, gratiarum actiones, &c. quatenus diſtinguantur, pag. 137. c. 2

POTESTAS.

1 *Poteſtas iuriſdictionis quatenus poſſit vota irritare, p. 561. c. 1*
2 *Poteſtas irritandi non eſt ſemper ſpiritualis, pag. 652. c. 2*
3 *Poteſtas irritandi poteſt eſſe dominatiua, ibid.*
4 *Poteſtas dominatiua an requirat cauſam ad irritandum votum, 653. c. 1*
5 *Poteſtas ordinaria & delegata quomodo differant, 684. c. 2. Vide voti commutatio, & voti diſpenſatio.*

PRACTICA MOTIO.

Practica motio quotuplex, p. 4. col. 2

PRÆCEPTVM.

1 *Præcepta poſitiua, niſi fidei & Sacramentorum, non tradidit Chriſtus Dominus, pag. 64. c. 2*
2 *Præceptum de oratione eſt iuris naturalis, ac proinde ſemper obligauit, pag. 65. col. 2*
3 *Præcepta quæ ſemper obligarint, ibid.*
4 *Præceptum naturale de oratione mentali eſt præcipue, pag. 66. col 2*
5 *Præceptum naturale de oratione, ad quam virtutem ſpectet, ibid. Ad Religionem, pag. 66. colum. 2. quando obligat, ibid.*
6 *Præceptum naturale de Diuino cultu non obligat de ſe ad actum determinatum. pag. 67. col. 1*
7 *Præceptum de oratione pro quo tempore obliget, p. ead. col. 1*
8 *Præceptum orandi non omnes æque obligat, pag. 70. col. 1*
9 *Præceptum Eccleſiaſticum nullum eſt de oratione mentali directe, pag. 80. col. 1. & 2.*
10 *Præceptum Diuinum de oratione mentali pro certo aliquo tempore nullum, pag. 81. col. 1*
11 *Præceptum Diuinum de oratione vocali nullum eſt, pag. 146. col. 2*
12 *Præceptum Eccleſiaſticum poſitiuum non ſolet imponi ſine certa temporis determinatione, pag. 147. col. 2*
13 *Præceptum impletur etiam cum voluntate non ſatisfaciendi hac vice, ſi poſtea mutet, pag. 249 col. 1*
14 *Præceptum non peierandi naturale eſt, pag. 421. col. 1*
15 *Præcepta primæ tabulæ, quo ſenſu ſint grauiora præceptis ſecundæ, 424. col. 1*

PRÆLATVS.

1 *Prælatus quatenus poſſit diſpenſare ob morbum ad non recitandum, pag. 260. col. 1*
2 *Prælatus vouens actionem ſubditorum ad quid teneatur, pag. 600. col. 1*
3 *Prælatus quo titulo cogat ad voti impletionem, pag. 618. col 2*
4 *Prælatus votum irritans ex poteſtate dominatiua, an teneatur id in aliud commutare, pag. 653. col. 1*
5 *Prælatus non poteſt cogere ſubditum, vt dictam commutationem voti acceptet, ibid.*
6 *Prælatus inuito vouente non poteſt diſpenſare, cum irritare votum illius poteſt, pag. 653. col. 2*
7 *Prælati Papa inferiores non poſſunt directe irritare vota Chriſtianorum, pag. 654. col. 1*
8 *Prælati Papa inferiores poſſunt irritare indirecte vota aliqua, pag. 655. col. 1*
9 *Prælatus Religionis quatenus poſſit vota ſubditorum irritare. Vide Religioſus.*
10 *Prælatus Religionis quiſnam poſſit ſubditorum vota irritare, pag. 672. col 2*
11 *Prælatus Religionis inferior non poteſt irritare votum ſubditi à ſuperiori Prælato confirmatum, pag. 672. col. 1*
12 *Prælatus ſuperior poteſt irritare votum approbatum ab inferiori. pag. ead. col. 2*
13 *Prælatus poteſt irritare votum à ſe approbatum, pag. 672. colum 2*
14 *Prælatus Religionis an peccet irritando votum à ſe approbatum, pag. 673. col. 2*
15 *Prælatus æqualis ſuccedens poteſt irritare vota approbata ab æquali, pag. 674. col. 1*

PRESBYTER.

Presbyter in iure qui ſit, pag. 218. col. 1

PRÆSTIMONIVM.

1 *Præſtimonium quid ſit, & ad quid obliget, pag. 233. col. 1*
2 *Præſtimonij compos ſi non recitet, tenetur reſtituere, p. 266. col. 1*

PRÆORDINATIO.

Præordinatio Diuina circa effectum futurum qualis, p. 14. col. 1

PRIMA.

Prima in officio Diuino, pag. 180. col. 1. & ſequentib. Qua hora ſit canenda in choro. pag. 214 col. 2

PRIVILEGIVM.

Priuilegia gratia ſingularis non petenda, 51. col. 1

PROCESSIONES.

Proceſſionibus & ſimilibus quæ obligatio aſſiſtendi, pag. 149. columm. 2

PROFESSIO.

1 *Profeſſio facta repugnante coniuge, eo mortuo non reualeſcit, pag. 364. col 2*
2 *Profeſſio inualida, quatenus tacite cenſeatur confirmari per exercitium actuum profeſſorum, pag. 67. col. 2.*

Digitized by Google

PROMISSIO, ET PROMITTO.

1 *Promiſſio Diuina eſt de gratia, & gloria, pag 2:. col. 2*
2 *Promiſſio Dei facta orantibus eſt conditionalis, p. 55. c. 1*
3 *Promiſſio valida inducit aſſertionem de futuro, p 312 c. 2*
4 *Promiſſio iurata, p. 313. col. 1*
5 *Promiſſio quid addat aſſertioni, 314. col. 2*
6 *Promiſſio non eſt adequata materia iuramenti promiſſorij, ibid.*
7 *Promiſſio gemina, & iurata ad hominem facta vtrum equiualeat voto, p. 319. col. 2*
8 *Promiſſio iurata an cuilibet afferat maiorem obligationem, pag. 320. col. 2*
9 *Promiſſio facta latroni, verbi gratia, quatenus obliget, pag. 318. col. 2*
10 *Promiſſio interna iurata obligat p. 347. col. 2*
11 *Promiſſio dupliciter poteſt prohiberi, p. 373. col. 1*
12 *Promiſſio iuramento firmata dat actionem, p. 375. col. 2*
13 *Promittendi verbum duas indicat voluntates, p. 480. col. 1*
14 *Promiſſio poteſt eſſe mala, & exequutio bona, p. 482. c. 1*
15 *Promiſſio ſimplex Religionis quatenus obliget, pag. 485. c. 2*
16 *Promiſſio quiſnam actus ſit, p. 499. c. 2. 500. c. 1*
17 *Promiſſio debet neceſſario eſſe de bono eius, cui ſit, pag. 506. col. 2*
18 *Promiſſiones factæ Sanctis quatenus fieri Deo dicantur, pag. 510. col. 2*
19 *Promiſſio humana obligat, p. 674. col. 2*
20 *Promiſſio Deo & homini quatenus differant, p. 575. col. 2*
21 *Promiſſio pura facta abſenti non obligat, p. 676. col. 2*
22 *Promiſſio quando eſt opus pietatis eſt materia voti, pag. 594. col. 2*
23 *Cum promiſſioni humanæ votum additur, eſt duplex obligatio, ibid.*
24 *Promiſſio contra votum facta non valet, p. 615. c. 1*
25 *Promiſſio humana pia vtrum aliquando præualeat voto, ibid.*

PROMPTITVDO.

1 *Promptitudo in deuotione, p. 88. c. 1. 89. c. 2*
2 *Promptitudo duplex, p. 90. col. 2*

PROPHETA.

Prophetæ non prophetabant vt inſani, pag. 130. col. 1

PROPOSITVM.

1 *Propoſitum faciendi aliquid in honorem Dei, an obligationem inducat, 472. col. 1. non inducit obligationem, ibid.*
2 *Propoſiti nomine interdum promiſſio ſignificatur in iure, pag. 474. col. 2*
3 *Propoſitum eſt ad votum neceſſarium, p. 477. c. 1*
4 *Propoſitum implendi votum, an ſit de voti eſſentia, pag. 479. col. 2*
5 *Propoſitum virtuale & formale quod, ibid.*
6 *Propoſitum implendi neceſſarium eſt, vt illud rite fiat, p. 480. col. 2*
7 *Propoſitum de violando ſæpe votum in materia leui, quod peccatum, pag. 642. c. 2*

PROVIDENTIA.

1 *Prouidentia extraordinaria non ſemper miraculoſa, pag. 442. col. 1*
2 *Prouidentia quatenus ſpectet ad meditationem, p. 74. c. 1*

PROXIMVS.

1 *Proximo defuncto, quem conſtat eſſe damnatum, poteſt peti pœna æterna, p. 46. c. 1. ſecus ſi non conſtet, ibid.*
2 *Proximo viatori non licet poſtulare vindictam æternam, pag. 46. col. 2*

PSALMVS, PSALMODIA.

1 *Pſalmodia probatur, pag. 169. c. 1. & pag. 188. c. 1*
2 *Pſalmus, hymnus, & canticum quatenus differant, pag. 172. col. 1*

PSALMISTA.

Pſalmiſta quis ſit, pag. 191. col. 2

PVBERTAS.

Pubertatis anni, pag. 664. c. 2

R.

RECOMPENSATIO.

1 *Recompenſatio in voto quando non ſit in obligatione, pag. 613. col. 2*
2 *Recompenſatio poteſt exigi à votum non ſeruante, pag 6.8. col. 2*

REGNVM COELORVM.

Regnum cælorum quid ſignificet, p. 476. col. 1

RELAXATIO.

Relaxatio. vide iuramentum.

RELIGIO.

1 *Religio præcipue exercetur in oratione, p. 78. c. 2*
2 *Religionem an poſſit quis ingredi poſt iurata ſponſalia.*
3 *Religionis debitum reſpectu Dei an ſit maius, quam iuſtitiæ, pag. 603. c. 1*
4 *Qui poſt votum Religionis arctioris intrat laxiorem, non obligatur ad priorem.*
5 *Religio formaliter reſpicit excellentiam, pag. 92. c. 1*
Vide actus 15.

RELIGIOSVS.

1 *Religioſi quam interſit orare mentaliter, p. 80. col. 2*
2 *Religioſus ex ſe non tenetur certum tempus orationi mentali impendere, pag. 81. c. 1*
3 *Religioſus non tenetur ad omnia media perfectionis, pag. ead. col. 2*
4 *Religioſi quomodo obligentur recitare officium ſacrum, pag. 219. col. 1*
5 *Religioſus non conſtitutus in ſacris an teneatur recitare, quod in choro præterijt, pag. ead. col. 2*
6 *Religioſi laici non tenentur ad horas ſacras, ibid.*
7 *Religioſi tenentur ex conſuetudine ad horas Canonicas, pag. 220. col. 1*
8 *Religioſus profitens chorum qualiter peccet, ſi omittat horas Canonicas recitare, ibid.*
9 *Religioſus profitens chorum diſpenſatus à Papa, vt in ſæculo viuat, an teneatur ad horas recitandas, pag. 215. c. 1*
10 *Religioſus fugitiuus non ideo ſoluitur ab obligatione recitandi, pag. 221. c. 1. Idem de damnatis ad triremes, ibid.*
11 *Religioſus licite vouet. Vide voti cauſa efficiens.*
12 *Religioſus quatenus non habeat velle, & nolle, p 564. c. 2*
13 *Religioſorum operum ſex genera, pag. 566. col. 1*
14 *Religioſus quatenus non poſſit cogi acceptare diſpenſationem voti, pag 566. c. 2. 567. c. 1*
15 *Religioſorum vota poſſunt irritari à Prælatis, ſaltem ex parte materiæ pag. 668. col. 2*
16 *Religioſus nec poteſt facere votum reale, nec perſonale independenter à Prælato, pag. 668. c. 2*
17 *Religioſi vota quatenus poſſint à Prælatis directe irritari, pag. 669. c. 2. 670. c. 1. & 2*
18 *Religioſi vota irrita per Prælatum non redeunt, p. 671. c. 1*
19 *Religioſus quid debeat facere, vt poſſit votum ſoluere, ibid.*
20 *Religioſi vota à quo Prælato ſint irritanda, pag. 671. c. 2. an à Papa poſſint eodem modo irritari, p. 672. c. 1*
21 *Religioſi votum ſemel approbatum an maneat irritabile, pag. 672. c. 1. Vide Prælatus.*
22 *Religioſus non peccat petendo voti irritationem abſque ſpeciali cauſa, pag. 671. col. 2. Vide voti cauſa efficiens, & voti obligatio.*

REPROBVS.

1 *Pro reprobo an liceat orare, pag. 36. c. 1*

2 *Reprobo reuelato an poſſit peti auxilium efficax*, pag. 37. col. 1
3 *Reprobus reuelatus quid orare debeat*, pag. ea. c. 2
4 *Reprobus an liceat excludere orando*, pag. 38. col. 1

RESTITVERE.

1 *Reſtituere an teneatur beneficiatus, qui ſex primos menſes non recitat*, p. 264. col. 2
2 *Reſtituere pro rata an teneatur, qui duos, aut tres dies poſt primos ſex menſes non recitat*, p. 268. c. 2
3 *Reſtituendi obligatio oriri poteſt ex voluntaria diſtractione in recitando*, pag. 269. col. 2
4 *Reſtituere tenetur fructus qui non recitat. dummodo non ſit in primis ſex menſibus à beneficio obtento*, pag. 267. col. 2 *Vide beneficiatus.*

RESTITVTIO.

1 *Reſtitutio pro omiſſione re. itandi poteſt fieri in bonis ſpiritualibus in primis ſex menſibus*, p 266. c. 2. *non vero poſt illos*, p. 268. c. 2. *& quomodo*, p. 267 col. 1
2 *Reſtitutio pro defectu recitandi facienda ante iudicis ſententiam*, p. 267. col 1
3 *Reſtitutio hæc an ſit omnium fructuum, an partis*, p. 268. c. 1
4 *Reſtitutio an debeat fieri pro minori parte, quam ſit vna hora*, pag. 269. c. 1
5 *Reſtitutionis optima regula pro officij omiſſione*, pag. 269. col. 1
6 *Reſtitutio pro defectu recitationis cui ſit facienda* p. 270. c. 1
7 *Reſtitutio fructuum non eſt neceſſario facienda pro primis ſex menſibus, licet vlterius continuetur defectus recitationis*, pag. 267. c 2

REVELATIO.

1 *Reuelationem de noſtro malo non tenemur accipere vt irreuocabilem*, pag. 37. c. 2
2 *Reuelatio de proprio damno non impedit orationem*, ibid.
3 *Reuelatione poſita abſoluta de damnatione non poteſt quis contra niti circa vltimam ſalutem*, ibid.

ROSARIVM.

1 *Roſarium Virginis*, pag. 161. col. 1
2 *Roſarium dicitur pſalterium*, ibid.
3 *Roſarium ſimpliciter impoſitum in pœnitentiam, pro tertia parte vſurpatur*, ibid.
4 *Roſarij antiquitas*, pag. 161. col 2
5 *Roſarium alternatim recitatum quomodo ſufficiat ad implendam pœnitentiam*, p. 161. c. 2
6 *Roſarium dictum per partes ſat eſt ad implendam obligationem*. p 162. col. 1
7 *Roſarium qua attentione ſit recitandum*, ibid.
8 *Roſario vno an fiat ſatis multis obligationibus*, p. 162. c. 2

S.

SACERDOS.

1 *Sacerdos quis dicatur in iure*, pag. 217. col. 2
2 *Sacerdos vno ſacro poterit ſatisfacere pro multis paruis eleemoſynis*, pag. 231. col. 1

SACRIFICARE.

Sacrificatur ſoli Deo, p 510 col. 1. p. 511. col. 1

SANCTI.

1 *Sancti, & Angeli ſunt orandi*, pag. 23. col. 1
2 *Sancti quo cultu colantur*, pag. 23. col. 2
3 *Sancti quomodo orentur, vt faciant*, pag. 24. col. 1
4 *Sancti cum orantur, non fit iniuria Chriſto*, pag. 25. colum. 1
5 *Sancti audiunt orationes noſtras, & quomodo*, pag. 26. colum. 2
6 *Sancti orant pro nobis*, pag. 28. col. 2
7 *Sancti duobus modis coli poſſunt*, p. 509 col. 2
8 *Sanctis an poſſit fieri votum. Vide Votum.*

SALOMON.

Salomonis ſomnus cum petijt ſapientiam explicatur, p. 131 c. 2

SALVE REGINA.

Salue Regina, probatur & exponitur, p. 163. col. 1

SALVTATIO ANGELICA.

1 *Salutatio Angelica non debet ſciri ſub præcepto*, pag. 147. colum. 2
2 *Salutatio Angelica explicatur*, pag. 160. col. 1

SAPIENTIA.

Sapientia ſtulta, quæ à Diuo Dionyſio appelletur, p. 116. c. 1

SATISFACTIO.

1 *Satisfactio pro alijs, maxime viatoribus, infallibilis eſt*, pag. 62. col. 2
2 *Satisfactio & meritum quatenus diſtinguantur*, pag. 145. col. 1

SCIENTIA.

Scientia infuſa quomodo quis vtatur, p. 125. col. 2

SCRVPVLOSVS.

Scrupuloſis quomodo recitandum, pag. 251. col. 2

SENSVS.

1 *Senſus quomodo diſtinguitur ab appetitu*, p. 117. col. 1
2 *Senſus externus non operatur ſine interno*, ibid.

SEPTEM HORÆ CANONICÆ.

Septem horarum Canonicarum myſteria, pag. 184. c. 2. *reliqua vide Horæ Canonicæ, & verſ. Officium Diuinum.*

SERAPHIN.

Seraphin cur ab amore denominetur, pag. 119. c. 1

SERVVS.

1 *Seruorum vota*, pag. 515. c 1. 572. col. 2
2 *Seruorum vota an poſſint à dominis irritari*, pag. 656 col. & 2. *Vide voti irritatio.*
3 *Serui quatenus non ſubdantur dominis*, pag. 656. col. 1
4 *Seruus vouens Religionem, ſi nequeat tunc, debet poſtea id facere ſortitus libertatem*, ibid.

SILENTIVM.

Silentium in contemplatione quid ſignificet, p. 109. col. 1

SOMNVS, ET SOMNIVM.

1 *In ſomnio poteſt eſſe diuinitus eleuatio intellectus, & phantaſia, cum iudicio rationis*. p. 126. c 2. p. 128. col. 2
2 *In ſomno de lege ordinaria nec eſt meritum, nec demeritum*, pag 127. c. 1
3 *Somnium in Scriptura quid ſignificet*, pag. ead col. 2
4 *Somnus ecſtaticus & naturalis quatenus diſtinguantur*, pag. 129. col 1
5 *Somnus naturalis non niſi miraculoſe compatitur iudicium expeditum*, ibid.
6 *Somnus propheticus naturaliter impedit ſenſuum opus*, ibid.
7 *Somnus non impedit vſum ſcientiæ per ſe infuſæ*, pag. 131. colum. 1

SPECVLATIO.

Speculatio quis actus in oratione mentali, pag. 98. col. 1

SPES.

Spes eſt requiſita ad orationem pag. 57. col. 2

SPONSALIA.

Poſt ſponſalia an poſſit quis ingredi Religionem, pag 348 col. 2

STATVS.

1 *Status triplex incipientium, proficientium, & perfectorum*, pag. 103. col. 2
2 *Status hi aliter appellantur*, pag. 105. col. 1. *ſemper aliquo modo coniuncti ſunt*, pag. 127. col 2
3 *Status peccati tripliciter accipitur*, pag. 427. col. 2

SVBDIACONVS.

Subdiaconus die ordinationis quas horas recitare teneatur, pag. 257. col. 2

SVBDI-

Digitized by Google

SVBDITVS.

Subditi an poſſint vouere, pag. 563. col. 2. Vide voti cauſa efficiens.

SVBIECTIO.

Subiectio in perſonis duplex, pag. 564. col. 1

SVBMISSIO.

Submiſsio optimum principium orationis, p. 138 col. 2

SVRDITAS.

Surditas an excuſet ab obligatione recitandi, p. 87. col. 1

SVRREPTIO.

Surreptio etiam grauiſsima peccata excuſat; aut minuit, p. 639. col. 1

SYMBOLVM.

Symbolo quomodo ſciendum, pag. 47. col. 1

T.

TAVRVS.

Taurorum agitatio an poſſit eſſe materia voti, pag. 527. col. 2

TEMERITAS.

Temeritas in vouendo, vide Peccatum.

TEMPVS.

1 *Tempus meditationi aptius, p. 83. col. 1*
2 *Tempus vt circumſtantia eſt ad orationem vocalem, pag. 149. col. 1*
3 *Tempus ad horas Canonicas, p. 254. col. 1*
4 *Tempus cuiuſque horæ ante vel poſt ponere, quod peccatum, pag. 254. col. 2*

TEMPLVM.

Templa qua neceſſitate debeant reſpicere Orientem, pag. 151. col. 1

TENTATIO.

1 *Tentationes an liceat petere, pag 46. col. 1*
2 *Tentatione vrgente tenemur orare, p. 71 col 1*
3 *Tentatio, quæ intelligitur in oratione Dominica, p. 157. col. 2*

TITVLVS.

1 *Tituli quibus Deum oramus, vnde ſumantur, p 77 col. 1*
2 *Tituli erga Deum quare allegentur, ibid.*

TRADITIO.

1 *Traditio non requiritur eſſentialiter ad votum ſimplex, pag. 503. col. 2. vide plura in votum.*
2 *Traditio, & promiſsio poſſunt iungi, non confundi, pag. 505. col. 1*
3 *Traditio diuerſam obligationem parit, quam votum, ibid.*

TVTOR.

1 *Tutor prohibetur contrahere cum pupillo pag. 380. col 1*
2 *Tutor quatenus poſſit irritare vota impuberum. pag. 667. col. 1. 668. col 1. & 2*

V.

VELLE.

1 *Volendi triplex modus, pag. 88. col. 1*
2 *Velle facere, & velle habere voluntatem faciendi quatenus diſtinguantur, p. 90. col. 1*
3 *Velle abſolute, quid dicatur, pag 484. col. 2*

VERBVM.

1 *Verba intelligere, non eſt de ſubſtantia orationis, pag. 144. col. 2*
2 *Verborum duplex ſignificatio, pag. 145. col 1*

VERITAS.

1 *Veritatis quicunque defectus contra iuramentum aſſertorium facit mortale periurium, p 98. col 2*
2 *Veritas neceſſaria ad iuramentum, pag. 280. col. 1. vide iuramentum.*

VESPERÆ.

Veſperas poſt prandium tempore quadrageſimali in choro dicere, eſt peccatum graue, p. 216. col. 2

VIA.

1 *Via triplex, purgatiua, illuminatiua, & vnitiua, p. 46. col. 2*
2 *Hæ tres viæ coniunctæ ſunt, pag. 105. col. 1*
3 *Viæ hæ vnde diſtinguantur, pag. ead. col. 2*

VIATOR.

1 *Viatores pro viatoribus orant, p. 26. col. 2. 32. col. 1*
2 *In viatore minus requiritur opinio ſanctitatis, vt interceſsione illius vtamur, quam in mortuo, p. 27. col. 2*

VIGILIÆ.

Vigiliæ nocturnæ ad orandum, p. 167. col. 2. & 168. col. 1

VINDICTA.

Vindicta quatenus poſsit peti à Deo, 46. col. 1

VIRGO MARIA.

Virginem ſalutare, cum datur ſignum, an teneamur ſub aliquo peccato, pag. 147. col. 2

VIRTVS.

1 *Virtutes morales quatenus liceat petere, 42. col. 1*
2 *Virtutes quomodo imperent actus, p. 89. col. 1*
3 *Virtus aliqua dupliciter poteſt dirigere actum externum, pag. 282. col. 2. vide actus 10. 11. 14. Affectus 4.*

VISIO.

1 *Viſio ſpecialiter contemplatio dicitur, pag. 98. col. 2*
2 *Viſio Dei an priuet vſu ſenſuum, pag. 110. col. 1 Vide anima.*

VOLVNTAS.

1 *Voluntas conditionata duplex, p. 37. col. 1*
2 *Voluntati Diuinæ cui teneamur conformari, pag. 50. col. 1*
3 *Voluntas de noſtra ſalute eſt primaria in Deo, reſpectu voluntatis non dandi auxilium, &c. ibid. & pag 50. col. 1*
4 *Voluntas quos actus habeat in oratione mentali, pag. 78. columna 1*
5 *Voluntas credendi, aut ſperandi dici poteſt deuotio, pag. 91. col. 2*
6 *Voluntas non poteſt ferri in Deum per amorem elicitum abſque cognitione actuali, pag. 111. col. 1*
7 *Voluntas ſolum fertur in rem, prout ab intellectu proponitur, pag. 114. col 1*
8 *Voluntas extra viſionem beatam non neceſſitatur ex vi obiecti, &c. pag. 132. col. 1*
9 *Voluntas non neceſſitatur ad neceſſitatem intellectus, pag ead. col. 2*
10 *Voluntas Dei, vt fiat, de qua intelligitur in oratione Dominica, pag. 153. col. 2*
11 *Voluntas ex ſurreptione non ſufficit ad valorem voti, pag. 483. col. 2*
12 *Voluntatis triplex motus, pag. 483. col. 2*
13 *Voluntas ſemiplena an ſufficiat ad aliquod votum, pag. 484. col. 1*

VOLVNTARIVM.

1 *Voluntarium in communi an ſufficiat ad peccandum, pag. 436. col 1*
2 *Voluntarium ſimpliciter non tollitur per metum, per ignorantiam maxime, pag. 496. col. 2*
3 *Voluntarium quid ſit, pag. 110. col. 2*

VOTVM.

1 *Votum quatenus ad orationem reuocetur, p. 138. col. 2*
2 *Votum quid ſignificet, 468. §. 1. & 2. & pag. 470. col. 2. p. 471. col. 1*
3 *Votum quatenus hæretici negare non potuerint, 470. columna 2*
4 *Vota quæ hæretici negauerint, 470. col. 2*
5 *Vota ſunt legalibus antiquis antiquiora, pag. 471. col. 1*

6 Voti emiſſio poteſt eſſe ſub præcepto, pag. 479. col. 1. & 2
7 Votum formaliter conſiſtit in promiſſione facta Deo, p. 499. col. 2
8 Votum an ſit actus voluntatis, an intellectus, ibid. & 500. col. 1
9 Votum quatenus dicatur lex particularis, p. 501. c. 2
10 Votum dupliciter accipi poteſt, p. 502. col. 1
11 Votum an perficiatur per ſolam promiſſionem, an per traditionem, pag. 502. c. 2. 503. c. 2
12 Votum eſt actus elicitus à Religione, p. 506. col. 2
13 Vtrum votum poſſit inuoluere aliquam habitudinem ex intentione vouentis, pag. 504. col. 2
14 Vtrum votum eliciatur à Religione infuſa, p. 507. c. 1
15 Votum an augeat meritum operis, vide opus.
16 In voto duplex eſt bonitas, p. 511. col. 2
17 Votum non minuit libertatem, pag. 514. col. 1. pag. 516. columna 1
18 Votum non benedicitur cauſa maioris periculi, pag. 515. columna 2
19 Votum de militia in ſubſidium belli ſacri tractatur, pag. 604. col. 2
20 Per votum factum, verbi gratia, Eccleſiæ, illa non acquirit ius, pag. 618. col. 1
21 Votum non faciendi opera conſilij, quod peccatum, pag. 635. col. 1
22 Voti negatiui multiplex modus, 647. col. 1
23 Votum mixtum quod ſit, p. 552. col. 1
24 Votum non diſtinguitur ſpecie per virtutes, p. 553. col. 1
25 Votum in baptiſmo nullum ſimpliciter fit, p. 557. col. 1
26 Voti impedimentum poteſt eſſe prohibitio Superiorum, p. 558. col. 1
27 Votum ieiunij quid includat, 619. col. 2
28 Votum negatiuum ſequitur naturam præcepti negatiui, pag. 590. col. 2
29 Votum Hieroſolymitanæ peregrinationis quantum obliget coniuges expenditur, p. 659. col. 2

VOTI DIVISIONES.

1 Votum ſimplex, & ſolenne, p. 502. col. 1. & quatenus differant, p. 502. col. 2. Vide votum ſimplex, & votum ſolenne.
2 Voti diuiſiones variæ, p. 516. col. 2. & 517. col. 1
3 In commune, & ſingulare, 516. col. 2
4 In neceſſarium, & voluntarium, ibid.
5 Ex parte perſonæ cui fit, p. 517. col. 1
6 Explicantur membra diuiſi voti in bonum, & malum, ibid. in perfectum, & in imperfectum, p. ea. col. 2
7 In conditionatum, & abſolutum, pag. 517. col. 2. conditionatum quatenus obliget, p. 518. col. 1
8 In pœnale, & non pœnale. 519. col. 2
9 In internum, & externum, p. ead. col. 2
10 In expreſſum, & tacitum, ibid.
11 In occultum, & publicum 520. col. 1
12 Voti diuiſiones ex parte materiæ, & membrorum explicatio, p. 551. col. 2.
13 Votum diuiditur in reale, & perſonale, ibid. p. 671. col. 1
14 Voti diuiſiones per varias virtutes, p. 552. col. 2
15 Votum diuiditur in affirmatiuum, & negatiuum, pag. 553. col. 1
16 Votum diuiditur in perpetuum, & temporale.
17 Vota affirmatiua, & negatiua, in quo differant, p. 590. c. 1

VOTI REQVISITA.

1 Votum exigit actus intellectus, & voluntatis, p. 470. col. 1
2 Voluntas promittendi eſt omnino neceſſaria ad votum, pag. 477. c. 1
3 Voluntas ſe obligandi eſt neceſſaria ad votum, ibid.
4 Votum ordinarie eſt liberum quoad promiſſionem, p. 483. col. 1
5 Votum poteſt eſſe cogente obligatione, ibid.
6 Votum emiſſum neceſſitata diuinitus voluntate, an obligaret, pag. 484. col. 1
7 Votum factum ob metum, quale? 485. col. 2
8 Votum factum ob metum ortum ex cauſis naturalibus tenet, pag. 484. col. 2
9 Votum nullum eſt inualidum ex natura rei ratione ſolius metus, pag. 487. col. 1
10 Votum ſimplex metu factum de Religione ingredienda nullum, pag. 489. col. 1
11 Votum caſtitatis metu factum tenet, pag. ea. col. 2
12 Votum quam prærequirat deliberationem, ibid. pag. 480. c. 1
13 Voti ſufficiens aut inſufficiens deliberatio vnde queat cognoſci, p. 491. col. 1. vide deliberatio.
14 Votum ab ebrio emiſſum, & ante præuiſum, an valeat, pag. 493. col. 1
15 Votum ex conſuetudine iurandi ſubito emiſſum, an teneat, p. 494. col. 1
16 Vota prudentiam requirunt, 516. c. 1

VOTVM CONDITIONATVM.

1 Votum conditionatum quatenus differat ab abſoluto de futuro, pag. 519. col. 2
2 Votum includens tantum generales conditiones non eſt conditionatum p. 619. col. 1. vide conditio.
3 Votum conditionatum obligat tantum poſita conditione, 620. col. 1 non vero illa vtrumque non implet, 623. col. 2
4 Ad votum conditionatum requiritur, vt ſtatim fiat, pag. 622. col. 2
5 Votum dum non impletur conditio, ad quid obliget, p. 620. c. 1
6 Votum conditionatum an obliget ad non declinandam conditionem, pag. ea col. 2. vel quatenus ad illam obliget, pag. 568. col. 1
7 Qui votum pœnale fecit, an teneatur admittere conditionem, 621. col. 1
8 Qui votum fecit ſub conditione gratificatiua quomodo ſe debeat habere circa illam, pag. ead. col. 2
9 Qui vouit Religionem, ſi peccauerit, an teneatur ingredi, ſi ideo peccet, ne ingrediatur. ibid.
10 Votum pure conditionatum non violatur non implendo conditionem, p. 621. col. 1
11 Votum ſub conditione dependente à tertio ad quid obliget reſpectu eius, pag. ea. col. 2
12 Vouens, ſub conditione pendente à cauſis naturalibus ad quid teneatur, p. 623. col. 1
13 Vouens gratia Religionem ſi conualuerit, an agat contra votum noxios cibos comedendo, ibid.
14 Conditiones variæ circa votum, p. 531. col. 1
15 Votum ſub conditione damnante turpem actum eſt validum, ibid.
16 Votum pro effectu bono, ex actu malo ſuppoſito, obligat, pag. 531. col. 2. 533. col. 1
17 Votum ſub turpi conditione, vt ſic an obliget, p. 534. c. 2
18 Vota aliquot conditionata expenduntur, p. 568. col. 1
19 Vota conditionalia quo tempore obligent, 606. c. 2
20 Votum quando & quomodo implendum.
21 Votum vt ſufficienter impleatur non exigitur, quod fiat ſtudioſe actus, p. 597. col. 1
22 Nemo tenetur votum perſonale per alium implere, ſi non poteſt per ſe, p. 599. col. 2
23 Vouens per alium oraturum, an vere voueat, ibid.
24 Votum non poteſt ſimpliciter impleri per alium, pag. 600. columna 1
5 Qui vouit agere per alium, ad quid teneatur, p. 600. c. 2
6 Vouens per alium, ſi ille fallat ad quid teneatur, p. 601. c. 1
7 Vota realia per alium ſunt implenda, ibid.
8 Votum reale aliquando obligat ipſum vouentem, vt per ſe faciat, ibid.
9 Votum reale an debeat impleri per hæredem, p. 601. col. 2
10 Votum mixtum an poſſit & debeat per tertium impleri, ibid.
11 Vouens eleemoſynam ſuis manibus dare, ſi nequeat, debet dare per alium, p. 602. c. 1

12 Votum

Digitized by Google

12 Votum negatiuum quatenus obliget pro ſemper, p 606. c.1
13 Votum negatiuum ſtatim obligat ibid.
14 Votum affirmatiuum quando obligare incipiat & quamdiu, p. ea c 2
15 Votum quamdiu duret, p.603 c.1
16 Votum ad certum diem an poſtea obliget. p. ea c.2
17 Voto dupli iter aſſignatur terminus, p.611. c.1
18 Votum quod eſt onus certi temporis, non tenetur quis peruenire ſi pro tunc nequeat, ibid. Vide Prauenire.
19 Vouens tenetur vitare impedimenta, vt tempore ſuo votum fiat, p.612. c 1
20 Quando circumſtantiæ voti non poſſunt ſeruari, an ſeruandum ſit votum p.5 9. c.1
21 Vouens Religionem in tali monaſterio ad quid teneatur, ibid.
22 Vouens virginitatem, an ea amiſſa teneatur ad continentiam. p.495. c 2 & 589 c.1. & 2
23 Quando circumſtantiæ voti materiam non determinant, quid agendum p 589. c.1
24 Voti circumſtantia propter quid, non cadit ſub obligationem voti, p.597. c.1
25 Circumſtantia loci quæ ſit intelligenda in voto, p.596. c.1
26 Modus implendi votum, quomodo ſub eius obligationem cadat, p.5 7 c.1

VOTI CAVSA EFFICIENS.

1 Votum ab alio factum, qui ſpondet implere, quatenus obliget, p. 598 c.1
2 Votum anteceſſorum an obliget ſucceſſores, p 556. c.2
3 Vota communitatum quatenus ſingulos obligent p.599. c.1
4 Vota communitatis poſſint ab Epiſcopo reſeruari, ibid.
5 Votum ſolum obligat vouentem, p 597. c 2
6 Chriſtus an vouerit, p.554 c. & de Chriſti votis, 306. c.2, & 552 c 2
7 Angeli an poſſint vouere p 555. c.2
8 Beati ſpiritus an ſint voti capaces, ibid.
9 Homo ſolus ordinarie eſt voti capax p 556. c.1
10 Homines ante vſum rationis non ſunt voti capaces. ibid.
11 Votum proprie an poſſit fieri per alium ibid & 599. c.1
12 Omnis homo viator poteſt votum emittere, p.557 c.2
13 Vouere prohibitus vere vouet, ibid.
14 Nulla perſona eſt ſimpliciter inhabilis iure Eccleſiaſtico ad votum ſimplex, p.561. c.2
15 Votum peregrinationis longæ in Epiſcopis an valeat, p.562. c.1
16 Votum de renunciando Epiſcopatu an teneat p. ea. c.2
17 Votum de peregrinatione in Clerico, p 56 c.2
18 Votum cum facultate implendi, adueniente impedimento ad quid teneatur. ibid.
19 Perſonæ alius ſpecialiter ſubiectæ an poſſint vouere, p 563. c.2. & an licite, p.561 c.2
20 Vota ſubditorum valida ſunt, quando non tolluntur, p.565. col 2
21 Votum perſonale emittere in materia neceſſaria præceptorum poteſt à Religioſo fieri, p.566 c.1
22 Vota Religioſi circa actus regulæ valent. p.567. c.1
23 Vota de meliori bono non prohibito quatenus obligent, ibid.
24 Votum de actu prohibito per regulam an obliget, p.567. c.2
25 Religioſi obligati votum aperire Prælato, ſi non aperiant, an valeat votum, ibid vide voti obligatio.
26 Religioſus vouens rem per regulam non licitam ſine facultate, an teneatur petere facultatem. ibid.
27 Religioſus vouens ſine licentia, an teneatur votum aperire ſuperiori, p 568 c.2
28 Religioſus quatenus prohiberi poteſt ne voueat, ibid.
29 Vota ſubditorũ Religioſorum, p.671 c.1
30 Vota realia quatenus poſſint à Religioſis fieri, p. 672. c. 1. vel ſi fiant, ad quid obligent, ibid.
31 Votum reale factum ab eo, qui non habet liberum dominium non eſt firmum p.671. c.2
32 Votum Patrisfamilias de re familiari quatenus valeat, p.671. col. 2
33 Filij de quibus poſſint vouere, p.672. c.2
34 Votum impuberis ratum poſt pubertatem tranſit in nouum votum, p 666. c.1
35 Votum impuberis quatenus confirmari cenſeatur poſt pubertatem, ibid.
36 Votum impuberis quatenus ſit confirmandum à patre, p. ea. col.2

VOTI CAVSA MATERIALIS.

1 Votum de mentali oratione periculoſum, p.80. c.1
2 Voti materia proxima, vel remota, p.521. c. 2
3 Voti materia proxima eſt actus humanus, ibid.
4 Votum de actu abſolute neceſſario eſt inane, ibid.
5 Votum de re impoſſibili eſt nullum, p.522 c.1
6 Voti materia remota qua comprehendat, ibid.
7 Votum quatenus poſſit verſari circa rem neceſſariam, p. 522. col.2
8 Voti materia omnino impoſſibilis illud annullat, ibid.
9 Votum de materia partim poſſibili, partim impoſſibili, an obliget ad partem, ibid.
10 Voti materia poſſibilis quoad partem quas conditiones requirat p.523. c.2
11 Votum de toto, quando non obliget ad partem, p.524. c.1
12 Voti materia quatenus ex modo annexo reddat validum, aut nullum votum. p 525. c.1
13 Votum non peccandi an & quatenus obliget. p.525. c.2. & 526. col.1. & 2
14 Votum nunquam peccandi mortaliter valet, p. 5 5. c. 2. ſed diſſuadetur. p 93 c.2
15 Votum nunquam peccandi venialiter deliberate, valet, p.526. col 1
16 Votum abſolutum non peccandi venialiter non valet p. 526. col.1
17 Cauſæ materialis mutatio, an mutet votum, pag 526. c.2. & p. 627. c 1
18 Voti materia tripliciter mutari poteſt p 626 c.1
19 Materiæ impoſſibilitas inualidat votum, p 627 c 1
20 Materiæ impedimentum quando pro ſemper quando temporarie votum impedit, ibid.
21 Materiæ impedimentum quando in totum, quando in partem annullet votum, p. ea. c 2
22 Materiæ mutatio vel culpabilis, vel inculpabilis, & votum an inualidet, ibid
23 Quæ materiæ mutatio ſit ſufficiens vt credatur votum non valere, p.628. c 2
24 Votum de materia incapaci voti, quod peccatum, p. 633. c.1
25 Votum de eo, quod impleri non poteſt, quod peccatum, ibid.
26 Votum de actu moraliter malo, quod peccatum p.633. c.2
27 Votum de actu malo cum intentione non faciendi, peccatum videtur mortale p 634. c.1
28 Votum de peccato veniali, quod peccatum, p.634. c. 2. & 635. col.1
29 Actus moraliter malus nequit eſſe materia voti p.528. c 1
30 Votum de re ex fine mala, quatenus obliget, p 529. c.1
31 Actus indifferens an poſſit eſſe materia voti, ibid. & p. ea. c.2
32 Ceſſante honeſtate finis in materia indifferente, ceſſat obligatio voti p 530. c.1
33 Actus præcepti poſſunt eſſe materia voti, p. 535 c.1
34 Votum caſtitatis abſolute factum comprehendit materiam ex præcepto naturali neceſſariam p.536. c.1
35 Votum eſſe de meliori bono, quo ſenſu intelligendum, pag. 537. col 2
36 Votum caſtitatis facit ne coniux poſſit petere p 536. c. 1
37 Actus impediens meliorem, an poſſit eſſe voti materia, p. 538. col 1
38 Actus honeſtus, nec tamen per ſe ſpectans ad ſalutem, an poſſit eſſe materia voti, p.530 c. 2
39 Actus omnis virtutis moralis poteſt eſſe materia voti, pag. 541. col. 2

40 Votum an poſſit eſſe de operando bono ex metu pœnæ an valeat, ibid.
41 Non omnia, quæ fieri poſſunt propter Deum, poſſunt fieri ex voto, ibid.
42 Actus contrahendi matrimonium per ſe non eſt materia voti, p.543.c.1
43 Omiſſiones de actibus indifferentibus vt ſic, non ſunt materia voti.p.549.c.1
44 Omiſſio boni operis ſupererogationis non eſt materia voti.p.ea. col.2
45 Votum de non vouendo an liceat, p.550. c.1
46 Negatio operis boni, quod nec ad conſilium, nec ad præceptum pertinet, quatenus poſſit eſſe materia voti.p.551.c.1
47 Vt aliquid ſit materia voti, quid ſit ſatis.p.ea c.2
48 Materia voti incerta, quatenus ſufficiat, p 558.c.2

V.

VOTVM CVI FIT.

1 Vota fundũtur Deo ſecundum Catholicã doctrinam.p.470 c.1
2 An de voti ratione ſit, vt fiat ſolum Deo, p.508.c . 2.510.c.1
3 Vota Sanctis quomodo fieri dicantur, p.508.c.2.509.c.2.510. c.1.511.c.1
4 Votum per ſe obligat ſoli Deo p.594.c.1
5 Votũ ex conſcientia erronea factum idolo, an obliget.p 593.c.2
6 Votum an poſſit fieri alicui perſonæ Trinitatis.p 50 .c.1

VOTI CIRCVMSTANTIÆ.

Voti circumſtantiæ quæ, p 594 c.1

VOTI FINIS.

1 Votum ordinatur ad traditionem, p.471.c.1
2 Votum an exigat motiui honeſtatem, p.480.c.2
3 Ad voti valorem quatenus non requiritur, vt promiſſio ex fine honeſto fiat p.481.c.2
4 Voti cauſa finalis, quæ p 625.c.1
5 Ceſſante fine, an ceſſet voti obligatio, p.625 c.1.& 2
6 Votum propter prauum finem, quod peccatum ſit, p.632.c.2.& 633 c.1
7 In voto ob prauum finem duplex eſt malitia, 633.c.1
8 Malitia contra Religionem, quæ eſt in voto ex malo fine, venialis videtur, ibid.
9 Voti finis quatenus cadat ſub obligationem voti, p 596.c.1
10 In vouendo duplex finis, p.ea c 2
11 Voti finis non eſt materia voti, p.591 c.1

VOTI IMPVLSIVA CAVSA.

Voti cauſa impulſiua quid comprehendat, p. 625 c.2
2 Cauſa impulſiua ceſſante, non ceſſat votum ibid.

VOTI OBLIGATIO ET VALOR.

1 Voti obligatio an maior, quam iuramenti. Vide iuramentum,
2 Votum an neceſſario inducat obligationem p.477.c.2
3 Votum, an promiſſio exterior cum animo ſe non obligandi, non obligat in conſcientia, p.479 c.1
4 Votum fictum non obligat, eſt tamen peccaminoſum, ibid.
5 Votum cum propoſito non ſeruandi, factum tenet, p.479.c.2
6 Votum vnde habeat obligandi vim, p.481.c 2
7 Votum quare non obliget cum periculo mortis, p.487.c.2
8 Votum ob metum extortum ab homine, an ſit validum, p.485. c.2 & 486.c.1
9 Vota aliquot vnde habeant, quod ſtatim obligent, p 504.c.1
10 Caſtitatis & Religionis quatenus differant, ibid.
11 Vouens v g. peregrinari ad Diuum Iacobum, & ibi eleemoſynam facere, ſi non poſſit primum exequi, tenetur ad ſecundum, p 601.c.2
12 Vouens v.g. cum duobus militare, ſi per ſe nequeat, tenetur illos mittere, p.602 c.1.& 605 c.1 & 2
13 Voti obligatio an tranſeat ad hæredes ipſo iure, p 602.c.1. vide Hæres.
14 Vouens ſe, & ſua tradere Religioni, ſi excuſatur quoad ſe, non tenetur tradere ſua p.604.c.2
15 Votum non inualidat acta contra illud, p.61 .c.1. nec cogit irritare, p.6 6.c 1
16 Vouens v g ex præſenti pecunia dimidium, illo abſumpto ad aliud tenetur, p.ea.c.2
17 Votum quatenus obliget circa rem in ſpecie, & in indiuiduo, p. 616.c.1.& 2
18 Vouens rem in indiuiduo ſi illam vendat, tenetur ad pretium dandum p ea c.2
19 Votum de ſeruando alio voto an plus obliget, p.648.c.1
20 Votum qui non implet an teneatur ad recompenſationem. Vide recompenſatio.
21 Votum factum non impedit quominus res contra id data ſit donatarij, p 616.c.2
22 Votum an obliget cum extrema vel graui neceſſitate p.629.c.1
23 Vouens ieiunare ſingulis ſextis feriis, an obligetur Natali die, p.630.c.1
24 Voti obligationem aliam, quam Religionis ſibi homo nequit imponere.p. 638.c.1
25 Votum de non ludendo v.g. cum Petro an obliget, p.530 c.1
26 Votum factum contra prius votum, vel iuramentum, vel promiſſionem eſt nullum, ibid.
27 Votum ad obtinẽdum auxilium ad turpem actum eſt nullum, p.531.c.2
28 Votum ad conſeruandam vitam in bello iniuſto, an valeat, p. 633.c.2
29 Votum in gratiarum actionem pro re turpi tranſacta, quatenus teneat, p 534.c 1. Adhibentur duæ limitationes, ibid.
30 Votum additum præcepto magis obligat.p 535.c 2.537.c.2
31 Votum v.g. de honeſta recreatione, & ſimilibus an obliget, pag. 540 c.1
32 Votum circa ſponſalia quam obligationem inducat, p.542.c.2
33 Votum non ingrediẽdi Religionem, quoad ſubueniatur parentibus cogentibus, obligat, p 544 c.2
34 Votum de ducenda paupere quatenus obliget, p 545 c.1
35 Votum de imperfecto, ſed pio vitæ ſtatu quomodo obliget, p.545 col 2
36 Votum de re includente bonum, & malum obligat ad partem bonam p 545.c 1.& 2
37 Votum v g. peregrinandi inde an obligat, p 546.c.1
38 Votum de non ingrediendo Religionem an obliget, p.549.c.2
39 Votum poſt votum de non vouendo an obliget, p 550.c.2
40 Votum de non petenda diſpenſatione an valeat, ibid.
41 Votum de non petenda commutatione an valeat, ibid.
42 Votum de ſuſcipiendis ordinibus an valeat, ibid.
43 Votum de non ſuſcipiendo Epiſcopatu, an teneat p 550.c.2
44 Votum de non nubendo, & ſimilia valent, p.550 c.2
45 Votum peregrinationis longæ in Epiſcopis an valeat, p.561.c.2
46 Votum de renunciando Epiſcopatu an teneat, p.562.c.2
47 Votum de peregrinatione in Clerico, p.562.c.2
48 Vouens cum facultate implendi, adueniente impedimento ad quid teneatur, p 563.c.1
49 Votum Religioſi de actu ſimpliciter prohibito per Regulam nõ valet, p.569.c.1
50 Votum ieiunandi die Dominico, & ſimilia obligat p.570.c.1
51 Votum Religioſi de tranſeundo ad aliam æqualem Religionem, aut etiam minus perfectam, ſi detur facultas non obligat, ibid.
52 Votum Religioſi de arctiori Religione valet, p.ea.c.2
53 Votum vxoris quatenus obliget, ibid.
54 Voti obligatio antecedens, vel conſequens, p.673.c.2
55 Voti obligatio eſt de fide, p. 674.c 1
56 Voti obligatio ad quam virtutem ſpectet, p.ead.c. 2
57 In voto interuenit pactum cum Deo, p.676.c.2
58 Voti obligatio ex genere ſuo grauis eſt.p.677.c.1
59 Voti an præcepti ſit maior obligatio, ibid.
60 Votum magis obligat, quam promiſſio humana.p.678.c.2
61 Votum de materia graui an poſſit leuiter tãtum obligare, ibid. & 679.c.1
62 Votum de re graui obligans leuiter, an ſit poſſibile, p.680.c.1
63 Vouens Religionem, vel ſponſalia leuiter ſe tantum volendo obligare mortaliter peccat, p.581.c.1

63 Vo-

Digitized by Google

64 Votum ad nullam culpam obligans an ſtabile ſit, p.581.c.2
65 Votum affirmatiuum quatenus obliget, p.591.c.1
66 Votum ingrediendi Religionem an obliget ad caſtitatem, ibid.
67 Vouens caſtitatem, & Religionem ad quid teneatur, p. 594.c.2
68 Vouens caſtitatem de qua intelligendus, p. 595 c.1
69 Votum ratione materiæ poteſt obligare ad alium à Deo, pag. 594.c.2
70 Vouens Religionem an debeat perſeuerare in ea p. 595.c.1
71 Votum caſtitatis, aut non nubendi obligat interdum in viduitate p.660 c.2
72 Votum an ceſſet ceſſante cauſa, p. 623.c.2
73 Votum quomodo ceſſet ratione materiæ. p.625.c.1
74 Votum an obliget ad omnes circumſtantias, p.588.c.2

VOTI IMPLETIO.

1 Voti impletio eſt actus imperatus à Religione p. 507 c.2
2 Vtrum ad voti impletionem neceſſe ſit, vt ea imperetur à Religione. ibid.
3 Vouens v.g. ieiunare ſingulis hebdomadis vnum diem, ſi id omiſit per annum ad quid teneatur, p. 610.c.2
4 Voti obſeruatio, vel eſt materialis, vel formalis & quæ vtraq; p.626 c.2
5 Voti dilatio an ſemper ſit mortalis cum materia eſt grauis, pag. 645.c.2
6 Voti implendi terminus qualis ſit, p.646 c.1
7 Voti terminus præfixus cum non eſt dubius an ſit locus Epikeiæ, ibid.
8 Voti terminus non determinatus quatenus poſſit differri, pag. 646.c.2
9 Voti dilatio contra obligationem an continue ſit peccaminoſa, ibid.
10 Vouens audire miſſam de feſto ſatisfacit vnam audiendo, pag. 591.c.1
11 Vouens recitare Roſarium, an ſatisfaciat recitando tertiã partem. p 594.c.2
12 Votũ implet qui facit quod promiſit voti immemor, p 596 c.1
Vide voti circumſtantia, voti obligatio, & voti diſpenſatio circa finem.

VOTI DVBIETAS.

1 In dubio de cauſa voti quid agendum p.606 c.1
2 Votum de quo dubitatur an factum ſit, vtrum obliget, p.582. c.2 non obliget, 583 c.2
3 Cum dubitatur an eſſet ætas ſufficiens ad votum. quid tenendum, p 586 c.1
4 Dubietas de intentione in voto facto quomodo ſoluenda p.585. col.1
5 Dubius an ſide vouerit tenetur. p 586.c.2
6 Dubius de ſufficienti rationis vſu an obligetur, ibid.
7 Dubietas ex parte materiæ an ſit licita, nec ne, quomodo ſoluẽda, p.587.c.2
8 In dubio de intentione, & materia voti quid tenendum, p. 591 col.1
9 Quando intentio, materia, & verba ſunt dubia quid tenendũ, p ea.c.2.& 593.c.1.594 c.2
10 Dubius de Religione, quam vouit, quid ſit acturus p.595.c.1
11 Quando in voto non determinatur qualitas rei promiſſæ, quid agendum, p.ea.c.2
12 Quando in voto non determinatur rei quantitas, quid tenendum, ibid.
13 Voti obligatio quomodo reſtringendà in dubio, p.603.c.2

VOTI FICTIO.

1 Voti fictio debet credi in foro interiori, non in exteriori p.479. col.1. vide voti obligatio.
2 Vouere ficte in ſubſtantia voti quod peccatum, pag. 532. col. 1. & 2
3 Voti fictio quam relinquat obligationem p.ea.c.2
4 Vouere ficte quoad executionem eſt mortale, ibid.

VOTVM SOLENNE.

1 Votum ſolenne caſtitatis eſt in profeſſione p 474 c.1
2 Votum ſolenne requirit acceptationem ex parte Religionis. ibid.

VOTVM SIMPLEX.

1 Vota ſimplicia non diſtinguuntur ex ſolis materiis in ratione puræ promiſſionis & coniunctæ cum traditione, p.503 c.2
2 Votum ſimplex non conſiſtit in traditione, etiam ex intentione operantis, p.505.c.2
3 Vota ſimplicia Societatis qualia p 503 c.2

VOTI VIOLATIO.

1 Inducens ad operandum contra votum peccat, p.617.c.1
2 Voti violatio intrinſece eſt peccaminoſa, p 635.c.2
3 Voti violatio quam malitiam habeat, ibid.
4 Voti violatio interdum poteſt eſſe peccatum commiſſionis, interdum omiſſionis p.636.c.2
5 Voti violatio eiuſdem ſpeciei eſt etiam in materiis diſtinctis. p. 638.c.1. eſt tamen in confeſſione aperienda materia, p 637 c.1
6 Violatio voti de re aliàs præcepta duplicem habet malitiam, ibid.
7 Violatio voti aliàs non præcepti vnam malitiam continet, p.ea. col.2
8 Violatio voti additi humanæ promiſſioni duplicem habet malitiam, ibid.
9 Voti violatio ex ſuo genere mortalis eſt. p.638.c.1
10 Voti violatio eſt contra primam tabulam, p.ea.c.2
11 Voti violatio quam graue ſit peccatum ibid.
12 Voti violatio poteſt eſſe venialis ex ſurreptione, p. 639. c.1. interdum excuſatur. ibid.
13 Voti violatio poteſt eſſe venialis ex leuitate materiæ. ibid. & quando, p.641.c.1
14 Voti violationes crebræ in materia leui an, & quando efficiant mortale, p.ea.c.2 & 643.c.2.& 644 c 2
15 Voti violandi ſæpe in materia leui propoſitum, quod ſit peccatũ, ibid.
16 Voti violatio omnis etiam in materia leui quando ſit mortale, ſi procedat à propoſito generali non implendi, ibid.
17 Voti violatio quibus modis fiat. p 645.c.1.
18 Votum grauius violatur per totalem omiſſionem, ibid.
19 Voti violatio per commiſſionem non fit ob ſolam temporis dilationem. p.646.c.2
20 Votum v.g. de non egrediendo è domo an magis violetur, quo diutius quis abeſt. ibid.
21 Votum virginitatis an aliquando ſolo primo actu terminetur, p.647.c.2
22 Voti violatio an grauior fiat ex voti crebra emiſſione ibid.
23 Voti contra caſtitatem, v.g. violatio in ſacerdote, & Religioſo, an importet malitias neceſſario confitendas, ibid.
24 Violatio voti, quod alio voto eſt firmatum, quam malitiam importet, p.648.c.1
25 Voti fractio an deobliget ab vlterius ſeruando p ea.c.2

VOTI POENITENTIA.

1 Voti pœnitentia quæ ſit. p.648 c.2
2 Voti pœnitentia duplex. ibid.
3 Voti pœnitentia quando ſit peccatum mortale, ibid.
4 Voti pœnitentia quando non ſit peccaminoſa. p.649.c.1
5 Voti pœnitentia inefficax non reddit eius impletionem peccaminoſam p.ea c.2
6 Voti pœnitentia inefficax quando ſit peccaminoſa per accidens, ibid.
7 Voti pœnitentia ſic ne bonus, an malus actus, ibid.

VOTI IRRITATIO.

1 Vota facta ex graui metu an ſint irrita iure Eccleſiaſtico, pag. 488.c 1
2 Vota ſimplicia metu facta irritabilia ab Eccleſia, ibid vide voti obligatio.
3 Vota ſimplicia metu facta non irritauit Eccleſia. p.488.c.2

Digitized by Google

4 *Votum an irritetur per ignorantiam, vide ignorantia.*
5 *Votũ negatiuum ceſſat, ceſſante materia, p. 606 c. 2*
6 *Votum firmum, aut infirmum quod dicatur, p. 651. c. 2*
7 *Votum irritabile quod dicatur, p. 652. c. 1*
8 *Voti irritatio quid, & quotuplex. p. 651 c. 2*
9 *Votum directe irritatum nunquam reuiuiſcit, p. 652. c. 1*
10 *Voti irritatio nõ eſt ſemper actus poteſtatis ſuperioris, p. 658. c. 1*
11 *In quocunque fideli, excepto Papa poſſunt dari vota irritabilia ex parte materiæ, non vero ex parte obligationis, p. 652. c. 1*
12 *Vota directe irritabilia ſunt in ſolis Religioſis, & impuberibus, p. 652. c. 2*
13 *Voti irritandi poteſtas non eſt neceſſario ſpiritualis, ibid.*
14 *Voti irritatio quo ſenſu dicatur non exigere cauſam, ſicut diſpenſatio. p. 652. c. 2*
15 *Votum vt irritetur à potentia dominatiua an requirat cauſam. p. 653. c. 1*
16 *Irritare votum ex potentia dominatiua an ſit peccatum, ibid.*
17 *Votum mixtum ex perſonali, & reali poteſt quoad alterum irritari. p. ea. c. 2*
18 *Voti irritatio, & diſpenſatio quomodo ſe habeant inter ſe, ibid.*
19 *Voti irritationes à quibus perſonis poſſint fieri, p. 654. c. 1*
20 *Votum cum irritatur interdum à perſona priuata, quia conditionatum, ibid.*
21 *Vota Chriſtianorum à nullo Prælato, nec principe, vt ſic, poſſunt irritari, ibid.*
22 *Vota à quibus poſſint indirecte irritari, p. 655. c. 1*
23 *Vota ſubditorum antequam ſubditi eſſent, an ſint à ſuperiore irritabilia. p. ea c. 2*
24 *Vota ſeruorum an poſſint irritari à Dominis. vide Seruus.*
25 *Vota debitorum an poſſint à creditoribus irritari. p 656. c. 2*
26 *Vota ſeruientium quouis modo an ſint irritabilia ab his, quibus operari debent. ibid.*
27 *Vota quatenus poſſint à coniugibus inter ſe irritari, p. 657 c. 1 & 2. & 658. c. 1 569. & ad finem capitis.*
28 *Eccleſia poteſt perſonas aliquas inhabilitare ad vota ſolennia. p. 559 c. 1*
29 *Vota ex defectu ætatis irrita. ibid.*
30 *Vota ſolennia irrita quoad ſolennitatem non obligant ſimpliciter, p. ea c. 2*
31 *Eccleſia poteſt inhabilitare perſonam ad vota ſimplicia etiam interna, p. 560. c. 2. Hæc Eccleſiæ poteſtas in quibus ſit Prælatis. ibid.*
32 *Vxor an poſſit vota mariti irritare. vide voti irritatio.*
33 *Votum coniugum approbatum an maneat irritabile ab alterutro, p. 661 c. 1*
34 *Vota filiorum puberum quatenus poſſint à patribus irritari, p. 661. c. 2. & 663. c 1. & votum Hieroſolymitanum filij an poſſit parens irritare, p. 663. c. 1*
35 *Vota filiorum impuberum poſſunt à parẽtibus irritari, p. 664. c. 1. 665. c. 1. 652. c. 1. vide Pater.*
36 *Vota filiorum, de quibus dubitatur, an cum ad pubertatem peruenerint, poſſint à patribus irritari. p. 664. c. 2*
37 *Votum impuberum quatenus poſſint irritari poſt pubertatem à parentibus. p. 665. c. 1*
38 *Votum filij impuberis confirmatum à Patre, quatenus maneat irritabile. p. 666. c. 2*
39 *Votum impuberis retractatum à patre amplius non reuiuiſcit, ibid.*
40 *Vota filiorum impuberum à quibus maioribus ſint irritanda, p 667. c. 1. vide Mater, Tutor.*
41 *Vota ſeruuli impuberis quando poſſint à dominis irritari. pag. 668. c. 1*
42 *Vota paruuli orbi an ab aliquo poſſint irritari, ibid.*
43 *Vota puellæ impuberis an poſſint poſtea ab ſponſo irritari, ibid.*
44 *Vota Religioſorum an poſſint directe irritari, p. ea c. 2. vide Religioſus.*
45 *Vota Nouitiorum, vide Nouitius.*
46 *Vota Monialium, vide Monialis.*

VOTI COMMVTATIO.

1 *Voti commutatio requirit cauſam p. 645. c. 2*
2 *Votum factum pro vno die, an poſſit à vouente in alium transferri, ibid.*
3 *In quo differant voti commutatio, & diſpenſatio. p. 681. c. 2*
4 *Quotuplex ſit voti commutatio. p. 703. c. 1*
5 *Quibus modis fieri queat commutatio in minus, p. 701. c. 2*
6 *Ad commutationem voti in æquale neceſſaria eſt authoritas Prælati, p. 706. c. 1*
7 *Mutatio voti in æquale fieri nequit ſine iuſta cauſa, p 706. c. 2. Idem dicendum de commutatione in minus, p. 700. c. 1*
8 *Quibus modis fiat commutatio in melius, p. 703. c. 2*
9 *Commutatio voti in melius propria authoritate fieri valet. ibid. Dummodo non cadat in promiſſionem factam tertio, p. 704. c. 2*
10 *Sine cauſa licita eſt cum ſit euidenter in melius p. 704. c 1*
11 *Commutatio voti concedi nequit niſi ab habente ſaltem poteſtatem delegatam p. 707. c 1*
12 *Cum conceditur confeſſoribus ſolum eſt ad commutationem in æquale, quæ fiat ex cauſa ibid. Et quæ ſufficiat, ibid.*
13 *Quale ſit votum in æquale propria authoritate commutare, p. 708. c. 1*
14 *Votum perſonale per redemptionẽ tolli poteſt, ſeu commutari, idem dicendum de reali, & mixto. p. ead. c. 2*
15 *Qui modus obſeruandus in votorum commutatione, p. 709. c. 1. Quomodo fiat commutatio voti conditionati, ibid.*
16 *In commutatione voti mixti quomodo ſit compenſatio expenſarum facienda, ibid.*
17 *Nulla ſit commutatio in votis ipſo iure. p. ea. c. 2*
18 *Mutanti propria authoritate votum in melius non licet ad prius redire, ibid. Secus dicendum de commutatione in minus, ibid.*
19 *Commutatio in æquale omitti poteſt, ſi fiat reditus ad prius votum, p. 710. c. 1*
20 *Commutatio licita, vel quæ talis creditur, extinguit omnino obligationem prioris voti, p 710. c. 2 Secus ſi ſit euidenter illicita. p. 711. c. 1*
21 *Obligatio voti minus perfecti in melius commutati non reuiuiſcit ob impotentiam implendi melius, licet culpabiliter quis impotens fiat. p ea c. 2*
22 *Obligatio prioris voti in minus vel æquale commutati non redit, etſi commutatio non impleatur. p. 711. c. 2*
23 *An qui renunciauit voti commutationem, poſſit iterum illa vti. p. 712. c. 2*
24 *Actio in quam ſit commutatio non ſubit omnes conditiones prioris voti, ibid.*
25 *Poteſt confeſſor per poteſtatem delegatam, & voti obligationẽ, & pœnam per fractionem illius incurſam commutare, p. 713. c. 1 Idem à fortiori dicendum de habente poteſtatem ordinariã, ibid.*
26 *Voti commutatio non extinguit obligationem relictam ex transgreſſione prioris voti, niſi de hoc etiam commutatio petatur. p. 714. c. 1*
27 *De poteſtate commutandi, vide plura verbo Voti diſpenſatio.*

VOTI DISPENSATIO.

1 *Voti diſpenſatio non ſolum requiritur ad omittendum, ſed etiã ad differendum, p. 645. c. 1*
2 *Voti diſpenſatio definitur, p. 674. c. 1. quatenus verſetur circa eius materiam p. ea. c. 2*
3 *Voti diſpenſatio, & interpretatio quatenus differant, ibid.*
4 *Voti diſpenſatio non poteſt fieri inuito vouente, p. 653. c. 2. vide Votum.*
5 *Voti diſpenſatio quomodo ad irritationem comparetur, ibid.*
6 *Datur in Eccleſia poteſtas ad diſpenſandum in votis, p. 674. c. 2 675. c. 1. ex quo loco Euangelij colligatur, p. 675. c. 2*
7 *De neceſſitate huius poteſtatis, p. 675. c. 1*
8 *Quomodo exerceri poſſit hæc poteſtas circa vota Deo emiſſa, p. 676. c. 1. vſque ad 677. c. 1*

9 An ſit

Digitized by Google

9 *An ſit de iure natura hæc poteſtas, vel fuerit in Republica Hebræorum, p.ea.c.2.vſq, ad.678 c.1*

10 *Solum in perſonis Eccleſiaſticis reperitur hæc poteſtas, p.678.c.1*

11 *Eſſe in Pontifice immediate, de iure Diuino, & in gradu ſupremo, de fide eſt.p.678 c 1. & 2*

12 *Hæc poteſtas eſt in Epiſcopis, non immediate de iure Diuino, ſed per Summum Pontificem p 679.c.2.*

13 *Epiſcopi habent ordinariam poteſtatem ad diſpenſandum, & commutandum omnia vota non reſeruata p.678 c.2*

14 *Hanc non habent Archiepiſcopi in toto Archiepiſcopatu, etiam tempore viſitationis.p 679 c.2*

15 *Summus tamen pœnitentiarius & Legatus Papæ illa potitur, 680.c.1 Quid vero de Ca dinalibus, ibid.*

16 *Parochus non habet poteſtatem ordinariam ad diſpenſandum, vel commutandum votum, p.680.c.1. Nec habetur ſine iuriſdictione Epiſcopali p e 1.c.2*

17 *Regula ad dignoſcendum in quibus præter Epiſcopos, ſit hæc poteſtas.p.68 c.1*

18 *Superiores Monachorum Epiſcopis ſubiecti nequeunt in votis diſpenſare, ibid neq, Abbatiſſæ, ibid.*

19 *Prælati regulares exempti hanc poteſtatem habent, ibid.*

20 *Votum tranſeundi ad arctiorem Religionem diſpenſari poteſt à Prælato ibid.*

21 *Votum confirmatum à Superiori poteſt ab inferiori diſpenſari, p.681.c.2*

22 *Summus Pontifex voti eſt capax, ac diſpenſationis, ibid.*

23 *Quomodo ſe. um poſſit d ſpenſare Pontifex, p 68 .c 1*

24 *Nec Epiſcopus neque alius infra Papam poteſt ſe um diſpenſare, ibid.*

25 *An poſſit ſupremus Prælatus Religionis in proprijs votis diſpenſare. ibid.*

26 *Principes à quibus poſſint in ſuis votis diſpenſar, p.881.c.2*

27 *Subditus Prælati exempti nequit ab Epiſcopo loci in votis diſpenſari, ibid*

28 *A quo Prælato nouitiorum vota, diſpenſari queant, vel ſuſpendi. 682 c 1*

29 *Quomodo diſpenſari queant vota peregrinantium extra diœceſim, p 685 c.2*

30 *Delegabilis eſt poteſtas ad commutandum, quam ad diſpenſandum in votis, ibid.*

31 *Vtraque concedi nequit niſi ab habẽte ordinariam poteſtatem, ibid.*

32 *Hæc poteſtas neceſſe eſt, vt ſit ſpecialiter delegata.p.684 c.1*

33 *Poteſtas delegata ad diſpenſandum extenditur ad commutandum, p.685.c.1. non tamen vice verſa, 684.c.1*

34 *Suſpenſus ab vſu commutandi vota, ſuſpenditur etiam ab vſu diſpenſandi.p.686 c.1*

35 *Facultas delegata ad diſpenſandum, & commutandum extenditur ad omnia vota non reſeruata, p.686.c 2. item ad omnia emiſſa, vel ante promulgationem talis conceſſionis, p.687 c 1. vel intra tempus talis conceſſionis. ibid.*

36 *Vota emiſſa etiam ſpe diſpenſationis ex priuilegio, diſpenſari, & commutari poſſunt niſi talis exceptio apponatur, p 687.c.2*

37 *Differentia inter facultatem impetratam ad vnum tantum, vel ad omnia vota diſpenſanda p.695.c.1.*

38 *Quæ iuramenta pro votis reputentur in ordine ad diſpenſationem.p.690.c 1*

39 *Poteſtatem delegatam ad diſpenſandum in votis extendi ad pia iuramenta, quæ per ſe ſtant de eadem materia, probabile eſt, p.689.c.1. Licet ſimul & immediate concurrant.p.691 c 2.*

40 *Per ingreſſum Religionis non ſolum vota, ſed etiam hæc iuramenta cenſentur extingui, p.690.c.1*

41 *Ad quæ iuramenta non extendatur hæc poteſtas. ibid Vota iurata, in quæ directe cadit iuramentum per hanc facultatem commutari, & diſpenſari poſſunt, p.ea.c.2*

42 *Vota emiſſa in commodum tertij diſpenſari poſſunt, niſi adiungatur promiſſio facta tertio, p.696.c.2*

43 *Votum confirmans promiſſionem factam tertio, ſine illius conſenſu nequit diſpenſari, p.694.c.2*

44 *Quomodo poſſit votum tolli manente promiſſione humana p. 695 c.1*

45 *Votum ſeu promiſſio facta Sanctis, per hanc poteſtatem diſpenſari valet, p.ea c.2*

46 *Poteſtas delegata ad diſpenſandum abſolute, non extenditur ad vota quæ habent adiunctam promiſſionem, ibid.*

47 *Diſpenſandi poteſtas directe conceſſa delegato ample interpretanda eſt, p 695.c.1*

48 *Diſpenſandi facultas directe conceſſa indigenti diſpenſatione, ſtricte interpretanda eſt. Secus ſi pro tota communitate indultum concedatur, ibid.*

49 *Aſſignantur qualitates requiſitæ in perſonis electis ad diſpenſandum in votis, p.696.c.2*

50 *Quo tempore diſpenſari poſſit votum ab habente poteſtatem delegatam, ibid.*

51 *Quæ forma præſcribi debeat in diſpẽſatione voti, vt valide conferatur, p 697.c 1*

52 *Diſpenſari poſſunt vota per iubileum, antequam requiſita ad illud impleantur, dummodo adſit intentio implendi illa, ibid. Et rata manet, licet, poſtea requiſita ad iubilei conſequutionem non impleantur, p.697.c.1. Grauiter tamen peccat voluntarie omittens, p ea c 2*

53 *Cautela in confeſſarios commutantes, & diſpenſantes in votis per iubileum, ibid.*

54 *Diſpenſatio dari nequit ſine cognitione voti, & cauſæ diſpenſationis, p.698.c.2*

55 *Facultas conceſſa per iubileum non extenditur ad vota oblita, p.698 c.1*

56 *Finito iubilei tempore expirat poteſtas ad diſpenſandum in votis, ibid. Niſi diſpenſans cauſa inchoata ex iuſta cauſa diſpenſationem diſtulerit, p.ea c.2*

57 *Voti diſpenſatio non poteſt bis concedi per idem iubileum, ibid.*

58 *Voti diſpenſatio ſine cauſa, iniuſta & inualida eſt, p. 699. c.1. Etiam quæ fit à Summo Pontifice ibid.*

59 *Diſcrimen inter legem Pontificiam, & votum in ordine ad diſpenſationem, p.700.c.1*

60 *Aſſignantur cauſæ ad votorum diſpenſationem p.ea c.2*

61 *Grauius votum grauiori cauſa eget ad ſui diſpenſationem, pag. 701.c.2*

62 *Quando dari queat diſpenſatio in voto ſine adiuncto onere, p. 702.c.1*

63 *Quando non liceat diſpenſare, ſed tantum commutare votum, ibid.*

64 *Voti diſpenſatione vti licet, dum diſpenſato euidenter nõ conſtat de cauſæ inſufficientia, p.ea c.2*

65 *Quando teneatur Prælatus non ſolum commutare, ſed etiam diſpenſare in voto, ibid.*

66 *Ad valorem diſpenſationis neceſſaria eſt voluntas Prælati, p. 730.c.2*

67 *Diſpenſatio per irreptionem, vel deceptionem obtẽta eſt nulla, ibid.*

68 *Occultatio ſubſtantiæ voti, vel cauſæ legitimæ irritat diſpenſationem, ibid.*

69 *Si proponantur ad diſpenſationem duæ cauſæ vna vera, altera falſa. quarum qualibet ſit ſufficiens, eſt valida diſpenſatio, p. 732.c.1*

70 *Occultare circumſtantiam, quæ impediret voluntatem diſpenſantis irritat diſpenſationem, ſecus tamen ſi ſolum retardaret, p.ea c.2*

71 *Diſpenſatio per metum grauem extorta per ſe loquendo valida eſt, ſi detur voluntas in diſpenſante, p.732.c.2*

72 *Diſpenſatio vt ſit valida neceſſe eſt, vt aliquibus ſignis externis fiat, ibid.*

VOTI RESERVATIO.

1 *Vota non ſunt Epiſcopis reſeruata, ſed ſoli Papæ p.714.c.2*

2 *Quæ vota ſint Summo Pontifici reſeruata, ibid.*

3 *Quomodo, & quando inducta ſit hæc reſeruatio p.715.c.1*

4 *Non omnia vota perpetua ſunt reſeruata.p.716.c 1*

5 *Votum*

Digitized by Google

5 Votum Clericatus in ſacris non eſt reſeruatum, p.715.c.2.nec item votum de vouenda caſtitate,ibid.
6 Votum ſeruitutis propter Deum,vel alicuius ſtatus ſimilis de ſe perpetui non eſt reſeruatum,ibid.
7 Votum obedientiæ, & paupertatis extra Religionem non ſunt reſeruata.p.715.c.2
8 Votum de applicandis bonis terræ Sanctæ non eſt reſeruatum, p.717.c.1
9 Neque item votum de viſenda domo Lauretana,p.ea.c.2
10 Votum reſeruari nequit ex intentione vouentis,ibid.
11 Vota reſeruata,& quoad diſpenſationem,& quoad commutationem reſeruata ſunt,ibid.
12 In votis reſeruatis non eſt licita commutatio ſine Pontificis authoritate licet fiat in melius,ibid.
13 Niſi in ſtatum Religioſum commutentur,ibid.
14 Vota conditionata quà talia,non ſunt reſeruata. p.718.c.2
15 Votum conditionatum de materia reſeruata, poſita conditione manet reſeruatum p.721.c.2
16 Vota pœnalia de materia reſeruata non ſunt reſeruata.p.722.c.2.Secus ſi talis pœna ſit medicinalis, vel in gratiarum actionem adhibita,p.724.c.1
17 Votum factum ſub diſiunctione de materia reſeruata, & non reſeruata,non eſt reſeruatum, ibid Secus ſi materia,in quam cadit diſiunctio ſit vtraque reſeruata.p.ea.c.2
18 Votum Clericatus in ſacris, vel caſtitatis ſub diſiunctione non eſt reſeruatum,ibid.
19 Poteſtas ad diſpenſandum, & commutandum hæc vota poteſt delegari,p.725.c.1
20 Sub generali conceſſione ad diſpenſandum, & commutandum non cenſentur conceſſa vota reſeruata,ibid.
21 Secus quando omnia conceduntur,exceptione ſolũ facta in Religione,& caſtitate,p.726.c.1
22 Exceptione vero facta ſolum in voto Hieroſolymitano conceduntur Romanum,& Compoſtellanum, non tamen caſtitatis, & Religionis,ibi.
23 Quid ſi vnum ex his alio tacito concedatur. ibid.
24 Quid item ſi vno excepto, reliqua concedantur. ibid.
25 Parens filij,maritus vxoris vota reſeruata poteſt irritare, non diſpenſare,nec commutare,p.727.c.1
26 Votum caſtitatis ſerui nequit dominus irritare,nec item Religionis,licet iſtius exequutionem impedire queat. ibid.
27 Quid dicendum de voto Hieroſolymitano, ibid,
28 Votum de cuius valore dubitatur non eſt reſeruatum, p. 727.col.2
29 In graui periculo tranſgreſſionis voti cum impotentia recurrẽdi ad Pontificem poteſt in illo Epiſcopus diſpenſare,vel commutare,p.728.c.1
30 Quod intellige in votis negatiuis: nam in aliis ſola dilatio exequutionis ab illo conferri poteſt,ibid.
31 Neque eſt neceſſarius recurſus ad Nuntium.p.729.c.2
32 Vota reſeruata nequeunt commutari in caſu extraordinario à Prælato inferiori Epiſcopo loci,ibid.

VOVERE.

1 Vouens etiam coactus abſq; intentione peccat,p.487.c.1
2 Vouere interdum ſignificat proponere, vel iurare.p.496.c.2
3 Vouens non amittit dominium.p.618.c.1
4 Vouere temere,quod peccatum? vide Peccatum.
5 Vouere v.g non ingredi Religionem eſt peccatum, p.635.c.1.de ſimilibus,ibid.
6 Vouens ſe voturum caſtitatem vt ſic,non tenetur ſtatim ad ſeruandam caſtitatem.p.591.c.1

VOX.

1 Voces quomodo proferantur in ecſtaſi p.124.c.1
2 Verba quatenus ſpectent ad iuramentum,p.295.c.2
3 Vocis modus ſufficiens ad officium Diuinum,p.187.c.1

VSVRÆ.

Vſurarum debitores,qui iurarunt quatenus ſint cogendi ſoluere,p.380.c.1

VSVRARIVS.

Vſurario factum iuramentum obligat,p 333.c.2

VSVS.

Vſus rationis in inſtanti primo an teneamur orare,p.69.c.1

VTILE.

Vtile dupliciter dicitur,p.514.c.2

VTILITAS.

Vtilitas mentalis orationis p.74.c.2

VXOR.

1 Vxor quatenus ſubdita ſit marito.p.670.c.2
2 Vxor quod habeat dominium, p.659.c.1.vide Coniuges, & maritus.
3 Vxor non poteſt cogi ad comitandum maritum ad Hieroſolymam, ibid.
4 Vxor non poteſt vouere peregrinationem Hieroſolymitanam, p.659.c.2

F I N I S.

ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google